R. P. D.

ANTONINI

DIANA

RESOLVTIONES

MORALES

In octo Partes distributæ.

R.P.D. ANTONINI
DIANA
PANORMITANI
CLERICI REGVLARIS,
ET SANCTI OFFICII REGNI SICILIÆ CONSVLTORIS
RESOLVTIONES
MORALES
In octo Partes distributæ.
IN QVA SELECTIORES CASVS CONSCIENTIÆ breuiter, dilucidè, & vt plurimùm benignè sub varijs Tractatibus explicantur.

Editio Vigesima, cui primùm Octauam Partem adijcimus, & Indices anteà sparsos ad instar Compendij in vnum collegimus.



VENETIIS, *Apud Iuntas, & Baba.* M.D.CXLVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Perilluſtri, & admodum Reuerendo Patri Domino

D. ALOYSIO SQVADRONO

V E N E T O

Congregationis Caſsinenſis Priori, ac Vicetheſaurario

D. Iugi obſeruantia Colendiſsimo.

Franciſcus Baba Typographus, S. P. D.

DVM Reſolutiones haſce Morales præſtantiſſimi illius nunquam ſatis commendati viri Patris Antonini Diana in lucem profero, omnibus in moralis Theologiæ palæſtra deſudantibus cum indulgeo, tum mihi conſulo; Si quidem aditus patet inde mihi palam orbi faciendi quo ſtudio, qua deuotione, qua animi propenſione Te, Pater admodum Reuerende, proſequar. Quomodo mei ſummam erga te obſeruantiam patefacerem, animo iampridem peruolutabam, fateorque me non mediocriter angi, quando adfuit mihi opus hoc valdè pręclarum, ex quo typos meos illuſtrandi, deſideriumque illud, quo tanto tempore diſcruciabar, explendi nactus ſum. Hos igitur tanti ingenij fructus nomini tuo nobiliſſimo conſecrare conſtitui eà ratione, vt eſſet ſingularis me ergà te amoris non incertū argumētū. Sed cui virorū magis tā eximium opus, quam tibi omnium virtutum ornamento prędito conſecrare potuiſſem? Quę ex maiorum tuorū gloria non immeritò tibi aſſumere debes ſilentio præterire lubet. Nihil externum, quamtumuis commendatione ſummè dignum, ſit tuum. Non eſt cur aliundè hauriam quod à proprio tui merito abundè largitur. Fas mihi ſit ea paucis ſolummodo perluſtrare, & recenſere, quæ à te tantum petita, & aliorum minimè, ſed tui dumtaxat ſunt ornamenta. Hæc quæ, & quanta ſint, munia, quibus in Caſſinenſi familia tam laudabiliter es functus, peroptimè atteſtantur. Talia admirantes eiuſdem Congregationis Optimates vno ore Te omni dignum honore fatentur, teque ad maiora Dignitatum culmina quam primùm aſcenſurum vaticinantur. Verùm hæc, & alia permulta, quæ in Te, tamquam ſolidæ fundamenta virtutis, emicant, omittam, Id vnum proferam, quod tibi optimo iure hoc opus pro munere deuouendum erat, cùm inter inſignes materię de qua hic agitur, Doctores, Corypheus exiſtimeris, appelleris. Hoc fuit in cauſa, quòd tale munus ſummè tibi gratum fore crediderim, cum illud pro obiecto habeat ſtudium, quòd à Te ita excolitur, vt nulla alia re magis oblectari videaris. Benignè igitur hoc excipias, meque tuo patrocinio perpetuò foueas, etiam atque etiam precor. Deus diù Te ſeruet incolumem.

Venetijs v. Non. Martij 1635.

Illustrissimo, & Excellentissimo Comiti

D. FRANCISCO III. DE VIGINTIMILIBVS,

MARCHIONI HIERACENSI,

PRINCIPI CASTELBONI,

Antoninus Diana Cler. Regularis, Sempiternam Felicitatem.

SATIS animo fluctuabam (Excellentissime Princeps) quod præsens munus dissonum valde, & alienum à tua dignitate viderem. Quid enim magnanimo Principi placet magis, aut in quo iucundius oblectatur; quam in Romanorum Fastis, in bellorum difficultatibus, in veterum Imperatorum triumphis, in Magistratuum administratione, in optima denique exercitus regendi, ac rempublicam gerendi ratione? Neque verò tibi est genius alius, aliàve indoles: neque aliud te profectò, quam vel maximos Dynastas studium tenet. Ex Regia namque Normandorum prosapia ortum eùm ducas; inter optimo inter primos tuæ stirpis auctores numeras, Riccardum Serlonem, Rogerij Siciliæ Comitis ex fratre nepotem, qui Vigintimilliorum nomen, ex totidem cæso Maurorum numero; & familiæ tuæ gloriam vna cum Hieracij Comitatu à patruo sibi concesso, propagauit in posteros. Memoras etiam, Rogerium Guglielmi II. Regis res optimo in statu locantem: Guglielmum Irenæ Constantinopolitani Imperatoris filiæ matrimonio copulatum; ac Henricum vna cum Patre, Manfredi Regis partes sequutum, ideoque à Gallis oppidis, ac ditione expoliatum, & à Petro demum Aragonio restitutum, qui pro Federico Rege plurimum in Eugij expugnatione insudauit. His verò adnectis, Alduinum Isolæ maioris Comitem, in Burdigalensi prælio Petri Regis commilitonem; Franciscum I. ad Pont. Max. Legatum, inter Regni Proceres ferè præcipuum: Franciscum II. Friderici III. Regis tutorem, Siciliæ Vicarium, & pacis cum Neapolitanis sequestrem: Ioannem Hieracij Marchionem; qui post Neapolis Regnum Alphonso Regi conseruatum, Sicilia sedata, Hispanijs compositis, Bosferio Tunetano Rege fugato, Acarnaniæ Principe genero suo in priorem statum restituto, Vexillifer denique Romanæ Ecclesiæ, Summ. Pont. ac Regi suo, pristinam asseruit, & libertatem, & dignitatem. Quid de Antonio huius Regni Admirate, qui, & Agatham Pratensem Iacobi II. Regis Aragonum neptem, & Margaritam Bausiam Neapolitanæ Reginæ sororem, quæ ad D. Ludouicum Francorum Regem genus suum referebat, vtramque habere meruit, in matrem illam, hanc in vxorem. Quid de Simeonibus Regni Siciliæ moderamina tam iustè multoties administrantibus; aut de Ioannis III. prudentia in eiusdem Regni gubernatione, ac militari virtute in ipsius à Turcarum classe tuitione, eloquendum foret? Cæterum insignes tot auorum imagines, ideo effictas prius arbitror à natura; vt in TVI procreatione, ex his omnibus vnam veluti Zeusis Tyndariden, efformaret, & clarissimos inter Heroas, auito emissus splendore, tuoque generi generositate superior extares etiam mole virtutum. Quid ergo cum tanto Principe Moralium hæc tractatio, quæ religioso Antistiti aptius conueniret? Verùm si nō externam tantum huius voluminis faciem intuearis, illudque voluas interius; inuenies profectò quidquid deceat excelsum, probumque Principem; reperies, qua se gerant prudentia Magnates in Comitijs, quidque in ijs fieri iustè, iniustève queat: & scies interim, quàm honorificè id fuerit à tuis quondam Maioribus præstitum: cognosces etiam quantum deferre Principes debeant Ecclesiasticis viris, ac locis. Quod vtinam sic scirent omnes, in eadem qua tu dignitate positi, & factis scientiam probarent, vt facile est à tua mihi probitate sperandum magis, quàm optandum; & pleraque tibi huiusmodi alia legenti occurrent Optimatibus necessaria. Sed anxius quidem, quàm par erat, de muneris congruitate scripsi, cùm tamen in hoc tibi Opere dicando magis egerim, quod opus esset, quam quod decens; non enim mihi aliud erat, quò tuorum in me, meumque Ordinem meritorum copiam, vniuerso testarer orbi, tibique quoquo pacto gratificarer. Ades namque nobis veluti tutelare sydus, & quos tuæ beneuolentiæ radijs illustras, tutaris influxu. Nec tamen pateris diei, noctisque vices; nostro enim bono ortum semel, occidis nunquam; & dum in tuæ benignitatis Cælo verteris, quotidie innumeris, quibus nos cumulasti beneficijs, maiora, & maiora adiungis in dies; vt nequeam meritò, quanta in te sit benefici animi magnitudo, stylo, vel mente metiri. Faueas ergo, Excellentissime Princeps, & Regia humanitate, qua soles, auctorem respicias, & auctoris opus, quod tuo vtique patrocinio fortunabis in æuum, si tuo, quo erit insignitum, nomine, publici fauoris ei viam aperies. Vale.

AVCTOR

AVCTOR
AD LECTOREM.

PLVRIMVM, vt opinor, amice Lector, in hoc moralis doctrinæ studio desudasti, & laboris molestiã fefellisti certè auiditate scien di. Quare in librorum varietate diu errans, diuque in prolixitate laborans ingredere tandem facile, ac cõpendiosũm iter, quod hoc tibi volumine indigitatur, & tuum tibi meo labore imminutum quidem esse cognosces. Nã ea mihi scribendi semper animus fuit, quibus imbuantur, non obruantur ingenia. Sed vt verum fatear, nolens simul, & volens compendio scripsi; volens quidẽ, vt longam artem, qua possem, vitæ æquarem breuitati; nolens verò, quia ægra semper vtens valetudine, & innumeris præpeditus negotijs, nec si voluissem longius ire, potuissem Non defatigaberis igitur, mi Lector, nec corpore, nec ingenio, quod tibi breuitas hinc, inde perspicuitas dabit. Prolixitatem siquidem vehementer exosus post simplicem sententiam eius addidi potissimam rationem, eiusdemque præcipuos patronos, hoc tantùm prudenti cuilibet, ac docto viro sufficisse ratus. Ac re tamen aliquod ingenium, & curiosum nimis, quia id ei per otium licebit, vberiorem forsitan cupiet doctrinam. At hoc ipsum apud Auctores in hoc Codice summa fide relatos, quorum multoties sentẽtias ad verbum transcripsi ex industria. Satis denique ipse se tibi hic liber successu tem poris probabit. O quàm enim iucundum erit, ò quàm valde benigniores tibi hasce Resolutiones percurrisse iuuabit? Multis te molestijs, ac maximis perplexitatibus liberum senties inter aliorum, vel confessiones excipiendas, vel ambiguitates enodandas. Sensi etenim, & memetipsum ego, cum plurimis ab hinc annis, in hac Domo Panormitana de arduis moralium consular quotidie. Ex Auctoribus verò, recentiores, quia eis plurimum defero, sæpe, & libenter refero, penes quos antiquiores omnes facile habebis; nam vt cum Plinio loquar, *Lib. 2. Epist. 21.* Sum ex his, qui miror antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: Hoc namque virtuti semper accidit triste, alio scilicet sæculo nasci, alio laudari. Id quod deplorans Tacitus, ait, (*De ora.*) *Vitio malignitatis humanę, vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse.* Cęterũ, caue ne multiplices ad opinionum varietates, quæ in moralibus, & in hoc maximè reperiuntur Volumine, hæreas animo, easque incuses; quod confusionem mentibus ingerant. Caue, inquam, ne summam simul Omnipotentis æquanimitatem, suaueque diuinæ legis iugum accuses, ac damnes. Cum enim plura intra vnam veritatis semitam ita naturali lege claudantur, vt nefas sit eam, vel latum vnguem, aberrare. In aliquibus tamen aliquam Deus nobis libertatem fecit, quorum videlicet veritatem, vt multiplici eam calle possemus adire, veluti in compito collocauit. Cumque naturaliter varium sit, præsertim in sapientioribus, iudicium, variumque ingenium; prudenter quisque aget, si prudentum iudicio, ac rationis dictamine hanc vel illam arripuerit viam. Qua in re rerum conditor, & humanæ consuluit imbecillitati, & scelestorum hominum exprobrauit improbitatem, quod tam latum iter nimis malitiosè fallant. Vale, & dum has Priores Resolutionum partes libenter libas, si quid benè de tuis me studijs mereri senties, alteras quàm primum expecta.

OPERA

OPERA ET NOMINA
A V C T O R V M
R E C E N T I O R V M,

QVÆ IN HOC VOLVMINE CITANTVR AD construendam optimam casuum conscientiæ Bibliothecam.

ADAMI Tanneri Societatis Iesu in Summam D. Tom.

Alexandri Peregrini, Clerici Regul. Tract. de Duello. Item de Immunitate Ecclesiarum. Item Scholia ad Priuilegia Religionis Cler. Regularium. Item Commentaria ad Constitutiones Clericorum Regularium.

Alexandri Ambrosini de Imm. Ecclesiastic. super Bullam Gregor. XV.

Alexandri Pesantij Tract. de Immunitate Ecclesiastica. Itē in Summ. D. Th.

Alōsi de Vega Ordinis Minorum Summa Casuum conscientię. Item Speculum Parochorum.

Aloysij Turriani Societatis Iesu in 2.2. D. Thomę de Fide, Spe, & Charitate. Item de Iustitia, & Iure. Item de Pœnitentia, & Censuris.

Aloysij Riccij Decisiones Curię Archiepiscopalis Neapolitanæ. Item Praxis Fori Ecclesiastici. Item Collectanea omnium Decisionum.

Alphonsi de Leone Clerici Regularis Recollectiones, seu Tract. de iubilęo, Itē de officio & potestate Confessarij.

Alphōsi Veracruz speculū coniugatorū.

Alstreæ Vallensis Paratitla Decretaliū.

Alphonsi Regij Augustiniani Resolutiones Casuum Conscientiæ.

Alphonsi Villagut Benedictini, Tractatus de rebus Ecclesiæ non ritè alienatis. Item Allegatio in eadem materia. Item de vsuris.

Alphonsi de Maderig. Tract. de Episcopis, Parochis, Confessarijs, &c.

Alphonsi de Mendoza August. Controuersiæ Theologicæ.

Alphonsi Curiel Commentaria in 1. 2. D. Thomæ.

Andreæ Castaldi Clerici Regularis Praxis Ceremoniarum.

Andreæ Molfesij Clerici Regularis Sūma Casuum Conscientiæ.

Andreæ Victorelli Notæ ad manuale Nauarri. Item de Sacramento Extremæ Vnctionis.

Angeli de Clauasio Sūma Casuum conscientiæ, dicta Summa Angelica.

Antonij de Escobar examē Cōfessariorū.

Antonij Corduba Quęstionarium Theologicum. Item Decisiones Casuum conscientię. Item Expositio in Regul. Fratrum Minorum.

Antonij Fernandez Societatis Iesu Instructio Confessariorum.

Antonij Naldi Clerici Regularis Summa Casuum Conscientiæ.

Antonij Sanctarelli Societ. Iesu Resolutiones variæ. Item Tract. de Hæresi. item de iubilæo.

Antonij de Sousa Dominicani Relectio in Bullam Cœnæ. item Aphorismi Inquisitorum.

Antonij Lazarij Quæstiones Canonicæ, siue de Monitorijs. item Tractatus de Blasphemia.

Antonij Ricciulli Tractatus de Iure Personarum extra Ecclesiæ gremium existentium.

Antonij Raguccij Lucerna Parochorū. item Vas Ecclesiasticæ disciplinę. itē Tract. de Officio Canonicorum.

Antonij Gomez Tra. in Bulla Cruciatæ.

Arnaldi Albertini de Hæreticis. item de Secreto. item de agnoscēdis assertionibus Catholicis, & Hæreticis.

Augustini Vigiani Disputationes de Immunitate Ecclesiastica.

Augustini Barbosa de Potestate Episcopi. item Collectanea Doctorū in Ius Canonicum. De officio Parochi. De officio Canonicorum.

Antonij de Litteratis Summa Casuum Conscientiæ.

Archāgeli Rubeo de Sacramētis i 4. sēt.

Ægidij Coninch. Soc. Iesu de Sacramentis, item de Fide, Spe & Charitate. itē Responsio ad Dissertationem impugnantem absolutionem moribundi.

Alexandri Carrerij de Sponsalibus, & Matrimonio.

Antonij Saluatore Tract. de Recursa & Contin. Cambiorum.

Alphonsi Narbona 3. pars Recopilationum Legum Hispaniæ.

Antonij Russi Manuale Definitionum.

Ascanij Tamburinij de iure Abbatum.

Adami à Maudem Discur. in Decalog.

Arnaldi Albertini opera.

Aloysij Bariola flores Inquisitor. & Cōcilia moralia, item Aporismi Casuum Conscientiæ.

BAlthassaris Gomez de Amescua Tr. De Potestate in se ipsum.

Bartholomæi Fumi Summa Casuum Conscientiæ, dicta Summa Armilla.

Bartholomæi Ledesma Tract. de Sacramentis.

Bartholomæi ab Angelo Dominicani Examen Confessariorum, ac Ordinandorum.

Bartholomæi Vgolini Tract. de Censuris. itē in Bullam Cœnæ. itē de Vsuris. item de Simonia. itē de Irregularitate. itē Responsiones ad Trac. 7. Theologorum. Item Respōsiones ad Iurisconsultos Gymnasij Patauini. item de Iustitia monitorij Pauli V. item de potestate Episcopi.

Bartholomæi Gyptij Tract. de Casibus reseruatis.

Bartholomæi Salonij Augustiniani Cōmentaria de Iustitia, & Iure in 2.2. D. Thom.

Bartholomæi à S. Fausto Congregationis Fuliensis Speculum Confessariorum. itē Thesaurus Religiosorum. itē de Horis canonic. item de Iubilæo. itē Theologia Moralis.

Barthol. de Vecchis Capuccini Praxis obseruanda in admittendis Nouitijs.

Basilij Pōtij Augustiniani Theologi eminētissimi Tr. de Matrimonio. item de Impedimentis Matrimonij.

Bernardi Diaz Practica Criminalis, cum Annotationibus Salzedi.

Bernardi Comēsis Lucerna Inquisitorū cum Annotationibus Frācisci Pegnæ.

Bernardi Iustiniani Clerici Regularis Tract. de Cambijs.

Bartholomęi Medina Dominicani Summa, siue Instructio Confessariorum. item in p. 2. D. Tho. item in 2.2.

Bartholomęi Gauanti Commentaria in Rubricas Missalis, & Breuiarij. item Praxis Visitationis Episcopalis. item Praxis Synodi Diocesan. item enchiridion Episcop.

Bernardini Sandoual Tract. de officio Ecclesiastico.

CAroli de Grassis Trac. de effectibus Clericatus.

Caroli Macigni Tractat. de Horis Canonic.

Caroli de Grassalijs Regalium Franciæ Libri duo.

Castilli de Bobadilla Politica Hispano idiomate conscripta.

Claudij Solæri Tract. de Iuridica Potestate Confessariorum.

Claudij Carrani Tract. de Vi, & Potestate Legum humanarum.

Collegij Bononiensis Responsum pro Libertate Ecclesiastica.

Cosmę Philiarchi de Officio Sacerdotis.

Christophori Anguiani Tractat. de Legibus.

DIdaci Couarruuias Opera omnia.

Didaci Aluarez Dominicani p. 2. D. Thomæ.

Didaci Nugni Dominicani de Sacramētis in 3. p. D. Thom.

Dominici Soto in 4. sent. itē de Iustitia, & iure. item de tegendo Secreto.

Dominici Bannez de Fide, Spe, & Charitate, item de Iustitia, & Iure.

Domitij Chamerota. Tract. de Sact.

Directorium Inquisitorum cum commentarijs Francisci Pegnæ.

Dauid à Maudem in pręcepta Decalogi.

EMmanuelis Rodriquez Frāciscan. Commentaria in Bullam Cruciatæ, & Summa cas. conscientiæ nouissimè Hispano idiomate conscripta. & aucta, item Quæstiones Regulares,

Ema-

Emanuelis Sà Soc. Iesu, cum Notis victorelli.
Erasmi à ChoKier Tr. Iurisdictionis ordinariæ in Exemptos, illorumq; exemption. ab ordinaria Iurisdict.
Euangelistæ Roris examen Ordinand.
FErdinandi Marutæ Responsum pro Vectigali serico.
Ferdinandi Castri Palai Soc. Iesu opera Moralia.
Flauij Cherubini compendium Bullarum S. P. cum Scholijs.
Francisci de Sosa Franciscani Theologi eminentissimi Commentaria super Bullam Clem. VIII. de largitione munerũ, liber verè aureus, ex quo multa desũpsi in tr. de Paupertate religiosa.
Frãc. Syluij Lectoris publici in Academ. Duacen. in 2. 2. D. Tho. & in 3. p.
Francisci de Pitigianis Franciscani in 4. sent. item Pract. Criminalis Car.
Francisci Zipæi Ius nouum Pontificium.
Francisci Torreblanca Tr. de Magia.
Francisci Ortiz Franciscani Summa casuum conscientiæ.
Francisci Toleti Soc. Iesu Summa cum Notis Victorelli.
Franc. Suarez Soc. Iesu Opera omnia.
Francisci Coriolani Capuccini. Tract. de casibus reseruatis.
Francisci de Alcozer Confessionarium, item Summa & Tractatus de Ludou.
Francisci Coquetij Dominicani Dissertatio de Confessione per literas seu Internuntium.
Francisci de Aula Dissertario de Cõfessione per literas seu Internuntium.
Francisci Aponte Clerici Regularis, Tr. de potestate Proregis.
Francisci Molini Tr. de ritu Nuptiarum & Pactis in Matrimonio conuentis.
Francisci Galletti Margarita Casuum conscientiæ.
Flaminij Paritij Tract. de Resignatione Beneficiorum, item de Confidentia beneficiali.
Francisci Victoria Relectiones. item Summa sacramentorum.
Fructuosi Bisbe. Tract. de Comœdijs.
Francisci Merolla Disputationes in vniuersam Theologiam moralem.
Francisci Ripa Tract. de Simonia.
Francisci Ghetti Theologia Moralis.
Francisci Berti resol. super Missam.
Fulgentij Pinelli lectura de Horis Canonicis.
GAbrielis Pereira Tr. de Manu Regia. Pars 1. 2. & 3.
Gabrielis Vasq. Soc. Iesu opera omnia.
Gasparis Hurtado Soc. Iesu de matrimonio, de censuris.
Georgij Pollachi Tr. de Iubilæo. item de potestate Prælatorum Regularium.
Gregorij Seruantis Defensio immunitatis Ecclesiasticæ.
Gregorij de Valentia Soc. Iesu in D. Th.
Gregorij Sayri Clauis Regia, item de Censuris.
Gregorij Martinez Dominicani Commentaria in 1. 2. D. Th.
Gulielmi Cantarelli quęstiones in Decalogum.
HEnriquez Soc. Iesu Summa.
Henriquez de Villalobos Franciscani Manuale Confessariorum, item Summa Casuum conscientiæ.
Hieronymi Cenedo Dominicani de Paupertate Religiosa.
Hieronymi Campanili Diuersorum iuris Canonici.
Hieronymi Gonzalez Glossema in regulis Cancellariæ.
Hieron. Sorbo Capuccini Compendium Priuilegiorum Mendicantium.
Hieron. Ceuallos Tr. de cognitione per viam violentię in causis Ecclesiasticis.
Hieronymi Veneri Examen Episcop.
Hieronymi Llamas Summa, siue Instructio confessariorum.
Hieronymi Pharaoni Benedict. Tra. de sacram. penitentiæ, & de restitutione.
Hieronymi Honuphrii Opusculum de sigillo confessionis.
Hieronymi Rodriquez Compendium Quæstionum Regularium.
Hectoris Felicij Tract. de Societate.
Homoboni de Bonis Clericis Regularis S. Pauli Examen Ecclesiasticum. item Tr. de casibus reseruatis, item de statibus humanæ vitæ. item Concilia.
Horatij Gambaruptæ Tract. de casibus reseruatis.
IAcobi de Grasseis Concilia, item decisiones aureæ, itẽ de Arbitrarijs Confessariorum, item de casibus reseruatis.
Iacobi Sbrozzij Tr. de Vicario Episc.
Iacobi Simancha Institutiones Catholicæ, item Praxis hæreseos.
Io. Valeri Carthusiani differentię vtriusque Fori, viri doctissimi, & eminentissimi, ac in Academijs Hispaniæ satis noti, vnde merito multa ex illo collegi in Tr. de Paupertate Religiosa.
Io. Sancij selectæ, & practicæ disputationes circa sacramentũ Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, Opus immortalitate dignissimum, in quo Author acumen, & doctrinam luculenter demonstrat; vtinam alios ingenij sui fœtus in lucem emitteret.
Io. Malderi in p. 2. D. Tho. item in 2. 2. itẽ Tr. de sigillo confessionis, item de abusu restrictionum mentalium.
Ioannis Pauli Lancelloti Institutionis iuris Canonici.
Io. Dominici Montagnola Dominicani Disputatio de valore, & fructu Missæ.
Io. Petri Barchij Instructiones pro confessarijs monialium.
Ioannis de Carthagena Franciscani propugnaculum de iure belli Romani Põtificis, item de sacramentis.
Io. Bapt. Posseuini liber de officio Curati.
Ioannis Chapeauillę Tract. de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, item de casibus reseruatis.
Io. Guttierez Quæstiones Canonicę, itẽ Tract. de matrimonio, & gabellis.
Ioannis Beltrani de Gueuara Propugnaculum Ecclesiasticæ libertatis.
Io. Baptistæ Signio Tr. de reliquijs.
Io. Francisci Capiblanci Trac. de officio Baronum erga vassallos Burgenses.
Ioannis à Cochier Tr. de permutationibus beneficiorum, item de libertate Ecclesiastica.
Io. de Heuia Labyrinthus de cõmercijs. item Curia Philippica.
Ioann. Baptistę Valenzuola defensio monitorij Pauli V. contra Venetos.
Io. Medina Codex de pœnitentia, & restitutione.
Io. Maldonati Soc. Iesu de sacramentis.
Ioannis Baptistę Cõfectio Collectio priuilegiorum Mendicantium.
Io. Antonij Massobrij Tr. de Synodo Diœcesana Episc. item praxis habendi concursum ad vacantes Parochiales Ecclesias.
Ioan. Petri Moneta Clerici Regularis S. Pauli Tr. de distributionibus. item de decimus. item de Optione canonica. item de iudicibus conseruatoribus. item de Commutatione vltimarum voluntatum.
Io. de Sala Soc. Iesu, Tr. de contractibus item de legibus. item in 1. 2. D. Th.
Io. Præpositi Soc. Iesu Comm. in 3. p. D. Thom.
Io. Kiene Tr. de casib. reseruatis.
Io. Baptistæ Bizozeri summa casuum conscientiæ. item de Sacramentis.
Iosephi de Hortu speculum Parochorũ.
Io. Honorij compendium Iuris Canon.
Ioannis Perlini Tract. de frequentia communionis.
Ioannis Narbona Tr. de appellatione à Vicario ad Episcopum.
Io. Baptistæ Antonucij Augustiniani. Catechesis Diœcesis Neapolitanæ.
Ioannis Francisci Leonis Thesaurus fori Ecclesiastici.
Io. Tab. Dominicani Summa casuum cõscientiæ, dicta Summa Tabiena.
Io. Mariæ Belletti Disquisitiones Clericales.
Io. Rojas singularia. item de Hæreticis.
Ioan. Mariæ Nouarij Practicæ conclusiones, siue opusculum nouum noui iuris Pontificij.
Io. de la Cruz Directorium conscientiæ. item de statu Religionis.
Io. Baptistæ Scottia Soc. Iesu in constit. Pontif. item de sacrif. Missæ.
Illelphonsi Perez de Lara de Anniuersarijs & capellanijs.
Iosephi Angles Flores in libros sententiarum.
Iosephi de Neapoli allegatio pro Vectigali serico.
Iosephi de S. Maria Tribunal Religios.
Iosephi Aldretæ Soc. Iesu de Religiosa disciplina tuenda, item Allegatio pro Regularium exemptione.
Iulij Cæsaris Madij Tr. de sacr. ordin.
Iulij Cæsaris Raineri Catalogus censurarum, & irregularitatum.
Iuliani Viuiani praxis iuris patronat.
Ioannis Baptistæ Contado responsa casuum conscientiæ.
Ioannis Pedrazza Summa, siue instructio confessorum.
Ioann. de lapide resolutionum dubiorum Missæ.
Io. Yribarne de sacr. in 4. sententiarum.
Iulij Lauorij de Iubilæo. item elucubrationes variæ.
Ioannis Francisci Suarez Enchiridon casuum conscientiæ.
Io. Vuiggers in p. 2. D. Th. item in 2. 2.
LActantij Finelli Tract. de casibus reseruatis.
Laurentij de Peirinis ex Ordine Minimorum Religiosus subditus, & Prælatus. item super priuilegia eiusdem ordinis Minimiorum.
Lelij Zecchij summa casuum cõsciẽtiæ. item de Republica Ecclesiastica, item de casibus reseruatis. item de Sacram. item de beneficijs.
Leonardi Lessij Soc. Iesu de iustit. & iure.

Leo-

Leonardi Duardi Clerici Regularis commentaria in Bullam Cœnæ. item de censibus.
Lucæ Floroni tr. de casibus reseruatis. itē de duello.
Lucæ Castellini tra. de electione Canon. item de Canoniz. Sanctorum.
Ludou. de Miranda Franciscani ordo iudiciarius. item Manuale Prælatorum.
Ludouici de Beia Augustiniani Responsiones casuum conscientiæ.
Ludou. Lopez Dominicani, instructoriū conscientiæ, item de contractibus.
Ludouicus Montesini in 1. 2. D. Tho.
Ludouici de San Iuan Summa casuum conscientiæ.
Ludouici Molina Soc. Iesu, de Iustitia,& iure.
Ludouici Carbo tr. de Legibus. item de restitutione.
Ludouici Parami de Origine Sanctæ Inquisitionis.
Laurentij Portel Ordinis Minorum de Obseruantia dubia regularia, cum nouis additionibus, ex quibus multa collegi in meo tr. de denunciatione, & de Absolutione ab Hæresi,& meritò,nam hic Author fuit vir doctissimus, & Lector Sacræ Theologiæ in Portugallia, cuius opera mira claritate, & eruditione referta, fuerunt approbata, non solum ab Ordinario, sed etiam ab Officio S. Inquis. vt patet in Addit. fol. 307.

MArcelli Megala Clerici Regularis Institutiones confessariorum. item Consilia.
Marci Antonij Genuensis Practicabilia Ecclesiastica. item Praxis Archiepisc. item Manuale pastorum.
Marci Ant. Cucchi Instit. Iur. Canon.
Marij Alterij de Censuris.
Marij Antonini Resolutiones variæ.
Martha de Iurisdictione.
Martini Fornarij Societ. Iesu Institutio confessariorum.
Martini Nauarri Opera omnia.
Martini Viualdi Candelabrum aureum.
Mart. Becani Soc. Iesu Opera omnia.
Mart. Carrillo itinerariū ordinandorum.
Martini Bonaciua opera omnia.
Martini del Rio Soc. Iesu Disquisitiones Magicæ.
Marci Ant. Beraducij Summa Corona.
Melchioris Zabrani decisiones Casuum consc. occurr. temp. mort.
Michael. Zanardi director. Confessar.
Martini Funes Speculum Morale.
Michaelis de Palatio praxis de contract.
Marij Italia tr. de immu. Ecclesiast.
Memoriale Clericorū editum iussu Cardinalis Ludouisij Archiepiscop. Bononiensis, postea Greg. XV.
Martini de Ledesma Commentaria in libro sententiarum.
Michaelis Timothei Quæstiones in Diuinum officium, & Missam.
Marci Ant. Luciani Enchiridion de Ecclesia, & vnitate fidelium.
Melchior. Lotterij de re beneficiaria.
Mauritij Alzedi praxis Episcoporum.

NIcolai Garziæ tr. de Beneficijs.
Nicolai à Grana Lumina conscientiæ.
Nicolai Eymirici Director. Inquisit.
Nicodemi de Florentia Speculum Confessariorum.

PAuli Aresij Clerici Regularis de Aquæ Transubst. in sacrif. Missæ.
Pauli Comitoli Soc. Iesu Responsa Moralia. item tr. Apologeticus contra Venetos. item de contractibus.
Pauli Piasecij Praxis Episcopalis.
Pauli Salodij Praxis Compendiosa de Visitatione.
Pauli Fuschi liber de Visitatione.
Pauli Ciera tr. de iure Principum.
Pauli Layman Soc. Iesu Theol. Mor.
Pauli Fraxinell. Augustiniani disputat. de obligationibus Sacerdotum ad Missas pro alijs ex iustitia celebrandas. item An Sacerdos teneatur dicere Missam de Defunctis, vel eius vice possit dicere de Sanctis.
Pauli Squillanti tract. de obligationibus Clericorum.
Pauli Glemonensis tr. de Legatis perpetuis, & alijs relictis Fratribus D. Francisci de Obseruantia.
Pauli Santori tract. de casibus Papalibus, & Episcopalibus.
Petri Ala tr. de Christiano Decurione.
Petri Tholosani Partitiones Iuris Cano. item Commētaria in Ius Canonicum.
Petri Binsfeldij Enchiridion Theologiæ Pastoralis,item de Simonia, de Vsuris, de iniurijs, & de Malefic.
Petri de Reyna tr. de Sacramentis, & de Ceremonijs Missæ.
Petri Nauarra de Restitutione.
Petri Aragon. Augustiniani Comm. in 2. 2. D. Th. de iustitia, & iure.
Petri de Lorca Ordinis Cistercienfis in 1. 2. D. Th. item in 2. 2.
Petri Cenedo Quæstiones Canonicæ.
Petri Fay Dominicani de Pœnitentia in 3. p. D. Tho.
Petri Bellochij Franciscani Praxis Theologiæ Moralis, seu de casib. reseruatis.
Petri de Ledesma Dominicani Summa Casuum conscientiæ,cum Additionib. Hic Author fuit vir eminentis literaturæ, & Primarius Lector in Academia Salmanticensi, vnde merito plura ex illo decerpsi in tr. de Paupertate Religiosa, & in alijs.
Petri Corsetti Propugnatio pro Vectigali serico.
Petri de Soto Lectiones.
Petri de Cabrera de Sacramentis in 3. p. D. Thomæ.
Philippi Maynardi de Priuil. Eccles. pro defensione Monitorij Pauli V.
Philippi Fabri Franciscani de penitentia. item de restitutione. item de Sacram. Ordinis, & Censuris. item Commentaria in libros sententiarum.
Prosp. Farinacij tr. de Hæresi. item Appendix super Bullam Gregor. XIV. de Immunitate Ecclesiarum.

RIccardi Hallo de quinque partita conscientia recta, erronea, dubia, opinabili, & scrupulosa.
Rutilij Benzonij Speculum Episcoporum & Curatorum.
Rodobaldi Parini tr. de Gabellis.
Raphaelis Rastellij Cler. Regul. tra. de Censuris in genere.
Raphaelis de la Torre Dominicani Cōmentaria in 2. 2. D. Tho.
Remigij Scrophæ Opusculum de Inualiditate Professionis.
Repertorium Inquisitor. Autoris incer.
Romualdi Coli Dominicani tract. de Cambijs, Vsura, Censibus, &c.
Roderici Acunna in Decretum Gratiani. Item tr. de Confessarijs sollicitantibus, cum Additionibus Seraphini de Freita. Hic Author est vir doctissimus, & prius fuit Inquisitor, & nunc merito Archiepiscopus Bracharensis; Eius verò Additionator fuit Lector publicus in Acad. Vallisoletana; vnde meritò multa ex ipsis collegi in tra. de Denunciationibus & in tr. de Absolutione ab hæresi.

SIgismundi Scaccia tr. de commercijs.
Simeon Maioli tr. de Irregularitate.
Simpliciani Muttini Theologia Moralis, siue de Sacramentis.
Steph. Emonerij Splendor Veritatis moralis, seu disput. de Veritate.
Stephani Fagundez Societ. Iesu de præceptis Ecclesię.
Stephani Quaranta Summa Bullarij.
Stephani de Auila Societat. Iesu, Trac. de Censuris.
Summa Pisanella.
Syluest. Pieratæ Dominicani Summa cas. consc. dicta summa Siluestrina.
Sylui Tinti tr. de ordinat. Clericorum.
Sebastiani Acosta Explicatio in Bullam Cruciatæ.
Sebastiani Cæsaris Relectio de Ecclesiastica Hierarchia.
Syluester Barrochiccius de Votis Religiosorum.
Saluatoris Rassi tr. de casibus consc.
Scipion. de Rubeis Aphorism. Episc.
Sebastiani à Bononia Cappuccini tra. de Electione.

THomæ Zerola Praxis Episcopalis, item Praxis de Sacramento Pœnitentiæ. item de Iubilæo.
Thomæ Sanchez Soc. Iesu de Matrimonio,item Summa.
Thomæ Bonınsignio Dominicani tra de Venditione ad tempus, Cambijs, Censibus, &c.
Thomæ de Vio Caietani Summa cum Annotationibus Pauli de Palatio.
Thomæ de Mercato Dominicani Summa de Contractibus.
Thomæ à Iesu Maria, Liber de Regularium Visitatione.
Thomas à Iesu de Paup. Religiosa.

V

VAlerij Reginaldi Soc. Iesu, Praxis pœnitentiæ, item de Prudentia Confessarij, item de Officio Pœnitentis.
Vincentij Filliucij Soc. Iesu Quæstiones Morales.
Virginij de Boccacis tract. de Censibus super Constit. Pij V. &c.
Vmberti Locati Praxis Inquisitorum.
Volfangi à Vorburg. Rudimenta Iuris Canonici.
Vvoltherius Streuesdorffin D. Thomam de iustitia & iure.

TYPOGRAPHVS

Lectori Beneuolo, S. P. D.

QVANTI sit hoc opus meriti, ac pretij (Lector Beneuole) *vel hoc tibi erit argumento, quod iam vigesimum numerat prælum, atque hoc quidem omnium longè castigatissimum, multisque additionibus ad me ab ipso auctore transmissis, & Quinta Parte, non ante excussa, in hac nouissima editione locupletatum. Quippe huius nominis fama Italiam, Galliam, quodque magis mirere, Hispaniam vniuersam (quæ auctores externos non facilè edit in lucem) ita peruagata est, vt vnus* DIANA *omnium ore celebretur, vnus omnium manibus teratur, vnus omnium calculis comprobetur. Ego quidem & publicæ vtilitati, & tanti auctoris, quem ex animo veneror, dignitati consulturus, nec operæ, nec sumptibus parcendum duxi, vt quàm emendatissimus, suique simillimus* DIANA *vigesima hanc lucem salutaret, quod (nisi me suscepti operis amor fallit) mihi videor assequutus. Sed tuum* (candide Lector) *malo esse iudicium quam meum. Hæc sanè lectio multiplices tibi pariet fructus. Nam siue in sacro Moralis Theologiæ nemore venaris Veritatem,* DIANA *optatam tibi prædam sistet, nec te laboris pœnitebit: siue in tanta auctorum, ac sententiarum varietate, velut in triuio positus anceps animi heres, huius* Triuiæ *ductu rectam insistes viam, nec facilè deerabis: siue anteactæ vitæ pertæsus, diuini Pneumatis afflatu, nouam parturis, huius* Lucinæ *obstetrice manu, pulchros pœnitentiæ fœtus felici nisu in lucem effundes, & numerosam piorum operum prolem ex te sobolescentem mirabere. Denique, vt verbo absoluam, hic se tibi* DIANAM *probabit. Vale.*

AD LECTORES.

Mirabere Lector, Auctorem hunc non indoctum, non ineruditum, attamen studijs partium adeò abreptum, vt in tot controuersijs de Fori competentia Ecclesiastici cum sæculari, seu de Immunitate Ecclesiastica nullam resolutionem, nisi contra Principum temporalium potestatem in toto hoc Volumine sis reperturus. Adde hoc, quod mirere magis, transcribi ab eodem controuersias illas, quæ de eadem materia præteritis annis agitatæ fuerunt, & afferri eosdem scriptores, qui contra Principum potestatem conati sunt proprias opiniones tutari, easdemque siue auctoritates, siue rationes, ad quorum placitum hic omnia resoluit, transcribi. At de auctoribus doctissimis, & grauissimis, qui contra scripserunt, & iustissimæ causæ, contrarijs deuictis, & confutatis, ac de falsitate conuictis veritatem demonstrarunt, ne verbum quidem, aut mentionem inuenies. Idcircò ne putes per concessionem imprimendi operis, in eo contenta, aut pro veris admitti, aut ad praxim approbari, sed tantummodò rationibus impressorum, seu mercaturæ consultum. Sit itaque in promptu D. Apostoli consilium, *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

APPRO-

APPROBATIO.

PRIMAM, & Secundam Partem Resolutionum Moralium P. D. Antonini Dianæ Clerici Regul. potestate ad id nobis specialiter facta à R. Adm. Patre nostro D. Philippo Maria Guadagnio eorundem Clericorum Regularium Præposito Generali, vidimus, doctamque iudicauimus: & nihil in ea contra fidem, aut bonos mores contineri affirmamus; sed doctrinam solida stabilitate fundatam, opus planè dignissimum censemus, quod in communem vtilitatem edatur; nam in eo, quod præcipuum iudicamus, & difficillimum est, grauissimas Quæstiones proponit, & explanat, nec vllam effugit difficultatem.

Panormi, in ædibus Sancti Iosephi, die 8. mens. Septembr. ann. 1628.

D. Andreas de Viuo Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Professor.
D. Paulus Maria Quattus Cleric. Reg. Sacræ Theologiæ Professor.

Facultas admodum R. P. D. Philippi Mariæ Guadagnij, Congregationis Clericorum Regularium Præpositi Generalis.

HOc opus inscriptum Prima, & Secunda Pars Resolutionum Moralium à P. D. Antonino Diana compositum, & iuxta præfixam assertionem doctorum PP. quibus id commisimus, approbatum, vt typis mandetur (quoad nos spectat) facultatem concedimus. In quorum fidem, &c.

Dat. Panormi in ædibus nostris S. Mariæ de Catena die 9. Septembr. anno 1628.

D. Philippus Maria Guadagnius Præposit. Generalis.

CENSVRA R. P. IOSEPHI DE AVGVSTINO Societatis Iesu, in Collegio Panormitano Studiorum Præfecti.

REuerendissimo Domino Vicario Generali. Vidi infrascriptos Tractatus Reuerendi Patris D. Antonini Dianæ, nempe, De Denunciationibus faciendis, &c. De Absolutione ab hæresi, &c. De Paupertate Religiosa, &c. De contractibus, De Ieiunio, De Legibus, De Bulla Cruciata, De Horis Canonicis, De Opinione probabili, De Celebratione Missarum, & tres Tractatus Miscellaneos: Et in his nihil reperi contrarium fidei, aut bonis moribus: sed existimo opus futurum omnibus valde vtile, præsertim Confessarijs, & dignum, quod quàm primùm in lucem prodeat: cum sit opus valde laboriosum, & eruditum.

Panormi die 2. Decembris 1628.

Iosephus Augustinus Societatis Iesu.

CENSVRA R. P. PETRI MVSTICA SOC. IESV in Collegio Panormitano Sacræ Theologiæ Lectoris.

VIdi tres Tractatus expositos à R. P. D. Antonino Diana, videlicet De Immunitate Ecclesiarum. De Immunitate Ecclesiastica, De Parlamento, & nihil in eis inueni contrarium fidei, aut bonis moribus: imò censeo talia opera futura esse v lde vtilia, & ideo digna, quæ imprimantur.

Panormi die 4. Ianuarij 1629.

Io. Petrus Mustica Societatis Iesu.

NOs infrascripti S. Theologiæ Doctores, fidem facimus, perlectum à nobis librum, qui inscribitur Resolutiones Morales P. D. Antonini Dianæ, omniaque in eo fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ consentanea reperta,

Lugduni die 21. Decembris 1633.

F. Claudio Cocher Ord. Prædic.
Fr. Stephanus Molin Carmelita.

SERIES TRACTATVVM MORALIVM

HIS QVATVOR R.P.D. ANTONINI DIANAE PARTIBVS, IN HOC PRIMO Volumine dispositis, & recèns locupletatis, contentorum.

INDEX TRACTATVVM, ET RESOLVTIONVM. PRIMÆ, ET SECVNDÆ PARTIS.

RESOLVTIONVM TRACTATVS I.

De Immunitate Ecclesiarum.

TRACTATVS II.

De Immunitate Ecclesiastica.

TRACTATVS III.

De Comitijs, seu Parlamento Regni Siciliæ, & Neapolis.

6 An

TRACTATVS IV.

De Denunciationibus faciendis ex edicto DD. Inquisitorum, & in particulari, ex sollicitatione facta in Confessione.

TRACTATVS V.

De Absolutione ab heresi, & alijs delictis pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij.

TRACTATVS VI.

De paupertate Religiosa super Bullam Clement. VIII. de largitione munerum.

TRA-

TRACTATVS VII.

De circumstantijs aggrauantibus non necessariò explicandis in Confessione.

TRACTATVS VI.

De Contractibus.

36 Quis

TRACTATVS IX.

De Ieiunio.

52 An

TRACTATVS X.

De Legibus.

TRACTATVS XI.

De Bulla Cruciatæ.

14 An

65 An

INDEX TRACTATVVM,

& Resolutionum Secundæ Partis.

TRACTATVS XII.

De Horis Canonicis.

TRACTATVS XIII.

De opinione probabili.

10 An

TRACTATVS XIV.

De celebratione Missarum: iuxta decreta Vrbani VIII.

TRACTATVS. XVII.

& III. Miscellaneus.

IN-

INDEX TRACTATVVM, ET RESOLVTIONVM TERTIÆ PARTIS.

RESOLVTIONES TRACTATVS I.

De Immunitate Ecclesiarum.

TRACTATVS II.

De dubijs Regularium.

25. An

TRACTATVS III.

De absolutione Sacramentali largienda moribundo sensibus destituto.

8. An

TRACTATVS IV. DE SACRAMENTIS.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

52 An

inter

DE EXTREMA VNCTIONE.

DE SACRAMENTO
ORDINIS.

DE SACRAMENTO
MATRIMONII.

TRACTATVS V.

Miscellaneus.

51. Re-

TRACTATVS VI.

Miscellaneus.

59. An

INDEX
TRACTATVVM
ET RESOLVTIONVM
PARTIS QVARTÆ.

TRACTATVS I.

De Immunitate Ecclesiastica.

TRACTATVS II.

De Irregularitate.

TRACTATVS III.

De Conscientia dubia.

TRACTATVS IV.

Miscellaneus.

cum

TRA-

TRACTATVS V.

De Confessarijs solicitantibus.

TRACTATVS VI.

De tortura in S. Officio suspectis vehementer de hæresi inferenda.

3 An

TRACTATVS VII.

De pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquisitionis.

TRA-

TRACTATVS VIII.

De officio & poteſtate Inquiſitorum.

71 An

INDEX

INDEX RERVM
OMNIVM NOTABILIVM
In Septem Operum D. Antonini Diana Partibus contentarum ordine alphabetico dispositus.

ABBAS.

ABBATISSA.

ABIVRARE.

ABSOLVERE A CENSVRIS.

Et pa-

BAPTISMVS, ET EIVS NECESSITAS.

BAPTISMI MATERIA.

BAPTISMI FORMA.

BAPTISMI SVBIECTVM.

BAPTISMI MINISTER.

BAPTISMI EFFECTVS.

BENEFICIVM.

B I G A M I A.

B L A S P H Æ M I A.

B V L L A C O E N Æ.

B V L L A C O M P O S I T I O N I S.

B V L L A C R V C I A T Æ,
Quoad Indulgentias.

BVL-

BVLLA CRVCIATÆ.
Quoad Confessarium.

BVLLA CRVCIATÆ
Quoad Reseruata.

BVLLA CRVCIATÆ.
Quoad Censuras.

BVLLA CRVCIATÆ.
Quoad Vota.

BVLLA CRVCIATÆ.
Quoad carnes, & lacticinia.

Imò

BVLLA CRVCIATÆ
Quoad reliqua priuilegia.

BVLLA CRVCIATÆ
Quoad susceptionem.

BVLLA CRVCIATÆ
Quoad durationem.

BVLLA CRVCIATÆ
Quæ priuilegia suspendat.

BVLLA CRVCIATÆ
Quoad alia.

CALIX.

CAMBIVM.

Pactum

CAPELLANVS.

CARDINALATVS.

CARDINALES.

CARDINALES
In Eligendo Pontifice.

non

CARDINALES.
In suis Titulis.

CARDINALES EPISCOPI.

CARDINALES RELIGIOSI.

CARDINALIVM FAMILIARES.

CARTHVSIANI.

CASVS RESERVATI.

CE.

Index Rerum Notabilium.

CELEBRARE MISSAM.

C E N S V R A.

Subie-

CESSIO BONORVM.

CIRCVMSTANTIÆ PECCATORVM.

CIRCVMSTANTIA
Quis.

Qui

CIRCVMSTANTIA *Quid.*

CIRCVMSTANTIA *Vbi.*

CIRCVMSTANTIA *Per Quæ.*

CIRCVMSTANTIA
Quoties.

DE NVMERO ACTVVM.

DE NVMERO OBIECTORVM.

DE NVMERO PRAECEPTORVM.

CIRCVMSTANTIA
Cur.

CIRCVMSTANTIA QVOMODO.

C L I E N S.

C OE C V S.

C O M M I S S A R I I.

COMMISSARIVS CRVCIATÆ.

C O M M V N I O.

Communionis necessitas.

COMMVNIONIS VTILITAS.

COMMVNIONIS DISPOSITIO.

COMMVNIONIS
Tempus, & locus.

COMMVNIONIS
Minister.

& p.3.

C O M OE D I A.

COMPENSARE.

CONCIONATOR.

CONFESSARIVS.

CONFESSARIVS
Quoad ordinem.

CONFESSARIVS
Quoad iurisdictionem.

CONFESSARIVS
Quoad proprietatem.

Reli-

CONFESSARIVS
Quoad scientiam.

CONFESSARIVS
Quoad examen.

CONFESSARIVS
Quoad alia.

CONFESSARIVS REGVLARIS.

CONFESSIONIS NECESSITAS.

Annus

Quod

CONSCIENTIA ERRONEA.

CONSVETVDO.

CONTRACTVS.

CONTRACTVS CENSVS.

CONTRITIO.

CONTVMELIA.

Est

COPVLA CONIVGALIS.

C O R R E C T I O.

Ad correctionem quinam teneantur; & quinam non.

De quibus peccatis fieri debeat.

Quinam corrigendi, vel non.

Quando obliget, vel non.

Quo ordine facienda correctio.

CREDITOR.

CRIMINA MISTI FORI.

DATVM, ET PROMISSVM.

DEBITOR.

DEBITVM CONIVGALE.

DECIMÆ.

DELECTATIO MOROSA.

Con-

DENVNCIARE HÆRETICVM, ET alios criminosos ad Officium S. Inquisitionis.

DENVNCIARE CONFESSARIVM sollicitantem ad turpia.

DEPOSITVM.

DESIDERIVM PRAVVM.

DETRACTIO.

DISPENSARE.

DISPENSATIO.

DOMINVS.

DVELLVM.

ECCLESIA.

ELECTIO.

ELEEMOSYNA QVIBVS PRÆBENDA.

ELEEMOSYNA.
à quibus, & de quibus bonis præbenda.

In

ELEEMOSYNÆ EFFECTVS.

EMERE, EMPTOR.

E N S A L M V S.

E P I S C O P V S.

EPISCOPVS RELIGIOSVS.

EPISCOPI IVRISDICTIO
In regulares.

EPISCOPI IVRISDICTIO
In Confessarios sollicitantes.

EPISCOPI IVRISDICTIO
In irregularitates.

EPISCOPI IVRISDICTIO
In Vota, & Iuramenta.

mit-

EXTREMAE VNCTIONIS NECESSITAS.

EXTREMAE VNCTIONIS VTILITAS.

EXTREMAE VNCTIONIS MATERIA.

EXTREMAE VNCTIONIS FORMA.

EXTREMAE VNCTIONIS SVBIECTVM.

Index Rerum Notabilium.

EXTREMAE VNCTIONIS MINISTER.

FALSARIVS.

FESTVM SERVARE.

FESTVM STATVERE.

FIDES.

Index Rerum Notabilium.

GABELLAS FRAVDARE.

GVLA.

HAERESIS.

HAERETICORVM POENAE.

HAERETICORVM FILII.

HAERETICORVM LIBRI.

HAERES.

HORAE CANONICAE, QVID, Et à quibus recitandæ.

HORAE CANONICAE Sub quo onere recitandæ.

HORAE CANONICAE Qualiter recitandæ.

Et ex

HORAE CANONICAE
Quibus de causis omitti possint.

HOSPITALE.

IACTANTIA.

IEIVNIVM QVID, ET QVOTVPLEX.

quoties

IEIVNIVM QVANDO OBLIGET.

IEIVNIVM QVOS OBLIGET.

IEIVNIVM QVIBVS CIBIS EXPLENDVM.

IEIVNIVM QVOAD COLLATIONEM.

dum

IGNORANTIA.

IMMVNITAS ECCLESIARVM quoad loca.

IMMVNITAS ECCLESIARVM quoad personas.

IMMVNITAS ECCLESIARVM.

IMMVNITAS ECCLESIARVM
Quoad effectus.

IMMVNITAS ECCLESIASTCIA.

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Error,

INCESTVS.

INDVLGENTIA.

INDVLGENTIAE REQVISITA.

INEBRIARI.

INFIRMVS.

INGREDI MONASTERIA.

INGREDI RELIGIONEM.

INIVRIARE.

INQVISITORES.

INQVISITORVM IVRISDICTIO QVALIS.

Index Rerum Notabilium .

INQVISITORVM IVRISDICTIO.
In quas personas.

INQVISITORVM IVRISDICTIO
In qua delicta.

INQVISITORVM IVRISDICTIO
Quoad torturam.

INQVISITORVM IVRISDICTIO
Quoad pœnas.

INQVISITORVM PRAXIS
In procedendo.

INQVISITORVM PRAXIS
Circa Teſtes.

Sicut

INQVISITORVM PRAXIS
In Torquendo.

INQVISITORVM PRAXIS
In ferenda Sententia.

INTERDICTVM.

INTERDICTI LOCALIS
Effectus.

INTERDICTI PERSONALIS *Effectus*.

INTERDICTI ABLATIO.

INVIDIA.

IRREGVLARITAS IN GENERE.

IRREGVLARITAS EX DEFECTV.

IRREGVLARITAS EX DELICTO.

IRREGVLARITAS EX HOMICIDIO.

IRREGVLARITAS EX MVTILATIONE.

Proba-

i 2 P.5.

IV-

Index Rerum Notabilium.

IVDICIVM TEMERARIVM.

IVRAMENTVM.

Simi-

LEX QVALIS OBLLIGET.

LEX QVOMODO OBLIGET.

LEX QVOMODO INTERPRETANDA.

L O C A R E.

L V D V S.

Possunt

L V X V R I A.

M A R I T V S.

M A T E R I A L E V I S.

M A T R I M O N I V M
Quoad naturam, & cauſas.

MATRIMONIVM
Quoad Procuratorem.

MATRIMONIVM.
Quoad Denuntiationes.

MATRIMONIVM
Quoad Parochum, & Testes.

MATRIMONIVM
Quoad alia.

MEDICVS.

MENDACIVM.

METVS EXCVSANS A PECCATO.

METVS IRRITANS CONTRACTVM.

M E R E T R I X.

M I R A C V L V M.

MISSAM APPLICARE.

M I S S A M A V D I R E.

MISSARVM REDVCTIO.

MISSARVM STIPENDIVM.

Non

NOVITIVS, NOVITIA.

OBSTETRICES.

OCCIDERE TYRANNVM.

OCCIDERE BANNITVM.

OCCIDERE INVASOREM.

OCCIDERE INNOCENTEM.

OCCIDERE SEMETIPSVM.

OPINIO PROBABILIS.

ORDINIS MINISTER.

ORDINIS EFFECTVS,
Et Ministerium.

O S C V L A.

P A P A.

PERI-

Index Rerum Notabilium.

Index Rerum Notabilium.

Quid

PRO-

REGVLARIVM PRIVILEGIA
Quoad vsum, & communicationem.

RELIGIOSI MILITES.

RELIQVIAE.

RESERVATA.

RESTITVERE QVIS TENEATVR.

RESTITVERE QVIS TENEATVR.
Ex iniusta actione.

RESTI-

Index Rerum Notabilium.

Reus

REVS INDICIATVS, CALVMNIATVS.

REVS INTERROGATVS, Condemnatus.

REX.

SACERDOS.

SACRAMENTVM.

Index Rerum Notabilium.

Noul-

Index Rerum Notabilium.

SERVVS.

SIGILLVM.

SIGILLVM SACRAMENTALE QVID.

SIGILLVM SACRAMENTALE
Ad quot se extendat.

Et

Si

Et

Index Rerum Notabilium.

T E S T A R I.

T E S T A T O R.

T E S T I S.

T V T O R, C V R A T O R.

V A S A   S A C R A.

V E N D E R E, V E N D I T O R.

V E S T E S   S A C E R D O T A L E S.

Cin-

Index Rerum Notabilium.

Dele-

Index Rerum Notabilium.

SERIES TITVLORVM IN HOC INDICE CONTENTORVM.

Index Titulorum.

FINIS.

R P. D.

R. P. D.

ANTONINI DIANA

RESOLVTIONVM MORALIVM

Pars Prima.

TRACTATVS

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM

SVPER BVLLAM GREGORII XIV.

Olim inter me, & N. magna agitata fuit quæstio, an Bulla Greg. XIV. de immunitate Ecclesiarum corrigeret ius commune, ita vt tantùm casus in illa exceptuati non gauderent immunitate? Ille prorsus negabat cum Petro Gambacurta, & paucis alijs. Ego mordicus aiebam cum communi Theologorum, ac Iurisperitorum sententia: ideò tunc aduersus hanc sententiam multa collegi, quæ modo in gratiam Confessariorum in hoc tractatu resolutoriè, & breuiter more nostro pertractabimus, examinando aliquas opiniones Gambacurtæ, Villadiego, & Bobadillæ.

AN CONSTITVTIO GREGORII XIV. DE IMMVNITATE Ecclesiarum deroget iuri communi, & consuetudinibus?

RESOLVTIO PRIMA.

NEGATIVE respondet Gambacurta lib. 5. cap. 8. & seq. Zerola in Praxi Episc p. 1. vers immunitas, num. 7 & aliqui ministri laicalis iurisdictionis cum Guttier. pract. quæst. lib 3. qu. 1. nu. 36. vide etiam Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 9. nu. 2. & Venerum in exam. Episcop. lib. 9. cap. 37. num. 32.

Sed prorsus hæc opinio est reijcienda. Probatur primò. Nam Pontifex in ista Bulla cum particula taxatiua reducit omnia ad vnicam formam, vt patet in illis verbis. [Ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur.] Ergo reuocat ius commune, & consuetudines diuersam aliam formam ab ista introducentes.

Ita expressè determinatur in literis arbitrij concessis per Sedem Apostolicam anno 1605. Prælatis huius Regni, & præsertim Archiepiscopo Panormitano ibi, [Per la qual cosa fù mosso Greg XIV. di felice memoria a publicare la sua Constitutione, e dare certa forma, come s'hauesse à praticare la permissione, che veniua concessa da' medesimi Canoni a Magistrati laici nelli casi eccettuati.]

Hoc ipsum etiam determinauit Clemens VIII. in quodam Breui ad Archiepiscopum Panormitanum tunc Didacum de Hædo datum Romæ 6. Februarij anno 1597. vbi asserit aliquos delinquẽtes, qui per industriam, & insidias homicidium commiserant, debuisse gaudere immunitate Ecclesię vigore constitutionis Greg. XIV. ergo dicta constitutio corrigit ius commune, quia tale delictum ex cap. 1. de homicidio non gaudet immunitate. Bullam autem Clement. VIII. inuenies per extensum apud M. Antonium Genuensem in praxi cap. 79. num. 2. & alij.

In dicta constitutione Summus Pontifex pluries facit mentionem iuris communis; & quando voluit, quòd in aliquo casu illibatum permaneret, hoc expressit, vt patet, quando loquitur de Clericis, Monachis, Militibus, eorumque priuilegijs.

Ponderanda sunt illa verba Constitutionis: *Quod si quis quacumque dignitate, & authoritate præditus, præmissorum (nempe indultorum per alios Pontifices concessorum) aut alio quouis prætextu, quidquam præter, aut contra huius nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit: eum ipso facto censuras etiam incurrisse declaramus.* Ex quibus verbis clarè apparet, intentionem Pontificis non solùm fuisse, reuocare priuilegia Principibus concessa, sed etiam omnes consuetudines, & abusus, aliaque contraria omnia, præter, vel contra formam traditam in præsenti Constitutione, introducta; & ideò posuit illa verba, *aut alio quouis prætextu*, post factam mentionem de priuilegijs.

Summus Pontifex promulgauit illam constitutionem per modum legis vniuersalis, & statuti; ergo abstulit, & correxit ius commune.

In dicta Bulla Pontifex, reducendo omnia ad vnam formam tollit facultatem aliter interpretandi, ergo. Cęteras rationes vide apud Doctores citandos.

Ex his omnibus apparet manifestè Constitutionem Gregorianam reuocare, non solum priuilegia, sed etiam ius commune,

mune, & cosuetudines. Et primò quoad reuocationem consuetudinum, vide Marium Antonin. Maceratens. libr. 2. Resol. 15. nu. 5. Giurb. cons. 50. num. 14. & cons. 70. numer. 9. Ambros. tract. de immunit. Eccl. c. 14. nu. 3. & seq. Farin. in Append. c. 22. nu. 359. iuncto cum c. 2. n. 14. & 15. Francisc. Leo in Thes. fori Eccl. p. 1. c. 13. nu. 27. & nouissimè Martinum Bonacinam tract. de legib. disp. 3. q. 7. § 6. nu. 4. & ex nostra Religione P. Peregrinum tract. de imm. Eccl. c. 2. a n. 16. vsque ad 21. Hi omnes aduersus Gambacurtam docet constitutionem Gregorij reuocare omnes consuetudines; quicquid in contrarium videatur docere Tannerus in 2. 1. disp. 5. q. 5. dub. 1. n. 17. in fin.

Et quod reuocet, & corrigat ius commune, quod mordicus negat Gambacurta; docent etiam citati DD. & præter illos ex ipsamet Societate, P. Filliucius in qu. moral. tom. 1. tract. 15. c. 6. n. 153. & Pater Scortia in Bulla Pont. Epitom. 152. Theore. 385. ex nostra Religione P. Duard. in Exposit. Bullę Cœnæ, libr. 2. Can. 25. q. 16. n. 27. & P. Megala in 3. p. lib. 4. c. 2. q. 1. n. 15. cum Aponte decis. 14. in fine. Idem asserit Villab. in sum. to. 2. tr. 39. dub. 7. num. 22. & 23. Capoblanc. de Baronib. Prag. 8. p. 2. n. 105. Genuens. in Praxi Archiepisc. c. 17. n. 11. Gratian. in discept. Forens. to. 2. c. 180. nu. 29. Card. Tusch. to. 3. ver. Ecclesia, concl. 11. num. 9. & ex nostris Regnicolis vir doctus, & pius Francisc. del Castill. in suis decis. to. 2. decis. 156. nu. 42. Giurb. cons. 20. nu. 3. 4. & 5. cons. 70. n. 2. & 13. & cons. 100 nu. 18. & cons. 39. nu. 5. Io. Francis. Leo in Thes. fori Eccl. p. 3. c. 15. num. 27. Lazarius tract. de Blasp. q. 5. n. 20. Riccius p. 1. decis. 140. nume. 1. & 2. & 5. Collect. 1790. Homobonus de examine Eccles. p. 2. tract. 11. cap. 12. q. 26. suppos. 3. Rainer. in Cathal. cons. c. 9. exam. 31. Vide etiam Consetrum in Priuil. mendicant. tit. 5. ca. 6. Ex quibus omnibus videat aliqui me his diebus rectè consuluisse Iudices laicos incurrere in excommunicationem Gregorianam, abstrahendo reos ab Ecclesia vigore cuiusdam assertæ consuetudinis. Ex his etiam apparet à fortiori non benè Gambac. lib. 5. ca. 9. 4. (virum alioquin doctissimum) asserere, etiam ampliationes factas per Doctores, non esse per hanc Bullam reuocatas. Et quia ex istis principijs deducuntur resolutiones multorum casuum contra immunitatem sacrorum locorum, & mentem Pontificis, ideò illas breuiter tangendo, quæritur.

An qui commisit grauia delicta, extra homicidium, & mutilationem membrorum, in Ecclesijs, seu Cœmeterijs, hac immunitate gaudeat?

RESOL. II.

NEgatiuè respondet Gambac. lib. 2. cap. 18. & Villadiego in Polit. c. 3. n. 206. Tannerus in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. nu. 16. Et ante Bullam Gregorij, quod non miror, hoc etiam docuerat Suarez de relig. to. 1. tract. 2. lib. 3. c. 11. n. 6. Raphael de la Torre in 2. 2. to. 2. q. 99. art. 3. disp. 7. Barbos. in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. c. 10. nu. 4. Ioan. de Heuia in Curia Philip. p. 3. §. 12. n. 20. Graff. tom. 1. lib. 3. cons. vnic. num. 10. & 18. de Immun. Eccl. & Port. in dubijs Reg. ver. Eccl. Immunitas, num. 15.

Sed contrariam sententiam, post dictam Bullam, amplectendam esse censeo, & ita committentes in Ecclesijs stupra, sodomias, monetam falsam & similia, gaudent immunitate Ecclesiæ, licèt tales delinquentes sint a Iudice Ecclesiastico puniendi ratione loci delicti: seu consulto prius Romano Pontifice, poterunt etiam tradi Curiæ sæculari, si delictum esset atrocissimum. Ita docet P. Peregr. in tract. de immun. Eccl. c. 6 num. 23. Riccius p. 5. collect. 1792. vbi asserit per nostram Bullam correctum esse c. fin. de Immun. Eccles. Bonacina de legib. disp. 3. q. 7. §. 4. num. 12. Farinacius de imm. Eccles. cap. 16. n. 208. & 209. P. Megala in 3. part. lib. 4. c. 2. q. 2. numer. 15. & nouissimè ex Societate Iesu P. Scortia in Bull. Pont epit. 153. Theor. 385. Vnde non est audiendus Reginald. in Prax. tom. 1. lib. 9. c. 26. num. 38. in fin. & ratio est, quia vt supra diximus, priuatio immunitatis non est extendenda ad casus in Bulla non expressos; sed in dicta Bulla excipitur tãtum homicidium, & membrorum mutilatio: ergo non est trahenda ad alia, licèt enormia delicta. Hãc etiam sententiam docuit Iurisconsultus Gratianus in discept. Forens. tom. 1 cap. 380. num. 29. & alij communiter: quidquid in contrarium asserat Ziparus in iure nouo can. libr. 3. de immun. Eccles. num. 10.

An qui delinquit propè Ecclesiam sub spe confugiendi ad eam, gaudeat postea ipsius Ecclesiæ immunitate?

RESOL. III.

NOn gaudere docet Gambac. lib. 5. cap. 19. & Villadiego in Polit. cap. 3. quæst. 206. & post Constitutionem Gregorij Farinac. de immun. cap. 16. num. 204. Ambrosinus de immunit. Ecclesiæ cap. 5. num. 4. non ex principio Gambacurtæ, sed quia putauit post dictam Bullam Gregorianam ita declarasse Clem. VIII. in vna Panormitana. Idem docet Tannerus in 2. 2. disputat. 5. quæst. 8. dub. 1. num. 17. ex mente aliquorum Zanard. in direct. confess. part. 1. de sacram. Pœnit. cap. 18. cas. 5. Ioann. de Heuia in curia Philip. p. 5. §. 12. num. 21. Barbosam Collect. lib. 3. tit. 49. cap. 10. num. 5.

Sed contrarium docet Fagundez de præcept. Eccl. tract. 1. lib. 4. cap. 8. num. 45. Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 1. præcep. 8. quæst. 3. art. 2. dub. 1. conclus. 1. Peregr. de immun. cap. 6. numer. 30. Et ante Bullam docuerat Suarez tom. 1. de Religio. tractat 2. lib. 3. c. 11. num. 4. Et ratio desumitur ex verbis Bullæ, quæ excludit ab immunitate homicidia, & mutilationes factas in Ecclesijs, & cœmeterijs, ergo cum distinctè dicit, *In Ecclesiis & cœmeterijs*, virtute ponitur exclusiua, extra Ecclesiam, & cęmeterium. Et ita ante hanc Bullam Gregor. docuit Decianus tom. 2. libr. 6. cap. 28. numero 5. qui respondet ad omnia argumenta adducta in contrarium per Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 33. numero 2. & seq. docuerat hoc etiam Tabiena verb. Immun. num. 10. Syluester eodem ver. lib. 3. nume. 5. Angelus eodem ver. num. 17. & Armilla eodem verb. nu. 12. Vnde valdè miror Gambacurtam relinquere Theologos doctissimos, & sequi velle Iurisconsultorum vestigia. Restat modò respondere ad argumentum Ambrosini. Dico igitur, quòd resolutio Clem. VIII. in aliquo casu particulari nõ tollit legem vniuersalem; nam ex aliquibus circumstantijs particularibus mouentibus animum suum, potuit ita in illo casu determinare, quę quidem non militat in vniuersali.

An qui proditoriè voluit aliquem occidere, & deuenit ad actum proximum, sed casu non occidit, gaudeat immunitate.

RESOL. IV.

NEgatiuè respondet Gambac. lib. 5. cap. 30. num. 6. Sed post Constitutionem Greg. reiicienda est hæc opinio, nam in verbis dictæ Bullæ expresse Pontifex loquitur de occidente proditoriè: vnde ex vi verborum requirit actum consummatum cum effectu subsequuto, ad hoc, vt immunitatem amittat: & ita post dictam Bullam docet Peregr. de immun. Eccles. c. 7. num. 13. Bonacina de legib. disp. 3. q. 7. §. 5. nu. 16. & Farinac. de immun. c. 9. num. 145. & 146. vbi asserit, quòd hęc opinio hodie secundum Bullam Greg. omni difficultate caret in illis verbis: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderit*; vbi clarè requiritur mors sequuta, & ideò se retractat à contraria sententia, quàm docuerat in tit. de carcer. q. 28. num. 45.

An qui occidit inimicum non proditoriè, sed per insidias gaudeat immunitate.

RESOL. V.

REspondet negatiuè Gambacurt. lib. 5. cap. 4. & 31. & Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 208. vbi docet, non obstante Constitutione Gregoriana, homicidium insidiosum non gaudere hac immunitate; vide etiam Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 10. Fagund. de pręcept. Eccles. tractat. 1. libro 46. numero 46. & Portel. in dubijs regularib. ver. Ecclesiæ immunitas; num. 15.

Sed isti scripserunt ante Bullam, & in loco, vbi non est recepta, & ideò omnes scribentes post dictam Bullam contrarium docent; ita tenet Peregr. tract. de immun. cap. 7. nume. 5. & 20. Ambrosinus de immun. cap. 6. num. 5. Farinac. de Immunitate, cap. 9 num. 143. & Bonac. de legib. disp. 3. q. 7. § 4. n. 14. Et ratio est quia est differentia inter homicidium proditoriè cõmissum, & non proditoriè: sed Bulla ex immunitate solum excipit homicidium proditorium: ergo non excludit non proditorium.

Et

Et etiam hoc determinauit Clemens VIII. referente Cardinali Burghesio, & Plata: nam in quodam Breui Archiepiscopo Panormitano directo, vt supra visum est, determinat quosdam occisores, qui ex insidijs inimicum occiderunt, gaudere immunitate Ecclesiastica, stante Bulla Greg. XIV. quidquid in contrarium sentiat de mente Clement. VIII. Matrus Italia de Immun. lib. 1. c. 5. §. 4. n. 2. qui, vt Farinacius bene obseruat, diuinat, & minimè audiendus est. Nota verò, quòd nos per homicidium proditorium intelligimus illud, vbi nullus cum occiso præcedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia. Vnde cõtra Gambacurtam, Megalam in 3. p. lib. 4. c. 2. q. 1 nu. 18. & Bobadillam in Polit. rom. 1. lib. 2. cap. 14. nume. 38. non dicitur proditor, qui occidit inimicum suum à tergo, vel ex fenestra cum archibusiis. Ita docet Bartolus in leg. respiciendum, § delinquunt, nu. 1. ff. de Pœnis, & ita, præter Ambrosinum, Farinacium, & Peregrinum, docet in terminis huius Bullæ Ricc. p. 5. collect. 1792. & p. 1. decis. 168. num. 1. Genuens. in Praxi cap. 94. & ita etiam antè dictam Bullam fuisse decisum in Regno Neapolitano testatur Vinc. de Franch. in decis. 713. Cum igitur immunitas Ecclesiæ sit fauorabilis propter reuerentiam sacrorum locorum, & exceptio sit odiosa, verbum *proditoriè*, strictè interpretandum est, licet nouissimè contrarium asserat Fagundez de præc. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 46. cum Portel. in dubijs Regul. verb. Eccl. immunitas, num. 15. Sed isti scripserunt in Hispania, vbi Bulla Greg. non est vsu recepta.

An omittens crimen læsæ Maiestatis in personam Principis superiorem recognoscentis, gaudeat hac immunitate.

RESOL. VI.

NOn gaudere respondet Gambacurta lib. 5. c. 44. & ponit exemplum in Principibus nostræ Siciliæ, vt est Princeps Buteræ, Petrapertiæ, Castriuetranis: & hoc extendit etiam ad Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones vassallorum; & ita ex parte docet Megala in 3. part. libr. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 22.

Sed tu contrarium tene cum Barb. in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 6. num. 10. Peregr. in tract. de immun. Eccles. cap. 9. nu. 8. & nouissimè cum Farinac. de immun. ca. 13. num. 287. & Italia de immun. lib. primo cap. 6. §. 7. num. 29. & sequ. & num. 36. ver. hoc autem. Et ratio est, quia, dato quod crimen læsæ Maiestatis committetent, illos offendendo, gauderent tamen Ecclesiæ immunitate, quia præsens Bulla Gregoriana intelligitur de offendentibus personam supremi Principis; nam cum versemur in materia odiosa, & pœnali, ita nomen Principis in bulla accipiendum est.

An rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines Principi dicatas, gaudeat immunitate.

RESOL. VII.

VBi supra lib. 5. cap. 44. Gambacurta negat, & Villadiego in Polit. c. 3. nu. 207. quia reus maiestatis videtur, sed licèt talis crimen læsæ Maiestatis committit, attamen immunitate Ecclesiæ gaudebit, quia tale crimen non est in personam Principis, vt Constitutio Gregoriana requirit, & ita docet Peregr. de immunit. cap. 10. num. 8.

Vnde notandum est hic, quòd licèt multis modis committatur crimen læsæ maiestatis, hodie tamen per dictam Constitutionem Greg. XIV. statutum est reum de crimine læsæ Maiestatis, tunc non gaudere immunitate Ecclesiæ, si in personam Principis aliquid machinatus fuerit, ergo secus si non in personam Principis, & ideò Peregr. vbi suprà nume. 9. probat gaudere hac immunitate Ecclesiæ offendentes, vt diximus, statuas, vel imagines Principum, cudentes falsam monetam, offendentes eum, qui habet saluum conductum, tractantes de faciendo Rege pro ipso viuente, expoliantes Nuncios Regis, vel alterius Principis, vt arcana Regni sciant, & similia perpetrantes, nam licèt hi omnes in his delictis committant crimen læsæ maiestatis, non tamen personam Principis offendunt. Et ita asserit Farin. de immun. cap. 13. num. 190. cum Peregr. nu. 13. & Rebel. delinquentes contra statutum Principis, licèt crimen læsæ Maiestatis committant, gaudebunt tamen hac immunitate, nam per rebellionem, licèt resistant, & non obediant suo Principi, non tamen offendunt personam Principis.

Notandum est etiam cum Megala in 3. part. libr. 4. cap. 2. q. 1. num. 23. Ambrosino de immunitate cap. 9. num. 6. Farinac. vbi supra n. 191. quòd si aliquis crimen læsæ Maiestatis committeret in personam Principis, si non est ei subditus ratione origi. nis, seu domicilij, hanc immunitatem non amittere, quia talis non dicitur committere crimen læsæ Maiestatis, & est communis opinio, teste Rolando lib. 1. consl. 4. num. 5.

An verò qui sciunt machinationem contra personam Principis, & non reuelant, gaudeant immunitate Ecclesiarum. Negatiuè respondet Farinac. de immunit. cap. 13. numer. 186. sed contrariam sententiam docet Peregr. de immun. cap. 10. n. 11. quia licèt tale crimen puniri debeat pœna mortis, tamen immunitatem Ecclesiæ non amittit, quæ crimen est omissionis, & non commissionis contra personam Principis; & in hac Constitutione Sum. Pontifex punit delinquentes in committendo, & non in omittendo contra personam Principis, nam illa dictio, *in*, posita in Bulla denotat, *contra*, & per consequens actionem, & non omissionem.

An ministri laicalis iurisdictionis possint in Ecclesia auferre reo arma prohibita.

RESOL. VIII.

AFfirmatiuè respondet Gambacurta lib. 4. cap. 16. num. 11. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 214. & citat Couarr. lib. 2. var. cap. 20. num. 12 idem docuit nouissimè Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. præc. 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3. Graff. to. 1. lib. 3 consl. vnic. num 19. de immun. Eccl. Suarez de Relig. to. 1. tract. 2, l. 3. cap. 12. sub num. 3. Fagundez de præcept. Eccl. pract. 2. l. 4. cap. 4. n. 55. & Laurentius Portell. in dubijs Regularibus, ver. Ecclesiæ immunitas, num. 15.

Sed negatiuam sententiam, & meritò docet Farinac. tract. de immunit. Eccles. 16. num. 248. vbi asserit contrariam sententiam procedere de iure ciuili, non autem de iure Canonico, nam ex cap. 1. extra de immun. Eccles. & in cap. 2. eodem titulo in 6. expresse prohibetur Iudicibus sæcularibus aliquam iurisdictionem in Ecclesia exercere. Hanc sententiam docuit P. Peregr. de immunitat. Eccles cap. 13. num. 5. & rationem aliam adducit, quia sicut reus non potest extrahi per Iudicem laicum ab Ecclesia, etiam in casibus exceptis, sine licentia Episcopi, vel eius Officialis, vt determinat Gregor. XIV. in hac Constitutione, ita quoque non potest Iudex laicus illum armis expoliare in Ecclesia absque licentia Episcopi, vel eius Officialis, nam accessorium sequitur naturam sui principalis.

Cautè etiam legendus est Gambacur. loc. citat. qui asserit satellites posse per vim auferre rem furtiuam è manibus furum, etiam in Ecclesia existentium, si tradere recusent, vt eam suo domino restituant, sed hoc ex rationibus allatis negat Peregr. ex loco citato, & cap. 12. numer. 8. Nec approbo aliam opinionem Gambacurt. vbi suprà numer. 14. 15. & 18. vbi asserit posse satellites Curiæ, quando reus est intra Ecclesiam, ne inde fugiat brachio apprehensum tenere, donec licentia Episcopi veniat, vel si personæ Ecclesiasticæ nequeunt dimittere illum, non expectata licentia Episcopi, reum cadere, & extrahere ab Ecclesia, & ad Episcopum postea ducere, non inquam approbo hanc opinionem propter multa inconuenientia, quæ ex illa possunt procedere ex insolentia ministrorum laicalis iurisdictionis, & propter irreuerentiam ex talibus actionibus contra Ecclesiam prouenientem. Adde quod in casibus similibus ad euitanda supradicta incommoda, & propter securitatem Iudicum sæcularium concedunt DD. quòd Ecclesia obsideatur à satellitibus, ne reus liberè fugiat, vel vt si extra fines Ecclesiæ exeat, capiatur, quia in tali casu nulla vis efficitur existenti in loco sacro, vt efficeretur, si esset sequenda opinio Gambacurtæ, sed solus locus non facer custoditur, vt si voluntariè illinc exeat criminosus, ibi teneatur, & vis inferatur, vbi licitè inferri potest, & ita docet Peregr. loco citato num. 10. qui citat Suarez, Ambrosinum, & Italiam, cui ego addo Farinac. tract. de immunit. Eccles. cap. 19. num. 299. & Megalam in 3. par. lib. 4. cap. 2. quæstion. 1. num. 29.

An existens in Ecclesia, vel in aliquo Monasterio & ex fenestra pilam tormentariam iecit in alium extra Ecclesiam existentem, & illum occidit, gaudeat immunitate?

RESOL. IX.

NOn gaudere affirmat Gambac. lib. 5. cap. 24. num. 21. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 106. Ioan. de Heuia in Curia Philip. par. 3. § 12 nu. 23. Et in hoc socios multos habent, nam ita tenuerunt ex nostris P. Megala in 3 p. libr. 4. cap. 2. q. 1. n. 12. Graff. tom. 1. lib. 3. conf. vnic. num. 10. de immun. Eccl. Duard. in Bulla Cœnæ, lib. 2 can. 15 q. 16. nume. 23. Farin. tract. de immun. c. 16. nu. 223. Portell. in dubijs Regul. ver. Ecclesiæ immunitas, num. 15. Ambrosinus tract. de immun. cap 5. numer. 8. Et ratio est, quia tale homicidium commissum videtur in Ecclesia, cum in illa initium habuerit.

Sed mihi placet opinio Bonacinæ tract. de legibus, disp. 3. q. 7. § 4. num. 8. Vbi asserit supradictum criminosum gaudere immunitate, & ratio est, quia Gregorius in ista Constitutione ait, illos non gaudere immunitate, qui mutilant, & occidunt in Ecclesia, quæ quidem verba, vt patent, denotant actum completum, & perfectum in Ecclesia, ergo cum simus in materia odiosa, & in pœnalibus, non sunt dicta verba extendenda ad homicidium inchoatū in Ecclesia, & hoc patet manifeste à simili, nam vt docet ipsemet Bonacina de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. nu. 11. quis dum existit in Ecclesia iaciens sagittam, & occidens hominem existentem extra Ecclesiam, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia, nam illa occisio facta fuit extra Ecclesiam, licèt in Ecclesia fuerit inchoata; ergo etiam verum est quòd secundum sententiam Bonacinę dictus criminosus non potest capi à ministris ob sacrilegam vulnerationem in Ecclesia inchoatam.

Notandum est verò, è contra, quòd immunitate non gauderet ille, qui existens extra Ecclesiam occideret existentem in Ecclesia, nam talis dicitur delictum occisionis commisisse in Ecclesia, & in his casibus puto non esse attendēdum locum inchoati, sed locum consummati delicti, vt supradixi, & ita docet Riccius p. 5 collect. 1792. Portel. loc. cit. Bonac. num. 7. Farinac. n. 224. Peregr. nu. 16. Megala nu. 13. & alij, gauderet tamen hac immunitate ille, qui vulneraret aliquem in Ecclesia, etiam cum sanguinis effusione, sine tamen alicuius membri mutilatione, vt docet Farinac. vbi sup. nu. 227. & alij.

An existens in Ecclesia mandans homicidium extra illam committi, vel existens extra Ecclesiam mandans homicidium intra illam committi gaudeat hac immunitate.

RESOL. X.

MInimè gaudere respondet Gambac. lib. 5. nu. 25. Ioann. de Heuia in Curia Philip. p. 3. §. 12. nu. 23. cum Duardo in Bulla Cœnæ, lib. 2. canon. 15. q. 16. num. 23 Et ante Bullam Gregorij Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 7. idem docet Portel. in dubijs Regul. verb. Ecclesiæ immunitas, nu. 15. Sed vt notat ipse ibidem, Bulla Gregoriana in Portugalia non est vsu recepta.

Sed contrariam sententiam post Bullam Greg. XIV. docent omnes scribentes; ita Megala in 3. p. l. 4. c. 1. q. n. 13. Farinac. de immun. Eccl. c. 16. nu. 231. cum Martino Bonacina de leg. disp. 3. q. 7. § 4. n. 11. & alijs. Et ratio est, quia talis non dicitur verè, & propriè loquēdo occidere, sed mandare occisionem; & cum simus in pœnalibus, & in materia odiosa, vtpote libertati delinquentium, & immunitati Ecclesiasticæ contraria, verba Bullæ contra occidentem, non sunt extendenda ad mandātem occidere, sicut censura lata contra aliquid facientem, non est extēdenda ad mandātem id facere; vt nos latè probauimus in trac. de denunciationib. q. 23. Et probat in casibus huius Bullæ Homobonus de Exam. Eccles. p. 2. tract. 31. c. 5. q. 5. sect. 4.

Nec valet dicere, quòd qui per alium facit, per seipsum facere videtur, nam respondeo, hoc axioma, vt benè aduertit Auil. de cens. p. 2. c. 5. disput. 3. dub. 2. & alij, intelligendum esse quoad culpam, nō autem quoad pœnam; & omnia supradicta sunt intelligenda, etiam vt in titulo quæstionis diximus, de illo, qui existens extra Ecclesiam mandaret committi homicidium intra Ecclesiam, nam militat eadem ratio, licèt Peregrinus quo ad hoc, contrarium sentiat, cap 6. num. 36. Sed tu tene nostram sententiam.

An qui in Ecclesia committit homicidium, vel membrum mutilauit, non deliberatè, sed accidentaliter, & calore iracundia, & prouocatus, gaudeat immunitate.

RESOL. XI.

NEgatiuè respondet Gambacur. li. 5. c. 23. & ex nostris Peregr. de immun. ca. 6. num. 15. qui adducit rationem ex verbis Bullæ; vbi Summus Pontifex indistinctè excipit membra mutilantes, & homicidas in ipsis Ecclesijs, vel cœmeterijs. Ergo indistinctè debet intelligi, tam de illis, qui ex proposito, & deliberatè, quàm de illis, qui in rixa accidentaliter, & ex calore iracundiæ occidunt, vel mutilant.

At his minimè suffragantibus contrariam sententiam docet Farinac. tract. de immun. Eccl c. 16. num. 240. & ante Bullam id docuerat Guttier. pract. qq. lib. 3. qu. 1. num. 3. 5. & seq. cum Sesse decis. 141. num. 7. & alijs, & hoc maximè procederet, si tale homicidium fuisset in Ecclesia perpetratum; non solùm ex rixa subitanea, sed & ad alterius procurationem, & multò magis ad se defendendum; nam in præfatis casibus occidens, vel mutilans non videtur habere animum irreuerentem offendendi, & violandi ipsam Ecclesiam, vide Tabienam ver. immunitas, nu. 10. Armillam eodem verb. n. 12. Rosellam eodem verb. nu. 2. & alios. Notandum est tamen vulnerantem in Ecclesia gaudere omninò immunitate extra membrorum tamen mutilationem; & ita nouissimè in terminis nostræ Bullæ docet Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 4. c. 10. & alij.

An reus confugiens ad Ecclesiam possit per Iudices Ecclesiasticos, vel laicos puniri pœna exilij, vel ad perpetuum carcerem.

RESOL. XII.

POsse; respondet Gambac. lib. 4. cap. 33. & 35. sed non est audiendus; & negatiuam sententiam tenendam esse existimo; cum Farinac. tract. de immun. Eccles cap. 21. num. 335. & 336. Idem docet Franc. Suarez de Relig. tom. 1. trac. 2. libr. 3. cap. 12. num. 6. cum Mario Italia de immun. lib. 1. cap. 6. § 3. numer. 1. & seqq. Innoc. & Hostiens. in c. inter alia, de immun. Eccl. Anchar. & Zabarel. in Clem. 2. de pœn. & remiss. & alij. & ratio est, quia exilium, & carceratio est grauis pœna, & inter corporales computatur, vt ait Suarez, & alij.

Nota etiam, quòd dictus Gambac. cap. 34. num. 9. tenet posse Iudices supradictum reum condemnare ad triremes, etiam in perpetuum; non tamen ad remigandum; hoc etiam concedit in homine robusto, & laboribus assueto; etiam si ex tali remigatione esset verberandus. Sed hæc opinio, & aliæ multæ, supradicti authoris circa immunitatem hanc est reijcenda: vt illam reijcit Pater Suarez vbi supra; asserens talem reum non posse condemnari ad triremes, etiam si ibi verberandus non esset propter duram, & laboriosam seruitutem. Docet etiam Gambacur. vbi supra, cap. 32. numer. 2. & seq. ex canon. de raptorib. 36. quæst. 1. posse Iudices dictos criminosos, de quibus loquimur, condemnare, vt seruiant ei, cui iniuriam intulerunt; sed contrarium, & rectè docet ibidem Suarez; & dispositionem illam in raptu virginum specialem esse existimat, propter illius delicti atrocitatem; immò existimat illum canonem non esse vsu receptum, neque per se posse vniuersam Ecclesiam obligare: vnde patet contra Gambacurtam, quòd si dictus canon non est in vsu, quoad raptores virginum; quantò magis quoad alios delinquentes. Tandem notandum est, quòd licèt confugiens ad Ecclesiam impunitus dimitti non debet, tamen pœnam ei infligendam non Iudex laicus, sed Ecclesiasticus debet imponere; vt notant Farinac. vbi supra de immunit. cap. 21. numero 339. & alij.

An

An qui iam vicinus Ecclesiæ cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam, & vt sese de illius manibus eximat, vulnerat illum cum magna sanguinis effusione, gaudeat immunitate?

RESOL. XIII.

NOn gandere docet Gambac.li.4.cap.18.nu.6.cum ratione grauis delicti in Ecclesia perpetrati, immunitate priuetur; & idem docet Villadiego in Polit.cap.3.num.206.

Sed supra hanc opinionem reprobauimus quæst.2.nam delicta etiam grauia, & enormia in Ecclesia commissa, non excluduntur ab immunitate Ecclesiarum, extra homicidium, & mutilationem membrorum; & ideo in particulari ad propositū casum respondēdo, assero supradictum criminosum gaudere immunitate; quia post Bullam Greg. XIV. vt rectè notat Farinac. tract.de immun.Eccles.c.16.n.227.vulnerans in Ecclesia etiam cum effusione sanguinis, gaudet illius immunitate: quia in dicta Constitutione excipitur solum vulnus cum mutilatione membri, quidquid in contrariū asserant aliqui; sed in dicto casu reus non mutilauit membrum aliquod, sed solùm satellitē grauiter vulnerauit; ergo gaudebit Ecclesiæ immunitate.

An si constaret notoriè reum non gaudere immunitate Ecclesiæ; possit illum Iudex sæcularis extrahere ab Ecclesia sine licentia Episcopi.

RESOL. XIV.

1 AFfirmatiuam sententiam docet Gambac.lib.6.c.14.& libr. 8.cap.10. Villadiego in Polit.c.3.num.238.& ante Bullam Greg.probabiliter docuerat Suarez de Relig. tom.1. tractat.2. lib.3.cap.11.

Sed hodie post Constitutionem Greg. XIV. vt notat Filliucius tom.1. tract.15.cap.6.num.154.& Duardus in Bulla Cœnę l.2.can.15.quæst.16.num 31.hæc opinio est prorsus refellenda; & non audeant Iudices illam in praxi obseruare; nam sine dubio in excommunicationem incurrerent, & contra sacram immunitatem efficerent, & ita fuisse decisum in curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Genuensis in Praxi, cap.17. o.5. & Riccius part.5.collect 1792.& idem docet Lazarius trac. de Blasphem. quæst.5.num.71. vbi sic ait. Forma huius Constitutionis seruanda est, etiamsi confugientem ad Ecclesiam, notorium sit, commisisse delictum exceptuatum in ea, adhuc enim Episcopus debet prius cognoscere, an hoc sit verum, & postea consignare reum curiæ sæculari; aliàs extrahentes incurrerent censuras, & reus est Ecclesiæ restituendus. Hoc etiam docet Farinac.in Append.de immun.cap.22.nu.359. Rain. in Catal. cens.cap.9.excomm.31.notab.3.& nouissimè Franc. Hipæus in sua Anal.iur.can.lib.:.de immun.Eccl.n 12.cum nostro P. Megala in 3.p.lib.4.c.2.p.1.num.31.vbi asserit formam huius Constitutionis esse seruādam, licet notoriè cōstet reum commisisse delictum in hac extrauagāti exceptum; nam etiamsi notorium releuet ab onere probandi c.vestra, de cohabit. Cleric. & mul. tamen non releuat quando probatio requiritur pro forma, hæc ille, & alij. Ex quibus costat me his diebus elapsis cum quodam supremo Ministro Regio rectè opinionem Gambacurtę reprobasse, illum à tali sententia amouendo.

An ad incurrendam excommunicationem huius Bullę sufficiat actus attentatus.

RESOL. XV.

NEgatiuè respondet Gambac.lib.8.c.13.putat enim, quòd si aliquis attentaret extrahere per vim reum ab Ecclesia, & reuera non extraheret, non incurreret in pœnas huius Constitutionis, quia talis actus non fuit completus, sed attentatus.

Sed tales in excommunicationem Bullę dicendum est omninò incidere, & ita docent Peregrinus de immunit. Ecclesiæ ca. 14 num.7. & Manus Italia de immun. Eccles. libr.1.cap.6.§.2. num.60 & patet ex verbis Bullæ ibi: *Quisquam prǽter, aut contra huius nostrę Constitutionis tenorem attentare prǽsumpserit declaramus etiam*. Et gratis Gambacurta asserit supradicta verba intelligenda esse de attentato cum effectu subsequuto.

Vnde nostram sententiam docet etiam Farinac. in tractat. de immun.Eccles.c.20.num.322.ex authoritate leg.2. Cod.de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, in illis verbis: *Si quisquam contra hanc legem venire tentauerit*. Ex quibus manifestè apparet, quòd sola attentatio punitur; & hoc ibidem notauit glossa in ver.tentauerit, & Megala in 3.p.lib.4.cap.3.quæst.2.num.30. in fine. Notandum est tamen cum Peregrino, & Farinacio, non sufficere solam cogitationem extrahendi, sed requiritur, quod fuerit deuentum ad aliquem actum exteriorem; vt etiam notauit Ambrosinus tract.de immun.c.15.num.6.& alij.

An Iudex qui non mandauit extrahere reum ab Ecclesia, sed satellites, vel alij extraxerunt, vi vel dolo: teneatur restituere reum in Ecclesia; vel possit contra illum agi.

RESOL. XVI.

IN tali casu posse aduersus talem procedere, quia illum inuenit extra locum sacrum, putauit Suarez de Relig.tom.1. tractat.2.lib.3.c.13.nu.17.& ideo illum non esse Ecclesiæ restituēdum, nec pœnas violatæ immunitatis incurrere docet.

At ego semper contrariam sententiam tenui, quam postea docuit noster Megala in 3.p.lib.4.cap.2. quæst.1.num.31.& Peregr.in tract.de immun.Ecclesiæ cap.14.num.10. cui addendus est Farinac.tract. de immun. cap.20.num.324. Et ratio est, quia talis reus est affectus pro restitutione Ecclesię, quæ fuit dolo, seu vi spoliata; ergo ad quemcumque transient, cum tali onere transit; sicut res furtiua transit ad omnes cum onere restitutionis, cui de iure competit, scilicet domino suo. Adde quod in Bulla dicitur, Extrahunt, capiunt, & incarcerant. Vt igitur dicta verba operentur effectum suum, iuxta c. Pastoralis de appellat. sunt intelligenda, capiunt, & incarcerant, scilicet extractum. Ita Peregrinus. Deinde Sum. Pontifex in ista Bulla punit attentantes aliquid præter, vel contra eius formam: sed Iudex, qui si non mandauit, tamen extractum non restituit, contra Bullam attentare dicitur: ergo illius pœnam incurrit. Sed quia talis casus accidit in vrbe Neapolitana, & vt supra diximus, fuit decisum; ponam verba Episcopi Genuens. in praxi cap.17.numer.5. vbi sic ait, ann. 1598. quidam assassinus interfecit quamdā personam, & postea confugit ad Ecclesiam, à qua fuit per vim extractus a consanguineis occisi, & aliquibus satellitibus Curiæ sæcularis, & eodem die coram Iudice sæculari confessus fuit commisisse dictum homicidium per assassinium; fuerunt per Curiam Archiepiscopalem citati omnes Iudices magnæ Curię Vicariæ, Aduocatus, & Procurator Fiscalis, & etiam Carcerarij, quatenus deberent restituere dictum extractum Ecclesiæ prædictæ, vel procurare eius restitutionem; & non impedire respectiuè ad finem; quòd si constiterit Curiæ Archiepiscopali à dicto delinquente fuisse commissum delictum exceptum in Bulla, posset eidem Curiæ sæculari consignari: qui non aliter procurauerunt, sed post breue tempus laqueo suspendi fecerunt: & sic per Curiam Archiepiscopalem fuerunt declarati excommunicati omnes prædicti Iudices, Fiscale, Carcerarij, satellites, & consanguinei occisi, qui extraxerant dictum iuuenem a dicta Ecclesia. Ita Genuensis. Vnde apparet omnes reos extractos ab Ecclesia vi, vel dolo per quascumque personas, esse à Iudice laico Ecclesię restituendos, & si aliter fecerint, in excommunicationem, & pœnas Bullæ Gregorianæ incident.

An confugiens ad Ecclesiam gestando secum sclopettones, seu archibusettos, gaudeat immunitate.

RESOL. XVII.

NOn gaudere putauit Villadiego in Polit.c.3.nu.244.Farin. tit. de Carcer.q.28.n.66.& ante illum.Rebuff.in constitut. Gallic tom.2.tit.de immun.Eccles.glos.1.nu.28. & alij, quia delatio supradictorum armorum meretur capitalem pœnam, & vt delictum graue non gauder Ecclesiæ immunitate.

Sed contrarium docet Peregr.de immun.c.12.n.11. nam licet talis delinquat in Ecclesia gestando arma illa prohibita, tamen vt supra diximus, gaudebit immunitate: quia solum delicta homicidij, & mutilationis membrorum excluduntur ab immunitate in constitutione Gregorij XIV. non autem

alia grauia delicta, etiam in Ecclesia perpetrata: Putat tamen Gambac. lib. 4. c. 17. n. 13. in fin. quod si alicubi consuetudo esset in contrarium, talis criminosus non gauderet. Sed nos hanc limitationem non admittimus; nam, vt supra contra ipsum probauimus Constitutio Gregor. tollit omnem consuetudinem, & reducit omnia ad vnicam formam, cum particula taxatiua: & ita in simili casu cuiusdam assertæ consuetudinis, Peregr. respondet vbi sup. num. 8. Ex supradictis infertur furantes in Ecclesia res alienas, quos hodie vocamus *Tagliaborsi*, imò furantes res sacras etiam in templo, gaudere dicta immunitate; quidquid in contrarium dicat Decian. tom. 2. lib. 6. c. 26. nu. 5. Bobadill. in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 14. nu. 8. & alii penes Farinac. tract. de Immun. c. 16. num. 215. quos ipse merito in num. 217. reprobat, & refellit; & hac etiam immunitate gauderet, si fur, confugiens ad Ecclesiam, rem furto sublatam postea intra Ecclesiam contrectauerit, eaque vsus fuerit; vt notat Farinac. n. 218. & Peregr. nume. 10. Et ratio potissima est, quam sæpius adduximus, nempe tale delictum non esse per præsentem constitutionem exceptum. Notandum est etiam contra Io. de Heuia in Curia Philip. pag. 3. §. 12. num. 26. & alios, arma prohibita non posse satellites auferre ab illo, qui in Ecclesia confugit, & se abscondit.

An reus, qui attentauit occidere aliquem proditoriè, effectu, & morte non sequuta, gaudeat immunitate.

RESOL. XVIII.

Gaudere docet Bonacina de leg. disp. 3. quæst. 7. §. 5. nu. 36. cum nostro Peregrino de immun. c. 7. num. 13. & alij, quia Constitutio Greg. loquitur expresse de occidente: vnde requiritur actus consummatus cum effectu subsequuto. Et ita docet Farinac. de Immun. cap. 10. num. 145. retractans se de contraria opinione, quam docuerat antea in tit. de carcer. quæst. 28. num. 45. licet aliqui contrarium asserant cum Ioan. de Heuia in Curia Philipp. p. 1. §. 12. num. 36. & Nauar. in manual. cap. 25. num. 21. Sed isti scripserunt ante Bullam Gregor. & post Bullam Tamet. in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. num. 16. Dices eum, qui tentauit assassinum, nō gaudet immunitate, etiam non sequuto effectu, dummodo deuentum sit ad actum aliquem proximum cōsummationi, nempe insultus, vel vulneri; Ergo neque debet gaudere huiusmodi immunitate, qui attentauit homicidium proditorium. Respondeo esse disparem rationem, nam in Bulla Summ. Pontifex excipit occidentes proditoriè, & assassinos; sed sine morte subsequuta, quis non potest dici occisor proditorius, sicuti potest dici assassinus; ergò.

Non reticeam tamen Farinac. de immun. Eccl. cap. 8. n. 125. in fin inclinare in sententiam asserentem assassinium attentatum, non sequuta morte, gaudere immunitate; licèt contrarium asserat Peregr. vbi sup. de immun. c. 7. nu. 37. Nota verò, vt quis, tanquā assassinus, non possit vti priuilegio immunitatis Ecclesiæ opus est, quòd interueniat mandatum ad occidendū; nam ex mandato ad vulnerandum tantum; etiam mediante pecunia, non committitur assassinium. Ita Ricc. in p. 1. dec. 112. num. 1. Ambrosin. tract. de immun. ca. 7. num. 11. Bonac. de leg. disp. 1. quæst. 7. § 4. num. 20. & alij. Item gaudebit immunitate, qui ex mādato alterius pecunia mediante occidit communem inimicum; vel qui præsente ipso mandante occidit aliquem; nam in his casibus quis ita occidens aliquem, non dicitur assassinus, vt ex multis affirmat Farinac. de immun. cap. 8. nu. 132. & 133. Notandum est etiam, non esse assassinum, illum, qui per preces, vel per alios respectus occidit aliquem, contra Villad. in Pol. cap. 3. num. 215. quia in assassinio opus est, vt adsit pecunia, vel loco pecuniæ, aliqua res pretio æstimabilis.

An testis, qui sua falsa depositione fuit causa, vt quis morti traderetur, fugiens effracto Carcere in Ecclesiam; immunitate gaudeat?

RESOL. XIX.

Duas difficultates tangit hæc quæstio; prima; an rei, qui effracto Carcere ad Ecclesiam confugiunt, gaudeant Immunitate? Secunda; an testes falsi, vt supra, tali etiam priuilegio fruantur? Ad primam respondeo affirmatiuè cum Ambrosin. tract. de immun. ca. 10. num. 11. Peregr. de immun. cap. 5. nu. 9. & alijs, quidquid in contrarium asserat Gambac. libr. 4. cap. 18. num. 9. in fin. vbi adest consuetudo, tales reos non gaudere; sed hoc falsum est, nam vt suprà diximus, & notat in casu simili Farinac. de immun. cap. 6. num. 65. Bulla Greg. XIV. derogat, & tollit omnes consuetudines, & reducit omnia ad vnam formam, cum particula taxatiua, excludendo omnes alios casus.

Ad secundam dubitationem principalem respondet negatiuè Ital. de immun. Eccl. lib. 1. cap. 5 §. 4. & latius, §. 5. num. 145. & seq. vbi docet testem falsum, ob quem morti aliquis traditus fuit, non gaudere immunitate Ecclesiæ; quia talis diceretur proditor homicida. Sed obseruat optime Farinac. de immun. c. 9. num. 141. stante Bulla Greg. in hoc casu, debere Episcopum cōsulere Summ. Pontificem, & iuxta illius responsum se regulare. Sed hanc doctrinam noster Peregr. vbi sup. cap. 7. num. 43. putat non procedere; si testis, mediante pecunia corruptus, falsum deposuerit, propter quam falsitatem reus est condemnatus ad mortem; nam talis in hoc casu dicitur assassinus, & ideò non gaudebit immunitate. Limitatio igitur, & consilium Farinacij procederet in casu, quo testis deposuisset falsum, non tamen pecunia mediante: & in tali casu, ita faciendum ab Episcopo, etiam ego existimo.

An si quis occideret Fiscum Regium, vel Præsidem Iustitiæ gauderet immunitate Ecclesiæ?

RESOL. XX.

Hæc opinio ex supradictis in quæst. 7. resoluta est; sed in particulari illam posui; quia his diebus à quodam Iurisconsulto agitata fuit: qui dicebat, dictum reum committere ita facientem crimen læsæ Maiestatis, & ideo non gaudere immunitate Ecclesiæ.

Sed prorsus, vt ego illi satisfeci, contrarium dicendum est, quia in Bulla excipitur tantùm crimen læsæ Maiestatis contra personam Principis; sed dictus criminosus commisit quidem crimen læsæ Maiestatis, sed non in personam Principis; ergo gaudebit Ecclesiæ immun. & ita in terminis docet Bonacin. de leg. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. nume. 22. & Ambrosin. de imm. c. 9. num. 7. cum Farinac. de immun. c. 13. num. 192. qui, nu. 185. aduertit etiam occisores Cardinalium, & Episcoporum gaudere dicta immun. licet in tali casu putet reū à Iudice Ecclesiastico custodiendum esse, vt postea Sum. Pontifex informetur; sed absolutè occidentes Cardinales non gaudere, docet Peregr. de Immun. cap. 9. num 5. etiamsi dicti Cardinales galerum, seu capellum à Pontifice non acceperint.

An violantes Ecclesias frangendo fores, vel comburendo eas, gaudeant immunitate?

RESOL. XXI.

Non gaudere respondet Villadieg. in Polit. cap 3. num. 213. Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 49. qui citat Remigium, & idem docet Faber in leg. 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.

Sed contrarium docet Peregr. de immun. cap. 12. num. 15. & ratio est manifesta, nam Summ. Pontifex in ista Bulla excipit aliquos casus cum dictione taxatiua, *tātum*, quę dictio tollit extensionem ad non expressa: sed dicta Bulla excipit tantùm violantes Ecclesiam per homicidium, aut mutilationem membrorum, ergo non est extendenda ad alios violatores per quodlibet delictum.

An Iudex Paganus, Saracenus, & quilibet Infidelis, gaudeat immunitate Ecclesiæ.

RESOL. XXII.

Respondeo affirmatiuè cū D. Antonino p. 3. titul. 12. p. 4. §. 1. ver. His ergo exceptis, Syluestro in summa verb. immunitas 3. nu. 2. vers secundum de Pagano, & Azor. p. 2. li. 9. cap. 9. quæst. 9. Nec desunt pro firmanda mea opinione docti Iuriscōsulti, nam ita docet Ricciull. de iure person. libr. 2. c. 12. per tot. cum alijs quos citat & sequitur Barbos. in Collect. tom. 1. libr. 5. tit. 49. cap. 6. num. 50. Faber in leg. 2. C. de his, qui ad Ecclesiam con-

confugiunt, & in § sed & hoc, n. 3. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, & Glossa, Hostiensis, Innoc. & Cardinalis apud Bobadill. to. 1. lib. 2. cap. 14. n. 51. qui probabilem vocat hanc opinionem, & absolutè etiam tenet illam in terminis nostræ Bullę, Italia de immun. lib. 1. c. 3. per tot. & ratio est, quia tale priuilegium non conceditur à Summ. Pontifice intuitu personarum, sed loci. Sed priuilegia locis concessa, ad quaslibet personas ibi stantes extenduntur, vt notat Bartol. in leg. final. C. de testam. & in leg. cunctos populos, & Bald. in leg. si non speciali, C. de Testam. Ergo dum infideles tali priuilegio frui volunt, non est illis denegandum: quidquid in contrarium asserant Megala in 3. p. lib. 4. c. 2. nu. 3. & 16. Doctores apud Farinac. de immun. c. 5. nu. 79. qui num. 83. cum Peregr. tract. de immun. c. 12. num. 1. & Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 10. nu. 11. distinguit; si enim infidelis confugiens ad Ecclesiam, non petit Baptismum, putat contra nostram sententiam, non gaudere; quia sua infidelitate indignum se facit eius beneficio; sed vt diximus, hoc priuilegium non conceditur ratione personarum, sed locorum. Vel petit Baptismum verè, & realiter, & non simulando; & tunc asserit gaudere. Sed tu tene nostram sententiam, quam valde miror vocari parum tutam à Gambac. libr. 4. cap. 7. n. 5. cum sit probabilis, & tam magnos Theologos Iurisperitos habeat patronos: & ex ipsamet societate probabilem vocauit Fagund. de præcep. Eccles. lib. 4. c. 4. num. 49. & Portel. in dubijs Regul. ver. Eccles. immun. nu. 10.

An Apostata à Religione gaudeat immunitate.

RESOL. XXIII.

NEgatiuè respondet Peregr. tr. de immun. ca. 12. num. 16. sed contrariam sententiam tenendam esse existimo. Dico igitur dictum Apostatam gaudere immunitate, non autem in Ecclesijs, & Monasterijs eiusdem Religionis, a qua apostatauit, sed in alijs, vt dictum est, & ita docet Duard. in Bull. Cœn. libr. 2. can. 15. q. 16. nu. 15. Bobadill. in polit. to. 1. lib. 2. capit. 14. n. 57. qui citat Rebuff. & Decian. Et ita docet in terminis nostræ Bullæ, Farinac. de immun. cap. 13. nu. 169. & Italia de immun. lib. 1. cap. 3 §. 1. num. 17. ver. Ex his ergo apparet. Vbi testatur quemdam Apostatam à Religione fuisse restitutum Ecclesiæ, ex qua fuerat extractus.

An Clerici gaudeant immunitate Ecclesiæ: ita vt ad Ecclesiam confugientes pro criminibus non exceptis in Bulla, ab eorumdem Iudicibus Ecclesiasticis inuiti extrahi non possint ab ea?

RESOL. XXIV.

DIfficilis est ista quæstio, & inter veteres, & recentiores Theologos, & Canonistas non parum agitata. Prima opinio asserit non gaudere. Ita Villadieg. in polit. c. 3. num. 213. Heuia in curia Philip. p. 3. §. 12. nu. 17. Abb. in c. inter alia nu. 13. de immun. Eccles. & alij iurisperiti, quos citat Guttierr. pract. qq. lib. 3. q. 3. nu. 1. & authores infra citandi. Idem ex neotericis docet Bellet. in disq. cler. p. 2. tit. 3. §. 15. num. 1. Genuens. in prax. c. 17. num. 11. Tanner. in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. nu. 16. Peregr. de immun. c. 12. num. 3. Megal. in 3. p. lib. 4. c. 2. nu. 34. Bonacina de legib. disp. 3. q. 7. §. 3. num. 7. Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. c. 4. nu. 52. Suar. de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 10. n. 6. Lopez in instruct. p. 2. c. 185. Azor. p. 2. lib. 9. c. 9. q. 9. Portell. in dub. Regul. ver. Eccl. immun. num. 13. Homobon. de Exam. Eccl. p. 2. tract. 11. c. 12. q. 26. suppos. 3. & alij. Probatur hæc opinio, quia vt ait Fagundez, cum hęc immunitas non sit de iure diuino, sed de iure Canonico, & positiuo: ideo non ligat Iudices ecclesiasticos, vt patet ex praxi, & consuetudine. Abbas vbi supra prosequitur ex fundamento in confirmationem huius opinionis. Deinde Peregrinus ex verbis Bullæ Gregor. nam ibi solùm de laicis Summ. Pontifex facit mentionem. Ergo excludit Clericos ab ista immunitate; & ita seruari per consuetudinem testatur. At his minimè obstantibus.

Secunda sentētia docet, Clericos gaudere hac immunitate, & ita docet nouissimè Salgado de protectione Regia tom. 2. p. 2. cap. 4. num. 115. & Roman. cons. 226. quod incipit Spectabilis Domine, & in cons. 234. probat non solùm Clericos de iure Canonico habere immunitatem; sed tenet, maiorem esse rationem, cur Clericus in Ecclesia capi nequeat, quàm laicus. Idem docet Episcopus Diaz in Pract. Crim. capit. 123. in fine. Iulius Clar. in Pract. §. fin. quæstio 30. numer. 16. & Zerola in Praxi Episcop. part. 1. §. Immunitas Ecclesiastica, ver. 8. Decian. to. 2. lib. 6. cap. 26. num. 1. Ioan. Maria Monticellus in sua Pract. crimin. regul. 12. num. 18. Couarruuias lib. 2. var. resol. cap. 20. n. 16. Et hanc sententiam, citans alios, veriorem, & communiorem putat Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 14. num. 57. in Gloss. litt. P. & nouissimè docet hanc sententiam Farinac. tit. de Carcer. quæst. 28. num. 7. Et in terminis nostræ Bullæ, Ambrosinus de Immunit. cap. 12. per totum. Duardus in Bulla Cœn. li. 2. canon. 15. quæst. 16. nu. 13. & magis amplè Petrus Cenedo in suis quæstionibus Canonicis quæst. 42. per totam. Vbi asserit, Iudices Ecclesiasticos, extrahendo Clericos ab Ecclesia sine licentia Summi Pontificis in casibus non expressis, incurrere in pœnas, & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiarum. Et probatur hęc sententia; quia iura Canonica, & Ciuilia indistinctè loquuntur, & indefinitè, ac generaliter: ergo tam laici, quàm Clerici complectuntur ex auctoritate leg. de Pretio ff. de publicat. Cęteras rationes adducit Ambrosin. & alij. Restat modò respondere ad argumenta in contrarium; sed quia in his laboribus breuitati studeo; solutionem argumenti Fagundez inuenies apud Petr. Cened. in Can. quæst. 42. num. 11. Argumenta verò Abbatis satis soluta sunt à Decian. vbi sup. tom. 2. libr. 6. cap. 26. nu. 1. & à Cardinali in cap. inter alia de Immun. quæst. 6. Ad argumentum verò Peregrini respondet Gambac. de immu. l. 4. c. 11. num. 8. vbi probat in Constitutione Greg. XIV. adesse mentionem de Clericis, & Ecclesiasticis.

An Religiosi gaudeant dicta immunitate, ita vt eorum Superiores non possint illos extrahere, si nolint ab Ecclesijs, & quid, si delinquant in proprijs Monasterijs.

RESOL. XXV.

NEgat in specie Riccius p. 3. decis. 172. num. 6. Et ita fuisse decisum in curia Archiep. Neapolitana asserit; & ita docent etiam Doctores citati superiori quęstione in prima opinione, qui pro confirmanda eorum sententia sic argumentabātur. Si Clerici gaudere debent immunitate Ecclesiarum, sequitur, quod Religiosi numquam possent in carcerem detrudi à suis Prælatis, cum semper sint in Monasterio, quod gaudet hac immunitate; sed hoc asserere est absurdum; ergo neq; Clerici, neque Religiosi immunitate Ecclesiarum gaudebūt; Et ita in particulari arguebant Syluester ver. Immunitas 3. §. 3. nu. 2. Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. c. 4. n. 52. Suarez de Relig. to. 1. tract. 2. lib. 3. c. 10. n. 6. & noster Peregrinus de immun. c. 12. n. 3. dub. 3. opin. 2. arg. 3. cum alijs.

At hoc inconueniente non obstante multi DD. vt supra visum est in secunda opinione, docuerunt Clericos, & per consequens Religiosos gaudere Ecclesiæ immunitate; & præcipuè inter illos Petrus Cenedo in qu. Can. q. 42. & Petrus Gambac. lib. 4. cap. 11. num. 10. vbi asserit. Eadem est ratio de Clericis, ac Religiosis, & ideo licet illis, ad euadendas delictorum suorum iudiciales pœnas, ad Ecclesias, & Monasteria confugere; & sunt ab Ecclesia defendendi. Nec existimo satis esse consuetudinem qua probetur, eos non solere ad Ecclesias confugere, vt propterea immunitate careant: sicut nil valeret, si probaretur idem de laicis; nō enim propterea quòd nullus laicus per multos annos ad Ecclesiam confugit, ideò mihi non proderit, si voluero confugere. Sed probare necesse est consuetudinem; qua Clerici, seu Regulares ad Ecclesiam confugientes, nunquam in ea ad immunitatem admissi sunt. Ita Gambacur. vbi addit, Regulares in Vrbe ad mortem damnatos per Iudicem ab Apostolica Sede delegatum, si commisissent aliquod delictum non exceptum, posse ad Ecclesiam confugere, & eius immunitate gaudere. Hæc opinio mihi placet, & ita sentio cum supradictis citatis Doctoribus, Regulares gaudere sicut Clericos immunitate Ecclesiarum. Sed difficultas est, quando delinquunt in proprijs Monasterijs. Idem dicendum videtur, stando in dicta opinione, quòd Clerici, & Regulares immunitate gaudeant. Et ita terminis docet Gambacurta supr. numero 2. vbi ait. Difficultas non leuis superest de Regularibus delinquentibus in proprijs Ecclesijs, seu Monasterijs, de quibus valde dubium

bium est, an teneantur lege c.final.de immunit.Eccles. nisi textum illius cap. amplè intelligamus, vt delinquens in ipso loco immunitatis, careat priuilegio, quàm rarissimè Religiosi ad immunitatem admittentur, quia raro exeunt; sed cùm textus sit odiosus, vt latè ab immunitate excludens, & se restringat ad Ecclesias, & Cœmeteria, ad quæ etiam se restringit Constitutio Gregorij XIV. probabile mihi est in illis solis delictis grauibus, quæ in Ecclesijs, vel cœmeterijs committuntur, ablatam esse illis immunitatem. Si quis verò hæc ipsa, seu alia grauia delicta committat in alijs immunibus locis, Monasterijs, Domibus, etiam non carebit immunitate; quoniam in dictis Canonibus non est expressum. Ita ille, quæ omnia limitat numero decimoquarto, ad eos casus in quibus superior procederet contra regulares in foro iudiciali ad vltrices pœnas Canonum; non autem quando procederet in foro paterno ad pœnitentias salutares.

Hæc opinio Gambacurtæ est probabilis, stando in rigore Canonum, & præcipuè in terminis nostræ bullæ Greg. XIV. vbi, vt supra diximus, excluderentur ab immunitate tantum illi, qui membra mutilarent, vel occiderent in Ecclesijs, & ideò committentes alia delicta enormia in Ecclesijs vel Cœmeterijs gaudebunt immunitate; sicut etiam gaudebunt immunitate, committentes homicidia, & mutilationes membrorum, & alia delicta extra Ecclesias, & Cœmeteria in Monasterijs, & alijs locis, quæ præbent immunitatem Ecclesiasticam: Ex qua doctrina, Regularis qui committeret quodlibet graue delictum in Monasterio, gaudebit vtique supradicta immunitate, & superiores incurrerēt in pœnas, & censuras violatæ immunitatis si aduersum talem criminosum volentem gaudere hac immunitate, in iudicio procederent; & ipse in tali casu non teneretur ad interrogationem respondere. Hæc omnia, vt dixi, & probabilia mihi videntur; stando in rigore Canonum Constitutionis Gregorianæ.

Sed contrarium tenendum videtur, ex recepta consuetudine à Summis Pontificibus approbata; dixi approbata à Summis Pontificibus, nam sola consuetudo, vt sæpius diximus, & doctè notat Cened. quæst. 2. num. 10. non præualet aduersus hanc immunitatem; nisi Pontificum interueniat consensus, quem in nostro casu interuenire patet; nam Summi Pontifices quotidie ex appellatione causarum ad Sacram Congregationem, vel ad ipsos de causis Regularibus; vident eorum superiores aduersus illos processus formare, & sententiam ferre de delictis intra Monasterium commissis; de quibus, stante contraria opinione, gauderent dicti Regulares criminosi Ecclesiæ immunitate, & tamen de hoc non reclamant, neque supradictos superiores, tanquam violatores immunitatis Ecclesiarum seuerè, vt deberent facere, puniunt; imò tales processus, & sententias confirmant. Ergo præbent illis, in huiusmodi casibus iurisdictionem, non obstante aliquo canone, & Bulla Gregoriana contrarium determinante. Et certè si opinio Gambacurtæ in praxi fuisset admittenda, nullus Religiosus puniretur, & obseruantia, & disciplina Regularis corrueret, & ideò vt Religionibus perniciosam, nullo pacto admittendam esse puto.

An reus amittat immunitatem, qui deceptus fuit subdolis verbis, & fallacijs, ad egrediendum ab Ecclesia, & Iudex possit illum punire?

RESOL. XXVI.

AFfirmatiuè respondet Bonac de leg. disp. 3. qu. 7. §. nu. 10. Fillineius to. 2. tr. 15. ca. 6. num. 154 Duard. in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. qu. 16. nu. 34. Fagundez de Præcep. Eccl. tt. lib. 4. c. 4. num. 56. Qui citat Suarez, & Nauarrum, quamobrem assert, Videant delinquentes, ne se falli sinant, vbi primum enim à loco sacro sponte egrediuntur, hanc immunitatem amittunt. Fallit tamen hoc iuxta Syluester. verb. immun. 3. num. 24. Nisi exeant ad requisita naturę, cui libenter adhæreo: indecens enim est, vt Ecclesia Dei, & locus sacer, qui omni odorum suffimento olere debet, his immunditijs sordescat. Ita Fagundez.

Non reticeam tamen contrarium docere Bobadill. in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 80. Ibi, [aunque por palabras blandas, o engannosas, o promessa, &c.] idem docet Villadiego in Polit. c. 3. num. 222. & noster P. Megal. in 3. p. libr. 4. c. 2. q. 1. nu. 32. vbi asserit. Et prædicta procedunt, etiamsi blandis verbis, vel fallacijs à ministris iustitiæ, vel iudice inductus delinquens spontè exiret. Vnde hæc sententia in fauorem Ecclesiæ amplectenda videtur, & illam etiam docet Mastrill. heu quondam noster lib. 2. decis. 169. nu. 12.

An reus confugiens ad Palatium Episcopi, qui non sit intra confines, & quadraginta passus, sed longè ab Ecclesia distet, gaudeat immunitate.

RESOL. XXVII.

NEgatiuè respondet Bobadill. in Polit. to. 1. lib. 2. cap. 14. nu. 85. qui in gloss. lit. C. ex Couarruuias libr. 2. variar ca. 20. num. 5. testatur de communi praxi, & idem docet Ambrosin. de immunit. c. 10. num. 7. Et maximè hoc procederet si in tali Palatio non adesset oratorium, in quo diuinum celebretur sacrificium. Et nouissimè docet hanc sententiam Martinus Bonacina de legibus disput. tertia, quęst. 7. §. 2. nu. 9. & Piasecius in praxi Episc p. 2. c. 4. art. 8. nu. 2.

Sed contrariam opinionem amplexi sunt non ignobiles authores, & inter illos noster P. Peregrinus tract. de immunitate cap. 4 num. 69. vbi citat plures DD. quibus ego addo Megalam in 3. p. lib. 4. c. 2. q. 1. num. 36. Francisc. Leo in thes. fori Eccles. pag. 1. cap. 13. n. 14. Gambac. de immun. lib. 4. c. 3. num. 7. Azorium p. 2. lib. 9. cap. 8. q. 5. Marium Italiam tract. de immun. libr. 1. c. 4. §. 9. nu. 1. & seqq. Anastasium Germonium de immun. sac. templ. lib. 3. cap. 16. num. 45. & seq. Giurba cons. 10. numer. 13. & alios. Et ratio est, quia hæc immunitas concessa est ratione dignitatis personæ Episcopalis, propter sanctitatem muneris, & dignitatis, sicut tota familia Episcopi, licet laica, gaudet intuitu eius priuilegio fori. Itaque dicendum absolutè palatium Episcopi, siue cum Capella, siue intra quadraginta passus, siue extra gaudere ea immunitate, qua gaudet sponsa eius Ecclesia: vnde Doctores contrarium sentientes non sunt audiendi, quia cum causa immunitatis sit fauorabilis, non solùm delinquenti, sed etiam Ecclesiæ, minimè restringenda erit, sed potiùs ampliāda, & licet res dubia sit, sciunt iam omnes, quod in dubijs pro reo, & in dubijs, pro Ecclesia, per ea, quæ pulchrè notat Riccius in praxi pag. 2. Resol. 42. n. 2. Igitur nostra sententia omnino tenēda erit, & in praxi obseruanda. Notandum est etiam quòd Villadiego in Polit. c. 3. num. 20. extendit hanc immunitatem, [a las de algunos Embaxadores de la Corte.]

An si aliquis à satellitibus fugiens intraret in cubiculum ægrotantis, vbi ad ipsum communicandum Sacerdos cum SS. Sacramento aduenisset, & ibi a dictis birroarijs comprehensus fuisset, antequam Sacerdotem tangeret; an is inquam, immunitate gauderet.

RESOL. XXVIII.

SVppono contra Gloss. in c. quæsitum 13. quæst. 2. Couarruu. l. 2. var. c. 20. nu. 6. & Bonacinam vbi infra, reum tangentem Sacerdotem, qui Eucharistiam deferret, gaudere immunitate Ecclesię, neque capi posse; & si capiatur restituendus erit. Bobadill. in Polit. tom. 1 li. 2. c. 14. num. 86. qui in Gloss. litt. G. citat pro hac sententia 30. Doctores, quibus ego addo Raphael de la Torre, tom. 2. in 2. 2. q qq art. 3. disp. 7. lo. de Heuia in curia Philipp. pag. 3. §. 12. num. 8. Mirandam de ordine iud. to. 1. q. 15. art. 4. concl. 2. Tanner. in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. num. 14. Megalam in 3. p. lib. 4. cap. 2 q. 1. num. 38. Ceuallos in tract. de cognitione per viam violen. p. 3. q. 41. per tot. Perr. de Cenedo in qq. Canon. q. 42. num. 13. Graffium in decis. p. 2. lib. 1. c. 1. num. 32. Rodriquez in summa tom. 1. c 155. nu. 1. Ambrosin. de immun. cap. 10. n. 9. Gambacurt. de immun. lib. 4. c. 6 nu. 4. Syluest. verb. immunitas 3. nu. 1. Angelum eodem verb. q 28. cum alijs. Et ratio est, quia hoc dignissimum Sacramentum potissima causa est, vt ecclesijs hæc immunitas concessa sit; ergo multo magis debet ipsum eādem habere immunitatem. At præcipua ratio huius assertionis, est concors omnium Doctorum sententia.

Sed cum hęc omnia vera sint, difficultas est in nostro casu, in quo reus non potuit tangere sacerdotem, sed solum intrare in cubiculum, vbi Sacerdos cum SS. Sacramēto extabat pro commu-

municando infirmo. Sed ego quidquid in contrarium afferat Bonacina de leg. disp. 3. q. 8. § 2. nu. 11. puto dictum reum in illo cubiculo gaudere immunitate; satellites illum comprehendendo, in censuras Bullæ incidere; & Iudicem debere illum Ecclesiæ restituere, nam locus, in quo actu est corpus Christi, quamuis in transitu, vt erat in casu nostro, gaudet immunitate, & illam alteri præbet, & ita docet P. Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 9. n. 10. in fin. Et non solum in hoc casu, puto reum immunitate gaudere; sed etiam per plateas Ciuitatis, quando fugiens à satellitibus, se immisceret inter illas personas, quæ associant Venerabile Sacramentum Eucharistiæ, etiamsi non tangeret sacerdotem, vel hastam Baldachini. Quia omnes illæ personæ vnà cum sacerdote gestante SS. Sacramentum, repræsentant vnam Ecclesiam. Et ita iisdem verbis docet noster P. Peregrin. de immun. Ecclef. cap. 4. n. 19. cum Mario Italia etiam de Immun. libr. 1. c. 4. § 10. numer. 8. quod est valde notandum; nam talis casus potest de facili in praxi contingere. Notandum est verò quod confugiens ad Sacerdotem portantem Oleum sanctum infirmis, non gaudet Ecclesiæ immunitate, vt notat Riccius p. 3. decis. 88. nu. 5.

An Hæreticus non solum ob hæresim, verum etiam ob alia delicta, distincta ab hæresi, careat immunitate Ecclesiarum?

RESOL. XXIX.

Affirmatiuè respondet Gambac. li. 7. cap. 3. nu. 6. Peregrinus de immun. c. 8. num. 13. Bobadill. tom. 1. libr. 2. cap. 14. nu. 54. Tanner. in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. num. 16. si tamen de hæresi non fuisset punitus; & ratio est, quia est indignus tali fauore, & vt Ecclesia illum defendat. Verùm contrariam sententiam tenendam esse iudico cum Portell. in dubijs Regul. ver Ecclesiæ immunitas numero 10. Azorio, part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9. Sylvestro ver. immunitas 3. quest. 3. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 13. Bonac. de leg. disp. 3. q. 7. § 3. n. 3. & alijs. Et ratio est, quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, vbi crimen non est exceptum. Vnde in illis locis vbi hæretici impunè habitare permittuntur, nec propter hæresim puniuntur: dicendum est in criminibus non exceptis, gaudere vt cæteros immunitate Ecclesiarum. Vide circa præsentem quæstionem Farinac. de immun. c. 13. nu. 170.

An quis comprehensus extra locum sacrum, per illum tamen ad carcerem ducatur, vel ad supplicium, & ad mortem trahatur per aliquam Ecclesiam gaudeat immunitate?

RESOL. XXX.

Prima opinio negat. Ita Bodadill. in Polit. to. 1. lib. 2. c. 14 nu. 61. qui in gloss. litt. A. plusquam 25. Doctores pro hac sententia adducit. Idem docet in casu simili Tanner. in 2. 2. disp. 5. dub. 1. nu. 17. & ratio est, quia talis reus liber in Ecclesiam non fuit ingressus, ergo immunitate non gaudebit.

Secunda opinio affirmat, quam tuetur Nauarr. in Manuali. cap. 25. nu. 19. Boer. decis. 100. Germon. de Immun. li. 3. c. 16. 35. & alij citati à Bobadilla vbi supr. in Glossa littera B.

Tertia opinio distinguit: vel carceratus ducitur per Ecclesiam ex necessitate, quia ex alio loco transire non potest, & in hoc casu procederet prima opinio; vel voluntariè, & sine necessitate per Ecclesiam ductus fuit, & in hoc casu secunda opinio sequenda erit. Ita docet noster P. Peregr. de immunit. cap. 5. nu. 8. Alteram distinctionem pro concordia dictarum opinionum affert etiam Farinac. de immun. cap. 15. nu. 205.

Quid ego sentiam, dicam breuiter, non obstantibus dictis distinctionibus, quas ingeniosas esse arbitror; puto cum Fagundez de Præcept. Eccles. tract. 2. libr. 4. cap. 4. nu. 57. vtramque opinionem esse probabilem, priorem tamen in rigore iuris veriorem: posteriorem autem magis piam, & ideo in praxi amplectendam.

(?)

An qui ex proposito, & sub specie amicitiæ proditoriè alapam alicui viro nobili inferret, vel cum fustibus eum percuteret, gauderet Ecclesia immunitate?

RESOL. XXXI.

Hoc dubium à nemine tactum notat Bobadill. in Polit. to. 1. lib. 2. cap. 14 nu. 44. & putat in tali casu percutientem non gaudere Ecclesiæ immunitate. (Los palos) hæc sunt eius verba (y el bofeton se reputa en derecho por grauissima ingiuria, por loqual se podria desir, que el tal aleuoso no gozasse de la Immunidad Ecclesiastica, y assi se determinò en el Consejo supremo, el anno de setenta y seys.) & post Bobadill. hanc sententiam docet etiam Villadiego in Polit. c. 3. nu. 211. & Io. de Hevia in curia Philipp. p. 3. §. 12. n. 37.

Sed hæc opinio post Bullam Greg. XIV. non est tenenda, quia Summ. Pontifex, vt supradictum est, in ista Constitutione, excipit aliquos casus ab immunitate Ecclesiastica; sed exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, ex lege Tribunus. § vlt. ff. de militari test. vt notat Suar. de leg. libr. 8. ca. 19. num. 7. in fin. ergò, cùm excipiatur tantùm in Bulla homicidium proditorium, non est extendenda hæc exceptio ad alapas & fustes proditoriè alicui inflictas. Confirmatur, quia Summus Pontifex, vt excludat omnes alios casus, in dicta Constitutione apposuit dictionem taxatiuam *tantum*. ibi. *Ita ad vnam tantum formam reducimus*, quæ dictio de sui natura impedit extensionem ad non expressa, ex leg. properandum, § 1. C. de iud. vt notat Dec. lib. 1. cons 54. numer. 1. & alij, ergo, &c. Ex hac doctrina valde notanda, vt contra Gambac. q. 1. notauimus, pendet decisio multorum casuum: & ideò raptores virginum gaudent immunitate hac; ita Fagundez de præcep. eccl. tr. 2. lib. 4. cap. 4. num. 47. Item Simoniaci, absque tamen errore in intellectu, nam ita essent hæretici, per consequens exceptuati per Bullam. Item Blasphemi si blasphemias hæreticales non proferant; ita Ambrosin. de immun. c. 8. nu. 12. Item Adulteri, contra Anchatanum in cap. inter alia, de immun Ecclef. ita Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. cap. 8. nu. 11. Item Homicidia, qui ex proposito, & deliberatè, & data opera aliquem occidit, ita Peregrin. cap 7. num. 16. Item capitaliter Banniti: ita idem Peregr. cap. 5 num. 1. Item Tonsores monetarum. Ita Marius Italia de immunit. libro 1. cap. 5. §. 1. numero 15. Hi omnes, sicut etiam multi alij gaudent immunitate Ecclesiarum, quia supradicta crimina non sunt in Constitutione Gregor. excepta, & dicta Bulla, quæ, vt diximus, reducit omnia ad vnicam formam cum particula taxatiua, non est extendenda ad alios casus similes.

An Mercator, qui fraudulenter decoxit, gaudeat immunitate.

RESOL. XXXII.

Negatiuè respondet Gambac. lib. 4. cap. 15. num. 7. in terminis nostræ Bullæ; & ita etiam docuerunt ex Theologis Io. de la Cruz in direct. conscientiæ, pag. 1. Præc. 8. quest. 3. art. 1. dub. 1. conclus. 1. Fagundez de Præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. c. 4. num. 53. Rodriq. in Sum. tom. 7. c. 154 numer. 1. & ex Iurisperitis Bobadill. tom. 1. lib. 2. c. 14 n. 67. & 71. Villadiego in Polit. c. 3. n. 216. Azeuedus to. 3. lib. 5. tit. 10. leg. 6. nu. 2. Guttierez pract. quæst. libr. 1. q. 1. per totum, & alij, quia Pius V. in constitutione edita anno 1570. eos furibus assimilauit, & in illos vltimam pœnam supplicij inflixit. Deinde afferunt multi, illos inclusos esse in nostra Bulla Gregoriana sub nomine publicorum latronum, & in hanc sententiam tandem inclinat Tanner. in 2. 2. D. Thomæ disp. 5. q. 8. dub. 1. nu. 17. & noster P. Peregr. de Immun. c. 12. nu. 4. in fine.

Sed ego his diebus in casu N. contrarium consului, & ita postea Romæ in Sacra Cardinalium Cõgregatione fuit decisum: nempe decoctorem etiam fradulentum immunitate gaudere: & respondebam ad Doctores citatos pro Gambacurta, & Peregrino, ipsos non loqui in terminis Bullæ Gregorij Decimiquarti, quia in Hispania dicta Constitutio non est vsu recepta, vt notauit Portellus in Dubijs Regularibus, vers. Immunitas, numero 9. & ratio est, quia, vt sæpius diximus, in dicta Bulla non priuantur dicti decoctures immunitate: nam inter casus exceptos, casus decoctorum non inuenitur, & dicta Bulla non est

est extendenda ad alios casus ibi non expressos. Deinde hoc apparet ex verbis Bullæ: nam ibi Pontifex reuocat omnia indulta, & priuilegia data Principibus: vt possint ad Ecclesiam confugientes extrahere, & præsertim fraudulentos decoctores. Vnde cum in ista narratiua talium decoctorū efficiantur mentio; de quibus postea, quando Summus Pontifex disponit, esse verbum quidem de illis: apparet manifestè Pontificem voluisse huiusmodi decoctores gaudere; & ita in terminis huius Cōstit. docet Farinac. de Immun. cap. 5 numer. 64. retractans se de contraria opinione, quam docuerat antea in Tract. de carcer. quæst. 28. num. 33. Idem docet Gratia in discept. Forens. tom. 2. cap 180. n. 29 Gironda tract. de Priuil c. 23. num. 1035. Ambrosinus de immun. cap. 13. n. 4. Flauius Cherubinus in Compend. Bull. tomo 2. const. 17. Pij V. schol. 2. cum alijs Iurisperitis: & ex Theologis Nauarr. in Man. cap. 25. numer. 19. Duard. in Bull. Cœn. l. 2. can. 5. quæst. 16. Bonacin. de leg. disput. 3. quæst. 7. §. 4. num. 2. Fernandez in Exam. Theolog. Mor. pag. 4. capite 10. §. 1. numero 10. & alij. Ad id verò, quòd dicebatur in contrarium, quòd sub nomine publici latronis includitur decoctor, negatur; & vt dixi, ex verbis ipsius Bullæ contrarium apparet. Adde quod, si dicta sententia esset vera, raro in praxi occurreret; quia difficilè admodum est, vt notat ipsemet Peregrinus, concurrere in aliquo decoctore ea, quæ necessaria sunt ad publicum latronem constituendum, & maximè actuum frequentia. Ex his apparet quàm cautè legendi sunt aliqui Iurisperiti, & præsertim Hispani, asserentes etiam simplices debitores, qui sine causa criminis confugiunt ad Ecclesiam, non gaudere illius immunitate. Et ita docet, citans alios Hieronym Cæuall. in tract. de cognit. per viam violentiæ, part. 2. q. 5. num. 6. nam hæc opinio est contra immunitatem Ecclesiæ, & Constitutionem Gregor. vt notauit Farinac. vbi sup. tract. de immun. cap. 3. n. 57. & 62 vbi citat multos alios; quibus ego addo Graff. tomo 1. lib. 3. cons. 1. per tot. de immun. Eccles. Portell. in dub. reg. verb. Eccles. immunitas, n. 14. Peregr. de immun. cap. 12. nu. 10. Bonacina de leg. disputat. 3. q. 7. §. 4. num. 2. Megal. in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 2. num. 33. qui testatur de communi Doctorum sententia: & hæc doctrina procedit etiam stante statuto, quòd debitor carcerari possit; & quòd sit suspectus de fuga: & etiam in debitore publico, vt est exactor tributorum. Idem dicendum est de debitore ex caussa administrationis, & redditionis rationum, & de obligato ad raticionia publica: vel de officiali debitore ex causa Syndicatus. Ita supra citati Doctores.

An qui occidit inimicum ex præmeditata animi deliberatione apostatè, vt vulgo dicitur, atque ex industria, non autem proditoriè, seu per insidias; gaudeat immunitate.

RESOL. XXXIII.

Dixi non proditoriè, neque per insidias, quia de hoc supra diximus; igitur ad casum propositum respondendo, dico negatiuam sententiam docere Gambac. lib. 5. ca. 4. num. 19. & seq. Probat hanc opinionem ex cap. 1. de homicidio, & ex consuetudine multorum locorum.

Sed post nostram Constitutionem hæc opinio est prorsus reprobanda, sicut illam reprobat Riccius part. 5. collect. 1792. Peregrinus de Immunit. cap. 7. numero 15. & alij: nam Summus Pontifex in ista Constitutione excipit tantùm homicidiū proditorium, vbi nullus præcedebat rancor; sed potius simulabatur amicitia; ergo non est dicta exceptio extendenda ad homicidium non proditorium; dato quòd deliberatè, & ex industria sit commissum; quia dicta Bulla non sustinet extensiones ad alios casus, ibi non expressos, cum reducat omnia ad vnam formam, vt sæpe diximus, cum particula taxatiua *tantùm*, & excipiendo aliquos casus; exceptio firmat regulam in casibus non exceptuatis. Ex quibus patet responsio ad argumenta Gambacurt. nam, vt probauimus supra quæst. 1. hæc Bulla Gregor. XIV. derogat iuri communi, & consuetudinibus contra eius formam, ergo in nostro casu non valet argumentum ex c. 1. de Homicidio, neque ex consuetudine; stante derogatione iuris communis, & consuetudinum supradictæ Bullæ.

An occidens clericum gaudeat immunitate.

RESOL. XXXIV.

Negatiuè respondet Villad. in Polit. ca. 3. num. 212. Riccius in Praxi part. 2. resolut. 309. per totam. Primò; quia occidens est excommunicatus, ergo non gaudet immunitate. Secundò, quia hæc immunitas non conceditur committentibus crimen lęsæ Maiestatis, sed offendens Clericum committit crimen læsæ Maiestatis diuinæ; ergo. Tertiò delinquentes in Ecclesia non fruuntur hac immunitate. Hanc sententiam docet etiam Bobadilla tomo 1. lib. 2. cap. 14. n. 47. qui citat Visquium, Remigium, & Suarez de Paz in praxi to. 1. p. 5. cap. 3. §. 3. nu. 169. & tamquam probabilem illam admittit Ioan. Sancius in suis Practicis disp. 44. nu. 52.

Sed post Constitutionem Gregorianam contrarium tenendum est, & ita docet Peregr. de immun. Eccl. cap. 12. numer. 15. Cæuall. tract. de cognit. per viam violent. par. 2. q. 101. Farinac. de immun. capit 7. num. 114. retractans se de contraria sententia, quàm docuerat antea in tract. de Carcer. quæst. 28. num 29. & Mario Italia de immun. lib. 1. cap. 2. §. vnico num. 6. & cap. 5. §. 3. num. 79. & ratio est, quia inter homicidia excepta, non ponuntur nisi homicidia proditoria, aut per assassinium peracta; ergo verba Bullæ, vt sępè dictum est, non sunt extendenda ad alia homicidia: nec obstat, quòd Clericus repræsentat Ecclesiam, & illum offendens Ecclesiam offendit, ergo, nam respondetur; quòd Ecclesia diligit inimicos, & benefacit persequentibus illam, nec etiam obstat, quòd qui committit sacrilegium, non gaudet immunitate, vt notat Guttier. pract. quæstionum libr. 3. quæst. 1. numero 33. & alij; sed occidens clericum sacrilegium committit, ergo; nam respondetur, sententiam Guttierez, & aliorum post Constitutionem Gregor. non esse sustinendam quia in Bulla crimen sacrilegij non reperitur exceptum; ergo debet gaudere: & ita docet Ambrosinus de immun. c. 4. n. 6. reprobans Decian. to. 1. lib. 5. cap. 28. nu. 7. & Duardus in Bull. Cenæ, lib. 2. canon. 15. q. 16. nu. 27.

Ex quibus patet responsio ad argumenta Riccij superius posita. Ad primum nego excommunicatum non gaudere immunitate Ecclesiarum, quia talis casus non est exceptus in Bulla. Secundò, hoc priuilegium non est datum fauore personarum, sed propter reuerentiam sacrorum locorum. Tertiò, excommunicatio non habet alios effectus, nisi quos iura declarauerunt; sed nullum ius statuit, vt excommunicatus immunitate non gaudeat: Ergò. Et ita contra Felinum in cap. 2. de except. num. 5. docent omnes Doctores, tàm ante Bullam, quàm post Bullam Gregor. XIV. Ita Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. præcept. 8. q. 3. art 1. dub. 1. conclus. 2. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. nu. 3. Fagundez de Præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 50. Altherius de cens. tom. 1. lib. 2. cap. 6. col. 3. ver. Hoc idem sentiendum est. Nauar. c. 25. nu. 20. Syluest. ver. immunitas 3. quæst 3. Angel. eodem ver. num. 11. Rosella etiam ver. immun. 2. num. 7. Armilla eodem ver. num. 7. & alij. Ad secundum argumentum respondetur ex dictis, quod in Constitutione Gregor. non excipiuntur ab immunitate omnes delinquentes in crimine læsæ Maiestatis, sed tantùm excipitur crimen læsæ Maiestatis in personam Principis commissum. Ad tertium respondetur ex dicta Bulla Greg. omnes delinquentes in Ecclesia gaudere immunitate: præter ibi committentes homicidia, & membrorum mutilationem, vt docet Riccius p. 5. collect. 1791. & communiter. Vnde patet occidentem clericū gaudere omnino Ecclesiæ immunitate; quod est valde notandum, quia casus potest de facili in praxi contingere, neque circa præsentem quæstionem admittēda est doctrina Petri Gambac. contra quem, & meritò insurgit Giurb. cons. 70. n. 9.

An occidens amicum reconciliatum, tamquam proditor careat immunitate?

RESOL. XXXV.

Svppono, inter inimicos non esse homicidium proditorium; nam tunc dicitur quis proditoriè occidere aliquem, quādo inter illum, & occisum nullus pręcedebat rancor sed potiùs simulabatur amicitia, vt puta, quia in simul comedebant, vel simul erant in itinere, & ita docet Ambrosi. de immun. cap. 6. nu. 1. Peregrin. etiam de immun. cap. 7. num. 2. & alij, & ideo vt supra

pta diximus etiam occidens inimicum retrò, non dicitur committere homicidium proditorium; quia debebat præcauere ab inimico suo, vt ex doctrina Bartoli, sequuntur scribentes omnes post Bullam Greg. licet illos carpat, & irrideat, sed immeritò Gambacurt. lib. 5. cap. 28. nu. 3.

Hoc supposito, respondeo occidentem amicum reconciliatum gaudere immunitate; quia talis non dicitur proditor; & bulla excipit tantum homicidium proditorium, & ita fuisse decisum in curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Riccius part. 1. decis. 168. num. 2. vbi ait. Cum dubitaretur in Curia Archiepiscopali, si occidens amicum reconciliatum dicatur proditor, fuit communi omnium voto conclusum, minime potuisse dici proditorium, amicus enim reconciliatus æquipollet inimico; ita ille; & adducit multas alias rationes, & Doctores, adi illum, & non pigebit.

Vtrum si quis veneno occideret aliquem, gauderet immunitate?

RESOL. XXXVI.

NOn gaudere docent ferè omnes Doctores, & ita tenet Homobonus de exam. Eccl. part. 2. tract. 12. cap. 5. quæst. 5. resol. 4. Megal. in 3. part lib. 4. cap. 1. quæst. 1. num. 8. Peregr. de immun. cap. 7. num. 6. Marius Italia de immun. libr. 1. cap. 5 §. 4. nu. 56. Ioan. de la Cruz in direct, conf. part. 1. præcept. 8. quæst. 3. art. 2. dub. 1. concl. 1. Graff. to. 1. lib. 3. conf. vnico de immun. Ecclesiarum. 16. Villadieg. in polit. cap. 3. nu. 28. & Bobadill. in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 75. vbi sic ait. [Dudas es, si alique mata con veneno le valdra la Yglesia y digo que no, pues el derecho tanto consideró las insidias, y traycion por indignas de la immunidad Ecclesiastica y el que recibe el veneno está seguro, y es mas prodicion matar con veneno, que con hierro, y assi aonque muchus Canonistas tenieron lo cõtrario, però Boerio, Gigante, y Deciano tienen esta parte y con maiores fundamentos, y io lo mismo.]

His tamen non obstantibus Farinac. de immun. cap. 9. num. 542. putat in tali casu debere Episcopum consulere Summ. Pōtif. & ioxta illius responsum se regulare, & exequi: vide etiam Ioan. de Heuia in Curia Philip. part. 3. §. 12 num. 6. & Barbos. in Collect. to. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 9. nu. 13.

An Palatia Illustrissimorum Cardinalium gaudeant immunitate?

RESOL. XXXVII.

NEgatiuè respondet noster Duardus in commen. Bull. Cœnæ, l. 2. can. 15. quæst. 16. n. 12. putat enim, hoc priuilegium illis reuocatum fuisse a Greg. XIII. & Sixto V.

Sed contrariam sententiam amplectendam esse puto, in locis extra Vrbem Romæ; quia tale priuilegium non fuit illis simpliciter sublatum, sed tantùm pro vrbe Romana; & cum causæ aliquæ non militent extra dictam vrbem, dicendum est, in aliis locis, vel saltem extra statum Ecclesiast. reos ad supradicta Palatia confugientes gaudere; & ita docet ex nostris P. Peregr. de immun. Eccl. cap. 4. nu. 75. in fin.

An qui vehementer suspectus est de heresi gaudeat immunitate Ecclesiarum?

RESOL. XXXVIII.

CVm quadam limitatione affirmatiuè respondet Gambac. lib. 5. capite 38. nu. 4.

Sed omnes scribentes super dictam Bullam, absolutè negatiuam sententiam docent; vt noster Pater Peregrin. cap. 8. nu. 8. Marios Italia lib. 1. cap. 5. §. 6. nu. 58. & numer. 140. & Ambros. c. 8. num. 10. Idem etiam docet Penna in suis Annot. ad 2. part. Directorij Inquis. schol. 9. §. qui autem inueni, & post hęc scripta hāc etiam sententiam inueni apud Farinac. de immun. Eccles. cap. 13. num. 175. vbi sic asserit. Non solùm blasphemum hæreticalem, sed etiam quemcumque alium de hæresi quouis modo suspectum si ad Ecclesiam confugiat, ab ea à ministris sancti Officij indifferenter extrahitur; & ratio est, quia cum error hęresis consistat in intellectu; qui nisi per ipsiusmet rei confessionem declarari non potest, formalitasque hæresis ab hoc dependeat, vnque pro fidei orthodoxæ conseruatione, ne pestifera hæc lues latenter serpat, si rei huiusmodi ad Ecclesiam confugiant, ab ea extrahendi sunt, iuxtaque intentionis declarationem ad abiurationis gradum admittuntur, & ita in antiquissimo illius sacri Tribunalis stylo semper seruatum est, & seruatur in præsens: hæc Farinacius. Vnde apparet, me his diebus rectè respondisse contra opinionem Gambacurt. quæ omnino reijcienda est.

De aliquibus Ioannis Sancij opinionibus, circa immunitatem Ecclesiarum.

RESOL. XXXIX.

NOuissimè hic author edidit suas Selectas disputationes: vbi in disput. 44. num. 52. docuit, posse Iudicem sequi has opiniones probabiles, & extrahere reum ab Ecclesia, in his casibus. Primò, si sit blasphemus. Secundò, si occidat Clericum. Tertiò, si è manibus satellitum eripiatur, & ad Ecclesiam confugiat. Quartò, si committat delictum in Ecclesia, nam in hoc casu putat non gaudere, etiam in alijs delictis extrà Ecclesiam peractis. Quintò, si exiret ab Ecclesia committendi criminis causa; putat etiam non gaudere Ecclesiæ immunitate. Sed Confessarij cautè legant hæc omnia, nam loquitur in terminis iuris communis, & in Hispania, vbi vt suprà notauimus, Bulla Gregoriana non est vsu recepta: & ideò quicquid sit de probabilitate dictorum casuum, stante sup. adicta Bulla reos, vt suprà immunitate Ecclesiarum gaudebit.

An damnatus ad triremes in vita, vel ad tempus, si confugiat ad Ecclesiam, gaudeat eius immunitate?

RESOL. XL.

NOn gaudere docet Villadiego in Polit. capite tertio, num. 215. vbi asserit. [No vale la Yglesia al Galeote que està condenando à seruicio de galeras.] Idem etiam docet Martha de iur. part. 2. cap. 51. nu. 17. & alij.

Sed meritò contrariam sententiam docet ex nostris Regnicolis vir doctus Giuib. in consilijs criminalibus conf. 30. num. 21. nam Ecclesia nondum à pęna infligenda tantùm reddit delinquentem ad eam confugientem securum: sed etiam à pœna imposita, & sic damnatum ad Castrum Milatij per septennium ad Ecclesiam confugientem, gaudere eius immunitate, declarauit Curia Archiepiscopi Messanensis Anno 1609. in causa cuiusdam de Barresio. Et anno 1618. in caosa cuiusdam Bonauoglia, qui ex triremibus Neapolitanis ad Ecclesiam confugerat, idem Archiepiscopus Messanensis, ita etiam declarauit. Et hanc sententiam in fauorem Ecclesiæ, omnino tenendam esse, existimo.

An Iudices, vel alij contrauenientes huic Constitutioni sint ab Episcopo absoluendi, vel talis excommunicatio sit Summo Pontifici reseruata.

RESOL. XLI.

ESse reseruatam Summ. Pontifici, docet Italia de immunit. Ecclesiast. cap. 6. §. 2. n. 3. Duardus in Bull. Cœn. libr. 2. can. 15. quæst. 16. num. 19. Farinac. de immunit. cap. 20. num. 315. vbi acriter inuehitur contra aliter sentientes. Idem docet Filliuc. tom. 1. tract. 15. cap 6. num. 155. & nouissimè noster P. Peregr. de immunit. cap. 15. num. 16. qui post multa, sic asserit. Pro conclusionis confirmatione addo, quòd cum hoc dubium discuteretur in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ fuit conclusum, censuras prædictas esse reseruatas Sedi Apostolicæ, nec posse Ordinarios regulares ab illis absoluere. Et facto verbo Summo Pontifici Paulo V. annuit; Ita mihi retulit Reuerendiss. Coccina Romanæ Rotæ Decanus, & ad præsens Regens Prætorij Sacræ Pœnitentiariæ. Sic Peregrinus. Et ratio est, quia in quodam Decreto Clemen. VIII. edito Anno 1601. & 1602. hæc censura Summo Pontifici reseruatur. Secundò est etiam reseruata in Bull. Cœn. in qua reseruatur absolutio excommunicationis latæ contra violantes libertatem Ecclesiasticam.

Sed

Sed hac opinione non obstante contrarium sentiunt multi, & asserunt posse Episcopos supradictos criminosos absoluere, quia tali censura non est Summ. Pontifici reseruata. Et ita docet Barbos. de potestat. Episcop. part. 3. Alleg. 51. cas. 3. num. 72. cuius liber fuit impressus Romæ; & ita etiam docet Genuensis capit. 17. numer. quarto in Romana impressione apud Mascardum, anno 1619. quem postea sequuti sunt noster Petr. Megala in 3. part. libro 4. capit. 2, quæstion. prima numer. 34. Gratianus in disceptat. tomo tertio capit. 414. numero 12. Rainerius in catalog. cens. capit. nono. Excommunication. 31. Homobon. de Examin. Ecclesiast. parte secunda tract. 11. cap. 12. quęst. 26. suppos. 3. Belletus in Disquis. Cler. tit. de fauore cleric. reali §. 4. nu. 39 Marius Antoninus variarum resolut. li. 3. resolut. 15. Zipæus in suo iure nouo Canon. lib. 3. titulo de immunit. Ecclesiast. nu. 13. Bonacina de leg. disput. 3. quæst. 7. § 6. nu. 8. Riccius in praxi part. 2. resolut. 33. num. 1. & tandem Graffius to. 1. lib. 5. consi. vnico, num. 29. in fine de immunit. Ecclesiast. cum alijs: & respondent ad argumenta contraria. Ad primum asserunt, decreta Clement. VIII. loqui de Confessarijs, qui prætextu facultatum absoluebant, & non de Episcopis, imò in illis decretis reseruatur, & corroboratur potestas Episcoporum, ergò. Item in dictis decretis tollitur priuilegium absoluēdi ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici, & tamen Episcopi absoluunt à dicta excommunicatione; ergò patet Clement. VIII. in illis decretis non fuisse loquutum de Episcopis, sed de priuatis Sacerdotibus vt dictum est, qui virtute priuilegiorum absoluebant. Ad secundum respondent in Bulla Cęnę solùm excommunicari statuentes contra libertatem Ecclesiasticam; non verò omnes facientes contra Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem. Et hæc circa præsentem Bullam satis dixisse sufficiat; monendo ministros laicis iurisdictionis, vt in dubijs, semper pro Ecclesia teneant, præsertim cum in aliquo speciali, & atroci casu, possint consulere Summum Pontificem, & reum ab ipso petere; quomodo factum est hic Panormi tempore Excellentissimi Marchionis Hieracensis Præsidis, & Illustrissimi Hahedi Archiepiscopi.

TRA-

TRACTATVS II.
DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

An Clerici sint iure humano, vel diuino exempti à legibus, & iurisdictione Principum sæcularium.

RESOLVTIO PRIMA.

PRIMA sententia, docet dictam exẽptionem esse de iure humano, sed multum consonam iuri diuino, ita communiter Theologi, Salas de leg. q.96.tract.14.disp.14. sect.11. nu.120. Molina de iust.tom.1.tract.2. disp.31. num.6.Salon.tom.2. in.2.2. quæst.67. art.1.conclus.4.Lessius libro 2.ca. 33. dub.4.nu.30. Malderus in 2. 2. tract. 5.cap.6. dub.7. Victoria Relect.1.de potest Eccl.Medin.C.de Restitut.quæst.15.Sotus in 4.distinct. 25.quæst.2.artic.2.concl.3. 4. & 5. Villalob.in summa, tomo 1. tract.11.dub.17.numero 2.Henriquez libro 10.cap.15.num.2. Aragon.in.2.2.quæst.62.art.3.Pereir.de Manu Regia,cap.3.n. 3.Ledesm.in 4.par.2.quæst.20. art.4. conclus.2. Sous.in Expos. Bull. Cœn. cap.19. disp.91. & DD. quos citat Bellet in disquis. cler.par.1.tit.3 §.1.num.17.Garzias de nobil.Hisp.glos.9.num. 18. Castill. controuers. iur. li. 2. c.5. num.29. Mors. in empor. iur.par.1.tit.2.quæst.11.& alij,apud quos sequentes conclusiones inuenio.

Prima, Ecclesiasticos in causis Ecclesiasticis à potestate laica iure diuino esse exẽptos, vnde sequitur non posse Sum.Pontificem causas Ecclesiasticas spirituales Principibus sæcularibus absolutè submittere, nec in contrariũ potest allegari præscriptio, cùm res hæc sit de iure diuino. Secũda cõclusio, Sum. Pontifex de iure diuino ab omni potestate sæculari exemptus est, & extra casum heresis à nemine potest deponi, & iudicari ordinaria potestate. Tertia conclusio, Ecclesiastici in temporalibus, tam quoad bona sua, quam quoad personas exẽpti sunt à iurisdictione laica iure humano, postulante id recta ratione, iuri diuino maximè congruenti. Nullum enim sufficiens testimonium adducitur pro illorum exemptione de iure diuino, sed licet tale ius diuinum naturalem non præbeat illis talem exemptionem, dictat tamen eam à Principibus esse concedẽdam, & à Romano Pontifice fieri posse, vnde quod ius diuinum ex multis rationibus faciendum esse dictabar, id postea iure canonico, & ciuili factum est, vt patet ex multis Iuribu. Et notandum est, quòd si Principes noluissent in hanc exemptionem consentire, Summi Pontifices, & Concilia habebant authoritatem eam inducendi.

Secunda sententia sustinet, Clericorum exemptionem esse de iure diuino, & humano, ita docent communiter Canonistæ, & quamplures Theologi, vt ex Neotericis Suarez contra Regem Angliæ, li.4.c.9.Layman in Theol.mor.lib.4.tract.9.ca.8. nu.1.Sousa in tract. de censur. Pauli V.fol.25.& seq.Azor.p.1. lib.5.cap.12.quæst.1.Bonac.de contr.disput.10.quæst.2. punct. 1.§.1 num.3.Filliucius tom.1.tract.16.cap.11. num.316.& to. 2.tract.25.cap.vlt.num.427.Duardus in Bull.Cœn.libro.2.ver. 15.quæst.18.concl.2.num 16.Comitolus in tract.Apolog. contra Venetos ca.1.Pesantius tract.de immun.Eccles disp.1 n.5. Alterius de Censur.to.1.dis.16.lib.5. cap.2. Homob de Exam. Eccles.p.2.tract.11.cap.4.quæst.4.Peregr.de immunit. Eccles. cap.16.num.37. Vgolin.in Resp.ad Iurisconf.Gymnas.Patauini,cap.2.Serrant.in Defens.immun.Eccles.contra Venet.propos.5.fol.57.& seq.Valenzuola in Defens. cens Pauli V.par.4. nu.37.& alij.Idem etiam docent ex Iuristis Surdus tom.2.cõs. 301.nu.52.Roland.à Val.tom.2.cons.23.numer. 18.Marc.Anton.lib.1.Resolut.97.num.8.Ricc.par.2.decis.299.num.3.Frãcisc.Leo in Thes.fori Eccl.par.1.cap.14.num.1.Bursat.tomo 4. cons.397.num.10.Martha de iurisdict.par.2.cap.6. per totum. Philipp.Maynardus de priuil.Eccl.contra Venetos.pa.2.ar.12. Carol.de Grass.de effect.Cler.effect.1.num. 12. Colleg. Bononiens.in respons.pro libertate Eccle.contra Venetos,num.46. Vigianus de immun.Eccl.disp.4.Germon.de immun.sacr.li.3. cap.15.Francis.Guttier.tract.de Gabel.q.92.num.9 & seq.Beia par.1.cas.26.Cabedo par.2.decis.83,num. 19. Ioann. Francisc. Fagnan.in tract.de iust.cens.Pauli V.par.1.folio.8.& pa.4.folio 93.Ioan.Beltran.in propugn.libert.Eccles.Asser.1.§ 7.nu.13.& 31.Et vt dixi communiter Canonistæ,& alij, quos citat Bobadill.in polit.tom.1.lib.2.cap.18.numer.17.in Gloss.lit.B.& Calist.Ramirez in tract.de lege Regia,§.27.numero 9.in Glossa littera V.

Hanc igitur sententiam tanquam probabiliorem amplectens, assero, priuilegium exemptionis Clericorum fuisse à Iure diuino immediatè concessum, & à iure Canonico postea stabilitum, & etiam secluso iure Diuino immediato, potuisset exemptio Clericorum per ius Canonicũ sine adminiculo iuris ciuilis introduci, quod quidem ius ciuile postea dictum priuilegium concessit, & primus omnium videtur hoc priuilegium Constantinus acceptasse; rationes verò, quæ hæc omnia confirmant, videbis apud citatos authores, & præsertim apud Suarez, & Duardum, sed si quis primam opinionem vellet sequi, quæritur.

An Princeps, vel Summus Pontifex possint reuocare hoc priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis.

RESOL. II.

RESpondeo negatiuè, etiam stando in sententia illorum asserentium hanc exemptionem non esse de iure diuino, sed tantùm de iure humano. Ita Molin.de iust.tom.1. tract. 2. disp.31.Lessius lib.2.c.33.dub.4.nu.35.Malderus in 2.2.trac.5. cap.6.dub.4.in fine.& nouissimè Cæuall. tract. de cognitione per viam violentiæ in proœm.cap.6 per to.Salgad.de Protect. Reg.tom.1.par.1.cap.1.præl.3.num.127.& alij, quia populi, à quibus Principes habent authoritatem, consenserunt in hanc exemptionem, vnde non est in eorum potestate illam reuocare. Et quod semel concessum est, non potest amplius repeti. Secundò, quia Pontifices & Concilia, quæ sunt supra ipsos Principes, eam confirmarunt. Idem verò dicendum est de Summo Pontifice, non enim potest in vniuersum huic iuri immunitatis renunciare; quia ipse nõ est dominus absolutus bonorum, & iurium suæ Sedis, & illorum, quæ à Principibus donata sunt illi; quia principaliter sunt donata Christo, & Pontifici, vt Vicario eius; & ideò non personæ, sed Sedi data sunt, & sic solum est dispensator fidelis, & prudens, vnde non potest suo arbitrio illa donare, vel alienare. Ita Cæuall. qui citat Iacobat.de Concil.lib.1.& Suarez. vide etiam Grammat.decis. 61. numero 10.& Surdum tomo 3.cons.301.num.53.& Vigianũ tract.de immun.Eccles.disp.5.& 6.

An clerici possint tali exemptioni renunciare.

RESOL. III.

RӖspondeo negatiuè, cum sit ipsis omnino interdicto tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, 11. quæst. 1. can. insolita, & can. placuit, extra de foro compet. & ita docent communiter Doctores, Vigianus tract. de immunit. Eccles. disput. 2. conclus. 3. Fernandez in exam. Theolog. moral. par. 2. cap. 6. §. 1. num. 5. Salonius in 2. 2. quæst. 67. art. 1. controuers. 2. Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 14. quæst. 8. n. 2. qui citat cap. si diligenti, cap. significasti, de foro compet. Pesantius tract. de immun. Eccles. disput. 2. qui citat cap. qualiter, & quādo de iudicijs, & ibi, Butrig. num. 8. Ioann. Andr. num. 11. & Panormit. num. 7. cùm Anchar. num. 5. & Imola, num. 3. Idem etiam docet Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 4. punct. 2. num. 1. qui citat Auilam, & Suarez, vide etiam Ambrosinum de immun. Eccles. cap. 16. num 12. Sayrum in Claui Regia, lib. 2. cap. 7. num. 10. Alexand. lib. 1. cons. 8. num. 3. Grammat. decis. 61. nu. 14. Roland. à Valle tom. 1. cons. 4. num. 9. Surdum tom. 1. cons. 2. num. 31. & to. 3. cons. 307. cons. 15. Honded. tom. 1. cons 3. num. 21. Grat. tom. 1. cons. 87. nu. 3. cum alijs. & hoc aduersus Aufrerium de potes. Iudic. secul. regul. 2. num. 20. non solùm est verum, quoad negotia criminalia, sed etiam ciuilia Et ratio est, quia priuilegiū exemptionis à laica potestate non est concessum singularibus personis, sed statui Clericorum, sed nullus cedere potest priuilegio communitati concesso, vt patet ex cap. si diligenti, de foro compet. Ergo. Quod etiam procedit, etiamsi clericus renunciaret tali priuilegio de consensu Episcopi, vt notauit Farinac. de Inquis. quæst. 8. num. 13. & alij penes Martha de iurisd. par. 4. cent. 2. cas. 152. num. 8. & Carol. de Grassis de effect. cler. effect. 1. n. 652.

An per consuetudinem maximè si sit immemorabilis dicta immunitas reuocari possit.

RESOL. IV.

AFfirmatiuè respondendum videtur ex authoritate Couar. pract. quæstionum ca. 35. nu. 5. qui asserit à Iudicibus Regus aliquas clericorum causas ad sua Tribunalia sæpè tractari, & hoc rectè factum conatur defendere, & adducit consuetudinem aliquorum Regnorum. Idem docet Garzias de Nobil. Hispan. gloss. 9. num. 48. Salgados de Protect. Regia tom. 1. par. 1. cap. 1. prælud. 3. num. 138. & seq. nam consuetudo immemorabilis, legis, & priuilegij vicem obtinet, vt patet ex cap. super quibusdam 26. §. præterea, de verb. sign. & notat Riccius p. 4. decis. 89. num. 4. cum Ioann Narbon. de Appellat à Vicar. p. 2. fundam. 4. num. 4. vbi plura inuenies pro firmanda vi immemorabilis consuetudinis; quæ omnia etiam notauit Ceual. trac. de cognit. per viam violentia. Gloss. 4. nu. 1. & seq. & Gonzal. ad reg. 8. Cancel glos. 33. num. 4. vide etiam Pereira de Manu Regia, cap. 5. & seq.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam affirmandā esse puto, quàm docent Azor. par. 1. libro 5. cap 12. quæst. 1. ver. sed dubitare posset. Layman in Theol. Moral. lib. 4 tract. 9. cap. 10. num 1. Pesantius tract. de immun. Ecclesiast. disp. 2. num. 2. Filliucius tom. 1. tract 16. cap. 10. num. 255. Duardus in Bulla Cœnæ, cap. 14. disp. 76 nu. 5. & disput. 75. num 2. Acosta in Bullam Cruciatæ quæst. 79. Alterius de Censuris tom. 1. lib. 5. disp. 16. ca. 2 folio mihi 686. Bellet. in disquis. cler. par. 1. tit. 3. §. 3. n 8. Duardus iterum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 14. quæst. 9. numero 8. Martha de iurisdict. pa. 4. cent. 2. casu 101. Surd tom. 3. consilio 101. num. 52. Comitol. in tract. Apolog. contra Venetos cap. 3. nu. 8. & alij communiter; vide etiam Pereira de manu Regia prӕl. 3. num. 10. & 11. & ratio est, quia laici cum sint incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, numquam possunt se tueri consuetudine, etiam immemorabili, quæ numquam legitima esse potest ad præscribendum. Addo quod omnis consuetudo contra Ecclesiasticā libertatem reprobatur, in c. nouerint, de sent. Excommun. & in Authen Cass. de sacros. Eccl.

Deinde talis consuetudo nihil valet aut operatur; quia singulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur, vt notat Colleg. Bononiens. in resp. contra Venetos num. 59. Vigianus tract. de liber. Eccles. disput. 2. conclus. 4. disput. 3. conclus. 1. Vgolinus in respons. ad Iurisconsul. Gymnasij Patauini cap. 7. Ioan. Franc. Fagnan. in tract. de Iust. Cens. Pauli V. par. 4. folio 116. Tanner. in 2. 2. disput. 5. quæst. 5. dub. 4. numero 132. Bonacina vbi supra & alij, cum Francisco Sousa contra Venetos folio mihi 72. & Martha de iur. parte 4. cent. 1. cas. 7. numero 12. Philiarco de officio sacer. tomo 1. parte 1. libro 3. cap. 9. in fine, vide etiam Tarnet. in part. 2. D. Thomæ disput. 5. quæst. 5. dub. 4. numero 132. & ideo P. Suarez contra Regem Angliæ libro 4. capit. 32. numero 23. sic asserit: Ex dictis satis constat nullam consuetudinem, etiamsi immemorabilis sit, vllo modo contra immunitatem Ecclesiasticam prævalere posse, solùm obijci solent quædam particulares consuetudines aliquorum Regnorum, quæ licet sint contra immunitatem Ecclesiasticam, sine scrupulo à Magistratibus laicis obseruantur, ad illas verò possumus vno verbo respondere, illas consuetudines non ad ius, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, neque illorum rationem dare tenemur, sed ad illos hoc spectat, qui consuetudines illas obseruant. Ita Suarez; qui cap. 34. numero 16 notat etiam consuetudinem turpem, & exprobatam, etiam immemorabilem non posse inducere priuilegium. Ad authoritatem verò Couarruuias, qui sæpius in hoc tractatu citatur, respondeo cum Cardinali Bellarmin. in Respons. ad quamdam Epistolam in fauorem Venetorum, vbi sic asserit folio mihi 7. [E se il Couarruuia dice il contrario, noi habbiamo à credere più alle scritture, & a'Santi Padri, che al Couarruuia, il quale in materia di Giurisditione si è mostrato sempre troppo partiale.] Ita Maderiaga in tract. de Senatu cap. 39. §. 2. folio mihi 458. loquens de quadam opinione Couarruuias circa libertatem Ecclesiasticam, sic asserit. [Que cierto por mas que diga Couarruuias, que lo escriuio siēdo Oydor de Granda, y por ventura lo quisiera borrar siendo Obisbo, &c.] ex quibus apparet cautè legendum esse Couarruuiam in his materijs, vt notat etiam Suarez de Relig. tom. 1. libro 1. de diuino cultu, cap. 38. numero 16. licèt alioquin virum doctissimum, & nouissimè etiam contra illum insurgit Tanner. in p. 2. disput. 5. quæstio. 7. dub. 1. numero 16. & in defens. Eccles. libro 2. cap. 16.

An adsit tolerantia, & consensus tacitus Summi Pontificis, cum dicta consuetudine, ita vt Principes aliquid licitè efficiant aduersus libertatem Ecclesiasticam.

RESOL. V.

QVicquid asserat Salgado de Protect. Regia, tomo primo, parte prima, capite 1. Præl. 3. numero 139. & alij, negatiuè respondet Azorius parte 1. libro 5. capite 12. ver. quæri solet. Filliucius tomo 1. tract. 16. cap. 10. numero 256. Pesantius de immun. Eccles. disput. 3. numero 2. Alterius de Cens. tomo primò, libro 5. disput. 16. cap. 2. folio mihi 686. Acosta in Bullam Cruciatæ quæst. 79. & Doctores in superiori resolut. citati, quia talis consensus non potest præsupponi, cum Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ excommunicat contrarium facientes, & tollit cum amplissimis clausulis omnes consuetudines, vnde Episcopus Antuerpiensis Ioannes Malderus in par. 2. quæstio 96 articulo 4. folio mihi 407. colum. 1. sic asseruit. Sanè ne tolerantia Papæ in hac re allegari possit in defensionem consuetudinis, impedit, vel ipsa Bulla Cœnæ quotannis repetita, quæ disertè resistit eiusmodi consuetudinis, aut verius corruptelæ, multò minus prævalere potest via, præscriptionis, quia nunquam nititur bona fide. Ita ille, idem docet Layman in Theol. Moral. lib. 4. tract. 9. cap 10. numero 1. Vigianus tract. de immun. Eccles. capite 2. tomo quarto, folio 43. vbi ita ait. Cum quotannis die Cœnæ, publicè excommunicat magistratus, & persuasissimum cuique esse debet Summum Pont. hanc consuetudinem, quam corruptelam vocant, æquo animo non perferre, & consequenter neque expressè, neque tacitè assentire, &c. Et hoc etiam docet Vgolinus in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini capite 7. folio 93. Barbosa in Collect. lib. 1. Decret. tit. 2. cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. numero 25. & Ioann. Franc. Fagnanus in tract. de Iust. Cens. Pauli V. parte 4. folio 116. Philiarcus de offic. Sacerd. parte 1. lib. 3. cap. 9. in fine, Tannerus in 2. 2. disp. 5. dubio 4. num. 132.

Dein-

Deinde in præsenti materia notanda est illa celebris doctrina, quam ex Theologis affert Suarez de legib. libro 7. cap. 13. num. 12. tolerantiam sola supposita scientia, non indicare sufficienter consensum; quia multa per patientiam tolerantur, quæ non approbantur, iuxta cap. cum iam dudum de preben. Vnde ait Filliucius vbi supra tomo 1. tract. 16. c. 10. num. 256. loquens in terminis nostri casus, simplex tolerantia, quando scilicet Princeps non potest commodè prouidere, non satis est ad dispensandum, ex cap. denique, distinct. 4. Et Iurisconsultus Surdus tomo 3. consil. 301. num. 57. asseruit in his casibus tolerantiam Papæ non esse approbatiuam animo inducendi, vel confirmandi consuetudinem, sed potius, vt scandalum vitetur; & hoc postea etiam docuit Collegium Bononiense contra Venetos in resp. pro libert. Eccles. num. 57.

Sed his non obstantibus, non desunt Doctores excusantes aliquas consuetudines aduersus libertatem Ecclesiasticam ex tacito consensu Pontificis, quia scit, & tolerat, vt Salgado vbi supra de poteft. Regia tom. 1. par. 1. cap. 1. præl. 3. num. 148. Lessius libro secundo, capite 33. dubio quinto, numero vigesimo-nono, Turrianus in 2. 2. tomo secundo, disputatione 14. dubio 4. numero 12. Salas de legibus quæst. 96. tract. 14. sect. 11. numero 121. Vasquez opusc. de Restit. cap. 6. §. 1. numero 33. Molina de iust. tomo 3. tract. 2. disputatione 270. numero 5. & ipse Malder. in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 8. Ergo non est verum dicere absolutè, quòd per publicationem Bullæ tollitur omnis consensus Pontificis, sed dicendum est, quod stante publicatione Bullæ, quando adsit talis consensus Pontificis tacitus, & approbatiuus colligendus erit prudenter, vt notat Malderus vbi supra cum Henriquez ex rationibus & coniecturis. Sed, quia res est multum dubia, & periculosa videant Principes, & ministri laicalis iurisdictionis, quid faciant.

An per aliquod priuilegium sit in aliquibus Regnis supradictæ Ecclesiasticæ libertati derogatum.

RESOL. VI.

Aliqui respondent affirmatiuè, & ita asserit Bannez in 2. 2. quæstio 67. articulo primo, dubio secundo, conclus. 2. Ioann. de la Cruz in director. conscient. par. 1. præcept. 8. quæst. 3. articulo 1. dubio primo, conclus. 3. Pesantius de immun. Eccles. disput. 3. & alij, Reges Hispaniæ habere priuilegium à Summo Pontifice circa Tribunal, quod ipsi vocant (de la fuerza.) Et Rex Franciæ, licet laicus obtinet canonicatus, & Beneficia confert in Regno suo, ex priuilegio Apostolico, vt notauit Carolus de Grassalijs in Regal. Fran. lib. 2. iur. 1. folio mihi 229. & iur. 2. folio 237. & Rempublicam Venetorum ex priuilegio Summi Pontificis, procedere posse in aliquibus causis contra clericos, notauit Zanard. in direct. confess. tomo tertio, capite 50. & Decianus tomo primo, libro quarto, capite nono, num. 66. cum Gigante.

Sed difficultas est, an supradicta priuilegia si reuera existant, sint per Bullam Cœnæ reuocata. Non aliqui audent dicere Reges habere aliqua priuilegia immemorabilia, ita vt censerint in iura Regia, & non possint amplius à Pontifice reuocari, notat Zipæus in Anal. iur. can. lib. 2. de foro competen. num. 71. in fine. Magis verò modestè loquitur Henriquez libro 10. cap. 15. numero 5. in Glossa lit. G. quem tacito nomine sequitur Malderus in 2. 2. tract. 5. cap. 7. dub. 7. in fin. vbi asserit Pontificum iura quædam spiritualia, quæ Rex quispiam ex contractu remuneratorio, aut immemorabili habet, reuocare non debere.

At posse Pontificem priuilegia, etiam remuneratoria reuocare non est dubitandum, vt ex multis probat Sousa in Bull. Cœn. cap. 46. disp. 102. numero 2. difficultas, vt dicebam existit, an sit per dictam Bullam reuocata. Filliucius tomo 1. tract. 16. cap. 10. num. 258. putat, si reuera priuilegium aliquod à Romano Pontifice alicui Principi concessum sit, Bullam Cœnæ illud non reuocare, ideo ita asserit. Dixi sub prætextu, quia si verè priuilegium concessum sit à Sede Apostolica, vt potest, iustè etiam excusari poterunt, & tunc dicendum est, legem posteriorem vniuersalem, non derogare priuilegio anteriori speciali; atque ita Regem Hispaniarum, & Regem Galliarum habere aliqua priuilegia, testantur Bannez, & Degrassalius, quod præsumi potest in Regibus, alioquin Catholicis, & pijs.

Ita ille. Et Pater Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 31. numero 29. ex Cardinali Bellarmino nō audet damnare vsum talium priuilegiorum, sed hoc Apostolicæ Sedi remittit; quod antea fecerat Nauar. in manua. cap. 27. n. 11. vt notat Vasquez in par. 2. tom. disp. 167. cap. 4. num. 32. Becanus in summ. Theol. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 11. nu. 2. & Salas de legibus disp. 14. sect. 9. num. 108.

Verùm contrariam sententiam docuit Sayrus de cens. lib. 3. cap. 25. num. 10. vbi ita loquitur. Hinc patet, sine causa dubitasse Nauarrum, an Iudices Galliarum, qui cognoscere, & iudicare solent Clericos super quibusdam casibus, in censuram Bullæ incidant, quia priuilegia ista per viam remunerationis concessa sunt, & sint priuilegia immemorabilia. In qua re, si quidem dubitandum esset de Summi Pontificis intentione, recurrendum esse censerem ad iudicium Summi Pontificis. Quia tamen legislatoris mens, & intentio ex verbis eius colligenda est, non opus esse puto, vt quis pro huius rei, ac dubij solutione, ad Summum Pontificem recurrat; quandoquidem his verbis Bullæ omnia huiusmodi priuilegia se reuocasse Summus Pontifex satis manifestè declarauit. Ita ille, & respondet ad argumēta Nauarri. Idem postea etiam docuit noster Duardus in Bull. Cœn. libro 3. §. 5. quæstio. 1. num. 1. & Philipp. Maynardus de priuileg. Ecclesi. par. 2. artic. 18. numer. 10. vbi ita ait. Prædicta priuilegia fuerunt postea à Summis Pontificibus reuocata, & inter cæteras reuocationes illa est, quæ legitur in Bulla Cœnæ Domini, ibi *excommunicamus*: ita Maynardus: eni adde Vgolinum in Respons. ad Iurisconf. Gymnasij Patauini capite 7. folio mihi 9. vbi ita asserit. Per Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis in die Iouis Sancti præsentibus Principum Christianorum Nuncijs publicatur, illa clausula, *non obstantibus, &c.* derogat omnibus priuilegijs contra libertatem Ecclesiasticam. Idem etiam docet Martha de iurisd. part. 1. cas. 7. num. 12. Barbosa in Collect. lib. 1. Decret. tit. 2. c. Eccles. S. Mariæ de constit. nu. 25. Patres Theologi Religionis in sermorum in defens. cens. Pauli V. c. 8. nu. 19. in fin. & Ioan. Beltran. de Gueuara in propugn. Eccl. liber. §. 7. nu. 43. Asser. 1.

Sed post hæc scripta, inueni Malderum in par. 2. quæst. 9. art. 4. folio mihi 407. col. 1. putare, dicta priuilegia non esse reuocata in Bulla Cœnæ, & hæc sunt eius verba. Priuilegium datum Regibus, aut Iudicibus sæcularibus cognoscendi causas clericorum, nisi reuocatum sit, excusat contra immunitatem facientes Iudices. An autem omnia quotannis reuocentur per Bullam Cœnæ, aliqui dubitant, verius videtur non irritari, quia generalia verba, quæ rigidiora de hac re erāt in Bulla Gregor. XIII. à posterioribus Pontificibus temperata sunt. Iudicem interim sit penes Sanctam Sedem. Ita Malderus. Adde etiam quod Fagundez de præcept. Eccles. tract. 1. lib. 3. cap. 7. num. 17. defendit quamdam consuetudinem vigentem in Lusitania, ex vi cuiusdam priuilegij à Summo Pontifice obtenti: videndus est etiam Salgado de protect. Regia tom. 2. par. 3. cap. 10. n. 96. & 97. Tueantur igitur vtramque sententiam doctissimi viri, sed ad alia procedamus.

An sint aliqui casus, in quibus Principes sæculares, possint pœnis coercere Clericos.

RESOL. VII.

Affirmatiuè respondent ex Victoria, & Soto Antonius Fernandez in exam. Theol. Mor. par. 2. c. 6. §. 1. num. 4. & Ludouicus Molina de iust. & iure, tom. 1. tract. 2. disp. 31. num. 10. vbi sic asserit. Obseruant Victoria, & Sotus si clericorum libertas in manifestam cederet sæcularis Reipublicæ perniciem, clericis impunè vacantibus in laicorum cædes, Summique Pontifices admoniti, adhibere nollent remedium, posse equidem Principes sæculares suis subditis consulere, nihil immunitate, & priuilegio clericorum impediente. Ratio est, quoniam Respublica ciuilis, est sibi ipsi sufficiens; quo circa, quemadmodum propria authoritate potest seipsam defendere, & seruare indemnem à quacunque Republica alia sæculari, sic etiam ab Ecclesiasticis. Meritò autem admonent, potestatem hanc esse apud Principem, non verò apud Iudices, & Magistratus, & idcirco nefas illis esse propria authoritate agere contra Ecclesiæ libertatem, aut clericos capiendo, vel malefactores extrahendo de Ecclesijs, vel aliqua

B 2 alia

alia ratione leges transgrediendo; tametsi vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ suos ab Ecclesiasticis tutari, ac defendere possint. Ita Molina, & Gulielmus Benedictus in cap. Rainutius ver. vxorem, numero 454. Aufrerius de potest. secul. super Eccles. personas regul. 2. Nauarrus in cap. cum contingat de rescript. remed. 1. ver. 1. Simancha de cath. Instit. cap. 42. numer. 32. Sed meritò aduertit Salas de leg. quæst. 94. tract. 14. disput. 14. sect. 9. numero 111. quòd casus isti sunt metaphysici & moraliter contingere non possunt; quia clerici, & Episcopi non habent tantam potestatem in Rempublicam; sicut & alius casus, quem ponit Victoria in Relect. de potest. Papæ; metaphysicus etiam videtur, vbi asserit, quòd si Papa faceret aliqua mandata in destructionem Ecclesiæ, posset Princeps sæcularis facto, & vi resistere illis, & impedire executionem talium mandatorum. Ita Victoria; sed certè modum excessisse aliqua ex parte videtur, vt contra illum notauit Azorius parte prima, libro quinto, capite decimoquarto, quæst. 5.

An Ecclesiastici sint exempti à legibus ciuilibus, quatenus cum libertate Ecclesiastica non pugnant.

RESOL. VII.

AFfirmatiuam sententiam mordicus sustinet M. Antonius Genuensis in praxi ca. 74 per tot. Sed communis Theologorum, & Iurisperitorum sententia contrarium docet, nempe clericos, neque iure diuino, neque humano esse exemptos ab alijs legibus ciuilibus quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, & ideò si clerici vendunt frumenta vltra pretium iustè à Republica statutum, & peccant mortaliter, sicut laici, & tenentur ad restitutionem, vt docet Syluester ver. lex, quæst. 15. Saloniis tomo 2. in 2. 2. quæst. 77. articul. 1. controuers. 10. Angelus eodem ver. num. 5. Ledesma in summa tom. 2. tract. 8. cap. 32. difficult. 4. Molina tomo 2. tract. 2. disp. 31. num. 15. Sotus de iust. libr. 1. quæst. 7. articul. 7. concl. 1 & alij, quos citat, & sequitur Salgado de protect. Regia, tomo 1. part 1 cap. 1. num. 64. Præl. 2. & Cæuallos tract. de cognit. per viam violentiæ in Prolog. numero 30. Peirinus de priuileg. Minimorum tomo 1. const. Iulij II. §. 33. nume. 151. Et ideò tenentur obedire legibus Principum sæcularium taxantibus pretia censuum, vt notat Auendagno tracta. de Cens Hisp. c. 32. num. 10. Lasarte de decima vendit. cap. 10. nume. 3. Mexia in Prag. taxæ panis, côclus. 5. num 39. in fine. Salas de empt. & vendit. dub. 9. num. 2. in fin. & alij.

Sed difficultas est, an Clerici teneantur dictis legibus directè, nam affirmatiuè respondent Sotus, Victoria, Medina, & alij, quos citat, & sequitur Salas de legibus, disputatione decimaquarta, sectione 8. numero 94. & 104. Sed contraria sententia videtur mihi probabilior cum Tannero in parte secunda, disputatione 5. quæst. 6. dub. secundò, numero tertio, Vasquez in part. 2. tom. secundò, disp. 167. cap. 4. Azorio part. 1. lib. 5. cap. 12. quæst. 3. & part. 2. libr. 9. cap. 7. quæst. 8. 9. & 15. Pesantio tract. de immun. Eccles. disput. 4. & alijs.

Dico igitur, clericos non teneri directè legibus sæcularibus; sed ex ratione naturali dictante, seruandas esse leges sæculares, propter conformitatem cum personis sæcularibus eiusdem Reipublicæ, tenentur igitur clerici seruare leges Principum sæcularium, non vi coercitiua, sed vi directiua. Ita etiam docet Vigianus tract. de immun. Eccles. disput. 2. concl. 5. & Villalobos in summa tomo 1. tractat. 2. dub. 31. numer. 1. Portel. in dubijs Regul. ver. lex. nume. 2. Filliucius tomo 2. tract. 35. cap. 4. numero 94. Faustus in speculo Confess. disput. 6. quæst. 44. numero 3. Barbosa in Collect. libro 1. Decret. tit. 2. cap. Eccles. S. Mariæ de constit. n. 4. & ratio nostræ sententiæ est, quia nemo tenetur directè legibus eius, qui in ipsum nô habet iurisdictionem, vt docet Diuus Thomas in part. 2. quæst. 96. art. 5. & constat ex l. fi. ff. de iurisdict. omnium iudicum. Sed Principes non habent in clericos iurisdictionem, vt determinat Innocentius III. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. &c. placuit 16. qu. 7. & cap. sæculares, de foro compet. in 6. Ergo. Et hanc sententiam etiam docuit Cardinalis Bellarminus in Responsione ad Epistolam incerti Authoris pro defensione Venetorum contra censuras Pauli V. vbi folio 6. sic asserit. (E verò che li Ecclesiastici hanno da osseruare quelle leggi ciuili, che non sono côtrarie all'Ecclesiastiche, e sono necessarie per il commercio, che hanno li Ecclesiastici con i secolari, tuttauia à questa osseruanza delle leggi de' Principi secolari sono gli Ecclesiastici obligati, quanto alla direttione, non quanto alla forza, cioè *vi rationis, non vi legis*) Ita ille.

Sed notandum est. Primò quòd etiam stando in prima opinione affirmatiua, quòd clerici tenentur directè legibus sæcularium, non sequitur, quòd possit per transgressionem laicus illos punire, vt benè notat Salas vt supr. nume. 104. in fin. & alij. Secundò, cum Vasquez loco citato, Iudicem Ecclesiasticum non debere, quamuis possit clericis violantibus leges ciuiles eamdem pœnam infligere, quæ laicis statuta est, etiamsi cum eorum statu illa pœna non pugnet, & rationem adducit Salas sect. 10. num. 112 in fine. quia decet cum clericis mitius agere, ob conseruationem status Ecclesiastici. & ita vsu seruari videmus, etiam in pœnis statutis pro violatione legum naturalium. Ex his omnibus apparet, quòd cautè legendus sit Vincentius de Franco p. 2. decis. 9. asserens, clericos non esse omninò exêptos à legibus ciuilibus, quatenus spectant ad tranquilitatem Reipublicæ, vt aduersus illum notauit Marius Antoninus lib. 1. Resol. 97. num. 8.

An sæculares magistratus possint cogere clericos, vt triticum vendant, si necessitas adsit.

RESOL. VIII.

AFfirmatiuè respondent Iurisconsulti, & quòd magis miror ex Theologis Ortiz in summ. cap. 4. num. 4. & Ioannes Salas in tract. de empt. & vendit. dub. 9. nume. 2. vbi in fine asserit, quòd non oportet in tali casu recurrere ad Iudices Ecclesiasticos: vide etiam Valerium in differentijs vtriusque fori verb. Clericus, differ. 3. num. 3.

Sed contrariam sententiam amplectendam esse prorsus iudico, ex cap. non minus, & cap. aduersus de immunit. Eccles. quamquam de censibus in 6. & ex Bulla Cœnæ can. 12. ideo in tali casu, puto recurrêdum esse ad superiorem Ecclesiasticum, nisi fames, aut necessitas vrgeant, & periculum sit in mora; nam in tali casu Iudex laicus poterit frumentum sequestrare, & ab horreis clericorum extrahere, & vendere non vi iurisdictionis, sed ob instans periculum de facto iuris, vnde non est audiendus Ioan. de Heuia in Curia Philippica p. 3. §. 3. num. 10. & Bobadilla in polit. tom. 2. libr. 2. cap. 3. num. 13. vbi sic asserit. (En estas occasiones hize sacar el trigo sobrado no solo de casa de seglares, però de canonigos y clerigos y ricos, y aun de las Yglesias, y de los Obisbos, que lo grangean y venden à precios y por modos iniustos, como quiera que pueden los Ecclesiasticos ser compelidos à vender el trigo que los sobra para la prouision de la Republica.)

At fallitur hic author, nam licèt clerici ita facientes peccent iuri naturali contrauenientes, quia tamen ad supradicta renêtur non vi coactiua, sed directiua, ideò per ministros Ecclesiasticos, & non laicos ad id faciendum, compellendi sint; quia sæculares nullam potestatem habent in clericos, neque publica necessitas, seu vtilitas iurisdictionem illis præbet, & ideò tempore penuriæ non possunt per illos compelli vendere frumenta; & alia ad victum necessaria, & ad non excedêdum pretium legale dictarum rerum venalium, sed ad id compellendi sunt per Iudices Ecclesiasticos, in casu de quo supra, vide Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 17. num. 45. Bellettum in disquis. cler. par. 1. tit. 5. §. 2. nu. 9. Madium tract. de Sacris Ordinibus, cap. 14. num. 38. & ex nostris P. Molfesium in summa tomo 2. tract. 12. cap. 4. num 85. qui impugnat Salas vbi supra, & alios.

An minister laicus possit spoliare clericum armis prohibitis.

RESOL. IX.

AFfirmatiuam sententiam docet Couarruuias pract. qq. cap. 33. numero 7. Azeuedus tomo 1. lib. 1. titul. 3. leg. 9. numero 3. Borrellus de præstant. Reg. cath. cap. 71. numero 45. Duena. regul. 15. Plaza de delictis lib. 1. cap. 8. num. 6. Antonius Gomez in leg. 45. Tauri. num. 48. Iul. Clar. in pract. crimin. q. 36. num. 26. & quæst. 10. 82. stat. 6 num. 1. Cenedo in collect. iur. can. parte 1. collect. 37. numer. 17. Morla in empor. iur. part. 1. tit. 1.

q. 16.

q.16.num.17.Bobadil.in Polit.tom.1.lib.2.cap.18. num.71.Ludouicus Mexia in pragm. taxæ panis consil.5. num.58.Ioan.de Heuia in curia Philippica par.3. §.3. num.9. vbi asserunt, clericum arma prohibita portantem a ministris laicę iurisdictionis armis his expoliari posse, & priuari absque metu excommunicationis, & maximè tempore noctis, vt vult Cæuallos tract. de cognit. per viam violentiæ par.2.q. 54.nu.17.nec compelli posse à Iudice Ecclesiastico arma illa restituere, cùm ita se habeat consuetudo, & tacita Ecclesiasticorum permissio.

Sed quod magis miror, non desunt præstantissimi Theologi, qui hanc sententiam defendũt, vt Rodriquez in summa tom. 2.cap.237.num.13.Ioann.de la Cruz in direct.conscient.par.1. præcep.8.q.3.artic.1.dub.1.conclus.3.Bannez in 2.2.q. 67. artic. 1.dub.2.concl.5.Graffius in decis.par.1.lib.4.cap. 18. num. 158. Coriolanus in Bul.Cœn.excommunic.20.folio mihi 956.Ortiz in summ.cap.4.num.9.& cap.7.num.1.Petrus Lorca in parte 2. tom.2.tract.de legibus disp.25.memb.4.folio mihi 486.& Vasquez etiam in part.2.tom.2.disp.167.ca.4.num.31. qui duo vltimi asserunt in tali casu Ministros Regios auferẽdo arma clericis, non inducere pœnam legis, sed efficere, vt lex seruetur, & impedire transgressionem legis. At falluntur viri docti, nam vt bene obseruat, contra Vasquez, Salas de legib. qu. 96. tract.14.disp.14.sect.9.num.106.non spectat ad iudices sęculares propria authoritate efficere, vt leges ciuiles à clericis obseruentur, cum nullam in eos iurisdictionem habeãt. Ideo puto omninò dicendum minimè posse ministros laicalis iurisdictionis, clericos, armis prohibitis spoliari, quia clerici ad obseruanda statuta laicorum, sunt cogendi per Iudicem Ecclesiasticum, vnde non poterunt per laicum armis spoliari, tantum ad obuiandum delictum, poterunt duci ad Episcopum, vt inferius dicendum est, & in Episcopi potestate erit dispensare de armis. Et ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in suis collect.tom.1.lib. 3.tit.1.cap.2.num.6.& tom.2. lib. 5. ti.39.cap.25.num.4.quibus ego addo Madium Tract. de sacris ordinib.cap.14.n.21.Bonacina de legib.disp.10. quæst. 2. punct. 1.§.1.nu. 2.Duardum in Bull.Cœn.lib.2.can.12.quæst.11. num. 91.Bellettum in disquis.cler.par.1.tit.2.§.2.num. 38.Martham de iur.patr.4.cen.1.cas.7.num.20.Megalam in 3.par.lib.3. cap. 11.nu.20.Genuensem in praxi cap.74.num.6.& Riccium par. 3.decis.299.per totam, vbi quærit, an Clericus ferens arma, possit resistere cum armis birroario, laico, violenti eum capere, & respondent affirmatiuè.

Ex his sequitur, esse reijciendos Villalobos in summa tomo 2.tract. 10.difficul.16.num.2.Ledesma in summa tomo 2. tract. 8.cap.9.conclus.33.Salsedum in addit.ad Diaz cap.68. Morla in empor.Iur.par.1.tit.1.q.16.num. 16. & sequen. Cenedo in Collect.iur.par.1.collect.37.num.19.asserentes, clericum exercentem prohibitam venationem, vel piscationem posse spoliari à Iudice sæculari, vel suis ministris auibus, vel canibus, vel alijs instrumentis. Vide etiam, circa præsentem quæstionem Anguianum tract.de leg.lib.2.controu.15.num.31.qui ex parte nobiscum sentit, asserens nulo pacto esse sustinendam sententiam illorum DD.asserentium arma clericorum, posse per sæculares Iudices capientibus adiudicari.

An iudex laicus, & eius minister possit capere personam Ecclesiasticam inflagranti crimine, & ducere illam sine iniuria ad suum Ecclesiasticum Superiorem.

RESOL. X.

NEgatiuè respondent Megala in 3.par.lib.3.cap.11. num. 7. Martha de iur.par.4.cent.1.cas.42.num.17.& Sousa in Bulla Cœnæ cap.16.disp.82.num.8.cum alijs. Et ratio est, quia nõ est textus in iure canonico, qui declaret posse laicum Iudicem in hoc casu clericum comprehendere, etiam vt ad Prælatum suum ducat, nisi de ipsius Prelati licentia; & in cõtrarium sunt iura absolutè prohibentia ne clericus à laico Iudice comprehendatur. Ergo, &c.

Sed non desunt Doctores, qui contrarium asserant, & hi sunt Peregrinus de immun.Eccles.cap.16.num.37.Gomez var. tom.3.cap.4.num.3. Auendagnus de exequ.mand. part. 1. cap. 22.num.1.Olibanus de iure fisci cap.14. num. 140. Borellus de prest.Regis Cathol.cap.71. nume. 185. Duardus ex nostris in

Bulla Cœn.lib.2.can.19.quæst.7.num.2.Cenedo in qq.Can.qu. 4.num.14.Ortiz in summ.ca. 4.num.9.Pereira in tract.de Manu Regia ca.10.num.6.Salgado de protect.Regia tom.2. part. 2.cap.4.num.13.Bonacina de legibus disp.10.quæst.2. punct. 1. §.1.num.22.Coriolanus in Bulla Cœnæ excom. 19. folio mihi 955.Graffius in decis.part.1.lib.4.cap. 18. numero 152. Nauarrus in manuali cap.17.num.83.Belletus in disquis. cler. part. 1. tit.3.§.11.nu.1.qui pro hac sententia citat Felinum, Decium, Ioann.Andream, Baldum, Clarum, & alios. vide etiam Homobonum de Exam.Eccl.par.2.tract.11.c.4.quæst. 4. suppos. 3.& Piasetium in praxi Episc.par.2.cap.4.art.5.nu.13.

At ego amplector hanc sententiam in casibus, & cum limitationibus quas adducit Campanili in diuers.Iur.rubr.4. num. 26.& nouissimè Barbosa in suis Collectan.tomo 2.lib.5. tit. 39. cap.35.num.5.in fine.

Quid sentiendum, si non inflagranti crimine, sed noctu cum armis prohibitis, vel mutato habitu Clericus inuentus sit.

RESOL. XI.

NOn posse etiam in tali casu clericum comprehendi, putat Megala in 3.par.lib.3.cap.11. art.7. & ratio est validissima, quia in Bulla Cœnæ excommunicantur Magistratus, &c. quomodolibet se interponentes circa capturam clericorum, nisi hoc faciant cum expressa licentia Sedis Apostolicæ, & cum natura exceptionis sit firmare regulã in omnibus alijs casibus non exceptis; Ergo capientes clericos sine tali expressa licentia supradicta censura inuoluuntur. Et dictam licentiam accedere dicas, quando fit cum licentia proprij Prelati, vt idem Megala docet.

Sed his non obstantibus multi Doctores, contrariam sententiam probant, vt Bellettus in disquisit.cleric.part.1.tit. 2. §.2 num.37.& tit.3.§.11.num.1.Genuensis in praxi, cap.27.num.8. Bobadilla in polit.lib.2.cap.18.num. 50.Et ex Theologis docet hoc etiam Sousa in Bulla Cœn.ca.16.disp.82.num.9.vbi sic ait: Non condemnatem comprehendentem Ecclesiasticum noctu cum armis prohibiris, & præsertim mutato habitu, eo quod Iudex in tali casu vtilitati, ac tranquillitati Reipublicæ consulit, plus enim potest Respublica, quam quælibet particularis persona; cùm ergo particularis persona possit in flagranti delicto defendere innocentem, potest illud idem, & Respublica etiam præuidendo, & anticipando tumultus, & occasiones quibus ipsa perturbari potest. Ita Sousa, & ex eademmet Dominicanorum familia Pater Ioann.de la Cruz in direct.consc. par.1.præcep.8.quæst.3.art.1.dub.3.concl.3. vbi sic asserit. Iudex sæcularis iure defensionis suæ, aut alterius innocentis licitè comprehendit clericum, non solum in actuali aggressione, & crimine patrando, præueniendo illud, sed etiam in crimine patrato, ne fugiat, vt præsentetur suo Superiori, dum non excedat in hoc impingendo pugnum nolenti se capi, & duci quietè, aut offerenti fideiussorem præsentandi se suo Prælato, nisi immanitas delicti, aut alia iusta causa petat illum debere capi, sic ille. Idem etiam docet Bannez in 2.2.quæst.67. artic.1. dub.2.conclu.5.& Lorca in par.2.tom.2.tract.de legib.disp.25. memb.4. Aduerte tamen cum Megala vbi sup.nu. 10. qui tandem probabilem vocat sententiam huius, & superioris Resolutionis, non posse Iudices laicos detinere clericum in suis carceribus vltra spatium 20.horarum.

At his minimè non obstantibus Campanili in diuers.iur.rubr.quarta, num.27.non admittit hoc spatium 20.horarum, sed putat statim clericum recto tramite ad iudicem Ecclesiasticum deducendum esse. Et fusiùs probat hanc sententiam nouissimè Barbosa in suis collect. tom. 1.lib.3.tit.1.cap.2.nu.7. vbi docet Iudicem laicum in excommunicationem incurrere, si cum possit in continenti, non tradat clericum Iudici Ecclesiastico..

(?)

An Ministri Regij possint detinere in Cancellarijs Bullas Apostolicas ad examinandum, & executioni mandandum.

RESOL. XII.

Affirmatiuè respondent Iurisconsulti, & præcipuè Cæuallos in tract. de cognitione per viam violentiæ in Prolog. num. 157. glossa 6. num. 6. & glos. 8. num. 33. Ioan. de Heuia in curia Philippica part. 1. §. 5. num. 5. Sesse de inhibitionibus iust. Arag. c 8. §. 3. num. 83. & 88. Cenedus in q. Canonicis, quæst. 45. num. 21. & seq. Flores de Mena, Couarr. & alij, & ex Theologis hanc sententiam videtur approbare Malderus Episcopus Antuerpiensis in 2. 2. quæst. 1. artic. 10. dub. 8. in fine vbi sic ait. Non videtur improbabile, quod Couarr. pract. qq. ca. 35. accuratè tradidit ex Papæ consensu, præscriptione, vsu immemorabili, & euidēti spiritualis regiminis vtilitate, tribunalia Regia, in quibusdam Regnis ritè ita practicare, vt sine sua promissione, & consensu nequeant quædam Apostolica mandata executioni mandari. Ita ille. Sed hæc magis absolutè docuit Rodriquez in Addit. ad §. 9. Bullæ Cruciatæ, folio mihi 159. sic asserens [Dudase mas si los Reyes, Principes, y Oydores de los Consejos Reales deteniēdo las letras Apostolicas quedan descolmulgados por la Bulla de la Cena, y respondo que no, pot que el juez Ecclesiastico no los tiene por descolmulgados, ni su Santidad sabiendo que lo hasen de ordinario los declara por tales, ni el pueblo Christiano los euitas.] Llamas in instruct. Confess. part. 1. cap. 7. §. 19. sic ait. Est aduertendum, quòd ab immemorabili Reges Hispaniæ examinãt litteras Apostolicas sic gratiæ, sicut iustitiæ cum omni reuerentia, & subiectione, solùm ne dolosæ suspectæve sint, vel furtiuæ, & subreptitiæ, & hoc cedit in obsequium Apostolicæ Sedis, & si ij limites non exceduntur, hoc non damnant Summi Pontifices, neque censuris vetant, secus si malitiosè, & cautelosè id fiat, in fauorem vnius, & damnum alterius, & ex Iacobo de Grassijs in decis. par. 1. lib. 4. cap. 10. num. 120. videtur adesse concordata inter Pontificem, & Regem nostrum super hoc, nam ita loquitur; consideratis, visisque litteris de hac re à Papa Regi Philippo missis, & è contra, censeo non esse condemnãdos, nec incurrere excommunicationem Regios magistratus expedientes, Regium exequatur, & illud impetrantes, donec aliter à Sede Apostolica decisum fuerit; caueant autem ministri Regis, cuius mens sanctissima est in non inferendo præiudicium Sanctæ Sedi Apostolicæ. Neque diuexent negotiatores in non expediendo Regium exequatur. Ita Grassius; vide etiam Henriquez lib. 14. cap. 12. num 6. in Glossa lit. Q. & Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. articul. 2. dubio 2. concl. 1.

Sed his non obstantibus, communiter Theologi docent, nullo modo sustineri posse vsum retinendi, & examinãdi litteras Apostolicas per laicam potestatem, vnde quia Zerola in praxi par. 1. ver. litteræ Apostolicæ, affirmatiuam sententiam docebat, in editione facta Lugduni ex permissione Magistri Sacri Palatij in loco citato, fuerunt apposita in margine hæc verba: *Caute lege, nam sunt hæc contra authoritatem Apostolicam, & iurisdictionem Ecclesiasticam*. Et ideo hanc secundam opinionem mordicus tenet Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 8. nu. 193. & seq. Reginal tom. 1. lib. 9. cap. 22. num. 338. Azorius par. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 4. Alterius de censuris, tom. 1. disput. 15. cap. 2. folio mihi 664. col. 2. Bonacina de leg. disput. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 1. nu. 15. Pesantius tract. de immun. Eccles. disp. 17. num. 3. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. cap. 13. quæst. 5. Acosta in Expos. Bull. Cruc. q. 96. per totam. Sousa in expos. Bull. Cęn. cap. 13. disput. 76. concl. 1. num. 24. & 9. & alij, & probatur ex verbis Bullæ, ibi: *capi, & retineri faciunt*, & ibi: *qui impediunt, & prohibent simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu vel examinari, vel executioni mandari*. Non tamen negant hi Doctores litteras Apostolicas recognosci quidem posse, & discuti cum dubitatur de earum subreptione, aut falsitate; sed hoc ad Ecclesiasticum Iudicem pertinet, & non ad sęcularem. Hæc igitur causa discuti debet apud Episcopos, Archiepiscopos, & Nuncios Apostolicos, qui ad Prouincias, & Regna mittuntur; & non apud prophanos magistratus, qui iuris, & potestatis Ecclesiasticæ incapaces sunt; sed circa præsentem quæstionem, vide omnino Acosta, vbi supra.

An Ministri Regij possint cognoscere causas Ecclesiasticas per viam violentiæ, vt vulgò dicitur.

RESOL. XIII.

Affirmatiuè respondent Iurisperiti, & ita docet Salgado in tract. de protect. Regia tom. 1. par. 1. cap. 1. & seq. Pereira tract. de Manu Regia part. 1. ca. 4. & quæst. 7. Cęuallos in tract. super hac materia edito, & præcipuè in glos. 6. num. 47. vbi tenet, hanc cognitionem non fundari in priuilegio Pontificis, neque in eius tolerantia, sed in iure regali, cuius officium est vim tollere. Idem etiam docet Segura in direct. Iudici Eccles. par. 2. cap. 13. num. 51. & 53. Calistus in tract. de lege Regia §. 20. num. 83. Auendagnus in cap. prætorum part. 1. cap. 1. num. 3. Azcuedus tom. 1. lib. 1. l. 2. tit. 6. Recop. Sesse de inhibit. iust. Arrag. cap. 8. §. 3. & par. 2. decis. Epist. ad Regem. Cenedus in qq. Canonicis quæst. 45. per totam. Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 139. Ioan. de Heuia in Curia Philippica part. 1. §. 5. num. 34. Graff. de eff. Cler. eff. 1. num. 300. & alij.

Neque talem vsum, & cognitionem audent improbare doctissimi Theologi; vt Rodriq. in summa tomo primo, cap. 155. num. 8. Ioann. Valerus in differentijs vtriusque fori verb. Peccatum, differ. 3. num. 2. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 1. præcep. 8. quæst. 3. art. 1. dubio 3. conclus. 3. & de statu Relig. lib. 1. cap. 6. artic. 2. dub. 2. conclus. prima. Hieronymus Llamas in instruct. Confess. part. 1. cap. 7. §. 18. Henriquez libro 14. cap. 12. num. 6. & lib. 3. cap. 16. num. 4. in Gloss. lit. A. & nouissimè Anguiano tract. de legib. tom. 1. lib. 2. contr. 17. nu 95. cum alijs: & adducunt pro hac firmanda sententia, cap. Regum. 23. quæst. 5. vbi habetur, quòd Regum est per vim oppressos à manibus violentorum, & calumniantium liberare, ac iniurias repellere, & cap. filijs, vel nepotibus, 17. quæstio. 7. Iudices verò hanc vim repellentes, asserunt id non efficere per viam iurisdictionis, sed per viam iustæ defensionis.

Sed hanc opinionem, explosam esse video communiter à Theologis, & ideò illam reprobant Suarez contra Regem Angliæ libro quarto, cap. 34. num. 30. Layman in Theolog. Moral. libro quarto, tract. nono, cap. quarto, num. 4. Azorius part. 1. libro quinto, cap. 12. & 14. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 22. num. 341. Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 14. quæst. 9. Bonacina de legibus, disput. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 1. numero 10. Alterius de censuris tom. 1. disp. 15. lib. 5. cap. 3. folio mihi 669. col. 2. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 8. & 10. Ioan. de Mederiaga tract. de Senatu cap. 30. Sayrus de Censuris lib. 3. cap. 18. num. 6. Coriolanus in Bulla Cœnæ, Excomunic. 14. folio mihi 927. Idem etiam docet nouissimè ex Hispanis Iurisconsultis doctus Barbos. in collect. lib. 1. decret. tit. 2. cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num. 1. & alij, & ratio est, quia clericus coram Episcopo, & Episcopus coram Archiepiscopo conueniri debet, ex capit. sacros. de sent. excommun. & cap. ad redimendum, de officio ordinar. Archiepiscopus conuenitur coram Primate, ex capit. antiqua, de priuileg. Primas coram Romano Pontifice, vel coram Legato Summi Pontificis ad eam Prouinciam misso, & ideo oppressus à Prælato inferiore potest recurrere ad superiorem, non verò adire laicale Tribunal, maximè, quia Canones interdicunt ab Ecclesiasticis Iudicibus ad laicos appellari, vt habetur in cap. qualiter, & quãdo de Iudicijs, & cap. si quis Clericum, & cap. Clericum 11. quæst. 1. cæteras rationes videbis apud citatos Doctores.

Sed ego in controuersia tam graui, puto non esse recedendum ab hac sentētia negatiua Theologorum, quamuis speculatiuè loquendo non videatur spernenda aliquorum obseruatio, qui putant tunc aliquem, cui violentia infertur, posse adire iudicem laicum, quando ad talem vim reprimēdam, Iudex Ecclesiasticus non adesset, seu si adesset, nollet reprimere. Et ita docent, non solùm Iurisconsulti, sed etiam doctissimi Theologi, & in primis Episcopus Antuerpiensis Ioannes Malderus in part. 2. quæstio 96. artic. 4. folio mihi 407. qui etiam rectè addit, posse in tali casu Iudicem laicum inspicere Acta ad eum finem, vt constet de iniuria facta in negatione appellationis, quia qui potest defendere, potest etiam illa sine quibus defensio fieri non potest. Adde quod inspectio actorum per se non est actus iurisdictionis; nam arbitrantes ea inspicere possunt. Et ita hanc sententiam docet etiam Portel; in addi.

additione ad dubia Regul.in fine operis,verb.appellare, nu.3. vbi sic asserit.Religiosus, si per appellationem, vel alia intra ordinem,potest vitare vim sibi iniustè illatam, incurret censuras,si ad Iudices sæculares recurrat. Si vero neque sit locus appellationi,vel illa non recipiatur, & superior ad quem possit recurrere, longè distat, ita vt non possit illum adire instante grauamine,vel etiam capto,& sic iniustè illatum arbitrio boni viri,tunc credo posse Religiosum, vel clericum recurrere ad Principem sæcularem,qualis est Rex,non tamquam appellantem ad Iudicem competentem,sed solùm,vt sibi succurrat illo grauamine iniusto,tollendo vim sibi factam, modo, quo licitè potest,suadendo Prælato,vt vel abstineat à vi iniusta, vel det locum appellationi,vel Iudices nouos assignet, & per hoc Religiosus recurrens ad Principem sæcularem cum prædictis circumstantijs nullam censuram Bullæ Cœnæ, vel alterius Bullæ incurret.Ita Portel.cuius sententiam sequutus est etiam doctus Sousa ex Dominicanorum familia in Bulla Cœnæ,cap.15.disp. 78.num.2.& seq.vbi probat,non posse Iudices laicos vim auferre,nisi prius Ecclesiastici Iudices Superiores ad eos, qui violentiam inferunt,succurrere requisiti nolint, quando tamen omni medio ordinario præmisso, non est alia via repellêdi vim à Iudice Ecclesiastico factam,vel quando periculum est in mora,licitum est Iudici sæculari causam Ecclesiasticam ad se auocare,& violentiam auferre.

Ex quibus apparet vix aut nûquam moraliter occurrere casum iustæ defensionis in hac materia pro Iudice laico, vt rectè notauit Azorius,Bonacina,& alij. Deinde apparet non rectè dici in hac materia ab aliquibus Iurisconsultis , quod etiam tûc quando adiri potest per eum, qui se grauatum existimat à Iudice laico, alius Iudex Ecclesiasticus superior, possit nihilominus authoritatem suam interponere Iudex laicus, quasi in casu isto adhuc locus sit præuentioni . Et ita , vt dixi , non est recedendum à sententia affirmatiua Theologorum . Restat modo respondere ad canones,quos pro prima sententia afferebant Iurisconsulti, & hoc in sequenti resolutione faciemus .

Quomodo sit explicandus textus in cap. filijs, vel nepotibus 17. quæst.7.

RESOL. XIV.

EX intelligentia istius Canonis,pendet resolutio quæstionum circa libertatem Ecclesiasticam,& contra illam, aliqui Iurisconsulti istum Canonem audacter, & temerariè adducunt, interpretantes,& putantes per istum textum negligentiâ Episcopi seu alterius Prælati Ecclesiastici, suppleri posse, per Iudicem sæcularem,vt malè sentit Olibanus de iure fisci,cap.13. num.31.cum glossa,& alijs.

Ideò dictum cap.filijs,vel nepotib.respondeo intelligendum esse in casibus,in quibus iurispatronatus collatio,atque institutio ex priuilegio Summi Pontificis, spectat ad Regem, & secundum istum intellectum, qui congruentiùs videtur aptari posse illi litteræ, primò adeûdus esset Episcopus,deinde Rex in subsidium,extra hunc intellectum, credo nullo modo adeûdû esse Regem,cum nô liceat inficere manus in messem alienam, & prætextu boni,turbare iurisdictionem Ecclesiasticam, & sic incidere in excommunicationem. Ita Martha de iurisdictione par.4.centuria 2.casu 43.num.4.& Duardus in Bulla Cœnæ li. 4.consil.14.quæst.8.numer.8.qui adducit alias duas interpretationes,nempè ex vigore dicti capituli,tunc esse recurrendum ad Regem,pro reparatione Ecclesiæ iurispatronatus, cum per Ecclesiasticum Iudicem ipsius Rector cogi non potest, vt in c. petimus 11.quæst.1. & cap. non licuit, distinct. 17. vel cùm Iudex Ecclesiasticus deest,ne propter distantiam ab vrbe Roma, Ecclesia ruat, pendente prouisione facienda per Romanum Pontificem.

Secundò,vel respondetur supradictum capitulum non esse intelligendum , quòd in defectu Ecclesiasticorum , Princeps sæcularis possit causas Ecclesiasticas ad se auocare, sed vt moneat Superiorem Ecclesiasticum de neglecta,vel iniquè administrata iustitia,vel vt faciat instantiam alteri Superiori pro illius correctione. Ita Christophorus de Anguiano in tract. de legib.tom.1.lib.2.contr.17.nume.93.Pesantius tractat. de immunitate Eccles.disp.2.num.1.Alterius de censuris tom.1. disp. 16.lib.5.cap.2.fol.mihi 686.colum.2.qui citat Butrium,Abbatem,& Imolam,& DD.infra citandi .

Tertiò respondetur, & hæc est vera responsio; hoc ius fuisse sublatum,& abrogatum ab Innocentio III.in cap.qualiter , & quando de iudicijs.Et ita docet Conolanus in Bulla Cœnæ excomm.14.fol.926.Fillucius tom.1.tract.16 cap.10.numer. 263. Bonacina de legib disp 10.quæst.2.punct.1.§.1.numer.12. Salas de legib.quæst.96.tract.14.disp.14.tract.16.numer. 109. Pesantius de immun.Eccles.disp.16.Azorius part.1.lib.5.cap.14.qu. 2.ad finem.Duard.in Bulla Cœn.lib.2.can.14.quæst.8.numer.8. Glossa Ioan.Andreas,Abbas,& alij penes ipsos.Et per dictum cap.qualiter,& quando etiam dicendum est,cum Duardo fuisse correctum,& sublatum cap. si quis cum clerico, & §. si quis autem pecuniaria .

An iudex laicus siue eius minister inueniens Ecclesiasticos, exportantes pecuniam,frumentum, & equos, & c. à Regno contra legem , possit talia auferre sine fractione libertatis Ecclesiasticæ, & timore excommunicationis.

RESOL. XV.

POsse in tali casu laicos ministros illas res auferre docet Ioa. de Heuia in Curia Philippica part.3.§. 3. nu. 11. Bobadilla in Polit.tom 1.libr.2.cap.18.numer. 117.vbi sic ait.(Si algunos Prelados , ò clericos sacassen destos Reynos moneda; podran los corregidores tomarsela, y por la misma razon otras qualesquier cosas vedadas,assi por leyes como por ordenansas, como seria tambien el panjo vino,ò otras vitualias que sacassen, fuera de la Iurisdicion que se perden ipso facto, y caenen comisso assi bien como alos clericos se les toman, y quità las armas por la paz,y quietitud comun,assi tambien estas cosas que son vedadas por el bien-vniuersal de clericos y legos)ita Bobadil.Sed contra illum meritò insurgit noster Megala in 3.par.libr.3. ca. 11.nume.36.& ratio est,quia clerici non possunt comprehendi sub tali statuto,& ordinatione, vt communiter docent Doctores,& præsertim Alterius de Censuris tom.1.disp.16.libr.5.c. 5. in fin. Bartholomæus à S.Fausto in speculo Confess. disput.33. quæst.20.Valerius in differentijs vtriusque fori , vers. Clericus , differ.2.nume.4.& Azorius part.3.libr.5.cap.19. quæst. 13. Nec valet dicere cum Bobadilla hoc statutum respicere bonum cômune tam laicorum,quam clericorum, nam respondetur cum Azorio,quòd licèt respiciat bonum commune , non tamen ex æquo respicit clericos , & laicos , & ideo exempti sunt clerici , nec sub tali statuto possunt comprehendi ; casum similem vero,quem adducit de spoliatione armorum, respondeo illam sententiam communiter non esse receptam ; adde quòd est dispar ratio inter vtrumque casum, nam in casu armorum probabiliter timetur damnum tertij , & perturbatio Reipublicæ, & ita per modum defensionis, & non punitionis à Iudice laico auferuntur. In hoc verò casu non timetur damnum innocentis,sed solum sequitur bonum commune , ad quod, vt dictum est,clerici non tenentur.Ergo,&c.

Deinde vt suprà obseruatum est,ex Vasquez in par.1.tom.2. disp.167.cap.4.& Salas de legibus disp.14.sectio. 10.nume. 112. clericos,etiam à Iudicibus Ecclesiasticis non esse puniendos pœna legibus ciuilibus constituta,etiamsi cum eorum statu non pugnet,nam lex ciuilis pœnam ordinariam assignans , non potuit clericos ad eam obligare , non enim habent laici potestatem saltem coercitiuam,& punitiuam,in ordine ad clericos: & licet clerici teneantur vi directiua obedire statutis Principum, iustis,& in bonum commune ordinatis, nô tamen possunt puniri ex transgressione à Iudice laico , neque ad pœnam vllam ex vi talium statutorum tenentur,ergo,&c.

An legatus natus possit exercere iurisdictionem in Regulares exemptos.

RESOL. XVI.

REspondeo negatiuè, nam legatus à latere potest talem iurisdictionem exercere in exemptos , & ità docet Gloss. in cap. 1.de off.leg.in verb.vniuersos , & ibi noster Abbas Panormitanus num.8.qui hanc sententiam probat ex ca.si Abbatem de

de lect.in 6.& ex cap.1.de verb.significat. Et ita docet etiam Villa diego in tract.de legato,quæst.8.num.20. & ex neotericis tenet etiam hanc sententiam Erasmus de Cochier in tract. de iurisdict.in exemptos,p.2.q.2.per totam,& q.50.num.6.& p. 4. quæst.26.nume.2.cum alijs,quinam verò sint legati nati vide Henriquez lib.10.cap.28.numer.3.Gambacurt.de immun.Eccles.lib.10.cap.8.num.19.& alios.

Vtrum Episcopi, & Ecclesiastici tamquam inobedientes mandatis Regijs,vel ex alijs delictis,possint expelli à Regno.

RESOL. XVII.

Affirmatiuè respondet Bobadilla in Polit.tom.1.lib.2.cap. 10.num.66.vbi sic ait.(Es de aduertir, que esta obediencia alos Regales mãdados liga,y comprende tãbien alos Obisbos:y Prælados,y otras personas Ecclesiasticas, quando se les manda comparecer,ò otras cosas permitidas por cuya contumacia,y transgression pueden los dichos Ecclesiasticos ser echados de los Reinos.)Idem docuit Callistus Ramirez in tractat.de lege Regia,§.27.nume.12.Ioan.de Heuia in curia Philippica par.1.§.5.num.35.Pereira de manu Regia cap.12.n.12. Humada in leg.65.tit. 5.part. 1. in Glossa 8. fol. mihi 17.col. 4. Cæuallos tract.de cognit.per viam violentiæ Glossa 6.nom.65. Azeuedus tom.2.lib.4.tit.1.leg.4.num.12.Cenedo in Quæstionibus Canonicis q.45.num 24.& alios penes ipsos,& Bobadillam vbi sup.cap.18.num.62.

Sed hanc sententiam,& merito reprobat ex Iurisconsultis Hispanis vir doctus, & pius Valenzuola in defens. monitor. Pauli V.part.4 numer.101.& semper mihi summoperè displicuit,nam concedo supradictis Doctoribus, Ecclesiasticos esse astrictos obedire mandatis Principum sæcularium, & seruare eorum leges, quoniam partes sunt Reipublicæ, eumdemque communem Regem habent, sed vi directiua, ita vt non obediendo possint Principes illos punire.Ita Molina tom. 1. tract. 2.disput.3.concl. 6. Becanus in summ. Theolog. part. 2. tract. 3.c.1.sect.11.numer.11.Vasquez in p.2.tom.2.disp. 167. toto c. 4.præter illos quos citat,& sequitur Bonacina tract. de legib. disp.1.quæst.1.punct.6.n.29.& alij communiter.

Nec valet dicere cum Olibano de iure fisci cap.9.nu.28.Bobadilla,Cæuallos,Cenedo,& alijs: hoc esse verum, si Principes expellerent Ecclesiasticos à suis Regnis per viam Iurisdictionis contentiosæ,& iudicialis;sed ipsi hoc faciunt per viam iurisdictionis œconomicæ, & politicæ, sicut paterfamilias potest expellere,& de facto expellit famulum clericum inobedientem,seu domum perturbantem.Respondeo: hanc distinctionem esse chimericam in casu nostro,& exemplum quod adducunt non facit ad rem. Nam paterfamilias ipse cõstituit famulum clericum ad seruiendum domui suæ,& ideò potest ad placitum suum,illum non solùm inobedientem, & domum perturbantem,sed etiam obedientem,& pacificum expellere; neque illi facit iniuriam,cum talis clericus non habeat vllum ius commorandi in domo sua.Sed Clerici, Prælati, & Episcopi à Summo Pontifice constituuntur in Regnis ad seruitium,& regimen Ecclesiarum,vnde si in aliqua re delinquunt, non possunt illos Principes sæculares expellere, quia habent ius commorandi in eorum Regnis non solùm,vt ciues, sed vt personæ constitutę à Summo Pontifice ad seruitium,& gubernationem dictarum Ecclesiarum,ad quem spectat de omni iure illos,si in aliquo delinquerint punire:& hac de causa dixit Belettus in disquis.cler.tit.de fauore clericorum personali,§.5.nu.3.par. 1. non posse Principem expellere clericum,si aliquam Ecclesiam obtinuit à Papa in ipsius dominio,nisi de licentia ipsius Papæ, & hæc opinio iam est determinata in Bulla Cœnæ.

Vnde Principes expellentes Episcopos à suis Diœcesibus, & Consiliarij id consulentes incurrunt in excommunicationem vndecimam supradictæ Bullæ,vt communiter obseruãt Theologi,& præsertim ex nostra Religione Megala in 3. part. lib. 3. cap.11.nume.4.quæst.1.Duardus in Bulla Cœnæ libr. 2. canon. 11.quæst.9.ex Societate Iesu Scortia in Bulla Pont.Epitom. 66. Theor.420.Filliucius tom.1.tract.16.cap.9.nume. 247. Suarez de censuris disp.21.sect.2.num.70.Reginaldus in praxi tom. 1. lib.9.cap.20.n.313.Henriq.libr.14.cap.12.numer.6.& in Glossa littera V.ex Dominicanorũ familia doctissimus Sousa in Bulla Cœnæ cap.12.in notat.ad text.numer.3.& disp.67.Idem docet Alterius de censuris tom.1.disp.12.lib.5. c.4. §. quod verum est Gambarupta tit.de cas.reseru.c.11.n.4. Sayrus de censuris libr. 3.cap.15.n.8.Bellettus in disquis.cler.par.1.tit. 3. §.2. numer.26. Coriolanus in Bulla Cœnæ excomm.11.& ante illos Nauarrus in Manuali cap.27.num.67. quem postea sequutus est pius, & doctus Iurisconsultus Martha de iurisdictione p.2.cap.34. numero 24.quidquid nimis audacter sentiat Pereira vbi suprà,& Salsedus in Addit. ad pract. crim. Diaz cap. 102. ita vt ex ipsis Iurisconsultis Hispanis,non audeat talem sententiam consulere Ioseph Sese de inhibitionibus cap.8 §.3.num.103. & 104. & periculosam vocat Io.de Heuia in curia Philippica, par. 3. §.3. num. 30.

Nec valet dicere ergo Principes debent impunè in Regnis suis relinquere Episcopos & clericos seditiosos,& perturbantes pacem, & Rempublicam,nam respondeo, quod in similibus casibus Episcopi, & clerici possunt à Summo Pontifice, & à suis Iudicibus reprimi,ac puniri,id iustè poscentibus Principibus ad bonũ publicum,quod si tanta adesset necessitas,quod clarè,& euidenter periculum esset in mora,tunc vt notat Molina tom.1.tract.2.disp.31.concl.4.Salas de legib.tract.14.disp. 14.sect.9.nu.111.Tannerus in 2.2.disp.4.quæst.4.dub. 1. nu.30. aduersus clericos,& Episcopos per modum iustæ defensionis, licere Principi sæculari facere id, quod recta ratio ad impediendum damnum Reipublicæ imminẽs, necessarium esse dictauerit. Et ideo Cæuallos mutans sententiam vbi suprà tract. de cognit.per viam violentiæ part.2.quæst.77.n.9.& Vgolinus in Bulla Cœnæ cap.11.part.2.ver.aut eos,§.1. num.3. in fine, docuit, tunc Principes sæculares posse Episcopos expellere à Regno, & suis Diœcesibus sine timore excommunicationis, quando id faciunt de licentia Romani Pontificis, vel quando graue scandalum,& periculum Reipublicæ timetur. Quod vt moraliter contingat vix credi potest, & Romanus Pontifex consuli non potest, quòd etiam loquens de clerico docuit Salsedo in pract.Bernardi Diaz cap.141.littera B Et ratio est, quia quando non adest periculum in mora,nõ habet locum modus iustæ defensionis,nam conditio necessaria ad iustam defensionem est, vt efficiatur cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed quando Princeps potest à Summo Pontifice, vel Prælato Ecclesiastico defensionẽ postulare, non inculpatè se defendit. Ergo, &c. vide Suarez contra Regem Angliæ, lib.4. capit.34. & alios.

An Princeps sæcularis possit punire Clericum delinquentem ratione officij, sibi ab ipsomet Principe concessi?

RESOL. XVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Borrel.de præst.Reg.chat, c.71.num.34. Anguiano de legibus,lib.2.contr.21.nume. 58.& 59.Suarez contra Regem Angliæ lib.4.cap.34.nume. 26. Layman.in Theol.mor.libr.4.tract.9 cap.4.nume. 3. Petrus de Cenedo in collect.Iur.can.par.1.collect. 37.nume. 16. qui citat Doctores.Idem docet Bobadilla in Polit.tom.1.libr. 2. cap. 18. num.99.& Cæuallos tractat.de cognit.per viam violentię par. 2.q.65.num.14.vbi sic asserit. (Quando algun Ecclesiastico delinque en el officio,que tomo como si es Medico Boticario, ò Abogado,ò tutor,ò curador de algun menor,ò tiene officio de su Magestad Præsidente de hazienda,ò Consejero, y delinque en el,o vende el clerico cõ medidas falsas su mercaduria, y en otros casos semejantes porque entonces,)ratione officij potest puniri in bonis,& Iudex sæcularis est competens.Ita Cęuallos, qui citat multos alios.

Sed contrarium asserendum est; & ita docent communiter Theologi,vt Megala in 3.part.libr.3.c.11.num.26.& 33. Bonacina de legibus disp.10.quæst.2.punct.1.§ 1.num.34. Ambrosinus de immun.Eccles.c.20.num.54 Duardus in Bulla Cœn.lib. 2.can.15.quæst.11.nume.273.vbi sic ait,Clericus trahi non potest ad forum sęculare,etiam ratione officij sibi concessi à Principe sæculari,si in eo delinquat, nec etiã ratione cuiuscumque artificij,si quam artem exerceat,quæ Consules habeat, ac Primates, apud quos illius artificij iurisdictio resideat. Ita ille, & hanc sententiam docet etiam Erasmus Cochier de iurisdict. tom.2.part.3.quæst.vlt.num.1. & 2. Zenardus in director. confess.tom.3.cap.50.folio 285.in fin.D.Carolus de Grassis de off. cler.off.1.numer.82.asserens,in hoc Regno ita fuisse obseruatum

cum in causa cuiusdam Equitis Hierosolymitani, qui officium Capitaneatus exercuit in Ciuitate Calatagironis, & alia vice in Patrimonio.

Nec valet dicere, quòd non punitur in persona, sed in bonis, quia respondeo, quod non solum personæ clericorum, sed eorum bona sunt exempta à Iurisdictione laicali, & ideò idem Duardus num.31. inuehitur in quosdam Iudices, qui puniunt clericos pœna pecuniaria, & pro pœna corporali eos ad Episcopos remittunt, quia dicta bona clericorum sequuntur priuilegium personæ, vt idem notauit num.52. Genuesis in praxi cap.8. num.5. Sousa in Bulla Cœnæ cap.20. disp.95. num.4. & ideò Abbas in cap. qualiter de Iudicijs num.8. ita asserit. Certum est, quòd si persona exempta est, ergo etiam res. Vnde nostram sententiam docet ex Iurisconsultis Martha de Iurisd. p.4. cent.2. cas.127. num.5. vide etiam Riccium in praxi tom.2. Resol.413. num.2. & Barbosam in Collect. tom.1. lib.3. tit.50. cap.2. num.4. Francis. Marc. p.3. decis.479. num.4. & 5. Caball. Resol. crim. cas.64. & alios.

An personæ Ecclesiasticæ, quæ commiserunt crimen læsæ Maiestatis, per Principes sæculares, & eorum Iudices puniri possint.

RESOL. XIX.

Affirmatiuè videtur respondendum, ex Constitutione Regni Neapolis de personis, qua cauetur, quòd si clericus commiserit aliquod delictum, debet iudicari, & condemnari per suum Episcopum, & non per Iudicem sæcularem, excepto, si commiserit crimen proditionis contra Regem, & ibi Glossa dicit, si esset crimen læsæ maiestatis. Deinde in multis partibus vi consuetudinis vigentis clerici rebelles à Iudice sæculari puniuntur, & hanc opinionem docet etiam nouissimè Calixtus Ramirez in tract. de Lege Regia §.27. num.11. qui in Glossa litt. D. citat multos alios.

Sed hæc sententia non potest sustineri, & contrariam communiter docent Theologi, & Iurisperiti, vt Vigianus tract. de immun. Eccles. disput.2. conclus.2. Bellettus in disq. cler. par.1. tit.3. §.1. num.4. vbi pro hac sententia citat 13. Doctores. Idem docet Pesantius tract. de immun. Eccles. dispu.13. Zanardus in direct. confess. to.3. ca.50. Valenzuola in defensione cens. Pauli V. part.4. num.70. & ita nouissimè anno 1620. vt notauit Genuensis in praxi cap.72. per totum, in casu quodam atrocissimæ rebellionis cuiusdam Religiosi, qui aliquas terras Regni Neapolitani in manus Turcarū tradere volebat declarauit Clem. VIII. Nam cum Fiscus allegaret pro tali delicto quemdā clericum Neapolitanum olim fuisse decapitatum, fuit dictū malè iudicatum, & dicta causa fuit à dicto Summo Pontifice cōmissa Nuncio Neapolitano, dato adiuncto alio Consiliario clerico, tamē vt in illo iudicio interueniret tamquam delegatus à Sede Apostolica. Et ideò asserit Genuensis; Hæc disputatio in hoc Regno finem accepit, vt cognitio talis criminis pertineat ad Ecclesiasticum, nisi causa delegatur à Summo Pontifice. Quæ delegatio facta à Clemente VIII. demonstrauit, apud Iudices laicos, circa tale crimē, nullam extare iurisdictionem, vnde cautè legendus est Ramirez vbi supra.

Ad argumenta in contrarium respondeo, illam Constitutionem nullius fuisse roboris; quia Princeps laicus nullam habet iurisdictionem in Ecclesiasticos, & ideò non potest concedere legem, quod clerici committentes crimen læsæ Maiestatis iudicentur à Iudice laico. Ad consuetudinem verò allegatam, respondeo, esse corruptelam, nec vis vlla præscriptionis, & longæ consuetudinis ius dare potest Iudici laico, quia in laicum potestas Ecclesiastica cadere nō potest, vt suprà probatum est. Ergo, &c. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Cabedo part.2. decis.83.

An Iudex laicus possit citare clericum creditorem, in confectione alicuius inuentarij.

RESOL. XX.

Hic casus est practicabilis, quia in confectione inuentarij citandi sunt omnes creditores, & legatarij, de quorum præiudicio agitur. Aliqui igitur respondent, posse iudicem sæcularē in tali facto, per edictum vel specialiter citare clericum creditorem, dum non expressè citetur ad comparendum, sed cum illa conditione, & qualitate, si sua putauerit interesse. Et ratio est, nam talis citatio non est vera, & simplex citatio; sed potiùs monitio, vt compareat, si voluerit, quæ de iure non supponit iurisdictionem, & superioritatem, & sic non arctat citatum ad necessariò comparendum. Et ita docent communiter Iurisconsulti, quos citat, & sequitur Cæuallos tract. de cognit. per viam violentiæ part.2 quæst.78. num.3. & seq. Io. de Heuia in Curia Philippica par.1. § 5. num.31. Gironda de Gabellis p.4. §.1. num. 18. & alij.

Sed contrariam sententiam docet Duardus in Bulla Cœnæ lib.2. can.15. quæst.11. num.50. vbi sic asserit Ecclesiastici non possunt trahi ad Curias sæculares pro confectione inuentarij. Hinc hæres cum vult hæreditatem adire cum beneficio legis, & inuentarij, quamuis super illius confectione citādi sint omnes creditores, & legatarij, nihilominus si clerici sunt, non possunt citari per Iudicem sæcularem illius loci, vbi bona hæreditaria sunt, vel vbi hæres domicilium habet, sed debent moneri per Iudicem Ecclesiasticum, quia clerici non possunt compelli ad comparēdum coram Iudice laico vigore generalis edicti, si sua putauerint interesse, quoniam istæ citationes edictionales à iure communi sunt exorbitātes. Ita Duardus; quòd antea docuerat Martha de iurisdict. p.4. centur.1. casu 38. nu.8. Et idem docet Bonacina de legib. disp.1. q.2. punct.1. §. nu.27. Ambrosinus de immun. Ecclesiast. c.22. num.73. & alij.

An Iudex laicus possit compellere clericum ad restituendum depositum, quoties se obligauit restituere in tribunali Iudicis sæcularis.

RESOL. XXI.

Affirmatiuam sententiam docent non pauci Iurisconsulti, vt Gurtierez de tutelis par.3. cap.1. num.9. Io. de Heuia in Curia Philippica part. 1. §.5. num. 23. Salgado de protectione Regia tom.2. par.4. cap.14. num.105. Borrellus de præstan. Regis Cathol. ca.71. n.240. Mexia in Pragmatic. taxæ panis conclus.5. num.35. cum alijs citatis à Carolo de Graffis de effectibus Cleric. effect.1. nu.855. & nouissimè Bobadilla in polit. to.1. lib.2. cap.18. num.130. vbi sic ait. (Si el clerigo fuesse depositario de alguna cosa de volūtad de la parte, ò por mandado del juez seglar, podra ser compelido por el à la restitution del posito, no por tela, y orden de iuyzio, ni por pena criminal, si no executiuamente por toma de bienes.) Ita ille.

Sed hæc sententia non admittitur à sapientissimo Iurisconsulto Surdo libro 3. consil.396. numero 33. Belletto in disquisit. cleric. part.1. tit.3. num.37. Bonacina de legib. disp.10. quæst 2. punct.1. §.1. num.26. Ambrosino de immun. Eccles. cap.20. nu. 53. & à nostro P. Duardo in Bulla Cœnæ lib.2. can.15. quæst.11. num 36. vbi docet: clericos deputatos depositarios, non posse per Iudices laicos compelli ad restitutionem depositi, vel sequestri. Et Iurisconsulti Cæuallos tractatu de cognitione per viam violentiæ, part.2. quæst.76. num.16. & Martha de iurisd. par.4. cent.2. cas.104. nu.9. admittunt sententiam contrariam Bobadillæ, & aliorum, quoad cognitionem, non autem quoad executionem. Et ideò putant posse Iudicem laicum declarare, clericum debere depositum restituere, sed non posse executionem huius sententiæ, ad restituendum depositum, contra clericum exercere, sed hoc à Iudice Ecclesiastico faciendum esse affirmant.

An iudex laicus possit citare clericum ad exhibenda iura sua coram eo, quando eius debitor petit dilationem ex consensu maioris partis creditorum, vel si velit beneficium cessionis bonorum obtinere?

RESOL. XXII.

Hic casus frequenter in praxi potest accidere, & ideò dicam hic quid sentiant Doctores. Affirmatiuam sententiam docet Cæuallos tract. de cognitione per viam violentiæ, par 2. quæst. 72. num.3. Afflictus decis.280. num.7. & ex nostris regnicolis Mastrillus decis.79. nu.5. cum alijs. Et ratio est, quia in tali casu clericus non conuenitur vt reus; sed prouocatur vt actor ad

ad comparendum,& docendum de suo iure: neque in tali casu præiudicatur iurisdictioni Ecclesiasticæ, neque fit in damnum, & præiudicium clerici, sed in eius vtilitatem; nã si reliqui creditores recuperent sua debita,& ipse non compareat, & ostendat sua credita, remanet sine debito, & tenetur postea litigare contra cæteros creditores, intentando reuocatoriam coram Iudice laico.

At his non obstantibus, contrariam sententiam docet noster P.Duardus in Bulla Cœnæ lib.2.canon.15.quæst.11.nu.53. vbi sic ait (Debitor laicus, petẽs admitti ad miserabile beneficium cessionis bonorum, vel ad remissionem partis suorum creditorum, non potest trahere clericum ad forum sęculare, sed debet adire iudicem Ecclesiasticum: nisi debitor detineretur in carceribus ad instantiam clerici creditoris; nam tunc per viam reconuentionis potest petere contra clericum admitti ab beneficium cessionis.) Ita Duardus. Et ita etiam antea docuerat Martha de iurisdiction. part. 4. centuria 2. casu 123. numero 9. & sequent.

An iudex laicus possit punire clericos, qui sine habitu & tonsura immiscent se in delictis grauissimis?

RESOL. XXIII.

AFfirmatiuè respondent aliqui Iurisconsulti. Putant enim clericum facinorosum, qui dimisso habitu clericali immiscet se enormitatibus, fori priuilegium amittere, & conueniri, & puniri posse per Iudicem sæcularem. Ita inter multos docet Heuia in Curia Philippica p.3.num.30. Riccius in Praxi tom.2.Resol.172.num.1.Bobadilla in Polit.tom.1.lib.2.ca. 18. n.95.vbi sic ait. (Si el clerigo dexado el habito y tonsura clerical por vn año ò mas, cometiesse delictos enormes y crueles, como serian homicidios, hurtos, sacrilegios, adulterios, falsos testimonios, ò violentias publicas, y se mesclasse en otras torpedades detestables, y perseuerasse en ellas viuiendo suelta, y dissolutamente, entonces el clerigo: ora sea en ordenes menores constituido, ora en mayores, pierde el priuilegio de canon, y del fuero: y podra el corregidor sin incurri en escommunicacion, y sinque proceda amonestacion, secrestarle sus bienes, prenderle, y atormẽtarle, y sin degradacion castigarle en pena de muerte.) Ita ille, qui in Glossa litt. B. adducit plures Doctores ita sentientes, & præcipuè Alex. de Neuo cons.59. Verum est quod postcà in nu.96. limitat hanc sententiam, quando delictum commissum adeo esset Republicæ perniciosum, vt pium esset illud punire.

Sed hæc sententia est prorsus exterminãda à Tribunalibus, & contra Bobadillam instant ferè omnes Doctores, & Theologi. Ideò dicendum est, supra dictum clericum non posse a Iudice sæculari puniri, nisi antea præcesserit trina monitio; aliàs à suo Iudice Ecclesiastico est puniendus, etiamsi perpetrasset quodlibet atrocissimum delictum. Et ita docet Cæuallos tract. de cognitione per viam violentiæ, part. 1.quæst.76.nu.6. & seq. qui citat plurimos Iurisconsultos. Idem docet Bellettus in disquis.cler.part.1.titul.3.§.7.numer.3.& alij penes ipsum. Ex nostris hanc sententiam aduersus Bobadillã defendit Megala in 3.p.lib.3.cap.11.quæst.1.nu. 31. & 32. Ex Societate Iesu Filliucius tom.1.tract.16.cap.11.numer.314.cum alijs. Et ratio desumitur exc. in audientia, 25.de sent. excommunicat. ibi Huiusmodi clerici si à Prælato tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de priuilegio clericorum subsidium aliquod habere non possint. Et in cap.finali de vit.& honest.cler. sic habetur. Mandamus quatenus si tales tertio à te commoniti, ab huiusmodi non resipuerint, sed prętermissis diuinis officijs negotiationibus institerint supradictis, cum eo facto priuilegium abijciant clericale. Ex quibus clarè apparet clericum, ante trinam monitionem non esse priuandum priuilegio fori, nec curiæ sæculari tradendum. Et hanc sententiam præter Doctores citatos, tenet amicus heu quõdam noster D.Carolus de Grassis de effect.Cler.eff.1.num.801. Martha de iurisd.par.4.cent.2. cas.135.Barbosa in collect. tom.2.lib.5.tit.39.cap.35.nu.2.Ambrosinus de immun.Eccles.cap.17.num.16.Bonacina de legib. disput.10.quæst.2.punct.1.§.4.nu.6.& alij penes ipsos. Nec obstat cap.perpendimus, de sent.excommunic. nam ibi Summus Pontifex, vt communiter tenent Doctores, non agit de priuilegio fori, sed de priuilegio canonis, vt notat Coninch. de sacram.disp.14.dub.15.num.160.Bonacina, Ambrosinus, Barbosa, & alij penes ipsos. Nec obstat etiam aduersus nostrã principalem conclusionem, quod Decianus lib.2.consil.82.num.9. afferat Bullam Pauli III. Anno 1542. qua conceditur licentia Iudicibus sæcularibus, procedendi contra clericos in atrocissimis delictis. Nam respondeo cum Cæuallos tract.de cognitione per viam violentiæ part.2.quæst.102.num.4. dictam bullam non extare. Notãdum est etiam quòd ad priuandum clericum priuilegio fori ad hoc, vt dicatur se in enormitatibus immiscere, requiritur. Primò, vt incedat sine habitu, & tonsura. Secundo, non sufficit vnum delictum, sed plura requiruntur. Tertiò, necesse est, vt in enormitatibus comprehendatur. Comprehẽsus autem dicitur, si in flagranti fuerit captus, vel si ipse antequam opponat de priuilegio clericali, delictum fateatur, seu de eo sit legitimè cõuictus, vel si crimen sit adeo notorium de facto, vt nullus sit inficiationi locus, & ita docet doctus Barbosa in Collect.to.2.lib.5.tit.9.cap.1.numer.2.3.& 4. quæ sunt valdè notanda: vide etiam eumdem Barbosam ibid.tit.33.ca. 27. per totum. Sed de hac quæstione vide infrà in Resolut.

An iudex laicus possit iudicare causam clericorum, qui hæredes sunt alicuius sæcularis, & causa ante eius mortem coram se incepta?

RESOL. XXIV.

AFfirmatiuè communiter respondent, & ita tenent DD. quos citat, & sequitur Carol.de Grass.de eff.cler.eff.1.nu. 282. quibus ego addo Io.de Heuia in curia Philipp.part. 1.§. 5. nu.20.Castill.par.1.decis.2.Coriolanum in Bulla Cœn.excommun.16.fol.mihi 945.Megala in 3.part.lib.3.cap. 10.n.59.Grassium in decis.part.1.lib.4.cap.18 num.128. Rodriquez in sum. nouissima tom.2.cap.216.numer.15.Cæuallos tract.de cognit. per viam violentiæ, part.2.q.40.nu.9. qui citat plures Iurisconsultos, & Reginaldum tom.1.lib.9.cap.23.num.352. vbi sic ait. (Clericus ratione hæreditatis, quam accipit à laico, subijcitur foro sæculari, & ideo omnes lites, quæ inceptæ fuerint viuente laico defuncto, ipse clericus hęres, coram eodem sæculari iudice prosequi debet. Aliæ autem lites circa bona defuncti, venire debent ad Iudicem Ecclesiasticum.) Ita ille.

Sed non desunt Doctores, qui contrariam sententiam docent, vt Bonac.de leg.disp.10.q.2.punct.2.§.1.num. 25. & Ambrosinus de immunit.Eccle.cap.20.num.45. qui asserunt, quod clericus hæres laici non tenetur coram Iudice sæculari prosequi litem iam cœptam, contra laicum, cui successit, sed denuò erit super eadem re, vel actione coram Ecclesiastico cõueniẽdus. Et ratio est, quia militat eadem ratio exemptionis vel si lis sit incepta, vel non: & sequeretur ex contraria sententia magnum inconueniens, nempè, quod sequuta sententia condemnatoria contra clericum heredem laici ista sentẽtia seruiret de vento, postquam executioni mandari non posset, nisi per Iudicem Ecclesiasticum, qui cum nõ subiaceat eidem Principi, cui subest Iudex laicus, non teneretur dictam sententiam exequi. Vide etiam M.Anton.lib.1.Reso.49.n.2. vbi probat ex multis, quod instantia inchoata coram Iudice sæculari contra laicum defunctum, cui successit hæres clericus, non cõtinuatur in clericum, qui debet propterea conueniri coram Ecclesiastico. Et hæc sententia mihi placet. Notandum est etiam, quòd prima sententia limitatur à Doctoribus citatis multipliciter, vt patet ex Grasso vbi suprà num.290.& seq.& secundum illam, instantia cœpta contra clericum coram Iudice Ecclesiastico, debet continuari contra laicum hæredem clerici, coram eodem Iudice; sic docet Riccius p.4.decis.218.per totam.

An Iudex laicus possit punire clericum pœna pecuniaria, qui reuerentiæ signa illi non exhibuerit, vel quia coram ipso deliquerit?

RESOL. XXV.

AFfirmatiuè respondet Pereira tractat.de manu Regia, pat. 1.cap.7.nu.42.Bobadilla in polit.tom.1.lib.2.cap. 18. nu. 89. vbi sic ait. (Si el clerigo cometiesse delicto, ò desacato cõtra los ministros de la iusticia seglar, ò en su presentia, podranle prender para remitirle, pourque la iurisdictionReal no queda lusoria y menos preciada como quiera que ay algunos clerigos

poco

poco cortes, y otros tan atreuidos que se precian de no respetar ala iustitia seglar, y de passar delante del coregidor, ò de su teniente estãdo en el Tribunal, y fuera del sin hazerles cortesia: lo qual hecho de malicia ex bien refrenar cuerdamente cõ alguna multa, y pena pecuniaria.) Ita Bobadilla. Sed contra illum, & meritò, insurgit noster Megala in 3. part. lib. 3. num. 35. cap. 11. aduertendo priorem casum Bobadillæ, habere tantum locum, quãdo talis captura esset simpliciter necessaria ad propriam, vel aliorum defensionem. Alterum verò casum habere contra se determinationes Bullæ Cœnæ. Et miror equidem quomodo Bobadilla, & alij, sint ita faciles ad condemnandos clericos in bonis, & pecunia, quasi dicta bona non habeãt priuilegiũ, quod habet clerici persona: & tamen canones statuũt, vt exempta persona clerici, nõ possit in rebus molestari, c. vnico de clerici. coniug. num. 5. qui reddit rationem, ne per vnam viam concedatur, quod per aliam denegetur. Et ita docet Genuens. in praxi c. 8. nu. 5. Laiman. in Theol. moral. libr. 4. tract. 9. cap. 4. num. 13. & cap. 5. nu. 1. & Carolus de Grassis de effect. cleric. effect. 1. numer. 13. Vide supra Resolut. 37. sed ad alia transeamus.

An Iudex laicus possit punire clericum, qui assumpsit habitum clericalem post delictum patratum, intentione subtrahendi se à sæculari potestate.

RESOL. XXVI.

Affirmatiuam sententiam communiter docent Doctores, vt Molin. de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 49. nu. 21. & alios penes Ambrosinum de immu Eccl. c. 19. n. 5. Menochium de præsumpt. li. 6. q. 76. nu. 35. Guttier. pract. q. l. 1. q. 5. Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, p. 2. q. 44. n. 7.

Sed non reticeam contrariam sententiam docere Bonacinã de legib. disp. 10. q. 2. punct. 1. nu. 16. & Episcopum Iserniensem M. Ant. Genuensem in praxi c. 8. nu. 5. vbi sic ait. (Verior mihi sẽper visa fuit illa opinio, quod iudex sęcularis nõ potest procedere, nec in causa criminali, nec in causa ciuili contra laicũ conuentum, postea effectum clericum; quoniam si confugiens ad Ecclesiam post delictum animo fraudãdi Curiam sęcularẽ gaudet immunitate, quamuis remaneat laicus, & ad tẽpus in ea moretur; multò magis gaudere debet, qui personam suã per ordinis susceptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur.) Ita ille, quod etiam probat ex tex. in l. qui cum vno, §. reus, ff. de re militari, vbi videtur casus expressus. Nam reus capitalis criminis accusatus, si efficiatur miles non remittitur, sed à Iudice militię iudicandus est: Multò magis id procedere dicẽdum erit in effectu milite cælesti. Facit etiam Concilium Tridentinum cap. 4. sess. 23. de reform. dum prohibet Episcopis ordinare illos, qui fraude, vt fugiant iudicium sæculare, ordines suscipiunt; quæ quidem prohibitio frustra fuisset facta, si fraus illos à laica potestate non eximeret. Neque obstat, quod si talis sententia esset vera, multi in perniciem Reipublicæ, & eius fraudem, vt euitarent pœnam vltimi supplicij ordinarentur; nam respõdeo, quod satis à sacris canonibus fuit prouisum, & præcipue à sacro Concilio Trid. vt Episcopi prędictos non ordinent, nisi subtiliter scrutando mores, & vitam: & in specie pręcipi non ordinari eos sęculare iudicium fugiendi animo, & fraude ordinati veniunt.

Notandum est verò, quod stando in prima sentẽtia, DD. citati asserunt nõ posse Iudicem laicum talem clericum ordinatum in fraudem punire quoad pœnam corporalem, sed tantũ quoad pœnam pecuniariam, & confiscationem bonorum. Ita Bellerus in disquis. Cleric. p. 1. tit. 3. §. 4. n. 3 qui citat 12. DD. P. Cenedo in collect. iur. can. p. 1. collec. 3. n. 13. & alij penes ipsum Molina tract. 3. disp. 49. nu. 22. & Bonacina vbi supra. Sed hoc etiam displicet Genuẽsi loc. cit. quia, vt supra etiam sæpe dictũ est, canones determinant in specie, vt exempta persona clerici non possit in rebus molestari, ne per vnam viam concedatur, quod per aliam denegetur. Et ita habetur in c. vnico de Cleric. coniug. in 6. Sed circa pręsentem quæstionem vide etiam Layman. in Theol. moral. lib. 4. tr. 9. c. 4. n. 12. & seq. Suarez contra Regem Anglię lib. 4. c. 15. nu. 17. refellentes quamdam sententiam Couarr. & Iulij Clari.

Vtrum Iudex laicus possit in casu contingenti cognoscere de clericatu, vel de habitu.

RESOL. XXVII.

Multi Regij, ad Iudicem sæcularem spectare hanc cognitionem contendunt, & sic olim malè obseruabatur in nostra Sicilia, & hodie obseruatur multis in locis. Et ita docent Borrellus de protect. Reg. cath. cap. 79. nume. 308. Guido Papa quæst. 138. Gratianus disceptat. forens. part. 2, cap. 190. num. 30. & alij apud Ceuallos tractat. de cognit. per viam violentiæ in Procem. c. 8. num 39.

Sed absolutè contrariam sententiam amplectẽdam esse puto ex cap. si iudex laicus, de sent. excommun. in 6. Et ita docent communiter Doctores, Couarr. pract. q. cap. 33. Zerola in praxi Episc. p. 1. ver. Clericus, nume. 3. Salzedus in Praxi crim. Diaz c. 62. nu. 14. Marius Antoninus libr. 3. Resol. 48. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de sacram. ordinis qu. 5. dub. 8. conf. 1. Molina de iustit. tom. 4. tract. 3. disp. 49. num. 6. & 11. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 6. Ceuallos vbi sup. trac. de cognit. &c. p. 2. q. 44. num. 1. Itaque coram Iudice Ecclesiastico de clericatu, & habitu habenda est discussio, & cognitio, citatis tamen Iudice, & Fisco sæcularis curiæ; & postquam Iudex Ecclesiasticus declarauit N. clericum gaudere priuilegio fori, petenda est remissio cum intimatione dictę declarationis, iuxta cap. iudex cita. quæ quidem remissio à iudice sęculari debet fieri sine clerici dedecore, vt obseruat Marius Antoninus vbi supra nume. 2. & infra certum terminum, nempe 20. horarum. Alias sæcularis iudex dictum clericum non remittens, vltra prædictum tempus ex d. ca. iudex, in excommunicationem incurreret.

Nota verò, quod si captus incedebat in habitu laicali, tunc potest detineri per iudicem sęcularẽ, donec iudex Ecclesiasticus ferat declarationem, & dum pendet talis cognitio, iudex sæcularis debet supersedere à progressu in causa delicti. Nota etiam, quod si clericus fuerit comprehẽsus in habitu laicali, & fama esset publica, & notoria, quòd ille esset clericus, vtique in tali casu remittendus est statim ad iudicem Ecclesiasticum, & ante cognitionẽ clericatus. Quomodo autem probetur clericatus, vide Bellettum in disquisit. cleric. p. 1. tit. 3. §. 14. nu. 10. Quæ autem vestes censendæ sint clericales, in clericis primæ tonsuræ, & initiatis minoribus ordinibus, vide Bonacinam de legibus disp. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4. nu. 17. Couarruuiam practicar. quæstion. cap. 31. numer. 7. & Iulium Clarum libr. 5. sent. 15. vlt. quæst. 36. numer. 13. cum alijs Anbrosin. de immunitate Eccles. cap. 23.

An iudex laicus possit punire clericos in minoribus constitutos.

RESOL. XXVIII

Qvando tales clerici subijciantur iudicibus laicis, determinauit sancta Synodus Tridentina, ita loquens in sess. 23. c. 6. (Nullus prima tõsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus cõstitutus fori priuilegio gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tõsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario clericorũ, aut in aliqua schola, seu Vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.) Ita Concilium: cuius verba nouissimè à Iurisconsulto Hispano Torreblanca libr. 3. de Magia, ca. 9. num. 40. contra communem fuerunt exposita, nõ de omnibus clericis minorũ ordinum, sed de his tantùm, qui ante decimumquartum ętatis annum versantur, de quibus in pręcedentibus verbis fit mẽtio; vel de incorrigibilibus, & facinorosis, & qui se immiscent sæcularibus, nam hi dispositioni causam dederunt. Sed licèt hæc expositio sit ingeniosa, est in contrarium communis Doctorũ sententia, & ideo circa prædicta verba, multa scitu digna, non solùm Theologi, sed etiam Iurisconsulti adnotarunt, quorum libros forsitan multi non habebunt; in gratiam Confessariorũ, ex industria, & non sine labore, quæ in illis dispersa hinc inde inueniuntur, hic simul colligere conabor, resolutoriè, & breuiter more nostro, ideo.

Quæritur primò, Vtrùm clericus habens beneficium, sed nõ deferens habitum, & tonsuram, nec alicui Ecclesiæ deseruiat, gaudeat priuilegio fori. Respondeo, quod Suarez de censuris,

disp.

disp.22.sect.1.numer.11.& Ambrosinus de immun.cap.13.videntur docere,quod clericus beneficiatus nō gaudeat,nisi alicui Ecclesiæ deseruiat. Sed hoc est contra mentem Concilij. Nam in citatis verbis duos modos distinxit. Vnum absolutè,si clericus primæ tonsuræ habet beneficium. Alius, si tonsuram, & habitum clericalem deferat,& alicui Ecclesiæ deseruiat. Et sic verba Concilij alternatiuè procedunt. Et ita tenet Rodriquez in summa tom.1.cap.155.concl.2.Azeuedus li.1.leg.1.tit.4.num.9.Bobadilla in Polit.tom.1.li.2.ca.18.num.102.in Glossa littera E.noster Franciscus Aponte libr.1.conf.24 Guttierez pract.qq.lib.1.quæst 7.Marius Antonius,libr.3.Resol.48. nu. 22.Ceuallos tract.de cognit.per viam violentiæ in Proœm.c.8. num.14.& p. 2.quest.44.nume.3.Bonacina de legibus dis. 20. quæst. 2.punct.1.§.4.numer.10.qui omnes asserunt, vt clericus gaudeat priuilegio fori sufficere,vt habeat tātum beneficium; seruitium verò Ecclesiæ,vt infra patebit, est necessarium in clerico incedente cum habitu & tonsura. Vide Riccium pa.4. decis.557.num.1.

An si dictus clericus habeat tantum titulum, & collationem beneficij,non autem possessionem,gaudeat fori priuilegio, & sit à iurisdictione laica exemptus;

RESOL. XXIX.

Negatiuè respondet,ex Theologis Lopez par.1.cap.286. & ex Iuristis Iulius Clarus lib.5.§.fin.quæst.36.nu.21. & alij.

Sed contrarium asserendum est cum Anastasio Germonio lib.3.cap.15.num.59.Gigante de Pensionibus cap.94.num. 11. & ita declarasse Sacram Cardinalium Cōgregationem, notauit Parisius de resignat.benef.li.7.quæst.1.num.47.Et ratio est, quia per solam collationem,& titulum beneficij, etiam fine eius possessione,quis dicitur beneficium habere,vt docet Romanus consil.350.Couarruuias lib.3.variar.cap.16.Vide etiam Bonacinam de legibus,disp.10.q.2.punct.1.§.4.num.12. vbi ex professo probat hanc sententiam.Quæ quidem sententia procedit etiam in clerico possidente quidem beneficium, sed sine redditibus;quia habet titulum beneficij.Et hoc solum requirit Concilium hic,& beneficium sine redditibus assignatur in fauorem alterius,& Episcopi titulares faciunt omnia,quæ solent facere cæteri Episcopi,& tamē ex eorum Episcopatibus nullos redditus percipiunt.Ergo,&c. Et ita docet noster D. Carolus de Grassis de effect.cler.eff.1.num.1224.

An clericus, qui habet pensionem tantum super aliquo beneficio, gaudeat tanquam beneficiatus priuilegio fori, ita vt exemptus sit à iurisdictione sæculari;

RESOL. XXX.

Non gaudere respondet Azeuedus tom.1.lib.1. leg. 1. tit. 4. num.5.Recopil.Gonzalez ad reg.8.cancell.gl.5.§. 5. nu. 6.Carolus de Grassis,de effect.cler.eff.1.numer.1198.Bonacina de legibus,disput.10.quæst.2.punct.1.num.11.& Flamminius de resignat.benef.lib.1.q.11.nume.70.& li.2.q.15. nu. 15.qui cum Gonzalez asserit,ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem 19.Iunij 1586.his verbis, *cui reseruata fuit pensio, si non incedit in habitu,& tonsura,non gaudet priuilegio fori.*

Sed contrariam sententiam docet Suarez contra Regem Angliæ lib.4.cap 26.num.9.Zerola in praxi Epis.ver.Clericus, § 2.ver.ex hac doctrina.Lassarte de decim.vendit. cap.19. nu. 24.Rodriquez in summa tom.1.cap.155.num.11. & Salzedus in Pract.crim.Diaz cap.64.num.10.vbi ita consuluit in Academia Complutensi anno 1584 & ita iudicatum fuisse in Supremo Consilio Regis,testatur. Adde etiam, quod Armendariz in addit.ad Recopil.leg.Nauar lib.1.tract.19.de foro compet. num.5.&7.testatur ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem.

At Belletus in disquis.cleric.par.1.tit.3.§.8.nume.11.& alij, conantur concordare supradictas sententias, asserunt enim, quod prima opinio loquitur in casu,quo pensio non excedit sexaginta ducatos auri de camera,vt in Bulla Sixti V.quæ incipit *Pastoralis*,sub anno 1589.Marcus verò Antonius Cucchus li. 5.titul.8.n.17 aliter concordat.Dicit enim,quòd si clericus habeat pensionem loco tituli beneficij, reputatur vt beneficiarius,& per consequens gaudebit priuilegio fori, secus autem, minimè gaudebit. Vide etiam Ceuallos tract. de cognit.per viam violentiæ,p.2.q.62.num 31.

An Capellanus cui Capella in perpetuum, vel in titulum fuerit à Papa,vel Episcopo assignata,gaudeat priuilegio fori;

RESOL. XXXI.

Respondeo affirmatiuè, nam beneficium Ecclesiasticum dicta Capellania iudicatur.Et ita docet Azorius par.2.lib. 10.cap.3.quæst. 5.Nauarrus de horis canon.cap.20.numer. 17. Salzedus in pract.crim.Diaz cap.64 nu.12 & alij.Secus autem si habeat Capellaniam,seu beneficium vulgariter dictum seruitium Missarum,quoniam tales Capellaniæ non dantur in titulum,nec in perpetuum,sed sunt amouibiles,nec veniunt appellatione beneficij,vt notauit Azeuedus to.1.lib.1.leg. 1. tit. 4.numer.7.Recopil.& alij Et ita etiam gaudere priuilegio fori dicendum est,si clericus habet præstimonium seu fratrasiam: Si dictum tamen præstimonium possideat in titulum perpetuum,& aliquod spirituale annexum habeat,nā cum istis conditionibus,præstimonia pro beneficijs habentur. Et ita probat Azeuedus vbi suprà,Menochius conf.201.num.56.Parisius de resignat.benef.lib.1.quæst.1.ex nume.114.Gonzalez ad reg. 8. cancell.gloss.5.§.2.num.11.Garzias,de benef.tom.1.part.1.c. 2. numer.117.Bonacina de legibus.disp.10.quæst.2. punct. 1. §. 4. num.11.& alij.

An clericus gaudeat priuilegio fori, & sit à laica iurisdictione exemptus si tantum deferat habitum, & non tonsuram,vel è contra?

RESOL. XXXII.

Negatiuè respondent Belletus in disquis.cler. part. 1. titul. 3 §.8.nu.7.& Riccius part.4.decis.154.nu. 8. qui notant ita declarasse Sacram CardinaliumCongregationem.Et ratio est,quia Concilium Tridentinum loquitur copulatiuè,nempè vt clerici deferant habitum,& tonsuram,& alicui Ecclesiæ deseruiant.

Non reticeam tamen Marium Antonium Maceratensem, Vicarium Generalem Cardinalis Borromæi contrarium asserere in suis varijs Resolutionibus lib.3.Resol.48.n.5.vbi tenet clericum inuentum sine habitu,sed cum tonsura, vel cum habitu,& sine tonsura gaudere priuilegio fori. Et Capoblancus de offic.Bar.prag.8.cap.3.n.28.putat dimissionem tonsuræ nō esse tantæ solennitatis, si cætera concurrant, & citat Barbosam. Notandum est etiam contra Gutrierez in qq. canonicis lib.1.cap.12.num.9.Mexia in pragmat.taxæ panis,concl. 1. nu. 31.& alios,clericum gaudere priuilegio fori,si tempore capturæ inueniatur sine vestibus clericalibus, dummodo tempore delicti illas gestauerit.Et ita declarasse Sacram Cardinalium Cōgregationem anno 1586.notauit Marius Antonius vbi supra lib.3.Reso.48.num.7.& docet Sanchez de matrim.tom.2. lib.7.dispur.46.num.10.qui multos alios citat.Et ratio est,quia ad gaudendum priuilegio fori, non attenditur, nisi tempus commissi delicti.Parum ergo refert,si tempore capturæ clericus sine habitu inueniatur, si tamen tempore, quo commisit delictum,illum gestauerit.

An clericus,qui aliquando dimittit habitum,& tonsuram, amittat priuilegium fori, & Index laicus possit illum punire?

RESOL. XXXIII.

Respondeo negatiuè: & vt amittat supradictum priuilegium,opus est tanta perseuerantia in dimissione habitus, vt publicè æstimetur vt laicus: Ita Prosper de Augustino in Addition ad summam Quaranta,ver.Habitus clericalis. Layman in Theologia mor.libr.4.tract.9.ca.9.num.1.assertione 1. Suarez de censuris disput.22.sect.1. nu. 11. Bonacina de legib. disput.10.quæst.2.punct.1.§.4.nu.14.vbi asserit, Sacram Cardinalium Congregationem declarasse clericum, qui dimisso clericali habitu à laica potestate captus fuerat,remittendum esse ad forum Ecclesiasticum;quia non præsumitur dimisisse habitum animo illum deserendi,sed vt commodius delictum per-

perpetraret:quod est valdè notandum, & hoc etiam notauit Capiblancus Bar.prag.8.p.3.nu.34.

14 An verò requiratur trina monitio,vt clericus incedens fine habitu,& tonsura,perdat priuilegium fori, Respondeo, quod de iure antiquo requirebatur,vt patet ex cap.finali de vita, & honest. cleric. Sed hodie de iure nouo Concilij Trident. non requiritur:nam dictum concilium loquitur cum dictione *nisi*, quæ excipit iuxta leg.actione,Co.de act.& Decium in c.si pro debilitate ff.de offic.deleg.Et ita docent Marius Antoninus li. 3.resol.48.nu.7.& Riccius p.4.decis.154.nu.4.qui testantur ita fuisse declaratum à sacra Cardinalium Congregatione : & ita tenet Bellettus in disq.cleric.p.1.tit.3.§.8.n.6.& alij.

An clericus incedens cum habitu, & tonsura, sed non deseruiens alicui Ecclesiæ gaudeat priuilegio fori.

RESOL. XXXIV.

1 Affirmatiuè respondet Marius Antoninus lib.3.resolu.48. num.14.Sed negatiuam sententiam docet Bonacina de legibus disput.10.q.2.punct.1.§.4.nu.10.& 15. Ambrosinus de immunit.Ecclesf.c.17.nu.13.Menochius to.10.consi.912. n. 27. & alij,& ratio est,quia,vt supra diximus, Concilium loquitur copulatiuè,videlicet vt clericus deferat habitum,& tósuram, & alicui Ecclesiæ deseruiat.

Notandum est tamen,quod dicta licétia Episcopi de seruiédi in certa Ecclesia, sufficit vt obtineatur oretenus. Nec sufficit vt bis,vel ter talis clericus deseruiat, quia verba Concilij requirunt actum perseuerantiuum. Verum tamé est, quod verba Concilij nó sunt intelligenda ita literaliter,& rigidè,id est, pro omni tempore,sed pro maiori parte ipsius;& ita declarasse Sacra Cardinalium Cógregationem testatur Riccius p. 4. decis.134.num.5.& Capibl.in tract.de officio Bar.prag.8. part. 3. num.30.cum Gratiano in discept.tom.3.c.440.num.6. Vnde si aliquo impedimento fuerit dictum seruitium interpellatum, gaudebit vtique clericus priuilegio fori:& sufficit si ante mensem,quo perpetratum fuit delictum,inueniatur dictum seruitium præstitisse,licet Concilium loquatur de præsenti, ibi , *inferuit,& ibi verfetur*,nam dicta verba,intelligenda sunt moraliter.Et tandem nota,quod supradicta verba intelligenda sunt de seruitio spirituali,& nó sufficit seruitium in temporalibus. Et aliqui addunt non sufficere seruitium,si præbetur alteri Ecclesiæ quam illi,in qua mandauit Episcopus.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, quá docet Capiblancus vbi supra num.32.& Riccius p.4.decis.111.nu.5. vbi ita declarasse Sacra Cardinalium Congregationem testatur , & ita consuluisse nostrum doctissimum sponte notauit Prosper de Augustino in addit.ad summam Quatanta, verbo habitum clericorum,quod asserit, etiá procedere si dictus clericus deseruiret Capellæ existenti in Ecclesia,quæ ab Episcopo Confraternitati laicorum,pro Oratorio esset assignata.Et ita declarasse Sacram Cardinalium Cógregationé obseruat Riccius p.4.decis.154.num.2.

Sed hæc dicta sufficiant circa exemptionem clericorum in minoribus à iurisdictione laicali, & intelligentiam verborum Concilij Tridentini , circa quæ hoc vnum addam: hic Concilium loqui tantùm de priuilegio fori,& non canonis , & ideò percutiens clericum non deferentem habitum,& tonsurá, incurrit in excommunicationem canonis,*si quis*.Et ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, testatur Gonzalez in Regul.8.Cancellar.Glossa 5.§.5.num.7. & docet Bellettus in disquisclér.part.1.titul.3.8.numero 59. vnde cautè legendi sunt Auendagnus de exequ.mand.part.1.capit.22.numer.12.& Menochius libro sexto præsumpt.76.nu. 12.asserentes,non incurrere in excommunicationem illum,qui percutit clericum repertum in habitu laicali.Sed ad alias circa immunitatem Ecclesiasticam quæstiones deueniamus .

An Principes possint imponere , & exigere gabellas à Clericis in minoribus constitutis?

RESOL. XXXV.

De clericis primæ tonsuræ affirmatiuè respondet Angles in 5.to.de restitut.vectig.difficul.5.Laslarte de decima vendit.c.19.n.21.Gutierez pract.qq.li.2.q.8. Ledesma in summa to.2. tract.17.cap.2.concl.27.& Ioan.de la Cruz in direct.conscient.p.1.præcep.7.art.3.conclus.1.

Sed stando in iure communi,contrariam sententiam prorsus amplectendam esse puto;nam omnes clerici, etiam primæ tonsuræ gaudét exemptione gabellarum, vt notar Molina to. 3.trac.2.disp.270.n.5.Malderus,Lessius,& alij vbi infra:& colligitur ex ca.fin.de vita,& honest.cler.ex c. quamquam de cẽsibus,& leg.Presbytero. C.de Episc.& Cler.Dixi *stando in iure communi* ,nam in aliquibus Regnis,clerici in minoribus cóstituti,si actu beneficium non habent,nó sunt exempti ab onere gabellarum, vt notant Atragon in 2.2.quæst.62.ar.3.Bobadilla in Polit.tom.1.lib.2.cap.18.num 263.& 283.Ioan.de Henia in tract.de commet.lib.1.c.14.n.9.Flores de Mena lib.2.q. 21. n. 199.Felicianus de censl.lib.2.cap.vlt.n 13.Gironda de Gabellis part.7.n.7.Rodriquez in summa to.1.cap.75.concl.14.Ioan.de la Cruz in direct.conscient.p.1.præcept.7.q.7.ar.3.dub.1.concl.1.& alij penes ipsos.Et hoc stante consuetudine,à Romano Pontifice scita,& approbata,vt obseruant Vasquez opusc.de restitut.c.6.§.1.n.3.3.Lessius lib.2.c.33.dub.5.n. 39. Malderus in 2. 2.tract.5.c.6.dub.8.Molina tom.3.trac.2.disp.270.n.5. Tuttianus in 2.2.to.2.dif.14.dub.4.num.12.& Salas de legibus,q. 96. tract.14.disp.14.sect.11.num.121.

Sed hanc consuetudinem,& Doctorum opinionem refellit ex Theologis Hispanis Garzias de Beneficijs tom.1.p.2.c.3.à n.1.vsq.ad 10.& ex nostris P.Megala in p.2.li.2 c.17.q.6.n.101. Quidquid igitur sit de hoc , certum est talem consuetudinem non extare in hoc Regno Siciliæ & ideo clericos minores etiá primæ tonsuræ, gaudere exemptione gabellarum,& qui vectigalia ab illis exigerent,vel imponeret, in excommunicationé Bullæ Cœnæ inciderent.

An Princeps sæcularis possit imponere, & exigere gabellas a clericis non habentibus requisita Concilij Trident. sess.23. c.6. de quibus super adductum est?

RESOL. XXXVI.

Etiam seclusa consuetudine in contrarium,de qua superiori Resolutione ,affirmatiuam sententiam docent nó ignobiles authores, vt Homobonus de Examin.Ecclesf.part.1.tract. 7.capit.29.quest.120.Layman.in Theolog.moral lib.4.tractat, 9.cap.6.numero 3.Suarez contra Regem Angliæ,lib.quarto , capit.27.num.14.Azotius part.3.lib.5.capit.19.quæst.6.Filliucius tom.1.tract.16.cap.11.num.298.Reginaldus tom.1.lib. 9. capit.25.num.376.Coriolanus in expos.Bull.Cœnæ excommunicat.18.folio mihi 948.Alterius de censurom.1.disp.19.libr. 5. cap.6.dub. 10.Barbosa in collect.tom.1.libr.3.tit.49.cap. 7. nu. 7.& Cęuallos tractat.de cognit.per viam violentiæ in procem. cap.7.num.22.vbi sic asserit. (Clericus si non obseruet requisita Concilij Tridentini,non potest dici exemptus à tributis, nisi sit iurisdictioni Ecclesiæ subiectus, & sic cum Clerici in minoribus non gaudeant priuilegio fori ex defectu dictarum conditionum:consequenter nó gaudent immunitate à tributis , & gabellis.) Ita ille. Et secundum hanc opinionem, vt clericus sit exemptus à gabellis debet incedere, non solùm in habitu,& tonsura,sed etiam deseruire alicui Ecclesiæ,de mandato Episcopi,nam has conditiones requirit Concilium Tridentinum,vt supra satis explicatum est. Et ita etiam docet noster P.Molsesius in summa tom.1.tractat.7.cap 10. nnmer. 65. & tomo secundo tractatu 12. capit. 22. numero 162. Hæc opinio est probabilis,cum Graff.parte prima, libro 2. capite 125. numero 21.

Sed non minus probabilem,contrariam esse sentio, quam sæpius in praxi consului; nam dicti clerici de iure communi sunt exempti à solutione gabellarum: nec obstat ius nouum Concilij Tridentini , nam loquitur tantùm de priuilegio fori,

fori,& tantum restringit illis hoc priuilegium. Immunitas verò à tributis, non dependet à priuilegio fori, & potest habere rationem omninò diuersam, nam & laicis quibusdam sine priuilegio fori conceditur. Ergo, &cet. Et ita hanc sententiam docet Lessius libr. 2. cap. 33. dub. 5. num. 38. Molina tomo 3. tract. 2. disputat. 270. numero 5. Malderus in 2. 2. tractat. 5. capitul. 6. dub. 8. Garzias de Beneficijs tom. 1. cap. 3. part. 2. num. 5. in fin. Et ita declarasse Sacram Cardinalium Cõgregationem, apparet apud Comitolum in Responsion. Moral. lib. 6. quæstion. 20. vbi habetur Epistola tenoris sequentis directa ad eũdem Comitolum.

[Molto Reuerendo Padre sono stati altre volte considerati, & risoluti nella Congregatione del Concilio i dubij, che mi scriue la R. V. Quanto al primò, è stato deciso, che chi non hà beneficio, ò non camina con habito, e tonsura, senza altra monitione, viene escluso del priuilegio del foro. Quanto al secondo, la Congregatione ha sentito, ch'i chierici, che mancando nelle cose contenute nel capitolo sesto, sessione 13. non godono il priuilegio del foro, non per questo s'intendono priuati del priuilegio del can. *si quis suadente diabolo*. Da questa ne siegue la risolutione al terzo quesito. Perche non togliendo il Concilio (*notentur hæc verba*) se non il priuilegio del foro, tutti quelli altri priuilegij, che competono a' chierici, rimangono nella dispositione della ragione commune. Con che imaginandomi, &cæt. Di Roma il dì 22. di Agosto 1581. Di V. R. come fratello amoreuolissimo, Antonio Cardinale Caraffa.]

Ex his appatet, supradictos clericos gaudere immunitate gabellarum, quia, vt diximus, & docuit Sacra Congregatio, hoc testante supradicto Cardinali. Cõcilium tollit clericis priuilegium fori, non autem alia priuilegia, quæ illis competunt de iure communi, & diligenter enumerat idem Comitolus libr. primo, quæstion. 54. num. 2. Et post hæc scripta inueni, hanc opinionem docere etiam Iurisconsultum Hispanum Torreblancam in defensione libro de Magia, capit. sexto, num. 69. vbi sic asserit. [El clerigo de corona exemptus est ab exactionibus, & cõtributionibus, tam realibus, quam personalibus tributorum petitorum, gabellarum, & munerum temporalium. Porque cerca desto el Concilio Tridentino, no trató nada, y assi, lo dexó ala disposicion del derecho comun, en que está mandado, que goze de todos los priuilegios de los clerigos, y assi lo resolue nouissimamente la Congregation de los Senores Cardinales deputados por la Sede Apostolica para la interpretació del Cõcilio in dicta sess. 23. c. 6.] ita Torreblanca, vnde de hoc non est ampliùs dubitandum à scrupulosis.

An Princeps possit imponere gabellas super bona Nouitiorum.

RESOL. XXXVII.

AFfirmatiuè videtur respondendum ex Molfesio in summa, tom. 2. tractat. 12. cap. 22. num. 162. vbi docet, Regulares professos esse exemptos à gabellis; Ergo videtur excludere Nouitios, quia non sunt Regulares professi. Sed non credo virum doctum, & pium hanc sententiam docere, sed sub nomine Regularium professorum, Nouitios etiam inclusit; nam in fauorabilibus sub nomine Religiosorum includuntur. Igitur solus Parladorius Rer. Quotidianar. lib. 1. cap. 13. §. 1. nu. 21. in 2. edit. & Ignatius Lassar. Doctor Hispanus docuit hanc affirmatiuam sententiam in tract. de decima vendit. ca. 19. numero 50. mihi 189.

Sed aduersus illum, & meritò insurgit Molina tom. 3. tract. 2. disput. 671. num. 2. Malderus in 2. 2. tract. 1. c. 6. dub. 8. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disput. 44. dub. 4. num. 12. Bartholomæus à S. Fausto in speculo confess. disp. 33. quæst. 14. num. 2. & nouissimè Barbosa in collectan. tom. 1. libr. 3. titul. 49. cap. 7. num. 11. Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. cap. 10. n. 16. Et probatur hæc opinio duplici ratione; quia Nouitij verè sunt de familia Monasterij, & pars communitatis istius Religionis, quæ exempta est. Deinde receptissimus vsus habet, vt tributum merè personale, Nouitius non soluat, quia verè persona eius habetur Ecclesiastica. Itaque meritò, qui agnoscitur pro Ecclesiastico, etiam in patrimonialibus bonis, instar reliquorum Ecclesiasticorum exemptus habendus erit. Et ita hanc sententiam non solùm Theologi omnes sequuntur, sed etiam peritissimi Iurisconsulti, vt Grassus de effectibus Clericat. effect. 5. n. 131. qui citat Abbatem, Bartolum, Ripam, & alios. Idem etiam docuit Flores de Mena in suis varijs qq. lib. 2. q. 28. §. 4. n. 198. folio mihi 270. & antea docuerat Bertachinus tract. de gabellis p. 7. principali, n. 56. Nec valet dicere eum Lassarte vbi suprà, quod Nouitius non sit verè Religiosus, & trãsire possit ad seculum; quia etiam Acolytus ad sæculum relicto officio Ecclesiastico transire potest, & tamẽ gaudet exemptione gabellarum. Sufficit igitur, vt Nouitius in Religionem sit admissus, quia vt diximus pars est communitatis Religionis, quæ verè est communitas personarum Ecclesiasticarũ, estque is Nouitius in via, vt perfectè, & indissolubiliter voiatur eidem communitati: ac proinde eo ipso reputatur persona Ecclesiastica, & gaudet priuilegio canonis, & fori, & exemptione gabellarum.

An Princeps laicus possit imponere gabellas super bona Ecclesiasticorum propter reparationem pontium, murorum, &c.

RESOL. XXXVIII.

AFfirmatiuè respondent aliqui Iurisconsulti ex authoritate leg. ad instructiones itinerum, pontiumque etiam diuinas domus, & venerabiles Ecclesias libenter ascribimus; & præter Iuristas, quos adducit Borrellus de præst. Reg. cath. cap. 62. n. 48. Salgado de protectione Regia, p. 3. c. 5. nu. 9. & nos adduximus in tract. de Parlam. docet hanc sententiam ex Theologis Vnaldus in Cãdelabro aureo super Bullam Cœn. casu 18. n. 3. & Henriq. in summa lib. 10. c. 15. n. 5. vbi in Glossa, lit. L. asserit ius ciuile in hoc non esse correctum, sed declarare ius canonicum, & mentem Pontificis.

Sed hæc opinio exploditur communiter à Theologis, quos citaui dicto tracta. quibus nunc addo Homobon de examin. Eccles. p. tract. 11. c. 6. q. 9. suppos. 2. Layman in Theol. mor. libr. 4. tract. 9. c. 6. n. 6. Ioan. de la Cruz in director. conscient. part. 1. præcept. 7. q. 7. art. 3. dub. 1. concl. 1. Augustinus Bariola in suis consilijs post Flores director. Inquis. consi. 8. Salonium tom. 2. in 2. 2. q. 78. art. 5. contr. 5. Sousam in Bull. Cœn. c. 19. disp. 92. nu. 6. Belletum in disquis. Cleric. p. 1. tit. 5. §. 2. n. 12. Portell. in addit. ad dubia Regularia, vers. tributum, n. 5. & 8. Alterium de cens. to. 1. disp. 19. lib. 6. cap. 6. dub. 8.

Ad argumentum verò desumptum ex leg. ad instructiones, respondeo cum Lessio lib. 2. cap. 33. dub. 3. num. 25. cum sit cõtra immunitatem Ecclesiarum vim nõ habere, & fuisse correctã à iure Canonico, vt notat Glossa in c. generaliter, ver. Nouarum, & ver. Collationibus, 6. quæst. 1. Et contrariam etiã postea docuisse ipsos Imperatores in iure nouo ciuili ex Authen. item nulla communitas, C. de Episc. & Cleric. tenet Azorius p. 3. lib. 5. c. 19. q. 10. & Portel. in Addit. ad dubia Regularia, verbo Tributum, n. 11. qui citat textum in leg. placet, de sacros. Eccl. & leg. 2. C. de episc. & Cler.

Sed quidquid sit de hoc, in ordine ad ius ciuile, certum est ex iure canonico, clericos non teneri ad dictas cõtributiones, vt apparet in cap. non minus. & in c. aduersus, de immunit. Eccles. & ex canone Bullæ Cœn. Ex his omnibus apparet cautè legendum esse Hẽriquez vbi suprà, qui etiam in Glossa litt. L. asserit per sententiam Senatus Regij declaratum esse teneri Clerum ad contributionem, vt oppidum, quod Rex vendere parabat, se redimat, quod etiam postea docuit Bobadilla in polit. to. 1. lib. 2. c. 18. nu. 286.

Sed hæc sententia mihi displicet, nam id bonum, nõ principaliter, primariò, ac directè concernit clericos, sed laicos: & ideo clerici nõ tenentur ad cõtributionem supradictam; quia, vt obseruant contra sententiam Henriquez, & aliquorum Iurisconsultorum omnes Theologi, & ex ipsamet Societate Lessius, Molina, & alij à me citati in tract. de Parlam. quando bonum commune, & publicum non tangit principaliter clericos, sed secundariò, vt est in casu supradicto, & in reparatione viarum, turrium, murorum, &c. clerici non tenentur contribuere, licèt contrarium docuerit Henriq. & ideò non sequendus, vt suprà probatum est.

An

An Principes possint imponere gabellas super bona patrimonialia clericorum?

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuam sententiam docet ex Iurisconsultis neotericis Bobadilla in Polit.to.1.lib.2.ca.18.n.260. qui in Glos. lit.F.citat pro hac sententia quamplurimos Iuristas, & cum limitatione, vt hoc non intelligatur quoad bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinati sunt.

Sed communi calculo Theologorum hæc doctrina, tanquam sacris canonibus contraria, meritò explosa est; & illam reprobant Homobonus de Exam.Eccles.part.2 tract.11.cap 6.qu 9. Riccius p.2.decis.292.num.3.Syluester vers. immunitas 1.nu. 6.Duardus in Bulla Cœn.lib.2.can.17.q.5.num. 4. Layman in theol.mor.lib.4.tract.9.cap.6.num.9.Lessius lib.2.cap.33.dub. 3.num.19.Azorius p.3.lib.5.cap.19.quæst.7. Reginaldus tomo 1.lib.9.cap.25.num.379.Filliucius tom.1.tract.16.cap.11. num. 298.Molina to.3.tract.2.disp.671.num.2.Molfesius in summa, to.2 tract.12.c.22.nu. 166.Alterius de cens.tom.2.disp.19. libr. 5.c.6.du.2.Suarez contra Regem Angliæ lib.4.c.24.& 25. Coriolanus in Bul.Cœn.excomm.18.Prosper de Augustino in addit.ad sum.Quaranta,ver.vectigal.Megala in p.3.li.2.c.17.qu. 6.nu.114.Salonius tom. 2.in 2.2.q.78.art.5.contr.2.nu. 2. Sayrus de censur.lib.3.c.22.num.9.Bartholom.à S.Fausto in spec.confess.disp.33.q.17.nu.2.Bellet.in disq.cler. p.1.tit.5.§.5.n. 1. & authores veteres penes ipsos.

Probatur hæc sententia ex c.1.de immun.Eccles. cap. quamquam,de cens.in 6.& præcipuè ex can.Bullæ Cœnæ in illis verbis *imponentes decimas, &c. personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum bona*, vbi dictio illa *eorum*, contradistinguitur contra alteram dictionem sequentem *Ecclesiarum*, & ideo nō nisi de bonis patrimonialibus,& proprijs clericorum, & alijs quæ ad Ecclesiam non pertinent intelligi potest.

An Princeps, seu alius superior laicus sine consensu cleri possit imponere gabellas super eius bona, ex aliqua publica necessitate, vt pestis, &c.

RESOL. XL.

Hæc quęstio fuit discussa anno præterito, quando Illustris. Senatus Panormitanus imposuit aliqua vectigalia pro expensis factis tempore morbi contagiosi, qui ciuitatem hanc miserrimè afflixit. Et respondi negatiuè, quia obligatio totius populi non sufficit ad obligandum clerum, & cum ageretur de vtilitate vtrorumque, necesse erat, vtrorumque interuenire cōsensum. Et ita in terminis resoluit hunc casum Rodriquez in summ.to.1.c.75.n.13.Petrus Ledesma in summ.to.2.tract.7.ca. 2.concl.27.fol.mihi 205. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p.1.præcep.7.q.7.art.4.dub.1.concl. 1. fol. 98. Azorius p. 3. libr. 5.c.19.q.11.& Lopez in instruct.p. 2. cap. 40. agens de peste grassante olim Hispali. Idem docet Syluester vers. immunitas c.2.Alterius de censur.to.1.disput.16.lib.5.cap.6.dub.13. Salonius to.2.in 2.2.quæst.78.ar.5.contr.1.Bellettus in disquis. cler. pat.1.tit.5.§.2.n.6.& alij penes ipsos, vbi asserunt, quòd quando necessitas publica concernit directè, & principaliter æquè vtilitatem Ecclesiasticorum, & laicorum, tunc debent Ecclesiastici contribuere: nō tamen ad deliberationem solius populi; sed oportet quòd clerus, & populus simul conueniant; & deliberent; quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Et si in tali casu clerus, sine legitima causa nollet cōsentire, possent laici implorare auxilium Superioris Ecclesiastici, vt compellat clericos.

Sed notandum est, quòd in hoc casu nō habet locum dispositio cap.aduersus, de consultatione Romani Pontificis. Nam contributio in isto casu, non fit solum propter vtilitatem publicam, sed ob priuatam vtilitatem clericorum: & d.cap.aduersus, tractat, in casu, vbi agitur de vtilitate tantum publica. Et ita docet Tabiena verb.excommunicatio 5.cas.18.n.4. Syluest. verb.immunitas, quæst.5.num.20. Angelus eodem verb. num. 37.Layman in Theol.moral.lib.4.tract.9.cap.6.num.7.Molina de iust.tom.3.disp.672.num.5.consil.3.Megala in part.3. lib. 2. cap.17.quæst.6.nu.121.& consil.72.nume.18.Ledesma, Rodriquez, Lopez, & Ioann. de la Cruz vbi supra. Et secundum hæc, quæ dicta sunt, intelligendus est Bobad. in polit.to.1. libr. 2.capit.18.num. 291. vbi ait. [En la sisa ò repartimiento que se echa para guardar el pueblo de peste en lo qual por ser para cosa comun assi à clerigos, como à legos, deuen contribuir los Ecclesiasticos.] Et idem docet Garzias de Nobil.Hispan.glossa 9.num.53.cum alijs, quorum opinio dimittenda est, præcedentibus ijs, quæ supra narrata sunt; nam solus populus, vel Princeps sine conuocatione, & consensu, hoc minimè efficere potest, vt probauimus.

An superior laicus quando clerici tenentur soluere gabellas, possit illos ad soluendum compellere.

RESOL. XLI.

Affirmatiuè respondet Balgado vbi infra Mexia in pragmat.taxæ panis conclus. 5. num.3. Lassarte de Gabellis, cap.19.num.84. & cum alijs Coriolanus in Bull. Cœn. Excommun. 16. folio mihi 944. vbi ait posse clericos coram Iudice sæculari conueniri in censibus, & tributis, nam videntur potiùs res eorum tamquam affectatæ, conueniri, quam personæ. Aliqui Iurisconsulti admittunt etiam hāc sententiam, dummodo Iudex laicus procedat contra bona, & non contra personam clerici.

Sed contrariam sententiam, & meritò, docet Anguiano in tract. de legibus, tom.1. lib.2. controuers.15. num.14.& sequ. Bartholomæus à S.Fausto in speculo Confess.disput.33. quæst. 21. vbi docet; quòd quando clerici nolunt soluere collectam, seu aliam contributionem, quam tenentur soluere Iudices Ecclesiasticos debere illos ad soluendum compellere, & non sæculares. Nec valet dicere, quod adest consuetudo in contrarium, quia dicta cōsuetudo est corruptela, & reprobata per canones. Et licèt in tali casu Iudex laicus non exerceat iurisdictionem in personam clerici, sed solùm in rem temporalem eius: tamen, quando onus est personale, quod soluitur ex rebus, est ratione personæ. Vnde sicut persona clerici est priuilegiata, ita etiā & res clericis priuilegiata erit; quia onus imponitur ratione personæ.

Adde quod, vt sæpius supradictum est, ego non possum intelligere hanc dictionem Iurisconsultorum; quam affert Ramirez in tract.de lege Regia. §.27.num.12. & alij penes ipsum in Glossa littera F, cum Salgado de protect. Regia, part.2. cap.14.num.100.tom.2. Nempe non posse Iudices laicos punire clericos in persona, sed posse in eorum bonis; nam eo ipso, quòd persona clerici exempta est à laicali iurisdictione, exempta sunt etiam eius bona. Nam vt benè notat Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 24. numero 11. bona semper adhærent personæ ipsius clerici, & ideò tunc dicitur persona perfectè, & integrè exempta, quando etiam eius bona exempta sunt. Neque facit ad rem, quòd bona clericorum, sed vt dominum temporalem, vel ciuem, quia ille nō tantùm exemptus est, vt clericus, sed etiam vt ciuis, & simpliciter eius persona; & consequenter etiam ea, quæ illi accessoria sunt. Ita Suarez; & in cap.vnico de cler.coniug.in 6.statuitur quod persona clerici non possit in rebus molestari, ne per vnam viam concedatur, quod per aliam denegatur.

Vnde non sunt audiendi Angelus in l.quoties, in fin.Cod.de iudicijs; Federicus de Senis, cons.88.Lancellott.de attēt.p.2.c. 15.n.97.Aufrerius in repet.clem.1.de officio ord.n.81. Gulielmus de Benedictis in c.Raihutius, ver.& vxorem, decis.2.nu. 142.Cassaneus de consuet.Burgund.rub.1.§.4. n. 8a. Francisc. Marcus decis 215.n.1.p.1.asserentes posse Iudicem secularem punire clericum, non in persona quidem, sed in bonis si falsum deposuerit coram eo; licèt aliqui Doctores Iuristæ existiment in tali casu supradictum clericum non solùm in bonis, sed etiā in persona à Iudice laico puniri posse.

Sed hæc opinio est falsa, & illam reprobant ex ipsismet Iurisconsultis Afflictus decis.230. Farinacius tit. de inquis.q.8.n.26. Fachineus lib.9.controuer.c.27.Surdus cons.396.nu.27.Decianus in tract.crim.li.4.c.9.nu.22. & nouissimè Martha de iurisdict.p.4.cent.2.cas.138.num.9.in fin.cum alijs.

An Princeps possit imponere gabellas super bona clericorum ipsis donata, aut empta?

RESOL. XLII.

Hic casus ponitur maximè pro Regno Neapolitano, vbi de iure eius municipali clerici nō gaudent immunitate collectarum in bonis donatis, vt notat, nec improbat, Riccius p. 4. collect. 901.

Sed non posse Principes hoc efficere docet noster P. Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 18 quæst. 6. num. 1. & seq. & patet ex verbis Bullæ ibi, *imponentes decimas, & c. personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum bonis*. Ex quibus verbis bona clericorum eximuntur ab oneribus huiusmodi. Et cum textus Bullæ generaliter loquatur de bonis Ecclesiasticorum, non debemus illum restringere, sed generaliter, vt loquitur intelligere de quibuscumque eorum bonis, siue patrimonialia sint, siue donata, siue empta, aut quouis alio titulo quæsita. Et ita etiam hanc sententiam docet Barbosa in suis Collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 4. num. 4. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 11. num. 298. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 25. num. 377. Alterius to. 1. disput. 19. lib. 5. c. 2. folio mihi 370. col. 2. Lessius lib. 2. c. 3. dub. 3. nu. 19. & alij, qui non solùm docent, vt supra probatum est, bona patrimonialia clericorum esse exempta, sed etiam alia, alio quouis titulo quæsita.

Ex his igitur appatet, censura canonis 17. Bullæ Cœnæ innodari omnes illos, qui imponunt collectas, decimas, tributū, siue gabellam cuiuscumque generis super omnia clericorū bona, siue sint patrimonialia, siue acquisita ex testamento, donatione, emptione, aut quouis alio titulo, & ideò consuetudo Regni Neapolitani videtur improbanda.

Non reticeam tamen, aliquos Doctores illam approbare, vt Coriolanum in Bull. Cœnæ, excommu. 18. folio mihi 951. & Prosperum de Augustino in addit. ad summam Quaranta, ver. vectigal. fol. mihi 632. Sed an probabiliter, videant viri docti, & iudicent, Duardus vbi sup. nu. 12. talem consuetudinem improbat, & asserit, quòd si in Regno Neapolitano nō adest priuilegium Pontificis id concedentis, illam consuetudinem, seu constitutionem imponēdi gabellas super bona clericorum donata, esse contra libertatem Ecclesiasticam, & nullam prorsus retinere firmitatem. Sed an clericus teneatur soluere gabellas impositas super bona laicorum, ad ipsum postea aliquo titulo, de quibus supra, peruenientia? Respondeo distinguendo, vel illa bona habebant annexam aliquam gabellam, vel collectam certam, perpetuam, & inuariabilem, nimirum vt ex eo quotannis soluatur certa pensio in perpetuum: vel illa bona erant solùm obligata ad collectas, obligatione indeterminata, & variabili ad tempus, nimirum ad soluēdas collectas pro varietate temporum, & necessitatum occurrentium. In primo casu, tenentur clerici soluere supradicta onera; in secundo minimè. Et ita docet Filliucius tom. 1. tract. 16. c. 11. num. 294. Azorius p. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 8. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. canon. 18. quæst. 6. num. 6. Megala in part. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 6. nu. 98. & 103. Alterius tom. 1. disp. 19. lib. 5. cap. 6. fol. mihi 739. Prosper de Augustino in addition. ad Summam Quatāta, ver. vectigal. Sousa in Bulla Cœnæ cap. 19. disput. 92. num. 5. Molfesius in Summ. tom. 2. tract. 12. cap. 22. nu. 167. & 168. Turrianus to. 2. in 2. 2. disput. 44. dub. 4. num. 13. Molina to. 3. tract. 2. disp. 672. & alij: vide etiam Layman in Theol. mor. li. 4. tract. 9. c. 6. n. 5. Malderum in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 9. & Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 20.

An Princeps possit imponere gabellas super bona clericorum, qui habitum clericalem assumpserunt sine intentione clericandi, sed tantum in fraudem collectarum?

RESOL. XLIII.

Videtur respondendum affirmatiuè, & dictos Principes, ita facientes, non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, putauit Coriolanus in expos. dictæ Bullæ Excommu. 18. fol. mihi 950. & Prosper de Augustino in addit. ad Summā Quaranta, ver. vectigal. ex authoritate legis, qui sub prætextu. C. de sacrosf. Eccles.

Sed meritò noster P. Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. canon 18. quæst. 7. num. 2. contrarium docet, nempe clericos incedentes cum habitu & tonsura, & diuinis deseruiētes, etiamsi habitum ipsum assumpserint in fraudē gabellarum, gaudere dicta exemptione. Et ratio est, quia supradicti clerici etiamsi non habeat animum permanendi in clericatu, hic, & nunc vere Clerici sunt. Ergo gaudent exemptione gabellarum, & ideò illas ab illis exigentes in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrerent. Quæ ita vera esse existimo, vt putem contra Duardum num. 5. etiamsi Ecclesiæ alicui non deseruirent, adhuc gaudere gabellarū exemptione. Nā vt suprà probatum est, vt clerici sint immunes à soluendis gabellis, non est necessarium, vt habeāt conditiones requisitas à Concilio Tridentino. Nam Conciliū in illo loco, loquitur tantùm de priuilegio fori, & nihil tangit de aliis clericorum priuilegijs; Ergo, &c.

An licitè Senatus Panormitanus & alia Respublica exigant gabellas ab Ecclesiasticis cum animo restituendi eas in fine anni?

RESOL. XLIV.

Ad hanc quæstionem negatiuè respondent viri docti, Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 18. quæst. 15. numero 3. & Alterius de censt. tom. 1. disp. 19. lib. 5. ca. 3. folio mihi 734. vbi sic asserit. (Notandum est non excusari ab hac censura, qui exigunt, vel mandant exigi huiusmodi gabellas à clericis, animo restituendi in fine anni, quamuis profiteatur hunc modum seruare, causa euitandi fraudes publicanorum exigētium gabellas. Et ratio est, quia coguntur antea ad soluendum, & hoc est magnum onus, & incommodum clericis.) Ita Alterius, quo circa addit Duardus, qui supradicto animo hæc onera à clericis exigunt, si volunt effugere huius censuræ vinculum, in fine anni curent ipsis clericis restituere aliquid plus supra id quod exegerunt, in recompensationem dicti incommodi, & interesse.

At his non obstantibus, puto sine vllo scrupulo nostram Ciuitatem hanc consuetudinem obseruare, nempe in fine anni pro vectigalibus soluere clericis, vt vulgo dicitur, *lo scasciato*. Quia totum hoc factum fuit, & efficitur consentientibus, & volentibus ipsis clericis, non autem renunciantibus priuilegia, sed sustinentibus eius effectum differri in tempus, quod proximè sit magis opportunum sine vllo onere, & interesse.

An si Princeps, vel aliqua Respublica propter aliquam iustam causam augeret tantillum pretium carnis, vini, olei, & cet. vt illud plus conuertatur in illam causam, non quidem in grauamen clericorum hoc faciens principaliter, sed generaliter in grauamen omnium: incurrat in excommunicationem Bullæ, si talem gabellam a clericis exigat.

RESOL. XLV.

Negatiuè respondendum videtur ex Angelo verb. Immunitas, num. 41. & ex Syluestro eodem verb. 1. quæst. 6. nu. 22. quem sequitur Coriolanus in Bulla Cœnæ, excommun. 18. folio mihi 949. Lopez, in instruct. par. 2. cap. 40. fol. mihi 127. & facit Henriquez libro 5. cap. 15. nu. 5. quem postea sequuns est Malderus in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 11. in fine, vbi sic ait. [Est licita cōtributio laicis imposita, quādo in valdè modico grauat clerum, & ipse clerus sine magna molestia exim i non potest, vt potè si grauamen vnio sit impositum, quod ex communi laici taberna accipere velunt.] Et ita etiam hanc sententiam ex Iurisperitis tenet Paulus de Castill. lib. 2. cons. 323. Vide etiā Rosellam v. pedagiū, nu. 17. Richardum quodlibeto 2. q. 30. & Astensem in summa lib. 3. tit. 30. art. 4.

Sed his non obstantibus, contrariam prorsus sententiam amplectendam esse puto. Dico igitur, talem impositionem, quoad clericos esse illicitam, & taliter facientes, incidere in excommunicationem, quia in Bulla Cœnæ non solùm excommunicantur, qui directè imponunt gabellas clericis, sed etiam indirectè. Nec valet dicere, quod talis gabella non sit

fit posita principaliter in grauamen clericorum, sed generaliter in grauamen omnium: nã ita secundariò indirectè Ecclesiastici grauantur, quos indirectè, vt diximus, per Bullam grauare prohibitum est. Ergo &c. Cæteras rationes videbis apud nostrum Megalam, qui doctè vt semper solet, hanc sententiam sustinet, & defendit in par. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 6. numero 107. & idem docet Alterius tom. 1. disp. 19. lib. 5. c. 6. folio mihi 740. colum. 2.

Neque obstat, quòd dicta gabella sit posita ex iusta causa, v.g. ob communem clericorum, & laicorum vtilitatem; nam respondetur, hoc efficiendum esse cum consensu clericorum, vt supra probatum est. Hinc ipsemet Henriquez loco citat. in glossa litt. P, voluit aliam tabernam aperiendam esse, in quam absque tributo confluere possint clerici, ad emendum vinum, oleum, &c. iusto pretio. Sed hoc etiam non caret difficultate, nam clerici sunt liberi, vt possint emere victualia in omnibus locis, absque onere alicuius gabellæ. Ergo non sunt coarctandi, vt emant in tali loco.

An Clericus negotiator, ita ut ante trinam monitionem teneatur soluere gabellas, & Princeps laicus illas ab illo possit licitè exigere.

RESOL. XLVI.

Affirmatiuè respondent communiter. Ita Malderus in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 9. Portel. in dubijs Regularium, ver. tributum, nu. 5. Io. de Hevia tract. de commer. lib. 1. c. 14. num. 10. Prosper de Augusti. in addit. ad summam Quarantam, verb. vectigal. Turrianus tomo 2. in 2. 2. disput. 45. dub. 4. numero 12. & alij.

Non desunt tamen Doctores contrarium sentientes, videlicèt, quòd clerici negotiatores non tenentur soluere gabellis, nisi ter prius fuerint moniti, vt desistant à negotiatione. Ita docet Lopez instruct. par. 2. cap. 41. Sousa il Bulla Cœnæ, cap. 19. disp. 92. num. 3. in fine Rodriquez in summ. tom. 2. capit. 75. n. 11. & Petrus de Ledesma in summa, tomo 2. tract. 17. cap. 2. conc. 17. vbi sic asserit. [A diuersese que los Ecclesiasticos que trattan y negocian no estã obligados à pagarlos, antes que les amonesten tres vezes, que no sean negociantes y trattantes.] Et probat hanc sententiam ex authoritate c. ex litteris de vita, & honestat. clericorum. Et ita etiam docet Molsesius in summ. tomo 2. tract. 12. c. 22. nume. 175. Lessius lib. 2. cap. 33. dubio 3. num. 23. Ioann. de la Cruz in direct. conscien. par 1. præcept. 7. quæst. 7. art. 3. dub. 1. concl. 1. & Reginaldus tom. 1. lib. 9. ca. 25. num. 379. in fine.

Alicui verò concordant supradictas sententias, & asserunt, vtramque esse verã, nempe clericum statim ex causa negotiationis amittere priuilegium exemptionis, & hac immunitate non esse priuatum, nisi post trinam monitionem. Nam quãtum ad ipsas res, quas defert occasione negotiationis, eo ipso caret exemptione, absque vlla monitione, pro quibus si exigitur gabella, & pedagium, nulla incurritur excommunicatio, & sic procedit prima opinio, superius posita. Quantum verò ad alia omnia bona sua, & personam, non amittit simpliciter priuilegium immunitatis, nisi post tertiam monitionem si desistere nolit, & ita procedit secunda opinio.

Hanc sententiam, cum tali distinctione docet Alterius de censu. 1. disp. 19. lib. 5. c. 6. q. 3. fol. mihi 743. col. 1. Molina to. 1. disp. 127. conclus. 5. & Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 18. q. 8. n. 9. Et circa præsentem quæstionem vide etiam Cevallos tract. de cognit. per viam violentiæ, par. 2. q. 54. per totam Guttierez de Gabellis lib. 7. q. 94. per totam, & Martha, de iurisdict. par. 4. cent. 1. cas. 3. num. 2. & seq. cum alijs.

An Principes imponentes gabellas licètiustas, super bona Ecclesiasticorum incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

RESOL. XLVII.

Negatiuam sententiam docet Graffius in decis. par. 1. lib. 4. cap. 18. numero 84. Filliucius tomo 1. tract. 16. cap. 5. numero 105. Villalobos in summa tomo 1. tract. 17. dubio 2. nu. 18. Alterius tomo primo disput. 6. libro 5. cap. 4. folio mihi 567.

Sousa in Bulla Cœnæ, cap. 6. disput. 41. conclus. 3. num. 3. & Salonius tomo 2. in 2. 2. quæst. 78. ar. 5. controu. 2. vbi ait. [Qui iustas, & quas à sæcularibus exigere possunt, à clericis gabellas exigunt, non incidunt in Bullam Cœnæ, sed in aliam tantùm excommunicationem Papalem, qua percutiuntur in capit. quamquam, & alij: à qua satisfacta parte, per Bullam Cruciatæ absolui possunt.] Ita Salonius. Et hoc prius docuerat Nauarrus in Manuali, cap. 27. numero 61. Cum enim semel Bulla Cœnæ excommunicet eos, qui nouas gabellas, ad id potestatẽ non habentes imponunt, vt patet clausula S. & postea clausula 17. excommunicet omnes, qui gabellas imponunt, aut exigunt impositas à personis Ecclesiasticis, aut ex eorum, vel Ecclesiarum bonis; putat ipse Nauarrus priori non excommunicari eos, qui Ecclesiasticos grauant gabellis, modò illæ licitæ sint respectu laicorum, posteriori verò non excommunicari eos, qui eas exigunt ratione bonorum patrimonialium à clericis, cum restringatur censura ad redditus Ecclesiasticos.

Sed in hoc posteriori fallitur bonus senex, nam imponentes gabellas super bona patrimonialia clericorum, excommunicantur in illo canone 17. Bullæ, vt supra probatum est. Quoad excommunicationem verò canonis S. probabiliter opinatur cum Doctoribus supra citatis, licet contrariam sententiam probabiliorem esse puto, cum nostro Megala in 3. par. libro 3. cap. 4. num. 14. Suarez, Gabriel, D. Antonio, Angelo, Tabiena, apud Filliucium vbi supra, & Duardo in Bull. Cœn. libro 2. can. 5. quæstio. 6. nu. 15. vbi ex multis probat; Principes imponentes gabellas, licèt iustas, super bona Ecclesiasticorum incurrere in censuram canonis S. Bullæ Cœnæ. Et ratio est, quia excõmunicatio in illo canone fertur contra eos, qui imponũt gabellas, in casibus à iure non permissis. Sed ius non permitti t imponere gabellas super bona clericorũ. Ergo illas imponentes incurrunt in hanc censuram. Cæteras verò rationes videbis apud Duardum. Sed quia circa præsentem immunitatem Ecclesiasticorum, à gabellis, multa notauimus in quodam occurrenti casu, de quo consultus fui ab Illustriss. Senatu huius vrbis Panormi, ideo in gratiam Confessariorum, non pigebit hic ponere ea, quę tunc, hinc inde pro indaganda veritate collegi.

An Princeps laicus iustè statuendo pretium legitimum vini, vult postea super emptore laico, imponere gabellam, quam extra pretium legale iustum dandum venditori debeat ipse emptor tribuere pro bono, & necessitate publica; quæritur, an talis gabella sit contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. XLVIII.

Pro parte negatiua arguitur primò, Tunc impositio gabellæ est contra immunitatem Ecclesiasticam, quando directè, vel indirectè læditur ipsa Ecclesia; sed in nostro casu Ecclesia non læditur, neque per indirectum. Ergo, &c. Probatur minor, nam tunc Ecclesia dicitur læsa indirectè, quando emptores rerum Ecclesiasticarum, nimis grauarentur, & magis quàm emptores laicarum; sed hoc non accidit in casu nostro. Ergo, &c. Et ita in specie docet Frederic. de Senis, cons. 11. num. 10. & Felinus in cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num 99.

Dices, læditur indirectè Ecclesia in hoc casu, quia propter onus gabellæ sentiet in vendendo vinum suum, aliquod damnum. Respondeo, hoc non posse facilius euenire; nam ideò Princeps ponit pretium legale vino, quod quidem pretium consistit in indiuisibili mathematico, neque potest alterari ab ementibus, & sic Ecclesia semper habebit iustum pretium rerum suarum, & si aliquod damnum forsitan in hoc adueniret, esset per accidens, & secundariò, quod non est considerabile. Et ita in terminis docet Menochius de arbitrar. libro 2. cent. 6. cas. 562. numero 46. Valascus de iur. emphyt. quæst. 17. num. 5. & Molina de iustit. tomo 3. tract. 2. disp. 663. num. 5. in fine vbi sic asserit. Exemptio Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum, solùm est, vt ipsi non soluant tributum ex suis rebus, non verò, vt alij non soluant tributum ex rebus, quæ emptione, aut permutatione ad ipsos sunt peruenturæ, esto per accidens sequatur, quod carius, ob ea tributa ad ipsos peruenianꝛ;

hæc Molina. Ita etiam Henriquez in summa lib. 10. cap. 15. nu. 6. in Glossa littera V. & Rodriquez in summ. tomo 4. cap. 116. num. 7. & hæc sunt eius verba. (Los seglares vendiendos à los Ecclesiasticos, ò regulares algo, obligacion tienẽ de pagar alcauala, aunque por esto los dichos Ecclesiasticos, y regulares las dichas cosas por mas alto precio compren, ni por esto es quebrantada su immunitad Ecclesiastica) Et hanc doctrinã antea docuerat Mexia prag. taxæ panis, concl. 5. nu. 39. & Lassarte de decima vendit. cap. 19. num. 10. vide etiã Rodriquez QQ. Regul. tom. 3. quæst. 74. art. 7.

Secundo arguitur, gabella reuera non est pars pretij, sed tãtum nomine, vt obseruant Megala in part. 2. libr. 2. cap. 17. q. 6. nume. 108. Aluarus Valascus tom. 1. consul. 70. nu. 14. Parlador. Rer. quotid lib. 1. ca. 3. §. 1. numer. 21. in fin. Gratian. in discept. tom. 2. cap. 258. num. 42. Castillo lib. 1. decis. 127. num. 12. Comitolus in resp. mor. lib. 4. quæst. 39. num. 3. & alij. Ergo potest separari à pretio, nec venditor iustè ex ista separatione conqueri potest, nam cum gabella, nõ sit pars pretij, ad illum non potest pertinere, & sine gabella iam ipse obtinet iustum pretium rei suæ. Ergo, &c. Et vt rectè notant Felicianus de cens. libr. 2. cap. 1. nu. 14. Azeuedus tom. 6. lib. 9. tit. 17. leg. 1. n. 81. Auendagnus de cens. Hispan. cap. 28. n. 4. vbi ex onere gabellæ, adiecto emptioni, & venditioni, nihil commodi actu percipiunt emptor, aut venditor, id non habetur loco pretij; nam tũc onus gabellæ, pars pretij esse dicitur, quando inest rei, vel quando aliquid commodi ex eo peruenit ad emptorem, vel venditorem: vide etiam Gutierez de gabellis, quæst. 67.

Tertiò, argumentatur pro ista sententia, ex authoritate Doctorum, qui illam tuentur, & sunt, Boerius decis. 213. nume. 16. Bursatus lib. 1. consil. 42. numer. 14. Alexander de iur. fisc. libr. 1. Resol. 5. num. 7. Purpuratus consil. 489. numer. 7. & 8. Tiraquellus de retract. consanguin §. 1 glos. 13. nu. 12. & alij quam plures; qui omnes asserunt gabellam impositam super emptores rerum Ecclesiasticarum esse licitam.

At his non obstantibus, non desunt Doctores pro contraria sententia, asserentes talem gabellam esse iniustam, & contra Ecclesiasticam immunitatem. Et ita docent Gratianus in discept. forens. tom. 2. cap. 390. per totum. Menochius lib. 2. cons. 136. Laderchius cons. 103. à num. 8. vsque ad num. 15. Riccius in praxi tom. 2. Resol. 187. num. 2. & Resol. 283. per totam. Surdus consil. 305. nu. 80. Homobonus de exam. Eccles. p. 2. tract. 9. cap. 1 quæst. 1. & Zerola in Praxi Episc. part. 1. ver. gabella, q. 4. vbi probat, talem gabellam, indirectè latã esse contra clericos, ait enim: In quibusdam locis Regni ratione velaminis alicuius vniuersitatis laici imponũt gabellam super serico, vel vino, vel aliquo huiusmodi, & volunt, vt soluantur duo carleni, vel quid simile pro libra, vel dolio; quia vident se non posse astringere personas Ecclesiasticas vendentes, statuunt, vt soluant ementes, & non vident, quòd indirectè ista gabella cadit super personas Ecclesiasticas; & si dicunt, non clerici, sed emẽtes soluunt; nam propter onus gabellæ soluendum, vilius emunt. Ita ille.

Secundò ita argumentatur Laderchius vbi supra. Ementes à clericis de iure communi non tenentur soluere gabellas. Ergo si statutum hoc addat, dicitur contra libertatem Ecclesiasticam. Probatur consequentia; nam illud statutum, quod coarctat clericos, & adimit id, quod communi iure eis permissum est, dicitur violare libertatem Ecclesiasticam. At clerici secundum ius ciuile, & canonicum, possunt liberè contrahere cum laicis quibuscumque, nec illi tenentur soluere gabellam. Ergo si statutum hoc addat, vt dixi, erit contra Ecclesiasticam libertatem. Et sic subdit Laderchius: dicat Ecclesia, tolle statutum, & si emptores tenentur ad gabellam, compelle. Sin minus, ne mihi ius meum auferas, interest enim mea habere emptores immunes.

Tertiò, lex & magistratus, seu communis prudentum existimatio, in impositione iusti pretij alicuius rei, multas circumstantias, tam intrinsecas, quam extrinsecas, considerat, & præcipue onus gabellæ inter illas respicit; ita Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 8. nu. 68. & sic ait Molina tom. 3. tract. 2. disp. 678. numer. 6. tota latitudo pretij franci, & alcaualæ est pretium iustum rei. Ergo gabella est pars pretij, vt ipsemet Molina asserit etiam in disp. 663. nume. 2. in fin. Malderus in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 5. in fin. Bonacina de contract. disp. 2. quæst. 9 punct. 1. nume. 4. Vasquez opusc. de restit. ca. 6. §. 2. dub. 9. nume. 52. Turrianus to. 2. in 2. 2. disp. 46. dub. 8. num. 9. qui citat Molinam in alio loco supra non adducto. Molfesius in summa tom. 2. tract. 12. cap. 12. num. 123. Lassarte de Decima vend. cap. 15. num. 19. Paulus de Castro cons. 433. num. 2. & alij. Cum igitur gabella sit pars pretij, semper inuoluitur in pretio, nec potest ab illo separari. Ergo iustum pretium alicuius rei dicitur, tam pretium francum, quàm ipsa gabella. Vnde licèt clerici non soluãt vectigal, ratione rei vendendæ debitum, possunt tamen rem illam vendere pretio ordinario, & non minore, quia in ipso inuoluitur gabella, vt apparet ex Lessio vbi sup. lib. 2. cap. 33. dub. 8. nu. 68.

Hæ sunt contrariæ sententiæ, super positam quæstionem, quas conatur concordare Bellettus in disquis. Cler. p. 1. tit. de exemptionibus clericorum, §. 8. num. 2. cum illa celebri distinctione Baldi cons. 41. quem postea amplexi sunt Rolandus à Valle lib. 4. cons. 4. num. 18. Riminaldus lib. 6. cons. 724. nu. 49. & 50. Surdus cons. 127. num. 66. Aut onus gabellæ est annexum contractui, vt si verbi gratia, ponatur statutum, quod soluantur duo solidi pro quolibet dolio vini, quod emitur, vel venditur; hæc gabella immediatè respicit contractum, vt esset in casu nostro, & lædit emptorem, & venditorem immunem, nam propter onus gabellæ, vel carius, vel vilius emet, seu vendet. Aut onus gabellæ adijcitur actui separato ab ipso contractu, vt si statutum dicat, quod qui vult exportare dolium vini in ciuitatem, soluat gabellam, tunc hæc gabellæ solutio, non respicit immediatè contractum ipsum, se actum exportationis, qui nil commune habet cum ipsa Ecclesia immuni. Hac supposita distinctione, ait Belletus primam sententiam negatiuam supra positam esse amplectendam, quãdo onus gabellæ adijcitur actui separato ab ipso contractu; Secundam verò sententiam affirmatiuam, esse veram, quando onus gabellæ est annexum ipsi contractui. Et hæc olim, circa præsentem quæstionem in casu proposito, vt dixi, à Senatu Panormitano collegeram; pro subleuando labore Theologorum, qui consulendi erant, & quia res visa est difficilis, & periculosa, Senatus non posuit dictam gabellam.

An Princeps possit imponere, & exigere gabellam ab Equitibus D. Iacobi, Alcantara, & Calatraua.

RESOL. XLIX.

AFfirmatiuè respondet Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 19. nume. 264. nam putat dictos Equites esse tantùm immunes a gabellis, quoad bona commendarum. Ita etiam sentiunt alij Iurisperiti, & Theologi, qui tenent dictos Equites non esse verè Religiosos, vt præter Doctores, quos citat Sanchez vbi infra, docent, Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 2. dub. 3. concl. 2. Petrus de Ledesma in summa tom. 2. tract. 10. cap. 8. dub. 2. concl. 2. Emanuel Sà ver. Religio. nu. 41. Burgo de Paz consil. 17. nu. 2. & 3. Nata lib. 3. consil. 508. & 509. Graffius tom. 1. lib. 3. consil. 11. de Reg. Valentia tom. 3. disp. 10. quæst. 4. punct. 2. Moneta de conser. iudic. c. 10. nume. 389. Molfesius in summa tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 30 & alij.

Sed contrariam sententiam amplectendam esse puto, nẽpè hos Equites esse verè Religiosos. Ita Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 16. num. 11. vbi citat pro hac sententia 8. Doctores quibus ego addo alios quos citat Garzias de Benef. tom. 1. par. 1. cap. 4. num. 15. & Hieronymum de Cenedo tract. de Pauper. Relig. dub. 60. nume. 12. & seq. & Basilium Poncium in tract. de Impedim. matr. causa 27. qu. 2. §. 4. vbi sic asserit. Dictos equites esse verè, & substantialiter Religiosos adeò certum existimo, vt oppositum iudicem nimis licentiosè dictum, ne dicam grauius, cum pleno ore litteræ Põtificiæ illos appellet Religiosos, & etiam cum castitate coniugali vera Religio constare possit, eo quòd sicut in paupertate latitudo est, ita etiam in castitate, quæ est materia voti. Ita Poncius, cùm alijs Theologis, quorum vota circa præsentem quæstionem adducit Mora de confir. ordin. D. Iacobi, libro 2. cap. 2. §. 29. per totum, vbi n. 4. Michael de Carranca probans dictos Equites esse verè Religiosos, sic ait. (Confirmase tambien por la practica deste Reyno de Valencia, donde vemos que son exemptos de sisas, y imposiciones que no pagan los Ecclesiasticos; y regulares, y los seglares las pagan y estos Caualleros de Santiago, Calatraua, Alcantara; y Montesa como he dicho no la pagan.) Ita ille, & doctissimus Sancius in suis practicis disputationibus ita tenet, dictos Equites esse verè Religiosos, & docet illos posse confiteri coram Sacerdote seculari non approbato ab Ordinario;

nio,sicut possunt alij Regulares,sic ille in disp.49.numer. 11. & 13.quod est valdè notandum quia nouum. Et Flores de Mena lib.2.quæst.21.nume.205.docet etiam dictos Equites non esse collectandos,& esse immunes à gabellis; quia dato, & non concesso, quod non sint verè Religiosi, sunt tamen personæ Ecclesiasticæ,& largo modo Religiosi, vnde ex his me consulente in causa D Aloysij Mastrantoni,& D. Ioannis de Gioeni, Illustriss.Senatus Panormitanus concessit exemptionem gabellarum supradictis Equitibus,qui erant adhuc Nouitij.

An minister laicalis iurisdictionis possit exercere iurisdictionem circa clericos coniugatos,non in criminal bus,sed in ciuilibus.

RESOL. L.

Affirmatiuè respondet Couarruuias pract.qq.cap.31. num. 9.Barbosa de potest Episc.part.2. Allegat. 12. nu. 15.Cenedo in qq.Canonicis, quæst. 4. numero 18. & 19. Guttierez Pract.qq.lib.1.25.num.3.Azeuedus tom.1.lib.1.leg.2.tit.4.Recopil.Sanchez de matr.tom.2.lib.7.disp.46.num.22.Megala in 3.p.lib.3.cap.10.nu.40.& Coriolanus in Bulla Cœnę Excomm. 16.fol.mihi 945.Layman vbi infra cum alijs. Probatur hoc ex ca.vnico de cler.coniug.in 6.vbi solum conceditur clericis coniugatis priuilegium canonis, & fori, in cæteris autem minimè.Et licet textus loquatur etiam de causis ciuilibus, intelligendus est quoad capturam personæ, non autem si merè ciuiliter contra bona sine carceratione agatur:vt fuit resolutum in Capella Tholosana decis. 184.& apud Guidum Papam decis.12.

Sed mihi contraria sententia videtur probabilior. Dico igitur clericum coniugatum si contraxit cum virgine, & tonsuram,& habitum clericalem gestat,& alicui Ecclesiæ deseruit, gaudere priuilegio fori nō solùm in criminalibus, sed etiam in ciuilibus,& ante Iudicem Ecclesiasticum esse conueniendum, vt pa tet ex cap.2.de foro comp.& ca.1.vnico de cleric.coniug. vbi habetur.Neque ab ipsis sæcularibus Iudicibus eos debere personaliter, vel etiam pecuniaiter nullatenus condemnari, vbi pōdera verbum illud *nullatenus* quod totum negat, & vniuersaliter iurisdictionem Iudicis sæcularis excludit. Et dato, quod hic casus esset dubius in iure, potius pro iurisdictione Ecclesiastica iudicandum est, quàm pro iurisdictione laicali. Et ita docuit quidam Regius,is est Cęuallos in tra.de cognit. per viam violentiæ,part.2.quæst.73.num.4.aduersus alios Iuristas.Et ex nostris docet etiam hanc sententiam Duardus in Bulla Cœnæ,lib.2.can.15.quæst.4.concl.3.nume.12. Riccius in suis decisionibus part.4 decis.320.num.5.& collect.308. & nouissimè ex Iuristis Martha de iurisdiction. part. 1.cent. 2. cas. 159.numer.5.vide etiam Zenardum in director. confess. part. 1.de Sacram.matrim.cap.23.quæst. 24.& alij apud Cæuallos. Notandum est etiam cum nostro Dom. Carolo de Grassis de effect.cler.effect. 2. numero 118.& alijs; clericum negotiatorem,si ter non fuerit monitus, non subiacere statutis laicorum,& Layman notauit, quod omnis negotiatio:quæ alijs clericis prohibita est,etiam coniugatis prohibita censeri debet; ita ille in Theolog.Moral.libr.4.tract. 9. capit. 8. numero 5. & Suarez contra Regem Angliæ lib.4.cap.28.numer.9.cum alijs, quidquid in contrarium asserat Clar. §.finali, quæstio. 30. numero 12.

An iudex laicus possit punire clericum assassinum notorium?

RESOL. LI.

Affirmatiuè respondet Iacob. de Graffeis in suis decis.pa.t. lib.4.c.18.nume.15.sed iste author in suis commentarijs super Bullam Cœn.latas opiniones docet aduersus Ecclesiasticam immunitatem.Et ideo contrariam sententiam docet Bonacina de legibus,disp.10.q.2.punct.15.4.num 8 Ambrosinus de immun.Eccles.cap.17.n.10.Duardus in Bull.Cœn.lib.2.can. 15.quæst.11.num 63.Martha de iuris.part.4.cent.2.cas.129.nu. 17.Mastrillus tom.3.decis.188.nu.23.Bellettus in disquis. Cler. part.1.tit.3.§.7.n.6.Marius Antoninus libr.3.Resol.2. n. 9. Salzedus in pract.crim.Diaz c.98.litt.B.Cæuallos tract.de cognit. per viam violen part.2.quæst.102.num.6.& quæst.87. nume.4. Megala in 3.part.lib.3.cap.10.quæst.4.num.35.& alij,quicquid in contrarium asserant aliqui Iurisperiti, vt noster D. Carolus de Grassis de effect.Cler.eff.1.nume 668.& Petrus de Cenedo in collect.iur.can.part.1.collect.37.num.11.& alij penes ipsos, quorum sententiam,sed immeritò,probabilem vocat Gambacur.de immun.Eccles.lib.7.c.14.num.13. & illum sequitur Molina tom.4.tract.3.disp.25.num.6.& disp.49.num.20.

Dico igitur,contra Graffium,& supradictos Iuristas, clericum assassinij reum non subijci potestati sæculari, nisi post sententiam criminis declaratoriam, quam ferre debet Iudex Ecclesiasticus:& Iudicem sæcularem,aliter facientem, certum est in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrere. Et idem dicendum est de clerico incorrigibili. Nam non amittit priuilegium fori absque alia declaratione,& depositione sed requiritur sententia Iudicis Ecclesiastici,qui illum brachio sæculari tradat,& hoc habetur in cap.cum non ab homine,de iudicijs. Et ita docet Suarez de censuris disp.22.sect.1.num.9.Coninch. de Sacram.disp.14.dub.15.num.19.Sayrus de cens.lib.3.ca.19. nu.5.& alij apud Ambrosinum de Imm cap.17. num. 28. & habentur expressè in quadam Bulla Clem.VIII.dat Rom.18.Decembr.1591.

Hoc etiam militat,& idem dicendum est, in clerico Sodomita notorio;quia illum non potest punire Iudex laicus, nisi præcedat declaratio Iudicis Ecclesiastici, quicquid in contrarium asserat Garzias de Nobil Gloss.9.num.19.vbi cautè legēdus est;nam in illa Glossa multas opiniones affert contra immunitatem Ecclesiasticam.Sed nostram sententiam tenet, & docet Duardus in Bull.Cœn.li.2. canon.15.quæst.11.nume.61. Cæuallos tract.de cognit per viam violentiæ part.2. quæst. 97. art.4.Martha de iurisd.part.2 ca.16.nu.4.Bobadilla in Polit.to. 1.lib.2.cap.18.num.59.Megala in 3.par.lib.3.ca.11.num.11.& iterum Cæuallos vbi supra q.43.nu.6.vbi sic asserit. Hoc vidimus in facti contingentia in quodam clerico alienigena,qui in Matua Carpentana non solùm committebat agens & patiens illud nefandum sodomiæ crimen, sed etiam contrahebat matrimonium inter masculos mutato ordine naturæ.Et licèt illud delictum fuerit grauissimum, & nunquam auditum, clericus tamen ille, post degradationem fuit traditus curiæ sæculari, Ita ille.

An Iudex sæcularis procedens occultè Ecclesiasticum in causa criminali,cum intentione postea processum præsentandi Prælato,faciat contra libertatem Ecclesiasticam, & incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

RESOL. LII.

Negatiuè respondet Graffius in decis. par. 1. libr. 4. cap. 18. num. 135.sed iste author,vt supra notauimus, multa docet non admittenda in his materijs Ecclesiasticæ libertatis.

Et ideò contrarium asserendum est, nempè in excommunicationem incidere Iudicem sæcularem qui secretò Ecclesiasticos processaret, etiamsi animum haberet præsentandi talem processum Summ.Pōtifici,vel alteri Prælato. Et ita docent Filiucius tom.1.tract.16.cap.11.num.312 & Sousa in Bull. Cœn. cap.20.disp.95.concl.2.num.3.qui nu.2.hanc sententiam limitat dicendo. Quandò(hæc sunt eius verba) non est aditus ad Prælatum, qui iuridicè se informare possit de facto criminali alicuius Ecclesiastici,& in eo continuatur, & est periculum in mora,potest Iudex sæcularis informationem facere, vt Prælato præsentet,non verò in alijs casibus.

Quandò verò in aliquo facto criminali, Ecclesiastici, & sæculares simul cōueniunt,eatenus Iudex sæcularis poterit circa Ecclesiasticos,testium dicta recipere,quatenus ad id procedendum,contra laicos necessarium fuerit;aliàs ab hac censura illum non excusarem,sed informationem talem verbaliter, vt Prælato denunciet,non verò iuditialiter accipere, existimo hō prohiberi hoc loco.Ita Sousa,quæ sunt valde notanda à Iudicibus laicis.Ad argumentum verò,quod adducit Graffius, respondetur,quod licèt capere informationem propriè, & in rigore loquendo,non sit processare, est tamen quomodolibet in causis Ecclesiasticorum criminalibus se intromittere, quod est contra libertatem Ecclesiasticam, & sufficit ad incurrēdam excommunicationem.

An

An Princeps possit statuere, ne laici vendant clericis, ne molant, aut coquant panem vel ne exhibeant aliqua seruitia, & obsequia?

RESOL. LIII.

ITa facientes non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, putauit Caietanus in summa verb. Excommunicatio, cap.31. Nauar.t.in Manuali c.27.n.119. Et hanc sententiam nouissimè, probabilem vocat Filliucius tom.1.tract.16.cap.10. num.271.& illam absolutè etiam docet Pereira de Manu Regia, Præl. 3.n.7.& Anguiano in tract.de legibus tom.1.lib.2. contr.15.num.39.& seq.

Sed ego falsam existimo; dico igitur Principes ita statuentes in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidere, quia tale statutum est contra libertatem Ecclesiasticam, vt habetur in c.eos, de immunit.Eccles.in 6.his verbis. Eos qui temporale dominiũ obtinentes suis subditis, ne Prælatis aut clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt, cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus. Ita textus. Et ita docent communiter omnes Theologi, vt Suar. de censuris disp. 21.sectione 2.num.93.Reginald.tom.1 libr.9. cap.24.num.358.Gambacurta tract.de cas.reseru.cap.10.num. 10.Coriolanus in Bulla Cœnæ excommu.15.fol.mihi 947. Filliucius vbi supra & alij.

Nec valet dicere, quod talia statuta sint potius contra libertatem politici conuictus, quam contra Ecclesiasticam libertatem; nam respondetur. Primò saltem indirectè supradicta statuta sunt contra immunitatem Ecclesiasticam. Sed in Bulla excommunicantur etiam qui indirectè aliquid statuunt contra dictam libertatem. Ergo, &c. Secundò, durius est, & incommodius vexare clericos in his, quę pertinent ad politicum conuictum, quam in alijs, quæ pertinent, vt Ecclesia est. Ergo,&c. Tertiò, est contra libertatem Ecclesiasticam denegare clericis, ea quæ de iure communi illis competunt: sed iure communi quilibet alteri obsequia prædicta præstare potest. Ergo, &c. Et ideò nostra sententia omnino tenenda est.

An Principes, seu Ministri Regij faciendo literas hortatorias ad Episcopos, vt ab aliqua mala determinatione desistant, vt est in vsu in Regno Neapolitano faciant contra libertatem Ecclesiasticam, & incidant in censuras Bullæ?

RESOL. LIV.

NEgatiuam sententiam docet Coriolanus in Bulla Cœnæ excommun.16.vbi sic habet. Hortatoriæ hic non comprehenduntur: est autem hortatoria, littera amicabilis, si Episcopus aliquid cõtra laicum impertinenter faciens ab Officialibus secularibus hortatur, vt desistat à faciendo talia. Idem etiam docet Megala in 3.par.libr.3.capit.19. numero 6. quia verba exhortatoria solum consilium important, & necessitatem non inducunt, nisi tamen in his litteris Princeps precatorijs verbis vteretur, & non tantum exhortatorijs; nam in tali casu res esset multum scrupulosa, nam preces Principũ mandato æquiparantur.

An laicus sit iudex competens quando agitur de possessorio matrimonij?

RESOL. LV.

AGitur de possessorio, v.g. inter virum, & vxorem, & vir innititur possessioni aduersus mulierem, quæ propria authoritate diuertit, vel è contra; quæritur, an Iudex laicus sit cõpetens in hoc casu? Affirmatiuam sententiam ex neotericis iurisconsultis docet Thesaurus decis.117.& ita fuisse decisum in Senatu Pedemontano testatur. Sed malè, & contra iurisdictionem Ecclesiasticam, nã matrimonialis possessoria admixtam habet causam spiritualitatis, simul & titulum: & ideo laicus certum est quod non potest cognoscere de possessorijs rerum Ecclesiasticarum, quando per titulum iustificati debent; vnde possessorij causam mixtam habẽs causam spiritualitatis, ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinet. Et ita in terminis hisce omnia probat nouissimè Franciscus Molin. tract. de ritu nupt.libro 2.differ.10.num.19.& seq. ad illum, & non pigebit.

An statutum disponens mulierem extra territorium nubentem, cum sua familia priuandum foro hæreditate, & si et sit quæsita, sit contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LVI.

SI in hoc Siciliæ Regno talem statutum adesset, non pauci illud frangerent; sed ad rem multi hoc statutum valere opinati sunt & ita docet Baldus in leg.si matre, C. de suis, & legit. hær. idem Baldus li.1.consil.267.& in c.consilui, num.6. de offic. deleg. Socin. & Iason in libro 1.§. veteres, ff.de acquir.possess. Alexander lib.2.consil.151.nu.2.Ruinus lib.3.consil.49.& alij. Et ratio est, quia huiusmodi statuta facta sunt in bonum Reipublicæ ad eam replendam libertis, & vt etiam plures sint in ea, qui gabellas soluant, & onera sustineant. Sed contrariam sententiam omninò amplectendam esse puto, quia matrimonia libera esse debent ab omni coactione, ex leg. Titia ff. de verb. oblig. Vnde & in terminis huius quæstionis non valere similia statuta, etiamsi colorem quemdam publicæ vtilitatis præseferant, docet Panorm.in c.1.de sponsal. Decius post Felinum in c. Ecclesia S.Mariæ, num.36.de constit. Et hanc opinionem communem esse testatur Gabriel.lib.2.consil.12.num.9.& illam nouissimè docuit Molina de Ritu nupt.lib.2.differ.7.n.26. & post illum Barbosa in collectan.2.l.4.tit.1.c.1.num.7.

An sit contra libertatem Ecclesiasticam concedere statutum, vt immobilia non alienentur in extraneos, prohibendo expressè, ne alienentur in personas Ecclesiasticas.

RESOL. LVII.

NEgatiuè respondent aliqui, vt Molina, quod valdè miror, de iustit.tomo 1.tract.2.disput.140.num.18.& alij quamplures Iurisconsulti, quos affert, & sequitur nouissimè Christoph.de Anguiano in tract.de leg.tom.1.lib.2.cont.15 n.33.& seq.& tales statuentes non incurrere in excommunicationem Bullæ putauit Iacob.de Graffeis in suis dec.p.1.li 4.c.18.n.233. vbi hęc verba asseruit. Si in statuto caueatur, quod nullus subditus potestati Mediolani possit alienare rem immobilem in nõ subditum, nisi soluat tantum pro libra, expressè prohibendo ne possit alienare in personam Ecclesiasticam, dico, quod tale statutum est iuridicum, & non improbandum, nec censendum contra libertatem Ecclesiæ, quia est conditum fauore publici & communis boni, & subditorum, vt eis salua immobilia, & territoria conseruentur. Ita ille.

Sed talis opinio est contra communem, & veram sententiam omnium Theologorum, & Iurisconsultorum, quã inter alios docet Coriolanus in tract. Apologetico, ca.1.num.18. fol. mihi 26.Bonius in respons.ad M.Paulum, p.3.fol.mihi 33.Colleg.Bononiens.in respons. pro libert.Ecclesiastica, nu.18.& seq. Vgolinus in respons.ad Iurisconf.Gymnasij Patauini, c.6.§.1.& seq. Vigianius tract.de immun.Eccles.disp.3 concl.2.Barbosa in collect.ad lib.1.Decret.titul.2 cap.Ecclesia S.Mariæ, de constit.num.29.c.1.Franc.Fagnanus in tract.de iustit.cens.Pauli V. p.3.fol.42.Genuensis in pract.Eccles.centenario 13. quæst. 379. num.5.Duardus in Bull.Cœn.lib.2.can.15.q.19.n.83.Filliucius to.1.tract.16.ca.10.nu.271.Reginaldus in praxi tom.1.lib.9.c. 23.num.359.Suarez contra Regem Angliæ. Martha de iurisd. p.4.cent.1.cas.6.nu.16.Bellettus in disquis.cler.p.1.tit.4.§.4.nu. 1.& 4.vbi citat quamplures Doctores. Surdus, lib.3. consil.301. num.67.Maynardus de priuil.Eccles.contra Venetos, p.2. arti. 22.num.67.& seq.& alij.

Et ratio est, quia tale statutum prohibet Ecclesiasticis, quod nec naturali, nec diuino iure prohibitum est, imò id humano iure concessum, vt patet ex leg.generali, & leg.iubemus de sacrosancta Ecclesia, vbi conceditur, vt Ecclesiasticis liberè legari, & donari possint à laicis eorum bona, tam inter viuos, quam inter mortuos. Et hoc facere prohibentes damnantur expressè in cap.eos, de imm.Eccles.in 6.Et hoc maximè procederet, si statutum expressè prohiberet, ne fiat alienatio in Ec-

cle-

clesias, vt ex multis notat Belletus vbi supra, num. 4. Et etiamsi talis mentio Ecclesiasticorum non adesset, sed tantùm laici, & subditi nominarentur, adhuc tale statutum clericos non comprehenderet, nec illis præiudicaret. Nam vt benè notat Maynardus vbi sup. num. 68. licet dictum statutum, quoad verba, non videretur infringere Ecclesiasticam libertatem, cum præcipiat subditis; tamen quoad mentem est contra libertatem Ecclesiasticam, faciendo fraudem de persona ad personam. Et in similibus non tantùm inspicitur, cum quo statuens loquatur, sed in quem effectum sermo proferatur.

Adde quod nulla dispositio generalis comprehendit casus, vel personas in specie priuilegiatas, & sub generali dispositione non comprehenditur id, de quo in specie disponi non potest, ex leg Lucius, §. pen. ff. ad municip. vnde vt supra dixi, valde miror, Graffium virum Ecclesiasticum, doctum, & pium, contrarium dixisse. Et ideò speciatim loquendo de illo statuto Mediolanensi, obseruat Maynardus vbi suprà, cum Menochio, libro 9. consf. 878. num. 10. in fine, Senatum Mediolanensem consueuisse seruare, vt illud statutum clericos non comprehendat.

Notandum est verò, quod licet Coriolanus in Exposit. Bull. Cœnæ Excommun. 15. folio mihi 958. asserat, statutum, quod non alienentur bona immobilia in extraneos, non esse contra libertatem Ecclesiasticam; tamen docet in tali casu posse Episcopos cogere ita statuentes, vt declarent, illud statutum non debere extendi ad Clericos. Vide Surdum libro 3. consil. 301. numero 45.

Quædam ciuitates habent priuilegium, vt qui ad eas confluant habitationis causa, non possint per quinquennium ab eorum creditoribus coastringi; quæritur, an si Princeps in casu particulari statuat per publicam scripturam; i.e. aliqui debitores, inter quos nominat quendam Sacerdotem, possint dicto priuilegio frui; an inquam hoc statutum sit contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LVIII.

DE hoc casu interrogatus fui in causa Dominorum de N. & pro statuto, & validitate actus, adsunt multa Argumenta.

Primò, quando Princeps ex iusta causa reuocat priuilegium clericis, vel Ecclesiæ concessum, non facit contra libertatem Ecclesiasticam, dummodò nō sit receptum à Summo Pontifice. Sed hoc, imò minus accidit in casu nostro. Ergo, &c. Minor patet Maior probatur ex authoritate Fulgosii in leg. si quis curialis, C. de Episc. & Cler. & aliorum Iurisconsultorum. Et ex Theologis mordicus sustinet hanc sententiam Ioseph Sousa in Bull. Cœn. ca. 16. disp. 84. conclus. 5. n. 6. & Decius in consf. 83. nu. 4. & consf. 275. nu. 3. asserit, valere Principis statutum, per quod clericis, & Ecclesiæ denegantur beneficia, & priuilegia aliorum statutorum.

Secundò, Princeps io casu nostro non reuocat, sed declarat primam concessionem priuilegij non fuisse ad similem euentum extensam. Nam si dicti, & similes creditores, inter quos adest Clericus, gauderent, vergeret hoc in detrimentum Regis, & Regni: & ideò talis casus ex natura rei non intelligitur inclusus in prima cōcessione, quia priuilegium generaliter inductum, non includit casum publicę vtilitati contrarium, vt ex multis notat doctus Mexia in pragm. taxę panis, conclus. 4. numero 20. Azeuedus libro 6. leg. t. titul. 1. numero 25. Recopil. & nouissimè Gironda in tractatu de Priuileg. questione 70. numero 334.

Tertiò, tunc aliquod statutum est contra libertatem Ecclesiasticam, quando Clerici ex illo efficiuntur deterioris conditionis, qu àm laici, vt probat Riccius in praxi tom. 3. resol. 207. num. 7. & Megala in 3. par. libro 3. cap. 10. quæst. 1. num. 51. & alij communiter. Sed in nostro casu clericus non efficitur deterioris conditionis, quàm laicus, nam priuilegium vtrique negatur Ergo, &c.

Quartò, statutum contra libertatem politici conuictus non est contra libertatem Ecclesiasticam, vt fert sententia Caietani in summa, cap. 31. & Nauarr. cap. 27. num. 11. Sed hoc statutum Principis respicit tantum libertatem politicam, nempe personā dicti clerici, non quatenus clericus est, sed vt persona politica, & vassallus. Ergo non est contra libertatē Ecclesiast.

Sed his non obstantibus, tunc ego, vt dixi, interrogatus de hoc casu, contrarium censui, & consulentes posteà mihi dixerunt ita etiam sensisse P. Iosephum de Augustino Societatis Iesu, virum amicissimum, & doctissimum. Et primò suppono de iure communi, clericos posse gaudere, & vti beneficio statutorum, & priuilegiorum alicui vniuersitati, vel certo generi personarum concessorum, vt patet ex cap. constitutus, de restit. in integr. & notauit noster P. Duardus io Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 19. num. 11. 13. 31. 33. 40. & 41. Secundò notandum est, quod statutum per quod tolluntur clericis ea, quæ de iure communi illis competunt, est contra libertatem Ecclesiasticā, vt docet Decius, & Felinus in cap. Eccl. S. Mariæ de constit. hic in num. 69. ille in num. 8. Mandellus de Alba lib. 1. consf. 8. num. 3. & 10. consf. 164. num. 13. & ex Theologis Filliucius to. 1. tract. 16. cap. 10. nu. 27. & Megal. in 3. p. lib. 3. cap. 10. q. 1. nu. 56. cum alijs communiter.

His verò suppositis, sic argumentor. Statutum quod aufert alicui clerico ea, quæ de iure communi sibi competunt, est cōtra libertatem Ecclesiasticam; sed in nostro casu denegatur clerico priuilegium, quod sibi de iure communi competit, vt supra probatum est; ergo tale statutum erit contra libertatem Ecclesiasticam. Nec valet dicere, quod in nostro casu, etiam laici non gaudent, vt apparet ex lectura statuti; ergo neq; debet gaudere clericus, quia cessat ratio nostri argumenti. Nam respondeo, quod hoc esset verum, si Princeps per dictum actū, & statutum generaliter denegaret in posterum omnibus laicis tale priuilegium, sed cum denegat tantùm aliquibus manet adhuc ius, & vrget ratio nostræ argumentationis.

Deinde, & hoc est maximum argumentum, Princeps in isto actu vtitur verbis imperatiuis, dicens *mandauit*, & *mandat*, quod quidem verbum præsupponit iurisdictionem, nam inducit præceptū, vt inter multos notat Salas de leg. disp. 10. sect. 9. num. 35. Bonacina etiam de legibus, disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. num. 7. Vasquez, Sanchez, & alij penes ipsos. Sed Princeps nō habet iurisdictionem in clericos. Ergo nullus erit actus, & cōtra canonem 15. Bullæ Cœnę, vbi prohibetur Principibus condere statuta, & ordinationes ex quacunque causa contra Clericos.

Adde, quòd Princeps in ista ordinatione facit specificam mentionem de clerico; sed statuta laicorum, etiam clericis fauorabilia, si de illis mentionem faciunt, sunt nulla, & contra libertatem Ecclesiasticam, vt ex communi sententia Doctorū notat Alexander lib. 2. consf. 211. num. 2. & 6. Surdus, lib. 2. consf. 301. num. 13. Oddo lib. 1. consf. 44. n. 3. Ciossus lib. 1. consil. 81. n. 84. Plotus consf. 93. nu. 2. Caualcanus lib. 3. decis. 33. n. 16. Decius in cap. quæ Ecclesiarum de constit. nu. 38. & alij Ergo nullum erit statutū, de quo loquimur, ex defectu potestatis, qua caret Princeps in nominando clericum.

Restat modo respondere ad argumenta in principio posita. Ad primum dico doctrinam illam non procedere in casu nostro, vbi reuocatur clerico priuilegium, quod ei competit de iure communi, vt supra probatum est; sed procedere in casu, quo statutum denegaret aliquibus clericis Beneficium proprium. Vt v.g. posset Princeps reuocare per statutum eleemosynam singulis annis faciendam Ecclesiæ, vel clericis, per alterū prius statutum dispositā. Sed quia hæc opinio, vt infra videbimus, mihi non placet, ideò respondetur ad argumentum, negando absolutè illam sententiam, vt de facto negauit Martha de iurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 51. n. 6. & seq. & præter Doctores, quos ipse citat, refellunt etiam hāc opinionē Alterius de censf. to. 1 lib. 5. disp. 16. dub. 1. Fabius de Anna lib. 1. consf. 86. n. 4. Antoninus Genuensis in pra. Eccles. tricen 6. q. 158. n. 2. Azorius p. 1. lib. 5. cap. 13. q. 5. cum alijs.

Ad secundum respondeo, Principem non declarare, sed statuere, & ordinare, vtendo verbis præceptiuis, & nominando clericum in specie, quæ omnia sunt contra libertatem Ecclesiasticam, & Bullam Cœnę Domini, secus autem si generaliter declararet similes debitores nō gaudere, nec fuisse inclusos in priuilegio Ciuitatis Agrigentinæ, non nominando Clericos.

Ad tertium respondetur, quod in nostro casu clericus efficitur deterioris conditionis, quam laici, non quidem prænominati in tali statuto, sed in alijs. Et ratio est, quia iste actus non reuocat generaliter priuilegium illius Ciuitatis pro omnibus laicis, sed pro aliquibus, vt dictum est: & sicut multi laici ante hoc decretum pro simili causa (vt mihi asserunt) vsi fuut tali priuilegio, sic & in posterum vtentur, quia vt diximus, reuoca-

tio

tio talis priuilegij minimè generica, sed specifica est. Deinde in hoc statuto maximè clericus efficitur deterioris conditionis, quàm laicus, quia potest quidem Princeps ratione iurisdictionis in suis ordinationibus facere specificam mentionē de laicis, non autem de Clericis quod factum in isto statuto apparet, ergo, &c.

Et tandem ad quartum respondetur, falsam esse illam sententiam Caietani, vt suprà probatum est. Nam ex illa sequeretur posse Principes statuere, ne clerici quid emant, aut vendant, ne alterius operas conducant, ne apud aliquos faciant molere suum triticum, aut panem coquere, ne transeant per pontem, ne habitent in aliqua Ciuitate, & similia: quæ omnia absurdissima esse satis apparet. Ita Reginaldus tom. 1. lib. 9. c. 24. sect. 2. nu. 358. & alij.

An si Princeps statuat, ne suis priuilegijs potiantur ij qui subditi non sunt, faciat contra libertatem Ecclesiasticam, & clerici illis non possint vti?

RESOL. LIX.

NOn esse statutum contra immunitatem Ecclesiasticam putauit D. Carolus de Grassis de effect. cler. effect. 1. nu. 26. Azorius p. 1. libr. 5. cap. 13. qu. 4. qui citat Bartolum, & Felinum in c. Ecclesia S. Mariæ, & ideò clericos huiusmodi priuilegio non gaudere, & rationem adducit, quia Princeps in tali statuto nullam facit mentionem de clericis, & ideo non est inualidum defectu iurisdictionis. Deinde aliud est beneficium, vel priuilegium nō concedere, derogare vero aliud, nam hoc, quod est concedere, absq; vlla iniuria alterius fit, adimere vero, tollere, aut ex parte minuere, sine iniuria, & damno minimè contingit, ergo, &c.

Sed ego de hoc casu interrogatus à Serenissimo Principe Philiberto, respondi affirmatiue, & adduxi nostrum P. Duardum, qui in commentar. in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 19. num. 41. contra Azorium in specie loquens, hanc sententiam docet: & ratio est, quia, vt in superiori Resolutione dictum est, statutum, per quod tolluntur alicui clerico ea, quæ de iure communi sibi competunt, est contra libertatem Ecclesiasticam, vt notat Filliucius to. 1. tract. 16. cap. 10. q. 8. n. 271. Riccius in praxi tom. 3. Resol. 207. n. 8. Mandellus de Alba lib. 1. cons. 8. num. 3. & 10. cum alijs. Sed in nostro casu denegatur clericis priuilegium, quod de iure communi illis competit. ergo, &c. Probo minorē, nam de iure communi clerici possunt gaudere, & vti beneficio statutorum, & priuilegiorum alicui vniuersitati, vel certo generi personarū concessorum, vt patet ex ca. constitutus de restitut. in integr. vt notauit Duardus vbi supra num. 11. 14. 31. 33. 40. & 41. Ergo, &c. Et ita secundum hanc sententiam tunc fuit determinatum.

An si Princeps conderet statutum abrogans aliud statutum suum, quod clericorum priuilegium continebat, peccet contra immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. LX.

NEgatiuam sententiam docet Sousa in Bulla Cœn. cap. 16. disp. 48. concl. 5. num. 6. Duardus etiam in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 27. num. 16. Villalobos in summa to. 1. tract. 17. dub. 21. num. 4. & alij, dummodo, vt in alia Resol. supra diximus, huiusmodi priuilegium non fuerit confirmatum per Summū Pontificem. Putant enim hi Doctores, priuilegia particularia huius, vel illius Ecclesiæ, Religionis, vel personæ directè non pertinere ad immunitatem Ecclesiasticam, & posse reuocari. Et ratio est, quia lex ad libitum statuentis præsertim, quando sponte facta est, & adest iusta causa, reuocari potest. Ergo, & priuilegium Ecclesiæ concessum, nam qui est causa iuris, potest etiam esse causa reuocationis illius, quod sine iniuria tertij fit, cum adest causa. Et cum per reuocationem illius, quod prius cōcessum fuerat aliquid reducitur ad ius, quod prius cōpetebat antiquitus, conqueri nō potest, qui ex tali reuocatione damnum patitur, vt docet Gloss. in l. si vnus, §. pactus ne pereat verb. quod in specie, ff. de pactis. Ergo, &c.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam amplectēdam esse puto, quam ex Theologis docet Azorius parte 1. lib. 5. cap. 13. q. 5. Coriolanus in Bulla Cœnæ, excomm. 15. folio mihi 935. Pesantius tract. de immunit. Eccles. disp. 9. & ex Iurisperitis Martha de iurisd. part. 4. cent. 1. cas. 52. nu. 6. Alterius to. 1. disp. 16. lib. 5. cap. 6. fol. 703. col. 2. qui citat Felinum in ca. Eccl. S. Mariæ, num. 124. de const. & copiosè noster D. Carolus de Grassis de eff. cler. eff. 2. n. 14. & 23. Filliucius to. 1. tract. 16. cap. 10. n. 269. qui citat Sayrum & Syluestrum, & alios. Et ratio est, quia priuilegium concessum, postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius. Ergo laicus potuit à principio, priuilegium clericis non concedere, sed semel concessum non poterit ampliùs reuocare, vt habetur ex Felino in c. S. Mariæ, nu. 24. de constit.

Deinde, priuilegium concessum alicui non subdito, reuocari non potest, vt habetur in cap. nouit, de iudicijs, & notat Abbas in cap. inter alia, num. 19. de Immun. Eccles. & alij. Sed clerici non sunt subditi sæcularibus. Ergo priuilegium illis concessum amplius auferri non potest, & aliter facientes in excōmunicat. Bullæ Cœnæ incurrerent, quod in verbis Bullæ determinatum videtur. Ibi *quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet præiudicatur*. Item semper indirectè, per statutum contra particularem Ecclesiā præiudicatur, cæteris generaliter. Ergo, &c. Et ita, stante hac opinione, si erat statutum antiquum laicorum, vt singulis annis, certo die cuiusdam mensis, cuidam Collegio clericorū, vel Monasterio regularium, erogarentur certæ eleemosynæ, sed deinde efficerent aliud statutum, ne in posterum ea eleemosyna præbeatur, secundùm hāc posteriorem sententiam, tale statutum esset contra libertatem Ecclesiasticam. Vnde etiam circa præsentem quæstionem Genuensem in Pract. Eccles. tricenario 17. q. 480. nu. 2. qui contra aliquos probat statutum esse contra libertatem Ecclesiæ, quādo est contra libertatem vnius Ecclesiæ tantum.

An Principes statuentes ne in eorum statu possint ædificari de nouo Ecclesiæ, & Monasteria, sine eorum licentia, derogent immunitati Ecclesiasticæ?

RESOL. LXI.

SEptē argumenta pro parte negatiua adducit Antonius Bonius in Respons. pro censuris Pauli V. contra Venet. quæ postea solidè euertit, & impugnat, probans tale statutum esse cōtra libertatem Ecclesiasticam. Idem etiam docet Vgolinus in Respons. ad Iurisconsul. Gymnasij Patauini contra Ven. ca. 6. §. 1. 2. 3. 4. & 5. Collegium Bononiense pro libertate Ecclesiastica contra Ven. num. 43. Philippus Maynardus de Priuilegijs Eccles. contra Venetos par. 2. ar. 24. per totum Bellettus in disquis. cler. part. 1. tit. 6. § 1. num. 20. Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 19. num. 68. Aloysius in Praxi to. 3. Resol. 207. nu. 7. Patres Theologi Religionis seruorum in defens. cens. Pauli V. Ioan. Franc Fagnan. in tract. de iustit cens. eiusdem Pauli V. par. 2. fol. 26. Ferdinandus de Bastidia in Antidoto contra Paulum Venetum, part. 2. argum. 10. & seq Valezuola defens. Monit. Pauli V. p. 2. num. 28. & seq. Lupus tract. de libert. Eccl. q. 4. num. 7. & Paulus Comitolus in tract. Apolog. contra Ven. cap. 1. num. 17. qui hoc probat ex multis, & præcipuè ex distinct. 1. de consecratione, & in particulari ex can. de locorum Gelasij Papæ ex can. Ecclesiæ Nicolai Papæ; ex cap. nemo, Concilij Aurelianensis, & ex decretalibus sub titulo de Eccles. ædifican. vel reparandis, & maximè ex Decret. finali, & ex illa, quæ incipit, Ad audientiam, & ex illa Bonifacij VIII. quæ incipit, Auctoritate, de priuil. in 6. patet hoc etiam ex authent. de Eccles. rit. per totam, & authent. vt null. fabric. orat. & loc. Et licèt à Valente, Theodosio, & Archadio Imperatoribus, fuerit prohibitum Ecclesias ædificari sine Principis licentia, vt patet ex le. nemo, C. de relig. & sumpt. funerum, hoc tamen Imperatores illi effecerunt de facto, & proptereà totum hoc fuit postea reuocatum à Iustiniano in leg. sancimus, §. si quidem, C. de Episc. & in dicta Authent. 4. null fabr. &c.

Sed audiamus de hac re differentem Cardinalem Baroniū in sua Parænesi ad Rempublicam Venetam, quæ tale statutū contra libertatem Ecclesiasticam effecerat, & propterea à Paulo V. excommunicata fuerat, vbi fol. 15. sic asserit. Exagit animi insuper litteris Apostolicis per vos statutum. Ne quis Ecclesias Monasteria, atque alias Religiosas Domos Venetijs, & vbique locorum Dominio vestro subiectorum sine vestra speciali licentia fundet, & erigat. Quàm autem contra ius, fasque id præsumpseritis, quæ dicturi sumus, vos commonebunt. Nam

illa

illa Occidentalis Imperij culmina augustissima,eque,& robore militari potentia, simulque doctrina rerum sacrarum conspicua,Carolus,& Ludouicus, cùm faterentur super Ecclesias nullum sibi vendicādum esse dominium,verè legitimi laudati sunt Imperatores,vt qui lege scripta pro fessi sunt,non tantùm in Ecclesiarum constructione aliquod ius non esse concessum Imperatoribus, sed neque absque Episcopi licentia domi suæ Oratorij construendi habere aliquam facultatem,quod probè cognitum pragmatica sanctione ita relinquere voluere testatum his verbis. Placuit nobis, vt (sicut ab Episcopis, & reliquis Sacerdotibus,ac Dei seruis admoniti fuimus) ne Cappellæ, in nostro Palatio; vel alicubi, sine permissu Episcopi,in cuius est parochia, fiant.Si igitur nec cappellam vnam,& in suo palatio ędificandi absque licentia Episcopi tanti Imperatores facultatem se habere testati sunt, quomodo ædificandi Ecclesias, & alia religiosa loca dandi licentiam,vel negandi, vos ita vobis arrogatis authoritatem; Ita Cardinalis Baronius, qui ex alijs exemplis probat tale statutum infringere Ecclesiasticam libertatem.

His omnibus addendum est,quod Constantinus Imperator concessit facultatem,vt Ecclesię per totum orbem possint ędificari,vt patet in cap.futuram 12. quæstio.1. Ergo non possunt Principes etiam alias absoluti, & Impetio non subiecti reuocare priuilegia ab Imperio Ecclesiæ cōcessa.Nam vt notat Filliucius to.1.tract.16.cap.10. n.270. & alij penes Valenzuolam vbi supra in defens.Mon.Pauli V.part.2.nu.36. statuta quæ restringunt Priuilegia concessa toti Ecclesię à Deo,Papa,vel Imperatore, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, sunt contra libertatem Ecclesiasticam. Quod etiam notauit Maynardus de Priuileg.Ecclesiæ,part.2.art.22.num.95. & artic.23. numero 24.

An statuta, quibus cauetur ne quis possessionem apprehendat alicuius Ecclesiæ, vel beneficij sine facultate Principis, vel suorum ministrorum, sint contra libertatem Ecclesiasticam?

RESOL. LXII.

Respondeo affirmatiuè cum Canonistis, & Theologis, qui communiter reprobant consl.23.Angeli, & Camillum in diuers.iuris p.2.cap.2.nu.137.Ita docet ex veteribus Abbas lib. 1.cons.83.Felinus in cap.Ecclef.Sanctæ Mariæ,de constit.num. 96.& ex neotericis Vgolinus in Bull. Cœn. part.2.cap.13.vers. 4. Quiue illa,num.2. Laderchius cons.103. num 4. Alterius de censur.tom.1.disp.16.lib.5.cap.5.fol.mihi 699.col.1.& Alexander Pesantius tract.de imm.Eccles.disp.10. cum Azorio. Et ratio est,quia Ecclesia habet ius immittendi clericos in possessionem beneficiorum,& clerici ex isto statuto redduntur timidiores, & laici in statuendo audaciores. Vnde notat Alterius vbi supra ca.6.fol.704.col.2. quod si possessio beneficij à clerico legitimè capiatur, nec testes, nec notarius, qui interfuerunt incurrunt vllam pœnam dicti statuti, quia quando statutum inualidum est,pœna in eo apposita non ligat ex Auth. Cassan.C. de sacr. Eccles. & cap. Nouerit, de sent.excommunic. Imo ita statuentes sunt excommunicati.

Limitatur supradicta sententia à Duardo in Bull.Cœn.lib.2. can.15.quæst.11.nu.59.& Martha de iuris.part.4.cent.1.cas.46. nu.8.& 14. non procedere in Regibus, qui ex priuilegio Romani Pontificis habent collationem, & institutionem beneficiorum, vel priuilegium, vt in eorum Regnis nullus exterus beneficium possit obtinere,vt habet Rex noster.

An statutum mandans bona Ecclesiæ relicta infra certum tempus vendi, sit contra libertatem Ecclesiasticam?

RESOL. LXIII.

Affirmatiuè respondet Hostiensis in cap. fin.num.11. verb. in mortuarijs, de rebus Eccles. non alien. Archidiaconus in cap. Romana, num. 13. ver. non tamen quoad alienationem,de Appellat.& ex neotericis Surdus libro 1.cons.2. num. 20. & seq. & Philippus Maynardus de Priuileg. Eccles. part. 2. artic.22.num. 44.

An Principes, si per aliqua statuta disponant de his, quæ ad funera, & exequias pertinent, efficiant contra libertatem Ecclesiasticam, & sint excommunicati.

RESOL. LXIV.

Hic casus agitatus, & discussus fuit tempore Excellentiss. Proregis D. Francisci de Castro, & tunc respondi cum Felino in cap. Eccles. S.Mariæ, de constit.num.112. & alijs, distinguendo. Vel in simili statuto Princeps disponit de his,quæ spectant ad Clerum, vel cultum diuinum, aut ad animarum salutem,puta de numero Missarum, de candelis, de eleemosyna clericorum, & de eorum numero, vel Religiosorum, qui debent comitari funus, & similibus. Et in hoc casu tale statutum esset contra libertatem Ecclesiasticam. Sed si Princeps in statuto prohiberet abusus circa pompā funeris, vt de vestibus luguribus, de pannis nigri coloris, ne cubicula parentur pannis nigris, & de alijs externis solennitatibus, quæ nullam habent relationem ad cultum diuinum,& ex quibus nihil vtilitatis minuitur Ecclesijs, aut clericis, neque aliquid detrimenti patitur cultus diuinus, vel Ecclesia; tunc eiusmodi statutum esset validum, nec aliquid contra immunitatem Ecclesiasticā contineret. Et ita ex neotericis docet Alterius de cens. tom.1. disp.16.lib.5.cap.6.fol.704.col.2.Reginald.in prax. tom.1. li.9. cap.23.nu.360.Duardus in Bull.Cœn.lib.2.can.15.qu.19. nu.7. Megala in 3.par.lib.3.cap.10.qu.3.n.54. Carolus de Grassis de eff.cler.eff.2.num.467.Martha de iurisdict.pa.4.cent.1. cas.54. Naldus in summa,verb.statutum,num.2.& alij.

Ex his apparet, non esse admittendam sententiam Caietani in summa,verb.Excommunicatio,ca.31.Nauarr.in man.c.27. nu.120.Graffi in decis.part.1.lib.4.cap.18.n.135. Sousa in Bull. Cœn.cap.16.disp.94.concl.2.n.3. Layman in theol. moral.li.4. tr.9.c.9.n.3.asserentium posse Principes in suis statutis, ordinare vt clerici moderent sumptus ceræ, & candelarum. Nam si intelligunt de cera, & candelis, quæ in Ecclesia, & apud funus comitantes remanerent, hoc inquam statutum esset inualidum,quia ex illo impediretur eleemosyna,& minueretur aliqua vtilitas Ecclesię, & clericis, seu Religiosis. Et ita docent Doctores citati, quibus adde doctissimum Tabienam ver. Excommunicatio.G.cas.20.n.5.fol.mihi 672.qui notat tale statutum esse contra libertatem Ecclesiasticā;nam indirectè prohibet liberam facultatem dādi eleemosynā clericis, & Ecclesijs.

Vnde non benè dixerunt Sousa,& Graffius vbi supra, quod numerus candelarum ordinetur ad pompam,& temporalem honorem defuncti.Nam,vt benè notat Tabiena,dictæ candelæ,quæ remanent apud Ecclesiam, & clericos, non solùm deseruiunt ad honorem defuncti,sed etiam ad eleemosynam Ecclesiæ,& clericorum,seu Religiosorum.

Idem quod diximus de cereis,& candelis, dicendum est de culcitris,quæ apponuntur super corpus defuncti, quicquid in contrarium afferat Duardus,& Martha.Nam de illis nihil potest statuere Princeps laicus,cum remaneant apud Ecclesiam: ex quibus postea vel efficiuntur paramenta pro ornamento altarium,vel pro vestibus sacerdotalibus, vel saltem remanent pro eius ornamento. Nam vt hic, & in ciuitate Neapolitana vidimus,in diebus festiuis Ecclesiæ integræ de illis ornantur; Et sic non dubito dictas culcitras non solum deseruire pro honore temporali defunctorum,sed etiā pro eleemosyna Ecclesiarum,vbi defunctus sepelitur. Et ita Syluester verb. immun. 5.num.10.vers.statutum qu.2 vers. 8. ait, prædicta statuta sunt licita laicis,quatenus disponunt in his, quæ non applicantur Ecclesijs;sed dictæ culcitræ, de quibus loquimur, Ecclesijs applicantur.Ergò,&c.Ita etiam Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 3. art.3.vbi sic asserit; Videtur esse contra Ecclesiasticam libertatem,statuendo,quod super mortuum non sit nisi talis pannus, vel tot cerei,& huiumodi, quia liberæ Ecclesiæ etiam liberas oblationes habere debent. An verò quod dictum est de culcitris, dicendum sit de extructione sepulturæ, negat Duardus, & Martha:sed affirmat D.Carolus de Grassis de eff. cler. eff. 2. numer. 483. Vnde tempore, vt dixi excellentiss. Comitis de Lemos Proregis meritissimi huius Regni, nihil circa hoc innouatum est.Scio Filliucium tom.1.tract.16.cap.10. num.273. vocare opinionem Caietani probabilem, licet ipse nostrā sententiam teneat.Tamen in praxi talem opinionem admittendā esse minimè existimo; sed ad alia deueniamus.

An

An quando sumus in dubijs, an aliquod statutum sit contra immunitatem Ecclesiasticam, debeamus opinionem, quæ fauet Ecclesiæ, amplecti?

RESOL. LXV.

RESpondeo affirmatiuè, quod est valdè notandum, quia quotidianum. Et ratio est, quia in dubio tenenda est opinio, quæ fauet Ecclesiæ, vt patet ex cap. fin. de sent. & re iudicata, & ex l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer. Idem docet ex veteribus Felinus in cap. 1. nu. 104. de constit. Iason in l. filius fam. §. diui, num. 82. & in repet. nu. 110. ff. de leg. 1. Decianus lib. 3. cons. 80. nu. 22. Hondedeus lib. 1. cons. 3. nu 24. nouissimè Bellettus in disquis. cler. par. 1. tit 6. §. 4 nume. 13. & Maynardus de Priuil. Eccl. contra Venetos, part. 2. art. 22. num. 61.

An iudex, & minister Regius possit cognoscere causam, cum agitur, vt Petrus v. g. clericus recuperet Ecclesiæ possessionem, a qua est eiectus per vim, vel retineat beneficij possessionem, in qua alio turbatur?

RESOL. LXVI.

QVicquid in contrarium asserant Doctores, quos refert Couarr. pract. qq. cap. 35. num. 1. negatiuè respõdendum est: & ita docet Pesant. in tract. de imm. Eccl. disp. 15. Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can 14. qu. 19. nu. 47. & seq. Azor. part. 1. libr. 5. cap. 14. quæst. 1. Et ratio desumitur ex authoritate clem. 1. de causa possessionis, & clem. 1. de sequest. poss. vbi causa de beneficio siue iure petitorio, siue possessorio, spiritualis censetur. Neque ob receptam consuetudinem, hanc causam ad Iudices laicos pertinere posse, cõtra Christophor. de Anguian. in tract. de leg. tom. 1. lib. 1. contr. 19. num. 30. Couarr. & Matth. de Affl. decis. 24. testantem de vsu Regni Neapolitani, notat Pesant. & Azor. quia per consuetudinem, Iudex laicus non potest sibi vẽdicare ea, quæ sunt Ecclesiastici iuris, vt supra satis probatum, & fusè probat Carol. de Grass. de eff. cler. eff. 1. num. 372. vsque ad num. 287. Neque potest adduci tolerantia Summ. Põtificis, nam quicquid aliqui asserant, quotannis in Bulla Cœnæ omnes istas consuetudines tanquam corruptelas damnare Summi Pontifices apparet, Ergo, &c.

An sit licitum Principibus, & Magistratibus laicis, discutere facultates, & potestates alicuius Nuntij qui in illam Prouinciam à Pontifice mittitur?

RESOL. LXVII.

NEgatiuè respondent communiter contra Couarruuiam Pract. qq. cap. 34. num. 4. & Bobadilla in pol tom. 1. libr. 2. cap. 18. num. 297. Et ita docet Bonacina de legibus disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. nu. 15. Pesantius de immun. eccl. disp. 20. Azorius part. 1. lib. 5. cap. 14. q. 6. & alij.

Nec valent rationes, quas adducit Couarr. quia ad summũ tantùm probant, Nunciorum potestatem discuti debere per Iudices Ecclesiasticos, qui in illis Regnis reperiuntur, vt sunt Episcopi, Archiepiscopi, &c. Ex commissione verò Summi Pontificis debent Nuncij exhibere Regibus, seu Magistratibus litteras suarum legationum, vt eis innotescat legitima eorum legatio, & authoritas, vt colligitur ex c. nobilissimus, dist. 97.

An statuta prohibentia extractionem annonæ, videlicet vini frumenti, bladæ, leguminum, & huiusmodi extra territorium deferri, vt conseruetur abundantia in Ciuitate, comprehendant clericos, extrahentes eiusmodi bona, vel fructus, a suis prædijs collectos?

RESOL. LXVIII.

AFfirmatiuè respondent Menochius tom. 8. cons. 800. num. 38. & ex Hispanis Mexia in pragm. taxæ panis, concl. 5. Auiles in cap. 17. prætor glos. 1. ver. buenas. numero 12. Pereira tract. de manu Regia, p. 1. in concordatis Regis Sebastiani, cõcor. 291. cum alijs Iurisperitis.

Sed contrarium omnino asserendum est, cum Azorio parte 3. lib. 5. cap. 19. qu. 13. Bartholomæo à S. Fausto in speculo confess. disp. 33. qu. 10. Belletto Disquis. cler. p. 1. tit. 6. §. 3. nu. 1. Martha de iurisdict. part. 4. cas. 83. nume. 1. Grammatico decis. 100. num. 15. Bursato lib. 1. cons. 42. n. 28. Ioan. de Amico consil. 18. num. 17. Baiardo in addit. ad Iul. Clar. §. fin. q. 82. nu. 87. Rolando lib. 4. cons. 61. num. 22. & alijs.

Nec valet dicere quod ad publicam, & communem vtilitatem spectat, vt supradicta extra territorium non extrahantur; nam respondetur, licet sit bonum commune, non tamen ex æquo respicit clericos, vt laicos, & ideò clerici sunt exempti. Ad authoritatem Menochij respondeo, licet ipse doctissimus equidem Iurisconsultus fuerit, tamen in illo Consilio cautè legendus est, nam multa dicit non ferenda, contra libertatem Ecclesiasticam, vnde merito Carol. de Grassis de eff. cler. eff. 2. num. 420. sic asseruit. Cauendum est à Consilio 800. Menochij, nam in multis libris deletum est, quia est contra libertatẽ Ecclesiasticam. Ita ille. Idem dicendum est de cons. 100. eiusdem Authoris, aduersus quẽ scripsit tunc sapientissimus Surd. cons. 301. quod omnino videatur. Et etiã in hoc casu cautè legẽdus Bobadilla in Polit. to. 1. li. 2 c. 18. n 117. quẽ supra refutauimus.

An statuta prohibentia introduci in Ciuitatem vinum recollectum, vel aliud extra territorium, comprehendat Clericos?

RESOL. LXIX.

AFfirmatiuam sentẽtiam docuit Mexia super pragmat. taxæ panis cons. 5. numer. 17. Morla in empor. iur. par. 1. tit. 1. quæst. 16. num. 19. & alij.

Sed non sunt audiendi, & ita contrarium docet Bellettus in disq. cler p. 1. tit. 6. §. 3. num. 3. Baldus li. 2. cons. 198. ver. non obstat. Martha de iurisdict. part. 4. cent. 1. cas. 2. nu. 10. & 13. Ripa tract. de peste tit. de remed. ad conser. vbertatem n 122. Grammaticus decis. 100. num. 15. & 16. Ioan. de Amico cons. 18. in fine, & Menochius lib. 8. cons. 800. nu. 30. cum alijs. Et ratio est, quia tale statutum nõ respicit publicam vtilitatem, sed priuatam illorum ciuium, qui habent vineas, & prædia in territorio, sed clerici non tenentur, quando statutum latum est propter publicam vtilitatem, si talis vtilitas nõ respiciat ęquè principaliter clericos, vt laicos. Ergò, multo magis non obligabit, si respiciat tãtùm vtilitatem aliquorum, vt est in casu de quo loquimur. Vnde non approbo cõsuetudinem huius Vrbis, si adhuc tamen obseruatur, in quam non possunt introire vina recollecta extra territorium, si clericos comprehendat; nam vt diximus non includuntur, neque possunt includi in tali statuto & etiam nostram sententiam præter Doctores citatos docet Bursatus lib. 1. cons. 42. num. 18. & cons. 93. nu. 26. & Couarr. in cap. possessor. part. 2. §. 4. num. 8. de reg. iur. in 6.

An lex siue statutum, quod aliquis adiens hæreditatem non facto inuentario, teneatur vltra vires hæreditatis, comprehendat Clericos?

RESOL. LXX.

AFfirmatiuè respondent aliqui, etiamsi clericus fuisset institutus hæres amore Dei. Ita Morla in empor. iur. titul. 1. qu. 19. num. 11. & alij, quos citat, & sequitur Carolus de Grass. de effect. cler. eff. 2. num. 252.

Sed ego contrariam sententiam amplectendam esse puto, quam docet noster P. Duardus in Bull. Cœn. libr. 2. can. 15. q. 17. num. 8. vbi sic ait. Ecclesiastici hæredes instituti, non conficientes inuentarium; non tenentur vltra vires hæreditatis in solidum omnibus creditoribus hæreditarijs, iuxta tax. in leg. si re bonis, & leg. fin. 15. cum igitur. C. de iur. delib. & citat Ioan. Andream; Idem etiam ex neotericis docet Martha de iuris. par. 4. cent. 1. cons. 75. num. 5. qui num. 12. optimam rationem adducit pro hac sententia, nempè talem legem non comprehendere clericos ex defectu iurisdictionis, adi illum, & nõ pigebit. Notandum est tamen, quod etiam stando in prima opinione, illa non procederet, cum Ecclesia, vel monasterium instituitur, nam licet non confecerint inuentariũ, non proptera tenentur vltra vires hæreditatis. Ita Carolus de Grassis vbi sup. n. 252. & Morla num. 12 in fine. Abbas, & Felin. in cap. S. Marię. de Constitut. hic num. 66. ille nu. 13. cum alijs.

An

An Clericus vendens vinum, frumentum, &c. ultra taxam à Principe impositam, possit iustitia sæcularis dicta victualia ei in pœnam tollere, ut à lege statutum est?

RESOL. LXXI.

Respondet affirmatiuè Bobadilla in polit.tom.1. libr.2.cap.18.num.122.vbi sic asserit.(Si el clerigo vendiesse el trigo, ó el pan cozido,ó el vino,fruta,ó otros mantenimientos à mas de la tasa, y por ello segun la ley,ó ordenansa lo tuuisse perdido,podra la Iusticia seglar tomarselo por auer caydo en comiso,y applicarlo,conforme a la ley.) Ita ille.

Sed hæc opinio est prorsus eliminanda. Nam verum est, vt supra diximus,quod clerici tenentur seruare legem taxantem pretia rerum,& ita docet Salonius tom.2.in 2.2.q.77. artic.13. contr.10.Molina tom.1.tract.1.disp.31.n.13. Sotus de iust. lib.1.quæst.6.art.7.Nauarr.in man.cap.23.num.887.& alij. Sed ad id non tenentur ex vi coactiua, sed directiua, non tenentur ex vi legis,quatenus ciuilis est, nam non habet ius in clericos, sed quia ex vi iuris naturalis, tenentur vendere res suas iusto pretio. Sed iustum pretium est illud, quod taxatur à lege. Ergò, &c.

Ex his sequitur, contra Bobadillam, clericos non teneri ad pœnam, ad quam laici tenentur, si dicta victualia venderent vltra iustum pretium.Sed audiamus Azorium part.1.lib.5.cap.13.quæst.4.de hac re disserentem. Clericus (ait)suum vinum, vel frumentum cogitur iure naturali,non ciuili Principis lege, tantidem vendere, laicus verò eodem pretio vendere non solùm naturali,sed etiam ciuili iure compellitur. Et hinc est, vt si Principis lege pœna sit statuta in eos,qui plures vèdiderint,eius pœnę laicus fit reus,non clericus.Quod si Princeps expresserit, vt ea pœna afficiantur,etiam clerici,qui pluris venderent,nihil valet ex ea parte lex, quia pœnam statuit in eos, à quibus eá exigere,& sumere non potest. Ita Azorius.

Idem docet Pesantius tract.de imm.disput.5.in fin.Nec ego intelligere possum distinctionem Bobadillæ, inter res quæ pluris venduntur, & ex ordinatione legis cadunt in commissum, & alias pœnas à lege impositas.Nam illa prior est etiam pœna à lege constituta,ad quam clericus non tenetur nec Iudex laicus ex carentia iurisdictionis potest illa exigere . Ergo dicendum, quod in tali casu clerici sunt exempti, & liberi ab incursione dictarum pœnarum legis, quam Princeps promulgauit: verum possunt puniri ab Episcopis; mitiori tamen pœna, vt supra in alia Resolutione notauimus.

An Iudex laicus possit ciuiliter, seu criminaliter cognoscere causas aduersus Equites D. Iacobi, Alcantara, & Calatraua?

RESOL. LXXII.

Respondet affirmatiuè, qui opinantur dictos Equites non esse verè Religiosos quorum sententiam supra refutauimus.

Et ideò asserendum est, supradictos esse verè Religiosos, & gaudere priuilegio fori, sicut gauderent cæteri mendicantes. Et eorum Iudices Conseruatores possunt excommunicatione fulminate aduersus Iudices laicos,qui illorum causas cognoscere volunt.Ita docet doctiss.Mota de confit.ord.D.Iacobi lib.2.cap.1.§.9.ex Bullis Pontificis Alexandr.III.& aliorum. Idem docuit Franciscus Molina,& Michael Carranca præstantissimi Theologi apud eumdem Mota lib.2.ca.2.§.32.numero 31.& 43.Et nouissimè hanc sententiam amplexus est Cauallos tr.de cognit.per viam violentiæ,par.2.quæst.140.nu.13. vbi ita pluries fuisse iudicatum in Hispania testatur. Mastrillus verò tom.3.decis.280.num.165. adducit litteram Regiam, datâ die 10.Ianuarij 1609.vbi statuitur,huiusmodi milites in causis criminalibus,& mixtis gaudere priuilegio fori:causas verò ciuiles terminati debere iuxta stylum,& consuetudinem loci.Sed pro omnimoda exemptione fori,dictorum Militum, facit doctrina Layman in theol. mor. libr.4. tract.9.cap.7.nume.1.& Suarez contra Regem Angliæ,libr.4.cap.29.nume.7. asserentium, gaudētes priuilegio canonis,gaudere priuilegio fori. Sed dicti Milites D.Iacobi,Calatrauæ, &c. gaudent priuilegio canonis,

Anton. Diana Resol. Mot. Pars I.

vt ex multis notat Bonacina de censuris , disp.4.qu.4.punct.1. nume.7. Filliucius tom.1.tract.15.cap.1. quæst.4.num.14. Marius Antoninus Var.Resol.lib.1.c.112.cas.63.Carolus de Grassis de effect.cler.eff.9.n.131.Nauarrus cons.11.de Regular.Gipius de casr.reser.c.3.n.15.& alij.Ergò debent gaudere priuilegio fori;quia aliter in Iure non est determinatum,vt de clericis minoribus,qui gaudent priuilegio canonis,sed non fori,si conditiones Conc. Tridentini non obseruant.

An Princeps, seu ministri laici possint statuere irritando aliqua iuramenta, quæ in certis contractibus apponerentur.

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè videtur respondendum, & ita in Lusitania Iure Regio nouæ Recopil.libr.4. tit.73. irritantur omnia iuramenta, quæ in contractibus, & promissionibus apponuntur.

Sed negatiua sententia prorsus sustinenda est, quia lex lata à Principe sæculari,nihil potest circa iuramentum, cum negotium merè spirituale sit, vt super matrimonio , decimis , & similibus.Et præter Doctores quos citat, & sequitur Carolus de Grassis de effect.cler.eff.2.num.81.docent hanc sententiam Duardus in Bull.Cœn.lib.2.can.15.qu.19.numer.56.& plus,& doctus Iurisconsult.Martha de iuris.part.4.centur.1.cas.72.nu.28.qui contrariam sententiam falsam vocat, vt reuera est; & multos alios citat, quidquid sit de illa lege Lusitaniæ , quam conatur defendere Fagundez de Præcep.Eccl.tract.1.lib.3. ca.7.num.17.vbi putat,Reges illam legem constituisse ex priuilegio Summi Pontificis,quod licèt modò non extet,sufficit extare illius famam tempore immemorabili per effectum, & vsum priuilegij probatam.Dicendum est igitur, quod quoties statutum facit mentionem de iuramento,etiamsi hoc efficeret propter bonum finem,& bonum commune, est cōtra iurisdictionem Ecclesiasticam. Vnde si statutum præciperet, ne minores & mulieres possint contrahere,non seruata certa solemnitate, & contractus aliter factus,sit nullus,præsumptus,& simulatus, atque præsumendum minores dolo inductos ad contrahendum,etiamsi iurauerint,non valet:quia disponit de iuramento per indirectum,imò & de directo,cum faciat expressam mentionem de iuramento.Posse tamen dictum statutum sustineri, concurrentibus duobus,de quibus Martha vbi supra numero 28.Sed de hac quæstione vide infra.

An valeat statutum, in quo cauetur, ne filia,vel filius possint contrahere sine consensu patris, alias cadant ab hæreditate.

RESOL. LXXIV.

Aliqui affirmatiuam sententiam docuerunt , & ita ex Soto docet Ledesma in summa to.2.in Addit.ad Matr.cap.7.conclus.5.fol.mihi 57.vbi defendit legem quandam Hispaniæ ita decernentem,vbi sic ait.(Esta sententia tiene el Padre Maestro Soto, y otros Doctores, la razon es, porque el casarse sin la voluntad de los padres es contra la ley natural,y es pecado que perturba la paz de la Republica, como see la experiencia,luego iustamente las leges pueden castigar el tal pecado.)Ita ille,& idem ex neotericis tradit Cancer.part.1.cap. 24. nume.4.& part.3.cap.11.nu.4.tract.de succeß.creatio.§.10.nu.628.& Lup.in teper.cap.per verba,not.3.§.3.nu.9.de don.inter vir.& vxor.

Sed meritò aduersus dictam legem insurgunt etiam Doctores Hispani,vt Couarr.super 4.decr.part.2.cap.3.§.8.num. 5. 6. & 7.& nouissimè Francisc.Molinus de Ritu nupt.lib.2.disser.7.num.14. Veracruz in specul.coniug.part.3.art.20.conc.3.rat.2. Corduba in tract.cas.cōscien.quæst. 171. Nauarrus in Manuali,cap.14.num.15.Molina de primog.lib.2.cap.16.num.6.Guttierrez pract.quæst.lib.2.quæst.1.num.2.Matienzo in leg. 1. tit.1.glos.4.numer.2.libr. 5.& alij penes ipsos.Et ratio est, quia disponit de spiritualibus,& ideo est contra libertatem Ecclesiasticam.Et ita etiam docent Ludouicus Mor. consil.98. numero octauo,vbi multos adducit Martinus Vran.libr. 1. consil. 4. nu.34.Rausner.libr.1.consil.10.& alij.Vnde statutum puniens

D con-

contrahentes matrimonium cum hominibus alterius ciuitatis infringit Ecclesiasticam libertatem, & non est validum. Ita Ludou. Mor. cons. 96. nu. 9. & alij. Vnde Carolum de Grassis de effect. cler. eff. 2. nume. 81. & seq. & nouissimè Bellettum in disquis. cler. par. tit. 6. §. 4. num. 43. vbi sic ait. Neque vim legum habent leges, quę inferunt pœnas matrimonium contrahentibus sine parentum consensu. Nam etsi Principes eas tulerint ad honestatem persuadendum, quæ consistit in exigendo parentum consensu ab ipsis filijs ad coniugalem contractum: nō tamen habent vim, cum id spectet ad Summum Pontificem. Laici etenim nihil possunt statuere, quòd matrimonij liberum consensum impediat, etiam circa accidentia ipsi matrimonio. Ita ille; qui adducit nouem Doctores pro hac sententia, vnde de illa non est dubitandum, vt ex alijs iuribus, & rationibus probat Martha de iurisd. par. 4. cent. 1. cas. 80. num. 5. vbi nu. 11. notat, hoc procedere, si in statuto requiritur consensus de necessitate, secus autem si de consilio: quia si testator potest disponere, vt eius filia nubat de consilio alicuius, ergo & id poterit iudicis per statutum.

Notandum est etiam, quod in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 9. sic habetur. Præcipit Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel cuiuscumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant. Ex quibus verbis, videant ministri laici, ne statuendo aliquid circa matrimonia, incurrant in dictam excommunicationem, in quam minimè incurrerent Reges, & Imperatores, si talia efficerent, quia oportet illos exprimere, vt alibi expressit Concilium sess. c. 11. de reform. & in Bulla Cœnæ, vt notat Henriquez lib. 11. cap. 6. nume. 6. in Glossa, littera G, & Gutterez tract. de matr. cap. 79. num. 12. Neque etiam talem excommunicationem incurreret pater si iniustè impediret matrimonium filior. quicquid in contrarium asserat Martha vbi sup. de iuris. par. 4. cent. 1. cas. 71. num. 23. Et ita docet Sanchez de matr. tom. 1. lib. 4. disp. 12. numero 8. Nauarrus in summa, cap. 27. nume. 150. Molina tract. 2. disp. 176. Henriquez, & Guttierez vbi supra, cum alijs. Ex his omnibus apparet, patrem non debere, neque posse in foro conscientiæ exhæredare filiam, etiam stantibus his legibus, si nupserit contra eius voluntatem, nec posse cōfessarium absoluere patrem in articulo mortis, nisi prius reuocet testamētum vbi eam exhæredauit.

Post hæc scripta inueni Ioann. Valerum in suis Differentijs vtriusque fori, ver. matrimonium, differ. 1. hanc quæstionem tractare, & nobiscum sentire. Vnde miror Rebellium part. 2. lib. 2. q. 14. sect. vlt. 29. contrarium docere, quia tales leges, tantùm per accidens derogant libertati Ecclesiasticæ. Ergo non sunt iniustæ, & inualidæ, docet Caietanus in summ. verbo. Excomm. cas. 31. & 37. cum Nauarro c. 21. n. 120.

Sed hanc sententiam Nauarri, & Caietani suprà refutauimus, ergo non est audiendus Rebellus. Ad illud verò, quod asserit Ledesma, quod dictæ leges sunt latæ propter bonum commune, vt conseruetur pax, & concordia inter ciues. Respondeo quod vtilitas publica, & bonum commune non confert iurisdictionem laicis, vt possint statuere aliquid in detrimentum libertatis Ecclesiasticæ, vt notant communiter Doctores tam Theologi, quàm Iurisconsulti. Sed hoc accideret in casu nostro. Ergo, &c.

An clerici teneantur, & possint per sæculares Iudices cogi ad reparandam viam ante domos suas?

RESOL. LXXV.

Affirmatiuè respondet Petrus de Cenedo in collect. Iuris, can. part. 1. collect. 37. nume. 4. Humada in lib. 54. tit. 6. pa. 1. gloss. 2. num. 18. Tiraquell. de retract. lignag. §. 32. gloss. vnica, numero 80. Ludouicus Mexia in Pragm. taxæ panis, conclus. 5. numero 70. vbi ait. Clericos Ecclesiasticasque personas cogi posse per sæcularem potestatem reparare viam ante domū, & itineris pertinentia sua mundare facere suis expensis; quod est notandum in praxi, circa ordinationes Hispalenses (Para que no echen agua suzia por las calles ni otras immundicias.) Et ad mandata Præfecti vrbis Hispalensis pro mundandis per vicinos viarum suis pertinētijs, vt ab his mundi tijs clerici etiam non excusentur, nec à pœna, & mulcta effundentium amurcam per vias publicas, quod iam vidi practicari. Ita ille, & alij Iurisconsulti.

Sed hæc omnia sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, vt in casu simili aduersus Henriquez lib. 10. cap. 15. §. 7. in Glos. littera C. rectè notauit Vitaldus in candelabro super Bullam Cœn. cas. 18. nu. 9. Et ita asserit Ludouicus Molina de instit. to. 3. tract. 2. disp. 272. num. 5. Si vicini omnes contribuant ad sternendam lapidibus viam, quæ est ante ianuas ipsorum: tunc etiam Ecclesiastici, qui ibi habent domos, tenentur similiter contribuere. Sed in tali euentu non possunt sæculares per seipsos compellere Ecclesiasticos vt contribuāt; si Ecclesiastici renuant; sed id efficere debent per Episcopum, aut per alium legitimum Iudicem Ecclesiasticum. Idem etiam docet Laymā in Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 6. n. 7. Falsum est etiam, quod tenentur ad pœnam effundentium amurcā, & similia per vias publicas, nam Clerici non subduntur pęnis impositis à sæculari potestate, ex defectu iurisdictionis. Et horum omnium ratio, iam supra sæpius explanata est.

Nec etiam mihi placet doctrina illa, quam adducit dictus Mexia loco citato, num. 44. nempè, quòd si graculi, aut vermes, vel locustæ, seu bruchi nascuntur in vineis, & messibus alicuius clerici, per statutum cogi potest cum alijs, in quorum vineis, & messibus reperiuntur huiusmodi animalia, vt suis expensis ea capiat, & occidat. Quo in casu quantumcumque priuilegiati, ne & alij inficiantur, possunt cogi etiam de facto, vt suis expensis id faciant, & ita se vidisse practicari testatur. Non, inquam, hęc doctrina mihi placet, & illam reprobat Molina, vbi supra. Nam in tali casu Ecclesiastici, licèt teneātur, debent tamen ad id compelli per Iudicem Ecclesiasticum, & non per sæculares. Et exempla quæ adducit Mexia ad confirmandam sententiam, non faciunt ad rem: quia in illis casibus adest necessitas, nec aliter fieri potest, neque tempus concedit adire Ecclesiasticum superiorem. Ergo, &c. Et ita enim docet in similibus casibus Ioan. Salas de legibus, disp. 14. sect. 9. & sect. 11. n. 114. vbi sic ait. Quādo contributio facienda est æquè primario in vtilitatem clericorum, ac laicorum, ver. gratia, pro reparatione aggerum, ne flumē vicinos agros clericorum, & laicorum inundet. Non potest tamen tunc per se potestas laica clericos recusantes compellere, sed per Ecclesiasticam. Quod si id commodè fieri non posset, putant quidam non esse omnino improbandam realem executionem, quia in tali casu præsumi potest ratihabitio, seu tacita licentia Summi Pontificis, sed tutius censet Lessius, & ego omnino necessarium, vt hæc expressè ad tales casus per Principes petatur. Hęc Salas.

An clericus qui falsa mensura, triticum, vinum vel oleum vendidit, possit puniri à Iudice sæculari?

RESOL. LXXVI

Affirmatiuè respondet Chassaneus Consuet. Burgund. rubr. 1. §. 5. n. 90. Petrus Cenedo in collect. iur. can. pa. 1. collect. 37. n. 18. & Ludouicus Mexia pragm. taxæ panis, conclu. 5. n. 29. cum alijs Iurisconsultis.

Sed ex dictis contrarium prorsus asserendum est, nam vt firmat Augustinus Vigianus, tract. de immu. Eccles. disp. 2. concl. 5. Vasquez in part. 2. tom. 2. disp. 167. cap. 4. num. 29. & 30. Salas de legib. disp. 14 sect. 9. num. 106. Barbosa in collect. tom. 1. libr. 3. decret. tit. 17. cap. vt mensura, de empt. & vend. num. 5. qui citat Maltham, & alij Theologi communiter, Clerici, legum ciuilium violatores, minimè puniri possunt à politico magistratu. Et licèt vt superius diximus, teneantur obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ spectant ad regimen Ciuitatis, & sacris Canonibus, ac clericali officio non repugnant; tamen ad hoc tenentur non directè, sed indirectè, non vi legis, sed vi rationis: & ideò non possunt à Iudice sæculari, si illas transgrediuntur, aliquo pacto puniri, sed ad Iudicem Ecclesiasticum recurrendum est. Vide etiam Fillīuc. tom. 2. tract. 35. c. 9. nu. 94. & Bartholomæum à S. Fausto in specul. confess. disput. 6. quæst. 44. numero 5.

An

An Iudex Laicus possit cognoscere crimen vsuræ, siue de iure, siue de facto quæratur.

RESOL. LXXVII.

AFfirmatiuè respondet Tannerus in 2.2. disp. 4. q.4. dub.1. num.35. Salas tract.de emp.dub.45. nu.1.& 2.cum Emanuel Sà ver.vsura num.15.& nouissimè Ioann.de Hevia in suo labyrin.commer.lib.2.cap.1.num.37. vbi sic asserit. (Del delicto de la vsura no solo puede conocer el juez Ecclesiastico,sino tambien el seculat,por ser mixti fori. Y procedono solo en quā to a la question del hecho,si se cometio,ò no la vsura,sino tambien en quanto à la question del derechio,si el contrato es vsurario,ò no.)Idem etiam docuit in curia Philippica par.3.§.9.n. 27.& ante illum Rodericus de Ann.reddit.lib.3.q.3. num.122. cum multis alijs Iurisconsultis.

Sed meritò contrariam sententiam tenuit Salonius in 2. 2. tom.2.quæst.78.art.3.contr.vlt. vbi ita ait. Verior, & communior DD. tam Theologorum, quam Canonistarum sententia docent, vbi fuerit apertum, contractum aliquem vsurarium esse, huiusmodi delictum esse mixti fori, ita vt sit locus præventioni, posseque huius delicti reum, vbi non vertitur in dubium illum commisisse vsuram, tam ex mādato Iudicis Ecclesiastici, quàm sæcularis, compelli ad restitutionem vsurarum, si quas acceperit, & ratione illius delicti puniri. Vbi res verò dubia fuerit, & anceps, vtrumque pertinet ad Ecclesiasticum Iudicem,& declarare,an contractus ille in iudicium Ecclesiæ, tamquam suspectus de vsura vocatus vsurarius sit, & reum, si in labem iniquitatis vsurariæ inciderit, ad restitutionem compellere, & punire. Quæ omnia communi vsu Tribunalium, Ecclesiastici, & sæcularis obseruantur. Ita Salonius,cuius sententiam amplexi sunt,etiam Layman in Theol. moral. libro 4. tract....cap.2.numero 8.& 9. Azorius parte 2.lib.3.cap.53.qu.2. Raguetius in Lucema Parochorum tit. de Restit. quæstio 219. Michael de Palatio libro 4.contract.c.vlt. Cardinalis Tuschus tomo 8.§.vsur.concl.357.num.19. Clarus §.fin.quæst.37. Reginaldus in praxi tomo 2. lib. 23. cap.9.sect.1.num. 93. in fin. & Bonacina de contr.disp.3.quæst.3.punct.vlt.num.2. Martha de iurisdict.p.2.ca.7.num.11. ita asserens. Alia causa est,cur vsura dicatur crimen Ecclesiasticum, nempe quod licèt dum de punitioni agitur, & quæstio est facti, vsura pertinet tam ad laicum,quàm ad Ecclesiasticum Iudicem.Quando tamen quæstio est iuris,hoc est quando inquiritur,num contractus sit vsurarius, propriè pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum de ea cognoscere. Ita ille. Et hanc sententiam docuit etiam ex Panormitano Syluester, verb. vsura 9. in principio, & Scaccia tract. de commer. §.7. Gloss.3. num.81.ita vbi ait. Concludc ex horum omnium casuum distinctione, & resolutione, quod cognitio an contractus sit vsurarius, pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum, & non ad sæcularem, vt notauit Card. Turrecremata in cap.quid dicam,sub num.5.ver.ad tertium 14.quæst.4. Ita Scaccia;vide etiam Bobadillam in polit. tomo 1.libro 2. ca.17. numero 40.

Vtrum clerici teneantur ad gabellam,quæ imposita est pro manutenendo exercitum in partibus inimicorum, vt tutius confinia Regni conseruentur?

RESOL. LXXVIII.

AFfirmatiuè respondet Henriquez lib. 10. cap.13. num.5. in Glossa,litt.Q.vbi sic asserit. Anno 1590. consulti Salmanticenses Iurisperiti, Moija, Solis, Didacus, Henriquez, Sahagun, Bernal, & ex Theologis Magister Gueuara, Bannez, & plerique alij,admittunt iustè compelli clerum per Episcopum contribuere pro ingenti pecunia, quam Regna, & Senatores verbis promiserant Regi pro adiuuandis Catholicis contra hæreticos Gallos,& vt tutius conseruentur confinia Hispaniæ. Ita Henriquez.

Sed contrariam sententiam docet Carolus de Graffis de eff. Cler.eff.3.num.243.vbi putat, quòd tunc clerici tenentur contribuere, quando vtilitas, siue necessitas principaliter, & immediatè, & non mediatè, & in remotis tangit illos, vt ait ipse: quando Princeps vellet imponere gabellam, seu collectam pro manutenendo exercitum, & faciendo bellum in partibus inimicis, ne inimicus accedetet ad suas ciuitates, licèt ex isto actu,ciuitas cui imponitur gabella consequatur vtilitatem:scilicèt, quod propter tale bellum hostes non possunt molestare ciuitatem. Ita ille; & hæc opinio contra Henriquez, est omnino tenenda,vt nos supra etiam firmauimus.

An Clericus coniugatus cum vnica, & virgine vestes clericales & tonsuram deponens, si postea illas reassumat, gaudeat priuilegio fori?

RESOL. LXXIX.

NEgatiuè respondent aliqui Iurisconsulti, & ex neotericis, hoc etiam docet Auendagno de exequend. mandatis Regis, lib.1.cap.22.n.15.

Sed contrariam sententiam amplectendam omnino esse iudico. Et ita docet M.Antonius Cucchus in instit. lib.3. tit.9.n. 67. vbi ita asserit. Si clericus coniugatus, qui clericales vestes induere non solebat,eas tandem cum tonsura assumpserit, priuilegio fori potietur. Vide etiam Barbosa in l. Titia 35.num.35. ff.de solut.matrim.Clarus lib.5.receptarum,§.fin.quæst.36.numero 15.& alios.

An Iudex laicus possit procedere contra animalia, & pecora clericorum, quæ in alienis pascuis reperta fuerunt?

RESOL. LXXX.

HAnc quæstionem tractant inter multos Guttierr. practic. qq.lib.1.qu.4. nu.2. & Ceual. in tract.de cognit. per viam viol. part.2. quæst.11.num.44. & distinguunt. Nam aut Iudex sæcularis procedit contra personam clericorum, & religiosorum pro executione pœnæ statuti, & ordinationis, vel contra ipsa pecora quæ fuerunt reperta in pascuis alienis, & prohibitis.In primo casu non potest, secus autem in secundo, quando scilicet procedit contra pecora. Et ita fuisse decisum in Regali Cancellaria Pinciana,& esse de stylo Curiarum sæcularium, testantur.Idem etiam docet Heuia in cur.Philipp part. 3. §. 17. num.13.

Sed ego circa præsentem distinctionem semper magnam habui difficultatem, & nouissimè illam improbat Barbosa in collect.tom.1.lib.1.tit.2.cap.10.num.6.vbi sic ait.Statuta laicorum,pœnarum condemnationem,& exactionem impotentia aduersus eos, quorum pecora damnum dederūt, aut in fructibus;vel in pastibus vetitis fuerunt inuēta,nō ligare clericos,& Ecclesiasticas personas,quia indistinctè sæcularibus prohibetur,clericos distringere,aut condemnare cap. 2. de foro comp. tum quia causa,quamuis sua natura merè temporalis sit;ratione personæ clerici,contra quem mouetur,manet Ecclesiastica, quicquid in contrarium resoluant aliqui. Idque suadere conātur ex eo,quia quando onus impositum est rei,potest sæcularis iubere, vt executio fiat in re, quæ in suo territorio, & iurisdictione est,non habito respectu,an persona cuius res est, pertineat ad suum forum, vel iurisdictionem. Confirmatur hæc ratio,quia hoc pacto persona clerici non condemnatur à Iudice sæculari,nec eius statuto ligatur, quia in personam clerici nulla dirigitur executio,sed onus reale rei impositum à clerico exigitur,sicut aliud quodcumque tributum reale. Sed ratio hęc non euincit,cum omnino oporteat, sententiam ferri, & condemnationem penarū fieri in persona,quia animalia minimè sunt capacia,quod conueniantur,vel condemnētur;argum.capite secundo.vbi tem,quæ culpa caret,in damnum vocari non conuenit,hoc titulo capite mulier,vers.quæritur,15.quæstione quinta,ibi nec vllo modo capax legis sit,bonus tex. in l. 1. post princ.si quadrupes pauperiem fecisse dicatur,ergo fundamentum prædictum contrariæ opinionis secundum iuris rigorem, stare non potest. Ita Barbosa, licèt vt supra diximus, contrariam sententiam multi doceant.

An Iudex Ecclesiasticus possit punire laicum,qui crimen sacrilegij commisit.

RESOL. LXXXI.

HAnc quæstionem pertractat nouissimè Cęuallos in tracta. de cognit.per viam violentię,part.2.quęst. 59. per totam. & alij

& alij penes ipsum, asserentes aliqua, quæ mihi minimè placêt. Ideò absolutè assero cum Barbosa in suis Collect. tom.2. lib. 5.tit.23.cap. 2.num.9.& alijs, sacrilegium esse mixti fori. Ita vt non minus, sed æquè principaliter de eo aduersus laicum cognoscere possit Ecclesiasticus Iudex, atque sæcularis, & inter eos locus sit præuentioni; iuxta cap.de foro comp.& in c.cum sit generale, de pœnis in 6 vnde idem Barbosa num.54. asserit, tenendam esse sententiam eorum, qui docent mixti fori, & ad Ecclesiasticum Iudicem trahi posse, non solùm inuasores rerũ Ecclesiasticarum, quando per vim eas occupant, verùm etiam omnes alios, qui in negotijs cum Ecclesia gestis eius rebus præiudicant quoquomodo, per fraudem scilicèt, vel aliter contra iustitiam, quod confirmatur ex alia communi resolutione Doctorum asserentium Ecclesiam læsam in contractu, de cuius nullitate, vel exceptione agitur per in integrum restitutionem laicos coram Ecclesiastico Iudice posse conuenire. Notandum est etiam, quòd supradicta sententia, non solùm procedit in rebus Ecclesiæ, sed etiam in rebus Clericorum, ita vt laici eorum inuasores, coram Ecclesiastico Iudice conueniri, & adeò valeant coerceri, quidquid in contrarium asserat Barbosius, Decianus, Pereira, & alij, putantes, minimè res clericorum potiri priuilegio rerum Ecclesiasticarum, neque propter violentiam in eis illatam, posse laicos trahi ad Ecclesiasticum Iudicem, quæ sunt omnia notanda, vt obseruat doctè Barbosa loco citato.

Et pro fine huius Resol. obseruandum est etiam, malè Cæuallos vbi sup. nu.17 docere, laicum non posse conueniri coram Iudice Ecclesiastico, si verba iniuriosa aduersus clericum emisit, nam contrarium docent. DD. & inter Hispanos ipsos Ioan.de Heuia in Curia Philippica part.3. §.2.num.6.vbi sic asserit. [Conose tambien el juez Ecclesiastico contra legos que iniurian a los clerigos y personas Ecclesiasticas, aunque tambien lo puede hazer el seclar.]

An quadam doctrina Syluestri, de gabella soluenda à Clericis super pane, vino, &c. sit vera?

RESOL. LXXXII.

IN ver.immunitas, p...... num.22. Sylu. sic asserit. Posito quòd propter debita, aut aliud, Consules Gabellam ponant super carne, aut vino, & huiusmodi, quam Ecclesiæ soluunt indirectè, cum emant carius, distinguendum est. Nam si eam ponunt propter abusum, & excessum eorum, scilicèt quòd fecerunt, sic non licitè ponunt, sed soluant de suo; si verò ponunt propter communem vtilitatem, tam clericorum, quam laicorum, sic licèt eis. Si verò propter vtilitatem laicorum principaliter, clericorum verò indirectè, & à remotis, iterũ distinguitur. Nam aut faciunt animo extorquẽdi pecunias ab Ecclesiasticis, quas extorquere alio modo non possunt, & sic non licèt; Aut non faciunt eo animo, quia etsi nõ essent Ecclesiasticæ personæ, adhuc eam imponerent, & sic licèt eis. Ita ille, & ante illũ Angelus in verb.immunitas, num.42. Idem docent Henriquez libro 10.ca.15.num.5.& in Glossa, litt.O. Paulus de Castro cons.432. lib.2. Octauianus Vulpellius de libert.Eccles.p.2.nu.51. Lopez in instruct.p.2.c. 40. Vide etiam Malderum in 2.2. tract.5.cap. 6.dub.11.in fin.

Sed falluntur equidem, & cautè legendi sunt. Nam vt suprà probatum est, Ecclesiastici non tenentur soluere gabellam, quæ principaliter cõcernit laicorum vtilitatem, & secundariò clericorum. Et ridiculum est dicere, quòd dicti Authores asserunt, clericos tunc non teneri ad solutionem dictæ gabellæ, quando extorqueretur ex animo accipiẽdi dictas pecunias ab Ecclesiasticis, quas extorquere alio modo laici non possent, secus autem si non eo animo. Nam respõdetur, exemptionem clericorum non dependere ex bono, vel malo animo imponẽtium gabellas; sed ex priuilegio, quod ex iure diuino, & humano illas habent non soluendi. Et si talis opinio esset vera, semper laici imponerent gabellas absque illo malo animo, & sic Clerici semper illas soluerent. Dicendum est igitur, clericos exemptos esse à dicto onere gabellarum super carne, vino, serico, &c.

Et ideò Rodriquez in sum.tom.2.cap.75.nu.14. ita ait. [Ni desto se pueden quexar los clerigos, pues pueden comparari estas cosas en sus carnicerias, y tauernillas, y officinas, particularmente deputadas para ellos, donde commodamente las pueden tener. Verdad es que donde commodamente no puedẽ hauer estas officinas particulares, seruia por muy sospechosas las dichas imposiciones respecto de los Ecclesiasticos.] Sic ille. Et absolutè tanquam falsam hanc opinionem Angeli, & Syluestri refellit ex nostris P. Megala in p.2.lib.2.c.17.quæst.9. num.106. Guttierez in tract.de gabellis, quæst.92.num.6c. Sed an in dicto casu, possint laici aperire tabernas, in quibus sine onere vectigalis, confluere possint clerici, respondet Rodriquez, & Henriquez, vbi supra, affirmatiuè, quibus etiam adde Ledesmam in summ.tom.2.tract.7.ca.2.conc.27. Sed hoc difficultate non caret. Vide suprà Resol.44.

An Episcopus possit visitare Hospitale, etiamsi à patrono in ipsius fundatione aliter cautum sit, & maxime consentiente ipso Episcopo.

RESOL. LXXXIII.

REspondeo negatiuè. Nam licèt DD. communiter asserant, posse Episcopum visitare Hospitalia: esto, si testator prohibuisset, ne se Episcopus intromitteret, vt docet Duardus in expos Bull.Cœn.lib.2.can.15.q.8.num.16. Vgol.de potest.Episc.cap.24.§.1.nu.3. Cocchier.de potest.ordin.in exemptos, par. 4.q.53. Zerola in praxi Episc.part.1.vers. Hospit. nu. 2. Martha de iurisd.p.4.cent.2.cas.88.num.14.& cas.113.nu.31. Fuschus de visit.lib.2.cap.12.num.7.& 8. Vide etiam Riccium p.4. decis.209.per totam, cum multis alijs.

Tamen ista opinio est limitanda, vt non procedat, quando Episcopus in ipsa fundatione consensit, vt rectè obseruarunt doctissimi Iurisconsulti, Perez de Lara de Anniuer. & Capellan.lib.2.cap.1.num.48. Guttierrez in Repet.in leg. nemo potest, ff.de legat.1.num.451.iuncto cons.1.num. 1. & Gonzalez sup.8.Reg.Cancel.Gloss.5.num.41.qui citat Rochum de Curte, Abbatem, Felinum, & Lambertinum.

Et ratio est, quia licèt Episcopus non possit cõsentire in præiudicium, & derogationem iuris acquisiti Episcopatui, potest tamen iuri quærendo præiudicare. Et licèt supradicta limitatio non admittatur à Federico de Senis cons.247 & alijs, attamen post Concilium Trid.sess 22.cap.8.& 9.meo iudicio nõ est dubitandum. Nam vt notat, vbi supra, Gonzalez num. 48. cum Ecclesiæ, & loca pia fundari nequeant sine consensu Episcopi, præsupponendo Concilium validam fundationem, disponit, quòd clausula & conditio expressè apposita, quòd Ordinarius non se intromittat, est seruanda. Ergo Concilium intellexit, quòd si Episcopus in fundatione consentiat, non posse postea locum pium visitare, & posse in iure quærendo Episcopatui præiudicare.

Sed quicquid sit de hac quæstione, etiamsi Episcopus non cõsentiat, dummodo fundator in fundatione Episcopum à visitatione excluserit, puto non posse Hospitale illud visitare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, vt notat Armendat.in addit.ad leg.Nauarr.lib.1.tit.6.leg.5.§.2.num.66.in hæc verba. Si in fundatione Hospitalis sit dictum, quòd Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non poterit illud visitare, & stante dicta declaratione, in vna Abulẽsi ita fuit decisum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinac.to....p.2.decis.33. Vide etiam Riccium in collect. 1227. & 1228. Et ita sentiunt DD. communiter, Azeuedus tom 2.lib. 4.tit.1.leg.10.num.29. Muta dec.28.num.29. Carol. de Graffis tract.de effect.Cleric.effect.1.num.610. & Garzias de Benef. tom.1.part.1.cap.2.nu.98.& 104.vbi asserit, ita nouissimè declarasse S.D.N. Paulum V.die 7.Aprilis 1606.in causa Abulensis, pro Comite de Oropesa, contra Episcop. vt in eius breui sub annulo Piscatoris.

Vnde per dictas declarationes apparet. Primò, reprobandã esse sententiam Zerolæ, qui in Praxi Episc. part.1. verb. Hospitale, num.3. putauit Concilium Tridentinum, vbi supra, loqui tantùm in casu visionis computorum non autem in casu visitationis. Nam Congregatio Cardinalium extendit verba Concilij, non solùm ad visionem computorum, sed etiam ad visitationem.

Secundò, reprobatur etiam sententia Alexandri Monetæ, qui, in tract.de commut.vlt.volunt.cap.10. concl. 7. num. 478. asseruit, quòd Cõcilium loquitur solùm de administrationibus fabricæ alicuius Ecclesiæ, sed fallitur. Nam illa verba Concilij, *nisi secus in institutione*, intelliguntur etiam habere locum, in

in visitatione, & casu visionis computorũ alicuius Hospitalis, vt aduertit Guttierrez canon.qq.lib.1.cap.35. num. 19. quem sequitur Rodriquez in summ.to.3.cap.198.num.3 Et patet ex verbis declarationis Cardinalium, quæ supra adduximus. Nec minus fallitur hic Author, dum asserit, quod quando testator excludit Ordinarium à visitatione, intelligendum est, cum agitur de immutanda principali dispositione defuncti, non autem præcisè exequenda. Sed hoc est gratis dictum. Nam in casibus, in quibus fuerunt factæ dictæ declarationes, clarum est quod Episcopi non intendebant visitare illa Hospitalia, ad immutãdas fundatorum, & testatorum voluntates, sed ad exequendas. Et hoc non obstante responderũt Domini Cardinales absolutè, & sine vlla distinctione, quòd si in fundatione dictum sit, quod Ordinarios nõ possit se intromittere in eius visitatione, & non posse illud visitare.

Tertiò exploditur Augustinus Barbosa de potest. Episc. part. 3. Alleg. 75. n. 9. qui docet, supra dictas declarationes Cardinalium intelligendas esse de Hospitalibus, quæ à laicis reguntur, quasi merè laicalibus & in quibus piæ dispositiones nõ adsunt, vel de loco pio hospitalitatis causa priuatim instituto, intra ipsiusmet instituẽtis ædes incluso, ita vt ab extra, si quod opus sit, spiritualitatis vocetur. Sed miror Barbosam, alias virum doctum, sic leuiter in hac materia loqui. Nam declarationes Cardinalium loquuntur de Hospitalibus omnibus in cõmuni, & absolutè & sine vlla distinctione, & in quibus piæ dispositiones adsunt, & erectæ sunt Cappellæ, cum onere Missarum, vt patet in illa declaratione facta in causa Hospitalis de Holmedo ciuitatis Abulensis, & in multis alijs.

Quartò non valet dicere, quòd declarationes Cardinalium loquuntur de Episcopo, qui vult visitare aliquod Hospitale, vt Episcopus, non autem vt Apostolicæ Sedis delegatus, vigore Concilij Trid. sess. 23 cap. 8. Et pro hac opinione faciunt ea, quæ adducit Marius Antoninus var. Resol. lib. 1. Resolut. 66. num. 4. Sed hæc responsio est ridicula. Nam Cardinales fuerũt interrogati in ordine ad dictum decretum Concilij: Et ipsi de dicto decreto loquentes responderunt. Et ratio, per quam adstricti fuerunt ad faciendas illas declarationes, nempè, vt seruetur forma in fundatione apposita; non solùm militat, si Episcopus velit visitare Hospitale, vt Episcopus, sed etiam, vt delegatus Apostolicus. Et ita in casibus occurrentibus, pro quibus emanarunt dictæ declarationes, Episcopi se abstinuerunt à visitatione Hospitalium, & aliorum locorũ piorum, in quorum fundatione cautum erat, ne Episcopi se intromitterent.

Et tandem pro cõplemento huius quæstionis, licèt Garzias vbi supra de benef. to. 1. p. 1. cap. 2. n. 98. cum alijs asserat dictas declarationes non esse intelligendas in casu negligentiæ. Nam fundator, seu testator non potest prohibere, ne Episcopus se intromittat circa implementum, & executionem eorum, quæ ad pias causas relinquuntur, vt ex cap. tua nobis, §. 1. de testam. probant Bobadilla in polit. lib. 2. cap. 17. nume. 102. Suarez in praxi, tom. 2. Prael. 2. numer. 44. Sarmiento lib. 2. Select. cap. 11. num. 14. Spino in speculo testam. Glossa 28. principali, num. 20. & alij. Tamen quicquid sit de hac opinione, notandum est, quod si esset amplectenda, limitanda foret, vt non procederet, quando in casu negligentiæ fundator, seu testator alios executores substituerit, vt rectè notant Aufrerius in Apost. decis. 112. Capellæ Tholosanæ, & Alex. vbi sup. de commi. vlt. volunt. cap. 10. concl. 7. num. 475. cum Couarr. in cap. tua nobis, de testam. 2. & Matienzo lib. 5. tit. 4. leg. 7. Gloss. 2. num. 2. folio 120. & leg. 14. Gloss. 1. num. 45. fol. 130. Tunc enim excluditur Episcopus, donec substituti constituantur in negligentia. Et ita etiam docet Perez de Annũt. lib. 2. c. 9. nu. 26. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem satis difficilem quæstionem.

Hoc vnum addam, & multum notandum, quòd licèt Conc. Trid. in sess. 22. annullet omnia priuilegia exemptionis Hospitalibus concessa in illis verbis, cap. 8. *Etiamsi exemptionum priuilegio sint munita*, tamen hæc verba intelligenda sunt de priuilegijs extra, & non in ipsa fundatione concessis. Et ita declarauit Sacra Congreg. exponens supradictum locum Concilij, in hæc verb. *Si loca pia in eorum fundatione exempta facta fuissent ab Ordinario, per hoc decretum nihil est eis derogatum.* Hanc declarationem ego inuolui in schedis meis, desumptam olim ex Farinacio.

An Tertiarij D. Francisci, seu Bizocche, vel Beatæ vt vocant, gaudeant priuilegio fori, & possint consequi legatum relictum pro Monachatu?

RESOL. LXXXIV.

GAudere si in communitatibus viuant, putauit Barbosa de potest. Episc. p. 2. Allegat. 12. num. 41. & alij penes ipsum. Difficultas verò est, si non collegialiter viuant, sed in proprijs domibus. Negatiuam sententiam docuit Carolus de Grassis de effect. cler. effect. 1. nu. 93. Et præter illos, quos ipse citat, mordicus docet hanc sententiam Cauallos in tract. de cognit. per viã violentiæ, p. 1. quæst. 61. vbi num. 24. asserit, quod etiamsi collegialiter supradicti Fratres viuant, non gaudent priuilegio fori, ex determinatione Leonis X. Et sic non est amplius de hoc dubitandum, cum causa sit iudicio Ecclesiæ decisa. Ita ille.

Sed fallitur. Nam vt benè notat Pontius vbi infra, & Ioan. Baptista Confertus in Collect. Priuileg. tit. 23. cap. 14. in fine, posteà supradictus Pontifex, per aliam suam Constitutionem, in specie huic breui derogauit, & deinde Paulus III. Gregor. XIV. & Sixtus V. in eorum litteris, dictorum priuilegiorum confirmatorijs, eiusdem Concilij Lateran. decretis derogarũt. Ergo non benè asserit Cauallos, hãc sententiam esse ab Ecclesia decisam: Et ideò mihi contrariam opinionem tuetur: nẽpè supradictas mulieres, quamuis possint cõtrahere matrimonium, tamen interim, donec religiosè viuunt, gaudere priuilegio fori, & canonis: sicut clerici in minoribus & nouitij possunt contrahere matrimonium, & tamen fori priuilegio gaudẽt: Et ita in fauorem dictarum mulierum tertij ordinis D. Francisci, nouissimè ex Felino, & alijs docet Gratian. in discept. to. 3. cap. 413. num. 38. & ex Theologis Rodriquez in qq. Regular. tomo 2. q. 65. art. 5.

Sed quid ego sentiam dicam breuiter. Igitur si viri huius ordinis collegialiter viuãt, & mulieres si vitam virginalem simpliciter expressèque vouerint, etiamsi habitent in proprijs domibus, puto priuilegio fori gaudere. Et ita docet Basilius Pontius de imped. matr. caus. 27. c. 19 §. 5. Portel. in dubijs Regular. ver. Tertiari, num. 7. Piasecius in praxi Episc. nouissima, part. 2. cap. 3. art. 7. num. 11. & Cherubinus in Compen. Bullar. tom. 1. constit. 22. Leonis X. schol. 2. ex declaratione Illustrss. Cardinalium ita asserentium. Sacra Congregatio Cardinalium, Tridentini interpretum consulta respondit: Fratres Tertiarios Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demum ordinis; cuius tertiæ regulæ habitum assumpserunt, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuant, seu cum Claustralibus habitent: & mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerunt, quemadmodum cauetur constitutione Concilij Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fin. Hoc autem voto mulierũ, alia duo, scilicet paupertatis, & obedientiæ, nequaquam includi. Quinimo huiusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter expresseque vouerint etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitãtes supradictis priuilegijs Ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum deferunt, exemptionemque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, quẽadmodum idem Leo postea declarauit, constitutione edita die 1. Martij ann. 1518. Quod si Fratres Sororesque Tertii Ordinis quid amplius prætendant vigore consuetudinis, posse ius suum prosequi in iudicio ordinario. Hierony. Cardin. Pamphilius.

Vnde ex his apparet, me his diebus probabiliter respondisse Gubernatoribus Montis Pietatis, supradictas mulieres Tertiarias, si habuerint requisita expressa in dicto responso Cardinalium, consequi posse legatum relictum pro monachatu, licèt contrarium doceat noster Franciscus del Castillo libro primo, decisione 88. numero secundo, & Aloysius Riccius parte quarta, collectanea 1051. Et ratio nostræ sententiæ desumpta est ex §. sed hoc præsenti, Auth. de sanct. Episc. coll. 9. Nec obstat Bartholus in leg. commodissimè, ff. de lib. & posthum. quia loquitur de ingressu Monasterii, non autem de simplici monachatu. Et ita fuisse decisum apud Rectores Orphanorum, & in Curia Archiepiscopali Panormitana testatur Castillo vbi supra, licèt vt diximus ipse contrarium sentiat. Idem etiam fuisse decisum apud Rectores S. Bar-

barę, & Montis Pietatis mihi constat. Et ita etiam tenuit p. Ioseph. Ragusa Societatis Iesu, in quodam Consilio in fauorem Monachatus dictarum mulierum. Vide etiam Sousa in tract. de Tertiarijs.

An Iudex Ecclesiasticus possit cognoscere inter laicos; de alimentis filio spurio debitis?

RESOL. LXXXV.

NEgatiuam sententiam docuit Cęuallos tract. de cogn. per viam violentiæ, par. 2. quæst. 53. num. 5. qui citat Thesaurum decis. 211. n. 4.

Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse puto. Nam cognitionem huius causæ esse mixti fori, docuit ex Theologis Societatis Iesu nouissimè Sãctarellus var. Resolut. part. 1. quæst. 34. nume. 2. qui citat Laram, & Barbosam, quibus ego addo Surdum de alimentis, tit. 8. priuilegio 6. nume. 6. & à fortiori Couarr. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. num. 6. Mol. de primog. lib. 2. cap. 15. num. 76. Aretinum cons. 48. nume. 5. & alios. Vide etiam Bellettum in disquis. cler. part. 1. tit. de fauore clericorũ reali, §. 5. nume. 69. Igitur in electione filij spurij petenda erunt alimenta coram Iudice Ecclesiastico, vel laico; vnde reiecta manet opinio Cæualli, Thesauri, & aliorum.

Notandum est tamen pro Iudice Ecclesiastico in præsenti casu, quod sub nomine alimentorum veniunt cibaria, vestes, potus, habitatio, medicinæ, lectus, & alia huiusmodi, sine quibus vita transigi non potest, vt ex pluribus notauit supradictus Sanctarellus vbi suprà q. 37. per totam.

Sed difficultas est, an alimenta præstanda sint filio spurio attentis, & consideratis diuitijs paternis, & eius qualitate, & dignitate; Negatiuam sententiam docet Lara, Palatius, Gamma, Rebellus, & alij apud Barbosam in collectan. tom. 2. libr. 4. tit. 7. c. 5. n. 12.

Sed ipse meritò affirmatiuam sententiam tenet; & ita docet Francus dec. 283. num. 18. & 19 Molina de iust. tract. 2. disput. 163. Lessius lib. 2. c. 19. nume. 67. cum alijs apud Barbosam, quibus adde Sanctarellum loco citato var Resol. part. 1. q. 31. nu. 29. Azorium p. 2. lib. 2. c. 3. q. 2. & nostrum Megalam in p. 2. libr. 2. c. 2. q. 2. n. 4. qui, vt semper solet, doctè hanc quæstionem pertractat. Id verò, quod diximus de parentibus circa filios, dicẽdum est de filijs circa parentes, vt notant 10. Doctores apud Barbosam vbi suprà nu. 6. qui n. 11. cum multis alijs limitat supradicta, si spurij de sua arte, vel operibus, aut aliunde commodè viuere possunt. Et ita ex Theologis docuit etiam Henriquez lib. 11. c. 19. n. 2. & in Glossa, lit. N. vbi alios citat.

Quando Iudex laicus, & Ecclesiasticus possint cognoscere de crimine adulterij.

RESOL. LXXXVI.

DE hac quæstione agunt Ioan. de Heuia in Curia Philipp. p. 5. §. 2. n. 20. Couarr. de spons. par. 2. c. 7. §. 7. n. 12. Pereira in l. si curatorẽ, ver. læsis, n. 21 Suarez de Paz in praxi to. 2. Prel. 2. n. 31. Miranda in ord. iudic. to. 1. qu. 1. art. 5. concl. 7. Martha de iurisd. p. 2. ca. 19. Vincentius de Francho dec. 312. Cæuallos de cognit per viam violentiæ, p. 2. quęst. 8. Riccius p. 5. Collect. 2076. Farinacius in praxi crim. p. 3. quæst. 89. n. 112. & par. 5. qu. 141. n. 42. Azorius p. 2. lib. 3. n 53. q. 2. & alij.

Dico igitur, quod de adulterio ad pœnam sanguinis imponendam, solus Iudex sæcularis est competẽs, quoad alias verò pœnas est mixti fori, & ideò datur locus præuentionis. In causa verò diuortij, Iudex Ecclesiasticus solus est competens ad cognoscendum de adulterio. Ita DD. citati, quibus adde Germonium de sacror imm. lib. 3. c. 12 num. 58. & Miranda de ordine iudiciali, q. 1. art. 5. concl 6. Sanchez de matr. tom. 3. lib. 10. disp. 8. num. 15. vbi refellit Dec. in cons. 212. num. 2. & alios asserentes, quod si simul agatur de diuortio, & amissione dotis, talem cognitionem esse mixti fori.

Imò, & si de sola coniugum seperatione ad tempus ob leprã, vel aliud impedimentum agatur, solus Iudex Ecclesiasticus est competens: quicquid in contrariũ afferat Rupellanus Forens. instit. Galliæ libro 1. cap. 25. Et si quando ageretur de diuortio, coram Iudice Ecclesiastico, quæstio alimentorũ & dotis amittendæ tamquam ei accessoriæ, pertinet ad eumdem. Secus autem dum causa principalis verteretur de dote, nam tunc talẽ cognitionem pertinere ad solum iudicem laicum, existimandum esse puto.

Ex his autem infert Sanchez num. 17. quod quæstione mota, de alimentis præstandis adulteræ à virò separatæ coram iudice seculari, viroq; excipienti de sufficienti causa diuortij, debet sæcularis iudex à lite supersedere, donec Ecclesiasticus diuortij quæstionem dirimat. Ita ille, & alij, quæ omnia pro praxi sunt valdè notanda. Sed circa prædicta, & multa alia in ordine ad præsentem materiam, vide Barbos. de potest Episc. p. 3 Allegat. 84. per totam.

An Iudex Ecclesiasticus possit punire laicos concubinarios.

RESOL. LXXXVII.

REspondeo affirmatiuè, vt clarè patet ex Concil. Trid. sess. 24. c. 8. Aduertendum est tamen, quod dictum Concilij non tollit alias pœnas à iure communi, vel statutis Synodalibus, contra concubinarios inflictas, nec alium modum procedendi contra eosdem, nisi velit Ordinarium eos excõmunicare, quia tunc forma dicta cap. 8. seruanda est. Et ita fuisse decisum à Sacra Cardinalium Congregatione testatur Armendaria Recopil. leg. Nauarr. lib. 5. tit. 3. leg. vnica de adulter. nu. 9. & post illum Barbosa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 35. cap. 1. nu. 3. qui n. 4. doctè, vt semper solet.

Ex his infert, posse Episcopum in prima admonitione, pœna pecuniaria cõcubinarium punire, quia vt tenuit eadem Sacra Congregatio, trina monitio tunc necessaria est inter concubinarios, quãdo contra eos vult ferri sententiam excommunicationis, non verò si pœnis pecuniarijs, vel alijs punire illos velint Episcopi; quia in tali casu non requiritur solemnitas, de qua loquitur Concilium in illo cap. 8. Et ita nouissimè docuit etiam Pereira tract. de manu Regia, part. 1. cap. 7. num. 24 licèt contrarium, sed nõ benè videatur docere Riccius in praxi part. 1. resol. 319. num. 3. contra quemdam Episcopum huius Regni; sed postea se retractauit, & nostram sententiam docuit in suis decisionibus p. 4. dec. 43. n. 9 Notandum est tamen, quod concubinatus est etiam crimen mixti fori. Ita Azorius p. 1. libr. 3. c. 53. q. 2. & alij.

An Iudex Ecclesiasticus in criminibus mixti fori, possit laicos sine auxilio brachij secularis, in carcerem detrudere.

RESOL. LXXXVIII.

NOn posse, excepto casu hęresis, putauit nouiss. Salgado de protectione Regia, tom. 2. part. 2. capit. 4. num. 36. & seq. cum Anguiano tract. de legibus, lib. 5. contr. 30. per totam, & Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 167. Iulio Claro in pract. crimin. quæst. 49. num. 8. & alij penes Barbosam de protect. Episcop. part. 3. allegat. 107. num. 8. qui asserunt, Episcopos non posse procedere contra laicos alijs pœnis, quàm censuris Ecclesiasticis.

Sed hanc sententiam optimè refellit Barbosa, loco citato, & ex Theologis Azorius part. 2. lib. 3. cap. 53. qu. 3. & alij communiter. Notandum est etiam contra dictum Bobadillam vbi sup. num. 187. in tali casu, dictos criminosos, non in Regijs carceribus, sed in Ecclesiasticis reponendos esse, vt tradit Segura in director. Iudic. part. 2. c. 13. n. 44. & alij.

An Iudex laicus possit iudicare in causa decimarum.

RESOL. LXXXIX.

DE hac quæstione, & sequentibus tractat Cæuallos de cognit. per viam violentiæ, p. 2. quæst. 23. per totam.

Sed quia in aliquibus mihi displicet, ideo assero, quod quæstio iuris circa decimas pertinet ad solum Iudicem Ecclesiasticum. Vt si v. g. ad quamdam Ecclesiam pertineat ius decimarum, & sit ne aliquis priuilegiatus, quo titulo percipiantur, itẽ de modo decimandi, de tempore, &c. Si autem quæstio sit facti, Iudex etiam laicus competens erit, & est mixti fori. Vt si v. g. talis perceperit, vel soluerit, seu etiam percipiat, vel soluat decimas ad effectum quoque, vt is, de quo non dubitat, an iure soluere debeat decimas, eas soluere Ecclesiæ, eiusque Re-

ctori

ctori cogatur, vel quia agatur contra tertium detentorem fructuum decimandorum: item si agatur de restitutione illarum, quando furto auferuntur, aut venduntur, aut in alios eius temporales conuertuntur, &c. Et ita docet Fagundez præcept. 5. lib. 3. cap. 5 & num. 1. & 2. & alij penes ipsum, quibus ego addo Monetam de decimis, cap. 8. q. 1. n. 1. & 5. Guttierez de iuram. confir. p. 1. c. 2. nu. 35. Germonium de sacr. immun. lib. 3. c. 19. n. 84 & 99. & alios.

Non reticeam tamen, contrariam sentire Homobonum de Exam. Ecclesf. part. 2. tract. 8. c. 8. q. 24. & Azorium part. 1. lib. 7. c. 36. q. 5. vbi docent: etiam quando quæstio est facti, solum Ecclesiasticum esse iudicem competentem circa decimas, ex Bal. Fulgos. Cup. Gem. Fachin. & alios qui asserunt causam spiritualiũ, cum etiam quæstio est facti, Ecclesiastici Iudicis esse. Sed circa præsentem quæstionem, & alias sequentes de decimis, vide omnino Tannerum in 2. 2. disp. 5. q. 3. dub. 2. n. 40.

An quando decimæ sunt sæcularibus in feudum data cognitio pertineat ad Iudicem sæcularem.

RESOL. XC.

Affirmatiuè respondet Couarruuias Practic. qq. capit. 45. num. 2. Rebuffus tractat. de decimis, quæst. 10. num. 39. & alij penes ipsos.

Sed meritò supradictam sententiam refellit Azorius p. 1. li. 7. cap. 26. q. 3. Fagundez præcep. 5. lib. 3. c. 5. num. 5. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia feudum ipsum ad hoc ex iure decimarum oritur, quod in Ecclesiasticum, neque priuilegium percipiendi decimas, extẽdi debet ad cognitionem causæ, nisi id exprimatur. Ad auctoritatem verò Couarruuiæ, & Rebuff. respõdeo cum Suarez de relig. to. 1. lib. 1. de diuino cultu, c. 38. n. 16. & alios quos ipsi referunt, esse cautè legendos; quia plus, quam oportet, inclinant in fauorem sæcularium Principum.

Notandum est tamen cum Moneta de decimis, cap. 8. quæst. 1. n. 15. circa finem, quod si opinio Couar. & aliorum esset vera, tamen adhuc posset nõ solum laicus, sed etiam Iudex Ecclesiasticus decimarum causam definire; quia censetur Summus Põtifex, aut Ecclesia ius decimandi laicis concedentes, eiusdem iuris cognitionem, aliàs sibi de iure competentem, nisi aliud in contrarium appareat, à se in dubio abdicare voluisse. Esset igitur in tali casu cognitio decimarum causa mixti fori, quod ego non approbo, quia, vt diximus, talis cognitio spectat solum ad Iudicem Ecclesiasticum, modo quo supra.

An Iudex laicus possit cognoscere de causis decimarum, si clerici illas petant a laicis, qui præscriptione, & consuetudine immemorabili eas nunquam solui sunt persoluere.

RESOL. XCI.

Aliqui affirmatiuè respondent, vnde asserunt in tali casu, licitè ipsos laicos causam istius litis ad forum sæculare deducere. Et ita docet Couarruu. pract. qq. c. 35. n. 2. & variar. Resolut. lib. 1. c. 17. n. 19. & alij.

Sed negatiuam sententiam prorsus affirmãdam esse censeo cum Fagundez præcep. 5. lib. 2. c. 5. n. 8. Azorio p. 1. lib. 7. c. 36. q. 4. Quod si aliqui Principes sententiam Couarruuiæ in praxi obseruant, dicendum est, illos hoc efficere ex aliquo priuilegio Summorum Pontificum; sed an reuera ita sit, ipsi videant.

An Iudex laicus possit simul cum iudice Ecclesiastico, causam decimarum cognoscere, saltem titulo compromissi?

RESOL. XCII.

Negatiuè respondendum est, & ita docet Bonacina tract. de legibus, disp. vlt. q. 5. punct. 6. n. 1. & alij penes ipsum.

An verò de possessorio decimandi Iudex Ecclesiasticus, vel laicus cognoscat; vide Doctores, quos citat Barbosa in collect. to. 1. lib. 3. tit. 30. c. 25. n. 3. Mihi verò placet opinio affirmatiua, hoc ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere eo pacto, quo docet Moneta de decimis, c. 8. q. 1. n. 10. & seq.

An laicus conductor decimarum, sit conueniendus coram Iudice Laico.

RESOL. XCIII.

Affirmatiuè respondet Couarr. pract. qq. capit. 35. num. 2. & Guttierez etiam pract. qq. lib. 1. q. 16. nu. 50. Sed Germonius de Sacror. immun. lib. 3. c. 19. nu. 97. docet non solum Iudicem laicum, sed etiam Ecclesiasticum in tali casu cognoscere posse.

Mihi verò magis placet opinio Azorij p. 1. lib. 7. c. 36. q. 6. asserentis, hanc causam solùm corã Iudice Ecclesiastico tractandam esse, quia ortum habet ex iure decimarum, quod ius Ecclesiasticum, ac spirituale est, non autem ciuile, & prophanum: sententia tamen Germonij, quam etiam sequitur Moneta de decimis, c. 8. q. 1. nu. 17. est probabilis; opinionem verò Couarr. minimè sequendam esse existimo.

An Iudex Ecclesiasticus sit Iudex competens, quando agitur de dando tutore, seu curatore clerico minori, aut mente capto?

RESOL. XCIV.

Negatiuè respondet Aufrerius in Clem. 1. de officio ordin. reg. 4. fallen. 25. quia datio tutoris, seu curatoris respicit patrimonium clerici, sed Iudex laicus potest se intromittere in bona patrimonialia clerici. Ergo, &c.

Sed iste Author est cautè legendus, nam multa asserit nõ fauorabilia, & absurda contra immunitatem Ecclesiasticam. Dico igitur, dandum esse tutorem, vel curatorem clerico minori per Iudicem Ecclesiasticum, & idem dicendum est de clerico mẽte capto; & ita in terminis docet Georgius de Cabedo p. 1. decis. 8. n. 2. Anguianus de legibus, tom. 1. lib. 2. controu. 23. n. 69. & Bellettus in disq. cler. p. 1. tit. de fauore clericorum personali. §. 6. num. 15. qui notant, quod si clericus minor, litigat tãquam actor, coram Iudice sæculari, potest idem Iudex sæcularis dare ei curatorem ad litem, quia dictus curator datur rebus, & non personæ. Notandum est etiam, quod idem Cabedo in sequenti dec. 81. obseruat, quoad inuentarium bonorum clerici mortui, qui filius minores reliquit, ad Iudicem laicum pupillorum pertinere illud facere, quæ quidem sunt valdè notanda, quia multum quotidiana.

An concordata Summi Pontificis cum aliquo Rege, sint priuilegium, & an sint reuocata per Bullam Cœnæ?

RESOL. XCV.

Doctus Iurisconsultus Gabriel Pereira in suo tract. de manu Regia, part. 1. cap. 6. nu. 3. 4. partem tenet negatiuam; putat enim ex Concordatis nõ induci priuilegium, sed spectalem cõtractum vltro citròque obligatorium: & impugnat Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 24. num. 22. affirmatiuam sententiam docentem.

Sed Episcopus Antuerpiensis Ioann. Malderus in part. 2. D. Thomæ, quæst. 96. ar. 4. fol. 407. col. 1. sententiam Suarez, & merito amplexus est. Dico igitur tales concordias habere vim cuiusdam priuilegij, vnde inferendum est, quod sicut priuilegium reuocatur ad libitum concedentis, ita pariter Concordata. Et ita etiam docet nouissimè Layman in theolog. mor. lib. 4 tract. 9. cap. 10. num. 3.

An verò reuocata sint per Bullam Cœnæ, negatiuè respondet Pereira vbi suprà nu. 13. Sed sententiam affirmatiuam docet Azorius in summa, tom. 1. lib. 5. cap. 12. ver. ex dictis, quam videtur probare Suarez loco citato à num. 19. Sed cum sit dictum, Concordata concedi per modum priuilegij, asserendum est de dictis Concordatis id, quod diximus de priuilegijs suprà in Resolut. 6. vbi adduximus D D. partem negantem, & affirmantem defendentes.

An

An aliqua ciuitas, vel Princeps, possit exigere tributa a clericis, quia per consuetudinem immemorabilem ita semper factum est.

RESOL. XCVI.

Affirmatiuam sententiam docet Gabriel Pereira in tracta. de manu Regia, p. 1. ca. 10. n. Vide etiam Paulum de Castro in cons 423.

Sed hæc sententia protsus est abijcienda. Nam vt in casu simili docet noster doctissimus P. Megala in opusc. 72. nu. 4. Bulla Cœnæ Domini, non solum tollit quascumque consuetudines, etiam immemorabiles, sed etiam continet clausulam irritantē, quæ destruit, & inficit titulum, & possessionem, & ita citans alios DD. asserit Megal. decreuisse Romanam Rotam die 10. Decembris 1598.

An Episcopi possint excommunicare Iudices laicos, qui volunt cognoscere delicta suorum.

RESOL. XCVII.

Negatiuam sententiam docuit nouissimè Gabriel Pereira in tract. de manu Regia, part. 1. cap. 19. nu. 13. vbi asserit, quod licèt de iure communi, competeret Episcopis priuilegiū pro tota familia, attamen ex iure nouo Conc. Triden. sess. 26. c. 6. contrarium tenendum esse affirmat; quia Concilium ibi statuit priuilegium clericale neminem iuuare, nisi beneficiū habeat, vel Ecclesiæ sit affixus, vel clericalem deferens habitū in ordine ad maiores ordines in Vniuersitate, vel Collegio degat.

Sed mirum, doctissimum virum, hæc cogitasse, & typis mandasse; nam Concilium loquitur de clericis, non autem de alijs, qui ex alio capite priuilegio fori, & Ecclesiastico gaudere possunt. Et ideò post Conc. Trident. nostram sententiam, & meritò, docent Doctores, quos citat, & sequitur Bellett. in Disquis. cler. p. 1. tit. de fauore cleric. reali §. 1. n. 13. & sequ. Idem docent Riccius in praxi p. 5. Resol. 473. n. 2. Marius Antoninus var. lib. 3. resol. 14. à nu. 1. Campanili in diuers. iur. cau. rubr. 12. c. 13. nu. 88. & nouissimè Barbos. de potest. Episc. p. 3. Allegat. 107. n. 1. & sequ. Madius in tract. de sacr. Ordinib. c. 14. nu. 46. Leo in Thes. fori Eccles. p. 1. c. 11. nu. 19. Zerola in praxi Episc. p. 1. verb. Episcopus, num. 11.

Dicēdum est igitur, etiam post Conc. Trid. Episcopum posse tenere familiam armatam, quæ quidem familia, licèt laica, gaudebit eodem priuilegio fori, sicut ipsi clerici gaudent. Vide Naibon in 3. præcep. libr. 4. tit. 1. l. 20. gl. 23. n. 4. Cened. in q. Ca. q. 4. num. 26. Gratianum decis. Marchiæ 233. num. 1. Martham de iurisd p. 4. cas. 111. n. 3. & alios communiter. Vnde apparet, sententiam Pereire pugnare cum omnibus recentioribus, non solum Theologis, sed etiam Iurisconsultis.

An transacto anno, Episcopus sit executor vltimarum voluntatum, etiam quoad legata prophana.

RESOL. XCVIII.

Negatiuam sententiam docet Glossa in cap. tua nobis, vers. Pijs, de testam. Aufrerius in addit. ad Cappel. Tholos. decis. 251. & alij penes Pereiram, vbi infra.

Sed contrariam sententiam omnino amplectēdam esse puto. Dico igitur, quòd transacto anno à iure testamentarijs, seu executoribus concesso, Episcopus fit executor, vt voluntas defuncti impleatur, non solum quoad legata pia, sed etiam prophana, vt ex Bartolo, Boerio, Nauarro, Tiraquello, & alijs docet Gabriel Pereira in tract. de Manu Regia, pa. 1. cap. 16. nu. 5. qui addit, hunc casum esse mixte cognitionis, & quod datur præuentio inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem, & hoc in Regno Portugalliæ, propter Concordata inter Regem, & Pōtificem: vnde in alijs Regnis hoc efficere, videtur iuri canonico aduersari. Quid autem dicendum sit de dictis Concordatis in Regno Lusitano, vel in alijs Regnis, supra iam satis explicatum est. Vide Cæuallos de cognit. per viam viol. p. 2. quæst. 8. num. 12. qui nostram sententiam admittit tantùm in legatis omninò pijs.

An quādo Clericus instituit heredem alium clericum, vel laicū condidit testamentum, ad pias causas, possit Iudex Ecclesiasticus dicta testamenta publicare.

RESOL. XCIX.

Negatiuè respondet Barbosa in leg. Hæres absens, ff. de Iudicijs, num. 189. & Pereira in tract. de manu Regia, par. 1. cap. 16. nume. 18. vbi pro affirmatiua sententia citat Molinam Theologum.

Sed ego sententiam affirmatiuam, contra Pereiram cum Molina, amplectendam esse puto, & illam cum Iurisconsultis neotericis docet Gittierrez Pract. qq. lib. 2. quæst. 49. num. 5. 6. & 7. & Ioan. de Heuia in Cur. Philip. §. 5. n. 26. vbi sic asserit. [La insinuacion, y publicacion del testamento, ò donacion en que el clerigo instituye por heredero, ò dona à otro clerigo, aunque no sea para pias causas, ò instituye, ò dona à ellas, y el inuentario que se hiziere se ha de hazer ante el juez Ecclesiastico, como alegando otros lo trahe Tello Hernandez, de que se sigue lo mismo se hà de dizir en esta succession abintestato.] Ita ille. Dicendum est igitur, in dictis casibus, publicationem testamēti spectare etiam ad Iudicem Ecclesiasticum.

An Episcopus possit visitare Hospitalia, & Confraternitates, quoad decentiam diuini cultus, etiamsi existant sub protectione Regum.

RESOL. C.

Tales confraternitates, & Hospitalia nullo pacto in omnibus ab Episcopis visitari posse, docent ex Concilio Tridētino communiter Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa de potestat. Episc. p. 3. allegat. 75. n. 16. quibus ego addo Piasencii in praxi Episc. p. 2. c. 3. art. 5. n. 11. Azeuedum tom. 5. lib. 8. tit. 14. leg. 13. n. 9. & Vgolin. de potest. Episc. c. 24. §. 1. n. 3.

His tamen non obstantibus posse Episcopos in dictis locis visitare diuinum cultum, & ornamēta, docuit Gabriel Pereira in tract. de manu Regia, par. 2. cap. 17. num. 12. vbi sic asserit. in his Confraternitatibus de Regum protectione possunt Prælati visitare decentiam diuini cultus & ornamentorum ex reg. cap. 1. in fine, de Custod. Euchar. & per totum titulum de Reliqu. & vener. Sanct. vnde Abbas in cap. vlt. de censib. & plures, quos citat Parisius cons. 34. inquiunt, quòd licèt Episcopus non visitet Capellas particulares, & exemptas: tamen potest inquirere an decēter ibi sacra ministrentur. Nec obstat Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. quia procedit circa opera, quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum, quæ ibi expenduntur, non autem de visitatione circa cultum diuinum, quæ ad Episcopum necessariò, & priuatiuè spectat, quia res spiritualis est, & Ecclesiastica, & debet intelligi, vt Ordinarij non visitent in his, quæ sub protectione Regum comprehenduntur, non verò de diuinis, in quibus Reges iurisdictionem non habent; stylus tamen aliter obseruet. Videant qui aliter iudicant. Ita Pereira.

An Reges possint se intromittere, quando ab aliquo Episcopo non obseruatur aliquod decretum Concilij Tridentini.

RESOL. CI.

Affirmatiuè respondet, loquens de Rege Hispaniarum Bobadilla in polit. tom. primo lib. 2. cap. 18. nu. 194. & Cæuall. tractat. de cognit. per viam violent. part. 1. Gloss. 6. num. 62. & part. 2. quæst. 3. num. 9. & quæst. 99. num. 16. vbi sic asserit. [En nuestra España se practica, que el Rey nuestro Señor, y su Real Consejo sea juez competente, para que se guarde el Concilio Tridentino.]

Sed istam practicam, non solum Theologi, sed etiam Iurisconsulti, minimè admittunt, vnde Pereira in tract. de man. Regia part. 1. cap. 8. nu. 11. sic ait: Respuenda est illa praxis, quę maximè unaliut pluribus sententijs Senatus corroborata, quod ad Regium Tribunal supplicare liceat, quoties aliquod Concilij Trid. decretum ab Episcopo non obseruatur, quasi Reges sint Concilij protectores hoc enim repugnat ipsi Conc. sess. 25. de reform. c. 3. Nec his casibus violentia inest, cui occurri per secularem

uulatem debeat. Ita ille, & ego: quando igitur Episcopus non obseruat aliquod Concilij decretum, recurrendum est ad Archiepiscopum, & non ad Regem.

An appellationes, quæ dicuntur tuitiuæ, rectè à Iudicibus laicis, in causis Ecclesiasticis concedantur.

RESOL. CII.

AFfirmatiuam sententiam docet Humada.l.3.gl.4.tit.3. pa. 2. Azeued.lib.1.recop.tit.6.l.2.& latissimè Pereir. in tract. de man.Reg.c.22.per tot.cum multis alijs.

Sed cum hác sententiam doceret etiam Viualdus in prima editione Candelabri aurei, in explicatione Bullæ Cęnæ, fuit dictum Candelabrum propter multa suspensum, & prohibitum, & postea sine supradicta opinione, & multis alijs, denuò concessum & typis excusum. Vnde apparet supradictã sententiam Romæ non esse receptam, & illam reprobare videtur Concilium Tridentinum in istis verbis. Nefas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet: aut mãdare, vt latam excommunicationem reuocet sub prætextu, quòd contenta in præsenti decreto nõ sunt obseruata, cum non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Ita Conc. in sess.25.c.3.de reform.

Quando verò, & quomodo concedantur supradictæ chartę, vel appellationes tuitiuę, apparet ex illa Ordinatione regni Lusitaniæ, quam affert Pereir. vbi supr. sic asserens, iubemus quod quando aliqua proferatur sententia à Iudice Ecclesiastico cõtra clericum; vel contra laicum, qui sit suæ iurisdictionis, si ipse clericus laicus appellauerit ad Romanam Curiam in eo casu, in quo appellare possunt, & antequam appellationis tẽpus finietur, implorauerit chartam, ne pendente appellatione contra ipsum procedatur, & ne capiatur, vel ab illo pœnæ exigantur, excommunicatis impositæ: Volumus, vt eorum cuilibet dicta charta tuitiua concedatur, qua per scripturam publicam doceant, quod appellarũt, & suas appellationes prosequuntur, quamuis nullatenus receptæ sint. Ita enim ab antiquo fieri cõsueuit, vt tales chartæ tuitiuæ, per Senatores Palatij expedirentur, (sic habet Ordinatio Lusitana) Dicendum est tamen dictas chartas: vt vocant tuitiuas, non esse concedendas, quia offendunt Ecclesiasticam libertatem, & in casu, in quo conceduntur supradictæ appellationes, potest clericus, vel laicus oppressus recurrere pro remedio obtinendo ad Iudicem Ecclesiasticum competentem, vt canones iubent, & non ad Iudices sæculares incompetentes, quod prohibent; sed ad alia deueniamus.

An sit licita lex prohibens, ne bona vulgo dicta, de Realengo, transferantur in Ecclesias, vulgo, Amano morta, sine licentia Regis,

RESOL. CIII.

HÆc lex posita est in quibusdam Regnis, vt Valentiæ, & Regno Lusitaniæ, & Maioricarum, & quibusdam alijs, & illam defendit nouissimè Olibanus in tract. de iure fisci, c.7. num.31. quia, ait ipse, omnia bona Regni à principio sunt de Realengo, & sunt Regis, & ipse potuit legem in eis ponere, ne sine licentia sua transirent in Ecclesiam.

Sed dictam legem esse cõtra immunitatem Ecclesiasticam, docent non solum Theologi, sed inter Hispanos Iurisconsultos, doctus Ioan. Valerus in suis Differentijs vtriusque fori, ver. Bona different.3. per totam, ad illum, & non pigebit; vide etiam supra.

An Princeps sæcularis possit ferre aliquam legem aduersus filios, contra iustam parentum voluntatem nubentes.

RESOL. CIV.

AFfirmatiuam sententiam docent non pauci Iurisconsulti: & inter Theologos illam docet Molina de iustit. tom. 1. tractat.2.disp.76.à n 24.& Rebell.de oblig.iust.p.2.q.14.sec.3. quos nouissimè sequitur Poncius de sac.matr.libr.2.c.1.§.3.n. 29.& ex Iuristis neotericis Cancer.lib.3.var.cap.11.n.4.& Anguiano in tract.de legib.tom.1.lib.2.contr.13.n.15.& 30.

Sed meritò supradictam sententiam non admittit Bellettus in disquis.cleric.par.1.tit.de exemptionib.cleric.à statut.sęcul. §.5.num.43.qui citat 8. Doctores, quibus ego addo ex Theologis Sanch.de matr.tom.1. lib.4. disp.25.nu.2. & Vasquez in 3. tom.4.disput.4.de matr.c.2.n.24. Dicendum est igitur, supradictas leges esse contra immunitatem Ecclesiasticam: & licet filij non benè agant, si nubant sine parentum licentia, attamen nõ est ferenda lex, quæ eos exhæredari à parentibus permittat, si velint: & hoc etiamsi supradicti filij indignè nuberẽt, vt obseruat Sanch.n.3. Vide citatos Doctores. Et ratio est, quia ius Canonicum omnimodam in matrimonium libertatem poscit, & ideo reijcit pœnam in sponsalibus. Sed propter pœnam exhęredationis, vel aliam valdè minuitur dictas libertas. Ergo dictę leges erunt contra ius Canonicum, & sunt ab illo correctæ. Et ideo Valerus in different. vtriusq. fori, ver. matr. diff. 1.nu. 2. & sequ. supradictas leges tanquam improbas in foro conscientiæ damnat, & reprobat; sicut etiam damnarunt Doctores, quos citat Molinus de Ritu nupt.lib. 2.diff.7.n. 57. Nec obstat contra supradicta, lex quędam quę obseruatur in Regno Cathaloniæ; nam hoc pertinet ad factum, & in Regno illo, leges conduntur in Comitijs generalibus, nõ solùm à laicis, sed etiam ab Episcopis & alijs Ecclesiasticis, Ergo, vt ait Molinus vbi supra, iustificantur supradictę leges ex scientia & tolerantia Romani Pontificis. Sed cum de hac scientia, & tolerantia dictum fuerit supra, ad alia procedamus.

Quid sentiendum de aliquibus Constitutionibus Iustiniani Imperatoris, præsertim de constit.3.5.6.57.& 58.

RESOL. CV.

AD hoc dubium nouissimè respõdet Tannerus 2.2.D.Thomæ, disputat.1.quæst.4.dub.1.num.30. sic asserens. Constitutiones Iustiniani de rebus Ecclesiasticis, quatenus quidem iustę sunt, & legitimæ non sunt leges, aut sanctiones Ecclesiasticę noui quidpiam ordinantes, præscribentes, aut definientes circa fidem, disciplinamque Ecclesiasticam, sed sunt merę executiones Canonum, iam ante in Concilijs legitimè constitutorum, spectantes ad cõseruationem, & securiorem eorumdem obseruationem.

Dixi tamen *quatenus iustæ sunt*, quia negari non potest Iustinianum nõnulla etiam liberius præter ius fasque sanxisse. In qua re quantum, & sibi, & toti Imperio nocuerit, non obscurè ostendit Baronius anno Christi 528. & anno 549. vbi breuiter ait: Eum dum dogmatibus Ecclesiasticis perscrutandis, plusquam Imperatorem decet, curiosè vacaret, vniuersum pessum dedisse Imperium. Ita ille, & ante illum Azor.tom.1.lib.5.cap. 20.§. Item leges. Iniquis igitur Iustiniani, & aliorum Principũ sæcularium legibus circa personas, & causas Ecclesiasticas sancitis, rectè communi iure derogatum esse, constat ex causa 11. q.1.& c.non minus, de immun.Eccl.& cap.quandam, de censi. in 6.cum.Bull.Cœn.

An Clericus possit se subijcere Iudici sæculari vt arbitro.

RESOL. CVI.

DIximus supra, clericos non posse exemptioni renunciare, vt à Iudice possit validè iudicari, etiam in ciuilibus, vt patet ex c.41.molita 11.q.1.& c.placuit 42.ibid.& ca. si diligenti 12.extra de foro comp.

At his nõ obstantibus, potest clericus in ciuilibus se subijcere Iudici sæculari, vt arbitro. Sed in tali casu notãdum est, quòd si dictus clericus nolit stare sententiæ, non potest Iudex laicus illum per se cogere. Et ita docet Lessius lib.2.c.29.dub.6.n. 52. & nouissimè post illum Adamus Tannerus in 2.2.D.Thom.disp.4.q.4.dub.1.n.29.& alij.

An semel punitus in foro Ecclesiæ, possit iterum pro eadem culpa à Iudice sæculari puniri, etiam ad excessum pœna.

RESOL. CVII.

AFfirmatiuam sententiam docent multi Iurisconsulti, quos citat, & sequitur Cenedo in Canonicis qq.quæst.36. num. 25. & Bobadill.in polit.tom.1.lib.2.c. 17. numer. 94. in Glossa,

litt.

litt.D. & in casu simili Pereira tract.de manu Regia, part. 1. c. 10.num. 12. Madius in tract.de Sacris Ordinibus,cap.15. num. 6.& ex Theologis Adamus Tannerus in 2.2.dis.4.quæst.4. dubio 4.num.93.& Miranda in lib.de ordine iudic.tom. 1. quæst. 1.art.7.concl. 3.Guttierrez Canon qq.lib.1.cap.12.nu.15. cum alijs ex authoritate cap.felicis,§.per hoc,de pœnis in 6. Et hãc sententiam cum aliqua limitatione, tenet etiam Sigismundus Scaccia de iudic.caus.l.1.c.12.n.91.& Layman in Theol.Mor. lib.4.tom.act.9.c.2.n.6.

Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse iudico,quam nouissimè ex multis Doctoribus, & validissimis rationibus probat Iurisconsultus Christophorus de Anguiano in suo tractat.de legibus,lib.3.controuers.32.num.7.& seq. quia similis ratio adest in Iudice Ecclesiastico,circa causas mixti fori,quæ adest in quolibet Iudice,qui speciali ratione iudicat de subdito alterius territorij, sed accusatus in foro delicti, non potest re accusari in foro domicilij,quamuis diuersa sit pœna, vt manifestum est,& probat textus in lege Senatus,ff.de accusat.Ergo laicus semel accusatus de crimine mixti fori, in iudicio Ecclesiastico,non poterit iterum accusari in foro sæculari. alias rationes adducit hic Author, quas penes ipsum inuenies,vbi etiam respondit ad omnia argumenta contrariæ sententiæ.

Notandum est tamen, quod Auctores primæ sententiæ vt Tannerus,qui citat etiam Delrium,asserunt è conuerso, quod si delictum sit mixti fori, & insufficienter sit à Iudice sæculari punitum,posse iterum ab Ecclesiastico puniri.

An Iudex Ecclesiasticus teneatur in causis Ecclesiasticis, aut mixti fori, præbere processus Iudicibus sæcularibus, à quibus auxilium petit.

RESOL. CVIII.

SEntentiam affirmatiuam docet Baldus in leg. in criminali, C.de iurisdictione,Bartolus in leg.Magistratibus,ff.eodem, & in l.diuus,de custodia reorum,cum Rolando à Valle lib. 1. cons.37.num.5.& 7.& alijs penes ipsum,& apud Barbosam de potest.episc.p.3.allegat.108.nu.26.& Cenedum in Canonicis qq.q.36.n.13.

Sed falluntur equidem,& ideò merito contrariã sententiam nouissimè docuit Moneta de iudicibus conser.cap.8.num.261. & 262.Segura in director.iudic.Eccles.part.2.cap.13.num.33. Christophorus Anguiano in suo doctissimo tracta.de legibus, 3.controuet.31.numer.7.& seq.vbi ex professo solidis rationibus, & ex communi Canonistarum sententia, probat secularem Iudicem requisitum per Ordinarium, vel Delegatum Ecclesiasticum petere non posse, se instrui velle ex actis coram tali Ecclesiastico requirente factis, num ritè, & rectè processum fuerit,sed statim teneri impertiri brachium suum,etiamsi processus sibi non ostendatur,cuius copiam petere non potest, neque differre exequutionem brachij petiti: nec directè, neque indirectè se intromittere,vt potè ad quem nuda, & pura dumtaxat spectat exequutio. Et hæc opinio aduersus Mirandam de ordine iudiciario,to.1.quæstio.5.artic.1.concl. 1. Azenedum in recopil.libr.4.tit.1.leg.15.numero 4.& alios non solùm tenenda est,quando Iudex Ecclesiasticus procedit in causis Ecclesiasticis,sed etiam in causis mixti fori, vt tradunt Doctores citati.

An Clericus falsum testimonium dicens coram Iudice laico ab eo puniri possit?

RESOL. CIX.

SEntentiam affirmatiuam docet,circa eius bona, non autem circa personam Guillelmus Benedictus in c.Rainutius, ver. & vxorem,decis.2.n.142.Chassaneus in Consuet. Burgundiæ, Rubr.1.§.5.n.82.Francisc.Marc.p.1 decis.21.n.1.Lancellot. de Attentat.p.2.c.15.n.97.& ex veteribus Angelus in l.quoties. in fine,Cod.de iudicijs,& Federicus de Senis cons.88.& alij,quos retulit Iulius Clarus in pract.crim.q.37.n.14.& Anguiano vbi infrà lib.3.contr.22.n.7.

Sed absolutè dicendum est,neque in persona, neque in bonis,in tali casu posse Iudicem secularem clericum punire, & ita docet Caualos in tract.de cognit.per viam violent.part.2. quæst.67.Afflictus dec.230.Guttiert.pract.qq. lib. 1. quæst. 14. ver.sic quero.Facchineus lib.9.controuer.cap. 27. Salzedo in pract.crim.Bernardi Diaz c.63.& ex nostris P. Duardus in suis comment.in Bull.Cœn.li.2.can.15.q.11.num.34. Nullus enim clericus puniri potest à Iudice laico ex cap.si diligeoti,de foro competenti,c.1.de cleric.coniug.& ex authen.statuimus,C.de Episc.& Cler.

An verò,ad effectum repellendi,clericum à testimonio,possit Iudex laicus per viam exceptionis, cognoscere de crimine clerici,negat Hostiensis in ca.veram,de foro compet. & Ioan. Andreas in cap.at si clerici in principio,n.21.sed affirmat Guttierrez pract.q.24.n.2.Iulius Clarus §.vlt.q.38.n.14.& alij,quos citat,& sequitur Christophor.Anguiano in tract.de legibus to. 1.lib.3.contr.28.n.11.

An Iudex Ecclesiasticus possit incidenter cognoscere de rebus temporalibus, seu prophanis, & e contra Iudices laici de rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis?

RESOL. CX.

DIfficilis est ista quæstio,& non semel in praxi occurrens, ad quam Christoph.de Anguiano in tract. de legib. tom. 1.lib.21.contr.22.nu.21.& 25. duabus conclusionibus respondit,quarum prior sic habet.

Laici Magistratus de rebus Ecclesiasticis omnimodò prohibentur cognoscere,& super eis neque principaliter, neque incidenter iudicare possunt.

Secunda conclusio. Prælati siue Iudices Ecclesiastici, licèt nõ magis possint cognoscere de causis prophanis inter sæculares,quam laici,respectu causarum Ecclesiasticarum:nihilominus tamen,quia solummodò incompetentes sunt, nõ incapaces erga tales causas,si eas contingat incidere, rectè poterunt per incidentiam,secularem iurisdictionem in laicos exercere. Ita ille. Ratio igitur,quare laicus non potest,etiam incidenter, cognoscere causam Ecclesiasticam,est quia nõ solùm circa illam est Iudex incompetens, sed etiam incapax; Ecclesiasticus verò,potest incidenter de causa prophana cognoscere,quia est quidem Iudex incompetens,sed non incapax.

Et hæc omnia intelligenda sunt circa Iudices laicos,vt non possint cognoscere causam Ecclesiasticam ordinariam cognitionem exercendo,sed etiam neque summariè. Et ratio est, quia quotiescumque Iudex aliquis prohibitus est, vel incõpetens in negotio ordinario,seu plenario, pariter etiam prohibitus censeri debet in summaria cognitione,iuxta duas Clemẽtinas si rectè intelligantur;quarum altera incipit, Sępe,de ver. signif.alia secũda in ordine sub tit. de Iud. Et ita docet ex multis alijs rationibus,supracitatus Anguiano,vir numquam satis laudatus, quidquid in contrarium asserat Menochius de retinend.possess.rem.3.nu.336.& Gutrierrez Canonicar. qq. li.1.c. 34.n.46.inferentes ex eorum sententia,vnum absurdum, scilicet posse Iudicem laicum in causa summaria,super possessorio, v.g.si ageretur de cõcedenda restitutione ei,qui suo beneficio spoliatus fuit,incidenter cognoscere de titulo beneficij; tãquã de re necessaria ad definiẽdum super restitutione, quę omnia ex supradictis neganda sunt.

An Princeps laicus possit legitimare filium clerici, si ipse filius, sit clericus?

RESOL. CXI.

AFfirmatiuam sententiam docet Couarr.2.p.de sponsal ca. 8.§.8.n.19.qui citat Propositum Ioan.Andream,& Lambertinum. Et ratio est, quia possunt laici, clericis priuilegia concedere,ex c.nouit,de iudicijs. Ergo priuilegium legitimationis potest Princeps sæcularis clerico communicare. Et licèt clerici sæculari iurisdictioni subiecti non sint, & Princeps in illos potestatem non habeat;tamẽ supradicta legitimatio in effectu non tam respicit ipsius clerici legitimandi personam, quam bona ipsa,quæ supponuntur sita intra territorium Principis legitimantis.

At his non obstantibus,contrariam sententiam amplectendam esse existimo,cum Basilio Pontio,de matrimon. lib. 11. c. 6.numer.9.& Anguiano tract.de legib.tom.1.li.2.controu. 23.

num.

num.65.quia supradicta legitimatio, est actus iurisdictionis. Sed clericos à sæculari potestate exemptos esse ex se patet. Ergo,&c. Adde,quod non solum personæ,sed etiam bona clericorum sunt exempta,ergo non potest Princeps sæcularis, etiā ex hoc capite clericum legitimare. Vnde patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum respondetur, quod tunc procederet si in tali legitimatione ageretur tantum de vtilitate clerici,& non de eius præiudicio,vt est in casu nostro per iurisdictionem incompetentem in illum exercēdum,&c. Et nostra opinio est admodum vera, vt aliqui docent, etiamsi filius clerici sit laicus,non posse Principem sæcularem illum legitimare. Et ita fuisse decisum 1562.in Senatu Parisiensi testatur Petr.de Gregor.lib.10.Syntag.c.4.vnde Azorius tom.1.lib. 2.c.15.q.vl.asserit tutius esse ab vtroque Principe legitimationem postulare.

An Prælati Summo Pontifice inferiores delegare possint indistinctè laicis causas Ecclesiasticas?

RESOL. CXII.

Clarum est posse Summum Pontificem,si viderit expedire, iurisdictionem spiritualem laicis exercendam committere,ad tractandas causas non solum ciuiles,& criminales, sed etiam spirituales,vt tradunt Nauarrus in Man.c.27.n.6.Aufrerius de potest.sæcul.reg.4.fallen.4.& alij.

Difficultas consistit,an idem dicendum sit de Episcopis, & distinguendo communiter respondent;Nam vel causæ spectantes ad Ecclesiasticam iurisdictionem sunt causæ merè ciuiles,& pecuniariæ,vel sūt spirituales:primas causas Episcopus potest laicis delegare; secundas minimè. Et hæc opinio in praxi communiter obseruatur,& obseruanda est,licet de iure , nouissimè Anguianus in tract.de legib.to.1.lib 2.contr.25.num.4.solidè, & perdoctè,vt semper solet,contrarium doceat.

An Princeps sæcularis non tantùm possit resistere iuramento, ita vt prohibeat ne fiat,sed etiam possit impedire effectum illius,ita vt si fiat,nullatenus sequatur obligatio?

RESOL. CXIII.

Affirmatiuam sententiam docent nouissimè Pereira de manu Regia,cap.19.per tot.& alij penes ipsum , quibus ego addo ex Theol.Mor.de iust.tom.1.tract.2.disp.147.nu.13. Sanch.in summa,tom.1.lib.3.cap.22.nu.10.& 11. Vasquez de testam.cap.3.dub.2.Pontium de matr.lib.12.cap.8.§.5.n.39.& Layman in Theol.moral.lib.4.tract.3.c.11.num.9. Sed aduersus Theologos pugnant in hac quæstione præstantissimi iurisconsulti,vt Martha de iurisd.part.4.cent.1.cas.72.& nouissimè Molin.de ritu nupt.lib.1.compar.19. num. 60. qui excusat huiusmodi statutum in Regno Cathaloniæ,quia leges municipales in illo Regno conduntur in Comitijs generalibus, non solum ex laicis sed etiam Ecclesiasticis.Et Ioan. Valerus in differ. vtriusque fori,ver.Iuramentum,differ.9. reprobat quādam ordinationem Lusitanam,prohibentem apponi iuramentum in vllo contractu,eo quòd fuerit lata non fauore publico, nec in bonum publicum,sed fauore tantum Regio,& fauore eius iurisdictionis,ne videlicet ratione iuramenti,traherentur ad forum Ecclesiasticum,iuxta cap.nouit, de Iudicijs. Et dato, & non concesso quod opinio contraria esset vera,tamen vt benè obseruat Alex. lib.2.consi.59.nu.9.Couarr.in cap.quamuis pactum,part.2.§.1.num.8.Barbosa in leg.1.§.1.nu.70.& 7.ff. soluto matr.Parladorius Rer.quotid.lib.2.cap. 4. Valerus vbi sup. & alij possunt Principes resistere iuramento, & prohibere ne fiat:non tamen possunt ita impedire,vt si iuramentum efficiatur,nulla sequatur obligatio.Ideò in tali casu contra Sanchez & alios iuramentum est obseruandum, donec relaxet Episcopus.Et ita hanc sententiam,ex Theologis docet P. Suarez de Relig.tom.2.tract.5.lib.2.cap.38.num.15.vbi sic asserit. Ad leges aliquorum Regnorum respōdetur in illis nullum esse verbum de irritatione iuramenti;nam talis irritatio etiā directè fieri posset,non posset fieri per legem ciuilem,cum sit extra forum eius.Solum ergo irritantur ibi contractus ciuiles quando iuramentum eis additur,& tunc licèt ex contractibus non nascatur obligatio ratione illarum legum,iuramentū per se obligabit ad id , de quo factum est quodque sine peccato fieri potest. Hoc enim non potest impedire lex ciuilis, stante tali conditione,vt illis iuramentis reuera stat,non obstantibus illis legibus:nam si iuramentum est de non contrauenendo illis cōtractibus quantumuis nullis,licitè seruari potest, seruandum ergo est. Non carent tamen difficultate, illæ leges irritantes contractum solum propter adiectionem iuramenti;nam videtur saltem indirectè,esse contra libertatem Ecclesiasticam, licèt lex Castellæ,expressè id neget,& in ea dicatur,ita,post diligentem inquisitionem iudicatum esse.Sed hoc examinare, ad rem præsentem non spectat.Ita Suarez. Ex quibus verbis apparet,quod vir doctissimus valdè dubitauit de supradictis legibus,an sint contra Ecclesiasticam immunitatem, ideò Principes ab illis abstineant,nam efficerent contra libertatem Ecclesiæ;vt nos supra in Resol 65.diximus,& nunc dicemus. Non reticeam tamē,pro coronide huius Resolutionis,cum Laymā in Theol.mor.lib.4.tract.3.cap.11.nu.10. adnotare , quod non solum Iudex laicus ad obseruationem iuramenti super cōtractu , vel simili negotio interpositi, laicos suos compellere potest;sed etiam Iudex Ecclesiasticus,sicuti habetur in cap.vlt.de foro compet.in 6. vbi Doctores adnotant, quod iuramentum non mutat forum,sed addit forum foro. Sensus est,si cōtractus v.g.iuramento confirmatus sit, potest quidem iurans ratione contractus politici,coram sæculari Iudice cōueniri,vt is totam litem definiat:sed potest etiam conueniri coram Iudice Ecclesiastico ratione interpositi iuramenti,cuius obligatio per se ad forum Ecclesiasticum spectat,quare in tali casu, materia iuramenti mixta est.

An Princeps sæcularis possit relaxare obligationem iuramenti præstiti?

RESOL. CXIV.

Affirmatiuè respondent aliqui, quos refert Couarruuias in relect.de iuram.p.1.§.3.n.10.& ex recētioribus Theologis docet etiam hanc sententiam Molina de iust.to.1.trac.2. disp. 149.ver.dixi deinde,& cum aliqua formidine Raphael de la Torre in 2.2.tom.2.q.89.art.9.dub.5. vide etiam Layman in Theol.mor.lib.4.tract.3.c.11.n.10.

Sed contrariam sententiam,omnino affirmandam esse censeo.Et ita docet Ledesma in summa,tom.2.tract.11.c.4.dub.3. vbi sic asserit.[El Principe seglar,no tiene authoridad para relaxar los iuramentos de sus subditos,ni para quitar su effecto. Esta conclusion es comun entre los Theologos ; la razon es, porque el iuramento pertenese derechamēte à la virtud de la Religion, y su vinculo es cosa espiritual,y en orden à las cosas espirituales no tienen authoridad los Principes seglares] Hāc sententiam tenuit Barbosa in l.1.part.1.num.77. de solut. matrim.& Ioan. Guttierrez in Authen.Sacram.pub.num.46. C. si aduers. vendit. Azeuedus in Recopil. tom.1.lib 5. leg. 11. num. 3.& alij.

Verùm est,quod aliqui notant, quòd licet Princeps sæcularis non possit propriè iuramenta relaxare, potest tamen condemnare,& remittere obligationem,quam pars ipsa , cui iuratur,concedere potest.Et ita docet Sanch.in summ. tom. 1. libr. 3.c.22.n.15.

An Iudex sæcularis,possit cogere laicos ad condenandam obligationem iuramenti metu,aut iniuria extorti?

RESOL. CXV.

Dubius manet Felinus in cap.cum sit generale, num.7. de foro comp.an possit Iudex laicus; sed affirmatiuam sententiam docet Azorius tom.1.lib.11.c.9.q.6.in fin.Auendagno in c.prætorum,p.2.c.28.n.15.Molina Theologus de iust. to. 1. tract.2.disp.149.ver.aliud accipe.Afflictus decis.Neap.263.nu. 3.Guttierrez Authen.sacram.puberum,nu. 160. C. si aduersus vendit.& alij.

Verū hæc opinio limitanda est,quando constat de recipientis turpitudine,teneri ipsum relaxare; si enim dubium adest, solus Iudex Ecclesiasticus erit competens , non autem laicus: ita Tabiena ver.iurare,q.20.n.21.Afflictus & Molina vbi supr. Abbas in cap.2.de iureiur.n.3.& ibid. Alexander de Neuo n.3. cum alijs,& quando res,circa quam præstitum est iuramentum, alioquin

alioquin pertinet ad forum sæculare: nam si ad eum non spectat, non potest Iudex laicus de tali iuramento cognoscere, ex Molina loco citat.

Notandum est etiam, quòd quando iudex laicus potest hoc efficere, potest etiam Iudex Ecclesiasticus, & ideò iurans, potest relinquendo Iudicem laicum, adire Iudicē Ecclesiasticum, vt compellat creditorem remittere huiusmodi iuramentum. Ita habetur in c.2. de iureiurando, & ita docet ibi Abbas nu. 3. Alexander de Neuo, num.8. & Couarruuias variar. lib.1. c.4. n. 5. Sed ad alia transeamus.

An de causa do is principaliter, & non incidenter intentata, possit Iudex Ecclesiasticus inter laicos cognoscere.

RESOL. CXVI.

DOctores pro negatiua, & affirmatiua sententia vsque ad societatē adducit Cenedo in Canonicis quęstionib. quęstione 37. per totam, & Cæuallos tract. de cognit. per viam violent. part.2. quæst.12. per totam, Ioann. de Heuia in Curia Philippic. part.1. §.1. num.9. & ipsi negatiuam sententiam sequuntur, quam veriorem existimat nouissimè Augustinus Barbosa in suis Collectan. tom. primo lib.3. tit.21. cap.5. num.3. & Christophorus de Anguiano in tract. de legib. tom.1 lib.2. controu. 13. num. 17.

Sed quidquid sit de hoc, certum est, quando dos in testamēto relicta est puellæ pauperi, tunc non iudex sæcularis, sed Iudex Ecclesiasticus erit competens contra laicum etiam principaliter, & ad instantiam partis. Et ita docet Bobadilla in Polit. to.1. li.2. c.17 n.10. in fine, & in Glossa, litt. C. Guttierrez Pract. qq. lib.1. q.44. n. 10. & lib.3. q.29. n.30. Cenedo n.7. Cæuallos n. 4. vbi supra, & alij.

An si vidua, pupilli, vel alia persona pauperes fuerint oppressæ, tunc etiam nulla data negligentia Iudicis sæcularis, possint aduersarios suos ad Iudicem Ecclesiasticum trahere, & in illius foro conuenire?

RESOL. CXVII.

NEgatiuam sententiam sustinet Couarr. Pract. qq. capitul.6. num.1. & ita mordicus, vt affirmatiuam sententiam ridiculam appellet.

Verùm ego non ridiculam, sed, veram existimo, & Couarr. opinionem falsam puto, vt etiam illā nouissimè existimat Anguian. in tract. de legib. tom.1. lib.3. controu. 22. num.48. & alij penes ipsum, ex multis iuribus, quæ affert, & præcipuè per cap. ex parte, de foro compet. vbi causa viduæ Reginæ bonis suis spoliatæ, in foro Ecclesiastico fuit agitata. Vide etiam textum in cap. super quibusdam, §. vltim. de verbor. significat. & in cap. significantib. de officio delegati. Quibus iuribus minimè satisfacit Couarr. nec quisquam poterit satisfacere, quin indistinctè probent, atque conuincant, etiam nō data Iudicum sęcularium negligentia posse personas habitu, & actu miserabiles aduersarios suos ad forum Ecclesiasticum trahere. Scio praxim in contrarium esse. Sed ego loquor, quid sentiendum de iure, ius autem, vt visum est, nostram sententiam apertè docet. Ergo, & cet. Vide etiam Tannerum in 2.2. disput.4. quæst.4. dub. 1. numero 31.

An Clericus relegatus à Iudice Ecclesiastico, si durante relegatione efficiatur laicus, & frangat relegationem, possit pro dicta fractura à Iudice Ecclesiastico puniri, & duplicari pœna?

RESOL. CXVIII.

HAnc quæstionem tangit breuiter doctus Iurisconsul. Barbosa in Remission. ad ordinat. Regn. Lusitan. libr. 5. titul. 139. c.159. nu.153. & negatiuam sententiam tenuit Vincentius de Franchis in decis. 395.

Sed mihi sententia affirmatiua summoperè placet, in quam videtur inclinare Barbosa, & absolutè tenet Episcopus Genuensis in praxi Archiepiscop. Neapolitan. cap.8. numer. 3. qui testatur de obseruantia illius Curiæ, & adducit multos canones, & rationes; qui etiam in num.2. optimè etiam docuit, quod si clericus, qui dum esset laicus, fuit relegatus à Iudice laico, & pendente relegatione, postquam assumpsit clericatum, nō potest puniri à Iudice laico de fractura prædicta, sed ab Ecclesiastico puniendus est: Idem dicendum erit, si clericus committat delictum tempore clericatus, & post delictum ducat vxorem, nam adhuc erit puniendus à Iudice Ecclesiastico. Hæc omnia Genuensis, & post illum Madius in tract. de sacr. Ordinib. cap. 13. num. 44.

An Iudex Ecclesiasticus sit competens, non solum quoad relaxationem iuramenti, sed etiam ad effectum agendi, vt præstita relaxatione annullet, & rescindat ipsum contractum?

RESOL. CXIX.

NEgatiuam sententiam docet Guttierrez de Iurament. confirmat part.3. cap.12. num.... Decius, Couarruuias, & alij penes ipsum.

Sed affirmatiuam opinionem amplectendam esse existimo, & illam, præter Doctores, quos citat, & sequitur Suarez de Paz in praxi to.2. Prælud.2. num. 36. tenet etiam hanc sententiam ex Hispanis Iurisconsult. Ioan. de Heuia in Curia Philippica part.1. §.5. num.16. vbi sic ait. [Quando se pide esta relaxaciō, ad effectum agendi, se puede pedir iuntamente con ella en libelo, y peticion, en que se pide la nulidad, y recision del contracto iurado ante el Ecclesiastico, y conoscerse por el della, aunque sea entre legos, y contra ellos, porque por razon de iuramento es su juez, y assi la causa del contracto iurado, aunque sea contra legos, est mixti fori de entrambos fueros Ecclesiastico, y secular, tractandose con el lego iurante, que hizo el iuramento, mas no si se trata con sus herederos, ó successores que entonces, siendo legos no puede conocer della el Ecclesiastico, porque no passo à ellos quanto à esto, y el periuro el iuramento, aunque si quanto à la cōfirmaciō del contracto, y fuerca que por el se le dio.] Ita ille, & ante illum Antonius Gomez tom.2. ver.....c.12. n.22.

An Ordinarius, vel Iudex delegatus debeat necessariò præmittere censuras, antequam imploret, pro sua sententia exequenda, brachium sæculare.

RESOL. CXX.

AFfirmatiuè respondet Couarruuias practic. qq. capitul. 10. num.1. Franciscus Molinus in tract. de brachio sæculari, lib.1 cap. 3. & alij quam plures Iurisconsulti apud Monetam vbi infra, & rationem adducunt ex cap. cum non ab homine, de Iudic. vbi mandatur Ecclesiasticis Iudicibus, vt procedant per censuras contra reos, & si non proficiant, cum non habeāt amplius quid faciant, inuocent brachium sæculare.

At hæc opinio non est tenenda, & illam nouissimè impugnat Ioan. Petrus Moneta in tractat. de Iudicibus conseru. c. 8. n.268. Segura in director. iudicum Eccles. p.2. ca.13. n.33. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia omnia iura cum de inuocatione brachij sæcularis agunt, loquuntur per hæc verba, *si necesse fuerit, si opus fuerit*, vnde ad cap.1. de officio ordin. & cap. directo, de sent. excom. in 6. & ad c. cum ab homine, respōdetur, quòd procedit in proprio casu; vel melius dicendum est, quod fuit correctum per posteriora iura, & nouissimè per Concil. Trid. sess.15. c.5. de regul. sess.25. c.3. de reformat. Ita Moneta, & alij.

Notandum est etiam pro hac materia, quod si Iudex sæcularis non vult brachium suum præstare Ecclesiastico, potest ad id cogi pœna excommunicationis, vt notant Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in Collect. to.1. lib. 5. tit.26. cap. 2. num. 8. vide etiam Sanctarellum tractat. de hæresi, capitu.6. dub.4. numer. 23.

An

An Summus Pontifex habeat in toto orbe Christiano temporalem potestatem?

RESOL. CXXI.

PRima sententia docet, Summum Pontificem in toto orbe Christiano iurisdictionem & potestatem immediatè à Deo sibi commissam habere, habitu quidem, cum eius vsum, & exercitium in sæculares transtulerit. Itaque Doctores, quos citat Christophorus de Anguiano vbi infra num. 15. Comitolus in tractat. Apologet. cap. 3. per totum. Pereira vbi infra num. 1. Martha de iurisdiction. par. 1. cap. 18. cum sequent & hanc opinionem nouissimè ex Theologis docent Pesantius in tractat. de potestate Pontificis disput. 2. & sequ. vbi probat hanc sententiam ex multis iuribus, & præcipuè per extrauag. Vnam sanctam Bonifacij VIII. Vide etiam circa præsentem quæstionem Valenzuola in defesio. Monitorij Pauli V. parte 7. numer. 45. & seq.

Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tenent communiter Theologi, & plerique Iurisconsulti. Dico igitur, quòd Summus Pontifex in terris Principum non habet iurisdictionem directè quoad temporalia: ex vi tamen Pontificalis officij habet sufficientem potestatem super omnia negotia sæcularia, quando id expedierit ad quietem & conseruationem, ac Ecclesiæ defensionem, & ad bonum spirituale, ac ad finem Ecclesiasticæ potestatis supernaturalem assequendum. Potest igitur Summus Pontifex indirectè, & minus principaliter exercere supremam potestatem in temporalibus, quatenus id exigit, vt diximus, finis supernaturalis, & in ordine ad bonum spirituale; & ita docet Bellarminus in controuers. 5. libr. 5. c. 6. Malderus in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 8. Azorius p. 2. libr. 11. ca. 5. q. 6. Suarez de legib. libr. 3. cap. 22. Tannerus in p. 2. disp. 4. qu. 4. dub. 1. n. 33. Molina de iustit. to. 1. tract. 1. disp. 29. conclus. 3. Rebellius p. 2. lib. 14. q. 23. sect. 1 nu. 2. & 3. & sect. 5. nu. 28. Christophorus de Anguiano tract. de leg. to. 1. lib. 2. controuers. 17. nu. 29. & sequ. Maynardus de priuil. Eccles. p. 1. art. 6. nu. 1. Salgado de protectione Regia, to. 1. p. 1. c. 1. præl. 1. n. 55. Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ in Proleg. n. 9. in fine, & num. 12. Paramus de orig. Inquisit. li. 3. q. 3. opinione 4. Syluius in 2. 2. q. 66. art. 1. quæritur, concl. 1. 2. & 3. Pereir. de man. Regia, præl. 1. nu. 4. & seq. Barbosa in collect. to. 2. libr. 4 tit. 17. c. 13. num. 37. Morla in empor. iur. p. 1. titulo de iurisdict. q. 4. art. 1. Turrecremata in summ. lib. 1. cap. 113. & alij penes ipsos. vide etiam circa præsentem quæstionem Bobadillam in pol. to. 1. lib. 2. ca. 13. numero 2. & sequ. Restat modò respondere ad argumentum ex Bonifacio Pontifice.

Quomodo sit intelligenda Extrauag. vnam sanctam, Bonifacij VIII.

RESOL. CXXII.

REspondeo cum Christophoro Angoian. loco cit. in tractat. de legibus, lib. 2. controu. 17. num 64. quòd mens Pontificis in supradicta Extrauag. nequaquam fuit, velle Reges, & Principes Christianos subijcere magis imperio Ecclesiæ, quàm antea erant, sed tantummodò demonstrasse, quod vltra gladium spiritualem, est etiam in Ecclesia gladius temporalis, non actu, & directè exercendus, sed habitu, & indirectè dumtaxat, eo modo, quo in superiori Resolut. dictum est. Verum quia multi putabant, nec rectè, vtrumque gladium esse apud Romanū Pontificem, & imperium ab eodem haberi, idque tamquam veritatem Catholicam definitum esse in dicta Extrauag. vnam sanctam; & ideò Clemens V. ad tollendum illud rumorem, statuit Extrauag. vnam sanctam, non generasse præiudicium Regi, Regno, aut Regnicolis Franciæ. Neque intendisse Bonifacium, neque mentis suæ fuisse aliquod illis præiudicium inferre, nec illos magis subiecisse, quàm antea essent subiecti, ita vt dicta Extrauag. meruit, nihil noui constituerit; sed magis declarauerit prædictam Extrauag. vnam sanctam, quæ ex tot Interpretum commentarijs aliquantulum obscura videbatur. Hæc Anguianus, perdoctè, vt semper solet; sed ex supradictis sequitur decisio subsequentis resolutionis.

An Summus Pontifex possit cognoscere, & Iudex existere competens, vbi lis aliqua, vel discordia oritur in re graui inter duos supremos Principes, neminem in temporalibus recognoscentes?

RESOL. CXXIII.

REspondeo, quòd si dum non consentiunt in Iudicem aliquem arbitrum, & ex tali discordia seu lite probabiliter timetur, vel fidei Catholicæ, vel Ecclesiæ, seu boni spiritualis detrimentum ex bello, seditione, vel perturbatione Reipublicæ, tunc etiam potest, & debet Romanus Pontifex in ordine ad finem supernaturalem, & ad vitāda eiusmodi incommoda, cognoscere, & sententiam ferre, cui tales Principes Christiani stare tenentur. Et ita docet Molina de iust. tom. 1. tractat. 2. disputat. 29. num. 29. qui citat Victoriam, Riccium, Durandum, & Turrecrematam. Idem docet Sotus in 4. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. conclus. 4. & Anguianus tractat. de legibus, tom. 1. lib. 2. controu. 17. nu. 79.

An statutum, vt quis, qui nondum habet ius in re bonorum, quæ possessurus est, dominus sit, si non ingrediatur Religionem; sin verò, amittat: an inquam tale statutum sit illicitum, & contra immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. CXXIV.

REspondet negatiuè Bartolus in leg. final. Codic. de pactis num. 6. Sed contrariam sententiam meritò docet Decius in cap. in præsentia, de probat. nu. 52. & nouissimè Basilius Pontius de matrim. libr. 3. cap. 8. num. 25. vbi sic asserit. Statutum, quo decerneretur, vt is, qui nondum habet ius in re bonorum, quæ possessurus est, dominus sit, si in sæculari conuictu permaneat, eorumdem autem non liberum dominium nanciscatur, si Religionem ingrediatur, nequaquam licitum est, libertati enim Ecclesiasticæ aduersari videtur, ac proindè teneri eius authores excommunicatione, quæ est in Bulla Cœnæ. Ita Pontius.

Ex quibus inferendum est, non esse admittendas illas conditiones, quas aliqui in suis testamentis apponunt, videlicet *do, lego si religionem ingrediaris, si in sæculo permaneas*. Quidquid in contrarium afferat Sanchez de matrimon. tom. 1. libr. 1 disp. 34. num. 11. quem meritò Pontius vbi suprà numer. 20. solidè, vt semper solet, impugnat; & ego etiam puto contra eumdem Sanch. num. 52. Molinam to. 1. tract. 2. disp. 207. à nu. 13. & alios, si legentur ducenta si nubat, centum si Religionem ingrediatur, deberi ducenta religionem ingredienti. Ita Lessius lib. 2. ca. 18. dub. 15. Comitolus in Resp. mor. li. 7. quæst. 7. & alij. Sed de hac quæstione nos fusius alibi.

An Reges, & Principes recipiant suam potestatem immediatè à Deo?

RESOL. CXXV.

AFfirmatiuam sententiam docet Cæual. & aliqui Iurisconsulti. Alij secus sentiunt. Sanè Pontificem suam potestatem accipere immediatè à Deo apud omnes constat. Nec obstat, quod homines eligere Pontificem dicuntur: nam eligendo seu nominando, nullam ipsi potestatem, vel authoritatem Pontificiam electæ personæ tribuunt, sed eam solummodo Deo veluti præsentant, & offerunt, à quo demum sua potestatem accipiat. Est igitur electio ista tantùm conditio, sine qua Deus potestatem Pontificis in hominem non transfert; non autem ratio, seu medium, quo Electores ipsi eam potestatem electo tribuant.

(?)

An priuilegium exemptionis à iurisdictione temporali, clericis concessum fuerit, & inceperit tempore Constantini?

RESOL. CXXVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Salgado de protectione Regia, tom.1.part.1.cap.1. Præl.1.num.51. Cæuall.tract. de cognit. per viam violentiæ in prooemio, c.5. num.11. & alij penes ipsos.

Sed supradicti auctores in hoc non sunt audiendi, & ideò contrariam sententiam docet Io. de Maderiaga in tract.de Senatu, capit.39 § 2.fol.mihi 467. Card.Bellarmin in Respons.ad duos libellos cuiusdam Theologi, fol. mihi 8. & probatur manifeste ex authoritate Concilij Carthag. tertij, can.9.vbi sic habetur. Item placuit quisquis Episcoporum, Presbyterorum, seu clericorum, si derelicto Ecclesiastico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locũ suum amittat, & hoc in criminali actione, in ciuili verò perdat, quod euicit, Ita illud Concilium, quod fuit celebratum centum triginta annos ante Constantinum. Vnde apparet manifestè falsitas contrariæ sententiæ. Vide etiam Concil.Chalcedon ca. 9.& Agathense can.32. Rectè igitur Bellarm. vt suprà, sic asserit [Ecco quanto sia falso, che prima del tempo di Giustiniano non ci fusse distintione di foro; mà perche Giustiniano si vsurpò grande auttorità in voler giudicare le cause de gli Ecclesiastici, però Menna Patriarcha di Constantinopoli domandò all' Imperatore, che almeno lasciasse alli Vescoui la cognitione delle cause ciuili e l'Imperatore lo concesse.] Ita ille. Vnde apparet, quã cautè legendi sint aliqui Iurisconsulti, quando loquuntur de immunitate, & potestate Ecclesiastica.

An Princeps possit leges condere circa matrimonium?

RESOL. CXXVII.

POsse quidem quantum ex se est, attamen eam potestatem sibi reseruasse Pontifices putat Sanch. to.2.lib.6. disp.3.n.2.

At contrariam sententiam docet Basilius Pontius de matr. lib.7. c.2.nu.3 nempè ex se non posse Principes legem aliquam constituere circa matrimonia. Licet enim materia huius sacramenti contractus sit, non satis est, vt possit Princeps sæcularis leges condere ad substantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentes; cum ex eo, quòd ea materia per Christum sacra facta est, iam extra iurisdictionem sæcularem sit.

Ex his infert idem Pontius numero 4. neque circa accessoria matrimonij posse Principem sæcularem, ex defectu potestatis legem ferre, si eo accessorio impeditur principale: posse tamen circa alia accidentalia, vel accessoria, quę non pertinent ad eius substantiam, neque ex se impediunt principale, vt v.gr. ferrè leges circa dotem, & lucrum dotis, vel donationes inter virum, & vxorem, & sponsalitiam largitatem, & similia. Vide etiam Riccium p.3.dec.178.& Bellettum in disp.p.1.tit.de exemptione clericorum a statutis sæcularium, § 4.n.43.& 44.vbi latè disserunt, an Principes possint statuere aliquid contra matrimonij libertatem, sed de hoc supra etiam satis dictum est.

An edictum, seu statutum de non ædificandis monasterijs, seu habendis cœtibus Religiosorum sine licentia Principis, sit contra immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. CXXVIII.

POsset aliquis respondere, quod non; quia per decretum hoc consulitur alijs monasterijs, iam erectis, ne scilicet alimenta eis desint ob aliorum ædificationem, & multitudinem, & ne prætextu boni, & quæsito pietatis colore, perniciosæ societates ineantur.

Sed tale statutum esse contra Ecclesiasticam immunitatem, docent Doctores, vt Vgolin. in respons. ad Iurisconsf. Gymnasij Patauini, c.6.§.nu.2. Valenzuola in defens. cens. Pauli V.p.2. per totam. Collegium Bononiense in Respons. pro libert. Eccl.n.43.& alij, quia hoc est iurisdictionem Ecclesiasticam vsurpare: & ideò inter alias causas; ob quas licentia Prælatorum requiritur, dum Monasteria, & nouæ Religionibus in Ciuitatibus introducuntur, hæc est, vt videant, ac perspiciant, vnde, & quomodo dicti Regulares sustentari possint; non enim permittitur eorum ædificatio, si non habeant vnde sustententur. Hæc omnia igitur spectat ad Ecclesiasticos, & non ad Principes laicos considerare. Vide suprà in resol. 61.

An N. Religiosus professus qui miscuit se enormibus, amiserit priuilegium fori, ita vt sine metu censurarum, possit illum Iudex laicus punire?

RESOL. CXXIX.

SVppono primò, Religiosum professum numquam perdere priuilegium fori, etiamsi apostataret à Religione, habitumque dimitteret, nisi in casibus, quibus illo priuilegio priuantur clerici in sacris instituti, propter delicta in aliquo canone expressa. Ita DD.communiter. Vide Layman in Theolog.mor li. 4.tract.9.c.7 n.5. & Aldrete de Religiosa disciplina tuenda, lib. 1.cap.3. per totum.

Suppono secundo, professum Religionis approbatæ, æqualem esse initiato. Ordinibus sacris quoad priuilegium fori, est enim mancipatus seruitio Ecclesiæ, & Religionis, & adductus diuino obsequio, nec amplius ad sæcularem statum redire potest. Ita Nauarrus de priuilegijs, cons.25.n 7.Rodriq.to.2.quæst. 2.art.3. Scaccia de iudic.to.1. c.11.n.82. Syluest. verbo excommu 6.nu.7.& alij.

His suppositis, posset aliquis respondere ad dubitationem propositam affirmatiuè. Primò, ex authoritate cap. perpendimus, de senten.excommunic. Secundò, ex cap.1.de apost. Tertiò, ex cap. ex parte, de priuileg. Et ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. de Inquisit.quæst.8.num.54.& Iulius Clarus in pract.crimin.lib.5.quæst.36.num.23. quibus ego addo Syluest.verb.excommunicar 6.num.7. Caietanum in summa, verb.excommunicatio, c.11.not.7. Coriolanum in Expos. Bul.Cœn.excomm.19.cas.3.Molinam tom.4.tract.3.disput.49. num.21. Reginald.tom.2.libr.19. cap.vltim.section.1. num.70. Graffium in dec.aur.part.1.libr.4.cap.20 num.151. Bobadillam in Politic.tom.2 lib 2 cap.18.num.95. Heuia in Curia Philipp. p.3.§.3.num.30. Scaccia de iudic.tom.1.cap.11.nu.79.& Riccium in Praxi, to.1, resol.172.num.2. vbi sic asserit, quod in Regno vtriusque Siciliæ ad instãtiam Imperatoris Caroli V. Summus Pontifex Clemens VIII. pro bono regimine concessit, vt absque trina monitione procedi possit contra clericos incedentes sine habitu, & tonsura, ac se immiscentes sæuis, & enormibus.

At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam prorsus amplectendam esse existimo. Dico igitur, supradictum N. Religiosum gaudere priuilegio fori, eo quòd non fuerit monitus; & ita in terminis casus nostri, docet sapientissimus senex Nauar.de priuilegijs, cons.25. per totum, loquens de quodam Religioso professo, nõ autem sacris ordinibus initiato, qui plurima, & enormissima delicta perpetrauerat. Idem etiam docent communiter Theologi, vt Ioannes de la Cruz in director. conscient.par.2 de Sacr.ordinib.dub.8.concl.4. ex Societ.Iesu, Comitol.in Responsorijs moral.libr.primo, quæst.96.nu.3. Filliuc.tom.1.trac.17.cap.11.n.314.& ex nostra Religione Megala in 3.part.lib.3.c.11 num.30.31.& 32.Francisc.Aponte consil. 24.num.4. vbi ex Butrio, & alijs, sic asserit. Sunt necessaria ad hoc, vt clericalem priuilegium quoad forum perdatur. Primò, quòd non incedat in habitu. Secundò, quòd immisceat se enormibus. Tertiò, quod in alijs frequentauerit. Quartò, quod in alijs sit deprehensus. Quintò, quod sit monitus. Sextò, quod post monitionem fuerit incorrigibilis. Ita etiam docet Rodriq.tom.2.q.2.art 5.Bonacina de legibus, disp.10.q.2.pun. 1 §.1.num.5. Angel.in ver.Clericus 1c.num.1. Tabiena ver. excommun.5.nu.25.vbi carpens Syluestrum, sic ait. Quidam dicũt, quòd opinio, quę dicit qui perdit priuilegium fori, est practicanda, sed me degente Bononiæ, practicata est opinio contraria, toto approbante studio. Nec desunt pro hac sententia doctissimi Iurisconsulti. Nam præter Abbatem, Io. Andream, & alios quos adducit Farinac. vbi suprà, illam mordicus tenet Caruallos tract de cognit.per viam violentiæ, p.2.qu.75. per totam. Anguiano de legib.libr.2.contr.19.n.21. & 24.Albert.in c. quãquam, de hæret.q.14.n.11. Alexand.de Imola libr.1.cons.8. Salsedo in annotat.ad pract.crim.Bernardi Diaz c.141.Bellett. in disq.cler.p.1.tit.3.§.7.num.3.Barbosa in Collect.to.2. libr 5. tit.

tit.39.cap.25.num. 2. Ambrosin. de immun.Eccles.cap.17.n.16. Facchineus in controu.lib.9.capit.28.Triuisanus libr.2 dec.48. num.17. & alij penes ipsos. Vide etiam Zipæum in nouo iure Pontificio, lib.2.tit.de foro compet. nu.36. Et ratio est clara, & expressa habetur in c. in audientiam, & in c. contingit, de sent. excommun. vbi Summus Pontifex determinat, quod non præcedente trina monitione, clericus nō amittit priuilegium fori. Quæ doctrina est ita vera, vt clericus etiam incorrigibilis non amittat priuilegium fori, nisi prius ter fuerit monitus, vt ex multis probat Alterius de censuris, tom.1.disp.1 lib.2.c.6. fol.mihi 183. Vide etiam pro hac sentētia Decretalem Bonifacij Octaui si Iudex laicus, de sent.excommun. in 6.

Nec faciunt pro contraria sententia canones adducti. Nam dicendum est, vt iuta iuribus concordentur, canones illos intelligendos esse, quando præcessit trina monitio, cum alia iura clament, vt notatum est, clericos non amittere priuilegium fori, nisi præcedente monitione, Ergo, &cet. Et ita respondet noster Megala vbi sup.in 3. part.lib.3. cap.21.num.31. Ambrosin.de immun.cap.17.num.16. cum alijs. Vnde Albertinus vbi suprà, in cap.quamquam, de Hæret. quæst.14.num.11. Ioan. Lupus tract. de libertate Eccles. part.2.quæstio.9. Alterius de cens. tom.1.disput.1.lib.2. cap.6.fol.185.colu.1. putant in casu c. perpendimus, præcessisse monitionem. Nec valet dicere cum Vincentio de Franchis decis.463 num.15. & alijs, quod in nostro casu idem operatur diuturnitas temporis, quod trina monitio. Nam respondetur, quòd iura non distinguunt, sed absolutè asserunt necessariam esse monitionem. Et Doctores pro nostra sententia adducti loquuntur de clericis in enormitatibus inueteratis, & ita intelligunt illa iura, prout realiter, & sine tali distinctione intelligenda sunt.

Vel posset aliquis respondere ad cap perpendimus, quòd loquitur de priuilegio canonis, & non fori. Et ita præter Doctores citatos respondet Coninch.de sacram. disputat.14. dub.15. num.160.& Suarez vbi infra, & de censuris disput.22.sect.1.nu.13. & patet ex contextu litteræ. Nam in dicto capite narratur quemdam Comitem curasse suspēdi presbyterum, qui abiecto habitu, seditionem fecerat; diciturque illius interfectores, non mittendos quidem pro absolutione ad Pontificem, (quia scilic. non erant excommunicati;) iniungendam tamen ijs esse pœnitentiam, quia scilicet peccauerūt vsurpando iurisdictionem in non subiectum. Si autem talis sacerdos amisisset priuilegium fori, fuisset subiectus illi Comiti, & meritò suspensus, atque ita eius interfectores non peccassent. Vnde, vt diximus, clarè patet, quòd in hoc canone Summus Pontifex loquitur de priuilegio canonis, & non fori. Vel dicendum est, cum Anguiano tract.de legib.lib.2.contr.15.numer.29. quia in casu particulari dicti c. perpendimus, periculum erat in mora, quod non accidit in casu nostro, &c.

Ad cap.primo de apostatis, respondeo cum Suarez vbi infra, quod loquitur de clericis minoribus. Vel melius dicendum est, quod in hoc textu non dubitatur de iurisdictione Ecclesiastica, sed an clericus perdat priuilegium clericale sine vlla monitione. Et huic dubitationi respondet Pontifex, eum per censuram Ecclesiasticam non præcipimus liberari. Et sic non vult Pontifex ei succurrere, vt liberetur, & assignat rationem, quia indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari. Et sic non dicitur in eo textu, an ij qui talem clericum comprehendunt, & manus violentas in eam iniiciunt, excommunicationem incurrant; sed quod non vult tales Clericos iuuare. Neque ex hoc bene sequitur, permitti Iudicibus sęcularibus facultatem eos apprehendendi, tamquam exutos omni priuilegiu clericali. Ratio autem dubitandi erat, qui adhuc clericus retinebat priuilegium clericale, ex eo quia ter monitus non fuit. Et ita respondet ad verbum Cæuallos tractat.de cognitione per viam violentię, part.2.quæstion.75.numer.15.& ante illum Facchin. vbi suprà in controu. libro octauo capit. 29. vnde noster P. Megala asseruit in tertia parte, libr.3.cap.11.quæst.1.num.31. dictum cap.1. de Apostat. non probare Iudices laicos posse punire prædictos clericos apostatas, sed tantùm non præcipere Iudicibus Ecclesiasticis, vt per nouas censuras cogant Iudices sæculares, quia huiusmodi Clericos retinent, ad illos dimittendos. Vnde fit, vt in hoc casu possint Episcopi, si volunt, cogere laicos per censuram Ecclesiasticam, vt huiusmodi clericos captos ad sua tribunalia remittant, hoc tamen facere non tenētur; sed quamuis Episcopi taceant, nullum tamen ius laici acquirunt, ad puniendos prędictos clericos cum ob hoc de illorum foro non efficiantur. Ita noster Megala.

Ad capit. ex parte de priuilegijs, multipliciter respondent Doctores apud Barbosam in collect.tom.2.libro quinto, tit.33. cap.27.num.3. Sed mihi placet responsio Patris Suarez contra Regem Angliæ, lib.quarto, cap.27.num.24. Brutij in dicto cap. ex parte, Couarruuiæ, & aliorum, quòd dictum cap. loquitur de clericis minoribus, vt cap. vnicum de vita, & honestat. cler. & clem.1.eodem tit. Vel dicendum est cum Abbate in dicto c. perpendimus, num.8. Couarr.Pract.qq.cap.32.num.2. quia dictæ constitutiones pœnales sunt, ideò non debent ad alium casum extendi, & cum sint casus particulares, non est trahenda illatio ad alios casus etiam maiores, vt rectè notat Alterius de censuris, tom.2.disp.1.lib.2.cap.6.fol.184.col.2 §.hoc autem, & fol.184.col.2.§.respondeo, & Facchineus vbi supra lib.9. contr. cap.28. in fine.

Ad priuilegium verò Clem. VII. in contrarium adductum, respondeo, quòd firmat nostram sententiam. Nam ex illo apparet, non posse sine monitionibus, principes clericos facinorosos punire. Sed an dictum priuilegium sit verum, nescio; & an sit reuocatum per Bullam Cœnæ, remitto me ad patres Theologos Religionis Seruorum in defension. censur. Pauli Quinti capit.8.numero 19. Ioan.Beltranum de Gueuara in propugnac. Ecclesiastic.libertatis, §.7.numer.43.assert.1. Sayrum de censuris libro tertio, cap.25.num. decimo, Duardum in Bulla Cœnæ, libro 3.§ quinto, quæst.1.num.1 Maynardum de priuileg Eccles.part.2.artic.18.num.10. Barbosam in collect.tom. 1.libro 1.titul.2.cap.10.num.25. & alios. Adde, quod licet tale priuilegium non esset reuocatum, tamen nihil operatur in casu nostro. Nam hoc priuilegium, vt patet ex ipsius contextu apud Marthiam de iurisdict.part.2.cap.32.n.38. loquitur de clericis minoribus, non autem de Religiosis professis, qui vt supra notauimus, æquiparantur initiatis sacris ordinibus. Vnde ex his omnibus, manifestè apparet, supradictum Religiosum gaudere priuilegio fori, nec posse illum vllo pacto Iudicem laicum, sine incursu censurarum, punire. Vnde ex ipsismet aduersarijs Clarus, & Farinacio cum formidine, & cum protestatione correctionis Romanæ Ecclesiæ contrariam sententiam docent. Et Caballus, licèt cum Farinacio, & alijs stet aduersus nostram sententiam; tamen vbi supra cas.60. numer.22. tandem in hæc verba prorupit. Non caret (ait) dubitatione opinio per Franchis firmata, quòd tali priuilegio priuatus sit clericus, quando plura commiserit delicta, & in eis perseuerauerit: nam multi non modicæ authoritatis contrarium tenent, & adhuc monitionem necessariam dicunt, vt ex superius allegatis apparet. Et negari non potest, quin in dubijs amplectenda sit opinio, quæ fauet Religioni, & Ecclesiasticæ libertati. Ita Caballus. Puto igitur, in casu occurrenti consulendum esse Summum Pontificem, & obsecro Dominos Iudices, vt legant doctissimum Patrem Suarez contra Regem Angliæ, lib.4. c.27.nu.24.& 25.

Sed aliquis forsitan instabit dicendo, quòd saltem à superiori supradictus Religiosus sit degradandus, & Curiæ sæculari tradendus. Nam propter homicidia, & alia crimina qualificata, esse clericos degradandos, & curiæ sæculari tradendos, docent plures Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. vbi suprà quibus ego addo Aldrete de disciplina religiosa tuenda, libro secundo, cap.15.nu.4. Molinam de iustit.tom.4.tract.3.disput. 49.numer.18. Auilam de censuris, part.4. disp. vnica, dub.3.conclus.5.Gambacurtam de immun. Eccles. libro 7.cap.14.numer. 12.Delrium in disq.mag.lib.5 sect.16. Alterium de censuris to. 1.disputar.1.libro secundo, capit.6, folio 186. colum.1. Villalobos in summa tomo primo, tractat.18. dub.12. Ambrosin. de immunit.Eccl.cap.17.numer.40. Bellet.in disquis.cleric.part.5. tit.3.§ 28.num.6. Barbosam de potest. Episc. p.3. alleg.210. nu. 13. & alios.

Respondeo, quòd aliqui docent, clericum non esse degradandum nisi in casibus exceptis, videlicet hæresis, falsi commissi in litteris Apostolicis, & conspirationis in proprium Episcopum. Et ita tenent Aretinus, Albertinus, & Decius, qui respondent ad omnia argumenta Abbatis, & alij penes Aldrete, & Farinacium locis citatis. Idem ex neotericis docuit Couarruu.lib.2.variar.cap.20.num.7. Facchin.vbi supra in controuer. lib.8.cap.30. Sousa in Bull.Cœn cap.16.disput.82.num.2. Iulius Clarus in pract.crim.lib.5.quæst.36.num.36. Modius de sacris, ordinibus, c.32.num.7. Alterius de censuris to.2.disp.2.c.2.§ 7.

& alij. Vnde stante contrarietate dictarum opinionum, existimo dictam degradationem minimè à Superiori Regulari faciendam esse, nec dictum Religiosum Curiæ sæculari tradendum; nisi prius consulto Romano Pontifice, vt volunt ipsimet aduersarij, Farinac. vbi suprà de Inquisit. quæst. 8. numer. 81. & Felicianus Episcopus Scalensis tractat. de censur. cap. 14. & Albertinus in cap. quamquam, de Hæreticis, in 6. quæst. 11. num. 45. sic asserit. Episcopus debet consulere Summum Pontificem, quando delictum est enorme, quòd est notandum contra multos miseros Episcopos, qui clericum captum pro enormi delicto sine consultatione Papæ degradant, & tradunt Curiæ sæculari. Sic ille. Et ita Florentiæ consuluerunt Pontificem in casu clerici banniti, apud Caballum vbi supr. cas. 60. numer. 23. Papiæ in casu clerici assassini, apud Maceratensem variar. libro 3. Resolut. 2. & Hispali in casu quorumdam Religiosorum, qui suum prouincialem occiderunt, apud Bernardum Diaz in practic. crimin. capit. 97. Vnde non assentior sententiæ Deltij in disqu. mag. libr. quinto, sectio. 16. Et hæc satis dixisse sit circa præsentem quæstionem, quàm subscripserunt manu propria viri doctissimi: ex Societate Iesu P. Ioann. Hieronymus Sopranus Præfectus studiorum in Romano Collegio, P. Gregorius Pogius Pœnitentiarius Sanctiss. Domini N. ad S. Petrum, & ex nostra Religione P. D. Alessandrus Peregrinus, P. D. Thomas Pellicionus, P. Don Marcellus Megala, & P. D. Thomas Affitto.

An Iudex Ecclesiasticus sit competens in causis sponsaliorum.

RESOL. CXXX.

Respondeo affirmatiuè. Ita docet Marius Antoninus Maceratensis libr. 1. Resolut 79. num. 8. Regin. Idus in Praxi, tom. 2. libr. 31. cap. 36 num. 268. Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 1. disputat. 69. numer. 19 vnde secundum Marium Antoninum vbi suprà, non sunt audiendi Glossa in cap. non est, in verb. vxores, & ibi Abbas numer. 3. & 6. de sponsal. Couarr. de sponsal. part. 2. cap. 7. numer. 3. & alij asserentes Iudicem sæcularem posse compellere partes ad obseruanda sponsalia. Sed Sanchez loco citat. disputat. 29. num. 9. docet Iudicem vtriusque fori competentem esse ad sponsaliorum coactionem, dummodo de ipsorum valore nihil agatur, quo casu solus Iudex Ecclesiasticus est competens. Sed dum sponsalia certa sunt, potest Iudex sæcularis, vt dictum est, ad ea compellere, licèt iuramento firmata sunt Vide Abbatem c. ex litteris el 2. de sponsal. nu 4. Rosellam ver. sponsalia, nu. 3. Brunellum de sponsal. concl. 16. nu. 6. & alios.

Ad quem Iudicem spectat, spiritualem, vel sæcularem, pendente lite super matrimonio, vel sponsalijs sequestrare puellam, causa explorandi voluntatem?

RESOL. CXXXI.

Ad Iudicem tantum Ecclesiasticum hoc spectare, tradunt communiter Doctores ex cap. cum de spons. Et ita hanc sententiam docet Genuensis in Prax. cap. 14. Raguceus in Lucerna Parochorum, de matrim. quæstio. 96. & 128. vide etiam Guttierez de matrim. cap. 37. Et ideò cum ad Episcopum spectet, iudicare de libertate consensus puellæ, poterit etiam iudicare de loco tuto, per quem perueniatur ad dictam libertatem, consensus, ex regula l. rem mobilem, l. ad legatum, ff. de procur. Vnde non valebit laico Iudici se offerre velle tradere puellam in loco, vbi vult ipse Iudex Eccles. Et si intereuenit casus, vt ad tollendam suspicionem coactionis, necesse sit extra ciuitatem puellam extrahi: tunc equidem ipsa sponsa ex authoritate Iudicis Ecclesiastici adducetur. Casus autem esse potest, si timeatur præsentia Principis, vel alicuius potentis Et ita in facti contingentia, euenisse Mediolani testatur Riccius in Praxi, tom. 1. resol. 216. n. 3. & notarunt etiam Genuensis vbi sup. c. 14. tr. 4. & Raguceus q. 128. nu. 2.

An in casu, in quo collectæ seu gabellæ, iustè clericis imponuntur, possint imponi inconsulto Romano Pontifice: & an dictæ gabellæ, si excedant octauam partem valoris rei, sint iniustæ?

RESOL. CXXXII.

De primo dubio huius quæstionis egi supra in resolut. 40. & cum aliquibus DD. sententiam affirmatiuam tenui, quibus nunc addo Hippol. de Marsilijs in Pract. §. aggredior, n. 63. Guillel. Benedict. in relect. ca. Raynuuus, verb. & vxorem, dec. 5. num. 470. Gratianum in discept. Forens. tom. 2. cap. 390. num. 19. Carocium de locat. part 4. de Collectis, nu. 37. & alios adductos per Decianum, vol. 2. consil. 51. nu. 61. qui omnes asserunt in tali casu sufficere consensum Episcopi cum interuentu cleri, quia tunc necessitas æquè primario respicit vtilitatem laicorum, & clericorum.

Non reticeam tamen, quòd aliqui hanc opinionem intelligendam esse existimant, quando tanta adesset necessitas, quòd sine periculo aut scandalo, ad Summum Pontificem recurri nõ possit: quia in tali casu sufficiet Episcopi, & clericorum consensus, aliter minime. Et ita tenent tot Doctores, quos citat, & sequitur nouissimè doctus Narbona in 3. part. recopil. libr. 2. tit. 4. leg. 57. Glossa vnica, num. 24. quibus ego addo Petrinum in priuil. Minimor. tom. 1. constitut. 2. Iulij 2. § 33. nu. 141. vide etiam Medin. de restitut. quæst. 15. Gigas de pens. quæst. 90. in fine, Gutierrez qq. practic. lib. 1. quæstio. 3. per totam, Azeuedum in l. 11. titul. 3. libro 1. numer. 7. Lopez part. 1. tit. 6. l. 54. ver. son tenedos, Auiles in cap. 23. Prætorum, Glossa, de Ordin numer. 7. & alios.

Quoad secundum dubium, respondeo aliquos dubitasse de iustitia gabellæ, quando excedit octauam partem valoris rei, ex authoritate leg. ex præstatione, C. de vectigalibus. Et ita videtur docere Regẽs Corsettus vir doctissimus in Propugnaculo vectigalis ferici, fol. mihi 21.

Sed Iacobus de Graffeis in suis Decis. part. 2. capit. 126. num. 37. non obstante dicta lege, docet hodie non posse dari certam regulam, nec assignari certum terminum, quando gabella sit excessiua, & ideo totum remittit arbitrio boni viri, attenta necessitate, causa, tempore, & loco. Ita Graffius. Ego verò puto absolutè, si gabella ex alijs circumstantijs sit iuxta, non obstare supradictam legem. Primò, quia leges illæ positæ sub tit. de vectigal. obligant tantum in Regnis nunc subditis Imperatori. Ita Suarez de legibus libr. 5. cap. 16. num. 5. & 8. vide etiam Megalam in p. 2. lib 2. cap. 17. q. 5. num. 71. & alios. Sed quicquid sit de hoc.

Existimo supradictam legem esse per contrariam consuetudinem abrogatam: & ita in casu leg. vniuersi, sub eodem tit. de vectigal. docuit Azorius parte 3. lib. 5. cap. 21. non esse consuetudinem damnandam, vbicumque ea extiterit, soluendi collectas, vel gabellas, etiam ex rebus ad vsus proprios necessarijs: quia non sunt istæ gabellæ prohibitæ iure naturali, sed solùm ciuili, quòd potest consuetudine abrogari. Sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo. Vide etiam Maldeum in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 5. in fine, Layman in Theol. mor. l. br. 3. tract. 3. sect. 5. p. 1. capit. 5. num. 3. Faustum in specul. confess. disp. 33. quæst. 22. num. 4. Tannerum in 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 12. n. 345. Ioan. de la Cruz in direct. conscien. p. 1. præcep. 6. art. 3. dub. 1. conclus. 1. Duardum in Bull. Cœn. libro 2. canon. 5. quæst. 5. num. 8. Graffium dec. part. 1. libr. 4. cap. 18. num. 82. & alios.

Et ita ex multis alijs rationibus, a P. Alexandro Nouola, & P. Cæsare Bosco Societatis Iesu viris doctissimis, & amicissimis, cum alijs præstantissimis Iurisconsultis, etiam me præsente, & consulente, fuerunt ad instantiam Illustriss. Senatus huius Vrbis, approbatæ multæ gabellæ, quæ in hac nostra Ciuitate excedunt in magna summa, octauam partem valoris rei.

(?)

An

Quando laicorum facultates non sufficere censendum sit ad hoc, vt clerici cum consensu Episcopi, & consulto Romano Pontifice contribuere in aliquibus casibus teneantur?

RESOL. CXXXIII.

HAnc quæstionem non inueni apud multos Authores, ideò supponendum est, clericos non teneri ad tributa, quæ imponuntur ad reficiendas vias, pontes, fontes, aut muros Ciuitatis, & similia, ad communem vsum ciuiũ, etiam clericorum necessaria, nisi in subsidium, nempe quando deficerent facultates laicorum. Hoc supposito, Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 25. nu. 15. putat verba illa, *Vbi laicorum non suppetunt facultates*, quæ habentur in c. non minus, & in c. aduersus de immun. intelligenda esse non de facultatibus communibus Reipublicæ. Et ita etiam docet Narbona in 3. p. Recopil. libr. 2. tit. 4. l. 57. Glossa vnica, nu. 21.

Sed Megala in part. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 6. num. 123. magis amplè in fauorem clericorum de hac re loquitur, sic enim asserit. Tunc facultates laicorum non sufficere censendum est, quando considerata proportione inter necessitatem, vel vtilitatem, pro qua gabella imponitur, & ciuium facultates, hæc ad soluendam gabellam non sufficiunt, *nisi ciues cogantur se eis priuare; quæ quotannis illis necessaria sunt ad viuendum secundum conuenientiam sui status*, quem vt Reipublicæ subueniant, minuere non tenentur, *ac ideo eorum tunc facultates ad soluendas gabellas non sufficere censendum erit*. Et de facultatibus particularium ciuium loquor. Nam si Ciuitas ita in communi diues est, vt ex communibus redditibus communi necessitati, vel vtilitati, commodè prouidere possit, tunc nec ab ipsis sæcularibus gabellæ exigendæ sunt, nisi ex consuetudine legitimè præscripta, hoc introductum esset. Ita Megala. Ex cuius sententia sequitur, quàm raro clerici tenentur pro supradictis gabellis cõtribuere. Nam difficiliter potest accidere casus, in quo bona propria omnium, & singulorum ciuium ad huiusmodi opera efficienda non sufficiant.

An Inquisitores possint procedere contra Iudices laicos, si remissius agant cum hæreticis sibi relictis, & pœnam mortis per ignem non imponant?

RESOL. CXXXIV.

CHristophorus Anguianus ex neotericis Iurisconsultis Hispanis, vir doctus, & Lector primarius Iuris Pontificij in Academia Complutensi, tract. de legib. libr. 3 controu. 31. à nu. 37. vsque ad 44. negatiuam sententiam sustinet, & mordicus docet, in tali casu Dominos Inquisitores non posse contra Iudices laicos procedere.

Sed contrariam sententiam omninò amplectendam esse existimo; quia Iudices laici in isto casu, sunt meri exequutores, & tenentur iuxta leges, statim hæreticum ad mortem damnare, vt tradunt communiter Doctores; quos citat Cenedus ad decret. Collect. 55. num. 2. quibus ego addo Suarez de Paz in pr. tom. 2. præl. 2. num. 30. Ioan. de Heuia in Curia Philipp. 3. §. 3. nu. 19. Mendez in Praxi Lusitana, libr. 2. cap. 1. numero 16. & Miranda in Ordine iudiciario tom. 1. qu. 1. art. 5. conclus. 6. Et ideò aliter facientes, tanquam fautores hæreticorum habentur. Vnde apparet non bene Anguianum num. 39. asserere, quòd nullo iure probatur, Inquisitores se posse ingerere ad puniendos supradictos Iudices; nam iura præbent iurisdictionem Inquisitoribus puniendi fautores hæreticorum. Sed dicti Iudices, non punientes pœna mortis hæreticos, tanquam fautores illorum habentur. Ergo possunt per dicta iura, contra illos, Domini Inquisitores procedere. Et ita mecum sentit Pegna in Direct. Inquisit. p. 3. commen. 85. vbi ponit verba Innocentij VIII. quæ hanc sententiam firmant. Vide etiam Farinacium tract. de Hæresi, q. 185. nu. 162. & Sanctarellum etiam tract. de Hæresi, c. 60. dub. 4. nu. 3.

Notandum est etiam, non bene asserere Anguianum nu. 42. quod si Inquisitores procedere possent aduersus tales Iudices sequeretur absurdum, nempè quod incurrerent in irregularitatem. Nam respondeo cum Cenedo in pr. qq. quæst. 15. num. 5. Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 5. in Glossa litt. D. Auila de cens. p. 7. disp. 5. sect. 2. Medina in summa, lib. 1. cap. 11. §. 10. reg. 4. Sanctarel. de hæresi, cap. 16. dub. 1. nu. 8. & alijs, in tali casu Dominos Inquisitores, instando, vt executioni sententia mandetur, non incurrere irregularitatem, vt infra etiam patebit. Manet igitur explosa sententia Anguiani.

Sed aduersus Iuristam Complutensem, Theologus Complutensis videatur; is est Petrus Lorca in 2. 2. D. Thom. quæst. 11. art. 4. disput. 49. nu. 9. vbi asserit, Iudicibus sæcularibus omne arbitrium circa exequutionem sententiæ hæreticorum sublatam esse, non obstante illa obsecratione, quam Inquisitores præmittere solent, quando reum brachio sæculari tradunt, petentes, vt cum eo misericorditer se gerant. nam obsecratio illi inuenta est, vt Iudices Ecclesiastici euaderent irregularitatis periculum, per quam tamen nihil committitur arbitrio Iudicis sæcularis, sed solum protestatur Ecclesia affectum suum, quo, quantum est in se, auersatur pœnam sanguinis, & nollet si fieri posset, eam inferre. Sed quia talis protestatio non ita efficax poterat apparere ad euitandam irregularitatem, ideo Paulus IV. & Pius V. motu proprio decreuerunt; tam Inquisitores, quàm quoscumque ministros, & Consultores, ab omni irregularitate immunes esse, quomodocumque ad condemnationem hæretici concurrant. Ita Lorca, vbi suprà. Dicendum est igitur contra Anguianum, in supradicto casu DD. Inquisitores posse contra Iudices laicos per censuras procedere. Sed ad aliam quæstionem circa iurisdictionem Inquisitorum deueniamus.

An Inquisitorum iurisdictio in familiares suos in criminibus alijs, diuersis ab hæresi, sit sæcularis, vel Ecclesiastica?

RESOL. CXXXV.

BAsilius Pontius de matrim. libr. 5. cap. 12. numer. 15. & sequ. probat supradictam iurisdictionem esse in sua origine sæcularem, & quòd sæcularis etiam conseruatur, vt patet ex diuersis Concordatis pro Regno Valentiæ, Siciliæ, Aragonum, & Castellæ, quorum nonnulla refert Simanca tit. 41. numer. 16. in quibus Rex limitat, prout sibi æquum videtur eiusmodi Inquisitorum iurisdictionem, quod quidem fieri à Rege non posset, nisi illa iurisdictio, & sæcularis esset in sua origine, & sæcularis etiam conseruaretur, si enim Ecclesiastica fieret, non esset illius Dominus, vt eam limitare, aut suspendere posset. Vnde quoties inter Consiliarios Regios, & Inquisitores aliqua controuersia oritur de iurisdictione, ad Regem recurritur: & quod illi placet, exequutioni mandatur. Quæ omnia euidenter demonstrant, hanc iurisdictionem esse sæcularem, ita vt eam extẽdere, & suspendere possit Rex, qui eam à principio concessit. Hæc, & alia plura Pontius vbi suprà.

Sed contrariam sententiam amplectendam esse existimo, quàm nouissimè ex multis, & solidis rationibus docet Hispanus Iurisconsultus Alphonsus è Narbona, vir eminentis litteraturæ, tomo secundo in 3. Recopil. libro quarto, titul. primo, leg. 20. Glossa 22. per totam. Et ratio est, quia ex priuilegio Summi Pontificis Ioannis XXII. vt notat Barbosa de potestat. Episcop. part. tertia, allegat. 107. numero sexto, Maceratensis, libro 3. Resolutio. 14. numero 1. Grassus de Effectibus clericatus effect. primo, num. 130. Zanardus in director. Confess. parte 2. precept. 1. capit. 6. quæst. 31. Farinac. tractat. de Hæresi, quæst. 128. num. 90. & alij. Domini Inquisitores possunt tenere familiam armatam, sub cuius nomine comprehenduntur, vt docet Zanardus, Notarij, Aduocati, Consultores, Fiscales, Birroarij, & Familiares omnes. Ergo iurisdictio in supradictos est Ecclesiastica, non sæcularis, sicut iurisdictio Episcoporum in laicos suos familiares, qui gaudent priuilegio fori. Deinde temporalis iurisdictio spirituali, & Ecclesiasticæ coniuncta, Ecclesiastica est censenda; ergo, vnitum enim, & annexum naturam sequitur illius, cui annexio fit. Dicendum est igitur, quòd Domini Inquisitores in examinandis familiarum, & cæterorum officialium causas ex vi, & potestate Ecclesiasticæ iurisdictionis cognitionem habere, vel saltem ex Regia iurisdictione per incorporationem, vel vnionem in Inquisitores translata, & ideò excommunicandi potestatem habent. Cœteras rationes, nam ego breuitati studeo, videbis apud Narbo-

Narbonam vbi suprà, qui ad satietatem solidè, & perdoctè hanc quæstionem examinat aduersus Allegationes Iosephi Mur, hodie latentes, iussu supremi Inquisitionis Senatus.

Restat modò respondere ad argumentum de concordatis, quod adducebat Pontius vbi suprà. Dico igitur cum Narbona, loco cit. numer. 21. quòd tantum abest, quòd Inquisitores Regiam Iurisdictionem, ad tractandum familiarium in causas, ex concordatis istis tantummodo obtineant; vt imò concordata hęc facta fuerint, non contradicente supremo Inquisitionis Senatu, ad restringendam potiùs, & limitandam generalem illam iurisdictionem cognoscendi de omnibus, & quibuscumque delictis à familiaribus commissis, quam Inquisitores ex potestate Ecclesiastica noscebantur habere, quàm ad aliquam iurisdictionem illis nouiter elargiendam. Quare in concordatis huius Regni Siciliæ adimitur Inquisitoribus facultas cognoscendi de quinque casibus ibidem expressis, in cæteris verò iure suo, ac potestate eisdem Inquisitoribus relicta, & reseruata procedendi per excommunicationem, & censuras Ecclesiasticas. Quod signum euidentissimum est, Inquisitores habere alioquin iurisdictionem Ecclesiasticam in prædictos familiares: nam si solum Regiam, & sæcularem haberent, Rex ipse non posset permittere, aut attribuere potestatem cognoscendi per censuras in cæteris casibus, præter expressos, vt permittitur in supradicta concordia Siciliæ. Ita Narbona vbi suprà, lege illum, & non pigebit. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem Tractatum de Immunitate Ecclesiastica.

TRACTATVS III.

DE COMITIIS SEV PARLAMENTO REGNI SICILIÆ, ET NEAPOLIS.

De Donatiuis, quę in Parlamento Regni, Serenissimo Regi tribuuntur, & de eorum Iustitia?

RESOL. I.

SVpponendum est, tanquam certum, Donatiua Parlamenti nomine esse voluntaria, sed re vera esse necessaria; ita in terminis testantur Doctores. Et quia fundamentum huius tractatus, consistit in hac veritate, ponam per extensum verba Doctorum. Ioan. Franc. Aponte in suis decisionibus part. 1. decis. 3. numer. 14. sic ait; Donatiua, quæ singulis duobus annis fiunt, non dicuntur voluntaria, ita quod est hoc nomen simulatum, & propterea videmus, singulis duobus annis, irremissibiliter peti a Rege, cum litteris particularibus ad suum Proregem transmissis: & Populi; & Barones per Regias litteras particulares ad Parlamentum vocantur, vnde verè potest hæc appellari impositio, quæ singulis duobus annis fit per Regem, vt suis necessitatibus subueniat; hæc ille. Mastrillus de Magistratibus tom. 2. libr. 5. cap. 15. num. 29. & sequent. Donatiua Parlamenti licet voluntaria dicantur ad differentiam muneris, ad quod ex ca. Regni tenetur Regnum, in quatuor casibus; attamen necessaria potiùs dici merentur, quia sunt loco seruitij & pro Domino in bello adiuuando, suisque necessitatibus subueniendo, ad quod omnes tenentur. Ideò nomen hoc Donatiui simulatum est, cum singulis tribus annis, irremissibiliter petantur a Rege, cum expressis litteris ad proregem transmissis, & pro effectu prædicto tria Regni brachia per litteras conuocantur, vnde verè impositio dici poterit. Idem cum iisdem verbis docet etiam ex nostris Regnicolis vir doctus Marius Giurba in suis decisionibus, tom. 1. dec. f. 118 num. 10. & seq. idem etiam docet Valenzuola, Velasquez consil. 99. punct. 4. num. 61. & ex Theologis P. Suarez de legibus, lib. 5. cap. 17. numero 7. & ex nostra Religione P. Molfesius in summa, tomo 2. tract. 12. cap. 22. num. 36. vbi asserit, supradicta donatiua esse reuera impositiones, ita vt debeant habere conditiones requisitas ad impositionem gabellarum. & citat Syluester ver. dominium, q. 5. num. 6. & Iacob. de Graffeis p. 1. libr. 3. cap. 1 nu. 7. vide etiam in nostris terminis, tractantes casum Marin. Frecc. de subfeud. lib. 2. author. 3. Baron. nu. 26. fol. mihi 323. col. 1. & Bologner. cons. 1. à num. 86. vsque ad nu. 95. cum eruditissimo Bobadilla in Polit. tomo. 2. lib. 5. cap. 5. nu. 4. & Basilio Pontio de impediment. matr. causa 31. quæst. 2. §. 11. & Petro Tholosano in sua Republica lib. 4. c. 5. nu. 3.

Cum igitur ex dictis clarè appareat, quod ad iustitiam donatiui concurrere debeant conditiones necessariæ ad iustam gabellam imponendam: pro elucidatione huius materiæ, ponam breuiter aliquas gabellarum quæstiones in gratiam illorum, qui in dicto Parlamento interueniunt, vt possint à se abdicare multos scrupulos, & de iustitia donatiui rectè decernere.

Quanam conditiones requiruntur ad impositiones iustæ gabellæ, & donatiui?

RESOL. II.

DVæ præcipuè relinquendo alias, non necessariò examinādas pro re nostra. Prima ex parte causæ finalis; nempe quòd imponatur propter publicam vtilitatem, seu necessitatē Regis. Secunda ex parte causæ formali, scilicet, vt talis gabella, & donatiuum subditis imponatur proportionabiliter. Ita communiter Doctores Turrianus in 2. 2. col. 2. disp. 44. dub. 1. & 2 Bonacina tract. de contract. disp. 2. q. 9. punct. 1. nu. 2. Petrus de Aragon. in 2. 2. q. 77. art. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 5. Suarez de legibus lib. 5. ca. 14. n. 16. Barthol. à S. Fausto in specul. confess. disput 33, q. 2. Salas de legib. q. 69. tract. 14. disp. 15. sect. 10. n. 118. Lessius lib. 2. c. 33. dub. 1. & 2. Reginaldus in praxi to. 1. libr. 10. c. 25. n. 372. Ledesma in summa, to. 2. tract. 7. cap. 3. Malderus in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 2. Layman lib. 3. sect. 5. trac. 3 p. 1. c. 3. n. 2. Tannerus in 2. 2 disp. 4. q. 6. dub. 12. n. 323. & 344. Molfesius in summa, to. 1. tract. 12. c. 22. n. 37. & 39. Syluius in 2. 2. D. Tho. q 66. art. 8. concl. 1. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 8. dub. 13. num. 14. & 15. Arragon. in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 3. Vasquez Opusc. de restit. cap. 5. § 2. dub. 1. & 2. Molin. de iustit. tract. 2. disp. 667. & seq. & alij. His ita constitutis maximè circa primam causam insurgunt aliquæ difficultates, ordinarias de industria relinquendo.

An donatiuum, & tributum impositum alicui Regno propter bella, & sumptus, quos sustinet Rex in alys Regnis, sit iustum?

RESOL. III.

REspondeo affirmatiuè, cum Turriano in 2. 2. tom. 2. disp. 46. dub. 1. num. 5. & 6. & eius Magistro doctissimo P. Gabriele Vasquez Opus. de rest. cap. 6. § 3. dub 1. num. 7. & quia eius verba sunt pulcherrima; ponam hic ea per extensum. Quamuis graue onus videatur nobis (loquitur de tributo Alcaualæ in Hispania) decimam soluere partem tamen cum à Regis nostri Philippi potentia totum multarum prouinciarum pondus, imò & Christianæ Religionis pendeat, quippe qui solus hæreticis, & Turcis Ecclesiam infestantibus, non solum resistat, sed etiam pauori sit, totam Italiam, Flandriam, Siciliam, & alia multa gubernet, & defendat, in quarum defensione alieno ære grauetur in dies: iustitiæ legibus congruum fuit, vt tributorum aucta quotannos, qui in pace, & tranquillitate degimus, Regi nostro subueniamus. At dicet aliquis; Relinquat Flandriam, deserat Italiam, vno suo antiquo Regno contentus sit, quod & sibi, & nobis maiori futurum erit vtilitati; Sed numquid iura Regni patiuntur, vt Rex magno cum dedecore, timore inimicorum, antiqua Regna, quæ vel iure hæreditario, vel bello iusto capta, ad eum pertinent, relinquat; maioresque in diem animos inimicorū commoueat, vt & Regnum etiam nostrum bello, & armis oppugnare non dubitent: nonne salubrius erit, etiamsi facultates in hoc omnes absumamus, vt inimicorum tela longè à nostris Regnis confringantur, ibique belli impetum non tamen tam propè, sentiamus? Quòd si animo

mo quisque perpenderet, nobis vbique, & omni tempore impuoe licere terram excolere, messes colligere; fructibus terræ in pace, & tranquillitate vesci; vnumquemque & vxore, & filijs securo animo frui, è contra vero, vbi belli furor sæuit, incolas terram excolere labore magno, & seminare, vt hostes colligant, nunc domum flagrare incendio, nunc vxores, & filias raptas, filios occisos spectare, & propriam vitam quotidie discrimini expositam habere: Quis non magni faciat eam quia fruimur, pacem? quis non vltro Regi tributa offerat, vt pacem conseruet, & conseruatam augeat? Sed contra fieri videmus, vt homines hæc non perpendentes, ex alia vero parte, nouam exactionem considerantes, & ægrè ferant, & contra Regem obmurmurẽt, sine causa tamen, & iniustè. Hæc Vasquez; multum conducentia, ad iustitiam primæ causæ imponendi tributa, & præbendi donatiuum, nempè propter bonum commune, & necessitatem Sereniss. Regis. Intellige tamen hæc omnia concurrente forma, de qua dicemus in Resol. 5. & quando non obstant leges municipales alicuius Regni: & in terminis, de quibus Aponte in tract. de potest. Proreg. tit. 4. §. 1. n. 4. Sed aliã non minus necessariam quęstionem circa pręsentem materiam attingamus.

An Rex, si culpa sua propter largitiones immoderatas, ludos, iniusta bella, &c. in egestatem inciderit, possit iuste imponere tributum, & Regnum illi donatiuum præbere?

RESOL. IV.

Respondeo, quòd sic; & in tali casu tenentur subditi largiri omnia necessaria ad defensionem, & conseruationem Reipublicæ; & ad id, quod necessarium esset ad Principis sustentationem, considerata dignitate eius. Nam totum hoc postulat bonum publicum, quidquid sit de peccato Regis. Sic aduersus Medinam, C. de restit. q. 13. Gabrielem in 4. dist. 15. qu. 5. art. 1. concl. 3. & D. Antoninum communiter tenent neoterici, & inter illos pręcipuè Malderus in 2. 2. trac. 5. cap. 6. pun. 4. Lessius lib. 2. c. 33. dub. 6. n. 48. Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 44. dub. 2. n. 5. Molin. de iust. tract. 2. q. 667. n. 4 Bartholom. à S. Fausto in speccul. confess. disp. 33. q. 11. Molfesius in summa, to. 2. tract. 12. cap. 22. nu. 72. & Vasquez Opus. de rest. cap. 6. § 1. dub. 2. nu. 24. Et ratio est, quia inopia Regis vergit in perniciẽ totius Regni. Vt ergò imminenti malo prouideatur, licitum erit tributa imponere, vel de nouo augere. Parum ergo refert, si in inopiam inciderit Rex culpa sua, modo tributis impositis, vel denuò auctis publico bono prouideatur.

Notat verò Lessius cum alijs vbi suprà, quòd Princeps in tali casu tenetur omnes sumptus parum necessarios excidere, & in posterum continere se a prodigalitatibus. Quod maximè notãdum esse, ait Molina, à Confessarijs, & Consiliarijs Regum.

Restat modò examinare iustitiam causę formalis tali donatiui, nẽpe, an sit impositum proportionabiliter, ita vt vires Regni possint sufferre tale onus, *& in hoc consistit difficultas*, maximè quando agitur de donatiuo extraordinario. Videndum est igitur quando gabella dicatur iusta ex forma, quia videlicet est proportionabilis in ordine ad populum.

Quænam forma seruanda sit in iusto tributo, & donatiuo.

RESOL. V.

Multiplex, sed præcipuè (quæ facit ad casum nostrum) exigitur proportio in ordine ad vires Regni, & populorũ, nam licet causa finalis tributi, nempè necessitas Regis, sit iusta; si tamen vires Regni non suppetant ad tributum ferendum, si imponatur, erit iniustum, & sic ait Salas tractat de legibus disp. 15. sect. 10. nu. 120. Contingere potest singula tributa per se spectata esse iusta, & multitudinem esse iniustam, quia excedit moralem facultatem subditorum.

Hinc asserebat doctissimus vir Bartholomæus Salonius de iust. in 2. 2. tom. 2. q. 77. art. 3. controu. 6. Proportio, & commensuratio formæ tributi debet esse cum populo, vt non imponatur nisi iuxta populi facultates, & vires: aliter iniquum est, & tyrannicum, si populus immoderatis vectigalibus grauetur, & in pauperiem redigatur. Optimum siquidem est, aqua fontis vti, non tamen fontem ipsum exhaurire, & venas illius exsiccare. Optimum, vt pastor de lacte gregis sui comedat, iniquum tamen illum excoriare. Ita neque potest Princeps immoderata tributa subditis imponere, cum non sit dominus bonorum ipsorum: sed illis tantum vti potest & debet, ad ipsorummet subditorum vtilitatem; ita Salon. & Villalobos in summ. to. 2. trac. 8. diff. 13. n. 5. sic loquens. [Los tributos es necessario que sean de manera, que tengan proporcion cõ las haziendas de los particulares, que seria iniusto poner grande tributos, quando los vassallos estuuiensen pobres, que no los pudiessen pagar, porque si no se tiene attencion a la pobreza de los vassallos destruidos ellos, quedasse destruido el Reyno, y el Rey.]

Idem asserit Rodriquez in summa, p. 2. c. 74. n. 2. Ortiz etiam in summa, cap. 22. nu. 15. asserit esse licita tributa; [Non siendo grãde carga por los vassallos] & ideò Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 45. dub. 2. n. 7. docuit Principem in imponendis tributis debere considerare propriam necessitatem per ordinem ad commune bonum, & necessitatem, & indigentiam subditorum. Et Io. de Mariaga lib. de Senatu, c. 40. folio mihi 474. asseruit; [Los Procuradores de las Cortes cõcidiendo mas que el Reyno puede por hauer la gracia del Rey; non solo peccan, si no que estan obligados à restituirlo al Reyno.]

Dicendum est igitur ex veritate supradictorum cum nostro P. Molfesio in summa, to. 2. tract. 12. c. 22. nu. 36. Donatiua, quæ fiunt in Parlamento, debere esse in illa quãtitate, vt possint vniuersitates ea soluere; aliter donatiuum erit iniustum ex parte causæ formalis; ideò Ioan. Franciscus Aponte in trac. de potest. Proregis, tit. 4. de regalibus impositionibus, nu. 45. fol. mihi 147. asseruit in prębendis supradictis donatiuis considerandum esse, quænam sint vires Regni.

Vnde ex his omnibus apparet, quid dicendum sit de iustitia donatiuorum cuiuscumque Parlamenti: & præsertim, quando agitur de donatiuo extraordinario, nam si domini, qui intrant in Parlamento, cognoscunt vniuersitates Regni, & populos posse sustinere tale onus, iustum erit donatiuum: sin aliter, iniustum; vnde decisio, & resolutio talis casus magis pendet ex illis, quàm ex nobis, nam nos possumus tantum dicere, si adest necessitas Regis, & vires Regni suppetunt, iustum esse tributum, & donatiuum. Sed an adsit dicta necessitas, & vires Regni suppetant, ipsi videant, forsitan quam primùm ante Iudicem Deũ de hoc rationem reddituri? Ita Vega in summa, to. 1. c. 15. cas. 3. Petrus à Nauarra de restit. lib. 3. c. 1. n. 237. & Petr. de Ledesma in summa, to. 2. tr. 7. c. 2. fol. mihi 195. vbi sic ait: [Si es ansi que las tales necessitades las aya, de suerte que no se pueden suplir, si no expediendo tan rigorosamente este tributo del Alcaualla, no pertenece al Theologo determinarlo, lo que es cierto en Theologia es que si estas necessitades del Rey, y del Reyno no se pueden suplir de otra manera, iustissimo es el tributo si se puede suplir de otra suerte, no es iusto: però esto el Rey, y los consejeros suyos lo han de iuzgar si es ansi, y han de dar cuenta à Dios supremo Iuez.] Sic ille, & ego. Verum est, quod si insufficientia Regni Theologis constaret, tunc dicant, qui de tali insufficientia sentiunt, & nihil timeant.

Vnde Io. Franciscus Aponte loco citato, loquens in casu nostro de donatiuis, quæ in Parlamento Regi præbentur ad Cõsiliarios, sic ait. Perpendant bene ministri Regis omnia ex vtraque parte, quæ sint causæ, quæ sint necessitates, quæ sint Regni vires, in quas necessitates inexcusabiles pecunia sit cõuertẽda, si aliud adest expediens, non timeant faciem potentis: dicant veritatem coram Deo, & hominibus, quia de anima certant, & de ęternitate irreuocabiliter, in qua nihil potest Rex, nihil Prorex, nullus fauor, & nulla gratia. Sic Aponte.

Considerare etiam debent summoperè Consiliarij, & Parlamentarij, ea, quæ circa imposita semel Donatiua, licet ad tempus, aduertit Capiblancus tract. de officio Baronum, pragm. 10. nu. 6. & ideò videant, in illis imponendis quid faciant. Et considerent etiam attentè Arbitria, quæ proponuntur. Nam vt benè obseruat Consultor Matuiæ in respons. contra Messanen. fol. 4. in practica sunt difficilia, & nõ reddunt postea in fractione panis, quod in theorica promittunt, sicut apparuit in Parlamento Ducis Ossunæ anno 1612. Et hæc dicta sufficiant circa materiã cognoscendi iustitiam, vel iniustitiam Donatiui alicuius Parlamenti. Sed quia olim a Nobilissimo viro, & alijs, de multis quęstionibus ad Parlamentum spectantibus interrogatus fui, illas breuiter exponam.

An

An liceat in Parlamento exteros efficere Regnicolas.

RESOL. VI.

IN magnam Regni vtilitatem redundare, vt non exteri, sed ex natione ad beneficia assumantur, docent doctissimi Iurisconsulti Hispani, & præcipuè inter illos Olibanus de iure fisci, cap. 12. num. 14. Alfonsi. de Azened. tom. 1. lib. 1. tit. 5. lib. 14. num. 1. & seq. Georgius de Cabedo lib. de inst. patronatus Regiæ Coronæ, cap. 20. per totum. Salzedo in addit. ad pract. criminal. Diaz tot. cap. 45. Humada in leg. 13. tit. 15. part. 1. gloss. 2. n. 4. Paz in l. 3. Taur. num. 374. Perez lib. 1. tit. 3. leg. 18. in glos. ver. que ninguno extrangero. Ramirez in tract. de lege Regia, §. 27. n. 16. Barbosa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 5. cap. 4. num. 7. cum alijs in l. Ecclesia, C. de Episc. & Cler. in cap. bene el 2. §. fin. de postul. prælat. quos textus commēdat in terminis pro casu nostro Luc. de Penn. in l. quisquis, C. de omni agro deserto lib. 11. vbi etiam asserit pro hac conclusione totam dist. 71. Decreti facere: Et hoc etiam docent ex Theologis præter Sotum, & Salonium, Acosta in Bulla Cruc. qu. 69. Rodriquez etiam in Bull. Cruc. § 9. in addit. fol. mihi 158. Rebellius de oblig. iust. parte 1. l. 3. q. 4. num. 2. Valentia tom. 3. disp. 5. qu. 7. punct. 21. Turrian. in 2. 2. tomo 2. disp. 22. dub. 5. n. 3. Nauarr. de restitut. lib. 2. c. 2. num. 165. Ledesma in summa, tomo 2. tract. 7. cap. 2. diffic. 6. Et ratio est, quia homines naturales eius prouinciæ, communitet vtiliores sunt suis Ecclesijs; & maiori affectu eas prosequūtur, maioremque curam adhibent in earum gubernatione. Secundò, Regnicolæ magis resident in Ecclesijs suis, quam exteri, qui facilè habent occasionem se eximendi a residentia, & solent commutare beneficia pensionibus impositis, quòd redūdat in damnum Ecclesiarum. Tertiò, & hoc est maximum argumētum, incolæ ea spe animantur eorum filios litteris, ac bonis moribus imbuere, & informare, maximè cum ipsi suo labore decimas, ex quibus fiunt beneficia, soluant. Vnde in Hispania, vt notat Henriquez in summa, lib. 14. c. 12. nu. 6. extraneus est incapax per legem Regni ad obtinendum beneficia, ita vt ipso facto, amittat beneficia obtenta.

Ex his manifestè apparet, quam cautè, & difficulter in Parlamento, sint exteri inter Regnicolas admittendi; nisi qu litas personæ sit ita considerabilis, vt hoc efficere redundaret in ipsius Regni, & Ecclesiarum vtilitatem. Sed experientia, vt plurimum contrarium demonstrat. Caueant igitur hoc facere propter humanos fauores in damnum propriæ nationis, & incolarum Regni iniuriam: nam cum sint filij, priuantur pane domestico, vt ille frangatur extraneis. Post hæc scripta, inueni Hieronym. Suritam, rerum Hispan. nobilissimum scriptorem, obseruasse tom. 6. lib. 10. cap. 99. Ferdinandum Regem Catholicum in suo testamento filio Principi commendasse [muy encarecidamente, que no hiziesse mudanza de los officiales, que el tenia en los Reynos de Aragon, por que entendia que era cosa muy necessaria, que los officios se proueyesse en personas naturales de la misma tierra: affirmando, que tenia experiēcia, que era esto lo que mas conuenia.] Hæc ille.

An plures vniuersitates, & Barones Regni possint constituere vnum, aut alterum in procuratorem ad effectum intrandi in Parlamento?

RESOL. VII.

REspondeo in rigore, & absolutè loquendo non esse illicitum, si sciunt Procuratores esse timoratæ conscientiæ: & amatores boni publici, non quærentes semetipsos, sed communem Regni necessitatem: verum vt plurimum hoc facere, non est expediens. Sed de hac re differentem non religiosum audiant, sed vnum ex primis Consiliarijs, quem tūc rex noster habebat, is est Ioan. Francisc. Aponte in tractat. de potest. Proregis tit. de elect. official. §. 5. nu. 23. vbi ait. Permissus est abusus, vt procurationes omnes ad preces ministrorum in ipsorum personas fiant, vel ab eis dependentibus: Populi enim insciJ, & ignari, & insipientes fie venditi, & consumpti reperiuntur donando, quæ nunquam cogitauerunt in ipsorum perditionem, tenentes labia clausa ob metum, contra sanctam, & indubitatam Regis intentionem. Quæ, etsi apparenter videantur redūdare in eius vtilitatem, omnia effectiuè sunt in ipsius inæstimabile damnum, ob exinanitionem populorum, diminutione Regni redditum, & in offensione diuinæ iustitiæ, ob quam sanguis pauperum perpetuò clamat. Et quænam gubernatio est ista pro futuris contingentibus, vt Parlamentum, & congregatio tanti ponderis, pendeat ab vno, vel duobus in quorum personas procurationes omnes factæ reperiuntur, & vltra isti gratificati remaneant, & nulla Regni gratia adhibeatur, quod quotidie se exulcerat, & toto corde fideliter procurat suo Regi inseruire: iudicent hæc prudentes: Bene tamen video, quòd multi me irridebūt, & hæc parui facient. Ego sum Iudex supremus, Regens collateralis, illiusque Decanus: sed non erubescam dicere, quòd omnium malorum causa sint mali Iudices, & mali Consiliarij dirripiunt Reges. Hæc omnia Aponte; quæ, vt cum magno zelo, ita cum maiore veritate fuerunt dictata. Nam quę recta ratio posčit, vt duo vel tres in Parlamento possint concludere quicquid velint in damnum, & perniciem totius Regni, & Vniuersitatum? Exterminetur igitur hic abusus.

An si aliquis, qui intrat in Parlamento tamquam Procurator, possit rogatus substituere alterum in Procuratorem?

RESOL. VIII.

ASseruunt mihi, casum hunc frequenter accidere. Nam videntes aliqui, procuratorem alicuius vniuersitatis, timoratæ conscientiæ, non concurrere ad aliquam rem iniustam in Parlamento tractandam, rogant illum vt alium in procuratorem substituat, qui postea iniquis eorum placitis libenter adhærebit: Et ideò ad quæstionem negatiuè respondeo. Nam licet procurator cum potestate substituendi, virtute potestatis ei traditæ, non teneatur de facto procuratoris substituti, quia videtur hic procurator constitutus a domino, mediante persona procuratoris, vt dicit gloss. in cap. 1. de procurat. in 6. & in specie tenet Salic. in l. quod quis, C. de procur. quæst. 5. tamen hæc omnia intelligenda sunt, vt aduertit Vinceot. de Franch. tom. 1. decis. 212 si aliqua culpa procuratori substituenti imputari non potest, quod accidit in casu nostro. Nam procurator, qui vult substituere, cognoscit iniustitiam donatiui, vel rei in Parlamento tractandæ, & vider, quòd requiritur substitutio procurationis, in alterius personam, in damnum Regni, & illius vniuersitatis de qua extat procurator, ergo illam faciendo, peccabit.

Procuratores, & alij intrantes in Parlamento, an debeant proponere aliquid, licet ab illo qui caput est Parlamenti, non proponatur?

RESOL. IX.

REspondeo affirmatiuè: debent enim exponere necessitates vniuersitatum, & totius Regni, an habeant vires soluendi donatiuum, de quo agitur, debent rationes pro eorum voto declarare, etiamsi alij contrarium sentirent. Nam vt obseruat Mollesius in summa, tom. 1. tract. 6. cap. 16. nu. 119. forsitan vota sua mutabūt, & ita scio, air ille, pluries euenisse, etiam in viris sup. emis, & regent. Regiam Cancellariam, Consiliarijs, & alijs supremis Officialibus, qui (vt mihi retulit Franc. Apont.) accesserunt cum votis scriptis ad iudicandum pro certa parte, & postea audierunt quemdam Officialem inferioris doctrinæ, & experientiæ, & nihilominus audita relatione illius, & consideratis eius rationibus mutauerunt vota sua, & iudicauerunt pro alia parte, & ita scio euenisse in pluribus electionibus. Ita Mollesius. Debent etiam declarare aliquam petitionem faciendam Sereniss. Regi pro publica aliqua necessitate, vel vtilitate Regni: Item an exactio pecuniarum ab vniuersitatibus pro soluendo donatiuo efficiatur diligenter, & debito modo à Commissarijs, & ab illis, qui tenentur hoc facere: An pecuniæ destinatæ in Parlamento pro facienda aliqua re in beneficium Regni, re vera ad hoc expendantur, & similia, quæ prudentia, & zelus boni publici cum modestia, & charitate exponenda dictabit.

An

An si aliquis Baro, v. gr. qui habet etiam aliquam procuram alicuius vniuersitatis, possit in Parlamento dare diuersas voces, vt Baro videlicet respondendo affirmatiuè, & vt procurator negatiuè?

RESOL. X.

IN terminis loquens de Parlamento negatiuè respondet ad hanc quęstionem Borrell. in addit. ad specul. princ. Petri Bellug. rubr. 45. nisi qui dedit ei potestatem dandi vocem expressisset, cui vellet dari, nam tunc posset diuerso modo vota sua pronunciare. Sed ego puto in hoc casu distinguendum esse. Nam si res illa determinanda in Parlamento, habet rationes probabiles pro eius iustitia, & iniustitia, & tunc si non adest scandalũ, potest quis, vt Baro, v. g. dare votum suum affirmatiuum, & vt procurator dare votum negatiuum, nam in vtroque voto sequitur opinionem probabilem. Et sic Confessarius, & Responsor casuum conscientiæ potest vni iuxta vnam opinionem probabilem, & alteri iuxta contrariam etiam probabilem consulere, vt notat Vasquez in p. 2. to. 1. disput. 62. c. 9. n. 47. & Sanchez in opere morali, tom. 1. lib. 1. c. 9. n. 20. qui num. 45. notat posse etiam Iudicem nunc secundum aliam opinionem probabilem iudicare, & hoc cessante scãdalo, quod cessaret in casu nostro, si ille qui in tali modo votaret, diceret, rationes probabiles pro parte affirmatiua, & negatiua. Sed hic casus in praxi raro in Parlamento potest accidere, & ego consulerem semper iuxta eamdem opinionem vota emittenda esse, vt emittere debet Baro, & habens plures terras, & hoc rectè notauit Aponte de potest. Proreg. tit. 4. §. 1. nu. 13.

An intrantes in Parlamento, possint credere Regi attestanti se esse in necessitate?

RESOL. XI.

REspondent affirmatiuè communiter. Nam vt docet Regens noster D. Petrus Corsettus, vir doctissimus, & integerrimus in Propugn. vectig. fol. 46. & amicissimus Regis de Neapoli, vir litteris, probitate, & rerum experientia insignis, in Alleg. pro eodem vect. fol. 5. Laderchius cons. 645. nu. 2. Tho. Gram. decis. 65. n. 30 & decis. 105. nu. 9. credendum est Principi quando attestatur de facto proprio, quia in ipso semper præsumitur iustitia causæ. Hanc doctrinam sequutus est Cardin. Paris to. 1. cons. 1. nu. 41. Rolandus à Valle lib. 2. cons. 1. n. 98. Oldradus cons. 258. Alex. lib. 2. cons. 216. n. 1. Ceuallos contr. com. q. 578. nu. 26. Bobadilla in polit. to. 2. lib. 5. c. 5. nu. 11. & alij penes ipsum in Glossa, lit. C.

Sed hęc intelligenda sunt, quando moraliter aliud in contrarium non constaret. Nam vt docet Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs. 10. num. 31. & Soc. lib. 2. cons. 164, vol. 5. recedendum est ab expressa assertione Principis, cum de veritate in contrarium constat. Vide etiam omnino Gloritium in Resp. pro Nobilissima, & nunquam satis laudata Ciuitate Messanæ in resp. 1. p. 3. num. 13. & seq.

An assignare summam necessariam pro sustentatione Regis, vel regimine, & defensione Regni spectet ad Parlamentum, vel hoc remittatur arbitrio Regis?

RESOL. XII.

REspondet huic dubitationis P. Vasquez Opusc. de restitut. cap. 6. §. 1. dub. 1. num. 7. vbi ait. Notandum est Regibus, & habentibus supremum imperium, in aliqua prouincia congruam deberi sustentationem iure naturali, quæ sufficiat ad dignitatem Regiam decenter sustentandam, & Regnum, vel Prouinciam ab hostibus tuendam, ex pacto tacito inter Regẽ, & Regnum: & nisi debitum redactum sit ad certam summam pecuniæ, ex pacto inter Regem, & Regnum inito, manet arbitrio Regis, & supremi Principis, qui illius prouincię curam gerit, nullam pecuniæ summam assignare quæ necessaria sit regimini, & defensioni ipsius Regni. Sic Vasquez.

An si esset stipendium sumptibus Regis assignatum, ex pacto inito cum ipso Rege; possit postea parlamentum ex aliqua causa, prabere donatiuum maius, & Rex imponere nouum vel antiquum augere tributum?

RESOL. XIII.

REspondeo affirmatiuè ex Molfes. in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 70. Turrian. in 2. 2. tom. 2. disp. 45. dub. 2. num. 8. Vasquez vbi sup. dub. 2. nu. 27. qui ex Gabriel. in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 2. concl. 3. notant Regem vltra possessiones, & redditus sibi assignatos etiam ex pacto cum suis subditis, à se, vel suis progenitoribus inito, posse exigere tributa noua, vel antiqua augere, quando patrimonium sibi assignatum non sufficeret suæ cõgruę sustentationi, secundùm regiam dignitatem, vel secundùm necessitatem publicam Regni, propter multa, quæ solent de nouo accidere, & in his tenentur subditi prouidere; quæ doctrina admittenda est, quando vires Regni (vt diximus supra in resolut. 5.) possunt hoc sufferre, *nam hoc opus hic labor est.*

An quando vassalli, & vniuersitates sunt multum onerata, possit & debeat Rex non imponere nouum tributum, nec requirere donatiuum, sed minuere, vel suspendere gratias, & pensiones aliquibus assignatas.

RESOL. XIV.

AFfirmatiuè respondeo cum Valenzuola cons. 96. punct. 2. num. 29. & seq. & Aponte in tract. de potest. Proreg. tit. 5. num. 21. & seq. vbi ita asserit. Quando causa publicæ vtilitatis imminet, & in specie, quando redditus Regni (attendat lector) nequeunt incumbenti Reipublicæ subuenire, & sustinere, tunc potest Princeps suspendere pensiones, ipsasque etiam tollere, etiam quod sint concessæ ex causa remunerationis, quia publica vtilitas præfertur priuatæ. Et ex multis alijs rationibus, & iuribus firmat, quòd tales concessiones debent intelligi submissæ huic periculo, & talibus oneribus vt illæ soluantur, quatenus Regni necessitates aliud non requirant, nec aliam intentionem habuisse Regem in illis concedendis probat. Vnde tandem in hæc verba prorupit.

Hæc ante oculos, optimi Gubernatores Regnorum habere debent, & sic interpretando Regis intentionem, suspendere exequutiones, certiorare Regem, illumque consulere de omnibus, & non inordinatè, & absque alia causæ cognitione exequutiones talibus concessionibus præstare, contra Deum, & Rempublicam. Ex quibus tam ingentia mala oriuntur in depopulationem, & exterminationem Regni ex nouis impositionibus, nouis donatiuis, & innumerabilibus, & intolerabilibus angarijs, & vexationibus. Ita Aponte, qui vt superius dixi, late, & doctissimè, vt semper solet, hanc sententiam firmat, adi illum, & non pigebit.

An pro imponendis tributis in hoc Regno Siciliæ sufficiat tantum causa necessaria de iure communi?

RESOL. XV.

PRo intelligentia huius resolutionis notandum est ex cap. 3. & sequ. Regis Iacobi, tantum in aliquibus casibus posse Regem imponere Siculis tributa; vnde potest dari casus, quo possit rex imponere iustè tributa in alijs Regnis, non autem in Regno nostro ex iure municipali. Nam vt benè aduertit Gloritius resp. 1. par. 3. num. 34. si possent Siculis vectigalia imponi iuxta terminos iuris communis, vtique concessio illa Regis Iacobi, & aliorum Regum nullam tribueret Siculis immunitatem, contra mentem, & rationem finalem dictorum Regni Capitulorum, quæ fuit alleuiare Siculos propter benemerita ab onere noui vectigalis, exceptis illis quatuor casibus in dictis capitulis expressatis. Vnde obseruant Gloritius inter alios casu supra a Rege Iacobo expressatos, posse Regem imponere Siculis tributum tantùm pro defensione Regni, si contingat ipsum inuadi inuasione notabili siue graui, quod ipse

expli-

esplicat non solum in casu insinuationis actualis, sed proximæ, non autem remotæ, & vt ait Molfesius in summ. to.2. tract.12. c.22.n.64.simulatæ;procuratæ,transitoriæ, &c. In alijs verò casibus, est interdicta in hoc Regno inductio noui vectigalis pro quacumque causa, etiam vrgentissima.

Non reticeam tamen Regentem de Neapoli in Allegat. pro vectig. ferico, fol. mihi 55. & Consultorem de Matuta virum doctum in Resp. pro supradicta Gabella, fol. 17. & 18. verba Regis Iacobi contra Glontiū magis amplè explicate. Sed quicquid sit de hoc,certum est, nō esse andiendum Marium Muta, qui in expof. supradicti, c.Regis Iacobi,n.6. extendit illa verba, ne dum ad inuasionem, & sic passiuam, sed etiam actiuam, vt puta quando Rex vellet mouere rursum bellum cōtra aliquos. Sed hæc extensio minimè est amittenda; est enim contra mentem, & verba Serenissimi Regis Iacobi. Vnde licet in alijs Regnis posset in tali casu rex imponere tributa, non autem in Regno nostro, propter priuilegia ei concessa in supra citatis Capitulis,nisi admittenda esset opinio Santorij Baua in resol pro tracta salis fol.12. & 14. vbi asserit, Regem nostrum stare, & permanere in quasi possessione recedendi quandocumque à promissis,& practicatis in Regni Capitulis. Sed bone Deus,si hoc verum esset, quis amplius cum rege pactitaret? maximè, vt sæpius solet accidere in Comitijs generalibus. Nō est igitur dicta opinio amittenda. Vide Consilia Ramonij,p.1. cons.24. n.81.

Vtrum in Parlamento postquam numerus sufficiens suffragatus fuit pro iniusto donatiuo, seu alia re; si aliquis postea concurrat, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.

RESOL. XVI.

IN Parlamento, quasi semper, in suffragiis maioris partis concluditur, vt in Collectis pro consuetudine locorum obseruauit Lessius lib.2.cap.33.dub.2 num.5. & in specie, loquens de Parlamento docuit Graffius vbi infra, & Carol. de Graffiis in tract. de effectibus Clencat. Hoc supposito, respondeo ad quæsitum: ita suffragantem peccare mortaliter, sed non teneri ad restitutionem. Sic in terminis de Parlamento docet Iacob. de Graff. in decis. p.1.lib.2. cap.127.nu 14.vbi ita ait. Si agatur in ciuitate de faciendo donatiuo iniusto domino Regi, vt plurima vota vincunt,& dum dantur vota aperta, si aliqui ex nouissimis videntes vota præcedentia vicisse, consentiunt iniusto facinori ad humanum respectum, peccant mortaliter, sed non tenentur ad restitutionem,sic ille, & Tannerus in 2.2. disput.4. q.6.dub.14.nu.395. Layman lib.3. sect.5. tract.2. cap 5 num.5. Villalobos in summ.to.2.tract.11.dub.7.nu 8. Sylulus in 2.2 D. Thom.q.62.ar.7. Megala in 2.2.lib.2. quæst.4.n.12. Rodriquez in summ.par.2.cap.74.num.4. Ledesma in summ. tom.2. tract. 7.cap.2. concl.23. Rebellus de obligat, iust.lib.2.par.2.quæst. 14. sect.5. num.30. Filliucius tom.2.tract.33.cap.4.nu.63. Turrian. in 2.2.tom.2.disp.12.dub.2. nu.2. Lessius lib.2. capit. 13. dub.9. num.23. Valentia tom.3.disput.5. q.6.part.3. Nauarr.lib.3.cap. 3.num.33. Vasquez de restit.cap.9. § 1 dub.1.num.16.& 17. aduersus Medinam,C.de restit.quæst.ad 5.& Cordub. in summa, quæst. 191. Et ratio est, quia cum iam damnum totum esset integrè datum per antecedentia suffragia, ille, qui postea iniuste suffragium dedit, non est cooperatus ad illud damnum,plenè iam antea per alios datum. Si tamen, vt obseruant citati DD.suffragia essent reuocabilia, etiamsi esset sufficiens numerus, ille, qui vltimo loco suffragium tulit, tenetur restituere, quando alij reuocarent sua suffragia, si ipse in oppositam sententiam declinaret, nam sua authoritate reuocaret priora suffragia, & ideò damnum non erat sequendum. At difficultas est, an doctrina huius quæstionis ab omnibus communiter cum supradictis limitationibus,recepta, sit etiam applicanda in primis suffragantibus? Quæro igitur.

An qui prior tulit suffragium, antequam sufficiens numerus esset donatiuo iniquo suffragatus, teneatur ad restitutionem, etiamsi certo sciret, sequentes in eamdem partem ituros.

RESOL. XVII.

NEgatiuè respondet Salonius to 1.q.62.artic.1.concl.3. Sed meritò ab omnibus reijcitur. Et ratio est, quia alterum damnificauit. Nam qui primus suffragium tulit, dedit efficacē causam damni,& positiuè contulit ad eam læsionem, sic Villalobos in summ tom.2.tract.11.dub.7.num.8. Sylulus in 2.2. D. Thomæ,q.62.art.7.Petr.à Nauarr.lib.3.c.3.nu.36.Molin. tract. 2.disp.732.n.3.Turrianus vbi supra,nu.3.Lessius,Filliucius,Rodriquez, & Vasq. locis cit.

Nec valet dicere, quòd iste non fuit causa, sine qua non. Ergo, &c. Nam respondeo, quod licet non fuerit causa, sine qua non fieret,quia ab alijs damnum illud iam erat faciendum, tamen fuit causa, sine qua non fuit factum, & omnes illi, qui suffragia tulerunt, vsque quo maior pars esset completa, ita rei peragendæ contulerunt, si sine illis non fieret, nullo alio de nouo adueniente. Dicendū est igitur taliter suffragantes causæ damnosæ aliquid conferre, & cooperari suo suffragio ad id damnum. Et quod alij id damnū essent post ipsos daturi, nisi ipsi illos anteuertetent, non tollit, quòd ipsi id damnum iniustè reuera dederint. Ex hoc non excusantur proceres (quod est maximè notandum) qui in Parlamento habent priora loca, dum suff. agantur pro iniusto donatiuo, etiam si sciren t certo alios suffragaturos, & conclusuros postea. Sed quid in his angustijs faciendum? posset ne aliquis in illo die se absentare à Parlamento? hoc videbimus in sequenti dubitatione.

An quando in Parlamento à maiori parte certò scitur concludendum pro re aliqua iniusta, & iniquo donatiuo: possit aliquis,pro illa die, domi manere, sine periculo peccati mortalis, & onere restitutionis.

RESOL. XVIII.

QVidquid in contrarium dicendum videtur ex his, quæ adducit Cardinal. Paleot. de facr. conc. consul. par.5. qu.8. Molfesius in summ.tom.1.tract.6.cap.16.num.118.& Ioan de Maderiaga in lib. de Senatu, cap.2.§.1.affirmatiuè respondeo, ex decis. doctissimi patris Petr. de Ledesma in summ. 2. tract. 7.cap.2.concl.24.fol.mihi 198 col.2. vbi loquens in casu simili, sic asserit. [Si la iusticia, o tributo iniusto auia de salir de regimiento, assi como assi, porque era la mayor parte, los que estauan determinados de votar, a quellos que se quedaron en casa entendiendo y sabiendo ciertamente esto, no estā obligados a restitucion; la razon es, porque no fueron causa de tal dāno eficazmente, luego non tienen obligacion de restituciō; en lo que toca a pecar mortalmente por no yr a regimiento,en tal caso me parece muy aparente cosa, que no es pecado mortal,supuesto que entiēde que el tal negocio esta hecho eficazmente, y que ellos no han de hazer parte para impedirlo: que si el negocio no esta hecho, si no que pueden impedir con sus votos la iniusticia tienen obligacion de yr al regimiento y votar lo que es iusto.] Ita ille. Et pro hac sententia stat etiā Ioannes Valerus in different. vtriusque fori, ver. suffragium, differ. 2.in fin.& Nicolaus Garsias de benef. tom.1. par.2.cap.2.num. 542.vbi sic asserit. Prædicta sententia limitatur, vt non procedat stante iusta causa, ad non assistendum capitulis: tanta enim potest causa concurrere, vt ab illis iustissimè quis excusetur etiam ordinariè. Vt si in capitulis esset tanta peruersio, & procederetur cum violentia potentiorum, & præsidentium, vt qui vellet satisfacere suæ conscientiæ, & illam exonerare, non posset id facere sine magnis molestijs, inquietudinibus, & occasionibus,& periculo aliquando cadendi, aut sine magna nota singularitatis, & proteruitæ: maximè vbi vota feruntur publica, quod est perniciosum, & regulariter vorum illius prodesse non speratur,quia omnia fiunt, vt volunt præsidentes. Et ratio huius limitationis est,nam durum esset obligare aliquem ad assistendum capitulis cum tanto incommodo & periculo, & ad opponendum se, & faciendum resistentiam torrenti capituli. Hæc Garsias vbi supra,multum conducentia ad casum nostrū, Nec

Nec aduersus nos facit Azeued. in addit. ad Cur. Pis. lib. 2. cap. 8. nam ille loquitur in casu, quo ille, qui se absentat à consilio, cum suo voto, & authoritate poterat aliorum suffragia immutare, quod quidem in casu nostro non spectamus. Dicendum est igitur, posse cum supradictis circumstantijs Dominos, & procuratores se absentare à Parlamento.

An doctrina superioris quæstionis, sit etiam applicanda in casu, quo sufficeret maior pars ad concludendum, sed omnes sigillatim concurrere deberent.

RESOL. XIX.

RExpondeo negatiuè. Tunc enim non potest aliquis absentare se à Parlamento, & ratio est clara, quia quando omnes tenentur concurrere, vnus cum suo voto potest impedire iniustam conclusionem faciendam; ergo tenetur. Ita DD. supra citati, & quos adduximus in quæst. 14. Vnde in • rtur, quod male faciunt illi, qui vt rem iustam concludant, rogãt aliquem, vt pro tali die se absentet à Parlamento, & male faciet iste se absentando, vt docet Alphons. Azeued. in addit. ad Cur. Pis. lib. 2. cap. 8. & Ioan. de Maderiaga in lib. de Senatu, c. 28. §. x. Idem est, si dum pro iniusta aliqua re, & conclusione agitur, & sunt in loco Comitiorum, quis data opera accipit occasionem loquendi cum aliquo, & illum exire facit extra Comitia, vt interim sine ipsius voto, & præsentia statim res concludatur: in his enim casibus, si vt dixi, ex industria id facerent, ambo peccarent. Notentur hæc pro praxi, & maximè in efficiendis Regnicolis, in quo casu omnes concurrere debent.

An intrantes in Parlamento quoad iustitiam donatiui, & ministri Regis, quoad iustitiam tributorum teneantur sequi opinionem probabiliorem probabili relicta.

RESOL. XX.

AFfirmatiuè videtur respondendum ex sententia Vasq. de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. nu. 57. cum Molfes. in summ. to. 2. tract. 12. cap. 22. nu. 75. Et ratio est, quia tales constituuntur vt Iudices inter Regem, & populum, verum donatiuum sit præbendum, & tributum sit imponendũ necne; sed Iudex tenetur relinquere opinionem probabilem, & sequi probabiliorem, vt docet Tanner. in 2. 2. disput. 4. q. 4 dub. 6. num. 118. Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 144. Reginald. tom. 2. lib. 3. cap. 10. nu. 99. Valent. tom. 3. disp. 5. punct. 4. dub. 3. Becanus in part. 2. tract. 1. cap. 4. q. 9. num. 14. præter illos, quos citant, & sequuntur Sanchez, & Bonacina vbi infra: Ergo. Sed opinio contraria videtur etiam mihi probabilis, sicut visa est Sanchez, & Bonacinæ, illi in opere morali, tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 47. huic tract. de legibus, 2. quæst. 4. punct. 9. num. 13. & præter sex classicos DD. quos ipsi citant, tenet etiam hanc sententiam doctus Iurisconsultus Motla in empor o iuris, p. 1. titul. 2. q. 2. & ex Theologis Lorca in par. x. to. 1. disp. 39. memb. 2. Martinez in par. 2. tom. 1. q. 29. art. 6. dub. 6. concl. x. Aluarez ibid. disp. 80. num. 12. Delrius in disquis. Mag. lib 5. q. 1. §. quia quotiescumque. Hier. de Rua. in suis contr. tom. 2. contr. 6 scholasticas. Sancius in selectis disp. 44. nu. 50. & 51. Fagundez præcep. 2. lib. 3. cap. 4. num. 5. Et ratio est, quia Iudex videtur prudenter agere sequendo opinionem probabilem; relicta probabiliori, & ob id non videtur acceptor personarum: nam opinio illa probabilis contulit illi facultatem iudicandi, iuxta quam maluerit opinionem. Fateor tamen primam sententiam esse probabiliorem, sed non damnarem Dominos, qui in Parlamento præberent donatiuum Serenissimo Regi, sequendo opinionem probabilem circa iustitiam ipsius donatiui: maximum enim onus haberent, & multis scrupulis implicarentur, ad cognoscendum probabiliorem, & probabilem opinionem. Et hanc sententiam in terminis tenet Petr. à Nauar. de rest. lib. 3. cap. 1. nu. 268. & 296. Vide etiam circa præsentem materiam Suarez de legibus, lib. 5. cap. 18. nu. 19. & Lessium lib. 2. cap. 33. dub. 11. numero 42.

(?)

An Regni incolæ habentes rationes probabiles de iustitia donatiui facti in Parlamento, possint non soluere collectas, & vectigalia imposita ab vniuersitatibus pro soluendo dicto donatiuo, etiamsi pro Rege, & iustitia donatiui adsint aliæ rationes probabiles.

RESOL. XXI.

DIfficilis, sed pulchra quæstio. Prima opinio asserit, posse in hoc casu, subditos sine vllo conscientiæ scrupulo vectigalia fraudare. Ita Lessius lib. 2. c. 33. dub. 9. nu. 67. Sanch. in op. morali tom. 2. lib. 6. cap. 3. nu. 7. Reginald. to. 1. lib. 10. cap. 25. sectio. 1. num. 374 Sancius disp. 23. nu. 35. Vegha in summa, parte 1. cap. 15. cas. 11. notab. 4. Moure in sum. part. 1. cap. 15. §6. Megala in part. 2. lib. 2. c. 17. q 8. nu. 131. & 132. Nau. de restit. lib. 3. c. 1. p. 3. nu. 261. dub. 12. Salon. tom. 1. q. 5. art. 4. contr. 2. Barth. à S. Fausto in spec. confess. disp. 33. q. 27. n. 3. & Episc. Malderus in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 4. §. dico sexto, cum alijs. Et ratio est, quia quando vtrumque probabile est tributi causam esse iustam, & iniustã, exigit Princeps iustè, & negat etiã populus iuste, quasi bello vtrinque iusto, ex ignorantia. Secundo in dubio melior est conditio possidentis, at populus in hoc casu possidet. Ergo, &c. Sed alia sententia visa est mihi semper probabilior, & illam docet Suarez de legibus, lib. 5. cap. 18. nu. 20. Vasqu. de restitut. c. 6. §. 3. dub. 5. nu. 78. Turrian. in 2. 2. tom. 2. disp. 46 dub. 6. num. 5. & alij. Et inter alias rationes, probatur hæc opinio, quia in dubio semper præsumendum est pro Principe: verum stante probabilitate primæ sententiæ, in tali casu, ego non obligarem defraudantes ad restitutionem: Restat modo respondere ad argumenta vtriusque sententiæ. Ad primum argumentum primæ sententiæ, Respondeo, quod non obstat, quod interueniẽte ignorãtia detur in hoc casu bellum ex vtraque parte iustum; nam hoc habet locum, quando omnia sunt paria, in nostro autem casu non est ita, nam cæteris paribus præferendum est ius Principis, & Superioris, maximè quando practicè constat illum iustè percipere, vt accidit in casu nostro, quia habet rationes probabiles pro impositione donatiui, & gabellarum. Ad secundum argumentum respondeo, tunc meliorem esse conditionem possidentis ante sententiam, vel legem latam, nõ postea. Ad argumentum vero secundæ sententiæ, respondetur illud dictum, quod in dubio præsumendum est pro Principe intelligendum esse in dubio negatiuo, non autem in dubio positiuo, vt est in casu nostro, vel tunc esse verum, quando non agitur de interesse, & damno inferioris.

An quando in Parlamento probetur aliquod donatiuum pro custodia Regni, pro reparatione pontium, turrium, & cæt. teneantur Ecclesiastici contribuere?

RESOL. XXII.

PArtem affirmatiuam tenent non pauci Iurisconsulti. Ita Humada l. 54. tit. 6. part. 1. gloss. 2. num. 1. Mexia in Pragm. taxæ panis, concl. 5. nu. 63. præter illos quos citant, & sequuntur, Cenedo in suis Collectaneis ad Ius Can. p. 2. Collect. 153. num. 2. & Lauder. lib. 1. cons. 145. num. 3. probatur hæc opinio ex authoritate l. ad Instructiones, C. de Sacros. Eccl. vbi habetur: Ad instructiones itinerum, pontiumque etiam diuinas Domus, & venerabiles Ecclesias adscribimus. Secundo, probatur hæc opinio; nam licet personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ, tamen aliqua eorum bona, temporalia sunt, & merè ciuilia, vt sunt bona patrimonialia, ergo sunt temporalibus Principibus subiecta. Nec valet dicere, quòd talia bona ordinem habeant ad tales personas exemptas, vt ad proprios Dominos: nam respondetur, quod tale dominium est merè temporale, & ad finem temporalem de se ordinatum. Ergo respectus ille non dirigitur ad tales personas, vt exemptas, sed præcisè, vt ciues. Et ita tredecim Doctores Ciuilistæ, quos refert Carolus de Grass. in tractatu de Effect. cler. effect. 3. numero 21. tenent, clericos non esse exemptos à tributis in bonis patrimonialibus.

Sed hæc opinio communiter refellitur à Theologis. Dico igitur, quod ad ea quæ primario spectant ad communitatem, minimè tenentur Ecclesiastici: ista enim illos non principaliter, sed secundario tangunt, quatenus videlicet sunt membra

Rei-

Reipublicę: Igitur clerici ad tales impositiones tenentur quando non sufficiunt bona laicorum, & interueniente licentia Sũmi Pontificis, vel ad minus Episcopi, si de facili non daretur accessus ad Summum Pontificem. Et hæc omnia determinata sunt in c. non minus, & c. aduersus de imm. Eccles. Ita Syluester verb. immunitas, n. 20. Piasetius in prax. Episc. p. 2. c. 4. ar. 8. n. 5. Molin. tr. 2. disp. 672. n. 4. Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 26. n. 3. Azorius p. 3. lib. 5. c. 19. q. 10. Lessius lib. 2. c. 17. dub. 3. nu. 25. Megala in p. 2. lib. 2. c. 17. q. 6. n. 121. Molf. in summa, tom. 2. tract. 12. c. 23. n. 174. Duard. in Bull. Cœn can. 18. q. 12. n. 1. Sousa in eamdem Bullam c. 19. disp. 92. nu. 6. Bart. à S. Fausť. in specul. confess. disp. 33. q. 19. n. 2. Alterius de cens. to. 1. lib. 5. c. 6. disp. 16. dub. 13. Belletus in disquis. cleric. tit. 5. p. 1. §. 2. nu.... Garf. de Benef. to. 1. p. 2. c. 4. n. 13. qui citat pro hac sententia quatuordecim DD. & tandem Martha de iurisd. part. 4. cent. 1. cas. 1. num. 52. vbi asserit, ita fuisse decretum à Clemente VIII. Summo Pontifice Anno 1600. in causa inter Clerum, & Populum Pisanum, in qua tractabatur, coram R. Nuntio Florentino, de reparando Arni flumine ad communem laicorum, & clericorum vtilitatem, cum pœnè omnia clericorum bona essent prope flumen prædictum, & laicis instantibus clerum cogi ad cõtribuendum iuxta taxam, tandem Beatissimus Pontifex decreuit, Ecclesias, & Ecclesiasticos teneri in subsidium, & propterea mandauit Reuerendiss. Nuntio, vt discussis prius bonis laicorum, si non sufficerent, condemnaret prædictos Ecclesiasticos ad contribuendum.

Restat modo respondere ad argumenta contraria. Ad primum dico, legem ad instructiones, fuisse correctam per Auth. Item nulla communitas, C. de Episc. & Cler. vbi Ecclesiastici facti sunt immunes ab onere imposito, & imponendo; ita Hostiens. in summ. de immunitat. Ecclesiast. §. à quibus ver. extra ordinata, & alij. Ad secundum argumentum respondetur, bona semper adhærere personæ ipsius clerici, & ideo tunc dicitur persona perfectè, & integrè exempta, quando etiam eius bona exempta sunt. Neque facit ad rem, quòd bona clericorum sint temporalia, & quod respiciunt clericum, sed vt dominum temporalem, vel ciuem, quia ille non tantum exemptus est, vt clericus, sed etiam vt ciuis, & simpliciter eius persona, & consequenter etiam ea, quæ illi accessoria sunt: ita Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 24. num. 11. ex quo Greg. de Valentia, tom. 4. disput. 9. q. 5. punct. 4. ante illum dixerat: bona clericorum esse Deo consecrata, ac eatenus vocari bona Dominica in can. 40. Apost. quare consentaneum est, vt sint libera. Et procedit etiam hæc ratio de bonis illis, quæ possident titulo temporali, quandoquidem ea etiam clerici debent referre ad cultum diuinum, atque adeo consecrare; Hæc Valentia; vnde Belletus in disquis. cleric. tit. de exceptio. bonor. cleric. p. 1. § 5. num. 2. Martha de iurisdict. p. 4. centur. 1. cas. 11. nu. 24. & cas. 49. per tot. & cent. 2. cas. 101. cum alijs, communiter probãt bona patrimonialia clericorũ eodem priuilegio gaudere, quo res Ecclesiarum, vnde aduersus Doctores, quos citat Grass. vbi supra, supradicta bona sunt exempta ab onere vectigalium, vt patet in ca. quamquam, de censur. in 6. & docent Theologi, vt Molin. tract. 2. disp. 670. nu. 2. Molfes. in summ. tom. 2. tract. 12. cap. 22. nu. 160. Azorius p. 3. lib. 5. c. 19. q. 1. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 3. num. 19. Megala in p. 2. lib. 2. c. 17. q. 6. n. 114. Salonius tom. 2. q. 78. art. 6. contr. 2. num. 2. Malder. in 2. 2. tract 5. cap. 6. dub. 9. & alij communiter. Ex his omnibus colligitur Ecclesiasticos, qui intrant in Parlamento, non teneri ad donatiuum, nisi sponte offerant, & in Breui Apostolico ita in specie determinatum est.

Vtrum Episcopi, & Ecclesiastici teneantur vocati accedere ad Parlamentum, ita vt contrauenientes possint expelli à Regno, tanquam inobedientes mandatis Regijs?

RESOL. XXIII.

QVod teneantur vocati accedere loquens in specie de Parlamento, tradidit Mastrillus da Magist. to. 2. lib 5. cap. 13. nu. 36. & præter DD. quos ipse citat, tenet etiam hanc sententiam Oliban. de iur. fisci, cap. 10 num. 9. Sed difficultas est, an contrauenientes possint puniri, vt supra. Affirmatiuè respondet Bobadil. lib. 2. Polit. c. 10. n. 66. vbi ait. [Es de aduertir que esta obediencia alos reales mandados liga y comprẽde tãbien alos Obispos y Prelados y otras personas Ecclesiasticas, quando se les mãda comparecer ò otras cosas permetidas por cuya contumacia y transgression pueden los dichos Ecclesiasticos ser dechados de los Reynos.] Idem docuit Pereira de manu Regia. ca. 12. n. 12. Heuia in Curia Philippica, p. 1. §. 5. n. 35. Humada in l. 65. tit. 5. p. 1. in gloss. 9. fol. mihi 17. col. 4. Cæuallos tr. de cogn. per viam violentiæ, gl. 6. nu. 65. Azeued. tom. 2. lib. 4. tit. 1. l. 4. n. 12. Cenedo in quæst. canonic. q. 45. n. 24. & alij penes ipsos, & Bobadill. vbi sup. c. 18. num. 62. Sed hanc sententiam nos in tract. de immun. Ecclesiast. Resol. 17. satis refutauimus, probantes non posse Principes sæculares expellere Episcopos extra Regnum, ideo ad alia procedamus.

An si donatiuum adhuc duraret per multos annos, possit ex nunc pro tunc, fieri alia noua prorogatio ad alios annos.

RESOL. XXIV.

REspondeo negatiuè propter accidentia, quę possunt euenire tempore medio, quæ efficerent postea prorogationem donatiui iniustam, & eorum, quæ possunt euenire, est etiam habenda ratio; vt patet ex l. si quis domum, §. idem quærit, ff. locati, §. illud quæsitum, vbi Glossa fin. instit. de rer. diuis. Barthol. in l. si idem, §. si vnam, n. 5. ff. de iurisd. omn. iud. & in l. inter stipulantem, §. sacram. n. 7. ff. de verb. obligat. Et ita in casu simili, de prorogatione cuiusdam donatiui facienda in Regno Neapolitano notauit Valenzuola cons. 99. punct. 3. c. 52.

Vtrum si adsit iusta causa præbendi donatiuum, possint Proreges illud extorquere à Parlamentarijs per vim, & metum?

RESOL. XXV.

AFfirmatiuè respondeo cum Basilio Pontio Legionensi, in tract. de impedim. matrimonij, causa 32. q. 2. §. 11. vbi sic ait. Hinc etiam consequenter infertur; concessionem vectigalium, aut noui tributi, quę comitijs coactis fieri solet, etiãsi extorqueantur metu reuerentiæ, aut quouis alio graui, valere quidem in conscientia, nec Principem obnoxium esse restitutioni: illa enim concessio non pertinet ad liberalem donationem, atque ideo nec exigit plenum voluntarium. Ea enim tributa Regi conceduntur, quo & Regnum tueatur, & Regni hostes debellet, alijsque publicis necessitatibus subueniat. Vnde neque etiam iure positiuo, est ea concessio irrita. Imò si causæ, quę ad exigendum tributum requiruntur, sint verè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subuenire non possit, nec peccat Princeps vim inferendo Regnorum procuratoribus; nec enim ea vis, aut metus iniustus esse potest, si causæ iustæ sunt exigendi tributa. Hæc Pontius; quæ quidem vera sunt, sed attendant Proreges in tali casu, nõ solùm si adsit iusta causa exigendi donatiuum in ordine ad necessitatem Regis, sed etiam in ordine ad vires Regni, *nam hoc opus hic labor est.*

An si populares onus donatiui sufferre non possunt, teneantur Barones Regni ad contribuendum?

RESOL. XXVI.

NEgatiuè respondeo, loquendo in rigore iuris, cum ipsi alia onera sustineant, & teneantur ad seruitium militare. Ideo vt optimè obseruat Valenzuola, cons. 99. num. 63. suasionibus, & alijs suauibus medijs inducendi sunt ad contributionem in dicto casu, in quo quidem deberent contribuere, vt rectè notauit Sotus de iust. lib. 3. q. 6. art. 7.

An sufficiat, vt ad donatiuum contribuendum concurrat maior pars congregatorum.

RESOL. XXVII.

REspondeo affirmatiuè, & ita docet noster Aponte in trac. de potest. Proregis, quem citat, & sequitur Valenzuola consil. 99. num. 62. Verum est, quod in Parlamento huius Regni Siciliæ, si non concurrit Brachium Ecclesiasticum, etiam si ex Brachio Demaniali, & Militari maior pars concurrat non

noo sufficit, vt donatiuum Regi tribuatur, sed opus est ad Brachium Ecclesiasticum semper concurrere.

An Procuratores in Parlamento sedere debeant in loco, vbi eorum Barones sedere deberent, si in Parlamento adessent?

RESOL. XXVIII.

Respondeo negatiuè, cum Aponte decis. 15. num. 1. vbi ex Marino Freccia determinat, quod Procurator in Parlamento generali non debet in eodem loco sedere, vbi Baro suus principalis sedere deberet, nec præcedentiam aliquam prætendere potest in voce danda; verum est, quòd inter Procuratores sit differentia, vt præcedant secundum qualitatem suorum principalium. Et sic ait in casu simili fuisse determinatum à Cōsilio Collaterali in Parlamento facto Neapoli anno 1601. die 16. Nouembr. in quo Princeps Cariati comparuit, qui præcedit Principem Casertæ tanquam antiquior, sed Princeps Casertæ erat Balius Principis Sulmonis qui præcedit Principem Cariati & tamen licet Balius dicti Principis, non præcessit, at sedem habuit post Principem Cariati.

An in Parlamento possint congregati tribuere aliqua donatiua Domino Proregi?

RESOL. XXIX.

Respondeo negatiuè, cum Mastrill. de Magistrat. to. 2. lib. 5. cap. 15. nu. 27. quia sunt expresse prohibita ex cap. Caroli 165. & litteris Regalibus sub die 20. Octob. 1612. tempore regiminis Marchionis Villenæ, in hoc Siciliæ Regno. Et ego puto, quod etiamsi adesset licentia Regis, vt Parlamentarij possent offerre donatiuum aliquod Proregi, quod non sufficeret maior pars ad concludendum dictum donatiuum, sed omnes concurrere deberent; quia maior pars non potest præiudicare etiam vni ex his, quæ sunt communia singulorum, & quando efficitur alicui præiudicium in singulari, tunc omnium consensus requiritur; vt ex multis iuribus probat Mastrill. vbi sup. cui ego addo Azeued. in addit. ad Cur. Pisan. lib. 2. cap. 14. Barbosa in Collect. tom. 1. lib. 1. tit. 2. capit. 6. num. 6. Gomez tom. 2. var. cap. 3. nu. 14. Villagut. tract. de reb. Eccl. non rite alien. lib. 1. p 1. cap. 10. nu. 7. & 8. cap. 107. num. 7. Et est dispar ratio de donatiuo, quòd præbetur Sereniss. Regi, vbi sufficit maior pars, quia vt in prima Resol. firmauimus, dicta donatiua nomine sunt voluntaria, sed reuera necessariò debentur Regi, quòd non procedit in donatiuis faciendis domino Proregi, quia omnino sunt voluntaria, & ideò omnes concurrere debent, quia de omnium agitur præiudicio.

Vtrum aliquis possit se subscribere determinationi à maiori parte Comitiorum, licet ipse contrarium votum emiserit.

RESOL. XXX.

Respondeo distinguendo, nam vel opinio maioris partis habet rationes probabiles licet pro mino is partis sententia adsint probabiliores; & in hoc casu puto minorem partem posse subscribere, nam in moralibus licitum est sequi opinionem probabilem, probabiliori relicta, etiam tutiori vt docent 17. Doctores quos citat, & sequitur Sanchez in opere moral. tom. 1. lib. 1. capit. 9. num. 14. quibus ego addo Martinez in p 2. tom. 1. q. 19. art. 6. dub. 6. concl. 1 Sanctarel. var. Resol. p. 1. q. 59. num. 4. Granado in p. 2. contr. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 3. num. 25. Becanus in sum. Theol. p. 2. tract. 1. c 4. q. 9. nu. 15. Salas de leg. q. 96. tract. 14. disp. 13. sect. 1. n. 5. Lorca in p. 2. tom. 1. disput. 39. membr. 1. Villalob. in summ. tract. 1. difficul. 10. num. 2. Bonac. de legib. disp. 2. quæst. 4. punct. 9. n. 4. Reginaldum in praxi, to. 1. lib. 13. c. 10. sect. 1 Filliucium in q. moral tom. 2. tract. 21. cap. 2. n. 128. & alios, quicquid in contrarium afferat ex neotericis Comitolus in Respons. moral. lib. 5. q. 15. Et ratio est, quia ille, qui se subscribit sententiæ illorum, qui amplexati sunt opinionem probabilem, sequitur consilium prudentum hominum satis rationabiliter agentium; Sed qui prudenter agit, non peccat: Ergo, &c. Deinde si teneremur probabiliorem, & tutiorem eligere, intolerabile onus esset, & maximis angeremur scrupulis inuestiganda opinionum veritate, & probabilitate. Igitur quando aliquis, seu minor pars Comitiorum, se subscribit sententiæ à maiori parte determinatæ, non peccabit, etiamsi opinio maioris partis esset minus tuta, & minus probabilis.

Difficultas verò est, quando maior pars conclusit apertè rem iniustam in præiudicium Regni: & videtur prima facie etiam affirmatiuè respondendum, ex authoritate leg. quod maior pars ad municipal. & leg. aliud, §. refertur, §. de regulis iur. vbi præcipitur, quòd totum id quod fuit à maiori parte conclusum, firmum, & validum teneatur. At his non obstantibus, negatiuam sententiam omnino veram esse iudico. Dico igitur, se subscribentem sententiæ conclusæ à maiori parte Comitiorum, quæ euidenter apparet iniusta, peccare mortaliter. Ita communiter DD. quos citat, & sequitur Pater Ioann. Maderiaga in lib. de Senat. cap. 35. §. 4. & ita dicitur in Exod 23. *Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententia, vt a vero deuies.* Et ratio est, quia ita se subscribentes, essent participes executionis iniustæ sententiæ, & conclusionis, & approbarent rem malam, & iniustam, contrarium conscientia dictante.

Sed asserunt aliqui hoc esse licitum duobus modis. [Firmarse (ponam ipsa verba Maderiaga vbi suprà) con protesto en el negotio que no puede vno con seguridad de conciencia firmarlo absolutamente. El segundo es, quando despues de hauer firmado con los otros vna sentencia iniqua, escriua à parte en otro libro, que no consiento en la tal sentencia, ò al reues, que hauendo primiero firmado, secondo el dictamen verdadero de su conciencia, se firma despues con los de mas otro libro, que se haga, porque salga, la sentencia en nombre de todos para monstrar al mundo la falsidad destas tracas quiero que me respondan los mismos que las inuentaron. Pregunto quando al Principe que tiene puestas essas leyes en sus Senados y consejos, si vno de sus Oydores se firmase desta manera con protesto ò contra firma, en vna coniuracion que contra su Alteza se tratase en el Senado, ternia por ventura por escusado al que tal firmase, se libraria este de culpa, y de nota de traydor con el protesto ò con essotra contrafirma, cierto no, si no que diria su Alteza muy bien que antes hauia de dar la vida el Senador, que consentir, ò firmar semejante traycion. Pues porque el Principe, y no en los que se hazen contra sara esso verdad en los peccados que se hazen contra Dios. Por esto no permittan los Principes que se haga fuerza a sus oydores, para que se firman contra sus conciencias, en sentencia, que sea claramente iniusta; basta que se haga esse en los negocios dudosos, y opinables.] Hæc Maderiaga. Igitur non licebit alicui se subscribere iniustæ sententiæ aliorum, etiamsi protestetur, & faciat aliquem actum, & scripturam asserentem se contrarium votum emisisse. Restat modo respondere ad Argumentum supra positum, ideò assero, illas leges approbare, quod factum est à maioris parte, non quia à maiori parte factum est, sed quia præsumitur iustum, & melius, vt tradit Morla in empor. iuris, tit. 12. quæst. 9. num. 8. Vnde quando rem à maiori parte conclusam, apertè apparet esse iniustam, leges non illam approbant, sed reprobant. Vide circa præsentem quæstionem Bimium, to. 1 toto consil. 105. Riccium par. 3. decis. 277. Valerum in differentiis vtriusque fori, ver. suffragium, differ. 2. Zanard. in direct. Theol. p. 2. Præcep. 4. c. 33 q. 10.

Quàm benignè Regnum Siciliæ sit onerandum gabellis, & donatiuis præ cæteris Regnis.

RESOL. XXXI.

Benignissimè quidem, nam hoc Regnum fidelissimum non fuit bello, impensis, & industria ab inimicis, sicut cætera, vindicatum, spontè, & voluntariè se Ser. Regi D. Petro in potestatem dedit, vt patet, & docet Valdesius de dignit. Reg. Hisp. c. 17. nu. 7. in fin. Ergo non est, sicut cætera Regna, vectigalibus, & oneribus onerandum. Vide Caputum in tractat. de Regimine Reipublicæ, c. 7. §. 27. num. 2. Vnde ex his Vasq. de restit. c 6 § 3. dub. 1. nu. 9. loquens de aliquibus Regnis Hispaniarum vectigalibus oneratis, sic asserit. Animaduertendum est, Regna hæc labore, & industria Regum ab inimicis fidei in libertatem fuisse olim vindicata, propter quod, & maiores eis tenemur gratiam repēdere, quorum progenitores inimicos

micos nostros profligatunt. Ita ille, quod de Regno Siciliæ, vt dictum est, non potest dici.

Quinam Theologi, & quomodo consulendi sint à Proregibus, & ab intrantibus in Parlamento pro resolutione iustitiæ donatiui?

RESOL. XXXII.

HAnc quæstionem tetigit pulchrè Ioann. Merquez in suo Guber. Christiar. lib. 1. cap. 16. vbi sic asserit. [Deuese procurar para materias semejantes, los majores letrados de los Reynos, tambien seria razon buscar los mas libres de esperanças temporales, y los que de ninguna manera auian de ser oydos son vnos hombres, que viuen de discubrir arbitrios, con que entiquezcan los Principes, y pedir mercedes por ellos: porque de ordinario suelen dar en medios, ò poco iustificados, ò impossibiles de reduzir à practica, o demasiado menudos, y algunas vezes indecentes. Propuesto el caso se dexaran los Theologos en toda libertad, y se les dara à entender, que el Principe dessea saber la verdad; aunque sea contra su prouecho, an allegarles que otros Theologos han firmado en fauor del Rey y seria diligentia noble, que los Reyes hiziessen mercedes à los que no se conforman en todo con su proueche, aun con mayor declaracion, que se le iustifican.] Hæc ille. Quæ omnia vtinam Principes obseruarent: Et hæc dicta sufficiant circa materiam Parlamentorum. Faxit Deus, vt bono communi aliquando deseruiant.

TRACTATVS IIII.

DE DENVNCIATIONIBVS FACIENDIS EX EDICTO DOMINORVM INQVISITORVM, ET IN PARTICVLARI EX SOLLICITATIONE FACTA IN CONFESSIONE.

An si quis sciat aliquem commisisse delictum in Edicto contentum, sed hoc non possit probare, teneatur in tali casu denunciare?

RESOL. I.

NEgatiuè respondet nouissimè ex Societate Iesu Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. capit. 3. num. 31. excepto casu hæresis formalis, & hanc sententiam absolutè docuerat ante ex eadem Societate Reginaldus in Praxi, tom. 2. lib. 24. cap. 3. sect. 6 num. 50. & 57. verb. Aduerte tertio, & verb. Aduerte quinto: ex nostra Religione Megala in 1. part. lib. 1 cap. 5. numer. 21. Idem docet Ioan. Andreas in cap. nouiter, extra de iudicijs. Gundisaluus in tom. 11. Tractatuum, part. 2. tract. de Hæreticis, quæst. 10. num. 7. Repertorium Inquisitorum, verb. Denunciatio, §. generale tamen, Decianus tract. crim. tom. 1. lib. 5. cap. 30. num. 4. qui citat Speculatorem, & Glossam. Palatius in rep. c. notab. 3. §. 26. n. 9. Angelus vero, Felinus, & Nauarrus citantur à Triuisano, & Farinacio, vbi infra.

Et potest hæc opinio probari; quia vt obseruat Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 13. num. 111. & alij, quando crimen nõ potest probari, apertè contra iustitiam peccatur, si reueletur; exponitur enim reus manifesto periculo infamiæ. Deinde, si authoritas vnius Doctoris classici reddit opinionem probabilem, vt ex multis probat Valentia tom. 2. disp. 2. q. 12. punct. 4. & Sanchez in summa, tom. 1. li. 1 c. 9. n. 7. hęc opinio, non alterum; sed multis tam recentiores, quam veteres habet patronos. Ergo, vt probabilis amplectenda videtur: & ita hanc sententiam probabilitate non carere docet etiam Thomas a Iesu libr. de visitat. Regul. tract. 1. c. 16 n. 5. in fin. Neque obstat praxis Sanctiss. Inquisitionis, quam aliqui adducunt; nam, vt in simili casu docuit Fagundez tract. 2. lib. 8. c. 8. n. 18. & Granado in princ. 2. contr. 7. tract. 3 p. 1. disp. 11. sect. 2. n. 15. supradicta praxis fundatur in probabilitate contrariæ opinionis, non tamen tollit probabilitatem alterius. Ergo, &c.

At his minimè obstantibus, contrarium teneo; quia in casibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij, denunciatio est facienda, etiamsi delator delictum probare non possit. Et ita tenet Barbosa de potest. Episc. par. 3. Alleg. 96. num. 58 Peirinus in Priuil. Minim. tom. 2 Constitut 9. Pauli V § 2. nu. 25. Homobonus de Exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 2. quæst 14 & part. 2. tract. 22. cap. 4. q. 4. resol. 4. Zanardus in director. Confess. part. 5. cap. 31. Naldus in summa, ver. Hæresis, num. 6. Zecchius de cas. reseru. cas 2. ver. Ampliatur. Sanctarellus de Hæresi, cap 9. dub. vnic. num. 3. & 4. Genuensis in praxi, cap. 23. num 5. Lazarius de monit. sect. 2. q. 11, num. 22 Bonacina de cens. disp. 2. qu. 6 punct. 1. num. 6. Suarez tract. de fide, disp 20. sect 4. nu. 7. Galettis in margar. cas. conscient. ver. Hæreticus, § 5. Thomas a Iesu vbi sup. lib. de visit. Regul. tract. 11. cap. 16. num. 4. & 10. Portel. in addit. ad dubia Regul. verb. sollicitare fœminas, num. 19. Cenedo part. 2, collect. 101. num. 4. Scaccia de Iudic. causarum ciu. & crim. lib. 1. cap. 56. num. 4. Farinaccius tract. de Hæresi, q. 97. §. 2. num. 36. Bertazzolus in Addit. ad Bertazzolum patrem, cons. 107. num. 12. vol. 1. Triuisanus lib. 2. decis. 51. n. 5. & nouissime Ioseph de Santa Maria in Tribunali Religios. tract. 12. c. 3. §. 5. & alij penes ipsos.

Et ratio est, quia licet Denunciator de iure probare suam denunciationẽ teneatur ex l. diuus, & ex leg. ab accusatore, ff. ad Senatuscons. Turpiliani, hodie tamen de consuetudine contrarium seruatur, vt ex Saliceto, & Mariano Soc. probat Emericus in Direct. Inquisit. part. 3. rubric. de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, num. 68. quem sequitur nouissimè Farinacius vbi supra, trac. de hęresi, q. 185 §. 5. num. 71. & Scaccia loco citato, cap. 72. num. 4. & ita decisum pluries fuisse testatur Triuis vbi suprà, & ita seruari in Supremo totius Christianæ Inquisitionis Tribunali asserit Farinacius. Et cum simplex denunciatio sufficiat ad inquirendum, vt notat Vmbertus in iudic. Inquis. ver. denunciatio, nu. 3. & Farinac. q. 185. §. 5. num. 64. licet denunciator probare non possit delictum, per illam tamen denunciationem diligẽtia, & inquisitione Dominorum Inquisitorum, & forsan ex alijs reuelis, & denunciationibus probabitur: vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

An dicta denunciatio facienda sit sine præuia correctione fraterna?

RESOL. II.

PRima opinio, quam ego sequor, affirmat: ita Sanctarellus in tract. de Hæresi, cap. 9 num. 5. Sancius in selectis, disput. 11. num. 56. Bonacina in tract. var. disp. 6 punct. 3. nu. 9 Syluius in 2. 2 quæst. 33. art. 7. concl. 2. Villalobos in summa, par. 2. tract. 4. difficul. 11 numero 3. Suarez tractat. de fide, disput. 20 sect. 4. num. 11. & 12. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disput. 58. dub. 3. Henriquez lib. 2. cap. 24. numero 10. in glossa, lit. C. Simancha in Cathol. instit. tit. 19 numero 11. cum alijs. Quia duplex est denunciatio; alia Euangelica, alia iudicialis. Ante Euangelicam, quæ intendit emendationem fratris, conceditur, præmittendam esse correctionem, non autem ante iudicialem, quæ punitionem intendit; sed talis est denunciatio, quæ in tribunali Inquisitionis efficitur. Ergo ante ipsam, non est necesse, vt correctio præmittatur. Vide etiam Lorcam in 2. 2. sect. 4 disp. 47. nu. 23. Coninch de fide, spe, & charitate, disp. 28. dub. 8. num. 151. Bannez in 2. 2. qu. 23. art. 8. ad 3. argum. & alios.

Secunda opinio negat, & ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 35. artic. 7. quem postea sequuti sunt omnes discipuli eius Scholæ; Sotus de Iust lib. 5. quęst. 5. artic. 1. Canus de locis Theol lib. 12. cap. 9. Syluester. ver. correctio, quęst. 5. Lopez in Instruct. par. 4. cap. 54 Ledesmam in summa, to. 2. trac. 4. cap. 4. concl. 24. diff. 2. tol.

2.fol.mihi 134. Ioan.de la Cruz vbi infrà. Zanard. in director. Confessor.part.2. præcep.1.c.23. q.13. & alij. Idem docuerunt Castrus de Hæret. punit.lib.2.cap.25. Toletus lib.5.cap.57.n.2. Lazarius tract. de blasphemia, quæst.12. num.31. Homobonus tract.de cas.reseru.p.2.c.1. & de Exam. Eccles.p.2. tract.9.c.13. q.39. Angelus ver. denunciatio, qu.2. Rosella verb. Inquisitio, num.1.

Sed audiamus aliquos, in generali loquentes. Portel. in dubijs Regul.ver. correctio fraterna,num.1. sic asserit. Constat ex Euangelio, ante denunciationem in Inquisitione præmittendam esse correctionem fraternam, quæ adeò necessaria est, vt si sit spes, quòd illa proficiet, & sufficiet, non est crimen denunciandum Prelato,etiamsi crimen ipsum sit contra communitatem, etiamsi sit hæresis; ita Portell. Reginaldus in praxi, tom.2.lib.24.c.3.sect.6.num.52.Superior non potest præcipere, vt prætermissa correctione fraterna, reus occultus denuncietur, neque ei tale quid præcipienti obediendum est. Non ideò tamen damnandum est,quòd ab Inquisitoribus fidei datur, statim nulla præmissa correctione denunciandi eum, quem constat hæreticum esse. nam in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis. Non est verò negandum, quòd si firmiter existimetur quis per secretam admonitionem se conuersurum hæreticum, ac impediturũ omnia mala, quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat vti præmonitione; ita Reginaldus, cui addatur Repertorium Inquis. ver. denunciator. Gundisaluus de Hæret.quęst.10.num.6. Decianus tom.1.lib.5.cap.30. num.1. & Io.de la Cruz Dominicanus in Director. conscient.part.1. præcept.5.q.2.dub.5.concl.2.ita asserens. Mulier sollicitata in confessione nõ absoluatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem; nisi esset spes quòd iste secrete correctus emendabitur, quę spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi, vnde si mulier sollicitata scit alicuius idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo hoc intendere. Ita Io.de la Cruz.

Idem docuit Fagundez de præcept. Eccles.tract.2. lib.4. cap. 2.num.31. vbi sic ait. Antequam fiat denunciatio à muliere sollicita in confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emendæ, quia præceptum correctionis est de iure naturali, & diuino: præceptum vero huius denunciationis est humanum, vnde non potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis. Vt autem correctio fraterna iudicetur non profutura, non satis est semel fieri, & non prodesse, sed oportet iterum atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis speretur emenda. Ita Fagundez, & nouissimè Peirinus in Priuil. Minimor. tom.2. Const.4.Gregor.XV.§.9.n.26.& Constit.9.Pauli V.§.2.n.26.& 27.

Tertia opinio distinguit, & ponit differentiam inter hæresim formalem, & alia crimina sapientia tantùm hæresim. In primo casu negat esse pręmittendam correctionem fraternam. In secundo, illam admittit. Ita Fagundez docet, loquens de hæretico formali, tract.2.lib.6.cap.4. nu.11. qui tamen, vt paulo supra vidimus, putauit Confessarium sollicitantem in confessione, esse corrigendum. Idem docet Molfesius in sum. tom. 1, tract.7. cap.24. num.25. Ortiz in summ. c.21. nu.17. Homobonus de exam.Eccles.part.1.tract.7 cap.6.quæst.29.& ex DD. citatis in secunda opinione. Sed circa præsentem quæstionem præter citatos Doctores, vide etiam Aldrete de Relig. discipl. tuenda, lib.1.cap.5.§.4.n.28. Nauarrum lib.2.c.4.n.193. Valentiam tom.4.disp.3.quæst.10.punct.5. §.1. Filliucium to.2. tract. 28.cap.8. nu.151.& Onuphrium Opuscul. de sigillo, sect.2. qu. 2.dub.4.

Notandum est etiam, quòd in opinione supradictorum DD. asserentium esse præmittendam correctionem, posset quis petere, an si dubium sit, vtrum correctio profutura sit necne, an inquam in tali casu, sit etiam præmittenda, vel potius facienda sit denunciatio. Aliqui apud Delrium in disq. Mag. to.3. lib.5. sect.4.n.6.putant esse præmittendam correctionem, quam sententiam valde æquam existimat Delrius, licet ipse, & meritò contrarium sentiat.

An criminosi iam emendati sint vigore edicti denunciandi?

RESOL. III.

Affirmatiuè respondeo cum Sanctarello in tract. de Hæresi,cap.9.num.11. Sancio in selectis, disputat.11.num.52.

Bonacina tract. var. disp.6. punct.3.n.9. & punct.2. nu. 3. Azorio p.1.lib.8.c.19.q.9. Suarez tract.de fide, disp.40. sect.6. n.13. Salonio in 2.2.q.68.art.1.de edictis Superiorum, Regul.3. Royas singul.3.n.23. Paramo de Orig.Inquis.lib.3.q.8.n.90.& alijs ex ratione supra allata: quia videlicet denunciatio istorum tendit ad punitionem, & non ad correctionem.

Sed contrariam sententiam docet Sotus lib.5. q.5.ar.5. Molfesius in summa, tom.1. tract.7. cap 24.num.21. Genuensis in Praxi, cap.18. num.6. Naldus in summa, verb. Accusare, nu.1. Victorellus in Notis ad manuale Nauarri, cap. 25, num.33. Finellius tract.de cas.reseruat.cas.2.nu.8. in fine. Zanardus in director. Confess.part.3. cap.31. Rodericus Acugna in tract. de Confess. solic.quæst 3.num.15. & ibi Freitas n. 34. Megala in 1. parte lib.1.cap.5. num.26. Portell. in Addit. ad dubia Regular. sollicitare fœminas, numero 18. vbi sic ait: Si fœmina sollicitata certo sciat Confessorem esse pœnitentem, & moraliter intelligat pœnitentiam illius de præterito esse veram, non tenebitur denunciare, quia finis denunciationis est emendatio proximi: cum verò fęmina intelligat moraliter Confessorem esse emendatum, cessabit obligatio denunciationis, quia cessauit finis illius, qui erat emendatio proximi, ita Portel. Idem docet Peirinus in Priuileg. Ordinis Minimorum, tom.2. Constitut 4. Gregorij XV. §.6. num. 31. ita asserens. Si mulieri sollicitatæ constet de emendatione sollicitantis, non teneretur denunciare, quia cum probauerimus hoc peccatum fraternam correctionem admittere, si hæc profuit, vel sine hæc peccatum est emendatum, non est cur ad denunciandum procedatur. Ita ille.

Sed in hac sententia difficultas est cognoscere, quando quis censeatur emendatus, vt quis non teneatur secundum opinionem supradictorum DD. ex præcepto edicti denunciare Felin. in cap. testimonium de testib. Confessionem sacramentalem asserit probare aliquem esse emendatum. Genuensis in praxi, cap.18.n.6.putat, quòd possit præsumi emendatio, si talis consequutus fuisset Iubilæum. Homobonum de exam. Eccles. part. 1.tractat.7.cap.7.q.33.Freitas in addit. ad tract. de confess. sollic.q.8.n.32. Riccius p.2.decis.159.nu.14.& alij asserunt, quòd qui per trienoium bene vixerit, emendatus præsumitur. Aliqui verò putãt, id arbitrio boni viri remittendum esse, qui considerata qualitate personarum, totum iudicabit cum prudentia, & maturitate, quia difficile est cognoscere correctionem huiusmodi personarum, & ita loquens etiam de hæreticis notauit Freitas vbi supra, qu.18.nu.39. in fine.

Limitat tamen hanc sententiam Fagundez tract.2.lib.6.cap. 4. num.17. & alij, quoad hæreticum formalem, quia semper dubitare possumus, an reuera sit emendatus, sunt enim hæretici valde subdoli, & conceptam hæresim retinere non valent, quin alios doceant: & hoc notauit specialiter locum habere in casu hæresis formalis, nam in alijs casibus, criminosi emendati non sunt denunciandi, sicut supra corrigendos esse affirmauit.

Sed Genuensis in praxi, cap.18.num.6. qui citat Locatum, & Megalam in 1.part.lib.1.ca.5 num.26. admittunt supradictam limitationem, quoad Hæreticum, qui dogmatizando nocuisset Reipublicæ; nam in tali casu putant esse denunciandum, vt illis satisfaciat, & sic etiam sentit Molfesius in summa, tom.1.tract. 7.cap.24.num.21.

An filius teneatur denunciare patrem Hæreticum?

RESOL. IV.

Prima opinio negat. Ita Alexand.de Ales, par.3.q.23. membr. 4. art.2. dub.vlt. Royas sing.12. num.2. & ita intellige eumdem sing. 5. num. 29. Idem nouissimè docuit Riccius p.3. decis.278. nu.8. & vir doctus Ioan. Valerus in differ. vtriusque fori, verb. Hæresis, differ.1.num.4. vbi sic asserit. Septimò fallit in filio, contra patrem, maximè si pater nõ inducebat filium ad Hæresim. Idem videtur dicendum de vxore, marito, & fratre, sed contrarium his tenet Royas, quod verius credo, quoad fratrem; ita ille.

Secunda opinio, quam ego sequor; affirmat, & docet filium teneri ad denunciandum patrem hæreticum, & ita præter Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius de hæresi, quæst. 197. §.2. numero 40. tenet hanc sententiam Suarez tract. de fide, disp.20.sect.4.num.21. Azorius par.2. lib.2. cap. 2.

qu.13. Comitolus in Resp. Moral. lib. 4. qu. 8. nu. 5. Sanctarellus in tract. de Hæresi, c. 9. n. 15. Bonacina in tract. var. disp. 6. punc. 2. n. 3. Portel. in dubijs Regular. to. 1. ver. correctio fratrum, nu. 11. Bonacina de cens. disp. 2. q. 6. punct. 5. n. 1. Lopez in instruct. 1. cap. 54.

Tertia opinio est media inter supradictas, vt docet Simancha lib. de Cathol. Instit. tit. 39. nu. 4. & Genuensis in Praxi, cap. 78. num 9. & ideo putat tunc filium debere denunciare patrem hæreticum, quando hæresis patris rendit in perniciem publicam, vt si pater dogmatizaret, & filium aliosque doceret, vel quādo filius interrogaretur à Iudice, tamquam testis. At in hoc secundo casu, putat Genuensis, non esse filios cogendos, si alij testes haberi possūt: cum enim sint personæ priuilegiatæ, in subsidium tantum cogendos esse constat. Et ita in Curia Archiep. Neapolitana practicatum esse testatur; non enim coegerunt quendam filium aduersus patrem hæreticum. Et ita etiam docet Filliucius tom. 1. tract. 40. c. 8. nu. 333.

An vxor, & frater, teneantur denunciare maritum, & fratrem hæreticum?

RESOL. V.

De vxore affirmatiuè respōdeo cum Pegna in director. Inquis. part. 3. qu. 111. commen. 160. & Freitas in Addit. ad tract. de Confess. sollic. q. 19. nu. 16.

Sed contrariam videtur docere Didacus Cabrera in q. crim. rubr. de Hæreticis, ver. ex qua quidē glossa, & post illum Riccius p. 3. decis. 579. nu. 8. & Ioann. Valer. in differēt. vtriusque fori, ver. hæresis, n. 4. hi enim cum adducerent Royas asserentem, vxorem, maritum, & fratrem teneri ad denunciandum, sequuntur illum quoad fratrem tantum.

Verum est etiam, quòd hanc opinionem de obligatione fratris, ad denunciandum fratrem, vocant ipsi tantum veriorem: Ergo secundum illos, contraria sentētia videtur probabilis. Sed hoc ego non audeo dicere, & contrariam doceo cum Sanctarello in tract. de Hæresi, c. 9. n. 15. & alijs. Et dicta sint in ordine ad denunciationem in casu hæresis formalis, videamus modo in casu criminum, quæ sapiunt tantum hæresim.

An filius, vxor, & frater teneantur denunciare patrem, maritum, vel fratrem perpetrantem crimina, extra hæresim formalem?

RESOL. VI.

Dicam quid sentiunt alij. Lazarius tract. de Blasphemia, qu. 12 num. 67. sic asserit. Vxor non tenetur denunciare maritum, in blasphemias hæreticales prorumpere solitum, vel etiā hæreticalia committentem, vbi his sit homo furibundus, & facile posset eam male tractare. Quinimò, etiam sublato dicto timore, si non reuelat, videtur excusanda ob arctissimam consunctionem, quæ est inter eam, & virum.

Sed magis ample loquitur Homobonus tract. de cas. reser. p. 2. cap. 1. sol. mihi 141. Aliqui asserunt (ait ille) filium teneri deferre patrem hæreticales blasphemias proferentem, fratrem pariter teneri denunciare alterum fratrem, & vxorem virum, cum hoc crimen melius per domesticos, quàm per alios probari possit. Hanc tamen sententiam in praxi, non facilè sequendam arbitror, tum quia cognati, excepto hæresis crimine, ad hoc à iure non coguntur, tum etiam quia pater, & filius, & maritus, & vxor, & fratres inter se censentur vna, & eadem persona; & iuri naturali repugnat se ipsum prodere. Sic Homobonus, quòd etiam docuit in Exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 32.

An quis teneatur denunciare, si ex denunciatione timeat damnum notabile in vita, fama, & bonis externis.

RESOL. VII.

Negatiuè respondet Sanctarellus in tract. de hæresi, cap. 9. num. 16. qui citat Pegnam, & Scaccian quibus ego addo Homobonum in tract. de cas. reser. part. 2. cap. 1. Petrinum super Priuilegia Minimorum, tom. 1. constit. 4. Greg. XV. §. 9. nu. 28 & Fagundez de Præcep. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 31. vbi sic asserit. Denunciatorem non teneri huiusmodi denunciationes facere Inquisitoribus, cum probabili periculo mortis infamiæ, aut grauis alicuius damni proprij, vel patris, aut matris, mariti, vxoris, fratrum, aut aliorum coniunctissimorum. Sed limitat hanc sententiam Genuensis in praxi, cap. 78. num. 8. nisi hæreticus dogmatizaret in magnum Reipublicæ damnū, animas seducendo, & corpora offendendo, vt si occideret pueros, & similia faceret: tunc enim, asserit ille, succedit id, quòd quilibet pro patria tenetur ponere vitam.

Ideò ex hac opinione infert Portel. in addit. ad dubia Regul. ver. sollicitare fœminas, num. 5. quòd si aliqua mulier sollicitata à Confessario, vel Monialis, vel alia non potens adire Inquisitores, absque infamia, satisfaciet denunciando per Epistolam missam ad Inquisitorem, tradendo Epistolam familiari alicui S. Officij, vel stet consilio Confessarij. nam ita faciens, facit quantum in se est. Lazarus verò cum in tract. de Blasph. qu. 12. num. 5. 64. hanc sententiam rationibus, & authoritatibus comprobaret, post multa sic asserit. Dicebam olim, Virginem quandam ex honestis parentibus cuiusdam domicellę ancillā: quæ seruum eiusdem domus, frequenter blasphemias, etiam hæreticales, proferentem audierat, non debere accedere ad Sanctæ Inquisitionis Officium, ad illum denunciandum: grave enim damnum posset sibi probabiliter timere in fama, & honore eventurum, quandoquidem eam videntes ad dictum Tribunal accedere, facilè suspicari possent, eam de aliquo delicto inquisitam fore. Igitur in tali casu potest, imo tenetur (quod facere possunt Moniales) aut suo chirographo, si scribendi esset perita, denunciare, & attestari de tali blasphematore, per certum hominem, ad Inquisitorem missum, vel Confessario blasphematorem indicare. Ita Lazarus. Et hanc sententiam probat Episcopus Acugna qui fuit prius Inquisitor, tract. de confess. sollicit. quæst. 19, per totam, & Molfesius in sum. to. 1. tract. 7. cap. 24. cum Homobono de exam. Eccles. p. 1. trac. 7. c. 7. quæst. 32.

Hinc Pegna in director. Inquis. part. 3. quæst. 53. commen. 78. cum Sigismundo Scaccia de Iudic. caus. ciu. crim. & hęr. cap. 56. num. 24. in fine, & Farinacio de Hæresi, q. 197. num. 53. excusant vxorem non denunciantem maritum hæreticum, timentem ab eo male tractari aut interire. Et si hæreticus abiurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quòd nonnullos compliccs in suo examine subticuisset, si respondeat hoc fecisse, quia ab ipsis complicibus, quia ditiores, & potentiores erant, sibi valde timuit, non est indistinctè puniendus, & curiæ sæculari tradendus, tanquam diminutus, sed mitius damnandus, vt observauit Freitas in Addit. ad tract. de confess. sollicitan. quæst. 19. num. 15.

Sed his non obstantibus, docet Bonac. disp. 6. punct. 2. num. 6. quòd hæc doctrina non probatur ab omnibus, & ait Freitas in addit. ad tract. de confess. sollicit. qu. 10. nu. 1. 5. in fine, quòd attenta practica, contraria sententia amplectenda videtur, maximè in casu hæresis formalis. Vide etiam Royas sing. 3. n. 22. sen. 30. ver. 7. ampliatur.

Vtrum quis teneatur denunciare seipsum.

RESOL. VIII.

Negatiuè respondent Doctores infra citandi, quia nemo tenetur prodere se, vt habetur in cap. aliquando, de pœn. distinct. 1. & ita docet Sanctarellus tract. de Hæresi, ca. 11. dub. vnico, nu. 19. qui citat Pegnam, Simancham, & Suarez quibus ego addo Fernandez in Exam. Theol. mor. part. 1. capit. 19. § 5. num. 5. & part. 4. cap. 6. num. 5. §. 1. Riccium part. 3. decis. 578. n. 1. Homobonum in Exam. Eccles. part. 1. tract. 11. cap. 4. quęst. 4. Ioann. Valerium in different. vtriusque fori, ver. Hæresis, differ. 1. numer. 4. Rodericum Acugnam in tract. de Confess. sollicit. quæst. 10. num. 4. & quæst. 21. num. 2. & ibi Freitas in Addit. nu. 13. & 21. Lorichium in thes. Theol. tomo 1. verb. denunciatio, num. 3. Portel. in Addit. ad dubia Regul. ver. sollicitare fœminas num. 15. Zanardum in direct. Confess. part. 3. in fine, Molfesium in summ. tomo 1. tract. 7. cap. 24. Megalam in 1. part. libro primo, cap. 5. num. 30. & Zerolam in praxi Episc. part. 1. ver. hæresis, quæst. 35.

Aliqui tamen ex supradictis DD. limitant hanc sententiam,

in casu quo pro bono communi, quis teneretur vitam propriã ponere, & ideò annis elapsis in quadam nostræ Italiæ nobilissima Ciuitate, Doctissimi Theologi, obligauerunt denunciare quendam hæreticum dogmatizantem & docentem alios hæresim, quamuis ipsi denunciantes fuerint discipuli eiusdem hæretici, & sic complices delicti. In cæteris casibus criminosi ex edicto Inquisitorum, secundùm mentem horum Doctorum, non tenentur prodere se ipsos, sed asserunt aliqui, absoluuntur à Confessario per Cruciatam, vel per Regularium priuilegia, sed nos de hoc alibi, ex illa quæstione sequitur alia, propterea.

An saltem dicti criminosi teneantur denunciare complices?

RESOL. IX.

Respondent aliqui negatiuè, quia sicut aliquis non tenetur denunciare seipsum, ita neque complices. Nam moraliter loquendo, non potest quis manifestare socios, quin manifestet seipsum. Nam si v. g. Petrus denunciet Paulum, complicem, postea Paulus interrogatus vt reus, tenebitur denunciare Petrum. Ergo Petrus denuncians Paulum, virtualiter denunciat seipsum. Et ita docet Suarez tractat. de fide disput. 20. sect. 4. num. 18. qui citat Pegnam, & Simancham. Idem docet Megala in 1. part. libr. 1. cap. 4. numer. 30. & nouissimè doctus Portel. in addit. ad dubia Regul. ver. denunciatio, numer. 10. vbi sic ait. Complex delicti nunquam tenetur denunciare, ex vi edicti, in quacumque materia fuerit complex. Vnde potest colligi, quòd si fœmina fuit sollicitata ab aliquo Confessore in Sacramento Confessionis, & ipsa ibi consentit in illo cum actibus turpibus, talis fœmina non tenetur denunciare de illo Confessore. Ita ille. Et ver. sollicitare fœminas, numer 15. sic etiam ait: Si fœmina intra Confessionem sollicitata consensit, non tenetur denunciare de Confessore. Probatur ex dicto communi Doctorum, quod socius criminis, vel complex non tenetur denunciare de socio delinquente cum periculo suæ infamiæ, non enim tenetur prodere se. At ista fœmina denuncians de tali Confessore, exponit periculo suam famam. Poterit enim Confessarius in Tribunali fateri se actus inhonestos cum illa habuisse illa non repugnante, quo casu fœmina proderet se. Ergo, &c. Limitant verò hanc sententiam in casu hæresis, eo modo tamen, vt superiori quæstione dictum est. Notandum est tamen, his non obstantibus aliquos Doctores asserere fœminam consentientem sollicitationi factæ in Confessione, teneri Confessarium sollicitantem denunciare, etiamsi illa sit delicti complex. Ita Acugna in tractat. de Confess. sollic. q. 10. n. 10. Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. numer. 10. Peirinus in priuil. Minimor. tom. 1. constit. 4. Greg. XV. §. 3. num. 11. Sanctarellus tract. de Hæresi, c. 44. dub. vnico, numer. 12. & alij. Non tamen tenetur proprium consensum manifestare, nec potest ab Episcopo vel Inquisitore interrogari. Et in casu, quo pœnitens cui consentit, vellet consensum manifestare, non debet scribi in actis, tanquam res non spectans ad Tribunal Inquisitionis. Ita Peirinus, & alij vbi supra.

An quando edictum fundatur in præsumptione, & ego scio præsumptionem in tali casu deficere, tenear ad denunciandum?

RESOL. X.

Negatiuè respondet Riccius part. 3. decis. 278. numero 6. & ante illum Ioan. Valerus in different. vtriusque fori, ver. hæresis, differ. 1. num. 4. vbi agens de denunciationibus faciendis, vel non faciendis ex edicto Dominorum Inquisitorum, sic asserit. Quintò falli in his, in quibus edictum se fundat in præsumptione, vt in Chiromanticis, Necromanticis, & alijs, qui ex inspectione simularum, vel linearum manuum aliqua prædicunt. Si aliàs ego certè scio, non habere tales pactum vllum cum dæmone, non teneor denunciare, nam motus Sixti V. circa hoc editus, fundat se in præsumptione, in dubio autem tenetur quis denunciare. Ita Valerus. Quod autem lex fundata in præsumptione non obliget si præsumptio cessat, probat multis Homobonus in Exam. Eccl. p. 1. tract. 5. cap. 8. q. 33. & probabilem hanc sententiam vocat Becanus in summ. Theol. p. 2. tract. 3. capit. 6. conclus. 4. num. 5. & alij.

At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam docet Freitas in Addit. ad tractat. Episcopi Acugna de Confess. solic. quæst. 21. num. 26. vbi asserit, iudicium illud discernendi circa suspicionem de fide, quæ resultat supposita Pontificis, vel aliorum edicti præsumptione, non competere Confessarijs, vel alijs, sed Inquisitoribus. Vnde licet Bulla Gregor. XV. fundetur in præsumptione, vt patet in illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes*, sequitur iudicium discernendi circa suspicionem de fide Confessarij sollicitantis, non competere nisi Inquisitoribus. Et hæc (Deus scit cum quanto labore collecta) nobis sufficiant circa obligationẽ denunciandi ex vi edicti Dominorum Inquisitorum, ex quibus Confessarij infinitos casus in praxi quotidie extricare poterunt. Nunc verò deueniendum est ad aliquas dubitationes elucidandas, ex sollicitatione facta in cõfessione, ex vigore Bullarum Clementis VIII. Pauli V. & nouissimè Gregor. XV. ideò quæritur.

An si Confessarius à fœmina sollicitatus, consentiat ad actus turpes, & sermones inhonestos, sit ab alijs, qui hoc sciunt, denunciandus?

RESOL. XI.

Affirmatiuam sententiam docere Graffium tom. 1. libr. 5. consi. 7. num. 8. de pœn. notauit Freitas in addit. ad tract. de Confess. solic. quæst. 9. num. 8. Sed Graffius in illo loco, nihil de hoc. Ideo negatiuè respondet Episcopus Rodericus Acugna in dicto tract. de Confess. solicit. quæst. 11. per totam, & ibi Freitas nu. 24. hanc etiam sententiam docuit Portel. in addit. ad dubia Reg. ver. sollicitare fœminas. nu. 10. & ita respondisse Suarez, testatur Acugna, vbi supra. Et ratio est, quia sollicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas, & ideò Pontifices vtuntur his verbis *allicere*, vel *prouocare*: sed Confessor priùs sollicitatus, non rogat, non allicit, non prouocat; Ergo non est denunciandus.

Sed hæc opinio erat probabilis, imò verò ante cõstitutionem Gregor. XV. nunc autem difficultatem habet. Nam in dicta Bulla Summus Pontifex asserit, esse denũciandos illos Confessarios qui (hæc sunt verba Bullæ) pœnitentes sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Vbi vides, quod Sũmus Pontifex, non solùm simpliciter, vt fecerat antea Clemens VIII. & Paulus V. vtitur verbis sollicitandi, & prouocandi, sed addidit illa verba, *aut cum eis*, &c. Sed Confessarius in nostro casu, licèt priùs à fœmina fuerit sollicitatus, tamen illicitos, & inhonestos sermones cum illa Confessione habet. Ergo vigore dictæ Constitutionis est denunciandus.

Non reticeam tamen, Sanctarellum virum doctum in tract. de Hæresi, cap. 16. num. 2. docere etiam post Bullam Greg. XV. non esse denunciandum Confessarium, qui à muliere sollicitatus, eius libidini consensit. Idem etiam docet Sancius in selectis, disput. 11. num. 25. & 26. Peirinus vbi infrà §. 4. nu. 10. Homobonus de Examin. Eccles. tom. 2. tract. 11. cap. 12. quæst. 26. & Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. n. 17. vnde hæc opinio probabilis & tuta etiam mihi videtur. Et verba Bullæ Gregor. XV. superius adducta, posset aliquis intelligere, non de Confessario consentiente sollicitationi pœnitentis, sed de Confessario de rebus turpibus in confessionario cum aliqua muliere confabulante, absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum; & ita docet Peirinus in priuil. Minim. to. 1. Constit. 4. Greg. XV. §. 2. n. 2.

An Confessarius, qui sollicitauit adolescentem in Confessione, sit denunciandus.

RESOL. XII.

Olim negatiuam sententiam sustinebam cum Aloysio Bariola in Floribus Inquisit. fol. 227. Portel. in Addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, quam etiam nouissimè docuit Fagundez Societ. Iesu tractat. 2. lib. 4. c. 3. n. 31, licèt contrarium asserat Gypsius tract. de cas. reseru. cap. 14. nu. 4. Corionlanus tract. de cas. reseru. part. 1. sect. 2. art. 22. num. 3. Riccius in praxi, p. 3. Resol. 66. n. 3. Rodericus Acugna in tract. de confess. sollicit.

sollicit.q.5. per totam. Rodriquez qq.Regul.tom.2.q.27.art.3. Cherubinus in compen.Bullarum,par.2.Const.31. Pij IV.schol. 2.Molfesius in summa,tom.1. tractat.7.cap.24.numer.34. Megala in 1.part. libro 1.cap.5.num.32. Quaranta in summa Bullarum,verb. Confess. Scortia in Bull. Pontif. epitome 77. theorem.197. & alij.

Errario erat, quia lex pœnalis non est extendenda, etiamsi militet in alio casu eadem ratio,sed pontifices loquebantur aduersus Confessarios sollicitantes fœminas, ergo Bulla non erat extendenda ad sollicitantes pueros. Et adducebam ad confirmationem huius sententiæ Clementinam vnicam, de consangu. & affin.vbi excommunicantur Moniales professæ, cumque eis nubentes, & accipientes illas in vxores: & excommunicantur etiam professi ineuntes matrimonium; & tamē si aliqua fęmina sæcularis iniret matrimonium cum professo, non incurret in excommunicationem, sicut incideret vir,ineundo matrimonium cum Moniali, vt notauit Cardinalis Ancharanus, & Bonifacius hic, D. Antoninus part.3. tit.25.cap.33. Caietan.in summa, verb.Excommunicatio, capit.4. cum Sanchez de matrim.tom.2.lib.7.disp.48.nu.2. Sed quia textus loquitur de masculis, non extenditur ad fœmmas. Ita & in casu nostro, cum textus luquatur de fœminis,non est extendendus ad masculos. Sic etiam in Concilio Tridentino sess.25.de Regul.c.8. excommunicantur omnes, qui cogūt mulieres ad ingrediendum Monasterium, & tamen Sanchez in summa, to.1.libr.4.c.4.num.3. cum Suarez, & Bannez, sub nomine mulierum non includunt viros. Ergo, & in nostra Constitutione, sub nomine fęminarum non includuntur masculi.

Ideò,vt dixi,probabiliter hanc sententiam olim sustinebam, ad quam etiam inclinabat Paramus de Orig. Inquis. lib.3. q.10. num.56.sed hodie ex Constitutione Gregor. XV. cessat omnis dubitatio, quia ibi Pontifex decernit, etiam solicitantes viros esse denunciandos in illis verbis. *Qui personas, quacumque illę sint*, & ita in terminis dictę Constitutionis docet nouissimè noster Naldus in Addit.ad Summam, verb.Confessio, numer.31. Petrinus in Priuil.Minimor.tom.2.const.4. Greg.XV. §.5.n.14. Venerus in exam. Episc.l.5. c.17. num.19. & Bellochius de cas. reseru. part.2.q.7.n.28. & q.10.n.51.

An Confessarius, qui in Confessionario, vel in alio loco sub prætextu Confessionis, non tamen Confessionis sequuta sollicitauit fœminam, sit denunciandus?

RESOL. XIII.

RExpondet negatiuè Portel. in Addit. ad dubia Reg. verbo sollicit. fœminas, num.12. quia non sollicitauit in Sacramento,siue intra Sacramentum, lex pœnalis vt supra diximus, non est extendenda ad casum non expressum, vt multi asserunt apud Sanchez de matr. tom.3. libr. 10. disput. 4. numer. 23. & Rodriquez qq. Regular.tom.1. q.47.artic.1. & ideo in casibus reseruatis,vtpotè pœnalibus, strictam esse faciendam interpretationem in praxi semper docui, cum Homobono de Bonis de cas.res.part.1.c.2.Chapeauilla de cas.reser.ca.6.quęst.1. Coriolano de cas.reser.p.1.sect.1.art.5.num.4.Naldo in summa,verb. casus,num.3. Bonacina de matr.disp.4 punct.11.numer.5.& de Sacram. disp.5.quæst.7. punct.5.§.3.num.1. Reginaldo in Praxi, tom.1.capit.11 libr.1.sect.1.num.127. vnde asserit Floronus de cas.reser.p.2 cas.7.n.6.Summa Corona,p.2.c.2 nu.16.Bonacina vbi supr.de matr.& alij probabiliter, concubitum cum fęmina in vase præpostero non esse casum reseruatum nefandi, quia non est propriè sodomia, & cum sumus in pęnalibus, lex non est extendenda: & ideo notauit Azor p.4.lib.3.c.19.quæst. 3 non incurrere in pœnas extrauag. Pij V.Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito.

Sed his minimè suffraganitibus, hodie hæc opinio non est tenenda, quia vt notat Scortia in Bull. Pontif. epitome 77. theor. 197.Venerus in exam.Episc.li.5.cap.17.numer.9. & Bellochius de cas.reser. part.2.quæst.9 num.5. Gregor.XV.in sua Bulla declarauit dictum Sacerdotem esse denunciandum,in illis verbis. *Qui prætextu Confessionis fœminam sollicitauerit*; & ita habent edicta Dominorum Inquisitorum. Et hoc etiam ante dictam Bullam docuerat Rodericus Acugna in tract.de Confess.sollic. q.15. per totam.

An Confessarius, qui ante, vel paulo post Confessionem, fœminam sollicitauit, sit denunciandus?

RESOL. XIV.

SEntentiam negatiuam docet ex Societate Iesu Fagundez de præcep. Eccl.tract.2.libr.4.cap.3. num.31. & ante illum Portel. in addit. ad dubia Regul.vers. sollicitare fœminas,nu.6. quia in Bullis Pontificijs Clem. V. & Pauli V. erant illa verba *In actu audiendi Confessiones, & dum eorum audiunt Confessiones*. Ergo pœna imposita crimini facto in Sacramento, non est extendenda ad crimen factum prope, vel paulo post Sacramentum; quia lex pœnalis, vt supra diximus, non est extendenda.

Hæc opinio erat probabilis, licèt contrarium doceret Bariola in Flor. Inquisit. fol.226. Scortia in Bull. Pontif. epitome 77. theorem.197.Ortiz in summa, cap.24. num.11.Llamas in summa,part.3.cap.8.§.15. Giptius tract.de cas.reser.cap.14.num.3. Coriolanus de cas.reser.p.2.cas.9.in fin.Megala in 1.p.libe.1.ca. 5.num.32. Villalobos in summa,to.1.tract.9.dub.36.nu.20. Bonacina de matr. q.4.punct.16.propos.5.num.7. Riccius in praxi.p.2.Resol.240.num.2. Paramus de Orig.Inquis.libr.3. quæst. 10.num.44. Rodriquez in qq. Regul.to.2. quæst.27. art.2. & 3. Cherubinus in Compend.Bullarum, tom.2. Constit.31. Pij IV. schol.1. Genuensis in Praxi, cap.66.nu.2.Henriquez in summa, li.6.c.17.n.4.in Glossa,litt.L.Molfesius in summa, tom.1.tr.7.c. 24.n.31.Homobonus de exam.Eccl.p.1.tract.7.cap.6 quæst.29. & alij,quia paria sunt aliquid fieri in actu Confessionis,vel paulo ante, seu post vt habetur in Glossa, leg. Pomponius, §. raro, ff.de Officio Procons. & per ea quæ adducit Tiraquellus de tra. conuent.p.2.§.1. Glossa 4. & 5. n.23.

Sed hodie per Bullam Gregorij XV. cessauit hæc quæstio; nam ibi clarè statuit esse tales Confessarios denunciandos, in illis verbis Bullæ. *In actu Sacramentalis Confessionis, siue ante vel post immediate*. His tamen non obstantibus, est reijcienda tanquam falsa opinio illa Nauarri, quam adducit Paramus vbi supra, dicēns posse Inquisitores animaduertere aduersus Confessarium, post longum tempus extra Confessionem fęminam sollicitantem. Vnde rectè notauit Rodericus Acugna tract. de Confess.solic. quæst.5. num.15. Confessarium non esse denunciandum,qui pęnitentem litteris amatorijs,lenonibus,& internunnijs sollicitat, neque vt notat Molfesius in summa, tom. 1. tract.7. cap.24. nu.32. Si accedat post auditam Confessionem, ad domum mulieris, & ibi illam sollicitaret,quod etiam docet Scortia in Bulla Pont. epitome 77. theor.197.

An si laicus, vel clericus occultè ponat se in loco confessionibus deputato, & inter Confessionem fœmina, illam ibi sollicitet, sit denunciandus?

RESOL. XV.

REspondet negatiuè Portel. vbi supr. in Addit.ad dubia Regul. ver. sollicitare fœminas, num.14. quia Clemens VIII. & Paulus V. loquentes de audienda Confessione Sacramentali, loqui videntur iuxta communem acceptionem de Confessione vera, valida, & ordinaria.

Sed per constitutionem Gregor.XV. Confessarij incidunt in pœnas Bullæ, non solum sollicitantes in Confessione, sed prætextu Confessionis; ergo non est opus, vt adsit vera, & ordinaria Confessio Sacramentalis, sed sufficit solus prætextus. Sed his non obstantibus, sub censura tamen, puto supradictos non esse denunciandos ex vigore Bullæ, quia omnes Pontifices Clemen. VIII. Paulus V. & etiam Gregorius XV. imponunt pœnas contra Sacerdotes sollicitantes; Ergo non videntur comprehendere laicum, & clericum, quia vt diximus supra, verba pœnalia non sunt extendēda ad similes casus, ita vt Doctores, vt supra vidimus, probabiliter excusabant à denunciatione, si Confessarius sollicitaret puerum, quia Pontifices loquebantur de sacerdotibus sollicitantibus fęminas,& ita etiam docuit ante me Sanctarellus de hæresi, c.46. dub vnico, num.9. Acugna tract. de Confess. sollicit.quæst.13. num.9. quicquid in contrarium asserat Giptius de cas.reser.cap.14 numer.6.Sed an supradicti sint ex alio capite Inquisitoribus denunciandi, dicam in sequenti Resolutione.

An

An dictus laicus, vel clericus saltem quia simulauit se Sacerdotem esse, si sollicitauerit fœminam, in Confessione, non tamen illa absoluendo, sit Inquisitoribus, denunciandus?

RESOL. XVI.

NEgatiuam sententiam docet Rodriquez in qq. Regul. to. 2. quæst. 28. artic. 2. & nouissimè in summa tom. 2. cap. 83. num. 3. vbi sic asserit, [El que no siendo presbytero confiessa, los Inquisidores le pueden castigar, si absoluiè al penitente, porque si solamente le oye de Confession, y no le absoluie, no puede ser castigado dellos si no de ordinario, attento que quando Gregor. XIII. comete esta authoridad alos Inquisidores dize las siguientes palabras, que procedan] contra eos, qui non sunt presbyteri, si Confessiones audiant, & absolutionem impertiantur: [y la razon lo dicta porque solamente oyen de Cõfession, y no queren absoluer ya tienen respecto al Sacramento, pues nouo quieren administrar, y assi no presume contra ellos que si enten mal de la fe, por la qual presumpcion la Sede Apostolica comete este caso a los Inquisidores.] Ita Rodriquez, & post hæc scripta, inueni etiam hanc sententiam docere Ioannem Sancium in selectis disp. 11. n. 36.

An sit denunciandus Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi Confessiones ab Ordinario, sollicitat fœminam in Confessione, fingens se habere talem potestatem.

RESOL. XVII.

NEgatiuam sententiam docuit Portel. in Addit. ad dubia Regularia, ver. sollicitare fœminas nu. 13. quia in tali casu non adest Confessio vera, & Sacramentalis, & pœna imposita alicui actui, non incurritur ab illo, qui fecit illum actum, sed actus fuit nullus.

Sed contrariam sententiam docet Acugna tract. de Confess. sollic. quæst. 14. num. 4. quam hodie stante Bulla Greg. XV. amplectendam esse puto. Nam vt sæpius supra diximus, in dicta Constitutione, non solum Pontifex vult esse denũciandos Confessarios sollicitantes in Confessione, sed prætextu Confessionis, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario. Et ita docet post Bullam Greg. XV. Ioannes Sancius in selectis, disput. 11. num. 29. etiamsi mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat, quia vterque cognoscit Confessionem inualidam fore, & ob id intendere nequeunt Sacramentum conficere, nam in tali casu Sacerdos ille denunciandus erit.

An si fœmina, sine vllo ordine ad Confessionem, loquatur cum Confessario de negotijs in Confessionario, & interim ab illo sollicitetur, an sit dictus Confessor denunciandus.

RESOL. XVIII.

REspondet negatiuè Giptius de cas. reseru. capit. 14. num. 7. & Episcopus Acugna in tractat. de Confess. sollicit. quæst. 14. num. 11. vbi sic ait. Quando non Confessionis, sed cuiusuis rei prætextu, venit mulier ad Confessarium, publicè in Ecclesia, aliarum fœminarum peccata audientem, licet tunc venientem sollicitet, non idcirco pœnas incurrit, quia, etsi procucet in Confessionarij loco, non tamen pœnitentem prouocat, sed aliam longè diuersam. Hęc ille, qui loquitur in terminis Bullæ Pauli V.

Nunc vero, per constitutionem Gregorij aliter dicendum est, & dictum Confessarium denunciandum, vt apparet in illis verbis Bullæ *siue extra occasionem Confessionis*, in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confessarium esse denunciandum etiam si extra Confessionem in Confessionario fœminam sollicitet.

An Confessarius, qui in Confessione vrget pœnitentem de prostituenda sibi vel alijs filia, consanguinea, amica, &c. sit denunciandus?

RESOL. XIX.

ALiqui negatiuè olim respondebant, quia in illa sola sollicitatio ex decreto Pauli V. videtur prohibita, quæ efficitur pœnitenti à Confessario ad turpitudinem inter vtrumque exercendam. Sed Confessarius in nostro casu non sollicitat pœnitentem, sed lenonem & turpem intercessorem. Ergo talis sollicitatio non prohibetur in Bulla. Et hanc opinionem probabilem putauit Acugna tract. de Confess. sollic. qu. 17. nu. 9. vbi contrariam sententiam, quam ipse meritò amplectitur, vocat tantum probabiliorem.

Sed hodie, vigore Bullæ Greg. XV. omninò talis Confessarius est denunciandus, quod patet ex illis verbis. *Ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs perpetranda*. Et ita in terminis Bullæ, Gregor. XV. determinauit nouissimè Nald. in addit. ad summ. ver. confessio n. 31. Bonacina in tr. disp. 6. punct. 3. nu. 19. Sanch. in select. disp. 11. n. 43. & 44. & Sanctarellus de hæresi, c. 44. dub. vnic. n. 19. Et hanc sententiam etiam ante dictam Constitutionem Gregorianam tenendam esse, respondit, de hoc interrogatus P. Suarez, vt testatur Acugna vbi supr. n. 12.

An Confessarius sollicitans fœminam non ad turpia, & inhonesta, sed alia peccata, sit denunciandus.

RESOL. XX.

VIdetur prima facie respondendum affirmatiuè. Nam Greg. XV. prohibet Confessarijs, vt non habeant cum pœnitentibus in Confessione non solum sermones inhonestos, sed etiam illicitos: sed Confessarius sollicitans pœnitentem ad aliquod peccatum, licèt nõ carnale, habet cum illa sermones illicitos. Ergo erit denunciandus. Et ante hanc Constitutionem, hoc etiam docuerat eruditissimus Pegna in direct. Inquisit. p. 2. comment. 81. vet. ille quoque, vbi sic ait. Ille quoque grauiter peccat, nec leuem contrahit malæ credentiæ suspicionem, qui in Sacramento Confessionis, vel ad quæque flagitia, seu peccata prouocat confitentem & propterea iure optimo, iudicio Inquisitorum subiectus est. Ita ille. Freitas vero in Addit. ad tract. de Confessar. sollic. qu. 8. nu. 17. putat hanc sententiam sequendam esse, quando Confessor sollicitat pœnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur; veluti si sortilegium fateatur Confessarius petat ab illo, vt se docet illud facere, quia in tali casu, acciperet Confessarius occasionem à peccato confesso, & tta procedit suspicio de fide.

At his non obstantibus, sub censura tamen censeo, dictum Confessarium non esse vigore Bull. Greg. XV. denunciandum, quia verba Pontificis diriguntur ad sollicitationem carnalem, quæ communiter accidere solet, & in delictis non fit extensio ex c. in pœnis, de reg. iur. in 6. & ex l. interpret. ff. de pœn. Et ita in terminis Bull. Clem. VIII. & Pauli V. docuerat antea Paramus de Orig. Inquis. lib. 3. q. 10. nu. 121. Aloysius Bariola in Flor. Inquis. fol. 225. Scortiam Bull. Pont. Epit. 77. theorem. 197. Molfes. in summa, to. 1. tract. 7. c. 24. nu. 31. Roder. Acugna tract. de confess. sollic. q. 8. & alij.

Restat modo respondere ad Argumentum supra in principio positum. Dico igitur Gregorium voluisse cum illa voce, *illicitos* comprehendere omnes actus illicitos, in eadem tamen materia carnali, quos fortasse per alterum verbum, *inhonestos*, non ita clare comprehenderes. Vt quando v. g. Confessarius tanquam leno, vrgeret fœminam in Confessione, vt cum aliquo peccaret, vel prostitueret sibi filiam, &c. & ita in simili casu interpretatus est Episcopus Acugna sup. dicta verba in tract. cit. de confess. sollicit. q. 17. n. 10. Et ita hanc sententiam post Bull. Gregor. XV. docet Sanctarellus in tr. de hæresi, c. 44. nu. 19. Venerus in examin. Episc. lib. 5. cap. 17. nu. 18. Sancius in selectis, disp. 11. num. 23. Peirinus super Priuileg. Minimimorum, & alij.

Vtrum

Vtrùm Confessarius contraueniens huic Constitutioni Gregor. & aliorum Pontificum ex paruitate materiæ sit excusandus, & non denunciandus?

RESOL. XXI.

NOn esse denunciandum putauit Portel. in Additio.ad dubia Regul.ver.sollicitare fœminas, n.4. vbi sic asserit. Habebit hic locum ad excusandum paruitas materiæ. Vnde si Cõfessor dicat fœminæ verba leuia, vel aliud signum, vel opus leue faciat indicatiuum amoris lasciui, quæ verba iudicium prudentis viri,nec sint peccatum mortale, vel sufficiẽtia ad persuadendum,credo, quod talis Confessor non sit accusandus. Est enim communis opinio, materiam leuẽ, & paruam,excusare in omnibus delictis, saltem à pœna Ecclesiastica, vt supra diximus in simili,circa percussionem clerici interius malã mortaliter, & exterius tantum venialem,ob paruitatem operis. Ita ille.

Sed contrarium docet Acugna tract. de confess.sollicit.qu.7. per totam, vbi asserit Confessarium faciem pœnitentis laudando à pulchritudine, ad alliciendum eam omissis verbis expressioribus, incidere in pœnas Bullæ,& denunciandum esse. Et hæc opinio videtur mihi probabilior, & sequenda.

An mandans Confessario, vt sollicitet pro se pœnitentem, denunciandus sit?

RESOL. XXII.

AFfirmatiuè respondent Riccius in Praxi, p.3.Resol.65.n.2. & in terminis Bullæ Gregor. XV. Homobonus de exam. Eccl.p.2. tr.21.c.12. quæst.26. resol.4. nam, vt habetur in c. qui per alium,de regul.iur.in 6. qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, & in leg.manumissiones,ff.de iustit.& iure, & leg. si amicis ff.de adult.dicitur facere, qui iubet aliquid facere. Sed contrariam sententiam, prorsus amplectendam esse censeo; quia vt supra satis probatum est verba legis pœnalis sunt formaliter,& propriè accipienda,& non sunt extendenda. Et ideo non incurrit in excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandauit facere, vt tradunt communiter DD. in materia censurarum: Tabiena verb.Excommunicatio, 5.casu 49.§.5.Nauarr in man.cap.27.num.1 Suarez de cens.disput. 4.sect.3.n.5. Angelus ver.excommunicatio,8.n.1. & alij. Vnde, si excommunicatio feratur in eum,qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari,& occidere, vt notauit Reginaldus in Praxi,to.1.lib 9.c.12.num.214. Adde, quod,quando lex vult punire,non solum facientem, sed mandantem, id explicat. Et ita in c.mulieres,de sent.excommun. extenditur ad mandantem excommunicatio,quæ in c.si quis suadente Diabolo, erat tantùm lata contra percutientem clericum.

Restat modò respondere ad argumenta Riccij. Dico igitur cum Auila de cens p.2.c.5.disp.3. dub.2. in fine, quod per alios facimus, per nos facimus, quantum ad culpa, non quantum ad pœnam, & non realiter, sed fictione iuris,vt loquitur Bonacina de legibus,disp.3 q.7 punct.4.nu.12. & Megala in 3.p.lib.4. c.2 quæst.1.num.12. & alia iura, quæ asserunt, quod videtur facere,qui aliquid iubet facere,loquuntur metaphoricè; nam vt optimè obseruat Bartolus in leg.sed si vnius, § 1. ff. de iniurijs, cum qui per alium facit,non verè, fictè facit. Cùm igitur verba Bullæ sint directa contra Confessarios sollicitantes, non sunt extendenda ad mandantes Confessarij sollicitare, sicut in casu simili dicemus in sequenti Resolut.

An mulier sollicitans Confessarium, sit ab ipso, vel ab alijs, qui hoc sciunt, denuncianda?

RESOL. XXIII.

VIdetur prima facie affirmatiuè respondendum, & ita in terminis Bull. Greg. XV. docet Bellochius de cas. reser. p.2.q.9.n.51. quia talis mulier non minus Sacramentum lædit, cum sollicitat, quam Confessarius si sollicitaret; sed Confessarius sollicitans est denunciandus. Ergo & sollicitatrix debet denunciari,& ita docet Paramus de Orig. Inquisi.l.3.q.10. in fine.

At contrarium omnino est affirmandum cum Riccio in praxi,p.3.Resolut.67.n.1.Sancio in select.disp.11.nu.24.Bonacina in tr.var.disp.6.punct.3.n.20. & alij, quia Constitutiones Pontificum in Confessarios diriguntur ad illorum audaciam,& iniquitatem comprimendam; cumque hoc scelus in fœminis raro contingere constet,lex de illis non disponit; quia leges humanæ ea,quæ frequentius accidere solent, considerant.

Adde illud, quod sæpius repetitum est, cum hæ Constitutiones sint pœnales,non sunt extendendæ ad alium casum ex cap. statutum, de elect. & ex leg. cum quidam, ff. de liberis,& posthum.Barbosa de potest. Episc.p.3.Allegat.102.n.82. Castrus de leg.pœn.lib.1.c.7.docum.3.Sanchez de matr.to.3.lib.10.disp.4. numer.3.& alij communiter. Vnde edicta pœnalia reijciunt argumentum à pari, à simili, & à contrario sensu. Et ideo pœna leg.vnica, C. de raptu virg.non habet locum, quando virgo capit virum, vel vir virum, vt rectè obseruat Castrensis in leg. raptores, C. de raptu virg. Triuisanus p.2.decis.21. Decianus lib. 8.to.7.nu.28. & 29.cum Emanuele Barbosa ad ordinat.Portug. lib.5.tit.18.§.3.n.2. & Sanchez de matr.to.2.lib.7.disp.12.num. 25. Et ego censeo, quod excommunicatio lata contra ingrediẽtes Monasteria Monialium,sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu, vt rectè docet Sanchez in summa, to.10.lib.6.cap.16.nu.78. qui citat Suarea, Philiarchum,Zerolam, Sayrum & Rodriquez, quibus ego addo Mirandam in Man.Prȩl.tr. de Monialibus, quæst.2. art.10. concl.1.Megalam in 3.p.libr.4.cap.3.quæst.2.nu.11.Campanilli in diuer.iur.can.rubr.12.cap.16.num.24.Barbos.de potest. Episc.p.3.Allegat.102.numer.37.cum alijs; vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

An si aliquis sub sigillo naturali sciat ab aliquo, mulierem fuisse sollicitatam à tali Confessario, teneatur illum denunciare.

RESOL. XXIV.

REspondet negatiuè ex Societate Iesu Fagundez de præc. Eccles. tract.2.lib.4.cap.3.nu 31. vbi sic ait. Si huiusmodi sollicitatio sub secreto naturali sciatur denunciatio fieri nõ debet, nam cum huiusmodi secretum nõ vergat in detrimentum proximi,& obseruatio illius aliunde sit de iure naturali, denunciatio autem tantum de iure positiuo, fortius vinculum iuris naturalis, præualere debet minus forti, hæc ille.

An ista sententia sit probabilis videant viri docti. Nam si talis Confessarius non sit emendatus, vel non adsit spes emendationis per secretam correctionem, facilè poterit alias fœminas sollicitare, & ita tale secretum vergeret in damnum tertij, & Reipublicæ. Et sic notauit Freitas in Addit ad tract. de confess.sollic. qu.21.nu 26. quod quidem Confessarius per decennium perdite,& effrenate sollicitationibus,& turpibus actis in ipso Cõfessionis loco, operam dederat, per quod tempus à nulla sollicitata delatus est. Ideo puto in tali casu,si ipsa mulier hoc non fecerit,talem sacerdotem esse ab altero,qui hoc scit etiam sub secreto naturali, denunciandum. Et de hoc in casu hæresis formalis non est dubitandum, & contrarium asserere esset falsum. Idcirco si aliquis sciat aliquem esse hæreticum, vel ab ipso, vel ab alio, etiamsi dederit fidem, & iuramentum adhibuerit, de non manifestando secreto, tamen tenebitur reuelare.

An Confessarius, qui sollicitauit puerum, ante Constitutionem Greg. XV. vel fœminam extra Confessionem in Confessionario, aut in loco quocumq; vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, &c. sit denunciandus?

RESOL. XXV.

HÆc quæstio difficilis est, quia quærit, an dicta Constitutio ad facta præterita extendi possit. Affirmatiuam sententiam,loquẽs de Bulla Pauli V. docuit Rodericus Acugna tract. de confess.sollic.quæst.3.nu 10.& ita respondisse Suarez,& Delmeda viros doctissimos testatur,& in terminis Bullæ Greg XV. idem docet Sanctarelius tract.de hæresi,cap.44.nu.11.& Bonac. in var.tract.disp.6.punct.3.nu 7.

Sed negatiuã sententiam docuit doctus Portel. addit. ad dubia Regular.ver.sollicitare fœminas, n.7. loquens etiam in terminis dictę Bullæ Pauli V. Fagundez vbi infra cum Christophoro Anguiano viro doctissimo tract.de legib. libr.1. contr.1. num.13.

num.13.& seq.vide etiam Mirandam in Man.prael.to.1.qu.25. art.20.Et ratio est, quia nulla lex ciuilis, & Ecclesiastica extenditur ad punienda delicta facta de pręterito, sed ad facienda de futuro; nisi fortè lex ipsa claris verbis exprimat, se etiam punire pręterita, vt fecit Sixtus V. cum illegitimis, receptione Religiosorum, & Concilium Trident. cum ordinatis in minoribus. Et hoc habetur expressè in c. cognoscente, de const.ibi, in illis verbis. *Quoties quid nouum statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt dispendijs praterita non commendet.* Idem expressiùs habetur eo tit. c. vlt. vbi Gregorius IX. explicans quandam constitutionem à se paulo ante editam, sic asserit. *Declaramus, non ad praterita, sed ad futura tantum extendi, cum leges, & constitutiones futuris certum sit dare formam negotijs, non ad praterita facta trahi nisi nominatim in eis de prateritis caueatur*; ita ibi, quo nihil clarius dici potest.

His ita suppositis, respondeo ad quaesitum, quod stando in illa opinione, nempè Bullas Clementis VIII. & Pauli V. contra Confessarios sollicitantes fęminas, non includere Confessarios sollicitantes viros, & quod in pęnas dictarum incidebant tantùm Confessarij, qui in Sacramento Confessionis, vel ad plurimum, qui paulo ante, vel post sollicitabant pęnitentes non autem illi, qui extra occasionem Cōfessionis in loco Confessionarij, aut in loco quocunque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulātes ibi Confessiones audire. His ita stantibus, assero probabiliter, non esse modo supradictos Confessarios denunciandos si talia crimina effecerint, ante promulgationem edicti, & Bullae Gregor. XV. vbi determinat, esse supradictos denunciandos; quia vt supra diximus, dicta Constitutio non extenditur ad priora, quod satis probatum est, & docet Syluester verb. lex quaest.25. Malderus in p.2.q.96.art.3.dub.4.& alij. Vnde puto quoad denunciationes faciendas ex vigore Constitutionis Gregor. XV. aduersus Confessarios sollicitantes, ineundas solum esse à die x. Martij 1624. tūc enim Panormi dicta Bulla ab Illustrissimis Inquisitoribus fuit promulgata. Vnde à tempore antecedente non tenetur quis denunciare. Et ita de Bulla Clementis VIII. in hac materia, docuit ex Societate Iesu Fagundez tr.2 lib.4.c. 3.nu.31.& de Bulla Pauli V. etiam vt supra diximus docet Portel. in Addit. ad dubia Reg. ver. sollicitare foeminas, n.7.

An quis teneatur denunciare Confessarium, qui propter sollicitationem alterius confessus absolus.

RESOL. XXVI.

AFfirmatiuam sententiam tenet Martinus Bonacin. in trac. var. disp.6. punct propos.2. n.15.

Sed contrariam docet Sancius in selectis, disp.11.n.52. Peirinus de priuileg. Minimorum, to.2. Constit.4. Greg. XV. § 9 n.32. & ante illos Freitas Additionator Roderici Acugna in tract. de Confess. sollic. q.3.n.34. Et ratio huius sententiae erit, secundum mentem aliquorum Doctorum, quia vt supra visum est, multi asseruat quòd quis non tenetur denunciare haereticum emendatum, sed talis Confessarius, propter abiurationem censetur sufficienter emendatus. Ergo minimè denunciandus erit.

An supradicta denunciationes sint facienda ante Confessionem; ita vt non possit Confessarius aliquem absoluere, nisi prius denunciet.

RESOL. XXVII.

AFfirmatiuam sententiam docuit Auila de cens. p.2. capit. 7. dub.7. in fine, vbi sic asserit. In rebus grauibus, praecipuè si pęnitens sit homo ordinarius, curandum est, vt prius denunciet, & hoc licèt nondum incurrisset excommunicationem, quia si prius obtinuerit absolutionem, facile solet id omittere: in casibus autem Inquisitionis remittendus est poenitens vt prius denunciet, vt praecipitur in edicto Inquisitorum. Ita Auila.

Sed hoc limitat Zanardus in director. Theol. p.2. praecep.2. capit.11. in fine fol. mihi 148. nisi necessitas communionis vrgeret, & persona sit timoratae conscientiae, & promittat quàm citius denunciare. Idem etiam docet Emanuel Rodriquez in summ. tom.2. cap.34. numer.6. sic ait. [Deuen notar los Confessores que quando algun penitente les dixere, que sabe hulano, hauer dicho vna heregia, le han de obligar a yr luego, a los Senores Inquisidores a denunciar del, y no le pueden absoluer sin que primero se haga la dicha denunciacion pudiēdo se luego comodamente hazer, porque no se pudiendo poner en execution, basta que lo prometa,] Et Peirinus, qui nouissimè scripsit in Priuileg. Minim. tom.1. Constit.4. Gregor. XV. §.9. num.24. asserit esse absoluendam illam poenitentem, quę firmiter promittit denunciaturam Confessarium, si adsit causa, propter quam prudenti Confessario videatur denunciationem esse differendam. Et Sanctarellus tract. de haeresi, capit.9. dub. vnico, num.16 in fin. ex Nauarro testante de praxi Sacrae Poenitentiariae, asserit sufficere saltem propositum denunciandi, & loquitur de denunciando haeretico. Vide etiam Sancium in selectis, disp.11. numer.62. & Portel. in Addit. ad dubia Regul. verbo sollicitare foeminas, num.24. vbi aliqua verba ex incuria Typographi desiderantur, & Ortiz in summa, cap.24. num.11. cum alijs.

An hoc crimen sufficienter probetur per testimonia duarum foeminarum.

RESOL. XXVIII.

AFfirmatiuè respondet Paramus de Origine Inquisit. libr.3. q.10.n.158. & 165.

Sed contrariam sententiam, & merito, docet Sanctarellus tract. de Hęresi, cap.44. dub. vnico, num.6. Peirinus de Priuileg. Minimorum, to.2. constit.4. Greg. XV. § 8.n.23. Bonacina tract. var. disp 6. punct.3.nu.26 Ioan. Sancius in selectis, disp.11. num. 46.& alij Ortiz verò in summa, cap.24. numer.11. tres foeminas sufficere ait; quatuor tamen exposcit Acugna de confess. sollic. quaest.23. num.11. qui etiam, num.27. docet, ex vnius foeminae quantumuis honestae delatione, non esse Confessarium in carcerem detrudendum: vide etiam Barbosa in confess. sollicit. post Flor. Inquis. folio 231.

At ego puto haec omnia remittenda esse iudicio, & prudentiae Dominorum Inquisitorum, qui considerare debēt circumstantias, & qualitates, tam foeminarum denunciantium, quàm sacerdotum, qui accusantur. Sed circa praesentem quaestionem, vide Constit. Greg. XV. in §. 7. & plura apud nostrum Molfesium in summa, to.1. tr.7. cap.24.n.36. & sequent.

An Episcopi possint cognoscere de hoc crimine, ita vt aliquis penes ipsos, possit Confessarium sollicitantem denunciare.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuam sententiam omnino amplectendam esse iudico. Dico igitur, quod licèt Ordinarij ante Bullam Greg. XV. non poterant cognoscere de crimine Confessariorum sollicitantium mulieres in Confessione, ex rationibus allatis per DD. vbi infra: sed pertinebat ad Inquisitores. Hodie tamen post dictam Bullam Episcopi etiam possunt cognoscere de hoc crimine, & hoc clarè apparet ex verbis Pontificis in ipsa Bulla manifestè hoc declarantis. Hanc sententiam docuit nouissimè Sanctarellus tract. de Haeresi, cap.44. numer.11. & 12. Acugna de confess. sollicit. q.2. per totam, Peirinus super priuil. Minimorum, to. constit.4 Greg. XV. §.6. nu.20. & Bonacina in ver. tract. disp.6. punct.3.n.23. & alij.

TRACTATVS V.

DE ABSOLVTIONE AB HÆRESI, ET ALIIS DELICTIS PERTINENTIBVS

ad Tribunal sancti Officij.

An Confessarius virtute alicuius Iubilæi, possit absoluere ab hæresi occulta?

RESOL. I.

SVPPONO, quod in ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conscientiæ, opus est, vt hæreticus habeat errorem in intellectu, cum pertinacia, & eius incredulitas humano sensui subiaceat. Diximus *vt habeat errorem in intellectu*. Nam si aliquis solùm exterius neget fidem, non erit hæreticus in foro interiori. & ideo qui transiret ad aliam sectam, vel Idolis externum cultum exhiberet, qui dæmonē inuocaret verbo, cultu, vel aliquo alio opere, qui magnetem, vel caput asini baptizaret, incantationes, & maleficia efficeret, vel similia horrenda perpetraret; si errorem in intellectu non haberet, minimè hæreticus in foro conscientiæ censendus erit. Hæc omnia tamen non impediunt, quominus illustrissimi Inquisitores possint talem punire tanquam hæreticum, quia ex signis externis prudenter possunt, & debent præsumere internum peccatum hæresis.

Secundo diximus *cum pertinacia*, quia vt sit aliquis hæreticus, opus est vt sciens, & prudens, teneat aliquid contra Ecclesiam, vel vt alij loquuntur, vt quis cognoscat, & animaduertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ, & tamen neglecta authoritate ipsius Ecclesiæ, in sua opinione persistat. Et in hac pertinacia temporis mora, & in errores perseuerantia non requiritur, quia in quouis temporis momento, & vno solo actu, & assensu instantaneo, potest hæresis culpa perpetrari.

Et tandem diximus, *& eius incredulitas humano sensui subiaceat*, quia hæreticus purè mentalis, non incurrit in excommunicationem, nisi verbo, aliquo signo, vel facto hæresim interius latitantem explicet.

Et hæc omnia supradicta docent DD. quos citat, & sequitur Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 7. nu. 8. quibus subsequentes ego addo, Finellium de cas. reser. cas. 2. num. 20. Lorcam in 2. 2. quæst. 11. art. 2. disp. 47. n. 7. Becanum in sum. Theol. part. 5. cap. quæst. 2. Megalam in 3. p. libr. 3. c. 1. quæst. 1. ou. 4. Molfesium in summa, tom. 1. tract. 11. c. 7. num. 39. Floronum de cas. reser. p. 2. cas. 1. §. 4. ver. dummodo, num. 2. Turrianum in 2. 2. to. 1. disp. 55. dub. 1. Coninch de actibus supernatur. disp. 18. dub. 7. num. 75. Malderum in 2. 2. quæst. 11. artic. 1. memb. 2. 3. & 4. Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. cap. 1. quæst. 20. & seq. Prasetium in praxi Episc. part. 2. c. 4. art. 6. nu. 3. Genuium de cas. reser. cap. 6. nu. 84. c. 9. nu. 25. & c. 14. n. 7. Sousam in Bull. Cœn. c. 2. disp. 5. & seq. Lazarium tr. de blasphem. q. 5. nu. 74. Fernandez in examine Theol. moral p. 3. c. 9. §. 16. n. 2. Gambaruptam de cas. reser. c. 4. n. 13. & seq. Barbosam de potest. Episc. p. 2. Alleg. 40. nu. 5. Campanili in diuers. iur. can. rubr. 11. c. 26. nu. 28. Homobonum de cas. reser. p. 1. c. 8. Zanardum in director. confess. p. 2. præc. 1. c. 5. Peregrinum de immun. Eccl. c. 8. nu. 2. Torreblancam de magia, libr. 3. c. 10. n. 20. Cherub. in comp. Bull. to. 3. constit. 24. Pauli V. schol. 7. Valerum in differ. vtriusque fori, ver. hæresis, diff. 2. num. 1. & 2. Filliucium tom. 2. tr. 22. c. 6. nu. 152. & Reginaldum tom. 1. lib. 9. cap. 14. numer. 224. cum alijs. His itaque suppositis.

Respondēt aliqui, Confessarium electum, virtute alicuius Iubilæi, in quo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus, etiam in Bulla Cœnæ, posse absoluere pęnitentem a crimine hæresis. Et ita fuisse declaratum Romæ ann. 1607. in Sacra Pęnitentiaria, & seruari in praxi testatur Filliucius tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 265. & Antonucius in Catechef. Neap. lib. 4. c. 19. asserit, ita fuisse decisum Placentię, ab Episcopo, & Inquisitore illius Ciuitatis; qui quidem Episcopus, erat tunc, noster Card. Arezzus vir sanctissimus, & doctissimus; hancque sententiam practicari a Patribus Societatis Iesu, testatur Episcopus Zerola tra. de Iubilæo, lib. 2. c. 18. q. 3. & ex eadēmet Societate, illam docet Reginaldus tract. 1. lib. 8. c. 5. sect. 1. n. 53. in fine, & nouissimè Fagundez de præcep. Eccl. tr. 2. lib. 8. c. 8. n. 38. ex nostra Religione, docet etiam hanc sententiam Molfesius in summa, to. 1. tract. 7. c. 21. n. 62. Alfonsus de Leone, tract. de Iubilæo, par. 2. q. 11. nu. 43. Idem etiam docet Peirinus de priuileg. Minimorum, to. 1. Constit. 4. Sixti IV. §. 5. n. 20. & ante illos Lorca in 2. 2. qu. 11. art. 4. disp. 45. n. 3. Farinacius de Hæresi, q. 192. nu. 63. qui citat Pegnam, & tandem Polacchus tract. de Iubilæo nuper impresso, sect. 42. nu. 65. multi viri docti a me de hac re consulti.

Et ratio est, quia vt doctè obseruat Lorca, ex quo Pontificibus constitit controuersia hæc inter Doctores: & vt sedarent quæstionem, expresse aliquando exceperunt crimen hæresis, si postmodum generaliter in aliquo Iubilæo dent absoluendi potestatem, nulla exceptione facta, vidētur planè ex industria eam abstulisse, & voluisse indiscriminatim omnia largiri. Secundò, quia ita videtur expedire ad finem recipiendi thesaurum Indulgentiarum, nam alias multi illas consequi minimè possent.

Sed his non obstantibus, nō desunt DD. contrarium sentientes, quos citat, & sequitur Suarez tr. de fide, disp. 22. sect. 4. nu. 21. quibus ego addo Floronum de cas. reser. p. 1. c. 4. §. 22. nu. 4. Ragucium in Lucerna Parochorum, q. 125. nu. 5. Syluium in 2. 2. q. 11. art. 3. Nouarium in singul. concl. 3. nu. 8. Auilam de cens. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. concl. 1. Victorellum in notis ad man. Nauarri, c. 27. num. 74. Portel. in addit. ad dub. Regul. ver. Hæresis, nu. 26. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 6. q. 35. Torreblancam de magia, lib. 4. c. 6. nu. 3. Ricciullum tract. de iure person. libr. 5. cap. 14. num. 7. & alios asserentes, quod ita habet stylus Curiæ Romanæ, & ita fuisse declaratum a Gregor. XIII.

Sed hæc parum vrgent apud DD. primæ sententiæ. Nam respōdet Fagundez vbi supra, quod Stylus Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate istius opinionis, nō tamen tollit probabilitatē alterius. Adde quod stylus Curiæ varius est, pro varietate PP. Ad declarationem autem Gregor. XIII. respondetur, quod de illa non constat authenticè; Tuentur igitur vtramque sententiam viri doctissimi, sed mihi probabilior secunda videtur.

An Episcopi possint absoluere ab Hæresi occulta, vigore Concilij Tridentini?

RESOL. II.

RESPONDEO aliquos asserere, Episcopos vigore Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. posse absoluere hæreticos occultos, nec per subsequentes Bullas Cœnæ fuisse illis hanc potestatem sublatam. Ita docet nouissimè Puteanus in 2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2.

Fagund.

Fagund. de præcep. Eccl. tract. 2. lib. 8. c. 8. nu. 32. & 33. Portel. in addit. ad dubia regul. ver. Episcopus, num. 1. Sousa in Bulla Cœnæ c. 23. disp. 100. concl. 3. nu. 7. & antea docuerat Lorca in 2. 2. q. 11. art. 4. disp. 45. n. 10. Nugnus tom. 2. in addit ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 20. in fine. Ledesma in summa, to. 2. tract. 1. c. 9. concl. 20. diff. 7. Emanuel Sà ver. Episc. num. 37. Henriquez lib. 6. c. 14. nu. 7. & in Glossa M. & lib. 13. c. 37. num. 5. lit. Q. cum multis alijs citatis a Sanch. in summa, to. 1. lib. 2. c. 11. n. 27. Ricciullo tr. de iure person. lib. 5. c. 14. n. 9. & Barbosa de potest. Episc. p. 2. allegat. 40 numer. 21. & hanc sententiam probabilem vocat nouissimè Sancius in selectis, disp. 50. n. 32.

Sed his non obstantibus, Sanchez, Ricciullus, & Barbosa, cum multis alijs penes ipsos, contrariam sententiam docent, quibus ego addo Riccium p. 3. dec. 280. nu. 1. Villal. in sum. p. 1. tr. 9. dub. 61. n. 2. & 5. Gratianum in discept. tom. 3. c. 414. nu. 20. Bellochium de cas. reser p. 2. q. 1. nu. 275. Sanctarellum, qui post hæc scripta prodijt in lucem, tr. de hæresi, c. 5. dub. 5. nu. 21. Ragucium in Lucerna Parochorum, q. 125. n. 5. Scortiam in Constit. Pont. epitom. 166. theorem. 431. Nouarium in singul. concl 3. n. 5. Syluium in 2. 2. q. 11. art. 3. quæritur 2. in fin. Fabrum in Sacram Ordin. dist. 25. q. 1. disp. 3. cap. 4. numer. 126. Homob. de exam. Eccl. p. 2. trac. 12. c. 4. q. 16. & de itanbus, p. 1. c. 8. Antonucium in Catech. Dioces. Neap. lib. 1. c. 25. n. 9. Megal. in p. 1. libr. 1. c. 13. n. 10. & 15. Floronum de cas reser. p. 1. c. 4. § 22. nu. 2. & 4. Torreblancam de magia, li. 3. c. 10. n. 17. Valerum in diff. vtriusque fori, verb. hæresis, diff. 5. n. 1. qui omnes putant, Bullas Cœnæ derogare, & adimere supradictam potestatem Episcopis, & adducunt multos alios DD.

Verùm qui sustinēt primam sententiam in fauorem Episcoporum, sic illam firmant; quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Conc. Trid. quod quidem est necessarium, vt censeatur illi derogatum, quia constitutioni, seu decreto Concilij propter eius grauitatem non intelligitur derogatum, nisi de eo fiat mētio specialis cap. 8. ea parte, de Capell. monach. ibique Glossa in verb. nulla mentio, cap. nonnulli de rescript. vbi etiam Glossa in verb. fecerunt mentionem, & ibi Felinus, n. 7. cum multis alijs.

Nec valet dicere, Pium V. & Greg. XIII. cum Clem. VIII. contrarium declarasse. Nam vt bene respondet Fagundez vbi suprà, & Sousa, de illis Pontificijs declarationibus non constat authenticè, & cum res sit adeo grauis, & iam scientibus Pontificibus controuersa, id profectò deberent expressius, aliquo speciali decreto declarare. Vnde subdit Fagundez stando in hac opinione, quòd si hæresis sit nota quinque, vel sex, & si hæreticus, quinque, vel sex complices habeat, adhuc diceretur occulta, & ab illa Episcopi poterunt absoluere: putat etiam in magna Ciuitate non esse publicam, si nota fuerit septem vel octo personis. Vide Portel. in Addit. ad dubia regul. ver. dispensare, nu. 9.

Notandum est etiam, secundum supradictos DD. in tali casu, Episcopum posse committere absolutionem alicui Confessario specialiter ad eum hæresis casum deputato, vt aduersus Suarez to. 4. disp. 30. sect. 2. n. 9. & 15. & alios probat Henriq lib. 6. c. 14. nu. 7. & in Glossa, litt. O. cum multis alijs apud Sanchez to. 1. lib. 2. c. 11. nu. 23. & probabile vocat Lorca in 2. 2. qu. 11. art. 4. disp. 45. n. 11.

Notandum est etiam, dictam absolutionem posse Episcopū impertiri extra Sacramentum Confessionis, nam per illam particulam in foro conscientiæ, non intelligitur forum Sacramentale audita Sacra Confessione, sed tantum denotatur, vt absolutio in foro externo non prosit, si contingat hæresim in iudicium deduci. Ita Homobonus de Exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 5. q. 31. Claudius Solen de potest. confessor. c. 30. § 1. ex verbis, n. 6. præter illos, quos citat, & sequitur Sanchez c. 11. nu. 13. qui etiam n. 17. & rectè, ait, posse Episcopum in tali casu absoluere subditum ab hæresi, in absentia, & hoc etiamsi talis subditus sit extra diœcesim, quicquid in contrarium asserat Suarez in 3. part. to. 5. disp. 41. sect. 2. nu. 10. & 11. & etiamsi ipse Episcopus, cum subditos extra diœcesim inueniretur, posset tunc vtique illum ab hæresis excommunicatione absoluere. Et hæc omnia asserunt Doctores pro firmanda opinione in fauorem Episcoporum. Sed ego contrariam existimo probabiliorem.

An Inquisitores habeant facultatem absoluendi ab hæresi?

RESOL. III.

Respondeo, Dominos Inquisitores habere facultatem absoluendi ab hæresi, non solum in foro externo, sed in foro conscientiæ, & præcipuè Inquisitores Hispaniæ. Ita docet Campegius, Rodriquez, Toletus. Guttierrez, Paramus, Bannez, Henriquez, & Graffius apud Ricciullum, & Sanchez, vbi infrà: quibus ego addo Homobonum de exam. Eccl. part. 2. tract. 11. capit. 6. quæst. 11. Puteanum in 2. 2. D. Tho. q. 11. art. 4. dub. 2. Lorichium in Thes. ver. Hæreticus, § 12. Villalobos in sum. to. 2. tract. 1. difficult. 12. num. 6. Freitam in Additione ad tract. de confess. sollicit. Episcopi Roderici Acugna, q. 21. nu. 18. & Garziam de Benef. tom. 2. part. 11. c. 10. num. 121. qui tres vltimi loquuntur de Inquisitoribus Hispaniæ, & per consequens nostræ Siciliæ, quicquid in contrarium sentiat Sanctarellus tr. de Hæresi, cap. 5. dub. 7 num. 31. Farinacius de hæresi, quæst. 192. nu. 52. & 54. Zecchius in summ. p. 1. titul. de fide, rubrica de hæresi, cap. 11. num. 18. Nauarrus in singul. con. l. 4. num. 2. Ricciullus tract. de iur. person. libr. 5. c. 15. n. 3. Ioan. Valerus in diff. vtriusque fori, ver. hæresi, differ. 3. n. 3. Riccius p. 3. dec. 579. nu. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 12. num. 3. & seq. & Suar. tract. de fide, disp. 21. sect. 4 nu. 15. & inclinet Barbosa de potest. Episc. p. 2. allegat. 40. n. 28. in fin.

Notandum est verò, quod stando in nostra opinione, hæc facultas absoluendi ab hæresi, competit cuilibet inquisitori, & non toti Consistorio, vt aduersus alios Freitas vbi suprà num. 15. & alij, & ideo quilibet Inquisitor potest eamdem facultatem cuilibet Confessario delegare, vt aduersus Campegium in addit. ad Zanchin. capit. 34. & alios, rectè notauit Sanchez, vbi supr. num. 5. & Freitas numer. 16. & Homobonus, vbi sup tract. 12. cap. 3. quæst. 4. qui etiam docuit, in Inquisitore ad hanc in foro conscientiæ absolutionem, & delegationem impertiendam, non requiri ordinem, quia talis facultas non conceditur Inquisitori in ordine ad Confessionem Sacramentalem, nec tanquā quod annexum ordini, sed officio; vt supra diximus de Episcopo. Sed cum Confessarius non possit cogere, vt hæreticus occultus prodat se Inquisitoribus, vt alibi fuse probabitur, si Inquisitores in tali casu facultatem, vt ab ipso Confessario absoluatur, nollent impertiri, neque Episcopus putans se non habere talem facultatem, vel propter aliam rationem, quæritur quid faciendum? Hanc quæstionem nemo tractat nisi Freitas in addit. ad trac. de confess. sollicit. Episc. Acugna, ideò vestigia eius terens.

Quid facere debeat hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo, vel Inquisitore obtinere non potuit?

RESOL. IV.

Respondeo, hæreticum occultum, qui non potuit per confessarium obtinere facultatem ab Episcopo, seu Inquisitore, vt ab hæresi absoluatur, mittat Romam ad maiorem Pœnitentiarium, & interim dum talis expectatur facultas, obseruet ea quæ de occulto excommunicato, non data de præsenti Confessoris copia, tradunt. Nauarrus in manuali, capit. 27 numer. 239. & Henriquez, libr. 6. capit 15. numer. 7. Et ita docet Freitas in Addit. ad tractat. de Confessar. sollicitant. Episcop. Acugna, quæst. 21. num. 18. vbi asserit, nullum Auctorem huic casum tetigisse.

Potest igitur in tali casu, hæreticus occultus ratione infamiæ, vel scandali si timeantur, si Sacerdos est, celebrare; si autem laicus, Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis, & si non potest existimare se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absoluatur ex doctrina probabili, quam docet Reginaldus in prax. to. 1. lib. 8. c. 7. num. 87. & alij quos citat Sancius in selectis, disp. 32. n. 11. quicquid alij contradicant cum Sancio loco cit.

Sed aliqui plus addunt (attendat lector) etiam secluso scandalo, & periculo grauis infamiæ, supradictum hæreticum occultum procurantem pro viribus absolutionem, seu propter paupertatem aliudve legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neque ab Episcopo, vel Inquisitore absolutionem obtinere: si verè pœniteat, & contritus sit, posse interim Missam celebrare, & Eucharistiam

sumere si laicus est, etiamsi, vt diximus, scandalum, & infamia non adesset. Et ita docet nouissimè Fagundez de præcept. Eccl. tract.1.lib.3.cap.12.n 12. cum sapientissimo sene Martino Nauarro aduersus Franciscum Suarez in 3.part.tom.5.disp.9.sect. 3. num.7. quod est valdè notandum, rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio sit probabilis, iudicent viri docti, mihi enim non placet. Videamus modo, quis possit absoluere hæreticum in articulo mortis.

An quilibet Sacerdos, etiam Parocho præsente, possit in articulo mortis hæreticum absoluere?

RESOL. V.

Respondeo, posse quemlibet Confessarium in articulo mortis absoluere hæreticum, & hoc omnes concedunt. Difficultas est quando Inquisitor, vel Episcopus adesset, & in tali casu putat Zambranus in Decis. cas. conscien. tempore mortis, cap.4.dub.4.numer.15.& dub.6.numer.4.& Bonacina de Censuris, disp.1.quæst.3.punct.3.num.5. ægrum debere illos adire, per Confessarium, vel per alium, seu per litteras, & facultatem, vt absoluatur petere.

Hanc sententiam, & meritò, damnat Sanchez in summa, tom.1. lib.secundo cap.13. num.14. Et ratio est, quia non adest obligatio pęnitenti, vt se per tertiam personam, Superiori absoluturo præsentet, & Confessarius non tenetur hoc grauamen suscipere.

Adde, quòd ego puto probabiliter in tali casu, cessare omnẽ reseruationem casuum & censurarum, & ideò posse simplicem Sacerdotem etiam pręsente Confessario approbato, & Confessarium approbatum, etiam præsente alio Superiore, cui casus illi, & censuræ reseruantur, vel per priuilegium conceduntur, posse inquam in tali casu, absoluere ægrũ ab omnibus casibus, & censuris, & per consequens ab hæresi. Ita docet Nauar. Rodriq. Henriq. Vegha, citati à Sanchez, vbi sup. nu.6, quibus ego addo Villal. in sum. to.1. tract.27. claus.1.§.12.n.7. Barbosam de potest. Episc. p.2. Alleg.25.nu.51. Coriolanum tr. de cas. reser. p. 1.q.12. Ludouicum de S.Iuan in sum. p.1. tract. de pęn. q.6.art. 6.dub.4. Io. Valerum in differentijs vtriusque fori, ver. Excommunicatio, differ.23.n.1. Angles in 4.to.2.q. de confessione, art. de ministro difficult. in art. mortis, Episcopum Zerolam in praxi de Pęnitentia, c.15.nu.4. Finellium de cas. reseru. c.7. in fin. & ex Societ. Iesu Paulum Comitolum in Respons. Moral. lib.1.q. 21.n.2. vbi sic asserit. Mihi tamen in verba Concilij Tridentini intuenti sess.14.c.7. per quam videtur probabile, vnicuique in mortis articulo constituto ius esse, cui collibitum fuerit confitendi, quamuis proprius adsit Sacerdos, facit ille articulus, vt omnis cesset reseruatio casuum; quare si tunc cesset reseruatio, cur non item cesset reseruator? Etenim his verbis, decernit Cõcilium. Verumtamen piè admodum, ne ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à peccatis, & censuris absoluere possunt. In quibus verbis Cõcilium absolutè, & indistinctè dicit omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in eo articulo. Ergo videtur omnibus illis parem iurisdictionem pro eo articulo concedere: & cum lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Vnde Petrus de Ledesma Dominicanus, tenens hanc sententiam in summa, tom.1.tr. de Sacr. Pœnit. cap.14. diff.2. fol. mihi 301. sic ait. [El derecho Ecclesiastico (nempe Concilium Tridentinum vbi supra) no pone excepcion ninguna, si no tan solamente dize, que qualquiere Sacerdote puede absoluer à qualquier penitente de qualesquier peccados y censuras, luego en el articulo de la muerte qualquier Sacerdote puede confessar, aunque esse presente el proprio Parocho, ò otro que tenga iurisdiction subdelegada.] Hæc ille; satis vt supradixi probabiliter, quicquid in contrarium, probabiliter etiam asserant Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez, vbi supr. nu.7. quibus ego addo Santorium de cas. Pap. & Episcop. num.146. Bonacinam de Sacr. disp.5.q.7.punct.1.n.10. & de cens. disp. 9.q.3.punct.3.nu.3. Benzonium tract. de fuga, libr.1.disp.1.quæst.6. Sanctarellum tr. de Hæresi, c.6.dub.1.num.2. Puteanum in 3.p.D. Thomæ, p.2.q 3. dub.3.concl 1. Coninch. de Sacram. disp.8.dub.2.num.16. Reginaldum in praxi, to.1.libr.1 cap.7.num.61. Auilam de censur. p.2.c.6.disp.3.dub.1.conclus.4. Vasquez in 3. p.to.4. q.93.art.1. dub.4.nu.18. & Nugnum etiam in addit. ad 3. p.to.2. q.8.art.6. dub.3. fol. mihi 300.

Notandum est verò, supradictum hæreticum occultum absolutum, vt suprà in articulo mortis, debere se præsentare Summo Pontifici, nam cum hoc onere absolutus censetur, si superuiuat, sub pœna reincidentiæ in eamdem censuram, non vt iterum absoluatur, quia iam absolutus est, sed vt obediat eius mandatis. Ita Suarez tom.4. disput.30.sect.3.numer.6. Henriquez libr.13.cap.29.num.4. Barbosa in Collectan. tom.2.libr.5. tit.39.cap.11.numer.5.& alij communiter, licet contrarium asserat Nauarrus cap.26 num.27. Auila de Censuris, part.2. cap. 7.disputat.3.dub.4.concl.1.§.2.& Gambarupta tract. de cas. reseruat. cap.12.num.65. quando censura non habet onus satisfaciendi causæ, propter quam incurritur, vt est in casu nostro, & probabilem putat hanc opinionem Filliucius tom.1.tractat.13. c.7.n.141.

Sed si aliam sententiam vis amplecti, etiam dico, non esse necessarium, vt talis hæreticus ad Summum Pontificem recurrat, sed sufficere, vt ab Episcopo, vel Inquisitore denuo absoluatur. Nam prior absolutio non obstat, quin pœnitens possit nouam absolutionem absolutam obtinere; & ita docent Henriquez lib 6.cap.10.num.3. in Glossa. littera G. Bonacina de cens. disp.1.q.3 punct.3.num.15.& alij. Sed videamus modò, an Pręlati Regulares possint absoluere suos subditos, in hæresim occultam lapsos.

An Prælati regulares possint absoluere suos subditos ab hæresi occulta?

RESOL. VI.

Respondent aliqui, posse Prælatos Regulares absoluere subditos suos ab hæresi occulta, probatur ex priuileg. Pij V. apud Bullarium, Rodriquez fol.920. & de quo facit mentionem Portel. in dub. Regul. verb. Abbas, num.6. Sanchez de matrim. tom.2.lib.8.disput.2.num.3. Suarez in 3. part. tom.4. disp. 30. sect.2.num.7. vbi tribuitur Prioribus Dominicanis, ac proinde alijs Regularibus communitatibus, erga suos subditos in foro conscientiæ, tantum, & per se ipsos tamen; omnis facultas absoluendi, & dispensandi, quam habent Episcopi vigore Concilij Tridentini sess.13.cap.6. erga suos subditos, sed Episcopi, vt suprà visum est secundum mentem aliquorum Doctorum, possunt etiam modo absoluere ab hęresi occulta, ergo poterunt etiam Superiores Regulares.

Et ideò Suarez de relig. tom.4 tractat.9.libr.2.cap.20.numer. 11. & Coriolanus de cas. reseru. part.1.sect.1.articul.23.numer. 6. asseruit, quòd si authoritas Episcoporum reuocata non est per Bullam Cœnæ, posse sine dubio Superiores Regulares ex dicto priuilegio Pij V. hæresim occultam absoluere; quia extensio Pij V. generalis est quoad omnes facultates. Sed suprà probabiliter, ab aliquibus Doctoribus ex multis rationibus fundatum est: authoritatem Episcoporum per Bullam Cœnæ non fuisse sublatam. Ergo in vigore remanet priuilegium Pij V. & per consequens virtute illius, potest quilibet Superior Regularis, sicut Episcopi, absolutionem ab excommunicatione hæresis occultæ subditis suis impertiri. Non tamen approbo opinionem Megalæ in 1. part. libr.1. capit.13. numer. 10. vbi videtur docere, posse Regulares vti dicto priuilegio Pij Quinti non obstante, quod facultas tributa Episcopis fuerit ex vi dictæ Bullæ Cœnæ sublata. Non inquam approbo hanc sententiam; quia Pius V. in illo priuilegio non vult, vt Regulares in hac parte habeant maiorem iurisdictionem quam Episcopi, sed tantùm, vt non sint peioris conditionis. Ergo si esset sublata authoritas Episcoporum, esset per consequens Regularium facultas, & suspensa. Ita docet Suar. vbi sup. de relig. tom. 4. lib.2.c.21. n.10.

Sed dices primo dato, & concesso, quòd Episcopi nunc possint absoluere ab hęresi occulta, negatur posse Regulares ex dicto motu Pij V. nam per Bullam Cœnę omnibus priuilegijs derogatur & ita huic priuilegio fuisse in Bulla Cęnę derogatum, censet Suarez vbi suprà, cum Portel. in dubijs regul. verb. Abbas, n.11.

Sed ego contrariam sententiam probabilem esse existimo, quę asserit Bullam Cęnę non derogare Regularium priuilegijs. Primò, quia frustra innouarentur, vt ab vnoquoque Pontifice fieri

fieri solet, si in die Cœnæ ab ipsismet PP. forent reuocanda. Secundò, quia in clausula Bullæ Cœnę non prohibetur, absoluere absolutè ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu: prętextus autem non excludit illud, quòd fit legitima facultate interueniente, sed illud quod sub aliquo velamine exercetur. Et secundum hanc expositionem intelligenda sunt illa verba eiusdē Bullæ Pij V. concedendorum, & innouandorum. Et ita docet in terminis Sousa in Bulla Cœnæ, c. 29. disp. 100. concl. 7. n. 3. & Peirinus de priuil. Minim. to. 1. constit. 2. Sixti 4. §. 5. nu. 6. & seq. & Villalobos in summa, p. 1. trac. 9. disp. 41. n. 5. cum alijs, quicquid in contrarium asserant aliqui.

Adde etiam, quod Greg. XIII. ann. 1564. die 18. Martij, indulsit PP. Societatis Iesu, vt per Bullam Cœnæ, concessiones illis factę non censeantur reuocatę, vt habetur in compend. eiusdem Societatis, ver. Bulla Cœnæ, § 2. vt notauit Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. libr. 9. cap. 20. num. 18. & Portel. in dub. Regul. ver. Bulla Cœnæ, num. 2. Sed cum nostra Religio, & communiter omnes alię per communicationem gaudeant supradicto priuilegio, ergo non obstante derogatione Bullæ Cœnæ, possunt vti eorum priuilegijs, quasi semper a Summis PP. innouatis, & denuo concessis, quia ex priuilegio Gregor. XIII. per Bullam Cœnæ non reuocantur.

Instabis rursus, non posse Regulares per dictum priuilegium Pij V. absoluere ab hæresi, quia in dicta concessione non fit specialis mentio de hæresi, & in nulla generali concessione censetur hęresis absolutio comprehendi, nisi specialiter exprimatur, sicut virtute Iubilæi non absoluitur hæresis. Ita Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 11. nu. 7. Sanctarellus tractat. de Hæresi, cap. 5. dub. 1. num. 9. docent in dicto priuilegio Pij V. hæresim non esse comprehensam, & Regulares virtute talis priuilegij illam absoluere minimè posse.

Sed respondeo cum Suarez, vbi sup. tom. 4. de Relig. libr. 2. cap. 20. num. 10. & 11. Portel. in dubijs Regul. ver. Abbas, num. 6. & alijs: hæresim in illo priuilegio comprehendi. Ratio est, quia quando Pontifices volunt à generali aliqua concessione hæresim excipere, illam nominatim excipiunt, vt patet in concessione facta a Greg. XIII. Fratribus Sancti Bernardi in Hispania apud Portel. vbi suprà, & in alijs Bullis. Ergo, dum non excipiunt, videntur illam concedere. Deinde in Bulla Pij V. expresse conceditur casus concessus Episcopis in capit. 6. Trid. vbi specialis mentio fit de hæresi. Adde, quod, vt iam probabiliter diximus, in Iubilæo non exprimitur hæresis, & tamen per generalem concessionem à casibus Bullæ Cœnæ, Doctores probatissimi asserunt, posse Confessarium, virtute illius hæreticos occultos absoluere.

Plus addam; etiam secluso priuilegio Pij V. Patres Societatis Iesu asserunt, ex priuilegio Gregor. XIII. posse eorum Generales, & Prouinciales absoluere suos ab hæresi occulta: ita habetur in compend. Soc. §. 7. & 8. & hoc etiam docet Ortiz, in summa, cap. 5. nu. 29. & Peirinus de priuil. Minimorum, tom. 1. const. 4. Sixti IV § 5. n. 20. Suarez de relig. to. 4. tr. 10. lib. 9. cap. 2. n. 17. docet, posse Prouinciales subdelegare hanc facultatem, in casibus particularibus, non autem generaliter cōcedere alicui, nisi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipse poterit concedere extra Hispaniam, vbi iudicauerit expedire. Et hanc etiam potestatem habere Generalem nostræ Religionis, notauit vir doctissimus, & amicissimus P. Peregrinus in compend. priuil. p. 2. absolutio, §. 2.

Notandum est, etiam, quod in Societatis cōpendio, ver. Bullæ Cœnæ, §. 8. & apud Portel. in dub. Regul. ver. Hæresis. num. 2. concessit Minoritis Alex. VI. facultatem absoluendi suos subditos ab hæresi occulta; (verba dicti priuilegij inuenies penes Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. dub. 61. n. 6. in fine,) quibus quidem omnibus priuilegijs, nostra Religio, & ferè omnes per communicationem gaudebunt.

Sed his minime suffragantibus, contrariam sententiam sequendam esse existimo. Dico igitur, cum Megala conf. 21. n. 6. & Nouario in singul. concl. 3. n. 10. Prælatos regulares non posse absoluere suos ab hæresi occulta. Et de hac opinione amplius non est dubitandum, cùm nouissimè ita declaratum sit per Sacram Cardinal. Congregationem sub die 17. Nouembr. 1628. Sed quid faciendum si casus accideret? Respondeo, posse talem Regularem hæreticum occultum, non solum ab Inquisitore absolutionem obtinere, sed ex licentia Superioris se subijcere Episcopo, & ab illo secūdum opinionem DD. vbi supra, in resol. 2. absolutionem ab excōmunicatione occulta hæresis impetrare, vt docet Sanch. in sum. tom. 2. lib. 2. c. 11. n. 10. & lib. 4. c. 39. nu. 32. & 33. cum Finellio tr. de cas. reseru. c. 7. n. 6. Et hoc procederet etiam, quando talis Prælatus iniustè denegaret licentiam petitam: nam per Epicheiam, debemus credere, volūtatem Papæ & Religionis esse, vt Episcopus in eo euentu, & Religiosum exemptum absoluat. Ita Pontius de matr. lib. 8. c. 5. n. 14. Molina de iust. to. 4. tr. 3. disp. 61. n. 5. & alij. Vide etiam Sanchez in summa, to. 1. lib. 4. c. 39. n. 36. & Suarez in 3. p. to. 4. disp. 30. sect. 2. nu. 3. quicquid contrarium aduersus illum asserat noster Megala in 1. part. lib. 1. cap. 13. nu. 10.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, possit absoluere à casibus contentis in edicto DD. Inquisitorum, hæresi tantum excepta?

RESOL. VII.

Respondeo alicui, omnia supradicta intelligenda esse de crimine hæresis, formaliter, non autem de alijs criminibus spectantibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vt sunt sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio dæmonum, sollicitatio in Confessione, blasphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defensio eorum, & similia: nam in huiusmodi delictis, & similibus si aliquis non habeat errorem in intellectu, & credat omnia ab Ecclesia determinata, sed crimina illa committat tantum exterius ob iracundiam, vel ob sensualitatem, vel ex aliquo alio motiuo; is vtique, asserūt, poterit à quocumque cōfessario virtute Bullæ Cruciatæ absolui; & probatur, nam supradicta Bulla, concedit omnes casus, excepta hæresi, sed dicta crimina non sunt formaliter hæresis, ergo poterunt à tali Confessario absolui.

Et ita secundum Henriq. lib. 6. c. 16. n. 2. Portel. in Add. ad dubia Regul. ver. lib. prohibiti, n. 14. Sanch. in sum. to. 1. lib. 2. c. 12. num. 12. Duard. in Bulla Cœnæ, lib. 3. §. 2. quæst. 8. num 8. & quæst. 11. num. 47. Farinac. de hæresi, quæst. 180. numer. 8. Acostam in Bulla Cruciatæ, quęst. 63. concl. 4. Suarez tract. de fide, disp. 24. sect. 1. num. 11. & alios; Confessarius virtute Cruciatæ, potest absoluere ab omnibus casibus contentis in primo Can. Bullę Cœnæ, excepta hæresi.

Notat etiam, quòd à supradictis casibus contentis in primo Can. Bullæ Cœnæ, Confessor potest tantùm per Cruciatam absoluere semel in vita, & semel in morte, vt notauit Sanchez vbi suprà, & c. 30. num. 17. cum alijs, at malefici, sortilegi, sollicitantes in Confessione, blasphemantes hæreticaliter, & similes alij possunt absolui virtute Cruciatæ, toties, quoties; quia talia, & similia delicta non includuntur in primo Can. Bullæ Cœnæ, dummodo, vt diximus, non habeant supradicti errorem in intellectu, quia sic essent hæretici formaliter. Et ita notauit Filliucius to. 1. tract. 16. c. 3. nu. 49. Alterius de cens. vbi suprà, & Suarez in 3. part. to. 5. disp. 21. sect. 2. nu. 14. vbi sic asserit. Nec propter pactum cum dęmone, nec propter alia peccata ad Tribunal Inquisitionis spectantia, propter suspicionem hæresis, vel superstitionem Religionis, hæc censura Bullæ Cœnæ incurritur, quia hæresis non sunt; regulariter enim in his, vt notauit etiam Filliucius vbi suprà, non interuenit error in fide, sed potius ex aliqua passione efficiuntur. Vide etiam Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollic. quæst. 21. num. 31. Ortiz in summa, cap. 24. num. 11. qui asserunt posse Confessarium absoluere fœminam sollicitatam, quæ non denunciauit, si postea denunciet, & hoc virtute Bullæ Cruciatæ. Delrius etiam in disquis. mag. part. 3. lib. 5. sect. 17. asserit, virtute eiusdem Bullæ, quæ concedit casus Bullæ Cœnæ, posse Confessarium absoluere legentes libros magicos, quod etiam docet Raphael de la Torre in 2. 2. q. 96. art. 4. disp. 5. in fin. & Giptius de veneficijs, sortilegijs, & similibus, absolutè loquendo in tr. de cas. reseru. c. 6. n. 84. ita ait. Prudens Confessor habens facultatem absoluendi ab his casibus, considerabit, sit necne pœnitens verè hæreticus. Nam si quodcumque prædictorum, quantumcumque manifestam hæresim sapientium fecerit, si reuera non sit hæreticus, absoluat illum, quicquid sit futurum coram Inquisitore; si res aliquo futuro tempore detegeretur, nam talis absolutio non patrocinatur in foro exteriori. Ita ille.

Vnde ex opinione dictorum DD. apparet, quòd stādo etiam in opinione illorum, qui asserunt, fuisse Episcopis ablatam potestatem absoluendi ab hæresi: Dicendum est tamen posse Episcopos, hoc non obstante, absoluere à sortilegijs, maleficijs,

blasphemijs hæreticalibus,& alijs delictis sapientibus hæresim; dummodo non adsit error in intellectu talia perpetrantium. Nam licèt hęc omnia sapiant hæresim,non sunt tamen hæresis formaliter. Et ita in terminis obseruat Homobonus de Exam. Eccles.p.1.tract.5.c.6.q.31 in fine, & ante illum Franciscus Leo in thes. fori Eccles. p.3.c.37.n.47.

His tamen non obstantibus,non desunt DD. contrarium asserentes;nempè sub nomine hęresis, includi alia delicta contēta in edictis Inquisitorum, & ita docet Fernandez in Examin. Theol.mor.p.3.c.9 §.16.sect.1.nu.1. Turrian.tom.1.in 2.2.disp. 56 dub.2. Alterius de cens. tom.1.libr.8.cap 19 q.9. Ledesma in summ to.2.tract.1.cap 6.in fine, & alij. Sed restat videre, an in supradictis delictis Regulares vigore suorum priuilegiorum, habeant potestatem absoluendi.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum, possint etiam absoluere à casibus contentis dictorum Dominorum Inquisitorum?

RESOL. VIII.

RΕspondent aliqui, quod Regulares,virtute suorum priuilegiorum, possunt absoluere sæculares ab omnibus excommunicationibus contentis in edictis Dominorum Inquisitorum, dummodo tales excommunicationes non proueniant ex hæresi formali,vel ex alijs criminibus contentis in Bulla Cœnę.

Probatur hæc sententia. Primò ex priuilegijs, & ideò in nostro compend.tit. Absolutio, quoad sæculares, §.1. sic habetur, Omnes Confessarij nostræ Congregationis approbati iuxta formam Concil. Trid. habēt facultatem absoluendi quoscumque Christi fideles, vndecumque venientes, à quibuslibet peccatis etiam Apostolicæ Sedis reseruatis, & à quibuscumque censuris,sententijs,pęnis Ecclesiasticis ex illis resultātibus, præterquam ab his quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. Hæc sunt verba priuilegij: vbi pondera, illam coniunctiuam dictionem,*etiam* quæ demonstrat, non solùm Regulares posse absoluere à reseruatis Sedi Apostolicę, sed etiam reseruatis cuicumque inferiori Papæ.

Secundò probatur ex illo communi axiomate,quòd habetur in regula,§.iuris in 6. cui licèt, quod est plus, licèt vtique quod est minus, sed plus est absoluere à reseruatis Papæ, quàm à reseruatis Inquisitoribus, ergo, &c.

Tertiò probatur ex illa communi doctrina in materia de cēsuris, nempe excommunicationem ab homine, absoluendam esse ab illo,qui eam tulit, vel ab illius superiore, vel ab illo, qui fuit ad id legitimè delegatus:sed Regulares,vt supra probatum est,habent potestatem absoluendi ab omnibus censuris, à quibus Pontifex potest absoluere. At Pontifex potest absoluere à censuris latis per Dominos Inquisitores. Ergo ab illis poterunt etiam absoluere Regulares, qui habent iurisdictionem delegatam à Summo Pontifice illis generaliter concessam, exceptis censuris in Bulla Cœnæ contentis. Et ita in terminis, hanc sententiam docet doctissimus Portel. in Addit.ad dub.Regul. ver. sollicitare fœminas, num.24. & Freitas in Addit. ad tractat. de confess.sollicit Episc.Roderici Acugna, quæst.21.num.41. Sed ego in hac quęstione de meo nihil dico,& nihil pono,solum refero quod alij dixerunt.

Pro coronide verò huius disputationis ponam hic pulchrum dubium, & est; An sit absoluendus hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus,si antea non fateatur veritatem publice,Sanchez in summa,to.1.li.3.cap.7.n.10. putat, non esse absoluendum, idque ratione scandali,quia præsumitur decedere in hæresi: & ideo si verè reus est, crimen suum fateri tenetur, vt ex hoc scandalum cesset. Non reticeam tamen Portel.vbi suprà in Addit.ad dub.Reg.ver.Reus, n.3.aduersus Sanchez, contrarium docere, & quia codex rarus est, ponam eius verba,ideò asserit. Illa doctrina dura mihi videtur, neque illam reperi apud aliquem Doctorem, neque Sanch. vllum citat, neque video,quare non militent pro isto reo hęretico,ad illum sic non obligandum, rationes pro excusandis alijs reis non hæreticis,maximè cum in reo hæretico violētius sit, & magis infame, veritatem publicè fateri. Quod verò attinet ad scandalum, quòd putat Sanchez dari ab hæretico negatiuo:dici potest non inde suscipi scandalum,cum omnes sciāt solere reos negare, & simul sciant,nullum posse verè confiteri sacramentaliter in articulo mortis. Et idem scandalum, suo modo suscipi potest de alijs reis negatiuis ductis ad patibulum. Adde quod hoc non videmus fieri à Confessoribus doctis, commitantibus reos hæreticos ad combustionem. Ita Portel. Hæc dicta sufficiāt pro pręsenti quęstione,quę omnia ex probatissimis authoribus desumpta sunt, & maximè ex Theologis Hispanis, quorum libri approbati fuerūt communi calculo Sancti Officij, & ab Illustrissimis Inquisitoribus,quibus hęc scripta, & alia in posterum à me scribenda, humiliter, & ex corde submitto.

TRACTATVS VI.

DE PAVPERTATE RELIGIOSA,

SVPER BVLLAM CLEMENTIS OCTAVI, DE LARGITIONE MVNERVM.

An ista Bulla sit vsu recepta, & adhuc obliget ad sui obseruationem?

RESOL. I.

DVBIVS, & anceps circa propositam quæstionem videtur remanere Vincentius Filliucius in quæst. mor. to. 2. tract. 34. c. 3. q. 12. num. 81. sed absolutè docuit Stephanus Gratianus in suis disceptation. forens. tom. 2. capit. 202. num. 17. dictam Constitutionem non fuisse vsu receptam à Superioribus Regularibus. Et hanc sententiam nouissimè etiam docuit noster P. Megala in p. 2. lib. 2. c. 27. qu. 3. num. 65. Sed ex communi doctrina, vt notat Becanus in summa Theol. p. 2. to. 1. trac. 3. cap. 6. q. 8 nu. 3. Azorius p. 1. lib. 5. c. 4. q. 1. Lessius lib. 2. c. 22. dub. 13. n. 98. & alij; leges Pontificiæ non obligant, nisi acceptentur à subditis. Ergo dicta Bulla Clement. VIII. non obligabit, quia non fuit a subditis recepta; & hoc ait Megala, non solùm per decennium, sed spatio ferè 20. annorum, vt omnes sciunt.

Idem videtur docere Io. Valerus ver. munera, n. 106. vbi sic asserit. Nota hanc Constitutionem, non solum debere legi quotannis in Capitulis Monasteriorum, sed etiã esse exarandam, atque scribendam in libris quorumcunque statutorum ipsarum Religionum, quòd nõ video obseruari, sicut nec omnes formas prescriptas, nec penarum inflictiones. Sic ille. Hoc docet etiam Homobonus de cas. reser. p. 3. c. 3. & Victor. in notis ad manual. Nau. c. 18. n. 105. post hec scripta, inueni eundẽ Homobonũ de Bonis in suo exam. Episc. p. 1. tr. 7. c. 30. q. 123. iterum adnotare, multos viros doctos in illa sententia esse, quod supradicta Bulla non fuerit vsu recepta, quoad penas, quæ in illa continentur, & ego hanc sententiam probabiliorem esse existimo, quòd nouissimè iterum docuit Megala cons. 33. n. 17. Vide etiam Tannerũ in 2. 2. disput. 6. q. 3. dub. 4. num. 207. & Scortiam in const. Pontif. epit. 159. theorem. 399. in fine, & Peirin. de Relig. subd. to. 1. c. 2. q. 2. § 6.

Vnde ex his, ego non condemnarem illum Religiosum, qui legitimè præscriptum sequeretur vsum suæ Prouinciæ, & Religionis, circa munera largienda, non obstante dicta Bulla, saluo semper, &c. Verum hic Panormi, quoad Moniales, esse dictam Bullam vsu receptam testatus est mihi Reuerendiss. Vicarius de la Ribia, vir omnis litteraturæ consultissimus.

Sed quidquid sit de vsu, & obseruantia eius, multæ difficultates circa intelligentiam supradictæ Bullæ elucidandæ sunt ad pacandas conscientias, & scrupulos à Confessarijs abigendos. Quæro igitur secundo.

An ista Bulla Summus Pontifex condat nouum ius circa largitiones munerum Religiosorum?

RESOL. II.

EX resolutione huius quæstionis pendet decisio multorum casuum; ideò assero præter nouam formam, circa causæ approbationem Summum Pontificem non condere nouum ius in hac Bulla. Ita Sousa in Explic. huius Bull. fundam. 1. nu. 8. & §. 3. numer. 72. Ortiz in summ. cap. 5. num. 10. Valerus in suis differ. vtriusque fori, ver. munera, n. 1. vbi sic ait. Hæc Constitutio non est edita ad nouam disciplinam, nouamque religionis obligationem imponendam, vel ad nouum ius introducẽdum, & nu. 21. Apparet hanc Constitutionem non esse iuris noui introductiuam, sed reformatiuam, & iuris communis restitutiuam, & eidem conformem. Quare quidquid ante hanc Constitutionem licebat, & dari iustè poterat, & nunc licet, & dari potest. Quidquid nunc non licet, nec ante licebat. Idem etiam asserit n. 73. & nu. 98. Idem docet Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 3. dub. 1. concl. 3. vbi sic asserit. Clemens VIII. in sua Bulla multa vetat Religiosis circa largitionem munerum, quę tamen omnia, exceptis pœnis impositis continentur in iure communi antiquo. Sic ille. Ita etiam docet Paulinus Berti in explic. huius Bullæ, p. 2. cas. 3. in fine, fol. 418. colum. 1.

Solùm igitur, vt dixi, Pontifex in hac constitutione inducit nouam formam circa causæ approbationem. Itaque cognitio, & determinatio, quæ sit iusta causa, ad munus aliquod largiendum per Religiosum superiorem, vel inferiorem, siue per aliquem Conuentum, solum spectat, & reseruatur hodie per hanc Bullam generali Capitulo. Vnde colligitur Generalem, licèt habuerit à Capitulo generali omnem potestatem Capituli generalis intra annum, seu annos, non posse se intromittere in cognitionem, & determinationem, quæ sit iusta causa ad munus aliquod largiendum; in casu aliquo occurrenti.

Ex his patet, quot scrupuli orirentur, & quot conscientiæ inuenirentur illaqueatæ, si hæc Constitutio esset vsu recepta in Religionibus. Nam vigore istius Bullæ, nullus Superior, nec vllus Conuentus potest ex causa, quantumcumque iusta dare licentiam alicui Religioso ad dãdum munus aliquod, nisi causa ipsa cognoscatur in Capitulo generali, & vnanimi omnium consensu ibidem approbetur, quæ quidem omnia credo ferè in omnibus Religionibus non obseruari, etiam in obseruantibus. Dicendum est igitur, vt suprà notauimus, hanc Constitutionem non esse vt plurimum apud Religiosos vsu receptam, & approbatam, saluo semper, &c. Sed ex ista quęstione oritur alia, quæro igitur.

An cognitio quantitatis muneris largiendi, spectet etiam ad Capitulum generale?

RESOL. XIII.

REspondeo negatiuè; nam ad ipsum (vt suprà diximus) spectat tantum cognitio, & determinatio iustæ causæ dãdi munus. Quare cum à iure communi non sit recedendum, nisi quatenus nouum cogit; dicendum est sub censura Sedis Apostolicę, cognitionem, & determinationem ad eosdem Conuentus, & Superiores spectare, & eorum arbitrio relinqui quantitatem doni largiendi, cum contextu Bullæ non determinetur, quòd sit munus notabile, & quod leue siue munusculum. Et sic Capitulum generale Dominicanorum anno 1596. declarauit iustas causas largiendi munera, non autem quantitatem eorum. Hæc omnia inuenies apud Valerum vbi suprà n. 49. & 50. Et quia codex rarus est, & auctor doctissimus, aliqua ex ipso libenter adducam. Si scire cupis causas approbatas à dicto Capitulo Dominicanorum, hæc sunt. Prima est gratitudo. Secunda, conciliatio beneuolentiæ, aut eiusdem conseruatio,

in ordine tamen ad Religionem, vel Conuentum, vel in ordine ad bonum finem resp: ctu sui ipsius. Tertia pietas in parentes, & consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiuè. Quarta redemptio vexationis. Sed declaranda sunt aliqua circa quantitatem ipsam munerum: quæritur igitur.

Quanti valoris debeant esse munera, vt licitè fiant, & non sint contra hanc Constitutionem?

RESOL. IV.

PRælatos regulares posse sibi, & suis concedere licentiam donandi vsque ad decem aureos pro causa pia, & rationabili, v.g. pro pauperibus, pro nuptijs cognatorum, pro gratificatione beneficiorum, &c. testantur Fagundez de præcept. tract. 2. lib. 8. c. 6. n. 12. Cord. in sum. q. 54. Lop. p. 1. instr. c. 152. Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 3. p. dub. 1. n. 163. cum alijs.

Sed cum hoc à iure non sit determinatum, neque in hac Cõstitutione Summ. Pontifex aliquid decernat, arbitrio Superiorum hoc esse relinquendum, puto, qui pensatis conditionibus Religiosi volentis donare, & eius, cui fit munusculum, & pensata causa, ob quam fit, & etiam vtilitate, quæ ex dicto munusculo obuenire potest Religioso, vel Monasterio, considerata etiam facultate ipsius Monasterij, poterit minorem, aut maiorem facultatem dare in quantitate, & qualitate munusculi. Ita Hieronymus Cenedo de paupertate Religiosa, dub. 26. num. 6. concl. 2. Sanchez in summ. to. 2. lib. 7. c. 19. n. 42. Azorius p. 1. lib. 12. q. 4. & Suarez de Relig. to. 3. lib. 8. c. 15. num. 13. cum Valero vbi sup. n. 65.

An si Religiosus sine licentia sui Prælati, præbeat munusculum duorum aureorum, incidat in pœnas huius Constitutionis?

RESOL. V.

REspondeo, peccatum quidem furti admittere, non autem incurrere in pœnas huius Constitutionis. Et ita viuę vocis oraculo declarauit Clemens ipse VIII. Claudio Aquauiuæ Generali Religion. Societat. Iesu, & ego habui à Patribus dictæ Societatis transumptum Epistolæ supradicti Generalis transmissæ ad P. Petrum Gambacurta Panormitanum sub die 2. Martij 1596. in qua declaratio supradicta Pontificis ponebatur. Et hoc etiam testatur multi DD. qui scripta sua typis mandarunt postea, lii sunt Molsesius in summ. tom. 1. tractat. 7. cap. 20. num. 56 Filliuc. tom. 2. tract. 34. c. 3. quæst. 9. num. 65. & nouissime Homobonus de bonis in exam. Eccles. p. 1. tract. 7. c. 30. quæst. 123. cum aliquibus, quos tacito nomine citat Scortia in Bull. Pont. epitom. 158. theorem. 396. Et ratio declarationis Pōtificis forsitan fuit; quia communiter summa duorum aureorum io iure dicitur summa modica, vt patet ex l. si oleum, 15. fin. iuncta l. seq. vbi Gloss. de dolo, cum Felino in cap. interfecisti de homic.

An Monialis, seu Religiosus cum licentia sui Prælati possit facere amico, seu cognato Corporalia magni valoris, vel picturam, & non incidere in pœnas huius Constitutionis.

RESOL. VI.

NEgatiuè forsitan aliquis respondebit, quia quidquid acquirit Monachus ex sua arte, vel industria, acquirit Monasterio, ergo, &c. Secundo, qui nequit dare, nec gratis potest remittere, sed Religiosus, & Monialis non possunt dare, ergo neque remittere.

Sed ego cum Bonac. in tract. var. disp. 3. punct. 1. nu. 5. Scortia in Bull. Pont. epitome 158. theorem. 396. Ioann Valero vbi supr. num. 66. & seq. affirmatiuam sententiam sustinendam esse puto. Dico igitur, quando ad faciendas illas res, amicus, seu consanguineus submittat omnia necessaria, & eius sumptibus de licentia Prælati efficiuntur, vel cum antequam fiant, Prælatus dat licentiam, vt fiant pro tali amico, tunc licet necessaria accipiantur e Monasterio, posito quòd sint parui valoris, puto in vtroque casu Religiosum, seu Monialem, posse gratis efficere illam picturam, seu Corporale, vel aliam rem. Et ratio est, quia tunc non agitur de alienanda, seu donanda re, quæ sit Monasterij, sed tantum de non acquirendis, quo in casu Prælatus potest præiudicare Monasterio, vt communis fert Doctorum sententia, & probat Sanch. de matrimonio to. 1. lib. 6. disp. 4. nu. 13.

Secundo probatur, quia Clemens VIII. in ista Bulla prohibet tantum largitionem munerum de pecunijs, vel alijs rebus, iam Monasterio acquisitis, & decernit esse faciendam restitutionem de muneribus, contra hanc Constitutionem factis. Sed cum restitutio supponat ablationem, & in casu, de quo agimus, nulla fiat ablatio pretij illius rei, quæ gratis efficitur, cum nunquam datum fuerit, nec debeatur. Ergo de hoc genere liberalitatis, & muneris non intellexit Pontifex in ista Bulla aliquid prohibere.

Ad primum argumentum respondetur, verum esse quicquid acquirit Monachus, Monasterio acquirere. Sed nego opera facienda ab ipsis Religiosis non posse confici gratis, de licentia tamen sui Superioris, impensis alienis. Et ratio est, quia ergatalia opera nullum ius acquisitum Monasterium habet antequem efficiantur, nec habet ius ad rem, quia non adhuc sunt in rerum natura, & ideo in talibus potest (vt diximus) Superior ipsi Monasterio præiudicare.

Sic etiam responderi potest ad secundum argumentum dicendo, tunc qui nequit donare, non posse gratis remittere quod debetur, quando aliquid est dubium. Sed in nostro casu est diuersa ratio. Nam nos loquimur de remissione illius, quòd adhuc debetur, & sic est casus diuersus. Notandum est tamen, doctrinam huius resolutionis non esse applicandam, quando Religiosus facit primo picturam, v. g. sumptibus Monasterij. Nam in hoc casu verum est, non posse Monachum rem illam multi valoris, etiam de licentia Superioris, donare, quia tunc res est ipsius Monasterij, quod iam habet ius acquisitum erga ipsam; & ideo sic faciendo, & donando contraueniret huic Bullæ.

An Religiosus possit dare leniora alterius generis, licet non sint de leuibus comestilibus, & ad deuotionem pertinentibus concessis in hac Bulla, & an casus excepti in hac Bulla extendantur ad alios similes.

RESOL. VII.

NEgatiua sententia suaderi potest ex illa vulgata regula iuris, quòd casus exceptus firmat regulam in non exceptis; sed in hac Bulla excipiuntur tantum leuiora comestibilia, & ad deuotionem pertinentia. Ergo excluduntur omnia alia.

Sed ego puto cum Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 5. concl. 3. num. 3. & Filliucio tom. 2. tract. 34. num. 71. posse Religiosos dare etiam leuiora alterius generis. Ratio est, quia quoties in aliqua regula excipiuntur aliqui casus, etiam casus similes consequenter manent excepti. Vnde ex multis Euerardus in suis topicis legalibus loco à natura dictionum taxatiuarum, num. 4. Anton. Gomez tom. 1. var. cap. 11. nu. 12. & alij probant dictionem taxatiuam non excludere casus similes, in quibus eadem ratio militat. Item leg. fin. C. de reuocandis donat. decernitur, quòd per solas quinque causas potest reuocari donatio, & tamen commun. Doctorum sententia docet posse quoque ex alijs grauioribus, aut æquè grauibus: Ita Glossa ex leg. fin. ver. voluerit, Abbas in c. fin. n. 3. de donat. Nauarr. tom. 4. num. 48. de Regul. seruantes leg. 6. Iaceni n. 49. Syluester ver. donatio. 1. quæst. 13. n. 17. Gomez to. 7. var. cap. 4. n. 14. Molina de Primog. Hisp. lib. 1. c. 9. nu. 32. Lessius de Iust. lib. 2. cap. 8. dub. 14. num. 104. cum multis alijs, quidquid in contrarium afferat Molina Theologus de iust. tom. 2. disp. 281. ver nobis vero, & Rebellius p. 2. lib. 18. q. 9. n. 8. Et ratio est, quia cum lex non possit excipere omnes casus exceptione dignos, ponit aliquos loco exemptorum.

Dicendum est igitur, quòd licèt Summus Pontifex in hac Bulla interdixerit munera à Religiosi dari, præterquam in casibus hic exceptis; tamen ex doctrina superius adducta casus excepti debent extendi ad similes, in quibus eadem vel vrgentior ratio militat. Et hanc opinionem præter Ioann. de la Cruz citatum,

citatum, tenet etiam Sousa in exposit. huius Bullæ, fundam. 5. n. 38. 39. 40. & nouissimè Scortia in Pontif. Constit. Epitom. 158. theorem. 396. quod est maximè notandum ad multos scrupulos depellendos.

Ad argumentum verò in contrarium; supra adductum, potest quis respondere, regulam illam iuris, quod casus excepti firmant regulam in non exceptis, intelligendam esse de casibus non exceptis.

An Religiosus, qui non acceptat aliquod donum, sed rogat, vt detur amico, seu consanguineo suo peccet contra paupertatem, & contra hanc Bullam?

RESOL. VIII.

Affirmatiuè respondet Hieronymus à Sorbo in compend. Priuil. in exposit. huius Bullæ, fol. mihi 194. vbi sic asserit. Prohibetur Religiosi donare quouis modo, siue directè, siue indirectè. Vnde si quis, vel si qua diceret suis consanguineis, vt quod vellent sibi donare donarent tali suo nomine, non posset fieri, cum sic esset donare indirectè. Ita ille. Probatur hæc opinio. Nam si hoc non est dare indirectè, quid quæso, per indirectam donationē debet intelligi; Deinde in l. 2. ff. de calumn. ita habetur, *non refert, an ipse pecuniam acceperit, an iusserit dari*.

Sed mihi, saluo semper meliori iudicio, contraria opinio probabilior videtur. Dico igitur, si Religiosus solum se habeat, vt intercessor apud Ioan. v. g. vt ipse Ioannes nomine suo det Petro aliquam rem, non peccabit contra votum paupertatis, & contra nostram Constitutionem. Ita Peirin. de Relig. to. 1. c. 2. q. 2. § 4. Fagundez de Præcep. tract. 2. lib. 8. c. 6. nu. 18. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. dub. 32. n. 6. Scortia in Bull. Pont. epitom. 158. theor. 397. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 5. c. 7. num. 16. Filliucius in q. mor. to. 2. tract. 34. c. 3. q. 8. n. 62. Bonac. de contr. disp. 3. q. 12. punc. 1. num. 6. Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. q. 213. Sanch. iter. in summ. to. 2. lib. 7. c. 19. Galetti in marga. cas. consc. ver. Relig. n. 9. Naldus in summ. ver. Relig. nu. 11. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 15. nu. 45. Rodriqu. in exer. spir. p. 3. tract. 3. c. 15. Turrian. in 2. 2. to. 1. disp. 85. dub. 3. Sanch. de matr. to. 1. lib. 6. n. 7. Cenedo de pauper. Relig. dub 29. nu. 4. Gratia. in suis discep. forens. to. 2. c. 202. num. 17. & ante omnes Sousa in expl. huius Bullæ, §. 3. nu. 73.

Et ratio est clara, & manifesta, quia Religiosus, tunc peccat contra paupertatem, quando disponit de aliqua re sua, vel Religionis sine consensu, & facultate superioris. Sed in prædictis casibus hoc non accidit, vt constat ex proposita specie facti. Nam solum petit Religiosus à sæculari, vt rem aliquam donet alteri, de qua re ipse Religiosus non acceptat neque tacitè, neque expresse vllum dominium, & potest ipse sæcularis semper si velit, non dare. Ergo, &c.

Deinde Religiosus, seu Monialis non potest donare, tamen ex hoc non sequitur, quod non possit petere ab alio potente donare, vt donet; potest enim prohiberi primum, & non secundum. Ergo licèt Religiosus non possit donare, tamen poterit ab aliquo sæculari potente donare, petere, vt aliquid alicui donet. Sic Turrianus. Nam valet dicere quod in nostro casu Religiosus dicitur donare indirectè. Nam vt benè obseruat Sanchez, & Cenedo vbi supra, tunc dicitur donatio indirecta, quando adest tacita acceptio, quia & in donatione indirecta præsupponitur dominium, & quando etiam adest iussus, vt donans tradat alteri, quod neutrum est in nostro casu, quia Religiosus, neque expressè, neque tacitè acceptat dominium alicuius rei, & non iubet, sed rogat, & se habet vt diximus tanquam intercessor. Ergo &c. Vel secundo dicendum cum Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 2. dub. 5. quod donatio indirecta in hoc decreto Clemen. VIII. vetita dicitur, v. g. si Religiosus mutuet, animo non repetendi mutuum, vel dicendum tertio, cum Sanch. & Cenedo loc. cit. illa verba *directè, vel indirectè*, opponi, vt Religiosi intelligant, vt cum Hispanè dicitur; *nios passe por el pensamiento el hazer esto*. Ex his patet responsio ad primum argumentum.

Ad secundum, respondetur cum Cenedo, [que en à quella ley, se induce vna tacita acceptacion, porque el mandat que lo de à l'otro importa, y suppone que ya fue adquirida la cosa para à quel, que mando darla.] Iussio enim, vt alteri detur importat rem prius iubenti esse acquisitam, & verbum *iuberi* importat necessitatem, vt notat Albericus in suo Diction. ver. Iubere & constat ex leg. 1. ff. quod iussu. Sed in nostro casu, non iubetur, sed rogatur, ita vt quemadmodum supra diximus, possit sæcularis rogatus rem illam non dare. Ergo, &c.

Ex his apparet, me olim rectè respondisse. Monialem, quæ rogauerat matrem, vt daret alteri certam pecuniarum summam, non nomine ipsius Monialis, sed nomine suo, non fregisse votum paupertatis, neque prohibitionem Clement. VIII. de largitate indirecta munerum. Et ita tunc senserunt multi viri docti ex nostra Religione, & Societate Iesu à me de hac re consulti.

An Religiosus qui celebrat aliquot Missas ad intentionem alicuius amici, sciens dictum amicum stipendium pro illis accipere, peccet contra paupertatem, & includatur in Bulla Clementis VIII.

RESOL. IX.

Negatiuè respondet ex auctoritate P. Francisci de Sousa in explication. huius Bullæ, §. 3. num. 74. in fin. vbi asserit. [Non seria contra esta ley dezir tantas Missas, por la intencion de vno, aunque entienda se ha el de aprouechar de la pitansa, porque en este caso, nada se da que no sea meramente spiritual, lo qual entiendo, si no està obligado à celebrar por il Conuento.] Sic ille.

Notandum est tamen, stante Bulla, non posse Religiosum, de sola licētia sui Superioris donare ea, quę acquisiuit ex eleemosynis Missarum, quas sibi intra annum Conuentus, siue Religio concedit; nam est dispar ratio inter hos duos casus, & ita docet Io. Valerus in different. vtriusque fori, ver. munera num. 75. licet ipse sententiam negatiuam huius secundi casus, vocet tātum probabiliorem. Ergo posset aliquis dicere affirmatiuam ex mente eiusdem Valeri, esse probabilem, sed de hoc ego dubito, cogita.

Parentes Monialium, vel Religiosorum præbentes illis magnam pecuniarum summam, ad eorum, cui libuerit, beneplacitum dispensandam, reseruando tamen pro se dominium, quæritur, an dictæ Moniales illas dispensando, peccent contra paupertatem; & incidant in Bullam Clementis VIII.

RESOL. X.

Negatiuam sententiam amplectendam esse putat Sousa, vbi supra in explicatione huius Bullę, §. 2. nu. 73. vbi ita ait. [La misma razon corre de lo que se diesse alos Religiosos, para que lo puedan gastar en su vtilidad, o en la de quien ellos quiesieren, reseruando siempre en si el verdadero dominio, expressa, o tacitamente, porque entonces, el Religioso no es mas, que mero ministro del verdadero Señor, y no da cosa que pertenezca a la Religion.] Ita ille, & idē etiam docuit infra in §. 4. num. 78.

Ex his haberent Confessarij principium satis amplum, ad tollendos scrupulos, & adhibenda multa remedia in casibus occurrentibus; nam si Monialis, vel Religiosus de illis pecunijs; seu donis non recipiat dominium, sed illud apud dantem consanguineum, seu amicum relinquat, tunc potest sine vllo scrupulo de illis rebus disponere in personam Confessarij; vel alterius personæ; se habetet enim in hoc casu tanquam minister consanguinei, vel amici, cuius est illa pecunia. Sed hæc opinio, cum loquatur de vsu absoluto pecuniæ, videtur aliquibus, & mihi nimis laxa, & contra perfectionem Religiosæ paupertatis: si verò loquatur de vsu determinato ad eleemosynam, vide Resol. 33.

An

An Bulla Clement. VIII. prohibens largitionem munerum, locum sibi vendicet, si Moniales, vel Regulares, dent eleemosynam?

RESOL. XI.

REspondeo negatiuè, cum Riccio in Praxi, tom. 2. Resolut. 25. & Sousa in explicat. huius Bullæ, §. 7. num. 91. & quia Codex rarus est, ponam eius verba. [Esta ley trata solamente de donaciones gratiosas, y el dar limosna, no es propriamente donacion gratiosa, y ansi el hazerla los Religiosos se ha de cõdenar, ò approbar conforme al derecho comun.] & in §. 1. nu. 64. ponit Doctor iste aliqua verba conducentiam ad hunc casũ & multos alios decidendos, & sunt ista. [Nota, que el titulo desta Constitucion es de solas donaciones gratiosas, y solo el absolue infinitas dudas, que algunos han preguntado, y en special Religiosas, ansi como, si les vesta esta ley el hazer algunas fiestas que tienen deuocion, y gastar en traer musica, o con el Predicador, ò en sustentar a los que las visitan, y gouiernan, o en hazer otros ministerios, en vtilidad del Conuento en comũ, de alguna Religiosa en particular, de los qual no trata esta ley, porque todas estas cosas, y otras como ellas, no se comprenden de baxo del nombre, de donacion, si no de satisfacion.] Hęc ille, quæ sunt admodum notanda, quia multum practicabilia, & nos de hac quæstione supra etiam diximus.

Quotnam sint fines, seu causæ finales huius Constitutionis Clementis VIIII.

RESOL. XII.

QVatuor esse, respondet Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Relig. lib. 8. quæst. 208. Homobonus in exam. Eccles. parte 1. tract. 9. cap. 5. quæst. 10. Filliucius to. 2. tract. 34. cap. 3. quæst. 6. Paulinus Berti in explicatione huius Bullæ, parte prima principali, fol. mihi 414. tom. 1. & ante illos Hieronymus à Sorbo in Compend. Priuil. Prima, vt Religiosa disciplina labefacta, in pristinum restituatur, & quæ incolumis permanet, cõseruetur. Secunda; vt votum paupertatis integrum seruetur. Tertia, ne bona Monasteriorum, vel quorumcumque Regularium dilapidentur. Quarta, ne praua ambitione compulsi Religiosi, pro consequendis officijs alter alterius, gratiam, vel protectoris seu aliorum beneuolentiam aucupentur.

Sed hanc sententiam, quod patrem, & meritò impugnat Ioãnes Valerus in Diff. vtriusque fori, ver. munera, n. 20. 23. & 82. Granado in p. 2. contr. tract. 3. p. 2. disp. 15. sect. 3. n. 18. cum Patre Sousa in Expos. huius Bullæ, fundam. 5. n. 34. vbi sic asserit. [El obuiar los grãdes daños, que se siguen de la dissipacion del patrimonio de Christo, y el soborno para alcãzar officios, y dignitate, son las razones fundamẽtales desta ley. De lo qual se sigue, que no hablò p opriamente Fray Hieronymo a Sorbo en señalar pro primera razon fundamental la obseruantia regular, porque esta no es causa proxima, sino commũ de todo quãdo se manda a los Religiosos; y mucho menos, exponer por secunda razon, la guarda del voto de la pobreza determinadamente, si no entienda del abuso notabile cerca deste voto, o del quebrãtamiento del, en cosa graue, porque la Constitucion no vsa del termino *voto de pobreza*, ni se hallara en toda ella, y no quebrantandole, de vna de las maneras dichas, no se siguen grandes daños, y incommodo, como la ley declara, y de señalar por causa fundamental, la guarda del voto de la pobreza indeterminadamente; como este author haze, podrian nacer muchos escrupulos, y inconuenientes.] Ita ille.

Non rectè igitur DD. citati, adduxerunt quatuor causas finales huius Constitutionis; duas enim esse, dicendum est, nempe ne bona Monasterij dilapidentur, & ne detur ambitionis occasio, quod summopere notandum est: nam ex isto principio, multæ dubitationes benigne resoluendæ sunt. Vnde non bene aliqui hanc posteriorem sententiam olim nolebant admittere, est enim probabilissima, & illam præter DD. citatos, tenent etiam multi viri doctissimi, de hac re a me consulti, tam ex Societate Iesu, & ex Dominicanorum familia, quam ex nostra Religione,

Quenam esculenta, & poculenta possit Religiosus largiri, in terminis huius Bullæ Clem. VIII. & ad quem valorem ascendere possint.

RESOL. XIII.

VAlorem esculentorum, & poculentorum, quæ in hac Bulla conceduntur, non debere superare quantitatem, quæ in furto inducit peccatum mortale, docet Bartholomæus à S. Fausto in Thes. Relig. lib. 8. quæst. 218. & Paulinus Berti in explicat. huius Bullæ, in 10. casibus suppositis post part. 2. principalem, & putant, hanc quantitatem non debere excedere valorem trium Iuliorum; Vide etiam Fabro de restit. in 4. sent. dist. 15. qu. 1. disp 45. c. 5. num. 122. Igitur secundum hoc Authores, esculenta, & poculenta, non sumuntur in hac Bulla, in significatu in quo sumuntur, & explicantur, in multis locis canonum, & iuris communis.

Sed meritò contrariam sententiam docet Sousa in Expos. huius Bullæ, §. 4. num. 80. & 30. Bonacina in tract. var. disp. 3. tract. 1. nu. 9. & Valerus in Differ. vtriusque fori, ver. munera, diff. 1. num. 59. vbi sic ait; Quæ autem dicantur leuiora esculenta, & poculenta, in hac Bulla, deduci potest ex cap. statutum, §. insuper de Rescrip. in 6. nimirum quæ paucis diebus consumi possunt, vbi Glossa ver. Paucis addit, hoc arbitrio boni viri relinquendum, cum aliter non determinetur habita consideratione personæ dantis, & personæ recipientis, vt in c. etsi quæstiones, de Simon.

Et ita ego hanc secundam sententiam puto probabiliorem, quia vt supra notatum est, hæc Bulla non est iuris noui inductiua, sed reformatiua, & iuris communis restitutiua, & eidẽ cõformis, quare quicquid ante hanc Constitutionem licebat, & non licet, & dari potest; & è contra quicquid nũc non licet, nec ante licebat; ex quibus apparet esculenta, & poculenta huius Constitutionis, intelligenda esse secundum terminos iuris communis.

An Religiosi recipientes in Monasterijs aliquem non occasione transitus, vel deuotionis, sed recreationis causa, incidat in pœnas huius Constitutionis Clement. VIII.

RESOL. XIV.

AFfirmatiuam sententiam docet Bartholomæus à S. Fausto in Thes. Relig. lib. 8. quæst. 224. num. 5. Sorbo in compen. ver. Date, in explicat. huius Bullæ, & Paulinus Berti etiam in explicat. huius Bullæ, in 10. casibus post part. 2. principalem, cas. vlt. & nouissimè Bonacina in tract. varijs, disput. 3. punct. 1. num. 12.

Sed tu contrarium tene cum Francisco Sousa in Expos. supradictæ Bull. §. 7. nu. 91. vbi ita ita [Nota que, de señalar la ley, tres causas de venir los seculares a los Conuentos, no se sigue que si vinieren por otras, no se podra hospedarlas, la vno porque, aquellos casos son exemplos, y en los semejantes corre la misma razon y lo otro porque no esta en aquello la fuerza, ni intento de la ley, sino en euitar gastos sumptuosos, y excessiuos, y ordenar se exercite la hospidalidad con moderacion religiosa; y como esto se guarde, poco importa, que el huesped venga al monasterio per vna de aquellas, ò por otra, aunque sea por solo yrse a recrear con los Religiosos.] Ita ille. Vnde, apparet, quam benigne, & satis probabiliter hic Auctor explanet in hac Bulla mentem Pontificis contra aliorum rigidas expositiones.

An donatio remuneratoria sit prohibita in hac Bulla, ita vt Religiosus, seu Monialis largiendo aliquod donum in remunerationem, contraueniat huic Constitutioni.

RESOL. XV.

PRo parte affirmatiua, non desunt rationes, quia Summus Pontifex in hac Bulla prohibet Religiosis largiri dona, ex quacumque causa. Deinde Pontifex prohibet donationes indirectas, ergo prohibet donationes remuneratorias, quæ sunt donationes indirectæ. Nam, si non prohiberet has donationes, minimè prouideret de sufficienti remedio, in ordine ad bonum

num

num commune Monasteriorum, quod quidem prouidere intendebat: quia sub titulo remunerationis Prælati, & Religiosi facile bona Monasterij largiendo notabiliter distraherent, ergo, &c. secundo, probatur hæc sententia, nam donatio inter virum & vxorem est prohibita, vt patet ex cap. finali, de donat. inter virum & vxorem Bartol in l. quod meo, & ibi Alexander, ff. de acquir. possess. Anton. Gamma tom. 2. variarum Resolut. cap 4 num. 23 & stante hac prohibitione, non valet inter ipsos coniuges donatio remuneratoria. Ita Pinellus de bonis matern. lib 2. p. 3. num. 61. & 62. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 9. l. 3. Gloss. 6. num. 3. cum alijs.

Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse iudico. Dico igitur quod quando prohibetur donare simpliciter, vel sub conditione, vel sub modo, eo ipso non prohibetur donare ob merita quæ præcesserunt, nam donatio antidoralis, quę dicitur remuneratoria, non est propriè, & strictè donatio, vt aperte colligitur ex l. Artilius Regulus, ff. de donationibus Et ratio est, quoniam qui donat gratis omnino, liberaliter donat, sed remuneratoria donatio fit propter beneficium, quo aliquis bene de nobis meritus est; efficitur ergo hæc donatio de re ex gratitudinis virtute, moralique honestate debita, & de hac causa non debet computari inter simplices donationes. Ita Homobonus in exam Eccles. part. 1. tract. 1. cap. 6 quæst. 28. Valerus vbi supra ver. donatio, diff. 2. n. 3. Io. de la Cruz in direct. Consc. p. 1. præcep. 7. art. 2. dub. 2. Azorius part. 3. lib. 11. c. 1. q. 4. & c. 2. q. 3. Molina de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 244. n. 3. & communiter Iurisconsulti, & Theologi, & in terminis nostræ Bullæ, ita etiam docuit *Hieronymus* de Cenedo de Paupertate Relig. dub. 27. per totam. Bartholomæus a S. Fausto in Thesaur. Relig. lib. 8. quæst. 227. nu. 4. Riccius in Praxi to. 1. & in 3. p. decis. 227. n. 4. Bonacina de contract. disp. 3. quæst 12. punct. 1. nu. 6. Paulinus Berti in exposit. huius Bullæ, qu. vlt. cas. 7. Ioan. Valerus in differ. vtriusque fori, ver. munera, num. 97. Rodriquez in quæst. Regul. p. 1. quæst. 27. art. 6. Scortia in Constitut. Pont. Epitom. 158. Theorem. 396. Peirinus de Relig. tom. 1. cap. 2. quæst. 1. §. 6. & ante omnes Sousa in Expos. huius Bullæ, § 1. nu. 65. & 66.

Restat modo respondere ad argumenta contraria. Ideo ad primum respondeo. Pontificem in hac bulla prohibere illas donationes indirectas, quæ sunt in præiudicium Monasterij: & tales non sunt donationes remuneratoriæ, sed potius in vtilitatem, & bonum ipsius Monasterij: quia hæ donationes conferuntur propter beneficia, & vtilitatem receptam, & incitant benefactores ad magis in posterum benefaciendum. Ex quibus patet, licitas esse munerum largitiones, quæ fiunt benefactoribus Monasteriorum, & etiam ijs qui sperantur aliquando posse benefacere, quia similes largitiones dantur ad lucrum, siue (si ita loqui licet) ad vsuram, & potius in commodum quam in damnum Monasteriorum redundant, quod nota, quia quotidianum.

Ad secundam exploditur sententia illorum DD. vt rectè probat Sanchez de matrim. to 1. dub. 6. disp. 6. n. 11. & sequen. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 76. dub. 6. Cenedo vbi supra, num. 18. & alij, qui communi calculo asserunt valere donationem inter virum, & vxorem, si donatio remuneratoria sit; sed quia tales donationes remuneratoriæ a Religiosis factæ, possunt esse vltra merita, & excedere beneficia recepta, quæritur modo.

An Religiosi, & Moniales possint largiri, non solum dona æquipollentia meritis, sed etiam vltra.

RESOL. XVI.

Negatiuè videtur respondendum. Nam donatio remuneratoria debet meritis ęquipollere, & in eo excessu est donatio simplex. Ita doctissimus Io. Petrus Surdus in suis Consilijs, lib. 2. cons. 164. num. 33. DD penes ipsum, & probatur in l. si sponsus, § circa, ff. de donat. inter vir. & vxor. vide etiam Parisium lib. 3. cons 60. num. 14. Cassaneum consil. 7. num. 11. Menoch. de arbit. iudicum, cas 132. num. 5. & alios.

Sed quia, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 6. gratitudinis lex postulat, semper plus reddi quam sit acceptum, ideo in terminis nostræ Constitutionis puto cum Io. Valero, vbi sup. num. 97. Religiosos, seu Moniales non solum posse quantum satis est ad satisfaciendum obsequijs & muneribus acceptis, sed etiam aliquid vltra arbitrio boni, & cordati viri donare. Et pro hac sententia, Valerus citat Cordubam, & Nauarrum, & illam nouissimè tenet Cenedo, & Sanchez vbi supra.

Et vt aliquid in particulari ad tollendos scrupulos dicamus; puto donationem remuneratoriam non esse contra Constitutionem Clementis, quando excedit valorem meritorum & beneficiorum, in quarta parte, Vt si v. g. merita valeāt 12. & à Religioso, seu Moniali donentur sexdecim, sic tenet Barbosa in leg. quo datis 34. numer 60. ff. soluto matrim. & Nauarrus de Reddit. quæst. 1. num. 91. & probabilem hanc opinionem vocat Sanchez de matrim. to. 2. lib. 6. disput 6. num. 9. & post illum Hieronymus Cenedo de paupertate Religiosa, dub. 17. nu. 13.

Ad Doctores pro contraria senteotia citatos, respondendum est, intelligendos esse in casu, in quo excessus donationis remuneratoriæ esset nimius, in illo enim esset liberalis & simplex donatio. Ex his patet, me olim rectè respondisse ad dictū casum.

An Moniales cum licentia Abbatissæ, seu Prælati possint præbere Confessario, vltra iustum stipendium assignatum, aliquid amplius.

RESOL. XVII.

Respondeo affirmatiuè si seruiat cum magna charitate, patiētia, assiduitate, &c. Ita in terminis Scortia in Bull Pont. Epitome 158. Theorem 395. Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Religiosorum, lib. 8. quæst. 227. num. 7. vbi sic ait. Quando famuli pro certo salario inseruiunt monasteriorum magna fidelitate, his etiam vltra salarium iustum potest dari aliquid amplius, quia non est propriè donatio, sed beneficij remuneratio. Sic ille, & ante illum hoc etiam docuerat Paulinus Berti in explicat. huius Bullæ, quæst. vlt. cas 6. fol. 423. Sed hæc omnia, & similia limita, & intellige, nisi præcepto Superioris arctata sit in hoc eorum facultas, & vide infra Resol. 23.

An si Religiosus largiatur munera alteri Religioso, incidat in pænas huius Bullæ.

RESOL. XVIII.

Videtur respondendum affirmatiuè, quia in hac Constitutione prohibentur largitiones munerum inter ipsos Religiosos, & ita tenet Bartholomæus a S. Fausto in Thesaur. Relig. lib. 8. quæst. 209. num. 2. & Paulinus Berti in explicat. huius Bullæ, p. 1. fol. 414. col. 2.

Sed ego puto, quod si in Religiosis nullus subest ambitionis metus, non esse inter ipsos largitionem munerum prohibitam: & colligitur apertè ex verbis Bullæ, ibi, *ne praua ambitione impulsi*. Vnde Religiosus qui alteri Religioso præberet munera sine vllo ambitionis intentu, non includeretur sub hac prohibitione. Nam, vt diximus, hæc prohibitio fundatur in præsumptione ambitionis, vnde si ea cesset cessabit etiam prohibitio, saltem in foro conscientiæ, lex enim fundata in presumptione, non obligat in foro conscientiæ si præsumptio deficiat. Et ita in terminis nostræ Bullæ resoluit hoc quæsitum Io. Valer. in differ. vtriusque fori, verb. munera, num. 82. vide supra Resol. 13.

An Religiosus de annuis redditibus, ex Superioris licentia ad suum vsum concessis, sine aliqua restrictione possit liberè parcius viuendo, alijs donare.

RESOL. XIX.

Minimè videtur ex textu huius Bullę, vbi Summus Pontifex solum concedit Religiosis largiri munuscula. Et ita tenet Azorius in terminis nostræ Bullę, par. 1. li. 12. cap. 9. quæst. 6. Faustus in Thesauro Religios. lib. 8. quæst. 154. nu. 3. & Sanchez in summa, tom. 2. lib. 7. cap. 91. num. 105.

Sed affirmatiuam sententiam probabilem esse indico, cum licentia saltem tacita sui Superioris Et ratio est, quia hæc Bulla prohibet tantum largitiones munerum, ex quibus grauia incommoda, & mala Monasterijs inferuntur. Sed donatio eorū, quæ Religiosi parcius viuendo largiuntur, non affert multum damni Monasterio, vt patet: ergo &c. Probatur minor. Nam in tali donatione, Religiosus nullum damnum infert Monasterio, sed genio suo, & ventri, & condecentiæ suæ personę, cui hæc detrahit, & parce viuendo aufert. Ideo ex hac opinione

datur

datur occasio Religiosis, vt libentius frugalitati, & moderato sumptui assuescant, dum sciunt ea, quæ de sibi necessarijs detrahunt, posse licitè parentibus, & alijs de se benemeritis donare, & in alijs licitis operibus expendere. Et ita hanc sententiam in terminis nostræ Bullæ sustinet, & docet Ludouicus Beia in respons. cas. consc. p. 4. cas. 32. Hieronymus Cenedo de Paupert. Relig. dub. 32. nu. 9. & 15. & dub. 17. n. 9. & Io. Valerus in differ. vtriusque fori, ver. munera, n. 73. qui addit aliam rationem; nam vt diximus suprà, in ista Constitutione, non redditur illicita illa largitio munerum, quæ ante ipsam erat licita; sed largitiones munerum a Religiosis, qui parcius viuebant ante hanc Constitutionem erant licitæ, ergo erunt & modò. Ex quibus apparet me rectè olim consuluisse cuidam Religioso extra claustrum moranti, cui certi annui redditus, sine vlla restrictione à suo superiori assignati fuerant, potuisse sine vllo scrupulo donationes decentes facere, & aliquas eleemosynas largiri.

Ex his porrò apparet, quod non rectè aliqui hanc sententiam his diebus, noluerunt admittere; est enim probabilis, & illam præter Doctores citatos docent etiam multi viri docti de hac re a me consulti, ex Societate Iesu, & ex nostra Religione, & nouissimè illam etiam docet Peirinus de Religioso subdito, to. 3. q. 2. c. 2. §. 6.

An quando Religiosi inter se largiuntur munera de rebus minimis, necessarium sit habere licentiam expressam, & in scriptis suorum Superiorum.

RESOL. XX.

Affirmatiuè respondet Berti in expos. huius Bull. part. cas. 3. fol. 417. col. 2. in fine, & ex parte Bartholom. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. q. 219. n. 5. Et ratio est, quia ita asserunt verba Bullæ.

Sed mihi probabilis videtur contraria sententia, quæ asserit dictam prohibitionem intelligendam esse in ordine ad Religiosos, in quibus aliqua ambitio timeri potest, secus autem de Religiosis, in quibus prædicta ambitio non timetur: & in his non esse necessariam licentiam Superioris expressam, & in scriptis, sed sufficere licentiam, tacitam, & multo magis verbalem, saltem in foro cõscientiæ, & ideò Bartholomæus a S. Fausto, vbi suprà, idem sentit de licentia in scriptis; putat enim hãc esse necessariam tantum in ordine ad forum externum, & absolutè hanc opinionem docuit Io. Valerus in diff. vtriusque fori. verb. num. 83.

An dictam licentiam debeat Religiosus semper habere, quoties vult donare?

RESOL. XXI.

Iacobus de Graffeis de cas. reser. lib. 3. c. 4. n. 58. affirmatiuam tenet sententiam.

Sed Bartholomæus à S. Fausto, vbi sup. q. 212. & Io. Valerus n. 86. negatiuam sententiam amplexi sunt, asserunt enim sufficere licentiam obtentam semel pro semper, & quidem durum esset, requiri specialem licentiam in quacumque largitione. Sufficit igitur generalis. Ratio est, quia à iure communi non est recedendum, nisi quatenus ius nouum cogit; sed de iure antiquo sufficiebat licentia generalis, & tacita, & cum per hanc Bullam modò requiratur expressa in scriptis, nihil addendo, vt sit specialis in quacumque largitione, ergo sufficit, vt sit generalis in scriptis. Et ita etiam, præter Doctores citatos, aduersus Graffium, tenet hanc sententiam Paulinus Berti in expos. huius Bullæ, p. 2. dub. 5. fol. 417. col. 2. circa finem.

Vtrum Abbatissa possit concedere licentiam donandi Monialibus, quam potest Prælatus Religionis suis Religiosis?

RESOL. XXII.

Affirmatiuè respondendum est, & ita docet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. c. 19. nu. 44. Faustus in thes. Relig. lib. 8. q. 221. & alij. Ratio est, quia Abbatissa habet liberam administratione m bonorum Monasterij, sicut Abbas, vt docet Panormitanus c. 1. n. 4. de his, quæ fiunt à Prælato, vnde secundum aliquos potest dare licentiam expẽdendi decem ducatos, tam talem licentiam potest dare Prælatus, vt docet Corduba in summ. quæst. 54. dub. vlt. Lopez de contract. lib. 2. cap. 40. Nauarra de restit. lib. 3. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 169. Io. de la Cruz. de statu religionis, lib. 1. c. 4. dub. 5. concl. 1.

Immò potest Abbatissa concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando potest Superior Religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios vsus, quæ proprijs operibus acquirunt, & doctores hæc omnia docentes inuenies apud Sanchez; vbi supra, qui bene limitat hanc doctrinam, nisi ex consuetudine, aut Constitutionibus illius Religionis, aut præcepto Superioris Prælati, arctata sit eius facultas. Vide Rodriquez in q. regul. tom. 1. q. 17. art. vlt.

Vtrum Milites Diui Iacobi, Alcantara, &c. includantur in hac Bulla, ita vt sit illis interdictum donare?

RESOL. XXIII.

Negatiuè respondẽdum est. Nam expressè in Bullam Sum. Pontifex illos excludit, ex quo colligitur hos milites esse verè, & propriè Religiosos, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Et ita docent plures, & insignes Doctores apud Sanchez in summ. to. 1. lib. 4. c. 16. num. 11. & apud Garziam de Beneficijs, tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 11. & præter illum nouissimè defendit mordicus hanc sententiam Paulinus Berti in explic. huius Bullæ, pat. 2. principali, Cenedo de Paupert. Relig. dub. 50. nu. 15. Faustus vbi supra, q. 203. & alij, quicquid in contrarium asserant Doctores apud Sanchez vbi supra, & prætee illos Ioannes de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 2. dub. 3. concl. 2. Petrus de Ledesma in summ. to. 2. tract. 10. c. 8. dub. 2. concl. 21 Emanuel Sa ver. Relig. n. 41. Valentia to. 3. disp. 10. q. 4. punct. 2. Molfesius in summ. to. 2. tract. 6 c. 2. nu. 40. Moneta de conseru. Iudic. cap. 19. n. 389 Grassius tom. 1. consil. lib. 3. consil. 11. de Regularibus.

Sed tu tene primam sententiam, & sic mé consulente Illustrissimus Senatus huius Vrbis cõcessit dictis Militibus exemptionem gabellarum, quę vulgò dicitur (*lo scasciato*,) & hoc non solùm professis, sed etiam nouitijs, vt postea etiam me consulente determinauit in casu Dominorum de Gioeni, & Mastrantoni, qui adhuc non emiserant professionem, sed tantùm acceperant habitum, & erant nouitij Diui Iacobi. Quod autem ex verbis huius Bullæ colligatur hos milites esse vere Religiosos, tenet Ioan. Valerus in Differentijs vtriusque fori, ver. munera, n. 25. Faustus & Berti vbi supra, vnde valde miror, aliquos his diebus contrarium docuisse.

An liceat aliquid dare proprio loci Ordinario ex causa benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, aut professionis Monialium?

RESOL. XXIV.

Negatiuè videtur respondendum ex verbis Bullæ, & ita docet illam explanando Paulinus Berti part. 2. fol. 416. col. 2. & Hieronymus a Sorbo in compendio Priuileg. verb. dare, fol. 194. & alij.

Non tamen reticeam Ioan. Valerum in suis differ. vtriusque fori. ver. munera, num. 81. supradicta verba Bullæ, intellexisse de muneribus pecuniarijs, ac de alijs donis, tãquam pro pretio prædictorum spiritualium, secus si grauis aliqua dentur in remunerationem, vt probat textus in c. 2. placuit, 1. q. 2. Ingratitudo enim ad minimum est peccatum veniale, vt probat Diuus Thomas 2 2. quæst. 107. ar. 3. Absit tamen credere, Papæ mentem fuisse tollere gratitudinis virtutem, maximè a personis Religiosis, eximereque Moniales ab ea obligatione, per quam cuncti tenemur exhibere nos scilicet gratos benefacientibus nobis, capit. Eccles. iuncta ibi Glos. 12. quæst. 2. faciunt latè tradita per Nauarrum, circa hanc obligationem gratitudinis, & remunerationis in lib. de reddit. Eccles. q. 1. nu. 36. Hæc omnia Valerus.

(?)

An

An in hac Bulla prohibeantur donationes, quæ sunt partus intellectus, vt conciones, lectiones, & huiusmodi scripta.

RESOL. XXV.

Respondeo, posse Religiosos inter se hæc omnia donare, sine contrauentione nostræ Constitutionis, & ita declarasse ipsum Clem. VIII. notauit Coriolan. tract. de cas. reser. p. 2. cas. 16. nu. 19. Homob. in exam. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 22. q. 100. Vnde Io. Valerus in suis differ. ver. munera, n. 106. asseruit, quod libri manuscripti semper sunt Religiosi, & eos secum potest semper deferre, quocumque vadat, etiam si se transferat in aliam Religionem. Et vet. reg. diff. 8. n 2. docet hoc esse verum, etiam nulla petita licentia, & nullis relictis eorum copijs. Et sic se vidisse testatur, quemdã Religiosum doctissimum, secum detulisse duos libros à se cõpositos, nulla ad id licentia à suo Prælato petita, qui transitum fecerat ad Religionem Carthusianorum.

An Religiosus, qui ab externis suis deuotis nummos accipit & inscio Prælato necessarios libros emit, peccet peccato proprietatis, & contraueniat nostræ Constitutioni.

RESOL. XXVI.

Peccare peccato proprietatis, putauit Sanchez in sum. to. 2. lib. 7. c. 19. n. 56. cum Bartholom. à S. Fausto in thes. relig. lib. 8. q. 111. nu. 2.

Sed ego puto, non esse condemnandum tamquam violatorem Paupertatis, illum Religiosum, qui inscio Superiore accepti à pœnitentibus nummis libros emerit, dummodo tamen in cubiculo teneat illos palam expositos, omnibus obiectos. Et ratio est, quia quidquid hoc pacto Religiosus possidet, Prælatorum suorum voluntati, ac potestati subijcitur. Ita docuit ante alios Azor. p. 1. lib. 12. c. 12. q. 3. quem postea sequutus est Fabius de rest. in 4. sent. dist. 15. q. 2. disp. 45. c. 5. n. 112. Coriolanus tract. de cas. reser. p. 2. cas. 4. n. 19. & nouissimè tenet etiam hanc sententiam in terminis nostræ Bullæ, Homobon. in exam. Eccles. part. 2. tract. 7. c. 32. quæst. 130. in fin. & etiam in ordine ad peccatum proprietatis.

An nouitij includantur in hac Bulla sub nomine Religiosorum.

RESOL. XXVII.

Respondent, & optimè, non comprehendi Faustus vbi supra quæst. 206. Fillucius tom. 2. tract. 34. cap. 3. n. 60. Sorbo in compend. priuileg. ver. dare, in expos. huius Bullæ, & alij. Et ratio est, quia nouitij non dicuntur Religiosi, vt benè notat Gloss. in Clement. relig. ver. relig. & ibi Abbas nu. 1. & Imol. n. 10. vide etiam Sanchez in summ. to. 2. lib. 5. c. 5. n. 12.

Hinc, licèt Religiosi non possint confiteri nisi Cõfessarijs ab eorum Prælatis, designatis, & si aliàs facerent, cõfessio esset nulla: attamen nouitij possunt confiteri coram omnibus Confessarijs ab Episcopo approbatis, & confessio erit valida. Ita aduersus Vecchium in Praxi nouit. disp. 10. dub 3. n. 3. Megalam in p. 1. lib. 1. c 8. n. 20 dicendum est, & ita tenet Molfesius in summ. p. 1. tract. 7. c. 14. nu. 81. Rodriquez q. regul. to. 1. q. 27. art. 11. Homobonus in exam. Eccles. p. 1. tract. 5. c 2. qu. 13. Henriq. lib. 6. c. 16. n. 3. in Glossa lit. X. & lib. 7. de indulg. c. 22. n. 7. in Glossa lit. Z. & V. & alij. Item nouitij non incidunt in casus reseruatos a Superioribus Religionum, quicquid in contrarium aliqui asserant, & ita possunt absolui absque eorum licentia. Ita Homobonus de Bonis de cas. reseru. p. 1. c. 32. Floronus p. 1. c. 3. n. 7. de cas. reseru. Sà ver. casus n. 8. Naldus in summ. ver. Nouitius, nu. 7. Graffius in append. lib. 1. c. 7. nu. 69. & alij.

An Religiosus possit sine licentia Prælati, & sine contrauentione voti paupertatis, & huius Bullæ, largiri suam rationem, seu pitantiam?

RESOL. XXVIII.

Negantem sententiam docet Bartholomeus Salonius in 2. 2. tom. 1. q. 61. tract. de dominio, q. 1. art. 2. concl. 1. coroll. 3. vbi asserit, nullum Religiosum posse ex his, quæ ipsi conceduntur ad suos proprios vsus, vt victum, &c. aliquid erogare, sine particulari licentia sui Superioris, etiamsi parcissimè illis vtatur, vt cum mittitur Religiosus ad peragẽdum aliquod negotium, in locum distantem, & datur illi à Superiori pecunia, qua victum sibi paret, etiamsi parcissimè viuat, tenetur ea, quę reseruat rediens in Conuentum, Superiori restituere. Et ratio est, quia Religiosus non potest esse dominus alicuius rei, nec vsufructuarius, sed tantum vsuarius. Sed vsuarius solum tenet, & habet vsum rei pro se, & non potest illam dare alteri, nam hoc est proprium domini, & vsufructuarij. Ergo Religiosus potest tantum comedere pitantiam, non autem disponere, & dare illam.

At mihi contraria sententia probabilis etiam videtur. Et ratio est, quia in illis rebus, quæ vnico actu consumuntur, non potest secerni vsus à dominio. Ita Ioannes XXII. in extrauag. ad conditorem, 9 quod autem, de verbor. signific. vbi sic ait. Quia in rebus vsu consumptibilibus, vsus, & dominium non distinguuntur, sed cui confertur vnum, conceditur vtrumque. Et hanc sententiam tenet Syluester verb. dominium, §. 3. Petrus de Arragon. io 2. 2. q. 62. art. 1. D. Antoninus p. 4. tit. 12. cap. 4. §. 10. Sarmiento de reddit. p. 1. c. 1. Turrecrem. in sum. lib. 2. c. 112. ad 10. argum. & alij. Et probatur ex authoritate leg. 2. ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur. Et ita in terminis nostræ Bullæ, docuit hanc sententiam Hieronymus Cenedo de Paupertate relig. dub. 17. n. 9. & dub. 32. n. 8. & 15. vbi sic asserit. [El religioso por tener el vso; y el dominio de la pitança segun la sentencia prouable, y por ser limitada, y tambien de poco valor, y de que no se ha de seguir notable daño al Conuento y por tener licentia interpretatiua del Prelado, ò ser conforme à buena razon el tenerla, puede sin scrupulo disponer della, sin contrauenir al voto de pobreza, ni a la Constitution del Papa Clemente VIII. de largitione munerum.] Ita ille.

Scio contrariam sententiam esse probabiliorem, negat enim vsum non posse separari à dominio. Sed nostra sententia, vt diximus, est probabilis, vt etiam ex aduersarijs cõcedit Turrian. in 2. 2. to. 2. disp. 31. n. 21. & Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 22. qui vocant contrariam sententiam, quam ipsi tenent, probabiliorem, & veriorem. Si quis verò has sententias largiùs discussas legere desiderabit, præter Turrianum loco citat. videat Lessium lib 2. c. 3. dub. 8 n. 31. Mirandam in manual. Prælat. to. 1. q. 38. ar. 10. Valentiam, to. 3. disp. 5. qu. 10. punct. 1. Bannez in 2. 2. q. 62. tract. de domin. q. 1. Bellarminum to. 1. lib. 4. de Pontifice, c. 14. Rebellium de obligat. iust. p. 1. lib. 1. q. 7. sect. 4. nu. 32. Molfesium in summ. to. 2. tract. 1. n 62. & alios penes ipsos.

Restat modo respondere ad argumentum contrariæ sententiæ in principio positum. Dico igitur, quòd Religiosus cum sit vsuarius rerum, vnico actu consumptibilium, tenet etiam dominium illarum rerum. Nam vt diximus, secundum sententiam probabilem, vsus non potest separari a dominio; & licet Superior possit tollere rationem limitatam, quæ iam religioso erat applicata, non sequitur ex hoc, quòd possit separari vsus a dominio, sed solùm colligitur, quòd Religiosus tenet vsum illius rei, cum dependentia ab ipso Prælato. Sed supposito, quod Religiosus teneat vsum, tenet etiam dominiũ illarum rerum, quæ vt diximus, sunt vnico actu consumptibiles.

Limitatur tamen, & intelligenda est hæc sententia, non in ordine ad rationem, & pitantiam, quæ non conceditur Religioso cum taxa, & limite, vt est panis, & vinum, &c. Sed in ordine ad pitantiam, quæ limitata præbetur, vt est caro, oua, &c. Limitatur, nisi Prælatus ex causa rationabili, ad vitandum excessum, & abusum Religiosorum, vel propter paupertatem Monasterij circa tales largitiones præceptum, vel censuras in contrarium non imposuisset. In his enim casibus Religiosi non deberent disponere, nec possent de cibis etiam limitatis, & hac ratione præcepti, & boni publici totius communitatis. Et hanc opinionem ita explicatam præter Cenedum, & alios, vbi supra, tanquam probabilem illam etiam admittunt multi viri docti, de hac re a me consulti, non solùm ex nostra Religione, sed etiã ex Societate Iesu, & Dominicanorum familia; vnde valde miror, falsam ab aliquibus, his diebus fuisse nominatam.

An

An Religiosus peccet contra votum paupertatis, & contra Bullam Clement. VIII. si absque Superioris licentia accipiat pecuniam, vt ipse liberè disponat in eleemosynam nomine eius qui dedit.

RESOL. XXIX.

CAsus hic frequens est inter Religiosos, & partem affirmatiuam tuentur Turrianus in 2. 2. tom. 1. disput. 84. dub. 4. Rodriquez in exercitijs spirit. p. 3. tract. 3. cap. 15. Vasqu. apud Turrianum, & nouissimè Hieronymus Cenedus de paupertate Relig. dub. 14. num. 11. Layman in theol. moral. lib. 4. tract. 5. c. 7. num. 16 Probat hanc sententiam Turrianus, quia donans per talem concessionem, post acceptationem factam a Religioso, aliquo iure priuatur, nec potest illam reuocare, nec licitè de bonis Religioso concessis disponere, & hoc ius reuera transtulit in Religiosum, nempè facultatem liberè disponendi de illis bonis, ergo, sine consensu Superioris, non poterit illa facultate vti Religiosus sine peccato, contra votum paupertatis. Secundò probatur a Cenedo. Nam in tali casu, Religiosus efficitur dominus iuris administrandi; idque independenter à Superioris voluntate. Ergo, &c.

Sed contrariam sententiam, tanquam probabiliorem tenendam esse iudicaui, & nunc maximè, quum illam inuenio apud Faustum in thesaur. religio. libr. 8. quæstio. 109. num. 2. & apud Sanchez in suum. tom. 2. lib, 7. cap. 30. num. 4. & ita etiam sentiunt multi viri docti Religionis nostræ, & Societatis Iesu. Et ratio est, quia votum paupertatis obligat Religiosum, ne acceptet dominium, & proprietatem alicuius rei inscio Superiore; sed in nostro casu iste Religiosus non accipit dominium illarum pecuniarum, sed tantum accipit illas nomine alieno, nempe tradentis, vt det pauperibus, ergo, &c.

Ad argumentum Turriani respondetur, non esse verum, donantem non posse reuocare illam concessionem, post acceptationem factam a Religioso, nam dominium illarum pecuniarum semper remansit apud ipsum, nec vmquam habuit animum donandi Religioso, sed meram distributionem illi commisit.

Ad argumentum Cenedo respondetur, quod ius administrandi non est dominium, nec vsus fructus, nec vsus, sed ius disponendi de re aliena nomine alieno, & iuxta ipsius præscriptum, ergo propriè non potest dici dominium illius iuris. Et confirmatur (vt ait Sanchez; Nam si quis relinqueret aliquam pecuniarum summam, distribuendam in pauperes eligendos per aliquem Religiosum; certum est religiosum illum non esse proprietarium, & dominium iuris illius, eligendo; ergo, &c. Adde, quod non quæcumque possessio, & administratio pecuniarum, inscio Superiore, est contra votum paupertatis, sed quando sunt quid iuris, hoc est, quando Religiosus illas administrat nomine proprio independenter à voluntate Superioris, secus autem quando sunt quid solius facti, hoc est, quia non nomine proprio, sed alieno administrat, & ita sæpius in praxi consului.

An Religiosus, qui sine licentia Prelati solet sumere aliqua bona Monasterij, pertinentia ad cibum, & potum; infringat votum paupertatis.

RESOL. XXX.

HIc casus tractatur à Sanchez in summa, tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 53. sed multum benignè resoluitur à Suarez de relig. to. 3. lib. 8. c. 11. n. 41. vbi sic asserit. De bonis Monasterij vsu cõsumptibilibus pertinẽtibus scilicet ad cibum, & potum, si tantum ad proprium vsum actualem, vt sic dicam, & transitorium à Religiosis aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnificatio Religionis esset nimia & in re extraordinaria, & pretiosiora, extra huiusmodi enim casum, res huiusmodi reputantur leuioris conditionis. Et quamuis prælatis hoc displiceat, non tamen ita sunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem, in ordine ad paupertatem, sed solum in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis.

Accedit quod Religiosi, quoad vsum huiusmodi rerum tractant ut vt filij, inter parentem autem, & filium, non censetur similis actio grauis. Secus verò esset, si huiusmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retentæ, paulatim consumerentur, nam illud esse posset graue peccatum; quamuis ad id discernendum in particulari, magna prudentia necessaria sit. Ita Suarez, vide etiam Tannerum in 2. 2. disp. 7. q. 3. dub. 4. nu. 106. vbi sic ait, Nulla etiam prælati seueritas, eiusmodi acceptiones, quo ad substantiam rei acceptæ, iniquas reddere potest. Sic ille.

An Religiosus, seu Monialis cum licentia tacita, peccet mortaliter alienando, vel recipiendo aliquid clandestine, sciens illum modum clandestinum Superiori displiciturum.

RESOL. XXXI.

SVppono ex communi sententia, vt Religiosus det, vel accipiat aliquid sine voti paupertatis fractione, sufficere tacitam, vel probabiliter presumptam Superioris voluntatẽ, etiam in eo casu, in quo posset expressa licentia postulari, & ob aliquem humanum respectum, vel pudorẽ, aut nonnullam difficultatem adeundi Superiorem, omittitur. Hanc sententiam docet D.Th. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. Valentia to. 3. disp. 10. qu. 4. punct. 3. Lessius de iust. lib. 2. c. 41. dub. 9. num. 8. Azorius p. 1. lib. 12. c. 12. q. 2. 3. & 4. Molina de iust. to. 2. disp. 276. Sà verb. eleemosyna, n. 12. Ledesma in summ. to. 2. tract. 4. c. 3. concl. 3. Bannez & Aragon. in 2. 2. q. 32. art. 8. cum alijs communiter.

Hac veritate supposita, respondeo in casu proposito, Religiosum non peccare mortaliter, quia licentia tacita excusat religiosum à transgressione voti paupertatis, quando rem aliquam accipit, vel alienat inscio Superiore, credẽs tamen vt Superior licentiam sic alienandi, vel recipiendi daret, quamuis displiceret illi, talis alienandi, & recipiendi modus. Potest igitur esse Superior inuitus, vt ita dicam, quoad substãtiam dandi, vel alienandi, & potest esse inuitus quoad modum; si est inuitus quoad substantiam rei, Religiosus peccat alienando, vel recipiendo, non autem si est inuitus quoad modum. Et ita docet Tannerus in 2. 2. disp. 6. q. 3. dub. 4. n. 165 Fagundez de præcept. tract. 2. lib. 8. c. 6. nu. 3. Mendoza q. 8. concl. 8. Graffius decis. p. 1. lib. 3. c. 5 n. 34. Nauarr. comm. 2. n. 20. de regul. Cenedo de Paupert. relig. dub. 18. n. 14. Miranda in man. Prælat. to. 1. q 28. art. 16. concl. 2. Suarez de relig. to. 3 lib. 8. c. 11. n. 11. & alij.

Hinc possunt Moniales, & Religiosi retinere munera, quæ cum licentia tacita Abbatissæ, vel prælati receperunt, etiamsi modus accipiendi clandestinus illis displiceret. Vnde apparet, quamdam Monialem non fregisse votum paupertatis, quæ abscondidit aliquas res Abbatissæ visitanti cubicula, non quia putabat illis spoliari; sed propter verecundiam, & confusionem, quia Abbatissæ displicebat modus accipiendi. Ita Peirinus de relig. to. 1. cap. 2. q. 2. §. 4. Mendoza q. 8. post concl. 5. Barthol. à S. Fausto in tes. relig. lib. 8. q. 126. num. 3. Sanchez in summ. to. 2. lib. 8. c. 17. n 61. & alij. Ex hac doctrina, tollent Confessarij multos scrupulos à conscientijs Religiosorum & Monialium.

Sed circa præsentem quæstionem, nota primò, vt possit religiosus licitè operari cum dicta licentia tacita Superioris, non opus esse, vt de tali licentia habeat certitodinem moralem, vt voluit Molina, & Ledesma vbi supra, sed sufficit habere probababilem cognitionem, quæ ex iusta credendi causa procedit, secus autem, si sit improbabilis, & temeraria. Et ita docet cum alijs Sanchez in summ. to. 2. lib. 7. c. 19. nu. 13.

Nota secundò, tunc Religiosum, seu Monialem, posse conijcere probabiliter talem licentiam tacitam; Primo, quando Superior est vir dulcis, & non rigidus, & nimis difficilis, sed procliuis ad condescendendum cum subditis. Secundò, quando subditus est Superiori valde dilectus, & non exosus, & nullius authoritatis, sed est vir grauis, & optimis moribus exornatus, ac de religione bene meritus. Tertiò, si res quæ accipiuntur, vel, donantur, sint leuiores. Quartò, ex facto ipso, vt si, v. gr. talis dispensatio, seu licentia in commodum Monasterij cedat. Et sic notauit Homobonus de Bonis in exam. Ecclef p. 1. tract. 7. capit. 32. quæst. 130. Barthol. à S. Fausto in thes. religio. lib. 8. quæst. 162.

An

An Religiosi, post Concilium Tridentinum, possint habere peculium, idest, redditus annuos, ad nutum Superiorum reuocabiles, & ad solos vsus honestos, & pios, idque ex causa legitima?

RESOL. XXXII.

HÆc quæstio est inter Doctores nostri temporis quàm maximè agitata, & negatiuam sententiam amplexi sunt Palatius in 4.distinct.38. disput.1.ad fin. in solut.ad 9.Corduba in summ.quæst.54.Valentia in 2.2. disp.1.q.4. punct.3. Lessius lib. 2.cap.4.dub.5.n.30.Nauarra de test.lib.3.cap 1.p.3. dub.1.nu. 163.Molina de iustit.tom.2. disput.276. Azorius tom.1.lib.12. c.9.quæst.1.& ita asserit Zerola in praxi Episc.p. 1. v.Moniales, ver.ad 2. declarasse Sacram Cardinalium Congregationem,& nouissimè illam docent Vasquez in Opusc. de reddit. Eccles. c. 3.dub.11.n.14.& Suarez de relig.to.3.li.8.cap.14.n.18.qui omnes putant Conc. Trid.sess.25.c.2. de Regular. cōdere nouum ius; ita vt non possit Religiosus,post dictum Concilium habere peculium; vnde asserit Palatius vbi suprà, non licere Monialibus habere annuos redditus etiam cum licentia Superiorum. Et ratio est, quia verba Concilij clarè apparent esse verba præceptiua, & non declaratiua iuris antiqui. Secundò, quia vt suprà cum Zerola probauimus,ita Cardinalium Congregatio interpretata est dicta verba Concilij. Ergo.

Sed ego contrariam sententiam probabilem, & tutam in praxi existimandam esse iudico. Dico igitur Concilium Tridentinum in illis decretis non condere, nec nouum ius inducere,sed tantùm confirmare statuta, & ius antiquum,c.Monachi, & c. cum ad Monasterium, de statu Monach.quæ quidem statuta Regularibus interdicebant peculia cōcessa ad vsus omnes, etiam profanos, & superfluos Monachorum statui: vel si ad vsus licitos,tamen sine iusta causa concedendi,vel irreuocabiliter à Superiore, ergo licita erunt secundum ius antiquum, & secundum Tridentinum illa peculia Religiosorum, vel Monialium concessa ad vsus licitos; & honestos dependenter, & reuocabiliter ad voluntatem simplicem Superioris.Et ita apud multos Religiosos, & Moniales obseruari experientia ipsa docet, & ideò hanc sententiam docet Peirinus de relig.to.1.cap. 2.quæst.2.§.1.& 2. Fagundez de præcep. tract.2.libr.8.c.2.num. 13.Villalobos in summa.par.2.tract.35.dub.30.num.2. Tannerus in 2.2.disp.6.quæst.3.dub.4.n.108. Fabro de restit. in 4.sent. lib.4.dist.15.quæst 2.disp.45.cap.5.num.125. Riccius par.4. decis.340.num.12 Hieronymus Cenedo de pauper.relig.dub.9.n. 4.& seq. Nauarrus comment. 2.num.15. & 18.de regularibus. Graffius in suis decis. p.1. lib.3.c.5 num.55. Emanuel Sà verb. Relig.num.48. Sanchez in summ.tom.2.lib.7.cap.22. num.11. Miranda in manuali Prelatorum tom.1.quęst.28.art.8.Bartholom.à sancto Fausto in thes. Relig. lib.8.q.30. Probatur primò hæc sententia ex verbis huius Bullæ Clement.VIII. vbi Pontifex facit differentiam, & distinguit inter bona communitatis, & bona particularium Religiosorum,ergo &c. Secundò Religiosos habere peculium, vt suprà diximus, dependenter videlicet à prælato, non est habere dominium illarum rerum,ergo tale peculium non repugnat voto paupertatis. Tertiò, verba Concilij non damnant tale peculium, vt constat apud Sanch. & Cenedo vbi suprà, ergo, &c.

Ex his patet non esse damnandam illarum Religionum consuetudinem, in quibus Religiosi habent assignatos certos annuos redditus ad victum, & vestitum ita vt si deest aliquid, ipsi quærant, si autem superest,licentiam habent applicandi honestis vsibus, & hoc cum dependentia ad nutum, & voluntatem Superiorum: & dummodo tale peculiū, & annui redditus sint moderati, & non superflui,sed ad statum Religiosi habētis peculium necessarij. Dixi ad statū Religiosi, &c. quia peculium aliquod potest esse superfluum vni, & non alteri; quare qualitas personarum, cōditionis, loci, & aliarum circumstantiarum ad hanc status decentiam attenden a erit; vnde aliquando non erunt condemnandi multi Religiosi amplissimos redditus possidentes. Primò, quia ratione personæ pluribus eguerit, vt potè quia Prælatus, quia Magister ordinis. Secundò, quando regula esset relaxata, & paupertas eo modo intellecta,& præualuisset consuetudo. Tertiò,quando pars illorum redditũum applicatur in bonū ipsius Monasterij, & Religiosorum seu Monialium pauperum,ipsius Conuentus, aut aliorum pauperum,cætera verò in licitos ipsius Religiosi vsus. Quartò, quando Religiosus ille sua industria multa compatauit Monasterio, & ideò æquum est, vt plura sibi concedantur in eleemosynas, & alios honestos vsus, &c.

Restat modò respondere ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum de verbis Concilij; videndus est Sanchez, & Cenedo vbi suprà, declarantes illa verba Concilij prohibere tantùm peculia superflua, & non licita, & independentia a voluntate Superiorum. Nec valet dicere,(quod erat secundum argumentum) quod illa verba Concilij in contrarium fuerunt interpretata ab Illustriss. Cardinalium Congregatione. Nam respondeo de illa declaratione authenticè non constare, deinde aliqui Doctores asserunt, declarationes Cardinalium esse tantùm doctrinales, & non esse necessariò standum illis: ita docent Sanchez de matrim.to.3.lib.8. disp.2.nu.10.Petrus Ledesma in summ.tom.1.de sacram.pœnit.cap.13.diff.1. fol. mihi 295. Bonacina tract.de legibus disp.1.quæst.1.punct.8. num.4. Villalobos in summ.trac.2.diffic.7.num.5. Ioan. Valerus in suis differ.vtriusque fori, ver.absolutio, differ.1.num.20. ver. nullitas, differ.5.n.2.& ver.iurisdictio,diff.4.nu.2.cum alijs aduersus Salas de leg.q.97.tract.14.disp.21.sect.12. Rodriquez in quæstionibus Regul.tom.1.quæst.11.art.1.& 2. Garziam de beneficijs, tomo 1. in Præfatione, Gambarupta in tract.de cas.reser. c.3.num.6. Lazarium tract.de Blasphemijs, quæst.20. n.29. Miranda in man.Prælat.tom.2.quæst.26. art. 11. Narbona de appellatione à Vicario ad Episc. part. 1.num. 189. Homobonum in exam.Eccles.p.1.tract.1.c.6.q.29.& alios, docentes supradictas declarationes non esse tantum doctrinales, sed etiam decisiuas, sed nos de hoc alibi, vide suprà Resol.13.

An si in aliquo speciali casu, Religiosus largiendo munera, nec dissiparet bona Religionis, nec tale donum vlla foret ambitionis occasio incideret in pœnas huius Bullæ?

RESOL. XXXIII.

REspondeo negatiuè, quicquid in contrarium asserat Faustus in thes. Relig. lib.8. q. 209. & Paulinus Berti in explicat. huius Bull.part. 1. principali,& ita docet Granado in part. 2.contr.7.tract.3.p.2.disp.15. sect.3. nu.18. quia finis Constitutionis Pontificiæ fuit tollere occasionem ambitionis,& dilapidationis bonorum, sed in nostro casu cessat ratio, & finis legis: ergo lex non obligat.

Sed quia codex rarus est, ponam per extensum verba Granadi,& ideò ita asserit. Licèt leges condantur propter bonum commune, adhuc eas obligare etiam singulos subditos in particulari,& in singulis habere vim eas rationes,propter quas cōduntur. Vnde quando in aliquo particulari cessant, cessat quoque legum obligatio. Verbigratia lex non largiendi munera, quam Clemens VIII. edidit, condita fuit propter commune bonum Religionis, sed tamen singulos obligabat,& in singulis habebant vim rationes illius Constitutionis, nempe ne dissiparetur Patrimonium Christi Domini,nec esset occasio ambitionis. Quare si in aliquo speciali casu, nec Religiosus dissiparet Patrimonium Christi,nec vlla foret ambitionis occasio, consequenter censeri deberet lex non obligare. Ita ille. Et ex nostris P. Megala concl.33.nu.6. & satis quidem probabiliter; nam vt alibi fusè probatum est, quando cessat finis adæquatus legis in particulari, cessat obligatio legis,vt præter Granado docet noster P.Megala vbi supra,& in 2.2.lib 2.c 7.q.2.n.55.Sousa in hac Bulla fund.3.Henriq.lib.11.c.17.num.2. in Gloss. lit.O. Nauarrus tom.4.commentr.in rubr. de iudicijs,nu.74.& seq. Abbas in cap.quia insulis,de regul.Angelus ver.lex.num.4.cas.2.Sà verb. lex, num.1. & ver. ludus, num.1. quidquid in contrarium asserant Vasquez,Suarez,Sanchez, Molin. Salas, alibi à me confutat. in tract. de legib.

An Religiosus paulatim modica accipiens, vel expendens sine Superioris licentia peccet mortaliter, & teneatur ad restitionem?

RESOL. XXXIV.

AFfirmatiuam sententiam docent communiter Doctores, si in eo furto complente materiam grauem recor-

recordetur præcedentium furtorum; licèt in alijs paruis furtis non habuerit animum amplius furandi. Ita Valentia to.3.disp. 5.q.1.punct.5.Sanchez in summ.tom.1.lib.1.cap.4.nu.9.& 10. Salas in part.2.tom.2.q.88.tr.13.disp.16.sect.27. Azorius tom. 1.lib.4.cap.9.quæst.12.Reginaldus in Praxi tom.2.libr.23.cap. 1.q.4.Rebellius par.1.lib.3.q.15.sect.15. Filliucius tom.2.tract. 31.c.10.n.245. Vasquez in part.2.tom.2.disp.146.c.2.nu.4. Sayrus in Claui Regia lib.9.cap.15.num.22.Nauarra de rest.libr.3. cap.1.num.40.Ledesma in summ. tom 2.tract.8. cap.20. Sotus de iustit.lib.1.q.3 articul.3.Medina in part.2.q.88.art.4.part.2. tom.1.tract.2.c.2.q.1.num.4. Megala in 2.2.libr.2.c.1.quæst.3. nu 18.& ita in terminis loquens de Religiosis docet Barthol. a S.Fausto in thes. Relig. lib 8. quæst.189.num.3. & Sanchez in summ.to.2.lib.7.c.21.cum alijs. Et ratio est, quia in vltimo illo furto, suppositis præcedentibus, incipit talis Religiosus esse fur, & per consequens voluntariè detinere rem alienam, in notabili quantitate inuito domino. Ergò in eo actu peccat mortaliter, si animum retinendi præterita furta habet, & licèt illa furta essent paruæ materiæ, dum postea coalescunt in vnum efficiunt materiam grauem.

Hæc opinio est tenenda, sed cõtrariam puto etiam esse probabilem cum Filliuc.tom.2.tract.31.c.10.n.243. Rodriquez in summ.to.4.c.118.n.29.Salas in pract.1.q.88.tr.13.disp.16.sect. 27.n.88.& illam docet Nauarrus cap.17.num.140. Toletus lib. 5 cap.16 num.4. & alij. Verum est, quod Nauarrus, & alij, qui docent hanc sententiam, putant retentionem illius quantitatis notabilis esse peccatum mortale, & ideò ita furantes, & non restituentes peccare, non ratione acceptionis, sed ratione iniustæ retentionis. Sed ego puto, tunc illam quantitatem furatam esse sub peccato mortali restituendam, in sententia Nauarri, & aliorum, quando extaret, & non fuisset consumpta, & ex illa fur ditior factus fuisset. Ita docet Granado in par.2. controu. 6. tract.2.disp.2.sect.5.n.49. & Lorca in p.2.to.2.

Sed his non obstantibus, dictos non peccare mortaliter, neque ad restitutionem teneri notauit absolutè Emanuel Sà, ver. furtum, n.8. Et licet aduersus illum insurgat Sanchez in summ. tom.2.lib.7.cap.21.nu.3.qui putat hanc sententiam nullum tenere, præter Nauarrum lib.3. cons. in part.edit.cons.3. de statu Monach.n.27. qui postea mutauit sententiam in man. vt suprà dictum est.c.17.num.140. Attamen ego inuenio, præter Sa, & Nauarrum, docere etiam hanc opinionem, Berarducium in summ.Coron.part.1. cap.1.n.28. in fine vbi sic asserit. Si actus furandi procedunt a voluntate intercisa, hoc est, dum homo furatur illud parum, non intendit furari maius, nec alio tempore, & postea de nouo subuenit alia occasio furandi similiter, tunc quantumcumque reiteret huiusmodi furta sic conditionata, semper est veniale, nec tenetur de necessitate salutis restituere illa, Quia sicut multa peccata venialia, nunquam possunt facere vnum mortale, quantumcumque simul sumpta: ita huiusmodi parua furta, voluntate intercisa, cum vnum sint quãtumcumque simul sumatur, & aliqua quantitate notabili considerentur, numquam facient vnum furtum notabile mortale, & consequenter non parient obligationem, quia semper remanent in sua natura, hoc est, sunt venialia ratione paruæ quantitatis, siue furtum fiat semper eidem, siue diuersis. Ita ille. & nouissime hanc sententiam, loquens in terminis de religiosos furantibus res Monasterij, docet Fernandez in exam. theol.mor. p.1.c.6.§.2.num.12.

Sed stando in prima sententia, limitanda tamen videtur pluribus modis. Nam alioquin multos scrupulos, & molestias Cõfessarijs, & pœnitentibus inijceret. Ideò dico Primò, tunc supradicta furta minima, coalescere in vnum, & continuari, si fiant in eodem genera negotij, vel animo ditescendi, vt qui furantur modica; vendentes vinum, oleum aut alia; secus si in diuerso rerum genere, siue diuersis negotijs, diuersisque dolis, nec ditescendi animo. Ita Rebellius p.1.lib.3.q.15.sect.5.n.44. Sed hanc limitationem impugnat Sanchez in summ.to.2.lib.7.cap. 21.nu.16 illam tamen amplectitur Tannerus in 2.2. disp.4.q.6. dub.9.nu.287.Bonacina de contr.disp.2.qu.8. punct.2. nu.3.& ego probabilissimam puto.

Dico secundò, dicta furta continuari, & in vnum coalescere, quando inter illos non sit magna interpollatio, & interuallum, quod quidem interuallum secundum Sanchez vbi sup. n. 30.& alios viros doctos, ab ipso cõsultos, est spatium vnius anni. Et ratio est, quia tanta interpollatio non videtur moraliter loquendo, coniungere quantitates illas paruas. Sed ego sentio cum Filliucio to.2.tract.31.c.10.nu.244.magnum interuallum, vt non continuetur moraliter materia vnius furti cum alio, esse mensem vnum, vel dimidium.

Dico tertiò, quòd exigitur maior quantitas ad mortale in his furtis minimis, & eò maior, quò plures sint domini; nam quo in plures damnum diuiditur, eo minus, cæteris paribus, sunt inuiti. Ita Sanchez num 17.Rebellius nu.43.Megala in 2. 2.lib.2.c.1.q.3.num.36.& Lessius lib.2.cap.12.dub.8.nu.46 & si Confessarius scire cupit; quæ quantitas in his furtis minimis communiter sit notabilis, respondeo duplo maiorem, quam in alijs furtis esse necessariam.

Dico quartò, & hæc sit vltima limitatio, supradictam sententiam non habere locum, quoad exigua furta esculentorum, quę committuntur a seruis, & ancillis ex rebus dominorum suorũ, non vt illas vendant, sed vt comedant, sintque ordinaria, quæ non solent accuratè concludi. Ita Megala num.43. Lessius nu. 48.Nauarrus c.17.n.138.Reginaldus to.2.lib.23.c.1.n.22. Petr. Nauarra de restitut.lib 3.c.1.n.5.dub.6.nu.202. Sayrus in Claui reg.lib.9.c.15.num.17.Bannez in 2.2.qu.66. art.6. Caietanus in summ.ver.furtum, notat.1. & alij.

Notandum est tandem, contra Cordubam in summa, quæst. 70. & Medina C. de restit.quæst.10. ita furantes non teneri sub p. m. ad restitutionem totius quantitatis furatæ, sed tantum ad illam partem, qua restituta cessat notabilis quãtitas ad furtum mortale petita; sic Arragon.in 2.2.qu.66. art.6. Rebellius p. 1. lib.3.q.15. sect.4.n.29. Megala in 2.2.lib.2.c.1.q.3.nu.25. Nauarra de restit.lib.3.c.1.p.10.dub.8.n.62. Filliucius to. 2. tract. 31.c.10.nu.247. & alij.

An si Religiosus ad proprium vsum accipiat paulatim comestibilia, si perueniat ad quantitatem notabilem, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?

RESOL. XXXV.

De hac re egi suprà, & nunc iterum respondeo negatiuè. Nam existimo furta ista minima, in tali materia non continuari, vt dictum est in superiori Resol. de famulis, & ancillis, & ita in terminis, docet Bonacina tract. de largit. muner. disp. 1.punct.5.c.7.Sanchez in summa, tom.2. lib.6.cap.21. num.31. Fernandez in exam. theolog. moral. p.1.cap 6.§.2.nu.12.in fin. & Grassius in decis. par.1. lib.3. cap. 5. num.51. Tannerus in 2. 2. disp.6.quæst.3.dub.4. nu.106 licet Religiosus animum accipiendi paulatim hæc minima ad proprium vsum haberet, quãuis in hoc Grassius contrarium sentiat, sed tu tene cum Sanch. & ratio est, quia in eo modo sic paulatim hæc accipiendi, non est inuitus Superior.

Quænam quantitas requiratur, vt ea sine licentia Superioris vsurpata à Religioso ad peccatum mortale deueniatur?

RESOL. XXXVI.

Communiter respondent Doctores, eam quantitatem necessariam esse, & sufficere, quæ necessaria est, & sufficit in sæcularibus ad constituẽdam materiam peccati mortalis furti. Ita Rebellus p.1.lib.3.q.15.sect.3.n.22.Azorius p.1 lib.12.cap. 12.quæst.6.Grassius p.1.lib.2.c.5.nu.49. Bonacina de contract. disp.1.q.10.punct.3.num.5. Molina de iustitia to.3.tract.2.disp. 687 num.2. vbi testatur anno 1594. sic determinatum fuisse in Congregatione Generali Patrum Societatis Iesu. Quænam verò quantitas sufficiat in sæcularibus ad constituendum furtum quot sunt capita, tot sunt sententiæ, vt videre quis potest apud Nauarrum in manuali, c 17.nu.3. Cordubam in summ. q.109. Salonium, Arragon. & Bannez in 2.2. quæst.66.art.6. Toletum lib.5.c.6.nu.3. Medinam in p.2.q.88. art.8. Valentiam to.3. disput.1.q.10.punct.6.Turrianum in 2.2 to.2.disp.33.dub.2.Couarruuiam lib.1.var.c.3.num.12. Vegham in summa, tom.1.c. 129 cas.12.Syluestrum vers.furtum, quæst 2.nu.4. Nauarram de restitut.lib.3.cap.1.dub.3.num.32. Bonacinam de contr.disputat.2.quæst.8 punct.1.num.7. Reginaldum in praxi tom.2. libr.22.cap.1.quæst.4 numero 19. Megalam in 2.2. libr.2.cap. 1.quæst.3.Grassium part.1.lib.2.cap.97.numero 27. Malde,rum in 2.2.tractat 4.capite 1.dub.3.Lessium libro 12.cap.12.dub.6. numero 29.Azorium part.3.lib.5.capite 13.quæst.2. Medinam

C,de

C. de restit. q. 10. Conradum in respons. mor. p. 1. q. 166. Sayrum in Claui Regia, lib. 9. c. 12. à n. 9. vsque ad 15. & alios.

Sed deueniendo in particulari ad Auctores loquentes de Religiosis: Mirand. in man. prælat. to. 2. q. 28. art. 17. conclus. 2. putat quātitatem notabilem, in furtis Religiosorū, determinandam esse in particulari pro temporum, locorū, Religionū, personarum, & aliarum circumstantiarum differentia, iudicio, & arbitrio boni viri. Mendoza verò in q. 8. posit. de pauper. relig. conclus. 9. nu. 12. in particulari descendens, docet quantitatem duorum argenteorum non esse sufficientem ad peccatum mortale. Ioan. de la Cruz de statu relig. lib. 1. c. 3. dub. 5. & Sanchez in summ. to. 3. lib. 7. c. 20. n. 3. & 6. putant, materiam notabilem in furtis Religiosorum, esse summam quatuor argenteorū. Bartholomæus à S. Fausto in thes. relig. lib. 8. q. 193. n. 21. asserit in Monasterijs ditissimis trium argenteorum summam, quàm Religiosos inuito superiore accipit, aut expendit, esse materiam sufficientem ex obiecto, ad efficiendum peccatum mortale contra votum paupertatis; in Monasterijs mediocri censu dotatis, duorum argenteorum summam: in Monasterijs pauperculis, vnius argentei. Opinio Sanchez videtur mihi probabilior, vt notauit Faustus.

Sed non grauabor ponere hic opinionem doctiss. virorum Petri de Ledesma in addit. ad summ. to. 2. c. 4. & Cenedo in tr. de paupert. relig. dub. 20 n. 10. vbi sic asserit, [Assi como el hijo de familias tomādo à su padre de sus bienes alguna mayor cātidad, que la que es graue en otro seglar no seria hurto; assi tābien el Religioso no seria proprietario, ni ladron tomando alcuna mayor cantidad, que la que ha, e peccado mortal en otro seglar, y lo mismo se ha da dezir, si el Religioso lo tomasse de otro Religioso del Conuento; y assi es de parecer el P. Ledesma, que si tomasse vn Religioso de los bienes de vn Conuento, ò de otro religioso particular, *ocho, ò nueue reales, ò valor dellos*, en cosa, que no se consumen con el vso, no seria pecado mortal, si se haze sin licencia del Prelado, como esso no se multiplicasse, *de dos vezes adelante* en el año.] ita ille, qui etiam addit, cum Ledesma, in rebus comestibilibus, quæ sumuntur à communitate, vel à particulari Religioso, maiorem quātitatem requiri ad constituendum peccatum mortale. Et tandem non reticeam Rodriquez nouissimè in sum. to. 4. c. 118. n. 27. & 29. putare Religiosum tunc committere furtum, quando ascendit ad summam duorum aureorum. Sed hæc opinio videtur mihi nimis laxa, & an sit probabilis, iudicent viri docti. Scio illam ante docuisse Sotum de iust. lib. 4. q. 3. ad 3. quicquid in contrarium asserat Vasquez Opusc. de restit. c. 5. §. 1 dub. 5. n. 30. & tanquam probabilem illam admittere Arragon. in 2. 2. q. 66. art. 6. concl. 3. fol. mihi 286. Sed an ita sit dixit, iudicent viri docti, nam mihi non placet.

An Religiosus sine peccato possint commodare, & mutuo dare aliqua, quæ ipsi ad vsum permissa sunt.

RESOL. XXXVII.

Respondet negatiuè Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79. nisi essent res parui momenti, & crebrò occurrentes. Et ratio est, quia vsuarius nequit vsum rei alteri concedere, quia sic non esset vsuarius, sed vsufructuarius. Sed melius Sanchez in summ. to. 2. lib. 7. c. 19. nu. 65. putat posse Religiosum, sine peccato mortali, commodare res ad proprium vsum destinatas, quando securus est de restitutione illarum ac conseruatione, quia hæc videtur parua materia.

Sed magis amplè loquitur in hac re P. de Ledesma in Addit. ad sum. to. 2. c. 4. dub. 2. fol. mihi 97. quod etiam extēdit, si commodaret, & mutuo daret pecunias, ita enim ait. [El prestar dineros à Religiosos del mismo Conuento, y a vn estraños, no es pecado mortal cōtra la pobreza, siendo persona segura, la persona à quien se empresta el dinero, la razon muy efficaz, que me mueue a tener este parecer, es la siguiente. Porque aunque es verdad, que por el emprestito de dineros, se passa al dominio a quel, à quien se presta, con todo esso el prestar no es cosa de importancia, porque el otro queda con obligacion de boluerle el mismo dinero, ò otro semejante en quātitad de suerte, que se passa el dominio con derecho à boluer à tener otro equiualente. Por lo qual emprestar haze muy poco, luego aunque el Religioso, no tenga formal y espressa licencia del Prelado puede muy bien prestar, porque el prestar no es cosa de importancia.] Ita ille. Et ita etiam hanc sententiam docent multi viri docti, ex nostra Religione, & Societate Iesu de hac re à me consulti. Vnde immerito aliqui hanc opinionem falsam his diebus putarūt, quam nouissimè tanquam probabilem tenet, & docet Peirinus de relig. subdit. to. 1. c. 2. q. 2. §. 5.

Non grauabor etiam hic apponere verba Llamas in Meto. p. 3. c. 9. §. 12. vbi ita ait, Monachi in eodem Monasterio professi, possunt sibi mutuo ad vsum dare libros, & res cuiuscumque pretij, quæ vnicuique illorum in vsum concessæ fuerunt absque scrupulo vllo furti, vel iniustitiæ, quia nulla iniuria fit alijs. Nam dans vsum voluntariè præbet, quem habebat concessum. Dominium verò Monasterium non amittit, cum ad idem reuertatur res quoad dominium, ex hoc, vel ex illo, quoniam ambo sūt in illo professi, ergo nulli iniuria fit, nisi saltem Prælato, si sine eius licentia fiat. Hæc autem nō est iniustitia, sed inobedientia, & semper venialis, nisi adsit contemptus. Sic ille. Et paulò post descendens in particulari ait; posse supradictos Religiosos dare inuicem, tunicam, caligas, calceos, & etiam cucullam ad vsum, dummodo dans prouisus de sufficienti remaneat, omninò voto paupertatis seruato. Et ita etiam docet nouissimè Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 8. c. 6. n. 4. 5. & 6.

An Religiosus possit commutare etiam cum sæcularibus aliquas res, quando nullam iacturam patitur Conuentus?

RESOL. XXXVIII.

Negatiuam sententiam docet Fausto in thesaur. Relig. libr. 8. q. 158. n. 2. Homobon. de casibus reser. c. 3. p. 3. Sanchez in sum. to. 2. lib. 7. c. 19. nu. 67 & alij, quia putant talem commutationem esse actum dominij, vtpotè quæ à solo habente dominium validè fieri potest.

Hęc sententia est probabilis, sed non minus probabilem contrariam esse puto, & præter Lopez, & Rodriquez, quos citat Faustus, & Sanchez, tenet etiam hanc sententiam Peirin. de relig. to. 1. c. 2. q. 4 §. 5. Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 3. dub. 1. cōcl. 2. & Ledesma in addit. ad sum. to. 2. c. 4. dub. 7. folio mihi 99. vbi ita asserit. [Me parece probabilissimo que el trueco no es pecado mortal contra el voto de la pobreza, aunque se haga sin licencia expressa del Prelado, y aunque se haga cō Religioso del mismo Conuento, ò con otra persona estrana, y la razon es, porque quando vno trueca vna cosa, por otra de ygual precio, que da con el mismo derecho, y con ygual dominio de cosa del mismo valor, luego licito sara truecar semejantes cosas, sin licencia espressa del Prelado.] Videtur igitur talis permutatio pauca materia, quæ non habet propriam distractionis, aut consumptionis rationem, & adest interpretatiua Superioris licentia, ergo, &c. Vide etiam circa præsentem quæstionem Tannerum in 2. 2. disp. 6 quæst. 3. dub. 4. nu. 104.

An Religiosus possit præbere aliquod munus Religioso eiusdem Monasterij?

RESOL. XXXIX.

Respondet negatiuè Coriolan. de cas. res. p. 2. cas. 8. nu. 6. si præbeat rem notabilem, & si quis scire velit in qua quantitate hoc fieri liceat, respōdeo cum Ledesma in addit. to. 2. c. 4. dub. 6. fol. mihi 95. vbi sic asserit. [Si vn Religioso da a su cōpanero vn Rosario, o vnos cuchillos, o vnos lienços de narizes que en dineros valdrian diez o doze reales, no tēdria scrupulo de que el Religiosos los diesse a otro Religioso del mismo Conuento, lo mismo digo de otras cosas parecidas, y semejantes, que no se pueden poner aqui por ser tan menudas, como sean deste precio poco mas o poco menos, no ay que tener escrupulo de peccado de proprietad, contra el voto de la pobreza.] Ita ille, qui non solùm hoc extendit ad Religiosos eiusdem Monasterij, sed ad alios Religiosos, eiusdem tamen Religionis. Et hāc sententiam docet etiam Peirinus de relig. to. 1. c. 2. qu. 2. §. 6. qui etiam notat res cōmestibiles receptas cum licentia Pręlati posse dispensari in extraneos in magna quantitate, & non obstante, quòd sint magni pretij, quia in istis, semper præsumitur licentia Prælati. Sed an hæc omnia in præsenti resolut. posita, sint probabilia in praxi, remitto me arbitrio aliorum.

An Religiosus peccet contra paupertatem, sumendo aliquam rem, ex loco publico, pro vsu temporali, vt deinde in eumdem locum restituat?

RESOL. XL.

NEgatiuam sententiam docet Azoriu. p.3.lib.12. c.12. q.3. vbi sic ad præfatum dubium respondit. Non mihi videtur is paupertatem violasse, nisi id alioqui fuerit aliunde prohibitum. Non enim eo quòd accipit, vti vult, citra omnem prorsus sui Superioris voluntatem, sed ad certos tantum dies, animo,& voluntate illud in eumdem locum, vnde acceperat, restituendi. Sic ille, & nouissimè Villalob. in Summ. to.2. tract. 35. dub.29 num.8.& Fabrus de restitut.in 4 senten. dist.15.q.7.disp.45.c.5.num.114.

Sed notandum est, hanc sententiam impugnare Sanchez in summ.to.2.lib.7.c.19.n.57.& post illum Fausto in thes.relig.lib. 8.q.106.nu.2.Sed vtraque opinio est probabilis.

An si aliquis Religiosus accipiat ab amico aliqua comestibilia, peccet contra votum paupertatis?

RESOL. XLI.

REspondet negatiuè Ioan. de la Cruz de stat. relig. lib.1.c.3. dub. 3. concl.3. vbi sic asserit; Religiosus, accipiendo ab amico prandium,aut alia comestibilia non peccat;ad hoc enim præsumitur habere licentiam à Prælato interpretatiuam, & ita etiam docet Lopez in instruct.par.1.cap.6 Potest,(ait) Religiosus recipere à sæcularibus aliqua munera electuariorum, vel confectionum cordialium,bina vascula, vel par perdicum, vel gallinarum, vel aliquid simile. Sed quia in comestibilibus magni valoris, non præsumitur ita facilè licentia Superioris, ideo cautè in tali casu procedendum est.

An Religiosus possit recipere aliquid sine licentia superioris, si habeat intentionem petendi dictam licentiam, priusquam expendat illud.

RESOL. XLII.

NEgatiuè respondet Ioann. de la Cruz de statu Relig. lib.1. c.3.dub.3.concl.1.

Sed contrariam sententiam putat etiam probabilem, nam ita ait. Est probabilis sententia Victoriæ asserentes, posse Religiosum,seclusa speciali prohibitione,circa hoc recipere aliquid sine Prælati licentia, dum tamé habeat animum petendi licentiam, quando expenderit illud. Ita ille. Sed quia res accepta acquiritur statim conuentui, eo quòd absolutè data, & recepta sit à Religioso, & ideò dum absque licentia retinetur, id efficitur inuito domino, propterea in tali casu dictus Religiosus potest, vt benè obseruat Sanchez in summ.tom.2.lib.7. cap.19. n. 51.& post illum Fausto in thesaur. Relig.libr 8 q.109 nu.2 sine fractione paupertatis efficere, vt dominium illius rei, & administratio remaneat apud dantem, & ipse Religiosus, nomine illius, depositam habeat, non ea vtens, donec licentiam à Superiore petat, & ita sine vllo scrupulo poterit eam quamcumque detinere; quia sic Religiosus nec dominium, nec vsum, nec administrationem illius rei habet,ergo non peccabit contra votum Paupertatis,vt patebit melius ex infra dicendis.Notãdum est etiam,quòd si talis Religiosus absolutè recipiat, v. gr. illam pecuniam,sed ad breue tempus retineat,vt quia expectatur nouus Prælatus,vel scribat statim Generali, vel Prouinciali pro licentia,peccabit tantùm venialiter: quæ quidem sunt adnotanda, quia multum practicabilia.

An frangat votum Paupertatis Religiosus, qui petit ab amico, vt pecuniam deponat penes aliquem, vel apud ipsummet Religiosum, vt quando opus erit petat facultatem vtendi a superiore Prælato.

RESOL. XLIII.

TOtum hoc efficere posse Religiosum, testatur Sanchez in summ.tom.2.lib.7.cap.19.nu.50 ita asserens. Non est contra Paupertatis votum, si Religiosus ab aliquo, absque Superioris licentia, petat, vt deponat pecunias apud aliquem, non habens voluntatem acquirendi dominium, possessionem, aut administrationẽ, aut vsum in illas. Sed totum id maneat apud deponentem cum libera reuocãdi depositi facultate, & solum habeat voluntatem habendi opportunè pecunias, ex quibus cũ indiguerit, accipiat ex Superiori licentia,& non aliter acceptarus; & nullum ius acquirat donec Superior det licentiam accipiendi. Et idem est dicendum,si Religiosus eas pecunias in depositum apud se seruet, eodem prorsus modo, quo erant apud amicum, quia re ipsa non aliter eas pecunias habet;quam apud externum depositarium: Et hoc non pugnat cum paupertatis voto. Ita Sãchez, quem postea tacito nomine sequitur Bartholomæus à S. Fausto in thes. Relig. lib.8.q.115.

An Religiosus furans aliquid notable ad vsum fratris particularis, vel alicuius sæcularis, incurrat in casum reseruatum in decreto Clement. VIII.

RESOL. XLIV.

AFfirmatiuè respõdet Cotiolanus tract. de cas. reseru.p. 2. cas.8. dub.5. n.13. quia talis casus intelligitur non solùm de rebus Monasterij, aut Conuentus in communi, nempe de rebus pertinentibus ad communitatem, tam de mobilibus,quã de immobilibus,tam de his, quæ vsu quotidiano consumuntur, quam de his, quæ durant. Verùm etiam de rebus particularibus, ad particularem vsum alicuius Religiosi concessis, & ita ex Sorbo testatur declarasse ipsummet Clem. VIII.

At his non obstantibus,contrariam sententiam docet Petrus de Ledesma in Addit.ad Summ.tom.2.cap.4. dub.12. fol. mihi 118. & Hieronymus de Cenedo tractat. de pauper. Relig.dub. 19. numer. 21. vbi sic asserit. [El Prelado no puede reseruar el hurto en materia graue de las cosas que pertenecen a la Celda de otro particular, porque aunque es verdad, que el señorio destas cosas, esta nel Monasterio, pero no se llaman cosas del Conuento derechamente.] Sic ille. Itaque secundùm hos authores Superior alicuius Religionis, non potest reseruare furtum commissum à suo subdito, de rebus alterius Religiosi, vel alicuius sæcularis. Et ratio est, quia Clemens VIII. concessit tantùm Superioribus Religionum reseruationem furti de rebus Monasterij, & Conuentus, & ad illam declarationem Pontificis, possit quis respondere, de illa non constare authenticè, ergo, &c.

An saltem superior, in tali casu, possit reseruare illud furtum, quatenus est peccatum proprietatis.

RESOL. XLV.

AD istud dubium respondet Ledesma in Addit. ad sum. to. 2.cap.4.dub.12. fol. mihi 119. ita asserens. [En razon de propriedad adiunta al hurto, podra muy bien el Prelado reseruar el peccado de propriedad, que està iunto al hurto; porque assi determina el Papa en el breue, que pueda el Prelado reseruar el peccado de propriedad, contra el voto de la Pobreza, en materia graue, sino es que el Pontifice en nombre de peccado de propriedad,cõtra el voto de la Pobreza, entienda el gastar, o dar sin licentia del Prelado y como señor, lo que no saria fuera de proposito; segun esto, no podria el Prelado reseruar todo hurto aun, en razon de propriedad. Porque entonces hauemo de dezir, que se condistinguen y differencian estas dos maneras de peccado.] Ita Ledesma. In quibus vltimis verbis, videtur admittere tanquam opinionem probabilem, non posse reseruare tale furtum particulare, etiam quatenus est peccatum proprietatis, quia in decreto Clem. VIII. sub nomine proprietatis intelligitur tantùm, largitio alicuius rei magni valoris, quã faceret Religiosus, tanquam dominus, & sine licentia Superioris. Hæc secundùm mentem supradicti auctoris.

Et hæc dicta sufficiant circa præsentem Bullam, & tractatum de paupertate Religiosa.

TRA-

TRACTATVS VII.

DE CIRCVMSTANTIIS AGGRAVANTIBVS NON NECESSARIO EXPLICANDIS IN CONFESSIONE.

An circumstantiæ notabiliter aggrauantes, sint in Confessione à pœnitentibus aperiendæ?

RESOL. I.

ALIQVI affirmatiuè respondent, vt ex veteribus Altissiodorensis lib.4.summ. tractat.6. cap.3.quæst.3. Alensis part. 3. quæst.18.membr.4. art.3.§.2. Marsilius in 4.sent.dist.12.att.1.par.1.dub. 1.Maior, ibid, q.4 Idem etiam docuit Sotus ibidem,dist.18. quæst.2. artic.4. Victoria in summ.n.177.Caietanus in summ. ver.Confessio, condit.15.Suarez in 3. part. tom.4. disput.22. sect.3. Nugnus in Addit.ad 3.p.tom.2.q.9.artic.2.dub.2. concl.2.Sanchez in summ.to.1.lib 2.cap.11.num.24. Henriquez & Fagundez vbi infrà, Llamas in summ.p.3. §.14. Coninch.de Sacram. disput.7.dub.3.conclus.1. num. 12. & nouissimè Io. de la Cruz in director. conscient.p.2.de Sacram. Pœn. q 3. dub.5. conclus. 2. Carrillo post itiner.ordinan. in Reper.can. fin.14.n.6.de furto notabili, dub.7. num.54. Fabrus vbi infrà, & Petrus Fay in Addit.ad 3.p. quæst.9. disput.5. concl. 1. & Petrus Ledesma in summ.to.1.de pœnit. cap.18. conclus.4. & Syluius in Addit. ad 3.p.qu.9.art.2.dub.1.Qui hanc sententiam ita certam iudicant, vt contrariam improbabilem planè existiment, neque vlla ratione posse ad praxim deduci.

Sed falluntur equidem. Nam opinionem negatiuam asserentem circumstantias aggrauantes, non esse in Confessione aperiendas,non minus probabilem,& tutam in praxi, quàm affirmantem censeo. Et ita docet D. Thomas in 4.dist 16.q 3 art. 2.q.5.Durandus ibid.q.4. Gabriel q.1. Paludanus q.3. art.3. Bonauentura distinct.17. q.vlt. Scotus q. 1. art. 1. Carthusianus q. 2. Almainus q.1.art.2. Albertus dist.16.art.24. Ouandus dist.16. propos.23.Herrera in 2.2.disputat.31 q.7. corol.3. post regul.2. Adrianus q.4.de Confess.art.2. Turrecremata de pœnit. 5. c.1. num.11. Viguerius in instit.c.16. §.4. vers.17. Antoninus 3.par. titul.14.cap.19.§ 7. Couarruuias in 4. decret.part.1.cap.1. num. 14.Syluester verb. Confessio, quæst.9 & verb. circumstantia, num.2.& 3. Angelus ver.Confess.1. num.13. Tabiena ver. Circumstantiæ,num.9.& 8. Armilla eodem vers.num.2. & 4. Sum. Confessorum libr.3.tit.24. quæst. 81. Corduba in summ. quæst. 3. Medina Cod.de Confess.quæst.7. de circumst ntijs. Nauarrus cap.6. num.7.& in cap.consideret, de pœnit. distinct. 5. nu. 6.& ex neotericis Alphonsus Regius in suis resolut.casu 30.nn. 5.Vasquez in 3.p. tom.4. q.91. art.1.dub.2. & 3. Reginaldus in Praxi tom.1.lib.6.cap.5.num.135. Valentia tom.4 disp.7 q.11. punct.1.Lessius lib.4.cap.3.dub.12.num. 8. Zanardus in direct. Theol.par.1.de Sacramen.pœn. quæst.18.Gyptius de cas.reser. cap.8. n.5. Ortiz in sum. cap.25. nu.44 Ochagauia de Sacram. tractat. 2. quæst. 14. Ioseph de Ortu Parochi in speculo Parochorum.cap.9.num.7. Ioannes Sancius in Practicis disputationibus disput.11.num.6. Puteanus in 3.part. D. Thomæ, part.2. quæst.2. dub.4.concl.1. Pesantius in Addit.ad 3.part.q. 10.§. de integritate Confess.disp.3.q.3.Zerola in Praxi de pœnit. cap.12. quæst.5. & hanc sententiam probabilem vocant, etiam aliqui ex aduersarijs, vt Henriquez lib. 1. cap.7. num.4. Fagundez de præcept.Eccles.punct.2.lib.4. cap.2. n. 6.in fin. Pitigianus in 4. sent.distin.16.q.vnic. art.5. conclus.5. Fabrus de pœniten. in 4. sent.dist.17. quæst.vn.disp.24.cap.1.n.18. & Villalobos in summa, tom.1.tract.9.dub.36.n.7.vbi ita asserit. [Si alguno quisiere seguir la opinion contraria de nuestra conclusion, no le podremos condemnar, pues tiene tan buenos padrinos, y la potrà seguir.]Et ratio est.

Primò, quia iure diuino non tenetur quis confiteri nisi omnia peccata mortalia: sed reticendo circumstantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitetur quis omnia peccata mortalia,ergo,&c.Probatur minor, quia peccatum est dictū, factum,vel concupitum contra legem Dei, ergo, si aliqua circumstantia non prohibetur peculiari præcepto,non est speciale peccatum. Vt, v.g.eodem pręcepto prohibetur furtum mediocris quantitatis; & magnæ quantitatis, ergo quamuis non exprimatur quantitas rei ablatæ, sufficit sic confiteri, fateor me commisisse furtum, quod attingit peccatum mortale.

Secundò, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. agens de circumstantijs ait,esse præceptum confitendi illas,quæ speciem mutant, ergo cùm de aggrauantibus taceat, virtute negat, tale præceptum ad illas extendi. Probatur consequentia, tum quia integram doctrinam tradit de omnibus necessarijs ad hoc Sacramentum, tum etiam quia præmittit illa verba. *Nihil aliud Ecclesia à pœnitentibus exigitur, quàm vt, &c.* Ergo,nihil aliud est sub præcepto, nisi quod ibi præscribitur.

Tertiò, si vera esset contraria sententia, teneretur peccator scire circumstantias aggrauantes, sicut tenetur scire peccata mortalia, quæ confiteri debet: hoc autem est valde durum,ergo, &c.Et quia ex hac opinione resoluuntur benignè multi casus, ego in gratiam Confessariorum, ponam hic selectiores, & magis in praxi occurrentes. Ideò quæro.

An qui contra naturam peccauit cum mare, vel fœmina, vel cum bestia diuersæ speciei: debeat explicare circumstantias maris vel fœminæ, aut bestiæ huius vel alterius generis?

RESOL. II.

REspondeo negatiuè, ex doctrina Caietani q.3.de Confess. & aliorum, quia species illæ specialissimæ, quæ solùm differunt in genere entis, & naturæ, & non in genere moris, & malitiæ, non sunt confitendæ,sicut est diuinatio per terram,per astra,per aquam.Item peccatum ęquale in potu,vel esu carniū, vel aliarum rerum.Item furtum auri, panni, argenti, &c. non dicunt nisi vnam deformitatem formalem in genere moris, & propterea,neque istę species specialissimę,neque circumstantię materiales ex parte entis, sunt necessariò confitendæ. Eodem modo dicimus, de peccato contra naturam, non esse necesse confiteri circumstantiam maris,vel fœminæ, vnius,aut alterius generis bestiæ: sed sufficit dicere,peccaui in sodomia toties,in bestialitate quater,&c. Et ita publicè docuit,hic Panormi, quidam Theologus Societatis Iesu,licet Tannerus(quod mihi magis placet)cōtrarium doceat,quoad sodomiam in 2.2. to.3. disp 3.q.3.punct.6.n.149,& ante illum Zanard. in direct. parte 1. præc.6.cap.9.

An mulieri peccanti cum Sacerdote Religioso, satis sit dicere, se commisisse sacrilegium cum Sacerdote, vel initiato sacris Ordinibus?

RESOL. III.

Negatiuè respondet Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. & de iust. lib. 2. q. 8. art. 5. ad 3. Coninch. de Sacram. disp. 32. dub. 3. n. 13. Ledesma in summa to. 1. de pœnit. c. 19. de circumstantia personæ, dub. 2 Zanardus in direct. Theol. p. 1. tract. de pœn. c. 18. Petrus Fay in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. disp 7. ad 3. & alij, quia votum solemne castitatis à Religioso emissum, alterius speciei est ab specie voti Sacerdotis, in ordine suscepto.

Sed ego contrarium asserendum esse censeo, & ita docet Pitigianus in 4. senten. tom. 2. dist. 16. qu. vnic. art. 5. Henriquez lib. 5. de pœn. cap. 5. num. 6. in Gloss. litt. G. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 27. n. 27. & nouissimè Villalobos in summ. to. 1. tra. 9. cap. 37. n. 13. vbi ita asserit. [El Sacerdote professo en el peccado de la carne satisfaze con dezir que es professo, ò que es Sacerdote. El fundamento desta sentencia es, que el Sacerdocio no tiene obligacion ala castidad, mas que la del voto solemne, que assi se incluye, y assi el voto del Sacerdote, y el Religioso no hazen diferente especie, si no solos es reiterar el voto, como el que hiziesse tres ò quatro vezes voto de avunar los viernes : que si le quebrase, no haze mas que vn peccado : que es come el que hizo muchas escrituras de obligacion para pagar vna deuda, que non por esso pueda obligado à pagar mas.] Ita ille, qui etiam citat Medinam, Azorium, & Rodriquez, Et hanc sententiam probabilem vocat Ioan. de la Cruz in direct. consc. part 1. præcept. 6. art. 6. dub. 8. concl. 3. & Lessius lib. 4. c. 3. dub. 12. num. 87.

Dicendum est igitur, pœnitentem accusantem se de copula, satisfacere dicendo in Confessione, se habuisse copulam cum Sacerdote, & non tenetur dicere illum Sacerdotem fuisse Religiosum; Ita Religiosus Sacerdos quando se accusat in Confessione, non tenetur dicere se esse Religiosum Sacerdotem, sed sufficit dicere se esse Religiosum, vel Sacerdotem, aut Sacris Ordinibus initiatum, &c. Et hanc sententiam etiam probabilem vocat Fagundez de præcept. Eccles. tract. 2. libr. 4. cap. 3. num. 4. in fine.

Vtrum Sacerdos, vel Religiosus professus satisfaciat in Confessione, si dicat se violasse votum castitatis, non manifestando votum solemne, quod habet.

RESOL. IV.

Respondet negatiuè Palatius in 4. dist. 16. dub. 2. nu. 31. Rodriquez in summ. tom. 1. cap 109. n. 5. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 4. Medina in summ. lib. 1. c. 14. §. 18. Petrus Fay in Addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. disp. 7. ad 1. Arragon in 2. 2. q. 88. art. 7. Azorius p. 3. lib. 3. c. 17. q. 10. Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 4. n. 20. Fagundez, & Villalobos vbi infra, Ledesma in sum. to. 1. de pœnit. c. 19. in circumstantia personæ, dub. 2. Henriquez vbi infra, & alij, qui putant, votum sacerdotale castitatis differre specie à voto simplici.

Sed ego puto, contrariam sententiam esse probabilem: & ita illam vocauit Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. dub. 37. nu. 13. Henriquez lib. 5. de pœnit. cap. 5. nu. 6. in Gloss. litt. G. Fagundez de præcept. Eccles. tract. 2. libr. 4. cap. 3. nu. 6. & illam etiam absolutè docet Llamas in summ par. 3. cap. 8. § 14. Megala in 1. par. lib. 5. cap. 11. num. 8. Filliucius tom. 2. tract. 30. cap. 9. num. 124. 125. & Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 27. num. 27. Sufficit igitur in Confessione Regularem, seu Monialem professam dicere, se fregisse toties votum castitatis, & tacere circumstantiam professionis, quia votum solemne a simplici nō differt specie, neque alterius rationis vinculum est, sed solum accidentaliter, Idem dicendum est de Sacerdote sæculari. Non enim in Confessione tenetur dicere, se habere sacros Ordines, sed satis est dicere, se habere votum castitatis, & contra illud toties peccasse.

Et hoc etiam dicendum est de fœmina, vel viro, si carnaliter se misceat cum Sacerdote, vel cum Religioso professo: nam satis esset dicere in Confessione, se toties fornicatam esse, vel copulam sodomiticam habuisse cum viro, voto castitatis adstricto,

Notandum est etiam hic contra Fagundez de præcep. eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 3. n. 10. qui votum castitatis simplex in sæculo, vel in nouitiatu emisit, & postea in religione professus est, vel si post votum castitatis simplex sacris Ordinibus initiatur, sufficere si dicat se habere votum castitatis: & non tenetur explicare circumstantiam Sacrorum Ordinum, vel professionis in Religione. Et ità docet Sanch. vbi supra nn. 25. & 35. cum Azorio, Rodriquez & Henriquez.

An sponsus, vel sponsa de futuro, & cum eis carnaliter se commiscentes, teneantur illam circumstantiam explicare.

RESOL. V.

Affirmatiuè respondet Homobonus de examin. Eccles. p. 1. tract. 7. c. 36. q. 140. Naldus in summa, vers. sponsalia, nu. 12. Sylujus in 3. p. qu. 43. art. 1. quæritur 2. Molfesius. Pitigianus in 4. sent. to. 2 dist. 17. quæst. vnic. art 5. Sarmiento selectar. inter. lib. 1. cap. 5. n. 3. & Lopez in instructor. conscient. p. 1. cap. 29. Petrus Fay in Addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. disp. 7. ad 4. cum Petro Ledesma vbi infrà, quia duplex est malitia, altera fornicationis, altera fractorum sponsalium, quæ ob id dirimi possunt, ex c. quemadmodum, de iureiur. Nec valet dicere, hoc procedere in sola sponsa fornicante, nam vterque in corpus alterius per sponsalia ius sibi comparat.

Sed his non obstantibus, non desunt Doctores, qui contrarium docent, nempe talem circumstantiam non esse fatendam, neque à sponsa. Ita docet Couarruuias in 4. decret. part. 1. cap. 1. num. 11. Viualdus in candelabro aureo, part. 1. in tit. de sponsalibus, nu. 10. & probabilem hanc opinionem esse docuit Petr. de Ledesma de matr. qu. 43. art. 1. dub. vlt. imò probabiliorem putat Azorius, apud Filliucium vbi infrà, quia circumstantiæ mutantes speciem sunt necessario confitendæ, sed ista non inutat speciem, cum adulterium non fit, vt tenet Henriq. lib. 11. de matr. c. 13. num. 4. Ergo, &c.

Non reticeam tamen, aliquos Doctores media via incedere, & ita docet Rodriquez in summ. to. 1. cap. 109. num. 3. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disput. 2 nu. 6 Fagundez de præcep. Eccles. tract. 2. lib. 4. c. 3. nu. 21. & Filliucius tom. 2. tract. 30. c. 2. nu. 53. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. dub. 36. nu. 16. quòd talis circumstantia tunc necessario est fatenda, quando se tenet ex parte fœminæ, idest dum aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro, tunc enim tenetur fornicans, & ipsa sponsa fateri hanc sponsalium circumstantiam; at quando se tenet ex parte viri, quia sponsus de futuro fornicatur hæc circumstantia non est de necessitate detegenda in Confessione.

Sed his non obstantibus, noster P. Megala in 1. par. lib. 5. cap. 11. quæst. 5. num. 9. putat, hanc circumstantiam non esse necessario aperiendam in Confessione, etiam in ordine ad sponsam, quia, vt diximus ex Henriquez, non mutat speciem, neque est adulterium, ideò existimo hanc sententiam probabilem esse, & tutam in praxi, & illam etiam docet, vt supra notauimus, Couarr. & Viualdus.

An Episcopus, & Generalis alicuius Religionis si peccet mortaliter; teneatur explicare illam circumstantiam.

RESOL. VI.

Affirmatiuam sententiam docet Fagundez præcept. 2. lib. 4. cap. 3. num. 8. & Nugnus in Addit. ad 3. part. to 2 quæst. 9. art 2. dub. 3. concl. 2. & 3. vbi ita asserit, Quando ipse pœnitens est Episcopus, tenetur explicare istam circumstantiam in quocumque peccato mortali: quia Episcopi ratione proprij status, tenentur ad perfectionem vitæ Christianæ habendam, sed huic perfectioni ex æquo repugnat quodcumque peccatum mortale. Ergo notabiliter aggrauatur in Episcopo ex hac circumstantia quodcumque peccatum mortale. Et hoc probabiliter etiam procedit in Generalibus Ordinum, eo quòd Generales Ordinum sunt quasi Episcopi, & tenentur alios monere ad perfectionem. Ita Nugnus.

Sed ego oppositum dicendum esse censeo, & ita puto, non esse talem circumstantiam necessario in Confessione aperiendam, & ita docet Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 4. n. 18. vnde Filliucius tom. 2. tract. 30. cap. 7. num. 125. Villalobos in summa tom. 1.

tom. 1. tractat. 9. dubio 36. numero 14. Sanchez de matrimon. tomo 2. lib. 7. disputat. 27. num. 33. Henriquez lib. 5. cap. 5. num. 6. in Glossa, litter. G. & alij, qui asserunt, quod fornicans Episcopus, non tenetur Episcopatus circumstantiam fateri, nisi fornicatio illa ab Episcopo, seu Generali Religionis admissa, ita publica esset, vt scandalum pareret: tunc enim aduersus speciem officij obligationem delinquerent, qua tenentur subditos non solum verbo, sed etiam exemplo pascere, atque adeò specialis malitia ex status, ac officij circumstantia contraheretur, eaque necessario fatenda.

Itaque ex his apparet, quòd Episcopus, si occultè fornicaretur, satisfaceret nō solùm tacendo se esse Episcopum, sed etiam si diceret se habere tantùm votum castitatis, vt suprà diximus de Sacerdote, vel Religioso professo fornicante. Et ita docet Sanchez vbi suprà, quicquid in contrarium asserat Fagundez de præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. capit. 3. numero 8. qui citat Ledesmam, & alios multos. Sed quod dictum est de Episcopo cum Sanchez, a fortiori procedit in Generalibus Religionum. Notandum est etiam hic contra Nugnum vbi suprà, quòd quando omnes ciues tenentur ad præliandum, specialiter tenētur milites, & duces: sed supradicti non tenentur istam circumstantiam explicare, nempè se esse milites, & duces, quia dicta circumstantia est solùm aggrauans, & ideo non necessario in Confessione aperienda.

An mulier habens rem cum nouitio, vel solutus cum nouitia Religiosa, teneatur aperire hanc circumstantiam?

RESOL. VII.

Respondet affirmatiuè Llamas in Summ. p. 3. c. 8. §. 14. Sed mihi placet contraria sententia, quàm docet noster Megala in 1. parte libro 5. capit. 11. numer. 7. quia cùm hæc circumstantia sit tantùm aggrauans, non est in Confessione aperienda. Quæ doctrina magis procedit, si mulier haberet rem cum clerico minorum ordinum, quia talis circumstantia non ita notabiliter aggrauat malitiam luxuriæ, & ita docet Llamas vbi suprà.

An Sacerdos, vel initiatus Sacris Ordinibus, si aliquem percutiat, vel occidat, teneatur explicare hanc circumstantiam?

RESOL. VIII.

Teneri docet Nugnus in addit. ad 3. p. to. 2. qu. 9. art. 2. dub. 3. conclus. 5. vbi sic asserit. Quando initiatus Sacris Ordinibus occidit, vel abscindit membrum alterius, vel notabiliter percutit, vsque ad effusionem sanguinis, tenetur explicare se esse initiatum Sacris, quia hoc maximè repugnat proprio statui propter irregularitatem annexam. Et credo etiam probabiliter, quod Sacerdos teneatur explicare, se esse Sacerdotem, quia effusio sanguinis maximè repugnat Sacerdotio. Ita ille. Sed si aliquis dictam circumstantiam taceret, non illum damnarem, quia est solum circumstantia aggrauans.

An Religiosus professus, qui emittit votum de non committenda mollitie, vel fornicatione, teneatur explicare hanc circumstantiam voti emissi post professionem, & idem quæritur de Sacerdote, vel Sacris Ordinibus initiato.

RESOL. IX.

Respondeo negatiuè, nempè non teneri declarare in Confessione se hac de re post votum professionis, aut Sacrum Ordinem, speciale votum emisisse, quia per votum solenne castitatis, in professione emissum, & dum Sacerdos Ordines suscepit, ad id ipsum tenebatur, & multiplicatio noua votorum, etiam nullam addit circumstantiam aggrauantem: nec se obligauit de nouo, sed veterem obligationem cum illo voto cōfirmauit. Sicut, qui sæpè promitteret aliquam rem cum iuramento; vel publicas scripturas de illa efficeret. Et ita docet Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 11. qui citat Sanchez, & Llamas, & ideo Filliuc. to. 2. tract. 30. cap. 7. num. 26. asseruit, aliquem habentem votum solemne, & simplex, nō teneri vtrumque exprimere, quia votum solemne, & simplex differunt tantùm accidentaliter, & non est circumstantia in Confessione aperienda.

An vir, qui prima vice virginitatem amisit, teneatur hanc sui floris circumstantiam in Confessione aperire?

RESOL. X.

Aliqui, vt notat Nugnus in Addit. ad 3. p. to. 2. quæst. 9. art. 2. dub. 3 concl. 5. affirmatiuè respondent, quia etiam vir in illo actu amittit quandam integritatem naturalem, & formaliter amittit ipsam virginitatem, hoc est virtutem virginitatis, & specialem quamdam gloriam, quæ appellatur laureola, virginitatis, quæ omnia amittit irreparabiliter in æternum. Hoc autem videtur maximum nocumentum super omnia nocumenta temporalia Ergo tenetur vir talem circumstantiam in Confessione explicare.

Sed contrariam sententiam, veram esse iudico cum Llamas in summ. part. 3. cap. 8. §. 17. Azorio part. 3. lib. 3. cap. 11. quæst. 2. Filliucio tom. 1. tract. 29. cap. 4. num. 71. Henriquez libro 2. de pœnit. c. 8. num. 2. Suarez in 3. parte disp. 22. sect. 4. in circumstantia quid. Nugno vbi suprà, & cum alijs communiter. Neque obstat argumentum in contrarium. Nam si verum esset, probaret etiam primum peccatum commissum à susceptione Baptismi plurimum augeri à circumstantia innocentiæ Baptismalis, per idem amissæ, & ideò explicandum esset in Confessione; quod nullus docuit. Videatur Caietanus in 2. 2. quæst. 154. artic. 6. Sed difficultas consistit, an idem dicendum de virgine, ideò quæritur.

An virgines, quando spontè primò fornicantur, teneantur in Confessione istam circumstantiam explicare?

RESOL. XI.

Affirmatiuè respondent Doctores, quos citant, & sequuntur Fagundez de præcep. Eccles. tract. 2. libr. 4. cap. 3. num. 13. & 16. Bonacina de matrim. quæst. 4. punct. 17. num. 2. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. dub. 36. num. 15. Azorius part. 3. lib. 3. cap. 11. q. 4. & 5. Filliucius tom. 2. tr. 30. cap. 3. numer 66. & 72. Sylutus in Addit. ad 3. part. qu. 9. art. 2. dub. 2. concl. 3. quibus adde Nugnum in Addit. ad 3. part. to. 1. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 6. & Petrum Fay in Addit. ad 3. p. q. 9. art. disp. 8. conclus. 1. quia circumstantia virginitatis mutat speciem, & est peccatum stupri, vel saltem est circumstantia aggrauans, maximè, si virgo esset sub custodia parentum, & tutorum, vt aliqui volunt, & præsertim Diuus Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 6. Angelus ver. stuprum, in principio Syluest ver. luxuria, q. 1. Tabiena ver. stuprum, n. 1. & verbo luxuriosus, quæst. 5. n. 6. Armilla ver. luxuria, num. 4. & ver. stuprum nu. 1. Graffius p. 1. libr. 2. c. 79. nu. 1. & Pedrazza in summ. præcep. 6. §. 2. cum alijs.

Sed his non obstantibus, cōtrariam sententiam probabiliorem esse iudico, nempè peccatum virginis, si spontè consentiat, siue sit, siue non sit sub cura tutorum, & parentum, non esse peccatum stupri, sed simplicis fornicationis, & hanc circumstantiam non esse in Confessione aperiendam, & ita docēt viri doctissimi Lessius lib. 2 c. 10. dub. 6. n. 5. Coomch de Sacramen. disp. 7. dub. 4. nu. 19. Sanchez de matrim. to. lib. 7. disp. 4. num. 5. Vasqu. opusc. de restitut. c. 3. §. 1. dub. 1. num. 7. & in p. 2. disp. 112. c. 1. n. 1. qui pro hac sententia citat Sotum in 3. dist. 18. q. 2. art. 4. & meritò defendit à calumnia, quam illi imponunt omnes ferè Doctores. Idem etiam docet Megala in 1. p. lib. 5. c. 11. num. 10. opin. 4. Nauarra de restit. lib. 2. c. 3. nu. 419. & alij, quos citat Salas in p. 2. to. 2. tract. 3. disp. 24. n. 5. & hanc sententiam probabilem vocat Tannerus in 3. disp. 4. q. 8. nu. 150.

Vnde ex hac doctrina inferunt, & rectè supradicti authores, quòd virgo, quæ morosè delectatur circa aliquem, non tenetur in Confessione aperire circumstātiam virginitatis, & dicere, se cum esset virgo, delectationem morosam de iuuene, vel Religioso suscepisse: etiam si virgo se polluat, cogitando super illos, quicquid in contrarium asserat Regius variar resolut. casu 189. qui multos alios citat.

Secundò infertur, iuuenē, qui morosè delectatur de virgine, fine

sine tamen voluntate inferendi ei violentiam, sufficere si dicat in Confessione se delectationem habuisse circa feminam solutam. Idem dicendum est, si cum virgine copulam habuerit; nam si sponte cõsensit, sufficit dicere se toties copulam habuisse cum fœmina soluta. Et ratio supradictorum est, quia vt notauimus, quando virgo sponte consentit, peccatum, seu stuprum illud non differt à simplici fornicatione. Et hæc opinio est probabilissima, & tuta in praxi.

Notandum est etiam hic à fortiori cum Bonac. de matr. q.4. punct.11. nu.9. non esse necessario explicandam in Confessione sodomiam commissam fuisse cum virgine: sed sufficere si dicatur, commissam fuisse cum femina, nam per hoc peccatum non violatur claustrum virginale.

Notandum est etiam, vt obseruat Sancius in suis practicis disputationibus, aliquos viros doctos ex Societate Iesu censuisse, sat esse stuprantem fœminam per vim, fateri se commisisse simplicem fornicationem per violentiam; sic ille disp.29.n.8.in fin. licèt ipse hanc sententiam in nu.9. non admittat.

Et tandem notandum est, quod etiam stando in prima opinione, quam supra posuimus, quando virgo sola polluitur, non tenetur exprimere circumstantiam virginitatis, quia licèt per illam pollutionem perdatur virginitas, prout est virtus; non tamen prout dicit integritatem signaculi. Et ita docet Filliucius to.2. tract.30.c.3. nu.74.

An Confessarius, qui carnaliter cognouit pœnitentem, teneatur dictam circumstantiam explicare?

RESOL. XII.

AFfirmatiuè respondet Homobonus de exam. Eccl. part.1. tract.5.capit.12.quæst.75. Ragucius in lucerna Parochorum, de Sacram.pœniten.q.43. Acugna trac.de confess.follic.q. 5.nu.53. Nugnus in Addit.ad 3.p.to.2. quæst.9.art.2. dub.3. in fin.Sanchez de matrim. to.3.lib.6.disp.55.n.4. Coninch.de Sacram.disp.31.dub.2.n 23.Megala in 1.p.lib.5.c.12.num.16. Zanardus in direct.theol,p,1.de Sacram.pœn.cap.18.in circumst. Quis, & nouissimè Fagund.de præcep. Eccl.tract.2.lib.4.c.3.nu. 23.& alij, quia hæc circumstantia mutat speciem peccati, est enim speciale sacrilegium, ratione vinculi, similis cognationi spirituali, ex sacramento contracti.

Sed contrariam sententiam, puto esse probabiliorem, quia vt notat Vasquez in 3. p.to.4.quæst.91. art.1.dub.2. nu.20. Rodriquez in summa, tom.1.cap.200.num.1. Vegha in summ. to. cap.35.cas.19.& alij, hæc circumstantia non mutat speciem, sed notabiliter tantùm aggrauat peccatum. Et in terminis hanc sententiam docet Pontius tract. de impedim. matr.causa 20.c. 24.§.2.verb.atque hac.Sancius in pract.disp.11.num.3. & sequ. Azorius p.3.lib.3.c.9.q.5. & nouissimè Fay in Addit.ad 3.p.q.9. art.2.disp.8.concl.2.Bonacina de matrim.q.4.punct.16.num.7. cum alijs penes ipsos. Et hanc opinionem probabilem putat Portel in add.ad dub. Regul. ver. eligendam. 3. & Ledesma in summ. to.1.de pœn. c.19. concl.6.

Notandum est verò, quod Filliucius to.1. tract.10.cap.5.nu. 187.resoluit hanc quæstionem cum distinctione. Aut enim, ait, actu mulier est pœnitens Sacerdotis, cui ordinariè confiteatur, aut non est actu pœnitens, sed olim fuit. In primo casu, putat talem circumstantiam esse in Confessione aperiendam; in secundo casu minimè.

Sed tu probabiliter tene absolutè, dictam circumstantiam nunquam esse necessario in Confessione explicandam: quia, vt diximus, dicta circumstantia est solùm aggrauans, & non mutat speciem, quia Sacramentum pœnitentiæ non inducit propriè cognationem spiritualẽ, cum in nullo iure expressa reperiatur. Et c.omnes 30.q.1. intelligitur de incestu metaphorico, & improprio, licèt Confessarius dicatur pater spiritualis. Et hoc etiam docet Filliuc. to.2.tract.39.c.5. n.105.

An qui committit, v. gr. tria fornicationis peccata cum tribus fœminis, teneatur in Confessione dicere, se cum tribus fœminis fornicatum esse.

RESOL. XIII.

REspondeo negatiuè cum Sancio in pract.disp.1.numer.24. Homobono de exam.Eccles.part.1.tract.5.c.13.quæst.83. Bonacina de sacram.disp.5.q.5.punc.2.§.3. diffic 4.propos.3.n. 14.vbi sic ait. Qui commisit tria fornicationis peccata cum tribus feminis, non tenetur dicere se tres fœminas carnaliter cognouisse. Sed satisfacit, dicendo, se ter fornicatum fuisse: nam actus fornicationis cæteris partibus eamdem habent malitiam siue committantur cum vna, & eadem fœmina, siue cum diuersis eiusdem rationis, & conditionis. Ita ille, qui citat etiam Azorium.

An qui furatus est, v gr. mille aureos, satisfaciat si in Confessione dicat, surripui rem notabilem.

RESOL. XIV.

NEgatiuè respondet Nugnus in Addit.ad 3 p.to.2.qu.9.art. 2.dub.3. Henriquez libr.5.c.7.nu.4. Sanchez in summa, to.1.lib.4.c.11.nu.24. Coninch.de Sacram.disp.7.dub.3.nu.13. concl.1.Fagund.de præcep. Eccl.tract.2.lib.4. c.9.nu.2. Suarez in 3.p.to.4.disp.22 sect.3.num.17. Medina libr.1. c.9.§.2. Toletus lib.3.c.7.n.4. Sotus in 4.dist.17.quæst.1.art.4. Sayrus de pœnitent.c.8.nu.8 Petrus Fay in Addit.ad 3.p.qu.9.art.2.disput.3. concl.1.Bonac.vt infrà, & alij.

Hæc opinio est probabilis, sed cõtrariam etiam probabilem vocat Bonacina de Sacram. disp.5. quæst.5.sect.3. punct.2. §. 1. difficult.3.nu.17.& illam docuit Nauarrus in c. consideret.dist. 5.n.12. & ex neotericis sustinet hanc sententiam Vasquez in 3. p.to.4.q.91.art.1.dub.3.Megala in 1.p.lib.5.c.12.n.2. Zanardus in theol.p.1.tr.de pœniten.c.18. Gyptius tract. de cas. reseru.c. 8.n.5.Zerola in praxi pœnit.c.12.q.3.& alij. Vnde sufficit quòd pœnitens dicat, se commisisse furtum in re notabili, vt Confessarius possit cognoscere, illum peccasse mortaliter.

An consuetudo peccandi sit circumstantia aperienda in Confessione?

RESOL. XV.

REspondet affirmatiuè Fagundez de præcep. 2.libr.4. cap.4. n.7.Henriq.lib.5.cap.8.num.2. & in Gloss.litt. A, citat pro hac sentẽtia D. Antoninum, Tabienam, Rosellam, Syluestrum, Sotum, & alios.

Sed contrariam sententiam, & meritò docet Bonacina de Sacram.disp.5.q.5.sect.2.punct.2.§ 3. different. 3. num.22. qui citat Suarez, Reginaldum, & Zerolam, quibus ego addo Vasquez in 3.p.to.4.quæst.91.art.1.dub.3.nu.3.nisi quando consuetudo illa peccandi fuisset ex occasione proxima, quam ille tenetur resecare, secùs quando fuisset consuetudo, vbi non est hæc occasio; tunc enim non tenetur talem consuetudinem explicare, nisi à Cõfessario iusta de causa interrogetur, vt pœnitentis dispositionem intelligat, quia consuetudo arguit infirmum emẽdationis propositum. Vide infra in resol.55. vbi Sancium contrarium docentem inuenies.

An Prælato præcipiente aliquid sub præcepto obedientiæ, si subditus non obediat, peccet dupliciter, & teneatur hanc circumstantiam in Confessione aperire?

RESOL. XVI.

AFfirmatiuè respondet Villalobos in summa, tom.1.trac.9. dub.36.nu.14. vbi sic ait. [El Religioso, que non obedece al Prælado, quando le manda por obediencia, comete vn peccado con dos malicias, que es contra Religion; y contra obediencia, y assi todo lo debe en Confession explic r.]

Sed pro contraria sentẽtia, aduersus Hispanum alium Hispanum opponamus, & hic est Ledesma in summa, to.1.de pœnit. c.10.concl.6. fol. mihi 328. vbi sic asserit. [Se puede dezir muy probablemente, que el tal Religioso no comete sino vn peccado mortal, que tiene vna sola malicia, porque aunque el quebrantamiento del precepto sea contra la virtud de obedientia, y de Religion, però no es contra materia necessaria de obediẽcia, sino es por participacion de la virtud de Religion mediãte el voto, que hizo, y ansi el tal peccado no tiene mas que vna malicia.] Ita ille, qui citat Caietanum in 2.2.q.88.art.5.ad 3. & Sotum de iust.lib.7. q.2.art.3. ad 1.

An

An si quis vnica voluntate voluisset plures homines occidere, aut pluries ad mulierem accedere, &c. teneatur hanc circumstantiam confiteri?

RESOL. XVII.

Affirmatiuè respondent Doctores, qui putant in eodem actu esse posse duplicem malitiam solo numero differentem, vt docet Vasquez vbi infrà. Et exemplum erit in illo, qui in vno actu odij ferretur in decem homines, cõmitteret enim vnum peccatum physicè, in quo essent decem malitiæ morales numero distinctæ, quia sunt decem obiecta integra, quorum quodlibet ex se aptum esset constituere vnum peccatum: sunt enim decem iniuriæ diuersæ numero, quæ fierent decem distinctis hominibus; sicut qui vno in ictu occideret decem homines, faceret vnum peccatum physicè ratione vnius actionis, in quo essent decem malitiæ homicidij.

Sed contrariam sententiam tenet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 5. nu. 35. & alij, qui putant eiusmodi obiecta diuersa numero materialiter, & physicè, facere tantùm actum peccati grauiorem: esse autem vnum obiectum formaliter, & moraliter, ideoque licet singula, si per se sumantur, possint dare malitiam numero diuersam, tamen quatenus omnia coniunguntur in vno actu hic, & nunc, nullum ex ijs per se illam conferre, sed omnia simul per modum vnius concurrunt ad vnam, & eamdem malitiam. Itaque ex hac secunda opinione apparet, obiecta diuersa numero, non multiplicare peccata, sed tantùm aggrauare; & ideò secundùm illam dicendum est, talem circumstantiam non esse in Confessione aperiendam, vt rectè notauit, licet ipse contrariam sententiam teneat, Vasquez in 3. p. tom. 4. quæst. 91. art. 10. dub. 4. num. 8. vbi sic asserit. Hoc dixerim opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu esse posse duplicem malitiam solo numero differentem, cuius contrariam non existimo improbabilem: & secundum illam, qui eam sequuntur, Confessione explicandam. Ita Vasquez.

Et ideo ex neotericis docuit hanc sententiam ex nostris P. Megala in 1. p lib. 5. cap. 12. num. 4. vbi expressè aduersus Azorium probat, quòd si aliquis vnico actu voluntatis, decem homines occidere velit, nõ tenetur numerum huius casus in Cõfessione explicare; quia præter rationes adductas, sicut vnicus, & indiuisibilis actus charitatis erga decem homines, vnicã, & indiuisibilem charitatẽ habet; ita vnicus, & indiuisibilis actus odij erga totidem homines, vnicam, & indiuisibilem habet malitiam; sed qui vnico actu voluntatis decem homines vellet occidere, vnicum actum odij haberet; ergo eius actus vnicam haberet malitiam: ergo sufficeret hanc tantum in Confessione explicare. Nisi tamen vnico actu voluntatis vellet plures occidere, quorum vnus est pater proprius, alter Sacerdos, alter sæcularis, in quo casu vnum committeret peccatum, sed plures habens deformitates, scilicet homicidij, parricidij, & sacrilegij. Sicut qui vnico actu voluntatis desideraret, & delectaret se de tribus fœminis, quarum vna esset Monialis, altera coniugata, & altera soluta, secus si omnes tres essent solutæ, vel coniugatę, vel Moniales. Nam in hoc vltimo casu, non autem in primo, sufficit si pœnitens dicat, se morosam delectationem habuisse super Moniali, vel soluta, vel coniugata, & non erit necessarium dicere delectationem fuisse super tres Moniales, vel tres solutas, vel tres coniugatas, quia vt dictum est, ex sententia supradictorum DD. obiecta tantùm diuersa numero non multiplicant peccata, sed aggrauant. Et idem dicendum erit, secundum hos DD. in casu, quo quis vno actu voluit omittere officium per mẽsem, vel ieiunium per totam quadragesimam, sufficiet enim, si dicat in Confessione, se voluisse frangere ieiunium, vel officium non persoluere, his tamen non obstantibus, puto contrariam sententiam Vasquez amplectendam esse, & ita in praxi obseruatur.

An gestatio reliquiarum in actu venereo vel illas amasiæ dare, sit circumstantia in Confessione explicanda.

RESOL. XVIII.

Respondeo, quòd si in actu venereo gestentur reliquiæ, vel Agni benedicti, vel calculi cum Indulgentia, non cõmittitur sacrilegium, nec talis est circumstantia in Confessione explicanda, quia concomitanter se habent ad actum venereum. Quòd etiam procedit, si dictæ res sacræ dentur amasię ex gratitudine, & beneuolentia, non autem tamquam pretium actus venerei: nam in isto casu esset sacrilegium hoc facere, in primo verò est tantum irreuerentia quædam, re sacra, & Deo dicata remunerando actum turpem, & prophanum. Et ita docet Filliucius to. 2. tract. 30. c. 7. n. 229.

An sit circumstantia aperienda in Confessione, copula inter coniugatos habita in loco sacro.

RESOL. XIX.

Respondeo negatiuè, si per longum tempus in illo loco detenti sint; quòd verò tempus longum sit, arbitrio prudentis committitur, & in hoc est difficultas. Sanchez de matrimon. tom. 3. libr. 9. disputat. 15. num. 12. existimat vnum mensem esse longum tempus. Lessius libr. 4. capit. 3. dub. 12. num. 86. quindecim, vel viginti dies; Fagundez verò pręcept. 2. li. 4. cap. 4. nu. 21. decem dies.

Sed ego, attẽta humana fragilitate, puto cum Suarez in 3. p. q. 83. ar. 3. disp. 81. sect. 4. §. 3. violatur, & Petro Ledesma in sum. tom. 1. de Sacram. Eucharist. cap. 20. longum tempus esse quatuor, vel quinque dies.

Ex his apparet, rectè respondisse Megalam in 1. part. libro 5. cap. 13. num. 9. non peccasse quamdam mulierem, quæ in quadam Ecclesia Regularium reddidit coniugale debitum marito dicenti se ampliùs non posse continere, qui ad Ecclesiam confugerat propter delictum, & nulla aderat spes inde exeundi, nisi post longum tempus.

Sed non reticeam quosdam Doctores existimare, copulam coniugalem in loco sacro, si occultè fiat, etiamsi coniuges non sint conclusi, non esse peculiare peccatum sacrilegij, quam sententiam probabilem putat Vasquez in p. 2. to. 1. disp. 98. c. 3. nu. 6. & illam refert Lessius vbi suprà, & non impugnat: & illam nouissimè docet Pontius de matr. lib. 10. c. 10. nu. 15. Et hæc opinio est probabilis, quicquid in cõtrarium asserat Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 2. dub. 3. nu. 42. licèt contrariam sententiam probabiliorem existimem.

An sit circumstantia aperienda in Confessione, si quis haberet copulam in Oratorio alicuius domus, in quo de licentia Episcopi Missa celebrantur.

RESOL. XX.

Respondeo negatiuè, & ita docet Sanchez de matr. tom. 3. libr. 9. disput. 15. num. 39. & alij. Idem dicendum est, vt his diebus in casu occurrenti, ego respondi, si copula habita sit in porta Ecclesiæ à parte externa Ecclesiæ, vel in Monasterio, in cellis Religiosorum, etiamsi Superior Conuentus singulis noctibus benedicat dormitorium, & aqua aspergat lustrali, & ibi sit altare ad celebrandum, quia reputabitur tunc, tanquam oratorium priuatum. Ita Fagund. pręcep. 2. lib. 4 c. 4. num 34. & 39. Quæ omnia etiam procedunt, si copula haberetur in Sacristia Ecclesię, nam non esset circumstantia aperienda in Cõfessione, vt notant Doctores citati, & noster P. Megala in 1. p. lib. 5. cap. 13. nu. 11.

An clericus sacris Ordinibus initiatus, vel Religiosus, qui in ludo taxillorum, & alearum fraudauit aliquem in notabili quantitate satisfaciat dicendo in Confessione, se proximum in quantitate notabili fraudasse, an vero teneatur circumstantiam instrumenti, & medij aperire, asserendo illam fraudem fecisse ludo taxillorum, seu alearum.

RESOL. XXI.

Esse prædictam circumstantiam aperiendam, putãt omnes, qui asserunt supradictos peccare mortaliter, si frequenter vacant his ludis. Et ita docet Rebellius, & Lessius apud Megalam vbi infra, quibus ego addo Salas tract. de ludo, dub. 24. n. 2. & seq. Squillante de obligat cler. p. 2. dub. 8. num. 46. Toletum lib. 5 c. 17. n 46. Homobon. de exam. Eccles. p. 2. tr. 9. ca. 24. q. 74.

Molfesinm in summ.to.2.tract.12.c.25.nu.41. & 88. Filliucium to.2.tract.37.c.4.n.59. & alios.

His tamen non obstantibus, noster Megala in s.p.lib.5.c.14. num.8. docet, dictam circumstantiam non esse in Confessione aperiendam; quia putat dictos clericos, & Religiosos, secluso scandalo, etiamsi frequenter ludant, non peccare mortaliter, & conatur respondere ad sacros Canones, vbi tales ludi clericis prohibiti inueniuntur. An vero hæc sententia sit probabilis, viri docti illum legendo iudicent.

An qui non audiuit Missam in die Dominico, in quem incidit festum alicuius sancti satisfaciat dicendo in Confessione, se in die festo semel missæ sacrum prætermisisse. Item, quæritur, si eodem die duplici titulo ieiunandum sit?

RESOL. XXII.

RESpondet negatiuè Tannerus in 2.2. disput.5.q.6. dubio 2. num.24. Homobonus de examin. Eccles.part.s. tract.5.c. 12.quæst. 79 Fabrus de pœnit.in 4. sent. dist.17. quæst.vnic.disput.24.c.2.nu.39. Nauarrus in Manual. cap.11. num.4. Lopez in instruct.p.s. cap.29. Rodriq.in summ.to.2.cap.23.nu.5. Coninch de Sacram. disp.2. dub.6. num.47. & Reginaldus in Praxi, to.s.lib.6.cap.4.num.129. & alij, qui putant in tali casu, non sufficere, si pœnitens dicat, omisit sacrum in die Dominico: sed opus est dicere, in illum diem Dominicum incidisse, v.g. festum D. Ioannis Baptistæ.

Sed contrariam sententiam, puto esse probabiliorem, quam tuentur, & docent Vasquez in 3. p.to.4. quæst.91. art.1. dub.4. nu.9. Nugnus in Addit.ad 3.p.q.9.art.2.dub.3, Henriquez libr. 5.cap.5.num.6.in Glossa litt.B. Sanchez disput 11.nom.57. Sanchez de matrimon.to.3.lib.9.disp.15 nu.6. vbi sic ait, Hinc deducitur pro materia de pœnitentia, dum obligat præceptum audiendi sacrum, aut abstinendi a seruilibus ratione duplici festi concurrentis, vt si festum incidat in die Dominicæ, aut ieiunij ratione vigiliæ incidentis quatuor anni temporibus, aut quadragesimæ, vnicam esse malitiam præceptum illud transgredi, atque ita sufficienter fateri, dicentem se ieiunium, aut festum violasse. Idem docet etiam Ledesma in summ.tom.1.de pœnit. cap.19.concl.6. Megala in 1.p.lib.1.cap.17.num.5. Sà verb.confess.§.quidam putat. Et hanc sententiam magis in praxi esse vsu receptam, testatur Homobonus de exam. Eccles.p.1.tract.5.c. 12. quæst.76.

Vnde ex his infertur, quòd qui furatur rem sacram de loco sacro satisfacit, si in Confessione dicat, se furatum fuisse rem sacram, nec opus est dicere de loco sacro, quia vtraque illa circũstantia ad eandem rationem formalem virtutis Religionis spectat. Ergo, &c. Et ita docet Fagund.præcep 2.lib.4.cap.5.nu.21. in fine.

Vtrum si quis furetur propter fornicationem, teneatur hanc circumstantiam finis explicare in Confessione, vel sufficiat dicere, furatus sum, & postea per alium actum dicere, habui intentionem fornicandi.

RESOL. XXIII.

NEgatiuè respondet Syluester verb. Confess.1. quæst.10. & ex neotericis Ioan. de la Cruz in director.consc.p.2.tract. de sacram.pœnit.q.3.dub.6.conclus.1. Megala in 1.p.lib.5. cap. 10.nu.2.cap.53.n.6. Nugnus in addit.ad 3.p.quęst.9.art.2.dub. 3. & alij.

Sed mihi contraria sententia videtur probabilior. Dico igitur, verum esse, circumstantiam finis esse explicandam in Confessione, vt in exemplo apposito, quando quis furatur propter mœchiam. Et ita docent Bonacina de sacram.disp.5.q.5.sect.2. punct.2.difficult.3.num.25. Fagundez præcep.2.lib 4.cap.5.nu. 50. Henriquez lib.2.c.6.nu.3. Suarez in 3. p.to.4. disp.22.sect.4. in circumstantia Cur. Reginaldus to.1.lib.6.cap.4.num.527. & alij communiter.

Sed licèt hoc, vt dixi, verum sit, puto tamen in simili casu, contra Nugnum, & alios, sufficere si pœnitens dicat, furatus sum, & postea subiungat habui intentionem mœchandi. Et ita docet Angelus verb.interrogatio. §.6. Nauarrus in man.cap.6. nu.2. & ex neotericis Petrus de Fay in Addit.ad 3.p.qu.9.art.2. disput.11. Quia, vt ait ipse, malitia, quæ in furto desumitur a mœchia, ad quam ordinatur, non est alia ab ea, quæ reperitur in intentione mœchiæ: similiter malitia furti, quæ reperitur in intentione mœchiæ, non est diuersa malitia ipsius furti secundum se: ergo qui confitetur furtum, & mœchiam, etiamsi non explicet se ordinasse vnum ad aliud, sufficienter explicat suum statum: ergo ad aliud non tenetur.

Notandum est etiam, cum Coninch de sacrament. disputation.7. dub.4.numer.24 & alijs vbi supra, quòd circumstantia finis tunc est explicanda, quando quis peccando, intendit finem aliquem, qui continet malitiam mortalem. Vnde rectè notauit Pitigianus in 4.senten. tomo 2.distinct.17.quęst.vnica, art.5. in circumstantia Cur; quòd si quis est confessus propter inanem gloriam, hæc circumstãtia mali finis, idest vanę gloriæ, non erit necessariò in Confessione aperienda, quia in tali casu, circumstãtia mali finis non continet malitiam mortalem; ergo non est confitenda.

Nota secundo, quod si quis in die festo propter studium omitteret Sacrum, non est necessarium in tali casu cõfiteri circumstantiam studij, propter quod omissum fuit, sed tantum omissionem sacri, quia talis circumstantia, nec in se mala est, nec mutat speciẽ peccati, nec illud notabiliter aggrauat. Ergo, &c. Et ita docet Salas in part.2.tract.13.disp.2.sect.7. & 8. Vasquez etiam in p.2.disp.93.c.3. Henriquez lib.2. cap.5. nu.7. & in Glossa litt. C. cum alijs.

An qui cum conscientia erronea facit aliquid, nec tamen in cogitatione distinxit, an illam actionem facere esset peccatum mortale, vel veniale, debeat in confessione talem circumstantiam conscientiæ erroneæ aperire, si postea inuenit non esse peccatum mortale illud, quod fecit.

RESOL. XXIV.

AFfirmatiuè respondet Sanchez in summ. to.1.lib.5.c 11.n. 7. Vasquez in p.2.to.2.disp.59.c.3.nu.10. Azorius p.1.lib.2. c.8. quæst.6. & alij.

Sed cõtrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quã docet Nauarrus in Manuali, prælud.9.nu.9. Lopez in instruct.p. s.c.3. & ex neotericis Valentia tom.2.disp.2.quæst.14.punct.4. qui hanc rationem adducit; Nam velle id, quod in genere duntaxat iudicatur illicitum, non videtur esse grauis malitia, cum contineatur adhuc eiusmodi voluntas intra limites eius rationis, quæ est communis peccato mortali, & veniali, atque adeò sit imperfecta in genere mali, itaque solum hic erit peccatum veniale. Ita Valentia; vnde talis circumstantia non erit in Confessione necessario aperienda.

An tactus impudici facti in Ecclesia, habeant specialem malitiam sacrilegij mortalis, necessario in Confessione explicandam.

RESOL. XXV.

AFfirmant plures, & præsertim ex neotericis Ortiz in sum. notabil.5. in fin. circa 6. præceptum, Salas in part.2.tom.6. tract.13.disput.6.sect.21.numer.150.in fine, & Pitigianus in 4. sent.tom.2.dist.17.quæst.vnica, art.5.in circumstantia vbi, in fine, Azorius to.1.lib.4.cap.6.quæst.10. Suar. de Religione, to.5. libr.3.cap 7.nu.11. vbi citat Cord. Syluest. Lopez, Rodriquez, & Ledesma. Et ratio huius sententiæ non fundatur in Ecclesiastica prohibitione; nam hæc prohibitio facta non est, nisi de seminis emissione in Ecclesia. Ergo erunt hi tactus impudici in Ecclesia facti mortalia sacrilegia ex vi legis naturalis prohibentis illos tactus in loco sacro, tanquam indecentissimos sanctitati eius. In quo genere tactus illi reputantur prudenter materia grauis, & sufficiens ad grauem irreuerentiam loci sacri. Fortasse tamen non erit idem de turpi aspectu, aut nutu, aut leui verbo, maximè quando in transitu, & sine notabili mora, & scãdalo fiunt, quia non videntur materia ita grauis. De quo non potest ferri certa regula, sed id prudẽti iudicio relinquendum est. Hæc Suarez.

Sed nimis scrupulosè. Puto igitur cum Homobon. de exam. Eccles.

Eccl.p.1. tract.5.cap.12.quæst.77. Sanchez de matr.to.3. libr.9. disp.15.nu.21. Fagundez præcep.2.libr.4. cap.4.num.31. & Coninch de sacram.disp.7.n.22. probabilius esse, etiam tactus turpes, & impudicos habitos in Ecclesia, modo non adsit periculum pollutionis, ratione loci sacri, non habere specialem malitiam sacrilegij, in Confessione aperiendam. Et ratio est, quia, vt docet Valentia 2.2.disp.6.quæst.15.punct.1.§. prætereà, cum Henriquez lib.5.de pœnit.c.7.num.5. & Vasquez in p.2. tom.1. quæst.72. art.6. disput.98.nu.4. malitia, & specialis deformitas sacrilegij non consurgit ex iure naturæ, sed ex solo Ecclesiæ statuto, quod decernit, Ecclesias tantū ex sanguinis, & seminis effusione violari. Itaque, vt optimè etiam docet Caietanus to.1. tract.17.responsionum, respon.12.dub. 1. tunc loci circumstantia sacrilegium constituit, cum peccata in eo admissa impediāt diuina posse ibi celebrari, mortuos sepeliri, &c. Sed tactibus, quamuis impudicis, vt patet, non violatur Ecclesia, neque per illos impediūtur diuina officia. Ergo tales tactus, etiam turpes, non erunt sacrilegi, neque continebunt circūstantiam in Confessione detegendam.

Post hæc scripta, inueni sententiam Suarez, & aliorum docere etiam ex neotericis Raphael de la Torre in 2.2.to.2 q.99.ar. 3.disput.7. vbi quærit, quando sacrilegia pertinentia ad tactus turpes, in Ecclesia sint peccata mortalia. Et respondit esse mortalia in fornicatione, pollutione, & tactibus impudicis in partibus inhonestis, & ideò aperienda in Confessione. Sed nostra opinio tuto practicari potest.

Proximæ dubitationi ista non dissimilis merito sit adiuncta.

An pollutio occulta facta in Ecclesia contineat sacrilegij malitiam necessario in Sacra Confessione manifestandam? Idemque quæritur de fornicatione.

RESOL. XXVI.

Licet sententiam affirmatiuam cum verbis Raphael de la Torre incipere, is in 2.2. Diui Thom. tom.2.q.99. articul.2. disput.7. sic ait Secundus gradus sacrilegij in loco sacro, continet actiones fornicarias in Ecclesia exercitas; quod quidam limitant ad fornicationem publicam; videlicet per facti euidentiam, eo modo, quo talia crimina sciri possunt, vel iuridicam probationem, aut rei Confessionem. At verò si fornicatio sit occulta, aiunt non esse sacrilegium, nec etiam circumstantiam loci sacri, esse necessariò aperiendam in Confessione. Sed hæc sententia falsa mihi videtur, quia talis fornicatio contrariatur, etiam secluso omni iure positiuo, sanctitati Ecclesiæ, non solùm propter malitiam eam, quam includit; verùm etiam propter fœditatem actus, cuius turpitudo, etiamsi nullum esset peccatum, sanctitati Ecclesiæ, & eius munditiei repugnans est. Eamdem sententiam prius etiam docuerat Suarez de religione, to. 2.lib.3.cap.7.num.4 primo, quia licèt fornicatio non violet Ecclesiam actu, vt sic dicam, & in foro Ecclesiæ, quamdiu occulta est, tam in Ecclesia suo præcepto non prohibet tantùm seminationem illicitam in Ecclesia, sed simpliciter seminis emissionem voluntariam. Et hinc est quòd licèt in principio talis actus occultus non polluat Ecclesiam, nihilominus, si postea fiat publicus, incipit Ecclesia esse polluta. Ergo à principio actus ille fuit culpabilis contra Ecclesiæ prohibitionem, quia culpa non pendet ex futuro euētu, nimirum an fornicatio illa sit aliquando futura publica necne: & actus ipse de se polluit sufficienter, & ideò est contra specialem prohibitionem Ecclesiæ. Hęc Suarez, quem sequitur etiam Sanchez de matrim. to.3. lib.9 dist.15. numero 11. & Bonacina de matr.q.4.punct.vlt.n.7.& alij.

Sed non reticeam negatiuam sententiam, quam falsam vocauit Raphael de la Torre, tamquam probabilem, amplexum esse Gabrielem Vasquez in p.2.tom.1. quæst.72.art.7.disput.98. cap.3 num.6. Accipe eius verba. Ex dictis colligitur, frustra aliquos torqueri in assignanda ratione, ob quam blasphemare, vel loqui turpia in loco sacro, præter malitiam, quam habent in alio loco sacro, non habeāt malitiam peculiarem ex loco sacro. Ratio enim facilis est, quia nimirum lege humana non est ita statutum, vt blasphemia, vel turpi sermone locus sacer profanetur, sicut de pollutione definitum est; ideòque illis peccatis non infertur peculiaris iniuria loco sacro, quali infertur pollutione, aut sanguinis effusione. Vbi etiam obseruandum est, satis probabile videri, non esse peculiare peccatum sacrilegij, cū effunditur semen occultè in Ecclesia, quia secundùm sententiam communem, quam sequuti sumus tractatu de violatione Ecclesiarum, tantùm violatur locus sacer pollutione notoria. Si ergo hæc effusio, eo tantùm est sacrilegium, quia locus sacer ea profanatur, & tollitur consecratio, aut benedictio, quia nulla alia ratio est, vt speciale peccatum sit, fit, vt notoria tantùm effusio speciale peccatum sacrilegij sit. Hæc Vasquez, quem nouissimè sequitur Basilius Pontius de matr.libr.10.cap.10.nu.15. Vnde probabiliter puto, hanc circumstantiam non esse in Cōfessione aperiendam, licèt contrariam sententiam probabiliorem existimem.

Quidam latro furatur crumenam diuitis in Ecclesia, quæritur an hoc peccatum præter malitiam furti, contineat etiam malitiam sacrilegij, necessariò in Confessione aperiendam?

RESOL. XXVII.

Sententia affirmatiua absolutè, & sine vlla distinctione, de qua nos inferius, placuit Paulo de Layman in Theol. Morali libr.4.tract.10.cap.7.num.18. & Francisco Suarez de relig.to. 1.lib.3.cap.4.num.7.vbi ex communi sententia asserit, furtum in loco sacro sacrilegium esse. Probatur ex verbis Ioannis Papæ in cap. Quisquis, 17. quæst.4. quæ sunt ista; *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.* Vbi clarè demonstratur simpliciter, & siue vlla limitatione, esse speciem sacrilegij furari nō sacrum de sacro, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. de pretio ff. de publican. nisi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quando aliàs sequeretur absurdum; at in nostro casu nihil horum interuenit. Et sic hanc sententiam sequitur etiam Raphael de la Torre in 2.2.tom.2. quæst.99. art.1.disput.7. & Rebellius part.1.libr.3.quæst.15.num.25. cum Reginaldo tom.2. libr.22. cap.1.nu.12.& Menochio de Arbitrarijs lib.2. cent.4.casu 389. nu.14. & Petro de Ledesma in summa, tom.tract.de pęnit.cap. 10, fol. mihi 328. col.2.

Pro decisione huius quęstionis, oportet distinguere duos modos, quibus potest res non sacra in Ecclesia esse. Primò, quia est sub iure, & quasi potestate Ecclesiæ, v.gr. quia est illi tradita ad custodiēdum, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita. Secundò, potest res aliqua profana per accidens esse in Ecclesia, vel quia ibi est persona, quæ illam secum defert, vel quia ibi casu relicta est. Hoc supposito.

Assero contra Suarez, in priori casu sacrilegium esse furari bona illa in Ecclesia, non autem in posteriori casu, vt quando latro, v.gr. furatur crumenam diuitis. Et ratio est, quia bona illa, quasi per accidens sunt in Ecclesia: ergo non irrogatur specialis iniuria ipsi Ecclesiæ, etiamsi inde quis ea furetur, & aliàs tale furtum nō est specialiter prohibitum ab Ecclesia in honorem templi. Vnde non est vnde habeat malitiam sacrilegij lethalem. & ex hoc non est necessario aperienda hæc circumstātia in Confessione. Hanc sententiam tenet Sotus in 4.dist. 18.q. 2.art.4. Ioann. de la Cruz Direct.conscient.part.2.tract. de Sacram.pœnit.quæst.3.dub.6.conclus. 1. Fagundez præcep.2.libr. 4.cap.4.num.9.& 12. Henriq.libr.2.cap.6.num.5. in Glossa litt. N. Et ego practicè probabilem iudico, sicut etiam probabilis visa est Raphaeli de la Torre vbi suprà, & Lessio lib 2.c.45.dub. 3.num.14. vbi sic ait. Furtum in loco sacro, & quidem si asyli, & securitatis causa res ibi sit deposita, vt reuerentia loci tuta sit, ob circumstantiam loci sacri, dicit malitiam sacrilegij mortiferam. Si autem eam ob causam ibi deposita non sit, probabile est rationem sacrilegij mortiferam nō esse, quia res illa custodiæ loci sacri non erat concredita, sed per accidens ibi posita. Quare non censetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes, risus, detractiones, contractus sæculares, & similia. Sic Lessius. Sed audiamus Thomam Zerolā in praxi pœnit. cap.12.q.17. Quærit ibi, vtrum furari tapeta, tobaleas, cortinas, vel sellas, vel quid huiusmodi quæ erant accommodata à Sacrista pro ornamento alicuius festiuitatis in Ecclesia, sit sacrilegium? Et respondet, quod sic, quia deseruiebant cultui diuino, pro quo erat mutuo data. Secus verò si quis deferret sellam, tapeta, vel baldachinum, vel quid huiusmodi in Ecclesiam pro sui commoditate, vel ornatu, vt faciunt Principes, Officiales, & nobiles; quia tunc furari ea, non est sacrilegium,

gium, sed quando fecisset sacrista sibi ea commodari, & ipse ea pararet professione alicuius Principis, vel Prælati venientis ad Ecclesiam pro deuotione, tunc etiam committeretur sacrilegium, quia indirectè cultui diuino erant deputata. Ita Zerola. Vide etiam Farinacium de immunit. Eccl. c. 16. nu. 217. ad Bullam Greg. 14. Ex his patet responsio ad dubitationem in principio positam.

Nota verò circa præsentem materiam, aduersus Io. de la Pegna, non committere sacrilegium, qui furatur à Clerico aliquid iure Ecclesiastico possessum. Ita Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dist. 18. q. vnica, art. 5. in circumstantia vbi.

An qui vnico impetu profert in seruos plures iniurias, vocando illos fures, sodomitas, an tunquam aperienda sit quantitas, & numerus iniurarum, & etiam personarum: vel sufficiat accusare se iniuriam grauem intulisse alicui, non explicando iniurias, neque personas?

RESOL. XXVIII.

QVoad primum respondent aliqui affirmatiuè, sic Ioannes Yribarne tom. 2. in 4. sent. dist. 17. disp. 15. sect. 6. Perconiabetis (ait) qui in vno tempore plures iniurias vni dicit, quot cõmittit peccata? Respondeo, quòd si iniuriæ prolatæ sint specie distinctæ, vt, tu es fur, & Iudæus; tunc eiusmodi duæ iniuriæ erunt plura peccata. Sic etiam ait Nauarrus c. 6. n. 18. Vegala in 1. p. instit. Confess. lib. 5. c. 12. nu. & Henriquez lib. 5. c. 8. num. 3. Idem etiam docet Sanchez in sum. lib. 1. c. 3. nu. 39. ex alio principio: & nouissimè Sancius disp. 6. nu. 1. & 2. cum Tannero in 2. 2. disp. 4. q. 2. dub. 4. nu. 59.

Ego verò contrariam sententiam sustinendam esse iudico, quam sequitur Zerola in praxi pœnit. cap. 12. quæst. 48. Et ratio est, quia omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei. Ita Caietanus in 2. 2. quæst. 72. artic. 1. Sotus de iust. libr. 5. quæst. 9. art. 1. Emanuel Sa ver. contumelia, num. 1. Molina tom. 5. tract. 4. disputat. 39. num. 3. Azorius part. 3. libr. 13. capit. 5. dub. 1. & Reginaldus tom. 2. libr. 24. cap. 5. nu. 102. vbi in terminis ponit dinitionem nostræ quæstionis, asserit enim Tertium documentum est, omnes contumelias eiusdem speciei esse: quia quamuis in cæteris diuersitas cernatur, conueniunt tamen in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri suum honorem. Vnde sequitur, satis esse in Confessione dicere, toties contumelia affeci meum proximum, nec requiri, vt dicatur, illum vocaui ebrium, scurram, adulterum, &c. Nisi quod, vt addit Sotus, aliquando contumeliæ grauitas tantum augeri possit, vt eius expressio sit de necessitate Confessionis, vt si quem hæreticum, aut patriæ proditorem, aut quid aliud simile appelles.

Sed hæc limitatio Soti, quam etiam sequitur noster P. Molfesius tom. 1. tract. 11. cap. 22. num. 191. procedit in opinione illorum, vt notat Azorius vbi suprà, qui putant circumstantias aggrauantes esse in Confessione aperiendas. Ego verò, qui tantùm circumstantias mutantes speciem in Confessione manifestandas esse puto, assero simpliciter, non esse necessarium, contra Sotum, & Reginaldum, explicare contumelias graues, sed satis esse dicere, toties contumelia affeci Petrum, Ioannem, &c.

Notent Confessarij, quod etiam hæc doctrina est applicanda, & practicanda in detractionibus, & sic à multis scrupulis & interrogationibus immunes erunt. Vide Bonacinam tract. de Sacram. disp. 5. qu. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficul. 3. nu. 17. qui nostram sententiam probabilem vocat.

Vtrum ita, vt in superiori casu, sentiendum sit, quando quis infert iniuriam pluribus personis: an verò sit necessarium explicare in Confessione numerum personarum?

RESOL. XXIX.

EXplicandam esse censuit Yribarne in 4. sent. dist. 17. disp. 15. sect. 8. to. 2. Nam dum eadem iniuria in plures est prolata, tot peccata committuntur, quot personæ afficiuntur tali iniuria: damna siquidem causata in fama, & honore, eatenus iuxta numerum personarum numerantur, vt nequeant cadere sub vnica æstimatione, perinde atque damnum illatum in vita. Ita etiam sentit Bonacina de Sacram. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. §. 3. difficult. 3. num. 16. vbi ait. Qui pluribus iniuriam intulit, tenetur numerum personarum exprimere, non quia pluralitas personarum, præcisè sit circumstantia mutans speciem; sed quia est obiectum terminans, & determinans ipsum actum, vt aliquid spectans ad ipsius substantiam quasi indiuiduam, cum antè ipse actus indiuidualis exprimendus sit in confessione, & hic exprimi sufficienter nequeat, non expresso numero personarum; sequitur numerum personarum exprimendum esse. Et in terminis hanc opinionem sequitur præter Zerolam in praxi pœn. cap. 12. quæst. 48. & Henriquez libr. 5. cap. 5. num. 4. sequitur tunquam, Vasquez vbi infrà, & Tannerus in 2. 2. disput. 4. quæst. 2. dub. 4. nu. 55.

Sed resolutio huius casus pendet ex illa celebri quæstione, vtrùm in eodem actu possint dari plures malitiæ, solo numero distinctæ. Negat P. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 22. sect. 5. numer. 3. 4. Affirmat Vasquez etiam in 3. part. to. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 4. n. 4. Sed licèt Suarez teneat negatiuam sententiam, asserit tamen, confitendum esse necessariò numerum personarum. Sed magis consequenter loquitur Vasquez, nam num. 8. ait. Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu esse posse duplicem malitiam solo numero differentem, cuius contrariam nõ existimo improbabilem, & secundùm illam tenentur dicere, eam circumstantiam non esse necessariò explicandam. Vbi vides eos, qui tenent in eodem actu non esse posse plures malitias, solo numero distinctas, quam opinionem probabilem vocat Vasquez debere, dicere, in nostro casu, circumstantiam, & numerum personarum, non esse in Confessione aperiendum: iuxta sententiam, quam sequimur, circumstantias aggrauantes non esse aperiendas in Confessione.

Dices, vnitas peccatorum non tantum desumi debet ex vnitate actionis, sed etiam ex multiplicitate personarum, circa quas versatur actio: sed in proposito casu reperiuntur plures personæ; & plura subiecta, circa quæ versatur illa iniuria. Ergo sunt plura numero peccata. Respondeo, vnitatem, & multiplicitatem peccatorum desumi ex vnitate, & multiplicitate personarum, & subiectorum, quando actio fit successiuè circa plures personas, non quando fit tota simul circa plures personas, vt in nostro casu. Quando enim quis fert iniuriam erga decem homines, illa iniuria respicit illos decem homines, per modum vnius obiecti, & ideo vnica habitudine transcendentali ad illos tendit. Quapropter licèt vnumquodque ex his obiectis, per se posset terminare actum sibi adæquatum, & ita possent esse ad talia obiecta plures respectus distincti; tamen, vt cadunt sub tali actu, nullum illorum obiectorum, per se sufficit ad terminandum aliquem respectum illius actus, sed solum omnia coniunctim. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam cum Vasquez, tenendam esse puto, & cum citatis Doctor. Sed ad alia deueniamus.

An peccatum odij aduersus proximum, non sit peccatum vnius speciei sed plurium, ita vt in Confessione pœnitentes teneantur explicare mala volita, verbi gratia, si fuerunt circa facultates, vel circa personam, seu circa honorem.

RESOL. XXX.

AFfirmatiuè respondet P. Suarez tract. de char. disput. 6. sectio. 2. num. 2. & 3. Syluius in 2. 2. quæst. 34. artic. 6. quæritur 2. Et probatur; nam afficere proximum iniuria in vita, vel in fama, sunt peccata specie diuersa contra iustitiam, propter materiæ diuersitatem. Ergo pari modo efficient diuersitatem in odio. Denique quoad mores spectat (subiungit Suarez) non dubito, quin talis diuersitas sit aperienda in Confessione. Et sic stante illa opinione, quando pœnitens confitetur se odisse fratrem, deberet Confessarius interrogare quonam genere odij, verbi gr. an malum volitum fuerit circa honorem, vel famam, seu vitam, &c.

Sed contraria opinio probabilis etiam mihi videtur, quam docet Bonacina in tract. de leg. disput. 3. quæst. 4. punct. vltimo, §. 1. num. 10. & Ledesma in summ. tom. 2. tract. 3. cap. 6. concl. 8. fol. mihi 62. vbi ait. [El aborrecimiento del proximo, siempre es peccado de vna misma specie, aunque el hombre desee varios, y diuersos males al proximo, como son matarle, y quitarle

tatle

rarle la hazienda. Porque siempre dessea estos males de baxo de vna misma razon, que es el aborrecimiento del proximo.] Igitur, secundùm hanc opinionem, sufficit, vt pœnitens dicat, se odisse proximum, & non opus est explicare, an illud odium versaretur circa famam, diuitias, & personam; quia non videtur eadem ratio odij, & aliorum peccatorũ, quorum obiectum materiale explicandum est in Confessione: nam odium in suo esse non solùm specificatur, verùm etiam indiuiduali, constituitur potius ex motiuo, quam ex obiecto materiali, cum idcirco velimus alicui graue malum, quia nobis displicet, &c.

Ad argumentum Suarez respondetur, quòd licet illa mala volita, differant specie, tamen in nostro casu, optantur sub vna eademque ratione formali, quæ est odium proximi. Circa præsentem materiam vide Lorcam in 2.2. q.32.art.3.n.3. Turrian. in 2.disp.91. dub.1. in fin. & alios.

An qui commisit incestum cum matre, vel filia, aut sorore, vel nepte, debeat exprimere circumstantiam personæ sibi coniunctæ sanguine, vel affinitate naturali, vel legali, aut spirituali: an satis sit dicere, Pollui me peccato incestus, duabus vicibus.

RESOL. XXXI.

Respondeo, quòd aliqui tenent incestum esse diuersæ speciei, non solùm in linea consanguinitatis, & affinitatis descendentium, & ascendentium, sed etiam in gradibus singulis vtriusque lineæ: ita vt quot sunt gradus consanguinitatis, & affinitatis, tot sint species distinctæ incestus, & secundum hanc opinionem dicunt circumstantiam personæ sibi coniunctæ, esse necessariò explicandam, quia mutat speciem. Et ideò qui filiam, vel sororem vxoris, vel neptem cognouit, non sufficeret dicendo, peccaui cum affine, vel consanguinea, vel cum vna ascendentium, vel descendentium, sed deberet dicere cum filia, vel nepte, vel sorore vxoris, &c. Quinimmò, si quis peccasset cum matre, non satisfaceret dicendo, peccaui cum vna, in primo gradu consanguinitatis.

Verum iuxta opinionem D.Thomæ 2.2.q.154.art.9.& Caietani ibidem, quia incestus inter consanguineos, & affines non differunt specie in genere moris, & in iudicio Sacramẽtali; sufficit, vt ille, qui cum sorore peccauit: dicat, commisi incestum semel, vel bis, non explicando personam sibi coniunctam. Et quamuis grauior sit incestus cum filia, vel matre, quàm cum sorore, vel nepte, vel consobrina vxoris; tamen quia ista grauitas auget malitiam intra eamdem speciem, non est necessariò confitenda. Et hæc opinio D.Thomæ magis placet, quam probabilem vocat Filliucius in quæst. moral. to.2. tract.30.c.5.n.97.

Dicendum est igitur, cum Nugno in Addit.ad 3.part.tom.2. quæst.9.art.2.dub.3. diuersitatem graduum nõ facere diuersitatem specificam in incestu, sed esse circumstantiam aggrauantem, quam ego probabilitet puto non esse in Confessione necessariò explicandam; Et ità in terminis docet Gyptius tractat. de cas. reseru. capit.8. num.5. & ex nostris P. Megala in 1. part. libr.5. cap.12. num.9. & alij circa præsentem quæstionem. Vide Azorium part.5. lib.3. cap.9. quæst.1. Bonacinam de sacram. disput.5. quæst.5. sect.2. punct.2.§.3. difficult.3.num.9. Vasquez in 3. part. tom.4. quæst.91. art.1. dub.4. num.18. Valentiam tom. 4. disput.7. quæst.11. punct.1. Suarez in 3. part. tom.4. disput.22. sect.3. num.7. Coninch de Sacramentis, disput.7 dub.3.nu.13. & 21. Sayrum in Claui Regia, lib.8 capit.4. num.3. Rodriquez in summ. to.1. cap.207. n.3. Lessium lib.4. cap.3. dub.11. n.79. Reginaldum in praxi, to.2. lib.22. c.2. sect.5. n.27. Nauarr. cap.18. n.3. Petrum Ledesmam in sum. tom.1. de Sacram. pœn. c.19. concl.4. fol. mihi 327. Henriq. libr.5. c.9. nu.1. Sotum in 4. distinct. 18. quæst.2. art.4. conclus.8. & distinct.40. quæst. vnic. art.4. Llamas in 2. part. methodi, cap. 8.§.19. & alios.

An si quis perpetrauit aliquod delictum carnale in die Iouis sancti, vel eo die, quo ad Confessionem accedit, teneatur postea in Confessione aperire hanc circumstantiam?

RESOL. XXXII.

Affirmatiuè respondet Medina in summ. libr.1. capit.9.§ 1. Pitigianus in 4. tom.2. disput.17. quæst. vnic art.5. in fine. Rodriquez in summ. tom.1. cap.53. num.12. Llamas in summ. part.3. cap.8.§ 14.& alij. Et à fortiori, docebunt hanc sententiam illi, qui asserunt circumstantiam diei festi, esse de necessitate Confessionis; & ita docuerunt Alensis 3. part. quæstio. 32. mem.5. art.2. D. Antoninus 3. part. titul.17. capit.17.§.5. Maior in 4. dist.17. q.4. Angelus ver. præceptum, num.5. Adrianus in 4. de Confess. q.4. & alij, asserentes, vt dixi, circumstantiam diei festi esse in Confessione aperiendam, vt blasphemare, peierare, furari, &c.

Sed hanc sententiam ferè omnes neoterici refellunt, vt Ledesma in summ. to.1. de pœnit. cap.19. fol. mihi 229. Petrus Fay in Addit. ad 3. part. quæst.9. art.2. dub.12. Vasquez in 3. p. tom.4. q.91. art.1. dub.4. n.24 Bonacina de sacr. disput.5. quæst.5. sect. 2. punct.2.§.3. diffic.3. nu.29. Coninch de Sacram. disp.7. dub.4. n.27. Nugnus in Addit. ad 3. p. to.4. quæst.9. art.2. dub.3. & alij. Quia in diebus festiuis non prohibetur opus seruile spirituale, scilicet peccatum, quod tale tantum dicitur metaphoricè, sed seruile propriè corporale, scilicet mechanicum, nisi talia peccata efficerentur in contemptum diei festi. Vnde, ad dubium quæsitum respondeo, circumstantiam peccati perpetrati in die Iouis sancti, vel alterius magnæ festiuitatis, non esse in Confessione aperiendam, quia, vt notat Filliucius tom.2. tract.21. c. 9. nu.347. est tantùm circumstantia aggrauans. Et ita nostram sententiam docet Henriquez lib.5. cap.6. num.6. vbi sic asserit. Circumstantia temporis aliquando grauat peccatum, vt si in solemni festo, aut hebdomada sancta, fiat peccatum externum, & multi putant necessarium esse id exprimere in Confessione, sed reuera non tenetur explicare in Confessione. Ita Henriqu. Et idem dicendum est, si aliquis peccatum perpetrauit in die, qua postea confitetur, vel in die, qua sacram Eucharistiam sumpsit. Et ita docet contra aliquos Homobonus de exam. Eccles. p.1. tract.5. cap.12. quæst.81.

An qui peccauit, aliàs non peccaturus, ex confidentia obtinendi Iubilæum, aut Bullam Cruciatæ, teneatur hanc circumstantiam in Confessione aperire?

RESOL. XXXIII.

Negatiuè respondendum est, cum Pitigiano in 4. sentent. tom.2. dist.17. quæst. vnic. art.5. in circumstantia, Cor. Fagundez præcep.2. lib.4. cap.5. nu.8. & alijs Zanardus verò in direct. Theol. p.1. tract. de pœn. c.18. limitat hanc sententiam, sed in aliquibus mihi non placet.

An confitenda sit circumstantia inductionis ad peccatum, si alter ad peccandum paratus esset; vt si quis fornicaretur cum muliere parata?

RESOL. XXXIV.

Affirmatiuè respondet Bonac. de sacr. disputat.5. punct.2.§. 3. difficult.3. nu.19. & ante illum Sanchez in summ. tom. 1. lib.1. c.6. n.14. quia etiam in isto casu quis cooperatur peccato alterius. Ergo, &c.

Sed contrariam sententiam tenendam existimo, & illam docet Coninch de Sacram. disp.7. dub.4. nu.13. Azor. p.1. lib.12. c. 26. q.5. Ledesma in summ. tom.2. de pœnit. c.19. dub.7. fol. mihi 325. Suarez in 3. part. tom.4. disp.22. sect.4. n.18. & alij. Et ratio est, quia in tali casu reuera non datur scandalum, nec propria, & moralis inductio est, nam voluntas ex se, & sua sponte iam disposita erat. Ergo, &c.

Notandum est, quod quando quis vtitur aliqua persona parata, vt maleficio soluat alio maleficio, cum pacto dæmonis, tenetur hanc circumstantiam inductionis explicare; Ita docet Henriquez lib.5. c.7. nu.7.

Sed hanc opinionem refellit Fagundez præcep.2. lib.4. cap. 5. num.3. Putat enim, in tali casu non esse dictam circumstantiam inductionis confitendam, cum illa sit parata, & moraliter loquendo, talis non est causa inductionis. Tenetur tamen confiteri peccatum additionis sagæ, vel sagi; & ita etiam mihi videtur.

An circumstantia modi in copula coniugali sit in Confessione aperienda.

RESOL. XXXV.

Respondeo, quicquid aliqui asserant, negatiuè, & ita non peccat mortaliter vir, qui vult habere copulam cum vxore, vel a latere, vel sedendo, vel præpostere, aut succumbente, nisi adsit periculum effundendi semen extra vas. Quia est abusus, ac naturalis ordinis peruersio in solis accidentalibus, dum vas legitimum seruatur. Et ita docet Sanchez de matrim. to.3, lib.9. disp.16.n.3. & alij penes ipsum.

Nota verò, quòd aliquando hoc efficitur etiam sine culpa veniali, vbi non captandæ voluptatis gratia hoc accidit, sed aliqua iusta causa interueniente, propter pinguedinem viri, vel propter periculum, ne fœtus suffocetur.

Notandum secundò, quod vxor tenetur reddere debitum, etiam si vir cum culpa veniali, vt diximus, ex variatione situs velit copulam complere. Ita Sanchez vbi suprà nu 8. licèt probabiliter aliqui contrarium asserant, vt notat Henriquez libro 11.c.16.n.6. in Gloss. litt O. & alij.

An si index, vel alia persona publica furto capiat res alienas, quas ex officio custodire tenetur, debeat explicare hanc circumstantiam officij sui.

RESOL. XXXVI.

Affirmatiuè respondent vtreque Medina, Complutensis, & Salmaticensis, hic in summa, ille in C. de confess.

Sed mihi placet sententia Henriquez lib.2.c.6.nu.3. in Gloss. lit.O. & aliorum, asserentium, secluso scandalo, non teneri, quia datò, & non concesso, quòd circumstantiæ aggrauantes, sint necessariò confitendæ, attamen talis circumstantiæ publici officij, non multum aggrauat peccatum intra eandem speciem, ergo non est confitenda.

An raptus sit circumstantia necessariò confitenda, si virgo sponte consentit.

RESOL. XXXVII.

Negatiuè respondeo, quia quando virgo consentit in raptu, quamuis parentes dissentiant, & tutores, ac ij, qui loco parentum se habent, solum erit fornicatio, vel furtum simplex, & non erit necessariò explicanda ratio virginitatis, nec iniuria facta parentibus, si tamen raptum nesciant. Nam si parentes actualiter repugnent, quia tunc sit eis manifesta vis, & iniuria, erit talis circumstantia in Confessione aperienda, secus autem minimè, vt suprà diximus de stupro, cum Lessio lib.2.c.10. dub.1. Sanchez de matrim.to.2.lib.7.disp.4.nu.5. & alijs. Licèt contrarium docuerat Caietanus 2.2.quæst.154 art.6. ad 1.dub. Corduba in q. libr.1.qu.13, Bartholomæus Ledesma de pœnit. dub.10.n.1. Vegha in sum.to.1.c.55.cas.25. & alij.

Sed tu tene nostram sententiam; vnde non tenentur, nec debent Confessarij dictas puellas stupratas, vel raptas interrogare an virgines sint: nec corruptores tenentur dictam circumstantiam stupri, vel raptus explicare, nisi cum violenter, ac repugnantem virginem deflorant, vel rapiunt, quia in tali casu solùm datur ratio veri stupri, & raptus: non autem quando virgo sponte, & liberè consentit, nam in isto vltimo casu, quando virgo sponte consentit, stuprum, & raptus non differt à simplici fornicatione, & sic sufficit, vt in Confessione quis dicat, fornicatus sum semel. Nec tenetur corruptor ad aliquam restitutionem faciendam virgini, vel parentibus, seu illius tutoribus, quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria, & virgines sunt dominæ sui corporis, non autem parentes, aut tutores. Et ita docet Nauarra de restit.lib.2.c.3.n.423. Sotus de iust.lib.4. qu.7.art.1. ad 2. Suarez in 3.p.tomo 4.disp.22. sect.4. Grafsius libr. 2 decis. aur.c.79. n.13. & alij.

An si aliquis in Ecclesiam confugiat, & intra illam postea ei Iudex auferat arma, debeat Iudex hanc circumstantiam in Confessione aperire?

RESOL. XXXVIII.

Respondet negatiuè Couarruuias variar. resolut.libr.2. cap. 20.num.17. & post illum nouissimè Fagundez præcept. 2. libr.4. cap.4. num.55. vbi ita asserit. Quamuis Iudex laicus non possit absque sacrilegio, & circumstantia necessariò confitenda, fruentes hoc priuilegio è loco sacro inuitos abstrahere, potest tamen eis absque prædicto sacrilegio, & circumstantia intra Ecclesiam arma auferre. Ita ille. Sed de hac quæstione egimus in tract. de immun. Eccles.

An circumstantia durationis temporis, sit in Confessione aperienda.

RESOL. XXXIX.

Negatiuè respondeo cum Zerola in Praxi pœnit. capite. 12. quæst.15. Vasquez in 3.part.tom.4. quæst.91. artic.1.dub. 3.nu.36.contra Canum, Sotum, & alios: vbi sic asserit. Ex qua ratione Nauarrus docet, temporis durationem non esse necessariò explicandam, in quantum aggrauans est: docet tamen, & benè, quando fuerit nimia explicari oportere, quia forsan videtur vnum peccatum, & plura fuerunt, quorum numerus, cum explicari commodè non possit, oportet durationem explicare. Ita ille.

Vnde temporis duratio in Confessione aperienda est, non quatenus est circumstantia aggrauans, sed quatenus illam explicando penitens manifestat eo modo quo potest, numerum peccatorum necessariò in Confessione explicandorum. Et ideò si daretur casus, in quo pœnitens in memoria haberet omnes delectationes, v.gr. morosas, quas per annum habuit, non tenenetur in Confessione aperire talem durationem temporis, sed sufficeret dicere, Toties morosè delectatus sum: quicquid in contrarium asserant, Henriquez libr. 5.capit. 7.num.5. & Coninch de Sacramen.disputat.7.dub.3.num.5. cum alijs. Et ideò etiam putat Zerola vbi suprà, quòd si quis haberet rem cum concubina tota nocte, non tenetur exprimere hanc grauitatem, sed sufficit confiteri numerum peccatorum, videlicet semel, vel bis fornicatus sum.

An testis, qui simul rogatur de pluribus rebus, & articulis sub iuramento, & in omnibus mentitur, teneat hanc circumstantiam in Confessione aperire.

RESOL. XL.

Respondeo negatiuè, quia est vnum peccatum, vt rectè obseruat Henriquez libr.5.cap.5.nu.6. in Glossa, litt.F. qui citat Archidiaconum, & Sarmientum, qui etiam in littera H. addit, & optimè, hoc etiam procedere, quando multiplicat execrationes, & iuramenta per Deum, & per Sanctos super eadem re, vel multiplicat scripturas publicas etiam super eadem re. Nam in talibus casibus adest tantùm vnum peccatum mortale, & illa circumstantia diuersorum iuramentorum, & scripturarum non est in Confessione explicanda, sed satis est, vt dicat pœnitens, transgressus sum iuramentum, & non adimpleui quandam obligationem. Quæ omnia pro praxi sunt valdè notanda.

An

An si Sacerdos in Missa Eucharistiam ab alijs consecratam in peccato mortali multis ministret, debeat hanc circumstantiam explicare?

RESOL. XLI.

NEgatiuè respondeo, quia in tali casu reperitur tantùm vnicum peccatum mortale in genere mortis absque iniuria proximi, sicut, v.g. aliquis vna aspersione baptismi, aut vna absolutione, baptizaret seu absolueret simul multos. Et ita docet Tannerus in 2.2. disp.4.q.2.dub.4.nu.56. Henriquez lib.5.c.5.n.6. & alij.

Imò, vt in tractat. de Celebrat. Missarum diximus, est probabilis illa sententia, quæ docet Sacerdotem in peccato mortali, alijs Sacram Eucharistiam ministrantem, non peccare mortaliter, vt docet Vasquez in 3. part.tom.2.disputat.136.capit.3. numer.38. Ioan. de la Cruz in director. Confess. part.2.quæst.4. dub.3. conclus.1. & alij. Quicquid in contrarium afferat Filliucius tom.1. tract.quarto, cap.9.num.271. Coninch de Sacram. q.64. art 6.dub.1. num.35. Valentia tom.4. disput.9. quæst.10. punct.1. Villalobos in summa, tomo primo, tract.4.dub.14.n.... & alij.

Itaque in tali casu, non est necesse, vt Sacerdos se accuset de tali administratione Eucharistiæ in peccato mortali. Vel si hanc opinionem non vis tenere, dic, quod sufficit, vt se accuset Eucharistiam administrasse in peccato mortali, sine expressione, & numero personarum, quas communicauit.

Vnde apparet me olim probabiliter respondisse, quemdam Parochum Eucharistiam infirmis per Ciuitatem ministrantem cum peccato mortali, mortaliter non peccasse, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem proximè, sicut in alijs Sacramentis, sed tantùm est veluti applicans actiua passiuis. In alijs autem Sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc. Non enim est idem conficere, & alijs ministrare: cætera Sacramenta in actione, & vsu consistunt, Sacramentum verò Eucharistiæ, post consecrationem permanet. Ergo, &c.

An si quis fornicatur, teneatur non solum explicare actum, sed circumstantia, vt tactus, oscula, &c. quæ subsequuntur copulam.

RESOL. XLII.

AFfirmatiuè respondet Vasquez in 3. p.to.4. quæst.91. artic. 1.dub.5.nu 35. Suarez in 3.p.to.4.disp.22.sect.2.nu.8. & 9. Coninch de Sacram. disp.7.dub.7. nu.59. & alij. Quia cum illa non ordinentur ad copulam præcedentem, sed ad sequentem, non possunt cum illa eumdem actum moralem constituere. Ergo sunt explicanda.

Sed contraria sententia in praxi communiter obseruatur, & illam docet Henriquez in summ.lib.5.cap.5.num.5. & in Glossa, litt.V. vbi sic asserit. Est vnum numero peccatum, quando quis ante fornicationem, & post illam continuat actus libidinosos. Limitant aliqui, nisi essent actus exorbitantes ad maiorem voluntatem inuenti, qui non satis explicantur in actu principali. Imò aliqui putant, quod præter copulam, tenentur exprimere tactus, & oscula.

At reuera prædicti actus, etiam extraordinarij, habent se materialiter respectu eiusdem formæ, nec sunt necessariò explicandi. Ita Henriquez; & ante illum Nauarrus cap.6. nu.7. Zanardus in director. Theol. part.1.tract.de pœnit.cap.18. Sancius disputat.6. numero 3. Zerola in praxi de pœnitent. capit. 12.quæst.47. Azorius part.1.lib.4. capit.4.in fine, & alij. Ideò, qui post copulam tangit, & osculatur etiam propter delectationem, denuò meretricem, dummodo hæc non faciat ad iterandam fornicationem, non tenetur illa oscula, & tactus declarare, sed sufficit dicere, Toties fornicatus sum; quia talia oscula, & tactus cum actu, & effectu principali coniunguntur, & cum eo constituunt vnum numero peccatum, vnde explicato actu principali, etiam censentur huiusmodi actiones explicatæ.

Notandum est etiam, quod Sancius vbi suprà disputatio. 6. num.3. idem docet de gaudio aut collocutione consequente, ad præhabitam fornicationem, licèt intercesserit magna interruptio temporis inter copulam, & consequentia ad illam. Hoc tamen intelligit, quando is, qui fornicationem commisit, ad alia negotia agenda non se diuertit, sed in eodem situ, & statu quo peccauit perseuerat, retinens fœminam ad deosculandum illam, & colloquendum, vel si fortè fœmina discesserit ex vtriusque conuentione, expectet reditum ad iterum deosculandum illam, vel ad colloquendum cum periculo deosculationis. Ita ille.

An qui in peccato mortali excipit Confessiones multorum, non solum peccet mortaliter, sed teneatur hanc circumstantiam aperire?

RESOL. XLIII.

AFfirmatiuè respondent aliqui, & putant talem debere explicare numerum personarum, quia tot peccata mortalia committit, quot personas absoluit. Ita Azorius part.1.libr. 4.cap.4.quæst.6. Suarez in 3. part.tom.4.disput.22.sect.5. num. 55. & alij.

Hęc sententia est probabilis, sed contrariam etiam probabilem existimo, ex dictis in superiori resolutione, dummodo successiuè illos pœnitentes absoluat, est enim vnicum peccatum in genere moris; non autem si cum notabili interruptione, nunc vnum, nunc alium absolueret. Ideo in casu nostro sufficit vt dicat posteà dictus Confessarius, quando confitetur, Administraui Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali. Et hanc sententiam in terminis docet Rodriquez in summa, tomo 2.c. 44. nu.23.

An qui commisit aliquod peccatum, cuius periculo se antea exposuit, teneatur explicare hanc circumstantiam in Confessione?

RESOL. XLIV.

REspondeo negatiuè, sed satisfacere confitendo peccatum commissum; si tamen inter occasionem, & periculum, cui seipsum exposuit, & inter actum peccati completum nō intercesserit mora notabilis, quæ peccatum nouum, numero distinctum possit constituere. Et ita docet Sanch. in sum.tom.1.lib.1. cap.8. numero 4. Suarez in 3.part.tom.5. disp.28.sect.3. numero 6. Arragon. in 2.2.quæst. 813.artic.3. in fin. & Villalobos in summ. tom.1. tract. 24. dub.4. num.3. vbi sic ait. [El que va à peccar, ò se dexa lleuar de la tentacion, no cae en dos peccados, por no hauer orado para que Dios le libre, porque no hauia aqui obligacion de orar distinta dal precepto que quebro, que solo la oracion era medio para non peccar, como lo es el quitar la occasion, y el que no quita la occasion, no comete dos peccados.] Ita ille.

An qui dixit peccatum, oblitus alicuius circumstantiæ, satisfaciat postea in alia Confessione, explicando grauitatem circumstantiæ oblatæ.

RESOL. XLV.

REspondet negatiuè Nugnus in Addit. ad 3. parte tomo 2. quæst.9. artic.1. dub.2. vbi sic asserit, Quando multa peccata fiunt eodem actu, vt quando quis furatur bonæ Ecclesiæ, non sufficit se accusare de furto, similiter quando quis occidit clericum, non sufficit se accusare de homicidio; sed in vtroque casu debet explicare sacrilegium, atque adeo, si obliuiscatur illius circumstantiæ, debet postea de illa se accusare. Sed tunc est dubium, vtrum sufficiat confiteri illam circumstantiam, secundum se, an verò sit necessarium illam confiteri per modum circumstantiæ, dicendo totum peccatum simul fuisse, scilicet furtum cum sacrilegio. Angelus dicit hoc secundum esse, necessarium, & ista sententia videtur mihi magis vera, quia aliter, non verè explicatur tota malitia. Et hoc magis certū est, quando vnum ordinatur ad alterum, vt quando quis furatur ad mæchandum. Ita Nugnus.

Sed Suarez in 3.part.tom.4.disputat.22.sect.2.numer.8. & 9. Coninch de Sacram. disput.7. dub.7.numer.60. Reginaldus in Prax.to.1.lib.6.cap.4.n.141. Filliucius tom.1. tract.7.c.4.nu.80.

& alij, contrarium docent, in casu tamen, quo tam peccatum, quam circumstantia possunt separatim sufficienter explicari, secus quando non possunt sufficienter explicari. Et ideò, qui iurauit non percutere clericum, aut ieiunare in vigilijs, sed postea clericum percussit, aut ieiunium in vigilijs perfregit, & in Confessione solum expressit se clericum percussisse, aut ieiunium perfregisse, nullam habens iuramenti memoriam satisfaciet in alia Confessione, dicendo se licitum iuramentum perfregisse. Et idem dicendum est de voto.

Similiter qui furatus est calicem, sed in Confessione ex obliuione dixit se furtum commisisse, non expressa circumstantia calicis, hic in secunda Confessione satisfaciet dicendo, se mortale sacrilegium commisisse. Et ideò doctrina Nugni vbi supra, intelligenda est, cum distinctione Suarez, & aliorum.

An qui peccatum hæresis, vel superstitionis commisit, teneatur explicare in Confessione qualitatem superstitionis, vel hæresis?

RESOL. XLVI.

Respondeo negatiuè, quicquid in contrarium aliqui asserant. & ita docet Reginaldus in praxi tom. 1. lib 6. c. 4. nu. 114. vbi ita ait. Cum diuersitas specifica peccatorum, fuerit tantum in genere naturę, tunc quia malitia moralis in illis est eiusdem speciei, nihil est opus diuersitatem declarare. Vt si, v. gr. quis peccauerit in diuinando, vel prolabendo in hæresim, satis est si dicat, toties peccaui peccato diuinationis, neque necesse est addere, semel per pyromantiam, iterum per hydromātiam, ac demum per nectomantiam. Item toties lapsus sum in hæresim, nec necesse est dicere, semel lapsus sum in hæresim Lutheranam, iterum in Caluinianam, &c. quia in talibus non est diuersitas specifica moralis, sed tantùm physica. Ita ille, & ante illum doctissimus Sotus in 4. sent. dist. 18. quæst. 2. art. 4. concl. 6. quicquid, vt diximus, in contrarium asserant aliqui, vt Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. cap. 31. num. 39. Valentia to. 3. disp. 1. q. 10. punct. 5. & alij.

An Confessarius, qui incipit audire Confessionem in peccato mortali, sed postea, ante absolutionem, elicit actum contritionis, teneatur postea quando confitetur, explicare se incepisse illam Confessionem in statu peccati.

RESOL. XLVII.

Affirmatiuam sententiam docet Posseuinus de offic. curati, cap. 45. nu. 41 qui citat Suarez in 3. part. disput 18. sect. 1. num. 2.

Et hæc opinio est satis probabilis, sed contrariam probabilem etiam esse existimo. Dico igitur Confessarium, licèt sit in peccato mortali, dum à principio audit Confessionem, non peccare mortaliter, si habeat propositum pœnitendi antequam absoluat. Et ita docet Henriquez lib. 6. cap. 18. num 6. in Glossa, litt. V. Et ratio est, quia tunc Sacerdos peccat mortaliter, quando administrat Sacramentum in peccato mortali; sed in tali casu, quando Sacerdos conficit Sacramentum, iam per actum contritionis elicitum, est in gratia. Ergo, &c.

An delectatio morosa sumat malitiam ab opere externo, ita vt necesse sit in Confessione aperire circumstantiam operis, & exprimere obiectum, v. gr. si mulier, de qua sumpta est delectatio fuerit coniugata, Monialis, libera, &c.

RESOL. XLVIII.

Communiter affirmatiuè respondent, & ita docet Caietanus 2. 2. q. 154. art. 4. Nauarrus c. 16. num. 9. & ex neotericis Lorca in part. 2. to. 2. disp. 28. de pecc. membr. 3. Martinez etiam in p. 2. tom. 1. quæst. 15. articul. 4. dub. 1. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 2. num. 11. Azorius p. 1 lib. 4. cap. 6. qu. 3. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 3. dub. 3. n. 4. Homobonus de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 13. quæst. 84. nam delectationes morosæ in re venerea, non sunt eiusdem speciei, sed diuersæ pro diuersitate specifica operis, de quo sunt delectationes. Ergo distinctè exprimendæ sunt in Confessione.

Hæc opinio est probabilis, sed prædictis non obstantibus, quando delectationes morosæ consistunt tantum in appetitu sensitiuo, & non in efficaci voluntate, puto omnes esse eiusdem speciei, nec differre à simplici fornicatione, quia in tali casu quis, v. g. non delectatur de coniugata, & de illo obiecto, quatenus est iniuriosum alteri, sed quatenus est obiectum delectabile. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam, docet Vasqu in p. 2. to. 2. disp. 112. cap. 2. & Sayrus in Claui Regia, lib. 9. cap. 7. numer. 10. Reginaldus to. 2. lib. 12. c. 2. n. 13. cum alijs. Et probabilem hanc opinionem vocat Filliucius to. 2 tract. 21. cap. 8. num. 301. Bonacina de matr. q. 4. punct. 8. nu. 19. Lessius libr. 4. cap. 3. dub. 15. n. 123. & alij.

Vnde in Confessione, puto non esse tales circumstantias personarum necessariò aperiendas, quia, vt diximus, hæ delectationes non differunt specie: sed sufficit, vt pœnitens dicat, Toties morosè delectatus sum, sine expressione, & circumstantia personæ imaginationi obiectæ, an scilicet fuerit Monialis, vel libera, seu coniugata, &c.

Vtrum in Confessione aperienda sit circumstantia manifestatiua complicis, si ex hac nullum damnum sequatur complici, præter infamiam apud Confessorem?

RESOL. XLIX.

Respondet affirmatiuè Bonacina de contract. disp. 2. quæstione 4. punct. 4. numero 2. qui citat Suarez, Rebellum, Nauarrum, & alios: quibus ego addo Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 8. Coninch de Sacram. disput. 7. dubio 9. num. 89. Reginaldum in Praxi. tom. 1. lib. 6. cap. 4. nu. 156. Henriquez lib. 2. cap. 9. num. 3. & 5. Emanuel Sà ver. confessio, num. 18. Toletum lib. 3. cap. 8. n 4. Paludanum in 4. dist. 16. q. 3. artic. 2. Angelum verb. confessio, 1. §. 3. Rosellam eodem verb. n. 6. Medinam C. de Confessione, q de circumst. loci. Nugnum in Addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. dub. 2. & alios. Quia in Confessione numquam datur vera ratio infamiæ, & Confessarius id cognoscit sub sigillo Confessionis, quod perinde est, ac si non nouisset, vel sciret.

Hæc sententia est probabilis. Sed probabilior contraria mihi videtur, quam docet nouissimè Villalobos in summa, to. 1. tract. 9. dub. 38. num. 3. & Petrus Fay in Addit. ad 3. part. qu. 9. artic. 1. disput. 9. conclus. 1. & ante illos Valentia tom. 4. disp. 7. quæst 11. punct 1. Nauarrus in manual. cap. 7. num. 3. & 4. Caietanus ver. confessio, condit. 3. Armilla ver. circumstantia, numero 11. Lopez in instruct. p. 1. cap. 36. & alij, quibus etiam adde Ioan. de la Cruz in director. conscien. p. 2. de Sacram. pœnit. q. 3. dub. 5. conclus. 3. vbi sic asserit. Pœnitens non potest confiteri peccatum, aut circumstantiam manifestatiuam complicis, etiamsi ex hoc nullum damnum sequatur complici, præter infamiam apud Confessorem, qui illud tenetur celare sub sigillo Confessionis. Nam præceptum non infamandi alterum fortius est præcepto integrandi Confessionem. Nec reputatur ista leuis infamia, si alias Confessor non sciebat de complice similia peccata. Ita ille.

Et hanc sententiam ita veram aliqui existimant, vt doceant nec etiam in articulo mortis, posse quemquam licitè, talem circumstantiam confiteri. Et ita docet Medina in summ. lib. 2. c. 4. § 1. Scotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. artic. 5. ad 4. Bannez in 2. 2. quæst. 33. dub. 8. 1. part. & 3. part. & alij licèt contrarium probabilius censeat Ledesma 2. 4. quæst. 8. art. 4. dub. 2. & quæst. 10. art. 1. dub. 7. Victoria in summa, §. 174. Petrus Scoto de pœnit. lect. 11. & alij.

Restat modo respondere ad argumenta contraria. Ad primum dico, quòd si ex dicta manifestatione complicis detrimentum non esset graue, posset pœnitens etiam habita opportunitate alterius Confessarij, confiteri ei, qui in notitiam complicis deuenturus creditur, sed hoc est absurdum. Ergo, &cet. Ad alterum verò, quòd Confessarius id noscit sub sigillo, respondetur, quod iudicium temerarium non redditur grauius, quia alteri sit manifestandum, sed ex hoc præcisè, quod quis prauam formet de altero existimationem, ergo parum facit, quod Sacerdos debeat subijcere circumstantiam complicis

explica-

explicatam. Non nego tamen, vt dixi, contrariam sententiam esse probabilem; nam(vt aliàs diximus) probabiliter sine scrupulo peccati mortalis, potest quis manifestare vni, vel duobus amicis taciturnis delictum alterius occultum, ergo à fortiori potest quis complicem in Confessione manifestare. Igitur elige quam vis opinionem.

An quis teneatur confiteri circumstantiam, seu diuersitatem blasphemiarum.

RESOL. L.

Affirmatiuè respondet Fillincius to.2. tract.25. cap.1.nu.26. qui citat Suarez. Idem etiam docet Turrianus in 2.2. disp.58.dub.3. Reginald.to.2.libr.18.c.14.nu.201.Sanctarellus tr. de heresi,c.4.dub.1.n.4.Sancius disp.6.qu.6. Layman in Theol. mor.lib.4.tract.10.c.6.n.11.Ledesma in summa, tom.2. tract.1. c.9.concl.5.Lopez instruct.p.1.c.281. Bannez in 2.2. qu.13.art. 10. Arragon.ibid. & alij.

Sed ego contrariam sententiam sustinendam esse iudico, quia blasphemiæ in Deum, & in Sanctos non differunt specie, vt docet Lazarius tract.de blasph. q.3.nu.51. Caiet.in sum.ver. blasphemia. Valentia tom.3. disp.1.q.13 punct.1. Azorius to.1. lib.9. cap.28.qu.10. & alij. Ergo non sunt necessario in Confessione aperiendæ, nisi tales blasphemiæ procederent ex odio Dei formali, vel continerent hæresim. Seclusis autem his duobus casibus, in nullo alio tenetur pęnitens explicare qualitatē blasphemiæ. Et ita in terminis, docet Giptius tract.de cas.reser. c.9.n.37. Homobonus de cas.reser.p.2.c.1.fol.mihi 236.& Caiet.in 2.2.q.13.art.1. in fine.

Vnde apparet, me olim probabiliter respondisse contra Sanchez in summa, to.1.lib.2,c.32.n.39. & Arragon.in 2.2.q.15.art. 1.quemdam clericum potuisse recitare in Confessione, an eius blasphemiæ fuerint contra Beatam Virginem, an contra alios Sanctos.

An quando quis profert vnico actu conuicia in Deum asserendo sæpius, Dio ingiusto, Dio ingiusto, *&c. teneatur hoc in Confessione aperire.*

RESOL. LI.

Respondeo negatiuè, quia tunc quot sunt conuicia in Deum vel Sanctos, tot sunt peccata, quando sunt diuersa formaliter, vt si quis diceret Deum iniustum, & Deum non esse omnipotentem, sicenim variantur formaliter conuicia; vel quando interruptis actibus dicta conuicia proferuntur: secus autem in casu nostro, nam talis vnam blasphemiam profert tantùm, licèt sæpius in Deum vnico tamen actu, & eodem tempore. Ita docet Zanardus in direct.consc. p.2. præcep 1. c. 10.

Vnde olim, cum multis à ijs Theologis, excusaui quemdam piscatorem à reiteratione Confessionum, qui sæpius conuicia horrenda, non tamen specie diuersa in Deum, si pisces non sumeret, vnico actu proferebat.

Adde, quòd probabiliter etiam dici potest contra Zanardū, & Sanctarellum tract.de blasphemia, c.4.dub.2.n.5.in Confessione non esse exprimenda, quæ verba contumeliosa fuerint in Deum vel Sanctos prolata: nam omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei, vt supra probatum est, & docet Reginald.to.2.libr. 24.ca.5.n.102.& alij, & omnes conueniunt in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri honorem. Ergo, &c.

An si aliquis coiens cum homine, & supercubans sicuti super mulierem, teneatur aperire hanc circumstantiam, si tantum se polluat.

RESOL. LII.

Affirmatiuam sententiam docet Hieronymus Llamas in Summa, p.3.c.8.§.1. Sed contraria sententia mihi placet, nam, vt ipsemet fatetur, hęc circumstantia non mutat speciem: & ideo in tali casu existimo satis esse dicere, tactu alterius mollitiem commisi; vel, pollutus sum, tangendo alterum impudicè. Et ita sensisse quemdam virum doctum, testatur loco citato Llamas.

An quando aliquis solus se polluit, tangendo aliquem professum vel in sacris constitutum, teneatur explicare hanc circumstantiam.

RESOL. LIII.

Negatiuè respondet Llamas in summa, p.3. c.8.§.16. vbi sic asserit. Quando sola mollities committitur tactibus professi, vel in sacris constituti, si patiens est sæcularis, non tenetur amplius dicere. nisi passus sum voluntariè pollui tactibus alienis. Neque in sacris constitutus, vel professus ampliùs tenetur dicere, nisi tangens impudicè, alium pollui. Et si nō sit cognitus non tenetur explicare. Et sum in sacris, vel professus, aut professa, Religionem; nisi illi etiam accidat voluntaria pollutio, vt de se liquet; quia sacra persona non est in tali casu violata. Ita Llamas, sedan probabiliter, iudicent viri docti, nam oppositam sententiam existimo veram.

An circumstantia Apostasiæ sit in Confessione aperienda, vel sufficiat dicere, In hæresim lapsus sum.

RESOL. LIV.

Esse hanc circumstantiam in Confessione aperiendam, putat Ledesma in summa, to.2. tract.1.c.7. conclus.1. Aragon.in 2.2. quæst.11.artic.1.dub.1.concl.1. Valenna, tom.3. disputat.1.qnæst.11.punct.1. difficult.1. & quæst.10.punct.3. ver. his ita. Suarez de fide, disputat.16.sect.5. in fine, cum alijs. Imo Sanchez in summa, libr.7.cap.7.num.17. docet Apostatam debere explicare ad quam sectam transierit. Probatur hæc opinio, vel quia Apostasia differt specie ab hæresi, vt tenet Suarez loc. cit. Lorca in 2.2.q.12.art.1. disp.50.nu.3. Turrecremata in summa, lib.4.p.2.c.13. Simancha de cathol.instit.tit.7.nu.5. Canus de locis Theol.lib.12.cap.9. vel quia est circumstantia multùm aggrauans. Ergo, &c.

Sed ego puto, Apostasiam non differre specie ab hæresi, vt docet Bannez in 2.2. quæst.12. artic.1. Valentia tom.3. disput. 2.quæst.1.punct.1.& qu.12.punct.1. Azorius tom.1. libr.8. c.21. quæst.3. Caietanus in 2.2. quæst.10. articul.1. & quæst.11.articul.1. Castrus de iust.hæret.punit. libr.1.capit.7. Pegna in director.part.2.quæst.49.comment.74. Sanchez vbi supra num.16. & recentiores Thomistæ apud Lorcam vbi suprà numero 1. Zanardus in Director. theol.part.2. præcept.1.cap 8. Ledesma vbi suprà; ideò assero, circumstantiam Apostasiæ, tanquam aggrauantem, non esse necessariò in Confessione aperiendam.

Quòd verò Apostasia non differat specie ab hæresi, probatur, quia Apostasia est discessio à tota fide, hæresis autem à parte fidei, at magis, vel minùs recedere ab eo, quod semel susceptum est, non mutat speciem. Ergo Apostasia non differt specie ab hæresi: & ideò Apostatis, & hæreticis eadem pœna imponitur, ergo, &c. Deinde, cum Apostata sit, qui omnino fidem deserit, si non esset hæreticus, sequeretur multiplicando hæresim, non augeri, sed potiùs minui, & omnino deficere speciem hęresis; quod etiam à philosophia naturali alienum videtur, nam multiplicando calorem, nō deficit calor; & à philosophia morali, nam multiplicando furta, non desinit furtum. Ideo dicendum est, circumstantiam Apostasię non esse in Confessione aperiendam.

An circumstantia recidiua sit aliquando confitenda, & an Confessarius propter consuetudinem peccandi, possit differre absolutionem.

RESOL. LV.

Teneri pœnitentem confiteri consuetudinem peccandi, si à Confessario interrogetur, docet Vasquez in 3. part. tomo quarto, quæst.91. artic 1.dub.3. Henriquez libr.5.cap.8.num.1. Reginaldus tomo 1. libr.6.capit.4. num.133. & nos suprà in resolut.15. docuimus. Et posse Confessarium etiam per mensem plus, vel minùs secundùm prudentiam differre absolutionem assuetis peccato, docuit Graffius p.1. decis.libr.1. cap 20.nu.24. Idem etiam docet Suarez in 3.part.tom.4.disp.32. sect.2. in fin.

Sayrus in claui Regia lib. 5. c. 5. n. 8. Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. c. 32. n. 45. Toletus lib. 3. c. 18. nu. 1. iterum Suarez de Relig. to. 2. lib. 3. c. 8. in fin. Reginaldus in praxi, to. 2. lib. 18. n. 87. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 11. diffic. 15. in fine, Delrius in disquisit. Mag. lib. 1. c. 5. q. 4 in fin. Sà ver. resolutio, n. 14. Henriquez lib. 4. c. 24. n. 4. Bannez in 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 2. Ledesma in summ. to. 2. tract. 1. c. 3. post concl. 7. & alij.

Non reticeam tamen, (quod est valdè notandum, quia nouum) Ioannem Sancium in suis Practicis disputationibus Mat riti impressis anno 1624. disput. 9. num. 9. & seq. contrariam sententiam ex multis rationibus docere, & ideo putat, Confessarium ius non habere ad interrogandam de consuetudine peccandi, cum neque illud habeat, vt bis eadem peccata quis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem pudore, & dedecore, consuetudine peccati cognita, sed debet pœnitens statim absolui, si verè dolorem habeat de præteritis, ac in posterum vitæ emendationem firmiter proponat. Probat hanc sententiam authoritate aliquorum Doctorum. Ratio est, quia vt suprà dictum est, si consuetudinem peccandi teneretur pœnitens aperire, idem esset quod obligare illum peccata legitime confessa, iterum repetere. Quòd sanè nullo præcepto humano induci potest, saltem, quando non interuenit reseruatio. Imò licet interueniat reseruatio, non posse pœnitentem obligari ad iterum confitenda peccata docet Vasquez in 3. p. to. 4. q. 93. art. 1. dub. 6. n. 4. retractans sententiam, quam antea docuerat in q. 91. art. 3. dub. 6. 7. & 8.

Deinde, pœnitens quamuis sit pessimæ consuetudini addictus, si mentem mutauerit, & occasionem frangere proposuerit, in nullo remanet statu peccati, ergo illi non est deneganda absolutio. Nam si Confessarius potest in tali casu, licitè absoluere pœnitentem, vt ipsimet aduersarij concedunt, ad id tenebitur, quia pœnitens habet semper ius, vt sibi non negetur absolutio si dignus sit, nisi id efficiatur de proprio ipsius pœnitentis consensu.

Vnde ex his infert Sancius, quòd si pœnitens, probabiliter credat, Confessarium non impensurum illi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, posse æquiuocatione vtendo negare consuetudinem, vt fiat sensus, consuetudine careo peccandi non absolute, sed ad confitendum tibi de præsenti. Et hoc etiam procedit, si credat absolutionem se nacturum, cum ad confitenda eadem peccata bis non sit obligatus, nec ad patiendum pudorem ex consuetudine iam nota oriundum. Idem dicendum est de occasione proxima, ineuitabili tamen, sine magno incommodo, & scandalo. Nam in tali casu posset etiam pœnitens vti æquiuocatione, licèt à Confessario de tali occasione interrogetur. Nam posito verò proposito, vt supponimus, emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem, & vt Confessarius rectè suo fungatur officio, nihil conducit scire sit ne pœnitens in occasione, vel non, dato, quòd illam vitare non potest: eo quod siue cognoscat occasionem, siue non, tenetur Confessarius absolutionem dare. Ergo, &c. Deducitur etiam ex dictis contra Azorium tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 4. non esse denegandam absolutionem habenti consuetudinem iurandi, & contra Ledesmam in summ. tom. 2. tract. 1. c. 3. post 7. concl. & alios, ignoranti doctrinam Christianam, etsi sæpè admonitus non didicisset, dummodò pœniteant de præterito, & proponant de futuro.

Putat igitur supradictus Sancius, vir equidem doctissimus, peccatorum consuetudinarium in quocumque peccato; dummodo habeat dolorem de peccatis, & firmum propositum cauendi de cætero, esse absoluendum toties quoties, nec posse Confessarium illi beneficium absolutionis denegare. Et respódet ad argumentum in contrarium, quod adduci potest, nempe absolutionem in tali casu differendam esse, vt cautior pœnitens reddatur ad præcauenda peccata, & propter incutiendum timorem. Hæc omnia desumpta sunt, vt diximus, ex supradicto Sancio, ad illum, & non pigebit: est enim vir acutissimi ingenij, & hæ practicæ disputationes, quas nuper edidit, sunt immortalitate dignissimæ. Vtinam alios ingenij sui fœtus in lucem emitteret? Sed an hæc opinio sit tuta in praxi, remitto me iudicio aliorum.

An in opinione, quam supra in Resol. 12. refutauimus, quod Confessarius obligetur confiteri circumstantiam copulæ cum filia confessionis, teneatur etiam id fateri, si cum viro filio confessionis accubaret.

RESOL. LVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Sancius disp. 11. num. 12. quia, etsi iura de commistione cum fœminis confessionis filiabus solùm loquantur, eadem omninò ratio procedit respectu virorum pœnitentiæ filiorum, & eadem irrogatur iniuria Sacramento. Ideò asserit Sancius, quòd in Bulla contra sollicitantes fœminas in Confessione, includitur etiam sollicitatio virorum.

Hæc sententia est probabilis. Sed non minùs probabilem, & tutam in praxi contrariam existimo, & contra Sancium tenet hác sententiam Basilius Pontius in tract. de impedim. matrim. causa 30. cap. 24. §. 2. verb. Atque hæc, & Acugna tract. de Confess. sollic. q. 5. n. 53. in fi. & Peirinus super priuil. Minimor. to. 2. const. 4. Greg. XV. §. 5. nu. 18. quia canones prohibentes, de fœminis tantum loquuntur, vt c. fin. ibi cum mulieribus, & c. omnes ibi. Ad suam pœnitentialem accedat.

Ad argumentum Sancij respondeo, multos Doctores probabiliter docuisse ante Bullam Greg. XV. Confessarios sollicitantes viros, non fuisse denunciandos, quia Bulla Pauli V. & Clem. VIII. loquebatur tantum de Confessarijs sollicitantibus fœminas. Ita Fagund. Societatis Iesu de præcept. Eccles. tract. 2. libr. 4. c. 3. num. 31. Portel. in Addit. ad dubia Regul. verb. sollicitare feminas. Vide nostrum tractat. de Denunciationibus resolut. 12. vbi pro hac firmanda sententia, multas rationes inuenies. Notandum est etiam, quod stando in opinione, quod Cōfessarius tenetur confiteri circumstantiam copulæ cum filia spirituali, non tenetur confiteri circumstantiam tactus aut pollutionis, habitæ inter fœminæ femora, quia ius canonicum solum commistionem numerat in ordine ad irrogandam iniuriam Sacramento.

An Prelatus si omittat correctionem subditi, satisfaciat dicendo in confessione, omisi correctionem proximi?

RESOL. LVII.

NEcesse esse vt dicat se esse Prelatum illius, docet Bannez in 2. 2. qu. 33. vers. 3. dub. 1. concl. vlt. & nouissimè Villalobos in summ. to. 2. tract. 4. diffic. 6. n. 4. quia ad corrigendum subditum tenetur ex iustitia.

Aliqui autem putát, quod obligatur ex misericordia, & ideò, secundùm illos notabiliter tantum aggrauat ista circumstantia, vnde in Confessione non erit necessariò aperienda. Et hanc sententiam probabilem existimat Io. Sancius in suis practicis disputationibus, disp. 6. n. 9. nam sententiam Bannez veriorem tantùm vocat. Quòd diximus de Prælato, dicendum est de patre, tutore, domino, respectu tamen mancipij, non autem respectu famuli ob salarium seruientis, quia mancipium est sub dominio domini, & ad eius curam pertinet actiones mancipij dirigere, non autem famulorum.

An diuturnitas voluntaria retentionis de re aliena furto ablata, sit circumstantia necessario in Confessione aperienda?

RESOL. LVIII.

SVppono, probabilem esse sententiam Petri à Nauarra de restit. lib. 4. c. 4. num. 9. & Tanneri in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 14. n. 425. qui citat etiam Arragonium, & Carbonem, asserentium plura non committi peccata, sed tantum continuari antiquum, quamuis vno anno, vel plus iniustè retineatur res aliena, etiam si fortè sæpius interim offeratur occasio restituendi, aut etiam sæpius renouetur propositum non restituendi; dummodo tamen pœnitentia ductus, rem proponat restituere, & postea mutato proposito, habeat animum non restituendi.

Hoc supposito quæritur, an saltem diuturnitas voluntariæ retentionis de re aliena sit necessario in Confessione aperienda

Tanoe-

Tannerus vbi suprà num. 427. & alij, affirmatiuè respondent, & rationem adducunt, quia licèt in tali diuturnitate retinendi rem alienam inuito domino, non semper multiplicentur peccata, vt supra diximus, aggrauantur tamen notabiliter. Ergo, &c.

Sed in nostra sententia negatiuè respondendum videtur, quia circumstantiæ aggrauantes non sunt necessario confitendæ, sed dicta diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ, est tantùm circumstantia aggrauans. Ergo in Confessione minimè aperienda erit.

Notet hoc Confessarius, & à multis scrupulis immunis erit. Nam pœnitens in Confessione satisfacit tantum se accusando non restituisse rem alienam, nec interrogandus est de tempore, & diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quæ aliqui in tali diuturnitate committi putant, dummodo, vt diximus, rem proposuerit restitutionem non facere; quæ omnia valdè notanda sunt, quia multum practicabilia.

An qui cum conscientia peccati mortalis, ministrat excellentius Sacramentum debeat dictum Sacramentum in Confessione explicare?

RESOL. LIX.

AFfirmatiuam sententiam docet Ioann. de la Cruz in direct. conscient. par. 2. de Sacram. in genere quæst. 4. dub. 3. concl. 3. & ante illum Ledesma in summa tom. 1. de Sacram. in genere, c. 6. concl. 8.

Sed ego contrarium asserendum esse puto. Licèt enim tali casu grauius peccetur, attamen in Confessione sufficit dicere, se ministrasse Sacramentum in peccato mortali. Et idem etiam aduersus præfatos Doctores dicendum esse existimo, quando ministrans esset in aliquo grauissimo, & extraordinario peccato, aut si sit multis, & grauibus irretitus peccatis. Non enim in tali casu speciem, & numerum peccatorũ, cum quibus Sacramentum ministrauit, opus est explicare, sed sufficit dicere se Sacramentum cum lethali peccato semel, vel toties ministrasse. Et hoc ego intelligo de alijs Sacramentis, excepta Eucharistia. Nam si quis Eucharistiam ministraret cum reatu peccati mortalis, puto non peccare mortaliter, vt alibi fusè in tract. de celebrat. Missar. cum Vasquez, & alijs satis probatum est.

An Medico satis sit fateri se concessisse licentiam edendi carnes absque legitima causa diebus prohibitis, non manifestando illos ieiunio esse consecratos.

RESOL. LX.

NEgatiuam sententiam docet Sancius in suis selectis disputationibus disput. 41. nu. 26. quia in tali casu reus est transgressionis duplici præcepti, ieiunij videlicet, & carnis abstinentiæ, vt docet etiam Sanchez in summ. to. 1. libr. 4. cap. 11. num. 42. & 53. cum Ludouico de S. Iuan in summa, tom. 1. tract. de ieiunio, art 7. dub. 2.

Sed Montesinos in part. 2. tom. 2. quæst. 73. art. 2. quæst. 4. nu. 47. docet hoc esse tantùm vnicum peccatum contra temperantiam, quamuis censeat esse circumstantiam notabiliter aggrauantem; Vnde si hæc opinio esset vera, in nostra sententia dicendum erit, hanc circumstantiam non esse in Confessione aperiendam, tanquam tantùm aggrauantem, & non mutantem in speciem.

An si quis furaretur coram Iudice, vel cum manifesto periculo vitæ, teneretur postea aperire hanc circumstantiam in Confessione.

RESOL. LXI.

AFfirmatiuam sententiam docet Vasquez in part. 2. tom. 1. quæ. 73. art. 9. dub. 3. quia putat in tali casu esse duo peccata, videlicet peccatum furti, & peccatum temeritatis contra fortitudinem, sicut qui in bello se exponit manifesto periculo mortis absque causa.

Sed mihi placet contraria sententia, quam nouissimè tuetur Tannerus in part. 2. disput. 4. quæst. 3. dub. 3. num. 71. nam pœna huius vitæ, quamuis à peccante præuisa non addit nouam speciem malitiæ, nisi ea pœna directè sit intenta, ipsumque adeò peccatum tãquam medium ad hunc finem electum. Ratio est, quia qui directè, & per se non vult pœnam, sed tantum indirectè, & consequenter, is non vult pœnam, nisi ex suppositione peccati. Sed velle pœnam ex suppositione peccati, per se non est peccatum, vt patet. Ergo, &c. Idem dicendum est de eo, qui alteri suadet peccatum, cum periculo incurrendæ pœnæ mortis. Sufficit igitur in tali casu, pœnitenti se accusare, commisisse peccatum furti, & non explicare se furatum esse coram Iudice, vel cum manifesto periculo vitæ.

An si quis omisit, v. g. sacrum propter studium, teneatur explicare in Confessione hanc circumstantiam?

RESOL. LXII.

AFfirmatiuè respondet Zumel in part. 2. q. 71. art. 5. disput. 4. qui citat Gandauentem, Gabrielem, & Riccardum. Putant igitur in tali casu studium, ex cuius affectu omittitur sacrum in die festo, esse peccatum specie ac numero distinctum ab ipso peccato omissionis, ac proinde distinctè in Confessione explicandum.

Sed ego contrariam sententiam sustinendam esse puto, quã docet Valentia, Medina, Azorius, & Vasquez; quos citat, & sequitur Tannerus in part. 2. disp. 4. q. 4. dub. 2. num. 15. & 20. Et ratio est, quia voluntas ipsa omittendi, atque etiam actus ille ex se malus, cuius affectu inordinato omittitur aliquod præceptum, per se ac formaliter loquendo, nec specie, nec numero distinctum, sunt peccatum à subsequente omissione, ac proinde, nec distinctè in Confessione aperienda sunt. Actus enim ille ideò malus est, quia ordinatur per modum causæ siue medij ad consummandum omissionis peccatum; sed in genere moriuum peccatum numero censetur actus consummatus peccati, & cæteri, qui ad ipsam consummationem ordinantur, si aliunde mali non sunt. Ergo, &c. Igitur absolutè dicendum, quod si actus, qui est causa omissionis, si per se alioqui malus non sit, non est peccatum specie, vel numero distinctum à subsequente omissione.

An si Clericus, v. g. in diuturna nauigatione abijciat Breuiarium, teneatur aperire hanc circumstantiam, vel ei sufficiat dicere, vigesies, verbi gratia, omisi horas Canonicas.

RESOL. LXIII.

REspondentur sufficere. Ita Tannerus in part. 2. disp. 4. q. 4. & dub. 2. num. 25. & 26. Et ratio est, quia impotentem se reddere ad actum præcepti, solùm prohibetur præcepto affirmatiuo de actu exequendo, ac proinde non aliam habet malitiam, quàm ipsamet omissio actus præcepti. Ergo, &c. Dicendum est igitur, quod talis actus, quo quis se reddit impotentem, non est distinctum peccatum ab omissione re ipsa consequente, & ideo sufficit confiteri omissionem ipsam.

Notandum est tamen pro praxi, quod propositum omittendi, vt & actus ille, quo quis facultatem ademit actum præcepti exercendi, per accidens aliquando in Confessione distinctè explicandum est. Vt si quis, v. g. proposuisset per multos dies officium diuinum omittare, sed deinde propositum mutans non nisi quinquies omisit. Aut si quis in nauigatione, vel itinere, abiecto Breuiario, cum implicito proposito omittẽdi Horas per integram hebdomadam, mox postea resipisceret, vel acquisito Breuiario post tres dies Horas recitaret: in his inquam casibus cum longè maius peccatum sit ipse actus ex causa omissionis, quam subsequens omissio, non satis esset in Confessione solam omissionem confiteri.

Notandum est etiam eum, qui post abiectum Breuiarium, dolet de causa omissionis data, non ampliùs peccare omittendo horas, quamdiu nouam negligentiam in comparando Breuiario non admittit: quia omissio ipsa peccatum nõ est, si pro tempore quo accidit, non sit in potestate omittentis, vel in sua causa sit voluntaria, vt quia ante tempus executionis præcepti hominem de causa data pœnituit, aut quia vel non potuit, vel non debuit cauere secuturam omissionem. Et hæc omnia notauit Becanus in p. 2. tr. 2. c. 3. q. 6, n. 10. & 11. cum Tannero vbi suprà, dub. 3. n. 37. & Villalobos in summ. to. 1. tr. 3. diffic. 6. n. 4. Sed ad alia deueniamus.

An sit necessarium in Confessione ipsam omissionem explicare, sed sufficiat tantum se accusare de causa omissionis data.

RESOL. LXIV.

ESse explicandam ipsam omissionem putant communiter Doctores, quos sequitur Tannerus in 1.2. disput.4. dub.3. num.35.

Sed contrariam sententiam etiam probabilem esse ex stimo, quam tuetur Vasquez in part. 2. tom. 1. disput.94. cap. 3. num. 76. & post illum Bonacina de legib. disp.2. quæst.4. punct.4. n.8. ex illo principio, in quo docet peccatum omissionis tunc solum imputari, adeoque committi, quando causa culpabilis omissioni datur, ipsam verò omissionem actualem, pro tempore quo præceptum obligabat, quia sub libera potestate omittentis non est, propriè peccatum non esse, nec eo quidem modo, quo alioqui actus externus peccati, peccatum dicitur, deriuata scilicet malitia in ipsum ex voluntate, sed esse solum effectum peccati, Quod ita etiam pariter dicendum est de homicidio ex ebrietate, & de pollutione in somno culpabiliter sequuta, itemque de vulneratione actuali per emissam sagittam facta; &c.

Sed audiamus Vasquez de hac re disserentem. Si hæc omnia exteriora (asserit) quæ diximus, non essent peccata; sequeretur non esse necessarium ea in Confessione exprimere, sed satis esse explicare causam eorum liberè positam fuisse somno, aut ebrietate: hoc autem est contra consuetudinem fidelium omnium, qui ea semper confitentur. Ergo, &c. Respondeo, non esse exprimenda in Confessione, fideles autem plurimi ea explicant, quia nesciunt ea non esse peccata, vel etiam, quia eo facto rectè explicant culpam, quam commiserunt præbêdo causam, & occasionem, ideo prohiberi non debent à talium euentuum confessione, præsertim cum ipsa explicatione euentus optimè explicetur, quicquid peccati in causa processit, & parum vnum ab alio distet. At si quis præcisè ea exprimere vellet, quæ debet, non est cogendus euentus explicare ratione Confessionis, sed aliquando ratione restitutionis, vel irregularitatis: sed satisfaceret præcepto si diceret, se dedisse proximam causam tali omissioni, vel pollutioni. Nec etiam opus est, in Confessione dicere; ego potu, & cibo nimio mihi intuli morbum lethalem, sed sufficit fateri causam illius dedisse. At quando opus externum est secundùm se peccatum; quia liberè semper manet sub nostra potestate, tunc debet semper explicari. Ita Vasquez satis quidem probabiliter, quicquid aliqui obmurmurent. Dicendum est igitur absolutè, ipsam actualem occisionem, seu vulnerationem hominis per sagittam, aut homicidium præuisum in ebrietate commissum, vel etiam pollutionem culpabilem in somno, nô esse peccata propriè, sed tantùm effectus peccati, & ita etiam hanc sententiam cum Vasquez docet nouissimè Layman in theol. moral. lib. 1. tr. 1. c. 3. nu. 5.

Sed si aliquis hanc quæstionem fusiùs explicatam, cum varijs Doctorum sententijs videre cupit, adeat Malderum in part. 2. quæst.72. artic.6. Lorcam in par.2. tom.2. sect.4. disp.7. de peccatis; Azorium to.1. libr.4. cap.3. qu.3. Zumel in part.2. quæst.71. art.5. dispur. 5. Filliucium to.2. tract. 21. cap.7. numer. 271. Becanum in part.2. tract.2. cap.3. qu. 6. Pesantium in part.2. quæst.71. art.5. disp.3. Villalobos in summa, to.1. tract.3. dub.6. num.1, & sequenti.

An pollutio præuisa, sed non intenta in ebrietate, nimia comestione, &c. sit in Confessione aperienda.

RESOL. LXV.

REspondeo negatiuè, nam quando causa est mortalis in genere luxuriæ, tunc est peccatum mortale pollutio præuisa, non autem vt est in nostro casu, quãdo causa est mortalis in ebrietate, nimia comestione, &c. quia eiusmodi res ex propria ratione non ordinantur ad pollutionem, & ideo non concurrunt grauiter ad ipsam pollutionê, sed leuiter. At pollutio, non est culpa mortalis prout præcisè volita in causa leuiter illam efficiente. ergo, &c. Et ita in terminis docet Villalobos in summ. to. 2. tract.40. dub.16. num.6. Vasquez in part. 2. to.1. disp.115. cap.3. n.9. Sanchez de matrim. to.3. lib.9. disp.45. nu.17. & nouissimè Granado in 3. p. ar.2. contr.6. tract.4. disput.6. nu.12. 18. Sufficit igitur in tali casu pœnitentem se accusare de nimio potu, & cibo, & non opus est explicare pollutionem.

Sed plus addit Sancius (attendat Lector) in suis selectis disp. 21. n.15. & disput.23. nu.29. nam ibi docet, quòd verba impudica, cogitationes turpes, & tactus, licet sint crimina mortalia, & sint causæ per se ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter putat in illam influere: nam si quando cogitatio turpis est præsens, non influit in pollutionem, quomodo credi potest influxuram, quando est absens, vt potè in somnis, & ideo pollutio ex tali delectatione prçuisa non autem volita, non erit, ait ille, peccatum mortale, vt diximus de ebrietate. Vide Sancium, & non pigebit, nam in hoc nihil affirmo, sed tantùm eius sententiam refero.

Notandum est etiam, pollutionem præuisam; sed non intentam ex actionibus peccaminosis, tantùm venialiter in genere luxuriæ non esse peccatum mortale, vt ex tactu v.g. leui manus, visu, verbis, lectione aliquantulum libidinosis, &c. Ita Suarez, Henriquez, Sanchez, Villalob. Lessius, & alij apud Tannerum in part.2. disp.4. quæst.8. dub.6. num.123. quorum sententia in num.126. probabilem putat. Notentur hæc, quia sæpius in praxi occurrere possunt.

An diuinationes differant specie, & sint in Confessione aperienda.

RESOL. LXVI.

REspondeo negatiuè, vt alibi sæpius supra diximus, quia non sunt species omnino diuersæ in genere moris, vnde non est necesse confiteri, an diuinatio fuerit per inspectionem auium, lineamentorum, &c.

Verum est, quod Syluius in Diuum Thomam 2. 2. quæst.95. art.3. putat, quòd si per expressum pactum cum dæmone quispiam diuinaret, id esset exprimendum in Confessione; quia licet eiusmodi diuinatio non differat specie à reliquis, habet tamen circumstantiam notabiliter aggrauantem; multo enim grauius est dæmones expressè inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit vt se dæmones ingerant; ita Syluius. Sed tu contrarium tene, quia circumstantiæ aggrauantes, vt dictum est, non sunt necessariò in Confessione aperiendæ. Ergo, &c.

Et hçc dicta sufficiant circa prçsentem tractatum de circumstantijs aggrauantibus. Quæ quidem, vt dixi, non sunt necessariò in Confessione aperiendæ, licèt laudabiliter quis faceret, si illas aperiret, nam hoc conferret ad meritum, & ad emendationem propter verecundiam. Sed nolo imponere onus, vbi non adest.

TRA-

TRACTATVS VIII.

DE CONTRACTIBVS ET CAMBIIS.

An Cambium, sit licitum, cum pro campsuario respondet procurator campsoris, non de proprijs, vel alienis pecunijs, sed cum pecunijs ipsius campsoris, quod cambium hodie est in praxi valde vsitatum.

RESOL. I.

MOdus, & praxis supradicti cambij inuenitur apud nostrum Megalam, Filliucium, Salonium, & alios vbi infra.

Prima opinio docet esse illicitum, & vsurarium. Sic tenet ex nostris P. Iustinian. in peculiari suo tract. de cambijs, Lupus in cap.vlt. nauiganti, §. 2. sub num.29. verb.sequitur inter tract. diuer.to.7.fol.113. Ioan. Bapt. Cauata tract. de cambijs. tit. de vsur.vet quæro campsore, fol,242. Idem docet Molina de iust.tract. 2.disp. 404. Mercates de contr libr.4.cap.7. Sotus de iust.lib.6. qu.10. art.1.in fin.& q.13.ar.1.concl.3.Comitolus in resp.moral.lib.3. q. 15. & 16. Tannerus in 2.2. disp. 4.q.7. dub.5. nu 149. & 150. Fabrus de restit.in 4.sent. dist 15.q.2. disp.47.cap.9.nu.292. Rodericus lib.3 de annuis reddinbus, q.5.n.27.Romoaldus Coli, tract.de cambio, c.22.Palacius lib.3.de contr.c.3. Rebellius de obligat.iust.p.2,lib.11. q.6.concl 3.nu.10.& alij.

Probatur hæc opinio multis rationibus, & primo. In vero cambio, sicut interueniunt diuersi domini, sic debet interuenire diuersa pecunia: nam nemo dicitur, vnam pecuniam suam commutare cum alia etiam sua, sed in hoc cambio de quo loquimur, tota pecunia quæ datur, & accipitur, est pecunia ipsius campsoris. Ergo non est vera commutatio. Ergo est cambium siccum, & inane. Quemadmodum non esset vera emptio sed ficta, quando mera, & pretium esset eiusdem, & fictè quis emeret suam domum, vel permutaret suum vinum, cum suo oleo, vel triticum suum cum alio suo tritico, quod alibi haberet. Secundo, quia ille respondens, & procurator ipsius campsoris, censetur vna persona cum campsore, & ideo illa solutio, quæ ab ipso efficitur, videtur fictitia, & imaginaria, & litteræ erunt inanes. Hæc opinio est probabilior, & consulenda.

Sed contraria est etiam probabilis, & ideo illum non audet damnare Azorius par.3 lib.10.cap. 19.q.2. & solidè tuentur, & docent ex nostris P. Megala in 2.2. lib.2. cap.16.q.5.a num.33. vsque ad 44. & Naldus in sum,ver.cambium, n.6. Auctor.cons. 31.inter consilia Nauar.tom.2.lib.5.tit.de vsuris, Salas tract.de camb.dub.17. Lessius de iust.libr.2.c.23 dub.7.nu.71. Emanuel Sà ver.cambium, Homobonus de Exam. Eccl part.2. tract.9. c. 17.q.56. Saluatorius de cambijs, part. 3. num.5. Filliucius in q. moral.tom 2.tract.35.part.2.cap.8.nu.436. Bartholomæus à S. Fausto in speculo confess. disp.16.q 22. nu. 2. Salonius de iust. tom.2.q.4.de cambijs, art.2.cont.12. Thomas Boninsignus c.7. de cambijs,nu.7.8.& 9. & nouissimè Scortia in Constit. Pont. Epitome 107. Theorem. 291. & Theologus Innominatus in tract.de cambijs edito Mediolani apud Bidellum ann.1623.vbi num.76. citat etiam pro hac sententia Martinum Fornarium, & Cosmum Stella Societatis Iesu, & ita sentiunt etiam multi Theologi nostræ Religionis, & eiusdem Societatis Iesu, à me de hac re consulti.

Probatur ex verbis Pij.V in Bulla quadam data ad Bononienses, & si cupis Pontificis verba audire, hæc sunt, (Che ogni persona possa dar dinari à cambio, e fare che le lettere siano ricapitate sopra essi datori, & cosi tener li suoi cambi finche saranno rimborsati da chi hauerà preso i dinari.) Vbi S.Pontifex loquitur absolutè sine vllo discrimine, & distinctione proprij, vel alterius correspondentis, vel propriæ, seu alterius pecuniæ.

Adde, quod Salonius, & alij notant sic etiam declaratum fuisse à Congregatione Illustrissimorum Cardinalium Archiepiscopo Panormitano anno 1574. re collata cum Gregor.XIII. Summo Põtifice. At quia Iustinianus, & alij conantur respondere ad supradicta verba Pij V. & ad declarationem Dominorum Cardinalium, probanda etiam erit hæc opinio rationibus. Nam solutio pecuniæ non fit in loco, vbi recepta est, virtute primi cambij, quod reuera finitur in loco vbi facienda erit solutio: sed virtute secundi cambij celebrati in loco, ad quem missæ fuerunt litteræ. Deinde, si campsor mittat literas ad proprium factorem, quibus mediantibus, ex pecunia sua, vel aliena factor ille cambium ab ipso campsore collatum persoluat, debito illo per alias literas ad eumdem rursum remisso, cur non licebit eidem cãpsori, vt ex sua propria pecunia illud similiter persoluatur? Nam, quod per alios, in contractibus ciuilibus præstare licitum est, licebit etiam per nos ipsos similiter præstare. Tertio, in hoc cambio nullum interesse contingit campsario, quemadmodum si tale cambium solueretur ea pecunijs alterius tertiæ personæ. Ergo cum campsarius non magis grauetur, sed potius obtineat facilitatem in habenda pecunia, & liberatur ab onere quærendi alium, qui soluat cambium, hoc non videtur iniquum.

Nec obstant in contrarium adducta, nempè campsorem, in hoc casu, emere pecuniam à suo correspondente, qui censetur vna persona cum ipso campsore, ac proinde solutio videtur fictitia, & imaginaria; Nam respondetur in nostro casu respondentem campsoris duplex officium præstare, & ipsius campsoris, quatenus acceptat solutionem, & campsuarij quatenus pecuniam soluit; nihil enim refert ad iustitiam contractus, vt vna persona gerat vices duarum personarum: & passim habetur in iure, vt diuersis respectibus, possit vnus diuersas repræsentare personas, vt ex multis probat Molfesius in summa, tom.2, tract. 12.cap 7. num.51.& Scaccia vbi infra, sic in nostro casu non interest, an dictæ personæ sint diuersæ, vel eadem modo id arbitrio eius, cuius interest, relinquatur, & sic in mutuo, ipsemet mutuans potest esse fideiussor, seu assecurator volente, & consentiente mutuatario. Item solutio huius cambij non est fictitia, neque litteræ redduntur inanes, quia postquam correspondens campsoris soluit pecunias in loco nundinarum; non mittit easdem litteras, sed finitur illud primum cambium, & fiunt nouæ litteræ campsuarij, conficiendo secundum cambium, per quod soluuntur pecuniæ in eodem loco, in quo primum solutæ sunt. Hæc opinio, vt dixi, mihi videtur probabilis, nam potissimæ rationes oppositæ sententiæ duæ sunt. Prima, quod idem gerat duas personas. Secunda, quod campsuarius vendat pecuniam illi commodatam ab emptore, vel permutet eamdẽ. Sed hæc argumenta, saltem probabiliter soluuntur ab auctoribus secundæ sententiæ, & in specie ab Auctore cons.31. inter cons. Nauar. vbi supra. Ergo, hæc sententia erit probabilis. Circa præsentem quæstionem vide Scaccia tract.de commercijs, & cambio, §.6.Glos.1. à nu.2. vsque ad nu.89.

Sed caueant campsores, ne in his cambijs habeant peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis, quia hæc intentio erit vsura mentalis, sed solùm dent ad cambium cum animo negotiandi illam pecuniam, eo modo, quo licitè fit inter mercatores, siue adsit lucrum, siue non; & ad hoc auertant præcipuè mulieres, & aliæ priuatæ personæ, quædant ad cambium, vt modo videbitur.

An-

An supradictum cambium, licitè exerceatur non solùm à mercatoribus, sed etiam à personis particularibus, & priuatis, vt mulieribus, &c.

RESOL. II.

ALiqui negant, sed immeritò, nam rationes excusantes supradictum cambium inter mercatores excusant etiam illud, & inter personas priuatas, dummodo habeant aliam pecuniam apud se; vtrobique enim soluitur cambium per institorem, qui vicem gerit campsoris, & campsuarij, & apud ipsum dicitur pecunia virtualiter, & credito esse, & sic vtriusque munus couenienter exercer. Ceteras rationes inuenies apud Naldum in sum. ver. cambium, nu.6. & seq. qui in terminis latè docet hanc sententiam.

Sed an supradictę personę possint continuare tale cambium, dubitat Filliucius tom.2. tract.35. part.2. cap.10. num.471. quia non possunt, vt mercatores, esse moraliter certi tantundem lucri ipsius cessaturum ex mora, quia videlicet eamdem pecuniam ad cambia exponerent. Sed Naldus vbi supra docet, etiā recambia in supradictis personis esse licita: & opinio Filliucij procederet, si recambium esset licitum, solùm ratione lucri cessantis, & non quia est nouus contractus emptionis, & venditionis, vt videbis infrà in Resol.5.

An agens, seu respondens in supradicto cambio, debeat esse mercator, seu persona diues.

RESOL. III.

REspondeo negatiuè, potest enim esse quęlibet persona, licet sit paupérrima, dummodò substantialia supradicta cambij efficiat, literasque mittat, & alia necessaria faciat. Ita Antonius Saluatore in tract. de continuat. cambiorum part.5. num 25.

An cambium, vulgo dictum con la Ricorsa, *de quo supradictum est in Resol.1. differat ab illo, quod vulgo dicitur,* con le continuationi.

RESOL. IV.

REspondeo non differre substantialiter, sed solùm accidentaliter, nam cambium continuationum, reducitur ad duas personas, cambium verò recursæ ad tres, nempe qui dat pecunias, qui illas recipit, & exactor seu institor, qui in nundinis soluit, & exigit pecunias: in cæteris verò conueniunt, nam recambia, seu cambia continuationum non sunt nisi cambia reiterata, seu nouæ emptiones, & venditiones, sub ijsdem tamen iustitiæ regulis, quæ necessariæ sunt pro cambio recursæ. Et ita docet Antonius Saluatore tract. de contin. camb. in Prælud.num.4. & 5. & Filliucius to.2.tract.35.part.2.cap.11.n.480.

An dicta continuationes seu recambia, sint licita ratione tantùm lucri cessantis, vel damni emergentis?

RESOL. V.

AFfirmatiuè respondet Lessius libr.2. cap.23. dub.9. nu.82. & post illum Salas tract. de cambijs, dub.22. nu. 1. & Filliucius tom.2.tract.35.part.2.cap.10.num.471. & ideò asserunt quòd campsor non potest pacisci cum suo campsuario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eandem summam accipere ad recambium, & illud continuare; nisi certo constet, tantum lucrillum ex illa summa amissurum, quantum ex recambio perciperet, & campsuarium nolle aliter compensare lucrum cessans, vel damnum emergens.

Sed his non obstantibus, putat Scortia in bull. Pont. Epitom. 107. Theorema.289. cambium esse nouam emptionem, & venditionem, vnde ipse sic ait. Recambium est iteratum cambium procedens ab antecedenti, cum eodem debitore aucta forte ex lucro præcedentis, nisi vitietur aliunde est pariter licitum, ita vt etiam ex prioris cambij lucro, possit lucrum in cambio, tam prima, quàm alijs vicibus iustè, & legitimè capi, quia semper est emptio, & venditio scutorum de marca, tanquam mercis: dicique non debere interesse alterius interesse, sed lucrum capitalis, seu sortis, conuerso iam priori lucro superioris cambij in partem sortis; non secus ac reliqua sors lucri facta ex cambijs realibus factis cum alijs campsuarijs. Cum igitur recambium nihil aliud sit, quàm nouum reale cambium alterius summæ pecuniarum, alteriusque lucri diuersi temporis, virtute nouarum litterarum, pretio legitimè composito, & debitis circumstantijs vti licitum fuit primum, eisdem circumstantijs factum, ita licitum erit hoc secundum, quod recambium appellamus, siue fiat cum recursa, siue absque ea, v.g. medio proprio procuratore, certum est, semper in recambio extingui realiter per acceptationem litterarum, & solutionem realem, seu virtualem cambium præcedens, siue fiat cū noua persona, vt puta si creditor alias cambij litteras acceptet à debitore sui debitoris, siue cum eodem priore debitore, vnde etiam posteriores nouæ litteræ cambij, priores extinguunt. Ita Scorcia vbi supra. Quòd autem cambium, sit emptio, & venditio, docet etiam Boninsignius tract. de cambijs, cap.7. num.23. Scaccia de commer. §.1. q.4. num.21. & alij penes ipsum. Et sic supradictæ continuationes, siue cambia non solùm iustificantur ratione lucri cessantis, sed etiam ratione emptionis, & venditionis. Sed aliqua dicenda sunt circa promissiones supradicti cambij.

In quanam quantitate sumenda sunt prouisiones cambiorum.

RESOL. VI.

EX inueterata, & immemorabili inter mercatores consuetudine, pro prouisione cambij; debetur tertia pars scuti pro singulis centenis scutis, secundum pecuniam, de qua soluitur cambium, seu efficitur assignatio. Ita Boninsignius de Cambijs. cap.7. Romoaldus Col. de Cambijs, cap.21. Scaccia de commercijs, §.3. Gloss.3. num.12. Scortia in Bull. Pont. Epitome 107. Theorem. 291. Filliucius tom.2. trac.35. part.2. cap. 10. nu.475. & alij penes ipsos.

An dicta quantitas tertia partis scuti pro centenario, sit iusta, etiam in prouisionibus, qua sumuntur in recambijs, & continuationibus?

RESOL. VII.

HÆc quæstio est multum difficilis, & hic opus, hic labor est. Aliqui affirmatiuè respondent, quia in omnibus mundi nundinis recipitur integra tertia pars vnius scuti aurei pro centenario, etiam pro prouisionibus recambiorum, & continuationum. Ergo dictæ prouisiones sic integræ receptæ, sunt iustæ. Probo cōsequentiam. Nam vt benè aduertit Boninsignius tract. de cambijs, ca.7. nu.23. de iustitia, vel iniustitia quantitatis prouisionum, standum est communi arbitrio mercatorum; sed vt dictum est, communiter omnes mercatores ex inueterata consuetudine, recipiunt prouisiones modo supradicto. Ergo minimè de eorum iustitia dubitandum est.

Sed non desunt contrarium sentientes, nam prouisiones debentur pro labore, vt notat in specie Romoald. Coll tract. de camb. c.21. at in recambijs, & continuationibus, non est idem labor vt in cambijs realibus. Ergo, &c. & ideo Malderus in 2. 2. tract.5, cap.4. dub.7. putat, quod in recambijs, prouisiones vix iustè integræ accipiuntur, eo quod faciliùs; & securiùs eadem cambia continuantur, quam noua ineantur.

Posset tamen aliquis respondere, consuetudinem habentem vim legis, vt in simili dixit Nauarr. conf.3 t. de vsur. circa prouisiones cambiorum, non considerasse magnitudinem, seu paruitatem laboris in vnoquoque genere cambij, & in casibus particularibus, sed in vniuersum, & ideo constituisse pretium pro quouis labore in genere, ergo, &c. Deinde, licèt campsores in recambijs non ita laborent, vt in cambijs realibus, tamen ipsi laborare vellent in dictis cambijs realibus, & sumere prouisiones, & de facto laborarent, si campsarij soluerent pecuniam, nam illam darent ad cambia realia, ex quibus prouisiones sumerent. Ergo etiam in recambijs, prouisiones integræ illis debentur, quia ex culpa campsariorum prouenit, vt campsores in cambijs realibus, dictas prouisiones integras non recipiāt; nam si statuto tempore pecuniam soluerent, illam vt dictum est, ad cambium reale alteri darent, & ex ipso prouisionem acciperet. Et ideo Lessius lib.2. cap.23. dub. 10. nu.84. Salas de camb. dub. 22. num.3. Filliucius tom.2. tract.35. par.2. cap.10. num.471. & alij;

alij, non asserunt campsores in recambijs non posse recipere integras prouisiones, quia non ita laborant, vt in cambijs realibus non inquam hoc asserunt, sed docent absolutè in continuationibus posse campsores sumere consuetas prouisiones, ratione lucri cessantis, quia si campsarij soluerent statuto tempore, campsores cùm alijs, alia cambia realia efficerent, ex quibus prouisiones reciperent. Ergo, &c.

Secundò, aliqui respondent, quod prouisiones non solùm debentur ratione laboris, sed ratione periculi amittendi fortem principalem; periculum verò, quod etiam in cambio recursæ, & continuationum adest, explicuit Antonius Saluatore tract. de contin. cambiorum, part. 5. numer. 45 vbi sic asserit. (Nego, che sia maggior pericolo al cambista mentre che, chi piglia à cambio, tra à pagare ad vn terzo per compire la partita, e non la trà allo stesso cambista, perche se bene tanti vi ponno essere pericoli, quanto vi intertengono pagatori ò campsuarij, ad ognimodo vi ponno anche essere altri tanti pericoli, nella ricorsa d'anni, massime se chi piglia à cãbio è negotiante, il quale lungo tempo carico di debiti pansce interesse, che se bene il primo anno che piglia à cambio con la ricorsa al cambista, egli e stimato buon debitore, può nondimeno in successo di tempo, diuentr cattiuo, e piacesse à Dio ch'il più delle volte questi tali non fossero nascostamente cattiui fin al principio, come l'esperienza tutto di mostra.) Ita ille.

Sed instabis, & dices; pericula esse inæqualia, & posse quidem cambium cum aliquo esse periculosum, non vero cum omnibus, & æqualiter; sed prouisiones, ratione periculi, æqualiter ab omnibus sumuntur, ergo erunt iniustæ. Confirmatur, quia qui vendit pecunia credita, licet se exponat periculo perdendi pretium, nõ potest tamen æqualiter sumere aliquid plus ab omnibus, sed secundum æstimationem periculi, plus, vel minus.

Fateor, hoc argumẽtum apud me validissimum esse, sed non reticeam, ad ipsum respondere Scaccia vbi suprà in tractat, de commer. §. 3. glos. 3. n. 12. vbi ait. Quod in cambijs ratione periculi, prouisiones iustè recipiantur, non obstante, quòd pericula sint inæqualia, & cambij debitor sit minus idoneus, siue magis idoneus, id est siue cambium sit periculosum, siue non, & hoc non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Et ratio, quam adducit, hæc est, quia lex conscientiæ debet esse de re possibili, sed est impossibile cognoscere minutatim qualitates, & quantitates periculi, tũ quia periculum est in incerto euentu rei, & ideò potest contingere, vt vbi maius appareat, euanescat, & vbi minus, ibi succedat; tum quia circa rerum euentus, varias habent opiniones & inæquali tenentur timore. Quare si lex positiua, vel consuetudo (vt est in casu nostro inueterata, & immemorabilis) vnum æquale statuerit pretium, illud erit tutum etiam in foro interiori, alias magna conscientiarum confusio; & perplexitas posset oriri. Ita Scaccia.

Possunt igitur in hoc casu dicere campsores, vt in simili dixit Nauarrus, conf. 31. de vsuris, consuetudinem hanc habere vim legis; & non considerasse, vt suprà diximus de labore, magnitudinem, seu paruitatem periculi in vnoquòque casu, & in particulari, sed in vniuersum, & ideò constituisse pretium pro quouis periculo in genere. Vnde ex his patet responsio ad confirmationem argumenti pro contraria sententia, de vendente scilicet pecunia credita, qui non potest æqualiter ab omnibus eamdem summam accipere, pro periculo amittendi sortem. Nam respondeo, esse disparem rationem inter vtrumque casum, nam in venditione, ad creditum non adest consuetudo immemorabilis, sumendi aliquid amplius æqualiter ab omnibus ratione periculi, vt est in cambio.

Sed rursus instabis contra supradicta, nam dato, & cõcesso, quod prouisiones non solùm pro labore, sed etiam pro periculo sortis principalis sumantur, adhuc videntur iniustæ, si integræ sumantur, saltem in casu, quando campsores recipiunt fideiussores, & pignora, nam cessat periculum. Respondeo, quod etiam dato pignore, & fideiussore, possunt sumi dictæ prouisiones. Nã vt benè notat Scaccia de commer §. 3. Gloss. 3. n. 11. pignus potest esse obligatum anterioribus creditoribus, & fideiussor potest esse ære alieno grauatus. Ergo, etiam cum pignore, & fideiussore remanet adhuc periculum. Notandum est etiam, quod in nundinis, mercatores in taxando interesse cambij, non respiciunt ad periculum, vt aliquid amplius, in supradicto interesse apponatur ratione periculi, quod campsores possunt habere, amittendi sortem principalem.

Sed his non obstantibus, habeo aduersus supradicta firmum argumentum; nam campsores recipiunt prouisionem ex conuentione facta cum suis agentibus, prouisiones etenim ex natura rei debentur agentibus, & non campsoribus; ergo necessariò sequitur, quod debentur tantum ratione laboris, & non periculi. Nisi dicas, agentes omnia efficere cum periculo campsorum, stante eorum ordinatione soluendi, vt vulgò dicitur, sopra di loro. Ergo recipiunt prouisiones, etiam ratione periculi, quo subijciuntur campsores.

Sed tu cogita, nam hęc omnia disputationis causa scripta esse volo, in gratiam Confessariorum, & Responsorum casuum conscientiæ, vt ipsi tamen videant, an sint probabilia, necne. Ego verò campsoribus consulerem, vt à campsuario non sumãt in cõtinuationibus integrum interesse cambij, sed statuant pactum, vt interesse non excedat aliquam summam, inter ipsos beneuisam, & tunc pro relaxatione ista non est illis scrupulus imponendus circa prouisiones; nam si aliquid amplius, in prouisionibus sumant, iam illud remittunt in interesse cambij; difficultas esset, quando interesse cambij non excederet summam præfixam. Et in hoc casu, quod ratò solet accidere, recurrant ad Confessarios, & viros expertos, & eorum determinationi acquiescant. Sed ad alia procedamus.

An campsores possint in recambijs, & continuationibus exigere toties quoties dictas prouisiones.

RESOL. VIII.

NOster P. Molsesius in summ. to. 2. tractat. 12. c. 7. n. 66. 1 11. cum seq. negatiuam sententiam docet.

Sed in praxi contraria obseruatur, & illam defendit Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 9. num. 84. vbi docet, posse in rigore campsores dictas prouisiones exigere, & hoc titulo lucri cessantis, supponendo campsorem, siue eius respondentem percepturos eas ab alijs, si campsuarius in tempore præfixo soluisset. Et hanc sententiam Lessij, etiam post illum, docet Salas tract. de cambijs, dub. 22. n. 3. & Fillucius to. 2. tract. 35. p. 2. c. 10. n. 471.

Sed ex Scortia vbi suprà in Bull. Pont Epit. 107. Theorema 289. dicendum est recambia nõ esse licita ratione lucri cessantis, sed quia sunt nouæ emptiones, & venditiones, & ideò sicut in cambijs realibus, iuste sumuntur prouisiones, toties quoties cambia efficiantur, ita sumendæ erunt & in recambijs.

An campsor possit toties quoties recipere duas prouisiones, vnam in loco vbi efficitur cambium, alteram in nundinis, quam recipit eius Agens.

RESOL. IX.

NEgatiuè videtur prima facie respondendum, ex verbis Romoaldi Coli tract. de cambijs, cap. 21. circa finem, vbi sic asserit. (Bisogna auertire, che Giouanni non sia granato due volte à pagare lo stipendio, ò prouisione vna volta à Pietro, & vn'altra volta all'Agente di Pietro.

Sed hæc verba aliqui putant esse vera in casu de quo loquitur Scaccia de commer § 3. Glos. 3. nu. 15. non autem in casu, de quo postea loquitur supradictus Scaccia num. 20. quia creditor soluendo sibi ipsi de mandato sui debitoris, contrahit non solùm pro se, proprio nomine, sed contrahit etiam procuratorio nomine, pro suo debitore. Nam debitor, dum mandat ei, vt soluat sibi ipsi, necessariò mandat etiam, vt nomine ipsius debitoris accipiat cambium à seipso, vt inde sibi soluat. Sed si debitor mandaret alicui tertio, quod acciperet cambium pro suo debitore, & solueret creditori; deberet huic tertio, tum quia exequendo mandatum sibi iniunctum laboraret, tum quia accipiendo cambium remaneret obligatio danti. Ergo eadem debetur creditori, qui accipit cambium à seipso, vt soluat sibi ipsi: Ita Scaccia. Vnde Boninsignius tract. de cambijs, cap. 5 num. 10. sic asserit. Prouisio soluitur à capientibus ad cambium semel vbi recipitur. Iterum verò Lugduni aut alibi, quò debitum trahunt.

Igitur, sicut in nundinis debetur campsori prouisio, sic & in redditu ex nundinis alia etiam debetur prouisio, in casu tamen quo campsuarius non vult ipse rationes accipere, libros tenere, & alios labores necessarios facere, sed in committit faciendum campsori, qui de eius ordine negotium peragit, & illum à supradictus

prædictis laboribus eximit. Vnde si alia persona, diuersa à campsore, hæc omnia faceret de mandato campsuarij, illi quidem, vt omnes concedunt, deberetur prouisio, quare ergo erit deneganda campsori, qui etiam de mandato campsuarij hoc efficit?

An debeatur vna tantum prouisio pro cambio magno, ac pro paruo, v.g. pro mille ac pro centum.

RESOL. X.

ALiqui viri docti affirmatiuam sententiam tenent, quia prouisio debetur pro labore, sed idem labor sustinetur pro cambio magno, ac pro paruo. ergo eadem debetur prouisio.

Sed ego contrarium facientem non damnatem ad restitutionem, & contraria sententia mihi non placet, quia Rumoaldus Coli tract. de cambijs, cap. 21. Scaccia tract. de commer. §. 3. Gloss. 3. numer. 475. & alij, communiter asserunt absolute, pro prouisionibus deberi mercatoribus vnam tertiam partem pro singulis centenis, vnde Scortia in Bull. Pont. Epit. 107. Theorem. 291. asseruit, quod si summa cambij sit vnius millionis, lucrum prouisionum, erit scut. 3333.

Ad argumentum verò contrariæ sententiæ, posset aliquis respondere, quòd notarij conficiendo aliquam scripturam recipiunt longe diuersum ac maius stipendium, quàm pro alia eodem labore confecta, quia illa prior cōtinet maiorem pecuniarum summam, quam altera; sed hoc accidit in casu nostro, ergo. Item, sartor conficit cum eodem labore vestem ex panno, & ex auro confectam, & tamen recipit maiorem mercedem pro hac, quàm pro illa conficienda. Ergo.

Adde etiam, quòd aliqui asserunt, vt supra visum est; prouisiones deberi non solùm ratione laboris, sed etiam periculi; sed qui dat in cambio maiorem pecuniarum summam, maius periculum in se suscepit. Ergo maiores debet percipere prouisiones. Sed de hoc vide sup. in Resol 7.

An id quod campsoribus debetur, ratione prouisionum, & interesse, possit ab ipsis adduci sorti, vt cambium magis augeatur.

RESOL. XI.

NEgatiuè respondendum videtur, per ea, quæ latè adducit nouissimè doctus Narbona in 3. part. Recopil. libr. 5. tit. 18. leg. 13. glos. 2. num. 32. & seq. & ita in terminis docet hanc sententiam Malderus in 2. 2. D. Thomæ, tract. 5. cap. 4. dub. 10. & Molfesius in summ tom. 2. tract. 15. c. 7. nu. 113.

Sed ego contrariam sententiam probabilem, & tutam in praxi esse existimo, & ita tenet ex Societate Iesus Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 9. nu. 85. & Salas tract. de cambijs. dub. 22. num. 4. quia campsores moraliter certi sunt, se illud potuisse statim alijs ad cambium dare, & per illud lucrari, & ita ratione lucri cessantis, possunt illud sorti principali vnire, vt cambium augeatur.

Hoc etiam concedit ex alio principio Scortia in bull. Pont. Epit. 107. Theor. 289. nempe, ratione noui contractus emptionis, & venditionis. Vide etiam Scaccia de comer. § 6. gloss. 1. n. 8. & Saluatorem tract. de contr. cambiorum, p. 5. n. 43.

An consuetudo campsorum de non acceptanda solutione sortis, nisi simul soluantur detrimenta cambiorum, sit licita.

RESOL. XII.

REspondeo affirmatiuè, & præter Lessium lib. 2. c. 23. dub. 10. num. 87. Salas tract. de cambijs, dub. 25. num. 2. Filliucium tom. 2. tract. 35. part. 2. cap. 10. nu. 472. tenet etiam hanc sententiam Mald. in 2. 2. D. Thom. tract. 5. c. 4. dub. 10.

Igitur potest campsor, cui pro sorte debentur decem, pro interesse autem, & prouisionibus tria quando ad computum recipit tria, ea accipere in solutum pro interesse, & prouisionibus, & non tenetur tria retinuere de sorte. Rationes verò huius sententiæ inuenies apud citatos Doctores. Nam ego in his laboribus non latè disputare, sed solum delibare volo.

An campsores dantes ad cambium modo vt supra, sint in foro externo, tanquam vsurarij puniendi.

RESOL. XIII.

NOuissimè Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. q. 8. dub. 5. num. 148. & Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 7. num. 72. affirmatiuam sententiam docent.

Sed immeritò quidem, nam vt benè docet Antonius Saluatore tract. de continuat. cambiorum, part. 2. num. 8. (Chi cambia con la ricorsa, non vien presunto, ò castigato, in foro fori, come vsurario, mà che? se li conuiene con alcun litigare sopra questo nelle Ruote di Genoua, & d'altri Prencipi, & etiamdio nella Rota di Roma Rota delle Rote, e Rota che dà lume all'altre, si giudica à fauore di chi cambiando chiede l'interesse della ricorsa, come vltimamente haue ottenuto, il Signor Hettore Fiesco in Roma in vna sua causa, ch'egli agitò contro il Signor Cōrestabile Colonna.) Ita Saluatorius: vide etiam Doctores citatos vbi suprà.

Vtrum campsor, qui bona fide dedit pecuniam Petro ad cambium soluendum Messanæ, existimans ipsum habere pecuniam in tali loco, & postea comperiat non habere, possit tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Petrus Messanæ soluisset.

RESOL. XIV.

REspondet negatiuè Salas de cambijs, dub. 15. numer. 2. qui citat Ledesmam, & Vegham, vbi asserit, tale cambium esse siccum, & sic campsorem nihil vltra sortem recipere posse, & si receperit, teneri ad restitutionem ipsius nisi bona fide consumpserit, quia tunc solùm tenetur restituere id, in quo factus fuit ditior: posse tamen exigere à campsario damnum emergens, & lucrum cessans ex ea fraude. Et rationem adducit; quia, qui fictè, & sine animo se obligandi, aliquid promisit, non tenetur implere in foro interno, sed tantùm tenetur de damno emergente, & lucro cessante.

Hæc opinio est probabilis, sed contrariam probabiliorem existimo, quàm sequitur Molina de iust. to. 1. tract. 2. disput. 404. num. 7. & post illum Lessius lib. 2. c. 23. dub. 7. nu. 69. Quia cum campsor bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantum potest, vel soluere quantum interest campsoris eum impleri; alioquin cōtractus semper paterent fraudibus, & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi.

Vtrum campsor possit cum campsario à principio pacisci certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis.

RESOL. XV.

NEgatiuè videtur respondendum cum Filliuc. to. 2. tract. 35. part. 2. cap. 7. num. 424. Homobono de Exam. Eccl p. 2. tract. 9. cap. 15. qu. 4. & alijs, ex Bulla Pij V. prohibentis taxationem a principio, seu certum aut determinatum interesse in cambijs.

Sed cum hæc prohibitio fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, in foro conscientiæ, valebit dictum pactum de certo interesse, si moraliter constet istud iustum esse, etiam in locis, vbi dicta Bulla Pij V. recepta est. Et ita docet Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 11. num. 90. Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 34. num. 467. & alij.

An verò in tali casu campsor peccet mortaliter: affirmatiuè respondet Salas tract. de cambijs, dub. 13. num. 2. & Rebellius part. 2. li. 11. quæst. 13. num. 5. vbi sic asserit. Quando modus aliquis contrahendi prohibetur ad tollendas occasiones peccandi, & si nulla iniustitia de facto in aliquo particulari euentu occurrat, non proindè ratio legis vniuersim cessat: quoties verò ratio legis vniuersim non cessat, nec etiam ipsa lex. Quare in proposito euentu, prædicta Pij V. prohibitio obligabit, cū certum sit non tolli peccandi occasiones, si relinquatur libertas determinandi certum pretium ab initio, ratione interesse verisimiliter futuri, licèt interdū æqua determinatio fiat. ita Rebell.

Sed

Sed ego puto, in tali casu campsorem non peccare, neq; dictum motum Pij V. obligare in foro conscientiæ. Et aduersus Rebellium assero cũ Granado in p.2. contr.7. tr.3. p.2. disp. 15. sect.2. & alijs, quos citaui in tra. de legibus, quod quando cessat ratio legis, etiam in particulari: cessat eius obligatio, sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c. Et ita etiam docet in terminis cambiorum Emanuel Sà verb. Cambium n.6. vbi ita ait. Etiam in eodem Regno licet cambium per litteras, etsi id lex aliqua prohibeat: præsumit enim fraudem, quæ si absit, non intendit prohibere.

Idemque dicendum de cambijs omnibus alioqui licitis, aut cambiorum licitis conditionibus, si lege aliqua prohibeantur, cessante enim fraude, quam lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine constet oppositum. Sic ille. Notandum est tamen, quod omnes Doctores citati concedunt, Pium V. non prohibere pactum de lucro incerto, si in loco constituto campsuarius non soluat tempore determinato: sed Pontifex in illa Bulla loquitur tantum de pacto lucri certi.

An contractus massarij ad mercatorem, qui vulgò dicitur, alla meta, *sit licitus, qui contractus passim celebratur in hoc Siciliæ Regno?*

RESOL. XVI.

Respondeo affirmatiuè, etiamsi non sit agricola, neque dominus prædiorum habens frumenta iure terragiorum, neque in solidum se obliget cum aliquo, qui talis sit, quicquid in contrarium videatur docere Muta dec.52. num.11 Et ratio est, quia licet ita contrahens non habeat frumenta aliquo ex tribus modis, vt diximus, habet tamen modum, & potentiam, & possibilitatem habendi supradicta frumenta, nam potest illa emere tempore consueto, & præfixo in contractu, vt tradat emptori: & iste contractus, si contrahentes habeant animum emendi, & vendendi frumenta, est licitus, quia reducitur ad contractum emptionis, & venditionis: neque aliquod continet periurium, quia verum iuratur, nempè tradendi frumentum tempore præfixo.

Nec valet dicere, quòd in isto contractu vnus ex contrahentibus vendit frumentum, quod non habet, neque in potentia, quia non est agricola, neque est dominus prædiorum; Ergo talis contractus non est contractus emptionis, & venditionis, sed mutui palliatu. Nam respondetur, quod iste habet frumentum in potentia morali, quia habet possibilitatem emendi, vel alio modo habendi frumenta tempore, quo debet emptori illa consignare: & ideò quando contrahit, dicitur habere frumentum. Sicut enim agricola dicitur habere frumentum in potentia, quia illud habebit ex suo agro: ita iste habet frumenta, quia illa sua pecunia est empturus, & hoc sufficit ad venditionem.

Adde, quòd etiam licitè quis potest vendere frumentum alienum, quod non habet, nec habere potest, nam vt communiter Doctores asserunt, potest quis vendere rem alienam, quam minimè habet, & venditor in tali casu tenetur emptori ad euictionem, & ad pretium rei venditæ, & ad damnum subsequutum ex tali emptione, neque ad aliud obligatur.

Ex his sequitur, quòd qui non habet frumenta, neque habet facultatem illa emendi mentitur, & est periurus, si hunc contractum celebret; quia iurat falsum. Et ita peccant contrahentes tali pacto cum filijs familias, quos sciunt non posse tempore præfixo talia frumenta habere, & consignare, vel cum alijs personis, quæ vt diximus, non solùm actu frumenta non habent sed neque in potentia, quia possibilitatem non habent habendi illa.

Notandum est verò quod si non habens frumenta, neque possibilitatem habendi, nihilque de hoc cogitans, ad subueniendum suæ necessitati, & bona fide ita contrahit, quia alij in foro ita solent communiter contrahere, puto supradictum non peccare, neque ad restitutionem teneri, quia talis contractus, licèt materialiter sit illicitus, ex obiecto tamen, & formaliter est licitus. Et ita etiam sentiunt aliqui Theologi ex Societate Iesu à me de hac re consulti. Sed quia in tali contractu apponitur pactum, vt si venditor frumenta nõ tradat possit emptor illa emere, vt vulgò dicitur *alle maggiori valute*, ideò quæritur.

An si in supradicto contractu venditor non tradat frumenta tempore præfixo, possit emptor petere, & accipere summum in illo anno frumentorum valorem, qui dicitur, le maggiori valute?

RESOL. XVII.

Respondeo negatiuè, quia non est certus an vendidisset illa frumenta eo tempore, quo illo summo pretio valebant, ideò ex pretijs præteritis debet relinquere pretium rigorosum, & infimum, & accipere medium. Igitur si ab Augusto vsque ad mensem Ianuarium pretium frumenti fuit aliquando tarenorum 40. aliquando 45. & aliquando 50. non sumatur in tali casu pretium infimum, quod fuit tarenorum 40. nec rigorosum, quod fuit tarenorum 50. Sed medium, nempè tarenorum 45.

Sed si in illo tempore, quo frumentum valuit tarenos 50. emptor illud vendere determinasset; posset vtique summum valorem accipere, non autem si in illo tempore nihil de tali venditione cogitauit, vel determinauit. Et ita in simili casu docet Villalobos in summ. part.2. tractat.21. dub 7. num. 10. Salas tract. de empt. & vendit. dub.30 num.5. Lessius libr.2. capit. 21. dub.4. num.28. Azorius part.3. lib.8. cap.9 quæst.1. in fin. Molina tom.2. tract.2. disput. 355. num.6. Salonius in 2.2. tom.2 q. 88. art.2 contr.21. num.6. Pitigianus in 4. sent. tom.2. distin.15. conclus.6. in fin. fol.205. & Bonacina de contr. disput. 3. quæst. 2. punct.4. num.16.

Sed licèt hoc sit verum, & consulendum, pro contraria tamen parte potest adduci doctrina Vasquez Opusc. de restitut. cap.5. §.1 dub 12 num.77. & communiter aliorum Doctorum apud Lessium lib 2 cap. 12. dub.16 num. 109. nempè, quod si incertum sit quo pretio, aut in quo statu dominus rem furatam erat venditurus, tunc in tali casu tenetur fur restituere secundum optimum statum, & summam æstimationem, quam interea habuit. Et ratio est, quia in eo statu vendi poterat, & in dubio melior est conditio innocentis, & in eius fauorem est inclinandum. Sed eadem est ratio in casu nostro, quia venditor iniustè detinet frumentum, & illud non tribuit emptori. Et emptor tale frumentum poterat vendere eo tempore, quo carius valebat. Ergo restituendum erit secundùm summam æstimationem, quia, vt diximus, in eo statu vendi poterat; Et ideò ex hac doctrina multi viri docti de hac re à me consulti, non obligant ad restitutionem ita facientes, sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum.

An talis contractus possit sæpius renouari?

RESOL. XVIII.

Respondeo affirmatiuè citra fraudem, & affectum auaritiæ, quia subsequentes contractus cum requisitis supra positis, sunt etiam contractus emptionis, & venditionis: itaque tempore mensis Augusti, si venditor nõ possit, neque frumentum, neque pretium soluere, potest celebrare denuò hunc contractum; & quoties non est soluendo, toties illud renouare: dum tamen habeat spem in præfixo tempore habendi aliquo pacto frumenta, vel pretium.

An supradictus contractus dum renouatur, licitè postea in illo adijciatur interesse sorte principali?

RESOL. XIX.

Noster D. Andreas Molfesius in sua sum. p.62. tract.12. c.7. num.113. & Megala 2.2. lib.2. c.6. q.1. n.29. partem tenent negatiuam. Hanc sententiam sequuti sunt Malderus in 2.2. tract. 5. cap.3. dubio 12. & Iacobus de Graffeis par.1. lib.2. cap.105. n. 8. Hondedeus consil.5. num.28. Francus decis.254. num.14 Rodericus de annuis reddit. libr.5. quæst.7. num. 27. & Decisiones nouissimæ Rotæ Romanæ vol 2. decis.315. numer.8. Probatur ratione, nam hoc esset quædã super fœtatio, & anatocismus iure prohibita, vt vsuræ vsurarum, vt patet ex leg. vlt. C. de vsuris. Secundò, si admitteretur interesse alterius interesse, res in infinitum progrederetur, contra text. leg. vnic. vers. in alijs autem casibus,

casibus, Cod de sentent. quæ pro eo, quod interest, profertur.

Sed affirmatiuam sententiam probabiliorem esse censeo, quam tuentur Alphonsus Villagut in tractat. de vsur. quæst. 18. num. 34. Rota Genuensis in decis. 134. in fin. Rota Mantuana, vt testatur Bursatus lib. 1. consil. 68. num. 42. Beretta consil. 25. num. 5. Cagnolus in leg. vnic. C. de senten. quæ pro eo, num. 46. & nouissimè Scaccia in tract. de commerc. § 7. Gloss. 2. à nu. 19. vsque ad 59. cum Polydoro Ripa obseru. 324. num. 8.

Et ratio est aperta, nam sicuti primum interesse debetur, sic etiam debetur & secundum, & aliud deinceps, cum nulla probabilis differentia afferatur inter vnum, & aliud interesse: decurso enim primo interesse, illud effectum est capitale, quo non restituto causatur nouum interesse, cum creditor careat lucro, quod habuisset, si illud solutum sibi fuisset. Et hoc dicere voluit Signorolus in consil 65. dum respondit lucrum lucri deberi, quia postquam lucratum est, illud lucrum facit sortem, & capitale.

Notandum est verò, interesse pœnarum nullo modo peti posse: vt v.g. aliquis nomine pœnæ tenetur aliquid soluere, si pœnam in tempore non soluit, non tenetur soluere interesse dictæ pœnæ, vt optimè notat noster P. Molfesius in summ. to. 2. tract. 12. cap. 23. num. 37.

His suppositis, respondeo in hoc contractu vt vulgo dicitur *alla meta*, sine vllo scrupulo concedere possunt Confessarij, vt interesse ratione lucri cessantis, adijciatur sorti principali: vide Lessium lib 2. cap. 23. dub. 9. nu. 85. Sed alias non minus in praxi occurrentes difficultates deueniamus.

Vtrum sit licitum vendere res credita pecunia, pretio rigoroso, & postea illas statim emere, numerata pecunia, pretio infimo, vel medio?

RESOL. XX.

Respondeo affirmatiuè cum Homob. de Bonis in exam. Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 3. quæst. 5. Layman in Theolog. Mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 16. Lessio lib. 2. cap. 21. dubio 16. num. 130. Reginaldo lib. 25. num. 296. Toleto lib. 5. cap. 31. n. 30. Salas tract. de empt. & vend dub. 57. n. 2. Nauarra de rest. lib. 3. cap. 1. num. 17. Rebellio lib 9. q. 7. num. 7. & alij. Quia in tali venditione, & emptione res venditur, & emitur iusto pretio. Ergo, &c.

Limitanda est tamen supradicta sententia, vt non procedat, si venditor iniret cum emptore, vt rem emptā iterum sibi vendat infimo, vel medio pretio. Vide Molfesium in summ. tomo 2. tract. 12. cap. 5. num. 11. Molinam de iust. tom. 2. disp. 316. n. 2. & Doctores citatos. Sed de hac quæstione iterum redibit sermo.

An licitè possit quis pluris vendere res illas, quæ communiter credito pluris venduntur?

RESOL. XXI.

Affirmatiuè respondeo, tum ratione lucri cessantis, seu damni emergentis; tum ratione multitudinis emptorum; tum quia in tali venditione illud est iustum pretium, ex communi ementium, & vendentium consuetudine, & vsu. Et ita docet Emanuel Sa verb. venditio, n. 7. vbi sic asserit. Merces, quæ solent frequentiùs vendi pecunia credita, quàm numerata, vendi possunt pluris expectata pecunia, quàm vendantur numerata, etiam vltra rigorosum. Quia in eo venditionis genere ex communiori ementium, & vendentium vsu, & æstimatione illud est iustum pretium. Ita ille. Secus autem, si nulla dictarum rationum interueniat, vt notat Bonacina de contr. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. num. 17. & Filliucius to. 2. tract. 33. cap. 5. n. 113. vide etiam nostrum Megalam in 2. 2. lib. 2. cap. 6. quæst. 2. num. 174. & seq. Molfesium in summ. to. 2. tract. 12. cap. 5. num. 103. vnde excusatur venditio pannorum, & saccharorum tali pacto fieri solita, in hoc Regno, sed de hoc alibi.

An liceat minoris emere anticipata solutione, cum aliquæ res eo modo emi solent, vt lana, &c.

RESOL. XXII.

Negatiuè respondet Valentia to. 3. disp. 5. quæst. 20. punct. 2 §. 8. & alij penes Salas tract. de empt. dub. 43. qui pro affirmatiua sententia citat 11. Doctores, & talem emptionem merito non absolutè, sed ratione aliquarum circumstantiarū ex pluribus defendit, dicēdo Primò posse fieri infimo pretio: Secundò, etiam minori pretio, quia sit infimum iustū, propter periculum non recipiendi merces, aut non sinceras, aut non statuto tempore, aut non sine lite, & expensis. Tertiò, ob lucrum cessans, & damnum emergens, ex anticipata solutione. Quartò, quia sic emendo multiplicantur venditores, & sic minuitur pretium. Quintò, quia communis indigentia, & necessitas venditorum, maximè si vltrò, & rogando, offerant merces, diminuit pretium. Et tandem, quia si dictæ merces emerentur numerata pecunia tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & venditorum necessitates, quæ in causa essent, vt emptores rogarentur, maximè ad euitandos sumptus in eis conseruandis. Et ita etiam ex neotericis docet Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. punct. 4. num. 20. & Filliucius tom. 2. tract. 35. cap. 5. num. 102. quicquid in contrarium asserat Reginaldus, & alij.

In quibus casibus res aliquando potest vendi cariùs, quàm alioquin venderetur?

RESOL. XXIII.

Respondeo cum Bonacina disput. 3. quæst. 2. punct. 4. nu 22. Primò, ob multitudinem emptorum. Secundo, ob affectum ad rem. Tertio, ob lucrum cessant. Quartò, ob damnum emergens. Quintò, propter periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expensis. Sextò, propter modum vendendi. Ex quibus deducitur multas esse causas, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quam alioquin emeretur. Primò, ob multitudinem mercium, raritatem emptorum. Secundò, ob inopiam pecuniæ. Tertiò, ob modum vendendi, modo res non habeat pretium à lege cōstitutum. Quæ quidem sunt maximè à Confessarijs notanda: nam ex his pēdet resolutio multorum casuum quotidie in praxi occurrentiū. Vt quando rem quis minoris emit ab illo, qui necessitate compellitur ad vendendum: nam in hoc casu puto licitam talem emptionem ex modo vendendi, quia necessitas facit, vt venditor offerat merces vltroneas, quæ vilescunt, vt aliàs dixi, non solum pro tertia parte, sed etiam pro medietate. Deinde in tali casu censentur adesse pauci emptores, sed paucitas emptorum minuit pretium. Ergo, &c. Et ita docet Vasquez Opusc. de restit. cap. 5. § 1. dub. 10. nu. 61. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 57. dub. 61. numero 5. Emanuel Sà verb. empt. numero 4. in fine, & alij.

An mercator, siue quiuis alius, qui non exercuit monopolium, possit iustè suas merces vendere pretio illo, quod monopolium creauit?

RESOL. XXIV.

Negatiuè respondet Ioan. de la Cruz in director. consc. p. 1. præcep. 7. q. 3. dub. 8. conclus. 3. Rebellius par. 2. lib. 9. q. 7. num. 5. Salas de empt. dub. 38. num. 6. cum Lopez de contract. lib. 1. cap. 742. Quia idem pretium eiusdem rei non potest simul esse secundùm se iustum, & iniustum; vel igitur omnes in proposito euentu iustè eodem pretio vendunt, vel nulli. Cum ergo fraudis auctores iniustè vendere certum sit, reliqui quoque vēditores, siue conscios fraudis, siue inscios, postquam resciuerint fraudem, similiter de iustitia teneri ad restitutionem non dubium est. Confirmatur, quia pretium factum per fraudem vendentium, aliāmve iniustitiam, quæ cursum iusti pretij impedit, non est censendum iustum. Ergò, &c.

Hæ rationes Rebellij faciunt hanc opinionem probabiliorem, & ego illam sequor. Sed contrariam etiam probabilem existi-

existimo cum Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. punct. 5. num. 11. Turriano in 2. 2. disp. 57. dub. 8. nu. 7. quam docet Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 22. num. 330. & alij. Quia mercator, in tali casu, vendit eo pretio, quod est commune, sed pretium commune iustum est, etiamsi sit auctum per fraudes aliorum. Ergo, &c.

Notandum est etiam, esse monopolium contra iustitiam, quando mercatores conspirant, vt nullus eorum vendat, nisi pretio supremo, vel medio vt docet Turrianus vbi suprà num. 2. & 4. licet contrariam sententiam etiam probabilem puto, quam docet Villalobos in summa, tom. 2. tract. 21. dub. 17. nu. 4. Molina tom. 2. disp. 345. Nauarra, & alij quos citat, & sequitur Molfesius in summ. tom. 2. tract. 12. cap. 5. num. 130.

An si aliquis sciat breui valorem monetæ diminuendum esse, possit illam alicui mutuare cum pacto, vt eam sibi restituat iuxta valorem, quem dicta pecunia habebit tempore, quo restituendum erit mutuum.

RESOL. XXV.

Negatiuam sententiam amplexus ex Azorius part. 3. lib. 5. cap. 7. quæst. 9. & Rebellius p. 2. lib. 9. quæst. 6. numero 7. cum alijs.

Sed ego contrariam sententiam probabiliorem esse existimo, quam docent, & tuentur Reginaldus tom. 2. lib. 5. cap. 23. nu. 345. & post illum Bonacina de contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. nu. 17. & alij penes ipsum. Et ratio est, quia ita mutuans vtitur iure suo. Secundò, nihil accipit suprà sortem, cum accipiat tantum, quantum tradidit in mutuo, quod est considerandum secundum rei valorem, & non secundùm rei quantitatem. Et tandem sicut licitum est rem meam alteri tradere, quam præuideo perituram, nisi vendam; ita etiam licitum videtur mutuare pecuniam, cuius valorem, noui Principis authoritate diminuendum. Et hæc doctrina procedit, etiam si mutuatarius plus pecuniæ mutuet cognita lege promulganda, quam alioquin distraxisset. Hæc omnia Bonacina.

An sartores possint à mercatoribus accipere partem pretij.

RESOL. XXVI.

PRo explicatione, supponendum est cum Filliucio, persæpè solere eos, qui nouas vestes sibi comparare volunt, committere sartoribus, vt pannum, vel sericum emant à mercatoribus. Hi autem, qui ad suam officinam potiùs accesserint, quam ad aliam: remittunt de vnaquaque vlna, v. g. partem pretij, quod à quolibet alio requirerent. Vt si 20. Iulijs alteri venderent vlnam panni, remittunt sartoribus medium Iulium pro qualibet vlna. Vel postquam solutum est pretium mercis ad rationem 20. Iuliorum pro vlna, largiuntur ipsi mercatores sartoribus tres vel quatuor Iulios. Quæritur ergo, an sartores licitè possint sibi retinere partem illam pretij?

Negatiuè respondet Salas tract. de empt. dub. 45. num. 6. vbi sic ait. Sartores, qui pro alijs emunt, & dicunt illis mercatores, se in ipsorum gratiam minoris rem vendere, quàm essent venditurì, nihil possunt sibi retinere: quia mercatores falsò hæc dicere solent, vt alliciant sartores, vt à seipsis emant, & non ab alijs. Ita Salas, qui citat Molinam de iust. tom. 2. disput. 365. n. 3.

Sed Filliucius tom. 3. tract. 35. c. 6. num. 149. docet, si dicti sartores fideliter agant negotia eorum, pro quibus mercem illam emunt; non apparet vlla iniustitia in accipiendo eiusmodi pretio; reuera enim magni refert mercatoribus, vt sartores potiùs ad suam officinam veniant, quàm ad alias: & ex altera parte non pluris venditur merx, quàm valet; & alteri cuicumque traderetur, Ita ille, quod etiam docet Homobonus in Exam. Eccl. par 2. tractat. 9. cap. 4. quæst. 6. & Salas reuera non dissentit à Filliucio.

An qui vulgo vocantur Regationes sint obligandi ad restitutionem.

RESOL. XXVII.

SVppono supradictos, qui à nobis vocantur *Rigatterri*, impedire alios, ne merces emant ab ijs, qui eas portant, sed eas ipsi anticipatè emunt, ita vt alijs postea compellantur cariùs emere de manibus ipsorum. Hoc supposito, quæritur, an obligandi sint ad restitutionem. Affirmatiuè respondendum est cum Rebellio de oblig. iust. part. 2. libr. 9. quæst. 18. sect. 3. numero 38.

Sed ipse contrariam sententiam probabilem etiam esse existimat, & post illum Bonac. de contr. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. numero 5. vbi sic ait. Non desunt ex recentioribus à quibus huiusmodi reuenditores excusantur à mortali, & ab obligatione restituẽdi, etiamsi caritatem inducant: quorum sententiam non improbabilem existimat Rebellius, & patet ex ratione mox allata. Ita Bonac. Et ante illum in casu simili, Molina de iust. tom. 2. disp. 345. n. 5. concl. 3. Filliucius tom. 3. tract. 35. c. 8. num. 214. & Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 20. num. 150. Et ratio est, quia tales non peccarunt contra iustitiam, quando emerunt, nam suppono emisse pretio iusto currenti. Nec etiam supprimendo merces, quia non tenentur ex iustitia tunc vendere, possunt enim illas in alia tempora seruare, vel deferre in alia loca. Nec ciues habent ius iustitiæ ad eas emendas, nisi ipsi libere voluerint. Quòd autem possint cogi à magistratu, tantum infert esse aliquod crimen contra bonum publicum, nõ autem contra iustitiam particularem. Peccabunt ergo ad summum contra charitatem, & bonum publicum: sed non tenebuntur ad restitutionem.

Ex his infertur. Primò, cum Filliucio, & Lessio loco citato, posse sine onere restitutionis mercatorẽ, siue alium impedire, ne aliunde ab alijs merces in ciuitatem portentur, dummodo id non efficit fraude, minis, &c. sed ex sua industria, & bonis artibus. Secundò, posse quemlibet supprimere merces suas vsque ad tempus opportunum, quo eas maiori pretio vendat, seclusò monopolio, nam ita faciens, vtitur iure suo, habet enim ius cõsulendi sibi, & merces suas vendendi iusto pretio. Et ita docent Reginaldus tom. 2. lib. 25. num. 330. Tertio, excusantur transferentes triticum extra territorium, etiãsi ob id pretium notabiliter augeatur, quia sic facientes violant iustitiam legalem, non autem commutatiuam: ergo non obligãtur ad restitutionem; sed peccabunt ad summum contra charitatem, & prohibitionem Principis. Ita Bonacina vbi suprà n. 6.

An licitum sit tradere pecuniam alteri, sibi aliam reaetradenti, v. g. domum, hoc pacto, vt ipse vtatur re, alter verò pecunia; qui contractus vulgo dicitur, à godere.

RESOL. XXVIII.

REspondeo affirmatiuè, dummodo in tali contractu adsint duæ conditiones. Prima, vt lucrum cesset illi, qui pecuniam tradit. Sicut enim in mutuo licitè aliquid recipi potest titulo lucri cessantis, ita & in isto contractu. Secunda, vt in dicto contractu apponatur pactum retrouendendi in fauorem vtriusque contrahentis, ita vt tradens pecuniam obliget se ad rem acceptam restituendam, si quis pecuniam accipit, restituerit pecuniam: & è cõtra. Si igitur non adsit titulus lucri cessantis, & pactum retrouendendi, prædictus contractus erit vsurarius, & mutuum palliatum, nam tradens pecuniam recipit lucrum, quatenus vtitur re accepta, non computato pretio vsus in sortem. Et ita docet Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. punct. 7. §. 1. nu. 7. qui citat Couar. & Medinam. Vide etiam Homobonum de Exam. Eccles. par. 2. tract. 9. cap. 13. quæst. 42. Sed de hac quæstione iterum redibit sermo.

An pœna conuentionalis soluenda sit ante sententiam Iudicis.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuè respondet Regius in suis Resol. cas. 45. nu. 14. & citat Couarr. Medinam, Salonium, & Rebellium, & Azo-

Azorium, quibus ego addo Reginaldum tom. 2. libr. 25. cap. 12. num. 228. Malderum in 2. 2. tract. 5. c. 3. dub. 18. Turrianum in 2. 2. tom. 2. disp. 61. dub. 3, num. 9. Filliucium tom. 2. tract. 34. c. 5. num. 105. Salas tract. de vsuris, dub. 21. num. 3. Emanuel Sà ver. pœna, num. 2. Molinam tom. 2. disp. 317. num. 2. Guttierrez de matrim. cap. 18. num. 19. Molfesium in summa, tom. 2. tract. 32. c. 23. num. 43. Megalam in 2. 2. lib. 2. cap. 15. quæst. 2. num. 19. vide etiam Nauarra de restitut. lib. 3. ca. 2 n. 335. Et ratio est, quia hæc est differentia inter pœnam legalem, & conuentionalem. nam illa non debetur ante Iudicis sententiam, hæc autem maximè.

Hæc sententia est probabilis, sed contraria non caret sua probabilitare, vt etiam authores citati fatentur. Et ita absolutè docet Sanch. de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 37. n. 4. Vasquez in part. 2. tom. 2. disput 173. cap. 1. Nauartus cap. 23. num. 67. Beia part. 1. cas. 41. vide etiam Homobonum de Exam. Eccles. par. 2. tract. 9. cap. 15. quæst. 47. Lessium lib. 2. cap. 20. dub. 15. nu. 136. & Layman in Thelog. Moral libro 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. numero 11. qui asserunt hanc sententiam esse probabilem. Et ratio est, quia hæc videtur intentio contrahentium, nisi aliud exprimatur.

Notandum est etiam, quòd dicta pœna non debetur in conscientia, si debitor non sit in mora culpabili, val si non sit moderata. Item si debitor soluit partem debiti præsiao termino, non tenetur ad persoluendam integram pœnam, sed tantùm ad partem pro ratione partis non solutæ. Et tandem interuallum vnius hebdomadæ, imò, & 20. dierum, secundùm Mercatum, & Regium vbi supra num. 17. non dicitur ad pœnam conuentionalem. Et hæc omnia obseruant Doctores citati, quæ multum ad praxim conducibilia sunt.

Sed an supradicta pœna conuentionalis inter contrahentes sit licita, vide Narbonam in 3. part. Recop. lib. 5. tit. 18. leg. 13. gloss. 2. num. 56. vbi contrarias sententias concordat: lege illum, & non pigebit; vide etiam Grammaticum decis. 58. nu. 6. Guttiertez de iuram. confir. part. 1. cap. 36. num. 10. Gamma decis. 218. num. 8. Barbosam in leg. 2. part. 1. num. 42. ff. sol. matrim. Pereira de empt. & vendit. cap. 29. numer. 21. & alios penes ipsos.

An possit quis dare Titio mercatori magnam summam pecuniarum cum pacto, vt pro tali pecunia accipiat ab ipso Titio in fine anni, v. g. quinque pro centenario.

RESOL. XXX.

Affirmatiuè respondeo, dummodo intendat celebrare tres contractus, vnum societatis, alterum assecurationis capitalis, & tertium venditionis lucri incerti pro certo, vel assecurationis lucri certi pro maiori incerto. Et pro maiori intelligentia, sciat Confessarius, quòd talis casus ita procedit, nam Primò, præbetur pecunia ad negotiandum titulo societatis, ex qua negotiatione percipere quis posset decem v. g. vel duodecim pro centenario. Deinde cum eodem mercatore celebratur contractus assecurationis capitalis: pro cuius assecuratione à mercatore suscepta, ille, qui dedit pecuniam illam, detrahit quinque, v. g. ea his, quæ probabiliter lucraturus erat in contractu, & negotiatione societatis. Et tandem pro assecuratione restantis lucri, detrahit etiam aliquid. Quibus ita peractis, remanent, v. g. illa quinque, quæ licitè, & sine vlla iniustitia sumi possunt; nam in tali casu seruatur æqualitas onera enim mercatori imposita, compensantur iusto pretio. Et si supradicti contractus sunt liciti, si seorsim celebrentur, & cum diuersis personis: liciti etiam erunt si simul, & cum eadem persona, & eodem tempore celebrentur, vt patet in contractu venditionis cum pacto retrouendendi, addito contractu locationis, quo res vendita locatur eidem venditori.

Et ita ijsdem verbis docet Bonacina de contract. disp. 3. q. 3. punct. 1. nu. 2. qui citat multos alios, quibus ego addo Gratianum in discept. to. 2 cap. 360. nume. 10. & 11. Sarmiento Select. lib. 7. cap. 1. num. 7. & seq. Morla in emporium iuris, part. 1. tit. 8. q. 25 num. 30. Natta part. 2. cons. 403. n. 3. Rubeum in rep. cap. per vestras, notab. 6. §. 11. numer. 8 Palatium de contract. lib. 4. c. 12. Narbonam in 3. part. Recopil. libr. 5. tit. 18. leg. 15. Gloss. a. nu. 8. Homobonum de Exam. Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 14. quæst. 44. Malderum in 2. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 9. Megalam in 2. 2 libr. 2. c. 47. quæst. 2. numer. 25. & alios penes ipsos. Quicquid in contrarium asserat Azorius part. 3. libr. 9. cap. 3. quæst. 8. Sotus de iust. lib. 6. quæst. 6 artic. 2. Felicius tract. de societ. cap. 19. numer. 15. & sequ. Parladorius Rer. quot. lib. 2. cap. 2. numero 9. & seq. cum alijs.

Et hæc omnia procedunt, etiamsi dicti contractus celebrentur tacitè, & intentione implicita. Vnde ex his apparet me olim rectè respondisse, sine vllo scrupulo potuisse quemdam relinquere in testamento, pecuniarum summam tradendam mercatoribus cum pacto recipiendi quinque pro cẽtenario, pro Eleemosyna cuidam conseruatorio puellarum danda, modò talem pecuniam reliquerit, cum intẽtione saltem implicita, celebrandi supradictos tres contractus. Et ex his etiam passim non obligamus viduas, & pupillos, qui suas pecunias tradunt mercatoribus cum pacto accipiendi quinque, v. g. pro centenario: quicquid, vt diximus, contra nostram sententiam dicat Azorius, Rebellius, & alij.

Vtrum quis possit sumere mutuum ab vsurario sub vsuris, non solum ad subleuandam necessitatem, sed etiam propter conuiuia, torneamenta, & similia, iuxta exigentiam proprij status.

RESOL. XXXI.

Negatiuè respondet Syluester verb. vsura 7. qu. 1. Rebellius de obligat. iust. par. 2. lib. 8. quæst. 16. sect. 6. num. 27. & alij.

Sed vt ipsemet Rebellius fatetur, contraria sententia est probabilis, quam tamen ego puto probabiliorem: eamque docet Faustus in speculo confess. disp. 16. q. 127. nu. 4. Sanchez in summa, tom. lib. 3. c. 8. num. 15. qui citat Sotum, Arragon. Salonium, Ledesma, & alios. Et ratio est, quia hæc omnia ad decentiam status pertinent, & ita pecuniam accipiens à mutuatario, nõ videtur cooperari eius malitiæ, sed tantùm peccatum permittit. Quod adeo verum existimo, vt eum ipso Sanchez ibidem nu. 25. Salas tract. de vsuris, dubio 48. num. 7. & alijs putem non peccare mortaliter, sed venialiter, si dictam pecuniam quis peteret ad vana, & inutilia, vt ad superfluas epulas, ad ludos otiosos, &c. quia eadem est prorsus ratio de hoc, ac de petente Sacramentum à ministro ad malum parato, quamuis sciat fore, vt in peccato mortali ministret; sed qui peteret absque necessitate, & vtilitate aliqua a tali sacerdote Sacramentum, venialiter solùm peccaret. Ergo, &c. Cæteras rationes vide apud Sanchez. Quicquid in contrarium asserat Rebellius loco citato, Arragonius in 2. 2 q. 89. art. 6. dub. 1. Valentiam tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4. & alij penes Salas vbi suprà num. 6. & Sanchez. Sed nostra sententia est probabilis, & tuta in praxi, & illam etiam docet, præter DD. citatos, Io. de la Cruz in direct. consc. part. 1. præcep. 7. q. 5. dub. 14. concl. 2.

An thesaurarius alicuius Principis, vel procurator; seu famulus alicuius domini, inscio ipso, possit cum domini pecunijs, quæ ad expendendas, vel conseruandas habet, negotiari, & lucrum in suam vtilitatem vertere.

RESOL. XXXII.

Respondeo affirmatiuè cum Beia part. 1. cas. 2. quia huiusmodi lucrum est fructus industriæ, concurrente pecunia, tanquam instrumento, quod ex se infœcundum est. Et ita vendens triticum alienum eo tempore, quo carius valet, satisfacit emendo, & restituendo tantumdem æqualis bonitatis, eo tempore, quo minus valet, si dominus illud seruaturus erat ad illud vsque tempus, quo minus valet. Et ratio est, quia seruat dominum indemnem, tantumdem æqualis bonitatis restituendo, etiamsi retineat sibi lucrum, quo triticum alienum carius vendidit.

Vide Molinam de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 402. numer. 2. Reginaldum tom. 2. libr. 25. cap. 33. num. 450. Rebellium par. 2. lib. 11. q. 10. nu. 2. Salas tract. de cambijs, dub. 7. Lessium libr. 2. cap. 23. dub. 2. num. 18. & Azorius p. 3. libr. 10. cap. 4. qu. 11. qui asserunt, quod si quis tradat famulo, vel negotiorum gestori mille aureos, in auro, vt soluat suo creditori, non curans qua

specie

specie id fiat, & ille eos commmutet in monetam argenteam cū lucro, eamque soluat creditori, retento lucro, non teneri restituere illud lucrum, neque creditori, neque domino; sed posse illud sibi retinere.

An licitum sit mercatoribus dicere petenti mutuo centum, Nolumus tibi tantam pecuniam mutuo dare, sed mutuabimus 50. & si volueris totidem, dabimus in mercibus, vel etiam totum, quod mutuo petis, pro summo pretio ad creditum?

RESOL. XXXIII.

Affirmatiuè respondet Salas tract. de vsuris, dub. 17. nu. 1. qui citat multos alios. Et ita nouissimè docuit P. Ioan. de la Cruz in directot. consc. part. 1. præcept. 7. quæst. 5. dub. 1. concl. 1. vbi sic asserit. Vsura est mutuare obligando in mercibus. Secus si fit sine obligatione, dicendo se nolle mutuare tantam pecuniam, sed quod accipiat mutuatarius, si velit, aliquid in mercibus: tunc non erit vsura, etsi sciat mutuans mutuatarium venditurum vilius illas. Et licet mutuans non possit obligare mutuatarium, vt illas merces sibi reuendat; tamen, seclusa hac obligatione, licet mutuanti, sicut & alijs, emere illas vili pretio aliorum, quia idem est pretium iustum, respectu omnium emptorum. Ita ille, & satis quidem probabiliter, quia si alter easdem merces emeret infimo pretio pecunia numerata, nullam committeret iniustitiam. Ergo neque ipse mercator, qui prius eas vendidit. Non enim factus est deterioris conditionis, ad emendum, per hoc, quod vendiderit illas merces. Suppono tamen mercatorem in pactum hoc non deduxisse. Itaque puto hanc sententiam esse in praxi probabilissimam.

Vtrum licitum sit percipere lucrum cessans ex mutuo, si compensetur alio lucro, quo careret mutuans, si non mutuaret?

RESOL. XXXIV.

Respondeo esse illicitum, & vsuram, vnde colligitur esse vsurarios mercatores, qui vendentes credito, accipiunt aliquid vltra pretium rigorosum, dicentes se id accipere rauone lucri cessantis, eò quòd si statim eis soluerent merces pretio summo, aut medio, tantumdem, aut plus lucrarentur, quam recipiant vltra sortem; aliunde enim hoc lucrum compensatur; nam vendendo ad creditum, quòd virtualiter est mutuare, plures habent emptores, plurésque res vendūt; & ita compensatur lucrum, quod vendendo numerata pecunia haberent.

Et ita docet Salas tract. de vsuris, dub. 20. num. 5. & ante illum Molina tom. 2. tract. 2. disput. 316. num. 4. vbi sic asserit. Si hi homines solùm venderent pecunia statim numerata, certè in fine anni non tot merces vendidissent, quot vendunt, vendendo simul credito; quia longè pauciores emptores habuissent. Neque ex eo, quod credito multus vendant, nullum lucrum eis cessat, quod habuissent, si solùm negotiare vellent pecunia statim numerata; quin potius eis lucrum accrescit, si intra limites iusti pretij credito vendant ijs, qui non habent pecuniam præsentem, qua emant; quoniam vltra alios, his etiam vēdunt, quibus non vendidissent, nisi credito vellent eis vendere. Ita Molina.

Quòd etiam antea docuerat Michael de Palatio libr. 4. de contract. c. 4. dub. 5. vbi multa aduersus dictos mercatores adnotauit; & præsertim, quod vendendo ad creditum, vendunt merces pretio rigoroso; quod non haberent, si pecunia numerata illas venderent. Notent hęc Confessarij, quia hic casus passim in praxi occurrere solet, maximè cum illis, quos vulgo vocamus, *Pannieri, & Merceri*. Sed apponam hic alium casum etiam in praxi sæpius occurrentem.

An qui vendunt fructus meliores pretio maiori, deteriores pretio taxato peccent, & obligentur ad restitutionem.

RESOL. XXXV.

Respondeo affirmatiuè cum Filliucio tomo 2. tract. 35. c. 4. num. 88. vbi ita ait. Si pretium taxatum sit pro fructibus, & pomis in singulas libras, venditores autem separant fructus meliores à deterioribus, & deteriores vendant pretio taxato, meliores verò occultè pretio maiori; peccant ne, & obligantur ad restitutionem? Respondeo affirmatiuè, quia pretium taxatum est pro vtrisque, permixtim. Idem dic de carnibus, piscibus, & alijs huiusmodi: hoc enim ipso, quod est taxatum pretium, intelligitur comprehēdere res eiusdem speciei, etiam si sit modicus excessus in bonitate, vel deterioritate. Ita Filliucius, & Fernandez in instruct. Confessar. part. 3. cap. 22. num. 4. & alij.

Sed Molfesius videtur excusare dictos venditores in summ. tom. 2. tract. 12. cap. 5. ou. 89. vbi ita asserit. Si emptor vellet carnem electam, possent macellarij aliquid plus vltra taxam recipere ratione laboris, aut damni, quod in residuo carnis substinent ex vēditione carnis electæ, quia alia minus valet. Et idem est, quoad eos, qui fructus vendunt, nam eadem est ratio. Ita ille. Possent etiam dicti venditores, vltra iustum pretium, aliquid exigere ratione gratitudinis, vt docet Rodriquez in summa, tom. 4. cap. 172. num. 1. ita asserens. [Algunas vezes no pecan los vendedores recibiendo mas del justo precio, si lo reciben no como precio, si no por via de gratitud, con laqual les correspondrn los compradores por la facilitad, y buena voluntad, que tienen los vendedores en se la vender, porque aunque estan obligados à venderlas, esta facilitad, y voluntad no cae de baxo de obligacion, y assi merecen por via de gratitud, alguna remuneracion.]

Sed hæc opinio Rodriquez esset vera, si illud plus liberaliter daretur, quod communiter non accidit, ab emptoribus enim tribuitur, quia iusto pretio obsonia illa non haberent. Opinionem verò Molfesij nō approbo, Nam macellarij residuum carnis non electæ vendunt etiam pretio currenti, & non minus, vt experientia docet, & Filliucius notauit: & si aliquando minus vendunt, est longè maior, sine cōparatione, excessus pretij carnis electæ, quod iniustè percipiunt. Ergo, &c.

Sed hic notanda sunt etiam duo in ordine ad emptores: & primò, vt benè obseruat Megala in 2. 2. libr. 2. cap. 6. qu. 3. num. 213. caueant ne spe maioris pretij inducant macellarium, & alios venditores ad electionem carnis. Nam si inducerent illum spe notabilis excessus pretij, & ipse emptor peccaret mortaliter, qu a induceret proximum ad transgressionem taxationis pro notabili quantitate, nisi fortè ipse simpliciter peteret carnem electam, & macellarius sponte diceret se nolle illam dare, nisi pretium excedat, nam tunc emptor rem licitam peteret, & consentiendo transgressioni, redimeret vexationem suam, sibique imputabit macellarius, si vendere non vult electam carnem, nisi cum excessu pretij, prout de vsurario, & petente mutuum dicunt Doctores. Ita Megala; & Graffius in suis decis. p. 1. lib. 2. cap. 93. num. 21. qui etiam num. 22. notat peccare dictos emptores, si conueniant cum venditoribus, vt falsis perierijs, seu mendacijs decipiant eos, qui curam habent, ne obsonia carius vendantur, si ab eis inueniantur, nam in tali casu peccabunt mortaliter ob notabile præiudicium Reipublicæ. Et hoc procedit, ait ille, etiamsi postea dictum peccatum non committatur.

Et tandem obserua cum Megala vbi suprà, quod nec à peccato excusantur macellarij, & ita vendentes ob pœnam in edicto æstimatorio statutam; nam illam non obstante, iniustitiam committunt circa pretium. Nec etiam excusantur, ait Graffius, propter læsionem paruam, quia ad plurimum emptores addere solent duos, vel tres quatrinos; nam dicta rei paruitas nō excusat, quando accipitur, vel fit intentione accipiendi notabilem quantitatem. Hæc omnia aduertant confessarij, quia, ita in praxi vt plurimum euenire solet; sed ad maiora transeamus.

Quis pro censu imposito ad rationem quinque pro centenario, dedit tantum vncias octoginta, rogatus tamen enixè à venditore: quæsitumque a me, an teneretur ad restitutionem.

RESOL. XXXVI.

Respondeo negatiuè, ex authoritate Nauarri, & Syluestri, quos citat, & sequitur Io. de la Cruz in Director. Consc. part. 1.

part.1.Præcep.7. q.6. dub.2.concl.3. vbi sic asserit. Potest quis emere censum iam impositum, minoris pretij taxæ, etsi non sit periculosus, si ad id per venditorem rogatur, quia merces vltroneæ vilescunt. Ita ille. Quantum verò vilescant, respondent Doctores vilescere pro tertia parte. Ita Caietanus in 2.2. quæst.77.art.1.Salas tract. de empt. dub.25.n.3. Filiucius tom. 2.tract.35.cap.4.num 70. Lessius lib.2.cap.21. dub.4. numer.33. & alij.

Imò non desunt, vt nos alibi notauimus, qui etiam asserunt vilescere pro medietate. Vide etiam Turrianum tom.2.disput. 57.dub.6.numer.5.Bonacinam de contract.disp.3.q.2. punct.4. num.23. Vasquez Opusc. de restit. c.5. §.1. dub.10.n.61. Molfesium in summa,tom.2.tract 12. cap.5. num. 109. Pitigianum in 4.tom.2.distinct.15.quæst.2.art.3. Salonium in 2.2. to.2.questione 88.art.2.contr.23. Ledesma in summa, tom.1. tractat.8. cap.32.conclus.6. Bannez de iust. quæst.77. art.1. dub.1. concl. 1. & alios.

An licitum sit propter periculum in recuperanda sorte aliquid amplius exigere: & idem quæritur, si aliquis res ad creditum vendatur.

RESOL. XXXVII.

Respondet negatiuè Ioan. de la Cruz in direct. consc. p.1. Præcep.7 qu.5. dub.6.concl.2. vbi ita ait, Non licet mutuenti exigere aliquid pro periculo, & metu recuperandi debitum. Ita Soto, Bannez,& alij, quos refert, & sequitur Lopez,& oppositum ait esse periculosum in fide, quia in cap. nauiganti de vsuris, definitur esse vsurarium, quia recipit aliquid vltra sortem ex eo, quod suscipit in se periculum mutui. Nec est eadem ratio de fideiussore,& assecuratore, quibus licèt aliquid accipere pro periculo assecurationis, quia ista sunt pretio æstimabilia, cũ interueniat obligatio ciuilis ex parte fideiussoris, at periculum, & metus mutuantis non est quid separatum à mutuo, & sic gratis præstandum cum mutuo. Ita ille. Et ita etiam hanc opinionem docet ex Societate Iesu Rebellius par. 2. libr.9. qu. 12. Toletus de 7. peccat. mort. cap.51. & alij penes Salas tr. de vsur. dub. 22.nu.1.

Sed ipse numer.2.rectè contrariam sententiam docet, citans plures Doctores quibus ego addo Bonacinam de contr. disp.3. quæst 2.punct.4. num.18.Filliucium tom.2. tract.35.c.5.n.112. & Malderum in 2.2.tract.5.cap.3. dub.14. Et ratio est, quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuatoris, qui tamen non debet hoc facere cum grauamine mutuatarij, quale erit, si volẽte mutuatario tradere pignus, aut adducere sufficientem fideiussorem non contentus his cautionibus, præscribat ei, vt secum super periculo pasciscatur.

Aduertendum est tamen, quòd tale periculum debet esse verum, & graue; & non leue.

Ad argumentum Ioan. de la Cruz, & aliorum, respondeo illos nimis licentiosè loquutos fuisse. Et ad cap. in ciuitate, quod adducunt, respondetur, quod nullo modo casus noster ibi attingitur. Sed Pontifex tantùm declarat, eos peccatum incurrere, qui ideò rem carius vendunt, quod expectent ad tempus solutionem; nisi probabile sit tempore solutionis valituram plus, minusve eo pretio maiori, quo non venditur. Imò textus iste facit pro nobis. Nam permittit venditorem posse exigere vltra pretium aliquid; quia se exponit periculo admittendi lucrum, ergo similiter mutuans, potest aliquid recipere pro periculo, cui se exponit, & ita notant Doctores citati Sed ex veritate huius conclusionis pendet decisio cuiusdam casus, in praxi sæpius occurrentis, ideo quæritur.

An quis possit vendere equum, torquem auream, vel aliquid aliud vltra iustum pretium, & hoc cum conditione, vt emptor illud soluat, cum vxorem duxerit?

RESOL. XXXVIII.

Agit de hac quæstione noster P. Megala in 2. 2. lib.2. cap.6. quæst. 4. num. 139. & ex professo in cons. 70. vbi sententiam affirmatiuam docet, ex principio in superiori resolut. allato, nempè quia ratione periculi licitum est exigere aliquid vltra iustum pretium, quicquid alij contra dicant. Sed addit, quod quinque conditiones sunt necessariæ pro iustitia istius contractus.

Prima, vt periculum sit reale, & non imaginarium. Secunda, vt sit graue. Tertia, vt fiat sine scandalo ob suspicionem palliandi vsuras. Quarta, vt manifesteiur emptori, ratione periculi emendi, vltra iustum pretium. Quinta, vt augmentum pretij sit proportionatum periculo. Itaque, cum in nostro casu adsit periculum amittendi capitale, non solùm ob mortem emptoris, sed etiam quia fieri potest, vt ipse ob multa, quæ contingere possunt, vxorem non ducat; & nullum quoque ex tali contractu sumatur scandalum, cum passim efficiatur; sequitur, quod si concurrant supradictæ conditiones, licitus erit talis contractus. Ita noster Megala. Qui etiam, & optimè, existimat, in hoc casu graue periculum illud esse, quod cõditio adimplenda pro soluendo pretio ex simplici voluntate emptoris dependet. Non reticeam tamen, supradictas venditiones sæpius esse illicitas, quia augmentum pretij non est periculo proportionatum; quod quando tale sit, relinquitur arbitrio boni viri, circumstantias attendentis.

An quis possit vendere aliquid cum vitio occulto, quod si emptor sciret, non esset rem empturus, saltem eodem pretio?

RESOL. XXXIX.

Respondeo affirmatiuè, dummodo venditor de pretio diminuat, quanto minus res propter defectum valet. Et ratio est, quia in ista venditione adest æqualitas inter contrahentes, seruatur enim æqualitas ex parte rei, quia suppono rem cũ tali vitio esse etiam vtilem emptori: idem etiam accidit ex parte pretij, quia venditor iusto pretio illam vendit pro ratione defectus. Ergo,&c. Secundò, venditor in tali casu vtitur iure suo citra alterius damnum; Ergo. Probo maiorem, quia vendit rem nullo modo nociuam, sed vtilem ad vsus ementis, ad quos illam quærit, & iusto pretio, & licet occultet eius defectum, hoc facit, vt suæ consulat indemnitati, ne emptor plus, quam par est, pretium extenuet. Ergo &c. Et ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Salas tract. de empt. dub.34.num.5. quibus ego addo Malderum in 2.2. trac. 5. c. 2. dub.8. Lessium lib. 2.cap.21.dub.11. numer.91. Bonacinam de contract. disput. 3. quæst.2.punct.6.numero 4. Filliucium tomo 2. tract. 35. cap. 6. num 128. Regium in suis Resolut.cas.31. num.11. & Beiam in suis Respons.p. 1. cas. 64. Quicquid in contrarium asserat Azorius part. 3.lib.8. cap.23.quæst. 3.Rebellius p.2.lib.9. q.8. Megala in 2.2.cap.6.quæst.2.lib.2.num.175. Nauarr. in man. cap.23. num.89. & alij.

Nec valet dicere, quòd talis occultatio dat causam contractui, & consequenter tollit liberum consensum emptoris. Ergo talis venditio est iniusta, & illicita: nam respondeo, quod talis occultatio in casu nostro non est dolosa, quia quando res venalis vtilis est emptori, neque ipse exprimit aliquem dissensum, non detegere mercis defectum, non est, propriè fraus, & dolus, Sed tunc est dolus in occultatione defectus, quando per defectum illum redditur inutilis emptori, vel periculosa, aut non minuitur pretium, iuxta exigentiam defectus.

Notandum est verò, quod si venditor probabiliter intelligit emptorem emere rem illam ad reuendendum, tunc debet manifestare occultum vitium, ne emptor reuendat rem maiori pretio, quàm cum illo vitio valet. Et ex dictis etiam sequitur, quod si emptor explicet se nolle rem emere, nisi careat vitio, venditionem talem esse nullam, cum conditio non subsistat: secus autem, vt diximus, si emptor nihil dicat; licet si vitium nosset, nullo modo esset empturus, vel saltem eodem pretio.

Hinc etiam infertur primò contra Medinam in summa, lib. 1.cap.14.§.25.reg. 2. & alios, esse iustam illam venditionem, quando vna substantia æquè bona datur emptori pro alia, vel etiam si sit aliquantulum deterior, quia dolus in re modica, & leui nõ irritat contractum, neque vllam inducit obligationem. Vnde excusantur pharmacopolæ, dantes vnum pro alio æquali, vel ferè æquali, ad medicinam. Et ita docent communiter Doctores, quos citat Salas de empt. dubio 35.numero 1. 2. & 3. Infertur etiam secundò, quòd si sutor conficiat calceos ex parte corij debiliori, non tenetur id manifestare emptori,

quia

quia tales etiam vtiles sunt, moderandum tamen est pretium, sed hoc in praxi seruari non posset putat Filliucius vbi sup. nu. 129. quia omnes eodem pretio vendi solent: secus autem si corium adustum esset; item etiam, quia galeri non omnes adeo contexti euadunt, vt æqualiter vtiles ad vsum sint, quando ergo defectus admodum notabilis non esset, quia galerus reuera durabit, sed non quantum alij, aut non tanto tempore splendorem retinebit, quantum alij; tunc non tenetur artifex detegere vitium, sed solum moderare pretium, iuxta vitij quantitatem. Et ita docet Molina de iust. to. 2. tract. 2. disp. 353. nu. 22. & alij. Sed circa præsentem quæstionem vide, præter DD. citatos, Turrianum in 2.2. to. 2. disp. 58. dub. 2.

An si aliquis sciat rem breui minus valituram, possit vendere pretio currenti.

RESOL. XL.

QVicquid aliqui in contrarium asserant, affirmatiuè respondent communiter DD. apud Faustum in speculo confes. disp. 6. qu. 15. nu. 2. Molfesius in summa, to. 2. tract. 12. c. 5. nu. 69. Nauarra de rest. lib. 3. c. 2. n. 67. & alios.

Valentia verò tom. 3. disput. 5. quæst. 20. punct. 4. ad 3. limitat hanc sententiam, quando emens emit rem illam, vt seruet in futurum tempus vt reuendat. Sed hanc limitationem meritò impugnat Turrianus in 2.2. to. 2. disput. 58. dub. 3. num. 5. quia venditor in tali casu iustè potest pretio currenti vendere rem illam, etiamsi agnoscat emptorem emere ad retinendendum, nam in tali casu vtitur iure suo, & vēdit pretio communi, tempore contractus.

An possit quis vendere res indifferentes, si sciat emptores abusuros in damnum alicuius tertij innocentes.

RESOL. XLI.

NEgatiuè respondet Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 14. num. 265. vbi sic asserit. Peccat qui meretrici ornamentum aliquod vendit, quod probabiliter creditur ab illa emi, ad scandalizandum innocētem aliquem, an pusillum; peccat, inquam; non quasi cooperans meretrici ipsi, quæ sua tantùm malitia peccat; sed tanquam cooperans ad proximi ruinam, quod est peccatum contra charitatem. Ita ille. Et idem docet Io. de la Cruz in director. conscient. p. 1. præcep. 7. qu. 3. dubit. 12. conclus. 2. & alij DD. quos citat Salas de emption. dubit. 47. num. 2. qui meritò ab ipso impugnantur, & à Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 14.

Dico igitur, posse aliquem res indifferentes ad bonum, & ad malum vsum vendere, facere, locare, aut tradere iis, quos nouerit illis ad peccatum abusuros, modò adsit causa rationabilis, & proportionata: & causam rationabilem puto esse necessitatem, vel vtilitatem aliquam, intelligere proportionatam qualitati peccati. Et ita Salas concedit posse vendi fucos, monilia, & vestes fœminis abusuris illis ad adulteria; item posse vendi taxillos, aleas, & cartas lusorias iniustè lusuris; posseque deponi pecunias apud vsurarium, qui illis exercebit vsuras.

Item, licebit etiam meretricibus domos locare, etiamsi honestas vicinas peruersuræ sint: dummodo, vt diximus, causa rationabilis adsit. Sed circa præsentem quæstionem, præter Doctores, quos citat Salas, & Sanchez, vide Faustum in specul. Confess. disp. 9. q. 101. Coninch de Actibus super. disp. 18. dub. 13. per totum, Suarez tract. de chari. disp. 10. sect. 4. per totam. Lorca in 2.2. q. 10. art. 9. nu. 6. & seq. & Molfesium summa, to. 2. tract. 12. c. 5. nu. 53.

An Senatus Ciuitatis, vel Consiliarij Regis possint vendere res suas, quando agnoscunt breui minuendum earum pretium, ex lege, vel mandato Principis.

RESOL. XLII.

NEgatiuè ex Theologis respondet Molina de iust. tomo 2. tract. 2. disput. 354. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 5. Salas de empt. dub. 32. ad 5. arg. num. 8. Faustus in speculo confessionis, disp. 6. quæst. 20. num. 2. & ex Iurisperitis Padilla in leg. constitutiones, C. de iuris, & facti ignor. & Pinellus leg. 1. Cod. de rescind. vendit. p. 3. capit. 2. num. 22. Quia ratione officij tenent ur consulere aliorum vtilitati, & ideò non possunt vti munere suo in damnum cæterorum: secus autem si aliàs illas res erant venditur.

Sed non desunt pro contraria sententia etiam præstantissimi Theologi, & Iurisconsulti, & ideò illam sustinet Turrianus in 2.2. tom. 2. disp. 58. dub. 3. nu. 7. qui citat Cordubam, & ex Iurisconsultis, etiam idem docet Couarruuias in reg. peccatum, par. 2. §. 4. num. 6. qui omnes asserunt, etiam si certo agnoscant futuram promulgationem legis, posse dictos Consiliarios vendere omnes merces suas pretio communi, etiam quas nō essent alios venditur, si liberè, & sine fraude aliqua exponant eas venditioni; quia & vendunt pretio currenti, & ipsi ratione sui officij non obligantur ad non vendendū eo tempore pretio communi, nec tenentur manifestare futuram promulgationem legis, ante tempus assignatum à Rege, vel à Senatu. Non possunt tamen differre eam manifestationem, solùm eo fine, vt prius vendant omnes suas merces; in hoc enim casu, plane viderentur abuti munere in damnum aliorum. Hæc Turrianus. Vnde, licèt ego olim, & scripserim, & consuluerim contrariam sententiam, modo existimo, supradictam Turriani opinionem esse etiam probabilem.

An aliquis teneatur restituere lucrum cessans, vel damnum emergens alicuius contractus mutui, vel venditionis, si mora fuit inculpabilis?

RESOL. XLIII.

REspondent affirmatiuè Doctores, si adsit pactum, & à principio conuentum sit de interesse prouenientе ex mora; secus autem si tale pactum non adsit. Et ita docet Salas de empt. dub. 21. num. 4. Filliucius to. 2. tract. 34. c. 4. dub. 85. & alij pene ipsos.

Imo Homobonus de exam. Eccles. p. 2. tract. 9. cap. 15. q. 45. adducit tamquam probabilem eam sententiam, quæ docet ex quacumque mora, etiam inculpabili esse soluendum interesse lucri cessantis, seu damni emergentis. Et ita notauit Emanuel Sà verb. mora, num. 2. vbi sic asserit. Obligatus ex delicto semper est in mora. qui autem sine delicto, & non potest, aut cum difficultate potest, aut alioquin iusta causa excusatur putant quidem, quod non sit in mora, adeoque non teneatur ad interesse ratione moræ, nisi ex pacto.

Alij putant eum, qui non soluit tempore debito, etiam sine culpa, in mora esse, quæ opinio mihi videtur mercatorum vsu recepta. Sic ille. Sed quid dicendum, quando in contractu apponitur pœna conuentionalis, non vt satisfactio pro interesse, sed quatenus absoluendum in termino debitor adigatur? Aliqui existimant, quod qui ex impotētia inculpabili omisit restituere tempore debito, tenetur in cōscientia impositam pœnam exsoluere. Alij verò negant. Rationes, & Auctores vtriusque sententiæ inuenies apud Faustum in specul. Confess. disput. 71. nu. 1. & 2. Omnes itaque supradictæ opiniones sunt æquè probabiles. Sed de hac quæst. iterum redibit sermo.

An de pecunia antea debita possit census constitui, vel tempore contractus tradendo aliquas merces in pretium census?

RESOL. XLIV.

NEgatiuè respondet, etiam in foro conscientiæ Filliucius tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 3. nu. 306. Salas de cens. dub. 8. nu. 12. & multi alij pene ipsos.

Sed contraria sententia quoad forum interius visa est mihi semper probabilior, & ita docet Malderus in 2.2. tract. 5. cap. 5. dub. 6. Ioan. de la Cruz in Director. cons part. 1. præcept. 7. q. 6. dub. 3. conclus. 1. Lessius lib. 2. c. 22. nu. 80. Nauarrus comment. de vsuris, n. 88. & 12. Boninsignus tract. de cens. c. 5. nu. 5. & Bartholom. à S. Fausto in speculo confess. disp. 18. q. 29. & at. qui citat Valentiam, Salonium, & Palatium.

Vnde noster P. Megala in 2.2. lib. 2. cap. 7. quæst. 2. num. 57. ita asserit. Infertur in foro conscientiæ validum esse contractum censualem, quotiescumque ita fuerit celebratus, vt de iure naturæ teneat, & nullam iniustitiam, aut fraudem contineat: licèt deficiat aliqua solemnitas requisita à Bulla Pij V. quę solùm

ad

ad vitandas fraudes, non autem ad iustitiam contractus sit necessaria. Et consequenter infertur, in foro conscientiæ contractum hunc valere, licèt non seruetur solemnitas, soluendi pecuniam numeratam coram Notario, & testibus; cum talis solemnitas necessaria non sit ad iustitiam contractus, si tamen verè, & realiter solutio prius facta sit. Et hoc existimo verum in foro conscientiæ, etiam post latam sententiam de nullitate contractus in foro exteriori. Cum enim si tunc, & ipsa sententia in præsumptione culpæ, & fraudis fundata, prout fundantur omnia iura disponentia de re iudicata, vt in c.cum inter, de re iud. in conscientiæ foro locum non habet, cum in ea solum veritas sit attendenda. Ita doctè, vt semper assolet, Megala.

Idem etiam docuit Emanuel Sà verb. census, n. 3. & ita asserens. Quædam in dicta Bulla prohibentur ob præsumptionem fraudis, quæ si absint, validus est contractus. Itaque potest pretium non statim solui, & prius solui, &c. Itaque cum Pontifex damnet census celebratos non numerata pecunia, tempore celebrationis ad obuiandum fraudibus, quæ contingere solent in cõtractibus aliter celebratis, si prohibeatur fraudem nullam intercessisse, sed antea pretium iustum debitum fuisse, ratione pecuniæ mutuo acceptæ, vel alterius rei æquiualentis, validus, & iustus erit talis contractus, pecuniæ enim nomine, æquiualentia comprehenduntur, vt patet in leg. pecuniæ, ff. de verb. significat. & in leg. quæ, ff. de iure dotis. Quæ verò de iure naturæ, seclusis Bullis Pontificijs, in contractu censuali sint necessaria, hæc sunt, vt notauit Lessius libr. 2. capit. 22. dub. 12. num. 74. Æqualitas secundum æstimationem inter censum, & pretium: & si aliqua grauamina hinc inde, præter naturam contractus, per pacta accessoria imponantur, ea prudentis arbitrio debitè compensentur. Bullam verò Pij V. non esse in hoc Regno Siciliæ vsu receptam, notauit etiam idem Lessius dub. 13. n. 99.

Ex quo sequitur, quòd ex pensionibus non solutis, potest quis in hoc Regno redditum, & censum antiquum augere, vel nouum constituere, quod est valde notandum. Et ita docet Salas vbi supra de censibus, dub. 8 nu. 13. qui citat Rodericum, & Nauarrum. An verò census possit constitui ex pecunia credita, aliqui affirmant; ita Sotus de iustit. libr. 6. q. 5. art 1. alij verò negant; ita Lopez de contract. libr. 1. capit. 59. & hãc opinionem probabiliorem putat Faustus in speculo confessionis, disp. 18. q. 32. n. 2. Erit igitur opinio Soti probabilis, sed vbi Bulla Pij V. non est vsu recepta; nam in dicta Bulla id expressè vetatur.

Notandum est etiam, pro fine huius resolutionis, quòd licèt aliqui non admittant, quod possit census institui in re, quæ non reddit tantam vtilitatem, quantam habet census: tamẽ hoc fieri posse concedit dictus Sotus vbi supra, cum Conrado de contract. q. 88. concl. 12. & Couarruuias, lib. 3. var. c. 7. n. 6.

An si aliquis sciat Aulam, & Proregem citò Messanam discessurum, possit domum locare pretio currenti.

RESOL. XLV.

Negatiuè respondet Gregorius de Valentia to. 3. disp 5. qu. 20. punct. 4. ex quadam ratione, quam nõ benè capit Turrianus in 2. 2. t. 2. disp. 58. dub. 3. nu. 4. Molina tomo 2. disp. 354. n. 11. & Salas tract. de empt. dub. 32. n. 8. ad 5. arg.

Ideò & meritò contrariam sententiam docent. Et ita etiam tenet Lessius libr. 2. cap. 21. dub. 5. num. 44. & Io. de la Cruz in director. conscient. part. 1. præcep. 7. quæst. 3. dub. 10. conclus. 2. vbi sic asserit. Licitè venditur domus pretio currenti in curia, etiam à sciente curiam in breui mutandam in alium locum. Et si emis aliquid, potes soluere in moneta, quam scis cras deponendam ex suo valore; & potes illam nunc mutuare, & recipere postea valorem, quem habebat quando mutuasti, & si non esses consumpturus ante eius depositionem. Ita ille, quem, vt diximus, non solum sequitur Salas, quoad locationem domus, sed etiam quoad mutationem pecuniæ: nam loco citato in fine dubitationis sic ait.

An vero sit licitum, pecuniam quam scio breui minuendam, mutuo dare, cum obligatione habendi postea eumdem valorem, Syluester verb. vsura, 1. q. 15. & Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. art. 3. putant esse vsuram; sed parum consequenter, & falsò, vt docent Corduba, Nauarra, & Arragon. si quidem hæc, communi æstimatione, vel ex lege, tantum valorem nunc habet. Idem ait Nauarrus de cambio. Ita Salas. Quod est valdè notandum pro praxi.

Et ratio horum omnium est, quia res iustè vendi potest secundum communem æstimationem pro tempore vigentem; nam iustum pretium est, quod vel Principis lege, vel communi æstimatione constat, etiamsi ignorantia, & errore fundetur, alioquin etiam, qui ignorantes currenti pretio vendidissent, tenerentur postea restituere, quod est absurdum. Ergo, &c. Ex his etiam sequitur, quòd si sciam pretium mercis mox minuendum, possim eam vendere, pretio currenti, monetam, seu triticum alienare, & vendere, etiamsi sciam magistratum condidisse decretum de illis minuendis, si tamen tale decretum nõdum est promulgatum. Sed de his omnibus iterum redibit sermo. Vnum verò circa præsentem materiam, resoluendum videtur; ideò quæritur.

An si quis rogatus de futura copia mercium, vel de tritici, vel monetæ diminutione, vel de discessu Proregis, & Aulæ; dicat se nescire, vel respondeat negatiuè: peccet contra iustitiam, & teneatur restituere.

RESOL. XLVI.

Affirmatiuam sententiam docuit Lopez de contract. libr. 1. cap. 47. dict. 5. Lessius vero libr. 2. capit. 21. dub. 5. num. 43. negatiuam tenet, cum limitatione tamen, si ille videlicet in hoc non sit fide dignus: nam aliter qui credit, suæ leuitati imputet, si quod inde damnum sentiat.

Sed alij absolutè hanc sententiam docent. Et ita tenet Salas de empt. dub. 23. n. 2. in fin. & Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. præcept. 7. q. 3. dub. 10. conclus. 3. vbi sic asserit. Copia futura mercis a te nota, non minuit pretium tuæ mercis, sed licitè vendis pretio currenti. Et licet interrogatus de copia futura, taceas, aut dicas nihil scire, cum non tenearis veritatem manifestare ex iustitia; imò, & si mentiaris, dicendo non esse futuram copiam, si alias ex tuo mendacio non creuit pretium: licitè vẽdis pretio currenti. Ita ille, & rectè quidem; nam in tali casu dissimulare, & retinere responsum, non est actus positiuus.

Deinde, iste æquiuocè, & amphibologicè respondere potest, cum veritatem detegere non teneatur, & licèt non occurrente æquiuocatione, mentiatur; mendacium non est perniciosum, sed officiosum, quia ius habet consulendi suæ indemnitati, etiamsi inde sequatur damnum tertij: & licèt vtatur malo medio, scilicet mendacio, non peccat contra iustitiam, sed contra veritatem. Esset etiam aliquando contra charitatem, vt si nouerim ex illa emptione, alterum incursum in extremam, vel grauem necessitatem, nisi ego in similem necessitatem essem incursurus, quia non potero vendere mercem illam, vel monetam illam distrahere, nisi illum in talem pauperiem inijciendo: sed hoc rarius accidit, ideò absolutè nostram opinionem in praxi probabilissimam esse existimo.

Petrus mutuauit Ioanni magnam pecuniarum quantitatem, putans se posse aliquid ex eo mutuo accipere; quod si sciuisset se licitè non posse, alium non iniustum contractum celebrasset. Quæritur modò, vtrum possit retinere lucrum quod acquisiuisset celebrando contractum iustum, v. gr. societatis, cambij, & cet.

RESOL. XLVII.

Pulchra quæstio, & sæpius in praxi occurrens: Lessius de iustit. lib. 2. cap. 20. dub. 12. respondet negatiuè, nisi expresserit velle contrahere meliori modo, quo posset. Et ratio est, quia acquisita contractu iniusto, non possunt retineri, vt ex multis probant Couarruuias lib. 4. var. resol. cap. 3. nu. 6 Valentia to. 3. disp. 5. q. 21. punct. 3 Azorius p. 3. lib. 5 c. 11. Bannes in 2 2. q. 78. artic. 1. dub. 1. & ibid. Arragon. & Salonius, cum Syluest. verb. vsura 9. dub. 1. Armilla eodem verb. n. 59.

Nec excusat bona fides. Nam si v. g. Ioannes vendidit bona fide aliquid supra iustum pretium, tenetur postea restituere excessum, nec pro lucro cessãte debet aliquid retinere; hoc etiam procedit in locato, & conducto, in cambijs, & censibus, & similibus. Vide Ioan. Malderum in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 13. in fin. Filliuc. to. 2. tract. 34. p. 2. c. 5. n. 106.

Sed contraria sententia visa est aliquibus probabilis. Asserũt enim,

enim, quod si aliquis bona fide celebrauit contractum vsurarium, vel aliter iniquum, quem si cognouisset iniquum esse, alium iustum celebrasset, potest retinere lucrum, quod acquisiuisset celebrando illum contractum iustum. Ita sentiunt multi viri docti, quos tacito nomine citat Lessius vbi supra num. 102. Et in terminis tenet hanc opinionem Emanuel Sà verb. vsur. num. 8. & hęc sunt eius verba; Qui fecit contractum vsurarium bona fide credēs iustum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisiuisset alioquin per cōtractum licitum. Nec destituta ratione videtur hæc opinio. Nam qui celebrat bona fide contractum vsurarium, implicitè intendit iustum titulum; & ita celebrat talem contractum, vt si sciret titulum iniustum, nollet contrahere, sed alium celebraret contractum licitum. Ergo, &c. Vide etiam Sanctarellum in Resul. part. 1. quæst. 46. num. 11. Ex sententia horum Doctorum, concludendum est Petrum posse retinere illud auctitium, quod ex pecunia mutuata accepit a Ioanne, salua, &c.

Petrus mutuo dedit Ioanni vncias centum per duos annos, ita vt intra id tempus repetere non possit dictas vncias centum. Quæritur modo, an Petrus possit aliquid accipere, non pro mutuo, nam esset vsura: sed pro illa priuatione, non repetendi dictas pecunias per illud tempus duorum annorum?

RESOL. XLVIII.

LVdouicus Molina de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 308. nu. 8. Layman in Theolog. Moral. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 16. nu. 8. Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 61. dub. 3. n. 6. & Salas tract. de vsur. dub. 9. n. 12. negatiuè respondent, & contrariam sententiam nouam, & periculosam in fide vocant; Nam, ait Molina, est falsum fundamentum, cui innititur opinio contraria, nempe mutuare ad annum verbi gratia, esse mutuantem inducere super se obligationem in futurum; nam hoc non est inducere super se obligationem aliquam, sed de sua liberalitate concedere beneficium mutui in totum id tempus. Sed hoc assumptum Molinæ mihi displicet; nam vt notat Salas vbi supra, negari non potest, ex vi illius contractus mutuantem manere obligatum ad non repetendam pecuniam toto eo tempore. Ergo, vt quis non possit mutuatam pecuniam repetere ante tale tempus, non est, vt voluit Molina, liberalis donatio, sed etiam aliqua obligatio.

Adde, quòd vt benè ait Lessius vbi infra, non solùm dantur obligationes ad actus positiuos, sed etiā ad priuationes actuū. Igitur ipse Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 14. probat hanc sententiam his rationibus. Primò, quia contraria sententia videtur noua, nec illa apud authores reperitur. Secundò, quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, est quid intrinsecum ratione mutui, alioquin mutuum non differret à precario. Vide etiam Malderum in 2. 2. tract. 5. c. 3. dub. 15.

His tamen minimè suffragantibus, affirmatiuam sententiam tenet expressè Petrus de Ledesma, publicus lector S. Thomæ in Vniuersitate Salamantina in sua sum. part. 2. tract. 8. capit. 35. conclus. 4. fol. mihi 457. Sed quia codex non ita facilè inuenitur, ponam hic eius verba.

[La segunda difficultad es, quando vno presta mil ducados con obligacion de no los boluer à pedir en tanto tiempo, ò por algun espacio de tiempo, si serà vsura lleuar precio. La razon de dudar es, porque si el lleuasse mes que el principal lo lleuerà por razon del emprestito, luego vsura seria lleuarlo. Confirmase, porque siempre, que ay emprestito, ay por lo menos obligacion virtual de no pedir el emprestito por algunos dias, luego si por la obligacion de no boluerle a pedir se puede lleuar precio, siempre se puede lleuar precio por el emprestito] hoc est absurdum. Ergo.

[A esta difficultad se ha de responder, que si la obligacion de no lo boluer à pedir, es por mucho tiempo, se puede muy bien estimar con precio, y por razon de aquella obligacion se puede muy bien lleuar el iusto precio sin vsura ninguna. Esto enseñan los discipulos de Sanctos Thomas; porque la tal obligacion es estimable con precio.

A la razon de dudar se responde, que en el tal caso, no se lleua el dinero por el emprestito, si no por la obligacion de no lo boluer à pedir por mucho tiempo.] Hæc Ledesma.

Ad primum argumentum Lessij, posset aliquis respondere, non esse verum hanc opinionem non extare apud authores, nā vt dictum est, illam tenet Ledesma, & forsitan si Lessius illum vidisset, in hanc descendisset opinionem, nam eam vbi supra probabilibus rationibus fulciuit.

Ad secundum responderetur, verum esse, quod obligatio non repetendi pecuniam ante aliquod tempus, sit de intrinseca ratione mutui sed non ante tale, vel tale tempus. Quod verò dicit quòd si hoc esset mutuum non differret à precario negatur, nam mutuum à precario differt etiam alia ratione: in mutuò enim transfertur dominium, non autem in precario.

An chirographa, seu credita immatura emi, & extingui possint minori pretio, non solum à tertia persona, verum etiam ab ipsomet debitore? Quod est dicere, an ius, v. gr. ad 100. aureos soluendos intra annum, possit modo emi ab aliquo, vel ab ipso debitore minoris, vt 96. vel 97.

RESOL. XLIX.

SEcluso lucro cessante, aut damno emergente, vel si difficilis, vel ambigua non sit solutio; vsurariam esse hanc emptionem communiter affirmant Doctores. Hi sunt Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 18. nu. 312. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 8. nu. 71. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 57. dub. 9. nu. 3. Azorius p. 3. lib. 8. c. 10. q. 5. Rebellius libr. 9. q. 13. p. 2. Valentia to. 3. disp. 5. q. 20. punct. 2. Salas tract. de empt. dub. 39. & tractat. de vsur. dub. 37. Sotus de iust. lib. 6. q. 4. art. 1. D. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 8. § 3. & 4. Angelus ver. vsur. § 63. Syluest. verb. vsur. 2. q. 14. Gabriel in 4. dist. 15. qu. 11. dub. 4. & alij. Nam ius ad centum, cum certa sunt, tanti valent, quam centum præsentia; alioquin sola temporis expectatio daret valorem rei, quod concedere, est vsuris ianuam aperire; Adde, quod ex ista sententia sequerentur varia incommoda, vt, v. g. si postularem à mercatore mutuo 100. posset ille dicere, Nolo mutuare tibi 100. sed emere solùm ius ad 100. a te recipienda post annum per 90. quæ nunc tibi exhibebo. Sed iste contractus esset vsurarius. Ergo.

At licèt hæc sententia sit communior, & probabilior, contraria tamen opinio probabilis mihi videtur, sicut etiam visa est Maldero in 2. 2. D. Thom. tract. 5. c. 2. dub. 5. & Philiarco de off. sacer. p. 2. lib. 5. c. 13.

Et probatur, nam pecunia præsens magis æstimatur, quam futura, sicut chirographa, seu iura minoris æstimantur, quàm præsens pecunia: minus enim est actionem habere ad rem, quàm rem ipsam habere l. minus, ff. de reg. iur. Ergo dicta chirographa, & iura licitè possunt minoris emi. Accedit, quòd huiusmodi contractus non est mutuum, sed emptio, & venditio: nam ius ad rem potest emi, sicut emitur ius transeundi per aliquem agrum.

Nec valet dicere, quòd ius ad cētum sunt ipsa centum; quoniam certum est, quòd ius ad rem, aliquo modo distinguitur ab ipsa re. Et sic hanc opinionem sequuntur Caietanus ver. vsura, sub finem. Armilla verb. vsur num. 50. Emanuel Sà verb. debitum, num. 20. Nauarrus cap. 17. num. 331. & ex neotericis Faber de restitut. in 4. sent. distinct. 15. quæst. 2. disput. 47. capit. 4. num. 113. & illam publicè docuit Louanij Cardinalis Bellarminus, vt notat Lessius, vbi supr. num. 66. qui etiam pro hac opinione citat Panorm. & Innocen. in capit. in ciuitate, de vsuris. Et nouissimè Petrus Ledesma in summa, tom. 2. cap. 33. tract. 8. fol. mihi 475. colum. 2. asserit post factum hanc sententiam non esse damnandam. Sed si hæc sententia est probabilis, vt reuera est; non solùm post factum, sed etiam ante factum est approbanda. Vnde Ioann. Azorius p. 3. lib. 8. c. 10. q. 5. licèt opinionem contrariam, tanquam probabiliorem, & tutiorem, amplectatur; asserit tamen, si quis Caietani, & Nauarri sententiam sequatur, eum minimè condemnandum arbitror, & sic etiam ego puto. Vide Fernandez in suo examin. Theol. part. 1. cap. 15. § 1. num. 10. & Tolerum lib. 5. cap. 31. num. 4.

Hic

Hic Panormi à Thesaurario Regni expediuntur militibus quædam librancia. Quæritur an emi possint dimidio pretio si difficilis sit solutio. Idem etiam quæritur de omnibus chirographis.

RESOL. L.

MAlderus in 2.2. tractat.5.c.7.dub.5. sic etiam noster Molfesius in summa tom.2. tractat.12.cap.5.nu.16. Ioannes Salas tract.de vsur.dub.27.numer.8. partem amplectuntur negantem. Si enim tibi, ait Malderus, liceret hanc librancianı emere dimidio; quia quamuis tu non habeas periculum, molestiam, aut interesse in obtinenda solutione, alij tamen communiter habent, & quidem talia, vt ab eis liberari vulgo æstimetur dimidio eius, quòd continet chirographum; etiam in actionibus alijs emendis passim habebitur ratio, non illius tantum interesse, & periculi, quod emptor subijt; sed illius, quod alij subirent. Atqui communior opinio non respicit ad ista incommoda, nisi quatenus in particulari locum habet in hoc emptore. Igitur huiusmodi emptor cōmitteret iniustitiam, cum obligatione restituendi, si plus deduxerit, quàm reuera in particulari apud se expectatio, & sollicitatio illius debiti habitura sit incommodi, molestiæ, periculi, seu incertitudinis in æstimatione summa, cum nõnulla compensatione oneris, quod situm est in obligatione hoc pro altero curandi ad eius instantiam. Hæc Malderus.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, mihi tamen contraria probabilior videtur; quam sequuntur Lessius lib.2. c.21. dubit. 9. & Salas sibi contrarius, tract.de empt. dub.40. Bonacina de contr.disput.3.quæst.3.punct.10. num.4. & ante illos Lud. Molina de iust. tract.2. disputat.361. num.4. Afferunt enim hi DD. quod quando aliquis sua industria apud Principem facile impetrabit solutionem potest chirographum emere dimidio, si interesse, periculum, incertitudo, & molestia, quæ alius communiter subire deberet in hac actione prosequenda, iudicio aliorum æstimentur pertingere ad chirographi, seu librancie dimidium. Et ratio est quia, vt ait Bonacina, & alij vbi supra, iustum pretium rei emptæ, non est quanti res valet emptori: sed quanti in se valet, aut quanti valet ipsi creditori, consideratis certis circumstantijs. Cum ergo dicta chirographa vẽditori non valent in totum, ratione difficultatis, exiguæ spei quam creditor habet illa recuperandi, sequitur huiusmodi chirographa minoris emi posse.

Confirmatur, ait Lessius num.76. quia hæc chirographa, cum non habeant pretium lege taxatum, illud est assignandum ex communi æstimatione. Vnde si Princeps Turcarum tibi debeat 1000. aureos, nullaque, vel parua sit spes obtinendæ solutionis: fas est hoc debitum emere paruo pretio, v.g. 100. vel 50. etiam si emptor facile integram solutionem obtinebit; hoc enim est tribuendum suæ industriæ, & bonæ fortunæ. Et sic ego aliquas Apodixas Tabulæ huius ciuitatis vt vocant, *del cento à parte, e della Corte*, difficilis exactionis, olim sæpius consului minoris emi posse. Salua, &c.

Quidam habet multa dolia vini generosi, cui apponit magnam quantitatem aquæ, sed ex illa mistione non efficitur deterius eo, quod passim venditur ab alijs. Quæritur modò, an possit tuta conscientia sine onere restitutionis, in venditione talis vini, exigere totum pretium à lege taxatum. Idem potest quæri de tritico, & alijs.

RESOL. LI.

NOn desunt DD. qui prorsus negant hanc mixtionem fieri posse, sic Petrus de Ledesma in summa part.2. tract.8.cap. 32. post conclus.7.diff.2. fol.mihi 425. colum.2. Rebellius de obligat iust. p.2.lib.9.q.8.nu.17.& Salas tract.de empt. & vendit.dub.12. qui etiam citat Medinam, Molinam, Nauarrum, & Rodriquez. Et probatur hæc opinio. Nam lex, v.gr. taxat triticum, quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta. Igitur si tale triticum ex industria cum aliqua mistione venditur, minori quidem pretio vẽdi debeat, quam sit à taxa legis præscriptum. Adde, vt ait Azorius p.3. lib.8.c.25.quæst.3. in fin. quod qui vinum aqua perfusum vendit, eo ipso vendit plus quàm habeat: nam si habebat tres amphoras vendit plus, quàm tres amphoras. Ergo, &c.

Propter has rationes probabilis est hæc opinio: sed mihi longè probabilior sententia affirmatiua videtur, quam sequuntur Lopez in instructione conscientiæ, p.2.cap.47. alias 192. Ioann. de la Cruz in director. conscient. part.1. præcept.7. qu.3.dub.6. concl.2. Lessius lib.2.cap 21.dub.11.num.82. qui ait. Cur quis rem suam non potest ad eum statum reducere, in quo sunt res aliorum: & tunc eam vendere eorum pretio, quo alij. Fit hoc interdum in vino, tritico, & similibus speciebus, dum vino valdè præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua, aut tritico valdè puro secale; ea tamen moderatione, vt nõ sint deteriora, quàm quæ ab alijs passim venduntur. Hæc Lessius.

Putabam hanc sententiam citatos DD. tantùm patronos habere, sed postea inueni Martin. Bonacinam, virum doctum, etiam illam amplecti in disputat.3. de contr. quæst. 2. punct.6. num.17. & probat validissimis rationibus; quas accipe. Nam, asserit, talis venditor nullum damnum, vel iniuriam infert emptori: non enim tenetur illi tradere res maioris perfectionis, & integritatis, quam ab alijs vendantur. Secundò, æstimatio rei desumitur per ordinem ad vsus humanos, cum autem, v.gratia, vinum per admistionem illam aquæ, sit adhuc æquè vtile ad vsus humanos, ad quos emitur: Ergo aliquis sic vendens non peccat cõtra iustitiam, neque tenetur ad restitutionem, nullus damni causa censeatur.

Cùm in hoc Regno Siciliæ pretium, quo venduntur boues, sit à regia pragmatica taxatum; Quæritur modò, an Petrus qui habet aliquos boues, in bonitate excedentes alios, possit illos vendere vltra taxam dictæ pragmaticæ?

RESOL. LII.

SEcundùm opinionem aliquorum, vt Ioann. de Salas tract. de empt.& vendit. dub.12. numer.9. respondendum est negatiuè: & probatur hęc opinio, quia taxa potest, & vult propter bonum commune, rebus valdè inæqualibus, idem pretium imponere, & oppositum esset ostium aperire in commune damnum violatione legis; multi enim dicerent, v.gr. suum triticum, & suos boues, esse notabiliter meliores alijs, qui communiter vendi solent. Ergo, &c.

Mihi tamen opinio affirmatiua visa est probabilior, & sæpè in praxi eam consului. Nec desunt authores pro hac opinione firmanda: nam illam sequuntur Ludouic. Molina de iust to.2. disp.364.num.11. & Reginaldus in sua praxi, tom 2 lib. 25.cap. 16.sect.3.num.284. Qui asserunt, quod etsi triticum, vel vinum, quod aliquis vendit, aliquantulo melius sit eo, quod venditur communiter: non ideo licere, vendendo illud, taxam à lege definitam transgredi, nam modicum pro nihilo reputatur. Sed propter notabilem excessum in bonitate, licitum esset vendere vltra pretium à lege taxatum. Probatur, quia sicut vendens triticum in bonitate longè inferius, ac deterius tritico, quod communiter venditur, eo quod à vermibus sit corrosum, debet minuere pretium, quo communiter venditur triticum: ita quando triticum in bonitate est longè melius, possunt venditores augere pretium, quo communiter vendi solet: & idem iudicium est de cæteris mercibus, quarum pretium fuerit lege taxatum. Ex his respondeo dum est affirmatiuè, & superius quæsitum, cuius doctrina aufert Confessarijs multos scrupulos.

Quispiam emerat vestem quadraginta, quæ valet sexaginta aureos, sed emerat rogatus à venditore. Consultus fui, an emptor tenetur aliquid restituere?

RESOL. LIII.

REspondi negatiuè. Et pro declaratione huius quæstionis notandum est, quod concurrentibus aliquibus circumstantijs aliquãdo licèt minoris emere rem aliquam, quàm à liquoin emeretur, sicuti è contra: vt, v.gr. propter modum vendendi, de qua causa vide Couarr. lib.2.var.cap.3.num.5. Nauarrum, c.23. num.78. & 87. & Medina in Cod. de rebus restitut. quæstio.31. ver. similiter. Et sic in fine nundinarum merces minoris venduntur, quam initio: item finiis studijs, scholastici in patriam reuersuri, libros suos minoris vendunt; & cum merces exponuntur

nuntur sub hasta, & publica voce præconis venduntur, aliud pretium habent, quàm si à mercatoribus venderentur. Sic etiā minutim, res maioris venditur, quàm in magna quantitate. Et ratione copiæ, merces, quæ simul emuntur, possunt emi minoris. Et sic de similibus.

His ita suppositis, dico, quòd res pluris venduntur in officina mercatoris quæsiti, & rogati, quam cum quis per se, vel per proxenetas emptores quærit, & rogat; vnde Caietanus in 2.2. quæst.77.art.1. Lessius lib.2.cap.21.dub.4. num.33. Ioann. Salas tract.de empt.& vendit.dub.25 num.3. Bonacina de contr.disput.3.quæst.2.punct.4.nu.21. & Emanuel Sa verb.empt.nu.4. asserunt merces vltroneas vilescere pro tertia parte. Imò Palacius, quem sequitur Barthol.à S.Fausto in specul.Confess.disp. 6.quæst.10.num.9. Salas vbi supra, & Rebellius p.2. lib.9.q.1. num.36.in Caiet.ver.empt.cap.1.dixit Pallium, quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato posse emi duobus. Et ratio est, quia talis modus vēdendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum. Ex hoc apparet quę sit decisio; scil. illam vestem iustè fuisse emptam quadraginta, licèt valeret sexaginta aureos; nam, vt est dictum, merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte.

Olim in hoc Regno propter monetæ tonsionem promulgatum fuit Edictum ab Excellentissimo Prorege Marchione Villenæ, vt in posterum omnia genera monetarum, secundum pondus valerent, & expenderentur: cum hoc scirent multi, ante Edicti promulgationem, omnem pecuniam, vel mutuo dederunt, vel ex ea res emerunt. Quæsitum fuit à multis, an hoc cum crimine, & onere restitutionis factum fuerit?

RESOL. LIV.

MVlti Theologi, tunc affirmantem sententiam sustinuerunt, nec quidem improbabiliter: nam lex futuræ pragmaticæ Principis debet esse omnibus communis, tam inscijs, quam cōscijs, etiam antequam promulgetur; & sic in fraudem eius facit, qui ante promulgationem futuram, & ignoratam ab alijs, plus distrahit, quam distracturus foret de re imminuenda quoad valorem per legem publicam. Deinde si Princeps alicui aperiret futurum decretum ante promulgationē, & hic occasione talis notitiæ cum aliorū damno plus monetæ, & mercium distraheret, vt ditaretur, teneretur, quidem ad restitutionem, quia fuit caussa illius damni. Ergo etiam ille tenebitur, qui hac occasione ditatus est, quomodocumque ea scientia, ad ipsum deuenerit. Et ita in terminis sequuti sunt hanc sententiam Molina to.2. disput.354 §. In hoc tamen. Reginaldus in sua praxi tom.2.lib.25.cap.23. num.345. Rebellius de oblig. iust. part.2. lib.9.quæst.6.num.7. & Pinellus Cod. de rescind. vendit. par.3. cap.2. num.22.

Sed ego contrariam sententiam, consului, nixus authoritate Lessij li.2.c.21.dub.5.n.45. Ioan. Salas tract. de empt. & vendit. dub.32.n.8.ad 5.Homoboni in exam. Eccles.p.2.tr.9.c.3.q.4.& Barthol.à S.Fausto in spec.confess. disp.16.q.19. nu.2. qui citat Couarruuiam, Sotum, Caietanum, Bannez, & Aragonium. Et ratio est manifesta, nam lex ex cōmuni sententia DD. non obligat ante iudicis promulgationem. Ergo, etiamsi aliquis sciret decretum à Principe conditum circa monetam, vel alias merces; tamen; dum non est promulgatum, non obligauit, neque villam vim habebit, & ideo antiquū pretium durabit. Nec valet dicere, ait Lessius vbi supra, quod hoc procederet in illo, qui distraheret monetam, vel alias merces bona fide, non tamē in illo, qui ex notitia huius decreti, venderet plus mercium, quàm alioquin erat venditurus. Nam respondetur, quod talis vtitur iure suo, nec aliqua lex vetat, ne vtatur notitia illius decreti in suum commodum.

Hanc etiam opinionem sequitur Comitolus in respons. moral.lib.3.quæst.32.num.6. Obserua tamen, quod Princeps, eiusque Consiliarius tenetur ad restitutionem, si ex eorum negligentia illa notitia legis promulgandę peruenit ad aures subditorum, vnde ipsi postea ex tali scientia vendiderunt merces cum aliorum detrimento. Et ratio est; quia tenentur ex officio euitare, ne detrimentum hoc alijs sequatur; cæteri vero ciues minimè. Videant Consiliarij, cum quanto silentio opus est, vt in istis negotijs procedatur.

Dubitare aliquis fortasse posset, an qui ob fauorem contra licitantium vendidit sub hasta rem plus duplo, quàm valebat, teneatur aliquid restituere?

RESOL. LV.

PRo decisione huius quæstionis, sæpius in praxi occurrentis, notandum est, quòd quando pretium à lege taxatum, est tā venditor, quam emptor, ad illud obligantur: vbi verò non est legitimum pretium, tam venditori, quam emptori standum est intra latitudinem iusti pretij vulgaris: aliàs ille excedendo notabiliter, & iste deficiendo, peccat mortaliter cum onere restituendi. Est tamē aliquis casus, quo cessante legitimo, nō astringuntur ementes, & vendentes, ad pretium vulgare: & hic casus, inter alios est in subhastationibus publicis.

Sed quale sit iustum pretium in istis subhastationibus, non conueniunt inter se DD. nam multi, & inter illos præcipuè Salonius in 2.2.tom.1.quæst.77.artic.1.contr.5.asserit in hoc vendendi genere reperiri etiam tria illa genera pretij, quæ constituuntur communiter à DD. in communi vsu fori, nempè infimum, medium, & supremum, seu rigorosum: sed cum hoc discrimine; nam in pretijs, quæ sumuntur ex communi vsu fori, infimum, & supremum parum distant à medio, sicut 9. & 11. parum distant à 10. At in subhastatione plurimum possunt distare; medium namque in subhastatione est, quod iustum, aut secundum vsum fori, aut arbitrio prudentum; infimum, quod ab illo deficit, modò non deficiat infra dimidium; supremum, quod illud excedit, & superat, modò non excedat vltra dimidium. Vt si iustum pretium equi, peritorum arbitrio, sint 100. Et equus ille, voce præconis vendatur, medium pretium erunt illa 100. infimum 50. supremum 150. Vnde distant in subhastatione gradus extremi à medio, quantum medietas, ipsa iusti pretij, complecti potest versus excessum, vel defectum. Hæc Salonius, ex cuius doctrina, quam etiam sequitur Molina to.2. disput.349.num.11. apparet illud esse iustum pretium in venditione sub hasta, quod non deficit, vel non excedit medietatem pretij, quo alioquin res venderetur, si non venderetur sub hasta. Et addunt in tali venditione, locum esse remedio legis secundæ C. de rescindenda venditione, quando contingit excessus vltra dimidium. Vide nostrum P. Megalam 2.2. libr.2.cap. 6.quæst.2.num.70. & P. Molfesium in summ.tom.2 tract.12.c. 5.num.148.

Sed audiamus DD. contrarium sentientes. Malderus Episcopus Antuerpiensis in 2.2. tract.5. ca.1.dub.2.asserit, iustum pretium in subhastatione etiam illud esse, quando ex contentione licitatorum res duplo venditur, quàm valeat. Plus dicit Bonacina de contr. disp.3.quæst.2.punct.4.nu.21. iustum pretium vendendi sub hasta illud esse, quod extorqueri potest absque fraude, & in excessu pretij præsumitur donatio, cum nec ignorantia, nec ius, nec fraus, neque necessitas cogat emptorem, ad sic emendum, vel venditorem, ad ita vendendum. Ex his patet resolutio suprapositæ quæstionis, nempè non esse faciēdam aliquam restitutionem, etiamsi res in subhastatione duplo, vel plus vendatur, quam valet. Vide Ioann. Salas tractat. de empt. & vendit. dub.25.nu.4.& Petrum à Nauarr. de Restitut. libr.3. cap.2.num.37.

An gemmas insignes, Canes, Falcones, Picturas antiquas, & similia, quæ non habent pretium taxatum à Principe, vel à communi hominum existimatione, possit venditor vendere eo pretio quo voluerit?

RESOL. LVI.

QVidam negant; ita Lessius lib.2.cap.21. dub.3.nu.16. Nauarrus cap.27.num. 28. & alij. Probatur; Primò, quia quælibet res vendi debet iusto pretio, sed iustum pretium earū rerum, quæ nec lege, nec communi existimatione taxatæ sunt, sumendum est iudicio prudentis mercatoris, qui spectatis circumstantiis ad rei valorem facientibus, eam æstimat: Ergo, non est licitum, tanti has res vendere, quanti vendi possunt. Secundò, iudicium, quo iudicatur aliqua res tanti valere, debet esse prudens; sed nemo potest prudenter iudicare remaliquam valere tanti, ex eo, quod venditor tanti velit vendere. Ergo, &c. Hanc sententiam communiter sequuntur omnes.

Sed

Sed contrariam tenet Sotus de iustit. lib. 6. quæst. 2. art. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. quest. 20. punct. 2. Emanuel Sa verb. vendit. num. 14. & nouissime Reginaldus in prax. lib. 26. cap. 16. sect. 4. num. 286. vbi ait. Illa verò, quæ allata sunt in contrarium, nimirum, quod res tantum valeat, quanti vendi potest, & quod vnusquisque in suis rebus sit moderator, & arbiter, Petrus à Nauarra lib. 3. cap. 2. num. 11. notat vera esse solummodo in his rebus, quæ nec lege, nec communi hominum æstimatione appretiari solent, vt sunt gemmæ, capilli, accipitres, canes venatici, equi pretiosi, & alia, quæ venduntur ad splendorem, decorem, delicias, & voluptates. Pro talibus enim, seclusis fraude, & metu, potest tantum accipi in pretium, quantum venditor arbitratus fuerit, & emptor sciens, & prudens dare consenserit. Etenim, si nulla sit eiusmodi rerum indigentia in republica, nec vlla necessitas ad notabilitatis in ea splendorem; sed tantùm ad curiositatem pertineant: iustum pretium earum non aliter determinatur, quam æstimatione ementis, quia illas tanti facit, vt putet pertinere ad Nobilitatis suæ ac diuitiarum splẽdorem dare tale pretium. Hæc ex Nauarra Reginaldus. Ex quibus patet responsio ad propositam dubitationem.

Olim hanc Quæstione tentatus sum. Vtrum sit licitum exigere aliquid supra iustum pretium, ratione periculi sortis, cui interdum vendens credito exponitur?

RESOL. LVII.

NOn est tam facilis hæc quæstio, vt multis forsitan videtur: nam sine peccato, & onere restitutionis, hoc fieri posse mordicus negant hi omnes. Sotus de iustit. libr. 6. quæst. 4. art. 1. dub. 2. Nauarrus cap. 23. num 81. Lopez in instruct. part. 2. cap. 220. Palacius de contract. libr. 4. cap. 3. conclus. 8. Garzias de contract. lib. 1. cap. 23. Toletus de septem peccatis cap. 5. Azorius part. 3. lib. 8. cap. 8. quæst. 7. & Rebellius de obligat. iusti. part. 2. lib. 9. quæst. 12 num. 1. qui validissimis rationibus probat hanc sententiam, ex quibus aliquas accipe. Vsurarius eris, si cogas mutuatarium ad ineundam tecum assecurationem eiusdem mutui, etiam pro vilissimo pretio, vt patet ex capit. nauiganti, de vsuris. Ergo à fortiori vsurarius eris, si non mutues alteri, nisi sub obligatione reddendi aliquid vltra sortem pro periculo, cui mutuum exponis: & eadem ratio in credito militat. Consequentia probatur, nam vtilior videtur debitori, & minus onerosa prior, quam secunda obligatio. Secundò quia nec timor periculi, nec ipsum periculum de non soluendo mutuo, vel credito, est secundum se vendibile, sed est consequens, siue accessorium ad vtrumque. Probatur antecedens; nam periculum istud, sui natura solet præcaueri per pœnam impositam, vel per fideiussores, Ergò vendi non potest. Hæc, & alia argumenta adducit Rebellius.

Sed contraria opinio visa est probabilis his omnibus, Medinæ de restitut. quæst. 38. causa 3. & 4 Petro à Nauarra lib. 3. de restitut. cap. 2. part. 1. dub. 11. num. 105 & part. 2. cap. 3. dub. 10. num. 342. Valentiæ, tom. 3. disputat. 3. quæst. 20. punct. 2. concl. 4. Emanuel Sà verb. venditio, num. 3. Rodriquez in summa part. 2. cap. 83. nu. 3. & Leonat. Lessio lib. 2. cap. 21. dub. 6. num. 54. & alijs, quos citat, & sequitur Sanctarellus in suis resolut. part. 1. quęst. 47. num. 17. & Salas tract. de vsuris dub. 27 num. 3. Nec desunt rationes pro hac opinione. Nam exponere se tali periculo, est pretio æstimabile: Ergo pro eo potest aliquid exigi. Deinde venditor potest petere fideiussorem, quia, vt periculum illud in se suscipiat, potest iustum pretium stipulari; Ergò si emptor cupiat venditorem illud in se suscipere, poterit venditor iustum eius pretium exigere. Nota tamen, quòd hoc periculum debet esse verum, & non fictum. Et si quæris, quale erit eius iustum pretium? Respondeo totum, id quod tu libenter alteri dares, ad simile periculum redimendum.

Solent mercatores aliquando non mutuare indigenti, sed ex credito merces offerre, & vendere summo pretio, vt ille eas vendat pecunia numerata, cui voluerit; sed emptor statim illas offert ipsis mercatoribus, qui easdem merces emunt pecunia numerata, precio medio, vel infimo; qui contractus Hispanè vocatur Mohatra, Italicè Stocco. Quæritur an sit licitus?

RESOL. LVIII.

MEdina lib. 1. summæ, cap. 14. § 23. & D. Antoninus part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 4. existimant esse iniustam, & palliatam, vsuram, quando idem redimit. Nam hic contractus rectè consideratus mutuum reuera est, & cum vsura. Quid enim aliud est, Petrum mercatorem vendere Ioanni merces pretio, vt 100. soluendas in fine anni, & statim postea easdem emere pecunia numerata pretio, vt 90 quam dedisse illi mutuo 90. recipienda in fine anni cum lucro vt 10. Qui contractus reuera est mutuum, & cum vsura. Hinc omnes prudentes eo audito illum statim condemnant, & mercatorem ita vendentem, ac reementem iniquum iudicant: & in legibus Castellæ, vt notat Rebellius part. 2. l. 9. quæst. 7. num. 7. sub grauissimis pœnis prohibetur contractus iste.

Sed verius alij existimant, contractum istum non esse iniquum, nec damnandum, si duplex in eo reperiatur conditio. Prior est, vt seruetur semper iustum pretium; nam cum merces huiusmodi certum pretium a lege illis impositum non habeant, sed iustum illarum pretium sit, quod venduntur communi vsu fori, quod, vt patet, habet latitudinem; si mercator, neque cum carius vendit, latitudinem illam excedat, neque cum vilius emit, ab eadem latitudine deficiat, seruat vtiq; priorem conditionem in hoc contractu debitam. Altera conditio est, vt tollatur omne scandalum, explicando in tali contractu nullam esse iniquitatem, cum nec pretium rigidum, in quo vẽdit, excedat latitudinem iusti pretij, nec ab illa deficiat pretium infimum, in quo emit. Sic Nauarrus cap. 23. num. 91. Petrus à Nauarra lib. 3. cap 2. nu. 170. Homobonus in exam. Eccl. part. 2. tractat. 9. cap. 10. quæst..... Regius in suis resol. casu 14. & 34. Summa Corona part. 2. cap. 7. num. 9. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130.

Nec valet dicere, quod idem sit emptor, qui ante erat venditor; nam vt ait Lessius, si alius poterat illo pretio emere, cur non mercator, qui vendidit? Imò beneficium in hoc alter præstare videtur, dum liberatur emptor à quærendis alijs, & a sumptibus in proxenetas faciendis. Non tamen potest illum ad hoc cogere, nec pactum implicitum, aut explicitum de hoc adhibere, vt notat Graffius p. 1. lib. 1. c. 209. num. 4. & Bonacina de contr. disp 3. quæst. 3. punct. 3. num. 20.

Addunt aliqui, quod vt hæc venditio ab iniustitia, & vsura immunis sit, non debet fieri intentione principali reemendi viliori pretio, ita, vt sine spe illius lucri, non esset credito mercator venditurus Sic Molina tom. 2. disputat. 310. Angelus verbo vsura, numero 60. Lopez libro primo de contract. cap. 34. Vegha in summa, tom. 2. cap. 131. cas 62. Azorius part. 3. lib. 8. cap. 11. & alij.

Sed mihi placet opinio Ioan. de Salas in tract. de emptio. & vendit. dub. 37. num. 4. qui improbat hanc conditionem. Et ratio est, quia vbi nihil vltra sortem deducitur in pactum, nec speratur, vt pretium, aut debitum de iustitia pro mutuo; nulla est vsura, si auctitium principaliter: seu minus principaliter intendatur, vt vult Molina tomo 2. disputat. 305. Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 21. punct. 1. Nauarra de restit. lib. 3. cap. 1. dub. 2. numer. 190. & idem Salas tract. de vsuris, dubio 5. numero 5. Ergo, &c.

Respondendo igitur ad quæsitum, dico talem contractum non esse illicitum, etiam si mercator tali intentione vendat illas merces, & postea per se, vel per alios emat illas: modo non adsit scandalum, neque pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo interueniat, & modo intra limites iusti pretij consistat, ita vt quando vendit credito non excedat pretium summum: & quando emit numerata pecunia, non excedat iustum infimum. Salua. &c.

An

An sit vsura mutuare, vt mihi cum opus habebo remutues: aut iusto pretio à me emas, vel in meo molendino molas. Quod est quærere, an mutuator licitè possit deducere in pactum eam iuris naturalis obligationem, qua ex honestate tenemur benefacere nostris benefactoribus, & hoc totum intelligendum est sine incommodo mutuatarij.

RESOL. LIX.

COmmunis opinio est negatiua. Sic D. Thomas 2.2. quæst. 78. art. 2. ad 2. & 4. & ibi Caietanus, Salonius, Arragon. & Bannez, Petrus à Nauarra lib. 3. de restitut. c. 2. dub. 4. num. 239. Molina to. 2. disp. 308. & 309. Couarruuias lib. 3. var. c. 1. num. 1. Sylueſter ver. vsur. 1. q. 2. Medina in sum. libr. 1. c. 14. §. 23. Lessius lib. 2. c. 20. dub. 8. n. 58. noster Megala 2. 2. libr. 2. c. 15. q. 2. nu. 29. Molfesius in sum. p. 2. tr. 12. c. 23. n. 43. & alij. Probatur hæc opinio vnica, sed validissima ratione, nam obligatio ciuilis, seu est iustitia, ad tales actus, est pretio æstimabilis: sed quando aliquis in mutuo ex vi pacti, seu contractus, intēdit aliquid pretio æstimabile, est vsura. Ergo, &c. Maior probatur, nam per illam ciuilem obligationem mutuatarius amittit aliquam libertatem, & subijcitur mutuanti. Ergò. Est tamen notandum, quod isti DD. asserūt, nullum esse peccatum, si mutuator non obliget mutuatarium ad tales actus faciendos, non obligatione ciuili, sed solū gratitudinis, tūc enim nulla ciuilis obligatio ab eo petitur, præter eam, quam ipse habet ex iure naturali.

Sed affirmatiuam sententiam tenuit Adrianus in 4. de restit. quæst. de vsura, §. sed contra, D. Antonin. part. 2. tit. 1. capit. 7. §. 10. Angel. verb. vsura, 1. num. 4. Maior, Almainus, Cardinalis Io. Andreas, Laur. de Ridulphis, citati ab Azor. p. 3. libr. 5. c. 7. qu. 1. Probatur hæc opinio multis rationibus, & primò, ait Almainus; Mutuans tali pacto, & cum ista obligatione ciuili non consequitur lucrum ex mutuo, cum det æquiualens proprij coloni, vel artificis, vt ad suum, v.g. molendinum, vel agrum veniat: ergo nō est vsurarius. Et ponamus, quod ille prius locasset operas coloni, dedissetque nisi pecuniā, & colonos nollet operari, liceret mutuare illi, vt operaretur pro pecunijs acceptis. Ergò etiā licitum erit mutuare cum pacto, vt operetur pro pecunijs accipiendis. Deinde licitum est mutuare cum pacto, vt mox aliquid remutues; Sed hęc obligatio non est minus onerosa, quàm obligatio ciuilis remutuandi in posterum, quando gratitudo id postulabit. Ergo. Minor probatur, nam est minus grauis obligatio ciuilis mutuandi in posterum, quàm remutuandi statim, quia incertum est an alter indigebit; & non teneris, nisi commodè possis. Ergo, &c.

Hæc opinio videbitur alicui probabilis, sicut visa est Maldero in 2. 2. tract. 5. c. 3. dub. 4. qui contrariam sententiam tantùm probabiliorem vocat. Ergò, secundum Malderum, hæc opinio erit vera, & probabilis. Adde, quòd ex neotericis, illam sequitur in terminis Rodriquez in summ. to. 2. cap. 197. nu. 5. & quia dicta Summa non est in Latinum translata, & non tam promptè inuenitur, ponam eius verba [Cierto es, que el que presta à otro algun dinero, puede recebir algo, no como ganancia del dinero sino como agradecimiēto desta buena obra, pues la gratitud es vna correspondencia de derecho natural, y diuino: lo qual es en tanto verdad, que puede el que da prestado imponer obligacion ciuil, al que lo recibe, de le acudir con este agradecimiento, pudiendolo hazer sin notable daño suyo, como tiene Adriano, y San Antonino.] Hæc ille. Sed an hæc opinio sit probabilis, alijs iudicandum relinquo.

Nota etiam singularem doctrinam Ioann. de Salas tract. de vsur. dub. 9. n. 4. & dub. 10. n. 3. ad 4. & dub. 13. n. 3. & dub. 16. nu. 4. & dub. 25. n. 2. sumptum a Dominico Bannez, & Arragon. to. 2. 2. q. 78. art. 1. Vegha in summ. tom. 2. capit. 131. cas. 76. & alijs: quòd quando obligatio, verb. gr. ad emendum, remutuandum, & cet. sine vlla incommoditate fieri potest à mutuatario, non est pretio æstimabilis. Et ideò si à mutuante in pactum deducatur, non est vsura. Ex his poteris respondere ad supra positam dubitationem, & ad multos alios casus.

Rogatus an mutuanti liceat in pactum deducere, vt mutuatarius statim emat, vendat, remutuet, &c.

RESOL. LX.

REspondi in hac quæstione varias esse Doctorum opiniones; nam Lopez, Sotus, Arragonius, Graffius, citati à Ioan. Salas tr. de vsur. dub. 10. nu. 3. & ipsi etiam, asserunt in tali euentu vsuram committi, nisi obligatio sit reciproca. Eandem opinionem sequitur Ferdinand. Rebell. de obligat. iustit. p. 2. libr. 8. quæst. 4. num. 10. vbi asserit, non minus fœneratiriam conuentionem esse obligare mutuatarium ad statim mutuādum, quàm in posterum. Nec D. Thom. ait ille, asserens mutuanti vnum, fas esse aliud mutuo simul recipere; nobis aduersatur. Nō enim negamus, vicissim posse simul fieri mutuationem, vt D. Thom. ait; sed nefas esse dicimus imponi obligationem ad statim mutuandum aliud, quod D. Thomas non cōcedit. Probatur etiam hæc opinio alia ratione; nam, vt ait Salas, obligatio ad statim mutuandum, emendum, &c. potest esse non minus grauis, & molesta mutuatario, & vtilis mutuanti, quàm obligatio ad mutuandum, emendum, &c. in posterum. Ergo potest esse æqualiter pretio æstimabilis, ac proindè, sicut est vsura ex pacto mutui obligare, ad hæc in posterum facienda, ita ad statim.

Sed ego non minus probabilem esse existimo contrariam sententiam; nam, vt benè asserit Reginaldus to. 2. l. 25. capit. 11. num. 198. ita mutuans, nullam causa mutui extorquet obligationem, pretio æstimabilem, cum mutuatarius inde non maneat ad aliquid in posterum obligatus. Nec valet dicere mutuatarium amittere libertatem vendendi, vel mutuandi in posterum: quia ex quo per illam in præsens tantummodo, non in futurum; est quis subiectus, nullum censetur inde subire onus pretio æstimabile. Adde, quòd si obligatio ad statim mutuandum, esset pretio æstimabilis, obligatio ad statim vendendum esset etiam pretio æstimabilis: & sic posset quis vltra summum pretium rei venditæ, aliquid exigere pro tali obligatione. Consequens est falsum. Ergo.

Accedit, vt denuo notat Reginaldus, durum esse de vsura damnare hunc, aut similes contractus satis visitatos. Do tibi mutuo 100. aureos, vel 100. amphoras vini; vt mihi vicissim mutues 100. modios tritici, vel vendas iusto pretio 100. cados olei: præsertim cum, vt dictum est, talis obligatio imposita mutuatario, vtpotè, quæ est ad breuissimum tempus, nihil aut parum onerosa censeatur, neque pretio æstimabilis. Et sic hanc opinionem sequitur Petrus à Nauarra de restit. libr. 3. c. 2. num. 235. & num. 242. absolutè docet illam. Et probabilem illam vocat Dominicus Bannez in 2. 2. quæst. 78. art. 2. & nouissimè Layman in theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. num. 3. qui omninò vidēdus est, vbi sic asserit. Si dicatur homini, si vis à me obtinere pecunias mutuo, oportet te quoque mutuare frumentum: vel iusto pretio vendere, aut locare mihi prædium, aliàs nihil obtinebis. Vel volo tibi mutuo dare pecunias: sed oportet te gratum esse ob beneficium, & scholas meas frequētare, vel ad molendinum meum frumenta adferre, merces ex mea taberna pretio iusto emere, aut vacans officium mihi conferre; non quidem vt ex iustitia ad talia mihi præstanda ratione mutui accepti, vel accipiendi obligatus sis (id enim aperte vsurarium esset) sed in tuo arbitrio sit talia præstare, tamen si non præbes, mutuum non accipies, vel acceptum illico repetetur: in his casibus putat non adesse vsuram, licèt periculosi sint.

An mutuare aliquid cum pacto, vt ille qui recipit mutuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum beneficium, vsura sit.

RESOL. LXI.

AFfirmatiuè respondet Arragonius in 2. 2. q. 78. artic. 2. dub. 2. Medina in sum. libr. 1. c. 14. §. 23. Lopez in instruct. p. 2. cap. 56. §. adde, Medina Complut. q. 4. de vsur §. inde sequitur. Reginald. to. 2. l. 15. c. 11. nu. 202. Et ratio est, quia illa obligatio tollit libertatem præsentanti collatori, ac proinde est pretio æstimabilis. Ergo, habere tale officium, vel beneficium est vsura, & non solum vsura, sed simonia. Vnde ait Reginaldus tom. 2. l. 25. cap. 11. n. 190. & Rebellius p. 2. lib. 8. q. 4. num. 13. quod vtraque deformitas, vsuræ sc. & simoniæ in Confessione necessario explican-

explicanda erit. Nam quatenus in pretium mutui intendit rem spiritualem, quæ de iure pro temporali dari nequit, simoniam committit; vsuram verò, vt dictum est, quatenus ex mutuo intendit rem, quæ, etsi de iure comparari nequeat, pretio tamen æstimabilis est.

Sed licèt hæc omnia vera sint, aduertit tamen Petrus à Nauarra de restitut. libr. 3. cap. 2. part. 2. dub. 6. quod deducere in pactum collationem, vel præsentationem beneficij statim faciendam, non esset vsura, quia, vt dictum est supra, obligatio ad statim cum modico tempore duret, non est pretio æstimabilis. Ergò mutuare cum pacto, vt statim mutuatarius conferat beneficium, non est vsura. Idem obseruauit. Malderus in 2. 2. tra. 5. capit. 3. dub. 6. vbi ait quòd si quis mutuum daret, non vt pretium beneficij Ecclesiastici, sed vt hac ratione prouocet amicitiam collatoris, aut vt gratiam præstet, quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur conferendo beneficium: probabile est, nec vsuram, nec simoniam fore. Et tandem Lessius libr. 2. capit. 20. dub. 9. numer. 64. asserit, si mutues alteri cum pacto, vt conferat beneficium Ecclesiasticum, partim est vsura, partim simonia; modo istud pactum sit iustitiæ, secus si amicitiæ. Ex his possunt Confessarij in foro conscientiæ animaduertere, quando mutuans cum pacto, vt recipiat beneficium, committat vsuram, necne.

Dices, quid sit dicendum, quando aliquis verbi gratia, confert statim quantum in se est beneficium, de quo interpellauit mutuator; sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere. Respondeo cum Maldero vbi suprà, quod si post inchoatam collationem beneficij à mutuatario, eius quod superest obligatio non habeatur pro ciuili, sed antidorali, & ex gratitudine probabilissimum est non esse vsuram. Vide Nauarrum lib. 3. cap. 2. nu. 272.

Petrus mutuans magnam pecuniarum summam, excitauit mutuatarium ad mutui beneficium remunerandum, & mutuatarius sic excitatus misit illi aliqua dona: quæritur, an ista dona vltra sortem accipiens sit vsurarius.

RESOL. LXII.

Hanc esse vsuram, aliquæ rationes demonstrant, nam talis insinuatio videtur quoddam pactum implicitum. Secundò, mutuatarius, qui dat propter talem insinuationem tempore mutuationis, non videtur dare liberaliter, sed rubore, vel necessitate compulsus. Ergò mutuans, illa dona recipiens, vsurarius est. Et sic hanc sententiam amplexi sunt Richardus in 4. dist. 15. art. 5. q. 5. Scotus q. 2. & ex recentioribus Ioseph Angles q. de contr. mutui art. 2. defin. 5. concl. 1. & alij.

Sed semper ego contrariam sententiam sequutus sum, & consului, quam etiam amplectuntur Caietan. in 2. 2. quæst. 78. art. 1. Molina de iustit. tom. 2. disput. 305. num. 6. Rebellius part. 2. lib. 8. quæst. 4. nu. 8. Bonac. de contr. disput. 3. quæst. 3. punct. 2. nu. 10. Et probatur; nam vt ait Salonius in 2. 2. quæst. 78. artic. 2. contr. 2. conclus. 2. Actus interior, & exterior eiusdem sunt bonitatis, & malitiæ, sed actus interior, qui est sperare per mutuum non solum amicitiam, verum etiam effectus amicitiæ, nõ ex debito, sed ex gratitudine est actus licitus, & honestus. Ergò actus exterior, quo aliquis huiusmodi effectus ita exiget, nempè non ex debito, sed ex gratitudine, non erit actus iniquus, neque vsurarius: quia si intẽtio est licita, per hoc, quod verbis explicetur, secluso scandalo nequaquam fiet illicita. Secundò, cõfirmatur; nam obiectum formale vsuræ est lucrum ex vi mutui, ac cum pacto, & debito ciuili: in hoc autem exteriori actu, quo mutuans expetit beneficia ista, & remunerationes, non expetit vi mutui, neque ex debito iustitiæ. Ergo non est vsura. Ex his apparet, Petrum non teneri restituere illa dona, quæ à mutuatario accepit, licèt ab ipso fuerit excitatus.

Sed quæres, an licitum sit non mutuare, donec mutuatarius à me excitatus dicat, se datutum auctirium ex gratitudine, ac proindè ex veracitate, & fidelitate, licet non ex iustitia maneat obligatus. Resp. affirmatiuè Salas tract. de vsur. dub. 7. num. 6. quia, neque effectu, neque affectu recipitur aliquid in pretium, vel exigitur, quasi debitum ex iustitia; sed sola expectatio interuenit, qua mutuans expectat expressam rectamque voluntatem mutuatarij, de dãdo auctirio, antequam mutuum recipiat. Hæc Salas, cuius sententia tamquam probabilis est amplectenda, verum an sit etiam probabilis illa, quam ponit dub. 6. num. 2. iudicent viri docti; quærit enim, an sit vsura mentalis auctirium velle recipere ab eo, quem scio non daturum, nisi timore, ne iterum negetur ei mutuum, aut ne videatur, vel vocetur ingratus. Et licet Caietanus 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 4. Petrus à Nauarra lib. 3. c. 2. n. 201. Nauarrus c. 17. nu. 219. & alij negatiuè respondeant, quia tunc mutuatarius non dat illud liberaliter, sed metu & necessitate coactus iterum recipiendi mutuum, tamen Salas, vt dixi, quando nullus est animus extorquendi auctirium, vel recipiendi illud, vt debitum ex iustitia, seu ex vi pacti, nullam esse vsuram mordicus contendit.

Petrum debet Ioanni centum nummos soluendos post annum, sed nunc vult illi soluere quinquaginta hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios quinquaginta, quæritur an hæc solutio sit vsuraria.

RESOL. LXIII.

Talem esse respondet Bonacina de contract. disput. 3. qu. 3. punct. 3. num. 9. Et ratio est, quia hoc nihil aliud est, quàm implicitè mutuare cum pacto, vt Ioannes remutuet in fine anni. Vnde Petrus à Nauarra de restitut. libr. 3. cap. 2. num. 290. vt non intercedat vsura in tali casu, ait dissoluendum esse priorem contractum, quo debitor se obligauit ad soluendum centum, & alium de nouo ineundum esse, quo debitor traditis quinquaginta obliget se ad soluendos alios quinquaginta post biennium.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, probabilior tamen contraria mihi videtur, quam sequitur præter Lessium lib. 2. cap. 10. dub. 8. nu. 59. Salas tract. de vsuris, dub. 9. num. 10. & alios. Ioan. Malderus in 2. 2. tract. 5. ca. 3. dub. 4. Et ratio est, quia qui se obligat ad expectandam solutionem, non se obligat ad mutuandum, sed statim mutuat, quia prorogat terminum solutionis, quod est virtuale mutuum, vnde in hoc contractu, vnum mutuum datur pro alio. Aduertit etiam Salas vbi suprà, quod doctrina Petri à Nauarra superius allata, quàm etiam docet Arragon. in 2. 2. quæst. 78. art. 2. dub. 1. de rescissione prioris contractus & renouationis alterius, non habet locum, quando debitum non oritur ex contractu, vel contractus renouari non potest, vt si res empta iam esset consumpta, vel in dominum tertij translata. Adde, quòd periculosum esse potest vni parti, quia altera fortè postea nollet renouare contractũ, nisi cum pacto renouationis rescissus sit. Vnde absolutè dicendum est, quod in tali contractu nulla abest vsura, quia à contrahentibus vnum mutuum datur pro alio, & sic patet responsio ad quæsitum, salua semper, &c.

Cum lucrum cessans debeatur mutuanti, quæritur modo an totum, vel in qua quantitate debeatur?

RESOL. LXIV.

Qvænam conditiones ad legitimum interesse ratione lucri cessantis recipiendum exigantur, declarant fusè Doctores, qui communiter docent, quòd non deducatur in pactum totum lucrum, quod sperabatur ex vsu pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ, sed deductis expensis, quæ faciendæ erant in negotiatione, detrahẽdoque aliquid propter pericula, seu incertitudinem lucri. Ratio est clara, quia tanto minus valet lucrum in spe, quàm in re, quanto magis spes frustari potest, spectatis omnibus circumstantijs; minus etiam valet lucrum obtinendum cum expensis, quàm sine illis, sic Rodriquez in sum. p. 1. ca. 111. num. 9. & 10. Palatius de contr. libr. 4. c. 4. Syluester ver. vsura 1. q. 19. Angelus q. 16. Armilla nu. 3. Molina tom. 2. disp. 316. Gabr. in q. dist. 5. q. 11. nu. 2. Graffius p. 1. libr. 2. c. 115. nu. 20. Rebellius p. 2. lib. 8. q. 6. & alij, vt Sotus lib. 6. de iust. q. 1. art. 3. Salonius to. 2. q. 88. art. 2. contr. 9.

Sed quia hæc opinio reliquit taxationem dicti lucri arbitrio boni viri, quod est difficile, & scrupulosum, quæsierunt sæpius à me multi Confessarij certam regulam, secundùm quam possent sine scrupulo, & formidine taxare quantitatem supradicti lucri cessantis; quibus hanc dedi, inuentam, & positam à Lessio libr. 2. capit. 20. dub. 11. num. 96. Bonacina de contract. disputat. 3. quæst. 3. punct. 4. num. 3. Reginald. to. 2. lib. 23. cap. 8. num. 87.

numero 87. vbi ait: Optima autem regula, statuendi in hac re iustum pretium, potest esse. Vt qui mutuat, tantum remittat ex lucro cessante, quantum ipse daret alteri ob contractum assecurationis, id ast quantum daret illi, qui ipsum securum redderet de toto lucro sperato; in se ipsum suscipiens totum periculum. Vt verb. gr. si quis speraret lucrum 15. pro 100. & libenter daret 5. pro assecuratione; posset tantùm accipere 10. pro lucro cessante, quia hæc soluens reddit ipsum securum. Ex hac regula possunt Confessarij statim sine consideratione expensarum, laborum, &c. statuere iustum pretium lucri cessantis, non solum in mutuo, sed etiam in alijs contractibus.

Pluries quæsitum à me fuit, an contractus, qui vulgo dicitur, A pagare, & consignare, *& in hoc Siciliæ Regno frequenter celebratur, sit licitus, & non vsurarius.*

RESOL. LXV.

Notandum est pro praxi huius contractus, quod ita celebratur. Ioannes, verbi gratia, mense Ianuarij habet centum modios frumenti, quos vendit Petro, & non tradit nunc quando celebratur contractus, sed obligat illos consignare mense Iulij, quando Petrus emens soluit pretium, quod ipsi contrahentes taxant mense Ianuar. quando faciunt cõtractum; pretium autem non est illud, quo valebunt frumenta mense Iulij, neque quod valent nunc mense Ianuar. sed illud quod taxant contrahentes mense Ianuar. & solent ex communi consensu hoc modo definire pretium soluendum. Hoc pretium vero ita taxatur, vt si mense Ianuar. tempore contractus modius frumenti valeat quadraginta tarenis, ipsi determinant, & conueniunt, vt mense Iulij soluantur, v.g. quadraginta tres tareni, augendo aliquid vltra pretium currens tempore contractus, atque ita taxato pretio maiori, quo valet de præsenti, vendit frumentum consignandum, & soluendum, quando consignabitur mense Iulij.

Notandum secundò, quod est proprium, & speciale in hoc contractu, vt Ioannes venditor frumentorum consignandorum mense Iulij, teneatur illa dare Petro emptori quoties petierit medio tempore, à Ianuario ad Iulium, & toto illo tempore medio, dicta frumenta stant periculo, & expensis Ioannis venditoris. Si vero transierit Iulius, & Petrus non acceperit frumentum, Ioannes tunc debebat monere, & cogere Petrum, vt illud accipiat, aliter protestatur de interesse, & expensis, & periculum deinceps frumenti erit penes Petrum. His ita notatis.

Dico, quòd si iste contractus celebretur inter eos, qui realiter, & verè emunt frumenta, & non fictè, vt ex tali fictione lucrentur, nam alioquin iurarent falsum, dico inquam quòd talis contractus est licitus, & non vsurarius. Probatur primò, nam est contractus veræ emptionis, & venditionis. Secundò, illud plus quod accipitur vltra pretium currens, Ioannes licitè accipit sine aliqua iniustitia, quia illos duos, vel tres tarenos accipit pro expensis, laboribus, & periculis, quæ subit conseruando frumenta ad mensem Iulij. Tertiò, in hoc contractu adest æquale, & probabile periculum, tam venditoris, quam emptoris, nam in mense Iulio, potest pretium esse maius, vel minus. Ergò vterque subit periculum lucrandi, vel perdendi. Quartò, in hoc contractu est quædam species contractus, quæ vulgò dicitur *artificare*, ex eo quòd venditor & emptor taxãt pretium de præsenti in mense Ianuar. & exponunt se periculo, vt mense Iulij perdant, vel lucrentur, propter æquale, & probabile periculum cui se exponant, talis vero *artificatio*, vt vulgo dicitur, stante periculo probabili euentus lucrandi & perdendi, licita est; Ergò licitum erit etiam illud plus, quod ex tali artificatione datur, & accipitur.

Propter has rationes Confessarij, sine vllo scrupulo possunt talem contractum, tamquam licitum, & tutum in praxi consulere, & admittere, salua semper, &c.

An si quis capitale maius, quod vulgo dicitur tutto il resto *in sponsione aliqua exposuerit, possit ille qui capitale minus habet, acceptare sponsionem, & lucrari illud plus sine onere restitutionis.*

RESOL. LXVI.

Videtur, quod non, & ita tenet Alcozer tract. de ludo, cap. 16. quia non est æqualis conditio ludi ex parte vtriusque. Martinus verò Bonacina de contr. disp. 3. q. 3. punct. 2. nu. 19. & Barthol. à S. Fausto in speculo confess. disp. 32. q. 36. num. 3. asserunt, quod si fortè alter, cuius pecunia maior est, norit inæqualitatem, & consentiat, quod quasi semper euenit, vt patet ex cõmuni vsu ludentium, tunc licitum esse ludum. Quia sic vsu videtur receptum in sponsionibus, quæ vulgo *scommesse* nuncupantur, in quibus vnus aliquando minorem quantitatem pecuniæ exponit, quam alter. Et tandem videmus, vt quis vendat libertatem suam ad remigandum in triremibus pro pecunia, quę est longè inferior libertate. Et hanc opinionem ex neotericis tenet etiam Azorius p. 3. lib. 5. c. 25. q. 7.

Ad argumentum in contrarium respondetur, quod licèt in tali casu non sit æqualis conditio ex parte vtriusque, tamen scienti, & consentienti non fit iniuria. vide Ioann. Salas tract. de ludo, dub. 13. nu. 3.

Quidam filiusfamilias, qui parum poterat perdere, lucratus est magnam pecuniarum summam, cum postea ad Sacramentum pœnitentiæ accederet, noluit illum confessarius absoluere; nam asserebat non posse plus lucrari quam posset perdere; quæsierunt à me postea, an reuera dictus pœnitens teneatur ad aliquam restitutionem.

RESOL. LXVII.

Respondi opinionem confessarij tenuisse plures DD. vt Sotum in 4 quæst. 5. art. 2. Arragonium in 2.2. quæst. 32. artic. 7. Alcozer tract. de ludo, cap. 16. Comitolum in Respons. mor. lib. 3. quæst 9. num. 5. Castrum de lege pœnali lib. 2. c. 2. Couarruuiam in reg. peccatum, p. 2. §. 4. n. 4. & alios quam plures. Ratio est; nam, vt ait Comitolus, id fert natura ludi, vt æqua sit vtriusque ludentis conditio. Sed in nostro casu contractus est æqualis ex vtraque parte. Ergo, &c.

At ego existimo, contrariam sententiam cum Lopez p. 1. Instruct. c. 183. conclus. 3. & Sanchez in summa, to. 2. lib 7. c. 19. n. 86. esse probabilem, & sic supradictum minorem posse deponere conscientiam, & non restituere. Authores qui tuentur hanc opinionem, hi sunt; Nauarrus in Manuali c. 20. nu. 12. Graffius in suis decis. p. 1. libr. 2. c. 122. nu. 6. Philiarchus de officio Sacer. to. 2. p. 2. lib. 5. cap. 2. Beia in suis respons. p. 1. cas. 61. Toletus lib. 5. cap. 27. nu. 4. & alij.

Adde etiam, quod in nostro casu, vt ipsa pars mihi asserebat, colludens sciebat illum esse filiumfamilias, & sic videtur cessisse iuri suo, vt obseruat Sayrus in Claui Regia lib. 11. c. 12. nu. 9. Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 35. n. 6. Vegha in sum. to. 2. cap. 13. cas. 3. Sà ver. ludus, nu. 6. Azorius p. 3. libr. 5. c. 29. q. 56. & 57. Bonacina de contr. disp. 2. q. 3. punct. 2. num. 19. & alij. Vnde non tenetur restituere, quamuis tantam quantitatem pecuniæ perdere non poterat, quantum lucratus est, nam volenti & consentienti nõ fit iniuria, quicquid in contrarium asserat Sanchez in summa. to. 2. lib. 7. c. 19. nu. 87. & Ioan. Salas tract. de ludo dub. 13. nu. 3. putant enim illos, qui ludunt cum eo, qui alienare non potest, non consentire liberè in eius lucrum: sed quia non possunt aliter ludere, suæque cupiditati satisfacere, ideo non est dicendum velle iuri suo cedere.

Sed contraria opinio est tenenda, etiamsi pecunia sic lucrata a minore, esset in magna quantitate, contra Bartholomæum à S. Fausto in speculo Confess. disp. 32. quæst. 18. numer. 4. & Rebellium de oblig. iustit. p. 2. libro 12. q. 4. sect. 1. num. 4. & alios; nam DD. supracitati absolutè asserunt colludentes cum minoribus scienter, cedere iuri suo, paríque inæqualitatem contractus; & sic Bannez in 2.2. qu. 32. art. 7. concl. 3. ait pupillum habentem tantum viginti aureos, posse lucrifacere centum, imò mille ducatos.

Nos etiam, cõtra Comitolum vbi supra, posse filiumfamilia

vigesimam partem alimentorum, quæ annue suppeditantur a-lienare, & ludere. Ita Valentia tom.3.disput.5.quæst.6.punct.6. Sotus vbi supra, Molina to.2.disp.242. Molfesius to.2.tra 12.c. 21.n.70. Nauarrus c.20.nu.12. Lessius libr.2.c.26.dub.5.num 38. Bannez & Barthol.à S.Fausto q.19. & 20. & Salas dub.9. nu.8. vbi supra. Quorum doctrina extenditur etiam ad omnes alias pecunias, quas fortè per ludum non solum illicitum, sed etiam licitum filius familias fuerit lucratus, vt vult Malderus in 2. 2. tract.1.c.12.dub 5. Saytus in Claui Regia lib.11.c.12.nu.14. Sa-las dub.13.n.5. Bannez, & Rebellius sect. vlt.n.16. locis citatis contra Armillam, verb.ludus, nu.8. & alios negantes, eo funda-mento, quia lucrum, quod reportat filius familias à ludo, nume-ratur inter bona profectitia, sed in dispensandis bonis profecti-tijs, filius pendet à patre. Ergò, postquam v.g. semel lucri fecerit derem aureos, non poterit ampliùs ludere sine patris licentia. Sed ad hoc argumentum respondetur, quod quando pater con-cedit filio copiam exponendi aliquam summam pecuniæ in lu-do, tacitè etiam concedit copiam exponendi omne lucrum, quod inde reportabit, iuxta leges ludi. Ergo.

Ad argumentum vero Comitoli, in principio positũ, respon-deo cum Bannez, quod æqualitas requisita in ludo ex parte vtriusque non est alia, nisi quod vterque collusor sit dominus illius pecuniæ, quam exponit, & spondet; sed in casu nostro, fi-lius familias habet liberã administrationem illius pecuniæ, quã periculo exponit, non secus atque alter. Ergo.

Petrus bona fide rem emit à latrone, quàm posteà durante bona fide vendit Ioanni, & deinde cognoscit rem illam esse alie-nam: quæritur, an licite possit sibi pretium retinere, & non rescindere contractum cum Ioanne, dummo-do rem illam vendiderit eodem pretio quo emerat?

RESOL. LXVIII.

TEneri restituere pretium, & rescindere contractum, do-cet Bonacina de contract. disp 1.q.4. punct.2.nu.5. & præ-ter DD. quos ipse citat, tenet etiam hãc opinionem Turrianus in 2.2.to.2.disp.13.dub.2.nu.12. Malderus etiam in 2.2.tract.4. c.3.dub.3. & Barthol.à S.Fausto in speculo confess.disp.4.q.22, n.5. Ratio est, quia qui vitrum v.gr. vendit pro gemma, aut sol-uit, seu permutat falsum aurum cum vero, debet secundũ con-scientiam contractum dissoluere. Ergò pari ratione, si vendat rẽ alienam, putans esse suam, debet contractum dirimere, quando posteà nouerit rem illam esse alienam.

Sed contrariam sententiam sustinet Nauarrus in Manuali c. 17.n.8. Philiarchus de officio Sacer.to.2.part.2.lib.6.c.18. verb. Alterum in quo, Ludouicus Lopez in instruct. p.1.cap.94. ad finem, & lib.1.de contract.cap.3. ver. Inter tam dubias, Pitigia-nus in 4.sent.p.2.dist.15 q.2.art.1. qui citat Angelum, Syluestrũ, Caietanum, & Couarruuiam. Nam venditor in tali casu, non tenetur restituere ratione acceptionis iniquæ; quia bona fide emit à latrone, nec tenetur ratione rei acceptæ; quia iam non habet illam apud se, nec in ea factus est ditior, vt supponimus. Ergo, &c.

Dices, tenetur, quia apud se habet pretium rei alienæ, quòd loco illius succedit. Respondeo cum Rebellio de oblig iustit. p.2.lib.9.quæst.18.sect.1.n.11. quòd si pretium bona fide à ven-ditore est consumptum, nec inde ditior effectus est, certum est apud omnes venditorem non teneri ad vllam restitutionem. Vel secundò respondeo, cum Sanchez in sum.to.1. lib 2.c.23.n. 25. pretium succedere loco rei, non esse verum vniuersaliter, id enim in solis vniuersalibus iudicijs verum habet, cuiusmodi sunt hæreditas, fideicommissum vniuersale, dos, &c.

Dicendum est igitur, talem vẽditorem teneri solum in foro conscientiæ, ad cedendam suo emptori actionem de euictione, quàm habet aduersus eum, a quo bona fide emit, quia in ea sola factus est locupletior. Hanc opinionem puto esse probabilem, & sic illam vocant Saytus in Claui Regia lib.10.tract.2. cap.2. num.13. Gregorius de Valentia tom.3. disp.5. qu.6. punct.3. & Bonacina vbi suprà, contrariam sententiam vocant tantùm probabiliorem.

Ad argumentum in principio positum respondet Nauarrus, assignando disparitatem rationis, quoniam qui dedit falsum aurum, dedit rem intrinsecè defectuosam, non tamen qui dedit rem alienam. Et si dicas, parum referre, sit ne vitium intrinsecũ, seu extrinsecum, quando reuera tale est, ob quod emptor me-ritò sit inuitus, reddatque contractum inuoluntarium, tunc enim emptio est inualida, ac proindè rescindenda, si velit em-ptor reddito pretio. At huic quoque argumento occurrit Na-uarrus dicens, emptori nunc istum venditorem facere satis, si cedat ei (vt diximus) actionem de euictione contra primum illius rei alienæ venditorem, iuxta leg. in creditore, ff. de euict.

Petrus emit bona fide equum à latrone, postea de hoc certior fa-ctus, quæritur an possit tuta conscientia rescindere contra-ctum, & latroni equum illum reddere, vt pretium pro eo datum recuperet?

RESOL. LXIX.

CAietanus in 2.2. quæst.62. art.6. Sotus de iust.libr.4. quæst. 7.art.2. Couarruuias libr.1.variar.cap.3.num.6. Bartholo-mæus Medina libr.1. cap.14.num.31. Ioannes Medina Cod. de restit.quæst.10. Tabiena verb.restitutio, §.24. Armil'a eodem verb.nu.4. & 15. Ledesma in 4.p.2 q.18.art.6. Syluius in 2.2.D. Thomæ, q.62.artic.6.quæritur 1.conclus.6. & ex Societate Iesu Ludouicus Molina de iust.tom.3.disput.722. negatiuam tuen-tur sententiam; nam qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur ipsius iniquæ detentioni. Ergo, &c. Secundò in foro iudiciali iudex statim, atque cognouit dominum rei, præcipit omninò illi restituere, at hæc sententia iudicis est iusta. Ergo, etiam se-cundum conscientiam, tenenda.

Verum contraria sententia probabilior apparet, & illam se-quuntur Azorius, Lessius, Rebellius, Toletus, Salonius, Arra-gon. Vasquez, Nauarra, Nauarrus, & alij, quos citat, & sequi-tur Martinus Bonacina de.contract. disput. 1. quæst.4. punct.2. num.1. & præter illos amplexi sunt, etiam hãc opinionem Me-gala in 2.2.lib.2.cap.6.q.6.num.182. Bartholomæus à S. Fausto in spec.confess.disp.3.quæst.23.nu 2. Pitigianus in 4.sent.par.2. 2.dist.15.q.2.art.1. Valentia to.3. disp.5. quæst.6. punct.4. Mal-derus in 2.2.tr.4.c.3.dub.2. Turrianus etiam in 2.2. tom.2.disp. 13. dub.2.nu.3. Ratio est, quia talis emens non tenetur potius consulere bonis alterius, quam proprijs, cum ipse bona fide il-lam rẽ acceperit, neque dominus rei est rationabiliter inuitus comparatione talis ementis, nec enim obligatur emens ad con-seruandam rem alterius.

Dicendum est igitur, si emptor rei alienæ nõ potest facilè re-cuperare pretium à vero domino, sed à fure, potest rescindere contractum, & pretium à latrone recuperare.

Ad primum argumentum respondetur, emens cum reddit rem latroni, qui vendidit, non est censendus cooperari iniustæ detentioni, actio enim illa reddendi talem rem latroni ex præ-dicta causa, nõ est intrinsecè mala, quia neque est iniusta com-paratione domini, vt supradictum est, neque comparatione la-tronis, quia illa actio fit ad recuperandum pretium: neque red-dens rem illam latroni, præbet necessariò materiam peccati, li-berum enim est latroni illã restituere vero domino, quod si ex malitia non restituat, non imputabitur peccatum ei, qui rem reddit, ad recuperandum proprium pretium.

Ad secundum respondetur, negando consequentiam; nam in foro exteriori ideò talis emptor condemnabitur ad restitu-tionem, quoniam res ablata apud ipsum inuenitur. Iudex enim vt ait Lessius lib.2.c.14 dub.3.nu.18. statim inquirit à quo eam emerit, qui si potest inueniri, iubet, non vt illi restituat (quia non vult dominum rei per istas ambages ducere) sed vt restituat do-mino cuius est, & ipse si velit pretium ab illo recuperet.

Notent verò Confessarij, secundam sententiam, quàm suprà expressimus, veram esse, quando possessor bonæ fidei emit rem à fure, & non quando gratis accepit, nam si gratis acce-pisset, non posset eam tradere latroni, nisi fortè moraliter cer-tus sit rem domino restituendam esse à fure. Ita Nauarra de re-stitut.lib.3.cap.2.dub.3.num.19. Opusc.de restit.cap.9.§.1.dub. 2.num.13. Saytus in Claui Regia lib.10. tract.2, cap.2.nu.21. & alij, salua semper, &c.

Cele-

Celebris, & difficilis est illa quæstio inter DD. An tempore magna sterilitatis, & inopia pragmatica frumenti, & aliarum rerum seruanda sit in conscientia, vel liceat vendere frumentum secundum pretium commune, & vulgare.

RESOL. LXX.

SVpponendum est ex Aristot. libr. 2. Ethic. cap. 7. duplex esse rerum pretium, aliud legitimum, seu legale, aliud naturale, seu vulgare; legitimum vocant authores, quod lege Principis taxatur, & ideò dicitur legale: naturale verò id, quod communi æstimationa hominum statuitur; illud consistit in indiuisibili mathematico, hoc non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet supremi, medij, & infimi; seu rigorosi, vel rigidi, pij, & minimi Ita D. Thomas in 2. 2. quæst. 77. art. 1. & ibi Caietanus, Bannez, Arragon. Valentia, & Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 7. art. 2.

Hoc supposito, respondent aliqui Doctores, pragmaticam, & taxam frumenti esse seruandam sub pœna peccati mortalis, & obligationis restituendi etiam tempore sterilitatis, & inopiæ. Et censent aliqui contrariam sententiam nullam habere probabilitatem, nec esse tutam in consciẽtia. Ita Io. de la Cruz in director. consc. part. 1. pręcep 7. quęst. 3. dub. 3. concl. 1. Io. Salas tract. de empt. & vendit. dub. 7. nu. 3. Michael de Palatio de contr. lib. 2. c. 2. Patrus à Nauarra de restit. libr. 3. c. 2. numero 2. Bartholæmus Salonius de iust. tom. 2. qu. 77. art. 1. contr. Basilius Pontius var. disp. p. 1. q. 2. Scolastica, c. 7. in fi & P. Ledesma in summ. to. 2. tr. 9. c. 32. diffic. 19. fol. mihi 434. & pręcipuum argumentum, quod adducunt, est; nam communiter Doctores docant quando lex est dubia, Principi obediẽdum esse; sed in nostro casu res est dubia, cum multi Doctores asserant, taxam frumenti etiam tempore sterilitatis esse iustam. Ergo obligabit in conscientia.

Non desunt tamen viri docti, qui contrariam sententiam teneant, & ita notat Ledesma vbi suprà, communiter docere Patres Societatis Iesu, & ex illis, qui scripta typis mãdarunt, P. Molina mordicus sustinet hanc opinionem de iust. to. 2. tract. 2. disp. 364. nu. 7. vbi asserit. Si frumentum antea lege erat taxatum pretio rationabili, ac moderato, ac mense Martio, & Aprili sterilitas magna in annum sequentem comperitur ob pluuiæ defectum, aut aliqua alia ratione non teneri homines deinceps vendare triticum suum pretio tempore abundantiæ taxato. Quoniam præsumendum est, voluntatem Principis non esse, vt tanta superueniente sterilitate, lex, quæ tempore abundantiæ lata erat, vim adhuc retineret, neque si id Princeps vellet, lex iam tunc esset rationabilis, ac iusta, ac proindè in conscientiæ foro non obligaret. Hæc Molina. Atque hoc etiam voluisse videtur Nauarrus in summ. cap. 22. num. 88. dicens superueniente magna necassitate, tollitur omnino taxa, quem refert, & sequitur Rebellius de oblig. iust. p. 2. lib. 9 q. 2. sect. 3. n. 14. In hanc sententiam iuit etiam Valerius Reginaldus in sua Praxi to. secundo, lib. 25. cap. 16. n. 270. asserens. Quantumuis decursu temporis merces pluris æstimentur communiter, quàm sit à lege taxatum, non ideò tamen licitum est, secundùm illam æstimationem, vendere contra hanc taxationem. Quamquam mutari debere leges, quando circumstantiæ notabiliter variantur, siquè Princeps in eo esset notabiliter negligẽs, lex inciperet esse iniusta, nec in conscientia obligaret. Ita etiam docuit Lessius lib. 2. c. 21. dub. 3. n. 14. ait enim; mutatis circumstantijs, si Princeps esset negligens in pretio legitimo mutando, potest res vẽdi pretio vulgari. Imo vt notat Pontius vbi suprà, ex Authoribus, qui mordicus defendunt primam sententiam, nonnulli quamuis inuiti in istam latenter relabuntur, nam ex illis Salonius loco cit. nu. 10. sic ait. Quòd si progressu temporis viderint apertè, & euidenter ipsi venditores, mutatum esse pretium rerum communiter apud omnes, quia variatæ sunt reuera circũstantiæ omnes, & mercium, & temporum, & emptorum vbique terrarum, duratque illa varietas non vno, aut altero anno, sed plurimis, nec propterea mutari pretia à lege, & magistratibus, tunc licet eis vendere tuta conscientia res suas, non solum iuxta lagis taxationem, sed etiam iuxta communem vsum fori, ad arbitrium prudentum. Hæc Salonius, sic etiam Nauarra vbi sup. & Arragon. in 2. 2. q. 77. art. 1. dict. 2.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur, tunc procedere, vt benè ex Suarez in 3. parte tomo 5. disputat. 4. numero 5. & sequ. notat Salas de legibus, quæst. 96. tractat. 4. disp. 10. sect. 2. numer. 13. quando iustitia legis æquè probabilibus rationibus nititur: nam si oppositum sit manifestè probabilius, subditi possunt se excusare ab obseruantia talis legis. Sed ita accidit in casu nostro. Ergo, &c. Vide Molfesium in summa, tomo 2. tract. 11. cap. 5. num. 80. qui asserit, primam opinionem Molinæ, & aliorum procedere, quando taxatio singulis annis efficitur. Secundum opinionem Salas, & cæterorum procedere, quando taxatio efficitur vniuersaliter, & vniformiter, habendo rationem fertilitatis, & sterilitatis. Vide atiam Maldерum in 2. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 1. Bonacina de contr. disp. 3. qu. 2. punct. 4. nu. 8.

Cuidam ex dato mutuo emersit damnum notabile, antequam mutuatarius fuisset in mora soluendi; quæsitum. an possit aliquid à mutuatario pro illo damno petere, & teneatur mutuatarius dare?

RESOL. LXXI.

OPinionem affirmatiuam videtur insinuare Medina, & ex veteribus Maior in 4. dist. 15. quæst. 23. ad confirmat. 1. argum. & in alia editione, quæst. 30. cuius sententiam ex neotericis amplexus est Pitigianus in 4. sent. to. 2. distin. 15. quæst. 2. art. 6. §. Præterea, colu. 2. vbi ait. Tenetur mutuatarius soluere expensas, omniaque damna creditori, ratione mutui illata, vt si corruit domus, vel si alia id genus infortunia eidem acciderũt, poteritque exigere totum damnum, quia non amittit, quod erat habiturus, sed quod actu habebat: quamobrem potent recompensationem bonorum, quæ ratione mutui amittit, exigere. Et esto, quòd mutuator non adiecerit pactum de damno emergenre, atque ita non possit contra mutuatarium in foro exteriori habere actionam, tamen in foro conscientiæ tenetur debitor vltra sortem, ad interesse. Sic Pitigianus. Hanc sententiam cum quadam limitatione, docet Toletus li. 5. c. 32. in fine, putat enim cum quis vi, vel fraude, vel metu cogitur ad mutuãdum, licitè posse damna emergentia recipere, quamuis hæc damna in pactum non fuerint deducta.

Sed absolutè contraria sententia tenenda est, quam tenet Salas tract. de vsura, dub. 18. numero 4. & præter Doctores, quos ipse citat, tenet etiam hanc sententiam Lessius libro 2. cap. 20. dub. 10. num. 73. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 61. dub. 3 num. 2. Filliucius in quæst. moral tom. 2. tract. 34. p. 2. cap. 9. num. 71. & alij. Et ratio est, quia forsan mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere.

Ad id vero quod dicit Pitigianus, respondeo non loqui consequenter, nam quod in foro interno ex iustitia restituendum est, etiam restituendum est in foro externo, nisi probatio actori desit. Sed in hac re notent Confessarij breuiter hæc tria. Primò, si non interfit pactum ante moram, vt diximus, ad nihil mutuatarius tenetur. Secũdò, post moram tenetur ad damnum intrinsecum, non ad extrinsecum, modo mora sit culpabilis. Tertiò, si fiat pactum, potest teneri ad omne damnum intrinsecum, & extrinsecum, antè, & post moram, etiamsi mora (secundum aliquos) non sit culpabilis. Et ratio est, quia ille, qui mutuat potest cauere omni suæ indemnitati. Sed de hoc nos alibi.

Vtrum Clericus in sacris constitutus, vel Religiosus possit negotiari per se, vel per alium?

RESOL. LXXII.

ALiqui, vt Caietanus in sum. verb. Cleric. Rodriquez in summ. tom. 2. c. 1. num. 2. asserunt posse, dummodo negotiationem sit turpis, & absit scandalum: hanc sententiam docet etiam doctissimus Michael de Palatio de contract. libr. 2. c. 10. fol. mihi 168. vbi ait. Vnde videtur non esse peccatum mortiferum clerico negotiatori, si aliunde non trahat ratione culpæ, aut propter scandalum, aut propter mendacia, aut periuria, quæ in ea miscantur. Etenim si clericus negotiator antea est admonendus, igitur nunc peccat, quando admonitus non cessat à negotiando. Sic ille.

At contra hanc sentẽtiam sunt ferè omnes DD. Salon. in 2. 2. q. 77. art. 4. Salas de contract. tr. de empt. & vend. dub. 2. Salz. in

Addit.ad pract. Crim. Diaz ca. 57. Prosper de August. in Addit. ad sum. Bull. Quar. vaib. vectigal Paulus Squillante de obligat. Cler. p. 2. dub. 3. n. 39. Reginald. in Praxi. tom. 2. libr. 30. tr. 3. cap. 3. n. 20. Medin. de restit. q. 30. art. 2. Syluest. ver. cleric. n. 3. Comitolus in responsi. mor. lib. 5. q. 53. Scaccia tr. de commer. §. 1. q. 2. ampl 11. n. 7. Sotus de iust. libr. 6. q. 2. art. 2. Toletus in sum. libr. 8. c. 53. Rebel. de obligat. iust. p. 2. lib. 9. q. 18. sect. 2 n. 8. Bellettus in disquis. cler. p. 1. §. 21. nu. 2. & alij DD. quos citat, & sequitur D. Carolus de Grassis amicissimus noster in suo pulcherrimo tract. de effectibus Clericatus effect. 3. n. 1. & seq. & patet ex c. consequens, dist. 88. vbi Gelasius Papa ait, Clericus ab indignis quęstibus abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandum, aut in quoscumque gradus sint positi, mox à clericalibus officijs cogantur abstinere.

Limita hanc sentētiam, nisi semel aut iterum clericus negotietur, nam in hoc casu non peccaret mortaliter. Ceniedus in collect. iur. canon. p. 1. collect. 37. n. 2. in fine, Grassis & Salas vbi suprà, cum Lessio, & Maldero.

Sed tota difficultas est, an sit licitum exercere negotiationē per alios. Negatiuè respondet ex nostris P. Megala in 2. 2. libr. 2. c. 5. q 6. n. 157. Genuensis in praxi c. 62. nu 6. Riccius in prax. for. Eccles. p 3. resol. 205. n. 2. Vgolinus de potest. Episc. c. 13. §. 17. n. 2. Salzedo, August. vbi suprà, & alij.

At mihi cōtraria sententia semper placuit, quàm docet Molina de iust. to. 2. disp. 342. nu. 10. Malderus in 2. 2. tr. 5. c. 2. dub. 4. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 1. nu. 6. Arragon. in 2. 2. q. 77. art. 4. Tabiena ver. Empti, q. 26. Salas, Squillante, Rebellius, & alij communiter. Et ratio est, quia vt probat Medina vbi sup. solum prohibitum est, ne per se clerici negotientur, & negotiando per alios cessat ratio prohibitionis. Vnde cum Turriano in 2. 2. to. 2. disp. 59. dub. 2. n. 3. puto ex vi solius prohibitionis, etiam sine veniali culpa, posse clericos, & Religiosos negotiari per alios, licèt cum Lessio, & Molina aliter sentire videatur Barthol. à S. Fausto in speculo conf. disp. 6. p. 203. putat enim peccare venialiter.

An saltem qui habet beneficium Ecclesiasticum sed non est ordinatus in sacris, possit negotiari per se ipsum.

RESOL. LXXIII.

NEgatiuè respondet Salas de contr. tract. de empt. dub. 2. n. 5. qui citat Rebellium, Vegham, Sà, & Tabienam: tenet etiam hanc sententiam Molfesius in summ. to. 2. tract. 12. ca. 4. nu. 129. & Bellettus in disquis. cler. p. 1. § 21. n. 17.

Non reticeam tamen aliquos DD. in contrarium inclinare, vt notat Squillante de oblig. cler. p. 2 dub. 3. n. 39. & P. Molina de iust. to. 2 tract. 2. disp. 342. nu. 2. vbi ait, de beneficiatijs, qui in sacris non sunt cōstituti, anceps ex Syluest. inclinareque videntur DD. alij, illos non peccare lethaliter.

Sepius in praxi occurrit illa quæstio, ex quanam culpa teneatur depositarius, quando perit penes ipsum res deposita?

RESOL. LXXIV.

COmmuniter DD. sic respondent. Quando depositum fuit factum tantum in gratiam solius deponentis, depositarius in hoc casu tenetur tantum de dolo, & lata culpa: sed si accipit aliquid pro deposito seruando, tenetur etiam de leui culpa, secus de leuissima, dummodo si non se offert in depositariū: nam tūc, cum depositum factum sit in gratiam ipsius depositarij, tenetur etiam de leuissima, vt etiam si adesset pactum. Ita Molfesius in summ. tom. 2. tr 12. cap. 15. n. 44. & seq. Megala in 2. 2. libr. 2. c. 18. q. 2. num. 12. Turrian. in 2. 2. to. 2 disp. 11. dub. 5. n. 8. Barth. à S. Fausto in spec. confess. disp. 8. Regin. in praxi, to. 3. lib. 25. c. 46. sect. 1. n. 563. & seq. Azorius p. 3. lib. 7. cap. 7. q. 1. & seq. Molina de iust. tom. 2. tract. 2. tota disp. 527. Sotus libr. 4. de iust. q. 7. art. 2. & alij.

Hinc inferunt DD. supracitati, & pracipuè Molina num. 4. Bullarij, Caupones, Nautæ comparatione eorū quæ in nauem, vel hospitium conferuntur: & qui curam molendini habent comparatione tritici, quod vt molatur, asportatur, & qui curam habent domorum publicarum, vt sunt Datiarij, vbi aliquæ res conseruantur, vel venduntur, & indè commodum aliquod habent, Item Sartores, Fullones, & alij similes, hi omnes tenentur de leui culpa, quia vt suprà diximus, res depositæ, etiam cedunt in ipsorum commodum, propter contractum locationis, & cōductionis cum deposito coniuncti. Imò, & aliquando secundum aliquos tenentur de culpa leuissima.

Sed hęc omnia licèt vera sint, tamen cēseo illam opinionem esse probabilem, & tutam in praxi, quæ asserit, neminem teneri in conscientia, nisi ex culpa graui, & lata, & non ex culpa leui, & leuissima, nisi aliter inter contrahentes sit conuentum. Ita Lessius libr. 2 cap. 27. dub. 3. num. 11. & Filliucius in quæst. Moral. tom. 2. tract. 34. capit. 2. nu 23. Ex hac doctrina erunt liberi à multis scrupulis Confessarij, & ego, vt dixi, existimo illam satis probabilem.

Non reticeam etiam, in hac materia singularem sententiam Ferdinandi Rebelij de obligat. iustit. part. 2. lib. 16 quæst. vnica à num. 5. vsque ad num. 10. asserentis in foro conscientiæ in ordine ad restitutionem, non sufficere latam culpam iuridicam, sed requiri theologicam, & moralem. ac denique solum dolum verum; Itaque vult, si depositarius per crassam ignorantiam, vel incogitantiam, seu obliuionem amittat rem depositam, non teneri in conscientia, nisi quando culpa scienter est commissa; vt si propter pigritiam nolit expressè rem alienam custodire, vel data opera eam per periculosa loca deferat; & si audire vis eius verba, hæc sunt. Quamuis in iudiciali foro depositarius teneatur, non tantum de dolo, sed etiam de lata culpa, quia quando patet lata culpa, dolus esse præsumitur; tamen in foro conscientiæ, vbi veritas constat, de solo dolo tenetur. Hæc ille; an probabiliter iudicent viri docti, & legant Io. Valerum in differentijs vtriusque fori. verb. depositum, differ. 4. nu. 4. qui Rebellium acriter impugnat.

Quam ordimur quæstionem, olim mihi cum magnis Theologis agitata fuit, Vtrum hæres ab intestato teneatur in foro conscientia soluere legata in testamento minus solemni relicta?

RESOL. LXXV.

TEneri putat Paulus Comitolus in Respons. mor. lib. 7. tota quæst. 8. Angelus, Tabiena, Syluester, Adrianus, Medina, apud Lessium, vbi infrà, nu. 14. D. Antoninus part. 3. tit. 10 cap. 3. §. 14. & dicit communem Ias. in l si post diuisionem, num. 5. C. de iuris, & facti ignor. Bal. leg. cum quis, Cod. eodem, Imola, Alex. in leg. nemo potest, ff. de legat. 1 tenet etiam hanc sententiam Filliucius quæst. mor. tom. 2. tract. 34. c. 7. num. 150. Molfesius in summ. tom. 2. tr. 13. cap. 2. n. 147. Homobonus p. 1. tr. 7. c. 19. q. 188. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 2. tit. 14. n. 10. Molina de iust. to. 1. disp. 81. Lessius, & Malderus vbi infrà, & Reginald. in praxi to. 2. lib. 15. c. 7. sect. 1. nu. 105. Ratio est, quia cessante fine legis, eiusdem legis cessat obligatio, sed illæ leges, quæ in testamentis præcipiunt aliquas iuris solemnitates, solùm hoc faciunt ad euitādas fraudes, & dolos. Ergo vbi ista non interfuerint, leges ipsæ non obligabunt, atque ex consequenti illa testamenta erunt valida in foro conscientiæ.

Ex his infert Reginaldus, & alij vbi supra, hæredem ab intestato, si sciat defuncti voluntatem, qua alterum constituerit hęredem, aut ei aliquid legarit testamento minus solemni, teneri in conscientia tali restituere hæreditatem, & legatum soluere. Secundò, si ea de re fuerit dubius, teneri propter dubium cum illo altero componere. Nam cum nec ipse, nec alter ille, adhuc cœperit possidere bona fide, par est in dubio vtriusque conditio. Tertiò, si hæres ipse ab intestato, hęreditatem, aut legata retineat, illos, quibus per testamentum minus solenne fuerit aliquid relictum, posse seruatis debitis cōditionibus, vti compensatione. Ita ille ex Molina, & alijs.

At ego cum Maldero in 2. 2. tract. 1. c. 11. dub. 5. Lessio, libr. 2. cap. 19. dub. 3. num. 30. Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 1. precep. 7. q. 1. art. 5. dub. 14. concl. 3. puto contrariam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi, quam sequuntur, & docent Couarruuias cap. 10. de testamen. nu. 10. Bonacina de contract. disp. 3. q. 1. punct. 3. n. 5. & seq. Valerus in differen. vtriusque fori, ver. legatum, diff. 16. nu. 2. Vegha in summ. to. 2. cap. 114. cas. 2. Reia in resp. cas. consc. part. 1. cas. 53. Petrus de Arragon. in 2. 2. q. 62. ar. 4. vbi agit de dominio, fol. mihi 105. Salas de legib. tr. 14. disp. 16. sect. 12. num. 52. Salonius in 2. 2. tom. 1. quæst. 61. seu q. 5. de dominio, art. 4 fol. 159. Naldus in sum. ver. testam. nu. 8.

Bonnes de iust. qu. 62. disp. 5. de translat. dominij fol. mihi 100. Becanus in summ. theol to. 2. tract. 4. c. 6. nu. 5. concl. 4. & nu. 6. in fin. regula 5. & Vasquez in Opusc. de testam. c. 3. dub. 1. nu. 4. & in p. 2. to. 2. disp. 164. c. 3. num. 36. & 37. qui citat Gomez, & Padilla viros doctissimos.

Dico igitur; Primo contra Reginaldum, & alios vbi supra. Hæredem ab intestato non teneri quidam tradere hæredi instituto in testamento minus solemni, nec soluere legata facta in tali testamento, dummodo non sint facta ad pias causas. Secundò, nec teneri facere compositionem iuxta quantitatem dubij. Tertiò, eum cui legatum relictum est, non posse vti occulta compensatione. Et his duabus opinionibus, quam maluerint eligant confessarij, & ita in multis casibus occurrentibus sedabunt multos scrupulos.

Ad argumentum in principio positum respondetur, quòd finis legis dupliciter potest cessare, aut in communi, aut in particulari, quando cessat primo modo, cessat obligatio legis, non autem, quando cessat in particulari. At verò, leges quæ irritant illegitimos contractus, vt in casu nostro, habent pro fine bonum commune, & sic quamuis cesset finis legis in particulari, semper eius obligatio firma manet. Ita communiter DD. Vasquez in 2. 2. tom. 2. disputat. 163. cap. 3. num. 19. & Opusc. de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 14. num. 51. Suarez de legibus, libr. 3. cap. 23. lib. 5. cap. 24. & lib. 6. cap. 7. & 9. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 37. & de matrim. tom. 1. lib. 3. disputat. 3. n. 7. & 9. Salas tract. de censibus, dub. 8. numer. 11. & de legibus, tract. 14. disputat. 10. sect. 4. num. 19. & disput. 15. sect. 7. nu. 14. Coninch. de Sacramentis, disput. 7. dub. 9. num. 86. & disp. 14. dub. 14. num. 144. Reginaldus in Praxi, tom. 1. lib. 13. capit. 18. quæst. 3. num. 180. Rebellus de obligat. iust. par. 2. lib 11. qu. 13. num 7. Molina de iust. tom. 1. disput. 81. ad 3. argum. secundæ sententiæ. Bonacina de legibus, disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 2. num. 1. & seq. & disp. 10. quæst. 2. punct. 8. §. incidens nu. 13. Pitigianus in 4. sent. tomo 2. dist. 15. quæst. 2. art. 3. Sayrus in Claui Regia lib. 3. cap. 1. num. 6. & cap. 7. num. 11. & 13. Felicianus de censibus, tom. 2. lib. 1. cap. 8. nu. 6. Couarruuias in 2. par. Decret. cap. 6. §. 9. num. 8. Sarmiento lib. 3. select. interpr. ca. 12. num. 8. Petrus de Arragon. in 2. 2. quæst. 62. art. 4. licèt probabiliter aliqui contrarium asserant. Ex his omnibus apparet cōtractum nullum iure humano in foro exteriori, esse etiam nullum in foro conscientiæ. Sed ad ornatum præsentis quæstionis vide etiam extra DD. citatos Fernandez in Examin. Theol. moral. part. 1. cap. 17. §. 2. num. 14. Naldum in summa ver. Testament. num. 8. Sotum de iust. lib. 4. quæst. 5. art. 3. Suarez de legibus, lib. 5. cap. 24. num. 9.

Quidam vir nobilis olim in quadam subhastatione, seu licitatione publica rogauit amicos volentes emere, ne plus offerrent certa quantitate, & hoc vt ipse postea vt in facto contigit emeret rem illam pretio infimo secundum illum modum vendendi, quæsiuit a me an peccauerit contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem aliquam? Idem quæritur de illis, qui hoc pacto emerunt aliquod officium, vel vectigalia, aut prouentus?

RESOL. LXXVI.

PEccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem putauit P. Megala in 2. 2. lib. 2. c. 6. quæst. 5. nu. 146. Ratio est, quia dum alij erant parati plus offerre, impeditur venditor ne illud plus consequatur.

At ego contrariam sententiam in praxi semper consului, & illam docent Reginaldus in praxi to. 2. lib. 25. c. 22. n. 379. Villalobos in summ. to. 2. tract. 21. dub. 17. n. 4. Vegha in sum. to. 2. c. 43. cas. 3. Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. punct. 5. n. 10. Rodriquez in sum. to. 2. c. 84. nu. 1. Arragon. in 2. 2. q. 77. art. 4. & ante alios Petrus a Nauarra de restit. lib. 3. c. 2. n. 84. & 85. vbi sic ait. Non enim meo iudicio quodcumque monopolium mercatorum, vt non nisi certo pretio emant, est iniquum, si reuera illud est iustum pretium. Atque idem est dum quis in publica licitatione rogat amicum, vel amicos, ne plus dent certa quadam quantitate, vt ipsa iusto pretio, infimo tamen, vel mediocri rem habeat iuxta illud forum; vel cum volens officium emere, rogat alios emptores, ne velint plus dare, quod in vectigalium, vel aliorum prouentuum emptione contingere solet. Isti enim caritatem non inducunt, sed vtuntur industria & diligentia, vt res sibi iusto pretio detur, timentes in emendo augmētum magnū in pretio. Hæc ille. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; nam esset verùm, quando vi, & metu impediret alios ne augeant pretium, nō autem in casu nostro, vbi solùm adest industria, & diligentia emptoris.

Rectores cuiusdam Ecclesiæ concesserunt aliqua bona in euidentem illius Ecclesiæ vtilitatem, saluo assensu Sedis Apostolicæ, & ante assensum tradiderunt possessionem. Instanter a me quæsierunt, an dicta alienatio sit nulla, & an inciderint in excommunicationem Paulinæ Ambitiosæ?

RESOL. LXXVII.

SVppono ex Aloysio Riccio, & alijs in alienatione bonorum Hospitalis requiri assensum Apostolicum. Sic ille in Praxi p. 1. Resol. 37. nu. 1. & seq. Hoc supposito, assero circa præsentem quæstionem duas esse opiniones. Prima asserit esse dictam alienationem nullam & inualidam, quia in alienatione rerum Ecclesiæ, duo copulatiuè requiruntur, nempè solemnitas, & causa, & vnum sine alio nō sufficit. Ita Menochius lib 9. concl. 872. & alij DD. quos citat, & sequitur Marius Antonin. Maceratensis lib. 1. var. resol. resol 5. nu. 6. & 7. & resol. 50. n. 43. cum Aloysio Riccio in Praxi part. 1. resolut. 7. 12. & 24. & alijs, & ita in foro conscientiæ docuit Suarez de legibus lib. 5. cap. 14. num. 6. Vasquez Opusc. de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 14. Bonacina de contract. vbi infrà & alij. Ratio est, quia sine forma substantiali nihil subsistere potest. At prædicta solemnitas, nempè assensus Apostolicus, à iure præscripta est, tamquam forma substantialis contractus. Ergo, &c.

Secunda opinio contrarium asserit, nempè supradictā alienationem, quia est in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, etiam sine assensu Apostolico celebratam non esse inualidam. Ita Quaranta in summa Bullar. ver. alienatio nu. 34. qui citat Decium, Rebuffum, Nauarrum, & alios. Idem docuit Capic. decis. 16. num. 4. Berretta consil. 92. Gabriel de rerum alienat. conclus. 1. lib. 3. Hieronymus Gabriel consil. 71. vol. 2. num. 11. & sequ. & Decisiones nouissimæ Rotæ Romanæ part 3. libr. 2. decis. 225. num. 3. & 4. libr. 3. decis. 261. n. 6. & 7. facit etiam pro hac sententia Genuens. in Praxi cap. 88. n. 4. vbi asserit, quod alienatio si sit facta, saluo assensu Pontificis, non licere a contractu ante impetratum assensum recedere cum alijs. Et in foro conscientiæ hoc etiam tenet Azorius part. 2. libr. 9. cap. 2. q. 8. dub. 2. Reginaldus in Praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 6. sect. 2. num. 69. & 70. Naldus in summ. ver. Actus, num. 15. & ver. contractus, nu. 10. Rodriquez in Quæst. Reg. tom. 1. q 27 art. 9. Syluester verb. Alienatio, num. 13. Angelus eodem ver. §. 15. cum alijs. Ratio est, quia cum talis contractus celebratus sit in gratiam Ecclesiæ & in illius vtilitatem quāuis legitima forma deficiat, & solemnitas, validus tamen erit; quia forma requiritur ad fraudes euitandas, & propterea quando fraus deficit, nō adeò solemnitas, est necessaria in conscientia, quod sine illa contractus non sit validus. Vide Guttierez in quæst. ciu. tom. 1. lib. 2. quæst. 23. n. 9. qui conatur has opiniones concordare.

Sed hæc dicta sufficiant, circa nullitatem, seu validitatem contractus, videamus modo, quid dicendum sit de excommunicatione Pontificis. Martinus Bonacina de contr. disp. 3. qu. 8. punct. 4. num. 11. asserit supradictos Rectores alienantes bona Ecclesiæ sine præuio consensu Pontificis, incurrisse in dictam excommunicationem. Ita etiam alij. Sed mihi placet opinio Reginaldi vbi supra, & Filliucij in quæst. mor. tom. 1. tract. 14. cap 7. quæst. 6. num. 119. & tract. 16. cap 9. num. 226. asserentis, dictos Rectores, quia fecerunt conditionem Ecclesiæ meliorem, non incidere in illam censuram, & citat Quarantam ver. Alienatio, num. 50.

Dices, Clementem VIII. apud Genuensem in Praxi, cap. 44. declarasse quemdam Rectorem incurrisse, in pœnam dictæ Extrauag. quia alienauit bona Ecclesiæ, saluo assensu Summi Pontificis. Respondeo, non constare illam alienationem fuisse factam in euidentem illius Ecclesiæ vtilitatem, vt constat in casu nostro, & sic declaratio Pontificis non facit aduersus opinionem Filliucij.

At his non obstantibus, consului supradictis Rectoribus, vt

pro

pro validitate alienationis assensum Summi Pontificis obtinerent, & ad tollendos omnes scrupulos, virtute Bullæ Cruciatæ, beneficium absolutionis à censura quærerent.

De emptione, vt vulgo dicitur, Zuccharorum in hoc Regno Siciliæ fieri solita.

RESOL. LXXVIII.

PVto probabiliter, dictam emptionem Saccharorum non esse iniustam, ex multis rationibus, sed præcipuè ex modo vendendi; nam quando venditor offert, & rogat emptorem, pretium rei decrescit, quia merces vltroneæ vilescunt. Ita communiter DD. Io. Medina Cod. de rebus rest. quæst. 31. num. 3. §. deinde demus. Azorius p. 3. lib. 8. cap. 21. quæst. 6. Bannez de iust. q. 77. art. 1. dub. 1. concl. 1. Io. de la Cruz in Direct. p. 1. præcept. 7. quæst. 3. dub. 1, concl. 1. Ledesma in summa, part. 2. trac. 8. cap. 52. concl. 6. Turrianus tom. 2. disp. 57. dub. 6. nu. 5. Nauarrus lib. 3. cap. 2. dub. 5. nu. 30. Vasquez de rest. cap. 5. §. 1. dub. 10. num. 61. Pitigianus in 4. sent. to. 2. dist. 15. q. 2. art. 3. & Doctores vbi infrà citandi.

Difficultas verò est cognoscere quanto dictæ merces vltroneæ vilescant; & emptor rogatus à venditore, quanto minus à pretio ordinario possit in emenda merce minuere. Multi Doctores asserunt merces vltroneas vilescere pro tertia parte. Ita Caietanus in 2. 2. q. 77. art. 1. Lessius libr. 2. cap. 21. dub. 4. nu. 33. Salas tract. de empt. dub. 25. n. 3. Faustus in spec. Confess. disp. 6. q. 10. n. 9. Filliucius to. 2. trac. 33 cap. 4. n. 70. Bonacina de contr. disp. 3. q. 2. punct. 4. num 23.

Imò aliqui asserunt dictas vltroneas merces vilescere pro medietate; ita docuit doctissimus Palatius in summam Caietani, verb. emptio, cap. 1. quem postea sequuti sunt Salas vbi suprà, Rebellius part. 2. lib. 9. quæst. 1. numer. 36. Barthol. à Sancto Fausto de contr. disp. 6. quæst. 10. num. 9. Megala in 2. 2. libro 2. cap. 6. quæst. 2. nu. 47. & seq. 4. num. 138. & fusè in cons. 93. nu. 3. cum alijs.

Ex his patet emptionem Saccharorum fieri solitâ anticipata solutione, non esse vsurariam; quia dictæ merces, minus iusto pretio emuntur, nō propter solutionem anticipatam; hoc enim facere esset vsura, sed emuntur minori pretio ex modo vendendi; nam cum venditor offerat, & roget emptorem, merces illæ efficiuntur vltroneæ, & eo ipso quod vltroneæ sunt, per consequens vilescunt. Vnde patet responsio ad argumentum cuiusdam Religiosi; dicebat etenim, pretium iustum rei non est, quod valet tempore conuentionis, sed tempore traditionis. Ergò illicita erit talis emptio Saccharorum, nam in tempore traditionis plus valebunt. Respondeo, maiorem argumenti esse veram regulariter, ac per se loquendo, non verò quando per accidens ratione circumstantiarum concurrentium, necesse est pretium decrescere, vel accrescere. Iustum igitur pretium alicuius mercis erit, quanti ipsa valet tempore traditionis, nisi ex causis extrinsecis, tempore contractus minoris æstimetur, vt accidit in casu nostro ex modo vendendi.

Ex hac doctrina sequitur, me olim rectè respondisse, posse aliquem emere rem vilius ab illo, qui vendit necessitate compulsus, non quia illud plus censeatur venditor liberè donare. Nam in hoc casu non posse præsumi donationem, rectè censuit Angel. Syluest. & alij, sed quia in hoc casu, ex modo vendendi, minuitur pretium rei, & merces efficiuntur vltroneæ. Ergò possunt minori emi. Ita Turrianus, Nauarra, Bonacina, vbi supr. cum Villalobos in summa, to. 1. tract. 21. lib. 6. nu. 20.

An si in fasce herbarum oleorum, vel lignorum, quæ ad cibum hominum, vel ad pabulum animalium, vel ignem venduntur, inueniatur herba aliqua magnæ virtutis ignotæ, possit emi pretio currenti?

RESOL. LXXIX.

REspondet negatiuè Turrianus in 2. 2. tom. 2. disput. 58. dub. 4. num. 6. & rationem adducit, quia emens debet manifestare venditori ignoranti valorem rei venditæ, vt si quis vili pretio lapidem pretiosum venderet, tenetur emptor manifestare valorem lapidis, quando illum agnoscit. Ergo, & in nostro casu idem dicendum erit; ignorantia enim vendentis, non aufert pretium, quod res habet secundum communem æstimationem eorum, quorum iudicio, in qualibet negotiatione assignandum est pretium.

Sed his non obstantibus aduersus Turrianum stant ferè omnes Doctores, & ita docet Molina tom. 2. tract. 2. disp. 353. Lessius lib. 2. cap. 81. dub. 11. n. 85. & alij. Et ratio est, quia tota illa res, ad eum vsum, quo vendi solet non pluris æstimatur; vnde ex his inferunt Doctores, quod, qui sciret in alterius fundo latere thesaurum, vel venam pretiosi metalli, vel fontem delitescentem, posse illum emere, non maiori pretio, quam secundùm externam superficiem valet, quia licet pretium sumatur ex communi æstimatione, communiter tamen ager ille, non æstimatur ratione thesauri, vel venarum. Ergò licitum est illi emere pretio currenti.

Et ita contra Armillam, Angelum, & alios tenet DD. citati, quibus adde Rebellium part. 2. lib. 9. quæst. 5. nu. 2. & alios penes Salas de empt. dub. 26. num. 5. qui etiam num. 8. ex multis rectè notat, quòd si in aliqua regione res aliqua parui æstimetur, idque ignorent incolæ, posse paruo emi, sicut fecerunt Hispani ementes aurum apud Indos: & si lapidario esset ignota virtus alicuius lapidis pretiosi, qui scit illius valorem, potest communi pretio illum emere.

An qui vendi vinum aqua dilutum, descendendo tamen in pretio tantum quantum cum eo vitio valet, quod emptori non manifestat; an peccet, & teneatur ad restitutionem?

RESOL. LXXX.

REspondet negatiuè Homobonus de Exam. Eccles. tom. 2. tract. 9. cap. 4. qu. 8. vbi sic asserit. Si emptor vinum illud statim erat consumpturus, & ob illud occultum vitium, quòd sit aqua dilutum, subticuit, & in pretio descēdit, tum à peccato saltem lethali, & à restituendi obligatione immunis erit; cum iure suo vsus fuerit, nec vlla iniustitia intercesserit. Secus si illud erat conseruaturus, vel alteri venditurus, ita vt sibi, vel secundo emptori damnum crearetur; tunc enim, & charitatem, & iustitiam læsisset, si emptorem de occulto vitio non admonuisset. Ita ille; & Sala tract. de empt. dub. 34. nu. 4.

Alteram verò limitationem supradictæ opinionis opponit Turrianus in 2. 2. to 2 disp. 58. dub. 6. n. 1. videlicet ne talis venditio sæpiùs efficiatur, quia ex tali modo vendendi poterit minui commune pretium iustum, nam licet vendendo dictum vinum aqua mixtum, non inferatur damnum emptori, fieri tamē poterit, vt pretium eius mensuræ vini, aqua non mixti minuatur. Cùm enim ementes non agnoscant mixtionem aquæ, existimant minui pretium, atque adeò ab alijs venditoribus nolunt emere maiori pretio. Vnde ex his apparet, quod sæpius ita vendens inferret iniustitiam, & damnum.

An contractus ille qui vulgo dicitur Beneficiata, *seu* Lotto *sit licitus?*

RESOL. LXXXI.

AFfirmatiuè respondeo, seclusis tamen fraudibus cum Filliucio tom. 2. tract. 37. cap. 3. num. 43. qui citat Molinam. Idem etiam docet Delrius in Disquis. mag. to. 2. lib. 4. c. 4. qu. 2. Alcocer de ludo cap. 49. Lopez de contr. lib. 2. c. 23. Garzias de contract. lib. 2. cap. 44. Bonacina etiam de contract. disput. 3. q. 2. punct. 2. num. 26. Scaccia tract. de comm. §. 1. quæst. 1. nu. 110. & alij.

Sed notandum est, quod res quæ ibi venduntur, non possunt vendi nisi iusto pretio quo res ipsæ valent, habita ratione operarum, quos ministri illius ludi, adhibent, vnde peccarent mortaliter, & teneretur ad restitutionem si excederent in pretio, habita ratione debiti laboris, & rei. Ita DD. citati, & Sà verb. vendit. nu. 15. vbi ita asserit. In venditione, quæ vulgo dicitur *Lotto*, cum scilicet multa vendūtur in numeris, qui syngraphas dant cum paruo pretio, non possunt res omnes pluris vendi, quàm valent ipsæ, & opera ministrorum quibus soluendum. Ita Sà. Et restitutio fieri debet pauperibus, si veri domini nesciuntur. Deinde supradicti ministri licitè accipiunt dictum stipendium si non excedat iustum rigorosum, si non sint plures quam necessarij sint, & si non plus temporis in eo negotio insumant,

fumant, quàm necesse sit. Cauendæ sunt etiam fraudes venditorum, & dictorum ministrorum, ne sortitionem facere mererentur, postquam sufficientes symbolæ sunt collatæ, item ne merces moueant, vel diminuant. Item, ne quando simul facienda sortitio; aliquas merces prius paoantur sortem subire, & similia.

An contractus qui vulgò dicitur Godere à godere *sit licitum?*

RESOL. LXXXII.

Hic contractus sæpissimè in praxi frequentatur, & de illo superius aliqua diximus. Aliqui, vt notat Homobonus de Bonis de exam. Eccles. p. 2. tract. 9. c. 15. q. 42. asserunt contractū hunc validum esse, si illicita pacta non contineat, eo quod in contractum innominatum resoluitur, do, vt des.

Sed vt docet Molfesius in summ. to. 2. tract. 12. c. 8. nu. 47. ad euitandam suspicionem vsurarum, efficitur talis contractus ad instar contractus emptionis, vt dominus prædij illud vendat infra certum tempus pro certo conuento pretio pacto adiecto, quod possit emptor soluere pretium infra tot annos cum pacto de retrouendendo, & adijciatur pactum, vt per quinquennium, v. g. expelli nequeat ab illo prædio. Itaque si fructus prædij sint æquales cum interesse quod percipitur ex illa pecunia, vt ad rationem nouem, & infra pro centenario contractus, nec etiam continet iniustitiam; si adsit inequalitas cōtractus, reducendus est ad æqualitatem. Ita ille. Vide Scacc. de commet. §. 1. quæst. 1. num. 470. & seq. Surdum in cons. 425. Carroc. de locat. & cond. part. 1. quæst. 4. & alios; vide etiam Couarr. libr. 3. var. resolut. cap. 9. n. 3. Coniadum de contr. q. 84. Medinam tract. de vsura q. 15. qui præbent alium modum pro iustificatione supradict. contractus, licet Azor. part. 3. lib. 9. cap. 20. contrarium videatur docere.

An pater, seu mater possit aliquid plus vni filio relinquere, quam alij?

RESOL. LXXXIII.

Affirmatiuè respondeo, dummodò reliqui filij non priuentur legitima portione. Ratio est, quia cum huiusmodi bona sint ipsius testatoris, potest vni plus relinquere quā alteri. Et ita docet Megala in p. 2. lib. 2. c. 23. q. 4. n. 113. Homob. in tract. de statibus p. 2. c. 20. Emanuel Sà verb. testamentum, nu. 27. Beia in suis respons. p. 1. cas. 57. Bonacina de contract. disp. 3. q. vlt. punct. 3. nu. 12. & alij penes ipsos.

Sed non grauabor hic apponere ingratiam confessariorum verba doctissimi Philiarchi de offic. Sacer. to. 1. 2. par. 2. libr. 4. c. 20. vbi sic asserit. Quamuis pater non possit in vita donare filijs, in morte tamen potest relinquere plus vni quam alteri; & licet ex æquitate debeat maiorem partem hæreditans relinquere filio meliori, quando non vult omnes in æquali parte succedere, non tamen peccat si maiorem relinquit minus digno, vt tenet, & probat Couarr. in regul. peccatum 2. parte relect. §. 7. addo saltem mortaliter, quia non peccat contra iustitiam distributiuam. Nam pater distribuens bona inter filios, nō tenetur legibus iustitiæ distributiuæ, quæ solùm ligat eos, qui publica potestate, publica, & communia bona, & officia distribuunt, & nulla est lex, quę illi formam tribuat distribuendi illa, quæ ad libitum relinquere potest. Nec contra iustitiam commutatiuam, quia illis non tenetur relinquere, nisi legitimas; & quæ vltra legitimas habet, potest tamquam suorum bonorum dominus, ad libitum relinquere: & non sunt propria dignioris, nec vt propria ei necessariò debentur, & in donatione ad liberalitatem pertinere non est acceptio personarum, nec violatur iustitia. Caueat pater, vt inæqualem distributionem non faciat ex odio, & si mouetur ex inordinato amore erga aliquem; non propterea mortaliter peccat, cum non faciat contra iustitiam, nec quilibet amor inordinatus sit peccatum mortale. Rectā autē ratio exigere videtur, quod relictis illis quę vult ad pias causas, & filijs partibus iure debitis, reliquum æquis portionibus filijs relinquat. Recta etiam ratio suadere potest, quod illud toti vni, vel aliquibus relinquat, & non alijs. Nam si vnus habet bona propria, vel nutritus fuit in studijs, & est Doctor, & potest lucrari, & alij magis egent, & non sunt ita ad lucrandum idonei, potest istis ad maiorem hæreditatis partem facere similiter, & illis qui non sunt ad dissipandum dediti, dummodo, vt diximus, alij nō defraudentur parte eis iure debita. Id autem quod aliqui dicunt testatores, qui non habent liberos, aut parentes, qui sint necessarij hæredes, teneri relinquere bona cognatis, nisi sint mali, & indigni, limitandum est cum Nauarra, vt intelligatur de cognatis extremæ egentibus, quibus nullus alius proximior cognatus est, qui eos alere possit, & velit, quia nulla est lex naturalis diuina, vel humana, ad plus de præcepto obligans. Quod si non sint in hac extrema necessitate, de rigore nihil eis tenentur relinquere: imò pater totum id quod superest, vltra partes legitimas filijs de iure debitas potest de rigore relinquere extraneo, & dicere filijs, vt quisque tollat quod suum est, & vadat. Nec ob id est illis deneganda absolutio. Quod si ex odio faciunt, & norunt mutare testamentum, distinguat prudens confessor peccatum à non peccato, & nisi odium deposuerint non absoluat. Si autem dicunt se odium deposuisse, & de habito pœnitere, sed nolle mutare testamentum, sunt absoluendi, & non potest ad hoc illos cogere, etiamsi in eo veniali ter peccatent: nam veniale non impedit effectum Sacramenti, nec tollit gratiam. Quòd ideò diximus, quia inueniuntur confessarij, qui cum infirmis, & in extremis laborantibus consanguineorum potius, quam animæ causæ tractant, & illos absoluere nolunt, nisi testamentum mutauerint, & iuxta consanguineorum voluntatem fecerint, vnde etiam illos sæpè ad desperationem inducunt, &c. Hæc omnia Philiarchus.

An pater, seu mater peccet mortaliter, grauando legitimam filiorum gratuitis donationibus, vel minuendo onerosis, sed fictis contractibus?

RESOL. LXXXIV.

Affirmatiuè respondeo, possunt tamen remuneratorijs, vt dicunt, donationibus, aut veris contractibus onerosis illam minuere, quæ quidem remuneratio in indiuisibili non cōsistit, sed potius vera gratitudo; donum remunerationis excedit. Et ita docet Ortiz in summ. cap. 17. num. 9. Homobonus de Bonis in tract. de statibus part. 2. cap. 20. Fernandez in Exam. in Theolog. moral. par. 4. cap. 15. §. 4. num 1. Rodriquez in summ. tom. 1. cap. 13. num. 2. Sed audiamus nostrum Megalam in p. 2. lib. 2. c. 23. q 4 nu. 111. vbi sic asserit. Pone patrem superstitem omnia bona sua alienare velle ad hoc, vt à filijs legitimum auferat, quæritur an sine peccato iniustitiæ facere hoc possit. Et respondetur affirmatiuè. Et ratio est; nam filius non habet ius in hæreditatem patris patre viuente, & ideò potest omnia bona sua pater vendere, & pretium in mare proijcere, non obstante filiorum præiudicio. Dixi sine peccato iniustitię; nam peccatū contra charitatem, & amorem filijs debitum euitare nō posset pater, qui vt legitimam filijs auferret, bona alienaret, rationabili causa cessante. Ita Megala.

An in testamento possit quis instituere extraneum in hæredem, & relinquere fratrem consobrinum.

RESOL. LXXXV.

Non desunt Doctores, vt obseruat Homobon. vbi infrà, qui asserat charitatis ac iustitiæ leges ab eo violata, qui omissis consanguineis, extraneos hæredes instituit, proinde hæredes sic institutos bona sibi relicta, sanguine coniunctis ipsius testatoris restituere debere, vt per Riccium in Decis. Archiep. decis. 213.

Sed contrariam sententiam omninò amplectendam esse iudico, quam docet Homobonus de bonis in exam. Eccles. p. 2. tr. 9. c. 20. q. 27. Beia in suis respons. p. 2 cas. 57. Bonac. de contract. disp. 3. q. vl. punct. 3. n. 13. Emanuel Sà verb. hæreditas, num. 1. Syluester eodem verb. nu. 2. cum alijs.

Dico igitur, quod testator potest quemlibet extraneum instituere, nulla facta mentione cōsanguineorum collateralium, dummodo non adsit scandalum, & obligatio, qua tenetur proximi necessitatem subleuare. Ratio est, quia nullum ius, siue diuinum, siue naturale, siue humanum, ad id illum obligat, secluso scandalo, & extrema, vel graui necessitate supradictorum; potest igitur in tali casu subleuare eorum necessitatem, & reliqua extraneo relinquere.

Non

Non grauabor etiam hic apponere verba Io. Valeri in different. vtriusque fori, ver. hæreditas, differ. 9. nu. 3. vbi sic asserit. Quid dicẽdum si non relinquar bona extraneo diuiti, sed alicui Monasterio, vel Hospitali? Existimo in tali casu Monasterium secura conscientia retinere posse supradicta bona. Ratio est, quia nullo iure cauetur, quod teneatur ea relinquere cõsanguineis, si alias extremè non indigeant, & sic nulla in hoc iustitia violatur, & eligẽdo alios pauperes Christi meliores, cessat equitatis ratio, & offensa Dei. Nõ enim culpę imputari potest, quod quis omittat carnem, & sanguinem, & de ijsdem nõ curet, licet in paupertate positis, & eligat illis omissis alios pauperes, vel me liores, vel in maiori necessitate constitutos. In pari quippe necessitate bonitas præeminet consanguinitati, atque præualet præferendaque est. Cùm verò Hospitali relinquuntur, in maiori necessitate tales pauperes positi sunt (cum sint infirmi, & manibus suis se iuuare non possint) quam cõsanguinei, si sani sint, & ideò non minum, si eligi illi possint, & præferendi veniant merito illis secundis. Ita Valerus vbi suprà. Vide etiam circa præsentem quæstionem Layman in theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 5. nu. 17. Molinam to. 1. tract. 2. disp. 159. & Bonacinam de contr. disp. 3. q. vlt. punct. 3. num. 13.

An domini teneantur præstare salarium famulis infirmis.

RESOL. LXXXVI.

Affirmatiuè respondent, Speculator in tit. de locat. §. postquam tam plene, n. 20. Marius Antoninus Var. Resol. lib. 3. resol. 92. nu. 7. Homobonus de stat. p. 2. c. 23. Graffius decis. p. 1. lib. 3. c. 8. nu. 7. Nauarra de restit. lib. 2. c. 2. nu. 213. Genuensis in praxi, c. 47. nu. 2. & alij penes Monetam tract. de distrib. p. 2. q. 6. nu. 4. & alij apud Couarruuiam lib. 3. var. resol. c. 13. num. 8. qui merito contrariam sententiam docet, & post illum tenet Molina de iust. to. 2. tract. 2. disp. 493. n. 3. Megala in 2. 2. lib. 2. c. 8. q. 1. nu. 16. Flores de Mena lib. 1. var. q. 8. §. 2. nu. 17. Layman in theol. moral. lib. 5. tract. 5. c. 3. nu. 7. Barbosa in suis collect. to. 2. lib. 3. tit. 6. c. 1. nu. 5. vbi ex Guttierez, & alijs aduersus Azorium p. 3. lib. 8. c. 14. q. 3. docet, famulum teneri soluere expensas domino, quas in sua curatione fecit, quod etiam tenet Reginaldus to. 2. lib. 25. c. 40. nu. 517.

Dico igitur, quod dominus non tenetur soluere salarium famulo infirmo pro tempore infirmitatis, modo famulus nõ existat in extrema, vel graui necessitate; tum enim certum est teneri, obligatione tamen charitatis, & modo nõ adsit cõsuetudo gentis, & prouinciæ in contrarium. Imò si quos sumptus in eo curando fecerit, potest illos ab eo exigere, quia ijdem sumptus non ad dominum, sed ad famulum locantem se pertinent. Et ratio horum omnium est, quia verè stat per famulum, quominus operas suas non præstet; & licet in hoc culpam non habeat, tamen vere deficit in ijs præstandis. Et ideo hanc sententiã docet etiam nouissimè, præter DD. citatos Fillucius to. 2. trac. 28. p. 2. c. 4. nu. 84. & Rebellius p. 2. lib. 14. qu. 15. nu. 1. & 2. qui citat Syluestrum, Angelum, & Tabienam. Vide etiam Io. Valerum in diff. vtriusque fori ver. Alimenta.

An debitor morosus sit monendus à creditore, antequam accipiat pecuniam cum interesse, propter eius moram.

RESOL. LXXXVII.

Hic casus frequentissimus est in praxi, v. gr. Petrus debitor non soluit tempore præfixo, & ob id Paulus creditor adstrictus est cum interesse accipere tantum, quantum erat debitum; quæritur an teneatur monere Petrum se velle muuum ab alio accipere sub vsuris. Affirmatiuè respondet Azorius p. 3. lib. 5. cap. 4. q. 3. Et ratio est, quia fortasse Petrus debitor si fuit monitus, vel soluisset debitum, vel alio modo prouidisset, ne Paulus creditor damnum pateretur.

Sed contrariam sententiam, & merito, docent Petrus à Nauarra de restit. lib. 13. cap. 2. num. 281. Malderus in 2. 2. tract. 5. dub. 12. §. dico 3. q. 2. & Scaccia tract. de commer. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 8. nu. 163. & 166. Dico igitur, dictam monitionem, seu protestationem laudabiliter creditores efficere, sed non esse necessariam; quia mora debitoris iam causauit obligationem, & damnum illud creditoris, quod sequitur, non procedit à monitione, seu protestatione quam faceret creditor, sed procedit à mora ipsius debitoris, & damno inde sequuto, & creditoris damni æstimatio non magis debetur, quia fuerit protestatus, quam si non fuerit protestatus. Cęteras rationes vide apud Scacciam loco citato.

An ciues Panormitani possint vendere vinum ex eorum prædijs collectum vltra pretium à lege impositum, vt vulgo dicitur, A cannatella.

RESOL. LXXXVIII.

Respondeo affirmatiuè, ex priuilegio merito illis concessum, vt spe talis lucri allecti efficacius inuigilent ad vinearum cultiuationem, quæ in territorio dictæ Ciuitatis existunt.

Sed notandum est, non posse nisi vinum, quod ex suis proprijs vineis collegerunt, tali pacto vendere, non autem si vinum ex alijs vineis emant, & contrarium facientes peccãt & tenentur ad restitutionem; quia priuilegium hoc illis non concedit, sed tantùm loquitur de vino à propria vinea collecto, quod est valde notandum. Non enim defuerunt, qui contrariam sententiam in praxim deducere volebant, sed ego semper contrariam sensi, nec aliter dicendum est.

De quodam locationis contractu in praxi frequentissimo.

RESOL. LXXXIX.

Aromatarius quidam locauit omnia vasa & medicamenta suæ tabernæ ad decem annos, illaque conductori tradidit certo pretio æstimata, cum expresso pacto, vt teneatur conductor singulis annis soluere decem pro centenario pretij æstimati, & in fine conductionis restituere vasa, & medicamenta eodem pretio æstimanda, quæritur an talis cõtractus sit licitus?

Hi casus ponitur ijsdem verbis à nostro P. Megala in consil. 85. & illicitum esse, & vsurarium ostendit. Nã conductor contra iustitiam, & naturam contractus, etiam ad casus fortuitos obligatur, grauaturque ad subeunda omnia pericula rei locatę, quòd in contractibus iustitiæ non est admittendum, nisi ad rationem huius periculi pensio minuatur, cum in eis æqualitas inter contrahentes seruanda sit.

His tamen non obstantibus, talem contractum licitum esse ostendit Caualcanus p. 2. decis. 13. nu. 66. & ita fuisse decisum Papiæ, & Mediolani anno 1582. de locatione facta per quemdam speciarium de tota sua Apotheca cũ vasis, domo, & medicinis, & alijs rebus, quæ in dicta Speciaria asseruabantur, alteri Speciario, cum æstimatione rerum, & pacto, quod finita locatione deberet præfatam Apothecam cum dictis rebus æstimatis & inuentariatis restituere. Et ratio est, quia in dicta locatione, (vnde patet responsio ad argumentum Megalæ) licet periculum rerum Apothecæ sit conductori ex vi æstimationis, & numerationis ipsarum factarum, & sic in hoc transcendat dictus contractus terminos locationis, cui proprium est pertinere periculum rei locatæ ad ipsum locatorem: nihilominus manet locatio, quia sic actum est inter contrahentes, quemadmodum dominus habet dominiũ super deposito facto de pecunia non consignata in sacculo, sed numerata. Quia licet dominium talis pecuniæ transferit in depositarium vigore dictæ numerationis, vt patet in lege Lucius, & in l. dies sponsaliorum §. qui pecuniam, ff. depōsit. & leg. quod si ab initio, ff. de reb. credit. nihilominus manet depositum. Vnde, cum in dicto contractu maneat locatio, de cuius natura est, vt soluatur aliquid pro locatione, meritò ibi cessat omnis vsura, quæ solummodo cõmittitur in contractu mutui realis, vel virtualis. Et ideò hanc sententiam, præter Caualcanum citatum, tenet Io. Valerus in differ. vtriusque fori, verb. vsuræ, diff. 3. nu. 9.

TRA-

TRACTATVS IX.

DE IEIVNIO.

De quantitate, & qualitate Collationis serotina?

RESOL. I.

SVppono tamquam certum ex communi DD. sententia, vnicam comestionem esse de essentia ieiunij: sed collationem serouinam in tali tempore, licitam esse ratione consuetudinis, etiam si sumatur alendi causa. Videndum modo est, in qua quantitate, & qualitate dicta collatio facienda sit.

Et quoad primum respódeo; quod prima sententia docet, quantitatem trium vnciarum licitam esse. Ita Iacob. de Graffeis in decis. p. 1. lib. 1. c. 37. n. 29. Secunda sententia extendit hanc qnantitatem ad vncias quatuor. Ita Homobonus in Exam. Eccl. p. 1. tract. 6. c. 20. q. 90. Victorellus in Notis ad man. Nau. cap. 21. num. 3. & alij. Tertia sententia sex vncias concedit. Ita Villalobos in sum. tom. 1. tract. 23. dub. 7. num. 4. & alij. Quarta sententia vncias octo permittit. Ita Fagundez de præcep. Eccl. tr. 4. lib 1. c. 4. nu. 13. & 19. qui etiam asserit sic respondisse Suarez, cum de tali quantitate interrogaretur. Quinta demũ sententia putat, quartam partem eorum, quæ ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam cœnam, non esse quantitatem notabilem. Ita Reginald. in praxi, to. 1. lib. 4. tract. 8. c. 1. nu. 9. & Filliucius to. 2. tract. 27. p. 2. cap. 3. q. 7. nu. 33. vbi ita in celebri Academia Theologorum definitum esse testatur.

Quid ego sentiam, dicam breuiter. Primam, & Secundam opinionem puto nimis rigidam. Tertia, & maximè Quartam, tanquam benigniorem, & probabilem libenter amplector. Quintam verò sententiam, nimis laxam existimo. Nec valet dicere, quòd quarta pars in alijs rebus, pro modica haberi solet. Nam respondetur primò, hoc non esse absolutè verum; nam si quis laboraret in die festo per spatium sex horarum, peccaret mortaliter, neq; excusaretur ratione paruitatis materiæ, quam in tali casu puto esse duas horas, & tamen spatium sex horarum est quarta pars diei festi. Ergo, &c.

Secundò respondetur, collationem serotinam non tam esse licitam; quia sumitur ex tenui materia, & parua quantitate; nam alioquin licitè sumeretur à principio, quod est falsum; sed licita est, quia consuetudo illam introduxit; At numquam per consuetudinem introductum fuit, vt aliquis in dicta collatione sumeret quartam partem cœnæ, ergo talem quantitatem sumere illicitum erit. Vnde semper mihi summopere placuit sententia Lessij lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11. Bonacinæ de legibus, disp. vltima, q. 1. punct. 3. num. 2. & aliorum, asserentium circa quantitatem collationis serotinæ, standum esse locorum consuetudini, nam vt sæpè supradictum est, dicta collatio fuit per consuetudinem introducta, ergo sumenda erit iuxta limites receptæ consuetudinis.

Verùm est, quòd talis consuetudo non est intelligenda de illa, quæ viget apud viros parum timoratos, sed de illa quæ viget apud viros bonos, & conscientiæ timoratæ, vt rectè notauit Fernandez de Exam. Theol. par. 2. cap. 8 §. 2. nu. 9. Toletus lib. 6. cap. 2. num. 4 & alij. Hinc doctissimus Petrus Cenedo in qq. canon. quæst. 41. num. 4. sic asseruit. Aduertendum est etiam circa quantitatem collationis serotinæ seruandam esse tantum consuetudinem bonorum ac timoratæ conscientiæ virorum, non vero aliorum: etiam si dicatur contrarium esse receptum à maiori parte populi. Ita ille.

Sed cum quantitatem vnciarum octo in dicta collatione, licitam esse supra ex sententia Fagundez, & Suarez statutum sit, in hoc puncto non multos habebimus aduersarios, quia talem quantitatem ab omnibus cum acclamatione, & brachijs expensis admittendam esse video. Difficultas ergo erit circa qualitatem ciborum dictæ collationis; nam multi nimis licentiose in illa sumunt pisces, oua, & cætera lacticinia, quibus possunt ex priuilegio vesci: Ideò quod ad secundum punctum, de qualitate ciborum, assero in dicta collatione sub onere peccati mortalis, quantitatem licitam nõ posse extendi ad pisces, oua, & alia lacticinia, seu cibos substantiales in cœna manducari solitos. Et ratio est manifesta, quia vt dictum est, collatio est licita propter consuetudinem, sed consuetudo, quæ introduxit dictam collationem, non solum præscripsit, & præscribit quantitatem, sed etiam qualitatem ciborum: numquam verò per consuetudinem in collatione introducti sunt cibi, qui communiter ordinantur ad sustentationem, & inter fercula apponuntur, vt pisces, oua, legumina, &c. Ergo talia manducare illicitum, & peccatum erit.

Verum, quia multi nolunt hanc veritatem intelligere, ponam per extensum verba Doctorum, Villalobos in summa, to. 1. tra. 23. dub. 7. nu. 3 [No se puede hazer collacion con pescado, ò hueuos, ni tan poco con legumbres, porque la materia de collacion es pan, conseruas, frutas, y yeruas,] &c.

Azorius p. 1. lib. 7. c. 8. q. 9. In refectiuncula vespertina solùm edi possunt, quæ ante, vel post prandium sumi solent, quales sunt fructus arborum, herbæ, & alij quidam fructus leuiores sumi soliti, ea tãtum ratione, ne potius stomacho officiãt, vt proinde sit corruptela, si ij cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.

Reginaldus in praxi, to. 1. lib. 4. disp. 14. lib 10. n. 185. In collatione serotina solum edi possunt, quæ ante vel post prandium, aut cœnam aliàs sumi solent, qualia sunt electuaria, fructus arborum, puta ficus, vuæ, nuces, pyra, poma, herbæ, &c. Si enim secus fiat, id est sumantur alij cibi, qui valent potissimum ad nutriendum, vt sunt pisces, & legumina, non erit refectiuncula, sed ieiunium soluetur.

Filliucius t. 2. tract. 27. p. 2. c. 2. dub. 6. n. 30. Cibi, qui communiter ordinantur ad sustentandã naturam, & inter fercula apponuntur, videntur prohibiti esse; tales sunt pisces, oua item iuscula ex leguminibus, amygdalato, & huiusmodi; hæc enim omnia prohibentur, quia non solent numerari inter cibos ad ientacula, sed inter cibos ad alendam & sustentandam naturã. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 9. Qualitatem cibi in collatione sumendi aiunt DD. communiter esse fructus, aut herbas, adiuncto etiam pane, vel pisciculo paruo, secundum Azorium. Sed ego puto eum loqui de pisciculo paruo, qui fumo siccatus, vel aceto maceratus sit, qualis etiam inter leuiores numerari solet, vti colligitur ex c. Presbyter, dist. 82. & c. 2. de homicidio, nam postea ipse Azor. corruptelam esse ait, si ij cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.

Stephanus Fagundez de præcep. Eccl. tract. 4. lib. 1. cap. 4. nu. 18. Consuetudine vbique receptum est, vt in refectiuncula soli fructus cum modico panis capiantur: & hinc consuetudinem excedere non est licitum: & si aliqui nonnihil piscis adhibere soleant, id quidem per corruptelam faciunt, non per consuetudinem legitimam. Communis enim consuetudo est, vt fructus modici, vt modicum panis in collatione adhibeatur, non pisciculi parui, nec tãtillum magni piscis; non enim quantitatis materiæ, sed materia prohibetur.

Ioseph Angles de ieiunio quæst. 9. art. 2. dub. 4. In collatione serotina, ne illa sumantur, quæ per se ad nutriendum ordinantur, quales cibi sunt pisces, oua, &c. nam in his quamquam similis quantitas non violaret ieiunium, ratione tamen qualitatis violaret.

Viualdus in candel. aur. p. vlt. c. 11. n. 25. In refectiuncula cõcedi potest frustulum panis cum pyro, pomove, vua, vel cum paucis ficubus, nucibus, vel his similibus.

Berarducius in summ. cor. p. 1. c. 1. n. 79. In collatione serotina

na concedi possunt aliqua electuaria, confectiones, vel panis dulciarius, fructus, herbæ, &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinata non sunt.

Petrus Ledesma in sum.to.2.trac.17.c.2.diff.5.concl.4. [No se puede hazer collacion cõ la cantidad de vn quarteron de pan, y tres, ò quattro azeytunas ò vn poco de confetua, ò otra cosa semejante.] Et paulo post fol.69.[No se pueden comer en collacion hueuos, ni otras cosas semejantes, que siruen de cena.]

Iacobus de Graffeis in decis.p.1.lib.2.c.47. n.29. Collatio de sero fieri potest, vel parum fructuum, vel ficuum, vel panis solius, vtriusque mixta morem regionis.

Vegha in summ.part.1.cap.15.cas.5.[Es licito hazer la collacion, no solo con fruta, ò pan, ò yeruas disiunctiuè, sinò, à vn tambien coniunctim, & simul.]

Antonius de Litteratis in summ. par.2.cap.19.nu.4 Ieiunans in sero diei non debet sumere aliquid comestibile, quod in prandio consuetum est sumere, sed aliquid per modum medicinæ, ne potus illi noceat.

Molfesius in sum.to.1.tract.10.c.3.n. 24. Nihil interest, si in pane, vel fructibus fiat huiusmodi collatio, quamuis decentiùs fiat in fructibus.

Syluius in 2.2.q.147. art.6.quæritur 2. Consuetudini standum est, quantum ad qualitatem eius, quod pro collatione sumitur modicum panis accipere, vel seorsim, vel vnà cum fructibus, herbis alijsque cibis leuioribus, cuiusmodi sunt ficus, vuæ, nuces, poma, vel alia ex saccharo condita; imò & aliquid casei, vel butyri, vbi ita consuetudo obtinuit non est illicitum.

Vide etiam Beia part.1.cas.3. Syluest, ver. ieiunium, quæst.3. nu.10. Rodriq. in sum.tom.1.c.23.nu.8. Medin. in instr. confess. lib.1.c.13.§ 10. Llamas in sum.p.3.c.5.§.24. Ortiz in summ.cap. 19.num.10.

Ex his omnibus apparet, sine ratione, & fundamento, contra communem DD. sententiam, loquutum fuisse Bonac. de legib. disp.vlt. punct.3. q.1.num.3. vbi asserit, in serotina collatione non tam cibi qualitatem, quàm quantitatem attẽdendam esse; nam vt supra ex mẽte omnium Theologorum probatum est, qualitas cibi in refectiuncula frangeret ieiunium: & ita etiam sentiunt plures Patres nostræ Religionis, & ex Societ. Iesu a me de hac re consulti; vnde minime dubitandum est, contrarium facientes peccare mortaliter, & frangere ieiunium. Scripsi hæc ad comprimendam audaciam aliquorum, qui ex authoritate Bonacinę contrariam sententiam in praxi consulere audebant, quæ quidem sententia non est probabilis, sed falsa, quia est destituta rationibus, & est contra communem, vt visum est, Ergo, &c.

Nota tamen hic obiter, quòd si inaduertenter quis sumat cibum pluries, non ob id frangit ieiunium, neque ob id a collatiuncula noctu sumi solita abstinere tenebitur, nisi nimis proxime ad horam refectionis nocturnæ esset cibus assumptus. Ita docet Sancius in selectis disp.52. n.3. qui etiam num.3. notat licere nobilioribus, ob adeptam consuetudinem, aliquantulum largiorem quam plebeis refectiunculam vespertinam accipere; solent enim esse debilioris valetudinis, & assueti delicationibus, & pluribus epulis. Vide etiam Tanner, in 2.2.D.Tho.disp.3.q. 3.dub.5.num.91.

An peregrini, quorum præsentia solum est in transitu per duos vel tres dies teneantur ad ieiunia illius loci?

RESOL. II.

SEntentiam affirmatiuam docuit Suarez de Relig.to.1.lib.2. c.14.n.8. & de legib.lib.3.ca.33.n.3. Malderus in p. 2. quæst. 96.art.5.circa finem, fol.mihi 409. Molfesius in sum.to.1. tract. 30.cap.4.nu.17. Salas de legib.disp.14.sect.4. num.415. Ortiz in sum c.19.mandam. 2. n.12. in fin. Io. de la Cruz in direct.cõf.p. 1.præcep.3.art.4.disput.9.concl.1. Mexia in pragm.taxæ panis, concl.5.nu.80. Nauarrus in man.cap.13.n.5. & c. 23. num.120. Couarruuias lib.4.var.cap.20.n.8. Lopez in instr p.2. cap. 52. & alij, qui omnes asserunt, peregrinos teneri ad ieiunia, festa, & mores locorum per quos transeunt. Ratio est, quia in cap. illa, dist. 12. & ex Augustino ita habetur: Ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serua; vbi glossa notat illud prouerbium, *si fueris Romæ, Romano viuito more*. Item in c. consi. de obser. ieiuniorum, & gloss. ibi; dicunt teneri peregrinos conformari consuetudini locorum in quibus sunt, & posse Episcopos illos compellere ad huiusmodi ieiunia, & consuetudines obseruandas. Vnde ex hac doctrina putat Lessius lib.4.cap.2.dub.7. num.51. peregrinum teneri ad ieiunium, & ad Missam audiendam, si integro die in aliquo loco permaneret. Hæc opinio est satis probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam existimo, & in praxi tutam vt notauit Villalob. in summa.to.1.tract.2.diffic.33.n.8. & illam docet Fagundez præc.4. lib.1. c.7.num. 10. qui multos alios citat. Idem docet Azorius p.1.lib.7.c.19.q.4. Reginald.to. 1.lib.4.cap.12.num.136. Vegha in summ.to.1.c.14.cas.11. cum alijs. Ratio est, quia in c. illa, dist. 12. respondet Ambrosius Augustino, consuetudinem esse seruandam, ad quamcumque Ecclesiam quis accesserit, ne alijs offensio præbeatur, ergò excluso scandalo non tenetur peregrinus seruare ieiunium, vel dies festos alicuius loci, per quem transit. Cæteras rationes vide apud citatos authores.

Imò ego puto, dictos peregrinos secluso scandalo, non teneri ad ieiunia; & dies festos, nisi habeant animum ibi manendi per maiorem anni partem, & ita loquens de ieiunio docuit Bonac. de legib. disp.1.q.1.punct.6.n.49 & disp.vlt.quæst.1.punct. 6.n.6. ex doctrina, quam docet Sanchez de matrim.tom.1. libr. 3.disp.18.num.9. & in summa, tom.1.lib.1.cap.12.nu.38. & alij. Et hanc opinionem probabilem vocat Lessius lib 4. c.3. dub.7. n.49. licèt ipse contrariam doceat, quam nouissimè tenet etiam Sancius in selectis disp.44.n.32. Filliuc.to.2. tract. 27. c 7. num. 16. & eodem tract.p.2.cap.6.n.106. & alijs, quòd probant ex vi consuetudinis, quæ obligat peregrinos ad ieiunia, & festa loci, ad quem diuertunt, permanendo per aliquod breue tempus: vnde omnes fideles ita obseruant, ex apprensione, quòd ad id teneantur. Secundò, quia Episcopi puniunt eiusmodi peregrinos, ieiunia, & dies festos & alias consuetudines loci non obseruantes. Ergo, &c.

Sed ad primum respondeo, negando consuetudinem illam obligari sub mortali, & aliqui hoc facientes faciunt ex consilio; & si obligatos se existimant, vel id faciunt ex ignorantia, sicque ad audiendam Missam credunt in solo transitu, aut breui mora: vel si sunt viri docti, id faciunt, quia tenent contrariam sententiam: & ideò nostram tenentes neque Missam audient, neque ieiunia obseruabunt.

Ad secundum respondeo, Episcopos punire dictos peregrinos in nostro casu, ratione scandali quod præbent, ieiunia & dies festos nõ obseruando: vel dicendum est Episcopos hoc efficere, quia amplectũtur contrariã sententiã valde probabilem.

Restat modo respondere ad argumẽta primæ sententię Suarez, & aliorum. Ad primum dico, quòd Augustinus in illo canone loquitur de peregrinis habitantibus in aliquo loco pro maiori anni parte, vel loquitur de consilio, vel ratione scandali. Ita Villalobos in summ.to.1.tract.2.diff.23.nu.8.

Ad secundum respondeo eodem modo, nempe, quod Concilium loquitur de his, qui causa habitandi in aliquem locum se transferunt: aut loquitur de vagabundis, de quibus est diuersa ratio. Ita Fagundez vbi suprà nu.12.

Notandum verò est, quòd Clauis Regia libr.3 cap.4.num.8. Sancius in selectis disp 44.n.34. & Lessius lib.4.cap.2.dub.7.nu. 49. admittunt nostram sententiam tamquam probabilem, non solùm in ordine ad viatores, & aduenas, sed etiam quoad vagos. At hæc opinio aliquibus non placet; nam cum vagi nullibi habeant domicilium, sunt totius orbis accolæ, & ideò tenentur ad ieiunia, & festa, aliasque leges, & consuetudines locorum, in quibus reperiuntur; alioquin immunes essent ab omnibus legibus, & statutis, quod dicere absurdum est. Ita docet Azorius p. 2.lib.5.cap.11.q.13. Suarez de relig.to.1.lib.2.cap.14 n.20. Lorca in p.2 to.2.tract.de leg.disp.25.membr.4.in fine, Sanchez de matrim.tom 1 lib.3.disp.18.num.14.fol. mihi 4. disp.15. quæst. 4.art.2. & alij.

Notandum est etiam, quod licet supra docuerimus, aduenas accedentes ad aliquem locum, absque intentione ibi commorandi maiori anni parte, non obligari legibus illius loci; tamen excipiuntur aliqui casus, in quibus aduenæ tenentur seruare leges locorum; qui quidem casus cum nõ pertineant ad nostram materiam, videbis illos apud citatos Doctores.

Et tandem nota, quòd Sancius in selectis disp.54.n.35. aduersus Sanchez in sum.to.1.lib.1.c.1.c.12.nu.42. docet quòd accedens ad aliquod oppidum, animo ibi habitandi, si postea decernat se breui discessurum, lege ieiunij illius loci non tenetur.

An

An qui discedit mane ex loco vbi est ieiunium, perventurus ad locum vbi non ieiunatur, possit sumere ientaculum, & comedere in loco illo, vbi ieiunium seruatur?

RESOL. III.

NEgatiuam sententiam docet Coninch. in 3.p.de sacr. qu. 74.art.4.disp.3.num.103.Pontius de matr.lib.5. c.8. nu.3. Ratio est, quia non refert, vt vesperi sit ponenda causa excusans à ieiunio: nam hæc nondum est posita, alias posset manè comedere carne: quia eadem causa, quæ eum a ieiunio excusat, excusabit etiam ex causa ab abstinentia carnium, has enim vesperi licitè comederet.

At his non obstantibus, contrariam sententiam docuit Lessius lib.4.cap.2.dub.8. nu.88. vbi sic asserit. Qui discedit mane ex oppido domicilij vbi est ieiunium, perventurus ad locum vbi non est ieiunium, nō potest quidem in loco domicilij vesci carnibus, potest tamen sumere ientaculum; quia non tenetur illo die abstinere à secunda refectione, cum in loco in quem perventurus est possit secundo, & tertio comedere; ergo potest primam refectionem sumere mane antequam discedat. Ita ille. Idem etiam docet Sanchez de matr.tom.1.lib.3.disp.18.nu.22. Portel in addit. ad dubia reg.ver. ieiun. n. 2.Naldus in summa, verb.ieiun.nu.2.Filliucius tom.1.tract.27.part.2. cap.6.nu.109. Molfesius in summ.tom.1.tract.10 cap.4.nu.22.Imo cum Sancio in Select.disp.54. num.28. & alijs, puto hoc etiam esse verum, quamuis nocte sit perventurus ad ipsummet oppidum à quo mane exiuit, & vbi ieiunium seruabatur; nam cum ipse ferè per totam diem fuerit in loco vbi non ieiunabatur, potuit licitè pluries comedere, cum quo ieiuniū nequit seruari; erit tamen astrictus, sero in oppidum reuersus, a carnibus abstinere.

Ad argumentum vero Coninch, respondetur ex Sanchez obligationē abstinendi à carnibus, esse diuiduā, vnde toties illis vtēs in die vetito delinquit mortaliter. Quare potest pro parte diei eiusdē, dum in loco obligationis est, id præceptū seruare, & pro parte eiusdem diei non seruare, dum est in alio loco in quo non obligat. Sed obligatio ieiunandi indiuidua est, consistens in vnica comestione, quam semel violans ieiunium comedendo, non tenetur amplius ea die à cibis abstinere. Cum ergò ieiunium nocte obligaturum non sit, nū obligabit summo mane. Ita Sanchez, quem citat, & sequitur Villalob. in summ. tom. 1.tract.2.diff.34 num.3.vbi sic ait. (El que sale de su lugar donde se ayuna y llega la hora de la cena a otro adōde se come carne, la puede cenare alli, y aun podria antes de salir de su lugar, si tiene por cierto que ha de yr al lugar, donde no se ayuna, almorzar en su casa por la mañana, con que no cama carne entonces.) Ita ille.

An qui fecit votum de ieiunando tali die in pane, & aqua, toties peccabit mortaliter, quoties biberit vinum?

RESOL. IV.

REspondeo talem, si biberit vinum, peccare mortaliter, at eo bibito in ea quantitate notabili, vt frangat ieiunium, non est amplius peccatum id bibere. Attamen si promisit se illa die nihil manducaturum nisi panem, & aquam: tunc quoties biberet vinum, peccaret mortaliter, quia toties frangit votum negatiuum. Ita Sanchez in summa, tom.1.lib.4.c.11.n.45. & post illum Portel in addit.ad dub.Regul.ver. ieiun.nu.4. Sed Barthol.à S.Fausto in thes. Relig. lib. 1. qu.141. qu.137.notauit ita vouentem non frangere ieiunium si cereuisiam biberet, quia verum vinum non est.

An si quis voueret ieiunare, teneatur abstinere à lacticinijs extra Quadragesimam.

RESOL. V.

NEgatiuè respondet Ortiz in sum. cap.19. nu.9.vbi sic ait. (Los hueuos no son contra la sustancia del ayuno, ni se vedan sino en Quaresma, y assi los que promittieron de ayunar, pueden ayunar con hueuos.) Sed Azorius part.1. lib.3. c. 10.qu.2. ait, ita vouentem debere eo modo seruare hoc ieiunium, quomodo ciuitas seruat ieiunia vigiliarum, & quatuor temporem. Et lib.11.cap.20.qu.7. asserit, ita vouentem, teneri seruare hoc ieiunium, iuxta patriæ consuetudinem.

Sed talem consuetudinem non extare putat Portel in addit. ad dub.Regul.verb.ieiunium, nu.7. vbi sic asserit. Sanchez tenet probabile esse, sic vouentem ieiunium, absque Bulla Cruciatæ posse comedere lacticinia in illo die ieiunij, extra ieiunia tamē Quadragesimæ: quia est probabilior opinio, nec de iure, neque de consuetudine interdici in die ieiunij lacticinia extra Quadragesimam. Ita Portel, probabiliter quidem, vt supradictum est; Et nouissimè hanc sententiam docet Sancius in select.disp. 51.num 19. vbi ait non adesse præceptum, neque consuetudinem abstinendi ab ouis, & lacticinijs in vigilijs, & quatuor anni temporibus, maximè in Regnis vbi adest Bulla Cruciatæ, vt est in hoc Regno Siciliæ. Vide etiam Vasquez part. 2. tom.2. disp.117.cap 6.nu.54.

Itaque ita vouens satisfaceret voto, si in ieiunijs extra Quadragesimam comederet sine Bulla lacticinia, & oua. Imo Sanchez in sum.tom.1.lib.4.c.11.nu.53.cum Angles, docet promittentem ieiunare in Quadragesima, dubium autem an intenderit, abstinere à lacticinijs, non esse damnandum tanquam reum voti, si illis absque Bulla vescatur, licet peccaret in præceptum Ecclesiæ, interdicentis eo tempore lacticiniorum vsum. Rationes quare id asserat, videndæ sunt apud ipsum.

An ieiunium indictum à Confessario, vel ab aliquo Iubilæo, frangatur cum esu ouorum, & lacticiniorum?

RESOL. VI.

QVoad primum, de ieiunio per pœnitentium iniuncto, negatiuè respondet Paludanus in 4. dist.qu.4. art.4. concl.2. Syluester ver.ieiunium, qu.5.& Fagundez præcep.4. lib.1. cap. 2.num.10. qui etiam citat D. Antoninum, & Sanchez in summa, tom.1.lib.4.cap.11.num.50. citat pro hac sententia Ouandum in 4.dist.16.post propositionem 52.concl.1.

Sed quoad ieiunia Iubilei, posse illa seruari cum esu lacticiniorum docet Henriquez lib.7. cap.10. nu.4. & c. 13. nu.13. & Villalobos in summa, tom.1. tract.26.difficult.24.n.4 vbi sic asserit. (Puede se gañar el iubileo ayunando con hueuos, y lacticinios (fuera del ayuno de Quaresma) la razon es porque en derecho no se prohiben los hueuos entre anno, y comiendo lacticinios, se guarda la sustancia del ayuno, y lo declararon Pio V. Gregor.XIII. y Sisto V. en los iubileos que en su tiempo dieron, como refiere Henriquez, y el que tuuiere Bulla, tambien en Quaresma, puede gañar el iubileo comiendo lacticinios; porque con esso ayuna.)

Dices, hoc verum esse seclusa consuetudine, vt notauit ipsemet Henriquez, Homobonus de exam.par.1.tract.8.c.7. quæst. 21.& Alfonsus de Leone tract.de iubilæo, part.2.quæst.14.sect. 3.nu.142. Respondent aliqui talem consuetudinem non extare, ideo ad alia transeamus.

An sutores excusentur à lege ieiunij?

RESOL. VII.

NEgatiuè respondet Toletus lib.6.cap.4. num.5.Sed Villalob.in summ. tomo 1. tract. 23.diff.14.num 7. putat hoc remittendum esse ad arbitrium boni viri, qui male citat Azorium part.1.lib.7.cap.17.qu.8.hoc etiam asserentem: nam ipse absolute in illo loco excusat sutores à ieiunio, neque id remittit arbitrio boni viri; nam dicta ars videtur laboriosa. Et ita etiam docet contra Toletum, Lessius lib.4.cap.2. dub.6. nu.43. Reginaldus in praxi tom.1.lib.4.cap.17.sect.2.num.16. Bonacina de leg. disp.vlt.qu.1.part.vlt.nu.10.Layman in theol.mor.lib.4. tr. 8.cap.3.num.3.

An sartores, & barbitonsores teneantur ieiunare?

RESOL. VIII.

COmmuniter DD. affirmatiuam sententiam docēt. Ita Filliucius, & Bonacina vbi infra, Ragucius in vas. Eccles. discipl.præcep.7.q.30 num.9.Molfesius in summa, tom.1. trac. 20.cap.4.nu.43.Lessius lib.4. c.2.dub.6.n.43.Azorius p.2. lib.7. cap.17.

cap.17.quæst.8 Villalobos in summa,tom.1.tract.23.diff.3.nu.7.Layman in theol. mor.lib.4. tract.8. cap.3. num.3. Tannerus in 2.2.disput.3.quæst.3.dub.5.num.102. Reginaldus tom.1.lib.4.cap.17.num.216.Ioann. de la Cruz in director. consc. part.1. præcep.3.art.4.dub.9. concl.2. & alij, vbi docent, excusari à ieiunio figulos, argentarios, textores, fullones, sementarios, pistores,coriarios, & alios in labore similes: non autem sartores, pictores, & tonsores; quia huiusmodi artes non sunt ita laboriosæ, nam in his exercitationibus est paruus corporis motus, & per consequens parua virium resolutio, quæ ad restaurationem substantiæ exhaustæ non requirat frequentem cibi sumptionem, vt à ieiunio possint excusari. Neque obseruat Reginaldus, in contrarium vrgere posse priuilegium Eugenij IV. quia ipsum nihil habet,per quod tales eo comprehendi censeri possit, vt patet consideranti illius tenorem.

At his non obstantibus Fagundez Theologus Societat. Iesu præcep.4.lib.1.cap.8.num.15.& 16. in fine ex Ledes.2.4. qu.17. art.3.dub.9. contrariam docet sententiam, quam adducunt, & non improbant Filliucius to.2 tr.27.p.2.cap.6.num.117.& Bonacina de leg.disp.vlt.q.1.punct.vlt.num.12.Probat autem Fagundez hanc sententiam, nempè sartores, & barbitonsores nõ teneri ad ieiunium, ex dicto priuilegio Eugenij IV. vbi putat Pontificem omnes artifices indiscriminatim excusare, siue eis concedendo priuilegium non ieiunandi, siue declarando eos non comprehendi in lege ieiunij.

An fossores, ferrarij, & similes, qui excusantur à ieiunio, teneantur ieiunare vno vel altero die, quo non laborant?

RESOL. IX.

ID arbitrio prudentis viri definiendum esse putat Medina in summ.lib.1.c.14 §.10.& Sylvius in 2.2.D. Tho.qu.187.art.4. & Villalob. in summ.to.1.tr.23.diff.4 nu.9.

Sed ego absolutè censeo,dictos artifices non teneri illis diebus ieiunare,quia huiusmodi viri nõ sunt ita ieiunio assuefacti, & ideo maximè affligerentur, si ieiunare tenerentur: deinde indigent viribus ad laborem sequentium dierum, & laboribus præteritis admodum fessi, & debilitati remanent. Et ita nobiscum sentit Ioan. de la Cruz in direct.consc.p.1.præcep.3.art.4. dub.9.conclus.2.Azorius to.1.lib.7.c.27.q.8.Fagundez præcep.4.lib.1.cap.8.num.16. & alij.

An prædicatores, & magistri, qui publicè alios docent, teneantur ad ieiunium?

RESOL. X.

NEgatiuè respondet Io.de la Cruz in director. p.1. præcep.3.art.4. dub.9. conclus.2.vbi sic asserit. Excusatur, qui ob opera pietatis maiore ieiunio, non valet ieiunare, vt prædicando, docendo. Idem docet Tabiena ver. ieiunium, nu.16. Filliucius tom.2.tr.27.p.2.c 6.n.124.Azor.p.1.lib.7.cap.28. q.1. Graffius p.1.lib.2.cap.37.n.54. Antonius de Litteratis in summ. p.1. c 39 nu.9.Fernandez in exam.theol.mor.p.2.cap.8.§.2.num.12. Nauarrus cap.21.nu.16.Gabriel in 4.dist.16.q.3 art.1.resol.ver. ieiunium,n.21. Reginaldus to.1.lib.4.cap.17.nu.219. Sylvius in 2.2.D. Thomæ q.147. art.4.& alij.

Sed hoc intelligunt supradicti DD. quando commode ieiunare non possunt, nam si possent, tenerentur: & ideo asserit Villalobos in sum. to.1.tr.23.diff.4,n.15. (Se escusan del ayuno los predicadores, maestros, y doctores, que enseñan a otros, quando no pueden hazer los tales officios ayunando, mas de ordinario creo que pueden estos ayunar.)

Sed pro praxi Confessariorum, quid ego sentiam dicam breuiter. Prædicatores, qui in diebus Quadragesimalibus concionantur, puto omnino excusandos esse à ieiunio, quia summopere laborant, de prædicatoribus vero qui Dominicis diebus tantum concionantur, vt plurimum nõ esse à ieiunio excusandos, nisi essent debiles, & paruæ complexionis,& ideo hoc remittendum puto ad arbitrium boni viri. De lectoribus vero, puto cum Fagundez præcep.4.li.1.c.8.n.19.qui Maiorem citat, non esse omnes excusandos, sed tãtum illos, quorum labor improbus est, vel qui ita debiles sunt, vt sufficienter studere non possint, vt lectionem explicent, & legant cum satisfactione.

Notandum est verò supradictam doctrinam procedere etiã quoad Confessarios, quos à ieiunio excusant DD. supracitati, quando vt notat Fagundez vbi supra, & alij, assiduè pœnitentium confessiones audirent, & ieiunium commodè obseruare non possint,& id in causa sit,vt à confessionibus desistat. Secus autem si audiendo confessiones, possent etiam commodè ieiunium seruare,quod arbitrium boni viri considerabit.

An prædicatores, si ex mercede concionentur, teneantur ieiunare, & quid de Musicis?

RESOL. XI.

AFfirmatiuam sententiam docet, ex Syluest. & Caiet. Binsfeldius in enchir.Theol. post.p.3.cap.33. concl.9 & illam videtur etiam docere Philiarchus de off. sac. tom.1.p.2.lib.3.c.25.Toletus lib.6.c.6.Fernandez in examin. theol.par.2.c.8.§.2. num.12. Fagundez præcep.4. lib.1.c.9. num.19. vbi tunc excusant prædicatores à ieiunio quando concionarentur ex officio, puta ex obedientia, vel ex voto, seu si eorum conciones essent multum vtiles populo.

Nauarrus vero in man.c.21.nu.17. & post illum Graffius p.1. lib.2.c.37.nu.54. & Reginaldus in praxi,to.1.lib.4.c.17.n.219. putant hanc sententiam esse veram, quando talis prædicator concionaretur principaliter propter lucrum, secus si minus principaliter ob necessitatem se sustentandi.

Sed ego puto,absolutè dicendum esse, prædicatores excusari à ieiunio, etiamsi cõciones suscipiant ob mercedem. Ita docet Bonacina tract. de legib. disp. vlt.q. 1.punct. vlt.n.13.& Filliucius in praxi,to.2.tr.27.p.2.c 6. nu.124. & Lessius li.4. c.1. dub. 6.n.44. putant contra Fagundez, & Philiarchum, quod non est necesse, vt prædicatio efficiatur ex voto, vel officio.

Quoad Musicos verò, ita asserit Sancius in selectis. disp.44. num.18. Cantores conductos ad canendum, siue salarium,aut præbendam ad id habentes,possunt non seruare ieiunium,si ad canendum redderentur inhabiles. Et Presbyteris ouis in Quadragesima vesci fas erit, causa vocis conseruandæ. Non enim causa ieiunij astrictus est aliquis diminuere suum exequi munus, Ita Sancius, qui in facti contingentia, ita fuisse consultum in Hispania testatur. Quod ego vrgentius procedere existimo in cantoribus, ad solatium magni Principis in camera concinentibus.

An aduocati, & procuratores teneantur ieiunare?

RESOL. XII.

AFfirmatiuè respondet Ioan.de la Cruz in direct. conf. p.1. præcept.3.art.4.dub.9. concl.2.& Ledesma in summ. to. 2.tract.17.cap.2.concl.5.dub.3.Reginaldus in praxi,tom.1.lib.5.cap.17.num.216.

Sed quia Philiarchus de off.sac.to.1.p.2.libr.3.cap.35.& alij, agunt de illis sicut & de concionatoribus, & lectoribus: ideò, quod dictum est de talibus, dicendum est de aduocatis,nempè vt de lectoribus asserit Fagundez præcep.4.lib.1.cap.8.num.19. non omnes esse excusandos, sed tantum illos, quorũ labor improbus, vel qui ita debiles sunt, vt sufficienter studere non possint, vt postea causis clientum satisfaciant, ac propterea dixit Ortiz in summa,cap.19. mand.2. num.15.(No esta obligado à ayunar el iurista, que esta su cabeza desuanecida de studiar.) Idem quod dictum est de aduocatis, dicendum puto de procuratoribus.

An quis teneatur eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore possunt operari sine fractione ieiunij?

RESOL. XIII.

AFfirmatiuè respondet Toletus in summ.lib.6.c.5.nu.1. cas. 1. qui citat Paludanum in 4. dist.14. q. 4. art.1. & Gabriel dist.16.q 3.art.1.notab.4.

Sed ego puto contrariam sententiam veram esse, & ita obtinuit consuetudo recepta ab omnibus timoratis,& religiosis viris, qui non propter ieiunium subtrahunt seruis de labore, neque operarios dimittunt.Igitur non tenetur dominus eũ solum

laborem

laborem seruis imponere, & eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore possint ieiunare; sed poterit eundem laborem seruis imponere, & operarios quoscumque vocare, licet ieiunium non sint seruaturi. Ita docet contra Toletum, Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 2. cap. 8. §. 2. num. 15. Imo Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 6. num. 16. putat posse dominos conducere operarios hoc pacto, vt eo die quo suo labori incumbunt, non ieiunent: quia cum dicti operarij non teneantur ieiunare, neque venialiter peccabit dominus illos cum conditione, vt non ieiunent, conducendo.

An pregnantes, & lactantes teneantur ad ieiunium?

RESOL. XIV.

NOn teneri respondet Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 6 num. 39. Vegha in sum. tom. 1. cap. 14. cas. 22. Valentia tom. 3. di p. 9. qu. 2. punct. 2. Graffius part. 1. lib. 2. cap. 37. num. 44. Toletus lib. 6. cap. 4. num. 3. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 17 qu. 6. Tannerus in 2. 2. disput. 3. qu. 3. dub. 5. num. 100. Syluius in 2. 2. D. Thomæ qu. 147. art. 4. Villalobos in summ. tom 1 tract. 23. diff. 4. num. 2. Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 6. nu. 114. Azorius p. 1. lib. 7. cap. 28. qu. 6. Ioan. de la Cruz in director. consc. p. 1. præcept. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2. & alij.

Sed limitat hanc sententiam Sylnest. verb. ieiunium, quæst. 9. vers. 5. Philiarchus de off. sac. tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 25. Iacobus de Graffeis tom. 1. p. 1. lib. 2. cap. 37. num. 44. nisi dictę mulieres essent robustæ, & vnica refectione possent seipsas, & fœtum sustentare.

Sed quia huiusmodi mulieres communiter non sunt tam robustæ naturæ, vt vnica refectione tantum alimenti sumere possint, vt pro se, & prole sufficiat, & omnis lex adaptatur ad ea, quæ frequenter accidere solent: Ideo non refert, si aliquæ sint robustæ, & virilis naturæ, vt tradit ex nostris Molfesius in summa, tomo 1. tract. 10. c. 4. num. 40. & Reginaldus in Praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 17. num. 210.

Adde quod in dubio non tenentur ad ieiunium, vt notat Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 8. num. 14. Caiet. in 2. 2. q. 147. art 4. & omnes DD. supra citati. Deinde tales mulieres appetunt sæpe vehementer aliqua, & nisi desiderio satisfaciant suo, periculum est ne fœtus proijciatur, & ideo Confessarij sine scrupulo supradictas prægnantes, & lactantes excusabunt à lege ieiunij.

Quid facere debeat dubitans an teneatur ad ieiunium.

RESOL. XV.

IN tali casu debet recurrere ad superiorē pro dispensatione, qui non debet esse nimium scrupulosus, & ambiguus, remittens id penitus subditorum conscientijs, nam ad ipsos spectat tunc dispensare: quando enim causa est dubia, tunc ipsi dispensando, iustam efficiunt. Ita Caietanus in 2. 2. quæst. 147. art. 4. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2 cap. 6. num. 129. Ortiz in summ. cap. 19. manda. 2. nu. 15. Graffeis p. 1. lib. 2. cap 37. nu. 57. Villalobos in summa, tom. 1, tract. 22. diff. 22. Ledesma in summa, tom. 2. tract. 17. cap. 2. concl. 5. & alij.

Notandum est etiam cum Ioan. de la Cruz in direct. consc. part. 1. præcep 3. art. 4. dub. 9. concl. 3. quod si prælatus dubitet de sufficientia causæ, aut iudicet eam minus sufficientem, tunc debet ieiunium in alia opera pia commutare. Et sicut supradicta potest circa ieiunia subditorum, potent circa sua, quia non debet esse peioris conditionis, quam subditi; quod etiam procedit in casibus reseruatis. Ita Sanchez de matr tom. 3. lib. 8. disp. 3. num. 9. Azorius par. 1. lib. 7. cap. 29. q. 7. & Villal. vbi supra qui citat Syluestrum, Caietanum & Sotum.

Sed hæc omnia procedunt in ieiunijs à iure communi indictis. Nam quantum ad ieiunia ex voto, potest Confessarius virtute Cruciatæ illa commutare, sicut ieiunia à Confessario in pœnitentia imposita, quilibet alius Confessarius, iuxta illa quæ in tali materia alibi diximus: Ita Villalobos num. 24. & alij.

(?)

An si quis violet duo ieiunia ab Ecclesia indicta in vnum diem incidentia, peccet dupliciter?

RESOL. XVI.

AFfirmatiuè respondet Nauarrus in manual. cap. 21. num. 4. Lopez in homil. p. 1, cap. 39. Rodriquez in summ. tom. 1. c. 23. nu. 3. & ex neotericis Societat. Iesu Aegidius Coninch. de sacr. disp. 7. dub. 6. nu. 47. & alij, quia violat duplex præceptum, & ita sentiunt de auditione Missæ, atque cessatione ab operibus seruilibus.

Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam probabiliorem esse existimo, & ita in terminis loquēs de ieiunio docet Ledesma in summa, tom. 1. tract. 17. cap. 2. concl. 6. Filliucius tomo 2. tract. 27. part. 2. c. 5. nu. 82. Henriquez lib. 5. cap. 5. nu. 6. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 31. qu. 7. Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 10 n. 7. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 15. num. 6. Vasquez in p. 2. tom. 2. qu. 72. art. 6. disp. 98. nu. 8. & seq. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 4 nu. 22. & alij. Ratio est, quia peccata non multiplicantur numero ex diuersitate præceptorum, quando illa præcepta pertinent ad vnam virtutem, vt est in casu nostro: secus si pertinerēt ad diuersas virtutes, vt cum concurreret ieiunium inductum ab Ecclesia, & ex voto: & ita dicendum est de auditione Missæ, & abstinentia ab operibus seruilibus.

Quæres, an saltem talis transgressio preceptorum sit circumstantia in Confessione aperienda? Affirmatiuè respondet Reginaldus in praxi, tomo 2. lib. 4. cap. 17. num. 192. & alij. Sed ego puto contrariam sententiam probabiliorem, etiam stando in illa opinione, quod circumstantiæ aggrauantes sint necessario confitendæ. Ita docet Vasquez in p. 2. tom. 1. disput. 96. n. 10. & Sanchez de matrimonio, tom. 3. lib. 9. disput. 15. nu. 6. cum alijs. Nam talis circumstantia non ita notabiliter aggrauat, vt sit in Confessione aperienda. Ex his apparet, Monachum D. Francisci peccare dupliciter, si in diem Veneris coincidit vigilia, & non ieiunet; quia obligatur ad illa ieiunia ex diuersis virtutibus, temperantiæ scilicet, & ex præcepto Ecclesiæ, & Religionis, quia ex voto obedientiæ tenetur Regulam obseruare. Ita docet Vasquez vbi sup. nu. 8. & 9. Sanchez, Fagundez præcept. 1. libr. 2. c. 2. n. 9. & alij.

Nota etiam, supradictum Religiosum D. Francisci teneri ad Regulæ ieiunia, etiam si annum xxj. non expleuerit, quicquid in contrarium asserat Medina in summ. lib. 1. cap. 14. §. 10. cum Graffeis p. 1. lib. 2. c. 37. num. 4. nam nostram sententiam communiter docent DD. Ortiz in sum. cap. 19 mand. 2. punct. 21. Portel vbi infra, Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 17. num. 207. Emanuel Sà verb. ieiunium, nu. 3. Tabiena qu. 16. nu. 17. Syluest. qu. 6. dist. 1. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 27. quæst. 3. Ledesma in summa, tom. 2. tract 27. cap. 2. concl. 5. dub. 2. Vegha in summa, tom. 1. cap. 14. cas. 6. Gabr. in 5. dist. 16. qu. 5. art. 1. Fagundez præcept. 4. lib. 1. cap. 8. n. 6. Villalobos in summa, tom. 1. trac. 23. diff. 4. num. 5. & alij.

Verum Portel in dub. Regul. verb. ieiunium, num. 2. & Rodriquez tom. 2. qu. 100. art. 6. obseruat, & optimè, dictos Minoritas ante vigesimum annum, non teneri ieiunare vigilias, & quatuor tempora Ecclesiæ, & Sanctorum, quia ad ea non obligantur ex vi Regulæ, ergo non tenentur ex præcepto Ecclesiæ.

Ex supradictis etiam apparet teneri ad ieiunia Iubilæi adolescentes, qui nondum vigesimum primum annum attigerunt, alias Iubilæum non obtinebunt. Ita docet ex nostris P. Alphonsus de Leone tract. de Iubil. p. 2. q. 14. sect. 3. num. 144. qui citat Ayorium, Graffium, Zanardum, Toletum, Bonacinam, & alios. Idem docet Fagundez præcep 4. lib. 1. cap. 8. nn. 5.

An licitum sit in ieiunijs Iubilæi, voti, & impositis pro pœnitentia, comedere oua, & lacticinia cum Bulla Cruciatæ?

RESOL. XVII.

QVicquid aliqui contradicant (vt adnotaui in tract. de Bulla Cruciatæ) respondeo affirmatiuè, & præter DD. quos ibi citaui, docet hanc sententiam Molfesius in sum. to. 1. tr. 10. cap. 4. nu. 28. Alfons. de Leone tract. de Iubilæo, quæst. 14. sect. 1. nu. 142. Ratio est, quia dum contrarium non constat de mente summi Pontificis; vouentes in voto, & Confessarij in pœnitentia iniuncta, semper præsumuntur se conformare,

vt in aliis ieiuniis Ecclesiasticis efficitur. Sed in aliis ieiuniis ab Ecclesia indictis, licitum est cum Bulla comedere lacticinia. Ergo licitum erit, & in ieiuniis Iubilæi, voti, & pœnitentiæ, quicquid, vt dixi, in contrariũ sentiant Nauarrus, & Graffius.

An quis teneatur ad ieiunia sui oppidi dum absens est?

RESOL. XVIII.

AFfirmatiuam sententiam docet Paludanus in 4. dist. 15. qu. 4. art. 3. quem postea sequitur D. Antoninus p. 2. tit. 7. c. 3. §. 2 in fine, & Syluest. verb. ieiunium, num. 7. Rosella eodem ver. num. 16. & alij. Ratio est, quia aliter non teneretur ad leges loci, per quem transit, neque ad leges patriæ, ergo omnino exemptus esset, quod asserere est absurdum.

Hæc sententia est probabilis. Sed contrariam probabiliorem esse existimo, quam docet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 2. diff. 34. num. 1. & seq Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 6. nu. 108. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 54. Sanchez de matr tom. 1. lib. 3 disp 18. num. 18. Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 12. nu. 136. & alij. Ratio est, quia statuta, & consuetudines locales affixæ sunt loco, & obligant tantum existentem in eo, vt constat ex c. illa dist. 12. & cap. 2. de quæst. in 6. ergo, &c. Et ideo, si quis noctu peruenit in loca, vbi ieiunium suæ patriæ non seruatur potest ibi cœnare, & comedere carnes. Ita Lessius vbi supra, & Lusitanus transiens per Castellam potest edere intestina animalium, quamuis in Lusitania, id sibi feria 6 & die sabbathi nõ liceret. Ita Sayrus in Claui lib. 7. cap. 3. nu. 11. Nauarrus in summa, cap. 23. nu. 120. Couarruuias lib. 4. variar. cap. 20. num. 8. Et hæc doctrina procedit etiam, si talia ieiunia essent iuris communis, & obligarent in patria peregrini, non autem in eo loco in quo reperitur, si per disuetudinem fuissent abrogata, & ita Mediolani licitũ erit peregrinis vesci carnibus primis quatuor diebus Quadragesimæ, vt notauit Sanchez de matr. tomo 1. lib. 3. cap. 18 num. 7. & 18. & Lessius nu. 59. Fagundez vt infra num. 3. Secus autem, si ieiunia domicilij sui obseruentur, etiam in loco vbi tunc est, quia tunc nulla ratio excusat, cum talia ieiunia obligent in patria sua, & in loco vbi tunc per modum trãsitus moratur. Ita docet Sanchez de matr. lib. 3. disp. 18. num. 14. Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 14. Fagundez præc. 4. lib. 1. c. 7. nu. 7. & alij, licet etiam probabiliter contrariam asserat, Sancius in Selectis disp 54 nu. 31. vbi docet, non teneri peregrinum ieiunare in loco, vbi seruatur ieiunium, quando in suo loco etiam seruatur; quia talis peregrinus non tenetur seruare legem illam in loco vbi est præsens, ex vi legis suæ patriæ, nam illa non potest obligare extra territorium: nec etiam obligatur ex vi legis illius oppidi, per quod peregrinus transit. Ergo, &c. Nec est reputandum inconueniens in illo casu peregrinum ad non ieiunandum esse liberum; nam vagi, qui certum domicilium non habent, nullis particularibus legibus locorum per quæ vagantur, vinciuntur. Ita Sancius, quod est valde notandum.

An aliquis vt effugiat obligationem præcepti, possit transire ad alium locum propinquum, vt non ieiunet si ieiunetur in suo?

RESOL. XIX.

VIdetur negatiuè respondendum, quia malitia, & fraus non debet patrocinari authori, vt communiter asserunt iurisperiti, & ita docet Medina in part. 2. quæst. 66. art. 5. Syluester. verb. ieiunium, qu. 2. Rosella eodem verb. num. 16. & nouissimè Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 60.

Sed contrariam sententiam in praxi tutam esse, & probabilem existimo, & illam docet nouissimè Fagundez præcep. 1. lib. 1. cap. 7. nu. 7. etiam, vt dixi, si talis ex sola intentione in alium locum se conferat, vt ieiunium patriæ effugiat; quia in tali casu non datur propriè, & formaliter fraus; nam fraus datur propriè, vbi adest obligatio legis, quam quis per dolum, & fraudem vult euadere. Sed hic nulla datur obligatio, vt superiori quæstione probatum est; ergo dicendum est, dari potius fugam quamdam, obligationis, quæ fuga de se non est bona, nec mala, & ita faciens vtitur iure suo. Ergo, &c.

An senes sexagenarij, licet robusti, & validi, teneantur ad ieiunium?

RESOL. XX.

LEuius fortasse proposita hæc quæstio alicui videtur. Sed ita minimè est, nam cum paucis commilitonibus aduersus plures huius militiæ fortissimos duces pugnam aggredior.

Dico igitur, ferè omnes DD. asserere senes sexagenarios viribus pollentes, non excusari à præcepto ieiunij. Ita docet Layman in Theolog. moral. lib. 4. tract. 8. cap. 3. numero 1. & 2. Syluius in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 147. artic. 4. Tannerus 2. 2. disput. 3. qu. 3. dub 5. num. 101. Lessius de iusti. lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 41. Fagundez de præcept. Eccles. tract. 4. lib. 1. cap. 8. num. 10. & 11. Filliucius tom. 2. tract. 27. par. 2. cap 6. num. 112. Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 17. sect. 1. nu. 209. Valentia tomo 3. disp. 9. qu. 2. punct. 5. Azorius lib. 7. part. 1. cap. 17 qu. 4. Io. de la Cruz in direct. conf part. 1. præcept. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 23. dub. 4. num. 6. Campanili in diuers. iur. can. rubr. 7. cap. 6. num. 151 Bonacina de legibus, disp. 10. q. 1. punct. vlt. num. 4. Vgolinus de potest. Episc. cap. 9. num. 6. Ledesma in sum. tom. 2. tract. 17. cap. 1. concl. 5. dub. 3. Fernandez in exam. Theol. moral. p. 2. cap. 8. § 2. nu. 20. Victorellus in notis ad summam Tolet. lib. 6 cap. 4 nu. 1. & à fortiori docent hanc sententiam DD. asserentes senes tantum septuagenarios immunes esse à lege ieiunij. Ita Gabriel in 4. dist. 16 q. 3. art. 1. notab. 4. Syluest. ver. ieiunium, qu. 6 dicto 2. Tolet. lib. 6. cap. 4. num. 2. Rosella eodem verb. num. 15. Tabiena eodem verb. num. 1. & q. 17. cum alijs, & DD. asserentes, vt excusentur senes à lege ieiunij, attendendum esse robur corporis, & complexionem naturæ, & iuxta eam iudicandum esse, & ideo totum hoc arbitrio prudentis viri relinquendum esse. Ita docet D. Antoninus p. 2. tit. 6 c. 2. §. 7. Palatius in 4. dist. 15. disp. 8. concl. 4. Graffeis part. 1. lib. 2 cap. 17. nu. 43. Vegha in summ. tom. 1. cap. 14 cas. 15. Rodriquez in expos. Bull. Cruc. §. 7. num. 2. Summa Corona part. 1. cap. 1. num. 8c. & alij.

Itaque ex mente horum DD. manifestè apparet, senes sexagenarios, si ad sustinendum ieiunium euidenter, & certò viribus polleant, debere ieiunare, non autem in dubium, quia ieiunando, exponerent se periculo grauis incommodi, ad quod Ecclesia nõ videtur obligare. Nec valet dicere, quod sicut adolescentes robusti, & validi, non tenentur ieiunare ante annum vigesimum primum, ita neque senes post annum sexagesimum obligabuntur ad legem ieiunij; Nam respondetur non esse, vt bene obseruat Valentia vbi supra, parem rationem in senibus, & adolescentibus; quia natura non ita determinatè præstituit senibus tempus defectus, sicut adolescentibus tempus profectus atque augmenti. Deinde sunt aliqui sexagenarij tam valida complexione, vt dubitare non possimus eos absque vlla corporis, & salutis læsione ieiunare posse, quare ergo non ieiunabunt? Facit etiam pro hac sententia id quod probat Riccius p. 3. decis. 233. num. 6. & Nonarius in praxi, quæst. 18 sect. 1. num. 4. senes sexagenarios non esse damnandos ad triremes, secus autem si sint robusti, & validi.

Attamen, his minimè obstantibus, licet supradictæ sententiæ sint omnes probabiles, ego non minus probabilem illam existimo, quæ docet in ætate sexagenaria senes, licet viribus polleant, certò, & infallibiter excusari à lege ieiunij. Vnde miror, Fagundez hanc opinionem vocare parum tutam, licet addat non omninò improbabilem: non enim desunt validissimæ rationes ad illam confirmandam, & authores magni nominis illam mordicus tenuere. Hi sunt doctissimus Theologus Llamas in summ. par. 3. c. 5. §. 20. vbi asserit, quod interrogatus de hac re Pius V. viua voce ita respondit. Idem docet Molfesius in summ. tom. 1. tract. 10. cap. 4. nu. 57. Ortiz in summ. cap. 19. num. 11. Ioseph. Angles in 4 sent. part. 2. quæst. 6. dub. 6. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disput. 32. nu. 17. & Portel in dub. regul. par. 1. ver ieiunium, nu. 5.

Probatur hæc opinio, quia, vt asserunt medici, hæc senum roboris existimatio est illusiua; nam est ea ætas ex se adeo debilis, vt facili ex causa ab illo putato robore detrahatur, nisi cibi fomento sibi subueniatur; natura enim in illa ætate languescit, & ad interitum properat, & sanitas dictorum senum non est firma, & constans, sed fallax, & incerta, & media inter morbum, & perfectam sanitatem, vt testatur Galenus lib. 5. & 6. de

6. de san. tuen. Et licet aliqui sexagenarij validi, & fortes videantur; tamen, vt diximus, eorum natura prolabitur, & ad interitum tendit, atque adeo adminiculo cibi frequentius sumpti indiget, vt non tam præsenti statui, quam futuro consulatur. Deinde Pius V. & Pontifices subsequentes denegantes Clericis, & Religiosis esum lacticiniorum virtute Bullæ Cruciatæ, exceperunt tamen senes sexagenarios: quasi rationi consentaneum sit, vt in ea ætate defectui naturæ consulant. Ex his rationibus, & alijs, quas inuenies apud citatos authores, apparet supradictam nostram sententiam esse probabilissimam. Vnde sæpius non dubitaui ego illam in praxi cõsulere, & ita etiam sentiunt multi PP. ex nostra Religione, & Soc. Iesu de hac re à me consulti.

Notandum est etiam, Sanchez in Summa, excusare à ieiunio sexagenarios, qui toto vitæ tempore vouerunt ieiunare certis diebus hebdomadæ, vel annis, contrarium verò docet Layman in Theol. Mor. lib. 4. tract. 8. c. 3. nu. 2.

An in hoc Siciliæ Regno diebus Quadragesimalibus, & alijs ieiunijs, vsus sagiminis sit licitus habentibus Bullam Cruciatæ?

RESOL. XXI.

Licitum esse ex consuetudine, & authoritate DD. manifestè apparet. Posse verò consuetudinem mitigare, & abrogare leges, & iura humana, communis refert DD. opinio, idque asserunt Theologi cum D. Thoma in p. 2. q. 97. artic. 3. Canonistæ in c. vlt. de consuet. Legistæ, l. de quibus. ff. de legib. & ita in terminis de ieiunio declarant Lessius lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 8. Bonacina tract. de legib. disp. vlt. q. 1. punct. 2. n. 2. Reginaldus tom. 1. lib. 4. c. 23. sect. 1. n. 147. cũ alijs, & ita in Belgio, exceptis paucis diebus, consuetudo permittit lacticinia, etiam in Quadragesima, & apud Castellanos in Hispania, vt notant Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 18. nu. 19. licitum est edere sabbatho intestina animalium.

Sed dices, in Belgio, & in Castella talem consuetudinem esse licitam, quia licitis, & bonis actibus rationabiliter fuerit introducta propter aliquam necessitatem; nam vt dicitur in cap. fin. de consuetud. longæuam consuetudinem non præualere legi, nisi sit rationabilis, quod quidem non constat de nostra consuetudine vtendi sagimine.

Respondetur primo negando assumptum; nam vt probat Salas de legib. tract. 14. disp. 19. sect. 5. nu. 45. ex D. Thom. Caiet. Med. Conrad. Gerso. Sot. Valen. Tab. & alijs communis, & vera sententia est, etiam si consuetudo cœperit, seu constet ex malis actibus, legem abrogare, vbi legitimè præscripta fuerit; aliàs numquam consuetudo eam vim obtinere posset, cum semper necessarium sit, actus illos contra legem gestos, initio illicitos esse, donec consuetudo illos excusans iam inoleuerit, præscriptaque sit lege abrogata.

Ad cap verò fin. de consuet. Dico consuetudinem non dici rationabilem, eo quòd licitis, & honestis actibus cœpta, aut continuata sit; sed alia ratione, in qua quidem assignanda variant Doctores, vt videre licet apud Menochium de arbitr. lib. 2. centur. 1. toto casu 82. & apud Salas vbi suprà, nu. 47. At si fides habenda sit Gersoni par. 3. tract de vita spirituali, an. lect. 4. coroll. 13. alphab. 62. littera P. Gabriel in 4. dist 42. quæst. 1. ar. 3. dub. 6. Nauarra lib. 5. consil. de censuris in priori cap. 95. 7. n. 3. in posteriori autem conf. 3. num. 5. numquam censetur consuetudo rationi dissonans, nisi iuri diuino, aut naturali refrageiur. At nostra consuetudo in hoc euentu illis iuribus non opponitur, sed soli Pontificio, ergo non potest dici irrationabilis. Sed quicquid sit de hac doctrina.

Respondetur secundo ad argumentum principale ex Caietano in par. 2. q. 97. art. 3. Sanchez lib. 7. disp. 4. n. 14. de Matrim. Suarez de legibus, lib. 7. cap. 18. n. 24. Valent. tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 8 & alijs, fieri posse, vt consuetudo contra legem humanam habuerit quidem ortum ab actibus malis, atq; ideò non fuerit initio rationabilis; nihilominus tamen succedente tempore excuset posteros, & vim habeat abrogandi legem: nam (vt rectè inquit Caiet.) non tenentur posteri solliciti esse in inuestiganda causa, ob quam sui maiores cœperunt facere contra legem; quin imò verè possunt præsumere eos habuisse causam iustam. Ex his omnibus apparet, quomodo sine scrupulo licitum sit vti apud nos in diebus ieiuniorum lardo, & sagimine ratione inueteratæ consuetudinis, & hoc etiam licitum erit aduenis, & peregrinis. Vnde Nauarr. in summa, cap. 21. n. 120 Couarr. lib. 4. var. cap. 20. n. 8. & Henriquez lib. 9. de Missa cap. 25. num. 2. docent Lusitanum transeuntem per Castellam posse edere sabbatho intestina animalium, quamuis in Lusitania id sibi non liceat.

Quod verò vsus sagiminis sit licitus in hoc Regno, non solùm ratione cõsuetudinis, vt probatum est, sed etiam ex authoritate multorum DD. patet; nam non ignobiles authores probabiliter docent, quod in illis diebus, quibus ex aliquo priuilegio liceat comedere oua, caseum, & cætera lacticinia, liceat etiam comedere lardum, & sagimen. Ita affirmat Gloss. in capite presbyt. disputatione 82. in verbo sagim. Abbas in cap. consuluit, de iudic. Hostiens. in sum. Rubr. de obser. ieiun. Syluest. ver. ieiun. q. 5. n. 16. Angelus eodem verb. §. 5. fin. Tabiena eodem ver. §. 7. Bertachinus, Auiles, & alij, apud Henriquez in summ. lib. 7. cap. 13. nu. 11. in glossa littera H. vbi etiam asserit, ita respondisse aliquos Archiepiscopos Hispaniæ, qui de hac re consulti fuerunt & ex neotericis Societatis Iesu, docet hanc sententiam nouissimè Fagundez de præcept. Eccles. tract. 4. lib. 1. cap. 2. num. 20. ante illum Giassius in decis. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 11. Azorius par. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 18. vide etiam Layman. in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 5. Ratio est, quia pinguedo non est caro, vt probat Aristot. 2. de generat. finito enim naturali augmento augetur pinguedo. Scio contrariam sententiam probabilem docere Villalobos in summa, p. 1. tractat. 23. dub. 8. num. 16. Filliucium tom. 2. tract. 27. part. 2. capit. 3. nu. 61. & alios. Sed pro nostra sententia, vt visum est, non desunt patroni, & ideò vt probatum est, satis constat vsum sagiminis in hoc Regno iustificari ea consuetudine, vt declaramus, & ex DD. authoritate.

An qui vouit ieiunare die Sabbathi, vel sexta feria, teneatur ad id votum, si dies Natiuitatis venerit in his diebus?

RESOL. XXII.

Affirmatiuam sententiam docet Suarez de religione, tom. 2. lib. 4. cap. 20 num. 7. Portel. in addit. ad dub. regul. verb. ieiunium, num. 9. Philiarch. de off. sac. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 25. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 11. n. 61. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 23. diff. 2. num. 6. Bartholomæus à S. Fausto in thes. relig. 1. quæst. 154. num. 2. Vasquez in par. tom. 2. disp. 10. cap. 4. n. 26. Syluester verb. ieiunium, num. 27. quæst. 10. Ortiz in sum. cap. 19. num 21. Reginaldus tom. 2. lib. 18. cap. 20. n. 290. Bonacina de legibus, disput. 4. quæst. 2. punct. 6. num. 9. Paludanus in 4. dist. 38. quæst. 3. artic. 4. concl. 4. Hieronymus Llamas in summa, part. 3. cap. 5. §. 28. Homobonus de Bonis in Examin. Eccl. part. 1. tract. 5. cap. 9. quæst. 60. Molfesius in summa, to. 1. tract. 11. cap. 14. num. 67. Sayrus in Claui Reg. lib. 6. cap. 8. nu. 11. Ratio est, quia ita clarè habetur in cap. fin. de obseruat. ieiunij ibi. Qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti in sexta feria, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis: vbi vide etiam Gloss. Hostiensem, & Ancharanum.

Hæc sententia est probabilis. Sed contrariam non minus probabilem existimo, quam docet doctissimus Molina tomo 2. disput. 272. num. 3. vbi sic ait. Si Deo vouisti omnes sextas ferias anni ieiunare; eoque anno dies Natiuitatis Domini sexta feria celebretur, in qua omnes fideles carnibus vescuntur: ad iudicandum, an in ea die, nihil impediente voto, possis carnibus vesci, & non ieiunare, interrogandus es: an si dum votum emisisti tibi occurreret eo anno festum Natiuitatis incidere in die Veneris, eum diem exciperes? quod si affirmanter responderes, certè non teneris ieiunare, si autem trepides, scrupulosusque ac timoratæ conscientiæ plus iusto sis, arbitrio prudentis iudicandam est te non teneri ieiunare: neque enim credendum est, te eo die voluisse a carnibus abstinere, & esse singularem, cum familiæ onere in piscibus tibi soli parandis. Ita Molina. Quem postea sequutus ex eadem Societate Azorius tomo 1. lib. 2. cap. 20. quæst. 3. & nouissimè Fagundez de præcept. Eccles. tract. 4. lib. 1. capit. 6. numero 6. qui tenet hanc sententiam, non ex eo fundamento, vt volunt Molina & Azorius, quod si cogitasset, non vouisset eo die ieiunare.

iunare; sed quia quando non constat de intentione expressa vouentis ieiunium, votum ipsius accipiẽdum est iuxta morem Ecclesiæ. Sed mos Ecclesiæ est, vt non ieiunetur, & vt carnes comedantur in die Natiuitatis Domini, etiam si veniet in sabbatho, vel in feria sex. a. Ergo, &c.

Et ideò hanc opinionem etiam authores contrarij probabilem vocant, vt Bartholomæus à S. Fausto in Thes. Relig. lib. 1. quæst. 154. n. 2. Bonacina de legibus, disp. 4. qu. 2. punct. 6. num. 9. cum alijs, & post hæc inueni hanc opinionem etiam docuisse Rodriquez in summ. tom 3. cap 25. n. 8. vbi sic asserit. [A el que hizo voto simple de ayunar los viernes se le deue preguntar, si tuuo intencion expressa de ayunar en este dia, aunque cayesse en viernes la Natiuidad, por que si no se accordo della, no esta obligado à ayunar, attento que si se accordera verisimilmente se ha de creer, que no hiziera voto de ayunar en dia de tanta festiuidad.] Hæc ille, mutans opinionem contrariam, quam docuerat antea in q. regul. tom. 3. q. 45. art. 3.

Restat modo respondere ad argumentum contrarium ex c. fin de obseru. ieiun. Dico igitur illum canonem intelligendum esse, quando vouens expressè includeret in suo voto diem Natiuitatis Domini, vt suprà dictum est, & omnes consentiunt. Non igitur loquitur in casu, quo vouens nihil de tali die cogitaret; nam in isto casu sustinenda est sententia contraria. Et ita ego sentio, & sæpe in praxi consului. Notandum est etiam contra aliquos DD. quos citato nomine carpit Syluester verb. ieiunium. n. 7. eum qui votum emisit non comedendi oua in sexta feria, vel die Sabbathi, posse comedere carnes in die Natalis Domini. Vide Reginaldum in praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 13. sect. 1. num. 146.

An in die ieiunij bibere vinum, ad sustentationem, & famem sedandam sit illicitum?

RESOL. XXIII.

NEgatiuam sententiam ex neotericis mordicus sustentat Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 13. sect. 1. nu. 154. qui citat ex eadem met Societate Azorium par. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 4. in fine, & ex veteribus id docuerunt Riccardus in 4. distinct. 10. art. 3. quæst. 7. Antoninus part. 2. tit. 6. c. 2 §. 9. Rosell. verb ieiunium, n. 5. & tandem hanc sententiam docuit vir doctus Medina Complutensis, C. de ieiun. q. 11. quam fateor esse probabilem.

Sed contrariam probabiliorem esse iudico, quam docet Vegha in summa, tom. 1. cap. 14. cas. 32. Homobonus de Bonis de Examin Eccles. par. 2. tract. 8 cap. 7. q. 20. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. quæst. 10. n. 24. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 10. cap. 3. n. 25. lib. 4. cap. 2. dub. 11. n. 10. vbi sic ait. Potus ordinatur potius ad cibi per corpus distributionem, & sanguinis refrigerium, quàm vt per se corpus alat: quòd si interdum alat, id per accidens est, & non tantum alit, quantum cibus. Vnde Ecclesia eius rationem habuit. Quare etiam si quis eo fine vtatur, etiam immoderatè, non violabit præceptum Ecclesiæ de ieiunio, etsi contra temperantiam peccet. Ita ille, & nouissimè Fagundez de præcep. Ecclesiæ tract. 4. lib. 1. cap. 3. num. 19. asserit in more, & consuetudine positum esse, vinum non violare ieiunium, etsi ad famem sedandam sumatur; semper enim sumitur per modum potus.

Ex his apparet, quàm parum Confessarios mouere debeat sententia Alex de Ales p. 4. membr. 8. art. 1 § 3 asserentis, vini potionem, præsertim ante prandium, ieiunium violare: nam est contra communem Theologorum sentẽtiam; vide Villalobos in summa, tom. 1. tract. 23. diff. 8. nu. 14. Homob. de exam. Eccl. part. 2. tract. 8. c. 7. q. 20. Ledesmam in summa, tom. 2. tract. 17. c. 2. dub. 4. & alios.

An sine ieiunij fractione licitum sit sumere interdiu parum cibi, ne potus noceat.

RESOL. XXIV.

REspondeo affirmatiuè; exiguam v. gr. portionem alicuius electuarij, quinque, vel sex amygdalas sacharo incrustatas, vel quid simile. Ita Villalobos in summ. tomo 1. tractat. 23. diff. 8. num. 14. & Homobonus de Exam. Eccles. p. 2. tractat. 8. c. 7. q. 20. Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 4. cap. 14. dub. 4. nu. 17. qui citat Syluest. Med. & Armillam.

Sed hanc sententiam limitat Azorius par. 1. lib. 7. cap. 10. q. 7. dummodo non sit panis, herba, arboris fructus; sed exigua medicamenti alimentosi portio, siue frustum. At fallitur vir doctus iudicio Layman in Theol. mor. lib. 4. tractat. 8. cap. 1. num. 7. & Fagundez de præcept. Eccles. præcept. 4. lib. 1. cap. 2. n. 20. quia ista etiam per modũ medicinæ, sumi possunt ne potus noceat. Ergo, &c. Et ita etiam videtur sentire Emanuel Sà verb. ieiun. num. 8. vbi sine vlla limitatione sic asserit. Ieiunium non violat potus aquæ, aut vini, neque etiam si quid edatur, ne potus noceat. Vide Molfesium in summa, tom. 1. tract. 10. cap. 5 num. 23. & Philiarchum de off. sacer. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 25. & hoc est intelligendum, toties, quoties biberit; dummodo id non faciat in fraudem ieiunij, sed ne potus noceat, & ita docet Fagundez præcept. 4. vbi suprà lib. 1. cap. 4. nu. 15. cum alijs.

An dispensatus in esu carnium censeatur dispensatus ad non ieiunandum.

RESOL. XXV.

HIc casus in praxi sæpè potest contingere, & in hac Ciuitate Medicus quidam doctissimus, ita cum multis in Quadragesima dispensabat. Sed ad quæstionem respondeo primam opinionem negare. Ita Iacobus de Graffeis in decis. part. 1. lib. 2. cap. 37. n. 58. cum Medina, Petraza, & alijs. Ratio est, quia necessitas, & iusta causa, quæ excusat ab integro ieiunio, non excusat ab omni parte illius: præceptum enim Ecclesiæ, licet in totum seruari non possit; in parte, quæ seruari potest, seruandum est: ex cap. cum dilecti, de dolo, & contum. & ibi Gloss. & Doctores.

Secunda opinio affirmat, & illam docet Caietanus in 2. 2. q. 147. art. 8. Hieronymus Llamas in summ. part. 3. cap. 5. §. 26. Ledesma in summ. tomo 2. tract. 17. cap. 2. concl. 5. Io de la Cruz in director. consc. part. 1. præcep. 4. art. 4. dub. 8. concl. 3. Gomez in Bulla Cruciatæ, claus. 7. n. 4. Medina in summa, tom. & lib. 1. cap. 14 §. 10. Henriquez lib. 7. c. 13 n. 12. Filliuc. tom. 2. tr. 27. p. 2. c. 3. n. 25. Azorius p. 1. lib. 7 c. 10. q. 3. Toletus lib. 6. c. 3. num. 4. & alij. Ratio est, quia abstinentia ab esu carnium est de substantia ieiunij; ergo qui dispensatus est quoad comestionem carnis, eo ipso dispensatus est in ieiunio.

Tertia opinio distinguit. Vel enim dispensatus ad esum carnis edit carnes, quia pisces nocere saluti solent, vel vt vires amissas recuperet, quia est quasi actualiter infirmus; priori modo dispensatus tenetur ad ieiunandum: aliter vero minimè: & ideò pluries edere potest. Ita docent Reginaldus tom. 1. lib. 4. c. 14. num. 168. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 45. Bonacina de legibus, disp. 10. quæst. 1. punct. 2. n. 3. Fernãdez in exam. theol. mor. p. 3. cap. 9. §. 5. Petrus Cenedo in qq. canon. q. 40. num. 6. & Ortiz in summ. c. 19. n. 20 cum alijs. Omnes istæ tres opiniones sunt probabiles, sed secunda videtur mihi probabilior, & tuta in praxi, vt testatur Villalobos in sum. to. 1. tract. 24. dub. 8. num. 9. in fine.

An dispensatus vt possit edere carnes, seu lacticinia, possit simul edere pisces?

RESOL. XXVI.

NEgatiuam sententiam docet doctus senex Nauarrus to. 1 cons. 5. de obseruat. ieiun. quem postea sequutus Graffius part. 1. lib. 2. cap. 37. nu. 59. Et ratio est, quia piscium esus ei nocet, vel non nocet. si nocet, ergo comedendo illos peccat; si non nocet, ergo sine iusta causa cum ipso dispensatur.

Sed contrariam sententiam docent communiter DD. vt Reginaldus tom. 1. lib. 4. c. 14. n. 168. Filliuc. tom. 2. tr. 27. part. 2. c. 3. n. 52. Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. tract. de Bulla, § 8. dub. 4. Sebastianus Acosta in explicat. Bull. quæst. 80. Fernandez in Exam. Theol. mor. par. 3. cap. 9. §. 5. nu. 3. Azorius p. 1. lib. 7. cap. 10. q. 5. Ortiz in summa, c. 19. nu. 18. & 19. Fagundez præcept. 4. lib. 1. cap. 2. n. 18. & Villalobos in sum. to. 1. tract. 23. dub. 8. num. 10. qui respondent ad argumẽta Nauarri. Et ratio est, quia hoc sine peccato fieri aliquando potest, vt si vnà cum carnibus non noceant pisces, vel quia parum de ipsis comedendo facultas appetitiua excitatur, vel dato quod contra temperantiam pecce-

peccetur, non tamen ieiunium frangitur, a quo ex iusta causa dispensatio concessa fuit. Circa præsentem quæstionem, vide Vegham in sum. to. 1. c. 4. cas. 17.

An qui in diebus ieiuniorum notabiliter anticipat horam comedendi, peccet mortaliter?

RESOL. XXVII.

Affirmatiuè responder ex neotericis nouissimè Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 13. numer. 4. & ex eadem Societate Reginaldus to. 1. lib. 4. cap. 15. nu. 191. Azorius p. 1. lib. 7. cap. 11. q. 4 quod antea docuerat Caietanus in 2. 2. q. 147. art. 7. Nauarrus in man. c. 21. num. 27. Paludanus in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. conclus. 1. Couarr. lib. 4. var. resol. c. 20. nu. 14. Syluest. ver. ieiunium, n. 13. Homobonus de examin. Eccl. p. 1. tr. 6. c. 20. q. 90. Ledesma in sum. tom. 2. tr. 17. dub. 4. ante 5 concl. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 4. art. 4. dub. 8. concl. 2.

Hæc opinio est probabilis, sed contrariam probabiliorem esse existimo, & illam docet Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 14. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 10. c. 5. n. 16. Toletus in summ. lib. 6 cap. 2. nu. 8. Villalobos in summ. to. 1. tract. 23. dub. 9. nu. 2. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2 c. 4. num. 70. Bonacina de legibus, disp. vlt. q. 1. punct. 4. num. 3. Fernandez in Exam. Theolog. moral. part. 2. cap. 8. §. 3. nu. 6. Angelus ver. ieiunium. num. 2. Innocentius de Rubricis de obseruat. ieiun. nu. 3. Palat. in summ. Caietan. ver. ieiun. Riccard. in 4. dist. 15. art. 3. qu. 8. in fin. Vide etiam Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 11. Ratio est, quia talis anticipatio est solum mutatio accidentalis ieiunij, ergo non est peccatum mortale. Quod vero si mutatio accidẽtalis patet; nam hora comedendi ex successu temporis magnã habuit varietatem in Ecclesia; ergo determinatio horæ in ieiunio, numquam fuit de ipsius essentia; quia, quæ sunt de essentia, immutari non possunt absque immutatione eius, quod per ea constitutum est. Adde quod si per talem anticipationem violaretur ieiunium, non teneretur quis adhuc amplius ieiunare; sed hoc asserere est absurdum, ergo, &c.

Notandum est verò, quòd si sine causa anticipetur notabiliter dicta hora comedendi, erit peccatum veniale: quòd si aliqua iusta causa subsit, neque veniale peccatum erit, vt si iter ineundum sit, vel hospites dimittendi, concio habenda post meridiem, prælectio in Academia, vel alia grauis occupatio, quę liberam mentem à cibo, & potu requirit.

Sed dices, stando in contraria opinione, quæ asserit hoc esse peccatum mortale, quantum possit absque dicto mortali peccato præueniri dicta hora comedendi, Molfesius nimis laxe in summ. tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 15. putat per horam circiter: nimis scrupulosè Azorius part. 1. libr. 7. cap. 11. q. 4. per quadrãtem: sed probabiliter, & sine formidine Azorij, Filliucius to. 2. tract. 27. p. 2. c. num. 73. putat mediam horam, quia eiusmodi anticipatio non est notabilis, quicquid in contrarium sentiat Fagundez præcept. 4. libr. 1. c. 3. nu. 4. vbi putat semihoram esse tempus notabile. Ergo, &c.

Sed in nostra sententia, quę in hac anticipatione non agnoscit culpam mortalem, dicta anticipatio medıæ horę non esset, vt bene notat Filliucius, neque peccatum veniale; secus si vltra mediam horam anticipatio efficeretur, nam ita esset culpa tantò grauior venialiter, quantò ab eo longius recederetur. Cùm verò Religiosi habeant priuilegium anticipandi prandium per horam, sequitur posse dictos Religiosos priuilegiatos, per horam cum dimidia absque vlla culpa prandium ante meridiem præuenire.

An pater, seu dominus teneatur compellere filios, & seruos ad obseruanda ieiunia, quæ frangere volunt?

RESOL. XXVIII.

Respondet affirmatiuè vir doctus Petrus de Ledesma in summa, tom. 1. tract. 27 cap. 2. conclus. 6. Sed negatiuam sententiam existimo sustinendam esse. Dico igitur, quòd patres, & domini tenentur monere, & curare leges charitatis, vt sui subditi ieiunium seruent, non tamen tenentur illos compellere, aut cogere ad ieiunia seruanda; nam id durum nimis, & rigorosum esset. Ita docet Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. cap 6. n. 91. & Vegha in summ. tom. 1. cap. cas. 27. (Lo qual *subdit ipse* se han de entender quando los tales hijos, criados, y sieruos de su casa, y familia no ayunaren, aunque se le mande el padre de la familia, antes buscaran à escondidas, ò pidiendo à los estraños el almuerzo, y la cena deuenles empero negar la cena aunque digan, que es auaro.) Et ita etiam docuit Rodriquez in summ. tom. 1. capit. 23 concl. 4. nu. 8. & Ortiz in summ. capit. 19. mand. 2. nu. 14.

Igitur in tali casu paterfamilias tenetur supradictos monere, & corrigere, non autem cõpellere, seu ex domo eijcere; & post hæc scripta inueni hanc sententiam etiam docere Homobonum de Bonis in examin. Eccles. p. 1. tr. 8. c. 7. quæst. 21. Comitolum in respons. mo. lib. 4. q. 56 Azor. p. 1. lib. 7. cap. 33. q. 12. Nauarr. c. 21. nu. 26. Tolet. lib. 6. c. 5. & Reginald. in praxi, to. 1. lib. 4. c. ..... n. 199. cum alijs.

An qui ne inurbans videatur sumendo modicum cibum ab amico rogatus, peccet saltem venialiter?

RESOL. XXIX.

Affirmatiuè respondet Caiet. in 2. 2. qu. 148. art. 3. Syluest. ver. ieiun. quæst. 4. Nauarrus in man. c. 21. numer. 13. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 2. & ibidem Riccardus qu. 3. art. 4. D. Antoninus p. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. Et ex neotericis tenet etiam hanc sententiam Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 4. art 4. dub. 1. concl. 1. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 6. num. 4. Azorius p. 1. libr. 7. c. 9. qu. 1. & ante illos Hieronymus Llamas in summa, p. 3. c. 5. §. 25. qui acriter inuehitur in contrarium sentientes: & ideò ait quod quis ab amicis rogatus possit comedere etiam ieiunans, licentia est fratris Bartholomæi de Medina, sed non nostra, neque doctissimorum virorum, imò neque Ecclesiæ, in totum fraudatiua ieiunij; inter Christianos enim rogatus vt comedat, si respondeat, ieiuno hodie, neque inurbanus est, neque amplius rogatus ab aliquo, neq; in minimo amicitia deperditur. Et scio experientia, ex hac Medinæ licentia, multos tota die cum ieiunij irrisione, ambulare de domo in domum vt inuitentur. Ita Llam.

Sed non benè loquitur hic author, licèt vir doctus, contra Medinam; nam eius sententiam puto probabilissimam: quam docet in summ. libr. 1. cap. 14. § 10. & nouissimè tenet Petrus de Cenedo in quæst. canon q 41. num. 7. & etiam post illum ex Societate Pater Fagundez præcept. 4. lib. 1. cap. 4. num. 15. qui notat immeritò Llamas, carpere Medinam, cum asserat ex eius licentia multos tota die cum ieiunij irrisione diuersuros de domo in domum, vt ab amicis inuitentur. At quis non videt hanc consequentiam indignam esse viro Theologo: Nam Medina ita ait: (Però si rogandole vn amigo despues de hauer hecho collacion, toma vn bocado para hauer por via de amistad, no es pecado alguno.) Vbi nec pluries hoc fieri posse asserit, nec quod vtatur hac cautela, quod ipse amicus quæreret, vt ipsum inuitent. Et ideò sententiam Medinæ, Fagundez vbi supra n. 3. etiam de culpa veniali excusat propter quamdam vrbanitatem. Vnde hoc etiam docuit Filliucius tom. 1. tract. 27. p. 2. c. 2. n. 41. Sed circa præsentem quæstionem, vide etiam Emanuel Sa ver. ieiunium, n. 8. Vegham in summa, tom. 1. c. 14. cas. 2. Ledesmam in summ. to. 2. tract. 27. c. 2. dub. 3.

An fœmina grauida ad vincendas carnis tentationes teneatur ieiunare cum periculo prolis?

RESOL. XXX.

Hic casus curiosus est, & pauci de illo tractant. Affirmatiuam sententiam docet Fagundez in Exam. Theol. moral. part. 4 cap. 12. §. 6. nu. 1. vbi sic asserit. Euentus occurrit memorię a nemine hactenus agitatus, dignus tamen notatu, & explicatu. Patitur mater graues concupiscentiæ tentationes, ad incontinentiam prouocantes, sed potiùs cogentes: experimento didicit, nulla vi eos se superaturam, nisi ieiuniorum macie, & debilitatione; verumtamen apertè videt prolem, aut perituiã, aut notabile salutis detrimentum passuram propter lactis, seu matris virium defectu. Quid igitur? debet ne propriam salutem spiritualem, & continẽtiam ante ferre prolis salutı corporali? Arbitror posse, & debere iuxta charitatis ordinem, qua docemur spiritualia corporalibus anteponere, tum nostra, tum aliena;

aliena, atque subsequuta mors, vel debilitas prolis, per accidens subsequetur. Ita ille.

Contra quem nouissimè insurgit Homobonus de Bonis in Exam. Eccles. part. 2. tractat. 8. cap. 7. quæst. 17. vbi ait. Non est audiendus Fernandez, qui dicere ausus est fœminam grauidã, quæ carnis stimulis, ad incontinentiam lacessentibus, vrgetur, teneri etiam cum prolis, vel fœtus discrimine, & extinctione ieiunare, si existimat se eos non nisi abstinentiæ macie, & debilitatione superaturam. Nam cum alia remedia, vt orationem, Sacramẽtorum frequentationem, pia consilia, & alia huiusmodi adhibere possit, non debet tantæ iacturæ ipsam prolem exponere. Sic Homobonus, & ego.

An in Quadragesima licitum sit sine Bulla Cruciatæ edere, quod vulgo dicitur, vn Biscotto?

RESOL. XXXI.

Negantem sententiam amplexus est vir doctissimus Ioannes de la Cruz in director. conscien. part. 1. præcep. 3. art. 4. dub. 8. conclus. 4. in fine. vbi asserit. Nota esse peccatum mortale comedere in Quadragesima biscochos sine priuilegio. Nec valet, quòd substantia oui est versa in aliam substantiam aliàs liceret comedere cibum album ex carne confectum, cum sit substantia carnis, versa sit in aliam substantiam. Idem etiam docuit Vegha in summ. to. 1. c. 14. cas. 9.

At his non obstantibus, affirmatiuam sententiam tenet Pater Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. dub. 7. nu. 3. ita asserens. [Es materia de colacion vn biscocho non ostante que lleuan hueuos, que moralmente se iuzga aquello per colacion, y ansi me parece, que esta en vso. Suele lleuar vn biscocho la quarta parte de vn hueuo:] & licèt dubius circa præsentem quæstionẽ maneat Rodriq. in summ. tom. 1. cap. 23. ante 1. concl. tamen in fine sic asserit. [Attento que la substancia del hueuo es poca, no es materia de peccado mortal, porque los que hazen los biscochos, affirman que cada vno dellos lleua muy poco de vo hueuo, y assi me lo han certificado.]

Igitur, & propter consuetudinem, & propter paruitatem materię, hoc edulium comedentes, excusantur à peccato. Vnde si magnam quantitatem ex ipsis comederent, peccarent etiam secundum hos DD.

Sed post hæc scripta, inueni Ledesmam docere etiam hanc sententiam in summ. to. 2. tract. 27. cap. 2. diff. 5 fol. mihi 690. vbi ita asserit. [No tengo peccado mortal en la colacion comer vn biscocho, o dos. La razon es, porque aunque no sea licito, comer hueuos en su propria forma, ni conuertidos en otra substancia, però la cantidad de hueuos, que se alla en dos, ò tres biscochos, es muy pequeña, como es cosa notoria, y lo dizeo los que hazen biscochos, y ansi està anganado Rodriquez en dezir, que cada biscocho lleua vn hueuo. Lo que digo en la colacion, digo al comer por la misma razon.] Ita ille. Qui tamen immerito carpit Rodriquez; nam ipse numquam dixit, quòd tale edulium contineat vnum integrum ouum, vt ex ipsius verbis supra apparet; & in hoc etiam fallitur Vega vbi supra to. 1. ca. 14. cas. 9. qui etiam citat Rodriquez ita asserentem.

An qui è medio prandio surgit, ad aliquid occurrens, possit postea redire ad continuandum prandium?

RESOL. XXXII.

Respondeo affirmatiuè cum Fagundez præcept. 4. lib. 1. c. 4. num. 3. Fernandez in examin. Theol. mor. part. 1. c. 8. §. 3. num. 8. Toletum lib. 6. cap. 2. num. 7. dummodo non habuerit animum amplius non comedendi; & interruptio sit parua; quæ quando talis sit, remittitur ad arbitrium boni viri. Ita Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 177. Azorius part. 1. lib. 7. capit. 11. quæst. 1. & alij, licet Bonacina de leg. disput. vlt. quæst. 1. punct. 3. num. 10. putet hoc esse licitum, etiam si longa temporis mora intercesserit, dummodo vt diximus, surgat à prandio animo postea continuandi: Vnde putat Sancius in selectis disp. 52. nu. 4. hoc etiam esse licitum, quamuis spatium duarum horarum intercurrerit.

Notandum est tamen; quod in hoc casu probabiliter putat etiam Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. nu. 11. & Layman in Theolog. mor. libr. 4. tr. 8. c. 1. num 6. quòd si quis surrexerit à mensa animo nõ redeundi, si fortè prandium adhuc duraret, posse iterũ mutata intẽtione ad conuiuas redire, à quibus recesserat; quod postea etiam docet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 6. n. 2. qui etiam addit, quod [si el que tenia cogida ya la seruilleta, pensando, que se hauia acabado la comida, si despues le traen otra cosa que comer, no quiebra el ayuno comiendola, porque no es mas de vna comida, y supiera, que hauia mas, esperara.]

Sed plus addit Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 4. q. 10. nu. 41. nempe, quòd si etiam non adesset alius conuiuia, si prandium instauraret intra breue tempus, vt quadrantem horæ, vel paulò magis, probabile est non frangi ieiunium; quia reputatur vna comestio moraliter; quod etiam antea docuerat noster Molsesius in summ. tract. 10. to. 1. cap. 5. num. 27. vbi sic asserit. Quando est modica interruptio, etiam sine animo repetendi prandium non iudicatur fractio ieiunij, vt surgens à mensa accedẽs in aulam, vel alio, vt comedat electuaria, siue res de sacharo, & sic de alijs. Ita Molsesius.

Notandum est etiam, quod Portel. in addit. ad dub. regul. ve. ieiunium, nu. 10. putat spatium mediæ horæ, non esse magnam interruptionem, vt non possit quis redire ad cœnam, nisi, addit, quod manducauit, esse sufficiẽs ad sustentationem ieiunij, nam non posset iterum comedere absque fractione ieiunij.

An in die ieiunij licitum sit collationem serotinam manè sumere; & nocturno tempore cœnam capere?

RESOL. XXXIII.

Negatiuam sententiam sub onere peccati mortalis docuerint Azorius p. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 6. Llamas in summa, part 3. cap. 5. §. 26. Fagundez præcep. 4. lib. 1 cap. 4. num. 16. cum alijs, quia (ait ille) collatio serotina non à iure, sed à consuetudine introducta est; ergo serotina tantum collatio licita erit, & non matutina; cum adhuc matutina per consuetudinem non sit introducta.

Hæc sententia est probabilis, sed probabiliorem esse contrariam existimo. Dico igitur, sine rationabili causa collationem serotinam manè sumere, esse tantum peccatum veniale. Et ita docet Layman in theol. mor. lib. 4. tr. 8. cap. 1. nu. 10. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. c. 8. § 3. nu. 7. Toletus lib. 6. c. 2. n. 8. Filliucius to. 2. tr. 27. p. 2. c. 2. n. 28. Lessius libr. 4. c. 2. dub. 2. num. 1 1. Villalobos in summ. to. 1. tract. 23. diff. 7. nn. 2. & alij. Ratio est, quia ita faciendo non violatur substant à ieiunij, sed tantum mutatur circumstantia illius cænulæ.

Notandum est tamen, quod mutatio talis refectiunculę, si efficiatur ex iusta causa, vt v. gr. propter studium, propter aliqua negotia agenda in die, propter iter, propter lectionem prælegendam, vel sermonem faciendum, propter vigilias nocturnas, vel quid simile, tunc inquam talis mutatio, non erit neque peccatum veniale. Ita docent DD. citati, quibus adde Cenedum in quæst. Canon. q. 45. nu. 6. in fin. Beiam part. 1. cas. 3. Naldum in summ. ver. ieiunium, nu. 8. Molsesium in summ. tom. ... trac. 10. cap. 5. nu. 37. & alios.

An iusculum ex pane cocto, vel pane cum amygdalis, in serotina collatione adhiberi possit: etiam si sumatur in ea quantitate, quæ separatim sumi posset?

RESOL. XXXIV.

Respondet negatiuè Layman in Theol. Moral. libr. 4. tr. 8. c. 1. num. 9. & Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 2. num. 3 1. quia, vt ipse asserit, si aliud genus ferculi, quod non ingredi solet ientaculum, sed apponitur in mensis ad aleodum. Agente enim igne, ea quæ separatim cibi leuiores sunt, euadunt cibi ad sustentandam naturam; inctassantur enim, & fit quoddam artificiale diuersum. Vnde aqua ipsa, quæ antea erat potabilis, & sumi poterat in qualibet quantitate, absque fractione ieiunij; postea sumitur per modum cibi, & certis limitibus tantum sumi potest, nisi frãgendum sit ieiunium. Vt omittam multò plus ponderare, eiusmodi iusculã, quàm res separatas, ex quibus cõfecta sunt, atque adeo demum esset ex his, quod superat debitam mensuram. Ita Filliucius.

Non reticeam tamen Azorium part. 1. libr. 7. cap. 9. q. 8. contrarium docere, vbi sic asserit. Quæres, an liceat aliquid tuculenti

lenti sorbendo sumere loco refectiunculæ vespertinæ. Respondeo fas esse, dummodo iusculum cum aliquo cibo in diebus ieiuniorum vetito coctum non sit; sed tantum, vel cum pane, vel cum fructibus, aut herbis. Ita ille, quem postea sequutus est Reginaldus in praxi, to. 1. lib. 4. c. 14. n. 185. & Bonacina de legibus disp. vlt. punct. 3. qu. 1. nu. 3.

An collatio serotina in vigilia Natiuitatis sit sumenda in magna quantitate, ratione consuetudinis?

RESOL. XXXV.

PRima opinio negat. Ita Nauarrus in man. cap. 21. num. 15. reprobans contrariam consuetudinem. Idem docet Rodriquez in summ. tom. 1. cap. 23. num. 10. Anton. Berard. in summ. cap. 22. num. 23. Angles in 4. tract. de ieiun. quæst. 9. art. 2. diff. 4. dub. 1. & alij.

Secunda opinio affirmat, vbi talis consuetudo adesset, & sic docet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 7. num. 5. Ledesma vbi sup. Llamas, Beia p. 1. cas. 3. Medina in instruct. fac. p. 1. c. 14. §. 10. & alij.

Tertia opinio distinguit, & est Petri de Cenedo in quæst. canon. quæst. 41. nu. 5. vbi sic asserit. In diœcesibus, & prouincijs, vbi sic vsu receptum est, vt in vigilia Natiuitatis Domini assumi possit in collationem, quantum libuerit ex varijs fructibus, neque Prælati reclamant, sed potius ipsi Confessores, & Prædicatores eam consuetudinem sequuntur; huiusmodi certe consuetudo excusabit à transgressione præcepti ieiunij, & in hoc casu procedit opinio affirmans. Si autem in aliquibus prouincijs ab hac consuetudine reclamant Prælati, neque viri timorati eam acceptant, non excusari a culpa; quia videtur potius corruptela, quam consuetudo rationabilis, & in hoc casu procedit opinio negans. Ita Cenedus.

Quid ego sentiam, dicam breuiter. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles. Sed quia Azorius p. 1. l. 7. c. 8 qu. 8. affirmat vbicumque in vigilia Natiuitatis fere esse consuetudine introductum, vt duplo maior solito collatio serotina efficiatur. Ideo puto cum Fagundez præcept. 4. lib. 1. c. 24. nu. 19. in tali die, posse sumi pro refectiuncula vncias sexdecim plus minusue ex pane, vel ex dulciarijs.

Sed an talis extensio militet etiam pro Religiosis difficultas est; nam Hieronymus Llamas in summ. p. 3. c. 5. §. 25. putat talem consuetudinem inualuisse apud Religiosos; sed hoc mordicus negat Villalobos, vbi supr. in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 7. nu. 5. Ledesma in summ. tom 2. tract. 27. cap. 2. conc. 4. in fin. vbi ait. [Entre los Religiosos esta costumbre non ba preualecido,] & in nostra Religione certum est non extare. Ideo negatiuè respondendum videtur.

Notandum est ex his, curiales Romanos non frangere ieiunium, facientes collationem, vulgo dicitur grossam, secundùm consuetudinem Romanæ Curiæ; quia tales videntur generaliter dispensari, postquam Papa sciens eam tolerat, nec Confessores, & Prædicatores eam damnant; licet hoc, vt bene obseruat Cenedo vbi sup. num. 4. non quia efficitur, & committitur Romæ, in alijs Prouincijs, & Regnis extendendum est. Vide Caiet. in ver. ieiunium, iuxta finem, Armil. in summ. verb. eodem, n. 12. Toletum lib. 7. c. 8. in fine, & alios.

An ieiunium indictum ab Episcopo certo die, vel fixa lege, & constitutione, obliget Regulares?

RESOL. XXXVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 5. num. 6. vbi sic asserit. (Tengo por cierto, que si el Obispo dixesse vn dia de ayuno en vn lugar, tendrià los Religiosos, que alli viuen obligacion de guardarle, porque aunque el Obispo no es superior, quoad vim coactiuam tienen obligacion à conformarse con los demas.) Vnde Regulares tenentur obseruare dies festos indictos ab Episcopo. Ergo & ieiunia.

Sed contrariam sententiam, secluso scandalo, merito docet Suarez de legib. lib. 4. c. 20. num. 8. Azotius p. 1. libr. 7. cap. 30. qu. 2. Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 7. num. 4. Llamas in summ. p. 1. c. 5. § 28. in fin. vbi ait. Ieiunia imposita ab Episcopo Religiosos non obligat, vt patet argumento Concilij Tridentini, vbi Regulares obligans ad obseruationem festorum, quæ Episcopus in sua diœcesi statuerit obseruanda, non obligauit, neque mentionem fecit ieiunorum. Vnde patet responsio ad contrarium argumentum.

Notandum est tamen, quod si in aliqua ciuitate, vel loco recepta sint generali consuetudine nonnulla ieiunia, ea quoque obligare Regulares. Ita DD. citati.

An qui vouit certa die ieiunare, toties peccet mortaliter, quoties carnes comedit?

RESOL. XXXVII.

AFfirmatiuè respondet Azorius p. 1. libr. 7. capit. 10. quæst. 8. nam in die ieiunij, verum est quod plures comedendo pisces, vel lacticinia, non peccetur toties mortaliter, sed tantù in secunda comestione, vt docet Durandus in 4. dist. 15. qu. 11. Paludanus ib. q. 4. art. 5. Gabriel dist. 16. qu. 3. art. 2. dub. 5. Caietanus in 2. 2. q. 146. art. 8. Angelus ver. ieiun. quæst. 22. Syluester eodem ver. qu. 8. Rosell. eodem ver. num. 4. Arm. eodem ver. n. 14. Tabiena eodem ver. quæst. 9. D. Antoninus part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 9. Nauarrus in man. cap. 21. num. 15. Regius in suis resolut. cas. 9. nu. 1. & sequ. Binsfeldius in enchirid. Theol. Pastor. p. 3. c. 33. concl. 5. Filliucius tom. 2. tr. 27. p. 2. cap. 2. num. 23. Lessius li. 4. c. 2. dub. 3. nu. 13. Reginaldus tom. 1. lib. 4. c. 14. num. 179. Villalobos in summ. to. 1. tr. 23 diff. 6. nu. 6. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 4. art. 4. dub. 1. concl. 1. Fernãdez in examin. Theol. moral. p. 2. c. 8. §. 3. n 10. Rodriquez in summ. to. 1. c. 23. nu. 1. Henriquez lib. 7. cap. 13. nu. 12. in glossa, litt. S. Coninch. de Sacram. q. 74. art. 4. dub. 3. n. 103. & alij, quicquid in contrarium asserat Medina Complutensis q. 5. de ieiunio, & Couarru. lib. 4. var. c. 20. nu. 13.

Tamen aliter dicendum est, si quis comedat carnes, nam toties peccabit, quoties illas comederit, vt notat Filliucius to. 2. tract. 27. p. 2. c 5. n. 81. Toletus lib. 6. cap. 3. Lessius vbi supr. nu. 17. Ortiz in summ. c. 19. mand. 2. num. 9. Homobonus de Exam. Eccles. p. 2. tract. 8. cap 7. quæst 20. Graff. in decis. p. 1. lib. 2. c. 37. num. 49. Fagundez præcept. 4 lib. 1. cap. 4. num. 9. & Ledesma in summ. to. 2. tract. 27 ca. 2. fol. mihi 689. cum alijs communiter ex DD. citatis.

His suppositis, pro sententia Azorij sic argumentatur, votum ieiunij obligat initar præcepti Ecclesiastici de ieiunio: at Ecclesia ieiunium præcipiendo, ita abstinentiam à carnibus inducit, vt sit peccatum mortale toties quoties eduntur. Ergò ita erit in ieiunio voti.

Hæc sententia est probabilis. Sed non minus probabilem, contrariam existimo, quam docet Bartholo. à S. Fausto in thes. relig. lib. 1. quæst 140. num. 2. quia sic vouens non permittit per se, & directè abstinentiam carnium, sed indirectè, & accessoriè, in quantum scilicet ieiunium absque ipsa consistere nequit; quare cum semel violato ieiunio cesset obligatio principalis ieiunij, cessat quoque obligatio accessoria abstinentiæ à carnibus. Secus autem esset, si hic expressè permitteret in die vnicam, comestionem: tunc enim peccaret toties, quoties præter vnicam comestionẽ, ederet carnes illa die. Sic Faustus, qui postea etiam assignat differentiam inter ieiun um ex præcepto Ecclesiæ, & ex voto. Vnde patet responsio ad argumentum in fauorem Azorij supra positum.

An licitum sit eum qui paratus est cœnare, inuitare causa vrbanitatis ad cœnandum?

RESOL. XXXVIII.

NEgatiuam sententiam docet Lessius li. 4. cap 2. dub. 3 o. 20. cum Fagundez præcept. 4. lib. 1. cap. 10. nu. 12. Et ratio est, quia nemo potest inuitari, aut incitari ad id, quod sine peccato præstare non potest. Sed hic non potest sine peccato comedere, vt supponitur, ergò non erit licitum illum ad cœnam inuitare.

Hæc sententia est probabilis. Sed contrariam sententiam probabiliorem esse puto cum Azorio p. 1. lib. 7. cap. 31. qu. 12. & Salas de emptio. dub. 47. n. 10. qui citat Sa, & alios. Idem etiam docet Naldus in summ. verb. ieiunium, nu. 1. Nauarrus, & Caietanus in Manu. cap. 21. num. 24. Idem docet Tannerus in 2. 2. disp. 3. q. 3. dub. 5. nu. 94. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3.

lib. 3. cap. 25. in fin. & nouissimè Franciscus Ortiz in summa, c. 19. mandam. 2. nu. 10. vbi sic asserit. (El que por causa de vrbanidad, ò de hospicio da comida al que està aparejado à no ayunar, no pecca.) Et ratio est, quia in ea circumstantia non inuitas illum ad cenandum absolutè, sed ad cenãdum in domo tua, & non alibi: & sic non offers cœnam, sed offers locum, in quo cœna fieri potest. Probat hoc etiam Nauarrus, quia licitum est ex iusta causa inuitare ad actum per se, & suo genere bonum, vel indifferentem, nullo modo consentiendo in eum, quatenus ex malitia alterius efficitur malus. Cœteras rationes vide apud Philiarchum vbi supra.

Post hæc scripta inueni sententiam Nauarri, etiam docere Filliucium tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 5. num. 94. & Villalob. in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 3. nu. 2. vbi sic asserit. [Si alguno conuida à cenar al que sabe, que si no cena alli, ha de cenar en otra parte, no sera peccado conuidarle, segun Cayetano, y Nauarro: porque esto no es conuidarle a que cene, que ya hauia de cenar, sino que cene alli, y no en otra parte, y como hauia de cenar à su costa, cena a la del que lo conuida.) Ita ille. Vnde apparet ex authoritate tantorum virorum, quam probabilis sit hæc opinio.

Ex his infertur, primo vendentes in diebus ieiuniorum cibos prohibitos, non peccare, quia tales bona fide vendunt, & non videntur cooperari peccato illorum, qui mala fide emunt, & in illis diebus multi sunt, qui iis cibis indigent, nec venditores vlla lege tenentur explorare voluntatem, & causas emptorum; ergo si venditor certò non nouerit emptorem in emendo peccare, non peccat vendendo, si vel publicè, vel secretò vendat. Ita Fagund præcep. 4. li. 1. c. 1c. nu. 10. & alij aduersus Reginaldum to. 1. lib. 4. c. 16. n. 202. Secundò, infertur, quod seruus, & ancilla, qui condiunt, & porrigunt cibos, & mensam heris non ieiunantibus sternunt, mensæque ministrant, nullius culpæ participes efficiuntur. Ita Azorius p. 1. lib. 7. c. 31. qu. 11. & p. 2. li. 12. c. vlt. q. 5. Villalobos vbi sup. Caietanus in 2. 2. q. 147. ar. 4. & alij. Sed ex supradictis oritur alia quæstio. Ideo quæritur,

An caupones, seu tabernarij proponentes cœnam in die ieiunij omnibus indifferenter, peccent mortaliter?

RESOL. XXXIX.

QVando probabiliter credunt illos excusari à ieiunio, posse tales cibos ministrare putat Philiarchus de off. sacerd. to. 1. part. 2. libr. 3. capit. 25. & alij. Immò quando dubitant, quia suum non est hoc discutere, & vnusquisque præsumitur bonus. Ita Reginaldus in praxi, to. 1. lib. 4. cap. 16. num. 200. Valentia to. 3. disp. 9. qu. 2. punct. 2. vnde non tenentur eos interrogare de hoc, an scilicet habeant causam: quicquid in contrariũ asserat Lessius lib. 4. c. 2. dub. 4. nu. 24. & Filliuc. to. 2. tr. 27. p. 2. c. 5. n. 93. vt optimè contra illos notauit noster Molfesius in sum. to. 1. tr. 10. c. 5. nu. 30. & Sanchez in sum. to. 1. lib 1. c. 7. n. 34. cum Homobono vbi supr.

Tota igitur difficultas est, quando credunt alterum à ieiunio non excusari. Prima opinio affirmat tales peccare mortaliter. Ita Toletus in summ. lib. 6. cap. 5. Fernand. in exam. Theol. part. 2. c. 8. §. 2. num. 22. Nauarrus in Man. c. 21. num. 16. Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 9. Medina, & alij. Secunda opinio negat. Ita Ledesma in summ. tom. 2. tract. 27. cap. 2. concl. 6. diff. 4. fol. mihi 698. vbi sic asserit. (Si sabiendo que algunos tienen determinacion de quebrar el ayuno, ò comer carne, no peccan los mesoneros ministrãdoles semejãtes majares, esto enseñan comunemente los doctores. La razon es porque en tal caso los mesoneros no concurren al quebrantamiento del ayuno, pues ellos estan determinados de quebrantarle ò comer manjar cõtrario. Aduiertase que en tal caso, no tienen obligacion a negar a los huespedes, comer por via de correcion fraterna, porque de ordinario los mesoneros no pueden corregir à los huespedes que passan, particularmente siendo gente authorizada, y tambiẽ que si les niegan los manjares, los hallaran en otros mesones, ò en otras partes, por lo qual no tienen semejante obligacion.) Ita ille. Et pro hac sententia Sanchez citat Salonium, Martinum Ledesmam, Rodriquez, & alios & nouissimè illam docet Homobonus de exam. Eccles. p. 2. tr. 8. c. 7. q. 21.

Tertia opinio distinguit. Vel caupo potest sine incommodo notabili negare supradictis cœnam, vel non potest; si non potest non tenetur, si potest tenetur: quia ex charitate obligatur impedire offensionem Dei, quantum commodè potest. Sed etiã in tali casu si supradicti essent aliò ituri, & cœnaturi, potest præbere illis cœnam, quia peccatum non potest sic impediri. Et ita sentit Filliuc. tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 4. nu. 93. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 4. num. 24. Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. cap. 7. nu. 35. & alij.

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles. Sed secunda magis mihi placet, & in praxi quasi semper sustinenda videtur, quia moraliter loquendo, vt idem met Sãchez obseruat, tabernarij, & caupones dicti nunquam ob hanc causam peccabunt mortaliter; quia etiam si tales cibos, & cœnam non ministrent, alibi hospites sunt empturi, aut cœnaturi. Deinde, confluentes ad eos, communiter sunt viatores, operarij, aut pauperes, & ideo probabiliter possunt existimare hos habere causam frangendi ieiunium. Et licèt apud ipsos etiam confluant viri nobiles, & perditæ vitæ, tamen non tenentur illis denegare cenam; quia cum caupones sint infimæ sortis, & illi effrenatæ linguæ, iniurijs, & contumelijs afficientur. Et quod magis vim facit, quia si tali pacto cum confluentibus ad eorum tabernis agerent, pauci ad illas confluerent, & sic notabile detrimentum in bonis sustinerent. Igitur ex his, Confessarius dictis tabernarijs scrupulos non inijciat, sed illos absoluat.

An defessus ex labore sumpto ob recreationem, vel ex ludo pilæ, vel ob quærendam concubinam teneatur ad ieiunium?

RESOL. XL.

REspondent aliqui distinguendo. Vel talis præuidit, aut præuidere debuit, quod ex illo impedimento voluntariè à se suscepto, non valebit ieiunare, & ita peccabit mortaliter ob suam causam non ieiunando; vel non præuidit, aut expertus est ex illo impedimento sequi necessitatem non ieiunandi, & in hoc casu non peccabit postea non ieiunando, nec in se, nec ob suam causam, & ita ad hunc casum respondet Ortiz in sum. c. 19. n. 17. Homob. de exam. Eccles. p. 2. tr. 8. c. 7. q. 23. & tr. 9. c. 4. q. 74. Io. de la Cruz in direct conf. p. 1. præcep. 3. art. 4. dub. 9. cõcl. 3. Rodriquez in sum. to. 1. c. 23. n. 6 & alij. At his minimè obstantibus contrariam sententiam docuit Medina in sum. li. 1. c. 14. §. 10. vt notauit Ledesma in sum to. 2. tr. 27. cõ. l. 6. c. 2. diff 5. folio mihi 699. vbi sic asserit (No pecca el que pone impedimẽto al ayuno, esto enseña Medina en su suma, y pone exemplo en los caminantes de apie, aunque tomen el camino por su passatiempo, los quales no tienen obligacion de ayunar llegando fatigados, trabajados, y dize que esto tiene verdad, aũque el camino se hiziesse por ver à su amiga si despues cansados, y fatigados, el tal pecara contra otro precetto de no fornicar, però no peccara contra el precetto del ayuno, tambien se puede traher otros exemplos.) Ita Ledesma, qui probabilem putat esse hanc opinionem, & paulò post addit exemplum de ludo pilæ.

Hanc sententiam docet absolutè Filliucius Medinã sequens tom. 2. tr. 27. part. 2. § 6. num. 123. & Villalobos in summ. to. 1. tract. 23. diff. 4. num. 11. vbi ait. (Esta escusado el que hauiendo hecho alguna obra, se cansò en ella por su culpa, de suerte que no puede ya ayunar, como si iugo demasiado la pelota, con que no lo aya hecho en fraude de la ley, y si lo hizo en fraude de la ley, pecco quando lo hizo, mas ya despues de hecho no pecca en dexar de ayunar.)

Notandum est etiam, quod Ledesma vbi sup. putat talem nõ esse obligatum relinquere ludum pilæ propter ieiunij obseruationem; quia ludus pilæ non est medium de se ordinatum ad cõplementum, & obseruationem ieiunij, nec Ecclesia obligat ad abstinentiam à ludo, vt ieiunio quis vacet. Ergò, &c. Licèt cõtrarium asserat Villalob. & alij. Sed circa præsentem quæst. vide infra in resol. 46.

In quibus ieiunijs prohibeantur lacticinia?

RESOL. XLI.

REspondeo iure communi prohiberi tãtum in diebus Quadragesimalibus, vt patet in c. denique, dist. 4. & notat Ioan. de la Cruz in director. consc. p. 1. præcep. 3. art. 4. dub. 8. conclus. 4. Villalobos in summ. to. 1. tr. 23. diff. 8. n. 1. Ledesma in summ. tom. 2. tr. 27. c. 2. concl. 3. Reginaldus in praxi, to. 1. lib. 4 c. 13. nu. 2. tr. 27. p. 2. c. 2. dub. 25. Ortiz in summ. c. 19. mand. 2. n. 9. Fernãd. in

in exam. Theol. mor. p. 2. c. 8. §. 3. Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 11. nu. 50. & alij penes ipsos.

Difficultas est, an in diebus ieiuniorum extra Quadragesimã prohibeantur saltem ex consuetudine. Aliqui asserunt adesse talem consuetudinem, & in multis locis, & ideo sub mortali obseruandam. Sed Filliuc. tom. 2. tr. 47. p. 2. cap. 3. num 49. rectè obseruat non semper consuetudinem obligare sub peccato ad abstinentiam ab ouis, quia nõ est cum existimatione obligationis, sed tantum ex deuotione, ideoque admonendo populos ne ex erronea conscientia peccent. Et hæc doctrina procedit in locis, vbi Bulla Cruciatæ communiter obseruatur. Vnde Vasq. in p. 2. tom. 2. disputat. 177. c. 6. num. 15. putauit consuetudinem abstinendi ab ouis in Regno Castellæ non obligare, quod etiam docuit Villalob. in summ. tom. 1. tract. diff. 2. numer. 7. vbi sic asserit. (No obliga la costumbre de no comer huevos en todo el año, fuera de los ayunos de la Quaresma, porque no se puede probar que aya tal costumbre, porque toma la mayor parte del pueblo la bula de mas de cinquenta años a esta parte, y comen con ella lacticinios y para que se introduzga costumbre, es menester que la introduzga la mayor parte del pueblo voluntariamente con animo de obligarse, lo qual me parece muy probable, y que se puede seguir en practica.) Ita ille, & etiam ante illum Henriquez in summ. lib. 7. cap. 13. num. 9. sic asserens. Ista consuetudo debet esse prescripta spatio quadraginta annorum; vt habeat vim legis, & sponte inducta animo obligandi: quare examinanda est consuetudo regionis, aut vrbis: & multi viri docti negant obligare in multis Hispaniæ locis, quasi ea cõsuedo non sit scienter, & sponte inducta, sed ob frequentes Bullas, quas ferè omnes capiunt, reputare simpliciores viros per errorem se obligari. Ita Henriq. quem postea sequutus est Rodriq. in summ. to. 1. c. 23. concl. 10. n. 11.

Notandum est etiam cum Villalob. vbi supr. quod si sit dubium an talis consuetudo obliget ad mortale, nec ne, minimè obligat; & id propter tot circumstantias, & conditiones necessarias, vt cõsuetudo obliget sub mortali, putat illam non adesse cum isto onere. Et ita docet Porrel in addit. ad dub. regul. ver. ieiunium, num. 7. & Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 11. nu. 25. vbi simpliciter, & absolutè negat lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam per consuetudinem prohiberi. Et hæc sunt eius verba; Existimo sansieri omnibus his ieiuniis extra Quadragesimam factis, edendo lacticinia absque Bulla, quia est probabilior opinio, nec aliter, neque consuetudine interdici lacticinia in illis, vt in tractatu de ieiunio probauimus. Ita Sanch. & nouissimè Sancius mutans opinionem in select. disp. 41. nu. 19. Vide etiam supra Resol. 5. & 6.

An paruulis ante expletum septennium liceat ministrare carnes in diebus ieiunij, & quid de Paganis, & perpetuo amentibus?

RESOL. XLII.

PRo negatiua sententia Syluius in 2. 2. D. Thomæ, quæstio. 147. art. 4. adducit Paludanum, & Toletum; sed ipse ait, quod vbi adest consuetudo, quod tales cibi paruulis præbeantur, licet præbere.

Sed absolutè affirmatiuam sententiam sustinẽdam esse puto cum Tannero in 2. 2. disput. 3. quæst. 3 dub. 5. num. 99. Villalob. in summa, tom. 1. tract. 23. dub. 4. num. 4. Azorio to. 1. lib. 7. cap. 17. quæst. 3. Gomez in Bull. Cruciat. clauf. 7. nu. 16. & 17. Emanuel Sà ver. ieiunium, num. 17. Sanchez in summ. tom. 1. libr. 1. cap. 12. num. 9. & alijs communiter. Vnde contra Syluium vbi sup. Cordubam in summ. quæst. 60. & Lopez part. 2. instruct. c. 212. dicendum est, hoc etiam esse licitum in locis, vbi adesset consuetudo in contrarium. Nam cum paruuli ante septenniũ non ligentur legibus, à fortiori, neque tenentur abstinere à carnibus ratione consuetudinis, quæ est lex non scripta. Et ita docet Sanchez vbi supra, & Sanchez, in select. disput. 41. num. 31. vbi etiam plus addit, quod quamuis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positiuo obligatur, cum leges positiuæ futuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare, & per accidens in vno, vel alio puero, rationis vsus acceleratur: vnde secundum Sancium in tali casu puer non tenetur abstinere à carnibus, & licitum erit ei illas ministrare. Sed contrarium docet Villalob. in summa, to. 1. tr. 23. dub. 8. nu. 7. & alij.

Quoad Paganos verò, fas erit ministrare illis carnes in diebus ieiuniorum, quia nulla lege Ecclesiastica obligantur. Et ita etiam docet Sanchez vbi sup. num. 29. qui citat Sanchez, Suarez, & Azorium; secus enim dicendum erit de perpetuo amentibus, cum ipsi sub Ecclesiasticis legibus comprehendantur. Sed contra Sancium, ego puto cum Sanchez num. 16. & Fagundez præcept. 4. libr. 1. cap. 8. num. 8. licitum esse ministrare carnes etiam perpetuò amentibus. Rationes huius sententiæ adducit Sanchez.

An in die ieiunij paruitas materiæ excuset in esu carnium?

RESOL. XLIII.

AD hanc quæstionem respondet Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disput. 3. quæst. 3. dub. 5. num. 93. vbi sic asserit. Dubium non est, in die ieiunij peccari toties, quoties carnes comedunt, & in hoc ex ipso fidelium sensu, non excusare paruitatem materiæ; quod eatenus verum existimo, quatenus esus carnis seu cibi vetiti, existimatur aduersari fidei professioni. Alias non video, cur non æque in hac, ac in alijs materijs à mortali excusare possit materiæ paruitas. Ita Tannerus.

An in ieiunio secundo comedens, toties peccet postea, quoties eodem die comederit?

RESOL. XLIV.

TOties peccare docet nouissimè Syluius in 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. artic. 6. quæritur 3. & ante illum Molanus in Theol. practic. tract. 3. c. 11 conclus. 4. Maior in 4 dist. 15. quæst. 5. Medina tract. de ieiun. quæst. 5. & Couarr. var. resolut. libr. 4. c. 20. nu. 13.

Sed contrariam sententiam tenet, quam docent Doctores, quos citat, & sequitur Fagundez præcept. 4. libr. 1. c. 4. nu. 5. quibus ego addo Fernandez in examin. Theol moral. p. 2. ca. 8. §. 2. num. 10. Vegham in summ. tom. 1. c. 14. cas. 9. Henriquez libr. 7. cap. 13. in glossa, litt S. Toletum libr. 6. c. 3. num. 5. Io. de la Cruz in directòr. conscient. p. 1. precep 3. art. 4. dub. 8. concl. 1. Tannerum in 2. 2. disput. 3. quæst. 3. dub. 5. num. 93. Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 13. Villalobos in summ. tom. 1. tr. 23. difficul. 6. num. 4. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 7. nu. 12. Filliuc. to. 2. tr. 27. c. 1. n. 13. Reginaldum to. 1. lib. 4. c. 14. num. 179. Lessium li. 4. c. 2. dub. 3. n. 15. Salas de legib. disp. 14. sect. 5. nu 67. Valentiam to. 3. disp. 9. q. 2. punct. 4. & alios communiter. Ratio est, quia vt apparet ex communi vsu fidelium, Ecclesia nõ prohibet vlteriorem comestionem quomodocumque consideratã; sed solum prout quis per illam transgreditur hunc quasi ieiunij limitem, qui est vnica comestio.

Neque vt aduertit Layman vbi supra, hoc loco discrimen faciendum est, vtrum quis scienter reficiendo se altera vice; ieiunium soluerit voluntariè, iusta ve iniusta de causa; an verò ignoranter, & inuoluntariè, quia nesciebat, aut non recordabatur esse diem ieiunij; quandoquidem etiam in hoc casu ieiunium re ipsa, & materialiter violatum est, vt seruari deinceps non possit secundum modum, & formam Ecclesiæ. Ergo, &c. Sed Sancius in selectis disp. 42. nu. 2. contrarium docet vbi asserit: Si inaduertenter aliquis pluries cibum etiam carnis sumeret, ieiunium neutiquam frangeret, & seruare erit astrictus, cũ prorsus illa comestio sit inuoluntaria respectu ieiunij: nec præceptum violatur, quod non soluitur, nisi per actum voluntarium. Ita Sancius.

An toties peccetur mortaliter, quoties aliquis in die ieiunij carnes comedit?

RESOL. XLV.

REspondeo affirmatiuè. Ita DD. in superiori Resolut. citat. Ratio erit, quia hæc est mens Ecclesiæ in die ieiunij absolutè interdicere carnes, vt sensus prohibitionis sit. Ne carnes comedantur, id est numquam in die ieiunij comedantur, cuiusmodi negatio distributionem tribuit prædicato, more aliarum neganuarum propositionum, seu præceptorum. Idem dicẽdum est

est de prohibitione lacticiniorum, vide Sancius in select. disputat. 41. num. 26. sic asserit. Præceptum abstinendi à lacticinijs, & ouis negatiuum est, & habet diuiduam materiam : vnde frangeretur à sacerdotibus quoties in die oua, & lacticinia ederent, eo modo, quo toties delinquerent, quoties in die prohibito carnes comederent. Et duplici labe inquinaretur sacerdos, edens carnes, & oua in die Quadragesimali absque legitima causa, cum sit distinctum præceptum, quo sacerdotibus lacticinia, & oua vetantur ab eo quo carnes, in quam duplicē fractionem, etiam rueret laicus edens carnes in Quadragesima absque causa, & oua, & lacticinia sine Bulla Cruciatæ ; & tenebitur confiteri quoties se applicauerit esui carnium in die, & quoties comestioni ouorum. Hæc omnia Sancius.

Notandum est tamen contra Azotium, qui vouit aliquo die ieiunare, non toties peccat ; quoties in illo die carnes comedit, & ita aduersus illum docet Sancius in summ. tom. 1. libr. 4. c. 11. num. 41. Notandum est etiam cum Portel in Addit. ad dub. regul. ver ieiunium, num. 8. ex Sanchez vbi sup. num. 53. quod qui in Quadragesima ieiunauit, sed comedit lacticinia absq; causa, & sine Bulla, vnum tantum peccatum fecit edendo, lacticinia tunc prohibita : non vero is peccauit contra ieiunium, quia de intrinseca ratione ieiunij etiam Quadragesimalis, non est abstinentia à lacticinijs, sed est abstinentia à carnibus. Sed de his omnibus nos suprà egimus.

An qui ad loca sacra peregrinatur, excusetur à ieiunio?

RESOL. XLVI.

Syluius in 2. 2. D. Thom. quæst. 147. artic 4. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 23. dub. 4. num. 16. Fernand. in exam. Theolog. mor. part. 2 cap. 8. §. 2. num. 12. & alij distinguunt, si enim peregrinatio potest sine incommodo differri non excusatur : si non potest commodè, excusatur.

Sed absolute, talem peregrinantem non esse astrictum ieiunare, docet Sancius in select. disput. 54. num. 2. vnde ait ; Generaliter dicendum est, excusari à ieiunio exequentem aliquod opus pium, etiam absque necessitate, quod secum ieiunium nō compatiatur. Vnde flagellantes se in hebdomada sancta, excusantur à ieiunio, si ob debilitatem experiantur ieiunium seruari non posse. Non enim Ecclesia præcipit abstinere à flagellis ob ieiunium, sed tantum ieiunium seruari à potentibus. Ita Sancius.

Non reticeam tamen Ortiz in summa, cap. 19. n. 12. absolutè docere peregrinantes non esse astrictos ad ieiunium, sic enim ait. [Los que van camino, aunque vayan à cauallo, y el camino no sea forzoso, no son obligados al ayuno.] Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Layman in theol. mor. li. 4. tract. 8. cap. 3. nu. 5. & alios.

An qui ex licentia comedit carnes in die ieiunij, possit comedere lardum, aut alias carnes nociuas?

RESOL. XLVII.

Ioannes de la Cruz, vir doctissimus ex Dominicanorum familia ; in suo direct. consc. part. 1. præcep 4. art. 8. dub. 8. concl. 3. negatiuam sententiam docet, vbi sic asserit. Nota non licere dispensato ob infirmitatem in esu carnis comedere tocinum aut alias carnes nociuas, quia aliàs esus istorum erat vetitus in Quadragesima. Et per Medicum non dispensatur in istis cibis nociuis. Ita ille, & citat pro hac sententia Emanuelem Rodriquez.

Sed contrariam opinionem sustinendam esse puto, quam nouissimè docet Villalobos in summ tom. 1. tract. 23. dub. 8 num. 5. vbi sic ait. [El que tiene licentia para comer carne, puede comer conejo, liebre, ò tocino, y si esto le hiziere daño, será peccado de gula, mas, ò menos conforme al daño que le hiziere ; mas no es contra el precetto del ayuno, mayormente, que el tocino, aunque es rezio de digerir, es de buen mantenimiento, como dizen los Medicos.] Itaque habenti licentiam ad esum carnium licebit quodcumque genus comedere, scilicet lardum, leporem, hœdum, bouem, & alia infirmis disconuenientia ; etiam si tota refectio ex illo carnis genere fiat. Nam in tali casu edendo carnes, saluti nociuas, peccabit aduersus præceptum naturale temperantiæ, non autem aduersus præceptum positiuum de abstinendo à carnibus in die ieiunorum. Notandum verò, quod si supradicta sumerentur in parua quantitate, ad excitandum appetitum, tunc non frangeretur neque præceptum positiuum abstinentiæ, neque etiam præceptum naturale temperantiæ seruandæ. Et ita intelligendus est Henriqu. lib. 7. c. 30. nu. 3.

Vtrum qui ob iustam causam comederet hora octaua, aut nona, ob iter agendum, v. g. aut hospitibus inseruiendum, teneatur, illo die ad ieiunium?

RESOL. XLVIII.

Qui asserunt horam non esse de essentia ieiunij, vt nos superius diximus, affirmatiuè respondebunt. Et ita docet Bená p. 1. decis. cas. 45. Vegha in sum. p. 1. ca. 14. cas. 33. Moure in summa, p. 2. cap. 8 §. 2. nu. 5. Lopez in instru. p. 2. cap. 112. Rodriquez in qq. regular 10. 2. qu. 100. art. 2. & alij.

Sed Sancius, qui nouissimè suas Selectas disputationes edidit, in disput. 53. nu. 5. contrarium docet : quia hora vndecima est de substantia ieiunij, vel saltem intrinseca illi. Ergo soluitur ieiunium ex anteuersione horæ. Nec putat distinguendum esse, quando soluatur ex iusta causa, vel absque illa, & citat plures Doctores, vnde infert non teneri amplius ieiunare, qui malitiosè comedit anticipando notabiliter horam ieiunij. Item, qui putabat se iter facturum, vel laboraturum, & ideo inculpate summo mane comedit animo non ieiunandi, & tamen postea causa aliqua impeditus est ne iter ageret, vel laboraret ; docet etiam in tali casu, quod non teneatur ieiunare ; at contrarium docet Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 1. nu. 4. qui citat Viualdum.

An pro obligatione ieiunij vigesimus primus annus sit computandus de momento ad momentum?

RESOL. XLIX.

Affirmatiuam sententiam docet Portel in addit. ad dubia Regul. ver. ieiun. nu. 1. & Sanch. de matr. to. 1. libr. 2. disp. 24. n. 23. vnde infert, quòd si aliquis ante punctum impleç etatis ieiunium minimè fregisset, tenebitur postea illud seruare, quia transacto eo puncto iam præcepto ieiunij obligatur, & aliàs potest illud seruare. Ergo, &c.

Sed contrariam sententiam nouissimè docet alter Sanch. in suis select. disput. 54. num. 4. quia præceptum ieiunij respicit totum diem integrum, vt indiuiduum obiectum ; non enim præcipitur per mandatum ieiunij dimidium diei, vel quartam partem ieiunare, sed totum diem. Igitur, qui exemptus fuerit à ieiunio per aliquam diei partem, totaliter liberatur illo die ; cum præceptum huiusmodi, vel totum diē comprehendere debeat, vel nullam partem illius.

Notandum est etiam, quod dubitans an expleuerit vigesimum primum annum, facta sufficienti diligentia, ieiunio non est astrictus, cum tunc non sit possessio pro præcepto ieiunij. Ita Sanchez vbi supra.

An proficiscens à ciuitate, vbi non seruatur ieiunium, & accedens meridie ad locum domicilij, vbi seruatur, teneatur seruare ieiunium, si nondum violatum est?

RESOL. L.

Affirmatiuè respondet Sanch. in summa, tom. 1. lib. 1. c. 12. nu. 33. Lessius lib. 4. c. 2. dub. 8. num. 57. & Basilius Pontius de matr. lib. 5. cap. 8. n. 3.

Sed negatiuam sententiam docet Sancius in select. disp. 54. num. 4. Nam, vt supra dictum est, mandatum ieiunij respicit integrum diem, vt indiuiduum obiectum ; sed cum ille poterit licitè comedere in loco à quo discessit, merito non tenetur ad ieiunium per integrum diem. Et supradicti Doctores eo modo, quo fatentur proficiscentem ab oppido domicilij vbi seruatur ieiunium, & peruenientem nocte vbi non seruatur, posse in domicilio tentaculum sumere, eo quod nocte cœnare licitè possit.

possit. Item admittere erunt adstricti, non teneri seruare ieiunium peruenientem ad domicilium vbi seruatur, quando mane potuit ientaculum sumere.

An qui, nisi cœna accepta dormire non valet, teneatur mane collationem sumere, cœnam ad noctem differendo.

RESOL. LI.

Respondet negatiuè Sancius in suis select. disp. 54. num. 13. quia non seruatur ieiunium sumpta collactiuncula. Sed hoc mihi non placet, aliaque ratio mihi arridet, quam etiam ipse affert, & est; quia non obligatur aliquis ordinem refectionum peruertere, sed tutò poterit se communi hominum consuetudini aptare. Igitur in tali casu non tenetur quis ieiunare, vt docet Caiet. verb. ieiunium, c. 2. Lopez instruct p. 2. c. 11. Filliucius to. 2. tract. 27. cap. 6. n. 130. Ludouic. de S. Iuan. in sum. p. 1. tract. de ieiun. art. 6. & alij.

An excusetur à ieiunio, qui labore aliquo defatigatur, quamuis illud in alium diem commodè differre queat, & etiam si data opera vt non ieiunet hoc ageret.

RESOL. LII.

Non eximi docet Azorius to. 1. lib. 7. cap. 17. q. 9. & alij penes ipsum.

Sed contrariam sententiam docent aliqui iuniores magistri, quia ius habet iste ad illum laborem suscipiendum, v. gr. ad iter agendum ad ludendum pila, ad venandum, &c. quo non priuatur ob ieiunium seruandum. Et hæc opinio procedit, etiamsi in fraudem ieiunij id ageret, nullius negotij causa itinerando, sed solo animo non seruandi ieiunium. Et ita docet Sancius in suis selectis, disp. 4. n. 14. loquens de ieiunio, & Suarez de relig. to. 1. lib. 2. cap. 13. num. 6. loquens de obseruatione festorum. Nam in tali casu puto nõ interuenire propriam fraudem aut dolum, sed fugam quandam obligationis præcepti, quæ tamen contra præceptum non est, sed bona, vel mala ratione finis ob quem fit. Vide etiam Salas de legib. disp. 14. sect. 5. nu. 66. & Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. cap. 12. nu. 35.

Vnde ex his infert Sancius vbi suprà nu. 20. & nos suprà tetigimus, liberos esse à lege ieiunij, qui culpa sua, ita defatigati redduntur, vt ieiunare non valeant, vt qui defatigatus esset ludo pilæ, vel ex venatione, aut nimis esset deditus fœminarum commistioni; nam tales die quo præceptum obligat, impotentes sunt seruare, die verò quo ludunt, nondum aduenit. Ergo, &c. Quòd si in fraudem ieiunij se defatigarent, peccare desiderio illo frangendi ieiunium, docent plures. Sed ex doctrina Sancii, & Suarez vbi supra contrarium dicendum est. Nam in tali casu non interueniat fraus, sed fuga quædam obligationis quæ non sufficit ad causandum peccatum. Aliud quidem est desiderare aliquem frangere præceptum quando adest obligatio, aliud desiderare se reddi impotentem ad præceptum; hoc enim nihil aliud est, quam optare excusationem pręcepti, quam licet quis intendat via illicita, nõ operatur aduersus tale præceptum, cum non desideret illud infringere, quãdo obligat, sed modum quo non obliget, quærat. Secundum Sanchez dicendum est igitur, quod non tenentur ieiunio qui labore aliquo defatigantur, etiamsi id agant in fraudem ieiunij; quia dum defatigatio acquiritur, non adest ieiunij præceptum, dum verò iam acquisita est, impossibilitas adest ad ieiunandum. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus puto non esse recedendum à prima sententia Azorij.

An qui in die ieiunij tertia, vel quarta vice comedit, peccet saltem venialiter.

RESOL. LIII.

Respondet affirmatiuè Lessius lib. 4. c. 2. dub. 3. nu. 15. cui fauere videtur Durandus in 4. dist. 15. q. 11. n. 9. in fine, & alij, quia secundario videntur prohibitæ, & per illas magis receditur à fine intrinseco ieiunij.

Sed mihi contraria sententia placet. Dico igitur tantum illum peccaturum mortaliter contra ieiunij præceptum, qui secunda vice comedit, non autem venialiter, quia tertia, vel quarta. Et ita docet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 6. num. 5. & Sancius in selectis, disput. 54. num. 42. Vnde non est audiendus Montesinus in part. 2. to. 2. quæst. 73. art. 2. quæst. 4. num. 47. Couarr. var. lib. 4. c. 2. n. 13. & alij, asserentes, quod quia præceptum ieiunij obligat ad comedendum semel tantum in die, qui pluries comedit, pluries agit contra huiusmodi præceptum, ergo plura committit numero peccata; quod intelligit Montesinus si interrumpatur voluntas, vt nec formaliter, vel virtualiter maneat. Sed cum hoc præceptum indiuiduam habeat materiam, semel transgressa, non vlterius remanet materiam, quæ præcipiatur, & ideò Montesini, & aliorum opinio non est tenenda, vide suprà in Resolut.

TRACTATVS X. DE LEGIBVS.

An vt leges humanæ tam ciuiles, quam Pontificiæ obligent, requiratur consensus, & acceptatio populi?

RESOL. I.

NEgatiuè respondet Basilius Pontius de matrim.lib.5.c.7.num.2. Berti in Exposit. Bull. Clem. VIII. de largit. muner.p.7. principali. Puteanus in p. 2. D.Thomæ, quæst.95.art.3.dub.vnico, concl.2. Granado in p.2.contr.7.trac. 3.p.1.disp.7.nu.3. Vasquez in parte 2. to.2 disp.156.c.5.nu.36. Malderus in p.2.qu.90.art.3.dub.2. Suarez de legibus lib.3.cap.19.& lib.4.c.16. Lorca in p.2. tract. de legib. disputat.20. fol.mihi 445. vbi ita ait. Hæc sententia euidens est, nec opposita percipi potest. Nam legislatores leges imponunt iure præfecturæ, & dominij, quod in subditos habent, & obligatio legis oritur ex subiectione, qua subditi Prælatis subsunt, & obedientia, quam illis præstare tenentur; obedientiæ autem vis non oritur à subditi acceptatione; & si liberum esset populo, dissentire, & leges respuere, non essent subditi, nam voluntate, & non necessitate parerent, & fieret quasi conuentio quædam & pactum inter subditos, & Prælatum de obseruanda lege, nec vllum esset obedientiæ vinculum.

Confirmatur, quia nisi lex cogeret subditos, & obligationem induceret absque dependentia ab eorum approbatione, subditique possent dissentire, esset bellum vtrinque iustum; nam legislator iustè exigit obedientiam, & obseruationem legis, & subditus iustè resistit, cum acceptatio legis eius arbitrio commissa sit, Confirmatur præterea, quia præceptum actuale obligat nullo exspectato assensu eius, cuius imponitur, nec aliquis oppositum vnquam mente concipit, ergo & lex; maior enim, & non minor est legis, quàm simplicis præcepti vis. Ita ille, satis quidem probabiliter.

Sed contrariam sententiam docent non ignobiles authores, vt Tannerus in part.2 D.Thomæ, disput 5.quæst.5.dub.4 num. 130. Cochier de iurisdict. tom.1.q.50.num.8. Valentia tomo 2. disp.7.q 5.punct.2. Filliucius tom.2.tr.21.cap.vlt.nu.429. Becanus in summ. Theol.part.2.tract.3.cap 6.quæst.8.numer.2. Sanctarellus in tract. de hæresi, cap.13 num.21. Lessius lib.2.ca.22. dub.13.num.98. Reginald.tom.1.lib.13.cap.16.nu.160. Homobonus de examin.Eccles.p.2.tractat.11.c.7.quæst.17. Nauarrus in manual.c.23.num.41. Emanuel Sa verb.lex, num.1. Miranda in man.Præl.to.2.q.25.art.21, conclus.1. & alij. Et ratio est, quia leges promulgantur sub tacita conditione, si à populo acceptentur, hoc enim videtur conforme benignæ Principum, & legislatorum voluntati, ne nimis suis subditis onerosi videantur; & ita determinatum videtur in lege de quibus, ff. de legib. vbi illud habetur. Leges nulla alia ex caussa nos tenent, quam quòd iudicio populi receptæ sunt. Quæ quidem sententia, non solùm procedit, quoad leges Principum sæcularium, sed etiam contra Duardum in Bulla Cœnæ lib.1.c.3.q.6.nu.9. & alios. quoad leges Pontificias, vt rectè notat Azorius part.1. lib.5.cap.4 q.1. Becanus & Reginaldus loco citato, Villalobos in summa, to.1. tr.2.dub.16.nu.6. & alij, quia ita voluntas eius interpretatur, vt quamdiu lex ipsius non est à populo recepta, velit obligationem eius suspendi, ne detur peccandi occasio. Et confirmatur ex verbis Diui Pauli 2. ad Cor. 13. vbi asserit. Christum dedisse hanc potestatem Prælatis Ecclesiæ, non in destructionem, sed in ædificationem. Ergo præsumendum est, Prælatos non velle vti sua potestate contra communem populorum consensum, hoc enim esset vti in destructionem, non in ædificationem. Quando autem lex non dicatur vsu recepta; respondeo, quando maior pars populi prosequitur facere, quod facere consueuerat ante legis promulgationem. Ita DD. citati.

Vnde Puteanus in parte 2.D.Thomæ, quæst.11.art.4.dub.2. & Filliuc. tomo 1.tract.11. cap.1. quæst.5.numer.11. cum Sanchez, & Azorio, putant Bullam Cœnæ, vbi non est vsu recepta, non obligare in conscientia. Idem etiam docuit Io. Valerus in different. vtriusque fori, verb peccatum, differ.30.numer. 2.& Becanus in p.2.tract.3.cap.6.quæst.8.nu.4. licet alij, & magis probabiliter quoad Bullam Cœnæ, contrarium asserant. Nõ est tamen alia opinio improbabilis, vt minus rectè aliqui his diebus dixerunt.

Sed his non obstantibus quoad leges Pontificias, credo non esse recedendum à prima sententia, cum Pontifex iurisdictionem accipiat immediatè à Deo, & nõ à populo, & ideo eius lex non pendet quoad eius obligationem à populi acceptatione, & per hoc peccant illam non acceptando, quamuis per non vsum si est abrogata, non obligat amplius; cumque Bulla Cœnæ quotannis publicetur, non potest per non vsum tolli.

An peccent subditi sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam?

RESOL. II.

AFfirmatiuè respondent, tam Doctores primæ, quam secundæ sententiæ in superiori Resolut. adducti; Non reticeam tamen, quod secundum Martinum Bonacinam tract. de legibus, disputat.1. quæst.1.punct.4. numero 39.in hac re videtur distinguendum: Vel enim legislator, intendit obligare independenter ab acceptatione populi, vel dependenter; si independenter ab acceptatione intendit obligare, censeo subditos peccare non acceptando, quia faciunt contra superioris voluntatem obligantis ad legem acceptandam, si verò intendit obligare dependenter ab acceptatione, non videntur peccare, quia nondum purificata est conditio, sub qua legislator intendit obligare. Ita Bonac.

Gregorius verò de Valentia to.2. disp.7. q.5. punct.5. & alij, putant legem latam à Principe independẽter ab acceptatione populi, & cum obligatione illum obligandi, non esse validam; quia huiusmodi lex magnam excitare posset in populo perturbationem, & ideò consequenter nõ esset iusta, nec lata propter bonum commune. Et hanc sententiam probabilem putat Bonacina vbi suprà nu 29.nam contrariam, quam ipse cum multis alijs tenet, vocat tantum probabiliorem.

Sed quicquid sit de hoc, respondendo ad propositam quæstionem, videtur, si contrarium ex coniecturis sufficienter non constaret; Princeps semper promulgare leges dependenter ab acceptatione subditorum, neque illos intendere obligare: & ideò eum qui absque sufficienti caussa legem non acceptat, aliquam culpam non incurrere, nisi graue incommodum Reipublicæ inde proueniat. Ratio est, quia acceptatio est conditio requisita ad legis obligationem, ergo si lex non acceptetur, non obligat, & consequenter non peccat, qui illam non acceptat, quia nondum purificata est conditio, sub qua legislator intendit obligare, & Princeps intendit solum obligare cum cõditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit, vel vt dixi, si contrarium ex coniecturis sufficienter non constaret. Ergo, &cet. Et ita in terminis docet Megala in 2.2.lib.2.cap 6.quæst.3.nu.115. & 117.

Vnde non admitto sententiam P. Suarez de legibus libr. 13. cap.19. num.8. & aliorum asserentium legislatorem obligare independenter ab acceptatione populi, nisi aliter exprimat, aut aliter morali certitudine colligatur de ipsius mente. Hoc inquam non admitto cum Martino Bonacina loco citato num. 29. quia hoc vt supra diximus, non videtur conforme benignæ legislatorũ voluntati, ne nimis suis subditis onerosi videantur, & ideo leges humanæ, vt notant Doctores superius citati, & in specie.

specie Filliucius to.1.tr.21.c.vlt.nu.429. feruntur cum ea tacita conditione, si populus recipiat. Ergo, &c.

An quando dubium est, si lex sit vsu recepta nec ne, præsumendum sit esse acceptatam.

RESOL. III.

Respondent affirmatiuè aliqui, sed mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam docet Salas in parte 2. quæst.21.tractat.8. disput.vnic.sect.18. numer.169. licet postea contrariam docet in tract. de legib. quæst.96. tract.14. disp.13. sect.5. nu.22.

Sed audiamus Azorium p.1.lib.2. cap.19.q.12. vbi sic asserit. Quæritur quid sit dicendum, quando Titius dubio, & ancipiti animo est, videlicet, an hæc, vel illa lex excommunicationem, suspensionem, irregularitatemve imponens sit vsu recepta? Respondeo, cum materia sit in odijs, vel pœnis, Titius in foro conscientiæ potest eam partem amplecti, quæ negat legem vsu esse receptam, & idem iuris est, si inter auctores sint probabiles sententiæ, quibusdam affirmantibus eam esse receptam, alijs contra negantibus; potest enim quis sententiæ negantium adhærere tuta, & salua conscientia. Ita ille.

Scio contrariam sententiam plures docuisse, quia iudicandum est in fauorem legis, cum possessio, & præsumptio stare videatur pro illa, quam constat latam esse, & dubitatur de illius excusatione. Sed vt dixi, contraria sententia est etiam probabilis. Vnde cum aliqui dubitent, Bullam Clem. VIII. de largitione munerum esse vsu receptam stante supradicta dubitatione, qui contra illam aliquid efficerent, non incurrerent in pœnas ibi aduersus contrauenientes latas. Idem dicendum videtur de extrauag. ambitiosæ Pauli I. contra alienantes bona Ecclesiastica. Nam vt Nauarrus apud Bonacinam de legibus, disput. 1. qu. 1. punct. 4. num. 31. & aliqui putant, quoad pœnas dicta Bulla non videtur recepta, sed si in aliqua prouincia obseruaretur, hoc equidem non militaret, sed illam subditi obseruare tenerentur.

An vt lex non obliget sit necessarius consensus tacitus Principis, verbi gr. noscat vsu legem non recipi, & tamen toleret?

RESOL. IV.

Aliqui affirmatiuè respondent, vt Syl. ver. lex, q.6. Reginaldus in praxi, to.1. libr.13. c.16. nu.162. & Rodriquez apud Salas de leg. disp.13. sect.2. n.12. cum alijs.

Sed mihi contraria sententia omninò sustinenda videtur. Dico igitur, satis esse non obseruari legem, etiamsi Princeps hoc nesciat, quia vt supradictum est, leges humanæ feruntur cum ista tacita conditione si populus recipiat. Et ita docet Filliuc. to. 2. tr.21. c.vlt n.429. Azorius p.1. lib.5. c.4. qu.2. Salas vbi suprà, & alij. Videtur tamen hæc sententia limitanda quoad leges Pontificias, quia multoties Pontifices licet non prohibeant ea, quæ fiunt contra proprias leges, præcipuè in materia immunitatis Ecclesiasticæ, non tamen consentiunt, sed tacent, quia non possunt commodè remedium adhibere, quæ taciturnitas non excusat non seruantes dictas leges.

An Episcopi, & Principes excusentur, si non curent vt leges Pontificiæ promulgentur, & recipiantur?

RESOL. V.

Ad hanc quæstionem Becanus in summ. theol. part.2. tra.3. cap.6. quæst.8. num.4. respondet cum distinctione. Nam si Pontifex expressè mandat Episcopis, & Principibus, vt promulgent, & recipiant aliquam legem, tunc tenentur obedire, nisi afferant legitimam caussam, cur non obediant: si expressè non mandat, tunc Episcopi, & Principes proinde se habent sicut reliqua communitas. Et hoc intelligendum est de illis Episcopis, & Principibus, qui viuunt eo tempore, quo lex Pontificis primum promulgatur: nam si illi tunc non promulgant, neque recipiunt legem, successores eorum excusantur. Hinc patet Episcopos, & Principes, qui hoc tempore viuunt, & quorum antecessores non receperunt Concilium Tridentinum, aut Bullam Cœnæ Domini liberos esse in conscientia, multò magis eorum subditos. Ita Becanus.

Vtrum liceat supplicationem super aliqua lege porrigere, & interim suspendere eius obligationem, & illam minimè obseruare?

RESOL. VI.

Negatiuè respondet Io. de la Cruz in direct. consc. p.1. præcept.7. quæst.6. dubit.4. concl.2. & Vasquez in p.2. tomo 2. q.94. art.3. disp. 156. cap.7. n.43. quia appellatio, vel supplicatio iure quidem concessa est contra sententiam, at contra legem nusquam concessa reperitur.

Sed contrariam communiter docent Doctores, & Granado in part. 2. contr.7. tract.3. part.1. disp.7. num.9. Malderus in p.2. quæst.90. art.3. dub.2. fol. mihi 341. col.2. Salas de legib. disp.13. sect.4. num.20. Suarez de legibus lib.4. cap.16. num.6. & Villalobos in summ. tom.1. tract.2. dub.16. n.6. vbi sic ait. [Las leyes canonicas si no se reciben no obligan, de la qual conclusion se sigue, que si se supplicasse de las leyes del Pontifice, tambien se suspenderia su effeto como dise Felino, y otros, y consta de la costumbre, que ay en muchas prouincias de la Yglesia, que supplican al Pontifice; y el passa por ello.] Et ratio est, quia talis præsumitur rationabilis voluntas legislatoris; nam posita aliqua iusta caussa, consonum videtur, vt subditi habeant aditū ad legislatorem pro reuocanda lege, & interim non obligantur illam seruare, donec legislator metem suam explicauerit, quicquid in contrarium asserat Lorca in par. 2. to. 2. de legib. disp. 20. qui putat interim dum supplicatur, & legislator nō respondet, legem obligare.

Ad argumentum Vasquez respondeo cum Maldero, quòd quamuis propriè appellationes non fiant à legibus, sed à sententijs; potest tamen allegari caussa, & peti reformatio legum, vel ab ipso facienda latore, vel ab eius superiore. Notandum est tamen, quòd si Summus Pontifex audita communitatis supplicatione taceat, & non respondeat dictæ supplicationi, præsumitur consentire, & legis obligationem tollere; nisi aliter ex coniecturis constaret Principem supplicationi non respondere, non quia nolit obligationem legis tollere, vel suspendere, sed vt suauiter, & cum minori offensione, & damno reijciat supplicationem, tunc in hoc casu non licebit suspendere amplius legis executionem.

An, vt lex per non vsum authoritate careat, requiratur certum tempus, & opus sit aliqua præscriptione?

RESOL. VII.

Requiri spatium decem annorum putauit Azorius p.1. libr. 5. cap 4 quæst.4. & alij.

Sed mihi probatur opinio Henrici tractat. de Synodo, art.2. num.63. Felini in cap.1. de treuga, & pace, & Suarez de legibus lib.4. cap.16. num.12. asserentium non requiri certum tempus, sed solùm repugnantiam per actus contrarios, numero sufficienti, arbitrio prudentum; quia nullum est ius, quòd præscribat illud tempus decem annorum, neque ex natura rei est necessarium, & vsus videtur esse in contrarium; quia vt lex censeatur non acceptata, non solet expectari illud tempus, sed solum, quòd pro maiori parte per sufficientem consuetudinem repugnatum sit. Et hæc sententia in conscientia, & praxi videtur secura. Ita Suarez.

Immò sciente Principe, & non puniente cum possit, aliqui sentiunt sufficere duos, vel tres actus factos contra legem. Ita Azorius vbi suprà part.1. libr.5. cap.4. quæst.6. Panormitanus in cap. 1. de treuga, & pace, Bartolus in l. de quibus, num. 10. ff. de legibus, & alij, quia ad inducendam consuetudinem binus actus sufficit, & frequentia actus contingit, quando bis fit: nam quando bis fit, frequenter fit. Et hanc sententiam docet etiam Emanuel Sà ver. lex, num.1. Reginaldus tom. 1. lib. 13. c. 16. numer. 162. Rodriquez qq. Regul. tom. 1. q.6. art. 12. & Miranda in Man. Prælatom. 2. quæst. 24. art. 1. cōcl. 3. nec putat Rodriquez, esse necessarium, istos actus fieri in præsentia Principis legisla-

legislatoris, vel eo sciente: sed satis esse fieri scientibus Auditoribus regijs, vel Episcopis, quod etiam docuit Burghos de Paz in lege 1. Taurin. 232. & 233.

An leges Pontificia, vt obligent necesse sit vt promulgentur in singulis Diœcesibus, & Prouincijs?

RESOL. VIII.

NEgatiua sententiam docet Tanner, in p.2. disput.5. quæst.5. dub.1. n.118. Augu. tr. de leg. to.1. libr.4. contr.1. n.27. & 28. Pontius de matr. lib.5. c.7. nu.3. Betti in Explicat. Bullæ Clemen. VIII. de largit. muner. p.7. principali. Layman vbi infra n.4. Castellinus in tr. de Elect. Can. Præl.1 §.10. Lorca in p.2. to.3. disp.18. de legib. Fernand. in exam. Theol. mor. p.2. c.3. §.3. n.1. 11 sin Rodriquez qq. regul. to.1. q.6. art 3. Graffeis in conf. to.1. lib.3. conf.9. num.4. de regularib. Malderus in 2.2. quæst.90. art.4. dub.1. Villalob. in summ. to.1. tt.2. dub.12. n.5. Marius Antoninus lib.1. resol.122. cas 1. Filliucius tom.5. tract.21. cap.11. nu.397. Sayrus in claui regia, lib.3. c.5. n 7. Coriolanus in Bulla Cœnæ, vbi de absolutione, in fin. fol. mihi 975. Granado in p 2. contr.7. tr.3. p.1. disp.11. sect.1. n.17. Vgolinus contra Venetos, c.1. § 1. n.4. Suarez de legib. lib.4. c.15. nu.2. Salas etiam de legib. disp.12. sect.2. n.10. Valentia to.3. disp.7. q 5 punct.5. Vasquez in p.2. to.2. disp.256. c.2. Azor. p 1. lib.5 cap.5. q.3. Duard. in expl. Bull. Cœn lib.3. §.1. q.1. n.17. Molfes. in summ. tu.1. tract.9. c.8. n.38. cum multis alijs.

Probatur hæc opinio. Primò, ex communi praxi, nam omnes caussæ, quæ ex toto terrarum orbe deferuntur ad Romanã Curiam, non definiuntur, nisi iuxta Regulas Cancellariæ, & alias leges, quæ tantùm Romæ promulgatæ sunt: ergo, &c. Secundò, Bulla Cœnæ Domini nusquam, nisi Romæ solet promulgari. Tertiò, quia Pius IV. in sua Bulla, in qua confirmauit Concil. Trident. voluit, vt leges dicti Concilij, quæ pertinent ad reformationem, & ius canonicum vbique inciperent obligare Calend. Maij ann.1564. post promulgationem Romæ factam. Quartò, quia cum Pontificibus expedire videtur, vt eorum Bullæ promulgentur in singulis Prouincijs, id speciatim decernunt, vt patet in Bulla Sixti V. contra Astrologos. Ergo, cum publicationem omittunt, non iubentes vt efficiatur, signũ est eosdem Pontifices velle, vt facta Roma promulgatione nulla alia opus sit, vt eorum leges in singulis prouincijs obligent.

His tamen minimè suffragantibus, contrariam sententiam docent viri doctissimi, vt Serarius in suis Opusc. Theol. tom.3. disput. de legib. num.59. & seq. Sà ver. lex, num.9. Solerus de potestate confess. cap.9. quæst.5 Medina in part.2. quæst.90. art.4. dub.1. post 2. conc. & dub. vlt. concl.5. Angelus ver. lex, nu.13. Sotus de iust. lib.1. q.1. art.4. Ludouic. Carbo de leg. lib.3. disp.2. Conradus in part.2 qu.90 artic.4. ad 2. Miranda in Manual. Præl. tom.2. q.25. art.4. concl.5. Victorellus in notis ad manual. Nauarri, cap.23. n.40. & Molina de iust. tom.2. tract.2. disp.395. num.4. vbi sic ait. Opinio illa, quòd Pontificiæ leges statim post duos menses à publicatione Romæ facta, totam obligent Ecclesiam, neque necessaria sit publicatio in singulis Prouincijs, aut Diœcesibus, ad effectum, quòd nullus præsumatur illas ignorare; profectò non est tam certa, quàm certa supponitur; quin potius, contraria meo iudicio, est probabilior. Ita Molina. Et hanc sententiam probabilem, & tutam esse in conscientia putat Layman in Theol. mor. libr.1. tr.4. cap.3. nu.3. Becanus in summ. Theol. p.2. tr.3. c.6. num.5. & 6. in fine. Homobonus de examin. Eccles. par.2. tr.12. c.2. q.10. in fine. Lessius verò de iust. lib.2. c.22. dub.13. nu.18. & Vasquez cum Granado, vbi suprà: eorum sententiam vocant tantùm probabiliorem; ergò secundum illos, ista erit probabilis.

Nec destitura videtur rationibus hæc sententia: nam nimis durum esset, si statim atque Romæ promulgatur aliqua lex Pôtificia, obligaret Christianos per totum mundum dissipatos. Secundò, in multis locis Concilij Tridentini leges non seruantur, quia ibidem non fuerunt promulgatæ. Tertiò, id colligitur ex cap. cum infirmitas, de pœn. & remiss. vbi statuitur legem Concilij generalis, quæ circa Medicos lata est, non priùs obligare Medicos, quam fuerit a locorum Ordinarijs promulgata. Ergo etiam constitutio Papæ non ligat in Diœcesibus, vbi non fuerit promulgata.

Restat modo respondere ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum respondetur, Indices Curiæ Romanæ, indicare secundum opinionem probabiliorem, quæ asserit constitutiones Pontificias tantum Romę publicatas obligare in foro externo, & conscientiæ; sed ex hoc non sequitur, contrariam sententiam esse falsam. Et ita in simili casu respondet Becanus vbi suprà quæstione 7. numero 3. in fine, & ita etiam in simili casu de stylo Curiæ Romanæ respondet Fagundez de præcept. Eccles. tractat.2. libr.8. cap.8. numero 138. & Granado in par.2. contr.7. tractatu 3. part.1. disp.11. sect.2. num.15. igitur dicendum est, quod praxis illa, quæ affertur, fundatur in probabilitate contrariæ sententiæ, non tamen tollit probabilitatem alterius.

Ad secundùm respondeo cum Reginaldo tom.5. lib.13. cap.19. num 155. Constitutiones Pontificias vsu atque consuetudine receptas, vt est Bulla Cœnæ, & similes Constitutiones contentas in Decreto, & cæteras non indigere promulgatione facta in prouincia.

Ad alia argumenta respondet Molina vbi sup. n.8. Ego verò puto non esse necessariam promulgationem, vt lex Pontificia obliget, & ideò tene primam sententiam.

An leges Pontificia non obligent, nisi post duos menses in promulgatione facta.

RESOL. IX.

STatim obligare facta promulgatione, & non post duos menses, docet Tanner in p.5. disp.5. q.6. dub.1. n.7. Anguiano tr. de leg. to.1. lib.4. contr.2. nu.17. Vasq. in p.2 disp.156. c.3. nu.14. Homob. de exam. Eccl. part.2. tract.9. cap.3 quæst.3. Suarez de legib. lib.3. cap.18. lib.4. cap.15. num.11. & cap.17. num.5. Salas etiam de legib disp.12. sect.3. num.20. Molina de iust. tractat.2. disp.395. Malderus in p.2. quæst.90. art.4. dub.3. & Villalobos in summ. tom.1. tract.5. dub.14. num.4. [Las leyes del Pontifice, si no es que señalan tiempo, en publicandose en Roma obligan, sin esperar a que passen dos menses, el fundamento es, que la autentica, *vt noua facta Constitutiones*, no esta recebida en las leyes canonicas, como consta del estilo.] Et ratio est, quia nulla lege ita statuitur, & lex illa authentica non obligat Pontificem, nec alios Reges non subditos Imperio. Et licet Pontifex in cap. noluerit, de sent. excommun. assignet duos menses pro monitione, vt qui fecerint statuta cõtra libertatem Ecclesiasticam, illa reuocent intra duos menses, alioquin in excommunicationem incurrerent; ex hoc non sequitur necessarium pro promulgatione tempus duorum mensium; vt omnis lex Pontificia obliget, nam sunt aliquæ leges, quæ ex voluntate Principis, seu Pontificis non incipiut obligare, nisi post certum tempus facta promulgatione.

Hæc sententia est probabilis, sed etiam probabilem contrariam existimo, quæ asserit leges Pontificias, in quibus non apponitur certum tempus obligationis, non obligare, nisi post duos menses à promulgatione facta. Et ita docet Martinus Becanus in summ Theol. part.2. tract.4. capit.6. conclus.2. num.3. qui citat Sylnestrum, Panormitanum, & Ioan. Andream. Idem docet Valentia tom.2. disput.7. quæst.5. punct 5. Nauarrus in Manual. cap.23. num.24. Emanuel Sà ver. lex, num.8. Miranda in Manual. Præl. tom.2. quæst.25. art.4. concl.5. Reginald. tom.1. lib 13. c.16. num.152. Tabiena, ver. lex, nu.52. & verb. constitutio, num.1. cum multis alijs. Et hanc opinionem in foro conscientiæ tutam esse & seruari posse affirmat etiam Azor. part.1. lib.5. c.3. q.8. in fin. Ratio est, quia, vt leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Principum constitutionib. adiuuantur ex c.1. de noui oper. nunciat. illudq. iuri ciuili sit cũsentaneum, nec in iure canonico cautum sit cõtrarium; ipsum facile seruari potest, præsertim cũ Papa, dum intendit statim obligare, soleat in sua constitutione id exprimere, vt videre est c. cum singula, de præb. in 6. & Clem.2. de hæreo. hæret. sed vt diximus ex Auth. vt factæ nouæ constitut. apparet leges non obligare, nisi post duos menses à facta promulgatione. Ergo, &c. Secundò, dictum tempus duorum mensium, non solùm apponitur, vt ignorantes non ligentur, sed etiam, vt lex incipiat obligare, & ita tollatur omnis confusio, rixa, & imparitas subditorum. Vnde ex his infertur supradicti Doctores, quod si aliquis sciret promulgatam esse legem tamen non teneretur illam seruare ante duos menses elapsos; quia alioquin;

quin, vt benè notat Becanus, Velentia, & elij; magne sequeretur in Reipublice perturbatio. Nem qui scirent legem promulgatam, tenerentur eam seruare in vtroque foro, alij in neutro tenerentur. Dicendum est igitur leges Pontificies, & Principũ sæculerium non obligare, nisi post tempus duorum mensium à promulgatione facte.

Nec velet dicere, quod stylus Curiæ Romanæ est in contrarium, & quod ibi è Iudicibus passim puniuntur transgressores legum, etiem aute elapsum tempus duorum mensium. Nem respondeo cum Salas, Becano, Mirand. & alijs, quòd stylus Curiæ, & Iudices, ideo hoc faciunt, quia fundentur, & sequuntur opinionem priorem, subditos vero posse tuta conscientia sequi oppositem, quie probabilis est, sed ceueēt penas à Iudicibus infligendas. Igitur, ait Nauatr. stylus Curiæ procedit in foro externo, & non in foro interiori. Notandum est verò cum Soto lib. 1. de iust. q. 1. art. 4. Reginaldo, Valentia, & elijs doctrinem supre dictam edmittēdem esse in legibus Principum supremorum: secus autem si lex feratur eb aliquo magistratu, qui hebet in sue gubernetione superiorem, vt Episcopus; nam tunc statim ex ipso tempore promulgetionis obliger, & ita etiam docet Suar. de legib. lib. 3. c. 18. nu. 9. lib. 4. c. 15. nu. 15.

An Principes teneantur seruare suas leges?

RESOL. X.

Respondeo, quòd Princeps, seu elios Legislator, qui non hebet superiorem, non tenetur legibus non obligantibus ex æquo, vt legibus vestium, &c. benè tamen tenentur legibus obligantibus omnes, vt legibus raxantibus precia mercium, &c. sed ed hoc non tenetur vi coercitioa, cum à nullo puniri possit, sed vi directiue. Quie sicut ius naturæ præcipit, vt inferiores superioribus obediant, & sic se conforment cum suo cepite; ita præcipit, vt superiores obseruent leges proprias, & sic se conforment subditis; turpe est enim ceput, & membra non cōformari. Ergo eodem modo, quo subditi tenētur seruare leges superiorum, superiores ipsi tenentur seruare propries, ec proindè vtrique legibus obligantur. Ite docet Granado in p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 6. sect. 1. n. 6. Laymen in theol. mor. tract. 4. ca. 9. n. 3. Suarez de legib. libr. 3. c. 35. Fern. in exam. Theol. mor. p. 2 c. 6. §. 2. Ioã. de la Cruz in direct. consc. in prooemio dub. 3. concl. 2. Vasq. in p. 2. to. 2. disp. 167. c. 3. n. 17. Becanus in sum. Theol. p. 2. tract. 3. c. 6. q. 12. per totam, & alij penes ipsos.

Sed difficultas est, an ex vi directiua tenetur ite seruere suas leges, vt illes frangendo peccet mortaliter. Affirmant aliqui, vt Granado vbi sup. in p. 2. contr. 7. tr. 4. p. 2. disp. 17. sect. 3. n. e4. Suarez de legib. li. 3. c. 35. n. 8. & 20. Sayrus in Cleui Reg. li. 2. c. 9 n. 2. Malder. in p. 2. qu. 96. trect. 5. fol. mihi 405. col. 1. & alij, quia putent directè Principes teneri seruare leges.

Sed mihi contraria seutētia probebilis etiam videtur, quem docet Filliuc. to. 2. tr. 21. e. vlt. n. 426. Azorius p. 1. lib. 3. c. 11. q. 1. Selas de legib. disp. 14. sect. 2. nu. 19. & 20. & disp. 20. sect. 12. nu. 104. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 5. n. 34. & alij; quia Princeps non tenetur seruare legem, nisi indirectè, & illo iure, quo se tenetur conformere subditis, & cum lex non obliget vltra voluntatem legislatotis, non cēsetur legislator velle sibi teniam obligetionem imponere? Ergo, &c. Vnde semoto scandalo, & alijs circumstantijs, essero Pontificem non peccare mortaliter, si non communicet in Peschate, si faciet cont ectum iore tantùm humano simoniacum, & elie similie; peccaret tamen Princeps si venderet aliquem rem vltre iustum pretium texetum à lege; nē vt benè obseruet Lorca in p. 2. to. 2. tr. de legib. disp. 26. membr. 3. & alij, neturalis iustitia postulet, vt iusto pretio cōtractus fiat, pretium eutem fit iustum communi æstimatione, quæ meliùs lege, quèm alio arbitrio declaratur.

Notandum est etiam, quòd Princeps tenetur stare contractibus à se celebratis cum suis subditis, & aliter faciēdo peccat mortaliter Et ita docet Reginald. io praxi, to. 1. l. 13. c. 17. n. 168. Suar. de legib. lib. 3. c. 35. n. 23. Sales etiam de legib. disp. 14. sect. 2. n. e7. Azor. p. 1. l. 5. c. 11. q. 1. Filliuc. vbi sup. & nouissimè Villalob in summ. to. 1. tr. 2. dub. 40. nu. 6. vbi sic asserit. [En todo contrato el Principe se oblige à aquel con que contrahe, eūque see su subdito, y quede obligedo como el està, es comun sententia, y lo dicta la razon natural, porque el contrato, ha deser ygual, y no ha de claudicer, y ansi pues es subdito le queda obligado a el en el contrato, tembien el ha de quedar obligado.] Et ideo etiē

docet Io. Valerus in differ. vtriusque fori, verb. lex, diff. 10. nu. 1. Principes nó teneri saltem (ait ipse) sub mortali, seruare leges; nisi temen iurassent seruare eas, vt solet tale iuramētum exigi à Regibus, & Dominis terratum, dum capiunt de nouo possessiones eerum; quia Princeps naturaliter sub peccato mortali potest se suis subditis obligare. Vide etiam circa præsentem quæstionem Tennerum in p. 2. disp. 5. q. 6. dub. 2. n. 22.

An Regulares teneantur obseruare leges Synodales Episcoporum?

RESOL. XI.

Affirmatiuem sententiam docet Vasquez in pert. 2. tom. 2. disput. 167. cap. 4. num. 32. Sanch. in summ. to. 1. lib. 4. cap. 15. num. 21. qui citat Rodriq. Villelob. in summ. to. 1. tr. 2. dub. 31. num. 4. Becenos in summ. theol. p. 2. tract. 3. c. 6. quæst. 11. nu. 3. & in hanc sententiam videtur inclinere Maldetus in parte 2. q. 96. ertic. 5. fol. mihi 409. colu. 1. & elij, qui esserunt Religiosos obligari iure naturæ, saltem quoad vim directiuem, ad eiusmodi leges seruendas, quendo illæ non derogant statui Religioso, & spectant ad communem obseruantiam, & deuotionem totius populi, & cleri; pars enim debet cōformari suo toti, saltem in ijs, in quibus homogenea est.

Sed ego contrariam sententiam existimo probabiliorem, nempe Religiosos solùm teneri ad eiusmodi leges, ex decentie, & retione scandali vitandi, ideoque si scandalum cesset, nūquem peccaret illes non obseruando. Et ita docet P. Granado in part. 2. contr. 7. tractat. 3. pert 1. disput. 7. sect. 3. num. 18. Lorca etiem in parte 2. rom. 2. disputat. 25. membr. vlrim. Suarez de legibus, lib. 4 cap. 20. num. 9. & Salas de legibus, tract. 14. sect. 4. num. 43. & ex Prædicatorum familia Michael Zanerdus in suo director. Theol. part. 2. præcep. 4 cap. 12. in fin. vbi sic eit. Hinc pater Regulares omnes priuilegiatos esse exemptos ab omnibus ordinationibus synndelibus, & prouincialibus. Idem docet Pontius de matrim. libr. 5. c. 7. num. 31. & Portel. in dub. regul. ver. lex, num. 1. vbi essent. Leges Episcoporum non ligant Religiosos, nisi quoad festorum obseruationes, interdicta, cæterasque censuras obseruandes; pro quibus ferendis licentiam habent à iure Tridentini. Et ideò rectè Llamas in sum. seu method. p. 3. cap. 5. §. 28. in fine, notauit, quòd ieiunia ab Episcopo imposita non obligant Religiosos exemptos, quod etiā docuit Portel. vbi suprà in dub. regul. verb. festi dies, num. 3. sentientes in conscientie ad dicta ieiunie non teneri, nisi ratione scandali, & nisi in vsu, & consuetudine illa Regoleres acceptauerint, & citet Suerez, vbi suprà.

Notendum est verò, quòd sunt multi casus, in quibus Religiosi etiam exempti, tenentur legibus, & sententijs Episcoporum, qui sunt in iure expressi, quorum numerum inuenies adnotatum diligentissimè apud Maldetum in p. 2. q. 96. art. 5. folio mihi 408. & apud Cenedum in qq. Canon. q 26 per totam vide etiam Berbosem de potest. Episc. p. 3. ellegat. 105.

An Clerici subijciantur legibus Principum sæcularium nec spectant ad Republica gubernationem, pacem, nec cum sacris canonibus, & statu Clericorum pugnant?

RESOL. XII.

Ad henc quæstionem respondet Pettus Lorca in p. 2. to. 2. tr. de legib disp. 25. memb. 4. vbi sic ait. Est dubium, vt cū clerici obligentur legibus ciuilibus, sole æquitate naturali, ratione conformitatis cum alijs hominibus, an ipsa vi, & efficacitete legum: mihi appatet probabilius, obligeri secundo modo, quoniam licet quoed alie exempti sint, quoad leges non videntur exempti. Quere non solum virtuti directiuæ, vt aliqui opinantur, sed virtuti etiem coactiuæ, quamuis hæc coactio, punitio, & executio legum, fieri nō debeat per Principes sæculares, sed per Principes Ecclesiasticos; per eos autem compelli debēt ad legum ciuilium obseruationem. Ita Lorca.

Sed hæc sententie est singuleris ideò non tenenda. Sed dicēdum est cum communi Theologotum sententie, vt nos firmauimus in tra. de immun. Eccl. quod clerici legibus ciuilibus respiciētibus bonum commune, & non repugnantibos Ecclesiæ libertati, tenetur tentùm ex vi directiue, non eutem ex vi legis: imò aliqui, & probebiliter, docent clericos non teneri directè

legibus sæcularibus, sed ex ratione naturali dictante seruandas esse leges sæculares, propter conformitatem cum personis sæcularibus eiusdem Reipublicæ, quæ illis legibus directè subijciuntur: sicut Princeps non obligatur directè suis legibus, sed indirectè, quia ratio naturalis dictat, vt oneribus, quæ subditis imponit, ipse quoque se subijciat. Et hanc sententiam docet, Layman in Theol.mor. tract.4.c.13.n 6. Azorius p.1 lib.5.c.12. q.3. & p.2.lib.9.c.7.nu.8. & 15. & alij.

Non reticeam tamen, quòd aliqui inferunt, secluso scandalo, clericos non peccare mortaliter, si dictas leges Principum sæcularium non obseruent. Et ita docet Martinus Bonac. tract. de legib. disp.1.q.1. punct.6.n.53. vbi sic asserit. Vtrum clerici grauiter peccent transgrediendo leges ciuiles, constat ex supra dictis non grauiter peccare, posito, quòd directè non teneantur legibus ciuilibus. Idem docuit Io. Salas de legib. disp.14.sec.10. n.11. in fine, vbi ita ait. Si verum esset, quòd clerici non obligentur directè legibus ciuilibus, secluso scandalo, non peccarent mortaliter, eas violando. Ita ille, qui sup. in sect.8. n.103. sententiam istam asserentem, clericos non directè, sed indirectè legibus sæcularibus teneri, tanquam probabilem admittit, & ad argumenta contraria respondit.

Solent plures aliquando in æstate se transferre ad Ciuitatem Montis Regalis: quæritur, an teneantur ad ieiunia, obseruationem festorum, & c. illius loci?

RESOL. XIII.

ALiqui affirmatiuè respondent. Et ita in terminis docet Molfesius in summ.tom.1.tr.9.c.8.n.34. & tract.10.nu.17. c.4. Suar. de relig. to.1.lib.2.c.14. Lessius libr.4.c.2. dub.8.nu.10. Sayrus in claui Regia lib.7.cap.3.num.1. & Fagund. de præcep. Eccl. tract.1.lib.1.c.8.nu.20. Ratio est, ait Molfesius cum alijs; quia ciuis existens extra suum locum est solutus a ieiunijs, & particularibus obligationibus sui loci: ergò iustum est, vt ligetur consuetudine, & legibus locorum, in quibus per aliquos dies manet, qui enim sentit commodum, debet etiam onus sẽtire; iuxta regulam iuris. Deinde ait Suarez, & Lessius, omnes fideles ita obseruant leges, & consuetudines locorum, in quibus manent, & licet hæc consuetudo ortum habuerit occasione vitandi scandali, ac semel inducta obligat in conscientia, tanquam valdè rationabilis.

At ego puto, contrariam sententiam esse probabiliorem. Ratio est, quia lex tantum obligat subditos, & partes communitatis pro qua fertur, sed aduenæ, & peregrini non sunt subditi nec pars communitatis, in qua versantur. Ergo non tenentur legibus eius. Maior est certa. Minor probatur, nam aduenę non habent intentionem, vt suppono, manendi in tali loco pro maiori anni parte. Ergo non censentur in eo loco habitare, & consequenter non ligantur talibus cõsuetudinibus, & legibus. Deinde Episcopus talis loci non potest dictis peregrinis aliqua sacramenta ministrare præter confessionem, & communionem: idque ex tacita proprij Episcopi licẽtia, nec potest cum illis dispensare. Ergò, nec iurisdictione obligandi illos suis legibus potietur. Et ita hanc sententiam docet Granado in p. 2. controu.7.tract.3. part.1.disput.7. sect.4. num.25. Sanchez de matrim tom.1.lib.3.disp.18.n.4 & in opere moral.to.1.libr.1.c.13. n.38. Azor.p.1.l.7.c.30.q.vlt. Vegh.in summ to.1.c.14.cas.11.& alij penes ipsos.

Ad argumentum Molfesij respondetur, illam regulam iuris procedere, quando onus necessariò est annexum commodo, vt percipiens beneficij fructus, teneatur eius oneribus, secus vbi annexa non sunt: & sic Nouitius Religionis gaudet eius priuilegijs, non tamen tenetur eius oneribus, ac præceptis, secundum veriorem sententiam.

Ad argumentũ Suarij, & Lessij, negatur ea consuetudo obligans: quod si aliqui se obligatos existimant, aut id ex ignorantia prouenit, aut si sint viri docti, id existimant, quia tenent contrariam sententiam: at oppositam tenent, qui nostram amplectuntur. Dicendum est igitur, quod secluso scandalo (quod facilè potest vitari, admonitis adstantibus, se non teneri ad eas leges, vel occultè transgrediendo) Panormitanum in Ciuitate Montis Regalis existentem, cum animo ibi non manendi pro maiori anni parte, non teneri ad ieiunia, festorum obseruationes, & alias leges illius loci.

Hæc tamen sententia, & superioris resolutionis limitanda est. Primo, quoad contractus solemnitatem, nam omnes aduenæ tenentur seruare solemnitates in contractu requisitas ex legibus, & consuetudinibus loci, in quo cõtrahunt. Secũdo, quando legum transgressor cederet in damnum illius loci: tũc enim peregrini tenentur, vt si aliquod statutum prohibeat aliquid extrahi ex illo loco. Tertiò supradicta doctrina secundum aliquos non est intelligenda de vagis, qui nullibi certam sedem habent, hi enim tenentur ad leges illius oppidi, per quod obiter transeũt. Quartò, quando illæ leges obligant etiam in loco domicilij, & non solùm in loco vbi reperiuntur: nam in hoc casu nulla ratio est excusans. Vide Villalobos in sum.to.1.tr.2. dub. 33. Fagundez, Sanchez, & alios vbi supr. Sed huic aliam adiungamus non dissimilem quæstionem.

An aliquis existens in ciuitate Montis Regalis per aliquos dies, teneatur obseruare festa, vel ieiunia, quæ hic Panormi obseruantur? quod est quærere. An Peregrinus teneatur seruare festa, & ieiunia proprij domicilij quæ non seruantur in loco in quo reperitur?

RESOL. XIV.

REspondent affirmatiuè Syluester verb. ieiun. qu.2. dist. 12. Rosella eodem ver.n.16. D. Antoninus p.3.tit.6.c.2.§.2.& Paludanus in 4.dist.15. q.15.art.3.

Sed ego contrariam sententiam omnino sustinendam esse existimo, etiamsi ex industria quis hoc efficeret; vt laboraret in alio loco, vel ibi non ieiunaret, sed carnes comederet. Et ita docet Sanchez in summ.tom.1.libr.1.c.12.n.35. & de matr.to. 1.lib.3.disp 18.n.29. Fagundez de præcep.Eccles.tr.1. libr.1.c.7. n.7. quia vtitur iure suo, & vt optimè aduertit Suarez de relig. to.1.lib.2.c.13.n.8. in fin. in tali casu nõ interuenit propria fraus aut dolus, sed fuga quædam obligationis præcepti, quæ tamen contra præceptum non est, & ita licèt per se non sit bona, non est tamen mala.

Scio contrariam sententiam docere Lessium li.4. c.2. dub.8. num.60. Rebellium p.1.lib.2. quæst.7.sect.3.num.16. Sayrum in Claui Regia, lib.7. c.3. num.12. Rodriquez in summ to.2.c. 219. num.2. & vtrumque Ledesmam apud Sanchez. Sed tu tene affirmatiuam sententiam tamquam probabiliorem, quia qui vtitur iure suo, non potest dici fraudem committere. Et ita hanc sententiam nouissime tenet Villalobos in summ.to.1.tr.2. dub 34. num.2. vbi ita asserit. [Si vn Portugues esta en Castilla puede comeder menudos los Sabados, como se comen aca, y no pecca el que sale de so lugar vn dia de fiesta à trabaxar en otro lugar, donde no se guarde aquel dia y el que sale de su lugar, donde se ayuna, y llega la hora de la cena, o otra, adonde se come carne, la puede cenar alli, y aun podria antes de salir de su lugar donde no se ayuna al morzar en su casa por la mañana, conque no coma carne.] Ita ille. Notandum est tamen, quod ille, qui in die festo patriæ se transfert ad alium locum, vbi dies festus non est, laborandi caussa, non tenetur prius Missam audire, si in ipso mane diei festi exit, quia talis homo non tenebatur audire sacrum, nisi vsque ad meridiem. Ergo si intra meridiem exeat sacro non audito, non peccat. Et ita docet Sanchez vbi suprà de matr. tom.1. lib.3. disp 18. num.21. cuius sententiam probabilem vocat Lessius libr.4. cap.2. dub 8. nu.56. Malderus in p.2. quæst.96. art.5. & Fagundez de præcep. Eccl. tractat.1. libr.1.cap.7. nu.13. quicquid in cõtrarium asserat Emanuel Sa ver. festum, num.18. Naldus in summ.ver. festum, nu.8. Sayrus in Claui Regia lib.7.c.12. Fernand. in exam. Theol. moral.p 1.c.7.§ 1.num 14. Fillinc.tract.27.c.7.num.111. Suarez de relig.to.1.lib.2.ca.15.num.penult. Sed tu tene cum Sanch. non solum post factum, vt vult Naldus in summ. ver. Missa, n.17. & alij, sed etiam ante factum.

Ex his omnibus infert Fagundez, duo multum notabilia. Primo vbi supra, num.8. nempe posse aliquem laborare diebus festis de præcepto Episcopi, & ieiunia eius non seruare intra eamdem diœcesim ipsius Episcopi, si ibi sit locus exemptus ab illius iurisdictione, cum locus exemptus pro extraneo habeatur. Et ita asserunt Auila de censuris, par.2.cap.3. dub.5. Henriquez libro 13.cap.26.num.1. & alij, ex communi ratione Episcopi pro tota Diœcesi non ligare eos subditos, qui commorantur in loco exempto intra eamdem Diœcesim ipsius Episcopi, qui censuram fert. Secundo notat Fagundez, quod si festum

vel

vel ieiunium seruetur in patria, & in loco, per quem transit ex præcepto Episcopi vtriusque Diœcesis, tunc videtur peregrinus ad neutrum obligari: quia peregrini non sunt subditi Episcopo illius loci, vt eos obligare possit suo præcepto, & quia non tenentur absentes ad leges patriæ, ergo, &c. Et ideò hanc sententiam putat probabilem, etiam quoad casus reseruatos. Sed contrariam, vt probabiliorem confirmat. Vnde ex his apparet, me probabiliter olim dixisse Panormitanos in diebus festiuis a nostro Archiepiscopo indictis posse laborare in Ecclesia S. Cataldi, quia est locus exemptus, & subiectus Archiepiscopo Montis Regalis.

An peregrini teneantur obseruare leges locorum, in quibus reperiuntur?

RESOL. XV.

PRima opinio asserit tunc peregrinos teneri, quando sedem figunt animo ibi perpetuo manendi. Ita docet Ioseph Angles in 4 dist.4. de ieiunio, ante dub.1. diffic.2. & alij apud Fagundez de præcep. Eccles. tract.1. lib.1 cap.8. num.1. & Sanchez de matrim. tom.1. lib.3. disput.18. n.8.

Secunda opinio, asserit peregrinum, præciso scandalo, non obligari legibus, & cõsuetudinibus particularibus locorum, ad quæ diuertit, nisi habeat intentionem manendi ibi pro maiori anni parte, non autem pro minori. Et ita docet Sanchez, vbi supra, n.9. Granado in p.2. contr.7. tract.3. p.1. disput.6. sect.4. n.23.& 25. Villalobos in summ. to.1. tract.2 dub.33 n.8. Reginald. in pr. to.1. lib.13. n.17. c.172. Azor. p.1. lib.5. c.11. qu.3. Sanchez, & alij, vnde Regulares virtute suorum priuilegiorum possunt pro satisfactione præcepti sumendi Eucharistiam semel in anno tempore Paschatis, communicare dictos peregrinos, qui nõ habent animum commorandi in aliquo loco pro maiori anni parte, quia in tali casu nulla efficitur iniuria parochis, cum huiusmodi peregrini non sint sui parochiani, & propria parochia in illo loco careant. Et ita docet Sanchez de matrim. to.1. lib.3. disp.23. nu.17. & Fagundez loc. cit. n.5.

Tertia opinio docet indifferenter peregrinos obligari legibus, & consuetudinibus loci in quo sunt. Ita Pontius de matr. lib.5. c.7.§.1. n.6. Nauarr. in man. c.13. n.5. Maior in 4. dist.15 q.5. Driedo lib.1. de libert. Christ. c.17.§. vnà cum Ledesma 1. p. 4. q.15. art.2. dub.2. Lopez in instruct. p.1. c.52. §. vnaquæque ciuitas. Couarr. l.4. var. c.20. nu.8 circa fi. & alij.

Quarta opinio, distinguit duobus modis posse præcipuè peregrinos esse in aliquo loco; vno permanenter per aliquos dies alio transeunter, & per modum hospitij, & in transitu, prandendo v.g. vel pernoctando. In primo casu putant teneri peregrinos seruare leges illius loci, in secundo minimè. Et ita docet Lessius lib.4. cap.2. dub.8. num.5'. Suarez de religione t. m.1. lib.2 cap.14. num.8. Filliuc. tom.1. tract.27. cap.7. nu.116 & seq. Fagundez vbi sup. de præcep. Eccles. tract.2. lib.1. cap.8. nu.15. & 20. & alij.

Quid ego sentiam, dicam breuiter. Prima sententia est nimis laxa. Tertia, & quarta est nimis rigida. Secunda est probabilior, cum limitationibus tamen positis a Sanchez vbi suprà; sed iterum de hac quæstione redibit sermo in tract. de ieiunio, circa quam præter DD. citatos, vide Layman in theol. mor. tract. 4. cap.12. per totam Coninch. de Sacram. q.74. art. 4. dub. 2. Sayrum in Claui Regia lib.3. c.4. Medinam Complutensem Cod. de ieiun. q.10. Medinam Salmanticensem in part.2. q.96. art.4. Philiarchum de offic. Sacerd. tom.1. part.2. lib.3. cap.23. & alios penes ipsos.

An vagi teneantur seruare leges locorum, in quibus reperiuntur?

RESOL. XVI.

COmmuniter affirmatiuè respondent Doctores, Lorca in p.2. to.2. disp 25. membr.4. de legibus Sanchez de matrim. to.1. lib.3. disp.18. n.15. Fagund. de præcep. Eccl. tract.1. l.1. c.8. n.4. Filliuc. to.2. tr.27. c.7. n.105. Suarez de Relig. to.1. lib.2. cap.14. n.10. Salas de legib. disp.14. sect.4. nu.55. Reginaldus in praxi, to.1 lib.13. c.17. n.172. Azorius p.1. lib.5. c.11. q.13. Sotus in 4. dist.18. q.4. art.2. & Villalobos in summ. to.2. tract.2. dub.33. num.1. vbi sic asserit. [Los forasteros vagos, que son los que no tienen casa, ni lugar en parte ninguna, estos està obligados alas leyes, y costumbres del lugar por donde passan, aunque sea de passo porque como estos tales no tienen domicilio en ninguna parte seguro donde quiera, que allegan le adquieren, y de otra manera diriamos que no tienẽ obligacion à leyes, ni costũbres de lugar alguno.] Dicendum est igitur, vago teneri obseruare leges oppidi, in quo reperiuntur; quia cum nullum peculiare domicilium habeant, illud quoad omnia acquirunt, vbicumque reperiuntur, alias viderentur exempti ab omnibus statutis, & consuetudinibus, quod dicere absurdum videtur.

Non reticeam tamen contrarium docere Gregorium Sayrum in Claui Regia lib.3. c.4. num.8 & Leonardum Lessium lib.4. c.2. dub.7. nu.49. vbi ita ait. Hæc sententia est probabilis, eaque nõ solum de peregrinis, qui alibi fixum domicilium habent, sed etiam de vagis, qui nusquam firmam sedem obtinent, intelligi potest, nam eadem ratio in illis locũ habet, nimirum, quia non sunt incolæ, aut inhabitantes, & Doctores generaliter loquuntur, nec distinguunt hoc loco inter peregrinos, & vagos: sed volunt omnes alienigenas, qui veniunt animo non manendi non teneri. Ita Paludanus, Antoninus, Syluester, & Medina. Nec obstat, quòd possit percipere Sacramenta vbicumque inueniantur, quia illud est priuilegium, non obligatio, ad nullam enim in particulari astringũtur parœciam, nisi per maiorem animi partem in aliquo loco cõsistere decreuerint. Neque absurdum videri debet, eum, qui nunquam sistit, nullis statutis particularium locorum teneri. Ita Lessius, & post illum, docet etiam nouissimè hanc sententiam Io. Sancius in select. disp. 54. n.34. & Paulus Laynam in Theol. mor. tract.4. c.12. nu.6. vnde apparet hanc opinionem satis probabilem esse.

An lex purè pœnalis in materia graui obliget in conscientia.

RESOL. XVII.

AFfirmatiuè respondet Malderus in pr. 2. q.69. art.4. memb.3. Suarez de legib. lib.3. cap 26. & lib.5. ca.3. Salonius in 2.2. tom.2. quæst.77. art.2 contr.8. Salas de legib. disp.10. sect.5. & disp.15 sect.1. nu.13. Azorius, & Filliucius vbi infrà, Lessius lib 2. cap.33 dub.8. num.59. Medina in p.2. q 96 art.4. dub. 2. Arragonius in 2.2. q 62. art.3 Duardus in Bulla Cœnæ libr.3. §.8. q.2. n.32. Io. Valerus in diff vtriusq; for. ver. lex, diff.7. num.3. & alij communiter, quia pœna supponit culpam, & lex continens præceptum obligat in conscientia; quia continet præceptum. Deinde si hæc sententia non esset vera, ferè tota vis humanarum legum periret, nã magna pars legum fertur sub tali forma, & tandem quando in re aliàs non præcepta, nec prohibita, legislator non vult ad culpam obligare, solet id exprimere in ipsa lege. Ergò, &c.

Hæc sententia videtur sustinenda. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docet Nauarrus in Manuali c.23. n 55. quẽ postea ex neotericis sequitur Miranda in Manual. Prælat. tom.2. qu.25. art.18. conclus. 2. Nicodemus de Florentia in spec. Confess. c.33. Villalob. in summ. to.1. tract.2. dub.22 n.2. & Reginald. in praxi, tom.1. lib.15. c.6. sect.5. n.50. quia in dubio benignior interpretatio facienda est, & lex explicari debet de minori pœna, c. in pœnis 49. de regulis iuris in 6. Item qui ex duobus propositis alterum tantum affirmat, alterum negare videtur, ex lege cum Prætor, ff. de iud. cap. nonne de præsumpt. Ergo legislator, qui ad pœnam temporalem, & æternam potest obligare, si solius temporalis meminit, non videtur intendisse obligare ad æternã. Deinde Reges, & Principes, siue sæculares iudices numquam expresserunt, neque interpretati sunt in suis legibus pœnalibus mentem, & intentionem suam esse, vel fuisse per ipsas obligare sibi subditos ad culpam, neque consuetudo ipsa id vnquam fuit interpretata, nisi simul cum eis, seu ipsarum aliqua lex diuina, naturalis, aut Euãgelica, aut cõstitutio canonica, ex qua id ipsum colligeretur. Signum igitur est, consuetudine ipsa supradictas leges interpretatè, quod per eas homines non obligentur ad culpam, sed tantum ad pœnam in eisdem appositam, & eãdem lex, vt obliget necesse est: vt obliget autem ad culpam, hucusque non est vsu receptum. Ergo, &c.

Et ideo hanc sententiam probabilem puto, & illam etiã probabilem vocauit Valentia to.2. disp.7. q.1. punct.6. Azot. p.1. lib.5. c.6. q.4. & Filliuc. tom.2. tract.21. c.11. n.420. Vnde valde miror Sotum de iust. lib.1. q.6 art.5. hanc opinionem vocare errorem vulgi putantis cum sua pœna licere cuilibet legem transgredi.

gredi. Nam dicere legem pœnalem non obligare in conscientia vulgi error non est; sed opinio doctorum virorum, & probabilis, etiam ex mente illorum, qui contrariam sententiam docent vt diximus. Sed quia ex probabilitate huius opinionis, oriuntur resolutiones multorum casuum, de duobus faciam hic tantùm mentionem, quia de ipsis sæpiùs interrogatus fui.

An pragmatica, quæ in hoc Regno prohibet ferre sclopetum, vulgo dictum Sclopetoni, sub pœna capitis, obliget sub reatu peccati mortalis? Quod est quærere an lex prohibens aliquid sub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiscationis bonorum, aut omissionis multarum bonorum obliget sub mortali.

RESOL. XVIII.

Communis, & probabilior sententia affirmat. Et ita docet Lutea in p.2.to.2. disp.22. de legibus regul.2. Comitol. in respons. moral. lib.4.q.17.nu.8. Sanchez in summa, to.2. lib.6.c.4.n.64. Vasquez in p.2 to.2.q.96.art.4. disp.159.c.3.nu.23. Azorius p.1.lib.5.c.6.q.5. Suarez de legib.lib.3.c.26.n.4. Salas etiam de legib.disp.10.sect.9.n.67. & alij apud Sanchez vbi suprà.

At contrariam opinionem docet Nauarr. in Man. nu.55. & 56.& ex neotericis Societ. Iesu Valerius Reginald. in prax. to. 1.libro 15.c.6.sect 5.n.50.& seq.vbi probat hanc sententiam ex principio in superiori resolutione posito, nempè legem pœnalem non obligare ad culpam. Sed dices mortale est obijcere se probabili periculo vitæ, sed qui transgreditur legem imponentem supplicium mortis, exponit se tali periculo, ergo peccat mortaliter. Respondetur esse peccatum mortale exponere se periculo mortis, quia violatur quintum Decalogi præceptum, sed transgredi legem, quæ mortis pœnam imponit, non est se tali periculo se exponere, quia potest quis tanta cautela talem legem violare, vt non incurrat in probabile periculum pœnæ. Dicendum est igitur ex pœna capitis, mutilationis, &cet. quàm lex humana imponit, non duci argumentum sufficiens ad ostendendum in dubio obligationem illius esse ad peccatú mortale; nisi aliundè cōstet ex aliquo certo signo legislatorem voluisse eiusmodi legem pœnalem obligare subditos, non modo ad illam pœnam subeundam, sed etiam ad reatum peccati mortalis. Hæc omnia Reginaldus. Quare Philiarchus de offic. Sacerd.tom.1.p.2.lib.3.c.2.dicto 4 negauit, ex pęna capitis colligi obligationem legis ciuilis sub reatu culpæ mortalis. Sed ex ista probabili opinione, quod lex pœnalis non obliget in conscientia, pendet etiam decisio alterius casus, de quo etiam sæpius interrogatus fui.

An fraudantes vectigalia iusta peccent, & teneantur ad restitutionem?

RESOL. XIX.

Communis sententia Doctorum, & rectè quidem, est affirmatiua: & sic docet Ortiz in sum. c.3.num.4. Homob. de exam.Eccl.p.1 tract.7.cap.29.q.120. Vegha in sum. p.1.cap.15. casu 13 Rodriq. in sum.p.2 c.76.n.3. Graffius p.1.lib.2.ca. 125. num.93.Fernandez in exam.theol.mor p.1.c.15.§.6.nu.18.Megala in p.2.lib.2.c.17.n.130. Molfesius in summ.to.2. tract.12. c.22.n. 126. Salas de legib.disp.15.sect.16. nu 116. Ledesma in summ.to.2.tract 7.c.vlt.concl.25 Suarez de legib. lib.5.c.18. n. 6 Guttierez tract.de gabel.q.3.n.23. & 24. Nauarra de restitut. lib.3.c.1.n 266. Sanch. in summ.to.2.lib.6.c.4.nu.52. Vasq. Lessius,& alij vbi suprà, asserentes vectigalia ita debeti in consciētia, vt lethaliter peccent ea defraudantes in materia notabili, quæ sufficiat ad furtum mortale. Ratio est apertissima:nam sicut Princeps Reipublicæ debet,curam, & vigilantiam,ita Respublica debet Principi congruum dignitati subsidium; ergo, qui vectigalia defraudat, Principi iustum stipendium defraudat; peccat igitur, & tenetur ad restitutionem. Secundò, talis defraudatio vectigalium tendit in præiudicium eminentium talia tributa. Ergò, &c.

Hæc opinio videtur sustinenda. Sed contrariam non esse improbabilem, putauit Lessius lib.2.c.33 dub.8.n.55. & Bonacina de contract. disp.2.q.9.punct.1. num.3. nam affirmatiuam sententiam, quam ipsi tenent, vocant tantum probabiliorem. Ergò secundum Lessium, & Bonacinam, negatiua sententia est probabilis, & illam absolutè docent Angel.in verb.pedagium, num.6. Nauarrus in Manuali,c.17.nu.200. & cap.23.n.54.Beia in respons.p.1.cas.13. Duard.in comment. Bull. Cœn.lib.2.can. 15.q.12.nu.9. vbi latissimè fundat hanc sententiam, & respondet ad argumenta contraria. Ratio est, quia probabilis est illa opinio, vt supra notauimus, quæ asserit leges humanas pure pœnales non obligare in conscientia, sed tributa, & vectigalia sunt veluti leges humanæ pœnam imponentes, ergo non obligant in conscientia.

Ad primum argumētum contrariæ sententiæ respondet Beia, & Duardus, quòd licet de iure naturali debeantur Principibus tributa, tamen defraudantes dicta vectigalia non intendunt legi naturali contrauenire, sed cum tractetur de lege pure pœnali, eorum arbitrio committitur, an velint soluere, vel tributa fraudare, & sic exponere se periculo luendæ pœnæ cum notabili Principis emolumento.

Ad secundum respondetur, quòd imputandum est ementibus prædictas gabellas, si fraudentur, si non inuigilent; nam sub tali conditione illas emunt, & si cum alio amittunt, cum alio lucrantur propter pœnam contrauentionis. Hæc supracitati auctores. Vnde Emanuel Sà Societ. Iesu verb.gabella,n. 6.asserit, defraudantes vectigalia non esse à Confessarijs vrgendos ad restitutionem, quod etiam docuit Episcopus Malderus in 2.2.tract.5.c.6.dub.15. in casu, quo pœnitentes nollent restituere,nam sequendo hanc opinionem probabilem, possunt licitè à Confessarijs absolui.

An lex pœnalis mixta obliget sub reatu peccati mortalis?

RESOL. XX.

Dicitur *lex pœnalis mixta*, quando v. g. lex aliquid fieri iubet, aut prohibet, & deinde pœnam transgressoribus imponit. Vt si lex dicat, iubemus, vel prohibemus, ne quis arma portet sub pœna tali; nam si lex nihil præciperet, aut interdiceret, sed solum pœnam aliquid facientibus irrogaret: vt si diceret, qui arma portauerit, subeat talem pœnam, hæc lex esset pure pœnalis, de qua iam supra dictum est. Hoc supposito, affirmatiue respondeo ad propositam quæstionem cum Becan. in summa theol.p.2.tract.3.c.7.q.2.num.4. Granado in p.2.contr.7.trac.3. p.1.disp.4.sect.2.nu.7. Maldero in p 2. q.96.art.4.memb.2. Sanch.in summ.to.2.l.6.c.4.nu.60. Vasq.in p.2.to.2.disp 159.c.2.& 3.& à fortiori cum DD. citatis, qui absolutè docent, omnem legem pœnalem obligare in conscientia.

Non desunt tamen Doctores, qui contrariam sententiam affirment, nempe omnes leges pœnales, siue purè pęnales sint, siue mixtæ, non obligare in conscientia, sed ponam hic verba Villalobos in summ.tom.1.tract.2. dub.22. num.6. ita asserentis. [Las leyes humanas ciuiles mixtas, que no se haga tal cosa, o mandan que se haga, obligan à culpa, lo cōtrario dessa conclusion tiene Nauarro, Gomez, Iuan Andreas, Mattheo Meresila, Sceuola, Decio, y otros; y essa sentencia me parece muy probable, y porque fauorece a las animas, y la tiene tantos hombres doctos, se puede muy bien seguir en practica, y dize Azor.par. 1.lib.5.c.6.q.5. que el que seguiere esta opinion, non est omnino condemnandus.] Ita Villalob. & ideò etiam hāc sententiam probabilem vocauit Filliuc.tom.2.tract.21.c.11.nu.418.420.& illam ex eadem met Societ.Iesu cum Nauarr. amplectitur Greg. de Valent tom.2.disp 7.q.5.punct.6.§.3.in 6.signo, ver.accedit, quod Henricus.

Dicendum est igitur esse opinionem probabilem illam, quæ asserit omnem legem pœnalem, siue purè pęnalē, siue mixtam non obligare in conscientia. Notandum est etiam cum Valentia, & alijs, quòd cum legislatores Ecclesiastici possint, & soleant comminari spiritualem pœnam, quando in conscientia obligare volunt, si tantum pœnam temporalem statuant, indicium esse videtur, quòd ad eam tantum obligare velint, præsertim cum odia sint restringenda.

Et ex his Confessarij possunt in multis casibus occurrentibus, quam plures scrupulos tollere, prout prudentia illis dictabit.

An

An lex pœnalis Ecclesiastica, puta excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis obliget sub mortali.

RESOL. XXI.

Respondent affirmatiuè communiter DD. Sed contrarium docet Valent. tom. 2. disput. 7. q. 5. punct. 9. § 13. in 4. sign. ita asserens. Signum est, quòd leges Ecclesiasticæ obligent sub mortali, quando subiungitur pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ. Non est autem eadem ratio, si subiungatur pœna suspensionis, vel interdicti, vel irregularitatis, quoniam hæc possunt etiam incurri propter peccatum veniale, imò irregularitas incurritur interdum absque vllo peccato. Quanquam has etiam pœnas Medina non satis, vt apparet, considerate dixit esse iudicium obligationis sub mortali. Ita Valentia. & post illum doctissimus Salonius in 2. 2. to. 2. quæst. 77. art. 1. contr. 8. num. 8. & quoad pœnam suspensionis, idem docuit Azor. part. 1. lib. 5. cap. 6. q. 5. & quoad pęnam irregularitatis, Sayrus in Claui Regia lib. 4. cap. 7. nu. 25.

Notandum est etiam Valentiam docere, tunc legem sub pęna excommunicationis obligare ad culpā mortalem, quando excommunicatio est latæ sententię, non autem si excommunicatio sit comminatoria, & citat Nauarrum, Castrum, & Caietanum. Et hæc sententia probabilis est secundum Salonium: nam contrariam, quam ipse, & alij communiter tenent, vocat tantum probabiliorem: sed an talis reuera sit, iudicent viri docti, quia mihi non placet.

An decretum Cardinalium editum contra Religiosos accedentes ad loquendum cum Monialibus, obliget ad peccatum mortale.

RESOL. XXII.

Vbi tale decretum est in vsu, obligare ad peccatum mortale docet noster Duard. in Bull. Cœn. lib. 3. §. 8. qu. 2. n. 45. Bonacina tract. de clausura, quæst. 3. punct. 4. num. 4. Peirinus in Priuil. Minimor. tom. 2. constit. 6. Pij V. § 10. num. 36. & Salas in part. 2. disp. 15. sect. 1. conclus. 2. nu. 16. vbi ita ait. Decretum Cardinalium editum contra Religiosos accedentes ad Monasteria Monialium, vbi est in vsu, obligat ad mortale, quia ponit pœnam priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ. Sed non defuere contrarium probabiliter sentientes, quia dictum decretum cum sit lex pœnalis ex probabili Doctorum sententia, asserebant non obligare ad culpam mortalem. Vnde Illustrissimi Domini Cardinales, vt tollerent omnem difficultatem, declararunt sub die 1. Iulij 1606. supradictum decretum obligare etiam ad peccatum mortale, quorū verba inuenies apud Duardum vbi supra, num. 47. quæ istę sunt. Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs Regularium prępositæ censuit, & declarauit Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam Decreti, quo huiusmodi accessus per Sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis. Ita Sacra Congregatio.

An lex pœnalis ipso facto pœnam inferens, obliget non solum in conscientia, sed etiam vt delinquens teneatur illam pœnam persoluere ante Iudicis sententiam.

RESOL. XXIII.

Svppono duplicem esse pœnam, vnam, quæ aliquam actiuam hominis executionem requirit, alteram quæ non requirit talem executionem; sed in sola passione, vel priuatione consistit, qualis est pęna inhabilitatis, excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, &c. Hoc supposito dico, reum non teneri ante sententiam declaratoriam soluere pœnam, quæ non potest mādari executioni absque hominis, nisi clare appareat talem esse legislatoris intentionem, vt velit reum pęnam illam subire ante iudicis sententiam. Ita cōmuniter Doctores Layman, in theol. mor. tract. 4. c. 15. nu. 3. & alij penes ipsum, cum Maldero in pr. 2. q. 97. art. 4. membr. 4. Ex quibus resoluam multos casus, sed quia non sunt ita in praxi occurrentes, paucos de illis tantum attingam, qui sæpius occurrere solent.

Ideo quæro, an qui est causa ne quis condemnetur ad pęnam iustam impositam à lege, teneatur pęnam restituere ei, cui esset applicanda. Vt si fiscus non accuset, vel si iudex non condemnet ad pœnam lege præscriptam, si custodes syluarum, ciuitatum non manifestent crimina, propter quæ esset imponenda pœna pecuniaria, si testis, vel reus iuridice interrogatus crimen neget, ex cuius manifestatione condemnaretur ad mulctam pecuniariam, &c. Respondeo negatiuè. Et ita docet Granado in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disput. 14. sect. 2. num. 8. Vasq. in p. 2. to. 2. disp. 168. c. 4. nu. 30. Salas de legib. disp. 13. sect. 8. nu. 105. & Lessius lib. 2. c. 13. dub. 10. nu. 72. & 73. Emanuel Sà ver. restitut. nu. 46. & ver. pœna, n. 14. & alij penes ipsos, quia pœna non debetur ante iudicis condemnationem, quæ quidem opinio est multum notanda. Nam ex illa excusabuntur nō pauci ab onere restitutionis; ita vt dixi, non desint viri docti, qui contrariam sententiam amplexi sunt, & onus restitutionis supradictis imponunt. Sed nostra opinio probabilis est, & tuta in praxi. Notandum est tamen, supradictam doctrinam non procedere in pœnis, quæ in testamentis apponuntur, & sic fœmina, cui relictum est legatum si caste viuat, non potest legatum recipere si vitam turpiter traducat; nam huiusmodi pęnæ potius dicuntur legata conditionalia, quàm pœnæ. Ita Doctores citati.

Secundò, quæro an pœna conuentionalis apposita in aliquo contractu, sit ante Iudicis sententiam soluenda; Negatiuè respondeo cum Lessio libr. 2. cap. 20. dub. 15. num. 136. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. cap. 24. numer. 4. Vasquez in part. 2. tomo 2. disput. 173. cap. 1. nu. 2. & 3. & alij apud ipsos, quicquid in contrarium asserat Molina tom. 2. tract. 2. disp. 317. num. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 12. num. 228. Rebellius p. 2. libr. 8. q. 9. nu. 6. & alij.

An qui per legem pœnalem priuatur ipso facto voce actiua, & passiua, teneatur in conscientia hanc pœnam subire ante Iudicis condemnationem?

RESOL. XXIV.

Affirmatiuè respondet Salas de legib. disp. 15. sect. 2. num. 29. Vasquez in par. 2. disp. 168. cap. 2. num. 12. Becanus in summa theol. par. 2. tract. 3. cap. 7. q. 3. conclus. 1. num. 5. Suarez de legibus, lib. 5. cap. 9. num. 5. Villalobos in summa, tom. 1. tra. 2. dub. 25. num. 4. vbi sic asserit. [La pena de priuacion de voz actiua, y passiua qual es la inhabilidad para dar el voto en la elecion o para poder ser eligido, quando la ley lo declara sofficientemente obliga en conciēcia, antes dela sentencia del juez. Assi lo dizen todos los Doctores, y infierese claramente de lo dicho, que corre aqui la misma razon, que en las censuras, solo hallo, que Soto lib. 1. de iust. quæst. 6. artic. 6. & libro 4. quæst. 5. art. 3. tiene lo contrario, hablando de la voz actiua, y inhabilidad para dar el voto, y haze differencia entre las demas pęnas priuatiuas, y esta, porque en las demas solo priuan de los bienes comunes, y esta priua de los proprios. Mas esto ya queda impugnado, y en derecho de eligir tam poco es cosa propria, sino comun de la Iglesia, ò vniuersidad, y assi como per la descomunion, queda vno priuado para poder elegir, por sola la ley tambien quedara inhabil para votar en la catedra por los estatudos, y no hallo Doctores ningunos, que en esto sigan Soto.] Ita ille.

Sed fallitur, asserendo Sotum neminem fuisse sequutum, nā eius sentētiam amplexi sunt aliqui, & inter alios ex Societ. Iesu Granado in par. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disp. 13. sect. 2. nu. 15. Ledesma 2. 4. quæst. 19. art. 2. Sola in expl. Bull. Clem. VIII. de largit. mun. § 9. Molina de iust. tom. 1. trac. 2. disp. 96. nu. 8. vbi ita ait. Idem dicendum est, quando quis ipso iure ob crimen aliquod priuatus est iure eligendi, aut iure suffragium ferendi, vt scholastici ob ambitum in cathedris; nisi enim sententia sequatur, eligere possunt, suffragiumq; ferre, idque habet consuetudo. Vniuersitatum, vt affirmat Sotus. Ita Molina, & Episcopus Antuerpiensis Malderus in par. 2. q. 96. art. 4. memb. 4. ful. mihi 401. colu. 1. loquens de hac quæstione, ita asserit. Probabiliter quidam dicunt, suffragio actiuo neminem priuari per legem pęnalem antem sentētiam iudicis, ne omnes electiones reddātur incertæ, secus de suffragio passiuo. Sic ille. Et ideo etiam

hanc

hanc sententiam, quoad vocem actiuam, docuit nouissimè Castellinus in tract. de Elect. can. Præl. 1. §. 6 nu. 20. & alij penes ipsum. Vide etiam Layman in theol. mor. tract. 4. cap. 15. nu. 5. & Sanchez de matr. lib. 9. disp. 30. nu. 2.

Et notandum est, etiam, stando in prima opinione, eum, qui in priuationem vocis actiuæ, & passiuæ incidit, non teneri priuare se voce actiua, vel passiua, quoties hoc nequit facere sine infamia, etiamsi in lege habeatur delinquentem incurrere in talem pœnam, non expectata vlla sententia. Et ita docet Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. num. 10. & alij. Ratio est, quia ius ad propriam famam conseruandam, præponderat iuri humano indicenti, v.g. priuationem officij, beneficij vocis actiuæ, &c. tenetur tamen in tali casu delinqueos diligenter inquirere dispensationem.

An quando dubitatur an lex obliget ad mortale, vel ad veniale, iudicandum sit obligare sub mortali.

RESOL. XXV.

Affirmatiuè respondet Layman in Theol. mor. tract. 5. ca. 3. n. 6. Salas de legib. disp. 10. sect. 2. nu. 12. in fin. Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. §. 3. Sayrus in Claui Regia libr. 3. cap. 7. num. 29. & alij.

Sed ego puto cum Nauarro in Manuali c. 23. nu. 50. & alijs, probabiliter sustineri posse obligare tantum sub veniali, si dubitetur omnibus bene perpensis, an lex obliget sub mortali, quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. Et ideo probabilem puto opinionem Molinæ to. 3. disp 674. n. 6. & 7. Aragonij in 2. 2. q. 62. art. 3. Caietani, Salonij, & aliorum asserentium, quòd quando quis dubitat de iustitia alicuius tributi, non tenetur illud soluere, quia melior est conditio possidentis, licet Lessius lib. 2. c. 37. dub. 8. nu. 64. Salas de legib. disp. 15. sect. 10. num. 110. & alij contrarium asserant.

An lex pœnalis ex identitate rationis sit extendenda ad alios casus.

RESOL. XXVI.

Affirmatiuè videtur respondendum, maximè si in ea sit ratio illa expressa, & si lex illa sit lata in animæ fauorem ad vitāda peccata. Et ita ex multis notauit Sanc. de matr. li. 3. disp. 42. nu. 4. & ex parte Sà ver. lex. nu. 9. & alij.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam docet Salas de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 13. n. 29. in fin. Pottel in addit. ad dub. Regul. ver lex, n. 13. vbi sic asserit. Iuxta communiorem sentētiam nunquam pœnam vnius legis & vnius casus esse extendendam ad casum alium, etiamsi in hoc secundo casu cōcurrat eadem ratio, vel maior ratio, seu maior malitia ipsius actus. Ita ille, & ita etiam docet Io. Valerus in different. vtriusq. fori, ver. lex. differ. 5. nu. 2. Bonacina de leg. disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 23. qui citat Sayrum, & Suarez, & alij.

Vnde ex his apparet, quod ante Bullam Gregorij XV. si Confessarius sollicitasset puerum, non erat denunciandus; quia Bullæ aliorum Pontificum erant latæ contra sollicitantes fœminas. Item Bulla Gregorij XIII. contra clericos sodomitas, non extenditur contra clericum abutentem fœmina in vase præpostero. Limitatur hæc sententia à Bonacina, & Valero in correlatiuis, & ideo in casum reseruatum sodomiæ incurrit tam agens, quàm patiens.

Vtrum lex fundata in præsumptione obliget in conscientia, si præsumptio in aliquo casu particulari deficiat.

RESOL. XXVII.

Respondeo, negatiuè cum Homob de Exam. Eccles. p. 1. tr. 5. cap. 8. quæst. 53. & præter Doctores, quos ipse citat, sequitur etiam hanc sententiam Ioan. Valerus in differ. vtriusq; fori, ver. lex, differ. 12. nu. 1. Layman in Theol. mor. trac. 4. c. 21. num. 4. Fernandez in Exam. Theol. Mor. p. 2. cap. 4. § 3. n. 4. Megala in 2. 2. lib. 2. c. 7. q. 2. nu. 55. quicquid aliqui asserant. Et hanc sententiam probabilem in foro conscientiæ putant etiam authores, qui contrariam docet, & ita Becanus in summ. Theol. mor. p. 2. tract. 3. cap. 6. q. 9. concl. 4. nu. 5. sic asserit. Tametsi leges humanæ, quæ irritant contractum fundentur in præsumptione, tamen validæ sunt, & obligant in vtroque foro, tam interno, quàm externo, etiamsi contingat præsumptionem in aliquo casu falsam esse. Hæc conclusio est certa in foro externo, dubia in interno, nam multi probabiliter contrarium tenent. Ita Becanus.

Cum igitur hęc sententia sit probabilis, dicendum est contra Reginal. to. 2. lib. 25. c. 51. n. 627. & Molin. to. 1. tract. 2. disp. 217. nu. 12. & alios, quòd hæres, qui non confecit inuentarium, non teneatur in foro cōscientię soluere legata, vel debita defuncti, si legata & debita excedāt vires hæreditaris. Et ita docēt Salonius in 2. 2. q. 77. art. 3. dub. 10. Sanchez in summ. lib. 4. c. 15. nu. 37. Sayrus in Claui Reg. lib. 3. c. 7. nu. 7. Suar. de legib. lib. 3. c 23. n. 9. Syl. ver. lex, q. 9. Angelus eodem ver. Nauarra de restitut. lib. 3. cap. 4. dub. 9. nu. 137.

Item Decretum Concilij Tridentini sess. 25. c. 19. denegans audientiam professis, qui transacto quinquennio reclamare volunt, allegantes nullam fuisse professionem, cum innitatur præsumptioni ratificationis inductæ per illud quinquennium prioris irritæ professionis, veram in foro conscientiæ dispositionem non inductam: sicut etiam Bulla Sixti V. quoad annullationem professionis ob illum iūris defectum, quòd de professi vita, & moribus inquisitio nō sit antea facta, ipsi præsumptioni innititur, ita vt in foro interiori non liget, si ex parte rei nullum subsit vitium. Et ita tenet Sanch. de matr. to. 2. lib. 7. disput. 37. nu. 9. Gratian. 10 discep. forens. c. 413. Rodriquez qq. regul. q. 54. art. 4. Beia p. 4. cas. 18.

Item prohibitio Clem. VIII. in Bulla de largit. muner. processit ex pręsumpta causa ambitionis, vnde si ea cesset, cessabit etiā illa prohibitio in foro conscientiæ. Valerus in diff. vtriusq; fori, ver. munera differ. 1. nu. 82. & Bulla Sixti V. quia fundatur in præsumptione: vt chiromantici, &c. habeant pactum cum dæmone: si aliquis certo sciat tales pactum vllum cum dæmone non habere, non tenetur denunciare, vt notat idē Valerus verb. hæresis, diff. 1. nu. 4. & post illum Riccius p. 3. decis. 278. nu. 6.

Hinc etiam docent, hæredem ex testamento minus solemni, si ei constat euidenter, vt facile potest constare, nullam vim nullam fraudem, nullumve alium defectū naturalem in illo contigisse, posse accipere, sibi ac retinere bona testatoris. Ita Sayrus in Claui Regia, lib. 3. c. 7. n. 9. Syl. ver. hæreditas 3. q. 7. Medina Cod. de restit. qu. 23. & alij.

Hæc omnia probabiliter dicta sunt. Nam scio aliquos contrarium docere, & quandam distinctionem facere de duplici præsumptione, quam pręsumit legislator. Sed ad maiorem huius quæstionis dilucidationem ponam hic subsequentem dubitationem.

Vtrum, quando cessat finis adæquatus legis in aliquo casu particulari, cesset obligatio legis.

RESOL. XXVIII.

Rem difficillimam explanandam aggredior, quia pro negatiua sententia stant ferè omnes Doctores, & ita docet Layman in Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. cap. 21. nu. 3. Vasq. in p. 2. tom. 2. disp. 163. c. 3. nu. 19. & Opusc. de rest. c. 1. dub. 1. num. 4. & Opusc. de reddit. c. 2. §. 2. dub. 14. nu. 5. Suarez de legib. lib. cap. 6. lib. 3. cap. 23. li. 5. c. 25. Salas etiam de legib. trac. 14. disp. 10. sect. 4. nu. 19. disp. 5. sect. 7. nu. 14. & tract. de censuris, dub. 8. num. 16. Molina to. 1. disp. 81. ad 3. arg. secundæ sententiæ, in fi. Reginal. tom. 1. lib. 13. c. 18. q. 3. nu. 180. Sanch. in summ. tom. 1. lib. 4. c. 15. nu. 37. & de matr. to. 1. lib. 3. disp. 3. nu. 7. & 9. Rebellius p. 2. lib. 11. q. 13. nu. 7. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 9. nu. 86. & disp. 14. dub. 14. n. 144. Becan. in summ. theol. p. 2. trac. 3. c. 6. concl. 4. nu. 5. in fi. Villalob. in summ. to. 1. tract. 2. dub. 36. nu. 6. Miranda in man. Præl. to. 2. q. 25. artic. 23. concl. 2. Sotus de iust. lib. 1. q. 6. art. 2. Lorca in p. 2. tom. 2 disp. 26. de legib. Arragonius in 2. 2. q. 62. art. 4. de dominio, Medina in p. 2. q. 98. art. 6. Anguianus de legib. lib. 1. contr. 3. Salonius in 2. 2. tom. 1. quæstio. 5. ar. 4. concl. 5 ad 1. arg. de domin. Felicianus de censib. to. 2. lib. 1. c. 8. nu. 6. Sarmiento select. inter. lib. 3. c. 12. n. 8. Couarr. in 2. p. decr. c. 6. §. 9. nu. 8. Malderus in p 2. q. 96 ar. 5. & 6. Sayrus in Claui Reg. lib. 3. c. 2. nu. 6. & c. 7. nu. 11. in fi. & n. 13. in fin. Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. punct. 8. §. incidens, num. 13. & de rest. disput. 3. q. 1. punct. 3. nu. 2. Naldus in sum. ver. lex, nu. 3. Pontius tr. de imped. matr. caussa 31. q. 2. §. 5. Pitigianus in 4. sentent. tom. 2. disp. 15. q. 2. art.

2. art. Pottel. in addit. ad dub. regul. verb. lex num. 4. Moneta de commut. vlt. volunt. c. 4. nu. 5. concl. 2. nu. 150. Vegha in sum. to. 2. c. 23. cap. 15. Ponnius de matr. lib. 5. c. 5. nu. 7. & 8. & alij. Asserunt hi Doctores, vt obligatio legis cesset, requiri vt eius ratio, & finis adæquatus cesset in communi, & vniuersaliter; & non sufficit, quod cesset in casu particulari, quia lex conditur propter bonum commune. Ergo licet in casu particulari cesset, retinebit adhuc vim obligandi.

Sed vt verum fatear, ego nunquam potui intelligere hãc distinctionem, nempè legem tunc non obligare quãdo finis eius cessat in generali, secus autem in particulari. Nam vt benè obseruat Scaccia tract. de commer. §. 1. q. 1. nu. 511. quãdo lex cessat in sua generalitate, tunc lex non solum cessaret in vno, sed etiam cessaret in omnibus, sicq; illa lex reduceretur ad non legem; quasi tunc esset correcta ratio legis, & sic ipsa lex. Itaque dicendum est, quod si in aliquo particulari casu cessat finis adæquatus, & totalis, & ratio legis cessabit quoque eius obligatio. Et ita docet Nauarrus tom. 4. comment. in rubr. de iudicijs, nu. 74. Mexia in prag. taxæ panis, conc. 2. à nu. 29. vsque ad num. 36. Henriquez lib. 11. c. 17. nu. 2. in gloss. litt. O. & libr. 10. c. 15. nu. 8. in gloss. litt. R. Comitol. in resp. mor. lib. 7. q. 1. nu. 10. Abbas in c. quia in insulis, de Regularib. Angelus ver. lex, n. 4. cas. 7. Sousa in Bull. Clemen. VIII. de largit. muner. fundam. 3. Sa ver. lex, nu. 1. & ver. ludus, num. 1. Megala in 2. 2. lib. 2. c. 7. q. 2. nu. 55. Granado in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disp. 15. sect. 2. vbi diffusè, & ad partes probat, & docet hanc sententiam. Ratio est, quia valet argumentum de toto ad partem, sed quando ratio legis cessat in totum, cessat etiam lex, ergo quando ratio legis cessat in partem, in partem etiam cessabit lex, ex authoritate legis, quæ de tota, ff. de rei vendit. & ideo ita pro hac sententia argumẽtatur Granado vbi supr. sic asserens. Cum ratio adæquata legis cessat in generali, seu comparatiuè, respectu omnium personarum, ac temporum, cessat in generali obligatio legis. Ergo cum ratio adæquata legis cessat in aliquo casu speciali, seu comparatione alicuius personæ, & temporis, cessabit obligatio legis in particulari. Probatur consequentia, quia ita se habet lex in vniuersali, ad rationem acceptam in generali, sicut lex in particulari ad rationem acceptam in casu speciali. Sed quando ratio legis cessat cõparatione omniũ, cessat obligatio legis respectu omnium. Ergo quãdo cessat comparatione vnius, cessabit obligatio legis comparatione illius. Deinde lex nõ solùm obligat omnes in generali, sed singulos in speciali. Ergo sicut deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati: ita deficiente apud vnum, manebit vnus deobligatus.

Ad argumentum verò in contrarium, quod supra positum est, respondeo; quod licèt leges condantur propter bonum commune, adhuc eas obligare etiam singulos subditos in particulari, & singulis habere vim eam rationem, propter quas cõduntur. Ergo quando in aliquo particulari cessat, cessabit quoque legum obligatio. Et ex ista resolutione Confessarij, & responsores casuum conscientiæ: poterunt multos scrupulos, & difficultates tollere in praxi quotidie.

An declarationes Illustrissimorum Cardinalium habeant vim legis.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuam sententiam docent aliqui, & ita asserunt, quod dictæ declarationes non solùm habendæ sunt, vt probabiles, & doctrinales, sed etiam vt auctoritatiuæ, & necessariæ, tamquam si ab ipso Papa editæ fuissent, ita vt habeant vim obligandi in vtroque foro: non solum pro illis personis, ad quorum instantiam fiunt, seu in illo casu speciali cui Congregatio respondet, sed vt leges generales in similibus omnibus. Et ita tenet Salas de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 12. Cochier. tr. de permut. benefic. par. 2. cap. 30. Zipæus in anal. iur. can. Epist. ad Lector. Leon. tract. de iubil. part. 2. qu. 5. nu. 207. Bellochius de cas. reseru. p. 2. q. 2. nu. 82. Rodriquez qq. regul. tom. 1. qu. 11. artic. 1. & 3. Gambarupta de cas. reser. cap. 3. num. 6. Lazarus tract. de blasp. qu. 50. num. 39. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 6. art. 11. Homob. de Exam. Eccl. p. 1. tract 1. cap. 6. q. 29. Narbona de appel. à vicar. ad Episc. 1. p. 1. nu. 189. Cochier. tract. de permu. benef. p. 2. cap. 30. Garzias de benefic. tom. 5. in præfat. vbi sic asserit. Quod attinet ad declarationes sacræ Congregationis certum eas nõ esse declarationes doctrinales, sicut latas à Doctoribus, & iurisperitis, vt aliqui Theologi perperam dicunt; sed esse declarationes definitiuas, seu decisiuas, vim legis habentes, & vt leges recipiendas, vtpotè latas ex commissione Papæ, & a personis habentibus interpretandi, & respondendi facultatem a Principe, vt apparet ex Bulla Sixti V. quæ est in p. 2. Bullarij 7. in ordine, vbi habetur facultas dictæ Congregationis, & eadem sacra Congregatio cuidam Abbatissæ Messanensi sic respondit. Eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur a Cardinalibus Sacræ Congregationis Cõcilij Tridentini nomine ipsius Congregationis, ac si a Papa scripta essent, & alias sic censuit. Decreta, & litteræ Congregationis Concilij: semotis litibus sunt executioni demãdanda, nec super his sententia, nec decretum aliquod est faciendum: & ita super declarationibus sacræ Congregationis Papæ statim dat breue, & Auditor Cameræ monitorium in earum executionem, & Rota eas absque vlla controuersia, & disputatione amplectitur, suscipit & obseruat, vt praxis ostendit. Et quamuis declaratio sit facta ad instantiam alicuius, seu in casu particulari, tamen facit ius quoad omnes, & in vniuersum. Ita Garzias.

At his non obstantibus, non desuut prestantissimi Theologi, qui contrariam sententiam docent, vt Petrus de Ledesma ex Dominicanorum familia in summ. to. 1. de sacram. pœnit. cap. 13. difficul. 7. fol. mihi 285. vbi sic asserit. [Las determinaciones de los Señores Cardinales non hazen derecho, como es cosa cierta, y aueriguada, tan solamente tienẽ fuerza en el caso particular que les preguntan, y es augmento grande en fauor de aquella sentencia, que parece que aprueuan.] Idem docuit Sanchez ex Societate Iesu de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 2. num. 10. dicens. Nec obstat declaratio Cardinalium; quia de ea non cõstat authenticè, neque illi necessario standum est, quamuis magnam habeat auctoritatem. Ita ille, & post illum Io. Valerus in differ. vtriusque fori, verb. absolutio, differ. 1. num. 20. vet. nullitas, diff. 5. num. 2. Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 13. §. 2. n. 7. Zipæus in nouo iure Pontificio lib. 5. tit. de pœn. & remis. nu. 9. Seratius in Prolegom. Bibliacis, cap 19. q. 11. & in disquis. mag. part. 3. lib 6. c. 1. sect. 3. Bonacina de legibus, disp. 1. q. 1. punct. 8. num. 4 Vegha in summ. to. 1. cap. 62. cas. 41. & hanc sententiam probabilem putat Villalobos in summa, tomo 1. tract. 2. dub. 7. num. 5. vbi ita asserit. [Otros dizen, que las declarationes de los Cardinales no obligã hasta que el Papa las promulgue, porque es de razon de la ley que se promulgue en especial, y hasta agora no ha permittido su Santitad, que se promulguen a la Iglesia en su nombre, y pareceme probable.] Vide etiam Pottel. in dub. regul. verb. Cardinalium declarationes. Et ratio huius opinionis est; quia vt asserunt supradicti Doctores, vt lex obliget, necesse est vt promulgetur, sed dictæ declarationes non promulgantur, ergo non obligant. Nec valet dicere cum Rodriquez vbi supra, id procedere in legibus, quæ nouum ius condunt, non autem quæ antiquum ius declarant, declarationes enim cum lege à principio insunt. Nam respondetur, quod licèt in manifestis declarationes legibus insint, & ex se sine alia promulgatione obligationem afferant, secus tamen mutat in dubijs, quia tales declarationes sunt veluti nouæ leges, vnde noua publicatione egent; & ideo nisi aliter per sedem Apostolicam declaretur, censeo cum supradictis Doctoribus declarationes Cardinalium maximi quidem ponderis esse, & ab ijs nulla ratione recedendum sine firmissimo fundamento, attamen vim legis non habere existimo, neque standum illis necessariò.

Vtrùm quando dubitatur, an consuetudo fuerit inducta ex animo devotionis, vel ex animo se obligandi, sit præsumendum inductam fuisse animo obligandi.

RESOL. XXX.

SVppono, quod ad inducendam consuetudinem, quæ vim legis habeat, & obligationem pariat, requiritur, vt id quod inducitur per consuetudinem introducatur, & obseruetur per modum præcepti, & obligationis: vnde quod frequenter efficitur ex sola deuotione, vel consilio, non inducit obligationẽ, sicut quando quis aliquid facit cum ignorantia, putans ad illud teneri, & ideo ait Villalob. in summ. tom. 1. tract. 2. dub. 28. nu. 5. [Para introduzir costumbre se requiere, que los que la introduzen tengan voluntad de obligar se; y lo hagan de cierta ciẽcia, y no por ignorancia, pensando que estan obligados, y assi pienso,

plenso, que es la costūbre de no comer hueuos entres años los viernes, porque los actos, que introduze la costumbre han de ser voluntarios, y no ay cosa tan contraria a la voluntad, como el error.] Vnde apparet non esse ita claram, vt aliqui putant, an consuetudo, quę in aliquibus locis viget non comedendi lacticinia in diebus ieiuniorum, insta annum obliget ad mortale sed de hoc alibi. Nunc ad propositam quæstionem respondendo, assero contra Reginaldum in praxi, to.1.libr.13.c.23.sect.1. n.244.& Azorium p.1.lib.5.c.8.q.5. quod quando dubitatur an consuetudo fuerit inducta ex animo deuotionis, vel animo se obligandi, præsumendum non inductam fuisse, tanquam obligatoriam. Et ita docet Suarez de legib.l.7.c.15.nu.13.

An licitè possit prælatus dispensare, quando dubitat, verum causa dispensationis sit iusta.

RESOL. XXXI.

NEgatiuè respondet Bonacina de legib. disp.1.q.2.punct.3. num.7. quia fieri potest, vt causa re ipsa non sit sufficiens, sed qui periculo se exponit dispensandi sine iusta causa, peccat. Ergo, &c.

Hęc opinio est probabilis, sed contrariam etiam probabilem docet Sanchez in summ. to.1.lib.4. cap.45.nu.10. quia in benigniorem partem est in dubio inclinandum, & credendum est, facultatem Superiorum esse in hoc dubiam; id enim petit bonum, & suaue Ecclesię regimen; esset enim multis scrupulorũ occasionibus exposita potestas, si ad causas solas certas extenderetur, & vix auderent Superiores dispensare. Ita ille. Et hanc opinionem docuit etiam doctissimus Syl. verb. dispensat. q.14. nu.10. vbi agens de Prælatis Regularibus, quibus permittitur dispensare in regulis, sic asserit. Dispensare possunt, quando eis constat de causa legitima, & etiamsi dubitent, quia ad clementiorem partem declinandum est. Hæc doctrina est valde attendenda, quia multi scrupuli ex illa tolli possunt.

An dispensatio sine causa in lege propria, vel inferioris sit valida, & an dispensans sine causa peccet mortaliter.

RESOL. XXXII.

REspondent negatiuè aliqui, quos nouissimè sequitur Vasq. in p.2.to.2.disput.178.c.4. per totam.

Sed contrariam sententiam communiter docent Doctores, quorum nomina inuenies apud Sala de legib. disp.20. sect.4.n. 37. & Suarez etiam de legibus, lib.6.cap.19.nu.6.& ex neotericis docet etiam hanc sententiam Pontius de matr.lib.8.cap.14. num.7. Lorca in p.2.to.2.disp.27.& Villalobos in summa, to.1. tract.dub.41.num.5.vbi sic ait. [Quando dispensa el Papa en su propria ley, aunque sea sin causa, es valida la dispensacion. Esta conclusion es comun, el fundamento es, porque aquella ley era propria, y pende de su voluntad, la qual puede mudar, lo mismo se ha de dezir del Obispo, y de qualqniera Prelado, que dispensa en su propria ley.] Ita ille.

Nota tamen; hic obiter contra Suarez de legibus, libr.6.cap. 18.num.9. Valentiam tom.2.disp.7.q.5. punct.9.& alios, Superiorem dispensantem in propria lege sine iusta causa, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter; secluso tamen scandalo, & graui alterius damno. Et ita docet Layman in theol.mor.lib. 1.tractat.4. cap.22.num.13. & alij penes ipsum, quibus adde Tannerum in pr.2. disp.5. quæst.7. dub.2. num.29 quod etiam verum est in petente dispensationem, nam tantum venialiter peccat; licet postea in vsu dictæ dispensationis sine iusta causa obtenta, nullam culpam etiam venialem committat. Et ita ego sentio contra Layman, & Sanchez de matrim. libr. 8.disp.18.nu.12.& 13. fretus authoritate Malderi in pr.2. q.97.art.4.dub.2.Suar. de leg.lib.6.n.14. Azor.p.1.lib.5.cap.15.quæst,3, & aliorum.

An valida sit dispensatio Prælato inferiori bona fide dispensante in causa non iusta.

RESOL. XXXIII.

REspondet negatiuè Salas de legib. disp.20. sect.4. nu.35. & alij penes ipsum, quia bona fides non solet acta alioqui nulla reddere, & ideo cognita insufficientia causæ non potest quis in foro conscientiæ, huiusmodi dispensatione gaudere.

Sed opinio contraria, probabilis etiam mihi videtur, quam docet Sanchez de matr.tom.3.lib.8.disp.17.nu.8.vbi sic asserit. Non valet dispensatio inferioris in lege superioris; licet sit aliqualis causa; si tamen eam illegitimam esse constet: hoc tamen limitarem nisi prudenter, ac bona fide iudicarit prælatus causam esse iustam; tunc enim credo valere dispensationem, licet verè non fuerit causa sufficiens, quia non est credendum aliam esse Pontificis intentionem circa suas leges, & Dei circa suas, in quibus permittitur inferiori dispensare, quod clarè significat Azorius part.1.lib.7.c.29. vbi hæc ait. Si prælatus aliquis, bona fide lege ieiunij aliquem liberet, putans causam esse iustam, relaxatio prodest, quia bona fide facta est. Ita ille: & ideo tutus erit subditus in tali casu, quamuis postea constet causam non fuisse sufficientem.

An sit valida dispensatio facta ab inferiori in lege Superioris, non præcognita prius causa, quando reuera causa erat iusta, & legitima.

RESOL. XXXIV.

NEgatiuam sententiam docet Azorius part.1. libr.5. cap.15. quæst. 9. & 10. asserens in neutro foro valere dictam dispensationem; quia facultas dispensandi, censetur commissa, causæ cognitione.

Sed contraria sententia probabilior mihi videtur: nempè huiusmodi dispensationem validam esse in foro conscientię, donec in foro exteriori reuocetur. Et præter Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matr.tom.3.lib.8. disp.17. n.11. Salas de legibus, disp.20.sect.9.num.79. docet etiam hanc sententiam Villalobos in summ.tom.1.tr.2.dub.41.num.4. vbi ita ait. [Quando de hecho de verdad ay iusta causa, mas el Prelado dispensò en conocimento della, vale la dispẽsacion en el fuero interior hasta tanto que se le reuoque en el fuero exterior, y es la razon porque no ay derecho, en que se irrite la tal dispensacion, y como en ella se guarda el fin, basta esso aunque falte, la solemnidad del derecho;] Vnde contra Azorium putat, & bene, Salas vbi supra nu.81. si subditus vtatur tali dispensatione, neque venialiter peccare.

An si superior dispenset in propria lege sine causa, peccet mortaliter, & idem quæritur de subdito dispensationem petente.

RESOL. XXXV.

ALiqui respondent esse posse, & ex genere suo peccatum mortale. Et pro hac sententia Sanch. de matr. to.3. disput. 18.num.6. citat Caiet. Armillam, Ledesmam, Vegham, Rodriquez, & alios. Idem etiam docet Granado contr.7. tract.3.p.2. disput.17.sect.3.num.24.

Sed tu tene contrariam sententiam, quam docet citatus Sãchez nu.7. Valentia tom.2.disp.7.qu.5. punct.5. & alij, quos citat, & sequitur Salas de legibus, disp.20. sect.5.num. 54. & 55. quibus ego addo Villalobos in summ.to.1.tract.2.dub 4. nu.6. ita asserentem [Duda es entre los Doctores, que pecado sea el dispensar sin causa en la propria ley; Couarruuias, dize que por ventura muchas vezes es pecado mortal, mas yo tengo por mas probable, que de ordinario no es mas, que pecado venial, si no es en caso, que huuisse graue dañ de otros, o escandalo.] Ita ille. Itaque secluso scandalo, & graui aliorum damno, non est peccatum mortale dispensare, seu petere dispensationem, & illa vti sine iusta causa. Imò ego puto probabiliter, non peccare neque venialiter, si aliquis vtatur dispensatione obtenta sine iusta causa, quia cum talis disensatio sit valida, nulla amplius legis obligatio remanet, cuius transgressio ad culpam venialem obligare possit. Ergo, &c. Et hanc opinionem probabi-

babilem vocat Sanch.nume.10.& Salas vbi suprà, & nouissimè Malderus in part.1 q.97.art.4. qui citat Suarez, & alios.

An sit valida dispensatio, quando erratur in nomine Diœcesis, vt si Petrus sit Diœcesis Panormitanæ, dicatur esse Diœcesis Messanensis?

RESOL. XXXVI.

NEgatiuè respondet Sanchez de matr. tom.3.disp.21.num. 39. & post illum Moneta de commut.vlt.volunt. cap. 22. concl.9.n.206. & Villalobos in sum. tom.1.tract. 2.dub.43. nu. 12. vbi sic ait. [Quando se hierra en el nombre, y no en persona, no es la dispensacion subrepticia, mas no es lo mismo, quando la dispensacion viene errada en el Obispado, como si se comete al prouisor de la Zamora, y el que ha de ser dispensado es del Obispado de Salamanca, porque como no se comete al de Salamanca, no puede dispensar, y ansi esto no es error en'el nombre sino en la persona, assi lo tiene Innocentio, y Abad.] Ita ille.

Sed ego, non solum puto esse validam dispensationem, quando erratur in nomine personæ; vt quando nomen Petri exprimitur nomine Pauli, vt docent Pontius de matr,lib.8.cap.15.§. vlt.num.43. Moneta vbi suprà nu.205. Layman in Theol. Mor. lib.1.tract.4.cap.32.nu.27. sed etiam quando erratur in Diœcesi, vt si Petrus, cum quo dispensatur, dicatur esse Diœcesis Panormitanæ, cum tamen sit Messanensis; quia constat intentionem Papæ esse, vt solus proprius petentis ordinarius cum illo dispenset: & si ordinarius potest dispensare, quando erratur in nomine petentis, sic etiam poterit, quando erratur in nomine ipsius Episcopi. Et ita aduersus Sanchez docuit Salas de legibus,disp.20.sect.16.nu.123. Sanctarellus var. resol.p.1.q.63. per totam, & hæc opinio bis, me consulente posita est in praxi.

Nota etiam secundum Layman in Theol. Mor.libr.1. tract. 4.cap.32.nu.26. quod rescriptum non vitiatur, vt à Commissario executioni mandari non possit, si error aliquis incuria scriptoris irrepserit. Vt si verbi gratia Papa commisit Officiali, quòd si preces veritate niti cognouerit, cum Titio, & Caia, Apostolica auctoritate dispenset, sed erratum fuit in Bulla Pontificia, nam pro tertio gradu affinitatis, positus fuit tertius gradus consanguinitatis.

An Episcopus possit dispensare non admonito Summo Pontifice, quem in casu pauperum suis sumptibus admonere potest?

RESOL. XXXVII.

REspondet negatiuè Vasquez in part.1. to.2.disp.178.ca.1. nu.16. quia in tali casu non apparet necessitas dispensandi, cum periculum non sit in mora, & ad Pontificem recurri potest per litteras Episcopi, qui potest & tenetur pauperum necessitati subuenire. Ergo, &c. Et hanc opinionem post Vasquez amplexus est etiam Bonac.de legibus, disp. 1.q.2.punct.1.n.19. & ideò secundum hos Doctores, Episcopus non potest dispensare; quoties ipse potest Summum Pontificem per literas certiorem facere, & pauperum partium, cum quibus dispensandum est, suis expensis, & redditibus occurrere.

Sed hæc opinio nimis onerosa videtur pro Episcopis; ideò contrariam sustinendam esse censeo, & illam docet Sanchez in summa,tom.1.lib.4.cap.40.nume.39.& Salas de legibus,disput. 20.sect.3.nu.27. vbi sic asserit. Aduertit Vasquez quoties Episcopus potest certiorem facere Pontificem, & pauperum eorũ, cum quibus dispensandum est, supplere, vt negotium ad Pontificem deferatur, dispensare non posse. Nam si hoc modo Pontifex consuli potest, qua ratione Episcopus in lege Pontificia dispensabit? Ego verò credo Episcopum non teneri in impensis his dispensationibus redditus suos consumere. Potetit ergo dispensare ob paupertatem partium, etiam cum ipse eam paupertatem supplere potest. Et ita habet praxis, & sentiunt Doctores; nam fine illa limitatione docent licitum Episcopo esse dispensare in necessitate, quando propter paupertatem partium difficilis est ad Pontificem aditus. Ita Salas.

An valida dispensatio circa irregularitatem homicidij, si non fuit explicata circumstantia Sacerdotij, si occisus erat Sacerdos.

RESOL. XXXVIII.

NOn esse validam docet Suarez de legibus, lib.6. c.24.num. 12.Rodriquez in summ. tom.1. ca. 179. num. 10. concl.5. & Auila de censur.p.7. disp.10. dub.8. vbi sic ait. Qui voluntariè occidit Presbyterum, & in petenda dispensatione, solum dicit se occidisse hominem, non manet tutus, nec dispensatio est valida.

Sed contrariam sententiam puto probabiliorem esse, & illam docuit Sanchez de matr. tom.3.lib.8. disp.21. nu.22. & post illum Salas de legib.disp.20. sect.15.num.122. & nouissimè Sanctarellus var.resol.p.1.q.62.num.2. Pontius de matrim. lib.8. c. 15.§.4.num.24. & Layman in Theol. mor.tract.4.cap.32.n.21. Ratio est, quia talis circumstantia, nec iure, nec stylo Curiæ, nec consuetudine exprimenda apparet. Ergo, &c. Et hoc potest adhuc verum esse, etiamsi Pontifex non esset dispensationem concessurus, si sciret dictam circumstantiam Sacerdotij, ex his, quæ tradit idem Salas loco citato nu.148.

An possit peti dispensatio super aliquo impedimento matrimonij, tacito alio, in posterum dispensando?

RESOL. XXXIX.

REspondet negatiuè Suarez de legib. lib.6. cap.24. n.6. Gutierrez de matr c.123.nu.21. Sanchez de matr.to.3. libr.8. disp.23.n.2. Sanctarellus var. resol.p.1.q.65. Layman in Theol. Mor.lib.1.tract.4.cap.32.num.19. Garzias de benef. tom.2.p 8. c.3.n.54.& alij. Ratio est, quia sic decipitur Pontifex, nam putat petentem vno solo impedimento laborare.

Sed contrariam sententiam docet Emanuel Sà verb. dispensatio, num.16. Henriquez lib.11.cap.3.nume.6. in Glossa litt.N. Salas de legib.disp.20.sect.15.nu.122. in fine, & alij, vt Nauarrus, Rodriquez, Vegha, Gennensis apud Garziam vbi suprà, n.53. Vnde, si qui sint simul consanguinei & affines, poterunt in quibusdam litteris consanguinitatem proponere, tacita affinitate; & in alijs affinitatem tacita consanguinitate: & vtraque dispensatio valida erit quoad suum impedimentum. Rationes pro hac sententia, inuenies apud Sanchez, vbi suprà num. 1. qui in fine sic asserit. Et cum hæc sententia tot patronos habeat, & rationes non parui momenti, est probabilis, nec potest iuste damnari qui illam amplecteretur. Et hanc opinionem probabilem esse docet etiam Villalobos in summa, tom.1. tract.24. difficul.27.n.7. At his non obstantibus, hæc opinio est contra praxim, & vsum Romanæ Curiæ, ex quo infringitur eius probabilitas.

An si quis obtinuit dispensationem ad contrahendum cum affine, vel consanguinea, sed ea minimè sit vsus, postea petens aliam dispensationem cum alia consanguinea, vel affine, teneatur in hac secunda petenda mentionem prioris dispensationis facere.

RESOL. XL.

HIc casus in praxi hoc anno mihi propositus fuit. Affirmatiuam sententiam docet Suarez de legibus, lib.6.c.23.n. 10. vbi sic asserit. Censeo in isto casu, posteriorem dispensationem esse surreptitiam, & necessarium esse exprimere priorem dispensationem, vt vel Pontifex eius renunciationem acceptet vel illam irritet; vel vtramque simul validam esse concedat, alio qui enim verisimium esse censeo sine scientia, & consensu Pontificis non posse illas duas dispensationes validas simul permanere; quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria, & parum rationi consentanea, & longè verisimilius est non fuisse Pontificem eam concessurum, si proponeretur. Ita Suarez.

At ego contrariam sententiam probabiliorem esse puto, & illam docet Sanchez de matr.tom.3.lib.8.disp.22.nu.13.& post illum Layman in Theol. Mor.lib.1.tr.4.c.32.nu.20. Guttierez

tract. de matr. cap. 123. num. 20. vbi ait. Dubitari forsan posset de alia ampliatione eiusdem auctoris, nempe vt idem sit dicendum, licèt fœmina resiliat nolens priori consanguineo nubere, ac impetret posteriorem dispensationem ad nubendum alijs: credit enim in vtroque casu mentionem prioris dispensationis necessariam non esse, eo quod sint super diuersis matrimonijs, & neutra habet connexionem cum altera. Et licèt hæc ratio concludat in præcedentibus dictis, at in hoc posteriori de fœmina resiliente à prima dispensatione, nolente priori cósanguineo nubere, ac impetrare posteriorem dispensationem non videtur sufficiens, si quidem secunda dispensatio est noua gratia in derogationem prioris. Sed nihilominus adhuc credo hanc ampliationem quoque esse veram, ex eo quòd nihil interesse videatur quoad irritationẽ posterioris, quòd fœmina hæc nubat illi consanguineo priori, vel huic secundo iuxta mentem, & intentionem Papæ concedentis, de quo si ei fuisset facta mentio, eum non remoueret à concessione secundæ gratiæ, siquidem hæc non fuit subreptitia in causa finali, nec impulsiua. Ita Guttierez.

Ad argumentum verò Suarez respondetur, quòd licet vtraque dispensatio stare nequeat, tamen in vsu illarũ datur optio. Vel dic, quod per impetrationem posterioris dispensationis, impetrans renunciauit priori in manu Pontificis, à quo posteriorem impetrauit, & ita ea amplius vti nequibit, sed sola posteriori.

An cessante causa dispensationis, cesset ipsa dispensatio?

RESOL. XLI.

Affirmatiam sententiam sustinet Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8 disp. 30. nu. 14. & alij penes ipsum. Ratio est, quia faciliùs tollitur priuilegium, quale est dispensatio, quàm ius commune; at ius commune cessat cessante eius causa finali. Ergo à fortiori, ius speciale. Multas alias rationes adducit Sanchez.

Sed licet hæc sententia sit probabilis; contrariam probabiliorem esse iudico, quam tuentur Pontius de matr lib. 8. cap. 20. n. 4. Salas de legib. disp. 20 sect. 5. nu. 64. & seq. Granado in par. 2. contr. 7. tract. 3. part. 2. disp. 17. sect. 4. n. 36. Guttierrez Canon. qq. lib. 2 c. 15. nu 30. & 132. & nouissimè tract. de matr. cap. 126. num. 2. cum Sà verbo gratia, nu. 6. & alij penes ipsos. Et ideò assero, quòd si quis à principio obtinuit dispẽsationem cum causa rationabili, & sufficienti, postea tamen decursu tẽporis cessauit totaliter illa causa, non peccat vtens tali dispensatione. Ratio est, quia per illam dispensationem verè relaxata est illa lex, ac eius obligatio extincta, ergo non potest reuiuiscere eo, quod causa cessarit. Cæteras rationes vide apud Sanchez, qui licet contrariam opinionem teneat, vt diximus, tamen in fine nu. 13. sic asserit, Qui hanc sententiam amplecteretur damnari non posset; cum graues per se authores habeat, nec rationibus destituta sit, nec oppositæ ita concludant quin solui possint. Vnde ex his infertur cum Suarez de legib libr. 6. cap. 22. nu 15. quòd irregularis dispensatus ad ordinem propter paupertatem propriam, vel propter indigentiam ministrorum Ecclesiæ, licet postea cesset illa causa ante susceptos ordines, nihilominus potest licitè ordinari ex vi illius dispensationis. Item si quis esset dispensatus ad non ieiunandum totam vitam, si illæ causæ postea omnino cessarent, nihilominus posset vti illa dispensatione. Vnde asserit Salas, vbi supra n. 65. in fine, absurdum aliquibus videtur dispensatum in perpetuum ad esum carnium, propter infirmitatem, ea cessante illis vesci. Sed respondeo, nõ peccare mortaliter, sed ad summum venialiter, quia dispensatio retinet suum valorem donec reuocetur.

Dices, in omni dispensatione intelligitur conditio, modo causa permaneat, ergo causa cessante cessabit dispensatio, alias iniquus esset dispensans, qui vellet dispensationem sine causa manere. Respondetur talem dispensationem esse absolutam, nec iniquum esse dispensatorem, quia probabiliter putauit causam fore perpetuam, & ideò dispensauit, vel limitauit, seu restrinxit, sed sciens postea causam cessantem, debet dispensationem reuocare. Dicendum est igitur absolutè, quod si valida fuit dispensatio in lege propria, vel inferioris, vel in his, quæ pertinent ad ius diuinum, vt in votis, vel iuramentis; vsus talis dispensationis contingens post cessationem causæ, non est ex genere suo peccatum mortale, & probabile nec esse veniale, sed rem omnino licitam.

An taciturnitas veri reddat subreptitiam dispensationem, quando tacetur aliquid, quod secundum stylum Curiæ est necessario declarandum?

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondet Sanchez tom. 2. lib. 8. disput. 21. q. 3. Layman in Theol. Moral. li. 1. tract. 4. cap. 22. n. 18. Ratio est, quia stylus Curiæ facit ius, vt ex multis probat Barbosa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 2. c. 11. nu. 3. Ergò, &c.

Sed Granado in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 2. disp. 17. sect. 6. num. 46 docet, tunc stylum Curiæ facere ius, quando constat eum esse talem, vt prudenti arbitrio inducat obligationem etiam in foro conscientiæ, quod non semper constat; imò Henriquez lib. 12. cap. 3. num. 7. asserit, taciturnitatem veri non vitiare dispensationem in foro conscientiæ, sed solùm in externo, licèt stylus Curiæ petat vt non taceatur. Et Cæuallos in qq. pract. q. 737. num. 20 ait, eiusmodi stylum non obligare extra Curiam, quòd idem sentiunt alij Doctores. Et præterea stylum Curiæ variari variato Pontifice, & non obligare nisi sit scriptus, & à Papa approbatus, quod quidem deseruit, vt non reputetur subreptitia dispensatio, in qua tacetur verum contra stylum Curiæ, nisi certo constiterit talem esse stylum, vt in foro animæ obliget, & in eo loco, in quo traditur dispensatio. Hæc Granado, licet contrarium sentiat Salas de legib. q. 97. trac. 14. disp. 20. sect. 15. nume. 117. & Sanctarellus var. resol. p. 1. q. 50. nu. 17. vbi docent sententiam Sanchez, & impugnat Henriquez, & Cæuallos; & ideò tu affirmatiuam sententiam tene, cum opposita sit periculosa, quando taciturnitas reddit dispensationem difficiliorem.

An regulæ Cancellariæ obligent in foro interiori.

RESOL. XLIII.

Respondeo negatiuè, vnde donationem inter viuos factam per Episcopum intra viginti dies ante eius obitum existimo esse validam in foro conscientiæ, licet per regulam Cancellariæ de viginti in foro exteriori sit nulla. Et ita docet Ioan. Valerius in diff. vtriusque fori, ver. donatio, differ. 6. nu. 2. vbi sic ait. In foro verò interiori prędictæ donationes inter viuos irreuocabiliter factæ validæ sunt, & tenent; quia prædicta regula de viginti, & aliæ regulæ Cancellariæ sunt tantum pro foro exteriori; sunt etenim iudiciales per notata per Gomez de regul. Cancellar. in principio, & trademus, ver. possessio, differentia 1. quòd maximè procedit, cum donatio facta fuit extra infirmitatem, cum scilicet sanus esset Episcopus; adeò vt dicat Henriquez in sum. tit. de indulg. c. 30. §. 7. in Glossa lit. R. prædictas donationes factas etiam prope, vel circa mortẽ validas esse in vtroque foro; vt multi in vtroque iure periti, Salamanticæ consulti, responderunt: sed præfati collectores generales nequaquam admittent: nihilominus tamen quo ad forum conscientiæ tutus est donatarius, vnde possent absurdescere si fortè publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti: quod nota, quia est quotidianum. Ita Valerius.

An dispensatio inter consanguineos, vel affines sit subreptitia non facta mentione de copula habita inter eos.

RESOL. XLIIII.

Hic casus frequenter solet accidere, & talem dispensationem esse subreptitiam docuit nouissimè Layman in Theol. Mor. libro 1. tract. 4. cap. 22. numero 18. Rebellius libro 3. quæst. 5. sect. 4 nume. 24. Riccius part. 4. decis. 308. Garzias de benef. tom. 1. part. 8. cap. 3. nume. 32. Sanctarellus part. 1. var. resol. quæst. 52. & ante illum Sanchez de matrim. tom. 3. libr. 8. disput. 25. nume. 8. & alij penes ipsos. Ratio potissima est, quia id exigit stylus Curiæ.

Non reticeam tamen, contrariam sententiam esse probabilissimam,

lissimam, & tutam in praxi, & præter Nauarrum, Vegham, Ouandum, Salzedum, Bernardum Diaz, Henriquez, Costã, Guttierrez, Cauallos, & Rodriquez; docet etiam hanc sententiam absolutè ante, & post contractum matrimonium, Basilius Pontius de matr. lib. 8. cap. 17. §. 6. num. 32. & post contractum matrimonium Villalobos in summ. tom. 1. trac. 14. diff. 27. numer. 7. quia copula illa carnalis si fuisset expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad dispensandum. Ergo, &c. Et ideò in tali casu non tenentur, qui dispensationem petunt ad interrogationem Ordinarij de copula respondere; sed possunt sine peccato negare, reticendo in mentem, vt tibi dicam. Imò, & quamuis in rescripto dicatur, si copula non fuerit, si ea dispensatio sit obtẽta pro foro externo, adhuc valet quãuis negetur: dummodo ea copula non probetur in externo foro, quia illa clausula intelligenda est, iuxta naturam eius dispensationis. Et ita hanc sentẽtiam probabilem etiam vocat Sanc. vbi sup. n. 12.

Ad argumentum contrariæ sententiæ ita respondet Villalobos. [Al estilo de la Curia digo, que no es derecho, ni haze irrita la dispensacion en el fuero interior, el callar la qualidad, que conforme a el se deuia explicar;] & de tali stylo Curiæ valde dubitat Pontius vbi supra. Notentur hæc omnia, quia passim erunt obuia.

TRACTATVS XI.

DE BVLLA CRVCIATÆ.

An gratijs, & indultis Bullæ Cruciatæ possit quis frui extra Regna vbi Bulla non publicatur.

RESOL. I.

RESPONDEO affirmatiuè, & ita accipiens Bullam in Sicilia, si postea Romam se transferat, potest ibi eligere Confessarium, ad obtinendam absolutionem a reseruatis, & alijs censuris concessis in dicta Bulla, & frui alijs indultis. Ita ex Rodriquez docuit Fernandez in Exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9 §. 2. num. 3. & Vega in summa, tomo 1. cap. 43. cas. 8. & tomo 2. cap. 7. cas. 17 in fin. & tom. 1. cap. 14. cas. 15.

Notandum est tamen, hanc doctrinam non extendi ad esum carnium, & lacticiniorum; nam hoc indultum, vt appaiet ex verbis Bullæ, conceditur tantum commorantibus in Regnis Hispaniarum, & non extra. Ita Villalobos in summ. tomo 1. tr. 27. in titulo n. 3. claus. 6. n. 4. & alij communiter.

An tempore interdicti si quis habeat Bullam, teneatur audire Sacrum?

RESOL. II.

AFfirmatiuè respondet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 19. dub. 5. n. 14. Tannerus in 2. 2. disp 5. q. 6. dub. 2. numer. 25. Sancius in selectis disp. 15. nume. 2. Barbosa in Collect. to. 2. lib. 5. tit. 33. cap. 25. n. 7. Bonacina de cens. disp. 5. punct 4. nu. 2. Acosta in Explicat. Bull. quæst, 28. Cenedo in suis QQ. Canonicis, q. 44 per totam, Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9. § 3. num. 1. Nugnus in 3. p. tom. 2. quæst. 83. art. 6. & alij.

Sed mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam docet Auila de cens. p. 5. disp. 4. sect 2. dub. 6. vbi asserit, Victoriam, & Canum idem docuisse; & idem tenuisse multos Doctores Salamanticenses testatur Henriquez in summa, lib. 3. cap. 48. n. 5. in Glossa litt. D. & libr. 7. de indul cap. 13 nu. 3. Et hoc etiam docet Llamas in summ. par. 3 cap. 5 §. 12 Alterius de cens. tomo 2. disp. 2. de interdict c. 3. in fine, fol. 519. Coninch. de Sacram. disp. 17. n. 28. & Ledesma in summ. p. 1. tract. de Euchar. cap. 27. cum alijs. Ratio est, quia nemo tenetur vti priuilegio sibi concesso. Nam si priuilegium obligationem induceret, gratia non esset, sed onus. Deinde si quis habeat priuilegium audiendi Missam in Oratorio domus; quacumque ratione cogitur domi manere, non tenetur sub pęna peccati, vti suo priuilegio in diebus festiuis. Ergo, &c. Et ita docet Suarez in 3. part. tomo 3. disp. 88. sect. 6. Cæteras rationes vide apud citatos Doctores.

Hoc vnum addam, quod stando in prima opinione; qui audiunt sacrum tempore interdicti, virtute Bullæ tenentur aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eosdem victoria emittere, quod præceptum ad mortale non obligat, sed tantum ad veniale, vt aduertit Villalobos in summa, tom. 1. tract. 27. claus. 4. num. 13. qui citat Henriquez, & multos Iuristas, & Theologos Salmanticenses, cum quodam Commissario Cruciatæ.

An Bulla Cruciata det priuilegium illam sumentibus, vt in ieiunijs alicuius Iubilæi possint edere lacticinia?

RESOL. III.

NEgatiuè respondet Nauarrus lib. 3. de obseruat. ieiun. cons. 4. vel 5. in 2. editione, cum Iacobo de Graffeis in Decis. to. 1. p. 1. lib. 2. c. 37. n. 60. Et idem asserunt in ieiunijs ex voto, vel ex pœnitentia à Confessario iniuncta prouenientibus.

Sed affirmatiuam sententiam sustinendam esse puto: & præter Doctores quos citat, & sequitur Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 11. nu. 49. docet hanc sententiam Nugnus in 3. p. to. 2. tract. de Bull. Cruc § 8. dub. 3. Fernandez in Exam. Theol. Moral. p. 3. c. 9. §. 5. n. 2. Leone de Iubilæo, Vegha in sum. to. 1. c. 14. cas. 31. p. 2. q. 13 sect. 3. n. 151. Portel. in addit. ad Dubia Regul. ver. ieiun. nu. 7. Villal. in sum. to. 1. tr. 27. claus. 6. & Filliuc. to. 2. tr. 27. c. 3. nu. 59. qui bene addit, supradicta ieiunia Iubilæi, vbi non adest consuetudo abstinendi a lacticinijs extra Quadragesimam, posse fieri edendo illa, etiam absque Bulla Cruciatæ, quod etiam docuerat Villalob. vbi suprà, tract. 23. dub. 8. num. 12. & Henriquez lib. 7. c. 11. num. 4. & in Glossa litt. K. & ca. 13. num. 13. quia iure communi non prohibentur oua per annum, nisi esset consuetudo 40. annorum præscripta.

Sed Sancius in Selectis disp. 4. nu. 19. Sanch. in sum. vbi suprà, to. 1. lib 4. cap. 11. n. 52. quem postea sequutus est Portel. in Addit. ad dubia Regul. ver ieiunium, n. 7. putant nō solum de iure, sed neque de consuetudine interdici in die ieiunij, lacticinia extra Quadragesimam. Sed quicquid sit de hoc, certū est quòd ex priuilegio Bullę impleri possunt ieiunia Iubilæi cum esu lacticiniorum. Ratio est, quia Iubilæum non requirit strictius ieiunium, quam est ieiuniū Quadragesimę, sed ieiunium Quadragesimę impletur nostro casu cum esu lacticiniorum. Ergo, &c.

An per priuilegium Bullæ dispensatus in esu carnium censeatur dispensatus ad ieiunandum?

RESOL. IV.

PRima opinio negat. Ita Iacobus de Graffeis in decis. p. 1. lib. 2. cap. 37. num 58. cum Medina, Pedraza. & alijs. Ratio est, quia necessitas, & iusta causa. quæ excusant ab integro ieiunio, non excusant ab omni parte illius. Præceptum enim Ecclesię licet in totum seruari non possit, in parte quæ seruari potest, seruandum est, ex capite cum dilecti, & ibi Glossa, & DD. de dolo, & contum.

Secunda opinio affirmat, & illam docet Caietanus in 2. 2. qu. 147. art. 8. Llamas in sum p. 3. c. 5 § 26 Henriquez lib. 7. c. 13. nu. 12. Filliucius tom. 2. tract. 27. par 2. cap. 3. nume. 52. Azorius p. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 3. Toletus lib. 6. cap. 3. nume. 4. cum alijs Ratio est, quia abstinentia ab esu carnium est de substantia ieiunij. Ergo, qui ex priuilegio Bullæ dispensatus est quo ad comestionem carnis, eo ipso dispensatus videtur in præcepto ieiunij.

Tertia opinio distinguit. Vel enim dispensatus ad esum carnis, edit carnes, quia pisces nocere saluti solent; vel vt vires amissas recuperet; priori modo dispensatus tenetur ad ieiunandum, altero verò minimè, & ideò pluries edere potest. Et ita docet Cenedo in suis qq. Canonicis q 40. n. 6. Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 9 § 5. n. 3. Bonacina de legibus, 10 q. 1. punct. 2. n. 3. Reginaldus in Praxi, tom. 1. libr. 4. c. 14. nu. 168. Lessius de iust. lib. 4. c. 2. dub. 6 nu 45. & alij.

Omnes istæ tres opiniones sunt probabiles, sed secunda videtur mihi probabilior. Notādum est etiam, quod quando per Bullam quis dispensatus est, vt comedat carnes, & lacticinia, posse simul comedere pisces. Ita Reginaldus, Filliucius, Fernandez vbi supra, Nugnus in 3. p. to. 2. tract. de Bulla §. 8. dub. 4 sect. 6. Acosta in Explic. Bull. quæst. 80. quicquid in contrarium asserat Nauarrus; quia hoc sine peccato fieri aliquando potest, vt si vna cum carnibus non noceant, vel quia parum de piscibus comedendo facultas appetitiuam excitetur; vel dato, quod contra temperantiam peccetur, non tamen ieiunium frangitur, à quo ex iusta causa dispensatio con-

concessa fuit. Et ita etiam docet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 24. dub. 8. nu. 10. qui citat Aaonum, & respondet ad argumentum Nauarri.

An Regulares, & Presbyteri sæculares sumendo Bullam, possint diebus Dominicis Quadragesimæ vti lacticinijs.

RESOL. V.

Negatiuè respondendum videtur cum Henriquez lib. 7. ca. 13. numer. 10. Vegha in summa, tom. 1. cap. 1. 4. cas. 29. qui citat Angles, & Lopez. Idem etiam docet Ortiz in summ. cap. 19. num. 8. & ita respondisse Summum Pontificem, interrogatum de hoc à quodam Commissario Cruciatæ, testatur Rodriquez. Ratio est, quia per Bullam prohibetur ne supradicti possint vti lacticinijs in diebus Quadragesimalibus, sed dies Dominici sunt dies Quadragesimales. Ergo, &c.

Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam etiam probabilem esse iudico, & in praxi tutam, vt notauit Nugnus in 3. part. tom. 2. tract. de Bulla Cruciatæ, §. 8. dub 5. Villalobos in sum. to. 1. tract. 27. clauf. 5 num. 11. Fernandez in exam. Theolog. Mor. p. 3. cap. 9. §. 5. num. 5. Llamas in sum. p. 3. cap. 5. §. 6. cum alijs. Et ratio est, quia secundum ius commune dies Dominici non appellantur dies Quadragesimales. Vide Cordubam in summ. cas. 163. & Palaum in 4. dist. 15. disp. 8.

Ad responsionem verò Summi Pontificis respondetur, de illa authenticè non constare.

Vtrum quando quis suscipit Bullam, debeat esse in gratia.

RESOL. VI.

In ordine ad priuilegia Bullæ, videlicet, vt quis eligat Confessarium, vtatur lacticinijs, &c. negandè respondendum est. Difficultas verò manet, in ordine ad consequendas indulgentias. Caietanus tract. 1. de indulg. quæst. 2. tenet sententiam affirmatiuam, & dubius Sotus est in hoc in 4. dist. 21. q. 2. art. 3.

Sed omnino docendum est contrarium, cum Villalobos in summa, tom. 1. tract. 27. in tit. num. 5. Henriquez in summa libr. 7. cap. 9. numer. 7. Acosta in Bull. Cruc. qu. 15. per totam, & alij. Et ratio est, quia Bulla non dicit, vt suscipientes sint in gratia, nec illud verbum *contritis*, refertur ad tempus susceptionis Bullæ, sed ad instans consequendæ indulgentiæ, completis omnibus requisitis. Vnde si quis in aliquo iubilæo feria 4. 6. & sabbatho ieiunaret in peccato mortali, & die Dominica per Sacramentum Confessionis reponeretur in gratia, is indulgentiam consequeretur. Ergo &c. Vide Filliucium tom. 1. tract. 8. cap. 6. n. 138. & alios.

An per Bullam Cruciatæ Confessor approbatus ab Ordinario in vna Diœcesi, possit in alia in Confessorem sine noua Ordinarij loci approbatione eligi.

RESOL. VII.

Respondet negatiuè Layman in Theol. Mor. lib. 5. tract. 6. c. 11. num. 8. Villalobos in sum to. 1. tract 9. dub. 15. nu. 3. Beia p. 4. cas. 22. Zerola in Praxi Pœn. cap. 16. q. 8. Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 4. nu. 3. Leone de iubilæo, part. 2 q. 9. num. 19. Campanili in diuers. iur. canon. rubr. 12. cap. 13. nu. 77. Acosta in Bullam Cruciatæ qu. 38. per totam, Gutierrez in q. Canonicis lib. 1. cap. 27. nu. 6. & alij.

Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse iudico cũ Henriquez lib. 3. de Pœn. cap. 6. n. 7. & in Glossa lit. A. & lib. 7. de indul. c. 12 num. 4. quem postea relictis alijs sequitur Valerus in diff. vtriusque fori, ver absol. diff. 1 n. 7. & seq. qui doctè, & fusè probat hanc sententiam.

Dico igitur, quisquis per Bullam Cruciatæ (& idem dicendum est de tempore iubilæi) potest in confessarium eligere quemcumque approbatum à suo Ordinario Episcopo, siue ille Episcopus sit originis, siue Beneficij, siue Domicilij, & siue sit Episcopus pœnitentis, siue confessarij; quia Bulla non requirit aliud, nisi quod cõfessarius sit approbatus ab Ordinario, sed qui in aliquo loco est approbatus ab aliquo Ordinario, verè dicitur approbatus ab Ordinario. Ergo per Bullam vbique erit eligibilis.

Et hanc opinionem docet etiam Fay in disp de pœn. in add. ad 3. p. q. 8 art. 5. disp. 3. concl. 4. Llamas in sum. p. 1. c. 6. §. 6. Portel. in dub. regul. ver. confessor regul. eiusque præsentatio nu. 4. Ledesma in sum. to. 1. tract. de sacr. pœn. c. 13. dub. 7. Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 8. nu. 4. & 5. Nugnus in 3. p. to. 2. q. 8. art. 5. dub. 9. Coninch de sac. disp. 8. dub. 7. n. 53. Reginald. In praxi, tom. 1. lib. 6. cap. 16. q. 4. num. 188. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. tr. de pœn. q. 5. du. 9. conclus. 2. & Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 262. & ita docuisse testatur Henriq. vbi suprà, Archiepiscopum Blancho S. Iacobi, & Guerrero Granatensem, qui Concilio adfuerunt, cum Magistris Mancio, Gallo, Gueuara, & Medina, & alijs Magistris Religionum Diui Dominici, Francisci, & Augustini cum Theologis, & Iuristis Salmanticensibus.

Ad quandam verò responsionem Cardinalium, quam afferunt Doctores contrariæ sententiæ, respondetur de illa authenticè non constare; Imò Valerus, & Suarez afferunt pro nostra sententia alias Cardinalium declarationes. Notandum est verò, quod sub nomine Ordinarij non includuntur Abbates, vel Prælatus Religionis, seu Episcopus titularis, & ideo confessarij à supradictis approbati non possunt eligi per Bullam, vt notat Nugnus vbi supra.

An per Bullam Cruciatæ possit quis eligere in confessarium habentem beneficium curatum?

RESOL. VIII.

Non posse docuit Nugnus in addit. ad 3 part. tomo 2. q. 8. art. 5. du. 9. in fine, & Gutierrez in quæstionibus canon. lib. 1. cap. 27. nu. 21. quia in Bulla solum Pontifex facit mentionem de confessario approbato ab Ordinario, & ne verbum quidem de illo, qui obtinet beneficium parochiale.

At his minimè obstantibus communiter contrarium docent DD. vt Valer. in differ. vtriusq. fori, ver absol. diff. 1 n. 16. qui citat Blancho Archiepisc. Compostellanum, & multos Magistros Salmanticenses cum Viualdo. Idem docuit Villalobos in sum. to. 1. tr. 9 dub. 56. nume 4. Homob in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. cap. 3. q. 15 Syluius in add. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 6. concl. 1. Suarez in 3. p. to 4. disp. 28. sect. 4. n. 18. Reginaldus tom. 1. lib. 1. c. 16. q. 3. nu. 189. Cruz vbi sup. Fagundez de præc Eccl. tr. 2. l. 7. c. 2. num. 35. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap 9. nu. 257. cum alijs. Et ratio est, quia post Concil. Trid. talis absolutè approbatur, nec in eo exigitur aliqua licentia & approbatio, nec Concil. exprimit, vt ab hoc, vel illo Episcopo reputetur idoneus. Est igitur talis vbique proximè capax iurisdictionis, si aliunde conferatur ab eo, qui potest delegare, vel mediante Bulla, vel simili priuilegio eligendi confessorem.

Ad argumentum verò Nugni respondeo, quòd licet in Bulla efficiatur tantum mentio de confessario ab Ordinario approbato, tamen quod dicitur de vno æquiparatorum, debet dici de alio, ex reg. iur. & qua per Gloss. in l. si quis seruum, C. de furtis, & in c. si postquam, verb. mente de elect. libr. 6. & per Bartolum in l. in tantum, §. pœn. ff. de seru. corrupt. Ex his apparet, me rectè olim respondisse, quemdam Parochum nostræ Ciuitatis ritè absoluisse Drepani pœnitentem, qui virtute Bullæ Cruciatæ absolutionem ab illo flagitauit.

Notandum est tamen, dictam sententiam affirmatiuã procedere quo ad illos, qui actu beneficium parochiale retinent, non autem si habuerunt, sed renunciarunt, vt patet ex illis verbis Concilij. *Nisi aut parochiale beneficium habeat.* Ita notat Leone de iubil. p. 2. q. 9. n. 21. Suar. disp. 28. sect. 4 n. 20. Fagund. tract. 2. l. 7. c. 2. nu. 38. Reginald. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 190. Filliuc. vbi infra. Henriquez l. 3. de pœn. c. 6 num. 3. & alij, licet contrariam opinionem doceat Rodriquez in Add. ad Bull §. 9. num. 4. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 27. clauf. 9 §. 1. num. 4. Io. de la Crua in direct. conscient. p. 2. de pœn. quæst. 5. dub. 8. concl. 4. probabilem vocat.

Notandum est etiam, quòd sub nomine beneficij parochialis includuntur superiora beneficia, vt Abbates, Archipresbyteri, & huiusmodi habentes curam animarum, & iurisdictionem in hoc foro. Ita Filliuc. tom. 1 tract. 7. cap. 9 num. 257. Fagundez vbi supra num. 51. & Suarez nume. 21. Reginaldus numero 190. & alij.

An approbatus ab Episcopo cum limitatione ex defectu ætatis, vt hic Panormi efficitur, ad confessiones virorum, & non mulierum, sit eligibilis per Bullam Cruciatæ non solum à viris, sed etiam à fœminis?

RESOL. IX.

NEgatiuè respondet Homobonus de cas. reser. p.1.ca.5. Io. de la Cruz in direct. consc. p.2.tract.de pœn. qu.5. dub. 8. concl.3. Villalob. in summ.tom.1.tract.27. claus.9. §.1. num.3. Rodriquez in summ.tom.1.cap.60.numer.4 & alij Hoc etiam tenere videtur Suarez in 3.p.tom.3.disp.28.sect.7.nu.3.

Hæc opinio est probabilis, sed non minùs probabilem contrariam esse existimo, quam docet Fay in Addit.ad 3.p.q.8. art. 5. disp.3.concl.5.ad 4.arg.Henriquez lib.3.c.6. nu.8. Nugnus in Addit.ad 3.part.q.8.art.5.dub.9.qui male tamen putat supradictum confessarium peccare contra obedientiam; quia, vt rectè notat Fagundez, hanc affirmatiuam sententiam etiam docens de præc.Eccl.tract.2. l.7.c.2. num.45.in nostro casu Episcopum interpretandum esse rationabiliter, vt illa restrictio locum habeat quantum ad iurisdictionem ab eodem Episcopo ei commissam, & delegatam; non verò quantum ad delegatam per Bullam, seu priuilegium Summi Pontificis. Et ideo nostram sententiam probabilem, & tutam in praxi vocant Ledesma in summa,to.1.de Sacr.pœn.cap.13.dub.8. in fine, & Sanchez de matr.tom.2.libr.8.disp.36. nu 16.cum alijs. Et ratio est,quia supradictus confessarius ab Episcopo approbatus simpliciter, & illa limitatio approbationis, *ad viros tantum*, non fuit apposita ex defectu scientiæ, sed ætatis; sicut è contra, si aliquis fuisset approbatus cum limitatione, vt non audiat confessiones personarum habentium difficilia negotia, non est approbatus simpliciter ex defectu scientiæ,& ideò per Bullam non esset eligibilis. Ita Ledesma vbi sup. dub.9. in fi. & Nugnus loc.cit.

An sacerdos approbatus ab Ordinario pro vno oppido, sit eligibilis per Bullam Cruciatæ?

RESOL. X.

PRima opinio negat. Ita Leone tract. de iub. p.2.q.9. nu.20. Filliucius tom.1. tract.7. cap.9.num. 262. & Nugnus in addit.ad 3.p.tom.2.q.8.art.5 dub.9.in resp. ad 9.cum alijs.

Secunda opinio affirmat. Ita Acosta qu.39.& Henr. & Medina apud Fagundez de præc.Eccl.tract.2.lib 7. c.2. n.18. & 22. Et ratio est, quia Sum. Pontifex non exprimit, quod sacerdos eligibilis per Bullam sit approbatus illimitate pro tota diœcesi, sed tantum petit, quod sit approbatus ab Ordinario; Ergò sufficit quod pro vno tantum loco approbatus sit, maximè cum versemur in materia fauorabili; non restringenda, sed amplianda.

Tertia opinio distinguit. Vel talis sacerdos est approbatus in illo tantum oppido ex defectu scientiæ, vel non; si primo modo, non est per bullam eligibilis; si secundo, vtique. Ita Fay in addit.ad 3.part.q.8.ar.5.disp.3 concl.4. ad 4.arg. Ledesma in sum. tom.1.tract.de Pœn.cap.13.dub.9.in fin. Rodriq in expl. Bull. Cruc.dub.5. & alij.

Sed post hæc scripta inuenio, Fernandez in exam. Theolog. Mor. par.3.c.9.§.8. num.6. docere secundam opinionem, cuius verba hæc sunt. Est quidam approbatus pro audiendis confessionibus certi loci, & non aliorum, potest ne virtute Cruciatæ eligi in confessarium à quouis totius Episcopatus? Respondeo posse. Ratio est quia talis est approbatus ab Ordinario, hoc autem solum requiritur à Bulla, ergò vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Addo præterea posse eligi à quouis, licet versetur vt hospes in illo Episcopatu. Ita Fernandez.

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles. Sed tertia videtur mihi probabilior. Nam vt benè notat Io. Valerus in differ. vtriusque fori, verb.absol.diff.1.nu.15.quando ex defectu scientiæ quis approbatur pro aliquo oppido, non est simpliciter, & absolutè habilitatus, sed cum limitatione, & restrictione propter eius insufficientiam; & ideò constat de mente exponentis, seu approbantis, quòd scilicet illum non aliter, nec aliàs approbarit, nisi pro illo paruo oppido. Et ideò puto confessarium approbatum ad audiendas confessiones puerorum rusticorum, &c. non esse eligibilem ab alijs per Bullam, quia talis non fuit simpliciter approbatus, nec censetur idoneus in forma iuris absolutè, nisi respectu certi generis personarum propter ipsius insufficientiam. Et ita docet Acosta in expos. Bull. qu.39. licèt antea dixisset confessarium approbatum pro vno loco tantum, esse tamen per Bullam eligibilem ab alijs in illo loco non commorantibus.

Vtrum confessarius, qui pro determinato tempore fuit approbatus, & expositus, sit transacto illo tempore per Bullam eligibilis.

RESOL. XI.

NEgatiuè respondet Ledesma in summ. to.1. tr.de confes. cap.13. dub.10. Et ratio est, quia licet talis confessarius fuerit olim ab Ordinario approbatus, non est tamen quando eligitur per Bullam.

Sed contrariam sententiam docuit Acosta in expl. Bull.q.39. in fine; quia expositus ad tempus est approbatus ab Ordinario simpliciter, nisi postea ex caussa reprobetur. Et ideò reputatus fuit idoneus ad audiendas confessiones, & Bulla non videtur requirere, vt confessarius actu sit approbatus, quando eligitur. Sed sufficit, vt olim habuerit approbationem, nam ita potest dici approbatus ab Ordinario; Et ita etiam docet Fay in addit. ad 3.quæst.8. art.5.disp.3.concl.4. ad 3.vrg si solo ductu voluntatis, & absque causa limitatur approbatio ab Ordinario, cum qua limitatione admitti potest opinio Acostæ.

An confessarius olim approbatus, sed postea ab Ordinario sine causa, & illegitimè reprobatus possit virtute Bullæ aliquis illum eligere ad eius confessionem audiendam.

RESOL. XII.

NEgatiuè respondet Io.de la Cruz in director. consc. p.2.tr. de pœn.q.5. dub.8. concl.4. Et ratio est, quia nunc iste non est approbatus, & hoc videtur insinuari in Bulla plumbea, dum dicitur licere eligere per Bullam confessorem sæcularem, aut regularem ab Ordinario approbatum, & de regularibus semel tantum approbatum; Ergò de alijs Sacerdotibus non est eligibilis, qui aliquando fuit approbatus; sed modo non est approbatus, cum illud specialiter concedatur solis Religiosis.

At his non obstantibus contrariam sententiam docet Sebastianus Acosta in Explic. Bull.q.40. per totam, vbi ait. Si non ex culpa propria, vel ex crimine inducēte infamiam, aut indecentiam ad audiendas cōfessiones; sed ex maleuolentia Ordinarij, seu Officialis; aut in pœnam alicuius inobedientiæ prohibetur ab exercitio confessionum aliquis sacerdos; tunc crediderim absq; dubio, virtute Cruciatæ, si id cōstiterit illum esse eligibilem. Dixi *si id constiterit*, quoniam in dubio præsumendum erit pro iudicio Ordinarij. Ita Acosta, cuius sententiam probabilem putat Ioan.de la Cruz vbi suprà, licet ipse, vt visum est, contrariam amplexus sit.

An confessarius Regularis ab Episcopo approbatus, sed prohibitus à Prælato Religionis, sit hoc non obstante per Bullam ad confessiones audiendas eligibilis.

RESOL. XIII.

REsolutio huius casus, vt bene notat Ledes. vbi infrà, pendet ex illa quæstione: An religiosus, qui obtinuit ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, possit sine licentia sui Prælati confessiones audire.

Aliqui negatiuè respondent. Ita Angelus, vt refert Adrianus q.1.de conf.dub.1. & alij neoterici. Et inter alias rationes quas adducunt, præcipue est ista; quia Episcopi conferunt talem potestatem dependenter à proprijs Prælatis præsentantibus religiosos ipsis Episcopis. Ergo sine tali præsentatione nulla erit expositio.

Sed affirmatiuam sententiam semper ego consului. Dico igitur cū Pitigiano in 4.sent.to.2.dist.17.q.vnica,art.4. dub.1. Nugno in add.ad 3.par.tom.2 q.8.ar.5.dub.8. Salas de leg. disp.16. sect.10.num.43. Angles in 4. quæst. de confes. artic. 8. differ.8.

Io de la Cruz de stat. relig. libr. 2. capit. 6. dub. 2, concl. 2. Homobono de Exam. Eccles. part. 2. tract. 5. cap. 2 q. 13. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. dub. 50 nu. 4. Miranda in man. præl. to. 2. quæst. 45. art. 11. & 12. & alijs; Regularem non institutum confessarium à suo Prælato, sola Episcopi authoritate posse audire confessiones, & validum conficere Sacramentum, quia talis sacerdos habet potestatem ordinis, & iurisdictionis. Ergo valida erit absolutio.

Restat modo videre, an peccet mortaliter qui sine licentia sui Prælati confessiones excipit, aliqui ex supracitatis, quos nouissimè sequitur Peregrinus in com. ad nostras constit. p. 1. cap 5. §. 5. affirmatiuè respondent; sed rectius Molsesius in sum. to. 1. tract. 7. c. 14 n. 87. & Megala in 1. p. l. 1. c. 15. n. 8. cum alijs putant hoc determinandum esse ex vi suarum cõstitutionum, quæ si ad mortale obligant, mortaliter talis confessarius peccabit, si ad veniale, tantum venialiter. Ideo in illa religione, vt est Soc. Iesu, & nostra, & aliæ, in quibus Constitutiones non obligant ad culpam, sacerdos sic absoluens non committeret peccatum mortale.

Notandum est verò, dictos confessarios non posse absoluere pœnitentes ab illis casibus, à quibus absoluere possunt ex vi priuilegiorum religionis; quia non habent licentiam audiendi cõfessiones à Prælatis dictæ religionis.

Superest modo respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur, quod cum Episcopus possit simpliciter loquendo talem potestatem conferre, non est intelligendus quod conferat cum illa limitatione, nisi expresse illud significet; nam si Episcopus conferat facultatem secũdum dispositionem propriæ religionis, dicens, quòd tantum valet sicut in regulis religionis sancitum est, & religiosus excipiat confessiones præter ordinem suæ regulæ, nulla esset absolutio. Sed Episcopi non solent in dimissorijs hanc limitationem ponere. Ergo, &c. Circa præsentem quæstionem, vide Fagundez tract. 2. lib. 7. cap. 3. num. 32.

His suppositis respondeo ad quæstionem principalem confessarium approbatum ab Episcopo, & non à suo prælato, vel à suo prælato suspensum, esse eligibilem per Bullam Cruciatæ, quando non habet alios defectus, & ita docet Ledesma in summ., tom. 1. tr. de pœn. cap. 13. dub. 12. Acosta in expos. Bull. q. 41. per totam, & alij.

An regulares sine licentia suorum prælatorum virtute Bullæ Cruciatæ possint eligere confessarium vt illos à peccatis, & casibus reseruatis, seu censuris absoluat.

RESOL. XIV.

Respondent communiter negatiuè. Ita Llamas in sum. p. 1. cap. 5. §. 8. & sequ. Vecchius in praxi Nouitiorum disput. 9. dub. 3. n. 7. Coriolan. de cas. reser. part. 1. sect. 3. art. 14. Portel. in dub. Regul. ver Bulla Cruc. n. 1. Acosta in explicat. Bull. qu 107. per totam. Mirandam in man. Præl. p 2. q. 34 art 5. concl. 2. Reginal. in praxi, to. 1. lib. 8. c. 4. sect. 3. nu. 37. Suarez de relig. to. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 16. n. 3. qui citat Garziam, Ledesmam, Cordubam, & Passarellum, & maximè post Breue Clem. VIII. Datum Romæ apud S. Petrum die 23. Nouembris.

Sed his non obstantibus, tres inuenio sententias circa præsẽtem quæstionem. Prima est Emanuel Rodriq. in sum. tom. 3. c. 7. n. 2. in fine, vbi asserit, Regulares per Bullam Cruciatæ posse absolui à peccatis mortalibus nõ reseruatis, & ita sẽsisse multos DD. Salmaticenses testatur, sed quia codex rarus est, ponam eius verba. [Hase de aduertir, que en Salamanca se firmo por los muy doctos della, que la Bulla de Clem. VIII. solamente impide a los religiosos eligir confessor por virtud de la Bulla de la Cruzada para que los absoluen de casos reseruados, emperò no los impide, que los eligan para peccados mortales no reseruados, lo qual se prueua del proemio del dicho Breue de Clem. VIII. cõforme el segun derecho se ha de limitar su determinacion.] Ita ille, & rectè quidem, nam ex proœmio colligitur animus, & intentio legislatoris, & intellectus totius decreti, illudque limitatur, vt docet Tiraquellus tr. cessante caussa, limit. 1. n. 65. Neuo cons. 3. nu. 3. Riminaldus vol. 1. cons. 540. num. 78. Paz. cons 33 nu. 6. Molina de primog. Hisp. lib. 1. c. 5. nu. 3. Guttierrez pract. quęstionum lib. 3. q. 17. n. 90. & 91. Ceuallos com. contra com. tom. 3 q. 838. n. 114. & Salas de legibus disp. 7. sect. 9. n. 13. cum alijs.

Ex quibus apparet, secundum opinionem Rodriquez & Doctorum Salamanticensium, posse Regulares, & Moniales virtute Bullæ Cruciatæ, eligere confessarium, & ab illo obtinere absolutionem à peccatis mortalibus non reseruatis, & hoc toties quoties voluerint.

Secunda sententia est Henrici de Villalob. in sum. to. 1. tr. 22. claus. 9. §. 2. num. 12. asserentis, Regulares posse virtute Cruciatę absolui etiam à peccatis reseruatis, dummodo confessa ij per quos Bullam eligunt, sint ex deputatis, & approbatis ab eorum Prælatis ad eorum confessiones audiẽdas. Et ita sensisse ait viros doctissimos Alphonsum Curialem, Antolinez Augustinianum, Corneio Carmelitanum, & Hernandez Campo Franciscanum, omnes primarios Lectores S. Theologiæ in Academia Salmantina, & idem asserit sensisse Patres Collegij Societatis Iesu eiusdem Ciuitatis. Et ratio quam adducit est, quia Bulla Clem. VIII. prohibet tãtum eligere confessarios extra Religionem, vt Regulares à reseruatis absolutionem obtineant, vt cõstat ex petitione in proœmio facta, his verbis. Et illorum prætextu eligunt confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.

Tertia sententia est Io. de la Cruz de statu relig. lib. 1. capit. 6. dub. 12. vbi asserit, probabilem esse illam opinionem, quæ docet absolutè posse Regulares eligere quoscumque confessarios, etiam extra Religionem propter absolutionem, etiam casuum reseruatorum. Et hanc sententiam etiam tanquam probabilem admittit Sanc. in select. disp. 44. nu. 10. circa fin. & nu. 13. & insinuat Pontius de matr. lib. 5. c. 20. n. 7. & magis clarè in lib. 8. cap. 19. §. 2. n. 13. & 14. Et ratio est, quia Clem. VIII. in Bulla solum declarauit suam intentionem, vt paret ex contextu, pro Bullis sc. & indultis particularibus à se concessis, & concedendis, non tamẽ est absoluta, & generalis declaratio pro concedendis etiam à suis successoribus, quicquid alij dicant.

Adde, quòd Io. Valerus diff. 1. concl. 5. & ver. null. diff. 5. nu 2. testatur se audiuisse religiosos indistinctè vti Bulla Cruciatæ, sicque practicari, quamuis in foro externo possent per Prælatos puniri, si alijs, quam à se expositis confiteantur. Sed neque hoc audent facere Prælati. intellixi enim quosdam Prelatos à Commissario Bullæ reprehensos fuisse super hoc. Ita Valerus qui etiã asserit, neque dictam declarationem, seu Breue Clem. VIII. obligare, si non fuerit publicatum in conuentibus ab ipsis Prælatis cum sit factum ad instantiam tantum Procuratoris Generalis Ordinibus Carmelitarum, & non motu proprio Papæ, & sic non publicatum, vt ipse probat, ver. Absolutio, diff. 1. n. 20. dum ergo non publicatur, possunt Religiosi vti Bulla Cruciatæ. Addit etiam idem Valerus, licitum esse Religioso, sine licentia sui Prælati procurare pecuniam pro Bulla sumenda, dummodo nõ transeat in eius potestatem, sed vt amicus, qui dat pecuniam sumat illam suo nomine, & faciat in ea ponere nomen Religiosi, & eam idem det. Et ratio est, quia in tali casu nulla proprietas interuenit, cum pecunia non transeat in potestatem Religiosi, & accipere Bullam dicto modo procuratam, vel sponte oblatã ab amico, non est quid temporale, in quo versatur proprietas, sed quid spirituale ad bonum animæ eius extra esum ouorum. Ita ille, & adducit Cordubam, & Io. Salas Societ. Iesu in quadam lectura Bullæ. Et dato quod dictus Regularis ita faciendo peccaret, valebit tamen sumptio Bullæ, & poterit ea frui, quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.

Quid ego sentiam dicam breuiter. Opinio negatiua ex supra dictis est communis, & probabilior, & illam ego consulo, & teneo. Prima, & secunda sententia Rodriquez, & Villalob. est probabilis, & tuta in praxi. Tertia vero Io. de la Cruz, videant viri docti an sit probabilis, nam ego illam non approbo, & si esset probabilis, corrueret disciplina regularis. Vide etiam Fernand. in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 8. nu. 8. Ledesmam in sum. to. 1. tract. de Pęn. c. 13. & alios.

An Nouitij Regularium possint sumere Bullam, & virtute ipsius à casibus reseruatis absolui.

RESOL. XV.

Respondeo affirmatiuè, quicquid in cõtrarium asserat Vecchius in Praxi Nouitiorum disp. 9. dub. 5. num. 7. & ita docet Suarez de relig. to. 4. tr. 9. lib. 2. cap. 16. num. 10. Fernandez in

Exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 8. nu. 9. & Ledesma in summ. tom. 1. tr. de Pœn. cap. 13. dub. 14. vbi etiam asserit [que quando los Prelados de las Religiones huuiessen traido algun Breue, ò indolto para que los Religiosos no pudiessen eligir Cófessor por virtud de la Bulla, esto no se ha de entender de los nouitios, porque los nouitios en las cosas odiosas, no entran de baxo de nombre de religiosos. Por la qual quáto a esta queda como seglar, y puede eligir confessor por virtud de la Bulla de la Cruzada.] Ita ille. Idem etiá docet Acosta in explicat. Bullæ q. 107. Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. c. 56. n. 6. qui bene notat, dictos Nouitios, etiam sine Bulla Cruciatæ, à casibus reseruatis in Religione posse absolutionem obtinere à quocumque sacerdote, sed de hoc alibi.

Notandum est etiam, Nouitios sumédo Bullam, posse edere lacticinia, sicut cæteros sæculares, propter rationem dictam; non enim censentur Religiosi quoad onera. Ita Fernandez vbi supra, § 5. nu. 5. & alij.

An qui peccat ob spem absolutionis Bullæ gaudeat ipsius priuilegio, & idem quæritur de Iubileo?

RESOL. XVI.

Negatiuè multi respondent, vt Couarruu. lib. 2. var. c. 2. n. 16. & alij penes Acostam in explic. Bull. q. 53.

Sed ipse, & rectè, contrarium docet: cui ego addo Leonem tr. de iubil. p. 2. q. 8. num. 14. Molfesium in summ. to. 1. tr. 7. c. 16. nu. 47. Filliucium to. 1. tr. 8. c. 10. nu. 262. Sanctarellum de iubil. cap. 8. dub. 10. Sanch. in summ. to. 1. lib. 4. cap. 54. Ledesmam in summ. to. 1. tr. de Pœn. c. 13. dub. 10. vbi asserit (Esta resolucion tienen todos los Doctores, se prueua lo primero, porque el Papa en este priuilegio de la Bulla no pone excepcion ninguna, ni restricion de la qual se entienda, que el que pecca con la tal confiança, no puede ser absuelto de los peccados. Luego por virtud de la Bulla de la Cruzada puede ser absuelto dellos, porque este priuilegio es fauorable, y no es razon restringirlo.) Idem etiam docet Villalob. in summ. tom. 1. tract. 27. clausf. 9. §. 2. num. 19. Bonac. de leg. disp. 4. quæst. 2. punct. 6. §. 3. num. 12. & alij.

An quis per Bullam possit absolui à reseruatis, & censuris, non solum ante, sed etiam post ipsius susceptionem incursis, & idem quæritur de commutatione votorum, &c.

RESOL. XVII.

Respondeo affirmatiuè quicquid afferat Sotus de iust. lib. 8. quæst. 4. ar. 3. cum alijs. Et ita aduersus illum docent 10. Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. in sum. to. 1. lib. 4. c. 53. nu. 36 quibus ego addo Leonem tr. de iubil. p. 2. q. 8. num. 31. Floronum, de cas. reser. p. 1. c. 4. §. 3. n. 22. Sanctarellum tr. de inb. c. 8. dub. 9. qui citat 14. Doctores pro hac sententia; Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 17. sect. 2. nu 3. Bonacinam de leg. disp 4. q. 2. punct. 6. §. 3. n. 12. Villalob. in summ. to. 1. tr. 27. clausf. 9. §. 2. nu. 6. Ledesmam in summ to 1. tr. de pœnit. c. 13. conclus. 2. dub. 6. Bartol. à S. Fausto in thes. relig. libr. 4. q. 50. num. 2. Molfesium in summ. tom. 1. tr. 11. cap. 15. nu. 204. & alios. Et ratio est, quia verba Bullæ sunt generalia. Ergo non sunt restringenda ad peccata, seu vota emissa ante, & non post publicationem Bullæ, vt etiam in Iubileo asserunt Doctores: & verba indefinitè, & generaliter expressa in priuilegijs, extenduntur ad futura, vt notat Glossa in c quia circa de priuil. Cœteras rationes vide apud citatos Doctores.

Notandum est verò supradictam doctrinam non solum procedere quoad commutationem votorum, sed etiam quo ad dispensationem, contra Lopez, Rodriquez, & Sotum, quia vt benè notat Henriqu in summ. lib. 7. c. 30. num. 5 cum Suarez, & Sanchez vbi supra num. 28. eadem est ratio quoad hoc inter potestatem dispensandi, & commutandi. Notandum est etiam quod quis virtute Bullæ potest ex libito ab vno confessario absolutionem à reseruatis, & censuris obtinere, & ab alio postea votorum commutationem. Ita Faustus vbi sup. num. 4. Et hæc omnia procedunt etiam tempore Iubilei; nam eadem est ratio, vt de Bulla.

Quis per Bullam, seu virtute Iubilei eligit confessarium, & facit cum illo confessionem inualidam, & irritam, vel ex defectu doloris, seu examinis, vel ex alio capite, obtinendo absolutionem à reseruatis; quæritur, an dicta peccata non sint amplius reseruata, ita vt postea possint à quocumque confessario ab illo absolui.

RESOL. XVIII.

Negatiuè respondet Ledesma in summ. tom. 1. tr. de pœn. ca. 12. conclus. 2. dub. 7. Villalob. in summ. to. 1. tract. 27. clausf. 9. §. 2. num. 16. qui citat Acostam in explic. Bull. q. 45. quando videlicet pœnitens scit illam confessionem esse irritam, secus si talis nullitatem confessionis non aduerteret, nam in secundo casu putant manere liberum à reseruatione. Ratio est, quia Summus Pontifex concedit facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad susceptionem indulgentiarum. Sed qui scienter facit confessionem irritam, indulgentias minimè consequi potest. Ergo, &c.

Non reticeam tamen multos Doctores contrarium asserere probabiliter, quos adducit, & sequitur Comitolus in resp. mor. lib. 1. quæst. 30. nu. 2. vbi sic ait. Num qui tempore Iubilei (adde tu per Bullam Cruciatæ) fictè confessus est de casu reseruato, nec quicquam ei profuit confessio ad salutem, post Iubilæum meliore mente quærere possit quemlibet confessarium, qui tum ab alijs casibus, tum à reseruatis eum possit absoluere. Caietanus in summ. verbo casus reseruatio in calce. Armilla eodem verbo, num. 4. Syluester verb. confessio 1. quæst. 19. in extremo seu nu. 21. à quo Paludanus, & D. Antoninus nominantur opinionis authores, aiunt eum, qui fictè confessus est reseruatum casum, posse à quouis confessario absolui, propterea quod legi Ecclesiasticæ reseruationis iam satisfecit, quamuis legi diuinæ confessionis nulla ratione satisfecerit. Quare iure diuino debebit iterum Sacerdoti illud ipsum peccatum, reliqua omnia declarare. Ita Comitolus.

Sed hanc Comitoli sententiam non admittũt aliqui Doctores in confessione facta vigore Iubilei, quia talis absolutio confertur in ordine ad lucrandas indulgentias, & verè pœnitentibus; secus autem si absolutio à reseruatis, vel à Superiore Ordinario, vel à delegato daretur sine vllo ordine ad indulgentias lucrandas. Vnde patet me olim rectè respondisse, quod quando Prælatus tribuit facultatem in aliqua festiuitate absoluendi à reseruatis, si aliquis Religiosus tunc efficeret confessionem irritam, & reseruata confiteretur, postea à quocumque confessario posset absolutionem ab illis obtinere: quia talia peccata non remanserunt amplius reseruata. Et ita docet Nugnus in Addit. ad 3. p. to. 2. q. 9. art. 2. p. 2. dub. 4. Floronus de cas. reseru. p. 1. c. 4. §. 9. n. 3. Reginald. in praxi, to. 1. lib. 8. c. 6. sect. 2. nu 61. Homobonus tr. de cas. reser. p. 1. Coninck de Sacram. disput. 8. dub. 12. n. 91. Henriq. lib. 6. c. 16 §. 5. in Glos. litt. R, & C. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 31. sect. 4. nu. 22. Posseuinus de off. Cur. c. 27. n. 29. cum alijs. Et ita ex hac doctrina infert Acosta vbi supra, quod qui virtute Bullæ Cruciatæ confitetur casus Episcopales fictè, & sine contritione, postea posse a quocumque confessario de illis, etiam sine Bulla, absolutionem obtinere. Sed opinio Comitoli videtur etiam probabilis.

An qui fuit absolutus virtute Bullæ Cruciatæ sine vlla mentione, & intentione reseruatorum, tam ex parte sui, quam ex parte confessarij, licet remaneat absolutus à peccatis reseruatis oblitis, an etiam remanere liber ab obligatione postea confitendi illa peccata reseruata legitimo superiori, si amplius non habeat Bullam Cruciatæ, vel an poterit absolui à quocunque Confessario.

RESOL. XIX.

Respondent aliqui negatiuè. Putant enim reseruationem non tolli per quãcumque absolutionem collatam à legitimo confessario, facultatem reseruatorum habente; sed per absolutionem datam à Confessario, qui cognitionē habuit peccati reseruati, vel qui habuit intentionem auferendi quamcunque reseruationem. Ratio est, quia quando Superior, qui habebat facultatem super reseruata, non habuit intentionem aliam, quam

quam communem ministrandi Sacramentum, nihil aliud efficit, quàm alius sacerdos, qui non intẽdit auferre reseruationem. Alias ex opposita sententia sequeretur, quòd qui pęnitentiarijs, aut religiosis mendicantibus habentibus multa priuilegia, aut superiori in sua religione, vt cõfessario electo priuilegio nostræ Bullæ Cruciatæ, confiteretur peccata communia, & non confiteretur peccatum reseruatum, quod habebat ex obliuione, iam maneret liber ab obligatione illius, vt deinceps iam esset commune peccatum, sine obligatione confitendi legitimo cõfessario, habenti potestatem super reseruata. Sed hoc videtur absurdum. Ergo, &c. Et ita docet Vasq. in 3. p. to. 4. q. 91. artic. 3. dub. 5. Suarez etiam in 3. p. to. 4. disp. 31. sect. 4. n. 18. Bonac. de Sacr. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 5. n. 5. & alij.

At his minimè suffragantibus, puto contrariam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi. Et ita docet Coninch de Sacram. disp. 8. dub. 12. q. 98. vbi sic asserit. Licet talis pęnitens explicitè non petat absolutionem reseruatorum, censetur tamen interpretatiuè petere; quia venit ad confessionem, vt quantum fieri potest, a peccatis omnibus liberetur, & si ei occurreret se habere aliqua peccata reseruata, omnino peteret reseruationẽ tolli; quare Confessarius censetur hic, & nunc velle eum absoluere à peccatis, quantum licitè potest, & consequenter tollere reseruationem. Ita Coninch. Et idem etiam docet Molfesius in sum. tom. 1. tr. 7. cap. 21. nu. 25. & specialiter contra Suarez idem affirmat Nugnus in addit. ad 3. p. to. 2. q. 9. art. 2. p. 2. dub. 4. cum Reginaldo in praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 7. n. 99. vbi ait. Quod Suarez vult peccata oblita non manere reseruata, non procedere in confessionibus ordinarijs, quasi in eis sine vlla cogitatione casuum reseruatorum, & inferior confiteatur, & superior det absolutionem; non puto necessario tenendum in praxi, quæ ordinariè habet, vt pœnitens si non distinctè, saltem confusè de reseruatione cogitet, eo animo confitens, vt per sacerdotes absolutionem quãtum fieri potest liberetur ab omni vinculo suorum peccatorum, eademque intentione Confessarius cum illo procedat, vt indicio, est absolutio à censuris, quem solet Sacramentali absolutioni permittere. Ita ille.

Et hanc sententiam ex parte docuit etiam Megala in p. 1. p. l. 1. c. 14. nu. 7. quando videlicet pęnitens confessus est coram illo confessario, qui habebat potestatem super reseruata ex priuilegio concesso in fauorem ipsius pœnitentis, prout fit in Iubilæis, & Bulla Cruciatæ. Secus autem quando confessus est coram illo confessario, qui delegatam supra ipsa reseruata iurisdictionem habebat, non ex priuilegio in fauorem sui ipsius principaliter concesso, sed in fauorem confessarij, vel quia Summ. Pont. vel Episcopus pœnitentiarios destinarunt, qui à reseruatis absoluere possint.

Sed sine vlla distinctione dicendum est, supradicta peccata oblita non remanere amplius reseruata. Et certè, vt benè obseruat Nugnus cõtra Suarez, ipse solus posuit illam distinctionem. Nam veteres Theologi omnes absolutè, & simpliciter docent, in confitente peccata confessario habẽti potestatem ab omnibus absoluendi, tolli omnem reseruationem eorum, quæ bona fide omisit. Et ita docent Syluest. ver. confessio 1. q. 4. Adrianus q. 4. de confess. § si pietas circa dicta, Gabriel in 4. dist. 17. q. 1. ar. 3. dub. 2. sub finem, Angelus ver. confessio. 1. nu. 11. Rosella eodem ver. 2. nu. 9. Hoc etiam docuerunt Nauarrus c. 26. nu. 13. Sà confess. n. 7. Henriquez lib. 6. c. 26. n. 5. & alij.

Notandum est tamen, quod aduertit Auila de cens. p. 2 ca. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. in fine, quod si aliquis excommunicatus excommunicatione exigente satisfactionem partis, & oblitus est confiteri hanc censuram per generalem absolutionem, quæ datur ad cautelam, non manere absolutum à tali censura: quia non est pręsumendum confessorem velle absoluere hanc excõmunicationem, quę si à pęnitente manifestaretur, & absolueret ab ea sine satisfactione, peccaret mortaliter. Sed ipse Auila cõtrariam sententiam putat etiam probabilem.

An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Eucharistiam, præterquam in die Paschatis de manu simplicis sacerdotis, sine licentia Parochi, siue Episcopi, & idem quæritur de Sacramento extremæ vnctionis?

RESOL. XX.

NEgatiuam sententiam docet Sanchez in p. 3. to. 3. disp. 72. sect. 4. quia, ait ille, ex clausula Bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas ad eligendum confessorem non intelligitur concessam esse facultatem ad recipiendam Eucharistiam à tali confessore, vel ab alio simplici sacerdote electo ad hoc munus per ipsummet pœnitentem, quod idem dicendum est de Sacramento extremæ vnctionis. Et licet Nugnus, semper Suarez aduersetur, tamen ita amplexus est hanc opinionem, vt contrariam prorsus improbabilem vocet, vt videre est apud ipsum in 3. p. to. 1. q. 82. art. 3. fol. mihi 457.

Sed pace tantorum virorum, probabilissima & tuta in praxi est contraria sententia, quam docet Vasquez in p. 3. tom. 3. disp. 219. c. 5. nu. 47. vbi sic asserit, per Bullam Cruciatæ concedi facultatem, vt quis possit à quocumque sacerdote Eucharistiam recipere, non quia in ea concedatur vt possit eligere sibi confessarium; nam in tali facultate non intelligitur licentia ad recipiendum hoc Sacramentum, vt post Suarez notauit etiam Filliucius to. 1. tra. 4. c. 9. n. 263. aduersus Caiet. verb. excommunicatio, c. 63. Sed quia expresè licẽtiam ad Eucharistiam accipiendam in ipsa Bulla concedatur, vt patet ex verbis ipsius Bullæ, quæ ipse adducit. Et idem, quod de Eucharistia docet, etiam de Extrema vnctione admittit.

Ex his patet responsio ad argumentum Suarez, Accipiens igitur Bullam Cruciatæ, habet facultatem à Summo Pontifice eligendi sacerdotem, vt possit ab ipso sine licentia Parochi accipere hæc tria Sacramenta, Pœnitentiam, Eucharistiam, & Extremam vnctionem. Notentur hæc, quia passim non sunt obuia.

An quando commutantur vota per Bullam Cruciatæ, non solum vota diuitum, sed etiam vota pauperum commutanda sint in temporale aliquod belli subsidium per eleemosynam?

RESOL. XXI.

MVlti asserunt totã commutationem debere fieri in belli subsidium. Ita Ledesma in sum. tom. 2. tract. 10. cap. 8. fol. 586. vbi absolutè asserit. (Quando la commutacion se haze en virtud de la Bulla, hase de hazer en cosa que ayuda la guerra contro los infieles, que es la causa de la expedicion de la Bulla, y no en otras obras de virtud.) Sic etiam alij.

Sed mihi magis placet opinio Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 58. & aliorum. Puto igitur non esse necessarium istam commutationem fieri totaliter in subsidium temporale, sed sufficere si secundum partem fiat in illud; & secundum aliam partem, in alia virtutum opera. Quare prudentis confessarij arbitrio hoc relinquendum est, qui considerabit, & voti qualitatem.

An verò hæc doctrina procedat in pauperibus, non parua difficultas est. Nam multi asserunt, pauperem voti commutationem petentem, debere eleemosynam exiguam in id subsidium contribuere, quæ suæ paupertati æqualis sit. Ita Sanchez vbi supra, & præter DD. quos ipse citat, tenet etiam hanc sententiam Rodriquez, non tantum in locis ab ipso citatis, sed nouissimè in sum. to. 4. c. 188. nu. 11. & Raphael de la Torre in 2. 2. to. 1. q. 88. art 2. dub. 6. nu. 3. vbi ait. De intentione Bullæ dubitari non potest esse intelligendam de subsidio temporali. Et cum ex alia parte constet nullum esse ita indigentẽ, etiam ex ostiatim mendicantibus, qui aliquid temporale non possideat, non existimo tutam commutationem factam in subsidium solum spirituale. Sic ille satis probabiliter.

Non reticeam tamen contrariam sentẽtiam esse etiam probabilem, quam docet Lessius de iust. libr. 2. cap. 40 dub. 22. num. 95. & Suarez de relig. to. 2. lib. 6. c. 19. nu. 18. vbi sic ait. Viualdus in candel p. 3. c. 14. num. 29. citans Alphonsum Deza (qui fuit vir doctissimus Societatis Iesu) in publicis lectionibus Compluti, dicit sufficere subsidium spirituale, quia Bulla non solum dicit in subsidium; sed reuera Bullæ intentio est de subsidio temporali. Tamen in pauperibus haberet illa interpretatio locum. Ita Suar. quem postea sequutus est ex Prędicatorum Familia Io. de la Cruz in direct. conf. p. 1. præc 2. art. 2. dub. 11. conclus. 5. cuius hæc sunt verba. Nota, quod commutatio virtute Bullæ sub excommunicatione lata à Commissario, fiet in eleemosynã pro subsidio belli contra infideles, saltem secundum partem, vt ait Suarez. Immò pro pauperibus erit vera Viualdi intelligentia, quod sat erit, si commutatio fiat in subsidium spirituale Ita ille

&

& ego. Vnde si aliquis confessarius virtute Cruciatæ commutaret vota pauperum, non in tenue subsidium temporale ipsius Bullæ; sed in aliquas orationes, scrupulos illi non injiceremus; nam hæc opinio est probabilis, magnos enim habet patronos, & ipsemet Sanchez qui contrarium tenet, etiam illam, vbi sup. nu. 56. tanquam probabilem admittit.

An qui vigore Bullæ Cruciatæ fuit absolutus ab excommunicatione sine satisfactione partis, teneatur iterum confiteri tanquam non legitimè, sed nulliter absolutus?

RESOL. XXII.

Affirmatiuam sententiam docuit Coninch. de sacr. disp. 14. dub. 16. num. 211. Suarez in 3. p. to. 5. disp. 17. sect. 5. nu. 41. Filliucius tom. 1. tract. 11. c. 9. n. 295. Sayrus de cens. lib. 2. cap. 18. n. 10. Henriq. in sum. lib. 7. de indulg. c. 13. nu. 2. Syluester, Caiet. Armilla, Corduba cum aliis. Ratio est, quia Bulla per illā clausulam, *prius satisfacta parte*, restringit potestatem confessario, & illi præbet sub hac forma.

Sed mihi opinio contraria magis arridet, quam tuetur Sanchez de matrim. to. 1. lib. 3. disp. 33. n. 3. Barbosa in collect. to. 3. tit 40. c. 23. n. 3. Valerius in differ. vtriusque fori verb. Absolutio, diff. 5. num. 5. Auila de censur. p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. qui citat magistros Pegna, & Sanchez & Doctorem Acosta, quia, vt ex multis notat Sanchez, Summ. Pontif. per illam clausulam non intelligit, vt male supponunt aduersarij, inducere nouam formam, nec limitare potestatem, sed tantum admonere confessarium de sua obligatione, nempe vt absoluat excommunicatum satisfaciendo realiter, vel si non potest, det cautionem satisfaciendo, vt requirit ius commune. Vnde sequitur supradictum excommunicatum iniustè, & cum peccato mortali absolutum, sed tamen validè vt diximus, posse licitè absolui à peccatis ab alio confessore, qui potest se gerere cum illo tāquam cum non excommunicato, modo quantum ad satisfactionem obseruet regulas generales circa debitores.

Notandum est verò pro praxi, stantibus verbis Bullæ, *prius satisfacta parte*, quod nomine partis, intelligitur ille cui facta est iniuria, per illud delictum, per quod inflicta fuit excommunicatio siue sit persona publica, siue priuata. Ita Henriq. lib. 13. cap. 28. num. 1. Bonacina de cens. disp. 1. q. 3. punct. 9. Vnde sub nomine partis non intelligitur Iudex, cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria, sed tertius inter partes; vnde per Bullam Cruciatæ potest absolui, antequam soluat iura Iudici, seu Tabellioni. Ita Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. post 3. conclus. Nomine verò satisfactionis intelligitur restitutio honoris vel famæ, vel alicuius bonorum, vt aduertit Suar. in 3. p. to. 5. disp. 7. sect. 5. n. 47. Quod si talis satisfactio realiter dari non possit, tunc debet dare cautionem sufficientem, scilicet pignoratitiam, vel fideiussoriam; quod si nec hanc potest præstare, det iuratoriam satisfaciendi cum potuerit Ita Nauarrus c. 26. num 7. & alij. Sed circa præsentem quæstionem in particulari discutienda sunt aliqua dubia.

An Confessarius electus per Bullam Cruciatæ possit absoluere pœnitentem, qui solum satisfecit Clerico, vel Monaco percusso?

RESOL. XXIII.

Respondent negatiuè Riccius in decis. Curiæ Archiepisc. Neap. part. 1. decis. 86. num. 4. & part. 3. decis. 34 nu. 3. Bonacina tract. de cens. disp. 2. quæst. 4. punct. 5. num. 5. Et ita fuisse resolutum in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Riccius in casu cuiusdam, qui percussit Conuersum certi Monasterij, vbi fuit decisum talem debuisse satisfacere Abbati, & Monasterio, quia iniuria facta Monacho, censetur facta Abbati, & Monasterio, ex leg. in personam, ff. de pactis & ibi scribentes, cum Gometio tom. 3. var. resol. cap. 6. nu. 5. & alijs. Et idem afferit de Clerico Bonacina vbi supra, qui addit modum satisfaciendi.

Hæc opinio est probabilis, sed etiam probabilem contrariā esse iudico, quam docet doctus Auila tract. de cens. p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 11. concl. 2. vbi sic ait. Notandum est, quòd licet percutiēs clericum, vel Monachum, faciat etiam iniuriam Ecclesiæ, vel Monasterio, tamen satisfacto percusso, vel remittente iniuriam, censetur pars satisfacta, & consequenter potest absolui; quia quando damnum infamiæ, vt notat Nauarrus cap. inter verba, corol. vltim. num. 376. & in Manual. c. 18. num. 46. tangit principaliter infamatum, & minus principaliter bonum publicum, sufficit condonatio eius, ad quem principaliter pertinet ex c. quamuis pactum iuxta Gloss. de pactis in 6. Ita Auila satis probabiliter.

An Confessarius electus virtute Bullæ possit absoluere pœnitentem, qui non potest parti satisfacere.

RESOL. XXIV.

Respondet negatiuè Corduba tract. de Indulg. q. 43. & Ledesma in sum to. 1. tract. de excomm. c. 8. dub. 3. Gutnerez qq. Canon. lib. 1. c. 5. n. 29. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. post concl. quem sequuntur nonnulli moderni, & si de facto absoluatur, putat absolutionem esse nullam.

Sed contrariam sententiam, probabiliorem esse iudico cum Barbosa in collect. to. 2. tit. 40 cap. 23. n. 3. Coninch. de sacram. disp. 14. dub. 16. n. 206. Vasquez in 3. p. to. m. 4. tract. de excomm. dub. 20. n. 2. Villalobos in summ. to. 1. tract. 27. claus. 9 §. 2. n. 22. Vegha in summ. to. 1. c. 6. cas. 28. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. tract. de Excom. dub. 5. concl. 3. Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 9. § 12. n. 10. Filliucio to. 1. tract. 11. c. 9. n. 295. Auila de cens. p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 8. & alijs. Ratio est, quia non credendum, Pontificem per illam clausulam *satisfacta parte*, voluisse excludere à beneficio absolutionis eum, qui non potest satisfacere. Non enim verisimile est, postulari conditionem impossibilem, facit Clem. multorum, & Clem. nolentes, de Hæreticis, in quibus similes conditiones ita intelliguntur.

Quæ supradicta sunt adeò vera vt docuerit Sanchez in sum. to. 1. lib 2. c. 20. n. 19. quod etiamsi in priuilegio solus mortis articulus exciperetur, vt quis absoluatur non satisfacta parte; attamen posita impotentia, putat etiam extra mortis articulum, talem esse absoluendum, licèt cōtrariam sententiam doceat Suarez in 3. p. to. 5. disp. 23. sect. 5. n. 27.

Ideo ex supradictis dicendum est, quòd si pœnitens non possit satisfacere in totum, satisfaciat in partem; & si non potest satisfacere sine graui iactura, & detrimento famæ, vel status, vel suorum bonorum, vendendo ea, scilicet notabiliter vilius, licitè potest absolui, dummodo creditor non patiatur æquale detrimentum. Et in his & similibus casibus, in quibus non potest satisfacere, non sufficit præstare cautionem iuratoriam, sed pignoratitiam seu fideiussoriam det; sufficeret tamen contra Caietanum verb. excom. ca. 77. præstare fideiussoriam, quamuis posset dare pignoratitiam. Ita Henriquez lib. 15. cap. 28. n. 1. & Auila de cens part. 2. c. 7. disp. 3. dub. 5. concl. 1. quod est valdè notandum.

Sed circa præsentem materiam vide Syluestrum ver. absol. 3. n. 3. Armillam eodem ver. nu. 48. & 51. Caietanum eod. verb. c. 4. Villalobos in summ. to. 1. tract. 6. dub. 20. n. 8. Nauarrum in Man. c. 26. n 7. Reginaldum in praxi to. 1. lib. 9. c. 4. n. 65. Suarez in 3. p. to. 5. disp. 7. sect. 5. nu. 41. Io. Valerum in differ. vtriusque fori, verb. absol. differ. 5. n. 4. & alios.

Vtrum virtute Bullæ possit quis extra confessionem absolui à censuris, & idem quæritur de Iubilæo?

RESOL. XXV.

Negatiuè respondet Filliucius to. 1. tract. 11. c. 9. num. 294. Vasquez in 3. p tom. 4. tract. de excomm. dub. 20. nu. 9. Sanctarellus tract. de iubilæo. c. 8. dub. 8. Acosta in Expos. Bull. qu. 50. in fin. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 12. nu. 4. qui citat Couarr. Nauarrum, & Cordubam. Idem docet Suarez in 3. p. to. 5. disp. 7. sect. 5. n 35 Rodriquez in Bulla §. 9. nu. 54. dicto §. & alij. Primò, quia ita declarauit Pius V. in Bulla Iubilæi anni. 1568. Secundò, quia in Bullā apponitur, clausula *auditis cōfessionibus*, & licèt non apponatur, habetur tamen alia æquiualens, videlicet quod possint eligere confessarium, qui possit illos absoluere à peccatis, & censuris.

Sed contrariam sententiam; tanquam probabiliorem amplectendam esse existimo, quam tuentur Auila de cens. p. 2. c. 7. disp. 3.

disp 3.dub.13. Villalob.in sum.to.1.tract.27. claus.9.§.2.nu.23. Sanchez de matr.to.3. lib.8. disp.34.nu.30. Vegha in sum.to.1. cap.6 nu.3. Ledesma in sum.to.1.tr. de Exam.cap.8.dub.3. Coninch de Sacram.disp.14.dub.16.num.253. & Victoria, Pegna, Medina, Sancius, & Guertero Archiepiscop. Granatensis viri doctissimi, & alij Theologi Salmanticenses apud Henriquez in summ.lib.8. c.13.nu.2. in Glossa littera O, & tandem ex Dominicanorum Familia vir doctus Io. de la Cruz in direct. conf.p. 2. tr. de excomm.dub.5.conclus.3. vbi sic ait. Nota quòd in Bullis Cruciatæ non petitur, quod absolutio excommunicationis fiat in Sacramento pœnitentiæ, sed quia confessio est prævia ad absolutionem peccatorum, conceditur ibi, vt possit eligi confessor approbatus, qui etiam possit absoluere ab excommunicatione, & alijs censuris. Ita ille, & ita declarasse Commissarium Cruciatæ testatur Auila vbi supra, & maximè hodie, quia non adest in Bulla clausula illa *audita Confessione*; & etiamsi adesset, puto sententiam nostram esse probabiliorem, & tutam in praxi, vt ego sæpius consului, & practicaui. Et ratio est, quia nulla necessaria est connexio inter absolutionem a peccatis, & absolutionem a censuris. Secundò, quia sæpe expedit, vt ita fiat, vt si reus non sit paratus, quomodo frequenter solet accidere in praxi, vt statim confiteatur & adsint causæ, ob quas expediat eum statim absolui.

Ad argumenta in contrarium adducta respondetur: Et ad primum dico cum Villalobos vbi sup. quòd illa declaratio Pontificis habuit locum pro illo Iubileo, in quo concessa fuit illa facultas tali pacto, & conditione. Ad secundum respondeo cum Auila, & alijs, quod illa verba *audita Confessione*, referenda sunt ad absolutionem à peccatis, non autem ad absolutionem à censuris: referenda sunt enim singula singulis, & respectiue intelligenda, respectu potestatis absoluēdi ab omnibus peccatis, quæ simul cum alia facultate solet concedi. Ad illud verò, quod dicitur, in Bulla adesse illa verba, quòd quis possit eligere confessarium, vt eum absoluat à peccatis, & censuris Ergo, &c. Respondetur, ex istis verbis non sequi vtramque absolutionem simul aut ab eodem debere dari.

Vtrum virtute Bullæ Cruciatæ liceat absoluere excommunicatos nominatim, vel publicos percussores clericorum, vel alium, cuius excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, & lis non est finita?

RESOL. XXVI.

NEgatiuam sententiam docuerunt Doctores, quos citat, & sequitur Auila de cens.p.2. cap.7. disp.3. dub. 10.concl.1. Ratio est, quia talis absolutio esset scandalosa, & perturbaret iurisdictionem iudicis, coram quo lis penderet. Idē docuit Ægidius Coninch de sacr.disp.14.dub.16.num.207. Vasquez in 3. p.tom.4.tract.de excum.dub.2.n 8. Vegha summ.to.1.c.6.cas. 52. & alij.

Sed probabiliorem contrariam sententiam puto, quam docet Sanchez in summ.to.2.lib.6. cap.17.nu.4. Acosta quæst.50. Savrus de cens.lib 2.cap.20.num.29 & Henriquez lib.8. capit. 60 num.4. vbi sic ait. Nominatim denunciatus, potest satisfacta parte absolui per Bullam Cruciatæ, quod pro occulto foro conscientiæ prodest, & si ita absolutus petat communionem in loco, vbi cessat omnino periculum scandali, licebit ministrare. Ita ille. Et idem procedit, si quis absolueretur virtute priuilegiorum Mendicantium. Et ratio est, quia in Bulla Cruciatæ conceditur absolute facultas absoluendi a censuris, sine vlla restrictione, aut limitatione. Ergo non est à nobis restringenda, & limitanda.

Nec obstat ratio in contrarium adducta. Nam cum talis absolutio valeat tantum pro foro interiori, non perturbatur exterior iurisdictio, nam Iudex potest procedere contra talem, ac si numquam fuisset absolutus, licet aliqui asserant supradictam absolutionem valere etiam in foro exteriori, & iudiciali. Et ita docet Medina in summ.lib.1.cap.12. Rodriquez in Bulla §.9.num.35. in fine, & nouissimè Ioann.de la Cruz in director. consc.part.2.tract.de excommun. dub.5.concl.3. cum alijs. Et volunt in tali casu, quod confessor absoluens det schedulam absolutionis, vt per eam reus se defendat in foro exteriori, vel vt notauit Nauarrus apud Acostam vbi infra, postquam confessarius absoluerit excommunicatum, tradat pęnitenti coram Notario, & testibus schedulam absolutionis, in qua affirmet illum esse virtute Bullæ & satisfacta parte, à censuris absolutum. Et quod Notarius in fine schedulæ testetur à confessore prędicto excommunicato tali tempore, die, & loco illam absolutionis schedulam datam fuisse.

Sed his minimè suffragantibus communiter docent Doctores, absolutionem Bullæ non prodesse in foro exteriori, & ita absolutum debere se gerere in publico tanquam excommunicatum, ad euitandum scandalum; posse tamen secreto, & sine scandalo Missam audire, Sacramēta recipere, & cum alijs colloqui, manifestando se esse per Bullam absolutum. Et ita hanc sententiam, contra DD. citatos, docet Auila de cens.p.2.c 7.disp.3.dub.12. Acosta in expl.Bull.q.50. per totam. Villalobos in summ.to.1.tr.27.claus.9.§.2.nu.24. qui citat Henriquez, Lopez, Gutierez, Couarruuiam, & alios.

Aduertunt tamen, quod iudex contra ita absolutum per Bullam, non tenetur procedere vnde si velit esse benignus, potest acceptare hanc absolutionem, etiam pro foro exteriori, & repellere accusationem fiscalis accusantis illud, quod v.gr. celebrauit, vel in ferēda sententia contra illum temperare rigorem, & pœnam. Et ita docet Auila, & Acosta, vbi sup. cum Henriq. lib.13.c.27.nu.5. circa finem.

Notandum est verò cum Acosta, omnia supradicta procedere quoad absolutionem censurarum ab homine non quoad absolutionem censurarum à iure. Vnde absolutio virtute Cruciatæ à censura lata à iure, valebit etiam in foro exteriori, & iudiciali. Nam Summ. Pontif. in Bulla asserit super censuras ab homine latas non cadere absolutionem virtute Bullæ in foro exteriori. Ergo cadet super censuris iure latas. Et ideo absolutus per Bullam a censuris à iure latis, debet postulare schedulam iuxta consilium Nauarri, vt in foro exteriori si opus fuerit, probet se absolutionem obtinuisse ab illa censura. Et ita si aliquis Presbyter percuteret alium Presbyterum, & postea absolutus per Bullam in altari ministrauerit, schedulam de tali absolutione demonstrauerit, puto non posse illum Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis, vel alium in foro exteriori accusare, & pœnas excommunicationis exigere, nam per illam absolutionem Bullæ liberatus etiam fuit à foro exteriori. Nam, vt diximus, absolutio Bullæ quoad censuras a iure latas, non solum prodest in foro animæ, sed etiam in foro iudiciali; quod est valde notandum.

Et hæc dicta sufficiant quoad præsent. quæst. circa quā etiam si lubet, vide Filluc.to.1.tr.11.c.9. n.291.

An per Bullam Cruciatæ sit dispensabilis omnis irregularitas, quæ est pœna.

RESOL. XXVII.

PRima sententia negat. Ita Fabrus de sacr. Ordin. distinct. 25. q.1.disp.3.nu.35. Homobon. de Exam. Eccles p.1.tr.5 c 6.q. 36 qui citat Caietanum, Nauarrum, Maiolum, Sotum, Viualdum, & Sayrum. Idem docet Auila de cens p.7. disp.10. dub.4. concl.2. qui citat Villadiego, Lopez, & Martinum Ledesmam. Hoc etiam docuit Villalob in sum to.1 tr.16.dub.2. nu.2. & tr. 21.dub.9.n.23. Acosta in Bull q.48. Antonuc. in Catechis. Neap. lib 1.c.25.n.15. Sanchez in sum.to.2.lib.6 c 17.nu.43. Miranda in man prælto.2.q.13.art.11.concl.3. Parisius de resign. Benef. lib.8.q.1.nu.213. Zerola in praxi Episc.p 1. ver. irreg.nu.13.p.2. eodem ver.n.7. Llamas in sum.p.1.cap.12.§.35. Beia p.1.cas.27. Zecchius de cas. reser. cas.1. de irregul.nu.40. Graffius de cas. reseru. lib.2.c.17.n.35. Sanclarellus de Iubil.c.7.dub.5. Chapeuila de cas. reser. p.1.c.4.dub.5. Toletus lib.1.c.85.n 7. Suarez in 3.p. to.5.disp.40.sect.3.n.3 Fillucius to.2.tr.11.c.1.n.9. Reginaldus to.2.lib 30.tr.2.c.3.sect.3.n.24. Molina de iust.to.4.tr.3.disp.80. Henriquez lib.14.c.17.n.4. in Gloss. litt. L.

Et ratio est. Primò, quia irregularitas non est censura, vt patet ex cap. quærenti, de verb. significat. Ergo non includitur sub nomine censuræ in nostra Bulla. Secundò, quia Bulla vtitur his verbis, *vt possint absoluere a censuris*, &c. sed irregularitas non absoluitur, sed dispensatur. Ergo, &c. Tertiò, quia ita habet stylus curiæ, qui nunquam sub nomine censurarum, includit irregularitatem. Cæteras rationes vide apud citatos DD.

Secunda opinio affirmat, & docet Confessarium per Bullam Cruciatæ, posse dispensare in omnibus irregularitatibus proueniem-

uenientibus ex delicto. Hæc sententia, vt obseruat Ioann. de la Cruz vbi infra, est communis in schola Diui Thomæ, & illam docuit in Academia Salmantina, Canus, & Orellana viri eminentissimi, vt obseruat Vegha vbi infra, & postea illam etiam docuerunt Salonius, Aragon, & Bannez, in 2.2.q.64.art.8. Medina in p.2.q.99.art.4.Ledesma in sum.to.1.tr.de censc.1. concl.4. Corduba de indulg.lib.5.q.43.dub.4. Fernandez in Exam. Theol.mor.p.3.c.9.§.14.n.1. Vegha in spec.Curat.to.2.c.12.n.323.& in summ.tom.2.c.15.cas.8. Ludouic.Carbo de legib.li.8. disp.5. Carrillo in itinerar. ordinan.sect.4.nu.8. Guttierr.in qq. Canon.lib.1.c.37.n.6. Naldus in sum.ver irregularis, n.25.& ex Societate Iesu Ioan.Salas de legib.tract.15.sect.1.concl.2.n.16. cum Soto in 4. dist.22.q.3.art.1. & Nugno in 3.p.to.2. tract. de Bulla, §. vlt.

Et ratio est, quia aliquæ irregularitates prouenientes ex delicto, dicuntur verè pœnæ, & censuræ, valut est illa, quam contrahit celebrans, vel suscipiens ordines in excommunicatione maiori, & similia. Patet hoc ex verbis, quæ habentur in multis Bullis, vt videre est in Bulla Pij IV. anno 1561. in qua conceditur confessario facultas absoluendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, & subditur, [y de todas las censuras, y penas Ecclesiasticas.] Distinguunt igitur supradicti Doctores inter irregularitates; nam vel irregularitas, vt dictum est, imponitur pro delicto, vel imponitur propter significationem, & indecentiam, qualis est illa, quæ ex bigamia, vel ex sanguinis effusione incurritur. Primam irregularitatem per Bullam putant esse dispensabilem, secundam minimè.

Quid ego sentiam, dicam breuiter; Prima opinio negatiua est probabilior; Secunda affirmatiua, est probabilis, & ita illam vocauit nouissimè vir doctissimus Io. de la Cruz in direct. consc.p. 2.tract.de irregul.dub.15.conclus.2. & Rodriquez in Bulla, §.9. num.19. asserit, quod sine scrupulo[puede ser aconsejada, y seguida.] Vnde si aliquis illam tenere vellet, posset ad argumenta contraria sic respondere.

Ad primum distinguendo, nam si loquitur de irregularitatibus propter indecentiam incursis verum est, quòd non includuntur sub nomine censurarum, secus autem si loquitur de irregularitatibus ex delicto prouenientibus, nam sunt veræ censuræ, vt dictum est.

Ad secundum respondet Vegha in speculo vbi sup. sic afferens. [A cerca de la irregularidad, que propriament es pena por culpa, bien puede el confessor vsar deste verbo, *Absoluo*, y de suerte que diga. *Ego te absoluo ab omni censura irregularitatis*, ùnò quedaria neciamente *dispenso tecum super irregularitate*, si no es que a caso por especial commission del Prelado, le aya sido cometida dispensacion, como lo dizen Bañez, y Orellana;] Aliam solutionem huius argumenti inuenies apud Salonium.

Ad tertium respondet idem Salonius, non repugnare nostræ sententiæ stylum Curiæ Romanæ, quia Bullæ valent, quod sonant, aliquin deciperentur fideles à Papa, quod nefas est suspicari; & irregularitates, de quibus loquimur, sunt censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ. Vel melius respondendum est, vt in simili casu respondit Fagundez Societatis Iesu Theologus de præcep. Eccl.tr.2.lib.8.c.8.num.38. quod stylus Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate contrariæ sententiæ, non autem tollit probabilitatem alterius.

Notandum est verò cum Salonio vbi sup. concl. vlt.ad arg.6. quòd talis sententia procedit etiam quoad alias Bullas, in quibus solum dicitur, vt possit confessarius absoluere à censuris, & non additur vox illa *à pœnis Ecclesiasticis*, nam vt constat, huiusmodi irregularitates reuera sunt censuræ, cum Pius IV. vt supra diximus, in sua Bulla asseruerit, posse confessarium absoluere à censuris, suspensionibus, & interdicto, [y de otras qualesquier censuras, y pena,) nec possit reperiri præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum aliqua alia censura quam irregularitas nullo modo negari potest irregularitates aliquas esse censuras.

An Confessarius possit absoluere pœnitentem ex vi Bullæ pluries à casibus Summo Pontifici reseruatis.

RESOL. XXVIII.

Respondent communiter negatiuè. Ita Fernandez in exam. Theol.mor.p.3.c.9.§.9.nu.1. Villalobos in sum.to.1.tr.27. claus.9.§.2.n.5.Ledesma in sum.to.1.tr. de pœnit.c.13. concl.2. dub. 1. & alij.

Non reticeam tamen hic celebrem sententiam doctissimi Theologi Thomę Sanchez in summ.tom.1.lib.4 c.54.n.2.asserentis, casus Summo Pontefici reseruatos occultos tamen, posse à Confessarijs absolui non semel tantum, sed toties, quoties. Ratio est, quia Bulla casus Pontifici reseruatos excipit, ne liceat ab illis absoluere toties quoties. Sed quando hi casus sunt occulti, iam non sunt casus reseruati Summo Pontifici, sed iure ordinario, & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali. Cum ergo Bulla concedat absolutionem à reseruatis Episcopo toties quoties, largitur etiam absolutionem ab his reseruatis occultis, quia per Concilium Tridentinum iam amplius non sunt Papales, sed Episcopales; quia licèt casus Papales non desinant esse tales, eo quòd Pōtifex illos aliquoties concedit Episcopo, imò, etsi semper concedat eos Episcopo speciali. At desinerent esse Papales per generalem Constitutionem, concedentes eos in perpetuum cuilibet Episcopo. Sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c.

Hæc doctrina est valde notanda, quia celebris, & non passim obuia. Itaque ex sententia Sanchez, Confessarius per Bullam Cruciatæ potest absoluere quoscumque casus Summo Pontifici reseruatos non semel, sed toties, quoties, dummodo tamen sint occulti, quia vt tales desinunt esse Papales, & sunt Episcopales, licèt contrarium asserat Henriquez lib.6.capit.14. numero 7. in fine, & Bannez in secunda secundæ quæst.64. art.vlt. ad finem.

Quoniam Confessarij virtute Bullæ Cruciatæ possint absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, heresi excepta; semel in vita, & semel in morte, quærendum est breuiter de aliquibus casibus inclusis in dicta Bulla. Ideo quæritur quid dicendum de alijs casibus positis in primo canone Bullæ Cœnæ, an includantur sub nomine heresis, ita vt per Bullam Cruciatæ minimè possint absolui?

RESOL. XXIX.

Non posse absolui docet Fernandez in Examin. Theolog. Moral.p.3.c.9.§.16.sect.1.nu..... Turrian.in 2.2. to.1.disp. 56.dub.2. Alterius de cens.to.1.lib.8. c. 19.q.2. Azorius to.1.lib. 8.c.19.q.2. & Ledesma in sum.to.2.tract.1.cap.6. in fine, vbi sic asserit.(Hase de aduertir, que de baxo de nombre de heregia, se comprehenden los que sauorecen, ò encubren los hereges, los que se apartan de la obediencia de los Pontifices Romanos, ò tienen libros prohibidos, ò los leen. Porque todos estos casos, estan reseruados en España a los Inquisidores, y ningun sacerdote los puede absoluer por la Bulla, ò Iubileo.] Putant igitur supradicti authores omnes casus contentos in primo Canone Bullæ Cruciatæ, inclusos esse sub nomine hæresis. Sed cum victute Bullæ Cruciatæ hæresis non possit absolui, neque poterunt & illi.

Hæc opinio est probabilis. Sed contraria non caret etiam probabilitate, & illam docent Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c.12.n.12. Portel in addit. ad dubia Regul.ver. libri prohibiti, n. 14. Riccius in addit. ad Bullam Cruc. Rodriq.p.1. §.9. sect. 3.n.95. Duard. in Bull. Cœn. lib.3.§.2.q.8.n.8.& seq.11. n.47. Henriq.lib.6.c.17.nu.2. in Gloss. litt.I. Farinac. de Hæresi, q.180. nu.8. Suarez tract. de fide, disp.24. sect.1.n.11.& alij, qui omnes docent, si supradicti verè hæretici non sint, posse per Bullam Cruc. absolui: nam solum excipitur hæresis formalis. Ergo, &c.

Quanam paruitas materiæ excuset ab excommunicatione legentis libros hæreticos, & an legentes sint absoluendi per Bullam Cruciatæ?

RESOL. XXX.

Pater Sanch. in sum. to. 1. lib. 2. c. 10. nu. 31. de hac materia loquens sic ait. Ego credo vnam solam paginam, quamuis liber sit ex voluminibus maioribus, non sufficere, sed maior quãtitas ea pagina voluminis maioris (vulgo *de marca mayor*) sufficiens erit. Hanc opinionem non potest probare Suar. tract. de fide disp. 20. sect. 2. nu. 2c. Bonacina de cens. disp. 2. q. 5. punct. 4. n. 13. cũ Molfesio in 3. p. lib. 3. c. 1. n. 49. quia in ea lectione multũ potest esse periculi. Oportet ergo, vt nimis breuis, nec multarũ linearum sit lectio, vt excusationem paruitatis materiæ admittat. Sed supradicta Sanchez opinio approbatur à nostro Duardo in explic. Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 46 nu.... Filliucio to. 2. tra. 22. c. 7. n. 204. & nouissimè a Laurentio Portel. in addit. ad dub. regul. ver. libri prohibiti, nu. 7. in fin. & in hanc sententiam inclinat Layman lib. 2. tract. 1. cap. 16. num. 5.

Sed etiam, si talis incurreret in excommunicationem dictæ Bullæ Cœnæ, latam contra legentes libros hæreticorum, puto per Bullam Cruciatæ absolui posse, dummodo hæretico animo id non faciat. Et ita in terminis, præter DD. citatos in super. Resol docet Acosta in expl. Bull. Cruc. q. 73. concl. 4. Portel. in addit. ad dubia reg. ver. libri prohibiti, n. 14. Riccius in add. ad Bull. Cruc. Rodriq. p. 1. § 9. sect. 3. n. 100. quicquid in contrarium afferat Rodriquez, & alij.

Sed de libris magicis non est dubitandum, vt docet Delrius in disq. p. 3. lib. 5. sect. 17. & Raphael de la Torre in 2. 2. tomo 2. q. 96. art. 4. disp. 3. in fi. quia sicut chiromantici, & magi nõ comprehenduntur sub nomine hæreticorum, sic eorum libri hæretici iudicandi non sunt, vt notauit Sousa in Bull. Cœn c. 1. dispur. 13. concl. 1. Bonacina de cens. disp. 2. punct. 3. n. 4. Alter de cens. to. 1. lib. 5 disp. 2. c. 7. fol. 472. ca. 2. & alij.

Notandum est etiam, quòd paruitas materiæ, non solùm datur, vt diximus, in legentibus, sed etiam in retinentibus libros hæreticorum. Et ita si aliquis per duos dies non consignaret Inquisitoribus dictos libros non incurreret in excommunicationem. Ita Sanchez in sum. lib. 2. cap. 10. n. 55. & Duardus in expl. Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q 51. nu. 33. & alij.

An qui legit librum hæretici, qui non tractat de religione ex professo, neque continet multas hæreses, sed vnam tantum, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita vt per Cruciatam sit absoluendus.

RESOL. XXXI.

Non incidere in censuram Bullæ Cœnæ putauit Sayrus de cens. lib. 3. c. 5. n. 12. & Graffius in decis p. 1. lib 4. c. 18. n. 40. & 42. quia vt incurratur excommunicatio Bullæ, necesse est, vt liber ex professo de religione tractet, aut de hæresi; non autem si tractet de alijs rebus, & obiter dicat aliquam hæresim.

Hanc autem sententiam reprobat Sanchez in sum. to. 1 libro 2. c. 10. nu. 34. qui citat Suarez, & idem docet Bonacina de cens. disp 2. q. 5. punct. 4. n. 19 cum Altero in Bull Cœn. tom. 1. disp. 2. lib. 5. c. 9. fol. 470. in fin. Portel. in add. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, nu. 8. quia Bulla solum requirit, vt liber hæresim contineat, quod quidem verificatur si vnicam tantum contineat. Et ideò stante hac opinione, taliter legentes sunt per Bullam Cruciatæ absoluendi.

Non reticeam tamen Filliucium to. 2. tra. 22. c. 7. num. 204. & etiam Sousa ex Prædicatorum familia, primam opinionem cõtra Suarez, & Sanch. docere, & ideò in Expos. Bull. Cœn. disput. 13. c. 2. concl. 2. sic afferit: Qui legit, licèt absque fedis Apostolicæ licentia, hæreticorum libros, qui ex professo hæresim non continent, vel de religione non tractant, quamuis hæresim aliquam contineant, per hanc Bullam non excommunicatur. Ita ille, & probat hanc sententiam multis rationibus, quæ apud ipsum videri possunt. Hæc sententia videtur probabilis, licèt contraria sit probabilior.

An qui legit aliquem librum authoris Catholici, sed cum Scholijs, & Commentarijs hæreticorum tam copiosis, vt liber potius ex ijs, quam ex textu constare censeretur, incidat in Bullam Cœnæ, & per Cruciatam sit absoluendus.

RESOL. XXXII.

Affirmatiuam sententiam docuit Pater Suar. in 3. p. tom. 5. disp. 21. sect. 2. num. 10. sed nimis scrupulosè in hoc loquitur, & ideo non sequendus, vnde meritò illum reprobat Sousa in expos. Bull. Cœn. ca. 2. disp. 13. concl. 3. num. 7. & alij, nam reuera liber authoris Catholici, licet comentarios copiosos alicuius hæretici habeat, semper nuncupatur liber authoris Catholici, à quo in lucem editus est, & non liber hæretici commentantis.

An qui non per se ipsum, sed per alios legit aliquem librum hæretici, hæresim continentem, seu ex professo de religione tractantem, incurrat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam sit absoluendus.

RESOL. XXXIII.

Incurrere in dictam excommunicationem putauit Alterius de cens. tomo 1. disputat. 2. lib. 5. cap. 6. fol. mihi 470. column. 2. quia in nostro casu putat specialiter per se ipsum legere, qui per alium legit. Idem docet Sayrus de cens. libr. 3. cap. 5. num. 14. & Graffius in decis. part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 34. & Azorius p. 1 libro 8. cap. 6. quæst. 4. & nouissimè Layman, lib. 2. tract. 1. capit. 15. num. 6. Megala in 3. part. lib. 3. cap. 1 num. 38. Reginaldus in praxi tom. 1. libr. 9. c. 14. nu. 250. & 251. Suarez tract. de fide disput. 20. sect. 2. nu. 19.

Sed contrariam sententiam docet Filliuc. to. 1. tr. 16. cap. 5. num. 45. & to. 2. tr. 22. cap. 7. num. 207. Sousa in Bulla Cœn. c. 2. disp. 14. num. 4. Duard. in expos. Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 48. n. 5. Sanch. in sum. to 1. lib. 2. c. 10. n. 48. Bonac. de cens. disp. 2. qu. 5. punct. 4. n. 11. qui male pro hac sententia citat Reginaldum, nam contrariam docet.

Sed hanc sententiam tenet etiam Portel. in Add. ad dub. reg. ver. libri prohibiti, n. 11. vbi sic afferit. Non incurrit censuram Bullæ, qui audit legere librum hæreticum, audire enim non est legere, & verba legis pœnalis sunt accipienda in significatione propria, & stricta. Et hoc verum censeo etiam, si is qui audit legere, induxerit legentem, vt legeret; nam inducere vt aliquis legat, non est legere. Et censura posita contra facientem non ligat consulentem, nisi id exprimatur in illa Bulla, contra consulentem, vt tales libri legantur. Incurrere verò censuram, famulus legens ex mandato heri, nisi ignorantia excusetur. Ita Portel. & ante illum Sanctarellus tract. de Hæresi, cap. 13. dub. vnico, n. 8. Scottia in Bullis Pontificijs Epitome 166. Theorem. 410. Vgolinus in Bull. Cœn. can. 1. ver. ac eorumdem lib. 5. 1. nu. 4. At his non obstantibus ego puto non esse recedendum à prima sententia affirmatiua.

Nota verò, quòd si dictus famulus fuerit compulsus ad legendum librum hæreticum in contemptum fidei, & hoc faceret secundum Bonacinam vbi supra, & alios, non solum peccaret mortaliter, sed in excommunicationem Bullæ incideret; sed quoad excommunicationem, negat noster Duardus loco citato nu. 151.

Vtrum qui legeret Epistolam, seu litteram missiuam alicuius hæretici, in qua aliquam hæresim doceret, in hanc excommunicationem incurreret, vnde virtute Cruciatæ absoluendus sit.

RESOL. XXXIV.

Incurrere talem epistolam legentem, excommunicationem Bullæ Cœnæ mordicus defendit noster Megala in 3. part. lib. 3. cap. 1. nu. 55.

Sed contrarium docet Sanch. in summ. tom. 1. libr. 2. cap. 10. n. 29. vbi ait. Credo non incurrere in excõmunicationem legẽtem, aut retinentem, aut imprimentem epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, nec in tractatus formam reda-

redactam. Quod hæc in communi, & vsitato loquendi modo minimè dicantur libri; nec militat eadem ratio, quæ in libris. Hi enim multo amplius extenduntur, atque diutius permanent. Ita Sanchez, quem postea secuti sunt Portel, in addit. ad dub. Regul. vet. libri prohibiti, nu. 7. & Sousa in expl. Bull Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 55. nu. 11. Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. cap. 15. nu. 3. & alij.

An qui legerit librum hæreticum in Gallia, Anglia, & alijs Prouincijs, vbi Bulla Cœnæ non est recepta, incidat hoc non obstante in excommunicationem, & egeat Bulla Cruciatæ, propter absolutionem.

RESOL. XXXV.

AFfirmatiuè respondet Megala in 3. p. lib. 3. cap. 1. n. 60.

At contrarium docet Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. c. 10. n. 4. qui citat Azorium, & contra rationem Megalæ vide Becanum in summ. Theol. tract. 3. c. 6. q. 8. num. 4. in fin. vbi docet ex communi Doctorum sententia in Germania excusari multos, & non incidere in excommunicationes Bullæ Cœnæ, quia in multis locis vsu recepta non est.

Vtrum idiota legens librum hæreticum Latina lingua compositum, quam ipse nullo modo intelligit, incidat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam sit absoluendus?

RESOL. XXXVI.

AFfirmatiuè respondet Megala in 3. p. li. 3. c. 1. n. 45. quia Bulla non spectat finem, sed factum ipsum.

Sed negatiuam sententiam docet Sanchez in summ. to. 1. li. 2. capit. 10. num. 51. quia hic casus à principio non fuit inclusus in lege. Laurentius verò Portel in addit. ad dub. Regul. ver. libri prohibiti, num. 11. non audet hoc consulere, sed addit, quod qui id fecerit, habebit authorem Sanchez; in quibus verbis demonstrat hanc sententiam esse probabilem, sicuti reuera probabilissima est, & tuta in praxi, & illam præter Sanchez docet etiam Filliucius tom. 2. tra. 22. c. 7. nu. 207. & Suarez tract. de fide, disp. 20. sect. 2. num. 18. vbi sic asserit. In primis circa qualitatem necessarium est, vt non tantum sit exterior lectio, sed cum intelligentia verborum: nam si quis ignorans prorsus linguam Latinam, vel eam, in qua liber scriptus est, illum legat, non incurret censuram, nec per se loquendo mortaliter peccabit: quia illa non est formalis, nec vera lectio, sed tantum materialis, & præterea ibi cessat ratio legis; quia neque periculum inde imminet, nec est communicatio cum hæretico in doctrina, & in hoc omnes conueniunt. Ita Suarez. Vnde negandum est, id quod dicit Megala, nempè Bullam non spectare finem, sed factum.

An qui intelligens aliquem librum esse hæreticum, comburendo illum, & non Inquisitoribus tradendo, incurrat in excommunicationem huius canonis?

RESOL. XXXVII.

REspondeo, quòd communiter Doctores docent, aliquem non posse propria authoritate libros tales comburere, sed teneri illos deferre ad Inquisitores. Ita Suarez tract. de fide, disp. 20. sect. 2. num. 23. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 11. Delrius disquis. Magic. tom. 3. lib. 5. sect. 17. Farinacius de hæresi, q. 180. num. 40. Barbosa de potest. Episc. p. 3. Alleg. 90. nu. 5. Sousa in Bull Cœn. c. 2. disp. 15. concl. 3. n. 4. Homob. de Exam. Eccles. p. 1. tract. 7. c. 2. quæst. 12. & par. 2. tract. 11. c. 7. quæst. 15. resol. 2. Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. quæst. 52. num. 1. Cherubinus in compen. Bul. to. 2. const. 76. Pij V. Schol. Riccius p. 4. dec. 255. n. 4. & decis. 260. nu. 7. Alterius de cens. tom. 1. disp. 2. libr. 5. cap. 7. & alij, qui fundantur in quadam Constitutione Iulij III. qui hoc videtur præcipere.

Sed non reticeam, contrariam sententiam docere Zanchinum in tract. de hæreticis, cap. 7. num. 7. & Repertor. Inquisitorum. ver. libri, & Filliuc. to. 2. tr. 22. c. 7. nu. 208. vbi excusat comburentes propria authoritate, tradentes illis, qui dictos libros legere possunt, quòd antea etiam docuerat in tom. 1. tract. 16. c. 3. n. 45. & hanc opinionem referens Bonacina de cens. disp. 1. q. 5. punct. 4. n. 20. in noua editione non improbat, & ideò videtur illam admittere, & multi ex authoribus citatis, vt Alterius, & Antoninus Ricciullus in tract. de iure personarum, libr. 5. c. 24. n. 2. & Campegius in Addit. ad Zanchinum de hæret. cap. 7. n. 7. contrariam sententiam, quam ipsi tenent, vocant tantum veriorem, & tutiorem. Ergo secundum dictos Authores sententia Filliucij est probabilis.

Sed quicquid sit de peccato, vt benè notat Portel. in Addi. ad dubia Regul. ver. libri prohibiti, num. 13. certum est illos, qui libros hæreticos comburunt propria authoritate, non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia tales libros comburendo illos non retinet. Et ita etiam docet Sanchez in sum. to. 1. li. 2. cap. 10. n. 56. & Suarez vbi suprà, tract. de fide, disp. 20. sect. 2. nu. 23. & alij.

An imponentes gabellas super rebus, quæ ad proprium vsum, vel familiæ emuntur, incidant in excommunicationem Bullæ, & per Cruciatam sint absoluendi.

RESOL. XXXVIII.

PRima opinio affirmat, & ita docet Toletus libr. 5. c. 74. quia dictæ Gabellæ sunt iniustæ, vt notat Caietanus in sum. ver. vectigal. Tabiena eodem ver. num. 4. Angelus ver. Pedagium, n. 2. Armilla ver. Gabella, num. 2. Ledesma 2. 4. q. 18. art. 3. Medina in p. 2. q. 96. art. 4. Beia p. 1. cas. 13. Gabriel in 4. dist. 15. q. 5. concl. 2. litt. Z cum alijs. Probatur ex l. vniuersi, C. de vectigalibus, vbi pœna capitis imponitur his, qui de rebus ad proprium vsum necessarijs vectigalia exigunt. Et in l. omnium, C. de vectigalib. determinatur, vt Gabellæ tantùm imponantur, vel exigantur pro rebus, vel ex rebus mercimonij, & negotiationis causa asportatis, vel delatis.

Deinde supradictas Gabellas iniustas esse patet, quia in illis pauperiores ita onerantur sicut diuites, quod est contra iustam formam tributi, quæ efficit vt vnusquisque soluat iuxta proportionem suarum facultatum. Imò plus soluunt pauperes, quàm diuites, nam panem, vinum, oleum, &cet. frequentius emunt pauperes. Ergò plus persoluunt, quam diuites. Et tandem ex istis tributis æquè grauantur peregrini, ac incolæ, cum tamen causa ad peregrinos non pertineat.

At his non obstantibus placet mihi sententia Suarez de legibus lib. 5. c. 16. Turriani in 2. 2. to. 2. disp. 44. dub. 3. n. 4. qui multos alios citat, & Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 7. art. 3. dub. 1. concl. 1. & aliorum asserentium dictam Gabellam esse iustam, quia seruatur in illa quantum fieri potest æqualitas. Nam licet pauperes plures habeant aliquando filios; tamen communiter qui pauperes sunt, minùs emunt ex his rebus, quæ ad vitæ vsum sunt necessariæ, quam diuites. Deinde, vt notat Maldetus in 2. 2. tr. 5. c. 6. dub. 6. licet pauperes in his gabellis æquè contribuant, ac diuites, aut etiam an plus, hoc ipsum tamen a ditioribus compensatur; quo enim cariora sunt, quæ ad communem victum pertinent, eo solent carius vendi opera, quæ pauperiores in Republica præstant.

Adde quòd, vt optimè notat Molina, & alij, vectigalia, quæ ex mercibus soluere coguntur mercatores, non tam redundare in grauamen, ac sumptus ipsorum, quàm in grauamen eorum, qui illas ex ipsis sunt empturi, mercatores quippe, quo carius emunt merces, quas asportant, & quo plura tributa ex eis soluunt, eo carius eas vendunt. Quo fit, vt grauamen eiusmodi magna ex parte redundet in populos, seu in emptores earum mercium, & non in mercatores, licèt emptores, & populus id non consideret. Quo fit vt quæ inæqualitas obijcitur ex eo, quòd tributum soluatur ex his rebus, quæ asportantur, emuntur, aut venduntur, ad subleuandam propriam necessitatem, cessat, & accidat similiter in eo, quod mercatores vectigalia soluant ex rebus, quas asportant, emunt, aut vendunt negotiationis causa; quando quidem hæc ipsa tributa tandem soluunt, quia eas res emunt ad subleuandam propriam necessitatem.

Et tandem, ex impositione dictarum Gabellarum minora sunt murmura, quàm essent in censu patrimonij, aut capitis; in

æstimat-

æstimando enim cuiusque patrimonio multum odij, multum etiam deprauati iudicij incurritur: deinde oportet multos esse officiarios ad exigendum, quorum stipendia multum augent tributum, & per huiusmodi tributa super potulenta, & esculenta, seu similia cum perminuti in soluatur Reipublicę subsidium, insensibile quodammodo est detrimentum soluentium. Itaque publicæ commoditatis gratia, meritò talia vectigalia debent tolerari; & licita sunt.

Ex quibus omnibus apparet, secundum hanc sententiam, posse Principem, seu Rempublicam imponere vectigalia non solùm in his, quę negotiationis causa venduntur, siue emuntur; sed etiam in his, quę venduntur, aut emuntur, vt necessaria ad vitę vsum; verùm est, quòd supradicta sentẽtia recipitur à multis, & probabiliter quidem, cum aliquibus conditionibus, & non aliter; quas conditiones ponit Lessius lib. 2. c. 33. dub. 7. nu. 51. Reginald. in praxi to. 1. li. 10. c. 25. n. 377. Molfesius in summ. to. 2. tra. 12. c. 12. nu. 96. Faustus in spec. conf. disp. 33. q. 22. nu. 4. Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. c. n. 3. Tannet. in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 12. n. 345. & alij.

Restat modo respondere ad argumenta contrarię sententię. Ad primum respondet Turrian. l. cap. n. 5. illam legem non esse dispositionem iuris naturalis, sed positiui, & ideo mutari potest, solumque obseruatur, vbi leges iuris communis obseruantur. Adde quod, vt notat Megala in p. 2. lib. 2. c. 17. q. 5. num. 71. nullus potest imponere gabellas, nisi Princeps, seu magistratus, qui in regimine temporalium supremam authoritatem, & regalia, & merum, & mixtum imperium de iure habent, & ab alio nouas leges non recipiunt. Sed hi Principes possunt, & imperiales leges tollere; ergo, & contra dictã legem vniuersi possunt nouas gabellas instituere: & consequenter gabellas sic institutas exigentes, vel imponentes non essent excommunicati. Vel tandem respondendum est dictam legem per contrariam consuetudinem abrogatam fuisse, vt testatur Graffius in decis. p. 1. lib. 4. c. 18. nu. 82. & Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 5. q. 5. n. 6. cum alijs DD. supracitatis.

Ad secundum argumentum patet responsio ex dictis; quibus adde, cum pauperes paucis soleant esse contenti, & modico viuere, pauca vendunt, & emunt, & consequenter modicum soluunt, attenta quantitate, quam ex tali emptione, & venditione diuites soluunt.

Ad tertium respondetur, quòd peregrini meritò tales gabellas soluunt: nam, & in sua patria vicissim ex hac republica peregrinos similiter ipsi tractant, & ita docuit Malderus in 2. 2. tr. 8. c. 6. dub. 6. & alij.

Notandum est verò, quòd stando in contraria opinione, nempè supradictas gabellas esse iniustas, tamẽ non desunt Doctores, qui tali casu illas imponentes non incurrere in excommunicationem Bullæ asserant. Et sic notauit Sayrus de cens. lib. 3. cap. 9. num. 6. & alij, qui putant imponentes gabellas solùm incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ex defectu causæ efficientis; nempe si non habeant potestatem imponendi; non autem ex defectu causæ materialis, vt esset in casu nostro, vel ex defectu causæ formalis, vt si imponerẽtur clericis; vel alijs exemptis; sed vt diximus supra non desunt Doctores, qui contrarium sentiunt, videlicet posse aliquem in dictam excommunicationem Bullę incurrere, non solum ex defectu causæ efficiẽtis, sed etiam materialis, formalis, & finalis. Et istę opiniones sunt omnes probabiles, non solum ex principijs intrinsecis, sed etiam ex principijs extrinsecis, nam vtraque opinio habet pro se optimos authores.

Sed hæc satis dicta sint de nonnullis casibus Bullæ Cœnæ, ad cognoscendum, vtrum indigeant priuilegio Bullæ Cruciatæ. pergamus modo ad alia dubia circa ipsam Bullam Cruciatæ.

An commutatio votorum facta per priuilegium Bullæ Cruciatæ indigeat aliqua iusta causa.

RESOL. XXXIX.

Respondeo negatiuè cum Portel. in add. ad dub. reg. ver. voti commut. Suar. de relig. to. 2. lib. 6. c. 19. nu. 10. Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 50. n. 19. Fausto in thes. relig. lib. 4. q. 20. num. 7. & alijs. Et ratio est, quia licet ad commutationem voti in ęquale bonum iusta, & debita causa requiratur, vt probant Doctores ex D. Thom. in 2. 2. q. 8. art. 12. in corpore, tamẽ quando aliquod priuilegium, ad commutanda vota, non confertur simpliciter, sed cum aliquo onere ob bonum publicum, vt fit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum; tunc nulla alia est opus causa, quàm conferre eleemosynam in belli subsidium pręscriptam in Bulla, & exequi opera in Iubilęo definita, quia ob talem causam Pontifex id priuilegium concedit.

An commutatio voti facta per Bullam, possit fieri in minus bonum.

RESOL. XL.

Negatiuè respondet Portel. in add. ad dub. reg. ver. vot. com. nu. 59. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 4. Suar. de relig. to. 2. lib. 6. c. 7. & 19. Reginaldus tom. 2. lib. 8. c. 22. n. 352. & Io. de la Cruz in direct. p. 1. præcep. 2. art. 2. dub. 10. conclus. 5. Raphael de la Torre in 2. 2. to. 2. q. 88. art. 12. disp. 4. n. 1. Azorius p. 1. lib. 11. c. 18. q. 6. Beia p. 1. cas. 49. Sayrus l. 6. c. 12. nu. 6. & c. 19. n. 7. & 8. Sotus l. 7. de iust. q. 4. art. 3. & alij, quia licet priuilegium Bullæ sit fauorabile, non est tamen extendendum vltra verborum proprietatem, sed commutatio propriè dicit, & significat æqualitatem. Ergo, &c.

Sed contrariam sententiam, probabiliorem esse puto, quam docet Lessius lib. 2. c. 40. dub. 16. nu. 199. Henriq. l. 7. c. 30. num. 5. Arragon. in 2. 2. q. 88. art. 12. Medina in instr. l. 1. c. 14. §. 7. Leone tr. de Iub. p. 2. q. 12. nu. 64. cum Homobono de exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 6. q. 40. & alij. Et ratio est, quia aliter Bulla nihil operaretur, cum absque tali priuilegio possit Confessarius absque iusta causa in melius authoritate propria, & in æquè bonum cum causa iusta authoritate Prælati. Aliqui verò DD. hanc secundam sententiam affirmatiuam sequuntur in casu, quo Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ commutaret vota in bonum quasi æquale, sed non in longè minus, & ita docet Villalob. in sum. p. 1. tr. 27. claus. 9. §. 3. nu. 39. & alij.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, possit quemadmodum vota, ita etiam iuramenta facta circa eamdem materiam votorum commutare.

RESOL. XLI.

Negatiuè respondet Azorius to. 1. li. 11. c. 10. quæst. 2. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 12. num. 60. & 62. Bartholom. à S. Fausto in thes. relig. lib. 4. q. 41. n. 1. & alij. Ratio est, quia iuramenti vinculum est specie distinctum à voto. Ergo priuilegium Bullæ Cruciatæ concessum ad commutanda vota, non extenditur ad commutanda iuramenta.

Sed cõtrariam sententiam probabiliorem esse iudico, quam docet Portel. in add. ad dub. reg. ver. voti cõmut. n. 98. Fernand. in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. n. 2. Filliuc. to. 2. tr. 26. c. 9. nu. 254. Suar. de rel. to. 2. lib. 6. c. 14. nu. 6. Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 53. nu. 8. & alij penes ipsos. Dico igitur, quod quando in Cruciata, seu Iubilæo conceditur commutatio ad vota, non exprimendo iuramenta, potest etiam commutari iuramentum, quod soli Deo factum est. Et ita etiam nouissimè docuit Leone tr. de iubil. p. 2. q. 12. num. 68 & seq. Molfesius in sum. to. 1. tr. 11. c. 15. n. 203. & Villalobos in summa, to. 1. tr. 27. claus. 9. §. 3. num. 29. vbi sic asserit. [Puede por la Bula el Confessor commutar los iuramentos, porque quando se concede facultad de commutar el voto, se concede el commutar la obligacion que se adquiere a solo Dios, como a creder virtud de la Religion, y la misma obligacion se adquiere a Dios por el iuramento que a el se haze immediatamente que por el voto, y ansi la facultad de dispensar en el voto, se estiende a la del iuramento, porque conforme al derecho lo que se dispone en vna de dos cosas que se equiparan, es iusto disponerse en el otra.] Ita ille. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententię, quia cum tam voti, quam iuramenti præstiti obligatio soli Deo acquiratur, sequitur, quòd facultas circa vota, extenditur etiam ad huiusmodi iuramenta.

Notandum est verò, quod hæc sententia non procedit in casu, quo iuramenta adiecta sint contractu; in quo est turpitudo, & iniustitia in creditore, vt ad iuramentum factum homini de soluendis vsuris, aut metu extortum, &c. Ita Sanchez vbi suprà n. 13. Suarez eodem num. quibus adde Bartholom. à S. Fausto in thes. relig. lib. 4. q. 52. Sanctarellum & Molfesium vbi supra, licèt

contrarium asserat Barthol. Ledesma de Sacr. tr. de matrimo. dub.13.& Rodriq.in sum.p.1.c.231.n.4.& c.244.n.4.

An confessarius, qui per Bullam Cruciatæ habet potestatem commutandi vota, possit illa dispensare?

RESOL. XLII.

Minimè respondet Fernandez in Exam. Theol.p.3, capit.9, sect.2.§.17 n.6.Et ratio est,quia maior potestas requiritur ad dispensandum, quam ad commutandum. Et ita etiam docet Pottel.in addit.dub.Reg.ver.voti commut.nu.46. Villalob. in sum.to.1.tr.23.clauf.9.§.5.nu.28. Homobonus de Exam.p.1, tr.5, cap.6, q.40.& alij.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare vota iuramento firmata.

RESOL. XLIII.

Respondet negatiuè Henriquez lib.7.c.30. num.5. Sayrus in Claui Reg.lib.5.c.8.n.9. Filliucius to.1.tract.26.c.9.n.255. Azor.to.1.lib.11.c.10.q.2.& Lessius lib.2.c.40. dub.11.num.94. Ratio est,quia concurrunt duo vincula expressa, quæ certum est esse maiora vno vinculo expresso.

Sanch.verò in sum.to.1.lib.4.c.43.n.18.putat hanc sententiã non esse veram,si iuramentum emittatur tantum ad voti emissi confirmationem;secus autem si præstetur independenter ab illo;& tantum concomitanter;nam in isto casu priuilegium Bullæ non extenditur ad votum, & iuramentum simul concurrentia. Et ita hanc sententiam post Sanchez docuit Villalobos in sum.to.1.tr.27.clauf.9.§.3.n.30.qui citat Rodr.in addit.ad Bul. §.9.nu.111. Ratio est,quia cum sint duo vincula specie diuersa, nec vnum ab alio dependeat, fortiora sunt vno solo, quòd priuilegium Bullæ concedit. Ergo, &c.

Sed licet hæc sententia sit probabilis, non minus probabilis videtur sententia Suarez de relig. to.2.lib.6.c.14.n.19.qui sustinet in vtroque euentu posse Confessarium per virtutem Bullæ commutare vota,& iuramenta; quia licet sint duo vincula diuersa specie at in ordine ad commutationem reputantur quasi vnum, & idem, & eiusdem rationis,nec vnum addit alteri grauitatem intensiuam, sed solum extensiuam, id est plura vincula. Vnde patet responsio ad rationes in contrarium, quia vt diximus.etsi votum, & iuramentum speculatiuè sint duo vincula specie diuersa tamen moraliter in ordine ad Deum, & ad virtutem religionis æquiparantur. Ergo, &c.

An Confessarius peccet, si sine iusta causa nolit virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis.

RESOL. XLIV.

Affirmatiuè respondeo cum Sanchez in sum. tom.1.lib.4.c.54.n.12.qui citat multos alios,quibus ego addo Bartholo, a S. Fausto in thes.relig.lib.4. q.53. & Homobonus de Examin. Eccl p.1.tract.5. c.6,q.40. Ratio est, quia cum Confessarius per Bullam Cruciatæ sit Iudex delegatus in pœnitentis fauorem, tenetur ius ex priuilegio illo sibi concessum tribuere, sicut Episcopus dicitur infidelis in c.quanto 2.qu.5. si deneget dispensationem subdito petenti ex iusta causa.

Notandum est vero,quod Regulares non peccarẽt,si nollent virtute suorum priuilegiorum vota pœnitentis commutare. Ratio est, quia non astringuntur vti suo priuilegio. Ita Sanchez supra cum alijs. Licet non minus probabiliter contrarium asserat Henriq.lib.7. c.28.n.3. cum alijs,quos sequitur Fausl. vbi sup. q.54. addens in fine quæstionis, Confessarios in vtroque casu peccare ad minus venialiter.

An commutatio voti virtute Bullæ Cruciatæ debeat fieri in Confessione Sacramentali.

RESOL. XLV.

Respondet affirmatiuè Fernandez in exam,Theol.mor.p.3, c.9.sect.2.§.17 n.4.Rodriqu.in Bulla Cruciatæ, § 9.n.113, regul.9. & Vegha in sum.to.2.c.129.cas.34. & alij.

Sed contrariam sententiam probabiliorem esse iudico cum Sanchez in sum.to.1.li.4.c.54.n.15.Henriq.l.7.c.33.n 6. & alijs penes ipsos,quibus ego addo Homobonum de exam. Eccl.p.1. tr.5.c.6.q.40. Villalobos in sum.to.1.tract.27.clauf.9.§.3.n.3.& Suarez de relig.to.2.l.6.c.16.nu.4.quia in textu Bullæ Cruciatæ non dicitur, vt auditis confessionibus commutatio votorum efficiatur. Ergo, &c.

Et hæc doctrina procedit etiam quando dicta commutatio efficeretur per priuilegia Regularium,vel per aliquod Iubilæũ. Ita Naldus in sum.ver.indulg.n.8. Henriq. & Sanch.vbi supra: quidquid in contrarium asserat Sayrus in Claui libr.6.c.11.nu. 105.Beta p.2.cas.1. Peregrinus in compend.nostrorum priuil.p. 1.tit.commut.§.3.Sanctarellus trac.de iubil.cap.8.dub.8.& alij penes ipsos.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare votum pœnale,quoad pœnam pecuniariam ex eius fractione incursam.

RESOL. XLVI.

Sententiam negatiuam docuit Azorius p.1. l.11. cap.18.q.11. in fin.& magis expressè Sayrus in Claui Regia lib.6.c.12.n. 20.cum alijs quia aliud est commutare pœnam ea illius fractione debitam. Sed Bulla Cruciatæ solius voti commutationem indulget. Ergò, &c.

Hæc opinio est probabilis, sed contrariã probabiliorem esse existimo cum Raphael de la Torre in 2.2.to.2.q.88.ar.12.disp. vlt.n.4.Sanch.in sum.tom 1.lib.4. cap.52.num.9. qui citat Suarez de relig.tomo 2.lib.6.c.2.num.19.cui ego addo Leonem de Iubil.p.2.quæst.12.nu 74 Homobonus de exam. Eccl.p.1.tract. 5.c.6.q.36. Maldeium in 2.2. tract.10.cap.5.dub.11. Filliucium tomo 2.tr.26.c.10.n.295.Io de la Cruz in director. consc.par.1. præcep.2.art.2.dub.10.conc.3. Villalob.in sum.to.1.tr.27.clauf. 9 §.3.num.32, vbi sic ait: [Tambien se puede por la Bula de la Cruzada commutar la pena en que se incurre, por quebrar el voto penal, como se vno iutò de no iugar,y se iugasse de dar tal limosina,ò diziendo so pena de dar tal limosina,porque à quella pena se deue por via del voto, y como el Pontifice concede faculta d a cerca de los votos, tambien la concede en estas penas.] Vnde patet responsio ad argumentũ contrariæ opinionis. Nam dicimus, quod pœna non debetur nisi ea vi voti, quod à principio obligauit ad illam. Ergo facultas per Bullam Cruciatæ concessa ad commutandum illud votum, extendit etiam ad pœnam incursam ob violationem ipsius. Et hæc sententia procedit,etiamsi Pontifex commutauerit votum,iubendo partem pœnæ solui, nam potest etiam dicta pars commutari.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ, possit commutare votum emissum in fauorem tertij, vt v.g. vouit Petrus dare Calicem pro sacello B. Andreæ, aut certo pauperi eleemosynam, &c.

RESOL. XLVII.

Respondeo affirmatiuè cum Suarez tomo 2.de relig.lib.6.c. 15.num.11.& Sanchez in sum.tomo 1.lib.4.cap.41. nu.9. Leone de Iubil.p.2.quæst.12.n.72.Filliucio to.2.tract.26.c.9.nu. 257. Io. de la Cruz in director. consc.p.1. præcept.2.art.2. dub. 10.conclus.2. Ratio est, quia tale votum non tribuit vllum ius illi Ecclesiæ, seu pauperi. Ergo poterit illud Confessarius commutare.

Secus autem si huiusmodi votum fuerit à Præposito Ecclesiæ, vel paupere acceptatum; nam ita acquisiuissent ius per acceptationem. Vel secundum aliquos, si votum dirigatur in sanctum, cui dicatur Ecclesia,vt promitto B.Andreæ me daturum eius Ecclesiæ vnum calicem.

Sed hanc limitationem rectè impugnat Sanchez vbi supra num.12. Suarez num.10. cum Lessio lib.2.c.40. dub.nu.90. & Barthol. à S.Fausto in thes.Relig. lib.4.quæstion.52. cum alijs.
(?)

An

An Confessarius ex iurisdictione ordinaria possit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendum indigeat Bulla Cruciatæ.

RESOL. XLVIII.

NOn posse hoc facere, nisi per potestatem delegatam, vt per Bullam v.g. docuit Sanchez in sum.to.1.lib.4.c.49.nu. 13.cum Suarez de relig.to.2.lib 6.c.19. n.6. Ratio est, quia potestas ordinaria Confessoris extenditur tantum ad forum pœnitentiæ, ad quod commutandi potestas non pertinet, sed ad Ecclesiæ gubernationem in foro externo.

Non reticeam tamen, contrariam sententiam docere Lessiũ l.2.c.40.d.16.n.105. qui citat Viualdum in Candelabro Aureo; Adde quod Medina in instr.conf.l.1.c.14.§.7. Henriq. in sum.l. 7.c.30.n.5.& alij, putant hoc fieri posse, etiam authoritate propria pœnitentis, dummodo votum in æquale commutetur. Quam sententiam probabilem vocat Arragon.de iust.q.88.art. 12.dub.1.dist.3.& Suarez vbi suprà de rel.to.2.libr.6.c.20.nu.4. & alij, vocantes tantum contrariam probabiliorem, & tutiorē, quam tenent præter DD. quos citat, & sequitur Sanchez vbi suprà. Barthol.à S.Fausto in thes.Relig.lib.4.q.10.n.3.

An Confessarius virtute Cruciatæ, commutans aliquod votum, absque debita æqualitatis inuestigatione peccet mortaliter.

RESOL. XLIX.

AFfirmatiuè respondeo cum Sanchez in sum. to.1. libr.4. c. 50.nu.18. quia deficit in re graui, & est causa diuini cultus minuendi. Ergo, &c. Et licèt hanc æqualitatem inuenire difficillimum sit, & impossibile reputet Rodriquez in Bull.Cruc.§. 9.num.106. vnde, & benè consulunt Doctores, vt semper commutatio efficiatur in paulò plus. Tamen ad consolationem Confessariorum, qui non oscitanter tamen hanc commutationem officiũt, ponam hic verba doctissimi Patris Portel. in dub. Regul.ver. com.num.41. vbi sic asserit. Non oportet scrupulis agitari, an opus in quod votum commutatur, sit omninò æquale; hæc enim æqualitas non debet esse mathematica, & moraliter loquendo, omnimoda æqualitas non est cognoscibilis, sufficit æqualitas ad arbitrium boni viri, seclusa fraude, & graui ignorantia, maximè si commutatio fiat virtute priuilegij. Ita Portel.

Notandum est etiam cum Suarez to.2.de rel.c.19.n 94.quod commutatio fieri potest in materiam, de cuius æqualitate dubitatur, quod est valde notandum pro scrupulosis.

An Confessarius possit commutare vota post Bullam susceptam emissa?

RESOL. L.

AFfirmatiuè respondeo, quicquid dicat Sotus cum Fernandez in exam.Theol.mor. p.3.c.9. sect.2. §.17.n.4. & Villalobos in sum.to.2.tr.28. clauf.9.§.3. n.40. qui citat Nauarrum, Cordubam, & Azorium. Sed mecũ sentit Ledesma in sum.to. 2.tr.11.c.4.dub.5.& Acosta in Bull. q.73. Ratio est, quia fauores sunt ampliandi, & quando Summus Pontifex in Bulla concedit priuilegium commutandi vota, non illud restringit, aut limitat. Ergo neque nos restringere, aut limitare debemus. Et Henriq.in sum.l.7.c.16.n 3.in Gloss.litt.N.asserit, ita etiam sensisse omnes DD.Salmaticēses. & opinionem Soti falsam etiam vbi vocat Vide etiam Malderum in 2.tr.10.c.5. dub.11.

An per Bullam Cruciatæ possit Confessarius commutare votum factum de non petenda commutatione?

RESOL. LI.

REspondendũ est affirmatiuè, & ita docet Villalob.in sum. to.1.tr.27. clauf.9.§.3.n.35. Fernandez in examin. Theol. mor.p.3.c.8.sect.2.§.17.n.4.Sanchez in sum.to.1.li 4.c.54.n.23. Rodriquez in Bull.c.9.§.112.Acosta in Bull.q.73. in fine.

An Confessarius in fine anni possit differre commutationem voti, etiam si annus Cruciatæ transeat, si velit maturius considerare super voti commutationem, dicendo pœnitenti, commuto tibi hoc votum in id, quod ego, vel alius postea existimabit commutandum?

RESOL. LII.

REspondeo affirmatiuè cum Suarez de relig. to.2. l.6.c.16. n.15.Sanchez in sum.to.4.l.4.c.54.n.31.32.& 39.qui rationem adducit, quia iam accepit potestatē, & inchoauit caussam, & vt ita dicam, cōcessit commutationem tempore habili, quod satis est, vt postea illam commutare possit.

Notandum est verò in gratiam Confessariorum, quod in tali casu, si antequam Confessarius, vel alius vir materiam subrogandam præscribat, non peccat pœnitens si votum illud violauerit. Et ita docet Sanch. vbi supr. cui ego addo Lessium l.2.c. 40. dub.16. nu.109. quicquid in contrarium asserat Rodriq. in Expos.nostræ Bullæ, §.9.num.115.Ratio est, quia obligatio illius voti iam est extincta, & trãslata in aliam materiam in genere, quam pœnitens acceptauit, & ideo implicitè vouit, id quod Confessarius, vel alius vir præscripturus sit, ac ideo ante talem præscriptionem votum non obligabit.

An votum pœnale Religionis, seu Castitatis sit per Bullam dispensabile?

RESOL. LIII.

QVicquid in contrarium asserat Acosta in Bull.q.73. & alij affirmatiuè respondet Sanchez de matr.to.3.l.8.disp.15.n. 8. qui citat plures DD. quibus ego addo Nugnum in 3 p.to.2. tr.de Bull.§.11. Io. de la Cruz in direct.consc.p.2.præcep.art.2. dub.10.concl.4. in fin. Fernandez in exam.Theol.mor.p.3.c.9. sect.2.§.17.n.9 Villalobos in sum.to.1.tr.27.clauf.9.§.3.n.42.

Dico igitur, per Bullam Cruciatæ posse Confessarium commutare vota pœnalia non solum ante, sed etiam post impletam cōditionem. Ratio est, quia votum pœnale etiam post impletam conditionem, deficit valde à perfecta voti Religionis, & Castitatis natura, ratione cuius perfectionis reseruatur tale votum: vouens enim in tali casu non eligit votum, vt tale est, sed potius eius timore, & odio voluit deterreri, ne delictum admitteret, quod vitare proposuerit. Et ideo Episcopi talia vota etiam cōmutare, & dispensare possunt, vt docet Lessius l.2.c.40.dub.18. n.130. Malderus in 2.2.tr.10.c.5. dub.10. Gomez in Bull. Cruc. clauf.10.n.99.& Henriq.l.7.cap.30.n.6. in Gloss.litt.A. vbi citat multos DD. & præsertim aliquos Magistr. Salmanticenses.

Idem etiam docet Sanchez, vbi suprà disp.10. n.8. quicquid in contrarium asserat Azorius p.1.lib.11.c.10.q.3. & c.19.q.13. cum Gutier.qq.can.l.2.c.22.nu.50.& 51.vide etiam Filliucium to.2.tr.26.c.10.n.271. & Zanardum in direct. Theol.p.2.c.52.

An supradicta doctrina procedat etiam in votis conditionalibus.

RESOL. LIV.

AFfirmatiuè respondeo, & ita Confessarius per Bullam Cruciatæ potest commutare vota conditionalia, quando sunt verè conditionalia, non solum ante, sed etiam post impletam conditionem. Dixi, quando sunt verè conditionalia, quia hæc vota conditionalia ferè semper non procedunt ex Religionis, aut Castitatis affectione, sed ex amore rei positæ sub cōditione, quam vouens obtinere desiderat, & vt facilius illam consequatur, offert Deo ea vota. Et in hoc casu potest quidem Confessarius supradicta vota, vt diximus, commutare. Et ita docet Sanchez de matrim.rom.3.lib.8.disput.11.num.8.in fin. & alij.

Et ita Episcopi dicta vota commutare possunt, vt docet Sanchez disp.10.n.3.qui citat Ledesmam in sum.to.2.tract.10.cap. 8. quicquid contrarium asserat Lessius l.2.c.40.dub.18. nu.131. Filliucius tom.2.tract.26.c.9.n.299. Suarez de relig. tom.2.li.6. c.22.num.11.Valentia in 2.2.disput.6.q.9.punct.7.Azorius p.1. lib.11.c.19. q.13. & alij.

An uotum ingrediendi Religionem arctiorem, possit confessarius uirtute Bullæ Cruciatæ commutare in laxiorem religionem.

RESOL. LV.

Respondeo affirmatiuè, quia Confessarius in tali casu non commutat votum Religionis absolutè, sed quandam Religionis qualitatem. Et ita docet contra Lopez Pater Sanch. de matr. to. 3. lib. 8. disp. 15. n. 5. erogata tamen aliqua eleemosyna in belli subsidium, quæ suppleat eum Religionis strictioris excessum; addens etiam cum hac eleemosyna alijs operibus pijs,

Et ideò supradictum votum, potest etiam Episcopus dispensare, vt docet Reginaldus to. 2. lib. 18. c. 23. n. 33. & 335. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 124. & Malderus in 2. 2. tr. 10. cap. 5. dub 10. Henriq. l. 7. c. 22. n. 7. Azor. p. 1. c. 18. q. 8. Sayrus in Claui l. 6. c. 11. n. 63. quicquid in contrariū asserat Nauar. to. 4. de regul. n. 10.

An confessarius virtute Bullæ Cruciatæ possit commutare omnia vota, quæ Episcopus commutare potest.

RESOL. LVI.

Hæc quæstio multum conducit ad resolutionem multorum casuum, quos supra determinauimus, & infra examinandi sunt; ideò respondeo affirmatiuè cum Bonacina de legib. disp. 4. q. 2. punct. 7. § 4. nu. 16. Sanchez in sum. to. 1. l. 4. c. 54. n. 19. de matr. to. 3. l. 8. disp. 15. n. 5. quem nouissimè sequitur Sãctatellus de iub. c. 9. dub. 1. & alij, & ita dicendum est de Iubilæo, ex quibus patebit resolutio multorum casuum.

Notandum est tamen, supradictam sententiam procedere, quando Episcopus dispensat vt Episcopus, non autem, quando dispensat vt Sedis Apostolicæ delegatus, vt ex multis notauit noster P. Leone in tr de iubil. p. 2. q. 13. sect. 2. nu. 97. & Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 37. n. 14. qui citat Rodriquez, & Suar. nam in tali casu Confessarius non posset tale votum commutare per Cruciatam, sicuti quando Episcopus dispensaret in his votis ratione solius necessitatis, vt obseruat Sanchez de matr. lib. 2. disp. 40. n. 9.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare votum castitatis, quando fuit emissum pro tempore limitato.

RESOL. LVII.

Affirmatiuè respondeo, & ita docet Sanch. de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n 4. Henriq. lib. 7. c. 31. num. 6. Vegha tom. 2. c. 129. cas. 34. Villalobos in sum to. 1. tr. 27. claus. 9 § 5 num. 42. Nugnus in 3. p. tom. 2. tr. de Bull. Cruc. § 11. Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 9. sect. 2. § 17 n. 8. Gutter. de matr. c. 123. n. 6. Acosta in Bull. q. 73. & alij, quia non est votum perfectum, & absolutum castitatis,

Et ideò in tali voto potest Episcopus dispensare, vt notauit Azor p. 1. lib. 11. c. 19. q. 6. Gomez in expos. Bull. Cruc. claus. 10. nu. 109. Graffius in decis. p 1. lib. 2. c. 31. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3. Zanardus in direct. Theol. p. 2. c. 52. Guttierrez qq. can. libr. 2. c. 22. n. 48. Toletus lib. 4. c. 18. n. 11. Valentia to. 3. disp. 6. q. 6. punct. 7. Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. n. 43. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 123. Malderus in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10. & alij,

An per Bullam possit confessarius commutare votum non petendi debitum.

RESOL. LVIII.

Posse arbitratur Rodriquez in sum. to. 2. c. 90 nu. 3. & Sanch. de matr. to. 3. lib. 7 disp. 15. nu. 4. etiam si tale votum fuisset emissum ex alterius coniugis licentia, Immo si vterque coniux communi consensu vouerent; nec petere, nec reddere; quæ omnia sunt valde notanda, & in praxi occurrẽtia Et ratio est, quia supradicta vota non sunt vota integræ castitatis, sed partis. Ergo per Bullam sunt commutabilia. Nec refert, si communi consensu nec petere, nec reddere debitum vouissent, quia adhuc non est votum integræ castitatis; requiritur enim libertas transeundi ad secundas nuptias.

Et ideò etiam Episcopus potest illa commutare, vt docet Azorius p. 1. lib. 11. c. 19. q. 6. Palatius in 4. dist. 32. disp. 2. Sà ver. votum, vbi de irritat. n. 11. in fin. Malderus in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 10. Lessius l. 2. c. 40. dub. 18 n. 123. & alij, quos inuenies apud Sãctarellum de iubil. c. 9. dub. 6. & nouissimè idem docet Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3.

An uotum non nubendi sit per Bullam Cruciatæ dispensabile.

RESOL. LIX.

Affirmatiuè respondeo. Ita Henriq. libr. 7. c. 30. n. 6. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. num. 8. Nugnus in 3. p. to. 2. tract. de Bulla Cruc. §. 11. Acosta in Bull. qu. 73. Sanchez de matr. to. 3. lib. 8. disp. 15. n. 4. quia non est votum absolutum castitatis.

Limitat tamen hoc idem disp. 9. n. 12. nisi tale votum fuisset emissum in fauorem alterius coniugis id petentis, propter filiorum bonum, & vt eius amor, nomen, honor, amicitia cum eius cõsanguineo conseruetur; nam in hoc casu cum tale votum sit factum in fauorem tertij, Confessarium per Bullam non posset illud commutare, nisi coniux remittat ius sibi acquisitum, & ab illo acceptatum.

Extra verò hunc casum, poterit Confessarius commutare, sicuti Episcopus, vt docent Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 37. n. 17. Portel. in add. ad dub. regul. ver. voti dispẽsatio, n. 78. Vgolinus de potest. Episc. c. 58. § 8. n. 3. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 2. art. 20. dub. 10. concl. 3. Guttierrez de matr. c. 123, n. 9. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 40. n. 66. Graffius p. 1. lib. 2. c. 31. n. 29. & 31. Sà v. vot. vbi de irrit. n. 11. Azor. to. 1. l. 11. c. 18. q. 5. Syluester ver. vot. 4. q 4. Rosella verb. imped. 4. n. 5. Acmilla ver. dispensatio, n. 18. Guttierrez can. qq. lib 2. c. 22. nu. 49. quicquid in contrarium asserat Caietanus to. 2. Opusc. tract. 11. de voto non nubendi, q. 1. Valentia to. 4. disp. to. q. 5. punct. 5. concl. 4. Nauarrus & Angelus apud Guttierrez vbi supr. aduersus quos Henriquez vbi supra lib. 7. cap. 30. nu. 6. in Glossa litt. D. sic asserit, Caietanus de voto non nubendi putat reseruatum esse Papæ, quia est perpetuum, & reducitur ad votum Castitatis. Sed falsò, quia fornicans contra tale votum, non peccat contra votum Castitatis Hæc ille, & verè quidem, sed cum limitatione de qua supra loquendo de commutatione per Bullam diximus; vt rectè notauit Malderus in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10. & Lessius lib. 2. c. 30. dub. 18. n. 124.

An Confessarius possit commutare uotum uirginitatis, quando constat non esse uotum castitatis, sed solius integritatis corporis seruandæ.

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondet Sanchez de matr. to. 3. lib. 8. disp. 15. nu. 4. quia emittens tale votum non vult expressè ad castitatem se obligare, sed tantum ad corporis integritatem seruandam, consistentem in abstinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas deperditur.

Et in tali voto potest Episcopus dispensare, vt notauit Azorius p. 1. lib. 11. c. 19. q. 14. Barbosa de potest. Episc. p. 2. Alleg. 37. nu. 18. Sayrus Claui Regia lib. 6. c. 11. nu. 55. Graffius in decis p. 1. lib. 2. c. 31. n. 31. Portel in add. ad dub. Regul. ver. voti dispensatio, n 78. Guttierez de matr. c 123. n. 8. & alij,

Notandum est verò, quòd aliquis emisit votum virginitatis, & dubius est de intentione; an scilicet fuisset ad solam, a primo actu venereo abstinentiam, vt supra diximus, in tali casu neque Confessarius per Bullam, neque Episcopus poterit dispensare, aut commutare; quia tunc tale votum censetur votum continentiæ absolutum, vt notauit Sanch. in sum. to. 1. lib. 4. c. 21. n. 22.

An Confessarius per Bullam possit commutare votum non fornicandi, non tenendæ certæ mulieris, non committendi actum mollitiei, aut abstinendi ab alio actu venereo?

RESOL. LXI.

Respondeo affirmatiuè cum Fernandez in examin. Theol. mor. p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. num. 8. & ideò in his votis potest Episco-

Episcopus dispensare, vt notauit Barbosa de potest. Episc. par. 2. alleg. 37. n. 15. Molfes. in sum. to. 1. tr. 11. c. 15. n. 50 Lessius lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 105. Graffius in decis. p. 1. lib. 2. c. 31. n. 30. Portel in add. ad dub. regul. ver. voti dispensatio, n. 78. Vgolin. de potest. Episc. c. 58. §. 3. n. 3. Reginaldus to. 2. lib. 18. c. 22. n. 33. & alij. Ratio est, quia talia vota non sunt vota perfectæ Castitatis, & ideo per Bullam sunt commutabilia.

An per Bullam sit commutabile votum Castitatis coniugalis?

RESOL. LXII.

Respondeo affirmatiuè cum Henriq in sum. lib. 7. c. 30. nu. 7. quia hoc votum non est votum Castitatis absolutum, sed partis; nam sic, ita vouens, potest inire matrimonium.

Et ita in tali voto dispensat Episcopus, vt notauit Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 40. n. 50. & de matr. to. 3. lib. 8. disp. 9. nu. 7. Sanctarellus de iubil. cap. 9. dub. 3. Leone etiam de iubil. p. 2. qu. 13. sect. 2. nu. 103. & alij.

An per Bullam Cruciatæ possit confessarius commutare votum disiunctiuum, cuius altera pars est reseruata, vt si aliquis diceret, voueo castitatem, & ordinem sacrum?

RESOL. LXIII.

Respondeo affirmatiuè cum Sanchez de matr. to. 3. lib. 8 disp. 15. nu. 3. quia ita vouenti integrum est, illam partem eligere, quam potest Confessarius per Bullam Cruciatæ commutare; nam in alternatiuis sufficit alterum impleri; ergo tale votum non potest appellari simpliciter votum Castitatis, seu Religionis. Et ita docet Lessius lib. 2. c. 40. dub. 13. n. 106. Suarez de relig. to. 2. lib. 6. c. 24. n. 1. & 2. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 18. nu. 338. Molfesius in sum. to. 1. tract. 11. c. 15. nu. 143. Filliuc. to. 2. tract. 26. c. 9. nu. 272.

Et ideo potest Episcopus dispensare super dicta vota disiunctiua, vt docet Azorius p. 1. libr. 11. c. 10. q. 10. & Sanchez de matr. to. 3. lib. 8. disp. 9. nu. 14 & alij.

An Confessarius per Bullam possit commutare votum assumendi ordines sacros.

RESOL. LXIV.

Respondeo affirmatiuè cum Henriquez libr. 7. c. 30. num. 6. Acosta in Bull. Cruc. q. 73. & Sanchez de matr. to. 3. lib. 8. disp. 15. nu. 4. Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. nu. 8. Ratio est, quia tale votum non est votum Castitatis, sed votum assumendi statum, cui Castitas annexa est. Vnde si ita vouens frangeret votum, non esset sacrilegus fornicando, & si matrimonium contraheret, peccaret quidem contra votum, sed posset petere debitum.

Et ita in tali voto potest Episcopus dispensare, vt notat Portel in add. ad dubia reg. ver. voti dispensatio, num. 78. Vgolinus de potest. Episc. c. 58. §. 3. n. 5. Regin. to. 2. lib. 18. c. 22. n. 331. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 124. Valentia to. 3. disp. 6. qu 6. punct. 7. Vegha in sum. to. 2. c. 129. cas. 34. Rodriqu in Bull. § 9 num. 122. Azorius p. 1. lib. 11. c. 19. q. 9. Suarez de relig. to. 2. libr. 6. c. 21. n. 7. Aragon. in 2. 2. q. 88. art. 12. & alij.

An in casu posito supra quando emittitur votum disiunctiuum nempe voueo castitatem, vel suscipere ordines sacros, an si vouens statueret postea non ordinari, ex vi voti determinatè obligetur ad castitatem; ita vt Confessarius non possit amplius votum illud virtute Cruciatæ commutare.

RESOL. LXV.

Non posse tale votum mutare censuit Sanctarellus de iubil. c. 9. dub. 4. Leone tr. de iubil. p. 2. q. 1. sect. 1. nu. 92. Filliuc. to. 2 tr. 26. c. 9. n. 272. Suar de relig to. 2. li. 6. c. 24 n. 3. Sanchez de matr. to. 3. li. 8. disp. 9. n. 14. vbi putant; quod si ita vouens statuat ad ordines non promoueri, eligens reliquam voti partem, ad quam se astrinxerat, non posse Episcopum, & per consequens neque Confessarium, per Bullam Cruciatæ tale votum amplius commutare: quia ex vi voti, iam tenetur ad castitatem, quæ reseruata est. Et sicut in humanis debitor alternatiuus non potest resilire, si creditori declaret quam partem eligat, ex regula iur. in 6. Sed eo ipso, quo in corde statuit ita vouens illam partem voti eligere, illud propositum satis Deo indicatum fuit, qui corda hominum videt. Ergo, &c.

Non reticeam tamen multum probabiliter contrariam sẽtẽtiam docuisse Malderum in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 10. quia vt ipse asserit, etiam homini facta talis insinuatio, modo non efficiatur per modum promissionis, vel pacti ex natura rei, & ex iure naturæ non videtur obligare, vt re adhuc integra à tali electione debitor non possit resilire, quicquid sit de iure positiuo. Deinde etiam si nullum propositum Deus videat, non tamen proponendo censemur Deo loqui, aut ei indicare nostrum propositum. Quare probabile videtur tale propositum, & electionis decretum, quando noua non accedit promissio, ita adhuc posse arbitrio vouentis mutari, vt reus fracti voti non sit futurus, si variet, & alteram partem postmodum eligat, siue ea præstantior, siue minus præstans fuerit, adeoque semper potent in talibus Episcopus dispensare. Ita Malderus, quod etiam de Confessario virtute Bullæ Cruciatæ dicendum est: si hãc sententiam sequi velit Confessarius.

Si quis adstrictus voto castitatis ad nuptias, transeat, possit Confessarius virtute Bullæ commutare tale votum, vt possit petere debitum.

RESOL. LXVI.

Affirmatiuè respondet Viualdus in candel. p. 3. ca. 14. n. 41. negatiuam verò sententiam docet Sanchez in summ. to. 1. lib. 4. cap. 54. nu. 20.

Sed dices, Episcopus potest dispensare in tali voto ad petendum debitum. Ergo, & confessarius virtute Bullæ Cruciatæ. Antecedens probatur ex Angelo ver. matrim. 3. impedim. 5. nu. 3. Tabiena ver. imped. impedimen. 2. q. 5. Valentia tom. 4. disp. 10. qu. 5. punct. 5. Henriq. lib. 12. c. 2. nu. 9. Sa ver. debitum coniugale, n. 4. Graffio in dec. p. 1. lib. 2. c. 82. n. 5. Tolet. lib. 7. c. 14. n. 4. Rodriq. in Bull. Cruc. §. 9 n. 119. & alijs. Consequentia patet ex dictis inst. in Resol. Ergo, &c.

Sed ad hoc argumentum respondeo, quod licet Confessarius possit commutare vota, quæ potest Episcopus; id intelligendum est de votis, quæ Episcopus commutat iure ordinario, & ex natura reseruationis, non autem si talia vota commutaret iure speciali, aut per consuetudinem, vt est in casu nostro. Ergo, &c. Et ita docent DD. quando Episcopus dispensat ad petendum debitum cum illo qui contraxit matrimonium cum voto castitatis; id non facere, quia de iure communi hoc sic competit, vt notat Azorius tom. 1. lib 11. c. 19, qu. 8. Toletus lib. 4. c. 18. num. 1. diff. 2. Graffius in decis. p. 1. lib. 1. c. 13. num. 80. Gutierrez qq. can. lib. 1. c 23. nu. 17. & alij. Sed id facit vigore consuetudinis, quæ hanc iurisdictionem ei concessit, vt notauit Sanchez vbi supra in summ. lib. 4. c. 54. nu. 20.

Notandum est vero, in tali casu Episcopum non relaxare simpliciter votum, sed solum ex parte, & secundum quid, nempe ad solum petendum debitum, & ideo mortua coniuge, tota voti obligatio reuiuiscit, vt notat Faustus in thes. relig. lib. 3. qu. 91. nu. 3. & alij.

An confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare votum, quando diuersis votis varia ad castitatem pertinentia sunt promissa, ita vt ex omnibus illis iunctis consurgat obligatio ad perfectam castitatem.

RESOL. LXVII.

Respondet affirmatiuè Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 40. n. 68. Vt si quispiam semel (ait ille) promisit se non initurum matrimonium, & iterum se non fornicaturum, & iterum se nullum peccatum venereum admissurum; quia in quolibet horum potest Episcopus dispensare. vt potè, quod perfectæ castitatis non est, Ergo potest in omnibus simul, nam vota posteriora se habent per acciden ad prius. Ita Sanchez, qui loquitur de Episcopo, & nos per consequens de Confessario, qui virtute Bullæ Cruciatæ commutat.

Anton. Diana Resol. mor. Pars I. P 4 Notan-

Notandum est verò, quod supradictam sententiam limitat Sanchez, nisi vltimum votum, quo castitas perfecta complectur, consulto vouens fecerit, vt tali perfecta castitate ligatus maneat; quippe tunc censetur propria cum hoc posteriori coniungere, & ideo perfecto castitatis voto obstrictus remanet: vnde nec Episcopus dispensare, nec Confessarius virtute Cruciatæ commutare potest.

Quenam vota possit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare?

RESOL. LXVIII.

Respondeo, omnia præter votum Castitatis, Religionis, & vota transmarina; & ideo potest commutare eundi Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia, quod votum vulgo dicitur *di S. Giacomo di Galitia*. Et ratio est, quia in Bulla illa vota exceptuantur. Ergo, &c. Et ita notat Fernandez in ezam. theol. mor. p.3. c.9. sect.2. §.17. num.7. Villal. in sum. to.1. tr.27. claus. 9. §.5. nu.43. qui citat Rodriq.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ possint commutare iuramenta pœnalia, vel conditionalia Castitatis seu Religionis?

RESOL. LXIX.

Respondeo affirmatiuè cum Sanch. in sum. to.1. c.54. li.4. n.21. Et ratio est, quia qui potest commutare vota facta soli Deo, potest etiam commutare iuramenta. Sed Confessarius potest vota pœnalia, & conditionalia Castitatis & Religionis commutare. Ergo poterit & iuramenta. Maiorem propositionem docuit Aragon. in 2.2. q.86. art.9. Henriquez lib.7. c.30. num.5. Azorius to.1. lib.11. c.10. Sà ver. iuramentum, nu.32. & ver. votum, vbi de irritatione, n.16. cum alijs. Minor propositio patet ex infra dicendis in resolut. Ergo, &c.

An Confessarius virtute Cruciatæ possit commutare votum Castitatis vxoris, vel viri tempore matrimonij consummati emissum?

RESOL. LXX.

Respondeo affirmatiuè, dummodo tale votum fuerit factum ab vxore, vel a marito sine consensu reciproco. Et ratio est, quia, vt notat Guttier. qq. canon libr.2. cap.22. nu.40. Arragon. in 2.2. quæst.88. art.8. dub. vlt. Stunica de voto qu.3. nu.64. Rodriquez in sum. to.2. c.90. nu.6. in fine, & alijs, potest Episcopus in tali voto dispensare, Ergo, poterit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ.

Notandum est etiam pro Confessarijs, quod cum tale votum non sit omnimodæ castitatis, non obligat ad non reddendum, etiam quando redditio est voluntaria, propter alterius coniugis adulterium, aut diuortium, vt probat Sanchez de matr. to.3. lib.9. disp.35. nu.26. & alij.

Igitur tale votum commutet Confessarius per Cruciatam, eum non sit votum omnimodæ continentiæ, cum ad non reddendum debitum obligare nequeat, & ideo per Bullam commutabile. Et ita etiam docet Sanchez in summa, tom.1. lib.4. c.40. num.51. Molfesius in summa, tom.1. tr.11. c.15. nu.151. dictam commutationem virtute Cruciatæ ad petendum debitū, durare durante matrimonio, nam illo soluto ita vouens tenetur seruare votum simplicis castitatis, nisi obtineat dispensationem à Summo Pontifice.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare materiam subrogatam, in quam fuit commutatum votum reseruatum Castitatis seu Religionis, vel vltramarinæ peregrinationis?

RESOL. LXXI.

Aliqui negatiuè respondent; quia subrogatum sapere debet naturam eius pro quo subrogatur, vnde asserunt materiam, in quam commutatur votum reseruatum, etiam reseruatam manere. Et in hanc sententiam videtur inclinare Azorius p.1. lib.11. cap.18. quæst.11. dicens, dubiam sibi esse contrariam sententiam, & illam docet ex modernis Zanardus in direct. theol. p.2. c.33.

Sed contrariam sententiam affirmandam esse puto: quia per commutationem extinguitur prius votum reseruatum ratione materiæ. Ergo aliud votum, quod est de alia materia, non erit reseruatum. Et ita docet Filliuc. to.2. tr.26. c.10. nu.293. Suar. de relig. to.2. lib.6. c.20. n.15. Lessius li.2. c.40. dub.18. n.124. Sanch. de matr. to.3. l.8. disp.9. nu.20. Henriq. l.7. c.30. nu.5. Sà ver. votum, n. vlt. Arrag. in 2.2. q.88. art.12. & alij.

Ad argumentum in contrarium respondeo, subrogatum sapere naturam eius, cui subrogatur; procedit ex sola fauorabili, & lata interpretatione, quæ in odiosis non habet locum, quale est reseruatio.

An Confessarius possit commutare votum Castitatis, seu Religionis emissum cum expressa protestatione, ne ad illorum executionem vouens sit obligatus sub onere peccati mortalis, sed tantum venialis?

RESOL. LXXII.

Respondeo affirmatiuè cum Bonacina de legibus disput.4. q.2. punct.7. §.4. num.20. quia tale votum, non est votum perfectum Castitatis, & Religionis. Ergo per Bullam erit commutabile.

Et ita Episcopus potest illud dispensare, vt tradit Sanchez in summ. to.1. lib.4. c.40. nu.47. & alij.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare votum Castitatis, seu Religionis emissum propter leuem metum.

RESOL. LXXIII.

Negatiuè videtur respondendum ex authoritate Suarez de relig. tom.2. lib.6. cap.6. num.4. qui docet, tale votum non esse dispensabile ab Episcopo, quia inuoluntarium, & coactum est per accidens, & secundum quid. Quod si sufficeret vt cessaret reseruatio, cessaret etiam in votis emissis in periculo mortis, & naufragij: hoc vero dicere est absurdum. Ergo, &c.

Sed ego puto, contrariam sententiam esse probabiliorem, quam docet Lessius lib.2. cap.40. dub.18. n.127. qui citat Angelum, Glossam, Nauarrum, & Fumum. Et ratio est, quia reseruatio huius voti est intelligenda de libero, ne ita reseruetur coactum, sicut spontaneum.

Reginaldus verò in Praxi, tom.2. lib.18. c.22. num.336. loquitur in terminis, quod tale votum fuerit emissum ex aliquo magno metu, sed Lessius loquitur in casu metus non omnino grauis; & magis amplè Leone tract. de iubil. part. 2. quæst.10. sect.1. num.97. 10 fine, & Bonacina de leg. disput.4. quæst.2. punct.7. §.4. num.17. hanc doctrinam esse veram admittunt, etiam quando votum Castitatis, seu Religionis per metum quamuis leuem fuerit emissum. Itaque in tali casu dicendum est, posse Confessarium supradictum votum commutare; quia emissum cum tali metu, non est reseruatum. Imò probabilem puto cum Nauarro illam sententiam, quæ asserit votum emissum ex leui metu esse irritum. Et ita Sanchez in summa, tom.1. lib.4. cap.4. num.24. contrariam, quam ipse tenet, vocat tantum probabiliorem, & cap.40. num.31. in fine, sententiam Nauarri probabilem vocat.

An Confessarius possit commutare per Bullam Cruciatæ votum disiunctiuum modo, quo supra diximus, quando materia non reseruata effecta est impossibilis, ita vt vouens nequeat partem non reseruatam adimplere, sed, tantum partem reseruatam.

RESOL. LXXIV.

Et ita erit casus: Emisit verbi gratia aliquis votum Castitatis, seu peregrinandi ad aliquam Ecclesiam B. Virginis, vel

vel dandi centum aureos alicui Hospitali, postea ex morbo non potest peregrinari, vel amisit patrimonium, & ideo materia voti non reseruata effecta est impossibilis, & remanet possibilis materia voti reseruata; peritur in tali casu, possit ne Confessarius virtute Bullæ hoc votum commutare. Negatiuam sententiam docuit Bonacina tr. de legibus, disp. 4. q. 2. pun 7. §. 4. nu. 18. quia materia illa, verè est reseruata, & est adimpleta ex vi voti.

Sed contrariam sententiam, affirmãdam esse puto, quam docet Suarez de relig. to. 2. lib. 6. c. 14. n. 4. & Sanchez in sum. lib. 4. cap. 40. nu. 44. Et ratio est, quia tale votum per se, & ex natura sua, nunquam obligauit vouentem ad partem reseruatam, sed postmodum obligatio ad illam oritur per accidens ex solo facto, & impossibilitate alterius materiæ non reseruatæ. Vnde patet responsio ad argumentum Bonacinæ; dicimus enim materiam illam esse reseruatam per accidens ob impossibilitatem materiæ, non autem ex vi voti.

An per Bullam Cruciatæ possit quis commutare votum emissum cum intentione efficiendi illud reseruatum, vt scilicet votum à nullo possit auferri, nisi petita commutatione à Summo Pontifice.

RESOL. LXXV.

Respondeo, hoc non obstante posse tale votum Confessarium per Bullam Cruciatæ commutare; quia vouentis intentio priuata non potest tollere potestatem superioris. Vel melius dicendum est; tale votum non esse ex tribus exceptis in Bulla Cruciatæ, quæ sola reseruari diximus. Et ita loquens de Episcopo, docet Sanch. in sum. to. 1. lib. 4. c. 40. nu. 79. qui citat Azorium, & Sayrum, quibus ego addo Reginaldũ to. 2. lib. 18. cap 22. nu. 333. Suarez de religio. tom. 2. lib. 6. cap. 21. n. 15. Bartholomæum à Sanct. Fausto in Thesaur. relig. lib. 3. qu. 105.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, possit commutare votum vouendi Castitatem, seu Religionem.

RESOL. LXXVI.

Respondeo affirmatiuè cum Molfesio in sum. tom. 1. tract. 11. cap. 15. num. 148. & Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. c. 21. num. 7. Et ratio est, quia velle facere, non est facere, & ideo velle vouere castitatem, non est castitatem vouere. Vnde optimè notat Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 40. nu. 70. quod si ita vouens fornicaretur ante promissam Castitatem, non delinqueret contra Votum.

An Confessarius virtute Cruciatæ, possit commutare votum Religionis Aduersensis?

RESOL. LXXVII.

Aliquis posset affirmatiuè respondere, ex doctrina Iacobi de Graffeis tom. 1. lib. 3. cons. 11. nu. 14. de regular. Gonzalez in regul. 8. Cancell. Gloss. 8. nu. 57 & 65. Mandosij etiam in regul. 3. Cancell. qu. 1 nu. 3. Sarmiento de reddit. Ecclesi. lib. 4. qu. 1. nu. 13. Cabedo de patron. Regiæ Coronæ c. 15 nu. 16. & 18. Tallada de visit. cat. cap. 11. § 4. n. 13. & fauet Syluester ver. religio, 1. quæst. 1. vers. tertium Hospitalarij, Panormitanus in rubr. de regular. num. 4. & Sotus de iust. lib. 7. quæst. 5. art. 3. qui omnes asserunt, supradictos Milites non esse propr è, sed largo modo Religiosos. Ergo per Bullam votum talis Religionis erit commutabile.

Sed hęc sententia prorsus non est tenenda, vt docet Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9. sect. 11. §. 17. nu. 10. & Acosta in Bull. qu. 73. quia dicti Milites sunt verè Religiosi. Et ita docent communiter Doctores, quos refert, & sequitur Zanardus in director. theol. p. 2. præcept. 4. c. 31. Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 19. num. 11. Henriquez lib. 11 cap. 8. nu. 6. Corduba in summ. qu. 178. in fin. Ledesma de matr. q. 61. art. 2. ad 4. Rodriq. in Bull. Cruciatæ §. 9. nu. 123. Natta lib. 3. cons. 495. n. 12. Riminaldus lib. 5. cons. 527. nu. 23. & 24. Decianus in tract. crim. p. 1. lib. 4. cap. 9. nu. 36. Vasquez contr. illustr. lib. 1. c. 105. nu. 51. A ponte lib. 1. cons. 14. num. 3. & sequ. Molina de primog. Hisp. lib. 1. cap. 13. nu. 98. & alij.

Et ideo per professionem huius Religionis asserunt dirimi matrimonium ratum, & ita fecisse D. Gaston Ducem Metinæ testatur Sanchez de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 18. nu. 8. habito consilio sapientum. Et in statutis dictæ Religionis, per Pontificem approbatis, habetur posse ad eam Religionem admitti obligatos matrimonio rato. Idem etiam docent Regius cas. 53. nu. 5. Rebellius part. 2. lib. 3. qu. 4. Legionensis de imped. matr. caus. 27. qu. 2. §. 4. Azorius part. 1. lib. 13. cap. 6. qu. 4.

Vnde vt supra dixi, nullo pacto per Bullam Cruciatæ votum huius Religionis Confessarius commutare potest, sicut neque Episcopus, vt notauit Bartholomæus à S. Fausto in thes. relig. lib. 3. qu. 97. num. 1. Sanchez in matr. tom. 3. lib. 8. disp. 9. nu. 16. Rodriquez in Bulla. §. 9 num. 123. Lopez in instr. p. 2. vbi de clauibus, cap. 9. in fine, & alij.

An per Bullam Cruciatæ possit Confessarius commutare votum Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ?

RESOL. LXXVIII.

Affirmatiuè respondet Sotus lib. 7. quæst. 5. art. 3. Aragon. in 2. 2. qu. 88. art. 11. quia hi ordines militares non sunt propriè, & simpliciter Religiones, & idem etiam docet Guttierrez pract. qq. lib. 2. quæst. 11. n. 2. Lassarte de decima vendit. cap. 19. nu. 92. Azotius tom. 1. lib 13. cap. 3. q. 2. Valentia tom. 3. disp. 10. qu. 4. punct. 2. Molina de primog. Hisp. lib. 1. cap. 13. nu. 98. Molina Theologus de iust. tom. 3. disp 623. n. 5. Gironda de Gabell. p. 7. num. 46. Garzias de benef. tom. 1. part. 1. cap. 4. nu. 19. Patitius de assign. benef. lib 6. q. 2. num. 1. & alij penes ipsos.

Sed aliqui contrariam sententiam probabiliorem esse iudicant. Et ita in terminis docet Lopez in instruct. p. 2. vbi agit de clauibus c. 9. ad finem; quia dicti Milites sunt vere Religiosi, vt asserunt Vegha in sum. tom. 1. c. 85. cas. 147. Bobadilla in pol. to. 1. lib. 2. cap. 19. num. 11. Auendagno in cap. prætor, lib. 2. cap. 26. nu. 11 Medina de sacr. hom. contin. lib. 4. contr. 7. cap. 39. Belugha in spec. Prin. cap. 1. rubr. 7. nu. 76. Minchaca contr. illustr. lib. 1. cap. 105. num. 48. Cenedo de paupert. relig. dub. 50. num. 9. & nonsimè doctissimus Basilius Pontius de imped. matr. caus. 27. quæst. 2. § 4.

Quid ego sentiam dicam breuiter. Hanc secundam opinionem semper tenui. Sed quia alia est probabilis, puto Confessarium posse per Bullam Cruciatæ commutare votum Religionis D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ. Et ita loquens de Episcopo, docet Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 9. num. 16. & in sum. tom. 1. lib. 4 cap. 40. num. 73. Et ratio est, quia vt Episcopus, vel Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, vel alicuius Iubilæi possit commutare aliquod votum, sans est quod sit sub opinione an sit reseruatum, necne; sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, possit commutare votum perseuerandi in Religione, vt tempore nouitiatus liceat ex causa iusta egredi?

RESOL. LXXIX.

Ego puto, sine Bulla Cruciatæ, posse in tali casu vouentem egredi è Religione, nec aliqua voti illius commutatione indigere; quia probabilis est illa sententia, vt docet Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 5. num. 46. quæ asserit votum perseuerandi in Religione non obligare, si bona fide in probatione, puiet quis fibi eam non esse accommodam. Et ita docuit Sotus de iust. lib. 7. qu. 2. art. 1. ad 3. ver. ex hac autem definitione, Aragon. in 2. 2. q. 88. art. 3. Ledesma in sum. to. 2. trac. 10. c. 3. dub. 7. cas. 4 & alij.

Et licet contraria sententia sit probabilior, quam tenet Azorius patt. 1. lib. 11 cap. 22. qu. 8. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4. quæst. 4. Rodriquez in sum. tom. 2. cap. 95. n. 7. Roseila ver. relig. 5. nu. 5. Angelus ver. nouit. num. 12. Armilla eodem ver. nu. 10. Syluester verb. Relig. 2. qu. 19. & alij. Attamen his non obstantibus, puto posse Confessarium, virtute Bullæ Cruciatæ commutare votum perseuerandi in Religione. Et ratio est; quia votum perseuerãdi in Religione est diuersum à voto Religionis, & Confessarius tale votum commutans, non commutat votum Religionis, sed qualitatem adiunctam voto, quæ quidem non est Pontifici reseruata. Et ita in terminis, loquens de Confessario, virtute Bullæ Cruciatæ, docet Sanchez de matr. tomo 3. lib. 8. disp. 15. nu. 4. & loquens de Episcopo in sum. tom. 1.

tom.1.lib.4.cap.40.nu.75. cum Molfesio in summa, to.1. tract. 11.cap.15.num.147. & Maldero in 2.2. tract.10 cap.5. dub.10. num.8.& loquens de Iubilæo Sanctarellus in tract. de iubil. cap. 10.dub.4.& Leone etiam de iubilæo par.2.qu.13. sect.3.nu.114.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ possit commutare votum Religionis, vt ex iusta causa non impleatur tempore præscripto?

RESOL. LXXX.

NEgatiuè videtur respondendum ex authoritate P. Suarez de relig. tom.2 lib.6.cap.26.num.11.& 12. qui docet Episcopum non posse in tali casu dispensare, nisi ex causa superuenienti non esset aditus ad Summum Pontificem, & rationem adducit; quia talis circumstantia multum attingit substātiam; differt enim totam voti obseruationem pro aliquo tempore.

Sed contraria sententia non est minus probabilis, quam docet Sanchez de matr. tom.3. lib.8. disp.9 nu.19.& in summa, to. 1. lib.4.cap.40.n.76. & post illum noster Molfesius in sum. to.1. tract. 11.cap.15.nu.147.& Malderus in 2.2. tract.10.cap.5. dub. 10.num.9. vbi asserunt, posse Episcopum ordinaria potestate dispensare in hac voti dilatione; dummodo votum non adeo differatur, vt sit periculum in eum statum incidendi, vt ita vouens reddatur impotens ad votum implendum. Ratio est, quia hoc non esset dispensare in substantia voti, sed in eius qualitate.

Et ita docet de Confessario virtute Bullæ Cruciatæ, idem Sanchez de matr. tom.3. lib.8. dist.15.num. 4. quoad dicti voti commutationem. Et hanc sententiam puto probabilem, & tutam in praxi.

An virtute Bullæ Cruciatæ possit Confessarius commutare votum Castitatis coniugalis?

RESOL. LXXXI.

REspondeo affirmatiuè, quia tale votum nō est votū totius castitatis, sed partis; nam ita vouens potest inire matrimonium. Et ita loquens de Episcopo testatur Sanchez in sum. tom.1.lib.4.cap.40.n.50.& ante illum Henriquez li.7.c.30.n.6.

Et per consequens, idem dicendum est de Confessario, virtute Bullæ Cruciatæ, vt notat, & docet idem Sanchez de matr. tom.3.lib.8.disp.15. nu.7.& alij.

An per Bullam Cruciatæ Confessarius possit commutare votum Castitatis emissum cum licentia alterius coniugis?

RESOL. LXXXII.

REspondet affirmatiuè, & ita loquens de Episcopo docet Rodriquez in sum. tom.1. c.243. nu.14. & Vegha in sum. tom.2 cap.129. cas.77.

Sed Sanchez in summ. to.1. lib.4.cap.40. limitat hanc sententiam; quando ita vouens, non haberet animum ingrediendi Religionem. Nam si tale votum absque animo ingressus Religionis factum sit siue ante, siue post consummationem matrimonij: putat posse Episcopum in eo voto dispensare; quia non est votum omnimodæ castitatis, sed partis, & eo non obstante tenetur ita vouens reddere debitum, & potest reddere, licet alter in adulterium incidat. Et per consequens, potest Confessarius, virtute Bullæ Cruciatæ, tale votum commutare, vt docet idem Sanchez de matr. tom.3.lib.8.disp.15.nu.7.

Et hæc doctrina procedit etiam, quando vterque coniux cōtinentiam vouit absque alterius licentia; vel quando vterque seorsum continentiam vouit, habita tamen ab altero licentia. Secus autem si vterque communi consensu continentiam voueret per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, facio vt facias; quia ita vouētes obligant se ad votū absolutæ, & integræ castitatis, vnde nō possunt nec reddere, nec petere debitū.

Ideo dicendum, non posse Episcopum dispensare cum istis coniugatis, & per consequens neque Confessarium per Bullam. Et ita notauit Sanchez vbi supra tom. 3. lib.8. disp.11.n.7. & seqq. Molfesius in sum. tom.1 tract.11.cap.15. n.123. & seq. Quod si coniuges prædicti, qui ita vouerunt, remitterent sibi adinuicem renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerunt, & sibi conferrent iterum potestatem suorum corporum, licet remissio esset sacrilega contra votum, esset tamen valida, & teneretur vterque reddere debitum alteri petenti: & poterit tunc Episcopus dispensare ad petendum debitum absque peccato. Ita Sanchez in summa, tom.1. lib.4.c.40.n.61. qui etiam to.3. de matrim. lib.8. disp.5.n. 7. docuit, quod est valde notandum à Confessarijs, posse illos virtute Bullæ Cruciatæ, commutare vota castitatis, missa à cōiugati in his omnibus casibus, in quibus, eo, quod deficiant à ratione voti castitatis perfecta, Episcopi possunt illa dispensare; quia in his casibus, non sunt vota absoluta castitatis, & ideo per Cruciatam sunt commutabilia. Ex quo principio deduces resolutionem multorum casuum.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare qualitatem adiunctam voti vltramarini?

RESOL. LXXXIII.

FIngamus casum; Petrus verbi gratia vouit mendicando adire Sanctum Sepulchrum, quæritur an Confessarius possit virtute Cruciatæ commutare tale votum, vt portans necessarias itineris expensas, votum illud adimpleat. Respondeo affirmatiuè ex doctrina Lessij lib.2. c.40. dub.13. nu.105. Molfesij in sum. tom.1. tract.11.c.15.nn.145. vbi docent Episcopum posse in tali voto dispensare, & per consequens Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ. Ratio est, quia in hoc casu Confessarius non commutat votum, sed circumstātiam per accidens ipsi voto adiunctam. Et ideo supra diximus Confessarium posse commutare qualitatem adiunctam substantiæ voti Religionis, vt cum promittente ingredi in Religionem strictiorem, vt laxiorem ingrediatur; quia id non est commutare votum reseruatum, sed quandam eius circumstantiam.

Et ita docent Doctores communiter, vt Zanardus in Direct. theol p.2.cap.52. Syluester ver. votum 4.q.3. dicto 6. Paludinus in 4. dist.38.qu.4.art.4.n.43. D Antoninus part.2.tit.11.cap.2. §. 9. notab.4. ver. hoc autem videtur. Lopez in instr. vbi agit de Clauibus, cap.9. in fine, Menochius de arbitr. lib.2. cent.5. cas. 421.nu.16. Rodriquez in summ. tom.2.cap.96.num.5.& alij.

An Confessarius per Bullam Cruciatæ possit commutare votum Castitatis, seu Religionis emissum a persona alterius potestati subiecta, vt à coniugata, seruo, vel filio; sine licentia viri, domini, vel patris?

RESOL. LXXXIV.

AFfirmatiuè respondet Guttierrez qq. can. lib.2.c.22.num. 49. loquens de Episcopo, & per consequens idem posse Confessarium virtute Bullæ. Et ratio est, quia pater, vir, dominus, possunt talia vota irritare. Ergo poterit, & Episcopus dispensare, & Confessarius per Bullam commutare.

Sed contrariam sententiam tuetur Sanchez de matrim. tom. 3. lib.8. disp.9 nu.4.& post illum Suarez de relig. tom.2. lib 6. c. 26.nu.3.& Malderus in 2. 2. tract. 10. cas.5. dub.10. nu. 11. quia cum hæc potestas sit diuersa, & diuersa principia habeat, non sequitur, quod ex vna ad alteram argumentum deduci debeat. Et Pontifex reseruando talia vota, non intendit derogare potestati dominatiuæ, quam habet pater, vir, & dominus super filium, vxorem, & seruum: secus autem dicendum est de potestate dispensandi.

An qui obtinuit commutationem alicuius voti per Bullam Cruciatæ, possit redire ad votum prius, omisso eo, in quod facta est commutatio?

RESOL. LXXXV.

REspondeo affirmatiuè cum Lessio lib.2. cap.40. dub. 16. num.111. & Azotio part.1. lib.11. c.18. qu.12. etiam si sæpius facta sit commutatio, vt si votum peregrinationis annuæ commutatum sit in menstruam cōfessionem, menstrua cōfessio in ieiunium alicuius diei, ieiunium in certas preces: potest vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando illum diem, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem; quod erat primum votum, suscipiendo.

Et hæc doctrina procedit contra Suarez de relig. to. 2. lib.6. cap.20.

cap.20 num.1. & Filliucium tom.2. tract.26.cap.10.n.288.non solum quando commutatio facta fuit in rem æqualem, sed etiã in melius, vt docet Malderus in 2. 2. tract. 10. c.5. dub.11. q.9. Sanchez de matr.to.3. lib.9.disp.4.num.11. Ratio est,quia talis commutatio facta fuit in vouentis fauorem, vnde potest ei renunciare;alioquin non tam esset fauor, quam onus;adde etiam quòd talis commutatio facta videtur sub conditione, si vouens nolit prius votum implere. Ergo, &c.

Est in aliqua Ecclesia Regularium Altare priuilegiatum, in quo per Missam liberatur anima à Purgatorio, suspenditurne hac gratia per Bullam Cruciatæ.

RESOL. LXXXVI.

AFfirmatiuè respondeo cum Fernãdez in exam. theol. mor. p.3. c.9. sect.11.§.19. nu.2. qui citat Rodriquez. Et idem docet Villalob. sum. to.1. tract.27. clauf.12. nu.13. vbi sic ait, (La Indulgencia, que ay en algunos Altares priuilegiados de algunos Conuentos,para que el Sacerdote,que alli dixere Missa saque vn anima del Purgatorio, no se gana,si no es que tenga la Bulla de los viuos, y esto aunque diga la Missa por algun frayle, porque aquel no es priuilegio que se concede en particular para los frayles, sino para todo generalmente.) Ita ille.

An Bulla Cruciatæ suspendat priuilegia concessa in iure communi, eaq; quæ vsu tolerata consuetudinis approbantur.

RESOL. LXXXVII.

REspondeo negatiuè; quia Bulla non facit mentionem de istis priuilegijs, neque nominat consuetudines. Vnde tempore interdicti, non obstante Bulla, potest initiatus minoribus ordinibus audire Missam, & Prælati Religionum possunt conferre literas fraternitatis.

Et ita docet Fernandez in exam.theol.mor.p.3. ca 9. sect.11. §.18.n.3.& Villalob. in sum. tom.1. tract.27. clauf.12.nu.7. qui etiam notat Bullam non suspendere priuilegia, quæ habent Regulares celebrandi tempore interdicti in aliquibus festiuitatibus,in quibus omnes admittuntur ad officia diuina, & ad recipienda Sacramenta.

An Bulla Cruciatæ suspendat Indulgentias Regularium.

RESOL. LXXVIII.

SEntentiam affirmatiuam docuit Acosta in expos. Bull. qu. 108. vbi docet per publicationem Bullæ Cruciatæ suspendi omnes Indulgentias Mendicantium, non solum respectu sæcularium, sed etiam respectu ipsorum fratrum. Quia licet in clausula reuocatoria Bullæ excipiantur facultates Mendicantium,certum est, quòd sub nomine facultatum, non intelliguntur Indulgentiæ, vt patet ex cap.Extrauag. Sixti IV. de pœn. & remis.

Sed contrariam senteetiam tenendam esse iudico,quam præter Rodriquez tuetur nouissimè Nugnus vbi infra, Villalob.in sum.tom.1.tract.27.clauf.12. nu.9. Et ad argumentum Acostæ respondetur: quod illa verba Bullæ, *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quo ad eorum, fratres tantum*, extẽdenda sunt ad omnia superius posita,sine limitatione ad facultates tantum, vt putat Acosta.

Notandum est verò cum Nugno in 3. part.tom.2.tract. de Bulla, § 14.quod sub nomine Fratrum in Bulla intelliguntur etiam Nouitij, & Moniales.

An sub nomine Mendicantium in Bulla Cruciatæ, includantur etiam alij Religiosi, qui Mendicantes non sunt, sed ex beneficio sedis Apostolicæ eorum fruuntur priuilegijs.

RESOL. LXXXIX.

ALiqui negatiuè respondent ex authoritate Patris Henriquez in sum. lib.7. cap. 22.nu.4. in Gloss. litt.Y. & Io. Valer. in differ.vtriusq.fori, ver.absolut. nu.95. vbi asserunt, exceptionem Bullæ Cruciatæ circa priuilegia Ordinum Mendicantium non prodesse alijs Religiosibus non mendicantibus, nec ea gaudere posse,etiam per communicationem priuilegiorum. Et ita tenet Rodriquez in Bull.§.12.in add dub.1.

Vnde ex hac opinione sequeretur,quod Prælatus istarum Religionum non mendicantium,non posset absoluere quemcumque subditum Religiosum a quibuscumque casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, & vti similibus priuilegijs. Sequeretur etiam ex ista opinione, non manere in suo robore, quo ad istos Religiosos non mendicantes, priuilegium illud, quòd non possint eligere Confessores virtute Bullæ Cruciatæ, vt absolutionem à reseruatis obtineant.

Sed his non obstantibus, contrarium docet Acosta in Bull. Cruc.q.105.in fine, & Villalobos in sum.tom.1. tract.27. clauf. 12.nume.11.vbi sic ait. [Las Ordenes no mendicantes, parece que no gozan deste priuilegio, por la communication, que tienen de los priuilegios,porque la Bulla suspende los de todos los Monasterios y ansi de otra manera parece, que seria frustatoria la clausula.Mas a mi pareceme probable lo contrario,que a las que tienen communicacion de los priuilegios no veo por donde los ayamos de quitar este, y no obsta el dezir, que seria frustatoria la clausula, porque se entiende en caso,que no tengan priuilegios] Hæc ille;vbi etiam sub nomine Mendicantium intelligit non solum Religiosos professos, sed etiam Nouitios, si habeant animum perseuerandi in Religione. Et ideo stante hac opinione, omnes Superiores mendicantes, & non mendicantes,non obstãte Bulla Cruciatæ, vigore eius clausulæ, licitè frui possunt omnibus facultatibus, & priuilegijs à Sede Apostolica obtentis, etiam per communicationem in ordine ad suos fratres, vt potestas dispensandi in aliquibus votis, in ieiunijs, in cibis prohibitis,& in alijs multis, quæ videri possunt in compendijs eorum priuilegiorum.

An si quis scit patrem, vel amicum quolibet anno Bullam Cruciatæ illi sumere, possit vti dictæ Bullæ priuilegijs, antequam pater, vel amicus certiorem illum faciat de Bulla iam sumpta eius nomine?

RESOL. XC.

NEgatiuè respondet Rodriq. in Bull.§.12. in addit.fol. mihi 212 & post illum Veghain sum. tom.1.cap.43.cas.6.quia in negotijs tam arduis, & in vsum tantorum priuilegiorum non sufficit certitudo moralis, seu licentia præsumpta.

Sed contrariam opinionem, probabilem, & tutam in praxi esse existimo,quam docuit ante omnes Henriquez, quem citat, & sequitur Villalobos in sum. tom.1. tract.27. clauf.12. nu. 25. vbi sic asserit. [Si vno tiene y a esperiencia de que su padre le toma cada año la Bulla, basta esto para vsar della,aunque no aya llegado a sus manos,porque esto haze certidum bre moral, y me parece lo mismo en caso que partiendose vno deste lugar, le prometiesse vn amigo fiel, y cuidadoso, de tomarsela en publicando.] Ita ille.

An si elapso anno Bulla non promulgatur, sed paulo post promulganda erit, possit quis intra illud temporis frui priuilegio primæ Bullæ.

RESOL. XCI.

REspondet Rodriquez negatiuè in Bulla. § 5.numero 2. Sed affirmatiuam sententiam docet Henriquez libro 7. cap.20.num.2. vbi sic ait. Si elapso anno, & paucis diebus non promulgetur secunda Bulla (quam constat paulo post promulgandam) fruetur quis prima Bulla, ex pia interpretatione Pontificis, & Commissarij; quia annus vnus computatur more Ecclesiastico à prima vsque ad secundam promulgationem circiter. Ita ille, satis probabiliter; qui in Glossa littera O, testatur, ita etiam docuisse multos Iurisperitos, & Theologos Salmanticenses. Et nouissimè docet etiam hanc sententiam contra Rodriq. Villalob. in sum.tom.1 tract.27.clauf. 4 num.8. & 9. Sanchez in select. disp.55.per totam.

An

An in magna ciuitate, vti hic Panormi, quis non teneatur primo publicationis die accipere Bullam, si eius priuilegijs vti velit; sed sufficiat, quod potest in illa hebdomada sumat?

RESOL. XCII.

AFfirmatiuè respondet Henriquez lib. 2. capit. 19. nume. 2. in Gloss. littera O, quem postea sequitur Villalob. in sum. tom. 1. tract. 27. clauf. 4. num. 10. vbi asserit. [Añade Henriquez que no estan obligados todos en vna Ciudad grande à tomar la Bula, el mismo dia de la publicacion para à prouecharse della, sino que basta que la reciban dentro de tres dias, ò vna semana, de suerte, que el que tenia la Bula de otras, no sela accaba al punto, que la otra se publica en las grandes Ciudades.] Ita ille, quod est valde notandum. Sed vide circa præsentem quæstionem Ioannem Sancium in Selectis, disp 55. nu. 5.

An si ante elapsum annum promulgetur secunda Bulla, possit quis uti priuilegio primæ Bullæ, donec transeat annus, non obstante publicatione alterius Bullæ.

RESOL. XCIII.

NEgatiuè respondet Gomez in expl. Bullæ, clauf. 5. nu. 1. & Villalob. in sum. tom. 1 tract. 27. clauf. 4. nu. 11. Sed contrariam sententiam probabiliter docet Rodriq. in Bull §. 5. nu. 2. vbi ait. [Durante el año vale la Bula, y ningun Commissario la puede suspender. Y assi antes, que se acabe el año de la publicacion, es contra la voluntad de su Santidad, de su Magestad, que se predique otra Bula, y que se suspēda la passada. Por tanto los Rectores, y Curas quietendola predicar en sus lugares antes de accabado el año de la publicacion, pidan à los Comissarios, que declaren en pulpito, que no se acaba el año de la publicacion de Bula passada, si no tal dia.] Ita ille, & Vegha in summ. tom. 1. cap. 43. cas. 10 quod pro praxi est valde notandum, & ideo nouissime hanc sententiam docet Sanchez in selectis disp. 55. nu. 4.

An quis sub fine anni quo expirat Cruciata, incipiat confiteri, & quia non potest ob iustas causas confessionem finire, & absolutionem obtinere, possit Confessarius transacto anno, virtute precedentis Bullę illum absoluere.

RESOL. XCIV.

PVtat Henriquez loquens de iubilæo lib. 7. cap. 11. nu. 3. debere Confessarium in tali casu absoluere pęnitentem à reseruatis, & postea andire aliqua peccata tempote opportuno.

Sed ego puto absolutè, quod si confessio incipiat tempore habili intra terminum scilicet anni publicationis Bullæ, posse Cōfessarium de cętero audire totam pœnitentis confessionem, & illum postea à reseruatis, & censuris absoluere. Et ita probabiliter docet Ledesma in sum. tom. 1. tract. de Sacr. confess. c. 12. concl. 5. dub. 2. & Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c. 13. nume. 15. quòd si aliquis haberet licentiam audiendi cōfessiones ad tempus posse eo transacto prosequi confessionem ante cœptam.

Et ideo in terminis nostræ Bullæ hanc sententiam docet Rodriquez § 5. num. 2. Villalob. in summ. tract. 27. clauf. 4. num. 12. Acosta in Bull. quæst. 36. & alij.

Vnde optime docuit idem Sanch. vbi sup. in sum. to. 1. libr. 4. cap. 54. num. 34. etiam si tempus Bullæ Cruciatæ transeat, posse Confessarium concedere maius tempus pœnitenti, vt recordetur de voto, quod scit emisisse, sed est immemor speciei; & postea transacto etiam anno Bullæ illud commutare; quia causa illa fuit incepta tempore habili. Vnde etiam patet, quod iurisdictio Commissarij, ac ministrorum Cruciatæ durat, quousque omnes causæ inceptæ concernentes vtilitatem, & iurisdictionem Cruciatæ finiantur, proindeque regalia præfatis ministris concessa, quamdiu illi occupati fuerint in negotijs Cruciatæ, in suo robore permanent. Et ita notauit Acosta quæst. 110.

An si aliquis sumat pro amico Bullam Cruciatę, & scribat in ea eius nomen, possit hic illam non acceptare, sed nomen suum tollere, & illam alicui applicare.

RESOL. XCV.

AFfirmatiuè respondeo cum Villalob. in sum. tom. 1. tract. 27. clauf. 4. num. 23. vbi sic ait. [Si vn amigo me tomò la Bula, y me la embio, y yo, que tenia tomada otra no la accepte, la puede dar à otro, y lo quę dezimos de poderla dar à otro la que embio el amigo, lo entiendo yo, aunque trayga escritto el nombre que en esso va poco, y aunque se muede, no por esso sera falsario el que lo escriue.] Ita ille.

Notandum est tamen, quòd si Petrus sumit Bullam pro Ioanne, qui iam alteram ceperat, non potest Petrus illam alteri applicare, quia, vt ait Vegha in summ. tom. 1. cap. 43. cas. 6. realiter ille sumpsit illam Bullam cum intentione applicandi Petro, & non alteri. Ergo, &c. & ita testatur respondisse, de hoc casu interrogatum, Medinam.

Nota etiam cum Villalobos vbi supra, & Vegha in sum. to. 2. cap. 7. cas. 26. & Henriquez lib. 7. cap. 20. n. 5. quod non oportet, vt nomen proprium sit eidem Bullæ inscriptum. Et si inculpatè Bulla fuerit amissa, aut combusta, non est necesse, vt alia sumatur, sed potest hoc non obstante quis illa frui.

Et ideo hanc sententiam post Henriquez, & Villalob. docet Nugnus in 3. p. tom. 2. tract. de Bull. § in fin. vbi ait. Notandum est, quòd vt Bulla sit valida, debet recipi, & obseruari cū aliqua mediocri diligentia: si verò sine culpa deperdatur, vel rumpatur, tunc credo, quod valet, quia non debet esse maior obligatio in hac parte, quàm est in alijs rebus. Sic ille. Idem etiam docet Acosta in Bull. quæst. 12. & Vegha in sum. tom. 2. c. 7. cas. 23. & Gomez in Bull. clauf. 11. nu 12. & 13.

An per clausulam Bullæ Cœnæ suspendatur Bulla Cruciatę.

RESOL. XCVI.

REspondeo negatiuè. Et ita docet Fernand. in exam theol. mor. part. 3. cap. 9. sect 11, cap. 19. num. 5. Henriquez libr. 7. cap. 21. nume. 2. Ratio est, quia aliter esset Pontifex sibi contrarius. Et ita etiam docuerunt Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 27. & noster Duardus in Bull. Cœn. lib. 3. §. 2. qu. 11. num. 41.

An per Iubilęum anni sancti Bulla Cruciata suspendatur.

RESOL. XCVII.

AFfirmatiuè respondet Fabrinus de iubil. ca. 21. Nauarrus not. 33. n. 3. Lopez in instr. tom. 2. cap. 10. & alij.

Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse puto. Et ita docet Portel. in dub regul. ver. Bull. Cruc. num. 2. Salas de legibus disp. 20. sect. 10. in fin. Bonac. de legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 8 §. 4. nu. 13. Leone tract. de iubil. p. 1. quæst. 6. num. 229. Zerola de ann iubil. libr. 2. cap. 19. quæst. 2. Villalob. in sum. to. 1. tract. 27. clauf. 12. nu. 8. Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. cap. 9. §. 10. nu. 6. Henriq. lib. 7. c. 21. nu. 3. Acosta in Bull quæst. 101. Rodriquez in Bull §. 12. dub. 6. nume. 8. qui asserit ita declarasse Clem. VIII. in suo Iubilæo anni Sancti 1600. Et ita declarasse Commissario Cruciatæ Vrban. VIII. pro anno 1625. asseruit mihi vir doctissimus D. Franciscus de la Riba Vicarius Generalis Illustriss Cardinalis ab Auria. Et ratio est, quia vt rectè notat Sanch. de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 33. num 10. priuilegia Bullę conceduntur per modum contractus, vt patet ex lectura Bullæ. Sed Pontifex in reuocatione, non facit mentionem facultatum per modum contractus concessarum. Ergo, &c.

An priuilegia Bullę Cruciatę sint fauorabilia, & amplianda.

RESOL. XCVIII.

REspondet negatiuè Sanchez de matr. to. 3. libr. 8. disput. 2. nu. 7. ideo putat esse strictè intelligenda.

Sed contrarium puto asserendum esse cum Suarez de relig. tom. 2. lib 6. ca. 16. num. 3 qui testatur multos viros doctos nostri temporis ita sensisse. Idem etiam docet Raphael de la Tor-

rę

re in 2.2.to.2.q.88.art.12. disput.vlt.nu.2. Villalobos in summa tom.1.tract.27.in tit.nu.7.Henriquez lib.6. cap.16. nu.3.& lib. 7.cap.30.num. 4. & alij, quia huiusmodi priuilegia sunt beneficium Principis, sine alicuius præiudicio,sunt opus liberalitatis, clementiæ,charitatis, &c. Ergo sunt fauorabilia,& amplianda. Deinde tales facultates ordinantur immediatè ad pleniorē absolutionem faciendam, quæ quo ad hanc partem est fauorabilis. Et tandem ordinantur non ad bonum priuatum,sed ad publicum totius Ecclesiæ, ad subueniendum publicæ eius necessitati. Ergo,&c. Et idem dicendum est de Iubilæo.

An Prælati regulares peccarent mortaliter prohibendo ne subditi sumant Bullam Cruciatæ.

RESOL. XCIX.

Affirmatiuè respondeo cum Villalobos in summa, 10.1. tr. 27.claus. 12. num.29. & ante illum Acosta in Bull.qu.106. vbi sic ait. Mortaliter peccat, qui subditis prohibet Bullæ susceptionē, nisi id faciat ex legitima causa, imò, & conscietia prohibitis sicut Reipublicæ Christianæ est scandalum, ita mihi suspecta semper erit. Quin potius, si Generali Commissario constiterit, nullos alicuius familiæ Religiosos, suscipere Sacram Bullam, deberet super hoc diligenter inquirere, & si Prælatos illius in huiusmodi prohibitione culpatos inuenirct, contra illos authoritate Apostolica procedere.

Infero similiter, quod si Religiosus petita, & non obtenta licentia Superioris sumat Bullam, non peccat; quoniam Prælatus non habet ius ad denegādam talem licentiam, imò & fruetur indulgentijs Bullæ. Ita Acosta, & Villalob. vbi supra, n.27. docet Regularem etiam ex obseruantia D.Francisci, posse fine scrup lo rogare aliquem amicum,vel pœnitentem,vt sumat sibi Bullam Cruciatæ.

Verum est: vt idem aduertit num.26.Superiorem regularem concedendo, vt subditus sumat Bullam, posse talem licentiam limitare, quo ad talem vsum, vel quo ad talem facultatem. Et ita etiam docuit Rodriquez in Bull.in add. §.9. nu.7. & Valer. in diff.vtriusque fori, ver. Bull Cruc diff. 1.num.2. notauit quod in Societate Iesu practicatur, quod licet Superiores non prohibeant acceptionem Bullæ, restringunt tamen eam quantum ad facultatem eligendi Confessarium.

An Bulla Cruciatę suspendat priuilegia Regularium commutandi vota, & in eius dispensandi, & absoluendi à reseruatis?

RESOL. C.

Sententiam affirmatiuam alicui docent, & fundantur in verbis Bullæ ibi, *exceptis tamen concessis Ordinis Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantum*. Et ita etiam docent Nauarr.lib.5.cons.16.nu.1.de priuil. Lopez p. 2. vbi de claub.c.2.Rodriq.super Bull.§ 12. & nouissimè Acosta etiam super Bull.quæst.105.

Sed contrariam sententiam, quæ in praxi hodie obseruatur, prorsus amplectendam esse puto, & illam docet Ledesma in summ.tom 1.trac.de sacr. pœn.c.15 fol.mihi 299.Io.de la Cruz de stat.relig.lib.2.ca.3.dub.7.concl.3.Graff. in Appen.ad decis. lib.1.c.7. §.9. nu.65.Henriquez lib 6.cap.16.nu.7. & lib.7.c.18. num.7. & Sanch. in summa tom.1.lib.4.c.54.num.62.qui citat Rodriquez mutantem sententiam. Et ratio est, quia cum hæc priuilegia sint fauorabilia, non speciali Monasterio concessa, sed toti Religioni, & ordinētur in bonum commune fidelium, non suspenduntur per verba generalia, si de illis specifica mentio non efficiatur. Et hoc videtur apertè docere Lessius lib.2.c. 12.dub.12.nu.60.

Quod ita verum est, vt neque per Iubilæum anni Sancti dicta priuilegia suspendi existimem. Et ita docet Sanchez vbi sup. cum Henriquez lib.7 cap.28. num.7. & cap.31. nu.3. in Gloss. litt.S. quem postea citat, & sequitur Villalob. in summ.tom.1. tract.27.claus. 12.num 21. vbi sic ait. [El padre Henriquez dize,que no se derogan los priuilegios de los Regulares en el año del Iubileo, aunque sea certissimo, que ansi lo declara la costumbre. Esta sententia me parece muy probable, y que se puede seguir en practica.] Ita ille, & post illū Bartholomæus à S. Fausto in thes. relig.... lib....nu.... quicquid in contrarium afferat Emanuel Rodriquez in Bull.§. 12. in addit.dub.6.vbi modicus contrarium docet, sed tu tene primam sententiam.

An valeat Bulla sumpta ex pecunijs ablatis, furatis, & quid si meretrices illam sumant.

RESOL. CI.

Affirmatiuè videtur respondere Rodriquez in Bull. §. 1. in Add. dub.7. sed libenter cum ipso concurro quo ad meretricem,quæ de quæstu turpi eleemosynam dat pro Bulla,quia hæc licet turpiter faciat peccando, non tamen turpiter recepit quæsitum, vt communiter sentiunt DD. Secus autem de illo, qui ex pecunijs ablatis sumit Bullam, quia talis sumptio Bullæ nihil valet, Summi. Pont. velit hanc eleemosynam soluendā esse de proprijs bonis, & facultatibus; sed pecunia ablata non est de proprijs bonis. Ergo, &c. Et ita de fure, & de meretrice sentiunt Acosta in Bull. Cœn.q.12. & Vegha in summa tom.1. c.43.cas.7. & Nugnus in 3.p.to.2. tract. de Bulla.

An sufficiat ad lucrandas Indulgentias Bullę Cruciatę visitare ex vno loco quinque altaria sine motu corporali.

RESOL. CII.

Contra Rodriquez olim elegantem sententiam sustinētem, affirmatiuè respondet Vegha in sum.tom.2. cap.7. cas.16. vbi sic ait. [Es necessario segun Rodriquez, que visitando estos cinco altares aya mouimiento corporal, porque si le visitan estādose quedo sin mouerse, no se gañara,aunque tambien es opinion muy verdadera,y esta se sigue agora,que sin que aya mouimiento corporal visitandolos solamente en el coraçon basta.] Ita ille, & postea sententiam mutans Rodriquez.

Idem etiam docet Villalob. in sum.tom.1.trac.27.caus.8.nu. 6. & Bonac. de Sacr. disput.6 quæst.1. punct.5. ou.25.qui citat Graff. Sà, Azorium, & Henriquez lib. 7. c.10. n.1. & Sà ver. indulg. nu.6.cum alijs.

Sed notandum est,vt ex ipsa litera Bullæ constat,etiam si sint in eodem pago quinque Ecclesiæ, sufficit visitare quinque altaria in eadem Ecclesia,vel in diuersis. Sed potest esse dubium, quando in aliquo pago tantum est vnica Ecclesia habens tria, vel quatuor altaria; vtrum debeat quis visitare omnia illa, & iterum bis, vel ter vnum altare, an debeat visitare vnum altare quinquies. Respondetur, quod quomodocumque fiat, sufficiet ad obtinendam indulgentiam, sed melius est hoc vltimum, quia est magis secundum literam. Et hoc,quod dicitur, si non fuerint quinque altaria, intelligitur, in pago pro sæcularibus,& in propria domo pro religiosis. Ita Nugnus in 2.p. to.2. tract. de Bulla, §.10.

An si quis non potest ingredi Ecclesiam, quia est plena hominibus, consequatur indulgentiam Bullę, visitando talem Ecclesiam à foris vt sibi possibile est.

RESOL. CIII.

Negatiuè respondet Glos. in clem. de reliq. & ven. sanc. & Zanard.in direct.theolog.par.1.trac.de sacram. pœn.c.20 quæst.40.

Sed contrarium communiter docēt. Ita Villalob.in sum.to. 1.tract.27.claus.8.num.7.Fernandez de exam. theol. mor. p.3. c.9.§ 9.n.5. qui citat Rosellam, Cordubam, & Rodriq.

At pro in casu nostræ Bullæ, vt optimè notat Nugnus in 3. p. 2. tr.de Bulla,§ 10 respondendum cum distinctione, quod scilicet talis visitatio sit sufficiens pro visitatione vnius altaris, non tamen pro quinque altaribus; quia moraliter loquendo, non potest dici, quod talis homo visitet quinque altaria in illa Ecclesia, sicuti verè dicitur quod visitat talem Ecclesiam. Vnde sequitur, quod ad obtinendam præsentem indulgentiam, debet visitare quinque Ecclesias, qui isto modo visitat. Quando vero in aliquo Iubilęo tantum exigitur vnica oratio in Ecclesia sufficit isto modo illam visitare. Ita ille, quod vltimum est valde notandum pro Iubilæis. Et idem etiam docuerat Bonac.de Sacr.disp.6.quæst.1.punct.5.r u.16.qui citat Suarez.Rodriquez, Cordubam,& Graffium, quibus ego addo Leone tr.de iubil.p. 1.q.2.nu.162.Villalobos in summa,tom.1.tract.26.dub.24.n.7. Sancta-

Sanctarellum de iubil.c.4.dub.5. Fernand.in exam.theol. mor. p.3.c.8.§.8.nu.3.& Filliucium to.1.tr.8. c 6.q.3.nu.133.& alios.

An supradicta Indulgentia Bullæ, obtineri possit multoties eodem die.

RESOL. CIV.

Respondeo affirmatiuè. Et ita docet in proprijs terminis nostræ Bullæ. Villalobos in summ.to.1.tra.27.clauf.8.n.8. vbi sic ait [Tengo por mas probable, que estas indulgentias se pueden gañar muchas vezes en vn dia, visitando muchas vezes las Iglesias.] Idem docuit Rodriquez in Bull.§.8.nu.15.& Nugnus in 3.p.tom.2.tract. de Bulla, §.10. & alij.

Et nota, quòd supradictæ indulgentiæ possunt sumi pro defunctis, vt habetur in Bulla latina, & notat Villalobos vbi supra; & ideò pro illis possunt etiam sumi in vno die multoties, & ita idem Villalobos docet, quod est valde notandum. Et ex his patet responsio ad illam quæstionem, vtrum aliquis possit sæpius eodem die consequi indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam talem tali die; de qua quæstione videndus est Bonacina de sac.disp.6.q.1.punct.5.nn.32. & alij penes ipsum.

An pro lucranda indulgentia supradicta, sufficiat suscipientem Bullam confessum fuisse in Quadragesima præterita, & habere propositum confitendi Quadragesima futura.

RESOL. CV.

Negatiuè in terminis nostræ Bullæ respondet Acosta in Bulla qu.14.quia in proprietate verborum, quæ in indulgentijs strictè seruanda est, non dicuntur verè confessi, qui propositum confitendi habent, neque qui post præteritam confessionem peccata mortalia commiserunt.

Hæc opinio est probabilis, sed contrariam non minùs probabilem existimo; & ita quando indulgentia conceditur omnibus verè pœnitentibus, & confessis sacraque Eucharistia refectis, vt sub hac forma conceditur in nostra Cruciata; puto satis esse, suscipientem Bullam confessum fuisse Quadragesima præterita, & habere propositum cõfitendi Quadragesima futura, quoniam talis dicitur confessus secundum ius.

Et ideò docet nouissimè hanc sententiam Filliuc.to.1.trac.8. cap.6.quæst.8.nu.148. vbi ait. Quando in forma indulgentiæ dicitur *verè pœnitentibus, & confessis*; etsi probabilis sit, & tutior opinio requirens actualem cõfessionem. Attamen probabilior est, tutaque contraria, quòd scilicet satis sit vera contritio cum confessione in voto, re ipsa autem tunc tantum, quando contritio illa non reputatur vera. Sed indulgentia Bullæ Cruciatæ, vt supra diximus, conceditur sub hac forma. Ergo, &c.

Et ita præter Filliuc. docet hanc sententiam Suarez to.4. in 3.p.disp.52.sect.3.n.11. Tolet.lib.6.c.27.nu.2.Gabriel in 4.dist. 45.q.2.nu.12.Palud. in 4.dist.2.q 4. art.3. concl.1. Rosella vers. indulg.n.12.Tabiena eod. ver. n.18. Armill.eod.ver.18. Angel. eod.ver.n.17. & Comitol. in ref.mor.l.1. q.39. & alij, quicquid in contrarium afferat Coninch de facr.disp.12.dub.7.num.38. Bellarm.de indulg.lib.1. c.13 q.3. Sa ver.indulg. nu.3. Sotus in 4.dist.21.q.2.art.3.Benzonius de iubil.lib.5.c.15.dub.4. Regin. tom.1.lib.7.c vlt.q.1.nu.171.& alij.

Quomodo Confessarius tempore mortis debeat impartiri indulgentiam moribundo.

RESOL. CVI.

Respondeo Impartiendo illam sub conditione, v. gr. si verè mortem obieris, impertio tibi indulgentiam Bullæ, alioqui seruet tibi Deus hanc indulgentiam ad instans mortis. Et ita fieri iubet Bullæ Commissarius, vt notat Fernandez in exam. Theol.mor.p.3.c.9.§.9.n.4.qui citat Nauarrum, & Cordubam. Et hanc praxim etiam docuerunt Villalob. in sum.tom.1.tr.27. clauf.13.n.3.& Vegha in sum.to.2.cap.7. caf.23. Et ratio huius praxis est, quia si sub tali conditione indulgentia detur, si ex illa infirmitate æger conualuerit, & postea incideret in alium articulum mortis, non indigeret noua Bulla ad indulgentiam consequendam; quod mente teneant Confessarij. Notandum est verò, quod indulgentia Bullæ solùm conceditur pro articulo, & non pro periculo mortis.

Notandum est etiam, quòd si Confessarius non velit vti forma tradita à Commissario, satis est dicere: Cõcedo tibi omnes gratias, quas concedere possum virtute huius Bullæ, etiamsi hoc oretenus non explicet, sed solum in mente, & cogitatione habeat. Ita Rodriq. in Bull.§ 9.n.40. & Fernand. vbi supra.§.10. nu.1. qui nu.3. addit, quòd si aliquis confiteatur, vt indulgentias huius Bullæ obtineat, & Confessarius ex malitia non illum absoluat, hoc non obstante lucrabitur Bullæ indulgentias.

Notandum est etiam, quòd in articulo mortis, quando clericus haberi non potest, laicus potest concedere indulgentiam Bullæ, vt tradit ex Nauarro, Io. Valerus in differ. vtriusque fori, ver. absol. differ.13.nu.3.

An ad lucrandas indulgentias Bullæ teneatur quis confiteri, si non habeat mortalia peccata, sed tantum venialia.

RESOL. CVII.

Sententiam affirmatiuam docet Acosta in Bull.quæst.14.dub. 2. quia putat Bullam exigere confessionem, tanquam iniunctum opus.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quia quando in Bulla exprimitur confessio sermo est de confessione illius, qui conscientiam habet peccati mortalis, nisi aliud exprimatur. Ecclesia enim non consueuit præcipere confessionem, nisi de mortalibus, & confessio absolutè accepta non sumitur, nisi pro confessione illorum. Et ita hanc opinionem tenet Suarez in 3.p. tom.4. disp.52. sect.3. Zanardus in direct. Theol.p.1. de Sacr. pœn. cap.21.qu.24. Lorichius in thes. Theol.ver.iub.nu.21.Comitolus in Resp.mor.lib.1.q.39. Reginald.to.1.lib.7. cap.vlt. n.173. Bellarm. de indul.lib.1. c.13.q.3. Graffius p.1.li.4.c.15.nu.19.Coninch.de sacr. tom.2. disput.12. dub.7.n.38.Filliuc.tom.1.tract.8.c.6.q.8.nu.146.Henriq.lib.7.c. 12.num.2.Bonac. de sacr.disp.6.q.1. punct.5.nu.7.Molfesius in sum.tom.1.tract.7.c.26.num.79.& alij penes ipsos; quicquid in contrarium ex neotericis afferat contra Suar Didacus Nugnus in addit.ad 3.p.to.2.q.27.art.3.dub.2. Sanchez de matr. tom.3. lib.8.disp.15.nu.19. Floronus de caf.reser. p.1.c.6 §.6.nu 3. qui etiam nostram sententiam probabilem vocat, & alij.

Illud verò, quod dicit Acosta; Bullam exigere confessionem tanquam opus iniunctum, negatur; quia hoc esset, si diceretur in Bulla, præmissa, aut facta confessione, vel quid simile. Immo Coninch vbi supra de sacr.disp.12. dub.7. n.38. & Leone tr. de iubil.p.1.q.1.nu.76.tenent nostram sententiam, etiamsi in Bulla apponantur hæc verba, *Præmissa confessione communicauerit*, quia adhuc intelligi debet de mortalibus.

An possit confessarius virtute Bullæ Cruciatæ applicare indulgentiam moribundo sensibus destituto, qui petijt antea Confessionem.

RESOL. CVIII.

Respondeo tali moribundo absolutionem Sacramentalem saltem sub conditione impertiendam esse, & à fortiori, quando præsente Sacerdote dat generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de peccatis dolere, si eo quod subito priuetur sensibus, non possit aliquid in particulari confiteri. Et ita docent D.Antoninus p.3.tit.10.cap.2 circa med.Syluest.ver.Confessor.3.nu.16.Palud.in 4.dist.21.q.2.art.2.conclus.2.Angel. ver. Confessio 4.num.8. Medin.de pœn. tract.2.q 39.in fin. Regius in suis resol.caf.39.n.4.Corduba q.30.de indulg. dub. 3. opin.2. Suar.in 3.p.tom.4.disp 23.sect.1.nu.5 Henriq.lib.6.cap.10.n.7. Coninch de sacr.disp.7.dub.10.n.97.& 99.Vasq. in 3. p. tom.4. q.91.art.2.dub.1.Sa ver.confess. Tolet.lib.3.c.8.num.2. Syluius in addit.ad 3.p.q.8.ar.3. Nugnus ibidem, quicquid in cõtrariũ afferat nouissimè Choquetius in tract.de confess. per lit.c.7. per tot. Abulensis Matth. 16. q.49. & 79. Maior.in 4. dist.14.Sotus in 4.dist.18.quæst.2.art.5. Ledes.2.p.4.q.8.art.4.Cano relect.de pœn.p.6.§. at inhærendo.Nauar.in man.c.26.num.27. Lopez in instr.p.1.cap.18.Conrad.in suis respons.p.1.q.10.Angles in 4.p. 1.art.2.diffic.6.

Ita Homob.in exam.Eccl.p.1.tract.7.cap.18.q.84.& Molfes. in sum.tom.1.tract.7.c.5.nu.48.tenet hanc opinionem, etiamsi

moti-

moribundus, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui possit; modo talis in mortis articulo constitutus Christiano more viuere soleret, & bonus, ac fidelis homo existimaretur. Quam quidem opinionem amplexum fuisse Clement. VIII. testantur. Cum enim quidam ex fabrica D. Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit, dicens. Si es capax, absoluo te à peccatis tuis.

Et hanc opinionem approbauit etiam Summ. Pôtifex Greg. XV. quando erat Archiepiscopus Bononiensis in suo man. confessar. c. 1. de forma sacr. Pœn. num. 16.

Sed stando etiam in contraria sententia, quòd dictus moribundus non sit absoluendus, vt rectè probat Malderus de sigillo confes. c. 15. & alij communiter, cum quibus ego sentio, hoc non obstante, indulgentia Bullæ est illi impertienda, quia non fieri per illum vt confessionem minimè faceret. Et ita in similibus notauit Acosta in Bull. q. 14. Et ita habetur in Bulla vt obseruat etiam Villalob. in summ. tom. 1. tract. 27. claus. 1. n. 1. vbi ait. [Hase de aduertir, que como consta de las p labras desta clausula, que dize lo deseean, no es necessario, que aya confession para ganar la indulgencia, quando no pudiera hauerla.] quod antea docuerat Rodriquez in Bull. §. 2. dub 5. nu. 9.

Quoties per Bullam Cruciatæ lucretur quis indulgentiam plenariam.

RESOL. CIX.

Respondeo, quòd semel in vita, & semel in morte. Ita notauit Leon. tract. de iubil. p. 1. q. 6. nu. 229. & alij.

Sed notandum est cum Villalob. in sum. tom. 1. trac. 27. claus. 1. num. 3. quòd ille, qui ad Bellum pergit potest lucrari dictam indulgentiam toties, quoties peccauerit, & confessus fuerit. Et ante illum hoc etiam notauerat Rodriq. in Bull. §. 2. dub. 6. n. 15.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in aliquibus irregularitatibus.

RESOL. CX.

Affirmatiuè respondeo. Ita Auila de cens. p. 2. disp. 10. dub. 5. Fernandez, Villalob. Rodriquez, & alij. Et hæc sunt verba, in quibus et talis facultas impertitur. Item similiter conceditur facultas dicto Commissario dispensa di, & componendi super irregularitate, cum his, qui quibuscumque Ecclesiasticis censuris ligati, Missas, & diuina officia, (non tamen in contemptu clauium) celebrauerunt, seu alias se immiscuerunt; & super alia qualibet irregularitate, præterquam ratione homicidij voluntarij, aut simoniæ, vel apostasiæ à fide, aut de hæresi, vel propter malam ordinum susceptionem côtractam cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ ac inhabilitatis exinde prouenientis abolitione, & executione ordinum non male susceptorum. In quibus verbis videtur, quã sit ampla facultas Commissarij in dispensatione super irregularitatibus prouenientibus ex delicto.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare super irregularitate publica, contracta tamen ex delicto.

RESOL. CXI.

Respondeo affirmatiuè, vt patet ex verbis supradictis, & notauit Fernandez in examin. theol. mor. p. 3. c. 9 §. 20. nu. 1. Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 5. Villalob. in summ. tom. 1. tra. 2. claus. 13. num. 6. vbi sic ait. [Se aduierte; que no solo se concede al Commissario, que pueda dispensar en la irregularidad que prouiê de delicto occulto, sino tambien en la que prouiene de publico. El fundamento es, porque el Pontifice no lo restringio, y assi es visto, que lo concedio generalmente, que quando solo quiere concederlo en el delicto occulto, expressamente lo declara, como hizo en el Concilio Tridentino, en la facultad que acerca desto se concede à los Obispos, y assi a qui concede el Papa la facultad para esto, no solo en el fuero interior, sino tambien en el esterior.]

An possit dispensare in irregularitate prouenienie ex homicidio casuali, iniusta mutilatione membrorum.

RESOL. CXII.

Affirmatiuè respondeo. Nam in verbis Bullæ, seu facultatis denegatur tantum dispensatio super homicidium voluntarium; sed mutilatio non est propriè homicidium. Ergo, &cet. Et ita Episcopus cum non possit dispensare in homicidio voluntario, potest tamen propter dictam rationem dispensare in irregularitate occulta contracta ex iniusta membrorum mutilatione, vt notant Molina to. 4. dist. 79. nu. 8. Suarez de cens. disp. 44. sect. 4. n. 35. Filliuc. to. 1. tr. 20. c. 1. n. 9. & alij.

Et ita loquens in casu nostro asserit Rodriquez, in addit. §. 13. nu. 2. fol. mihi 215. [Es de notar, que no puede el Commissario general dispensar en la irregularidad del homicidio voluntario, y por el consequiente podra dispensar en la irregularidad, que procede de mutilacion voluntaria de algun miembro pues aqui solamente excepta el homicidio voluntario.] Et ita etiam docet Villalob. in summ. tom. 1. tract. 27. claus. 12. nu. 7. & alij.

Notandum est etiam hic cum Rodriqu. dictum Commissarium posse dispẽsare in irregularitate orta ex homicidio casuali, licet publica: & sub nomine homicidij voluntarij non includitur homicidium casuale, & ita Episcopus potest ad maiores ordinationes vigore Concilij Tridentini dispensare, etiam in tali irregularitate, dummodo sit occulta, vt multis tradit Auila de cens. p. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 2. Coninch de sacr. disp. 18. dub. 14. n. 111. Reginald. tom. 2. lib. 30. tr. 2 c. 3. nu. 28. Bonac. de cens. disp. 7. q. 4. punct. vlt. nu. 13. & alij. Dixi ad maiores ordines, nam ad minores etiamsi talis irregularitas sit publica, potest Episcopus dispensare, vt notauit Nauarr c. 27. n. 240. Henriquez libro 14. c. 19. nu. 2. in Gloss. lit. M. & Doctores citati.

An Commissarius Bullæ possit dispensare in irregularitate contracta propter simoniam.

RESOL. CXIII.

Negatiuè respondent Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. c. 9 § 20. num. 1. Rodriquez, & alij.

Sed ego puto propter simoniam in ordine, vel beneficio, aliquem non incurrere irregularitatem, & ita nulla egere dispensatione; quia talem irregularitatẽ non inuenio in iure expressam. Sed nulla irregularitas incurritur, nisi sit in iure expressa, vt notant communiter. Ergo, &c. Et ita docet Suarez de cens. disp. 43. sect. 4. nu. 5. Filliuc. to 1. tract. 20. c. 8. nu. 247. Reginald. tom. 2 lib 3. tract. 2. c. 16. num. 100. Henriq. lib. 13. c. 35. num. 5. Villalob. in summ. tom. 1. tract. 21. difficul. 17. num. 1. quicquid in contrarium afferat Comitol. in resp. mor. lib 5. quæst. 64. num. 3. & seq. qui multos textus adducit, sed non ad rem; loquuntur enim, & sunt interpretandi de suspensione, & non de irregularitate, vt Suarez probat.

Notandum est verò quod Auila de cens. part. 7. disput. 4 dub. 7. concl. 7. putat tantum simoniam notoriam in ordine inducere irregularitatem. Et Megala in 3. part. lib. 4. c. 5. quæst. 4. nu. 70. docet simoniacum, cum per sententiam fuerit damnatus, tunc tantum incurrere irregularitatem, quia tali pena afficiuntur omnes infames.

An irregularitas incursa propter hæresim occultam sit dispensabilis per facultatem concessam Commissario Bullæ Cruciatæ.

RESOL. CXIV.

Respondeo negatiuè, vt patet ex verbis Bullæ. Sed ego existimo talem probabiliter hæreticum occultum non incurrere irregularitatem. Et ita docet Auila de cens. parte 7. disp. 4. dub. 2. concl. 2. qui citat Henriq. & probatur ex cap. ad abolendam, de hæret. vbi textus loquitur de hæretico publico, in illis verbis, *quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus.*

Idem et am docet Henriq. lib. 14. c. 4. nu. 6. & c. 5. nu. 2. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 3. tract. 2. c. 15. n. 193. Sà ver. irreg. ex defectu animæ, n. 2. Sayrus de cens. lib. 7. c. 12. num. 19. & alij.

Quicquid afferat Filliuc. tom. 1. trac. 20. c. 9. num. 228. Suarez tom. 5. disp. 41. sect. 1 nu. 4. Azor. p. 2. lib. 8. c. 11 t. q. 13. & c. 21 q. 8. Coninch

Coninch. de sacr. disp. 18. dub 7. nu. 50. Sanch. in sum. tom. 1. l. 2. c. 25. nu. 2. Bonac. de cens. disp 7. punct. 7. nu. 6. & alij, putantes etiam hæreticum occultum incurrere irregularitatem, adducunt cap. saluberrimum, & §. Heretici, sed hi textus nihil probant, imò pro nostra sententia faciunt, nam c. saluberrimum, agit de abiuratione solemni, qua in scriptis fit, & in §. Hæretici, apertè, & clarè supponitur notitia criminis, sine qua nequit impleri, quod præscribit. Ex quibus apparet supracitatos canones loquutos fuisse de hæreticis notorijs, & non occultis, qui vt diximus nullam incurrunt irregularitatem.

An irregularitas contracta per malam susceptionem ordinum, quia suscipiens erat excommunicatus, vel suspensus, sit per Commissarium Cruciatæ dispensabilis?

RESOL. CXV.

Negatiuè respondeo, vt patet ex verbis Bull. & facultatis, vt optimè notat Fernand. in exam, theol. moral, part. 3. cap. 9. §. 10. num. 2.

Sed ego puto probabiliter excommunicatum, vel suspensum Ordines Sacros suscipiendo non incurrere irregularitatem. Et ita nobiscum sentit, quo ad excommunicatum, Suarez tomo 5. disp. 42. sect. 3. nu. 2. & Filliuc. tom. 1. tract. 20. c. 7. nu. 192. cum alijs, quicquid probabiliter in contrarium asserat Valentia tom. 4. disp. 7. q. 19. punct 3. Sayr. lib 7. c. 10. nu. 12. Reginald. in praxi tom. 2. lib. 3. tract. 2 c. 14. nu. 181. de suspenso vero idem docent Filliuc. vbi sup, Suarez, & Sayrus, licet probabiliter contrariam sententiam doceant aliqui ex præcedentibus doctoribus. Ratio est, quia non datur textus, in quo imponatur talis irregularitas, sed irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis, ergo, &c.

Igitur ex his omnibus apparet, non posse Commissarium dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, ex simonia, ex hæresi, & apostasia a fide, & ex mala ordinum susceptione: posse tamen in alijs irregularitatibus prouenientibus ex delicto, licet sint publicæ, in quo casu non potest Episcopus; vnde circa hoc remaneat solum ista difficultas, in qua irregularitate contracta ex Bigamia possit Commissarius Cruciatę dispensare.

Ita respondet Villalob. in sum. tom. 1. tract. 27. claus. 13. nu. 8. [No puede dispensar el Commissario in la Bigamia interpretatiua, que no nace de delicto, qual es del que se casò con corrupta, mas si en la que nace de delicto, qual es del que se caso validamente con vna, & inualidamente con otra, y en la similitudinaria que incurre el que se casò estando ordenado de orden Sacro, ò siendo professo en la Religion approuada.] Ita ille, qui citat etiam Rodriquez.

Notandum est tamen, quòd si aliquis contraxit cum corrupta, existente aliquo impedimento dirimente, si non consummauit matrimonium, non incurrit in irregularitatem; quia existente matrimonio inualido, nulla est significatio, seu defectus significationis. Ita Bonac. de cens. disp. 7 q. 2. punct. 5. nu. 8. aduersus Suar, Sayr. & alios.

Imò ego puto aduersus Bonac. quòd si etiam in tali casu aliquis matrimonium consummaret, non incurreret irregularitatem. Et ita docet Auila de cens. p. 7. disp. 7. dub. 2. qui citat Nauarr. asserentem sic fuisse decisum in sacra Pœnitentiaria.

An Commissarius possit dispensare in aliquo impedimento matrimonij.

RESOL. CXVI.

Affirmatiuè respondeo cum Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. tr. de matr. ar. 6. dub. 12. concl. Fernand. in exam. theol. mor. p. 3. c. 9. §. 20. num. 3. Henriq. lib. 7. c. 13. num. 5 & lib. 12. c. 3. nu 3. Villalob in sum. to. 1. tract. 27. claus. 13. n. 11. & Sanchez de matr, to, 3. li. 8. disp. 6. nu. 23. vbi ita asserit. Commissarius Bullæ Cruciatæ potest dispensare pro solo conscientiæ foro in affinitate consurgenti ex copula fornicaria in primo, & secundo gradu, atque prolem susceptam, & suscipiendam legitimam decernere, concurrentibus quatuor conditionibus. Prima est, vt matrimonium cum illo impedimēto sit iam contractum, seruataque sit forma Triden. sess 24. de matr. c. 1. Secunda est, vt impedimentum sit occultum. Tertia est, vt adfuerit bona fides, saltem ex parte alterius contrahentis; qui tempore contractus matrimonij id impedimentum ignorabat. Vltima est, vt coniux qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris consensus nullitate, quamuis ei non declararetur caussa nullitatis, vt euitentur scandala.

An primus ille gradus, in quo potest Commissarius dispensare; intelligendus sit in vtraque linea transuersali, & recta.

RESOL. CXVII.

Affirmatiuè respondeo, quia cōcessio facta dicto Commissario est absoluta, & sine vlla distinctione. Et vterque gradus est iure Pontificio inductus. Ita docet Sanch. de matr. to. 3. lib. 7. disp. 3. q. 23. & alij. Vnde Rodriq. in Bulla Cruc. §. 13. summus. 19. ita asserit. [Puede el Commissario general dispensar para, que vno se pueda casar con vna muger, que conoscio su padre carnalmente, auiendose casado publicamente ignotando vno dellos el impedimiento.]

Notandum est tamen, quòd si denunciationes culpabiliter essent omissę, etiamsi matrimonium contractum sit ante Parochum, & testes, non posset in tali casu Commissarius dispensare, & ita notat ex Sāch. Villal. in sum. to. 1. tr. 27. claus. 13. n. 14.

Quando dicitur impedimentum occultum, vt possit Commissarius Bullę dispensare.

RESOL. CXVIII.

Respondeo occultum in hoc loco accipiendum esse eo modo, quo accipitur in Concil. Trid. sess. 24. c. 6. vbi conceditur facultas Episcopis, vt possint dispensare super irregularitatibus, &c. prouenientibus ex delicto occulto. Igitur hic, sicut & in Conc. Trid. occultum non accipitur secundum terminos iuris, id est, quod non potest probari, vt non bene senserunt Grassius tom. 2. cons. 2. nu. 20. de homicid. Garzias de benef. tomo 2. p. 7. c. 11. num. 4. Armendariz in add. ad recopil. l. Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. nu. 25. & alij.

Sed accipitur pro eo quod non est publicum etiam si ab aliquibus sciatur. Et ita docet Azor. p. 1. lib. 8. cap. 10. q. 9. Auila de cens. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 12 cōcl. 2. Suar. in 5. p. to. 4. disp. 30. sect. 2. nu. 2. & to. 5. disp. 41. sect. 2. nu. 6. Molina de iust. tomo 3. trac. 3. disp. 79. nu. 8. Comitol. in resp. moral. lib. 6. c. 44. nu. 2. Sanch in sum. to. 1. lib. 2. c. 11. nu. 19. Reginald. tom. 2. lib. 30. tr. 2. c. 3. n. 30. Filliuc. tom. 1. tract. 20. c. 10. nu. 269. Homob. de exam. Ecc. p. 1. tract. 4. c. 7. qu. 57. Florōn. tract. de cas. reser p. 1. cl. 4. §. 21. num. 2. Solerus de potest. confess. c. 3. Io. de la Cruz in direct. confes. p. 2. vbi de irreg. dub. 15. concl. 1. Megala in 1. p. lib. 1. c. 13. nu. 3.

Et ita in terminis casus nostri, notant Sanch. de matr. tom. 3. lib. 7. disp. 3. nu. 26. & Villalob. in summ. tom. 1. tr. 27. claus. 13. nu. 15. vbi sic ait. [Por occulto se entiende aqui lo que no es publico, y ansi aunque algunos supiessen el empedimiento y se pudiesse probar, se diria para este effecto occulto, y no publico, lo que se llama publico, lo que se sabe en la mayor parte de la Ciudad, Vezindad, Collegio, Monasterio, ò parochia, como tenga por lo meno diez personas.]

An quando Commissarius dispensat in impedimento, opus sit vt qui ignorauit impedimentum certior de illo efficiatur.

RESOL. CXIX.

Respondeo, quòd magna difficultas est, vtrum ad matrimonium inualidum ob impedimentum occultum ratificandum, cessante impedimento oporteat alterum coniugem certiorem facere de nullitate prioris matrimonij.

Prima opinio negat. Ita Caiet. Opus. tom. 1. tract 12. de matr. q. 2. Sot. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. cas. 1. Veracruz in spec. p. 1. art. 44. conc. 3. Grassius decis. p. 1. lib. 2. c. 80. num. 15.

Secunda verò sententia affirmat. Ita Villalob. in summa, to. 1. tract. 12. dub. 32. num. 6. Nauar. in manu. c. 22. n. 47. Philiarchus de off. sacer. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 13. Cuccus inst. maior. li. 5. tit. 12. num. 82. & alij.

Sed quicquid sit de hoc, certum est in casu nostro non valere dispensationem, vt patet ex verbis Bullæ, si coniux ignarus non efficiatur saltem in genere certior de impedimento. Et ita docet Rodriq. in Bull. §. 13. Sanchez de matr. to. 3. lib. 7. disp. 3. nu. 23. & Villalobos in sum. to. 1. tractat. 27. claus. 13. nu. 18.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

R. P. D.
ANTONINI DIANA
RESOLVTIONVM MORALIVM
Pars Secunda.

In qua sequentes tractatus continentur.

De Horis Canonicis. De Celebratione Missarum.
De Opinione probabili. Et alij tres Tractatus Miscellanei.

TRACTATVS XII.
DE HORIS CANONICIS.

Petrus beneficiatus in quadam Ciuitate huius Regni, per spatium septem annorum recitauit Officium sine debita attentione, & hoc voluntariè. Quæsitum à me fuit, an teneatur ad restitutionem fructuum, qui vnzias sexcentas superabant.

RESOLVTIO PRIMA.

RELINQVENDO illam quęstionem, an recitans Officium voluntariè distractus satisfaciat præcepto, dico circa præsentem difficultatē, quod affirmatiuè respondēt communiter DD. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 5. q. 40. Gauant. in Comment. Rubr. Miss. to. 1. sect. 1. c. 6. num. 4. Nauar. cap. 20. de orat. nu. 32. Graffius decis. aur. par. 1. lib. 2. c. 51. n. 7. Petrus à Nauarra li. 2. c. 2. n. 240. & seq. Vegha in sum. to. 1. c. 128. cas. 20. Suarez in 3. p. to. 5. disp. 4. sect. 2. n. 26. & de Relig. to. 2. li. 4. c. 26. Rodr. to. 1. c. 143. n. 1. Moneta de distrib. p. 2. q. 2. n. 20. Lorca in p. 2. to. 1. disp. 16. de legib. membr. 2. ad 5. Salas de legib. disp. 9. sect. 1. num. 24. Squill. de obligat. Clericorum, p. 1. dubit. 21. nu. 42. Fernand. in suo exam. Theol. mor. p. 3. c. 13. §. 8. Raphaele de la Torre in p. 2. to. 1. cōtr. 9. de Horis Canonicis, Vasq. opusc. de Beneficiis, c. 4. §. 1. dub. 4. n. 104. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa in collec. to. 1. li. 3. tit. 41. ca. 9. n. 20. & Syluius in 2. 2. q. 83. artic. 3. concl. 4. Et ratio est, nam cum attentio sit modus substantialis, non satisfacit quis præcepto Ecclesiæ sine attentione recitando, & ideo non dicitur recitasse, qui sic recitat, & sic contra eum habet locum pœna restitutionis imposita contra non recitantes.

Tamen, quia contrariam opinionem cēseo probabilem esse cum Lessio lib. 2. cap. 37. dub. 11. nu. 68. & Azorio p. 1. lib. 10. ca. 13. qu. 8. non imposui onus dicto beneficiario restituendi. Et ita hanc sententiam absolutè amplexi sunt, ex Neotericis Episcopus Antuerpiensis Io. Maldeius in 2. 2. tract. 10. c. 12. dub. 4. Paulus Layman in Theol. mor. li. 4. tr. 1. c. 5. nu. 10. Cardinalis Toletus li. 2. c. 12. n. 16. Medina, C. de orat. q. 16. Corduba in q. l. 4. q. 13. Henriquez li. 9. c. 25. n. 5. & Castrus de leg. pœn. li. 2. c. 5. Probatur hæc opinio. Nam secundū Caietanum, præceptum dicēdi Horas, distinctum est a præcepto dicēdi eas cum attentione; nam præceptum dicendi eas, simpliciter prius fuit latū, postea vero in ca. dolentes, fuit impositum præceptum de attentione. Vnde, qui dicit Horas sine attentione, satisfacit præcepto primo de dicendis Horis, nō autem secundo, de dicendis cum attentione; sed cum restitutio fructuum sit pęna cōtra beneficiarios omittentes diuinum Officium ille qui voluntariè distrahitur recitando Officium, illud non prætermittit, licèt malè recitet. Ergo non tenebitur restituere. Salua semper, &c.

Proxima disputationi merito adiuncta sit ista. An Clerici Religiosi, &c. recitantes Horas Canonicas sine attentione saltem virtuali, satisfaciant præcepto Ecclesiæ lato in c. Dolentes.

RESOL. II.

PRima opinio, est negatiua: sic omnes ferè recentiores, Fernandez in exam. Theol. part. 3. cap. 13. §. 6. nu. 1. Villalobos in summa, to. 1. tract. 24. dub. 15. nu. 6. Sotus lib. 10. quęst. 5. at. 5. concl. 7. Caietan. in 2. 2. quæst. 83. art. 13. Nauarrus de orat. c. 13. num. 18. & 19. Vasquez in parte 2. tom. 2. disp. 160. nu. 30. & 31. Medina in summ. lib. 1. cap. 4. §. 11. Nauarr. de restitut. li. 2. ca. 2. num. 240. Lopez in instruct. tom. 2. c. 103. Emanuel Sa verb. Horæ Canonicæ. num. 19. Pesantius in 2. 2. quæstio. 62. art. 2. dub. 2. Zerola in praxi Episc. parte 1. verb. Horę Canonicę, §. 4. Bera in

Q respons.

responf.caf.confc.par.2 caf.33. Comitolus in ref.moral li.1.q.63. Malderus in 2.2.tract.10.cap.2.dub.2. Monera de distribu. parte 2.q.2.nu.2.Carol.Macigni de Hor.Canon.cap.86.nu 16. Molfesius in summ.to.1.tract.4.cap.2.n 8. Syluius in 2.2 q.83. art.13.concl.4.& 5 Homob.de exam.Eccl.p.1.tract.4.cap.5.q.40. Viguerius instit. Theol. cap.5.§.ver.11. Gauant.comment. in Rubr.Missal.tom.2.sect.1.cap.6.tit.4.n.2. Bellocbius in praxi de caf reseru.p.2.q.15.num.19.Conradus in resp.caf.conf.p.1.quęst.244.Rodriquez tom.1.cap.143.nu.1. Vegha in sum.to.2.c.128.caf.20.Valentia to.3.disp.6.q.2.punct.10.Azorius p.1. lib.10.cap.16.quæst.6. Ledesma in sum.to.2. tract.9.c.4.concl.10. Squillante de oblig.Cler.p.1.dub.20.n.36.Suarez de Relig. tom.2.lib.4.cap.26.nu.3.& de censuris disp.4 sect.2.n.25 Aragon in 2.2 quęst.83.art.14.Sayr.de censur.lib.3.c.4.n.23.Salas de leg.disp.9. sect.9.nu.24. Lorca in p.2.to.2. de legib. disp.16. memb.2. Raphael de la Torre in parte 2. de Horis Canonicis, contr.9. Anton. Ragucius de Officio Canonic.in Choro q.19. num.2. & alij penes citatos. Probatur primo, quia in cap.Dolentes de celebratione Missarum, præcipitur, vt Officium diuinum celebretur studiosè pariter, & deuotè, quod significat internam attentionem, & deuotionem, vnde Glossa, *Deuotè*, quantum ad officium mentis. Secundo in dicto cap. Dolentes, Ecclesia præcipit verum actum orationis, sed actus externus sine interno, non est talis: Ergo ille non solus præcipitur. Minor probatur: quia oratio consistit in actu interno, est enim colloquium cum Deo: ergo requirit attentionem erga Deum.

Verum opinio contraria placuit Durando in 4.sent.distin.15. quæst.12.Syluester,ver.Horæ,nu.13.Medina Codice de orat.q.14.Ang.ver.Horę,nu.17.D.Antonin.3.p.tit.13.c.4.§.8.Rosella, ver.Horæ,num.13. Palud.in 4.dist.25.q.5.artic.2.concl.4.Et ex recentioribus illam amplexus est nouissimè Ægid.Coninch de Sacram.in 3.p.q.83. art.6.nu.291. & Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver.Horæ Canonicæ, diff 1. per totam. Et ego sine metu probabilem esse affirmo cum Lessio lib.2. c.37.dub.2.nu.63.in fine, & Henriq.lib.9.c.25.num.5. in Glossa litt.P. & Victorello in sum. Toleti lib.2. c.13.& Laym.in Theol.mor.li.4.tract.1.c.5.num.10. Vnde si quis cum distractione voluntaria recitaret Horas Canonicas, impleret præceptum, & consequẽter nõ peccaret mortaliter, neque teneretur repetere, aut fructus beneficij restituere. Et ratio est, quia nemo potest præcipere, aut vetare, quod non potest punire; nec potest punire, quod non potest cognoscere, & iudicare. Sed Ecclesia extra Confessionem non potest cognoscere, & iudicare actus internos. Ergo, dicẽdum, quod, non potest eos pręcipere, aut vetare.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respõdet Aegidius in illo c.Dolentes, solum præcipi actum studiosum externum; vt videlicet exerceatur cum talibus circumstantijs externis, quæ necessarię sunt ad constituendum actum externum religionis, ita vt non peccetur exterius contra religionem. Et hoc patet ex contextu, nam ibi agitur contra illos, qui in diuino Officio fabulantur cum sæcularibus. Ad secundum argumentum respondetur actum externum orationis debitè factum cum externa attentione, puta sine confabulatione, risu, &c. esse verum actum externum virtutis religionis, quemadmodum adoratio externa idolo facta, est verus actus externus idolatriæ, licet illum exercens non intendat interius adorare idolum.

Hæc doctrina est etiam applicanda in auditione Missæ, & sic satisfaceret præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, si quis Missam auditet voluntariè distractus, dummodo cum externa reuerentia assistat, ita vt verè possit dici hic, & nunc actum externum religionis exercere, ac cum Sacerdote celebrante propter illam externam attentionem communicare. Nam si aliter faceret, puta confabulando, ridendo, &c. non posset dici decenter, ac humano, & religioso modo audire Missam. Et hæc est opinio Aegidij de Coninch vbi supra, num.297. & post illum hanc sententiam docet etiam Layman in Theol.mor. lib.4. tract.7.c.3. num.2. Salua semper, &c.

Sępius coactus sum respondere ad istam dubitationem, An quis impleat præceptum recitandi Horas Canonicas, si in Officio feriæ recitet Officium alicuius Sancti, vel alterius feriæ.

RESOL. III.

DVas extare in hac re contrarias sententias, inueni. Negatiuam sequuntur Vasquez opusc. de Beneficiis, cap. 4. §.1. dub.2.num.60.Reginaldus tom.2. lib.18. ca.16. num. 172. Suarez de relig.tom.2.lib.4.c.23.nu. 11. Fernandez in examin. Theol.p 3.c.13 §.3.num.1.Fabrus de Sacr.Ordinis,dist.24.q.1. disput.1.num.146.Homobonus de examin.Eccles.par.1. tra.4. cap.5.quæst.42.Gauantus comment. in Rubric. Missal. tomo 2.sect.1.cap.5.tit.2. num.7.Onuphrius opusc.de mutat.Officii, Nauarrus de orat.ca.19.num.211.Iacobus de Graffeis decis.p.1.lib.2.c.51.nu.10.Philiarcus, tomo 1.par.1.lib.1.concl.6. Rodriquez tomo 1.quæst.42.art. 8 Bellarmin.tomo 3.lib.1.contr. 9.cap.18.Toletus lib.2.c.23. Ledesma in summa, parte 2. trac. 9.cap.4.concl.12. folio mihi 515. Ragucius de Officio Canonicorum in Choro, qu.17.num.2.Squillante de oblig. Clericorum par.1.dub.26.n.50. Tabiena, ver. Hora,q.10. & Molfesius in sum.to 1.tract 5.cap.2.num.50.Naldus in sum.ver.diuinum Officium nu. 10.Filliucius to.2.tract.23.cap.8.nu.186. Summa Corona p.1.c.1.n.10. Nam Pius V. præcepit Officium dici iuxta formam ab ipso præscriptam. Sed ad formam illam pertinet distributio Officii ad tempora, festiuitates, seu solemnitates, & dies. Ergo qui illam voluntariè ommittit, peccat mortaliter, neque adimplet præceptum.

Limitant hanc opinionem Suarez, Reginaldus, & alii, vbi supra; Quando Officii mutatio non fieret ex contemptu, & esset æquiualens in quantitate, vel ferè, nec animo eam sæpè pro libito faciendi, tunc enim inquiunt nõ esse peccatum mortale: etiamsi mutaretur Officium ex inaduertentia etiã culpabili. Requiritur tamen in hoc casu aliqua compensatio, si Officium omissum esset maius notabiliter, vt si in Dominicæ Officio, dicerent Officium alicuius Sancti, quia adimerentur ex nocturnis Dominicæ saltem nouem Psalmi, ne omittatur tanta pars Officii. Nam ita ex doctrina Raphaelis de la Torre 2.2.tom.de Horis Canonicis contr.9.n.6. mutatio formæ, redundaret in notabilem mutationem substantiæ Officii.

Sed hæ limitationes mihi parum placent. Nam vt benè notat Vegha in summa, p.1.c.128.cas.17.si non potest quis mutare Officium frequenter sine reatu peccati mortalis, nec erit licitum hoc facere vno, vel altero die; nam pro quolibet die est præceptum distinctum, & Officium cuiuslibet diei, onus illius est, ita quod in aliud non transit. Sicuti adest præceptum quolibet die in Quadragesima ieiunandi, & tamen qui vno die ieiunare omittit, peccat mortaliter. Illud etiam, quod addit Suarez de leuitate materiæ, non bene cadit in proposito. Nam licet mutans Officium recitet æquiualens in quantitate, non recitat id, quod debet, sed aliud diuersum Officium, & sic non satisfacit, perinde ac si non recitaret, sicut qui ex præcepto tenetur ieiunare, aut audire Missam, vel quid aliud facere: non satisfacit, si id commutet in aliud æquiualens, aut etiam maius euidenter, quia non facit rem præceptam.

Dicendum est igitur absolute, mutationem Officii, etiam dedita opera, non esse peccatum mortale, vt si loco Officii de Feria, dicatur de aliquo Sancto, &c. Tuentur hanc sententiam Caietanus ver.Horæ, cap.2. Layman libro 4.tract.1.cap.5.num.4.Zerola in praxi Episc. parte 1.ver. Horæ Canonicæ, num.6. Lessius de iust.lib.2.c.37.dub.12.nu. 77. Valentia tomo 3. disp.6.q.2.punct.10.Zerola in praxi Episcop p.1. verb.Horæ Canonicæ.num.6. Vega in summ.to.1.ca.128.cas.17. Binsfeldius in Enchir. Theol.parte 4 cap.9. concl.7.Syluest.ver.Hora, nu.15. Sotus lib.10.quæst.5.nu.4.Medina in summa libro 5.c.14 § 11. Medina de oratione, quæst.10. diffic. 10. Armilla verb. Horæ Canonicæ, num.7. Ioannes Azorius part.1.lib.20.c.10.quæst.2. & nouissimè Rodriquez in summa, tomo 3.c.195.n.3. Et hanc sententiam probabilem etiam putat nouissimè Filliuc. tomo 2.tract.23.cap.7.numero 227. Si quæris rationem, hæc erit; nã substantia præcepti recitandi diuinum Officium est, vt septem Horæ Canonicæ persoluantur. Sed quod Officium sit de feria, vel de Sanctis, pertinet ad modum accidentalem. Ergo per talem mutationem non violatur substantia præcepti, sed modus, ritus, & cæremonia, quæ quidem non est transgressio

gressio sufficiens ad peccatum mortale quicquid afferant Doctores contrariæ sententiæ. Ideo si quis sine causa, hanc mutationem facere, ex quædam acedia animi, vt facilius, & breuius Officium expediatur puto solum peccare venialiter, & si beneficium habet, non teneri ad restitutionem fructuum. Salua semper, &c.

Quæritur, an aliquis peccet mortaliter si Officium diuinum recitat cum notabili interruptione inter Psalmos eiusdem Horæ, vel Nocturni, vel inter ipsos Psalmos.

RESOL. IV.

AFfirmatiuè nonnulli respondent. Dicunt enim, si interruptio sit notabilis, & ad longum tempus, & sine causa, esse peccatum mortale, nisi repetatur postea Officium. Et ratio præcipua, quam adducunt est ista. Vnitas vniuscuiusque Horæ pertinet ad solemnem ritum, & formam præscriptam in his Horis recitandis. Sed hæc vnitas tollitur, vel multum minuitur per talem interruptionem. Ergo. Secundò per talem interruptionem priores, & posteriores Psalmi non efficiunt vnam orationem, & vnum Officium diuinum, & consequenter ex illis partibus sic interruptis, non constituitur Officium ex Vesperis, aut Completorio, &c. Ergo. Et ita hanc sententiam sustinent, Nauar. de oration. cap. 16. nu. 75. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 24. num. 10. Azor. p. 1. lib. 10. c. 8. qu. 5. Vasq. opusc. de Beneficijs cap. 4. §. 1. dub. 6. nu. 109. Reginald. tom. 2. lib. 18. cap. 12. sect. 4. n. 162. Squillante de obligat. cler. p. 1. dub. 15. num. 48. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 5. c. 2. nu. 38. Ragucius de officio Canonicorum in Choro q. 1. num. 4. Comitol. in respons. moral. lib. 1. qu. 66. nu. 2. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 3. ar. 3. dub. 4. cõcl. 2. in fine, Homob. de exam. eccl. p. 1. tr. 4. c. 4. q. 39. Carolus Macign. de Horis Canonic. c. 77. n. 12. & alij.

Sed mihi contraria sententia semper visa est etiam probabilis. Di.o igitur quamquam interruptio sit magni spatij & facta sit sine iusta caussa, non est peccatum mortale, non repetere recitata, & incipere ab initio. Sic Fernandez in suo exa. Theol. p. 3. c. 13. §. 7. num. 5. Aragon. in 2. 2. qu. 83. art. 12. in fine, Rodriq. tom. 1. c. 143. concl. 3. nu. 3. Vegha in sum. to. 1. c. 128 cas. 21. Zanardus in suo Direct. p. 1. c. 23. in explic. tertij præcepti, fol. mihi 624. Ledesma in sum. part. 2. tract. 9. cap. 1. fol. mihi 522. & tandem Barbos. in collect. tom. 1. li. 1. tit. 41. c. 9. num. 17. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 1. c. 5. nu. 6. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 24. dub. 11. nu. 4. Lessius lib. 2. c. 37. dub. 10. nu. 57. Nam vt obseruat Caietanus ver. Quando Horæ, §. quoad quartum, in istis circumstantijs si deficiant nõ incurri peccatum graue, quia nõ pertinent ad substantiam materiæ præceptæ. Et ideo si interruptio duret per vnam aut duas Horas, manet tamen substantia precum, quia singuli Psalmi, vt notat Lessius, imò singuli penè versiculi per se habent suum pondus, & significationem completam, & sunt per se, vel precatio, vel laudatio, vel sententia, non habens cum alijs necessariam connexionem.

Si igitur aliquis persolueret diuinum Officium cum magna interruptione, & sine iusta causa, non eum condemnarem de peccato mortali. Salua semper, &c.

Vtrum si quis omittat omnes Horas vnius diei, committat tantum vnum peccatum, an plura.

RESOL. V.

DOcet esse plura peccata Leonar. Lessius libr. 2. cap. 37. dub. 9. num. 53. Nam singulæ Horæ sunt distinctæ orationes, & distincta Officia, diuersis temporibus Deo soluenda, ad quorum singula obligantur sub reatu peccati mortalis. Ergo singulorum omissio erit distinctum peccatum mortale. Secundò in illo actu omittendi omnes Horas, saltem virtute septem distinctæ omissiones sunt volitæ, sed singulæ omissiones sunt distincta peccata externa. Ergò, &c. Vnde infert Lessius in confessione debere exprimi quot Horæ fuerunt omissæ. Hanc sententiam, sequuti sunt etiam Tabiena ver. Hora, q. 18. Fuscus de visit. lib. 1. cap. 20. num. 19. & videtur tenere Toletus lib. 2. cap. 12. numero 1.

At hæc opinio, quamuis sit probabilis, prorsus non est sustinenda. Dico igitur cum Nau. cap. 7. n. 6. de Oratione. Flaminio Paris. de resig. Benef. lib. 1. qu. 9. nu. 8. Graffio p. 1. lib. 2. c. 51. nu. 14. Vega in sum. p. 1. c. 128. cas. 3. Rodriq. in sum. to. 1. cap. 140. n. 160. Petro de Ledesma in sum. p. 2. tract. 9. c. 4. concl. 14. diffic. 1. fol. mihi 513. Sa ver. horæ, nu. 14. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10. Azorio p. 1. lib. 10. c. 7. q. 4. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. c. 25. nu. 18. Reginaldo tomo 2. lib. 18. ca. 11. sect. 3. nu. 145. & 1. Molfesio in sum tom. 1. tr. 5. nu. 9. cum Vasq. opusc. de Benef. c. 4. §. 1. dub 5. nu 71. Ortiz in sum. cap. 3. num. 21. Portel in dubijs Reg. ver. Horæ Canonicæ, nu. 5. præceptum de recitandis Horis Canonicis vnum esse, habens pro obiecto totum quoddam ex ijsdem septem Horis Canonicis integratum. Ergo illud non adimplere, erit vnum tantùm peccatum mortale.

Ad argum. Lessij respõdetur, omnes Horas esse partes vnius officij, tanquam vnius actionis moralis integræ, & ideo illius totius vna est omissio integra, atque ita vnum peccatum. Quod verò addit Suarez vbi supra, n. 19 quod omittere multas horas sit circumstantia necessariò in confessione aperienda, est reprobandum in nostra sententia, quæ docet solùm circumstantias mutantes speciem, & non aggrauantes esse confitendas: Salua semper, &c.

Quidam Canonicus recitabat Officium, non tamen canendo cum alijs in Choro; quæritur an hoc facere potuerit, sine peccato mortali: & distributiones quotidianas lucrari?

RESOL. VI.

DIfficilis est hæc quæstio. Nam pro parte negatiua sunt hi omnes, Beia in Resp. p. 1. c. 55. Sotus de iust. lib. 10. q. 5. ar. 4. Nauarrus de Oratione. c. 13. nu. 17. Graffius dec. lib. 2. c. 51. n. 12. & c. 52. nu. 22. & c. 53 nu. 45. & 21. Couvar. res. lib. 3. c. 13. n. 8. Columna de redditibus Eccl p. 3. c. 34. nu. 19. Pinellus in lib. 1. C. de bon. mater. p. 3. n. 16. Rodriq. in summ. tom. 1. c. 43. num. 5. Zech. in sum. p. 2. c. 83. nu. 12. Sum. Corona p. 1. c. 2. & alij citati à Moneta de distrib. quotid. p. 2. q. 2. num. 31. & à Garzia tract. de Beneficijs, tom. 1. p. 3. c. 2. nu. 513. Et ne dubia, ait Comitolus, lib. 1. q. 62. num. 1. videatur esse hæc sententia, sciendum est ita declarasse sacram Congregationem Illustrissimorum Cardinaliũ. Probatur hæc opinio. Nam institutio Canonicorum est, non vt adsint tantum in Choro, sed vt canendo assistant: & ob id eis dantur distributiones. Ergo si id non præstent, peccabunt, nec poterunt distributiones retinere. Antecedens patet ex authoritate Conc. Basiliensis, sess. 21. §. 3. Et in Concilio Aquisgranensi, c. 131. dicitur, *Canonicis religiosissimè in Choro standum, & psallendum est*. Et in Conc. Trid. sess. 24. capit. 12. sic habetur: *Omnes vero diuino, & per se, & non per substitutos compellantur obire Officia, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen deuote laudare*.

Sed licèt hæc opinio de iure antiquo, & ex institutione officij Canonicorum sit vera; tamen hodie, ratione consuetudinis, contrariam sustinendam esse iu ico cum Lessio lib. 2. c. 34. dub. 33. num. 185. Raph. de la Torre, in 2. 2. tom. 1. q. 83. de Hor. Can. contr. 10. disp. 7. fol. mihi 357. P. Nauar. lib. 2. Rest. cap. 2. n. 217. Aragon. in 2. 2. qu. 83. art. 12. dub. vlt. Garzia, de Beneficijs, tom. 1. part. 3. cap. 2. nu. 517. & Cened. in suis quæstionibus Canon. qu. 2. vbi fusè confirmat hanc opinionem. Et idem docet Ricc. in sua praxi tom. 1. resol. 362. numer. 3. Io. de la Cruz in direct. consc. præcep. 3. art. 3. dub. 7. concl. 4. & Petrus Ledesma tom. 2. tract. 9. cap. 3. concl. 31. vide etiam Gauantum in Comment. ad Rubr. Miss. tom. 2. tract. 1 c. 5. rit. 5 nu. 3.

Ad responsionem Caidinalium, quam affert Comitolus, respondetur de illa non constare authenticè. Ad Concilium Basileense, & Aquisgranense respondet Cenedo vbi supra, nu. 16. ibi non præceptum, sed consilium dari: vtuntur enim Patres verbo, *debent*, quod consilium denotare videtur. Quod si aliquis contendat esse præceptum, respondemus iam consuetudine legitimè præscripta ei esse derogatum. Ad Concil. verò Triden. ait Lessius vbi supra numer. 186. præceptum illud non dirigi ad Canonicos, sed ad Prælatos, vt conuenientibus iuris remedijs Canonicos cogant, vt canant in Choro: vnde peccant Prælati, si id negligant: non autem Canonici sua consuetudine vtentes, quamdiu a Prælatis non vrgentur. Sed hæc Lessij responsio mihi non placet; ex eo quod Concilium dicens, quod Canonici compellantur per se obire diuina Officia, atque in Choro psallere, vult eos ad id teneri: & ait quod ad id com-

pellantur tanquam ad rem, ad quam tenentur: nam compulsio & executio præsupponit obligationem. Dicendum est igitur Concilium in hoc non esse receptum, sed eandem consuetudinem post illud durare, & esse continuatam, quia Episcopi, & alij Superiores non curarunt in hoc illud executioni mandari, sicut & alia multa. Vnde clarum est non obligare. Vide Azorium p.1.lib.10.c.11.q.6. Squillante de oblig.cler.p.1.qu.29.nu.59. Reginald to.2.lib.28.cap.12.num.175.& Suarez de Relig. tom.2.lib.4.c.12.

An Canonici confabulantes in Choro, aut exercentes aliquas actiones præfatæ attentioni externæ repugnantes, teneantur ad restitutionem distributionum quotidianarum.

RESOL. VII.

TEneri putat Petrus de Ledesma in summa, tom.2.tract.9.c.4.concl.vlt.difficul.1.& 2.Raph.de la Torre in 2.2.tom.1.quæst.83.de Horis Canonicis, contr.10.disp.9.num.5. Vegha in sum.p.1.c.128.cas.10.& p.2.cap.102.circa finem. Lopez in instr.tom.1.c.246. Summa Corona p.1.c.1.num.93. Squillante de oblig.cler.p.1.dub.30.nu.62. Suar.de Relig.tom.2.lib.4.c.14.n.9. Sotus de iust.l.b.10.q.5.art.4. Graff dec.aur lib.2.c.51.nu.12.& c.52.num.22. Arragon.in 2.2.q.83.art.12.& alij. Et ratio est, quia ita, verbi gratia, confabulando non solùm non habent attentionem internam, sed neque externam. Ergo non satisfaciunt præcepto assistendi in Choro, & ideò non possunt lucrari distributiones: adde, quod non potest dici quis præsens esse alicui rei tunc, cum ad aliud attendit, l.coram Titio, ff.de verbor. signific. Ergo, &c.

Hæc opinio videtur prorsus tenenda, sed inuenio cõtrariam amplexatam esse ab Alphonso Manriq. in instr.ordin.relig. Sacerd.& Episc sub tit.de maior. ordin. Cord.in suo qu. lib.4.13.dub.vlt.in fine, Medina in sum.lib.1.c.14.§ 11. Zecchio de Repub.Eccl.c.24.de Canonicis, sub nu 6.& nouissimè à Garsia de Beneficijs tom.5.p.3.c.2.nu.514. vbi asserit Canonicos notabiliter confabulantes in choro peccare mortaliter propter c. Dolentes, de celebrat. Missarum non tamen teneri ad distributionum restitutionem propter c. licet de præbendis, & c.vnic. de cler.non residen. in 6. vbi sola præsentia requirit ad lucrandas distributiones, Et licet hæc opinio, quam etiam videtur tenere Toletus libr.2.c.12 n 6. improbetur multis rationibus à Moneta de distribut.p.2 qu.2.nu.22 & à Pirro Cenedo in suis qq. canonicis, q.2 num.7. tamen Garsias vbi supra videtur, ait, ita esse consuetudinem, & praxim Ecclesiarum, quod notent viri docti, & iudicent.

Quidam Sacerdos habebat beneficium curatum cum multis oneribus, vt missa, &c. & per multos annos multoties relinquit Horas Canonicas: quæsiuit à me, an teneatur restituere in integrum omnes fructus interim perceptos.

RESOL. VIII.

SCiebam à quodam Theologo responsum affirmatiuum habuisse, & probabiliter; nam ita tenet Malder. in 2.2. tract.10.c.2.dub.4. Lorca in p.2.tom.2 disp.24.de legib.memb.1.ver. in iure autem Canonico, Suar. de relig. tom 2.lib.4.c.30. nu.4. Vasquez in p.2.tom.2.disp.168.nu.34.& 35. Azorius p.1.lib.10. c.14.q.5. Petrus à Nauar.lib 2.c.2.nu.217. Valentia tom.3. disp.6.q.2. punct. 10 Squillante de oblig. cler.p.1.q.31. num 66.& alij. Ratio est, quia in Concilio Lateranensi vltimo sub Leone X.sess.9.§. statuimus, & in constit.138. Pij V. decernitur, vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione, sine legitimo impedimẽto Officium diuinum recitare omiserit, pro tempore, quo nonrecitauit fructus suos faciat, imò eos impendere tamquam rem iniustè captam in fabricam Ecclesiæ, aut eleemosynas pauperum teneatur. Super quas Pontificias Constitutiones, videndi sunt Nauar. in manuali c.25.n.122. Summa Corona p.1.c.1.nu.93. Fuscus de visitatione, l.b.2.c.20.n.22. M.Ant. Cucchus in inst. lib.5. tit.7.nu.39. & Gigas de pensionibus, q.30.

At ego contrariam sententiam, tanquam probabilem, ei, si illam sequi vellet, demonstraui. Nam Syluius in 2.2.qu.83.ar. 13.concl.4. Homob.in exam eccl.p.1.tract.4.c.5.qu.42. Molfesius in summ.tom.1.tract.5.cap 3.n.26. Fernandez in suo exam. Theol.p.3.c 13 § 8.n.2. Henriq.lib.13.c.13.num.2. Toletus lib.2.c.12.nu.2. Sotus lib 10.q 5. art.6 Arragon.2.2.q.83. artic.13. Medina lib.1.c.14.§ 11. Petrus de Ledesma in sum to.2.tract.9.c.4. concl.11. Raphael Torres in 2.2. tom.1.q.83.de Horis Canonicis contr.9.nu.40. Lessius lib.2.c.34.num.77. asserit, qui habet beneficium curatum, non teneri restituere, nisi partem correspondentem obligationi recitandi Horas, vt verbi gratia, Parochus & Episcopus quintam partem pro rata restituant, reliquas quatuor, ratione tituli, & onerum retineant. Canonicus quartam partem restituat, alij beneficiarij tertiam. Hæc Henriquez, qui citat Lopez, Pennam, Cu..uos, Gallos, & alios. Licet ...lis moderatio videatur Lessio iusto laxior, præsertim in Canonicis & alijs, qui non habent aliud onus, quam precum. Vnde eam limitat ad eos beneficiarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem. Toletus lib.2.c.12. num. 9. putat, pro toto omisso Officio restituendam esse tertiam partẽ fructuum illi diei respondentium: quem sequitur Fernandez vbi supra. Tandem d..m in ti.e huius dubitationis doctrinam ...tabilem lo.de Salas de legib.disp.15 sect.2.nu.27. qui contra Vasq. putat, quod si contingat Canonicum Canonicatus grossam prius verè, & absolutè lucrari, antequam Officium omittat, nihil eius debere restituere, quia pœna non est, vt fructus iam suos restituat, sed vt non faciat fructus suos. Hæc ille.

Petrus habebat beneficium pere viguum, & tenue, & relinquebat sæpius recitationem Horarum Canonicarum. Quæritur an peccarit, & teneatur ad restitutionem.

RESOL. IX.

COmmunis sententia, docet beneficium, quamuis tenue obligare ad Horas Canonicas. Ita tenet Victorellus in summam Toleti lib.2.ca. 14. Aloysius Riccius in sua praxi, par. 2.resol.406. Paulus Comitol.in suis resp.moral. lib.1.qu.68. D. Antoninus p.7 tit 13.c.4.§.1 Gauant.commen.in Rubr. Missalis tom.2.sect 2.c.4.nu.3. Rosella, ver. Horæ Canon.num.1. Tabiena ver.Hora, n 2. Armilla ver. Horæ Canonicæ, num ... Syluest.ver.Hora, num.3. Nauarrus de Oratione, c.7.nu.37. Couarruuias lib.3.var.c 13.num.8. Beia in Resp par.1.cas.55. Graffius dec.aur.par.1.lib 2.c 50.nu.18. Summa Corona p.1.c.1. nu.92. & ex recentioribus, Gregorius de Valentia, to.3.disp.6.quæst.2. punct.10. Azorius p.1.lib.10.c.3.quæst.3. Suarez de Religione, tom.2.lib.4.c 21.nu.4. Reginald.tom.2.lib 30. tract.3.sect.1.n.33. Et ratio est, quia vt ait Medina. C. de Oratione, qu.7. habetur in cap. Clericus victum, dist.91. vt Clericus, quem sui beneficij fructus alere non possunt, quærat suo labore, & artificio victum sine detrimento officij sui, vbi Glossa, ver. Vigilijs, eandem sententiam tenet, quia talis Clericus sibi ipsi præiudicium fecit, cùm se propria sponte promoueri permiserit, tum etiam, sicut vir contrahens cum muliere modicè dotata, tenetur semper, & vbique eam alere: sic beneficiatus tenetur, ait Glossa, officiare Ecclesiam, licèt pauper sit. Secundò Concilium Lateranense sub Leone X. sess.29. cap.9 quemlibet habẽtem beneficium, siue cum cura, siue absque cura animarum, si post sex menses ab eo obtento, omiserit dicere Officium diuinum, priuat fructibus ipsius beneficij & obligat illos restituere fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Nec valet dicere, Concilium non esse extendendum ad habentem beneficium tenue: nam verba Concilij generalia sunt, & vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus. Tertiò, quamuis beneficium sit tenue, gaudet tamen beneficiarius cæteris beneficiariorum priuilegiis. Ergo. Hinc intrat opinio Vasq. opusc. de Benef.cap.4.§.1. dub.5.num.24.

Sed, si aliquis contrariam sententiam sequi voluerit cum Azorio, vbi supra, & Molfesio in summ.tom.1.tr.5.c.3. n.29. non esse condemnandum censeo, nam illam sequuntur doctissimi viri, Lessius, Ledes. Sotus, Malderus, vbi infra, Arragonius in 2.2.q.83.art.12. Rodriquez in summ.tom.1. cap.140.nu.3. Vegha in summ.p.1.cap.128.cas.13.& nouissimè Raphael de la Torre in 2.2.tom.1.q.83.de Horis Canon. contr.6. disp.5. & contr. 7. num.16. Nam qui altari deseruit, de Altari viuere debet, iuxta Apostol.1. Corinth.9. ac proinde, qui Ecclesiæ seruit, de eius prouentibus viuere debet. Ergo beneficium debet tribuere

saltem

saltem bonam partem moderatæ sustentationis, alioquin beneficiatus non censebitur viuere de Ecclesia; deinde, parum pro nihilo reputatur. Ergo, qui tenue beneficium habet, non censetur esse beneficiarius.

Sed si quæras, quodnam censetur tenue beneficium, vt quis ratione fructuum illius non teneatur recitare Horas Canonicas. Respondet Sotus lib. 10. q. 5. artic. 3. quando non habet supra octo aureos, Lessius lib. 2. c. 34. dub. 31. nu. 169. quando non suppeditat bonam partem tenuis sustentationis, verbi gratia 15. vel 16. aureos. Plus addit Petrus de Ledesma in summa, p. 2. tract. 9. c. 4. concl. 5. diffi. 4. folio mihi 563. ait enim; (A mi parece aunque el beneficio diez, y seis ducados, y aun veynte no lo obligaria a rezar.) Et tandem Malderus in 2. 2. D. Thomæ, tr. 10. c. 2. dub. 3. existimat illud esse exiguum beneficiū, quod tertiam partem mediocris sustentationis alicuius vulgaris Clerici non adæquat. Aduerte tamen quod licet Lessius & Molfesius, vbi supra, obligent tales beneficiarios, qui tenue beneficium habent, aliquoties per annum dicere Horas Canonicas, verbi gratia, Festis, & Dominicis diebus, prout ratio dictauerit. Tamen puto cum Maldero loco citato, si Officium etiam in his diebus non recitauerint, non teneri ad restitutionem, quia non faciunt contra præceptum Ecclesiasticum, sed contra legem naturalem; quam legem etiam adimplerent non dicendo Officium diuinum, si suppleant hoc aliis orationibus, vel alio Dei cultu. Quod est maximè notandum, ad tollendos scrupulos.

An Regulares, vel alij, relicta consuetudine, vel Religionis, vel Ecclesiæ, secluso aliquo præcepto, possint priuatim diuinum officium secundum Breuiarium Romanum recitare.

RESOL. X.

Negatiuè respondent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Augustinus Barbosa in collect. to. 1. lib. 3. tit. 41. cap. 1. nu. 10. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria sententia, quam docet Portel in dubiis Regular. verb. Horæ Canonicæ, nu. 9. Rodriquez in summa, tom. 3. c. 195. nu. 2. Lessius, lib. 2. c. 37. dub. 12. nu. 74. Emanuel Sà, ver. Horæ, num. 6. vbi sic asserit. Extra Chorum potest quisque dicere Officium Romanum. Et ratio est, quia talis adest consuetudo. Secundò, quia Pius V. etsi insinuet in Bulla non esse mutandum Officium publicum ducentorum annorum, absque consensu Episcopi, vel Capituli: nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari Imò contra Garziam de beneficiis, tom. 1. p. 3. cap. 1. num. 150. & alios, si aliquis Clericus sæcularis vno, vel altero die diceret Officium per aliud Breuiarium à Romano, verbi gratia, Breuiarium sancti Dominici, &c. puto ita recitando non peccare mortaliter, quia cum hæc mutatio parua sit, non videtur notabiliter aduersari menti summi Pontificis. Et ita docet Io. de la Cruz in Direct. consc. part. 1. præc. 3. art. 3. dub. 4. concl. 2. Nauarrus cap. 19. num. 217. & Reginaldus tom. 1. lib. 18. cap. 12. nu. 171. proposi. 4. vbi asserit, tunc peccare ita recitantem, quando talis permutatio Breuiarij, viris doctis, & piis minia appareret.

An qui priuatim diuinum Officium recitat, debeat ita illum pronunciare, vt seipsum audiat.

RESOL. XI.

Affirmatiuè respondet Reginaldus in praxi, tomo 2. libr. 8. cap. 12. dub. 5. quæstio. 174. vbi ait; vocem eius, qui solus, & priuatim recitat Horas Canonicas, non debere esse ita summissam, vt non audiat seipsum. Idem etiam docet Suarez de Relig tomo 2. lib. 4. cap. 7. num. 6. Quando (ait) quis recitat solus, moraliter necessarium est, vt ipse saltem seipsum possit audire; quia vox debet esse audibilis, ergo saltem ab ipso orante. Nam profectò, etiam physicè loquendo, vix potest formari vox, quæ ab ipso loquente audiri non possit, seclusis impedimentis, quæ erunt per accidens, moraliter etiam videtur id necessarium, vt possit quis humano modo explere illud præceptum, & certus fieri, quod illud sufficienter executioni mandauerit. Ita Suarez.

Non reticeam tamen opinionem contrariam docere Azor. p. 1. lib. 10. c. 11. quæst. 4. vbi ita loquitur. Sanè si quis solus diuinum Officium persoluat, satis est, si sic recitet, & proferat, vt verè dici queat ore, & voce preces fundere, siue ab alio, siue à se audiri possit, siue non; quoniam à iure solum cogitur voce, & ore, & non tantum mente, & animo precari, & orare. Ac proinde, si reuera linguam & labia moueat: voce orat, non mente dumtaxat. Satis igitur est, si dum recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, vt seipsum percipiat, & intelligat, & non solum in gutture pronunciet. Hæc Azorius. Quam quidem opinionem pro scrupulosis tantum admittit Filliucius, to. 2. tract. 23. c. 3. nu. 117. ita asserens. Probabile tamen est, quod dicit Azorius, satis esse vocem formare, labia mouendo, etiamsi à nemine, neque ab ipso proferente audiri possit. Quod propter scrupulosos dictum volo.

An qui priuatim diuinum Officium persoluunt, debeant alternatim Lectiones recitare, vel satisfaciant, si vnus tantum illas recitet, & alter socius tantum audiat.

RESOL. XII.

Alternatim dictas Lectiones recitandas esse videtur docere Azorius, p. 1. lib. 10. c. 7. q. 9.

Sed contrarium facientem non audet reprobare Villalobos in summa, to. 1. tract. 24. dub. 11. num. 4. vbi ita asserit. (Quando rezan dos juntos no han menester dezir ambos las Antiphonas, como se dizen en el Choro, que basta, que vno de los dos, las diga, en el dezir las Lectiones, dize Azor, que ha de dezir cada vno la suya, otras las dizen, vno la de vo Notumo, y otro las de otro, y es mejor manera de dezir, otras vezes las dize todas el, que lee mejor de los dos, o el mas moco: y no me parece, que esto se pueda condenar, que assi lo veo en costumbre.)

An qui detinetur in pulsandis Organis, vel transferendis libris ex vna parte in aliam, vel in thure præbendo, &c. teneatur per seipsum illam partem recitare, si saltem non audierit.

RESOL. XIII.

Respondet affirmatiuè Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 14. num. 13. & alij. At mihi probabilis videtur etiam contraria sententia, quam docet Layman in theol. moral lib. 4. tra. 1. c. 5. nu. 7. Molfes. in summa, tom. 1. tract. 5. c. 1. nu. 21. Azorius p. 1. lib 10. cap. 13. qu. 10. Naldus, ver. officium diuinum, num. 7. Arragon. in 2. 2. q. 83. art 12. in fin. & Reginaldus tom. 2. lib. 18. c. 13. num. 188. ita asserens. Ad hanc causam referri potest occupatio quærendi Psalmos, aut libros necessarios transferendi, aut peragendi aliquid aliud Choro necessarium, vt quærendi prunas ad thurificandum, ac thurificandi tempore Magnificat, & Benedictus, aut pulsandi Organa. Quod enim illis sic occupatis Chorus interim recitat, aut canrat, à se, nec dictum, nec auditum, non supplentes: non videntur peccare, eo quod Chorus, cuius ministerio seruiunt, tam suo, quam aliorum ministrantium nomine recitat, aut cantat. Ita ille. Et Villalobos in summ. to. 1. tract. 2. dub. 16. n. 14. cum Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 3. art. 3. dub. 7. concl. 1.

Idem dicendum est de eo, qui vt benè pronuntiet lectionem in Choro iniunctam, occupatur dum Chorus canit in ea perlegenda, excusatur ab auditione; aut recitatione eorum, quę tunc a Choro dicuntur, & ita docet Raphael de la Torre in 2. 2. to. 1. contr. disp. 7. nu. 12.

Vtrum recitantes Officium extra horas præscriptas, peccent mortaliter.

RESOL. XIV.

Respondeo cum communi DD. sententia negatiuè; & cum causa, neque peccatur venialiter. Iustam autem causam puto cum Lessio, & aliis esse maiorem deuotionem, vel periculum superuenturæ occupationis. Imò, quod est valdè notan-

notandum contra Filliucium,to.2.tract.25.ca.6.num.217.Suarez de Relig.tom.1.lib.4.c.15.num.12.Azorium,p.1.lib.10.c.9.q.1.& alios etiam recitantes Officium in Choro extra horas præscriptas, si scandalum non adsit, satisfacere præcepto, nec peccare mortaliter. Et ita docet Valentia,tom.3.disp.6.quæst.2.punct.10.& post illum Bonacina tract.de Hor.Can.disp.1.qu.3.punct.3.n.7.& Gauant.in com.Rubr.Missal.to.2.sect.1.c.5.to,6.n.5.Layman in resol.mor.lib.8.tract.1.c.3.n.6.& alij.

An si quis recitaret Matutinum sequentis diei, antequam Officium illius diei persolutum fuerit, peccaret mortaliter, & non satisfaceret præcepto.

RESOL. XV.

QVidam olim affirmatiuè respondit. Sed nescio qua ratione, nam, ita faciens peccat quidem venialiter, quia inuertit ordinem vtriusque Officij; sed substantiam præcepti omninò adimplere dicendum est. Et ita docet Villalobos in summ. to.1.tract.24.dub.13.nu.1. Vasquez opusc.de benef.c.4.§.1.art.2.nu.66. Suarez de Relig.to.2.lib.4.c.24.nu.3.& Reginald.to.2.lib.18.c.–.nu.180.cum alijs.

Vtrum si aliquis inuertat ordinem Officij, vel ordinem eiusdem Horæ peccat mortaliter.

RESOL. XVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Vasquez opusc.de Benefi.cap.4.§.1.art.2.dub.4.nu 66. ita asserens. Caietanus inquit, quod ordinem inuertere horarum non est mortale peccatum: vnde factum causa rationabili, nullum erit; sine ea autem facturo, erit veniale, & Sotus non audet hoc reprobare. Ego sanè, si rationabili fiat causa, nec venialis culpæ damnabo; si verò irrationabili, bis, aut ter, mortalem culpam nō agnoscam; tamen sæpissimè, aut ex more id facere, existimo à mortali culpa non esse liberum, quoniam nimium iam ordini derogaret, & consuetudine Ecclesiæ communi. Quod enim semel, ac iterum fiat, non censetur ita grauiter consuetudinem Ecclesiæ lacerare, & disrumpere, & ideo non esset mortale. Et idem dicerem, si inuerteretur ordo Psalmorum, quod à veniali culpa nūquam excusari poterit, si quidem causa nulla esse potest, quæ excuset: idem enim est ei, qui hanc horam recitare debet, hoc, aut alio ordine Psalmos dicere; vnde si non seruat ordinem, sine causa facit. Ita Vasquez.

Hæc sententia est probabilis. Sed contrariam probabiliorem esse existimo, quam aduersus Vasquez docet Bonacina tract.de Horis Canon.disp.1.q.3.punct.4.num.5. Et ratio est, quia, vt docet Reginald.tom.2.lib.8.cap.12.nu.166. Squillante de oblig. Cler.p.1.dub.24.nu.47.Lessius lib.2.c.37.dub.12.nu.80. Villalobos in summa,tom.1.tract.24.dub.13.num.1.& alij communiter, ordo non est de substantia, & per consequens, talis defectus versatur in quodam accidenti. Imò contra Suarez de Relig.to.2.lib.4.c.11.nu.10.Macignum tr.de Horis Canon.cap.45.num.5.& alios, putat Bonacina vbi supra, hoc etiam procedere, si aliqui in Choro inuerterent ordinem Horarum; nam secluso scandalo, & alijs circumstantijs, ita facientes, asserit, non peccarent, & ita enim post Bonacinam docet Gauantus in Comment,Rubr. Missal.to.2. sect.1.c.5.tit.8.nu.5.

Vtrum Moniales, seu deputati ad Chorum, teneantur sub onere peccatis mortalis persoluere Horas Canonicas.

RESOL. XVII.

AFfirmatiuè respondeo cum communi Theologorum sententia. Ita docet Macignus tract. de Horis Canon. capit.53.nu.28. Malderus in 2.2.tract.10.c.2.dub.3. Gauantus Comment in Rubr.Missalis,to.2.sect.1.cap.4.nu.10. Bellocchius in praxi de cas.reseru.parte 2.q.15.nu.8. Arragon. in 2.2.q.85.art.12. Conradus in Resp cas.consc.parte 1.q.240. Graffius dec.p.1.lib.2 c.50.nu.6. Layman in Theol.mor.lib.4.tr.1.c.4.n.4. Sotus lib.10.q.5.art.1. Rodriquez tom.2.q.10 artic.8. Toletus, lib.2.cap.2. Nauarrus,cap.25.0.97. Paludanus in 4. dist.15.quæstio.5.art.3. Gabriel ibidem,quæst.8.art.2. conclus.2. Emanuel Sa, ver. Horę Canonicæ,nu.1. Reginaldus,tom.2.lib.18.c.12.num.150, Filliucius tom.2.tract.23.c.3 n.150. Lessius lib.2.cap.37.dub 9.nu.49.Suar.de Relig.tom.2.lib.4.c.27 nu.6. Azorius par.1 libr.10.cap.6.q.1.& Portel in dubijs Regul.ver.Horę Canonicæ nu.3. Ioan. de la Cruz in direct.consc.p.3.præc.3.art.3.dub.4.conclus.1.& alij. Et hoc, ex vi consuetudinis, ad culpam mortalem obligantis.

Caietanus verò dubitat de tali consuetudine, & idem docet Medina, Complutensis, Cod de orat.tract.6. Armilla, ver. Horæ Canonicæ,num.4. Vide etiam Alphons.de Castro,lib.1. de leg. pœn.cap.8. qui negat Fratres Prædicatores in sacris non constitutos peccare, si relinquant Officium, nisi ex decimis, alijsque redditibus Ecclesiasticis alantur. Et ideo Vegha in summa tom.1.cap.128.cas.7. priorem sententiam, quam ipse tenet, probabiliorem vocat. Ergo secundum Vegham, sententia excusans Moniales à priuata recitatione Horarum probabilis est.

Non grauabor etiam hic apponere verba Henrici Villalob. in summ.tom.1.tract.24.dub.9.num.8. vbi sic asserit. (La duda esta si de hecho ay esta costumbre, que Cayetano no supo della, y no lo puedo asegurar, porque lo he preguntado a personas de algunas Religiones, y no la hallo firme, aunque Suarez dize, que casi todos testifican della, y para que se introduzga costumbre, que obligue a peccado mortal, ha de ser a sabiendas con animo de obligarse, y no por yerro, pensando, que esta vn hombre obligado. Y no me persuado, que se aya introducido esta costumbre, desta manera, tambien haze contra esta costūbre, para que no obligue, como ley, que deue ser puesta esto porquien tiene autoridad, y no la tienen los moços, que no tienen veynte y vn años, y mucho menos las mugeres, por si solas, y assi parece, que no puede hazer ley, todo esto lo digo disputando, para que otro los mugen, que ami hazeseme riguroso condonar a nadie a peccato mortal, no siendo el derecho muy claro, mas soy de parecer, que se siga en esso la opinion comun, que es mas segura, y en cosas morales tienen grande autoridad los Doctores, aunque la tienen mas las buenas razones.) Ita Villalobos.

Sed etiā hic apponam verba doctissimi Raphaelis de la Torre in 2.2.contr.6.disp.2 num.11. vbi sic ait. De consuetudine non intercisa recitandi Horas priuatè, etiam quando Moniales à Choro absunt, audio viros doctos, & pios dicentes vigere, & viguisse, alios verò dubitātes, sed ego non auderem eas ab hoc onere liberare. Ita ille, & ego.

Vtrum Monachus fugitiuus teneatur retinere Officium diuinum.

RESOL. XVIII.

COmmuniter affirmatiuè respondēt. Ita Malderus, Suarez, Filliucius, & alij apud Bonac. vbi infra, quibus adde Layman in Theolog.moral.lib.4.tract.1.c.4.n.2. Villalobos in sum. tom.1.tract.24.dub.9.

Sed contrariam sententiam docet Martinus Bonacina tract. de Horis Canon.disput.1.q.2.punct.2.nu.6.& hanc sententiam extendit etiam quoad Monachum eiectum à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum. Et ratio est secundum illum, quia Monachus in his casibus constituitur in statu, in quo non est consuetudo recitandi diuinum Officium, & quamuis redire possit ad Monasterium, tamen desinit esse Monachus, vel saltem non est in statu, in quo ex consuetudine obligetur ad Horas Canonicas; licèt in praxi contrariam sententiam putet esse consulendam.

Nec valet dicere, quod si esset vera talis sententia, Monachus reportaret commodum ex suo delicto, nam tale commodum Monachus reportaret non per se, & directè, sed per accidens, quia est in statu, vbi consuetudo non obligat ad preces. Ergo, &c.

Vtrum Superior cum suis Religiosis possit dispensare circa obligationem recitandi Officium diuinum.

RESOL. XIX.

NEgatiuè respondet Raphael de la Torre in 2.2.to.1.contr.7 disput.7.num.14. Suarez de Relig.tom.2.libr.4.c.28.num.41.

num 41. Reginaldus to. 2. lib. 18. c. 12. nu. 141. & 186. Filliucius tom. 2. tr. 23. cap. 9. n. 304. Macignus tract. de Horis Canonicis, c. 22. nu. 8. & videtur inclinare Tannerus in 2. 2. disp. 5. quęst. 1. dub. 5. num. 175.

Sed mihi contraria sententia semper probabilis, & tuta in praxi visa est, & illam docet Lessius li. 2. c. 37. dub. 9. n. 51. quem postea sequitur Gauantus in comment. rub. Missal. to. 2. sect. 1. c. 5. tit. 1. nu. 6. Villalobos in sum. tom. 2. tr. 24. dub. 9. n. 12. vbi ita asserit. (Dize Lessio, que le parece, puede el Prælado dispensar con iusta causa en el rezo con los professos del Choro, que no estan ordenados de orden sacro, como pueden dispensar en los de mas estatudos de la Religion, aunque sean obligatorios, si da por iusta causa los estuditos, o negocios, lo qual me parece probable.)

Itaque potest ex iusta causa Superior cum suis Religiosis dispensare circa recitationem Horarum. Nec valet dicere, quod nullus Superior in simili casu dispensat, nam etiam si hęc facultas non esset in vsu, non ex hoc sequitur, quod si aliquis Superior velit illa vti, non possit, quia facultas aliquid faciẽdi, absq; aliorum grauamine, non amittitur per non vsum, vt notant communiter Doctores. Ergo, &c.

Vtrum Clerici Minores teneantur recitare Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniunxit?

RESOL. XX.

Respondet affirmatiuè Villalobos in sum. to. 1. 24. dub. 7. nu. 4. Layman in Resol. mor. lib. 4. tract. 1. c. 4. nu. 5. Suarez de relig. to. 2. lib. 4. c. 16. nu. 15. Azorius p. 1. lib. 10. c. 5. q. 4. Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 46. & alij. Sed Sotus de iust. lib. 10. quæst. 5. art. 3. & Valentia tom. 3. disput. 6. q. 2. punct. 10. asserunt, teneri tantum ex honestate, & ideo illos omittentes, non peccarent mortaliter.

Vnde a fortiori, etiam puto contra Nauarrum, & alios Episcopos non posse præcipere dictis Clericis aliquid singulis diebus recitandum, vt ex Suarez notat Filliucius to. 2. tr. 23. c. 5. nu. 148. Laymã & Villalobus vbi supra, cum multis alijs, quicquid in contrarium afferat Martinus Bonacina trac. de Horis Canonicis, disp. 1. q. 2. punct. 4. nu. 2. Sed tu tene primam sententiam, quia communis est, & probabilior.

An beneficiarius teneatur persoluere Horas Canonicas, statim ac beneficij collationem acceperit?

RESOL. XXI.

Respondet affirmatiuè Carolus Macigni tra. de Horis Canonicis, c. 10. n. 25. Garsias de Beneficijs, to. 1. p. 3. c. 1. num. 92. & alij penes ipsos.

Sed ego contrariam sententiam semper tenui, quam docet Lessius lib. 2. c. 34. dub. 30. nu. 167. Henriq. lib. 3. cap. 13. nu. 2. Vegha in sum. to. 1. c. 128. cas. 18. Gauantus comment. in rubr. Missalis, to. 2. sect. 1. c. 4. n. 5. Parisius de resign. benefic. lib. 1. q. 9. nu. 15. Malderus in 2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 3. q. 7. Suarez de relig. tomo 2. lib. 4. cap. 19. n. 7. Molfesius in sum. to. 1. tract. 5. cap. 3. n. 3. & alij, quos ipsi citant. Dico igitur, tunc beneficiarium debere Officium diuinum persoluere, quam pacificam beneficij possessionem iam accepit, & non antea, quia ante dictam possessionem non potest exercere iura beneficij. Ergo consonum est, vt ad onera beneficij non obligetur.

Vtrum qui ratione Ordinis sacri, & beneficij tenetur persoluere Horas Canonicas, si illas non recitet, peccet dupliciter, & sit ista circumstantia in confessione aperienda?

RESOL. XXII.

Respondet affirmatiuè Fagundez de præcept. Eccl. tr. 2. lib. 4. c. 5. nu. 23. Azorius, p. 1. lib. 10. cap. 14. q. 7. Suarez de rel. tom. 2. lib. 4. c. 18. nu. 5. Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 6. Squillante de obligat. Cleric. p. 1. dub. 34. n. 71. Carolus Macigni de Horis Canonicis, c. 10. nu. 5. & alij, quia talis Clericus omittens Officium diuinum, violat duplicem virtutem, specie diuersam, violat enim virtutem religionis ratione Ordinis sacri, & virtutem iustitiæ ratione beneficij.

Hæc sententia est probabilis, sed contraria est probabilior, quam tuetur Homobonus in exam. Eccles. part. 1. tract. 4. c. 5. q. 42. Henriquez lib. 12. c. 12. num. 3. in Glossa, littera O, Garsias de beneficijs, tom. 1. part. 3. cap. 1. nu. 125. Salas in parte 2. tomo 2. tract. 13. disput. 3. sect. 2. num. 17. & alij, quia Clericus beneficiarius tenetur persoluere Horas ratione tantum religionis, & non iustitiæ. Ergo vnicum peccatum committit, quia violat vnam tantum virtutem.

An qui omisit aliquo die omnes Horas Canonicas, vel notabilem illarum partem, teneatur in Confessione aperire id quod omisit, vel sufficiat dicere, se mortale peccatum commisisse in non persoluendo diuinum Officium?

RESOL. XXIII.

Aliqui asserunt, non satis esse ita dicere, sed explicandam esse quantitatem Officij omissam, si sit magna, & numerum Horarum. Et ita docet Bonacina de Sacram. disp. 5. sect. 3. punct. 2. §. 3. nu. 17. Garzias de benef. tomo 1. p. 3. c. 1. n. 142. Hẽriquez lib. 5. cap. 7. nu. 6. Bellocchius in praxi de cas. reser. p. 2. q. 15. nu. 74. & alij penes ipsos.

Sed ego puto cum Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 33. n. 70. & alijs, satis esse, si Clericus se accuset, asserendo commisisse culpam lethalem in recitatione Horarum. Notandum est etiã contra Nauarrum, & alios, quod habens plura beneficia non committit tot peccata, quot sunt beneficia, vt optime notat Garzias vbi supra, nu. 124. Azorius, p. 1. lib. 4. c. 1. q. 5. & alij.

An beneficiarius, qui alio die supplet defectum in recitatione Officij commissum, liberetur ab onere restitutionis?

RESOL. XXIV.

Respondet affirmatiuè Molfesius in summa, to. 1. tract. 5. c. 5. num. 17. & hanc sententiam probabilem esse existimat Bonacina de Horis Canonicis, disput. 1. qu. 5. punct. 1. nu. 5. quia in tali casu rependit æquale. Secundò, quia Capellanus, qui ratione Capellaniæ hodie tenetur celebrare, si alio die celebret, ad nullã restitutionem tenetur; Ergo, neque beneficiarius, qui alio die Officium supplet.

Sed contrariam sententiam tenet Henriq. l. 13. c. 13. num. 2. & alij communiter. Et ratio est, quia Pius V. in Bulla asserit, eum qui non recitat suo tempore, non facere fructus suos, deinde beneficiarius non recitans Horas Canonicas, ipso facto, absque alia Iudicis declaratione incurrit pœnam restitutionis fructuũ; sed nemo potest propria authoritate eximere se à pœna, quam contraxit. Ergo, &c.

Nota etiam, quod malè à Molfesio, & Bonacina citantur Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 29. nu. 11. & Filliucius to. 2. tract. 24. cap. 10. num. 307. pro affirmatiua sententia: nam loquuntur de restitutione fructuum facienda à beneficiario pro omissione Horarum in primis sex mensibus, de quibus non loquitur Pius V. in Bulla, vnde de hac quæstione in sequenti Resolutione dicetur.

An beneficiarius non recitans primis sex mensibus teneatur iure naturali ad aliquam restitutionem?

RESOL. XXV.

Respondet affirmatiuè Suarez de Relig. tom. 2. libr. 4. c. 29. nu. 12. Valent. to. 4. disp. 6. q. 2. punct. 10. & alij apud Garziam de Benef. tom. 1. p. 3. ca. 1. num. 10. Quia beneficiarius non recitans in primis sex mensibus, videtur peccare cõtra iustitiam commutatiuam, nam beneficium datur propter Officium, ergo recipiendo mercedem, & non laborando, tenetur ad aliquam restitutionem.

Sed licèt hæc sententia sit probabilis, probabilior mihi videtur contraria, quam docet Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 22. §. 8. n. 1. Filliucius tom. 2. tract. 24. c. 10. num. 308. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 32. nu. 170. Malderus in 2. 2. tract. 10. c. 2. dub. 4. Carolus Macigni de Horis Canonicis, cap. 28. num. 11. & alij

penes

penes ipsos. Vide etiam Homobonum in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 4. q. 42. & Gauantum in rubr. Missal. tom. 2. sect. 1. c. 5. tit. 1. num. 5. Et ratio est, quia lex Ecclesiastica, quæ tota causa obligationis est, ad id non obligat. Ergo, &c.

Ad argumentum contrarium respondeo, beneficiarium non teneri ad persoluendas Horas Canonicas, ex iustitia commutatiua, sed ex obedientia, vel Religione, vnde si aliquis beneficiarius omittens dicere officium, imponens sit ad restituendos fructus, non solet obligari ad restituendum in bonis spiritualibus, vt notat Filliucius loc. cit. Ergo, &c.

Quanam pars Officij omissa à beneficiario sit leuis, vt non obliget ad restitutionem.

RESOL. XXVI.

Circa hoc mihi summopere placet sententia Vincentij Filliucij to. 2. tract. 23. cap. 10. nu. 259. dum asserit, pro omissione minori, quam vnius Horæ integræ, non esse aliquid restituendum: potest igitur beneficiarius peccare mortaliter, omittendo dimidiam Horam, sed non teneri ad restitutionem. Idē dici potest de Matutino proportionaliter. Reginaldus verò lib. 30. tractat. 5. cap. 4. num. 44. ex Suarez, putat omissionem, quæ in recitatione Officij constituit peccatum mortale, obligare ad restitutionem. Sed tu tene sententiam Filliucij, etiamsi fructus respondentes illi parti omissæ, sint magnæ, & notabilis quantitatis.

Nota etiam, quod si beneficiarius omittat partem notabilē Officij, si pars fructuum correspondens sit tam parua, vt non pertingat ad peccatum mortale in materia furti, tunc vtique beneficiarius non tenebitur illam sub mortali restituere.

Notandum est etiam Martinum Bonacinam tract. de Horis Canonicis, disp. 1. q. 5. punct. 2. num. 15. docere, non esse improbabilem opinionem asserentem, quod qui eodem die in singulis Horis paucos versiculos omitit, qui simul sumpti grauem, & notabilem materiam construunt, non teneatur ad restitutionem. Et ratio est, quia lex definit obligationem restituendi pro singularum Horarum omissione. Et licèt ipse respondeat ad hoc argumentum, tamen, vt dixi, hanc sententiam probabilem esse existimat, quam ante absolutè docuerat Pet. Moneta tract. de distribut. part. 2. cap. 3. num. 22. vbi sic ait. Optimè Nauarrus infert, non satisfacere præcepto recitandi Horas eos, qui dum cantant, aut recitant, omittunt tantam partem versuum, vel Psalmorum, etiam deglutiendo, corrumpendo, vel syncopando verba, vel syllabas, vt ex ita omissis, vel corruptis fiat notabilis pars. Quod tamen intelligendum est, non de omnibus Horis simul, sed de singulis Horis: nam quod in vna Hora omittetur, non est cum eo, quod in altera omittitur computandum, ad constituendum notabilem partem, cum quælibet Hora vnum totum integrum, & perfectum per se constituat. Ita Moneta. Qui etiam num. 42. cum Bonacina vbi supra, n. 12. liberat ab onere restitutionis distributionum, non solum eum, qui ad Chorum accedit post primum Psalmum, seu post primū Hymnum, iuxta Ecclesiarum consuetudinem; verum etiam, qui præter hanc partem reliquerit recitare aliam partem, quæ non attingat materiam notabilem, iuxta Doctorum sententiam, de qua materia notabili nos supra diximus. Quę sunt valde notanda Confessarijs, vt in praxi sæpius occurrentia.

Cui sit facienda restitutio ex omissione Horarum.

RESOL. XXVII.

Respondeo faciendam esse fabricæ Beneficij, vel pauperibus, vt patet ex Bulla Pij V. & ex Doctoribus communiter, sub nomine verò fabricæ continentur non solum propria Ecclesia beneficij, sed fabrica domus beneficij, in qua beneficiarius habitat, vel alterius domus ipsius beneficij, vel vtilitas in emendis, vel meliorandis agris, vt fructus in perpetuum augeātur. Ita Suarez de relig. to. 2. lib. 4. c. 30. nu. 19. & alij.

Sub nomine vero pauperum intelliguntur etiam pauperes alterius loci, in quo non est situm beneficium, & intelligitur etiam ipse beneficiarius sit pauper, & id non fiat in occasionem non recitandi, & eius mater, fratres, aut sorores, non solum si sint mendici, sed etiam si necessarijs ad decētiam personæ, & status careant, quales sunt multi nobiles, Ita Faustus de Horis Canon lib. 2. quæst. 283. & Villalobos in summ. tom. 1. tr. 24. dub. 17. num. 9. Fernandez in examin. Theol. p. 3. ca. 12. §. 87. num. 3. & alij.

Hæc etiam restitutio potest fieri Missis, & alijs suffragijs in vtilitatem defunctorum; nam ipsi sunt etiam indigentes. Ita Filliucius to. 2. tr. 23. c. 10. n. 325. qui citat Suarez, & alios.

Quando Medicus dubitat, an propter timorem grauis damni teneatur infirmus dicere Horas Canonicas, an ipse æger illas persoluere sit obligatus.

RESOL. XXVIII.

Sententiam affirmatiuam docere videtur Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 28. nu. 21.

Sed mihi placet opinio Bonacinæ tr. de Horis Canonicis, disp. 1. q. 6. punct. 2. n. 5. vbi sic asserit. Cum verò Medicus ipse dubitat, an morbus grauis sit, vel leuis, seu recitatio nocitura sit, ęgrotum ad Horas recitandas, non teneri arbitror, quia non tenetur se periculo grauis damni exponere, quicquid in oppositū sentire videatur Suarez. Ita ille. Filliucius verò to. 2. tr. 23. c. 9. n. 393. Villalob. in sum. to. 1. tract. 14. dub. 16 n. 2. & Malderus in 2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 5. putant in tali casu quando videlicet Medicus est dubius, recurrendum esse ad superiorem pro dispensatione, sed opinio Bonacinæ est probabilis.

An æger, qui potest recitare maiorem partem Officij teneatur illam persoluere.

RESOL. XXIX.

Affirmatiuè respondent communiter DD. Sed notandum est cum Rodriquez in sum. p. 1. c. 45. & Garzias de benef. to. 1. p. 3. c. 11. n. 222. quod qui non potest recitare Matutinum, cum Laudibus, ad nihil tenetur, quia licet, hæc non sit maior officij pars, nihilominus est pars illius prima, & præcipua.

An si quis non haberet Breuiarium, sed sciret Psalmos, teneatur illos dicere sine Lectionibus in Matutino, vel Capitulis, & versiculis in Horis.

RESOL. XXX.

Negatiuè respondet Filliucius tomo 2. tract. 23. cap. 9. num. 287 vbi sic ait. Si quis non habens Breuiarium possit recitare memoriter totum Officium, vel integram aliquam Horam, tenetur: si autem Psalmos tantum sciat, non autem Lectiones, Orationem, & Capitula non tenetur. Ratio est, quia illi Psalmi, vt sic non sunt Hora Canonica, ad quam Clericus obligatur. Ita ille, & citat Nauarrum, & Suarez. Idem etiam docuit Garzias de benef. tomo 1. p. 3. c. 1. nu. 221. & Malderus in 2. 2. tract. 10. c. 2. dub. 5.

Notandum est tamen, quod si sciret alias Lectiones, siue Capitula, & Orationes, teneretur sic dicere Officium secundum sententiam Villalob. in summa, tomo 1 tract. 24. dub. 16. nu. 11. vbi sic asserit. (Si este sabe de memoria los Psalmos de las Laudes, y Horas menores, y debe rezarlas, poniendo qualesquiera Capitulos, y Oraciones, que se le accordaren, porque con esso cumple con la substancia del rezo. Y si tuuiesse Diurnal, debe tambien rezar los Maytines si estan alli los Psalmos de las Ferias, y dezir Leciones de nuestra Señora, ó de los Defunctos, que aunque la mutansa es mucha, no es substancial.) Sed hæc opinio mihi non placet, quia ego non teneor dicere aliud Officium, nisi Officium currentis diei. Ergo, &c. vide etiam infra Resolut. 43.

An Canonicus, qui abest à Choro sine causa, animo amittendarum distributionum tempore absentiæ respondentium peccet mortaliter.

RESOL. XXXI.

Respondēt affirmatiuè Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. c. 10. nu. 17. & c. 13. num. 5. Garzias de benef. to. 1. p. 3. cap. 2. num. 319. & seq. Filliuc. to. 2. tr. 23. c. 7. nu. 207. Squillante de obligat. Cler.

Cle r.p.1.dub.28.num.57. & alii, asserentes Canonicos, & obtinentes dignitates, seu portiones, non posse tuta conscientia, nisi per tres, vel quatuor dies abesse à Choro, vltra tempus à Concilio Tridentino permissum, & Garsias, pro hac sententia, adducit tres Cardinalium declarationes.

Hæc opinio videtur mihi probabilior. Sed quia multi de hoc nullum sibi conscientiæ scrupulum faciunt, vt à peccato illos immunes faciamus, dicendum est, contrariam sententiam esse probabilem, & ita illam vocat, licet oppositâ teneat, Martinus Bonac. tract. de Horis Canon. disput. 2.q.1 puuct.2.num.3. post Sylue strum, Caietanum, Nauarrum, & alios, quâ etiam sententiam absolutè docuit Reginald in praxi t m.2. lib.18.cap 13.n. 175. in fine cum limitatione, nisi ta is absentia à Choro efficiatur per contemptum, aut ob eam Offi ium diuinum non diceretur in Ecclesia, aut saltem non diceretur cum debita solemnitate. Ex his apparet Canonicum, qui ad Chorum accedit, sed priuatim diuinum Officium recitat, pec are tantum venialiter, etiamsi in Choro tant m quatuor assistant. nam vt notat Carolus Ma igni tr. de Horis Canon.c.56.nu.24. quatuor Canonici sufficiunt ad constituendum Chorum.

An qui recitat Officium cum notabili abscissione vltimarum syllabarum, peccet mortaliter, & teneatur denuo recitare?

RESOL. XXXII.

Negatiuè resp ndet Filliucius tomo 2.tract. 23.cap.7.num. 242. Azorius, parte prima, libro 10. cap. 4.q æstio.11. Et ra io est, quia non violatur p æc p um in re graui; nam cum tali abscissione perseu rat adhuc sens s, & significatio verborum, vnde si abscissio syll barum variaret notabi iter sensum verborum, sic recitans tene e ur den ò rec are. Et ideò Villal b.in summa, tomo 1.tract.24.dub.10.num.7. sic asserit. (El Officio diuino se ha de d zir sin si copar, pronunciando hastas las vltimas palabras mas el que por mala pronunciación, o impencia pronunciare mal, cumple con esso, y quando alguno lo hiziesse con aduertencia, aunque peccaua, no por esso que aria obliga o à boluer à rezar el offici , como dize Azor, porque guarda la ca q anto à la substancia; lo q al entiendo, qua do non fuesse muy graue el excesso, porque si fuesse tal que corrompiesse el Officio diuino de industria, no comp iria.) Ita ille.

Igitur, qui voluntariè persoluendo Horas Canonicas, syllabas abscidit, nō tenetur sub pecc to m rtali diuinum Officium repetere, nisi notabiliter sensus verborum corrumperet, quod rarò solet accidere. Nota etiam, quòd qui cum tal recitaret Officium, satisfaceret suo muneri, nec teneretur Officium repetere, nam si socius ita recitans satisfacit, vt probatum est, etiam & ipse satisfaciet. Notandum est etiam cum Filliucio 10. 2.tract.23. cap.6. num 210. quòd ad hunc defectum reducitur nim a celerita in canendo, moraliter enim non potest fieri sine syncopa & aliqua abscissione syllabarum, & etiamsi absque illa efficiatur, tamen est in ca sa, vt audientes non possint verba percipere, & attendere, vnde ordinariè est tantum peccatum veniale, neque obligat ad iteratam recitationem officij, nisi adsit contemptus, vel graue scandalum, seu notabilis corruptio, & deformatio verborum in toto cantu, vnde Sylulus n 2.2.qu.83. art.13.concl.5. sic asserit. Non censetur aliquid ommittere, qui alternatim legens, aut cantans cum alijs sui Chori, versus integrè recitat, alteriusverò auscultat, modos suos nō mchoet, prius quam alter finierit: si verò secus faciat, mortaliter, aut venialiter peccabit, secundum quod fuerit magna, vel parua quantitas verborum ita absumptorum, neque satisfacit præcepto Horarum, quando erit notabilis. Ita ille.

An qui submissa voce, alijs canentibus, persoluit Horas Canonicas, possit percipere distributiones?

RESOL. XXXIII.

Respondent communiter, satisfacere obligationi diuin Officij recitandi, sed non posse distributiones, quæ canentibus conferuntur, percipere.

Sed ego puto cum Filli ucio tom. 2.tra 9.23.c.6.num.196. & Martino Bonacina tr. de Horis Canon. disput. 1.qu.3.punct.11. num.17. ita subm ssa voce recitan em posse percipere mediam partem di tr bur onum, qu a non deest in totum suo muneri, cum assistat Choro Offic um submissè recitet, & cæteros audiat. Quam quidem doctrinam, adue sus Bonacina Villa ob. in summ.tom.1.tr.24.dub.10.num.9. & Portel in dubiis Regul. verb. Horæ Canonicæ, num.15. putant procedere etiam in casu quos Canonicus non caneret, sed tantum assisteret, qu a distributiones etiam pro assistentia conferuntur. Igitur Canonicus assistens, & non canens potest sibi med etatem distributionum retinere. Et ita docet Beja, p.1.cas.55. & Carolus Macigni trac. de Horis Canonicis, c.68.nu.3. & alij.

An beneficiarius, si intra annum per octo, vel decem dies omisit Officium teneatur ad restitutionem?

RESOL. XXXIV.

Aliqui respondent negatiuè, & i a nouissimè docuit Io. de la Cruz in direct. consc.p.1.præcept.3. art.3. dub.6. concl.3. vb sic asserit. Beneficiarij, si intra annum omittant recitare per decem dies, nihil restituant, quia sunt serui liberalissimi Domini, qui multo minus, quam domini tēporales, ad pauca attendit Et ita expl candus est motus Pij V. Ita ille, qui citat Me inam Salmanticensem, & Lopez; Ortiz verò in sum.cap. 2.num.22. ext ndit hoc ad vnum, vel alterum d em. Sed an opinio supradictorum DD. non obstante Bulla Pij V. sit probabi is, iudicio aliorum remitto: nam illam tanquam minus probabilem noluit admi tere nouissimè Sylulus in 2.2.quest.83. ar. 13. concl.4.

An si aliquis habeat priuilegium recitandi Breuiario breui, vel dicendi Horas ante tempus, possit socius recitare eodem modo cum illo absque culpa?

RESOL. XXXV.

Affirmatiuè respondeo, & ita docet Portel in dubiis Regular. ver. Horæ Canon. num.8. & Henriquez lib. 7.c. 30. num.4. Et ratio est, quia id, quod priuilegium dispon t in vno ex correlatiuis, extenditur ad a iu d co relatiuum. Nota etiam, quod Episcopus re igiosus potest recitare cum socio secum recitante per Br u a ium suæ Ecclesiæ. Ita Rodriq. in summa, to. 4.c.68. nu.10. & Portel vbi sup.num. 24.

An Prælatus Religiosi addictis Breuiario Romano possit in publica recitatione ex causa iusta dispensare in Officio vnius diei, vna, vel altera vice?

RESOL. XXXVI.

Respondeo, quod dictus Prælatus non potest mutare aliquid de dicto Breuiario, absque licent a Papæ, nam id clare præcipit Pius V. in Bulla præfixa dicto Breu ario; vnde non pot. fi præcipere, vt recitetur tale Officium non contentum in tali Breuiario, nec concessum ordin per al quod priuilegium. Potest tamen ex caus iusta dispens re vna, vel altera vice, vt aliquod Officium dicatur extra illud oppositum in Breuiario pro illa die. Et ita docet Portel in dubiis Regul. ver. Horæ Canon.nu.7. & Suarez de relig. to.2.lib.4.c.11.num.6. qui citat D. Antoninum, Tabienam, Armillam, & Nauarrum, quibus adde Raphaelem de la Torre in 2.2.tom.1.c.nr.8.nu.6. Sed nouissimè mihi asserunt contrarium decreuisse Sacram Cardinalium Congreg. quod an sit verum, nescio.

Qui incepit recitare Officium, animo non satisfaciendi pro tunc, sed postea iterando, & tamen pertæsus, postea vult satisfacere illa prima recitatione; quæritur, an satisfaciat obligationi, cum illa prima recitatione?

RESOL. XXXVII.

Negatiuè respondet Carolus Macigni tr. de Hor. Canon. c. 48.nu.8. & Azorius p.1.lib.10.c.1.q.7.

Sed contrariam sententiam puto omnino sustinendam esse cum

cum Portel in Addit. ad dub. Regulat. ver. Horæ Canon. nu. 5. Lessio lib. 2. c. 37. dub. 10. nu. 59. Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. ca. 13. n. 16. Arragon. in 2. 2. q. 83. art. 3. Henriq. lib. 9. c. 15. n. 9. Garzias de benef. to. 1. p. 3. c. 1. nu. 198. Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 22. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10. Vasq opusc. de benef. c. 4 § 1. dub. 7. n. 114. Molfes. in summ. to. 1. tr. 5. §......c. 2. nu. 40. & 52. Naldus in sum. ver. diuinum officium, n. 3. & 8. Filliuc. to. 1. tr. 23. c. 8. q. 1. num. 251. & alij.

Et ratio est, quia ad implendam obligationem legis sufficit, vt quis faciat omne illud, quod lex imperat, quamuis non habeat intentionem satisfaciendi tali legi, per leges enim solum præcipitur libera, & humana externi operis executio, & non vt fiat ex tali intentione. Cum ergo talis verè actu humano, & libero Officium recitet, quantumuis nolit satisfacere, verè præcepto satisfaciet.

Et idem dicendum est de auditione Missæ, vt alibi diximus, & de pœnitentia à Confessario iniuncta. Nec opus est, vt volũtas mutetur tempore opportuno, idest intra obligationis præcepti tempus, & velit per Officium præcedens satisfacere præcepto; quia ego puto, quod non tenetur postea mutare intentionem, intendendo satisfacere priori Officio: sed satis est, si se satisfecisse sciat, non obstante contraria sua voluntate. Et ita docet Sanchez loc. cit. n. 14. & 15 quicquid in contrarium probabiliter etiam afferat Suarez in 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 3. & Arrag. in 2. 2. q. 83. art. 13. & alij.

An Prælati Regulares ratione Officij teneantur ad assistentiam Chori.

RESOL. XXXVIII.

Respondeo cum Raphaele de la Torre in 2. 2. tom. 1. contr. 10. disput. 1. num. 8. quod peculiari obligatione, tenentur habere curam, vt Chorus, sicut par est, frequentetur, sed ad sui præsentiam personalem non tenentur præcepto, id directè præcipiente, sed ob circumstantiam personæ, & propter aliorum exemplum, intra obligationem regulæ, magis tenebuntur, quàm cæteri. Quamuis ex alia parte propter plures, & grauiores occupationes, sæpius à frequentatione Chori etiam magis, quàm cæteri, excusabuntur.

In qua hora possit quis dicere Matutinum sequentis diei.

RESOL. XXXIX.

Respondeo communiter ab hora quarta post meridiem. Et ita docet Filliucius to. 2. tr. 23. c. 8. nu. 271. vbi ita ait.

Quolibet tempore dici potest Matutinum ab hora quarta post meridiem, quæ Vere, & Autumno: hoc est Martio, & Aprili in Vere; Septembri, & Octobri in Autumno, coincidit cum hora vigesima prima horologij Solaris, vel artificialis. Æstate autem hoc est, Maio, Iunio, Iulio, & Augusto est hora vigesima cum dimidia plus minus. Hyeme denique, hoc est mẽse Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario est circa vigesimam primam cum dimidia. Gauantus verò in commen. rub. Miss. tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6. Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit 41. cap. 1. nu. 5. Henriquez lib. 9. c. 24. num. 7. in Glossa, littera P, putant ab hora tertia post meridiem Matutinum sequentis diei persolui posse; sed hoc non approbat Villalobos in summ. to. 1. tract. 24. dub. 12. num. 5. Non reticeam tamen Molfes. in summ. tom. 1. tr. 5. c. 2. num. 59. & Fabrum de Sacram. ordinis, dist. 24. quæst. 1. disp. 1. num. 148. docere post horam vigesimam, posse aliquem recitare Matutinum vna cum Laudibus Officij diei crastinę: vnde secundum illos, præceptum recitandi Officium diuinum, incipit à vespere huius diei vsque ad mediam noctem diei crastinæ.

Vtrum clerici Religiosi damnati ad triremes teneantur dicere Horas Canonicas.

RESOL. XL.

Prima opinio affirmatiua est. Ita Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 1. c. 4. n. 2. Gauant. comment. in rub. tom. 2. sect. 1. c. 4 num. 16. Io. Azor. p. 1. li. 10. c. 5. quæst. 9. quam opinionem Rodriq. vbi infra tribuit Syluest. ver. hora, quæst. 9. sed immeritò. Nam, vt benè notat Nauarrus c. 7. num. 17. Syluester. verb. hora, quæst. 3 & alij communiter: Clerici suspensi, interdicti, & excommunicati tenentur persoluere Officium diuinum. Ergo, ait Azorius, idem iuris erit in eo, qui per sententiam Iudicis fuerit ad triremes damnatus, aut à Turcis captus in triremes coniectus, & remigandi ministerio addictus.

Secunda opinio est Emanuelis Rodriqu. in sum. to. 3. c. 134. concl. 15. nu. 15. vbi asserit. (El ordenado de orden sacro hechado à galeras segun Syluester ver. hora, q. 9. obligacion tiene de rezar el oficio diuino, lo qual entiendo, que sara verdad, quando commodamẽte puede rezar, porque si no pudiesse commodamente rezar, la Iglesia, que es su madre no lo quere afligir en tan miserable estado.)

Sed mihi placet tertia opinio negatiua, quam docet Homobonus de examin. Eccles. part. 1. tract. 4. ca. 4. quæst. 32. Sonis de iustitia, lib. 10. quęst. 5. ar. 3. Sanchez de matrimon. li. 8. disp. 8. n. 11. Leonardus Lessius de iustit. lib. 2. cap. 37. dub. 9 n. 43. Nam, vt ait ille, visus est in contrarium, tũ quia satis habẽt afflictionis dum vt in illo supplicio detinẽtur, tum quia animus rarò talibus ad obsequendum est paratus: & etiam, quia id cederet in dedecus ordinis Ecclesiastici, si in illa hominum colluuie, ostenderent suum statum. Quæ quidem omnia non militant in Clericis suspensis, interdictis, & excommunicatis. Vnde patet responsio ad argumentum Azorij; est enim dispar ratio, inter Clericos damnatos ad triremes, & suspensos, & excommunicatos. Dicendum est igitur, dictos remigantes absolutè non teneri ad recitandum Officium diuinum.

Quanam paruitas materiæ excuset à peccato mortali in omnibus Horis Canonicis.

RESOL. XLI.

Nauarrus cap 10. de orat. num. 44. cum Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 37. nu. 69. asserunt partem notabilem vnius Horæ, esse totum principium cum Psalmo.

D. Antoninus citatus ab Azorio p. 1. lib. 10. c. 7. quæst. 3. Macignus de Horis Canon. cap. 26. num. 2. Malderus in 2. 2. tract. 10. cap. 2. dub. 3. & alij asserunt, tertiam partem Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij esse partem notabilem. Sed hæc opinio, & à fortiori illa Nauarri dura mihi videtur. Nam vt notat Angelus, verb. Horæ, num. 18. quem sequitur Lessius libro 2. cap. 37. dub. 9. num. 52. etsi vna hora sit materia grauis, & sufficiens, vt sub peccato mortali præcipiatur, non tamen inde sequitur, tertiam eius partem talem esse, alioquin etiam tertia pars vnius Psalmi talis dicenda esset. Itaque etsi omittere Sextam, vel Nonam integram sit peccatum mortale, non tamen sequitur mortiferum esse, si tertia pars Sextæ, vel Nonæ omittatur.

Dico igitur cum Fernãdez in suo examin. Theolog part. 3. c. 13 §. 7. num. 3. Bellochio in praxi de cas. reseru. parte 2. quæstio. 15. num. 46. Vegha in summ. tomo 1. cap. 228. cas. 15. Petrus de Ledesma in summa, tom. 2. tract. 9. c. 10. concl. 14. & Reginald. in praxi to. 2. lib. 18. cap. 12. nu. 145. in horis breuioribus, vt Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, partem notabilem esse dimidiam partem. Si quis ergo ex Nona, verbi gratia, id relinqueret, quod non attingeret dimidiam partem, non peccaret mortaliter, nec teneretur ad restitutionem fructuum, si haberet beneficium. Vide etiam Lor a pr. secundæ, to. 2. disp. 16. membr. 2. de legibus.

Et hæc, vt diximus, intelligenda sunt circa Horas breuiores. Quid circa Matutinum, Laudes, & Vesperas? Sanchez in summ. tomo 1. lib. 1. cap. 18. num. 8. ait, quod in matutino Ferię, vel Sancti simplicis omissio trium Lectionum, & earum Responsorium esset materia parua, secus si esset Matutinum Festi duplicis, aut semiduplicis, in quo nouem Lectiones, & octo Responsoria omittenda essent. Sed in his verbis Sanchez non dat regulam generalem pro omnibus Officijs & Horis, Gauantus in Comment. ad Rubr. Miss. tomo 2. sect. 1. cap. 5. tit. 1. num. 4. & Suarez de Relig. tomo 2. lib. 4. cap. 35. numero 16. ait necessarium esse, vt non dimittatur pars alicuius Horæ, quæ æquiualet minimę Horæ, si autem hanc non attingat, non videtur esse peccatum mortale. Antonius Ragusius in trac. de offic. Canonicorum in Choro, quæst. 13. num 4. asserit in

Horis

Horis maioribus, vt in Matutino, & Laudibus, & Vesperis notabilem partem esse quartam partem cuiuscumque Horæ, & non minorem.

Hæ sunt opiniones, quas in hac materia apud Doctores inueni, omnes quidem probabiles, tu Lector quam malueris, accipe; Sed dices, quare in Horis breuioribus, diximus partem notabilem esse dimidiam, non autem in Horis maioribus. Respondeo, quia quando totum aliquod est magnum, puto partem minorem tertia, notabilem esse. Sic dies festus constat viginti quatuor horis à media, vsque ad aliam mediam noctem. Ergo tertia pars est octo horarum, & tamē si quis in dies Festo opus seruile, non solum per octo, sed per quinque, aut quatuor horas faceret, peccaret quidem mortaliter. Ergo, &c.

Notandum est etiam contra Suarez, quod paruitas, quæ excusat à mortalem recitatione Horarum priuata, excusat etiā in recitatione publica Chori, nisi tamen interueniat scandalum. Et ita docet Bonacina tract. de Horis Canon. disp. 1. q..... punct. 1. nu. 3.

An quis teneatur priuatim recitare Litanias in diebus Rogationum, si non adsit in Chorosiue in Processionibus?

RESOL. XLII.

Respondet affirmatiuè Tannerus in 2. 2. D. Thom. disput. 5. quæst. 1. dub. 5. nu. 148. Gauantus in comm. ad rubr. Missal. tom. 2. sect. 6. cap. 16. num. 3. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 25. num. 7. Bonac. tract. de Horis Canon. disput. 1. q. 3. punct. 1. num. 13. & alij.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quam docet Carolus Macignus de Horis Canon. cap. 29. n. 18. & post illum Vasquez opusc. de benef. c. 4. §. 1. art. 2. dub. 1. n. 58. & Molfesius in summ. to. 1. tr. 5. c. 1. nu. 56.

An qui haberet Diurnumptenetur recitare Psalmos, siue Lectionibus, & Responsorijs?

RESOL. XLIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sanchez in summ. to. 1. lib 1. cap. 19. num. 8. quia Lectiones, & Responsoria modica reputatur materia, quæ sufficiens non est ad moralem integritatem Matutini tollendam.

Sed contrarium docet alter Sanchez in select. disput. 15. nu. 2. Nam esto respectu Psalmorum Lectiones, & Responsoria sint minor pars, est tamen maximè principalis, & substantialis, ita vt absque illis non adsit Officium Canonicum. Ex quibus infert idem Sanchez, cæcum non esse adstrictum matutinam Horam recitare, licet memoria retineat Psalmos, cum Lectiones legere nequeat, nec tenetur socium quærere: præceptum namque recitandi non ad id obligat, sed solum permittit posse recitare cum socio.

Imò & si aliquis cæco se offerat in socium ad recitandum, non tenetur illum admittere, quia recitare cum socio priuilegium, & fauor est, quo non vti liberè potest, quod etiam procedit in infirmo, qui cum socio posset recitare Officium; nam non tenetur, etiamsi socius se offerat ad id faciendum. Notandum est etiam infirmum, & si valentem conuersari cum amicis se inuisentibus, non ob id constringendum esse Officium recitare: quia amicis confabulari, potius animi diuersionem, vt proprium obiectum respicit, quam attentionem è contra Officium diuinum recitare. Hæc omnia Sancius, multum ad praxim conducentia, licèt aliqui contrarium sentiant, vt Gauantus in commene. rubr. to. 2. sect. 1. c. 5. tit. 1. n. 6. & alij penes Layman Theol. mor. lib. 4. tr. 1. c. 6. n. 2. sed ipse optimè cum Garsia de Benef. to. 1. p. 3. c. 1. nu. 215. tenet, quod quando semper antea non erat solitus recitare cum socio, non tenetur postea focinm asciscere, quicquid in contrarium afferant Valentia, Suarez, Azorius, & alij penes ipsum.

TRACTATVS XIII.

DE OPINIONE PROBABILI.

An sit licitum relicta opinione probabiliori, & magis tuta, sequi opinionem probabilem, & minus tutam.

RESOLVTIO PRIMA.

NEGATIVE ex neotericis, respondet Antonius Perez in Laurea Salmantina certamine 10. num. 55. Comitolus in Resp. li. 1. q. 15. & ante illos Gabriel. in 4. distinct. 15. quest. 8. ar. 3. dub. 2. in 3. probatione primæ concl. D. Antoninus p. 3. tit. 3. cap. 10. §. 10. reg. 4. & ex Thomistis, Sylvester, Caietanus, Conradus, Sotus, & alij.

Sed communiter Theologi contrariam sententiam amplexi sunt, & preter 17. Doctores quos citat, & sequitur Sanchez in sum. to. 1. li. 1. c. 9. n. 14. docet etiam hanc sententiã Layman li. 1. tr. 1. c. 7. § 2. n. 7. Basilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 15. n. 4. Malderus in p. 2. D. Thome, q. 19. ar. 5. disp. 86. asser. 3. Filliucius to. 4. tr. 21. c. 4. n. 128. Tannerus in p. 2. disp. 2. q. 3. dub. 5. n. 36. Emanuel Barbosa in Remiss. Doctor. ad ordin. Relig. Lusit. lib. 3. tit. 64. n. 10. Garzias de benef. to. 2. p. 11. n. 361. Villal. in sum. to. 1. tr. 1. diffic. 10. n. 2. Sancius in pract. disp. disp. 42. n. 12. Lorca in p. 2. to. 1. disp. 39. memb. 2. Martinez in p. 2. to. 1. q. 29. art. 6. Aluarez ibid. disp. 80. Sanctarellus vari. resol. p. 1. q. 59. n. 4. Barbosa in Collect. to. 1. li. 2. tit. 9. c. 4. n. 6. Portel in Addit. ad dubia Regul. ver. opinio, n. 3. Et ratio est, quia operãs secundum opinionem probabilem, non potest iudicari temerarius, neque imprudens, habet enim pro se rationes alicuius momenti: ergo si sic operans, nõ est imprudens, nec temerarius, nõ peccat. Secundò, quia licet opinio tutior sit perfectior, & securior, nemo tenetur sequi, quod perfectius est, & quod securius, dummodo sequatur perfectum ac tutum. Ergo, &c. Tertiò, quia cum omnimoda certitudo in rebus agẽdis haberi nequeat, sufficit, vt operemur cum certitudine probabili, & non requiritur omnimoda certitudo: opinio autem minus probabilis, & minus tuta est alias sufficiens ad bene operandum: moraliter esset enim onus intolerabile, & multis scrupulis oppositũ, si opiniones probabiliores semper inuestigare teneremur. Ergo, &c.

An in administratione Sacramentorum liceat sequi opinionem probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore, & tutiori.

RESOL. II.

RESpondent communiter Doctores, Sacerdotem administrante in Sacramentum, relicta opinione probabiliori, nõ peccare contra reuerentiam debitam Sacramento, sed contra charitatem: nam in ordine ad pœnitentem, quando sententię diuersæ sunt circa materiam & formam, vel aliquid, quod ad valorem Sacramenti requiratur, debet Sacerdos, ob periculum grauissimi detrimenti inde sequuturi, relinquere opinionem probabilem, & probabiliorem amplecti.

Sed limitatur hæc sententia. Primò, circa essentialia Sacramentorum, quæ non sunt de necessitate salutis; nam in his administrandis, possumus vti quacũque opinione probabili, probabiliori relicta: ita Lorca in p. 2. tom. 1. disp. 39. membr. 2. folio mihi 468. Secundò, quando non est in potestate ministri sequi opinionem magis probabilem, vt quando tempore necessitatis non adest materia, verbi gratia, frumentum, potest quis conserare in typha. Bonacina de Sacram. disput. 2. quæst. 1. punct. 4. num. 19. cum Martinez vbi infra. Tertiò, quando defectus prouenit ex parte suscipientis: vt si pœnitens vellet confiteri cum attritione cognita. Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 9. n. 34. cum Maldero infra. Quartò, quãdo quis minaretur ministranti mortem, aut aliud notabile damnum, nisi relicta sententia certa, iuxta probabilem conficeret Sacramentum, si tamen in contemptum Sacramenti mors non minaretur. Perez in Laurea Salmantina certam. 10. ta. 21. & Sancius in selectis, disp. 44. num. 12. Et tandem, quando opiniones circa iurisdictionem Sacerdotis ad audiendas confessiones versantur: nam in tali casu potest Sacerdos sequi opinionẽ melius probabilem, probabiliori relicta, vt docet Villalob. in summ. to. 1. tract. 1. dub. 13. num. 5. Malderus, in p. 2. q. 19. art. 5. disp. 86. Sanchez in summa. to. 1. lib. 1. cap. 9. num. 35. Martinez in 2. 2. to. 1. q. 19. art. 6. dub. 6. concl. 7. Henriquez, Salas, Vasquez, & alij, quicquid in contrarium afferat Sãcius in selectis disp. 44. n. 19. quia communis error ex ea probabili opinione ortus, satis est ad gestorum per eũ Sacerdotẽ valorem, & Ecclesia stante opinione probabili, confert tali Sacerdoti iurisdictionem. Vnde contra Sancium nõ peccabit Sacerdos simplex absoluens extremam vitam agentem, pręsente Sacerdote approbato; neque Parochũ, excipientem in aliena dięcesi cõfessiones, absque noua approbatione, vel si Sacerdos approbatus absoluerit à reseruatis ex opinione probabili.

Adde, quod in his casibus, semper pœnitens se accusat de aliquo veniali, & cum simplex Sacerdos ad venialium absolutionem indubiè habeat iurisdictionem, absoluens cum opinione probabili, gratiam causabit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria, vt notauit Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 8. Sanch. in summ. tom. 1. lib. 1. c. 9. n. 3. Sancius in selectis disp. 44. nu. 24. & alij.

An Iudex possit iudicare secundum probabilem opinionem, communi, & probabiliori relicta.

RESOL. III.

SEntentiam negatiuam docet Layman in theol. mor. libro 1. tr. 1. c. 5. §. 3. nu. 16. Sanch. in sum. tomo 1. lib. 1. c. 10. num. 7. cum Doctoribus, quos ipse citat, quibus ego addo Villalobos in summ. to. 1. tr. 1. difficul. 15. num. 6. Maldeum in p. 2. D. Tho. q. 19. art. 5. disp. 86. circa fin. Filliuc. to. 2. tr. 21. c. 4. n. 144. Becanum in sum. to. 2. tr. 1. cap. 4. qu. 9. nu. 13. Tannerum in 2. 2. D. Tho. disp. 4. q. 4. dub. 6. nu. 128. Portel in addit. ad dub. Regul. v. opinio eligenda, nu. 12. Azorius, & alij.

Sed contrariam sentẽtiam, probabilem etiam esse puto, quã tuentur præter 6. Doctores, quos citat Sanchez nu. 46. hi omnes à me diligenter conquesiti, Hierony. de Rua in controuers. to. 2. controu. 6. scholastica, Martinez in p. 2. to. 2. q. 29. art. 6. dub. 6. concl. 2. Lorca ibidem disp. 39. memb. 2. Aluarez ibid. disp. 80. n. 12. Morla in emporio iuris, p. 1. tit. 2. qu. 2. Martinus Delrius in disquis. Magicis lib. 5. quæst. 1. §. quotiescumque, vbi asserit esse communem sententiam Casuistarum. Sancius in practicis disp. disp. 44. num. 50. Triuigno in praxi examinatorum, fol. 2. & probabilem vocant hanc opinionem Sanchez, vbi supra, & Martinus Bonacina de legibus, disp. 2. q. 4. punct. 9. nu. 13.

Dico

Dico igitur iudicem in sententijs ferendis, posse sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam cōtra propriam opinionem, dummodo probabilitas sit circa ius, non verò circa factum, quia circa factum tenetur sequi, quòd probabilius est. Et hoc verum arbitror contra Vasq. in p. 2. to. 1. disp. 64. num. 5. etiam in iudice supremo, sed si iudex sit arbiter, & a collitigantibus eligatur sub cōditione, quod iuxta suum iudicium debeat iudicare, & non iuxta aliorum, non poterit alienam opinionem sequi, vt notat Montesinus in p. 2. to. 1. disp. 29. q. 5. nu. 213. secus autem si probabiliter duas opiniones sustineat, nam iuxta quālibet poterit iudicare, cum liberum ei sit præferre iudicium proprium in ferenda sententia.

Hinc etiam à fortiori infertur contra Bannez 2. 2. quęstio. 63. art. 4. dub. 1. ad 2. integrum esse iudici, ex duabus opinionibus probabilibus, quam maluerit eligere, & secundum eam iudicare pro amico: imò cessante scandalo, nunc secundum vnam, nunc secundùm aliam, quod ego sentio, vt dictum est, etiamsi contraria sententia esset probabilior; & si adesset scandalum, peccaret equidem, sed non teneretur ad restitutionem. Ita Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. opinio, differ. 3. num. 1. & alij penes ipsos.

Ex his infertur etiam decisio multorum casuum, quos affert Sancius vbi supra, videlicet. Primò, an vnicus testis omni exceptione maior cōstituat semiplenam probationem in causis criminalibus. Secundò, an in causa capitali possit iudex interrogare reum ex præcepto, illum obligando ad responsionem veritatis, quando solum delictum est semiprobatum. Tertiò, an iudex, vel ipsius minister possit incarcerare delinquentem in alieno territorio inuentum. Quartò, an fructus industriales, bona fide consumptos, possessor bonæ fidei teneatur restituere. Quintò, an filij reorum maiestatis diuinæ, vel humanæ geniti ante parentum crimen, afficientur pœnis iure statutis in eorum filios. Sextò, an filij expositi ad Ecclesiæ lapidem, reputentur legitimi. Septimò, an iuspatronatus possit præscriptione acquiri. Octauò, an pater astrictus sit filiam naturalem dotare. Nonò, an tempore pestis, possit fieri testamentum cum minori testium numero. Decimò, an collatio beneficij facta infami, sit ipso iure nulla. In his, & similibus casibus potest iudicare iudex, secūdum quam maluerit sententiam, vel negatiuam, vel affirmatiuam. Et animaduertendum est, iudices non ob id subijci syndicatui: quod iuxta opinionem probabilem ferant sententiam, probabiliori relicta, & communiori, contra Doctores quos citat, & sequitur Io. Valer. vbi supra in differentijs vtriusque fori, ver. opinio, diff. 1. n. 1. Et ratio est apertissima, nam vt omnes fatentur, prudenter agit, qui iuxta opinionem probabilem operatur, sed syndicare iudicem, eo quòd iuxta probabilē opinionem sententiam tulerit, esset eum punire absque culpa, quod iniquum est, & oppositum rectæ rationi. Ergo, &c. Et ita in terminis docet Sancius vbi supr. in practicis disputationibus, disp. 44. num. 72. in fine.

An Aduocatus probabiliori relicta, possit consulere secundum opinionem probabilem, in causa sanguinis, vel amissione omnium bonorum.

RESOL. IIII.

POsse Aduocatum relicta probabiliori, sequi minus probabilem opinionem, non solum iuris, vt diximus de iudice in superiori Resolutione, sed etiam facti, docent omnes Doctores; sed aduertunt in hoc casu teneri manifestare parti minorem probabilitatem suæ causæ, aliàs restituet ei damna, & expensas.

Difficultas igitur consistit, an hoc procedat etiam in causa sanguinis, vel amissionis omnium bonorum; nam negatiuam partem amplexi sunt ex Neotericis Io. de la Cruz in directorio conscient. p. 1. præcept. 8. art. 5. dub. 1. concl. 2. Malderus in p. 2. q. 19. art. 5. disp. 86. asser. 8. Martinez in p. 2. to. 1. qu. 19. ar. 6. dub. 6. concl. 3. & alij, quia in dubio melior est conditio possidentis rei, & in dubio fauendum est reo.

At his non obstantibus, in praxi tutam, & probabiliorem contrariam sententiam esse existimo, quam præter Sanchez in sum. to. 2. lib. 1. c. 9. n. 53. & alij penes ipsum, tuentur etiam hanc opinionem Turrianus in 2. 2. to. 2. q. 71. art. 3. Lorca in p. 2. to. 1. disp. 39. memb. 2. Villalob. in sum. to. 1. tr. 1. diffic. 14. nu. 5. vbi sic ait. (En qualquiera causa, aunque sea in causa sanguinis, es licito al Abocado tomar a su cargo la causa del actor, siendo probable, aunque la del reo sea mas probable.) Ratio est, quia si cliēs in hoc casu potest iustè litigare. Ergo, & Aduocatus illam causam potest patrocinari, cum non imprudenter agat, vtpotè quia ratione probabili ducitur. Dicendum igitur sine trepidatione, posse Aduocatum secundum opinionem probabilem patrocinari causam actoris, etiam in causa sanguinis, aut honoris, vel de causa ciuili maximi momenti, vt de omnium bonorum possessione, &c.

An Aduocatus possit sequi opinionem Antonij Fabri, Cuiacij, & similium Iurisconsultorum.

RESOL. V.

HAnc quæstionem tractauit Sancius in suis practic. disp. &, quia Codex rarus est, ponam per extensum eius verba; Animaduertendum (ait) plures Iurisperitorum non ausos in praxi sectari opiniones Duareni, Cuiac. Donelli, Antonij Fabri, & aliorum, appellantque illas opiniones solum Theoricas, & non practicas, tantumque ad scholarum ludum proficuas: nequaquam tamen ad in praxi iudicandum. In quo sanè decipiūtur. Nam imperceptibile est aliquam opinionem esse speculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplexari non posse, cū probabilitas practica, à speculatiua probabilitate oriatur: ab eaque solum differat, tanquam effectus sua causa. Id enim quod quis opere exequitur iustè, vel iniustè ab eo nascitur, quod scil. speculatiuè iudicatur posse agi licitè, vel illicitè, cum cognitio speculatiua dirigat voluntatem ad opus. Vnde in praxi tutò amplexari poterit Aduocatus talium Doctorum opiniones, imò fortè melius, quàm aliorum, non adeò theoricè sapientium. Nam illi qui theoricè rem plenius examinant, & fundamenta discutiunt, melius quoque regulam ad operandum demonstrabunt. Alias nihil prodesset alicui, rem sanius percipere, nisi in ordine ad operandum certiorem regulam constitueret. Nec obierit, quin horum Doctorum sententia sectari queat, quod magis communiter Iurisperiti illorum mentem non amplexētur, nec iudices iuxta talium opinionū sententias pronuntient: id enim necessitatem non inducit alijs, quod videlicet contra theoricorum doctrinam teneantur quoque iudicare, & quia præsumendum sit plures Iudicum, & Iurisperitorum contra talium theoricorum sententias iudicātium id agere, quia ex proposito eorum Doctorum doctrinam non discussere, sed vnus alterius vestigia, tanquam greges sequitur. Hæc Sancius disput. 44 nu. 63. quæ valde sunt notanda, quia multum quotidiana, & in alijs libris minimè obuia.

An Aduocatus, non solum in causa probabili, sed etiam in causa dubia, possit patrocinari.

RESOL. VI.

MVlti negatiuam sequuntur sententiam. Sed ego posse affirmo cum Maldero in p. 2 q. 19. art. 5. disp. 86. asser. 8. in fine, & Lorca in p. 2. to. disput. 39. memb. 2. vbi ita asserit. Nō solum quando sunt probabiles sententiæ, sed, & si res sit dubia, omnino Aduocatus non peccat patrocinando. Et probatur, quia Aduocatus, nec sententiā profert, nec Iudicem cogit proferre; solum proponit, quæ sui clientis ius confirmare possunt, quæ proponere iudici in causa dubia non est iniustum, sed iuuat, vt à iudice melius expendatur. Ita Lorca, quod est valde notandum. Vide pro hac sententia D. Antoninum, p. 2. tit. 1. c. 19. §. 8. Angelum ver. Aduocatus, nu. 17. Armilla, nu. 20. Syluestrum, q. 10. & Nauarram in summa, c. 25. nu. 28.

An Medicus, si iuxta regulas Medicinæ, non habeat medicamentum certum; possit sequi opinionem minus probabilem, circa aliqua medicamenta, relicta probabiliori.

RESOL. VII.

NOn posse sine labe peccati mortalis, respondet Portel in Addit. ad dubia Regularia, ver. opinio eligenda, num. 10. vbi citat Sotum, & Suarez quibus ego addo Villalob. in summ. tom. 1. tract. 1. diffic. 1. num. 6. Vasquez in p. 2. to. 1 disp. 64. ca. 4.

in fine, Bonac. de legibus, disp. 2. q 4. punct. 4. nu. 22. Becanum in summ. tom. 1. tr. 1. c. 4. q. 9. nu. 13. & Sanchez in summ. to. 1. li. 1. c. 9. nu. 41. Ratio est, quia faceret contra debitam charitatem, proximo indigenti exhibendam: quæ petit, vt certiori modo, quo possumus, ei subueniamus.

Non desunt tamen Doctores, qui in hoc casu asserunt, posse Medicum vti opinione probabili. Et ita docet apud Sanchez vbi supra. Azorius to. 1. lib. 2. c. 17. q. 11 Arragonius in 2. 2. q. 64. ar. 4. dub. p. n. & Salas in p. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnica, sect. 15. n. 158. quibus ego addo Montesinum in p. 2. to. 1. disp. 29. quæst. 5. num. 214. & nouissimè Sancium in practicis disputationibus, disput. 44. num. 36. vbi cum citatis DD. notat, quod si medicamentum esset certum, tunc teneretur Medicus ex charitate, & iustitia illud applicare: quia certum pro dubio relinqui non potest. Ratio verò, quare vti possit opinione probabili est, quia iuxta suam conscientiam applicat id, quod salutiferum probabiliter arbitratur.

An Rex possit bellum gerere ex opinione probabili, licèt ab altero Rege possideatur Regnum, etiam cum opinione probabili.

RESOL. VIII.

Difficilis quæstio, & in praxi sæpè occurrens. Negatiuam sententiam docet Villalobos in summa, to. 1. tract. 1. difficult. 17. num. 6. & 7. vbi sic asserit. (Quando ay opiniones probables por ambas partes, no puede el Principe mouer guerra contro otro: si vn Rey esta en possession, no puede el otro mouer guerra contra el, no solo quando ay probabilidad de opiniones, si no aunque la suya sea mas probable, si no es, que sea cierta.) Ita ille, & ante illum Vasquez in p 2. tom. 1. disp. 64. cap. 4 num. 11. Montesinus etiam in p. 2. tom. 1. disp. 29 qu. 5. nu. 224. & alii.

Sed si opinio probabilis versetur circa ius, affirmatiuam sententiam, contra præfatos Doctores, docet nouissimè Sanch. in suis practicis disputationibus, disp. 44. nu. 58. & seq. adi illum, & multas pro hac firmanda sententia inuenies rationes. Et circa dubitationes præsentis materiæ: quando videlicet Rex possit gerere bellum, vide Becanum in summ. Theol p. 3. cap. 25. q. 8. Molinam de iust. tom. 1. tr. 2. disp. 103. per totam, Malderum in p. 2. q. 19. art. 5. dub. 87 Lorcam in 2. 2. sect. 3. disp. 53. Valent. to. 3. disp. 3. q. 16. punct. 16. Bannez 2. 2. q. 40. artic. 1. dub. 5. Vegham in sum. to. 1. c. 121. cas. 3. Salas in p. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnica, sess. 15. à num. 121. Turrianum in 2. 2. tom. 1. disp. 90. dub. 2. Perez in Laurea Salmantina, certamine 10. c. 13. num. 98. Tannerum in 2. 2. disp. 2. q. 6. dub. 4. per totum, Reginaldum in praxi, to. 2. libr. 21. n. 92. Ægidium de Coninch de actibus supernaturalib. tract. 3. disp. 31. dub. 2. & 4. per totum.

An, quando fas est sequi aliquam opinionem probabilem in vita, etiam liceat sequi illam in articulo mortis.

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam videtur docere Sanchez in summa. tomo 1. lib. 2. cap. 1. nu. 6. sed aduersus illum insurgit alter Sanchez in selectis disp. 19. num. 8. vbi sic asserit. Opinio, quæ in salute securam reddit conscientiam ad operandum, vel non: tutam quoque reddit in articulo mortis, cum in vtroque tempore æqualiter constringatur homo, Deum non offendere. Tum, quia inter opiniones in conscientia securas, reuera vna non est securior altera, quoad impeccabilitatem: nam supposito quod operans iuxta quamlibet, nullum committit peccatum, nō magis securus erit operans ex vna, quam ex alia opinione, cum nulla detur maior securitas, quam non peccare. Ita Sancius.

An, quando varietas opinionum versatur inter Superiorem, & subditum, teneatur subditum obedire.

RESOL. X.

Ad hanc quæstionem respondet Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. dub. 11. num. 12. Malderus in p. 2. quæst. 19. artic. 5. disput. 86. §. dico quarto, Sayrus in Claui Regia, libro primo cap. 12. nu. 6. Sanchez in summa, to. 2. lib. 6. cap. 3. num. 7. Turrianus in 2. 2. disput. 50. dub. 5. nu. 9. Salas in par. 2. tom. 1. tract. 8. disput. vnica, sect. 8. num. 76. & seq. Vasquez in p. 2. tom. 1. disp. 2. num. 32. & sequent. Lessius lib. 2. capit. 11. dub. 9. num. 76. & sequent. & distinguunt multos casus, quos refert, & impugnat Ioannes Sancius in suis selectis, disp. 33. per totam, vbi absolutè probat ex multis hanc conclusionem; subditum non constringi obedire, quoties opinio aliqua probabilis asseruerit, ipsum non teneri parere, siue illicitum esse quod præcipitur, & post multas rationes confirmat à simili, videlicet, quod pœnitens non tenetur obedire Confessario contra propriam opinionem: reus rogatus in causa sanguinis in delicto semiprobato, non tenetur respondere, & tandem subditus, cui opinio est esse iniustum tributum, non tenetur illud soluere; Nec, asserit, audiendi sunt Sanchez, Sayrus, & Turrianus, & alij vbi supra, censentes, teneri subditum obtemperare, si solum opinionem habeat, quod sit illicitum, quod sibi præcipitur; eo quod superior non tantum habeat ius iubendi res, quas subditus nouit esse licitas, & iuxta limites suæ potestatis, sed etiam res vniuersas, quas subditus non cognoscit euidenter illicitas, vltra potestatem superioris. Non inquam audiendi sunt: nam hoc verum est, quando ineuidentia, & incerta cognitio, quod videlicet sit illicitum, quod præcipitur, oritur ex dubio, quod habeat subditus; in hoc enim casu fatendum est teneri obedire, quia in dubijs, melior est conditio possidentis. Quando vero ineuidentia, seu incertitudo non ex dubio, sed ex opinione oritur: tunc subditus ius habet non parendi, quamuis non sit illi euidens, esse illicitum, quod præcipitur. Sufficit namque id probabiliter opinari, cum fas sit, cuique probabili opinione vti. Ceteras rationes pro hac firmanda sententia inuenies apud ipsum Sancium, qui respondet ad argumenta contraria, & tandem num. 43. cōcludit. Non posse iustè, superiorem punire subditum non obedientem, ductum ad id probabili opinione, quia cum tunc non obediendo minimè delinquat, & nullus dignus sit pœna, nisi ob culpam, fit tunc nō habere ius superiorem punitionis dandæ subdito. Ergo, &c. Ita supradictus Sancius, qui videndus est, est enim vir doctissimus & acutissimus; sed tu sequere primam opinionem, tanquam communiorem, & probabiliorem.

An Confessarius teneatur sequi pœnitentis opinionem.

RESOL. XI.

Respondeo affirmatiuè cum Montesino in p. 2. quæst. 5. disput. 29. num. 198. Syluio in 3. p. quæst. 9. artic. 2. quæritur 4. cas. 2. Basilio Pontio de matr. lib. 4. cap. 25. num. 8. Salas in part. 2. qu. 21. tract. 8. sect. 9. à num. 82. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. in fine, Azorio, tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 10. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 1. dub. 12. nu. 1. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 32. sect. 5. nu. 4. Perez in Laurea Salmantina, certam. 10. c. 13. nu. 97. Nugno in Addit. ad 3. p q. 8 art. 4 dub 4. Fernandez in exam. Theol. p. 3. cap. 6. §. 9. n. 25. Coninch de sacra. disp. 8. dub. 17. nu. 135. & alij communiter, quia quoties Confessarius potest licitè absolutionem impendere, ad illam exigendam, habet ius iustitiæ, pœnitens.

Et licet Vasquez in p. 2. tom. 1. disp. 62. cap. 7. num. 40. Montesinus in p. 2. disp. 29. q. 5. nu. 159. & Salas vbi supra, putant solum peccare venialiter Confessarium non proprium, si pœnitentem habentem pro se opinionem probabilem, nolit absoluere: ego tamen verius cum Sancio in selectis disp. 33. nu. 54. & Sanchez in summa to. 1. lib. 1. c. 9. n. 24. puto peccare mortaliter si de mortalibus sit facta confessio: nam onus graue esset pœnitentem obligare ad sua detegenda crimina alij Cōfessario absque necessitate.

Et hoc etiam procedit contra Rodriquez, etiamsi Confessarius falsam esse opinionem pœnitentis existimaret, si tamen probabilis reputetur inter DD. probatæ authoritatis, vt docet Valentia in 2. 2. disp. 5. q. 7. punct. vlt. in fine, Sanchez, & Sancius vbi supra, & alii. Et hæc omnia supradicta vera sunt, non solum in Confessario proprio pœnitentis, sed etiam in non proprio, vt sunt Regulares, & alii non proprii Pastores, & Parochi, quicquid alij asserant. Vide DD. citatos.

An

An opinio speculatiuè probabilis, semper in praxi tutò amplecti possit.

RESOL. XII.

ALiqui negatiuè respondent, vt patet ex multis exemplis. Ideo Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 7. licet asserat, fœminas quinquagenarias à ieiunio liberas esse, addit tamen, hanc sententiam speculatiuè esse probabilem, non autem tutam esse in praxi.

Sed alter Sanchez in select. disp. 54. n. 11. impugnat hanc sententiam, eo quod intelligibile videtur, aliquam opinionem esse speculatiuè probabilem, & in praxi tuto amplecti non posse: probabilitas namq; practica, à speculatiua differt, tanquam effectus à sua causa: id enim, quod quis opere exequitur iustè, vel iniustè, ab eo nascitur, quod scilicet speculatiuè iudicauit posse agi licitè, vel illicitè. Qui ergo arbitratur speculatiuè aliquid licitè operari se posse, propter rationes probabiles, id tuto exequi mandare poterit, alias nihil operabitur, nec alicuius fructus, siue momenti erit illa speculatio probabilis, si ad opus esset impedita, & æquè comparari posse, speculatiuam opinionem habentem, pertimescentem operari practicè ex ea, Tantalo, poma, & aquam ad labia prope habenti, impedito tamen eis vti, siue frui. Ita Sancius, aduersus Sanchez. Sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum.

Quænam opinio eligenda, sit illa, quæ est Sacramento fauorabilis: an illa, quæ est fauorabilis suscipienti.

RESOL. XIII.

REspondeo, eligendam esse opinionem fauorabilem suscipienti, quia sacramenta instituta sunt in fauorem fidelium, vnde in hoc casu Sacramētum cedit iuri suo. Et ita contra Coquetum in dissertatione de Confess. per litteras, c. 7. & alijs, qui petijt confessionem, posse absolui in articulo mortis, existimo: & ita docet Syluius in 3. p. q. 9. art. 2. quæritur 4. cas. 2. Reginald. de off. confess. c. 21. n. 16. Petrus Fay in 3. p. q. 9. ar. 2. disp. 2. Zambran. de cas. in mortis ar. 4. dub. 2. Salas in p. 2. tr. 8. disput. vnica, sect. 5. n. 56. Valentia to. 4. disp. 7. q. 11. Bellarmin lib. 2. de pœn. c. 7. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 36. nu. 8. Pesantius in addit. ad 3. p. de integritate confessanij, q. 20. disp. 11. Pitigianus in 4. tom. 2. disp. 7. q. vnica, concl. 4. Reginald. in praxi to. 1. li. 8. c. 3. num. 28. Coninch de Sacr. disp. 7. dub. 10. n. 99. Basilius Pontius de matr. lib. 4. c. 25. n. 8. Montesinus in p. 2. disp. 29. q. 5. n. 176. Filliuc. to. 1. tr. 7. c. 5. n. 120. Ludouicus de san Iuan in summa, p. 1. tr. de pœn. q. 5. art. 19. Henriq. lib. 5. c. 2. § 7 & alij.

Imò, existimo in tali casu, posse Confessarium sine conditione absoluere. Nam ille, qui agens aliquam actionem, iudicat se non delinquere absolutè potest illam exercere; vnde quando Theologi asserunt, ministrandum esse sacramentum sub cōditione, quando dubitatur de valore Sacramenti; id intelligendum est, in dubio propriè, non autem in opinionibus, vt est in casu nostro. Et ita ex multis alijs rationibus docet Sancius in selectis disput. 44. n. 32. qui etiam rectè, nu. 35. docet in tali casu sub conditione impertiendam esse absolutionem, nempe si ambiguitas intercederet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis; cum in tali casu prodesse potest infirmo, & non obesse Sacramento; vitatur namque sacrilegij periculum, conditione apposita.

Notandum est etiam, quòd in tali casu sufficeret vnius testis fides, testantis infirmum, signa pœnitentiæ indicasse. Neque talem iurare necessarium est, nec talem testem Christianum esse oportebit.

An Responsor casuum conscientiæ, possit consulere in his, quæ pertinent ad vtilitatem interrogantis, iuxta aliorum opinionem contra propriam.

RESOL. XIV.

REspondeo affirmatiuè cum Sayro li. 1. c. 6. nu. 11. Vasquez in p. 2. to. 1. disp. 62. n. 47. & disp. 63. n. 14. Sanch. in sum. to. 1. lib. 1. c. 9. n. 19. & alijs. Imò aliquando tenetur opinionem liberantem, & benigniorem interroganti declarare, quando de opinione liberante, & benigniori interrogatur à pœnitente, seu petente consilium, vt docet Salas in p. 2. to. 1. tr. 8. disput. vnica, sect. 6. nu. 85. & sect. 10. nu. 95. Sanchez vbi supra, n. 21. & Sancius in selectis disp. 53. num. 42.

Sed nō grauabor hic apponere verba Villalobos in summa, tom. 1. tract. 1. dub. 12. num. secundo, (Aunque el Confessor tenga vn opinion probable, y sabe, que ay otra, que fauorece al penitente, la qual el penitente no sabe, deue el Confessor seguir la que fauorece al penitente.) Ita vt cum Becano in parte 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 16. claudam hanc Resolutionem, dico, quod debet vnusquisque ita consilium præstare, vt non mentiatur, non tamen necesse est vt id consulat, quod ipse iudicat esse probabilius. Nam si interrogaretur quid ipse sentiat, esse verius, vel probabilius, tunc debet consulere, quod ipse iudicat esse verius, vel probabilius. Si autem solum interrogaretur de practica obligatione, potest sæpe consulere, id tanquam licitum, quod ipse iudicat esse minus probabile. Nam cōsilium magis spectat ad iudicium practicum, quàm ad speculatiuum. *Vnde sæpe non solum rectè, sed etiam melius faceret, ita consulendo, vt vel vtilitatis proximi rationem habeat, vel id consulat, quod facilius, & cum minori periculo potest ab alio præstari.* Hæc Becanus, multum conducentia pro Responsoribus casuum conscientiæ.

Notandum est etiam, quod rectè Vasquez in p. 2. disput. 62. cap. 9. num. 47. & disp. 63. cap. 3. num. 14. & Salas in parte 2. tr. 8. disput. vnica, sect. 9. num. 85. notauit, tunc posse virum doctum relicta opinione, quam probabiliorem credit, iuxta probabilem consulere, quando petentem consilium eximit, verbi gratia, ab obligatione restitutionis, & alia quacunque, secus autem quando ipsum ad quippiam obligat. Vnde non est audiendus Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 21. qui contrarium docet.

TRACTATVS XIV.
DE CELEBRATIONE MISSARVM,
IVXTA DECRETA VRBANI VIII.

An Episcopi vigore Concilij Tridentini, possint reducere Missas in fundatione appositas.

RESOL. I.

NEGATIVE respondeo. Et ita declarant Decreta Sacrę Congreg. in Bull. §.2. Ratio est, quia Concil. loquitur de Missis & anniuersarijs defunctorum relictis, nō autem de impositis in fundatione, & ita antea docuerant Homobon. in examin. Eccles. p.1. tract.4. ca.14. quæst.129. Riccius in praxi, to.1. resolut.341. num.4. Ragucius in vase eccles. discipl de Episcopis; quest.6. num.86. Piasecius in praxi episc. p.2. cap.3. art.5. nu.3. Vgolinus de potest. Episc. c.61. nu.1. Franciscus Leo in thes. for. Eccl. par. a. c.11. nu.33. Sotus annot. ad compend. priuil. ver. Missa 3. vers. notandum, Garsias de benef. to.2. p.7. c.1. n.131. & hanc sententiam docuit etiam ex nostris P. Naldus ver. Missa, num.8. cum Posseuino, de offic. Curati, c.12. nu.25.

Ex his apparet, stante dicta declaratione Illustrissimorum Cardinalium, modo non esse amplectendam opinionem Henriq. lib.9. c.22. nu.7. Mirandæ in manual. to.1. q.41. ar. cap.24. & aliorum asserentium, potuisse Episcopum ex vi Tridentini, Missas requisitas in fundatione alicuius beneficij, reducere ad minorem numerum Missarum; nam, vt diximus; Concilium loquitur de Missis, & anniuersarijs, relictis in aliqua Ecclesia; quæ vulgò donationes dicuntur, non autem de Missis impositis beneficio, seu Capellanijs in fundatione.

An possint Episcopi Missas, quæ post Concilium Tridentinum relictæ fuerint, ad minorem summam reducere.

RESOL. II.

SEntentiam affirmatiuam docuit Naldus in summa, ver. Missa, nu.9. Posseuinus de offic. curat. c.2. num.25. q.9. Garsias de benef. to.2. p.7. c.1. nu.132. & alij.

Sed modo in Decreto contrarium decernunt Cardinales in §.2. & ita antea docuerant Riccius parte quarta, decis.25. num.4. Rodriquez in qq. reg. tom.1. quæst.43. art.13. Hieron. à Sorbo in annot. ad compend. priuileg. ver. Missa 3. Consettus in priuil. Mend c. titul.19. de celebr. Miss. cap.3. Miranda in manual. pract. to.1. questio.41. art.4. & Passerellus canon.60. de remed. Missarum, ita ait respondisse etiam Congregationem Cardin. 7. Febr. 1573. Possunt igitur Episcopi reducere Missas ad summam minorem, si ante Concil. Tridentinum fuerunt imposita: & ita nouissimè docuit Bonacina de sacram. disp.4. q. vlt. punct. 7. §.2. num.11.

An reductio Missarum sit ab Episcopo facienda in Synodo.

RESOL. III.

SEntentiam affirmatiuam docet Bonacina de sacramēt. disp. 4. quæstio. vlt. punct.7. §.2. num.9. Garsias de benef. tomo 2. parte 7. cap.1. num.134. & alijs. Negatiuam sequuntur Henriquez lib.9. cap.22. num.6. in glossa, littera P. Reginaldus tom.2. lib.23. cap.17. nu.134. Barbosa de potest. Episcop. parte 2. alleg. 28. num.12. Molfesius in summa, tomo 1. tract.3. ca.37. num.29. Nauar. cap.25. nu.138. Miranda in Manuali prælat. tomo 1. q. 41. art.24. & alij.

Quid ego sentiam, dicam breuiter; In multis Episcopatibus, Decretum Concil. est receptum; in alijs vero non. Vbi non est receptum, procedit opinio negatiua, vbi est receptum, affirmatiua sententia tenenda est. Nam Concil. Trid. præscribit istam formam, nempe reductionem Missarum ab Episcopo faciendam esse in Synodo.

An Generales Religionum possint absque Capitulo, sicut diximus probabiliter de Episcopis, absque Synodo reducere Missas ad summam minorem.

RESOL. IV.

REspondeo negatiuè cum Barbosa de potest. Episcopi, parte 2. alleg. 28. num.12. Miranda tom.1. quæstio.41. artic. 24. Rodriquez tom.1. quæst.43. art.13. Nauarr. cap.25. num.138 & alij. Ratio est, quia Episcopi id facere possunt ex iure communi neque quoad eos Concil. statuit ius nouum; sed statuit antiquum seruari; quo vero ad Abbates & Generales, ius nouum constituit. Ergo, &c.

An prædicta facultas moderandi Missas, comprehendat etiam anniuersaria, & officia pro defunctis.

RESOL. V.

AFfirmatiuè respondet sacra Congregatio Archiepiscopo Neopolitano, vt Garsias de benefic. tomo 1 parte 7. ca.1. num.13. Naldus in summ. verb. Missa, n.10. Gallettus in Margarita cas. consc. verb. Missa, num.4. Riccius in praxi parte prima, resolut. 341. nu. secundo. Piasecius in praxi Episcop. parte 2. c. 3. num.15. & Stephanus Quaranta in summa Bullarij, ver. Missa, & alij tradiderunt.

An Generales Religionum possint dispensare, vt certarum Missarum cum multis collectis celebratione, plurium Missarum oneribus Regulares subditi satisfaciant.

RESOL. VI.

REspondeo, quod hoc licitum erat, vt obseruauit Rodriq. tomo 1. quæst.43. artic.13. Bartholomæus ab Angelis in examin. Confess. dial. §.764. Fraxinellus de sacerd. obligat. sect. 7. §9. & Consettus ait ex priuilegio Iulij II. & Leonis X. potuisse Regulares, ex dispensatione Generalis, vnius Missæ celebratione, cum nouem collectis, vel inferioris numeri satisfacere pro nouem Missis, etiamsi specialiter de Requiem, vel de alijs Sanctis dicendæ fuissent. Sed modo Sacra Congregatio in supradicta Bulla §.4. reuocat similia priuilegia, & indulta. Ergo, &c.

Quando

Quando stipendium Missæ fuerit ab Episcopo, vel à consuetudine taxatum, si petens Missam, non det stipendium integrum & iustum, an poterit Sacerdos ab vno, vel à diuersis tot parua huiusmodi stipendia accipere, quæ iustæ eleemosynæ æquivaleant, & vnum tantum pro omnibus illis Missæ sacrificium offerre.

RESOL. VII.

Affirmatiuam sententiam docet Rodriquez in summa, tomo 4. cap. 52. num. 4. Corduba lib. 1. quæstio. 4. dub. 4. Angles in Flor. par. 1. quæstio. de valore Missæ, artic. 2. conclus. 2. append. 2. Nugnus in 3. parte, tomo 1. quæstio. 83. artic. 1. dub. 9. conclus. 2. Fernandez in examin. Theolog. moral. parte 3. cap. 5. §. 9. num. 3. Vasquez in 3. parte, tomo 3. disput. 234. cap. 3. num. 18. Filliucius tomo 1. tract. 5. cap. 6 num. 188. Scortia de sacramen. Missæ, lib. 2. cap. 10. num. 4. Fraxinellus, & Suarez vbi infra. Et ratio est, quia iniusta est eius postulatio, qui pro tenui stipendio totum peteret Sacerdotis obsequium, & cum ipsi Sacerdoti manifesta iniuria fiat, meritò potest se indemnem seruare.

Verùm est, quod Corduba, & Homobon. de Bonis in exam. Eccles. parte 1. tract. 4. cap. 13. quæst. 118. & Fraxinellus de obligat. sacerd. sect. 4. conclus. 2. §. 2. nu. 1. limitant hanc sententiam, & dicunt, non procedere, quando adsit expressa promissio, de dicenda Missa pro illo paruo stipendio, alioquin virtus fidelitatis violaretur.

Sed hæc limitatio, vt benè obseruat Suarez in 3. parte, tomo 3. disput. 86. sect. 4. stando in rigore iustitiæ non videtur necessaria, quia tali Sacerdoti fit iniuria. Cogitur enim ob paupertatē inæquale stipendium acceptare. Potest ergo, non obstante priori pacto, se indemnem seruare; sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest fine iniustitia, alia via, se indemnem seruare. Ita Suarez, & post illum noster Mulfesius tom. 1. tr 3. c. 17. nu. 89. qui citat Reginaldum, & Mirandam. Ita vsque modo in hoc casu probabiliter quis consulere poterat.

Sed nunc contrariam opinionem docent Illustrissimi Cardinales in decreto, §. 3. & antea docuerunt multi DD. quos citat, & sequitur Bonacina de sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 7. § 2. nu. 8. licèt pro sua opinione adducat aliquos authores, potius cōtrariam sententiam docentes.

Vtrùm Sacerdos pauper possit pro vna Missa accipere tot stipendia, quot sufficiant ad eius diurnam sustentationem.

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam probabilem putauit Ioann. de la Cruz in direct. conscien par. 2. de sacrific. Missæ, quæst. 1. dub. 7. Ledesma in summa. par. 1. de sacramen. Eucharist. cā. 18. conclus. 8. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 16. num. 17. & illam absolutè docent, & sustinent Sotus de iustit. lib. 9. quæst. 3. ar. 1. & in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. Canus de Loc. Theolog. lib. 12. c. 13 ad 10. argum. Beia par. 1. cas. 12. Dom. Montagnolus cap. 26. Angelus verb. Missa, num. 52. Rodriquez in summ. tom. 1. cap. 251. num. 4. & tom. 4 cap. 52 num. 5. Fernandez in exam. Theolog. moral par. 3. cap. 5 § 6. num. 3. qui citat Honcalam, & Tatienam, Petrum de Arragon. in 2. 2. quæst. 85. art 3. §. hic tamen non obstantibus, & nouissimè Didacus Nugnus in 3. part. to. 1. q. 83. ar. 1. dub. 10. concl. 4. Debet tamen talis Sacerdos celebrare quotidie si potest, deinde debet esse contentus de victu moderato, domo humili, veste trita, licet decenti, & quod seruiat illi persona stipendij. Aliqui volunt, quod possit etiam accipere ad emendos aliquos libros, si ille Theologus, vel Iurista sit, & libri qui sunt necessarij ad exercenda aliqua ministeria spiritualia, si conueniens est, & vtile Ecclesiæ, quod talis Sacerdos exerceat illa ministeria.

Deinde secundum aliquos potest etiam talis Sacerdos accipere id quod necessarium est ad sustentandum patrem, & matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quod nō possint sustentari, nisi mendicando. Quia sicut non decet Sacerdotem mendicare, ita non decet patrem, & matrem illius hoc facere, tenetur enim Sacerdos illos domi habere, & necessaria ad victum tribuere. Hæc ferè omnia Nugnus vbi supra, & ante illum, sapientissimus magister Orellana apud Vegham in summa to. 2. c. 41. cas. 1. & ipse Vegha.

Sed hæc opinio modo corruit. Nam Sacra Congregatio in decretis, § 3. sub obtestatione diuini iudicij mādat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ita vt ijad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Etiam hanc sententiam prius communiter docuerunt DD. Pitigianus in 4. senten. to. 1. dist. 13. q. 2. art. 6 in fine. Filliucius tomo 1. tract. 5. cap. 6 nu. 188. Ioan. de la Cruz, Ledesma, Molfesius vbi supra. Naldus, ver. Capellania, nu. 11. Miranda, to. 1. quæst. 41. artic. 23 conclus. 5. Lessius li. 2. cap. 24. dub. 5. num. 28. Nauarr. cap. 25. num. 92. Possevinus de offi. Cur. cap. 2. nu. 24. Fraxinellus de obligat. sacerd. sect. 4. conclus. 2. §. 4. Azorius p. 3. lib. 12. ca. 6. quæst. 2. Suarez in 3. parte, to. 3. disp. 88 sect. 4. Vasq. in 3. parte, to. 3. disp. 234 cap 2. & alij penes ipsos, nam Sacrificium Missæ non est institutum ad sustentandam sacerdotis vitam, quia sacerdos promoueri nequit, nisi habeat patrimoniū sufficiens, vt patet ex c. non licet, & c. Episcopus, de præben. Ergo, &c. Deinde, non est iustum, vt sacerdos, qui operam suam locat tantummodo ad semihoram, in qua totum Missæ sacrificium absoluit exigat integrum cibum diurnum, cum tantum per semihoram laboret.

An Sacerdos in diebus festiuis possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium.

RESOL. IX.

Respondet affirmatiuè Homob. de Bonis in exam. eccl. p. 1. tr. 4. c. 13. q. 120. & in hanc opinionem videtur inclinare. Bonacina de sacr. disp. 4. q vlt. punct. 8. n. 121. Et ita determinauit Cōgregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis in summario, dec. 7. quā inuenies apud Fraxinellum de oblig. sacer. post sect. 5. fol. mihi 101. Sed hęc opinio damnatur in decreto Cardin. in §. 3.

An Sacerdos, qui eleemosynam accepit pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori pitantia, sine peccato, & onere restitutionis.

RESOL. X.

Tres præcipuas inuenio in hac materia DD. opiniones. Prima est Dominici Soto, li. 1. de iust. q. 3. ar. 1. Rodriq. in sum. to. 1. c. 243. nu. 12. Suarez in 3 p 83. ar. 6. disp. 86. sect. 3. ver hac verò occasione, & aliorum asserentium, sacerdotem licitè id facere, nec ad aliquā restitutionem teneri, dūmodo ipse sit Curatus, aut eos populi curam habens, nam cū talis sacerdos, vt supponitur, iustum stipendium alijs concedat, nulli facit iniuriam, si ipse pro cura, & onere, & sollicitudine reliquū sibi retineat.

Secunda opinio est Viguerij apud Bartholomæum ab Angelis, in exam. ordin. dial. 1 § 510. Petri de Ledesma in sum. to. 1. de sacr. Eucharist. c. 18. conclus. 13. qui citat Nauarr. Cordub. & Maiorem, Anton. Fernand. in exam. Theol mor. p. 3. cap 5. §. 9. nu. 6. Petri de Aragon, in 2. 2. q. 85, artic. 3, dub. vlt. Lucij Ortiz in sum. c. 16, nu. 76. & aliorum asserentium omnes sacerdotes, tam habentes, quam non habētes curam animarum, non posse alis minora stipendia dare, & sibi aliquid retinere. Limitant tamen hanc sententiam, nisi ex lege, vel consuetudine, vel ex voluntate saltem tacita commendātium, dan tunque maiora stipendia, fit ordinatum atque receptum, vt aliqua pars illorum remaneat penes ipsos.

Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhærebam olim est Gabrielis Vasquez in 2. p. tom. 3. disp. 234. cap. 4. n. 30. Naldi in sum. ver. Missa, nu. 4. Homobon. de exam. eccl p. 1. tract. 8. ca. 14. q. 131. Fraxinelli de oblig. sacerd. sect. 3. prænot. 5. §. 4 n. 1. Emanuelis Sa, ver. Missa. n. 45. & aliorum, qui docent opinionem affirmatiuam, omnem quoad omnes sacerdotes, siue sint Curati, siue non; duabus tamen concurrentibus conditionibus.

Prima est, vt talia stipendia, quæ deinur Sacerdoti pro Missis ab eo celebrandis, vt sic ipse sacerdos dominium dictorum

Anton. Diana R sol. mor. Pars II. R 3 stipen-

stipendiorum acquisierit, & non sit simplex dispensator, vt Missarum dicendarum curator. Secunda est, vt eam partem stipendii pinguioris, alteri Sacerdoti præbeat, quæ sit iustum stipendium, lege, aut consuetudine præfinitum. Quibus suppositis hæc sententia probatur, quia Sacerdos dominium accepti pinguioris stipendij, acquisiuit cum obligatione dicendi Missas pro alio: Ergo, vt dominus, dato iusto stipendio, per alium Sacerdotem obligationem adimplendo nullam iniustitiam committit. Confirmatur nam Sacerdos, qui ex dato sibi pingui stipendio, mercedem iusti stipendii, pro Missa dicenda dat alteri, nulli infert iniuriam; non quidem alteri Sacerdoti celebraturo, quia datur ei iustum stipendium, neque illi pro quo celebranda est Missa, quia pro ea Missa offertur eiusdem valoris ex iusto stipendio, ac si ex pinguiori diceretur: Ergo licitè eam partem, iustum stipendium excedentem sibi retinet.

Sed dices, licitum hoc etiam videtur illi Sacerdoti, qui stipendium accepit, vt curaret Missas dicere, nam etiam talis dispensator Missarum dat Sacerdotibus celebraturis iustum stipendium, ergo nulla eis infertur iniuria, & iniustitia. Respondeo, negando consequentiam; infertur enim illis iniuria, non quia illis non tribuitur iustum stipendium, sed quia totum stipendium, quod ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat, minimè datur. Ita olim, circa præsentem quæstionem sentiebam.

Sed modo Sacra Congregatio, in §. 5. contrarium determinat, sic enim ait. Sacra Congregatio, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri parte eiusdem eleemosynę sibi retenta, celebrandam committat. Vltra DD. citatos alios inuenies hanc quæstionem tractantes, qui sunt, Ricciusin praxi, p. 2. resp. 363. num. 1. & 2. Naldus ver. Missa, num. 20. Ioann. de la Cruz in direct. consc. 1. 2. qu. 1. dub. concl. 1. Cenedus in qq. Canonicis, quæst. 27. per totum. Iterum Riccius p. 3. decis. 309. per totam 30. Valetus in differ. vtriusque fori, ver. Missa, diff. 1. per totam, Rodriquez in summ. tom. 4. c. 52. num. 2. Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 6. num. 186. Molfesius in summ. to. 1. tr. 3. c. 16. num. 20. Vegha in sum. tom. 2. c. 41. cas. 3. Hieronym. Llamas in 3. parte Metodi, c. 13. §. 18. Guttierrez lib. 1. can. 99. c. 29. n. 32. Zanardus in direct. Theolog. p. 1. tract. de Eucharist. c. 13. nu. 7. Syluius in 3. p. q. 83. art. 1. quæritur 17. in fine, & alij.

An supradicta prohibitio extendatur ad Cappellam, cui pro paucis Missis dicendis pingue stipendium respondet, si per alium Sacerdotem sacra efficiantur data ei stipe iusta, & consueta?

RESOL. XI.

PVto, quod Decreta Sacræ Congregationis in hoc casu non extenduntur, quia illud reliquum retinetur titulo beneficij, & Cappellaniæ non enim tribuitur tantum pro Missis dicendis. Vide Philiarchum in summ. parte 1. libr. secundo, cap. 14. Cenedum in qq. Canon. quęstio. 27. num. 12. in fine. Posseuinum de off. cur. cap. 2. n. 18. Ledesmam in summ. tom. 1. de Euchar. cap. 19. conclus. 13. & doctissimum Villalobos in summ. p. 1. tract. 8. diffic. 17. nu. 1. Et tandem ita declarauit Sacra Congregatio.

An Sacerdos, qui à viro amicissimo accepit pro dicenda Missa duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio?

RESOL. XII.

REspondeo cum distinctione. Vel enim illud duplicatum stipendium datum fuit præcisè, & simpliciter pro Missa; vel datum fuit non solum pro Missa dicenda; sed etiam intuitu personæ, quæ Missam celebrare debebat, vt potè, quia amicus, vel coniunctus. Si in primo casu, puto non satisfacere, secus autem in secundo.

An Sacerdos, qui per alterum Sacerdotem Missam celebrare facit, possit retinere excessum consueti stipendij, si sponte condonetur?

RESOL. XIII.

REspondeo affirmatiuè dummodo excessus stipendii alteri Sacerdoti manifestetur, & illud plus scienter ab illo, & gratis relaxetur, & ita nemini dubium est, vt notat Ioann. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de sacrificio Missæ, q. 2. dub. 8. concl. 1. & Homobon. de exam. Eccles. p. 1. tract. 4. c. 14. q. 191. Sacerdotem posse sibi retinere pecuniam, quam pro sacro faciendo accepit, si illud gratis ab alio fieri procuret.

Et Villalob. in summa, parte 1. tract. 1. diff. 15. num. 4. asseruit, Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxato, nam vnusquisque potest liberè condonare quicquid vult, & ita in decisione huius dubij (licèt immerito his diebus aliqui contradixerint) mecum consentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & is nostræ Religionis de hac re à me consulti, quibus adde Illustrissimum de la Riba Vicarium Generalem, etiam de hac re à me consultum.

An Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere applicando vni partem solitam, & alteri suam partem.

RESOL. XIV.

AFfirmatiuam sententiam tuentur Molfesius in summ. to. 1. tract. 3. cap. 15. num. 40. Bartholomæus ab Angelis in examin. Confess. dial. 5. §. 507. & multos graues viros, docuisse hanc sententiam, notat Homobonus de exam. eccl. p. 1. tract. 4. c. 13. q. 125. quam ipse etiam probabilem vocat, & Gauantus in comment. rubr. Miss. tom. 1. p. 3. tit. 12. nu. 29. contrariam sententiam, quam ipse tenet, vocat probabiliorem. Ergo hæc sententia est probabilis.

Et illam cum aliqua limitatione docet etiam Filliucius to. 1. tract. 15. cap. 6. num. 151. vbi ex Nauarr. asserit sacrificantem posse partem sacrificij sibi debitam applicare ijs pro quibus teneretur. Sed quia nescitur quanta sit, addit, arbitrari partem trium Missarum posse supplere vni, quæ dicenda esset, & applicanda tota vni; quod seruare poterunt ij, qui cum receperint multa stipendia, non possunt omnibus satisfacere. Ratio huius opinionis hæc est, quia vt obseruat Henriquez lib. 9. cap. 21. n. 7. valor Missæ specialis, qui competit Sacerdoti, est eiusdem rationis cum valore medio, qui competit illi, pro quo offertur propter stipendium sacrificij Missæ, & potest dictum valorem specialem Sacerdos alteri applicare, quod etiam tenet Naldus in summa, ver. Missa, num. 12. Philiarchus in summ. part. 1. lib. 2. cap. 14. Fernandez in examin. theol. mor. part. 3. cap. 5. §. 2. nu. 4. Sotus in 4. distinc. 11. quæst. 2. ar. 5. & dist. 13. quæst. 2. ar. 1. Nauar. cap. 25. num. 92. & 111. Scortia de sacrificio Missę, lib. 1. cap. 9. num. 2. Nugnus in 3. p. to. 1. q. 83. ar. 1. pag. 3. dub. 3. in fine, & alij; licèt non minus probabiliter. Bonacina de sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 8. num. 16. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 79. sect. 9. in fine, & alij contrarium asserant. Sed circa præsentem quæstionem vide infra in Resolut. 80.

An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet eleemosynam pro Missa celebranda, possit Missam celebrare, & illam applicare primo offerenti stipendium, quem Deus scit futurum primum.

RESOL. XV.

AFfirmatiuè aliqui viri docti respondent. Ita Henriquez lib. 9. cap. 21. num. secundo, Vegha in summa, tomo 2. c. 41. cas. 5. Fernandez in examin. Theolog. moral. p. 3. cap. 5. §. 9. num. quinto, Fraxinellus de obligat. Sacerd. sect. 5. prænot. 5. §. 5. num. primo, Petrus de Arragona in 2. 2. quæstion. 85. artic. 3. Petrus à Nauarr. de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 373. Rodriquez in summa, tom. 1. cap. 242. num 9. Henriquez lib. 9. cap. 21. num. secundo, & alij quamplures recentiores, quorum sententiam

proba-

probabilem vocauit noster Molfesius in summ. to.1. tract.3.c. 16.nu.28.& Reginaldus in praxi,tom.2.lib.23.c.17.nu.233.Ratio est, quia licet opus illud sit præteritum respectu nostri, in Dei tamen acceptatione,& æternitate est præsens;vnde respectu Dei acceptantis est ita recens, & præsens, ac si eodem momento offerretur.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docuerunt Riccius in praxi,p.3. Resol.361.nu.3. Barbosa de potest.Episc. p.2.alleg.24.nu.12.Homobonus de exam.Eccles.part.1.tract.4. ca.14.q.130.Io.de la Cruz in director conf.p.2.de sacrific.Missæ,quæst.1.dub.8.concl.1.Fagundez de præc. Eccles.p.1.lib.9.c. 9.nu.10.Corduba lib.1.q.4.dub.6. Coninch de sacr.quæst.83.ar. 5.dub.9.nu.168.Filliuc.tom.1.tract.5.c.2.nu.79. Molfesius,Reginald. Suarez, & nouissimè mordicus docet hanc sententiam doctissimus Pet. Cenedo in qq. Canonicis, q.28. nu.6.

Et licèt Illustrissimi Cardinales in decreto Vrbani VIII. nihil de hac quæstione attingat, tamen antea ex mandato Clementis VIII. sub die 15. Nouembris 1605. sententiam superius positam, tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesię more nimium abhorrentem improbarunt,& condemnarunt. Declarationem Cardinalium adducit de verbo ad verbum Cenedus vbi supra, & Riccius.

An detur aliquis casus, in quo Sacerdoti liceat Missas celebrare anticipatè.

RESOL. XVI.

RESpondeo dari, & erit, si ex obligatione alicuius Capellæ, teneatur Missas certas singulis hebdomadis celebrare, vel in posterum pro certa intentione, quia tunc si aliter non exprimatur in fundatione Capellaniæ,potest Sacerdos in antecedente hebdomada tales Missas celebrare.Ita Riccius in praxi p.Resol 458 Petrus de Ledesma in sum par.1.de sacram Euchar.c.18.concl 17.Rodriquez in sum.tom,1.c.253.nu.8.Reginaldus in praxi,tom.2.lib.23.c ....num.237.& alij,licet Fernandez respondeat cum distinctione in exam.moral.theol par.3.c. 5.§. 9. num 5.

An si Petrus reliquit centum aureos pro centum Missis, in aliqua Ecclesia celebrandis, si augeatur stipendium præstandum Sacerdotibus, teneatur hæres data capacitate hæreditatis supplere illam eleemosynam.

RESOL. XVII.

AFfirmatiuè respondeo, quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro eleemosyna soluenda, sed pro Missis celebrandis, & si præuidisset augmentum stipendij, non diminueret Missarum numerum, quia hæreditas eam esset suffectura Ita Homobonus de Bonis in exam.Eccl. p.1.tract.4.cap. 13.q.118. Riccius in praxi p.3. resol. 364. num.3. Genuensis in practicabilibus Eccles. tricen.6.q.179. Barbosa de potest.Episc. p.2. alleg.29. nu.7. & alij.

An Episcopus possit compellere Capellanum, vt per seipsum celebret, si in fundatione positum sit, quòd Capellani celebrent.

RESOL. XVIII.

COngregatio Cardinalium respõdet negatiuè his verbis, Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam, vt ipsemet celebret, licèt in eius fundatione disponatur, quòd Capellani celebrent; nam istis oneribus Missarum, rectè per substitutum satisfit.

Hanc declarationem ponit Homobonus in exam. Eccl. p.1. tract.4.c.13.q.122.Bonacina de sacram. disp.4 q vlt.punct.7 §. 1.nu.1.Campanil.in diuers. ur.Can.rubr.7.c.6.n.13.Barbosa de potestate Episcopi,par.2.alleg.24. n.29. & alij penes ipsos,cum Piasec.in praxi,p.2.c.3.ar 5.num.4.vbi etiam notat,quod tunc, taliter beneficiatus, vel Capellanus posset cogi ad presbyteratum,quãdo in fundatione exprimeretur, quod debeat esse actu Sacerdos, & per se ipsum seruire in beneficio.

Nota etiam Capellaniam, non esse Sacerdotalem, nec actu, nec aptitudine, si in fundatione dictum sit Capellanum debere celebrare Missas, & ita potest prouideri simplici clerico annorum 14. Nam nisi expresse caueatur à testatore,quod Sacerdos per se ipsum hoc agat,semper potest per alium celebrare. Vide Gonzales ad reg.8. Cancel gloss.5.nu.84.

An simplex Sacerdos, nullo impedimento detentus, peccet mortaliter non celebrando, modo communicet in Paschate, nec adsit scandalum, vel contemptu.

RESOL. XIX.

PEccare mortaliter respondet Io. de la Cruz in direct.p.2. de sacr.Missæ,q.1 dub 2.conclus.2.Villalobos in summ.p 1.tr. 7.dub.49 num.1 Homobonus de exam.Eccles.part.1 tract.4.c. 14.q.133.Spina in specul.testam.gloss.3.nu.63. & alij DD. communiter.

Sed contrariam sententiam probabilem puto cum Bonacina de sacram.disp.4 q.vlt.punct 7.num. 10. & illam docet D. Bonauentura in 4.dist.12.q.2.ar.2.q.2.Victoria in summ.n.94.Caietan. & alij.

Nota verò, quod DD. pro contraria sententia citati docent simplicem Sacerdotem ter,aut quater celebrantem in anno, & præcipuè in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes minimè peccati mortalis reum esse, nec teneri alijs vicibus celebrare.Vide Fernandez in exam.theol.moral.par.3.cap 5.§. 6. num.1. Pitigianum in tom.1. dist.13.q 2.art.1.

An Sacerdos, Corpus Christi ab alio ministro, pro deuotione, seu in die Parasceue, sumens, debeat Stolam, Ecclesiastico præcepto adhibere. Cap.Eccl. dist.23.

RESOL. XX.

AFfirmatiuè respondent Naldus in sum. ver. Missa, nu.6. & ver. Sacerdos, num.6. Homobonus de exam. Eccles.tract. 4.p.1.c.11.q.106. si Sacerdos sit in his partibus Italiæ, cum passim in hac prouincia hoc obseruetur.

Sed Azorius p 1 lib.10.cap.28.q.12.contrarium asserit:putat enim,huiusmodi decretum esse vsu abrogatum. Et hanc sententiam docet etiã Pitigianus in 4.to.1.dist.13.q.2.art.5. in fi. folio 610. & nouissimè Gauantus in comment. ad Rub. Miss.to.1.p. 4. tit.8. num.7.

An si festum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris hebdomadæ, sint in illa die celebrandæ plures Missæ in Ecclesijs.

RESOL. XXI.

HOc dubium potest in praxi sæpius contingere, & ego puto vtramque opinionem, nempe affirmatiuam, & negatiuam esse probabilem. Negatiuam docuit Villalobos in sum. p.1.tract.8.dub 20.num.4. & quia Codex rarus est,ponam eius verba (El año de 1606. que cayo la annunciacion en Sabado consultò el Obisbo de Salamanca letrados para este caso, y resolvieron,que no se dixesse, y lo mismo fue en Valladolid adõde estaua a la sazon la corte, y no sabemos que en parte ninguna se aya hecho lo contrario.)

Sed contrariam docuit doctissimus Ledesma in sum. tom.1. de sacr.Euchar.c.19.conclus.5. Fernandez in exam. theol.mor. p.3.c.5 §.3.num.2. Syluius in 3.p.q.73.artic.2. noster Molfesius in summ. tom.1. tract.3.cap 17. nu.41. & nouissimè Ioan.de la Cruz in direct.conf.p.2. in sacr.Missæ,q.2. dub.2.conclus.1.vbi asserit. Anno 1617.occurrente festo Annuntiationis in Sabbatho sancto plures Missæ celebratæ sunt in singulis Ecclesijs Toletanæ Diœcesis.

Si petes vero, quænam Missa dicenda sit illa die. Respondit Ledesma, vbi sup. vel Missa B. Virginis, vel Missa ordinaria illius diei, cum introitu tamen Missæ Resurrectionis sequentis diei Rationes vero pro parte negatiua huius dubij, inuenies apud Vasq.in 3.p.to.3. quæst.83. artic.3.disput.233.cap.2. nu 23.Pro parte vero affirmatiua apud Suar. etiam in 3.p.tom, 3.disp 80. sect.2. ver. tertius dies. Vide etiam Pitigianum in 4. tom.1.dist. 13.q.2.artic.2. Ego autem consulerem sententiam affirma-

affirmatiuam. Vide etiam circa præsentem quæstionem Gauantus in comment. Rubr. Miss. to. 1. p. 4. tit. 10. nu. 43.

An Sacerdos excommunicatus celebrans, committat duplex peccatum, non præmissa confessione, sciens se teneri vinculo peccati & censuræ.

RESOL. XXII.

Sententiam affirmatiuam docet Homobonus de examin. Eccl. p. 1. tract. 4. cap. 16. quæst. 147. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 3. c. 8. num. 88. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 66. sect. 1. conclus. 1. Bonacina de sacr. disp 4. q. 6. punct. 1. nu. 34. cum Nugno, Henriquez, & alijs.

Sed contraria videtur etiam probabilis, quam tuetur Vasqu. in 1. p. tom 3. disp. 206. c. 1. n. 6. quia talis Sacerdos excommunicatus celebrans, non facit contra duas obligationes specie distinctas, quia in hoc casu, lex humana positiua prohibet idem, quod lege diuina prohibitum erat ob eandem rationem, quam motiuam nominat, & ita prohibitio accedendi ad hoc sacramentum, intuitu Religionis exhibetur. Ideo Sacerdos, neque vt duo peccata, neque vt circumstantiam aggrauantem, eiusmodi circumstantias confiteri tenetur.

An Sacerdos, qui ministrat alijs cum peccato mortali in Missa, vel extra Missam sacram Eucharistiam, peccet mortaliter.

RESOL. XXIII.

Affirmatiuè respondet Valentia to. 4. disp. 9. q. 10. punct. 1. Suarez in 3. p. to. 3. sect. 16. Coninch de sacram. q. 64. ar. 6. dub. 1. nu. 35. Villalobos in sum. p. 1. tra. 4. dub. 14. n. 2. Filliuc. to. 1. tract. 4. c. 9. q. 9. nu. 271. & alij communiter.

At contrariam opinionem probabilem puto cum Syluio & Cabrera in 3. parte q. 64. ar. 6. & illam docet Vasquez in 3. p. to. 2. disp. 136. c. 3. nu. 38. Petrus de Reyna in summula de Sacram. tract. 4. nu. 6. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. q. 4. dub. 3 concl. 1. Ledesma in summ. tomo 1. c. 6. conclus. 8. diffic. 5. Nugnus in 3. parte tom. 1. q. 64. art. 6. diffic. 1. concl. 2. & alij. Nempe talem Sacerdotem in peccato mortali ministrantem, non peccare mortaliter. Ratio est, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei, ad iustificationem proximè, sicut in alijs Sacramentis, sed tantum est veluti applicans actiua passiuis; in alijs autem Sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & alijs ministrare. Cætera verò Sacramenta in actione, & vsu consistunt, Sacramentum verò Eucharistiæ post consecrationem permanet. Ergo, &c.

An Sacerdos celebrans in peccato mortali peccet tripliciter, nempe, quia indignè consecrat, indignè offert, & indignè sumit Corpus CHRISTI.

RESOL. XXIV.

Respondeo negatiuè cum Azorio p. 1. lib. 10. ca. 31. quæst. 11. Homob. de exam. Eccles. p. 1. tract. 4. cap. 16. qu. 147. Henriquez lib. 8. de Euchar. c. 45. nu. 2. Fagundez de præcept. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 8. Et addunt rationem, quia consecrare, offerre, & sumere Sacramentum sunt actus subordinati ad rectam sumptionem, sed diuersitas actus, quando alij alijs subordinantur, non efficiunt diuersa peccata, vt docet D. Thomas in parte 2. q. 72. art 6. Ergo, &c.

Et licet multi putent, in hoc sacrilegio tres esse peccati prauitates, puto tamen vnius tantum peccati adesse deformitatē, nam Missa vnū est Sacrificium, licet ex tribus partibus sit confectum, consecratione videlicet, oblatione, & sumptione; igitur, sicut supradictæ partes, vnum constituunt sacrificium, ita Sacerdos in peccato celebrans, vnum tantum peccatum admittit, quod tribus in partibus consistit, nempe in indigna consecratione, indigna oblatione, & indigna sumptione.

Et hanc opinionem probabilem vocat Nugnus in 3. part. to. 1. q. 82. art. 5. licet ipse putet, Sacerdotem celebrantem in mortali, peccare duplici peccato, & quia conficit, & quia sumit Sacramentum.

Nota etiam ex eodem Azorio cum multis alijs, quos adducit Bonacina de Sacr. disp. 4. quæst. 6. punct. 1. n. 33. Sacerdotem celebrantem in peccato, non committere duo peccata, vnum videlicet quia celebrat in peccato, & alterum, quia omittit confessionem illius peccati. Ratio est, quia confessio in illo tempore, obligat in ordine ad communionem, & vbi est vnum propter aliud, est vnum tantum, licet contrarium doceat noster Molfes. in summ. to. 1. tract. 3. c. 8. nu. 90. & alij.

Ex his apparet, me olim rectè respondisse, quemdam Sacerdotem, qui celebrauit Missam in peccato mortali, & sacram Eucharistiam non ab ipso consecratam quamplurimis dispensauit, vnum tantum peccatum commisisse.

An Sacerdos peccet mortaliter differendo celebrationes Missarum ad longum tempus.

RESOL. XXV.

Communiter affirmatiuè respondent Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de Sacrament. disput. 4. q. vlt. punct. 7. §. 5. num. 2. & præter illos docet etiam hanc sententiam Homob. in exam. p. 1. tra. 4. c. 14. q. 132. Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 11. nu. 4. & alij.

Sed quod tempus sit ita longum, vt mortale peccatum constituat: non explicant, & in hoc est difficultas, & Sacerdotes sunt anxij. At Villalob. in summ. p. 1. tract. 8. dub. 18. n. 2. explicat. Et quia codex rarus est, ponam eius verba. (Parece me podria vn Sacerdote cargarse de 50. ó 60. Missas, y dichas aquellas, de otras tantas. A este tono podian los Conuentos encargarse mas, ó menos, conforme al numero de Sacerdotes, que si vuiere.) Idem docet etiam Ledesma in sum. to. 1. c. 18. concl. 17.

An Parochus teneatur celebrare pro suis ouibus, & quoties, & an teneatur illis aliquas Missas applicare.

RESOL. XXVI.

Respondeo Curatum debere in diebus Dominicis, & in festis, quibus populus tenetur audire Missam, celebrare per se, vel per alios ex iusta causa. Ita Villalobos in summa, par. 1. tract. 8. dub 14. nu. 5. Ioan de la Cruz in direct. consc. p. 2. de sacr. Missæ, q. 1. dub. 8. concl. 3. Syluius in 3. p. qu. 83. art. 1. quæritur 17. & alij.

Sed licet, vt diximus, teneatur celebrare in his diebus, non tamen infertur, quod teneatur pro populo dictas Missas applicare, & ideo potest stipendium ab alijs pro supradictis Missis, sine scrupulo accipere, nisi adsit consuetudo in contrarium. Contra Nugnum in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 9. conclus. 2. folio mihi 501. col. 1. Parocho enim, vt benè obseruat Syluius vbi supra non debentur prouentus pastorales, præcisè, vt celebret ad intentionem populi, sed ratione totius officij pastoralis.

Et etiam si adsit, putat Posseuinus de officio Curati, c. 2. nu. 4. & Fraxinellus de oblig. Sacerd. sect. 3. conclus. 2. §. 1. nu. . & alij, hanc consuetudinem non obligare sub mortali, quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi, cum in præiudicium alicuius non sit inducenda obligatio, sine claris probationibus. Circa hanc quæstionem, vide etiam Vasq. in 3. p. tom. 3. disp. 232. c. 1. nu. 12. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 86. sect. 1. Filliuc. to. 1. tract. 6. c. 6. nu. 174. & alios.

An Capellanus ægrotans per aliquos dies, teneatur per alium Sacerdotem Missas celebrare.

RESOL. XXVII.

Negatiuè respondent DD. Sed difficultas est assignare numerum dierum, Molfesius in summ. p. 1. tract. 6. cap. 1. num. 79. Riccius in par. 1. resol. 340. nu. 5. Graffius tom. 2. consi. lib. 3. de præben. diff. 2. nu. 5. Fraxinellus de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 13. Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 4. num. 31. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tr. 4. cap. 13. qu. 122. putant hanc sententiam esse admittendam, si Capellanus ægrotaret per octo, vel decem dies. Petrus à Nauarra de restitutione lib. 2. c. 2. nu. 210. si per spatium vnius, vel duorum mensium Capellanus ægrotaret, non obligat illum ad celebrandum. Non enim (asserit) credibile est, fundatorem voluisse, ita strictè obligare, cum suam men-

mentem non applicaret, nec certè est rationabile tantum emungere. Sic ille, & Naldus in summ. ver. Missa. num. 11. quorum sententiam impugnat Genuensis in praxi, c. 47. nu. 2.

Ego verò si Capellani infirmitas perdurauerit vsque ad 15. dies, non obligarem illum ad Missas celebrandas.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit ex causa maioris honestatis, vnam Missam in hebdomada omittere?

RESOL. XXVIII.

Respondeo affirmatiuè, si institutio Missæ dirigatur ad personam Sacerdotis his vel similibus verbis. Eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, non autem, si adiungat per se, vel per alium: neque etiam si institutio Missæ dirigatur ad locum; vt si scilicet dicatur quotidie Missa in tali Ecclesia, vel in tali Capella. &c. tunc enim Sacerdos, qui huiusmodi onus habet, sine vlla vacantia, tenetur quotidie celebrare. Ita Zanardus in direct. Theol. p. 1. de sacrif. Miss. cap. 13. in principio, Fraxinellus de obligat. Sacer. sect. 4. concl. 4. §. 1. Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 16. & 17. & alij penes ipsos.

Hoc vnum aduertam, quod ipsi non notarunt; Nauarrum in casu proposito putare aliquando Sacerdotem non solum vnā, sed etiam alteram Missam posse ex causa honestatis relinquere. Ita ille to. 1. consil. lib. 3. de præben. consi. 6. nu. 5.

Sed hanc sententiam impugnat Naldus in sum. ver. Miss. q. 6. qui probabiliter tamen in nu. 7. asserit ex aliqua ingruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtinendam; nam hoc non ei denegaret Capellaniæ institutos, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Potest igitur Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, ex consuetudine introducta, relinquere vnam Missam in hebdomada. Nota tamen, quod non potest in tali die celebrare Missam pro alio, & accipere stipendium. Ita DD. communiter.

An Sacerdos institutus & obligatus ad celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari peccet alibi celebrando.

RESOL. XXIX.

Respondeo peccare mortaliter, cum Nauarro c. 25. nu. 134. Rodriq. in summ. tom. 4. c. 5. nu. 6. Azorio tom. 1. lib. 10. c. 24. quæst. 8. Iacobo de Graffeis to. 1. consi. lib. 4. consi. vnic. de patron. nu. 15. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 13. q. 125. Fraxinello de obligat. Sacer. sect. 4. concl. 4. §. 9. nu. 3. Fagundez de præcept. Eccl. p. 1. lib. 3. c. 9. num. 3. Ratio est, quia in re magni momenti infideliter agit frangendo promissum.

Hinc à fortiori apparet, me olim cum supradictis DD. rectè respondisse, non satisfacere, qui cum in Altari, vt dicunt priuilegiato, accepta stipe Missam dicere debeat, si in alio loco celebret, existimans eum calculo benedicto D. Caroli, vel alterius sancti animam illius pro quo celebrare tenebatur, è Purgatorio per modum suffragij eximere posse.

Puto tamen ex paruitate materiæ, Capellanum in hoc casu aliquando excusari, vt si v. g. bis, vel ter in anno in tali Sacello, siue Altari non celebret.

Aduerte etiam, vt dictum est, peccare Sacerdotem in designato loco minimè celebrantem, non tamen teneri ad vllam restitutionem, nisi aliquod suffragium defunctis subtraxerit, quia videlicet, si in designato Altari celebrasset, aliqui ad eum locum conuenissent, vt Sacrum audirent, & mortuos precibus adiuuissent, & in hoc casu debet Sacerdos defectum huiusmodi alijs precibus compensare. Ita DD. citati.

Vtrum Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in alijs festis duplicibus, celebrat aliam Missam votiuam, verbi gratia, vel de requie, &c. peccet mortaliter.

RESOL. XXX.

Negatiuè respondeo. Ita Miranda in Manuali Prælato. to. 1. q. 41. art. 21. concl. 3. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 83. sect. 3. concl. 1. Zanardus in direct. Theol. p. 1. de Sacram. Euchar. cap. 12. qu. 14. Hier. Llamas p. 3. Methodi, cap. 5. §. 14. & alij, quicquid in contrarium asserat Barthol. ab Angelis in exam. confes. dial. 5. §. 466. & Angelus ver. Missa. nu. 33. Ratio est, quia sicut Sacerdos potest liberè dicere, vel non celebrare Missam, ita, etiam, & aliam celebrare, & in rigore præceptum dicendi Missam, verbi gr. de Sancto, de feria, &c. Non videtur latum sub onere peccati mortalis, nisi aliud circumstantiæ suadeant, & scandalum adsit, & ideo cum Villalobos in sum. p. 1. trac. 8. dist. 31. nu. 5. non damnarem reum peccati mortalis, Sacerdotem, illum, qui in diebus festiuis Apostolorum, B. Virginis, & Domini nostri, diceret aliam Missam.

An Sacerdos, qui certis diebus ex accepto stipendio, vel ex fundatione Capellania debet dicere Missam de B. Virg. de Spiritu sancto, vel de requie, &c possit illis diebus dicere Missam currentem in Missali praescriptam?

RESOL. XXXI.

Affirmatiuè respondeo, si in illis diebus incidat solemnitas alicuius Sancti, & Sacerdos afficiatur maiori deuotione in Missa de dicto Sancto, aliter peccaret. Ita Fagund. de præcep. Eccl. p. 1. lib. 3. c. 9. nu. 6. Gauantus in Rubr. Missal. tom. 1. p. 3. tit. 13. nu. 20. & 21. P. itinus in p iuil. Minimorum. to. 1. conit. 5. Leonis X. nu. 2. Fraxinel. de oblig. Sacer. sect. 4. conclus. 4. §. 4. Sylvius in 3. p. qu. 7. artic. 9. ad 5. Azor. p. 1. lib. 10. c. 32. q. 5. Emanuel Sa, ver. Missa, nu. 48. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. ca. 14. quæst. 126. & alij communiter. Ratio est, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris, ex opere operato, vt notat D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 3. qu. 1. ad 5. & licèt cæteris paribus, Missa de requie magis defunctis prodesset, cū eius preces ad animarum liberationem directè fundantur, supplere tamen potest maior Sacerdotis deuotio, vel Sancti illius intercessio, cuius suffragium in Missa imploratur. Et licèt testator dixerit, quod singulis diebus dicatur, v. gr. Missa de B. Virgine, vel de requie: hæc verba tamen intelligenda sunt ciuili modo, & moraliter, nam non debet præualere volunta testatoris Ecclesiæ ordini, & ritui. Et de hac re instruendi sunt simplices, ne scandalo afficiantur, dum petentes Missam pro mortuis non audiant Missam de re. uie, sed de sancto. Sed in hac quæstione absolutè, & sine vlla limitatione, aut scrupulo loquitur Villalob. in sum. tom. 1. tract. 8. diffic. 91. nu. 9. vbi sic asserit. (El que esta obligado a dezir vna Missa, verbi gratia, de nuestra Señora, y dize la del dia, cumple bastantemente, acomo sea sin escandalo, que el dezir esta Missa, ò a quella, es accidental.) Idem etiam docet Io. de la Cruz in direct. conf p. 2. de sacrif. Missæ; quæst. 4. dub. 2. concl. 2. Vide etiam Ledesmam in summ. tom. 1. cap. 24. concl. 7. & Suarez in 3. disp. 83. sect. 3.

An Sacerdos obligatus dicere Missas D. Greg. teneatur illas dicere sine interruptione, & omnes de requie?

RESOL. XXXII.

Negatiuè resp nd eo, & præter DD. quos citat, & sequitur Bonac na de sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 3. num. 6. & 7. tenet hanc sententiam Homob. de Bonis in examin. Eccl. p. 1. tract. 4. cap. 14. qu. 127. Quòd non teneatur dicere Missas de requie, patet ex dictis superiori resolutione. Quod verò possit illas cum interruptione celebrare, patet. Nam Missarum obligationes, licet ad locum relatæ interruptionem non admittat, tamē ad Sacerdotis personam relatę ciuili modo, & moraliter intelliguntur, vt salua honestate, ac deuotione Sacerdotis, quātum fieri potest, magis contin: è celebrentur. Vide etiam Beiam p. 1. cas. 14. Sed post hæc scripta inueni Gauantum comment. in Rubr. Missal. tom. 1. par. 1. tit. 5. lit. D. contrarium docere, nempe valere quidem supradictas Missas si discon. t nuentur, sed non vt eas quas instituit S. Greg. sed tu tene cum supradictis DD. quibus adde Fraxinell. de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 6. §. 5. num. 1. & 2.

(?)

Ca-

Sacerdos in qua hora possit incipere Missam.

RESOL. XXXIII.

REspondeo quoad inceptionem licitum esse incipere Missam in ipso initio Auroræ, sic sentiunt communiter Doctores, qui conueniunt nomine Auroræ intelligi crepusculum diei, vel primam Solis irradiationem; neque hoc debet consistere in indiuisibili, sed Missa potest celebrari, quando iam est proxima talis irradiatio.

Itaque prima opinio est Reginaldi in praxi tom.1. lib 29.c.9. nu.173. qui asserit per quadrantem horæ licitum esse celebrare ante primam Solis irradiationem. Secũda opinio est Homoboni in exam. Eccles. part.1. tract.4.c.14.q.136. Henriq. libr.9.c.24. num.5. Ægidij de Coninch in 3.p.qu.83.art.2 dub.4.n.217. vbi ait initium diei, quo Missæ possunt incipi, est initium Auroræ, aut circa illud semihora, aut circiter ante ortum Solis. Tertia opinio est Azorij p.1.lib.10.c.25.qu.5. Scorzia de sacr. Miss. lib. 2. cap.15.nu.8. qui nomine Auroræ, intelligunt spacium vnius horæ cum quadrante ante radios solares manifestos. Quarta opinio probabilior, est Io. de la Cruz vbi infrà concl.2. Peregrini in compen. nostrorum priuil. p.1.nt. Miss. Suar. in 3.p.tom.3. dispu.80.sect.4. Ant. Fernand in exam. Theol. mor.p.3.c.5.§ 14. num.3. Posseu. de off. Curati, c.8.nu.28. & aliorum asserentium omnes Sacerdotes posse celebrare per horam cum dimidia ante Solis ortum. Imò aliqui addunt posse anteuerti dictum tempus, vt Missa finiatur hora & dimidia incipiente ante Solis radios manifestos, quod est asserere, posse Missam incipi duabus horis ante Solis radios apertos. Quam sententiam sequutus est etiam Rodriq. in sum.p.1.c.47.nu.1. & Fernand. vbi sup. Palud. & Victor. cum Pitig. in 4.to.1. dist.13. q.2.art.4.

Ex his inferunt Suar. & alij, Religiosos quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum Solis Missas dicere, quicquid in contrarium asserat Layman lib.4.tract.5.c.4.nu.3. & Vasq in 3.p.tom. 3.disp.233.c.3.nu.27. vbi asserit posse tantum per duas & dimidiam horam, non autem per tres horas. Sed plus ego addam cum Ioan. de la Cruz in direct. conf.p.1.de sacr. Miss. qu.2.dub. 1.concl.3. in fin. Posse illico post matutinum, aut post duas horas mediæ noctis Missas celebrari ex priuilegijs.

Non reticeam Henriq. lib.9.c.24. nu.5. facultatem concedere Sacerdoti celebrandi ante Auroram ob honestam causam, vt v.g. commodè iter suũ perficiat. Sed hoc non admittit Layman vt sup. est enim contra canonem, & consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ. An autem pro infirmo communicãdo liceat celebrare etiam media nocte, negat Henriq. vbi sup. sed tu contrarium tene cum Victoria de Euchar. nu.95. & Layman loco citato & alijs.

Sacerdos in qua hora diei possit finire Missam?

RESOL. XXXIV.

RΕspondeo, vsque ad meridiem inclusiuè. Verum est, quod Io. Andreas c.1. de celebr Miss. Fernan. in exam. Theol. mor.p.3.c.5.§ 14.num.1. & Vasq. in 3.p.tom.3. disp.232. c.4.n. 37. asserunt posse incipi Missam, non multo post transactum meridiem, neque enim res hæc, quæ moralis est, ita mathematicè considerari debet: sed licet hoc asserant non assignant tamen tempus.

Ego verò multas opiniones circa tale tẽpus inuenio. Prima est Azorij p.1.lib.10.cap.25.qu.6. qui asserit, tertiam horæ partem sufficere, vt Sacerdos dicatur mortaliter peccare, differendo Missæ celebrationem post meridiem. Secunda opinio est Laym. lib.4.tract.5.c.4.nu.4. & Homob. in exam. Eccl.p.1.trac. 4.c.14.quæst.114. asserentium tale tempus esse mediam horã. Tertia opinio est Martini Bonac. de sacr. disp.4.qu.vlt. punct.9. nu.6. qui asserit spatium trium quadrantum sufficere ad peccatum mortale. Quarta opinio est doctissimi Siluij in 3. p.qu. 83. art.2. asserentis Sacerdotem posse celebrare post meridiem, dummodo non attingat spatium vnius horæ.

Religiosi verò ex suis priuilegijs, vt notat Io. de la Cruz in direct. confs.p.2. de sacr. Miss. qu.2. dub.1. concl.4. possunt celebrare vsque ad Nonã inclusiuè, idest vsque ad tres horas post meridiem. Notandum est etiam cum Henriquez, Miranda, Suarez, & alijs, quos citat, & sequitur Layman vbi sup. Sacerdotem festo die ratione itineris impeditum, posse Missam incipere vna hora post meridiem.

An Sacerdos in nocte Natiuitatis possit tres Missas ante Auroram celebrare?

RESOL. XXXV.

NEgatiuè respondent Villalob. in sum. p.1. tract.8. diffic.22. nu.3. Fernand. in exam. Theol. p.3.c.5.§.7.nu.3. Vgolinus de potest. Episc.c.16.nu.5. Fagund. de præcept. Eccl. tract.1.lib. 3.c.16.nu.3. Pet. de Ledes. in sum.tom.1.cap.19.concl.9. fol. mihi 128. Didacus Nugn. in 3.p.tom.1.qu 83.art.2.ver. sed est dubium, fol. mihi 504. Miranda in man. præl.p.1. q.40.art.8.concl. 2 Nau. in sum.c.25.n.5. Io. de la Cruz in direct. consc.part.2.de sacr Miss.q.2.dub.1.concl.3. Syluest. Ang. Tab. Arm. ver. Missa, & alij. Probatur hæc opinio, nam in rubr. Missalis ita statuitur. Secundò, quia in ipso Canone dicitur *communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, pro prima Missa; pro alijs verò duabus dicitur, *& diem sacratissimum celebrantes*. Hanc etiam opinionem docet Acosta in expositione Bullæ Cruciatæ, qu.32. & Squillante de oblig. cler.p.1.

Sed mihi contraria sententia semper visa est probabilior, & illam sæpius in praxi consului. Vnde miror a Nugno vbi supra improbabilem vocari. Sed iste author nimis audacter in censurandis opinionibus se gerit, maximè sapientissimi Patris Suarez, qui nostram tuetur sententiam in 3.p.tom.3.disp.80 sect.4. quam sequitur etiam nouissimè Puteanus in 3.par.qu.83 art.2. Layman lib.4.tract.5.c.4.num.2. Vasquez in 3.p.tom.2 disput. 232.c.3.num.3. Reginaldus in praxi, tom. 2.c.9. sect. lib.3.num. 134. Coninch in 3.p.qu.83.art.2.dub.4.nu.218. Syluius in 3.p.q. 83.artic.2. Molfesius in sum.to.1 tract.3.c.10. nu.22. Zanardus in direct. Theol.par.1.de Euchar.c.9.qu.7. Scorzia de sacr. Miss. lib.2.c.15.num.5. Ratio est, quia in cap. nocte sancta, de consec. dist.1. absolutè cõceditur vt nocte Natiuitatis Missę celebrentur sine vlla distinctione.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur cum Vasquez, quod prædictæ rubricæ intelligendæ sunt de Missis conuentualibus & solemnibus, vt priuata Missa de nocte post mediam noctem dicatur, secunda in aurora, tertia vero in plena die. Ad secundum argumentum, respondetur cum Suarez, non obstare, quod in prima Missa dicatur *communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, non item in duabus reliquis, sed *communicantes, & diem sacratissimam celebrantes*: quia in diuini Officij recitatione, verba non referuntur semper ad tempus in quo dicuntur, sed ad aliud pro quo repræsentãdo & commemorando dicuntur: vnde etiamsi in prima Missa dicatur, *& noctem sacratissimam venerantes*, nemo tamen negat, quin alia Missa dici possit in plena diei luce.

Male igitur, vt dicebam, hæc opinio tot authoribus, & rationibus fulcita improbabilis à Nugno vocatur, est enim probabilissima & tutissima in praxi, quicquid etiam in contrarium post hęc scripta inueni sensisse Bonacinam de sacram. disp.4. q. vlt. punct.9. nu.9.

An Sacerdos possit dicere Missam ante matutini Officij celebrationem?

RESOL. XXXVI.

PEccare mortaliter, si Sacerdos hoc faceret, sentiunt non ignobiles Authores, quos inuenies in numero, paulò minus, quam 30. apud doctissimum Cenedum in suis canonicis quæstionibus q.3, numer 7. quorum sententiam ipse mordicus tuetur & probat, tum ratione consuetudinis, tum ex rubricis Missalis editis ex authoritate Romani Pontificis: vbi dicitur, quod Sacerdos celebraturus accedat ad sacrificiũ Missæ matutino saltem absoluto. Et hanc opinionem tenet etiam ex neotericis Pitigianus in to.1.dist.13 q.2. art.10. & Zanardus in direct. Theol.p.1. de Euchar. c.9. qu.7.

At contrariam sententiam probabiliorem esse iudico, & in praxi sine vllo scrupulo amplectendam, & præter Doctores 20. quos citat, & sequitur Barbosa de pot. Episc.p.....alleg.24 n.15. docent hanc sententiam Layman lib.4.tract.5.c.4.num.5. Ioan. de la Cruz in direct. conf.p.1. pręcep.3.ar.3.dub.4. concl.2. Raphael de la Torre in 2.2.to.1. contr.8. disp.2.n.6. & 7. Villalob.

in

in sum.to.1.tract.8 diffic.30. nu.1. Ratio est, quia vt ait Syluius in 3.p.qu.83.art.2.ex sui institutione, matutinales preces, & sacrificium Missę nullam habent connexionem, neque vllum ordinem, nam preces horariæ adinuentæ sunt, vt eis exhiberetur cultus diuinus Deo supplendo pro populo. Ministerium verò Eucharistiæ à Christo institutum est, vt recoleretur memoria Passionis eius, in quo nulla connexio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur.

Ad argumentum in contrarium, respondetur ad primum, negando adesse talem consuetudinem obligantem ad peccatũ mortale. Ad secundum respondetur, in Missali Romano nullũ esse verbum præceptiuum, & ex modo quo illa regula ponitur apparet ibi nihil nouum statui, sed solum declarari, & proponi, quod fieri solet & expedit. Imò ibidem expressius admonentur Sacerdotes, vt prius aliquantulum vacent orationi.

An deficientibus particulis possit Sacerdos partem Hostiæ alteri præbere.

RESOL. XXXVII.

PRo infirmo moribundo ne sine viatico decedat, posse affirmant DD. Difficultas consistit, an ratione deuotionis alicuius sumendæ Eucharistiæ, liceat hoc facere.

Multi negant, vt Zambranus dec.c.3.dub.6.num.7.& alij. At ego probabiliter contrarium sentio cum Syluest.ver.Euchar.3.nu.13.Angelo ver.Missa, nu.27. Graffio decis.1.lib.2.cap.38.nu.31.Scorzia de sacr.Missæ lib.4.c.29.num.12.Zanardo in direct. Theol.p.1.de sacr.Eucharist.c.9.num.15. & c.10.nu.13. & Homob.de Bonis in exam.Ecclesi.part.1.tract.4.cap.11.quæst.110. Emanuel Sà ver.Euchar.nu.15. Ratio est, quia Sacerdos sic faciens vtilitati fidelium consulit, nec vllam iniuriam facit Sacramento, cum in singulis particulis, quamuis exiguis, Christus contineatur.

An secluso scandalo & contemptu, liceat sine iusta causa celebrare extra Ecclesiam.

RESOL. XXXVIII.

AFfirmatiuè respondet Sotus in 4. sent.dist.13. qu.2. artic.3. & post illum Emanuel Sà correctus ex Magistro Sacri Palatij ver.Missa, nu.20.

Sed peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem extra Ecclesiam sine iusta causa, asserunt communiter DD. Villalob.in sum.p.1.tract.5.differ.23.nu.1. Homob.in exam.Eccl.p.1.tract.4.c.14.qu.157.Syluius in 3.p.qu.83.art.3.concl.4. Io. de la Cruz in direct.consf.p.2.de sacrif.Mis.qu.83.dub.5.concl.1. Filliucius tom.1.tract.5.c.4.qu.8.num.115.& alij penes ipsos, & clarè hoc determinatur & colligitur ex c.sicut, c.sic ergo, capitulus de consecr. dist.1. Et merito quidem ratione honoris & reuerentiæ tanto Sacramento debitæ, & cum materia ipsa grauis sit, consequenter obligatio præcepti ex suo genere sub mortali videtur. Cæteras rationes vide apud citatos Doctores.

An in nocte Natiuitatis Sacerdos nolens celebrare omnes tres Missas, sed vnam tantum, possit relinquere primam Missam & dicere secundam, vel si placuerit tertiam.

RESOL. XXXIX.

ALiqui forsitan negatiuam sententiam amplectendam esse putabunt: sed affirmatiuam docuit Zanardus in director. Theol.p.1. de Euch.c.9.q.7. Vgolinus de potest.Episc.cap.16.nu.5.Petrus Ledesma in sum.to.1.de Sacram.Euchar.cap.19.post 9.cõcl.quem postea sequutus est Villalob. in summ.p.1.tract.8.diff.12.nu.3.& quia codex rarus est, ponam eius verba. (Verdad es que se podria dezir de noche qualquiera de las tres Missas, que es cosa accidental dezir esta, o aquella.) Et eadem ratio militat, si Sacerdos vnam Missam vellet celebrare in die, tunc enim posset dicere tertiam, vel secundam Missam: quicquid Gauantus putet, dicendam esse, vel primam vel tertiam, & potius tertiam, cuius Oratio cum Officio concordat. Ita ille in comment. ad Rubr.Mis. to.1.p.4.tit.3.n.6.

An Sacerdos regularis peccet mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi, ponat nomen Generalis suæ Religionis.

RESOL. XL.

REspõdeo affirmatiuè ex declaratione Cardinalium quę sic asserit. Cum Cæsar Episcopus Nouariensis in Hispanijs Nuntius Apostolicus esset. fuit coram eo dubitatum an Religiosi peccarent mortaliter in Canone Missæ commemorationem pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant superiorem ordinis, consulta ab ipso Nuntio sancta Sede Apostolica respõdit, eos mortaliter peccare, cum sit ad vnguem Missale obseruandum, nec in collectis Missæ, posse aliquid addi sub eadem pœna præter orationem solitam pro Rege, & eius prole; & exercitu.

Hanc declarationem inuenies apud Rodriquez in summ.to.4.c.51.nu.13. vbi tamen addit, (que no condenaria a peccado mortal, lo que no teniendo noticia della declaration, ni sabiẽdo ser authentica añadir algo en la collecta.) Post hæc scripta, inueni hanc declarationem Cardinalium, adducere etiam Villalobos in sum.p.2. tract.8.diff.31.nu.3. & Portel in dub.regul. ver. Missa, nu.14.

An Sacerdos cum Sacris vestibus, se induit peccet mortaliter relinquendo Orationes positas in Missali, quas se induendo Sacerdotes dicere solent.

RESOL. XLI.

PEccare mortaliter si hoc faceret aduertenter putauit Syluius in 3.qu.83.art.6.qui citat Nauarrum, & Azor.

Sed nimis rigorose loquuntur hi DD. Ideo puto dummodo id faciat sine contemptu, non peccare Sacerdotem supradictas Orationes relinquentem. Et ita peccate DD. 8. quos citat, & sequitur Homob. de exam.Eccles.p.1. tom...tract.5.cap.15.nu.12. Vegha in summ.tom.2.cap.41.cas.9. Pitigian.in 4.to.1.dist.13.qu.2.art.10.dub.4. Fernand.in exam. Theol. p.3. cap.5.§.13. num.4.Scorzia de sacrific.Missæ lib.2.cap.8.num.14 Fagundez tract.1.lib.3.cap 21.num.9. Ratio est, quia nullum adest præceptum, seu præcipiens, dictas Orationes à Sacerdote dicendas sub onere peccati mortalis, & quædam in Missali posita pertinent ad decentiam, & consilium, non autem ad necessitatem, & obligationem. Vide Fagund.loc.cit. & nu 32.vbi probat regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam sacrificij, reliquas vero non esse pręcepta, sed consilia, & instructiones.

An Sacerdos in Missa maiori peccet, si non legat submissa voce Epistolam, & Euangelium postea à Subdiacono & Diacono canendum.

RESOL. XLII.

SEntentiam affirmatiuam docet Fernand. in exam.Theol. p.5.§.13.nu.15. & Emanuel Sa ver.Missa, nu.51.

Sed negatiuè respondendum est cum Vegha in sum. to.2. c.41.cas.7. qui citat Rodriq. Idẽ docuit Villalob. in sum. p.1.tr.8. diff.31.num.4. Qui male citat Nauarrum tanquam contrarium sentientem, nam Nauarr.in orat.Miss.74. & in Manuali, ca.10. n.34.seu 46.negatiuam sententiam docet, & multis rationibus probat, tum quia in Missali hoc non præcipitur, tum quia nullo alio Canone, seu iure in Missa solemni imponitur recitari secretò Epistolam, & Euangelium. Et licet aliqui id faciant, multa sunt consueta, quæ non sunt præcepta. Malè igitur, vt dixi, à Villalob. Nauarrus pro contraria sententia citatur.

An Sacerdos peccet mortaliter, celebrando Missam sine ministro, ne careat Missa in die festo.

RESOL. XLIII.

REspondet affirmatiuè Fernandez in exam. Theol. parte 3. cap.5.§.4.nu.8. Barthol.ab Angelo in exam.Confess. dial. 5.§ 401. quem postea sequutus est Bonacina de Sacr. disp.4.q. vlt. punct.9. num.33.

Sed ego puto non peccare, & ideo in magna necessitate qualis

qualis est diei festi, aut dandi moribundo viaticum, vel quid simile, celebrationem Missæ sine ministro licitam esse censeo. Ita Villalob. in sum. p. 1. tract. 5. diff. 34. num. 2. Pitigianus in 4. tom. 1. dist. 13. quæst. 2. art. 5. in fin. Squillante de oblig. Cler. p. 2. dubio 23. nu. 69. & Sylvius in 3. par. qu. 83. art. 5. asserit, ita facientem non damnare. Vide Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. n. 6. Homobonum de Bonis in exam. Eccl p. 1. tract. 4. c. 15. q. 146. & alios.

An Sacerdos in casu necessitatis possit fœminam in responsione Missæ, administram adhibere?

RESOL. XLIV.

Negatiuè respondet Layman lib. 4. tract. 5. c. 6. num. 13. Homobon. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. capit. 15. q. 146. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 88 sect. 1. Villalob. in sum. p. 1. tract. 8. diff. 34. n. 1. Io de la Cruz in direct. consc. p. 2. de sacr. Miss. q. 3. dub. 5. concl. 2. Zanardus in direct. Theol. p. 1. de sacr Missæ, cap. 15. in fin. Pitigianus in 4. tom. 1. dis. 13. quæst. 2. art. 5. in fin. Fernandez in exam. Theol. p. 3. cap. 5. §. 4. nu. 7. Squillante de oblig. Cler. p. 2. dub 23. num. 70. Molfes. in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 10. nu. 40. & alij ex author. ca. 1. de cohabit. Cler & mul. vbi dicitur, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.

Sed non reticeam, Didacum Nugnum in 3. p. to. 1. q. 83. art. 6. dub. 1. fol. mihi 516. col. 2. contrariam sententiam docere, nempe quòd si non sit vir, vel ille non possit ministrare, quòd tunc debet fœmina, & respondere, & ministrare, nam ex hoc nullum sequitur inconueniens, & ex alia parte sit sacrificium debito modo, sine confusione, & verificantur salutationes ad populum, & responsiones. Ad argumentum contrarium respondet, illa verba esse intelligēda, extra tempus grauis necessitatis, hoc enim manifestè significat verbum illud *nō præsumat*, in nostro enim casu fœmina non præsumit, sed hoc facit ex commissione Sacerdotis, propter instantem necessitatem: & Sacerdotem ita celebrantem, nempe cum fœmina, non peccare mortaliter, putauit Syluius in 3. p. qu. 83. art. 5. in responsione ad 12. sed tu tene primam opinionem.

An Sacerdos in necessitate celebrans cum vno lumine olei, vel adipis, peccet mortaliter.

RESOL. XLV.

Affirmatiuè respondet Riccius p. 3. decis. 213. nu. 1. Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 23. n. 17. Reginald. tom. 2. lib. 29 cap. 9. nu. 196. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 6. Fernand. in exam. theol. p. 3. cap. 5. §. 13. nu. 12. Villalob. in sum. par. 1. tract. 8. diff. 29. nu. 4. Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 233. c. 5. n. 26. Molfes. tom. 1. tract. 3. cap. 12. nu. 57. & alij.

Sed negatiuam sententiam probabilē putat Zanard. & in direct. Theol. p. 1. de sacrif. Miss. c. 14. in fin. Pitig. in 4. tom. 1. disp. 15. qu. 2. ar. 3 Nugn. in 3. p. qu. 83. ar. 3. dub. 5. fol. mihi 509. col. 1. Graff. p. 1. lib. 2. c. 43. num. 1. Azor. p. 1. lib. 10. c. 18. qu. 15. & Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 15 q. 143. qui etiam tenet Sacerdotem, neque peccare mortaliter si celebret Missam in altari in quo magno Crucis non existit, & citat multos, quibus adde Villalob. in summ. p. 1. tract. 8. diff. 26. nu. 6.

Nota etiam, quod celebrare cum vnica candela ceræ ex casu necessitatis, putauit Nugnus vbi supra, esse tantùm peccatum veniale.

Vtrum Sacerdos peccet mortaliter, si in aliquo loco, vbi non adesset Missale, celebret Missam.

RESOL. XLVI.

Hanc quæstionem indecisam reliquit Suarez in 3. p disput. 81. sect. 6. & in affirmatiuam sententiam videtur inclinare Reginaldus tom. 2. lib. 29. cap. 9. p. 2. sect. 6. num. 197. & docet apertè Fagundez tract. 1 lib. 3. c. 21. n. 23. Vasquez in 3. p. tom. 4. disp. 233. c. 3. nu. 26. & Filliucius to. 1. tract. 8. cap. 5. n. 127.

Sed ego cum Layman l b. 4. tract. 5. c. 6. nu. 17. Villal. in sum. p. 1. tract. 8. diff. 26. nu. 5. & Ledesma in summ. to. 1. de Euchar. cap. 20. post 8. concl. puto in tali casu, Sacerdotem non peccare, dummodo sit ita instructus, & de sua memoria confidens, vt mortaliter nō dubitaret posse se omnia integrè dicere sine Missali, quamuis non sine alio libro loco Missalis, ne notam aliquā incurrat apud alios. Hinc Vasquez vbi sup. putauit Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria calleant, posse.

An Sacerdos qui præterita die applicauit Missam pro Petro, & postea Missam celebrando, nihil de applicatione sacrificij cogitauit, satisfecerit suæ obligationi, quod est quærere, an Sacerdos in Missa actualiter, vel virtualiter debeat applicare sacrificium pro eo, qui dedit stipendium.

RESOL. XLVII.

Affirmatiuè respondet Vasq. in 3. p. tom. 3. disp. 138. cap. 6. num. 76. Putat enim, vt sacrificium alicui applicetur, & vt tale ei prosit, debere à voluntate offerendi proximè, vel remotè procedere. Vnde si quis offerat Missam, & hæc voluntas postea in celebrationē ipsius Missæ nullo modo influat, vt neque proximè, neque remotè eius causa sit voluntas illa, procedit per modum impetrationis, at verò sacrificium ipsum non, item. Putat igitur Vasquez, applicationem Missæ debere fieri actualiter, vel virtualiter tempore eiusdem sacrificij: probatur enim eodem pacto de applicatione, ac de intentione conficiendi Sacramentum. In hanc sententiam incidit Bernarducius in summ. Corona p. 4. cap. 5. n. 9. Beia p. 1. cas. 23. & Fraxinellus de oblig. Sacer. sect 4. concl. 5. § 7. numer. 1. qui putant, Sacerdotem in Memento, debere applicare valorem Missæ eis, pro quibus tenetur celebrare.

Sed si hæc sententia amplectenda esset, multis scrupulis agitarentur Sacerdotes. Ideò contrariam opinionem probabilem esse puto, quam tenent Suarez in 3. p. to. 3. disp. 13. sect. 3. concl. 2. Bonacina de Sacram. disp. 1. qu. 3. punct. 2. §. 3. n. 11. & Molfesius in summ. tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 14. Distinguendum est igitur in hoc casu. Vel præterita die Sacerdos absolutè applicat pro Petro fructum sacrificij die crastina offerendi, & tunc valet talis applicatio, licet postea in Missa, nihil de tali applicatione Sacerdos cogitet. Vel non applicat determinatè, sed habet voluntatem crastina die applicandi, & in hoc casu talis applicatio minimè valet.

Vnde contra Vasquez, est dispar ratio inter applicationem, & intentionem conficiendi Sacrificium. Quia voluntas, qua offertur sacrificium, non est necesse, vt sit operatiua sacrificij, sed solum applicatiua fructus eius: & ideo fieri potest, et simplicem voluntatem: quæ antecedat ipsum sacrificium, & postea nihil circa ipsum operetur. At verò intentio conficiendi Sacramentum, debet esse intentio operatiua conficiendi ipsum sacrificium, & ideo quando nihil actualiter, seu virtualiter operatur, non est ad Sacramentum sufficiens: neque est propriè voluntas efficax eius. Ex his apparet, quod ad applicandum sacrificium non requiritur intentio, quæ virtualiter duret tempore sacrificij, sicut requiritur ad conficiendum Sacramētum. Vnde sufficit, quod Sacerdos applicet absolutè sacrificium tali die offerēdum, modo talis intentio non fuerit postea reuocata.

Sacerdos si ante Missam confessus sit, & postea celebrando peccatum mortale in confessione oblitum, in mentem venit, vtrum teneatur in tali casu elicere actum contritionis de illo peccato.

RESOL. XLVIII.

Hanc quæstionem non inuenio apud multos, & sæpius in praxi potest occurrere. Affirmatiuam sententiam ex Medina, Suarez & de Graffeis, docuit Valerius Reginaldus in praxi, tom. 2. lib 5. cap. 5. sect. 3. nu. 9. quia necessarium est de peccatis pœnitere, sicut, & confiteri non solum ad finem consequendi eorum remissionem, sed etiam adimpletionem præcepti, ad quam non sufficit sola virtualis peccatis detestatio.

Sed contrariam sententiam, probabilem etiam esse censui his diebus de hoc casu interrogatus. Dico igitur, cum qui iustificatus fuit per pœnitentiam virtualem, nec recordatur alicuius peccati mortalis, non teneri ad eliciendum actum contritionis, postquam peccatum illud venerit in mentem, nisi fortè velit confiteri iterum, aut nisi alio titulo teneatur elicere actum

actum contritionis: & ita in simili casu docuit Vasquez in 3.p. tom.4. q.86.art.2. dub. 2.nu.11.

Probatur hæc opinio. Primò, quia contritio est necessaria ad culpæ, & peccati remissionem, sed illud peccatum oblitum iam in confessione virtualiter fuit verè remissum. Ergo, &c. Nec valet dicere, quod fuit remissum cum obligatione, quod si in mentem venerit, ille qui confessus fuit, teneatur de illo formaliter iterum elicere actum contritionis. Nam respondeo, hanc obligationem non constare, imò apparet cōtrarium, nam de iure naturæ quis teneatur ad formalem pœnitentiam, vt iustificetur, & reconcilietur Deo. Hic autem iam fuit iustificatus, & reconciliatus Deo per pœnitentiam virtualem. Ergo, &c. De iure verò positiuo diuino, nulla talis obligatio apparet. Nam vbi in scriptura dicitur pœnitentiam esse necessariam, fit sermo de peccatoribus. Imò Lucæ 15. dicitur, iustum non egere pœnitentia. Adde, quòd in noua lege nullum est præceptum diuinum, merè positiuum, præter præcepta circa Sacramentorum susceptionem; de iure autem positiuo humano non potest extare tale præceptum, nam Ecclesia non potest præcipere actus internos. Ergo non apparet, vnde & quo iure extet hoc præceptum in nostro casu.

Potest igitur Sacerdos, tunc sequi Missam inceptam, & non elicere actum contritionis, sed postea confiteri suo tempore peccatum illud oblitum, & tunc de illo atteri, vel conteri. Nec valet dicere, vt quidam Theologus olim de hoc casu interrogatus aiebat, quod Sacerdos, cum teneatur in nostro casu confiteri, teneatur etiam conteri: nam hoc, salua pace, falsum est: non enim quoties quis tenetur confiteri, tenetur etiam conteri. Et sic, ait Filliucius tom.1. tract.6.c.8.nu.209. ex communi sententia DD. quis in Paschate tenetur confiteri, & tamen si non habet copiam Confessarij, non tenetur conteri. Sic & in nostro casu. Ergo, &c. Ex dictis patet responsio ad rationes contrariæ sententiæ.

Vtrum Sacerdos, qui ex intentione non nominat aliquem sanctum eorum, qui in Canone Missæ ponuntur, peccet mortaliter?

RESOL. XLIX.

PEccare mortaliter putauit Didacus Nugnus in 3.p.tom.1.q. 83.art.4. dub.2. conclus.2.

Sed quia in hac materia datur etiam paruitas materiæ, ego puto, Sacerdotem hoc facientem, culpæ lethalis minimè esse reum. Colligitur hoc ex Homobono de Bonis in exam. Eccles. par.1.tract.4.cap.16.q. 132. & absolutè tenet hanc sententiam Filliucius tom.1. tract.6.cap.5.nu.155.

An Sacerdos, Missam nouam celebrans, possit se in medio altaris ad populum vertere, & oblationes ab ipso sponte factas accipere?

RESOL. L.

REspondeo affirmatiuè, & ita declarauit Sacra Congregatio, vt notat Homobonus de exam. Eccles. p.1. tract.4. cap.13.quæst.117. & Naldus in sum. ver. Missa, num.19. non debet tamen circuire Ecclesiam.

An Sacerdos, qui noctu misit, ad raucedinem faucium leniendam, saccarum in os paulatim deglutiendum, si illud durauerit post mediam noctem, & dubitat, an aliquas partes illius in stomachum traiecerit, possit Missam celebrare?

RESOL. LI.

NEgatiuè respondeo cum communi sententia DD. hi sunt Suarez in 3.p.tom.3.disp.16.sect.4. Vasq. etiam in 3.part. tom.3.disp.211.cap.3.num.31. Reginaldus in praxi, tom.2. libr. 29.cap.6.num.117. Bonacina de sacram. disp.3.qu.6.punct.2.n. 7. Molfesius in sum.to.1.tract.3.c.10.n.13. Coninch de sacram. quæst.80.ar.8.num.48. & Sylvius in 3.part. qu.80.art.8.fol.mihi 248. col.1. vbi sic ait. Solueretur ieiunium, si quis nocte misisset in os aliquid sacchari, & eius aliquid traiecerit post mediā noctem, & quia tam saccharum, quam aliqua liquescentia, communiter deglutiuntur, ideo qui tale quippiam ante somnum accepit, non potest die sequenti communicare, nisi moraliter sit certus, quod ante mediam noctem, totum deglutiuerit, vel quod residuum erat, abstulerit. Sic ille.

Nec valet dicere, quod illud non sumitur illo die ab extrinseco, nec traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Nam respondetur, illam esse quamdam successiuam māducationem, quæ ex parte fit eodem die, & cum illa materia imponatur, vt paulatim deglutiatur ex intentione sumentis, tandiu durat eiusdem comestio, donec ipse totam deglutiuerit, sicut si paulo ante mediam noctis horam imponerem alios cibos ori, eosque donec media esset audita, manderem, & deglutirem eos, nullo modo possem eo die communicare. Hæc communiter asserunt DD.

Non reticeam tamen, contrariam sentētiam docere Tabienam ver. communicare, §.49. vbi concedit, id quod præterito die intra os sumptum est, etiamsi data opera deglutiatur in sequente, non soluere ieiunium naturæ, neque impedire perceptionem Eucharistiæ, quia (inquit) ad hoc opus est sumptione alicuius rei exterioris, quæ fit eodem die. Igitur necesse est, vt res aliqua eo die in os mittatur. Pro hac sententia faciunt, Durandus, Gabriel, Paludanus, qui concedendo reliquias cibi, etiamsi deglutiantur, non impedire communionem, reddunt hanc rationem; quia eo die non fuerunt in os immissæ, quæ quidem ratio, vt diximus, militat in casu nostro. Et sic ex neotericis, sententiam Tabienæ amplexus est Bartholom. ab Angel. in exam. conf. dial.4.§.214. littera, A. vbi sic asserit. Quod dictum est de saliua, & de reliquijs cibi, & huiusmodi, dicendum est de eo, qui in sero accipit aliquid in ore pro voce, vel pro alio quod remanet: non enim venit ab extrinseco post mediam noctem; nec propter hoc ille non esset ieiunus. Ita ille.

Vtrum Sacerdos, qui mane solet deglutire aliquid ex proprijs vnguibus, vel papyri, &c. possit celebrare Missam.

RESOL. LII.

NEgatiuè respondet Henriquez in summ. lib.8.c.49.num.2. & in gloss. litt.O. Nugn. tom.1. in 3. p.qu.50. art.8. vbi putat, falsam esse sententiam modernorum, dicentium, quod si quis deglutiat aliquid ex proprijs vnguibus, vel papyri, vel sanguinis proprij vulneris, & alia similia, quæ neque habent rationem cibi, neque potus, neque etiam medicinæ, non est impeditus ad sumptionem Eucharistiæ; Diuus namque Thomas dicit in solut. ad quartum argumentum, nihil referre, quod aliquid horum nutriat, vel non nutriat. Vnde assumi per modum cibi, vel potus, solum distinguitur ab eo, quod est assumi per modum saliuæ, atque adeo quæcunque res exterior, est ad hoc impedimentum, alias enim si medicina esset nociua, non esset impedimentum.

Sed hæc opinio, est nimis rigida. Ideo probabiliorem puto opinionem Sum. Coronæ p.4.cap.4.nu.65. & Ioan. de la Cruz in direct. consc. part.2. de Euch. qu.5. dub.4. concl.2. Et quia codex rarus est, ponam eius verba, itaque sic ait. Qui comedit modicum papyri, aut aliquid simile, non habens rationem cibi, aut medicinæ, potest iuxta sententiam probabilem sumere Eucharistiam. Ex quo infert (& est casus, de quo olim fui à nobilissimo viro interrogatus) mulierem terram, aut simile comedentem, siue illud comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi; siue comedat, vt colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam.

An Sacerdos possit communicare seipsum extra Missam?

RESOL. LIII.

NOn posse, nisi in casu necessitatis, docet Filliucius tomo 1. tract.4.cap.9.num.285. Armilla ver. communio, num. 8. Caiet. eodem ver. Villalobos in summa, tomo 1. tract.7.cap. 48. num. 1.

Sed ego contrariam sententiam probabiliorem esse iudico, nempè posse Sacerdotem, non solum in casu necessitatis, sed etiam deuotionis causa, seipsum communicare, extra Missam ex præconsecratis, vbi tamen non esset, nisi ipse tantum Sacerdos, quia in hoc Sacramentum non requiritur, vt in alijs, vt minister sit persona distincta à suscipiente, & sic in die parasceues communicat se ipsum, non consecrando. Et hanc sententiam docet Syluius in 3. part. quæst. 82. art. 3. Homobonus de exam. Ecclesiast. part. 1. tract. 4. cap. 11. num. 106. Fagundez tract. 3. lib. 3. cap. 3. num. 7. cum Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 72. sect. 3. Sed supra dicta doctrina, in praxi practicanda est, secluso scandalo, quod quidem scandalum facile ipse Sacerdos vitare poterit, monendo astantes, ne scandalum patiantur, nam ita facere in illo casu sibi licet.

Obseruat tamen Fagundez, quod si in tali casu adesset Diaconus, nó posse tunc Sacerdotem se ipsum communicare, quia adest minister ex priuilegio competens. Sed hæc limitatio mihi non placet. Nam ex ipso Fagundez ibidem, Filliucio, & Villalobos vbi supra, Sacerdos debet proprijs manibus se ipsum communicare, quando Diaconus illi Sacramétum defert tempore mortis, vt docet Durandus in 4. dist. 13. qu. 4. Ergo etiam poterit seipsum proprijs manibus in nostro casu communicare, etiamsi adsit Diaconus: nam etiam Diaconus tempore mortis, esset minister competens. Et tamen (vt diximus) tunc Sacerdos non ex manibus Diaconi, sed suis debet sacratissimam Eucharistiam accipere: Ergo idem facere debet in casu nostro.

An dictus Sacerdos, in tali casu, possit se communicare, qualibet hora diei post meridiem.

RESOL. LIV.

Affirmatiuè respondeo, cum Azorio p. 1. lib. 10. c. 25. quæst. 7. Syluio in 3. part. quæst. 80. art. 10. Henriquez li. 8. cap. 54. num. 5. Emanuel Sà, verb. Eucharistia, nu. 19. & alijs, quia nullo iure prohibetur, quali libet hora communicare, dummodo absit scandalum, & qui se communicare petit, ieiunus sit, nam prohibitio in hoc casu, cadit super consecrationem non faciendam, post meridiem à multo tempore, nó autem contra sacram Communionem, tunc suscipiendam. Et ita etiam docet hanc opinionem Zanardus in director. theol. part. 1. de Euchar. cap. 9. quæst. 17. licet Coninch de sacram. q. 80. art. 10. num. 85 & alij afferant, ex reuerentia tanti Sacramenti debita, non esse extra necessitatem permittendum, vt aliquis sub vesperam, & qualibet hora diei communicet.

An sacerdos in celebrando, non obseruans rubricas Missalis, peccet mortaliter.

RESOL. LV.

Sententiam affirmatiuam docuit Azorius part. 1. libr. 10. cap. 29. quæst. 6. Bonacina de sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 3. ou 3. Pitigianus tom. 1. in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. artic. 4. in fine, & alij. Nam si breua Pij V. quod in principio Missalis ponitur, cum attentione consideretur, obseruantia rituum, ac ceremoniarum Missalis, in sacro faciendo, obligare videtur ad mortale.

Ego verò, si Sacerdos contrarium faceret, non damnarem de peccato mortali. Nam contrariam sententiam asserentem, dictas rubricas non obligare sub onere peccati mortalis esse probabilem, afferunt etiam DD. citati, & Posseuinus de offic. Cur. cap. 2. num. 16. cum alijs. Et ego puto ita omninò esse tenendum, vt docet Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. & seq. quę intelligenda sunt, si vnam, vel alteram rubricam non obseruaret, non autem si nullam, aut si in rebus substantialibus Sacrificij delinqueret, vt alibi dictum est.

An Sacerdos possit aliquando eodem die plures Missas celebrare.

RESOL. LVI.

Multi, vt Palud. D. Anton. Turrecr. Durád. & alij apud Doctores, vbi infra, affirmatiuè respondent, & ex neotericis, docet etiam hanc sententiam Valentia tom. 4. disp 6. quæst. 11. punct. 3. ad 7. Henriquez lib. 9. cap. 30. art. 7. & Nauar. in man. cap. 25. num. 93. & alij. Casus autem, in quibus id liceat, dummodo Sacerdos sit ieiunus, ad septem reducunt. Primus, in die Natiuitatis Domini nostri. Secundus, quando in ea fere dicta Missa, superueni: Pontifex, Episcopus, aut habens quasi Episcopalem iurisdictionem ordinarius Prælatus, Rex vel aliquis Princeps sæcularis, aut etiamsi superueniant aliqui itinerantes in die præcepti festo. Tertius, si cum finit Missam nuntiatur ei, quòd intrat defuncti corpus sepeliendum cum Missa. Quartus, si non est seruata Eucharistia, & nuntiatur quem in articulo mortis esse, debet iterum celebrare, & dare ægroto viaticum. Quintus, ob benedictionem nuptiarum, quando aliqua necessitas aut magna congruentia vrget. Sextus, ob rationabilem causam iudicatam à bono, & cordato viro, ob quá videatur necessarium, vel congruentissimum, vt Missa secundo dicatur, quod habetur cap. cósuluisti. Septimus porrò, quando vnus Sacerdos præficitur duabus Ecclesi. Parochialibus; ob illarum paupertatem.

Sed ob multiplicitatem Sacerdotum hi casus abierunt in desuetudinem, & solus primus, & vltimus in his nostris regionibus obseruatur, vt bene obseruat Llamas p. 3. Meth. cap. 5. §. 17. in fine. Io. de la Cruz in directur. conf. par. 2. de sacrific. Missæ, qu. 2. dub. 3. conclus. 3. in fine, Syluius in 3. par. quæst. 83. art. 2. ad 5. Scorzia de sacrific. Missæ, lib. 2. cap. 16. num. 2. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. cap. n. 46. Vgolin. de potest. Episcopi c. 16. n. 4. Vasq. in 3. part. tom. 3. disp 232. c. 5. nu. 48. Pitigianus tom. 1. in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. Nugnus tom. 1. in 3 part quęst. 83. art. 2. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 8. sect. 3. & alij. Vnde Sacerdotes considerent in alijs casibus quid facere debeant, & attendant consuetudinem locorum, & regionum, & celebrent de licentia Episcopi, vt obseruat Posseuinus cap. 2. num. 7.

An in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare, sine stola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedicto.

RESOL. LVII.

Extra casum necessitatis, esse mortale fatentur omnes, Nugnus tom. 1 in 3. part. quęst. 83. art. 3. dub. vlt. in fin. Bonacina de sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 9. num. 27. Vasq. tom. 3. in 3. part. disp. 233. cap. 3. num. 38. & alij, ex cap. vestimenta, de Consec. dist. 1. Difficultas consistit in casu necessitatis, vt quàdo Sacerdos in die alicuius festi, esset in loco, vbi non inueniretur aliquod indumentum ex prædictis, vel in alio casu grauis necessitatis. Hieronymus Llamas part. 3. cap. 5. §. 16. putat in tali casu Sacerdotem semel, vel bis posse celebrare, sine aliquo indumento non benedicto. Io. de la Cruz in direct. conf. part. 2. de sacrific. Missæ, qu. 3. dub. 4. concl. 2. Petrus Ledesma in summa, tom. 1. de sacram. Euchar. c. 21. concl. 5. dub. 3. Suarez in 3. p. to. 3. disp 83. sect. 3. dub 1. in fin. & Coninch vbi infra, Filliuc. to. 1. tract. 5. cap. 5. nu. 149. putant in casu necessitatis, posse Sacerdotem celebrare sine aliquo indumento ex dictis.

Nota verò circa præsentem quæstionem de vestibus sacris, quantum attinet ad materiam, amictum, & albam debere esse linea, cæteras verò ex quacumque alia materia. Nec multum refert, cuius ea sit coloris, etsi in Missali pro certis temporibus certi colores designentur, nam talis ordinatio præceptiua non est, sed directiua. Ita Homobonus de exam. Ec. lef. p. 1. tract. 4. c. 15. q. 144. & alij.

Nota etiam secundo, stolam posse deseruire pro manipulo, & manipulum pro stola, quia talia indumenta nó habent figuram determinatam. Ita Villalobos, in sum. p. 1. tract. 8. dub. 28. num. 3. & alij.

Nota tertio, si cingulum perfringatur, & vtraque pars sufficiat ad cingendum, vtraque est benedicta, & potest deseruire celebrationi Missæ. Adde plus, quod si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum, potest cingulum sic fractum necti. Ita Coninch de sacram. quæst. 83. art. 5. dub. 3. numer. 250. Emanuel Sà ver. Missa, numero 12. & Ioan. de la Cruz vbi suprà.

Nota quarto, casulam, manipulum, & stolam seruire ab vtraque parte posse, etiamsi vnica tantum consecratione ab Episco-

Episcopo sacrata essent, vt si gemino colore afficerentur ad varios dies festos. Item supradictæ vestes tunc consecrationis formam amittunt, cum ita scinduntur, vt apię amplius non sunt ad eos vsus, ad quos sacrantur, alioquin formam consecrationis retinent, etiamsi aliqua pars, quæ sacrata non est, vna cum filo profano assuatur. Ita Azorius parte prima, libro 10. cap. 28. qu. 9. & 10. & Bartholomęus ab Angelo in exam. confess. dial. 5. § 275.

An Sacerdos possit celebrare capite cooperto ex aliqua infirmitate.

RESOL. LVIII.

Respondeo negatiuè, si non adest licentia Episcopi, seu Prælati cum Regularibus. Ita Humobonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 15. qu. 145. Scorzia de sacr. Missæ, lib. 3. c. 4. num. 2. Henriquez lib. 9. cap. 26. num. 2. Fagundez de præcep. Eccles. part. 1. lib. 3. c. 21. n. 33. Layman in theol. mor. lib. 5. trac. 5. cap. 6. nu. 6. & notat Scorzia Gregorium XIII. vix dispensasse cum Niceæ Episcopo, vt pro infirma valetudine, publicè (excepto tamen Canone) celebraret.

Verum est quod notat Suarez in 3. part. to. 3. disp. 83. sect. 3. & Filliucius tom. 1. tract. 5. c. 5. num. 152. Syluius in 3. p. qu. 83. art. 3. in fin. Si grauis infirmitas id exigeret, nec posset tamen facile dispensatio postulari, id posse sine graui culpa. Sed Petrus de Ledesma in summ. tom. 1. de sacram. Euchar. cap. 21. conclus. 7. absolutè docet non esse peccatum mortale seclusso scandalo, & contemptu celebrare cooperto capite, sine licentia Episcopi. Et in hanc sententiam inclinat Villalobos in sum. par. 1. tract. 8. dub. 29. num. 11. secluso tamen tempore Canonis. Opinio Ledesmæ mihi videtur probabilis, non est enim grauis materia, vt possit inducere peccatum mortale, si non adsit scandalum, & contemptus. Sed post hæc scripta, facultatem dispensandi cooperto capite spectare ad summum Pontificem, docet Gauantus in comment. rubr. Missal. tom. 1. part. 1. tit. 2. littera F. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem super negotia Episcoporum die 2. Ianuarij 1590. & Sacram Rituum Congregationem de 31. Iunij 1626. affirmat.

An Sacerdos, qui in Missa omittit voluntariè Credo, *seu* Gloria, *peccet mortaliter?*

RESOL. LIX.

Fortè non peccare, putauit Nugnus tom. 1. in 3. part. qu. 83. art. 4. dub. 2. ad 3.

Sed sine vlla formidine, & absolutè docet non peccare mortaliter, sed venialiter ex materiæ leuitate, Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155. & idem putat, vt diximus, si omittatur in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali, ea, quę interponuntur in *communicantes*, aut in actione, *Hanc igitur oblationem*: quod vltimum est maximè notandum.

An Sacerdos qui ex carentia Confessarij, propter scandalum celebrauit, teneatur quamprimum confiteri.

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondendum, ex verbis Concilij Tridentini sess. 13. c. 7. quod si necessitate vrgente, Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur. Quæ quidem verba continere præceptum, ex communi DD. sententia putant Suarez tom. 3. qu. 66. sect. 7. Reginaldus tom. 2. lib. 29. c. 6. qu. 4. sect. 3. num. 110 Pesantius in addit. ad 3. p. q. 10. disp. 5. de præcepto confessionis Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 80. art. 4. diff. 4. Coninch de sacram. qu. 80. art. 4. dub. 2. n. 24. Filliucius to. 1. tract. 4. cap. 8. qu. 5. nu. 221. Nauarr. & alij.

Non desunt tamen DD. asserentes, in dictis verbis Concilij non esse præceptum, sed consilium, si, qui Sacerdotes, ita celebrantes, non peccare mortaliter, si quam primum non confiteantur. Ita docuit Villalobos in summ. to. 1. tract. 7. dub. 37. n. 7. & Petrus de Ledesma in summ. part. 1. tract. de Euchar. c. 11. ante conc. 9.

Sed stando in prima opinione difficultas est, quomodo intelligenda sint verba illi Cōcilij, *quam primum*, Sancius in selectis disput. 32. nu. 14. putat illicò finita Missa Sacerdotem astrictum esse confiteri per dicta verba Concilij, & citat Suarez, & Vasquez. Vide etiam Henriquez lib. 8. cap. 45. num. 4.

Ego olim illa verba *quam primum*, idest, intra triduum exponebam, nam vt notat Gonzales in 8 regul. Cancell gloss. 43. nu. 51. Riccius p. 2. dec. 88. nu. 9 & Sanchez de matrim. tom. 1. disp. 51. num. 14. & Coninch de sacram. disp. 23. dub. 2. nu. 6. dicitur quamprimum, & incontinenter fieri, quod intra triduum fit, C. de error. aduoc. vbi incontinenti, primo triduo, & l. fin. C. de iud. ibi, *illo autem, id est, intra triduum*. Et tunc, nimis benigna hæc opinio aliquibus videbatur.

Sed postea inueni apud grauissimos authores benigniorem opinionem. Ideo Fagundez de præ ep. Eccles. tr. 3. lib. 3 c. 8. n. 9. & ante illum noster Molfesius in summa, tom. 1. tract. 3. c. 10. num. 28. & ante illum Petrus Binsfeldius in Enchir. theol. pastoral. cap. 5. asserunt satis esse, pro adimplendo supradicto pręcepto Concilij, si Sacerdos, qui sic celebrauit, confiteatur suo tempore, nempè ante aliam celebrationem, & sic illud *quam primum*, exponunt, *cum primum iterum celebrauerit*.

Sed posset aliquis dicere, si talis opinio esset vera, ad nihil obligaret supradictum pręceptum. Cōcilij, nam talis Sacerdos ante aliam celebrationem necessariò tenetur confiteri, propter scientiam peccati mortalis. Adde, quod si talis Sacerdos, verbi gratia celebraret, & confiteretur post sex menses, vel annum, secundum hos authores, adimpleret præceptum Concilij. At hoc est absurdum, nam si quis faceret aliquid, post sex menses, vel annum, non faceret quam primum. Ergo, &c. Vnde Zanardus in direct. confess. part. 1. tract. de Euchar. c. 7. asserit, quod sub præcepto talis Sacerdos tenetur confiteri, non immediatè, nec eo die, sed non differendo per longum tempus confessionem. Sed his non obstantibus opinio dictorum Authorum est probabilis, saltem per principia extrinseca.

Nota verò, quod dictum præceptum Cōcilij quam primum confitendi, non extenditur ad laicos, contra Nauarrum, Fagundez, Zanardum, & alios; voluntariè enim dicunt, quod si Concilium interrogaretur, ita fuisset responsurum, quis enim hoc illis reuelauit, vt tradit Sylu. in 3. p. qu. 80. art. 2. dub. 2. & alij communiter.

Ex quo sequitur, Sacerdotem, qui Sacramentum Eucharistiæ instar sæcularis accepit, non obligari hac lege, quia in illa communione non se habet vt Sacerdos, sed vt laicus. Ita Villalobos in summ. p. 1. tract. 3. dub. 38. num. 8. & alij. Secus esset, si talis Sacerdos celebraret in die Parasceues, vel si assumeretur ad complendum Sacrificium ab alio inchoatum, nam in huiusmodi casibus obligaret hoc præceptum Concilij. Vide citatos Doctores.

An Sacerdos, qui in ipsa actione celebrandi recordatur alicuius peccati mortalis, licet tunc eliciat actum contritionis, teneatur postea quam primum confiteri, stante supradicto præcepto.

RESOL. LXI.

Affirmatiuè respondet Suarez in 3. part. to. 3. disput. 66. sect. 7 Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 29. cap. 7. num. 110. Bonacina de sacram. disp. 4. qu. 6. punct. 1. n. 39. Squillante de obligat. elet. part. 1. num. 132. & ex nostris Megala in 1. part. lib. 5. c. 4. num. 2. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 10. num. 28. cum alijs. Ratio verò est, nam talis Sacerdos celebrat vrgente necessitate, sine præuia confessione.

Sed mihi semper visa est opinio Vasquez probabilior, quam ipse publicè docuit in Collegio Romano anno 1587. vt testatur in 3. part. tom. 2. disput. 208. c. 3. nu. 19. Dico igitur, si ante sumptum Sacramentum, qui recordetur alicuius mortalis, illud tamen non confiteatur, non quia desit copia confessarij, neque prætextus illius, sed propter scandalum aliorum, & ne incurrat infamiæ notam; non tenetur postea, ex præcepto Concilij, quam primùm confiteri; quod probatur ex verbis, & mente Concilij. Nam postquam Concilium explicuit nobis vim præcepti de præmittenda confessione, addidit, modo non desit copia confessarij, quod si necessitate vrgente, absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur,

hoc autem non accidit, quando Sacerdos ideo solum non cōfitetur, ne notam infamiæ incurrat, cum tamen alias copiam habeat confessarij. Ergò, &c. Itaque secundum Vasquez, prædictum præceptum Concilij solum obligat, quando Sacerdos non habens copiam confessarij, & vrgente necessitate compulsus, non præmisit confessionem, cum tamē antequam celebraret conscius esset peccati mortalis. Quare si aliquis Sacerdos, bona fide, accedit ad altare, absque conscientia peccati mortalis, ibi autem recordatur alicuius, non tenebitur prædicto præcepto. Et hanc opinionem Vasquez docuerat antea Sayrus de sacramentis lib. 2. capit. 7. artic. 2. & postea Syluius in 3. p. qu. 80. ar. 4. dub. 2. vbi asserit contrarium esse dicendum de Sacerdote, qui ex malitia celebrat, non confessus, vel qui in ipso Sacrificio mortaliter peccaret ante communionem, licèt aliqui hoc negent, & probabilius, vt Nugnus in 3. p. to. 2. qu. 88. art. 4. diffic. 4.

An quando accidit festum Annuntiationis B. Virginis in die Parasceues, sit Missa illius diei audienda sub reatu peccati mortalis?

RESOL. LXII.

SEntentiam affirmatiuam docet Nugnus tom. 1. in 3. part. qu. 83. artic. 1. diffic. 2. fol. mihi 484. & Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 232. c. 2. num. 18. vbi ait. Feria sexta in Parasceue Missam a nullo Sacerdote celebrari posse, ab hoc tamen tollitur, quin eo die si festum aliquod consuetum ab Ecclesia seruari incidat totus populus interesse debeat illi officio, in quo Sacramentum præsanctificatum consumitur, ex vniuersali præcepto audiendi Missam, & si quidem illud loco Missæ haberi potest. Per officium autem cui populus interesse debeat, intelligo non passionem, neque cæteras orationes, quæ post illam, antequam Sacramentū ex suo loco in altare deferatur, dicuntur; sed illud tātum, quod extracto Sacramento, & in altari posito à Sacerdote celebratur. Hæc Vasquez.

Sed aduersus illum, contrariam sententiam ego semper tenui, quam docet ex nostris P. Naldus in summ. ver. Missa, nu. 20. & P. Molfesius in sum. to. 1. tract. 3. c. 17. nu. 40. Ratio est, quia Missa illius diei non est Missa, neque propriè Sacrificium, cum non adsit noua Hostiæ consecratio, vt probat, contra Nugnum vbi suprà, Franciscus Suarez to. 3. in 3. p. disput. 75. sect. 4. Bellarminus to. 2. lib. 4. de Euchar. c. 22. Sebast. Perecius tract. de sacrific. Missæ, c. 14. Bonacina de sacram. disp. 4. qu. vlt. punct. 2. nu. 3. Henriquez in summ lib. 9. ca. 9. num. 6 Ledesma in sum. to. 1. c. 19. concl. 5. fol. mihi 123. Scorzia de sacrific. Missæ, lib. 1. c. 5. ad 3. arg. secundæ opinionis, qui citat Richardum, Maiorem, Gabrielem, & alios.

Ad argum. Vasquez posset aliquis respondere, fideles ex vi præcepti Ecclesiastici teneri audire tantum Missam, quod est præceptum de re indiuidua; & non omne id, quod succedit loco Missæ, vel partem Missæ. Et post hæc scripta, inueni Sācium in selectis disp. 32. n. 13. & Gauantum in comment. rubr. Missal. p. 3. tit. 29. nu. 24. docere hanc posteriorem sententiam, & ita declarasse Sacram Cardinaliū Congregationem sub die 19. Februarij 1622. testatur Gauantus: vnde non est amplius Vasq. in posterum audiendus.

An simplex Sacerdos, deficiente copia confessarij, possit celebrare contritus, dum iter facit propter Missam præcepti, quam tenetur audire?

RESOL. LXIII.

REspondeo affirmatiuè; quod intelligendum est, modo deficiat Missa, quam ab alio possit audire. Ita Rodriquez in sum. tom. 1. c. 247. n. 6. & Vegha in sum to. 2. c. 41 cas. 4. Toletus lib. 2. c. 15. §. maior diffic. Henriq. lib. 8. c. 48. nu. 8. Syluester. verb. Euchar. 2. §. 7. Adrian. in 4. disp. 19. q. 4. conclus. 10. quicquid in cōtrarium asserat Corduba in sum. q. 142. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. & nouissimè Coninch de sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. nu. 17. Villalobos in sum. part. 1. tract. 7. dub. 37. num. 2. Filliucius tom. 1. tract. 4. c. 8. num. 217. Pesantius in addit. ad 3. p. q. 10. disput. 5. de præcepto confessionis, Fernandez in exam. theol. moral. p. 3. c. 5. §. 8. nu. 2. Suarez in 3. part. to. 3. disp. 67. sect. 4. qui tamen nostram sententiam vocat probabilem.

Nec valet dicere, quòd præceptum de præmittenda confessione ante communionem, est præceptum diuinum. Præceptum autem audiendi Missam die festo, est Ecclesiasticum, ergo fortius debet esse illud, quàm istud, atque ideo necessitas implendi præceptum Missæ, non debet excusari ab obligatione diuini præcepti. Nam respondetur, esse nonnullos casus, in quibus propter probabiles rationes, hinc inde occurrētes, possit Sacerdos eligere, quam partem maluerit, & hunc casum de quo loquimur, esse ex illorum numero, quia Concilium sess. 13. c. 7. & DD dicunt, si vrgeat necessitas, & copia confessarij desit; id esse licitum. Adde, quod probabile est, secundum Conc. vbi supra, hoc præceptum de præmittenda confessione esse tantum iuris humani.

Sed dices, si Sacerdos in tali casu, potest cum sola cōtritione celebrare, ergo tenetur. Respondeo minimè, nam sequi potest opinionem negantem cum Suarez, & alijs.

An talis Sacerdos simplex, etiam non Parochus, possit celebrare Missam, prauia confessione, dum non adest Sacerdos, vt alij Missam audiant, & non est alius, qui celebret?

RESOL. LXIV.

NEgatiuè respondet Pesantius in addit. ad 3. p. qu. 10. disp. 5. de præcep. confes. Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 67. sectio. 4. Et ratio est, quia alij non peccabunt, si ipse Missam non celebret.

Sed ego contrariam sententiam semper tenui, quia vt supra probatum est, talis Sacerdos iter faciens, potest contritus Missam dicere, propter adimpletionem præcepti Ecclesiastici dicendi, vel audiendi Sacrum. Ergo potest dicere Missam, vt alij supradictum præceptum adimpleant, & quando vrget præceptum, necessitas proximi reputanda est, tanquam propria. Nec valet dicere cum Suarez, quod alij non peccabunt, si Sacerdos non celebret. Nam respondetur, posse Sacerdotem in articulo mortis, si non adest copia confessarij, celebrare contritum, vt ægrotus præceptum communicandi adimpleat, & tamen si sacerdos in illo casu minimè celebraret, ægrotus quidem nō peccaret. Vnde satis probabilis est nostra opinio, licet contraria sit etiam probabilis.

An Sacerdos, qui habet casus reseruatos, à quibus præsens confessarius illum non posset absoluere, posset contritus, sine prauia confessione Sacrum conficere.

RESOL. LXV.

REspondet negatiuè Suarez vbi supra, & Sotus in 4. distin. 17. qu. 2 art. 5. putat enim eo casu, teneri talem sacerdotem præmittere confessionem omnium peccatorum si habeat illa peccata minime reseruata, & ita ab omnibus saltem indirectè absolui, non autem tenetur hoc facere, si nulla habeat peccata non reseruata.

Sed Ægidius de Coninch de sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. n. 21. etiamsi talis sacerdos habeat cum aliquo peccato reseruato, tantū alia peccata venialia, putat teneri cōfiteri omnia supradicta peccata venialia, videlicet, & reseruata, vt possit saltem ab illis indirectè absolui.

Aliqui verò contrariam sententiam absolutè docent, quæ asserit in tali casu posse sacerdotem, si adest scandalum, celebrare, sine præuia confessione, quia eadem peccata bis confiteri graue onus videtur. Ita Armill. ver. communio, §. 8. qui citat D. Antoninum, & Palud. Victoria in sum. n. 79. Syluius in addit. ad 3. p. q. 20. art. 2. dub. 3. §. 4. & Sancius in select. disp. 32. n. 10.

Ego cum Filliucio to. 1. tract. 4. c. 8. n. 213. probabilem, & tutam in praxi hanc sententiam esse existimo.

Nota tamen, quòd Filliucius ibidem, existimat etiam esse probabilem illam sententiam, quæ asserit, quòd sacerdos habēs peccatum reseruatum, possit omittere confessionem, etiamsi habuerit facultatem, vt possit illud confiteri inferiori, sed cum onere postea comparendi coram superiori.

An

An Sacerdos possit celebrare post cibum ad communicandum infirmum, qui est in articulo mortis.

RESOL. LXVI.

Affirmatiuam sententiam docuit Maior in 4. dist. 19. quæst. 3. ad 5. & Zanardus in direct. confess. p. 1. tr. de Euchar. c. 7. & Zambranus in dec. cas. tempore mortis, c. 4. de Euchar. dub. 6. n. 3. in casu quo moriens non posset recipere aliud Sacramentum, cessante omninò scandalo. Videtur in hâc sententiam inclinare, & adducit sex rationes pro hac sententia, quam probabilem vocat Filliucius to. 1. tract. 4. c. 8. n. 242. contra Vasquez in 3. p. to. 4. disp. 211. c. 5. num. 61.

Sed communis opinio omnium DD. contrarium docet. Et ratio est, quia maior ratio habenda est reuerentiæ huius Sacramenti, quam necessitatis proximi, & tale præceptum obligat infirmum, cum decenter, & reuerenter Sacramentum confici, & sumi potest. Ita Ledesma in summ. tom. 1. cap. 13. de Euchar. conclus. 5. dub. vlt. Nauarr. cap. 25. num. 88. seu 51. Toletus li. 2. ca. 13. Sylvius in 3. p. quæst. 80. art. 8. Armilla ver. Missa, nu. 25. Sylvius ver. Missa, 1. q. 7. dicto 2. cas. 3. D. Antoninus part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 2. Henriquez lib. 13. cap. 46. num. 1. & c. 50. nu. 1. Victoria in summ. nu. 83. & Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 2. & omnes recentiores.

Notandum est verò hic, quòd Sacerdotes in tribus præcipuè casibus possunt non ieiuni sumere, & consecrare Eucharistiam. Primo, propter integritatem Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in calice posuit, & illam postea post sumptionem hostiæ assumpsit, tunc enim, vel de nouo debet consecrare hostiam, & calicem, vel saltem sanguinem tantum propter integritatem Sacrificij. Ita D. Thomas in 3. part. quæst. 83. artic. 6. ad secundum, Tabiena v. communicare, §. 41. Victoria in sum. nu. 101. Henriquez lib. 8. c. 50. n. 3. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. & alij.

Secundus casus est, quãdo post assumptionem calicis, & eius ablutionem, videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali, tùc licet Sacerdoti sumere illas reliquias. Ita contra Paludanum in 4. dist. 9. qu. 1. D. Antoninum p. 3. tit. 13. cap. 6. §. 9. Rosellam ver. Eucharistia 3. §. 13. asserunt communiter DD. vt Caietan. in summ. ver. Missa, Sylu. ver. Eucharist. 3. §. 8. Victoria in sum. num. 83. Nauarr. c. 25. n. 69. Henriquez in sum. lib. 8. cap. 50. n. 2. Armilla ver. Missa §. 26. & alij. Ratio est, quia totius omnino hostiæ, & calicis consumptio, prout includit etiam sumptionem ablutionis, censetur vna actio, ad ipsam communionem decenter perficiendam pertinens. Ergo illæ reliquiæ per modum vnius cibi, & complementi vnius integri conuiuij, & Sacrificij sumuntur. Vnde hæc doctrina intelligenda est de reliquijs hostiæ à se consecratæ, quia secus videtur de reliquijs ab alio Sacerdote in altera Missa consecratis, quia talis assumptio non esset completio, vt suprà diximus, conuiuij à Sacerdote parati, & supradicta procedunt, etiamsi reliquiæ post ablutionem inuentæ, sint paruæ, vel magnæ quantitatis, contra Sotum in 4. dist. 12. q. 1. art. 8.

Tertius casus est, quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, vel si post consecrationem hostiæ deficiat, si adesset Sacerdos alius non ieiunus, deberet Sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos ieiunus, ibi non adesset. Ita ex cap. nihil 7. quæst. 1. docet Ægidius de Coninch de sacram. quæst. 83. art. 8. numer. 65. & Villalobos in summ. part. 1. tractat. 7. disput. 39. à numer. 12. Vasquez in 3. part. tom. 3. disput. 211. cap. 5. & Sylvius in 3. part. quæst. 60. art. 8.

Vtrum Sacerdos in casu necessitatis, secluso etiam scandalo, possit celebrare cum lumine olei.

RESOL. LXVII.

Negatiuam sententiam docet Henriquez lib. 9. de Missa, capit. 26. num. 4. & cap. 29. num. septimo, vbi ex consuetudine à tempore Apostolorum introducta, & ex authoritate multorum Patrum, probat visum celebrandi cum lumine cerei igniti, & in hanc sententiam inclinat Bellarminus libr. 2. de Missa, c. 14.

Sed ego existimo in graui necessitate, secluso scandalo, & cõ-
Anton. Diana Resol. mor. Pars II.

tempore, non esse mortale peccatum celebrare cum lucerna ex oleo, quia olim in Sanctuario lãpades in cultum Dei ardebant, vt ait D. Thom. in p. 2. quæst. 101. art. 1. ad secundum, & ita Sacerdotem celebrantem non damnarem ait Suarez in 3. p. tom. 3. disput. 81. sect. 6. quem postea sequitur Fagundez de præcept. Eccles. tract. 1. lib. 3. c. 3. n. 17. licet addant, hoc ante factum, non esse consulendum.

Sed ego in tali necessitate constitutus, si non adesset aliorum scandalum, cum lumine olei celebrarem. Vide supra, qu. 45. & mecum sentit Reginaldus in praxi, to. 2. lib. 29. cap. vlt. p. 3. sect. 6. nu. 196. Filliucius tom. 1. tract. 5. c. 4. n. 126. & nouissimè Layman lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. vbi ita ait. Licet communi Ecclesiarum consuetudine receptum sit, vt lumen sit geminum, & in cera, ob causam tamen, etiam non valdè grauem, celebrari potest cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo, modo scandalum absit. Ita ille.

An Sacerdos possit celebrare sine cingulo benedicto.

RESOL. LXVIII.

Mortaliter peccare sic celebrantem, putauit Filliucius to. 1. tract. 5. cap. 5. numero 148. Villalobos in summ. parte 1. tract. 8. dub. 28. numer. 8. Vasquez in 3. par. tom. 3. disput. 233. cap. 4. num. 38. Molsefius in summ. part. 1. tract. 3. cap. 12. nu. 31. Ioan. de la Cruz in direct. consc. part. 2. de sacrif. Missæ, quæst. 3. dub. 4. conclus. 20. Nugnus in 3. part. tom. 1. qu. 83. art. 3. conclus. 3. Suarez in 3. p. tom. 3. disput. 82. sect. 3. §. 2. cum Nauarr. in manual. c. 25. num. 84. qui asserit, contrariam opinionem non esse tutam, atque ideo in Missali Romano, inuenitur benedictio cinguli, ac benedictio pro alijs Sacerdotalibus indumẽtis, & vniuersalis Ecclesiæ consuetudo obseruat. Et quod dicitur de alijs indumentis, dicendum etiam videtur de cingulo, est enim eadem ratio.

Sed contraria sentẽtia probabilis etiam apparet, & ideo Sacerdos, qui sine necessitate celebraret cum cingulo non benedicto, peccaret tantùm venialiter, vel cum eo, & toto fracto, & abrupto, & hoc ratione paruitatis materiæ. Ita docuit Henriquez lib. 9. de Missa cap. 29. num. 5. in gloss. littera A, & B, Paludanus in 4. distinct. 13. quæst. secunda, articul. 1. Richard. ibidem quæst. quarta, articul. 3. Scotus ibidem dist. 13. quæst. 2. & doctissimus Syluester v. Missa, 1. num. 2. Sà ver. Missa, nu. 10. & Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 13. nu. 13. est enim, vt diximus, materia leuis, & indumentum minus in se considerabile, quam quodcumque aliud, imò indumentum non est, sed indumentorum ligatura.

Ad argumentum verò, de benedictione posita in Pontificali. Respondeo, quod ibi reperiuntur etiam benedictiones pro Missalibus, & pro libris Ecclesiasticis, & tamen non est peccatum lethale, celebrare sine Missali benedicto.

Nota tamen, quòd celebrare cum cingulo non benedicto, ex causa iusta, non erit, neque peccatum veniale. Iusta verò causa erit necessitas audiendi, vel celebrandi Missam ex præcepto alicuius festiuitatis, feruor magnæ deuotionis, necessitas superandi tentationes aliquas, etsi Sacerdotes pauperes habeant stipem pro celebrandi Sacro.

An Sacerdos possit celebrare in patena, & calice nondum consecrato, & cum vestimentis nondum benedictis; si alias Sacerdos bona fide, cum ipsis Missam antea celebrasset.

RESOL. LXIX.

Respondet negatiuè Fagundez tr. 1. lib. 3. c. 21. num. 55. & ita asserit respondisse multos Patres Societatis Iesu.

Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse existimo, nam in prima celebratione à Sacerdote bona fide facta, iam consecrata remanserunt. Vnde postea non indigent alia noua consecratione, vel benedictione. Et ita Castrus libro 2. de leg. penult. capit. vltim. asseruit, Ecclesiam pollutam non egere noua reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum est. Quam sentẽtiam docuit etiam post illum Auila de censur. part. 5. disput. 7. dub. 3. conclus. 1. & Emanuel Sà, ver. Ecclesia, licet Portel. in addit. ad dubia regul. ver. Eccl. nu. 5.

S 3 in

in contrariam videatur inclinasse sententiam. Sed nostra (vt diximus) probabilis est, & tuta in praxi.

An Sacerdos, sumpto iam corpore, si videt consecrasse calicem per inconsiderationem cum sola aqua, debeat non solum vinum apponere, sed de nouo consecrare aliam hostiam, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur?

RESOL. LXX.

Affirmatiuam sententiam docuit D. Thomas in 3. part. qu. 83. art. 6. ad quartum. Paludanus in 4. distin. 11. qu. 1. artic. 2. & Syluester verb. Eucharist. 2. qu. 10. num. 14. Ratio est, quia aliter faciendo, non seruaretur debitus ordo consecrandi, & ideo Pius V. in suo Missali ordinauit, vt hic defectus tali pacto suppleatur.

Sed cum omni reuerentia D. Thomę, doctori maximo debita, puto contrariam sententiam esse probabilem. Sufficit igitur, vt Sacerdos in tali casu, statim vinum apponat, & incipiat ab illis, *Simili modo, &c.* consecrando calicem, quia talis modus sufficiens est ad supplendum defectum, & aptior, vt sine scandalo efficiatur, & populus non intelligat inaduertentiam, & defectum Sacerdotis. Et contrarium facere, vt D. Tho. putat, nō esset Sacrificium perficere, sed potius nouum, & integrum facere priori imperfecto relicto. Et licet hostia fuerit à Sacerdote consumpta, quandiu non consumitur calix, adhuc actio sacrificandi, & substantia Sacrificij moraliter durat. Vnde quamuis consumpto corpore, solus calix postea consecretur, non censetur vna species confici sine altera. Nam subsequens consecratio sanguinis moraliter cum priori consecratione hostiæ coniungitur, & sic ex vtraque conficitur vna actio moralis, & vnum morale Sacrificium. Et sic patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Ad Rubricas Missalis respondeo, vt sæpe dictum est, esse doctrinales, & non inducere præceptum, sed tantùm instruere, & consilium præbere; Authores verò, qui docent nostram sententiam aduersus D. Thom. sunt Scotus in 4. dist 8. q. 3. ipsemet D. Thom. in 4. dist. 11. Nauarr. in manuali cap. 25. n. 91. Angelus ver. Missa, nu. 17. Villalobos in summ. part. 1. tract. 8. dub. 52. num. 5. & omnes ferè neoterici. Hæc opinio fuit postea approbata in Missali iussu Clem. VIII. edito.

Notandum est verò, quod aliqui asserunt, opinionem Diui Thomæ practicandam esse, casu quo Sacerdos celebraret secretò, non autem publicè, nam in primo casu si hostiam iterum consecraret, nō a esset scandalum, secus autem si publicè Missam diceret. Ita explicant mentem D. Thom. Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 83. artic. 6. dub. 2. concl. 1. & Ioan. de la Cruz in direct. consc. part. 2. de sacr. f. Miss. q. 5. dub. 1. concl. 1. qui citat Ledesmam, & Syluius in 3. part. qu. 80. ar. 8. cas. 2. vide etiam Henriq. in summ. lib. 6. c. 37. num. 3. quæ quidem omnia probabiliter dicta sunt.

Notandum est etiam cum Nauar. & Syluio vbi supra, quod Sacerdos non peccaret mortaliter, si cui hæc fortaßè acciderint, inopinato casu perturbatus, non susciperet, nec consecraret vinum, vt supra ex diuersis sententijs, necessario consecrandum.

An oblatione Hostia iam facta si efferatur Sacerdoti particula pro communicando laico, possit illam consecrare?

RESOL. LXXI.

Negatiuam sententiam videtur docere Bonac. de Sacram. disp. 1. quæst. vlt. punct. 2. num. 6. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam nouißimè docet Bartholomæus Gauantus in commentar. ad Rubricas Missalis, to. 1. part. 3. tit. 10. num 19. non tamen hoc fieri debet remotius ab oblatione Hostię, puta iam cæpta Præfatione, & quando fit, efficiatur oblatione eiusdem [illegible] mente concepta; sed magis ample circa præsentem quęst. loquitur Posseuinus [illegible] de offic. Curati, cap. 2. num. 17. [illegible] vide illum.

An si Sacerdos Regularis applicet Missas contra intentionem Superioris valeat talis applicatio.

RESOL. LXXII.

Respondeo, dictum Regularem, peccare quidem contra votum, sed applicationem Missæ contra mentem Superioris validam esse, quia Christus Dominus liberum actum celebrationis & consecrationis instituit, vt tota applicatio pendeat ex Sacerdotis libera intentione. Ita Syluest. ver. Missa primo, nu. 12. Angelus ver. eodem, nu. 36. Henriquez lib. 9. cap. 21. num. 6. Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 10. nu. 4. Villalobos in sum. part. 1. tract. 8. dub. 10. n. 2. & ita determinasse Theologos Salmantinos notauit Rodriq. in sum. to. 1. c. 241. concl. 16. & alij.

Ista opinio est probabilis, sed contrariam etiam non minus probabilem existimo, quam docet nouissimè doctus Fraxinell. in tract. de oblig. Sacer. sect. 6. §. 7. num. 1. & Gauantus in comment. Rubric. Missal. part. 3. tit. 12. nu. 28. Nec valet argumentum Suarez in 3. part tom. 3. dispu. 79. sect. 5. positum supra, nam respondetur esse disparem rationem, inter intentionem consecrationis, & applicationem Missæ, nam intentio Sacerdotis in consecratione, est de essentia sacrificij. Ideo non potest Prælatus illam irritare, alias non esset sacrificium. At quod valor Missæ huic, vel illi applicetur, non est de essentia sacrificii, & ideo si à Prælato alteri, quam ei in quem Sacerdotis intentio dirigitur, applicetur, est sacrificium. Hanc etiam opinionem docuit Scotus quodlib. 20. Corduba li. 1. quæst. 3. opin. 6. Ledesma 24. quæst. 16. art. 14. & alii.

Notandum est verò, cum Villalobos vbi supra, num. 3. quod si Sacerdos Regularis non faceret vllam applicationem Missę, licet Prælatus illam Missam applicaret, non haberet dicta Prælati applicatio vllum effectum, quia Prælatus non est minister Sacrificii, sed hoc procederet stante prima opinione, non autem in secunda sententia.

An Sacerdos Regularis tempore Paschali possit ministrare Eucharistiam sæcularibus, vt adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis?

RESOL. LXXIII.

Negatiuè respondet Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. libro 9. cap. 3. numer. 8. Portel in dubiis regular. tomo 1. ver. Sacramentorum administratio, nu. 3. Villalob. in summe, parte 1. tract. 7. dub. 47. num. 4. Nugnus tom. 1 in 3. parte, quæst. 83. art. 4. conclus. 5. Et in hanc negatiuam sententiam videtur inclinare Fagundez de præcept. Eccles. tract. 3. libro primo, ca. 5. num. decimosexto.

Sed affirmatiuam sententiam, non ignobiles authores docuisse constat: hi sunt Ioan. de la Cruz de stat. Religios. li. 2. capite quinto, dub. 4. conclus. 1. Beia in respons. part. 4. cas. quarto, Rodriquez tomo 1. quæstionum reg. quæst. 56. artic. 3. Sorbo in compend. priuil. ver. communicare, & alii. Et hoc ex priuilegio Nicolai V. concesso Monasterio Beatæ Mariæ de Guadalupæ Ordinis Diui Hieronymi anno 1548. Quod priuilegium confirmauit viuæ vocis oraculo Paulus III. deinde Pius IV. facultates concessas particulariter huic Monasterio, fecit communes omnibus Monasterijs eiusdem Ordinis, vt probat Rodriquez tomo primo, quæst. 55. art. 9. Qua concessione, & extensione posita, id est quòd tale priuilegium sit cōmune omnibus alijs Monasteriis supradicti Ordinis D. Hieronymi, sequitur euidenter posse per communicationem eo frui, & vti omnes alios Mendicantes, ac proinde sequitur, posse Sacerdotem regularem ministrare Eucharistiam laicis tempore Paschali, & fideles satisfacere præcepto annuæ Communionis in Ecclesijs Regularium, & in Lusitania ita fuisse iudicatum in causa Fratrum Minorum, cum quodam Parocho, testatur Fagundez.

Nec supradictum priuilegium videtur per non vsum reuocatum. Nam priuilegia Minorum, & per consequens aliorum Ordinum, sunt à Pio Quinto confirmata ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, quæ verba, vt notat Rodriquez tomo primo, quæst. 8. artic. 3. confirmant priuilegia, per non vsum reuocata. Adde etiam, quia idem Pontifex non solum confir-

confirmauit, sed de nouo cōcessit dicta priuilegia, & sic de nouo concessit Minoribus per communicationem dicta priuilegia Nicolai V. & Pauli III. Deinde nouissimè Paulus V. confirmauit, & de nouo roborauit priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vsum reuocata. Alia verò argumenta in contrarium inuenies soluta apud Beiam. Vnde ex dictis remanet satis probabilis illa sententia. Sed ego consulerem, vt Regulares in tali casu caueant Parochis, & talem sententiam in praxim non deducant.

An Missa Regularibus concessa possit ab alijs dici in ipsorummet Regularium Ecclesiis, & quid de Missa sanctissimi Rosarij.

RESOL. LXXIV.

SEntentiam negatiuam docui in casu Missæ prima vice nobis concessæ, de Beato Andrea contra nonnullos Theologos, vt infrà in tract. Miscellan. videri potest, & ita declarasse Sacrā Rituum Congregationem die 19. Nouembr. 1622. testatur nouissimè Gauantus comment. in rubr. Missalis, tom. 1. p. 3. tit. 10. num. 16 qui etiam p. 4. tit. 15. nu. 11. notat, quod vbi celebratur festum Sanctissimi Rosarij ex Decreto Greg. XIII. ne dicatur ea Missa, quæ nomine Rosarii circumfertur, quæ concessa tantum Ordini Prædicatorum à Sacra Rituum Congregatione die 25. Iunij 1622. & prohibita fuit alijs, eodem die; sed fiat Missa vt in festo Sanctæ Mariæ ad Niues, quod obseruatur in æde Lauretana ex Synodo Diœcesana 1626. vel in Natiuitate, mutato nomine in festiuitatis, quod fit Bononiæ, sed illud prius magis placet. Ita Gauantus.

An Sacerdos possit iterum subministrare Eucharistiam infirmo, qui semel in articulo mortis sumpsit communionem per modum viatici non ieiunus.

RESOL. LXXV.

SEntentiam negatiuam prorsus sustinet Vasquez in 3. p. to. 3. disp. 211. c. 4. n. 48. & nouissimè Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. tr. de Euchar. qu. 5. dub. 4. concl. 3. Ratio est, quia cum vna communione, infirmus iam satisfecit præcepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis. Ergo.

Sed affirmatiuam prorsus amplectenda esse docet vsus communis Ecclesiæ, & communis DD. sentētia, nam ita docet Tabiena, ver. communicare, nu. 48. Armilla verb. communio, nu. 18. Toletus in sum. lib. 10. c. 15. Sà ver. Eucharistia, nu. 5. Sot. in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. Victoria in sum. n. 82. Graffius dec. p. 1. libr. 2. c. 38. n. 32. Nugnus in 3. p. to. 1. q. 80. art. 8. Coninch de sacramento q. 80. art. 8. n. 53. Reginald. to. 2. lib. 29. c. 6. n. 120. Henriq. libr. 8. c. 4. nu. 1. & c. 50. nu. 1. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 98. sect. 1. & omnes Neoterici, quia non solum contra rationem, quam pro sua sententia adducit Vasquez, tunc permittitur ægroto non ieiuno communio, vt possit implere præceptum diuinum. Sed etiā quia moriturus valde indiget tanti Sacramenti præsidio, & id sæpius, & ita maximè indigentem ope, & subsidio huius Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula superanda, pia Mater Ecclesia nō videtur velle suo præcepto cum tanto spirituali dispendio adstringere. Deinde in Cōc. Constantiensi sess. 13. dicitur in casu infirmitatis posse Eucharistiam dari non ieiuno. Ergo cum non limitet ad vnam tantum vicem, quare nos limitare debemus? Maximè, vt diximus, quod in secunda & tertia vice adsit eadem necessitas, quæ in prima, scil. ne priuetur auxilio tanti Sacramenti. Igitur hanc secundam sententiam prorsus tenendam esse existimo.

An in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando casus occurrit, debeant cantari duæ Missæ, vna de festo post Tertiam, alia de feria post Nonam, & an Ecclesiæ Regularium dicantur Collegiatæ.

RESOL. LXXVI.

HIc casus frequenter solet accidere, nec ita facilè eius resolutio apud DD. inuenitur. Gauantus in comment. ad rubr. Missalis, to. 5. p. 3. tit. 10. nu. 80. affirmatiuam sententiam docet, & numer. 11. asserit, ita declarasse sacram Rituum Congregationem, in his verbis. Tanquam de re grauissima statuit Sacra Congregatio; Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus omittendam esse, sed omnino astātibus Canonicis, & assignata distributionū portione cantandam esse, aut cum Diacono & Subdiacono; aut, si eorum copia nō suppetit, absque eis, & post Nonam, non obstante quacunque cōsuetudine contraria, quam sacra eadem Congregatio sustulit, & in posterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pij V. quæ præceptū continet. Ita Gauantus. Non reticeam tamen contrariam sententiam docere nostrum P. Andream Castaldū in sua praxi cerem. lib. 2. sect. 6 c. 3. nu 20. Sed dicet aliquis, an si opinio Gauāti esset vera, & de dicta declaratione Cardinalium constaret authenticè: an inquam in Ecclesiis Regularium duæ Missæ essent cantandæ? Respondeo negatiuè. Nam declaratio supradicta loquitur de Collegiatis sæcularibus, & contra Portel in d. b. Regular. ver. Missa, num. 7. & alios, Ecclesiæ Regularium non dicuntur Collegiatæ, vt probat Rodriqu. qq. Regular. to. 1. q. 43 artic. 12. & in terminis nostri casus Villalobos in sum. to. 1. tract. 8. diff. 19. n. 4. vbi sic ait. (En las ferias de Quattro temporas, Vigilias, y Rogaciones, siendo dobles, o semidobles en las Iglesias Cathedrales, y Collegiales se dizen dos Missas, vna de la Fiesta a la prima, y otra de Feria despues de nona, coforme a las Rubricas del Missal Romano. Los Religiosos no estan obligados à dezir las, que sus Iglesias no son Collegiales.) Ita ille. Notandum est etiam cum Layman in Theol. mor. lib. 6. tract. 5. c. 3. nu. 5. Filliuc. to 1. tr. 5. c. 4. nu. 104. & alij penes ipsos, quod Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum & Conuētualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesijs, quotidie saltem vnam Missam celebrari curent. Sed Victoria in summ. num. 94. absolutè negat mortaliter peccari, si aliquo die Missa in his Ecclesijs intermittatur.

Quando Sacerdos iterum præbet ægroto non ieiuno sacram Eucharistiam, quanam temporis intercapedo habenda est inter vnam, & alteram communionem.

RESOL. LXXVII.

MVltum tempus arbitrio boni viri, respondet Nauarr. to. 2. lib. 5. de pœnit. & remis. conf. 41. quod aliqui asserunt esse 30. dies, vt obseruat Villalobos vbi infra. Hæc sententia est nimis rigida, ideo post octo vel decem dies, posse iterum infirmo non ieiuno Sacerdotem præbere viaticum putauit Nugnus in 3. p. to. 1. q. 80. art. 8. Villalob. in sum. p. 1. tr. 7. dub. 38. n. 8. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 68. sect. 4. Henriq. in sum. lib. 8. c. 5. Fagundez de præcept. Eccl. tr. 3. lib. 3 c. 5. nu. 10. & amicissimus ac pariter doctissimus noster P. D. Andreas Castaldus in sua praxi cerem. lib. 4. sect. 14. c. 8. nu. 5. cum alijs. Sylutus verò in 3. p. q. 80. ar. 9. putat post septem dies posse ægrotum iterum sumere viaticum.

Ego autem puto sex dies sufficere, nixus auctoritate Tabienæ ver. communicare, num. 48. Armill. nu. 8. Zambrani in dec. cas. consc. tempore mortis, c. 3. dub. 5. n. 4. Posseuini de off. Cur. c. 8. nu. 21. Filliuc. to. 4. c. 8. nu. 238. & fauet huic sententiæ Ioan. Maior in 4. sent. dist. 9. q. 3. ad 5. q. 32.

An Sacerdos possit præbere viaticum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit.

RESOL. LXXVIII.

REspondeo affirmatiuè ex D. Tho. in 3. p. q. 88. art. 9. & ex c. qui receditur 26. qu. & c. 15. quia in pluribus decretis statuitur, vt pœnitentia non negetur phreneticis, si constiterit prius confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse, & consequenter idem colligitur de Eucharistia nō tamen necesse est, vt tempore vsus rationis petierit expressè, & ostenderit signa contritionis, confessionis, & communionis, vt nimis scrupulosè putauit Zanardus in direct. confess. p. 1. tr. de Euch. c. 7. & alij. Sed omnis fidelis, qui non est notorius excommunicatus, nec notorius peccator sine signis pœnitentiæ, & de quo nō constat in complacentia peccati mortalis amisisse vsum rationis, debet Eucharistiam tempore mortis sumere, in quo quidem tempore omnis fidelis illam interpretatiuè censetur petere,

re,& sic Sacerdotes debēt huiusmodi ægrotis communionem præbere. Ita Sancius in selectis disp.38. num.10. Zambranus in decis.cas.consc.tempore mortis,c.3. dub.4.nu.2.& 7.cum Coninch de Sacram.q.80. art.9.nu.74.& alijs.

Tales igitur amentes tunc communicandi non sunt, quādo clarè & euidenter constat eos in peccato mortali vsum rationis amisisse,quod vix potest cōstare, vt bene aduertit Sot.in 4.dist. 15.nam vnusquisque præsumitur bonus,donec oppositum probetur,c.fin.de præsum.Sed hæc omnia procedūt, quando infirmus potest sine irreuerentia,& periculo vomitus dictam communionem sumere,alias danda non erit; & ideo Sylius in 3.p. qu.80.art.9. Emanuel Sa, ver.Euchar.nu.3. asserunt in mortis articulo non esse amentibus dandam Eucharistiam ob irreuerentiæ periculum.

Sed hi Doctores nimis absolutè loquuntur, nam in tali casu potest fieri experientia, vt optimè notat Zambranus vbi sup.n. 5.Ita quod detur primo huiusmodi infirmo, aliqua forma non consecrata, vt appareat quomodo se habeat in tali sumptione, & si se habuerit decenter, detur illa forma consecrata;sin autē, minimè; & hæc est optima praxis. Quæ quidem omnia procedunt in administratione Sacramenti Extremæ Vnctionis. In quo casu notāda erit etiam alia optima praxis ex Zambran.vbi supra,c.5.dub.2. qui citat Paludanum, D.Antoninum,Ledesm. Henriqu.& alios,sc.phreneticum vel furiosum si resistat,esse ligandum,exclusis tamen laicis ad tollēdum scādalum,& id facere aliquando erit necessarium,quando phreneticus non posset recipere aliud Sacramentum, nisi Extremam Vnctionem.

An Sacerdos possit aliquando in sanitate communicare supradictos amentes.

RESOL. LXXIX.

Respondeo negatiuè cum Zambrano in dec.cas.consc.cap. 3.dub.6.num.8. & alijs, nam hoc conceditur illis tantum in articulo mortis,quia in articulo necessitatis toleratur quamuis minor dispositio & reuerentia, quæ non impediet gratiam habitualem, quæ tamen non debet tolerari extra talem necessitatem.

His tamen non obstantibus Ioseph Angl.in 4. senten.docuit quotannis dictos amentes debere communicari, & hanc sententiam videtur etiam docere Villalob.in sum.p.1.tr.7.dub.40. nu.3.& quia codex rarus est,ponam eius verba.(La duda es si a estos freneticos se les ha de dar fuera del articulode la muerte, mi parecer es, que se le puede dar algunas vezes, mayormente si tienen reuerentia a este Sacramento, y alguno vso de razon,como son algunos Religiosos Sanctos, que por el tiempo vinieron a caducar.) Sed hæc opinio admitti non potest in perpetuo, & absolutè fatuis, sed in semifatuis, in quibus etiam Henriquez lib.8.c.42.nu.3.& 4.putat Eucharistiam in Paschate dari debere; immo Sancius in selectis disp.26. nu.5.& disp.38. nu.9. probat illis Eucharistiam ministrandam esse toties quoties eam sibi ministrari postulauerint, quia si in Paschate, vel aliquando communicant, nullam committunt irreuerentiam, nec etiam committēt,pluries communicando,cum tam homo suscipiens, quam Sacramentum susceptum semper vnum, & idem sint.Neque imaginari potest,quomodo hodie communicando oriatur de nouo irreuerentia, quæ heri suscipiendo Eucharistiam non fuit orta, dummodo actio sit eadem in specie, Sacramentum idem, & homo, qui suscipit, sit cum eodem vsu rationis,quo fuit heri. Ita Sanchez. Sed an probabiliter, iudicent viri docti. Nam hic Author nimis laxas opiniones tenet circa frequentiam Sacramenti Eucharistiæ. Primo enim docet, ad communicandum quotidie, non aliam requiri dispositionem, præter nullius peccati mortalis cōscientiam, aut quod ob inanem gloriam non suscipiatur Eucharistia. Secundò, esse magis expediens coniugatis die habitæ copulæ Eucharistiam suscipere; item de illo,qui fornicationem,aut pollutionem voluntariam commisit,si de illa cōfiteatur. Tertiò,pueros statim, ac habent vsum rationis esse communicandos. Quartò, non esse expediens Confessarijs impedire aliquoties pœnitētes Eucharistiam sumere,causa emendandi venialia peccata,siue imperfectiones illorum. Quintò, non esse etiam expediens Prælatis Religionum priuare aliquoties suos Religiosos susceptione sacræ Eucharistiæ causa illos mortificandi; & idem Confessarijs erga suos pœnitentes. Hæc omnia Sancius in select. a disp. 22.vsque ad 31. Sed aduersus illum adest communis opinio Doctorum, & nouissimè Salazar Societatis Iesu in pract. de frequent. commun. edita Matriti Anno Domini 1622. omnes supradictas propositiones refellit.

An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine Sacrificij applicatione, vt vulgo dicitur, con la sola presenza, possit aliud stipendium pro illa Missa accipere, & alteri applicare.

RESOL. LXXX.

Affirmatiuam sententiam docet Alphonsus de Leone, vir huius litteraturæ consultissimus, in tr.de Iubilæo, p.3. qu. 20.num.27. vbi sic asserit. Quando datur stipendium, non pro applicatione Sacrificij, sed pro cultu Ecclesiæ, vel commoditate populi: tunc potest Sacerdos alienam eleemosynam accipere pro applicatione Sacrificij, absque peccato, & obligatione restitutionis. In dubio autem non præsumitur datum, vel relictū pro cultu Ecclesiæ,sed pro applicatione Sacrificij,nisi aliud constet ex claris verbis testatoris, vel circumstantijs personarum. Vnde cum fratres in Oratorio,seu eorum Ecclesia faciunt celebrare festis diebus, vel ob commoditatem ipsorum,vt Missam audiant,& ibi communicent,aut ob commoditatem gentis vicinæ absque alia expressione: non intelliguntur Sacrificij applicationem velle, vt in praxi vidi multoties consultum, & practicatum à viris timoratis & doctis. Ita ille. Et antea hanc sententiam docuerunt etiam Fraxinellus de oblig. Sacer. sect. 4.concl.4.§.8. & Homobon.de Bonis,de exam.Eccles.p.1.trac. 4.cap.13.q.121.

Sed his non obstantibus nouissimè negatiuam sententiam tenet Gauantus in comment.ad rub.Missalis, to.1. p.3.tit.12.n. 5.vbi ita ait. Qui tenetur alicubi celebrare absque applicatione Sacrificij ad diuinum cultum tātum: ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat stipendium ab alio, vt illi applicet Sacrificium sibi liberum,quod expressè vetuit Sacra Concilij Tridentini Congregatio in Declarationibus Decreti de celebrat.Miss. sub Vrbano VIII.emanati. Ita Gauant. Verba vero Sacræ Congregationis hæc sunt. Ad quartum respondetur. Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare,ratione Beneficij, seu Capellę,legati,aut salarij: si eleemosynas pro alijs,etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere. In quibus verbis Sacra Congregatio absolutè, & sine vlla distinctione videtur prohibere Sacerdotibus, ne pro vna Missa duplicatum stipendium accipiant; vnde corrueret etiam opinio posita supra in Resolut. 14. Ratio horum omnium esse potest, quia stipendium non datur pro Sacrificio ipso, & fructu spirituali: nam hoc esset simonia, sed exhibetur pro labore extrinseco,quod est pretio æstimabile. Vnde Episcopus,his omnibus consideratis, statuit quantitatem iusti stipendij. Ergo vna Missa non meretur,nisi vnicum stipendium iuxta Episcopi taxationem,nisi occurrerent aliæ circumstantiæ,quas supponimus non accidere in casu nostro.

TRA-

TRACTATVS XV. ET I. MISCELLANEVS.

In Tabella Casuum reseruatorum Diœcesis Panormitanæ adest peccatum sodomiæ, quæsitum sæpius à me fuit, an pueri ante annos pubertatis includantur in tali reseruatione?

RESOLVTIO PRIMA.

DVAS inuenio apud Doctores sententias circa hanc quæstionem. Prima affirmat sic Homobonus de cas. reser. p.1.c.3. folio 60. ait. Peccata impuberum, vt masculorum ante 14. annum, reseruationibus Episcoporum subdũtur, nisi aliud eorum statutis caueatur; ita etiam docuit Lazarus trac. de Blasphemia q.9. num. 42. & nouissimè Floronus de cas. reseru p.1.c.3. nu.3.

Secunda opinio negat, ita doctissimus Paludanus in 4.sent.d. 34.q.2.art.1.& nouissime Iacobus de Graffeis to.1. consiliorum lib.5.de adul.cons.3.n.14. & seq. vbi quærit, an pueri succubi & muliebria patientes comprehendantur sub casu reseruato, & respondet negatiuè, quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pena ordinaria, ita & in animæ iudicio. Et ita etiam docet Bellocchius de cas. reser. p.2.q.1.nu.203. & q.17. n.66.

An intra pyxidem vbi Sacramentum reseruatur, debeat permanere aliqua palla ex lino confecta, & benedicta.

RESOL. II.

AFfirmatiuè respondet Vasquez in 3.part. disput.243.cap.4. nu.36. vbi ait. Existimo ex consuetudine necessarium, vt intra pyxidem, in qua Sacramentum seruatur, sit vas aliquod ex lino, quod benedictione corporalis benedictum sit. Nam quamdiu celebratio Missæ durat, Corpus Christi semper esse debet supra pallam corporalem benedictam, quæ sindonem repræsentat, qua Christi Corpus mortuum in sepulchro inuolutum fuit, ita etiam finita Missa quamdiu Corpus Christi seruatur. Hęc ille.

Sed hæc sententia mihi non placet, & consuetudo quam affert Vasquez est in contrarium. Ad argumentum verò respondetur ex Nugno in 3.parte to.1.q 83.artic 3. dub.5.in his rebus non valere argumentum à paritate rationis, est etiam differens ratio, quoniam corporale tangit Corpus Christi in ipsomet Sacrificio: vnde licèt non sit sanctior confectio Corporis Christi, quam ipsummet Corpus consecratum, ac præsens perseuerans. Tamen propter conficiendum Sacramentum sunt necessaria vasa consecrata, non autem propter custodiendum. Ex his patet responsio ad illam quæstionem, an pyxis, in qua Corpus Christi seruatur, benedici debeat. Reginaldus in praxi, to.2.lib. 29.c.9.sect.6.n.201. Molfesius in summ.to.1.tr 3.c.12.n.55. Pet. de Ledesma in summ.to 1.de sacr.Euchar.c.21.fol mihi 150. affirmant, & in hanc sententiam videtur inclinare Pitigianus in 4.sent. to.1. dist.13. q.2. art. vnic. cum alijs.

Sed in rigore mihi placet opinio negatiua, quam tuentur, & docent Paludanus in 4.distinct.13. quæst. prima, artic.4. Tabiena verb. Eucharist. num.51. Syluest. eodem ver. 3. quæstio. 4. Sotus in 4.distinct. 13. quæst.1.art.3. & ex Neotericis Nugnus vbi sup. Azorius par.1.lib. 10.cap.27. quæst 7. Henriquez lib.9.cap. 8. & Vasquez loc. citat. vbi asserit, pyxidem non esse benedicendam, eo quod nullo iure id præcipiatur. Quod verò in Pontificali pro ista peculiaris benedictio assignetur, non satis est, vt dicamus necessariò esse benedicendam. Nam & in Pontificali assignantur benedictiones pro alijs ornamentis Altaris, & pro vasis Reliquiarum, & pro campanis, quæ tamen omnia non semper benedicuntur.

Vtrum Calix qui vsu aurum amisit, & iterum postea deauratur quoad illam superficiem qua tangit sanguinem Christi, debeat de nouo consecrari. Idem quæritur de Patena?

RESOL. III.

AFfirmatiuè respondent communiter DD. sic Pitigianus in 4.sent.tom.1.disp.13.q.2.art. vnic. Molfesius in summa, tom.1.tract.3.c.12 num.53. Petrus de Ledesma in summa, tom. 1 de sacr. Euchar.c.21.folio mihi 148 Scorzia de sacr. missa, lib. 2.cap.14.nu.8. Barthol. ab Angel. in exam. confess. dial.5.§. 324. qui citat Syluestrum, Angelum, Armillam, & Tabienam, verb. Calix, & alii communiter, vt dixi. Et ratio est, quia consecratio fit propter cōtactum Corporis & Sanguinis Domini, id autem in quo proximè fit contactus, non est consecratum. Ergo consecrandum est: & ita certam esse hāc sententiam putant aliqui, vt Reginaldus in praxi, to.2.lib.29.c.9. sect.6. num.195. contrariam vocet periculosam.

Sed his non obstantibus, probabilem ego puto cum Laymā in Theol. mor.lib.5.tract.3.cap 6.num.7.& illam amplexus est Ægid. de Coninch de sacr. quæst.83.artic.3 dub 2. n.246. quam his rationibus probat. Quia cum res semel consecrata nunquā amittat consecrationem, quamdiu manet eadem & integra, vt docet D.Thom. in 3. parte quæst.83.art.3.ad 5. & communiter Doctores, difficile videtur, cur Calix consecrationem perdat per deaurationem, cum nec frangatur, nec ita mutetur, quin maneat idem. Videtur ergo omnino eam retinere simili ratione, qua Ecclesia retinet suam consecrationem, quādo paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso, quo consecratæ additur.

Sed aduersus hanc rationem consurgit Suarez in 3.p.to.3 disp.81.sect.7.& Pitigianus vbi sup.& alij, dicendo hoc verū esse, quando pars quæ additur, est minus principalis. Sed in casu nostro, licet pars argētea Calicis videatur principalior quoad magnitudinem materiæ, tamen quoad vsum id quod per deaurationem additur principalius est, quia tangit & continet immediatè sanguinem Christi. Ergo. Hæc Pitigianus, & alij.

Sed contra, nam ex hoc sequeretur, Primo Calicem recenter deauratum posse dici alium à præcedenti. Secundò, cum in ratione Calicis, & vsus quem habet ad sacrificium, destitui, si interius aurum omnino deteratur, quæ tamen communiter negantur. Vtraque autem sequela probatur, quia res absolutè dicitur destitui, ac fieri noua, quādo secundum suam præcipuam partē simul destituitur, aut renouatur. Et patet in Ecclesia, quæ amittit suam consecrationem, quando præcipua pars parietum simul corruit. Et ob has rationes, ait Ægidius, viri quidam doctissimi putant hanc sententiam esse probabiliorem: at ego addo, quod probabilem illam etiam vocauit ex aduersariis Gabriel Vasq. iā in 3.p to.3 q 83.ar.3.disp.233.c.3.n 35. contrariam sententiam quam ipse tenet, vocat tantum probabiliorem. Ergo secundum Vasquez, sententia Ægidij est probabilis. Ad argumentum Pitigiani in principio positum, respondetur, quod illa noua deauratio censetur consecrata, hoc ipso quo consecratæ additur.

Vtrum

Vtrum cingulum perdat benedictionem, si ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, licet ipsum aliquo modo vniat partes illas separatas.

RESOL. IV.

IN simili casu cingulum benedictionem amittere, putat ex Paludano Francisc. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 13. q. 2. ar. 4. & hanc sententiam videtur etiam docere Bonacina de sacramen. disp. 4. q. vlt. punct. 9. nu. 26. & Valerius Reginaldus in praxi to. 2. lib. 29. c. 6. sect. 3. nu. 160.

Sed ego contrariam sententiam puto esse probabiliorem, quam tuetur noster P. Molfesius in summ. to. 1. tract. 3. c. 12. nu. 33. & præter Suarez & Scorziam, quos ipse citat, tenet etiam hanc opinionem ex Neotericis Coninch. de sacr q. 83. ar. 3. dub. 3. num. 251. vbi asserit. Si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, amittere benedictionem. Secus si longior pars adhuc sufficeret ad cingendum: aliqui tamen putant, etiam in prima fractione licere partibus simul nexis vti. Ita Emanuel Sa, ver. Missa, nu. 12. Hæc Ægidius.

Difficilis est illa quæstio, an si quis inualidè contraxit ob defectum consensus, vel cum impedimento dirimente, obtenta dispensatione teneatur iterum consentire ante Parochum, & testes.

RESOL. V.

ALiqui affirmatiuè respondent apud Sanchez & Ceuallos vbi infra, & nouissimè docuit hanc sententiam Basilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 6. num. 5. Ioann. Guttierrez tract. de matrim. c. 76. num. 52. Per. Cenedo in suis Practicis quæstionibus, quæst. 30. nu. 11. & in Collectaneis ad Decretales collect. 58. num. 4. Spino in speculo testam gl. 15. prin. nu. 62. Et ex Societate Iesu Paul. Comitolus in suis respons. moral. libr. 1. q. 120. num. 3. & quæst. 122. num. 10. qui asserit se de hac controuersia dedisse litteras ad Patrem Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem. Et cum consuleret is Pater Clementem VIII. Pontifex affirmatiuè respondit. Quare, addit Comitolus, post Apostolicæ Sedis adiudicationem, nemini est amplius integrum de hac re secus opinari, & non solum authoritate, sed etiam rationibus suadetur hæc opinio. Nam Concilium Tridentinum absolutè docet, matrimonia non posse validè cōtrahi, nisi coram Parocho & testibus. Ergo sublato impedimento requiritur etiam præsentia Parochi & testium, quando denuò celebratur matrimonium, cum tunc verè contrahatur. Nec valet dicere, quod ex hac opinione sequerentur multa incommoda, præsertim scandalum; nam in tali casu non debent contrahi, sed petere dispensationem à Pontifice cōtrahendi sine præsentia Parochi, & testium ratione scandali.

Verùm contraria sententia probabilior est, & illam in praxi sæpius consului, quam amplexi sunt, Andr. Victorell. mutans sententiam in Notis ad Manuale Martini Nauarri c. 22. nu. 70. Franciscus Syluius in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 45. art. 2. quæsit. 2 conclus. 4. Sanch. de matrim. tomo 1. libro 2. disput. 37. nu. 3. Possevinus de Officio Curati, cap. 10 nu. 24. Rebellius de obligat. iust. part. 2. lib. 3. quæstio. 9 punct. 3. & 6 Ægidius de Coninch de Sacrament. disput. 24. dub. 10 num 83. Reginaldus in praxi, tomo 2. lib. 31. cap. 23 num. 183. & Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 9. n. 4. & 6. præter DD. quos ipse citat, & Sanch. vbi supra.

Dico igitur, quod non tenentur iterum coràm Parocho & testibus contrahere, qui semel curam eisdem contraxerunt, inualidè tamen ex defectu consensus, vel occultum impedimentum dirimens: sed satis erit, quod rursus secretè verè consentiant, impetrata prius dispensatione impedimenti, nisi periculum sit, vt detegatur ab aliquibus impedimentum, & probetur in foro externo; tali enim periculo existente, celebrandum iterum est coram Parocho & testibus; maximè si ipsi tale impedimentum nossent, quantumcúnque alias esset occultum, quia cum ipsis constet in foro Ecclesiæ matrimonium esse nullum, non sunt testes valoris, sed nullitatis matrimonij. Ita DD. citati. Ratio nostræ conclusionis est, quia hic casus censetur iure ipso exceptus, nec comprehensus in generali Concilij Decreto. Nam, secundum mentem Tridentini in illo loco, illud solum matrimonium dicitur clandestinum, quod non potest probari in facie Ecclesiæ esse contractum: sed id, de quo agimus non est tale, quia eodem modo potest probari in facie Ecclesiæ contractum, quo alia omnia. Ergo ex mente Concilij, nec clandestinum, nec irritum erit.

Restat modo respondere ad argumenta Comitoli. Ad primum dico, de illa responsione Clementis VIII. non constare authenticè, vel Summum Pontificem tunc respondisse, tanquam priuatam Doctorem. Ad secundum respondetur, negando, tale matrimonium esse omninò nullum, nam fuit quidem validum secundum externam apparentiam, & quoad præsumptionem Ecclesiæ ignorantis impedimentum, in cuius facie contractum est. Ergo sufficit tantum renouare consensum, & non adhibere præsentiam Parochi & testium, qui fuerunt præsentes externo contractui, & eorum præsentia requiritur, quādo matrimonium contrahitur secundum omnes partes, non verò quando suppletur aliquis defectus occultus. De hac tota quæstione vide etiam Zambranum in suis decisionibus casuum conscientiæ, c. 7. dub. 2. & Riccium etiam in suis decisionibus p. 2. decis. 98. & Hieronymum Ceuallos in speculo aureo opinionum commun. q. 604. nu. 28.

Olim per effusionem humani sanguinis iniuriosam, fuit violata quadam Ecclesia consecrata: quæsierunt, an simplex Sacerdos de licentia Episcopi, possit illam reconciliare?

RESOL. VI.

REspondi negatiuè, nam hæc est differentia inter Ecclesiam benedictam, & cōsecratam; nam Ecclesia, si sit benedicta, potest reconciliari per simplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi; si verò sit consecrata, debet reconciliari per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de eius licentia, & cum aqua à se, vel ab alio Episcopo benedicta cum vino, & cinere. Ita communiter DD Auila de cens. p. disput. 7. dub. 4. Filliuc. in suis quæstionibus moral. tom. 1. tract. 5. capite 4. num. 118. Sayrus de censuris, lib. 5. cap. 16. num. 31. Graffius decis. aur. parte 1 lib. 2. cap. 48. nu 10. Henr. qu. lib. 9. c. 27. num. 6. Nugnus in 3. p. tom. 1. quæst 63. art. 3. dub. 2. & alij. Probatur hæc opinio ex cap. Aqua, de consecrat. Eccles. vbi dicitur, quod consuetudo Ecclesiæ Braccharensis, vbi solebāt Episcopi committere sacerdotibus, reconciliare Ecclesiam, potius sit dicenda corruptela.

Non reticeam tamen contrariam sententiam extare apud Victoriam in summ. sacram. q. 97. Et apud Emanuelem Sa post correctionem Magistri Sacri Palatij, ver. Eccles. nu. 20. Et quod mirum est nouissimè Franciscus Syluius in suis commentarijs in 3. parte D. Thomæ, quæst. 83 art. 3. docet etiam hanc sententiam, & testatur de praxi, ait enim. Quibusdam videtur, quod Ecclesia prius consecrata, sic debeat reconciliari per Episcopū, vt hic vices suas nequeat simplici Sacerdoti committere; contrarium tamen tradunt Victoria, & Sà. Credimus esse in praxi, non contradicente, sed potius concedente Pontifice. Hæc ille. Quæ quidem sententia an sit probabilis, iudicent viri docti, videtur enim contra, c. Aqua vbi supra, & consuetudo, & praxis, quam affert Syluius, est in contrarium.

Quidam Confessarius ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitentem de circumstantia necessaria ad Confessionis integritatem; quæritur, an teneatur pœnitentem monere de defectu commisso.

RESOL. VII.

REspondeo Antonium Fernandez in exam. Theol. moral. p. 4. cap. 5. §. 11. num. 3. affirmatiuam sententiam docere, putat enim hunc defectum esse vrgentem causam, obligantem Confessarium ad petendam à confitente facultatem, vt illum moneat de re necessaria circa factam confessionem. Ac proinde si monitio, absque scandalo fieri potest, tenetur talis confessarius pœnitentem monere, dummodo illi non adueniat graue detrimentum.

Sed Vincentius Filliucius ex Societate Iesu, in suis eruditis quæstio-

quæstionibus moralibus quas nuper edidit, to.1.tract.3.cap.12. quæst.7. num.374 & ibidem in instructione pro confessionibus excipiendis, c.4 contrarium docet. Etenim confessarius duplici de causa, potest malè absoluere. Primò, quia inualidè, non habendo intentionem, vel iurisdictionem, vel cum aliquo alio defectu, circa ipsam substantiam confessionis. Secundò, quia cum peccato, sed validè. In primo casu, tenetur confessarius, prout supra ait Fernandez, & communiter Doctores, petere licentiam, & admonere pœnitentem. In secundo casu, regulariter ad nihil tenetur; præterquam ad dolorem de peccato facto. Ratio est, qu a pœnitens non tenetur illam confessionem iterare, sed ad summum explicare circumstantiam illam, vel speciem, vel numerum peccati, quæ omisit, quando resciuerit se ad id fuisse obligatum. Hæc ille. Quam sentētiam limitat, nisi defectus eiusmodi esset coniunctus cum damno tertij, vt quia pœnitens retinebat alienam: tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admonere, quādo positiuè contrarium dixisset; nempè eum non teneri ad restitutionem, quando autem tantum tacuisset, non teneretur: sed de hoc alibi.

Ex hac sententia Filliucij apparet, tunc confessarium teneri admonere pœnitentem, quando defectus versatur circa substantiam, & validitatem Sacramenti, & non est in præiudicium tertij, vel ipsius pœnitentis, relinquendo illum, videlicet in occasione proxima peccandi, secus autem si absolutio fuit valida, sed ob ignorantiam cum peccato à confessario collata, non faciendo videlicet explicare aliquam circumstantiam necessariam, vel numerum peccatorum, nam in hoc casu sufficit, ait Filliucius, confessarium pœnitere. Et ita etiam tenet Nugnus in Addit. ad 3.p.to.2.q.8.ar.4.dub.5. folio mihi 275.& Reginal. to.1. lib.8. c.3. sect. 2. num.31.

Notandum est tamen, pro consolatione confessariorū, quòd omittere aliquam interrogationem necessariā per inaduertentiam, aut obliuionem, non erit peccatum mortale, vt ex Nauarro docet Bannes, & Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. Iudex, diff 6.nu.4. Sed circa præsentem quæstionem, vide Vasq. in 3.p.to.4.q.93.art.3.dub.8. Bonacinam de sacram. disput.5.q.7.punct.6.n.2. Suar z in 3.p.to.4.disp.32. sect.6. Franciscum Ortez in sum.c.24.n.8. Onuphrium opusc. de sigillo, sect.4.qu.5.§. sequitur 2. Sotum de teg. & de teg. secr. memb.3.q.4. Nauarr.c. 26.nu.14. Reginaldum vbi supra, & alios.

Quidam habebant facultatem distribuendi pauperibus certam pecuniariam summam: quæsierunt à me documenta aliqua ad tollendos scrupulos.

RESOL. VIII.

RESpondi, quod is cui committitur electio pauperum, non habet necesse eligere pauperiorem. Ita Barthol. in leg. Vnum ex familia, §. in fine, de legat. 2. Bald. in leg. cum quidam ad finem, de legat. 2. Nam locus est gratificationi, nec peccat, qui vnum pauperem alteri prætulit. Idem Baldus in repertor. leg. 1. num.31. vers. item quæritur, de sacrosanct. Eccles. Hæc omnia Cardinalis Mantica de coniect. vltim. volunt. lib.5. tit. 5.num.6.

Sed difficultas manet, quisnam dicatur pauper. Respondeo, & dico primo, id totum esse arbitrio boni viri remittēdum, qui iuxta qualitatem personarum iudicet, quis dicatur pauper. Ita Mascardus vbi infra num.14.& DD. in leg. si constante, ff. solut. matrim. At ita generaliter loquendo, res adhuc manet intricata scrupulis. Dico igitur secundo, sub nomine pauperum intelligi omnia loca pia, vt Hospitalia, Ecclesias indigentes luminaribus, ornamentis, ædificijs, & Monasteria Religiosorum; vnde habens facultatem distribuēdi aliquam eleemosynam inter pauperes, potest etiam eligere Religiosos. Ita Io. Andreas in c. 1. in Nouella de testam. lib.6.& Imola in leg. captatoriæ, in fine de leg.1. Et etiam Religiosus, cui data est electio, potest bona distribuere inter Religiosos sui Monasterii, vt notat Cardin. in Clem.1.n.22. Imol. nu.18.& Anch.16. de test. Dico igitur, quod tertio ille etiam dicitur pauper, qui victum potest quærere, vel quærit ex labore suo. Ita Baldus per illum textum cum Glossa, in leg. paupertas, ff. de excusat. tutor. & Iason in leg. nisi constante, nu.151.ff. de solut. matrim. Vnde M. Antonius Genuensis in suis Practicabilib. Eccles. tricenar. 13.q.387.num.2. asserit legatum relictum pro dote puellæ pauperis, etiam deberi si illa potest viuere, vel viuat ex labore suo; quod est valdè notandū.

Dico quarto, quod pauper etiam dicitur ille, qui non solum non habet vnde viuat, sed etiam, qui non potest commodè, & honestè viuere secundùm suam conditionem, vt sunt multi artifices, & personæ etiam altioris conditionis, quæ ægrè admodum vitam sustentant. Vnde Iacobus Mandellus lib.1. cons.69. nu.7. ex Bald. in leg. si quis ad declinandum, col.2. vers. circa tertium, C. de Episc. & Cler sub nomine pauperis intelligit nobilē, cui imminet onus dotandi filias, & eas nuptui tradere, & commodè dotare non potest, licèt habeat tantum, quantum sufficit ad alimenta, & sic ait Mandellus, debet ei tanquam pauperi distribui legatum factum pauperibus. Vide nostrum Megala in p.2.lib.2.c.2.q.2.nu.12. & præter DD. quos ipse citat, tenet etiā hanc opinionem ex Ciuilistis, Natta vol.3. cons. 590. num. 14. Alciat. in leg. quos nos hostes, §. locuples, num.11. ff. de verb. sign. & alii ex Theologis, Molina de iustit. tr.2. disp.747.n.1. Reginald. in praxi, tom.1. lib.10.c.14. sect.1.n.197. Filliuc. in quæst. mor. tom.2. tr.32. c.4. nu.95. Nauar. de restit. lib.4.c.2.n.50. Nauar. in manual. c.17.n.93. Vasq. opusc. de rest. c.5.§.4. dub.1.nu. 6. & 12. cum alijs.

Ex his apparet, me olim rectè consuluisse, pauperem dicendum esse quemdam, licèt vncias quadraginta annuales haberet; nam cum simul haberet matrem, non poterat secundum suam conditionem decenter viuere. Et vt ait Bannez, & Caiet. in 2.2.q.43. art.8. Pauperes non solum dicuntur, qui egent cibo, potu, & veste, quæ sunt necessaria naturæ, sed qui egent opportunis ad conuenientiam sui status.

Notandum est verò, quod omnia supradicta sunt admittenda, quando aliter non constaret clarè: vel ex coniecturis de mente, & intentione testatoris, vel legatarij: nam tunc eleemosyna esset distribuenda inter illos pauperes, quos ipse in particulari voluerat.

An aliquis, qui non æquè dubitat, sed magis in eam partem inclinat, vt votum emiserit; an inquam propter istam suspicionem voti, teneatur ad illud implendum, non integrè quidem, sed ad partem, pro ratione huius maioris propensionis.

RESOL. IX.

PRima opinio est Filliucij in q. mor. to.2. trā.22.c.4.nu.165.& Ferdinandi Rebellij de obligatione iustitiæ, p.2. lib. 1. qu.2. sect.2.n.10. vbi absolutè asserit, quod si quis ita dubitet, vt tamē verisimilius sit, votum fuisse emissum, tenetur sub mortali illud seruare; & hoc, ait, à nemine negatur.

Secunda opinio est Sanchez de matrim. tomo 1. lib.2. disput. 41. num.34. vbi ait, quod si quis non dubitet, sed opinetur, se vouisse, ita vt magna sit determinatio iudicij ad hoc, tenetur ad votum adimplendum; si verò fuerit mediocris, diuidendam esse rem promissam, sicut de possidente rem opinatur, aut magis propendet esse alienam, diximus teneri diuidere, pro dubij qualitate, quia maior iudicij determinatio etiam cum formidine, sufficienter compensat excessum possessionis, quam alter habet. Hæc ille, & alij.

Sed re melius considerata (& hæc sit tertia opinio, cui tamquam probabiliori adhæreo) postea in Decal. tom.1. lib.1. c.10. num.36. mutauit sententiā, & simpliciter docuit, sic dubitantem ad nullam voti partem teneri, & absolutè non esse obligatum ad illud votum, & vltra Sanchez ex parte, & Salas, quem ipse citat in p.2. qu.21. tr.4. disp. vnic. sect.25 n. 54. tenet etiam nouissimè hanc opinionem Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1.c.6.§.2.n.4. & Martinus Bonacina tr. de leg. disp.2. q 4. punct. 2.num.18 vbi asserit, quod quando dubium est inæquale, ita vt dubitans magis propēdeat in hanc partem, vt credat se votum emisisse; iudicandum esse in tali euentu in fauorem dubitantis. Ratio huius sententiæ est ista, quia possessio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppositam, sed non generantibus assensum.

Quid sentiam, dicam breuiter. Omnes istæ tres opiniones sunt probabiles, & tutæ in praxi; vnde non bene asseruit Rebellius suam opinionem à nemine negari, & immeritò dixit Salas opinionem Rebellij esse falsam; sed meritò huic quæstioni sequens erit adiuncta.

An

An possessor bonæ fidei, si inæqualiter dubitet, & magis inclinet in eam partem, vt res sit aliena, teneatur iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere.

RESOL. X.

AFfirmatiuè respondet Bannez 2.2. ante quæstio.62.in præambulo ad illam dub. vlt.conclus.2.Ledesma de matr.qu. 45.artic.1.ad 3. primæ sententiæ dubij secundi. Salon.in 2.2 q. 62.artic.6.contro.4.conclus.4. Sanchez de matrimon. tomo 1. lib.2.disput.41. num.10.& hanc sententiam puto etiam tenere Sayr. in Claui Regia libr.10.tract.2.cap.3.num.29.Barthol. a S. Fausto in speculo confess.disputat.4.q.260. vbi asserunt, in dubio æquali possidentem bona fide, non esse obligatum ad restitutionem.

At mihi semper contraria opinio visa est probabilior, quam tuetur,& docet Vasquez in p.2.to.1. disp.66. art 7 num.42. vbi loquens de supradicta opinione asserit. Ego hanc sententiam existimo nulla ratione esse admittendam. Nam quamuis pro altero, qui non possidet rem, fortiores videantur rationes, & coniecturæ circa res proprietatis, tamen si non sunt vsque adeò efficaces, vt generare possint assensum illius partis, sed rem adhuc dubiam relinquant, non debet censeri maius,& potius ius proprietatis vnius, quam alterius, cùm adhuc in dubio res maneat, dubia enim res æquè videtur vtramque partem respicere. Ergo si rei in dubio existenti accedat certa possessio, potior erit causa possidentis. Quocirca quamuis vrgentiores videantur rationes pro eo, qui non possidet, si tamen non sufficiunt assensum generare, non obligabunt ad vllam restitutionem. Doctrina vero de dubio, in quo melior est conditio possidentis intelligitur, quando nullus est assensus pro altera parte. Hæc Vasquez. Igitur in casu, quando possidẽs bona fide inclinat, vt res sit aliena, non tenetur iuxta talem propensionem aliquid restituere: quia possessio certa est potior, quam rationes inducentes in partem contrariam, sed non generantes assensum.

Post hæc scripta, inueni etiam Bonacinam docere hanc sententiam de restit. disp. 1. quæst.2.punct.2.num.6.qui citat Salas in p.2.quæstio.21.tract.8.disput vnic.sect.23.num.231. & notat Sanchez in summa tom.primo,lib.1. cap.10.num.9. retractasse dicta de matrimonio vbi supra, quod non solum retractauit in isto loco, quem citat Bonacina, sed etiam in lib. secundo, cap. 23.num.179.

Quis emit rem aliquam bona fide, & postea dubitat esse alienam, nec veritas apposita debita diligentia sciri potuit; quæritur, an qui illam vendidit, teneatur paratus esse ad illud pretium, quo vendidit, restituendum domino, quoties comparuerit.

RESOL. XI.

CLarum est, quod qui rem per viam emptionis, seu permutationis, etiam bona fide de manu latronis accepit, sed deinde incipit dubitare probabiliter, quod sit furtiua, si facta diligentia debita sit dubius, potest illam tuta cõscientia retinere. Ita Vasquez in parte 2. quæst. 19.artic.6. disput.66. cap.7. num. 42.Salas in parte 2.quæstio.21.tract.8.disput.vnic.sect.23.num. 231.Lessius lib.2. cap.14 dub.4. num.25. & cap.6.dub.3.nu.11. Molina tom.3.parte 2.disput.721.nu.4. Rebellius parte 1.lib.2. quæstio.5.num.10.Salon.2.2.quæst.62.artic.6.contr.4. conclus. 4.Et non solum retinere, sed etiam vendere, dummodo emptori hanc conditionem exponat, ne postea domino comparente damnum emptori sequatur; & quia ratione huius vitij res illa minus valet, quod si non admoneat, tenetur damnum sequutũ resarcire, vt tradunt Graffius dec.aur.par.1.lib.2.cap.130. num. 5.Ledesma in summ.tom.2.tract.8.cap.14.conclus 9.Rebellius vbi supra num.11.& par.2.lib.9.quæst.18.sect.2.num.14.Vegha in summa tomo 1.cap.60.cas.17.Bannez,& Salonius, Lessius & Molina vbi supra.

His positis, in quibus communiter DD conueniunt. Dubium est, an qui rem ita vendidit, teneatur paratum esse pretium vero domino reddere, si constiterit rem esse furtiuam.

Affirmatiuam sententiam tenet Sayrus in Claui Regia, libro 2.tr.2.c.4.n.29.cuius ratio, ait, hæc est. Nam si rem illam haberet, & apud se seruare vellet, eius animi esse oporteret, vt rem domino vero restitueret, si constiterit cuius sit. Ergo et am eam vendendo,& pretium pro ea recipiendo, parati animi esse debet, vt cognito vero domino pretium rei venditæ domino restituat, cum pretium loco rei succedat. Hæc ille, qui citat pro hac sententia Medinam, C.de rebus restit.q.10.concl.3. §. Dico secundo, Couar. in Reg. peccatum, de reg. iur. lib.2.p.2.§.12. n. 4.& Salonium vbi supra.

Sed hæc opinio meritò reiicitur à Sanchez in decalog. libr. 2. cap.23.num.187. quia solum est vera, & admittenda, quando ex pretio vẽdens locupletior euasit, instar aliorum possessorum bonæ fidei, ex quibus ipse quoque iam est. Nec ratio contraria intentum probat: quia si res ille extaret, teneretur possessor ratione rei acceptæ illam integrè restituere; at re vendita non tenetur ratione rei acceptæ, nisi quatenus locupletior factus. Ex his negatiuè respondendum est ad dubitationem suprapositam.

Vtrum Confessarius in aliquo casu, sine licentia pœnitentis, possit loqui cum illo de peccatis auditis in confessione, videlicet: Confessor commisit aliquem defectum in absoluendo pœnitentem: quæritur, an possit illi hoc manifestare extra confessionem, etiamsi pœnitens non dederit licentiam manifestandi.

RESOL. XII.

DOctores communiter negatiuè respondent. Ita Reginald. in praxi, tom 1.lib.8.ca.3.sect.2.num.30.Suarez in 3.parte tom.4. disp.32. sect.5. num.3. Onuphrius de sigillo, sectio.4. quæst.5 §. Sequitur secundo, qui citat Sotum; Toletum, Rodriquez, & nouissime docuit hanc sententiam noster Megala in 1.part.libr.1.cap.16.num 22. Graffius in dec. aur. parte 1.lib. 1.cap.24.num.73. Valentia tom.4. disput.7.quæstio 13.punct. 3. Bonacina de sacram. disput.5.quæst.6.sect.5.punct.4. num.8. & Franc Syluius in suis aureis comment. in 3.p. D. Thom. in Addit.quæst. 11.art.4.fol.63.& quæst.8.art.5. quæsit 4. concl.2, vbi ait. Qui aliquem errorem in confessionem commisit, non debet pœnitenti simpliciter extra confessionem dicere, ne arguatur sigilli fractor, sed etsi præsens sit dicat, vellem quod adhuc semel venires ad me pro confessione, quia habeo vnum verbum tibi vtile. Si acquiescit, officium suum tunc adimpleat. Si vero nolit, pœnitentiam agat confessor sui erroris, non enim potest, nisi de præuio pœnitentis consensu, aliquid extra confessionem manifestare. Hæc ille.

At his non obstantibus, non desunt DD. qui contrariam opinionem amplectuntur, hi sunt ex Dominicana familia, Nugnus in addit.ad 3 p.tom.2 q.11.art.1.fol.mihi 346. col.2.circa med.& ex Societate Iesu Filliuc.in q.mor.to.1.tr.7.c.11.q.5.n. 324. vbi sic asserit. Si confessor defectum aliquem commisisset in confessione, ex quo esset obligatio denuo cum pœnitente colloquendi, debet primo significare illi voluntatem suam, & si consentiat, iam id facit de licentia ipsius: quod si non cõsentiat, potest tamen colloqui, quia verè non loquitur extra confessionem, sed complet eam, quæ iam erat inchoata, & imperfecta, & pœnitens est irrationabiliter inuitus. Hæc ille. Notandum est etiam Puteanum in 3.p.D.Th.p.2.q. vlt.dub.vlt conc.3. notab.2. docere, sigillum confessionis non solui, quotiescunque sine licentia pœnitẽtis, Sacerdos extra confessionem agit cum penitente solo, de peccatis auditis in confessione, modo tamen id faciat studio promouendi pœnitentis salutem. Ita ille. Sed hæc opinio prorsus non est tenenda.

Olim interrogatus fui, an Confessarius dicens in aliqua ciuitate, vel alio loco vbi confessiones audit, committi peccatum sodomiæ, vel aliud, frangat sigillum confessionis, & vt fractor talis sigilli sit puniendus.

RESOL. XIII.

DOctissimi viri (quod mirum alicui videbitur) docent, in tali casu, confessarium frangere sigillum confessionis. Ita Vasquez in 3.p.tom.4.quæst.93.art.4.dub.3.num.3. vbi asserit. Mihi placet, quod Ledesma docet, contra sigillum confessionis

esse,

esse, si aliquis confessarius infamaret ciuitatem alicuius peccati, vt sodomiæ, vel alterius, quod audiuit in confessione, etiam si non exprimat personam, quia iam ex parte reuelatur id, quod auditum fuit in confessione, quod ita limitarem, nisi illud alia via iam publicum esset, & vt tale Sacerdos referret. Hæc Vasquez. Et hoc, multò magis asserunt alij, de locis non ita amplis, vt de Villis, & Castris, vel si confessus est Religiosus, nominaret Religionem ad quam pertinet, vel Monasterium talis Ciuitatis. Ita Filliucius in quæst. moral. tom. 1. tract. 7. cap. 11. q. 3. nu. 322. Suarez in 3. part to. 4. disp. 33. sect. 3. nu. 8. Coninch de Sacram. disp. 9. dub. 1. nu. 16. & Bonacina de sacr. disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. nu. 3. qui citat aliquos DD. pro sua sententia contrarium asserentes.

His tamen non obstantibus, non ignobiles authores sentiunt in his casibus, confessarium peccare, non tamen frangere sigilli. Ita Omuphrius opusc. de sigillo, sect. 4. quæst. 4. §. sequitur vltimo, fol. mihi 256. & nouissimè Syluius in Addit. ad 3. p. q. 11. art. 1. quęst. 2. fol. 60. col. 1. vbi asserit. Qui solitus in aliquo loco excipere confessiones, dicit in eo committi grauia crimina, non quidem frangit sigillum; sed nihilominus, si absque spirituali vtilitate, vel coram infirmioribus hoc dicat, existimantibus confessionem tali sermone reuelari, grauiter peccat, tum contra Sacramentum, à quo fic alienari possunt, tum per scandalum. Hæc Syluius. Et ante ipsum hoc idem docuerat Nauar. in man. cap. 8. num. 16. Viualdus in Candelabro, tract. de sigillo, n. 26. Megala in 1. parte lib. 1. cap. 16. num. 11. Henriquez in sum. lib. 6. cap. 21. nu 6.

Sed quoad alterum supra suppositū, audiamus Nugnum in addit. ad 3. part. tom. 2. quæstio. 12. art. 1. folio mihi 355. colum. 2. ita loquentem. Aliqui verò dicunt, peccare peccato reuelationis sigill illum, qui etiamsi non nominet personam, nominat tamen Religionem specialem, cuius erat Religionis, talis pœnitens, & est sententia probabilis: non tamen videtur ita certa, vt possit talis confessar us puniri, tanquam reuelator confessionis. Sic ille, & Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 4. nu. 1. Et ratio harum opinionum erit ista proculdubio, nam in istis loquendi modis, nulli pœnitenti fit iniuria: cum non sit periculum (vt suppono) quod auctor illorum peccatorum cognoscatur, licèt, vt diximus peccauerit confessarius ita loquendo, non solum peccato, ait Onuphrius vbi supra, contra præceptum de non scandalizando proximum, sed etiam contra præceptum de non infamando proximum, nam id cederet in infamiam illius loci, de quo dicere, se hoc, aut illud peccatum audiuisse Sacramentaliter.

In quadam Ciuitate huius Regni Confessarius, cum licentia pœnitentis in ordine ad consilium petendum, manifestauit cuidam Sacerdoti aliqua peccata, de quibus ipse postea, cum aliquibus loquutus est, quæsitum à me fuit tunc, an dictus consiliarius fregerit sigillum confessionis.

RESOL. XIV.

Vicarius illius Ciuitatis sententiam affirmatiuam tenebat; adducens Suarez in 3. part. tom. 4 disput. 33. sectio. 3. Sed præter Suarez docet etiam hanc opinionem Pitigian. in 4. sententiarum to. 2. dist. 21. q. 2. art. 5. Bonacina de Sacrament. disp. 5. quæstio 6. sect. 5. punct. 3. num. 4. Filliucius in q. moral. tom. 1. tract. 7. cap. 11. quæst. 4. n. 323. Syluius in addit. ad 3. pat. D. Thomæ, q. 11. ar. 3. §. 3. Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 6. §. 9. num. 26. & alij. Probatur hæc opinio tribus medijs. Primò, ait Pitigianus, & Suarez, Consiliarius in hoc casu participat actum clauium, scilicet quoad clauem scientiæ, & supplet defectum ministri, ita vt ex vtroque quasi coalescat minister, habens omnia necessaria ad hoc munus. Ergo tenetur ad sigillum.

Secundò, asserit Bonacina, & alij, peccata audita in confessione ad quęcumque transeunt cum obligatione, & onere sigilli confessionis; quia, vt habetur in c. pastoralis, de decimis, obligatio sequitur rem ipsam, & nō personam, sic res pignorata transit ad quoscumque cum suo onere, quia obligatio rei pignoratæ, prius afficit rem ipsam. Et tandem probatur terno, quia pœnitens ea conditione licentiam concedit, vt tamen maneat secretum sub sigillo confessionis.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, probabilior tamen contraria mihi semper visa est, quam mordicus tuetur Vasquez in 3. parte, tomo 4. quæstio. 93. artic. 4. dub. 2. num. 10. Onuphr. opusc. de sigillo, sect. 3. quæstio. vnic. dub. 6. folio mihi 226. §. sequitur primo. Nugnus in additio. ad 3. part. quęst. 11. ar. 1. folio mihi 347. colum. 1. & ex nostra Religione P. Megala in 1. parte lib. 1. cap. 16. num. 6. Et ratio est, quia Consiliarius iste accipit notitiam peccatorum non ab ipsa confessione, quasi sigillata, sed ab ipso pœnitente, ac si ipse referret (quia idem est, si de consensu illius referat Sacerdos) iam verò non nouit ex confessione pœnitentis; sed relatione facta extra confessionem ab ipso pœnitente, vt à Sacerdote de consensu illius; quod idem est ac si ipse referret; quod verò ita refertur, nec in confessione, neque ex confessione refertur. Ergo non oritur obligatio sigilli confessionis.

Restat modo respondere ad argumenta opposita. Ad primū respondetur ex Megala, quod licet reueta consilium ordinetur ad claues, attamen consulere peritiorem, non est pars clauium, nec pars confessionis, sed tantum instructio est Confessarij, vt possit legitimè munus suum exercere. Ergo.

Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem obligationis in re pignorata, & sigillo confessionis; quia obligatio rei pignoratæ, non est obligatio præcepti, sed obligatio quæ fit creditori, vt in eam rem habeat prælationem ad sui solutionem, & ideo obligatio prius afficit rē vnde debet fieri solutio, & quomodocunque trāseat ad aliquem, semper transit cum isto onere. At verò obligatio sigilli, est obligatio præcepti, quod licet feratur de re aliqua facienda, vel non facienda, tamē non obligat rem ipsam; quia persona est, quæ tenetur operari secundum illud præceptum. Ob id nō est accipienda ratio obligationis ex re ipsa, quæ transit ad alios, sed in ordine ad personam, quare quando quis peccata cognouit ex ipsa confessione, tenetur sigillo, quia tunc semper est respectus in fauorem pœnitentis. Quando vero innotescunt, non confessione sacramentali, non est aliqua obligatio sigilli. Ergo, &c.

Ad tertium respondetur, non esse in potestate pœnitentis apponere obligationem sigilli, nisi quando obligatio nascitur ex ipsa confessione. Ex his tunc consului, supradictum Sacerdotem nō fregisse sigillum confessionis, sed tantum secretum naturale. De hac tota quęstione vide Coninch de Sacram. disp. 9. dub. 3. à nu. 38. vsque ad 5.

Vtrum liceat ad honorem tuendum, inuasorem post impactam alapam, fustem, vel vulnus fugientem insequi, & occidere?

RESOL. XV.

Negatiuè respondet Ioan. de la Cruz in direct. Confes. par. 1. præcept. 5. dub. 7. conclus 6. Toletus lib. 2. cap. 6. num. 16. Rodriquez non benè à Bonacina pro contraria sententia citatus in summ. tom. 1. c. 135. num. 11. Turrianus in 2. 2. tom. 2 disp. 27. dub. 3. num. 9. qui citat Sotum & Bannez, Salon. in 2. 2. q. 64. art. 7. cont. 2. concl. 1. & nouissimè Malderus in 2. 2. D. Th. tr. 3. c. 1. dub. 14. vbi asserit, si postquam alapam impegit, quæ tibi ignominiosa est, sese in fugam conuertat offensor, nō licebit eum persequi, & tantum referire, quantum postulare videtur honoris reparatio, habet enim potius speciem vindictæ, quam defensionis. Hæc ille.

Et ita in praxi contrariam sententiam non esse consulendā docent, licet speculatiuè probabilem esse asserant, Lessius de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 80. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 21. cap. 5. num. 63. Filliucius in suis quæst. mor. tom. 2. tr. 29. ca. 3. num. 51. Bonacina de contract. disp. 2. q. vlt. sect. 1. punct. 10. nu. 8. & alij. Et ratio est, primo ob periculum odij, vindictæ, & excessus. Secundo, ob periculum pugnarum, & cædium in Reipublicæ perniciem. Deinde, qui iniuriam intulit, ex ipso quod ab iniuria cessat, siue per fugam, siue quouis modo cesset, vim non infert; ac ideo repercutiens vim vi non repellit, sed potius punit, & vindictam sumit, nec honorem defendit, cū iam per iniuriam amissus sit, & quamuis illum recuperaret, hæc honoris recuperatio ad vindictam potius, quam ad defensionem pertinet. Hæc noster Megala vbi infra.

Sed his nō obstantibus, contrariam sententiam pij, & doctissimi viri docuerunt Nauar. in manual. c. 14. num. 4. ad fin. Petr. à

T Nauarr.

Nauarr. de restit. lib. 2. cap. 3. num. 383. qui citat Mercatum. Victoria de iure belli, q. 2. num. 5. & ex Societate Iesu P. Henriq. in summ. lib. 14. c. 10. nu. 3. in Gloss. litt. T, vbi citat Cordubam, Mantium, Pegnam, & alios, & tandem tenet etiam hanc sententiam Fernandez in exam. mor. p. 1. c. 9. §. 1. nu. 16. vbi ait, referens opinionem Nauarri vbi supra. Qui affectus iniuria, magnam honoris iacturam faceret, si fugientem non persequeretur inuasorem persequi posset, & percutere tantum, quantum ad sui honoris defensionem opus esset: etiam occidendo, si id opus esset. Ratio est; qu a ego possum persequi furem, & illata vi etiam mortis illius damno, raptâ recuperare; ergo maiori cū ratione infamatorem, & ab eo raptum honorem extorquere. Hæc Fernandez.

Sed ad hoc argumentum respondet Megala, & alij, esse dispirem rationem; nam res illa furata adhuc extat apud furem, & manet tua, sed contumelia illata, & honor iam perijt; ergo illa non erit defensio, sed aggressio, & vindicta. Respondet Lessius, in eo esse paritatem rationis, quod sicut res potest recuperari; ita etiam honor, qui in signis excellentię, & hominum existimatione consistit. Deinde, si res non extarent apud furem, qui illas abiecisset in Flumen, posset tamen, damnum passus, talem furem, non minus quam de facto asportantem, insequi, vt tantundem restituere cogat, de qua re Nauar. vbi supra, n. 384. Ergo, &c.

Sed magis clarebit hæc sententia, si notemus rationem, qua vindicta, & defensio inter se differunt. Nam vindicta propriè est velle reddere malum pro malo, quod non licet priuatę personæ. Defensio autem est aggressorem compescere, & impedire damnum quod iam imminet, vel si illatum est, (sicuti in nostro casu) vt adhuc maneat in suspenso. Istas enim esse defensionis partes, manifestum est, vt diximus ex facto illius, qui furantem res suas, vel auferre molientem impedit, vel iam auferentem insequitur; vt enim illa impeditione, sic ista insecutione censetur res suas defendere, si quidem recuperari valeant; & vt insequar eum, qui damnum intulit, non possum ob aliam causam id facere, quam vt reddam malū pro malo, & esset vindicta. Cum ergo damnum illatum resarciri potest, eum qui intulit, licitè insequi possum, non quidem vt malum referam pro malo, sed vt mihi illatum malum resarcire curem, mihi ad id nulla alia ratio suppetat, quia si suppeteret, non daretur propositæ insecutioni locus, tanquam vindicatiuæ. At cum hæc ita sint, patet illud non habere rationem vindictæ, sed defensionis, quando aliquis vir nobilis eum à quo vulneratus est insequitur; non quidem vt malum pro malo reddat, sed vt cōseruet honorem sibi ablatum, dummodo tamen id fiat incontinenti, cum res adhuc est in suspenso, non autem postquam inimicus domū se iam recepit, vel alia negotia gerit.

His ita positis, censeo etiam ante factum, si non adsit periculum odij, appetitus vindictæ, & excessus, hanc secundam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi: quia dum aduersarius fugit, & percussus insequitur, moraliter adhuc durat congressus. Ergo, &c. Dixi ante factum, nam post factum etiam aliqui DD. ex contrarijs illam admittunt, neque ita aggressorē occidentem obligant ad vllam restitutionem. Ita Megala in p. 2. lib. 3. c. 1. nu. 12. Lop. in suo instruct. p. 1. c. 92.

Nota verò, quod Azor. p. 3. lib. 2. c. 1. q. 13. contrariam sententiam vocat tantum probabilem. Ergo secūdū Azor. nostra opinio est probabilis; & dum ipse non distinguit, neque nos distinguere debemus, asserendo illum intellexisse de probabilitate speculatiua, & non practica; nam ipse absolutè loquutus est, dicens suam sentētiam esse probabiliorem. Ergo sicut eius opinio erit secundum ipsum probabilior speculatiuè, & practicè, ita & nostra practicè, & speculatiuè erit etiam probabilis.

Quidam vir nobilis occidit Titium, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, sed poterat fugiendo vitam seruare: modo pœnitentia ductus vult sacros Ordines suscipere, quæsiuit à me, an propter illud homicidium incurrerit irregularitatem, ita vt egeat dispensatione.

RESOL. XVI.

QVidam Theologus Societatis Iesu, vt ipse consulens asserebat, partem affirmatiuam illi consuluit, & probabiliter quidem; nam hanc sententiam cum 19. Doctoribus docet Sayrus de cens. lib. 6. cap. 17. n. 16. & nouissimè tenet hanc opinionem Auila de cens. part. 7. disput. 5. sectio. 3. dub. 2. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 9. num. 105. & Fernandez in exam. Theol. morr. p. 2. c. 10. §. 14. nu. 9. Farin. p. 2. fragment. crimin. n. 490. Et ratio est clara. Nam in clementina, Si furiosus, de homicidio; excusatur quis ab irregularitate aliquem occidendo, quando aliter vitam suam tueri non potest; sed in nostro casu hic mortem vitare potest fugiendo. Ergo, &c. Adde, quod ita occidens non videtur occidere pro defensione vitę, sed pro defensione honoris. Ergo, &c.

Sed quia consulens erat vir nobilis, & fugiendo magnam infamiæ notam incurreret, existimaui irregularitatem propter tale homicidium minimè incurrisse. Fateor quidem, in hac sententia multos habere aduersarios, sed illam audacter, & sine metu amplector, quia pro me stat Suarez in 3. parte to. 5. de cēs. disput. 46. sectio. 1. num. 5. vbi nostram opinionem docet, & ita asserit. Dicendum est, quod si quis non potest fugere, sine graui nota, & amissione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, si alium occidat, se defendendo. Probatur, quia quod vitari non potest sine magna infamia & dedecore, moraliter ineuitabile est, & ideo meritò hic casus his verbis Clementinæ comprehensus intelligitur. Hæc Suarez. Et post illum docent etiam hanc sentētiam nouissimè Filliucius in quæst. mor. tom. 1. tract. 20. cap. 5. num. 134 Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 4 punct. 6. num. 4. & Coninch de Sacram. disp. 17. dub. 9. num. 90.

Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententię. Nam dicendum est in casu, de quo loquimur, ille qui occidit, moraliter vitam suam alio pacto tueri non posse. Nota verò, quod Suarez suam sententiam limitat; nisi præcesserit culpa, & iniuria, ex parte eius, qui fugere cogitur, vt si ille dedit alteri alapam, vel iniuriosum verbum dixit, vel cum vxore inuentus est, aut pallium tollere est aggressus, & aliter in eum insurgit, non solum, vt vim repellat, sed etiam, vt vindicet, & occidit. Nam tunc licet hic excedat, non potest alter iuste se defendere; sed potest fugere, cum ipse dederit occasionem rixæ. Et ideo si fugiendo amittit honorem, sibi, & non alteri imputare debet. Sed hæc limitatio Suarez ita absolutè prolata, non mihi placet sed cum Filliucio vbi supra nu. 135. tunc veram esse censeo, cum id omne præuisum est, vel præuideri potuit ab inferente iniuriam. At quando omninò per accidens ea consecuta essent, non video cur non possit vti iure suo permanendi, & si aliter non posset se tueri, quam occidendo, non est cur deterioris conditionis fieri debeat, quam alij.

Quidam mandauit Petro, vt occideret Caium, non præcogitando aliquid de morte Petri, & verisimiliter credere poterat, non esse sequuturum, quia Caius longe debilior erat Petro. Accidit verò his non obstantibus, quod Caius occidit Petrum; interrogatus fui, an mandans incurrerit in irregularitatem, ita vt non possit amplius ministrare, quia iam erat sacris ordinibus insignitus?

RESOL. XVII.

REspondi communiter DD. contra mandantem respondere, asserunt enim in irregularitatem incurrisse, teste Bonacina vbi infra. Ita Sayrus de cens. lib. 7. c. 2. num. 12. Reginald. in praxi, to. 2. li. 30. tr. 2. c. 11. sect. 1. n. 126. Nauarr. Couar. Armilla, Tabiena, Syluest. Maiolus, Viual. Summa confes. Vgolin. & alij. Probatur, ait Tabiena, ver. irregularitas 2. §. 12. quia fuit in culpa, & hoc euenire posse, debuit cogitare.

At mihi contraria opinio Henriquez lib. 14. cap. 16. nu. 1. litt. k. probabilis videtur, sicut etiam probabilis visa est Bonacinæ de cens. disp. 7. qu. 4 punct. 7. nu. 17. imò, & Auila de cens. part. 7. disp 6. sect. 2. dub. 5. conclus. 4. stat pro nostra sententia; nam contra Syluium, & Panormitanum admittit quamdam limitationem Innocentij, & Hostiensis; scilicet quod opinio contraria, quam ipse Auila tenet, etiam aduersus Henriquez solum procedat, quando erat verisimile, quod Petrus occidi poterat à Caio inuadendo, vt quia erat longè debilior Caio, vel quid simile, quæ quidem circumstantia non adest in casu, de quo loquimur, imò totum contrarium, nam Caius inuadendus, erat debilior Petro.

Ex

Ex his omnibus putaui dictum consulentem non incurrisse irregularitatem, sed quia scrupulis angebatur, ad maiorem conscientiæ suæ tranquillitatem consuluit, vt dispensationem ab Episcopo obtineret, virtute Concilij Tridentini, sessio. 24. cap. 6. qui dat illi authoritatem, vt possit dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto prouenieute. Sed ista irregularitas, de qua loquimur, prouenit ex homicidio casuali, vt notat Filliuc. in quæst. moral. tom. 1. tract. 20. c. 2. nu. 36. & Suarez de censf. disput. 44. sect. 3. num. 16. quia nemo directè intendit homicidium eius, cui mandat, vt alium occidat. Indirectè igitur tantum imputabitur, & ideo casualis occisio erit, & irregularitas ex homicidio casuali; ergo poterit Episcopus circa illam dispensare.

In quadam ciuitate huius Regni plures non ex consilio, sed ex rixa subitò contingente, percusserunt aliquem, sed vnus tantum percussit vulnere lethali, ex quo mortuus est, & cognitus fuit iste percussor: quæsierunt postea à multis Theologis, an omnes incurrerent in irregularitatem, sed solus ille, qui mortale vulnus inflixit?

RESOL. XVIII.

Multò ex Societate Iesu, & ex Dominicana familia affirmatiuè responderunt, vt ipse consulens mihi affirmabat, quorum sententiam probabilissimam esse asserui, nam illam docet Stephanus de Auila, de censf. p. 7. disput. 6. sect. 3. dub. 3. & Suarez in 3. p. tom. 5. de censf. disp. 45. sect. 3. num. 11. vbi ait: Etiamsi vulnus inflictum, vnum tantum sit, illudque lethale; omnes impugnantes occisum fieri irregulares, non solum quādo incerta est persona percutientis, quod est indubitatum; sed etiamsi certa sit, quia alij non manent irregulares, propter incertitudinem. Sic ille.

Sed ego dictos consulentes ab incursu irregularitatis, immunes feci, & multos Authores adduxi; præcipuè Greg. Sayrum de censf. lib. 7. cap. 4. num. 13. vbi ait. Quando vnus à pluribus in rixa subitò contingenti, non præmisso consilio vulneratus est, & in occiso reperitur vnicum lethale vulnus, si constat quis id intulerit, tenebitur de homicidio, cæteri de percussione, leg. item Mela, §. sed si ferrum, ff. ad leg. Aquil. & leg. si rixa, ff. de sicarijs. Vnde ille solus irregularis erit, cæteri verò, vt ab homicidio, ita etiam ab irregularitate excusantur. DD. communiter in cap. significasti 2. de homicidio. Hæc Sayrus. Cuius sententiam docent etiam Couarruu. in Clement. si furiosus part. 2. §. 2. numer. 3. vet. secundus casus, de homicidio & Bonacina de censf. disput. 7. quæst. 4. punct. 8. nu. 29. & Villadiego cap. 6. nu. 47. apud Auilam, vbi supra. Qui quidem Auila nostram sententiam probabilem vocat ex his omnibus, vt dixi ad casum, de quo loquimur negatiuè respondi.

Frequens hic casus accidit: In rixa subitò, & inopinatè contingent, quis occidit alium: quæritur, an hoc homicidium non dicatur voluntarium simpliciter, sed casuale, ita vt occidens possit impetrare dispensationem ab Episcopo, qui potest vigore Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. dispensare super irregularitates occultas, contractas ex homicidio casuali?

RESOL. XIX.

Fateor opinionem affirmatiuam esse probabiliorem, & illā docet Molina de iust. tom. 4. tract. 3. disput. 79. num. 7. & Franc. Suarez in 3. p. tom. 5. de censf. disput. 44. sect. 1. num. 3. qui reddit rationem huius sententiæ, nam licet rixa inopinatè, & ex tempore orta sit, potest tamen quis, libera voluntate directè intendere mortem alterius. Ergo tale homicidium est in se directè voluntarium, & sub hac appellatione in iure comprehenditur, nisi fortasse inducat rationem defensionis, cuius alia est consideratio.

Sed contrariam opinionem negatiuam, probabilem etiam esse iudico. Dico igitur ad irregularitatem homicidij voluntarij, super quam non possit dispensare Episcopus, requiri quod illud homicidium deliberato animo, & inito consilio fiat: nam si ex rixa repente orta, vel ex inimicitia, ob iniuriosa verba, subito contracta homicidium perpetratur, casuale puto esse, & non voluntarium, ita vt possit Episcopus circa irregulari atem ex ipso contractam dispensare. Hanc sententiam primus docuit Didacus Perez in lib. 8. ordinamenti, tit. 13. in rubr. fol. 256. col. 1. ante medium, vbi id tractat, & ait in praxi, ita sæpe respondisse consultum, post Concilium Tridentinum, & post illum Henriquez, Rodriquez, Salzedo, Auila Societ. Iesu Theologus in tract. de censf. p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 1. & sect. 5 dub. 5. conclus. 2. & nouissimè ex eadem Societate Coninch de sacrament. disp. 18. dub. 14. num. 111.

Probatur hęc opinio ex Trident. sess. 14. c. 17. de reformat. dicente: Eum etiam, qui per industriam occiderit proximum, & per insidias, &c. & ex illis verbis; si verò homicidiū non ex proposito, sed casu, &c. Quæ verba non sunt intellig nda, vt asserit Sayrus de censf. lib. 7. c. 7. n. 8. & alij, de homicidio casuali nō volito in se, sed in causa, sed intelligenda sunt de homicidio, quod casu solo contingit, ad differentiam homicidij voliti ex proposito. Quod patet, nam Concilium ibi loquitur de homicidio occulto, cuius dispensatio reseruatur Papæ, & tamen certum est, quod post Concilium, Episcopus potest dispensare in homicidio occulto casuali, volito non in se, sed in causa. Ergo non loquitur de hoc homicidio, quod contingit casu, id est, non ex proposito. Ita ferè Rodriq. in sum. p. 1. c. 177. nu. 2. Ex his patet responsio ad argumenta primæ sententiæ.

Quis in rixa præscindit alteri digitum; quæritur, an sit irregularis?

RESOL. XX.

Caietanus, & Sotus apud Sayrum, vbi infra affirmatiuè respondent, & nouissimè docuit hanc opinionem, cum aliqua limitatione, Doctor Suarez in 3. p. tomo 5. disput. 44. sect. 2. num. 9. vbi ait. Non reputatur sufficiens ad inducendam irregularitatem, abscissio vnius digiti, si sit alter ex duobus minimis, de quolibet autem aliorum mihi videtur res satis grauis, & ad minimum dubia, & dispensatione indigens. Putant igitur hi authores ad irregularitatem satis esse, si pars, quæ abscinditur specialem ad principalis membri munus cooperationē habeat. Secundo probatur hæc sententia. Nam si aliquis careret pollice, esset irregularis. Ergo, & qui pollicem abscindit, eoam irregularis erit.

Verum mihi contraria sententia probabilior videtur. Dico igitur absolutè non esse irregularem, qui præscindit digitum, etiam contra Suarez, si esset pollex, vel index. Ita Sayrus de censf. lib. 6. cap. 15. num. 15. & præter DD. quos ipse citat, docuerunt etiam hanc sententiam Auila de censf. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. c. 10. §. 14. nu. 4. Filliuc. in quæst. mot. tom. 1. tr. 22. c. 1. nu. 14. & cap. 9. num. 235. Bonacina de censf. disp. 7. q. 4. punct. 8. nu. 8. & alij. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi propter mutilationem alicuius membri, sed digitus non est membrum, vt probat Bartolus, & DD in leg. publicorum. ff. de publ. iud. & alij apud Salzedum in pract. crim. c. 101. folio mihi 475. Ergo, &c. Restat modo respondere ad argumenta contraria.

Ad primum dico, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet distinctum officium ab alijs partibus, vt oculus ad videndum, manus ad palpandum, &c. si autem nō habet speciale officium, quamuis opem ferat alijs non dicitur propriè membrum. Probatur ex Arist. lib. 10. de par. animal. c. 5. dicēte, quod membra sunt in corpore operationis gratia. Et colligitur etiam ex D. Paulo 1. Cor. 12. dicente, quod membra in corpore distinctam habent operationem: sed quia irregularitas, vt diximus, incurritur (& est certum) tantum propter abscissionem membri; ergo, quia sumus in pœnalibus, non erit extendenda ad abscissionem partis, licet principa is, & accessoriæ alicuius membri.

Ad secundum dico cum Couar. in Clemen. si furiosus, p. 3. in initio, num. 8. Corollar. Nauarr. Henriquez, Filliuc. Sayro, Auila, & alijs communiter, posse contingere quod quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis; & è contra. Exemplum primi, vt qui præscindit alteri nasum, vel pollicē, vt in casu nostro, non manet irregularis, quia nasus, vel pollex, non est membrum, & tamen præscissus manet irregularis. Idem est in eo, qui impressit alteri cicatrices in vultu cum magna deformitate. Exemplum verò secundi est, vt qui præscindit alteri

membrum virile, iste enim fit irregularis, quia mutilauit membrum; & tamen sic præscissus (si contingat absque propria culpa) non fit irregularis, c. ex parte, el 1. de corpore vitiatis. Notent Confessarij, non esse etiam irregularem, qui abscindit mamillam fœminæ, vel auriculam, idest cartilaginem, quia solum deseruit ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem vel testiculos, absque membro genitali, vel nasum; vt ex Henriq. vult Auila vbi supra disput. 3. dub. 1. quia istæ partes, vt diximus de digitis, non sunt membra. Vide DD. citatos.

Vtrum illegitimus occultus possit dispensationem obtinere ab Episcopo vigore Concil. Trident. sess. 24. cap 6. ad recipiendos sacros Ordines?

RESOL. XXI.

NEgant communiter DD. Episcopum posse dispensare super illegitimitate ex delicto occulto proueniēte. Sic Suarez vbi inf. Piasecius in praxi Episcopi, p. 1. c. 1. nn. 56. & 60. Sayrus de cens. lib. 6. c. 11. n. 8. vbi 20. DD. citat pro hac sententia, & nouissimè illam docet Bonac. de cens. disp. 7. punct. 3. q. 2. nu. 15. Reginald in praxi, to. 2. lib. 30. tr. 2. c. 7. n. 73. & Filliuc. in q. mor. to. 1 tr. 19 c. 6. nu. 152. Ratio est, quia Concilium tribuit Episcopis authoritatem dispensandi super irregularitates contractas ex delicto, sed irregularitas illegitimorum est irregularitas ex defectu, & non ex delicto. Ergo, &c.

His tamen non obstantibus Stephanus de Auila Societatis Iesu Theologus contrariam docuit sententiam in trac. de cens. p. 7. disp. 3. dub. 7. Nam licet hæc irregularitas causet in homine quemdam defectum, tamen intrinsecè dependet à crimine parentum. Ergo si huiusmodi crimen sit occultum, comprehenditur sub decreto Concilij. Secundò probatur, nam licèt dispēsatio postquam est concessa in particulari casu, est odiosa, & strictè interpretanda, at verò potestas dispensandi est fauorabilis, & latissimè interpretanda, cap. fin. de simonia. Hæc Auila, cuius sententia, licèt improbabilis vocetur à Suarez in 3. p. to. 5. de cens. disput. 50. sect. 5. nu. 5. tamen nouissime Ægid. de Coninch ex eadem Societate de Sacram. disp. 18. dub. 14. nu. 117. tanquam probabilem illam admittit. Ad argumentum contrariæ sententiæ responderi potest ex dictis. Nam cum hæc irregularitas intrinsecè dependeat a crimine parentum, videtur etiam inclusa sub verbis Concilij.

Olim hoc facti genus mihi propositum fuit. Vir nobilis accepit in domo sua quendam infantem expositum in Hospitali, modo cum sit adolescens bonæ indolis, vult illum ad sacros Ordines promouere, quærit an iste sit irregularis propter periculum illegitimationis, ita vt egeat dispensatione?

RESOL. XXII.

AFfirmatiuè respondit Tolet. lib. 1. cap. 52. Rebell. de obligatione iust. par. 2. lib. 1. q. 2. num. 15. Auila de cens. p. 7 disp. 3. dub. 9. Sayrus de cens. lib. 7. cap. 10. num. 39. Vasquez in p. 2. disp. 66. num. 48. Castillo quotidian. qq. lib. 2. c. 19. num. 51. Honded. lib. 2. cons. 47. num. 23. Couarru. Maiolus. Salzed. Vgolinus, Henriquez, Lopez, Rodriquez, & Candelabrum aureum, apud Garsiam de benefic. to. 2 p. 7. c. 2. nu. 8. & nouissime Bonac. de cens. disput. 7. q. 2. punct. 3. nu. 10. Ratio est, quia expositi frequentius sunt ex turpi conceptione, in obscuris autem solet inspici, quod est verisimilius, & cum expositus sit dubius de sua legitimatione, debet in dubijs tutior pars eligi, c. illud, de Cler. excommunic. ministr.

Hæc opinio est probabilis, sed contraria non caret etiam sua probabilitate, vt notauit Suar. in 3. p. to. 5. de cens. disp. 50. sect. 4. n. 4. & Filliuc. in q. mora. to. 1. tr. 19. c. 5. nu. 141. & 143. & illam amplexi sunt Ananias in cri. n. 11. de infant. expos. Felin. in c. cū deputatis, n. 1. de iudicijs, Cardin. Paleot. de Spurijs, c. 63. à nu. 3. ad finem, & ex Neotericis Gratian. in discept. forens. p. 1. c. 135. n. 1. cum Molfesio in p. 2. q. 19 ar. 5. disput. 87. in fin. Salas p. 2. D. Tho. to. 2. tr. 8. disp. vnic sect. 24. n. 246. Sanctarel. var. resol. q. 44. & Coninch de sacrament. disput. 18. dub. 12. nu. 105. Ratio est, quia quilibet præsumendum est legitimus, dum non probetur contrarium: tum quia in dubijs præferenda est pars benignior: ideo stante dubitatione, præsumendum est pro legitimatione.

Verum est, quod Filliuc. Suar. Sayrus, Bonac. vbi sup. & Henriq. lib. 14. c. 8. n. 10. cum Reginald. in praxi, to. 2. lib. 30. tract. 2. c. 7. nu. 77. putant in hoc casu ad tollendos scrupulos, tutius esse; tales expositos saltem petere dispensationem ab Episcopo, non quia Episcopus possit dispensare in irregularitate proueniente ex defectu, sed quia illius facultas prodesse potest ad pacandam conscientiam, adiūcta opinione probabili asserente, expositum non esse præsumendum irregularem; sed hæc doctrina à Nicolao Garsia, vbi sup n. 10. non admittitur.

Sed quidquid sit de illa. Dico absolutè, & simpliciter expositos, sine dispensatione, non solum Papæ, sed etiam Episcopi, sine vllo scrupulo posse sacros ordines recipere. Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; vt illa regula, quod in dubijs tutior pars est eligenda, intelligitur, & procedit generaliter quoad hoc, vt non possit quis facere id de quo est dubium, an sit prohibitum, sed debet ab illo abstinere. Non tamen procedit quoad hoc, vt in dubio debeat quis spoliari, seu priuari re possessa, vel facere actum positiuum, de cuius obligatione non constat, vt est in casu nostro; nam hinc intrat alia regula, quòd in dubio, & pari causa melior est conditio possidentis. Quæ quidem regula, non solum procedit in materia iustitiæ, sed etiam in aliarum virtutum, vt nos contra Vasquez, & Azorium alibi demonstrauimus. Circa præsentem quæstionem præter citatos DD. vide Piasec. in praxi Episc. p. 1. c. 1. num. 27. Mandosium de ætate min. c. 14. nu. 24. Hostiensem in summ. tit. Qui filij sint legitimi, nu. 8. Andr. Victorell. in Notis ad Manuale Nauar. c. 27. nu. 201.

An decretum Pij V. quod incipit, Decori, & honestati, *editum anno 1569. in quo conceditur Monialibus posse propter morbum lepræ, & epidimiæ, exire de Monasterio, an inquam hoc decretum extendendum sit ad aliam infirmitatem, non tantum alijs, sed soli Moniali nociuam, cui exeundo a Monasterio remedium adhiberetur, si alias periculum vitæ, aut grauis & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur?*

RESOL. XXIII.

NEgatiuè respondendum est. Ita tenet Cuttier. in Canon. qq. lib. 1. c. 14. Zerola in praxi, p. 1. ver. Moniales, q. 16. & p. 2. eodem ver. in fin. Barbosa de potest. Episc. parte 3. alleg. 102. n. 20. Megala in 3. p. lib. 4. c. 3. q 1. nu. 5. Sanchez in sum. to. 2. lib. 5. cap. 15. nu. 29. & Rodriquez in sum. Hispana, quam nuper edidit. to. 3. c. 96. nu. 3. vbi notat, quod quia in Hispania aliqui Medici asserebāt morbum gallicum includi sub nomine epidimiæ, & strumæ, & cancros sub nomine lepræ, quæ quidem omnia negabat Ludouicus della Valle Medicus Regis, ideò ad Sacrā Cardinalium Congregationem remissa fuit hæc quæstio. Cui ita respondi.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum: supradicta opinionum varietate, singularumque rationibus diligenter perpensis, declinauit in sententiam Doctoris Ludouici della Valle Medici Cameræ Hispaniarum Regis. Cuius in responso à se edito, zelum & prudentiam in assequenda Sanctæ memoriæ Pij V. mente plurimum in Domino commendauit, eiusdem Pij V. constitutionem de clausura Monialium loquentem nomine epidimię, eam tantum epidimiam intelligere, quæ est vera, & realis pestis, ita vt ob alias infirmitates huic aliquo pacto consimiles, sed tamen benigniores etiam si epidimiæ nuncupentur, nullo pacto Monialibus professis, ex Monasterio exire liceat, atque hoc decretum ab omnibus ad quos pertinet inuiolabiliter obseruari mandauit Ioann. Garsia Cardin. Mellinus.

Multas rationes adducunt DD. pro hac sententia, sed præcipuè illam, quia Pius V. in Bulla dicit: nulla alia occasione, & prætextu, quam illius triplicis infirmitatis, licere Monialibus exitum a Monasterio. Vnde excludit quamcunque extēsionem ad alios casus, cum vtatur dictione illa taxatiua, *nulla ratione*. Ergo, &c.

Verùm non desunt DD. qui contrariam sententiam tuentur. Hi sunt ex Societate Iesu P. Io. Azorius p. 1. lib. 13. c. 8. qu. 2. ad fin. doctissimus senex Nauar. comm. 4. nu. 48. de Regul. & in c. statuimus 19. q. 3. n. 49. Franc. Zipæus in praxi iuris Pontif. lib. 3. §. de regularibus, n. 42. Io. de la Cruz de stat. relig. li. 1. c. 5. dub. 4 concl. 2. Graffeis in dec. p. 1. lib. 4 c. 23. n. 17. in fin. & nouissimè

Bona-

Bonacina tract. de leg. disput. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 19. vbi ait, Pius Quintus in Extrauaganti, quæ incipit, Decori, statuit, ne Monialis exire possit è Monasterio alia de causa, quam occasione incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidemiæ; Negandum tamen non videtur, quin liceat Monialibus exire, etiam alijs de causis consimilibus, dum imminet probabile periculum vitæ, aut grauis, & diuturni morbi. Ratio est, quia isti casus videntur per Epickeiam, excepti, & Ecclesia non obligat cum tanto incommodo. Hæc ille.

Ad argumenta contraria posset aliquis ita respondere. Ad primum, de illa responsione Illustriss. Cardinalium: non constat authenticè. Ad secundum, licèt in Bulla Pij V. adsit dictio taxatiua, tamen Euerardus in suis topicis legalibus, loco à natura dictionum taxatiuarum, n. 4. Gomez to. 1. var. c. 11. n. 12. & alij, asserunt dictionem taxatiuam non excludere casus similes, & in quibus eadem ratio, vel vrgentior militat. Ita licet in leg. fin. C. de reuocand. donat. decernatur ob solas causas ibi numeratas posse reuocari donationem, tamen docent plures Doctores posse quoque ex alijs grauioribus, aut æquè grauibus. Ita Abb. cap. fin. de don. num. 3. Molina Iurisconsultus lib. 1. de primog. c. 9. num. 32. Lessius lib. 2. c. 18. dub. 14. n. 104. & alij. Et tandem Clem. VIII. interdixit suo motu proprio, qui incipit, Religiosæ Congregationes, munera a Regularibus dari; prætterquam in casibus ibi exceptis, & tamen Bulla de largitione munerum Religiosis interdicta nu. 38. 39. & 40. docet eos casus exceptos, extendi ad similes, in quibus eadem ratio militat. Idem potest dici in casu nostro.

Quidam Hæreticus externus, sed occultus impetrauit in foro conscientiæ absolutionem ab hæresi Romæ à quodam Pœnitentiario Summ. Pont. modò vult sacros Ordines suscipere. Quæritur primo, an propter illam hæresim incurrerit in irregularitatem. Secundò, an Episcopus possit super illam dispensare vigore Concilij Tridentini sess. 24. c. 6.

RESOL. XXIV.

AD primum, affirmatiuè respondet Azorius p. 1. libr. 8. c. 11. q. 13. & c. 21. q. 8. Bonac. vbi infra nu. 6. Suarez, nu. 4. Sanch. num. 2. Rodriquez in Addit. ad Bull. Cruc. §. 13. n. 12. Vgolin. de irreg. c. 46. num. 6. Perez in leg. 3. tit. 4. lib. 8. ordinam. in tract. de Hæret. p. 1. fol. 99. Filliuc. vbi infra, nu. 228. Farin. tr. de Hæresi, q. 182. nu. 78. Reginald. in praxi, to. 2. lib. 3. tr. 2. c. 15. nu. 193. & alij. Ratio est, quia sententia declaratoria non requiritur ad irregularitatem, cum ipso iure incurratur.

Quando autem ipso iure incurritur, non requiritur, vt factum sit notorium, sed satis est esse exterius commissam. Hæc sententia est tenenda, licet probabiliter; vt opinatur Reginald. vbi supra, contrariam amplexi sint non ignobiles Authores. Ita Henriq. lib. 14. c. 4. §. 6. Garsias vbi infra, nu. 85. Auila de cens. p. 7. disp. 4. dub. 2. Viuald. in append. ad Candel. aur. c. 1. num. 15. Sayr. de cens. lib. 7. c. 12. nu. 16. in fin. & alij.

Sed tota difficultas est in secundo quæsito, de quo instanter interrogatus fui. Nam quidam Theologus Societ. Iesu, ad quem etiam hic casus peruenit, negatiuè respondit. Putabat .n. potestatem per Concil. Trident. Episcopis concessam esse per Bullam Cœnæ abrogatam, & sic argumentabatur. Episcopi modo non possunt vigore Concilij absoluere ab hæresi occulta, ergo neque dispensare super irregularitate ex ipsa hæresi occulta contracta. Maior patet ex declaratione Clementis VIII. apud Azor. to. 1. lib. 8. cap. 19. q. 3. & c. 10. quæst. 10. Gregor. XIII. apud Fuscum de visit. lib. 2. c. 31. num. 2. Pij V. apud Nauarrum in Manuali, cap. 27. num. 275. & Illustriss. Cardinalium apud Suarez in 3. p. tom. 4. disput. 30. sect. 2. num. 11. Minor probatur ex ca. cum illorum de sent. excommun. vbi habetur Episcopum non posse in his casibus dispensare, in quibus est illi prohibita absolutio, nam maiora illis intelliguntur prohibita, quibus prohibita sunt minora. Cum ergo Episcopis prohibita sit absolutio hæresis, prohibita etiam censetur dispensatio irregularitatis, eo quòd potestas dispensandi, maior vocetur potestate absoluẽdi ab excommunicatione. Et ita hanc sententiam extra dictum admodum R. Patrem tenet, & docet Suar. in 3. p. to. 5. de cens. disp. 43. sect. 1. nu. 8. Bonac. de cens. disp. 7. q. 3. punct. 6. nu. 11. Rodriq. in summ. tom. 3. c. 183. nu. 5.

Sed ego his non obstantibus contrariam sententiam tenui, & consului, quam docet Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. c. 25. nu. 18. Garzia de beneficijs, to. 2. p. 11. c. 10. nu. 86. & nouissimè Filliuc. in qq. moral. tom. 1. tract. 20. c. 9. nu. 246. vbi ait, Bulla Cœnæ tantum reuocat facultatem absoluendi, at de dispẽsatione nullum verbum. Cum ergo sint tres distinctæ, & independentes, non est facienda deductio ex vna ad alteram. Nec obstant ea, quæ in contrarium adducuntur. Nam Lorca in 2. 2. quæst. 11. ar. 4. disp. 45. nu. 9. & alij quamplures apud Sanchez in summ. tom. 1. li. 2. c. 11. n. 27. negarent maiorem propositionem argumenti: putant .n. hodie per Bullam Cœnæ non esse sublatam Episcopis authoritatem Concilij. Sed quicquid sit de hoc ego concedendo maiorem, nego consequentiam argumenti. Nec, vt obseruat Filliuc. vbi sup. c. cum illorum, contra nos est, imò fauet nostræ sententiæ. Nam textus dicit, maius esse absolutionem, quã dispensationem, vt patet legenti; ideoque vetita dispensatione, tanquam minori, intelligi etiam esse prohibitam absolutionem tanquam maiorem. At nos contra dicimus, vetita absolutione cum sit maius, non prohiberi dispensationem, quod est minus. Quod est notandum aduersus Glos. ibi, & alios, qui corrumpunt illum textum.

Notent verò Confessarii circa præsentem materiam, quod Azor. p. 1. libr. 8. c. 21. qu. 8. putauit illos, qui de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, incurrere in hanc irregularitatem, ratione suspicionis vehementis de hæresi, & notoriè quidem. Sed contrarium est tenendum cum Farin. tt. de hæresi, q. 192. num. 80. Sanchez to. 1. sum. lib. 2. c. 25. nu. 12. Filliuc. vbi supra, nu. 235. & alijs.

Neque .n. sunt irregulares, neque inhabiles ad officia, & beneficia. Nam cum illorum hæresis nõ esset probata seipsos purgarunt, & innocentes ostenderunt per abiurationem.

Vtrum sit peccatum mortale iurare, amphibologiis vtendo, absque necessitate, vt si videlicet iures, ioci causa, Principem esse in aula intelligendo pictum.

RESOL. XXV.

PRo explicatione huius casus notandum est, tunc causam iustam vtendi his amphibologijs adesse, quoties id necessariũ, aut vtile est ad salutem corporis, honoris, vel ad res familiares tuendas, vel ad quodlibet aliud virtutis votum; ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa. Ita Nauarr. c. humanæ aures, 22. q. 5. ad finem, & in q. 2. nu. 10.

His positis, communiter Doctores ad casum supra positum, affirmatiuè respondẽt. Ita Angel. Tabiena, Armilla, Nauar. Tolet. Sayrus, Philiar. & Lopez vbi infra. Et ratio est, quia sic iurãs agit contra præcipuum iuramenti finem, qui est determinatam veritatem testificari. Ergo, &c.

At mitius loquitur Lessius lib. 2. c. 42. dub. 9. nu. 98. in fin. vbi ait. Quod si tali orationi, cum iusta causa nõ subest, addatur iusiurandum, vt si iures Principem esse in oppido, intelligendo pictum, ioci causa egerit graue peccatum, quia est magna irreuerentia, suis iocis Deum testem adhibere. Forte tamen, si scandalum absit, non erit mortiferum. Hæc Lessius.

Sed sine forte, absolutè, & simpliciter asserunt alìqui non esse peccatum mortale. Ita Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. c. 6. n. 22. Bonacina tract. de leg. disp. 4. q. 1. punct. 12. num. 3. & nouissimè Filliuc. in q. moral. to. 2. tr. 25. c. 11. num. 331. Dicendum est igitur in tali casu iurantem excusandum esse, non solum à periurio, sed etiam à peccato mortali, modò non iuret in iudicio, dum iudex iuridicè illum interroget, vel non iuret in materia præiudiciali. Et ratio est, quia in tali iuramento deficit sola discretio, seu iudicium, eo quod diuinum testimonium non debet absque necessitate his amphibologijs misceri. Sed iuramentum cui sola discretio, seu iudicium deficit, non est mortaliter peccaminosum. Ergo.

Ad argumentum contrariæ sententiæ, nempè id obstare fini iusiurandi, respondetur id contingere in materia leui, ac proinde non est mortale: sicuti promittere rem venialiter malam cum iuramento aduersatur fini iuramenti, quod ad rem iustam confirmandam institutum est; sed quia materia est leuis, est veniale. Ita erit etiam in nostro casu. Et hæc sententia non solum erit vera cum Caietan 2. 2. q. 89. artic. 7. col. pen. ver. ad hoc igitur, quando verba iurantis erunt ex sua significatione ambigua, sed etiam quando ex solo addito in mente iurantis retento afficiunt sensum verum, vt si videlicet iures se non fecisse aliquid

quod reuera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit; vel quod vis aliud additum verum; nam his amphibologiis vti in iuramento, quando adest iusta causa iurandi, licitum esse docuerunt Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 13. punct. 2. & tom. 4. disput. 7. quæstio. 13. punct. vlt. Suarez, Lessius, Toletus, Salonius, & alij apud Sanchez vbi supra num. 15 aduersus Azorium, Arragonium, Lopez, Ledesm. Sotum, & alios apud eundem Sanchez, num. 12. asserentes ex causa licitum esse iurare cum aliqua amphibologia, quando verba, quæ vsurpantur sunt ex significatione sua, & communi audientium vsu ambigua: & proinde vtrumque sensum, tam iurantis quàm interrogantis recipientia; secus quando talia non sunt, sed in sensum verum detorquentur, ex solo aliquo addito mente iurantis concepto. Sed hoc etiam licere cum probabili opinione dicendum est, vt optimè notat Filliucius vbi supra n. 236. & Sanchez locis cit.

An reus, qui in iudicio à Iudice secundum ordinem iuris interrogatus, negauit veritatem, qua manifestata condemnaretur, teneatur in conscientia ad retractandum dictum, antequam finiatur iudicium, & pronuncietur sententia. Et an eum esse in malo statu dicendum, nisi se ad faciendam veritatem, etiam non rogatus, offerat, ac proinde a Confessario absoluendum non esse, nisi id facere proponat.

RESOL. XXVI.

Hic casus frequenter potest accidere, & mihi olim accidit. Dico igitur duas in hac quæstione extare sententias. Prima affirmat. Ita Sayrus in Claui regia, lib. 12. cap. 17. nu. 13. Angles in Florib. 2. p. q. de correctione fraterna, art 3. difficult. 7. & pro hac sentētia Sanchez vbi infrà, citat Bannez, Salon. Sotum, Nauarrum, & vltra illos nouissimè Malderus in 2. 2. tract. 6. c. 3. dub. 1. asser. 4. tenet hanc opinionem; Et ratio est, quia per illam negationem differtur sententia, & ei concedimr appellatio, & defensio; ideò negatione illa iniusta se tuetur, ergo defendit causam iniustam.

Sed ego contrariam sententiam probabiliorē existimo, quā docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3 cap. 7. n. 8. & præter Philippum, quem ipse citat, tenet etiam hanc opinionem Bonacina in tr. de leg. disp. 10. q 3. punct. 2. nu. 8. & Azorius p. 3. lib. 13. cap. 25. dub. 5. vbi sic ait, quod si reus legitimè interrogatus neget veritatem metu mortis, ad quam iustè damnaretur, an Confessarius teneatur ei præcipere, vt dictum suum retractet, quod si nolit, teneatur illum ab absolutione repellere? Respondetur, Confessarium non esse obligatum ad cogendum illum, vt retractet dictum suum, quia esset cogere reum ad se prodendum: est tamen obligatus Confessarius monere illum, vt sit animo præparato, & voluntate confitendi veritatem, si iterum rogetur vt prius, quantumuis sit condemnandus ad mortem, quia quoties legitimè rogatur, tenetur dicere veritatem: ergo quando non rogatur, non tenetur se prodere: & licèt peccauerit denegando, debet tamen esse paratus dicere veritatem, quandocunque fuerit iterum rogatus: & Confessarius admonendo reum de hac re, si reus noluerit hāc voluntatem habere, repellere debet eum ab absolutione, quia est in voluntate faciendi contra obedientiam, & iustitiam debitam. Hæc P. Azorius.

Sed mihi displicet, quod dicit absolutè, Confessarium in tali casu esse obligatum monere reum, vt sit animo præparato confitendi veritatem, si iterum rogetur; licet esset condemnandus ad mortem, hoc inquam mihi displicet: nam vt benè notat Sanchez vbi supra num. 9. cautè se debet habere Confessarius in hoc casu, & circa hoc propositum reorum fatendæ veritatis, si iterum rogentur. Si enim credat fore, vt iterum non rogentur, nil debet interrogare de tali proposito, ne pœnitentem exponat periculo denuo peccandi, habendo propositum contrarium, cum sit difficillimum negotium fateri proprium crimen. Sed satis est, in genere proponat cauere in posterum peccata. Immò si credat fore, vt iterum rogetur, ne conijciat Confessarius in ipso pœnitente animum negandæ veritatis, non debet etiam ipsum tentare interrogando de hac re, cum tunc non sit in peccato mortali, id n. iam transiit. Et satis est in genere proponere emendam. Et licèt opinio contraria vera esset, si pœnitens sit in bona fide, debet Confessarius non certiorem facere de hac obligatione, quæ latè diximus lib. 2. de matr. tota disputatio 38. Ita Sāchez, cuius doctrinam aduersus Azorium debent Confessarij adnotare, quia sic erunt immunes à multis scrupulis, & facilè absolutionem supradictis reis impertient. Nota etiam nostram opinionem esse veram, etiam quando iam reus condemnatus est, & iudicium finitum, ac pœna mortis, vel alia plectendus; nam in hoc casu etiam nō tenetur se offerre, & manifestare veritatem, nisi in aliquo speciali casu, notabile alicui tertio damnum sequeretur, quem casum, ait Sanchez nu. 11. fore rarissimum credo: imò moraliter impossibilem. Dicendū est igitur absolutè, non solum quando iudicium durat, ac reus est sub iudicis potestate, sed etiam quando conuictus damnatus est ad mortem, non teneri ad retractādum dictum, & manifestādam veritatem, quam antea interrogatus à iudice negauit; quicquid in contrarium asserat Vegha, Ledes. & alij. Restat modo respondere ad argumētum contrarium. Dico igitur, quod licèt causa, quam reus tuetur ex ea parte, qua delicti negatione innititur, sit iniusta, non tenetur tamen ipse reus cum tāto proprio detrimento se offerre ad veritatem aperiendam, sed satisfacit animo soluēdo parti aduersæ expensas factas, vel alia: quantum verò ad offensam factam iudici interroganti, denegando illi debitam obedienuam, satisfacit dolore peccati, & proposito obediendi, si iterum illum interroget. Sed hæc omnia dicta sunt, stante opinione, quod reus legitimè interrogatus teneatur respondere, sed ego contrariā sententiam teneo, ideo quæritur.

An reus iuridicè interrogatus à Iudice propter semiplenam probationem, vel indicia æquipollentia, teneatur respondere etiam in causa capitali.

RESOL. XXVII.

Sententiam affirmatiuam sequuntur Alphonsus de Vegha in sum. to. 2. c. 89. cas. 1. Pet. de Arragon. in 2. 2. q. 69 art. 1. Ledes. in sum. to. 2. tr. 8. c. 24. conclus. 2. Turrian. in 2. 2. tom. 2 disp. 50. dub 2. nu. 2 cum omnibus discipulis D. Tho. qui cum ipso in 2. 2. q. 69. ar. 1. sine vlla restrictione asserunt, reum iuridicè interrogatum teneri ad manifestandam veritatem. Ita Caietan. Bānes, Salon. Pitig. in pract. crim. p. 1. c. 7. in addit. & Sot. de iust. li. 5. q. 6. ar. 2. Corduba in q. li. 1. q. 43. dub. 3. Azor. p 3. li. 13. c. 25 q. 3. Sayr. in Cla. Reg. li. 12. c. 16. n. 1. Valē. to. 3. disp. 5. q. 13. punct. 1. & Syluest. Tabiena, Gabriel, Nauarr. Tolet. Henric. Paludan. Couarr. Gomezius apud Sayrum vbi supra, & apud Lessium vbi infra, & nouissimè mordicus docet hanc sententiam Syluius in 2. 2. D. Tho. q. 69. art. 4. Homob. tr. de statibus, p. 2. c. 4. Mirand. in lib. ordinis iudiciarij, to. 2. q. 19 art. 8. concl. 1. & Aldrez. de relig. discipl. men. lib. 1. to. 21 n. 5. & lib. 2. c. 4. n. 8. & 24. lo. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 8. art. 3. dub. 8. conclus. 2. Et ratio est, quia cum iudex iuridicè interrogat, apertè sequitur, reum non posse occultare veritatem, quia in eo casu iudex verè superior est, & iustè præcipit, ergo reus tenetur illi obedire: deinde dici non potest, iudicem iustè interrogare, & tamen reum iustè occultare veritatem, quia daretur bellum ex vtraque parte iustum, seposita ignorantia, quod est absurdum. Ergo hæc sententia est probabilis, & erat olim communis in Schola Diui Thomæ.

Verùm contraria sententia, etiam mihi videtur probabilis, & tuta in praxi, vnde Confessarij non debent cogere pœnitentes, vt veritatem fateātur si spem euadendi habent. Ita Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori, verf. rest. t. different. 49. Villalobos in summa, tom. 2. tract. 16. diff. 1. nu. 10. Ioseph à S. Maria in Tribun. religios. tract. 4. capit. 14. num. 5. Filliuc. tom. 2. tract. 40. num. 266. & aliqui Doctores citati pro contraria sententia; nam illam probabiliorē vocant. Ergo nostra est probabilis Lessius de iustit. lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 18. Nauarr. de restit. li. 2. cap. 4. nu. 142. Rodriquez tom. 2. q. 19. art. 4. Salzedo in tr. crim. Diaz c. 128. Malder. in 2. 2. tract. 6. cap. 3. dub. 1. Octau. Spatarius in praxi crimin tract. 9. cap. 7. 8. & 9. Reginald in praxi, to. 2. lib. 24. cap. 3. sect. 3. nu. 3. & nouissimè solide, vt semper solet, docet hanc sententiam Sancius in select. dec. 43. n. 29. & seq. Portel. in dubijs Regul. tit. correctio fratrum, ver. reus, n. 43. Peirin. de relig. subdit. to. 1. q. 1. c 16. §. 1. & alij.

Dico igitur, reum cuius crimen non est plenè probatum, posse in causa capitis ad mortem euitandam, celare veritatem non obstante Superioris præcepto de ea dicenda. Quę quidem

doctrina

doctrina procedit, vt obseruat Malderus, Lessius, Nauarr. & alij non solum in causa capitali, sed etiam quando agitur de pœna triremium, mutilationis, confiscationis omnium bonorum, aut aliquo alio graui dedecore. Et ratio est, quia est quidem hominibus à natura inditum, vt se defendant, & à mortis faucibus incolumen vitam reddant. Hinc leges oriuntur, quibus inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelę occidere licet, & aliena subripere, extrema famis necessitate ad id impellente. &c. Deinde ex leg. 4. ff. de testibus, nemo cogi potest ad testificandum contra parẽtes sanguine iunctos, sed nemo cuiquam magis est coniunctos sanguine quam sibi ipsi, ergo. Postremo lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij aliud exigat, ergo non obligabit præceptum humanum, nam vtriusque eadem est ratio, cæteris paribus.

Ad argumentum in contrarium, respondetur iustè iudicem interrogare, & reum iustè negare, neque ait Pesantius disput. vnic. ad quęst. 70. est absurdum in similibus dari bellum ex vtraque parte iustum, sicuti licitum est Iudici præcipere damnato ad pœnam vltimi supplicij, ne fugiat à carcere, ipse verò obedire non tenetur. Dominus similiter iustè iubet seruo suo ne fugiat, ipse autem fugiendo, se à seruitute liberare potest. Ita vt in casu nostro Iudex habeat ius inquirendi veritatem à reo, & reus habeat ius celandi. Et præceptum Iudicis, de dicenda veritate in simili casu, potest censeri datum ad reum terendum, & inducendum ad detegendã veritatem, non autem ad obligandum ipsum in cõscientia. Ita Reginaldus, Lessius, & alij, vbi supra. Et hæc omnia, intelligenda sunt in casu, quo reus propterea recusat dicere veritatem; eo quod scit suum scelus ita occultũ esse, vt scientia ad sententiam condemnationis requisita, aliter haberi non possit, quam per suam cõfessionem; nam si delictum plenè probatum sit, tenetur respondere ad Mentem Iudicis, & manifestare veritatem. Vnde ex his apparet, quam immeritò Turrian. Ioan. de la Cruz, & alij, hãc sententiam improbabilem vocent, nam est probabilissima, & tuta in praxi.

In vltimo Iubilæo Pauli V. Pontificis Maximi, fuit orta magna dissensio inter Theologos, an qui die Dominico confiteretur satisfaceret Iubilæo.

RESOL. XXVIII.

REuerendissimus simul & doctissimus Dominus D. Franciscus de la Riba Vicarius Generalis Illustrissimi Cardinalis ab Auria Archiepiscopi, subtiliter & solidè, vt in omnibus semper solet, negatiuam sententiam sustinebat, & licèt tũc pro illius opinione, rationes inueniebam, non autem authores, tandem inueni illam sententiam docere Filliuc. in quæst. mor. tom. 1. tract. 8. cap. 10. nu. 272. Vbi respondens ad nostrum quæsitum, ait. Fertur Clemen. VIII. de hoc interrogatum respondisse non satisfacere, & vigore sui Iubilæi non posse pœnitentem absolui à reseruatis die Dominico, vnde expirabit, quoad hanc saltem facultatem, media nocte Sabbati. Concessit tamen Pœnitentiarijs S. Petri, vt absoluerent etiam die Dominico, quod etiam fertur præstitisse Innocent. IX. cuidam Episcopo idem petenti. Itaque de rigore textu, confessio debet fieri ante diem Dominicum, dicitur enim intra hoc tempus primæ, scilicet, vel secundæ hebdomadæ confiteantur, & Dominica prima, vel secunda sumant Eucharistiam. In die Dominico tamen quo solet promulgari, non videtur dubium, confessionem in illo factam valere a tempore post publicationem. Hæc Filliuc. Et hanc sentẽtiam docet etiam Portel. in dub. Regul. to. 1. ver. indulgentia 2. nu. 6. & inclinat noster Alphonsus de Leone tract. de Iubilæo, p. 2. sect. 4. nu. 161.

Attamen tunc sustinui, & nunc etiam teneo contrariam sententiam esse probabilem, quam docet, & tenet multis citatis, Sebastianus Acosta in expos. Bull. Cruc. qu. 14. dub. 3. vbi asserit. Dubitatur tertio, vtrum in aliquibus Iubilæis, quæ confessionem intra hebdomadam requirunt, satis sit die Dominica confiteri; Cui dubitationi affirmatiuè respondẽdum existimo cum Soto dist. 21. q. 2. art. 3. Nauar. not. 19. n. 19. Henriq. c. 10. §. 8. Rodriq. §. 2. dub. 5. asserente ita viuæ vocis oraculo declaratũ fuisse ad instantiã PP. Societatis Iesu à Pio V. Sed cum ego rem inuestigarem, accepi ab eisdem Societ. PP. non a Pio V. sed à Greg. XIII. hanc declarationem emanasse Anno Domini 1576. mẽsis Maij die 10. hanc rationem reddente quoniam dies Dominica habetur pro complemento hebdomadæ transactæ, in quo ieiunatum est. Ita Acosta, & post illum docet etiam hanc sententiam Reginald. in praxi, tom. 1. lib. 3. cap. vlt. nu. 173. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 26. dub. 11. num. 17. Sanctarell. de Iubilæo, cap. 7. dub. 1. Bonac. de Sacr. disp. 6. qu. 2. punct. 5. nu. 34. Sà ver. Indulgentia, nu. 13. Vegha in summ. tom. 2. cap. 7. cas. 5. & noster P. Molfesius in sum. tom. 1. c. 16. tract. 7. nu. 43. & ita etiam multi viri docti nostræ Religionis, & Societatis Iesu, à me de hac re consulti.

Quidam Sacerdos absoluit pœnitentem, qui rem habuerat cum fœmina in vase præpostero, tenens illam opinionem, hanc non esse veram sodomiam, neque includi in casu reseruato sodomiæ, positæ in tabella Illustrissimi Archiepiscopi, quæsiuit, an peccauerit. & an illud Sacramentum fuerit nullum, quia ille pœnitens aliud peccatum in illa confessione non fuerat confessus?

RESOL. XXIX.

ALiqui, vt ipse asserebat, responderunt affirmatiuè. Nam licet in alijs possit quis sequi opinionem probabilem, relicta etiam probabiliori & tutiori, vt nos supra probauimus; tamen hoc non est licitum in administrandis Sacramẽtis. Sed talis Sacerdos tenuit opinionem probabilem, & cum illa Sacramentum administrauit, ergo. Et ita hanc sententiam docuit Sancius in selectis disput. 44. num. 19. Nugnus in addit. ad 3. p. tom. 2. qu. 8. artic. 5. dub. 1. Salas in part. 2. to. 1. tract. 8. disput. vnic. sect. 10. numer. 101. & sect. 27. num. 286. & 287. & nouissimè Filliucius in quæst. mor. tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 139. vbi ait. In casu opinionum circa iurisdictionem Sacerdotis cõfessiones excipientis, magis tutam opinionem sequendam esse censeo, vbi tamẽ adesset communis error, cum titulo colorato satis tuto, potest talis haberi pro vero Confessario. Hæc ille.

Sed ego ad propositum dubium negatiuè respondi. Nam licet verum sit, quod in materia Sacramentorum non sit sequẽda opinio probabilis, relicta probabiliori & tutiori, non solum ratione obligationis charitatis erga proximum, vt voluit Vasquez in p. 2. tom. 1. disp. 63. cap. 3. verum etiam ratione reuerentiæ debitæ Sacramento, & ita absolutè tenuit hanc opinionem Suarez in 3. p. tom. 8. disput. 26. sect. 6. nu. 5. licet mihi distinctio Vasquez magis placeat; tamen ab hac regula, & ex ista conclusione excipitur casus, de quo loquitur: nam si aliquæ opiniones circa iurisdictionem Sacerdotis ad audiendas cõfessiones versantur, & opinio probabilis doceat illam habere, probabilior autem neget, licitum est Sacerdoti relinquere probabiliorem, & sequi probabilem. Ita Malder. in p. 2. qu. 19. ar. 5. disp. 86 ante dictum 7. Martinez tom. 1. in p. 2. qu. 19. ar. 9. dub. 6. concl. 7 Bonac. tract. de leg. disp. 2. q. 4. punct. 9. num. 19. Reginald. in praxi, tom. 1. lib. 1. cap. 8. n. 102. & 103. Coninch de Sacr. disp. 8. dub. 3. concl. 6. nu. 22. & dub. 6. nu. 46. Lessius de iust. lib. 2. c. 29. dub. 8. num. 68. vbi asserit. Adde non solum errorem communem, sed etiam probabilem DD. opinionem efficere, vt Ecclesia det iurisdictionem, etiamsi fortè opinio illa sit falsa: vt si probabile sit, ratione posse absoluere à reseruatis, vel censuris, & similibus. Ita Lessius, qui citat pro hac opinione etiam Henriquez lib. 2. de pœnit. cap. 14. nu. 3. & 4. & illam etiam post Lessium & alios docet Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. cap. 9. n. 35. Quoniam (ait ipse) in talibus confessionibus semper quispiam fatetur aliqua venialia cum mortalibus de quibus mortalibus est opinio probabilis; sed quilibet Sacerdos habet certam iurisdictionem circa venialia, & ideo cum pœnitens non ponat obicem, & sit certa iurisdictio in aliquam materiæ partem, erit certus confessionis valor, & quamuis talis Confessarius careat iurisdictione in mortalia, ea indirectè, & per accidens, virtute illius iurisdictionis remittuntur, quicquid in contrarium asserat Nugnus vbi supra.

Dico igitur, non solùm adesse valorem Sacramenti in illa confessione, in qua pœnitens cum mortalibus, de quibus adest opinio probabilis, cõfitetur aliqua venialia, vt modo asserebat Sanchez: sed etiam quando in illa confessione (vt fuit in casu, de quo interrogatus fui) non confitetur nisi illud peccatum, de quo extabat opinio probabilis, confessarium posse illum absoluere; nam tunc opinio DD. probabilis, efficit, vt Ecclesia tali Sacerdoti in illo casu conferat iurisdictionem.

Ad

Ad argumentum pro contraria sententia in principio positum, patet responsio ex dictis. Nam in alijs casibus in materia Sacramentorum, sequendo opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, esset periculum irritandi Sacramentum, quod in casu, de quo loquimur non potest euenire. Nam licet illa opinio probabilis sit falsa à parte rei, tamen in tali casu iurisdictio suppletur & cõfertur ab Ecclesia. Illud vero quod ait Fillucius mihi displicet. Nam si non esset admittenda doctrina superius posita in casu, de quo loquimur, sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur, Ecclesia non supplente iurisdictionem, quando est error communis, & titulus coloratus, in quo casu vult ipse iurisdictionem ab Ecclesia suppleri. Ex his omnibus apparet, me rectè consuluisse, Sacerdotem absoluentem cum opinione probabili illum pœnitentem, qui rem habuerat cum fęmina in vase præpostero, nõ obstante reseruatione peccati sodomię, non peccasse, neque irritum effecisse Sacramentum Salua semper, &c.

An fœmina ornans se secundum consuetudinem patriæ, si sciat ex hoc ornatu lasciuè ab aliquo amari peccet mortaliter se ornando, vel domo exeundo?

RESOL. XXX.

Respondeo negatiuè. Ita Azorius p. 2. lib. 12. cap. 18. qu. 11. Ratio, quam adducit est, quia taliter se ornando vtitur iure suo. Eãdem sententiam docuit Caiet. in 2. 2. qu. 169. art. 2. ad 5. dubium. Sanchez vbi infra, num. 17. Bonacina, & nouissimè Petr. Lorca p. 2. tom. 2. qu. 73. art. 8. vbi ait, Effectum per accidens, etiam si sit præuisus, dummodo non sit formaliter intentus non imputari, ostendunt multa exempla. Si videlicet mulier ornet se, vt placeat marito, vel vt procedat iuxta consuetudinem patriæ, etiam si præuideat se ab aliquo turpiter amandam, non tenetur abstinere, neque imputatur illi; & ratione id probatur; quia quando affectus sequitur per accidens, etiamsi præuisus sit, non est virtualiter intentus, nam virtualiter intentum in causa intẽditur, causa autem per accidens, non est simpliciter causa, neque continet effectum, vt in ea dicatur volitum, & certè esset graue iugum, & animas mille laqueis implicare, si teneremur vitare effectus per accidens præuisos. Hæc ergo habenda est regula generalis, vt ille effectus non augeat malitiam, neque imputetur, qui sequitur per accidens, etiamsi pręuisus sit dummodo non sit formaliter intentus. Hæc Lorca. Vide etiam illum q. 20. art. 5.

Ex his oritur, & soluitur alia dubitatio, quid dicendum de fœmina domo sua exeunte, cum videat se lasciuè concupiscendam ab amasio. Noster P. Megal. in 1. p. lib. 4. cap. 6. n. 9. & Turrian. in 2. 2. tom. 1. disp. 96. dub. 2 Becan. in 2. 2. tom. 1. cap. 27. qu. 6. nu. 4. distinguunt; nam propter scandalum futurum ex malitia alterius non debet talis fœmina domi manere, sed exire potest, vel ad audiendam Missam, quando non est in præcepto; vel etiã alicuius recreationis gratia: sed si sciat quòd proximus peccat ex fragilitate, puta ex magna ratione amoris erga illam, vel quid simile, & tunc tenetur mulier se occultare, & nec etiã ex vtilitate domo exire, si aliter proximi scandalum sedare nõ potest. Concordat ex parte cum Megala, & Turrian. Martinez in p. 2. qu. 20. art. 5.

Secunda opinio est D. Antonini, Medinæ, Cordubæ, Lopez, Zumel, & aliorum, apud Sanchez vbi infra. num. 16 & Filliuc. in quæst. mor. tom. 2. tract. 28. cap. 10. nu. 232. qui asserunt eam peccare mortaliter, si exeat domo, sine vlla necessitate, sed ex curiositate indifferenter hac, vel illac discurrendo: non autem si hoc faciat ob causam necessariam, vt inuisendi vicinas, seu affines, ne minus vrbana habeatur, vel eundi ad Ecclesiam, & cetera.

Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, est Caiet. in 2. 2. qu. 69. art. 2. ad 5. dubium, quem postea sequuti sunt recentiores aliqui, vt præter alios Sanchez in summa, tom. 1. li. 1. cap. 6. nu. 17. & Bonacina tract. de leg. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. vltic. num. 27. & tract. de matrim. qu. 4. punct. 9. numer. 17. qui asserunt fœminam in tali casu non peccare, non enim tenetur sua se libertate priuare egrediendi domo, standi ad ostium domus, vel fenestram, discurrendi per ciuitatem, &c. Et ratio est, quia etiam si id faciendo daret occasionem amasio ad concupiscendum, tamẽ ista occasio potius prouenit ex ipsius amasij malitia, & ideò est occasio ab ipso accepta, & non à muliere data, quæ iure suo, & libertate sua vtitur, & iste effectus, vt suprà diximus de muliere ornante se, prouenit per accidens, & licet sit præuisus, non tamen est intentus, & ideo non debet ad culpam imputari.

Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi fœmina, data opera, se offerret conspectui adolescentis, illius amoris conscia, etsi illum non intenderet. Secus autem si hoc faciat, vt diximus nõ solum propter aliquam necessitatem, seu vtilitatem, sed etiam propter hoc solum, ne videlicet se priuet sua libertate, & iure exeundi domo. Ex his omnibus mihi olim rigida visa est cuiusdam cõfessarij resolutio, qui noluit absoluere mulierem nobilem, quæ in cursu solebat ambulare, secundum morem patrię, cum alijs fœminis nobilissimis, quia ita se præbebat conspiciendam adolescenti, à quo sciebat se turpiter amari, non enim tenebatur propter malitiam amasij, priuare se iure, & libertate sua.

Adde quòd exire domo iuxta morem patriæ ab Azor. p. 2. li. 12. c. 18. q. 12. connumeratur inter causas iustas, quas habent mulieres in hoc casu domo egrediendi. Sed circa præsentes quæstiones, vide etiam Medin. p. 2. qu. 20. art. 5. Aluar. etiam in p. 2. q. 73. art. 8. & tandem Suarez de char. disp. 10. sect. 4. nu. 10. vbi asserit, fœminam non peccare, etiam si sequatur scandalũ, adornando se, dummodo ornatus sit moderatus, & decẽs, secus si esset superfluus, & maximus. Sed ego puto non peccare, etiã si esset superfluus, & maximus, dummodò sit secundum morem patriæ; & de se, non sit quasi prouocatiuus ad malum. Vnde bene asserit Turrian. in 2. 2. tom. 1. disp. 96 dub. 2. §. ex traditis, ornatum non habere speciem mali, quantumuis illustrem, si sit iuxta consuetudinem patriæ fœminarum, quæ honestæ sunt; secus si esset peculiaris habitus meretricius.

Cuidam Confessario olim hic casus accidit: Quædam mulier inter confabulationem, cum viro sibi in matrimonium coniungendo, dicebat illi verba, non quidem turpia, sed affectuosa, & amatoria, vnde postea in pollutionem, & distillationem incurrebat sine tamen vlla delectatione, vel periculo alicuius consensus, imo cum maxima displicentia, quia erat timorata conscientiæ: interrogatus fui, an peccaret mortaliter, & si nollet desistere, ab his confabulationibus, an esset ei absolutio deneganda?

RESOL. XXXI.

Respondi, omninò illi consulendum esse, ab his sermonibus abstinere, sed in rigore loquendo non esse denegandam absolutionẽ, quia illa pollutio, & destillatio in hoc casu, non est peccatum mortale, & hoc ita probabam. Pollutio licet præuisa, non tamen intenta, ex causa venialiter peccaminosa non est peccatum mortale; sed illa verba ex quibus prouenit pollutio, de qua loquimur, sunt tantum peccata venialia. Ergo talis pollutio non erit peccatum mortale. Maior propositio probatur, quia cum illa pollutio nõ sit in se volita, sed in causa in qua præuidetur, in tantum mala erit, in quantum mala est causa, in tantum enim culpa est, in quantum est voluntaria; si ergo causa est venialiter mala, talis erit & pollutio. Et sic hanc sententiam tenet Vasq. in p. 2. to. 1. disp. 115. c. 3. n. 9. & in opusc. de restit. c. 3. §. 2. dub. 6. nu. 14. Salas in p. 2. tom. 2. q. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 18. Henriquez in sum. lib. 11. c. 16. num. 6. Lessius de iust. lib. 4. c. 3. dub. 14. nu. 100. & nouissimè Bonac. tract. de matrim. qu. 4. punct. 10. num. 9. vbi ait, pollutionem non esse peccatum mortale, quando prouenit ex causa venialiter luxuriosa, & leuiter influente in pollutionem. Et tandem docet etiam hanc sententiam Filliucius in quæst. mor. tom. 2. tract. 30. c. 8. nu. 152. vbi asserit, solum reperiri culpam mortalem in causa, ratione pollutionis præuisæ, & non intentæ, quando absque vrgenti necessitate exercetur actio ex sua natura turpis, & per se tendens ad actus venereos excitandos, & consummandam pollutionem, qualis tantum est in actionibus mortalibus pertinentibus ad sextum præceptum, vt cogitationibus morosis, aspectibus, & tactibus mortalibus. *Si enim sint tantum veniales, ex defectu plenę aduertentiæ, vel ex suo genere,* vt quia ob curiositatem tantum, tunc tãtum venialis erit pollutio inde sequuta. Ita Filliucius. Ex his omnibus veram esse maiorem propositionem nostri argumenti, apparet; & hoc etiam verum est, vbi non necessi-

cessitas, nec causæ vtilitas adest, Filliuc. vbi supra, & Sanchez cum alijs infra.

Restat modo probare minorem, & ostendere illa verba dicere, esse tantum peccatum veniale, quod probat, & docet Io. Salas in p.2.tom.2 tract.13.disp.6.sect.24.num.163.& Sanchez, qui citat Nauar.& Corduba in tom.3.de matrim.lib.9. disp.46. nu.37.vbi ait: Loqui verba amatoria, quæ vulgo *requiebros* appellamus, vt videlicet cor meum, bonum meum, anima mea, ob solam vanitatem,& conciliandum vanum amorem,non excedunt culpam venialem: quæ quidem doctrina intelligenda est secluso scandalo, & periculo proprio, vel alieno, videlicet illa verba audientis,vt succedebat in nostro casu. Ergo concludendum est, pollutionem ex talibus verbis sequentem non esse peccatum mortale, quia, vt diximus,prouenit ex causa, tantum venialiter peccaminosa & non adest periculum consensus,seu delectationis. Vnde Henriq. vbi supra ait: non esse peccatum mortale, si quis pollutionem patiatur ex visione fœminæ curiosa, vel esu cibi calidi,aut lectione etiam turpi, quia hæc non sunt, ait ille, causa physica, & moralis, quæ prouocent pollutionem.

Vt autem regula generalis tradatur confessarijs, vt possint in hac materia casus particulares decidere, hæc erit. Quando causa pollutionis præuisæ notabiliter,& per se influit,nec adest vrgens necessitas illam exercendi, tribuitur culpæ mortali pollutio; eaque culpa afficiet causam,quamuis alias licita esset:huiusmodi autem causæ, solæ sunt res venereæ, vt tactus, aspectus,& turpia verba.Nota verò me signanter dixisse, *huiusmodi causa sola sunt res venerea*. Nam multi DD.probabiliter docēt, etiam si regula,vel aliud peccatum non pertinens ad vitium luxuriæ mortale sit, non propterea pollutio ex eo sequens, & in eo præuisa,mortalis erit. quamuis ergo in ebrietate, vel esu, aut potu mortali, præuisa sit pollutio,non imputabitur ipsa ad peccatum mortale; nec quando homo dat eam causam, peccabit mortaliter contra castitatem, sed contra abstinentiam, & sobrietatem, illamve virtutem. Imò quamuis gula esset mortalis ex circumstantia luxuriæ,nimirum quia esset ordinata ad fornicationem, ob quam sumerentur cibi calidi, non ideò pollutio esset mortalis, quia finis ille nihil in eam influit. Et Caiet.2.2.q. 54.art.3.paulò ante 8. in ref.ad 5.Et idem est,cum quis peccaret mortaliter,in cibo, vel potu, eo quod se exponeret periculo consentiēdi formaliter in pollutionem;si enim postea non consentiret formaliter in illam, nec procuraret illam, quamuis sequeretur, non esset peccatum mortale. Ita Granad. in part. 2. contr.6.tract.4.disp.6.num.12.& 18.Salas in p.2.tom.2.trac.13. disp.6.sect.18.num.117.Sanchez loc.cit.lib.9.disp.45.nu.17.18. & 21. Vasquez vbi supr. cum alijs Patribus Societatis Iesu,de hac re consultis, vt ait Salas. Sed si cupis videre aliquos authores, extra citatos, testantes de hac quæstione; Vide Reginald. in praxi,tom.2.lib.22.cap.3.sect.9.num.43.Valent.in 2 2.dispur. 9.qu 33.punct.3.§.Itaque duo requiruntur, & §. Sunt autem, & §. Itaque ad cognoscendum, & Medinam in p.2.quæst.74.ar.6. ad 3.& 4.

Rem satis controuersam propone. An in communibus pauperum necessitatibus, sicut in extremis, & grauibus, sit obligatio faciendi eleemosynam ex bonis omnino superfluis.

RESOL. XXXII.

IN duas diuisi partes hac in re Doctores, affirmant enim D. Thom. in 2. 2. quæst.32.art.7.& ibi Caietanus, & Bannez, Paludanus in 4.dist.15.qu.2.art..... Richardus qu.2. art.2.& ex neotericis Nauar.in Manu.c.24.nu.5.Valent.tom.3. disp.3.q.9. punct.4.§.2.Becan.in 2.2 c. 21.num. 8. Bellarm.lib. de eleemos. cap.7.Ledesma in summ.to.2.tract.4.cap.3.conclus.13.fol.mihi 109.& Beia in resp.cas consc.p.2.cas.in Sabb.die 19.Octobr. & alij. Et ratio est,quia diuisio rerum,quę communi gentium consensu facta est, sine dubio rectè facta est. Ergo, qui post factam diuisionem abundant rebus,tenentur alijs, qui indigent, ex superfluis succurrere; alioquin si non tenerentur, iam licitè retinerent omnia superfluè,& sic diuisio facta esset in præiudicium & damnum indigentium, ac ideò non esset prudenter facta. Secundò, qui non dat eleemosynam ex superfluis, ostendit se non habere charitatem erga proximum,ergo charitas, & misericordia obligabit in tali casu.Secundum ergo hanc opinionem tenentur diuites ex superfluis ad decentiam status eleemosyna succurrere,communibus pauperum necessitatibus: seu vt clarius loquar, tenētur sub mortali, in pauperes distribuere superflua ad decentiam status.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, probabilior semper mihi visa est contraria. Dico igitur neminem teneri distribuere sub mortali superflua ad decentiam status, nisi in extrema, vel graui proximorum necessitate. Ita tenet Fernandez in suo exam. theol p.4.cap.20.§.2.nu.12. Victorel. in notis ad Nauar. cap.23. n.74.Turrian.in 2.2.disp.82.dub.2. Vasquez opusc.de eleemos. ca.1.dub.3.numer.21.Malderus in 2 2.qu.27.art 6. dub.4.Ioan. Medina in tract.de eleemos qu.3.Petr.à Nauar. lib.3.c.1. num. 358.Couar.lib.3.var.cap.14.num.5.& ex veteribus Gabriel in 4. dist.16.quæst.11.concl.5.Alensis p.4.quæst.113. membr.1. Abb. in cap.si verò de iureiurando.D. Anton.p.2.tit.1.cap.24.& alij. Probatur hæc opinio, nam si quis teneretur pauperibus erogare superflua, consequens erit, vt non possit talis ea donare, cui velit,aut ex eis pios aliquos sumptus ad diuinum cultum facere, vt Ecclesiam, vel collegium ædificando, &c. Hoc est absurdum, ergo.

Adde, quod si contraria opinio esset vera, oporteret plurimos, imò omnes diuites damnare, qui habent superflua, & consequenter etiam illorum Confessarios. Et tandem, quia si ea de causa, mortale de se esset, superfluum habere in alium finem, quam in subuentionem pauperum, pariter esset mortale illud acquirere. Hoc est absurdum, ergo. Maior probatur, nam quod non potest licitè retineri, non potest etiam licitè acquiri. Ergo.

Quæ cum sint duriora, neque de talibus soleat pœnitentibus esse scrupulus, vel a confessarijs eis inijci,neque detur ratio efficax, quæ illum admittere compellat; relinquitur sanè, nec esse admittendum, quod peccatum mortale sit superfluum, tam naturæ, quam statui retinere in alium finem, quam in pauperum subuentionem: excepto casu extremæ, vel quasi extremæ seu grauis necessitatis,& non communis: pro communi autem necessitate, intelligo illam, quam patiuntur pauperes ostiatim mendicantes, & hi qui vtcunque quidem tuentur suum statum, sed non sine magno labore, nec sine difficultate; quos quidem pauperes, non tenentur diuites inquirere ad subleuandam eorum egestatem, vt ex Nauarro notat Reginald.in prax. tom.2.lib.4. cap.20. sect.1 num.146.

Ex his omnibus respondeo ad propositam quæstionem negatiuè: & licèt opinio affirmatiua esset vera, tamen in praxi nūquam, aut rarius eueniet. Nam,vt ait Vasquez opusc. de eleemos.c.4.dub.4.n.14. laici possunt de bonis patrimonialibus seruare ad statum suum,vel consanguineorum mutandum, & tūc illud non dicitur superfluum. Vnde vix in sęcularibus inuenies, etiam in Regibus, superfluū statui. Hæc Vasquez quæ quidem confessarijs diuitum multum plausibilia erunt.

Vxor cuiusdam nobilis viri secundum consuetudinem aliorum mulierum sua conditionis, solebat facere moderatas donationes, & eleemosynas, postea maritus hoc sciens vxori prohibuit, quæsitum a me fuit,an non obstante dicta prohibitione, vxor posset sine scrupulo, dictas eleemosynas facere?

RESOL. XXXIII.

TVrrianus ex Societate Iesu in 2.2. disput. 84.dub. 1.partem negantem sequutus est, ait enim. Placet posse maritum reseruare facultatem faciendi eleemosynas, & vxorem tunc non posse illas facere, etiamsi maritus non manifestet illi causam,vtitur enim iure suo: vix autem potest mulier cognoscere certò maritum nō facere aliquas communes eleemosynas, aut illas ommittere sine causa: & ideo consulendum est vxori, vt in hoc obediat marito. Vnde merito Aug.c.quod.Dec.33. quæst. 5.cuidam coniugatæ dixit, nihil de tua veste,nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis,sine arbitrio mariti facere debuisti.desumptum est vero illud caput ex epist.199.& vniuersim vult, nihil omnino elargiēdum esse sine consensu viri. Respondent verò aliqui, ibi esse sermonem de magnis eleemosynis: sed vt dixi, licet causa esset nimia quædam eleemosyna eius fœminę,vt constat ex ea epist. tamen doctrina Augustini, sine restrictione vlla videtur explican-

canda. Alij volunt, ibi non esse præceptum, sed consilium, quæ explicatio in contextum non cadit, vt legenti constabit. Alij docent Augustinum velle, nihil esse elargiendum in Eleemosynam cum scandalo mariti. Verum licèt hanc rationem indicet Augustinus, tamen nihil omninò vult esse elargiendum sine consensu viri, & tamen de solo scandalo ageretur, solùm loqueretur de Eleemosyna publica, & nota marito. Hęc Turrianus. Cuius sententiam docuerunt antea Nauar. in Manu. c. 17. num. 154. D. Anton. p. 2. tit. 2. cap. 19. §. 1. & Iac. de Graff. dec. aur. part. 1. lib. 2. c. 60. nu. 8. in fi.

Sed ego semper in praxi contrariam opinionem sequutus sum, cum Fernandez in suo exam. theol. p. 1. ca. 16. § 7. nu. 1. Bonacin. de contr. disp. 1. q. 10. punct. 2. nu. 6. Regin. tom. 1. lib. 4. c. 27. nu. 282. Lessio libr 2. c. 12. dub. 14. nu. 85. Coninch de act. supern. disp. 27. dub. 5. nu. 52. qui citat Molin. tom. 2. disp. 274. & Nauar. lib. 3. c. 1. num. 83. Et ratio est, quia in tali euentu, maritus est irrationabiliter inuitus, vxor enim non est mancipium, sed socia bonorum, ac proinde eam vt sociam in decenti statu tenetur maritus substentare; sed ad decentiam status pertinet, has donationes, & eleemosynas facere. Ergo.

Sed dicet aliquis, quæ quantitas particularis potest dari ab vxore, nesciente viro? Respondeo, vigesimam partem lucri annualis. Ita Bannez in 2. 2. quæst. 32. art. 8. vbi ait. Nullus est scrupulus affirmare, quod mulier diuitis dispenset, nesciente viro, vigesimam partem lucri annualis: nam talis dispensatio debet esse interpretatiuè volita à bono viro. Malderus in eamdem 2. 2. D. Tho. quæst. 32. art. 8. ait. Bannesius vxori permittit dispensationem vigesimæ partis annui prouentus inscio viro. Et hanc sententiam amplexus est etiam nouissimè Hieronym. Cenedo de Pauper. relig. dub. 32. nu. 14. vbi asserit. (No ay scrupulo en dezir, que la muger de vno rico, puede dar cada año la vigesima parte de su renta, sin licencia de su marido, como se tiene dos mil ducados de renta, puede dar ciento.) Sic etiam Ledesm. in sum. tom. 2. tract. 4. c. 3. concl. 38. fol. mihi 116. & Vegha in sum. to. 2. cap. 17. c. 23.

Solent Rustici in diebus festis inter se, vel cum dominis celebrare contractus, quæritur an Notarij, & ipsi contrahentes, sine peccato possint hoc facere. Item quæritur, an vsus tonsorum sit licitus, qui festis diebus, tondent omnes qui ad tonstrinam accedunt.

RESOL. XXXIV.

QVoad primum respondetur, discrepare inter se Doctores an iuramentum extraiudiciale sit die festo licitum, vel prohibitum. Nam affirmatiuè respondet Abb. in c. 1. de ferijs, num 8. & clarius cap. vlt. nu. 18. cum Suarez de relig. tom. 3. lib. 2. c. 30. nu. 17. & Molfesio in sum. to. 1. tract. 11. c. 17. nu. 51. & ita habet consuetudo, vt non fiant contractus in diebus festis, nisi de licentia Episcopi. Nihilominus Caiet. in 2. 2. q. 122. art. 4 ait, prohibitionem c. 1. de ferijs, intelligendã esse de iuramento solemniter in iudicio præstando. Et probari potest, tum quia textus iuxta subiectam materiam, videtur loqui de iudicialibus actionibus, tum quia aliàs omne iuramentum ex eo solum, quod in festo fiat, esset specia e peccatum: hoc autem est absurdum: Ergo.

Vnde secundum hanc opinionem Caietani, si absit scandalum, non peccant Notarij, qui in diebus festis celebrant rusticorum contractus, & hanc sententiam Caietani probabilem putat nouissimè Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 7. cap. 2. nu. 8. sicut, & ego etiam puto; Rodriquez tom. 1. c. 122. nu. 3. & Philiarch. to. 1. p. 2. lib. 3. c. 23. illos à peccato excusant ratione necessitatis, nam rustici in profestis non adsunt in Ciuitate; & ob similem causam, ait Suar. vbi sup. nu. 25. in paruis oppidis solent iudicia litigantium in festis permitti, quia in profestis non adsunt rusticani, & agrorum cultores.

Quo ad secundum de tonsoribus dico: ratione paruitatis materiæ, non peccare si barbam vnius, vel alterius radant, vt notat Graffius dec. aur. p. 1. lib. 2. c. 23. nu. 17. Nauarr. c. 13. num. 9. Vegha tom. 1. c. 114. cas. 2. Rodriquez tom. 1. c. 121. n. 4. Sayrus vbi infra nu. 9. Molfesius vbi sup. nu. 68. & Azotius lib. 1. cap. 28. qu. 5. to. 2. Sed si omnes radant, ratione consuetudinis, si adsit etiam à peccato excusantur. Nam cum prohibita in die festo sunt humano iure introducta, nihil obstat; ea tolli per contrariam consuetudinem, toleratam à Prælatis, vt notat Sotus, & Caietanus apud Regin. vbi infra n. 52. & alij apud Sayr. in Claui Regia lib. 7 c. 2. num. 31. sed non reticeam, Fernandez in suo exam. Theol. p. 1. cap. 7. § 1. nu. 6. alia ratione illos excusare, ait enim: Vsus tõsorum, qui festis diebus tondent omnes, iuxta cõsuetudinem scitam a Prælatis, excusatur, quamquam ex alio capite id licere mihi persuadeam, nimirum, ex occasione cessantis lucri, quoniam alijs diebus propter laborum occupationes, tondendi non accedunt. Cuius rationis, quamquam nullus Doctorum, quem sciam, meminit, tamen deducitur ex cap. licèt, de ferijs. Hæc Fernandez. Pro qua ratione intelligenda, notandum est, quod in c. licet, de ferijs Summ. Pontifex indulsit in die festo piscationem halecum, quæ vno anni tempore transire solent, parique ratione, idem esse dicendum de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo anni tempore occurrunt. Sed Fernandez vbi sup. cum Angelo n. 34. & Caietan. in ver. festos dies, c. 1. idem quoque dicendum esse existimant, de quouis alio lucro transitorio, quomodolibet repente occurrente, tanquam, inquit Caietanus, eiusmodi lucrum cessans, damnum reputetur. Ex qua opinione sequeretur non solum propter necessitatem vitandi damnum, sed etiam pro acquirendo aliquo vtili, & lucro, quod alio tempore acquiri non posset, licitum esse vti facultate in illo c. licet, & facere opera seruilia in diebus festis. An hæc opinio sit probabilis, tu lector iudica, sed scias illam reprobare Reginald. tom. 2. lib. 19. c. 3. n. 51. cum Suarez de relig. tom. 1. lib. 2. c. 33. n. 9 Nam in eo tantum lucro, quod solet vno anni tempore euenire, cernitur rationis paritas cum eo, de quo sermo in c. licèt memorato. In eo enim sermo est tantum de transitorio lucro, quod solummodò occurrit vno anni tempore, quæ circumstantia, cum non inueniatur in omni lucro transitorio, fit vt à Sum. Pontifice data dispensatio in illo c. licet. non habeat ob rationis identitatem, l cum in omni lucro transitorio: vnde dispensatio illius textus, non est extendenda ad priuatam vtilitatem priuatæ personæ, sed ad vtilitatẽ publicam, quam Pontifex in illo textu cõsiderauit, vt notat Andreas Barb in scholio ad Abbatem. Sed ego opinionem Caietani, Fernandez, & aliorum vbi supra tunc amplectendam esse iudico, quando vtilitas, & lucrum transitorium, quod cessat, tãti sint momenti, vt prudentis arbitrio æstimari possit eius amissio, non mediocre nocumentum.

An Notarij, Commissarij, & alij Officiales Curiæ possint in diebus Festiuis acta transcribere. Idem quæritur de illis, qui sermones Prędicatorum, & allegationes Doctorum, vt vulgò dicitur, pro mercede copiant?

RESOL. XXXV.

NEgatiuè respondet Fernandez in suo exam. Theol. p. 1. cap. 7. §. 1. num. 10. Syluius in 2. 2. D. Thom. q. 122. art. 4. Toletus lib. 4. c. 24. nu. 14. Rosella, ver. feria, §. 12. Angel. eodem ver. §. 3. Nauarr. in manuali, c. 13. num. 14. Tabien ver. feriæ, nu. 40. D. Anton. p. 2. tit. 9. cap. 7. §. 4. & in terminis docet hanc sententiam Vegha in sum. to. 1. c. 114. cas. 3. Ant. de Litteratis in sum. p. 2. ca. 17. nu. 21. Comitolus in Resol moral. lib. 4. q. 58. num. 3. Caiet. in 2. 2. q. 122. art. 4 §. ad 2. & Reginald. tom. 1. lib. 18. c. 3. num. 40. in fine, cum Azor. par. 3. lib. 1. c. 22. qu. 5. Ratio est, quia sic transcribere chartas ex officio, & mercede pacta, est opus seruile, non quidem ratione lucri, sed ratione operis, & officij simul, latum est enim discrimen inter scribere, & transcribere pro officio, & mercede pacta; nam scribere simpliciter est opus honestum, & liberale, ingenuorumque hominum: transcribere verò pro officio, & mercede pacta; est mechanicus, & pure corporalis labor, nec est opus mentis, neque artis liberalis, quia solum est ita pingere characteres; sicut in originali leguntur. Et confirmatur, quia imprimere librum mechanicum, non est sine vlla dubitatione, & tamen est genus quoddam transcriptionis.

At ego, dictos Notarios, & alios sic transcribentes, peccati mortalis non condemnarem, cum Sayro in Claui Regia lib. 7. cap. 2. num. 15. Franc. Galleri in Margarita casuum consc. ver. festa, Molfes. in summ. tom. 1. tract. 11. cap. 13. num. 42. Medina lib. 1. c. 14. §. 8. Lopez in instructor. p. 1. cap. 52. & nouissimè Suarez de relig. tom. 1. lib. 2. cap. 25. nu. 4. vbi doctè, vt semper solet, probat transcribere non esse opus seruile, etiamsi fiat non gratia addiscendi, sed sine proprio profectu; nam talis actio de se-

men-

mentalis, & spiritualibus est, & per accidens ad illam est, quod hac vel illa intentione fiat ab operante. Ergo inde non efficitur seruilis ex officio, vel lucro, seu mercede. Ergo nullo modo est seruilis. Ex quibus patet responsio ad argumenta in contrarium posita. Cæteras rationes vide apud ipsum loc. cit. Hoc etiam docet Emanuel Sa ver. festum, & Rodriq. in sum. to. 3. c. 168. n. 3. & nouissimè Layman Theol. Mor. lib. 4. tr. 7. c. 2. nu. 5.

An Agasones seu Muliones possint cum bestijs, aut rhedis oneratis iter inchoare in diebus festis.

RESOL. XXXVI.

RESpondet Suarez de relig. tom. 1. lib. 2. cap 27. nu. 3. distinguendo; nam si iter ante diem festum bona fide inchoatum est, cum his oneribus excusatur continuatio, vel propter publicam vtilitatem, ad quam necessarium sæpè est, vt sine mora hæc transportatio rerum, & mercium fiat; vel certè propter vitandum graue nocumentum, quod paterentur dicti agasones seu muliones, si cogerentur omnibus diebus festis quiescere, quocumque iter agendo peruenerint. De inchoatione verò cum dictis rhedis, seu curribus, & bestijs oneratis non est facilè admittenda consuetudo, quã Caiet. 2. 2. quæst. 122. art. 4. abusum vocat: qui aduertit, quod si isti muliones ducant mulos sine oneribus, non est illicitum ita progredi, vel ab vno in alium locum trãsferre animalia in die festo, quia id solum est iter facere, & non habet adiunctum opus seruile. Hoc etiam docet Reginald. tom. 1. lib. 19. cap. 4. n. 50. & Franc. Galletti in Margarita cas. conf. ver. festum.

Sed ego puto, audita Missa, raro in praxi dictos agasones inchoando iter cum bestijs oneratis, peccare mortaliter. Nam inchoatio talis itineris, ideo est prohibita, quia habet adiunctam circumstantiam, includentem opus seruile, & onera leuare, vel imponere; quod quidem de se seruile est. At dicti agasones in his oneribus leuandis vel imponendis tempus notabile non consumunt, ergo ratione paruitatis materiæ, à peccato mortali excusabuntur.

Quænam verò sit paruitas materiæ excusans à tali peccato, incertum est, Azor. p. 3. lib. 1. cap. 27. quæst. 5. Bonac. tract. de leg. disp. 5. q. vnic. punct. 3. nu. 2. & Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 16. cap. 3. nu. 53. putant spatium vnius horæ esse partem notabilem, Suarez de relig. to. 2. cap. 31. no. 2. putat hanc esse nimiam, & religiosam restrictionem, quia respectu totius diei pars vigesima quarta, non apparet nimia, nec multum impedire finem præcepti, qui est cultus Dei. Ego, saluo semper meliori iudicio, eum qui per spatium duarum horarum in diebus festiuis seruilia exerceret, ratione paruitatis materiæ, excusarem à peccato mortali. Nam paruitas materiæ excusans à mortali, non absolutè, & secundum se, sed respectiuè ad totam materiam præceptam, spectanda est, vt notat Sanchez in sum. lib. 1. c. 4. n. 18. At spatium duarum horarum, licèt consideratum secundum se videatur tempus notabile, & magnum, non ita tamen videtur, respectiuè, & in ordine ad totam materiam præceptam vnius diei. Ergo qui per duas horas laboraret ratione paruitatis materiæ non peccabit.

Et post hæc scripta inueni etiam Filliuc. in suis quæst. mor. to. 2. tract. 27. c. 11. nu. 205. docere hanc sententiam.

Quidam patronus, qui non erat primus, fundator beneficij, quæsiuit, an sub peccato mortali deberet præsentare digniorem?

RESOL. XXXVII.

TVrrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 22. dub. 5. nu. 6. Vasq. opusc. de benef. c. 2. §. 2. dub. 5. nu. 74. Ioan. Malderus Episc. Antuerpiensis in suis doctiss. commentarijs ad 2. 2. tract. 9. cap. 2. dub. 2. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 14. nu. 65. in fin. Azor. part. 2. lib. 6. c. 21. quæst. 5. Guttier. canon. q. lib. 2. cap. 11. nu. 26. Molina Iurisconf. de primog. Hisp. lib. 2. cap. 5. nu. 69. Illephonsus Azeuedo cons. 24. dub. 4. nu. 41. Couar. Sotus, & alij, affirmatiuam sententiam amplexi sunt. Nam hoc ius, quod ipsi patrono competit à iure, ea conditione concessum est, vt ipsi tantum incumbat, quod Episcopo, aut alij Prælato incumbebat; debet igitur seruare modum debitum in beneficijs distribuendis, quod est eligere digniores.

Sed contrariam sententiam probabilem etiam puto, quod patronus laicus non tenetur præsentare digniorem etiam quoad beneficia curata. Sic docet Lambert. de iure patron. p. 1. lib. 2. qu. 10. art. 5. num. 17. Ricc. in dec p. 3. decis. 306. num. 4. Bellet. in disquis. clerical. p. 1. §. 4. num. 50. Io. Valer. in diff. vtriusq. fori, ver. electio, nu. 1. & sequ. & hanc opinionem probabilem vocat Ledesm. in sum. p. 2. tract. 7. c. 2. concl. 7. diffic. 9. fol. mihi 164. & Bannez in 2. 2. qu. 63. art. 2. dub. 4. & in terminis illam sequitur nouissimè Garzias de benef. tom. 2. p. 7. cap. 16. nu. 19. & Petrus à Nau. de restit. lib 2. c. 2. nu. 159. Et ratio est, quia Concil. Trid. in sess. 24. de Reform. cap. 18. in Parochialibus iurispatr. Eccles. eligendum esse digniorem ab approbatis examinatoribus in concursu: dicit, quod si iuspatronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, examinari, & si idoneus repertus, admitti, in quibus verbis cum Conc. Trid. non arctet Patronum laicum ad præsentandum digniorem, neque nos arctare debemus. Salua semper.

An in Canonicatibus, Personatibus, & dignitatibus, cæterisque prebendis, & dimidij prebendis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & in præstimonijs, & alijs simplicibus beneficijs curam animarum non habentibus, licitum sit eligere dignum prætermisso digniori.

RESOL. XXXVIII.

PRima opinio absolutè negat. Sic Vasquez opusc. de ben. c. 2. §. 8. dub. 8. n. 78. vbi ait; Mihi videtur in omnibus beneficijs, esse mortale, digniorem prætermittere, quoniam vniuersaliter docet S. Thom. 2. 2. q. 63. quod acceptio personarum committitur in beneficijs, ergo etiam in beneficijs non habentibus curam animarum. Ita etiam multi alij, inter quos est Bann. 2. 2. qu. 63. art. 2. dub. 5.

Secunda opinio est Fernandi Rebellij de oblig. iust. p. 1. lib. 3. quæst. 9. n. 12. vbi distinguit inter electionem ad beneficia simplicia maiora, & ad beneficia simplicia minora, ait enim peccatum lethale esse videtur, eligere minus dignum ad Cardinalatus, Canonicatus, Decanatus, & alia beneficia simplicia magni momenti, quando notabilis, & euidens est inter promotum, & digniorem prætermissum excessus. Si verò paruus sit, veniale videtur, vel si beneficium simplex non tanti momenti sit. Probatur, quia violatio iustitiæ distributiuæ, per acceptionem personarum ex genere suo mortale est. Quare nisi ex paruitate materiæ per respectum ad excessum eligendum, vel beneficiariorum excusetur, lethale erit; sic etiam tenet hanc sententiam ex neotericis, Ioan. Malder. in 2. 2. tract. 9. cap. dub. 7. Lessius vbi sup nu. 64.

Tertia opinio est Regin. tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 15. nu. 179. in fin. & Lessij lib. 2. c 34. dub. 14. nu. 66. qui asserunt in Canonicatibus, & ceteris beneficijs simplicibus minoris momenti non videri peccatum mortiferum semel, vel bis prætermittere digniorem modò conferatur ei, qui verè dignus sit: videtur tamen esse mortiferum, si quis id passim faciat, aut si raro curet, vt digniores præferantur. Et ratio est, quia quod semel, vel iterum dignior prætermittatur in huiusmodi beneficijs, non censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria Ecclesiarũ, paucorũ enim mediocritas, aliorum virtute facile compẽsatur.

Quarta opinio, quam ego libenter amplector, est Nauarr. de restit. lib. 2. cap. 2. n. 172 Ledesm. in sum. q. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 7. & diffic. 15. fol. mihi 170. Gutierrez Can. qq. lib. 2. cap. 11. nu. 12. & Garzia de benef. tom. 2. p. 7. c. 16. num. 16. vbi absolutè, & simpliciter asserit; omnia beneficia, quæ curam animarum non habent, satis est, vt conferantur dignis, etiam prætermissis dignioribus. At si hæc opinio non esset vera, ait, vbi supra, Gutierrez, omnes prælati essent in statu damnationis, nam passim in beneficijs simplicibus eligunt dignos, dignioribus prætermissis. Et ratio est, quia dum Concilium Tridentinum in diuersis capitibus sola Episcopalia beneficia, & curata dignioribus esse conferenda decreuit: videtur concessisse, cætera beneficia ad arbitrium prælati distribui posse: præsertim, quia dum de Canonicatibus loquitur sess. 24. de reform. c. 12. hortatur, vt in prouincijs, vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesijs, & Collegiatis insignibus conferatur tãtum Magistris, & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, seu iure Canonico: ergo necessariò conferri non debent graduatis,

tis, & sic dignioribus, sed arbitrio superioris legitimi videtur relictum. At verò iura antiqua non ita plana sunt in beneficiis simplicibus, sicuti in curatis: quæ si essent, adhuc oppositum videtur introductum, & ipsemet Sum. Pontifex prædicta beneficia simplicia dignis confert, absque cócursu, beneficia verò curata, per præuium examen, & concursum coram ordinarijs faciendum, vt quotidie videmus. Ex hoc igitur videtur abrogata constitutio iuris antiqui, & talia beneficia simplicia non videntur ex natura rei esse bona communia & decertantibus debita, & ita nullam committi iniustitiam per acceptionem personarum, si dignioribus non conferantur, sed tota res commissa videtur Papæ, & alijs Prælatis, vt ipsi arbitrio prouideant bonos ministros, qui etsi non sint meliores, non tamen otiosi, & cum scandalo viuant.

Sæpius in praxi occurrit hæc quæstio, an executores alicuius testamenti, vel legatis, qui debent inter pauperes distribuere aliquam pecuniarum summam, teneantur eligere pauperiores? Idem quæritur de confessarijs, & Religiosis, qui habent à sæcularibus facultatem distribuendi aliquam eleemosynam?

RESOL. XXXIX.

DE hac quæstione dictum est etiam supra in Resol. sed modo aliquid amplius addam. Dico igitur, quod Illephonsus de Azeuedo cons. 24. dub. 4. num. 44. affirmatiuè respondet, quam sententiam prius docuerat sapientissimus Philippus Decius cons. 72. num. 3. his verbis: Bona relicta pauperibus debent distribui inter illos, qui sunt pauperiores arg. tex. no. in l. quis ad declinandum, C. de episc. & cler. ibi, qui pauperior esse agnoscitur, & dato quod distributio, quæ facta esset inter pauperes, non deberet retractari, licet alij pauperiores reperirentur, tamen peccauit ita distribuendo, &c. Hanc opinionem sequuntur etiam Feder. de Senis cons. 95. nu. 2. Simon de Prætis de interpt. vlt. volunt. interpr. 1. dub. 2. nu. 94. & alijs.

At mihi opinio contraria semper placuit, & in praxi sæpius illam consului: si qui authores qui illam tuentur, scire desiderant, hi sunt, ex Theologis Cordub. in summ. qu. 22. & nouissimè noster Siculus D. Bartholomæus à S. Fausto in speculo confessariorum disp. 4. qu. 176. num. 2. qui citat Syluest. Rodriquez, & Petr. à Nauarr. ex Iurist. Cardinal. Mantica de coniect. lib. 8. tit. 5. nu. 6. & Ioan. Matienzo lib. 5. tit. 4. leg. 14. Glos. t. nu. 12. qui citat Bartol. in leg. vnum ex familia, §. t. de leg. 5. & Bald. in l. cum quidam ad fi. de leg. 2.

Hinc colligo, quod qui habet facultatem distribuendi inter pauperes, potest etiam eligere Religiosos mendicantes pro suis necessitatibus, vt notat Ioan. Andr. in cap. t. in nouella de test. li. 6. & Imola in leg. captatoriæ in fi. de leg. 1. Vnde etiam Religiosus, cui data est electio, potest bona distribuere inter Religiosos sui Monasterij. Sic Cardinal. in Clem. 1. num. 22. Imol. n. 18. & Anchar. nu. 16. de test. Parisius cons. 26. nu. 14. vol. 4. Matienzo lib. 1. Recopil. tit. 4. leg. 14. gloss. 1. num. 14. Rosella verb. Restitut. 15. num. 8. Syln. ver. rest. 2. q. 2. dict. 5. Peralta leg. vnum ex familia, §. rogo, n. 7. ff. de legat. 2. Rationes pro hac sententia videndæ sunt apud citatos Doctores.

Nota verò circa hanc materiam, quod quando in testamento relinquitur, vt pauperioribus aliquid detur, quamuis pauperibus detur: sufficit vt non teneatur ad restitutionem, dummodò non fuerint signati, & nominati, licet male fecit, qui pauperioribus non dederit, factum tamen sic tenet per executorem testamenti: sic Conradus in suis respons. part. 1. q. 101.

Diximus supra in beneficijs simplicibus, non teneri electores eligere digniores, sed tantum dignos: quæritur modo, an hæc sententia procedat etiam in beneficijs curatis, vt sunt Episcopatus, &c. quæ conferunt Pontifices, & Reges?

RESOL. XL.

NEgant omnes, & est communis sententia. Fernand. in suo exam. theol. part. 4. c. 4. §. 1. nu. 2. Castellinus in tract. de elect. canon. ca. 9. per totum, Molsesius in summa to. 1. tract. 6. titul. de beneficiarijs, num. 6. & 61. Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 22. dub. 1. num. 2. & alij, quos citat & sequitur Barbosa in collect. an. tom. 1. lib. 1. tit. 6. cap. 19. num. 4. Valentia tom. 3. disp. 5. qu. 7. punct. 2. Vegha in sum. to. 1. ca. 109. cas. 1. Malderus in 2. 2. art. 9. cap. 2. dub. 7. Vasquez opusc. de Benefic cap. 2. §. 3. dub. 1. & 8. Azor. p. 2. lib. 6. cap. 15. quest. 1. 8. & 9. & D. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. ad 3. cum Caiet. Aragonio, Salonio & Bannez ibid. Verba D. Thomæ hæc sunt. Vt electio non possit impugnari in foro iudiciali, sufficit eligere bonum; nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam: sed ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem. Rationes vide apud DD. citatos. Addam tantum verba Innocentij III. in cap. vnico, tit. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, vbi ait. Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneã dispensare; & meritò quidem, nam dimittendo digniorem sine causa debita, violatur iustitia distributiua, ex qua beneficia sunt bona communia, & prœmia meritorum, & committitur peccatum acceptionis personarum, quod est mortale genere suo.

Sed licet hæc omnia absolutè sint vera quidquid in contrarium asserat Glossa in cap. licet ergo 8. quæst. 1. & in cap. Monasterium 16. quæst. 7. & in c. 2. de officio custodis, & ca. 3. de iure patron. cum Roccho de iure Patron. ver. honorificum q. 15. ad finem, & Pedrazza in summ. præcit. 7 §. 36. qui asserit absolutè, solum esse peccatum veniale, eligere dignum prætermisso digniore, quamuis peccetur contra iustitiam distributiuam: Vnde non est audiendus Filliucius tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 181. qui asserit, hanc sententiam esse probabilem, & Alexander de Ales p. 2. qu. 136. §. 2. qui putat, solum in Episcopatibus esse peccatum prætermittere digniorem, non autem in cæteris beneficijs, etiam curam animarum habentibus.

Tamen difficultas consistit, an opinio communis, quæ prorsus est amplectenda, procedat etiam quoad illos, qui ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberalem, vt sunt Reges, & Summ. Pontif. ita vt illi teneantur eligere digniores Pater Lessius lib. 2. c. 34. dub. 14. nu. 64. affirmatiuè respondet, vbi ait. Qui liberè conferunt beneficia grauiter peccant, si digniores prætermittant, siue sit Papa, siue Princeps sæcularis, non enim sunt domini beneficiorum, sed œconomi. Si hæc opinio esset vera, magnum pondus haberent Pontifices, & Reges. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria sentẽtia, quam ex neotericis sustinet Reginald. tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 14. nu. 179. vbi sic asserit. Qui ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Papa, ac nonnunquam Princeps per priuilegio, vel consensu tacito Ecclesiæ, non tenentur eligere digniores, nisi in promptu sint; sed sufficit eligere dignos, alioquin enim semper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, vel à Regibus exigere, durum est. Hæc Reginaldus. Cuius doctrina non procedit, quando beneficia per concursum competentium, & oppositorum conferuntur, sed quando, vt diximus, conferuntur per prouisionem liberam.

An obligatio eligendi digniorem, extendatur etiam ad resignantem beneficium suum in fauorem alterius?

RESOL. XLI.

NAuarrus in Miscellan. 38. num. 7. Sot. de iust. lib. 3. q. 6. art. 2. in fin. & nouissimè P. Vasquez opusc. de benef. ca. 2. §. 4. dub. 7. nu. 100. asserunt extendi. Vnde Vasquez ait. Cauere debent renunciantes, ne prætextu consanguinitatis, vel alia via, prætextu maioris perfectionis renuncient beneficium indigno, aut saltem minus digno. Vt enim supra diximus; sicut & electores, ita & renuntiantes tenentur consideratis omnibus, digniorem eligere, in quo forsan plura peccata committuntur, quam aduertantur. Hæc Vasquez, satis quidem rigidè.

Opinio igitur contraria amplectenda mihi videtur, vt amplexi sunt Regin. tom. 1. lib. 30. tract. 3. c. 14. nu. 170. Lessius libr. 2. c. 34. dub. 13. n. 61. & Malderus in 2. 2. tract. 9. cap. 2. dub. 7. qui citat Caietanum, Sà, & Salonium. Et ratio est, quia cum iste resignans non sit distributor, si iure permittatur in fauorem resignare, potest resignare digno, cui voluerit: neque hic est locus cócursui, tamquam ad commune bonum, ex parte totius distribuendum, sed pars parti ius suum transfert. Vnde patet, etiam tunc collatorem non peccaturũ acquiescendo resignationi minus digno, relicto digniori: & sic Petrus de Aragona in 2. 2. qu. 63. art. 2. ait, hanc sententiam esse conformem praxi receptæ, etiam ipsius Summi Pontificis.

Solent

Solent litigantes conducere Aduocatos, & Procuratores ad annum, vel annos, sub certa annua mercede, seu salario ad omnes causas, quas habent, vel habituri sunt, quaritur modo an si nullas causas, in illo anno, partes habuerint: Aduocati licitè petant salarium?

RESOL. XLII.

NEgatiuè videtur respondendum per ea, quæ adducit Flores de Mena var. q. lib. 1. quæst. 8. num. 54. & Azor. p. 3. lib. 13. cap. 29. qu. 10. vbi ex Bartolo leg. d em fundo, ff. de officio assessorum, ait salarium tantum deberi pro rata temporis, quo laboratum est in lite; labor enim recipit diuisionem, sicut & tempus: & consequenter, merces promissa pro labore, recipit diuisionem.

Sed Io. Guttiet. contrariam sequutus est sententiam, quam multis rationibus confirmat. Primò, quia non stetit per eum, vt in leg. fin. Cod. de cond. causa data, & leg. Qui operas, § fol. nu. ff. locati. Ille enim paratus erat ex sua parte adimplere promissum, hoc est, aduocare omnes causas clientis sui, quare si illas non habuit, Aduocato non erit imputandum. Secundò, probatur ratione vinculi obligationis qua ipse Aduocatus adstrictus erat ad aduocandum pro suo cliente; quæ quidem obligatio in habitu, licèt ad actum non sit reducta propter defectum causarum, tamen pecunia est æstimabilis, maximè cum talis Aduocatus, propter hanc obligationem non possit pro alijs contra suum clientem aduocare, sicque priuatur sua libertate, speque lucrandi ab alijs: Potuit enim verisimiliter contingere, vt auctius salarium sibi ab aduersis partibus offerretur, si pro suo cliente non teneretur, quæ omnia considerabilia sunt, atque pecunia æstimanda. Tertiò, quia stante dicta conuentione, etiamsi cliens plures causas haberet, & resp ctu earum exiguum esset salarium, non posset hoc casu Aduocatus maius salarium petere. Ergo eodem modo si cliens nullas causas habeat illo anno, quas Aduocatus exoret, tenetur ad totum salarium. Hæc Gutierez Pract. qu. lib. 1. qu. 32. num. 1. & 2. cum Matth. o de Afflictis in constit huius Regni Sicil. rubr. 82. de Salario Aduocatorum, num. 4. & Azeued. in leg. 10. tit. 16. lib. 2 nu. 4. nouæ collectionis Regiæ.

Sed ego media via incedendo, puto saltem in foro conscientiæ, non esse tali Aduocato salarium denegandum, neque verò integrè soluendum, sed diminuendum iuxta prudentiam, & arbitrium boni viri. Ita Bobadilla in polit. tom. 2. lib. 3 c. 14 nu. 63. Et ratio est, quia si pro suo cliente, in illo anno aduocaret, multas occupationes, & labores sustineret, quibus non adhibitis, non sustinuit. Verum est quod si talis Aduocatus eius foret ingenij, vt optabilius ei esset, ita laborare, quam otiari, nihil de salario minuendum esset, nisi alia diminuendi causa subesset. Et hæc decisio est de mente Rebellij de oblig. iust. par. 2. lib. 14. qu. 14. num. 7. & 8.

An puer existens in vtero matris possit baptizari.

RESOL. XLIII.

NEgat Bonacina de sacr. disp. 2. qu. 2. punct. 6. & Comitolus in resp. mor. lib. 1. q. 13. n. 2. Alexander de Ales p. 4 q. 8. mēbr. 7. art. 2. § 1. Richard. in 4. dist. 6. art. 2. qu. 1. D. Anton. p. 3. tit. 14. c. 15 § 1. Syluest. ver. Baptismus 6. n. 3. & alij. Nam, vt ait D. Tho. in 3. qu. 68. art. 11. ex D. August. Epist. ad Dardanum; Nemo renascitur spiritualiter, nisi prius nascatur naturaliter. Sed baptismus est quædam spiritualis tegeneratio, ergo non debet aliquis baptizari, priusquam ex vtero nascetur.

Sed ego puto, posse puerum in vtero matris baptizari, si in aliqua sua parte aqua lauari possit. Ita contra Comitolum, qui mordicus contra iam sententiā tenet, sentiunt hi omnes, Zambran. in suis decis. cas. consc. cap. 1. dub. 3. n. 6. Ledesma 14. quæst. 9. art. 11. Suarez tom. 3. in 3. p. qu 68. art. 11. Valent. tom. 4. disp. 4. qu. 1. punct. 2. Alphons. Viuald. in Candelabro au. par. 1. num. 16. Victoria in summ. q. 32. Gabriel in 4. dist. 4. qu. 2. art. 3. dub. 2. & Coninch. de sacram q. 68 ar. 11. num. 90. Nam in tali casu reperiuntur omnia essentialia, ad baptismum requisita, nempè ablutio cum debita forma verborum.

Ad argumentum verò Comitoli, & aliorum respondetur, vt

Anton. Diana Resol. mor. Pars II.

quis possit per baptismum renasci, sufficit, vt ea procedat natiuitas, qua quis de non homine fit homo; modo possit lauari, vt patet in ijs, qui tantum manum exerunt, aut exsecantur ex vtero matris mortuæ, quo casu non nasceretur naturaliter; Ergo cum dicitur debere hominem prius nasci ex vtero matris, vel ex parte antequam baptizetur, hoc non est intelligendum de propria natiuitate. Quacunque enim ratione fieri possit, vt abluatur, id satis erit ad val tem Baptismi, etiamsi propria natiuitas humana non procedat, quia substantia Sacramenti consistit in ablutione, cum debita forma verborum; quæ quidem substantialia, vt diximus, adsunt in nostro casu.

An mulier condemnata ad mortem possit prius secari, si adesset periculum, ne ex aliquo morbo ante partum vna cum prole moreretur, & spes adsit, vt infans hoc modo possit baptizari.

RESOL. XLIV.

NOtandum primò ex Coninch de Sacr. tom 1. quæst. 66. art. 7. dub. 1. num. 75. secundum communem sententiam Doctor. non licere matri consentire se adhuc viuam secari, vt possit puer baptizari, quia illa sectio esset directa occisio matris, mortua autem statim secanda est, vt puer baptizari possit, si adhuc viuat.

Notandum secundo, ex Couar. lib. 4. var. resol. c. 4. Reginald. Viualdo, Barth. ab Angelis, & alijs, quos citat, & sequitur Bonac. de Sacr. disp. 2. q. 2. punct. 6. nu. 9. si mater grauida per iudicis sententiam damnetur ad mortem, differendam esse executionem sententiæ, donec mater pepererit. His notatis ad propositam quæstionem negatiuè respondit Comitol in resp. mor. lib. 1. qu. 14. nu. 2. & Malder. in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 16 nam in maximum discrimen partus adduceretur, si è viuentis matris vtero excidendus esset.

Sed Ægidius de Coninch de Sacr. tom. 1. quæst. 68. art 11 nu. 92. asserit hoc fieri posse, ait enim, Si aliqua mulier esset merita mortem, & ad eam iam condemnata, essetque periculum, ne ex aliquo morbo ante partum, vna cum prole moreretur, posset seruato iuris ordine prius secari, si esset spes, fore, vt proles hoc modo posset baptizari. Ratio est, quia in hoc facto, nihil fit contra vllum ius. Hanc sententiam prius docuerat Suarez in 3. p tom. 3. qu. 68. art. 11. Ad argumentum Comiroli, respondetur hanc opinionem tunc esse practicandam ex mente Suarez, quem ipse tacito nomine impugnat, quando spes sit infantem non esse moriturum.

Vtrum liceat baptizare infantes, filios infidelium inuitis parentibus.

RESOL. XLV.

PRima sententia est D. Tho. qui asserit in 3. part. qu. 68. ar. 10. & 2. 2. qu. 10. art. 10. id non licere, etiam si parentes infideles sint subditi Principibus Christianis; imò etiam si fuerint Christianorum serui, nam parentes iure naturali habent custodiam, & curam suorum filiorum, antequā ad vsum rationis perueniant. Ergo nulla authoritate humana, siue Principum, & Dominorum, possunt hoc iure licitè priuari, priuarentur autem, si ipsis inuitis eorum filij baptizarentur, &c. Hanc sententiam amplectuntur omnes discipuli D. Tho. Caietanus, Sotus, Capreolus, Paludanus, Victoria, & alij.

Secunda sententia est Suarez in 3. p tom. 3. disp. 25. sect 4. Petri de Cabrera de Sacr. qu. 68. ar. 10. disp. vn. concl. 4. § 7. Nugni tom. 2 in 3 p. q 69. art. 2. diffic. 2. concl. 3. Qui asser nt, paruulos infidelium, qui sunt mancipia Christianorum, posse à dominis suis vendi, seu donari; & postquam hac via fuerint à parentibus subtracti, licitè baptizari possunt, etiam parentibus inconsultis, & reluctantibus; etiamsi ipsi domini hac intentione, & fine venderent, seu donarent tales paruulos, vt à parentum cura subtracti baptizentur. Prior pars conclusionis est certa, nam qui est dominus alicuius rei, potest illam pro libito donare, & vendere. Secunda pars conclusionis probatur, quia illi paruuli, tunc non sunt sub cura parentum, sed sub cura illorum, quibus venditi, vel donati sunt, ergo parentibus inconsultis, de cōsensu eorum, qui illorum curam gerunt, poterunt baptizari.

Tertia sententia est Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 155. c. 4. nu. 50. Luisij Turriani in 2. 2. tom. 1. disp. 54. dub. 2. Greg. Ruiz in suis controuers. Theol. controu. 29. vbi ait, Non modo filios seruorum infidelium vendi, & separari posse a parentibus, vt baptizentur, & ita separatos baptizari rectè posse; si diligentia adhibeatur, ne à parentibus aliquo modo possint conuenire, & subuerti. Verum etiam antequam separentur, & vendantur, sub cura parentum existentes, sine peccato baptizari posse, si res ipsa ex se consideretur. Et ad incommoda, quæ ex ista sententia sequi videntur, respondet num. 55 & 57. Nam ante adultam ætatem à parentibus separari possint, & sic nullam memoriam habebunt paternæ infidelitatis, & cæremoniarum, quibus contra Religionem nostram parentes vti cõsueuerant. Alterum incommodum, quoad scandalum patris, quia ipse videns filium baptizatum contra voluntatem suam, Iudaicis, aut Mahumetanis cærimonijs circa filium vtetur in baptismi opprobrium, & religionis nostræ, ipsum ei circumcidendo, nihil obstare potest, quoniam necessaria non sunt omittenda propter scandalum, huiusmodi autem est Baptismus, quem tamquam necessarium, dictis infantibus tribuimus. Hæc Vasquez, qui in cap. 7. cum Turriano vbi supra, probat Dominus præcepto charitatis teneri tales paruulos sub cura parentum existentes baptizare.

Ad argumentum primæ sententiæ, respondetur, ipsos parentes fieri indignos tali iure naturali, ratione abusus, ideo nulli irrogatur iniuria, dum à dominis destituuntur suo iure iniustè possesso. Vnde Vasquez vbi supra, probat parentes infideles non habere ius, vt ipsi solum curam gerant salutis spiritualis filiorum, nec permittant vllum alium in filio emendare id, in quo ipsi errant. Neque enim ius paternum naturale id concedere potest, neque diuinum id concessisse constat.

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed vltimam Vasquez libenter amplector, propter fauorem animarum dictorum infantium. De tota hac quæstione vide Lorcam in 2. 2. Reginald. tom. 2. lib. 27 c. vlt. à nu. 63. Bonac. de Sacr. disp. 2. q. 2. punct. 6. Valent. tom. 4. disput. 4. q. 3. punct. 3. Bartol. ab Angelis in exam. confess. dial. 2. § 27. Vegham in summ. tom. 1. ca. 33. cas. 17. Syluium in 3. part. D. Thom. quæst. 68. art. 10. concl. 1. & seq. Azeued. tom. 5. lib. 8. tit. 2. leg. 1. num. 5. Afflict. dec. Neapol. 151. Feretum vol. 1. cons. 76 num. 4. & 5. Perez leg. 1. tit. 4. lib. 8. ordinat fol. 117. Sot. in 4 dist. 15. qu. 1. art. 10 Ledesma in summa, tom. 1. de Sacr. Baptismi, cap. 8. à concl. 10. vsque ad concl. 16. Coninch de Sacr. tom. 1. q. 68. art. 10. num. 63. Henriq. lib. 1. cap. 25. per totum. Zambran. in suis decis. cas. consc. c. 1. dub 11. Yribarne in 4. sent. tom. 1. disp. 18. sect. 1. Molles. in summ. tomo 1. tract. 4. cap. 1. nu. 50. Murtinum in sua Theolog. moral. de Sacr. Baptismi quæst. 14. Posseuin. de offic. Curati, cap. 6. numer. 14. & Azor. p. 1. lib. 8, cap. 25. quæst. 2.

Vtrum obstetrices teneantur scire formam Baptismi, & modum Baptizandi.

RESOL. XLVI.

TEneri putat Paludan. in 4. sent. disp. 5. qu. 2. art. 1. num. 7. D. Antonin. p. 3. ca. 15. § 4. Turrecrem. in c. si mulier. de consecr. dist. 4 in fi. & ex neotericis Nauar. in manu. cap. 22. num. 6. Henriquez lib. 2. c. 29. num. vlt. Sa verb. Baptismus, nu. 12. Zambran. in suis decis. c. 1. dub. 16. Reginald. tom. 2. lib. 27. c. 6. nu. 45. & nouissimè Rodriquez in summ. Hispan. tom. 3. ca. 26. num. 5. vbi ait. [Vista la necessidad del Baptismo, y que muchas vezes no suffre dilacion, por muy pequeña, que sea, y que ninguno mejor, y con mas bredad puede acudir a ella si no es la partera, no puedo dexar de tener, que la charidad las obliga a saber la dicha forma, pues su officio es estar mas propinquas al parto, que las demas personas, y por respetto de la dicha propinquidad pueden en vn punto remediar la criatura, que no perezca eternalmente: y para la salud eterna della obligacion tiene saber la dicha forma.] Putant igitur hi authores cum casus iste sit nimis frequens, vt experientia docet, & tali necessitati extremæ, vix possit succurri, præterquam ab obstetrice, maximè quando puer nondum integrè est natus; teneri dictas obstetrices ratione sui officij; succurrere necessitati extremæ; quæ annexa est sæpissimè tali officio, ac consequenter scire formam Baptismi, saltem lingua vernacula, & modum baptizandi.

Sed licèt hæc opinio sit pia, & consulenda, tamen probabilem puto contrariam sententiam, quam tuentur Suarez in 3. p. to. 3. disp. 21. sect. 5. vbi ait. Aliqui asserunt teneri fœminas, quæ ex officio sunt obstetrices, ad scienda ea, quæ sunt substantialia ad Baptismum, scilicet materiam, & formam, saltem vernacula lingua. Quæ opinio est pia, & consulenda, tamen in rigore non video, quale sit hoc præceptum, quia non est positiuum Ecclesiasticum, vt constat, nullibi enim reperitur scriptum. Neque enim est naturale, quia non pertinet ad iustitiam, qua ex vi sui muneris non obligatur obstetrix, ad curandum salutem animæ pueri, sed solum ad rectè cooperandum natiuitati corporali eius. Neque etiam pertinet ad charitatem, quia licet supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare si potest, non tamen tenetur vnusquisque esse paratus, aut instructus ad dandum Baptismum, si fortasse inueniat proximum in necessitate constitutum. Ergo, neque charitas obligat obstetricem, ad huiusmodi præparationem, seu dispositionem.

Ad argumentum Rodriquez, & Zambrani respondetur; quod licet fortasse sæpius in eo munere accidat talis necessitas, tamen rarissimè euenit, vel non adesse aliquem alium, a quo possit infans baptizari, vel necessitatem esse tantam, vt non possit citò vocari, & expectari. Ergo propter rarissimum euentum non obligabit charitas ad prædictam scientiam. Vide Posseuin. de officio Curati, cap. 6. nu. 26.

Nota verò, quod non solum obstetrices, & laici possunt baptizare sine vllo peccato in vernacula lingua, sed Sacerdotes peccant solum venialiter, proferendo formam Baptismi in lingua vulgari. Sic Nugnus in 3. part. tom. 1. quæst 66. art. 8. diff. 3. & Bonacina de Sacram. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. nu. 17.

Quidam parochus olim quæsiuit à me, an qui in forma Baptismi relinqueret istas particulas, In, & dicendo, Ego te baptizo nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, conficeret Sacramentum? & si conficeret, an ita baptizando peccet mortaliter.

RESOL. XLVII.

QVoad particulam (*In*) Reginald. to. 2. libr. 24. cap. 1. nu. 30. Comitolus in respons. moral. lib 1. qu. 9. nu. 5. Tolet. lib 2. cap. 19. num. 2. Barthol. ab Angelis vbi infra, & alij putant, si in forma baptismi omittatur, sacerdotem non conficere Sacramentum, & consequenter peccare mortaliter. Sed mihi placet opinio Henriquez in sum. li. 2. c. 8. num. 6 Bonac. de Sacr. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. n. 16. Coninch vbi infra, & aliorum, nam relicta illa particula (*In*) non destruitur sensus formæ. Ergo validum erit Sacramentum. Probatur antecedens, nam idem omninò est sensus, siue dicas In nomine Patris, siue nomine Patris. Immò (*In*) videtur, tanquam per Hebraismum adiungi, sicut quando dicimus Credo in Deum, psallo, vel cano in cithara, quę phrasi Hebræa, idem significant, quod Credo Deum, & cano cithara.

Quantum verò ad particulam, *&*, Viuald. in Cãdelabro aur. tract. de forma Baptismi, nu. 11. Barthol. ab Angelis in suo exa. confess. dial. 2. §. 115. Conrad. in respons. cas. consc. to. 2. qu. 84. Reginald. vbi sup. qui citat Syluestrum, & Innocentium putant esse de essentia formæ. Et ratio est, quia personæ diuinæ constituuntur, & distinguuntur per relationes paternitatis, filiationis, & spirationis passiuæ, quæ quidem personæ debent in forma Baptismi exprimi, secundum eas maximè rationes, quibus constituuntur, & inter se distinguũtur; ad quam distinctionem indicandam particula, *&*, facit aliquid, ergo non est relinquenda in forma Baptismi.

Ego verò contrariam sequor sententiam, cum Comitolo vbi supra num. 5. & Toleto; quam sequutus est etiam Coninch de Sacram. to. 1. qu. 66. art 6. nu. 61. & Pitigian. in 4. sent. part. 1. dist. 3. qu. 2. art. 12. Nam in forma, quæ caret coniunctione, *&*, significatur, & inuocatur tota Trinitas. Ergo erit verum Sacramentum; relicta enim illa particula, *&*, remanet adhuc integer sensus formæ. Ex his igitur apparet, Sacerdotem conficere Sacramentum, si baptizaret hac forma. Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, relinquendo particulam *In*, cum, *&*, nam mutatio non est substantialis, nec destruit sensum formæ.

Quan-

Quantum attinet ad peccatum ratione paruitatis materiæ, excusarem a culpa lethali; sic Bonacina supra: sicuti etiam de omittente particulam, *enim*, in forma Eucharistiæ diximus supra; & licet hoc sit contra communem vsum Ecclesiæ, tamen si hæ particulæ omittantur, sine scandalo, & contemptu; non erit, nisi peccatum veniale, vt in casu simili notauit Vasquez in 3.p.tom.2.disp.142.nu.30.& Sotus in 4.dist.3.q.vn.ar.5.§ quod si, & Rubeus de Sacram.in 4. sent.dist.3. cum summa Corona p.4. de forma baptizandi.nu.14.

An si quis adderet aliquid formæ Baptismi, dicendo verbi gratia; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & B. Mariæ Virginis, vel omnium Sanctorum, *conficeret Sacramentum?*

RESOL. XLVIII.

IAcobus de Graffis in suis decis.aur. p.2. lib.1. cap.3. nu.24. respondit negatiuè; ait enim. Additio semper vitiat Baptismum, quia formæ nihil addendum est, siue detrahendum, cap. firmissimè, &c. si non significatur, de Arrianis, de consecr. dist. 4. & in hoc Host. in sum. concordat; dicens, quod si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & omnium Sanctorum*, non est baptizatus, quia nihil debet iungi formę. Ita etiam tenet Archidiaconus in dicto cap. si non significatur. Hæc Graffius:

Sed hæc sententia, ita absolutè prolata, non est vera, non enim semper, vt vult Graffius, additio vitiat formam. Dico igitur distinguendo, cum Bonac. de Sacram. disp. 2. qu. 2. punct. 4. nu. 16. Barthol. ab Angelis in suo exam. confess. dial. 2. §. 116. Suar. tom. 3. in 3.p. disp. 2. sect. 5. Henriq. lib. 2. c. 8. num. 2. Coninch, de Sacr. qu. 60. art. 8. dub. 1. nu. 70. Summa Corona part. 4. de forma Baptismi, nu. 14. Durand. to. 4. dist. 3. qu. 2. & Paludano q. 1. & Ytibarne in 4. sent. tom. 1. disp. 3. sect. 6. si Sacerdos, sic baptizans intelligit in nomine B. Virginis baptizare, sicut in nomine Trinitatis, talis sensus est contrarius veræ fidei, & per consequens tollit veritatem Sacramenti. Sed si addit in Baptismo, vt eius intercessio prosit baptizato ad conseruandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sacramenti. Sic D. Thom. in 3.p. quæst. 60. art. 8. to. 2. disp. 129. c. 7. n. 107. putat illa verba in nomine B. Virginis, non esse æquiuoca ad vtrumque sensum, quem supradiximus ex D. Thoma, sed semper falsum continere, eo quod illud *in nomine*, denotat authoritatem, neq; enim quis dicitur facere aliquid in nomine alterius, nisi authoris; Hæc namq; vox hoc communi vsu significat, ac proinde eius significatio non pendet ex intentione ministri. Hinc Rubeus de Sacr. in 4. sent. dist. 2. valde dubitat de Baptismo sub hac forma lato; nam ait, talis additio, (nempè in nomine B. Virginis) ex se prorsus tollit significationem, ac mutuat formæ sensum; atque perinde non obstante ministri legitima intentione; aufert veritatem Sacramenti. Hæc ille, & Pingian in 4. sent. p. 1. dist. 3. qu. 2. art. 12. sed non rectè; nam, etsi verba illa omnia simul sumpta significent errorem contrarium formæ, verba tamen essentialia etiam, vt hic, & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis, quàm secundum commune Christianorum audientium iudicium, prius tempore, quam illi additio fiat, habent perfectam suam significationem, & consequenter operantur eodem instanti suum effectum, qui per verba subsequentia tolli nequit, qualemcumque hæc errorem significent. Non est ergo à communi sententia recedendum, quæ asseri, vt diximus sacerdotem conficere Sacramētum, etiamsi addat formæ Baptismi, in nomine B. Virginis, dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, sicuti in nomine Patris, &c. sed tantùm executione intendat auxilium B. Virginis baptizato implorare.

Ad argumentum verò Iacobi de Graffis, respondetur, additionem non semper vitiare Baptismum, si non tollat prorsus significationem formæ, quod accidit ex dictis in nostro casu. Vide Alciat. in leg. 1. §. sed si mihi, num. 6. ff. de verb. oblig. & Gasp. Cabalinum in suo milleloquiis, part. 1, millel. 248.

Olim fuit inter me, & Religiosum Dominicanæ familiæ orta hæc quæstio, an debitor morosus inculpabiliter teneatur suo creditori ad interesse damni emergentis seu lucri cessantis.

RESOL. XLIX.

NOtandum est, pro decisione huius casus debitorem ex delicto, vel quasi delicto, teneri sub mortali statim restituere, dū commodè potest, alioquin censetur esse in mora, leg. in re furtiua, ff. de condit. furt. Debitor verò ex contractu, vel quasi contractu tenetur restituere, statim ac elapsus est terminus solutioni constitutus, etiamsi admoneatur, nam dies definita interpellat pro domino, cap. fin. de locato, & conducto. Si verò non fuit constitutus terminus ad soluendum, debitor non videtur esse in mora, aut grauiter peccare, non restituendo antequam admoneatur. Nam creditor sciens, & potens petere, videtur dilationem concedere, non petendo. Secus dicendum est, si petat, vel si non petat ob timorem, vel impotentiam, vel obliuionem; tunc enim debitor dicitur alienum retinere, inuito domino, & censetur esse in mora, non restituendo. Ita Petr. à Nauar. lib. 4. c. 3. num. 12. Azor. p. 3. lib. 4. c. 24. qu. 2. Salon. in 2. 2. qu. 77. art. 2. contr. 8. n. 17. Rebellius p. 1. lib. 2. quæst. 17. sect. 1. nu. 4. Couarruuias in reg. peccatum, part. 1. §. 1. nu. 1. & iterum Rebell. p. 2. lib. 1. de contr. in genere, q. 4. nu. 2. Reginaldus, Medina, Syluester, & alij.

His suppositis, ad propositam dubitationem, affirmatiuè respondit Molina de iustit. tom. 2. disp. 315. num. 2. vbi ait, Dicendum est eo ipso, quod aliquid mutuo datur ad certum terminū teneri mutuatarium ad damnum emergens, atque ad lucrum ex eo mutuanti cessans, quando in termino præfixo solutio non fiat, idque esto, absque mutuatarij culpa solutio non fiat, vel quod soluendo non fuerit, vel alia simili de causa, quæ tamen ex parte mutuantis non proueniat. Ratio est, quoniam eo ipso, quod terminus solutioni mutui præfigitur, tacitè, ac virtute censetur interuenire pactum, quod mutuatarius teneatur ad interesse, quo mutuās defectus solutionis in eo termino priuatur. Quare cum obligatio illa ex contractu oriatur, consequens est, vt esto absque culpa etiam iuridica mutuatarij solutio sit omissa, teneatur ad eiusmodi interesse, nulla expectata sententia. In hanc sententiam inclinat etiam Emanuel Sa ver. mora, num. 2. vbi in fine asserit, hanc opinionem videri vsu mercatorum receptam. Reginaldus verò tom. 2. lib. 23. c. 7. num. 77 cum Lelio Zechio in summ. to. 2. tract. de vsuris, c. 16. nu.... putat ex mora inculpabili oriri obligationem tātum ad interesse intrinsecum, id est, quod ex re mutuata profluxit, v.g. mutuaui fęnū, quod à tempore morę vendere possem 20. & nunc tantum vendere possum 15. teneris restituere illius interesse; sed non oriri obligationem ad interesse extrinsecum, quod procedit quidē ab alio, quam à mutuo non soluto, ipsa tamen nō solutio dedit illi occasionem, vt v.gr. quando occasione fęni non soluti fame mortua est vacca creditoris.

Sed ego absolutè existimo, cum Ioan. Salas tract. de vsuris, dub. 19. nu. 5. quem nouissimè sequitur Bonac. de contr. disp. 3. qu. 3. punct. 3. nu. 5. Mald. in 2. 2. tract. 5. c. 3. dub. 12. qu. 4. Lessius lib. 2. cap. 8. dub. 10. nu. 70. Rebellius part. 2. libr. 8. quæst. 7. nu. 4. & sequent. quando mora est inculpabilis, & non præcessit pactum de soluendo interesse procedere etiam ex mora inculpabili, debitorem non teneri de damnis, quia non potest obligari, nisi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum interuenit. Et hoc videtur docere apertè Syluest. verb. mora, quæst. 1. & Armilla num. 2. de regulis iuris in 6. vbi dicitur, non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri, & omissio ineuitabilis, nullam habet rationem acceptionis, aut retentionis iniustæ, quę constituatur radix obligationis ad restitutionem.

Ad argumentum Molinæ, respondetur quòd tacitum pactū non videtur extendi ad hunc casum, alioquin enim nimis durum esset, cum ad impossibile nullus obligetur; ex Regula sexta de Regulis iuris in 6. ex his apparet non benè illum Religiosum dixisse, me de hoc casu consultum, opinionem improbabilem, & nimis laxam consuluisse, est enim hæc opinio communior, & probabilior, quicquid asserat Molina.

Petrus mutuauit centum Ioanni, quaeritur vtrum possit cum eo pacisci, vt sibi statim reddantur quinque ratione lucri cessantis.

RESOL. L.

ANimaduertendum est, cum Petro à Nauar. de rest. lib. 3. c. 2. numer. 303. & alij de lucro cessante dupliciter posse fieri pactum; vno modo indeterminatè, vt scilicet interesse, quomodocumque posteà, euenerit mutuatarius teneatur, quantum ipsum fuerit, resarcire. Altero modo pactum fieri potest determinatè, nempè paciscendo à principio de certo pretio, quod mutuatarius soluat pro lucro cessante, siue maius, siue minus, siue etiam nullum postea compertum fuerit cessare, quia tale pactum non innititur veritati lucri euenturi, sed verisimilitudini rationabiliter habitae; sic Medina c. de acquisitis per vsuram, qu. 4. ver. ergo resolutio: Soto lib. 6. de iust. qu. 1. art. 3. Nauarrus in Enchirid. cap. 17. num. vlt. & alijs.

Hoc supposito, ad quaestionem respondendum est negatiuè, quia quod per interesse soluitur, eidem subrogatur, neque eius, quod nondum extitit, subrogatio exigi potest; & certe si aestimatio fiat, vt lucrum cessans exigatur ab initio mutuationis, ipsum non est tantum, quantum aestimatur. Namque si pro lucro cessante ex 1000. aureis mutuatis, statim recipiatur aliquid, vt 100. aurei, tunc reuera lucrum non cessat ex 1000. aureis, quia in effectu tantum 900. mutuantur. Accedit, quod alioquin fieri posset, vt mutuatarius obligetur ad solutionem mutui, nihil accipiens; nam fieri potest, vt lucrum speratum adaequet sortem, quod si ab initio mutuator capiat, nihil restabit mutuatario obligato ad solutionem sortis, quod iniquissimum est. Sic P. à Nauarra de restit. lib. 3. c. 2. n. 305. Reginaldus tom. 2. lib. 13. c. 8. nu. 90. Rebellius de oblig. iust. p. 2. lib. 8. q. 6. num. 4. Nauarrus comment. de vsur. num. 54. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 1. punct. 4. conclu. 3. Rodriquez in summa to. 1. c. 100. nu. 10. Megala in 2. 2. lib. 1. cap. 15. qu. 2. nu. 25.

Sed licet haec opinio sit vera, ostendam confessarijs duos modos, in quibus poenitentes mutuando, possunt pacisci, vt statim sibi lucrum reddatur ex illo mutuo. Primus modus est Leon. Lessij lib. 2. c. 20. dub. 21. nu. 100. scilicet, mutuando, verbi gratia 100. aureos ea lege, vt statim mutuatarius reddat 9. ratione lucri cessantis ex 91. quos ipse retinet. Et hanc non esse vsuram probatur; quia hoc nihil est aliud, quam mutuare 91. cum interesse, & alios nouem sine interesse, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum interesse ex 91. prouenien's, in quo contractu, non magis grauatur mutuatarius, quam si differretur solutio interesse.

Secundus modus est Ioannis de Salas tract. de vsuris, dubio 19. nu. 11. & Ioan. Azor. part. 3. lib. 5. cap. 5. quaest. 3. scilicet, non accipiendo illud lucrum cessans, ea ipsa summa pecuniae, vel ex aliqua re fructifera. Sed verbi gratia, in tanta quantitate olei, frumenti, vini, &c. Notabunt haec Confessarij, & in praxi si expedierit, ad tollendas occasiones peccatorum, his monitis vtantur. Salua semper, &c.

An reliquiae alicuius Sancti nouiter inuentae, debeant approbari ab Episcopo.

RESOL. LI.

REspondeo affirmatiuè ex Concil. Trid. sess. 25. de reliqu. & vener. Sanctorum, vbi ait. Nulla esse admittenda noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de [illegible] aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quae veritati, & pietati consentanea iudicauerit. Quod si aliquod dubium, vel aliquo de ijs rebus grauior quaestio incidat, Episcopus antequam controuersiam dirimat Metropolitani, & comprouincialium Episcoporum, in Concilio Prouinciali sententiam expectet. Ita Tridentinum. Ex quibus verbis oriuntur aliquae difficultates, vnde ad elucidationem huius materiae.

Quaeritur primò, quaenam certitudo requiratur in approbandis supradictis reliquijs? Respondeo, esse necessariam certitudinem moralem, deductam ex probabilibus argumentis, non autem euidentiam, & argumenta infallibiliter concludentia. Ita in terminis notauit Ambrosius Morales in 2. part. Historiae generalis Hisp. lib. 17. cap. 5. in fine, narrans inuentionem Sanctorum corporum; quae Cordubae inuenta sunt anno 1575. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba. (Para todo lo que desto se tratara conuiene mucho aduertir, como en la materia deste sancto negocio no puede haber euidencia, ni argumentos, que del todo concluyan, sino vna buena probabilidad moral, deduzida de buenos principios, y fundamentos, de donde se forman razones, que tienen toda la fuerza; de que es capaz la materia, por ser estas cosas de suyo difficiles de aueriguar, y que se deue tener en mucho qualquier apparencia de buena razon, y conueniencia, que se puede hallar.) Et in lib. 13. cap. 37. loquens de Cruce ab Angelis fabricata tempore Regis Alphonsi, cognominati *el casto*, sic asserit. (Es menester, que tengamos en semejantes cosas vna piadosa affecion en nuestra alma, laqual sin falta andando examinandolo todo, no ay nada, que desheche, y condenne. Porque yo pregunto, que milagro podra haber aueriguado, que reliquias de Santos ciertas, sino queremos creer con blandura de corazon, sino porfiar contradiziendo? En todas se hallara siempre algo, de que se queda dudar, si se andan escudriñando menudencias con rigor si se desembuelben particularidades, si poniendolo todo a pleyto queremos, que todo este aueriguado, y manifiesto.) Sicut ille, quae omnia satis explicant verba illa Concilij, quae pietati, & veritati consentanea iudicauerit, & alia, quae habentur in cap. placuit. de consecr. dist. 1. vbi asseritur à Pontifice, quod illae reliquiae sunt honorandae, quae certè sunt, certè videlicet non euidenter, sed ex rationibus probabilibus. Nam vt notat nost. [illegible] Naldus in summ. ver. certum, nu. 1. & Sylu. ver. matrimonium, quaest. 13. ille dicitur certus, qui probabiliter, & non temerè credit.

Quaeritur secundò, an reliquiae Sancti nondum canonizati, possint approbari ab Episcopo?

Affirmatiuè videtur respondere Petrus de Lorca in 3. parte, D. Thom. quaest. 25. artic. 6. disput. 98. num. 10. Sed contraria sententia prorsus est amplectenda, vt contra Lorcam rectè adnotant Zipaeus in analyt. &c. lib. 3. de reliquijs, & vener. Sanctorum, nu. 3. vide etiam Azorio tumo 1. libr. 9. cap. 8. quaest. 8. Suarez in 3. part. tom. 1. disp. 55. sect. 2. & Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 97. num. 10. qui citat multos alios, & ideo illa verba Concilij *Reliquias nouas*, accipienda sunt pro, nouiter repertas.

Quaeritur tertiò, an vota Theologorum sint in hoc casu consultiua tantum, ita vt Episcopus possit decernere aduersus eorum placita. Respondeo affirmatiuè. Ita Bonac. tract. de leg. disp. 3. qu. 1. punct. 4. num. 5. & Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c. 43. numero 15. Et ratio est, quia vbi solum alicuius consilium petitur, non est necesse illud sequi, vt patet ex leg. cum pater, §. mando, ff. de leg. 2. & probat Menochi. volum. 1. cons. 69. nu. 17. & 18.

Quaeritur quartò, an si oriatur aliqua grauis quaestio, & ideo conuocetur Concilium Prouinciale, an vota dictorum Episcoporum sint decisiua, & non consultiua, vt de votis Theologorum diximus supra. Respondeo esse vota decisiua. Ita Bonacina, & Sanchez, vbi supra, quia Concilium non petit consilium ab Episcopis, sed sententiam. Notandum vero, quod maior pars eorum sententiam faceret, vt supradicti Auctores notant, nam sententiam, quam maior pars Concilij tulit, censetur a toto Concilio lata leg. quod maior. ff. ad municip. & c. Apost. dist. 16. Et non sufficeret, vt maior pars Episcoporum seorsim, & extra Concilium sententiam ferat, sed ipsam conciliariter ferre debet in ipsomet Concilio, vt fecerunt Episcopi in Concilio Prouinciali Toletano anno 1583. approbando reliquias nouiter inuentas Sanctorum Fausti, Ianuarij, & Martialis, quas antea approbauerat Episcopus Ciuitatis Cordubae, quae omnia inuenies apud Ambrosium Morales in Hist. Hispan. libro 17. cap. 12.

Quaeritur quintò, an Episcopus extra Dioecesim reliquias approbare possit, vigore dicti Concil. Trid. Respondet affirmatiuè Barbosa de potest. Episcop. p. 3. alleg. 97. numer. 14. vbi asserit, posse Episcopum extra suam Dioecesim existentem, absque aliqua Episcopi Dioecesis licentia, approbationem facere, & facultatem concedere, vt in sua Dioecesi publicè reliquiae collocentur venerandae. Et ratio est, quia haec non est iurisdictio contentiosa, sed voluntaria; iurisdictio autem voluntaria, exercere potest extra Dioecesim propriam, etiam de facultate

Episco-

Episcopi illius loci, in quo exercetur iurisdictio, vide Bonacinam, & Sanchez vbi supra.

An pœnitens teneatur acceptare iniunctam à Confessario pœnitentiam?

RESOL. LII.

ITa affirmatiuè respondendum videtur aliquibus, vt improbabilem negantem sententiam iudicet Nugnus in 3. p.to. 2. qu.15.art.1.& qu.13.art.2.diffic.2 concl.1. plus addit Suarez in 3.p.to.4.disp.38.sect.7.num.2. & Coriolanus tract.de cas. reser. p 1.sect.3.concl.16.n.3. cum alijs. Imò Vasq.in 3.p.tom.4 q.94. art.2.dub.1.nu.5. de fide hanc sententiam definitam esse existimat, quod antea docuerat Victoria in summ.nu.209. Et sic præter DD. antiquos, ferè omnes neoterici asserunt pœnitentem, sub onere peccati mortalis, debere acceptare iniunctam pœnitentiam à confessario. Ita docet Sanctarell.tract.de Blasphemia c.7.dub.1.nu.8.in fin. Valent.tom.4.disp.7.q.14 punct.4.Sylu.in 3.p. qu.18.art.3.dub.3. Fagundez de præcep. Eccl.tract.2.libr.2. c.3.nu.18.Tolet. in sum.lib.3 c.9.n.3.Henriq. lib.2.c.3.num.11. Bellarm.de pœnit.lib.4.c.13.Filliuc.tom.1.tr.8.c.2.q.8.n.53.Ledesma in sum.to.1.de pœnit.c.23.cōcl.8. dub 1, Bonac.de Sacr. disp.5.q.5.sect.3. pun.4.n.1.Megala in 1.p.lib.6.c.3.n.3.Coninch de Sacramentis, disp.10.dub.9.nu.79. Villal. vbi infrà,& alij DD.afferunt pro hac sententia multas rationes, sed præcipuè, authoritatem Concil. Trid. asserentis, Sacerdotes habere potestatem ligandi, sed si pœnitens posset respuere pœnitentiam, Sacerdos non haberet talem potestatem. Ergo, &c.

His tamen non obstantibus, non desunt Doctores, qui post Concilium Tridentinum, contrariam docuere sententiam. Hi sunt Gregor. Ruyz in controu.sup.4.sent.contr.94.Raphael de Cæsare in consol. anim.dial.8.c.26.Beia in respons.cas.consc. p. 3.cas.3.Nauarr. in man. c.20.nu.26.& nouissimè Ytibarne in 4. sent.tom.2.dist.19.qu.1.disp.17.sect.3. & Pitigianus etiam in 3. eadem dist.19. qu.vn.artic.3. præter DD. qui ante Concilium scripserunt, & etiam post Concilium probabilem vocant hanc opinionem Sotus in 4.dist.20.qu.2.art.1.Zerola in praxi pœnit. c.25.qu.9.ex ordine Prædicatorum P.Ioan.de la Cruz in direct. consc.p.1.de Sacram.pœnit.qu.4.dub.3.conclus.1. & nouissimè Villalob.in summ.to.1.tract.9 dub.28.nu.4. vbi sic ait. (En practica se ha de dezir, que si el penitente non quiere acceptar la penitēcia, y en lo demas llegò bien dispuesto, debe el Sacerdote absoluerle, contra su opinion, porque la opinion contraria, es probable practicè, pues la tienen hombres tan doctos.) Ita Villalobos, qui ad partes hanc opinionem ibi doctè pertractat. Et ratio est, quia peccator in hac vita, non tenetur satisfacere pro pœna temporali; & ideò potest eam remittere in Purgatorium, ac proindè non tenetur, quoad hoc obedire Iudici, ac Cōfessori, id præcipienti. Respondent vero ad argumentum Concilij: dicēdo posse Sacerdotem ligare ad pęnam, sicut in eod in Concilio,& absoluere à culpa; sed cōstat apud omnes non posse absoluere nolētem, sed tantum volentem, ita concedendum esse posse ligare pœnitentem volentem, & pœnitentiam acceptantem: sed non sequitur, hoc posse, etiam nolentem, sicut, vt dictum est, absoluere nolentem non posset.

Notandum est etiam, aliquos Doctores asserere pœnitentem, non respuentem omnem pœnitentiam, sed aliqualem, licèt paruam, vt vnum Pater noster,&c. acceptantem, non esse à confessario, sine absolutionis beneficio, dimittendum. Ita Reginald.in praxi tom.1.lib.7.c.2.num.15.Homob in examen. Eccl.p.1.tract.5.cap.15.q.92. Hostiens.in sum.de pœn.§. & an sit, ver.quid de operibus, Abb. in c. significauit, num.2.eod. tit. Molfesius in summ.to.1. tract.3. cap.25.nu.57. & alij. Sed sufficiat, in re tam graui, varias sententias proposuisse, & DD. post Concil. Trid. maximè pro secunda sententia non sine labore, in gratiam studiosorum collegisse, nihil tamen de eorum placitis approbando, vel reprobando.

Vtrùm vnus confessarius possit impositam pęnitentiam ab alio commutare?

RESOL. LIII.

NEgantem sententiam amplexus est Nugnus in 3 par. tom. 2.qu.13.dub.4. Vasquez in 3.p. vbi infr. num. 8. Ledesma in summ.to.1.tract.de pœnis, c. 23.concl.8.dub.2. Sot. in 4.dist. 20.q.2.ar.3.& alij, eo quod par in parem non habeat imperium, vt habetur in lalle a quo, §.1 tempestiuum, ff.ad Trebell. & quia ad retractandam, seu reuocandam sententiam vnius Iudicis, adiri debet superior per viam appellationis, quia æqualis id facere nequit, ex cap.dilectus, 2.de rescriptis, c. vt debitus honor, de appellat.leg.si quis aduersus, C. de precibus Imper. offer. & alijs iuribus.

At his non obstantibus, affirmatiuam sententiam, & rectè docet Syluest. ver.confess.6.nu 4 Rosel.ver.confess.Sacram.nu. 11.& omnes neoterici infrà citandi. Et ratio est, quia sicut absolutio potest super eadem peccata repeti, ita iudicium, & sententia. Nec obstant, in contrarium adducta, quod par in parem non habet imperium, nam secundus Sacerdos, pœnitentiam commutans, nullum exercet imperium in priorem, sed in pœnitentem, nec propriè reuocat sententiam prioris, sed suam profert, & hoc posterius iudicium non instituitur ad derogandum priori, sed ad consulendum pœnitenti, in cuius fauorem talis iteratio conceditur. Neque totum hoc efficitur per modum appellationis, vt putant aduersarij, sed per modum noui iudicij æqualis iudicio præcedenti, quorum iudiciorum, neutrum aduersatur alteri, sed ipsum in sua integritate relinquit. His tamen ita suppositis, difficultas in praxi occurrens, est an Sacerdos possit commutare pœnitentiam, non audita priori confessione eorundem peccatorum: Non posse docet Vasquez vbi infra, num.7. Suar. tom.4.disp.38. sect.10.num.8. Filliucius tom.1.tract.8.c.2.nu.50. Pesantius in add.ad 3.p.qu.18.de satisfact.Sacram.disp.2.concl.3.Coninch de Sacram. disp. 10. dub. 12.concl.3.num.101.Reginald. in praxi, tomo 1. libro 7.cap. 8. num.93. Fagundez de præcept. Eccl.tract.2. lib.9. cap.4. num. 15.17.& 22. & ex nostris Molfesius in summ. tom.1. tractat.7. cap.23.num.71.Megala in 1.p.lib.6.c.5.q. 3. num.5. qui asserit, nullo modo sustineri posse contrariam sententiam. Ratio est, quia omnis actus iudicialis debet fieri cognita causa, circa quam versatur.

Sed ego existimo, supradictos Doctores in Cathedra, vel in cella hanc opinionem docuisse; sed in confessionario, contrariam sententiam practicasse; nam onus nimis magnum esset pro confessarijs, & pœnitentibus in commutatione alicuius pœnitentiæ præteritas iterare confessiones. Ideò existimo probabilissimam esse illam sententiam, quę docet posse confessarios, non audita priori confessione eorundem peccatorum, pœnitentias commutare. Et ita docet Nauarr. in man.c.26.nu. 22.Tolet.in sum.lib.3.c.11.nu.5.Portel in add.ad dub. reg. ver. pœn.Sacr.nu.8.Henriq.in sum.lib.15.de pœn.c.22. nu.1.Beia p. 5.cas.15.Raphael de Cæsare in consol. anim.dial.8.c.26.Victoria in summa, cap.211.Io.de la Cruz in direct. consc. p.2.de pœnit.qu.4.dub.4.concl.2.in fine. Villalobos in sum.part.1.tract.9. dub.79.nu.5.Emanuel Sà verb. satisfactio, num.3.Rodriquez in summa 10.1.c.56.concl.7.nu.8.Viualdus in candel. de satisfact. nu.31.Ioan.Valerus vir doctissimus, vbi infrà, & alij, vel vt melius dicam, communis vsus confessariorum, & hanc etiam sententiam probabilem, & practicè securam vocauit Anton. Fernandez in exam. Theol.mor.p.3.c.6.§.7.n.30.in fine, & Syluius in addit.ad 3.p.q.18.art.3.dub.4.conclus.1. Ratio est, quia præsens confessor potest de tota simul causa pœnitentis, iuxta præsentem dispositionem iudicare, prout magis expedire iudicauerit ipsi pœnitenti.

Sed graue hic emergit dubium, an secūdus confessarius qui non habet potestatem absoluendi a peccatis reseruatis, super quibus pœnitentia imposita est, possit hoc non obstante, pœnitentiam illam commutare. Negatiuè respondet Suarez, Filliucius, Molfesius, Megala, Fagundez, & ferè omnes DD. supra citati. Sed contrariam sententiam docet Vasquez in 3. part. to. 4.quæst.94.ar.2.dub.3.n.9.Fernandez Societat. Iesu in instruct. confess.p.1.nocum.7.num.5.& Io. Valerus in differentijs vtriusque fori ver. iurisdictio, diff 1. num.7. Et ratio est, quia constat quod per absolutionem casuum reseruatorū, remanent illa peccata non reseruata, ergo, & consequenter non remanebit reseruata pœnitentia pro eis imposita. Hæc sententia est probabilis, & tuta in praxi.

Sed pro coroinde huius disputationis: videamus, an dicta commutatio facienda sit in sacramentali confessione, vel extra. Megala, Suarez to.4.disp.18 sect.4.nu.8. & alij asserunt Nauarrum docuisse, confessarium posse commutare pœnitentiam extra Sacramentum pœnitentiæ; sed falluntur, quia Na-

uarrus solummodo dicit non esse necessariam iterationem cōfessionis peccatorum, super quibus data fuit pœnitentia, quando postulatur commutatio eiusdem, hoc autem non est dicere extra confessionem Sacramentalem fieri posse dictam cōmutationem. Bonacina de Sacramentis disp. 4. q. 5. sect. 3. punct. ... n. 7. asserit Rodriquez, & Summam Coronam docere hāc sententiam, sed apud ipsos illam non inuenio, sed illam docet Victorellus in notis ad Emanuelem Sà ver. satisfactio, num. 5. & Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 14. punct. 4. vbi sic asserit. Est notandum, vt pœnitentia rectè commutari possit, omnia ferè necesse, vt peccata, pro quibus imposita fuit, illi pateant aliquo modo, qui est eam commutaturus, quamuis non est quidem opus, vt ei manifestentur rursus per Sacramentalem confessionem. Ita Valentia.

Sed contrariam sententiam omnino amplectendam esse iudico ex communi Doctorum sentētia. Vide omnes citatos authores. Ratio est, quia tam solutio, quam ligatio pœnitentis actus sunt clauium qui necessario requirunt Sacramentum, ergo sicut posterior confessarius non potest ligare absque Sacramento, ita neque soluere. Dicta igitur commutatio facienda erit à confessario secundo in sacramentali confessione, & non extra. Limita tamen hanc sententiam, nisi ab eodemmet confessario pœnitentia commutaretur, nam si id fiat intra vnum, aut alterum diem, posset pœnitentia extra Sacramentum commutate, quia in isto casu adhuc censetur idem iudicium. Ita Sotus in 4. dist. 20 qu. 2. art. 3. Valerus vbi supra, ver. Iudex, diff. 23. nu. 5. & alij. Vnde nimis scrupulosè in hoc loquitur noster Megala vbi supra, asserens hoc fieri nō posse, nisi intra spatium mediæ horæ, sed Henriquez libr. de pœnit. cap. 21. §. fin. cum Ledesma, & Viualdo, & Valero vbi suprà putat idem fieri posse intra triduum, aut hebdomadam, si redeat pœnitens. Sed notandum est, quod si pœnitentia sit tantum medicinalis potest vtique tunc omnis confessarius extra confessionem Sacramentalem, dictam pœnitentiam commutare, suspendere, atque super ea dispensare, & hoc sæpè practicauit, ait Valerus vbi sup. qui etiam putat eundem confessarium posse commutare pœnitentiam sine causa, quia sicut fuit in eius arbitrio illam imponere, ita in eodem debet esse illius commutatio, nam vnaquæque res propter quascunque causas nascitur, propter easdem dissoluitur, sed cum petitur commutatio ab alio Sacerdote, requiritur causa.

Et ideò reassumens omnia supradicta, assero posse quemlibet confessarium ex iusta causa commutare pœnitētiam, etiam si fuerit data super peccata reseruata, & etiam non iterata priori confessione, dummodo hoc efficiat in Sacramentali confessione, non autem extra; quod si commutauerit, idem confessarius poterit quidem extra confessionem, si ad plurimum intra hebdomadam pœnitens redeat.

Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem. Sed si aliquis quæreret, an pœnitens auctoritate propria commutare possit pœnitentiam à confessario sibi impositam, in opus euidenter melius. Respondeo affirmatiuè, & ita etiam probabiliter docet Porrel in add. ad dub. reg. ver. pœnitentia Sacramentalis, num. 6. vbi sic asserit. Potest pœnitens, authoritate propria, commutare pœnitentiam sibi impositam in aliud opus euidenter melius. Probatur à simili. Nam omnes dicunt posse quemlibet suum votū commutare auctoritate propria in opus euidenter melius, vt qui vouit dicere tertiam partem Rosarij, poterit commutare in vnum diem ieiunij; est autem eadem ratio, in præcepto orto ex voto, & ex mandato confessoris. Ita probabiliter Portel, licèt aliqui etiam magis probabiliter contrarium asserant. Sed hæc dicta sufficiant circa pœnitentiæ cōmutationem; hoc vnum addam valdè notandum, posse pœnitentem pœnitentiam à confessario iniunctam per annum differre. Ita docet ex Societate Iesu Antonius Fernandez in Instruct. confessar. p. 1. docum. 7. §. 2. n. 2. vbi sic ait. (Tiene obligacion el penitente de cumplir la penitencia por lo menos de vn año, si no le obligó el Confessor dentro de menos tiempo coligese del cap. omnis de pœnit. ibi. *Et iniunctam sibi pœnitentiam.*) Sic Fernandez, qui hoc etiam docuerat in document 4. num. 5.

∴

An Equites Commendatarij D. Ioannis insumentes redditus bonorum suorum in vsus illicitos, peccent contra paupertatem, & accipientes teneantur ad restitutionem.

RESOL. LIV.

Affirmatiuè respondet Azorius tom. 1. libr. 13. cap. 4. qu. 10. & ante illum hoc etiam docuerat Molina Iurisconsultus Nauatrus, Motta Ayala, & alij apud Sanchez, vbi infra, vide etiam Riccium p. 3. dec. 321. num. 4. & Suarez de relig. tom. 3. l b 8. cap. 16. nu. 24.

Sed contrariam sententiam amplexus est P. Franciscus Alcozer in suo tract. de ludo, c 39. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba. (Los Commendatores de San Iuan, de Sant'Iago, de Calatraua, y de Alcantara disponen libremente de sus bienes en vida, y los gozan, y dan, y enagenan, y traspassan en las personas, que quieren, como qualesquier otros seglares libres, disponen de los bienes, que tienen. Esto se entiende de los fructos, y rentas de las encomiendas, que de la orden tienen. Mas las heredades, villas, y lugares de las dichas encomiendas no la pueden dar, ny enagenar; Assi mismos entende, que goza, y enagenan, como quieren los bienes muebles, y fructos de los bienes, que han adquirido por titulo d'herencia, ò donacion, ò otro titulo iusto de sus poderes, y deudos, y amigos, y señores, ò officios, ò de otra manera. Esto presupuesto digo, que los, que inegan, y gañan alos tales lo adquieren iustamente, y no son obligados a restitucion, porque los tales bienes ellos los gozan, y posseen, y disponen dellos, como los seglares libres, disponen de los bienes, que tienen.) Ita Alcozer. Sed pro maiori elucidatione, & intelligentia, suppono, quod sup adicti Equites, licèt voueant paupertatem, vouent tamen illam, prout vsus permissus, & toleratus apud eos recipit. Non itaque Religiosorum Claustralium rigidam paupertatem vouent, sed bona sua retinent amouibilia tamē ad nutum Magni Magistri, & de illis disponunt, licèt in morte non possint, absque Superioris licentia testari, & ideo votum eorum de proprio non retinendo, intelligendum est quo ad dominium, non autem quoad vsum, distributionem, & vsumfructum. Ita de Equitibus D. Ioannis loquuti sunt Sanchez in sum. to. 2. libro 7. c. 8. nu. 39. Genuensis in practicab. Eccl. tricenar. 1. qu. 20. nu. 3. Bartholà S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. q. 80. nu. 2. Homob. de Bonis in exam. Eccl. p. 1. tract. 7. cap. 12. qu. 58. Graffius tomo 1. lib. 3. cons. 11. nu. 23. Vide etiam Vasq. opusc. de reddibus, c. 3. dub. 9. nu. 40. & alios; & licèt eorum Regula, & forma Professionis aliquid plus præseferat, & ab illis requirere videatur, attamen longæuus vsu, & antiquissima consuetudo ita interpretata est dictam eorum Regulam, & Professionem, & hoc cum scientia, & sine contradictione Superiorum. Adde quid multi eorum, imò ferè omnes, minimè professionem emitterent, si sub onere peccati mortalis tenerentur ad aliam strictiorem paupertatem, & vitæ rationem, quam quod hodie inter illos seruare consuetum est. Cum igitur supradicti Milites bona sua retineant, & de illis liberè disponant, insumendo illa in vsus illicitos, peccabunt quidem, non autem contra paupertatem, nec recipientes obligationem restitutionis habebūt: nam probabilis illa est opinio, quæ asserit Religiosos, etiam mendicantes, si licentiam habent de aliquibus bonis disponendi, si illa in vsus illicitos insumant, peccare quidem, sed non contra votum paupertatis, nec ab illis recipientes aliquo restitutionis nexu vinciri.

Et ita loquens in casu nostro de Militibus Religiosis docet ex Societate Iesu Pater Salas tract. de ludo, dub. 21. num. 6. qui citat Angles, Lopez, Medinam, & alios, & etiam probabilem vocauit hanc sententiam Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 3. dub. 1. conclus. 2. & Petrus Ledesma in addit. ad 2. par. suæ summæ, tract. de statibus, cap. 4. diffic. 4. vbi asserit, illam docuisse doctissimum, & Religiosissimum Magistrum Gallo, & multos alios magistros, ex schola D. Thomæ, & ex Societate Iesu tenet etiam hanc sententiam Rebellius p. 2. lib. 12. qu. 4. sect. 7. n. 6. licèt contrariam opinionem probabiliorem esse puto, quam præter Doctores, quos citat Salas vbi supra, num. 3. tenet Sanchez in sum. to. 2. lib 7. cap. 19. num. 81. & nouissimè Fagundez de præcep. Eccl. tract. 2. lib. 8. cap. 6. nu. 13. Cenedo de paupert. Religiosa, dub. 17. n. 7. & seqq. cum Llamas in sum. p. 3. meth. c. 9 §. 13. & alii.

Ex

Ex his apparet, meretrices dictorum Equitum, & ludentes cum ipsis, & ipsos quoque Equites, si restitutionem facere noluerint, posse à Confessarijs, secundum supradictam opinionem probabilem, sacramētalem absolutionem, sine vllo onere restitutionis, obtinere. Post hæc scripta inueni supradictam opinionem in terminis docere Michaelem Zanardum in director. Confess. p. 2. præcept. 4. cap. 31. qu. 8. vbi sic asserit. Si Eques (loquitur etiam de Militibus D. Ioannis) redditibus Commendarum suarum in pessimos vsus, expēdat, quamuis peccet mortaliter, cum hæc bona sint ei data, vt viuat iuxta statum suum, & non vt ea dilapidet in pessima cōtra proprium statum: tamē non obligatur ad restitutionem, quia hæc bona sunt ei data, vt de eis faciat quicquid ei placuerit, vel expedierit, non intendēdo eum obligare ex contractu, & vi iustitiæ commutatiuæ, vt si ea in malos vsus consumpserit, teneatur ad restitutionem. Hæc Zanar. Vnde remanet satis probabilis nostra sententia.

Scripsi hæc in re tam graui, quasi coactus, & Deus scit si cum magna, & intima cordis tristitia, vt fragilibus conscientijs aliquod remedium exhiberem. Nam si contraria sententia in praxi omninò amplectenda esset, vt olim cū Azorio mordicus consulebam, mille laqueis restitutionis pœnæ innumeri tenerentur, & nemo restitueret. Et hanc opinionem, tanquam probabilem, tenent etiam multi viri docti, de hac re a me consulti, tam ex nostra Religione, quam ex Societate Iesu, & inter illos præcipuè P. Franciscus Bardi, vir Scholasticæ, & moralis Theologiæ peritissimus.

Quando quis Beatificatus est, & concessa fuit facultas, vt Sacerdotes certæ Religionis, possint de illo Missam celebrare, vt concessum fuit in Beatificatione nostri B. Andreæ Auellini; quæritur in tali casu, an omnes alij Sacerdotes sæculares, & regulares possint celebrare Missam de eo Beato in Ecclesia assignata in Decreto Beatificationis.

RESOL. LV.

Videtur respondendum affirmatiuè, quia fauores, & priuilegia sunt amplianda, ex c. olim, de verb. signific. leg. beneficium, ff. de constitut. leg. hoc modo, ff. de condit. & leg. cum quidam, ff. de lib. & posth. vbi Gl. plures refert, & Azeued. to. 6. lib. 9. tit. 18. l. 10. nu. 5.

Sed hæc opinio mihi non placet, sicut & multis doctissimis viris de hac re a me consultis, & illam reprobat ex Societate Aloys. Turrianus in 2. 2. to. 1. 13. dub. 8. & ex nostra Religione P. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 11. c. 6. nu. 51. & ita fuisse determinatum per Theologos Salmanticenses, testatus est mihi ex Prædicatorum familia vir doctissimus, & amicissimus, M. Dominicus de los Reys, confessarius quondam Serenissimi Principis Philiberti. Ratio est, primò, quia Alexander III in c. 1. de reliqu. & venerat. Sanctorum, prohibuit aliquem colere cultu publico, sine Apostolicæ Sedis facultate, sed talis facultas non videtur concessa omnibus Sacerdotibus, ex eo quòd certæ Religionis Sacerdotibus expresse concedatur. Ergo, &cet. Probatur minor; nam clarè apparet per facultatis formā subintellecta restrictio, & inclusio vnius, vt loquuntur Doctores, est exclusio alterius, ex auctoritate leg. cum Prætor, ff. de iud. & l. maritus, C. de Procurat.

Secundò, in dictis Bullis Pontificijs pro dicenda Missa Beatorum designantur à Summo Pontifice dies, & personæ; sed, vt respondit Sacra Congregatio, & Cardinalis Bellarminus, teste Turriano, Missa nō potest dici extra illum diem, ergo neque ab alijs personis, præter illas ibi assignatas.

Tertiò, priuilegia, & gratiæ censentur solummodo concessæ ijs personis, quæ sunt in priuilegio expressæ, sed in nostro casu priuilegium dicendi Missam conceditur Sacerdotibus illarum Religionum. Ergo, &cet. Minor patet ex contextu Bullarum, Maior probatur à Martino Bonac. tr. de leg. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2. n. 1. & alijs. Tum quia priuilegia ad eos solum extenduntur ad quos extenditur intentio concedentis, sed intentio concedentis non censetur ad alios extendi, quàm ad eos, qui exprimuntur in priuilegio. Ergo, &c.

Hinc ex communi Doctorum sentētia notauit Salas de leg. disp. 14. sect. 9. nu. 48. & Suarez lib. 8. c. 26. nu. 11. Priuilegia non esse extendenda de persona ad personā, etiamsi adsit similitudo rationis; nam vis priuilegij non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis: ideo non satis est, quod in alia persona sit similis ratio, si voluntas concedentis ad illas nō extendatur, non autem censetur extendi, si non exprimatur, nam inter homines, voluntas non operatur, nisi vt significata. Ergo, &c.

Quartò, gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis, vnde Princeps precibus sibi porrectis; solet se accommodare, leg. si preces, ff. de legibus, & c. inter dilectos, §. cæteri; de fide instrum. Simon de Prætis de interpret. vlt. volunt. to. 2. lib. 3. interpr. 2. dub. 1. solut. 8. n. 23. Moneta de commut. vlt. volunt. c. 6. concl. 6. Mattienzo lib. 5. recopil. 11. l. 29 nu. 1. Iason in leg. Gallus, in 1. lect. §. idem credendum, nu. 10. ff. de lib. & posthu. Loaz de matrimonio Regis Angliæ, dub. 5. num. 28. Cacheran. concl. 19. num. 2 Menochius lib. 1. conf. 33. nu. 14. & lib. 2. conf. 180. num. 1. Pansius lib. 4. cons. 3. nu. 58. & Mandell. lib. 2. consil. 281. num. 15. vbi ait, quod si aliquid non fuerit petitum in supplicatione, esset absurdum dicere, quòd censeatur concessum, sed in procemio, & tenore Bullæ Beatificationis dicti B. Andreæ, Clericos regulares Missam pro ipsis postulasse apparet, & non pro omnibus; Ergo concludendum est, Summum Pontificem ipsis, & non alijs talem gratiam concessisse. Quod ex verbis ipsius Bullæ ita manifestum est, vt frustra argumentationes pro confirmanda hac opinione congerere mihi videar; ideo hoc vnum addam. Quod quando verba alicuius rescripti, & priuilegij sunt satis clara, & certam habēt significationem nulla est adhibenda extēsio, & interpretatio; sed tenor, & forma priuilegij est obseruanda, vt obseruauit Salas sect. 9. num. 53. Bonac. §. ..... nu. 3. Marius Antonin lib. 5. resolut. 17. num. 1. Franc. Bec. consil. 32. num. 3. Bald. in l. 1. §. si is qui, in lect. antiqua, in fine, ff. de exercit. act. Tiraquell. in l. si vnquàm, in ver. libertis, num. & C. de reuoc. don. & Surdus tom. 1. cons. 140. nu. 21. vbi asserit, ad vnguem seruandum esse priuilegij tenorem, & non esse recedendum à forma verborum ipsius; sed in dictis Bullis Pontificijs verba sunt satis clara, & certam habent significationem: Ergo nulla est adhibenda interpretatio, & extensio, sed forma ipsarum est obseruanda.

Restat modo respondere ad argumentum in principio positum. Dico igitur, fauores, & priuilegia tunc esse amplianda, quando id recta ratio permittit rationabiliter fieri posse, seruata verborū proprietate, quod fieri non posse in nostro casu patet ex rationibus supra adductis; & ita asserūt Bonac. Sal. Suar. & alij. Vide Dec. in c. sanè, de priuil. nu. 10.

An cogentes fœminas intrare Monasterium educationis caussa incidant in excommunicationem latam in Concil. Trident. sess. 25. cap. 8.

RESOL. LVI.

Respondeo distinguendo, vel dictæ fœminæ sunt impuberes, vel sunt puberes; si sunt impuberes, dico parentes illas cogentes non incurrere in hanc excommunicationem; nam pater, & mater ex iure Canonico, vt probat Sanchez in summa to. 1. libr. 4. c. 19. num. 8. & 9. habent ius naturale offerendi filios religioni, & talis filius sic oblatus, tenetur obedire patri ordinanti suam educationem, & antequam annos pubertatis attingat, non potest à Monasterio exire, & hoc ius Canonicum non fuit hic a Concilio reuocatum. Et ita hanc sententiam in terminis docet Suar. de Relig. to. 3. lib. 5. c. 9. nu. 4. & doctus Portel in addit. ad dub. reg. ver. clausura Monialium, num. 4 quicquid postea, quod valde miror, dubitanter asserat in ver. Moniales, nu. 18. Si autem dictæ fœminæ cogantur intrare Monasterium puberes, id est post annos duodecim.

Prima opinio est affirmatiua, etiamsi cogentes non dicant, vt intrent ad habitum suscipiēdum, neque ad professionem emittendam, sed solum, vt ibi maneant cum habitu sæculari, vsq; ad occasionem nubendi. Ita docet Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 104. nu. 5. & in collect. to. 1. lib. 3. tit. 31. c. 12. num. 4. Raynerius in catalogo censur. c. 6. excomm. 63. Megala in 3. p. lib. 4. c. 6. n. 100. Zipæus in iure Pontificio nouo, lib. 3. de reg. nu. 39. Ledesma in addit. ad Summ. to. 2. tract. de statibus, cap. 5. conclu. 8. Zerola in praxi Episcop. p. 2. ver. Moniales q. 13. & Filliuc. tom. 1. tr. 14. cap. 6 num. 89. & ante omnes, sapientissimus senex Nauarr. consil. 56. de sent. excomm. in 1. editio. & cōsil. 6. de regul. in 2. editio. & Filliuc. cum Raynerio citato pro hac sententia. Suarez de cens. disp. 23. sect. 5. n. 9. Sed ipse postea, vt infra videbimus,

bimus, explicuit circa præsentem materiam sensum suum, non vt citati DD. accipiebant.

Secunda opinio limitat supradictam sententiam, & asserit, tunc cogentes fœminas intrare Monasterium, incurrere in dictam excommunicationem, quando coactio illa ingressus efficeretur in ordine, vel cum animo ad postea suscipiendum habitum Religionis, siue suasionibus Monialium, siue alia via: secus si hoc nullo modo intenderent ipsi cogentes, tunc enim nõ incurrerent. Ita ex Emanuele Rodriq in summ. to. 2. c. 8. nu. 9. Porrel in addit. ad dubia regul. verb. Moniales, nu. 14 & Sanchez in summ. to. 2. lib. 4. c. 4. nu. 12.

Tertia opinio est P. Suarez de relig. tom. 3. lib. 5. cap. 9. dub. 4. vbi ait, Concilium loquutum fuisse, non de omni ingressu Monasterij, sed de illo, qui per se ordinatur à parentibus ad susceptionem habitus, & sub hac conditione, seu pactione fit. Igitur secundum Suarez, videtur tunc cogentes fœminas intrare Monasterium, incurrere in excommunicationem, quando haberent animum, vt ibi inuitæ permaneant, & suscipiant habitum, secus autem si habeant animum, vt ibi custodiantur, vel etiam, vt paulatim afficiantur, & postea si voluerint, habitum suscipiant.

Quid ego sentiam, dicam breuiter. Omnes supradictæ opiniones sunt satis probabiles, & tutæ in praxi; sed ego primam libẽter amplector, quia Concilium sicut expressit susceptionem habitus, aut professionem; sic etiam expressit disiunctiuè Monasterij ingressum, sed in alternatiuis sufficit alterius partis veritas: Ergo, &c. Item Concilium expressit, ac prohibuit, sine vlla distinctione, sed simpliciter ingressum Monasterij: ergo, vbi lex nõ distinguit, nec nos distinguere debemus; & optimè, sanctèque Concilium absolutè loquutum est; quia per illum ingressum, vt sic dicam, datur occasio, vt postea puella in Monasterio ob verecundiam fœmineam, & Monialium suasionem suscipiat habitum inuoluntariè. Ergo, &cet. Nota verò, quòd Cõcilium non solum prohibet directam, sed etiam indirectam coactionem. Vt si, v. gr. parentes, malè tractent puellas in victu, vestitu, verbis, & alijs actionibus, contumeliosè illas tractando, nam si ita facerent, dictam excommunicationem vtiq; incurrerent. Et hæc dicta procedunt quoad excommunicationem. nam quoad peccatum, puto non excusari parentes cogentes fœminas ad ingressum Monasterij, etiam stando in quacunque opinione ex supra positis: Nam, vt benè obseruat Suarez, cum fœminæ maioris ætatis sint sui iuris in omnibus his, quæ ad statum animæ suæ pertinent, non possunt licitè, & sine peccato à parentibus cogi ad tam arctam custodiam, & rigidam clausuram, & talem viuendi modum, etiam temporalem; secus si ad aliquod tempus talis ingressus censeatur moraliter necessarius ad decentiam, & custodiam ipsarum.

Ex his apparet, quàm cautè debeant parentes in hoc tam graui negotio incedere Sed quia vt plurimum puellæ nobilium ingrediuntur Monasterium tantum ex metu reuerentiali, & non ex minis, seu coactione, vt in supradictis suppositum est, ideo quæritur ad Confessariorum, & Pœnitentium consolationem, an in tali casu incidant in excommunicationem Concilij? Respondeo negatiuè cum Riccio in praxi, tom. 1. resol. 599. nu. 4. & Portel in additio. ad dubia regularia, verb. Moniales, n. 11. & quia codex rarus est, ponam eius verba. In hoc casu (ait) credo metum reuerentialem non inducere excommunicationem, quia parentes, vel consanguinei in illo timore incutiendo, non se habent actiuè, etiamsi manifestent puellæ talem statum monachalem illi conuenire, & quod non habeat dotem pro matrimonio, vel eo quod non illi securum erit manere in sæculo, absque matrimonio, & absque monachatu. Et hæc est praxis in tota ferè Ecclesia, iuxta quam facientes parentes nemo iudicat excommunicatos, imò etiamsi parentes, vel alij importunis precibus suaderent puellæ, vt ingrederetur; non incurrerent, quia suasio etiam importuna non est coactio. Ita potest, cui etiã addam Villalobos in summa, parte 1. tract. 17. dub. 31. n. 11. vbi sic asserit. (Se libran de la excomunicacion los padres nobles, que embian a sus hijas siendo niñas à criarse en los Monasterios, para que sean monjas; ò siendo ya grandes les dizen, que no tienen dote para casarlas, y ansi que solos les queda entrarse en vn Monasterio, que estos no les hazen fuerza, pues siempre, quedan libres para no ser monia.) Hæc ille. Vbi etiam obseruat, & post illum etiam notauit Suarez, Cardinalium Congregationem docuisse, non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit hæredem, cum pacto, vt aliquod Monasterium ingrediatur, quòd si renueri ipsum Monasterium hæredem instituit, & filiæ solum alimenta necessaria relinquit. Ratio est, quia illa non est coactio, nec inductio per vim, sed potius per modum concupiscentiæ, quæ omnia notent Confessarij; sunt enim multum conducentia ad sedãdos multos scrupulos, & pro praxi Confessariorum. Salua semper, &c.

An sit Simonia vendere locum honoratiorem pro sepultura.

RESOL. LVII.

Affirmatinam sententiam docet Suarez de Relig. tom. 1. li. 4. de Simonia, c. 14. num. 22. Reginald. in praxi, tom. 2. libr. 23. cap. 16. num. 226. Filliuc. to. 3. tract. 45. cap. 5. nu. 26. Raphael de la Torre in 2. 2. to. 2. q. 100. art. 4. disput. 7. & Malderus in 2. 2. tract. 9. c. 3. dub. 9.

Sed contrariam sententiam amplectendam esse puto, maximè de hoc stante consuetudine vniuersali, & ita in specie contra Suarez docet Garsias de benef. tom. 1. p. 5. c. 9. nu. 117. in additionibus, vbi citat Sotum, Spin. Gratianum, Lara, Salazar, & Humadã: quibus ego addo doctissimos Theologos Ioannes de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 7. q. 4. dub. 9. conclus. 2. Rodriquez in qq. regul. tom. 3. q. 58. art. 2. Arrag. in 2. 2. q. 100. artic. 4. Philiarc. de offic. Sacerd. to. 2. p. 2. lib. 6. cap. 9. ex Societate Iesu Emanuelem Sà verb simonia n. 2. ex nostra Religione Naldum in sum. verb. sepultura, n. 8. & tandem nouissimè Barbos. in suis collect. tom. 2. lib. 3. tit. 28. c. 13. nu. 2. Raguctum de Eccl. discipl. quæst. 86. nu. 3. & Genuensem in praxi Archiepis. cap. 32. n. 19. cum alijs. Dico igitur, quòd aut pretium petitur pro sepultura simpliciter, aut pro aptiori loco sepulturæ. Primo casu pretium peti non potest, absque labe Simoniæ, quod cessat secundo casu, quando locus honorabilior petitur pro sepultura; nam cũ talis locus non sit necessarius ad sepulturã, non venditur sepultura, nec sacrum, contra Suarez; & Ecclesia cœmeteria habet, vbi gratis sepeliri homines possunt. Situs igitur, & locus dignior non videtur concernere spiritualia, vnde tanquam non necessarius vendi potest, & ideo si aliquis eligat honorabiliorẽ locum in Ecclesia, propter talem præeminentiam, potest ille honor pretio æstimari, & vendi, cum hoc casu non vendatur sepultura, quæ gratis præstanda est, sed ille locus aptior, & honorabilior. Et ita fuisse decisum in Rota, in causa Tarraconensis sepulturæ 17. Maij 1572. coram Lancellotto testatur ex Gratiano, Garsias vbi supra. Nec sacri Canones illud prohibent, quam quod Clerici nolint mortuum in loco sacro sepeliri, nisi aliud detur pro terra: sed non si quis nolit sepeliri in loco communi aliorum, sed petit locum honoratiorem, nam in hoc casu non erit simonia aliquid exigere, sicut & vasa sacra, & Capellæ, venduntur ratione materiæ. Et ita ego sentio, in fauorem consulentis.

An Bulla Sixti V. contra Astrologiam iudiciariam obliget, non solum in foro exteriori, sed etiam in foro conscientia.

RESOL. LVIII.

Sententiam affirmatiuam docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. in sum. to. 1. lib. 1. c. 38. nu. 34. quibus ego addo Homobon. de exam. Eccl. p. 1. tr. 6. c. 5. q. 22. Flauium Cherubinum in compen. Bull. tom. 2. constit. 17. Sixti V. Schol. 1. Peirinum in priuil. Minim. to. 2. Constit. 9. Pauli V. §. 2. nu. 24. & Farinac. de hæresi, q. 181. § 1. nu. 59.

Sed contrariam sententiam nõ minus probabilẽ docet Suarez, Valentia, & Rodriquez apud Sanchez vbi suprà; quibus ego addo Molfesium in summa, p. 1. tra. 11. cap 7. n. 120. Nald. in summ. ver. Astrologus, nu. 4. & Raphael de la Torre in 2. 2. q. 95. art. 5. disp. 2. fol. mihi 271. Et ideo Homobonus, Peirinus, & Sanchez loc. cit. vocant tantum tutiorem, & veriorem sententiam affirmatiuam, quam ipsi tenent. Itaque secundum mẽtem horum Doctorum: Bulla Sixti V. lata est pro foro externo, vnde quicquid licitum erat de iure antiquo prædicere ante dictã Bullam, & nunc etiam in foro conscientiæ, secluso scãdalo, erit licitum, quænam verò futura contingentia, & quomodo erant licita prædicere ante dictam Bullam, vide Caiet. in 2. 2. q. 95. art. 5. Valent. to. 3. disp. 6. q. 12. punct. 3. Delrium disquis. mag. libr. 4. cap.

cap 3.q.1.concl.2. Tolet. in sum. lib.4.c.15.n.6 & alios. Ego autem non damnarem illum, qui hæc prædiceret, sola tenuissima coniectura, & certitudine, qua sciri possunt per astra, verum est quod quis non obstantibus contra supradictos possunt in foro externo Domini Inquisitores procedere. Vide etiam circa præsentem quæstionem Filliuc. to.2.tr.24. c.4.nu.84.

An aduocatus teneatur de culpa leui?

RESOL. LIX.

AFfirmatiuè respondet Villalob. in summa, to.2. tra.10.diff. 4.nu.10. Io. Valerus in differentijs vtriusq; fori, verb. damnum, differ.1.n.7. Ledesma in summa, p.2.tr.8.cap.36.concl. 3. Salon. in 2.2.to.1.q.71.ar.2.contr. vnica. cócl.2. Rebel. par.2. lib.1.q.10.nu 7. Molina to.3.tr.1.disp 750.nu.2. Sayrus in Claui Regia, lib.10.tr.2.cap.8.n.11. Reginaldus in praxi, to.1.lib.10.c. 9.sect.3.nu.90. Nauarr. de restit. lib.1.c.3.n.3. Bannez in 2.2.qu. 71.art.4.dub.2.concl.2.& Io. de la Cruz in direct. consc. p.1.precep.8.art.5.dub.19.concl.3. vbi sic asserit. Ex dictis patet, peccare mortaliter aduocatum paratum admittere plures causas, etiã iustas, cum exponat se periculo mortali, committẽdi culpas leues, ob plura negotia. Ita ille.

Sed si hæc sententia esset tenenda, væ, væ, væ, Aduocatis, & ideo contrariam opinionem non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Lessius lib.2.ca.7.dub.7.nu.51. & 32. Azor. p.3.libr.13.c.29.dub.5. Malderus in 2.2.tract.6.c.3.dub.10 Fernand. in exam. theol. mor lib.4.qu.44.num.2. Graff. dec. p.1.li.3. c.8.num.4. Nauarr. in man. c.25.nu.28. Rodriq. in summ. to.1.c. 6.n.6. Ortiz in summ. c.8 n.3. Turrian. to.2.in 2.2.disp.11.dub.4. num.3.& 5. & alij. Dico igitur, neminem teneri in foro conscientiæ ex culpa leui, vel leuissima in officio, sed solum ex graui; quia nemo tenetur in officio vel artificio esse prudentior, & diligentior, quam passim homines eiusdem conditionis esse solent, & ideo Aduocatus non tenetur esse diligentior, aut prudentior quam passim boni Aduocati esse solent. Vnde si contingat causam amittere, eo quod non præstitit, quod doctissimus, & diligentissimus præstitisset; tamen si bona fide præstitit, quod solent diligentes, & docti in similibus causis, non tenetur ad restitutionem. Ita Lessius, vbi supra.

Quid facere debeat confessarius, qui male absoluit pœnitentem de aliquo casu reseruato, non habens iurisdictionem.

RESOL. LX.

HIc casus in praxi potest frequenter accidere, & communiter respondent Theologi, quod debet petere iurisdictionem à Superiori, & postea si non adest scandalum, monere pœnitentem ad iterum confitendum; vel si pœnitens inscius veniat ad secundam confessionem, petat Confessarius ab eo, an doleat etiam de peccatis præcedente confessione dictis, & cupiat, si qua ratione necesse sit, etiam ab ijs absolui; & si dicat, quòd sic, illum absoluat, nihil de defectu primæ confessionis dicendo. Vide Coninch. de sacr. disp.8.dub.17.n.141.& 143. Nugn. to.1. in addit. ad 3.p.qu.8.art.3. Floron. tract. de cas. reseru. part.1.c.5.§.1. Possevin. de offic. cur. cap.8.n.64 Homobon. tr. de cas. res. c.6.nu.5. Conrad. in resp. cas. consc. p.1.q.18. Nauarr. in man. c.26.n.14. Sylu. in add. ad 3.p.q.8.ar.4.quæritur 8.concl. 1.& 2. & alij communiter. Sed his non obstantibus, inuenio Io. Valerum in differentijs vtriusque fori, ver. pœnitentia, diff 9.n. 2.in fi. cum aliquibus docere, in tali casu cum pœnitẽs est ignarus, nihil à Confessario faciendum esse, nec à superiore licentiã absoluendi impetrandam esse, ex arg. c. quia circa, de cósang. & affinit. quia taliter absolutus est ab omnibus, scilicet directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis per infusionem gratiæ. Ergo, &c. Ita ille, & citat Cordubam, & Henriquez. Sed tu tene communem sententiam, quæ quidem, vt diximus, procedit, quando Confessarius potest sine scandalo admonere pœnitentem, quando verò scandalum adsit, vel non adsit, remittitur arbitrio prudentis Confessarij. Non reticeam tamen, quod Philippus Faber Lector S. Theol. in Academia Patauina, difficile putat in tali casu re vera non adesse scandalum. Ita ille in disp. de pœnit. in 4. sent. dist. 19. q. vnica, disp.33.c.3. nu.18.

An ad Prælaturas regulares Generalis teneatur eligere digniores.

RESOL. LXI.

SEntentiam affirmatiuam docent communiter Fernandez in instr. confess. p.2.c.4.num.11. Nauarr. lib.2.c.2. nu.159. Rebell. p.1.lib.3. qu.4 conclus.5. & Portel in dub. regul. ver. elect. nu.6. vbi sic ait, Regulares etiam tenẽtur ad officia eligere digniores; sunt enim Prælaturæ regulares, & cætera officia, beneficia Ecclesiastica: & proinde etiam in illis militat ratio naturalis, & dispositio iuris, vt eligatur dignior. Idem etiam docet Turrian. tom.2. in 2.2.disput.22. dub.4.nu.1. vbi quærit, an Religiosi in suis electionibus teneantur eligere digniorem; & ita respondit, est obligatio eligendi digniorem, cõsiderata qualitate officij, & Constitutionibus Religionis cuiuslibet. Quòd si ad solum Generalem Religionis pertineat eligere superiores, ipse obligabitur ad eligendum digniorem, vel æquè dignum, post sufficientem, & exactam diligentiam, circa cognitionem personarum. Ita Turrianus.

Sed his non obstantibus Ioan. Valerus in differentijs vtriusq; fori, ver. electio, differ.1. nu.1. ponit aliquas causas excusantes à peccato eligentes minus dignum, dummodo sit dignus, vt cũ eligitur (ait ille) Prælatus regularis non habens ex electione beneficium, sed tantum onus, & officium, vt sunt nostri Prioratus, & Prioratus Dominicanorum, & similes. Ita singulariter Caiet. ver. Electio Prælati. Et facit Concil. Trident. sess.7. c.3. vbi sufficit eligere dignum ad curata inferiora. Vnde quod dicitur sess.24.ca.1. intelligitur de electione Episcoporum, & aliorum superiorum. Ita Valerus. Et quod mirum est Filliuc. Societ. Iesu to.3. tra.41.c.4.n.187. asserit absolutè esse probabilem illam sententiam, quæ asserit sufficere in qualibet electione eligere dignum, prætermisso digniori. Sed an hæc opinio sit probabilis, remitto me iudicio aliorum, nam est contra communẽ, vt notat Barbos. in collect. to.1.lib.1.tit.6.c.19.num.4 qui citat 33. DD. Ad authoritatem verò Concil. Trident. sess.7.c.3. quam adducit Valerus, & Filliucius. Respondeo, quod Concilium requirit, vt beneficia conferantur dignis, non vt collatio sit sine peccato, sed vt nõ sit irritanda in foro externo, vt patet ex verbis sequẽtibus, aliter facta collatio omninò irritetur. Et eodem modo intelligi possunt quidam Canonistæ, vt Petrus Tholosanus in partit. iur. can. lib.1.tit.29. cap 1.num.1.& alij, dum dicũt sufficere, vt eligatur idoneus, & sic ex Couarruu. respondent ad authoritatem Cõcilij, Lessius lib.2.c.34 dub.14.num.69. & alij. Nec facit pro Filliucio, & Valero c. cum nobis, de elect. & electus potest, quatenus habet litteraturam non eminentem, sed solum conuenientem sufficere; nam, vt olim respondebam cuidam viro docto, electus in illo Canone erat Subdiaconus Pontificis, & cum competenti litteratura habebat curialitatem antiquam; ideò ob experientiam bene regendi, quam acquisiuisse præsumitur, diu viuens in Curia, poterat præferri digniori. Et ita explicat hunc Canonem Alexander Raudẽsis decis.66. cas. 17. & ita declarasse Leonem X. refert Aloys. Ricc. in suis collectan. p.4. collect.931. & alij.

An quis teneatur alloqui, salutare, resalutare, & familiaritatem cum inimico habere, vel alia signa amicitiae ostendere, si ipse hæc omnia procuret.

RESOL. LXII.

CIrca præsentem quæstionem, vide Malder. in 2.2.qu 25.ar. 9. Azor. p.2.lib.12.c.3.quæst.5.& seq Coninch de fide, spe, & charitate, disp.24.dub.6.num.89.& seq. Valent. tom.3.disp.3. q.1.punct.2. Bannez in 2.2.q.25.art.9.dub.3. Nauarr. cap.14.n. 15. Layman in Theol. mor. lib.2.tr.3.c.4.n.2. Syluium in 2.2.q. 25.art.9.concl.2. Reginald. tom.2.lib.17.c.12.sect.2.nu.123.& seq. Filliuc. tom.2. tr.28.c.1.nu.19. Fernandez in exam. Theol. mor. p.1.c.3.§.7.num.1. Villalobos in summ. to.2. tract.3. diff. 6.num 4. Homobon. de exam. Eccl. p.1.tr.6.c.23.q.114. Moisesium in summ. to.2.tr.11.c 5.nu.33. Ledesmam in summ. to.2. tr.3.c.2.concl.5. Io. de la Cruz in direct. consc. p.1. præcept.1.ar. 3.dub.1. Tanner. in 2.2.disp.2. q.3.dub.1. nu 12. & tandem doctissimum Lorca in 2.2.q.25.art 6 sect.3.disp.25. memb.3.n.28. vbi loquens præsertim de salutatione, & alloquutione, sic asserit.

rit. Hæc eodem modo debentur inimico, quo alijs. Videndum ergo erit qualiter hominibus debita sunt. Dicendum est primo, alloquutio, & conuersatio non sunt de generalibus signis dilectionis, quæ omnibus hominibus debentur; sunt tamen de generalibus inter valdè coniunctos; & ideò non debentur, nisi coniunctis. Secundò, salutatio anticipata nulli debetur, nisi quibusdam personis dignitate præcellentibus honoris causa. Tertiò, resalutatio, & responsio omnibus hominibus debita est virtute affabilitatis, præsertim conciuibus. Quartò, omissio alloquutionis, & salutationis, etiam quando debita est non est regulariter peccatum mortale; nam opponitur affabilitati, quæ non est tantæ obligationis, nisi fortè ex circumstātia personæ, & alijs cederet in magnam iniuriam, vel propter scandalum quod raro fit, & prudentis arbitrio discerni oportet. Ita Lorca ex quibus num. 30. infert; non esse certum peccare mortaliter eum, qui occurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, salutat omnes, excepto inimico. Primò, quia vt dictum est, omissio salutationis, etiam debitæ, regulariter non est peccatum mortale. Secundò, quia potest id facere, non in odium, & repulsam inimici, sed in significationem proprij grauaminis, & iniuriæ. Hæc Lorca licet non approbentur à Filliucio, Sylvio, & alijs, vbi supra, præsertim quando prius inimicus salutauit. Non reticeam etiam Valer. in differentijs vtriusq; fori, ver. remissio, diff. 2. num. 4. asserere, negationem alloquutionis, & salutationis propter aliquam inimicitiam, non esse scandalosam inter personas, de quibus non est dubitandum, nec ambigendum, vtrùm sint animo in aliquem maleuolentiæ suffuso, vt inter patrem & filium; inter Prælatum, & subditum: & inter Religiosos, qui quotidie celebrant, & sunt exemplares, sed hoc vltimum aliquibus displicet. Vide etiam circa præsentem quæstionem Zanard. in direct. confess. p. 2. p. æcep. 1. c. 17.

An testis teneatur respondere, si Iudex interroget, quando crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur auctor ipsius.

RESOL. LXIII.

FVit, exempli gratia, homo mortuus inuentus in vico, vel domus aliqua furto deprædata, & spoliata, Iudex ad euitandū scandalum, & propter bonum commune, vult recipere de vicinis informationes de ipso negotio, & casu. Quæritur, an ipsi si sciunt authorem delicti, teneantur interrogati respondere. Aliqui sentiunt, Iudicem in tali casu non posse inquirere, neque interrogare, & peccare aliter faciendo. Ita Caiet. in 2. 2. qu. 69. artic. 2. Sotus de tegen. secr. memb. 2. q. 6. conclus. 1. & de iust. li. 5. quæst. 2. ar. 2. ex veteribus Palud. in 4. dist. 19. & Adrian. quodlib. 11. quia tunc procedendum est per Inquisitionem, quando de auctore est fama, vel indicia, c. cum oporteat, de accus. c. inquisitionis, & cap. qualiter, & quando eod. tit. Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam probabiliorem meritò docent Doctores, vbi infrà, quibus adde Malder. in 2. 2. tract. 6. cap. 1. dub. 18. Villalob. in summ. to. 2. tract. 14. differ. 7. num. 2. Valent. to. 3. disput. 5. q. 14. punct. 1. Bannez in 2. 2. qu. 70. artic. 1. dub. 2. & alij penes ipsos. Et ratio est propter magnam vtilitatem boni communis, aliàs sæpè manerent impunita crimina, non sine scandalo subditorum. Et licèt aliquando hoc, vel illud crimen immediatè non sit contra bonum commune, tamen plura crimina, impunita manere, non poss̄ non esse, & cum scandalo, & contra commune bonum, & Canones in contrarium adducti loquuntur de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro, vel Paulo, non autem de ea qua in genere quæritur, quis fecerit. His suppositis, difficultas est, an in tali casu testis, qui scit authorem delicti, teneatur illum manifestare Iudici interroganti in genere. Affirmatiuè respondent Arragon. in 2. 2. q. 69. art. 2. dub. vlt. & ex Neotericis mordicus docet hanc sententiam Io. Valer. in differentijs vtriusque fori, ver. Inquisitio, num. 9. Miranda de ordine iudiciario, tom. 1. q. 6. art. 6. concl. 3. & alij, quia cum Iudex in proposito casu ius habeat procedendi propter bonum commune conseruandum, & testes interrogandi, manifestè sequitur quod teneantur, & ipsi propter idem bonum commune conseruandum illi veritatem dicere, & occultum reum reuelare. Sed contrariam sententiam docent communiter Neoterici, vt Turrian. tom. 2. in 2. 2. disp. 50. dub. 5. nu. 9. Filliuc. to. 2. tract. 40. cap. 6. num. 185. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 14. num. 118. Bonac. de legibus, disp. 10. q. 2. punct. 5. num. 14. Nauar. de restitut. libro 2. cap. 4. num. 67. Salon. de iustit. in 2. 2. tom. 1. quæst. 0. 69. artic. 2. controu. 7. & alij, & præter alias rationes, quas adducunt præfati Doctores, probatur hæc opinio, quia quando dubium est, an Iudex iuridicè interroget, & probabilis sententia asserit, ipsum non interrogare iuridicè, ac proinde, quod idem est, ipsum non esse iudicem; in eo casu, subditus non debet obedire, quia potest amplecti probabilem opinionem, quæ affirmat Iudicem non esse superiorem in eo casu, vnde sequitur, in casu nostro posse testem, vel manifestare, vel occultare veritatem, si sciat vtramque opinionem esse probabilem, vt re vera est. Ita Turrianus, qui reprobat rationem Petri à Nauarra, nempè in hoc casu Iudicem habere ius interrogandi, & reum non respondendi, ita vt detur bellum ex vtraque parte iustum; sed hanc rationem defendit Filliuc. vbi supra. Quicquid verò sit de hoc, ad pa [?] et me in facti contingentia, rectè olim consuluisse, testem non teneri in tali casu, ad interrogata respondere, licèt aliqui tunc in contrarium sentiebant, trepidantes timore vbi non erat timor.

De quibusdam dubijs circa vsum matrimonij?

RESOL. XIV.

QVidam in modo extraordinario coeundi cum vxore, aliquā seminis quantitatem extra vas emittebat, & procreādorum liberorum pertæsus, in fine copulæ extra vas totum semen effundebat, quæsitum à me fuit, an in his casibus vxor sine culpa poterat debitum reddere? Hi casus possunt in praxi sæpius occurrere, ideò ignoscant pudicæ aures. Et ad vtrumque casum respondeo affirmatiuè. Ad primum dico, non solum quoad vxorem, sed etiam quoad maritum, non esse peccatum mortale, si eo copulæ modo aliqua pars seminis effundatur, dummodo retineatur alia; nam, vt docent Medici, non retinetur in matrice tota seminis quantitas. Ergo. Neque rursus esse peccatum mortale existimo, quamuis eo modo concumbendi non ita certum sit forè conceptū, non enim coniuges tenentur vti medio certiori ad prolem suscipiendam; sed satis est, si vtantur cōuenienti. Et hæc omnia docet Basil. Pontius de matr. lib. 19. cap. 11. n. 5. qui etiam nu. 8. affirmatiuè quoad vxorem respondet ad dubium secundum supra positum, licèt aliqui viri doctissimi, vt ipse ait, contrarium sentiūt. Dico igitur peccare quidem mortaliter virum, & fœminam, si de eius consensu id efficiatur: at si illa non consentiat, licitè existimo posse petere, & reddere debitum marito, etiam si ille in fine copulæ semen extra vas effundat. Et ratio est, quia quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene, vel malè præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati; alter enim sua malitia malè facit, cum rectè posset efficere. Sed hoc totum procedit in casu nostro. Ergo. Et si vera esset contraria sententia, asserit Pontius; non solum non posset vxor marito, ita prauè affecto, reddere petenti, sed neque ab eo petere; eadem enim militat ratio.

An Princeps possit concedere licentiam, vt aliquis domum exponat ludo.

RESOL. XV.

SVppono contra Scac. tract. de commer. §. 1. q. 1. n. 104. ludum alearum, & taxillorum de iure naturæ non esse prohibitum, est enim res indifferens, neque per se destinata ad vsum prauæ actionis. Ita Molin. de iust. tra. 2. disp. 510. & Steph. Costa tract. de ludo, art. 4. num. 5. & alij.

Suppono secundò, contra Comitolum lib. 5. resol. mor. q. 10. leges ciuiles prohibentes ludum taxillorum, & alearum esse contraria consuetudine abrogatas. Ita Regius in suis resol. cas. 23. num. 2. Homob. de exam. Eccl. p. 2. tract. 9. c. 24. q. 23. Salas tr. de ludo, dub. 3. nu. 5. Lessius lib. 2. c. 26. dub. 1. & alij. Vnde ita ludentes ex vi supradictarum legum, seclusis alijs circumstantijs, puto neque peccare venialiter, vt docet Filliuc. to. 2. tra. 38. c. 4. nu. 58. & alij penes ipsum.

His ita constitutis quæritur, an habētes expositas domos ad ludendum peccent mortaliter? Negatiuam sententiam amplexus est quidam Vincentius Iustinianus ex Dominicana familia apud Lopez vbi infra; nam ex authoritate D. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. & exemplis adductis post Sanc. à Bonac. tr. de leg. disp. 2. quæst. 4.

quæst. 4. punct. 2. § 1. n. licitum est ministrare, & vendere res indifferétes, etiam cum cognitione praui abusus. Sed ludus taxillorum est indifferens, nec per se determinatus ad vsum prauæ actionis, ergo præbere taxillos ludentibus, non erit peccatum mortale; etiamsi ludendo blasphement, & rixentur, & ideò Iustinianus pro sua firmanda sententia, adducebat licitum esse vendere ornamenta meretrici, seu domum locare. Ergo. His tamen minimè suffragantibus; puto contrariam sententiam tenendam esse. Dico igitur, quod illicitum est ministrare res indifferentes, quádo in tali tempore & loco moraliter quasi semper destinantur ad prauum vsum, sed hoc euenit in casu nostro, Ergo, &c. Maiorem propositionem docet P. Suarez tr. de charitate, disp. 10. sect. 4. n. 2. & 6. Coninch de actib. supernat. disp. 18. dub. 13. num. 217. & alij. Ratio est, quia tunc talia præbere, esset præbere moraliter occasionem peccãdi, & moraliter loquendo esset scandalum cooperationis. Minorem propositionem docet lacrymabilis experientia, nam talis ludus in tali tempore, & loco semper moraliter destinatur ad prauum vsum; nam, vel ibi ludunt minores, vel blasphematur, vel rixæ excitantur, vel dilapidantur bona, vel furta committuntur, vel adsunt periuria, vel vxorum ornamenta amittuntur, vel pro vili pretio venduntur, &c. Vnde dixit P. Sanch. in opere mor. tom. 1. lib. 1. c. 7 num. 39. quod talis ludus, rarissimè absque peccato mortali exercetur, quare ex natur. li lege oritur obligatio non ministrandi hanc materiam ita ludentibus. Sic Sãch. Et ideo in terminis nostram sententiam amplexi sunt Gabr. in 4. dist. 15. q. 15. dub. 6. Syluest. ver. ludus. q. 15. Nau. in man. c. 19. nu. 15. Comitol. lib. 3. qu. 7. Zanard. in direct. Theol. p. 2. præc. 3. c. 28. Io. de la Cruz in director. consc. p. 1. præcep. 7. ar. 5. dub. 13. cõcl. 4. in fi. Pitigian. in 4. sent. to. 2. dist. 15 q. 2. artic. 5. vers. dico nono Lopez in instr. p. 2. c. 32. Valent. to. 2. disp. 5. q. 6. punct. 5. §. 2. Molina de iustitia, tr. 2. disp. 516. nu. 5. Iac. de Graff. in dec. p. 1. lib. 2. c. 122. nu. 17. & 19. Barth. à S. Fausto in speculo confess. disp. 32. q. 28. Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 11. q. vlt. nu. 5. Ant. de Litteratis in summ. p. 2. c. 62 nu. 15. Conrad. in resp. cas. consc. p. 1. q. 195. Alph. de Vegha, in summa, tom. 2. c. 13. cas. 11. Iterum Graff. in pract. de cas. reseru. libr. 1. ca. 20. nu. 9. & nouissimè Per. Belloch. in praxi moralis Theologiæ, p. 2. q. 4. à num. 492. vsque ad nu. 504. vbi sic ait. Ludus supradictus, est seminarium omnium ferè peccatorum, & malorum, quorum viginti vnum enumerat D. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 23. § 6. sexdecim refert Hostiens. in summa, titul. de except. priuat. & duodecim recenset D. Bernard. in to. 4. serm. 33. & reuera, quid est barattaria, nisi becchai ia, in qua per blasphemias, frustratim illius læduntur membra, qui proprio sanguine nos redemit, ac dulcissimæ Matris eius, omniumque Sanctorum? Cum ergo omnia supra dicta esse vera, satis experientia manifestet; ideò Episcoporum, & Dominorum secularium omnino officium est caussam tãtorum malorum excidere, ludos huiusmodi chartarum, & taxillorum prohibere, ludentes acriter punire, barattarias exterminare, taxillos, ac cœterorum instrumenta ludorum & illa, ac domum ad ludendum cõdemnare, cum omnium prędictorum scelerum, & malorum apud Deum iustissimum iudicem habeant reddere rationem, si noluerint, vel negligentes fuerint, cum potuerint obuiare, cum non careant scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinunt obuiare. c. sicut dignum, §. 3 de homicid. & c. error, dist. 83. vbi dicitur, négligere quippe, cum possis deturbare peruersus, nihil aliud est, quam souere. Rogo ergo, atque rogo in visceribus Iesu Christi omnes Principes Christianos, vt omninò hanc contagiosam pestem penitus à suis locis tollant, prohibendo sub grauissimis pœnis, ne de cætero amplius domum, seu barattariam ad ludendum expositam teneant; seu quidpiam habeant. Ita Belloc. vbi supra.

Ex quibus omnibus infertur. Primò, exponentes domum supradicto ludo, non solum peccare mortaliter, sed etiam, si principales lusores teneantur ad restitutionem, & non restituat: teneri ipsos restituere. Ita Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcept. 7. ar. 5. dub. 13. concl. 4. in fi. Naldus in summ. ver. ludus, nu. 6. Ortiz in summ. cap. 16. num. 7. Belloch. vbi sup. in praxi de cas. reseru. p. 3. q. 4. n. 466. Pitigian. in 4 sent. tom. 2. dist. 15. q. 2 art. 5. ver. dico decimo. Lopez in instruct. p. 2. c. 32. §. iam scitu. Iacob. de Graffis, p. 1. lib. 2. c. 122. nu. 19. & alij.

Secundò infertur contra Molfes. in summ. to. 2. tr. 12. c. 21. n. 40. Principes non posse præbere facultatem, & licentiam exponendi domum ludo. Et ratio est manifesta, nam Princeps non potest dare facultatem & licentiam peccandi mortaliter, sed si quis exponeret domum ad ita ludendum, peccaret mortaliter, vt ex communi sententia DD. supra probatum est, ergo Principes non possunt supradictum ludum per facultatem, & licentiam positiuam concedere. Imò, neque possunt hoc permittere, sed tenentur positiue sub onere peccati mortalis talem ludũ prohibere, & exponentes dictam domum punire, vt docet Belloch. vbi sup. & Alcozer de ludo, cap. 45. cum Iacobo de Graffis loc. cit. & alijs. Ratio est clara, quia Principes ex officio tenentur, sub pœna peccati mortalis, impedire mala, quæ extant in Republica, sed talis ludus modo supradicto est sentina omniũ malorũ. Ergo, &c. Nec valet dicere, quod Princeps potest permittere ludum, in quo aliqui destinantur triremibus, vulgo dictum *dili bona voglia*, & ludum militum, vulgo dictum, *nel corpo di guardia*. Nam respondetur in supradictis ludis impediri maius malum, quod est abundantia malorũ hominum in Ciuitate, & ita optimum est illos ad seruitium Regis destinare, & milites non ludendo per vicos, & plateas Ciuitatis circuirent perpetrando maiora mala, vel per otium machinarẽtur aliquid contra Regem, vel quid simile, quæ omnia non militant, dum aliqua domus exponitur Ciuibus ad ludendum.

Restat modo respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur, tunc esse licitum ministrare res indifferentes, quando in tali loco, & tempore moraliter quasi semper nõ deputantur ad vsum prauum, quod vt diximus, non accidit in casu nostro. Vel respondeo cum Lorca in 2. 2. q. 15. ar. 9. tunc licitum esse ministrare indifferentia, cum cognitione praui vsus, quando non ministrantur in ipso exercitio aut exercitium paranti: secus autem si ministrarentur exercenti actu prauam actionem, vt accidit in casu nostro, nam ministrantur taxilli, candelæ, &c. actu ludentibus, blasphemando, rixando, &c. Et ratio est, quia dictæ res indifferentes tunc, vel non possunt hoc modo dari sine expressa intentione mali euentus, vel ex circumstantijs efficiuntur causa per se, hic & nunc illius effectus praui. Ergo, &c. Vnde etiam patet responsio ad exempla, quæ pro sua sententia adducebat Iustinianus, nempè licitum esse locare domum, & vendere ornamenta meretrici, nam qui locat meretrici domum, non ita directè adiumento est illi ad peccatum, quia vsus domus non est ita proximè ordinatus ad malum finẽ, neque ita directè sicut ministrare aleas, & mensam. Quia hoc perindè est, ac si quis subministraret meretrici lectulum, vbi cum amasio cubaret, quod nemo admittit. Et ita etiam dicendum est de vendentibus ornamenta, non enim ita directè adiumentum pręstant ad concubinatus crimen. Sed susceptores lusorum in domum, qui instrumenta eis ad ludum subministrãt, aleas scilicet, & mensam, ad peccatum mortale ludi directè opem ferunt. Ergo, &c. Vnde patet supra dictam opinionem Iustiniani, quam adducit, & refellit Lop. esse falsam, & contra communem sententiam Doctorum, qui vt supra probatum est, omnes asserunt, supradictos susceptores lusorum peccare mortaliter. Vnde sequitur, non posse Principes licentiam præbere, vt aliqua domus ludo sit exposita, & ita ego olim à Serenissimo Principe Philiberto interrogatus consului, & ita etiam tunc consultus respondit Pater Ioseph de Augustino Societatis Iesu, vir litteris, & probitate insignis, satis quidem notus, sed numquam satis laudatus.

Quonam tempore Senatores Ciuitatum, & præcipuè huius Vrbis Panormi prouisionem frumentorum facere debeant? & an postea dictum frumentum possint vilius populo vendere quam emerant.

RESOL. LXVI.

IMplorato prius auxilio Beati Andreæ dictæ felicissimæ Vrbis Patroni. Respondeo ad primum, & suppono ea, quæ prudenter notauit politicus Bobadil. tom. 2. lib. 3. cap. 3. num. 6. vbi sic asserit. [Por ser el pan mas principal de los mantenimiẽtos del hombre, l'abundancia del, suple la falta de los otros mãtenimientos, pero la falta del, no se suple con l'abundancia dellos, y del bueno, ò mal gouierno del pan resulta carestia, ò barato, en todas las demas cosas, por lo qual deue el Corregidor ser muy cuidadoso, en que su ciudad, y prouincia este asaz proueyda, y bastecida de trigo, y de pan cozido.] Hoc supposito constanter assero, Senatores huius Vrbis, debere in conscientia eo tempore frumenta emere, quo vilius venduntur, vt sæpius solet accidere tempore recollectionis, vel alio tempore, in quo

viii

viri prudentes consideratis omnibus circumstãtijs id façere in vtilitatem Reipublicæ probabiliter existimabũt. Probatur hæc propositio. Nam dicti Senatores ex iustitia, & ratione officij tenentur in conscientia tractare, & agere rem Ciuitatis vtiliter, sed tempore recollectionis, vel paulò post adest maior abũdantia, & copia frumentorum & vilius emuntur, ergo tunc tenentur illã emere, vel alio tempore, vt supra. Vnde quia contrarium sæpius efficitur a Senatoribus subsequentibus, postea longè carius emuntur cum magno dispendio, & interesse populorum & Ciuitatis.

Sed audiamus virum doctissimum de hac re differentem: Is est Michael de Palatio in sua praxi de contract. libr. 2. c. 2. folio mihi 61. col. 1. & quia codex rarus est, ponam eius verba per extensum, itaque sic asserit. Scitò Rectores Ciuitatis esse sæpè culpandos, quippe cum potuissent sæpè frumenta colligere in horreum publicum, quando frumenta vilius valent, scilicet sub collectione frugum, præstolantur tempora cariora, cum tamen teneantur prouidere Reipublicæ minori impẽdio, quo potuissent, cæterum inertes sunt frequenter in tanto negotio, quia non de sua re, sed de Reipublicæ negotio agitur. Ita Palatius, cui adijciatur etiam Villadiego in instruct. polit. c. 5. §. 17. n. 54. & Bobadill. vbi supra nu. 42. vbi sic ait. [El auer sido el Agosto fertil, no deue ser causa el Corregidor, para descoydar en la prouision del trigo, porque antes en el tiempo de l'abundancia se ha de hazer para el de sterilidad, y por la comodidad del precio, que entonces ay, y porque de la tierra fertil de ordinario suele hauer saca, &c.] Quæ quidem vltima verba valdè notanda sunt. Nam sæpius accidit Senatores, propter optimam recollectionem, non facere statim frumentorum prouisionem, sed postea, cum Regale patrimoniũ concedat extractionem frumentorum, & vt vulgò dicitur, *li tratti*, extra Regnum cum magno interesse sunt adstricti emere frumenta non vilius, vt ante potuerant, sed longè carius in damnum miseræ plebis, & Ciuitatis. Ex quibus omnibus manifestè apparet, Senatores desides circa prouisionem frumentorum non sine magno periculo, & onere conscientiæ id efficere. Ideo existimo necessarium esse huic malo, quam citius occurrere, & prouidere; ex illo enim grauissimum Reipublicæ damnum oriri, experientia lacrymabilis quotidie nos docet. Vnde crederem pro bono Ciuitatis, Prætores & Senatores in mense Maij mutandos esse, nam ita vnusquisque (vt sic loquar) rem suam ageret, & ita prouidè, ac oculatim pro anno suæ gubernationis, victualium prouisionem efficeret. Saluo semper, &c.

Ad secundum dubium respondeo negatiuè. Est enim pessimus abusus, & non ferendus, vẽdere scil. frumenta vilius, quam emuntur, & hoc facientes, faciunt contra rationem, contra ius commune, contra ius particulare, contra mentem Regis, & contra Iurisconsultorum, & Theologorum sententiam. Et primo faciunt contra rationem, nam cum Ciuitas nostra nõ possideat redditus, neque bona aliqua, nescio quo pacto possit vẽdere frumenta viliori pretio quã emerat, vt postea ingenti ære alieno prematur. Nec valet dicere, quod cum Ciuitas tale debitum in gratiam populi contraxerit, possit postea, quãdo vult, cum aliqua gabella illud soluere. Nam respõdetur, cum gabella sit vniuersalis, illam postea necesse est, vt soluat non solum populus, sed multi alij, qui tale beneficium non acceperunt, & sic gabella esset iniusta, quia vnus solueret pro alio; imò ex ipso populo, aliqui minorem, aliqui maiorem summam soluerent, quàm antea ex vilitate dictæ venditionis frumentorum a Ciuitate perceperant, quod etiam esset iniustum. Ergo, &c. Secundò, faciunt contra ius commune, nam ita habetur in leg. 3. ff. ad leg. Iuliam annon. vbi textus sic ait. Imperatores Antoninus, & Pius responderunt minimè æquum esse Decuriones vilius præstare frumenta Ciuibus suis, quam annona exigit, & Glossa ibi adducit etiam leg. non debeta, ff. ad municip. & leg. Decuriones, ff. de administr. rer. ad Ciu. pertinent. Tertiò, faciunt contra ius particulare, nam in cap. 41. Ordinariorum huius Ciuitatis sic habetur, [Si guarderanno i Pretori, e Giurati di vendere dette vettouaglie à manco prezzo di quel che le compreranno.] & in Ordinationibus impressis anno 1614. tempore Ducis Ossunæ cap. 46. sic habetur. [Accioche l'amministratione di vettouaglie nõ habbia mai interesse alcuno, nè per questa occasione si habbia da imponere gabella con dãno vniuersale di ogni sorte di persone, ordiniamo, che ogni sorte di vettouaglie, che compraranno li spettabili officiali per seruitio della Città li debbano far vendere distintamente secondo la qualità loro, di maniera, che delle stesse vittouaglie, se ne caui il prezzo di quanto si haueranno comprato, con aggregatci l'interesse della moneta, e tutte altre spese per condurre, e conseruare dette vettouaglie.] Quartò faciunt contra mentem Regis, ita enim præcepit sapientissimus Philippus Secundus, vt testatur à Ponte, vbi infrà, sic asserens. Mandauit memorandus Rex Philippus II per suas particulares litteras, etiam cum additione sua propria manu scriptas a me informatus, dum Regẽtis officium exercebam in supremo Italiæ Consilio, omninò tolli abusum emendi per Ciuitatem Neapolis frumentum caro, & distribuendo vilius postea inter Ciues. Sic ille. Quintò faciunt contra mentem Iurisconsultorum, nam contra tale pessimum factum inuehitur dictus celeberrimus Iurisconsultus Ioan. Franc. à Ponte, qui tãdem post tot dignitates in sæculo obtentas in nostram Religionem se ascripsit. Is in tract. de potest. Proregis, tit. 2. §. 5. per tot. clarè demõstrat ruinam Ciuitatis Neapolis ex hoc abusu emanasse, quem ex multis rationibus detestatur: legatur quæso dictus Auctor, qui solidè & doctè, vt semper solet, hanc materiam pertractat, & illius additionator Ioann. Baptista de Thoro citat pro hac sententia Bonifacium, & Lesеum. Vide etiam doctissimum Ludouic. Mexiam in prax. taxę panis, concl. 4. n. 30. Sexto faciunt contra sententiam Theologorum, & ita Turrian. in 2. 2. 10. 2. disp. 41. dub. 3. nu. 3. supponit tamquam certum, Ciuitates vendere frumentum eo pretio, quo emptum fuit. Et clarè hoc etiam docet Io. de la Cruz in direct. cons. p. 1. præc. 7. q. 3. dub. 5. concl. 2. in fi. & P. Salas tr. de empt. dub. 6. n. 3. non solũ hoc supponit, sed etiam rectè, addit, Remp diuidere inter Ciues expẽsas, quas in tritico aduehendo, & seruando facit.

Imò Michael de Palatio vbi supra lib 2. c. 1 asserit, quod si aliqua Respublica tempore consueto, solitam prouisionẽ frumẽtorum maturè fecit, si postea ex aliquo accidente vilius venderentur, posset in tali casu nihilominus dicta frumẽta carius vẽdere eo pretio quo emeret, inuitis Ciuibus, & popularibus adiunctis etiam expensis, & Rodriq. nouissimè in sum. to. 4. c. 137. n. 3. sic asserit. [Puede la Republica obligar a todos los mercaderos suyos, y de su districto a gastar el trigo, conforme lo che costò, auiendole comprado, para que no huuiesse falta en ella:] & ita accidisse in praxi, in quadam Hispaniæ Ciuitate testatur ipse Rodriquez, sic consulès Decurionibus illis Vrbis, licèt frumentum subsequenti anno vilius vẽderetur, quam anno superiori fuerat ab illa Republica emptum, & ita etiam expressè docet Faust. in speculo Confess. disp 6. q. 78 & 79

Ex quibus omnibus concludendum est, nullo modo ferendũ esse abusum vendendi, scilicet frumenta vilius, quam fuerunt empta, & contrarium practicare, vt latè probatum est, contra omnem rationem erit. Itaque Illustrissimi Senatores circa præsens dubium, habeant oculos ad Deum, Rempub. & ad rectam gubernationem, & non ad satisfactionem auræ popularis, vt loquitur à Ponte vbi supra. Saluo semper meliori iudicio aliorum præstantissimorum virorum, quibus hæc omnia, & meipsum humiliter submitto.

Post hæc scripta, elapso iam anno, Serenissimus Rex nostram sententiam per Epistolam directam Excellentissimo Proregi Marchioni Tauaræ, seruandã esse ab omnibus Ciuitatibus huius Regni determinauit, quam Epistolam hic per extensum apponere non grauabor. Igitur eius verba hæc sunt. [Ha se entendido, que el trigo, que compran las Ciudades de Palermo, y Messina, y otra deste Reyno, se suele vender a mas buẽ precio del que les ha costado, de que se les siegue mucho interes, y daño, y porque esto es contra las ordenes, que estan dades, y combiene al bien publico, y a mi seruicio atajar esto para adelante, de querido encargaros, y mandaros, como lo hago proueays, y de ys orden que el trigo, que compraren las dichas Ciudades de Palermo, y Messina, y otras deste Reyno, no se venda, ni pueda venderse a menos precio, del que les huuiere costado, y que se obseruen, y guarden las ordenes, que ay cerca desto sin dispensar a ellas, en ninguna manera, que tal es mi voluntad. De Madrid à veynte y tres de Enero 1627. Yo el Rey.] Quæ quidem Epistola fuit postea executoriata per ipsum Proregem, & Regale Patrimonium, die 17. Aprilis, & à Senatu huius Vrbis die 19. eiusdem mensis in eodem anno Domini 1627. tempore quo erat Prætor Illustrissimus Dominus Cæsar Caietanus Marchio Xiurtini, vir pro bono publico natus.

De

De electionibus Officialium ritè faciendis, & præsertim ab Illustrissimo Senatu huius Urbis Panormitana.

RESOL. LXVII.

Sciendum est, quod de iure communi constat spectare ad Senatores Ciuitatis Officialium electionem. Sic obseruarunt, inter multos, doctissimi Iurisconsulti Azeued.& Matienzo in leg.5.lib.5.tit.18.Recopil.cum Villadiego in polit. cap.1. §.17.nu.31. Deinde sciendum est etiam,quod electio Officialiū nostræ Ciuitatis ita practicatur: ex multi seliguntur tres per secreta suffragia, qui postea mittuntur in vrnam, & primus, qui postea sine fraude à deputata persona sumitur, is officium consequitur. Quod autem hæc electio per sortes sit valida, vltra Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez vbi infra libr.2.c.38. num.58. tenet Portel in addit. ad dub. regul. ver. electio, nu.4. & sic Romæ olim (vt loquitur Tacitus) vrna quid esset agendum, decernebat, vt & notauit eruditissimus Torrent. in illa verba Horat.lib.primo Ode 4. *Nec regna vini sortiere tales*, vbi ait.Sortiri Iudices & Magistratus dicebant Romani, cumq; Iudices,qui Magistratus ac Prouinciarum Rectores futuri erant, sorte eligebantur, quod etiam ex pluribus notauit eruditus Iurisconsultus Turreblanca in epitom.delict. seu de magia,li. t c. 2.nu.50. & ad hunc morem allusisse Virg.6. Æneid.in illis verbis, *Quæsitor Minos vrnam mouet*, putauit Beroaldus in Suet. c.29. in vita Octauij Augusti, & tandem, sic etiam olim fieri in nostra Sicilia, ex Plutarcho obseruat Delrius in disquif. mag. lib.4. c.4.q.1. His suppositis.

Dico primo, Senatores ante dictam electionem præstare iuramentum de bene eligendo, & sic faciendum esse testatur Auendagno de exequen.mand.cap.19.nu.14.vnde si bene non eligunt,periuri efficiuntur. Nam vt notat Sanchez in summ.to. 1.lib.3.cap.13. num,3.& Portel vbi sup. ver. iuramen um, nu. 20.cum Maldero in 2.2.tra.50.nu.6.dub 9.conclus.4.Iuramentum, quod faciunt Rectores, & Consiliarij in Congregationibus, obligabit ad mortale, si materia sit grauis. Hoc accidit in casu nostro,quia agitur de electione officiorum magni momenti in damnum, seu vtilitatem Reipublicæ. E go, & cetera. Et ideò propter periculum tale iuramentum frangendi in multis partibus non præstatur, vt obseruat Bobadilla in sua Polit.tom.2. libro 3. capit. octauo, num.46. his verbis. [Aunque para iustificacion de eligir los officios dispone la ley, que iuren los Regidores de hazer la eleccion bien, y fielmente. Verdad es, que no se practica assi, por la euidente sospecha de los perjurios,que succeden de los incautos iuramentos,mayormente, que de ordinario estas elecciones se hazen appasionadamente.]Faxit Deus hoc in nostra Ciuitate nunquam accidere. Sed quo pacto, Senatores obseruabunt iuramentum de benè eligendo? Respondeo, &

Dico secundo, vt supradicti Senatores benè eligant, & iuramentum obseruent, assumunt multi debere ad dicta officia magni momenti eligere digniores. Sed dicet aliquis, durus est hic sermo, durus quidem, sed verus & communis inter DD acciperè paucos ex multis. Doctus Iurisconsultus Auilas in cap.17. Prætorum, verb. eligant. num.2. De iure communi ad Consilium Ciuitatis spectat facere electionem Officialium, & talis electio debet fieri de magis idoneo.Io. Valer.in differ. vtriusque fori,ver.electio.differen.2.num.3. Quilibet Distributor, seu Collator munerum Reip. tenetur ea conferre dignioribus sub pœna peccati mortalis. Bobad.in Polit tom.2. lib.3. cap.8. nu. 45.[Toca a los Regidores la elecion de los officios,y deuen eligir los mas idoneos, elpertos para ellos.]Bannez in 2. 2. quæst. 63. artic.2. dub.6, Senatores infideles sunt, & iniusti contra Remp.& contra bonum eligendorum, si ad officia, quæ distribuunt, suffragia omnium dispensent minus dignis, quia inter ipsos,& Rempubl.est pactum formale,vel virtuale de eligendo digniore.Ledes.in summ.to.2.tract.7.cap.2.diffic.5 [Quando la eleccion de los officios se haze por votos, y el que ha de ser parte,ò Ciudadano de la Republica cuyos es el officio, es peccado mortal de la acceptació de personas no eligir el mas digno. El exemplo es, quando los Regidores eligen los Ministros de la Republica, esto tienen communemente los discipulos de S. Thomas, y le confirma, porque aunque estos officios principalmente se instituyan por el bien publico, y por la publica necessidad. Pero secondariamente se ordenan al bien de los mismos Ciudadanos luego,quando se cumple con el bien comun tambien se ha de tener attencion à la dignidad, y meritos de los Ciudadanos, y el modo de proceder por votos se declara; que se distribuye en los Ciudadanos, y partes de la Republica luego ha se de guadar la forma de la Iusticia distributiua] Salon in 2.2.tom 7.quæst.63.ar.5.contr.9.concl.1. Quando officia prouidentur per plura suffragia, ideo vult Respublica fieri electionem illam à pluribus, vt multorum iudicijs, & rationibus propositis melius Reipublicæ consulatur. Repugnat autem, omninò huic fini, & scopo eligere dignum, relicto digniore; ergo id non licet Lessius lib.2.ca.32.dub.5.num.17 Mens Reipubl. & Principis est, vt officia conferantur dignissimis, & cum tali onere permittit quædam conferri à supr mis suis officialibus, vel à Gubernatoribus opp dorum, vel à Præfecto militum in militia. Ergo hi omnes tenentur cōferre maximè idoneis,alioquin peccant in re graui contra fidem, quam Principi & Reipublicæ debent.Iuan. Maderiaga in tract.de Senatu,cap. 42 [En las elecciones, que los apuntamientos Consistorios, o Consejos h zen de los officios, que los Ciudadanos acostumbran proueer, y distribuir entre si mismos, es necessario guardar las reglas de la Iusticia distributiua sò pena de peccado murtal,y ansi se hà de proueer de ordinario en los mas dignos, y mas bien quistos, y menos codiciosos, si no es, que sian officios de poca importancia.]. P. de Aragon.in 2.2.q.63.ar.2.Si Resp. ad plura suffragia eligeret Ministros, quilibet sub peccato mortali teneretur suffragari digniori.

Docet etiam hanc sententiam Innocent.in c. cum olim de restit.n.2.& Platea in leg.humilioribus,ad Cod.de susceptor.n. 2 lib.10. cum alijs communiter. Ratio potissima est, quia hæc officia sunt bona communia, quę ordinantur in bonum Reipublicæ,& in dignitatem,& honorem personæ, ergo dispensanda sunt dignioribus. Probatur antecedens. Nam dicta officia instituta sunt ad conseruationem & gubernationem Reipublicę, & fructuosa sunt, & honorifica. Ergo respondent meritis tamquam præmia. Ex his apparet,vt notat Lessius vbi sup. n.15.quā pessimè faciant illi Senatores, qui promouent eos tantum, qui sanguine, vel amicitia ipsis iuncti sunt, vel munera obtulerunt, vt priuatis ipsorum intentionibus melius seruiant præteritis alijs longè aptioribus. His tamen non obstantibus.

Dico tertiò, aliquos asserere, esse opinionem probabilem illam,quæ docet in officijs sæcularibus sufficere eligere dignum, relicto digniori. Ita Caier in summa,ver.electio. Vasquez opusc de beneficijs,c.2 § 5.dub.13.n 97 cum Molfes.in sum.tom.1. tr.6.c.6.num.83.& Homob.in exam.E cl.p.2.tr.9.ca.4.q.7. Sed posset aliquis respondere, supradictos authores loqui in casu, quo Princeps supremus officia dispēsaret: secus autem si dicta officia dispensarent Ministri inferiores, & maximè si hoc efficerent per secreta suffragia,vt est in casu nostro, & ita videtur sentire Maderiaga vbi supra. Vel respondetur supradictam sententiam esse contra communem opinionem Iurisconsultorum, & Theologorum,& præter Doctores supra citatos illi aduersantur Gaugericus Hispanus in summam Caietani,ver.electio, littera B.Pet.de Ala in tract.de decur.Christ.capit.16 Ioann.de la Cruz in director.consc.par.1.præcept.7.quæstio.7.art.2.dub. 21.conclus.1.Malderus in 2.2.tract.1.cap.1. dub 5. Reginaldus tom.2.lib.25. c.3.num.35.in fine, Valent.to.3.disp.5.q.7.punc. 2.§.5.Rebellius p.1.lib.3.q.4.nu.13.Turrian.in 2.2.to.2. disp.13. dub.1.nu.6. Vegha in sum.p.1.c.8.nu.4. Sed quicquid sit de probabilitate huius opinionis.

Dico quartò, Senatores eligentes indignos non solum peccare mortaliter, sed teneri ad resarcienda damna ex tali electione sequuta. Ita Doctores citati, & Naldus in summ. verb. eligere, num.6. Fernandez in instruct Confess. par.2. cap.21. num.5. Couat. in reg.peccatum,§.7.nu.6.cum Miranda in manual.Præl.tom.2.quæst.23 ar.13.concl.2. Sed ponam hic verba, quę doctus P. Maderiaga in citato lib.de Senatu,c.42.piè,& solidè scripsit [Quantos destos peccados deben algunos pidiēdo el officio, que no merecen, y los, que ruegan por ellos,y los, que consienten sin accordarse jamas de confessarlos, ni de restituir los daños, que aque hizo ala Republica, que no faltara, que hazen con ellos, el dia del juizio.] Itaque Senatores peccabunt mortaliter, cum onere restitutionis, & erunt periuri eligentes indignos, non autem à restitutionem tenerentur, nec peccarent mortaliter, secundum opinionem Caietani, & Vasq. vbi supra, si eligerent dignos omissis dignioribus,secus secundum aliam opinionem positam in dicto secundo. In altero

etiam casu peccabunt mortaliter, de quo dicendum est in sequenti dicto.

Dico quinto, electi ad supradicta officia postquam in pileo positi sunt (vulgo dicitur *in birreta*) æqualiter aliquis ex Senatoribus vnum pro alio legat, vel aliquam chartulam ex tribus paulò grandiorem efficiat, vt illam facilius alijs, in pileo relictis sumat, is peccat mortaliter, propter iniuriam, quam fraudolenter infert alijs duobus in re graui. Nam, vt diximus, supradicta officia non solum ordinantur ad vtilitatem Reipublicæ; sed etiam ad vtilitatem, & honorem Ciuium; sunt enim fructuosa, & honorifica. Et ita in terminis docet Suarez de religione tomo primo. lib. secundo, cap. 22. num. 16. vbi sic ait. Quarto potest hoc esse peccatum ex modo, vt si quis fraudibus vtatur in sortibus, sicut in ludo, tunc enim esset iniustitia. Sanchez in summa, tomo 1. libro secundo, cap. 38. num. 68. sic etiam asserit. Esset iniustitia missis sortibus inter eos, qui non habent partem ad rem illam, ve si excluderentur aliqui habentes partem quia in priori casu æqua statuetur conditio habentium ius impar, in posteriori autem defraudarentur potientes æquali iure. Sic ille, quod antea docuerat Toletus lib. 4. cap. 15. nu. 2. cum Sayro in Claui Regia, lib. 4. cap. 5. nu. 20. & postea docuit Martinus Bonacina, de leg. disp. 3. q. 5. punct. 3. nu. 12.

Scripsi hæc ad instantiam Vincentij Vanni Syndici meritissimi huius Ciuitatis, viri integerrimi, & amicissimi. Faxit Deus, vt sint profutura, si non ad electionem dignioris, vt probaui dicto secundo, saltem ad abominationem fraudis, de qua paulò supra in dicto quinto.

TR 43

TRACTATVS XVI. ET II.

MISCELLANEVS.

An Confessarius, qui culpabiliter non obligauit pœnitentem ad restituendum teneatur ipse restituere?

RESOLVTIO PRIMA.

DIDACVS Nugnus in addit.ad 3.p.to.2. quæst.8.art.4.dub.5. folio mihi 275. & Zanard. in direct.Confess. p. 2. precept.7.cap.26. dub.3. docent sententiam affirmatiuam, sic etiam docet Gabriel in 4.dist.15. q.2. art.3. Syluester verb. vsura 7.q.2. præter alios Neotericos, quos citat Bonacina vbi infra. Et ratio est, quia tam Parochus, quã alius Confessarius (nam gerit vices Parochi) tenetur ex officio docere pœnitentẽ necessaria. Ergo, cum non admonet pœnitentem restituere, non adimplet id quod debet. Ergo, ait Nugnus, tenetur ipse ad restitutionẽ, quia non admonendo, virtualiter dicit illum non teneri, atque adeo est causa moralis, vt pœnitens non restituat, & consequenter est causa damni alterius tertij, & ideo si non est aliud remedium, ipse tenebitur ad restitutionem, quia verè intulit damnum contra iustitiam, tacendo, quando loqui tenebatur.

Verum contraria sententia semper visa est mihi probabilior, & sæpius illam in praxi sequutus sum. Dico igitur non solum Confessarios, sed Prælatos, & Parochos, quando ex ignorantia etiam vincibili non obligant pœnitentem ad restituendum, ad nullam restitutionem teneri: nam officium, quod Confessario ex iustitia incumbit, solum est in ordine ad spiritualia, & negligens in officio, contra religionem, peccat potius, quam contra iustitiam. Et ita amplexi sunt hanc sententiam nouissimè Martinus Bonacina de restitut.disp.1. q.2. punct.11. n.13. & præter DD. quos ipse citat, tenent etiam hanc opinionem Filliuc. in q. moral.to.1.tr.7.c.12.q.7.p.374. Malderus in 2.2 tr.5.c 3.dub. 24. Bartholomæus à S. Fausto in speculo Confess.disp.4.q.121. nu.7.& 8. Ægid us de Coninch de sacram.disp.5.dub.17.n.144. & Rebellius de oblig. iust.p.2. lib.17.q. vlt. nu. 12. & p.1. lib.2. q. 14.sect. 8 nu.65. Hæc sententia limitanda est, modo Confessarius non dicat pœnitenti obligato restituere, vt non restituat, vel faciat restituere cum non teneatur. Ita Suarez in 3. p.to.4. disp.32.sect.6. Rebellius, & alij.

Ad argumentum Nugni, patet ex dictis responsio. Nam Confessarius non tenetur ex officio temporalibus creditorum bonis prospicere, cum ab eis mercedem non accipiat, nec eorum gratia officium habeat, sed solum ad procurãdum bonum pœnitentis. Vnde quamuis ipsi quidem pœnitenti teneatur Confessarius ex officio iniungere restitutionem, non tamen ad hoc tenetur obligatione iustitiæ, quam habet erga creditorem, sed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur saluti spirituali eius consulere: quare si id negligat, peccabit quidem, sed non tenebitur ad restitutionem.

An Parochus teneatur audire Confessionem subditi, quoties ille voluerit confiteri.

RESOL. II.

PRima opinio est affirmatiua. Ita Bonac. de sacram.disp. 5.q. 7.punct.4 § 2. num.23. & præter DD. quos ipse citat, docente etiam hanc sententiam Ioann. Azorius p.1. lib.2.c.17.q. 10. Ægidius de Coninch.de sacram.disp.8.dub.17.n.129.& P. Molfesius in summa, tom.1.tract.7.cap.22.num.36. qui omnes asserunt Parochum teneri, vel per se, vel per alium confessiones subditorum audire, non solum quando alter tenetur confiteri, sed etiam alias, quoties id rationabiliter petit, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum propositarum, siue quia tunc temporis (verbi gratia singulis mẽsibus, aut decimoquarto die) solet confiteri, aut quia habet aliq a peccata, quæ ipsius conscientiam grauant, aut aliam similem ob causam. Ratio est, quia ex officio tenetur suis subditis Sacramenta ministrare, & subditi habens ius petendi. Ergo, &c. Limitat hãc sententiam Vasquez in 3. par tom.4.quæst.93.artic.3. dub.6. nu.3. quando tanta frequentia confessionis expediret saluti, & profectui spirituali subditi; sunt enim qui ita frequenter confiteantur, vt omninò fit inutile, quia & confessionis virtus contemnitur, immo & aliquando expedit conscientiæ subditi cessare à confessione propter scrupulorum perturbationem. Denique diligenter inspiciendum est, quid vnicuique pœnitenti conueniat. Limitat secundo hanc sentẽtiam Didacus Nugnus in additio.ad 3.par.tom. 2.q.8.artic.4.dub.3. & excusat Parochum à mortali peccato, qui semel, aut iterum denegat confessionem petenti rationabiliter.

Secunda opinio est negatiua, quam post Medinam Codic.de confess. quæst.37. Richardum in 4.distin.18.art.2. qu.2. Syluestrum ver.Confessor.1.num.14. Armill. ver.absolut. nu. 28. docet nouissimè ex Neotericis Valerius Reginaldus in praxi, to. 1.lib.1.cap.8.nu.81. vbi existimat Curatum non teneri sub pœna peccati mortalis audire subditorum confessiones extra casum quo confiteri tenetur, vel iure humano, vt semel in anno, vel iure diuino, vt in verisimili mortis periculo; aut quoties tale remedium eis necessarium esse videtur, ad aliquod peccatũ mortale vitandum. Et ratio est, quia, aut tenetur Parochus audire confessiones subditorum ratione charitatis, aut ratione officij, non primum, quia teneretur audire etiam aliorum confessiones, qui nõ sunt ipsius subditi; & cum alius Sacerdos non peccet mortaliter contra charitatem, nolendo audire alicuius confessionem, neque peccabit Curatus. Nec etiam ratione pastoralis officij mortaliter peccare contra iustitiam patet, quia officio suo satisfacit, si onera sibi à iure, vel à superiore imposita cõpleat, sed neque ius, neque super imponit Curato Sacramentum pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cum necessarium est hos illud recipere. Ergo. Vnde quamuis Curato commissa sit cura subditorum, tamquam patri filiorum spiritualium, tamen sicut pater carnalis satisfacit suo officio dando filijs necessaria, alijs abundantioribus denegatis, ita etiam Curatus suo muneri satisfacere iudicandus est, Sacramenta necessaria tunc ministrando subditis, cum eorum suscipiendorum necessitas vrget. Ergo, &c.

Tertia opinio Ioann. Baptistæ Posseuini de offic. Curati.cap. 5.q.7. qui distinguendo asserit Curatum teneri dare Sacramẽta toties, quoties petuntur sub mortali, quando qui petit est in Paschate, aut morte. At si communicatur, vel cõfitetur ex deuotione, tunc teneri sub mortali, quando si non dederit, qui petit nõ habet alium, a quo recipiat: si verò habet à quo possit recipere, & recipiat, non teneri sub mortali. Quia si Curatus teneretur sub mortali, teneretur ratione damni notabilis, quod Parochianus sustinet. At cũ nullo damno afficiatur, sub distinctione dicta, videtur etiam Curatum non peccare mortaliter Sacramentum non conferendo. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles.

Quidam Diaconus cum Ordinem Sacerdotalem sumeret, tetigit Calicem cum patena, sed non tetigit Hostiam, quæsiuit a me postea, an talis contractus sit de necessitate Sacramenti.

RESOL. III.

ALiqui, vt notat Coninch de Sacram. disput. 20. dub. 7. nu. 57. putant ordinandum Sacerdotem non solum debere tangere physicè ipsum Calicem, ac Patenam, sed etiam ipsam Hostiam.

Sed contraria opinio prorsus est tenenda, quam docent Sotus in 4. distin. 24. q. 1. art. 2. Zambranus in decis. cas. consc. c. 6. dub. vnico, nu. 11. Summa Corona par. 4 cap. 8. de causa materiali, num. 11. Chametota de Sacramen. tract. 11. cap. 3. dub. 4. Valent. tom. 4. disput. 9. quæst. 1. punct. 5. Ledesma in summa, tom. 1. de Sacrament. ordinis cap. 3 folio mihi 415. Vegha in summa, tom. 2. c. 57 cas. 5. & in Speculo, tom. 2. cap. 14. §. 5. nu. 21. Victore Ius in Additio. ad tract. de ordine Martini Fornarij cap 2. Bonacina de Sacramen. disp 8. q. vnic. punct. 3. n. 19. Didacus Nugnus in Addit. ad 3. p. to. 2. q. 24 ar. 5 diff. 2. vbi quærit quid dicẽdum, si quis tangat vna manu Calicem, vt est in consuetudine, altera verò manu tangat Patenam non Hostiam, vel Hostiam, & non Patenam? & respõdet, tunc esse verum Sacramentum. Et ratio est, quia sicut vinum sufficienter tangitur tacto Calice, in quo est: ita & Hostia sufficienter tangitur tacta Patena, in qua est, vel etiam Calice, in quo est Patena cũ Hostia; nam etiam in alijs rebus humanis, nõ solent specialiter tãgi omnia quæ traduntur, quando vnum eorum est in alio. Item in Rituali, vbi quæ in hoc contactu nessaria sunt, exactissimè describuntur, illud nullo modo, vel leuiter insinuatur, nec etiam Episcopus ordinans, eiusq; ministri sunt solliciti, vt fiat. Immò hæc opinio erit etiam vera in sententia eorum, qui putant contactum physicum esse de necessitate Sacramenti, & eam debere sic intelligi vt sit propabilis, obseruat Vasq in 3. p. 1. 3. disput. 246. c. 2. nu. 19. & 20. Nam cum ordinandi habeant tunc manus linteo colligatas, difficillimè fieri potest, vt ipsam Hostiam simul cum Calice tangant, præsertim quando habent digitos breuiores.

Non reticeam tamẽ ad tollendos omnes scrupulos, esse opinionem probabilem, quam docet Sotus vbi supra. Victoria in summa Sacram. quæst. 230. Armill. ver. ordo nu. 4. Henriq. lib. 3. c. 9 nu. 11. & lib. 10. c. 10 nu. 1. littera D. & B. Ledesma 2. 2. q. 36. art. 5. Reginald. in praxi tom. 2. lib. 30. trac. 1. c. 2. nu. 8. Molfes. in sum. to. 1. trac. 2. c. 1. nu. 42. cum Vasquez loc. citato, nempe, non esse necessariam, vt ordinandus tangat physicè materiam, sed sufficere extensione manuum ostẽdat se eam ab ordinante acceptare, quia Concilium Florentinum de ordine, nihil meminit de contactu, sed tantum de traditione, cum tamen diligentissimè egerit de necessarijs pertinentibus ad essentiam Sacramentorum. Secundò, traditio instrumentorum tantum deseruit ad determinandam potestatem, quæ datur. Sed ad hoc non requiritur contactus, sed ostensio præsens cum signo acceptatiuo, quia non est eadem ratio, quæ in Baptismo, Confirmatione, & Vnctione; non enim dicitur quis lauari, vel vngi, nisi aqua vel oleum attingat eius corpus. Tertio confirmatur, quia verè dicitur quis accipere equum, vel nummos in suos, licet illos non tangat, modo sit ostensio præsens, qua traduntur, & ab ipso accepientur. Denique aliquando potest acquiri possessio, & esse vera traditio sine reali apprehensione, modo sit aliquod signum exterius loco illius apprehẽsionis realis, vt patet. Ergo, &c. Hæc omnia intelligenda sunt de necessitate Sacramenti, nam de necessitate præcepti ordinandus; vt notat Coninch de Sacr. disp. 20. dub. 7. nu. 71. concl. 6. tenetur tangere saltem Calicem & Patenam.

Qui suscepit Ordinem Diaconatus ante Confirmationem, quæritur, an peccauerit mortaliter.

RESOL. IV.

DIdacus Nugnus in addit. ad 3. p. to. 2. q. 35. art. 4. Martinus Fornarius tract. de ordine, c. 3. n. 3. & Bonacin. de Sacr. disp 8. q. vnic punc. 3. n. 10. Tolet. in sum. lib. 1. c. 71. n. 6. & Maiol. de irreg. lib. 4. c. 12. docẽt peccare mortaliter, cum faciat contra Tridentini præceptũ sess. 22. c. 4. de reformat. vbi ait, prima tonsura non initientur, qui confirmationem non susceperint.

Verior tamen est opposita sententia, quam hoc nostro æuo communiter sequuntur. Ita Sotus in 4. distinct. .... quæst. vnic. artic. 8. Victoria de Sacr. ordinis, quæst. 232. Candelabrum aureum, de confirm. num. 41. Auila de census, parte 7. disput. 9. sect. 1. dub 3. Suarez tom. 3. in 3 par. disput. 38. sectio. 1. Valent. tom 4 disput. 5 quæst. 2. punct. 3. Nauarr. in manual. c. 22. nu. 9. Molf. in summ. tom. 1. tract. 2. cap. 11. num. 7. Azor parte 2. lib. 3. cap. 48. quæstio 1. & Coninch de Sacr. disput. 20. dub. 10. nu. 103. & q. 72. artic. 8. num. 90 vbi asserit. Addunt aliqui esse peccatum mortale, suscipere Ordines ante Confirmationem, sed melius negat Nauarrus, qui docet etiam Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo.

Ad argumentum Bonacinæ, & aliorum respondetur, quod in verbis Concilij Tridentini, nihil præcipitur initiandis, sed præscribitur Episcopis quid facere debeant, quamuis nec hic stricta aliqua obligatio imponitur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum iudicetur. Nota vero, quod Toletus, & Maiolus vbi supra, putant non solum suscipientem Ordinem ante Confirmationem peccare mortaliter, sed etiam incurrere in irregularitatem. Sed hæc opinio meritò reijcitur à Suarez in 3 p. to 4. disput. 42. sect. 3. nu. 14. Nauarr. in summa, c. 22. n. 9. Henriquez lib. 14. c. 6. nu. 3. Soto in dist. 24. qu. 5. art. 4. Aurl. vbi supra, & alijs.

Quidam Clericus in hac Ciuitate, suscepit sacros Ordines, cum patrimonio ficto, & per multos annos celebrauit; quæsiuit, an in ordinatione ratione patrimonij ficti, incurrerit suspensionem, & postea celebrando irregularitatem.

RESOL. V.

DIfficilis sane quæstio. Ponam opiniones DD. quam malueris elige. Affirmatiuam sententiam amplexi sunt Nauarrus in manual. cap. 27. nu. 158. Sanchez de matr. lib. 6. disp. 32. num. 8. & præter alios, quos citat, & sequitur Bonacina de Sacram. disput. 8. quæst. vnica, punct. 5. num. 24. tenet hanc sententiam Comitol. in resp. mor. lib. 6. quæst. 38. Spino in speculo testam. gloss. 18. num. 75. Filliuc. tom. 1. tract. 17. c. 5. num. 89. Ioan. de la Cruz in director. cõsc. p. 2. tract. de Sacram. ordinis, dub. 6. concl. 2. Scortia in Pontif. const. epito. 147. theorem. 249. Valer. Reginald. in praxi tom. 2. lib. 32. tract. 2. c. 35. sect. 3. nu. 71. qui cum Suarez in 3. p. tom. 5. disput. 31. sect. 1. nu. 35. putat talem clericum incurrere duas suspensiones, alteram, vt sine sufficienti titulo, alteram, vt sine proprij Episcopi facultate ordinatur. Ratio quare incurrat istam secundam suspensionem, adducitur à Reginaldo, & est, quia ordinatur sine litteris dimissorijs: Nam Episcopus conferens huiusmodi litteras, titulo patrimoni, non daret illas si sciret patrimonium esse fictum, ergo dictæ litteræ sunt subreptitiæ, & per consequens censentur nullæ, & nullius effectu. Rationem vero quare incurrat suspẽsionem propter patrimonium fictum, adducit Bonacina, quia Concil Trid. sess. 21. c. 2. de reform. videtur innouare canones antiquos cõtra eos, qui artibus, & fallacijs se fingũt habere idoneas facultates. Et canones sunt, ca neminem, & c sanctorum 70. distinctio, in quibus definitur, esse suspensum, qui ordinatur sine beneficio.

Mihi verò contraria sententia videtur propabilior, & ideo in praxi tutissima, quã docent Gonzalez ad 8. Regul. Cancel. gloss. 5 §. 10. num. 25 Homobon. de exam. Eccl. p. 2. tr. 11. c. 10. q. 22. Flaminius de Resignat. benefic. lib. 2. q. 6. num. 18. Toletus lib. 1 c. 48. nu. 5. Coninch de Sacr. disp. 16. dub. 5. n. 38. Garsias de beneficijs tom. 1. p. 2. cap. 5. nu. 20. & seq. Squillante de obligat. cler. p. 2. dub. 4. Piasecius in praxi Episc. p. 1. c. 1. art. 7. nu. 5. Auila de censuris p. 3. disp. 5. Henriq. lib. 13. cap. 37. num. 2. & in gloss. litt. G. refert pro ea multos, & graues Theologos, quos ipse consuluit, & Sayrus de censur. lib. 4. cap. 14. n. 16. vbi asserit nimis rigidè, contrariam sententiam esse falsam, quia secũdum declarationem Congregationis Concilij, & vsum Pœnitentiariæ ordinatus sine titulo, non est suspensus, neque etiam Tridentinum innouat pœnam illam suspensionis in dicto cap. nemine, &cet. factorum iure antiquo latam contra ordinatos,

absque titulo, quę pęna iam ante Tridentinum per alios canones, scilicet illum, c. Episcopus, qui est Alexādri III. & alterum, qui est Innocentij III. in cap. cum secundum Apostolum, de præbendis, sublata fuit, sed solum innouat pœnas horum duorum canonum recentiorum, Episcopus, & cum secundum Apostolum, in quibus in pœnam ordinatoris statutum est, vt Episcopi, eos quos fine titulo, aut beneficio, de quo necessaria vitæ percipiant, ordinauerint, suis sumptibus alere teneantur, donec de beneficio eis prouiderint.

Ad argumentum Bonacinæ, respondetur, intentionem Concilij solum esse innouare pœnas antiquorum canonum, qui non erant sublati, & correcti alio canone; vnde antiqua suspensio nouo iure ex cum secundum Apostolum sublata, non innouatur à Concilio, nec est audiendus Vasq. in 3. p. to. 3. disp. 246. c. 6. nu. 61. Bonacina, & alij contrarium sententes, nam ita declarauit Congregatio Cardinalium his verbis, apud Piasecium vbi sup. Concilium renouat tantum pœnas, c. cum secundum, extra de præbendis, in hoc capite.

Ad argumentum Reginaldi, respondet Henriquez vbi supra vbi ait. Qui ob fictum patrimonium initiatur, nō incurrit aliam suspensionem latam contra eos, qui absque Reuerendis proprij Episcopi initiantur, quamuis enim per fraudem, licentiam, & Reuerendas obtineant, est tamen vera licentia. Hæc ille.

Nec obstat dicere, quòd obtinuisse Reuerendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse illas, quia vt notat Auila loco citat. Episcopus debet facere sufficientem diligentiam, vt cognoscat, an patrimonium sit verum. Deinde, si fictio patrimonij sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, sufficeret etiam falsitas in probatione morum, & generis. Dicendum est igitur, supradictum clericum ordinatum fine titulo, non fuisse suspensum, atque adeo celebrando non incurrisse irregularitatem.

Nec valet dicere, supradictum clericum incurrisse in suspensionem ex Bulla Sixti V. contra clericos male promotos, vt notat Gonzalez vbi supra. Nam respondeo, illam Constitutionem fuisse à Clem. VIII. redactam ad terminos iuris communis, vt notauit Viualdus in fine Candelabri, & alij. Notandum est tamen, quod etiam, stando in nostra sententia, taliter ordinatus potest puniri extraordinariè ab Episcopo, cum à iure certa pœna sancita non sit, vt obseruat Gonzalez n. 31. & forsan Episcopus illi necessaria denegare potest, cum ipse in culpa nō fuerit, sed decep tus ab ordinato.

An post commutationem alicuius voti, licitum sit vouenti redire ad prius votum, etiamsi commutatio facta fuerit in melius.

RESOL. VIII.

NEgatiuè respondet Filliucius in suis quæst. moral. tom. 2. tract. 26. c. 10 num. 288. Suarez de religione, tom. 2. lib. 6. c. 20. num. 1. & 4. Regin. in sua praxi to 2. lib. 10. num. 362. & Raphael de la Torre in 2. 2. tom. 1. q. 88. art. 12 disput. 5. nu. 12. nam ait ipse, & Filliucius, illa commutatio habet vim voti, quare non poterit ex se commutare; quia virtute commutaret in minus, cum supponamus, commutationem factam fuisse in melius. Ergo, &c.

Sed contraria sententia semper mihi visa est probabilior, quā ex Neotericis amplexi sunt Sanch. de matr. tom. 2. li. 8. disput. 9. num. 21. & præter DD. quos citat, & sequitur Bonac. tra. de legibus disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 3. n. 20. tenet etiam hanc opinionem Ioann. Maldetus in 2. 2. tr. 1 o. cap. 5. dub. 11. q. 9. vbi quærit, an is cuius votum causa semel commutatum est, satisfaciat, si relicto opere substituto, impleat primum votum; Et respondit omninò satisfacere, qui poteft quisque ei renuntiare, quod pro se noscitur introductum, c. statutimus, de Regularibus, certum autem est commutationem fieri in fauorem eius, qui vouit: imò commutatio sub ea tacitè fit conditione, vt vouens impleat rem substitutam nisi malit votum implere, ne iustæ pœnitudinis humana itas amputetur, quomodo, & appellationem interpositam licet reuocare, leg. si quis libellos, C. de appellat. Vnde colligitur, hoc locum habere etiam, quando commutatio facta est in melius. Sic Malderus.

Hinc infert Lessius lib. 2. c. 40. dub. 11. num. 97. quod si sæpius facta fit commutatio, posse seruari quiduis illorum, in quod facta fuit. Verbi gratia, votum peregrinationis annuæ, commutatum est in menstruam confessionem, menstrua confessio in ieiunium hebdomadarium, ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas, poteft vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem suscipiendo. Sic ille.

Limitanda tamen est hæc sententia, cum Sanchez vbi supra, nu. 27. & Molfes. in summ. tom. 1. trac. 21. c. 15 num. 123. nisi vouens acceptaret commutationem in melius bonum, & id consulto faceret ad maiorem Dei cultum augendum, tunc non poteft ad priorem materiam redire, quia illa commutatio facta est, non in sui, sed in Dei fauorem. Secus autem crederem, si in hoc euentu commutatio facta esset in bonum æquale, imò si res sit dubia, an commutatio in melius facta, sit in Dei fauorem, puto licitum esse vouenti redire ad priorem materiam, & primum votum.

Restat modo respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur illam commutationem non habere vim noui voti independenter à priori, sed prius votum in materiam commutatam extinguitur ad eum effectum, vt acceptans illam cōmutationem, nullo euentu teneatur ad prius votum, & priorem materiam; sed totum hoc cum conditione, ad eum effectum, vt qualiscunque fit materia subrogata, liberum sit vouenti, redire ad prioris voti materiam.

Vtrum commutatio voti in bonum æquale, possit fieri propria authoritate vouentis.

RESOL. IX.

NOn posse respondent communiter, & vltra 15. DD. quos citat, & sequitur Sanchez in somm. to. 1. lib. 4. c. 49. nu. 12. docet hanc sententiam Suarez de relig. to. 2. li 6. c. 19. n. 3. & sequitur Filliuc. in q. moral. to. 2. tract. 26. c. 10. n. 284. Regin. in sua praxi to. 1. lib. 18. c. .... n. 149. Molfes. in sum. to. 1. tr. 11. c. 15. nu. 197. Maldet. in 2. 2. tr. 10. c. 15. dub. 11. & Raphael de la Torre in 2. 2. to. 1. q. 88. art. 12. disp. 5. nu. 12.

Sed contrariam sententiam, probabiliter sustineri posse, docent etiam aduersarij, vt Suarez vbi supra, nu. 4. in initio, docuit etiā Atrag. in 2. 2. q. 88. ar. 12 dub. 1. dist. 3. & iliā tenet nouissimè Bonac. tract. de leg. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 3. nu. 7. & præter DD. quos ipse citat, tenet etiam Fernandez in suo exam. Theol mor. p. 1. c. 6 §. 11. n. 2. vbi ait. Tota controuersia est de commutatione euidenter æquale, qua authoritate fieri possit. Dico igitur, si euidens sit, arbitrio prudentis huiusmodi æqualitas, posse fieri hanc commutationem à vouente. Ratio est, quia solùm hac in re requiritur iudicium superioris, vt decernat quod Deo acceptum sit, euidens autem est acceptum esse Deo æquale. Ergo. Sic ille.

Idem dicendum est, cum vtraque materia est ęquè grata Deo, nil refert vtra illarum eligatur.

Sed notandum est, quòd materiam subrogatā euidenter cōstare debet esse æqualem, nam si sit dubia, non erit licita talis commutatio, quia in dubio melior est conditio possidentis, sed in tali casu votum possidet. Ergo illud adimplendum est. Ita Atrag. & alij, vbi supra.

Notandum est etiam, ex mente aduersariorum, quicquid afferat Suar. vbi supra c. 10. nu. 9. & c. 19. n. 14. quod quamuis commutatio voti sit facta propria authoritate in bonum ęquale, aut in minus; non est omninò irrita, sed tenetur vouens, vel prius votum implere, vel supplere quod commutationi defuit, vt esset in bonum euidenter melius, quare sufficit nunc propria authoritate supplere, quod ad euidenter melius sufficiebat. Ita Sanch. in sum. to. 1. lib. 4. c. 51. nu. 11. & 12.

Sed secundum aliam opinionem probabilem nō tenebit aliquid aliud supplere, quia sufficit, vt diximus, quod votum commutetur in æquale, etiam authoritate solum ipsius vouentis.

Olim quidam Confessarius scrupulis cruciabatur, ad cognoscendam iustam causam, pro commutatione votorum.

RESOL. X.

REspondi, verum esse ex communi DD. sententia, quod quando commutantur vota, etiā in bonū æquale, est opus aliqua

aliqua causa, vltra Prælati authoritatem. Ita Clauis Reg. lib. 6. c. 12. n. 8. & 25. Filliuc. in q. mor. to. 2. tr. 26. c. 10. nu. 285. Azor. to. 1. lib. 11. c. 18. q. 3. Graff. in dec. p. 1. lib. 2. c. 30. nu. 9. Mald. in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 10. q. 2. & alij. Tamen sufficit, vt ista causa sit leuis & parua. Et sic ait Fernand. in exam. Theol. mor. p. 1. c. 6 §. 11. n. 4. & Lessius lib. 2. c. 40. dub. 12. n. 96. quod causa sufficiens ad commutãdum votum in æquale, satis erit si suauius, hilariusque vouens adimplebit materiam voti subrogati.

Immo putat Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 50. nu. 23. solam petitionẽ vouentis, vt votum commutetur, esse causam sufficientem ad commutandum. Ideò rectè asseruit Caiet. tunc Prælatũ sine causa commutaturum, quando pro libito ante subditi petitionem, nec intuitu illius gratificationis commutat. Ita ille in 2. 2. q. 88. ar. 12. col. 2. ver. in commutatione autem votorum, & in summ. ver. votum, c. vlt. ver. rationabilis autem causa.

Plus addam, cum Sanch. vbi sup. c. 51. nu. 15. Sacerdotem cõmutantem votum in æquale, sine iusta, & legitima causa, peccare tantum venialiter, licèt peccare mortaliter, asserat Raph. de la Torre in 2. 2. tom. 1. q. 88. art. 12. disp. 5. num. 7. Ratio est, nam commutatio illa, vt probat Sanch. num. 8. val. t, & abusus potestatis est in re leuissima, neque magnum detrimentum ex ea cultui diuino infertur, & talis commutatio in rigo e leuissima causam requirit, ita vt Suar. de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 20. num. 7. dixerit moraliter in commutatione votorum, nunquam deesse causam.

Nota verò, quod supradicta intelliguntur virtute priuilegiorum regularium, vel quando delegatur hæc potestas in fauorẽ priuatæ personæ, vel quando Prælatus ex potestate ordinaria, talia vota commutat. Nam quando commutantur virtute Bullę Cruciatæ, vel alicuius Iubilæi, nul a alia est opus causa, quam conferre eleemosynam præscriptam in Bulla, propter belli subsidium, & exequi opera Iubilæo præscripta. Ita Suar. vbi sup. li. 6. c. 19. nu. 5 & Sanch. c. 50. nu. 19.

Dicendum est etiam aduersus Reginald. in pr. to. 2. lib. 8. nu. 348. Azor. p. 1. lib. 11. c. 18. q. 6. Raphael de la Torre in 2. 2. to. 1. q. 88. art 12. disput. vlt. n. 1. Suar. Sanch. & alios DD. quos ipse citat per Bullam Cruciatæ, & per Iubilæum, posse confessarios commutare vota in aliquid minus, Ita nouissimè tenet Bonac. tract. de leg. disput. 4. p. 2. punct. 6 § 3. nu. 11. & alij, quorum opinionem probabilem vocat Lessius lib. 2. c. 40. dub. 11. nu 95. vel n. 109. His cognitis, nescio quomodo confessarij amplius habebunt scrupulos circa iustam causam, quæ necessaria est in commutatione votorum.

Plausibilis est Confessarÿs illa quæstio, an qui voluntariè, vel ex obliuione tempore Iubilæi, non petijt commutationem alicuius voti, possit deinde, post transactum Iubilæum, etiam post multos annos, eamdem commutationem obtinere: supponimus omnia opera præscripta fecisse, & Iubilæum consequutum fuisse. Idem dicendum est de dispensatione in irregularitate, & reliquis in Iubilæo concessis.

RESOL. XI.

Negatiuam sententiam amplexus est Regius in summ. res. cas. 21. per totum, qui citat Beiam, & Graffium, idẽ docet Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. num. 14. & 15. Bonacina tract. de legibus, disput. 4. q. 2. punct. 7. §. 3. num. 14. & nouissimè Filliuc. in q. mor. to. 2. tr. 26. c. 10. nu. 302. Et ratio est, quia sacerdos, qui caret iurisdictione, non potest dispensare, & commutare vota, sed confessarius trãsacto Iubilæo, caret iurisdictione, cum ista facultas absoluẽdi, dispensandi, & commutandi sit alligata tempori quindecim dierum. Ergo, &c. Nec valet exemplum de peccatis oblitis, de quibus postea transacto Iubilæo potest quis absolutionem obtinere, nam est disparitas inter vota, & peccata reseruata oblita, hęc enim si habeant annexam cẽsuram, per absolutionem generaliter tollitur censura, si non habeant, tollitur saltem reseruatio, quia absoluuntur indirectè, hoc ipso, quod per obliuionem non fuerint concessa.

Sed ego contrariam opinionem, etiam probabilem, & tutam in praxi esse existimo. Et illam tuentur Henriquez in sum. lib. 7. de Indulgent. capit. 11. num. 4. Sayrus in Claui Regia lib. 6. cap. 12. num. 17. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 39. & 40. Nam, quamuis opera in Iubilæo præscripta, ad eius executionem alligentur tempori designato in eo, ita vt eo tempore transacto, fieri nequeant; at ijs factis in illo tempore consequente Iubilæum, comparat priuilegium, vt absoluatur ab omnibus reseruatis, & in quibusdam secum dispensetur, & vt commutentur ei vota, vsque ad Iubilei tempus emissa. Quod vtique priuilegium tempori certo astrictum non est, vt constat ex ipsius tenore, qui vbi prius opera facienda tempori allegauit descendens ad priuilegia concessa, sic ait absque vlla temporis limitatione. Concedimus, vt possint hac vice tantum, idoneos presbyteros approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitè valeant ipsos absoluere, &c. t. necnon, & vota commutare, &c. Sicut si Pontifex eroganti certo die eleemosynam concedat priuilegium aliquod, erogatio eleemosynæ alligatur tempori, non autem priuilegium. Et confirmatur, quia in Bullæ Cruciatæ, expressit Pontifex finito anno, cessare omnia eius priuilegia Itaque cum in Iubilæo hoc non exprimat, apparet non velle illa cessare.

Ex his patet responsio ad argumentum Bonacinæ, & aliorum. Nam dicimus, Sacerdotem etiam transacto Iubileo, habere iurisdictionem, & potestatem commutandi vota illius pęnitentis, qui Iubilæum cõsequutus est, nam priuilegium commutandi alia vota non erat alligatum tempori sicut alia opera ad consequendum supradictum Iubilæum. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos nouissimè amplexus est Leonardus Lessius in vltima editione operis sui doctissimi, de iustit. & iure lib. 2. c. 40. dub. 16. nu. 109.

Quidam obtinuit commutationem multorum votorum, virtute Iubilæi, quod intendebat lucrari, sed postea consultò, & deliberata voluntate omisit opera in Iubilæo præscripta, & illud non obtinuit, quæsiuit an remaneat securus in conscientia de tali votorum commutatione, quod est quærere an vota commutata vigore alicuius Iubilæi, reuiuiscant eo postea non obtento.

RESOL. XII.

Ex Neotericis P. Raphael de la Torre in 2. 2. to. 1. quæst. 88. art. 12. disput. vlt. num. 5. Nugnus in addit. ad 3. p. c. 2. q. 9. artic. 2. dub. 4. in fine asserunt reuiuiscere, & talem non esse securum in conscientia, & ideo dicẽdum existimauit in hoc casu talem commutationem, aut dispensationem voti non esse omninò firmam, sed manere votum quasi suspensum, vsque dum compleantur omnes diligentiæ præscriptæ pro obtinendo Iubilæo. Probatur, gratia, & fauor Iubilæi conceditur sub istis conditionibus, & non aliter, sed vna ex præcipuis, quæ per huiusmodi Iubilæa conceduntur, est commutatio, aut dispensatio voti. Ergo nisi conditiones compleantur, non erit valida commutatio talis voti.

Deinde, non videtur verisimile Pontificem voluisse absolutè dispensare cum eo, qui voluntariè Iubilęum omittit.

At contraria sententia, omninò est amplectenda, quam sequitur Suarez de relig. tom. 2. lib 6 cap. 16. num. 10. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c 55. num 49. & præter DD. quos ipsi citant, docet etiam hanc sententiam Bonacina tract. de leg. disput. 4. quæstio. 2. punct. 7. §. 3. nu. 18 Rodriq. in summ. tom. 4. cap. 188. num. 9. Naldus in summ. verb. indulgentia, num. 4. Filliuc. in q. mor. tom. 2. tract. 26. c. 10. num. 300. Molfes. in summ. to. 1. tract. 7. c. 19 nu. 39 & 41. cum alijs. Ratio est, quia Summus Pontifex in Iubilæo, nulla conditione apposita, absolutè concedit potestatem absoluendi à reseruatis, & commutandi vota. Ergo, cum semel legitimè facta fuerit, ac proinde votum extinctum, absurdum est dicere, postea non obtento Iubilæo, reuiuiscere. Probatur vero, quod Summus Pontifex non dat talem potestatem ad commutandum, cum dependentia à futuro euentu; nam si id intenderet, potius ordinaret, vt commutatio non fieret, nisi post reliqua completa, vel saltem clarius illam cõditionem exprimeret in re tam graui. Vnde patet responsio ad secundum argumentum; Ad primum vero respondetur, licèt concedatur hæc gratia commutandi vota propter effectum Iubilæi, vt facilius obtineatur, non inde sequitur dari conditionaliter, aliàs non haberet effectum, donec impleretur conditio, quod est falsum, nam statim potest votum non seruari, vel expleri per aliud opus, in quod commutatum est.

Satis

Satis ergo est, quod detur sub tali onere, quod non sit conditio, sed modus.

Aduertunt tamen Cōfessarii, cū Sanch. & aliis vbi supra n.50. & 51 supradictā doctrinam esse veram, etia si Cōfessarius cōmutauerit talia vota, non præscribendo opera subrogata, sed ea a se, vel ab alio postea transacto Iubilæo præscribenda remittens. Et ratio est clara, quia verè, & legitimè commutatio dictorum votorum iam erat facta. Secus dicendum est de votis obligatis; nam transacto Iubilæo, non obtento à pœnitente, minimè possunt commutari, licet talia vota specialia eo tēpore sint legitimè commutata, quia cum ea non sint verè sublata, & pœnitens per consequutionem Iubilæi priuilegium non obtinuerit, sequitur omninò non posse à Confessarijs auferri, quia commutarent illa vota sine iurisdictione, & potestate delegata.

Conuenienter superiori quæstioni istam adiungimus, an qui voti commutationem accepit vigore alicuius Iubilæi, peccet postea mortaliter, si voluntariè omittat onera Iubilæi, & illud non consequatur?

RESOL. XIII.

Affirmatiuè respondent P. Emanuel Rodriquez in sum. to. 4. cap. 188. nu. 10. P. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 11. & Filliuc. in quæst. moral. tom. 1. tract. 26. cap. 10. num. 301. sine cōtra pactum implicitum, & iustum; sine contra obligationem relictam ex voto, & inclusam in tali commutatione, seu dispensatione; nam dispensatio, vel commutatio semper intelligitur data sub onere faciendi quod in se est, ex parte pœnitentis ad gratiam consequendam.

Igitur cum contra pactum implicitum, & alioqui iustum delinquat in re graui, consequenter peccabit mortaliter. Et hanc esse præsumptam Pontificis intentionem, talem facultatem concedentis, dicendum videtur.

Altera opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, negat peccare mortaliter, quia pœnitens nil promisit, nec obligationem vllam Confessarius imposuit, nec etiam de talis Pontificis intentione constat, & ille, si vellet, posset hanc suam voluntatem explicare. Ideo non debemus præceptum imponere absque vrgenti fundamento. Ita Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 55. num. 54. & præter DD. quos ipse citat, docet hanc sententiam Martinus Bonacina tract. de sacr. disp. 5. qu. 7. punct. 5. n. 18.

Ad argumentum contrariæ sententiæ, negandum est, ex natura rei includi id pactum in ea actione, neque illud propositum transire in pactum, vel computari pœnitentiæ acceptæ, & de Pontificis intentione dictum est supra: non constare.

Vnde supradicta sententia applicanda est etiam in casu, quo aliquis obtinuisset absolutionem à peccatis reseruatis, & censuris, & postea omitteret opera præscripta in Iubilæo, neque illud acciperet, putu enim contra Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 31. sect. 4. num. 5. & alios, talem non peccare mortaliter postea, omittendo Iubilæum. Ita Henriquez in summa lib. 6. de pœn. cap. 16. nu. 6. & Bonacina.

Multi licet sciant, quoad substantiam, Symbolum, Decalogum, & orationem Dominicam, nesciunt tamen memoriter, & eo ordine, quo proponuntur addiscenda; quæritur an peccent mortaliter?

RESOL. XIV.

Affirmatiuè respondet Farinacius de hæresi quæst. 179. §. 5. num. 8. quem sequitur Antoninus Naldus in summ. ver. Christianus 2. num. 1. & probat ex vsu præceptuarum vrbium, in quibus Confessarij, & petunt omnes rerum Ecclesiasticarum, in dubio reputant eiusmodi preceptum obligare sub mortali, & propterea absolutio sacramentalis solet eis denegari, qui prædicta memoriter non tenent; & in plerisque Synodis diœcesanis cauetur, ne prædicti admittantur ad matrimonium, neque ad leuandos pueros de sacro fonte baptismatis. Hæc Naldus.

At mihi contraria sententia prorsus placet, quam tuetur Azor in summa, tom. 1. lib. 8. cap 7. quæst. 5. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 3. num. 19. & præter DD. quos ipse citat, docet etiam hanc sententiam Martinus Bonacina tract. de legibus, disp. 3. quæst. 6 punct. 2. num. 14. & nouissimè P. Suarez tractat. de fide, disp. 13. sect. 5. nu. 8. vbi asserit. Certum est, non esse obligationem grauem retinendi memoriæ verba Symboli, vel præceptorum, ita vt sit peccatum mortale hoc omittere. Et ratio esse potest, quia vel de præcepto non satis constat, quia nec ab aliquo Pontifice, nec in aliquo Cōcilio generali latum inuenitur, vel quia alij Canones, qui de hoc loquuntur, de substantia mysteriorum sufficienter intelliguntur; vel certè quia materia illa leuis est, si præcisè in verbis, vel in eorum ordine sistatur. Probabile autem est, si ex pura negligentia præter Canones qui hoc insinuant iuxta communem vsum Ecclesiæ, talis negligentia censetur aliquo modo culpabilis, & in alijs aliquando scandalum generat. Si vero quis meliorem diligentiam adhibeat, & nihilominus ob naturalem defectum, vel incapacitatē verba retinere nō possit, facile poterit ab omni culpa excusari. Ita ille. Et sic etiam hanc opinionem docuit Vincētius Filliucius in qq. mor. tom. 2. tract. 22. cap. 2. num. 37. qui citat Nauarrum in manuali. c. 11. num. 22.

An Regulares, qui volunt sacris ordinibus initiari, debeant habere dimissorias ab Episcopo, in quorum diœcesi tunc manent?

RESOL. XV.

Affirmatiuè respondendum videtur. Nam Gregor. XIII. statuit, vt Regulares suscipiant ordines sacros ab Episcopis, in quorum diœcesi sunt monasteria, in quibus tunc degunt, vel dimissorias ab eis accipiant. Et hoc etiam colligitur ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 8. & ita hanc opinionem tenet, & docet Henriquez in summ. lib. 10. cap. 23. nu. 4. & quod mirum est, nouissimè P. Vincentius Filliucius in suis q. moral. tom 1. tract. 9. cap. 5. num. 98. qui excipiunt Societatem Iesu, in qua ex priuilegio, satis est dimissoria proprij Superioris.

Sed contraria sententia absolutè de omnibus Religionibus tenenda est. Nam de mandato S. D. N. Sixti Quinti, auditi fuerunt procuratores Religionum super declaratione Gregorij VIII. in qua, vt diximus, Regulares tenebantur recipere ordines sacros, vel dimissorias ab Episcopis: & idem Sanctissimus, hoc non obstante, ex sententia pronuntiauit, posse Regulares concedere dimissorias ad Episcopum diœcesis, quod si abfuerit ad quemcumque, dummodo ab Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. Et tandem Clemens VIII. præscripsit Regularibus modum, & formam concedendi dimissorias suis subditis. Verba declarationis sunt hæc. De mandato S. D. N. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcumque Regularium superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant, ea quę in decreto S. Congreg. Conc. Trident. continentur, cuius tenor est talis.

Congregatio Concilij censuit, superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad Episcopum, tamen diœcesanum, nempe illius Monasterij, in cuius familia ab his, ad quos pertinet is Regularis, positus fuerit, & si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares, non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus, vel absuturus vel nullas habiturus esset ordinationibus.

Verum, cum à superioribus Regularibus Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habēte, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiusdem S. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum, &c. Dat. Romę die 15. Martij Anno 1596 Hoc decretum inuenies apud Piasecium in praxi Episcopali, part. 1. c. 1. nu. 14. Quarātam in summa Bullarij, ver. ordo, in fine, fol. mihi 392. Naldum in sum. ver. ordo, n. 26. vide Petr. Ledesmam in sum. to. 1. de sacramento Ordinis, cap. 8. conclus. 10. fol. mihi 448. & nostrum Patrem Molfesium in sum. tom. 1. tract. 2. c. 2. n. 23. & seq.

An

Quidam creditor Principis, seu Ciuitatis fraudando gabellam, volebat sibi compensare debitum, quæsiuit an hoc, seruatis legibus compensationis, esset licitum?

RESOL: XVI.

RESpondi Regináld. in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 24. n. 383. & Iacobum de Graffis in decis. aur. p. 1. lib. 2. c. 125. nu. 39. negantem sustinere sententiam; sic enim ait, Potest gabella fraudari, quando defraudantes essent iniustè damnificati à dominis, quia possent sibi satisfacere. Sed nota, quod istud bene procederet, quando Princeps exigeret nomine proprio omnes gabellas per suos Procuratores, secus vbi locaret alijs subditis gabellas alias iustas, & ipsi certam pensionem in quemcumque euentum reportarent, vt communiter fit fere per totam Italiam; tunc enim non posset fraudari. Et ratio est, quia non fit damnum extorsoribus, sed conductoribus gabellarum iustarum, quibus nihil est imputandum, ex quo iustas gabellas exigunt, & compensatio non debet fieri, nisi inter easdē personas, nam res inter alios acta, alijs præiudicare non debet, c. penult. de re iudic. & damnum, & pęna suos debet authores tenere, & non alios, cap. quæsiuit, de his, quæ fiunt à maiori parte capituli. Sic Graffius, & alij.

At mihi contraria sententia semper placuit, & in praxi semper consului, & illam docet Petr. à Nauar. de restit. lib. 3. c. 1. n. 247 quem citat, & sequitur Lessius de iust. lib. 2. c. 33. dub. 10. nu. 75. cum Bonac. de contract. disput. 2. q. 9. pūnct. 1. n. 12. qui citat Vasquez, & Molinam, & præter illos, tenet etiam hanc sententiam Bartholomæus à S. Fausto in speculo confess. disp. 33. q. 37. Turrianus in 2. 2. tom. 2 disp. 46. dub. 3. n. 2. Molfes. in summa, tom. 2. tract. 12 c. 22. nu. 142. & 143. Vegha in summa, parte 1. cap. 15. cas. 10 & Malderus in 2. 2. tract. 5. c. 9. dub. 16. vbi ait. Etiamsi Princeps locauerit vectigal, nihilominus licere creditori facere compensationem, secus tamen si Princeps illud vendiderit: tunc enim non poterit creditor compensare, nisi forte, quando creditum antiquius fuerit venditione.

Ad argumentum Iacobi de Graffis in principio positum, respondetur. Conductores gabellæ verè damnum non accipere, nouunt tamen subditorum fraudes, & ideo redimunt gabellam longe minoris, quam valet, vnde & in ipso contractu censentur esse parati talia incommoda subire.

Quidam vir nobilis consulerat alteri, vt homicidium committeret, sed postea ante perpetratum facinus, consilium reuocauit, multas rationes ad dissuadendum adhibens; quæsiuit à me postea, an teneretur ad restitutionem damni, ex illo homicidio subsequuti?

RESOL. XVII.

QVidam vir Doctus Societatis Iesu, consultus etiam de hoc casu, affirmatiuè respondit, & satis quidem probabiliter; ita enim docet P. Molina de iust. tom. 3. tr. 2. disp. 731. nu. 1. Lessius lib 2. cap. 13. dub. 3. nu. 17. Bartholomæus a S. Fausto in speculo confess. disput. 4. q. 69 nu. 3. Megala in 2. 2. li. 2. c. 2. qu 3 nu. 26. Malderus in 2. 2. tract 4 ca. 2. dub. 3. vbi agit de consulente. Et ratio est, quia hæc est differentia inter mandātem, & consulentem, nam mandatarius non exequitur mādatum nomine proprio, sed nomine, & in gratiam mandantis. Ergo postquam reuocatum est mandatum, & hoc ei notificatū est, si mandatarius his non obstantibus committat delictū, illud committit nomine proprio, & proprio arbitrio. Ergo ei imputabitur. Secus est in consulente, quia ostensione commodi, vel honoris, consulens voluntatē alterius ad damnum inferendum promouit, & hæc motio tamdiu durat, quādiu ipse tali consilio incitatus damnum cōceptum vult exequi; hinc, ait P. Molina, consilium datur gratia eius cui datur, vt is illo vtatur, tamquam suum negotium agens, eaque ratione, quandocumque is illo promotus, damnum iniustè infert, imputatur opus, quo damnum infert, atque effectus ei, qui tale consiliū dedit, tanquam causæ, per id consilium ad id opus, ad eumque effectum cooperanti.

Ego vero, dictum consulentem ad restitutionem nō obligaui, tenens contrariam sententiam, quā probabilem vocat Lessius supra nu. 18. & illam docet doctissimus Nauarra de restit. lib. 3. cap. 4. nu. 27. Salon. in 2. 2. q. 62. art. 7. contr. 9. Reginald. in praxi, tom. 1. lib. 10. cap. 10. quæst. 1. num. 108. Azo. par. 3. lib. 4. ca. 11. quæst. 2 Et ratio est, quia quando consulens fecit, quod potest, vt consilium suum euertat, vel ostendit omnibus consideratis esse iniquum, & non sequendum, non videtur executor ipsius consilio moueri, sed sua malitia. Ergo, &c.

Negandum est igitur, contra DD. aduersæ sententiæ, discrimen inter mandantem, & consulentem.

Quæritur, an consulens homicidium, de quo supradictum est, postquam reuocando consilium, nihil poterat persuadere, an inquam tenebatur non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia monere eum secreto, contra quem huiusmodi consilium datum fuit ad effectum se tuendi?

RESOL. XVIII.

TEneri ex lege iustitiæ putant aliqui, quos sequitur Bartholomæus à S. Fausto in speculo confess. disp. 4. qu. 72.

Multi vero putant, eum obligari ad reuocandum consilium lege iustitiæ, quoniam nondum est delictum perpetratum; sed reuocato consilio, non cogi lege iustitiæ monere secretò eū, contra quem consilium est datum, sed lege charitatis, si commodè potest admonere illum. Quare si reuocato consilio delictum fuerit admissum, non cogitur, inquiunt, compensare damnum, quia non est consilio ipsius secutum, cum ille aliud delictū admiserit, quia voluit ex sua malitia, nō quia consilium est illi datum. Hæc Azor. p. 3. lib. 4. c. 11. q. 3. ex sententia multorum, quam probabilem vocat, sicut & ego etiam existimo.

An Episcopus possit ex vrgentissima necessitate dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, ante contractum ipsum matrimonium?

RESOL. XIX.

DIxi ante contractum ipsum matrimonium, nam post contractum, quando ipsum impedimentum est occultum, & matrimoniū publicum, nec coniuges possunt separari absque scandalo, nec ad Summum Pontificem patet recursus propter paupertatem, vel locorū distantiam, vel ob alia legitima impedimenta, clarum est posse Episcopum dispensare cōtra Sotum, Medinā, & Cordubam. Ita tenet communis DD. sententia, Coninch de sacram. disp. 33. dub. 3. nu. 32. Syluest. ver. dispensatio, q 9. §. 15. Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 16. §. 4. num. 1. Rodriquez in sum. tom. 3. c. 35. n. 7. Franc. Leo in thes. for. Eccl. par. 2. c. 8. nu. 43. Gomez in Bulla Cruciatæ, claus. 9. n. 58. Nauar. cap. 22. nu. 85. Valent. tom. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 5. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 18. nu. 128. Guttierez canon. quæst lib. 1. cap. 23. nu. 18. & de matrimonio cap. 49 nu. 6. & seq. Armilla ver. dispensatio, nu 20. Henriquez lib. 12. ca. 3. num. 2. Sanch. Villalobos, Bonacina, Reginald. vbi infra, & alij.

Tota igitur difficultas est, an possit ante contractū matrimonium. Solus Sanchez de matrim lib. 2. cap. 40. nu. 7. nullius authoris (vt ipse ait) patrocinio fretus asseruit, posse Episcopum dispensare aliquando in impedimento dirimente, antequam matrimoniū contrahatur, quando vrgentissima necessitas id postularet; ponit exemplum. Accedit mane confessura, quæ reperitur habere impedimentum dirimens, cuius detectio infamiā ei pareret, & sunt omnia iam parata ad nuptias celebrandas vespere, & tentatis omnibus medijs, nulla euadendi via aperitur ad tollendam infamiam, vel suspicionem grauis delicti in confessione manifestari, si tunc non celebrentur nuptiæ, in tali casu posse Episcopum dispensare; ait Sanchez.

Hanc sententiam non audebam consulere, sed modo considerando rationes, quas adducit Sanchez, & quia inueni multos Doctores, qui illum sequuntur, puto hanc opinionem esse probabilem: Doctores qui sequuntur Sanchez, hi sunt, Henriquez de Villalobos in sum. to. 1. tract. 14. diffic. 25. nu 6. Bonac. tract. de matr. q 3. punct. 15. n. 6. qui malè citat pro hac opinione Valentia, & Henriquez vbi supra; & tandem inueni, docere etiam hanc opinionem Molfes. in sum. to. 1. tract. 4. c. 12. nu. 35 Barbos. de potestat. Episc. p. 2. alleg. 35. num. 5. Homob. de exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 5. q. 32. Victorel. in notis ad man. Nauarr. c. 22. nu. 85. Basil. Ponium de matrim. lib. 8. ca. 13. n. 6.

qui citat Vasquez, & Salas, Valerium Reginald. in praxi tomo 2. lib. 31. c. 27. nu. 105. Fretus igitur authoritate horum Doctorum, dico quando nulla alia media sufficerent, ad magnam necessitatem, quæ vrgit, euadendam, tunc posse Episcopum, etiam ante matrimonium contractum in impedimento matrimonij dirimente dispensare. Et ratio est, quia impedimentum dirimens est de iure humano, & ideo sicut Episcopus, ex magna necessitate post contractum matrimonium, vt asserunt omnes Doctores, potest dispensare in impedimento dirimente, cur non poterit antea? militat enim eadem ratio. Cætera argumenta videbis apud Sanchez.

Ex occasione cuiusdam homicidij casualis, fuit olim à me quæsitum, vtrum ad irregularitatem, ex delicto incurrendam, requiratur culpa mortalis, & ita vt negligentia venialis non sufficiat.

RESOL. XX.

EX nostris P. Megala in 3. p. lib. 7. cap 2. q. 1. nu. 7. & q. 5. nu. 110 ex Societate Iesu P. Molina de iust to. 4. tr. 3. disp. 77. num. 5. ex Dominicanorum familia Illustrissimus Caietan. in 2. 2. q. 64. art 8. cum Petro de Aragona ibidem, & alij putant culpam venialem sufficere ad irregularitatem incurrẽdam, & præcipuè probat hoc Megala ex cap. continebatur, de homicidio. Deinde, ait Molina, irregularitas ex eo proueniens, quod aliquis se immisceat causæ sanguinis, incurri potest, absque alia culpa (quin & cum merito) propter solum homicidium, aut mutilationem, quæ sint subsecuta, vt patet in laico, qui licitè, ac meritoriè in ea causa accusauit, & Iudice, qui similiter licitè, ac meritoriè sententiam tulit. Ergo, &c.

At ego contrariam sententiam probabiliorem esse semper censui, & illam in facti contingentia consului. Ita docent præter DD. quos citat, & sequitur Sayrus de censur. lib. 7. cap. 5. nu. 5. Suarez de censur. disp. 40. sect. 3. num. 19. Coninch de sacram. disp. 18. dub 2. nu. 13. Bonac. de cens. disput. 7. q. 1. punct. 2. nu. 1. Filliuc. in q. mor. tom. 1. tract. 20. cap 3. à num. 58. vsque ad num. 64. Villalob. in summ. tract. 21. diffic. 22. num. 8. & 14. Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 32. num 34. & alij. Dico igitur, ad incurrendam irregularitatem, requiri peccatum mortale; & non sufficere quamcumque negligentiam venialem. Et ratio est, quia irregularitas est pœna grauissima, & quia pœna debet proportionari delicto. Ergo non est verisimile incurri ob culpam, & negligentiam tantum venialem. Cæteras rationes vide apud citatos authores.

Restat respondere ad argumenta in contrarium. Ad argumentum Megalæ, respondetur secundum aliquos, Clericum illum, de quo in cap. continebatur, peccasse mortaliter ludendo cum laico ioco satis indecenti, vt patet. Ergo. Ita Sayrus vbi supra. Sed hæc responsio non ita arridet Suarez, & ipse aliam meliorem dat. disp. 45. sect. 6. num. 3. adi illum, & non pigebit.

Ad argumentum Molinæ respondeo, non obstare quod aliquando incurratur irregularitas ex homicidio, sine culpa, dummodo homicidium illud, factum sit publica authoritate ex defectu lenitatis, non autem priuata ex delicto, vt est in casu nostro: nam tale homicid um debet esse culpabile, ideoque voluntarium, saltem indirectè.

Solent quam plurimi in morte relinquere Confessarijs aliquam pecuniarium summam, pauperibus ab ipsis eligendis distribuendam, quæsitum à me fuit, an dicti Confessarij teneantur pro supradicta eleemosyna consequenda eligere pauperiores.

RESOL. XXI.

AFfirmatiuè respõdet Pala Rub. in rep. c. per vestra, de don. inter vir. col. 356. & saltem peccare venialiter Confessarium eligendo idoneum pauperem, si alius est pauperior, putat Ioann. Valerus in suis differentijs vtriusque fori: ver. electio, differ. 2. nu. 4. in fine. Idem putat quando eleemosyna fuit relicta ad fœminas maritandas.

At ego cum Illustrissimo Cardinali Francisco Mantica de coniectur. vlt. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 6. contrariam sententiam puto esse veriorem: eius verba sunt hæc. Notandum est, quod is cui committitur electio pauperum, non habet necesse eligere pauperiorem. Bart. in leg. vnum ex familia, §. 1. in fine de leg. 2. Bald. in l. cum quidam ad fin. de leg. 2. nam locus est gratificationi, nec peccat, qui vnum pauperem alteri prætulit, idem Bald. in rep. leg. 1. n. 31. ver. item quæritur, de sacros. eccles. Ita Mantica. Sed de hac quæstione alibi in superiori trac. latius dictum est: an verò legatum relictum ad pauperes, possit in vnum distribui, vide Cened. collect. 14. n. 2. Pet. Magdalen. de testium, in testam. p. 2. c. 2. num. 43. & Aulez in cap. 2. Prætorum in Glossa tuguno, num. 3.

An qui suscipit primam tonsuram, vel minoribus ordinibus initiatur, animo non ascendendi ad alios ordines, sed gaudendi priuilegio fori, & exemptione à tributis, peccet mortaliter.

RESOL. XXII.

NOuissimè August. Barbosa de potest. Episcop. par. 2. alleg. 11. nu. 12. cum Bannez in 2. 2. q. 12. art. 1. in 2. diff. concl. vlt. partem tuetur affirmatiuam, & præter ipsos, tenet etiam hanc sententiam Ledesma in sum. tom. 1. tr. de sacr. ordinis; c. 7. cõcl. 3. fol. mihi 435. quem citat Nauarr. Et ratio est, quia Cõc. Trid. sess. 23. cap. 4. ait, Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei erudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent; hoc vitæ genus elegisse.

At contraria sententia semper visa est mihi probabilior, & illam ex neotericis amplexi sunt Villalob. in sum. tract. 11. diffic. 14. num. 2. Sanchez de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 31. nu. 16. & 17. Coninch. de sacr. tom. 2. disp. 20. nu. 104. & 105. & alij.

Ad authoritatem Concilij Tridentini respondetur, solum ostendere, quid ipsa decentia, & illius status reuerentia postulet, & ideo nullis vtitur verbis præceptiuis, ad peccati mortalis obligationem sufficientibus.

Quidam calcibus percussit Clericum in publica platea, & cum a tali excommunicatione non posse ab Episcopo absolui dixissent aliqui viri docti, quæsierunt à me quid in hac re ego sentirem.

RESOL. XXIII.

REspondi pro illis Theologis adesse Sayr. de cens. lib. 3. cap. 28. num. 6. qui putat, quod ratione loci publici percussio alias leuis efficitur enormis, sed cum percussio, de qua loquimur, fuerit facta in publica platea, erit enormis, & consequenter eius absolutio reseruata Papæ. Ita etiam cum Sayro tenet Abbas, Syluester, Tabiena, Graffius, D. Antoninus, & alij apud Maceratens. var. resol. lib. 11. nu. 10.

Sed ego contrariam sententiam consului. Nam puto cum Nauarr. cap. 27. nu. 92. Aloysio Riccio in decisiis Curiæ Archiepisc. Neap. p. 2. dec. 194. nu. 2. & dec. 250. num. 3. Regnald. in praxi, to. 1. lib. 1. c. 19. sect. 1. nu. 240. Philiarcho in sum. de excom. lib. 3. cap. 3. in fine, & alijs, iniuriam factam in loco publico, tunc esse grauem quando concurrunt duo, nempe quod sit notabilis, & gignat magnum scandalum. Et hanc opinionem putat probabilem ipse Sayrus vbi supra, sed asserit his non obstantibus, non esse tenendam, quia vt etiam notat Bonacina de cens. disp. 2. q. 4. punct. 5. n. 2. ex quadam Bulla Innocentij IV. quam affert Nauar. supra nu. 91. in dubijs, percussiones declarandas esse potius graues & enormes, quàm leues, ne præbeatur occasio lædendi statum Ecclesiasticum.

Sed respondeo cum Filliuc. in quæst. mor. tom. 1. tract. 15. c. 1. num. 45. quod supradicta Bulla est incerti authoris, & non continetur in iure. Ex his omnibus tunc putaui potuisse Episcopum ab excommunicatione dictum delinquentem absoluere.

Olim

Olim interrogatus fui, quot testes requirantur vt factum dicatur notorium in percussione Clerici.

RESOL. XXIV.

NOtitiam quinque hominum non efficere notorium facti putauit Petr. de Atragon. in 2.2. q.10. art.9. Nec etiam notitiam sex hominum, illud facere posse, nisi hi sunt maior pars illius congregationis, putauit Reginald. in praxi, to.1. lib. 1.cap. 10.num.421.

Sed Mascardus de probat. tom.2.concl.1101.nu.18. & Marius Antoninus variarum resolutionum lib.3. resol. 11. nu. 10. putant ad inducendum notorium ad minus septem testes requiri, Imò Adrianus in 4. tract. de sacr. Eucharist. non longè à fine, §. oritur quæst. extendit ad decem.

Communiter verò DD. hoc relinquũt iudicio prudẽtis viri, vt ex varijs circumstantijs, & qualitate actus, loci, & temporis arbitretur, quod factum dicatur ita notorium, scilicet ex hominum scientia, & loci, & temporis qualitate. Ita post Doctores, quos citat & sequitur Bonacina de cens. disp.2. qu.2. punct.1. §.1.nu.5. tenet etiam Sayr. de cens. lib.2. cap.12.num.2.

Hinc colligit ex Nauarro & Soto Auila de cens. p.2 c.6. disp. 2.dub.4. percutientem Clericum coram decem, vel duodecim non esse notorium in magna ciuitate, bene tamen in oppido paruo, vicinia, seu collegio.

An vxor inscio marito possit tribuere eleemosynam. & vt Deus auertat graue mariti damnum, vt scilicet eum puniat, vel vt impetret eius conuersionem à statu malo.

RESOL. XXV.

RAto admittendam esse affirmatiuã sententiam in hac quęstione putat Coninch de actibus supernat. lib.4. disput.27. dub.5. num.56. præsertim quando manifestè non constat virum esse notabiliter negligentem in eleemosynis præbendis, & suo officio hac in re nullo modo satisfacere. Et inter alias rationes adducit, quod cõtrarium sentiẽdo videtur nimium laxari libertas vxorum, nam multa imprudenter largirentur sub prætextu, vt viri ab aliquibus peccatis emendarentur. Et hanc sententiam tenet etiam Fernand. in exam. Theol. mor. p.1. c.16. §.6. num.2. & Molina de iust. tom.2. disp.274 nu.12. vbi contra Nauar. vbi intra absolute asserit, nõ posse vxorem ad vitandum spirituale damnum viri, cõtra ipsius beneplacitum facere eleemosynas.

Sed ego puto contrariam sententiam esse probabiliorem, & tutam in praxi, & illam docent Malderus in 2.2. q.32. a numer. 8. Vasquez opusc. de eleemosyna, cap.4 num.4. Bonac. de contract. disp.2. q.10. punct.2. num 9. Graffius tom.1. lib.3. cap.60. num.9. Nauarr. in man. c.17. nu.154 Nauarr. lib.1. cap.1. nu.83. qui citat Syluestrum, & Gabrielem Lessius lib.2 cap.12. dub.14. numer.85. Lorca in 2.2. quæst.32. artic.9. sect.3. disput.36. nu.9. Turrianus etiam in 2.2 to.1. disp. 84. dub.1. Molfesius in sum. tom. 1. cap.16. tract. 1. nu.36. Filliuc in q. mor. tom. 2. tract. 34. cap.2. num.44. & alij. Et addit Reginald. to.1. lib 4. cap.22. nu. 278. cum Syluestro ver. eleemosyna, n.8. hoc etiam esse verum, si vxor crederet, quod si maritus tale quid sciret, id illi displiceret. Et ratio est, quia in tali casu maritus est irrationabiliter inuitus. Confirmatur exemplo Abigail 1. Reg. 25. quæ prudenter, & piè misit munera Dauid, quæ maritus impiè negauerat.

Ad argumentum, quod adducit Coninch respondetur, non dari ex nostra sententia nimiam libertatem vxoribus, nam tales eleemosynæ sunt dandę in moderata quantitate, considerata quantitate bonorum; nam aliter esset quidem maritus rationabiliter inuitus. Imò puto, non esse faciendas quando timerentur maximæ contentiones. Vxores igitur, in tali casu se remittant ad consilium & arbitrium prudentis Confessarij, qui considerando statum viri, & quantitatem bonorum, taxabit summam eleemosynę ab vxore pauperibus tradendam.

(?)

Vtrum Episcopi, & alij ratione maioris doctrinæ, aut nobilitatis possint plus ex redditibus Ecclesiasticis in sua sustentatione insumere.

RESOL. XXVI.

NEgatiuè respondet Lorca in 2. 2. q.32. art.9 disp.40. sect. 3. memb. 2. num. 39. vbi ait. In assignanda Ecclesiasticis congrua sustentatione; non est attendenda nobilitas, aut litteræ, ita vt possit augere statum, & sumptus, qui nobilis, vel litteratus præ alijs ad dignitatem Ecclesiæ assumitur. Nam non video, quòd intuitu litterarum sibi amplius debitum sit, præsertim cum omnes Ecclesiastici litteris instructi esse debeant, iuxta exigentiam dignitatum. Titulo autem nobilitatis nullo modo potest mensuram sustentationis extendere. Nec si filius Regis Episcopus fiat, potest de bonis Ecclesiæ ampliorem maiestatem, quam alius quicumque in eodem Episcopatu gerere; quoniam Episcopatus, status sanctitatis, & perfectionis est, in quo potius nobilitas & fastus sæcularis demittendi sunt, quam fouendi; & qui illum statum profitetur, potius debet Ecclesiasticæ modestiæ humanam nobilitatem submittere, quam Ecclesiæ humilitatem ad sæculi pompam reducere. Nec beneficia Ecclesiastica instituta sunt, vt foueatur sęcularis nobilitas, & pompa illi debita, sed vt ministrorum Ecclesiæ honor pro dignitate officij conseruetur. Hæc Lorca.

At contrariam sententiam probabiliorem existimo, & illam amplexi sunt Molina de iust. tom.1. tract. 2. disp.145. & nouissimè Coninch de actibus supernaturalibus, lib.2. disp.27. dub 11. num.194. Dico igitur, Ecclesiasticos valde nobiles, aut magnę litteraturæ, cæteris paribus, posse plus alijs minus nobilibus, & minus doctis, in sua sustentatione insumere; debet tamen talis excessus sustentationis esse moderatus, vt non excedat decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde Principum filij, non debent tantum in sua sustẽtatione expendere ex bonis Episcopatus, quantum possent insumere ex bonis patrimonialibus, & sæcularibus, si ea illis æqualia haberent; nam alia sustentatio conueniens est Principi sæculari, alia Ecclesiastico. Et hæc etiam intelligenda sunt, dummodo supradicti Ecclesiastici non negligant eleemosynas, quas pauperibus præbere tenentur, iuxta obligationem, de qua infra. Ad argumenta Lorcæ respondet Coninch, lege illum, & non pigebit.

Difficilis pro praxi in gratiam Confessariorum est ista quæstio, An quis longo tempore rem alienam non restituens, vnum tantum, vel plura peccata committat.

RESOL. XXVII.

REspondeo ex Lessio lib. 2. c.22. dub.3. nu.11. & seq. Molina de iust. tract.2. disp.753. nu.5. Rebellio de oblig. iust. p. 1. lib.2. q.17. sect.2. Vasquez in par. 2. to.1. disp.75. c.2. Turrian. in 2.2. tom.2. disp.17. dub.1. n.3. 4. & 5. & alijs, iniquum detentorem rei alienæ non esse, vt voluit Caietan. 2. 2. q.66. art.3. in solo peccato habituali, sed continuo actu peccare, dum non restituit, suumque peccatum extrinsecè augere, donec voluntariè restitutionem omittit. Ratio est, quia non restituendo rem ablatam, lædit semper dominium rei. Ita enim non potest possidere, nec vti re sua, sed ista læsio assiduè procedit à libera voluntate non restituendi, vel ab omissione libera voluntatis, Ergo est peccatum actuale, eo scilicet modo, quo in omissione operis externi, qua alius læditur, est peccatum.

Sed ex ista doctrina non haberent Confessarij multos scrupulos, si dicta omissio restitutionis, quæ constituit furem, vt dictum est, in continuo actuali peccato non interrumperetur: nam discontinuata, multiplicãtur postea multa peccata numero distincta. Multipliciter verò interrumpitur, ita vt formaliter non continuetur. Primo, quando qui restituere tenetur, factus est impotens ad restituẽdum. Secundo, quando proponit restituere. Tertio, per somnum. Quarto per inconsiderantiam naturalem, & obliuionem obligationis restituẽdi. Ita Vasq. vbi supra, & Turrianus. Quinto quando creditor exigit ab eo debitum, & non reddit. Sexto, quando videt creditorem egere, & non soluit. Ita Sotus de iust. lib.4. qu.7. art.4. & similia habet Nauar. cap.17. nu.54.

Ex supradictis modis apparet, quam sæpius fur non restituen-

ptendo multiplicet peccata, necessariò in confessione aperienda, ita vt parum adiuuet pro facilitate confitendi communis opinio, quæ asserit, vt diximus, omissionem restitutionis constituere furem in peccato actuali: nam dicta omissio interrumpitur sæpius per supradictos modos qui multiplicant peccata, numero distincta. Sed his non obstantibus, quia supradicta opinio (propter pluralitatem, & numerum peccatorum, quæ tempore, quo nō restituitur, incurruntur) est multum confessarijs, & pœnitentibus, onerosa, ponam hic opinionem probabilem, & tutam in praxi. Dico igitur.

In duobus tantum casibus, committit quis peccatum nouum in omissione restitutionis. Primo, quoties directè, & expressè renouatur propositum retinēdi rem alienam, per specialem actum. Et ad hoc non sufficit qualecumque propositum renouatum, sed requiritur, quod ita proponat quis rem alienam retinere, quod etiamsi nunquam id decreuisset, modo decerneret. Nam si propositū fit simplex, & sine ista reflexione, potius dicitur continuatio proprij propositi, quam nouus actus. Quia licet sit nouus, & distinctus physicè, non tamen moraliter, quod pertinet ad nostrum institutum. Secundus modus est, quando quis proposuit restituere, & postea data opportunitate restituit. Tunc enim, saltem indirectè est noua voluntas, & per consequens nouum peccatum. Ita Petr. Aragon. in 2.2. quæst. 62. art. 8. & post illum Emanuel Rodriq. in sum. to. m. 2. cap. 46. num. 1. & Malder. in 2.2. tract. 4. cap. 11. du. 7. vbi Aduersus Vasquez, & alios putat, quod si solum per naturalem quietem, vel inaduertentiam fuerit interruptus animus, actualis retentionis rei alienæ, hoc non sufficere, vt sur postmodum renouans eiusmodi animum censeatur admittere distinctum numero peccatū. Vt enim actualiter censeatur quis suo possidere nomine, sufficit qood animo sic tenendi rem apprehenderit, eumque animum non retractarit. Deinde non est necesse, vt is qui idem & moraliter vnum peccatum censetur continuasse, continuò peccauerit actu. actus enim solum physicè interruptus, potest moraliter censeri vnus. Sic Maldetus & Sayrus in Claui Regia lib. 10. tract. 5. cap. 5. nu. 19. vbi asserit, quod nimis durum esset affirmare toties de nouo peccare, quoties fur post iniquam primam acceptionem dormitioni se traderet, aut illius obliuisceretur, cum multoties in die contingeret hoc modo peccate de nouo, omniaque scrupulis plena essent. Ita ille.

Dicendum est igitur ex dictis, tunc iniqnum detentorem peccare de nouo mortaliter quando renouat de nouo propositum non restituendi, vt si animo dicat, etiamsi retinere non proposuissem, nunc omnino propono. Vel secundo, quando interrumpit prius animum furtiuum firmo restituendi proposito, & postea data opportunitate non restituit. In omnibus alijs autem casibus, quos diuersi authores enumerant, & refert Barthol. à S. Fausto in spec. Confess. disp. 4. quæst. 203. puto cum Maldero, Aragon, & Sayro, vbi supra, non esse nouum peccatum, sed circumstantiam aggrauantem illud, & iuxta nostram sententiam non necessariò in confessione aperiendam, sed aliā benigniorem sententiam, circa præsentem quæstionem vide in tractat. de Circumstantijs aggrauantibus. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, ex qua maximè & præcipuè notandum est, pro sedandis scrupulis, per somnum & naturalem inaduertentiam, iniquum te alienæ detentorem, non multiplicare peccata, numero distincta. Salua, &c.

Confessarius quidam angebatur magnis scrupulis in excipiendis confessionibus cuiusdam diuitis, circa præceptum largiendi eleemosynam: tunc ego in eius gratiam hæc ex multis DD. adnotaui.

RESOL. XXVIII.

PRimo diuites, etiamsi habuerint superflua, non tenentur, neque sub veniali peccato dare eleemosynas in communi necessitate, qua solent esse quotidiani pauperes. Ita Syluest. Alensis, Armilla, & alij, & ex neotericis Malderus in 2.2. quæst. 27. artic. 6. dub. 4. prop. 2. Molsef. in summ. tom. 1. tract. 1. ca. 16. nu. 20. Sotus de iust. lib. 5. qu. 8. art. 1. Nauat. in man. c. 24. nu. 5. & 9. Medina Cod. de eleemos. qu. 3. Toletus de 7. peccatis mort. cap. 36.

Secundo, etiam in graui necessitate pauperum, diues qui habuerit superflua, non peccaret mortaliter, si non præberet in eleemosynam. Hæc opinio mihi placet, illamq; docet Gabriel in 4. dist. 16. q. 4. concl. 5. Alensis 4. p. qu. 113. membr. 1. cum alijs, & probabilem vocat Malderus in 2.2. D. Thom. quæst. 2. art. 6. dub. 4. §. Respondeo.

Tertio, etiamsi esset vera opinio DD. asserentium diuites teneri sub mortali præbere eleemosynam, non solum in extrema & graui, sed etiam in communi necessitate pauperum, tamen non tenerentur inquirere pauperes, sed solum miseteri occurrentibus, & non impedire nimia austeritate, vel alio modo, ne occurrant. Neque etiam tenerentur omnibus communiter indigentibus subuenire, sed aliquibus: nec renentur in totum alicuius indigentiam subleuare, sed satis est quid ei dare. Ita Lorca in 2.2. sect. 3. disp 39. mem. 2. nu 30. Bonacina de legibus, disp. 5. qu. 4. punct. 6 n. 10. Vasquez vbi infra, & alij.

Quarto, notandum est, quod bona, quæ conseruantur ad acquirendum maiorem statum pro se & suis consanguineis, non dicuntur superflua status: ascensus enim ad superiorem statum, ad necessitatem, & conuenientiam status reuocandus est, ita vt ea non censeantur superflua, quæ licet excedant mensuram status præsentis, conducere tamen possunt, & reseruantur, vt homo altiorem statum acquirat, & acquisitum conseruet. Ita Vasquez opusc. de restit. cap. 1. dub. 3. num. 17. & 32. Et ideo in cap. 4. num. 14. asserit, quod in sæcularibus, etiam in Regibus, vix inueniuntur superflua status. Vide etiam Nauarrum in summ. cap. 94. nu. 6. Nauarrain de restit. lib. 4. cap. 1. n. 366. Malderum in 2.2. q. 27. at. 6. dub. 4. ver. contra hanc propositionem, & dub. 6. circa finem.

Quinto, diues cum diminutione & detrimento proprij status, non tenetur subuenire proximo in extrema necessitate constituto; quia, vt fert opinio grauissimorum DD. quamuis teneat defendere vitam innocentis, qui iniustè inuaditur, tamen si graue detrimentum facultatum interueniat, non tenetor. Non ergo diues tenebitur extremam necessitatem alterius cum graui iactura status depellere. Ita Molsesius in sum. to. 1. tr. 1. c. 16. n. 28. cū Lorca in 2.2. sect. 3. disp. 39. memb. nu. 39. & Ægidio de Conınch de actibus supernat. disp. 27. dub. 8. cōcl. 4. nu. 134. & D. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 24. num. 5. putauit D Thomam hāc opinionem tenuisse, vt illam etiam tenet Rosella, & Summa Pisana ver. eleemosyna.

Ex his apparet, diuites non esse facile condemnandos circa præceptum largiendi eleemosynam, quia non tenētur inquirere pauperes, nec tenentur largiri eleemosynam in communibus necessitatibus, & bona superflua nō facile in ipsis etiam ditissimis reperiuntur. Vnde ex his facile Confessarij scrupulos deponere possunt, licet consulere debeant diuitibus, vt eleemosyna pauperibus abunde erogent.

Quidam Religiosus inchoabat annum vigesimum tertium hora vigesima tertia diei, sed mane in eodem die recepit ordinem Diaconatus, quæritur an peccauerit, & in suspensionem inciderit, tanquam ordinatus ante legitimam ætatem?

RESOL. XXIX.

SVppono, ex Tridentino, & communi DD. sententia, cum Filliuc. tom. 1. tract. 9. c. 4. nu. 84. Miranda in manual. prel. p. 1. qu. 39. ar. 2. ad licitè suscipiendos ordines requiri ætatem legitimam; nam ad primam tonsuram, & minores ordines requiruntur saltem septem anni completi, ad Subdiaconatum vigintiduo inchoati, ad Diaconatū viginti tres inchoati, & ad Presbyteratum vigintiquinque, vnde si aliquis initiatetur ordinibus sacris ante dictam ætatem, in suspensionem incurreret latam in Bulla Pij II.

His suppositis, affirmatiuè ad casum propositum respondet Villalob. in sum. to. 1. tract. 11. dub. 11. n. 2. vbi sic asserit. [Estos años basta, que sean comenzados. Mas no bastaria si le faltase vno, ó dos dias para complir la edad, segun la mas probable opinion (aunque à algunos parece lo contrario) porque de derecho de verdad el tal non esta en año incepto, y ansi non habetur pro completo. Mas si llega à la verdad el dezir, que si à caso le faltase medio dia, se podria ordenar. Mas lo contrario tengo por mas cierto, porque este aunque este media dia, no mas, ante de entrar en el año, aun no esta en el año, lo qual es necessario.] Ita ille, & ante illum Nauarrus to. 2. de tempore ordinand, cons. 5.

Hæc

Hæc sententia est probabilis, sed non minus probabilem contrariam existimo, quod etiam concedit ipse Villalobos, vt supra apparet, & illam in terminis docet ita Ledesma in sum, to 1. tr. de sacram. ord. cap. 7. fol. mihi 430. ita asserens. [Si vno huuiesse de complir la edad el mismo dia de los ordenes à la tarde, o de noche si se ordenasse à la mañana, ò vna cosa assi semejante, non parece à mi, que hauria mucho escrupulo, de otra suerte, no lo tengo por seguro, y acertado.] Sic Ledesma. Ex his apparet dictum Religiosum non incurrisse suspensionem illam, de qua supra, saluo semper meliori iudicio.

Notandum est tamen, quod stando in rigorosa sententia, quòd annus debeat esse iam inceptus, sufficit tamen ad singulos ordines, vel per vnum medium diem annum necessarium a Concilio Tridentino, vt supra, inchoatum fuisse. Et ita docet Coninch de sacr. disp. 20. dub. 10. n. 102. & Bonac. etiam de sacr. disp. 8. qu. vnic. punct. 5. nu. 12.

An ex aliqua iusta causa possit Episcopus conferre maiores Ordines die Dominica?

RESOL. XXX.

SVpponendum est ex communi doctrina, cum Vasquez in 3. par. tom. 5. disp. 246. c. 5. nu. 15. Bonacina de sacram. disput. 8. qu. vnic. punct. 6 nu. 1. & alijs, quod maiores ordines, non nisi in Sabbatho quatuor temporum anni, aut in Sabbatho sancto, aut in Sabbatho ante Dominicam Passionis dari possunt. Hoc supposito, responder affirmatiuè ad casum propositum Villalo. in sum. tomo 1. tract. 11. dub. 13. vbi sic ait. [Ha se de aduertir, que tambien se pueden hazer los ordenes el Domingo siguiẽte por la mañana, con tal que el, que ordena, y el que se ha de ordenar continuen el ayuno del Sabado antes, porque entõces la mañana del Domingo, se trae al Sabado por la continuaciõ del ayuno, como dize vn texto. Mas esto no lo ha de hazer el Obispo sin necessidad, la qual seria si el Sabado no las pudo hazer, por hallarse enfermo, que entonces podria diferirlas para el otro dia.] Ita ille ex Henriquez, quem ipse minimè citat. lib. 10. cap. 12. num. 12. vbi ita asserit. Potest Episcopus maiores ordines Dominica sequenti post Sabbatum prædictum conferre, si causa subsit, dummodo ieiunium Sabbathi continuet vsque ad Dominicam, quod continuari dicitur post Missam Sabbathi, nisi sumpserit ablutionem.

Notandum est etiam circa præsentem materiam de temporibus ordinandorum, quod minores ordines Episcopus conferre potest tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica aut festiuo die, dummodo non videatur facere ordinationem generalem: & consuetudo Episcoporum recepta concedit, vt feria sexta vespere ante Sabbathum, in quo Sabbatho iure possunt omnes ordines conferri, liceat dare ordines minores. Ita Reginald. tom. 2 lib. 30. tract. 1. c. 5. nu. 26. Henriquez vbi supra Villalob. nu. 4. & Vasquez, qui notat primam tonsuram quouis anni tempore, quouis die, hora, & loco dari posse, & contra Nauar. & alios non esse iure vetitum, eodem die quatuor minores ordines, & vnum sacrum recipere, & aliquando testatur se vidisse minores ordines simul cum Subdiaconatu, in eodem die eidem conferri. Ita ille vbi supra, nu. 47. & 48. quicquid in contrarium asserat Reginald. loc. citat. nu. 28. & alij.

Vtrum Religiosus qui parum intelligit linguam latinam ad sacros Ordines, & præsertim ad Sacerdotium sit admittendus?

RESOL. XXXI.

VIdetur respondendum negatiuè ex Concilio Tridentino, quod affert Bonac. de sacr. disp. 8. qu. vnic. punct. 5. nu. 16. & Riccius in praxi, to. 1. resol 269. nu. 3. vbi etiam ad suscipiendos ordines minores requiritur, vt ordinandus intelligat linguã latinam, & ideo talis Religiosus ex defectu scientiæ videtur irregularis, vt communiter docent DD. quicquid in contrarium asserat Henriq. lib. 10. c. 16. n. 2. & in Gloss. lit. Q. & lib. 14. c. 8. nu. 11 & in Gloss. lit. B. quem postea sequitur Garsias de beneficijs, tom. 2. p. 7. cap. 7. nu. 19 putant defectum scientiæ prohibere susceptionem ordinum, sed non facere irregularem.

At his minime obstantibus, non desunt doctissimi viri, qui asserunt posse Episcopus sine vllo scrupulo ordinare Regularem ordine Presbyteratus, qui benè legit, & cantat, quamuis sit minus litteratus, sic enim in aliorum societate, & pro officijs religionis videtur idoneus minister. Et ita docet Portel in dubijs Regular. ver. ordines sacri, nu. 6. Henriq. lib. 10 c. 16. nu. 2. & Villalob. in sum. tom. 1. tract. 21. dub. 34. nu. 5. vbi sic asserit. [Quanto a los Religiosos es cosa muy cierta, que no han menester tanta scientia para ordenarse, como los Clerigos seglares, que por viuer en commodidad se suple mucha, y en aziendo el defecto se lo reprehenden. Y ansi digo, que para que se ordene vn Religioso basta, que entienda lo que son los Sacramentos, y en especial el del altar, su forma, su materia, y quien es su ministro, y que sepa bien leer, y pronunciar el latin, aunque sepa muy poco del, en especial sabiendo cantar. Y ansi non tienen que escrupular en esto los Señores Obispos, y no obsta contra esto el Concilio Tridentino. porque vemos en vso entre los hombres doctos, y de buena conscientia lo que queda dicho, y aun respecto de los seglares no se pide comunemente, que los que se ordenan de Missa; sean bastante para enseñar al pueblo. Y ansi pues esta recedido entre ombres tan doctos, y graues desta forma, y el negocio de derecho positiuo, muy bastante es para quitar el escrupulo, mayormente, que el Concilio, no habla palabras muy apresadas: lo mismo se podria dezir de los Cantores, Canonicos, Racioneros de las Iglesias Cathedrales, siendo hombres virtuosos, porque corre en ellos la misma razon, y lo veo en practica.] Hæc Villalobos, quæ quidem sunt multum à Dominis Examinatoribus adnotanda, quia valdè practicabilia.

Sed non reticeam contrariã sententiam in terminis docuisse Petrum Ledesma in summ. tom. 1. tract. de sacr. ordinis, cap. 7. conclus. 4. fol. mihi 435. vbi ita ait. [No me parece, que es licito, que el Obispo ordene de ordenes mayores al Religioso, que lee bien, y canta, aunque no sepa tanto en lo que toca al latin, y en lo que toca à lo demas. Esto digo contra algunos modernos Theologos, que enseñan verdad. Porque el Concilio Tridentino pone grande rigor en lo que toca a la scientia, y saber, y particularmente en lo que toca el entender latino, yan sino me parece licito. Tambien porque este tal teniendo tan contra scienna, y tan limitado saber, no puede en ninguna manera ministrar bien, y deuidamente en sus ordenes, luego no es licito ordenar el tal Religioso, y por ser religioso, no es bien, que sepa menos, que los demas, antes es razon, que sepa mas, pues deue ministrar mejor en sus proprios ordenes, que los demas.] Ita ille.

Sed prima sententia est satis probabilis, & tuta in praxi. Notãdum est tamen, quòd examen de scientia, & doctrina Regularium debeat fieri ab Episcopo, vt contra aliquos recẽtiores notat Vasquez in 3. par. tom. 5. disput. 246 cap. 6. num. 55. & alij, & patet ex Concilio Trident. sess. 23. de refor. cap. 12. sed obseruat Miranda in manuali Prælatorum, tom. 1. quæst. 39. art. 2. quod deuoti, atque prudentes Episcopi hac in re suã exonerant conscientiam cum conscientijs Prælatorum, ipsorum commendatitijs litteris plenam atque omnimodam fidem adhibẽdo; vnde rectè Villalobos in summ. tom. 1. tract. 11. dub. 14. num. 5. sic asseruit. [Los Obispos tienen derecho para examinar los Religiosos, que han de ordenar, como cõsta del Concilio Tridentino. Mas bien podrian passar los Obispos con el examen de los Prelados, teniendo dellos buen concepto quanto à esto, que como los cometen à vn Examinador, tambien los pueden cometer à vn Prelado.] Et ita etiam docet Portel in addit. ad dubia Regular. ver. Ordines sacri, nu. 1.

An Gregorij XIII. excommunicationem incurrant ingredientes Monasteria Monialium, non prætextu licentiarum, sed absque vlla prorsus licentia etiam ad malum finem?

RESOL. XXXII.

AFfirmatiuam sententiam amplexus est Nauarr. in manuali, cap. 27. numer. 50. Quaranta in sum. Bullarij, ver. Monasteria Monialium, Azor. part. 1 lib. 13. cap. 8. qu. vlt. Bela part. 1. cas. 30 Villagut. de vsuris, qu 35. nu. vlt. & nouissimè Flauius Cherubinus in compen Bullarij, tom. 2. constit. 28. Greg. XIII. schol. 1. Homobonus in Exam. Eccl part. 1. tract. 5. cap. 9. qu. 60. Aloysius Riccius in praxi, tom. 1. Resol. 544. num. 4. Filliucius tom. 1. tr. 15. c. 5. nu. 119. Rainerius in Catalogo censurarum c. 9. excomm. 15.

Probatur primò, nam vt ait Nauarrus & Villagut, ita declara-

clarauit Pius V. & Gregorius XIII. Secundo, quia lex, quantumcunque pœnalis, extenditur ex rationis identitate ad casum similem, vt probat Lambertin. de iure patron. lib. 2. par. 1. q. 10. art. 4. Gomez var. lib. 1. cap. 5. nu. 12. Molina Iurisconsultus de primog. Hispan. lib. 1. cap. 5. n. 10. Guttier. qq. canon. lib. 1. c. 19. num. 3. & cons. 50. num. 8. Roland. à Valle cons. 27. num. 48. volum. 1. & alij. Et ita, ait Beia vbi supra, receptum est in tota Italia.

Sed contrariam sententiam probabiliorem esse iudico, quam tuetur & docet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu. 78. qui citat Suarez, Zerolam, Philiarchum, Sayrum, & Rodriquez, quibus ego addo Mirandam in manuali Præl. tr. de Monialibus, qu. 2. artic. 10. concl. 1. Megala in 3. p. lib. 4. c. 8. q. 3. n. 11. Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 102. n. 17. Hieron Campanile in diuer. iur. can. rubr. 12. cap. 16. nu. 24. Ratio est, quia cum excommunicatio sit pœnalis, non est amplianda, sed potius restringenda, nec extendenda ad alium casum, etiamsi ei sit similis, aut etiam maior ratio. Et cum hæc Bulla sit valde rigida; & contineat grauissimas pœnas, non est extendenda ad casum in illa minimè comprehensum; solum igitur incurrunt in excommunicationem fulminatam in dicta Bulla, admittentes, & ingredientes prætextu licentiarum, non autem qui admittunt & ingrediuntur sine licentia, etiamsi ingrediantur, & admittantur ad malum finem.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur, de illis Pontificis responsionibus non constare authenticè. Ad secundum respondetur, non esse certum, legem pœnalem extendendam esse quoad pœna in ea contentam ad casum non expressum, etiamsi in illo eadem inueniatur ratio, imò oppositum est verius, & omnino tenendum. Ita docent Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 101. nu. 82. Anton c. fin. nu. 58. de consuet. Castr. lib. 1. de leg. pœn. c. 7. dec. 3. Sanchez de matr. to. 2. lib. 10. disp. 4. nu. 3. & alij communiter. Vide etiam pro confirmanda nostra sententia Caietanum, ver. excommun. in principio, & in c. 47. & Glossam communiter receptā in Clem. 1. de consang. & affinit. pro quo etiam facit Decret. in c. quicunque, de sent. excommun.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij prætextu licentiarum, incurrant in excommunicationem?

RESOL. XXXIII.

Incurrere existimant multi, & ita nouissimè docuit Filliuc. tom. 1. tract. 15. c. 5. num. 119. asserens, sic habere praxim sacræ pœnitentiariæ.

Sed negantem sententiam (quam etiam probabilem, & tutam in praxi esse iudico) sustinent Rodriquez in qq. regul. tom. 1. q. 47. art. 3. & post illum Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 84. quibus ego addo Mirandam in manual. Prælat. trac. de monial. q. 2. art. 12. concl. 3. & Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 102. num. 43. Ratio est, quia pœna apposita in dicta Bulla imponuntur Abbatissis, & Abbatibus Conuentualibus, &c. Et ibi nulla de Monialibus efficitur mentio. Et tamē in dicto motu proprio volens Summ. Pontifex comprehendere sub pœnis, quascunque Moniales admittentes illos, qui ingrediuntur Monasteria cum licentia Episcopi, in casibus non necessarijs, totum hoc expressit, dicens indefinitè Moniales. Ergo si idem voluisset supra in alijs pœnis, hoc expressisset, sicut postea, vt diximus expressit.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij, etiam ad malum finem, incurrant in aliquam excommunicationem?

RESOL. XXXIV.

Supra diximus, non incurrere excommunicationē inflictam in Bulla Gregor. XIII. sed dubium est, an incurrant in excommunicationem latam in Concil. Triden. sess. 25. de regul. c. 5. Negatiuè verò respondendum est, quia in textu Concilij excommunicatio fulminatur contra ingredientes Monialium Monasteria: de Monialibus, seu alijs admittentibus nullam tacit mentionem, & vt supra probatum satis est, excommunica-

tio non extenditur de casu ad casum: etiamsi similis ratio adsit. Et ita scribens litteras Moniali, & mittens non incidit in censuram comminatam aduersus colloquentes cum Monialibus, vt probat Barbosa de potest. Episcop. alleg. 102. num. 82. & alij.

An ingredientes septa Monasterij, & cum aliqua sacra Virgine incestum committentes, si casus sit occultus, possint ab Episcopo absolutionem excommunicationis obtinere?

RESOL. XXXV.

Negatiuè respondet Chappeauilla tr. de cas. reser. c. 14. qu. 3. diffic. 2. Iac. de Graffis in pract. lib. 1. c. 5. num. 17. Zecchius de cas. reser. cas. 10. num. 1. Aloysius Riccius in praxi to. 1. resol. 544. num. 5. cum alijs. Et ita asserunt respondisse sacram Cardinalium Congregationem. Et ratio est, quia reseruatio huius excommunicationis fuit publicata, & facta post editum Concilium Tridentinum.

Sed contrariam sententiam in terminis nostræ Bullæ docet Homobon. de Bonis in exam. Eccl. parte 1. tract. 7. cap. 17. q. 26. & in tr. de statibus parte 1. cap. 24. Zerola in praxi Episcop. p. 1. ver. Moniales, quæst. 8. Sanchez in sum. to. 2. lib. 6. cap. 15. nu. 76. vide etiam P. Peregrinum tract. de duello, q. 37. num. 3. & Suarez in 3. p. disp. 30. sect. 2. num. 12. & 15. & alij. Et ratio est, quia cum in reseruatione huius excommunicationis non efficiatur mentio de Concilio Tridentino, non censetur illi derogatum ex communi Doctorum sentētia, quia decreta alicuius Concilij generalis, ita matura deliberatione sancita sunt, vt videantur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi de illis specificam faciant mentionem, vt docet Henriquez lib. 7. c. 26. nu. 3. Viualdus in Candel. p. 3. c. 12. nu. 22. vide etiam Menoch. vol. 3. cons. 194. num. 11. & 12. Gutierez in leg. nemo potest de leg. 1. num. 173. Caualc. p. 1. dec. 29. n. 16. Couar. lib. 4. var. c. 16. Parisium lib. 2. cons. 2. nu. 30. & alios.

Dicendum est igitur, Episcopum vigore Concilij Tridentini sess. 25. c. 6. posse absoluere ab excommunicatione, dummodo sit occulta, contracta ex ingressu ad Monasteria Monialium contra prohibitionem Gregorij XIII. quod etiam potest facere Confessarius vigore Bullæ Cruciatæ.

Cum in Regno adsit magna penuria carnis, & in perniciem rei frumentariæ, in dies plura animalia macellentur: dubitatur, an sine metu excommunicationis liceat emere a Turcis supradicta animalia, & cum illis alia victualia permutare?

RESOL. XXXVI.

Respondendum videtur negatiuè ex authoritate cap. quod olim de iudæis, & Clementis Papæ V. in Extrauag. Multa mentis, eodem tit. vbi ex renouat. Extrauagant. Nicolai Papæ IV. incip. *Olim*. Et hanc sententiam videntur docere doctiss. Iurisconsl. Alexander vol. 7. cons. 130. Boerius dec. 178. & Straccha tract. de mercantia, p. 2. a nu. 49. vsque ad nu. 51. adi illos, & non pigebit.

Sed mihi supposita veritate facti, (quod an ita sit videant illi ad quos spectat) contraria sententia probatur, nam puto licitum esse deferre infidelibus etiam res prohibitas, quando deferuntur in Christianorum vtilitatem, vt si commutentur, vel vendantur pro ijs, quibus indigent magis Christiani, ita vt maior sit eorum commoditas, quam damnū inde proueniens. Ita ex Societate Iesu Valer. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 9. cap. 18 nu. 301. & ex Dominicana familia Ant. de Sousa in exposit. Bullæ Cœnæ, cap. 8. disp. 31. nu. 2. & Alterius de censuris, tom. 1. disp. 8. lib. 5. c. 5. col. 4. §. vt probetur.

Adde quod commercium prohibitum cum infidelibus, non intelligitur tempore necessitatis, vt in casu simili, & alijs notauit nouissimè Coninch de actibus supern. lib. 1. disp. 18. num. 168. cum Suarez tract. de fide, disp. 18 sect. 6. n. 8. Ratio est, quia vt notauit Filliuc. in q. mor. tom. 1. tr. 16. cap. 6. n. 147. & Sayrus de censuris, lib. 3. c. 12. num. 34. præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore, & necessitas in hac materia accipitur moraliter, vt etiam in casu simili notauit Ant. Ricciull.

Y in

in tract. de iure person. lib. 2. c. 41. nu. 19. & Tabiena ver. Medicus, nu. 17. & ver. Iudæus, nu. 6. Talem vero necessitatem extare in casu nostro multi asserunt. Ergo licitum erit tale commercium, & permutationes rerum.

Nec obstant ea, quæ in contrarium adduximus, nam illi doctores, & cap. quod olim, non loquuntur in casu nostro, videlicet necessitatis, seu quando victualia deferuntur propter maiorem vtilitatem, quam nos Christiani percipimus.

Ad Extrauag. Nicolai, & Clementis, respondeo cum Syluestro ver. excommunicatio 7. nu. 60. & Petro de Lorca in 2. 2. D. Thomæ disput. 51. num. 7. illi, Pontifices prohibere deferre victualia, & alia mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ Ægypti, non autem prohibere supradicta deferre ad alios Sarracenos, & si hoc prohiberent, respondendum est, vt supra ad cap. quod olim de Iudæis, non loqui videlicet in casu nostro.

Sed vide, si libet, circa præsentem quæstionem Conradum de contract. tract. 3. q. 51. conclus. 1. Gambarupta tract. de casibus reseru. c. 7. Bonacinam de legibus, disput. 3. q. 2. punct. 5. n. 2. Molfes. in summ. tom. 1. trac. 11. c. 2. nu. 23. Sayrum de censuris. lib. 3. cap. 11. Alterium etiam de censuris tomo 1. disp. 8. li. 5. c. 1. & seq. Suarez in 3. par. D. Thom. to. 5. dis. 21. sect. 2. Nauar. in c. Ita quorundam, de Iudæis. Filliuc tom. 1. tract. 16. c. 6. nu. 139. Azorium p. 1. lib. 8. c. 23. Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 7. q. 1. & 2. Tabienam ver. excom. 6. nu. 5. & 6. Naldum in sum. ver. Infidelis, num. 2. qui susissime tractant, quando iure positiuo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre.

An sint habendi tractatus ante electionem?

RESOL. XXXVII.

AMbitio, tanquam pestis electionum, fuit ita sacris Canonibus exosa, vt per c. cum post petitam, de elect. cassanda & annullanda sit electio illius, qui etiam requisitus antequam esset electus, consensit electioni de se faciendæ, & ita notauit Mirada in manuali Præl. p. 2. qu. 23. art. 3. concl. 1. & Pet. de Gregor. tract. de elect. cap. 9. num. 6. vnde in cap. per inquisitionem eodem tit. de elect. statuitur per multas causas electionem Episcopi Tholosani esse indignam, & præcipuè, quia ipse & eius amici ante suam electionem habuerant colloquium cũ quibusdam Canonicis, eosque sollicitauerant precibus, vt ipsum eligerent in Episcopum; vbi Abbas noster Panormitanus num. 5. infert, quod sollicitans electores pro sua electione, facit se indignum, quia probatur ambitiosus. Et hoc non solum quando sollicitat per se, sed etiam per alios, vt patet ex textu vbi supra.

His ita suppositis, iuris communis vestigia sequendo, sanctè determinatur in aliquibus Religionibus sub pœna excom. latæ sententiæ, vt ante electionẽ nullus tractatus de illa habeatur. In quibus verbis non prohibentur tractatus consultorij, sed tractatus ambitiosi, pactionales, conditionales, &c. vt rectè notauit Pet. Basilius in direct. elect. p. 3. c. 3. Guilielmus Mandagotus in Micella c. de elect. nu. 12. & ante illos Abbas in c. bonæ memoriæ el 2. nu. 12. de elect. cum alijs.

Igitur permissus est ante electionem tractatus consultorius, & ita in c. si transitus, dist. 79. probatur, quod viuente Papa habeatur tractatus consultorius de substitutione Summi Pontificis. Ex quo asserit Cucchus inst. can. lib. 4. tit. 1. num. 183. quod potestas cõsulendi, ac de personæ alicuius qualitate sermonem inter se habendi, vt sciant an dignus quis sit, qui re postulante eligi possit, non est adempta Collegio, viuente adhuc Prælato. Et Pet. Gregorius in instit. vtr. can. lib. 1. tit. 29. cap. 5. obseruat, quod Glossa c. in nomine Domini. ver. tractantes distin. 23. vult quod postquam in vnum locum conuenerint electores, habeât tractatum antequam eligant, nominando vtrinque plures per modum consultationis, qui videantur digni electione, & fiat collatio nominatorum personæ ad personam, & meritorum. Sed quia hodie electiones, vt plurimum efficiuntur per secreta suffragia, non præmittitur talis tractatus electioni, qui antea erat ita necessarius, vt aliter non valeret electio, vt patet in cap. Genesi. de elect.

Patet igitur ex dictis, posse Regularem huiusmodi Religionum, vbi adest talis prohibitio cum electoribus, vel alijs per modum consultationis tractatum habere de aliquo eligendo, vt sciat, an talis sit dignus vel si sciat, vt alios informet, & persuadeat, vt illum eligant, dummodo hoc non efficiatur ex consensu, seu opera ipsius eligendi, sed sponte ab electoribus propter illius merita. Nam si talis tractatus efficeretur per seipsum, vel per alios, esset tractatus ambitiosus, vt supra in c. per inquisitionem de elect. & ideo prohibitus, vt pactionalis, conuentionalis, conditionalis, &c. Et ita determinauit Molfesius quondam noster, in summa, tom. 1. tract. 5. cap. 19. num. 147. vbi sic asserit. Ambitiosus per canones repellitur, tanquam indignus ab electione. Quod est valde notandum contra eos, qui etiam procurare solent, vt eligantur ab alijs, nam nullæ sunt postea electiones; vt præcipuè sancitur per nostras constitutiones, quibus etiam huiusmodi tractatus præcedentes prohibentur, ad euitandam omnem suspicionem ambitionis. Ita ille, & ego.

An qui emisit votum Religionis satisfaciat, si habitum D. Ioannis assumat?

RESOL. XXXVIII.

PRima facie, videtur respondendum negatiuè, non quia dicti Milites non sint verè Religiosi, vt falsò docuerunt Iacobus de Graffis tom. 1. lib. 3. cons. 11. num. 14. de regular. Gonzalez in reg. 8. Cancellar. Gloss. 8. n. 57. & 65. Mandosius etiam in reg. 3. Cancell. quæst. 11. n. 3. Sarmiento de redd. Eccl. lib. 4. q. 1. num. 13. Cabedo de patr. reg. Cor. c. 15. num. 16. & 18. Tallada de visit. carcer cap. 11. §. 4. n. 13. & facit Abbas in rubr. de reg. 6. nu. 4. Syluest. verb. Relig. 1. quæst. 1. verb. tertium Hospitalarij, cum Soto de iust. lib. 7. q. 5. artic. 3. Sed quia regulariter ille, qui vouit Religionem, intendit statum viuentium in communi, & alienum à tumultu, pompis, ac vitijs sæcularibus. Et ita docent Portel. in addit. ad dubia regular. ver. Religiosus, nu. 4. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 16. nu. 12. Corduba in summ. q. 148. Barth à S. Faustio in thes. relig. lib. 1. q. 187. nu. 3. Zecchius vbi infra, cum alijs. Hæc sententia est probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem esse puto, quam tenentur Aragon. in 2. 2. quæst. 88. art. 11. Rodriquez par. 2. c. 97. num. 8. & ex Societate Iesu, Azor. to. 1. lib. 13. cap. 4. q. 4. & post illos Fernandez in exam. Theol. mor. par. 3. c. 9. sectio. 11. §. 18. num. 10. Regius in resol. casuum conscientiæ cas. 53. nu. 15. & ex Dominicanorum familia Hieronymus Cenedo de paupertate Religiosa, dub. 10. nu. 6. qui omnes asserunt, quod si quis faciat votũ Religionis, optimè satisfaciat voto, si Religionem Equitum D. Ioannis ingrediatur, nisi aliud cum voueret expressent, quia dicti Equites sunt verè, absolutè, & simpliciter Religiosi, & more aliorũ Religiosorum tria solemnia vota emittunt, sub regula ab Gelasio II. & Honorio IX. approbata, & in ipsis Bullis Pontificijs absolute Religiosi appellantur. Et ideo hanc sententiam probabilem etiam vocauit Vecchius in praxi Nouitiorum disp. 10. dub. 2. nu. 4. & Barthol. à S. Faustio vbi supra. Nam contrariam, quam ipsi tuentur, vocant tantum probabiliorem, & à fortiori; docet etiam nostram sententiam Basilius Pontius trac. de impedim. matr. causa 27. q. 2. §. 4. vbi existimat votũ de suscipienda Religione satis aliquem adimplere, si ordinem D. Iacobi suscipiat, & profiteatur in illo, ex cõfirmatione Alexandri III. quæ in stabilimentis eiusdem ordinis præmittitur, & nõ ex alijs litteris Pontificijs, quibus ea votorum, sub qua eum ordinem confirmauerat Alexander III. immutata aliqua ex parte sit. Et hæc opinio est valde notanda; quia est noua, & à viro sapientissimo emanata.

An in obtinendis Beneficijs, liceat pacisci de aliquo temporali retribuendo, tanquam motiuo, seu pro recompensatione gratuita?

RESOL. XXXIX.

VIdetur respondendum negatiuè ex cap. finali, extra de pactis, vbi hæc verba habentur. In spiritualibus omne pactio, omnisque conuentio cessare debet; & in cap. quæsitum, extra de rerum permutatione, adnotatur eiusmodi pacta continere semper labem simoniæ, vide etiam c. tua nos de simonia, & c. quam Pio. l. q. 2.

Non reticeam tamen, contrarium docere Valent. to. 3. disp. 6. quæst. 16. punc. 3. vbi sic asserit. Duobus modis potest fieri tale pactum,

pactum, de quo loquimur, vno modo ita, vt promiſſio temporalis, petatur aliquo modo in iure prohibito: aut quaſi temporale debeatur ratione rei ſpiritualis, tanquam eius pretium, vt ſpiritualis eſt. Et ſic certum eſt, id eſſe ſimoniam prohibitam, vel iure naturæ, vel iure poſitiuo. At eiuſmodi pacta damnantur in capitulis citatis pro contraria ſententia. Altero modo poteſt pactum fieri ita, vt petatur promiſſio temporalis, eo modo, & eodem prorſus titulo conſerendi, quo licitum eſt, ipſum temporale actu recipere, & dare pro ſpirituali, videlicet tanquam ſtipendium, vel remunerationem quandam cuiuſdam operis, vel officij, quo ſecundum communem quidem rationem officij conſideratum meretur, etiam ex iuſtitia, recompenſationem: & conſideratum, etiam, vt officium ſpirituale, meretur remunerationem gratuitam, & ſic de temporali, pro ſpirituali paciſci, in foro conſcientiæ licitum eſt. Ita Valentia, qui citat Gabrielem, Caietanum, Sotum, & alios. Et ita etiam nouiſſimè poſt Valentiam, docet hanc ſententiam ex eiuſdem ſocietate Ieſu, Adamus Tannerus in 2.2.diſp.5.q.8.dub.3.num.76.

Igitur dicendum eſt probabiliter, quod eo modo, quo ſine ſimonia, licet tẽporale pro ſpirituali dare, vel recipere, etiam licet de hoc ipſo paciſci, nempe tanquam dando, vel ex gratitudine, vel etiam ex iuſtitia, non quidem pro re ſpirituali, vt ſpiritualis eſt, ſed ſpectata ſecundum communem rationem laboris, prout ex obligatione oneroſa ſuſcipitur.

Vnde ex hoc capite, nẽpe pro ſuſcepto labore. Suarez de relig.tom.1.lib.4.conſ 53.num.17 ex Nauarro adnotauit, non eſſe ſimoniã ſi aliquid detur pro labore ſuſcepto eundo, & redeundo ad beneficij collatorem; vel in recompẽſationem alicuius damni, quod ea de cauſa patitur, aut alterius lucri, quod amittit. Sed cauendum eſt, ne ſub hoc colore, aliquid accipiatur, vltra æſtimationem talis laboris, vel damni, ſecundum ſe ſpectati, alias ſimonia non euitabitur. Ita Suarez, ſed quoad hoc vltimum, impugnatur nominatim à Rodriquez in ſumma tom.4.cap.133.num.19. quia, [el dicho trabajo] hæc ſunt eius verba, [y la recompenſa del daño, y de la ganancia, que ſe pierde, ſon coſas meramente temporales, las quales con dineros ſe pueden vender. Empero ſera peccado de iniuſticia, mortal, o venial ſegun el exceſſo del dinero, que ſe da.] Hæc ille. Igitur ſecundum Rodriquez, ſi detur aliquid notabile vltra æſtimationem laboris, non erit peccatum ſimoniæ, ſed iniuſtitię, quia emitur ille labor vltra iuſtum pretium, quod meretur. Sed hoc peccatum iniuſtitiæ, exiſtimo ego, quod euitari etiam poteſt, ſi illud plus, quod labor ille non meretur, detur liberaliter, & gratis; ita vt in tali caſu, adſit contractus iuſtæ emptionis, & liberæ donationis. Notentur hæc, quia ſedabunt multos ſcrupulos.

An habens rem cum meretrice, teneatur in conſcientia ſoluere ei mercedem ſolitam, ſiue eam promiſerit, ſiue non?

RESOL. XL.

AFfirmatiuam ſententiam docent communiter Doctores, inter quos videndi ſunt, Homob. de examin. Eccl. 1. parte 2.tract.9 quæſt.24. Regius in reſol.caſ.8.per totam, Sayrus in Claui Regia, lib.10.tract.5 cap.3 num.34. Aragon.in 2.2.q.32.ar.7.& quæſt.62.ar 5.concl 8. Azor. p.3.lib.4 cap.21.qu.2. Salonius in 2.2. qu 62.art.5.contr.4.concl.1.& 2. Caiet in 2.2.q.32.art.7. Cordub. lib.1.qu.32.art.2. Sotus de iuſt. lib.4.quæſt.7.ar.1. Syluius in 2.2.q.32.ar.1. concl 3. Tannerus in 2.2.diſp.4.dub.10.n.300. Malderus in 2.2.tr.1.c.9.dub.7. Turrianus in 2.2.tom.2.diſp.14 dub.1 Villalobos in ſumma, tom.2.tr.11.difſic.16.num.8. Rebellius p.2.lib.18 q.1.nu.9. Lopez parte 1.cap.105. Leſſius lib.2 cap.14.dubio 8. Ratio eſt, quia pro omni actu pretio æſtimabili, poteſt accipi merces; ſed actus meretricius, ſi conſideretur, non vt turpis, & illicitus, ſed vt naturalis, & delectationi hominum accommodatus, poteſt pretio ęſtimari. Ergo, &c.

Igitur materia, pro qua datur turpe lucrum, etſi ſit res illicita, non eſt tamen res inuendibilis, & de actu fornicationis, etſi prohibitum ſit ſub mortali ne fiat, non eſt tamen iuſtum, vt ſi committatur, gratis committatur, & per conſequens, neque prohibitum, vt pro illo merces accipiatur. Et licet ſit illicitum, dare, vel recipere pretium, ante fornicationem commiſſam, quia talis datio, vel acceptio includit conſenſum in fornicationem. Poſt peccatum verò commiſſum datio, & acceptio poteſt eſſe abſque peccato, ſi nimirum detur, & accipiatur, non ex complacentia peccati, ſed ratione obſequij, vel laboris alteri præſtiti.

His tamen non obſtantibus, nõ deſunt DD. qui probabiliter contrariam ſententiam docent, vt Durandus in 3.diſtinct.39.q.4. Medina Cod. de reſtit. quæſt 20. Nauar.cap.17.nu.40.in fi.& ex Neotericis Paulus Comitolus in reſp moral.lib.3.q.5.& Ioã. Valerus in differentijs vtriuſque fori, ver. Promiſſio, different.8. vbi putat ſupradictos Doctores ſupponere falſum, nempe vſum corporis meretricis ad actum venereum, eſſe in foro conſcientię vendibilem, ipſorumq; ſeparari poſſe ab ipſo peccato. Nam in ipſo vſu corporis turpi, conſiſtit perfectio, & conſummatio peccati, quomodo igitur poteſt ſeparari in rei veritate ab ipſo peccato? Reuera enim meretrix petit mercedem, propter delectationem illam libidinoſam, quam debet exhibere ad ſe accedenti, per vſum ſui corporis, & propter eandem promittit vir mercedem, & ſic propter peccatum. Cæteras rationes vide apud Valerum, & Nauar. vbi ſupra. Ex quibus apparet, vtramque ſententiam eſſe probabilem, licet prima ſit probabilior. Vnde non erit neganda abſolutio, ſi aliquis rem habuerit cum meretrice, ſi poſtea nollet ſoluere mercedem conſuetam, etiamſi eam dare promiſerit.

Notandum eſt tamen cum Valero vbi ſupra, & Tolet.lib.2.c.21.n.7. quod datio, & acceptio pro fornicatione actu eſt mala, quia pro re turpi, & ob peccatum, ſed non contra iuſtitiam, & ideo etiam ſecundum hanc poſteriorem ſententiam, meretrix non tenetur reſtituere. Item dicendum eſt, contra Lopez, fœminas accipientes munera a ſuis amatoribus, ſpe conſequendi ab ipſis, quod prauæ concupiſcunt, ſi non conſentiant non eſſe obnoxias reſtitutioni, quia nullus eſt amator, qui non verecundaretur, & erubeſceret, ſi præfata munera ſibi remitterentur verè enim ea donant, licet ob deflexum finem, & ſupradictæ fœminæ non recipiunt ea ſub pacto, ſiue tanquam pretium impudicitiæ, ſed tanquam incitamentum. Et ita docet Valerus vbi ſupra, verb. Reſtitutio, different.34. & Rebellius par.1. libr.3. quæſt.7.num.6.

An aliquid pro alio, inuito creditore ſolui poſſit.

RESOL. XLI.

NEgatiuè reſpondeo cum Tannero in 2.2. diſp.4.q.6.dub.14.nu.375. Turriano in 2.2. tomo 2.diſp.10. dub 1 n.2.& 3. Valentia tom.3.diſp.7.qu.6.pun.7. & alijs, quando res ablatæ non ſunt vſu conſumptibiles, ſecus ſi eſſent, vt pecunię, frumentum, &c. & ideo non eſt in optione creditoris ſoluere ęſtimationem rei debitæ, vt ſi quis abſtulit ab alio librum, equum, & ſimilia, vel debet ex cauſa legati, vel alias domum, oliuetum, vineam, & ſimilia, non eſt in eius poteſtate ſoluere pro ſpeciē debita æſtimationem, ſeu valorem illius, nam vt patet ex leg. cum a quo, & ex leg. manifeſti, Cod. de ſolutio. aliud pro alio inuito domino, reddi non poteſt, ſi res extat.

Non reticeam tamen Ioan. Valerum in differentijs vtriuſque fori, ver. debitum, differ.8.num.1. aſſerere ſupradicta eſſe vera in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, in quo ex vi reſtitutionis, vel obligationis ad rem reddendam, ſatisfacit quis reddendo eius æſtimationem, & valorem, vel aliam rem eiuſdem prorſus bonitatis, & quantitatis; quia ſic reparatur damnum ſecundum æqualitatẽ. Dixi, ex vi reſtitutionis, vel obligationis ad rem reddendam, quia alia ratione, poſſet peccare, ſi rem in ſpecie non reſtituit, videlicet contra charitatem, dando occaſionem domino contriſtationis, & iræ, quando ſcit id eum ægrè laturum; alias enim, ſi hoc nõ timetur, nullum quis peccatum committit, non reſtituendo rem in ſpecie ablatam, etiamſi extet. Ita Valerus, qui pro hac ſententia citat Petrum à Nauarra lib.5.cap.1.num.5.

An qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum, teneatur dicta debita in conſcientia ſoluere?

RESOL. XLII.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui ex authoritate leg. ſi conuenit. § fundus, ff. de pignor. actio. lege alienatio, ff. de contrahend.emp. & ex c.cum nõ ſint, de decimis, quia res cum ſuo

onere transit, sed fundum, seu domus empta, pro pluribus debitis est hypothecata. Ergo, &c.

At his non obstantibus. Ioann. Valerus in suis differentijs vtriusque fori, ver debitum, diff rent. 11. asserit, quod si in rei veritate, principalis debitor ob suam inopiam nō sit soluendo, tenetur emptor rei hypothecatæ præfata debita soluere. Tum quia nihil peruenit ad eum de prædictis debitis. Tum quia, cum principalis propter inopiam remaneat corā Deo deobligatus, per consequens multo magis iste emptor rei hypothecatæ, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Nec obstat venditorem posse rei suæ onus hypothecæ imponere, quod transit in emptorem.

Nam respondeo, quod licet onus illud reale sit penes rem, obligatio tamen conscientiæ, solum respicit personam venditoris onus imponentis, qui solum transmisit in emptorem, actionem realem passiuè, non tamen personalem; vnde donec per iudicem condemnetur, non tenetur in conscientia ad solutionem illorum. Ita Valerus, qui an loquatur de censibus decursis, & an eius opinio sit probabilis, remitto me iudicio aliorum.

An si aliquando multis imminet periculum vitæ, vt fit in naufragio, bello, peste, &c. tunc singuli possint breuiter dicere aliqua peccata, & sic absolui.

RESOL. XLIII.

Negantem sententiam docet Nauarrus de pœn. & rem. lib. 5. cons. 13. num. 2. sed vt verum fatear, bonus iste senex, fuit non parum moribundis infensus, nam illis etiam denegauit absolutionem per nutus, & signa.

Dicendum est igitur, posse Confessarium in supradicto casu pœnitentes absoluere, non audiendo omnia peccata. Ita docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 23. sect. 1. Coninch. de sacr. disp. 7. dub. 9. num. 74. Io. de la Cruz in direct. p. 2. de sacram. pœn. q. 3. dub. 5. concl. 3. & Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. dub. 33. nu. 6. vbi sic asserit. [El Confessor que confiessa, los que estan en tormento basta, que oyga dos, o quattro peccados à cada vno, y assi los absuelua, si no puede oyrlos enteramente. La razon es, porque puede vno callar el peccado, por el daño temporal, que se sigue a otro luego mejor podra por el peligro espiritual de los otros que si no es assi no se pueden confessar.]

Sed plus addit Vasq. (attendat Lector) in 3. p. tom. 4. q. 65. dub. 2. art. 2. nu. 2. nempe quod in tali casu, tenetur Sacerdos ex charitate, vt alijs subuenire possit, confessionem non perficere; immò si ipse non vellet, quia forsan scrupulo detineretur, aut alia de causa, pœnitens, qui videret aliorum periculum, potest non perficere confessionem, imò tenetur, & quia teneretur alijs succurrere, nec detinere sacerdotem. Ita Vasquez.

Notandum est etiam, quod quando imminens periculum aliud non permitteret, possent omnes simul ostendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & sic simul omnes absolui vnica forma. Ita Coninch. vbi supra, & Doctores, quos citat, & sequitur Fagund. de præcep. Eccles. tract. 2. lib. 2. cap. 3. ou. 11. Restat modo respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Di co igitur talem confessionem esse integram formaliter, sed non materialiter.

An excommunicatus, si non possit satisfacere, debeat saltem præstare Confessario iuratoriam cautionem.

RESOL. XLIV.

Doctores communiter affirmatiuam sententiam docent, sed cum viderem Confessarios etiam communiter id in praxi non obseruare, non parum laboraui, vt inuenirem aliquos Doctores, pro tuenda eorum praxi, & pro contraria sententia firmanda, & tandem inueni Ioannem Valerum in differentijs vtriusque loci, ver. absolutio, diff 5. num. 3. & diff. 11. in fin. & Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 2. in Glossa litt. L & c. 28. nu. 3. in Glossa litt. A, asserere, in foro conscientiæ, satis esse propositum firmum pœnitentis, quia cautio iuratoria. cap. solet. de sentent. excommunic. in 6. requiritur tantum pro foro exteriori, in casibus expressis. Et ita etiam docet Nauarr. in c. 27. n. 278. sic limitans, quod dicit in cap. 26. num. 2.

Dicendum est igitur probabiliter, cum supradictis Doctoribus, quod ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiæ, & iuratoriæ, videtur intelligendus pro foro exteriori; nam in foro pœnitentiali deficiente possibilitate pœnitentis, propositum eius firmum tantum valet, quantum datio pignorum, vel fideiussorum, in foro iudiciali. Ergo in foro conscientiæ, satis erit credere pœnitenti.

An Ecclesia tribuat iurisdictionem, quando adest communis error, sine titulo collato.

RESOL. XLV.

Vt gesta valeant, non satis est communis error, sed necessarius est titulus collatus à superiori, quamuis inualidus sit ob aliquod vitium latens, quare dum aliquis sine titulo, & authoritate superioris in officium Iudicis, Parochi, aut Confessoris se intrusit, licèt communis error facti accedat, gesta per illum ad vtrumque forum pertinentia, sunt prorsus inualida; Ita ex cap. infamis, ver. verumtamen 3. q. 7. & ex leg. Barbarius, de offic. Prætor. probat Sanchez de matr. li. 3. disp. 21. n. 49. & præter Doctores, quos ipse citat, docet etiam hanc sententiam Lessius lib. 2. c. 29. dub. 8. num. 68. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 26. sect. 6. num. 7. Reginald. in praxi, to. 1. lib. 1. nu. 102. & 103. Coninch. de sacram. disp. 8. dub. 3. nu. 22. & dub. 6. nu. 47. Villalob. in sum. tom. 2. tract. 1. diffic. 13. n. 5. Filliuc. to. 1. tract. 7. c. 9. nu. 227. Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. nullitas, diff. 7. nu. 2. & nouissimè Fag ndez præc. 2. li. 7. c. 2. nu. 73. & alij.

At his minime obstantibus, quod est valde notandum, non desunt viri doctissimi asserentes, quod vt gesta valeant, tam in foro externo, quam conscientiæ, satis sit haberi communem errorem, nec necessarium esse, titulum collatum, à superiore legitimo. Et ita docet Basilius Pontius de matr. lib. 5. c. 22. nu. 46. & post illum Io. Sancius in selectis disp. 44. num. 3.

Norent hoc Confessarij, quia hæc opinio est noua, & satis probabilis, & ex illa bono communi magis consulitur, quàm si præter communem errorem titulus quoque foret necessarius, Rationes huius sententiæ adducit Basilius Pontius vbi supra.

An Prælati religionum possint sine approbatione Ordinarij audire sæcularium confessiones.

RESOL. XLVI.

Sententiam negatiuam, & meritò, tenet Suarez in 3. par to. 4. disput. 28. sect. 4. num. 21. Rodriquez in Bulla Cruc. §. 9. dub. 1. num. 2. & alij.

Sed hic non reticeam contrarium ducere Henriq. lib. de Indulgentijs cap. 22. num. 3. in Glossa litt. R, vbi citat Mancium, Gallum, Medinam, & Bannez. Idem etiam docet nouissimè, contra Suarez, Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. nullitas, diff. 5. num. 3. vbi asserit. Prælatos Religionum, vt sunt Priores, Guardiani, Ministri, & similes, licet non habeant approbationem, & licentiam ab Episcopis, posse nihilominus audire confessiones sæcularium, quia quamuis strictè nō habeant beneficium Parochiale, largo tamen modo dicūtur ipsum habere, quia habent curam animarum, & sunt communiter probatiores, & digniores, tam litteris, quam moribus, plerisque sæcularibus habentibus curata, & consequenter per eos sufficienter satisfit menti Conc. Trid. Ita Valerus, qui etiā ibidem, paulò post, docet Sacerdotes simplices, sine licētia, & approbatione Episcopi, posse absoluere non solum peccata venialia, & mortalia, aliàs ritè confessa, sed etiam peccata mortalia in confessione oblita, & hæc sunt eius verba. Ego puto probabile, peccata oblita (cum iam sint indirectè absoluta in prima cōfessione) posse postea absolui à quocunque etiam non exposito, seu approbato. Sic Valerus, sed an probabiliter, iudicent alij, sicut de alia opinione Ioano. Sancij in select. disp. 49. à nu. 11. vsque ad 14. vbi acutè & solidè probat Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, vt potè verè Religiosos (vt nos alibi satis probauimus) posse peccata confiteri cum simplici Sacerdote, non approbato ab Episcopo.

An

An quis teneatur occasionem proximam vitare cum suo magno detrimento, ita vt Confessarius non possit illum absoluere.

RESOL. XLVII.

RESpondeo negatiuè, si pœnitens habeat propositum amplius non peccandi; quia in hoc casu non dicitur velle occasionem, sed permittere, cum non vitare occasionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere, sed quia velit non incurrere damnum in vita, honore, & pecunijs, quod abiecta occasione obueniret.

Sed difficultas est, quando nullus apparet profectus, an sit impartienda toties quoties absolutio? Negatiuè respondet Suarez in 3. p. tom. 4. dist. 32. sect. 2. in fine. Graffius in decisio. par. 1. lib. 1. cap. 28. nu. 23. Reginald. in praxi to. 1. lib. 8. nu. 19. Nauarr. in c. 3. num. 21. & alij.

Sed contrariam sententiam docet Viualdus in Candelabro tit. de absolutione, §. casus Episcopis reseruati, nu. 43. & nouissimè Ioannes Sancius in sel. ctis disput. 10. nu. 16. vbi aduersus Suarez sic asserit. Infero octauo, filiumfamilias non potentem eijcere domo ancillam, cui sæpe copulatur, fore absoluendum toties, quoties verè pœnituerit, non solum quando aliqua emendatio notatur, vt tenet Suarez, & alij, verum etiam quando nullus apparet profectus, impossibile sane moraliter non est, pœnitentem modo verè dolere de peccato, & proponere cauere; statim vero post reditum ad domum occasione instante mutare propositum; & inquiro ab his doctoribus cõtrarium docentibus, an absoluerent ipsi pœnitentem, sæpe confitentem eadem peccata venialia, quando nullus apparet profectus? Absolutionem sane impendent; quamuis occasio peccandi venialiter non esset abscissa, non solum si in potestate pęnitentis non sit occasionem remouere, imò etiam si posset. Igitur & impertiri debent respectu mortalium, quando adfuerit dolor, & verum propositum cauendi in futurum.

Nec satisfacit responsio Coninch de sacram. disp. 2. dub. 14. in fine, quod facilius debeat dari absolutio respectu venialium, quam mortalium, eo quod facile magis committantur illa, quã ista: Non, inquam, valet, nam etsi facilius committantur venialia, veruntamen propositum, & dolorem venialium gerere tenetur pœnitens, dum ea subijcit confessioni, saltem, quando veniale, quod confitetur, esset totalis materia confessionis. At si respectu venialium reperiri queat verum propositum, & dolor absque aliquo profectu, quare respectu mortalium id inueniri non valebit? Dum verò pœnitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantumcunque nulla notetur emendatio. Hoc adeo verum est, quod ea ratione asserat Suarez, & cæteri, negandam esse absolutionem, quando nullus apparet profectus, quod præsumitur fictitium propositum pœnitentis: vellem ab eis audire; quare respectu venialium non adsit huiusmodi præsumptio, etsi nullus appareat profectus, & inchoata emendatio; interueniat tamen respectu mortalium. Ita Sancius, quæ omnia ab ipso transcripsi, quia noua, & à viris doctis dilucidanda. Si vero, aduersus Sancium, dices in tali casu saltem propter recidiuam, erit absolutio neganda; respondebit Sancius negando, nam ipse in disp. 9. n. 6. & seq docet nũquam propter recidiuam, esse absolutionem denegandam, si pœnitens habeat dolorem de præterito, & propositum de futuro. Sed de hoc nos in tractatu de Circumstantijs.

Quænam conditiones sint necessariæ ad iustam compensationem faciendam.

RESOL. XLVIII.

REspondeo primò, vt debitum sit moraliter certum, ita vt debitor in conscientia teneatur ad debitum explendum, nec sine peccato prætermittere possit. Secundò, vt non plus capiat, quam sibi debetur. Tertio, quod debitum sit actu, non potentia. Quartò, vt admoneat debitorem, vel hæredes iam debitum esse solutum, ne bis soluant.

Sed aliqui Doctores ponunt alteram conditionem, nempe si commode rem tibi sublatam, per iudicem recuperare non possit; nam alioquin, si commodè rem tibi furto sublatam, per iudicem recuperare potes, & non facis, peccas cõtram iustitiam legalem, nam iudici iniuriam facis officium eius vsurpando. Ita communiter Doctores, & alij.

Sed ego contrarium puto cum Maldero in 2. 2. tract. 4. cap. 1. dub. 6. & Ioanne Valero in differentijs vtriusque fori, ver. compensatio, differ. 3. nu. 2. quia quando ex occulta compensatione, neque scãdalizas quemquam, neque turbas Rempublicam, verius est licere clam auferre, etsi absque peculiari incommodo per Magistratum possis, neque inuadis munus iudicis, qui ad publicam pacem tuendam constitutus est; & in tali casu agitur tantum de retinendo, & non de acquirendo de nouo. Ergo, &c. Et tandem hanc sententiam docet Villalobos in summa tom. 2. tract. 11. dub. 23. num. 7. vbi sic ait: [El que secretamente toma lo que se le deuia, podiendolo pedir por iusticia, pecca grauemente, como dize S. Thomas. Mas aduierto, que el dia de oy de ordinario se cobra mal, y con mucha costa, de manera, que pocas vezes obligara a esto, y pareceme, que se me haze duro el dezir, que en este caso sea peccado mortal, porque no me parece, que hauiẽdose secreto, sea tan grande el agrauio, que se haze al juez, que llegue a peccado mortal.] Ita ille.

Notandum est etiam, quod aliqui asserunt, iustam compensationem tunc esse, quando res sunt eiusdem rationis, quia quæ sunt diuersæ, non possunt parte inuita compensari. Ita Syluius in 2. 2. q. 62. art. 8. quæritur 1. concl. 7. causa 5. & alij. Sed falluntur, quia hoc procedit in foro externo, nõ autem in foro conscientiæ, in quo bene potest fieri compensatio in debitis diuersæ rationis, & sic in specie ad speciem, vel pecuniam, vt si mihi debes pallium, ego vero tibi mulam, vel pecuniam, quia inuicem commodauimus, te nollente pallium, vel pecuniam reddere, possum mulam retinere. Ita Valerus vbi supra, cum Petro a Nauarro, & Ferdinando Rebellio.

Non desunt etiam Doctores, asserentes aliam conditionem necessariam esse in compensatione; nempe, vt res, ex qua fit priuata compensatio, non sit depositum ex cap. bona fides, de depos. Ita Syluius vbi supra, Medina in Cod. de rest. quæst. 3. illat. 12. Couarruuias in cap. quamuis pactum 1. par. §. 4. n. 9. ver. item nota Iason in §. bonæ fidei. num. 72. inst. de act. & al j.

Sed contrarium probabiliter docet Nauarr lib 3. cap. 2. nu. 389. Tanner. vbi infra nu. 411. Lessius, & alij. Nam opinio contraria, procedit in foro exteriori, & quando aliter obtineri possit compensatio; secus autem in foro conscientiæ, quia nulla iniuria, nec iniustitia fit deponenti; sed vis vi repellitur; nam aliter meum debitum recuperare non possum. Vim enim meis rebus facit, qui eas iniustè retinet. Nec habet deponens, eas quo conqueratur iustè, cũ rem meam, seu id quod mihi debet, ipse restituere recusat, & ideo, ego mihi ipsi satisfacio.

Et tandem notandum est, quod superius dixi, vt compensatio sit iusta, opus est, vt debitum sit actu, non potentia, videlicet statim, & illo tempore restituendum, sed si forte creditor non habeat spem rem suam recuperandi tempore præfixo, puto compensationem ante tempus præfixum fieri posse. Ita Tannerus in 2. 2. disput. 4. q. 6. dub. 14. num. 406. quod est valde notandum, quia quotidianum, sed ad alia procedamus.

An cliens possit pacisci cum Aduocato, de quota litis.

RESOL. XLIX.

COmmuniter Doctores negatiuè respondent, sed ego non damnarem contrarium facientes, & ita docet Victorellus in Manual. Nauarr. c. 25. num. 30. vbi sic asserit. Qui iustam causam Aduocato probo defendẽdam committeret, sine vllo periculo iniustitiæ alicuius actionis in eo, promissa tertia, aut quarta lucri parte, vt is ardentiori studio, iniustum iustæ causæ defensionem incumberet, & seipsum à molestia sæpiùs illum adeundi liberaret, lethale facinus mea sententia, non patraret, nullam enim naturalem, aut diuinam, aut Ecclesiasticam legem violaret, sed solis ciuilis legis verbis (non fortasse legislatoris menti) aduersaretur. Sic Victorellus, & ita etiam docet Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. contractus differen. 3. Homobonus de bonis de statibus par. 2. cap. 5. nu. 5. & hanc opinionẽ, probabilem putat Zanardus in direct. confess. par. 2. præcept. 5. cap. 54. qu. 8. vbi contrariam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantum tutiorem.

Dico igitur, communem opinionẽ negantem procedere in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ, vbi Deus est ille,

qui videt veritatem, & non respicit præsumptionem, super quam fundantur leges prohibentes pactum inter aduocatum, & clientem de quota lite. Ergo quoties deficit præsumptio fraudis, & iustitiæ, leges istæ non obligabunt.

An si corruptor Virginis non adhibuerit vim, aut dolum, sed importunis precibus, vehementibus blanditijs, & persuasionibus induxerit illam ad consensum teneatur ad restitutionem?

RESOL. L.

Affirmatiuam sententiam docent communiter. Ita Medina in summ. lib. 1. c. 14. Corduba lib. 1. quæstio. 13. distinct. 4. & 7. Caiet. in summ. ver. restitutio, §. quia vero. Angel. in Flor. de restit. bon. cap. dub. 7. conclus. 4. Malder. in 2. 2. tract. 3. cap. 4. dub. 4. Bannez, Salon. in 2. 2. D. Thom. qu 62. artic. 2. Valent. tom. 3 disput. 9. quæst. 3. punct. 3. Nauar. cap. 16. n. 16. & 17 Tolet. lib. 5. cap. 11. Syluius in 2. 2. quęst. 62. art. 2. quæritur 5. concl. 2. Ioan. Valer. in differētijs vtriusque fori, ver. restitutio, differ.. 10. num. 1. & alij.

Sed mihi contraria sententia videtur etiam probabilis, & illam absolutè docet Tanner. in 22. disp 4. q. 6. dub. 3. n. 134. Turrian. tom. 1. in 2. 2. disp. 50. dub. 2. nu. 15. Nauar. lib. 2. c. 3. nu. 444. nam preces, & suasiones potius augent, quam minuunt voluntarium. Nec obstat secundum eum, aliter consensuram non fuisse. Fateor, inquit, sed spontè consensit. Multi enim, multa non facerent, nisi rogati, & tamen non ob id dicimus, iniuriosè ab eis esse illud extortum.

Limitanda tamen, ait, hæc sententia, nisi preces essent factæ à persona, cui deberet puella reuerentiam, vt si esset eius Dominus, vel Princeps; Preces enim Principis, vel Superioris inducunt metum. Notandum est etiam, quod si puella vi, aut fraude violata forte postea æquè commodis potita est nuptijs; ita vt nihil detrimenti acceperit; non debet ei quidquam necessario restitui, Ita ex Nauar. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 2. nu. 11. cum Tannero vbi supra num. 133. & Turriano dub. 3. nu. 2. Filliuc. tom. 2. tract. 32. c. 8. num. 221. & Villalob. in summ. to. 2. tract. 11. dub. 30. num. 14. quicquid Rebellius, & alij in contrarium asserant. Sicuti etiam stuprator virginis, si obtineat ab ea remissionem damnorum eidem ratione stupri illatorum, tutus est in conscientia, nec requiritur, vt etiam à patre ipsius obtineatur. Valerus vbi supra different. 11. nu. 1. & 2. cum Tannero loco citato, num. 139. Idem dicendum est, si virgo sponte consenserit, nihil restituendum esse parentibus, pro violata integritate virginali, & grauata dote, vel similibus damnis inde consecutis, donec Sotus lib. 4. q. 7 art. 1. ad 2. Tannerus vbi sup. n. 140. Filliuc. nu. 219. contra Valent. loco citato, & Carbonum de rest. q. 16. & alios.

Solent Mercatores in suis libris scribere rationes dati, & accepti, & quid ipsis debeatur; quæritur, an possit postea debitor eligere, in quo debito, pecunia sibi debita compensetur?

RESOL. LI.

Respondeo affirmatiuè cum Greg. Lopez par. 5. tit. 14. leg. 10. glo. 5. & Imola in lege 1. Cod. de solut. colum. fin. quos citat, & sequitur Io. de Heuia in Laberinto Commer. lib. 2. c. 7. num. 46. vbi sic ait. [En los libros de los Mercaderos en que se escriue, lo que deuen hauer, y lo que deuen dar; puede el deudor en este caso elegir, en qual debito se ha de compēsar lo que se pago segun vna notable determinacion de Imola referida, y seguida por Gregorio Lopez.] Sic ille. Et ratio desumitur ex authoritate leg. 1. 2. 3 & 4. ff. solut. quia quando quis est debitor ex pluribus causis eidem creditori, in potestate debitoris est, soluere prius vtri debito maluerit: quia debitor potest legem dicere rei suæ, nempe, vt sit pro debito, quod ipsi sibi placuerit: vnde quando quis est debitor ex pluribus causis, si aliquid soluat, id censetur soluere pro debito, quod magis grauat, nisi debitor contrarium exprimat: Et ita docet Lessius lib 2. c. 23. dub. 10. n. 86. Filiuc. to. 2. tract. 35. p. 2. c. 10. n. 472. Salas tr. de cambijs, dub. 23. nu. 1. & 3. Malderus in 22. tract. 5. c. 4. dub. 10. Scaccia tract. de commer. §. 2. gl. 5. c. 95. Heuia vbi supra, nu. 35. Ex quibus duo vltimi, Scaccia videlicet, & Heuia, obseruant etiam, quod si aliquod debitum debetur Paulo, cum fideiussore, & aliquod sine fideiussore: & Ioannes debitor soluat aliquam pecuniarum summā, censetur illam soluere pro debito, cum fideiussore. Idem etiam docet Molina de iust. to. 2. trac. 2. disp. 565. nu. 5. qui etiam nu. 4. adnotat, si terminus præfixus solutioni alicuius debitorum iam aduenit; & debita alia sunt in diem futurum, aut sub conditione pendente adhuc in futurum, solutio censetur facta pro debito, aut debitis, quorum terminus iam aduenit; non vero pro ijs, quorum terminus pendet adhuc in futurum, ex leg. cæterum, ff. de solut. Idem si debitor creditori aliquid debeat nomine proprio: & aliquid tanquam fideiussor alterius, solutio facta censetur pro eo, quod debet nomine proprio. Quando item vnum debitum est liquidum, & aliud non item, solutio facta censetur pro debito liquido, & non pro non liquido. Item si vnum deberetur sub pignore, aut hypotheca, & aliud cum fideiussoribus, potius solutionem esse censendam factam ad liberandam fideiussores, quam ad redimendum proprium pignus, & hypothecam. Hæc omnia Molina, Heuia, & Scaccia vbi supra.

An legatum factum puellis, vt nubant, debeatur si aliqua dotem habeat, sed non sufficientem vbi etiam plura de legatis pro Virginibus maritandis.

RESOL. LII.

Respondet affirmatiuè Homobonus de exam. Eccles. p. 1. tr. 9. cap. 9. q. 22 vbi sic asserit. Legatum factum puellis potest dari illis puellis, quæ dotem quidem habent, sed non integram, cum qua commodè nubere possint, modo illæ puellæ his qualitatibus præditæ sint, quæ in testamento, vel fundatione requiruntur.

Sed circa legata pro Virginibus maritandis, multa scitu digna inuenies apud Laram de Anniuersarijs, lib. 1. c. 21. vbi notat. Primo, quod legatum pro Virginibus maritandis non patitur commutationem cum alio pio opere, nisi id faciat Romanus Pontifex de plenitudine potestatis. Secundò, legatum speciale alicui nominatæ puellæ relictum pro ea maritanda, cōsequitur si ingrediatur Religionem, & idem vxor, cui relinquitur, si vidualiter viuat. Non tamen ita erit in legato relicto generatim pro Virginibus, seu puellis incertis maritandis; nam si accedat aliqua puella dicens se velle ingredi Religionem, & lucrari legatum, non est ei dandum. Tertiò, legatum relictum pro Virginibus orphanis maritādis, potest dari habentibus patres pauperes, & inutiles, nisi concurrant simul Virgines, verè parentibus orbatæ, nam in tali casu, istæ præferendæ sunt illis. Quarto, legatum relictum pro orphanis puellis maritandis potest dari puellis vulgo conceptis, & expositis, quæ etsi parentes habeant, eos demonstrare non possint. Et hoc etiam procedit, si legatum relictum pro Virginibus maritandis, requirat quod puellæ sint natiuales loci: nam etiam expositæ consequentur dotem, cum præsumantur esse eius patriæ, in qua expositæ fuerunt. Sed in hoc casu, puellæ verè orbatæ, præferendæ sunt vulgo conceptis. Quinto, legatum relictum si non dicat pro Virginibus maritandis, sed pro orphanis, seu puellis maritandis, ad illud consequendum admittuntur viduæ. Hæc omnia Lara, vbi supra.

Nota etiam quod Ipse, nu. 90. docet, quod legatum relictum pro Virginibus maritandis, potest retineri in vtroq; foro iustitiæ, & conscientiæ ab ea, quæ ante matrimonium, etsi opinione esset habita pro Virgine, in rei veritate non erat: nisi constet relinquentem dictum legatum noluisse dari non habentibus qualitatem virginitatis, quod raro continget, sed si adest simplex dispositio relinquentis legatum, pro orphanis virginibus maritandis in tali casu, vt dixi, puella, quæ tempore contracti matrimonij non virgo, sed corrupta erat, potest secuta conscientia retinere legatum relictum pro Virginibus maritandis. Et ita ego in facti contingentia consului. Notandum est etiam circa præsentem materiam, quod legatum relictum pro dotandis puellis, debetur puellis nuptis sine dote, vel cum modica dote, quia causa pietatis adhuc durat; secus autem, si diceret pro puellis maritandis. Sanchez vbi infra numero 63. ita Homobonus de exam. Eccles. par. 2. trac. 9 c. 10. quæst. 28. & Genuensis in pract. Eccl. ticen. 13. q. 386. num. 1. qui etiam in q. 387. notat legatū pro dote puellę pauperis, deberi si illa potest

viuere

viuere ex labore suo;& legatum relictum alicui puellę pro dote, si factum sit pro anima testatoris, si illa moriatur antequam nubat, non extingui, sed deberi alteri puellæ pauperi. Item si testator iubeat Virgines maritare, nec exprimat numerum, fiet electio inspecta qualitate defuncti, & eius facultatibus: vt docet Lara vbi supra de Anniuers. lib. 1. c. 10. nu. 97.

Aduerte etiam, quod legatum relictum fœminis, in matrimonium collocandis, non potest tradi viduis secundo nubentibus, si tamen non consummassent primum matrimonium; atq; etiam si nullæ extarent fœminæ nubiles, quibus posset id legatum impertiri, tunc quidem possent habere legatum. Nald. in sum. ver. legatum, num. 42. & Sanchez to. 2. lib 7. disp. 91. nu. 55. 56. & 57. qui etiam nu. 61. notat legatum pro maritandis, non posse conferri, nisi fœminis, quæ sunt ætate nubiles, nimirum duodecim annos natæ, & n. 65. aduersus Manticā da coniect. vlt. volunt. lib. 12. tit. 1. nu. 13. docet legatum pro certā persona maritanda deberi, quamuis ea tempore testamenti maritata esset, & à fortiori, si postea nubat testatore superstite. Item legatum relictum pro prima filia maritanda, si maior natu decesserit, & secundo genita prior nupserit, legatum ei non deberi copiosé respondet Rom. in cons. 308. sed contrarium respondet Imola in cons. 103. At hoc ex coniecturis determinandum esse, rectè docet Mantica vbi supra lib. 8. tit. 7. nu 10.

Et tandem pro coronide huius resolutionis, si legentur Titio ducenta, si vxorem duxerit, centum vero si Religionem; non centum, sed ducenta consequi debere, & ita docet Lessius lib. 2 cap. 18. dub. 15. nu. 124. in fin. Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. testamentum. diff. 10 Bonacina de rest. disp. 3. q. 1. punct. 4. nu. 10. Rebellius p. 2. lib. 18. qu. 16. nu. 3. Basilius Pontius de impedi. matr. causa 27. q. 2. cap 17 §. 1. fol. mihi 266. Comitolus lib. 7. q. 7. nu 5. Beia p. 1. cas. 34 & 66. Rodriquez in sum. tom. 3. c. 240. n. 1. Martha de iurisdict. part. 4. cent. 1. cas. 8. Barbos. de potest. episc. p. 3. alleg. 83. nu. 28. quicquid in contrarium asserat Sanchez de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 34. & alij penes ipsum, quibus ego addo Villal. in summ. 2. trac. 30. diffic. 29. n. 7. vide etiam præsentem quæstionem ad partes discussam latè, apud Ambrosinum par. 2. decis 30. per totā, Cened. in Canon. qq qu. 35. per tot. & Menoch. vol. 2 consil. 169 per tot & alios. Notentur hæc omnia, quia in nostris Doctoribus non passim obuia.

An dubius in fide sit hæreticus.

RESOL. LIII.

Affirmatiuè respondent sexdecim Doctores, apud Sanch. vbi infra, quibus ego addo Villalobos in sum. tom. 2. trac. 1. dub. 10. nu. 3. Sylutum in 2. 2. D. Th. qu. 11. art. 1. Fabrum de sacr. ordinis, dist. 25. qu. 5. disp. 3 c. 4 nu. 112. Homob. de exam. Eccl. p. 2. tract. 12. cap. 4. qu. 16. Molfes. in sum. to. 1. tract. 8 c. 8. nu. 44. Lara in 2. 2. q 11. art. 3 disp. 42. nu. 5. & Coninch de dotib. supernat. disp. 18. dub. 7. num. 102.

Sed contrariam sententiam, non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Cano de Locis lib. 12. cap. 9. & Emanuel Sà ver. Hæresis, nu 1. quos citat, & sequitur Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2 c. 7. nu 12. quibus ego addo Tanner. in 2. 2. disp. 1. qu 8. dub. 6. n. 109. Portel. in addit. ad dubia regularia, ver. Heresis, n. 4. & Puteanum in 2. 2. D. Thom. qu. 11. art. 2 dub. 2. Et ratio est, quia de ratione hæresis est electio erroris contra fidem; sed dubitans nondum aliquid eligit, sed manet in dubio, & in ancipiti. Ergo non est hæreticus. Deinde, hæresis est error fidei contrarius, seu assensus contra fidem, at dubitans nullum fert assensum pro, nec contra, hoc est enim dubitare, idest, neque assentire, neque dissentire. Ergo si nullum errorem habet contra fidem, nec proinde hæreticus est.

Ad authoritatē vero Stephani Papæ in c. 1. de hæret. vbi asserit dubium in fide esse infidelem. Respondetur, hoc esse verum priuatiuè, quia scilicet priuatur certitudine assensus necessaria ad habitum fidei retinendum: non autem esse verum cōtrarie, quasi habeat actum fidei contrarium, cum reuera non habeat. Secundo respondetur, quod dubius in fide, dicitur infidelis, quoad forum externum. Et tandem dico dubium in fide esse infidelem ex mente dicti Pontificis, quonescunque hæret, & præterea reflectit se supra suam cogitationem dubiam, & elicit iudicium erroneum circa res fidei, vt de facto putet illas esse tantum probabiles. Hic ergo, qui hac ratione dubitat est verè infidelis. Opinio igitur nostra est satis probabilis, & tuta in praxi, vnde Portel. vbi sup. asserit, ex consilio etiam cuiusdam insig. Theologi, excusasse quemdam, qui dubitabat, an Christus dominus verè esset in Eucharistia, qui intellectus talis dubitantis dubius, & pendulus fuit, & nullum iudicium formauit. Hæc doctrina est valde notanda à confessarijs.

An in ipso conflictu duelli sit aliquis vulneratus, & eodem die, vel alio postea moriatur, priuari debeat Ecclesiastica sepultura?

RESOL. LIV.

Affirmatiuam sententiam docet noster P. Peregrinus in suo tract. de duello. qu. 7. num. 4. quia in eodem conflictu dicitur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moritur, sicut Ecclesia dicitur sanguine polluta, si quis in Ecclesia est vulneratus, licèt sanguinem non effundat in Ecclesia, sed extra illam.

At huic doctrinæ non assentior, & discedo ab opinione viri doctissimi, & amicissimi, qui pœnam Concilij Trid. vltra rigorem litteræ extendit. Et ita nostram sententiam docet Sancius in selectis disput. 36. nu. 9. qui respondet ad argumentum Peregrini. Cum igitur verificetur satis litteræ proprietas, appositæ in Cōcilio, negando sepulturam decedenti in ipso loco duelli, non oportet huiusmodi pœnam extendere, vt inflictam quoque illis, qui ex vulnere in duello illato decedunt, licet viui discesserint à loco conflictus.

An si quis prouocet aliquem ad duellum, sese conferens postea ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico discedens, incidat in excommunicationem Bullæ Gregor. XIII.

RESOL. LV.

Hic casus frequenter solet accidere; & affirmatiuam sententiam docet Peregrinus tract. de duello qu. 41 per tot. sed mihi contraria opinio placet, & ita tenet Comitolus, Delrius, & Sanchez, quos citat, & sequitur Scortia in Bull. Pont. Epitome 155. Theorem. 392. cui ego addo Megalam in 3 part. lib. 4. c. 4. nu. 11. Notandum est obiter pro hac materia de duello, excommunicationem incurrere, si quis diceret. Vade quæsitum gladium, hic te expecto, vel veni ad talem locum, te ibi expecto, vel, si existens in naui, vel alibi dicat. Egrediamur in terram, vel foras; te expecto in tali loco, vel, quisque nostrum abeat quæsitum ensem, in tali loco mox pugnaturi; secus si quis offensus dicat offendenti. Distringe ensem, tecum enim pugnare volo. Sed nō grauabor hic apponere casum, de quo olim interrogatus fui. Quidam offensus ab N. illum prouocauit ad duellum, certo in loco, &c. nō tamen habebat animum pugnādi, & certo sciebat pugnam non sequuturam, amici enim vtriusque hoc impedissēt, sed hoc efficiebat ad satisfaciēdum honori læso, Respondi tunc supradictum nō incurrisse in excommunicationem, & ita docet in strictiori casu Filliucius tom. 1. trac. 15. cap. 5. num. 113. nempe etiamsi venirent in locum designatum, sed amici vtriusque illos conuenientos reciperent in se, dummodo prius duellantes, de hoc securi essēt, & animum pugnandi non haberent. Sed ad alia transeamus.

An ad expellendum semen corruptum, vel ad sedandum pruritum liceat refricare verenda, cum periculo pollutionis, non tamen consensu in ea?

RESOL. LVI.

Affirmatiuè respondet, cum Sanch. Filliucius, Reginald. & Bonac. quos citat, & sequitur Ioa. Sancius vir doctissimus in suis disputationibus selectis disp. 21. n. 29. & idem docet ex recentioribus Villalobòs in sum. to. 2. tr. 40. diffic. 16. n. 4. & 5. vbi etiam docet, cum Sanch. de matr. lib. 9. disp. 17. n. 19. & multis ex Societ. Iesu, fas esse cōfricare verēda ad expellendū semen corruptum, licet propter intentionem sequatur veri seminis emissio, & licet fœmina, id conaretur efficere nō solum

fricatione partium verendarum, ſed etiam cum intromiſſione digitorum vſque ad os vteri. Et hanc opinionem præter Sanch. & Villalob. docet etiam Bonac de matr.q.4. punct. 10.num.12. Ratio eſt, quia in his caſibus pollutio ſequitur, præter intentionem operantis. Ergo. Hinc deducitur deciſio multorum caſuum. Primo, licere chirurgo contrectare verenda infirmi curationis cauſa, cum periculo pollutionis. Ita Vaſq. in p. 2. tom.1.diſp.115.nu.9. Leſſius lib.4 c.3.dub.14.nu.48. Ioan. de la Cruz in direct. conſc.præc.6. dub.9. & alij. Secundo, curſorem non conſtrictum eſſe pedeſtrem incedere, quamuis ſit expertus pollutionem ſe pati. Ita Filliuc.to.2. tract.30.nu.150. Sayrus in Claui Regia lib.8 c 5.nu.12. Sanchez lib.9.diſp.45.nu.8. & alij.

Tertio, accubantem, & ſentientem ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſomno, vel etiam vigilia, dum abſit periculum conſenſus, non teneri aliter decumbere, etiamſi poſſet aliter commode dormire. Ita Sancius vbi ſupra in ſelectis diſp 21.n. 12. qui n. 18. in fine, docet etiam, quod non teneatur quis lectum deſerere, etiam ſi cum membri erectione guſtus carnis præſentiatur dummodo non adſit periculum conſentiendi; ſed alij tenent, quod tenetur, quis lectum deſerere, ſi ſentiat delectationem veneream etiam ſine membri erectione. Hæc omnia inuenies apud Ioan. Sancium vbi ſupra, qui plus addit, vt nos etiam alibi notauimus: nempe quodlibet peccatum mortale in genere luxuriæ, non eſſe cauſam efficaciter influentem in pollutionem, & ideo pollutionē ex illa cauſa aduenientem in ſomnis, non eſſe neceſſariò confitendam. Putat igitur verba impudica, & cogitationes turpes, quæ ſunt crimina mortalia etſi ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter in illam influere, alias ferè nunquam apponerentur, quin ſequeretur pollutio, ſed contrarium tamen euenire, experientia demonſtrat. Ergo, &c. Ideo cum inefficaces cauſæ ſint pollutionis, non magis influunt in eam, quam ſi eſſent per accidens cauſæ. Si ergo quando verba turpia, vel cogitatio turpis præſens eſt, non influit pollutionem, nec appetitum efficaciter mouet ad illam habendam, quomodo credi poteſt influxuram, quādo abſens eſt, vtpote in ſomnis? Limita hæc omnia, niſi cogitatio turpis coniungeretur cum membri erectione, per tempus durante, ſeu cum magna commotione ſpirituum genitalium. Ita Sancius vbi ſupra. Sed an omnia ſupradicta in præſenti Reſolut. ſint probabilia, multi negant, & præſertim illud, quod liceat refricare verenda ad expellendum ſemen corruptum, & ideo in 5. editione Henrici Villalobos Barcion. impreſſa hanc ſententiam amplius non inuenio, neque etiam inuenitur impreſſa apud Sanchez in nouiſſimis editionibus, imò ſe retractauit in ſumma, tomo 2. libro 5.cap.6.num.12. & ego illam non teneo.

TRACTATVS XVII. ET III.

MISCELLANEVS.

Votum pro Illuſtriſſimo Senatu Panormitano circa moderationem Priuilegij, ſeu Conſuetudinis, permittentis Ciuibus huius vrbis, non vendere vinum de eorum vineis collectum, iuxta taxam?

RESOL. I.

Circa præſentem quæſtionem, ſuppoſita veritate facti, pro dominis vinearum faciunt hæc argumenta. Primo ex cauſa iuſta, iuſtè conceditur aliquibus vendere vltra taxam, vt notat Megala in 2. 2. lib.2.cap.6.q.3. nu.105. Molina tom.2 tract.2. diſp.364. nu.17. & Ledeſma in ſumm.2. tr.7. cap.32.diff. 12. Sed hoc accidit in caſu noſtro. Ergo, &c.

Secundò, priuilegium quod tranſiuit in vim contractus, eſt vltro citroque obligatorium, nec poteſt ſine cauſa reuocari; vt notant vndecim Doctores, quos citat doctiſſimus Regens noſter Corſettus in propugnaculo vectigalis aduerſus Meſſanenſes fol.25 quibus ego addo ex iuriſperitis Gomez in leg. 40. Tauri, num.89. Menochium conſ 661.nu.12. Molinam de primog.lib.4.c.3. nu.18. Cabedum Luſit. deciſ.95.nu.14. Riccium p.4.collectan.862. Borrelium de præſtan. Reg. Cathol. p 53. nu. 9. Martam de clauſ.p.1.clauſ.195. nu 9. Valaſcum conſil.72.nu. 5. & conſ. 120.n.9. & ex Theologis Salas de legib.diſp. 20. ſect. 18. nu. 126. Suarez etiam de leg. lib.8.c.37.num.7. Sanchez de matr.to.2.lib.8.diſp.33.n.20.& nouiſſimè doctiſſimum Baſilium Pontium etiam de matr.lib.8.cap.19 §.1.n.12. ſed priuilegium, de quo loquimur, tranſiſſe in vim contractus apparet, quia ex illo allecti, ideo aliqui vineas emerunt. Ergo, &c.

Tertio, pretium vini, quod Senatus vult moderare, non videtur ita exceſſiuum, vt aliqui ſupponunt, ſi conſideretur notabilis exceſſus bonitatis ſupradicti vini, & ideò docuit Homobonus de exam.eccleſ.p.2. tr.9.cap.3. quæſt. 3. Molina to. 2. tr. 2. diſp.362.num.7. Regina dus tom.2. lib.25.cap.16. ſect.3. nu. 184. Bonac. de contr.diſp. 3. q.3.punct. 4.n. 12.cum alijs, quod frumentum, notabiliter melius, poteſt vendi vltra taxam. Sed vinū, de quo loquimur, eſt ſine comparatione, notabiliter melius. Ergo iuſtè ita carius venditur.

Quarto, domini vinearum vt plurimum ita carius vendunt vinum in æſtate, ſed in dicto tempore adſunt multi emptores, & penuria vini. Ergo iuſtè eius pretium augetur, vt notant Leſſius lib.2 cap.21.dub.4.nu.30. Filliucius tom.2. trac.35.cap. 4. nu.93.& alij communiter. Adde, quod vinum multum minuitur in quantitate, quando à dominis in æſtate conſeruatur, Ergo, &c.

Quinto, ſtatuta alicuius Ciuitatis, per ſuum ſuperiorem confirmata, non poſſunt remitti ab ipſa Ciuitate, ſed conſuetudines Ciuitatis Panormi fuerunt à Carolo V. confirmatæ. Ergo non poſſunt amplius per ipſam Ciuitatem ſolam, ſine conſenſu Regis remitti, vel mutari.

Sextò, in tali venditione nulla iniuria fit emptoribus, quippe qui emere non coguntur, volenti autem, ac conſentienti nulla fit iniuria. Ergo, &c. Et ita in ſimili caſu aſſerebant aliqui apud Molinam to.2. tract.2. diſp.364. nu.11. Adde quod in tali venditione cenſentur emptores exceſſum pretij liberè condonaſſe.

Septimò, in leg. 1. §.ſi hæres, ff. ad Trebell.& in leg. quærebatur, ad leg. Falcid. & in leg. ſi quis vxor. §. vlt. ff. de furtis, habetur quod res tanti valet, quanti vendi poteſt. Idem in leg. ſi pretio. §. vlt. ff. locati, dicitur, quod in emendo, & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere; quod minoris ſit pluris vēdere, & ita inuicem ſe circumſcribere. Ergo, &c.

Octauò, tandem ſic argumentor. Hoc incrementum, vltra taxam legalem, ab Illuſtriſs. Senatu dominis vinearum conceſſum, videtur iniuſtum, quia ex illo ſequitur, quod eodem pretio vendatur vinum tempore ſterilitatis, quo venditur tempore abundantiæ, ſed hoc eſt iniquum. Ergo, &c. Et ita, tempore magnæ ſterilitatis Pragmaticam, & taxam frumenti non eſſe ſeruandam, teſtatur Nauar. c. 25. nu.88. Molina to. 2. tr. 2. diſp. 364. Rebel.p.2.lib.9.q 2.ſect.3 nu.14. & alij.

Sed his minimè ſuffragantibus, dicendum eſt, ad Illuſtriſs. Senatum ſpectare, ne victualia pretio exceſſiuo vendantur pro libidine venditorum, vt habetur in leg. 1. §. cura carnis, ff. de offic. præfect. Vrb. & notauit Auila c. 17. Prætorum gloſſa, Arazonablez, num. 2.& 4. Mexia in prag. taxę panis, concluſ. 1. nu. 3. & alij communiter: non enim ad bonum regimen confert, relinquere arbitrio venditorum pretia rerum, vt ſolidè probat Salon. tomo 2. in 2.2. quæſt.97. artic. 1. cont.2. num.9. Mercato de contract. lib.2. cap.6. Lopez etiam de contr. lib. 1. cap. 3. & alij. Confirmatur hoc etiam ex leg. pretia, ad legem Falcidiam, vbi ſancitur, pretia rerum non debere ex affectu, & vtilitate ſingulorum inſtitui. Vnde ex his colligit Ioannes Valerus in differentijs vtriuſque fori, venditio, differ. 1. num. 2. in quantum animæ diſcrimen ſint demerſi communiter omnes vendentes res, quarū pretium à Republica non taxatur. Nā ſolent

pete-

petere vt plurimum pretium adeo immoderatum, vt facilè decipiant in geminato, & amplius: quod est valdè deplorandum. Ita Valerus.

Nec valet dicere, supradictum vinum ita carius vendi ex priuilegio, seu consuetudine, quam domini vinearum habent. Nam respondetur, quod priuilegium eorum, quod patet ex contextu consuetudinis, & notat Marius Muta hic in cap. 61. num. 19. est, vt possint vendere vinum vltra taxam metæ. Sed non sequitur ex hoc, vt habeant priuilegium vendendi vinum, quo pretio voluerint, & exorbitanter; nam si aliqui quoad priuilegium a lege taxat onus eximuntur, comparatione ipsorum manet latitudo pretij naturalis. Vnde in casu simili notauit Turrianus in 2.2. tom. 2. dispu. 57. dub. 5. n. 1. 2. Molina tom 2 tract. 2. disput. 364. nu. 13. Ledesma in summa, to. 2. tract 8. c. 42. diffícul. 11. quod alienigenæ asportantes in Lusitaniam triticum ex Castella, a lege taxatiuus, per leges, & priuilegium eximuntur (vt sunt in nostro casu domini vinearum) & tamen, hoc priuilegio non obstante, tenentur ex mente supradictorum Doctorum vendere dictum triticum intra latitudinem iusti pretij naturalis, quod in eo loco, ex natura rei, seclusa taxatione legis, haberent, in qua latitudine poterunt vendere pretio supremo, non autem maiori; nec ad hoc concessa est facultas, aut donatio Regis, vel Reipublicæ, ait Turrian. & Molin. vbi supra; quæ omnia determinant specie casum nostrum, sicut etiam determinatur per ea, quæ adducit Megala in consil. 20. num. 5. & sequ. vide etiam Filliuc. tom. 2. tracta. 35 cap. quarto num 39.

Deinde etiam pro Illustriss. Senatu dicendum est, quod priuilegium meretur amittere, qui priuilegio abutitur, vt habetur in c. tuarum de priuileg. & in alijs iuribus adductis per Barbos. in suis collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 33 cap. 11 n 25. & priuilegium cuiuscumque conditionis, & qualitatis sit, cessat omnino, quando incipit esse iniquum, vt patet, in lege ex facto, de vulg. & pupill. & in cap. suggestum, de decimis, & notauit doctissimus Iurisconsultus Christophorus de Anguiano in tr. de legibus. tom. 1. lib. 2. contr. 15. nu 19. Hæc autem omnia euenire in casu nostro patet, nam domini vinearum abutuntur supradicto priuilegio: nam illud eis concessum fuit, vt feruentius ad vinearum culturam incumberent, permanendo tamen in venditione vini intra limites iustitiæ, non autem vendendo illud exorbitanter; neque Illustrissimus Senatus poterat permittere vendi vinum à dominis supradictis pretio excessiuo, nam hoc esset concedere priuilegium iniquum contra iustitiam commutatiuam, quæ consistit in æqualitate rei, & pretij, vt post D. Thomam in 2.2. qu. 77 art. 2. in corpore, & ad primum docet Regius in suis resol. cas. 10. n. 1. Homob. de exam. Eccl. p. 2. tr. 9 c. 3. q. 3. Vegha in sum to. 1. c. 121. cas 6. Turrianus to. 2. in 2. 2. disp. 57. dub. 1. nu 3. & alij communiter.

Vnde ex his omnibus apparet, rectè Illustrissimum Senatum abstulisse abusum supradicti priuilegij, & illud moderasse intra latitudinem iusti pretij naturalis, & si aliquid amplius, vltra pretium rigorosum naturale, in ista taxatione, Senatus imposuerit, vt in posterum iustificetur, dicendum est, excessum illum a Republica: & omni populo concedi, ac condonari, quia bono communi expedit, ita ciues allicere ad vinearum culturam.

Restat modo respondere ad argumenta superius adiuncta. Ideo ad primum respondetur, rectè aliquando aliquibus permissum esse, vendere vltra taxam, vt est in casu nostro, non autem exorbitanter, vt asserunt multi fecisse, vsque adhuc, dominos vinearum, sed intra latitudinem iusti pretij naturalis, vt de alienigenis asportantibus frumentum in Regnum Lusitaniæ, supra notatum est.

Ad secundum respondetur, quod victum priuilegium, dato, & concesso, quod transierit in vim contractus, modo non tollitur ab Illustriss. Senatu, sed reducitur intra limites iustitiæ, & vt a principio cōcessum fuit: & ego puto, maiores nostros vendidisse quidem, vt hodie multi faciunt, vinum vltra taxam, non autem extra latitudinem pretij naturalis.

Ad tertium respondetur contra opinionem Molinæ, & aliorum, insurgere Filliuc. tom. 2. tr. 35. c. 4. nu. 86. Salas tract. de empt. & ven. dub. 12. n. 9. & alios. Sed quicquid sit de probabilitate huius sententiæ, etiam secundum illam respondeo, quod excessus bonitatis supredictorum vinorum, meretur aliquid amplius, non autem totum id, quod domini vinearum exquirunt. Et Illustrissimus Senatus hoc maturè considerans, & omnes alias circumstantias in tali casu necessario considerandas, ideo licentiam præbet, vt in posterum vltra taxam pretij legitimi, cum aliquo incremento, vinum supradictum vendatur. Et notandum est cum Azor. parte 3. lib. 8. cap. 22. qu. 3. Ioann. de la Cruz in director. conscientiæ, p. 1. precept. 7. qu. 3. dub. 2. concl. 2. & alijs communiter, quod in casu nostro, & similibus, non est à Senatoribus taxandum infimum pretium pro viliori vino, nec supremum pro perfectiori, sed medium vtrisque proportionatum, nec in hoc attendenda sunt damna, vel commoda vnius, aut alterius.

Ad quartum respondetur, quod quia Senatus istas, & alias circumstantias, vt supradictum est, maturè considerauit; ideò concedit, quod dictum vinum cum incremento vendatur. Sed non sequitur, quod stante dicta penuria vini, & abundantia emptorum, possit vendi pretio exorbitanti, vt modo vendi supponit Senatus.

Ad quintum respondetur negando assumptum, cum doctissimo Iurisconsulto Hispano Christophoro de Anguiano, qui nouissimè edidit tract. de leg. tom. 1. libro 3. contr. 6. nu. 2. vbi probat, quod statuta Communitatum inferiorum, puta vnius Ciuitatis, per Principem confirmata, posse per easdem Communitates remitti, & confirmatio Principis in tali casu, solum operatur firmitatem statuti, qua non obstante possunt Ciues, vt vniuersi illud reuocare, vt accidit in casu nostro, licet non reuocetur absolutè dicta consuetudo, sed abusus circa illam tolluntur.

Ad sextum respondetur, non esse licitum maius pretium pro vino recipere, quia nemo cogitur illud emere, volenti autem non fit iniuria, nā pari ratione, vt bene ait Rebellius par. 2. lib. 9. quæst. 2. sent. 1. nu. 7. nulla emptio, quantumuis magno pretio ab emptore non coacto facta, esset iniusta: nec item, vsura damnanda, si ex credito, vel ex mutuo, lucrum à debitore non coacto, reciperetur, quæ omnia concedere absurdum est. Ergo, &c. Falsum est etiam, emptores in tali casu, censeri excessum pretij cōdonare. Nam respondeo cum Ioan. Valero in differentijs vtriusque fori. different 1. num. 2. ver. venditio, vix esse vllum, qui spontè velit dare plus iusto pretio, sed communiter id contingere, vel quia decipitur ignorans verum pretium, vel quia non potest aliter rem habere. Imò Lessius lib 2 c. 21. dub. 4. num. 37. & Tanner. in 2. 2. D. Thom. disp. 4. qu. 7. dub. 2. nu. 33. Nauarr. de restit. lib. 3. c. 2. a nu 43. & alij docent, talem donationem minimè præsumendam esse, nisi coniunctio aliqua sanguinis, vel amicitiæ intercedat, etiamsi emptores sciant pretium rei, & liberè contrahant, absque fraudis, aut coactionis admixtione. Vide etiam Salas de empt. & vend. dub. 26. nu 8. & Filliuc. to. 2. tract. 25. c. 3. n 69. & 70. Adde quod in nostro casu, ementes putabant pretium illud esse iustum, propter priuilegium, quod domini vinearum asserebant habere, & ideo non potest vlla species donationis, in tali emptione præsupponi. Ergo, &c.

Ad septimum respondetur, quod res tanti valet, quanti vendi potest in quibusdam rebus raris, curiosis, & pretiosis, quę solum ad splendorem pertinent. Sed verius est contrarium, & ita docet Tanner. in 2. 2. disput 4. quæst. 7. dub. 2. nu. 34. Lessius libro 2. c. 21. dub. 3. nu. 16. Bonacina de contr. disp. 3. q. 2. puncto 4. nu. 28. Nauarr. c. 27 n. 78. cum alijs. Aliqui vero asserunt, supradictum axioma esse verum in venditione sub hasta; sed hoc displicet Molinæ to. 2. tr. 2. disp. 349. nu. 11. Megalę in 2. 2 lib. 2. cap. 6. q. 2. nu. 70. Medesi. in sum. tom. 2. tr. 12. c. 5. nu. 148. Salon. in 2. 2. q. 77. art. 1. contr. 5. & alijs.

Dicendum est igitur, quod res tanti valet, quanti vēdi potest, intra latitudinem iusti pretij naturalis, non autem extra; & ita docet Azor. p. 3. lib. 8. c. 21. q. 5. Lopez de contract lib. 1. c. 13. Io. Valer. in differentijs vtriusque fori, ver. vendit. diff. 1. nu. 1. qui citat Nauarrum, Rebellium, & alios communiter.

Ad illud vero, quod per l. si pretio, cōcedatur licere naturaliter ementes, & vendentes se decipere: Respondeo cum Malder. in 2. 2. tr. 5. c 2. dub. 2. Turrian. to. 2. in 2. 2. disp. 75. nu. 4. Pirrig. in 4. sent. tom. 1 d. 15. q. 2. art. 2. & alijs DD. supracitatis illa verba, *licere naturaliter*, intelligenda esse de deceptione intra medium iusti pretij; vel concessum esse in foro externo, idque naturaliter, quod naturalis ratio dictet, eiusmodi concessione vitaudas esse lites. Secundum, ergo naturalem rationem in foro externo significatur, permitti quod corā Deo, & secundum eamdem rationem naturalem nō licet: & ita etiam respondet Glossa in c. cum dilecti, de empt. & vendit. & post D. Thomam

in

in 2.2.quæst.77. art.1.ad 1. vide etiam Salas trac. de empt.dub. 26 num.8.

Ad vltimum respondetur, quod tempore maximæ sterilitatis, quod Deus auertat, Illustrissimus Senatus, in hoc tunc maturè prouidebit; & aliquis contra Doctores illos, posset etiam respondere, nihil immutandam esse, quia in tali casu annus penuriæ compēsatur cum anno abundantiæ, & ideo asserunt Doctores, quod taxa frumenti in anno magnæ sterilitatis non est immutanda, sed seruanda. Et ita docet Pet. Nauarr. de restit. lib.3.c.2.n.2. Michael de Palatio de contract.lib.2.cap.. Ponrius variarum disput. par.2 quæst.2 scholastic. cap.7.in fine. Ledesma in summa, to.2 tract.8 cap 25. diffic.19. Salas, de empt. & ven dub 7.nu.3.& nouissime Ioann. de la Cruz in direct.consc. p.1 præcept.7.q.3. dub.3.concl 1. vbi asserit, hanc sententiam esse communem in schola Diui Thomæ, & inter Regios Hispaniæ Consiliarios.

Et hæc circa præsentem dubitationem satis dicta sint, quæ olim scripsi ad instantiā Illustrissimi D. Cæsaris Caietani Marchionis Sciurtini Prætoris huius Vrbis, viri amicissimi, probitate, & rerum experientia insignis.

Felix dedit Confessario vncias septuaginta, vt restitueret Ioanni suo creditori, post duos annos scit Confessarium non restituisse. Quæritur, an denuo dictus Felix debeat restituere?

RESOL. II.

QVidam Theologus magni nominis, respondit debere restituere, & probabiliter quidem, nam non desunt Doct. qui hanc affirmatiuam tuentur sententiam, hi sunt Nau. & D. Antoninus apud Lessium vbi infra, Syluius in 2. 2. D. Thom. quæstio 62.artic.6.quæritur 9. Fabr. de restitut. in 4.sentent. distinct.15 quæst.2. disput 50.ca.4. nu.159. Lazarius de monitorijs sect.4.q.5.nu.5. & 6 Conrad. in respons. cas p.2.quæst.445. Pet. Nauar lib.4.cap.5. dub 1 nu.19. Clauis Regia lib.10.trac. 5.c 9.nu.3.& 9. Tolet.lib.5. cap.24.nu.2. & Homob. de exam. Eccl. p 2.tr.10.cap.2.quæst 2 suppos 1. Et confirmatur ratione, nam res ex delicto debita, antequam ad creditorem perueniat, ipsi perit debitori, nō enim debet creditor damnum pati ob debitoris delictum, vt bene probant Rebellius parte 1.lib.2.q. 12. sect.3. Molina de contr.to.2. trac.2. disp.256. num.. Azor. p.3. lib.4.c.33.& alij.

Sed mihi etiam probabilis semper visa est contraria sententia & sic in praxi non condemnaui dictum Felicem ad denuo restituendum, nam cum ipse non deberet cum infamia restituere, quantum in se est fecit, quod potuit: & si Ioannes creditor, ad restituendum non consentiret, esset irrationabiliter inuitus. Et Lessius lib.2. cap.16.dub 6. num.67. in fin. cum Filliuc. in q mor. tom.1.tr.32. cap. 5. nu.155. probabilem vocat hanc opinionem, & in terminis illam amplectitur nouissimè Cenedo de paupertate religiosa, dub.34.num.8.

Quidam vir nobilis est in mora soluendi debitum vnciarum ducentarum ex contractu; sæpius confitetur, & non restituit, habet tamen animum restituendi; quæritur a confessario, an sit illi absolutio deneganda, maxime cum creditor multoties ab illo petierit solutionem?

RESOL. III.

VIdetur respondendum quod sic; nam præceptum restituendi quamuis formaliter sit affirmatiuum, præcipitur enim solutio, est etiam ex parte præceptum negatiuum. Ergo statim est adimplendū. Vide Salonium, Arragon. & Bannez in 2.2.quæst.62.artic.8. Valent. tom. 3. disput.4. quæstio 6. punct. 7. Rebell.lib.2. de restit.q.17.nu.2. Azor.p.3 lib.4. c.34. & alios communiter.

Sed mihi non ita rigidè in hoc casu procedendum esse videtur; nam quando debitor habet animum soluendi, neque ex tali dilatione detrimentum sequitur creditori, ob eam iniustam moram, moralis culpæ minimè condemnādus videtur; talis enim dilatio, non est ipsi creditori adeo iniuriosa, vt debitor iudicandus sit lethalis criminis reus. Non auderem hanc sententiam, si patronos non haberet. Molinam de iust. tom. 3. tract.2. disp.753.n.1.& Bonac. de contract. disp.1. q.6. punct. vnico, num.4.

Norent hanc decisionem confessarij, nam multos tollit scrupulos, maximè in confessione nobilium, qui per multos menses sine aliqua iusta causa differunt restitutionem, sed vrgeant semper propter solutionem, maximè quando mora esset admodum magna, & commodè posset fieri restitutio.

Petrus emit rem furtiuam mala fide, postea comperto vero domino; quæritur, an teneatur illi restituere, & non furi ad repetendum pretium, quod pro ea dedit?

RESOL. IV.

REspondeo clarum esse, eum qui rem alienam bona fide accepit, non teneri illam vero domino restituere, sed posse restituere illi, à quo bona fide accepit, est communis opinio Doctor. vide Petr. à Nauarr. lib.3.cap 4.p.3.dub.4. Vasq. opusc. de rest. cap.9.§.2. dub. 2.num.13. Rebellium par.1. lib.2.q.9.n 3. Azor.p.3.lib.4.c.3.q.1. Salonium, & Aragonium in 2. 2. qu.62. art.6. cum alijs.

Sed difficultas est, quando res aliena mala fide emitur, nam vero domino, & non furi restituendam esse, probat Dominicus Bannez 2.2.q.66 art.6 Rebellius loc cit.nu.4. Vasquez l.c. n. 14. Molina tom. 3. disp.722. Sotus lib.4.q.7 art.2 Medina, Couarruuias, quos citat, & sequitur Reginaldus to.1.lib.10.c.5.n.40. cum alijs.

His vero non obstantibus, censeo aliam sententiam esse probabilem, quæ asserit emptorem malæ fidei posse contractum cum fure initum rescindere, & recuperare pretium, quod pro ea dedit. Sic senserunt Alexander de Ales p.5.q.86. nu.3. art. 5. Gabriel in 4.dist.15.q.3.art.3. dub.5. Angel. ver. restit.1.nu 1 & Syluester ver.restit.q.7. Paludanus in 4.dist.15.q.3.dub.5. Petrus à Nauar.lib.3.c.4.p.3 dub.4. D. Antoninus p.2.tit.1. ca.12 §.16. & absolutè tenet etiam hanc opinionem Toleti lib.5. c.17. nu. 13. & probabilem illam vocatur Malderus in 2.2. trac.4.cap. 3. dub.2. Nec destituta videtur ratione; nam emptor malæ fidei rescindendo contractum, & reddendo rem alienam furi, non constituit illam peiori loco, quam erat ante, & vnusquisque tenetur, & potest magis sibi ipsi consulere, quam alteri. Vide etiam Ant. Fernandez in suo exam. Theol. p 1.c.18.§ 1. nu.14. qui hanc sequitur, & defendit sententiam, citans Perez ex Societate Iesu. Ex his patet responsio ad quæsitum in principio positum, potest enim confessarius consulere, vt Petrus rem furtiuam, ad recuperandum pretium, sine vllo scrupulo furi, & non vero domino restituat.

Petrus deambulando per ciuitatem, inuenit crumenam cum magna pecuniarum quantitate, facta debita diligentia non reperit dominum; ideo per multos annos illas sibi retinuit, nunc confessarius denegat illi absolutionem si pauperibus dictas pecunias non restituat; quæritur quid faciendum?

RESOL. V.

REspondeo, magnam esse quæstionem inter DD. cui facienda sit inuentorum restitutio, habentium dominum, sed incertum, & an inuentor possit ea sibi retinere. Salon. in 2. 2. quæst.62.artic.5.contr. 5. Valen.tom.3.disp.5. quæst.6. punct.4. Nauarr. de restitut.lib.4.cap.2.dub.7.n.59. Sayrus in Claui Regia, lib.10.tract.5.c.2. in princ. Rebellius part. 1.lib.2.quæst.12. sect.1. Reginald. tom.1.lib.10.cap.14.nu.194. Azor.par.3. lib.4. cap.27. Malderus in 2.2. tract.4.cap.4. dub.3. Nauarr. c.17.nu. 170. Syluest.ver.inuentum, nu.2. Couar. ad reg. peccatum, 3.p. §.1.nu.1. Molina, to.3.disp.746. Fernandez in suo exam. Theol. p 1.cap.15.§.4.num.9. & alij, asserunt restituenda esse pauperibus, modo prius adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo domino, nec posse inuentorem sibi retinere. Probatur, nam hæc videtur rationabilis voluntas dominorum. Secundò, quia sic faciendum esse hanc restitutionem communi consuetudine receptum est.

Sed contrariam sentētiam amplexi sunt Sarmiento, lib.6. se-

lect.

lect.cap.10.Pet.de Arag.in 2.2.q. 62.art.5.mihi 168.col 2.Sotus lib.5.de iust.q.3.art.3.Pet.à Nauar.lib.4.c.2.n.75.& probabilem vocat Megala in 2.2.lib.2.c.4.n.33.& Lessius lib.2.c.14.dub.7.n.48. in fine. Probatur ratione; nam, vt ait Sarmiento, in iure eadem reputantur, ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum. Sed quando res nullum habent dominum, efficiuntur primi occupantis. Ergo, &c.

His ita suppositis, poterat Petrus sibi retinere illas pecunias, sequendo hanc posteriorem opinionem, ideo confessarius non debebat illi denegare absolutionem. est enim hæc sententia in fauorem Petri probabilis, & tuta in praxi, salua, &c.

Quidam vir nobilis contraxit sponsalia, & per multos dies causa delectationis osculabatur, & tangebat sponsam; quæritur an peccauerit mortaliter?

RESOL. VI.

PEccasse, respondit illi Theologus cuiusdam Religionis, nixus, vt ipse dicebat, authoritate Rebellij, art.2. lib.3. qu.19. sect.2.cui ego addebam Anton. Fernandez in exam. theol. mor. p.4. cap.2 § 4.n.4 & par.3.c.21.§.1.nu.11. & nouissimè Rodriq. in summ.to.3.c.102.n.1.& Comitol. in respon.mor.lib.3. q.20. nu.4. & alios.

Sed contrariam sententiam prorsus esse sustinendam puto. Dico igitur, quando tactus non sunt impudici, nec adest periculum pollutionis, excusantur à culpa mortali inter sponsos de futuro, & ratio est clara. Quia sicut copula cohonestatur à matrimonio, ita sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium, debent cohonestare hos tactus, & oscula, quæ sunt quædam inchoatio ad ipsam copulam. Et sic hāc opinionē probabilem vocat Lessius lib.4.ca.3.dub.8.num.58 Bonacina de matr quæst.4. punct. 9.nu.6.& illam sequuntur Sanchez de matrimonio, tom.3. lib. 9.disput.47.num.49. Tolet.in summa, lib.4.cap.14.num.4. Nauarr.in manuali, cap.14.num.18.& cap.16.num.12.Reginaldus in praxi, tom.2.lib.22. cap.1. nu 6. Caiet.in 2.2. quæst.154.ar.4. Molfes.in summa, to.1.trac.4.c.15.n.4.& 5. Valent.to.3.disp.9. q.3.punct.3.Salas in p.2.tom.2.q.84 tract.13.disp.6. sect.26.nu. 174. Clauis Regia lib.8. c.6.nu.1. Granado in p.2. contr.C. tra. 2.disp.7.nu.4. Iac de Graffeis p.1.dec. lib.2.c.82.n.3. Lopez, p.1. instruct.c.54.& 75.

Notat etiam Salas, cum multis recētioribus, quod sicut sponsis de futuro, vt dictum est, licita sunt oscula, amplexus, & similes tactus cum suis sponsis, ita delectationes, & commotiones sensibiles, quæ ex cogitatis osculis, & amplexibus resultant, sed non ex alijs tactibus. Ita enim Sanchez lib.9.disp.47.num.6. aduersu Rebellium vbi supra. Et ratio est, quia illa delectatio est de obiecto licito, & tanquam præsens apprehenditur, & in præsenti est eis licitum. Ergo, &c.

Tandem nota ex Sanchez vbi supra disputat.46.nu.50. dicta oscula, & amplexus esse licita, etiam si pollutio præuisa sequatur, dummodo id faciant necessitate compulsi, & sine periculo consensus in pollutionem, cum inuibani, & austeri haberentur, nisi ita se inuicem oscularentur, & amplexarentur. Hoc quod dictum est de osculis, & tactibus, similiter, & multo magis dicendum est de colloquijs, & aspectibus, vt notat Nauar. ca.16.num.12.Sed limitat hoc Sanchez nu.54. modo aspectus non sint valde impudici, vt partium verendarum, sicut in simili de tactibus, dixerat, num 52.Sed hanc limitationem impugnat Salas vbi supra sect.26. numero 177. quia tactus verendorum libidinosi, maiorem habent affinitatem cum copula, quam aspectus libidinosi earum partium. Hæc Salas, sed an satis probabiliter, iudicent viri docti. Ex his patet responsio ad quæsitum.

Quædam mulier multas pecunias per adulterium acquisiuit: quæritur, an marito sint restituenda?

RESOL. VII.

AIentem sententiam affirmant non infimæ classis Theologi, quorum nomina accipe. Ludouicus Molina de iustitia & iure, tom.1.tract.2.disput.94.Reginaldus in praxi, to. 1. lib. 10. ca.14.num.193.Petrus à Nauar.lib.3. de restit. c.1. nu.136. Bannez in 2. 2.quæ.62.artic.5. dub.5. & nouissimè Couar. in 2. 2.tom.2.disp.14.dub.1.n.5. Hi omnes asserunt, coniugatas omne pretium per adulterium acquisitum debere reddere marito, ac si aliter laborādo illud acquisiuissent, volunt tamen occultè esse reddendum, vt propriæ famæ consulatur, & alia mala vitentur, nisi tamen tale pretium ab ijs acceperint, qui potestatem alienandi non habent, vt Religiosi, filij familias, &c. Et ratio est, quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quoad actus coniugales. Vide etiam Sotum de iust. lib.4. qu.7. artic. 1.ad 2. cum Barthol.à S. Fausto in speculo confess. disputatione 26.quæst.11.

Et licet hæc opinio tantorum virorum authoritate sit fulcita, semper tanquam probabiliorem, contrariam sententiam tenui, quam nouissimè tenet etiam noster Megala in part.2.li.2 c.52.qu.nu.24.Bonacina de contr disp.1.q.3.punct.3. nu.12. & Graff to.1. consiliorum, lib.5 de furtis, cons 2.

Sed dices cum Rebellio de obligat.iust.par.1.li.3 q.10.num. 1. & 2. saltem propter iniuriam adulterij facienda est marito aliqua restitutio.

Respondeo cum Lessio lib.2. cap.10. dub.5. ob adulterium non deberi aliquam restitutionem, quia non pro omni iniuria debetur restitutio pecuniaria, sed debetur pro iniuria, cum damno pecunia æstimabili.

Dices secundo, acceptum pro opere, quod leges puniunt, est restituendum, vt est communis Iurisconsultorum, & Canonistarum opinio; sic Paulus, & Salicetus in leg. Idem si ob stuprum, ff. de condict. ob turpem causam, & Alexander in lege generaliter, de verb obligat.& alij quos refert Couarruuias ad regulam peccatū, p.2.§.2. Sed adulterium a lege punitur. Ergo acceptum ob adulterium, si nō marito, est saltem restituēdum, vel pauperibus, vt multi apud Couarr. asserunt, vel ei, qui dedit, vt vult Sotus, & Couarruuias.

Respondeo, hanc opinionem esse probabilem, vt ait Lessius lib.2.cap.14.dub.8. num.60. Sed contraria sententia tanquam probabilior est amplectenda, eamque tenent Lessius loc. citat. Azor.p.3.lib.4 c.21.q.2. Vasquez opusc. de restit. cap.7. dub.2. Syluester ver.restit. 1.§.2.in fine. Nauarr. c.7.n.134. & alij. Probatur ratione, nam leges, quas aduersarij citant, licet pacta turpia rescindant, & tollant obligationem ciuilem, ob quam possit in iudicio peti promissum: non tamen reddunt irritam acquisitionem pecuniarum ex tali causa, nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandum earum dominium. Dicendum est igitur ex dictis, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acceptum, neque restitutioni marito, vel alijs obnoxia esse. Salua, &c.

Petrus in ludo prohibito taxillorum perdidit magnam pecuniarum quantitatem; quæritur an illa in foro conscientiæ teneatur soluere?

RESOL. VIII.

QVod sic respondit Azor. p 3 lib.5. cap.24. quæstio.7. Bannez in 2. 2. quæst.32.art.7. Rebellius part.2. lib.12. quæst. 8.nu.6.& 7. Valent.tom.5.disput.5. quæst.6.punct.5.dub 8. Salonius in 2. 2. quæst.62.art 6. quæstio.5.de dominio. Garsias de contract.lib.2. cap.19. & alij. Fundamentum huius opinionis est; nam iure naturæ promissio cum mutua est, obligat in conscientia, nisi iure positiuo irritetur, sed promissio facta in ludo, nullo iure positiuo irrita est, quia solum per leges datur actio ad repetendum, leg. aleatū, C.religios. & sumpt. fun. Ergo obligat in conscientia.

At contrariam sententiam tanquam probabiliorem amplectendam esse iudico; illamque sequuntur Maldeius in 2. 2. tr.1. c.12.dub.3 Lessius lib.2.cap.26.dub.4. Arragon.in 2.2.q 21.art. 7. & qu.62.art.1.Ledesma in summa, to.2.tract.31.cap.2.concl. 11. Molina tom.2.tract.2.disp.515.concl 4. Philiarcus de offic. sacer.to.2 par.2.lib.5.ca.2.nu.11. & Tolet. lib.5. cap.27. Ratio est; nam cui datur actio ad repetendum, à fortiori conceditur exceptio ad non soluendum, iuxta regulas vtriusque iuris. Sed in ludo prohibito, vt supradictum est, datur actio ad repetendum: Ergo dabitur exceptio ad non soluendum. Deinde, cur per inutiles ambages, & circuitus duceretur victus, vt rem sibi debitam recuperaret, cum ab initio posset non soluere? Et sic præter citatos Doctores, sequuntur etiam hanc sententiam

Medina

Medina in summa.lib.1.c.14. §.29. & Couarr. reg. peccatum, p.4 §.4.num.8.

Hæc omnia intelligenda sunt stando in iure communi, nam si in aliquibus locis non conceditur repetitio perdenti, consequenter neque conceditur exceptio, vt non soluat.

Secundo, intelligenda sunt, si ludentes nō cesserunt iuri suo, & renuntiauerunt beneficio legis concedentis repetitionem, licet Rebell.lib.12. quæst.2 nu.8 cum Couarruu. hanc renuntiationem inualidam esse putet; quia facultas repetendi non concessa est tantum in fauorem perdentis, sed in fauorem Reipublicæ. Vide Sà, ver.ludus,nu.9. Sed Sotus, & Azorius id negare videntur. Ex his omnibus manifesta est responsio circa quæsitum.

Proposita mihi sæpius fuit hæc quæstio. An promissio externa, legitime ab alio acceptata, obliget in conscientia?

RESOL. IX.

Doctores, qui affirmatiuam tenent sententiam, hi sunt, Sanchez de matr.lib.1.disp.5.num.20. Lessius lib. 2. ca.18. dub.8.nu.55.Nauar.c.18. nu.6. Turrian. in 2. 2. tom.2.disp.64. dub.16.n.5. Vasquez in 1. p. disp.85.c.6.nu.42.Filliuc.in q.mor. to.2.tr.23.c.2.n.28. Malder. in 2.2. tr.1.c.9. dub.8. Beia in resp. p.4. cas.25. Salonius in 2. 2. q.5.de dominio,ar.3.dub.1. D.Anton. p. 2. tit.10.c.1.§.4. & alij.

Probatur hæc opinio. Nam promissio acceptata est verè pactum, vt patet ex ipsius pacti definitione in leg.1.ff.de pactis, & in leg.3. ff. de pollic. Sed pactum non seruans, potest excommunicari ex c.1.de pactis.

Ergo peccat mortaliter, qui promissionem non seruat. Deinde, qui non stat promissis, contrariatur iustitiæ legali, quæ respicit conuictum, & societatem humanam in promissis seruandis. Ergo, &c. Alias etiam rationes adducunt DD. citati pro hac firmanda opinione.

Sed contrariam sentētiam probabilem vocat Lessius vbi supra,n.54.& expressè sequuntur illam, Fumus ver. perfidia, Caiet in 2.2.q.113. ar.1. dub.4. Henriq. lib.13. c.17.n.7. & nouissimè Petr. de Ledesma in sum.to.1.tr.10.c.3.fol. mihi 544. col. 2.& Fernandez in suo examin. Theol.p.1.c.15.§.8. nu.11. Nam frangere fidem in promissis non opponitur iustitiæ, sed fidelitati: veracitas enim, vt ait Cicero lib.1. de offic. est dictorum, conuentorumque constantia. Igitur frangere hanc fidem, non est, nisi mendacium, quod cum non sit perniciosum, nō potest esse mortale, sed tantum veniale. Ergo &c. Nota quod aliquod per accidens, qui non præstat promissum, potest peccare mortaliter, vt quādo sequitur notabile detrimentum propter promissionem non præstitam, & sic ait Rebellius p.2.lib.18.q.4. n. 5.& Maior in 4 dist.38. qu.2. peccat. Medicus, si operam promissam periclitanti non præstat, eaque de causa ægrotus graue damnum passus est; & sic in similibus.

Hinc etiam nota, quod si aliquis Sacerdos, nō ratione stipēdij, sed liberaliter promisit alteri vnum sacrum animo se obligandi, non peccat mortaliter omittendo. Ratio est, quia illa omissio sacri ex liberalitate promissi in genere damnorum spiritualium non est tanti momenti, vt sit peccatum mortale. Sic tenet Sanchez de matrim.to.1. lib.1.disp.5. nu.25.& nouissimè Rodriquez in sum.to.4.c.107.n.4. cum Maldero vbi sup. quicquid in cōtrarium dicat Petr. à Nauar.de restit.lib.2.c.2.dub.7. nu.329. & Bonacina de contr.disp.4.q.11.punct.1. nu.8. Ex his omnibus probabiliter respondendum est ad propositam quæstionem, non præstare promissionem externam etiam acceptatam, non esse peccatum mortale.

Quidam adolescens fecit votum, non solum ingrediendi, sed etiam profitendi in quadam Religione, sed in tempore nouitiatus deprehendit eam sibi propter vitæ asperitatem, non esse accomodam; quæritur, an stante voto profitendi possit egredi?

RESOL. X.

Certamen hac de re mihi fuit cum homine amicissimo, & huius litteraturæ non indocto, nam ille mordicus negatiuam sententiam sustinebat; quam sequitur hi omnes. D. Thomas 2.2. quæst.vlt.art.4. & ibi Caietanus dub.2. Valent. tom.3. disput.6.quæst.6. punct.4. Azor.par.1.lib.11.cap.2. quæstione 8. Philiarch. de offic. Sacerdot. to.1. par.3.lib.5 cap.20. Nauarr. cap.12.nu.47. D. Antoninus par.3. tit.16. cap.2. §.5. Sanchez in opere morali, tom.1.lib.4 cap.16. nu.81. Bonacina tract. de legibus,disput.4.quæst.2.punct.5.§.6.nu.22. & alij. Rationes quibus fulcitur hæc opinio, hæ sunt: nam qui vouet ingressum, & perseuerantiam in Religione, duo promittit; igitur non satisfacit solo ingressu, sed opus est, vt perseueret, & profiteatur, hæc enim est differentia inter votum ingrediendi, & profitendi in Religione. Nam qui vouit se ingressurum Religionem, solum videtur promittere, si in probatione deprehenderit eam sibi conuenientem profiteri, vnde si bona fide iudicet propter ingenium suum inconstans, vel propter illius asperitatem, eam sibi minimè conuenientem, non tenetur profiteri. Sed qui vouit, non solum ingressum, sed etiam professionem, videtur se ita voluisse obligare, vt non possit egredi vllo modo, nisi tanta sit difficultas, vt censeatur intolerabilis, vnde votum cessaret ratione impossibilitatis.

At his minimè suffragantibus contrariam sententiam probabilem, & tutam in praxi esse iudico, quam sustinét ex Societate Iesu Valerius Reginaldus in praxi, tomo 2.lib.18.capit.25. num.383. Sotus de iustit.lib.3.quæst.2.art.1.ad 5. Arragonius in 2.2. qu.88 art.3. ver. Est & aliud dubium. Petrus de Ledesma in summa tom.2. tractat.10. cap.3 dub.7.cas.4. & Lessius lib.2. cap.41.dub.5. num.48.vt eam quis sine scrupulo amplecti possit, probabilem vocat. Nec destituta hæc opinio videtur ratione. Nam asserunt, vtrumque votum ingrediendi, & profitendi in Religione, intelligendum esse secundum canones annum nouitiatus concedentes; vt si intra hoc tempus Religio minimè placeat, integrum sit egredi, & sic in ipso voto perseuerantiæ, hæc tacita conditio ex dispositione iuris inest. Deinde Concil. Tridentinum sess.25.cap.15. irritam facit professionem ante annum nouitiatus impletum, ne tollatur Nouitio potestas exeundi, si intra illud tempus deprehendit illam Religionem sibi non congruere. Et in cap.16. omnes renuntiationes suspendit in tempus professionis, vnde apparet mentem Concilij illam esse, vt hoc votum intelligendum sit conditionaliter, nempè si bona fide deprehenderit Religionem mihi conuenire. Ex his apparet hanc opinionem, & auctoritate Doctorum, & rationibus non falsam, vt vir amicissimus asserebat, sed probabilissimam esse.

Consultus sum, quàm sæpissimè. An Confessarius, qui carnaliter pœnitentem cognouit, teneatur in confessione exprimere hanc circumstantiam, vel an sufficiat tantum dicere, se copulam cum coniugata, vel soluta habuisse?

RESOL. XI.

Respondeo, affirmatiuam sententiam tenuisse Armillam ver.circumstantia, num.12. Viualdum in suo Candelabro parte 1. de confess.nu.50. Lopez parte prima, instructor. cap. 35.§.2. respondeo, & nouissimè Sanchez de matrim.lib.7. disp. 55.num.4. Ægidium de Coninck de sacramen. tom.2. disp.32. dub.2.nu.23. Nugnez in Addit.ad 3.p.q.9. artic. 2. dub. tertio. Et probant, quia talis copula singulariter repugnat reuerentiæ, tam ipsi sacramento, quàm confessario debitæ, qui est quasi spiritualis pater ipsius pœnitentis; vnde in cap. omnis 30. q. 1. dicitur, Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda sacri baptismatis regenerat. Vbi vides esse nostra spirituales filias, non solum quas baptizamus, sed etiam quas in confessione absoluimus. Ergo, &c.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, tamen contraria semper mihi visa est probabilior. Ratio est, quia incestus committitur inter cognatos, sed sacramentum pœnitentiæ, non inducit cognationem spiritualem, cum in illo iure expressa reperiatur, vnde illud capit. omnes, citatum; intelligitur de incestu metaphorico, & improprio. Ergo peccatum commissum cum pœnitente, non habet malitiam incestus, necessario in confessione explicandam. Probatur totū hoc ex capit.final.de cognat. spirituali in 6. vbi decernitur cognationem hanc oriri ex Baptismo,

ptismo, & Confirmatione, & postea subditur. Ex datione vero aliorum sacramentorum cognatio spiritualis neq; aquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissoluat. Et sic hanc opinionem tuentur Az orius, parte 3. lib. 3. cap. 9. quæst. 5. & 9. Emanuel Sà ver. confessio, num. 26. & ver. luxuria, num. 2. Bonacina de matrimon. quæst. 4. punct. 16. num. 7. & de sacramentis, disp. 5. quæst. 5. sectio 2. punct. 2. § 3. num. 9. Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 56. art. 2. dub. vlt. & alios quos citat, & sequitur Sancius in select. disp. 11. nu. 5. adde etiam quod Vegha in sum. tom. 1. ca. 55 cas. 19. & Rodriquez tom. 1. cap. 209. nu. 1. asserunt hanc esse solum circunstantiam aggrauantem. Sed secundum nostram opinionem, circumstantiæ aggrauantes nō sunt necessario in confessione aperiendæ, ergo neque ista erit etiam aperienda. Et sic patet responsio ad quæsitum; de quo etiam supra in tract. de circumstantijs.

Petrus habuit rem cum puella virgine, ipsa tamen consentiente, quæritur, an hoc sit stuprum habens malitiam specie distinctam à simplici fornicatione, & necessario in confessione explicandam?

RESOL. XII.

Olim affirmatiuam sententiam mordicus sustinebam cum Villalob. in summ. tom. 2. tract. 30. diffic. 10. num. 6. Filliuc. to. 2. tract. 30. c. 3. nu. 66. Valen. t. 3. disp. 9. quæst. 3. punct. 3. Cajet. 2. 2. quæst. 154. art. 6. ad 1. dubium. Iacob. de Graff. dec. aur. p. 1. lib. 2. cap. 79. Azor. p. 3. li. 3. cap. 11. quæst. 5. Suarez tom. 4. disp. 22. sect. 4. num. 6. nam in hac defloratione virginis, reperitur iniustitia, non contra ipsam personam virginis, quia consentientibus non fit iniuria, sed contra finem naturæ, ad quam concessit virgineum claustrum, cui non potest puella renuntiare, est n. custos, non domina illius signaculi. Adde quod si filia nubat inconsulto patre, absque iusta causa, peccat contra pietatem paternam, ergo multo magis peccabit, quando consentit se violari, tum quia vt dictum est, non habet dominium suæ integritatis corporalis, sicut neque habet dominium suæ vitæ; tum etiam quia pater habet curam speciale corporis filiæ, vt habetur Ecclesiast. 7. *Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum*. Igitur per stuprum infertur iniuria patri, qui custos est corporis filiæ suæ, siue illa consentiat, siue dissentiat: nam per filiæ consensum, non subtrahitur filia a custodia, & cura patris, vel tutorum, qui gerunt curam patris. Immo nec ipsa poterit consentire, sicut nemo potest consentire, vt sibi abscindatur manus; sed per stuprū fit scissio quædam, & ruptio cuiusdam membranæ carneæ, vt vult Vesalius de corporis humani fabrica, li. 5. & Fraghosus de Anatom. lib. 1. cap. 19. Ergo per stuprum verè infertur iniuria, etiamsi puella consentia.

Sed re melius considerata contrariam sententiam amplexus sum, & censeo stuprum si fiat consentiente puella, non continere specialem deformitatem, vel iniuriam supra simplicem fornicationem. Ratio huius sententiæ est, quia non reperitur in stupro specialis deformitas, nisi adsit specialis iniuria; sed quando puella voluntariè consentit, non infertur iniuria, nam scienti, & consentienti non fit iniuria. Ergo in stupro propter consensum puellæ non reperitur specialis iniuria. Nec valet dicere, quod in stupro saltem reperitur iniuria contra parentes, vel tutores inuitos, hoc enim falsum est; nam puella est domina suæ virginalis integritatis. Confirmatur, nam contra Valentiam 2. 2. disput. 9. quæst. 3. punct. 3. Gutierez qq. canon. lib. 1. cap. 37. num. 24. Lopez parte 1. instruct. cap. 77. Rodriquez tom. 1. cap. 208. nu. 3. & alios, verior sententia habet, violatorem virginis consentientis, nil teneri restituere parentibus, quibus virgo violata subest, vt asserunt Petrus Nauarra lib. 3. cap. 3. par. 4. num. 413. Bannez 2. 2. quæst. 62. artic. 2. dub. 7. Sotus, Veracruz, & alij apud Sanchez, vbi infra. Ergo nulla iniustitia, & iniuria consurgit per stuprum aduersus ius paternum. Dicendum est igitur, non dari speciem stupri sine raptu, atque ita violationem virginis spontè consentientis, etiamsi sit sub cura paterna, non differre a simplici fornicatione. Et sic hanc sententiam sustinent, & sequuntur Sancius in selectis disp. 29. nu. 7. Lessius libr. 2. cap. 10. dub. 1. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 14. num. 1. Vasq. opusc. de restitut. capit. 3. §. primo, dub. primo, nu. 6. Coninch de sacram. nt. tomo 2. disput. 7. dub. 4. numer. 19. & alij doctissimi Neoterici.

Hinc sequitur, vt notat Lessius numer. 8. delectationes, & desideria in adolescente cir a virginem, non habere specialem malitiam mortalem supra alias delectationes, modo adolescēs non habeat voluntatem inferendæ violentiæ. Vnde satis est in confessione, si dicat se delectationem habuisse, vel desiderium circa fœminam solutam, vel se copulam habuisse cum soluta, etiamsi habuerit copulam cum puella, modo ipsa, vt supra dictum est, consenserit. Et hæc circa hanc quæstionem satis est dixisse. Ad argumenta contrariæ sententiæ patet responsio ex dictis.

Quidam Sacerdos Capellanus cuiusdam Parochiæ, existens in peccato mortali, ministrauit per multos menses ægrotis Sacram Eucharistiam: quæritur, an toties in tali administratione peccauerit mortaliter?

RESOL. XIII.

Videtur omnino affirmatiuè respondendum. Nam istud ministerium est actus per se pertinens ad ordinis sacramentum, & ideo minister concurrit per characterem ad talem actum, vt minister religionis, & ex officio. Item, quia hoc ministerium immediate versatur circa sacramentum omnium sanctissimum, atque adeo exigit sanctitatem in ministro, qui si in peccato ministrat, peccat mortaliter. Et tandem cum hoc sacramentum sit cæteris excellentius, propter realē Christi præsentiam, si peccat mortaliter, alia sacramenta in mortali conferens, multo magis conferendo hoc sacramentum, quod nisi à ministro consecrato, & ex officio conferri non potest. Et sic hanc opinionem sequuntur D. Thomas in 4. distin. 5. qu. 2. artic. 2. quæstio. 4 ad 2. Paludanus distinct. 13. quæstio. 1. art. 4. conclus. 1. Richardus distin. 23. art. 1. quæst. 3. Sotus quæst. 1. art. 4. Suarez disp. 16. sect. 4. & dispu. 72. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 10. punct. 1. Bonacina de sacram. disput. 4. qu. 5. punct. 2. nu 3. & alij.

Verum oppositam sententiam docuerunt Henricus quodlibet. 6. quæst. 30. Martinus de Ledesma in 4. parte 1. quæst. 5. art. 6. dub. 3. & Petrus de Ledesma in summa, tomo 1. sacramen. in communi, cap. 6. concl. 8. difficult. 5. folio mihi 13. nempe non esse peccatum mortale, sed tantum veniale, alijs extra Missam Eucharistiam ministrare. Ratio est, quia licet hoc ministerium per se spectet ad potestatem characteris, & ad ministrum tantum ex officio, non tamen est actio causatiua gratiæ, per se loquendo, quia minister in eo casu, non est per se causa gratiæ, sed tantum conditio sine qua non, nempe causa applicans. Nec tāgit, nisi species materiales, quæ sanctitatem in se non habent, nisi sicut signa. Item, quia id olim fecerunt laici, & posset minister digitos panniculo circumuoluere, ne species consecratas immediatè tangat. Et tandem, quia si quis corpus Christi tetigisset, cum super terram ambulauit existens in peccato mortali, non peccasset mortaliter. Ergo, neque modo alijs Eucharistiam in peccato administrans. Hæc sententia videtur mihi probabilis, sicut etiam visa est Petr. de Cabrera in 3. parte D. Thom. de sacramen. quæst. 64. artic. 6. disput. 1. §. 5. nu. 17. ex quo sumpta est ista Decisio. Et sic respondendum est ad superius quæsitum, dictum sacerdotem administrantem ægrotis Eucharistiam in peccato mortali, non peccasse, nisi venialiter. Salua, & cætera.

Olim allatæ fuerunt mihi duæ dubitationes, an Sacerdos, qui omittit in consecratione particula (Enim) conficiat sacramentum, vel saltem peccet mortaliter; Secundo, quid si dicat, Hic est enim Cal s, s, pro x, vtendo?

RESOL. XIV.

Ad primam dubitationem respondet Fernandez in suo Exam. Theolog. parte 3. cap. 4. §. 6. num. 1. & Didacus Nugnus in 3. parte, tomo 1. q. 78. artic. 2. dictum Sacerdotum conficere sacramentum, sed peccare mortaliter. Et si arguas, ait ille, contra hoc, quoniam illa particula est res leuissima, & ex alia parte verè conficitur sacramentum sine illa. Ergo, licet habeat

habeat forma aliquam imperfectioοem, sine illa, erit tamen imperfectio leuissima, atque adeo ex paruitate materiæ, erit tãtum peccatum veniale illam omittere, Respondetur, quod licet illa particula secundum se sit leuissima, tamen prout continetur in forma, res grauis est, quoniam maxime cōueniebat ad excellentiam istius sacramenti, vt expressè significaretur certitudo consecrationis, & vniuersa Ecclesia ponit illam particulam, tanquam rem grauem. Hæc Nugnus.

Sed ego, his non obstantibus, consului talem Sacerdotem conficere sacramentum, & contra Nugnum peccare tantum venialiter, nam sine illa particula (*Enim*) adhuc saluatur sensus ipsius formæ. Ergo, Et leuitas materiæ excusat à peccato mortali; & ita sentiunt Henriquez lib. 8. cap. 16. num. 4. Coninch in 3. part. quæstio. 78. artic. 2. dub. 2. numer. 37. Suarez in 3. parte, tomo 3. disput. 59. sectio. 1. sed ponam hic pro tollendis scrupulis aurea verba Petr. de Cabrera in 3. parte, de sacrament. questio. 60. artic. 8. disput. 2. numer. 2. Quando mutatio (ait ille) & secundum rei veritatem, & secundum æstimationem ipsius ministri, accidentaliter se habet ad formam sacramenti, nec tollit eius veritatem, tunc minister peccabit tantum venialiter propter euitatem materiæ immutatæ, vel additæ. Imò crediderim quod etiamsi id faciat ex contemptu, nō peccabit mortaliter, dummodo contemptus diuinæ legis, id est terminatus ad materiam peccati venialis, solum est culpa venialis. Et Soto existimat hoc esse probabile, Quo fit, vt qui in forma Eucharistiæ prætermitteret illam particulam (*Enim*) non peccaret mortaliter. Hæc Cabrera. Sicut etiam, vt notat Valentia ex Soto tomo 4. disput. 7. quæstio. 1. puncto 3. si sacerdos dicendo tantum, *Te absoluo*, &c. relinqueret, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, se cluso scandalo, & contemptu, non peccaret mortaliter. Et secundum Bonac. & alios, de sacramen. disput. 2. q. 2. punct. 4. num. 16. qui in forma baptismi omitteret, *Amen, Ego, in*, & diceret, *Baptizo te nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ratione paruitatis materiæ, non peccaret mortaliter. Et hæc circa primam dubitatioonem.

Quo ad secundam, respondi eodem pacto, nempe sacerdotē conficere sacramentum, & non peccare, nisi tantum venialiter seclusò scandalo, & contemptu. Ita Pitigian. in 4. sentent. parte 2. distinct. 3. quest. 2. artic. 14. Ratio est, quia illa litteras, ex communi modo concipiendi, non tollit significationem substantialem. Quamuis enim in rigore, vox illa *Calis*, habeat aliam significationem, quā *Calix*, tamen quatenus pro fertur in ipso actu, & forma consecrationis vini, significat calicem ex communi modo percipiendi, & per consequens depravatio, & corruptio illius vocis, non reddit irritum sacramentum, nam talis variatio non censetur substantialis, sed accidentalis. Habeo pro hac opinione omnes illos autores, qui asserunt sacramentum baptismi administratū sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patrias, Filia, & Spiritua sancta*, validum esse. hi sunt D. Thom. in 4. parte, quæstio 60. artic. 7. ad tertium. Angel. verb. Baptisma, 2. num. 15. Tabiena eodem verbo 3. num. 16. D. Antonin. 3. parte, titulo 14. capit. 13. §. 3. Sotus in 4. distinctio. 1. quæstione pr ma, artic. septimus, Suarez, & alij. Excusabitur etiam, vt dix, a peccato mortali, ratione leuitatis materiæ, Salua, &c.

Mulier quædam domi puerum baptizauit Italicè, hac verba pronuntians: Io te battezo, co'l nome del Padre, co'l nome del Figliuolo, & co'l nome dello Spirito Santo, *flatim quæsitum fuit à me, an sacramentum sub tali forma administratum, fuerit validum?*

RESOL. XV.

Martinus Bonacina, vir huius litteraturæ consultissimus de sacrament. disput. 2. quæst. 2. puncto 4. num. 5. negatiuè respondit, nam ait ille, dicendo, *In nomine Patris, in nomine Filij*, &c. licet exprimitur Trinitas personarum, non exprimitur tamen vnitas essentiæ, quæ in forma baptismi est de substantia. Ergo. Vnde si aliquis baptizaret, in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non conficeret sacramentum, quia illa dictio *in nominibus*, non importat vnitatem essentiæ, & virtutis, sed potius numerat personas, & relationes. Et quamuis huiusmodi numeratio sit vera, quia tamen vnitas personarum in deitate non explicatur, ideo talis forma non est sufficiens. Sic communiter DD. Item si aliquis baptizaret, vt olim quædam mulier apud Comitolum resolut. mor. lib. 1. quæst. 10. sub hac forma, *Io te battezo co'l Padre, co'l Figliuolo, & con lo Spirito Santo*, inualidum esset sacramentum, quia in his verbis, non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ. Ergo. Vide etiam Didacum Nugnum in 3. parte, tomo 1. quæst. 66. artic. 5. difficult. 4. fol. 157.

Sed quidquid dicat Bonacina contraria sententia est prorsus amplectenda, nam vt asserit Suarez tomo 3. disput. 21. sectio 3. Coninch in 3. parte, quæst. 66. artic. 6. num. 58 & Petr. Cabrera de sacramen. quæstio. 66. artic. 6. num. 22. & alij, qui baptizat sub hac forma. *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij*, &c. non ideo asserit esse plura nomina; sicut, qui diceret in nominibus; sed idem essentiale Dei nomen commune tribus, ter repetit, quod rectè fieri potest absque pluralitate, sicut verè dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus; sed Dij nuncupari non possunt, quia hoc significat naturarum pluralitatem, illud vero minimè, quia sunt verus, & idem Deus. Et sic in nostro casu, consului dictum infantem fuisse, & esse verè baptizatum.

Quidam Sacerdos post consecrationem sanguinis, inuenit in Calice aliquas guttas separatas à vino, & illas cum purificatorio ante sumptionem sanguinis abstersit; quæritur, an illæ guttæ fuerint consecratæ?

RESOL. XVI.

Referam, quæ de hac quæstione apud authores inuenio Coninch, de sacrament. quæst. 74. art. 2 dub. 3. num. 41. hæc asserit, Nota legitimam intentionem consecrationis calicis, secundum communem, & optimam praxim, ferri solum circa omnem humorem cōsecrabilem, qui in calice per modum cōtinui, aut quasi continui continetur, vt comprehendat etiam aquam vino permixtam, & guttas vini, quæ proximæ continuo liquore calici intrinsecus adhærent, ita vt parua calicis agitatione reliquo vino misceantur. Tales enim guttas vini, vel prius abstergi, vel cum reliquo vino consecrari omninò expedit, ne materia non consecrata, misceatur consecratæ. Quare, nisi cōsecrans aliud expressè intendat, censetur communiter hanc totam materiam, & nullam aliam consecrare, & consequenter, nec guttas remotiores circa extremum labrum calici adhærentes. Quamuis magis expediat, prius omnes guttas, præsertim remotas abstergere, & tunc simpliciter omnem materiam consecrabilem, quæ est in calice, consecrare. Hæc Ægidius.

Sed Martinus Bonac. tra. de sacramen. disp. 4. quæst. 2. punct. 6. num. 7. absolutè asserit, omnes vini guttas, quæ sunt in calice, licet separatas à vino, manere consecratas, & reddit rationem; nam intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in calice existentem, quæ demonstratur per particulam Hic, vt patet à simili de consecratione plurium hostiarum in eodem vase existentium.

Ex his existimandum erat, peccasse mortaliter Sacerdotem illum, qui vini guttas existentes in calice, post consecrationem abstersit, nam erant consecratæ.

Attamen illi, pro sua consolatione, contrariam sententiam apud Reginaldum demonstraui, sic enim in praxi to. 2. lib. 29. c. 2. nu. 19. Si aliquæ sunt guttæ vini, vel extra calicem, vel in calice separatæ à toto vino, quod in calice ipso continetur, eas probabiliter iudicari non consecratas, ob defectum intētionis, tāque intentio habenda circa materiam calicis est, vt sacerdos intendat consecrare illud, quod per modum vnius continui potabile existit intra calicem. Sic ille.

Quidam Episcopus in sua Diæcesi confirmauit subditum alterius Episcopi, & hoc extra Ecclesiam, quæritur, an peccauerit?

RESOL. XVII.

Peccasse mortaliter, putat Petr. de Ledesma in summa, tomo 1. de sacram. cap. 9. cuius verba sunt. (El Obispo de vn Obispado, si confirma a quel que es de otro Obispado sin licentia del otro Obispo, peca mortalmente, como peccaria mortal-

mortalmente el Obispo, que ordenasse vn subdito del otro Obispo sin su licentia. Tambien peccaria mortalmente, el que en tal caso se confirmasse, si no es que tuuiesse ignorancia inuincible.] Hęc ille; quam opinionem sequitur etiam Bartholomęus ab Angelo dialog. 3. § 62. Aloysius Riccius in praxi var. resolut. p. 2. ref. 24. Tolet. lib. 2. c. 24. nu. 6. Vinaldus, & alij.

At mihi probabilior semper visa est contraria sententia. quã tuentur Henriquez lib. 3 c. 6. & Emanuel Sà, verb. confirmatio, n. 2. Ratio est, quia licet suscipiens sacramentum cõfirmationis, sit subditus alterius Episcopi, tamen præsumitur hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo. Sed seclusa ratihabitione, e it mortale, vt docet prima opinio.

Nec etiam peccauit mortaliter, quia ministrauit hoc sacramentum extra Ecclesiam. Nam licet Didacus Nugnus in 3 p. tom. 1. quæst. 72. artic. 12. teneat affirmatiuam sententiam, qu a excellentius est hoc sacramentum, quam baptismus, sed peccatum mortale est baptizare aliquem extra Ecclesiam, sine necessitate. Ergo etiam confirmare. Deinde probatur ex vniuersali consuetudine totius Ecclesiæ, quæ in re graui obliga: sub peccato mortali.

Attamen mihi semper placuit contraria sententia, quam sequitur ex antiquis Paludanus in 4. q. 3. art. 3. & ex recentioribus Suarez in 3. p. to. 3. disp. 38. sect. 1. ait esse probabilem; & Martinus Bonac. de sacr. disp. 3 q. vnica, punct. 2. æstimat, consuetudinem confirmandi in ecclesia, non esse receptam cum tanto onere, vt reum let alis culpæ constituat; nimis ergo rigide in hac re locutus est Nugnus.

An Petrus satisfecit præcepto Missæ, qui eodem tempore sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuit; nempe Missam vnius Sacerdotis, vsque ad consecrationem. & Missam alterius Sacerdotis, a consecratione vsque ad finem.

RESOL. XVIII.

RESpondeo hoc successiuè fieri posse, vt si quis veniẽs ad Ecclesiam tempore eleuationis Missę reliquum illius audiat, & postea partem alterius vsque ad eleuationem. Sic Nauarr. c. 21. n. 2. Emanuel Sa verb. Missę auditio, n. 2. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1 Henriq. lib. 9. c. 25. nu. 8. Barthol. ab Angelo, de Missa, §. 782. & alij communiter, qui asserunt hoc facere, solum esse peccatum veniale sine iusta causa.

Tota ergo difficultas est, an hoc sit licitum in eodem tempore. Negat Regmaldus to. 2. lib. 19 c. 2. p. 3. nu. 26. vbi ait. Cæterum videntur omnino tenendum, Missæ auditionem non integrari sufficienter per duas medietates, quando quis vnam medietatem audit ab vno sacerdote, qui Missam incipit, & eodem tempore alteram medietatem ab altero Sacerdote, qui est in medio Missæ, nam consuetudo in contrarium ostendit aliam fuisse mẽtem Ecclesiæ præcipientis Missæ auditionem. Id quod indicare videntur ver c. Missas speciali ordine; inter partes vero, quæ simul sunt, non seruatur ordo.

Sed hæc ratio Reginaldi mihi non placet; nam illud verbũ, *speciali ordine*, non videtur construendum cum verbo *audire*, sed cum verbo *Præcipimus*, ita vt sensus sit, speciali ordinatione, seu lege præcipimus Missas audire. Sed audiamus Nugnum tom. 1. in 3. p. quęst. 83. art. 6. ad 3. melius in hac re philosophantem, asserit enim. Actio audiendi Missam cum sit successiua, habens veras partes, impossibile est, quod sit simul, atque adeo quando aliquis audit simul duas Missas secundum differentes partes, non possunt illæ duæ partes reputari, tanquam partes eiusdem Missæ, etiam moraliter loquendo, vt reputantur, quando audiuntur in diuersis temporibus; sed ambæ simul sumptæ reputantur, tanquam vnica pars tantum, & idcirco nullo modo potest dici, quod ille audiat integram Missam, quemadmodum si aliquis homo haberet intellectum angelicum, ita vt posset attendere ad primum versum horæ canonicæ recitando illum, & ad secundum, qui recitaretur ab alio socio, & hoc modo recitaret totam horam canonicam, res certissima est, quod non adimpleret precepttum, licet adimpleatur recitando vnum versum, & audiendo alterum recto ordine. Hæc Nugnus, quem sequitur Coninch de sacr. in 3. p. quæst. 73. art. 6. dub. 2. nu. 288. Suarez, & alij.

Sed non pauci contrariam tenent sententiam, quam probabilem vocat ex nostris Molfes. in summ. tom. 1. tract. 3. cap. 17. num. 36. in fine, nec destituta videtur ratione: nam Ecclesia non præcipit, vt Missa audiatur ab vno Sacerdote, sed simpliciter præcipit Missam audire; duæ autem medietates Missæ, constituunt vnam Missam, & quamuis Missa debeat audiri secundum suum ordinem, tamen hoc non est de necessitate pręcepti sicut alibi diximus de illo, qui horas canonicas recitat non seruato ordine, quem nõ peccare mortaliter probauimus. Et ideò Ioannes Azorius par. 1. lib. 7. c. 3. quæst. 3. dixit, quod vera est illa opinio communiter recepta, & etiam ab ipso, nempe posse aliquem satisfacere præcepto Missæ, si in diuersis temporibus audiat partem Missæ ab vno Sacerdote, & partem ab altero; erit etiam vera altera opinio, quę concedit posse hoc fieri in eodem tempore. Nam quod pertinet, ait Azorius, ad attentionem, potest ad vtrumque animum intendere. Adducunt aliqui pro hac firmanda opinione, id quod notat Io. Maior in 4. disput. 12. q. 8. dub. 1. L. delma in sum. to. 1. de sacram. Eucharist. c. 27. & Sãch. in decal. lib. 1. c. 14. n. 12. cum Scortia de sacrificio Missę lib. 2. c. 20. nu. 10 nempe, qui duplicem Missam audire tenetur, posse eas simul audire, dum eæ in duplici altari simul celebrantur. Hæc apud authores ci ca præsentem quæstionem inueni. Non reticeam tamen Reuerendissimum D. Franciscum de la Riba, Vicarium Generalem in hoc Archiepisc. Panormit. virum prudẽtia, morum probitate, ac doctrina celeberrimum, de hac quæstione a me consultum, affirmatiuè respondisse.

Quæritur, an illæ particulæ, vel Hostiæ, quas quis inscio Sacerdote consecrandas apposuit in corporali, remaneant consecratæ?

RESOL. XIX.

EX communi DD. sententia, negatiuè respondendum est; nam materia consecranda debet determinari per intẽtionem consecrantis, vnde Coninch in 3. p. q. 74. art. 2 dub. 3. n. 39. ait. Si Sacerdote omnino inscio essent appositæ aliquæ hostiæ consecrandæ, non posset censeri has velle consecrare, etsi essent positæ in corporali, quia voluntas non potest ferri in omnino incognitum. Intentio autem consecrandi, quæ includitur pręcisè in voluntate celebrandi sacrum, tantum necessario fertur circa materiam, quam manibus tenet tempore consecrationis, vel quæ est in calice: nisi aliquæ circumstantiæ cogant eam ad alia extendi. Ad quod necessarium est, vt hæ sint cognitæ à Sacerdote, quia intentio, vt dictum est non infertur in omnino incognitum Ita etiam Summa Angelica verb. Eucharist. 1. §. 26. & Tabiena ver. Euchar. 2 §. 4. cum Barthol. ab Angelis, dialog. 4. §. 380. & alij.

Sed quia aduersus hanc sententiam, inuenio Neotericum quemdam disputantem, in gratiam lectorum non reticeam eius verba. Igitur Didacus Nugnus tom. 1. in 3. part. quæst. 44. art. 2. difficult. vlt. ait. Quod si hostiæ positæ addatur alia, sacerdote inscio, consecratio vtriusque valida est. Ratio est, quoniam dum sacerdos non habet irreligiosam intentionem, semper intelligitur, & præsumitur habere religiosam intentionem, quam debet habere, quæ talis est: Mea intentio est consecrare istam hostiam, quia credo istam futuram esse præsentem, si tamen fuerit alia præsens, mea intentio est illam consecrare. Et licet hoc non dicat expresè, dicitur tamen virtualiter, & includitur totum hoc in eo, quod est habuisse rectam intentionem; aliud est, si habuit à principio formalem intentionem non consecrãdi, nisi istam, quia tunc si fortè app natur alia, nullum est sacramentum. Hæc Nugnus. Nec valet dicere, quod materia consecranda debeat esse aliquo modo, vt diximus, determinata per intentionem consecrantis, vt probant Suarez in 3. p. to. 3. disp. 43. sect. 6. Vasquez in 3 p. to. 3. disp. 71. cap. 1. n. 6. Henriquez lib. 8. cap. 14. nu. 5. Toletus lib. 2. cap. 25. num. 6. & alij. Nam respõdet Nugnus, quod etiam in isto statu determinatur materia ex intentione Sacerdotis, quoniam quando accedit ad consecrãdum, debet habere intentionem consecrandi illam, quam habet præsentem, atque adeo non impedit, quod sit alia, quam ipse apposuit a principio. An hæc opinio sit sequenda, videant viri docti.

Ex

Ex quadam huius regni ciuitate, relata hæc quæstio mihi fuit, Possitne quidam Religiosus surdaster ad sacros ordines promoueri?

RESOL. XX.

PAulus Comitol. in suis respon. mor. lib. 6. quæst. 55. negatiuè respondit, & multis rationibus conatur hanc suam confirmare sententiam, sed præcipue hoc argumento. Gelasius Papa ad clericorū munera eos promoueri vetat, qui sunt vitiati corpore. Verum surdaster est vitiatus corpore. Ergo ad munera clericorum promoueri nō potest. Minor ad hunc modum probatur. Is est vitiatus corpore, qui corporis vitio aliquo laborat. Verum surdaster corporis vitio laborat, est enim surdastritas vitium auditus, seu aurium, & quilibet surdaster auditu est vitiatus. Ergo est corpore vitiatus.

At ipse DD. volumina voluens, contrariam sententiam communiorem inueni; quam sequuntur hi omnes, Sayrus de censuris lib. 6. c. 8. n. 17. Bonacina de censur. disp. 7. q. 2. p. unct. 2. n. 7. & ex ipsa Comitoli familia, Reginald. to. 2. lib. 30. tr. 2. c. 5. sect. 2. n. 59. cum Maiolo de irregul. lib. 1. c. 25. n. 1. & Iacob. de Graff. dec. aur. lib. 4. c. 27. n. 51. qui asserunt; surdaster cum quis est, seu cum vel difficile audit, vel altera aure tantum surdus est, nullo iure prohibetur ad sacros ordines promoueri.

Ad argumentum verò Comitoli, potest quis respondere, non omne vitium corporis adducere irregularitatem, sed tantum illud, quod adducit nimiam deformitatem apparentem, quam non habet surdaster, & qui altera aure surdus est. Salua semper, &c.

Canonicus mihi continuatissimus litteris ad me missis, scire auebat; vtrum Sacerdos Beneficiatus exercens per multos annos crimen sodomiticum cum fœmina, occultè tamen, & sine scandalo, incurrerit in irregularitatem, & in pœnas Extrau. Pij Quinti.

RESOL. XXI.

REsponsum negatiuum accepit; & primo quod irregularitatem, licet sodomia ratione infamiæ illam inducat; capit. infames 6. quæst. 1. cum sit crimen enormissimum, vt habetur in cap. adulterij 32. quæst. 7. tamen cum occultè exerceatur, non inducit irregularitatem, vt tradit Nauar. cap. 27. num. 249. cum Valent. tom. 4. disput. 7. quæst. 19. punct. 3. §. 5. & Coninch de sacram. disput. 18. dub. 7. num. 56. & habetur expresse in cap. vlt. de temporibus ordinandorum. Cuius rei ratio est clara. nam crimen occultum non parit infamiam, secus autem si esset publicum, vt ex multis probat Auila de cens. par. 7. disp. 4. concl. 1. quę doctrina procedit in omnibus alijs criminibus, quibus à iure infamia annexa est; vt sunt periurium in iudicio, simonia, vsura: vsuriarum, sacrilegium, duellum, hæresis, cuiusce sauor, crimen læsæ maiestatis, persecutio hostilis Cardinalium, & similia. Cum igitur dictus sacerdos, non sit sodomita publicus, non erit irregularis.

Quoad pœna Bullæ Pij V. priuationis priuil gij clericalis officij, & beneficij, &c dico probabiliorem esse illam sententiam, quæ asserit, dictam Bullam non esse receptam in vsu quoad forum internum: sic Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 1. litt. F. Auila de cens. part. 7. disput. 4. dub. 7. concl. 8. in fine, cum Greg. Sayro lib. 7. cap. 12 num. 23. Adde, quod licet dicta Bulla esset recepta etiam in foro conscientiæ, tamen dictus sacerdos exercens actum sodomiticum cum muliere, nō incurreret in præfatas pœnas. Sic Azorius in terminis part. 3. lib. 3. c. 19. quæst. 3. vbi quærit; An in hac extrauaganti Pij V. comprehendatur clericus cōmittens copulam contra naturam cum fœmina: & respondet; minime, quia licet vas sit contra naturam nō est tamen peccatum sodomiticum, quia sodomia est concubitus, in quo non seruatur debitus sexus: vt ipse Azorius cap. 20. probat ex D. Th. 2. 2. quæst. 154. ar. 11. & Caietanus ibid. Scio contrariam opinionem tenere Sayrum de censur. vbi supra num. 25. in fin. Alousium Riccium in sua praxi part. 1. resol. 302. num. 2. Garsiam de beneficiis, tom. 2. part. 11 cap. 10. §. 2. nu. 297. & Prosperum de Augustino in addit. ad summam Bullarij Stephani Quaranta, ver. sodomia. vbi ait. Præsentis constitutionis dispositionem, & pœnas ampliamus, non solum in clerico sodomita masculorum concubitore, sed & in eo, qui fœminam præpostera venere cognouerit, cum in hoc casu sodomia propriè committi dicatur & citat Afflictum, Menochium, Clarum, Couarruuiam, & alios. Sed mihi opinio Azorij probabilior videtur. Sed de hac quæstione iterum infra redibit sermo.

Quos manifestauit complicem in confessione, cum haberet copiam adeundi alium confessarium: cui non erat notus complex. in alia vero confessione, cum scrupulum de hoc haberet, manifestauit confessario, qui sacrilegium putauit primam confessionem dum in ipsa pœnitens peccauit mortaliter, manifestando peccatum occultum proximi sine necessitate, & ideo repetendam esse dicebat. Consultus ego de hac re ab ipsomet pœnitente, negatiue respondi.

RESOL. XXII.

REtinquēdo multas alias rationes; sciendum, est, quod magna est inter Doctores controuersia, an sit peccatum mortale reuelare crimen occultum vni, vel duobus viris prudentibus, qui secreto retinebunt. Partem negatiuam amplexi sunt Salonius, & Bannez in 2. 2. quæst. 73. artic. 2. ille controu. 1. conclus. 5. hic dub. 1. & alij ap. d Clauem Regiam lib. 11. c. 6. n. 12. & Bonacina de controuers. disp. 2. qu. 4. punct. 3. nu. 2. & nouissimè Ioannes Malderus in 2. 2 tract. 7. cap. 1. dub. 4. cum Alphonso de Vegha in sum. tom. 2. ca. 8. cas. 12. & Ioanne Azorio to. 3. lib 5. cap. 9. quæst. 2. Probatur hæc opinio; nam vt ait Malderus, si temere de proximo iudices, iniuria est mortalis; non obstante quod versetur in materia simili, in qua hæc detractio mateiç, ergo paruitas hic à mortali non excusat. Confirmatur ex affinitate istorum peccatorum, quæ pater Iacob 4. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem detrahit legi, & iudicat legem.* Sed ad hoc argumentū respondebit Bonacina, negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia per iudicium temerariū fit alteri grauis iniuria, cū ex leuibus indicijs imponatur illi crimen, quod potest esse falsum, imponere autem falsum crimen, est peccatum mortale. Quare aliud est manifestare viro taciturno verum crimen, aliud manifestare, vel imponere falsum crimen per detractationem, vel iudicium temerarium: primum excusatur à culpa, non autem secundum. Alia vero argumenta, pro hac firmanda opinione, videnda sunt apud citatos DD.

Sed mihi licet hęc opinio communis, & probabilior videtur, contrariam etiam tāquam probabilem amplectendam esse nō dubito, etiam sine vlla limitatione, cum qua sequitur illam Lessius libr. 2. cap. 11. numer 70. Dico igitur absolutè, & sine restrictione, non esse peccatum mortale, reuelare crimen proximi vni, vel duobus, quibus dicere perinde sit, ac si nulli diceretur; quia cum adsit periculum diuulgationis, hoc videtur esse leue detrimentum in fama. Sic Caietanus in 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 1. Petrus à Nauar. lib. 2. c. 4. num. 335. & ex neotericis Societatis Iesu, Valerius Reginaldus tom. 2. lib. 2. 24. c. 4. num. 75. & alij. Ex his apparet, dictum pœnitentem manifestando complicem cōfessario, non peccasse mortaliter, vnde patet responsio supra positæ quæstioni.

Olim orta est inter aliquos Sacerdotes magna controuersia, an tactus impudici facti in Ecclesia habeant specialem malitiam sacrilegij mortalis, necessario in confessione explicandi.

RESOL. XXIII.

AFfirmant plures, & præsertim ex neotericis Ortiz in summa notabil. 5. in fin. circa, 6. præceptum, Ioannes Salas in part. 2. tomo secundo, tract. 13. disput. 6. sectio. 12. numer. 150. in fine, & Franciscus Suarez de religione, tom. 1. libro tertio, capit. septimo, numer. 11. vbi citat Cardinal. Syluest. Lopez, Rodriquez, & Ledesmam. Ratio huius sententiæ non fundatur in Ecclesiastica prohibitione; nam hæc prohibitio facta nō est, nisi de feminis emissione in Ecclesia. Ergo censent hos tactus impudicos in Ecclesia factos mortalia sacrilegia, ex vi legis naturalis auersantis illos actus in loco sacro, tanquam indecen-

centissimos sanctitati eius. In quo genere actus illi reputantur prudenter materia grauis, & sufficiens ad grauem irreuerentiam loci sacri. Forrasse tamen non erit idem de turpi aspectu, aut nutu, aut leui verbo, maximè quando in transitu, & sine notabili mora, & scandalo fiunt, quia non videntur materia ita grauis. De quo non potest ferri certa regula, sed id prudenti iudicio relinquendum est. Hæc Suarez.

Sed nimis scrupulosè. Puto igitur cum Sanchez de matrim. to.3. lib.9. disp.15. nu.21. & Coninch de sacram disp 7. dub.4. n. 22. probabilis esse tactus turpes, & impudicos habitos in Ecclesia, modo non adsit periculum pollutionis, ratione loci sacri, nō habere specialem malitiam sacrilegij in confessione aperien ās. Et ratio est, quia vt docet Valentia 2.2. disput 6. q.15. punct.1 §. Præterea, cum Henriq. lib.5. de pœnit. c 6. nu.5. Vasquez in p.2. to.1. q.72. art.6. disp.98. nu.4. malitia, & specialis deformitas sacrilegij, non consurgit ex iure naturæ, sed ex solo Ecclesiæ statuto, quod decernit Ecclesias tantum ex sanguinis, & seminis effusione violari. Itaque, vt optimè etiam docet Caietanus to. 1. trac. 28. responsionum, resp. 12. dub. 1. tunc loci circumstantia sacrilegium constituit, cum peccata in eo admissa impediāt diuina posse ibi celebrari, mortuos sepeliri, &c. Sed tactibus, quāuis impudicis, vt patet, non violatur Ecclesia, neque per illos impediuntur diuina officia. Ergo tales tactus etiam turpes, non erunt sacrilegi, neque continebunt circumstantiam in confessione detegendum. Post hæc scripta, inueni contrarium Suarez & aliorum tenere etiam ex neotericis Raphael de la Torre in 2.2. to.2. qu.99. art.4. disp.7. vbi quærit, quando sacrilegia pertinentia ad actus turpes in Ecclesia sint peccata mortalia? Et respondit esse mortalia in fornicatione, pollutione, & tactibus impudicis in partibus inhonestis, & ideo aperienda in confessione. Sed nostra opinio tutò practicari potest; de quo etiam supra dictum est.

Quidam vir timoratæ conscientiæ audiuit detrahentem de re graui, & non correxit: quæritur, an a lethali culpa excusari possit.

RESOL. XXIV.

Respondeo, si illa detractio fuit facta solum ante ipsum, vel alterum virum probum, & taciturnum, detrahentem non peccasse mortaliter iuxta opinionem probabilem Cordubæ q. 2. concl.5. & aliorum, quos retuli supra, quia talis infamia non censetur notabilis. Ergo neque peccaturt mortaliter audiētes quicquid in contrarium asserat Malderus in 2.2. tr.7. c.1. dub.4. & ex parte Lessius lib.2. c.11. dub.4 n.21.

Dico secundo, etiam si illa detractio fuit facta coram pluribus excusabitur à mortali, per ea quæ mihi ipse consulens interrogatus respondit, nam vt optimè notauit Bonacina trac. de contract. disp.2. qu.4. punct.11. nu.8. audiens detrahentem non debet in dubio præsumere loquentem malum, nisi habeat sufficientes coniecturas in contrarium; & cum ipse nesciat, an delictum quod ab alio narratur, sit publicum, vel occultum, & vtrum iustè, vel iniustè narretur, non peccat nō obsistendo narrationi, fieri enim potest; vt iustè quis narret, & consequenter alius faciat iniuriam narranti obstando ac si corriperet de peccato, quod nescit esse peccatum. Hoc etiam obseruauit Rebel. de oblig. iust. p.1. lib.4. q.6. nu.8. & Io Mald. in 2.2. tr.7. c.1. dub. 15. vbi ait, possessionem famæ dubiam, te quidem arcere à detrahendo, sed non sufficere, vt detrahentem iudices; quia, & ipse in dubio possessione bonæ opinionis exuendus non est. Notent hanc doctrinam confessarij, sic enim tollent multos scrupulos, quibus viri timorati in tali casu angi solent, & etiam propter hanc rationem colligitur sæpius, priuatas personas excusari à mortali, non obstando detrahentibus.

Aliæ vero causæ, quæ excusant non obstando detractioni, videndæ sunt apud Molin. tom.5. tra.4. disp.34. Azor. p.3. libr.13. c.7. in fin. Arragon. in 2.2. q.63. art.4. Less. lib.2. c 11. dub.4. n.21. Reginal tom.2. lib.24. c.4. qu.8. num.65. Petr. à Nauarr. de restit. lib.2. c.4. num.337. & 338. Valent. tom.3. disp.5. qu.17. punct.4. Salonium in 2.2. quæst.73. art.4. Sotum lib.5. q.10. ar.4. Saytum in Claui Regia li.11. c.9. n.37. & Rebellium, Maldetum, Bonacinam, vbi supr.

Petrus confessione accusauit se decies adulterasse, sed postea cognouit se quinquies tantum in peccatum adulterij incidisse; quæritur, an quando denuo confitetur debeat certum numerum declarare, & dicere se tantum quinquies peccasse.

RESOL. XXV.

Martinus Bonacina vbi infra, ait hanc difficultatem nullum expressis verbis declarasse, sed ego inuenio ad illam affirmatiue respondere Io. Yribarne in 4. sentent. dist.17. disput.57. sect.8. tom.2. vbi quærit. Quid iuris, si peracta confessione occurrant memoriæ aliqua peccata mortalia, quorum in foro illo non meminit? & respondit. Quod si error in assignando numero fuit notabilis, tenetur pœnitens denuo forum repetere, & illa explanare. Vt exempli causa. Si bis, vel ter mœchatus est, & confessus est se decies mœchatum fuisse, deinceitur iterum confiteri. Sic ille.

Sed mihi prorsus placet opinio contraria Bonacinæ de Sacramen. disput.5. quæst.5. sect.2. punct.3. num.3. nam si bona fide maiorem numerum peccatorum mortalium in confessione expressit, non solum tenetur non repetere confessionem, vtpotè validam, & integram formaliter, verum neque tenetur errorem maioris numeri confiteri. Ratio est, tum quia peccata sua confessioni semel subiecit, eorumque absolutionem obtinuit à Confessario, iudicium ferente circa minorem numerum in maiori contento: tum quia secunda confessio esset potius excusatio, quàm accusatio. Nec valet dicere, quod in tali casu deciperetur confessarius in materia graui; nam respondeo, quod sic pœnitens deciperet confessarium non formaliter, sed tantum materialiter in sui præiudicium, & incommodum, maioris numeri expressi, maior pœnitentia fuit illi à confessario iniuncta. Hæ sunt rationes Bonacinæ pro sua firmanda opinione, quam etiam ex nostris docuit P. D. Marcellus Megala in 1. part. instit. confessar. lib.5. cap.18. num.10. vbi postquam dixisset ex communi sententia Doctorum, quod si quis in confessione manifestando numerum, si error notabilis sit, tenetur verum numerum manifestare. At si erravit in excessu, confitendo maiorem numerum notabiliter, non putat eum teneri ad verum numerum manifestandum: quia cum bona fide, & absque dolo id fecerit, confessio non fuit infidelis, nec peccaminosa, & verè fuit integra, & quia in numero maiori minor numerus continetur. Hæc opinio prorsus est sequenda.

Olim per litteras quæsitus fui à quodam sacerdote: vtrum Episcopus possit legatum aliquod in æquale, aut melius commutare.

RESOL. XXVI.

Et digladiantes hinc inde DD. tam recentiores, quam veteres inueni; aliqui affirmant, aliqui negant. Negant ex nostris P. Naldus ver. legatum, num.39. Molfes in summ. tomo 2. tr. act.13. capit.5. num.182. & ex Societate Iesu P. Molina de iust. tom.1. tract.2. disput.249. ex Iuristis Guido Papa decis.556. Bertachinus tract. de episc. p.4. nu.76. Capella Tholosana dec. 26. Abbas in c. tua nobis, de testam. num.4. Aloysius Riccius p. 2. decis.125. & alij. Probatur hæc sententia multis rationibus, & primo per textum, l. legatum, ff. de administr. verb. ad ciuit. pertin.

Secundo, quia voluntas testatoris pro lege est seruanda, leg. in conditionibus primum locum, de condit. & demonstrat. & capit. vltima voluntas 13 quæstio.2. Tertio, quia sic videtur definitum, vt ait Molina, & alij in Clementina, quia contingit, de Relig. dom. his verbis. Cum ea, quæ ad certum vsum sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua sedis Apostolicæ authoritate) conuerti. Hæc ibi Clemens V. approbante Concilio Viennensi. Et annuersarium, quod relinquitur pro virginibus maritandis, nullo modo patitur commutationem; ait Illephonsus Perez de Anniuer. & Cappellanijs lib.1. c. 14. nu.38 & c.22. nu.10. Aliqui DD. limitant hanc sententiam, & asserunt, pro vna vice tantum posse Episcopum commutare aliquod legatum ex aliqua causa. Ita M. Anton. Genuensis in praxi

praxi Archiepiscop.cap.19.n.5.& Riccius in collect.in p.3.collect. 558.

Sed contrariam sententiam absoluté sequuti sunt M.Anton. Genuensis, mutans opinionem in practicabil. Ecclesiast. tricenar.8.quæst.213. Sylvest.ver.legatum 4.quæst.12. Vasquez opusc.de testam.c.8.§.5.dub.3.nu.104 Iacob.de Graffeis 10.2. Consiliorum lib.3.cons.2.num.10. Comitolus in respon.moral.li.7. quæst.9.n.2 Beia in respon.cas.consc.p.4.cas 22. Lucas de Penna latissime in leg.vni .Co.de expensis ludorum, & Fernandez in exam.theol.p.4.c.18 §.2.num.2.qui citat D.Antoninum, Angelum, Tabienam, Armillam, Bartolum,& alios. Hi omnes asserunt, etiamsi non adsit aliquod impedimentum iuris, vel facti; posse Episcopum commutare legatum in æquale, vel melius,maxime cum consensu hæredum. Nec in hoc casu Episcopi constringunt voluntatem testatorum, sed potius dicendum, est interpretari;sic enim commutando,seruant non explicitam, & formalem, sed virtualem, & interpretatiuam dispositionem testatoris.

Ad authoritatem vero Clem. si quis contingit, quam refert Molina,& alij respondentur cum Luca de Penna vbi supra, & alijs,illud Decretum Pontificis,non procedere vbi iusta commutationis causa subest;quod patet ex eo,quod ibi bona illa collata fuerunt, vt pauperes lepra infecti reciperentur, quod rectores hospitalium renuebant inhumaniter facere, quin etiā prouentus eosdem in suos vsus conuertebant.Iustè ergo ibi subiungitur,cum tamen ea,quę ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salua quidem Sedis Apostolicæ authoritate conuerti.

Nec valet dicere, huic opinioni obstare Concilium Tridentinum de reformat. sess. 22. c.6. vbi requirit in his commutationibus iustam,& necessariam causam, nam respōdet Comitolus vbi supra,in isto loco Concilij particulam illam &, habere vim disiungendi,& idem esse quod,vel, aut seu, vt in lib.2. Physicorum text.3. vbi Aristoteles definit naturam esse principium, aliquod mouendi,& quiescendi. In quibus verbis particula &, est pro vel. Igitur verba Concil.non sunt accipienda coniunctiuè, sed disiunctiuè, & sic Episcopus potest commutare legata, vel ex necessaria causa, vel ex iusta. Sed ad intelligentiam, huius quæstionis,notandum est duplicem posse reperiri causam iustam permutandi legatum pium. Vnam,quę se tenet ex parte rei,hoc est cum in æquale illod,vel melius, fit permutatio. Alteram,quæ se solum tenet ex parte commutantis, hoc est, vt fiat bono fine,quamuis,neque in æquale, neque in melius. Ad permutanda ergo legata pia, absque causa se tenente ex parte rei, sed tenente se solum ex parte commutantis, requiritur authoritas Papæ. Sed ad illa permutanda cum causa se tenente ex parte rei,sufficit authoritas Episcopi. Hæc Syluester, & Beia, vbi supra.

Ex his omnibus patet,me olim cōtra quemdam Theologum recte respondisse cum Genuensi vbi supra, legatum pro ornamentis,& fabrica Ecclesiæ,potuisse Episcopum in celebratione Missarum commutare.

Vir quidam Nobilissimus, cum in ludo taxillorum magnam pecuniarum summam perdidisset, coegit socium ad persistendum in ludo, vnde postea pecuniam perditam iterum acquisiuit, imò plus quam perdiderat antea, vicit: quæritur, an teneatur ad restitutionem?

RESOL. XXVII.

Casus hic frequens est,& erit Confessarijs multum vtilis. Affirmatiuè dicto viro nobili respondit quidam Theologus, & ita in terminis tenent hanc sententiam absolutè Claui Reg.lib.11.c 1, n.1. Malderus in 2.2.tr.1.c.17.dub.3. Femand. in suo exam.theol.mor.p.t.c.15.§ 6.nu 6. & ex nostris P. Molfesius in summ.to.2.tract.12.c.21 nu. 59. Cardinalis vero Toletus lib.5.cap.27.n 7.quem sequitur noster P.Megala 2.2.lib.2.c. 19.quæst.3.num.16. obligat hunc cogentem, & ita lucrantem, restituere eam tantum partem , quam supra quod perdiderat, lucratus est.

Hanc sententiam sine vlla limitatione etiam necesse est , vt teneant omnes illi DD. qui asserunt nexu restitutionis vinciri illum,qui traxit alterum ad ludum minis,precibus importunis, &c.Hi sunt Alphonsus de Vegha in summ. part.2.ca.13.cas.12. Rebellius de oblig.iust.part 2.lib.12.quæst.3.nu.7.Azorius par. 3.cap. 15.lib.5.quæst.1. Valentia tomo 3.disput.5.quæst.9.punc. 5.dub.8.Comitolus in resolut.moral.lib.3. quæst.9.num.2. Salas tract.de ludo, dubit.6. num.2. cum Bannez, & Aragon. in 2.2.quæst.32.art.7. ad 2. & alijs. Probatur hæc opinio; nam qui ita ludit, inuoluntariè ludit. Ergo, Secundo contractus gi aui metu factus,est irritus iure naturæ,& dominium non transfert, sed in nostro casu interuenit metus, & vis, aut tanta importunitas, quæ æquiualeat violentiæ: Ergo talis contractus ludi erit irritus,ac proinde obligabit ad restitutionem . Tertio , per vim si cogam aliquem ludere cum alio,& periculo dare rem suam , si illi damnum inde proueniat, clarum est , quod ad restitutionem tenebor. Ergo etiam tenebor, si cogam aliquem mecum ludere ; nam militat vtrobique eadem ratio. Hanc sententiam propter has rationes,& alias, quas inuenies apud DD. citatos, Reginaldus tomo primo,lib.10.cap.25.num.385.ait esse in praxi sequendam.

At mihi contraria opinio , his non obstantibus, probabilis etiam videtur,sicut etiam probabilis visa est. Lessio lib.2.ca.26. dub.2.nu 9.& absolutè illam sequuntur Adrianus de rest.quæst. de ludo,Garsias de contract.par.2.c.19.& ex Neotericis Ludo. Molina de iust.& iure tract.2.disput.516 num.2.nam talis contractus ludi fuit validus, & iustus, nam si hoc non esset, qui ludit attractus,vincendo teneretur ad restitutionem, cum itaque sic inductus si vincat, poterit retinere lucrum . Ergo etiam qui induxit; poterit etiam,si lucretur;nam si talis contractus est validus ex parte attracti,erit etiam ex parte attrahentis, debet n. esse par vtriusque conditio. Item attrahentem alterum per minas ad ludum esse dignum, vt priuetur lucro per sententiam, non tamen verum est,esse ipso facto priuatum. Adde,quod propterea non teneri causa damni quia ex illo ludo poterat sequi in inuoluntarie attracto,tam lucrum,quam damnum. Cæteras rationes vide apud Molinam vbi supra . Ex his apparet responsio ad quæsitum,cum hęc opinio secunda sit probabilis,posse dictū virum nobilem a confessario excusari a restitutione.

Fuit sæpius a diuersis confessarijs ad me delata ista quæstio, An gabella possit imponi rebus ad proprios vsus necessarijs, nimirum carnibus, piscibus, sali, frumento, oleo, &c. & si pœnitens nollet restituere defraudationem talis gabellæ, an sit illi deneganda absolutio.

RESOL. XXVIII.

Memini tunc me respondisse Molinam tomo 3.disput.669. num.2.Suarez de legibus,lib.5.cap.15.n.3. Vasquez opusc.de rest.cap.6.§.3.dub.1, Azorium parte 3.libr.5.cap.21.quæst. 2.Malder.in 2.2.tr.5.cap.6.dub. Ioan. de la Cruz in direct.consc.p.1.præcept.7.art.3.dub.1.conclusio.1. Turrian.in 2.2.tom.2. disput.14.dub.3.num.2.& alios,affirmatiuam sententiam tenere; nam tales gabellæ non sunt prohibitæ iure naturali,sed solum ciuili, sed ius ciuile potest consuetudine abrogari . Ergo, vbicunque talis consuetudo extiterit , talis gabella non erit iniusta . Suarez vero probat impositionem huius gabellæ non esse iniustam,quia prohibitam, & respondet ad ius ciuile ; neque quia malum. Ergo,&c.Hanc opinionem sequuti sunt Lessius lib.2.cap.33.dub.7.Reginaldus tom.1.lib.10.cap.25.n.377. Molfes.in sum.to 2.tract.12.c.22.nu.96. non absolutè,sed in his quatuor casibus.Primò,quando vrget necessitas publica, & vectigalia aliunde colligi non possunt,neque sufficiunt. Secundò, quando hęc gabella ex communi,& libero consensu populi statuitur Tertio, quando securitati prædictarum rerum deuectarum,alia via consuli non potest. Quartò, quando consuetudo , quæ hominum memoriam excedit,obtinuit, vt super huiusmodi rebus vectigalia imponantur.

Sed hanc sententiam non esse amplectendam defendunt nō infimæ classis Theologi. Hi sunt Caiet.ver. vectigal. Zanardus in suo director.p.2.cap.12.in expositione septimi præcepti. Medina in part.2.quæst.56 artic.4.fol.mihi 513.Sotus de iust.lib.3. quæst 6.art.7.Tolet.lib.5.cap.73.num.t. Angel.ver.Pedagium, nu.3.Sayrus de cens.lib.4.ca.9.nu.9. Bertazzol. vol.1. consil.207. num.4.Roland.vol.3.consil.42.num.28.Becius consil.96.num.5. & 18. & alij.Probatur hæc opinio . Quando non seruatur iusta forma

forma gabellæ, gabella est iniusta. Sed in nostro casu non seruatur iusta forma gabellæ. Ergo est iniusta. Maior est certa. Minor probatur; quia in tali genere tributorum, pauperes plus grauantur, quàm grauari debeant; postulat enim iusta forma tributorum, vt pauperes non magis onerentur, quam diuites. Sed in nostro casu non seruatur proportio Geometrica inter diuites, & pauperes. Ergo, &c. Hæc sententia mihi videtur probabilis; sicuti etiam visa est Martino Bonacinæ de contract. disp.2.q.9. punct.1.n.5. licet ego sequar contrariam probabiliorē. Quare dicendum videtur, non debere confessarium denegare absolutionem pœnitenti, qui nollet restituere talium gabellarum defraudationem.

An non solum in extrema, sed etiam in graui necessitate, sit licitum pauperibus occultè surripere ab opulentis: si aliter illud malum graue auertere nequeant.

RESOL. XXIX.

COmmunis opinio negat, & ratio est; quia licet diuites possint, & debeant subuenire talem necessitatem patienti; tamen sunt multi alij egeni occurrentes in pari necessitate, cōstituti, quibus subuenire conuenientius esse iudicabunt; nam arbitrio eorum relictum esse hoc censetur, & reuera est; quia præceptum eleemosinæ non datur determinatum ad certam circumstantiam. Adde, quod si hæc libertas daretur egenis, pateret via furtis, & rapinis; nam facile vnusquisque putaret se grauem pati necessitatem, & diuites superflua habere. Hanc opinionem sequuntur Azor. p.2. lib.12.c.8.qu.8. Turrian. in 2.2. dispu.82.dub.8. Valentia to.2.disp.5.q.6 punct.5. Sotus lib.1.de iust.q.7.art.4. Reginald.to.1.lib.4.c.20.nu.967. Caiet. in 2.2.q.66.art.7. cum Salonio ibidem conclus.2. qui asserit, hoc ita esse, quia grauis necessitas non facit res communes, vt facit extrema, nec tribuit ius in aliena.

Non desunt tamen, pro contraria firmanda opinione, rationes, & DD. Dico igitur, cum Bonacina de contr. disp.11.q.vlt. punct.1.nu.32. probabilem esse illam sententiam, quæ asserit in graui necessitate licere furari aliena occultè. Per grauem necessitatem, intelligo non quouis modo grauem, sed valde grauem, etsi non extremam, puta si fuerit necessitas morbi, famis, nuditatis, &cet. Nam cum diues in isto casu teneatur dare, ita pauper potest accipere, absque iniuria ipsius, nam facit id ad quod ipse tenetur. Secundò, grauis necessitas faciliter conuertitur in extremam. Ergo si pauper potest surripere in extrema, poterit etiam in graui necessitate; cum non appareat, cur hoc solum ad extremam necessitatem restringendum sit. Tertio, diues in hoc casu non potest cum ratione esse inuitus circa substantiam acceptionis, licet modus displicere posset, si accipias antequam petieris, & inopiam tuam demonstraris. Ergo talis subreptio non erit peccatum mortale, si hic ordo non seruetur. Et sic hanc sententiam amplexi sunt Malder. in 2.2.qu.32.ar.6. dub.6. Lessius lib 2.c.12.dub.12.nu.71. Petr. à Nauarr. lib.3.p.4. cap.1.dub 5. Angelus ver. furtum, nu.37. Emanuel Sa verb. furtum n.1. Medina, Syluester, Nauarrus, & alij, quibus ego libenter assentior. Salua, &c.

Vtrum decretum super absolutione à casibus reseruatis, derogat priuilegijs confessariorum commorantium in hoc Siciliæ Regno, & Sardinia.

RESOL. XXX.

NOtandum est, quod hodie quicunque sæcularis, siue Regularis absoluere presumens à casibus Episcopis reseruatis, seu contentis in Bulla Cœnæ, & ab alijs quibuscunque etiam extra illam Apostolicæ Sedi reseruatis, excommunicationem ipso facto incurrit, & illius absolutio est Pontifici reseruata, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, vt patet per Decretum Sacræ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium editum die 9. mensis Ianuarij 1601. & ex declaratione illius edita die 26. Nouemb. 1602. quam inuenies apud Fmellium de cas. reser. ca. 6. nu.6. & alios.

His suppositis, quæritur modo, an Regulares existentes in hoc Regno virtute suorum priuilegiorum possunt absoluere à dictis casibus. Et ratio dubitandi est; nam supradictum Decretum Congregationis est directum Regularibus, per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus. Megal. in 1. part. lib.1.cap.14. num.20. sententiam negatiuam amplexus est, quia ait ille, ita practicatur in Sicilia, quæ praxis fundari potest in leg. Insulæ, de iudicijs, vbi ita habetur. Insulæ Italiæ sunt, & sic tradunt etiam Bart. in tract. de insula, §. nullus, num.2. Cepolla in trac. de seruit. rust. præd. c.26. de mari, nu.16. Cumia de ritibus Regni Siciliæ, c 6.nu.38. & Matta de iurisd. p.1.c.26.nu.35. Ergo cum sint dictæ Insulæ partes Italiæ, & decretum prohibeat absolutionem à reseruatis virtute priuilegiorum confessarijs degentibus in vniuersa Italia, comprehendi etiam eos, qui in Insulis prædictis degunt.

At Horatius Gambarupta de cas. reseru. capit.3. num.8. contrariam opinionem amplexus est, vbi ait. An hoc decretum extendatur ad Insulas Italiæ adiacentes, vt sunt Sicilia, Corsica, & Sardinia, &c. Qui Italiam describunt, vt Plinius libro 3. cap.5. & Ptolomæus in sua Geographia libr.3. tabul.5. Europæ, has Insulas in Italia non admittunt. Nisi forte dicamus, præsertim de Corsica, cum sit in mari Ligustico, ita & in Liguria comprehendi, quæ est pars Italiæ; nam de Sardinia, & Sicilia minus videtur dubium, cum sint extra Italiam, & mare, in quo sunt, non possit dici Italum, sed Afrum, aut medium inter Afrum, & Italum, vt est Sardinia. Ideo non crederem ad eas Insulas se extendere hoc Decretum. Hæc ille, satis probabiliter. Adde, quod Clemen. VIII. in litteris Indictionis sex decimarum super omnibus fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis Italiæ, emanatis sexto Idus Maij 1601. specialem mentionem facit de prædictis Insulis, dicendo se imponere prædictas decimas super fructus beneficiorum in Italia vniuersa, & in Insulis Italiæ adiacentibus consistentium. Ita etiam expressit Vrbanus VIII. in Decretis de celebratione Missarum. Dat. Romæ die 21. Iulij 1625. Quod frustra Summ. Pontifices fecissent; si aliàs sub nomine vniuersæ Italiæ venissent, cum expressio eorum, quæ tacitè insunt, nihil operetur, leg.3.ff. de leg. Sed post hæc scripta Sacra Cardinalium Congregatio sub die 18. Nouemb. 1628. ex mandato Vrbani VIII. derogat priuilegijs Regularium absoluendi à casibus reseruatis Episcoporum, etiamsi extarent extra Italiam, & sic contraria sententia non potest amplius sustineri.

Quis omisit aliqua peccata in confessione ex ignorantia vincibili obligatus, in qua obliuione peccauit lethaliter, nimirum quia non adhibuit diligentiam necessariam in examinanda conscientia: quæritur, an talis confessio fuerit inualida, & ideo iteranda.

RESOL. XXXI.

REsolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an detur cōfessio valida quantum ad substantiam, ita vt non teneatur homo confiteri eadem peccata, atque adeo sit verum Sacramentum confessionis, & nihilominus, quod sit confessio informis, idest, non conferens gratiam, sicuti est verus baptismus informis in illo, qui baptizatur, cum intentione peccandi: Partem negatiuam tuetur Vasquez in 3.p.tom.4.quæst.92 art.2. & 3. Coninch de sacr. disp.4.dub.5.n.40. & dub.11.n.71. & Suarez in 3.p.tom.4. cum alijs. Ratio est, quia in tali casu, vel pœnitens confitetur sua peccata sufficienter, & est sufficienter dispositus, vel non. Si dicatur primum, confessio erit formata, si vero dicatur secundum, nulla est confessio, nam ipsa dispositio est in hac parte pars substantialis sacramenti; Ergo non potest dari confessio informis. Si respondeas, quod talis pęnitens non est sufficienter dispositus, non tamen cognoscit illam suam indispositionem contra hanc responsionem fit secundum argumentum. Vel talis ignorantia est vincibilis, vel inuincibilis, si est inuincibilis, excusatur omnino a peccato, & sic talis confessio erit formata, si est vincibilis talis ignorantia est peccatum mortale. Ergo non potest efficere, vt sacramentum sit validum. Hæc sententia est probabilis.

Sed contraria, & communiter recepta in Schola D. Thomę, probabilis etiam mihi videtur, quam relictis veteribus, sequuntur Sotus in 4. dist 18.q.3.art.2.& 3. Canus in relect. de pęnit. p.3. Caiet. in 1.to. opusc. tr.5.q.5. & nouissimè Io. de la Cruz in direct. consc. p.1. de sacr. pen. q 3.dub.9.concl.2. P. Fay in addit. ad 3.p.q.9.ar.1.disp.5. Simplicianus Mutunus in sua Theul. morali

de sacram.pœnit.qu.30. Nugn.in 3,p.tom.2. q.9.art.1. fol.mihi 303.& Per.de Ledesma in summ.tom.1.de sacram,pœnit,cap. 13,conclus.6.fol,mihi 310. Martinus de Ledesma 2.p.4.q.8.art, 1.dub.3.Couart,in cap.Alma mater,p.1.§.4.n.13.& alij.Probatur,quia sicut baptismus,& alia sacramenta verè recipi possunt integra secundum essentiam, absque fructu gratię propter prauam dispositionem suscipientis. Ergo ita & sacramentum pœnitentiæ.

Ad argumenta in contrariam,& præcipuè ad secundum, ex quo pendet solutio primi, respondetur, ignorantiam non posse esse rationem formalem,vt conficiatur sacramentum, posse tamen esse conditionem requisitam,Et hoc non habet in quãtum ipsa ignorantia est peccatum, sed in quantum tollit peccatum maius,scil.peccatum ex certa scientia, quod nõ solum opponitur gratiæ,sed etiam substantiæ huius sacramenti. His ita prælibatis, respondeo ad propositam dubitationem negatiuè nam ex defectu integritatis contra Vasquez, & Suarez vbi supr. potest dari sacramentum informe, sed validum, sic Nugnus, & Ledesma loco citato. Et casus erit, quando pœnitens habet sufficientem dolorem,& confitetur omnia peccata,quæ occurunt memoriæ,ad quod fecit aliqualem diligentiam; sed non ita, vt tota quanta necessaria erat, sed pœnitens ex illa ignorantia, mortaliter culpabili, iudicabit talem diligentiam sufficientem esse.Licet igitur hæc confessio sit sacrilega,quia scil. in illa peccat pœnitens mortaliter; tamen valida est, quantum ad substãtiam, ita vt non sit iteranda, & non teneatur pœnitens, eadem peccata iterum confiteri.

Ex hac doctrina recepta, vt dixi, communiter à Thomistis, possunt confessarij non raro excusare pœnitentes ab onera reiterandi confessiones. Regula verò ad cognoscendum, quando præparatio fuerit sufficiens ad validitatem confessionis iterandæ, vel non iterandæ hæc est, Si post Confessionem plura peccata occurrant memoriæ, quam in Confessione explicata sint, non fuit diligentia sufficiens.Si antem occurrant aliqua peccata multo pauciora, quam Confessa, credendum est, quod fuit diligentia sufficiens, & à fortiori fuit sufficiens vt Confessio esset valida; vnde in similibus casibus nõ est homo obligatus ad iterandam confessionem;sed debet se accusare de illis peccatis non confessis, & de negligentia saltem ad cautelam. Hæc Nugnus vbi supr. quæ confessarijs ad tollendos scrupulos multum plausibilia futura esse confido; & est sententia communis Patrum Dominicanorum.

Cum Concilium Tridentinum asserat sess.11. Canon.17. Sacramenta tribus perfici materia, forma, & intentione ministri, & cum intentio sit triplex, habitualis, virtualis,& actualis: quæritur quænam sit sufficiens ad validè conficiendum Sacramentum.

RESOL. XXXII.

OMnes DD. asserunt intentionem habitualem non sufficere, sed virtualem requiri, & actualem non esse necessariam; discordant tamen in assignando, quænam intentio virtualis sufficiat.

Prima sententia est Valent.tom.4. disput.3.quæst.5.punct.3, vers.Intentio autem implicita,& Henriqu.in sum.lib.1.c.10.nu. 2.vbi ait.Intentio virtualis dicenda etiam est illa, quæ quamuis non videatur fluisse ex efficaci vi vel motiuo primæ intentionis,aut quia licet nunquam habuit intentionem sic explicitam, volo facere, quod Ecclesia Romana intendit, & quod Christus instituit: habuit tamen confusam, vt si quis ordines sacros suscipit, vt fiat sacerdos, & minister Ecclesiæ, & absque alia forma intentionis, (si nunquam habuit contrariam) consueuit celebrare. & ministrare sacramenta, etiam cum distractione mentis,hic enim cõficit Eucharistiam,& alia sacramenta. Hæc Henriquez.

Secunda sententia, est communiter omnium aliorum Doct, qui asserunt,intentionem virtualem necessariam ad Sacramentum illam esse, quæ actu transijt, & virtute manauit ex impressione in imaginatiua relicta ex primo proposito, quo quis humano modo ad agendum se applicuit; qua excitatur potentia motiua, vt actus initio propositos (qui primum actum immediate sequuntur, aut cum eo saltem mediatè connexi sunt) perficiat, homine interim alia omnia cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur. Vt verbi gratia, incipit quis sacrum intendens celebrare, & postea totum sacrum omnino distractus ordine suo perficit, hic habet intentionem virtualem, nam illa Missa omnes illæ actiones, à prima illa intentione verè secundum modum agendi humanum procedunt ratione imaginationis, quam prima illa voluntas applicauit, sic Coninch de Sacram.quæst.64.art.8.dub.2.num.71. Cabrera de Sacram.qu.64.art.8. disp.1.§ 5. num.41. Vasquez in 3.p.tom.2. disp.138.cap.6.Pesantius in 3.p.qu.64.art.8.disput.2. Molfes.in summ.tom.1.tract.3.cap 4.num.11.Nugnus in 3.p.to.1.qu.64. art.8.Bonac,de sacram,disp.1.qu.3.punct.2,§.3. nu. 12. Suar.in 3.p.to.3. disp.13.sect,3. Camerota de sacram.tract.1.c.2. qu.7. Summa Corona p.4.capit.4.num.56.Antonius de Litterariis in summ.p.1.cap.23.nu.15.Fernandez in suo exam. Theol. p.3 c. 1.§.4. nu.6. & alij.

Tertia opinio est Valerij Reginaldi in praxi, tom.2. lib.26.c. 3. numer.38. qui posuit duplicem intentionem virtualem sufficientem ad conficiendum Sacramentum, vno modo, vt explicatum est in secunda opinione, altero modo, ait ille, intentio virtualis dicitur, quæ ex natura sua, vel ex Ecclesiæ institutione comprehenditur sub altera intentione, cum qua sic coniuncta est, vt ea præsente, censeatur ipsa quoque adesse. Ita scil.ratione,qua votum castitatis ita comprehenditur Subdiaconatu, vt eo ipso; quod quis vult ad hunc promoueri,censeatur velle cõsentire in votum perpetuæ castitatis seruandæ. Sic igitur eo ipso, quod Sacerdos vult secundum Sacerdotum consuetudinem induere vestes Sacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Missam. Quia enim induere vestes Sacerdotales, medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem; fit,vt in tali actione induendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi,& in intentione induendi intentio celebrandi; donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur. Atque huiusmodi quoque intentionem virtualem ad Sacramentum sufficere dicendum est,alioquin dicẽdum erit multos Sacerdotes non consecrare,nec alia Sacramenta cõficere. Ita Reginaldus. Quid sentiam, dicam breuiter. Prima opinio Henriqu. videtur mihi nimis laxa secũda opinio est probabilior, tertia Reginaldi est probabilis,quam quidem, si amplectantur Sacerdotes, ex multis scrupulis, quibus angi solent, liberi, immunesque erunt. Salua semper, &c.

Olim cum quodam Religioso fuit mihi magna altercatio; an in cogitationibus venereis sit peccatum mortale, si voluntas non consentiat positiuè, nec etiam positiuè dissentiat, sed tantum permissiuè se habeat.

RESOL. XXXIII.

PArtem affirmatiuam tuentur Vasquez in part. 2. to. 1. disp. 108.cap.2.num.2.Zumel in part.2.quæst.74.art.4.dub.1.disput.2.concl.2.Valent.tom.2.disp.6.quæst.4.punct.3.Lessius de iust.lib.4.c.3.dub.15.nu.127. Bonacina de matr.quæst.4. punct. 7.num.7. Becanus in sua Theol.schol. p.2.tract.2.c.5.qu.5.n.4. Azor.to.1.lib 3.c.6.q 6.Sayrus in Claui Regia libr.8.c.7.nu.3.& Curiel in p.2.q.74.art.8.dub.2.§.2.fol.mihi 493.Ratio est, nam in tali casu si non adest consensus formalis, adest tamen cõsensus interpretatiuus: sed consensus interpretatiuus, æquiualet formali.Ergo si consensus formalis in delectationibus venereis est peccatum mortale, etiam erit consensus interpretatiuus. Hæc opinio est probabilior.

Sed contrariam non falsam, vt ille Religiosus aiebat, sed probabilem cum Sanchez tom.3.de matr.lib.9. disp 45. nu.25. & Bonacina vbi supra num. 8, esse existimo. Dico igitur non esse peccatum mortale,quando voluntas se habet negatiuè, nõ impediendo, vel non reprimendo motus, & tentationes, quas potest reprimere,animum alio diuertendo, necessaria est enim positiua complacentia in motibus sensualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, cum non adsit interpretatiuus consensus,quia non tenetur illam cogitationem expellere, quando nõ est periculum formalis, & expressi consensus; sic Caietan. in summ.ver.delectatio.Philiarchus to.1.p.2.lib.4.cap.18. Herrera in 2.sent.disp 33.quæst.7.concl.2. Reginal. to.1.libr.15.c. vltim.num.65 & tom.2.lib.22.c.2.num.10.condit.3.Petr.Lorca in p.2.tom.2.disp.28. num 62.cum Molfes.in sum.tom.1.tract. 8.cap.octauo,num.43. & 45. Nauarr.in sum.cap.11.numer.12.

Corduba

Corduba in suo quæst. libro 1. quæstio. 23. dub. 10. ad 7. & alijs, quam ploribus apud Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. capit. 2. nu. 13. & apud Ioann. Salas in part. tom. 2. disp. 6. sect. 3. nu. 25 Ratio, qua fulcitur hæc opinio, est ista. Nemo peccat mortaliter, nisi trãsgrediatur aliquod præceptum obligans ad mortale, sed hoc non fit in tali casu, quia tota obligatio, quæ potest esse in tali casu, oritur ex illo præcepto negatiuo Non cõcupisces. Sed hoc præceptum non obligat ad depellendam cõcupiscentiam, sed solum ad non consentiendum. Ergo sufficit non consentire, & solum negatiuè se habere. Confirmatur, quoniam, vt ait Lorca vbi supra, contingere potest, hos motus permitti propter iustam causam absque vlla culpa, & in hoc conueniunt nobiscũ Authores primæ sentẽtiæ. Ergo et amsi . bsque iusta causa permittantur otiosè, vel ex causa veniali, non erunt peccatũ mortale, quia quod per se malum est, propter nullum finem potest iustè fieri; si ergo aliquando contingit hanc permissionem esse licitam, ex genere suo non est mala.

Ad argumentum in contrarium respondetur. Quando æqualis obligatio est non permittendi, & non procurandi, consensus formalis, & interpretatiuus sunt æquales in malitia, & si vnus mortalis est, alter etiam est mortalis; non tamẽ est eadem obligatio non procurandi, & non permittendi cogitationes rerum turpium, & ideo consensus formalis; potest esse mortalis, consensu interpretatiuo existente veniali; sic posset aliquis magis obligari ad non procurandam dignitatem, vel aliquid aliud, quam ad illud reijciendum. Sic velle occidere hominem est peccatum mortale contra iustitiam, sed non pascere illum in extrema necessitate, aliquando est peccatum veniale contra misericordiam, aliquando mortale contra eamdem virtutem, aliquando vero est mortale contra iustitiam. Itaque non semper consensus interpretatiuus, & virtualis alienę mortis, æquiualet, nec ferè æquiualet formali. Ita Salas vbi supra nu. 33.

Celebris est illa quæstio inter Theologos nostri temporis, an in delectatione morosa fatenda sint circumstantię operis, quod est quęrere, an delectatio sumat speciem ex opere externo.

RESOL. XXXIV.

PEtrus de Lorca in part. 2. to. 2. disput. 28. de peccatis membr. 3. Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. c. 2. num. 11 Martinez in p. 2. q. 15. art 4. dub. 1. Bonacina de matr. quæst. 4 punct. 8. nu. 18. Lessius lib. 4. c. 3. dub. 15. n. 124. in fin. & Rodriq. in summ. tom. 3. c. 101. n. 3. affirmatiuè respondẽt. Et probatur hæc opinio generali principio, & per se noto; actus voluntatis speciem sumũt ab obiectis, opus autem exterius est obiectum interioris delectationis. Ergo ab illo sumit speciem: id autem quod ab alio sumit speciem, est eiusdem speciei cum illo. Ergo delectatio est eiusdem speciei cum opere.

Non desunt tamẽ pro contraria opinione Authores magni nominis; hi sunt Vasquez in part. 2. tomo 2. disput. 112. capit. 2. Sayrus in Claui Regia libr. 8. cap. 7. num. 19. & nouissimè Valerius Reginaldus tomo 2. libr. 12. cap. 2. sect. 3. num. 18. Pro cuius declaratione notandum est, esse duo genera actuum voluntatis, aliud est actuum efficacium, quales sunt, qui respiciunt executionem, aliud est actuum inefficacium, qui sunt simplices affectus in obiecta extra executionem. His positis assero, vel delectationes morosæ consistunt in efficaci voluntate, vel in simplici complacentia; si delectationes sunt consensus efficaces, diuersæ sunt eorum species, perindè ac operum illicitorum, quæ d nt eis suam malitiam, & in hoc casu sumũt malitiam, ex opere externo; si autem delectationes sunt simplicis complacentiæ, sine vllo affectu ad opus; omnes sunt vnius speciei, cum sint eiusdem malitiæ, vtpote oppositæ vni tantum virtuti castitatis, ac eodem modo, nimirum per turpitudinem veneream in qua absolutè versantur. Nam verbi gratia, delectatio simplicis complacentiæ de coniugata, non versatur circa illud obiectum, quatenus est iniuriosum alteri, quia scilicet persona illa sit iuncta matrimonio; aut quod marito fiat iniuria; sed versatur circa illud obiectum, quatenus est delectabile secundum tactum, nimirum, quia mulier pulchra. Ergo non contrahit malitiam ab illa circunstantia. Probatur consequentia; quia in illa delectatione, neq; expressè, neque interpretatiuè; approbatur iniuria in maritum, cum nullo modo consentiatur in opus externum, vt re ipsa exequendum, quo solo iniuria irrogatur. Idẽ videtur dicendum si persona sit affinis, vel Religiosa; præscinditur enim ab hac circunstantia, nec ea quicquam confert ad illam delectationem. Ita Lessius, qui probabilem, vt reuera est vocat hanc opinionem, sicuti etiam vocauit Bonac. vbi supra, Emanuel Sa ver. luxuriæ, nu. 3. Ioan. Salas in p. 2. tom. 2. tr. 13. disp. 6. sect. 7 nu. 56.

Nota verò, quod excipiunt ex ista doctrina duo casus. Primus est coniugatorum. Secundus est habentium votum absolutum castitatis; hi enim in quauis delectatione morosa, non solum peccant contra castitatem, sed etiam illi contra fidem in matrimonio datam, isti cõtra Religionem; sic Reginaldus, Bonacina, Vasquez, & Coninch vbi supra.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur, voluntatem efficacẽ accipere malitiam ab opere externo, quod habet pro obiecto secundum analogiam deriuatam, delectationẽ vero simplicis complacentiæ, non item, sic Vasquez loco cit.

Pluries a nonnullis Confessarijs quęsitus sui, an Comędijs interesse sit peccatum mortale.

RESOL. XXXV.

REspondi rem esse periculosam, & peccatum lethale existimauit Comitolus in respons. mor. lib. 5. q 21.

Tamen si audiantur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus, etiam si res turpes repræsententur, & modus repræsentandi sit turpis, ego puto non esse peccatum mortale. Ita Bonacina, & Squillante vbi infra, Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 47. num. 41. Alphonsus de Mendoza qu. 9. positiua, num. 11. folio mihi 607. Rodriq. in summ. tom. 3. c. 71. nu. 1. Io. Salas in pr. 2. to. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 14. num. 165. Lorca in p. 2. tom. 2. disp. 28. de peccatis, membr. 3. §. ex dictis in fine, vbi ait. Excusari possunt, qui audiunt comœdias, vel legunt libros, in quibus res turpes, & facinora repræsentantur. Si enim delectatio sistat in repræsentatione ipsa, & non procedat ad rem repræsentatam, & absit periculum consensus in actus ipsos, non est peccatum mortale. Sic ille, & Azorius p. 3. libro 5. cap 27. qũ. 7.

Quæ quidem opinio non solum tenenda est, quoad sæculares, sed etiam quoad Clericos; non enim peccant mortaliter cessante scandalo, quod puto modo non esse, quia frequentissimum est Clericos Comœdijs interesse, neque ob id sæculares ad peccatum mouentur; nam eodem modo audirẽt comędias, licet Clerici abessent, & cum eodem detrimento, si quod patitur. Nec obstat prohibitio c. Clerici 2. de vita, & honestat. Clericorum, quia secundum Innocentium in d. cap est tantum de honestate, vel quod verius credo cum Caiet. in summ. ver. Clericorum peccata, ille textus non obligat sub mortali, cessante scandalo, & contemptu. Deinde contraria consuetudine videtur abrogatus Et sic hanc opinionem sequuntur Sanchez, Rodriquez, & Salas vbi supra, & nouissimè Paulus Squillante de oblig. Cler. p. 2. nu. 45. Martinus Bonacina de matrim. quæst. 4. punct. 9. nu. 22. & alij.

Quidam vir in absentia coniugis sępius habuit delectationem de actu coniugij præterito, & etiam futuro, ac si actu pręsens esset sine tamen aliquo periculo pollutionis. Confessarius in confessione obligauit illum ad explicandum numerum dictarum delectationum; quæsiuit postea a me, an vere in illis delectationibus peccauerit mortaliter.

RESOL. XXXVI.

QVod sic, opinatus est Syluest. ver. delectatio, nu. 2. & Nau. cap. 16. nu. 10. quos sequuti sunt Neoterici multi, vt Ioan. Salas in p. 2. tom. tract. 13. disp. 6. sect. 30. num. 205. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 6. Fernandez in suo exam. Theol. p. 4. c. 2. §. 4. n. 6. & nouissimè Rodriq. in sum. to. 3. c. 88. nu. 7. Probatur, quia de similibus idem ius, & iudicium est, sed in viduis esset lethale delectari de copula præterita, quasi tunc esset præsens. Ergo idem erit, & in coniugatis.

At ego, semper in praxi contrariam sententiam amplexus sũ cum Curtele, in part. 2. quæst. 74. dub. 3. §. 2. diffic. 2. Zanard. in direct. Theol. part. 1. tractat. de matrim. cap. 41. Bonac. de matrim. qu. 4. punct. 8. num. 12. Sanchez de matr. to. 3. lib. 9. disp. 44. num. 3.

num.3. Vasquez in part.2.tom.2.disp 113.c.2.n.2. Lessio de iust. lib.4.c.3.dub.1.num.21. Reginald tom.1.libr.11.c.5.n.52. Medina in p.2.q.82.ar.8 & Coninch de sacr.disp 34.dub.11.n.113. Et ratio est, quia delectatio sumit malitiam, & bonitatem ex obiecto. At obiectum huius delectationis est licitum. Ergo licita erit, & delectatio. Et hæc opinio procedit, etiamsi ex tali delectatione procederet aliquo commotio, & alteratio in partibus pudendis absque periculo tamē pollutionis. Sic Bonacina, Zanardus, Vasquez, & Sanchez vbi supra.

Ad argumentum contrarium respondetur, disparitatem esse manifestam, nam vidua nō potest ita delectari circa actum habitum cum coniuge defuncto, quia hic actus iam in præsenti est ei illicitus; non autem est illicitus coniugatæ. Potest igitur coniux sumere delectationem de actu coniugij præterito, vel futuro, etiamsi illum, tanquam præsentem, & nunc exercitum per imaginationem constituat, & sic copula imaginaria se oblectare.

Olim per literas à quodam Sacerdote interrogatus fui, de opinionibus Doctorum circa præsentes casus. Primò, an peccaret mortaliter, si quis confricaret membra pudenda brutorum, sine vlla delectatione, sed solum ex curiositate inspiciendi semen. Secundò, si coniugatus immitteret membrum virile in os fœminæ, peccaret etiam mortaliter. Tertiò, si absente coniuge liceret se ipsum tangere libidinis, & voluptatis causa absque pollutionis periculo.

RESOL. XXXVII.

OBscœna sunt hæc fateor, sed confessarij debent discernere inter lepram, & lepram, & omnia munda mundis. Dico ergo ad primum casum, quod Bonac. de matrim.qu.4. punct.9. nu.15. & Io. Salas in p.2.tom.2.tract.13. disp.6.sect.20.nu.148. respondit negatiuè, propter magnum periculum pollutionis, vel inordinati alicuius affectus, & frustra conatur ille, vt sic brutum semen expellat, naturale enim est in solo coitu semen effundere. At Thom.Sanch.de matr.tom.3.libr.9. disp.46.nu.15. ait communiter non esse mortale, obscœnas brutorum partes confricare, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio, & solum ex curiositate fit, & quamuis confricans intenderet, ut brutum semen expelleret ex curiositate illud videndi, nō esse mortale; quia non est mortale impedire bruti generationem, aut efficere vt abortiat, sicut nec ipsum necare; Sed tu ne deseras primam sententiam.

Ad secundum respondet etiam Sanch. vbi supr. disp.17.nu.5. negatiue; sicut etiam ego opinor non peccare mortaliter, si cōiux intra vas naturale fœminæ digitos quasi membrum virile immittat. Ratio est, quia talis tactus nō est medium improportionatum, nec alterius ordinis luxuriæ, sicuti est inchoatio copulæ sodomiticæ, etiam non animo consummandi, nisi intra vas legitimum, licet Nau.lib.de pœn.& remiss.conf.7 Angelus ver.debitum, n.25. & nouissimè Zerola in praxi pœnit.c.12.qu.25. cum Iacobo de Graffis to.1.li.5.de adult.conf.3.n.11. Gambacurta tr.de cas.reser cas.1.de sodomia,n.5. Zanardus in directot.confes.p 1.tr.de matr.c.41.§.10. hoc vltimum etiam côiugatis concedant. Sed non posse dictos actum sodomiticum incipere, contra præfatos DD. docet Bonac.de matr.qu.4.punct. 11 n.12. Sanch.lib.9. disp.17. num.4. & nouissimè Rodriqu. in sum.to.3.cap.88 num.2. & Basilius Pontius de matr lib.10.cap. 21.nu.5.

Ad tertium Salas vbi supra nu.119. sentit culpam esse lethalem, si coniux libidinis causa se ipsum tangat; nam, vt ait ipse, tactus qui nec fiunt cum coniuge, nec ad finem coniugij referuntur, reuera non sunt coniugales; nam fiunt à coniugato, ac si coniugatus non esset, sed solutus: ergo sunt mortales, non minus, ac si essent in solutis, & sic etiam tenet Vasquez in p.2.to. 2.disp 113.nu.4.

At tamen supradictus Sanchez loco cit.disp.44.n.16. docet, secluso periculo pollutionis, non esse mortale, sed tantum veniale hoc facere, cum hac tamen limitatione, nisi tactus ex natura sua accommodatus sit, vt homo in se ipso quantum possit effingat coitum. Ratio est, quia cum tactus ille suapte natura indifferens sit ad copulam coniugalem, & ad licitam, possitque ad vnam, & alteram referri, nec ex intentione tangentis se, à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitā ordinetur, non est cur de culpa mortali damnandus sit. Et sic hanc sententiam sequuti sunt etiam multi alij Theologi Societatis Iesu, vt ipse Salas loco cit. nu.128. notauit.

Ad argumentum in contrarium respondetur, non posse dici eum tactus non esse actum coniugis, quia non habetur cum coniuge; quoniam vt actus coniugis sit, non opus est cum coniuge fieri, sed satis est, vt ad actum matrimoniale præsentis coniugij suapte natura ordinari possit, nec ab hoc scopo ex intentione operantis aberret.

Verum his non obstantibus opinionem Vasquez, & Salas asserentium in tali casu peccatum mortale adesse, puto esse amplectendam. Vnde in nouissima editione operum Thomę Sanchez, supradictæ opiniones non inueniuntur impressæ.

Quidam vir coniugatus semine intra vas emisso, membrum virile extrahit, manente fœmina valde irritata libidine: quæ postea tactibus se excitando, seminat: quæritur, an ita faciens peccet mortaliter?

RESOL. XXXVIII.

LEthaliter peccare opinatus est nouissimè Emanuel Rodriquez in summ. parte 2.cap.88. num.4. & quia codex rarus est, ponā eius verba. [Auiendo el marido consumando la copula extrahiendo membrum extra vas, no es licito à la muger prouocarse con tocamiento, para que tambien effundat semen intra vas; atento que estos tocamientos, pasada la copula son intrinsecamente malos, ni se puede dezir, que la prouocacion con ellos es vna perfecta consumacion de acto coniugal precedente, pues la copula coniugal ya tuuo su perfecta consumacion, auiendo complido el marido, cuyo semen basta para que se siega la generacion.] Putat igitur Rodriquez hoc esse illicitum, quia actus ille omnino consummatus est ex parte finis, qui est generatio; cum ad illam fœmineum semen minimè necesse sit.

At opinio contraria placuit Sanchez tom.3. de matrim.libr. 9.disput.17.num.12. Bonac. de matr.quæst.4. punct.6.num.15. & probabilis vocatur à Filliuc.in suis qq. mor. tom.1. tract.10. part.1.cap.9. num.230. & illam nouissimè amplexus est Lessius lib.4.cap.3.dub.14.num.94. in editione facta Parisijs apud Rolinum Theodoricum anno 1618. Homobon.de examin.Eccles. part.1.tract 7.capit.28. quæst.126. Zanard. in director. theol. p. 1.de sacram.matr.cap 41 §.11. dico. Ratio est, quia alias euidentissimo periculo peccati mortalis exponerentur fœminæ, cum frequenter viri prius seminent. Et cum illico recedant, manet in illis valde irritata libido. Nec tunc illa prouocatio est illicita; quia est actus coniugalis perfectio, ac consummatio. Nam licet semen mulieris non sit ad generationem necessarium; valde tamen confert, vt probat ipsemet Sanch. ibid.nu. 8. Vnde patet responsio ad argumentum Rodriquez, quod affert in contrarium.

Verū his non obstantibus puto, non esse recedendum ab opinione Rodriquez, quia reuera tactus illi post consummatam à viro copulam sunt intrinsece mali, nec semen mulieris necessarium est ad generationem.

Quidam Sacerdos noluit absolutionem Sacramentalem impendere cuidam in triremibus per totam vitam condemnato, quia habebat voluntatem, quam primum fugiendi: tunc statim resolutionem huius casus a me enixè petierunt.

RESOL. XXXIX.

REspondi, nimis rigide in hoc se gerere confessarium, nam licet Vasq.in p.2.q.96.art.5 disp.174.c.1.n.7. Beccanus in sua theol Salas p.2.to 1.tr.2.c.7.q.8.n.4. Valet.to.3. dis.5. q.12. pun.4. Sayrus in Claui Reg.lib.12.c.18.n.8. & alij asserunt, non esse licitam fugam triremibus damnato, nisi, vt limitat Vasq. & Beccanus, extra territorii Principis esset, cui subiectus est, nam ibi videtur esse solutus ab obedientia Principis.

Tamen absolute contraria sententia, vt probabilior tenenda est, quam tuentur hi omnes, Lessius libr.2. cap.31. dub.5. nu.39. Mald.in 2.2.tr.6.c.3.dub 6. Salas de legib.tr.14.disp.16.sect.6.n. 88. Ledesma in summ.tomo 2.tr.8.c.24.& alij. Ratio est. Nam, vt ait Lessius, reus non tam condemnatur, vt in triremibus

sponte

sponte maneat, quam vt detineatur. Deinde nimis durum, & graue esset obligare in conscientia ad sponte ibi manendum, quando esset euidens spes euadendi. Post hæc scripta, inueni etiam hanc sententiã amplexum esse nouissimè Sanchez in sum.to.2.lib.6.c.8.nu.16.qui rectè asserit, hanc fugam sæcularibus quidem licere,non autem Religiosis: licet Bannez in 2.2.q. 69.art.4. post concl.5. contrariũ asserere videatur, ait enim Religiosum durissimæ pęnę subeundę damnum posse fugere, non vt vagetur,sed vt superiorem,aut Pontificem adeat veniam petiturus. Ex his apparet, potuisse supradictum confessarium illum pœnitentem absoluere, sicut ex ista consultatione motum intelligo postea fecisse.

An si quis capitale maius, quod vulgò dicitur. Tutto il resto, in sponsione aliqua exposuerit, possit ille, qui capitale minus habet, acceptare sponsionem, & lucrari illud plus sine onere restitutionis?

RESOL. XL.

Videtur,quod non. Et ita tenet Alcozer trac.de ludo cap.16. quia non est æqualis conditio ludi ex parte vtriusq; Mart. vero Bonac. de contract.disp.2.q.3. punct.2. nu.19. & Barthol. à S.Fausto in speculo confess.disp.32.q 36.n.3. asserunt,quod si forte alter,cuius pecunia maior est,norit inæqualitatem, & cõsentiat,quod quasi semper euenit, vt patet ex communi vsu ludentium,tunc licitum esse ludũ. Quia sic vsu videtur receptum in sponsionibus, quæ vulgo *scommesse* nuncupantur, in quibus vnus aliquando minorem quãtitatem pecuniæ exponit, quam alter. Et tandem videmus, vt aliqui vendant libertatem suam, ad remigandum in triremibus pro pecunia, quæ est longè inferior libertate. Et hanc opinionem ex Neotericis tenet etiam Azor. p.3.lib. 5.c.25.q.7.

Ad argumentum in contrarium respondeo,quod licet in tali casu non sit æqualis conditio ex parte vtriusque, tamen scienti, & consentienti non fit iniuria: vide Io.Salas tract.de ludo, dub. 23. num.3.

Sæpe mihi ab exteris, & à nostris delata fuit hæc quæstio, an Petrus, qui leuem quantitatem aufert à Ioanne, à quo alij subtulerant notabilem, peccet mortaliter.

RESOL. XLI.

Martinus Bonacina,vir doctus nostri temporis,de cõtract. disp.2.q.8.punct.2.n.5. affirmatiuam sententiam docet, nam sicut furtum leue ab vno cõmissum integrare potest materiam sufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio commisso; ita potest continuari cum maiore, qua maius damnum inferatur, & imputetur ad peccatum mortale.

Sed Gabriel Vasq in p.2.to.2.q.88.art.4 disp.146.c.2.num 6. Sanchez in sum.to.2.libr.7.c.21,num.25.sententiam negantem amplexi sunt; quia Petrus non est causa notabilis damni, quia iam ab alijs fuerat illatum, & furtum suum est in parua quantitate, non sufficiens ad mortale.

Ad argumentum Bonacinę respondetur,inter illos casus esse disparem rationem; nam in prio i casu, cum non sit maior ratio,quare vnĩ potius,quam alteri notabile damnum imputetur, singulis imputari debet:in nostro casu nõ item,quia cum aliqui determinatè fuerint causa per se notabilis damni, alius, qui cũ illis paruam quantitatem vsurpauit, non debet censeri consors notabilis damni,atque non peccabit mortaliter. Sed huic quæstioni merito proxima adiuncta erit.

Petrus, qui nullo modo aliqua exhortatione fuit causa, vt alij minuta furta à Ioanne acciperent, si hæc furta sciat peccat ne mortaliter modicum, cum ipsis, vel separatim accipiendo, si tota illa furta simul cum suo considerata perueniant ad materiam notabilem?

RESOL. XLII.

Casus hic frequenter accidit, & maximè inter seruos nobilium. Affirmatiuam sententiam recipiunt DD.communiter.Ita Vasqu.to.2.in p.2.disp.146.c.2.nu.5. Suar.to.5.in 3.p.disp.20.sect.2.n.3. Rebell.de oblig iust.p.1.lib.3.q.15.sect.5.n.41. Filliuc.to.2.tr.31.c.10.n.249.Couar li.1. var.c.3.n.12.P. de Ledesma in sum.to.1.tract.8.c.21.diff.3.Maior,Medina,Martinus Ledesma, Salonius, Corduba, Lopez, Sayrus, Rodriquez, Angles, Petrus à Nauarra apud Sanchez vbi infra, & præter hos Bonac.de contract.disp.2.q.8.punct.2.num.6.& 7. Megala 2.2. li.2.c.1.q.3.n.41.& Turrian.in 2.2.to.2.disp.35.dub.2.0.2. & 3. Ratio est,nam licet Petrus, quod furatur sit in se minimum, at coniunctum cum partibus, quas scit alios furari, efficit quantitatem notabilem,& est causa damni notabilis;nã ratione scientiæ suum damnum continuatur cum alijs;ergo peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem.

Addit etiam Rebellius, quod si ita furantes concurrant seorsum,vt nemo de damno notabili per illos illato, vel inferendo sciat, postquam tamen vni eorum cõstiterit de damno illato notabili, tenetur sub mortali suam partem, licet modicam, restituere;sed si vnus restituat suam partem, & reliqua quantitas nõ sufficiat ad mortale, reliqui non tenentur ad aliã restitutionem, quia iam cessat notabile damnum, nec illud harũ partiũ retentione infertur. Limitat tamen idem Rebellius hanc opinionem,vt locum non habeat,si inter vnum furtum, & alia sit magna distantia,vt si post tres menses, vel quatuor postquam alij furati sunt, quis furaretur, quia more humano talia furta non coniunguntur ad efficiendum vnum damnum. Hæc opinio nõ obstante supradicta Rebellij limitatione, nimis rigida mihi videtur, & si omnino amplectenda esset, magnum onus, & scrupulus haberent Confessarij.

Dico igitur, contrariam opinionem probabilem esse, & tutam in praxi,quam tuentur ex neotericis Tanner. in 2.2.D.Th. disp.4.q.6.dub.9.n.285.lib.2.c.12.dub.9.nu.52.Salas in p.2.to.2. q.88.tr.13.disp.16.sect.27.n.92. Malder.in 2.2. D.Tho.tr.4.c.1. dub.5.cas.3.Sanch.in sum.to.2.lib.7.c.21.nu.12. asserunt enim, quando plures alicui graue damnum scienter inferunt per minuta furta,ab vnoquoque eorum diuisim commissa, vt nullus alium inneuit,nec in causa fuerit,vt alius concurreret,non peccare mortaliter,neque teneri ad restitutionem. Ratione probatur hæc opinio. Omnis ex his, qui ita furatur,infert paruum dãnum; ergo ex hoc capite non peccat mortaliter. Deinde qui ita furatur,nemini est causa,vel occasio furandi alias paruas quantitates,Ergo ex eo, quod alij furentur non aggrauatur eius peccatum;non enim cooperatur simpliciter magno damno, sed in parua quantitate, & præter ipsius intentionem est, vt illa parua quantitas cum alijs furtis minimis iungatur. Aliæ rationes fusè adducuntur à Lessio, Salas, & Sanchez, vbi supra. Restat nunc respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur esse causam partialem damni notabilis, vt est in nostro casu,nõ est esse causam eius simpliciter, sed secundum quid. Ergo illud furtum non erit peccatum mortale, siue sit causa illius damni accipiendo, siue retinendo,quia non verè influit illud damnum notabile,cum præter intentionem, & per accidens eueniat furtum aliorum.

Quis post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addit furta alia parua: quæritur, an per quodlibet nouum furtulum, nouum peccatum lethale committat.

RESOL. XLIII.

Prima opinio affirmatiua est Fernandi Rebellij de oblig.iustit.p.1.lib.3.q.15.sect.4.nu.38. Bonac.de contr. disp.2.q.8. punct.2.n.4.& Sanch.in summ.to.2.lib.7. c.21.n.7. nam ita illã quantitatem præcedentem, & damnum notabile vult facere maius, nec enim propter prius peccatum commissum fur melioris conditionis effici debet. Deinde fur per illud nouum furtum, & aduertentiam præteritorum, sine vlla voluntate restituendi, implicitè renouat actum voluntatis retinendi notabilẽ rem alienam.Sed actus peccatorum,quoties renouantur,toties peccatum nouum committitur. Ergo, &c.

Secunda opinio media est nostri P. Megalæ 2.2.lib.2.c.1.q.3. nu.35.ait enim. Vel fur dum noua furta committit, actum voluntatis non restituendi interrumperet per aliquem ex modis, quibus interrumpuntur actus peccatorum; aut talem actum non interrumperet. In primo casu, censet furem toties peccare, quoties furtum leue cum aduertentia priorum committit; secus autem in secundo casu.

 Z 4 Tertia

Tertia opinio negatiua est Io. de Salas in p.2.to.2.q.88.tr.13. disp.16.sect.27.nu.90. Leonardi Lessij de iust.lib.2.cap.12. dub. 8 num.44.& Filliucij in qu.moral.tom.2,tra.31. cap.10.nu.246. per se non esse peccata mortalia furta illa parua,quę postea adduntur ad præteritam magnam quantitatem. Ratio est, quia non consummant notabilem quantitatem, sed consummatam augent. Erit igitur peccatum lethale sola illa voluntas retinendi illa minuta furta simul cum alijs, & hoc peccatum voluntatis, & externæ retentionis sensum crescet, prout plus, & plus retinebitur. Si vero illa noua furta, nouum peccatum mortale inchoent, & ascendant ad notabilem aliam quantitatem, erunt tunc peccata mortifera. Hæc opinio, vt sunt & aliæ duæ priores, est etiam probabilis, & tuta in praxi. Vide etiam ea, quæ de hac quæstione diximus probabiliter in tract. de paupertate Religiosæ.

Quidam vir nobilis possidebat multa bona, dubitans esse sua, quæsiuit à me, an teneatur illa restituere?

RESOL. XLIV.

Respondi: Vel incipit possidere dubitans, vel non; in primo casu tenetur adhibere diligentiam, vt inueniatur verus dominus, & ei restituere bona illa cum fructibus etiam cōsumptis: post adhibitam vero diligentiam, si manet adhuc, non est obligandus ad integram restitutionem, sed solum ad partem pro ratione dubij, quam debet tribuere creditori, de quo dubitat: si vero talis persona sit ignota, pauperibus tribuenda est. Itaque si dubium sit æquale, dimidium restituere debet, & quo minus probabile est rem esse alienam, tanto minus non tenetur restituere, iuxta quantitatem dubij perseuerantis. Sic Lessius de iust.lib.2.c.14.dub.4.n.25. Sanchez in sum.to.1.lib.2.cap.23. num.177. Rebellius de obligat. iustit. p.1.lib.2 q.5.nu.7. Molina de iust.to.3. disp.721. nu.3. & alij.

In secundo autem casu, scilicet quando initio rem bona fide accepit, vel habuit, si postea incipiat dubitare; tenetur etiam inquirere veritatem, & manente dubio, si æqualiter dubitet, non tenetur quidquam restituere, nam in dubio melior est cōditio possidentis, regula in p.65 de regul.iur.in 6.& ita communiter docent DD. Salonius 2.2.quæst.62.art.6. contr.4. concl.4. Rodriq.in summ to.2.c.43.n.4. Medina in p.2.qu.19.art.6. propos.1. Molina de iust.to.1.tr.2.disp.25. Henriqu. in sum.libr.14. de irregul.c.15.in fin. Sayrus in Claui Regia lib.10.tract.2.ca.3. nu.29. Coninch de sacr.disp.34.dub.10.num.85. Lessius, Rebel. vbi supra, & alij.

Sed difficilius est, quando quis inæqualiter dubitat & magis inclinat in eam partem, vt res aliena sit, & in hoc casu Valentia to.3.disp.3.q.16.punct.2. Bannez in 2.2.q.40.art.1. dub.5.concl. 4. Ledesma de matrim.q.45.art.1.ad 3.& Salonius vbi supra, asserunt, sic dubitantem teneri partem restituere pro ratione maioris illius propensionis. Et ratio est; nam in pari causa, vt diximus, melior est conditio possidentis, sed quando possidens magis inclinat in eam partem, vt res sit aliena, non dicitur potior causa. Ergo ratione istius imparitatis, & inclinationis tenetur aliquid restituere illi, cuius rem esse dubitat.

Secunda tamen opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, asserit; sic dubitantem non teneri ad vllam restitutionem; quia possessio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppositam, dummodo non sint adeo efficaces, vt illius partis assēsum generent. Ita Sanch. in summ.tom.1. lib.1.c.10.nu.9. Vasqu. in part.2.qu.19 art 6.disp 66.cap.7.n.32. Aragon. in 2.2.qu. 62.art.2. Imò addit Salas in p.2.quæst.11. tract.8.disp vnic.sect. 23.n.231. hoc esse verum non solum, quando rationes pro contraria parte assensum non generant, sed etiam quando eum generant, dūmodò non conuincant, nec assensus sit certus physicè, aut moraliter, sed merè opinatiuus, adhuc enim verè eas est dubias, ac possessio omnibus rationibus non conuincentibus præponderat.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur. Possessionem certam, vt dictum est, præualere, & meliorem esse possidentis conditionem, etiamsi dubium non sit par, & ęquale. Ex his patet responsio ad supra positum quæsitum.

Fuit olim mihi magna altercatio cum quodam confessario, qui nolebat absolutionem impendere cuidam viro nobili, qui dubitabat si emiserat votum D. Virginis Lauretanæ, & per multum tempus non adimpleuit, neque adimplere volebat.

RESOL. XLV.

Pro dicto confessario non desunt Authores, neque rationes. Nam Vasquez in p.2.quæst.19.art.6. disput.65.cap.3. & disp.66.cap.1. Azor.part.1 lib.2. cap.18.quæst.4. & lib.11.cap.5. quæst.2, Salas in p.2.quæst.21 tract.8. disp. vnica sect.17.num. 162. Sayrus in Claui Regia lib.1.cap.13.num.9.& 36. & nouissimè Turrianus in 2.2.tom.2.disp.64.c.11.nu.6. asserunt in hac materia meliorem non esse conditionem possidentis; ducuntur primo, quia alias nullum præceptum obligaret in dubio, cum semper possidentis libertatem conditio potior esse. Secundo, ex c.ad audientiam, & c. significasti, el 2. vbi decernitur dubitantem dubio facti, nempe an homicidium commiserit, censendum esse irregularem.

Sed opinio contraria, tanquam probabilior tenenda est, & illam sequuntur Coninch de sacr.disput.34.dub.10.nu.86. Sanchez de matrim.to.1.lib.2.dis.41.n.32.& in sum.to.1.lib.1.c.10. n.11. Suarez in 3.p.to.5.disp.40.sect.5.nu.14.& sect.6.nu.8. Rebellius de oblig.iust.p.2.lib.1.q.2.sect.2. Henriq lib.14.c.4.nu.4. & alij apud Sanchez vbi supra. Ratio est, quia possessio est titulus vniuersalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis iustitiæ, vt obedientia Dei transcendit omnes virtutes. Ergo si suffragatur in materia iustitiæ, etiam debet suffragari in materia aliarum virtutum. Et sic expressè in dubio voti sentiunt Sotus de iust.lib.7.quæst.3.art.2. Medina in summ.lib. 1.c 14.§.7. Lopez in instru.p.1.c.45.§ dubitans de voto Rodriqu. in sum.to.2.c.49.n.5. Henriq. lib 11 de matr.c.11.n.5. & lib. 8. de Eucharist. c.45.nu.3. in glossa litt. P.

Ad argumenta contraria respondetur; Ad primum, negatur sequela, quia aliquando possessio est pro præcepto, & tunc in dubio obligat; vt verbi gratia constat de lege, vel præcepto: dubium autem est, an in aliquo casu, ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, tunc tenetur ad obseruationem præcepti, quia lex tunc possidet, & ita dicendum est de voto in simili dubio. Ita Medina in p.2.q.96.art.6. ad fi. propos.3.

Ad secundum respondetur, in dictis capitibus dicitur esse tutiorem partem eligendam, non quia in omni casu sit eligenda; sed solum in his casibus, in quibus superior præceperit esse eligendam, & sic illa capitula non faciunt contra nos, quia cum irregularitas sit ex iure humano, placuit Pontifici in ordinum reuerentiam, vt in hoc dubio ab ipsis abstineretur, non obstante possessione.

An pœnitens qui lubricam, & debilem habet memoriam, teneatur scribere peccata.

RESOL. XLVI.

Martinus Bonacina vir doctus in tr. de Sacram. disp.5.q.5. sect.2. punct.vlt.nu.6. tenet affirmatiuam sententiam, si possit sua peccata, absque probabili periculo scribere tempore confessionis, aut etiam antea.

Sed absolutè, & sine vlla limitatione opinionem negatiuam tenendam esse videtur Suarez tom.4.in 3.part.disp.36. sect.5.n. 6. Valentia to.4.disp.7.qu.11.punct.1.circa finem. Henriq. libro 4.c.4.num 8. Ratio huius sententiæ illa est, quia vt benè notat Vasquez to.4.in 3.p.qu.90.art.1.dub.nu.24. solum adest præceptum præmittendi examen ante confessionem, non vero conseruandi memoriam peccatorum. Ergo non tenemur illa scribere. Imò Sotus in 4.dist.18. qu.2. art.4. ad vlt. putauit hoc pœnitentibus non esse consulendum. Sed melius Caiet. ver. Confessio condit.11. Nugnus to.2.in 3.p.q.9.art.2. diffic. vnica, ver. circa octauam concl. Coninch de Sacr. in 3.p.disp.7. dub.9. nu. 72. & alij asserunt, licet hoc necessarium non sit, suadendum tamen; quia diligētia hac in re laudanda est, modo euitetur scrupuli, & nimia anxietas. Et notent scrupulosi circa hanc materiam, quod in perscrutanda cōscientia, & numero peccatorum ante Confessionem, peccabunt venialiter adhibendo nimiam

diligen-

diligentiam, & curam maiorem, quam oporteat, quia vt tradit D. Thom. p. 2. quæst. 64. art. 1. in omni virtute morali peccatur, non solum per defectum, sed etiam per excessum. Ita Marcellus Megala in 1. par. lib. 5. c. 6. n. 7. ex mente, & doctrina Nauarri in c. fratres, nu. 71. de pœn. dist. 5.

Vtrum tempore Iubilæi Regulares teneantur eligere confessarium, non à suo Prælato, sed ab Episcopo loci approbatum?

RESOL. XLVII.

Affirmatiuè respondet Molfesius in sum. to. 1. trac. 7. c. 16. n. 18. & 27. Suar. to. 4. in 3. p. disp. 28. sect. 6. n. 11. Reginald. in praxi, to. 1. lib. 1. c. 15. sect. 2. nu. 175. Vegha in sum. to. 2. c. 7. cas. 32. Homob. de casibus reseruatis p. 1. c. 5. & nouissimè Naldus in sum. vers. indulgentia, num. 9. & consequenter asserunt, non lucrari Iubilæum, nisi peccatorum suorum confessionem faciant Sacerdoti, ab Episcopo loci approbato.

At Martino Bonacinæ de sacr. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. nu. 25. contraria opinio probabilis etiam videtur; nam verba in Iubilæo apposita, quod Regulares possint eligere confessarium ab ordinario approbatum, non intelligenda sunt priuatiuè, quasi Summus Pōtifex velit priuare pœnitentem iure suo, quo potest confiteri Sacerdoti approbato à suo Prælato, sed potius intelligenda sunt cumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipsius pœnitentis, ita vt non solum possit confiteri suo Parocho, aut alteri sacerdoti, sicut poterat ante Iubilæum, verum etiam possit aliū quemlibet Sacerdotem approbatum ab ordinario eligere, quāuis ante Iubilæum non posset illi confiteri. Adde, quod si cōtraria opinio esset sequenda, sequeretur multos defraudari fructu Iubilæi, cum multa extent Religiosorum monasteria, in quibus nullus confessarius ab Episcopo loci approbatus reperitur: aut saltem sequeretur cogi Religiosum è claustris exire ad emendicandum sibi confessarium, quod non videtur iuxta benignam Summi Pontificis intentionem. Hæc Bonac. & alij.

In compilatione processus pro canonizatione P. N. B. Andreæ quæsitum fuit a me, quænam esset differentia inter Miraculum, & Gratiam.

RESOL. XLVIII.

Respondi miracula fieri subito, in instanti, & perfectè, sic Genuensis in praxi Archiepisc. c. 49. nu. 1. Piasec. in praxi Episc. p. 2. c. 3. art. 3. n. 7. Aloysius in praxi fori Eccl. p. 1. res. 485. nu. 7. Zerola in praxi Episc. p. 1. ver. miraculum, qu. 2. & D. Tho. in 3. p. q. 44. art. 3. ad 2. vbi respōdet ad argumentum illius cęci Marc. 8. qui non recepit statim visum; sed audiamus eius verba. Christus in instanti infirmis perfectam sanitatem conferebat, vnde super illud Matth 8. & surrexit, & ministrabat illis, dicit Hieronymus. Sanitas, quæ confertur à Domino, tota simul redit. Specialiter autem in illo cæco, contrarium fuit, propter infidelitatem ipsius, vt Chrysostomus dicit, vel sicut Beda dicit, quem vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucē redeat. Hæc D. Th. Quando ergo apparet infirmos successiuè, & non in totum fuisse liberatos ab infirmitatibus, dicendum est illa non esse miracula, non tamen negandum, quin non sint gratiæ; quarum quotidie infinitum numerū misericors Deus elargitur nobis intercessione, & merito Sāctorum. Post hęc scripta inueni miraculum posse fieri successiuè, & non in instanti, sic Caiet. qu. 2. tentat. 12. ad 3. & Vasquez in 2. p. to. 2. dis. 214. c. 2. n. 9. Maluntius de canonizat. sanct. dub. 3. n. 51. in tr. to. 14. fol. mihi 101. & noster Molfesius to. 2. concl. 46. n.....

In præterito Iubilæo, cum quis illud obtinuisset in prima hebdomada, incidit postea in casus reseruatos, & fuit in secunda hebdomada iterum à quodam confessario absolutus, quæsiuit à me postea dictus confessarius, an peccauerit, & teneatur de errore admonere pœnitentem.

RESOL. XLIX.

Respondi, esse maximam inter DD. difficultatem, an si quis priori hebdomada expleuit opera iniuncta in Iubilæo, & illud comparauit, possit in secunda hebdomada iterum lucrari, & à reseruatis absolui. Negantem sententiam sustinet Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 7. c. 8. num. 9. Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 54. nu. 30. Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu. vlt. Bonacina de sacr. disp. 5. qu. 7. punct. 5. §. 3. num. 17. Rodriq. in sum. to. 4. c. 188. nu. 2. & nouissimè Raphael de la Torre tom. 1. in 2. 2. qu. 88. art. 12. disp. 6. nu. 8. vbi ait. Adnotandum est, falsam esse sententiam existimantem, quod si quis in prima hebdomada factis omnibus diligentijs ad gratiam Iubilæi consequendam, obtineat voti alicuius commutationem; si postea iterum voueat, potest sequenti hebdomada, illius voti nouiter facti commutationem obtinere, si iterum faciat diligentiam ad consequendam gratiam Iubilæi necessariam, falsa, inquam, est hæc positio, quia in forma Iubilæi, expressè habetur, gratiam consequendam esse, vna è duabus hebdomadibus disiunctiuè; ait enim qui prima hebdomada post publicationē, vel in sequenti post illam.

At contraria sententia non falsa, vt ait Torres, sed probabilis visa est Bonacinæ, qui contrariam opinionem vocat tantum probabiliorem: & illam absolutè tuentur hi omnes, Iacobus de Graffi in appendice ad suas decis. libr. 2. cap. 5. nu. 23. Alphonsus de Vegha in summ. tom. 3. cap. 7. cas. 19. ex Societate Iesu Henriquez de Indulg. lib. 7. cap. 11. num. 1. de pœnit. lib. 6. cap. 16. num. 3. & Reginaldus in sua praxi tom. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 2. nu. 64. ex nostra Religione P. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 7. c. 16. num. 45. quia vt ipse ait si propter opera indulgentia conceditur, & duabus vicibus quis adimplet opera in tempore præfixo, non est ratio conuincens, cur bis indulgentiam prædictam non lucretur. Deinde est valde probabile, indulgentiam tempore limitato concessam, modo in ea non limitetur, vt semel tantum acquiratur, posse plus quam semel comparari. Ergo, &c. Tertiò, quia versamur in materia fauorabili, nulli perniciosa; ergo latam interpretationem admittit. Quartò, absolutio reseruatorum potest sæpius obtineri ante consecutionem Iubilæi, ergo etiam potest obtineri obtento Iubilæo, si tamen non sit transactum tempus Iubilæi.

Ad argumentum Raphaelis de la Torre, & aliorum, respondetur ex mente nostri Molfesij, illam particulam disiunctiuam respicere commoditatem ipsorum fidelium, vt qui non possit, vel nolit prima hebdomada opera adimplere, adimpleat in secunda. At nō sequitur exclusio, vt nequeat duabus vicibus quis indulgentiam lucrari, si opera faciat. Hæc ille. Et ista stante probabilitate huius opinionis, ad nihil obligaui supradictum cōfessarium, qui in secunda habdomada Iubilæi absoluerat alia vice illum pœnitentem.

Olim rustici confessionem audiui, qui mulum surripuerat cuiusdam viri nobilissimi, & prædiuitis, & per spatium multorum annorum locauerat; dubitaui tunc, an non solum ad restitutionem muli, sed etiam ad pretium locationis teneretur.

RESOL. L.

Et pro parte negatiua stat Nauarr. in man. c. 17. nu. 15. & Ludouicus Lopez in instruct. part. 1. cap. 101. in fine, qui docent eum qui torquem aureum furto accepit, si illum locauit, non obligari ad restitutionem pretij locationis, ergo à simili, & in casu nostro. Et probari potest hæc opinio, nam fructus alicuius rei, purè industriales non sunt restituendi, sed tantum fructus naturales, vt docet Syluester ver. furtum, qu. 19. & vers. restitutio. 3. quæst. 7. & 9. & DD. communiter; sed istud pretium locationis pertinet ad negotiationem, & industriam; ergo non est restituendum.

At contrariam sententiam amplexus est Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. c. 23. nu. 12. & nouissimè Malderus & Turrianus in 2. 2. D. Thomæ, hic tom. 2. disp. 10. dub. 2. num. 14. ille tract. 4. cap. 1. dub. 10. Ratio est, quia illud pretium, non est fructus purè industrialis; quia non respondet soli industriæ, sed ipsi rei; licèt enim in locatione possit esse aliquid industriæ, pretium tamen vsu ipsius rei illi respondet, vnde patet responsio ad argumentum in principio positum. Et sic Nauarra de rest. lib. 4. cap. 1. dub. 6. Rebellius de obligat. iust. par. 1. lib. 2. quæst. 5. num. 4. & Molina de iust. tom. 3. disp. 719. nu. vlt. falsam vocarunt opinionem Nauarri, licet post illos, probabilis visa est nostro P. D. Mar-

Marcello Megalæ in 2.2.lib.3.cap.7. nu.85. & Martinus Bonacina de contract. disp.1.qu.3.punct.vlt.§.1.nu.4. & Azorius p.3. lib.4. qu.3. contrariam sententiam vocant tantum probabiliorem, & veniorem.

Sed quicquid sit de hoc, ego non obligaui supradictum rusticum ad restitutionem pretij locationis mulæ, nam vt optime notat Lessius de iust.lib.2 c.12.dub.17.n.114. sententia Nauarri locum habet, & amplecti potest, quando dominus est vir diues, qui tale pretium locationis non putaretur velle, & sic erat in nostro casu, licet oppositum sit probabilius. Possunt igitur Confessarij, sine vllo scrupulo, in duobus casibus non obligare pœnitentes ad restitutionem pretij locationis alicuius rei. Primo in casu Lessij suprapositio. Secundo, quando res talis sit, quæ locari non solet. Verbi gratia, si pecuniæ, vel aliæ res locentur ad ostentationem; nam tunc credo, quod potius reputabitur fructus extraordinariæ industriæ; & ad hanc speciem videtur Nauarrus extendisse locationem torquis aurei. Ita Malderus vbi supra contra Sanchez loco citato nu.233.

Pendet decisio multorum casuum ex illa celebri quæstione, vtrum fur & quiuis alius iniquus possessor, teneatur restituere meliorem summam, ad quam excreuit res furata, tempore detentionis, maximè si fur illam vendidit in illo optimo statu.

RESOL. LI.

PRo decisione huius quæstionis, notandum est ex communi sententia Doctorum augmentum pretij, quo aliqua res venditur, vel fundatur in bonitate intrinseca ipsius rei, vt quando equus factus est pinguis, & creuit in aliqua circumstantia, & causa extrinseca, vt quando triticum tunc venditur, quando adsunt multi mercatores ad emendum, vel quando transfertur ad alium locum, vbi pluris valet; hoc supposito, circa suprapositam quæstionem tres sententias apud DD. inuenio.

Prima opinio est Lessij lib.2 cap.12.dub.16. n.105. asserentis, si res intrinseco augmento melior effecta, vendita est, vel aliter alienata per furem, tenetur domino restituere æstimationem, quam habet in illo statu (detractis tamen impensis) etiamsi apud dominum non erat melior futura.

Si autem solum extrinseca æstimatione aucta est, eaque tunc vendita est, & dominus eam venditurus non erat, tenetur solùm ad restitutionem, & pretium, quod tunc apud dominum habitura fuisset, & non ad pretium, quo tunc vendita est. Et ratio apparet clara; nam in primo casu, augmentum pretij prouenit ex ipsa re, in secundo autem casu, prouenit ex causa extrinseca, v.gr. ob raritatem rei, vel copiam emptorum, &c.

Secunda opinio, est Io. Malder in 2.2.tract.4. cap.1. dub.9. in fine, qui asserit, non solum vero domino restituendum esse pretium, & augmentum proueniens intrinsecè, & ex ipsa re; sed etiam contra Lessium, quando prouenit ex causa extrinseca; & ratio quam adducit, est ista, nam cum res maneat domini, pretium etiam extrinsecum eius domino crescit, & industria suns, non est versata circa augendum pretium, seu circa rei alienæ conseruationem, quæ secundum latitudinem pretij fur infortunis domini est.

Tertia opinio est Martini Bonacinæ de contract. disp.1. qu. 3. punct. 11.nu.9 qui absolutè docet, quod quando augmentum pretij fundabatur in causa tam intrinseca, quam extrinseca, & dominus rem suam non vendidisset tanto pretio, sed illam seruasset vsque ad tempus, quo pretium rei diminutum fuisset, aut illam cōsumpsisset eo tempore, quo non creuisset in pretio, furem non teneri ad restitutendum pretio, quo rem alienam vendidit, vel quo valuit eo tempore, quo eam consumpsit, sed tenen ad illud pretium restituendum, quo dominus rem suam vendidisset, vel quatenus fur censetur damnum domino intulisse. Hæc Bonacina, quæ quidem opinio est singularis, & notanda. Et ratio, qua fulcitur, hæc est, quia in tali casu iniquus possessor videtur satisfacere seruando dominum indemnem, nam si fur tenetur ad restituendum illud augmentum pretij, est quia censetur in eo pretio damnum domino intulisse; sed ex suppositione, fur nō intulit damnum domino in eo augmento. Ergo, &c. Probatur minor: nam dominus non vendidisset rem suam tanto pretio, sed illam seruasset vsque ad tempus, quo pretium decreuisset, vel eam consumpsisset eo tempore, quo non creuisset in pretio. Ergo, &c.

Sed hoc argumentum mihi non placet, nam licet nullū damnum dominus a fure reciperat, si ad statum in quo futurus esset attendamus; posito quod ad tempus minoris valoris rem furatam esset seruaturus, recipit tamen damnum attento priori statu, in quo dominum habuit rei plus valentis, quam iniustè vēdidisti, atque adeo illius maioris valoris, in quo per iniuriam à fure fuit damnificatus, satisfactio ratione iniustæ acceptionis exhibenda videtur. At his non obstantibus, hæc opinio Bonacinæ probabilis mihi videtur, & illam confessarij in praxi sequi possunt, qui etiam notent pro complemento huius quæstionis, quod Nauarrus ca 17. nu.26. putauit iniquum possessorem, etiamsi non vendidisset rem suam ablatam, teneri ad restitutionem iuxta summam æstimationem, quam aliquando tempore detentionis habuit, verbi gratia, vt supra dixi, furatus es dolium vini, quod tunc valebat tres vncias, sed ante restitutionem excreuit ad quinque, deinde paulatim remisit ad tres. Nauarrus dicit te teneri ad quinque, quia cum res illa fuit melior effecta, erat domini, & fur tenebatur, cum illa melioratione, tunc restituere; sed ab hac obligatione nunquam fuit liberatus, non per remissionem, non per donationem, vel solutionem. Ergo semper manet obligatus.

Et ita propter hanc rationem, opinionem Nauarri probabilem asseruit Vasq. opusc.de restit.c.5.§.1. dub.12. nu.88. & illam amplectuntur Syluester verb.furtum, quæst.16. Angel. ver. furtum, § 44.& Gabriel in 4.dist.15.q.2.art.1.

Sed contraria opinio est verior, & probabilior, quam sequuntur omnes recentiores, Lessius, Bonacina, vbi sup. Rebellius p.1.lib.2.quæst.6.& nouissimè Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 10. dub.2.nu.2.& seq. cum Megala in 2.2.lib.2.cap.1.q.8.num.102. & tunc sententia Nauarri est amplectenda, quando dominus illam rem ablatam furatam, erat venditurus in optimo statu, vel summa æstimatione; nam in hoc casu fur tenetur præter rem ipsam restituere æstimationem illius incrementi, vel pretium rei, quo dominus eam vendidisset; Non autem si non erat venditurus, vt putauit Nauarrus, nam tunc sufficit restituere rem vt est, si tamen res non esset effecta deterior, vel minoris pretij, quam erat antea, & hoc euentutum non erat apud verum dominum; in his enim casibus solum lucrum cessans, & damnum emergens ex illa detentione, vero domino resarciendum est. Omnes igitur opiniones, in hac Resolutione positæ, sunt probabiles. Salua semper, &c.

Merito superiori quæstioni hæc adiuncta erit; vtrum iniquus possessor teneatur ad restitutionem iuxta summum valorem & incrementum, quod res habuit tempore acceptionis, vel detentionis: quando ignoratur, quo tempore verus dominus esset rem illam venditurus.

RESOL. LII.

LEssius lib.2. cap.12. dub.16. nu. 109. docet passim DD affirmatiuè respondere. Ratio est, quia in eo statu vendi poterat, & in dubio melior est conditio Innocentis in eiusque fauorem inclinandum, & ita hanc sententiam docet etiam Vasquez opusc.de restit.c.5.§.1.dub.13. num.77. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego existimo restitutionem in tali casu faciendam esse, non secundum quantitatem pretij maximi, neque secundum pretium medium, Ratio est, nam sicut dominus poterat vendere rem illam pretio rigoroso, poterat etiam, & vendere pretio minimo. Ergo creditori, & debitori consulitur, dum restituitur pretium medium; Quod si omnino sit incertum, quo pretio res illa sit vendenda, remittendum est negotium ad viri prudentis arbitrium, qui considerabit regulas communes, ad assignandum pretium, videlicet quantitatem, & qualitatem illius rei, copiam, vel penuriam emptorum, &c. Ita Turrianus in 2. 2.D.Thom.tom.2.disp.10.dub.2. num.7.

Ad argumentum in contrarium respondet, inclinandum esse in fauorem innocentis in foro externo, & quoniam non suppetit melior ratio constituendæ æqualitatis inter creditorem, & debitorem. Sed hoc non accidit in casu nostro. Ergo.

Illu-

Illustriss. Cardin. Archiepisc. reseruauit in hac sua Diœcesi Panormitana aliquos casus, sed multis Regularium Superioribus dedit potestatem ab illis absoluendi: interrogatus sæpius fui a nostratibus, & exteris, an dicti Superiores Regularium possent istam authoritatem concedere alicui particulari. Idem quæritur de Pœnitentiarijs.

RESOL. LIII.

Respondeo non posse eandem potestatem subdelegare, nisi habuerint expressam ad hoc licentiam ab Episcopo: delegatus enim ad nudum ministerium non potest subdelegare: & sic non possunt concedere omnes casus simul alicui Confessario, vt ab eis absoluat toties, quoties acciderit. Possunt tamen absolutionẽ casus particularis in facto occurrenti alteri committere. Verbi gratia cum petitur ab aliquo Confessario inferiori, qui asserit se habere pœnitentem cum tali casu reseruato, tunc potest dictus Superior, & Pœnitentiarius dare authoritatem dicto Confessario, vt illum absoluat ab eo casu. Et aliter faciendo, Confessiones erunt nullæ ex defectu iurisdictionis. Ita in terminis Pr.fecius in praxi Episc. part. 2. c. 1. num. 15. Aloysius Riee in praxi fori Ecclesiast. par. 1. resol. 419. nu. 1. Zerola in praxi pœnit. c. 25. qu. 17. & in praxi Episc. p. 1. ver. Pœnitentiarius, qu. 4. Finellius de casib. reseru. c. 9. nu. 11. Homob. de casib. reseru. p. 1. cap. 5. circa præsentem materiam, vide etiam Sanchez de matrimon. to. 1. lib. 3. tota disp. 31. & Molin. de iust. & iure tract. 5. disp. 15. nu. 4.

Petrus confessionem fecit die Natiuitatis Domini, sed postea in multa peccata incidens tempore Quadragesimæ, scelera illa confessario non exposuit, quæritur, an illa prima Confessione satisfecerit præcepto Ecclesiæ annuæ Confessionis. Quod est quærere, an fideles satisfaciant præcepto Confessionis quocumque anni tempore confitendo, vel teneantur confiteri tempore Quadragesimæ.

RESOL. LIV.

Noster P. D. Marcellus Megala in 1. p. lib. 5. cap. 3. num. 3. secundum ius commune asserit sufficere hoc præceptum adimpleri quocumque anni tempore, quia in ca. omnis, ex quo iure habemus præceptum annuæ cõfessionis, solummodo præcipitur, vt fiat semel in anno. Ergo sufficit, vt quocumque anni tempore fiat. Verum, quia consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ facit ius commune, vt habetur in Clem. fin. de ætat. & qualit. iam obtinuit, vt adimpleatur tempore Quadragesimæ; ergo seruanda est, vt in leg. minime, ff. de legibus, quam consuetudinem cum probauerit Concil. Trident. sess. 14. c. 5. in fine; inde fit, vt hodie vnusquisque dicto tempore Quadragesimæ confiteri teneatur, & hanc opinionem expressè docet Medina Cod. de pœnit. qu. 18. de Confessione semel in anno facienda. Hæc Megala.

Sed pace doctissimi viri, contrariam sententiam probabiliorem, & veriorem esse assero cum Vasq. in 3. p. to. 4. q. 90. art. 3. dub. 1. Syluio in add. ad 3. par. qu. 6. art. 5. dub. 1. nu. 9. & Nugno in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 6. art. 5. diffic. 4. fol. mihi 250 qui ad argumenta oppositæ sententiæ respondent distinguendo; asserunt enim quod quando consuetudo est vniuersalis, & intelligunt homines se obligari ad talem actum ratione sui, & non ex aliquo accidenti, habet in hoc casu cõsuetudo illa vim præcepti. Quando vero consuetudo non est ita vniuersalis, & ex alia parte non censetur homines se obligari ad talem actum secundum se, sed ex aliquo accidenti, non habet talis consuetudo vim præcepti ad illum actum secundum se consideratum, & ita contingit in nostro casu; solum enim intelligunt homines se obligari ad confessionem Paschatis propter communionem, Ita illa consuetudo fuit introducta, vt homines præpararentur ad communionem, ad quam tempore Paschæ tenentur, ita vt etiam simul implerent præceptum confessionis; non vero introducta fuit hæc consuetudo pro præcepto Confessionis secundum se.

Ad authoritatem Tridentini patet responsio ex dictis; nam in illis verbis Concilij, tantum in sensu supradicto approbatur illa consuetudo Confessionis, & ibi Concilium tantum voluit significare contra Hæreticos, retinendum esse morem illum confitendi; sed quod secundum se ratione confessionis eo tempore obligaret, & ita retineretur, non curauit: vnde quando dicit Concilium, quem morem, &c. ad illud refert, quod dixerat obseruari morem in Ecclesia confitendi, de quo erat institutum. Hæc Nugnus, & Vasquez.

Dicendum est igitur absolutè, si quis Confessionem fecit intra annum, non teneri postea in Quadragesima confiteri; cum iam adimpleuerit præceptum annuæ confessionis. Ita Sotus in 4. dist. 18. qu. 1. art. 4. Canus in relect. de pœnit. part. 5. Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 9. punct. 4. Reginald in praxi tom. 1. lib. 6. cap. 2. num. 33. Molfes. in summ. to. 1. tract. 7. cap. 10. n. 23. Azor. p. 1. lib. 2. cap. 38. qu. 7. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 36. sect. 3. nu. 4. Henriquez lib. 4. de sacr. cap. 4. nu. 7. Coninch de sacr. disp. 3. dub. 7. num. 58. Victoria in sum. qu. 137. Zerola in praxi pœnit. cap. 10. qu. 9. & alij DD. communiter. Fieri tamen potest, vt alio titulo teneatur confiteri, vt si post Confessionem peccauit mortaliter, & suscepturus est Eucharistiam in Paschate, aut si mortis articulus superuenıat: in his enim casibus tenetur denuo confiteri.

An adulter, qui filium suscepit ex adulterio, illumque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, teneatur etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus admittitur, vel damno dotis (& de hoc casu olim interrogatus fui) quam pater putatiuus tradidit puellæ spuriæ credens eam esse propriam filiam.

RESOL. LV.

Communiter DD. respondent affirmatiuè. Ita Less. de iust. lib. 2. cap. 10. dub. 6. num. 46. Turrian. in 2. 2. tom. 2. disp. 30. dub. 2. Finell. de casib. reser. cas. 10. num. 28. Megala in 2. 2. lib. 1. c. 2. nu. 13. Vasq. opusc. de testamen. cap. 5. §. 1. nu. 22. Rebel. de obl. g. iust. p. 1. lib. 3. qu. 10. nu. 11. Malder. in 2. 2. tract. 3. c. 4. dub. 9. Iac. de Graff. p. 2. lib. 2. c. 132. nu. 36. Azor. p. 3. lib. 5. cap. 6. & 7. Alphons. de Vegha in summ. to. 1. cap. 13. cas. 8. Arrag. in 2. 2. qu. 62. art. 6. Rodriq. in summ. to. 1. c. 188. nu. 1. Nauarr. c. 16. nu. 40. Armilla verb. adulterium nu. 7. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 10. c. 19. q. 3. nu. 278. & alij, asserunt enim adulterum, ex quo susceptus est spurius, teneri sicut adulteram ad resarciendum damna subsecuta. Ratio est, quia adulter, non minus quam adultera, est causa talis damni.

Verum Dominicus Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 2. & Henriqu. lib. de matr. cap. 21. n. 3. qui citat etiam Pennam, docent etiam si adulter agnoscat esse suam prolem, non teneri ad resarciendum damna legitimis filijs, modo ipse non fuerit author suppositionis. Ratio est, quia horum damnorum sola adultera est causa, quia ipsa filium adulterinum supponit tanquam filium legitimum, cum tamen adulter nõ supponat, sed solum tacendo permittat, vt filius adulterinus supponatur. Hanc opinionem, tamquam probabilem amplectitur etiã Barthol. à S. Fausto in speculo confessionis disp. 23. qu. 8. nu. 8. qui affert hanc rationem; nam si adultera procurasset abortum, non diceretur adulter causa homicidij, quia ipse suppeditauit prolem, nisi suasisset, vel audiuisset. Ergo pari ratione non censebitur causa suppositionis, ac proinde, nec damni ex suppositione sequuti: non enim videtur esse magis causa suppositionis, quàm abortionis, cum neutrum consuluerit, & vtrumque ex libera voluntate adulteræ secutum est. Ergo nec ipse, sed mater tenebitur ad restitutionem. Hæc ille. Est igitur hæc sententia probabilis, licet opposita sit probabilior, & tuta in praxi. vnde Pitigian. in 4. sentent. p. 2. dist. 15. qu. 2. art. 3. contrariam opinionem tantum probabiliorem vocauit. Ergo secundum Pitigianum, sententia Soti erit probabilis, sicuti etiam visa est multis recentioribus, vt testatur Lessius de iustit. libro 2. capit. 10. dubio 6. numero 43.

Restat modo respondere ad argumentum oppositæ sententiæ. Dico igitur, adulterum non esse causam proximam illorum damnorum, sed remotam, cum ipse non intenderit generare, sed solum explere suam libidinem: adulteram vero esse causam proximam, quia partum spurium, tanquam legitimum marito suo supposuit. Ergo ipsa sola tenetur ad restitutionem. Notent confessarij, quod in isto casu adulter tenetur restituere saltem alimenta proli impensa, a tertio anno ætatis, & deinceps, quan-

quandiu parens tenetur filium alere, etiamsi non fuerit causa suppositionis. Et ita etiam sentiunt aliqui viri docti de hac re consulti.

Hic Panormi sodomia reseruatur à Domino Archiepiscopo, quidam iter agens per aliam Diœcesim fuit absolutus a tali casu a quodam Sacerdote ordinario; postea Panormum rediens, cum incidenter in altera confessione id explicaret, noluit Confessarius illum absoluere, asserendo illam Confessionem fuisse inualidam, & ipsum non habere potestatem absoluendi a casibus reseruatis, quæsitum a me fuit, an hæc opinio esset vera?

RESOL. LVI.

Respondi illã mordicus docere ex Societate Iesu Paul. Comitol. in suis responsionibus moral. lib. 1. qu. 28. nu. 2. Nugnum in add. ad 3. par. tom. 2. quæst. 8. ar. 4. dub. 10. fol mihi 296. Sotum in 4. sent. dist. 18. qu. 2. art. 4 & ex nostris P. Megal. in 1. p. lib. 1. c. 10. n. 14. Graff. p. 1. lib. 1. c. 13. nu. 46. & plerosque alios, qui omnes asserunt iter facientes, licet possint in omni loco cõfiteri peccata sua cuicumque Sacerdoti approbato, & hoc ex præsumpta concessione proprij pastoris, tamen hoc illis minimè licere, si habent casus reseruatos. Probat hanc sententiam Comitol. & Nugnus præcipuè ex authoritate Bonifacij VIII. c. si Episcopus, de pœnit. & remis. lib 6. vbi ait. Si Episcopus suo subdito concesserit, vt sibi possit idoneum eligere confessorem: ille, quem is elegerit in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet penitus potestatem. Deinde si opinio contraria esset vera, multi peregrinarentur hac sola intentione, vt absoluerentur à casibus reseruatis. Sed hoc est maximum inconueniens. Ergo.

At verius, & magis probabiliter dicẽdum mihi videtur, subditum vnius Episcopi iter agentem per aliam Diœcesim, non solum confiteri posse cõfessoribus illius Episcopatus, sed etiam a casibus reseruatis absolui; licet Confessarius non habeat in illo Episcopatu facultatem circa peccata reseruata; dummodo peccatum non sit reseruatum in vtroque Episcopatu, vt non erat in nostro; quia tunc clarum est, non posse remitti à tali confessario. Ita Suar. vbi infra, Reginald. in praxi tom. 1. libr. 8. c. 5. sect. 3. nu. 69. Henriq. lib 6. c. 14. nu. 8. lit. Q. Homob. de cas. reseru. p. 1. c. 2. fol. 46. & alij. Et ratio est, nam vt ait Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 30. sect. 1. n. 4 qui iter agit in alieno Episcopatu, non ideo ibi cõfitetur, & absolui potest, quia vtitur facultate eligẽdi confessorem; sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolui, more incolarum illius Diœcesis, & sta se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci: hoc enim sensu intelligi debet consuetudo approbata ab Eugenio IV. quam habent peregrinantes in itinere confitendi; sed quia in illa Diœcesi, non sunt reseruata peccata illa, quæ in proprio Episcopatu sunt. Ergo ab illis poterit absolui à quocumque confessario approbato, in reseruata potestatem non habente.

Vnde patet responsio ad primum argumentum Comitoli, & Nugni. Nam vt diximus, in nostro casu, pœnitens non vtitur facultate eligendi confessarium, sed se habet tanquam incola illius Diœcesis: & patet à simili nam vt notat Homob. vbi supr. iter faciens, si casus habeat reseruatos Episcopo loci, in quo cõfitetur, qui non sint reseruati Episcopo proprij domicilij, clarum est non posse à quolibet simplici Confessario absolui, quia iudicandus est iuxta leges loci, in quo reperitur. Ergo si habeat casus reseruatos Episcopo proprij domicilij, & non Episcopo loci, videtur posse absolui a sacerdote ordinario, ex ratione supradicta. Vel responderi po est, quod licet tales peregrinantes eligerent Confessarium, ex facultate proprij, consuetudinem ita talem licentiam interpretari, vt possint absolui etiam à casibus reseruatis a quocumque Confessario, in illo loco probato.

Ad secundum argumentum respondeo, ex Coninch de sacr. disput. 8. dec 8 num. 61. Graff. in suis dec. aur. p. 1. libr. 1. cap. 13. num. 47. & Hombon. loco cit. nostram sententiam intelligendam esse de iis, qui non suscipiunt peregrinationem in fraudem legis, ea solum de causa, vt possint alijs confiteri. Ex his omnibus apparet, dictum pœnitentem, de quo consultus fui, ritè absolutum fuisse.

Quæritur, quæ quantitas requiratur, vt furtum sit peccatum mortale.

RESOL. LVII.

Qvot sunt Doctores, tot sunt opiniones circa hanc quæstionem. Prima opinio est Martini Nauar. in man. capit. 17. n. 4. qui minus strictè putat, dimidium regalem esse quantitatem notabilem, quæ constituat furtum mortiferum.

Secunda opinio est Cordub. in summ. q. 109. & Salon. in 2. 2. tom. 1. qu. 66. art. 6 contr. 1. qui dicunt absolutè, & simpliciter vnum argenteum esse materiam sufficientem peccati mortalis; ista opinio à Turriano in 2. 2. to. 2. disp. 33. dub. 2. nu. 17. tribuitur Couar. l. 1. var. c. 3. nu. 12. sed Couar. ibi nihil tale affirmat.

Tertia opinio est Barthol. Medinæ in p. 2. quæst. 88 art. 8. cum multis alijs, qui asserunt non esse furtum mortale, nisi ad summam duorum argenteorum ascendat.

Quarta opinio est Greg. de Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 19. punct. 16. Rebell. p. 1. lib. 3. qu. 15. sect. 2. nu. 22. asserentis absolutè esse peccatum mortale accipere tres argenteos, etiam si à diuitibus auferantur.

Quinta opinio est Alph. de Veg. in sum. to. 1. c. 129. cas. 12. qui docet quatuor, vel quinq; regales constituere furtum notabile.

Sexta opinio est Ludou. Molin. de iust. tom. 3. disp. 685. qui ait tantum pecuniæ valorem, qui in vnoquoque loco satis est ad conducendas operas vnius diei fossoris terræ, videri materiam sufficientem ad furtum lethale, in ordine ad eos qui non sunt valde diuites.

Septima opinio est Bartbolom. à S. Fausto in speculo Cõfess. disp. 2. qu. 18. num. 16. & Gregorij Sayri in Claui Regia, vbi ait, quod se. luso omni alio damno extrinseco, trium Iuliorum summam, etiam si à ditissimis auferatur, esse materiam notabilem; & in ordine ad personas mediocres, quæ non sunt pauperes, vel valde diuites, quantitatem duorum Iuliorum: in ordine vero ad pauperem, qui viuit mendicando, vnum argenteum vel Iulium.

Octaua opinio est Bonac. de contr. disp. 2. qu. 8. punct. 1. nu. 7. vbi distinguendo etiam asserit, quatuor esse genera personarũ in ordine ad quas consideranda est grauitas, & leuitas furti. Primo, aliæ sunt personæ illustres, quæ splendidè alunt familiam. Secundo, aliæ quæ viuunt ex suis redditibus; quales sunt communes diuites. Tertio, quæ se suo sustentant artificio, & opera. Quarto, aliæ quæ mendicando viuunt. Respectu personarum primi generis, nummus aureus, vt minimum est materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale. Respectu personarum secundi generis, quatuor regales circiter plus minusue. Respectu personarum tertij generis, duo regales. Et tandem respectu personarum quarti generis, vnus regalis erit grauis materia.

Hæc opinio est omnium probabilior, quam tenet etiam Nauar. de rest. lib. 3. c. 1. n. 39. & Reginald. in praxi tom. 2. lib. 22. c. 1. qu. 4 n. 19. dicentes quantitatem notabilem respectu diuitum esse circiter vnius nummi aurei, seu 60. assium: respectu vero personarum communium, circiter viginti assium, & demum respectu pauperum circiter septem assium.

Nona opinio, quæ mihi non placet, est Rodriq. qui absolutè asserit in summ. quam nuper edidit, tom. 5. c. 118. nu. 27. & 29. illam esse notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos; & Ang. ver. furtum nu. 34 & Sylu. eod. ver. qu. 2. nu. 5. tenet hanc sententiam in ordine ad opulentos; an etiam hanc opinionem doceat Sotus lib. 5. de iust. q. 3. artic. 3. ad 3. negat Vasq. opusc. de rest. c. 5. § 1. dub 1. nu. 30. sed affirmant Turrian. Barth. à S. Fausto vbi supra, & Pet. de Arag. 2. 2. quæ. 66. art. 6. causa 10. Lessius vbi infra, & communiter DD. Sed circa totam hanc quæstionem vide Megalam in summ. 2. 2. lib. 2. c. 1. q. 3. Rebell. de oblig. iust. p. 1. lib. 3 qu. 15. sect. 1. Iac. de Graffis in suis dec. p. 1. lib. 2. c. 97. num. 27. Bannez in 2. 2. qu. 56. art. 6. qui nimis laxam opinionem ponit. Malder. etiam in 2. 2 trac. 4. ca. 1. dub. 3. Lessium lib. 2. c. 12. dub. 6. num. 39. & Azor. p. 3. lib. 5. ca. 13. q. 2. Medin. Cod. de rest. qu. 10. Tolet. in sum. lib. 5. c. 16. n 3. Turrian. in 2. 2 to. 2. disp. 33. dub. 2. Sanchez in opere morali to. 2. lib. 7. c. 20. n. 3. Cenedum de paupertate Religiosa dub. 33. Conrad. in resp. p. 1. c. 166. Sayrum in Claui Regia lib. 9 c. 15. a num. 9. vsque ad 15. & alios.

Qui-

Quinam seruus aliquid sibi subtrahebat de necessarijs sine domini incommodo, & præter opera præscripta, ex quibus lucrum colligebat, interrogatus fui, an de his acquireret sibi dominium, vel domino? Quod est quærere, an seruus possit habere aliquarum rerum dominium, & de rebus à se acquisitis disponere.

RESOL. LVIII.

NOuissimè Turrian. in 2. 2. to.1. disp.35.dub.2.nu.8.asserit seruum, & ancillam, si peculiariter vigilando, vel de sibi necessarijs aliqua bona lucretur, non posse de illis libere disponere, & Petr. de Arragon. in 2.2.q.62.art.1.& 2. cum multis alijs absolutè docent, seruos ita esse dominorum suorum, vt quicquid acquirant, domino acquirant. Probatur ex leg. id vestimentum, ff. de peculio, vbi dicitur seruum nō esse dominum vestimenti quotidiani, quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest. Secūdum hanc opinionem possunt domini accipere res seruorum, quia, vt diximus, ius omnia serui subiecit potestati dominorum: & ita absolutè sustinet hanc sententiam Megala in sum.p.2.lib.6.c.19.q.2.nu. 15. & adducit textum ex leg. acquiritur, §.igitur.ff. de acquir.rei dom. vbi habetur. Quod serui nostri ex qualibet causa acquirant, id nobis acquiritur, ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest, cuiuscumque enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmur.

At verius, & magis probabiliter dicendum est, seruos posse habere aliquarum rerum dominium imperfectum, & secundum quid; ita vt eas non teneatur suis dominis tradere: casus autem præcipui in quibus possunt aliquid peculium habere, sunt isti. Primo, si dominus expressè, vel tacitè consentiat aliquas res habere. Secundo, si aliquis det seruo, ea conditione vt ad dominum suum non perueniat. Tertio, si aliquid detur absolutè, & sine conditione, non tamen intuitu ipsius domini, vt verbi gratia propter industriam, vel aliquod seruitium factum, nam in hoc casu ille, qui dat, videtur dare, vt illa res, scilicet non sit domini, sed serui. Quarto, si aliquid detur in compensationem iniuriæ illatæ. Quinto, si aliquid lucretur sua pecunia, & ex rebus sibi datis, vt supra: vnde suum facit lucrū acquisitū per ludum licitum, vel illicitum. Sexto, si aliquid sibi subtrahat absque domini detrimento, quod licite poterat consumere, vel expendere. Septimo, quando propter turpem corporis vsum, aliquid ei datur. Ita Barthol. à S. Fausto in speculo confess. disp.1.qu.19.n.4. Lessius de iust.lib.2.c.4.dub.4.n. 15. Rebell. de oblig. iust. part.1.li.1 qu.11 sect. 2. Malder. in 2.2. tract.1.c.4.dub.6 Rodriq. in sum.tom.1.c.89. concl.6.n.8. Nauar. de rest.lib.3.c.1.dub.5.nu.221.

Nota vero, quod ista doctrina non solum procedit, vt opinatur Vegha in sum.tom.1.c.106.c.4.& 5.cum Lopez in seruis, qui domi nascuntur, sed etiam in seruis emptitijs, & in bello captis.

Nota secundo, quod in dictis casibus serui absolutum dominium acquirunt, ita vt sine iniuria dominus non possit eis auferre, & ipsi re eiusmodi fraudati, possint vti compensatione occulta.

Ad leges quas pro contraria sententia afferebat Megala, & alij? Respondet Sotus lib.4. de iust.qu.2.art.2. procedere quoad seruos, qui se sponte vendiderunt, non vero ad alios seruos. Sed mihi absolutè, & sine vlla limitatione cū Maldero, Lessio, Rebellio, & alijs dicendum videtur, illas leges Cæsareas legitima consuetudine abrogatas, & mitigatas esse in fauorem omnium seruorum, tanquam miserabilium personarum: passim enim videmus cuiusque generis seruos pecunia se redimere, quod non pecunia domini, vel aliena, sed propria hoc facere possunt. Ergo, &c.

Dices, si seruus, qui se & suas operas vendidit, & tempus quo laborare tenebatur, ludendo, vel alia negotia faciendo expendit, lucrum illud ad quem pertinet? Respondent aliqui ad dominum pertinere. Mihi vero cum Rebellio, magis probabiliter asserendum videtur, in hoc casu seruum teneri tantum ad restitutionem damni dati per omissionem operarum debitarum, hoc enim putandum est in sua venditione seruum intendisse.

An in fauorem Principis præsumendum sit in dubio positiuo. Habet verbi gratia subditus rationes probabiles, vt aliquod tributum sit iniustum, adsunt verò pro Principe, & iustitia vectigalis aliq rationes probabiles: quæritur, an teneatur soluere tributum

RESOL. LIX.

SVarez de legib. lib.5. c 18.nu.20. Vasquez opusc. de rest. c.6. §.3.dub.5.nu.78. Turrian. in 2.2.tom.2.disp.46. dub.6.nu.5. & alij affirmatiuè respondent, iuxta illud dictum commune, in dubio præsumendum pro sententia superioris. Cæteras rationes, quæ quidem efficiunt hanc sententiam probabiliorem, quam oppositam, vide apud authores citatos.

Sed contrariam opinionem probabilem, & in praxi tutam, docent viri docti, non minoris litteraturæ, quam aduersarij: hi sunt ex Societate Iesu Leonard. Lessius de iust. li.2.c.33.dub. 9.nu.67. Valer. Reginald. in praxi, tom.1. lib.10.c.25.sect.1.nu. 374. ex nostra Religione P. Megala in p.2.lib.2.c.17. q.8. num. 132.& Nauar. de rest. lib.3.c.1.p 3.dub.13.n.267. Salon. de iust. tom.1.qu.5.art.4.controu.2.ante primam concl. verb. obseruemus secundo, Barthol. a S. Fausto in speculo confess. disput.33. qu 27.nu.3. Sanchez in suum.tom.2. lib.6. c.3.n.7. & nouissimè Malder. in 2.2.tr....c.6.dub.4.§. dico sexto, vbi asserit. Si vtrumque probabile sit, tributi causam esse iustam, & non esse iustam, exigit Princeps iustè, & negat populus iustè; & ratio huius sententiæ prima est, quia possunt se conformare opinioni probabili. Secunda, quia in tali casu melior est conditio possidentis. Tertia, quia in tali casu datur bellum ex vtraque parte iustū; nam ignorantia facit, vt vterque, propter rationes speciem veritatis habentes, bona fide iustitiam à se stare putet.

Ad argumentum in contrarium respondent, illud dictum intelligendum esse in dubio negatiuo, non autem dubio positiuo; vel in casu, in quo non agitur de interesse, seu damno inferioris. Circa præsentem quæstionem vide etiam Azor. p. 3.lib.5.c.22.qu.7.

In multis regionibus extant Pandecta, & statuta, in quibus Notarijs, Commissarijs, & cæteris iustitiæ administris taxata sunt stipendia; quæritur, an modo obligent in conscientia, stante varietate temporum & circunstantiarum.

RESOL. LX.

REspondeo negatiuè. Ita Molina de iust. to.1. tract.2. disput. 84. & Basil. Pontius p.1.var. disput. qu.2.scholastica, cap 7. qui citat D. Anton. part.2. tit.7.cap.5.§.1. & p.3.tit. c.vlt. §.11. & Syluestrum ver. restit.3. qu.5.pronunt.10. Nam nisi illæ leges iustum pretium contineant pro varietate temporum, & iuxta illam mutentur, iniustæ sunt, & iustè poterit tabellio accipere sibi incrementum, vsque ad limites iusti pretij. Sciendum est enim, crescente pecunia decrescere valorē illius ad cæteras res pecunia comparādas, atque adeo crescere valorem cæterarum rerum compensatione pecuniæ. Vnde cum his temporibus, quod non erat antiquitus excreuit pecunia, decreuit ex hoc valor illius, & creuit valor aliarum rerum, & ita nisi mutatio legum facilè fieri possunt; vt pretium olim iustum, nunc sit infra iustum infimum: hanc etiam opinionem tenet Tolet. in summ.lib.5.62.n.7. vbi asserit. Notarium non debere excedere pretium iustum instrumenti, hoc autem est frequenter lege taxatum. In qua taxatione, notandum est apud aliquas regiones exigi taxationes has secundum pretia vilissima, quia sunt antiquissima, quando res minimo pretio emebantur, & tunc ipsa officia minus multo valebant, modo autem multum valēt. Et quamuis iustè possit Notarius excedere illa taxata pretia, tamen vnum obstat, nimirum iuramentū, quod singulis annis, aut in principio officij facit, puta obseruandi illam taxationem, ob id peccat transgrediendo. Vnde sanctissimè facerent Principes, si pretium conueniens habita temporum, & regionum ratione imponerent; aut tale iuramentum, quo multi illaqueātur, auferrent. Hæc Tolet. quem sequitur Reginald. in praxi; tom.1.lib.25.cap.57.sect.3.num.992.

Verum ego puto, contra Toletum, neque Notarium, neque alios ministros virtute iuramenti teneri ad obseruanda ea statuta,

tuta, & illas Pandectas, & ideo non peccare, quia in dessuetudinem abierunt, vt iniusta, & illud iuramentum est de solis statutis seruandis, quatenus ea obligant. Ergo, si ex aliqua causa obligare desinunt, cessabit iuramenti obligatio, eo quod iam illa non sunt statuta, & iuramentum fuit illis accessorium, quatenus statuta erant. Igitur iuramentum aliquod seruandi statutum, intelligitur, quatenus illud iustum est, & obligatorium; non ergo obligabit illud iuramentum ad eam taxam, quatenus iniusta est: & ita hanc opinionem in terminis tenet Sanchez in op.mor.to.1.li.3.c.14.n.14.& Molfes.in sum.to.2.t.12.c.5.n.67.

An Bulla Pij V. contra Clericos sodomitas, obliget in foro conscientiæ, & sit vsu recepta?

RESOL. LXI.

OBligare putauit Nauar. in man. cap.27. nu.249.& in hanc opinionem inclinat Gambarupta de casibus reseruatis cas.2.num.4.

Sed contrariã sententiam docuit Iac. de Graff. in suis decis. part.1.lib.2.cap.90.num.4.& 5. vbi probat supradictam Extrauagantem, tantum pertinere ad forum externum. Et non esse in foro conscientiæ vsu receptam tradiderunt Belloch. in praxi de cas.reser.p.2.qu.1.nu.221. Auila de cens.disp.4 dub.7 concl. 7.in fin.Henriquez in summa, libr. 14.c.5.num.1. & Prosper de August.in addit.ad sum. Quaranta, ver. sodomia, & ita asserit, respondisse multos viros doctos, & innuit Suarez de cens. disp. 31.sect.4 nu.22.& absolutè tenet Filliuc. de cas.reser. p.2.c.7.§. 1. nu.8.vbi testatur, quemdam ex Societate Iesu testatum fuisse, Cardinalem Sabellinum Vicarium Romani Pontificis consultum respondisse, hanc Bullam non esse vsu receptam. Sed quia fieri potest vt alicubi sit vsu recepta, ideo quæritur.

An Clericus incurrat in pænas supradictę Bullæ, si habeat rem cum aliqua muliere in vase præpostero.

RESOL. LXII.

AFfirmatiuam sententiam docet Sayrus de cens. lib.7. cap. 12. num. 23. Campanile in diuer. iur. Can. rubr.11.c.22. nu.17. Garsias de benef.tom.2. p.11. capit.10. §.2.nu.207. Prosper. de August.in add.ad sum. Quarãta, ver. sodomia, & Aloys. Ricc. in praxi, part.3.resol.60.numero 4. & p.1.resol.302. nu.2. & in Collectaneis dec.part.5. collect. 1877. Ratio est, quia concubitus cum fœmina in vase præpostero est vere sodomia, vt tenet Homob.in exam.eccl p.1.tract.7.c.18.qu.114. Reginald. in praxi tom.2.lib.22.c.3.sect.10.num.49. Lessius lib.4.c.3.dub. 13.num.90. Llamas in sum p.3.c.8 §.21. Menoch lib.2. de arbitrarijs cent.3.cas 286.num.5.qui citat Cardinal. Dec. Afflict. & alios, vide etiam Iulium Clarum lib.5. §. sodomia, num. 23. & Lambertinus de iure patronat.p.1. lib.2.2. in art.1. principali, numero 3.

Et ideo Iac. de Graff. in praxi.lib.1. c.11.n.2.cum Riccio vbi supra, & Gambarupta de cas.reser.cap.2. nu.3. Homob. de cas. reser. p.2.cas.5.sect.5.asserunt, concubitum cum fœmina contra naturam, esse includendum in casu reseruato sodomiæ.

At mihi contraria sententia semper visa est etiam probabilis, & probabilem etiam illam vocat Barbosa in collect.to.2.lib. 5.tit.31.c.4.nu.10.& in terminis nostræ Bullę eam docet Azor. p.3.lib.3.c.19.q.3. Floronus de cas. reser.p.2.cas.7 §.1. nu.9. & Belloch.vbi supra, nu.219. vbi probant, Clericum non incurrere in pœnas huius Extrauagantis, si cognoscat fœminam extra vas debitum. Ratio est, quia sodomia est peccatum contra sexum, & debitum instrumentum; sed quando aliquis præposterè cognoscit mulierem, si non seruat debitum vas, seruat tamen sexum. Ergo non committit propriè sodomiam. Et ita docet D.Thom.2.2 qu.154 art.11.cum Caiet.Azor. vbi sup.ca. 20.quæst.1.Tannerus in 2.2. disp.3.qu.5 punct.6.num.149. Valent.tom.3.disp.9.qu.3.punct.3. Zanardus in direct.p.2. præcept.6.c.10. Ioan.de la Cruz in director.consc.p.1. præcept 7 art. 7.dub.8.concl.1.Ledesma p.2.tract.27.cap.15 concl.1.Henriq. lib.11.c.17.n.6.in gl.lit.A, & B Bonacina tr.de matr.q.4.punct. 11.propos.1. Filiuc. tom.1.tract.30.c.8.nu.158. cum alijs.

Ex his apparet, me probabiliter olim respondisse, quemdam non incurrisse in casum reseruatum sodomiæ, dum habuit rem cum muliere in vase præpostero: & ita tenent Syluius in D. Thom.2.2.c.154.art.12.Bonac.vbi supr.num.5.Chapeauilla de cas.reseru.c.15.qu.2.Summa Corona p.2.c.2.num.16.Floronus de cas.reseru.p.2.cas.7.num.6.& Iac.de Graff. sibi contrarius in tom.2.lib.5.cons.3.cum alijs.

An Clericus incurrat in pænas supradictæ Extrauagantis, si non emisit semen intra vas.

RESOL. LXIII.

REspondeo negatiuè, & ita in terminis docuit Belloch. in praxi de cas.reser.p.2.qu.1 nu.220.Azor. p. 3.lib.3.cap 19. qu.4. Salzedo in add.ad pract crim. Diaz cap.88. Iac.de Graff.in dec.p.1.lib.2.cap.90.num.11. Rodriq. in sum. p.1.c.208.Floronus de cas.res.p.2.cas.7.n.8.& 9.Sayrus de cens.lib.7. cap.12.n. 23. Campanile in direct.iur.Can. rubr.11.cap.22.n 14. Ledesma in summa tom.2. tract.27. c.15. concl.4. Zanardus in director. Theol.p.2.præcept.6.c 9. Chapeauilla de cas.res.c.15.q.3. p.2.Finellius de cas.res.cas.9.n.6.Coriol. de cas.reser. p.2. cas.9. nu.25.in fin.Filliuc.tom.1.tract.17.cas 7.nu.127.Aloys Ricc.in praxi tom.3 resol 62. num.2. & p.1.resol.392. nu.2. Prosper de August.in addit.ad sum.Quarania, ver.sodomia, Suar.de cens. disp.31.sect.4.nu.21. Et ratio est, quia quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto consummato, sed quando semen intra vas non immittitur, non dicitur sodomia consummata. Ergo, &c. Maior patet ex author. c.autem dist.5.de pœni & ex leg.1.§ hæc verba, ff.quod quisque iuris. Minor probatur ex communi DD.sententia, quia asserunt non esse perfectè sodomiam, quãdo masculus habet rem cum masculo, si nõ emittat semen intra vas. Vide Reginald.to.2.lib.22.c.3.sect.10.nu. 49. Sanch. de matr.tom.3.lib.10.disp.4.nu.13. & alios.

Hinc rectè deducitur ad incurrendum casum reseruatum sodomiæ, necessarium esse, vt semen intra vas effundatur; sin aliter, non erit propriè sodomia, & per consequens, nec casus reseruatus. Ita Bonac. de matr.qu.4.punct.11.nu.2. Finellius de cas res.ca.9.nu.6. Chapeauilla cap.25.qu.2. Graffius to.1.lib.5. cons.3.nu.20.de adulter. Homob. de cas.res.p.2.c.4.sect.5. & in exam.Eccles.p.1.tract.7.cap.38.q.114 vbi sic asserit, tunc sodomitam esse casum Episcopo reseruatum, quando delictum est consummatum, & perfectum quod accidit, quando seminatio facta est in vase obscœno; vel etiam ex multorum sententia, si membrum ex partibus pudendis extrahatur, & extra vas semẽ effundatur. Quæ quidem vltima verba sunt valde adnotanda, licèt aliqui contrarium sentiant: nam in tali casu sodomia non est consummata, sed attentata. Ergo non est casus reseruatus; sicut etiam non erit casus reseruatus, si membrum intra vas ponatur per multum spatium temporis, incipiendo, & prosequẽdo actum sodomiticum, sed semen non effundatur. Vide Molfes.in summ.to.1.tract.7.cap.20.cas.9.num.109.

An in pœnas dictæ Bullæ incidant Clerici, tam agentes vitium sodomiticum, quàm patientes.

RESOL. LXIV.

AFfirmatiuam sententiam amplexus est Aloys. Riccius in praxi to.3. resol 57. num.7. Floronus in tract.de cas.res. p. 2.cas.7 §.1.nu.6. & Coriolan.tr.de cas. res p.2. cas.9.§.10.n.30. quia tam clericus agens, quam patiens dicitur sodomiam perpetrare: vnde iura, pœnas infligentia cõtra sodomitas, loquuntur, tam in agente, quam in patiente vt constat ex authoritate leg.cum vir.C.de adul.§.1. in authent. vt non luxurientur contra naturam: & rectè quidem, nam in correlatiuis dispositum in vno, censetur etiam dispositum in alio ex illis; & ita Bonac. tract.de matrim.q 4 punct.11.nu.2.Finellius tract. de cas.reser. cas.9.nu.5.& alij, putant in casum reseruatum sodomiæ, incurrere tam agentem, quam patientem.

Sed in contrarium posset aliquis dicere, patientes non posse propriè dici sodomitas, sed molles, iuxta illud D.Pauli 1.Cor.6. *Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Vbi Glossa sic exponit, quã sequitur D. Th. in 1.2.q.158.art.1.ad 1.& Caiet.in sum ver.mollities in fol. n.vbi asserit quod molles dupliciter dicuntur, vel quia patiẽtes sunt cum alijs, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariã. Deinde tum ex diuersitate vocabuli, tum ex diuersitate pœnę, tum ex grauitate sceleris adest magna differentia inter agentem,

tem,& patientem: nam maius est peccatum agentis, quam patientis,vt notauit D. Anton.in sum.p.3.tit.17.cap.17.§.14.& in foro contentioso, maior pęna imponitur agenti, quam patienti.Vnde Iac.de Graff. in pract. cas res.lib.1.c.11.num.7.8. & 26. putant, quod reseruatio casus sodomiæ extendatur solum ad agentem, & non ad patientem. An vero hæc opinio sit probabilis, indicent viri docti.

An Clericus crimen sodomiticum admittens semel, bis, aut ter incurrat pœnas supradictæ Bullæ.

RESOL. LXV.

Affirmatiuam sententiam tenuit Azeued. libr. 8 recop. leg. 1.tit.21.num.22.23.Ioan. de Vela de pœnis delict. cap.23. Ceuallos in tract. de cognitione per viam violentiæ p.2. qu.87. num.4.Ignatius de Salzedo in add. ad pract.crim.Bernãdi Diaz ca.8.lit.C.& post illum nouissimè Flauius Cherubinus in compendio Bullarij constitut.72. Pij V. schol.2.& ex Theologis Aldrete de discip. relig.lib.2.c.15.§.5.num.28.& hanc sententiam probabilem vocat Ledesma in sum.p.2.tr.27.c.17.cõcl.4.Ratio est, quia si in laicis huius criminis frequentia minimè residetur, quare in clericis idem non erit iudicandum?

Deinde,licet Pontifex in hac Bulla vtatur hoc verbo *exercentes*, tamen Pontifices in Canonicis decretis, tam rigidam, & exactam verborum proprietatem obseruare non solent;& Pius V. in hac Extrauag. confirmat aliam editam anno 1.sui Pontificatus, in qua non verbo *exercentes*, sed *perpetrantes*, vsus est. Ergo, &c.

Sed nimis rigida sunt hæc; ideo negantem sententiam docent communiter DD. Hi sunt Madius in tract. de sacris ordinibus c.22.nu.9.Bellochius in praxi de cas.res.p.2.q.1.num.217. Homob. de cas.res.p.2.c.4.sect.5. cas.. Graffius in dec.p.1. lib. 2.c.90.nu.12. Rodriq. in summa,p.1.cap.208. n.2. Floronus de cas.res.p.2.cas.7. §.1.nu.9. Sayrus de cens.lib.7.ca.12. num.23. Campanille in diuer. iur.Canon.rubr.11.ca.22.num.11.Zanardus in direct.Theol.p.2.præcep.9. cap.9. Finellius de cas.reseru. cas.9.nu.6.Azor.p.3.lib 3.cap.19 n.2. Nauarrus in man.cap.27. n.250.Auila de c nsur.p.7. disp.4.concl.7. Coriolan.de cas. res. p.2.cas.9.nu.25.Filliuc.tom.1.tract.17.cap.7. nu.17. Aloysius Ricc. in praxi tom.3.resol.58.nu.1. & p.1.resol.302.nu.3. Suar. de censur.disp.31. Genuensis in praxi Archiepis. c.97.n.1.Prosper de August. in additio. ad summã Quaranta, ver.sodomię, limit.4.& alij,qui aduersus Salzedum vbi supra, & alios citatos ab Aldre.de discipl.relig.lib.2.c.15.§ 5.à nu.26. vsque ad 34. & Portel.in dub. Regul. ver.Pœna, num.6. asserunt non sufficere vnicum lapsum, vel si bis, aut ter tale crimen commiserit;nam in Bulla Sum. Pontif. infligit has pœnas in clericos exercentes sodomiam: at in iure intelliguntur hi, qui aliquid faciunt frequenti vsu, & continuato,sicut non dicitur artifex, seu mercator, qui semel aut iterum id exercet; sed qui toties exercet, vt opinione vulgi habeatur pro tali. Et hanc opinionem insinuat etiam Henriq. in sum.lib.14.ca.5.num.1.in Glossa F.vide etiam Panorm.in cap.1.n.24.de iudic.& copiosè Floron.de cas. reser. vbi sup p.2. cas.2.n.1. & seq Hinc Genuensis in praxi Archiepisc.c.18.nu.15.docet,non esse denuntiandam mulierem, quę semel maleficium fecit,aut superstitionem, nisi saperet hæresim manifestè, & simplicitas,aut alia iusta causa non excusa et.

An clericus incurrat in pęnas dictæ Bullæ, si vitium bestialitatis commiserit.

RESOL. LXVI.

Incurrere putauit Aloysius Ricc.in praxi tomo 3.resolut.59. Campanille in diuer.iur. Can. rub.11.c.22. nu.18. Roland. à Vale vol.1.consil.7.nu.2. Ledesma in sum.to.2.tr.27.c.11.concl. 4. Vegha in sum.to.2.c.102.cas.2 Homob.de exam.Eccl.p.2.tr. 11.c.12.nu.26.Narbona in 3.p. recopil.lib.4. tit.1.leg.2.gl.8 n. 14.Rodriq. in sum.tom.1.c.208. nu.2. & Prosper de August. in add.ad summam Quaranta,ver.sodomia,& nouissimè Belloch. de cas.reser.p.2.q 2.num.39. Et ita est,quia lex pœnalis extenditur ad casum, quando militat eadem ratio, vt notat gl.in c.1.de temp.ord.ver. Italiæ,quam Glossam singularem vocauit Abbas in c.nihil,de electione, & in c. finali,de rescript. & alij.

At his non obstantibus, puto clericum vitium bestialitatis exercentem non incurrere in pœnas huius Bullæ; & ita tenet Barbosa in suis collect.tom.2.lib.5.tit.31.c.4. nu.11. Garsias de beneficijs tom.2.p.11.c.10. § 2.nu.205.& Bannez in 2.2. qu. 64. art.8. Et ratio est,nam bestialitas non est propriè sodomia,contra quam edita fuit hæc Bulla: & lex pœnalis nõ est extendenda ad casum non expressum, etiam si in illo eadem inueniatur ratio, maximè in foro conscientię,vt probat P.Mirãda in man. Prælat.tr.de monial,qu.2.art.10.conclus.1. Sanch. de matr. to. 3.lib. 10.disp.4.nu.3.Henriq. in sum.lib.7. c.30.nu.4. in gl.littera C. Garsias vbi sup.nu.206. Castrus de leg.lib.6. c.3. n.5. & c. 4.num.& alij.

Probatur hæc opinio exemplis. Nam in Clement. vnica, de consangu. & affin.excõmunicantur Moniales professæ cuicunque nubentes, & accipientes illas in vxores, & excommunicãtur etiam professi ineuntes matrimonium. Et tamen, vt notat Cardin. Ancharanus, & Bonifacius hic, D. Antonin. part.3.tit. 24 art.34.Caiet. in sum.ver.excom.c.47.cũ Sanch. de matr. to. 2.lib.7.disp.48.nu.2.si aliqua fœmina sæcularis iniret matrimonium cum professo, nõ incideret in dictam excommunicationem, sicut incideret in dictã excommunicationem vir ineundo matrimonium cum Moniali.Et tamen militat eadem ratio. Sed quia textus loquitur de masculis nubentibus cum Monialibus, & non de fœminis nubentibus cum professis, licèt, vt dixi, in vtrisque militet eadem ratio, tamen mulieres nubentes cum professis non incurrerent in excommunicationem, quia lex pœnalis restringenda est, & non amplianda etiam ex identitate rationis.

Secundò,in Cõcil.Triden.sess.25.de regul.c.8. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium,& Sanch. in sum.to.1.lib.4.cap.4.nu.3.cum Suarez, & Bannez asserunt sub nomine mulierum non esse includendos viros. Et tamen etsi Concilium de solis cogentibus fœminas loquatur, eius ratio finalis, quæ est libertati ingressus consulere, æquè procedit in viris coactis.

Tertiò, Religiosus administrans sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi sine licentia Parochi, non incurrit pœnas Clem. 1.de priuileg.quia dicta Clementina lo uitur solum de sacramentis Eucharistiæ, & Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. Et tamen in alijs sacramentis Pœnitentiæ,& Baptismi eadem militat ratio.Ita Glossa,& Abbas ibidem;quibus adde Capel.Tholos dec.121.

Quartò, Glossa in Clem. 1.de decimis,vbi asserit constitutionem illam,qua punitur Religiosus fraudans decimas Ecclesię, non extendi ad Clericos sæculares eadem facientes.

Quintò,etiam Glossa ver. suspensi in c.finali, de offic. deleg. lib.6.restringit pœnam dicti capitis ad solos conseruatores,de quibus loquitur, dicens aliter esse in Delegato similia faciente.

Sextò,eadem Glossa ver.moderatas,in fine in cap. statutum, §.insuper,de rescr.pęnam d.c.loquentis, de delegato Papę, non audet extendere ad delegatos ordinarij,eũdem excessum, circa expensas facientes.

Septimò, Greg.XIII.excommunicauit ingredientes Monasteria Monialium prætextu licentiarum; & tamen in hanc excommunicationem non incurrunt illi, qui dicta Monasteria, sine prætextu licentiarum ingrediuntur, vt infra Deo dante videbimus,& docet Suar. de cens.disp.22.sect.6.num.11.

Ex his omnibus apparet,legem pœnalem non esse extendendam de casu ad casum ex identitate rationis, vnde vt supra diximus, Clericus committens vitium bestialitatis non incurrit in pœnas huius Constitut.Pij V. quia est edita contra Clericos exercentes sodomiam. Vnde apparet me rectè olim consuluisse in casibus reseruatis, vt pote pœnalibus, strictè m debere fieri interpretationem. Et ita tradiderunt ex nostri P. Naldus in sum.cas nu.3.Chapeauilla de cas.res c.6.qu.1. Coriolan. etiam de cas.res.p.1.sect.1.art.5.n.4.Homob p.1.de cas. res. cap. 2.Bonac.de matr. disp.4.punct.11.nu.5.& de sacram. disp.5.q.7.punct.5.§.3.num.1. Reginald. in praxi tom.1.c.11.sect.1.nu.127.& alij, aduersus Floronum tract.de cas.res.p.1.cap.1. nu.30.& 40. Finell.de cas.res.c. 5.n.3. & cas.4. n 25 Graff. in practic. lib.1.cap. 4 reg. 4. nu.25.& alios contrarium sentientes. Sed tu tene primam sententiam.

Vtrum

Vtrum ad incurrendas pœnas supradicta Bulla exigatur sententia Iudicis, ita vt ante illam Clerici dictas pœnas non incurrant in conscientia.

RESOL. LXVII.

Dubius in hac re manet Nauar. in manu.c.27.n.250. & potius videtur inclinare, quod dictæ pœnę incurrantur in foro conscientiæ. Ratio est, quia Pontifex in textu Bullæ dicit, *Priuamus*, quod verbum, cum sit præsentis temporis, continet sententiam latam.

Sed hæc sententia admodum dura, & rigorosa est; vnde mihi contraria vera videtur, quam tuentur, & docent Sayr. de censf.lib.7.c.12.n.24. Homob. de exam. Eccl. p.1.tract.11.c.12. q.26. Sanc. de matr. tomo 2. lib 7. disp.46 nu.28. qui citat Grassium, Vegham, & Rodriquez, Auila, de cens. p.7. disp 4. dub.7. concl 7. Henriq. lib.14.c.5.nu.1. in gloss. lit. F. Homob. de bonis in exam. Theol p.1.tract.5.c.8.qu.15. Floron. de cas. reser. pat.2. cas.7.§ 1.num.8 Bonac de matr.q.4.punct.11.num.2. Finell. de cas. res. cas.9.n.6. Azor. p.3.lib.3.cap.19.q.5. Zanard. in director. p.2. præcept.6.c 9. Suar. de cens. disp.31.sect.4.nu.22. Filliuc. to. 1.tr.17.nu 127.& alij.

Probatur hæc opinio ex principijs de legibus; nam lex pœnalis, quæ non potest executioni demandari, absque hominis actione, etiamsi ipso iure, vel ipso facto feratur, vel etiam dicatur nulla expectata declaratione ante iudicis condemnationem, non obligat. Et ratio est, quia vsu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres receptum est, vt nullus se puniet re antea obtenta, nisi decl. tota criminis sententia a iudice feratur. Secundo, si talis lex obligaret ante Iudicis sententiam, esset nimis acerba: cogeret enim homines ad se prodendum, & ad exequendum in se durissimam pœnam, adquod nulla lex obligat: leges enim humanæ faciles, & tolerabiles esse debent, & humanæ imbecillitati accommodatæ Ita Vasquez in p.2.to. 2. disp. 168.nu.14. Couar. in 4.p.2.§ 8.nu.3. illat.3. Becan. in p. 2 tract.3.c.2.& Molina de iust.to. 1 tract.2.disput 95.n.14. post citatos to. Doctores, asserit hanc sententiam esse communem inter Theologos, & Iurisperitos; & etiam pro illa citat 43. Doctores Salas de leg. disp.15.sect.2.nu.38. vide etiam Villalob. in sum. tract.2.diffic.26.nu.2. Molfes. in sum. to.1. tract.9.c.9. nu. 35. Lorca in p.2.tom.2.disp.24.de leg. Lessium lib.2. c. 29. dub. 8.n.63 Suarez de legibus lib. 5.cap.5. & seq. Io. de la Cruz in direct. consc. p.1. in princ. dub.3. de legibus.

Ex his deducitur resolutio multorum casuum. Et primo habetur intelligentia pœnarum appositarum in Bulla Sixti V. cōtra Clericos non deferentes habitum, & in Bulla Clem. VIII. contra Religiosos munera largientes: in illa enim nullus incurrit, nisi post iudicis sententiam. Ita Molfes. vbi sup. Secundo, leges ponentes taxam tritico, & pœnas contrauenientibus, non obligant ante iudicis condemnatoriam sententiam: tenetur quidem venditores restituere excessum pretij, non autem ad pœnam, nisi a iudice condemnetur. Ita Villalob. vbi supra nu.3. Item tertio Beneficiarius potest beneficium retinere, donec declaretur delictum, propter quod priuatus est ipso facto beneficio, nisi forte in lege dicat pœnam in foro conscientiæ, statim subeundam esse. Surd. dec.247. per tot. & Azor. p.1. lib. 5.c.7. qu.6. & alij. Quarto, Rectores Ecclesiarum alienantes bona Ecclesiastica, sine solemnitatibus necessarijs, non tenentur abdicare beneficia per Extrauag. ambitiosæ, ante iudicis latam sententiam, quia dicta Bulla, ita fuit vsu recepta; sic Nauarr. in man.c.27.n.110. & Sanchez in summ. to.1. lib. 2. cap.22. num.20. cum alijs. Quinto, idem dicendū videtur de Religiosis, qui admittunt mulierem intra septa Monasterij ex Motu proprio Pij V. Ita Rodriq. in explicat. dictæ Bullæ nu. 42. Item sexto, superiorem alicuius Religionis; incidentem in aliquem casum absolutionis, seu priuationis ipso facto Prioratus, etiam si palam constet de crimine; dicendum est nō incurrere dictam pœnam, donec per superiorem decl. tetur, & consequenter tuta conscientia in eo manere posse, nec licere subditis illum expellere à Gubernatione. Ita Ioan. Valer. in differentijs vtriusque fori, ver. pœna, differ. 20. num.4. Item septimo, heretici, & alij, quorum bona ipso iure publicantur, non tenentur, ante iudicis sententiam, dicta bona restituere fisco. Ita Sanchez in sum. to. 1. lib.2.c.20.nu.7. qui 43. Doctores citat, tenentes hanc sententiam, & nouissime Sanctarell. tract. de hæresi cap.21.dub.1.nu. 6. Dicendum est igitur, Clericos sodomitas non incurrere in pœnas Bullæ Pij V. ante sententiam iudicis declaratoriam.

Praxis pro confessarijs circa absolutionem, Clericis sodomitis impertiendam.

RESOL. LXVIII.

Si Clericus non exerceat sodomiam, est sine dubio absoluendus. Si exerceat, aliqui putant esse absoluendum, dum per Confessarium, vel alium virum secretū procuretur noua prouisio beneficij, dignitatis, officij, &c. Sed ego puto, sine vllo metu absolui posse absque noua prouisione. Quia, vt diximus, in foro conscientiæ non obligatur ad ferendam pœnam latam per istam Extrauagantem, si non præcedat sententia iudicis declaratoria. Et cum prima resolut. dixerimus dictam Extrauagantem in foro interiori non fuisse vsu receptam; ideo dicendum est absolutè, tali Clerico sodomitæ, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, absolutionem omnino impertiendam esse.

An Clericus sodomita occultus, sit suspensus; & si celebret, incurrat in irregularitatem.

RESOL. LXIX.

Hunc Clericum esse suspensum ipso iure ab executione ordinis, licet sit occultus, vn'e si postea ministret, etiam post peractam pœnitentiam effici irregularem, in qua irregularitate solus Papa dispensare potest, putauit Couar. in Clem. si furiosus, p.1.§.1.nu.6. Foller. in praxi crim. canon. p.6.c.37. num. 11. Iul. Clarus in §. sodomia, nu.5. Franc. Marc. p.2. dec.687. n. 16. Lambertin. de iure patron. p.1.lib.2.q.2. art 18.nu.4. Salzedo in add. ad pract. crim. Bernardi Diaz cap.88. cū multis alijs citans à P. Henriq. lib.3.cap.36.nu.1. in Glossa litt. M. & à Petro Cenedo in collect. ad ius canon. p.2. collect.130.n.4.& hoc asserunt accidere, non ob canones, & iura, quia nulla sunt, quę inducant talem irregularitatem, sed propter enormitatem, & grauitatem criminis.

Sed hæc sententia meritò ab omnibus reijcitur. Et ratio est clara, quia nullum crimen, quamuis enorme, inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium: hoc enim licet occultissimum irregularitatem inducit. Et hoc patet ex c. ex tenore, de tempor. ordinat. vbi dicitur, ex nullo crimine, quantumcunque graui, etiam degradatione digno, inducitur suspensio, vel irregularitas in susceptis, vel suscipiendis ordinibus. Hoc etiam probatur ex cap. fin. eodem titulo, vbi dicitur, quod propter grauissima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab vsu, vel susceptione ordinum impediri, nisi in iudicio comprobata, vel aliàs notoria fuerint. Et ita hanc sententiā docet Henriq. vbi supra, & lib.14.c.5.nu. 1 litt. F. Auila de censur. p.7. disp. 4. dub.7. concl.7. Floron. tract. de cas. reser. p.2. cas.7. §.1. num.7. Sayrus de cens. lib.1.c.12. num. 22. Finell. de cas. res. cas.9.nu.6. cum multis alijs, quos citat, & sequitur Barbosa in collect. to. 2. lib.5.tit.31.c.4.nu.5. Garsias tract. de benef. tom.2. p.11. n.15. Vide etiam Ortiz in summ. c.17.nu.114.

Ad argumētum Couarruuias, & aliorum respondetur, quod nulla irregularitas potest induci, nisi expressa in iure inueniatur, cap. is qui, de sent. excom. in 6. sed nullum crimen, vt supra probauimus, quantumuis enorme, inducit irregularitatem, nisi sit notorium. Ergo, &cet. Et hæc dicta sufficiant circa Bullam Pij V. contra Clericos sodomitas.

FINIS.

TRACTATVS I. DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

An Iudex Ecclesiasticus possit cognoscere de laico simul delinquente cum Clerico.

RESOLVTIO PRIMA.

NEGATIVAM sententiam docent Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, par. 2. quæst. 69. nu. 7. Gutrierez pract. qq. libro 1. quæst. 6. Mexia super pragm. taxæ panis, conclus. 5. num. 74. Bonacina tom. 3. in Bull. Cœn. disp. 1. q. 16. punct. 5. numer. 20. Francus dec. 113. num. 7. Couar. pract. qq. lib. 1. c. 3. Molina de iust. & iure, tom. 4. tract. 3. disp. 49. numer. 28. Villadiego in Polit. c. 5. §. 20. num. 45. probant hanc opinionem Bonacina, & Molina ex leg. si quis vxori, ff. de furtis.

Sed affirmatiuam sententiam docent Doctores, quos citat, & sequitur Martha de iurisd. part. 4. cent. 2. cas. 119. n. 1. quibus ego ado Maynardum de priuileg. Eccles. p. 1. artic. 17. num. 10. Duardum in Bull. Cœn. can. 17. q. 11. n. 48. Bellettum in disquis. cler. par. 1. tit. de fauore clericorum personal. §. 16. num. 1. Ambrosinum tract. de immun. Eccles. c. 10. n. 5. & nouissimè Tamburinum de iure Abbatum, to. 1. disput. 15. q. 19. nu. 32. & Layman. in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. nu. 10. vbi sic asserit. Si plures simul delinquant, omnes ab eodem iudice iudicandos esse, quare cum Ecclesiasticus iudex dignior sit laico ad ipsum pertinebit in hoc casu reum iudicare. Ita illa. Et dato, quod commodè vterque iudex suum iurisdictionarium punire posset: tamen absurditas non remouetur, quæ de facili dari potest, si diuersæ, & forsitan contrariæ sententiæ ferantur, ita vt Ecclesiasticus puniret clericum, laicus verò absolueret, cum tamē tam laicus, quàm clericus de eodem delicto inquirerentur, & probationes æquales contra omnes adsint. Alias verò rationes videbis apud citatos Doctores, vide etiam Ludouicum in decis. Lucens. 26. nu. 18. p. 2. & Decianum lib. 4. c. 9. nu. 44.

Restat modo respondere ad argumentum Molinæ, & aliorum. Dico igitur non obstare leg. si vxori, nam vt benè obseruat Ambrosinus, cum vxor de furto non teneatur pro rebus subtractis viro, si alius, qui ei opem præstitit in furando hanc immunitatem haberet, vtique impunitus euaderet, & ideò non mirum, si priuilegio vxoris non gaudeat. Et ita secundum nostram sententiam fuisse determinatum anno 1591. per Sacram Cardinalium Congregationem restatue Scaccia in casu cuiusdam clerici, & laici, qui erant inquisiti de violentia illata cuidam mulieri: nam omnes fuerant remissi ad iudicem Ecclesiasticum.

An Iudex laicus possit cognoscere in casu hæresis, si agatur de quæstione facti.

RESOL. II.

RESpondet affirmatiuè Gabriel Pereira tract. de manu regia in concordat. D. Ioannis, 1. artic. 1. nu. 175. Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, par. 2. quæst. 56. nu. 39. cum aliis.

Sed tu contrarium omninò tene, ex authoritate capit. vt inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. lib. 6. & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et ita hanc sententiam docent Doctores veteres magni nominis, vt Felinus in c. cum sit num. 1. de foro competen. Alexander in lege Titia, num. 13. ff. soluto matrimon. Idem etiam docet doctus Simācha Institut. Cathol. 36. in princip. & Decius in cap. 2. numer. 24. de iudic. in fine. Vide etiam supra in Resol. 77. & Doctores quos citat, & sequitur Sanctarellus in tract. de hæresi cap. 60. dub. 4. nu. 22. & nouissimè hanc sententiam docet Tuschus tom. 4. verb. iudex Ecclesiasticus, conclus. 446. nu. 4. Barbosa in collect. rom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 18. num. 9. qui citat alium Barbosam. Vnde non est audiendus Pereira, & Ceuallos vbi supra. Nota etiam hoc obiter à fortiori contra Gregorium de Valencia tom. 4. disput. 5. q. 13. punct. 4. iudices laicos non posse cognoscere de crimine sortilegij quando hæresim continet, & ita Farinacius de hæresi quæst. 18. §. 4. nu. 101. & ego in tract. de officio, & potest. Inquisitorum.

An statutum, siue lex inualidans donationem omnium bonorum factam à patre filio clerico, sit contra Immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. III.

NEgatiuè respondet Azeuedus to. 3. li. 4. tit. 10. leg. 11. num. 18. Recopill. & Matienzo etiam in leg. 11. tit. 10. libro 5. glos. 5. num. 3. & Vasquez opusc. de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2. n. 34. vbi sic asserit. Notandum quod leg. 11. tit. 10. lib. 5. Recopill. efficitur nulla ipso iure donatio facta à parentibus omnium bonorum alicui filio exempto, vt potè clerico, quia præsumitur, quod fiat in fraudem tributi Regij, & existimo in conscientia esse nullam donationem, nec id est contra immunitatem Ecclesiasticam. Ita Vasquez.

Sed multi contrariam sententiam docent per ea, quæ adduximus infra in resolutio. 42. & putant non posse legem ciuilem hanc præsumptionem inducere, vt alienatio facta in Ecclesiam fieri videatur in fraudem Fisci, vel tributorum, & ob id esse validam docent, & ego puto contra Vasquez, etiamsi opinio ne-

gatiua esse sequenda, talem donationem si non fieret in fraudem tributorum, esse validam, non solum in foro conscientię, sed etiam in foro externo. Et ideo Iurisconsultus Flores de Mena.var.qq.libr.2 quęst.21 §.2.nu.73.sic asserit. Si absque vlla fraude, & in casibus à iure permissis, aliquis fecisset donationem omnium bonorum, vel maioris partis, & hoc probaretur, quod tunc etiam deberet liberari, nam illa lex non impedit homini libero liberam administrationem rerum suarũ modo licito, & in casibus à iure permissis. nec irritat, ipso iure dictam donationem, sed solum præsumit fraudulentam, & eam annullat ipso iure ad effectum procedendi, & non ad alium. Quod amplius apparet, quia lex illa dat licentiam donatario allegãdi de suo iure. Ad quid ergo seruiret illa licentia, si donatio semper, & quacumque via esset nulla? quia tali existenti quidquid allegasset, vel ab illo, vel ab ipsius bonis posset Fiscus sua tributa exigere. Vnde apertè concludendum est, præsumptionem in illa lege, non esse Iuris, & de Iure: quia potest probari contrarium, sed solum Iuris, ac proinde nullitatem esse nullitatem præsumptam, & reuocabilem comperta veritate & non veram. Ita ille. Notandum est etiam, quod dicta præsumptio non procedit ex sola donatione, nisi cum donatione, alia suspicio, indicium appareret.

An Iudex laicus possit facere realem exequutionem sententiæ à se lata contra Clericum, in casibus quibus sibi a Iure cognitio permissa est.

RESOL IV.

1 Affirmatiuam sententiam docet Salgado de protect. Regi.tomo 2.part.4.cap.14.numer.96.& alij penes ipsum, quia eodem modo, quo cognitio causæ pertinet ad sæcularem, ita etiam executio in temporalibus debet ad eum pertinere.

At hæc sententia prorsus est reijcienda, & negatiuam sustinent Doctores, quos adduxi in 1.tract. de Immunit. ref. 21. vnde bene aduertit Bellettus in disquis.Cler.tit.de fauore clericorum reali.§.3.num.3.cum alijs; quod si Clericus in causa reconuentionis condemnaretur à iudice sæculari, tunc executio sententiæ fiet, non per iudicem sęcularem, sed per iudicem Ecclesiasticum, & ideò contra Salgadum vbi supra num.90.& 91.dato, & non concesso, quod iudex sæcularis possit ordinare depositum, & sequestrum esse à Clerico per ipsum electo restituendum, tamen executionem supradictæ sententiæ esse à Iudice Ecclesiastico faciendam omninò asserendum esse censeo, & docent communiter DD.

Ex his etiam apparet non esse audiẽdum Vrsillum in Addit. ad dec. 331. Afflict.nu. 3. & nostrum Giurbam virum amicissimum, & doctum, asserentes rem litigiosam in Clericum lite pendente alienatam, posse ab eo euocari per iudicem sęcularẽ, & in eum directò fieri executionem sententiæ latæ ab eodem Iudice. Et ita docet aduersus dictos DD. Vincentius de Franchis dec.149.nu.11.cum alijs.

2 Facit etiam pro doctrina præsentis resolutionis, id quod notat Genuensis in Praxi Archiep. capit. 11. & Martha de Iurisd. prat.4.cent.2.cas.104.num.9.& cas.143.num.4.& p.1.cap. 50.n. 34.vnde cautè circa supradicta, legendus est noster D. Carolus de Grassis de effect.cler.effect.1. à nu.791. Gulielmus de Benedictis in cap. Raynutius, ver. & vxorem, dec.2.nu.147. Trentacinquius qq.foren. lib. 2.q. 79. cautè etiam legendus est Barbosa in l.si quis posteaquam, ff. de Iudicijs num. 165. vbi ex leg. quędam, de Iurisdict.omn.Iud.docet quod iudex, qui est competens ad condemnandum, est etiam competens ad exequendum. Sed tu tene nostram sententiam.

An Rex possit detinere Episcopos pro gubernatione alicuius Regni seu consilij, & an dicti excusentur à residentia in dicto casu?

RESOL. V.

Affirmatiuam sententiam docet Bobadilla in Pol.to. 1. lib. 2. cap.18. nu. 99. vbi sic asserit. [Si el Clerigo tomasse officio del Rey de Presidente, ò Conseiero, ò Oydor, o en otra manera, lo qual es licito, y puede el Rey detener alos Ecclesiasticos para ello, y se excusan por esta razon de no residir en las Iglesias.]

Sed propria authoritate id posse efficere, Reges falsum est, nulla enim in dictos Ecclesiasticos iurisdictionem habent: difficultas est, an hoc efficere possint ex priuilegio aliquo à Romano Pontifice obtento. Affirmatiuè respondet Io. Selua de Benef.p.3.quæst.6. Ceuallos in Communibus q. 585. num.6. Petrus Gregorius de benef. cap. 7. num. 9. Boerius dec.17. Rebuffus in Concordatis tit. de collat.§.1.ver.residentia, vbi docent Reges, ac Principes habere priuilegia à Sede Apostolica, vt Episcopi, & alij Clerici, qui illis inseruiunt in aliquo officio, seu seruitio, non teneantur residere, & possint percipere fructus beneficiorum.

Verùm supradicta priuilegia, si verè extarent, esse modo reuocata, putat Garsias Doctor Hispanus in tr.de benef.to.1. p. 3. capit.2.num.390.sic asserens. Existentes in seruitio aut officijs Regis, seu Principis non excusantur à residentia, nec possunt percipere fructus in absentia, nam in iure non est tale priuilegium, quidquid teneant aliqui, & si aliquod priuilegium fuit eis concessum, reuocatum est iam per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij IV. Ita ille.

Sed quicquid sit de supradicta reuocatione, ego puto cum Sanctarello var.resol.p.1.q.3.num.7.talia priuilegia intelligenda esse, quando absque alicuius Episcopi præsentia Regnum, seu illud officium commodè non possit administrari, tali enim casu, Papa potest dare licentiam Episcopo, vt propter bonum commune Regni absit à sua Ecclesia, & sic intelligendus est Rodriq.in sum.tom.1.cap.175.num.3. Vnde aduertant Reges, & Episcopi, nam in hoc faxit Deus, vt sæpius non errent, quia si illa Regna, & officia per laicos possint aliàs æquè commodè administrari, tunc Reges & Episcopi nõ possunt aliquo priuilegio ad hoc à Romano Pontifice concesso vti, nam in hoc casu Romanus Pontifex non potest dispensare, cum non adsit necessitas publica, & bonum commune, & residentia aliàs sit de iure diuino, vt docet Lessius lib. 1.c.34.dub.29.nu.154. Azorius tom.2.lib.7.cap.4.quæst.1. Valentia tom.3.disput. 10. q. 39. punct.5. Comitolus in Responf.mor.lib. 1. q.56. Tannerus in 2. 2.D.Tho.disp.4.q.6.dub.7. nu.181. Sanchez de matr.lib.8. disp. 6.num.5. Ergo, &c.

Ex his apparet, quantum expediret Episcopis non acceptare officia in Regijs Tribunalibus, quia ratio de ouibus Deo reddenda est, & expediens esset valdè. Regibus Episcopos in his officijs minimè occupare, quia alij sufficientes inueniantur; sed claudam hanc resolutionem cum verbis Ioannis Sanctij Doctoris Hispani in suis selectis disputat. 47. numero 26. sic asserentis, proh dolor, arbitrantur aliqui se Christi Vicarium agere posse, & Cæsaris. Nimus distans esse pastorem ouium, & sedere Iudicem causarum ciuilium, nullus ignorat. Neminem posse duobus dominis seruire Christus est testatus. Emittat Deus lucem Cæsari, vt velit excludere à suis Aulis Prętoriis, & Tribunalibus Ecclesiasticos, & tractent fabrilia fabri, Ita Sancius.

Vide etiam ex Iurisconsultis Hispanis doctum Barbosam de potest.Episc.part.3.allegat.53.num. 17. vbi sic ait. In Curia Regum, & aliorum sæcularium Principum fungentes munere, & officio Regij Præsidis, vel Confessarij, vel Consiliarij, aut Proregis, non eximuntur à residentia suorum Episcopatuum, nisi ea sit hominum penuria, vt alij satis idonei minimè reperiantur, qui hęc præstent obsequia, nec in hoc Cæsaris facultas, de qua in Auth. quom. opor. Epis. collat. 1. & in Authen. de sanct.Episc.collat.9.aliquam vim habet. Ita Barbosa &, ego, vnde qui habent aures audiendi audiant.

An Episcopi feudatarij Regum debeant prius obedire Regi, quam Papæ, seu Metropolitano?

RESOL. VI.

Affirmatiuè respondet Olibanus de iure Fisci, cap. 10.nu. 6. & Carolus Degrassalius Regalium Franciæ lib. 2. iur. 13. vbi ausi sunt dicere, quod Episcopus feuda tenens à Rege, prius debet obedire Regi, quàm Papæ, sed isti Authores cautè legendi sunt, nam passim multa asserunt aduersus Ecclesiasticam Immunitatem.

Ideo contrariam sententiam docet Martha de iurisd. par. 4.cent.1.cas.18.num.22.qui etiam num. 13. firmat idem dicendum

dum esset Metropolitanus Episcoporum vocaret; nã in tali casu Episcopus tenetur obedire magis suo Metropolitano, quam Regi etiã directo domino feudi; quia maius vinculum est spirituale, quam temporale, cap. solitæ, de maior. & obed. Nec obstat iuramentum fidelitatis directo domino factum, quia semper intelligitur excepta authoritas sui Superioris.

Notandum est etiam dictũ Degrassalium vbi supra in iure 14. & Obbanum de iure Fisci, cap. 8 §. 2 adnotare, quod Prælati feuda à Rege tenentes; tenentur in bello opem ferre, & auxilium præstare secundum feudorum conditionem.

Sed circa hanc quæstionem vide Martham vbi supra nu. 26 & cas. 17. n. 18. vide etiam Intriglolum de feudis, q. 30. nu. 24 & Petrum de Gregorio tract. de conceff. feudi, par. 8. quæst. 2. versic. tertio limito. Vnde ex his apparet falsam esse sententiam Laneellot. in suo templo Iudicum libro 1. capit. 2. de Rege, §. 1. num. 9. in fine. asserentis, posse Regem præcipere Episcopis, & Abbatibus sui Regni, vt eum ipso eant ad bellum, quod anteã docuerat etiam Petrus Antibolus de muneribus p. 3. n. 97. to. 12 tractatuum, fol. 18. col. 2.

An filij Clericorum gaudeant priuilegio fori, ita vt Iudex laicus illos non possit punire.

RESOL. VIII.

Gaudere priuilegio fori, nec illos Iudices laicos posse puniri, docet doctissimus Iurisconsultus Decianus in tract. crimin. lib. 4. cap. 9 num. 49. quia, ait ille, pater, & filius reputantur vna, & eadem persona, lege fin. Cod. de impuber. & filius dicitur persona corporis patris, l. cum scimus, §. fin Cod. de agric. & cens. lib. 11. ideo ex ipsa persona patris, censetur exclusa persona filii, & in existimatione communi pater, & filius reputantur pro vno capite, & sic sufficit, vt alter ipsorum registret bona; hæc omnia Decianus: quem postea sequitur Carolus de Graffis de effect. clericor. effect. 1 n. 189. & Ioan. Maria Nauarrus in quæstionibus forensibus, par. 1. q. 98. nu. 2. Et hanc sententiam post hæc scripta inuenio docere etiam Paulum Squillante de priuileg. cleric cap. 7. dub. 2. nu 35. qui etiam c. 8. dub. 1. num. 13. docet filios Clericorum gaudere exemptione gabellarum; quæ omnia sunt valdè notanda.

Sed aduerte hanc opinionem esse verã in filijs legitimis, & viuente patre; nam patre mortuo, etsi filij sint legitimi, minimè priuilegio fori gaudebunt, & iudicem laicum illos punire posse dicendum est.

An laici Magistratus possint compellere clericos ad reparationem Ecclesiarum.

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Ceuallos tract. de cognition. per viam violentiæ, par. 2. q. 99. num. 12. Bobadilla in pont to. 1. lib 2. cap. 18. nu. 135. vide etiam Pereira de manu regia cap. 18. num. 5. Degrassalium lib. 2. Regalium Franciæ, iure 6 & alios penes ipsos.

Sed negatiuam sententiam omninò tenendam esse puto, quam nouissimè docet doctus Lotterius tom. 1. de benef. lib. 1. quæst. 1 n. num. 81. Nam concedo, quod Ecclesiastici tenentur ad reparationem Ecclesiarum, sed nego ad id posse illos compellere Iudices laicos: nam in tali casu si hoc efficerent, alienam exercerent iurisdictionem. Et ita hanc sententiam docet etiam Martha de Iurisconsult p. 2. cap. 48. à num. 15. Ratio verò, quam adducit Ceuallos, est (vt optimè notat Lotterius) nimis frigida, nempè Reges esse executores, & protectores Concilii Tridentini, nam ex hoc non sequitur posse exercere iurisdictionem in Ecclesiasticos exemptos

An Episcopi possint excommunicare Reges, & eorum Consiliarios & quid de Inquisitoribus non solum in Sicilia, sed in alijs Regnis.

RESOL. IX.

Respondet affirmatiuè ex multis Iuristis Alterius de censuris, tom. 1. disput. 10. lib. 3. cap. 5. fol. 37. col. 2. & Fagundez præcept. 2. lib. 1. cap. 3. num. 21. licet regulariter propter quandam reuerentiam id minimè ab Episcopis efficiatur, sed optimè quidẽ & iustissimè excommunicarentur, si sceleris pondus, & qualitas id postularet.

Non reticeam tamen Auilam de censuris part. 2. capit. 4. disputat. vnica, dub. 4. & Bonacinam de censuris, disput. 1. puncto 4 numer. 15. docere de iure nouo, & priuilegio à Summo Pontifice obtento Reges, & Imperatores non posse ab Episcopis excommunicari, & nouissimè docet etiam hanc sententiam Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 1. n. 4. Barbosa in collect. to. 4. p. 1. Decreti, distinct. 96. ca. duo sunt, & alii penes ipsos.

Sed his non obstãtibus discedo ab opinione Caroli De grassalii lib. 2. Regalium Franciæ, iure 9. & Ioannis Feriaut. de iuribus Regni Franciæ, priuileg. 6. Paponii de iure Franc. libro 1. tit. 4. Arrest. 9. asserentium, supradictum priuilegium esse extendendum ad Regios officiarios, & Consiliarios, & hoc pro actu exercitii iurisdictionis temporalis, nam puto Consiliarios Regios posse ab Episcopis excommunicari, quia tale priuilegium, est personale propter Regum, & Imperatorum reuerentiam & ita nouissimè docet Ioannes Dionysius Portocarrero in allegat. pro Iurisdict. Inquisitorum, vbi num. 52 sic asserit. [No ay que dudar que sean Virrey, y ministros Reales, y aunque lo fueran en maior Tribunal, pueden ser ligados con censuras de qualquier Iuez Ecclesiastico, cuya iurisdiction turbaren, aunque sea delegado, y semeiantes personas no esten cõtenida en su delegacion.] Ita ille, qui pro hac sententia, citat plures Doctores. Et hanc potestatem habere etiam Dominos Inquisitores, non est dubitandum, vt probat supradictus Portocarrero num. 46. & 47. & patet ex Concordatis cum Inquisitione Regni Siciliæ apud Paramum de orig. inquisit. lib. 2. tit. 2. cap. 11. num. 24. vbi sic asserit Rex Item in commemoratis casibus, & causis ciuilibus, criminalibus, & mixtis, spectantibus ad iurisdictionem officialium, & locum tenentium, atque familiarium sancti Officii, possunt Inquisitores per censuras procedere aduersus quascunque personas, Iudices, & magistratus, qui contraierint, ac turbauerint illorum iurisdictione [lo qual, ait Portocarreto, no es cõcession particular, echa en fauor de los Inquisidores de Sicilia, porque si ellos no tuuieran facultad de fulminar censuras, no pudiera darsela su Maiestad, y assi es declaracion de que la tienen, y siendo lo es general.] Et solidè totum hoc probat, quod antea etiã docuerat Narbona in 3. par. recopill. libro 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 22. per totam. Non est igitur dubitandum, posse Episcopos excommunicare ministros Regios perturbantes eorum iurisdictionem.

Vnde non est audiendus noster Dominus Franciscus Antonius Costa, vir quidem doctus in quodam Consilio nuper separatim impresso, & dato Messanæ die 26. Iulij 1619. contrarium docens, ex quadã Pragmatica nominata la Cathalana, in qua habetur, quod Episcopi non, procedunt ad censuras contra officiarios Regios inconsulto Rege, seu Prorege Et aduertat lector, quod dictum Consilium à num. 10. vsque ad num. 27. reprobatur à nobis in tract. 2. part. 1. de Immunitat. Ecclesiast. resolut. 13. & verò quæ adducit à num. 28. vsque ad. 34. reprobantur in resolut. 13. & 67. quæ adducit num. 37. & 38. refelluntur in resolutio. 17. Et fertur author huius consilii, quod in Regno Valentiæ Consiliarij Regii, vt patet ex Maderiaga in tract. de Senatu, cap. 39 §. 2. noluerunt admittere cognitionem per viam violentiæ, & tamen ipse in hoc Consilio tentat aperire ianuam, vt admittatur in Regno Siciliæ Rectè igitur Antonius de Ballis in expositione dictæ Pragmaticæ nuncupatæ la Cathalana asseruit supradictam Pragmaticam esse contra libertatem Ecclesiasticam.

An iudex laicus possit cognoscere, vtrum Clericus, veste Clericali amictus sit, vt gaudeat priuilegio fori.

RESOL. X.

Aliqui Iurisconsulti affirmatiuè respondent, & nouissimè inter illos ita fuisse iudicatum testatur Paponius libro 1. titul. 5. arrest. 4. vbi sic asserit. Iudex laicus cognoscere de proprietate tõsuræ non potest, & tamen cognoscere potest, vtrum vestes, quibus Clericus vestitus reperitur conuenientes sint, an aduersæ eius professioni, huiusmodi quippe cognitio sæcularis est, prout fuit iudicatum Arrest. 1584. Ita ille.

Sed hæc opinio est contra communem, vt docet Bellettus disquisit. Cleric. titul. 1. §. 14. num. quarto, & nouissimè illam refellit Barbosa in collecta. tomo tertio libr. 5. titul. 11. capite 12. numero 2. citans Farinacium in praxi. crimin. quæstione 8. numer. 34. & patet ex cap. si Iudex, de senten. excommunic. in 6. sed de hac quæstione vide me ipsum in resolut. 27. tract. 2. p. 1. Nec valet dicere, quod in aliquibus Regnis ita à iudicibus laicis obseruatur, nam respondetur forsitan id facere ex priuilegio Sum. Pontificis.

An Ecclesiastici teneantur soluere gabellas positas pro primo introitu Regis in ciuitatem.

RESOL. XI.

Affirmatiuè respondet nouissimè Paponius lib. 5. titul. 11. Arrest. 15. vbi sic asserit, Iudicatum fuit in Curia Parisiensi mense Aprilis 1595. aduersus Clerum Trecensem, qui depulsus fuit ab oppositione facta aduersus adscriptionem collationis impensarum factarum ab incolis prædictæ ciuitatis Trecensis, cum Rex Henricus IV. eam primum solemniter ingrederetur anno 1595. decretumque fuit Ecclesiasticos cogendos captis pignotibus, seu bonis temporalibus ipsorum. Ita ille, & Remigius de Gon. tractat. de charitatiuo subsidio, quæst. 59. num. 13.

Sed contrariam sententiam omninò amplectendam esse puto, cum communi consensu Theologorum. Et ita docet in terminis Azorius par. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 11. & ex Iurisconsultis noster D. Carolus de Graffis de effect. Cler. effe. 3. num. 264. Aluarez in speculo Pont. capit. 35. Aloysius de Leo. in leg placet, num. 1. C. de Sacrosf. Eccles. qui omnes asserunt text. dictæ leg. placet, esse correctum per Authen. item nulla communitas eod. titul. Et ratio est, quia licet supradicta gabella sit imposita propter publicam necessitatem, tamen dicta necessitas publica solis laicis est communis, & tantum indirectè, ac remotè ad Clericos quoque pertinet, in quo casu ipsi non tenentur ad cõtributiones, vt satis probatum est supra in tract. 1. de Immunitat. Ecclesiastica, part. 1. in resol. 40. & docet inter multos Lessius lib 2. cap. 33. dub. 3. nu. 24. & 25.

An Episcopus possit cognoscere de delicto admisso à laico officiali suo?

RESOL. XII.

Negatiuam sententiam docet Paponius de iure Franc. lib. 1. titul. 4. Arrest. 8. vbi sic asserit Iudex Ecclesiasticus de delicto admisso à Commentariensi suo, idest eo qui carceribus eius præpositus est, eo quod custodiam dimiserit, seu euadere fuerit aliquem, vel quod delictum circa custodiam admiserit, non potest cognoscere, sed à Iudice suo laico puniendus est. Idem iudicatum est de Procuratore officij iurisdictionis Ecclesiasticæ, de qua si laicus sit, Iudex Ecclesiasticus nullam habet cognitionem, etsi de re agatur, quæ ad ipsum officium sui Procuratoris spectat, Episcopus enim ne laicorum officialium opera vtatur cauere debet, neque enim in eos agendo vllam iurisdictionem admittere sibi potest. Et ita iudicatum fuisse bis in Curia Parisiensi testatur Paponius.

Sed hæc opinio refellitur ex multis rationibus, quas adducit Riccius in Praxi, tomo primo, resolut. 471 per totam, vbi quærit, an Episcopus possit magistrum actorem laicum suæ Curiæ punire, & affirmatiuè respondet, Dicendum est igitur Cancerarios, Fiscales, Commissarios, Magistros, Notarios, lictores, & c. etiam si sint laici, gaudere priuilegio fori Ecclesiastici, & eorum omnia delicta Ecclesiasticum, non autem Iudicem laicum cognoscere, & punire posse. Et ita etiam docet Barbosa de potestate Episcop. part. 3. allegat. 107. numer. 11. & sequ. cum alijs Doctoribus communiter penes ipsum. Vnde si aliquis iudex sæcularis vellet cognoscere delicta supradictorum, posset Episcopus illum excommunicationis nexu vincere. Rationes horum omnium inuenies apud Barbosam & Riccium vbi supr.

An statuta laicorum etiam fauorabilia Clericis sint valida?

RESOL. XIII.

Respondeo negatiuè ex defectu potestatis, & iurisdictionis, & habetur in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. & ibi Abbas num. 10. & Felinus num. 80. vide etiam Beroum volum. 1. consil. 32. num. 22. & 24. Riminaldum Seniorem volum. 2. consil. 218. num. 8. Oddum consil. 34. numero. 3. Menochium volum. 3. consil. 291. num. 25. & alios penes ipsos. Si tamen aliqua lex Principis esset merè priuilegiata totum Ecclesiasticorum, siue Clericorum, tunc valeret, etiam quod laici nullam habeant superioritatem in spiritualibus, nam non subdito priuilegium concedi potest: dummodo tamen talis lex non contineat præceptum, vel necessitatem. Quia etiam quod Ecclesiæ esset fauorabilis, & priuilegiata, tamen propter præceptum, & necessitatem, quam imponeret Clericis, non valeret, secus, si resolueretur in vim consilij, seu priuilegij. Vide Surd. volum. 1. consil. 2. num. 19. & volum. 3. consil. 301. num. 13. & 24. Hondedeum volum. 2. consil. 4. n. 11. & vol. 2. consil. 10. num. 7. & alios, quos ipsi citant.

Notandum, est etiam hic obiter, (& in hoc multi errant) statuta, & leges Principum sæcularium etiam licita, & honesta, & propter commune bonum facta, & quæ priuilegia Ecclesiæ non læderent, adhuc non ligare Clericos, quia in statuente non sufficit iusta causa, sed requiritur iurisdictio, nam necessitas seu bonum commune, vel iusta causa numquam tribuunt iurisdictionem laicis in Clericos. Vide Menoch. volum. 3. consil. 291. nu. 25. Surd. vol. 3. consil. 2. nu. 33. & vol. 3. consil. 301. nu. 11. & 28. & alios penes ipsos.

Nota etiam, quod quando Clerici, & Ecclesia in aliquo statuto non nominantur possunt cogi statuentes declarare, quod non comprehendantur Ecclesia, & personæ Ecclesiasticæ, vt docet Ioannes Bertran. de Gueuara in Propugnaculo libert. Eccles. asser. 2. §. 2. num. 63. Ancharanus in 1. Geminianus num. 4. Franciscus numer. 2. in cap. finali, de Immun. Eccles. in 6. D. Antonius p. 3. tit. 12. cap. 3. §. 5. & alijque citant, & sequuntur Maynardus de priuil. Eccles. par. 1. art. 22. nu. 31. & Surdus vol. 3. consil. 301. num. 45.

An leges Amortizationis sint contra Immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. XIV.

De hac quæstione egi in tract. 1. resolut. 103. & non placuit opinio mea aliquibus Iurisconsultis, qui adducebant Arnolfum Ruzeum, Petrum Pechium, Carolum Degrassalium, & Chopinum, defédêtes legem amortizationis extantem apud Gallos, qua bona stabilia prohibentur alienari in manum mortuam, absque Principis licentia, & certa pecunia soluta.

Sed ego iterum puto supradictam legem esse contra immunitatem Ecclesiasticam. Et pro hac sententia, nunc non adducam Theologos, sed Iurisconsultos, & inter illos Ioannem Betrand. de Gueuara, qui fuit visitator Generalis pro Rege nostro in Regno Neapolitano, & postea Præses Supremi Consilij Italiæ, & Archiepiscopus Compostellanus. Is igitur vir doctissimus in Propugnaculo libertatis Ecclesiast. asser. 1. §. 6. numero 21. sic asserit. Amortizationis leges, de quibus in primo argumento contrario, nil obstant: eas enim nonnulli (& malè) defendere conantur, eo quod agant de bonis quærendis, non de quæsitis. Alij asserunt, & deterius, vt est Belluga rubr. 15. §. veniamus, numero 30. & 31. quia à principio omnia fuerunt Regis, & merito Rex in

in traditione rei proprie potuit apponere legem amortizationis, sed hoc non potest sustineri: quia Princeps non fuit dominus omnium bonorum sui Regni, sed quoad protectionem, & iurisdictionem, vt in leg. bene à Zenone, vbi Glossa recepta, Codic. de quadr. præscr. nam Princeps à populo potestate habet, §. sed quod Principi placuit, de iure nat. Alij (& melius) vt ibi per Bellugam nu. 37. dicunt, quod hæ leges amortizationis sunt mixtæ laicorũ & Clericorum latæ in comitijs euitatis omnium statuum. Alij (& rectius) vt Pechius, id totum tribuunt scientiæ, & patientiæ Pontificum. Ita Gueuara, qui etiam subdit in num. 21. quod lex amortizationis lata à Ioanne II. in Regno Castellæ, fuit postea reuocata à Catholico, & sapientissimo Rege Philippo II.

Et ex his patet responsio ad rationem Olibani, quem adduximus in dicta resol. 103. pro contraria sententia. Dicendum est igitur cum Valenzuola in defens. censur. par. 3. numero 202. quod si in aliquo Regno viget lex amortizationis, illam licite obseruari, quia adest priuilegium Summi Pontificis, vel eius tolerantia: secus autem, erit contra immunitatem Ecclesiasticam.

An iudex laicus possit cognoscere de Clericatu vel de habitu?

RESOL. XV.

Affirmatiuè mordicus respondent aliqui, & ita obseruatur in Lusitana, teste Valasco tomo 1. allegat. 144. num. 10. & 12. in Gallia teste Rebuffo ad leg. Galliæ tom. 1. titul. de litteris obligat. art. 11. Gloss. 3. num. 15. in Hispania teste Couarruuia pract. qq. cap. 33. numer. 1. & in Regno Neapolitano, teste Borello in summa omnium decis. titul. 54. de cit. num. 425. Et ratio est, & in facto consistit, cuius cognitio ab omni iuris spiritualis cognitione remota est. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenent Salgado de protect. Regia tom. 2. par. 4. cap. 14. nu. 81. 82. & 85. Pereira tract. de manu Regia in concordatis D. Ioannis Lart. 9. nu. 183. & in concor. 1. Regis D. Dimis, art. 13. n. 62. Ruppellanus lib. 4. instit. Forens. Francus decis. 329. nu. 9. & alij.

Sed ego in tract. 1. part. 1. resol. 27. de Immunitate Eccl. contrariam sententiam tenui, nec aliter tenendum est & contrarium facientes in excommunicationem incurrunt: & hoc est determinatum à Bonifacio VIII. in cap. Iudex, de sentent. excomm. in 6. Et hanc sententiam tenent Doctores quos citat, & sequitur doctus Barbosa vbi infra, nu. 2. quibus ego addo Cenedum in qq. Canon. quæst. 4. n. 32. & Belletum in disquis. Cler. par. 1. tit. de fauore Clericorum personali, §. 14. nu. 4. D. Carolũ de Graffis de Effectibus Cleric. effect. 1. num. 1162. Bobadillam in Pollit. to. 1. lib. 2. c. 17. nu. 196. Mastrillum, p. 2. decis. 113. nu. 36. Martham de iurisdict. par. 2. c. 31. nu. 16. Narbonam in 3. p. Recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. Glos. 23. nu. 16. præter illos, quos adduxi in dicta resol. 27.

Ad contrariam verò obseruantiam, & praxim illorum Regnorum, quam adducunt DD. citati, respondet Barbosa in Collectan. to. 3. lib. 5. tit. 11. cap. 12. num. 3. id tribuendum alicui speciali Summi Pontificis priuilegio, quod si adest videant illi ad quos spectat.

An Clericus propter crimen læsæ Maiestatis sit degradandus, & curiæ sæculari tradendus.

RESOL. XVI.

Ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Ioannes de Heuia in Curia Philippica par. 3. §. 2. num. 23. qui agit de casu nostro in terminis. Vide etiam Romanum cõsilio 36. Albertinum in capit. 1. de Hæretic. lib. 6. qu. 11. & 13. & DD. quos ego ipse citaui in tract. 1. de immunit. Eccles. resol. 129. asserẽtes propter grauitatem criminis, etiamsi in iure expressum non sit, Clericum tradendum esse curiæ sæculari, quamuis non proponatur incorrigibilis.

Sed ibi contrariam sententiam tenui cum multis DD. quibus nunc addo Barbatium lib. 3. consil. 22. Curtium consil. 154. & nouissimè ex neotericis in terminis casus nostri de crimine læsæ Maiestatis, docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collect. tomo quarto, par. 2. causa 22. quæst. 5. capit. si quis laicus, numer. 2. vbi numero 4. & 5. probat supradictum cap. si quis laicus, non facere contra nos, neque etiam cap. si quis sacerdotum, 21. quæstio. 1. & concludit mordicus Clericum pro crimine læsæ Maiestatis minimè degradandum esse. Et hoc etiam docuerat antea Ignatius de Salzedo in practic. crim. Bernardi Diaz cap. 119. litt. C.

An Clerici teneantur soluere collectam certam, & inuariabilem impositam per statutum super aliqua bona, priusquam ad eos peruenissent.

RESOL. XVII.

Affirmatiuam sententiam docet Barbosa collect. tom. 1. libro 3. tit. 49. cap. 4. num. 5. & ego ipse cum multis alijs in tract. 1. par. 1. de Immunit. Eccles. resol. 42. nunc autem existimo contrariam sententiam esse etiam probabilem, quam tuetur DD. quos citat, & sequitur Domin. Carolus de Graffis de effect. cleric. eff. 3. 2. nu. 162. vsque ad num. 176. quibus ego addo doctissimum Iurisconsultum Hispanum Ioannem Bertran. de Gueuara in propugnaculo libert. Eccles. Assert. 1. §. 6. nu. 27. vbi sic asserit. Non potest sustineri opinio Bartoli, etiam si onus impositum sit inuariabile, & certum, & in certa quantitate, quia collecta est onus; quod personis imponitur secundum quantitatem possessionum, & rerum, ita quod collectæ sine onera mixta ex leg. rescripto, §. finali, de muner. & honor. & Ita collecta quantum ad obligationem est onus personale, & quantum ad quantitatem est reale, ac proinde quando imponitur onus à statuto super rebus certum, & inuariabile, id censetur fieri in fraudem Ecclesiasticorum. Et ita est eadem ratio, ac si esset onus variabile & incertum, quidquid contra dicant alij, distinguendo an onera certa & firma, & inuariabilia sint, an verò incerta, & variabilia.

Nec enim hæc distinctio admittenda est, quando per statutum onus soluendum imponitur in futurum, aliter si fiat per specialem contractum Principis, vel contrahentium. Ita Gueuara, & ante illũ Cardinalis Albanus in tract. de immunitate Ecclesiæ, qui omnino videndus est, & habetur in tom. 13. tractatuum, parte secunda. Hoc etiam docet Alexander Pesantius tract. de immunit. Eccles. disput. 7. vbi sic ait. Quando onera sint perpetua, & certa, & rebus imposita: maior est difficultas. Sed si generaliter statui sacrorum Canonum standum sit, idem dicendum est, quod de secundo casu. Et ego vt tutas reddam Principum, & Magistratuum sæcularium conscientias, non possem tuta conscientia aliud suadere, quam vt cum talia onera imponẽda vel imposita iam exigenda sunt, non aliter fiat, quam consilio, & concedente Romano Pontifice. Sic Pesantius. Quæ omnia intelligenda sunt, vt notat Graffius vbi supra, etiam si bona patrimonialia clerici reperiantur in extimo descripta, nam nõ transeunt in clericos cum onere suo, licet tale onus esset reale, perpetuum & durabile.

Ex his patet refellendum esse Ioannem Driedonem de libert. Christiana lib. 2. c. 3. asserentem, quod prædia omnia sint obligata pro tributis Reipublicæ impositis, sed hæc opinio est falsa, & Theologo indigna.

An iudex Ecclesiasticus possit præcipere iudici sæculari sub pœnam excommunicationis, quod supersedeat in exequutione contractus, donec decidatur an sit vsurarius necne.

RESOL. XVIII.

Negatiuè respondet Ceuallos in tract. de cognitione per viam violentiæ, par. 2. quæst. 96. num. 12. Angelus in leg. 4. §. condemnatum, ff. de re iudicata. Imola & Ripa ibidem, & Rodericus Suarez in leg. post rem iudicatam, ver. circa iudicẽ num. 15. 16. & 17. ff. de re iudicata, & Barbatius, vol. 2. consil. 45. nu. 10. docentes, quod licet exceptio vsuræ sapiat spiritualitatem, tamen non potest opponi ad impediendam exequutionem instrumenti.

Sed ego contrariam sententiam teneo ex cap. lator, qui filij sint legitimi, & ideo pendente causa natalium coram Ecclesiastico, non potest sæcularis iudex in causa principali hæredita-

tis procedere, vt rectè notat Corasius Miscellan.lib.2.cap. 5.& alij. Vnde in terminis nostram sententiam tenent DD. quos citat, & sequitur Guttierez de iuram. confirm. p.1.cap.2.a nu.11. vbi sic asserit. His non obstantibus, videtur non esse veram Angeli opinionem & sequacium, & potius tenendum esse contrarium, imò quod iudex sæcularis supradicto casu, constito sibi de litis pendentia verteotis coram Ecclesiastico super causam vsurariam eiusdem contractus, quem exequitur, maximè si à iudice Ecclesiastico inhibeatur, ne vltra procedat super exequutionem sub pœna excommunicationis, quousque decidatur causa vsuraria, teneatur obedire, & debeat supersedere in executione, quia cum exceptio hæc sit præiudicialis executioni, omninò non debet super ea amplius procedi, quia aliàs iudicium Ecclesiasticum redderetur illusorium. Ita Guttierez, & ante illum Alexander in leg. 4.§.condemnatum, nu.17. de re iudicata, quidquid in contrarium asserat Ceuallos vbi supra, cuius sententiam omninò resellendam esse puto, si iudex Ecclesiasticus præueniret in cognitione vsuræ illius contractus, vt optimè notat Martha de iurisdict.par.2.cap.45. num. 15. & 20. cum alijs.

Notandum est etiam hic obiter cum Barbosa in collect. to. 2.lib.4.tit.17.cap.5. num. 4. & 5. & alijs penes ipsum, quod iudex Ecclesiasticus, ad quem aliqua causa spiritualis remittitur, potest opponere exceptionem illam, præfigere terminum peremptorium, intra quem probare teneatur. Non potest tamen è conuerso iudex sæcularis, qui v.gr. de causa principali hæreditatis conoscit, præfigere partibus terminũ, intra quem causa incidens spiritualis terminetur coram Ecclesiastico ad quem remittit, quia iudici Ecclesiastico, qui in spiritualibus superior est legem imponere non potest.

An Iudex laicus possit exigere gabellas à colonis partiarijs Religiosorum.

RESOL. XIX.

Affirmatiuè non pauci respondent, sed mihi placet opinio Abbatis lib. 1. cons.9.num.2.verb.ad secundum. & in cap. ex parte el 1. num. 4. & 5. de decimis, & aliorum quos adducit Menochius lib. 2. de arbitr.cas.562.num.46. & ita hanc sententiam docet nouissimè Tamburinus de iure Abbatum tomo 1. disp. 15. q.21.num.9. vbi sic asserit. Notandum quod priuilegia hæc exemptionis à gabellis, datijs, &c. cum sint realia transeunt ad colonos eorumdem Regularium, quia eorum bona, & prædia priuilegiata sunt, & exempta ab onere soluendi gabellas, & similia. Ita ille.

Idem etiam docet, ex neotericis Peirinus super priuileg. Minim.to. 1. Constitut. 2. Iulij II.§.33.nu. 142. Et hoc patet ex Bulla Pij V. in qua Summus Pontifex eximit Fratres Monachos, Moniales, ac alias Regulares personas, eorumque Monasteria, Cœnobia, Conuentus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones prædia, agros, & bona nec non laboratores, colonos arrendatarios, affictuarios, ac gestores suorum negotiorum ab omnibus exactionibus, tam vrbanis, quam rusticis, necnon datijs, gabellis pedagijs, vectigalibus, collectis, impositionibus, oneribus ordinarijs, & extraordinarijs, ac tam realibus, quam personalibus, meris, & mixis etiam subsidio triennali, & angumento, ac focularibus, equorum taxis, militumque hospitijs &c. tam impositis, quàm imponendis. Et hoc maximè procederet, quando colonus à principio fuisset pactitatus cum Ecclesia, quod vellet etiam immunitatem consequi pro parte sibi competente, vt docet Marcabrunus cons.18. nu. 39. & Menochius vbi supra de arbitr.lib.2.cas.562. num. 56. & alij.

Illud tamen in hac quæstione concedi potest, dictos colonos Religiosorum teneri soluere gabellam ex fructibus collectis, si eosdem deferant de loco ad locum, aut alienent, tunc enim sunt bona laicorum, & non pertinent, neque indirectè, ad Ecclesiasticos. Ita Filliucius tomo 1. tractatu 16. capit. 11. num. 302.

Notandum est etiam hic obiter à fortiori colonos, seu afflctatores prædiorum Ecclesiasticorum nõ teneri soluere gabellam vulgo dictam di luxiuti, quia quando dicti gabelloti taxant, & pretiant dictam gabellam, fructus non est separatus à solo Ecclesiastico immuni à gabella, ergo. Et ideò Carollus de Grassis de effectibus clericatus, eff.3.num.90. sic asserit. In facti contingentia in hac vrbe Panormi fuit decisum pro emptoribus fructuum pendentium cuiusdam viridarij Religionis Melitensis contra gabellotos, qui prætendebant ius gabellæ ab ipsis emptoribus, & hoc quia fructus non erant separati à solo tempore venditionis. Ita ille.

An conseruatores Religiosorum possint procedere contra eorum debitores laicos.

RESOL. XX.

Negatiuè respondent Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, par. 2. quæst. 20. numer. 16. & Guttierrez qq. practic. lib.3. quæst.9. numer.8. Cabedo diuersor. lib.3. capit.18 numer quarto. Fuscus de visitat. lib. 2. capit.23. numer.5. & alij quia exactio debiti requirit strepitum, & figuram iudicij, & sic non potest hæc causa agitari coram iudicibus conseruatoribus, quia non possunt habere tribunal erectum, secundum decisionem Concilij Tridentini, & sic nullo modo possunt cognoscere de causis ciuilibus, nisi aliter fuerit in litteris conseruatorijs definitum. Hæc Ceuallos, qui contrariam sententiam falsam putat.

Sed cõtrariam sententiam docent Portel in dubijs Regular. ver. Conseruatores, num.7. Rodriquez qq. can. tom. 1. q. 65. art. 12. Guido Papæ quæst. 18. numer. 3. & Ioann. de la Cruz de statu Relig. lib.2.cap.10.dub.5. conclus. secunda. vbi sic asserit. Conseruator Religiosorum potest procedere contra debitores ex causa ciuili, etiam laicos. Patet primo, quia in cap. fin. de offic. deleg. cõceditur his conseruatoribus posse cognoscere de manifestis iniurijs, & violentijs, vbi iniuria non tantum sumitur pro contumelia, vel conuicio (quicquid dicat Gurtierrez) sed pro omni quod fit contra ius, & infert damnum Monasterio. Ita ille, qui multas alias adducit rationes. Et ideò nouissimè hanc sententiam docet doctus Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regular. resol. 33. num. 12. & 22.

Notandum est etiã hic obiter posse Regulares eligere Conseruatorem, qui defendat sua animalia, seu pecora damnum facientia in agris alienis, & hæc causa pertinet ad Conseruatorem, & non ad iudicem sæcularem. Ita Portel vbi sup. nu.9. & Rodriquez art.14.

An transacto anno Episcopus sit exequutor vltimarum voluntatum etiam quoad legata non pia.

RESOL XXI.

Affirmatiuam sententiam docui in tr. 1. p. de immun. Ecclesiæ resolut.98. sed nõ placuit aliquibus, quod valdè miror: nam illam docet Glos. in capit. si hæres, de testam. & Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. titul. 26. c.6. nu. 12. & de potest. Episc. p.3. allegat.82. num. 15. quibus ego addo Bonacinam de contract. to. 2. disp.3. q.17. punct. 8.§.10. nu. 1. & Molinam de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 250. nu. 5. vbi sic asserit. Dubitant Doctores, vtrum etiam quando dispositio non est ad pias causas, cura, vt illa executioni mandetur, ad Episcopum, & eius Vicarium pertineat intentata etiam coram ipsis actione aduersus executores, aut hæredes ab eo, cui à testatore aliquid relictum est, licet autem quidam negẽt quando hæres, ac executor laicus est, eo quod actio forum rei sequatur, tamen multi alij contrarium affirmant. Ducuntur ea ratione, quoniam adimpletio voluntatis defuncti in ipsius defuncti bonum Episcopis ex officio suo est commissa, etiã quando non est ad pias causas, vt ex multis iuribus ostendit Panormitanus indict. c. si hæres, de testam. n.3. & in relect. c. cum esses, de testam. nu.32. quare in consequentiam pertinet etiam ad Prælatum quando aduersus executorem, aut hæredem laicum intentatur actio, efficere, vt ea via in defuncti bonum ipsius voluntas mandetur executioni. Atque hæc opinio, vt communior, & magis pia, placet. Ita Molina, & iterum ego.

Vnde ex his infertur contra Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, par.2. q.21. num. 8. Caldas de nomin. emphyt. q.19. num.36. Bobadillam in Polit tom.1. lib.2. c. 17. num. 103. & alios, supradictam opinionẽ esse veram, etiamsi in testamento non adsint legata pia, sed tantum legata profana, & etiam quando iudex sæcularis non esset remissior in administranda iustitia: vel non solum quando iudex Ecclesiasticus ex officio

veller

vellet executores compellere ad legata persoluenda, sed etiam quando ad instantiam partis laicus conueniretur ad legara nó pia: vt patet ex Molina vbi supra & alijs DD. absolutè, & sine vlla distinctione nostram sententiam tenentibus.

An Clericus si conueniatur pro euictione conueniendus sit coram iudice Ecclesiastico?

RESOL. XXII.

AD hanc quæstionem sic respondeo cum Tamburino de iure Abbatum, to.1. disp.15. q.19. num.25. vbi sic asserit. Si Clericus, qui vendidit agrum, conueniatur pro euictione, debet conueniri coram iudice Ecclesiastico: si vero lis mota fuerit contra laicum, qui rem à Clerico emit, & Clericus resistat defensioni emptoris, tunc nō potest per Clericum causa trahi ad tribunal Ecclesiasticum, quia agitur contra laicum, non contra Clericum, qui iudicio suo nomine non assistit, sed nomine, & pro defensione emptoris. Ita ille

Sed præsentem quæstionem fusius tractant Ceuallos de cognitione per viam violentiæ, p.1. qu.45. & alij penes ipsum, quibus ego addo Molinam de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 380. nu. 55. Ioan. de Heuia in Curia Philipp. p.1. §.5. nu. 20. Marilliam de iurisdict. p.4. cent.1. cas.34. Bobadillam in Polit. tom.1. lib.2. c.18. num.169. Medez à Castro in Praxi Lusitana lib. 3. c.5. §.1. Caldas Pereira de emp. cap.31 nu.84. Girondam de Gabellis p.4. §.1. num.15. & alios.

An colonus laicus Religiosorum, pro eius portione colonica teneatur soluere decimas?

RESOL. XXIII.

SVpradictum est de gabellis, nunc dicemus de decimis. Affirmatiuam sententiam notat Tamburinus de iure Abbatum tom.1. disp.15. qu.18. num. 32. docere Rotam in vna Placentina 17. Decembris 1584. coram Blanchetto, quam decisionem refert, & sequitur Seraphinus decis.127. nu.2. Idem dictum est ab eadem Rota in vna Pampilonen. 15. Decembris 1615. corā Coccino. Et ratio est, quia priuilegia exemptionis à solutione decimarum sunt personalia, non autem realia. Ergo non transeunt ad colonos, vel arrendatarios.

Sed contrariam sententiam ego teneo cum docto Iurisconsulto Menochio lib.1. cons.276. num.8. & multis alijs penes ipsum, quia dicta priuilegia censent realia, & non personalia. Ergo transeunt ad colonos. Probatur maior quia priuilegium concessum Ecclesiæ Ciuitati, & alijs personis, quæ nunquam moriuntur, reale censetur, vt docet Glossa in leg. formæ, §. quanquam, ff. de censibus & alij. Ergo. Et ita nouissimè docet etiam hanc sententiam Peirinus in priuileg. Minim. tom. 1. constitut. 2. Iulij II. §.31. nu. 132. vbi sic asserit. Nota quod non solum domus, & prædia nostra sunt exempta à solutione decimarum, sed etiam coloni, qui conducunt agros, nostros, siue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur coloni partiarij, siue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum sibi acquirant: nam priuilegium est reale, & priuilegium reale, iure communi transit ad colonos, Ita ille, & alij penes ipsum.

Vide etiam Henriqu. lib.7 c.27. num.8. & in Gloss. litt. H, vbi ponit eximium priuilegium de exemptione decimarum concessum Societ. Iesu à Greg. XIII. quo etiam gaudet nostra Religio, & addit, quod hæc causa fuit pluries agitata apud Ecclesiastica tribunalia Romæ, & in Hispania, & semper pronunciatum fuit in fauorem Regularium, & colonorum. Aduertat tamen lector, quod si in aliqua Prouincia Moniales, Regulares, & eorum coloni soluunt decimas, hoc forsitan eueniat, quia Episcopi obtinuerunt aliquod breue Pontificium reuocatorium dictorum priuilegiorum. Vide Portel. in dub. reg. ver Decimæ, nu.3. & Fagund. p.5. lib.2. cap.4. nu.3. Vnde praxis vnius Regni non est extendenda ad alia Regna. Remanet igitur satis firmatum, colonos partiarios Religiosorum non teneri soluere decimas, vt supradictum est de gabellis.

Vtrum emphyteuta Ecclesiæ teneatur ad tributa?

RESOL. XXIV.

EGimus supra de colonis, nunc dicendum est de emphyteuta. Sententiam affirmatiuam docent Auendagnus de exequ. man. lib.2. c.14. num.33. Valascus de iure emphyteu. q.17. n.11. & sequen. Carocius de locato, q.25. nu 34. 35. & 43. Roland. libr.4. cons.61. num.14. & 15. & alij. Et ratio est, quia cum emphyteuta sit secularis, & obnoxius gabellis, & collectis teneatur eas soluere, etiam pro re emphyteutica Ecclesiæ, nam mutata persona mutatur qualitas rei.

Sed contrariam sententiam ego existimo probabilem esse ex traditis per Doctores, quos citat, & sequitur ex Iurisconsultis neotericis Hispanis doctus Felicianus de Solis tract. de cens. tom.2. in addit. lib.1. in præfat. n.1. & seq. vbi asserit, ita sæpius fuisse decisum Compluti pro Collegio D. Ildefonsi, & pro Monialibus Sanctæ Claræ, & ita ait Rectorem Academiæ excommunicationis mucrone emphyteutica Collegij bona defendere, ac liberare à quacunque impositione, idque vidi frequentissimè obseruatum, vt ait idem Felicianus ibid. nu.3. in fin. Vide etiam circa presentem quæstionem consilium secundum positum in to.12. tractatuum fol.99. col.3.

Sed hæc doctrina de emphyteuta non procedit in censuario, neque circa emphyteutam redimibilem. Si enim Ecclesia vel persona priuilegiata domum, agrum, vel vineam concederet in censum emphyteuticum redimibilem, debitor census, prædijque possessor non gauderet priuilegio, quoniam in hac forma conuentionis nullum dominium remaneret penes Ecclesiam, vel personam priuilegiatam, sed solum ius recipiendi pensionem annuam. Et ita docet Felicianus vbi sup. & to.1. lib.3. cap.10. nu.5. & 15.

An negligentia iudicis Ecclesiastici in administranda iustitia possit suppleri per iudicem sæcularem, vel è contra?

RESOL. XXV.

AFfirmatiuè respondent aliqui Iurisconsulti, vt Gulielmus, de Benedictis in cap. Raynutius, ver. & vxorem, decis.2. n.31. Igneus in leg. necessario, §. non alias, num.603. ff. ad Syllanum Cassaneus in consuet. Burgun. rubr.1. §.5. num.61. ver. vndecimo fallit, & Olibanus de iure fisci cap.23. num.31. qui citat Couarruuiam, & alios, & adducit pro hac sententia c. filij, vel nepotibus 16. q.7.

Hæc sententia est falsa, & protsus reijcienda, & illam refellunt Pesantius tract. de Immun. Eccl disp 16. Bonac. de legibus disp. 10. quæst. 2. punct.1. §.1. nu.12. Azorius, par.1. lib.5. cap.4. quæst. 2. Tamburinus de iure Abbatum, tom.1. disp.15. q.19. n.22. Layman in theol. mor. lib.4. tract.9. cap.4. num.4. Anguianus de legibus, tom.1. lib.2. contr.17. num.84. 85. & 86. & alij penes ipsos. Dicendum est igitur, quod etiam si Prælati fuerint negligentes in inponēdis Clericis, & casibus huiusmodi cognoscendis, eorum negligentia non obstante non permittitur iudicibus, laicis de causis, ad Ecclesiam pertinentibus posse iudicare. Et ratio est, quia Clerici sunt exempti à laica potestate, & in cap. qualiter, & quando, de iudicijs, c. si quis Clericum, cap. placuit, cap. Christianus, cap. licet ex suscepto, & cap. Clericum 11. q. 1. decernitur, & prohibetur, ne defectu iustitiæ trahantur ad iudicium sæculare.

Sed è contra, data negligentia iudicis secularis potest Ecclesiasticus procedere cōtra laicos in casibus, in quibus aliàs non posset: Ecclesia n. in quolibet excessu notorio iudicare potest, quando iudex sæcularis est negligens, vt si requisitus non exigar iustitiam. Immò poterit iudex Ecclesiasticus censuris compellere iudicem secularem, vt suo munere fungatur, nam ad commune bonum spectat, & ad pacem fidelium, vt ad iudicē Ecclesiasticum possit haberi recursus, saltem eo titulo, vt peccata publica corrigantur. Et ita docent Doct. quos sequitur, & citat ad satietatem Barbosa in collectan. tom.1. libr.2. tit.2. cap.10. num.5.

Restat modo respondere ad cap. filijs, vel nepotibus, de quo nos plura diximus resol.14. tract.1. de Immun. Dico nunc breuiter, quod solum ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel renuente, ad Regem causa deferatur, non vt ipse Rex causam iudicet,

dicet, sed vt moneat reuerenter superiorem; vel dicendum est hoc ius fuisse sublatum ab Innocentio III. in cap. qualiter, & quando de iudicijs.

An principes possint statuere, ne beneficia Ecclesiastica exteris conferantur?

RESOL. XXVI.

Respondeo negatiuè cum Tamburino de iure Abbatum, tom. 1. disp. 15. qu. 19. num. 21. & alijs vbi infra, & si in Regno Portugalliæ, Castellæ, Nauarræ Arragoniæ, & in Regno Franciæ exteri non admittuntur ad beneficia, totũ hoc procedit ex consensu, & priuilegijs Summorum Pontificum multis regibus concessis, vt notat Barbosa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 5. c. 4. num. 7. & seq. & Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 11. num. 100.

Ex his sequitur, vt optimè docet, & aduertit Alexand. Pesantius tract. de Immun. Eccles. disp. 17. Bonacina de legib. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 13. & Azorius p. 1. lib. 5. c. 14. q. 3. nõ esse liberum Magistratibus, & Iudicibus sæcularibus litteras Pontificias reijcere, quarum auctoritate beneficia exteris conferantur, sed licitum erit proponere de surreptione talium litterarum apud Iudicem Ecclesiasticum. Imò si in litteris exprimatur derogatio iuris patronatus, licitum est appellare ad summum Pontificem, & supplices libellos offerre, & interim litterarum Apostolicarum executionem impedire, modo id efficiant opera Iudicum Ecclesiasticorum, & supplicationem corã Sede Apostolica legitimè prosequantur. Nam sententia communis est, posse Romanum Pontificem iuri patronatus laicorum derogare, si velit, ac proinde si velit, non inferre iniuriam, neque vim laicis, quia vtitur iure suo, & solum id ius adimit laico, quod habuit ab Ecclesia, non adempto sibi reuocandi iure. Vnde quãdo Papa, non obstante supplicatione, & appellatione Principum, expressè iuri patronatus derogaret, debent prophani iudices obedire: etiam si Principes nollent, & non obstantibus eorum legibus.

An Principes habeant ius conuocandi Episcopos propter aliquod Reip. negotium, vel bonum ipsarum Ecclesiarum:

RESOL. XXVII.

Respondent aliqui affirmatiuè, nam Rex ratione sui muneris, & dignitatis est tutor, curator, custos, defensor, & iudex Ecclesiarum sui Regni, & propterea ius habet conuocandi Præsules, & cæteros Ecclesiasticos viros, vt commum Ecclesiarum saluti prospiciat.

Sed hanc sententiam, & meritò, impugnat Azorius p. 1. lib. 5. cap. 14. q. vlt. Bonacina de leg. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 14. & Alexander Pesantius tract. de Immun. Eccles. disp. 21. vbi sic asserit. Dico Reges, & Principes sæculares ratione sui muneris & officij non habere ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiẽdi, vt hoc, vel illud faciant, quia de iure diuino sunt exẽpti à Principum sæcularium iurisdictione. Possunt tamen Reges pro negotijs Reipublicæ communibus rogare Episcopos, eosque vocare, vt ad se veniant, non tanquam Episcopos, sed tanquã proceres, quia opus illis habeant, non tamen præcipiendo, & multo minus sub minis, & pœnis. Ita ille. Nec obstat, Reges vocari patronos in Cathedralibus Ecclesijs, nomen enim Patroni ab ipsis vsurpatur pro defensoribus, & protectoribus Ecclesiarum; non tamen hic licet inferre, ipsis potestatem auctoritatiuè conuocandi Ecclesiasticos communicatam fuisse. Vide etiam nouissimè Bonacinam to. 3. disp. 1. q. 16. sect. 3. n. 13.

Vnde ex his infertur, quam malè asserant aliqui, posse Reges expellere à Regno Episcopos inobedientes mandatis Regijs. Sed contra hanc sententiam nos fusius diximus in tractat. 1. p. 1. de Immun. Eccles. 17. nunc tantum adducam verba Ioãnis de Heuia in Curia Philippica part. 3. §. 3. num. 30. vbi sic ait. [Aunque parece que el Clerigo turba la Republica y paz, puede ser echado del Reyno, por el Rey y su Consejo por estar à su quenta el procurar esta paz, esto es, peligroso, y no se admite segun Gregorio Lopez.] Sed hoc esse contra Immunitatem Ecclesiasticam, non solum Theologi, sed etiam ipsimet Reges ore proprio confessi sunt.

Audiant igitur Neoterici Iurisconsulti Concordatum Reginæ D. Aleonoræ, quod affert doctus Iurisconsultus Hispanus Ioannes Dionisius Portocarrero in alleg. pro iurisdictione DD. Inquisicum Ministris Regijs, folio mihi 61. vbi sic asserit. Abyssus abyssum inuocat. [Llegaron a declarar al Inquisidor por banido, y mandarlo salir del Reyno, y ocupar las temporalidades, como si por semejante procedimiento no se incurriessen en las penas, y censuras de la Bulla in Cœna Domini ca. 17. Nipodian ignorar la Concordia de la Señora Reyna Dona Leonora, donde se dize.] super eo verò, quod conquetitur, quod personæ Ecclesiasticæ eijciantur, seu banniantur à Regno, concordatum est, quod illud si vnquam factum est malè factum est, cum euidenter sit contra libertatem Ecclesiasticam, & est concordatum, quod Dominus Rex declaret, quod in posterum numquam fiat.

Hæc sunt verba Concordiæ. In quibus, amice lector, audisti ex ore Regis, quod eijcere Ecclesiasticos viros è Regno, est euidenter cõtra libertatem Ecclesiasticam. Sed faxit Deus, vt non sint aliqui, cõtrarium Regibus consulentes, at væ væ illis, vnde non est audiendus nouissimè Salgado de Protect. reg. to. 1. p. 1. c. 2. à nu. 273. vsque ad num. 280.

An minister laicus possit spoliare Clericum armis prohibitis.

RESOL. XXVIII.

Affirmatiuam sententiam docent Naldus in sum. ver. Clericus, n. 23. Caballus centur. 1. cas. 9. nu. 13. Ignatius Salzedo in pract. Crim. ca. 66. §. quamuis ab hac opinione Villadiego in Polit. §. 20. nu. 66. vide etiam Peguera decis. 56. n. 14. 15. & 17. Afflictum in prælud. Constit. Neapol. q. 8. nu. 2. Pereira tract. de manu Regia in Concordatis Ioannis 1. art. 15. num. 18. & alios quos citaui in tract. 1. p. 1. de Immunit. resolut. 9. & citat doctus Rodericus Acugna Archiepiscopus Bracarensis in commen. ad Decretum Gratiani p. 1. dist. 31. c. 8. n. 2.

Sed ibi meritò contrariam sententiam tenui, & tunc teneo cum Suarez in decis. fidei lib. 4. q. 34. num. 14 etiam si armorum vsus tanquam Reipubicæ perniciosus ita prohibitus sit, vt neque domi retinere cõcessum sit, quicquid in hoc cum Vasquez dissentiat Layman in Theol. mor. lib. 4 tract. 9. c. 4. n. 7. Et ratio est, quia armorum spoliatio, & amissio violentiam continet, & rationem pœna habet, quam sæcularis iudex propria auctoritate, & sine vlla expressa, aut tacita commissione in Clericos exercere non potest. Ergo, &c.

Vnde ex his infertur contra Ortiz in summ. c. 3. nu. 9. Prosperum Rendellam tract. de Pascuis, p. 1. cap. 12. Villadiegum in polit. c. 5. §. 20. n. 84. & 86. Bobadillam vbi infra nu. 119. Azeuedum Recopil. lib. 7. tit. 8. leg. 3. in fine. Ioann. de Heuia in Curia Philippica p. 3. §. 3. num. 11. & alios non posse iudicem laicum spoliare Clericum exercentem venationem, aut piscationem prohibitam auibus, vel canibus, vel alijs instrumentis, & ideò etiam non est audiendus Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 121. vbi, sed malè, asserit, posse Ministros laicalis iurisdictionis tollere à Clericis vestes prohibitas deferentibus ex aliqua Pragmatica Regis. Neque est audiendus Naldus vbi supr. in summ. verb. Clericus, nu. 23. non bene asserens posse Ministum sæcularem auferre annonam à Clericis. Nam hæc omnia habent rationem pœnæ, quam non potest laicus in Clericum exercere, vt ego ipse satis probaui in dicto tra. 1. p. 1. de Immun. Eccles. resol. 15.

Nota hic obiter, quod Tamburinus de iure Abatum tom. 1. disput. 15. quæst. 19. numer. 30. docet, quod iudex Ecclesiasticus non tenetur punire Clericos pœnis statutis à lege laicorum, quod etiam notauit Bonac. de legibus, quæst. 2. disput. 10. punc. 1. §. 1. num. 19. Ignat. Salz. in pract. crim. c. 56. §. tertio minimè & nos alias.

An Clericus possit se submittere iurisdictioni Regali quoad bona patrimonialia.

RESOL. XXIX.

Hoc cogitandum relinquit Azeuedus Recopil. libr. 4. tit. 1. leg. 12. num. 16. Sed tu absolutè, & sine vlla hæsitatione negatiuam sententiam tene, nam bona patrimonialia Clericorum gaudent priuilegio exemptionis, vt latè probat Barbosa in

in collect.to.1.lib.3.tit.49.c.4.n.3.& Layman in theol.mor. lib. 4.tr.9.c.6.n.9.& ego in tract.de Parlamento resol.22.Sed Clerici non possunt exemptioni priuilegij renuntiare, vt ego ipse satis probaui tr.1.p.1.de Immun.Eccles.resol.3.Ego,&c.

An Clericus, qui commisit crimen lesæ Maiestatis, sit puniendus à Iudice sæculari?

RESOL. XXX.

AFfirmatiuè respondent aliqui Iurisconsulti, vnde Ioan.de Heuia in Curia Philippica p.3.§.2 num.23. sic asserit. [El Clerigo conspirando contra el Rey, o contra el Reyno excitãdo tumultos y mouiendo gente armada contra su persona, ò estado, puede ser castigo por el Iuez secular, sin que proceda actual degradacion ni entrego hecho del por el Ecclesiastico, y assi se ha praticado en diuersos Reynos, como lo affirma y dize Paris de Puteo, y lo tiene Gulielmo Benedicto, y dize ser commun proposito.] Ita Heuia.

Sed ego hanc sententiam ex declaratione Clemen. VIII. satis impugnaui in tr.1.p.1.de Immun.Eccles.resol.19.vbi plures Doctores adduxi, quibus nunc addo Salzedum in pract.crim. Bern.Diaz,cap.119.lit.B, Azorium p.1.lib.5.c.13.qu. 8. in fine Duardum in Bull. Cœnæ, lib.2.can.15.q.11.n.31.Maynardum de priuil.Eccles.p.2.art.17.n.6. & Tamburinum de iure Abbatum,to.1.disp.15.n.16.

Sed nõ grauabor hic apponere quod notat Antonius Bouius in responsione contra N.p.4.agrum.10.folio mihi 75.vbi sic ait. (Nel 1520.fu fatta in Spagna vna congiura cõtra l'Imperatore Carlo V.e la Regina sua madre, nella quale erano molti Ecclesiastici. L'Imperatore, & la Regina mãdorono fuori vna Pramatica in Bormez, la quale riferisce il Molina de Hisp.Primog.lib. 4.c.11.che si procedesse contra à i cõgiurati, ma le persone Ecclesiastice remisero à suoi Prelati, & al Papa. In Inghilterra riferisce il Cardinal Polo li.3.de immun.Ecclesię, che vn certo Sacerdote solleuò il Regno contro Henrico VII. onde ne seguì guerra e morte di migliaia di persone, e pure se ben castigò gli altri cõplici, consignò questo Sacerdote da castigare à suoi Giudici Ecclesiastici. E se qualche Rè per offesa Maestà, ò sotto tal pretesto hà posto mano ne Sacerdoti, e Prelati di S. Chiesa, hà fatto quello, che non potea, e non douea, e glie n'è stato dato da Dio il castigo con infelice morte, & astintione della casa sua.) Ita Bouius.

An Clericus succedens in bonis laici, sit propter illa bona vocandus in iudicium coram Iudice laico, ante quem causa incepta iam erat?

RESOL. XXXI.

AFfirmatiuam sententiam docent DD. quos citaui in tr. 1. de immun.Eccles.resol.24. Sed ibi adduxi alios negatiuã opinionem docentes, quibus nunc addo Alterium de cens.to.1. lib.5.disp.16.c.1.col.12.& seq.cas.3.Bonac.in Bull.Cęn.to. 3.disp.1.q.16.punct.5.n.18.Tamburinum de iure Abbatũ, to. 1.disp.15.q.19.n.29.vbi etiam n.28.& 29. notat quod Clericus, qui coram iudice laico recipit depositum, non potest à laico iudice ad illud reddẽdum cogi, & Clericus citatus coram laico, si putans sua interesse compareat, non tenetur stare sentẽtię à iudice laico latæ. Et hæc omnia nouissimè me ipsum citans tenet Paulus Squill.de priuil.Cler.c.7.dub.3.n.58.75.& 82.

Notandum est tamen hic à fortiori, non esse tenendam opinionem Gabrielis Pereira trac.de manu Regia in concordatis Regis Alfonsi III. art.4.nu.38.Barbosæ in l.si quis posteaquam, ff.de iudicijs,n.203.& aliorum, asserẽtium de iure esse, vt laicus effectus Clericus in ciuilibus respondeat in iudicio, vbi prius citatus est. Sed tu tene contrariam sententiam cum Martha de iurisd.cent.1.cas.34.num.14.

An ad Iudicem laicum spectet cognitio si captus à satellitibus affirmat se fuisse captum in loco sacro, illis tamen negantibus,

RESOL. XXXII.

NOn spectare ad iudicem laicum, sed ad Ecclesiasticum docet Peregrinus tractat.de immun.Eccles.cap.13.num.18. & Marius Italia de immun.lib.1.c.6.§.2.nu.100.& 101. quia ad iudicem Ecclesiasticum spectat cognoscere principales causas immunitatis; ergo, & alia ad easdem concernentia cognoscere debet, cum accessorium naturam principalis sequatur, c.accessorium, de reg.iur.in 6.Deinde in c.si iudex, de sent. excommun. in 6.deciditur, quod si reus captus à iudice laico dicit se esse Clericum huius rei cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum spectare, vt nos latè sæpius supra probauimus, quia de re Ecclesiastica, & spirituali tractatur. Ergo, &c.

Nec valet dicere, quod malefactor est in possessione iudicis laici, & melior, est conditio possidentis; Nam respondeo quod in casu dicti c.si iudex, etiam reus erat in manibus iustitię laicalis, & tamen deciditur eius cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum spectare, vt omninò in casu nostro etiam determinandum est.

Notandum est tamen hic obiter, quod Decianus in tr.crim. to.2.lib.6.c.20.nu.10.ex multis DD.asserit, credendum non esse Birroarijs in hoc casu, cum agatur de graui præiudicio tertij, tamen prudens iudex Ecclesiasticus in tali casu considerabit circumstantias, quas notat Peregrinus vbi sup.n.16.

An nouitius ob delictum ab eo ante Religionis ingressum commissum, sit à iudice laico puniendus, etiam si hoc in fraudem fecerit.

RESOL. XXXIII.

HAnc quæstionem ex Neotericis latè tractat Bartholomæus de Vecchis in Praxi Nouitiorum, disp. 12. per totam, vbi nu.11. sic asserit. In eo casu in quo ingressus in Religionem factus fuit cum fraude, licet talis criminosus iuxta Sixti V. cõstitutionem omnibus habitibus Religionis spoliari, punirique debeat à iudice sæculari, ac si Religionem ingressus non esset, Attamen quia hanc constitutionem in hac parte moderatus fuit Clem. VIII. ingressus Religionis dicitur validior ad hoc, vt Nouitius priuilegio fori gaudeat instar clerici, qui statũ clericalem cum fraude assumpsit. Et ideo quemadmodum hic clericus puniri nequit à iudice sæculari corporaliter, sed solùm in pecunia, & bonis, ita vt idem iudex sæcularis sit iudex causę, nõ autem personę, vt docent communiter iustitię. Ita eodem prorsus modo Nouitius in hoc euentu ad summum puniri potest à iudice sæculari in pecunia, & bonis, non autem in corpore.

Dixi ad summum, quia est etiam satis probabile, nequaquam posse puniri Nouitium in pecunia, & bonis à iudice sæculari, etiamsi cum fraude veniat ad Religionem prout latè doctèque probat Martha de iurisd.p.4.cent.2.cas.121.à numer. 22. vsque ad finem; qui in ingrediente Religionem non admittit præfatam distinctionem, an scilicet sit cum fraude ingressus, necne, sed sustinet cognosci iudicarique debere in omni euentu, per iudicem Ecclesiasticum. Ita etiam obseruari debet, quidquid in contrarium doceat Bonac.de legib.disp.10.q.2.punct.1.§.2.nu. 6.qui citat Molinam.

An Nouitius habitu Religionis dimisso possit à iudice sæculari puniri ob delictum tempore Nouitiatus commissum.

RESOL. XXXIV.

MOlina Theologus de iust.tom.4.tract.3.disp.49.num. 24. affirmatiuam sententiam docet, & idem dicendum esse de Religiosis emissis à Societate Iesu restatur, sic enim ait. Quando eiusmodi verè Religiosi nostræ Societatis non professi delicta cõmmitterent, ob quæ digni essent pœna graui, & iudicarentur Societate indigni, integrum est superioribus iuxta nostrę Societatis priuilegia, in meliorem eiusdem Societatis conseruationem, eos è Societate dimittere, vota illis relaxando & tunc iudices tribunalis sæcularis, ad quos pertinere inciperent, punire eos posse puto iuxta, delicta, (dum erant Religiosi) commissa. Ita Molina. Et hanc sententiam de Nouitijs loquens tenet etiam Ioannes de Heuia in Curia Philippica. par.3.§ 1.n. 12.qui citat Bobadillam, & nouissimè Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum, disp. 11. nu 6.sic asserens. Si è monasterio discedat Nouitius, recusans ob delictum commissum iudicio Prælati se subijcere, puniri potest à iudice sęculari, quia in eo casu non habetur pro Religioso: quod intelligendum est, dũmodo Nouitius nullo ordine insignitus sit. Ita ille, & aliqui Iuriscon-

risconsulti, quibus omnibus accedit nouissimè Peregrinus in commen.ad nostras const.p.2.c.5.litt.R.§.1.

Sed tu prorsus negatiuam sententiam tene, quam tuentur Bonacina de legibus.disput.10.quæst.2.punct.1.§.2.numer.5.qui citat Sayrum, Abbatem, Clarum,& alios. Et idem etiam docet nouissimè Paulus Layman in Theolog.mor. libr. 4 tract.9.cap. 8.numer.5.vbi sic ait. Ecclesiasticæ personæ, quæ statum mutabilem habent, quem fermè arbitratu suo abijcere possunt, eo deposito clericalibus priuilegijs spoliatur,vt Clerici in minoribus constituti,& Religionum Nouitij. Præterquam quod ob crimina in statu Ecclesiastico commissa post eius mutationem non à sæculari,sed Ecclesiastico magistratu conueniri,ac puniri debeant,quia tempus delicti inspiciendum est.Sic ille.Et ita in Concilio Neapolitano, teste Grammatico dec.10.n.3.decisum fuit circa delictum cuiusdam Clerici, qui statu Clericali dimisso vxorem duxerat.

Dicendum est igitur, Nouitium, postquam Religionem deseruit, non posse puniri à iudice laico propter delictum perpetratum tempore Nouitiatus,& idem contra Molinam dicendum est de Religiosis emissis ex Societate Iesu, si vxorem ducant, vel liberi in sæculo maneant:nam illos non posse iudicari à potestate laica propter delicta in Religione perpetrata existimo.

Notandum est etiam hic obiter contra Suarez de Religione.to.3.li.5.ca.16.n.8. non posse Nouitium cogi à Prælato Religionis ad luendam pœnam delicto suo condignam, etiamsi re integra,idest ante cœptum iudicium discedere vellet à Religione.Et ita docet Bartholomæus de Vecchis vbi supra in Praxi Nouit.disp.11.nu.6.& alij.

An Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate.

RESOL. XXXV.

Contra aliquos affirmatiuam sententiam docui in tract.de immunit. Eccles. part. 1. resolut. 24.cum multis DD.quibus nunc addo Layman in Theol.Mor.lib.4.tract.9. cap. 3. nu. 13.Barbosam in collect.tomo 1.lib.3.tit.49.cap.6.numer. 14. & Lotterium de benef.rom. 1.lib.r.quæst.13.n.13.& ita determinatum fuisse à Sacra Cardinalium Cógregatione tam Concilij Trid.interpretum, quam Episcoporum, & Regularium inuenio, fuit enim Neocastri quidam Clericus in minoribus constitutus, qui in anno 1618.ob patratum homicidium ad Ecclesiá confugerat, & cum fuerit à Vicario Generali inde extractus, fuit dubitatú,an hoc legitimè fecerit? Vicarius asserebat quod sic,fultus authoritate Abbatis,& aliorum,sed Episcopus Petrus Franciscus Montorius de hac re Sacram Cardinaliú Congregationem consuluit, quæ sic consulta respondit per Illustrissimum Cardinalem Iustinianum.

(Molto Illustre, e Reuerendissimo Signore come fratello. Hò riceuuto vna lettera di V.S.delli 11. del passato,e per risposta gli dico, che nella Congregatione del Concilio è stata seguita l'opinione contro l'Abbate, che li Ecclesiastici godano l'immunità delle Chiese, perche il priuilegio è dato alla Chiesa e così seguita à tenere la Congregatione de Vescoui. Io poi sono al solito suo, e le prego ogni vero contento, di Roma li 10.di Agost. 1618. come fratello affettionatissimo il Cardinal Giustiniano.) Non est igitur amplius de hac quæstione dubitandum.

An qui cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam gaudeat ipsius immunitate.

RESOL XXXVI.

Affirmatiuam sententiam docui in tract. 1.de Immun.resol. 15. Sed aliqui Iurisconsulti insurrexerunt aduersum me dicentes supradictum reum non gaudere prorsus immunitate,quia Ecclesia non recipit eum liberum,sed captum; ergo. Sed respondeo,quod Canones loquuntur absolute, nempè cófugientes ad Ecclesiam debere immunitate gaudere,& vbi lex non distinguit,nec nos distinguere debemus.Et ita in terminis determinat hunc casum Marius Italia de immunitat.eccles.li. 1.cap.6.§.5.nu.70.& ita etiam fuisse determinatum his diebus elapsis in curia Episcopali Agrigentina, stante voto à me subscripto, & à RR.PP. Iosepho de Augustino Francisco del Bene & Francisco Bardi Societatis Iesu, viris doctissimis & aliis iisdem, qui non sunt audiendi in hoc Peguera decis. 251. Gamma decis.241. Ambrosinus de immun.c.10.n.10.cum alijs Iurisconsultis penes ipsos.

An frangentes carceres, & inde ad Ecclesiam confugientes, gaudeant immunitate.

RESOL. XXXVII.

Negatiuè respondent Petrus de Gregorio in Syntagm. Iuris, lib. 33. c.22.num.1.& alij.Sed quia hoc delictum non est in Bulla exceptuatum,affirmatiuam sententiam tenendam esse existimo, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in collect.tom. 1. lib. 3.tit.49 c.6.n.11.& ita dicendum esse puto contra Megalam in 3.p.lib.4 c.1.q.1.num 33. de condemnato ad triremes,& inde ad Ecclesiam confugiente, nam vt dixi in tract.2 de immun. p.1.resol.40.supradictus reus gaudebit immunitate.

Notandum est etiam hic obiter,carceratum à Custode relaxatum sub fide, seu iuramento de redeundo, si non redierit ad Ecclesiam cófugerit,gaudere eius immunitate, etiam si carceratio fit iusta.Ita Farinacius de immunitate,c.14.n.2... contra aliquos sentiétes gaudere,quádo carceratio esset iniusta, secus autem si sit iusta & nó adesset mortis periculum.Sed tu absolutè tene affirmatiuam sententiam,quidquid in contrarium asserat peregr tr.de immun.c.5.n.10.& alij penes ipsum.

An Episcopo debeat certo constare de delicto in Bulla exceptuato, antequam tradat reum curiæ sæculari.

RESOL. XXXVIII.

Hic casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent ministri laicalis iurisdictionis,afferunt enim sufficere tantùm coniecturas, & præsumptiones in tali casu; quia ad probandum id,quod in iudicio incidenter,& secundario,& per modum causæ deducitur, quæuis probatio etiam leuis, & præsumptiua,dicitur sufficiens.Et ita hanc sententiam in eorum fauorem docet ex nostris P.Peregr.tra.de immun. Eccl. cap.3.num.3.& seq.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Bonacina tract. de legib. disp. 3. q. 7.§.7.n.3.& 4 Farinac.in Appen.de immun. Eccles.c.22.n.373.& 374.Ambrosino tract.de immun Eccles.c. 11.n.4.& Mario Italia eodem tr.lib.1. cap.6.§.1.num.50.& seq. Primò,quia Pontifex in Bulla asserit,vt verè constet de delicto, sed quando delictum cognoscitur per coniecturas, & præsumptiones, non dicitur verè cognosci. Ergo.Secundò,quando lex requirit probationem,intelligenda est de vera & non præsumptiua:nam si hoc vltimum requireret,illud exprimeret vt patet in cap.pro humani, de homicidio in 6.& in leg. omnes, §.1 Barbaris ff.de re militari.Cæteras rationes vide apud DD.citatos, & ita hanc sententiam ego consului his diebus in facti contingentia:nec aliter sentiendum est.

Notandum est etiam hic obiter,quod si sententia Episcopali lata sit in fauorem rei, quod gaudeat immunitate, non potest iudex sæcularis ab tali sententia appellare.Et ita sentit Peregrinus de immun.cap.16.num.33.sed Farinac.etiam de immunitat. c.22.nu.371.cum Gambacurta de immun.lib.6.capit. 17.nu.3. contrarium docet.

Quis homicidium commisit in foribus Ecclesiæ, & postea inuentus in Ecclesia, quæritur an gaudeat immunitate?

RESOL. XXXIX.

Hic casus olim accidit, & de illo interrogatus affirmatiuam sententiam docui,quam tuetur Megala in 3. p.c.1. q.1.n. 17.Peregrinus tract.de immunit.Eccles.cap.6.num.... & vir doctus Aloysius Riccius p.3. decis. 250.per totam:quidquid in cótrarium ante Bullam Gregorianam dixerit Angelus de Castro,& Decianus,quos citat,& reprobat Peregrinus vbi supra. Ratio est manifesta, in illis verbis Bullæ ibi, Mutilantes, vel occidentes in Ecclesijs,seu Cœmeterijs. Ergo qui mutilat, vel

vel occidit extra Ecclesiam, vel Cœmeteria gaudebit immunitate.

Dicendum est igitur, quod occidentes, vel mutilantes in alijs locis, qui hac immunitate gaudent, ab illa non excipiūtur, sicut excipiuntur occidentes, vel mutilantes in Ecclesijs, vel Cœmeterijs. Ex quibus patet, quod si quis occideret aliquem in atrio, seu portili, & super tectum, vel ostium Ecclesiæ, gauderet immunitate, si post delictum in aliqua Ecclesia se abscondat, quia sic aliquem occidens non occidit in Ecclesia, sed in locis extra Ecclesiam, licet vt obseruat Villalobos in summ. to. 3. tract. 39. diffic. 3. Fagund. præcep. 2. lib. 2. c. 4. & alii communiter, eadem immunitate gaudeant.

De quibusdam Epistolis Clem. VIII. contra debitores fugitiuos, bannitos, fures, & cet. circa immunitatem Ecclesiarum?

RESOL. XL.

Has Epistolas inuenies apud Farinacium, & Peregrinum, vbi infra, & circa illarum intelligentiam magna dissensio olim orta fuit inter Regulares cuiusdam Monasterii. Dico igitur Marium Italiam de immun. Ecclesia. l. 1. c. 5. §. 8. n. 1. & seq. docere Pontificem per dictas Epistolas in casibus ibidem numeratis, derogare Constitutioni Gregorii XIV.

Sed hæc opinio est falsa, & illam refellunt Farinacius de immun. c. 22. n. 250. & Peregrinus etiam de immun. c. 11. n. 14. nam Summus Pontifex in dictis Epistolis prohibuit tantum Prælatis, ne illas personas facinorosas diù in eorum Ecclesiis, & Monasteriis detinerent, non autem quod non gauderent immunitate. Et ideò licet supradictis reis recepta culum prohibeatur, nō autem priuantur Ecclesiastica immunitate si de facto receptentur. Nam vt dictum est. Clem. VIII. in dictis Epistolis, non excepit alios casus, vltra exceptuatos per Gregorium XIV.

Adde, & est valdè notandum, quod dictæ Epistolæ missæ fuerunt ad Archiep. Bononiensem, & Archiep. Neapolitanum, ergo solùm ibi obligant, vnde etiam si publicatæ sint in alijs locis, & Prouincijs minimè obligabunt, quia non obligant vltra intentionem legislatoris. Si enim Summus Pontifex habuisset intentionem illas omnes obligare, Romæ publicare fecisset. Vnde Prælati Ecclesiarum, qui data opera in suis Monasterijs detinent personas facinorosas, numeratas in dictis Epistolis, puniri possunt tantum Bononiæ, & Neapoli, secus autem in Sicilia, vel in alijs locis, sic olim ego interrogatus respondi cum Peregrino vbi sup. nu. 12. & 20. & alijs.

An Clerici transgressores legum possint puniri à Iudice Laico pæna pecuniaria à lege constituta

RESOL. XLI.

Affirmatiuam sententiam docent aliqui Iurisconsulti, vt Rebuffus tom. 2. Constit. Galliæ, tit. de mercat. min, vend. in rubr. Glossa 13. num. 1. & alij, quos citat, & sequitur. Camillus Borellus in sum. decisi. tit. 43. de foro compet. num. 34. & 35. quibus ego addo Villadiego in instit. Polit. cap. 5. §. 20. n. 66. vbi sic asserit, agens de iudice sæculari. [Puede quitar alos Clerigos las armas defensiuas aunque sean las permitidas alos legos, sin que pueda el iuez Ecclesiastico a premiar al seglar que las buelua, y restituya y concurriendo con el traer armas alguna culpa, pueder ser preso para remitirle à su Iuez y aun condenarle en las penas pecuniarias, que disponen las leyes, & in nu. 86. sic ait. Y lo mismo si le hallare cazando ò pezcādo en lugar, ò tiempo vedado quitandoles lo perros, y armados, y armas, y codenar los en las penas de la ley y los perdigones q̃ hallare en sus casas qui carfclos, aueriguando primero q̃ los tienen para cazar porque pueda ser q̃ los tengan para recreacion del canto. [Et tandem in n. 90 ita ait. [Y si vsasse de peso, ò medidas falsas en el trigo, ò mercadurias que vendiesse, puede ser, castigado por el iuez seglar en las penas pecuniarias]

Sed hæc omnia sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, vt tenent DD. quos citaui in tract. 2. p. 1. resol. 7. 71. & 76. quibus nunc addo Tannerum in p. 2. D. Tho disp. 5. qu. 6. dub. 2. n. 26. Malderum etiam in p. 2. D. Tho. qu. 96. art 5 §. de Ecclesiasticis Becanum in sum. Theol. to. 1. trac. 3. cap. 6. q. 11. n. Et. ratio est clara, quia infligere pœnam impositam à lege, etiamsi sit pecuniaria, est actus iurisdictionis: sed laicus nullo pacto potest exercere iurisdictionem in Clericos. Ergo, &c.

Hinc infertur contra Naldum in sum. ver. Clericus, num. 25. Menochium to. 8. consil 800. nu. 56. Salzedum in addit. ad prac. crim. Diaz c. 66. §. quamuis ab hac, & alios, quod si minister laicus auferret annonam, quia Clericus cōtra legem latam asportaret extra Regnum incurreret in excommunicationem, & frangeret libertatem Ecclesiasticam: talis enim actio habet rationem pœnæ, & tenera pœna est, quam laicus in Clericum exemptum exercere minimè potest. Ergo, &c. Vide me ipsum in resol. 15. tr. 2. p. 1. de Immun. Eccles.

An residentia Episcoporum pertineat ad Principes sæculares.

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent aliqui, & sic asserit Ortiz in summ. c. 9. nu. 3. [Pueden los Reyes hazer que los Obispos y curas residan.] Sed contrariam sententiam omninò tenendam esse puto cum Filliucio to. 2. tr. 28. p. 1. c. 9. nu. 136. & Azorio p. 2. lib. 11. cap. 7. vbi sic ait. Si quæras an Regum sit prohibere, vel curare; ne Episcopi absint a suis Ecclesiis vltra tempus canonico iure constitutum, ne item Ecclesiarum bona dissipent, nec decimas fructuum, preterquam consuetas, exigant, &c. Respōdeo hæc, & alia similia Regum non esse, quia laici in Clericos potestatem, & iurisdictionem non habent, & possunt monere Romanum Pontificem, vt curet disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis seruari. Sic Azorius, & Filliucius.

An Clerici ex vi statuti laicali possint conueniri pro iure congrui, vel laicos conuenire.

RESOL. XLIII.

Aliqui vtrumque affirmant, vide Giurbam decis. 25. num. 18. aliqui verò vtrumque negant, vidde Riccium part. 3. decis. 180. num. 4.

Sed mihi placet opinio sapientissimi Surdi lib. 1. consi. 2. n. 13. & aliorum asserentium, ius congrui, seu retractus non habere locum in Clericis passiuè, sed actiuè tantum, & ideò possunt Clerici agere iure congrui contra laicos, non autem laici cōtra Clericos. Et ratio est, quia statuta laicorum prosunt Clericis, licet eis non æquè noceant, vnde Clerici possunt vti statutis, & consuetudinibus laicorum, quatenus concernunt eorum fauorem, non autem è contra vt optimè notat Bald. lib. 1. consil. 3. Crauetta libr. 3. consi. 241. num. 6. & Molfesius in consuet. Neapol. tom. 1. p. 2. quæst. 7. num. 41. & to. 2. consil. 23. n. 7. Franchus dec. 285. num. 4. Abbas in cap. constitutus, nn. 4. de in integr. restitut. Glossa in c. nouit. ver. quicumque, de Iudicijs Hondedeus lib. 1. consi. 20. num. 2. Flaminius de Rubeis lib. 1. consi. 2. num. 26. & 27. & alij, Graffis de effect. Cler. eff. 10. nn. 388. multos casus distinguere, sed tu absolutè nostram sententiam tene. Sicut etiam tenendam esse puto, in alia simili quæstione, v. gr. an Clerici ligentur statuto laicorum de causis compromittendis inter affines, ita vt ipsis possint alios compellere, & compellit ad compromittendum. Nam respōdeo, Clericos nequaquam ligari prædicto statuto passiuè, sed tantum actiuè, & sic non posse cogi ad compromittendum, quamuis possint alios cogere. Et ratio est, vt diximus, quia Clerici gaudent priuilegijs laicorum statutarijs pro se, non autem contra se. Et ita hanc sententiam docent plures DD. quos citat, & sequitur dictus de Graffis loc. cit. nu. 414. quicquid in contrarium afferat Riccius in collect. dec. p. 1. collect. 171. Capicius dec. 66. nu. 1. & 5. Borellus de compromis. §. 1. Gl. 3. num. 224. Thorus in compen. decis. Neapol. ver. Clericus, & alijs.

An Clericus negotiator sine trina monitione teneatur soluere gabellam, & an dicta, vel alia gebella clerico debita possit peti coram Iudice laico?

RESOL. XLIV.

Ad vtramque quæstionem negatiuè respondi in p. 1. tra. 2. resol. 36. & 41. & nunc iterum respondeo, & ita præter DD. ibi citatos Iulius Ferretus de gabellis numer. 572. Berthachinus

chinus de gabellis p.3.n.2. Comitolus lib.5.q.53.n.3. Io. Franciscus Suarez in Enchir. casuum conscient. libr. 4. v. Tributum, §. Clericus non tenetur, Parladorius lib.1. rerum quotidian. ca. 3. & Ignatius de Salzedo in pract. crim. c. 55. apertè docent Clericum non teneri gabellam ex commercijs, & rebus de quibus negotiatur, soluere, nisi ter monitus non desistat à negotiatione.

Quod autem dicta gabella, quando illam, vel aliam Clericus tenetur soluere, non sit petenda coram iudice laico; seu Ecclesiastico, docent Baldus in leg. de his, C. de Episc. & Cleric. Abbas in c. qualiter, de Iudicijs in fine Rolandus à Valle vol. 4. cōsil. 71. nu. 25. & alij, quos citat & sequitur Salzedus vbi sup. quibus ego addo nouissimè Paulum Squill. de Priu. Cler. c. 8 dub. 1. nu. 43. qui citat Bertachinum, Nattam, Carolum de Grassis, Surdum, Molfesium, & me ipsum, quidquid in contrarium asserant Salgado, Mexia, & Lassarte, quos aduxi in dicta resolut. 41. quibus nunc addo Tiraquel. libr. 1. retract. c. 32. Glossa 1. nu. 81. Aufretium in Clem. 1. de offic. ordin. fallen. 4. Reg. & Guglel. de Benedictis in c. Raynutius, ver. & vxorem nomine Adelasiam n. 322. de restam. Sed tu absolutè tene, quod gabella à Clerico debita, petenda sit coram iudice Ecclesiastico.

Post hæc scripta inueni Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ. par. 2. q 64. numer. 7. & Guttierez de Gabellis lib. 7. q. 44. docere etiam gabellam per negotiationē debitam à Clerico, peti posse coram iudice sæculari, & in tali casu iudicem sæcularem posse procedere contra bona Clerici. Sed his non obstantibus, ne discedas ab opinione negatiua, & vide omninò dictam meam resol. 41.

Notandum est tamen hic obiter contra Roselam verb. excomm. 2. num. 3. & Angelum verb. Clericus, num. 4. & alios, vt perdat Clericus negotiator immunitatem gabellarum requiri tres monitiones, & non sufficere vnam, quæ instar trium sit. Et ita docent DD. quos citat, & sequitur doctus Acugna Archiepiscopus Bracharensis in Decretum Gratiani p. 1. dist. 88. cap. 2. num. 6.

Nota etiam contra Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9. quod etiam post trinam monitionem Clericus negotiator nō perdit exemptionis immunitatem quoad bona Ecclesiastica. Et ita docet Comitolus lib. 2. q. 53. nu. 4. Acugna vbi sup. nu. 7. & doctus Barbosa in collect. to. 1. lib. 3. tit. 1. c. 16. n. 4.

An vxor Clerici Græci, vel Latini in minoribus constituti, gaudeat priuilegio fori in casu, quo eius vir eo gaudet?

RESOL. XLV.

Respondet negatiuè Bonacina de leg. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 2. num. 9. & ante illum Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 49. num. 3. cum alijs penes ipsum; putant enim hoc priuilegium esse personale ratione ordinum, sicut & Religiosis ratione Religionis.

Sed mihi contrariam sententiam placet, quam tuentur DD. quos citant & sequuntur Paulus Squillante tractat. de priuileg. Cler. c. 7. dub. 2. nu. 34. Belletus in Disquis. Cler. p. 1. tit. de fauore Clericorum reali, §. 1. numer. 23. Carolus de Grassis de effect. Cler effect. 1. nu. 155. Et ratio est quia vxor ratione matrimonij sortitur forum viri ex leg. cum. quædam, ff de iurisd omnium. iud. vnde in dispositione quamuis stricta, & concessa viro, censetur quoque vxori concedi, ex Glossa in c. admonere, ver. partem 33. q. 2. Et hanc sententiam probabilem esse concedit ipsemet Sanchez vbi supra: & illam absolutè tenent, præter Doct. citatos, ex Iurisconsultis Hispanis Auiles in c. prætorum proœmio, Glos. 1. n. 28. & Perez lib. 1. tit. 3. leg. 1. fol. 57. §. vxor. etiam Clerici, vbi plus addit: nempè hoc priuilegio gaudere talem vxorem etiam mortuo viro donec alteri nubat, quod etiam placuit Belleto loc. cit. n. 25. quia dum vidualis vita durat, censetur in priori matrimonio esse, vide leg. filij, §. 1. ff. ad municip. & Socinum seniorem cons. 12. nu. 8. volum. 1. Et omnia supradicta videtur confirmare Barbosa de potestat. Epis. p. 2. alleg. 13. n. 15. vbi ex multis probat, vxores viduas Equitum D. Iacobi Alcantaræ etiam gaudere exemptione gabellarum, quod est valdè notandum.

An familia Vicarij Episcopi gaudeat priuilegio fori?

RESOL. XLVI.

Satis alibi firmatum est, familiam Episcopi gaudere priuilegio fori, nunc videndum est, an hoc priuilegium extendatur ad familiam eius vicarij, & affirmatiuè respondeo cum Ioanne Antonio de Nigris in cle. vnica de vit. & honest. Cleric. Squillante de Priuileg. Cler. cap 7. dub. 2. n. 55. Nouatio de elect. fori q. 36. sect. 2. & Aloys. Riccio Episcopo Vicequensi in praxi to. 1. resol. 471. num. 6.

An familia Clerici gaudeat priuilegio fori.

RESOL. XLVII.

Si loquimur de seruis perpetuis, vt mancipijs, non dubito, quin gaudeant priuilegio fori, & ita docent Doct. quos ad satietatem citant, & sequuntur Bellettus in disquis. Cleric p. 1. tit. de fauore Clericorum reali. §. 1. nu. 12. Carolus de Grassis de effect. Clericatus, eff. 1. n. 149. & Menoch. de arbitr. cent. vlt. casu 562. n. 3. Et ratio est, quia tales serui habentur tanquam pars patrimonij, & substantiæ dominorum.

Difficultas est de seruis Clericorum temporalibus, & conductorijs, negant DD. citati, quibus adde Cenedum in qq. can. quæst. 4. num. 26. Iulium Clarum in pract. crim. lib. 5. §. fin. capit. 35. num. 18. Octau. Vulp tr. de lib. Eccles. par. 3. num. 24. Capicium decis. 12. num. 2. in fine, Guttierez pract. qq. libr. 1. quæst. 4. num. 2. Gratianum decis. 233. num. 3. Couarr. pract. qq. cap. 35. n. 2. Borellum in summ. decis. tit. 43. de foro comp. num. 134. & alios penes ipsos.

Non desunt tamen contrarium sentientes, & præter 12. Doctores, quos citat Menochius vbi supra de arbitr. cas. 562. num. 6. nouissimè ex iurisconsultis Hispanis docet hanc sententiam doctus Narbona in 3. p. Recopill. lib. 4. tit. 1. leg. 20. Gloss. 1. nu. 21. vbi sic ait. Licet nonnulli affirment, id solum intelligendum esse in mancipijs, & famulis perpetuis Clericorum, & Ecclesiarum, secus tamen in famulis non perpetuis, sed temporalibus, conductitijs, vel mercenarijs, annua, menstrua vel diurna mercede seruientibus, ad quos non extēdi priuilegium dominorum existimant. Id tamen non omninò tutum crederem, immò in puncto iuris verius existimarem hos quamuis serui perpetui non sint, sed ad tempus pretio aut mercede conducti, dominorum priuilegiorum participes futuros, cum famulis nō propter ipsos sed propter dominorum personas priuilegia concessa reperiantur. Quo fit, vt nulla discriminis ratio habeatur inter seruum perpetuum, vel temporalem, cum negari nō possit, quin respectu illius temporis, serui aut famuli, vt quid accessorium ad dominos ipsorum habeantur, ita vt sine eis stare nequeant, quia ratione merito ad eos priuilegia protrahi deberent ex cap. licet, eodem tit. in 6. Ita Narbona. Cuius sententia multo fortius erit vera, si Clerici graui aliquo incommodo arbitrio iudicis mensurando afficiantur, eo quod serui aut famuli ipsorum, vel cæteri de familia foro, vel alio priuilegio non fruantur, vt seruitium, vel obsequium ab ipsis, qui domesticam curam, vel bonorum administrationem gerunt, præstandum impediri cum dominorum damno, & detrimento contingat. Et in hoc casu Narbonæ, & aliorum DD. affirmatiuam sententiam, tenēt etiam Gratianus discept. forens. to. 2. c. 340. num. 4. & 5. Paulus Squillante de priuileg. Cler. c. 7. dub. 2. n. 57. Menochius vbi supr. n. 12. & Carolus de Grassis nu. 150.

Notandum est etiam hic, quod serui Clericorum perpetui, etiam si sint Mauri, Turcæ, & à Catholica Ecclesia alieni, gaudent tamen hoc priuilegio fori. Et ita docet Paramus in defens. iurisdict. S. Officij c. 14. nu. 47. & Narbona vbi sup. in 3. p. recopil. lib. 4 tit. 2. leg. 40. Glos. 1. n. 34. vide etiam Crotum lib. 3. consil. 364. n. 19. & Angelum in leg. vtimur, ff. de sepulchro violato, & in leg. 1. ff. ad leg. Iuliam Maiestatis.

An ad declinandum forum Iudicis sæcularis sufficiat possessio Clericatus?

RESOL. XLVIII. 1

Negantem sententiam mordicus tenet Ignatius de Salzedo in pract. Bernardi Diaz cap. 62. nu. 18. & Carolus de

Grassis de effect. Cleric. in Præludijs, num. 226. cum alijs penes ipsum.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Beletto in disquisit Cleric. p. 1. tit. de fauore Clericorum personali. § 14. n. 13. & Mascardo de probat. vol. 1. concl. 302. nu. 14. Boerio decis. 171. num 13. Masculo in Addit ad Capitium decis. 171. n. 6. Aufrerio in addit ad Capellam Tholosanam. decis. 117. & alijs, vnde miror, falsam hanc sententiam vocari à Salzedo, est enim probabilissima, & in praxi, vt ait Mascardus obseruatur. Sed licet stando in prima opinione possessio Clericatus non probet Clericarum, attamen operatur, vt transferat onus probandi contrarium in iudicem laicum, vt ipsemet Carolus de Grassis vbi sup. ex multis adnotauit, quod est valdè menti tenendum pro casibus occurrentibus.

Notandum est tamè hic obiter vnum, de quo olim quidam Iurisconsultus non prudèter dubitabat, nempe quod Clericus, qui in re aliqua in Trident. sess. 23. cap. 6. præscripta deficit, ob idque foro laicali subijcitur, non solù à iudice laico, sed à iudice Ecclesiastic. potest puniri, atque iudicari. Et ita ex sacra Cardinalium Congregatione determinat Bonacina de legibus disput 10. q. 1. punct. 5 § 4 nu. 19.

Nota etiam hic. quod prima tonsura vnius testimonio probatur, secundùm P. Rebuffum tit. de forma litterarum tonsuræ, nu. 24. & Matthæum de Afflictis in constit. Neapolit. tit. 3. n. 12. licet Couar. pract. qq. c. 33. nu. 3. cum alijs dissentiat.

An si adsit clausula de non alienando, possit fieri executio per sæcularem Iudicem in prædio specialiter obligato à laico, etsi Clericus illud possideat.

RESOL. XLIX.

Affirmatiuè respondent docti Iurisconsulti Parladorius, & Auendagous, hic de exequendis mandatis, p. 1. c. 1. nu. 33. ille quod lib. 2. c. fin. 5. p. §. 1 n. 1 in fine.

Sed aduersus Iurisconsultos Hispanos, alium Hispanum Iurisconsultum opponemus, is est Alfonsus de Villadiego in Politica en los lobebos en lo executiuo, nu. 24. vbi sic ait: [El censo que tuuiera esta clausula, tiene a parejada execució derechamente contra el tercero posseedor de la cosa hypothecada, y assi se ha determinado muchas vezes en los tribunales Superiores: en tanto, que aunque la cosa assi hypotecada passe à poder de alguo Clerigo, ò otra persona Ecclesiastica, puede see executada la cosa hypothecada: lo qual se entiende, y ha lugar pidiendose la tal execucion ante el Iuez Ecclesiastico, y no ante el seglar, el qual no podrà executar el tal cótracto contra el Clerigo porque auque la venta, y enagenacion en este caso contra el pacto sue nulla; pero en effecto ya passo eu el Clerigo la possessiò de la cosa hypothecada: de la qual no puede el Clerigo ser despojado por el Iuez seglar, ni citarle, como es necessario, para la venta, y remate de los tales bienes, y assi se deue hazer, ò cytar, y hazer las causas con el deudor principal, y lo que aqui resueluo en esto, es el mas seguro, y lo que se pratica, y deue guardar.] In iudicádo, & consulendo, contraria opinio falsa est, & eam Romanæ Curiæ confessum nunquam admisisse audio. Ita Villadiego: vnde pessimè olim quidam Iurisconsultus affirmatiuam sententiam sustinere volebat.

An quando decimæ nomine feudi fuerunt Principibus, vel alijs sæcularibus collata, earum exactio, & lites pertineant ad Iudicem Ecclesiasticum.

RESOL. L.

Ad Iudicem laicum spectare tenuerunt Ioannes Repul. I. r. Forens. inst. ca. 13. Guglielmus de Benedictis ad c. Raynutius de testam. ver. si absque. Chassaneus in cons. Burg. §. 6. num. 350. & Couarr. pract. qq. c. 45. n. 2.

Sed hanc sententiam ego impugnaui in alio tract. de immunit. Eccles. resol.... & nunc iterum impugno: quia licet decimæ sint in feudum datæ, nihilominus ipsum feudum ex iure decimarum oritur, sed ius decimarum Ecclesiasticum est. Ergo, &c. Concedo tamen prædictis Doctoribus; quod si decimæ auctoritate Romani Pontificis in Principes translatæ sunt contractu permutationis, videlicet, quia ipsi Principes eas re alia, vel maioris pretij, & vtilitate, vel æqualis compensant, in hoc, inquam casu, causa decimarum spectat ad iudicem laicum; quia ratione permotationis legitimè factæ Principi debentur decimæ, & Ecclesia suum ius integrum retinet in re, cum qua decimá permutauit, & separat. in quâ fuit decima subrogata. Et hæc omnia docet Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thomæ, to. 2. quæst. 87. disp. 7. num. 4. vbi etiam num. 5. negat causam decimarum spectare ad iudicem laicum in his casibus. Primò quando laici coguntur à Clericis soluere decimam contra præscriptionem, vel consuetudinem, cuius initiũ non extat. Secundò quando quæstio est facti, non iuris, puta, an Petrus soluerit decimas debitas vel non: sit ne soluenda potius à Petro, quam à Paulo, etiam quando agitur contra quempiam propter decimas furto sublatas, vel retentas. Tertiò quando laicus conductor decimæ init cum Clerico pactum, vt coram ciuili iudice conueniri possit. Quartò quando causa agitur contra laicos fures de fructibus decimæ soluendis, reddendisue, non de ipso decimarum iure fernando, & tuendo. Et in his etiam casibus causam decimarum contra Couarruiam spectare ad iudicem Ecclesiasticum; tenet etiam nouissimè Adamus Tannerus in 2. 2. D. ho. disp. 5. q. 3. dub. 2. nu. 40.

An Fratres D. Ioannis, qui portant mediam Crucem albam gaudeant priuilegio fori, & gabbellarum.

RESOL. LI.

Negatiuè respondet Bobadilla in Polit. to. 1. lib. 1. cap. 18 nu. 233. vbi sic ait. [Los Comitayles de la orden de S. Iuan de Rodas, que traen media Cruz blanca, o vn Tao blanco, que son seglares, y viuen sin regla y con sus bienes, y habito y se casan, no gozan del priuilegio del fuero, y essencion de tributos.]

Non desinam tamen hic adnotare, nouissimè Episcopum Vicequensem, Aloysium Riccium in praxi, to. 4. resol. 177. n. 3. affirmatiuam sententiam docere; putat enim dictos Fratres remitti debere ad magnum Magistrum eorum ordinarium superiorem, cum sufficiat, quod militent sub dicta Religione, & ideò tanquam alij debent quoque fori priuilegio gaudere.

An Iudex laicus incidat in censuram Bullæ Cœnæ, si occultè procedat Clericum animo præsentandi processum Summo Pontifici, vel Iudici Ecclesiastico.

RESOL. LII.

In tract. de Immunit. Eccles. resol. 52 pro negatiua sententia adduxi Graffium, cui nunc addo & Duardum in Bull. Cœnæ can. 15. q. 5 num. 2. quia absque citatione non dicitur quis procedere, sed iudex laicus, qui occultè procedat Clericum, illum citat. Ergo.

At his non obstantibus, ego puto in dictam excommunicationem incidere iudicem sæcularem, qui secretò Ecclesiasticos processaret, etiamsi animum haberet talem processum Summo Pontifici, vel alij Prælato præsentandi. Et ita hanc sententiam docet nouissimè Bonacina in Bull. Cœnæ, to. 3. disput. 1. q. 20. punct. 1. num. 7. quia intentio præsentandi processum iudici Ecclesiastico non confert iurisdictionem ad informationem contra Ecclesiasticos accipiendam. Nota tamen, quod Riccius in Praxi to. 4. resol. 460. nu. 5. tenet primam opinionem, quando non esset aditus ad Prælatum, qui iuridicè se informare posset de facto criminali alicuius Ecclesiastici, & in eo continuaret, & esset periculum in mora. Sed ego non puto recedendum esse à nostra sententia, quia tales casus sunt metaphysici, & moraliter vix possunt accidere.

An sit licitum pro vi tollenda recurrere ad Regia Tribunalia.

RESOL. LIII.

De hac quæstione egi in alio tract. de Immunit. Eccl. resol. 13. & pro parte affirmatiua adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Auilam de Censuris par. 2. cap. 7. disput. 2. dub. 5. Morlam in Emporio Iuris, tit. 2. q. 14. nu. 4. Quintanam Duenam Eccl. lib. 1. c. 9. num. 14. Rodriquez de Annuis reddit. lib. 1. c. 17.

c.17. num 6 Parladorium Rer. quotidian. lib. 3. differ. 9. §. 4. nu. 13. Suarez de Paz in praxi tom. 2. part. 1. ca. 6 q. 1. nu. 34. Simancam inst. Cathol. tit. 45. n. 35. Gutierrez pract. qq. lib. 1. q. 20. n. 1. & de iur confir. p. 1. c. 2. n. 26. Garsiam de nobil. Glos. 1. n. 25. Couarruuiam pract. qq. c. 35. n. 8. Mexiam in leg. Regia Toleti de los terminos in 2. fundam. p. 2. n. 47. Valascum cons. 100. Et hãc sententiam tenent etiam Doctores Itali vt Fuscus de Visit. lib. 7. c. 23. nu. 5. & ex Dominicanorum familia Michael Zanardus in direct. Theol. p. 3. cap. 31. fol. mihi 167. vbi ait Iudex Ecclesiasticus potest apud Principem laicum denũtiari, sic alicui etiam subdito violentiam inferat, in quo casu potest Princeps laicus reprimere vim cuicumque factam.

Sed his nõ obstantibus, non est recedendum à negatiua sententia Theologorum, quos in dicta Resol. adduxi. Nec valet dicere, quod licet vim vi repellere, & cõpetit Regibus liberare vi oppressos de manu calumniatoris. Ergo, &c. Nam respondeo, licitum esse vim vi repellere, quando vis est clara, & manifesta, nam si est dubia, semper pro Superiore presumendum est Ergo in casu nostro iniustam vim infert Prælato Ecclesiastico Iudex laicus, priuando illum iure suo, quod habet in casu dubio. Quod autem vis in nostro casu sit dubia, patet ex ipso facto: nam Iudex secularis examinat an facta sit vis, nec ne. Ergo non supponit certam, & euidentem violentiam. Cæteras rationes videbis nouissimè apud Bonacinam in expositione Bullæ Cęnę to. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 4. qui respõdet ad omnia argumenta, quæ adducit Ceuall. in tr. de cognit. per viam violentiæ, & Salgado de protectione Regia. Ex his infertur contra Portel, & Hieronymum Rodriq. in compend. q. regular. resol. 10. n. 13. incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ Religiosum recurrentem ad Regem, Proregem, vel Gubernatorem, vt vim sibi illatam à suo Superiore tantùm tollat, vt faciat iudex alios Superiores assignare pro sola vi tollenda.

An Iudex laicus excusetur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ contra ipsius transgressores lata, prætextu quod non sit in sua Prouincia acceptata.

RESOL. LIV.

AD hoc dubium negatiuè respondet Martinus Bonacina in Bull. Cœnæ tom. 3. disput. 1. qu. 15. punct. 4. §. 5. numer. 2. qui ait, etiam si ab aliquibus Doctoribus concedatur legem nõ solùm secularem, verum etiam Ecclesiasticam non obligare, vbi acceptata non est, id tamẽ fallit, vbi constat superiorem velle indepẽdẽter ab acceptatione Bullę obligare. Sed Sũmus Põtifex vult independenter ab acceptatione Bullæ obligare. Ergo, &c. Minor probatur, quia Summus Pontifex in Bulla excludit omnem pretextum, & prætensionem: tum quia à viris fide dignis accepi, nonnullos Pontifices de hac re interrogatos respõdisse, contrariam sententiam, quæ in legibus Pontificijs acceptationem requirit, explodendam, & reijciendam esse. Ergo Bulla Cœnę independenter ab acceptatione obligat. Ita Bonacina, quidquid asserant DD. quos ego citaui, & reprobaui in tract. de legibus resol. 2. in secunda editione.

Nota tamẽ hic obiter, quod licet Alterius asserat Episcopos satisfacere publicando Bullam Cęnæ in ciuitate in qua degunt attamen Bonacina vbi su. q. 22. punct. 6. n. 8. probabilius censet teneri, etiam extra Vrbem in Ecclesijs suæ iurisdictionis subditis, publicare saltem per alios, si ita expedire iudicauerint. Excusantur tamen absolutè à dicta publicatione, vt notat Sayrus de cens. lib. 3. cap. 25. num. 12. ob minas, seu metum Principum, quod tamen intellige si metus grauis sit, & non in odium fidei, seu Religionis incussum.

An auocatio causarum spiritualium ad laica Tribunalia vetita sit sub censura Bullæ Cœnæ, si causa auocentur tantùm a Iudicibus sedis Apostolicæ?

RESOL. LV.

AFfirmatiuè respondet Alterius, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Bonacina in Bulla Cœnę tom. 3. disput. 1. q. 15. punct. 1. nu. 7. quæ Bulla vtitur his verbis: *Ab auditoribus commissarijs nostris alijsque Iudicibus Ecclesiasticis*, vbi notanda est illa particula, alijs, quæ est repetitiua, & relatiua similium, ex cap. sedes, de rescript. & ex leg. quidam relegatus, ff. de rebus dubijs.

Sed ego contrariam sententiam teneo, & puto dictam auocationem vetitam esse, etiamsi causæ spirituales auocentur ab alijs iudicibus Ecclesiasticis. Et hanc sententiam tenent Fillinc. to. 2. tr. 16. c. 10. n. 250. Sousa in Bull. Cęn. n. 25. n. 1. Duardus can. 14. q. 7. n. 1. & alij Et ad argumentum contrarium respondet, illam particulam non semper esse repetitiuam similium, vt patet in leg. si fund. sub condit. 15. libertas, ff. de legatis 1.

Notandum est etiam hic obiter contra Couarruuias pract. qq. cap. 35. Menochium de recupat. possess. remedio 2. nu. 356. Diaz in pract. crim. cap. 102. Ceuallos, & alios auocationem causarum spiritualium ad laica tribunalia vetitam esse, etiamsi iudices Ecclesiastici negligentes sint in huiusmodi causis cognoscendis. Vide Reginaldum tom. 1. lib. 9. cap. 23. n. 38. Marcham de iurisd. part. 5. cas. 146. Duarenum vbi supr. 8. num. 1. & alios communiter. Nec valet dicere quod in c. 7. filijs, 16. q. 7. c. si quis cum Clerico 11. q. 1. cap. administratores, c. Principes 23. §. 5. concedit reclamatio ad Principem in causa Ecclesiastica; Nam respondeo per illos textus posse Principem laicũ admonere Ecclesiasticum de iniquè administrata iustitia, non autem posse auocare ad se causam Ecclesiasticam. Vel dic, vt ego alibi adnotaui, illos Canones abrogatos esse in Bulla Cœnæ, & in c. qualiter de Iudicijs.

Vtrum Iudices laici auocantes ad se causas Ecclesiasticas, excusentur ex tolerantia Summi Pontificis?

RESOL. LVI.

REspondet affirmatiuè Coriolanus in Bull. Cęnę, ad finem, & alij quos citat Ceuallos in tract. de cognit. per viam violentiæ Glossa. B. n. 42.

Sed nouissimè contrariam sententiam docet Bonacina in Bulla Cœnę tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. num. 5. quia simplex tolerantia, saltem dum superior commodè obstare non potest, priuilegium non inducit. ex cap. cum iam dudum, de prebend. tum quia nulla adest tolerantia, cum Summi Pontifices in Bullis Cœnæ Domini excludant omnes pretextus. Vide Alterium de cens. lib. 5. disp. 15. cap. 2. col. 5. ver. animaduertit. Duardum in Bull. Cœn. can. 15. quæst. 15. nu. 11. Fillliucium tom. 3. tractat. 16. c. 10. nu. 256. & alios, quos ego alibi citaui in tract. 1. de Immunit. Eccles.

An priuilegium cognoscendi causas Ecclesiasticas concessum Principi laico reuocari possit?

RESOL. LVII.

VIdetur prima facie respondendum quod non, nam Imperatores, alijque Principes laici non possunt priuilegia Ecclesię concessa reuocare, vt probat Panormitanus in c. si per. el. de appellat. n. 4. Suarez de Immun. li. 4. c. 30. & alij. Ergo neque Papa reuocare potest priuilegia Principibus concessa; par enim videtur ratio, vt æqualitas seruetur.

His tamen non obstantibus contrarium omninò asserẽdum est. Dico igitur cum Bonacina in Bull. Cœnæ tom. 3. disp. 1. qu. 15. punct. 4. §. 1. nu. 5. priuilegium Principibus concessum à Papa reuocari posse, etiamsi per consuetudinem immemorabilem tali priuilegio innixam, obseruatum fuerit. Probatur primo, quia priuilegium subdito concessum, vt communis Doctorum fert opinio, reuocari potest. Sed priuilegium concessum Imperatori, vel Regi, est priuilegium subdito concessum, cum Christus generaliter dixerit Petro, & consequenter eius successoribus *pasce oues meas*. Ergo, &c. Probatur secundo, quia huiusmodi priuilegia sunt odiosa, vtpotè libertati Ecclesiasticæ contraria. Ergo strictè explicanda sunt, vt concessa censeantur illo modo, quo libertati minus præiudicent, consequenter reuocari possunt. Adde quod hæc censenda est iurisdictio delegata, quæ reuocari potest. Vide Suarez de Immunitate lib. 4. c. 34. nume. 27. Tuscum tom. 5. ver. libertas Ecclesiastica, concl. 342. & alios.

Nota tamen supradicta priuilegia si fuerint concessa in remunerationem, & in vim contractus, non esse reuocanda sine iusta causa. Verùm iusta causa concurrente non solum potest

sed

sed etiam tenetur aliquando reuocare, & à fortiori hoc verum erit, si Pontifex aliquid in compensantionem concedat.

Ad Argumentum verò superius adductum patet responsio ex dictis, vel neganda est consequentia, & suppono omnia bona Ecclesiastica iure diuino libera, & immunia esse à potestate laica. Cum autem priuilegium Ecclesiæ concessum, ab eaque acceptatum inter bona Ecclesiæ connumeretur, sequitur Principem laicum non posse priuilegium Ecclesię concessum reuocare, alioquin potestatem haberet super bona Ecclesiastica. Priuilegium verò laicis concessum ab Ecclesia non fit liberum, & immune à potestate Ecclesiastica, & consequenter ab Ecclesia reuocari potest. Vide etiam DD. quos citaui alibi in tra. de Immunit. Eccles.

An Iudex laicus consuetudinem inducens, vel ea introducta vtens, contra libertatem Ecclesiasticam, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

RESOL. LVIII.

NOn incurrere in censuram Bullę, sed in censuram latam in c. nouerit, de sent. excomm. putat Suarez de cens. disp. 21. sect. 2. nume. 86. Duard. in Bull. Cœn. can. 15. qu. 13. nu. 4. Reginald. to. 1. lib. 9. c. 23. n. 361. Filliuc. to. 1. tract. 16. cap. 10. n. 268. & alij, quia Bulla loquitur de statutis, & decretis, non autem de consuetudinibus. Ergo.

Verùm non desunt DD. asserentes Iudices laicos in tali casu incidere in censuram Bullę Cœnæ. Et ita docet Sayrus de cens. lib. 3. c. 19. n. 10. Sousa c. 16. disp. 80. n. 8. Coriolanus, & alij, vnde videant Ministri laicalis iurisdictionis, quid faciant.

Nota etiam hic obiter, quod Nauar. c. 27. nu. 119. & Regin. to. 1. li. 9. c. 23. n. 364. sub finem, & n. 359. sub finem, tenent quod Iudices laici incurrunt in excommunicationem Bullæ, si sciant seruari statutum contra libertatem Ecclesiasticam, & nō impediant, licet aliqui DD. contrarium sentiant, quia censura lata ob positiuam actionem non incurritur ob omissionem.

An Clericus in feudalibus possit conueniri coram Iudice laico?

RESOL. LIX.

AFfirmatiuè respondet Suarez de Immun. lib. 4. c. 14. nu. 12. Duardus in Bull. Cœnæ, can. 15. q. 11. num. 68. D. Antoninus p. 3. tit. 9. c. 2. §. Surdus libr. 2. cons. 396. Martha de iurisd. p. 4. cas. 89. nu. 5. Ambrosinus de Immu. c. 20. num. 56. Baiardus in Clarum li. 4. §. feudum, q. 92. num. 8. & alij, quia in tali casu non subijcitur iudicio domini feudi, tanquam persona Ecclesiastica sed tanquam Dux, Marchio, &c.

Sed hoc verum esse existimat Paulus Squillante de priuileg. Cler. cap. 7. dub. 14. nu. 106. & alij penes ipsum, quando Clericus pro feudo coram sæculari conuenitur intentando petitionem, & sic quando de proprietate sola agitur, secus autem si iudicio possessorio impetitur, iam tunc causa possessoris est agitanda coram Ecclesiastico Iudice, licet contrarium asserat Bonacina in Bull. Cœn. to. 3. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 6. n. 6. & aliter iudicatum fuisse, referat Io. Baptista del Thoro in comp. decis. Neapolitan. ver. Cler. fol. 93.

An laicus deponens falsum coram Iudice Ecclesiastico possit ab eo puniri, & quid è contra, si Clericus deponat falsum apud iudicem sæcularem?

RESOL. LX.

VIdetur prima facie quoad primum negatiuè respondendum: quia si Clericus deponat falsum coram Iudice Ecclesiastico, non potest ab eo puniri, neque etiam in bonis, vt de communi testantur, Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ p. 2. q. 74. n. 7. & Guttierez pract. qq. lib. 1. q. 24. Cabedo decis. 87. Fachinens. lib. 9. contr. c. 27. Layman in Theol. moral libr. 4. tract. 9. c. 4. num. 9. & alij. Si igitur iudex sæcularis non potest procedere contra Clericum periurum, qui coram eo deposuit falsum, neque poterit Ecclesiasticus contra laicum, adde quod testis falsus efficitur de iurisdictione illius iudicis, coram quo deposuit.

His tamen non obstantibus, affirmatiua sententia vera est, quam tuetur Couar. pract. qq. cap. 12. nu. 8. Afflictus decis. 219. Capella Tholosona decis. 379. Franchus decis. 149. & alij. Ratio discriminis est, quia iudex Ecclesiasticus habet iurisdictionem in laicum ratione periurij, & sic potest contra eum procedere, at verò iudex sæcularis non habet iurisdictionem cōtra Clericum, qui coram eo testimonium falsum dixit, & per consequēs non poterit eum punire, neque etiam in bonis, vt alibi contra aliquos Doctores Gallos diximus.

Sed vt Clericus de falsa despositione facta coram laico possit puniri per suum iudicem competentem, extat pulchra quęstio apud Aloysium Riccium par. 4. decis. 81. per totam, lege illum, & non pigebit.

An Milites Sancti Stephani, & Sancti Lazari gaudeant priuilegio fori.

RESOL. LXI.

CArolus de Grassis de effect. clericatus, effect. 1. num. 115. testatur quod in hoc Regno Siciliæ dicti Milites non gaudent priuilegio fori, & idem procedere in Regno Neapolitano testatur Imbrianus tract. de iudice, & cap. vlt. num. 25. quia non habent Regium *exequatur* in suis priuilegijs.

Sed quidquid sit de hac praxi, ego puto dictos Milites gaudere priuilegio fori, quia connumerantur inter personas Ecclesiasticas, & profitentur Religionem approbatam à Summo Pontifice. Et ita docet Bonacina in Bull. Cœn. tom. 3. disput. 1. q. 16. punct. 3. nu. 16. Nauarrus consil. 2. de Regula. Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 12. nu. 45. & nouissimè Aloysius Riccius in praxi tom. 4. Resol. 76. n. 3. loquens de Religione Sancti Lazari asseruit esse veram Religionem, & gaudere priuilegio canonis, & quod Pius IV. confirmando 1565. priuilegio dictæ Religionis, eximit ipsam in omnibus casibus, in quibus est exempta Religio S. Ioannis Hierosolymitani, & etiam Marius Antoninus lib. 2. resol. 112. cas. 64. docet dictam Religionem Sancti Lazari, esse veram Religionem.

Notādum est autem hic obiter, dictos Equites etiam nouissimos, gaudere exemptione gabellarum, sicut alibi diximus de Nouitijs D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatraue, quidquid in contrarium asserant nostri Regnicolæ Mastrillus p. 4. decis. 290. nu. 166. & Giurba in consilijs crim. consil. 77. n. 21. sed nostram sententiam nouissimè tenet Riccius vbi supr. in praxi to. 4. resolut. 249. n. 3. vbi citat Nouarium, to. 1. qq. e. 42.

An habens coadiutoriam à Papa concessam, gaudeat priuilegio fori, & quid de Clerico, qui beneficium obtinere non poterat, vel ordinatus est cum falsis dimissorijs.

RESOL. LXII.

REspondeo affirmatiuè, quia talis dictam coadiutoriam habens, beneficiatus appellatur, & ita tenent DD. quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episcop. p. 2. alleg. 12. n. 4.

Notandum est etiam hic obiter, quod si Clericus obtineat beneficium, quod non poterat obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis, & de facto repetitur in possessione beneficij, gaudet adhuc priuilegio fori, & ita fuisse decisum in M. C. Vicariæ Neapolitanæ testatur Franchus decis. 189. & tenent Doctores, quos citat Io. Baptista del Thoro in compen. decis. Neapol. ver. Clericus, fol. 94.

Nota etiam, quod licet olim Clericus in minoribus constitutus à non suo Episcopo sine litteris dimissorijs, vel cum falsis possit gaudere priuilegio fori, vt notant DD. quos citat Squillante de priuil. cleric. ca. 7. dub. 2. nu. 29. Hodie tamen per constitutionem Vrbani VIII. datam Romæ 11. Decembris 1624. taliter ordinatus minimè priuilegio fori gaudebit. Ordinatum verò ante legitimam ætatem gaudere dicto priuilegio fori, tradit Carol. de Grassis de effectibus clericatus, effect. 1. num. 666. sicut etiam ordinatum per simoniam.

Clericus qualem habitum deferre debet, vt fori priuilegio gaudeat.

RESOL. LXIII.

RESpondeo Clericos circa habitum se locorum consuetudini accommodare, vt tradit Ambrosinus de Immun. c. 23.numer.13.Ego verò absolutè loquendo illum priuilegio fori gaudere arbitror, qui eo vtitur vestium genere, vt si à populo videatur, Clericus iudicetur. Si autem controuertatur, an habitus cum quo inuentus est Clericus, sit clericalis: hanc habitus cognitionem ad Ecclesiasticum Iudicem pertinere, quidquid aliqui asserant,& pessimè in praxi aliqui iudices, nixi authoritate Iulij Clari lib.5.q.46.n.11.& Mascardi conclus. 961. nu. 4. Et aduertat iudex laicus, quod dum hæc coram iudice Ecclesiastico pendent, debet supersedere, vt nos alibi etiam docuimus, & aliter faciens Immunitatem Ecclesiasticam infringit, licet nonnulli apud Carolum de Grassis de effectibus clericatus, effect. 1.nu.1257.& sequ. oppositum sentire videantur, sed male, quia fieri potest, vt in tali casu iudex laicus exerceat iurisdictionem in personam exemptam, & quia sequeretur elusoriam esse cognitionem iudicis Ecclesiastici. Et hæc omnia docet, & probat Bonacina in Bull.Cœn.to.3.disp.1.q.16.sect.1.punct.6.n.30.31. & 32.cum alijs communiter.

An aliquis Princeps habeat à Pontifice priuilegium in causis violentiæ arcenda.

RESOL. LXIV.

HOc priuilegium habere Regem nostrum Hispaniarũ docet Bannez in 1.2.q.67.art.1. Iulius Clarus lib. 5. §. vlt. q. 36. nu.26. Menoch. de retinenda possessione remed.3.nu.354.& Card.Bellarm. in tr. de sum. Pontif. contra Berclatum, c. 35. colum.7.ver.addebat,& Suarez de immun.lib.4.c. 34.n. 43.

Sed nouissimè Ceuallos tract. de cognitione per viam violentiæ Glossa 6. asserit Regem Hispaniarum non habere tale priuilegium sed ex alia ratione hoc efficere. Ita pulchrè obseruat Bonacina in Bullã Cœnæ.to.3.disp.1.q.15.punct.4. §. 1. nu. 17. dum praxim tribunalis de la fuerza tueri, & à peccato, & censura excusare conatur, excusationis causam aufert, negando Regem Hispaniarum, vel ipsius ministros, ac magistratus, hoc facere ex priuilegio, vel consuetudine priuilegio innixa. Ita Bonacina vbi n.3. asserit Principes priuilegium à Summo Pontifice habentes excusari ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, auocando causas spirituales ad sua tribunalia, modo priuilegij formam seruent, & modo priuilegium reuocatum non sit, iuxta ea quæ ipse inferius docet.

An collatio Episcopatuum, & aliorum beneficiorum possit à Principe laico præscriptione acquiri?

RESOL. LXV.

REspondeo negatiuè cum Cardinali Tusco to.4.concl. 452. numer. 28. vbi sic ait Licet ex priuilegio possit per Papam concedi collatio beneficiorum laico, non tamen potest consuetudine, neque præscriptione acquiri, etiam per tempus immemorabile, quia laici sunt incapaces. Ita ille. Cuius opinionem Probus in addit. ad Ioannem Monachum c.2. de præben. nu.7. & 8. in 6. asserit esse communem. Vide etiam Zabarellam consil. 57. sub. nu.2.& Doctores quos citat & sequitur Silua de Benefic.p.2.q.23.n.16.

Pro cuius sententiæ explicatione notãdum est, quod vt consuetudo excuset, & valeat, debet esse legitima & præscripta, cõsuetudo autem præscribi non potest, quoties subiectum est incapax illius rei, quę per consuetudinem induci prætenditur, vt notat Panormitanus, & Felinus in c. causam, de præscriptio. & in c.4. de consuetud. Decianus in tract. crim. tom.1. lib.4.c.9.nu. 14.& alij cõmuniter. Cum ergo laici incapaces sint iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ ex c. causam, de præscript. & cap. solitæ, de maiorat. & obed. sequitur ipsos nõ posse hanc iurisdictionem per consuetudinem acquirere. Ex quibus clarè apparet non posse prætextu consuetudinis iudices laicos se tueri. & excusari, & ideò optimè Cardinalis Tuscus vbi supra to.4. concl.452.n.44. asserit omnes casus, qui, prout attestantur Doctores, ex consuetudine alicuius Regni, vel prouinciæ sunt contra ius commune, & sic super eis non potest fieri fundamentum, nisi quia sic de facto seruntur: vnde talis consuetudo etiam immemorabilis, vel præscriptio immemorabilis non valet. Ita ille & ego.

Vt igitur Reges, Episcopatus, & beneficia conferant, ad hoc requiritur priuilegiũ, nec suffragatur vlla consuetudo, aut præscriptio, etiam si esset immemorabilis, cum perpetua tolerantia Papæ. Cum enim versemur in his, quæ non sunt quęsibilia sine Principis confessione, tolerantia de nihilo inseruit; hæc n. non est tolerantia, sed simplex conniuentia, seu patientia, quæ nusquam inducit dispensationem in his, quę sunt contra iuris dispositionem, vt ex text. in cap. cum iam dudum, de prębendis, & ibi Glossa. Ea siquidem conniuentia incidit ad euitanda duntaxat scandala, quę possent committi in auferendo huiusmodi abusus, vt tradunt DD. in cap. 2. de prębend. Quippè crimen publicum dissimulare dupliciter contigit, uno modo ipsum actum criminosum non prohibendo cum prohiberi possit: at hęc Ecclesia Romana, non sustinet, nec dissimulat, imò prohibet in Canonibus supracitatis: altero trasgressorem talis prohibitionis non puniendo, & hoc modo Ecclesia dissimulat aliqua propter difficultatem correctionis, vt benè aduertit Turrecremata in ca. singula, nu.8. dist. 89. multa enim tolerantur, quę si in iudicem deducerentur, exigente iustitia non tolerarentur: vt dicit textus supra allegatus in c. iam dudum de præben. Et hęc omnia docet Lotterius tom.1. de re beneficiaria, lib.1.q.6.n.39.& 41. Hinc si Rex noster, vel alij Reges, hodie conferunt Episcopatus, & alia beneficia, hoc ex priuilegio Romani Pontificis procedere dicendum videtur, vnde extante tali priuilegio non dicuntur, dicto modo loquendo, Reges conferre dicta beneficia, sed Papa mediante ministerio Regum, atque ita collatio non reputatur Regia, aut alterius Principis, sed merè Apostolica. Et ideò omnia super dicta firmauit Rota in vna Aquinensis Monasterij die 96. Ianuari. 1601. coram Illustrissimo Seraphino, & tenet Riccius in praxi tom.4. resol. 157. qui per extensum ponit dictam sacræ Rotæ Romanæ decisionem, quam omninò vide.

An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori.

RESOL. LXVI.

AFfirmatiuè respondent Doctores, quos citat Carolus de Grassis de effectib. clericatus, effect.1. nu. 118. si promittunt in manibus Episcopi castè viuere, & portant aliquod signum super vestimentis: secus autem dicit Abbas in c.2. n. 11. de foro compet. si isti Hospitalarij vtuntur coniugio, & habent & retinent proprium, & sunt laici.

At his non obstantibus Barbosa de potest. Episcopi.p.2.alleg. 12. n. 40.& Valascus cons.105.nu.3 asserunt simpliciter Hospitalarios. Prælati auctoritate deputatos ad aliquod Hospitale erectum auctoritate Episcopi, gaudere priuilegio fori. Sed de hoc dubio vide Decianum in tract. crim. to. 1. libr.3.c.9.nu.39. Duardum in Bulla Cœnæ lib.2.can.15.q.9.& alios.

An qui assumpsit habitum Clericalem post delictum animo subtrahendi se a laica potestate gaudeat priuilegio fori.

RESOL. LXVII.

DE hac quæstione olim mihi magna controuersia fuit cum quodam supremo ministro Regio, & affirmatiuam sententiam ipsum docui in tr. de immun. Eccl. resol.26.& nunc iterum doceo, quia dici potest istum vti iure suo assumendo statũ Clericalem, qui licet illum assumpsit hac intentione, non videtur priuari ipso facto priuilegio Clericali, licet fortasse dignus sit qui tali priuilegio priuetur. Et ita hanc sententiam docet Suar. contra Regem Angliæ li.4.c.15.nu.17.& iterum Bonac. in Bull. Cęn.to.3.disp.1.q.16.sect.1.punct.5.n.9. quidquid etiam in contrarium asserant DD. quos citaui in dicta resolut. quibus nunc addo Zerolam ver. Clericus, num.6. Iulium Clarum q.36.num. 38.& eius Additionatorem ibidem lit. G. & alios penes ipsos. Sed si aliquis veller stare in opinione negatiua, dicendum est, in negantem incumbere onus probandi statum Clericalẽ assumptum fuisse per fraudem, quomodo autem id probetur vide Mascard. to.2. concl.815. Gabr. in comm. opin. tit. de præsumpt.

con-

concl.15.n.1.Ambrosin.de immun.c.19.Duardum in Bull.Cœn. lib.2.can.15.quæst.11.Martham de iur.p.4.c.176.& alios penes ipsos.

Si autem quis dicat suscepisse habitum Clericalem ex vi voti,an ipsius iuramento standum sit, negat Farinacius tit. de Inquis.q.8.nu.114.& alij;sed affirmat Decianus,& alij penes Ambrosinum 12. quibus ego addo Hieronymum Rodriquez in compend.qq.Regul.resol.101.nu.9.

Quid facere debeat Episcopus, dum iudices laici edunt aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam.

RESOL. LXVIII.

SI dubium sit an illud statutum libertati Ecclesiasticæ aduersetur, & damnum Ecclesijs,vel Clericis inferat, cogere potest conditorem ad declarandū expressè tali statuto Clericos , & Ecclesias non comprehendi. Si verò perspicuè constet illud statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam, præcipere debet conditori,& ipsis ad quos pertinet, vt illud omnino tollant.Et si hoc ipsi minimè efficere volunt, debet ipse auctoritate sua tollere, & declarare huiusmodi statutum,legem,actum, pragmaticam, aut aliam ordinationem esse, irritam,& inualidam.Vide Felinum in c.Ecclesia Sanctæ Mariæ,n.145.de const. Alterium lib.5.disp.16.cap.6.du.54.Sayrum de cens.lib.3.c.34. n.17.& alios.

An Clerici inseruientes, & verè astricti alicui Ecclesiæ,licet primam tonsuram non habeant,gaudeant priuilegio fori.

RESOL. LXIX.

NEgatiuè respōdet Bonacina in Bull.Cœn.t.3.disp.1.q.16. punct.3.num.6.quia talis Clericus non gaudet priuilegio Canonis, ergo neque gaudet priuilegio fori.Et hanc sententiam videtur innuere Reginaldus to.1.lib.9.§.23.num. 355.Cæteras rationes videbis apud Bonacinam.

Sed his non obstantibus,non desunt DD. post Concilium Tridentinum scribentes,qui asserunt dictos Clericos priuilegio fori gaudere.Et ita tenet Bellettus in disquis.Cler.p.1.tit.de fauore Clericorum personal.§.2.n.2.Ambrosinus de immunit. c.22. nu.6.Decianus in tract.crim.to.1.lib.4.c.8.n.2.Et ad argumentum, quod adducit Bonacin.vbi supra, posset aliquis respondere, quod Clerici,qui dicuntur saluatici non gaudent priuilegio canonis,neque exemptione gabellarum, & tamen gaudēt priuilegio fori, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio 10. Kalendas Iunij 1632. cuius verba affert Paulus Squillante de priuil.Cler.c.7.dub.2.n.4.& Nouarius de elect.fori q.52.sub n. 35.sect.2.in vltima impressione Neapolitana,sed circa supradictos Clericos saluaticos multas quæstiones suscitat nouissimè Aloysius Riccius in prax.fori Eccles.tom.4.resol. 223. vsque ad resol.131.lege illum,& non pigebit.

An Iudex laicus possit dirimere controuersias ortas inter Confraternitates in aliqua processione.

RESOL. LXX.

AFfirmatiuam respondet noster D.Carolus de Graffis de effectibus Clericatus,eff.1.nu.613. vbi sic ait. Quod ad locum incedendi in processionibus , vt si debet incedere in quarto, vel in quinto loco, in talibus namque controuersijs est Iudex Illustrissimus Senatus huius Vrbis , qui summariè, & absque visione scripturarum,solet causas istas terminare,& cognita differentia statim causam terminare. Quando autem est differentia an aliquis sit benè,vel malè cācellatus à Societatibus, & confraternitatibus,vel sit recipiendus, vel non, vel an sit canonicè quis electus ad gubernium, & admistrationem, tales, & similes controuersiæ diriuuntur per Archiepiscopum, vel suum Vicarium.Ita ille.

Sed obseruat Barbosa de potest.Episcop.p.2.Alleg. 97. num. 42.quod quamuis hæc Caroli de Graffis sententia circa primū membrum videri possit tolerabilis, quando agitur de iudicio possessorio,tamen extra illud non est admittenda,sed potius dicendum est ad iudicem Ecclesiasticum dictas cōtrouersias pertinere dirimere, quæ essent interdictas laicorum confraternitates,circa modum procedendi,vel circa habitum, vel quid simile. Sic Barbosa.

An domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum existentes prope triginta passus Ecclesiæ, gaudeant eius Immunitate, etiam si habitentur à laicis.

RESOL. LXXI.

NEgatiuè respondent Peregrinus de immun.cap.4. nu. 27. Farinacius in append.c.6.num.260.& Marius Italia,libro 1.cap.4.§.6.nu.6.quia consuetudo est in contrarium,& ideò asserit Villalobos in summ.tom.2.tract.39.difficul. 5.nu.3.quod licet secundum iura (esta concedida esta immunidad no solo alas iglesias, sino tambien quarēta passos al rededor de la iglesia matriz, y treynta passos al rededor de las demas, ma dize Couarruuias, que va por la costumbre hà cessado esto quanto alas iglesias qne estan edificadas en las Ciudades, y que solo queda en las que estan edificadas dentro de los muros de los castillos.) Ita ille.

His tamen non obstantibus aliqui affirmatiuè respondent ad propositum dubium, & asserunt supradictas domos gaudere immunitate,quamuis eas inhabitent laici.Et ita hanc sententiam tenet Decianus in tract.crim.lib.6.cap.25.qu.16.Ambrosinus de immunit cap.10.num.8.& nouissimè Bonacina tom.3. disp.2.q.3.punct.16.§.4.num.7.quia immunitas est veluti accidens morale loco affixa, locatio autem est actio extrinseca loco;tum quia sequeretur in potestate locatoris esse auferre, vel cōcedere loco immunitatis priuilegium; tum quia immunitas concessa est loco sacro,& existentibus in tali loco,per accidens autem est,vt in tali loco habitet potius cōductor, quam dominus directus vel vtilis, tum quia loca sacra immunitate gaudent,exceptis casibus expressis, hic autem casus nullibi expressus,& exceptus reperitur. Ergo, &c.Et hæc omnia docet dictus Bonacina vbi supra. Qui etiam optimè notat,quod nomine passus intelligitur mēsura quinque pedum, pes autem complectitur mensuram quindecim digitorum,& hoc etiam notauit Farinacius vbi sup.n.86.& Tuscus to.4 littera I. concl. 59. nu.2. & alij.Ad consuetudinem verò quam in contrarium afferunt aliqui, respondeo Gregorium XIV.damnare supradictas consuetudines. Ergo, &c.

An occidens fœtum animatum cum aliqua potione, gaudeat Immunitate Ecclesiæ.

RESOL. LXXII.

SEntentiam negatiuam docet Peregrinus de immun.Eccl. c. 3.n.8.Farinacius in appen.c 8.nu.138.& alij penes ipsos. Et ratio est,quia talis occidit proditoriè illum,qui nullo pacto prævidit,nec præcauere potuit talem mortem.

Verùm ego contrariam sententiam teneo cum Martino Bonac.tom.3.disput.2.q.3.punct.16.§.8.num. 8.quia ait ille,huiusmodi delinquens iuxta communem vsum loquendi non vocatur proditoriè occidere;is enim dicitur proditoriè occidere,qui per insidias seu dolum aliquem,id non preuidentem occidit;infans autem non dicitur in hoc casu per insidias, & dolosè occidi,cum ipse nullius rationis capax sit, nec dolus in ipsum committatur, dolus autem est fraus ad aliquem decipiendum adhibita,infans autem decipi non videtur. Ergo, &c.Et ita hāc sententiam tenet etiam Franciscus Leo in Thes.fori Eccles.p.1.ca. 13. ver. dubitari etiam potest. Ex his igitur dicendum est concubinarium potionem concubinæ,vel adulteræ tradendo,gaudere Ecclesiæ immunitate.

An fugiens à birroarijs,si parietem Ecclesiæ partis exterioris tangat, vel fuerit amplexus, gaudeat Immunitate.

RESOL. LXXIII.

REspondet negatiuè Archidiaconus in ca.vnico, de reliqu. & vener. sanct. in 6. quia appellatione Ecclesiæ non venit pars exterior muri Ecclesiæ,quæ viam publicam spectat.Secūdo supradictus reus in tali casu nū dicitur esse in Ecclesia. & ita hāc sententiā tenent mordicus ministri laicalis iurisdictionis.

Sed pro affirmatiua sententia aliqui has rationes adducunt. Primò, quia priuilegia Immunitatis Ecclesiæ amplianda sunt. Secundò in leg.quæ religiosis, ff. de rei vendicatione, habetur quę religiosis adhęrent, religiosa censentur, ergo quę adhærent loco sacro, censentur sacra, & consequenter gaudent Immunitate loci sacri. Tertiò, accessorium sequitur naturam sui principalis, c.si super gratia, de officio deleg.in 6. Quarto, priuilegium concessum Ecclesię, dicitur etiam concedi per triginta passus in circuitu eius, vt ex sacris Canonibus docent communiter DD. & nos supra probauimus. Ergo multo magis hoc dicendum est in casu nostro de pariete, qui est annexus, & accessorius, & incorporatus ipsi Ecclesiæ. Et ita hanc sententiam docet Episcopus Viciaquensis Aloysius Ricius in praxi, to.3.resol.560. nu. 8. & Martinus Bonacina de legib.to.2.disp.3.q.7.punct.4.num.5. Vnde ex his à fortiori apparet, quod si quis confugiat supra tectum Ecclesiæ, gaudebit vtique Immunitate vt notat Villalobos in summ.to.2.tr.36.diffic.5.n.3. Fagundez p.2.lib.4.c.4.n.73 Suarez de Relig.to.2.lib.3.c.9.nu.8.& alij scribentes super Bullam Gregorij XIV. vide iterum Bonacinam, to.3. in Bull. Cœn. disp.2.q.3.punct.16.§.nu.19.20.

An Bulla Cœna tollat casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, & quid de priuilegio Monarchia Regni Sicilia.

RESOL. LXXIV.

HOs casus priuilegiatos ponit Chassaneus super consuet. Burgun.reb.1.tit.des iustices, & droitis, §. 5. verb. 5. col. à grace, n.48.& seq. & Bullam Cenę illos non tollere tenet Antonius Bouius in responsione ad Paulum Seruitam pro censuris Pauli V.par.4. ad argum. 10. vbi sic asserit.[In Francia il Rè hà Priuilegi della Sede Apostolica, onde se procede solo ne'deliti priuilegiati non eccede in cosa alcuna i suoi Priuilegi, i quali se non l'hauessero ecceduto i Signori Venetiani, non sarebbe loro stata detta cosa alcuna.] Sic ille.

At contrariam sententiam docet Petrus Binsfeldius in commen.de iniurijs, & damno dato, cap.7.concl.13. vbi sic ait. Per Bullam Cęnę Domini videntur etiam sublati casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, in quibus iudices sęculares in illo Regno se intromittunt etiam pro criminibus aliquibus contra Clericos. Hæc Binsfeldius. Sed vsum talium priuilegiorum Regis Galliarum non audet damnare Nauarrus, & alij quos adduxi in tract.de Immun.Eccl.Resol.6. licet ibi Sayrus, & alij damnandum esse existiment. Ego verò circa resolutionem huius casus de meo nihil dicam, & nihil ponam, solum referre volui quid alij dixerunt, sic etiam facio cum Martino Bonacina in Bull.Cœnæ tom.3.disp.1.q.21.punct.1. nu. 24. circa iudicium de Monarchia huius Regni Siciliæ, quam acriter impugnat Hieron. Catena in vita Pij V.cũ Cardinali Baronio Tom.XI.Anno 1097. Sed defendit Antonius Xibecca in allegationibus manuscriptis ad Marcum Antonium Columnam, & nouissimè vt refert Io.Beltran.de.Gueuara Archiepisc.Compostellanus in Discurs.de origine, & vsu Monarchiæ Regni Siciliæ lingua Hispanica cõscriptis, & editis Valisoletti anno 1605. apud Aloysium Sanchez. Vide etiam Henriq.in summ. lib. 10. cap.28.numer.3.& lib.2.de Summi Pontificis claue, cap.10.§.3. Sebastianum Cæsarein de Eccles.Hierar.p.1.disp.3.§.2.num. 9. Camillum Borellum de Præstantia Regis Catholici, ca. 50. per totum. Goffredum lib.4.de rebus gestis Roberti Goisardi, c. 29. Fasellum li.7.posterioris decadis, c. 1. Ioannem Marianam histor.Hispan.lib.10.cap.5. Ferdinandum Marute in responso pro impositione gabellæ contra Messanenses, folio 24. Mauroleum in Histor.Sicil.li.3. art. 98. Laurentium Anania in fabrica mundi tract.1.fol.129. Antonium.Costam.lib.1.cons.3.nu.75.& 86. Cumiam in Præl.cap.si aliquem, num. quadragesimonono, & quinquagesimosecundo.

TRACTATVS II.

DE DVBIIS REGVLARIVM.

An Generales, & alij Prelati Religionum possint confiteri Confessoribus extra Religionem, & quid de Generalibus, & Prapositis nostrę Religionis.

RESOL. I.

AFfirmatiuam sententiam docent communiter Doct.ex capit. ne pro dilatione, de pœn. & remiss. vnde Villalobos in summ. tomo 1. tract. 9.difficul. 47.num.4. sic asserit.[Tienen iurisdicion ordinaria los Prelados de las Religiones, como son Generales, y Prouinciales, que tienen Iurisdicion, quasi Episcopal, y los Guardianos, Abades, y Priores, que presiden à toda la communidad, que ellos todos son ordinarios respectiuè, y tienen facultad de eligir Confessor, per la concession de Gregorio Nono, por que todos ellos se comprehenden de baxo del nombre de Prelados, y assi està en vso en las Religiones como dize Soto in 4.distinct. 18. quæst. 4. art. 2.] Sic Villalobos, & alij vbi infra.

Sed difficultas est in nostra Religione, nam in decretis Capitulorum Generalium parte 1.c.6.num.1. sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed ijs tantummodo nostratibus confessarijs, qui à Proposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus accedimus. Vnde sub his verbis Peregrinus in comm.ad nostras constitut. 5.p.1.cap. 9.litt. C.§. 1. putat comprehendi Generales, & Præpositos, & ideò ait ille, quod quando à Religione eliguntur ad dictas Prælaturas, sub intelligitur pactum implicitum quod est obseruandi, & curandi, vt obseruentur constitutiones, & decreta Capituli Generalis, vnde eo ipso quod acceptant Prelaturas, tacitè renuntiare videntur dicto priuilegio, quo gaudere non possunt nisi intra Religionem. Nec decretum hoc est contrarium Canoni, quia priuilegio suo cuique licet renuntiare, leg.si quis in conscribendis, C.de pactis. Hæc Peregrinus.

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto. Primò, quia priuilegium insertum in corpore iuris, vt est illud, de quo loquimur, reputatur Ius commune, vt patet ex text. in leg.eius militis, §.militia missus, de test. milit. & notat Iason in leg.1.nu.16.de constit. Henriquez vbi infra, & Lotterius de re beneficiaria tom.1.lib.2.q.7.num.27. vnde in generali derogatione non comprehenditur sub nomine priuilegij, quia eo quod insertum est in corpore iuris, habetur pro iure, & lege. & ideò Villalobos in summ.to.1.tr. 9. diff.51.nu.4. loquens de priuilegio Religiosorum in Clem.dudum, de sepulturis, sic asserit. [Aunque el Concilio Tridentino en el qual decreto reuoca los priuilegios, mas no de los que estan insertos en el cuerpo del derecho, porque essos son leyes Ecclesiasticas, y no s'entiende de baxo desta palabra priuilegio que la ley, que se instituye de nueuo, no reuoca estos priuilegios, aunque ponga quale squieras

ras

ras clausulas generales, si nos es que se haga dellos expressa mencion.] Ita ille.

Idem etiam tenet Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. vbi ita ait: Iuxta morem loquendi Iuristarum, nomine Priuilegii non intelligitur, quod est in corpore iuris insertum, & lex de nouo instituta non reuocat Priuilegia in iure inserta, nisi de illis fiat expressa mentio, licèt apponat quaslibet nō obstantias generales, & reuocet Priuilegia, quia Priuilegia in iure inserta vendicāt sibi aliud nobilius nomen, & sunt iam leges communes. Sic ille. Hoc etiam docet Miranda in Manuali Prælatorum, to. 1. q. 45. art. 6. in conclus. Henriquez lib. 6. c. 6. num. 4. Fagundez præcept. 2. lib. 7. capit. 2. num. 15. & num. 78. & 82. Rodriq. in QQ. regul. tom. 1. quæst. 59. artic. 2. Paulus Layman in Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 26. & lib. 4. tr. 6. cap. 11. nu. 5. & alij.

Hinc præter Layman vt supra, & alios citatos DD. notauit etiam Glossa in Authen. qua in Prouincia, Cod. de criminibus, verb. illico omni Priuilegio. & in lib. 3. Cod. de silent. lib. 12. cum Barbosa in l. 2. §. legatis, num. 117. ff. de iudicijs. Borgos de Paz in l. 3. Taur. num. 559. Decio. consil. 165. num. 4. Iacobo Pennio de priuil. Iurisconf. p. 3. Priuil. 100. n. 2. Ruyno vol. 1. con. 228. n. 13. Rebuffo. respons. 15. vers. 7. etiam, & respons. 134. ver. item si mandetur. Mandosio de Priuileg. ad instar Glossa. 24 nu. 2. Gomez to c. 1. n. 93 de constit. in 6. Felino in c. 5. nu. 12. & in c. nonnulli n. 9. & 26. de rescriptis, & alijs quod ista clausula, non obstante quocumque Priuilegio, non comprehendit Priuilegium in corpore Iuris insertum.

His igitur omnibus suppositis, sic argumentor contra Peregrinum. Priuilegium quod habent nostri Præpositi locales, est insertum in corpore iuris, sed Priuilegia inserta in corpore iuris nō derogantur, neque comprehenduntur, vt probatum est, in clausulis generalibus, non obstante, &c. etiam alicuius Concilij generalis, nisi de illis efficiatur expressa mentio: ergo à fortiori dictū Priuilegium nostrorum Præpositorum non erit comprehensum in illa clausula Decreti, quod Peregrinus adducit, cum sit Priuilegium, vt dictum, est in corpore Iuris insertum. Dicendum itaque est illud decretum factum fuisse in Capitulo generali pro gaudere volentibus priuilegio Bullæ Cruciatæ, vel alijs licentijs, & indulgentijs cōfitendi cuicumque etiam extero Sacerdoti inscio Superiore, non autem pro Generalibus, & Præpositis habentibus hoc priuilegium clausum in corpore iuris. Cum igitur tale decretum loquatur tantum de priuilegijs, non est extendendum ad iura Prælatorum, quorum mētionem non facit. nam si hoc priuilegium comprehendere voluisset, de illo expressam mentionem facere debuisset, & ideo quando in aliqua Religione Capitulum generale voluit restringere, aut limitare, ne Prælati vtantur supradicto priuilegio, specificè illis hoc prohibuit, & ita factum esse in Religione Cisterciensi, notauit Hieronymus Llamas in meth. p. c. 5. §. 5.

Deinde supponitur in illo Capitulo Patres renunciasse huic priuilegio, quod ego nego, & negant omnes, qui in illo Capitulo ad fuerunt, nam tunc nihil de hac renunciatione talis priuilegii inter illos actum fuit, & tamen renunciatio priuilegii supponit necessario renunciantis consensum vel voluntatem, vt notat Suarez de legibus. lib. 8. c. 33. nu. 8. & alii communiter, nam consensus, & voluntas nō fertur in rem nō cognitam, ergo dicto priuilegio in dicto decreto renunciatum fuisse minimè dicendum est. Concedimus igitur Peregrino, Superiores quando eliguntur ad prælaturas, subire onus obseruandi, & curandi, vt obseruentur constitutiones, & Decreta nostræ Religionis: sed negamus, quod renunciant tunc tacitè huic priuilegio, de quo dictum est, nam numquam ipsi huic renunciarunt, neque ex vi verborum decreti in illo comprehensi sunt, ideoque neque illud obseruare tenentur, cum ex dicto cap. finali, possint sibi eligere in cōfessarium quemcumque Sacerdotem, etiam ab Episcopo non approbatum intra, & extra Religionem. Et ita præter Villalobos vbi supra docet Miranda in manuali prælaturū, tom. 2. q. 20. art. 7. & q. 32. art. 6. concl. 1. Syluius in addit. ad. 3. p. D. Thom. q. 8. artic. 5. Quæritur 2. concl. 2. Ioan. Valerus in diff. vtriusque fori, ver. iurisdictio, dist. 14 num. 2. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 38. cap. 16. num. 2. Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 231. Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 2. numer. 9. & 10. Coninch de Sacramentis disput. 8. dub. 8. num. 60. Nugnus in 3. part. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 2. asserentes Prælatos Regularium posse eligere confessarium etiam extra Religionē, dummodo ab eorum cōstitutionibus, & statutis hoc illis facere non prohibeatur; quod in nostris non prohibetur, nam in hoc tantum negatiuè se habent, vt patet.

Non desinam adnotare etiam hic, quod noster P. Alphonsus de Leone, vir quidem doctus in tract. de officio, & potesta confess. tom. 2. Recollect. 11. num. 95. & 106. docet Capitulum generale, nisi fuerit à Papa confirmatum, non posse derogare huic priuilegio superiorum, quòd habēt à iure eligendi confessarium extra ordinem, lege illum, & non pigebit. Vnde apparet quam parum solidè opinio Peregrini defendi potest. Vide etiam Hieronymum Rodriquez in compend. qq. Resol. 10. nu. 17. vbi ait, quòd confirmatio statutorum alicuius Capituli generalis facta à Papa intelligitur, quatenus ipsa non sunt cōtraria iuri communi, & sacris canonibus. Sed de his opinionibus Leonis, & Rodriquez alibi à nobis fusius dicetur.

Notandum est tamen aliquos DD. dictum priuilegium de eligendo confessario extra religionem concedere Generalibus & non inferioribus Prælatis, vt Guardianis, Præpositis, &c. Et ita tenet Reginaldus tom. 1. lib. 1. cap. 4. sect. 2. num 36. Llamas in meth. part. 1. c. 5. §. 5. & alij meliusque, fecisset Peregrinus, si cum istis DD. tenuisset, sed ille tenet cum cōmuni DD sententia, & postea putat, vt visū est, huic priuilegio nostros Præpositos renunciasse, quod minimè, vt supra probaui, admittēdum esse censeo.

Non grauabor etiam his omnibus addere, quòd probabiliter secundum Megalam in 1. par. lib. 1. cap. 10. num. 4. & Corinlanum de cas. reser. p. 1. ar. 24. supradictum priuilegium, quod habent præpositi eligendi quemcūque Confessarium, extendi potest etiam ad Vicarios nostros in sede vacanti, vel alio modo absente Præposito, & ita in terminis hanc sententiam post hæc scripta docet P. Leo. de officio confess. tom. 2. recollect. 6. numero 36. licet etiam probabiliter contrarium asserat Suarez in 3. par. to. 4. disp. 27. sect. 2. num. 8. Et ratio est, quia actio subrogata habet priuilegium eius, cui subrogatur, & in nostris cōstitutionibus parte 3. c. 9. dicitur, quod Vicarius absente Præposito eius vicem gerit, quæ verba explanās in commentarijs suis littera F. Peregrinus sic asserit. Si absentia Præpositi esset non solum à domo, sed etiam à Ciuitate, vel esset mortuus, vel ex alia causa dimisisset officium, in istis casibus Vicarius haberet iurisdictionem fori conscientiæ, & contentiosi, quia esset quasi Ordinarius vices Præpositi in omnibus gerens, & sic declarauerunt PP. Dominicani in suis constitutionibus in Capitulo generali Parisijs celebrato anno 1246 Ita Peregrinus. Cuius verba non parum probabilem nostram, & Megalæ sententiam efficiunt. Nam vt dictum est, & patet ex leg. si eum, §. qui iniuriarum, ff. si quis caution. & ex cap. Ecclesia, vt lite pen. subrogatus in locum alterius in eius quoq; iura, & priuilegia subrogatus esse censetur, quod etiam notauit Tamburinus de iure Abbat. tom. 3. disp. 15. quæst. 11. num. 10. Verùm pro coronide huius resolutionis aduerte cum Molfesio in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 15. num. 44. quod licet omnia supradicta contra Peregrinum sint vera tamen non conuenit, vt Prælati Regulares confiteantur extra Religionem, licet, vt dictum est, de iure possint.

An Guardiani Priores, Præpositi, & Rectores Regularium possint illis præbere licentiam, vt eligant Confessarium extra Religionem.

RESOL. II.

RESpondeo affirmatiuè seclusa constitutione religionis, vel statuto in contrarium. Et ratio est, quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam alteri delegare, vt habetur in capitulo, quibus, de officio ordinarij, & notat Syluius in addit. ad 3. par. D. Thom. quæst. 8. art. 5. Ioan. de la Cruz in direct. part. 4. de Sacram. Pœn. q. 5. dub. 6. concl. 1. Barbosa in leg. cum Prætor. §. 1. nu. 527. ff. de iudicijs, & alij communiter. Sed Guardiani, Præpositi, &c. habet potestatem ordinariam, & sunt suorum subditorum Ordinarij, vt notat Suarez de Relig. tom. 4. li. 10. cap. 5. num. 3. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 60. Filliuctus tom. 1. tr. 7. cap. 7. num. 188. Ledesma in sum. tom. 1. de Sacram. c. 38. q. 7. num. 3. & alij communiter. Ergo possunt hāc potestatem alijs subdelegare, & ideo Villalobos in summ. tom. 1. tra. 9. diffic. 49. nu. 11. sic asserit [Los Guardianos, y Prelados semejantes como son Ordinarios, tambien pueden delegar su iurisdicion,] & citat Angles, Rodriquez, & Cenedum

qui

quibus etiam ego addo Portel.in dubijs Regularium,verb.Prælatus,n.1.& 2.vbi ait.Guardiani possunt delegare, i.committere alicui vt faciat omne illud,quod ipsi possunt facere ex officio ordinario,quia habent potestatem ordinariam.& in addit.ver. Prælati potestas,n.2.sic etiam ait. Omnes Prælati conuentuales Religiosorum habent iurisdictionem ordinariam in vtroque foro,& proinde possunt illam delegare, quia habēt iurisdictionem ex officio, seu ex lege canonica, quæ Prælatis ritè electis dat iurisdictionem competentem suo officio. Et tandem Io.de la Cruz de statu Religionis lib.1.c.6.dub.8.docet,quod non tātum iurisdictio competens Prælatis Regularium ex iure communi, vel particulari suarum legum est ordinaria,ac subinde delegabilis, sed etiā iurisdictio illis concessa ex priuilegio Principis. Vnde omninò Ascanium Tamburinum de iure Abbat. to. 1.disp.3.q.2.n.1.& Sà vers delegatus,n.2.

Sed difficultas est in nostra Religione. Nam Peregrinus in comment.ad nostras Const. par. 1.c.9.lit.C.§.2.negatiuam sententiam docet. Sic enim ait. Dubitari posset vtrum præpositi locales possint licentiam tribuere vni ex nobis sibi subdito, vt confiteri possit confessario extra Religionem nostram. Respōdetur, quod non absque necessitate. Ratio est, quia Capitulum generale potuit hoc prohibere,& de facto prohibuit hoc decreto. Ita Peregrinus.

Verùm ego contrarium sentio; nam verba decreti sunt hæc in part.1.in cap.6. nu.1. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed ijs tantummodo nostratibus Confessarijs, qui à præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio,cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus,accedimus. Quæ quidem verba, vt clarè apparet, & nos in superiori resolutione firmauimus loquūtur tātum de priuilegijs, vt est Bulla Cruciatæ,vel aliud indultum eligendi quemcumque Confessarium inscio Superiore, & ideò non debent, neq; possunt extendi ad licentias, quas subditi obtinet à suis Prælatis, quibus de iure communi ex cap. omnis vtriusq; sexus,de pęnit.& remiss.tamquam ordinarijs competit, & possunt hanc facultatem præbere.Et hæc omnia in resolutione superiori satis firmata sunt. Igitur cum tale decretum loquatur expresè de priuilegijs,non est extendendum ad iura Prelatorum,quorum mentionem non facit. Adde quod de renuntiatione huius priuilegij, vt patet omnibus, nihil actum fuit in illo Capitulo generali, ex quo Decretum supradictum emanauit,& cum esset res grauis tollens circa hoc potestatem ordinariam Prælatis, specificè efficeretur prohibitio si Capitulum generale tunc dictam potestatem tollere aut limitare voluisset,sicut fecerunt Constitutiones Prædicatorum, in quibus,vt notauit Ioan.de la Cruz de Statu Relig.lib.....capit.6.dub.11. habetur, non posse Priorem concedere sibi subdito licentiam confitendi Sacerdoti alterius Ordinis, sed solus Magister Ordinis hoc potest concedere, quando non adest Confessor Ordinis. Per quod infert Ioan.de la Cruz. limitatur authoritas ordinaria istorum Prælatorum, quod in nostra Religione per Constitutionem, vel per aliquod decretum vsque adhuc minimè factum esse censeo.

At dicet aliquis Sixtum IV. Innocentium VII. Clementem VII. Leonem X. concessisse Regularibus, vt cum licentia suorum Prælatorum, tantum cum itinerantur, possint extra Religionem Confessarium eligere,quas Bullas affert Io. de la Cruz vbi supra,& Villalobos in summ.tom.1.tract.9.diff.49.n.12.Ergo si Prælati Regularium possunt hanc licentiam subditis præbere, vt etiam extra Religionem confiteantur, ad quid deseruiunt priuilegia illa Pontificum? Respondeo cum Llamas in Meth.p.1.c.5.§ 5.quod aliquando in priuilegijs cōceditur Regularibus minus, quam quod de iure communi illis competit & ideò in casu nostro plus possunt subditi à Prælatis Regularibus ex potestate ordinaria obtinere, quam quod in Priuilegijs Summi Pontifices concesserunt,qui tamen cum dictis Priuilegijs potestatem ordinariam Prælatis Regularium tollere minimè intenderunt. Probatur totum hoc ex Priuilegijs,quæ affert Llamas vbi supra, concedentia Prælatis Regularium eligere Confessorem cum licentia sui Generalis, non obstante, quod hoc competebat illis de iure,in c.fin.de pœn.& remiss. vt supra probatum est,independenter à licentia Generalis, & tamen, vt patet,per dicta Priuilegia hoc ius illis non fuit ablatum,quin si vellent,sine Generalis licentia Confessarium eligere nō possint. Sic dicendum est in casu nostro,supradicta Priuilegia non ita tollere Prælatis Regularium potestatem ordinariam, quin possint,si velint,prębere licentiam subditis,non solum itinerantibus,sed etiam in Monasterio existentibus,eligere sęcularem, vel regularem Confessarium. Et ideò Mirāda in Manuali Prælatorum tom.2.q.52.art.6.concl.1. Villalobos in sum.tom.1. tr. 9 diff.49.num.11.& 12.& alij adducunt supradicta Priuilegia Pontificum. Attamen non obstantibus dictis priuilegijs, firmāt posse Prælatos supradictam licentiam potestate ordinaria suis subditis præbere, quia proprias oues,ait Miranda,vbi supra, cui voluerint Pastori,aliàs idoneo,possunt committere.Et ideò ait Graffius in decis.p.1.lib.1.c.23.num. 54. quod Franciscanus de licentia sui Prælati confiteri possit Augustiniano, & credendum est illi sine litteris, si dicat habuisse licentiam. Nec refert quod possit Prælatus indiscretè vti tali potestate,nam id est per accidēs,& quomodocumque id faciat,factum tenebit. Verùm aduertant Prælati,hanc licentiam non præbere absque causa, nam si aliter facerent, non expediret. Confessionem tamen cum tali licentia factam validam, & firmam esse puto.

Notandum est etiam hic obiter contra Peregrinum in compen.priuileg.ver.absolutio quoad fratres, §. 2.in scholio, quod quando Regulares ex licentia, vel priuilegio confitentur extra ordinem, non tenentur eligere confessarium ab ordinario approbatum,sed sufficit eligere idoneum.hoc est non suspensum, vel excommunicatum,&c.Ita Io.de la Cruz de statu relig.lib.2. c.6.dub.11.concl.1.in fine.

An Episcopus extra Diœcesim possit eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario,& quid de Prę- latis Religionum?

RESOL. III.

QVo ad primum Suarez vbi infra, notat Romæ fuisse hanc quæstionem excitatam, & ventilatam in quadam congregatione, cui decem Cardinales interfuerunt, & diuisos fuisse in diuersas sententias,quinque enim illorum affirmabāt, & quinque negabant. Prima ergo sententia affirmat,quam nouissimè tenet Villalobos in sum.to.1.tr.9.diff.55.num.4.Io.Valerus in diff.vtr.fori,verb.iurisdictio.diff.14.num.2.Coriolanus de cas.reseru. p.1.sect.1.art.21.n.5.& alij.Nam cur non poterit Episcopus Sacerdotem sibi non subditum ad se confitendum per hanc electionem approbare, sicut potest illum approbare pro ouibus suis? Deinde Conciliū Trident. sess. 23. de refor.ca. 15 in illis verbis. Non obstantibus priuilegijs, &c.non derogat priuilegijs in corpore iuris insertis. Neque enim per clausulam generalem priuilegio in iure inserto derogatur, vt est Regula Canonistarum, quam tradit Decius cons.165.& nos supra satis probauimus. His tamen non obstantibus.

Secunda sententia negat: & ita decreuit Gregor. XIII. & ita docent Riccius in Praxi,tom.1.resol.470.num.2. Graffius tom. 2.lib.5.cons.4.de pęnit.& remiss.num.13. Alphonsus de Leone tract. de Iubilæo, p.1.q.9.num.28. Faustus de Iubilæo lib. 4.qu. 73.Azorius p.2.lib.4.c.3.q. 16. Armend.in Add.ad Recop. leg. Nauar.lib.1.tit.18.leg.7.num.54 Barbosa in collect.tom. 2. lib. 5.tit.38.c.16.num.4.Filliucius tom.1.tr.7.c.9. num. 256. Suarez in 3.p.tom.4.disp.28.sect.4.num.7. Megala in 3. part.lib.1.c.10. num.18.Molfesius in summ.tom.1.tr.7.c.15.nu.34.& alij. Quia Concilium verè, & propriè non derogat Episcoporum priuilegio,quia priuilegium expresè dicit, vt possint eligere Sacerdotem idoneum,& hoc illis integrum manet, neque Concilium illud in totum, vel in partem abstulit, sed solùm ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, vt idoneus sit nempè approbatus ab Ordinario: & hæc conditio vniuersaliter apposita est respectu omnium sæcularium, inter quos Episcopi continentur.

Quoad verò Pręlatos Regulares certum est Concilium Trident.nihil innouasse: nam solùm loquitur de confessionibus sæcularium, & ad has approbationem Episcoporum in Confessarijs requirit, tam sæcularibus, quam Regularibus. Igitur Prælatus Regularis,vel quilibet Regularis, habens licentiā eligendi Confessarium, possunt eligere sibi in Confessariū quemlibet Sacrdotem, etiam si ab Episcopo non fuerit approbatus. Et ita docet Portel.in dub.regul.ver.Confessor erga regulares, nu.14.Fagundez præcep. 2.lib.7.cap.2.nu.3.4.& 5.Suarez tom. 4.disp.28.sect.4.nu.5.Nauar.in manuali cap.4.num.2.Coninch. de Sacram.disp.8.dub.7.num.48.Zerola in praxi pœnit.cap.15. quæst.2.

quæst.2.§.Dico quarto.Reginald.to.1.lib.1.c.5.nu.41.c.15.nu.175.&lib.8.c.3.sect.4 nu.36.cum alijs communiter.Quod verò Prælatus Regularis possit eligere quemlibet Sacerdotem sibi in Confessarium, patet ex c.ne pro dilatione,de pœn.& remiss. & tradunt communiter DD.& nos dicemus infra.

Ex his infero contra Peregrinum in Comment. ad nostras Constit. par.1. cap. 5.lit. C. Præpositum nostræ Religionis posse confiteri simplici Sacerdoti nostræ Religionis, etiamsi non sit admissus ad audiendas Confessiones à nostro P.Generali,quia, vt dictum est,habet potestatem ex dicto c.ne pro dilat.&c. eligendi pro Confessario quemlibet Sacerdotem, & Concilium Trident.nihil innouat quoad Regulares: ergo, &c. Vnde ex multis alijs rationibus hanc opinionem post hæc scripta inueni contra Peregrinum docere etiam ex nostris P. Leone de off.& potest. confess.to.2. recollect.6.nu.92.Et dato, sed non concesso,quod cõtraria opinio esset probabilis displicet mihi id,quod asserit dictus Peregrinus, nempè esse sequendam tanquam tutiorem, & quod in ministrandis,& recipiendis sacramentis necessarijs ad salutem semper tutiores opiniones amplecti debeamus: quia obligatio charitatis, qua tenemur prouidere proximo de remedio postulat,vt illa prouideamus remedia, quæ sũt absque periculo,quando possumus id absque detrimento: ergo qui minus tutam opinionem amplecteretur, non satisfaceret huic obligationi. Præterea sic est vniuersalis vsus Ecclesiæ. Ita Peregrinus.

Sed si hæc doctrina esset vera, ita absolutè prolata, mundus scrupulis implicaretur, & væ væ Confessarijs, & pœnitentibus non est igitur admittenda in casu nostro. Nam quando adsunt opiniones probabiles circa iurisdictionem Sacerdotis ad confessiones audiendas potest Sacramentum ministrari secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori:secus autem si opiniones versarentur circa materiam,& formam Sacramẽti,nam tunc tutior opinio est sequenda, & in hoc casu loquuntur Doctores, quos citat Peregrinus. Et ratio nostræ sententiæ est, quia probabilis opinio confert Sacerdoti iurisdictionem,& sic nulli periculo pœnitens exponitur. Vnde cessat ratio Peregrini.Adde quod semper pœnitens se accusat de aliquo veniali, & cum simplex Sacerdos super venialia iurisdictionem habeat absoluens propter opinionẽ probabilem semper gratiam causabit,& sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria. Et ita hanc nostram sententiam tenet Granado in 1.2.D.Tho.contro.2.tr.12. disput.4. sect.4. nu.38. Suarez to.4.disp.26.sect.6.n.7.& 8.Martinez in 1.2. D. Tho.to.1.q.19. art.6.dub.6. concl.7. Malderus in 1.2.D.Tho.q.19.art.5.disp.86.Salas de legib.disput.12.sect.6 n.24. Vasquez in 1.2.t.2.disp.156.n.27. Henriq. lib.2.de.pœnit. c.4.n.3.&4.Sanchez de matr.1.tom.3.disp.3.disp.22.n.65 & alij Quidquid in contrarium asserat Nugnus in 3.par.tom.2.q.8.ar. 5.dub.3.

Vnde non grauabor hic apponere verba Henrici Villalobos in sum.to.1.tr.1. diff.13.num.5.sic asserentis.[Hase de aduertir aqui grandemẽte, que si de hecho de verdad falta la materia,ò forma del Sacramento, aunque aya opinion, que diga, que lo es, la que se pone,no se haze Sacramento, ò aunque todos los Doctores dixessen lo contrario, porque las materias. y formas de los Sacramentos sõ de derecho diuino, y no se pueden supplir por derecho humano,ni por opinion de Doctores, mas quando ay diuersas opiniones en cosa, que toca à iurisdicion.v g.como si se duda,si vn Clerigo puede assistir validamẽte al Sacramento del matrimonio, ò no,ò en el Sacramẽto de la penitencia se duda,si fue legitima la licencia que se dio à tal Sacerdote,o si el priuilegio de la Bulla esta reuocado en todos los casos dichos, o otros semeiantes, que tocã à iurisdicion aunque de verdad la opinion,que dize,que no es legitimo ministro,sea verdadera delante de Dios con todo esso mientras la tal verdad esta escondida y ay probable opinion de lo contrario. lo que al ministro en estos casos haze,es valido por razon del comun error, y el titulo presumpto, que tiene del legitimo Superior, y el defetto de la tal iurisdicion,ò licencia le puede suplir, y suple el derecho humano.] Ita Villalob.& ante illum, præter Doctores citatos, Lessius lib.2.cap.29.dub.8.num.68.sic asserens.Non solum error communis, sed etiam probabilior Doctorum opinio efficit, vt Ecclesia det iurisdictionem,etiam si opinio illa sit falsa. Vt si probabile sit, talẽ posse absoluere à reseruatis, vel censuris,vel assistere matrimonio, excommunicare, eligere Cõfessorem, priuilegium non esse reuocatum,& similia,& ille ex hac opinione operetur, validum erit Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit. Sic Lessius. Ad vsum verò vniuersalem Ecclesiæ quẽ Peregrinus adducit, nescio quomodo possit illum probare,imò cõtrarium apparet ex communi DD.sententia,vt supra visum est & confessarij passim absoluunt cum opinione probabili, etiam in casu, in quo agitur de eorum iurisdictione.

Notandum est etiã hic obiter ex dictis, posse Pręposítos nostræ Religionis dare licentiã, vt Sacerdotes simplices audiant aliquando cõfessiones fratrum, quidquid in cõtrarium videatur sentire Peregrinus in comp. Priuileg. verb.absolutio quoad fratres.§.2.in scolio, & ita aduersus dictum Peregrinum docet Leo.in tr.de offic.& potest.Confess.tom.2. recollect. 6.nu.97.

An Confessarius sæcularis possit absoluere Nouitios Regulares etiam a peccatis in religione reseruatis

RESOL. IV.

NEgatiuam sententiam tenet Peregrinus in Comment. ad nostras Constitut par.2. cap.5.lit.K vbi sic asserit. Aduerti debet, quod Nouitiorum cõfessiones audiendi cura soli Magistro Nouitiorum committi debet,semel tamen vel bis in anno, id etiam licebit Superiori, vel cui ille commiserit, vt patet ex Decreto Clem. VIII. in illis verbis.Quilibet Nouitius, &c.& ex hoc Decreto apparet manifestè, quod nullus alius pręter nominatos in dicto Decreto habet facultatem audiendi confessionẽ Nouitiorum, & si alij de facto audiant,& absoluant,confessio erit nulla ex defectu,potestatis confessarij.Ita ille, qui nullum authorem pro hac sententia adducit,sed poterat, nã illam tenet etiam ex nostris Megala in 1.p.lib.1.c.8.nu.20.&Vechius in praxi Nouitiorum disp.10.dub.3. nu.3. Tamburinus de iure Abbatum,to.2.disp.6.q.6.nu.11. & alij.

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam tuetur ex nostris Molfesius in sum.to.1.tr.7 c.14.num.81 Ortiz in sum.c. 5.n.11.Homob.in exam.Eccl.p.1.tract.5.cap.2. q.13.D.Rodriq.in qq.Regular.to.1.q.27.ar.11.Portel in dubijs Regul verb Nouinj absolutio num.36. Petrus Fay in addit. ad 3.p.q.Tho.q. 8.art.5. disp.6. Villalobos in summ.tom.1.tract 9. diff.56.num.6. Miranda in manuali Prælatorum to. 2.quæst.34 art. 16.in fine. Riccius in praxi tom.4.resolut.241.num.3.vbi asserit opinionem Peregrini esse contra communen,& alij. Ratio est,quia Nouitij ante professionem sunt in hoc ad instar sæcularium, & ideò si confiteantur cum approbato ab Ordinario, valida erit confessio, nullibi enim videtur expressum contrarium, & ideò casus reseruatio Superiorum Monasterij illos non comprehendit vt notarunt Portel, Fay, Villalobos, & Miranda vbi supra,quibus adde Azorium tom.1.lib.12.cap 2.q.10 Vegham in summ.to.2. cap.50.cas.6. Bellochium de cas.reseru. p.1.q.2. nu. 109. Vgolinum de potest. Episcopi,par.2.c.35.§.1. num.5. Coriolanum de cas.reseru.p. 1.sect.3.artic.18. num.3.& 4.Floronũ de. cas.reseru.p.1.c.3.nn.7. Naldum.in summ. versic. Nouitius.nu.7.Emanuelem Sà. vers.casus, num.8.Graffium in Appen.lib.1.c.7. num. 69.Homob.de cas reseru.p.1.cap.32.Io. de la Cruz de statu relig.lib.1.c.6.dub.10.qui citat. Ledesmam. Quidquid in contrarium asserat nouissimè Layman in Theol. mor.lib.4.tr.5.cap.6.nu.4.Corduba in qq. lib.1. quæst.3. Rodriquez in Bulla Cruc.§.9.num 26.Vecchius in praxi Nouitiorum disp.9.nu.2.& alij.

Dicendũ est igitur confessionem Nouitiorum, etiam à peccatis reseruatis suis superioribus,factam coram quocunque cõfessario sæculari, vel regulari, ab Episcopo tamen approbato, validam.& firmam, esse.Nec obstat huic sententiæ.Decretum Clem. VIII.quod affert Peregrinus pro sua firmanda opinione; nam respondeo cum Molfesio vbi supra num. 83. & Alphonso de Leone in tract.de offic. & potest. confess. tom. 2. recollect. 11. num. 151. & 152. & alijs. Decretum illud non esse latum à Pontifice per modum præcepti, irritantis confessionem aliter factam, sed per modum regulæ, & consilij. Vide etiam circa præsentem quæstionem Henri. lib.6.c. 16.num. 3. in Glos.lit X. & lib.7.c.22.n.7.in Glossa lit.X. & V.

Notandum est tamen,quod nos loquuti sumus de validitate confessionis, nam de cætero existimo, quod talis Nouitius deberet expelli à Religione.Ita Molfesius,Coriolanus,& Rodriquez vbi supra.

An Confessarij designati à Superiore ad excipiendas fratrum confessiones, possint confiteri Clericos professos stantes sub cura Magistri

RESOL. V.

NEgatiuè respondet Peregrinus in comment. ad nostras cōstitut. pat. 1. cap. 9. lit. C. §. 6. quod probat ex Decreto Clemen. VIII quod licet loquatur de Nouitijs formalibus, tamen paulò post in dicto Decreto, quod incipit, Vt autem Nouitij cum sequenti Decreto loquente de nouellis professis, ordinat, vt maneant in secundo nouitiatu distincto à professis antiquis, & vt instruantur cum maiori restrictione aliorum Professorum & vt in negotijs monasterij, & communibus tractatibus, & obedientijs exterioribus, ne se immisceant. Vnde colligitur, quod quamuis professionem emiserint dicti iuuenes, adhuc vult Sum. Pontifex, vt permaneat in nouitiatu, & vt viuant sub regulis Nouitiorum, & quod non se immisceant cum alijs Professis, quod fieri non posset, si in eorum libertate esset confiteri cui voluerint ex confessarijs Monasterij. Ita Peregrinus, nulla DD. authoritate fretus Non reticeam tamen hanc sententiam ante illum docuisse Portel in Dubijs Regul. ver. Nouitij absolutio, num. 36. vbi sic ait. De professis verò, qui non sunt Sacerdotes, sed viuunt sub cura Magistri Nouitiorum, credo quod non possunt validè confiteri alteri extra suum Magistrum, vel extra illum, assignato à Prælato; quia pro illorum confessionibus solus Magister, vel ille assignatus deputatur vt Parochus, & proinde non potest ille alterum eligere, Ita ille.

His tamen non obstantibus affirmatiua sententia magis mihi placet, quam probabilem putat ipsemet Peregrinus vbi supra, nam contrariam opinionem, quam ipse tenet, vocat tantum probabiliorem. Ratio est, quia in nostris constitutonibus approbatis à Clemente VIII. in p. 1. c. 9. sic habetur. Confitebitur autem quisque nostrum suo Præposito, aut cui volet ex Confessariis, quos Præpositus deputauerit. Et in Decretis capituli generalis p. 1. c 6. nu. 7. sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domus fuerint designati nō obstante quocunque priuilegio, &c. Quæ verba absolutè loquuntur, nec distinguunt inter Professos manentes sub cura Magistri, & alios. Vnde vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt patet ex leg. de pretio, ff. de public. & ibi Glossa. Deinde Clem. XIII in decreto publicato anno 1593. die 26. mensis Maii ordinat Superioribus Regularium, vt deputent Confessarios pro subditorum numero, &c. Ratio autem, quare Pontifex vult vt in Monasteriis plures Confessarii constituantur, videlicet ne Religiosi propter verecundiam sacrilegas confessiones efficiant: magis potest militare cum dictis Clericis professis, quam cum alijs: ergo cū Pontifex absolutè loquatur in illis verbis (pro subditorum numero) nō sunt restringenda ad subditos antiquos, excludendo iuuenes professos.

Ad aliud verò Decretum Clemen. VIII. quod pro se adducit Peregrinus, respondeo quod non facit ad rem, non solùm quia loquitur de Nouitiis formalibus, & non professis. sed etiam quia vt supra dictum est cum Molfesio in sum. tom. 1. tr. 7. ca. 14 num. 83. & aliis, Pontifex ibi loquitur nō per modum præcepti irritando confessiones aliter factas, sed per modum regulæ, & consilii, quod etiam notat P. Alphonsus de Leone in tr. de offic. & potest. confess. 10. 2 recollect. 11. n. 151. & 152. in terminis casus nostri contra Peregrinum.

Post hæc scripta inueni P. Suarez de relig. to. 4. lib. 2. c. 15. nu. 7. nouum sensū adducere super verba Clem. VIII. quæ nos supra in fauorem nostræ sententiæ adduximus: verba autē Pontificis sunt hæc. Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut plures, cōfessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit Ita Pontifex. Cuius verba, ait Suarez, dubia sunt, nam duplex potest esse sensus. Vnus est vt duo, vel plures Confessarii indifferenter pro omnibus Religiosis talis domus designentur, ita vt liberum sit cuique Religioso, cui voluerit eorum confiteri Alius est vt designentur quidem Plures, qui inter se habeant diuisum onus audiendi cōfessiones omnium, ita tamen, vt vnicuique definita pars, & certæ personæ designatæ sint, neque possint, qui vni commissi sunt, alteri confiteri. Ita Suarez, qui putat hunc vltimum seosum esse veriorem, & posse illum Superiores Religionum eligere, & practicare. Qui docet etiam, non esse mentem Pontificis, vt hi confessores debeant ad minimum esse duo etiam in paruo conuentu: quæ omnia si vera essent, satis firmarent opinionem Peregrini, & aliorum, quam supra refutauimus.

Sed hanc sententiam Suarez nullo modo admittendam esse sentio. Ratio est, quia clarè apparet in illis verbis in principio Decreti positis (Nonnullos infirmiores interdum Superiori suo cōscientiæ maculas detegere formidantes, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem) in istis inquam verbis clarè patet Pontificem per illud Decretum prouidere voluisse, quomodo Religiosorū cōfessiones liberius fiant, ita vt propter verecundiam sacrilegia non committant. Sed si explicatio illorum verborum quā adducit Suarez, esset vera, in isto periculo, & in eadem difficultate versaremur: nam subditis cum vno Cōfessario necessarium esset semper confiteri. Ergo dicta explicatio, tanquam parum consonans litteræ, & menti Pontificis, non est admittenda. Vnde veram expositionem huius Decreti esse nostram, & nō illam quam affert Suarez, patet ex communi vsu, & consuetudine omnium Religionum, in quibus post dictum Decretum Clem. VIII. Superiores in suis domibus plures Confessarios constituunt, à quibus indiscriminatim subditi possint absolui, & de facto absoluuntur.

Dices, quod melius esset, & ad spiritualem profectum valdè conduceret, non mutare Confessarium. Fateor hoc equidem, sed in nostro casu non agimus de maiori in vita spirituali profectu, sed de medicina languenti animæ tradenda, cui Clementiss. Pontifex indulgere iudicauit, vt patet in illis verbis textus, nonnullos infirmiores, &c. quos supra attulimus.

An vocales nostræ Religionis possint licitè abesse à capitulis, & quid de Cardinalibus, Senatoribus, Consiliarijs, & Decurionibus ciuitatum.

RESOL. VI.

QVoad Senatores, Cardinales, &c. negatiuè respondet Paleottus de Sacro Const. p. 5. q. 8. & 15. Garsias de benef. tom. 1 pat. 3. cap. 2. nu. 525. in fin. Io. de Maderiaga de Senatu. c. 28. §. 1. Azeuedus in addit. ad Curiam Pisanam l. 2. c. 8. & Pet. de Ala. tract. de Decur. q. 43. vbi sic asserit. Non excusantur quod multi alij conuenerint, quia quod lex ciuilis, vel municipalis certo nonnunquam numero consiliariorum contenta sit, nō ad eum seosum detorqueri debet, vt arbitratu suo sine iusta causa possint Decuriones à consilio abstinere, præsertim quia quod legitimus numerus conuenerit, bono potius euentui, quā præuisæ rationi adscribendum est, quantum enim fuit in istis Decurionibus res communes Ciuitatis non fuissent consultatæ. Sufficit ergo maior pars illorum, qui conuenerunt ex lege. Quod maior, ff. ad municipal. sed quod non omnes conuenire debeant, hoc lex non dicit, imò causam iustam requirit. Ita Ala.

Sed difficultas est quoad vocales nostræ Religionis, nam Peregrinus in Comment. ad nostras Constitut. part. 3. cap. 9. lit. T. §. 21. num. 6. tam negatiuam, quam affirmatiuam sententiam probabilem putat, & pro negatiua adducit has rationes. Primò quia vnusquisque potest renuntiare fauori suo. Secundò, quia non peccat contra iustitiam, non enim tenetur ex officio, neque contra charitatem, quia alij ad capitulum accedunt, & possunt supplere, ergo, &c. Partem verò affirmatiuam probat, quia dicti vocales non interueniēdo capitulis, deficiunt in suo officio, ad quod de iure tenentur, ita vt si continuatè ter absint, forsitanan peccarent mortaliter. quia per trinum actum inducitur consuetudo. Hæc Peregrinus vbi supra.

Sed vt verum fatear, mihi affirmatiua sententia magis placet, & ideò assero vocales nostræ Religionis non posse pro suo libito abesse à capitulo domus, quod clarè probatur. Nā quando capitulum generale vigore nostrarum constitutionū adscribit in vocalium numero personas dignissimas, non tam intendit præbere illis quamdam dignitatem, & præeminentiā, quam imponere onus, & præbere illis munus, vt cū Præpositis cuiusque domus, vbi pro tempore manserint, negotia grauia, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad commune bonū illius domus, & Religionis, non solùm consultiuè, sed etiam decisiuè per-

postea descenderint, statuant, & determinent, vt habetur in nostris constitutionibus, & Decretis. Vnde gubernatio nostræ Religionis magis accedit ad regimen Aristocraticum, quam Monarchicum. Ex quibus aperiè apparet vocales teneri ex officio ad efficiendum omnia, quæ supra dicta sunt, nam præcipuum munus eorum est capitulis assistere. Vnde idem Peregrinus par.3.cap.9.lit.... §.13. asserit, quod vocalatus est officium, & vnusquisque tenetur suum officium exercere: ergo, &c. Nec valat dicere, quod Armilla verb. electio, nume.20. Gutierrez in qq. can. lib. 2. cap.11. num.187. & alij communiter docent, quod electores, & canonici possunt renunciare voci suæ, & iuri suo, & sic aliquando faciant nostri vocales: ergo signum est non teneri ad præbendum votum ax officio. Nam respondeo doctrinam istam esse veram, sed non procedere ordinariè, sed in vno, vel altero actu electionis, dummodo auctoritas prouidendi maneat apud eos, qui zelo non carent, & ita docet Garzias de benef. tom.1. p. 2. c.2. n.533. & seq.

Restat modo respondere ad argumenta, quæ pro contraria sententia adducebat Peregrinus. Ideò ad primum dico, verum esse, quod quilib et potest renũciare fauori, & iuri suo, vt habetur in cap. ex conscien. de sortilegijs, & notant DD. quos affert Barbosa in collect. tom.2. lib.5. tit. 20. cap.9. num.4. attamen hęc non procedunt, vt obseruat Sanchez in sum. tom.1. lib.4. ca. 39. num.29. & latè Nouarius in qq. forensibus p.1. qu.66. num.2. & seq. quando illud ius, & fauor, etiam est introductum in ordinem & fauorem aliorum, vt patet ex leg. si quis in conscribendo, Cod de pactis & ideò asserit Suarez de leg. lib.8. c.33. num. 2. Tamburinus de iure abbatum tom. 1. disp.15. q.12. numer.3. non posse aliquem renuntiare priuilegio sibi concesso, quod continet atiam ius alterius, cui per talem renunciationem prę-iudicatur. Sed totum hoc accidit in casu nostro, nam ius cui cederent vocales interueniendi capitulis, vergeret in damnum Religionis, pro cuius seruitio, & gubernatione, vt probatum est, vocales effecti sunt: ergo non possunt dicto iuri, & fauori eorum cedere, quia continet ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Vnde ex his docuit Sigismũdus à Bononia de elect. p.1. c.2. dub.25. num.7. & Lanorius in varijs elucubr. tit. 4. c.14. n. 87. quod fratres in electione discreti vocalis possunt renunciare huic iuri, & fauori, dummodo tali renunciatio non redundet in præiudicium religiõnis, sed hoc accidit in casu de quo loquuntur; ergo, &c.

Ad secundum dico, quod vt dictum est, hoc munus pertinet ex officio ad vocales, ad illud verò, quod alij in capitulo assistent, patet responsio ex Petro de Ala vbi supra, cui adde Garziam de benef. tom. 1. p. 3. cap.2. num.530. Dico igitur, quod licet onus, de quo loquimur, incumbat vocalibus capitularibus, non vt singulis, sed vt vniuersis, idest vt pertinent ad vniuersitatem capituli, & sunt pars illius, attamen vt parti capituli manet vnicuique prædicta obligatio. Aliàs si quilibet in particulari non teneretur assistere capitulis, sed posset abesse, alij etiam posset id facere, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterij, & Religionis. Vnde Cardinalis Palaottus de Sacro consist. par. 4. q. 13. sic asserit. Vnumquemque, qui munus suscipit, debere cogitare an illi satisfaciat, nõ autem de alijs, quid sunt acturi, quid enim si reliqui idem facarent, & commune bonũ ab omnibus destitutum inueniretur? Non est igitur excusandus consiliarius, qui consilium non præbet, eo quod cæteri illud administrare possunt. Sic ille.

His tamen minimè obstantibus, non assentior peregrino, licet cum formidine loquatur, asserenti, quod vocales nostri si per tres vices absint continuatè à capitulo, forsitan peccent mortaliter, quia ait ille, consuetudo introducitur per trinum actum. Sed hæc ratio mihi non placet, & illam refellunt Villalobos in sum. tom.1. tr.2. diffic.38. nu.1. Suar. de leg. lib.7. c. 10. n. 2. & alij communiter, ideò per quot vices peccent mortaliter vocales se ipsos à capitulo sine causa absentando, arbitrio boni viri remittendum esse puto.

Quæres, an vocalis si se absentet à Capitulo, quãdo licet tractanda sit res magni momenti, ipse tamen certissimè scit concludẽdum esse, nec posse cum suo voto aliquid mutare, nisi illud dicendo, inquietudinem, periculum notabilis damni, rixas, & notam singularitatis, & proteruiæ acquirere: an inquam in tali casu se absentando peccet mortaliter. Respondeo negatiuè, per ea, quæ adducit Petrus de Ledesma in sum. to 2. tract.7. c. 2. concl.24. Garzias de beneficijs tom.1. part.3. c. 2. num.357. lo. Valerius in differ. vtr. fori. ver. suffragium, diff.2. in fine. Et ratio est, quia durum esset obligare aliquem ad assistendum capitulo cũ tanto incommodo, quando vt suppositum est, nihil votum suum potest efficere: licet contrariam sententiam possit quis sustinere per ea, quæ adducit Paleottus de Sacro consist. p.2. q. 6. & seq. cum nostro Molfesio in sum. to.1. tract.6. c.7. num.93. quia ratione officii tenẽtur singuli de capitulo aperire veritatem, & procurare, quod ab aliis percipiatur, etiamsi contradictio nihil profutura esset, & damnum, quod timetur, est cótingens, & potest non euenire, & si eueniet, potius illud debent sustinera, & ex parte sua procurare, vt euitetur peccatum. Sed prima sententia tuto potest amplecti. Verùm dicendum est omninò, quod si vocalis rem iniustam concludendam ab aliis, possit cum suo voto impedire, tunc enim si se absentaret à capitulo propter humanos timores, & respectus, mortale peccatum committeret, & ita docet Armilla verb. cons. num.3. Tabiena ver. electio, num.3. Castellinus tr. de elect. in append. ad c.5. n. 1. & alii DD. communiter. Vidde etiam Riccium p.3. decis.276 n.5. Rebellium p.1. lib.3. q.7. n.9. & 10. Grassium dec. p.1. lib.2. c.127. n.18. & Syluestrum. v. conf. q.3. in fine.

An Prælati nostræ Religionis, & aliarum, quæ priuilegiorum communicatione gaudent possint concedere Dimissorias Nouitijs, vt ab Episcopo ordinentur?

RESOL. VII.

NEgatiuè respondet Peregrinus in Comm. Constitut. nostræ Relig. par.1. capit.4. littera A. §.1. & sic ait ille, si aliquis ex nostris Præpositis concederet Dimissorias Nouitio ad recipiendam primam tonsuram, incurreret suspensionem ab officio, & beneficio, lata in Concil. Trident. sess.23. cap.10. Ita Peregrinus.

Sed aduersus illum prorsus affirmatiuã sententiã sustinendam esse puto. Nam vt obseruat Bartholomæus de Vecchis in Praxi Nouitiorum disp.11. dub.8. nu.3. Ascanius Tamburinus de Iure Abb. tom. 1. disp.2. q.27. nu. 2. Io. Baptista Tiber. in Instruct. pro ordinan. cap.7. qu.50. & Sanchez in sum. tom.2. lib.6. c.10. num.22. in fine. Si in aliqua Religione adest priuilegium mittẽdi Professos cum litteris Dimissorialibus ad quoscumque Episcopos, causa sacros ordines suscipiendi, integrum est Superioribus dictæ Religionis conferre etiam Nouitijs hanc licentiam, & litteras dimissorias præbere. Sed in nostra Religione adest supradictum priuilegium. Ergo, &c. Minorem propositionem huius argumenti, ex qua labefactatur opinio Peregrini, probo euidenter ex ipsomet Peregrino in Compen. nostrorum priuileg. p.2 tit. ordines. §.1. vbi sic ait. Per facultatem concessam Cõgregationi S. Benedicti Vallisoleti à Clem. VIII. ann. 1590 dia 2. Augusti, Pontificatus sui ann. 5. possunt nostri cum litteris dimissoriis Superiorum suorum à quibuscunque locorũ ordinariis ad omnes, etiam Presbyteratus ordines promoueri, absque Episcopi diœcesani licẽtia, seu litteris commendatitiis. Ita Peregrinus.

Cum igitur secundùm Peregrinum Superiores nostræ Religionis possint, cõcedere Professis litteras dimissoriales poterunt etiam illas Nouitijs conferre, vt docẽt Vecchius, Tamburinus, Tiberius, & Sanchez vbi supr. quia Nouitii gaudent priuilegiis Religionis circa professos concessis. Et ita hanc sententiam prętet DD. citatos, tenet etiam Suarez de Relig. to 3. lib.5. c.16. nu.17. qui etiam addit ad tollendas omnes difficultates, Superiores religionis Societatis Iesu habere hoc priuilegium, nempe concedendi litteras dimissorias Professis, etiam cum ampliatione illud communicandi Nouitiis. Vnde addit Suarez, quod hoc priuilegio vti poterunt aliarum Religionum Prælati erga suos Nouitios, si cum. dicta Societate Iesu in priuilegiis cõmunicant. Sed nostra Religio gaudet æquè principaliter priuilegijs, concessis Societati Iesu, vt docet ipsemet Peregrinus. Ergo cõstanter aduersus illum dicẽdum est posse Superiores nostræ Religiõnis concedere litteras dimissorias Nouitijs, & illas concedendo non incurrere in suspensionem latam in Conc. Trid. vbi supra, vt ipse perperam volebat.

Nec aduersus supradicta facit Naldus in sum ver. Nouitius num.8. Vgolinus de potestat. Episcop. c.26. §. 20. num. 7. Henriquez lib.10. c.13. num.3. & lib.14. c.9. num. 2. cum alijs asserentibus litteras dimissorias esse cõcedendas Nouitijs ab Episcopo

nam

nam loquitur de iure communi, non autem, vt notant citati DD. in casu priuilegij, concedentis Superioribus Religionum posse dictas litteras suis subditis cōcedere & maximè quando priuilegium extendit hoc etiam ad Nouitios, quę omnia adesse in casu nostro, satis, supra probatum est. Ergo, &c.

An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesijs diebus festiuis sit peccatum mortale, vbi multa de vi consuetudinis?

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Peregrinus in comm. ad nostras Const. p. 1. c. 1. lit. E. vbi sic ait In. Ecclesijs nostris, in quibus solet, & potest solēniter Missa cani, si id omitteretur ex aliqua iusta causa, non peccaret Superior, neque alij. Si verò ex negligentia Superior, vel qui causa principalis esset huius omissionis, mortaliter peccaret, non solùm ratione scandali, si scandalum oriretur apud sęculares, sed etiam secluso scandalo, quia cum ista consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesię, eius transgressio ex negligētia est peccatum mortale, cum sit materia grauis. Ita ille.

Sed hęc opinio mihi non placet, quia nō omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed illa, quæ inducta est cum tali intentione per modum obligationis, & præcepti. vt notat Suarez de leg. lib. 7. cap. 14. num. 6. Azorius p. 1. lib. 5. c. 18. qu. 5. Rebellius p. 1. lib. 1. q. 5. num. 17. Reginald. to. 1. lib. 13. c. 23. nu. 244. Fillitucius tom. 2. tr. 27. c. 3. num. 49. Becanus in p. 2. tr. 3. c. 8. qu. 1. num. 4. Vasquez in p. 2. disp. 177. c. 2. in fine. Layman in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 24. nu. 2. Fagundez p. 4. lib. 1. c. 2. nu. 14. Granado in p. 2. D. Thom. contr. 7. tr. 3. p. 2. disp. 16 sect. 2. num. 13. Villalob. in sum to. 1. tr. 13. diff. 2. num. 7. & ideò benè asseruit Glos. in c. frustra, disp. 8. ad consuetudinē necessarium esse, vt eo animo, & intentione seruetur, vt ius in posterum fiat. Ratio est clara, quia primò actus agentium non transgrediuntur intentionem eorum. Secundò, de ratione legis est, vt fiat intentione obligandi. Tertiò, quia nemo se obligat sine intentione, vt in voto, & professione constat.

Hoc supposito, sic argumentor. Consuetudo, quam affert Peregrinus oritur ex nostra Regula: nam ideò cantamus Missam solemnem in diebus festiuis, quia Cōstitutiones p. 1. c. 1. asserūt, quod Missa solemnis diebus festiuis celebretur. Sed nostræ Cōstitutiones, vt patet, non obligant ad peccatum mortale. Ergo necessario sequitur, quod neque consuetudines ex illis ortæ ad illam obligabunt, cum accessorium sequatur naturā principalis, vt tradit lex. Cum principalis, & lex, nihil dolo, ff. de regul. iur. & notant communiter DD. quos ad satietatē adducit Barbosa in Collect. to. 3. lib. 5. sexti Decr. Regul. 42. n. 1. & Menoch. vol. 1. conf. 58. num. 13. Deinde dictam consuetudinem nō fuisse introductam cum intentione obligandi, vltra supradictum argumentum, patet ex sensu communi omnium Patrum nostræ Religionis, qui in Capitulis Generalibus tam difficulter, etiam in casibus magni momenti, noluerunt imponere præcepta obligantia sub mortali, conformando in hoc seipsos nostris Constitutionibus, quæ ad culpā noluerunt obligare, & ideò tandem in Capitulo celebrato anno 1622. fuerunt abrogata omnia præcepta imposita sub mortali in alijs præteritis Capitulis. Et reuera in casu de quo loquimur, quis potest cogitare, cum Regula nos non obliget sub onere peccati mortalis canendi Missam, quod nostri hoc onus ipsis, & nobis voluntariè, & sub hac intentione imponere voluerint, quod factum minimè esse ex hoc apparet, quia nemo ante Peregrinum ex nostris Patribus senioribus dixit vnquam, hanc consuetudinem introductam esse cum intentione obligandi ad mortale. Quod si hoc esset, ipsi necessario deberent scire, & si scirent, vtique dixissent.

His omnibus addendum est, quod quando adest dubium, an consuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi, non obligat, vt docet Suar. de leg. lib. 7. c. 15. nu. 13. licet contrarium turius esse asserant, Reginald. in praxi to. 1. lib. 13. c. 23. nu. 224. & Azor. p. 1. lib. 5. c. 18. quæs. 5. quia in dubio nemo præsumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta vbi mortaliter certa non sunt: ergo cum in nostro casu saltem dubij simus, an dicta consuetudo canendi Missam fuerit à nostris Patribus introducta cum intentione obligandi, illam non obligare, dicendum omninò est.

Confirmantur omnia supradicta ex his, quæ adducit Gauantus in comment. ad rubr. missalis, to. 1. p. 3. tit. 11. n. 4. vbi sic ait: Collegiatæ regulares (quæ tamen minus collegiatæ dicuntur) tenentur ad Missam in choro ex vi regulæ tantùm, & consuetudinis interpretantis Regulam. Ita ille. Sed Regula nostra, & consuetudo, ut supra ostensum est, non obligant nos sub onere peccati mortalis dicere Missam in choro, ergo illam omittere minimè cul pa lethalis erit. Nec ualet dicere cum Peregrino quod talis consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesiæ, nam hoc concedendo nō inde sequitur nec deduci potest, quod nostra cōsuetudo obliget ad mortale.

Verùm his non obstantibus, si nostri Superiores Missam non canerent, sine iusta causa, essent seuerè puniendi, & si adesset scandalum, peccarent mortaliter, alioqui minimè.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum, possint commutare vel dispensare vota extra confessionem.

RESOL. IX.

Negatiuè respondet Peregrinus in scholis ad nostra priuilegia, tit. commutatio, §. 3. vbi sic asserit. Aduertendum est, quod cùm nostri confessores habent facultatem commutandi, & dispensandi in illis, virtute priuilegiorum non debent, nec possunt hoc facere nisi in Sacramento Pœnitentiæ. Similiter & illi, qui virtute alicuius Bullæ commutant, & dispensant. Ita ille, qui citat Cordubam, & Sorbum.

Sed quia non sunt à nobis restringenda, sed potius amplianda nostra priuilegia, ideò contrariā sententiam aduersus Peregrinum teneo, & ita tenent Tamburinus de iure Abbatum, to. 2. dis. 19. q. 2. num. 5. Henriqu. lib. 7. de indulg. c. 31. num. 7. Sanctius in selectis disp. 15 nu. 2 Layman in theolog. mor. lib. 4. tr. 6. cap. 16. num. 21. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 16. & Villalobos in sum. tom. 2. tr. 34. diff. 29. num. 7. vbi sic asserit. [Se aduierta que pueden vsar los Confessores de las Religiones destos Priuilegios de comutar, y dispēsar los votos fuera de la cōfession, segun la mas probable opinion, y verdadera, que aunque en la concession de Paulo III. que queda referida se dize (confessionibus diligenter auditis) no se ha da referir esta clausula ala comutacion de los votos sino ala absolucion de los peccados, aunque algunos tienen el contrario, y assi se pueden cōmutar fuera de la cōfession: la razon es, porque aunque la clausula, que se pone en vna disposicion al principio, medio, ò fin della s'intienda, que se refiera à todo lo continido en la clausula conforme al texto in c. 2. requiritis, de appellat. mas hase de entender esso, quando corre la misma razon en todo ello, como dizen Menochio, y Decio con otros, loqual no acontece aqui que corre muy differente razon en la absolucion de los peccados, y la comutacion de los votos, que la absolucion de los peccados, forzosamente pide confession sacramental, y la comutacion de los votos no la ha de menester, y assi no es visto, que quiso limitar el Pontifice esta facultad.] Sic Villalobos, & alij.

Est igitur supradicta opinio probabilissima, & tuta in praxi. Notandum est tamen hic obiter cum Sanchez vbi sup. in sum. tom. 1. lib. 4. c. 53. n. 17. & Henriquez penes ipsum, non oportere, vt cōmutans vota virtute nostrorum priuilegiorum sit confessarius vouentis, quia priuilegia solùm petunt confessarium ex approbatis ab Ordinario. Et idem contra Rodriquez in addit. ab Bull. Cruz. §. 9. num. 120. dicendum esse putat Villalobos loc. cit. nu 6. Si Regulares non commutent, sed dispensent vota, sic enim. [Mas probable me parece, que esta facultad se entienda dispensar los votos de los que vienen de otras partes, de suerte que pueden dispēsar los votos de todos à quellos, cuyas confessiones pueden oyr.] Quod verò dictum est de Regularibus virtute priuilegiorum, dicendum est etiam, de Bulla Cruciatæ, & Iubilæo. Nam confessarii, qui per Bullam vel Iubilæum commutant vota: possunt id efficere extra Sacramentum confessionis, vt ego alibi satis firmaui & docui.

An priuilegia Mendicantium reuocentur per Bullam Cœnę Domini.

RESOL. X.

Respondet affirmatiuè Peregr in scholijs ad nostra priuilegia, par. 2. tit. Bulla Cœnæ, §. 1. Ratio potest esse, quia in publi-

publicatione dictæ Bullæ, quæ fit singulis annis, derogatur expressè mendicantium priuilegijs. Quod si dicas, non esse verisimile, quod Pontifices, qui dicta priuilegia concesserunt, ea voluerint statim reuocare; nam sic visi essent, vel voluisse illudere, vel decipere. Respondetur, quod dicta priuilegia valuerunt tantùm durante vita dictorum Pontificum, qui præsumendi sunt in publicatione dictæ Bullæ semper voluisse excipere eos, quibus priuilegia concesserant.

At his non obstantibus Sousa in Bulla Cœnæ, c. 25. disp. 10. n. 7. concl. 3. Peirinus in priuil. Minimorum, to. 1. const. 4 Sixti IV. §. 5. num. 10. & seq. Villob. in summ. tom. 1. tr. 9. diff. 61. numer. 5. Bullam Cœnæ tenent non reuocare Regularium priuilegia, quia vt alibi dictum est in clausula Bullæ Cœnæ, non prohibentur absoluere absolutè ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu, vnde asserit Villalobos vbi supra. [A las palabras de la Bulla se responde, que aqui no se reuocã los priuilegios, si no ab soluer eorum pretextu, y por esso no se escluye lo que se haze con legitima facultad, porque la palabra (*prætexus*) es velamen, quo moueri se quis ad aliquid agendum simular, como dize Sousa, y declarando Gonzalez in Reg. 8. Cancellar. Glos. 57. n. 2. esta palabra dize.] Dictio sub prætextu, idem significat, quod sub velamine, vel colore alicuius rei, quæ nõ est, vel iam desinit esse, seu falsa est. [Lo qual se prueua, por el derecho in leg. sub prætextu 1. & 2. Cod. de transact. de manera que solo es color para hazer vno lo que quiere, y assi no comprehẽde esto, y que da libre el priuilegio de los Religiosos.] Vnde ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico enim, vt supradictum est, Bullam Cœnæ non prohibere absolutè priuilegia Mendicantium, sed absolutionem eorum prætextu: prætextus autem non excludit illud, quod efficitur legitima facultate interueniente sed illud quod sub aliquo velamine exercetur. Sed hoc non accidit in casu nostro, ergo, &c.

Sed post hæc scripta inueni hanc sententiam, præter citatos DD. docere etiam Laurentium de Portel. in Addit. ad dub. regul. ver. Abbas, num. 10. vbi præter rationes adductas hanc addit. Quia Bulla Cœnæ, non obstante sua rigorosa reuocatione non tollit, quo minus valeant priuilegia Bullæ Cruciatæ ad absoluendum à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis illis, quæ exprimuntur in Bulla Cruciatæ. Ergo cum priuilegia concessa Religiosis non sint minoris valoris, quam priuilegia Cruciatæ, cum Cruciata non tollat priuilegia Religiosorum, iuxta communem sententiam, sequitur priuilegia Religiosorum in foro conscientiæ non tolli per reuocationem generalem Bullæ Cœnæ quoad casus in illa contentos, si sint occulti, excepta hæresi, & proinde poterunt absoluere subditos ab illis, si sint occulti excepta hæresi. Ita Portel. Vide etiam circa præsentem quæstionem Suarez de Religione tomo 4. tract. 1. lib. 2. cap. 21. Sed prima opinio est omninò tenenda, tenent ex nostris viri doctissimi, & amicissimi, P. D. Thom. de Afflicto, & P. D. Zacharias Pasqualigus, quibus adde Zanardum in direct. Theol. par. 1. de Sacr. pœn. c. 24. §. 8.

An quis ex præsumpta voluntate Superioris possit aliquem absoluere.

RESOL. XI.

Affirmatiuam sententiam docent aliqui, quam tueri etiam videtur Peregrinus in comm. ad nost. Constitut. p. 1. ca. 9. lit. C, §. 3. vbi postquam adduxit Decretum appositum in p. 1. c. 6. de Decretis Capitul. General. prohibens ne alicui vnius domus Confessario alter alterius domus cõfiteri liceat, sic asserit. Circa Decretum supradictum aduertendum est, quod ex præsumpta voluntate Superioris ipsius pœnitentis posset fieri in aliquo casu, sed non sæpè. Ita ille.

Sed hæc opinio absolutè, & sine distinctione prolata mihi summoperè displicet, quia præsumptio si non fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter indicent præsentem voluntatem Superioris concedendi facultatem, non sufficit ad dandam iurisdictionem, nam sic est tantum existimatio de futuro consensu Superioris, & coincidit, vt optimè obseruat Suarez tom. 4. disp. 27. sect. 4. nu. 16. cum ratihabitione de futuro, quam non esse sufficientem docent communiter DD. asserentes ad excipiẽdas confessiones non satis esse ratihabitionem de futuro, sed opus est adesse de præsenti. Et ita tradit Becanus de Sacram. cap. 38. q. 8. num. 3. Homobonus in exam. Eccles. p. 1. tr. 4. c. 11. quæst. 105. Fagundez p. 2. lib. 7. cap. 2. n. 7. Toletus lib. 3. cap. 13. n. 22. Coninch. de Sacram. disp. 8. dub. 5. n. 36. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diffic. 51. n. 2. cum alijs, quidquid in contrarium mordicus teneat Didacus Nugnus in Addit. ad 3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. asserens ad excipiendas confessiones non sufficere non solùm ratihabitionem de futuro, sed neque ratihabitionem de præsenti, & affirmatiuam sententiam improbabilem putat, sed immeritò quidem; nam quomodo Nugnus improbabilem potest vocare sententiam illam, quam communiter docent Doctores?

Dicendum est igitur pro expositione supradicti Decreti, quod si in aliqua ciuitate, vbi sunt plures domus, adsit consuetudo (in illa tamen per aliqua signa conniuentibus Prælatis) vt confessarijs alterius domus nostri Patres in aliquo occurrenti casu aliquando confiteantur, validæ erunt tales confessiones, quia adest ratihabitio de præsenti, & præsumptio modo, quo supradictum est. Vnde illa scientia, & patientia, Prælatorum, vt notant citati Doctores, habetur pro licentia: at hic Panormi in domo S. Ioseph, & S. Mariæ de Catena certum est non adesse talem consuetudinem; vnde standum videtur determinationi supradicti Decreti.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis.

RESOL. XII.

Negatiuè respõdet Peregrinus in scholijs ad nostra priuilegia, p. 2. tit. cõmunicare, §. 2. quia ex Decreto Eugenij IV. apparet supradictos adipisci incolatum quoad Sacramẽta Cõfessionis, & Communionis tempore Paschatis, licet ibi modico tempore steterint. Præterea dici potest hos teneri confluere ad Ecclesiam Cathedralem, & Matricem, quia videtur esse Parochia vniuersalis totius Diœcesis. Ita ille.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quam præter Sanchez de matrim. to. 1. li. 3. disput. 73. n. 17. tuetur nouissimè Ascanius Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 5. q. 3. nu. 6. Laurentius Portel. in dubijs Reg. ver. Sacrament. administratio, num. 6. qui citat Rodriquez. Et hanc sentẽtiam docet etiam Fagundez, præcep 1. lib. 1. ca. 8. num. 5. quia exceptio dici Paschatis apposita in Clem. 1. de priuileg. fuit introducta in fauorem Parochorum, & vt saltem eo tempore, & die omnes Parochi ad suam Parochiam cõfluerẽt; sed in nostro casu nulla fit Parochis iniuria; nam dicti non sunt sui Parochi, ergo, &c. Adde quod in tali casu regulares ministrant Eucharistiam ex tacita licẽtia proprij Parochi: nam cum ipse illis in alias regiones proficiscentibus hanc licentiã non restrinxerit, videtur illam virtualiter concessisse, videlicet vt possint Eucharistiam sumere in die Paschatis vbicumque voluerint.

Restat modo respondere ad argumenta Peregrini. Et ad primum dico, quod non obstat Decretum Eugenij IV. quia fuit concessum in fauorem peregrinorum ad tollẽdos eorum scrupulos, non tamen eos obligauit, vt alienis Parochis subijcerentur, sed reliquit eos iuris communis dispositioni. Ita Sanchez, Rodriquez, & Henriquez, quos citat, & sequitur Fagundez vbi supra. Vel dic cum Portel, quod in illo Decreto Summus Pontifex intellexit, vt ibi vagi, v. gr. tunc etiam pro paruo tempore communicent, idest à potente Eucharistiam ministrare, non autem limitat, quod sit Parochus, vel hic, aut ille, sed mens eius est, quod satisfaciant communicando ibi in illo incolatu.

Ad secundùm respondeo cum Portel, & Sanchez vbi supra, quod nullo iure probatur, vt Cathedralis sit communis omniũ Diœcesis, neque vllo textu probatur, vagos, & peregrinos ad illam debere confluere.

Notandum est etiam hic obiter cum Portel. loc. cit. num. 9. quod seruis, & domesticis intra conuentũ degentibus in morte, & in die Paschatis possunt religiosi ministrare Eucharistiam, & extremam Vnctionem, & confessionem. Et idem dicendum est de famulo coniugato, qui nocte dormit extra conuentum, huic enim poterunt eadem Sacramenta ministrari, est. n. commensalis continuus, ac de isto, si in articulo mortis, cum semper ferè vixerit intra conuentum, ac de stipendio illius, puto illi dandam esse à Fratribus Extremam Vnctionem; secus autem si sit extra conuentum. Ita Portel, qui citat priui-

priuilegia Pontificum, quæ an sint hodie reuocata per Bullam Vrbani VIII. vide Leonem de offic. confess. tom. 2. recollect. 10. num. 50.

Nota etiam quod religiosus, qui cum licentia certo præsumpta, & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiã in articulo mortis, & in die Paschatis, sciens certo moraliter, quod Parochus amicus id velit, non peccat, neque incurrit censurã, quia habens talem certitudinem moralẽ de Parochi voluntate, de eius licentia facere censetur. Ita Suarez in 3. p. to. 3. disput. 72. sect. verb. hinc, quem citat, & sequitur Portel vbi supra, num. 7.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluere à censuris ab Episcopo reseruatis, non obstante Decreto Clem. VIII. & Cardinalium declaratione.

RESOL. XIII.

NEgatiuam sententiam docet Pater Marullus in suis eruditis disputationibus, quas nouissimè edidit to. 1. disp. 1. c. 2. dist. 4. num. 575. putat enim, quod sub prohibitione casuum reseruatorum in dicto Decreto Clementis, comprehenduntur, censuræ, nam ratio prohibitionis Summi Pontificis, militat etiam in censuris.

At his non obstantibus affirmatiuam sententiam tenet noster Megala in prima par. lib. 3. c. 3. nu. 10. vbi sic asserit. Nec tali priuilegio obstat reseruatio censurarum, quam Episcopi faciunt. Quia quamuis Decretum Sacræ Congregationis publicatum die 9. mensis Ianuarij 1601. & declaratum die 26. Nouẽbris 1602. restringat dictum priuilegium quoad casus, quos ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt, tamen cum dictum decretum loquatur tantùm de casibus, nõ habet locum in censuris, nam à diuersis non fit illatio, ex leg. Papinianus, ff. de minor. cap. ad audientiam, de decimis, & censura non est casus, sed pœna casus, vt dicit Nauarrus in man. c. 27. num. 262. Ita Megala. Vnde vtramque opinionem puto esse probabilem.

Displicet verò mihi id quod Marullus vbi supra asserit, nempè falsam esse sententiam Suares tom. 4. disp. 28. sect. 3. n. 13. asserentis, posse Prælatos Regularium excommunicationem reseruare, non obstante quodam motu proprio Clem. VIII. in quo abstulit Prælatis regularibus facultatem peccata reseruandi, nã sententiam Suarez puto probabilem esse, & illam tuetur Faustus in speculo relig. lib. 6. præc. 88. Villalobos in sum. to. 1. tract. 9. diff. 58. num. 5. Coriolanus de cas. reseru. p. 1. sect. 1 t. ar. 6. num. 1. Fagundez p. 2. lib. 8. c. 4. nu. 5. & alij, quæ opinio multam probabilitatem confert opinioni Megalæ superius adductæ. Licet ego magis probabiliter cum multis alijs, vt alibi diximus, putẽ, Prælatos regulares, stante dicto Decreto Clem. VIII. non posse excommunicationem sibi reseruare.

Notandum est tamen hic obiter primò, quod Comitolus in respons. moral. lib. 6. q. 9. Marullus vbi supr. docent, quod si confessarius in excommunicationem incidat Papæ reseruatam ex Decreto Clem. VIII. quia absoluit à casibus reseruatis, nõ posse absolui à regularibus vigore suorum priuilegiorum, etiam stante moderatione dicti Decreti facti à Sacra Cardinalium Congregatione. Verùm aliqui contrarium docent, quia excõmunicatio de qua loquimur, neque in Bulla Cœnæ, neque in exceptione sex casuum, in secundo decreto contẽtorum, comprehensa videtur, qui soli casus videntur exclusi à iurisdictione Regularium, qui ante primum Decretum, vigore suorum priuilegiorum à Põtificis casibus absoluebant, vt patet in illis verbis secundi decreti, ibi, ipsum decretum ita moderatũ, &c. Sed exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, ergo, &c. Et hanc sententiam esse probabilem, patet ex ipsomet Marullo vbi supra n. 581. Nam negatiuam, quam ipse tenet, vocat probabiliorem.

Nota etiam secundò, quod Paulus V. die 7. Ianuarij anno 1617. confirmauit, & aliqua addidit supradictis Decretis Clem. VIII. ita vt aliqui opinati sint in supradicto Decreto Pauli V. fuisse abrogata simpliciter omnia priuilegia, & facultates non solùm absoluendi à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, violationis immunitatis ecclesiasticę, & alijs in declaratione, seu moderatione Decreti Clem. VIII. recensitis, verùm etiam ab omnibus alijs, Romano Pontifici reseruatis, & hoc per illa verba. At insuper designat nouam legislatoris dispositionem ab antiquis omninò distinctam, vt patet ex textu in c. statutum, §. insuper, vbi Glossa, de rescriptis in 6. sed hanc sententiam refellit Duardus in Bullam Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 1. nu. 31. & seq.

Nota tertiò contra Megalam in 1. p. lib. 1. c. 13. num. 21. quod Decretum supra dictum Clementis VIII. non derogat priuilegijs regularium, & Cõfessariorum in suburbijs ciuitatis Romæ commorantium, quia licet in materia odiosa, appellatione Vrbis, seu Ciuitatis non veniant suburbia, secus verò dicendum est, in materia fauorabili. Et ita hanc sententiam in terminis tenet Marullus vbi supra, dist. 2. nu. 556.

Nota quartò non ligari excommunicatione in dicto Decreto contenta, confessarios, absoluentes à casibus, Episcopo reseruatis à iure, ex quo infertur, Regulares, qui ante habebant priuilegium absoluendi ab omnibus casibus, & censuris etiam Papæ reseruatis, posse non obstante dicto decreto, nunc vigore dictorum priuilegiorum absoluere à casibus iure Episcopo reseruatis, sicut ante poterant, & posse etiam absoluere à casibus Papalibus occultis quia huiusmodi casus post Concilium Tridentinum sunt Episcopales, vt notat Sanchez in summ. to. 1. li. 4. c. 54. nu. 27. cui nouissimè addendus est Marullus citatus disp. 1. cap. 2. diff. 11. n. 540. vbi etiam n. 138. notat, & rectè, ad incurrendam dictam excommunicationem in supradicto Decreto, contra confessarios latam nõ sufficere ignorantiam, etiam crassam, siue iuris, siue facti, quia fertur tantùm contra præsumẽtes absoluere, quod verbum denotat requiri scientiam in absoluente, vt plerique tradunt Doctores.

Tandem nota quintò, quod dictus Marullus loc. cit. nu. 542. putat aduersum me in tract. 3. Miscellan. resol. 3. & Gambaruptam de cas. reseru. cap. 3. nu. 8. supradictum Decretum Clem. VIII. derogare priuilegijs Regularium existentium in Insulis Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ. Sed ego nostram sententiam puto iterum probabilem esse, & ita illam existimant multi viri docti Societatis Iesu, & nostrę Religionis, nũc post Marullum visum, de hac re à me consulti.

An confessarij Regulares possint dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum, si à suis superioribus ad hoc minime deputati fuerint.

RESOL. XIV.

VIdetur affirmatiuè respondendum ex Peregrino in comp. nostrorum priuilegiorum p. 1. tit. Dispensatio, §. 8. vbi sic ait; Confessarij nostræ Congregationis possunt in foro conscientię dispensare cum sæcularibus inter coniugatos, quorum alter eorum cum alterius consanguinea adulterium perpetrauit, ad petendum debitum coniugale. Ita etiam docet Sayrus in Claui Reg. lib. 6. c. 11. nu. 68. Vnde Io. Suarez in Enchiridio casuũ cõscientiæ lib. 5. ver. debitum coniugale, §. incestuosus coniux, sic asserit: Regulares dispensare possunt cum incestuoso ad petendum debitũ, si sint deputati à Prouincialibus. Verùm alij hanc limitationem non referunt, sed absolutè docẽt concessum fuisse confessarijs Ordinum Minorum, & Prædicatorum, vt absq; alia facultate possint in dicto casu dispensare. Ita ille, qui citat Peregrinum in compendio nostrorum priuilegiorum.

Sed ego contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, ac patet clarissimè ex verbis priuilegiorum, quæ hanc facultatem tantùm concedunt Confessarijs deputatis ad hoc à Prouincialibus, & ideò docent hanc sententiam omnes, qui super priuilegia regularium diligentissimè scripserunt, vt Rodriquez tom. 1. q. 63. art. 1. Portel. in dubijs regul. verb. Abbas. n. 5. & vers. Confessor erga seculares, n. 18. & 23. Ioann. de la Cruz de statu relig. lib. 2. c. 6. dub. 9. concl. 1. & 2. Sanch. in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 43. n. 10. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 104. num. 14. Rebellius par. 2. lib. 3. q. 28. n. 16. & Villalobos in sum. tom. 1. tract. 12. diff. 51. num. 5. & diff. 52. n. 10. vbi sic asserit. [Puede dispensar para pedir el debito el Comissario de la Cruzada, conforme al tenor de su comission, y puede tambien dispensar el Obispo, como tiene Soto, y esta en vso pueden lo mismo los confessores de nuesto Orden, y los que gozan de nuestros priuilegios, como tengan comission para ello de sus Prouinciales, y no espira esta comission aũque muera el Prouincial, o acabe officio.] Ita ille.

Nec Peregrinus, Sayrus, & alij faciunt contra nos, nã fateor magis clarè loqui debuisset, attamen, ipsi, vt patet, præbent Confessarijs hanc facultatem iuxta priuilegia Pij V. Iulij II. &c. Sed

dicti

dicti Pontifices facultatem concedunt per dicta priuilegia Confessarijs à Prouincialibus ad hoc specialiter deputatis; ergo etiam secundùm Peregrinum, & alios id absolutè efficere minimè possũt regulares, nisi à Superioribus ad id fuerint designati. Igitur explicandus est Peregrinus, & alij secũdùm tenorem priuilegiorum, quæ citant, aliter nec sunt audiendi, nec sequendi, vt perperam illos intellexit, & sequutus est Suar. vbi supra.

Notandum est tamen, quod post hæc scripta inueni Molfesium in summ. tom. 1. trac. 4. cau. 12. nu. 42. quem sequitur Leo. de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. num. 125. docere Confessarios Societatis Iesu, habere hanc facultatem ab A. R. P. Generali, & citat pro hac sententia Sanchez de matrim. to. 3. lib. 5. disp. 16. nu. 1. qui tamen non loquitur in casu nostro, sed in dispensatione votorum, in quo casu etiam loquitur priuilegium nostræ religionis, quod adducit Molfesius, qui confundit hos duos casus multum inter se diuersos, ratione diuersitatis priuilegiorum Summorum Pontificum. Nam in priuilegio Pij V. concedentis dispensationem in incestu, habetur, quod hæc auctoritas concedatur à Prouinciali viris religiosis, ac doctis, vnde non potest committi omnibus indiscriminatim, & absolutè. Et ideò mihi constat, quod in Societate Iesu hæc facultas committitur à Prouinciali particularibus confessarijs, & non omnibus.

Notandum est tamen hic obiter cum Portel. vbi supr. in dubijs regul. ver. Prælati potestas, num. 10. quod Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam, vt possit dispensare cum impeditis ad petendum debitum, ab incestu, vel voto, non possunt datam licentiam reuocare absque iusta causa, faciunt .n. iniuriam illi, qui habebat. Ita Portel, qui citat etiam Rodriq. Nota etiam, vt alibi diximus cum dicto Portel in addit. ad dub. regul. verb. Confessor dispensans, nu. 13. & 14. quod hæc dispensatio ad petendum debitum, potest fieri extra Sacramentum, & vrgente necessitate in absentia per scriptum, quod est valde notandum.

An Abbates possint consecrare calices, altaria, campanas, & benedicere lapides, pyxides, & alia vasa Ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum.

RESOL. XV.

NEgatiuè respondet Suarez de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 30. nu. 8. Marius Antonius Maceratensis lib. 2. resol. 112. casu 3. Aloysius Riccius in praxi, to. 1. resolut. 461. n. 2. & Piasecius in praxi, p. 1. c. 2. art. 4. nu. 14.

Sed hæc opinio vera est, stando in iure communi, vt patet ex cap. Abbates, iuncta Glossa in verb. tonsuram, de priuileg. in 6. Verùm ex consuetudine fundata in priuilegio Innocentij VIII. contrariam sententiam docent Barbosa de potestat. Episcop. p. 2. allegat. 26. num. 36. Miranda in man. Prel. tom. 2. quæst. 40. ar. 4. Portel. in dubijs regular. ver. Abbas, num. 3. Rodriqu. in sum. to. 3. capit. 29. nu. 2. & nouissimè Ascanius Tamburinus de iure Abbat. to. 1. disp. 23. q. 13. qui adducit verba priuilegij dicti Innocentij Papę, ideò sic asserit. Abbatibus non est interdictum campanas ad vsum alterius loci consecrare ut docet communis praxis, & consuetudo. Videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium, consecrare campanas undecumque ad eos ad hunc effectum delatas. Et idem dicendum puto de Altaribus portatilibus, & vestibus, &c. Ita Tamburinus. Vide etiam Riccium, virum quidem doctum, sed in hoc sibi contrarium collect. part. 4. column. 955. qui malè citat pro hac sententia Maceratensem.

Quoad consecrationes campanarum, etiam idem dicendum est ex priuilegijs Vrbani II. & Pauli III. quæ referuntur à Tamburino vbi supr. qu. 12. & à Renato Choppino in monast. lib. 1. tit. 2. nu. 18. Ex quibus omnibus priuilegijs sententiam in fauorem Abbatum tenuit Sacra Cardinalium Cõgregatio, vt testatur noster Pater naldus in sum. ver. Abbas, nu. 4. vbi sic asserit. Abbas benedictus mitræ, & baculi pastoralis vsum habens, ex Sacræ Congregationis declaratione non potest se ingerere in illis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur. Dubitatum verò fuit an huiusmodi declaratio, seu prohibitio sit intelligẽda de omnibus Abbatibus etiam regularibus, & qui gaudent priuilegijs amplissimis pro benedictionibus altarium, calicum, & huiusmodi, & eadẽ sacra Congregatio instante Procuratore Generali Congregationis Cassinensis, & exhibẽte summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem, declarauit in hæc verba, videlicet Decisionem, aliàs à se editam, vt Abbates vt cumque benedicti, benedicere non possint ea, in quibus vnctio requiritur, non obstare quominus iidem prædictæ benedictionis munus quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ priuilegijs, quibus Concilium Tridentinum nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum Romæ die 10. Nouembris 1614. Hæc omnia Naldus.

Notandum tamen est cum Miranda vbi supra, quod supradicto priuilegio non perfruuntur, nec perfrui possunt aliæ religiones, priuilegium etiam habentes communicationis. Nam prædicti Abbates sunt benedicti, & in suis domibus, & Monasterijs habent iurisdictionem quasi Episcopalem, & secundùm ius, ac priuilegia multa sibi conceduntur, quæ non conueniunt, nec conceduntur Prælatis aliarum religionum, quod est multũ notandum, ac memoriæ commendandum, nam in his, & similibus non fit communicatio, cum non militet eadem ratio.

An Nouitius, qui redit ad sæculum, teneatur ad expensas, quas in eum alendo Monasterium fecit.

RESOL. XVI.

AFfirmatiuam sententiam posse aliquem sustinere docet Peregrinus in commen. ad nostras Constit. p. 2. c. 1. lit. G. §. 10. Quia Concil. Trid. sess. 16. de regul. cap. 15. habet, quod discendente Nouitio à religione ante professionem, si aliquid acceperunt religiosi ex bonis Nouitij, parentibus dicti Nouitij, tenentur restituere, (nota) excepto victu, & vestitu Nouitij. Non enim hoc dixisset Concil. nisi dicti Nouitij tenerẽtur. Deinde in Monasterijs mulierum consuetudo est vniuersalis, vt Nouitiæ alantur à parentibus, vel curatoribus. Ergo cum Conc. Trid. loquatur de Nouitijs, tam fęminis, quam masculis, sequitur idem obseruandum esse in vtrisque. Ita peregr.

Sed hæc opinio est contra communem DD. sententiam, quã tuentur 13. DD. quos citat & sequitur Sanch. in sum. tom. 2. li. 6. c. 10. nu. 4. quibus adde Ioannem Suarez in Enchiridio casuum conscientiæ lib. 3. ver. religio. § Nouitius egressus. Faustum in thes. relig. lib. 5. q. 191. Villalobos, & Suarez vbi infra.

Dico igitur Nouitios ex Religione egredientes nullatenus teneri ad expensas, quia cum liberè possint redire ad sæculum, si ad expensas tenerentur, possent ex hoc aliquando retineri, ergo, &c. Deinde redditus, aut eleemosynæ Monasterij, non tantùm sunt ad alendos professos, sed etiam Nouitios. Et tandem is qui ingreditur Religionem, statim se offert seruitio, & vtilitati religionis, & de facto illi deseruit, ideò debitum est, vt eius bonis alatur.

Restat modo respondere ad argumẽta Peregrini, & ideò ad primùm dico, quod si is, qui ingreditur Religionem in sustentationem suam, pro tempore Nouitiatus aliquid religioni donet, non teneri postea religionem illi egredienti restituere, nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Et hoc secundùm Suarez de relig. to. 3. lib. 5. c. 11. nu. 5. & alios determinat Concilium à Peregrino adductum, vnde non loquitur in terminis casus nostri, vbi nulla donatio, vel obligatio Nouitij, aut parentum intercedit.

Ad secundùm respondeo, ex consuetudine vniuersali omniũ religionum ita fuisse interpretatum Concilium Tridentinum, vt in ipso comprehendantur solùm Nouitiæ fœminæ, & ideò Villalobos in sum. tom. 2. tract. 35. diff. 16. num. 6. sic asserit. [El nouitio que se sale de la Religion, no esta obligado à pagar los alimentos del Nouitiado. La razon es, porque si el monasterio le alimento, tambien ello seruio, y no obsta si à caso estuuo malo, que esso es accidental, y assi està en costumbre, que no solo los nouitios, como las nouicias quanto à esto.] Ita ille, Suarez, & alij communiter.

Illud verò quod addit Peregrinus, quod Magistri Nouitiorũ benè experti sunt, Nouitios non seruire Monasterio cum sint inexpertes rerum pertinentium ad religionem, sed potius Monasterium seruire Nouitio, hoc inquam mihi non placet, sicut neque placuit supradictis Doctoribus, qui religiosi fuerunt, & tamẽ dixerunt Nouitios seruire Monasterijs, & mereri alimenta pro dicto seruitio. Et ego puto, quod quilibet Nouitius, licet stolidus, ordinariè loquẽdo, pro seruitijs Monasterio exhibitis,

victum,& vestitum meretur, maximè in nostra Religione, vbi tam parcè induimur, & comedimus. Igitur absolutè nostram sententiam tenendam esse existimo, & ita his diebus in facti contingentia consului,nec aliter tenendum est.

An Nouitius in articulo mortis constitutus non expleto probationis anno ad professionem admitti possit, & si moriatur sine testamento,an succedat in bonis eius Monasterium?

RESOL. XVII.

Respondeo affirmatiuè cum Beia p.4 c.38.Sanchez, & alij, DD.vbi infra, ex priuilegio Pij V. anno 1570. die 23. Augusti,quod affert Rodriq.in qq.regul.to.6.q.15.art.6. quidquid in contrarium asserat Io.de la Cruz de stat.relig.libr.1.c.8.dub.4.& libro 2.cap.3.dub.6.concl.3.Emanuel Sà ver.religio,nu.56. asserentes dictum priuilegium fuisse postea derogatum a Gregorio XIII.

Sed difficultas est, an si dictus Nouitius moriatur, succedat Monasterium; Peregrinus in compend. nostrorum priuileg.titul. Nouitius,§.2.in scholio, negat, quia illud priuilegium fuit concessum ad lucrandam indulgentiam plenariam, qua gaudent Religiosi in illo articulo. Deinde priuilegium debet strictè interpretari, quando vergit præiudicium tertij. Ita Peregrinus.

Verùm ego contrariam teneo sententiam, quam tuetur ex nostra Religione P.Megala in p.2 lib.2.c.27.num. 50.ex Societate Iesu P.Sanchez in summ.tom.2.libr.5.c.4.nu.16.ex Dominicarum familia P.Zanardus in Direct. Theol.p 2.capit. 17. ad finem. Idem etiam docent Peirinus in priuileg. Minimorum, tom. 2.Constitut.Pii V §.2.numer. 1. Ioannes Suarez in Enchiridio casuum conscien.lib.5.ver.de profess.§.monialis Nouitia: Faustus in Thesaur.Relig.lib.5.q.167.num.4. & alij. Ratio est, quia,etsi confessionis finis sit consolatio Nouitij, & spiritualis ipsius fructus, & nulla successionis Monasterij in bona mentio ibi fiat, at vbi semel virtute illius priuilegij professus est, redditur verè in posterum professus nec ad pristinam sanitatem restitutus indiget alia professione, sed fruetur omnibus professorum priuilegijs:at eo ipso, quod aliqua persona profitetur, succedit Monasterium ipsis. Quare Pontifex nulli iuri alterius in hoc derogat. Ius enim venientium ab intestato est,vt Nouitio decedente ab intestato ipsi succedant; quando autem virtute priuilegij profitetur, non decedit Nouitius. Et hæc omnia docet Sanchez vbi supra. Ex quibus patet responsio ad argumenta Peregrini.

Adde quod Megala vbi suprà, tenet ex Decio, & alijs,bona Nouitij decedentis ab intestato ante emissam professionem, Monasterio acquiri.Ergo multo magis acquiri debent, si tempore mortis Nouitius intestatus profitetur, Vnde secundùm sententiam Megalæ non obstat dicere cum Peregrino, quod priuilegium Pij V, conceditur tantum ad indulgentiam lucrãdam,nam opinio Megalę non fundatur in priuilegio,sed in dedicatione personæ, & bonorum, quæ fit tempore simplicis ingressus in Religionem Sed ego puto cum Zanardo, Sanchez, & alijs,nostram sententiam esse veram secundùm Priuilegium Pij V.Quidquid asserat peregrinus,& Rodriq.to.3.q.15. art.6. Portel in dub.regul.ver.Nouitij,num.5. Villalobos in sum.to.2.tract.35.diff.15.num.12.& alij.

An Religiosus,si ex consuetudine non recitat horas canonicas in Choro peccet mortaliter.

RESOL. XVIII.

Respondet affirmatiuè Peregrinus in comment. ad nostras Constit. p. 1.lit.B.§.3.vbi sic ait.Religiosus, qui sine iusta causa omittit recitare horas canonicas in choro,quamuis priuatim illas recitet,mortaliter peccat, si habet consuetudinem nõ recitandi in choro.Sic ille,qui citat Syluestrum,& Angelum.

Sed hæc opinio mihi non placet, quia obligatio canendi in choro per se, & directè non afficit sigillatim singulares personas, sed totam communitatem. Vnde Suarez de Relig.to.2. lib.4.c.17.numer.15.sic ait.De Religiosis,qui chorum profitentur, existimo non teneri ex vi generalis legis,seu præcepti obligantis sub culpa mortali ad canendum in choro, nisi vbi fuerit speciali consuetudine hoc præceptum,ita expressè declaratum, & impositum est, vel si alicubi proprium votum de hoc fieret, quod in nulla Religione credo fieri,neque etiam scio in aliqua esse consuetudinem,illo modo obligantem. Nec enim consuetudo chori est in hoc sensu in Religionibus introducta, sed solùm, vt horæ in choro omnino dicendæ sint, & omnes adesse debeant iuxta regulam,& quod in hoc deficientes pęnæ subiaceant,non verò quod in hoc grauiter peccent, dummodo aliàs horas recitent. Ita ille, post illum Raphael de la Torre in 2.2. D.Thom.tom.3.contr.10.de Horis Canon.disp.1. nu. 6. vbi sic ait.De religiosis, qui ex vi suorum statutorum profitentur chorum,maior ratio dubitandi est,an peccent,& existimo non teneri ex lege aut pręcepto generali,aut aliquo iure, quod certè ad Religiosos non dirigitur,tenebuntur autem ex vi pręcepti, si quod repetitur in aliqua Religione,quod credo in nulla esse. Superest ergo, vt si aliqua obligatio sit, ea ortum habeat ex obligatione seruandi suas Constitutiones; sed credo iam omnes, aut ferè omnes Religiones, se ab hoc vinculo liberasse. Et in Ordinem Pręedicatorum in Prologo dicitur. Volumus vt nostrę Constitutiones non obligent nos ad culpam, sed ad pęnam. Et consuetudo,& iussio Chori in Religione hac, & vt existimo etiam in alijs,in hoc sensu introducta est,vt omnes horę in Choro canantur, non verò quod grauiter peccent, imò neque leuiter in Ordine præfato Prædicatorum, secluso contemptu, & præcepto. Ita ille. Et hanc sententiam docent etiam Filliuc. to. 2.tract.23.c.4.nu.236.& Bonacina de horis canon.disp.1. qu. 1. punct.1.n.9.cum Fausto de horis can.lib.2.q.186.

Ex his omnibus apparet Religiosos particulares non esse astrictos recitare horas canonicas in choro. Vnde nescio qua ratione Peregrinus dixerit illos peccare, si hoc frequenter facerent, nam ex aliqua lege,vel consuetudine ad id non tenentur, vt satis probatum est,quòd verò id frequenter faciant,non potest esse peccatum mortale, quia ex consuetudine frangere aliquam regulam,non obligantem ad culpam secluso cõtemptu, non esse peccatum lethale docet ipsemet Peregrinus in procemio const.lit.B,fol.29.& alij communiter:ergo, &c. Vide etiam Barthol.à S.Fausto in Speculo Religiosorum lib.6.qu.152.Sanchez in sum.to.2.lib.6.c.4.concl.12.dub.1.fol. mihi 157.

An Religiosi negantes suffragium Nouitio idoneo peccent mortaliter.

RESOL. XIX.

Peregrinus in comment. ad nostras Constitut.par.1.c.5.lit.B. §.1.negatiuam sententiam probabilem putat.quam docet Sanchez in summ.to.2.lib.5.c.4.nu.59.qui ait.Sicut culpa Nouitij leuiter retrocedentis est solùm venialis,ita etiam negantes suffragium,non peccant plus,quam venialiter, nõ enim magis obligatur Religio Nouitio, quam Nouitius ipsi Religioni,quo ad culpam.

Verùm hæc opinio summopere mihi displicet, & nullus auctor,quem ego legerim,neque ante, neque post Sanchez hanc sententiam docere ausus est, & ideò Sanchez nominatim impugnat Vechius in praxi Nouitiorum, disp.12.dub.2.n.4.Portel.in addit.ad dub.regul ver.Nouitius, nu. 17. Faustus in Thesaur.Relig.lib.5.qu. 213. & 214. Corduba in Reg.Minor.capit. 2.q.2.& 11.cum Miranda in Manuali Prælatorum tom.1.q. 25. art. 12. concl. 1. & 2.Sed audiamus in hac re P.Suarez sic disserentem de religion.tomo 3.libr.4.cap.3.num.7.Existimo ministros Religionis grauiter peccare expellendo Nouitium idoneum sine causa rationabili, vel quia abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessæ, ratione cuius ex officio tenentur, & bonum Religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in causa. Videntur etiam mihi peccare contra charitatem respectu Nouitij, quia priuant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Quæ rationes non habent locum in ipso Nouitio quia disponere potest de se ipso, non vt minister, aut dispensator, sed vt dominus,& potest cedere iuri suo. Ita Suarez.

Vnde patet responsio ad argumentum Sanchez, & Peregrini, est enim dispar ratio inter obligationẽ Nouitij, & Religionis. Nouitius enim secluso voto recedens absque vlla causa ratione leuitatis,peccat tantùm venialiter, non enim peccat contra charitatem, eo quod inde non resultat nocumentum alicuius momenti Religioni:nec etiam peccat contra iustitiam, aut fidelitatem,quia nihil promisit. At Religio, seu religiosus negans

gans absque iusta causa suffragium, peccat contra charitatem, vt probatum est, & peccat, quia abutitur potestate incorporandi religioni, qua tenetur bonum Religionis procurare, & institum indicium ferre. Ex quibus aperte cõstat in hac obligatione, quæ nõ est iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ, vel charitatis, nõ esse mutuam obligationem inter Nouitium, & Religionem, vt supponit Sanchez.

Deinde probatur supradictos peccare mortaliter: nã communiter Doctores docent, trahentes quempiam sine iusta causa ab ingressu Religionis, lethale peccatum committere cõtra charitatem. Sed Religiosus, qui negat suffragium idoneo Nouitio, non solùm retrahit, sed illum expellit à Religione; ergo peccatum mortale committit. Quod verò retrahentes aliquẽ à Religione peccent, vt diximus, mortaliter, docent Portel. in dub. regul. verb. Religiosus, nu. 13. Peirinus de relig. to. 1. q. 1. ca. 29. Rebellus p. 1. lib. 4. q. 15. n. 5. Syluius in 2. 2. D. Tho. q. 62. art. 2. quæritur 2. concl. 1. & 2. Lessius lib. 2. cap. 8. dub. 13. n....Laymã in theol. mor. lib. 3. sect. 6 tr. 2. c. 8. nu. 2. Molina de iust. to. 5. tr. 4. disp. 5. nu. 2. vers. secunda verò par. Villalobos in sum. to. 2. tr. 1. diff. 26. num. 1. & 2.

Dicendum est igitur Religiosum negantem suffragium Nouitio idoneo peccare mortaliter, quidquid asserat Peregrinus opinionem Sanchez esse probabilem.

An Confessores Regulares possint extra Sacramentum Penitentiæ absoluere a censuris ratione suorum priuilegiorum.

RESOL. XX.

Negare videtur Suarez in 3. par. tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 36. & Nauarrus in Manuali, c. 28. nu. 31. Sed vterque mutauit sententiam, hic in cons. 11. nu. 2. de priuileg. ille in tract. de leg. lib. 8. c. 6. num. 15. & 16. ideò affirmatiuã sententiam omninò tenẽdam esse puto, quam docent Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 1. nu. 153. Auila de censur. par. 1. c. 7. dub. 13. & alij, quod etiam procedere debet in Confessarijs, quando absoluunt excõmunicationẽ virtute Bullæ Cruciatæ, vt aduersus Vasquez, Filliucium, Sanctarellum, & alios satis probaui in tract. Bullæ Cruciatæ, res. 15.

Notãdum est etiam hic cum Layman in theolog. mor. lib. 5. tra. 6. c. 10. num. 21. & alijs, hanc doctrinam multo magis locum habere in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramẽto, petitione debiti, quarum facultates si Confessarijs alicuius ordinis delegatæ sunt, non rectè inde infertur, quod eas extra Sacramentum pœnitentiæ exercere non possint, nam à sacramentali absolutione nullo pacto dependent; sed de hac quæstione iterum redibit sermo.

An Confessarius eligendus virtute Bullæ Cruciata, vel Iubilæi, debeat esse approbatus ab Episcopo etiam quoad Regulares.

RESOL. XXI.

Affirmatiuè respondent Naldus in summ. ver. indulgentia, nu. 9. Molfesius in sum. to. 1. tract. 7. cap. 16. n. 27. cum Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 28. sect. 6. nu. 12. Hẽriquez lib. 3. de pœnit. c. 6. nũ. 4. in Glossa lit. K. Homobonus tract. de cas. reseru. p. 1. cap. 6. Lopez p. 1. c. 26. Ledesma, in sum. to. 1. de Sacram. pœn. c. 13. dub. 6. Et hanc sententiam amplexi sunt Patres Societatis Iesu, & eam obseruant in praxi, eo quod vbi eorum Prælatus concedit licentiam alicui subdito fruendi facultate eligendi confessarium per Bullam, aut Iubilæum, pro reseruatis eligendus est approbatus ab Episcopo, teste Henriquez de indulg. ca. 22. num. 5. in fine; vnde non sufficit esse approbatum à Prælato regulari.

Non reticeam tamen cõtrariam sententiam præter Rodriquez in explicat. Bullæ Cruciatæ. §. 9. dub. 6. num. 9. docere etiã nouissimè doctum Ioannẽ Valetum in differentijs vtriusque fori, ver. absolutio, differ. 1. num. 33. & seq. vbi latè tractat hanc quæstionem, & tandem in fine sic asserit. Supradictis tamen nõ obstantibus teneo negatiuam opinionem. Vnde dicẽdum est, quod per facultatem Bullæ Cruciatæ, & Iubilæum, nulla alia exigitur approbatio, quam illa Prælati Regularis, maximè stãte dicta decl a ratione Clemen. VIII. per quã tollitur omne dubium illorum verborũ appositorum in plumbeà Cruciatæ, & Iubilæi, scilicet approbati ab Ordinario. Si enim in omnibus, spectantibus ad confessionem Regularium, standum est statutis, & constitutionibus ordinum, & Prælatorum dispositionibus, ad quid quærimus, si vltra id requiratur approbatio Episcopi, cum satis constet non requiri: nam si voluisset, dixisset capit. ad audientiam de decimis. Ita Valerus. Et hanc sententiam docent etiam ex alijs rationibus Fernandez in exam. resol. moral. par. 3. c. 9. §. 8. nu. 7. Zanardus in direct. par. 1. de Sacram. pen. c. 21. q. 32. Curiolanus de casib reseru. p. 1. sect. 3. art. 16. & alij, non solùm si regulares confiteantur approbato sui Superioris, sed etiam alterius Religionis.

An reuocatio confessionum, præsertim quoad Regulares, facta ab Episcopo sine iusta causa sit nulla.

RESOL. XXII.

Talem reuocationem non esse nullam, docet nouissimè ex Vasquez Turrianus de pœnit. quæst. 8. art. 1. disput. 16. dub. 3. Imò Ioannes Sancius in selectis disp. 48. num. 23. tenet etiam non interueniente causa posse Episcopum licentias confitendi reuocare.

Sed ego puto cum Portel. in dubijs Regul. ver. Confessoris presentatio, num. 1. non posse Episcopum licitè sine iusta causa approbationẽ semel concessam reuocare quia potestas illi data est in ædificationem. Deindè puto etiam probabiliter, licentiam sine iusta causa reuocatã esse nullam, & posse talem Confessarium ex vi prioris licentiæ confessiones audire. Et hanc sententiam docet Suarez in 3. p. to. 4. disput. 28. sect. 8. dub. 7 Ratio est, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa: ergo non tantùm erit iniusta, sed etiam nulla. Et licet hæc opinio quoad Confessarios sæculares, non sit ita certa, tamen quoad Regulares omninò tenendam esse puto, per ea quæ adducunt Hẽriquez lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 4. & Peirinus de priuil. Minimor. tom. 1. const. 26 Leonis X. §. 7. nu. 7. vbi sic ait: Si Episcopus Regularem debitè præsentatum, & examinatum indebitè reprobauerit, poterit nihilominus per eius priuilegia licitè, & validè confessiones audire. Nec hoc est contra Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. Nam credendum est, Concilium voluisse tantùm idoneis ministris facultatem concedere confessiones audiendi per examen Episcoporum rectè, & rationabiliter iudicatum, non autem consouere aliquos eorum in suis passionibus, & odijs contra Regulares, & quãdoque cum maximo Christi fidelium scandalo. Quare si quis Regularis cum licentia sui Prælati examinatus, & iudicio examinatorũ, vel maioris partis ipsorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuerit ab Episcopo reprobatus (saluo saniori, & meliori iudicio) puto, quod licitè, & validè poterit confessiones audire, si nihil obstet, v. g. quod non sit malæ famæ, nec scãdalosè viuat, quod tamen præsumendum non est, quando adest legitimi Superioris licentia. Ita Peirinus, qui adducit Nauarrum, Mirandam, Rodriquez, & alios asserentes Clement. Dudum, de sepult. per Concilium Trident. non esse reuocatam.

Igitur si Regularis potest audire confessiones, si iniustè ei licentia denegetur ab Episcopo, etiam poterit illas excipere, si iniustè reuocetur. Et tandem hanc sententiam præter DD. citat. tenet etiam Zanard. in director. Teolog. par. 1. cap. 24. §. 7. vbi sic ait. Non possunt Ordinarij suspendere, vel impedire Regulares ab audientia confessionum, si semel eos approbauerunt, nam non habent, nisi eos examinare, non autem eis iurisdictionem dare, cum examinare illam intelligãtur ante, qui à Papa ex suis Priuilegijs, &c. Ita Zanardus. Verùm in facti cõtingẽtia consulo regularibus vt ab excipiendis confessionibus se abstineant.

An casus reseruati desinant esse tales si Superior Regularium reseruans munere suo functus fuerit.

RESOL. XXIII.

Non esse amplius reseruatos existimo ex doctrina, quam affert Iacobus de Granado in par. 1. D. Thom. cõst. 7. trac. 1. disp. 7. nu. 6. vbi sic asserit. Si Prælatus præcipiat vni subdito, aut toti conuentui, vel prouinciæ aliquid, & ei subditi pareant,

rint, dum viueret, eo ipso quod moriatur, vel ab officio amoueatur, cessat obligatio præcepti, sicut & cessat excommunicatio ab homine, cum moritur, qui eam fulminauit. Ita ille.

Sed dices, hoc verum esse in alijs Religionibus, non autem in nostra Clericorum Regularium; nam per Decretũ Capituli Generalis anno 1610. tit. de Præposito, Vicario, & vocalibus, §.6. sic habetur.

Decreta, seu statuta à Patre Generali, seu à quolibet alio Præposito in sua domo facta, indictaue in suo robore permaneant, & vnusquisque accuratè ea seruet, etiam si ad Generale Capitulum illi se contulerint, munusque suum abdicauerint, quousq; à Generali Capitulo, vel à successore speciatim abrogentur. Attamen noster P. Megala in 1. part. lib. 1. c. 12. nu. 5. putat prædictum Decretum in nostra Religione non habere locum quoad reseruationem casuum, quia loquitur de Decretis, & statutis ab ipsis superioribus factis, & reseruatio casuum, quæ fit ab ordinarijs Superioribus Religionis, non est neque Decretum, neque statutum, ergo, &c. Vnde Vicarij nostrarum domorum casus præcedentis Patris Præpositi sibi reseruant, si volunt eos reseruatos esse.

An si Episcopus sine iusta causa non admittat Regulares ad confessiones audiendas possint non obstante dispositione Concilij Tridentini confessiones audire, ac si essent approbati?

RESOL. XXIV.

NEgatiuam sententiam docent Suar. in 3. par. tom. 4. disp. 28. sect. 1. num. 5. Coninch. de Sacram. disp. 8. dub. 6. num. 58. Filliuc. to. 1. tr. 7. ca. 9. nu. 257. Barbosa in collect. tom. 3. par. 2. lib. 3. Clemen. tit. 7. Clem. dudum, num. 8. Sylulus in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. quæritur 4. Vasq. in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 3. num. 2. Pitigianus in 3. sent. to. 2. dist. 17. qu. vnica, art. 4. dub. 4. Sancius in selectis disp. 48. nu. 16. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. ... c. 16. quæst. 5. num. 192. Fernandez in exam. theol. Mor. part. 3. c. 9. §. 8. nu. 2. & alij; quia Concilium statuens nullum, nisi habentem Parochiale beneficium, aut approbatum ab Episcopo, idoneum esse audiendis confessionibus, satis indicat ad eam idoneitatem requiri approbationem actu datam. Nam particula conditionalis, nisi, eam vim habet, vt si conditio requisita non ponatur reipsa, nõ sequatur effectus. Sic enim facto statuto, ne quis bonis suis priuetur, nisi per sententiam Iudicis declaratus fuerit hæreticus, quamdiu Iudex aliquem non declarat talem, esse, etiam si fortè id iniustè faciat, ille non priuatur bonis suis, & sic de similibus.

His tamen nonobstantibus non desunt præstantissimi viri, contrariam sententiam docẽtes, vt Cochier de iurisdic. ord. in exemp. p. 4. q. 77. Layman in theol. mor. lib. 4. tra. 6. cap. 11. num. 4. Finellus de cas. reseru. cap. 3. num. 3. Villalobos in summ. to. 1. tract. 1. difficul. 53. num. 3. Peirinus de Religioso subdito tom. 1. quæst. 1. cap. 21. §. 2. Miranda in Manuali prælat. tom. 1. quæst. 45. art. 6. Henriqu. libr. 3. de pœnit. capit. 6. num. 4. Io. de la Cruz de Sacra Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 1. Rodriquez in qq. reg. tom. 1. qu. 59. art. 2. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 3. Graffius, Angelus, Vegha, Cenedus, quos citat, & sequitur nouissimè Fagund. præcep. 2. libr. 7. cap. 2. num. 1. & 5. nam in Clem. dudum de sepult. ipso iure approbantur Mendicantes ad confessiones audiẽdas, si Episcopi ex odio non approbauerint. Et Concilium Tridentinũ non reuocare dictam Clementinam probat solidè Fagundez, & ante illum doctores citati, quibus adde iterum Rodriquez in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. nu. 30. & Nauarrum in Manuali cap. 27. numer. 264. in fine.

An Episcopi possint ex iusta causa approbare Religiosos ad audiendas confessiones limitatè, v.g. ad viros, & non ad fœminas.

RESOL. XXV.

AFfirmatiuè respondeo cum Fagundez præcep. 2. li. 7. cap. 2. num. 1. & Doctoribus citatis in superiori resolutione pro prima sententia.

Sed his non obstãtibus minimè grauabor hic apponere verba Henrici Villalobos in summ. to. 2. trac. 9. diffic. 53. num. 2. sic asserentis. [Hauiendo, iusta causa puede el Obispo no solamente limitar à los Religiosos la licẽcia de confessar quanto al tiẽpo, sino tambien quãto à las personas, como si por falta de sciencia limitasse, que no confessasen mercaderos. Lo mismo dizen esto Doctores, que puede hazer el Obispo por falta de edad limitandoles, que solo confiessen hombres, y no muger hasta que tengan quarenta annos. Mas lo cõtrario es probable, y se puede seguir seguramente, que ansi lo tuuieron hombres doctissimos de la compañia, que fueron consultados à cerca desto, lo qual lleua gran camino, mayormente que a penas parece que, puede dar caso, en que esto sea iustificado, y es menester para, ello que aya causa iusta. La razon es, porque en todos los Obispados, se da vn beneficio curado à vn Clerigo de veynta y quatro años sin limitacion ninguna, y por el consiguiente puede, confessar mugeres, non obstante que no tenga quarenta años, luego no puede hauer razon paraque se limite la licencia alos Religiosos, por esse respetto, pues se deue presumir dellos mayor virtud.] Ita Villalob. & ante illum Vega in summ. tomo 1. c. 62 casu 7. quem postea citat. & sequitur Portel in dubijs reg. verb. Confes. nu. 3. Vide etiam Peirinum de relig. sub. tomo. 1. qu. 1. cap. 21. §. 2. & Zanard in direct. theol. p. 1. de Sacrament. pœnit. capit. 24. fol. 196. Verùm praxis Episcoporum est in contrarium, nam limitant Regularium confessiones ad viros, & non ad fœminas.

An Episcopus admittens Regulares ad audiendas confessiones vsque ad beneplacitum, possit dictas licentias ad libitum reuocare?

RESOL. XXVI.

AD hanc quæstionem ita respondet Peirinus super priuileg. Minim. to. 1. const. 2. Sixti IV. §. 2. nu. 44. Licet communiter quod ad beneplacitum conceditur, possit ad libitum concedentis reuocari. In subiecta tamen materia puto, quod nõ possit ad libitum Episcopus licẽtiam confessiones audiendi ad beneplacitum datam reuocare, sed quod requiratur iusta aliqua, causa, & ad Sacramentum pœnitentiæ pertinens. Moueor, nam licentia, quæ datur ab Episcopis Confessarijs Regularium, ad audiendas sæcularium Confessiones, non est propriè licentia, sed approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio quod talis persona est idonea ad confessiones audiendas, vt patet ex ipsis Concilij verbis sess. 15. de refor. c. 15. vbi, & approbationem; vnde postquam Episcopi iudicauerint, Regulares esse idoneos ministros Sacramenti pœnitentiæ statim Papa illis concedit facultatem dictum Sacramentum ministrãdi, vt patet ex Clem. dudum, de sepul. sed sententia data secundùm regulas iustitiæ non potest reuocari: ergo dicta approbatio facta, vt supponitur, modis debitis, licet sit ad beneplacitum, non potest ab Episcopo reuocari absque magna causa, & ad dictũ Sacramentum pertinente, vt ait Glossa in Clemen. dudum, verb. cõcesserint. Ita Peirinus: sed non desunt alij DD. contrarium sentientes: quod communiter obseruatur.

An nouus Episcopus possit omnes Regularium licentias suspendere, & de nouo illos examinare.

RESOL. XXVII.

HAnc quæstionem diffusè per tractat Sancius in select. disp. 48. per totam, & affirmatiuam sententiam mordicus tenet, quam etiam ego teneo, & tenẽt Riccius in praxi to. 4. resol. 70. n. 5. Zanardus in direct. Theol. p. 1. de Sacr. pœnit. c. 24. §. 4. Fagundez precep. 2. lib. 7. c. 2. nu. 30. Miranda in manuali Prælat. tom. 1. q. 45. art. 7. Campanili diuer. iur. can. rubr. 12. c. 13. nu. 70. & alij adducentes constitutionem Pij V. & declarationem Cardinalium.

Sed hanc sententiam non ita absolutè esse intelligendam tenet Villalobos in sum. tom. 2. tr. 9 diff. 53. num. 5. vbi sic asserit. [El obispo, que aprobo vna vez al Religioso para confessar, no le puede quitar la licencia ni el capitulo sede vacante, por que no le da ella iurisdicion sino el Papa, ni le puedè boluer examinar, mas podrale examinar el Obispo successor maiori conscientiæ suæ quiete, que es quando quere necessario para la seguridad de su consciencia conforme à vna Bulla de Pio V. y lo declara assi los Cardinales, y dizen, Pue no esta esto reuocado por la Bula de Greg. XIII. que endereza esta, y otras à los terminos del

del derecho comun, y assi se pratico en Roma. Este permission es para, que quãdo los Obispos entran de nueuo estuuieren informados, que algun particular no tiene la sufficiencia deuida, le pueden mandar examinar de nueuo. Mas no se entiende por esto, que puedẽ reuocar generalmente las licẽcias de todos los Religiosos ad nutum, y mandar, que se bueluan à examinar de nueuo, que esto no lo pueden hazer, como han dicho personas muy doctas que han sido consultados à cerca desto.] Ita ille, & post illum Alphonsus Carranza, qui in fauorem Regularium contra Archiepiscopum Toletanum edidit quoddam pulchrũ consilium, lingua Hispanica conscriptum, quod omninò legẽdum est. Vide etiam aliud consilium impressum Barcinonæ anno 1618. in fine explicationis Bullę Cruciatę Emanuelis Rodriquez, & subscriptum à 29. Doctoribus, qui ex multis rationibus firmant sententiam in fauorem Regularium. Sed praxis Episcoporum est contra Regulares. Vide etiam Becanum de Sacram. c. 38. q. 11. n. 4. & Henriqu. lib. 3. c. 6. n. 5. & 6. Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 4. concl. 4. Vasquez in 3. p. to. 4. qu. 93. art. 3. dub. 3. Ledesmam in sum. to. 1. de Sacram. pœnit. c. 13. Lopez in instruct. p. 2. c. 8. & Nouarium in conclusionibus noui iuris Pontificij. concl. 69. num. 3.

Notandum est tamen hic obiter, quod quamuis DD. citati asserant, id fieri posse ab Episcopo successore, & compelli, vt Regulares iterum præsententur, vt si opus fuerit examinentur, & approbentur. Negamus tamen id fieri posse à capitulo sede vacate, vt patet per priuilegium particulare Clem. IV. & docet Miranda in Man. Prelat to. 1. q. 45. art. 7. ad finem. & Fagundez, præc. 2. lib. 7. c. 2. nu. 28. qui etiam nu. 30. & optimè notat, quod si nouus Episcopus reuocet omnes licentias, & approbationes audiendi confessiones, non comprehenduntur Regulares, quando de illis specialiter edictum non loquatur, & ita etiam docet Henriq. lib. 3. de pœn. c. 6. nu. 6. quia in odiosis Regulares non comprehenduntur, nisi explicentur.

An Vicarius possit concedere facultatem absoluendi a reseruatis, si Præpositus absit à domo per vnum diem naturalem.

RESOL. XXVIII.

Respondent affirmatiuè Peregrinus in priuileg. Minimorum to. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 6. n. 16. Homob. in Exam. Eccles. p. 1. tr. 5. c. 4. q. 21. Beia p. 4. cas. 37. & Naldus in sum. ver. Abesse, num. 12. & ver. Absolutio, num. 25. quia non est detinendus subditus in tam malo statu, sed ab eo, quam citius possit, liberãdus. Deinde Vicarius relictus à præposito, est tunc solus, & absolutus Superior domus; ergo debet habere illa omnia, quæ pro recta illius administratione sunt necessaria, inter quæ sine dubio potestas spiritualis est.

Sed prima sententia limitanda videtur. Primò quando Superior eodem die est reuersurus, tunc Vicarius non poterit supradictam licentiam concedere. Secundò si subditus de industria sine sufficienti causa in illum diem Confessionem distulisset. Tertiò nisi aliqua Religione aliter dispositum sit.

An quicumque Confessarius ab Ordinario approbatus possit tempore Iubilæi absoluere Moniales à peccatis, vel à casibus, & censuris reseruatis.

RESOL. XXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Bonacina de Sacramentis, disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. nu. 22. in fine.

Sed aduersus illum insurgit Faustus de Iubilæo lib. 4. quest. 78. & Alphonsus de Leo, etiam de Iubilęo, p. 2. q. 9. numer. 25. Quia confessarijs prohibitus est accessus ad Monasteria Monialium, & ideò Roman. Pontifex non intendit dare iurisdictionem illi Sacerdoti, qui habet aliquod impedimẽtum. Hinc in praxi rationabiliter obseruatur pro bono regimine Monialium, quod dum virtute Iubilæi habent Moniales facultatem eligendi sibi confessarium, tenentur designare confessarium Ordinario ipsarum, & solent Abbatissæ congregare Moniales, & ab eis habere votum quosnam confessarios gratos habeant, & sic nominãt tres quatuor, vel plures, quorum nomina mittunt ad eorũ Ordinarium, vt ab eo omnes, vel prout ei libuerit, approbentur, & impertiantur eis licentiam accedendi ad Monasteria, sic enim Ordinarij sciũt personas, accedere volentes ad Monasteria, ne sub prætextu earumdem licentiarum, accederẽt ad vana colloquia facienda, & non ad audiendas confessiones Monialium, cum omnis concessio intelligatur, facta in ædificationem, non autem in destructionem Regularis obseruantię. Et hoc omnia notat, & docet noster Molfesius in summ. to. 1. tr. 7. c. 16. nu. 31. & post illum Ioannes Suarez in Enchiridio cas. consc. lib. 5. ver. Indulgentia §. tempore Iubilæi.

An Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Montesę, &c. possint confiteri cum confessario non approbato ab Episcopo.

RESOL. XXX.

Svppono Concilium Trid. sess. 23. c. 15. de reform. nihil innouasse circa approbationem confessariorum Regularium, & ideò Regulares, qui sæcularium non auscultãt confessiones, nõ egent Episcopi approbatione, & si habent licentiam confitendi in itinere, v. gr. possunt eligere Sacerdotem sæcularem non approbatum ab Ordinario. Et sic præter DD. quos supra citaui, tenent Sà versic. Confess. num. 6. Ochagauia de Sacr. tract. 2. q. 38 num. 4. Ragucius in Lucerna Parochorum de absol. quæst. 120. Vegha in summ. 1. c. 62. cas. 2. Ledesma in sum. tom. 1. tr. 13. diff. 4. & 11. Graffius p. 1. lib. 3. cap. 5. num. 107. & to. 1. lib. 6. consil. 1. num. 14. Henriq. lib. 6. c. 13. nu. 1. Suarez to. 4. disp. 28. sect. 4. nu. 5. Campanili in diuer. iur. can. rubr. 12. c. 13. nu. 58. Nauar. capit. 4. n. 7 & alij, communiter.

Hoc autem supposito affirmatiuè ad casum propositũ respõdẽt aliqui, quia, vt ego ipse satis probaui in p. 1. tr. 2. de Immun. Eccles. resol. 49. & satis probat nouissimè Ferdinandus Pizzarrus in discur. in apolog. in fauorem Ordinum Militarium in fine Historiæ dictorum Ordinum Matriti apud Ioannem Zongaltzam. 1629. supradicti Equites sunt verè Religiosi; ergo non cõprehenduntur in Decreto Concilij Tridentini: Et ita hanc sententiam docet in terminis Ioannes Sancius vir doctissimus, & amicissimus in selectis dis. 49. n. 10. sic asserentes. Equites S. Ioannis confiteri possunt confessario Regulari, siue sęculari, nõ approbato per Episcopum, nam verè Religiosi sunt. Et nu. 13. ita ait. Verè Religiosos esse Equites Christi, & Alij in Lusitania, & Montesę in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatus Florẽtiæ probabiliter arbitror, cum hi etiam Milites professionem trium votorum in manibus Pręlatorum emittant, non aliter ac Milites S. Iacobi. Alcantaræ, & Calatrauæ, præter Equites Sancti Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem cõcessa anno 1560. Cosmo de Medicis Florentiæ Magno Duce constat, quam ego vidi. Et idem iudico de quibuslibet alijs Religionibus militaribus, tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apostolica approbatis, omnes hi confiteri valebunt sua peccata alijs regularibus sui ordinis, non approbatis ab Episcopo, & etiam alijs Sacerdotibus sæcularibus, similiter ab Episcopo non approbatis. Ita Sancius vbi supra. Sed tu cogita, nam consuetudo est in contrarium.

Ex his omnibus infertur primò, quod dicti Equites in cõfessione tenentur dicere, se concubuisse cũ homine religioso, ambo enim egerunt contra castitatem, voto solemni Religionis addictam, & ita docet Mota libr. 2. c. 2. § 23. nu. 5 vbi citat Ayalam, Rodriquez Penam, & alios.

Secundo filios supradictorum Equitum ex copula fornicaria habitos esse sacrilegos, docet ipse Mota vbi supra, n. 7. Vide Franciscum Molinam, apud ipsum li. 2. c. 2. §. 29. n. 32. sic asserit. [Los hijos de los Caualleros de Santiago que enẽdraron fuera del matrimonio son sacrilegos, si para que se dispẽse cõ ellos para algunas dignidades, o para professar alguna religion, para lo qual son in habiles por los sacros canones, es meuester, particular dispensacion, nombrando esta circunstancia.]

Tertiò notat idem Mota lib. 2. c. 2. §. 21. nu. 3. & 5. quod si dicti Milites temerariè relinquãt suum habitum, crucem scilicet peccant mortaliter, & incurrunt in excommunicationem cõstitutionis Pontificiæ Clem. VIII. Vnde possunt esse apostatæ, sicut alij Religiosi deserendo habitum, vt probat dictus Mota lib. 2. c. 1. § 6. num. 5.

Quartò nõ possunt supradicti Equites transire ad aliam Religionem sine licentia Magni Magistri, vt firmat ipse Mota lib. 2. cap. 1. §. 6. quod verò gaudeant priuilegio fori, gabellarum, & cano-

canonis; etiam Nouitij, nos alibi etiam docuimus, & docent Henriq. lib. 7. c. 25. n. 7. Rodriq. to. 1. c. 80. n. 17. & Mota lib. 2. c. 2. § 8. cum alijs.

Quinto notandum est, per votum Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, &c. non dirimi matrimonium contrahendum, neque dissolui matrimonium ratum, non quia votum solemnè non sit, sed quia Summus Pontifex præscripsit illi formã, & modum, minuendo solemnitatem eius, quoad hoc sc. vt hũc profitentibus, nubentibusque matrimonium non sit cassum. Vide dictum Motam lib. 2. c. 2. §. 19. nu. 18. qui citat Nauarrum quod non accidere in Equitibus D. Ioannis dicendum est. Nam per illorum professionem dissoluitur matrimonium ratum, & communiter probant Doctores, quidquid in contrarium asserat Sotum in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. Michael Medina de sacr. hominum contin. lib. 1. c. 36. & Sarmiento in defens. lib. de redditibus p. 1. man. 56 nu. 1.

Et tandem sexto contra quemdam imperitum Cõfessarium notandum est, dictos Religiosos militares decẽter accedere ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ense, & pugione accinctos, vt latè probat Sancius in selectis disp. 45. num. 3. qui, nu. 6. probat etiam laicos, non obstante consuetudine in contrarium si hoc facerent, peccatum nullum committere, Imò nec irreuerentiam, si taliter accedant præhabita cognitione, non referre quidquam ense accinctos, seu absque illo accedere. Ita Sancius quem puto hanc sententiam tenere, secluso scandalo, quod in tali casu difficilius non contingere existimo.

An Regulares possint ordinari ab Episcopis extra tempora à iure statuta?

RESOL. XXXI.

ALiqui respondent negatiuè, quia Gregor. XIII. qui concessit hoc priuilegium patribus Societatis Iesu, vetat expresè, vt aliæ Religiones possint in tali priuilegio participare, etiamsi habeant participationem priuilegiorum dictæ Societatis. Et ita docet Peirinus in priuileg. Minimor. to. 1. Constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 39. Suarez de legibus, lib. 8. c. 17. n. 8. Miranda in Manuali Prælat tom. 1. q. 38. art. 4. Vasquez in 3. p. to. 3. disp. 246. c. 5. num. 50.

Sed contrariam sententiam probabilem esse existimo, & tutam in praxi. sicut aliqui Episcopi cum nostris obseruarunt, & ideò illam docet Portel, qui etiã testatur de praxi in dubijs regul. ver. Ordines sacr. n. 4. Villalobos in sum. to. 1. tract. 11. diffic. 12. n. 8. diffic. 13 num. 6. Io. de la Cruz de statu relig. lib. 1. cap. 8. dub. 1. Homob. de exam. Ecel. tom. 1. tract. 2. capit. 1. qu. 4. Moneta de commut. vlt. volunt. capit. 10. num. 188. Barbosa de potest. Episcopi p. 2. alleg. 17. num. 6. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 106. num. 7. Emanuel Rodriq. in qq. regul. tom. 3. quæst. 23. art. 5. & tom. 1. quæst. 56. art. 17. & hoc non solùm per priuilegium supradictum, concessum Societati, nõ obstante illa prohibitione: quia alij Pontifices successores Gregorij cõcesserunt priuilegia Societatis nostræ Religioni, & alijs sine vlla limitatione, vt tenent DD. citati, sed etiam per Priuilegium Clem. VIII. concessum die 23. Nouemb. 1596. Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugalia, quod testatur vidisse Portel, in compendio illius Religionis, & per priuilegia Alexandri VI. & Eugenij IV. concessa Religionibus D. Hieronymi, & D. Benedicti, que reuocata minimè esse tenet à Concilio Trident. & probat ex Rodriq. Villalobos loco cit. & ideò, vt dixi. possunt Episcopi sine vllo scrupulo ordinare Regulares extra tempora. Vide etiam Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. c. 8. n. 2.

An dispensatio interstitiorum pertineat ad Episcopum, etiam respectu Religiosorum?

RESOL. XXXII.

AFirmatiuè respondet Bonacina de Sacram. disp. 8. q. vnica punct. 6. nu. 34. qui citat Riccium, Barbosam, & Quarantam, idem etiam docet Ledesma in summ. to. 1. de Sacram. Ordinis, c. 8. concl. 11. in fine.

Sed non desunt DD. contrariam sententiam docentes ex Bulla Greg. XIII. concessa Societati Iesu. Et ita docet Villalob. in sum. to. 1. tr. 12. diff. 22. n. 8. & Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de sacram. Ordinis, dub. 5. conclus. 2. vbi sic ait. Iuxta Bullam Greg. XIII. pro Societate Generales ordinum, & ab istis delegati possunt cum suis subditis dispensare in interstitijs. Et hanc sententiam etiam probabilem vocat Ledesma vt supra.

Notandum est etiam hic contra Henriquez lib. 6. c. 10. nu. 3. in Glos. lit. Q. suscipientes Ordines non seruatis interstitijs, nullam incurrere censuram, vel irregularitatẽ, quia nulla talis censura in iure inuenitur expressa, & ita docent Riccius in collect. decis. p. 3. collect. 176. Zerola in praxi p. 2. ver. Ordo, num. 8. Villalobos in summ. to. 1. tract. 11. diffic. 12. n. 2. & alij.

An licitum sit legatum annuum Fratribus Minoribus relictum pro infirmaria, & de alijs legatis.

RESOL. XXXIII.

NEgatiuè respondent Sanchez in summ. to. 2. libr. 7. c. 26. n. 47. & Paulus Glemonensis in tract. de legatis perpetuis relictis Fratribus D. Francisci de Obseruantia, p. 4. §. 6. num. 19. Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam probabilem etiam esse puto, quam tuetur ex veteribus Ananias consil. 30. à nu. 3. vsque ad 5. & ex recentioribus Rodriquez in qq. Regul. to. 2. qu. 126. art. 4. quem nouissimè citat, & sequitur Laurentius de Portel. in dubijs regul. verb. legatum, num. 7. vbi sic asserit. Licitum est legatum relictum Minoribus, etiamsi sit annuum, pro necessitatibus infirmorum. Sic ille.

Notandum est etiam hic obiter. Primò licitum esse, contra Azor. p. 1. libr. 12. ca. 23. quæst. 15. & Paulum Glemonensem vbi supr. annuum legatum relictum Fratribus pro fabrica templi, vel Sacelli, aut pro vestimẽtis, & ornamentis Ecclesiæ, & Sacristiæ, quia nec Clem. exiui, de verbor. significat in 6. nec regula D. Francisci prohibet legata pro Ecclesijs, sed pro eorum victu, & ita docent Homobon. de Bon. in exam. Eccles. parte 2. tr. 9. cap. 13. q. 23. Menoch. tom. 2. consil. 114. Bonacina de contract. disput. 3. q. vlt. pun. 5. & alij penes ipsos, qui etiam docent cum Sanchez num. 46. & Layman vbi infra, valere legatum annuum dictis Fratribus relictum pro studio, & emendis libris, & hoc etiam docet Hieronym. Rodriq. in compen. qq. Regul. resolut. 88. nu. 10. quidquid in contrarium afferat Quesada in diuers. qq. iuris c. 22 nu. 2.

Nota secundò contra Paulum Glemonensem vbi supr. part. 1. §. 4. n. 4. valere legatum annuum relictum dictis Fratribus, si non attingat speciem decem annorum; nam tempus infra decennium modicum est, & ita tenet Laym. in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 5. c. 10. n. 4. cum Sanch. n. 39. & alij penes ipsum.

Sed difficultas est, an minores sint capaces legati relicti ad vitam alicuius Fratris, Layman vbi supr. negatiuæ sententiæ videtur adhærere, præsertim si Monachus sanus, ac valens corpore sit, cum ius anniuatim recipiendi tota hominis vita pluris æstimari soleat, quam ius percipiendi ad decennium.

Attamen his non obstantibus Sanch. nu. 40. qui citat Fidericum Antoninum, & Abbatem affirmatiuam sententiam docet, quem ego sequor, ideò dicendum est, non esse legatum annuũ perpetuum, vt sic Minores non sint illius capaces, quando legatum relinquitur ad vitam alicuius Fratris Minoris.

Nota tertiò cum Villalobos in sum. tom. 2. tract. 30. disp. 12. numer. 8. quod testator potest in fauorem Fratrum Minorum de obseruantia facere testamentum in hac forma videlicet [Instituyo a mi alma pro hereda en esta forma, que quiero, y es mi voluntad que lo que testare de mi hazienda se venda por mis testamentarios, y loque dello se hiziere, se gaste en pescado, azeite, pan y otras cosas, que son de limosna al conuento de San Francisco desta ciudad: y puesta esta clausula desta manera, lo podran hauer qualesquieras religiosos de nuestra Orden por recoletos que sean.] Ita ille, qui etiam, & optimè notat cum Portel, & alijs, quod licet Fratres Minores [no pueden ser herederos, por razon de ser incapaces de dominio, puede el Iuez de officio obligar à los testamentarios, que de los dichos religiosos por via de limosna, los que les fue dexado en el testamento, y que esto lo puede pedir qualquiera de pueblo.] Et hæc dicta sufficiant in gratiam Fratrum Minorum, qui Deum pro me deprecabuntur.

An

An possit fieri legatum alicui Religioso professo cum conditione, vt nihil acquiratur Monasterio?

RESOL. XXXIV.

Affirmatiuè respondeo cum Homobono de bonis in examin. Eccles. p. 2. tract. 9. c. 8. qu. 21. vbi sic ait Et si donatio causa mortis, vel legatum factum religioso professo cum côditione vt illud habeat independenter ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cum hoc omnimodo paupertatis voto aduersetur: subsisteret tamen, si relinqueretur, ita vt nihil Monasterio acquiratur, quia legatum illud intelligendum est, vt religiosus illud habeat oculis Prælati conniuentibus qui si illam licentiam dare nolit, relictum expirat. Ita ille, & ante Molsesius in sum. to. 1. tract. 7. c. 20. n. 50. Vincentius de Franchis decis. 718. Rodriquez to. 2. q. 125. art. 2. & alij.

Notandum est tamen, quòd illa verba, vt nihil iuris Monasterio acquiratur, interpretanda sunt, vt cum licentia Superioris illud legatum in vsus licitos, & honestos, vt vestimentorum, & librorum, &c. conuertat, licet indirectè hoc in ipsius Monasterij commodum redundet, non tamen intelligenda sunt, vt ille ad libitum, & quomodocumque etiam cum licentia Superioris disponere possit: nam ita faciens esset proprietarius, nec Prælatus illam licentiam dare potest.

Nota etiam cum Molsesio vbi supr. quod in retrocessione illius legati ad hæredem, nulla alia requiritur iuris solennitas, cum nihil acquisitum sit Monasterio, sed solùm sufficit denegatio licentiæ Superioris, quæ negatio facit, vt resoluatur legatum.

An Episcopus possit denunciare, vt euitentur, si Regulares exempti inciderint in aliquam excommunicationem?

RESOL. XXXV.

Respondent affirmatiuè Cenedus in quæst. canonicis qu. 26. num. 30. Alterius de censuris tom. 1. disput. 10. lib. 3. cap. 5. in fine. Riccius in addit. ad instit. canon. lib. 1. titul. 22. §. Nec id mirum, & in praxi tom. 2. resol. 210. num. 4. Bagnus de S. R. Ecc. dignitatibus tract. 12. fol. 202. Triuisanus, lib. 1. decis. 36. num. a. Henriquez lib. 7. cap. 25. num. 7. Rodriquez in qq. Regul. tom. 2. q. 63. at. 11. & Piasecius in praxi Episc. nouissima, part. 2. c. 3. §. 6. nu. 59. vbi sic asserit. Licet Regulares exempti propter eorum priuilegia, ab Episcopo excommunicari non possint, nec ligentur statuto Episcopi excommunicationem annexam trahente, si tamen committant aliquod delictum, propter quod ex iuris communis dispositione, vel ex consuetudinibus Apostolicis incurrant ipso facto excommunicationem, possunt declarari per Episcopum, & pro excommunicatis publicari ad effectum, vt euitentur à populo Diœcesis Imò Felinus in c. non potest. oo. 3. de re iudic. dixit, Exemptum sic excommunicatum, citari etiã posse ad videndum declarari, concesso enim principali videtur concessum accessorium, præsertim cum sit sumenda informatio super excommunicatione incursa. Ita Piasecius.

Non desunt tamen Doctores contrariam sententiam docentes, & asserentes hoc fieri posse ab Episcopo tantùm in illis casibus, in quibus id illis specialiter permittitur, vt, v. gr. si Extremæ vnctionis, & Eucharistiæ Sacramenta ministrant, aut matrimonia solemnizent. Et ita docet Laurentius de Peirinis super Priuilegia Minimor. to. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 10. nu. 13. Tho. Zerola in praxi Episc. p. 1. verb. excommunicatio de excommunicationis causa materiali in fine, & Nauarrus conf. 2. vers. 2. de sent. excommun. Ratio est, quia antequam Regulares denoncientur, declarare Episcopos prius debet eos in excommunicationem incidisse, declaratio autem hæc fieri non potest, nisi cognita causa, & citata parte, fieri enim potest, vt Regulares probent se in excommunicationem non incidisse. At causæ cognitio ad proprium Iudicem pertinet Ergo Episcopus incompetês Iudex Regularium, non potest illos declarare, neque deonciare excommunicatos.

Aliqui verò limitant hanc secũdam opinionem, vbi delictũ, propter quod excommunicatio lata fuit, notorium est, itemque notorium nullam causam regulares habere, quamobrem se excusent, tunc enim quod declaratione opus non est, denunciari ab Episcopo etiam poterunt, ne alij eorum communione vtentes in excommunicationem incidant. Et ita hanc sententiam ex multis rationibus probat Vgolinus de potestate Episcopi, cap. 29. §. 10. num. 2. & hanc opinionem videtur etiam docere Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 105. num. 73. Vide etiam alios penes ipsos.

An Regulares includantur in prohibitione Episcopali, ne aliquis exorcisset sine Episcopi licentia, & cum cæteris conditionibus?

RESOL. XXXVI.

Negatiuè respondeo cum Laurentio de Portel in addit. ad dubia Regularia, ver. Exorcismus, vbi sic ait. Si Episcopi in sua Diœcesi prohibeant exorcizare absque expressa illorum licentia, talis constitutio solos Clericos ligat, non verò Religiosos exemptos, quia aliàs iure communi non prohibentur, & ex ordine Ecclesiastico, Exorcistæ, & Sacerdotes id facere permittuntur. Ita ille.

An verò Episcopus, in ordine ad Clericos possit multas restrictiones apponere circa modum exorcizandi, negat Nauarr. to. 1. libr. 1. consi. 6. de offic. iud. ordin. num. 5. & Vgolinus de off. & potestat. Episc. c. 47. nu. 6. Sed tu vide Naldum verb. Dæmon. nu. 9. Homob. de exam. Eccles. p. 1. tra. 3. cap. 8. q. 73. & nostram Synodum Panormitanam Eminentissimi Cardinalis ab Auria, part. 1. c. 7. nu. 15.

An in Religionibus sine præuia correctione fraterna peccatum occultum fratris possit quis denunciare Prælato, tanquam Patri?

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuam sententiam nouissimè mordicus tenet Turrianus tom. 1. in 2. 2. disp. 89. dub. 4. vbi citat Bonauenturam, Angelum, Rosellam, & Armaulũ, & addit in tali casu posse Prælatum cum suis Consiltoribus, si necessarium sit, agere de illo peccato. Vide etiam Sanchez in sum. to. 2. lib. 6. c. 18. n. 46. & Suarez tract. de charit. disp. 8 sect. 6. num. 12. Probatur hæc opinio, quia fructus vberior spiritualis illius fratris, meritò præponderat iacturæ illius famæ.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Tanneto in 2. 2. disp. 2. q. 5. nu 106. qui citat Adrianum, Syluestrum, Sotum, Bannez, Nauarrum, Valentiam, Humbertum, Hugonem, Victoriũm, & D. Thoman, quibus ego addo Rodriqu. de ordine iudiciario cap. 9. num. 5. Thomam à Iesu lib. de Visit. tract. 1. c. 9. num. 1. & 6. Lorcam in 2. 2. sect. 3. disp. 47. num. 9. & Io. de la Cruz in direct. conscien. p. 1. præc. 5. art. 2. dub. 5. concl. 1. Becanum in 2. 2. c. 25. dub. 4. Mirandam de ordine iudiciario, tom. 1. q. 11. art. 4. & Sayrum in claui Regia, lib. 11. c. 4. num. 10. & seq. Ratio est, quia Christus Matth. 18. præcepit, vt correctio præmittatur antequam peccatum fratris Superiori denuntietur: ergo hoc faciendum est. Deinde frater debet corrigi, quãtum fieri potest cum minima iactura suæ famæ, quia id ipsum exigat charitas, vt frater suo quam minimo damno corrigatur, neque ad vllam infamationem coram altero procedatur, si absque hoc satis corrigi possit, neque fas est solùm propter maius bonum spirituale alicuius, famam, aut fortunas eiusdem lædere. Vnde patet responsio ad contrarium argumentum. Adde, quod ex huiusmodi denunciationibus, non præmissa correctione, generantur odia, & dissensiones inter correptum, & denunciantem, & nociuæ sunt paci communitatis.

Limitatur tamen supradicta opinio, quod non procedit in aliqua Religione, in qua adest statutum, vt qui nouerit peccatũ Socij, immediatè denunciet Prælato, non præmissa correctione fraterna, nam in tali casu huiusmodi religiosi cedunt iuri suo: videlicet quod secum ordo fraternæ correctionis præmittatur: & ita faciunt religiosi Societatis Iesu, cuius constitutionem, optimè defendunt Suarez tr. de fide disp. 8. sect. 6 nu. 12. & 17. Conioch. de act. supero. disp. 28. dub. 12. n. 121. Laymann Theol. mor. libr. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. c. 4. numer. 5. Valentia in 2. 2. q. 10. punct. 5. Cantarellus super decal. lib. 2. c. 69. nu. 211. Rodriqu. in exercit. spirit. tom. 3. tract. 8. c. 6. Sancius in selectis, disp. 46. nu. 28. Sanchez in sum. tom. 2. libr. 6. c. 18. num. 50. Ribadeneria de instit.

instit. Societ. Iesu cap. 34. Peregrinus in constit. Cleric. regul. p. 3. cap. 9. littera P. §. 2. concl. 14. Syluius 2.2. qu. 33. art. 7. concl. 3. Malderus etiam in 2.2. qu. 33. art. 8. §. arguitur secundò, Becanus in 2.2. cap. 21. dub. 5. nu. 34. & alij. Quidquid in contrarium aduersus tale statutum afferat Lorca in 2.2. quæst. 33. art. 8. sect. 3. disp. 47. num. 12. & seq. cum Ledesma in summ. tom. 2. tract. 4. c. 4. concl. 24. §. dico secundo, & Cosmo Philiarcho de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 4. c. 14. quorum sententiam tanquam probabiliorem nouissimè die 24. Aprilis anno 1627. sequuta est Academia Salmanticensis, teste Hieronymo Rodriquez in compen. q. regul. res. 36. num. 13.

Notandum est tamen hic obiter, quod Doctores primæ sententię in praxi eam deducendam esse putant, quando Superior, cui tanquam Patri reuelatur peccatum occultum fratris, est vir prudens, & discretus, secus autem si sit vir imprudens, violentus, vel cum subditis non benè affectus; nam in tali casu etiam supradicti Doctores asserunt minimè talem denunciationem esse faciendam, & aliter facientes peccare. Sed tu absolutè nostram sententiam tene, nempè non esse denunciandum peccatum occultum fratris Superiori, tanquam Patri, sine præuia correctione fraterna, nisi vt dictum est in aliqua Religione, aliter per constitutiones cautum sit.

Notandum est etiam hic obiter, quod Octauianus Spatarius in practica de modo corrigendi regulares, tr. 5. c. 1. n. 4. & c. 3. num. 4. existimat, non esse deueniendum ad denunciationem Euangelicam, & multo magis ad iudicialem, si ante non adhibeatur fraterna correctio.

An quis teneatur sub peccato veniali corrigere peccata venialia proximi, & quid de Religiosis.

RESOL. XXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam tenet Turrianus in 2.2. tom. 1. disp. 86. dub. 2. Valentia to. 3. disp. 3. qu. 10. punct. 2. sub fin. Sotus de regendo secreto. qu. 2. conclus. 3. Lorca in 2.2. disp. 41. n. 9. & alij. Quia lex charitatis videtur exigere, vt malum proximi, licet exiguum, impediamus.

Sed negatiuam sententiam docet Azorius part. 2. lib. 12. cap. 14. qu. 4. ex Angelo, & Syluestro. Ratio est, quia quando frater peccat venialiter, gratiã Dei non amittit, ac proinde correctionis pręceptum non obligat, quia est ad lucrandum fratrem. Ergo, &c. Cæteras rationes adducit Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 7. nu. 3. & Bannez in 2.2. q. 33 art. 1. dub. 2. Sed excipiuntur, qui ratione officij curam aliorum habent, vt Prælati Religionum. Imò fieri potest, vt ij sub mortali peccata venialia subditorum corrigere teneantur, si aliter faciendo, regularis obseruantia grauiter minuatur. Et ita docent Thomas à Iesu in lib. de Visit. tract. 2. cap. 6. n. 11. Miranda de ordine iudiciario, tom. 1. quęst. 10. art. 1. conclus. 5. Tannerus in 2. 2. disput. 2. qu. 5. dub. 4. nu. 76. Villalobos in summ. to. 2. tract. 4. diffic. 2. n. 5. Et alij.

At plus addit Bannez in 2.2. q. 33. art. 1. dub. 2. Nam supradicta doctrina extenditur non solùm ad Prælatos religionum, sed etiam, saltem in aliquo casu, ad Gubernatores Reipublicæ, sic. n. asserit. Sotus addit, Gubernatores Reipublicæ tenentur tales defectus, qui sunt venialia peccata grauiora, & consueta, expellere à Republica sub peccato mortali, si possunt, hoc tamen mihi videtur nimis durum, obligare temporales Gubernatores ad tantam perfectionem, nisi fortè sint peccata perturbantia pacem Reipublicæ, vel abusus qui rempublicam damnificare possunt, & tales solent esse Pramaticæ circa curiositatem, vel pretiositatem vestium, quamuis huiusmodi abusus in singulis, non sit nisi veniale peccatum. Sic Bannez, quem sequitur Azorius vbi sup.

Sed his non obstantibus, loquens etiam de Prælatis religionum, sic asserit Rodriquez de ordine Iudiciario, c. 9. nu. 7. [Pecaran grauemente los Prelados non stirpando las costumbres malas de pecados veniales, si son, ò puede ser occasion de pecados mortales, porque no siendo occasion de pecados mortales, yo no hallo razon sufficiente, para los cõdenar à peccado mortal, siendo descuydados en estirpar vicios veniales, porque no tiene maior obligacion el Prelado de mirar por su Republica, que el particular de mirar por su alma, y cierto es, que el particular, que no descarga su alma de las malas costũbres de pecados veniales, no peca mortalmẽte, si las tales malas costumbres no son occasion propinqua de pecados mortales.] Ita Rodr.

Sed supposita contraria sentẽtia, difficultas verò est, an particulares religiosi teneantur, sicut Prælati, sub eodem onere corripere fratres de peccato veniali. Affirmatiuè respõdet Coninch. vbi sup. disp. 28. dub. 3. n. 24. vbi sic asserit. Certum est superiorem religiosum teneri in suis subditis corripere peccata venialia, quando aliàs imminet periculum, ne disciplina religiosa magna ex parte dissoluatur. quia tenetur, quantum potest, dare operam, vt hæc tota integritate seruetur. Imò credo certum esse, quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius religionis, teneri ad eiusmodi correctionẽ, quando commodè potest, & sperat fructum, quia talis dissolutio est graue valde malum ipsius religionis, siue totiùs communitatis, quod ille ex charitate, & fide, quam, debet matri suæ, scilicet ipsi religioni, tenetur impedire. Ita Coninch. Sed citati DD. hoc onus in tali casu imponunt solùm super humeros Prælatorum, & nihil asserunt de religiosis particularibus Ergo, &c. Cogita.

An Carthusiani secluso scandalo extra morbum possint comedere carnes sine peccato mortali?

RESOL. XXXIX.

NEgatiuè respondeo cum Nauar. consil. 51. de regul. num. 6. Vasqu. in p. 2. to. 1. disp. 162. c. 4. n. 16. Salas de legib. disp. 11. sect. 2. n. 17. & alijs, quia licet non teneantur abstinere à carnibus ratione voti, tenentur ad hoc ratione statuti, & consuetudinis sub mortali obligantis.

Non reticeam tamen aliquos docere contrariam sententiã, quam probabilem putare videtur Emanuel Sà ver. religio. nu. 58. vbi sic asserit. Carthusianos teneri vesci carnibus, si aliter nõ possint morbo liberari, quidam aiunt, alij negant. Ego dixerim teneri, si non possint aliter viuere. Sunt, & qui affirmant non peccare illos mortaliter, si carnibus vescantur extra morbum, si absit scandalum, non enim ex voto abstinere, sed ex consuetudine. Ita ille. Sed tu tene primam sententiam,

An Prælati nostræ Religionis, & aliarum possint benedicere paramenta, non solùm nostrarum Ecclesiarum sed etiam exterarum.

RESOL. XL.

AFfirmatiuam sententiam docent Peirinus de priuil. tom. 1. Const. 1. Iulij II. §. 19. numer. 44. Rodriquez in QQ. regular. to. 1. q. 16. art. 2. Miranda in Manuali Prælatorum, to. 1. q. 40. ar. 3. & in nostris. priuilegijs p. 1. tit. Benedicere, §. 2. sic habetur. Prępositi nostrę Congregationis, & in eorum absentia quilibet habens principale regimen cuiuscumque nostrę domus, & Ecclesię, possunt solenni benedictione benedicere paramenta, corporalia, ornamenta, & alia quęcumque ad diuinum cultum pertinentia, vndecumque eis delata, etiam ad vsum nostrarũ Ecclesiarum non pertinentia. Innocentius VIII. S. Iustinę de Padua, vt habetur in compendio Societatis Iesu, tit. benedicere, §. 2. & in compendio Minorum eodem titulo, & notat Gabucin. in suis Adnot, tit. Benedicere Ecclesiastica

Sed his non obstantibus Barthol. Gauantus in Com. rubr. Missal. to. 1. part. 4. tit. 19. n. 21. adducit decretum Sacrę Rituũ Congregationis die 24. Augusti 1609. quo cauetur, Pręlatos regulares non posse benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subiectarum, sed aliqui asserunt de hac responsione non cõstare authenticè, & Tamburinus Romę editus de Iur. Abb. to. 1. disp. 22. qu. 1. nu. 2. putat supradictum decretum Congregationis procedere seclusa consuetudine, & vsum dictorum Priuilegiorum.

Verùm, iterum Gauantus vbi supra, in noua editione, n. 22. asserit Sacram Congregationem die 18. Augusti 1629. abrogasse dictam consuetudinem

An ingressus religionis liberet debitorem ab onere restituendi

RESOL. XLI.

PRima sententia affirmat, ita sentire videntur D. Thom. in 2.2. q. vlt. art. 6. ad 3. Caietan. ibidem, & sequitur Paludanus in 4. dist. 38. qu. 4. art. 3. concl. 3. Angelus verb. religionis, §. 16. Syl-

Syluester,ver.Religio.lib.1.q.4.& D. Antoninus, p.2.tit.11.c.2. §.1. quia liber homo non obligatur quoad personam suam, sed tantùm quoad bona: ergo cedendo bonis, libera remanebit persona.

Secunda opinio negat, & illam tuetur Medina C.de rest.qu 3.concl.8.Nauarr.comment.1.de regular.num,8.Valentia to.3. disp.5.q.6.punct 7.Molina to.3.poster. disp. 757. & alii,quia solutio debitorum est iuris naturalis.

Sed mihi placet opinio,quam tenet Lopez in instruct p. 1. c. 29.Azorius to.1.lib.12.c.1.q.5.Lessius lib.2.c.16. dub. 8. Sanch. in summ.tom.1.lib.4.c.19.num 8.& alij. Ideò dico,quòd si quis, breui tempore in sæculo manendo tantum lucraturum se existimet, vt debita sua,vel integrè,vel secundum magnam partem soluere possit,ad hoc obligatus, secus autem si longo tempore, tunc enim puto non esse adstrictum ad expectãdum, sed potest statim ingredi religionem:& tempus breue, quod expectandũ sit in tali casu,puto cum Sanchez esse biennium.

Nota verò,quod si post ingressum religionis hæreditate, legato,donatione,&c.religioso aliquid acquiratur, tenetur Monasterium illius debita soluere, non tamen tenetur Religiosus ad laborandum in Monasterio pro soluendis debitis, vt notant Sanchez num.4 Paludanus,Angelus,& Syluester, quidquid in contrarium asserant Azorius,Molina,& alij.

An Prælatus Regularis possit inquirere peccata occulta subditorum, vt illa corrigat fraternè, & quid de subditis?

RESOL. XLII.

AD primum respondeo affirmatiuè cum D. Thoma in 2. 2. qu.33.art.2.ad 4.& alijs vbi infrà,asserentibus, Prælatos aliosque Superiores teneri non solùm corrigere peccata quæ casu vident à subditis fieri, aut ab ijs facta cognoscunt, sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant si quæ in ijs fortè corrigenda sint. Nisi enim hoc facerent,subditi faciliter impunè peccarent,cum facilè ipsis esset cauere,ne in conspectu Prælati peccarent,& faciliter sibi persuaderent alios per se sine Superioris inquisitione ipsos non delaturos, atque ita cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conseruare) detrimento omnia scaterent peccatis,& vigor disciplinæ omninò dissolueretur.

Verùm quamuis hæc sit obligatio Prælatorum,tamen, vt optimè obseruat Petrus Lorca in 2.2.D.Tho.q.33.art.6. disp. 45. sect.3. n. 11.prudentiæ moderamine téperanda est,ne sit nimia sollicitudo,& intempestiua inquisitio. Vnde prouenit, vt Prælatus ipse,tanquam inquietus,& suspiciosus odio habeatur.& detractores foueat; excessus enim sollicitudinis in hac parte non solùm inutilis sed molestus,& odibilis subditis esse solet; quare prudenter D.Benedictus in Regula,cap.64.de Abbate, inquit. Non sit turbulentus,& anxius,non sit nimius,non sit zelotypus. & nimis suspiciosus,&c.Ita Lorea vbi sup.& alij.

Sed licèt,vt dictum est, Superior religionis possit, & teneatur inquirere peccata subditorum,tamen illicitum erit subdito inquirere vitam fratrum,vt illos fraternè corrigat. Nam, vt patet ex D.Augustino ser.16.de verbis Domini,quem affert,& sequitur D.Thomas in 2.2.qu.33.art.7.ad 5.non sunt quęrenda peccata,vt ipsa corrigantur.Admonet nos Dominus,ait Augustinus, non negligere inuicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas,sed vidẽdo quid corrigas. Et ideò Lorca vbi supra,num.10.sic asserit.Non solùm non tenemur quærere peccatores,& peccata,quæ corripiamus,sed talis inquisitio vitiosa est,& reprehensibilis,quia generat scãdala, & occasionem præbet odijs,& dissentionibus, nam homines molestè ferunt,acta sua scrutari ab alijs,& natura sua inquisitio hæc iniuriam infert proximis,aduersatur enim honori,& bonæ existimationi,quam de se haberi omnes cupiunt,quare nunquam ex charitate, sed ex ambitione,& sollicitudine vana,& inepta oritur.Sic Lorca, quem sequitur Ioseph à S. Maria in Tribunali Religiosorum, tr.1.c.10.§.3.vbi sic ait. [Nota que los subditos, y personas priuadas en ninguna manera tienen obligacion a inquirir peccados agenos para corregirlos antes la tienen para no hazerlo,ya no ser esploradores de vidas agenas. Esta doctrina quisiera yo, que tuuiessen muy en la memoria,y que la diessen assiento en la volũtad los subditos quien dios ha librado del cargo de almas agenas,y de la obligació de dar quenta mas,que de la suya,para que no se inquietassen a si,ya las communidades donde moran,dando occasion à discordias,y pesadumbres con su demasiadoueidado.en inquirir,y procurar saber las faltas de los proximos,y hermanos.]Sic ille.Et ita hanc sententiam docent cõmuniter DD.vt Coninch de Actibus supern.d.28.dub.5.nu.71. Ledesma in sum. to. 2.tr.4.c.4.concl.11. Miranda de ordine iudiciario to.1.q.9.art.3.concl.3.Malder.in 2.2.qu.33. art. 3. asser. 3.Reginal.to.1.lib.4.c.25.n.336.Tanner.in 2.2.disp.2.q. 5. dub. 4.n.79. Villalobos in sum.to.2 tr.4 diff.6.nu.3.Bannez in 2. 2.q. 33.art.3.dub.3.Petrus Fay de pœnit.in addit.ad 3. pag. 11.art.1. disp.vnica ad vlt.argum.Spatarius in practic. crim.canonica tr. 4.c.2.n.1.Turrianus in 2.2. tom.1.disput. 89 dub.5. Layman in theol.mor.lib.2.tract.3.c.6.n.2.& alij. Non potest igitur aliquis inquirere,peccata aliena,vt corrigantur,ex quo principio damnatur opinio asserentium,licitum esse in confessione interrogare de complice,vt corrigatur.nam si non licet inquirere peccata aliena extra confessionem, quanto minus in confessione. Sed hæc opinio,vt alibi probauimus,est perniciosa, & Sacramenti pœnitentię destructiua.

Quę sint causa legitima, vt quis possit transire ex Religione strictiori ad laxiorem.

RESOL. XLIII.

POtest Religiosus licitè transire ex Religione strictiori ad laxiorem cum licentia Superioris. Primò ob infirmitatem, aut corporis debilitatem, vnde ferre non possit austeritates religionis,ad quam se primò contulit.Ita D.Tho.2.2.q. vlt. art. 8. Angelus verb.religiosus.n.35.Syluester ver Religio 4.qu.2. Tabieno ver.religio.4.n.2.Geminianus in c.cum singula, §. prohibemus,n.6.de præben in sexto,& Franchus ibid.n.4 & alij. Secundò si religiosus in priori Religione odio habeatur à cæteris Religiosis,aut indignè,ac malè tractetur,aut si alijs sit exosus. Ita Lessius lib.2.c.41.dub.13.n.102.Azorius to.1.lib.12.c. 14. q. 8.Reginaldus to.2.lib.18.c.29.n.414.& Sanchez vbi infra. Tertiò si in illa Religione ita infamatus sit ob aliquod crimen à se patratum,vt semper in ea pudore suffusus, ac subinde magna tristitia affectus, vitam transacturus sit:& hoc sæpius potest accidere in religionibus,in quibus viget obseruantia Ita Sanchez in sum.to.2,lib 6.c.7.n.72.& tandem quartò Bartholomæus de Vecchis in praxi nouitiorum disp.15.dub.7.nu 5. putat habere causam sufficientem transeundi ad laxiorem religionem Religiosum cui ob suam imperfectionem,& prauum habitum, obseruantia austeritatum proprię Religionis adeò difficilis redditur,vt ferè continuam mæstitiam, & pœnitentiam professionis emissæ in illa Religione experiatur, quamuis ratione huius difficultatis, regulam frequenter non transgrediatur, quod probatur. Primò, quia hæc ferè continua mœstitia,& pœnitudo constituit Religiosum in probabili periculo violandi regulares obseruantias. Secundò,quia sicut tristitia,& displicentia grauis quam experitur Nouitius tempore probationis, censetur sufficiens ad liberandum eumdem Nouitium à nexu voti Religionis,ita eadem tristitia in casu nostro cẽsenda est dispensationis causa,maximèque si spes habeatur petentem dispensationem, cum gaudio,& animi tranquilitate seruiturum esse Deo in laxiori Religione. Ita Vecchius, licèt alij contrarium sentiant, quando non obstante dicta displicentia,& mæstitia religionis, regulas frequenter non trasgrederetur.

Notandum est tamen hic obiter, quod Rodriquez in qq. reg.10. 3. quęst. 52.art.9. allegans falsò Sotum,limitat primam causam superiùs positam, quando Prælati religionis strictioris dispensarent cum illo Religioso, vt propter infirmitatem ad onera Religionis non teneatur. Sed ego cum Sanchez vbi supr.in summ.tom.2.lib.5.cap.7.num. 72. puto his non obstantibus,posse dictum Religiosum transire ad laxiorem Religionẽ, quia licet cum ipso Prælatus dispensaret,non posset (moraliter loquendo)non esse Religioni onerosus,& causa multi scandali,notæ,& murmurationis.

An nouitius recedens à Religione reincidat in censuras,ac irregularitates,a quibus in Religione absolutus fuit?

RESOL. XLIV.

REspondet affirmatiuè Peregrinus in comp. nostrorum priuileg.p.1.tit.absolutio,§.1 in scholio. Sorbus in compend. pri-

priuileg. tit. Nouitius, §. de nouitiorum absolutione, ver. deinde, & Rodriquez in qq. Regul. tom. 1. quæstio. 24. artic. 15. asserentes nouitios vi aliquorum priuilegiorum absolutos, redeuntes ad sæculum in censuras, & irregularitates reincidere, ex eò quòd hæ concessiones videntur conditionem includere, si in Religione perseuerauerint, iuxta Syluestrum ver. Absolutio 5. num. 9.

Verùm mihi contraria sententia placet, si dicti nouitij à præfatis nexibus fuerint absoluti vigore priuilegiorum, quæ adducit ipse Rodriquez quęstio. 20. art. 21. vel vigore cuiusdam priuilegij Clemen. IV. & aliorum priuilegiorum, quę adducit Bartholomæus de Vechis in praxi nouitiorum disput. 9. dub. 25. n. 3 vbi nostram sententiam tenet, & validissimis rationibus firmat Vide etiam Bonacinam de leg. disput. 4. quęst. 2. punct. 7. §. 4. nu. 28. Suarez de relig. to. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 24. nu. 6. & alios. Ratio est, quia absolutio purè, & simpliciter data non est explicanda, datam fuisse ad reincidentiam, vt notat Suarez in 3. p. tom. 5. disput. 7. sect. 5. n. 35. nisi in casibus à iure expressis, vt habetur in c. eos, qui de sentent. excommunic. in 6 vel nisi facultas absoluendi ita expercsè concessa sit. Cum ergo in priuilegijs relatis euisdem nooitijs nominatim concessis non exprimatur hęc reincidentia: ergo, &c. Et confirmatur, nam vt ego alibi firmaui, absolutus tempore Iubilæi à casibus reseruatis, &c. habens animum lucrandi verè Iubilæum, si posteà illud non lucretur, non reincidit tamen in censuras, & liber remanet à reseruatione, ergo idem dicendum erit de Nouitijs, vi priuilegiorum absolutis, cum eadem militet ratio.

An Superiores Regulares possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio volontario.

RESOL. XLV.

NEgatiuè respondent Pestrinus in priuil. Min. tom. 1. constit. 2. Iulij II. §. 29 num. 103. & 104. Llamas in theol. mor. li. 2. tr. 5. p. 5. c. 9. nu. 7. Ludouicus Molina de iust. to. 4. tract. 3. disp. 70. nu. 12. vbi sic ait. Dixi, dispensare poterat, quoniam si homicidium sit voluntarium, esto sit occultum, statuit Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de refcru. vt in eo non dispensetur ad Sacros Ordines suscipiendos, Priuilegia autem omnia Regularium reuocata sunt, quatenus cum dispositionibus Concilij Triden. pugnauerint, eaque de causa Prælati religiosorum neque in conscientiæ foro dispensare hodie possunt, vt homicida voluntarius ordinem aliquem sacrum suscipiat, & fortè in eo priuilegio hoc non continuabitur. Ita Molina, & alij.

Non desunt tamen affirmatiuam sententiam tuentes, & ita docet Io. de la Cruz de statu relig. lib. 1. cap. 6. dub. 1. Miranda in manual Prælat. to. 2. quæ. 8. ar. 10. concl. 2. Sigismundus à Bononia tract. de elect. p. 2. cap. 4. dub. 71. num. 1. Rodriquez in qq. Reg. tom. 1. q. 28. artic. 12. Corduba, & alij. Et hanc opinionem extendit etiam ad nouitios Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 9. dub. 16. nu. 2. & fundatur hæc facultas in quodam priuilegio Martini V. & alijs relatis in Compend. Societatis Iesu, verb. dispensatio, §. 1. & in nostro part. 1. verb. dispensatio, §. 2. & seq. & hanc sententiam nouissimè docet etiam Laurentius Portel. in dub. regul. ver. dispensare, nu. 8. vbi sic ait. Possunt Prelati etiam conuentuales dispensare cum suis subditis super irregularitate orta ex homicidio voluntario, si sit occultum, non verò si sit publicum. Sic ille.

Notandum est etiam hic obiter insignè priuilegium concessum à Paulo III. Religiosis D. Benedicti Valisoletti, & relatum à Rodriquez in Bullario, fol. 817. vbi conceditur, vt singulis annis primo die lunæ Quadragesimę dispensent cũ omnibus subditis in omni irregularitate, quauis occasione, vel causa contracta, in qua concessione obseruat Hieronymus Rodriq. in compen. qq. regular. resolut. 16. nu. 14. & resol. 52. nu. 25. Laurentius Portel. in Addit. ad dub. reg. ver. dispensare. n. 6. quod Summus Pontifex non limitat si sit homicidij voluntarij, neque casualis, neque limitat si sit delictum occultum, vel publicum, neque excipit bigamiam, &c. Sed absolutè, & in communi ait, quauis occasione, aut causa contracta, quod non reperio alium Pōtificem concessisse. Cumque concessio sit tam ampla, & generalis, & Papa id possit concedere, nec ab aliquo successore reuocatum inueniamus in speciali, videtur posse religiosos illa vti, sicut iacet, sine limitatione, quia cum lex, vel Princeps non distinguit, nec nos debemus distinguere. Ita Portel. vbi suprà.

Sed an omnia supradicta pro sententia affirmatiua sint probabilia, necne, remitto me iudicio aliorum, sicut & in alia quæstione, An dicti Prælati regulares possint vigore priuilegiorum dispensare super bigamia vera, vel interpretatiua, nam negant Layman vbi suprà, & alij, quos citat, & sequitur Vecchius, in praxi nouit. disp. 9. dub. 25. nu. 2. Sicut è contra affirmant Auila de censuris p. 7. disp. 8. dub. 4. conclus. 8. Henriq. lib. 12. c. 6. nu. 18. in Glossa litt. Z, & alij.

An qui de proximo vult ingredi Religionem, possit absolui per confessarium illius Religionis a casibus Episcopo reseruatis?

RESOL. XLVI.

HIc casus frequenter potest accidere, & ad illum affirmatiuè respondet Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 9. dub. 7. nu. 5. vbi sic asserit. Integrum est prefatis regularibus absoluere eos, qui ingredi volunt ordinem, à casibus Episcopalibus, quibus fortè essent irretiti. Neque obstat Decretum S. Congreg. iussu Clem. VIII. editum die 9. Ianuarij 1601. & eius declaratio ab eadem Congregatione edita anno 1602. 26. Nouembr. vbi regularibus inhibetur absoluere vi priuilegiorũ pęnitentes à casibus locorum ordinarijs seruatis. quia tam Decretum, quam declaratio loquũtur de ijs Confessarijs, qui sęcularium Confessiones audiunt, & ideò sub ijs sęcularibus non comprehenduntur illi, qui Claustrum sunt statim ingressuri. Com eo tempore ego nouitiorum curam haberem, consului super hoc Anselmum à Monopolo, tunc Ordinis nostri in Curia Romana Pocuratorem, qui posteà ad dignitatem Cardinalitiam promotus fuit, & de mente eiusdem Clem. VIII. respondit, præfatos nouitios absolui posse a casibus Episcopo reseruatis eo modo, quo absolui poterant prius, quàm memoratum Decretum emanasset. Ita Vechius.

An Puella volens assumere habitum Monialium, debeat esse maior duodecim annorum?

RESOL. XLVII.

AFfirmatiuam sententiam ex Concil. Trid, sess. 25. cap. 17. docent Naldus in sum. verb. habitus, num. 1. & verb. monialis, n. 5. Azorius to. 1. lib. 12. c. 18. vers. 55. & 57. Rodriq. in qq. Regul. to. 3. qu. 12. art. 2. qui testatur ita sensisse omnes Patres, qui in Concilio Prouinciali Toletano adfuerint.

Verùm contrariam sententiam mordicus tenent P. Suarez de Relig. to. 3. lib. 5. c. 1. num. 9. P. Sanchez in sum. to. 1. libr. 4. c. 18. n. 34. Miranda in Manuali Prelat. tract. de monialibus, q. 8. art. 2. & Michael de Medina de sacr. hominum contin. lib. 4. controu. 9. cap. 4. vbi probat, & dicit, nihil alienius à Concilij Tridentini mente excogitari posse, quam illum intellectũ à Doctoribus pro sententia affirmatiua adductum, & ait se interfuisse illi Decreto, atque attentissimis auribus suffragia omnium Episcoporum accepisse, & nihil tractatum fuisse de sola puellarum maiorum duodecim annis ad religionem admissione. quare concludit duo in Decreto statui. Alterum est, vt si puella ingrediens sit maior duodecim annis, quantęcumque ętatis sit, duplex Episcopi examen subeat, alterum ante habitus susceptionem, & alterum posteà ante professionem, & vtrũque petijt, quia sępè puellę inuitę habitum suscipiunt, & quamuis voluntariè illum assumant, non raró inuitę profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Alterum verò quod in eo decreto statuitur, est, vt puella minor duodecim annis ingrediẽs, vnicum examen subeat, nempè professionis tempore, quoniam ante ętatem duodecim annorũ existimauit Trident. hoc examen pręmitti ob tenerum rationis vsum puellę. Ex quibus supradicti Doctores negatiuè ad dubium propositum respondendum esse putant.

Attamen his non obstantibus á prima sententia putat nõ esse recedendum Bartholomeus de Vechis in praxi Nouitiorum disp. 52. dub. 9. nu. 16. Vbi notat ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem, cuius tenor hic est. Per hæc verba Congregatio rescripsit aliquam puellam non debere admitti ante duodecimum annum ad habitum suscipiẽdum, cuius causa requiritur voluntatis puellæ exploratio. Non est autẽ volun-

tas

tis Congregationis, neque Concilij, vt ante illam ætatem puella admittatur. Ita Sacra Congregatio:

Notandum est tamen hic obiter, quod quãuis, vt dictum est Concilium Tridentinum duplex examen petat, maiori duodecim annis ingrediẽte Religionem: at vsu, & consuetudine iam receptum est, vt vnicum puellæ quacumque ætate ingredienti præmittatur, nimirum quando professura est. Et ita docet Sanchez in summ. tom. 2. lib. 5. c. 4. num. 84. & Rodriquez in qq. Regul. tom. 3. q. 12. ar. 2. & hoc examen ab Episcopo faciendum est necessario, etiam in puellis ingredientibus in Monasteria exempta, & dicto Episcopo non subiecta, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, & notat Præsectus in Praxi Episc. part. 2. c. 3. ar. 7. num. 8. & esse peccatum mortale illud prætermittere, in quod incurrent, non solùm ipsa puella, sed etiam Abbatissa, vel Prælatus professionem admittens.

Notabilia quædam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus.

RESOL. XLVIII.

NOta primò, quod aliqui dixerunt non incurrere excommunicationem, qui loquitur cum Moniali ex nihil respõdente: quia verba legis pœnalis non sunt extendenda, sed colloqui significat simul loqui, &c. Verùm contrariam sententiam, & meritò docet Graffius tom. 1. consil. 22. de sentent. excomm. n. 30. Sed an idem dicendum sit de eo, qui audit Monialem sibi loquentem, quamuis ipse illi non respondeat; affirmat Graffius vbi supra, num. 31. At ego contrariam sententiam teneo, quia excommunicatio lata est contra loquentes cum Monialibus, sed audire, non est loqui, etiam ex lata significatione vocabuli. Ergo, &c.

Nota secundò, quod qui per nutus, & signa Moniales alloquitur, incurrit in excommunicationem, quidquid afferant aliqui Neoterici moti eo, quod sic loquens nõ loquitur more humano, loqui etenim est voce articulata internos conceptus explicare, ergo si qui nutu illos manifestet, non est propriè loqui. Sed affirmatiua sententia, vt dixi, est tenenda, & illam docet Graffius de cas. reseru. lib. 2. cap. 5. nu. 33. Vbi etiam tenet idem dicendum de eo, qui loqueretur per interpositam personam in præsentia Monialis audientis, & per eandem interpositam personam respondentis, quia id in effectu idem est, ac si cum ipsa Moniali colloqueretur. Sed ego in hoc contrarium teneo, & ita in praxi etiam a viris timoratis obseruatur, & à fortiori non incurreret in excommunicationem, qui mitteret Moniali absenti nuntium, vel epistolam.

Nota tertiò, quod loquentes cum Abbatissis sine licentia Episcopi, incurrunt in excõmunicationem, & ita tenet Graffius de cas. reseru. lib. 2. c. 5. nu. 31. Verùm mihi contraria sententia magis placet, quia sicut nomine Monachorum non venit Abbas, vt notat Gloss. in c. fin. de simonia, & ibi Panormitanus, nu. 2. Cardinalis in Clem. r. n. 7. in 6. opposit. de Regular. ita dicendum est, quod nomine Monialium non veniat Abbatissa.

Nota quartò, quod qui per interpretem loqueretur, vt si loquatur aliqua lingua, quam Monialis non intelligit, sed alius explicaret Moniali sensum verborum, secundùm Graffium de cas. reseru. lib. 2. c. 5. nu. 34. incurreret in excommunicationem, sed ego contrariam sententiam teneo, quia talis verè non loquitur cum Moniali, sed cum illo interprete, quare idem est, ac si dictæ Moniali nuntium mitteret.

Nota quintò, contra dictum Graffium to. 1. consil. 22. de sentent. excommun. n. 9. pueros, puellasve ante annum decimumquartum completum, loquẽtes cum Monialibus, non incurrere in excõmunicationem per ea, quæ adducit Bonacina de cẽs. disp. 1. q. 1. punct. 4. nu. 7. cum aliis. Idem dicendum est de aduenis, & peregrinis, si cum Monialibus colloquuntur in aliqua ciuitate, vbi domicilium non habent, ex his, quæ diximus in tr. de leg. Et idem asserendum puto de Episcopis, qui vt experientia demonstrat, sine scrupulo cum Monialibus loquuntur absque Ordinariorum licentia. Et ita docet Graffius de cas. resch. 2. c. 5. n. 27. & 54. licet contrarium teneat Gratianus to. 2. c. 593. n. 10. & hic Panormi obseruatur.

Nota sextò, quod vt alibi diximus, collocutio de reubs indifferẽtibus cum Moniali, per spatium vnius Miserere, & aliquod amplius ratione paruitatis materiæ, non sufficit ad incurrẽdam excommunicationem, licet aliqui afferant sufficere decem vel duo, immò duo, vel tria tãtùm, si collocutio esset de rebus obscœnis. Adde etiam quod aliquando quælibet, licet longa collocutio etiam de rebus obscœnis, nõ sufficiat ad incurrendam excõmunicationem, vt v. g. si dommus, qui solitus est minas exequi, comminaretur aliquod graue malum seruo, vel ancillæ, nisi ad colloquendum cum Moniali de rebus turpibus, non accedat; quia lex Ecclesiastica non obligat cum tãto rigore, ideò in tali casu seruus, & ancilla, licet peccent, non tamen in hanc excommunicationem incurrunt.

Nota septimò, quod excommunicatio lata contra accedentes ad Monasteria ad colloquendum cum Monialibus, nõ ligat illum, qui loquitur cum moniali, quæ est intra clausuram de domo, quæ propinqua est illi Monasterio, quia talis excommunicatio cum sit pœnalis, strictè est interpretanda: cum ergo sit lata contra accedentes ad Monasterium ad colloquendum, nõ est extendenda ad illum qui non accedit ad Monasterium, sed cum moniali loquitur de domo. Et ita hanc sententiam tenet Graffius tom. 1. cons. 22. de sent. excommun. nu. 23. licet contrarium, & magis probabiliter tenendum sit, quia principaliter, & per se prohibetur in tali casu ipsa collocutio, accessus verò ad Monasterium prohibetur per accidens, ergo, &c. Et ita videtur aperte docere Henriquez lib. 13. c. 26. n. 2.

Nota octauò, quod omnes Regulares etiam exempti, alloquentes cum monialibus absque licẽtia, possunt puniri ab Episcopo ex Constitut. Greg. XV. & ex Declaratione Cardinalium Romæ typis excusa anno 1614. & hoc etiam si alloquantur in Monasterio ipsis regularibus subdito, vt notant Bellochius in Praxi de cas. reseru. p. 2. qu. 9. num. 17. Bonacina de claus. qu. 3. punct. 4. n. 8. & alij. Notandum est tamen contra Duardum in Bull. Cœn. libr. 1. c. 1. q. 3. num. 119. quod non colligatur ex dicta Declaratione Cardinalium Episcopos, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatos, posse peculiari statuto prohibere regularibus exemptis, sub pœna excommunicationis, ne cũ monialibus colloquantur. Vnde infertur etiam cõtra Graffium in decis. p. 1. lib. 2. cap. 49. num. 68. & alios, quod religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedẽtes ad monasteria monialium absque licentia. Et ita tenent Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 33. num. 25. Rodriq. in qq. Reg. to. 1. q. 45. art. 2. & alij: quos citat, & sequitur Barbosa de potestat. Episc. p. 3. alleg. 102. n. 73.

Nota nonò, non incurrere in excõmunicationem latam cõtra colloquẽtes cum monialibus, si quis loqueretur cum Nouitia, & ita docet Graffius to. 1. cons. 22. de sentent. excomm. n. 26. quia in odiosis, & pœnalibus Nouitiæ non comprehenduntur sub nomine monialium. Vnde si aliquis accessit ad monasteriũ cum licentia colloquendi cum aliqua moniali si ex industria ad se vocari faciet Nouitiam, & cum ea colloquatur, non incurrere in excommunicationem inducendum est.

Nota decimò, quod in conscientia ad euitandum peccatum, & pœnam excommunicationis, non est necesse vt licentia Ordinarij alloquendi cum monialibus sit in scriptis, & nota etiam, quod hanc licentiam dare potest non solùm Episcopus, sed etiã eius Vicarius, & si data fuerit indefinitè, & absq; temporis præfinitione, extinguitur per primam collocutionem. Vide Graffiũ vbi supr. n. 40. & 42. Sbrozium de vicar. Episc. lib. 2. q. 109. & qu. 110. Mastrillum decis. 97. Riccium p. 3. collect. 587. & alios.

Et tandem notãdum est hic obiter, quod in c. monasteria, de vita, & honest. Cler. & in c. periculoso, de stat. regul. in 6. prohibetur frequẽtare monasteria monialium. Sed difficultas est, an nimia frequentatio absq; legitima causa sit peccatum. Affirmat Hieron. Llamas in Methodo Curationis Append. quam ponit in fin. §. 4. & idem docet Rodriquez in qq. Reg. to. 1. q. 45. art. 4.

Sed mihi absolutè loquendo placet opinio Sanchez in sum. to. 2. lib. 6. ca. 16. nu. 120. asserentis, seclusis aliis extrinsecis scandali, aut mali finis circumstantijs, non esse culpam mortalem, dictam frequentiam absque iusta causa, & licentia, nisi frequẽtans ab Episcopo monitus non desistat; verùm rarissimè dicta frequentatio non generat scandalum.

An Superiores Regulares aliqua peccata prohibere possint sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ.

RESOL. XLIX.

REspondent affirmatiuè Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 58. num. 5. Tamburinus de iure Abbat. to. 2. disp. 13 nu. 1.

num. 1. Coriolanus de cas. reser. part. 1. sect. 2. art. 6. nu. 1. Fagundez præc. 2. lib. 8. cap. 4. num. 5. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 29. sect. 3. num. 13. & alij, quia hoc non est reseruare peccatum, sed censuram.

Sed mihi placet contraria sententia, quam tuentur Sigismũdus à Bononia in tract. de elect. p. 3. c. 4. dub. 123. nu. 9. Peirinus in priuileg. Minim. tom. 2. constit. 10. Vrbani VIII. §. 61. nu. 10. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 6. c. 1. num. 15. Megala in 1. par. li. 1. cap. 12. num. 8 Molfesius in sum tom. 1. tr. 7. cap. 20. nu. 17. & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die 7. Iulij 1617. testatur P. Leo. tra. de officio, & potest. confess. tom. 2. recollect. 11. numer. 5. Ratio est, nam ex Decreto Clem. VIII. omnis reseruatio illis interdicta est, & ratione censuræ apposite illud peccatum reseruatum manet; ergo, &c. Vnde patet talẽ modum reseruandi per excommunicationem esse inuentũ, & excogitatum in fraudem legis Pontificiæ, nolentis, & prohibẽtis alia peccata reseruari, quam illa à Summo Põtifice expressa non est ergo prima sententia admittenda. Ioannes Faber de penit. 4. sent. dist. 17. q. vnica, dist. 27. c. 1. nu. 29. asserit tutius esse, Superiores cauere à tali censurarum reseruatione.

An Religiosus, factus Episcopus, efficiatur Dominus redituum Ecclesiasticorum, & absoluatur à voto Paupertatis?

RESOL. L.

HIc casus frequenter accidit, & licet negatiuam sententiam teneant 42. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in summ. to. 1. lib. 6. c. 6. n. 8. quibus ego addo Tannetom in 2. 2. D. Tho. disp. 5. qu. 4. dub. 6. num. 131. Sanctarellum tract. de Apostasia c. 6. dub. 3. n. 20. Cenedo de Paupertate relig. dub. 43. Barbosam in collect. tom. 4. p. 1. causa 18. q. 1. nu. 13. Bartholomeum à S. Fausto in Tes. relig. lib. 6 quæst. 190. quia vota à talibus Episcopis in religione emissa non laxantur, nec limitãtur, nisi quatenus obstant muneri Episcopali, tanquam maiori bono, sed muneri Episcopali non obstat paupertatis votum, & abdicatio dominij, dummodo tales Episcopi habeant liberam administrationem omnium bonorum Ecclesiasticorum, vt ea in quoslibet vsus decentes expendant, ergo, &c.

Attamen his non obstantibus, contrariam sententiam puto etiam esse probabilem, quam ex Dominicanorum familia docet Sotus de iust lib. 6. q. 4. art. 2. ad vlt. & ex Societate Iesu Vasquez in p. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. c. 8. num. 91. in fine, & num. 104. Palutius, Medina Angles, & alij. Et si hæc opinio non esset probabilis, & negatiua esset tenenda sequeretur quod aliàs deberent ij Episcopi superfluè consumpta restituere, atque ab ipsis sic accipientes etiam restituere tenerentur. Dicendũ est igitur Religiosum ad Episcopatum assumptum eximi à paupertatis voto, efficique verum dominum redituum Ecclesiasticorum, instar Episcoporum secularium, ex quorum numero est, quia eodem prorsus modo adiudicatur sua portio Episcopo secular, ac regulari, cum libertate transferendi in aliam dominij administrationẽ. Ex his patet posse liberè supradictos Episcopos testari de bonis patrimonialibus, & ex industria acquisitis, Vide Villalobos in sum. to. 2. tr. 35. dub. 40. n. 6.

Sed quæret aliquis, an dictus religiosus Episcopus teneatur saltem sub culpa veniali ad obseruantias regulares, quæ Pontificio muneri non obstant imò valdè conferunt, vt potè quæ iuuant ad promouendam, & custodiendam perfectionem, quam Episcopali status profitetur, vt sunt oratio, abstinentia moderata, &c. Respondeo negatiuè, & ita docent Sanctarellus vbi supra, num. 17. Lessius lib. 2. c. 46. dub. 14. num. 113. Sanchez loco citat. n. 19. Villalobos nu. 17. & alij penes ipsos; solùm igitur dicendum est debere illas obseruare ex quadam honestate, & debito morali.

Hinc infertur primò contra Caietanum 2. 2. q. 185. art. 8. dub. 2. in fine, religiosum Episcopum, si edat carnes feria 6. in qua Natalis Domini incidit, contra id, quod præcipitur in sua regula, non peccare. Ita docent Barbosa vbi sup. nu. 5. Sanctarellus num. 20. Sanchez nu. 20. Cenedo num. 20. qui benè asserit, hoc etiam verum esse, si Episcopus esset ex fratribus Minimis. Secũdò infertur supradictum Episcopum religiosum non teneri diuinum officium iuxta suæ religionis ritum persoluere. Ita Faustus in Thes. relig. lib. 6. quæst. 195. num. 3. in fine, & alij. Et tandem contra Doctores, quos rectè impugnat Sanchez nu. 3. Cenedo num. 18. Si religiosus promotus ad Episcopatum omittat habitum suæ religionis, & assumat exteriorem Episcopalem tunicam, non incurrit in excommunicationem latam aduersus religiosos dimittentes habitum religionis. Et ita etiam hãc sententiam docet Sanctarellus vbi supra tr. de Apostas. cap. 1. dub. vn. num. 15. Villalobos in sum. vbi supra to. 2. tr. 35. dub. 4. n. 19. Barbosa in Collect. tom. 3. lib. 5. tit. 24. c. 1. nu. 4. & alij. Sed circa præsentes quæstiones præter Doctores citatos lege Syluium in 2. 2. q. 181. art. 8. concl. 1. 2. & Ledesma in Addit. ad sum. tra. 32. c. 1. concl. 15. & seq. fol. mihi 73.

Quædam Monialis infirma obtinuit licentiam confitendi cum quodam Confessario Regulari; dubitatum tunc fuit an potuisset ingredi cum socio, & finita confessione an statim deberet egredi.

RESOL. LI.

LIcet Superior illius religiosi noluit, vt cum socio ingrederetur, tamen ego tunc probabiliter cẽsui potuisse cum socio ingredi, quia decẽtia postulat, vt religiosi nunquam soli incedant, & ita docet Sanchez in sum. to. 2. lib. 6. c. 16. n. 46. & innuit Miranda de Monialibus, q. 2. art. 17. sub fine, & hoc licet in licẽtia vicarij Generalis non adest mẽtio de socio sufficit enim ad hoc licẽtia explicita ipsi Sacerdoti concessa, nam hæc etiam ad locum extenditur. Scio contrariam sententiam docere Bonacinam tract. de clausura, qu. 4. punct. 4. num. 4. Quia, ait ille, non dedecet Confessarium claustra Monasterij ingredi, socio ad ianuam remanente, sicut nõ decedet religiosum in vno cubiculo negocium cum Principe agere socio illum ad Palatij ianuam expectante. Sed ego puto esse disparem rationem inter vtrumque casum, vt omnibus patet, non nego tamen opinionem Bonac. probabilem esse.

Ad secundam dubitationem respondeo, statim debere egredi, & peccare mortaliter aliter faciendo, nisi breui spatio immoretur, paruitas enim materię, etiam hoc à mortali excusat. Imò Sanchez num. 69 Molfesius in sum. tra: 7. cap. 20. num. 42. Rodriquez in qq. Regul. tom. 1. q. 46. art. 1. Miranda q. 2. de Monialibus, artic. 2. & alij non solùm à mortali, verùm etiam à veniali excusant breuiter immorantem, vt si causa curiositatis aliquantisper in visendis officinis immoretur. Difficultas est, quãnam mora dicatur breuis, vt quis in tali casu intra Monasteriũ immorando, non dicatur peccare contra clausuram. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 33. diff. 49. nu. 1. sic asserit. [El Señor Don Fr. Antonio Treio Obispo de Cartagena, quando fue General de nuestra Orden declarò, que se tuuiesse por poco tiempo vn quarto de hora.] Igitur secundùm Villalobos, si Confessarius in tali casu immoraretur in Monasterio per quadrantem horæ, non peccaret contra clausuram, semotis tamen alijs prauis circumstantijs, vel fine malo.

An Monialis, quæ se ponit in rota, & facit illam volui versus partem externam, ad quam seculares accedunt, frangat clausuram, & incidat in pęnas, etiamsi non egrediatur è rota?

RESOL. LII

AFfirmatiuè respondent Comitolus in respons. mor. lib. 6. quæst. 7. & Portel. in dub. regular. ver. Clausuram Monialium. num. 24. Ratio est quia hæc accessit ad locum, ad quem seculares accedunt, quod expresse prohibetur in Bulla Gregor. XIII. ergo, &c.

Sed ego contrariam sententiam puto esse veriorem; quam tuetur Bonac. q. 1. punct. 8. nu. 7. & hoc ratione paruitatis materię, sicut si Monialis staret in solo ostio, quia ostium, vt docet Glossa in cap. cum sanctam de pœn. dist. 6. est partim intra, partim extra clausuram, & in hanc sententiam inclinat Sanchez in summ. to. 2. lib. 6. c. 16. n. 70. in fine.

Difficultas est, an etiam ratione paruitatis materię possit Monialis excusari à pęnis, si vtroque pede, & toto corpore egrediatur, etiam si ad vnum, vel ad duos tantum palmos ianuã sit egressa, quod etiam quæritur de secularibus Monialium Monasteria ingredientibus, nam eadem est ratio. Respõdeo supradictam Monialem clausuram perfectè violasse, cum talis sit verus

extra

extra clausuram egressus, sufficiens ad culpam lethalem,& ad censuras incurrendas,secus autem,si Monialis sub ostio clausuræ exiltat vno pede extra ianuam extenso,& altero intra ia nuã retento,tunc enim à mortali excusaretur ratione paruitatis materiæ. Ita Sanchez & Bonacina vbi supra.

Non reticeam tamen aliquos Doctores docere etiam Monialem, quæ extra ianuam clausuræ limites terminantem, ambobus pedibus se transtulit ad vnum, vel duos palmos,nõ peccare mortaliter propter materię paruitatem,Et ita docet Grassius in decis p.1.lib.4.c.23.n.25.& de cas.reser.c.5.n.44.& Naldus in sum.ver.clausura,n.4.

An ignorans nullitatem professionis, vel impeditus ad reclamandum intra quinquennium, possit adhuc reclamare non obstante Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. de Regul.

RESOL. LIII.

SEntentiam negatiuam docet Bonacina de clausura,quæst.2. punct.10.diss.4.num.5. quia Concilium loco citato concedit, Religiosum audiri solùm intra quinquennium;ergo non permittit ipsum vti alio remedio, cum eo vti non possit,nisi audiatur.Deinde in pari causa Restitutionis in integrũ inter duos minores,melior est conditio possidentis, leg.si minor,ff.de min. Sed Religio priuilegio minoris gaudet,cap.1.de in integr. rest. ergo Religiosus non potest contra Religionem vti priuilegio restitutionis in integrum.

Sed affirmatiuam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam tuentur plures Doctores, quos citat,& sequitur Sanchez de Matrim.tom.2.lib.7.disp.37.n.37.à n.22.vsque ad nu.27.qui respondet ad argumenta Bonacinæ.Et ita hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalobos in summa,to.2. tract. 35. diffic. 25.n.9.& ante illum Lessius lib.2.cap.41.dub. 7.num. 66. Azor. to.1.lib.12.cap.4.q.10.Gratianus in discept.tom.3.c.413.nu.9. & cap 440.num.25.Miranda in manuali Prælat.to.1.q.22.ar.3. concl.2.cum alijs.

Sed plus addit Sanchez loco citat.num.28.vbi probat, quod in foro conscientiæ maior,qui re vera sciuit professionem fuisse nullam,& labi quinquennium,intra quod solùm conceditur reclamatio, at nullo modo ratam habuit professionem, possit reclamare,& deducere casum ad forum externum, petens restitutionem in integrum ratione iustæ ignorantiæ, possitque petito à se iuramento,id iure iurãdo affirmare, quia reuera in foro conscientiæ non est professus,& potest fugere: quod si denegetur audientia, est ob ratificationis præsumpt. & iuramentum illud, quo se ignorasse testatur,sic accipiendum est; quia ignorauit,idest non habuit scientiam, qua ratam haberet professionem, sicuti Tridentinum præsumit,Ita Sanchez,qui aliàs rationes adducit.

Notandum est tamen hic obiter pro intelligentia Concilij Trident.vbi supra,quod dimissio temeraria habitus non impedit,vt regularis non audiatur super nullitate professionis, si postea eundem habitum reassumat, non obstantibus illis verbis Concilij,*quod si ante habitum spontè dimisserit,nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur*. Et ita docent Riccius p.4.decis.48.n.10.Portel.in dubijs reg.ver.Professionis nullitas,n.45.Campanili in diuer.iur.can.rub.12.c.11.nu. 18. Suar. de religi.to.3.lib.7.c.3,n.14.Miranda in Manuali Prælat.to.1.q. 30.art.6.concl.1.Barbosa de potest.Episc.p.3. alleg. 104. nu. 12. Gratianus in discept.to.3.c.413.n.7.& 8. Villalobos in sum. to. 2.tr.35.diff.25.n.4.& alij.

An Regularis in casu iusta appellationis,possit omisso medio non appellare ad Prouincialem, seu ad Generalem,sed ad Romanum Pontificem?

RESOL. LIV.

NEgatiuè respondet Duardus in expos.Bull.Cœn.libr. 2. canon.9.q.37.num.8.Spatarius in praxi tr.10.p.4.c. 1. nu. 3. Peirinus de religioso subdito tom.1.quæst.1.capit.20.& alij penes ipsos, & hanc sententiam nouissimè etiam docet Ioan de Santa Maria in Tribun.relig.tr.5.cap.10.§.1.n.3.in fine, vbi sic asserit. [L'appelacion no se ha de hazer por causas liuianas,sino pocas vezes, y quando la qualidad, y grauidad del negotio lo demandare,y hauiendo primero hecho recuso a los Prelados de la orden, y no hauiẽdoles desagrauiado ò fauorecido, y lo mismo que se ha dicho del Papa,s'entiende tambien del Nuntio Apostolico,]Ita ille, & hoc stante quadam declaratione Cardinalium,& Decreto Clem.VIII.

Non reticeam tamẽ. contrarium docere Remigium Scrofa in opusc.de Inualiditate Professionis dub. 25.& 26. qui facit mentionem Decreti Clem. VIII. Idem etiam docet Laurentius portel.in dub.regul.verb.Appellare,n.3.vbi sic asserit Congregatio Cardinalium declarauit modum appellãdi hunc esse seruãdum,vt scilicet à Guardiano appelletur ad Prouincialem ab hoc ad Generalem,ab hoc ad Protectorem Cardinalem,ab hoc ad Papam. At his non obstantibus, potest religiosus omissis illis medijs,statim ad Papam seu Nuntium appellare,vt praxis obseruat.Ita Portel.

Notandum etiam cum Sanchez in summ.tom.2.lib.6.ca. 8. num.10.& alijs, quod licet aliquæ religiones habeant Priuilegia summi Pontificis interdicentia religiosis appellare, tamen intelligenda sunt eo modo,quo ius commune appellationem dictis religiosis denegat, nempè quando Prælati corrigentes, seu punientes subditum non excedunt limites religiosæ disciplinæ, tunc enim minimè grauant, secus quando grauant eos limites prætergrediendo. Nec valet dicere, quod priuilegia aliquid vltra ius commune operari debẽt,c.Abbate, de ver.significat. Nam respondetur, aliquando nihil nouum continere,sed maiori expressionis gratia concedi, vt probat idem Sanchez de matr.lib.2.disp.37.n.vlt.ad vlt.

Non reticeam,tamẽ Sanchez in loco citato sup, summæ putare etiam dicta priuilegia hoc amplius continere, vt subditus non possit appellare, nisi excessus Prælatorum manifestus sit, quia pax,& simplicitas, & obedientia religiosorum hoc postulat.

An in Concilio Trid.sess.25.cap. 16. de Regular.comprehendatur renunciatio facta ante ingressum nouitiatus, intuitu ingressus Religionis?

RESOL. LV.

AFfirmatiuam sententiam docent 16. Doctores apud Sanchez in summ.to.2.lib.7.cap.5.nu.3.licet ipse nu.4.& meritò cum multis alijs cõtrarium doceat, quibus ego addo Villalobos in sum.tom.2 tr.35.diff.17.nu.4.& Portel. in dub. regul. verb. Nouitiatus,num 41.vbi sic ait. Si nouitius ante ingressum ordinis,iam talem ingressum cogitans,& proponens,& aliquid donauit,vel renunciauit,factum tenet,& est validum; nam adhuc non erat Nouitius & Concilium solùm prohibet,ne donet Nouitius.& refert Quaranta,sic declaratum fuisse à Cardinalibus.Ita Portel.& hanc sententiam etiam docet nouissimè Menoch.in addit.ad lib.2.de arbitr.iud. cas. 436. num.3.vbi assert. quamdam petitionem factam Sacræ Congregationi cum eius responsione Petitio verò,& responsio hęc est.

Anna de Cagnolis, nunc soror Hortensia Maria,facta Monialis, & professa in Monasterio Sanctę Agnetis Mediolani, hæres pro tertia parte sui patris,asserens se habere animum ingrediendi religionem,cum conditione, quatenus in ea professionem emitteret,& non aliàs,ante tamen ingressum Monasterij portionẽ vnam paternam,& alia iura,retẽtis sibi scutis duobus millibus tantũ pro sua dote, Dominis Scipioni & Ferdinãdo Caguolis renunciauit,& cessit,vt constat publico instrumẽto cum iuramẽto. Promisit etiam Anna ad cautelam,iura iuribus addendo, intra duos menses ante professionis emissionem dictum instrumentum ratificare. Adueniente bimestri ante professionem,Anna non solùm ratificare noluit, sed obtenta absolutione à iuramento illud,& contenta in eo totaliter reuocauit,asserens se fuisse seductam metu reuerentiali, & nũquam fuisse intentionis suę talem concessionem facere postea solẽniter professionem emisit. Nunc monasterium,& soror ista animaduertens huiusmodi cessionem esse factam in fraudem religionis, & Monasterij contra formam Sacri Concil. Trident. sess.25.c.16,de regul.instant declarari Sacrum Concilium comprehendere casum,& annullare suprascriptum instrumentum, & de opportuno remedio prouideri.

Congregatio Concilij censuit,Decretum Concil.Trident.c. 16.sess.

16. sess. 25. de reg. non habere locum renunciatione facta ante susceptionem habitus. Hieronymus Cardinalis Matthæus.

An Religiosi possint recurrere ad Superiores supremos sine inferiorum Prælatorum licentia ad ornatum Concilij Trid. sess. 25. cap. 4. de Regul.

RESOL. LVI.

VErba Concilij sunt hæc. Ne liceat regularibus à suis Conuentibus exire, etiam prætextu ad superiores suos accedēdi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prędicto mandato in scriptis obtento, receptus fuerit, ab Ordinarijs locorum tamquam desertor sui instituti, puniatur. Ita Cōcilium, quæ verba non sunt intelligenda de adeūte Superiorem ex graui causa, vt si à Superiore monasterij nimium fuerit grauatus, & inquè vexatus, sed Concilium solùm vetat, ne quis religiosus possit exire à Monasterio sine licentia Superioris, etiam vt adeat Superiorem, non autem vetat, ne grauatus grauiter per viam iusti grauaminis, & appellationis iustæ, verbo, vel facto interpositæ, possit adire Superiorem ad conquerēdum de illo. Vnde arbitror, quod licet Ordinarius iustè posset capere talem Regularem per suum territorium transeuntē, iuxta tenorem prædicti Concilij, non tamen iustè retinere, nec punire, si fidē faceret se grauatum appellasse, vel de grauamine potestatum iter arripuisse ad Superiorem, & ideò licentiam scriptam non deferre, quia noluit eam dare Prælatus, a quo appellauit, vel iustè metuit petere, vel quia ob appellationem, vel licentiæ petitionem, in carcerem iniustè coniectus fugit, & quia in tali casu non tenetur religiosus petere licentiam, nō enim consensus petendus, est ab eo, qui vexat iniquè, vel de cuius culpa corrigenda, & emendanda curatur, nec enim verisimile est voluisse Concilium punire actus licitos, & vt non possit iusta de causa recurri ad Superiorem. Et hæc omnia desumpta sunt à Sanctarello tr. de Apostas. c. 3. dub. 1. n. 11. quę ipse desumpsit à Nauarro comm. 2. de Regul. nu. 61. & commen. 3. nu. 31. ab Azorio to. 1. lib. 12. cap. 11. quęst. 7. Sayro in claui lib. 12. c. 17. nu. 40. & Rodriquez to. 1. q. 29. art. 2. & quæst. 30. art. 4. Claudam hanc resolutionem cum verbis Emanuelis Sà verb. Religio, num. 81. sic asserentis.

Non obstat Concilium Tridentinum ei, qui fugit, nimis sæuiente Superiore.

An vt valida sit professio, annus nouitiatus sumendus sit de momento ad momentum.

RESOL. LVII.

REspondent affirmatiuè doctus Acugna in comm. ad Decretum Gratian. p. 1. dist. 53. cap. 1. n. 19. Reginaldus to. 2. lib. 18. cap. 17. num. 585. Portel. in dub. Regul. ver. nouitij annus nu. 48. Bartholomeus de Vechis in praxi de nouitijs, dub. 4. disp. 11. num. 2. Zanardus in direct. Confess. p. 2. c. 26. nu. 12. Syluester verb. religio. q. 5. §. 3. & seq. c. 19. Angelus verb. nouitius, num. 7. Tabiena eodem ver. n. 4. Henriquez lib. 13. c. 4. n. 2. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 24. n. 22. & in summa tom. 2. lib. 5. c. 3. n. 31. & c. 4. n. 9. Molina de iust to. 2. disp. 573. n. 2. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 7. notan. 4. Rodriq. in qq. Reg. tom. 3. q. 15. art. 4. Graffius lib. 3. Consiliorum, consil. 6. de Regular. n. 2. Sorbus in compen. priuil. ver. nouitius, ad 6 notandum. Gratianus in discept. to. 4. c. 413. n. 16. p. 1. attentè legatur Miranda in manuali Pręl. tom. 1. q. 22. art. 3. conclus. 2. Campanili in diuersor. iur. can. rubr. 12. capit. 3. num. 4. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. capit. 13. Naidus in summ. vers. Professio, num 6. & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 35. diff. 15. num. 4. vbi sic asserit. [Hase de aduertir, que el año del nouiciado no es necessario que sea año, y dia, comos algunos imaginan; porque si esso fuera, el derecho lo senalara, si no que corre en año del momento à momento, de manera que el que recebio el habito vn dia antes de las visperas puede hazer professiõn en año singuente el mismo dia despues de las visperas, que con esso esta complido el año, sino que es menester que el año sea complido.] Ita ille.

Dicendum est igitur, quod si quis suscepit habitum Religionis 1. Ianuar. post meridiem, non potest eodem die recurrēte in termino anni, profiteri ante meridiem, sed expectandum erit punctum suscepti habitus. Vide Concil. Trident. sess. 25. c. 15. de Regular. & leg. 3. §. minorem. ff. de minoribus.

Sed quæres, an idem dicendum sit, si nouitius expleto anno nouitiatus, vt supra, tamen non attingit annum decimum sextum. Respondeo affirmatiuè ex Trident & DD. citatis, & ideò Vilalobos in sum. vbi sup tom. 1. tr. 15. diff. 20. nu. 1. sic ait. [Sedio por nulla vna professiõn con parecer de los hombres mas doctos de las vniuersidad de Salamanca, por hauerse echo seyes horas antes, que el nouicio complesse los diez, y sei años.] Vidè etiam Gratianum discep. forens. to. 3. c. 413. n. 31.

An Episcopi possint prohibere ne Regulares prędicent in Ecclesijs suorum Ordinum.

REBOL. LVIII.

SEntentiam negatiuam docent Cenedo in qq. can. quæst. 26. nu. 13. & Vegha in sum. tom. 2. c. 86. cas. 40. ex Bulla quadam Pij V. quæ incipit. Et si mendicantium. Dat. Romæ anno 1567 & licet Portel. in dub Regul. ver. Prædicatores, n. 7. Piasecnis in praxi, p. 2. c. 3. art. 6. n. 7. Franciscus Leo in Thes. fori Eccles. p. 1. c. 8. n. 9. contrarium doceant, asserentes Gregor. XIII. reuocasse dictam Bullam Pij V. tamē Laurentius de Peirinis supra priuil. Minim. to. 1. Constit. 2. Gregor. XIII. §. 2. n. 21. docet minimè dictam Bullam reuocasse Greg. XIII. & ideò speculatiuè loquendo, existimo Prędicatores Regulares posse etiam contradicente Episcopo prædicare in suis Ecclesijs, dummodo non prædicent illa hora, & tempore, quo Episcopus prædicare voluerit. Et ita docet Miranda in manuali Prælat. to. 1. q. 50. art. 3. concl. 1. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 76. n. 20. & Peirinis vbi supra interpretantes Concilium Trident. in duobus locis. Vide etiam Villalobos in summ. to. 2. tr. 35. diff. 5. n. 4.

Sed nota quod dixi, *speculatiuè loquendo*, nam vt in simili casu dicebat Suarez de Relig. to. 4. lib. 9. c. 1. nu. 9. in praxi puto dictum Concionatorem prædicare non expedire, quia scandalū potius, vel detrimentum timeri posset ex tali prædicatione, quam fructus sperari. Sed Episcopi non deberent prędicationem dictam Regularibus prohibere, quia non possunt.

An Regulares possint in foro conscientiæ vti priuilegijs suis, quæ sunt expressè reuocata per Concil. Trid.

RESOL. LIX.

REspondeo negatiuè cum Portel. in dub. Regul. verb. priuil. nu. 64. Miranda in manuali Prælat. to. 1. q. 39. art. 1. conclus. vnic. Io. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. c. 3. in dub. 6. concl. 2. & 3. Emanuel Sà verb. Religio. nu. 56. & alij.

Sed affirmatiuam sententiam tuentur Henriquez lib. 7. c. 24. in Gloss. lit. k, Vegha in summ. tom. 1. c. 62. cas. 4. Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 8. art. 9. Sanchez in sum. tom. 2. lib. 5. cap 4. nu. 16. Beia par. 4. cas. 38. Compendium Societ. Iesu ver. Concilium Trident. §. 3. Cabucinus, & alij. Et hanc. sentētiam probabilem esse putat Portel. loco cit vbi ait Et proinde qui voluerit tenere cum Rodriquez, Henriq. Capucino, & Compendio Societatis Iesu, non condemno, Ita ille. Et ratio est, quia hoc priuilegium Regularium concessit Pius V. & licet Greg. XIII. reuocauit illa, quæ Pius V. concesserat, contraria Concil. Trid. solùm reuocauit, vel pro foro externo tantùm, vel reuocauit solùm constitutiones scriptas, non verò oracula viuæ vocis, quę non sunt constitutiones. Sed an stante hac opinione possint Regulares ordinari in foro conscientiæ ante legitimam ætatem, affirmat Emanuel Sà ver. Religio. n. 56. sed optimè negat Vasq. in 3. p. to. 3. disp. 246. c. 4. n. 43.

Notandum est tamen hic obiter cum Portel. vbi sup. num. 65. quod quando Pontifices dicūt in confirmatione priuilegiorum (dummodo Sacris Canonibus, & Concilio Trid. non aduersentur) illud, *Sacris Canonibus*, non intelligitur de Decretis cōtētis in iure Canonico: his enim multa priuilegia clarè sunt contraria, sed intelligitur de Canonibus positis in eodem Concilio Trident. in illo enim sunt etiam Canones, & Decreta.

An

An expulsus à Religione teneatur se corrigere, vt licitè in illam admittatur?

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondet Conradus in respon.p.1.qu.285. Miranda in Manuali Prælat.to.1.q.52.art. 3. Aragon. in 2. 2. qu.88.art.3.Graffius in dec.p.1.lib.4.c.5. nu. 47. Philiarchus to. 1.p.2.lib.2.c.21.Molina de iust.to.1.tract.2.disp. 140.Federicus de Senis consil.134. Additionator Nauarri consil. 77. de regul. lib.3.& alij.

Mihi verò contrariam sententiam probabilis etiam videtur, quam docet Azorius to.1.lib.12.c.17.q.1.& c.16.q.6.& Nauar. consil.78.& 80.de Regul.& ideò Villalobos in sum. to. 2. tr. 35. diffic.39.n.1.sic asserit.[Es probable que los que han sido escluydos legitimamẽte de la Religion,no tienen obligacion de boluerse a ella. La razon es,porque no ay derecho, que à esso les oblígue, y assi pueden quedarse e nel siglo de baxo de la obediencia del Obispo.] Ita ille, & ante illum Nauarrus comm.2. Regul.n.36.& Rodriquez to.1.q.30.art.21.

Nota tamen quod religiosus expulsus tenetur ad votum castitatis.de obedientia autem Nauarrus,& Rodriq putant non solùm teneri ad obedientiam Episcopi,vt alij Clerici,sed etiam ratione voti. Vnde statim postquam expulsus est, debet Episcopum adire,& certiorem illum facere de sua expulsione. Sed hęc sententia mihi non placet, sicut displicuit Soto lib.7.q.11 art. 1. Azorio p. 1.lib.12 ca.16.q.11.& alijs. Dicendum est igitur, religiosum expulsum manere liberum à voto obedientiæ,& teneri tantùm Episcopo obedire,vt alij Clerici.

Sed difficultas est quoad votum paupertatis. Sotus vbi supra docet manere liberũ ab hoc voto; quia Monasterium ei alimẽta non præbet. Sed contrariũ communiter tenent, & ego puto, quod quidquid acquirit, Monasterio acquirit, vt probat Molina dicta disp.140. Verùm aduertit Villalobos vbi supr.num.10. [que podra dar limosna,y hazer donaciones mientras viue, como si no fuera religioso,no obstante que no tiene dominio,porque toda la comodidad,y incomodidad de la haziẽda, que tiene,corre por su quẽta,y post esto dize Molina, que si gasta algo cõ remetas,ò en otro mal trato trasfiere el dominio,no esta obligado el que lo recebio à restituir,mas esto no me quadra,porque no es iusto darle tanta libertad,pues no tiene dominio.] Sic Villalobos. At opinio Molinę,quam Villalobos impugnat,mihi probabilis videtur,& illam tenet etiam Ioannes Salas tr.de Ludo,dub.21.num.5.Lessius lib.2.cap.41.dub.15.nu.115. & in terminis docet Sanctarellus trac.de Apostas.c.6.dub.2.n.11. adde quod post hæc scripta inueni Ioannem Franciscum Suarez in Enchiridio cas.consc.lib.3.§. de voto obedientiæ, absolutè docere professum eiectum nõ teneri ad vota paupertatis, & obedientiæ,nec ad officium diuinum, si non est in sacris nec ad ieiunia,aliave annexa religioni.Ita ille.

An Religiosus factus Episcopus sit liber ab obseruatione votorum.

RESOL. LXI.

Communiter negatiuè respondent, sic D.Th.in 2.2.qu.185. art. 8.& q.88.art.11.ad.4.D.Bonauentura in 4.dist.38.Sot. lib.10.q.5.art.7.Syluester ver.Religio 7.n.11. Rodriquez. to. 2. q.50.art.3.Syluius in 2.2.q.185.ar.8.concl 1. Valerus in diff.ver. fori,ver.regularis,differ.5. Toletus lib. 5.c.4.n.24.& alij, quibus ego libenter adhæreo ex c.de monachis 16.q.1.

Non desinam tamen hic adnotare contrariam sententiam probabilem à multis existimati,& ita illam vocat Villalobos in sum.to.1.tr.35.diffi.40.num.6. vbi sic ait.[Algunos tienen que el Papa dispensa con los Obispos religiosos en los votos, assi lo tiene Bobadilla,que fue Padre muy docto de nuestra Orden, el fundamento de sta sentencia es vn texto en el cap.statutum, q. 1.que dize.] Statutum est, & rationabiliter secundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum,vt Monachus,quem Canonica electio à iugo Regulæ Monasticæ professionis absoluit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, veluti legitimus hæres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat[y hasse à qui de ponderar la palabra absoluti,y la palabra legitimus hæres,y la palabra,sibi, y aun la palabra de Monacho Episcopum fecit,que parece,que diga, que dexa de ser Frayle. Esta sentencia es probable, si alguno le contentara, mas esta, que otra opinion podra responder al c.de Monachis, que se entiende de decentia,y no obligacion. Y la razon de cõgruencia de S. Thomas, puedese responder,que cormo el religioso,que se passa de Orden menos estrecha,a la que es mas,no queda obligado à las cosas de perfeciõ de las que dexo,que basta cargarse de las nueuas,assi es à qui. Y como el Religioso a quien hazen Papa,no esta obligado à las cosas de la Religion. assi el Obispo]Ita Villalobos.& ante illum absolutè docuit hãc sententiam Medina de sac.homin.contin.lib.5.c.26.& 27. cum Angles in 4.qu.de voto, dub.6.concl.1.& consequenter Ouandus in 5.dist.38.propos.17.

An professus Religionem per vim, & metum possit post quinquennium reclamare.

RESOL. LXII.

Negatiuè respondet Io. Val. in diff. ver. fori, ver. regularis, diff.a.num.3.vbi sic air, Concilium Tridentinum sess. 25. cap.19.de Regul. dat quinquennium ad reclamandum his qui per vim,& metum, aut alias causas professiones annullare pretendunt. Circa quod Decretum est valdè aduertendum à Gregor. XIII. ex sententia Congregationis eiusdem Concilij fuisse declaratum post quinquennium memoratum nõ esse amplius audiendos, etiam si allegarent vim, & metum semper durasse, nisi intra ipsum quinquennium reclamauerint, idque legitimè probauerint: id aptissimum esse iudicans pro quiete, & pace singulorum Monasteriorum,quamuis de iure aliter dicendum esset, & etiam per ea, quæ adducit Nauarrus, quę cessant per dictam declarationem. Ita Valerus.

Sed his non obstãtibus contrarium tenet Villalobos in sum. tom.2.tract.35.difficult.25.num.9. vbi sic asserit.[Quando vno pretende,que su profession fue inualida por el miedo,que le puso su padre, ò otra personas durante el miedo, aunque passe el quinquennio, no le daña, porque siempre dura la causa,y ansi l'hauemos visto praticar,aunque vna declaracion de Gregorio XIII.de consejo de los Cardinales dixe.] Non audiatur, tametsi allegauerit metum, & vim semper durasse. Sic Villalobos. Notat tamen Hieronym.Rodriquez in compen. qq.Regul. resol.101.num.71.quod vt quis possit audiri post quinquẽnium, debet impetrare rescriptum à Papa,sine quo nec Superior, nec Episcopus possunt audire reclamantem,seu allegantem causas nullitatis suæ professionis, quod est petere à Papa restitutionẽ quinquennij. Et ita hanc sententiam tenet etiam, & testatur de praxi Laurentius Portel.in dub.Regul.verb. Professionis nullæ reclamatio, num.43. Alia verò dubia circa præsentem quæstionem videbis apud Barbosam de potestat.Episcopi,part.3.alleg. 104.per totam.

An qui transit ad aliam Religionem possit secum deferre scripta, vel libros à se compositos.

RESOL. LXIII.

Respondet negatiuè Villalobos in summ. tom.2.tra.35.diffic.14.nu.5.vbi sic ait.[Dize Nauarro. que de licentia presumpta podria lleuar sus escritos de mano, que fuessen inutiles à la primera religion,quales parece que son los apuntamiẽtos de los estudiãtes,porque en este caso se puede presumir la licẽcia del Superior. Mas no podra lleuar los papeles de importãcia sin licentia del Prelado.] Sic ille, & post illum Hieron. Rodriq.in comp.qq.regul.resol.123.nu.82. & Faustus in The.relig. lib.5.p.386.n.5.Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem etiam esse existimo quam alibi etiam docui,& tenet Ioan. Valerus in differ. ver. fori,ver.regularis,differ. 8. nu.2.nisi scripta sint omninò correcta per Authorem, & domus transeuntis velit illa typis mandare, vnde ait Valerus. Vidi quemdam religiosum doctissimũ secum detulisse duos libros à se compositos, nulla ad id licentia à suo Prælato petita: qui religiosus erat ex Societate Iesu, & transitum fecerat ad nostram. Ita Valerus.

An sit peccatum simoniæ dare aliquid Titio, vt Caium adscriptum faciat inter Equites D. Iacobi Calatrava, Alcant. &c.

RESOL. LXIV.

Respondet affirmatiuè Azorius tom. 3. lib. 12. c. 6. qu. 5. quia per preces Titij via ad ingressum in Religionem paratur Caio, & sicut Caius pecuniam dare non potest, vt in Religionē admittatur, sic etiam non potest dare vt sibi viam paret ad ingressum in Religionem, emere enim videtur à Titio additū ad Religionem. Ita ille, & dans, vel accipiens aliquid pro ingressu in Religionem, ligatur excommunicatione Summo Pontifici reseruata in Extrauag. 1. de simonia, vt notat Regin. to. 2. lib. 23. c. 12. n. 173. & alij.

1. Sed his non obstantibus ego existimò supradictam opinionē Azorij procedere, quando Titius daret Caio illam pecuniam, tanquam pretium emendi habitum illorum Ordinum, quod licitè fieri non potest ex c. quoniam: & c. non satis de simonia, secus autē si illam pecuniam præberet Caio gratis, & liberaliter, vel in remunerationem laborum, licet excederet eorum mēsuram, nam in isto casu possunt adesse duo contractus, vt ego ipse notaui in p. 2. mearum resolutionum moral. tr. 2. Miscel. resol. 39. Vnum scilic. emptionis laboris, & alter liberę donationis, & ita hanc sententiam expressè collegi ex D. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. & illam tenet nouissimè Barthol. de Vechis in p̃ nouit. disp. 1. dub. 3. nu. 1. & alij communiter, asserentes ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione, posse quem gratis, & spontè præbere munera Superioribus, vel alijs. Imò ego puto in tali casu licitè pactum adhiberi posse, eo modo tamen, quo explicaui cum Valentia, to. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. & Adamo Tannero in 2. 2. D. Th. disp. 5. q. 8. dub. 3. n. 76. in dicta resolutione loco cit.

Deinde notandum est, quod habere habitum dictorum Ordinum secundùm communem hominum existimationem est quid honorificentissimum: ergo quando qui præbet pecuniam pro eius susceptione, non intendit emere, vt ita dicam, Religionem, sed honorem illum pretio estimabilem quem confert habitus dictorum Ordinum, & sic Villalobos in sum. to. 2. tract. 37. diffic. 14. num. 5. sic asserit, [El que compra el habito, no quiere comprar la Religion, que antes le pesa con los votos, que estan per accidens coniunctos al habito, y el no queria sino la honra, y renta, que es à qui lo principal, y lo de mas accessorio.] Igitur nullo pacto committitur in tali casu simonia.

Adde etiā, quod quis probabiliter sustinere potest, supradictos Ordines non esse verè Religiones, vnde cessat ratio adducta ab Azorio vbi sup. & ita tenet DD. quos citat Sanctus in selectis disp. 49. num. 12. Garzias de benef. to. 1. p. 1. c. 4. n. 16. Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 12. nu. 46. & quos ego ipse citaui in 1. p. tr. 1. de immun. Eccles. resol. 49. quibus nunc addo Ioannem Franciscum Suarez in Enchiridio casuum consc. lib. 3. ver. Relig. Bonacinam in Bull. Cœn. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 3. nu. 16. Alterium de cens. tom. 1. lib. 5. disp. 16. c. 2. Zanardum in direct. Theol. p. 1. præc. 4. cap. 31. Narbonam in recopil. tom. 1. lib. 1. tit. 5. leg. 8. Glossa vnica, n. 14. & Viuianum in praxi nouiss. Iurispatronatus p. 2. lib. 6. c. 2. num. 17. vbi testatur sic fuisse decisum in Rota Romana coram Seraphino die 4. Iunij. 1587. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem die 10. Nouembr. 1609.

Nec valet dicere cum Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 29. n. 6. quod dato hos Ordines non esse verè Religiones, tamē eo modo quo sunt Religiones, habent aliquid spirituale, & inuēdibile, nam respondeo cum Aragonio in 2. 2. qu. 100. artic. 4. & alijs. quod quamuis ordinentur huiusmodi Religiones vltimatè ad diuinum cultum, prorsus tamen eorum finis est quid temporale, sc. militia; sed cum non vltimi, sed proximi finis sit habēda ratio, non erit simonia, dare aliquid, vt quis in Ordinibus adscribatur, & ideò Raphael de la Torre to. 2. in 2. 2. D. Tho. q. 100. art. 4. disp 3. Villalobos, Suarez, Aragonius, & alij penes ipsos docent, non esse simoniam, si Rex vendat las Encomiendas supradictorum Ordinum.

Sed instabis dicendo supradictos Doctores, asserere quidem, non esse Simoniam vendere dictas Encomiendas, tamē omnes asserunt, si Rex hoc faceret esse peccatum mortale. Ergo hoc etiam dicendum est in casu nostro. Respondeo negando cōsequentiam; nam in casu, de quo loquimur, Rex ad preces tantū alicuius priuati sine vllo pretio, & pecunia confert habitum Equiti habenti, vt suppono, omnia requisita necessaria, Eques verò est ille, qui pro labore, ab intercessore suscepto, dat ei in pretium aliquam pecuniarum summam, quod si excedat laboris mensuram, dum dictus Eques, vt omnes facere possunt, illud plus, quod labor ille non meretur, gratis, & liberaliter remittat, nescio quo pacto in tali negotiatione culpa interueniēte possit. Saluo semper meliori iudicio, & præsertim præstantissimorum Hispaniæ Doctorum, quibus hęc corrigenda humiliter, & ex corde submitto.

An sit contra paupertatem inscio Superiore ex nummis, à pœnitentibus acceptis, libros emere, dummodo Religiosus expositos illos in cubiculo teneat?

RESOL. LXV.

Negatiuè respondi in tract. de Paupet. Relig. resol. 26. cum Azorio, Fabro, Coriolano, & Homobono. Hæc sententia aliquibus displicuit, sed sine fundamento, & ratione, & ideò illam iterum nunc teneo, & pro eius cōfirmatione adduco celebrem doctrinam Antonij Perez viri doctissimi in regul. D. Benedicti c. 33. dub. 5. nu. 135. vbi asserit, posse Monachum inconsulto Prælato accipere aliquod munus à patre, fratre, vel amico animo non occultandi, sed palam habendi illud, cum non accipiat illud suo, sed Monasterij nomine, cui acquirit, quidquid acquirit, & ad hoc faciendum semper intercedit generalis, licet tacita, Prælatorum licentia, quæ ad illius rei honestatem sufficit. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docet Ioann. Franciscus Suarez in Enchiridio cas. consc. lib. 3. ver. de voto paupert. fol. 255. vbi sic ait. Non est proprietarius religiosus emens libros ex pecunia sibi donata inscio Superiore, si illos penes se retineat tantùm ad vsum, idque palam inter cæteros libros, quos habet de Superioris licentia, Sic ille.

Nota etiā hic obiter primò, quod religiosus non peccat contra paupertatem, si absque Superioris licētia accipit pecuniam, vt ipse libere disponat de illa in eleemosyna nomine eius, qui dedit. Et pro hac sententia vbi supra in resol. 29. citaui Sanchez, & Fagundum: quibus nunc addo Petrum de Ledesmam in addit. ad sum. tr. 32. c. 4. diff. 12. fol. mihi 111. col. 1. & Ioannem Franciscum Suarez vbi supr. fol. 256. §. Accipiens pecuniam.

Nota secundò quod non est contra votum paupertatis religiosum in depositū res accipere, ita vt deponens omne ius dominij, ac possessionis retineat, tametsi tali modo pecuniæ v. g. fractæ sint apud religiosum, vt ijs vti possit, petita postea, & impetrata Superioris licentia. Item sæpe præsumi potest Superiorem inuitum non esse, vt quæ religioso ad suum vsum concessa sunt v. g. breuiarium, aut vestem cum alijs cōmutet, quæ sibi magis accommodata videntur præsertim si permutatio instituatur cū domesticis, imò etiam cum externis, si quę recipiuntur similia, aut ęqualia sint. Interdum verò licet inuitus sit Superior quoad modum, quia talia efficiunt ipso non rogato: non tamen inuitus est quoad rem ipsam, ac proinde culpa mortalis non committitur. Vnde Doctores, quos citaui vbi supra, resol. 17. 38. & 42. quibus nunc addo Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 5. c. 7. nu. 4. & Perez loco cit. n. 109. & 126.

Nota 3. quod est opinio probabilis illa, quę docet, religiosum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsus, qui sibi placuerint, aut in suas honestas recreationes, si in vsus turpes expendat, non peccare contra votū paupertatis, & accipiens in tali casu non tenetur restituere. Ita ex Dominicanorū familia Bannez in 2. 2. q. 62. art. 5. Lopez de contr. lib. 2. c. 40. verū non autem religiosus, & ex Societate Iesu Rebellus p. 2. lib. 12. q. 4. sect. 2. n. 6. Io. Franciscus Suar. vbi supr. licet magis probabiliter contrarium doceant alij, quos ego alibi citaui.

Nota 4. quod cum religiosus donat alteri, siue eiusdem, siue alterius Conuentus, an requiratur licentia tam in dante, quam in recipiente, affirmat Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. nu. 71. Sed quoad religiosum alterius Conuentus res est certa. Verùm quo ad religiosum eiusdem Conuentus, ego teneo contra Sanchez, non esse necessariam licentiam in recipiēte. Ratio est, quia dare, & recipere sunt correlatiua, sic ergo huic datur licentia dandi; ergo & alteri recipiendi; quod enim in vno correla-

relatiuorum statuitur, etiam in reliquo locum habet, ex leg. 1. & 2. C. de cupress. li. 11. sicut cum datur subdito licentia recipiendi ordines ab alieno, eo ipso ratione connexionis videtur data facultas alieno conferendi. Et ita nostram sententiam aduersus Sanchez tuetur Ioannes Franciscus Suarez vbi supra in Enchiridio cas. cons. ver. de voto paupert., §. cum Religiosus donat.

An pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, lat in Bulla Pij V. contra introducentes fœminas in Monasteria, incurratur absque iudicis sententia.

RESOL. LXVI.

Affirmatiuè respondet Sayrus in claui Regia lib. 3. c. 10. n. 35. Bonac. de clausura to. 1. q. 5. punct. 3. n. 2. iuncta qu. 1. punct. 4. num. 7. Merolla in disp. Theol. to. 1. c. 2. diff. 10. nu. 253. & alij penes ipsos, quia in Bulla supradicta imponitur dicta pœna non solùm ipso facto sed sine alia declaratione, ergo.

Hęc opinio est probabilis, sed ego probabiliorem negatiuam sententiam existimo, quam tuetur Sanchez. in sum. tom. 2. l. 6. c. 17. num. 39. & illa verba absque alia declaratione, intelligenda sunt de declaratione pœnæ. Fundamenta huius sententiæ adducit ipse Sanchez to. 1. lib. 2. c. 22. nu. 10. & c. 39. num. vlt. & ita intelligenda etiam esse existimo similia verba apposita à Clem. VIII. in Bulla de largitione munerum, vt doctè adnotauit Sousa in illius explicatione, num. 102. & à Gregor. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Dubia quæ emergunt contra Prælatos ingredientes monasteria Monalium*, vt tenet Suarez de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 7. n. 10. cum alijs, & à Paulo II. in extrauag. ambitione, de reb. Ecclesiæ non alien. vt notauit Henriq. li. 13. c. 56. n. 41. Graffius, in decis. p. 1. lib. 2. c. 11. n. 41. & alij.

Notandum est tamen hic obiter, stando in prima sententia, contra Graffium p. 1. lib. 4. c. 23. nu. 12. posse Generales, & Prouinciales Religionum exemptare, & dispensare in supradictis pœnis, & ita tenet Rodriq. to. 1. q. 14. art. 17. non autem Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ, quia dictæ pœnæ non sunt cęsurę.

Notandum est etiam hic præter supradictas pœnas, introducentes fœminas in Monasterijs incurrere excommunicationem per Bullam Pij V. Pontifici reseruatam, de qua secundùm Riccium in praxi to. 1. resol. 544. n. 5. & alios, Episcopus, etiámsi sit occulta, non potest absoluere. Sed contrarium dicendum esse puto cum Merolla vbi suprà, nu. 527. qui me ipsum citat in tract. 2. Miscellan. resol. 35. quod etiam dicendum est de Confessario virtute Bullæ Cruciatæ. Nam sicuti Episcopus potest dictam excommunicationem absoluere, incurrunt etiam supradicti in suspensionem à diuinis, de qua contra Sorbum in compen. Priuil. ver ingressus Monasteriorum. n. 11. & Rodriquez in expositione huius motus, nu. 34. non solùm semel, sed toties, quoties potest Confessarius cum Bulla Cruciatæ absolutionem impendere in foro conscientiæ, etiamsi causa fuerit deducta ad forum contentiosum, vt notat Merolla vbi supra, nu. 525. & Sanchez in sum. tom. 1. lib. 6. c. 17. n. 41. Sed ad alia transeamus.

An ingrediens Monialium Monasteria cum licentia, si tamen finito ministerio multo spatio ibi moretur ob malum finem, non solùm peccat mortaliter, sed etiam incurrat in excommunicationem latam à Gregor. XIII.

RESOL. LXVII.

Affirmatiuè respondet Bonac. de Clausura to. 1. q. 4. punct. 4. n. 22. & nouissimè Merolla in disp. Theolog. mor. tom. 1. disp. 1. diffic. 7. nu. 498. ex quo fit ab hac excommunicatione non posse absoluere Religiosos habentes priuilegium absoluendi à casibus summo Pontifici reseruatis, quia hic casus excipitur à Clemen. VIII. in quodam Decreto. Nam in illo reperitur violatio clausuræ. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem, & tutam in praxi existimo, & ideò illam tenet Sanchez in sum. to. 2. lib. 6. c. 16. num. 69. quia sic ingrediens non ingreditur absque licentia, contra quem Summus Pontif. excommunicationem tulit, & hanc sententiam tenet etiam Zerola in praxi, ver Moniales, ad 8. quæsitum. vbi asserit, non incurrere censuras ex causa iusta, & legitima licentia ingredientem, si cum Moniali intra Monasterium fornicetur.

Ad argumentum verò, quod pro affirmatiua sententia adducit Merolla, nempè motum Gregorij XIII. non esse odiosum, sed fauorabilem, respondeo, quod contrarium asserunt Doctores, & nouissimè inter illos Hieronymus Rodriquez in Compen. qq. regul. resol. 26. num. 18. & ideò non videtur extendendus. Vnde puto cum Suarez to. 4. de Relig. lib. 1. cap. 7. n. 5. Sanchez lib 6. cap. 16. num. 3. & c. 77. num. 5. & alijs, quod sub prædicto motu proprio Greg. XIII. & prohibitione Concilij Trid. sess. 25. c. 5. de Reg non comprehenduntur Reges, Reginæ & Cardinales; licèt contrarium asserat Merolla vbi supra diff. 3. n. 470. Constitutio enim pœnalis non comprehendit personas supradictas tam insignes.

Notandum est hic obiter primò, quod Confessarius potest intrare clausuram, non solùm quando Regula confiteri præcipit, sed etiam quoties infirma dixerit se indigere Sacramento Pęnitentiæ, & ita ex Rodriquez notat Portel in dub. regul. ve. clausura Monalium, num. 9. & post illum Villalobos in summa to. 2. tract. 35. diffic. 47. n. 4.

Nota etiam secundò cum ipso Villalobos diffic. 46. num. 12. (que no es causa obstante el hazer la elecion de Abadessa, ò Priora, paraque el Obispo, ò Prelado entren en el monasterio, que esto se puede hazer por la parte de afuera, recibiendo los votos a la craticula, conforme al Concilio Trident. sess. 25. ca. 7. de Reg. Mas estenderse esto hablando regularmente, proque si se diesse caso, en que las monias estuuissen inquietas, y huuiesse sospecho de soborno, fuerza, o otra causa iusta por donde s'entendiesse: que no se haria canonicamente la elecion, si no entrassen alla à tomar los votos, se podria hazer, porque esta es causa necessaria, y tal podria ser el alboroto que fuesse necessario entrar seys, o ocho frayles) Ita ille, & ego.

Nota tertiò contra Naldum in sum. ver Clausura, n. 3. Vgolinum de potest. Episc. c. 21 § 3. nu. 3. Comitolum li. 6. q. 22. Fuscum de visit. lib. 1. c. 18. nu. 25. quod infantes nondum doli capaces, possunt in monasteria Monialium admitti nec esse inclusos sub prohibitione Greg. XIII. & Concil. Trident. vbi supra. Et ita tenet Io. de la Cruz de statu Relig. li. 1. c. 5. dub. 2. conclus. 4. Granado in 1. 2. D. Tho. contro. 7. tr. 3. p. 1. disp 6. sect. 5. Suarez de Relig. to. 2. lib. 6. c. 16 nu. 4. & alij, quos ad satietatem adducit & sequitur Merolla vbi supra, quibus ego addo Hieronymum Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 26. nu. 7.

An derogatio in amplissima forma priuilegiorum Societatis Iesu, & nostræ Religionis valeat, & præiudicet, si non fuerit dictis Religionibus intimata, & insinuata.

RESOL. LXVIII.

Respondeo negatiuè, quia priuilegium, in cuius reuocatione requiritur certa forma, non dicitur reuocatum, ea non seruata. Sed Gregorius XIII. concessit Religioni Societatis Iesu, vt nulla derogatio sub qualibet amplissima forma præiudicet priuilegijs dictæ Societati concessis, si non fuerit intimata, & dictis Patribus insinuata, ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Flauius Cherubinus in compen. Bullarum. to. 2. constit. 1. Greg. XIII. scol. 2. & ante illum M. Antonius de Amatis dec. 17. per totam vbi refert ita decisum fuisse à Rota prouinciæ Murchiæ, & refert verba priuilegij Greg. XIII.

Nota tamē hoc priuilegio gaudere etiam nostram Religionē per ea, quæ adducit Peregrinus in comp. nostrorum priuil. p. 4. ti. confirmatio priuilegiorum §. 4. in scholio. Vbi sic ait. Nostra Congregatio gaudet omnibus, & singulis priuilegijs concessis, & concedendis Societati Iesu vt patet infra titul. priuilegia. §. 3. & non solùm ad instar, sed æquè principaliter. vt patet ex alio priuilegio Gregorij Decimitertij nostræ Religioni concesso, quod est in principio primę partis compendij nostrorum priuilegiorum, §. 4. Ergo quando priuilegia sunt ei confirmata ex certa scientia, sunt etiam nobis confirmata æquè principaliter; quia confirmatio priuilegiorum est noua gratia, & nouum priuilegium, vt docet Suarez de legibus lib. 8 cap. 19. à n. 8. vsq. ad finem capitis, sed præcipuè nu. 10. facit ad casum nostrum. Hæc omnia Peregrinus. Dicendum est igitur non valere derogationem priuilegiorum Societatis Iesu, & nostræ Religionis, si non fuerit nobis intimata, & insinuata, quia ita disposuit Gregorius XIII.

Nota

Non desinam etiam hic adnotare priuilegium concessum nostræ Religioni, quod adducit Hierony. Rodriq. in compend. qq. regul. resolut. 20. num. 6. vbi sic asserit. Item fratres Minores prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, vel etiam Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum lectioni, ac studio insistentes, possunt vti alio priuilegio Clem. Septimi concesso Clericis Sancti Syluestri de Vrbe, alias vocantur Theatini, dicendo saltem sex, aut septem Psalmos assignandos à Prælato, cum septem Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum, loco Horarum Canonicarum. Ita Rodriquez Et hoc est maximum priuilegium, in quo etiam apparet cõtra aliquos, nostram religionẽ fuisse institutam ad salutem animarum, & cum exercitijs studiorum, vt patet ex verbis Pontificis, priuilegium supradictum concedentis in primordijs dictæ Religionis.

An peccata fornicationis inter Regulares dicantur contra bonum publicum.

RESOL. LXIX.

Quando crimina sunt contra bonum commune, potest Index procedere per viam inquisitionis contra delinquentem particularem, etiam si cõtra ipsum non sit aliqua probata infamia, & aliqui asserunt esse denũcianda sine præuia correctione fraterna; ideò maltum scire conducit, an peccata carnis in Religionibus sint contra bonum commune. Prima opinio, quam ego teneo, affirmat, & tuetur Mirand. in ord. iudicatio, tom. 1. q. 11. art. 2. concl. 2. Aldrete de Relig. discipl. tuenda, l. 1. c. 5. §. 4. num 29. Ioseph de Sancta Maria in Tribun. Religio. tract. 2. c. 3. §. 2. & alij. Secunda opinio negat, quam docet Rodriquez de ordine iudic. c. 3. nu. 5. Spatharius in Praxi corrig. regul. tr. 3. c. 8. num. 9. & alij. Tertia opinio est media, & concordat duas præcedentes, quam inuenies apud Ioannem Valerum in differ. vtr. fori, ver. Inquisitio, diff. 1. num. 6. vbi sic asserit, Peccata fornicationis in Religiosis, vbi timeri potest publicatio, puto vergere in damnum totius Religionis, secus vbi est adeò secretum, & cum tali persona, vt verisimiliter credatur nunquam detegẽ; & ita concordari possunt Miranda, & Rodriquez, qui in hoc sunt contrarii, nam Miranda tenet vergere in damnum publicum, Rodriquez negat. Ita Valerus, quem sequitur Thomas à Iesu lib. de visit. Regul. tract. 1. c. 12. nu. 6.

Notandum est tamen hic obiter primò, quod etiam stando in prima sententia, quãdo fornicatio committeretur semel, vel bis tunc dici non deberet vergere in perniciem publicam, & ita in casu fortiori de crimine nefando docet Pitigianus in Praxi criminali Regul. cap. 11. in addit. lit. A, in fine, sed in hoc casu consuletur prudens Confessarius.

Nota secundò cum Miranda loco citato, quod etiam stando in prima sententia, in his criminibus adhibenda est fraterna correctio, quando speratur, quod etiam in casu fortiori, nempè heresis, & sollicitationis, docent DD. quos ego ipse citaui in tractat. de denũciationibus resolut. 2. & ideò ponam hic verba Octauij Spatharii vbi supra in praxi de modo corrig. Regul. tr. 6. c. 4. n. 3. sic asserentis. Ordinem præscriptum à Christo Domino in Euangelio circa correctionem fraternam essentialissimum arbitror in Religionibus. vt millies dixi, & qui nunquam sine grauissima culpa omitti possit, quando est ei locus, & qui vtinam seruaretur, nam eo seruato, non essent in Religionibus tot controuersiæ, tot æmulationes, tot contentiones, tot persecutiones, tot mortales inimicitiæ, tot scandala, & præcluderetur aditus omnis, & omnis via inquietis, & maleuolis, & Religiones fruerentur summa pace, charitate summa, summa concordia, & summa Regulari obseruantia. Hæc Spatharius, quæ nõ procedunt si in aliqua Religione quis circa hoc cederet iuri suo, vt supra probatum est de Societate Iesu.

An recipere possit professionem sollennem simplex Religiosus, delicentia tamen sui Superioris.

RESOL. LXX.

De hoc casu his diebus interrogatus sui, & prima facie videtur respondendum quod non, per verba Ioannis Valeri in differ. vtr. fori, ver. Regularis, diff. 4. nu. 5. vbi sic ait. Potest incorporare professum in Monasterio, vel Prælatus Monasterii vel alius Prælatus de proprii Prælati licentia. Ita ille, licet loquatur in ordine ad forum externum.

Sed ego tunc affirmatiuam sentẽtiam docui per ea, quę asserit Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 12. dub. 1. nu. 17. Cuchus in institut. lib. 3. tit. 1. de Reg. num. 54. & doctissimus Villalob. in summ. to. 2. tr. 5. diffic. 20. n. 5. vbi ita ait. [La profession se ha de hazer en manos del Prelado dela Religion, que es el que puede con el conuento recebirle, y assi no bastaria, que professasse en manos del Obispo de lugar, si no es en los conuentos, que estan sujetos a el. Mas podria lo hazer de mandato del Prelado, no solo el Obispo, pero tambien vn Clerigo, y aun lego.] Sic ille. qui etiam plus addit nu. 6. ita asserens. [Mas si sucìedesse que algun frayle recebiesse vn nouicio a la professión en nombre del Prelado sin tener mandato del paraesso, en tal caso, si sabiendolo el Prelado lo tuuiere por bien, valdria la professión, y será professo desde el punto de la ratih abicion.] Hæc Villalobos, & ego. Vnde si in nostra Religione Præpositus detineatur aliquo impedimento in die, qua professionem aliquis ex nostris efficere debet, licentia illius non solum Vicarius, sed etiã quilibet vocalis, vel simplex Sacerdos ex nostris poterit inter Missarum solemnia dictam professionem recipere. Et hæc omnia contra Valerum procedunt, non solùm in foro poli, sed etiam in foro fori.

An Prælati Regulares possint commutare, & dispensare vota Nouitiorum.

RESOL. LXXI.

Negatiuam sententiam tenet Azorius, p. 1. lib. 12. cap. 19. q. 21. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto. c. 11. n. 9. Sayrus in Clau. Regia lib. 6. c. 11. nu. 92. & alij, quia Prælatus Religionis non habet simpliciter iurisdictionem Episcopalem in Nouitium, ergo &c.

Sed tu tene affirmatiuam sententiam, quia licet Prælatus non habeat potestatem dominatiuam in Nouitium, habet tamẽ in illum potestatem Ecclesiasticam: & ita hanc sententiam tenet Heoriq. lib. 7. de indul. c. 22. num. 7. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 13. nu. 80. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 39. nu. 17. Faustus in Thes. Relig. lib. 3. q. 27. Miranda in manuali Prælat. tom. 2. q. 32. artic. vlt. Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. dispu. 10. dub. 6. num. 2. Tamburinus de iure Abb. to. 2. disp. 18. q. 3. nu. 2. & Portel. in dub regular ver dispensare, num. 13. vbi sic ait. Vota nouitiorum non possunt Prælati irritare, quia non habent erga illos potestatem dominatiuam, nec similiter Abbatissæ possunt irritare vota Nouitiarum, possunt tamen Prælati vota Nouitiorum, & Nouitiarum commutare, & dispensare. Ita ille.

An Prælati Regulares possint absoluere suos subditos à casibus Bullæ in Cœna Domini.

RESOL. LXXII.

Affirmatiuè respondet Suarez de relig. to. 4. tract. 8. li. 2. ca. 21. per totum & nouissimè Hieron. Rodriq. in compen. qq. regul. resolut. 3. num. 3. vbi sic ait. Prælati Regulares possunt absoluere suos subditos à casibus Bullę Cœnæ Domini, non obstante noua reseruatione ipsorum, quæ quotannis fit in publicatione dictæ Bullæ. Ita ille. Et hanc sententiam mordicus etiam defendit Peirinus in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 5. num. 6. cum seq. & Portel. in addit. ad dub. regul. ver. Abbas, num. 8. Vide etiam Emanuelem Rodriq. in qq. regul. tom. 1. q. 20. art. 9. Vegam in summ. tom. 1. c. 49. cas. 1.

At his non obstantibus Sigismundus à Bononia tr. de elect. dub. 79. numer. 13. Ascanius Tamburinus de iure Abb. tom. 2. disput. 14. q. 15. num. 3. Ioan. de la Cruz de statu relig. lib. 1. ca. 6. dub. 15. concl. 1. Zanardus in direct. theol. par. 2. cap. 17. Naldus in sum. ver. nouitius, num. 7. Vechius in praxi nouit. disp. 9. dub. 6. num. 3. Graffius in appen. lib. 1. cap. 7. num. 22. & alii penes ipsos, asserunt non posse Prælatos Regulares absoluere neque Professos, neque Nouitios à casibus Bullę Cœnæ. Sed ego in controuersia tam graui cum Miranda in manuali Prælat. tom. qu. 9. art. 20. iudicis officium agere nolo; ideò de illa penes alios sit iudicium, seu consulatur Summus Pontifex.

(:)

An

An Nouitij gaudeant priuilegijs professis alicuius Religionis concessis.

RESOL. LXXIII.

NEgatiuè respondet Rodriq. in qq. Regul. tom. 3. q. 51. art. vlt. & Portel. in dub. Regul ver. nouitij annus, nu. 53. vbi sic ait. Nouitius directè, ac propriè solùm gaudet priuilegio canonis, alijs verò priuilegijs gaudet, quæ conceduntur Professis, nisi exprimatur de Nouitijs. Ita ille.

Sed cōtrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Suarez de Relig. to. 3. lib. 5. ca. 16. num. 17. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 39. num. 13. & tom. 5. libr. 6. c. 10. in fin. Riccius in pr. to. 4. resol. 24. num. 2. Azor. to. 1. lib. 12. c. 2. q. 10 Henriq. lib. 7. Sayrus de cens. lib. 7. c. 13. numer. 6. quia licet Nouitius non sit verè, & in effectu Religiosus, in fauorabilibus tamen habetur tanquam Religiosus, & Professus, & largo modo Nouitius dicitur Religiosus, & Monachus, vt benè notat Rebuffus in pr. benef. tit. de dispens. cum Regular. nu. 23. qui testatur Cancellariam Apostolicā vocare Nouitium Monachum, quę omnia magis corroborantur ex priuilegio speciali concesso Generali Societatis Iesu, cuius vigore omnia Societatis Priuilegia Nouitij communicare valent, vt patet in compend, priuilegio. dictæ Societatis, tit. communicatio. nu 5. vnde nostra Religio, & aliæ ratione communicationis hoc priuilegio gaudebunt.

An Nouitius etiam Patrum Minorum, aut Cappucinorum possit in suo testamento reseruare electionem puellarum, quibus suus hæres debet quotannis soluere certam pecuniarum summam.

RESOL. LXXIV.

REspondet negatiuè Politius in Regul. Cappuc. c. 6. num. 77. & alij, qui docent supradictos Religiosos non posse suscipere vltimarum voluntatum executionem ex Clem. Exiui. §. Proinde, de verb. signific.

Sed ego contrarium puto, etiamsi Nouitius sit ex fratribus Minoribus, seu Cappucinis, quia in tali casu cessat ratio dictæ Cle. non enim adsunt litigia, & pecuniæ contrectationes, seu administrationes. Nota tamē quod supradicta nominatio puellarum debet fieri cum licentia Superioris. Et hæc omnia docet Barthol. de Vechis in Pr. Nouitiorum, disp. 8. dub. 13. numer. 2. & alij penes ipsum.

An sit licitum Religioso suum testamentum, ante professionem factum declarare.

RESOL. LXXV.

SEntentiam negatiuam tenet Mirand. in man. tom. 1. q. 23. art. 10. & alij penes Gasp. Thes. in qq. forens. l. q. 56. nume. 3.

Sed contrariam sententiam, & meritò tenet Reginaldus to. 2. lib. 18. c. 27. nu. 397. Moneta de commut. vlt. volunt. c. 5. qu. 1. nu. 14. & alij quos nouissimè affert Barthol. de Vechis in pr. nouit. disp. 18. dub. 12. num. 2. quibus ego addo Hieronymum Rodriq. in compen. qq. Regular. resol. 101. nu. 50. qui citat Sanch. in sum. tom. 2. lib. 7. c. 11. n. 16.

Dico igitur posse Religiosum, etiam minorem Cappucinum declarare suum testamentum ante professionem confectum, dummodo tale testamentum dubiæ, vel obscuræ voluntatis interpretatione indigeat, & Religiosus declarationem verbis cōuenientem proferat. Vide Gozadin. cons. 41, num. 15. 16. & 17. Ratio est, quia in tali casu Religiosus non disponit aliquid, sed ostendit, quid actum sit in præteritum.

An Episcopus possit excommunicare Regulares nolentes ad processionem accedere.

RESOL. LXXVI.

REspondet affirmatiuè Riceius, Genuensis, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 78. n. 15. & ita declarasse Sacram Cardinaliū Congregationem testatur.

Non desunt tamen Doctores contrarium sentientes, & præter Sanchez, Henriquez, & Rodriquez, quos citat Barbosa, docent etiam hanc sententiam Tamburinus de iure Abbat. to. 1. disput. 19. q. 7. num. 7. Scortia in Bull. Pontif. Theorem. 393. Peirinus in priu. Minim. tom. 1. const. 11. Sixti IV. num. 60. Portel. in addit ad dub. regul. ver. Episc. nu. 5. & Villalobos in sum. to. 2. tr. 35. diffic. 5. nu. 17. vbi sic asserit [Duda es, si en los casos, que los religiosos estan sujetos à los Obispos, como en obligarles à yr a las processiones, los puede compeler por descomuniones y censuras. A lo qual respondeo, que supuesto, que los mendicantes tienen priuilegio especial, para que no los puedan descolmulgar, ni poner otras censuras, no se las podran poner los Obispos, si no es quando especialmente se les concede, come se haze en el concilio en alcunos casos particulares, y ansi no los podran compeler con censuras en el caso de las processiones, y otros, donde no tienen especial comission para esso.] Ita ille. qui multos alios Doctores citat.

Ad declarationem Cardinalium dicendum est, quod de illa non constat authenticè. Imò nouissimè Hieronymus Rodriq. in compen. qq. regul. resol. 118. num. 1. ex Quaranta, & Portel. in addit. ad dub. Regul. ver. Processiones, nu. 1. ex Barbosa, notant Sacram Cardinalium Congregationem pluries determinasse non posse Regulares compelli ab Episcopo per censuras ad processiones, & ideò a nostra sententia non est recedendum.

An Regulares possint facere processiones extra conuentum sine licentia Episcopi.

RESOL. LXXVII.

AD istam quæstionem sic respondet Villalobos in sum. to. tr. 35. diffic. 5. nu. 9. [En lo que toca a Processiones dize Rodriquez in addit. ad sum. tom 4. cap. 105. num. 5. que los Religiosos no las pueden hazer de derecho comun fuera de sus conuentos, porque no tienen territorio. Mas el Padre Portel. in dub. Regul. ver. Processiones, num. 8. dize que siempre ha visto practicar, que los Religiosos sino licencia del Obispo hagan processiones fuera de sus conuentos.] Ita ille. Vnde Tamburinus de Iure Abbat. to. 1. disp. 15. q. 7. nu. 39. Hieron. Rodriquez in compend. qq. Regular. resol. 118. n. 10. existimat in hoc standum esse consuetudini locorum, & Iacobus de Graffis cons. 2.. de Regul. opinatur Regularibus licere per triginta passus extra ambitum conuentus processiones facere.

Non reticeam tamen Barbosam de potest. Episcop. p. 2. Allegat. 78. num. 7. & alios penes ipsum, docere, non posse Regulares dictas processiones facere extra Conuentum sine licentia Episcopi, & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem sub die 2. Iulij 1620. quod etiam testatur Peirin. in Priu. Minim. tom. 2. Constit. 7. Pij. V. §. 10. nu. 11. ad 8. & hic Panormi obseruatur.

Nota tamen quod ex eadem declaratione Cardinalium obseruat Peirinus vbi supra, processionem Rosarij posse fieri per totam ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retro annis seruata, & in quatuor festiuitaribus B. Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis.

An Prælati Regulares teneantur emittere professionem fidei.

RESOL. LXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam præcipit Pius IV. in sua constit & docet Hieronymus Rodriq. in compend. qq. Regular. resolut. 67. num. 1 Emanuel Rodriquez in qq. Regul. tom. 2. q. 72. art. 1. Riccius p. 4. dec. 83. num. 1. Ricciullus trac. de iure p. 5. lib. 1. c. 13 num. 5. Barbosa de potestate Episcopi p. 2. allegar. 61. n. 7. & alij penes ipsos.

At fere in omnibus Religionibus vsus est in contrarium, & ideò Pręlati ad hanc fidei professionē nō tenentur. Vnde Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 8. q. 3. nu. 3. sic ait. In illis Religionibus, in quibus constitutio Pij IV. non est vsu recepta, vel est contrario vsu abolita, Prælati Regulares non tenentur ad fidei professionem emittēdam, & Hieronymus Sorb. in annot. ad compen. priuileg. tit. Professio fidei; dicit Sacram Cardinalium Congregationem respondisse prædictam constitutionem

quo

quo ad Prælatos Regulares non esse in vsu, atque ita pariter consuluisse alios doctissimos viros, & ita in praxi obseruari, quidquid dicant alij, & reiecta hodie in Religionibus prædicta constitutio non obseruatur. Ita Tamburinus, & de dicta praxi testatur etiam Portel.in dubijs Regul.ver.professio, nu. 3. & illam approbat Sigismundus à Bononia tr.de elect.p.1.cap.7.du. 50.nu.7.& Villalob. in sum. to.2 tr.1.diffic.6.num.3. vbi sic ait. (Aduierto que aunque el Concilio Tridentino no obliga à los Prelados à hazer la profession de la fe: los obliga Pio IV. en vn moto proprio, aunque sean de los Ordines militares. Mas esto en muchas religiones no està en vso, y donde no lo estuuiere, no obligarà.) Ita ille,& ego cum Sanchez in summa,tom. 1. li. 2.c.5.n.3.quidquid asserat Barbosa vbi supra.

Sed maius dubium est circa Regulares lectores Philosophiæ ac Sacræ Theologiæ, an inquam teneantur emittere fidei professionem? Portel.vbi supra in dub.Regul.vers. Professio fidei, num.3.affirmatiuè respondet,cum Rodriquez asserit Prælatos Regulares aliter promouentes Lectores in suo ordine incurrere pœnas positas in 2.Bulla Pij IV.sed si in aliqua Religione dicta Bulla non fuit vsu recepta, vel per contrarium vsum fuerit abrogata, vt supra de Prælatis dictum est, non condemnarem Lectores dictam professionem fidei minime facientes.

An sit prohibitum Regularibus studium Iuris ciuilis.

RESOL. LXXIX.

Respondeo affirmatiuè ex cap.2. ne Clerici,vel Monac. lib. 6.quando principaliter Monachi, vel Clerici ius ciuile audiunt;secus autem si ad cognitionem iuris Canonici illi studio incumbunt,& ideò ferè omnes Regulares legum studio incumbentes excusari possunt, quia hoc facere possunt in ordine ad melius addiscendum ius Canonicum, & ita tenet communi ter DD. quos alibi citaui.

Tantùm hic obiter addam contra Sanchez in sum.to. 1. li.6. c.8.nu.82. quod sufficit licentia Prælati facta Religioso, ad existendum in studio,nec requiritur consensus conuentus, sed vt pluri mùm consilium, quod quidem non tenetur sequi Superior,& ita ex multis docet Hieronymus Rodriquez in compen. qq.Regul.resol.97.n.15.

An Regulares possint celebrare vbique in altari portatili, etiam in domibus sæcularium.

RESOL. LXXX.

Respondet negatiuè Miranda in Manuali Prælatorum, to. 1.q.40.art.9.citans Suarez pro se idem sentientem.

Sed Laurentius Portel.in dubijs Reg. ver.Altare,nu. 1. contrariam sententiam tenet, & ideò asserit posse Regulares non contra dicente Episcopo celebrare in domibus sæcularium in altari portatili,seruata debita decentia extra cameras, vbi dormiunt,& in plateis,& castris,& in grangiis, & citra vllum dubium posse hoc facere Fratres itinerantes dicendum est. Ita Portel.qui citat pro hac sententia Io.de la Cruz, Ledesmam & Rodriquez.

An alia Religiones gaudeant Priuilegijs concessis Societati Iesu cum limitatione, ne illis aliqua Religio communicet.

RESOL. LXXXI.

Respondet negatiuè P. Suarez lib.8,de legib. c. 17. propè finem. sed ego contrariam sententiam teneo cum Rodriq. in qq.Regul. to.1.q 55.ar.17. & Ioan.de la Cruz de statu Relig. li.2.c.4.§.2.& ideò per Priuilegia concessa dictæ Societati possunt alij Regulares ordinari absque interstitijs,& extra tempora absque examine de cantu ab Episcopo,& similia,& hoc propter amplam confirmationem, & extensionem Priuilegiorum concessorum à sequentibus Pontificibus alijs Religionibus.

Nota verò, quod omnes concedunt, quod quando Pontifices concesserunt Priuilegia Societati Iesu tali modo, vt subditi illius non cõmunicent illis,nisi concedantur illis à suo Generali; hæc limitatio non ligat alios Regulares, sed inconsulto suo Generali gaudent illis Priuilegijs. Vide Mirandam in Manuali Prælat.tom.2.q.46.art.5.ad fin. Portel.in dub.Regul.ver. Priuilegij communicatio,n.23.Suarez,Rodriquez vbi supra.

An Prælati Regulares omittentes informationes, quas præcipit Sixt.V.in receptione Nouitiorum,peccent mortaliter.

RESOL. LXXXII.

Ad hanc quæstionem respondet Bartholomæus de Vechis in Praxi nouitiorum,disp.6. dub. 1.num.6.vbi sic ait. Quo verò ad conditiones,quarum inquisitio præcipitur in constitutione Sixti V.vel etiam illa tradita à Regula nostra, vt scilicet examinentur de fide Catholica, &c. Dico maiorem difficultatem esse,an prætermissio inquisitionis eorum sit peccaminosa; nihilominus censeo recipientem nullo peccati neuo illaqueari; omittendo eam circa omnes,vel vnum, aut alteram ex his conditionibus,quotiescumque,vel ex certa scientia, vel ex probabilibus indicijs, seu coniecturis pro certo habet,non esse necessariam respectu personæ, quæ in Religionem admitti postulat. Ita Vechius.

An Prælati recipientes Nouitios sine dicta informatione,incurrant in pœnas Bullæ Sixti V. si Nouitius careat illis defectibus.

RESOL. LXXXIII.

Respondeo negatiuè, & ita ex Rodriquez in qq.Regular. to. 1. q. 54. art 4. docet Laurentius de Portel.in dub. Regul.ver. Nouitij informationes, nu.6.vbi sic ait.Consolatorium valdè est quod doctè notauit Rodriq. ex verbis Bullæ Sixti V. videlicet quod Prælati omittentes informationes nõ incurrunt pœnas Bullæ, nisi à parte rei Nouitius sic receptus absque informationibus fuerit aliàs criminosus, & ligatus aliquo impedimento ex ibi notatis:si enim careat omni impedimento, non incurrit in pœnas, quia textus ligat solũ recipientes criminosos. Ita ille. & post illum nouissimè tenet etiã Bartholomæus de Vechis in praxi Nouitiorum,disp.7.dub. 5. n. 3. & ita ego olim liberaui à magnis angustijs quẽdam Superiorem Regularium, contra quem Fratres subditi insurgebant propter receptionem cuiusdam Nouitij,non præcedente informatione de vita, & moribus secundùm Bullam Sixti V.

An egressio Nouitij è monasterio,cum licentia tamen Superioris,interrumpat annum Nouitiatus, & quid si licentia fit illicitè data.

RESOL. LXXXIV.

Vt v.g. si ob malam valetudinem Nouitius in domo sæcularium se transferat,vel ad videndos parentes,vel recreationis causa,&c.Negatiuè respondendum est cum Graffio.p.1. lib.3.c.5.n.18 Zanardo in Direct.Theol. p. 2.c. 16. Gratiano in discept.to.1.c.166.n. 14.& alijs communiter, quod etiam verum esse puto,licet illicitè, & sine rationabili causa concessa fuisset à Superiori Nouitio licentia manendi extra Monasterium. Nam in tali casu licet Superior illicitè præstans licentiam peccet, ex hoc tamen non sequitur quod annus Nouitiatus interrumpatur,& ita docet contra Nauarr.Suar. de Relig. tom.3. lib.5.ca. 14.num.13.

Nota etiam contra Emanuelem Rodiquez,quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriquez in Compen.qq. Regul.resol. 101.nume.44. Nouitium extra Monasterium de licentia Superioris posse demorari,causa v.g.morbi curandi, non solùm per vnum,vel duos menses,sed etiam per maiorem partem anni, & ita docet contra Rodriquez P.Sanchez in summ.to. 1. li. 5.c.4. num.28 & citat Nauarrum lib.3.conf.42.in 1. edit. tit.de regul. & Azorium tom.1.li.12.c. 2.q. 8. loquentes de Nouitio, qui decem.menses,& semi mensem extra Religionem demoratus est & residuum tantùm in illa permansit.Imò Azorius loquitur de Nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum apud sæcularem demoratus est,cum licentia tamen Superioris.

Nota

Nota etiam hic obiter, quod non interrumpitur annus Nouitiatus, si Nouitius retento habitu, perterritus seueritate, vel iracundia Superioris, seu Magistri, Monasterium abditè exeat causa se celãdi, dummodo animum habeat redeundi, & ita docet Galuanus con. 12. n. 8. Et idem dicendum est, si Nouitius retento habitu exeat indebitè, & sine licentia clausurã, dummodo ad Monasterium redire intendat, & ita tenet Suarez vbi supra de relig. to. 3. lib. 5. c. 14. & alij.

An Prælati Regulares possint absoluere subditos suspensos propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem, vel absque licentia, vel per saltum.

RESOL. LXXXV.

Negatiuè respondet Gabucinus, quem citat, & sequitur Sayrus de censuris, lib. 6. c. 12. num. 13 & 14. vbi sic asserit, priuilegijs regularium circa hoc esse derogatum per Cõcil. Trident. sess. 23. c. 12. de Reform.

Sed prorsus cõtrariam sententiam tenẽdam esse puto, quam latè defendit Laurentius Portel. in dub. Regul. ver. Ordines Sacri, num. 14. & nouissimè Hieronymus Rodriq. in Compen. qq. Regul. resolut. 106. num. 26. & ad argumentũ Sayri respondet Portel. quod Cõcilium ibi solùm reuocat priuilegia, ne ordinẽtur Regulares ante ætatem ibi assignatam, nõ verò reuocat priuilegia Regulariũ, quæ aliàs habent absoluendi à Sede Apostolica suos subditos. Imò Concilium clarè loquitur: ait enim (priuilegijs quoad hoc exclusis) quoad hoc inquã, idest quoad Ordines suscipiendos ante hanc ætatem, vnde nõ loquitur de priuilegijs Regularium ad absoluendos subditos.

Neque obstat, quod Sixtus V. in sua cõstitutione contra malè promotos, reuocauit priuilegia Regulariũ ad absoluendum subditos sic malè promotos, quia posteà reualidata sunt per alios Pontifices subsequentes, qui confirmarunt priuilegia Regularium ex certa scientia, quæ forma confirmationis reualidat inualida, & reuocata per suos antecessores, vt communiter docent Doctores, & præcipuè inter illos Sigismũdus à Bononia tract. de elect. p. 2. cap. 4. dub. 76. num. 6. & Suarez de legib. lib. 8. cap. 19.

An Regulares non benè linguam latinam callentes possint ab Episcopis ordinari.

RESOL. LXXXVI.

Videtur respondendum negatiuè, nam Conc. Trid. sess. 23. de refor. cap. 11. generaliter requirit in ordinandis scientiam saltem linguæ latinæ.

Sed ego alibi cum Villalobos contrarium docui, & nunc iterùm doceo cum Tamburino de iure Abbat. to. 2. disp. 1. q. 21. n. 5. Hieronymo Rodriquez in Compend qq. Regul. resolut. 106. num. 24. & Peirino in priuil. minim. tom. 1. Constit. 26. Leonis X. §. 13. nu. 25. quia in Regularibus nõ requiritur tanta litterarum peritia, quanta in Clericis sæcularibus. Nam religiosi regulariter loquendo, non ordinantur ad curam animarum habendam sicut Clerici. Vnde patet responsio ad authoritatem Cõcilij. Adde, vt obseruat Peirinus, quod Concilium id relinquit Episcoporum arbitrio, ait enim. Minores ordines, ijs saltem, qui linguam latinam intelligant per temporum interstitia: nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur: arbitrium. n. illud Episcopi non solùm est super interstitijs, ita vt ijs non seruatis, si Ecclesię vtilitas postulet, possit ordines conferre; sed etiam super grammatica, ita vt nescienti grammaticã, si alioquin bonæ indolis sit, & docilis, vel possit optimè inseruire ministerio, ad quod ordinatur, sine grammatica possit ordines quoscunque conferre. Neque enim ex verbis Concilij colligi potest ratio, quare arbitrio Episcopi relinquatur potius dispensatio super interstitijs, quam super grammatica, cum verbum, *Conferatur*, sub quo stant illa duo, *post arbitrium*, collocetur. Ita Peirinus vbi supra, qui citat Menochium li. 2. de arbitr. cas. 425. nu. 58, quæ omnia sunt valdè notanda à Dominis examinatoribus Episcoporum.

An Generales, & Capitulum generale possit limitare, vel omninò tollere à Fratribus vsum priuilegiorum Apostolicorum.

RESOL. LXXXVII.

Respondeo affirmatiuè cum Tamburino de iure Abbat. to. 1. disp. 16. q. 9. num. 2. Peirino in priuileg. Minim. tom. 1. constitut. 2. Iulij II. §. 5. nu. 9. Portel. in dubijs Regul. ver. priuil. num. 78. Miranda in manual. Prælat. tom. 2. q. 43. art. 4. Emanuele Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 9. art. 2. & hæc opinio procedit etiam in religionibus, non habentibus specialem auctoritatem Apostolicam ad hoc faciendum, quidquid aliqui contradicant, aduersus quos insurgit Rodriq. in comp. qq. Reg. resol. 116. nu. 26. & alij.

Aduertendum est tamen, quod Capitulum generale non potest statuere aliquid contra ius commune; vnde in gratiam lectorum ponam hic per extensum quoddam Consilium à me in casu; de quo interrogatus fui, magna diligentia, & studio compositum, & facti species erat ista.

Capitulũ generale cuiusdam Religionis determinauit quædam immobilia certæ domus alienanda esse tantùm à quinque Patribus eligendis per Capitulum dictæ domus, vt posteà factum fuit. Quæritur, an tale Decretum fuerit validum, & an alienatio si tali modo efficeretur, fuisset inualida.

Respondeo, supradictum Decretum fuisse inualidum, & suppono primò. Capitulum generale cuiuslibet Religionis non posse determinare aliquid contra ius commune, vt patet in ca. quod super his, de maiorit. & obedient. vbi Panormitanus, & alij Canonistę. Idem etiam docet in terminis Miranda in manuali Prælat. to. 1. q. 25 ar. 5. Tamburinus de iure Abbat. to. 1. disp. 5. q. 12. n. 6. Hieron. Rodr. in compen. qq. regul. resol. 116. nu. 26. Peirinus in priuil. Minim. to. 1, constit. Pyrrhi, §. 4. nu. 10. Portel. in dub. regul. ver. statutum, n. 9. Salas de leg. disp. 8. sect. 12. n. 56. & Nauarrus de regular. l. 3 cons 56. n. 4. qui agit de quodam statuto, facto in Capitulo generali Minimorum.

Suppono secundò, alienationem bonorum immobilium pertinere de iure communi ad totum Capitulum Monasterij, vt patet ex c. sine exceptione 12. q. 2. & ex iuribus, quæ affert Villagut. tr. de alien. rerum eccles. lib. 1. p. 1. c. 1. nu. 1. quibus adde Io. de la Cruz de statu relig. lib. 1. c. 4. dub. 4. concl. 2. Portel. in dub. regul. ver. alienatio, n. 3. Fillinc to. 2. tr. 44. cap. 4. num. 13. Bonacinam de alien. bon. Eccles. disp. 2. q. vn. punct. 4. nu. 4. Riccium in praxi som. 1. resol. 48. Lancellottum in instit. can. li. 2. tit. 27. & alios penes ipsos. Vnde Vrbanus VIII. alienationem bonorum immobilium de qua loquimur, voluit faciẽdam esse à Patribus & Prepósito dictę domus quam quidem Bullam, iuxta iuris formam interpretandam esse certum est, per ea, quæ adducit Dec. cons. 403. n. 16. Amatus cons. 64. n. 15. & alij.

Hoc supposito sic argumentor. De iure communi competit Capitulo dictę domus alienatio bonorum immobiliũ, sed capitulum generale non potest determinare aliquod contra ius commune, ergo inualida fuit determinatio, de qua loquimur, quia est contra ius commune.

Sed instabis aduersus supradicta, quod dato dictam determinationem Capituli generalis fuisse inualidam, tamen vnusquisque potest cedere iuri suo ex leg. si Iudex, ff. de minor. c. tuis ver. nisi, de testib. c. ad Apostolicam, de regulat. c. ex conscien. de sortileg. vt notant Doctores, quos affert Augustinus Barbosa in collect. to. 2. lib. 5. tit. 20. c. 9. nu 4. Petrus Barbosa in leg. alia, §. eleganter, num. 12. cum seq. ff. soluto matr. vnde in c. quia propter, de elect. habetur, quod potestas eligendi residens penes totum Capitulum, potest à Capitulantibus committi aliquibus viris. Sed hoc accidit in casu nostro, quia vocales dictæ domus cesserunt iuri suo, & elegerũt illos quinque Patres, ergo valida erit alienatio dictorum bonorum ab illis facta. Nec possunt dicti Patres, qui elegerunt alios quinque, modo aliquid repetere. Nam qui renũciauit iuri suo, illud repetere nõ potest, & actiones suas remittentibus, non est dãdus ad eas regressus, vt patet ex leg. quæritur, § si venditor, de ædilit. edict. & ex multis probat Parisius de Resig. benef. lib. 1. q. 13. num. 2. & 8. Couarr. lib. 1. var. c. 4. nu. 1. Surdus decis. 231 num. 13. Tiraq de retract. lig. §. 1. Glossa 9. n. 119. & Barbosa in c. quam periculosum, q. 1. n. 2. Decius cons. 445. nu. 56. Becius cons. 38. nu. 4. & alij.

Verùm ego his nõ obstantibus, puto supradictam alienatio-

nem

nem factam à dictis solis quinque Patribus esse inualidam. Vnde pro eneruanda doctrina adducta, notandum est, quod Sacri Canones in alienatione bonorum Ecclesiæ requirũt pro forma consensum Capituli, vt notant DD. citati in 2. supposito, quibus addo Tannerum in 2.2.D.Tho. disp 4.q.7.dub.7.nu.18. Lessium lib 2.c. 24. dub. 11. cum alijs, & hoc pro bono, & vtilitate dictarum Ecclesiarum, quia vt ait Villagut tr. de rebus Eccl. malè alien. lib. 1. par. 1. c. 1. n. 1. illud quod commune est negligi semper solet, & varijs passionibus moti homines, potiùs quærunt quæ sua sunt, quam quæ communia, & Ecclesiarum. Meritò igitur visum fuit tot Summis Pontificibus, negotium alienationis bonorum Ecclesiasticorum committere pluribus, vt illud accuratius expediatur. Ita Villagut, & alij communiter.

His suppositis ad argumentum adductum respondeo, posse quem cedere iuri, & priuilegio suo, quando illud ius respicit tãtum priuatum eius commodum, nõ autem quando respicit bonum publicum, & aliorum, vt patet ex c. si diligẽti, de foro competenti, & in l. ius publicum, ff. de pactis, & alijs iuribus adductis per Tamburinum de iure Abbat. to. 1. disp. 16. quæst. 15. n. 3. Peyrinum in Ritiali Minim. p. 2. not 10. Syluest. ver. priuil. q. 10. Armillam eod. ver nu. 9. Nouarum in q. forens. p. 1. q. 66. nu. 2. Sanchez in sum. tom. 1. li. 4. c. 39. num. 29. Sigismundum à Bononia tr. de elect. p. 1. c. 2. dub. 25. num. 7. Lauorium in varijs lucubrationibus tit. 4. c. 14. num. 87. Suarez de legib. lib. 8. c. 6 num. 2. & alios communiter. Sed ius, quod habet totum Capitulum Ecclesię, seu Monasterii, vt alienatio bonorum efficiatur cum ipsius consensu, respicit bonum commune, & bonum Ecclesiarum, quia plures magis accuratè perpendunt negotia, quam pauciores, vt patet ex iuribus, & ratione adducta à Villagut. vbi supra. Ergo non licet Patribus alicuius Capituli cedere iuri suo, & eligere aliquos tantùm, vt possint bona Monasterij alienare, quia hoc vergeret in damnum Ecclesiarum, cum alienatio bonorum à pluribus magis maturè perpendenda, efficeretur à paucioribus contra mentem Canonum, qui in alienatione bonorum Ecclesiarum, ad earum vtilitatem pręscribunt talem formam, nempè consensum plurimorum saltem maioris partis Capituli, quę omnia non accidunt in casu cap. quia propter, de elect. adducto in argumento contrario. Nam vt optimè aduertit Glossa ibi in verbo viri, & Miranda in Manual. Prel. tom. 1. q. 23. art. 54. q. 1. Negotium electionis melius potest expediri per pauciores, quam per plures, quod contrarium accidit in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, vbi quanto sunt plures, qui in illa interueniunt, tanto melius, & accuratius rem pertractãt, vt supra ex Sacris Canonibus, & rationibus probatum est. Non est igitur sumendum argumentum de electione ad alienationem, quia in electione electores cedunt iuri suo, non vergenti in damnum Ecclesiarum, immò in vtilitaté: secus autem, vt dictum est, accidit in casu nostro, in quo Patres Capituli si cederent iuri suo, frangerent formam immutabilem pręscriptam in fauorem, & vtilitatem Ecclesiarum à Sacris Canonibus, & Summis Pontificibus, & vsque adhuc in Ecclesia Dei semper obseruatam: ergo, &c.

Et tandem his omnibus etiam addendum est, quod licet dicti Patres cesserint iuri suo, & remittentibus ius suum non detur regressio, hoc tamen intelligitur, nisi ita remittens esset aliquo modo excusabilis, vt docet Io. Andreas in cap. vt quis duas de elect. in 6. sub num. 3. ad finem, super ver. tolerabilis, quem nouissimè citat, & sequitur Melchior Lotterius de re beneficiaria, to. 1. li. 2. q. 13. n. 93. Sed hoc accidit in casu de quo loquimur, cum certum sit, vt ex iuramento, & testibus patebit, supra dictos Patres cessisse iuri suo ex ignorantia, quia putabant ad hoc teneri vigore, & obligatione Decreti facti in Capitulo generali, de cuius nullitate supra iam dictum fuit, ergo necessariò dandus est illis regressus ad repetẽdum ius suum ex errore excusabili, vt dictum est, renũciatum. Adde quod licet ordinariè non liceat cõtrauenire facto proprio, & allegare propriam turpitudinem, excipitur tamen nisi fiat ob causam necessariam ad animæ salutem, vel nomine Ecclesiæ, vt notat Paulus Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 4. ca. 50. num. 4. & ideò ex Abbate, & Nauarro, asserit quod si rei Ecclesiasticæ alienatio contra iuris terminos facta sit, non tantùm Capitulum, siue Ecclesia, sed ipsemet Ecclesiæ Prælatus rem à se male alienatã repetere potest, allegans propriam turpitudinem. Et ideò Naldus in summ. ver. alienare num. septimo, sic asserit alienans rem Ecclesiasticã sine debita solennitate recipit rem ipsam venditam vna cum fructibus in hoc enim casu contra iuris regulas auditur allegãs turpitudinem suam. Ita ille, qui citat Rotam Romanam par. 1. decis. 24. sed hoc accidit in casu nostro: ergo, &c.

Vnde ex supradictis laicus emptor dictorum bonorum Ecclesiasticorum non voluit illa emere à solis illis quinque Patribus, sed à toto Capitulo illius domus, vt postea factum fuit, nemine discrepante.

An Regulares possint vti suis priuilegijs, etiamsi contra illa habuerint contrarium vsum.

RESOL. LXXXVIII.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Portel. in addit. ad dub. Regul. ver. priuilegium, num. 4. vbi sic ait. Quia modus frequenter amittendi priuilegia inter Regulares, est non vsus, seu contrarius vsus: libet pro Religiosorum quiete hic transcribere verba, quibus Eugenius IV. concessit Congregationi S. Iustinæ Benedictorum, vt possint vti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vsum, habetur concessio in Bullar. Rodriquez f. 194. col. 1. vbi Papa sic concedit. Vt si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contraria huiusmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi concessa; aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, gradus, seu status ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum quibus hæc contenduntur, aut alia quauis causa, propter quam aliter fuerit attentatum, vel pro tempora obseruatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen pręiudicium Decretis, Priuilegijs, Indultis, gratijs volumus generari, sed in suo vigore, ac robore permanere. Sic ibi Sum. Pontifex. & Portel. vbi supra, quod est valdè notandum pro Regularium consolatione.

Nota etiam, quod Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2. refert quamdam Bullam, per quam cõcessum est Benedictinis, ne contra illos, nisi per centum annos præscribantur priuilegia per non vsum.

An sit reuocatum priuilegium Iulij II. concessum Minoribus, vt nouitiatus interruptus possit continuari.

RESOL. LXXXIX.

Emanuel Rodriquez. in qq. Regul. to. 3. q. 15. artic. 8. referens multos viros doctos, tenet hoc Priuilegium per Concilium Trident. sess. 25. de regul. c. 25. nõ esse reuocatum, in eo tantùm definitur, quod annus debeat esse integer, non autem quod debeat esse continuus; ex quo infert posse hodie, omnes Religiosos Priuilegijs Mendicantium fruentes, vti hoc priuilegio.

Verùm Villalobos in summ. to. 2. tr. 35. diffic. 35. num. 9. sentit dictum Priuilegiũ sublatum esse à Tridentino, ita declarante Sacra Cardinalium Congregatione, & in facti contingentia, ita Romæ fuisse decisum testatur ex Nauarro, ac ideò iudicat nullo pacto debere Prælatos aliter ad professionem admittere, nisi post annum probationis continuum expletum. Et ita hanc sententiam tenet etiam Faustus in Thes. Relig. lib. 5. q. 166. & Sanchez in summ. tom. 2. lib. 5. c. 4. à nu. 30.

An Prælatus possit dare licentiam subdito manendi extra claustra ad subueniendum parentibus, non solum in extrema necessitate constitutis, sed etiam in graui.

RESOL. XC.

Ad hoc quæsitum affirmatiuè respondet Laurentius Portel. in dub. Regul. ver. Parentum fratres, nu. 2. vbi sic ait. Etiam si necessitas non sit extrema, sed solùm grauis, potest Prælatus dare licentiam, vt Religiosus con habitu maneat extra claustra ad subueniendum patri, vel matri. Ita ille, qui citat Nauarrum lib. 3. cons. tit. de Regul. cons. 54.

Sed si Prælatus neget licentiam subdito, vt extra claustra subueniat parentibus grauiter tantũ indigentibus, putat Portel. non posse subditum de bonis sibi in vsum concessis parentibus subuenire; debet ergo ad illa donanda procurare licentiam, & Prælatus rectè faciet illam concedens, intra terminos suę regulæ.

An votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem possit Prælatus Regularis dispensare?

RESOL. XCI.

Respondet affirmatiuè Hieronymus Rodriq. in compen. qq.regul.resol.123.n.80.vbi sic ait. Prælatus votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem potest dispensare, non verò irritare, quia non est simpliciter votum Religionis, sed transitus vnius ad alteram Religionem, qui quidem transitus ad arctiorem Religionem, non cadit sub potestate Prælati ad irritandum votum de illo emissum. Sic Rodriquez, & sic ego in facti contingentia consului, & ita etiam hanc sententiam docet Villalobos in sum.tom.2.tract.35.diffic.13.nu.19. Suarez de Relig.tom.3.lib.4.cap.6.num.15. Sanchez in sum.tom.1.lib.4.cap.33.num.2.& alij.

An solus metus reuerentialis annullet professionem?

RESOL. XCII.

Pro vtraque parte adsunt rationes probabiles; mihi verò magis placet opinio affirmatiua, quam inter Neotericos tuetur Basilius Pontius de Matrim.lib.4.cap.11.num. 15. & 16. Et ideò Farinacius apud Hieronymum Rodriquez in compen. qq. Regul. resolut. 101. nu. 78. refert quamdam declarationem Cardinalium, qua per latam sententiam, Romæ declaratum est fuisse nullam professionem cuiusdam fœminæ factam ob solum metum reuerentialem, quod etiam testatur Portel. in dub. Regular. Professio, nu. 12. & Pontius vbi supra, notat hoc etiam esse decisum in Rota coram Domino Oradino; licet contrariam sententiam teneat Sanchez de matr.to.1.lib.4.disp.6. nu. 18. Riccius in Praxi, tom.1.resol.599.nu.4.& alij penes ipsos.

An possit puniri Regularis, qui expositus à suo Superiore ad excipiendas tantùm Confessiones virorum excepit tamen Confessiones fœminarum vigore Iubilæi?

RESOL. XCIII.

Affirmatiuè videtur respondendum per ea, quæ adducit Hieronymus Rodriq. in compen.qq.regul.resol.32.n. 10. vbi sic ait. Religiosi per suos Superiores legitimè præsentati, & ab Episcopis approbati, licet sint apti, nullo tamen pacto exercere possunt hanc iurisdictionem contra Superiorum prohibitionem, etiam si eligantur virtute Iubilæi, aut Cruciatæ, & contra facientes possunt ab eis puniri; quia nunquam Papa intendit eximere Religiosos ab obedientia suorum Superiorum, nisi exprimatur. Ita Rodriq. & magis in terminis Didacus Nugnus in Addit. ad 3. part. D. Th. quæst. 8. art.5.dub.9.ad arg.10. vbi sic asserit. Qui simpliciter est expositus, vt audiat confessiones virorum, nō tamen mulierum, si eligatur à mulieribus, virtute Bullæ Cruc. valida erit confessio, ipse tamen Sacerdos peccabit cōtra obedientiam Superioris, sine sufficienti necessitate.

Verùm, his non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet: quia vt docet Ledesma in summ. tom. 1. de Sacrament. pœnit.c.13.dub.8.& Sanchez de matr.tom.1.li.8.disp.36. n. 16. probabilis est illa sententia, quæ dicit Sacerdotem expositum tantùm ad confessiones virorum, posse virtute Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi excipere confessiones fœminarum, & ita tenet Petrus Fay in addit. ad 3.p.D.Th.q.8.art.5.disp. 3. concl. 6. ad teg. 4. Henriq. lib.3.c.9.num.8. Fagundez vbi infra, & alij, quidquid afferant aliqui; sed qui operatur secundùm opinionem probabilem, non potest puniri: ergo Regularis excipiendo in tali casu confessiones fœminarum, non erit puniendus.

Minorem propositionem huius argumenti, in qua consistit vis nostræ sententiæ, apertè docet Ioannes Sancius in selectis, disp.45. num.72. & magis appositè disp.44.n.27. Et ratio est clara, quia pœna supponit culpam, sed qui operatur secundùm opinionem probabilem, non operatur culpabiliter: ergo non est dignus aliqua pœna.

Nec valet dicere, quod dicta opinio est probabilis in ordine ad validitatem confessionis, nō autem excusat Sacerdotem, ita confitentē, à pœna. Nam respondeo, quod si hoc esset verum, sequerentur duo absurda. Primùm, quod quis puniretur sequendo opinionem probabilem, & per cōsequens sine culpa, secundùm quod, propter timorem pœnæ, nullus Sacerdos vti vellet supradicta opinione, & sic indirectè tolleretur, & arctaretur priuilegium Summi Pontificis absolutè, & sine vlla limitatione in fauorem animarum, & pro bono publico concessum.

Restat modo respondere ad argumentum contrariæ sententię. Dico igitur cum Fagundez de præc. Eccles. p.2. lib.7. c.2. nu. 45. quod prohibitio Episcopi, seu Generalis, interpretanda est rationabiliter, videlicet vt locum habeat, quantum ad iurisdictionem ab eodē Episcopo, seu Generali commissam, & delegatam, non verò quantum ad delegatam à Summo Pontifice per Bullam, seu Iubilæum. Vnde sequitur, Regularem expositum tantùm ad confessiones virorum, si excipiat confessiones fœminarum, in nostro casu non peccare contra obedientiam Superioris, & sic cessat fundamentum contrarium.

An Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ eligere confessarium extra Religionem?

RESOL. XCIV.

Circa resolutionem huius quæstionis remitto me ad ea, quæ dixi in tract. de Bulla Cruciatę, resolut.14. tantùm hic addam duos Authores, præter ibi citatos, qui absolutè negatiuam sententiam docent, & hi sunt Hieronymus Rodriquez in compend.qq.Regul.resol.3.nu.24.& Ascanius Tamburinus de iure Abbat.to.2.disp.6. qu. 7.num. 2. qui tamen malè asserit in qu.6. nu. 11. Nouitios virtute Cruciatę non posse eligere Confessarium extra Religionem; nam hoc interdictū est solis professis.

Nota etiam hic, quod Gerg. XIII. anno Domini. 1575. die. 5. Maij, concessit, ac decreuit, ne personæ Societatis Iesu, absque expressa Superiorum eorumdem licentia, vti possint facultatib. Iubilęi, aut Bullis Cruciatæ confessionalibus, aut alijs quibuscumque Apostolicis indultis, quomodocumque hactenus concessis, & in posterum concedendis, & declarauit præterea posse Superiorem, dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad vsum vnius, aut alterius facultatis, & prohibere vsum reliquorum, etiam in eadem Bulla, aut indulto contentorum; & hęc omnia habentur in comp. eiusdem Societ. tit. gratiarum vsus, §.2. quo quidem priuilegio docet Tambur. de iure Abbat. to.1.disp.16.q.9.nu.1. vti posse omnes Religiones per communicationem, vide etiam Bullam nouissimam. Vrbani VIII.

An Abbates possint Clericis sæcularibus sibi subditis literas dimissorias concedere?

RESOL. XCV.

Negatiuè respondent Tamburinus de iure Abbat. tom.2. disput.1.q. 16.nu. 1. Miranda in Manuali Prælat. tom.1.q. 39.art.5.& Azorius to.2.lib.3.c.49. q. 3. ex authoritate Concilij Trident. sess.23.c.19.de reform.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenet doctus Villalobos in summ.tom.1.tr.11.diffic.9.nu.4.vbi sic ait. (Aduertase que los Prelados que tienen iurisdicion casi Episcopal, como es el de Nerida, y otros semeiantes, pueden dar à sus subditos, aunque sean seglares, dimissorias para ordenarse, la razon es, por que como aestos ningun Obispo las puede dar, por que no son sus subditos, es fuerza dezir se las han de dar sus priores, como dan licentia para confessarse, y approuan los Confessores, y assi el Concil. Trident. no. abla cō estos, como se echa de ver de su tenor.) Ita ille, quem nouissimè sequitur adducens alias rationes Hieronymus Rodriquez in compen.qq. Regul. resol.1. num. 25. vide etiam Ledesmam in sum.tom.1.de Sacram.pœn.cap.8.post 2. concl.

Nota etiam, quod Tamburinus, & alij Doctores primæ sententiæ illam etiam limitant, nisi huiusmodi Prælatus esset. Ordinarius priuatiuè ad Episcopum, ac haberet ius visitandi, & Synodum congregandi, contra quem non intrare dispositionem Concilij Tridenti in defendit Gratianus in discept. foren. tom.1.cap.112. quem refert Campanili in diuer. iur. can. rubr. 9. capit. 8. num. 4. & Barbosa de offic. Episcop. part. 2. allegat. 7. numero 8.

An Moniales teneantur extra Chorum recitare horas Canonicas?

RESOL. XCVI.

ALibi affirmatiuam sententiam docui, & nunc iterum doceo cum Miranda tract. de Monial. quæst. 9. art. 6. & nouissimè hanc sententiam tenet etiam Hieronymus Rodriquez in compend. qq. Regul, resol. 98. num. 5. vbi sic ait. Quidquid alij in oppositum sentiant, communior, & melior opinio, quæ & tenenda est, habet, omnes, & quascunque Moniales teneri priuatim ad recitationem horarum Canonicarum, ratione status regularis, seu Ecclesiastici irreuocabilis, quem profitentur. Ita ille, qui videtur docere negatiuam sententiam esse probabilem nam affirmatiuam, quam ipse tenet: vocat tantùm communiorem, & meliorem. Sed an ita reuera sit, remitto alijs iudicandum, & vide quæ de hac materia dixi in tr. de Horis Canonicis.

An Abbatissa licitè possit pacisci de certa summa pecuniæ, donec Monasterio dos Monialis soluatur, etiamsi Monasterium sit opulentum?

RESOL. XCVII.

QVoad Monasteria opulenta negatiuè respondet Emanuel Rodriq. in qq. regul. to. 2. q. 48. art. 7. scrupulosè quidem, vnde posteà retractauit in Addi. ad summ. tom. 3. cap. 144. n. 8. & hanc sententiam docet etiam Miranda tract. de Monial. q. 8. art. 10. concl 1. quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriquez in compen. q. regul. resol. 98. nu. 20. vbi sic ait. Ratione damni emergentis licitè potest pacisci de certa quantitate pecuniæ, donec Monasterio dos soluatur, absq; labe vsuræ, quemadmodum pro dote vxoris non esse computandos fructus possessionis pro illa pignori obligatę in sortem principalem definitur in cap. salubriter, de vsuris, & cum dos detur ad alimoniam Monialis, militat eadem ratio etiam in Monasterijs opulentis.

An Religiosus, qui ex licentia Superioris liberè de aliquibus pecunijs potest dispensare; si illas insumat in ludis illicitis, vel cum meretricibus, peccet contra votum paupertatis, & accipientes teneantur ad restitutionem?

RESOL. XCVIII.

AFfirmatiua sententia est communior & probabilior, sed negatiua est etiam probabilis, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Ioan. Salas tr. de ludo, dub. 21. nu. 4. vbi sic ait. Religiosos, quibus per Superiorem licet de re aliqua liberè disponere, etiam si ludis illicitis, vel rebus turpibus eam expendant, validè expendere, nec recipiētes teneri ad restitutionem. Ita ille. Vbi multas pro hac firmanda sententia rationes adducit; licet contra illam nouissimè insurgat amicissimus Sanctarellus tract. de Apost. c. 6. dub. 2. num. 12.

Sed si aliquis vellet stare in prima opinione, quæritur an dictam pecuniam possit quis restituere eidem Religioso, vel teneatur restituere Monasterio, & ad hoc dubium ita respondet Villalobos in sum. tom. 2. tract. 18. diff. 5. num. 11. (Lo que vno gana al hijo que està en poder de su padre, o al religioso, ò à otro, que no podria iugar, basta que lo restituya à ellos, aunque no sean verdaderos señores dello. La razon es, porque no està obligado de iusticia à poner la cosa ganada en meior estado del que tenia: aunque alguna vez seria pecado contra caridad, y es quando haziendo esta a restitucion à ellos, tomà occasion para iugar otra vez) Hæc ille, qui citat Rodriquez, & Rebellium.

An Monialis vidua possit eligi in Abbatissam?

RESOL. XCIX.

AFfirmatiuam sententiam mordicus defendit Laurentius Portel. in dubijs regularium, ver. Abbatissa, n. 10. & Ieron. Rodriq. in comp. qq. Regul. resol. 2. num. 26. Ratio est, quia lex etiam Papalis tolli potest per cōtrarium vsum, & ad hoc aliqui dicunt sufficere decennium, aliqui dicunt sufficere aliquando attentis circumstantijs, tempus breuius, quam decennium, qui verò tempus amplius excedunt, dicunt per 40. annos sufficientissimè legem tolli per contrarium vsum: sed dato, & non concesso, quod aliqua lex canonica prohibuit viduam fieri Abbatissam, iam est abrogata per cōtrarium vsum: ergo &c. Minorem propositionem huius argumenti fusè probat Portel. vbi supra, ideò Suarez to. 4. de Relig. lib. 2. c. 6. n. 16. asserit probabilem esse hanc opinionem, maximè si consuetudo id approbet, cui standum esse ait. Vide etiam Sanchez in sum. to. 2. lib. 5. c. 5. num. 21. vbi probat ad Abbatissæ munus non desiderari virginitatem.

Non desinam tamen hic adnotare, quod Miranda negatiuam sententiam docet in manuali Prælat. to. 1. q. 7. art. 6. cui ego addo Homob. de stat. relig. p. 5. c. 24. Iulium Lauorium in varijs elucubrationibus tit. 4. c. 24. nu 10. & Lucam Castellinum tr. de elect. c. 17. n. 6. 14. & 17. vbi testatur sic declarasse sacram Cardinalium Congregationem die 15. Iulij 1616. sub his verbis. Si vidua monasticum habitum assumant, ad Abbatissæ, aut Priorissæ munus obeundum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione eligi non potest. Vide etiam Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 100. nu. 14. qui contra Sanchez tenet, quascumque, quæ virgines non sunt, excludi ab Abbatissæ seu Priorissæ officio.

Notandum est tamen hic obiter, quod ex Decreto Paulij V. publicato à Sacra Congregatione Episcoporum, & regularium sub die 22. Decembr. 1617. ac intimato Procuratoribus Generalibus Ordinum, non possunt Moniales quacumq; occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, toties, quoties obtinenda; neque ratione Prioratus, vel alterius officij, quibuscumque in contrarium nō obstantibus, vt notat Castellinus vbi sup. de elect. c. 17. nu. 5.

An Decretum Concilij Tridentini Sess. 25. c. 16. de Regulat. *prohibens recipi aliquid vltra victum, & vestitum nouitia, comprehendat mutuum, aut commodatum?*

RESOL. C.

NEgatiuam sententiam docet Rodriq. in qq. regul. tom. 2. q. 48. art. 5. & Miranda in manuali Prælat to. 2. qu. 8. art. 9. vbi sic ait. In casu, quo Monasterium egeat, sufficienti præstita occasione non videtur omninò illicitum Nouitiæ alicuius dotem mutuatam recipere, aut parentes, & curatores ipsius eamdem Monasterio accomodare. Nam mens & intentio Concilij fuit, vt non propter præfatam dotis traditionem, ictitationem, seu accommodationem, aliqua Nouitia inuita, & coacta profiteri adstringatur: sed hæc omnino iam cessant in casu proposito præstita, & exhibita cautione. ergo id facere non erit contra mentē, & intentionem Concil. Ita Miranda qui respondet etiam ad illa verba Concilij. Quocumque prætextu, &c.

Sed his non obstantibus, contrariam opinionem mordicus tenet Suarez de relig. tom. 3. tr. 7. lib. 5. c. 9. n. 16. Rodriqu. se retractans in sum. to. 3. c. 144. num. 6. & Villalobos in sum. tom. 2. tract. 35. diffic. 19. num. 4. qui num. 5. plus addit, nempe (que mirado el Decreto del Concilio no pueden lleuar las Monias propinas, cera, y otra cosas, que suelen lleuar el dia del habito; de los bienes de la nouicia, ni se les pueden dar por las palabras que dize:) *Quocumque prætextu aliquid ex bonis eiusdem monasterio tribuatur*, (que son palabras que incluyen todo esto. Mas ya el dia de oy tienen costumbre legitimamēte prescripta en muchos Monasterios de leuar propinas de entrada, y cera, y dōde la huuiere podranlo hazer, porque la costūbre tiene fuerza de ley. Mas con todo esso verdaderamente es contra el Concilio, y era muy iusto, que los Superiores lo remediaran, y que las Religiosas no recibiran cosa alguna en la entrada.) Hæc Villalob.

Notandum est etiam hic obiter, cum Isidoro Moscouio de Maiestate Militātis Ecclesiæ li. 1. p. 4. Sacrā Cardinalium Congregationem declarasse, quod si puella Monasterium ingressa animo monachandi, sed paupertate oppressa dotē promissam soluere non poterit, non esse compellendam, eo quia dotem in conditionem necessariā ponere nō debemus propter simoniā. Sed quia de hac Declaratione mihi cōstat authenticè, hæc opinio mihi non placet, nam non committitur simonia in conuētionibus, & pactionibus super dotibus recipiendam in Monasterijs inter Moniales, dummodo sit pro cōgruēti, seu sufficienti iu-

ti sustentatione earum, non obstantibus c.quoniam de simonia, & extrauag.1.eod tit. quæ omnia probat, & docet Hieron. Rodriq.in compen.qq.Regul.resol.54.num.1.& 2. Suar.de Relig. to.1.lib.4 cap.17. nu.16.& seq.Miranda in Manuali Prælat.tra. de Monialibus quæst.8.art.6.& 7.cum aliis; etiamsi Monasteria sint opulenta. Nam opulentia Monasterii non facit, vt quod in paupere non est simonia, in diuite conuentu simonia censeatur, nisi pecunia extra victum pro alijs causis recipiatur, quia puella recipienda est vilis conditionis, aut infamia, vel deformitate notata vel ad magnitudinem, & magnificẽtiam clariorem Monasterii auctius, & superabundans pretium dotis pro ingressu exigatur.

Hinc infertur, quod Monasterium excessiuam dotem pro ingressu Nouitiæ recipiens, excessum vltra sufficientem sustentationem, tenetur restituere, nisi talis excessus liberaliter, absque alio expresso, aut tacito pacto illi concedatur. Vide Mirandam & Rodriquez, vbi supra.

An Monialis illegitima possit esse absque dispensatione Abbatissa.

RESOL. CI.

NEgatiuam sententiam tenet Castellinus de elect.c.17.n.5. Barbosa de potest Episc.p.3.alleg.100. nu.13. Sanctarellus in variar. resol.q.40.n.7.Suarez in 3.p.to.5.disp.50.sect.5.n. 15.Homobonus de stat. p. 1.c.24.Naldus in sum.ver.Abbatissa, n.2.Sanch.in sum.to.4.li.5.c.5.n.19.& alii penes ipsum ex auctoritate c.indemnitatibus, §. sanè ver. vsum si quæ, de elect.in 6.

Verùm non desunt contrariam sententiam docentes, & hi sunt Portel. in dub.Regul. ver. Abbatissa, n.6.Miranda tract.de Monialibus q.6.art.3.& Hieron.Rodriq.in compen.qq.Regul. resol.2.num. 21. Ratio est, quia in c.1.de aliis presbyt.ne vllum verbum inuenitur de fœminis, sed tantùm de viris, & fœminæ in odiosis non includuntur sub nomine masculorũ, ex Regula c.generali, de elect.in 6.Et ad c.indemnitatibus, pro negatiua sententia adductum, respondet Rodriq. vbi sup. quibus omnibus adde, id quod notat Iulius Lauorius in varijs Elucubr.tit.4. c.24.nu.38.nempè Sacram Cardinalium Congregationem declarasse, quod ex illegitimo throno natæ Constit.Sixti V.contra Regulares, illegitimos, nõ comprehenduntur, quominus ad officium, vel dignitatem Abbatissæ, seu Priorissæ eligi possint.

Nota tamen, quod etiam stando in prima sententia, possunt Prælati dictarum Monialium in dicta illegitimitate dispensare vt docet Portel.vbi supra, qui citat Emanuelem Rodriquez.

An Generales Religionum possint dispensare cum subditis illegitimis ad dignitates, & officia Ordinis Extra Capitulum generale?

RESOL. CII.

NEgatiuè respondet Hieronymus Rodriq.in compen. qq. Regul. resol. 52.n.40.& alii, ex quodam Bulla Greg.XV. in qua præcipitur, vt legitimatio, seu dispensatio Religiosorum, quo ad dignitates & Prælatias, fiat à Generali, vel Prouinciali cum Capitulo generali, vel Prouinciali, sed extra Capitulum non possit fieri.

Sed his non obstantibus, ex alio priuilegio Greg. XIV. concesso Clericis Regularibus ministrãtibus infirmis in to. 2. Bullarij in Gregor XIV. constit. 17. apparet posse Generales ordinum, & de eius licentia Priores locales, atq; Prouinciales cum illegitimis dispensare ad dignitates, & officia Ordinis absque Capitulo generali, vel Prouinciali. Et ita hanc sententiam tenet Sigismundus à bononia trac.de elect.p.2.c.4.dub.76. nu. 6. Ascanius Tamburinus de iure Abbat.to.1.disp.5.q.14.num.10. Laurentius de Peirinis in priuil.Minim.tom.1.constit.2.Iulij II. §.26.n.96.Immò Laurentius Portel.in dubijs Regul. ver. illegitimus, n.10.putat hoc esse verum, etiam in terminis prioris Bullæ Greg.XIV. quam affert pro sua opinione Rodriquez.

Nota tamen hic obiter, quod legitimatus à Rege, vel Magistratu sæculari, si intret Religionem, non censetur legitimatus ad officia Ordinis, quia Rex non potest tollere impedimenta canonica. Ita Portel, n.5.qui etiam nu.6.cum Miranda in Man. Prælat.tom.2.qu.2.art.5.& Emanuele Rodriq.in qq.Regul. to. 1.q.13.art.10.notat, quod Sacerdos illegitimus dispensatus in sæculo, & habens ibi beneficium curatum, si Religionem intret, non est dispensatus ad officia, & dignitates Ordinis.

An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium absque Episcopi licentia, incidant in excommunicationem, quam Episcopus proposuit contra tales.

RESOL. CIII.

NEgatiuè respondeo, quia ferè omnes Religiones habent priuilegium, vt non possint excommunicari ab Episcopis, & ideò hanc sententiam docet Rodriquez to.1.q.45. art. 2. & alij cum P.Suarez de relig.to.3.tract.1.li.1.c.10.n.27. vbi asserit sic declarasse Sacr. Cardinalium Congregationem, sub die 9.Aprilis 1589.in hæc verba; Regulares accedentes ad Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quod non possint excõmunicari, & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna. Ita Sacra Congregatio. Immò, secluso scandalo, in tali casu Regulares non peccare mortaliter docet nouissimè Merolla in disp.Theol.to.1.disp.1.c.2.diffic.7.n.614.

An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam Decreti Sacra. Congregationis editi Nonis Maij 1590.vltra pœnas appositas, peccent etiam mortaliter?

RESOL. CIV.

AFfirmatiuè respondet, vt dixi in tract.de legibus, & ita declarauit ipsamet Congreg. die 1. Iulij anno 1606. Notat tamen ex Coriolano Laurentius de Peirinis in priuil. Minimor.to.2.Const.6.Pii V.§.10.nu.36.quod non incurritur peccatum, neque pœna prædicta propter aliqua verba causa vt banitatis dicta, quia paruitatis materiæ excusat in quacũque materia à mortali, & in hoc boni viri iudicio stãdum erit. Nec etiam incurritur, si quis Religiosus declaret aliquem casum consciẽtiæ Moniali alicui, cum talis locutio speciem habeat sermonis, & exhortationis. Neque etiam incurrit ille, qui per interpositam personam loquitur cum Moniali, cum odia sint restringenda. Et hæc docet Peirinus vbi supra.

An iustè poterit concedi Moniali licentia exeundi claustro, causa medendi morbo ita periculoso, vt eius salus desperaretur, ea non egressa?

RESOL. CV.

REsolutio huius casus pendet ex illa quæstione, quam alibi proposuimus, nempè an casus exceptati in Bulla Pii V.extendantur ad casus similes. Multi negant, vt notat Scortia in Bul.Pontif. Epitome 94.Theorem.228.& multi affirmant, cum quibus ego sentio, & ideò assero, quod iustè concedi poterit Moniali infirmæ, licentia, vt è Monasterio exeat causa medẽdi morbo periculoso, ita vt eius salus desperetur, ea non egressa; tum quia credendum non est, Summos Pontifices cum tanto dispendio voluisse Moniales ad clausuram obligare, tum quia leges Ecclesiasticę non obligant cum tanto periculo: tum quia quod pro charitate inuentum est, contra illam retorqueri non debet, & tandem quia defensio naturalis nemini tollenda est. Et ita hanc sententiam tenet Peirinus in priuil.Minim. tom. 3. Constit.6.Pij V.§.4.n.24.& Suar.de Relig.to.4.tr.1.lib.1.cap. 9. n.9.pro cuius firmitate inuenies pulchram allegationem Ioan. Maria Nouarii apud Ricciuni in praxi.to.4.resol. 193. num. 3.

Ad quas processiones possit Episcopus compellere Regulares?

RESOL. CVI.

AD hoc dubium ita respondet Sacra Cardinalium Cõgregatio apud Laurentium de Peirinis in priuil. Minimor. 3.

Constit.7. Pij V.§ 19.nu. 25. Ordinarius potest præcipere regularibus, vt eant ad processiones publicas, vt puta in festo Corporis Christi, in Litaniis, & Iubilæis publicis, faciendis in plebibus in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint eius generis quod in Bulla S.D. N. Pij V. Mendicantibus concessa, quę incipit, Etsi Mendicantium, publicata 17. Kal. Iunij anno 1567. comprehendantur, & dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus, Collegia noncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur. Ita Sacra Congregat. Notat tamen Peirinus vbi supra ex Quaranta, & ex Sacra etiam Congregat. quod per publicas processiones intelliguntur etiam hæ, quę pro bono publico de nouo indictæ sunt.

An Bulla Pij V. quæ incipit. Et si mendicantium Ordines, sub 17. Kal. Iunij 1567. fuerit reuocata per aliam Bullam Greg XIII. quæ incipit, intacta, &c.

RESOL. CVII.

Hic casus multum interest Regularibus, quia Pius V. concedit in dicta Bulla amplissima priuilegia, & ideò dictam Constitutionem Gregor. XIII. non fuisse promulgatam, nec in praxi receptam testatur Peirinus in priuil. Minim. to. 2. const. 7. Pij V. §. 1. nu. 2. Henriq. lib. 7. de Indul. c. 14. nu. 8. Thomas à Iesu de procur. omn. gent. salutan. lib. 12. ca. 8. Hieronym. Llamas in Method. p. 1. c. 7. §. 6. Nauar. in manual. cap. 27. in fine, vbi testatur, quod licet Greg. XIII. voluerit dictam Bullam promulgari, tamen posteà non publicauit. Attamen Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 76. n. 19. & alij tradunt prædictam Bullam Pij V. fuisse reuocatã, & ad terminos iuris, & Conc. Trid. redactam.

An Regulares in Missis festorum, quæ Episcopus præcipit seruari in sua Diœcesi, debeant permutare ritum suarum Religionum?

RESOL. CVIII.

Ad hanc quæstionem responsum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione, cuius verba apud Laurentium de Peirinis in priuileg. Minim. to. 1. Constit. 27. Leo. X. num. 2. hæc sunt: Congregatio Concilij censuit Decretum c. 11. ver. Dies etiam fest. sess. 13. de Reg. ita esse intelligendum, vt regularium ritus illis festis semper permaneat quo ad Missas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quam priuatim ab ipsis regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda, nec circa hæc ab Episcopis quoquomodo quidquam in contrarium eisdem regularibus præcipi posse; quod si de facto præceperint, regulares neutiquam ijs Episcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas ijdem regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis vtitur illis diebus festiuis. Ita Sacra Congregatio.

An Episcopi possint in Ecclesijs Regularium ipsis inuitis prædicare?

RESOL. CIX.

Aliqui dubitant, quia actus videtur honoris. Sed Peirinus in priuil. Minim to. 1. constit. 26. Leonis X. §. 25. num. 47. tenet, quod non, per doctrinam Cardinalis in Clem. Archiepiscopo, §. si tamen, nu. 2 & 3. quia exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur.

Nota tamen, quod in Ecclesijs regul. possunt Episcopi diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solenniter populo ibidem benedicere, per illa verba. Sit nomen Domini benedictum, &c. & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus: non possunt tamē propter hoc in dictis regularium Ecclesijs ea, quæ iurisdictionem dicunt, exercere, vt chrismare, ordinare, confirmare degradare, &c. possunt tamen in dictis Ecclesijs Baldachino vti, & contradicentes Fratres ad id possunt pœnis, & censuris Ecclesiasticis cogi per Decretum Sacræ Congregationis datum Romæ die 10. Iunij 1603. Et hęc omnia inuenies apud Peirinum vbi supr. nu. 45.

An casus reseruatio Superioris Monasterij comprehendat Nouitios.

RESOL. CX.

Respondet affirmatiuè Layman. in theol. moral. lib. 4. tract. 5. c. 6. nu. 4. Corduba in qq. 1. q. 3. & nouissimè Barthol. de Vechis in praxi nouit. disput. dub. 26. nu. 2.

Contrariam tamen sententiam tenent communiter Doctores, vt Petrus Fay in addit. ad. 4. par. D. Thom. q. 8. artic. 5. disp. 6. Villalobos in summa. to. 1. tr. 9. diffic. 56. numer. 6. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 34. art. 16. Portel. in dub. regul. ver. Nouitij absolutio, n. 36. Coriolanus de cas. reseru. p. 1. sect. 3. art. 18. Rodriquez to. 1. q. 21. art. 13. Ledesma in sum. to. 1. de Sacramen. Penit. c. 13. dub. 14. Azorius to. 1. lib. 12. c. 2. q. 10. Vegha in sum. to. 2. c. 50. cas. 9 Belloch in praxi Theol. mor. p. 1. q. 2. n. 109. Vgolin. de potest. Episc. p. 2. c. 35. n. 7. Naldus in Summ. ver. Nouitius n. 7. Emanuel Sà ver. casus, nu. 8. Graffius in Appen. ad de Decis. lib. 1. c. 7. num. 69. Homobonus de cas. reser. p. 1. c. 12. Ioa. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. ca. 6. dub. 10. & alij, quia Nouitij ad Religionis onera non tenentur.

His tamen non obstantibus non reticeam hic adnotare id, quod aduertit Laurent. Peirin. in Priu. Minim. tom. 2. Const. 10. Vrbani VIII. §. 61. num. 9. nempè posse Superiores regulares reseruare sibi casus, non solùm quo ad Professos, sed etiam quoad Nouitios, & hoc per viuæ vocis oraculum Pauli V. die 7. Augusti 1609. pro Congregatione S. Mariæ Fulien. de quo testatus est Cardinalis Bandinus, vt apparet in compen. priuileg. dictæ Congregationis, tit. casuum reseruatio, §. 4. & hoc est valdè notandum, quia nouum, & illud non inuenies apud Doctores. sed Vrbanus VIII. nouissimè in Bulla edita tollit omnia viuæ vocis oracula.

An Regulares prædicantes in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi possint ab eo puniri.

RESOL. CXI.

Respondet negatiuè Tamburinus de iure Abbat. to. 2. disp. 11. q. 4. nu. 3. Campanilii in diuer. iur. can. rub. 12. c. 13. n. 10. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. ver. Prædicatores, n. 1. & alij ex Declaratione Sacra Cardinalium sub his verbis. Congregatio Concilij censuit regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi Decreto eiusdem Concilij c. 2. sess. 5. cōtradixerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantùm à suis Superioribus.

At his non obstantibus Laurentius de Peirinis in priuil. Minim. to. 1. const. 2. Sixti IV. §. 11. num. 21. & Barbosa de potestate Episcopi, p. 3. alleg. 76. nu. 24. contrarium docent ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit. Inscrutabile, data nonis Februarii 1622. vnde aduertant regulares, quid faciunt.

Notat etiam Rodriquez, & Barbosa vbi supr. Parochum, seu Curatum posse dare licentiam viro docto, & noto etiam regulari, vt bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione. Immò & Cōcionatores regulares semel approbati in vno Episcopatu, itinerantes possunt prædicare vbi voluerint, non contradicente Parocho, & non obstante proprio Episcopo loci, ex concessione Gregor. XIII. facta Societati Iesu, qua per communicationem frui possunt alij cōmunicantes in Priuilegiis. Vide Villalobos in sum. tom. 2. tract. 25. diffic. 5. nu. 2 Ioan. de la Cruz de statu Relig. l. 1. c. 6. dub. 1. concl. 3. Portel. vbi sup. nu. 16. Barbosa vbi infra. nu. 26. & 27. Mirand. artic. 4. concl. 1. & alios.

Non desinam tamen hic adnotare id quod habet Mirāda in man. Prælat. tom. 1. q. 50. art. 2. Barbosa de Potest. Episc. pat. 2. allegat. 76. nu. 22. & Rodriquez vbi sup. num. 2. nempe probabile esse, quod Prædicatores, Regulares etiam iuxta Conc. Trident. non debent ab Episcopis examinari, quia in Superiori eiusdem Decreto tantùm requiritur ipsorum licentia ad prædicandum extra suas Ecclesias, & nullum fit verbum de examine, vt patebit legenti textum Concil. sed contrarium obseruatur in praxi à DD. Episcopis.

An

An pro Episcopis in dispensatione interstitiorum cum Regularibus sufficiat sola attestatio Superiorum, & an Regulares possint ordinari, non seruatis temporum interstitijs.

RESOL. CXII.

Affirmatiuè respondeo, & sic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio sub his verbis. Non posse dispensare super interstitijs Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopũ ordinãtem. qui tamen quo ad causam dispẽsationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regularium, & hanc declarationẽ Cardinalium inuenies apud Peirinum in priuil. Minim. to. 1. Constit. 2. Sixti IV. §. 11. nu. 35.

Non desinam tamen hic adnotare, quod Villalobos in sum. to. 1. tr. 11. diff. 12. nu. 8. refert quoddam Priuilegium concessum Societati Iesu, cuius etiam meminit Emanuel Rodriq. in qq. regul. tom. 2. q. 13. art. 5. nempè, vt possint Religiosi promoueri ad sacros ordines, etiam Presbyteratus, absque vlla functione in ipsis Ordinibus, aut obseruatione interstitiorum. Quo priuilegio frui possunt aliæ Religiones communicantes, non obstante prohibitione communicationis huius gratiæ expresse facta à Greg. XIII. in dicta Constit. vt probat Emanuel Rodriq. artic. 6. circa finem in comp. qq. regul resol. 106. n. 20. & licet Villalobos vbi supra sentiat debere in hoc Religiosos se conformare consuetudini, propter Constitutiones Pontificum contra malè promotos, quod tutius, & consultius videtur, licitum tamen, & tutum erit, ait Hieronymus Rodriq. vbi supra vti dicto Priuilegio, quod non est reuocatum, sed potius confirmatum, vt latè probat Emanuel Rodriquez loco citato.

Adde quod Laurentius Portel. in dub. regul. ver. ordines Sacri, n. 4. testatur vidisse in Compendio Religionis Patrum Cõgregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugalia priuilegium Clem. VIII. concessum dictis PP. die 23. Nou. anno. 1596. vt possint ordinari extra tempora, & per quẽcumque Episcopum tribus Dominicis, vel festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitijs à Conc. Trid. designatis, quæ, ait Portel. loco citato, est amplissima, & magna concessio pro hac materia, & ideò illam mente teneant Regulares, & Domini Episcopi.

An Regularis, qui scit professionem suam esse irritam, & ordinatur, peccet mortaliter, & sit suspensus?

RESOL. CXIII.

Hic casus olim accidit, & de illo interrogatus fui, & tunc affirmatiuè respondi, & adduxi Laurentium Portel. in dub. regul. ver. Ordine Sacro nu. 8. vbi sic ait. Qui fecit professionem irritam, & hoc sibi notum est, peccat mortaliter, si permittat se ordinari ordine sacro; ordinatur enim tunc sine titulo patrimonij: quod est contra Ius commune, & prætereà manet suspensus. Ita ille, qui citat Emanuel. Rodriquez in Addit. ad Summ. to. 4. cap. 65. n. 10. & Sayrum de censl. libr. 4. cap. 13. n. 14. quos nouissimè citat etiam, & sequitur Hieronymus Rodriquez in compen. qq. regul. resol. 106. n. 26.

An bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem pertineant ad primum, vel ad posterius Monasterium.

RESOL. CXIV.

Pertinere ad posterius Monasterium, saltem quoad vsumfructum docet Emanuel Rodriqu. in addit. ad summ. tom. 4. cap. 53. num. 1. & alij, sed Thomas Sanchez in summ. to. 2. lib. 7. cap. 42. nu. 8. & alij penes ipsum, asserunt vniuersa bona priori Monasterio acquisita ratione Religiosi remanere omninò apud illud, quando Religiosus transit ad aliud Monasterium, vel ad Episcopatum, & hanc sententiam probat ex multis rationibus. Vide etiam Faustum in Thes. Relig. lib. 5. q. 386. nu. 3.

Ego verò puto ad summum in tali casu prius Monasterium teneri ad tribuendum Religioso translato sufficientia alimẽta in Monasterio posteriori, & ita docet Suarez de Relig. to. 4. tr. 8. lib. 3. capit. 14. & Hieronymus Rodriquez in compen. qq Regul. resol. 223. n. 82. maximè quando Monasterium est inops; vt vult. Menoch. vol. 2. cons. 293. n. 22.

Nota tamen quod rectè notat Villalobos in summ. to. 2. tract. 35. diffic. 14. nu. 3. ius succedendi Religioso competens, cum sit personale, transire cum eo ad Monasterium, ad quod transfertur, si est capax succedendi, vnde infert n. 4. legatum relictum sub conditione, quæ impleta est tempore secundæ professionis, ad secundum Monasterium pertinere.

Aliqui casus, in quibus Religiosi dimittentes habitum suæ Religionis, non incidunt in censuras cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monaci, in 6.

RESOL. CXV.

Non est Apostata, nec incurrit in dictam excommunicationem Religiosus, qui habitum non defert in cubiculo suo, vel in loco alio secreto, vt melius studeat, quiescat, dormiat, &c. nec etiam, qui ex leuitate quadam habitum dimittit, vt melius currat saltet, &c. Immò ego puto neque Religiosum incurrere in dictam excõmunicationem si habitum dimittat, vt eat ad lupanar ad fornicandum, vel vt secreto furetur, statim habitum iterùm sumpturus, etsi habitũ alium ad sic se occultandum eo breui spatio assumat. Et hæc omnia docent, & probant DD. quos citat, & sequitur Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. c. 8. n. 57. quibus ego addo Anton. Sanctarellum tr. 2. de Apostasc. 1. nu. 5. 6. & 7. quidquid asserat Portel. in dub. Regul. ver. Habitus, n. 4. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 71. nu. 6. Suarez in 2. p. to 6. disp. 23. sect. 4. nu. 31. Bannez in 2. 2. q. 12. art. 2. concl. 2. & alij asserentes Religiosum ob turpem causam deponentem habitum in excommunicationem incurrere.

Non desinam tamen hic adnotare pulchrum casum, qui sæpius potest occurrere, & ponit Laurentius Portel. in addit. ad dub. Reg. ver. Habitus. nu. 3. vbi sic ait. Religiosus iniustè grauatus notabiliter à Prælato, & maius adhuc timens grauamen, nec habens aliud remedium, fugit ad Prælatum Superiorem longè distantem, ita vt in ista fuga nullo modo peccet, nec venaliter, vt suppono (quod fieri posse multi dicunt) in hac tamen fuga, & longo itinere, certo moraliter scit, se fore detegẽdum, comprehendendum ab inferiori iniustè grauante, si portet habitum Religionis propter custodes. In quo casu puto posse prædictum cum supradictis circumstantijs habitum dimittere, donec tuto accedere ad Prælatum, ad quem appellat: quia portare habitum Ordinis est preceptum humanum, at præceptum humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & iniusti grauaminis sperati certo moraliter; ergo, &c. Ita Portel. vbi supra, & ego.

An Religiosus eiectus ab Ordine, si emendatus petat ingredi, teneantur illum Superiores iterùm in Religionem recipere?

RESOL. CXVI.

Affirmatiuè respondet Molina de iust. tom. 1. disp. 146. ver. quid ad votum. Corduba in Regula D. Francisci cap. 2. q. 71. punct. 2. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 112. & alij.

Mihi verò magis placet sententia negatiua, quam ex D. Bonauentura tuetur Anton. Sanctarellus tr. de Apostas. cap. 5. dub. 2. n. 18. cui ego addo Sanch. in summ. to. 2. li. 6. c. 9. n. 32. qui citat Azor. & Rodriq. Ratio est, quia ex iusta sententia Religiosus eiectus condemnatus est, vt extra Religionem viuat; ergo Religio non potest cogi ad eum recipiendum. Nec valet dicere cum Lessio vbi supra, quod si Religio habet ius reuocandi Religiosum eiectum; ergo etiam iste debet habere ius compellendi Religionem ad emendatum recipiendum; nam respondeo quod est dispar ratio. Nam cum Religio sit innocens, mirum non est si potiori iure gaudeat, quam Religiosus, qui suis delictis Religionem læsit.

Notandum est etiam hic contra Federicum de Senis cons. 38. & alios quos citat, & optimè reprobat Sanchez loco citato, n. 34. Religiosum eiectum, quando admissio in suam pristinam religionem post debitam correctionem desperatur, non teneri ad aliam religionem transire. Adde etiam, quod aliqui, vt supra visum est, probabiliter asserunt, Religiosum eiectum non teneri redire ad ipsammet religionem, de qua eiectus fuit.

Item contra Hieron. Rodriq. in compend. qq. Regul. res. 57. n. 6.

n.6.& Emanuelem Rodriq. in qq. Regul. to.1.q.40.art. 19. puto eiectos à Religione non teneri ad pręcepta, & ieiunia in regula religionis de qua eiecti sunt, sub pręcepto contenta, & ita tenet Io. Franciscus Suar. in Enchir. cas. consc. libr.3. §. de voto obedientię, & Sanchez n.53.

Et tandem nota posse dictos eiectos ad ordines promoueri, vnde cum illis debent dispensare Prælati ante expulsionem per priuilegia Ordinis, vel Episcopus si in illas irregularitates dispēsare possunt. Vide Hieronymum Rodriquez vbi supra.

An Prælati Regulares possint amoueri à suis Prælaturis ad libitum suorum Superiorum sine causa?

RESOL. CXVII.

AFfirmatiuè respondeo, nisi Prælatura sit electiua. Dico igitur Superiores Religionum posse amouere, & spoliare Pręlatos manuales de suis Prælaturis manualibus, quomodocumq; & quandocumque ipsis placuerit, etiam sine causa, nec ipsi Pręlati manuales possunt conqueri, siue agere quidquam contra spoliatores ex cap. cum ad monasterium §. tales in fine, iuncto ver. perpetuo, de stat. Monach. Et ratio est, quia Superiores illos à dictis Pręlaturis amouendo, vtuntur iure suo, nec illis iniuriam faciunt, & ita hanc sententiam ex multis Doctoribus probat, & tenet nouissimè Aloysius Riccius in praxi, tom.4. resol.51.nu.4.& ante illum Sigismundus à Bononia in tract. de electione, p. 1.c.7.dub.49.num.7.vbi n.14.asserit Prouinciales, Rectores, &c. Societatis Iesu, qui instituuntur à suo præposito Generali, & item Priores, seu Guardianos aliorum Religionum, qui prouidentur à suis Generalibus, seu Diffinitoribus, posse mutari, vel spoliari ab eisdem suis Prouisoribus, seu Institutoribus, etiam sine causa, quomodocunque, & quandocunq. id eis placuerit; hi enim omnes censentur beneficia, & Pręlaturę manuales. Ita ille, qui respondet ad argumenta, quę in contrarium adduci possunt.

Nota tamen quod in vno casu fallit supradicta opinio, & erit quando Superior, pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem, eum spoliaret Pręlatura etiam manuali, & ratio est clara, quia dum Superior cœpit accusationem, vel inquisitionem contra subditum ad effectum spoliandi eum Pręlatura tum ipsa spoliatio superueniens non considerabitur vt ius simplex, & imperium Superioris in subditum, sed vt pęna illius delicti, de quo ipse iam cœpit accusationem, seu inquisitionem, Sed talis pęna non potest imponi, nisi prius probato delicto, ergo, &c. vide etiā Lauorium in var. Elucubrat. tit.4.c.23.nu.23.& 24. vbi etiam addit, Prælatos Regulares de facili, & leuioribus causis posse amoueri à suis prælaturis etiam electiuis, & citat c. per tuas el 1. de simonia, &c. qualiter el 2. de accusat.

An Superiores Regularium possint sibi reseruare tactus impudicos, & oscula.

RESOL. CXVIII.

AFfirmatiuam sententiam tenet Tamburinus de iure Abbatum, tom.2.disp.13.q.2.num. 3. vbi sic ait. Aliquando in eadem supradictorum casuum potest etiam Superior sibi alios casus reseruare, vt v.g. in materia lapsus carnis poterit sibi reseruare tactus impudicos, oscula litterulas, munuscula, &c. Ita Hieron. Sorbus in annot. ad compend. priu. ver. absolutio, affirmans hoc à Clem. VIII. sibi declaratum fuisse, Hæc Tābur. lo.c.

Sed meritò negatiuam sententiam docet nouissimè noster P. Leone de offic. confess. tom.2. recollect. 11. nu. 132. quia actus illi, nempè tactus impudici, oscula, &c. nullo modo comprehendi possunt sub significatione, & verbis Clem. VIII. videlicet *lapsus carnis voluntariè opere consummatus*, quæ quidem verba sonant consummationem actus in sua specie fornicationis, v.g. molliciei, &c. vide etiam Suarez de Relig. to.4.lib.2.c.18.nu. 12. & Molfesium in summa, tom.1.tract.7.c.10.n.46.& 104.

An Regulares absentes cum licentia vt possint cuicumque Confessario confiteri, possint absolui à reseruatis.

RESOL. CXIX.

AFfirmatiuam sentētiam docet Peregr. in comp. priu. to. 1. versic. absolutio quo ad fratres, §. 2. in scholio notat Alphons. de Leo. de offic. & potest. confess. to.2. recollect. 11. num. 31. eo quod quando conceditur licentia eligendi confessarium extra ordinem causa itineris, vel cōmorationis in locis distantibus à Monasterio, conceditur etiam tacitè licentia, vt à reseruatis absoluatur.

Verùm hæc opinio mihi non placet, quia facultas generaliter concessa eligendi Confessarium, non extēditur ad reseruata, vt ex multis textibus, & rationibus probat Tamburinus de iure Abbatum, tom.2.disp.6.q.8.nu. 4. Suarez tom.4.disput.27. sect.4.nu.4. Homobonus de cas. reseru. p. 1. c.2. Fagundez pręcep.2.lib.8 num.12. Layman lib.5.tract.6.cap.10.n. 20. Io. de la Cruz de stat. Relig. lib.2.cap.6.dub.11.constit.2. & ex nostris P. Megala in 1. parte, lib.1.c.10.numer.15.& alij. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ specialiter si peterentur, non essent concedenda, indecens enim esset, vt Sacerdotes seculares peccata grauia Religiosorum audirent, & ideò hanc sententiam contra Peregrinum, præter Doctores citatos, tenet etiam Miranda in Manual. Prælatorum, tom.2.q.34.art.6. concl. 2. vbi sic ait. In generali concessione facta Religiosis à Prælatis, vt possint eligere Confessorem, quem voluerint, non comprehenditur absolutio à casibus reseruatis; nec etiam vllo modo credendum est, quod quispiam sanctæ mentis Prælatus sic indiscriminatim suam authoritatem cōcedat alicui sibi subdito, vt absoluatur à casibus reseruatis. Non enim conuenit peccata grauia alijs extra ordinem propalare. Nec prædictis obstat, quod fratres itinerantes, vel à Monasterio absentes propter scandalum debeant celebrare, & per consequens ante celebrationem præmittere confessionem omnium peccatorum, ac proinde debere præsumi in dicta generali concessione intelligendam esse facultatem absoluendi à reseruatis. Nam respōdeo, quod si talis Religiosus extra Monasterium se inuenerit, non habens expressam licentiam sui Prælati vt absoluatur à casibus reseruatis, atque sine scandalo non potest non celebrare, tunc in tali casu benè potest accedere ad celebrandum; nam idem existimandum est de illo, ac si non haberet copiam Confessoris, satisque illi est, vt procuret habere contritionem. Ita Miranda, & ego.

An Regulares possint exhumare cadauera, & in alia loca eiusdem Ecclesiæ transferre?

RESOL. CXX.

NOtandum est, quod corpora defunctorum non possunt exhumari, & transferri de loco in locum sine Episcopi licentia, vt definitur in capit. corpora sanctorum, de consecr. distinct. 1. leg. si needum, leg. nemo humanum. Co. de relig. & sumpt. funer. quod certè intelligitur, vt rectè obseruat Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 127. numer. 25. de corporibus perpetuæ sepulturæ traditis, & de translatione de vna ad aliam Ecclesiam, secus quando sunt deposita, seu ad tempus seruata in vna, vt postea transferantur de vno loco ad alium eiusdem Ecclesiæ, & ita etiam docet Villalobos in summa, tomo 2. tract. 31. difficult. 6. nu. 4. vbi sic ait. [Es licito trasladar los cuerpos de los defuntos, que estan depositados de vna Iglesia a otra, o de vn lugar a otro, en la misma Iglesia; mas no lo es quando estan perfettamente sepultados, esto es, que no estan depositados sin licencia del Obispo.] Ita ille, vbi etiam notat n.5. [que Leon X. concedio que los Prelados de la orden de los frayles menores de obseruancia, pueden desenterrar en sus Iglesias y Capillas los cuerpos de los defuntos, y trasladar los a otras sepulturas de las misma Iglesias, con sentimientos de los que fueren interessados, gozā deste priuilegio las demas ordenes, que gozan de nuestros priuilegios.] Sed hoc priuilegium intelligo de corporibus positis in aliqua Capella particulari, & propria secularium, vel in alio aliquo loco electo pro corpore defuncti à consanguineis, vel amicis: secus autem si corpus defuncti fuit Regularibus datum, vt illud poneretur ipsi vbicumque voluerint: nam in isto casu sine vlla licētia, neque Episcopi, neque consanguinei possunt illud exhumare, & ad alium locum eiusdem Ecclesiæ transferre Et ex his patet responsio ad dubitationem positam.

An

An Regulares possint commutare, vel dispensare votum peregrinationis vltra duas dietas?

RESOL. CXXI.

PEregrinus in compen. nostrorum priuilegiorum. part. 1. tit. absolutio, §. 12. negatiuam sententiam docet, & duas dietas Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 16. num. 1. Bartholomæus à S. Fausto in Thes. Relig. q. 173. num. 1. & alij asserunt esse viginti leucas. Sed noster Molfesius in summa, to. 1. tra. 11. c. 15. nu. 134. docet, quod votum peregrinationis vltra duas dietas intelligitur de peregrinatione, quæ duobus diebus compleri nequit, & ad summum est sexaginta milliariorum, & ita se habet communis praxis. Ita Molfesius, quod est valdè notandum.

Verùm non desinam hic adnotare, quod noster P. Alphonsus de Leone in tr. de officio & potest. Confessar. tom. 2. recollect. 10. n. 173. tenet Regulares posse dispensare, & commutare vota peregrinationis vltra duas diætas, & hoc per expressum Priuilegium, quod habetur in compend. priuileg. Congregationis S. Mariæ Fuliensis, ver. dispensatio.

An Prælati Regulares possint absoluere subditos ab hæresi occulta.

RESOL. CXXII.

PEregrinus in compen. nostrorum priuileg. p. 2. tit. absolutio quoad fratres. §. 12. affirmatiuè respondet, ex priuilegio Gregor. XIII. concesso Societati Iesu die 18. Martij 1584. & hoc procedere etiam in Hispania testatur.

Verũ de hac facultate, præsertim in Hispania per consequens in hoc Regno Siciliæ valdè dubitat Hieron. Rodriq. in comp. qq. Regul. resol. 3. nu. 5. & absolutè non posse Superiores regulares absoluere suos subditos ab hæresi occulta docet Tamburinus de iure Abbatum, to. 2. disp. 14. q. 17. n. 3. Megala conf. 21. n. 6. Nouar. in sing. iur. Pont. concl. 3. nu. 10. Auila de cens. p. 7. disp. 10. dub. 6. not. 3. Vegha in sum. to. 2. c. 125. cas. 12. Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. c. 17. nu. 7. & de hoc hodie non est dubitandum, vt ego obseruaui in trac. de absolutione ab hæresi, resol. 6. per Decretum Vrbani VIII. datum Romæ die 17. Nouembr. 1628. in quo reuocantur in ampla forma omnia priuilegia Regularium absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, vt est heresis, &c. Vnde corruunt omnia argumenta, quæ ego in dicta resolutione pro opinione affirmatiua adducebam. Adde quod priuilegium Gregor. XIII. habet etiam difficultatem, per aliud priuilegium eiusdem Gregor. vt aduersus Peregrinum obseruat Alphonsus de Leone de offic. & potest. Confess. tomo 2. recollect. 11. num. 209.

An Regulares approbati in vna diœcesi, si in itinere commodè non se possiunt præsentare Ordinarijs, possint Confessiones audire?

RESOL. CXXIII.

EX priuilegijs Eugenij IV. & Gregor. XIII. concessis Ordini Minorum, & Societati Iesu, vt patet apud Peregr. compen. prim. p. 1. tit. absolutio quo ad sæculares, §. 5. apud Mirandã in Manuali Prelat. to. 1. q. 45. art. 8. & alios, Confessarij Concil. Trid. quando non possint commodè se præsentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, possunt fidelium confessiones audire in illis locis, aut oppidis, vbi Ordinarij non existunt, non repugnantibus tamen Parochis.

Sed his priuilegijs an sit derogatum per Constitutionem Vrbani VIII. editam die 17. Septembris 1628. quæ incipit, Cum sicut accepimus. secundùm opinionem Alphonsi de Leone tr. de offic. & potest confess. tom. 2 recollect. 10. num. 56. non est certum. quia etsi, ait ille, per dictam constitutionẽ reuocantur omnia indulta, vt ex eius titulo apparet, audiendi sæcularium confessiones, absque Ordinarii, &c. tamen vt etiam in corpore illius constitutionis constet, ibi est sermo de facultate generali audiẽdi confessiones sæcularium absque approbatione, vel examine Ordinariorum. Sed in casu nostro indultum est speciale, quando regulares sunt in itinere, & commodè non possunt se præsentare Ordinarijs. Tamen quia in dicta constitutione interdicta est illis interpretatio, & reuocantur indulta ex quauis causa concessa, etiam de necessitate exprimenda, vt tutius procedatur in futurum in re tam magni momenti, esset petenda declaratio. Hæc omnia Alphonsus de Leone, qui etiam obseruat, quod si dictum priuilegium non est reuocatum, possunt regulares eo vti, quando reperiuntur in aliquo loco distanti ab eo, vbi residet Ordinarius, etiamsi ibi manerent recreationis causa, quia seclu so omni dolo, & fraude, si non possent se præsentare Ordinario, militaret ratio priuilegij, Ergo, &c.

Notandum est hic obiter primò, quod stante dicta constitutione Vrbani VIII. cessat hodie priuilegium, de quo Molfesius in sum. to. 1. tr. 7. cap. 16. num. 25. Gampanili in diuer. iur. canon. Rubr. 12. c. 13. nu. 7. & alij, concessum Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella, & per communicationem alijs religionibus, nempè regulares Confessarios præuio examine approbatos ad audiendas confessiones in vrbe Romæ, non egere approbatione extra Vrbem ab alijs Ordinarijs, sed sufficere tantũ coram illis se præsentare, & ostendere licentiam Romæ habitã, non inquam hoc priuilegium ampliùs valet, nam Vrban. VIII. in dicta constitutione annullat, & reuocat omnia priuilegia cõcessa quibusuis religionibus, societatibus, &c. audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione. Et ita docet Leo vbi supra nu. 86. qui n. 45. ponit per extensum dictam Vrbani constitutionem.

Nota secundò cum eodem Leone nu. 82. quod etiam stante dicta constitutione regulares hodie si in aliena diœcesi inuenirent subditum diœcesis, in qua fuerint approbati, possent eum audire, & absoluere, quod etiam potest quilibet Confessarius sæcularis. Ratio est, quia hoc non est priuilegium particulare regularibus concessum, sed dispositio iuris communis generalis quoad omnes confessarios. Ergo constitutio Vrbani VIII. non militat, quia loquitur tantùm de priuilegiis. Vide Sanchez de matrim. to. 1. lib. 3. disp. 24. n. 2. Peregrinum in compen. priuileg. part. 1. tit. absolutio, §. 8. in scholio. Tamburinum de iure Abbatum, to. 2. disp. 6. q. 14. num. 4. Rodriquez in qq. regul. tom. 1. qq. 60. art. 5. & alios.

An expediat Generales Religionum esse perpetuos.

RESOL. CXXIV.

AFfirmatiuam sententiam mordicus tenet Nauarrus commen. 3. de Regul. n. 3. & lib. 3. de stat. Monach. consil. 7. nu. 8. Miranda in man. Prælat. to. 2. q. 7. art. 6. Suarez de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 7. n. 5. Azorius to. 1. lib. 12. c. 20. qu. 21. & alii. Ratio est, quia ex tẽporanea duratione fit, vt Generales certo modo à subditis dependeant, cum ab eis deprimi, & erigi possint & per consequens fit vt eorum authoritas multum diminuatur cęteras rationes videbis apud citatos DD:

Sed his non obstantibus supradictam sententiam non esse ita certam docet Layman Societatis Iesu, in qq. canon. c. 17. q. 255. vbi sic ait. Non desunt qui expedire magis existimãt, vt ordinum Prælati in perpetuum instituantur, sed hanc rem difficile est definire, cum ex vtraque parte tam cõmoda, quam incommoda existant. Ita ille, & ante illum Ioannes Baptista Antonucius in Catechesi Neapolit. lib. 5. de simon. priuat. c. 6. fol. mihi 184. vbi ita asserit. Ego licet Nauarri opinionem de perpetuitate Generalium aliquando probauerim, hodie tamen in hac re anceps sum, cum valdè probabiles rationes sint pro vtraque parte, tum propter iustitiam distributiuam, tum propter incautam electionem ab initio factam, & præsertim quo ad capita ordinum. Hæc Antonucius. vide etiam Tamburinum de iure Abbat. to. 1. disp. 23. q. 3. nu. 4. vbi putat quod hæc res arbitraria sit, & quod alterutra pars eligi possit, dummodo incommoda, quæ in vtraquaque illarum contingere possint, quantum fieri possit, euitentur.

An Regulares conuenientes inter se, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter alteri in alia, committant simoniam.

RESOL. CXXV.

REspondeo affirmatiuè, vt innuit c. cum pridem, c. fin. de pactis Secus asserunt aliqui, si pactũ non interuenit, sed tantum futuræ oblatio spei, vt si dicatur, de hoc suffragium, & prouide-

videbitur tibi de alia re, vel quid simile; & ideò Villalobos in summ.to.1.tra.37. diffic.24. num.1.sic.ait. [Aduierte Emanuel Rodriquez cũ Nauarro, que vna cosa es,o frecer esperanca, y otra cosa el hazer pacto y concierto,porque si el Superior dixesse al subdito,por amor de mi que dexeis este officio, que yo procurare dat os otra cosa,como se suele hazer muchas vezes, sinanimo de obligarse, no serà simonia, aunque parece cierta manera de soborno, y por este camino se escusan muchos que dizen à sus amigos ayudadme en esta occasion con vuestro voto,queyo os ayudare en otra, que esto no es hazer pacto, si no ofrecer esperanca:mas lo cierto es que esto se llega mucho à simonia.] Ita ille,& post illum Hieron. Rodriq. in compend.qq. regul resol.129. n. 3.Sed cum hæ oblationes subornationis speciem præseferant,ideò debent à religiosis esse maximè alienæ Vide etiam Suarez de relig.to.1.lib.4.c.44.n.3. & seq.

An confessarius si petat à Superiore Regulari potestatem absoluendi aliquem à casibus reseruatis,si neget, possit pœnitentem illum absoluere pro illa vice.

RESOL. CXXVI.

Respondent aliqui probabiliter, quod Superior requisitus à pio, & docto Confessario, nempè à Confessario approbato, & exposito ad confessiones,ad absoluendum suum subditũ ab aliquo reseruato, & ipse absque iusta causa licentiam neget, posse dictum Confessarium ab eo peccato reseruato illũ absoluere,quando instat necessitas communicandi, aut celebrandi & scandalum adest,nisi communicet,vel celebret;& in hoc casu talis Confessarius absoluit ex licẽtia Prouincialis,Generalis, vel Papæ. Cæteras rationes videbis apud Fagundez præcept.3. lib.3.c.9.n.171.Henriq. lib.3.c. 13.n.6. & alios;licet contrariam sententiam teneant Suarez de relig. to.4. lib. 2.c.19.n.30.& alij Sed quidquid sit de hac opinione, hodie extat decisio Pauli V. quam refert Naldus in sum.verb. religiosus,n.44. vbi Sanctitas sua deinceps declarauit, vt si huiusmodi regularium Confessaris casus alicuius reseruati facultatem petentibus date Superior noluerit,possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes regulares,etiam non obtenta à Superiore facultate absoluere.At ex illis verbis,*huiusmodi Regularium Confessarijs*, &c. putat Leone vbi infra,n.40.hoc efficere non posse, nisi Confessarios domus,& Monasterij deputatos à Superiore.

Verùm extat difficultas circa prædictam decisionem Pauli V.an illa verba,pro illa vice, intelligenda sint pro vna vice tantùm;Alphons.Leone tr.de offic.& potest.Confess. tom.2. recollect.6.num.178.docet hoc non esse certum,vt patet ex illa quæstione, an possit quis lucrari pluribus vicibus Iubilæum extraordinarium, concedi solitum cum simili clausula,pro hac vice:nã multi docent(& me ipsum citant in tr.3. Miscellan.resolut.49.) posse eum, qui in prima hebdomada lucratus fuit Iubilæum, etiam lucrari, & absolui in secunda: ergo à fortiori in casu nostro: tum quia quando Pontifex indulget,vt pro illa vice regularis possit absolui à reseruatis non ponit dictionem aliquam taxatiuã,sicuti in Bullis Iubilæi, vbi sunt verba illa, pro hac vice,vnde magis videtur restringere dictio ista hac, quam illa.Ita Leone vbi supra.

Tamẽ aliqui verba illa Pauli V.tantùm pro vna vice intelligenda esse docet, & ideò Tamburinus de iure Abbatum, tom. 2.disp.13.quæst.8.num.3. sic.ait.Si Confessarius non habens facultatem pro reseruatis, illam ab Abbate pro aliquo casu peteret, & Abbas concedere negaret, posset nihilominus Cõfessarius, pro illa vice tantùm pœnitentem regularem,etiam facultate non obtenta, absoluere, vt concessit Paulus V.in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione editis. Hęc Tamburinus.

Notandum est etiam hic obiter primò, quod si Confessarius petat licentiam à Superiore Regularium absoluendi à reseruatis aliquam personam particularem, potest etiã illam absoluere à peccatis reseruatis, commissis post licentiam obtentam pro prima vice secus si talis licentia fuerit obtenta à pœnitente. Ita Barbosa de potest. Episc.p.2.alleg.12.num.9. Leone, vbi sup.de potest.Confess.tom.2,recollect.11.nu, 183. qui etiam recollect. 6.n.131.cum Florono de cas.reseru.c.3.§.1.num.1.notat, quod, Confessarius si petat facultatem à Superiore pro vna persona potest vti pro sua persona,

Nota etiam secundò,quod Regulares semel sine licẽtia suorum Prælatorum possunt absolui ab omnibus reseruatis, & ita obseruat Suarez de relig.tom.4. lib.2.c.19. num.7. ex quodam priuilegio Minorum, qui possunt eligere de eadem obseruantia cõfessorem,qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris possit illos absoluere;imò,& dispensare in irregularitatibus,excepto homicidio,& mutilatione voluntaria; quod priuilegium cum generale sit, complectitur omnia peccata, etiam in ipsa religione reseruata;cumque ex parte personæ eligendæ nullam aliam conditionem requirat, nisi quod sit eiusdem ordinis, non videtur amplius restringenda,nec postulanda specialis licentia Prælati Sed nihilominus probabile est, Confessorem sic eligendũ, debere esse ex approbatis, & expositis à Prælato religionis ad audiendas confessiones suorum subditorum. Hæc omnia Suarez,quæ sunt valdè notanda.

An Monialis possit transire de vno Monasterio ad aliud causa fundationis,reformationis, &c.sine licentia Papæ?

RESOL. CXXVII.

Negatiuam sententiam docuit Emanuel Rodriq. in summ. tom. 3.c.3.n. 2. & Thom.Zerola in praxi Episc. p.1.verb. Moniales,§. 16. qui testãtur ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem.

Sed his non obstantibus,hoc fieri posse ex sola licentia Superioris dictæ Monialis, & ita seruari in praxi, tenent Emanuel Rodriquez sibi contrario, vbi supra in summa, to. 3.c.96.nu.4. Hieron.Rodriquez in compen.qq. regul. resol.26.n.38.& Portel.in addit ad dubia regular.ver Monialibus,n.1.

Verùm circam præsentem quæstionem ita asserit Villalobos in sum.to.2.tract.35.diffic.45.nu.9.[Rodriquez dize que para traher Abadessa de fueras, es necessario licencia del Papa, ò del Nuncio,què tiene para ello autoridad,como lo de claro la Congregacion de los Cardinales:En lo que toca à esta declaracion pareceme dudosa,porque no la trahen Farinacio,ni Manzilla,y dize Portel.que no esta en vso en Portugal y yo tambien he visto lo contrario en Castilla, mas si essa se halasse authentica ha se de hazer,ansi, mayormente en caso que vuiesse de hauer discordia,por que podrian las Monias recurrir al Nuncio,y si fuesse deste parecer tẽdrian pessa dumbres los Prelados; mas no constando desta declaracion tiene buen fundamẽto lo que queda dicho.] Sed his non obstantibus,ego puto non esse recedendum à prima sententia negatiua propter declarationem Cardinalium adductam à Castellino vbi supra in hoc tract. resol;99.in fine.

Quidam expleto anno nouitiatus fuit à Capitulo Monasterij admissus ad professionem, quam ex leuissima causa distulit emittere ad sex menses,sed postea emissa quæsiuit à me an fuerit valida?

RESOL. CXXVIII.

Videbatur obstare Concil.Trident.sess.25.ca. 16. de Regul. vbi præcipitur, quod finito anno probationis Nouitius statim ad professionem admittatur, aut expellatur.

Sed de hoc casu, vt dixi,interrogatus dictam professionem fuisse validam respondi; Primò,quia Concilium ibi præcipit tãtùm,vt professio emittatur post annum probationis, sed illam non annullat,si efficiatur post dictum tempus. ergo, &c. Adde quod,vt rectè docet nouissimè Castrus Palaus in opere morali, to.1.tr.3.disp.2.pun.9.nu.8.Suarez de legibus,lib.5.c.15. nu. 10. & alij,quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, vt est in casu nostro,actus contra factus non est nullus, quia tunc non intelligitur circumstantia temporis, vt forma apposita, & ideò circa validitatem supradictæ professionis etiam affirmatiuè responderunt aliqui Theologi Societatis Iesu,& nostræ religionis de hoc casu tunc interrogati.

Notandum est tamen hic obiter, quod post annum probationis expletum, licet Superiori differri professionem Nouitij ob iustam causam, non obstante dicto Decreto Concilij Trident. vbi supr. nam Congregatio Cardinal. authoritate Pij V. declarauit Præfatum Decretum Concilij tantùm procedere in Nouitijs, qui elapso anno Nouitiatus habiles inuenti fuerint, non verò inhabilibus, quorum professio vsque ad sex menses

potest

potest prolongari, dummodo intra id temporis spes habeatur, quod efficientur habiles, sed in monialibus diutius licet professionem differre. Ita Hieron. Rodriq. in compen. qq. reg. ref. 101. n. 61. & nouissimè Aloysius Riccius in praxi, to. 4. resol. 254.

An licentia ingrediendi Monasteria Monialium debeat esse in scriptis, etiam quoad forum conscientiæ?

RESOL. CXXIX.

De hoc casu nouissimè interrogatus fui à Georgio Pollacho, viro quidem docto, & amicissimo, qui Venetijs moratur. Prima opinio affirmat, & ita docet Suarez de Relig. to. 4. lib. 1. c. 10. nu. 15. Sanchez in summ. to. 2. libr. 6. cap. 16. num. 50. & alij, vnde asserunt esse peccatum mortale ingredi Monasteria Monialium cum licentia Superioris oretenus concessa, & hoc ex Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 5. ibi, sine Episcopi, aut Superioris licentia in scriptis obtenta.

Verùm non desunt Doctores negatiuam sententiam tenentes, vt Homob. de Bonis, tract. de casibus reseruatis, par. 2. cas. 5. & Petrus Bellochius in praxi Theolog. Mor. part. 2. qu. 9. numer. 162. vbi sic ait. Licet licentia ad ingrediendum septa Monasterii per Decretum Concilii Trid. in scriptis obtenta requiratur, hoc quod forum externus intelligitur, nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit vt consensus iure naturali requisitus interueniat. Ita ille, qui citat Innocentium, Abbatem, & Felinum.

Notandum est tamen, quod etiam stando in prima opinione licentia in scriptis non requiritur semper in casibus ordinarijs, puta quoad Medicos, Chirurgos, Carpentarios, Cæmentarios, & alios similes operatios, quorum opera passim indigent Moniales, sed pro his licet Abbatissis dare licentiam, ex præsumpta interpretatiuá voluntate Superioris, vel ad maiorem cautelam Superior hanc generalem facultatem potest in scriptis committere Abbatissis, vel Monialium Confessarijs pro similibus casibus. Et ita ex multis docet Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regular. resol. 26. nu. 8. & Villalobos in sum to. 2. tr. 35. diffic. 46. n. 4. Et nota etiam contra Graffium in decis. p. 1. lib. 4. cap. 23. n. 6 & alios, quod licentia data ad concedendam facultatem ingrediendi Monasteria non debet necessario esse in scriptis, sed sufficit, vt sit oretenus concessa: nam Concilium loquitur de licentia ingrediendi tantùm, non autem de licentia ad concedẽdam facultatem ingrediendi.

An Episcopus possit dare licentiam, vt nupta intret in Monasterium ob periculum vitæ?

RESOL. CXXX.

Respondet affirmatiuè Azorius to. 1. lib. 13. c. 8. qu. 4. vbi docet posse recipi intra clausuram licitè viduam bonæ famæ quæ cupit honestatis gratia intra Monasterium manere. Item posse recipi fœminam de licentia Episcopi de adulterio suspectam apud virum suum, eaq; de causa vitæ periculũ certo timet.

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quã tuetur Portel. in addit. ad dubia Regular. ver. Clausura Monialium, num. 2. ex declaratione Cardinalium facta Episcopo Salmantino, quæ sic habet. Non licet Episcopis, vel permittere, vel licentiam cõcedere mulieribus, vt ex causa litium matrimonialium, adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & vxores apud Monasteria Monialium sequestrentur securitatis gratia, imò ingredientes incidere in excommunicationem à Concilio impositam. Et hanc declarationem adducit etiam Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 26. nu. 15.

An puella destinata ad Religionem possint recipi in Monasterijs Monialium ante annos discretionis?

RESOL. CXXXI.

Putat Azorius to. 1. lib. 12. c. 17. Superiores nõ posse has puellas recipere, nisi habeant duodecim annos ætatis, & ita etiã docet Hierony. Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 27. n. 16.

Sed contrarium tenet Portel. in Addit. ad dubia Regul. verb. clausura Monialium, §. cuius ætatis, &c. nu. 1. vbi sic ait Dicendum est posse puellas recipi à Superioribus intra clausuram, vt suo tempore profiteantur, etiamsi sint ætatis infantilis, nondum attingentes vsum rationis, in tertio, vel quatto ætatis anno; ita Portel. qui citat Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 18. nu. 34.

An Episcopus virtute Concilij Tridentini sess. 25. cap. 14. possit carcerare Regularem notorie delinquentem, & contra illum processum formare, vt postea remittat suo superiori, vt illum puniat?

RESOL. CXXXII.

Respondeo negatiuè, & ita docet Villalobos in summ. to. 2. tr. 35. diffic. 5. nu. 5. vbi sic ait. (Estan suictos los Religiosos a los Obispos quanto ala correcion del religioso, que mora en conuento, y comete delito escandaloso, fuera delqual dize el Concilio.) Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuere puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniatur. Y notese la palabra notorie, que si no lo es, no podra el Obispo entremeterse en ello, y aunque lo sea, no le há de poner el Obispo en su carcel, sino rimitirle luego al Superior, aunque no haga instancia en ello, como declararó los Cardinales, mas si se temiesse fuga del Religioso, puede el ordinatio prenderle, y rimitirle luego a su prelado.) Hæc Villalobos.

Verùm Piasecius in praxi Episcop. part. 2. c. 3. num. 43. tenet posse Regularem in tali casu deduci ad carcerem Episcopi, & sumpta informatione super delicto, dummodo sine moratumatur, remitti cum copia processus ad suum Superiorem puniendum, cum præfinitione termini ad puniendum. Et hanc opinionem tenet etiam Naldus in sum ver. Episcopus, nu. 28. Barbosa de potest. Episcop. p. 3. alleg. 106. nu. 19. & Portel. in Addit. ad Regul. verb. puni. 16 Relig. extra conuentum, n. 17.

Sed in tali casu non posse Episcopum formare processum, contrà dictum Religiosum, solidè probat nouissimè Hieronym. Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 62. n. 8. & respon der ad argumenta cõtraria, & ad declarationes Cardinalium, quas Barbosa adducit, vnde nõ est recedendum ab hac sententia, & satis in hoc casu contra Portel. & alios potest Episcopus instare, & benè instare, certiorem faciendo per suas litteras Prælatum Regularem de notorietate delicti à religioso ita commissi, vt nulla tergiuersatione celari potuisset, ad quod non est necessarius processus iuridicus ab Episcopo formatus, quin ipso iure nullus est ex defectu iurisdictionis.

An Priuilegia Mendicantium sint reuocata per Conc. Trident. sess. 25. cap. 12. de Regul. quo ad celebrandum tempore interdicti?

RESOL. CXXXIII.

Affirmatiuè respondet Nauarrus in man. c. 27. num. 190. & Garsias de Benef. to. 1. p. 5. c. 2. n. 278. & ita respondisse Sacram Cardinalium Congregationem testatur Armendariz in Addit. ad Rẽcopil. legum Nauarræ, lib. 2. tit. 18. leg. 7. n. 73.

Sed his non obstantibus Henriquez lib. 13. c. 48. nu. 1. Sayrus de cens. lib. 5. cap. 13. num. 24. & 25. Rodriquez in qq. Regul. to. 2. q. 112. art. 1. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 7. dub. 2. cõcl. 2. & alii, asserunt specialia Regularium priuilegia, vt pro suis festis, & alijs certis diebus non seruent interdicta, non esse reuocata per dictum Concilium Tridentinum, & hæc opinio est tenenda; vide rationes apud citatos DD.

An Episcopus habeat iurisdictionem in Regulares exemptos, quando esset in possessione iudicandi illos?

RESOL. CXXXIV.

Videtur respondendum affirmatiuè, nam in tali casu apparet eos renũciasse priuilegio exẽptionis, & ita tenet Triuisa-

usantis lib. 1. decis. 36. num. 2. Capra reg. 84. num. 21. Cucchus in instit. can. lib. 1. tit. 6 n. 6. & seq. cum alijs.

Sed ego contrariam sententiam teneo, quia exemptus sine licentia Summi Pontificis nõ potest exemptioni etiam expresse renunciare, ergo multo minus tacitè, vt est in casu nostro. Et ita fuisse resolutum in vna Vlixi ponensis Monasterij die 19. Nouẽbris 1625. coram Illustr. Coccino testatur Barbosa de potest. Episcop. p. 3. allegat. 105. num. 76. & ita nostram sententiam tenet Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resolut. 63. nu. 23. & alij penes ipsum.

An Regulares extra chorum possint vti Breuiario Romano, vel alterius Religionis?

RESOL. CXXXV.

Regularem qui vtitur proprio Religionis suę Breuiario, non posse vti Romano extra chorum, docet Suarez, de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 23. nu. 9. Azorius to. 1. nu. 10. cap. 11. qu. 1. in fine, & alij.

Sed ego alibi contrariam sententiam docui, & nunc iterùm doceo, cum DD. ibi citatis, quibus nunc addo Hieronymum Rodriq. in compen. qq. Regul. resolut. 24. nu. 34. qui etiam cum Miranda in manual. Prælat. tom. 1. quæst. 37. art. 13. resoluit posse Minores, & per consequens alios Regulares extra conuentum recitare cum Monachis aliarum Religionum per sua Breuiaria virtute concessionis Innocentij IV. id indulgentis, & sic v. g. Benedictinus potest recitare horas canonicas cum Dominicano, si extra conuentum reperiatur, cum Breuiario Fratrum Prædicatorum, & dictum priuilegium Innocentij IV. non reuocari per Bullam Pij V. tenent DD. citati, vnde in praxi secura erit eorum sententia.

An Regulares possint mutare Conuentus de loco, v. g. non sano, vel incommodo ad locum saniorem, vel commodiorem sine licentia Episcopi?

RESOL. CXXXVI.

Quod ad istam mutationem requiratur noua licentia Episcopi, docet Emanuel Rodriquez in qq. Regul. tom. 1. qu. 23. artic. 7. & Portel. in dubiis Regul. ver. Monasterium, num. 5.

Verùm notandum est, quod Sixtus V. concessit Generali Sancti Benedicti, quod in Capitulo Generali de consensu Capituli possit mutare cõuentus de locis incommodis ad locos commodiores, non petita licentia Episcopi, cum cæteris ibi contentis, & id ipsum concessit Sixtus IV. Minoribus. Nec priuilegiis derogatur per Concilium Tridentinum, nam loquitur tantùm de noua erectione, & ædificatione domorum, non autem de mutatione. Et hęc omnia docent Miranda in Manual. Præl. tom. 1. q. 33. art. 2. Portel. vbi supra, num. 7. & in addit. eodem verbo. n. 3. & nouissimè post illos Hieronymus Rodriquez in compend. qq. Regul. resol. 55. nu. 4.

TRACTATVS III. DE ABSOLVTIONE SACRAMENTALI LARGIENDA MORIBVNDO sensibus destituto.

DIFFICILIS est in praxi sępius occurrens ista quæstio; ideò pro eius explicatione exacta quinque casus considero. Primò, quando moribundus nequit loqui, sed præsente Sacerdote nutibus absolutionem ab illo quærit. Secundò, quando pręsente eodem Sacerdote, signa tantùm exhibet contritionis, v. g. percutiendo pectus, leuando oculos ad cęlum cum suspiriis, &c. Tertiò, quando absente Sacerdote quærit voce, vel nutibus confessionem, vel exhibet tantùm signa contritionis, & illo aduenien te astantes testantur de hoc. Quartò, quando testis absens ab infirmo, vt v. g. ante domum in platea, supradicta signa, & petitionem confessionis confessario manifestat: & tandem Quintò quando infirmus sensibus destitutus, nihil petiit, vel nutibus significauit, sed Sacerdos inuenit eum morti proximum; de his igitur casibus seorsim ad maiorem difficultatis elucidationem, agemus; ideò quæro primò.

An sit danda absolutio ei, qui nutibus tantum quærit à Confessario absolutionem?

RESOL. I.

Negatiuè respondent ferè omnes Thomistæ recentiores, viri quidem docti, vt Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. ad 1. Canus relect. de pœn. p. 1. §. At inhærendo. Lopez in instruct. p. 1. c. 18. Conradus in respons. cas. c. 19. regul. 6. Nugnus, Aluarez, Coquerius, Auila vbi infra in resolut. 3. hanc sententiam docet etiam Graffius part. 1. lib. 1. cap. 36. nu. 25. Pedraza in summ. c. 7. Angles in 4. p. 1. de Confessione, art. 2. difficult. 10. Abulensis in Matth. qu. 79. Nauarrus in Man. cap. 26. nu. 27. cum alijs. Et ratio est primò, quia per talem confessionem non datur notitia confessori, quam antea non haberet; & ideò colligit Trident. sess. 14. cap. 5. confessionem in genere non sufficere. Secundò, quia per illam cõfessionem nihil proponitur absoluendum, cũ actiones debeant esse circa particularia: & cum confessio sit actus iudicialis, debet ex cõsequenti versari circa aliquod particulare. Tertiò, quia vel remittuntur omnia peccata directè, & hoc non; quia cum non fiat confessio omnium, non possunt remitti directè; illa enim hoc modo remittũtur, quę clauibus subijciuntur, vel solùm directè peccatum in communi, & hoc non potest, quia peccatum in communi non est remissibile. Quartò non: sufficit voluntas confitendi absque actuali confessione, vt quis à peccatis absoluatur, sicut non sufficit voluntas habendi verum dolorem, sed requiritur, vt re vera detur ipsa confessio, & actualis dolor. Sed in casu proposito solùm datur voluntas confitendi, vt patet. Ergo non erit adhibenda absolutio.

At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto: quam tuentur Regius in resol. cas. 39. num. 4. Alphonsus de Leone in tract. de officio & potest. cõfessar. to. 1. recollect. 6. num. 121. Pharaonius de Sacram. pœn. tract. 1. sess. 16. cas. 15. Thomas à Iesu in Tribun. consc. c. 11. §. 10. Ragucius in Lucerna Parochorum, tit. de absolutione. q. 97. Yribarne in 4. to. 2. d. 18. qu. vnica, disp. 16. sect. 5. concl. vlt. Corduba lib. 5. de indulg. q. 19. Suarez to. 4. disp. 23. sect. 1. nu. 5. Salas in p. 2. tr. 8. disp. vnic. sect. 5. num. 56. Turrianus de pœn. q. 9. art. 2. disp. 40. dub. 1. Megala in 1. p. lib. 1. c. 11. num. 8. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dist. 17. qu. vnica, art. & concl. 4. Ruardus tom. 1. contra Lutherum, art. 5. post initium Henriquez libr. 6. cap. 10. nu. 7. Coninch. de Sacram. disp. 6. dub. 10. num. 97. Reginaldus de prudent. confess. c. 21. part. 2. num. 16. Fernadez in instruct. docum. 4. num. 32. & à fortiori omnes DD. citandi in tertia resolutione pro secunda opinione.

Et ratio est, quia ex Christi institutione confessio Sacramentalis debet esse integra, & tamen necessitas facere potest, vt Confessio mutilata sufficiens sit ad obtinendam Sacramẽtalem

abso-

absolutionem; igitur necessitatem similiter facere posse dicendum est, vt ad eamdem obtinendam sufficiat confessionem fieri in genere de propriis peccatis; quando ad speciem, & numerum descendi non potest. Et confirmatur, quia si quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est cuius speciei fuerit illud peccatum, potest, & debet confiteri se peccatum mortale admisisse, cuius nequit in particulari meminisse; Igitur in casu proposito pœnitens dat verã materiam, scilic. veram sui ipsius accusationem cum ostensione doloris, quantum hic, & nunc dare potest, ex qua Sacerdos in hoc foro cognoscit pœnitentem peccasse, & eum de hoc dolere, & consequenter cognoscit statum pœnitentis, quantum hic, & nunc cognosci potest; quæ omnia absolutè sufficiunt, vt sacramẽtaliter absolui possit; nam Deus à nobis nõ requirit aliam confessionem, quam quæ nobis hic, & nunc possibilis est, & ideò hanc sententiam determinant Canones, & Rituale Romanum Pauli V. iussu editum, vt in sequenti resolutione videbimus.

Restat modo respondere ad argumenta superius adducta. Itaque ad primum dico in casu proposito dari notitiam sacramentalem imperfectam quidem, & quæ nulla estimaretur, si voluntariè omitteretur, quomodo loquutum est Concilium Tridentinum, sed quia aliter fieri non potest, satis est. Ad secundum proponitur absoluenda offensio diuina, vt talis est, & materia proxima est confessio illa particularis, & effectus absolutionis versatur circa personam particularem. Ad tertium, remittitur directè offensio diuina, indirectè singula peccata secũdũ proprias species, quæ remanent subijcienda clauibus quod etiam dicendum est in casu obliuionis speciei peccati. Et tandẽ ad quartum respondeo, hic nõ dari voluntatem confitendi solùm, sed vt dictum est, datur materia certa peccatorum, saltem in communi, fundata in voluntate, quã pœnitens manifestauit confessario confessionem; & absolutionem nutibus postulando.

Sed pro coronide huius resolutionis. Notandum est hic obiter, & curiosè, moribundum, qui non valet, nisi per signa contritionis, sua peccata confiteri, lucrari Iubilæum, quia hæc est vera confessio Sacramentalis, & ita aduersus Graffium in appen. lib. 2. c. 5. n. 11. docet nouissimè Bartholomeus à S. Fausto in tract. de Iubilæo, libr. 4. qu. 4. Verùm ad explicationem secundi casus deueniamus.

An moribundus, qui non audit, nec loqui potest, sed tantum pugno pectus suum pulsat, suspirans oculos in cælum tollit, vel respicit aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel alijs testificantibus, sit absoluendus?

RESOL. II.

RESpondent negatiuè Megala in 1. par. lib. 1. cap. 11. num. 8. Thomas à Iesu in Tribunali consc. c. 2. §. 10. in fine, Ioan. Franciscus Suarez in Enchiridio casuum conscientię, lib. 5. verbor. Confessor. fol. 356. §. petens Confessarium Bonac. de Sacramen. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 6. & Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 25. sect. 1. nu. 11. vbi docent, moribundo in tali casu, non sat esse adhibere signa contritionis; sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claues, petendo cõfessionem, seu vocando Sacerdotem, saltem signo, vel nutibus; quod non accidit in casu proposito. Ergo. &c.

Sed his nõ obstantibus, affirmatiuam sententiam tenent Zãbranus de cas. tempore mortis, capit. 4. dub. 2. sect. 4. Pharaonius de Sacram. pœn. trac. 1. sess. 16. cas. 15. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 8. num. 4. eo quod signa pœnitentię, quæ presente mortis periculo ab infirmis eduntur, censeri debeant ad Sacramentalem absolutionem directa, cum in tali statu optimum suę animæ remediũ desiderare soleant. Qua propter, licet infirmus in phrenesim lapsus absolui non possit, etiam si cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundũ morem pulsaret, aut sublatis oculis in cælum dixerit. Miserere mei Deus, tamen si talia signa edidit morti vicinus, cum plura verba proferre non possit; præsumptio plerùmque fieri potest, quod Sacramentalem absolutionẽ à Sacerdote petiuerit. Ita Layman.

Et ante illũ, hanc sententiam docuerat etiam Ioannes Chapeauilla tr. de Sacramentis ministandris tempore pestis, c. 3. qu. 11. & quia Codex rarus est, ponam eius verba. Quærit igitur, an Parochi teneantur absoluere infirmos signa contritionis ostendentes, & respondet, teneri absoluere sub conditione; quia (ait ille) in casu extremæ necessitatis in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis. Et probatur primò, auctoritate D. Augusti. ser. 44. Tunditur, inquit, Pectus, vt arguatur quod latet in pectore, vt euitendi pulsu occultum castigetur peccatum: reddit enim rationem, quare qui audiunt Confiteor, tundunt pectus, scilicet, vt manifestent peccatum, & sic illud castigent. At huiusmodi manifestatio peccati est confessio saltem tacita ad eius remissionem; ergo in illis signis reperitur confessio. Secundò signa contritionis manifestant contritionem de peccato, quia aliter nõ essent eius signa. Ergo manifestant peccatum, vt remittatur, contritio enim est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso. Tertiò, quia in illo articulo signa illa fieri non solent, nisi ad manifestationẽ peccatorum, quæ pungunt conscientiam, & quorum remediũ quæritur medicina pœnitentiæ, vult enim existens in illa necessitate declarare signis illis contritionis, quod non potest voce, qua libẽter si posset cõfessionem peteret: nam videmus etiam maximos peccatores, si vel vnicum verbum proferre possint, ardẽtissimè illo tempore efflagitare confessionem.

Nec valet dicere, quod in illis signis contritionis sit inclusa aliqua peccatorum confessio, sed non illa quæ fit Sacerdoti, quę sola est Sacramentalis. Respondeo, etiam Sacerdoti faciedam contineri. Qui enim petit absolutionem verbis expressis, vel signis contritionis, non petit illam à laico, sed ab Ecclesia, & eius ministro, qui habent potestatem absoluendi peccata; atque adeò à Sacerdote, & ita idem est petere confessionem vel absolutionem verbis, vel signis cõtritionis, ac dicere, aliquis Sacerdos absoluat me à peccatis, quæ his verbis, vel signis contritionis manifesto in genere, meliori modo quo nunc possum. Hæc omnia Capeauilla, quæ pij Confessarij in mentem teneant, & illa in praxim, me consulente, & impellente deducant, absoluẽdo supradictos infirmos sub conditione.

Notandum est tamen hic obiter ex supradictis, Sacerdotem qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans Missam inchoasset, & in fine introitus decidisset mortuus, nõ posse à peccatis absolui. licet generalem confessionem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia: quia illa confessio non fuit Sacramentalis, neque directa ad accipiendam absolutionem in foro pœnitentiæ. Ita Layman vbi supra. Contrarium tamen dicendum est de illo, qui significans se cupere confiteri, ideòque ad genua Sacerdotis accedens, subito apoplexia tangitur antequã aliud verbum proferat; talem enim instãte mortis periculo absoluendum esse non dubito; quia in ordine ad cõfessionem Sacramentalem dedit generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere. Ita Coninch. in Responsione pro absolutione moribundi, nu. 16. quidquid dicat Coquetius in dissertat. de absolutione per litteras, cap. 7. nu. 21.

An sit absoluendus moribundus, si exhibeat supradicta signa Sed dubitatur an sit orta ex contritione, vel ex angustia mortis?

RESOL. III.

RΕspondeo affirmatiuè cum Sancio in selectis, disp. 44. num. 35. in fine, vbi sic ait, sub conditione impertienda erit absolutio, quando ambiguitas intercedet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cum prodesse possit infirmo, non obesse Sacramento, vitatur namque sacrilegij periculum conditione apposita; sic ille: & ita etiam docet Layman in Theol. mor. lib. 6. trac. 6. cap. 8. nu. 4. vbi hoc pacto asserit. Si consideratis circumstantijs, & examinatis his, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur; absolutio tamen conferri pòterit sub conditione, si talis materia confessionis sufficiens sit ad absolutionis ministrationem.

An confessarius possit absoluere moribundum, qui in eius absentia confessionem petijt, vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante?

RESOL. IV.

NEgatiuè respondent à fortiori DD. citati in resol. 1. in prin. & nouissimè docent hanc sententiam Pet. Fay de Sacram

pœn.

Pœn. in addit. ad 3. p. D. Th. q. 9. art. 3. disput. 3. ad 9. argu. Franciscus Coquetius dissertat. de confessione per litteras, c. 7. n. 21. Didacus Aluarez in p. a D. Thomæ q. 19. art. 6. disp. 80. per totã. Lauorius tr. de indulgen. p. 2. card. num. 139. & hanc sententiam ex Theologis Societatis Iesu, tenet nouissimè Turrianus de pœnit. q. 9. art. 3. disp. 32. dub. 4. & ex nostra Religione Alphonsus de Leo. tract. de officio, & potest. Confessar. to. 1. recollect. 6. num. 123.

Probatur primò; quia confessio facta Sacerdoti, & accusatio propria propriorum peccatorum est materia essentialis, & proxima Sacramenti pęnitentię, sed in nostro casu moribundus cũ vocauit Sacerdotem, vel signa cõtritionis effecit, nullam dedit materiam confessatio, (quia erat absens,) quamuis adstantibus dederit. Ergo absoluendus non est ex defectu materiæ, & Sacerdotis. Confirmatur, quia vt infra videbitur, Clemens VIII. damnauit confessionem factam absente Sacerdote, sed talis est confessio de qua loquimur; ergo, &c.

Secundò, Canones qui contra hanc sententiam adducuntur, intelligendi sunt, vt vult. Glossa in ca. 15. q. 20. q. 6. de absolutione à censuris, quæ dari potest etiam inuitis, non verò de absolutione Sacramentali confessionis, de qua loquimur.

Tertiò, Rituale, seu Manuale Romanum, quod adducitur, est à Doctore confectum, & illius auctoritatem nõ excedit, neque consensus Pontificis, aut iussio, quã conscriptum fuit, & euulgatum, confert aliquod pondus rebus, quæ in eo præscribuntur, quia non præcessit serium, aut sufficiens Theologorum examen.

Quartò, ad litteras Bellarmini, & Episcopi Armacani asserẽtium mentem Clem. VIII. dicendum est de illis authenticè nõ constare, & si constat authentice dicunt Pontificem respondisse vt priuatum Doctorem, & sic in casu alio ad quandam Põtificiam responsionem, respondet Henriq. lib. 14. c. 3. n. 4. in Glossa littera P Suarez to. 3. q. 66. art. 6. disp. 21. sect. 3. Valentia to. 4. disp. 4 q. 1. punct. 3. Sotus in 4. sent. dist. 3. qu. vnica art. 6. Canus de locis Theol. lib. 6. c. 8. Catharinus contra Caietanum lib. 5. c. 3. Vegha in Concil. Trident. lib. 9. c. 4. & 5. Bellarminus to. 1. de Romano Pontif. lib. 4. cap. 12. & alij. Et hęc sunt præcipua argumenta, quæ pro eorum firmanda sententia, adducunt Coquetius, Fay, & alij vbi supra.

Sed ego potius aduersus illos affirmatiuam sententiam, tenendam esse puto, quam nobiscum tenet Angelicus Doctor D. Thomas opusc. 65. §. de extrema vnct. vbi sub fine, ita ait. Si autem infirmus, qui petit vnctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adueniat; quia in tali casu (quo scilicet aut baptismum, aut absolutionem simili ratione periisset iuxta dicenda à nobis) debet etiam baptizari, & à peccatis absolui. Ita ille, & nescio quomodo clarius nostram sententiam docere potuisset; aut qua ratione eius verba in alium sensum, vel apparẽter detorqueri possent. Idem etiam docet ex discipulis D. Th. doctus P. Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Sacram. pœn. q. 3. dub. 8. concl. 2. & hæc opinio est communis in schola Patrũ Societatis Iesu, & illam tenent Maldonatus in summula casuũ conscientiæ, quæst. 19. artic. 14. Vasq. in par. tom. 4. qu. 91. art. 2. dub. 1. numer. 4. & 5. & in p. 2. disp. 62. capit. 7. num. 40. Suarez tom. 4 disput. 23. sect. 1. §. de eo qui confessionem petit. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1. Coninch. de Sacram. disput. 7. dub. 10. numer. 99. Reginald. in praxi tom. 1. libr. 8. & part. 3. num. 28. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 122. Fagundez præcep. 2. libr. 3. cap. 1. num. 16. Toletus libr. 3. capit. 8. numer. 2. Becanus de Sacram. c. 36. q. 2. num. 2. Fernandez in instruct. Sacerdotum, 4. nu. 32. Emanuel Sà ver. absolutio, nu. 10. Henriq. lib. 5. c. 2. nu. 7 & lib. 6. c. 30. n. 7. Layman. in Theol. Moral. lib. 5. tra. 6. c. 6. n. 4. & alij. Idem docẽt ex nostra Religione Naldus in sum. vers. infirmus, num. 8. Megala in 1. part. lib. 1. ca. 11. nu. 8. Molfesius, in sum. to. 1. ar. 7. c. 5. num. 4. & alij. Et tandem, præter citatos Doctores, docent etiam hanc sententiam Pontius de Matr. lib. 4. c. 25. num. 8. Thom. à Iesu in Tribunali consc. cap. 11. §. 10. Capeanilla tr. de Sacram. tempore pestis, c. 3. q. 30. Zambranus de cas. tempor. mor. c. 4. dub. 2. per totum. Pharaoonis de Sacramen. pœnitent. tr. 2. sess. 16. cas. 16. Corduba in quæstionario lib. 3. q. 39. Medina tr. 2. de confessione, q. 39. Pitigianus in 4. sent. to. 2. disp. 17. qu. vnica, art. 8. concl. 4. & 5. Syluius in addit. ad 3. p. D. Tho. q. 9. art. 2. quæritur. 4 cas. 2. Montesinus in p. 2. D. Th. disp. 29. quæst. 5. num. 176. Ludouicus de San Iuan in summa, to. 1. tract. de pœnit. qu. 4. art. 19. dub. 6. Coriolanus de casibus reseru. p. 1. tt. 9. dist. 37. num. 7. Bellochius in praxi Theol. Mor. p. 1. q. 2. nu. 112. Antonius de Literatis in summ. p. 1. c. 35. num. 7. & alij penes ipsos.

Probatur primò hæc opinio ex auctoritate Conciliorum, nã in Arausicano I. c. 12. sic habetur. Subito obmutescẽs, prout statutum est, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu, & hic canon citatur in c. qui recedunt 26. q. 6. Idem habetur in Concil. Carthaginensi 4. c. 76. cit. in c. 15. qu. eadem causa, & in Concil. Carthaginensi III. cit. in c. ægrotantes, de consecr. dist. 4. & Sanctus Leo Papa Epist. 89 hoc clarè determinat, quod posteà in Rituali Romano constitutum fuit, vbi sic habetur. Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat; nutibus, & signis conetur (sc. Sacerdos) quoad eius fieri potest peccata pœnitentis cognoscere, quibus vtcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est. Sic Romanum Rituale editum anno 1615. de quo paulò infrà.

Probatur secũdò rationibus: quia talis moribundus, eo quòd ostendit se dolere de peccatis cum signis contritionis, vel etiam petit Sacerdotem à quo absoluatur, fatetur se peccasse, petitque vt adstantes, tanquam suæ voluntatis interpretes, id Sacerdoti pręsenti denuntient, ab eoque absolutionem pro se petant; casu quo id per se facere non possit. ergo dum hi id faciunt, ipse per eos, tanquam per suos interpretes, pręsenti Sacerdoti confitetur. Igitur in tali casu infirmus, qui ostendit, & habet, & indicat præsentem, & absolutam voluntatem confitendi, confessionem de facto moraliter inchoare censetur, præsentia autem Sacerdotis, posteà aduenientis, coram quo, qui ante præsentes fuerant, moribundi voluntatem, ac desiderium testantur, ac tanquam horum interpretes Sacerdoti explicant, nõ solùm vt aduersarii obijciunt, est merè materialis, & quasi per accidens, sed etiam verè humana, & formalis; quia ipse ex auditis, & visis humano modo, quãtum potest in tali casu fieri, iudicat de statu pœnitentis, & ideò nostram sententiam tenuit Clem. VIII. qui interrogatus, an moribundus in casu de quo loquimur, deberet sacramentaliter absolui; respondit debere absolui, & se eum absoluturum, eumque casum suo decreto nullo modo comprehendi.

Restat modo respondere ad argumenta contraria. Et ad primum patet responsio ex dictis. quia in tali casu, vt supra diximus, cum talis ostendat exterius se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatque in hunc finem Sacerdotem accersiri, generatim iam incipit confiteri, simili ferè modo atque is, qui per interpretem confitetur, dum huic sua peccata dicit, vt Sacerdoti deinde ea explicet: quare dum adstãtes posteà Sacerdoti præsenti pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsi confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hoc Sacerdoti iam præsenti confitetur, atque ita sufficientẽ materiam absolutionis præbet. Vnde patet responsio ad Decretum Clem. VIII. nam in nostro casu negamus confessionem omninò absenti fieri, vt notat Syluius in 3. p. qu. 9. art. 3. concl. 4. Fagundez, Coninc., & alij vt supra.

Ad secundùm argumentum, quod Canones adducti, vt vult Glossa in c. 15. q 20. q. 6. loquantur solùm de absolutione à censuris, gratis dicitur. quia primò ibi nulla fit mentio censurarum, sed loquuntur generatim de omnibus, qui ex infirmitate subito obmutescunt, qui nõ nisi temere possunt generatim præsumi esse censuris ligati. Secundò Canones illi comparant hanc recõciliationem cum baptismo. ergo loquuntur de vero Sacramento. Tertiò loquuntur de reconciliatione, quæ requiritur ante sumptionem Eucharistiæ, quę respectu eorum, de quibus dubitatur, an sint in peccato mortali, debet fieri per susceptionem Sacramenti pœnitentiæ. Quartò, quia si in hoc ita Concilia, & Patres interpretamur, nescio quo pacto ex illis Sacramentum pœnitentiæ probabimus.

Ad tertium argumentum de Romano Rituali, respondet fusè Coninch in responsione contra Coquetium, nu. 38. vbi probat ex Bulla Pauli V. illi Rituali pręfixa, fuisse editum cum consultatione Cardinalium, & ex authoritate Apostolica typis prodiisse.

Ad quartum argumentum de responsione Clem. VIII. facta 1608 die 16. Aprilis adducit eius exemplar Coninch. vbi supra post num. 61. ex Epistola illi data ab Archiepiscopo Armachano, sub die 6. Iunii anno 1624. Et quamuis Pontifex, priuatim interrogatus, hoc responsum dederit, nec per id, vt Pontifex ali-

quid,

quid, cui omnes teneantur assentiri, definire intēderit; firmiter tamen probat, id quod eo probare præcipuè intendimus, scilicet illum casum ipsius Decreto nullo modo comprehendi, ipse enim optimè mentem suam, quid in illo suo Decreto damnare intēderit, scire potuit. Igitur remanet satis firmata nostra sententia ex authoritate Conciliorum Canonum, responsionum Pontificum, & ex validissimis rationibus; quas tot. DD. afferunt, & sequuntur; vnde valdè miror Coquetium vbi sup. in Differtar. de confessione per litteras c. 11. nu. 40. docuisse illam in praxi non esse probabilem, sed pro explicatione huius sententiæ aliud dubium erit etiam explicandum, quæritur igitur.

Quot testes in supradicto casu debeant testari Confessario de signis contritionis moribundi, vel quod confessionem petierit?

RESOL. V.

VIdetur prima facie respondendum plures testes necessarios esse ex Concil. Carthaginensi IV. c. 76. & ex c. 15. qu. 26. q 6. ibi, dent testimonium, qui eum audierūt, & ex Concilio Arausicano 1. c. 12. & ex c. qui recederet 26. q. 6. ibi, *testimonium aliorum verbis habet*, & ex Leone Papa Epist. 89. ibi, *testimonia eis fidelium circumstantium*; in quibus Concilia (vt patet) in numero plurali loquuntur. Ergo, &c.

Sed in tali casu sufficere vnum testem, docet Sancius in selectis disp. 44. n. 35. qui citat pro hanc sententia Raymundum, & Graffium, & quidem Felinus in c. veniens el nu. 8. de testibus, tenet standum fore dicto vnius testis, vbi non agitur de præiudicio alterius, modo iuret. Sed iurare in nostro casu necessariū non est, quia maximè impium esset mentiri. Nec oportebit testem esse Christianum, aut infidelem, aut hæreticum, de his. n. præsumi non potest affirmare quod falsum est, vt fiat Sacramentum, præsumendum tamen esset è contra, non testaturos signa pęnitentiæ esse tradita, ne ministretur Sacramentum verum; adhuc in hoc euentu, puro Sacramentum ministrandum sub conditione, sc. si verum est, te signa pœnitentiæ ostendisse, absoluere te à peccatis. Et hęc omnia Sancius, & ante illum Zābranus de Sacram. temp. mortis, cap. 4. dub. 2. & Reginald. in praxi to. 1. lib. 8. c. 3. n. 8. Sed ponam hic aliud dubium.

An quem paulo ante in periculo mortis Confessarius audierat, & non absoluerat, si postea superueniens inuenit adhuc viuum, sed amisisse sensum, possit illum absoluere?

RESOL. VI.

REspondent affirmatiuè Ioannes Capeauilla tra. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis c. 3. qu. 13. Zambranus de cas. tempore mortis cap. 4. dub. 2. sect. 7. numer. 41. dummodo non constet talem voluntatem pœnitendi mutasse, quia ponitur dispositio sufficiens ad suscipiendam absolutionem, & repetitur confessio non tantùm in genere, sed etiam in specie. Ergo, &c.

Nec valet dicere quod potest contingere infirmum pęnitentem interim mutasse voluntatem confitendi; nam respondeò cum Capeauilla vbi sup. q. 12. quod ferè impossibile est, vt quis existens in articulo mortis, & desiderans confiteri, mutet ita citò voluntatem. Secundò circumstantes, qui ad fuerunt, possunt iustificari, an viderint signa mutationis voluntatis illius. Et tertio quia idem inconueniens potest sæpius contingere in matrimonio contracto per procuratorem, quod tamen est in vsu Ecclesiæ, & verum Sacramentum. Ergo, &cet. Sed quartum dubium principale explicandum videtur; vnde quæro.

Quis non coram infirmo, sed statim in eius absentia manifestauit Confessario illum petijsse confessionem, vel signa contritionis ostendisse: quęritur, an si Sacerdos illum viuum adhuc inueniat, possit sacramentaliter absoluere?

RESOL. VII.

SEntentia affirmatiua potest hoc argumento suaderi, quia in hoc casu, licèt illa confessio sit facta absente Sacerdote per nuncium, tamen postea absolutio non datur in absentia, sed in præsentia pœnitentis, ergo licita, & valida erit. Et ita hanc opinionem tenent Henriq. lib. 5. ca. 2. num. 7. & Valentia to. 4. disp. 7. qu. 11. punct. 1. vbi sic asserit, quod ipsa confessio possit fieri per nuncium, aut litteras Sacerdoti, dummodo ipse Sacerdos non nisi præsentem postea absoluat, omninò est probabile; vt v. gr. si æger aliquis absentem Sacerdotem per litteras, aut per nuncium accersat, ac timens futurum, vt morbo postea opressus, confiteri illi in pręsentia non possit, per easdem litteras, vel nuncium ipsi confiteatur, vt aduenlens demum Sacerdos eum quantumuis morbo aggrauatum absoluat. Hæc Valentia, quæ omnia accidunt in casu nostro. Ergo, &c.

Nec aduersus hanc doctrinam facit decretum Clem. VIII. editum die 20. Iunij 1601. in quo damnatur tamquam falsa, temeraria, & scandalosa ista propositio, scil. licere per litteras, seu internunciū. Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Nam respondent aliqui hanc propositionem non ita à Pontifice damnari, vt vtrumque eius membrum censura notetur, proindè supradictam declarationem volunt intelligendam esse in sensu copulatiuo, seu complexiuo, nō autem in sensu diuisiuo: fundatur hæc interpretatio in tribus. Primò in particula, &, quæ vtrūque membrum coniungit, & parit sensum complexiuum; nam si diuisiue loqui voluisset Pontifex, potius id explicasset per particulam *vel*. Secundò, quia Pontifex vtitur signo demonstratiuo singulari, dicens hanc propositionem, quod propriè denotat hypotheticam damnari per modum vnius. Tertiò, quia inter Theologos tunc quando emanauit illud decretum, non erat quæstio de sensu diuisiuo, sed de complexiuo tantùm; ergo solū censendum est Pontif. declarare id, de quo erat controuersia.

Et ita explicationem huius decreti modo quo supra, esse probabilem putat Becanus de Sacramentis, c. 37. q. 8. nam contrariam vocat tantùm tutiorem; vnde sic explanant hoc decretum Filliucius in tom. 1. tr. 7. ca. 1. n. 20. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. difficul. 17. num. 6. vbi sic asserit. [Ala declaracion de Clement. VIII. se puede responder que alli ambas cosas iuntas incluie confession y absolucion en ausencia; y a que no las ayuntas, que esta presente el Sacerdote, quando absolues y mas que alli, non determina el Papa que la confessiō echa en ausencia non es valida, sino solo dize que es ilicita.] Ita ille. Et hoc vltimum, nempè Clementem VIII. in illo Decreto non determinasse confessionem factam absente Sacerdote esse inualidam sed illicitam; docet etiam Coninch. in responsione contra Coquetium impugnantem absolutionem moribūdi, num. 27. & 28.

Igitur ex supradictis videtur dicendum, posse Sacerdotem absoluere moribundum sensibus destitutum, si testes de signis eius contritionis non coram infirmo testimonium ferant, dummodo Sacerdos postea, præsente infirmo, illi Sacramentalem absolutionem tribuat. Et hanc sententiam tenent Filiuc. tomo 1. tr. 7. c. 1. n. 122. Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. nu. 10. Fernandez in exam resol. mor. p. 3. c. 6. §. 6. nu. 50. & Zambranus de cas. tempore mortis, capit. 4. dub. 2. sect. 5. nu. 31. qui asserit confessionem absente Sacerdote esse validam tempore mortis, quando aliter fieri non potest, non obstante Decreto Clem. VIII. vide etiam Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 7. c. 2. n. 9. in fine Posseuinum de officio curati c. 7. nu. 88. Villalob. vbi supra, & alios.

Nec contra hanc sententiam, abit. D. Leo. Epist. 89. ibi; *testimonia ei fidelium circunstantium prodesse debebunt*,. vbi videtur docere testes in hoc casu in præsentia infirmi testimonium ferre debere: nam aliquis posset respondere, Pontificem si dixisset, quia id frequentius solet euenire nempè vt Confessarius superueniat, vbi est moribundus cum alijs, qui postea illi testimonium ferant vocatum à moribundo confessarium, &c. Vnde in Concilio Arausicano 7. cap. 12. & in Cartaginensi IV. c. 76. dicitur absolutè sufficere Confessario ad absoluendum sacramentaliter infirmum, si testes dent testimonium de voluntate ipsius, Ergo, &c.

Hæc opinio videtur mihi probabilis, & nouissimè in terminis, vt asserunt terminantibus iterùm illam tenet Bonac. tomo 3. disp. 2. q. 5. p. 3. nu. 4. vbi asserit, posse absolui pœnitentem, qui accersiuit Confessarium per nuncium, & aduenieute Confessario ita obmutuit, & ita sensibus destitutus est, vt nullum peccatum exprimere, aut doloris signum exhibere possit, nullusq; tunc adsit, qui petitionis confessionis fidem faciat, & ita Romę sensisse multos DD. testatur. Et ita sentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & nostræ Religionis.

Sed negatiuam sententiam ego teneo; quia puto esse de necessitate Sacramentalis Confessionis, vt efficiatur in præsentia Sacerdotis, vt tenent ferè omnes Doctores ex Dominicanorũ familia & Societate Iesu locis citatis, & illi, quos ad satietatem adducit Franciscus Auila in Dissertatione de cõfessione per litteras c.2 per totum. Confessio enim est actus personalis, vt & absolutio, ergo sicut Confessarius non potest absoluere in absentia, ita & pœnitens non potest confiteri nisi illo præsente; vnde Clem. VIII. quidquid asserat Villalobos & Filliuc. vbi supra, in illo decreto, non solum damnauit absolutionem absente pœnitente, sed confessionem absente confessario, & ita verba illa Clementis accipienda esse in sensu diuiso, & non complexiuo, docet Seraphinus Freitas in addit. ad tr. de confes. sollic. q.13. nu.31. Alphonsus de Leone tr. de offic. & potestate Confess. tom.1. collect.6. num.123. Turrianus de pœn. q.9. art.2. disp.32. dub.4. Fagund. 2 præc.2. lib.2. cap.10. n.5. Coquetius in dissertatione de Confessione per literas, c.5. num.15. Aluarez in p.2. D. Th. q.19. art.9. disp.8. in Appendice num.34. & seq Petr. Fay de pœn in addit. ad 3. p. q.9. art.3. disp.3. Pitig. in 4. sent. tom. 2. dist.17. q. vnica, art.8. concl.2. Nugnus in 3. p. tom.2. q.9. art.3. diffic.2. constit. Francisc. Auila in dissertat. de confess. per litteras c.9. Ioan. Capeuilla tr. de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, quest.30. Syluius in 3. p. q.9. art.5. post concl.4. qui ex Cardinali Bellarmino testatur Clem. VIII. intellixisse suum Decretum in sensu diuiso, quod posteà die 14. Iulij 1605. declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, cuius verba afferunt Coquetius, & Fay, vbi supra.

Igitur ex supradictis apparet, negatiuè respondendum esse ad casum propositum in præsenti Resolutione, nam moribundus confiteretur per nuncium absente Sacerdote, quæ confessio est damnata per dictum Decretum Clem. VIII. quod non accidit in casu resol.1. Videlicet, quando Confessarius inuenit moribundum sensibus destitutum, & adstantes testificantur illum confessionem petijsse, vel signa contritionis exhibuisse nã (vt supradictum est) dum tales adstãtes Sacerdoti, præsenti pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hos Sacerdoti præsenti confitetur: quod non potest dici, in casu de quo loquimur: nam testes exponunt Sacerdoti pœnitẽtiam moribundi, ipso absente; ergo est confessio facta per nuncium in absentia, quæ à Pontifice iam damnata, & inprobata est; ergo. &c.

Notandum est etiam hic contra Coninch. & Villalobos, vbi supra. Clem. VIII. in supradicto Decreto non solùm confessionem absenti factam, & absolutionem absenti datam declarasse illicitam, sed etiam inualidam, & nullam. Et ita præter Pitigianum, Nugnum, Auilam, Coquetium, Aluarez, Fagundez, vbi suprà, docet etiam Io. de la Cruz in direct. p.2. de sacram. pœn. q.3. dub.6. concl 3. Fabius de pœn. 4. sent. dist.17. q. vnica, disp.29. c.1. num.19. & Francisc. Auila in dissertat. de confessione per literas c.9. sed ad vltimum dubium principale, curiosum & difficile deueniamus.

An Confessarius possit absoluere sub conditione moribundum sensibus destitutum, qui neque petijt confessionem, nec vllum signum contritionis edidit?

RESOL. VIII.

AFfirmatiuam sententiam (attendas quæso amice lector) docet Homobonus in Examine Ecclesiæ p.1. tr.7. cap. 18. q.84. vbi sic asserit. Prudenter aget Parochus, si fauorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ sentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiam si nullum confessus sit peccatum, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui possit: modo talis in mortis articulo constitutus, Christiano more viuere soleret, & bonus ac fidelis homo æstimaretur. Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clem. VIII. Pontificem Maximum, ac prudentissimum virum: cum enim quidam ex fabrica D. Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit, dicens, si es capax absoluo te à peccatis tuis. Quæ sententia illa sane ratione confirmatur, quod in necessarijs ad salutem tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est, & irreuerentiam Sacramenti, vel Sacrilegij periculum, tum conditione apposita, tum authoritate Doctorum, hanc opinionem tuentium cessare dicitur. Ita ille.

Et ante illum Molfesius in summa, tomo primo tractatu septimo, cap.5. num.48. & 49. qui notat hanc sententiam tenuisse ex nostra religione Patrem D. Gabrielem Lottherinm, virum doctissimum, Patrem Salmeronem Societatis Iesu, & P. Lupum Cappucinum, & confirmat hanc opinionem his rationibus: quia in tali casu potest esse (prout in dubio præsumitur) vt quis sit memor salutis æternæ, & interius habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè dispositus sit recipere Sacramentalem absolutionem, & de attrito fieri contritus. Nec vrget dicere, quod multoties qui ex insperato loquelam amittunt, non solent habere peccatorum attritionem, quia præoccupati timore mortis, ad alia nõ aduertunt. Nam respondetur, in his viris frequentius accidere, vt cogitent de peccatis suis, vt experientia docet, & leges adaptantur ad ea, quæ frequentius, non autem quæ rarò accidunt. Sic Molfesius.

Hanc etiam sententiam docet Antonius de Litteratis in sum. edita Romæ cum approbatione Magistri Sacri Palatij anno 1611. part.1. cap.35. num.7. & quod maius est, hanc opinionem non solùm approbauit Gregor. XV. Pontifex. Maximus, quando erat Archiepiscopus Bononiensis in Memoriali Confess. ca.1. de forma Sacram. Pœniten. numer.16. folio 215. edito Bononiæ apud Ioannem Baptistam Bidellum anno 1623. sed etiam tenuit, debere Sacerdotes illam in praxim deducere; sic enim ibi asserit. Licet absoluere moribundum, etiam si nullum pœnitentiæ signum det in præsentia Confessarij; tamen aliquis testetur eum ostendisse confitendi desiderium; ita docet Rituale Pauli V. immò addit Sacerdotale Romanum pagin. 624. ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolui moribundum assuetum frequentare confessionem, quamuis repentino casu oppressus sacramentum non petierit. Neque solùm potest Cõfessarius in his duobus casibus absoluere, sed etiam debet, quia contingere potest moribundum esse tantum attritum; vnde damnetur, nisi absoluatur. Ita ille.

Vnde ego, saltem ex principio extrinseco puto, hanc sententiam probabilem esse, & ita illam tenent aliqui Patres Societatis Iesu, & nostræ Religionis; & dici potest, quod in hoc casu adest aliquo modo materia, quæ per testificationem, & famam probitatis dicti moribundi efficitur præsens: probus enim vir supponitur omni die actus contritionis; & signa doloris elicere; Ergo, &c.

Verùm his non obstantibus sententiam negatiuam ego teneo, quam tuetur Henriqu. lib.3. de pœn. c.10. n.6. vbi sic ait. Si infirmus amisso rationis iudicio, nullum præbet, nec paulò antea dederat peccati, & pœnitentiæ signum, nullo modo est absoluendus à peccatis; in quo quidem rudiores sacerdotes erãt. Sic ille, & post illum. Petr. Fay de pœn. in addit. ad 3. qu.6. art. 2. disp.2. ita asserens. Neutiquam absolui potest, qui subito in supremum vitæ incidit discrimen, neque coram Sacerdote exprimere peccatum vllum potest, aut signis aliquibus dolorem peccatorum, & volitionem confitendi patefacere; licèt contrarium indiscretè, & ignoranter satis, ac sine vllo prorsus, vel apparẽte fundamento à varijs sacerdotibus practicetur. Sic Fay, & hanc sententiam nouissimè mordicus tenet Episcopus Ioan. Mald. vir doctissimus in tract. de sigillo Confess. c.15. Alph. de Leone tr. de offic. & potest. Confess. to.1. recol.6. n.131. Naldus in summ. ver. confess. n.32. cum alijs communiter. Et ratio est, quia absolutio ex Conc. Trid. sess.14. c.9. est actus iudicialis, sed iudicium non exercetur, vbi accusatio nulla est; ergo.

Nec valet dicere cum Homobono, & Molfesio vbi supra, quòd moribũdus in tali casu forsitan interius habebit attritionem: nam respondeo cum Zambrano de cas. occurrentibus tẽpore mortis. c.4. dub.2. sect.8. num.46. & cum omnibus Theologis, attritionem, vel contritionem interiorem non esse confessionem, sed signa externa contritionis esse confessionem peccati in genere: nam materia Sacramentorum debet esse sensibilis, quæ non adest in casu nostro: ergo nullo pacto adhibenda erit absolutio.

Firmat etiam hanc sententiam Concil. Arausic. in c.12. vbi sic habetur. Subitò obmutescens baptizari, aut pęnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu, vide quomodo Concilium requirat materiam sensibilem, quam etiam postulat Conc. Carthaginense III. c.34. & IV. c.76. cũ Decretali Leonis I. ad Theodorum Foriolensem, quæ est Epist.91. vnde apparet, semper in Ecclesia cautum fuisse, ne moribundus absoluatur, qui aliqua

signa

signa nõ dedisset, per quæ aliqua, confessio, & accusatio haberi censeatur, & ideò Layman in theol. mor. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 4. sic ait. Patres Doctores nõ aliter permittunt pœnitentię Sacramentũ moribundo obmutescenti ministrari, nisi antea sacramẽtalem absolutionem verbis, aut signis petiuerit. Ita ille, cum Regin. to. 1. lib. 8. c. 3. nu. 25. Turriano, de pęn. q. 9. ar. 2. disp. 30. dub. 1. ad 3. argum. Belloch. de cas. reser. p. 1. q. 2. nu. 116. Pitig. in 4. sent. to. 2. dist. 17. q. vnica, art. 8. cõcl. 3. Yribarne in 4. to. 2. dist. 18. q. vnica disp. 16. sess. 5. Vasq. in 3. p. to. 4. q. 91. ar. 2. dub. 1. & aliis.

Nec vrgeo, quod cum talis moribundus benè vixerit, præsumitur habere confitendi voluntatem, nam respondetur; quod Conc. Triden. & Florentinum asserunt materiam huius Sacramenti esse actus pœnitentis; ergo non sufficit voluntas confitendi, sed oportet confessionem esse actualem: saltem in nutu, aut vocatione Confessarij.

Et sic satis explicata sunt quinque dubia, quæ in principio Tractatus discutienda proposuimus; placitis DD. circa præsentem quæstionem innixa. Restat modo inquirere.

An Confessarius non solum possit, sed etiam teneatur adhibere absolutionem in casibus supradictis?

RESOL. IX.

Respondeo affirmatiuè, & ita docent Regius in resol. cas. cõscien. cas. 39. num. 16. Turrianus de pœn. q. 9. artic. 2. disput. 30. dub. 1. Suarez. to. 4. disp. 23. sect. 1. num. 15. Megala in 1. p. lib. 2. c. 11. num. 8. Io. de la Cruz in direct. p. 2. de sacram. pęn. quæst. 3. dub. 8. concl. 2. Coninch de sacram. disput. 7. dub. 10. num. 106. Memoriale Greg. XV. de forma Sacramen. pęn. c. 1. nu. 17. Filliucius to. 1. tr. 7. c. 5. num. 123. Syluius in 3. p. q. 9. art. 2. quæritur 4. Vasq. 3. p. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. num. 58. & alij, quia cum hoc licitè possit facere, vel ex charitate, vel ex iustitia (si ipsius pastor est) ad hoc obligatur, quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenẽt; quia cum hanc sententiam possint in praxi tutò sequi propter suam probabilitatem, idque sit saluti moribundi valdè expediens aut etiam necessarium si solum sit attritus, ad hoc: vt diximus, vel ex charitate, vel ex iustitia tenentur. Igitur Sacerdotes nolentes moribundum in tali casu absoluere, rectè Vasquez vbi supra vocat reos, & necatores animarum.

Non desinam tamen etiam hic apponere sententiam Montesini in p. 2. disp. 16. q. 5. num. 245. & Ioannis Sancii in selectis, disput. 44. num. 35. vbi sic ait. Aduertendum, quod licet opinio negans, posse per nutus, & signa pœnitentem in extremis constitutum absolui, ne videlicet irritum fiat Sacramentum, sit in fauorem Sacramenti, & opinio affirmans, absolui posse, sit in fauorem suscipientis, ex dictis duabus opinionibus semper eligenda est illa, quæ fauet pœnitenti, cum Sacramenta instituta sint, vt medicinæ suscipientium, vnde Sacramentum iuri suo cedit, vt ita dicam, & periculo irritationis exponi non ægrè fert eo quòd salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur suscepto Sacramẽto quã si illud non ministretur, & vbi violatio charitatis imminet, aut Religionis, charitas amplectenda est, & hæc violaretur non administrando Sacramentum infirmo indigẽti, ex administratione verò solùm violaretur Religio. Ita Sancius.

Igitur cum aliquis perplexus est inter duo præcepta simul occurrentia, strictius erit adimplendum; sed cum magis obliget charitas, quam Religio; ergo in casu nostro tenetur Confessarius potius adhibere absolutionem in fauorem pęnitentis, quam illam denegare in reuerentiam Sacramenti; sed melius dicendum est, quod in tali casu Confessarius administrando Sacramentum cum opinione probabili, nullam illi iniuriam infert: ergo tenetur ratione charitatis erga proximum ei illud administrare.

An quando Confessarius ex opinione probabili absoluit moribundum, possit absolutionem præbere ei sine conditione.

RESOL. X.

Communiter Doctores asserunt absolutionẽm in tali casu dandam esse sub conditione; verùm Vasquez in 3. p. to. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. num. 39. in casu posito supra in resol. 1. putat conditionem illam esse superuacaneam; & hanc sententiam docet etiam Sancius in selectis, disput. 44. nu. 32. vbi ita ait. Sequens opinio, posse videlicet per signa absolui pœnitentem, non tenebitur sub conditione absoluere: nam ille, qui agens aliquam actionem, iudicat se non delinquere, absolutè potest illam exercere, nec opus erit conditionem addere. Vnde quando communiter dicunt Theologi, ministrandum esse Sacramẽtum sub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti, id intelligẽdum est in dubio proprio, non in opinionibus. Quod optimè confirmat caput de quibus in Baptismo: vbi decernitur rebaptizandum esse illum sub conditione, de quo dubitatur, an sit baptizatus. Ita Sancius. Et hæc dicta sufficiant circa explanationem dubiorum: quæ in principio Tractatus exponenda proposui, omnia tamen subdendo S. R. Ecclesiæ correctioni, & doctorum virorum iudicio.

TRACTATVS IV.

DE SACRAMENTIS.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

An in casibus, in quibus licitum est baptizare pueros filios infidelium, teneantur domini hoc facere?

RESOLVTIO PRIMA.

SATIS probatum est, in resol. 45. trac. 1. Miscellanei, posse dominos inuitis parentibus baptizare filios infidelium: quæritur modò, an domini in tali casu teneantur, sub onere peccati mortalis, illos baptizare. Affirmatiuè respondent Vasquez in 3. p. to. 3. disp. 155. c. 7. Turr. in 2. 2. tom. 1. disput. 54. dub. 2. & ego vbi supra, & hoc ratione charitatis.

Non reticeam tamen contrarium docere doctissimum Lorcam in 2. 2. q. 10. art. 2. disp. 37. nu. 22. vbi sic asserit. Est dubium, vtrum in omnibus casibus, in quibus concessimus filios infidelium inuitis parentibus bapzari posse, nõ solùm liceat, sed etiã subsit obligatio baptizandi, videtur enim subesse obligationem quia in his, in quibus prodesse possimus saluti spirituali proximi, tenemur prodesse lege charitatis, præsertim in re tanti momenti, qualis est susceptio Baptismi, & ijs qui adeo indigent, vt sunt infidelium filij. Respondeo, in tribus casibus concessimus posse pueros infidelium baptizari. Primus est in articu-

lo mortis. Secundus, si inueniantur separati à parentibus; Tertius; si filius serui separetur hac intentione. In primo casu, videri potest subesse obligationem baptizandi propter extremam pueri necessitatem, probabilius tamen censeo non esse, neq; aliquis hanc obligationem adstruit, quia totum negotium salutis pueri ante vsum rationis commissū est parentibus, & ideò nullus alius tenetur de eius salute sollicitus esse, neque puer extremè indiget, quamdiu per parētes illi prouideri potest, & baptizare puerum infidelis occulte, aut cum dissensu patris, extraordinarium medium est, & extraordinaria diligentia; ea verò, quæ extraordinaria sunt, potiùs sunt supererogationis, quam debiti. In secundo casu solùm potest esse dubium, an puerum semel abstractum à parentibus liceat iterum parentibus reddere sine baptismo; nam si perpetuo permansurus est apud Christianos, neque est copia reducendi illum ad proprios, non dubito, debitum esse eum baptizare. Et quidem si puer à parentibus iniustè abstractus fuit, & potest illis restitui, debitum est restituere, quia iniuria illa semper (dum potest) resarcienda est, & ideò tantùm abest, vt necessarium sit puerum baptizare, vt potius existimem non licere: si autem iustè à parentibus abstractus est, puta quia fuit in bello captus, aut emptus, probabilius cēseo posse iterum parentibus restitui sine baptismo, quia ea, quæ ad salutem spiritualem pueri pertinent semper remitti possunt parentibus, quibus ex natura rei incumbit, quamuis præuideatur eorum negligentia, aut malitia, neque obligat alium hæc cura ipsis valentibus, neque magis tenetur dominus retinere puerum, vt baptizetur, quam adultum. In tertio casu dicendum est, non teneri dominos ad illam extraordinariam diligentiam alienandi seruos, vt baptizentur, satis est si conseruando eos in propria potestate, inducant parentes benigna persuasione ad suam, & filiorum conuersationem. Hæc omnia Lorca vbi supra, sed an probabiliter, iudicent viri docti; nam aliqui, doctrinam eius in primo casu ab ipso posito, falsam esse existimant.

An qui tenet infantem in Baptismo nomine alterius, contrahat ipse cognationem spiritualem, vel ille qui eum misit.

RESOL. II.

IPsum procuratorem cognationem contrahere putant Sotus in 4. sent. dist. 41. q. 1. art. 2. propè fin. Tolet. lib. 7. cap. 8. num. 3. & alij.

Sed ego contrariam sententiam teneo. quia talis in tali casu non suo, sed alieno nomine tenet. Ergo patrinus non est, sed loco patrini fungens. & ita docent Syluest. v. Matrimon. 8. quæs. 7. dicto 15. Emanuel Sà de impedim, matrimonij. nu. 5. v. cū quis per procuratorem. Couarr. & alij, quos citat, & sequitur Sanch. de matrimto. 2 lib. 7. disp. 59. num. 2. quibus ego addo Syluium in addit. ad 3. p. q. 56. art. 5. ad. 4.

Imò ego puto probabiliter contra Layman In Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. nu. 5. Conich. de sacram. disp. 32. dub. 2. num. 40. Rebellium p. 2. lib. 3. q. 9. n. 12. Philiarch. de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. cap. 11. Emanuel Sà ciratum, Abbat. in ca. veniens, num. 4. de cognat. spir. & alios, neque ipsum principalem, qui legatum mittit, cognationem vllam contrahere. Et ita docet Couar. vbi sup. nu. 6. Sanchez nu. 4. Reginal. in pr. tom. 2. lib. 31. c. 20. sent. 3. num. 156. & Villalob. in summ. tom. 1. tract. 14. diffic. 9. n. 18. vbi sic asserit. [El Principe, que se hizo Padrino de vn infante pro procurador, embiādo quien lo sea en su nombre, al tiempo que le baptizan no contrae cognacion espiritual, proque no es verdaderamente patrino, porque no saca al nino de pila, ni le tienē quando le baptizan que es atto personal, ni basta hazer le por tercera persona, ni tampoco contra este parentesco spiritual el procurador, porque en nombre del Principe saca el nino de pila, porque esse no tiene iotento de ser padrino, lo qual es necessario, como queda dicho.] Sed in tali casu principalē, qui procuratorem constituit, cognationem contrahere, magis probabiliter tenet nouissimè Basilius Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 39 num. 10.

Notandum est tamen hic obiter, me consulisse rectè his diebus contra Sotum in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. & alios, quemdam non contraxisse cognationem spiritualem, quia non tetigerat in cōfirmatione infantem, quod etiam in baptismo est dicendum: nam ad illam contrahendam requiritur contactus physicus. Ita Sanch. & Villalob. vbi sup. num. 6. qui etiam nu. 7. cum alijs docet contra Angelum, ver Matrimonium, n. 7. Lopez in instruct. par. 2. cap. 51. & alios tenentes pueros in baptismo in casu necessitatis extra Ecclesiam, cognationem supradictam non contrahere.

Non reticeam tamen Syluium in addit. ad. 3. p. q. 56. art. 3. ad 1. putare, quod contrahitur propinquitas hæc ex baptismo, siue domi, siue in Ecclesia, siue cum ceremonijs siue sine illis ministrato, & qui tunc assumuntur in patrinos, eandem contrahunt, si prolem offerant ad Baptismum tanquam patrini, & vt tales eius curam suscipiant, si autem offerant, nō vt patrini; sed solùm, vt subseruientes necessitatis probabile est, quod nullam contrahant. Et similiter si post baptismum domi propter necessitatem collatum, adhibeatur vt patrinus, tunc quando solēnes cæremoniæ supplentur, nullam etiam contrahit propinquitatem, sicut nec ille, qui adhiberetur, dum quis, vel scienter, vel ignoranter rebaptizaretur. Ita Syluius.

Quis post partum vxoris statim ob periculum mortis Baptizauit infantem, adstantibus tamen multis qui hoc facere poterant, dubitatum fuit, an priuatus manserit iure petendi debitum.

RESOL. III.

AFfirmatiuè tunc respondit quidam Theologus, & probabiliter quidem, nam hanc sententiam tenent multi DD. quos citant, & sequuntur Sanchez de Matrimon. tom. 3. lib. 9. disp. 36. nu. 7. & Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 51. num. 1.

Sed mihi contraria sententia placuit, & illam cōsului, quam tuentur Glossa. cap. 2. de cognat. spir. verb. debitum. Fernandez de Heredia disput. de Sacram. Baptismi, par. 6. dub. 2. num. 6. Suarez in. 3. quæ. 69. art. 8. §. penult. in fine. Durandus in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. & nouissimè Coninch. de Sacram. disp. 34. dub. 8. num. 69. vbi sic asserit. Probabilius est eum, qui etiam sua culpa hanc cognationem cum sua, vxore contraxit (eadem est ratio vxoris erga virum) etsi grauiter peccarit, posse nihilominus petere debitum, quia, tam grauis pœna sine textu non est inducenda, ex nullo autem textu probari potest. Ergo, &c. Ita hanc sententiam probabilem esse putat Layman in Theol. mor lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. nu. 8.

Nota etiam, quod stando in prima opinione aduertit, Villalobos vbi suprà, quod in tali casu, [pueden dispensar para pedir el debito el Comisario de la Cruzada el Obispo, y los Confessores Regulares, como tengan pala esto comision de sus prouinciales, como dixe Rodriquez per vna viuę vocis oraculo de Pio V. por ser la cognacion espiritual impropriamente incesto, y el priuilegio dicho, que solo habla de la affinidad que nace de copula fornicaria, dize, que se ha de estender à esto por ser fauorabile.] Ita ille.

An peccet mortaliter laicus, si præsente Diacono in casu necessitatis Baptizet infantem.

RESOL. IV.

AFfirmatiuè respondent Ioan. de la Cruz in direct. conc. p. 2. de Sacram. Baptismi, q. 2. dub. 1. concl. 3. Nugnus in 3. par. q. 67. art. 5. diffic 2. & Coninch. de Sacram. q. 67. dub. 1. conclus. 3. qui pro hac sententia citat Suarez. licet malè: nam ipse contrarium, & meritò docet in. 3. p. tom. 3. disput. 31. sect. 4. & ita etiam hanc negatiuam sententiam tuentur Layman in Theolog. mor. lib. 5. tr. 2. c. 7. nu. 4. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 5. diffic. 8. n. 10. Chamerota de Sacram. tract. 2. ca. 4. dub. 5. Pitigianus in 4. sent. to. 1. dist. 6. q. 1. ar. 1. post conclus. 5. Sylnius in 3. par. q. 67. ar. 3. & alij, vbi asserūt esse mortale, si absque legitima causa pretermittatur in tali casu Sacerdos præsens si, autem Diaconus, vel vnus ex inferioribus prætermittatur, esse solùm veniale, aut nullum, si mulier, peritior sit laico prætermisso, vt communiter solent esse obstetrices. Ex his apparet, me olim rectè consuluisse obstetricem quamdam non peccasse mortaliter, dum in casu necessitatis baptizauit infantem, dum aderant alij religiosi in sacris constituti non tamen Sacerdotes. qui hoc facere potuissent.

Non desinam etiam hic adnotare Valentiam to. 4. disp. 4. q. 2. punct. 1. & Ioann. Suarez in Enchiridio casuum consc. lib. 5. verb. Baptismus, §. in necessitate docuisse laicum baptizantem præsente Sacerdote, secluso contemptu, & minimè renuente

Sacer-

Sacerdote, peccare tantum venialiter.

Nota tamen hic obiter contra Paludanum in 4. sent. dist. 5. q. 2. Syluester, ver. Baptismus 3. & alios, laicum baptizantem extra casum necessitatis peccare quidem mortaliter, sed non incurrere in irregularitatem, & ita docent Nugnus in 3. par. q. 6. artic. 5 difficult. 3. Pitigianus in 4. sent. tn. 1. dist. 6. q. 1. art. & alij Nec valet dicere, quod qui baptizat sine necessitate, baptizat ex officio, sed propter hoc ponitur laico irregularitas. Ergo. Secundò laicus si conficit aliud Sacramẽtum, est irregularis, ergo etiamsi administret Baptismum. Nam respondetur ad primum negando maiorem, quoniam cum in hoc Sacramento distinguatur minister solemnitatis, & necessitatis, cum non Baptizat, ex solemnitate, tantum baptizat tanquam minister necessitatis, atq. adeò non tanquam ex officio. Et per hoc patet responsio ad secundùm negando cõsequentiam, quoniam in alijs Sacramẽtis non distinguuntur minister solemnitatis, & necessitatis, atque adeò quomodocunque conficiat, cõficit quasi ex officio, & ideò est irregularis, quod non accidit in casu nostro. Ergo.

Notabilia quadam circa materiam Baptismi.

RESOL. V.

QVæritur primò, an minima quantitas aquæ, vt gutta vna, vel duæ sufficiant ad conficiendum Baptismum. Negatiuè respondet Zambranus in decis. cas. occur. temp. mor. cap. 1. dub. 4. qui citat Valentiam, Suarez, & alios, idem docent Reginal. tom. 2. lib. 27. c. 3. num. 15. Bonac. de Sacram. disput. 2. q 2. punct. 3. num. 18. & alij, sed affirmatiuam sententiam docet Henriquez lib. 2. c. 21. nu. 4 & post illum Vasq. in 3. p. to. 2. disp. 245. c. 4. num. 32.

Dicendum est igitur illam quantitatem aquæ esse ad Baptismum sufficientem, quæ potest contingere corpus, & successiuè fluere per partem corporis, quod facere potest exigua quantitas aquæ, vnde rectè Paulus Comitolus in resp. mor. lib. 1. q. 12. & post illum Filliuc. tom. 1. tract. 2. c. 2. n. 34. asserunt verùm fuisse baptismum, quem contulit quædam mulier moribundo infanti, Baptizando illum signo crucis impresso in fronte, digito aqua madefacto.

Quæritur secundò, an aqua ex sale resoluta sit sufficiens materia ad conferendum Baptismum. Negatiuè respondet Coninch. de Sacram. q. 66. art. 4. dub. 1. nu. 22. quia non videtur probabile eiusmodi aquam esse eiusdem speciei cum aqua naturali, & elementari, & consequenter non videtur probabile, quod possit esse materia Baptismi. Ita ille, quod antea docuerat Angelus verb. Baptismus 4. num. 3. & Syluester eodem verbo 2. in fine.

Sed affirmatiuam sententiam, & meritò docet Henriquez lib. 2. c. 6. n. 1. qui in Glossa. lit. F, testatur de cõmuni, & quia sal efficietur ex aqua salsa, vt experimento constat, & docet Aristo. 2. meteor. cap. 3. Eamdem sententiam docet etiã ex neotericis Antonius Fernand. in exam. theol. moral. p. 3. c. 2. §. 4. num. 9. vbi ita asserit. Idem de sale, atque niue. geluque dicendum arbitror, est enim essentialiter aqua maris gelata æstino sole; ac proindè si liquefiat, apta erit materia ad abluendum, & baptizandum. Sic ille. Vide Tabienam, v. Baptismus 4. nu. 8. & Armillam eodem verb. num. 24.

Quæritur 3. an aqua, quæ distillat ex vite, vel aliqua arbore, sit materia apta pro conficiendo Baptismo. Affirmatiuè respondet ex neotericis Ioann. de la Cruz direct. consc. p. 2. de Sacram. baptismi q. 1. dub. 1. concl. 2. vbi sic asserit. Aqua iusta debet esse simplex, & elemẽtaris, etsi ex arbore, aut alio corpore, vt glacie resoluta. Ita ille, & aliqui, quos tacito nomine citat Coninch. de Sacram. p. 66. art. 4. dub. 2. num. 23. in casu tamen externæ necessitatis, quia non omninò constat, an supradicta aqua expressa ab arboribus, seu plantis, aut herbis differat specie ab aqua naturali. Sed hanc opinionem ipse Coninch. refellit, & communiter cum ipso multi DD. & ita docet Antonius Fernandez vbi infra Filliucius to. 1. tract. 1. cap. 2. num. 6. Henriquez lib. 2. c. 6. n. ... Zanardus in direct. confess. p. 1. de Sacram. baptismi, c. 3. Et ratio est, quia ille humor non est aqua, quamuis propter perspicuitatem, & similitudinem appelletur aqua, sed substantialiter succus est.

Notandum est tamen cum Antonio Fernand. in exam. theolog. mor. p. 3. c. 11. §. 2. nu. 3. esse aquam sufficientem, & elementarem pro efficiendo baptismo illam, quæ colligitur ex vapori-

bus densatis, cum ex ollæ ore euaporantur, & in testaceo tegmento reperiuntur. Item quæ hyemali tempore ex parietibus lapidibusque fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt, aqua verò è parietibus manans, aqua est, aere humido in aquam verso. Ita ille.

Quidam Parochus post ablutionem statim pronuntiauit formam Baptismi; quæritur an valide Baptizauerit.

RESOL. VI.

NEgatiuè respondent Scotus in 4. dist. 6. q. 2. ar. 2. Richardus distinct. 5. art. 4. quæst. 2. Caiet. tom. 1. opusc. tr. 26. de collat. ordinis. Nauarr. c. 22. n. 7. Zambranus de casib. occur. temp. mor. cap. 1. dub. 2. d 2. & alij. Et ratio est, quia verba quæ Sacramentum efficiunt, idem etiam significant nisi autem cum verbis eodem tempore concurrat ablutio, falsa est enũtiatio verborum *Ego te baptizo*. Ergo nihil efficitur, atque adeò inualidum erit Sacramentum.

Sed mihi contrariam sententiam probabilior videtur, quam docet Henriquez lib. 1. de Sacrã. in genere, c. 9. nu. 10. vbi sic asserit. In conficiendis Sacramentis generaliter requiritur quædam coniunctio, quia forma non actuat materiam, nisi sibi aliqualiter coniunctam, & præsentem; idque maximè curandum est in Sacramento baptismi, sine quo nihil prodest aliorum Sacramentorum receptio, & in Sacramento ordinis sacerdotalis, sine quo nihil confert ablutio, vel consecratio Eucharistiæ, vt dum quis aqua tingitur, vel dum tangit, aut acceptat vasa sacra qui sacerdotio initiatur, debet minister proferre saltem partem aliquam verborum formæ, si tamen finita ablutione, profert statim formam, vel finita forma ablueret, censetur simul moraliter, neque est repetendus baptismus. Ita Henriquez, & post illum docent etiam hanc sententiam Villalob. in sum. to. 1. tr. 4. diffic. 2. nu. 6. Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 2. c. 7. n. 5. vbi ait, satis esse ad valorem Sacramenti, si moraliter, idest secundùm humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia, videlicet ablutio, vnctio, &c. sicuti in simili verè dicere censetur, ego bibo, qui poculum in manu capit, statim illud ori applicaturus, bibendi causa, neque enim credibile est, quod Christus Sacramenta ad moralem hominum vsum accommodata, metaphysico rigori astringere voluerit.

Quamobrem quanta debeat esse coniunctio inter materiam & formam Sacramenti, moraliter æstimari debet, & obseruari, ne fiat magna interruptio, vt ex modo agendi, & verba proferendi intelligatur vnum alteri accommodatum esse, ita optimè Layman, qui pro hac opinione citat etiam Victoriam, & Suarez, duo lumina Religionis Dominicanæ, & Societatis Iesu; sed pro curiosis ponam hic verba Vincentij Fernandez de Heredia in disput. de Sacrament. in genere, p. 6. dub. 2. num. 8. vbi ita ait. Qui baptizatur, potest ablui in totum ante inchoatam formam, quinimò interposita breui morula, e. g. in qua possit (vt ita dicam) oratio dominica recitari, adiici potest forma baptismi, & vice versa, quæ doctrina communis est Sacramentis Cõfirmationis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis. Ita ille. Sed hęc sententia videtur nimis laxa, ac proindè non admittenda.

An licitè Baptizentur filij Hæreticorum, si sub cura parentum probabiliter timeatur periculum peruersionis eorum.

RESOL. VII.

NEgatiuam sententiam docent Fernandez de Heredia disp. de Sacram. baptismi p. 7. dub. 3. num. 8. & Coninch. de Sacramen. q. 68. art. 10. dub. vnico, num. 81. vbi sic asserit. Quando aliqui hæretici, vel apostatæ habitant, in ijs locis, in quibus liberè exercent suam religionem extra periculum mortis, eorum filij non sunt pabtizandi, nisi per separationem, vel aliam rationem possit cauere, ne parentes eos impijs sacris, & doctrinis imbuant, quia alias fieret contra dignitatem Sacramenti, quod probabilius magis obesset, quàm prodesset. Ita Coninch. & Suarez in 3. p. to 3. disp. 25. sect. 5.

Sed ait Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. nu. 12. contraria praxis apud nos à viris doctis, ac pijs sæpe obseruata fuit, & rectè quidem, quia periculum peruersionis non est adeò propinquum aut certum, cum fieri possit, vt infantes ante vsum ra-

Ff 3 tio-

tionis moriantur, & per Baptismum saluentur, tum quia plerũque spes non praua est, vt hæreticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcircò libentius recipiunt si sciãt à Catholico Sacerdote se Baptizatos fuisse. Addi etiam potest tametsi à parentibus, & ministris suis hereticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare & pertinaces hereticos non esset vt proindè tales dogmata fidei Baptismalis retineant, & saluari possint; si de peccatis post Baptismum commissis vera conuersione dolent, per ea quæ dixi lib. 2. tract. 1. cap. 14. num. 3. Hæc omnia Layman, & satis quidem probabiliter.

Vtrum parentes quamprimum teneantur Baptizare infantes?

RESOL. VIII.

Communiter affirmatiuè respondent DD. sed quomodo intelligendum sit illud quamprimum, arbitrio prudẽtis viri committunt Henriquez lib. 2. cap. 4. num. 3. Suarez in 3. p. to. 3 disp. 25. sect. 2. & alij attentis circumstantijs, & cuiusque Ecclesiæ consuetudine.

Sed Sotus in 4. sent. dist. 5. q. vnica, ar. 3. in particulari descendens sic asserit. Cum puer statim Baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia aut quarta, sed quando commodè potest in Ecclesiam portari, & mergi, quod est octauo die, vt moris est, vel decimo, aut duodecimo die. Ita Sotus qui loquitur absolutè de omnibus Baptizandis, & vbi patrinus expectaretur.

Non reticeam tamen in nostra Synodo Panormitana celebrata anno 1615. ab Eminentissimo Cardinali ab Auria circa præsentem casum ita terminatum esse p. 2. c. 1. nu. 2. Natum infantem ij, quorum ea est cura, ante nonum diem ad suscipiendum in Ecclesia Baptismum deferant, quod si neglexerint, excommunicationis pœnæ subiaceant. Ita Synodus.

An Baptizantes scienter sub conditione incurrant in irregularitatem.

RESOL. IX.

Hic casus olim ad me delatus fuit, & quidam Theologus affirmatiuam sententiam tunc consuluit, cum Sayro de cens. libr. 7. c. 8. num. 23. Fernandez de Heredia disp. de Sacram. Baptismi p. 4. dub. 2. n. 5. & alij apud ipsum.

Sed ego consulentem ab irregularitate liberaui sequens sententiam Nugni in 3. par. quęst. 66. art. 9. concl. 6. Io. Valer. in differentijs vtriusque fori, ver. irregularitas, diff. 2. num. 1. Yribarhęin 4. sent. tom. 1. dist. 6. qu. 8. disp. 24. sect. 2. Fernandez in examine theol. mor p. 2. cap. 10. §. 11. num. 1. Cabrera de Sacram. qq. 66. art. 9. num. 18. & 19. Syluij in 3. p. q. 66. art. 9. quæritur 1. Posseuini de offic. cur. cap. 16. num. 18. Bartholomæi ab Angelis in exam. confess. dial. 2. §. 129. Toleti lib. 1. c. 65. num. 5. Auilæ de cens. p. 7. disp. 7. dub. 3. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 31. sect. 6. dub. 5. & aliorum penes ipsos. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa, vt habetur in c. 15. q. de sent. excommun. sed ista irregularitas non habetur expressè in iure. Ergo. Probo minorem, nam in iure tantùm ponitur irregularitas propter rebaptizationem, sed hęc non est rebaptizatio simpliciter, quia datur sub conditione. Ergo.

Quidam Sacerdos in peccato mortali existens Baptizauit infantem in casu necessitatis, quæritur an peccauerit mortaliter.

RESOL. X.

Affirmatiuam sententiam docent Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 8. Vasquez in 3. p. tom. 3. dispur. 136. cap. 3. Coninch. de Sacram. qu. 64. art. 6. dub. 4. num. 36. & alii. Et ratio est, quia tunc ille exercet hanc Sacramenti ministrationem ex officio ratione suę ordinationis. Hæc opinio est probabilis.

Sed mihi contrariam sententiam etiam probabilis videtur, quam tuentur Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Sacram. in genere, quæst. 4. dub. 3. concl. 1. Fernandez de Heredia disput. de Sacram. in genere, part. 18. dub. 3. num. 4. Nugnus in 3. part. quæst. 64. art. 6. Ledesma in summa, cap. 6. de Sacramen. in genere, conclus. 8. Syluester verb. Baptismus 3. num. 5. Caietanus 3. part. quæst. 64. art. 6. Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 16. sect. 4. & Henriquez lib. 1. cap. 20. num. 4. vbi sic asserit: Sacerdos peccator in necessitate Baptizans sine solennitate non peccat, quia non agit vt minister ex officio, sed perindè ac laicus; etiamsi aduertat suum peccati statum, aut aduertere debuisset. Ita ille, & nouissimè docet hanc sententiam Syluius in 3. par. q. 64. art. 6. concl. 2. vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; nam Sacerdos in tali casu Baptizans, id non agit vt minister ex officio, sed vt necessitati patiẽtis subueniens, neque exercet vllum actum, aut ordinis spiritualis alicuius sacræ potestatis, sed eum, qui omnibus omninò hominibus Diuina institutione est permissus. Simile aliquid est in humanis; vbi nullus, aut certè paruus ornatus requiritur in eo, qui Regi subseruit in casu necessitatis vrgẽtis, quamuis magnus in eo requiri soleat numerus, qui ad ministerium specialiter est commissus. Ex his apparet, non esse amplectendam sententiam Vasq. in 3. p. to. 3. disp. 136. c. 3. num. 30. vbi asserit, etiam laicos Baptizantes in casu necessitatis cum peccato mortali peccare mortaliter. Sed si hoc esset verum, væ væ obstetricibus, & alijs laicis in tali casu adstantibus.

An vbi mutus, & orbatus manibus occurrunt, & infans est in articulo mortis, debet ille abluere, & hic verba proferre, & sic dictum infantem Baptizare.

RESOL. XI.

Negatiuè videtur respõdendum, quia licèt vnus possit multos vnica simul aspersione in casu necessitatis baptizare, ita duo vel plures non possunt simul baptizare, vt docent communiter DD. sed hoc accidit in casu nostro. Ergo.

Sed, ait Fernandez de Heredia disp. de Sacram Baptismi, p. 5. lib. 9. quia nonnulli graues DD. contrarium in hoc necessitatis conflictu sentiunt, non dedecet in casu proposito, sub hac conditione interius concepta (si ita conferri Baptismus potest.) applicare Baptismum, melius enim est (vt ne solus in hoc casu iudicem) dubium Baptismum, quam omninò nullum accipere. Cæterum, si infans ille mortis euaderet periculum, esset iterum sub conditione baptizandus. Ita Fernandez. Hæc sententia non videtur probabilis, cum DD. communiter oppositum sentiant.

An sit validus Baptismus collatus dormienti, qui illud petierat ante somnum.

RESOL. XII.

Respondeo affirmatiuè, & ita determinat Innocent. III. in c. maior. de Baptismo, & sumitur ex Concil. Carthaginẽsi III. can. 34. & Arausican. 1. can. 12. quia voluntas, & propositum præcedentis sufficit, vt illa susceptio baptismi censeatur voluntaria, & vt censeatur non ponere obicem, & idem, vt ex pluribus notauit Barbosa in collect. to. 1. lib. 3. tit. 4. cap. 3. num. 16. Syluius in 3. p. q. 68. art. 7. dicendum est de amente, qui ante dementiam, & de furioso, qui dum haberet dilucida interualla, petierunt baptismum, etiamsi posteà dum baptizantur resistere videantur, nam illa resistentia, non repugnat intentioni antèa elicitæ, cum ipsa resistentia, quæ tunc temporis contingit, non sit actus humanus. Sed dices, minister. qui ante somnum habuit voluntatem illum baptizandi, si illum dormiens baptizet, non conficeret Sacramentum, ergo neque similis voluntas sufficiet ex parte baptizati.

Respondet Cabrera de Sacram. in 3. par. quæst. 68. art. 7. quod aliqui Theologi probabiliter dicunt in tali casu verùm confici Sacramentum, sufficereque virtualem voluntatem ministri, præsertim si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habeat ex efficaci voluntate conferendi baptismum, quam in vigilia habuit. Hæc solutio procul dubio est probabilis, nec poterit facilè falsitatis conuinci, quoniam illa actio, quæ fit à dormiente, videtur voluntaria virtualiter in sua causa, nempè in voluntate habita in vigilia. Quare in tali casu puto baptismum exercendum esse sub conditione. Ita Cabrera; sed ego puto maiorem voluntatem, & intentionem requiri in ministro ad baptismum,

mnm, quam in suscipiente, & ita est dispar ratio inter vtrumque casum.

An ad suscipiendum Sacramentum Baptismi sufficiat attritio cognita.

RESOL. XIII.

NEgatiuè respondet Adrianus in 4. de pœn. q. 1. concl. 5. ar. 3. Alexander de Ales 4. p. q. 18. membr. 2. art. 1. Medina eod. de Confess. qu. de Confess. ficta iteranda, Corduba in quæstionario lib. 1. quæst. 2. & Vegha indicat. lib. 13. in Concil. Trident. cap. 14. Ledesma 2. p. 4. quæst. 20. art. 1. Victoria in summ. Sacrament. nu. 118. & alij, & septem rationes adducit Cabrera pro firmanda opinione.

Sed ipse meritò illam impugnat de Sacram. quæst. 69. art. 8. disp. 2. §. 5. & 10. & Villalobos in summa, to. 1. tr. 5. diff. 16. nu. 3. sic ait. [Sufficiente disposicion para este Sacramento es la atricion, y no se requiere contricion, assi lo tienen S. Thomas, Scoto, y es comun. El fundamento es, porque para el Sacramento de la penitentia no es necessario mas que esto, luego lo mismo se ha da dezir à qui, donde se concede mas facilmente el perdon, y no es menester que esta atricion sea tenida por contricion, como tambien diremos en el Sacramentos de la Penitentia. Esta atricion es necessario, que sea sobre natural, porque de otra manera no seria verdadera disposicion para la gratia.] Ita ille, & ante illum docet etiam hanc sententiam Nugnus in 3. p. tom. 1. q. 69. art. 9. dub. 2. vbi contrariam improbabilem esse affirmat.

Dicendum est igitur, attritionem cognitam esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum baptismi, vnde si quis videat se non habere contritionem, licitè potest accedere ad hoc Sacramentum, & iustificatur in illo, & idem dicendum est quoad Sacramentum Pœnitentiæ.

Sed plus addit Pitigian. in 4. tom. 1. dist. 4. q. 4. art. 3. conclu. 3. vbi sic ait. Attritio sufficiens ad effectum baptismi non est necesse, quod sit supernaturalis obiectiuè, sed sufficit qualiscumque pœnitentia imperfecta, quæ tamen absolutè remoueat affectu ad peccatum, id est faciat vt amplius non vigeat, qualis est illa pœnitētia, quæ est de ipsis peccatis in se, sub quacumque ratione quis illa detestetur, siue ea ratio sit quatenus sunt offensa Dei, siue vt habeant reatum pœnæ æternæ, siue vt habent ignomin. siue ob quemcumque alium eiusmodi respectum, quæ pœnitentia solet nominari attritio imperfecta. Sic Pitigianus, & ante illum Sotus, & Cano, quos refert, & meritò impugnant Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Baptismo; qu. 4. dub. 3. concl. 2. Nugnus vbi supr. dub. 4. & Cabrera cum alijs, quia attritio naturalis non est proportionata dispositio ad gratiam, quæ est forma spiritualis.

Quæ peccata sint, quæ remittuntur per Baptismum, recedente fictione?

RESOL. XIV.

HAec quæstio ad mores maximè vtilis est, ideò declarabo magis titulum, an per baptismum recedente fictione remittantur omnia peccata, non solùm quæ antecedunt baptismum, sed etiam ipsum peccatum fictionis, & alia quoque peccata, quæ in ipsa reali baptismi susceptione perpetratur, & denique ea, quæ baptismum subsequuntur; an potius omnia ista peccata remittantur per pœnitentiam, per quam tollitur fictio in ordine ad claues Ecclesiæ, ita vt ficte, id est sine attritione baptizatus posteà in confessione Sacramentali huiusmodi peccata confiteri teneatur.

Prima opinio est Scoti in 4. dist. 4. c. 5. vbi asserit, omnia peccata, quorum homo attritionem nō habuit, saltem cum ad baptismum accessit, posteà recedente fictione per pœnitentiam deleri, tenerique ipsum hominem ficte baptizatū de illis peccatis pœnitere, & ratione sui, & quatenus fuerunt fictionis causa in baptismo, & consequenter in confessione sacramentali erunt explicanda.

Secunda sententia est Soti in 4. dist. 6. q. 1. art. vlt. asserentis, quod per baptismū remittuntur recedēte fictione, omnia peccata antecedentia ipsum baptismum, non tamen illa, quæ sunt simul cum ipso baptismo, vel præparata post illum, quæ omnia sunt necessaria in confessione aperienda.

Sed ego per conclusiones veram sententiam explicabo. Prima conclusio. Fictio non remittitur per baptismum, sed per pœnitentiam in ordine ad claues, atque adeò necessariò est explicanda in confessione Sacramentali. Secunda conclusio. Omnia peccata ante baptismum commissa, & omnia etiam, quæ in ipsa baptismi susceptione perpetrantur, siue sint sacrilegia contra baptismum, siue non, delentur recedente fictione per baptismum, etiamsi ficte baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso baptismo, & ideo omnia supradicta peccata, nō sunt recedente fictione in confessione explicanda. Tertia conclusio, peccata post susceptionem baptismi commissa recedente fictione, remittuntur per pœnitentiam in ordine ad claues Ecclesiæ, atque adeò quamdiu in confessione non aperiuntur, vt per Sacramentum pœnitentiæ re ipsa applicatum deleatur, requiritur contritio ad tollendum fictionem, & consequēdum effectum baptismi. Et hæc omnia mutuatus sum à Cabrera de Sacram. q. 69. art. 10. disput. 2. §. 2. 3. 4. & 5. Syluio in 3. p. q. 69. art. 10. Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de baptismo, quæst. 4. dub. 4. concl. 2. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 5. diffic. 20. per totam, & Nugno etiam in 3. p. to. 1. q. 69. art. 10. dub. 2. qui etiam pro praxi quærunt.

An sola attritio sine sacramento pœnitentiæ sit sufficiens ad remouendam fictionem? Affirmatiuè respondent Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. & Syluester verb. Baptismus 4. circa finem, quia fictio est obex baptismi, sed obex baptismi tollitur per attritionem, vt omnes concedunt, ergo illa sufficit. Si enim attritio est sufficiens dispositio, vt baptismus in actuali susceptione habeat suum effectum, cur non erit sufficiens ad remouendam fictionem, vt posteà baptismus suum effectum consequatur?

Respondeo, duobus modis, quis cum fictione ad baptismum potest accedere; Primò, quia videns, & sciens se accedere in peccato mortali, vel cum ignorantia crassa vincibilis suscipit baptismum, & iste dicitur fictus propriè loquēdo, & nouum sacrilegij peccatum cōmittit. Secundò potest accedere cum peccati mortali complacentia, sed excusatur à nouo peccato sacrilegij, ratione ignorantiæ inuincibilis; vel quia putat nō esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & volūtatem baptismi, vel quia putat se esse attritum, cum re vera non sit. Hoc supposito, dico quod fictio primi generis tolli nō potest per solam attritionem sine Sacramento; secus verò si fictio sit secundi generis; nam ista tollitur per attritionem sine sacramēto pœnitentiæ, quia in homine sic accedente ad baptismum non est necessarium sacramētum pœnitentiæ, nam suppono omnia illius peccata antecessisse baptismum. Ergo omnia tollenda sunt virtute solius baptismi, atque adeo tollentur cum dispositione sufficienti per se cum solo baptismo. Ita Cabrera vbi sup. disp. 3. §. 1. 2. & 3. sed incidenter hic quærendum est.

An omnia Sacramenta, vel solus Baptismus habeat effectum recedente fictione.

RESOL. XV.

MAgister Sotus in 5. dist. 6. q. 1. art. 8. hoc priuilegium ad solum Sacramentum Baptismi restringit; alij verò extendunt etiam ad Sacramentum ordinis, & cōfirmationis. Ita Syluius in 4. q. 69. art. 10. vbi citat Canum, Syluestrum, Paludanum Gabrielem, & alios. Sed Caietan. to. 1. opusc. tract. 5. q. 5. de confessione informi, & alij absolutè docent omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa posteà recedente conferre suum effectum gratiæ sanctificantis, & ego hāc sententiam cum Cabrera vbi supra de Sacram. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9. libenter amplector, quia multum extollit, & amplificat dignitatem sacramentorum, licet Villalobos in summa, to. 1. tract. 7. difficul. 23. n. 1. & Suarez in 3. p. to. 3. disp. 63. sect. 8. negatiuam sententiam doceant quoad Sacramentum Eucharistiæ, sed vnusquisque (ait Cabrera) eligat quam maluerit.

An qui per errorem leuat filium Petri, existimans se Pauli filium leuare, contrahat cognationem.

RESOL. XVI.

REspondet negatiuè Sanchez de matr. tom. 2. li. 7. disput. 58. num. 7. ex cap. 2. de cognat. spirit. vbi deciditur coniugem, quæ

quę per ingnorantiam leuauit filium mariti.non arceri à debiti petitione, ex quo textu Abbas ibi n.4.& Alexander de Neuo n.6.colligunt requiri scientiam, & animam ad contrahendam cognationem.

At his non obstantibus contrariam sententiam docent Pontius de matrim.lib.8.c.3.39.num.9.vbi sic asserit. Si quis per errorem leuet filium Petri, existimans esse filium Ioannis,reuera contrahit cognitionem, error enim ille non impedit fideiussoris, & petris spiritnalis officium, quidquid alij dicant: est enim error personæ in hoc casu circa accidentalia. Neque eadem ratio est de vxore quę per ignorantiam leuat mariti filium:tum quia de eo est expressa iuris decisio, ex quo totum impedimentum pendet: tum etiam quia superuenit matrimonio cōtracto, & ita non mirum si ignorantia excuset à cognatione. Ita Pontius. Vnde patet responsio ad argumentum quod Sanchez adducit, cuius sententia hoc non obstante probabilis etiam mihi videtur, & illam nouissimè cum Sanchez tenet Villalobos in summa,to.1.tract.14.diffic.19.n.17.

An peruersa intentio ministri in conferendo Baptismo, & alijs Sacramentis suppleatur a Deo quo ad gratiam?

RESOL. XVII.

NEgatiuè respondeo cum Homobon.de bonis in exam.Eccles.p.1.tr.4.c.2.qu.10.Naldo in sum.ver.Sacramentum nu.10.Henriq.lib.1.c. 10. nu.3.Filliuc.to.1.tract.1.cap 5.nu.80. Syluio in 3.p.q.68.art. 2. ad 4. argum. Fernandez de Heredia in disp.mixtis de sacramentis in genere, p.9.dub.vnico,n.17.Suarez,& alijs communiter. Et ratio est, quia quod Deus suppleat defectum ministri,in tali casu nō fundatur vlla lege, promissione,aut necessaria ratione, & intentionem ministri necessario requiri est de fide. Ergo,&c.

Et ita hanc sententiam veram existimat Cabrera de Sacram. q.64.art.8.disp.1.§.6 num. 65.& 66.vt contrariam tanquam erroneam,& temerariam resellat.

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam, quam plures docete, & ideò Barthol.ab Angelis Dominicanus in exam. confess.de Sacram.in communi, dial.§.31. sic asserit Vbi minister ex malitia in baptismo,vel pœnitentia,vel alio sacramento falleret,non habendo intentionem faciendi, quod Ecclesia facit sed tantum irrideret hominem, & hæc sua malitia non esset nota;Deus (qui facienti quod in se est,non deficit in necessarijs, nec alligauit virtute suam Sacramentis) sua infinita bonitate suppleret, non quo ad characterem,sed quo ad gratiam. Ita ille,qui citat D.Thom.in 4.dist.24 qu.1.art. 1. quæstiuncula 3.& Viguerium,& ex eadem Dominicanorum familia, hoc etiam docet Syl.verb.baptismus 6. num. 3. & nouissimè Zanardus in direct.confess.p 1.de sacram.baptis. c.4. in fine Idem à fortiori docent Anglcus ver.baptismus 1.n.12,& Alensis, Durandus,& Gabriel apud Filliucium vbi supra.

Et tandem hanc opinionem tenet etiam ex Societatis Iesu Theologus Pater Valentia tom.4.disp.3.qu.5.punct. 3. vbi ita ait. Probabiliter arbitrātur Theologi,Deum in infantibus supplete defectum ministri, quando hic malitiosè subtrahit intentionem, & in adultis eundem defectum, ministri suppleri per deuotionem, & finem ipsius suscipientis, Deo etiam peculiariter ad id cooperante, si quid fortè in deuotione desit. Quamquā illud de infantibus non secundum legem ordinariam, sed secundum priuilegium quoddam accipi debet. Sic Valentia sed tu ne recedas à nostra sententia.

An in priuato Baptismo tempore necessitatis, sit ad bibendus patrinus,& an contrahat spiritualem cognationem?

RESOL. XVIII.

QVoad primum affirmatiuè respondent Melchior Zambranus de casu occur. tempore mortis, ca. 1. de Sacram. baptism. dub. 18. numero 17. quia esse patrinum non pertinet tantum ad solennitatem, sed requiritur, vt sit, qui instruat baptizatum, & qui adiuuet ad eius spiritualem regenerationem; de inde vix fieri potest baptismus priuatus, saltem in pueris, nisi sit qui illum teneat, quando abluitur in baptismo. Ergo credendum est, Ecclesiam vniuersaliter sensisse, in omni baptismo etiam priuato requiri patrinum.

Sed ego puto nullum esse Ecclesiæ præceptum, vt in tali baptismo patrinus adhibeatur. Et ita docent Sotus in 4. dist.42.q.1.art.2.Henriq.lib.2.c.18.in fin. Suarez, Sanchez, Rodtiquez, & alij. Et ratio est,quia cum tali casu necessitatis parentes ferniè non possint idoneos eligere ad munus patrini, incredibile non est, Ecclesiam talem is obligationem imponere voluisse: & ideò licet aliquis in hoc casu materialiter teneat infantem, non ideò patrinus eius efficitur.

Difficultas verò est, an si aliquis talem infantem teneat ex proposito, vt patrini munus obeat, an contrahat obligationem spiritualem. Affirmant Zambranus vbi supr.nu. 4. Nauarrus in Manual.ca.22.num.40.Coninch. de Sacram.disput.32.num.2. conclus.2.Armilla ver.Matrimonium,nu.14.Suarez, Viualdus, Sà,& alij.

Sed mihi contraria sententia videtur etiam probabilis,quàm docet Sanchez de Matrim.tom.2.lib.7.disp.62.num.15.Rodriquez, & alij. Notandum est tamen hic obiter, non esse improbandam consuetudinem, secundum quam quibusdam in locis Catholici, patrini existunt filiis Hæreticorum, baptizante illos ministro hæretico in forma SS.Trinitatis, & ita docet Layman in Theol.moral.lib.5.tract.2.c. 89.num.6.contra Azarium p. 1. lib.8.cap.11.qu.9.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Vtrùm pueri ante septennium possit aliquando Sacramentum Confirmationis accipere.

RES.OL. XIX.

POsse interdum ante dictam ætatem, Sacramentum hoc licitè suscipi, docet Paulus Layman in Theol.lib.5.trac.3.c.5.num.2.Primò,si manifestum sit puerum ante ætatis septennium vsu rationis præditum esse. Secundò si non confirmatus; diu non habiturus sit occasionem Sacramenti accipiendi. Tertiò,si puer in periculo mortis existens opportunè istud Sacramentum consequi possit. Quartò, si diœcesis consuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur. Ita Layman,vide etiam Villalobos,in summ.to.1.tract.6.diffic.6.nu.1.Filliuc.to.1.tract. 3.c. 1. n.36.Syluium in 3.p.q.73.art.8.& alios.

Sed quæres, an sit peccatum mortale confirmare infantem ante septennium sine aliqua iusta causa ex supradictis Respondeo negatiuè cum Didaco Nugno in 3.p q.72.art.8. conclus. 4. vbi sic asserit. Non est peccatum mortale confirmare infantes an vsum rationis. Probatur; quia etiam DD.tenentes non esse infantes confirmandos ante septennium,solum dicunt hoc non conuenire. Deinde probatur, quia cum dispositio non sit ita necessaria ad hoc Sacramentum, non videtur res grauis,quod conferatur infantibus, quando neque habent dispositionem, neque etiam impedimentum.

An perpetuò amentes sint confirmandi?

RESOL. XX.

NEgatiuè respondet Valentia tom.4.disput.5.q. 2. punct. 2. Sà ver.Confirmatio,num.5.Chamerota de Sacram.tract.4.c.6.dub.3.Sotus in 4.d.7.q.vnica,art.8.Ledesmà in sum.to.1. de Sacram. confirm. c.7.in fine,& alij,quia hoc Sacramentum datur ad militandum in vita spirituali, sed amentes non sunt capaces talis militiæ. Ergo neque Sacramenti.

Sed contrariam sententiam omninò sustinendam esse puto cum Zambrano de cas.tempore mortis,c.2.dub.5. num.3. Nugno in 3.p.q.72 art.7.concl.7.Pitig.in 4.sent.tom.1.dist.7. qu.1. art.8.Villalobos in summ.tom.1.tract.6. diff.6.nu.2. Layman in Theol.mor.lib.5.tr.3.c.5.num.3.Filliucio to.1.tr.3.c.2.num. 38. Syluio in 3 p.q.73.ar.8.Suarez in 3.p.tom.3.disp.31.sent.2.Coninch.de Sacram.q.72.art.8.nu. 83. & alij,Et ratio est,quia non debent priuari gratia huius Sacramēti,& per accidens est nunquam esse spiritualiter pugnaturus. Datur etiam hoc sacramētum,

tum, vt augeatur gratia, cuius effectus amentes sunt capaces, expeditque vt conferatur illis, vt habeant maiorem gloriam. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Et hæc omnia à fortiori procedunt, si quis vsum rationis habuerit, & posteà in amentiam inciderit: quia adest in tali casu interpretatiua hominis voluntas suscipiẽdi tempore opportuno Sacramenta, nisi constet alioquin cum peccato mortali in amentiam incidisse. Ita Layman, Nugnus, & alij vbi supra. Igitur tales sunt confirmandi, quia semper præsumitur bonus, qui non probatur malus, neque requiritur vt diximus, quod aliquãdo tales petierint hoc Sacramentũ, sufficit enim virtualis volũtas, quam quilibet homo habet circa beneficia suæ salutis.

Nota verò, vt nos alibi diximus, seclusò scandalo, & contemptu non peccare mortaliter, si quis Sacramentum confirmationis non recipiat, etiam si ad recipiendum adsit notabilis negligentia, quam, sed male, contemptum censent Richardus in 4. dist. 17. art. 5. q. 1. Gabriel. q. vnica, art. 3. dub. 3. Syl. verb. Confirmat. nu. 3. & Toletus lib. 2. c. 24. in fine; vide Layman. vbi supra, nu. 4. sententiam horum Doctorum refellentem; vide Zanard. in direct. confessar. p. 1. de Sacram. confirmat. c. 5.

Notabilia quædam circa patrinum in Sacramento Confirmationis.

RESOL. XXI.

PRimò nota, dictum patrinum nõ contrahere obligationem instruendi confirmatum, quia id iure statutum non reperitur sicuti de patrino baptismi. Ita Coninch. de sacram. q. 72. art. 10. Layman. in theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 6. nu. 1. qui citat, Henriqu. quidquid dicat Syluius in 3. p. q. 72. art. 10.

Secundò est valdè probabile, quod si non confirmatus teneat alterum in hoc Sacramento, non cõtrahat cognationem spiritualem, quia ille non est legitimus susceptor, vt patet in cap. in baptismate, de consecratione, dist. 4. sed in baptismo illegitimus susceptor nullam contrahit cognationem spiritualem, vt patet, Ergo idem est dicendum in Sacramento confirmationis. Ita Coninch. de sacramen. q. 73. art. 10 nu. 94. qui citat Suarez Nugnum in 3. p. q. 72. art. 10. qui citat Victoriam, quidquid in contrarium afferant Syluius in 3. p. q. 72. art. 10. Sotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. Syl. verb. matrimonium 8. q. 7. & alij. Sed an in tali casu susceptor non confirmatus, licet non contrahat affinitatem, peccet mortaliter; affirmatiuè respondent Nugnus, Suarez, & Syluius in 3. p. qu. 72. art. 10. sed contrariam sententiam probabilem esse ex ipsis etiam deducitur, vt legenti patebit.

Tertiò nota, quod susceptor confirmationis debet esse alius ab illo, qui suscepit in baptismo, nisi necessitas aliter cogat, vt docent DD. citati, quibus adde Richardum in 4. dist. 7. art. 7. p. 2. Sed an secus qui fecerit, peccet mortaliter, negatiuè respondet Bartholomæus ab Angel. in exam. confess. dial. 3. §. 45.

Quartò Religiosi mendicantes secundùm Coninch. de Sacram. q. 67. art. 7. nu. 56. possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in c. monachi, de consecr. dist. 4. sub nomine monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem Religiosi mendicantes, & hanc sententiam etiam docet Chamerota de sacram. tract. 2. cap. 4. dub. 8.

Sed contrariam docet Layman in theol. mor. tract. 2. c. 9. nu. 3. in Synodo Panormitana Eminentissimi Card. ab Auria edita 1615. p. 2. n. 3. interdicitur hoc officij genus monachis, & regularibus. Non est tamen dubitandum, quod Episcopus religiosus, compater fieri possit, vt notat Sanchez in summa, tom. 2. lib. 6. c. 6. nu. 24. & alij.

An Episcopus qui in confirmatione vngeret alio digito, quam dextero pollice, peccaret mortaliter.

RESOL. XXII.

AFfirmatiuam sententiam videtur docere Melchior Zambranus de casibus occur. tempore mor. c. 2. dub. 1. num. 1. vbi sic asserit. Certum est obligari Episcopum sub præcepto vngere immediatè dextero pollice, quia ita præcepit Pontificale, sic ille: & hoc etiam docere videtur Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 2. n. 5. qui citat Suarez.

Verùm, vt rectè obseruat Didacus Nugnus in 3. p. to. 1. q. 62. art. 4. diffic. 3. concl. 4. hoc non est ita certum; quia non constat, vtrum materia grauis, vel leuis sit talis variatio, videtur enim parum referre, quod vnctio fiat indice, vel pollice: quod fiat manu dextera, vel sinistra. Ita Nugnus; & ego (vt verũ fatear) difficulter de peccato mortali damnarem Episcopum, qui indice v. gr. vnxerit aliquem in infirmitate.

Notandum est verò hic obiter, non solùm necessarium esse necessitate præcepti, quod vnctio confirmationis fiat manu immediatè confirmantis in fronte sub signo crucis, sed etiam necessarium esse necessitate Sacramenti: vnde nunquam erit efficienda medio aliquo instrumento, vt tempore pestis potest dari Sacramentum Extremæ vnctionis.

An balsamum requiratur in confirmatione de necessitate Sacramenti.

RESOL. XXIII.

NEgatiuam sententiam docent Zanardus direct. theol. p. 1. de Sacram. confirm. cap. 2. Philiarchus de officio sac. to. 1. p. 2. lib. 1. c. 11. Estius in 4. sent. dist. 7. §. 8. Valentia to. 4. disp. 5. q. 1. pun. 2. Angles in floribus in 4. sent. de confirm. art. 2. conclus. 2. Victoria in sum. nu. 40. Viuald. in candelabro c. de matr. confirm. n. 2. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 3. §. 2. Petr. de Reyna in summ. sacram. de confirm. n. 3. Catillo in itinerar. ord. sect. 3. c. 3. num. 6. Barbosa in collect. to. 1. lib. 1. tit. 16. c. 1. nu. 2. Caiet. in 3. p. q. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. p. 1. art. 2. Rubeus de Sacram. in 4. sent. dist. 7. §. Balsamum. 7. P. Ledesma in summ. tit. de confirm. dub. 3. Nauarrus c. 22. num. 8. Couar. lib. 1. var. c. 10. n. 4. & alij. Et ratio est, quia Innocen. III. cap. pastoralis, de Sacram. non iterandis, rogatus si sacramentum confirmationis in eo deberet iterari, qui per errorem non fuerat chrismate, sed oleo delinitus, respondit, non esse aliquid iterandum; sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum, vbi supponit illud, quod omissum fuerat, non esse essentiale: alioquin sacramentum fuisse nullum, ideòque denuò conferendum. Confirmatur: quia iisdem verbis respondet ad alteram quæstionem, an permitti deberet ministrare, qui sine impositione manuum fuerat ad ordinem Subdiaconatus assumptus, sed in subdiaconatu defectus ille solùm erat accidentalis: ergo, & alter in confirmatione. Et hanc sententiam probabilem esse putat Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 1. num. 11. & alij.

Sed alij contrariam sententiam, nempe chrisma ex oleo, & balsamo compositum, esse materiam, & de essentia confirmationis docent, vt Fernandez de Heredia in disp. mixtis de sacram. confirm. dist. 5. p. 3. dub. 1. concl. 1. Coninch. de sacram. q. 72. art. 3. dub. 1. n. 30. Syluius in 3. p. q. 72. art. 2. Petr. in 4. sent. to. 1. dist. 7. q. 1. art. 3. Nugnus in 3. p. to. 1. qu. 72. art. 3. Emanuel de la Cerda in qq. pro laurea Salmantina q. scholastica art. 3. nu. 6. Zambranus de casibus temp. mor. c. 2. nu. 2. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 2. n. 1. & Villalobos in sum. to. 1. tr. 6. diffic. 2. n. 2. Ledesma in sum. tom. 1. de confirm. c. 2. concl. 7. Et ratio est, quia Concil. Florent. affirmat huius Sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Ergo si alterutrum desit, deerit materia. Nec obstat, quod materia calicis etiam sit vinum aqua mixtum, quia Concil. non ita loquitur, sed dicit materiam esse vinum, cui aqua modicissima debet adhiberi, vnde patet manifesta differentia.

Sed quia prima opinio est probabilis (vt dictum est) ideò optimè asserit Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. de sacram cõfir. q. 2. dub. 2. concl. 1. quod si hoc Sacramentum ministratur cum oleo simplici, non est iteranda absolutè, sed sub conditione, adhibita materia indubitata.

Notandum est hic, quod est etiam de necessitate Sacramenti, vt chrisma sit per Episcopum consecratum, sic DD. citati: an verò Summus Pontifex possit simplici Sacerdoti talem consecrationem committere, affirmat Valentia to. 4. disp. 5. q. 1. pũct. 2. & alij, sed negant Coninch. de sacram. disp. 72. artic. 3. dub. 1. conclus. 4. & Doctores, vbi supra, quibus adde Barbosam de potestat. Episcopi p. 2. allegat. 30. num. 6 & alios penes ipsum, & an simplex sacerdos possit hoc sacramentum ministrare negãt aliqui, & aliqui affirmant, quos videre potes apud Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 2. §. 3. n. 3. sed quia ad praxim parum deseruiunt, ad alia magis practicabilia deueniamus.

An

An Episcopus possit confirmare aliquem afferentem litteras dimissorias sui Episcopi vt ordinetur.

RESOL. XXIV.

De hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Marco la Caua Episcopo Mazzariensi, & affirmatiuè respondi cum Zambrano de casibus occurrentibus in art. mor. ca. 2. dub. 2. n. 3. vbi sic asserit. Quando Episcopus vult ordinare aliquem offerentem dimissorias litteras sui Episcopi, potest licitè eum confirmare, si non est confirmatus: quia qui concedit finem, concedit necessaria ad finem talem: at confirmatio praemittenda est ordinibus; ergo. Zambranus, qui citat Henriq. li. 2. c. 6. nu. 6. & nonnisi merito inueni hanc sententiam docere etiam Layman lib. 5. tr. 3. c. 6. nu. 2. & Fagundez praecep. 5. lib. 5. c. nu. 8.

Adde etiam, vt supra notauimus, Episcopum confirmantem in sua dioecesi subditum alterius, in nullam censuram, aut culpam incurrere, cum praesumendum sit, hoc gratum fore proprio Episcopo. Ita Genuensis in manuali praelatorum c. 54. n. 7. & alij, quos citat, & sequitur doctus Barbosa de potest. Episcop. p. 2. alleg. 30. n. 12. quidquid in contrarium afferant Bartholomaeus ab Angelis in exam. confess. & alij, quos citat & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 3. q. vnica, punct. 2. nu. 11.

Notaui etiam tunc interrogatus circa supradictum casum, quod si Episcopus ordinet aliquem non confirmatum, non peccat mortaliter. Ita Zambranus vbi sup. dub. 3. nu. 3. cum multis alijs. Sicuti etiam dicendum puto, cum eodem Zambrano, de illo, qui vult suscipere ordines, etiamsi non sit confirmatus, non enim peccat mortaliter. Et ratio horum omnium erit, quia nullibi reperitur de hoc praeceptum obligans sub mortali; nec vsus, nec Concilium Trid. sess. 23. de reform. cap. 4. vtitur verbis talem obligationem significantibus; erit igitur hoc peccatum veniale tantum. Vide etiam Molfesium in summ. to. 1. tract. 4. c. 2. num. 21. & Reginaldum to. 2. lib. 28. c. 3. n. 24. quidquid in contrarium videatur docere Nugnus in 3. p. tom. 2. q. 72. art. 8. concl. 7. vbi ait, grauissimum peccatum veniale, & fortè mortale peccatum est suscipere ordines minores ante confirmationem sed tu tene nostram sententiam.

An quis peccet mortaliter non suscipiens sacramentum Confirmationis.

RESOL. XXV.

Ego alibi negatiuam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Valentiam to. 4. disp. 5. q. 2. punct. 3. Molfesium in sum. to. 1. tr. 4. c. 2. nu. 21. Fernand. de Heredia in disputationibus mixtis de confirm. dist. 5. p. 2. dub. 1. n. 6. Estium in 4. sent. dist. 7. §. 18. Zambranum de casibus occurrentibus in art. mortis c. 2. dub. 4. n. 1. qui citat Henriquez, Adrianum, Sotum, Ledesmam, Nauarrum, Rodriquez, Couarruuiam, & Suarez, dummodo, non adsit contemptus.

Sed difficultas est, an notabilis negligentia contemptus censeatur, vt si quis data opportunitate suscipiendi illud Sacramentum, qualem postea non facilè habiturus sit, illud suscipere intermittat. Affirmatiuè respondent Richardus, Bonauentura, Durandus, Marsilius, Paludanus, Maior, Syluester, Toletus, & alij apud Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. §. 5. n. 1. & Layman in theol. mor. lib. 1. tr. 3. c. 5. nu 4.

Sed ipsi merito negatiuam sententiam docent cum Caietano Soto, Nauarro, Victoria, & alijs. Et ratio est, quia ait Laymã, multa animae salubria facere intermittimus, quia cogitamus absolutè ad salutem nobis necessaria non esse, quae tamen non contemnimus; sed hoc accidit in casu nostro; ergo Notandum est tamen, per accidens, et ratione scandali, posse omissionem huius Sacramenti esse peccatum mortale, igitur secluso scandalo, & contemptu illud omittere non erit crimen lethale.

An non confirmatus suscipiens in confirmatione puerum, contrahat cum illo, eiusque parentibus cognationem spiritualem?

RESOL. XXVI.

Affirmatiuam sententiam docent noster Molfesius in sum. tom. 1. tr. 4. cap. 2. num. 43. Syluius in 3. p. q. 72. art. 10. cum Paludano, Rosella, Tabiena, Soto, Sà, Rodriq. Lopez, Salliego, & alijs apud Sanch. vbi infra.

Sed ego alibi meritò negatiuam sententiam docui, & praeter DD. quos citat, & sequitur Sanch. de matr. to. 2. lib. 7. disp. 68. n. 19. tenent etiam hanc opinionem Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 31. c. 20. n. 157. Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. c. 1. §. 9. n. 4. & §. 10. n. 4. Vgolinus de potest. Episcop. c. 15. §. 1. nu. 2. Rebellius de oblig. p. 2. li. 3. q. 6. n. 6. & 7. Basilius Pontius de impedim. matrimon. cap. 24. §. 1. ver. Illud, & alij, ex cap. in baptismate, de consecrat. dist. 4. vbi sic habetur. In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filium ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Et ideò hanc sententiam praeter citatos DD. tenet etiam Coninch. de Sacram. q. 71. art. 10. nu. 94. vbi sic ait. Non confirmatum non posse tenere confirmandum, habetur in cap. in baptismate; vnde patet eum inualidè hoc facturum, qui id tentaret, quia secundum communem sententiam Iuristarum, inualidè quis id tentat facere, quod dicitur in iure non posse facere, & confirmatur, quia similiter talis dicitur non posse tenere confirmandum, atque non baptizatus baptizandum, at hic hoc inualide faceret; ergo, & ille. Vnde sequitur, eum grauiter peccaturum, quia redderet eam ceremoniam irritam, nec contracturum cognationem spiritualem. Ita Coninch. Non sunt igitur audiendi Molfesius, & alij.

De forma Sacramenti Confirmationis?

RESOL. XXVII.

Verba formae huius sacramenti sunt ista, signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vt autem intelligatur, quae verba sint essentialia, dicendum est sicut in baptismo, sic & in confirmatione, expressam Sanctae Trinitatis inuocationem esse essentialem, vt indicat Conc. Florent. quia confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam. Caeterò verò sacramenta cum non ordinentur ad fidem profitendam, non requiritur necessariò istarum trium personarum inuocationem.

Actio ministri necessario etiam exprimenda est, & quidem sic, vt vtrumque verbum nõ improbabiliter putetur esse essentiale (signo, & confirmo:) quia non sunt aequipollentia, non enim omne, quae signant, continuò confirmant, neque qui confirmant: hoc facere intelliguntur per signationem, nisi addatur verbum (signo.)

Et quamuis apud Christianos signatio intelligatur de signatione Crucis, quia tamen generalior est illius verbi significatio, ideò probabilius est necessariam esse illam particulam (signo Crucis.)

Et similiter, quia in verbo confirmo, nõ satis exprimitur materia, & effectus, sicut in baptismo significatur per verbum baptizo: ideò probabiliter dicitur, necessarium esse addere (chrismate salutis, vel sanctificationis.)

Et rursum, quia debet exprimi subiectum, ideò pronomen, te, non potest omitti.

Formatio etiam signi Crucis est essentialis, quia alioquin falsificarentur verba formae, hoc autem signum Crucis, necessariò debet fieri de chrismate in fronte, & haec omnia asserunt Coninch. de sacram. q. 72. art. 4. n. 65. & seq. Fillius. to. 1. tract. 3. cap. 1. num. 20. & seq. & alij.

Notandum est etiam hic obiter cum Nugno in 3. p. tom. 2. q. 72. art. 4. diffic. 1. quod licet non sit necessarium exprimere personã ministri formaliter, exprimenda est tamen virtualiter, itaque peccatum mortale esset, cõfirmare sub hac forma (Consignetur seruus Christi, &c.) Patet hoc ex vsu vniuersali totius Ecclesiae, tam Latinae, quã Graecae; licet enim concessa fuerit facultas Graecis baptizandi sub hac forma, Baptizetur seruus Christi; non tamen est concessa illis similis facultas in sacramento Confirmationis.

An hoc Sacramentum Confirmationis sit conferendum immediate manu Episcopi, ita vt sit nullum, si conferatur medio alio instrumento?

RESOL. XXVIII.

Sacramentum in tali casu esse nullum docent Suarez, & Coninch. quos citat, & sequitur Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 2.

5.c.2.nu.5.quibus ego addo Reginaldum to.2 lib.28.c.2.nu.20. Filliucium.to.1.tr.3.c.2.n.17.Nugnum in.3.p.to.1.q.72.artic.4. concl.2. quia manus impositio est de ratione huius Sacramenti atque adeò debet fieri, quando fit Sacramentum ipsum, sed si fiat vnctio medio instrumento, non est vera manus impositio. Ergo neque erit verum Sacramentum.

Non desunt tamen DD.contrarium sentientes, & sic ait Fernandez de Heredia in disputatione de Sacram.confirm. diff.5. p.3.dub.vnico,nu.2. Non æstimamus pertinere ad necessitatem Sacramenti, quod vnctio fiat pollice dextero, vel sinistro, vel alio digito, vel quouis alio instrumento, siue coniuncto, siue separato, quippè nihil videtur deesse, neque ex parte materiæ, neque ex parte significationis formę quocūque ex his modis fiat chrismatio. Neque ideò minus Sacramentum hoc dicetur manus impositio, si fiat vnctio penna, vel alio instrumento, quo quidē mediante manus propriæ imponi dicuntur, sicut & manus violentę in clericum iniici dicuntur, si baculo, lapide ve, & similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quod sine graui peccato omitti nequit Ita Fernandez. Sed prima opinio est probabilis, & tutior.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Num dubitans an aliquid cibi, vel potus sumpserit, possit communicare, vel Missam celebrare?

RESOL. XXIX.

NEgatiuam sentētiam docent Sanchez de matrim.tom.1.lib.2.disput.41.num.40. Villalob. in summa, tom.1.tract.1.diff.21.nu.6. Fagundez pat.3.lib.3.c.5.nu.18. vbi asserunt, quod dubitans an sit audita hora noctis duodecima, & comedat aut bibat, non potest die crastino sumere Eucharistiam, quia possessio est pro præcepto communicandi, seruato ieiunio naturali; tum quia nulla est possessio ex parte communicantis, vt in dubio eius conditio potior sit.

Sed his non obstantibus, aduersus Sanchez insurgit nouissimè Sancius in selectis, disp.42. per totam, vbi acriter illum impugnat, & probat, quod quoties quis dubitans, an hora duodecima noctis sonuerit, comedit, bibit ve; aut os abluendo, dubitat an aliquam guttam deglutiuerit, potest sacrā Eucharistiam suscipere, si deponat dubium practicum, iudicans quod hic & nunc sibi liceat suscipere, quantumcunque perseueret in dubio speculatiuo. Et ad argumenta contraria respondet, & rationes pro sua sentētia adducit, quæ sūt adeò probabiles, vt existimem hanc sententiam in praxi tutam & securam esse.

Et post hæc scripta inuenio etiam Layman in theol. mor. lib. 2.tract.1.c.5.§.4.num.36. contra Sanchez hanc sententiam tanquam probabilem etiam admittere, sic enim asserit. Numquid sacerdos dubitans an noctis medium cęnando excesserit, altera die sacrificare poterit. Negat Sanchez, qui in tali dubio tutior pars eligenda videtur propter reuerentiam Sacramenti. Sed existimo non improbabiliter, permitti posse Sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam propter deuotionem, ac nulla cogente necessitate; quia lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. Simili modo respondetur, sidentibus quidpiam masticans dubitet an deglutiuerit, vt in vtram partem inclinare possit, quod ab sacra communione abstinere nō teneatur, quia in eiusmodi casibus fauorabilia præsumere licet, ne cōscientię nimis adstringantur. Ita Layman, & ego, quæ valdè notanda sunt, quia quotidiana, & multos scrupulos sedabunt, nec in alijs auctoribus passim obuia.

An si quis post pollutionem voluntariam, vel fornicationem, posteà confiteatur, peccet tamen venialiter, sumendo Eucharistiam intra vnum diem sine aliqua iusta causa.

RESOL. XXX.

AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos in summa, to.1. tract.7. diffic.37. num.11. Didacus Nugnus in 3.p.to.1.q. 80.artic.8.conclus.10.& 11. cum Ioanne de la Cruz. in directorio conscientiæ, par.2. de Sacrament. Eucharist. quæst.9.dub.3. conclus.2. vbi sic asserit. Pollutio procedens ex peccato mortali, cuius non præcessit confessio, impedit communionem, secus si præcessit, cum nullum peccatum mortale per confessionem dimissum communionem impediat sub mortali. Erit tamen peccatum veniale illam sumere ratione cuiusdam corporalis immunditiæ, nisi aliàs instet præceptum, aut necessitas defendendi honorem, aut specialis deuotio tunc communicandi. Ita ille.

Sed hæc sententia (vt alibi notauimus) displicet Sancio in selectis, disp.23.num.30. vbi ita ait. Qui in pollutionem, seu coitū incidit post talis facti confessionem, non est à communione excludendus, licet peccatum veniale esse concedant Nugnus, & Ochagauia ratione corporalis immunditię, quibus tamen non credo; imò quanam ratione Concil. Trident. aduersari non videatur, percipietur haud difficile, ait enim sess.13. cap.7. illum dignè, & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius dignè accedet se per confessionem probando. Igitur asserere deleto iam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiende, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari Concilio videtur manifestè, cum sequatur eum non accedere tunc sanctè, at indignè, cum actionem exerceat ex mente horum auctorum intrinsecè malam, & culpabilem. Nec obstabit distractio, licet habeatur, cum per pœnitentiam sit causa, à qua ortum habuit, interrupta, & distractio peccatum non erit, dum faciat quis quantum in se est ad expellendā illam. Hæc omnia Sancius.

Vnde à fortiori apparet refellendum esse Nauarr. de pœnit. dist.6.c.1. cui adhæret Marsilius in 4.quęst.6.ar.4. asserentem esse peccatum mortale, accedere ad recipiendum sacramentum Eucharistiæ ante diem integrum post quodcumque peccatum mortale, etiamsi homo sit de illo contritus & confessus.

An qui accedit ad communionem cum distractione voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis, communicando peccet venialiter.

RESOL. XXXI.

AFfirmatiuè respondit Filliucius tom.1.tract.4.c.7.num.2 5. vbi sic ait; Potest euenire, vt peccatum veniale sit circumstantia actus communicandi, vt si fiat ob vanam gloriam, vel quia cum distractione voluntaria, & sic procul dubio erit peccatum veniale, quia ille actus non habet circunstātias debitas, quarum vna est, vt fiat ob bonum finem, & sine actuali euagatione, saltem voluntaria. Ita ille, & Reginaldus tom.2.lib.29.c. 6.q.3.num.100. cum alijs.

Contrariam tamen sententiam docet Sancius in select. disputationibus, disp.23.nu.32. vbi asserit. Secundò respondetur in nostra opinione nullum peccatum commiti ob communionem cum distractione. Nec obstat, quod qui erat distractus peccet venialiter præter peccatum, in quo est. quia attentio est de substantia orationis, cum enim sit loquutio ad Deum, attentè loqui debemus, alias irreuerentia fieret ei, cum quo loquimur. At suscipere Eucharistiam, cum non sit loquutio, sed manducatio, non requirit sub præcepto attentionē bene tamen sub consilio, nec iniuria fit cibo si distractè sumatur, quia propter qui cōsulit, vt quis distracta mente non accedat ad Eucharistiam, non consulit id ob reuerentiam: cum nulla irreuerentia fiat, sed vt à peccato cesset, qui est in illo. At supposito, quod consilium attētionis sequi nolit, nō ob id retrahendus est à communione, cum melius bonum sit adhuc sine attentione communicare, quam à sacra mensa recedere ob defectum attentionis. Sic Sancius.

Pro qua sententia faciunt Sà, ver. Eucharist. nu.22. & Petrus de Ledesma in summa, tom.1. de Sacram. Eucharist.c.11. conclus.5. vbi ita ait; No peca venialmente, el quel llega à este sacramento con consciencia, y affecto de pecado venial, porque llegar con pecado venial à este sacramento no es contra precepto alguno, ni importa irreuerencia ninguna, luego no es pecado venial. Verdad es que puede acontecer que la misma obra de comulgar sea pecado venial particular, por hazer se cō pecado venial. Lo primiero, si la tal obra de comulgar se ordena al fin del pecado venial, como si vno comulgasse por vana gloria, de suerte que la vanidad fuesse el motiuo para comulgar

gar

gar. Lo fegundo, fi el peccado venial confiftieffe en alguna irreuerencia exterior en el recebir del facramento, como fi al tiempo del comulgar eftuuieffe vno hablando palabras ociofas, ò de burla, ò hizieffe otra cofa femejante.] Sic Ledefma. Sed aliqui abfolutè afferunt, qui cum affectu, vel actuali peccato veniali facramentum Euchariftiæ fumit, committere aliud veniale, cuiufdam irreuerentiæ, ac facrilegij. ita Doctores, quos citat, & fequitur Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 4. c. 6. num. 3.

Anguttæ vini, quæ funt in calice, feparatæ vino quod eft in fundo calicis, remaneant confecratæ.

RESOL. XXXII.

Hic cafus frequenter accidit, & affirmatiuam fententiam docet Bonacina, quem ego adduxi in tract. 4. Mifcellan. refol. 16. fed contrarium tenendum eft, nam hæc videtur effe communis, & optima Ecclefiæ intentio confecrandi omnem liquorem confecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur. Et ita præter Reginaldum, & Suarez docet nouiffimè Layman in theol. mor. lib. 5. tract 4 c. 2. nu. 14.

Quod autem tenet Coninch. de Sacram. qu. 74. art. 2. dub...... nu. 43. eas quoque vini guttas confecrari, quæ intra calicem reliquo liquori proximè adhærent, vt leui calicis commotione ad mifceantur, difficultatem etiam habet fecundum Layman loco cit. nam determinari non poteft, quanta omninò effe debeat talium guttarum propinquitas, fatetur enim ipfemet Coninch. remotiores non confecrari. Neque verò poteft confecratio (ficut neque alterius facramenti confectio) pendere à futuro euentu contingente, vt nimirùm, eæ folùm guttæ confecrentur, quas poftea cõtinget calicis agitatione reliquo liquori commifceri. Dicendum eft igitur illud vinum confecrari, quod per modum vnius continui potabile exiftit in fundo calicis.

An Sacerdos poßit celebrare non ieiunus pro communicando infirmo tempore mortis.

RESOL. XXXIII.

De hac difficillima quæftione egi in tract. de celebrat; Miffarum, Refolut. 66. & pro parte negatiua adduxi multos Doctores, quibus nunc addo Homobonum de Bonis in examin. Ecclef. part. 1. tract. 5. cap. 11. quæft. 99. Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 5. num. 22. Paludanum in 4. dift. 8. quæft. 2. art. 1. concl. 2. Coninch. de Sacram. qu. 80. art. 8. & Suarez in 3. p. tom. 3. difp. 67. fect. 5.

Non reticeam tamen, quod pro parte affirmatiua præter. Maiorem, Zanardum, & Zambranum, quos loco cit. adduxi, tenet etiam hanc fententiam Philiarchus de officio facerdotis to. 1. p. 1. lib. 2. c. 2. per totum, & Fernandez de Heredia in difp. mixtis de facram. tit. de Eucharistia, dift. 2. punct. 8. dub. 2. nu. 8. vbi vocat hanc opinionem probabiliorem, & illam probabilem etiam tenet Layman in cafu neceffitatis, fi infirmus videlicet moriturus aliud facramentum Pœnitentiæ, aut extremæ vnctionis fufcipere non poffit, & fcandalum ceffet. Ita ille in theol. mor. lib. 5. tract 4. c. 6 nu. 21. fed abfolutè hanc fententiam tanquam probabilem admittit Petrus Matthæus in adnot. ad rubricas Miffalis p. 1. c. 9. nu. 1.

An ad communicandum fidelem ob folam deuotionem Sacerdos poßit frangere hoftiam.

RESOL. XXXIV.

Negatiuè refpondet Zanardus in direct. confeffar. p. 1. de Sacram. Euchariſt. cap. 9. q. 15. & Graffius part. .lib. 2. cap. 38. num. 31. vbi afferit non modica pœna dignum effe Sacerdotem frangentem hoftiam, vt laicum communicet, cum ipfe debeat recipere totam hoftiam ex cap. relatum, de confecrat. dift. 2. vnde ex incuria impreſſorum non benè fupradicti auctores fuerunt adducti pro affirmatiua fententia in mea refol. 17. trac. de celebrat. Miffarum.

His tamen non obftantibus contrarium docui in dicta refolutione; nempè poffe Sacerdotem frangere hoftiam pro communicando fideli, ob folam deuotionem, & multos DD. adduxi quibus nunc addo Antonium de Litteratis in fumma, part. 2. c. 22. num. 10. & alios quos citat; & fequitur Ioannes Sancius in felectis difput. 26. n. 21. vbi fic afferit. Aliquoties accidere poteft, non fuiffe confecratas paruas hoftias, Hifpanè formas, quas fufcipiant communicaturi, fciat Sacerdos ei non effe vetitum partem hoftiæ diuidere ad communicandum fidelem quolibet die velit ob folam deuotionem; nec in hoc efficitur iniuria vel irreuerentia facrificio, quia ficut participes fiunt adftante fructuum fpiritualium illius, fic meritò & fiunt fructus reales realiter hoftiæ fufcipiendo partem. Ita Sancius, qui etiam refpondet ad canonem, quem adducit Graffium, nam ibi folùm decernitur deteftabilem effe confuetudinem quorundam Sacerdotum plurimas eodem die celebrantium Miffas, non tamen in omnibus facram hoftiam fumentium, fed tantùm in poftrema facrificatione, fed hoc diuerfum eft ab affertione noftra. Ergo, &c.

An fufcipiens Euchariftiam in peccato mortali, & qui facit in quadragefima confeffionem inualidam, committat duplex peccatum in confeßione explicandum.

RESOL. XXXV.

Ad hanc quæftionem refpondent Petrus Fay de pœnis. in addit. 3. part. 3. difp. D. Tho. q. 4. art. 3. difp. vnica concl. 2. fic dubitabit aliquis an fumens Euchariftiam in peccato mortali fine præuia confeffione committat duplex peccatum mortale vnum impœnitentiæ contra præceptum confitendi ante communionem, aliud facrilegij contra dignam fufceptionem Euchariftiæ. Affirmant aliqui, & fatis probabiliter propter violationem duplicis fpecialis præcepti, quæ contingit in cafu pofito: probabilius tamen opinor vnicum tantùm effe facrilegij contra dignam facramenti fufceptionem. Et ratio eft, quia vbi eft vnum propter aliud, ibi eft vnum tantùm: fed qui non præmittit confeffionem ante fumptionem Euchariftiæ, ideò tantùm peccat, quia, per illius omiffionem indignè Sacramentum fumit, quod fi fumere non deberet, neutiquam confiteri teneretur, vt fupponimus. Ita Fay, & ego hanc fententiam alibi etiam docui, & nouiffimè illam docet Turr. de pœnitentia qu. 6. art. 5. difp. 21. dub. 1. Igitur cum duo præcepta fimul occurrunt, & vnum obligat tantùm ratione alterius: vt eft in cafu noftro, violatio vtriufque eft vnicum folum peccatum, ideò dicendum quod fi quis omittat confeffionem, quando neceffaria eft folùm ratione Euchariftiæ fufcipiendæ, non peccat contra præceptum affirmatiuum confeffionis, fed contra præceptum fufcipiendi dignè Euchariftiam.

Ex his etiam fequitur, vt benè obferuat Fagund. præc. 2. lib. 3. c. 5. n. 8. quod qui tempore præcepti Ecclefiaftici in quadragefima fecit confeffionem inualidam, peccat contra præceptum diuinum de integritate confeffionis, & contra præceptum Ecclefiæ annualis confeffionis, & tamen vnum tantùm peccatum committit, quia præceptum Ecclefiæ fubordinatur præcepto diuino; fic etiam qui occidit clericum, peccat contra ius diuinum contentum in 5. præcepto Decalogi, & contra ius canonicum, & ius ciuile, & tamen vnum tantùm peccatum homicidij & facrilegij committit; qui ius ciuile & ius canonicum, in hac prohibitione fubordinantur iuri naturali. Vide Henriquez lib. 2. de pœnit. c. 5. num. 6. Medinam in p. 2. quæft. 109. art. 4 tandem, concl. 3. Sotum in 4. dift. 18. q. 2. art. 4. Caietanum p. 2. qu. 72. art. 6 ad 2. & alios

An fi fors erit vnum horologium poßet quis comedere in media nocte, donec aliud fonuerit, & die fequenti communicare.

RESOL. XXXVI.

Affirmatiuam fententiam docuit Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. difput. 41. n. 4. aduerfus quem nouiffimè infurrexit Emanuel Rodriquez in noua editione fuæ fummæ, tom. 1. cap. 105. num. 6. vbi afferit. [Y que oyendo la media noche efta comiendo, y beuiendo, no puede comulgar el dia figuente pues el precepto de no comulgar auiendo comido obliga, aunque efte en duda fi es media noche, proque otros reloxes fonaron defpues

spues. Esta conclusiones contra Thomas Sanchez, el qual dize si despues sonare otro relox puede comulgar, attento que son como vnas probables opiniones, y cada vna se puede seguir, a loqual respondo que en este precepto de celebrare en ayunas no nosauemos de atarà probabilidades.] Ita Rodriquez, & ante illum docuit etiam hanc sententiam Ioãnes Salas in p. 2. D. Th. tract. 8. disp. vnica, sect. 25. num. 264.

Sed mihi his non obstantibus placet magis opinio Sanchez, quidquid asserant Rodriquez, & Salas. Dico, quod si diuersa sint horologia, & aliquorum sonuerit hora duodecima, aliquorum non sonuerit, potest qui tunc soluit ieiunium naturale, cõmunicare die sequẽti, & siue illa dies, siue sequens sola sit ieiunij, poterit dubitans cęnare, & edere carnes, perinde ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi, & amplecti. Neque enim teneor ego sequi vnum horologiũ, nisi fortè antecedenter illud assumpserint ad ieiunium ordinandum, iuxta illius horas. neque etiam in hoc casu, si vnum aliquantulum post aliud subsequenter sonuerit, illius horas sequi teneor; & ita hanc opinionem præter Sanchez tenet etiam Fagundez de precep. Ecclesiæ, præc. 4. lib. 1. cap. 1. num. 3. Sancius in selectis, disp. 42. num. 1. 8. & Villalobos in summa to. 1. tract. 1. diffic. 21. num. 7. vbi sic asserit. [Si ay diuersos relojes, se ha de iuzgar como si huuiesse dos opiniones probables, que puede eligir la que quisiere, saluo si vno dellos fuesse tal que de ordinario no anduuiesse bien concertado.] Sic ille. Ad argumentum verò Rodriquez respondeo, quod quando quis operatur cum opinione probabili, vt est in casu nostro, non operatur irreuerenter circa sacramentum.

Notandum est verò hic cum supradictis Doctoribus, quod si tantùm sit vnum horologium, vbi cępit sonare duodecima, aliquis biberet, licèt quando sonaret vltimus pulsus desisteret bibere, non poterit die sequenti communicare, quia quando primus pulsus horæ auditur, iam est hora expleta, & horologium est tãtùm testis id indicans; & licèt diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsu hora duodecima indicari; sicut vno pulsu hora prima indicatur. Ex quib. infert Sanc. vbi sup. disput. 42. n. 20. quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis tenetur incótinẽti de ore eijcere buccellam, si die sequenti sacramentum Eucharistiæ velit sumere, vel Missam celebrare, postquam verò buccellam eiecerit, nõ tenebitur esse nimis anxius ad abluendum os. Si tamen masticat buccellam de materia carnis, & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam sub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum positiuum obligat se moto contemptu. Ita Sancius.

An si reliquiæ cibi præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, sponte, & voluntariè deglutiantur, impediant communionem?

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuè respondet Gabriel Vasquez in 3. par. tom. 3. disput. 11. cap. 3. num. 30. vbi ita. si reliquiæ cibi non deglutirentur casu, sed ex industria. impedirent sumptionem Eucharistiæ, quia cum de industria deglutirentur, non sumerentur per modum saliuæ, sed per modum cibi. Filliucius to. 1. tract. 4. ca. 8. num. 236. sic asserit. Qui reliquias cibi ex cœna remanẽtes casu traijcit, nec etiam frangit, si tamẽ aduertantur, antequã deglutiantur, debent expui, quia tunc viderentur de nouo comedi; idem docet Nugnus in 3. par. to. 1. q. 80. art. 8. Ita loquens; Colligitur, quod si reliquiæ cibi remanẽtes in ore ex intẽtione trãsglutiantur, sunt impedimẽtum ad communionem pro illo die; imò videtur mihi, quod si remaneat aliqua notabilis, & magna reliquia, etiamsi casualiter transglutiatur, si posteà cognoscatur, est homo impeditus ad communicandum pro illo die. Sic Nugnus, & ante illum Paludanus in 4. dist. 8. q. 2. art. 2. concl. 2. & videtur apertè sententia D. Thomæ in 3. part. quæst. 80. art. 8. ad 4. & in illam inclinat Layman in theol mor. lib. 5. tract. 4. ca. 6. num. 18. Et ratio (vt dictum est) erit. Primò, quia talis actio videtur noua comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed noua actio voluntaria fiat. Secundò, quia iam non videtur id sumi per modum saliuæ; vide etiam Fagundez, Suarez, & alios vbi infra, Barthol. ab Angelis in exam. confess. dial. 4. §. 214. Reginaldum tom. 2. libro 29. capit. 6. numer. 119. & Murtinum in theol. mor. de Sacram. Eucharist. quæst. 10.

Sed si aliquis voluntariè tales reliquias deglutiret; & posteà communicaret, non damnarem de peccato mortali, nam contraria sententia videtur probabilis, vt visa est Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 68. sect. 4. qui citat doctissimum Tabienam; & illam tenet Henriquez in sum. lib. 8. capit. 50. num. 4. in Glossa littera V. & tanquam probabilem admittit etiam Ioan. de la Cruz in direct. conscient p. quæst. 5. dub. 4. conclus. 2. vbi sic ait. Item, quæ manent in ore ex extrema cęna, si casualiter, imò licet aduertantur, secundùm aliquos, non impediunt sumptionem Eucharistiæ. Ita ille. Vide etiam Molfesium in summa tom. 1. tr. 3. cap. 10. nu. 13. Pitigianum in 4. tom. 1. dist. 18. quæst. 3. art. 3. Chamerotam de Sacram. tr. 4. cap. 10. dub. 9. & Rodriquez in summa, tom. 1. cap. 103. num. 3. vbi ita asserit. (Por tragat vno vna reliquia de manjar que le quedo entre los dientes, no queda impedido para comulgar, porque esto no se traga por modo de manjar, sino por modo de saliua, pero si la reliquia fuere tal que se parta entre los dientes tragandose no podra comulgar.) Et Coninch. de Sacramentis quæst. 80. art. 8. nu. 47. pro hac sententia duas adducit rationes. Prima, quia deglutitio talium reliquiarum pertinet potius ad manducationẽ præcedẽtis diei, quã præsentis, deinde cum dictæ reliquiæ hodie nullo modo ab extrinseco ori imponantur, non sumuntur iã per modum cibi, sed per modum saliuæ. Ergo non impediunt communionem, etiamsi voluntariè deglutiantur. Sed his non obstantibus consulendum est dictas reliquias, quantum commodè fieri potest, ex puere.

Notandum est tamen hic obiter, quod si quis aliquantulum aquæ per nares atrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus ad sumptionem Eucharistiæ, quia nõ sunt per modum cibi, aut per modum potus transmissa. Idem dicendum est, si quid per modum respirationis attrahatur, etiamsi possit nutrire, vel alterare, vt muscam, vel quid simile. Et ita docent Fagundez de præceptis Ecclesiæ præc. 3. c. 5. num. 14. & alij.

An si quis mane deglutiat chartam, cretam, frustulum ligni, aut quid simile non comestibile, possit Sacram Eucharistiam sumere?

RESOL. XXXVIII.

Hanc quæstionem ego discussi in tract. de celebrat. Missarum, resol. 52. & pro parte negatiua adduxi Henriquez, & Nugnum, quibus nunc addo Villalobos in sum. tom. 1. tr. 7. difficult. 39 num. 1. Reginald. tom. 2. lib. 29. c. 6. num. 118. Naldum in summa, verb. Eucharistia, num. 10. & Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 18. & Scortiam de sacrif. Missæ lib. 2. cap. 7. num. 1. vbi sic asserit. Ieiunium ad sumendam Eucharistiam non tantùm Ecclesiasticum esse debet, sed etiam naturale, ita vt excludat, & cibum, & potum, & medicinam, resque cęteras etiamsi non nutriant, vt papyrum, &c.

Sed his non obstantibus, in dicta resolutione, sententiam affirmatiuam tenui, & adduxi Summam Coronam, & Ioan. de la Cruz, quibus nunc addo Ludouicum de S. Iuan. in summa p. 1. tr. de Eucharist. q. 7. art. 10. & Sancium in selectis disp. 42. nu. 23. vbi sic ait. Infertur etiam quod qui partum papyri, aut alterius rei non comestibilis deglutisset, possit communicare: solus enim cibus, aut potus impedit communionem. Ita ille, & hanc sententiam probabilem putat Ledesma in summa, to. 1. de Sacram. Eucharistiæ, cap. 23. concl. 4. ita asserens (Ay vna duda, si vno inaduertidamente traga vn poco de papel, ò de otra cosa, que no tiene razon de comer, ni de beuer, si el tal podra comulgar. En esta difficuldad alguno dizen, que si, por no ser manjar, y otros dizen que no, por que parece que en este caso tienen lugar derechos traydos. A esta difficuldad se responde, que ambas sentencias son probables, y se pueden seguir.) Sic ille, & ego.

An sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato?

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Didacus Nugnus in 3. par. tom. 1. quæst. 83. attic. 1. conclus. 6. & hanc sententiam, pro-

probabilem putat, licèt cōtrariam tanquam probabiliorem teneat Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part...... de sacrificio Missæ, quæst. 1. dub. 4. conclus. 11. vbi sic asserit. Probabile est hoc sacrificium remittere peccata venialia ex opere operato infallibiliter, & ita docuit Frater Garsias de Mondrago in nostro insigni collegio Sancti Gregorij Vallisoletani; sed oppositum est probabilius, nam idem videtur esse de peccatis venialibus, ac de mortalibus. Nam etsi sacrificium Crucis habeat dictos effectus ex opere operato, tamen ex voluntate diuina, varie per varia media applicatur; per sacramēta enim applicatur ex opere operato, & infallibiliter, non sic verò per sacrificia, Ita la Cruz.

Sed ego Nugno libenter adhæreo, nam sacrificium Missæ ordinatur de remittenda peccata, sed nō potest remittere mortalia ex opere operato. Ergo saltem venialia; deinde satis probabile est sacramentalia remittere venialia. Ergo à fortiori sacrificium Missæ, quia excellentius est.

Quidam infirmus antequam in mortis periculum incidit, sacram Eucharistiam ex deuotione sumpsit, quæritur an teneatur iterum communicare?

RESOL. XL.

Respondeo negatiuè cum Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 5. num. 4 vbi sic asserit. Si infirmus, vno, duobus, tribus, vel etiam octo diebus antequam in mortis periculum incidit, communicauerit, consulendum quidem ei est, vt iterum Eucharistiam per modum viatici accipiat, tamen ad id non obligatur, cum præceptum de Eucharistia ante mortem instantem sumenda secundum substantiam impleuerit. Ita Layman, & alij.

Sed plus addunt Caietanus verb. Communio; Armilla codē verbo, num. 4. & Emanuel Sà correctus à magistro Sacri Palatij verbo Eucharistia, num. 1. vbi sic asserit. Qui in Pasc ha communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu, non peccat mortaliter. Ita ille, licèt contrarium asserant Zambranus de cas. tempore mort. cap. 3. dub. 1. Syluius in 3. par q. 80. art. 11. quæritur 1. concl. 1. Laymā vbi supra, & Fagundez præc. 3. lib. 1. cap. 3. num. 8. qui malè pro sua sententia citat Emanuelem Sà, vt supra visum est.

Notandum est tamen hic obiter, D. Bonauenturam in 4. dist. 10. art. 3. quæst. 1. Paludanum dist. 9. quæst. 1. Caietanum in summa, ver. communio, Armillam eodem verbo, num. 4. Victoriam in sum. n. 8. Ledesmam, & alios docere non esse mortale omittere Eucharistiam in mortis articulo, nisi adsit contemptus: licèt contrarium doceat Richardus, Durandus, Gabriel, Sotus & alij, quos citat, & sequitur Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 19. q. 3. art. 7. & alij recentiores, quos ego sequor.

An si quis in Paschate Eucharistiam non sumpsit, teneatur posteà quam primum communicare.

RESOL. XLI.

Affirmatiuam sententiam docet Nugnus in 3. p. tom. 1. qu. 80. art. 11. diffic. 2. concl. 3. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 9. quæst. 3. art. 9. Fagundez præc. 3. lib. 1. c. 6. num. 2. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 40 quæst. 1. Coninch. de Sacram. quæst. 80. artic. 11. dub. 4. Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 70. sect. 2. Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 4. c. 5. num. 8. Graffius p. 1 lib. 2. cap. 58. num. 25. Syluius in 3 p. q. 80. art. 11. quæritur 4 & alij asserentes, quod qui in Paschate seu iusta, seu iniusta causa Eucharistiam non sumpserit, posteà cum primum commodè potest, communicare debeat, vt quanto diutius differat, tanto magis peccatum augeat. Et ratio est, quia non conceditur terminus annuus, vt tunc cesset obligatio, sed vt adimpletio non possit vlterius differri, sicut in contractibus quando statuitur tempus vltra quod non potest differri solutio, si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perseuerat.

Sed contrariam opinionem puto etiam probabilem esse; quā docent Sotus in 4. dist. 18. q. 1. ar. 4. Syluest. v. Eucharistia 3. quæst. 15. Tabiena ver. communicare, quæst. 7. D. Antonius p. 2. tit. 9. cap. 9. §. 3. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 8. punct. 4. Armilla ver. communio, num. 6. Medina in instruct. confess. lib. 1. c. 14. num. 42. Victoria in sum. q. 148. Ledesma 2. 4. q. 2. ar. 5. dub. 2. Io. de la Cruz in direct. cōscien. part. 2. de Sacram. Eucharist. q. 5. dub. 7. concl. 4. Tolerus lib. 6. c. 18. & Emanuel Sà ver. Eucharistia, nu. 7. vbi sic ait. Qui in Paschate transgressus præceptum, non communicauit, non peccat iterū mortaliter, si posteà nō communicet, semel enim tantùm id preceptum obligat; scilicet in Paschate, vt præceptum de confessione, semel solùm quolibet anno. Ita ille.

An qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam accipere non possit, teneatur præuenire tempus, & illam summere?

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent Syluius in 3. p. q. 80. art. 11. quæritur 3. Nugnus etiam 3. p. quæst. 80. art. 11. diff. 2. Fagund. præc. 3. lib. 1. c. 6. numer. 3. & alij Ratio est, quia præceptum communionis non limitatur ad tempus Paschæ ad tollendam obligationem ante istud, præuiso impedimento impediente illam.

Non reticeam tamen cōtrariam sententiam docere Pitigianum in 4. sentent tom. 1. dist. 9. q. 3. art. 9. Azorium tom. 1. lib. 17. cap. 41. q. 13. & alios: quia nec vsus Ecclesiæ id habet, nec ille, qui ieiunare tenetur & audire sacrum, tenetur anticipare tempus si præuideat futurum impedimentum, quo die proprio non possit Ergo &c.

Sed si quis stare vellet in prima opinione, quæritur an ita præueniens, non sequuto impedimēto tempore ab Ecclesia constituto, teneatur iterum communicare. Negatiuè respondeo cum Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. tr. de Eucharistia 3, p. 8. dub. 1. num. 10. Ratio est, quia ex capit. omnibus vtriusque sexus, licitum est de consilio proprij Sacerdotis extra Ecclesiæ tempus communionem differre quo casu communione extra tempus facta simpliciter satisfit Ecclesiæ. Ergo ex præsumpta voluntate eiusdem; Ecclesiæ, etiam anticipatio propter præuisum futurum impedimentum admittenda, est. Quo casu satisfactum simpliciter esse præcepto Ecclesiæ dicendum erit. Probatur consequentia. Fieret enim anticipatio in hoc casu de cōsilio cuiuslibet viri docti, & pij; at hoc præceptum Ecclesiæ substantialiter terminatur ad communionem intra annum faciendam, accidentaliter verò ratione congruentiarum ad tales, seu intra tales dies, quod ex textu conuincitur in dicto c. Omnis (Hi saltem in anno.) & ibi (ad minus in Pascha) quis enim illa verba ad substantiam præcepti, hoc verò ad præcepti circumstantiā non retulerit? Ergo hac anticipata communione, facta quidē ex voluntate adimplendi præceptū Ecclesiæ, quidquid sit postmodum de secuto accidentaliter impedimento, præcepto Ecclesiæ satisfiet, cessante dierum Ecclesiæ congruentia, propter congruentem etiam eorundem dierum anticipationem, quæ sanè facilius debet, quam dilatio admitti. Ita Fagundez, & ante illum Suarez in 3. p. to. 3. disp. 70. sect. 2. circa finem.

Sed plus addit Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 5. num. 9. vbi asserit, quod qui præuidit se in Paschate à Sacra communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire dūmodo intra eum annum semel communicauerit. Ita ille, quod est valdè notandum; vide etiam Coninch. de Sacram. q. 80. art. 11. dub. 4. concl. 2.

An qui in Paschate communicauit indignè, satisfecerit præcepto Ecclesiæ?

RESOL. XLIII.

Negatiuè respondet Syluius, in tertia parte quæstione 80. articulo vndecimo, quæritur 2. & alij; quia cum præceptum Ecclesiæ, sit quædam explicatio, & determinatio præcepti diuini, non est dubitandum, quod intendat præcipere communionem talem, qualem Christus præcepit, id est piam, & religiosam. Et ita hanc sententiam docet Nugnus etiam in 3. p. qu. 80. art. 1. diffic. 2. dub. vlt.

Sed ego affirmatiuam sententiam probabiliorem esse iudico; quia Ecclesia nihil aliud præcipit, quam vt in Paschate corpus Domini sumatur. Ergo licet communicans indignè sacrilegium faciat, tamen quo ad substantiam, implet præceptum Ecclesiæ. Et ita docent Fagundez præcept. 3. lib. 1. capit 6. numero 4. Pitigian. in 4. tom. 1. dist. 9. quæst. 3. art. 10. Azor.

tom. 1.

to.1.lib.7.c.41.qu.12. Lopez in instruct.par.1.cap.11.§.reuocari Sotus de instit.lib.2.quæst.3.art.10.Suarez in 3.p tom.3 disp.70 sect.2.& alij,quos citat & sequitur Villalobos in summ. tom.1. tr.7.diffic.42.nu.6.vbi sic asserit. Aunque vno comulgue estando en pecado mortal,y peque en ello,cumple con este precepto La razon es,porque la ley que manda hazer alguna cosa, manda la substancia,y no el modo,y assi el precepto del Baptismo se cumple, aunque sea en pecado mortal y fauorece esto el estilo de la Iglesia,que no obliga à bolver a comulgar alque desta manera comulgo.)Igitur qui indignè in Paschate Eucharistiam sumpsit, satisfecit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur statim agere pœnitentiam, & iterum communicare; vt Doctores contrarij sentiunt.

Quanam temporis intercapedo habenda sit inter vnam, & alteram communionem,vt infirmus possit communicare non ieiunus?

RESOL. XLIV.

IN resol.77.tract.de celebrat.Missarum,dixi sufficere sex dies sed plus addit Paulus Layman in theol.mor.lib.5.tr.4.c.5.n. 20.vbi sic asserit. Eucharistia ob mortis periculum si sumpta sit à non ieiuno, posse iterum ita accipi saltem post sex dierum interuallum docent aliqui:quinimo existimo ob iustam causam, puta,si aliquis assuetus frequenter cõmunicare, aut sacrificare propter deuotionem,ac desiderium,difficile abstineat,permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum Sacram. Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus,dummodo mortis periculum instare videatur Ita Layman.Sed post hæc scripta, inueni Ludouicum de S.Iuan.in summ tom.1. qu.7.art.10.diffic.4. de Sacram.Eucharist.sic asserere. Siendo yo Prelado daua à los enfermos el viatico, si lo pedian cada tercera dia, y en la Vniuersidad de Alcala se sabia, y la approbauan, sino el Padre Vasquez.)Ita ille, vbi etiam notat dictum Gabrielem Vasquez,tandem in hanc descendisse sententiam,quod est valdè notandum contra illos, qui nixi auctoritate Vasquez negant viaticum sæpius dandum infirmis.

Notandum est etiam cum Henriquez li.8.c.4.in Glossa littera V.quod si quis proximè ante medium noctis cœnauit, in Dominica,incidête in vigilia Natiuitatis Domini,posse statim post medium noctis sacrificare.& cõmunicare.Deinde, licèt deceat aliquo tempore post sacram communionem à cibo,& potu abstinere,tamen ad id nemo tenetur sub mortali, & ideò pôt quis statim sine graui culpa,de sacristia ad prandiũ accedere, vt docent Villalobos in sum.to.1.tr.7.diffic.39.nu.5.Sotus in 4.d. 12. q.1.art.8.Valentia.to.4.disp.6.q.8.punct.3.ver. postrem. & alij.

An Sacerdos finita Missa si in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in patena,vel calice,possit illud sumere?

RESOL. XLV.

HIc casus frequẽter potest accidere,& ideò negatiuam sententiam sustinendam esse puto,nam hoc licitum erit dum Sacerdos in altari persistit, quia tunc eiusmodi reliquiarũ assũptio refertur ad vnum idemque cõuiuium,& sacrificium, quod planè absolutum non censetur,dum Sacerdos in altari manet, secus autẽ si ab illo decesserit,vt est in casu proposito. Et ita docens Layman in theol mor.lib.5.tr.4.c.6.nu.22.Coninch.de Sacram.q.80.ar 8.nu.64.Suar.in 3.p to.3.disp.68.sect.6.Villalobos in sum.to.1.tr.7.diffic.39.num.16.Io.de la Cruz in direct.consc. p.2.de Sacram.Eucharist.q.3.dub.4.concl.3.Fagundez pr.3.lib. 3.cap.5.num.4. vbi sic ait. Existimo non posse Sacerdotem per se loquendo prædictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit,quia iam expleuit perfecitque ministerium suum,secus tamen esset ex accidenti, quando illæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia, in ea enim circumstantia non solùm reliquiæ præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum absumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno,etiam postquam à multo tẽpore ab altari recessit. Ita ille, & ego, Igitur pro praxi dicendum est,quod si in Ecclesijs, vbi plures successiuè celebrantur Missæ, aliquis Sacerdos in sacristia inueniat in calice verbi gratia aliquod fragmentum; tunc alius Sacerdos ieiunus exiens ad dicendam Missam celebret in illo calice, vt fragmentum illud ieiunus accipiat: sin verò id accidat in aliqua Ecclesia,vbi vna Missa tantùm celebratur, & ibi non reseruatur Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus potest tale fragmentum accipere, quia illum reseruari sine maiori irreuerentia non potest. Notẽtur hęc pro praxi,quia forsitan apud neminem inuenies.

An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum alicuius non emendatum,si occulte petat Eucharistiam, sit illi deneganda?

RESOL. XLVI.

SI absit periculum infamiæ, esse in tali casu denegandam Eucharistiam docent Pitigianus in 4. sent. tom... distin. 9. qu. 1.artic.15.Fernandez de Heredia de Euchar.part.8. dub. 1. numero 3. Vasquez in 3. par. tom. 3.disp.299.capit.5.num.51.qui citat Alexandrum, Diuum Thomam, Durandum, & Ledesmam. Idem docent Suarez in 3. par. tom. 5. disput. 33. sect.6. numero 2. Victoria in summa,numer. 80. Tabiena verb. communio, §. 3. Angelus ver.Eucharistia 3. §. 20. Ratio est,quia sic consulitur, & sigillo, & Sacramento, sigillo, quia non reuelatur,cum occultè negetur, sacramento vero, quia non datur indigno.

Sed tu omninò contrariam sententiam tene, quam tuentur Valentia tom.4.disp.6.qu.8.punct.3. Nauarrus capit 21. numer. 55.Paludanus in 4.dist.9.art.1.concl.3.Coninch in 3. par.quæst. 80.art.6.Layman.in theol.mor.lib.5.tract.4.cap.6. num. 9. Sanchez de matrim.tom.1.lib.3.disp.36. nu. 14. D. Antoninus par. 3.tit.14.capit.11.§.2.Adrianus col 2.qu.3.Nugnus in 3.p. tom... quæst. 80.art. 7. diffic. 2. Syluester verbo Eucharistia 3 numero 7. Armilla verb. confessor.num.7.Henriquez lib.8.cap.59.num. 3.& Fagundez pr. 3. libr. capit. 10. num.23. vbi has adducit rationes: quia illa negatio quæ fit occultè, per accidens est quod sit occulta, cum de se sit publica, fit enim in occulto foro Pœnitentiæ, ad dirigendum actum humanum extremæ administrationis ipsius Sacramenti. Notitia autem confessionis vti non potest homo ad dirigendos actus externos alintum, Secundo finita confessione finitur Sacramentum,cuius sigillum ita obligat, ea finita, vt neque cum ipso pœnitente possimus amplius de illa loqui, nisi de speciali licentia illius: nec solùm loqui, sed nec etiam vultu, aut factis exprobare peccata illius possumus, quantumuis occultissimè id faciamus, nihil enim minus scimus,quam quod per confessionem scimus. Ergo nec etiam negare Eucharistiam, quantumuis occultissimè petat, cum ea negatio sit quędam exprobatio. Et tandem notitia confessionis nullum commercium habet cum actionibus publicis,quę enim confessarius via confessionis scit, scit vt Deus:& quãdo Eucharistiam negat,negat vt homo,quare vna notitia iuuare alteram non potest. Hæc omnia Fagundez. Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; negandum est enim, quòd in tali casu non frangatur sigillum confessionis, si non potest ostendi alia rationabilis causa.

An in casu extremæ necessitatis si minister idoneus non adsit possit laicus se ipsum communicare?

RESOL. XLVII.

NEgatiuam sententiam docet Bonacina de Sarcam. disput. 4. quæst 5. punct. 1. numero sexto. Zambranus de cas. tempore mortis, capit. 3. dubio 6. numero 6. & alij penes ipsos; quia non est ita necessarium sumere Eucharistiam tempore mortis, vt laicus possit propria auctoritate sibi illam ministrare.

At ego contrariam sententiam teneo cum Filliuc.tom.1.tractat.4.capit.9. numero 285. Suarez in 3. par. tom. 3. disput. 72. sect.3.Coninch.de sacramen.quæst.82.art. 3. numer.23.& Layman in theol.mor.lib.5.tract.4.capit 7. numero quarto, vbi sic ait. Si aliquis seu clericus, seu laicus in mortis art.constitutus, ministrum idoneum non habeat,à quo Eucharistiam sumat;nihil obstare videtur, quo minus se ipsum communicare possit (scandalo cessante) exemplo Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura,sacramentum Eucharistiæ quod secum habebat, proprijs manibus sumpsit.

Imò contra Fagundez præcepto tertio, libro tertio, capitulo primo, numero decimo. Syluestrum ver. Eucharistia 3. quæst. quarta, & alios, putant aliqui non solùm laicum posse in periculo mortis, si non adsit sacerdos idoneus, seipsum, sed etiam alios communicare. Et licet hæc opinio intolerabilis vocetur à Soto in 4. sent. distin. 23. quæst. 1. artic. 3. tamen mihi probabilis videtur cum Valentia tom. 4. disput. 6. quæst. 10. punct. 1. in fine, & illam docet nouissimè Layman vbi supra, & Coninch; nam id nec naturali, nec diuino Christi præcepto repugnat; neque vllus canon Ecclesiasticus reperitur, qui id prohibeat; quia capit. peruenit, distinct. secunda, de consecratione loquitur extra casum necessitatis. Nec valet Ecclesiæ consuetudo in contrarium. Nam respondeo, quod fieri potest longissimo tempore, licet hoc factum numquam fuerit, saltem, vt alijs innotesceret: non quòd hoc facere illicitum sit, sed quia casus ex se ipso rarissimus sit.

Notandum est tamen hic obiter, quod si magnum festum adsit, & Sacerdos sacrificare non possit, posse quidem cum tali casu, scandalo cessante, ex sacrario Eucharistiam accipere, & se ipsum communicare, si alius sacerdos non adsit, & hoc etiam præsente diacono. Ita Suarez, Layman, Coninch, & nos alibi.

An Sacerdos, si post introitum recordetur alicuius peccati mortalis, teneatur confiteri, si sine scandalo potest?

RESOL. XLVIII.

Affirmatiuè respondent Syluester verbo. Eucharist. quæst. 7 Nauarrus c. 25. nu. 76. Suar. in 3. pa. to. 3. disp 66. sect. 4. Coninch. de Sacram. q. 80. art. 4. dub. 1. & alij asserentes, quod si Sacerdos post cõsecrationem, recordetur peccati mortalis, debet elicere contritionem, & Missam prosequi, sin autem ante consecrationem, seclusa infamia confiteatur.

Non reticeam tamen contrariũ docere Sotum in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 6. Victoriam in summa Sacram. numero, 78. & Henriquez lib. 8. cap. 46. vbi asserit Sacerdotem Missam celebrantem, etiam si memor sit alicuius peccati ante consecrationem, non esse adstrictum confiteri, quamuis hoc commodè, & sine scandalo efficere possit. Igitur in tali casu Sacerdos eliciat actus contritionis, & ob reuerentiam sacrificij pergat, & ceptam Missam perficiat; sed mihi affirmatiua sententia probabilior videtur.

Notandum est tamen cum Syluestro loco citato, & alijs, quod in Missa solenni, vulgò dicitur cantata, si inter concionẽ, vel cantionem Sacerdos possit confiteri, omninò obligatus erit ad hoc faciendum, si ei aliquod peccatũ in mentem venerit.

Quidam Sacerdos in calice multas guttulas aqua infundebat, quæsiuit an ita faciendo toties peccauerit

RESOL. XLIX.

Respondi minimè, & adduxi Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 3. capit. 2. num. 9. vbi sic asserit. Non ita sollicitè, ac scrupulosè curandum est sacerdoti, vt aquam valdè modicam, vel vnam guttulam effundat (quod nescio an satis conueniens sit, præsertim si fiat cum sollicitudine, ob quam fieri possit, vt phantasia, & sensu deluso nihil omninò effundatur) sed plures guttas effundere potest, imò etiam octauam, vel decimam partem proportionalem. Ita Layman, vbi docet opinionem, quam noster P. D. Paulus Aresius Episcopus Dortononensis, vir doctissimus, & amicissimus, olim ante omnes neotericos publicè in nostris scholis tenuit, & posteà typis mandauit, in disputatione de aquæ transmutatione in sacrificio Missæ; nempe aquam in vinum non conuersam ante consecrationem immediatè in Christi sanguinem conuerti. Quam sententiam docet etiam Coninch. de Sacramento quæst. 74. artic. 3. dub. vnico, qui testatur Romæ publicè defensam anno 1606. & iterum anno 1608. Pes. in 3. part. quæst. 74. art. 8. disp. 2. Scott. de sacrificio Missæ, libr. 4. cap. 1. num. 13. Toletus lib. 2. capit. 25. num. 4. Iansenius in concordia, capit. 131. Petrus Sotus lect. 14. de Euchar. Alanus de Sacram. lib. 1. capit. 13. & aliquos affert Layman vbi supra, & noster Aresius sect. 7. Et hanc sententiam probabilem putant ipsimet aduersarij, vt patet apud Ledesmam vbi infra, in illis verbis (Esto es lo mas probable y que tiene mas aparencia,) quidquid in contrarium asserat Fernandez de Heredia dispur. de Sacram. baptism. p. 3. dub. 1. num. 9. Homob de exam. Eccles. p. 1. tract. 4. cap. 10. quæst. 86. Ioan. de la Cruz in direct. conscien. part. 2. de Sacramento Eucharistię, quæst. 1. dub. 3. concl. 2. Syluius in 3. part. quæst. 74. artic. 8. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 7. diffic. 7. numer. 5. Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 6. Nugnus in 3. par. quæst. 74. art. 8. Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 45. sect. 4. Valentia tom 4. quæst. 2. disp. 6. punct. 1. Azorius tom. 1. lib. 10. capit. 30. quæst. 3. Henriquez lib. 8. cap. 14. in Glossa littera D. Ledesma in summa, tractat. de Eucharistia cap. 8. conclus. 8. & alij, quos citat, & sequitur Fagundez præc. 3. libro 2. c. 4. num. 8. Pitigianus in quarta sententiarum tomo primo, distinct. 11. quæst. 7. dub. 5. Graffius tomo primo libro 3. consil. 3. numero 29. de celebrat. Missarum, & Hyacintus Petronius in opusc. de necessitate præconuersionis aquæ in vinum, capit. 12. per totum. Vide etiam Reginaldum tom. 2. lib. 29. capit. 2. numero 27.

Sed hic obiter in gratiam curiosorum ponam pulchrum dubium stando in hac opinione, an si fiat conuersio aquæ in vinum in illo medio tempore, in quo profertur forma, prolatis tamen illis verbis, Hic est calix: si tunc illa pars vini, quæ fit ex aqua, conuertitur in sanguinem Christi. Pater Suarez vbi supra in tertia parte tomo tertio. disput. 45. sectione quarta negatiuam sententiam docet, quia illud pronomen Hic, ostendit materiam præsentem: sed illa pars non est præsens, nec vinum, in illo instanti, in quo profertur illud pronomen. Ergo deinde si alia materia adduceretur de nouo, & fieret præsens in illo medio tempore, non consecraretur. Ergo neque ista, quoniam minus est præsens res quæ non est.

Sed aduersus illum affirmatiuam sententiam tuetur Nugnus in 3. part. quæst. 74. artic. 8. in fine, & docet quòd talis materia maneret consecrata, quoniam intentio ministri, cum sit religiosa, refertur ad instans, in quo fit consecratio, sed tunc est illa materia præsens, & sufficiens. Ergo. Et ad argumentum Suarez respondent, quod etiam in illo instanti, in quo profertur illud pronomen, est illa materia moraliter præsens, quoniam suppositis dispositionibus erit præsens in minima distinctione temporis, & vt ait Aristoteles, quod parum distat vt fiat, nihil distare videtur. Ad confirmationem, quidquid sit de antecedenti, negat consequentiam, quia ibi est omninò per accidens, quod fiat præsens materiam in breuissimo illo tempore; in nostro autem casu suppositis dispositionibus, quæ ex natura rei ordinant conuersionem ad illud instans, est per se. Et hæc omnia Nugnus. Sed quia confessarijs speculatiua non ita placebunt, ideò ad alia practicabilia deueniamus.

Quam intentionem habere debeat Sacerdos nouiter ordinatus, quando cum Episcopo in Missarum solennijs concelebrat?

RESOL. L.

Hic casus frequenter accidit, relinquendo placita aliorum DD. ponam hic ea, quæ circa præsentem quæstionem docet doctus Layman in exam. theol. mor. libro quinto tractat. secundo, capit. 7. numero quinto, vbi sic asserit. Curandum est illi supradicto, scilicet Sacerdoti, vt non post alios verba consecrationis finiat, nam si alius quisquam absolutam consecrandi intentionem habens, ante alios ipsumque principalem sacrificantem Episcopum verba consecrationis finiat, solùs is cõsecrabit. Quod incommodum vt euitetur, monent DD. concelebrantes oportere habere intentionem conditionatam, videlicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis absoluant, non item si præueniant. Mihi verò magis placet cautio Doctorum monentium, vt noui Sacerdotes seruent generalem intentionem proferendi verba secundùm voluntatem Ecclesiæ, quia non desunt, qui existimant, illos verba consecrationis non dicere formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantùm recitatiuè, & materialiter in signum potestatis sibi concessæ; in quam sententiam valdè probabilem propendent Richardus, & Suarez. Hæc omnia Layman, vide etiam Caiet. in 3. part. quæst. 82. Henriquez libr. 8. capit. 18. numero 2. & Suarez tom. 3. disp. 61. sect. 4. & alios. Notentur hæc, quia multos scrupulos sedabunt.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

An pœnitens, qui non vult acceptare pœnitentiam, sit absoluendus.

RESOL. LI.

NEgatiuè respondeo cum Doctoribus, quos citaui in tr. 1. Miscell. Resol. 52. quibus nunc addo Comitol. in Resp. mor. li. 1. q. 35. per totam, vbi mordicus nostram sententiam probat.

Sed ibi etiam notaui aliquos Doctores affirmatiuam sententiam probabilem existimare, quibus nunc addo Fabrum lectorem primarium Sacræ Theologiæ in Academia Patauina de pœnit. in 4. sent. dist. 19. quæ. vnica, disp. 55. c. 10. n. 26. & seq. & Pharaontum tract. 1. de pœnit. sess. 22. cas. 10. vbi probant, quod si pœnitentia sit satisfactoria, & non medicinalis, seu præseruatiua posse pœnitentem illam non acceptare, modò habuerit animum satisfaciendi, vel viuens in hoc sæculo per indulgentiam, & bona opera, vel mortuus per pœnas Purgatorij; quia non adest præceptum de acceptanda tali pœnitentia. Addit tamen Faber vbi supra, num. 229. quòd licet hæc opinio sit vera, tamen in praxi non esset de facili ponenda in vsu, quia difficile est inuenire aliquem verè pœnitentem, qui bona fide confiteatur, adeò saxeum, vt nolit vel tantillum pœnitentiæ acceptare. Proinde si quis accederet, qui nollet vel exiguam pœnitentiam acceptare, esset multum considerandum, an haberet verum dolorem, & esset benè dispositus: qui enim nec ter Iesus dicere vellet, non videtur benè dispositus, & proinde ex hoc capite esset reiiciendus non autem quia teneretur ad acceptandam pœnitentiam. Quod si constaret probabiliter verè pœnitentem, & saltem attritum, neque enim ex hoc præcisè, quod non vult acceptare pœnitentiam, est in peccato mortali, quia conteritur de peccato, & vult puniri ab eo cuius est pœnam iustè infligere, certè non esset dimittendus sine absolutione Ita Faber, vide supradictam Resol. 52. & Vegham in summa, to. 2. c. 64. cas. 1. cum Estio in 4. sent. dist. 15. §. 20. qui hanc sententiá probabilem putat, nam contrariam vocat tantùm probabiliorem.

An inspirationibus diuinis non correspondere, sit peccatum, & benè faciant qui de hoc se in confessione accusant?

RESOL. LII.

HAec resolutio sedabit multos scrupulos, præsertim personis spiritualibus. Toletus l. 3. c. 2. nu. 6. asserit esse peccatum veniale non respondere diuinis inspirationibus, nec operari aliquod bonum, cum possit quis operari, licèt non obligetur ex præcepto.

Sed Sancius in selectis, disp. 7. num. 4. inquirit ab isto Doctore, si ex præcepto non obligatur ad operandum, quare omittendo operationem peccabit venialiter, cum etiam peccatum veniale contra præceptum fit, & non præter præceptum: vt ipsemet Toletus testatur.

Ideò tanquam certũ tenendum est, ait idem Sancius, nullum esse peccatum vocationibus diuinis ad consilia exhortantibus non respondere. Cum enim consilia sequi non sit sub præcepto, sed sub consilio, & non operari iuxta consilium, nullum peccatum sit, vt admittunt omnes, nec etiam nõ respondere vocationi ducenti ad consilium, peccatum veniale erit. Et hanc sententiam docet etiam Tannerus in p. 2. disp. 4. quæst. 10. dub. 4. numero 70. vbi in repugnantia diuinis inspirationibus nullam culpam inuenit.

Hinc colligitur, quòd quoties obsistitur ab hominibus inspirationibus ad sequendum consilia, vt quod efficiantur Religiosi, quod abstineant à curis sæcularibus, quod sint contenti quibus teguntur, ne sedulò quærant alimenta superflua, ne nimium solliciti sint de salute corporis, vt orent mentaliter, quod dignitates non appetant, &c. colligitur (inquam) non esse necessarium huiusmodi defectus non responsionis confiteri, cum peccatum minimè sit deserere consilia Euangelij. Aduertantque Confessarij, fideles monere nullum interuenire peccatum in huiusmodi non responsionibus circa inspirationes diuinas, ne ex conscientia erronea peccent. Et hec omnia Sãcius vbi supra, quod etiam procedere in Religiosis obseruat.

Notandò est etiam hic obiter cum eodem Sancio num. 11. quod transgressio inspirationis oblatę quando offertur occasio frangendi præceptum, non est distinctum peccatum à crimine transgressi præcepti. Sed an vt solent facere communiter pœnitentes, sit consilium manifestare Confessario in actu Sacramentalis confessionis supradictas resistentias circa diuinas inspirationes, negatiuè respondet loc. cit. Sancius, & disp. 1. n. 4. & seq. Nam licet secundùm se narrare aliquas imperfectiones causa humilitatis, & capiendi consilij sit vtilius, quàm ab illarum relatione abstinere; illas tamen sacramentaliter confiteri, & animo quo communiter à fidelibus in confessione recensentur, minus vtile est quia sacramentalis confessionis iurisdictio ad sola peccata se extendit. Narrare igitur vt absoluantur, quæ peccata non sunt, minus vtile est; fideles enim illiterati eo animo recensere decreuerunt, vt ab eis absolutione liberẽtur. Cum verè error hic sit, æquum erit confessarijs, pœnitentes monere, ne sacramentaliter, vel vt absoluantur, ea quę peccata non sunt, narrent. Hinc idem Sancius tenet, quod pęnitentes de multis crebrò se accusare solent, vt absoluãtur, quæ peccata non sunt. Et ideo.

Primò, pœnitens si examinationem sufficientem egisse bona fide arbitratur, & dolorem adducere (quamuis non egerit maxima examinatione,) quam possit, aut non adducat magis intensum dolorem non opus est huius defectus se accusare, quia ad moralem diligentiam solùm obligatur.

Secundò, pœnitentibus opus non est in fine confessionis dicere, me accuso & de omnibus ommissionibus; opere, verbo, & cogitatione, quia huiusmodi generalis accusatio imbibita est in specialium confessione.

Tertiò, pœnitentibus opus non est in fine confessionis dicere, me accuso de omnibus, quorum obliuiscor, quæ si in memoriam reuocarentur propalarem, quia huiusmodi propositum inclusum est in peccatorum accusatione.

Quartò, pęnitentibus opus non est se accusare non amasse Deum tota intentione actus, qua possent, quia in minima intensione impletur præceptum.

Quintò, pęnitentibus opus non est dicere, me accuso eo modo quo scit Deus me deliquisse, quia confessio facienda est iuxta conscientiam pœnitentis. Et hæc omnia Sancius in selectis disp. 1. nu. 8. 17. 19. 21. & 25.

Sextò, plures pœnitentes vxorati se accusant, quod tempore habitæ copulæ, vel extra verba amatoria, & impudica cum vxoribus proprijs fuerint colloquuti; quod tamen peccatum non est, quia illa honestantur matrimonio, sicut honestatur copula; idem Sancius disput. 6. num. 4.

Septimò, plures vxorati se accusant, quod in actu coniugij nimiam carnis delectationem fuerint experti, quod nequaquã peccatum est, quia id est naturale copulæ carnali. Idem ibidem nu. 5. Sed hoc vltimum aliquibus displicet, sicut etiam, & multa alia ex supra dictis, quia verò amicissimus vir illa constanter affirmat, ideò de illis alij iudicent.

An pœnitens propria auctoritate possit commutare pœnitentiam impositam a Confessario in euidenter meliorem?

RESOL. LIII.

NEgatiuam sententiam docent Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. c. 11. num. 56. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 7. c 8. num. 85. Henriquez in summa, lib. 5. cap. 20. num. 5. Coninch. de Sacram. disp. 10. dubio 12. num. 13. & Sancius in Selectis, disput. 14. nu. 22. sic ait. Ad secundum negamus posse pęnitentem mutare suam pęnitentiam in euidenter meliorem, cum non possit in se ipsum actum iudicij Sacramenti pœnitentiæ exercere.

Sed contrariam sententiam probabilem esse existimo, & pro illa in tract. 1. Miscellan. Resol. 53. adduxi Portel. in addit. ad dubia regular. ver. Pęnitentia sacramentalis, nu. 6. nunc. vero eandem sententiam sustinere inuenio Villalobos in summ. tom. 1. tr 9. dist. 79. nu. 1. vbi. sic asserit. (El mismo penitente puede conmutar la penitencia en otra mayor, bien que sea conocidamente mayor, en razon de satisfacion, y en razon de medicina. Y no obsta dezir, que el cõfessor le mando hazer à quella penitencia, porque le la manda hazer porque ordena su prouecho espiritual,

ritual, y si el le dixera que la queria comutar en otra obra que fuera conocidamente mayor bien en razõ de satisfacion, y medicina, es cosa muy llana, que lo deuia tener por bien el confessor, y an si la puede comutar el penitente por la pequeña.) Ita ille. Potest igitur, pœnitens propria auctoritate mutare pœnitẽtiam in euidenter meliorem, sicut potest votum.

Nec obstat dicere cum Reginaldo, & Henriquez vbi supra, quod est dispar ratio de commutatione voti, & pœnitentiæ, quia lex implendi pœnitentiam non à se, sicut voti, sed à confessario emanauit, quam legem ipse non potest tollere, nõ inquam, obstat: nam quoties quis abundantiorem solutionem offert pro debito quam esset ex lege adstrictus legem nõ soluit, sed abundantius implet. Nec censendum erit, nouam legem penitentem sibi auctoritate propria imponere, mutando pœnitentiam, nec actũ iudicii exercere, & iurisdictionis, sed vberius implere legem à confessario impositam Ergo &c. Hæc opinio est probabilis (vt dixi) licet contraria sit probabilior.

Notandum est etiam hic contra Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 10. num. 16. posse simpliciter Sacerdotem ex iusta causa mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ iam fuerunt legitimo Confessario confessa. Et ita docet Sancius in select. disputat. 14. num. 13. vbi num. 17. notat etiam, quod Confessarius non tenetur, commutare pœnitentiam à se vel ab alio iniunctã, si nolit; nisi adsit periculũ fractionis in pœnitente, vel maxima afflictio, & cordis angustia, quod etiam dicendum est de commutatione voti, si illud nolit Confessarius commutare, quid quid in contrarium afferat Sanchez in summa, to. 1. lib. 4. capit 54. num. 12.

Sed circa præsentem materiam de commutatione pœnitentiæ iniũctæ, vide nostram resolut. 53. tract. 1. Miscell. vbi probauimus posse Confessarium ex iusta causa commutare pœnitentiam, etiamsi fuerit data super peccata reseruata, & etiam non iterata priori confessione, dummodo hoc efficiat in sacramentali confessione, & nõ extra. Quod si commutaueris idem Confessarius, poterit quidem extra confessionem, si ad plurimũ intra hebdomadã pœnitens redeat. Hæc omnia in dicta resol. satis aduersus aliquos probata sunt, lege illam, & non pigebit.

Nota tamen, quod licet (vt diximus) Confessarius nõ possit commutare pœnitentiam extra cõfessionem, tamen docet Sãcius in select. disp. 15. num. 13. quod Confessarij non reminiscẽtes penitentiæ impositæ, ob vitandam molestiam fœminarum oblitarum penitentiæ, & postulantium aliam iniungi, possunt designate aliquod opus ab illis agendum, non animo, intimandi pœnitentiam, cum id extra cõfessionem nequeant, sed vitandi preces importunas earum, quæ si contentæ essent, quod illis diceretur, age quod volueris: satius esset, eo quod sic operando materia scrupuli eis non offeratur infringẽdo id, quod sub pœnitentia esse iniunctum arbitrantur. Hæc Sancius.

An Confessarius licitè imponat sub pœnitentia officium, v. g. mortuorum, vel alias orationes recitandas pro animabus Purgatorij?

RESOL. LIV.

CVriosa est hæc quæstio, & in praxi sepiùs à multis exercetur. Sed negatiuè respondent Vegha in summ. tom. 2. c. 64. cas. 4. & Sancius in select. disput. 16. numer. 1. vbi sic afferit. Mos est plurimis Cõfessarijs iniungere sub pœnitentia nocturnum de functorum Psalmos, vel responsoria recitanda à pœnitẽtibus pro animabus in purgatorio existentibus. Recte tamen non procedunt: nam Sacramentum Pœnitentiæ ad remissionẽ culpæ, & pœnæ penitentis est institutum, & vt satisfaciat pro pœnis debitis, pars illa integralis (satisfactio videlicet) est ordinata contra naturam. Igitur huius institutionis erit partem satisfactoriam iniũgere, quæ pro penis debitis pœnitenti nõ prosit, sed alijs, & idem est partem satisfactoria pro alienis penis iniungere, atque nullam satisfactionem imponere. Ita Sancius, qui soluit omnia argumenta, quæ in contrarium adduci possunt Nec te fallat (ait) cũ legis in Sãchez de matrim. lib. 8. disp. 34. numer. 41. dispensantem in foro conscientiæ in voto religionis; vel caritatis, posse iniungere sub pœnitentia recitare oratione Dominicam, & Angelicam pro animabus purgatorij, nam ibi loquitur de pœnitẽtia in foro secreto iniuncta, non autem de pœnitentia sacramẽtali; & est dispar ratio inter forum interius & forum sacramentale. Nec valet dicere, quod Confessarij iniungentes aliquas orationes, pro penitentia offerendas pro animabus Purgatorij, tantum intendunt valorem impetrationis illis applicare. Nam respondeo, quod directè non prodest animabus talis penitentia, vt probat Sancius nu. 12. adde quod Confessarii tales pœnitentias iniungeores, nunquam id cogitant. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, post hæc scripta inueni Turrianum virum doctissimum de pœniten. disp. 37. dub. 4. contra Sancium docere affirmatiuam sententiam, nempè posse imponi pœnitẽti pro satisfactione sacramentali, opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, lege illum, & non pigebit.

Quis habuit pœnitentiam recitandi septem Psalmos per aliquas sextas Ferias flexis genibus coram Crucifixo, quæritur an impleuerit pœnitentiam recitando dictos Psalmos aliquo tempore sine illis circumstantijs.

RESOL. LV.

AD hunc casum respõdet Vegha in sum. to. 2. cap. 64. cas. 6. vbi sic asserit (Vn Cõfessor dio à vn penitente en penitencia, que tantos viernes delãte de vn Crucifixo rezasse de rodillas los Psalmos penitẽtiales, el no los rezo de rodillas, ni en viernes, ni delante de vn Crucifixo, sino en otro tiempo, y lugar:) quæritur an pœnitentiæ satisfecerit. Respondeo, quæ (aunque le fuera de mayor merecimiento el cumplirla, como le fue impuesta, quæ con todo esse satisfizo la razon es, porque en la penitencia lo principales cumplirla, y no la circumstancia del lugar, ò tiempo en que se hà de cumplir, con lo qual se puede consolar à muchos.) Ita Vegha, &c.

Sed quis potest dicere, quod recitare septem Psalmos flexis genibus à pœnitentibus, non est quid accidentale, sed substantiale, facilius enim aliqui recitabunt bis septem Psalmos, quam semel flexis genibus. Et confessarij, qui talẽ iniungunt pœnitentiam semper intendunt, vt penitentes sentiant illã corporis afflictionem recitando flexis genibus, quæ quidẽ videtur res grauis. Ergo, &c.

Ad qui ministrat Sacramenta Pœnitentiæ Baptismi, &c. cum excommunicatione minori peccet?

RESOL. LVI.

PEccare mortaliter docet Vasquez in 3. part. tom. 4. tr. de excommunic. dub. 3. num. 4. tum ex capit. si celebret; de Cler. excomm. tum ex iure diuino; supposita enim excommunicatione in aliquo: irreuerentia grauis erit ita sacramenta ministrare.

Secunda opinio putat esse in tali administratione tantũ peccatum veniale, & ita docent Couarruuias in cap. alma mater, par. 1. §. 8. num. 2. Sotus in 4. sent. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Auila de censur. par. 2. c. 6. disp. 12. dub. 3. Medina in summ. lib. 1. cap. 11. §. 6. Sayrus de cens. lib. 2. c. 12. num. 17. Coninch. de sacram. disp. 14. dub. 17. num. 164. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 32. cap. 14. nu. 242. & alij.

Sed his non obstantibus aliqui docent, ministrantem sacramenta cum excommunicatione minori nullam culpam venialem committere. Et ita tenet Filliucius nouissimè tom. 2. tract. 13. cap. 2. num. 24. qui respondet ad cap. si celebret, idem docent Henriquez lib. 13. capit. 5. num. 5. & alij; non videtur tamen à priori sententia recedendum, cum in textu expressè dicatur quod peccet.

An in mortis articulo seu periculo possit quilibet Sacerdos absoluere à censuris, & reseruatis?

RESOL. LVII.

REspondeo affirmatiuè ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. cum communi Doctorum sententia, & sub nomine Sacerdotum in hoc casu comprehenduntur non approbati, & expositi, item suspensi, irregulares, degradati, excommunicati, ac non tolerati, & contra Nauarrum cap. 26. num. 26. etiam hæretici cessãte periculo peruersionis, & ego, vt alibi dixi, puto probabili-

babiliter simplicem Sacerdotem posse in tali casu etiā præsente Parocho, à reseruatis infirmum absoluere. Sed difficultas est pro praxi, quo tempore in periculosa infirmitate possit Confessarius à reseruatis absoluere? Respondent Doctores, non esse intelligēdum vltimum vitæ spatium, sed quoduis etiam probabile mortis periculum. Sed hæc respōsio adhuc manet in generalitate, itaque Sāctius in select. disp. 12. n. 5. docet absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ vt doloris lateris, tabardilli, &c. Ita ille.

Notandum est tamen hic, quod ex Corduba Sanch. in to. 1. lib. 2. cap. 12. num. 13. putat quoad periculum mortis hanc sententiam procedere, quando videlicet quis non propria sponte, sed ex causa vrgente, seu morali necessitate coactus, tale periculum adeat. Sed hęc limitatio displicet Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 6 cap. 12. num. 13. & mihi, quia alij DD. de illa non faciunt mentionē: absolutè enim docent posse Sacerdotes non solùm in articulo, sed etiā in probabili periculo mortis à reseruatis absoluere. Deindè ratio cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatem tribuat, est, quia peccator in tali casu, tum iure diuino, tum positiuo, tum etiam naturali charitate erga seipsum ad confitendum obligatur, quæ ratio obligationis çquè locum habet, & si aliquis sine necessitate, sed propria sponte periculum mortis adeat, v. gr. in bello iusto, maris longa nauigatione, &c. Non est ergo admittenda limitatio Sanchez.

An quis licitè possit absoluere pœnitentem, qui peccata reseruata habet cum onere, vt ea sola postea superiori confiteatur?

RESOL. LVIII.

Negatiuè (seclusa aliqua necessitate) respondet Coninch. de Sacram. disput. 8. dub. 13. concl. 3. num 105. & communiter neoterici, quia quod in hoc Sacramēto requiratur necessario integra peccatorum mortalium confessio, non tam est propter integritatem confessionis, quam propter integritatem absolutionis, quam nullo modo docet dimidiari sine grauissima necessitate, sicut peccatorum dimidiata remissio, numquam fieri potest in tali autem casu dimidiatur directa absolutio; ergo, &c. Deinde in tali casu non sola absolutio, sed etiam confessio dimidiatur. Nam cū talis confessor non sit legitimus Iudex peccatorum reseruatorum, eo casu non fit integra confessio Iudici competenti; quod tamen ad integritatem confessionis est necessarium.

Secunda sententia affirmat, & ita docet Syluester, Nauarrus, Toletus, & alij, quos nouissimè citat, & sequitur Hieronymus Pharaonius de Sacram. Pœnit. sect. 18. cas. 4.

Sed Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 7. c. 12. num. 11. media via incedit, sic enim asserit. Si pœnitens bona fide ad confessionem venerit, vel quia nesciuit tale peccatum superiori reseruatum esse, vel tamen si sciuerit, existimauit tamen legitimè se ab inferiori Sacerdote absolui posse, cum obligatione postea tempore opportuno se præsentandi Prælato: in hoc casu, arbitror plerumque absolutionem dari posse, modò pœnitens præter reseruatum aliud peccatū absolutioni subijciat. Ratio est, partim quia aliqualis necessitas vrget, siquidem pœnitens ægro animo discedet absque absolutione, cum ex sua parte benè dispositus sit, partim quia graues DD. absolutè docent, quod Sacerdos pœnitentem, qui peccata reseruata habet, absoluere possit cum onere, vt ea sola superiori postea confiteatur, & ab alijs directè absoluatur; excipe nisi excōmunicatio annexa sit. Ita Layman. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed prima mihi magis placet.

An licitum sit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel alia à ministro malo, sed parato ministrare?

RESOL. LIX.

Affirmatiuam sententiam docet Ledesma in summa, to. 1. cap. 6. de Sacram. in genere, dub. 11. conclus. 10. vbi sic ait. [Licito es recebir los Sacramentos del ministros, aunque se a muy malo, y descomulgado, si es tolerado de la Iglesia, y el por otra parte esta aparejado para administrar los Sacramētos, por que es licito vsar del pecado ageno para proprio comodo y vtilidad, quando el pecador esta aparejado, como se ve claramēte en el vsurero aparejado à dar vsuras, que es licito pedir los dineros à vsuras. Esto se confirma, porque en este caso cessa la razon del escandalo, y no es inducirle à pecar, porque el se esta aparejado para esso; y aunque el tal quando actualmente administra peca mortalmente, el tal pecado ya lo tenia cometido como en virdud, pues està aparejado para administrar los Sacramentos.] Ita ille.

Sed hanc opinionem ita absolutè prolatam nō admittit alius Hispanus, & ideò sic asserit Villalobos in summ. tom. 1. tract. 4. diff. 15. num. 4. [Licito es recebir el Sacramento del ministro, que esta en peccado mortal, y no es porque se esta aparejado para administrarle, aunque el ministro peque en la administraciō, mas ha se de limitar esta conclusion, que sea en caso de grand necessidad, porque si estuuiera otro Confessor no seria licito, porque se le da materia de pecar, y aunque dize Ledesma, que en este caso no seria pecado mortal, es falso, pues la materia es graue.] Sic Villalobos.

His tamen non obstantibus, non reticeam circa præsentem quæstionem hic apponere doctrinam præstantissimi Theologi Gregorij de Valentia to. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. vbi ponit tres casus. Primus, si minister sit per se paratus, & habeat alioqui potestatem. Secundus, si tibi tenetur Sacramentum conferre ex officio, quia est tuus Parochus. Tertius, si constitutus sit in necessitate. Et in quolibet istorum casuum docet, licitum esse percipere Sacramentum ab improbo ministro, seruatis tamen duabus conditionibus. Prima est, vt minister non sit impeditus per censuram. Secūda, vt nunquam quis ab improbo ministro sic accipiat Sacramentū, vt etiam illum directè inducat ad Sacramentum ministrandū malè. Concurrentibus igitur his duabus conditionibus, & aliquo ex prædictis tribus casibus semper licebit Sacramentum recipere ab improbo ministro, atque etiam petere; dummodo animus tantùm sit petere, & accipere ab altero id officium, & ministerium, quatenus ab illo exerceri possit sine peccato. Hæc omnia Valentia, qui cum Ledesma concordare videtur.

Notandum est etiam Cabreram in 3. p. de Sacram. q. 64. ar. 6. disp. 2. §. 4. n. 10. docere, quòd quādo quis ex iusta, & rationabili causa petit Sacramētum, posse illud petere à quocunque ministro malo, dummodo sit paratus, & hoc extra casum necessitatis vnde n. 24. sic ait. Quando virtute alicuius Iubilæi, aut priuilegij conceditur facultas eligendi Confessarium, & plures sedent ad audiendas confessiones, quorum vnus, v. gr. Petrus, & concubinarius, tunc quamuis eligi possit alius Confessarius, vir probus, potest sine peccato eligi Petrus, qui si cæteris sit doctior, melius erit eum eligere, tamen si cæteris paribus sit peccatum veniale Petrum eligere, sed nunquam erit mortale, nisi esset tam publicus peccator, vt confessio illi facta, esset scandalum allatura. Ita Cabrera, & post illum Carthagena de Sacram. disp. 7. c... verb. 3. Sed circa præsentem dubitationem præter DD. citatos vide Coninch. de Sacram. q. 64. art. 8. dub. 5. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 18. sect. 2. & alios penes ipsos.

An qui dubius manet se perpetrasse aliquod peccatum, teneatur illud sub tali dubio confiteri?

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondent communiter DD. quos citant, & sequuntur Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 66. & 67. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 9. nu. 7. & alij asserentes, quod si quis post diligentem animi discussionem, dubius maneat an mortaliter peccauerit, ita vt in neutram partem assentiendo inclinare possit, teneatur peccatum illud sub dubio confiteri, & hanc opinionem ego teneo.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere secundùm Layman, vbi supra, Aegidium de Coninch. tract. 2. de Sacram. disp. 7. dub. 8. concl. 7. vbi sic asserit. Ad hoc vt peccatum teneat confiteri, requiritur vt saltem probabiliter possim iudicare me peccasse. Ita ille. Et ratio est, quia delictum præsumi non debet, & in nullo foro aliquis accusari debet de delicto, quod commisisse, ita ostendi non potest, vt data indicia, & coniecturæ assensum generent. Deinde per Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. tantùm exigitur à pœnitentibus omnia peccata mortalia post diligentem examinis discussionem recenseri. Ergo,

go &c. Et in hanc sententiam videtur inclinare Layman in theol.mor.lib.1.tract.1.c.4.§.4.nu. 37. saltem in confessionibus ordinarijs extra articulum mortis;sic enim ait.Si in decursu vitæ alia peccata sua,quorum conscientiam habet,cõfiteatur, tacito illo,de quo post diligentem excussionem dubitat,an commiserit,vel an fuerit mortale,tunc probabile apparet non incũbere eius confitendi obligationem, Non enim ex lege positiua Christi, & Ecclesiæ, habetur, quia esset nimis seuera obligatio accusandi se de iis, quæ commisisse se ignorat. Neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ;quando quidem, confitendo bona fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea,quæ ignorantur. Verùm in hac re nihil determino, sed aliorum iudicio committo, Ita Layman vbi supra,qui optimè hanc sententiam tenet in ordine ad scrupulosos. Nota tamen, quod Coninch.loco cit.loquitur de dubio negatiuo, & non ita absolutè,vt putat Layman,ideò tu cogita; nam ego, vt dixi,absolutè, affirmatiuam sententiam teneo.

An aqua benedicta deleat peccata ex opere operato?

RESOL. LXI.

Negatiuam sententiam docent Suarez in 3.p.tom.4.disput 12.sect.4.num.5. Villalobos in summa,tom.1.tra.4.diffic. 11.nu.4.Coninch.de Sacrament.q.71.art.3.dub.vnico,n. 24. & alij penes ipsos.

Sed affirmatiuã sententiam tenendam esse puto quam probabilem putat Filliucius tom.1.tract.6.cap.5. num. 129. & fortè probabiliorem Fagundez præc.2.li.2.cap.1.n.11. & illam absolutè docent Henriquez li.1.de pœnit.c.15.n. 8. Bellarminus to. 2.de Sacram.lib.2.cap.13.§.tertia propositio. Toletus li.3.c.3.in fine,& ex schola D.Tho.Sotus in 4.dist.15.qu.2.art.3. Canus de locis theol.lib.2.c. 13.ad arg.9. Victoria nu.99.& 100.nouissimè Didacus Nugnus in 3.p.to.2.q.87.art.3.diff.2. vbi sic asserit. Sicut sacramenta nouæ legis eleuantur à Deo ad causandam gratiam physicè,& realiter per verum cõtactum physicum realem, ad modum rerum naturalium, quia scilicet materia sensibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem cõtactu quantitatiuo,propter quod appellatur contactus virtualis,est nihilominus contactus realis, & entitatiuus, sicut Angelus verè, & realiter tangit cælum, quando illud mouet. Ita similiter aqua benedicta eleuatur à Deo,vt verè, & realiter tangat animam, tactu illo, qui appellatur virtualis,propterea quod non est quãtitatiuus, & nihilominus ille contactus,& realis & entitatiuus, quo medio aqua mouet ipsam animam, remittendo,& realiter corrumpendo veniale peccatum. Et sicut in adultis semper requiritur aliquis actus,vt Sacramenta causent gratiam;qui tamẽ actus, vel non est secundùm se sufficiens ad gratiam,vel saltem non est sufficiens ad tantam gratiam,quanta est illa,quæ causatur de facto in Sacramento. Et sic verum est,quod Sacramenta causant gratiã ex opere operato. Ita similiter licèt ad hoc,quod aqua benedicta remittat peccata venialia,semper requiritur aliquis actus,tamẽ vel actus non est sufficiens ad peccata venialia remittẽda,vel saltem non est sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittũtur per aquam benedictam. Et sic verificatur propriè, & rigorosè, quod ipsa aqua benedicta ex opere operato remittit peccata venialia; ad quod tamen non est necessarium, quod maneat in illa aliqua qualitas permanens,sed sufficit ipsa eleuatio diuina,quæ est motus transiens.Ita Nugnus vbi supra, quæ omnia debent in nobis excitare magnum desideriũ attingendi die, ac noctè aquam benedictam. Sed an idem dicendũ sit de alijs sacramentalibus, vide Nugnum loco cit. diff. 3. & Doctores citatos.

Quis incidit in peccatum, & non vult Confessario manifestare tunc illud commisisse, sed cum ipso facit confessionem generalem, & inter alia peccata prius confessa confitetur etiam illud vltimum peccatum post vltimam confessionem perpetratum; quæritur an hoc facere possit?

RESOL. LXII.

De hoc casu olim interrogatus fui, & magna dissensio inter multos extitit,& negatiuè respondendum videtur,quia in tali casu notabiliter variatur iudicium Confessarij, nam putat illud peccatum iam fuisse olim clauibus subiectũ, & absolutũ.

Sed affirmatiua sentẽtia videtur tenenda ex casu simili, quẽ docet Bonac.de Sacram.disp.5.q.5.sect.2.punct.2.§.3.diffic.4.n. 5.vbi ex Sanchez,& Coninch.probat pœnitentem in confessione non teneri dicere se tale peccatum commisisse post vltimam confessionem, nisi ob aliquam peculiarem circunstãtiam mutantem speciẽ, necesse sit hoc exprimere. Sicut enim sciẽs,vel dubitans se tale peccatũ confessum fuisse,non tenetur sub mortali dicere se aliàs confessum fuisse,vel dubitare an tale peccatũ confessus sit. Ita qui commisit aliquod peccatum, non tenetur dicere,se tale peccatum post vltimam confessionem commisisse,nisi adsit aliqua peculiaris circunstãtia. Ita Bonacina;ex quibus affirmatiuè resoluitur casus propositus. Ad argumentum contrarium respondetur,in tali casu non variari notabiliter,sed parum iudicium Confessarij, & pœnitens faciet maiorem pœnitentiam,quam Confessarius imposuit.

An Confessores regulares possint extra Sacramentum Pœnitentiæ absoluere a censuris ratione suorum priuilegiorum?

RESOL. LXIII.

Negare videtur Suarez in 3.p.to.5.disp.7.sect.5. num. 36. & Nauarrus in man.c.26.nu.31.sed vterque mutauit sentẽtiam,hic in cons.11.num.2.de priuileg.ille in tract.de legib.lib. 8.cap.6.nu.15 & 16.Ideò affirmatiuam sententiam omninò tenendam esse puto, quam docent Coninch.de Sacram.disp.14. dub.1.n.153.Auila de cens part.2.c.7.dub.13.& alij,quod etiam procedere debet in Confessarijs sæcularibus,quando absoluunt excommunicationem virtute Bullæ Cruciatæ,vt aduersus Vasquez,Filliucium, Sanctarellum,& alios satis probaui in tr.Bul. Cruc.Resol.25.

Notandum est tamen hic cum Layman in theol.moral. li. 5. tract.6.c.10.n.21.& alijs, hanc doctrinam multò magis locum habere in dispensationibus super irregularitate,voto,iuramento, petitione debiti, quarum facultates si Confessarijs alicuius ordinis delegatæ sunt, non rectè inde infertur, quòd eas extra Sacramentum pœnitentiæ exercere non possint; nam à sacramentali absolutione nullo pacto dependent, Sed de hac quæstione iterum redibit sermo.

An peccatum sit explicandum in confessione, non obstante quod Confessarius agnoscat complicem?

RESOL. LXIV.

Qvando alius confessarius adiri non potest, esse tale peccatum explicandum, etiamsi Confessarius agnoscat complicem,docent Honuphrius opusc.de sigillo confess.sect. 4. quæst. 7.dub.3.Sancius in selectis,disput.8.n. 9. Pontius de matrimon. lib.5.c.18.n.9.Coriolanus de cas.res.p.1.sect.1.art. 8.n.7.Regius in resolut.cas.63.n.1.Layman.in theol.mor.lib.5.tr.6.c.8.nu.12. Malderus tra.de sigillo confess.c.17.Ledesma in summa to, 1.c. 20.concl.6.Lessius lib.2.c.11.dub.11.& alij, quos citaui in resol. 49.tra.de circumstantijs aggrauantibus

Sed ibi pro negatiua sententia plures Doctores magni nominis etiam adduxi, quibus nunc addo Pitigianum in 4.sent. to.2. disp.21. q.2.art. 8.concl.1.& Fabrum de pœnit. in.4.sent.dist. 17. q.vnica,disp.24.c.5.nu.97.vbi insurgit contra Suarez,& ad omnia argumenta,quæ, ipse pro affirmatiua sententia. adducit respondet. Mihi hæc secunda opinio probabilior videtur. Vide supradictam resol.vbi rationes pro vtraque opinione inuenies, ideò elige, quam velis?

An detur confessio valida,sed informis,non solum respectu examinis, sed etiam respectu doloris?

RESOL. LXV.

Negatiuam sententiam docet nouissimè doctus Turrianus de Sacram.pœnit.disp.28.dub.1.Layman in theol. moral. lib.5.tract.6.capit.9.nu.2 &.alij, quos adduxi in resol. 31. tract. Miscellan.

Sed affirmatiuam sententiam (vt ibi adnotaui) docet communiter

muniter schola D. Thomæ, & præter 10. Doctores ibi citatos, tenet etiam hanc opinionem ex Theologis Societatis Iesu Pater Henriquez in summa, lib. 5. cap. 11. num. 1. vbi sic asserit. Integra per se & ex intentione dicitur etiam illa cõfessio, & coniuncta absolutioni non est iteranda) quando resultat verùm Sacramentum informè (nempè quod ob aliquod impedimentũ frustratur fructu gratiæ) vt si ex ignorantia accessit bona fides. Quidam tamen falsò negant dari Sacramentum pœnitentiæ informè. Est ergo verum Sacramentum, primò, quando pœnitens integrè confitetur cum aliquo formali dolore. & proposito excludente voluntatem peccandi, & tamen non habet dispositionem primæ gratię à Christo institutam. Nec impeditur veritas Sacramenti. si insufficiens sit dolor, ex mortali negligentia, aut ignorantia quadam culpabili; nam concurrunt omnia ad veritatem Sacramenti requisita. Secundò, si quis ex negligentia, & ignorantia culpabili oblitus est quorundam mortalium, vt si multis peccatis, & varijs negotijs irretitus, conscientiæ suæ latebras accuratè non perquisiuit, & tamẽ in animo habuit facere integram cõfessionem. Hæc omnia Henriquez. Vnde minimè dubitandum est hanc sententiam probabilissimam esse in praxi, & ideò possunt confessarij excusare pęnitentes à reiteratione confessionis; quando fuerit informis ex defectu doloris, vel examinis. O quam suaue, & leue est iugum Domini?

An qui solum meminit se peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, possit tantum illud in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari?

RESOL. LXVI.

NEgatiuam sententiam docent Abulensis, Cano, Medina Sotus, & Ledesma apud Villalobos vbi infra, quia confessio est actus iudicialis, vt patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. Ergo debet versari circa aliquod peccatum particulare.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam docent Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 10. numer. 97. & Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 7. vbi sic asserit. Si pęnitens non recordetur speciem peccati, sed tãtùm in genere, se mortaliter peccasse, verbi gratia, in prauæ cogitationi cõsentiendo, debet hoc ipsum Confessario explicare, cum hæc sit sufficiens, imò necessaria materia sacramentalis confessionis, & absolutionis. Ita ille, qui citat D. Thomam, Nauarrum, & Suarez. & hanc sentẽtiam fusè docet Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. diffic. 34. num. 3. verum est, quod addit, (que como no ay hombre que no tenga pecados veniales haga prudẽtemente què en este caso cõfessare tambiẽ algun pecado venial, por andar à lo cierto negocio de tanta importancia, mas quando no lo hiziesse, la confession general que queda dicha, es materia bastante en el articulo de la muerte y fuera del.) Sic Villalobos, qui respondet ad argumentum supra positum.

Notandum est etiam hic obiter, quod aliqui Doctores, quos tacito nomine referunt Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. cap. 13. q. 83. & Bonacina de Sacramen. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficul. 2. num. 15. tenent, quod, qui non habet peccata mortalia, sed tantùm venialia, satisfaciat in genere, dicendo se venialiter peccasse non explicata specie, vel numero peccatorum. Et hanc sententiam, tanquam probabilem, admittere videtur Homobonus, nam contrariam, quam ipse tenet, vocat tantùm veriorem, sed illam ex Suarez, & Coninch. refellit Bonacina vbi supra.

Additiones ad tract. de circumstantijs in confessione non necessariò explicandis?

RESOL. LXVII.

IN part. 1. mearum Resol. moralium in dicto tract. probabiliter asserui circumstantias notabiliter aggrauantes non esse necessariò in confessione explicandas, & ita docet Becanus de Sacramen. cap. 36. qu. 1. num. 4. Granado in p. 2. D. Tho. contr. 6. tract. disp. 5. num. 11. Naldus in summa, ver. circumstantia, num. 1. Philiarchus de officio Sacerd. tom. 1. pat. 2. lib. 2. cap. 22. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 7. c. 12. nu. 58. & 68. vide etiam Tannerum in p. 2. disp. 4. q. 2. dub. 3. numer. 48. Caraffam etiam in part. 2. quæst. 7. art. 3. nu. 11. quidquid in contrarium asserant Lauorius tract. de Indulgent. p. 1. c. 14. num. 53. Estius in 4. sent. dist. 17. § 9. ideò adde, Rebellius par. 2. lib. 4. quęst. 8. sect. 2. nu 9. Guttierrez de matr. cap. 1. num. 19. Maldonatus in summula, q. 19. art. 9.

In Resolut. 3. mulieri peccãti carnaliter cum Sacerdote religioso sufficit vt dicat in confessione, peccaui cum Sacerdote, vel cum sacris ordinibus initiato, & idem dicendum est de ipso religioso; sufficit enim, vt dicat, sum Sacerdos, vel sacris ordinibus initiatus. Ita Molfesius in summa, to. 1. tr. 7. c. 12. num. 66. & 68. & hanc sententiã probabilem putat Caraffa in par. 2. q. 7. art. 3. num. 27. & 28. cum Syluio in 2. 2. q. 158. art. 10. quidquid in contrarium asserat Nugnus in add. ad 3. p. q. 9. artic. 2. dub. 3. conclus. 5.

In Resol. 4. sufficit etiam in casu supradicto, vt Sacerdos vel Religiosus dicat tantùm se violasse votum castitatis, quod habet, non manifestando votum solenne professionis, vel ordinis. & idem dicendum est de fœmina Hanc sententiam probabilẽ putat Caraffa in p. 2. q. 7. art. 3. num. 29. licèt contrariam doceãt Syluius in 2. 2. q. 154. art. 10. & Nugnus in addit ad 3. p. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 5.

In Resol. 5. sponsus, vel sponsa de futuro & cum eis carnaliter se commiscentes, non tenentur istam circumstantiam explicare.

Hanc sententiam nouissimè tenet Basilius Pontius de matr. lib. 11. c. 6. num. 8. & illam probabilem vocat Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 10. par. 1. c. 1. num. 6. licet contrariam teneant Coninch. de Sacram. disp. 22. dub. 1. num. 6. Molina de iust. tom. 3. disp. 73. num. 8. Rebellius p. 2. lib. 4. q. 8. sect. 2. num. 9. Guttierrez de matr. c. 1. nu. 20. & Ioan. de la Cruz in direct. pat. 2. de matr. q. 4. art. 5. dub. 8. concl. 5.

In Resol. 11. stuprum, puella consentiente, non differt à simplici fornicatione, ideò in confessione sufficit, vt quis dicat, toties fornicatus sum. Ita Suarez. tom. 4. disp 22. sect. 4. nu. 6. Nauarra de restit. lib. 2. c. 3. num. 419. Molfesius in summa, to. 1. tr. 7. cap. 12. num. 72. Et hanc sententiam probabilem putat Tannerus in 2. 2. disp. 3. q. 3. dub. 6. num. 147. quidquid in contrariũ asserant Corradus in resp. tom. 2. quæst. 171. Faber de pœn. in 4. sent. dist. 17. quæst. vnica, disp. 24. c. 2. num. 32. & Syluius in 2. 2. quæst. 154. art. 6.

In Resol. 16. quando Religiosus non obedit Prælato præcipienti sub obedientia, non peccat duplici peccato, nempè contra religionem, & contra obedientiam, neque tenetur hanc circumstantiam aperire in cõfessione. Ita Antonius Perez in regulam D. Benedicti, cap. 5. num. 32. licèt contrarium asserant Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 5. cap. 9. num. 6. Vasquez in part. 2. disp. 98. cap. 3. nu. 7. & Tannerus in part. 2. disput. 4. quæ. 2 dub. num. 46. Zumel in p. 2. quæst. 72. art. 6. dub. 3. Salas tra. 13. disp. 3. sect. 2. nu. 16. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 7. numero 6. & alij.

In Resol. 17. in fine, adde, & docet nouissimè Granado in p. 2. D. Tho. contr. 6. tract. 2. disp. 5. nu. 10. & Malderus etiam in p. 2. q. 20. art. 4. disp. 99.

In Resol 18. si quis in actu venereo gestauit reliquias, non opus est in confessione aperire hãc circumstantiam. Ita Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. c. 40. nu. 28. Fagundez præc. 1. lib. 1. c. 4. nu. 13. & Syluius in 2. 2. D. Thom. q. 154. art. 10. quidquid in contrarium videatur asserere Cosmus Philiarchus de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. lib. 3. cap. 9. ad finem.

In Resol. 25. vers. 1. post illa verba, & præsertim ex neotericis, adde Syluium in 2. 2. q. 154. art. 10. in fine.

In Resol. 26. in fine, adde, quam cõtra Vasquez docet Tannerus in p. 2. D. Th. disput. 4. q. 2 dub. 3. n. 45.

In Resol. 28. in confessione non est explicanda diuersitas cõtumeliarum, verbi gratia, si quis vocauit aliquem furem, hæreticum, sodomitam, &c. Ita Fagundez præc. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 3. Azorius tom. 1. lib. 4. cap. 4. q. 5. Filliucius tom. 2. tract. 21. c. 9. nu. 322. & Rebellius pat. 1 lib. 2. q. 17. sect. 2. num. 3. quidquid in cõtrarium asserat Layman in theol. mor. lib. 1. tract. 5. cap. 3. nu. 5. Lauorius tract. de indul. par. 1. cap. 4. nu. 43. Graffius in Appen. ad decis. lib. 1. c. 9. num. 6. Naldus in summa, vers. Hæresis, nu. 22. Salas in par. 2. tom. 2. tract. 13. disput. 5. sect. 8. num. 90. & facit Baiardus in addit. ad Iulium Clarum, lib. 4. §. iniuria, numer. 10. sed tu tene primam sententiam, quam nouissimè docet Sãcius in selectis, disput. 5. num. 10. extendens hoc & optimè, etiã ad iudicia temeraria: vbi sic asserit. Non opus est pęnitentibus

quale

quale iudicium fuerit, contra quam personam fuerit, Ecclesiasticanæ, vel secularis, seu circa quam rem explicate, dicendo scilicet, iudicaui Ioannem esse furem, vel fornicarium aut hæreticum. In esse solùm physico, iudicia hæc diuersitatem habent vtpote circa diuersa crimina, non verò in morali, cum cõtra iustitiam commutatiuam sint, prohibentem sub vna specifica ratione, & atoma famam non lædi, tam internè per iudicium, quã externè per detractionem, aut contumeliam. Ita Sanctius; sufficit in confessione dicere, toties iudicaui sinistrè de meo proximo, vel illum contumelia affeci.

In Resol. 30. in confessione nõ sunt explicanda mala volita, verbi gratia, si fuerunt circa facultates, vel circa personam, seu circa honorem, sed sufficit dicere: toties odio habui proximum meum. Ita Homobonus de bonis in exam. Eccles. par. 1. tract. 6. c. 25. quæst. 112.

In Resol. 31. diuersitatem graduum non facere diuersitatem specificam in incestu docet Ioan. de la Cruz in directorio conscient. pat. 1 præc. 6. art. 1. dub. 6. conclus. 2, & ideò aliqui probabiliter asserunt circumstantiam gradus incestus, nunquam esse necessariò in confessione explicandam; qui igitur habuit rẽ cũ matre, vel sorore sufficit, vt dicat, habui copulam carnalem cũ consanguinea in primo gradu, & ita docent Pharaonius tract. de Sacram. Pœnit. sess. 20. cas. 6. & alii penes ipsum: licet aliqui etiã probabiliter asserant contrarium, nempè talem circumstantiã esse in confessione explicãdam, quia incestus cum matre variat speciem, est enim peculiari modo contra pietatem, & Doctores contrarium asserẽtes, exponi possunt dicendo, incestum esse eiusdem speciei subalternæ. Ita Henriqo. lib. 5. cap. 8 num. 1. in Glossa littera E. & F, vide etiam Fav in addit. 3. par. quæst. 9. art. 2. disput. 7. ad 2. Lauorium tract. de indulg. p. 1. cap. 14. numero 53. & Fabrum de pœnit. in 4. sent. dist. 7. quæst. vnica, disp. 24. cap. 2. num. 39.

In Resol. 37. Raptus non est circumstantia in confessione aperienda, si virgo spontè consentit. Hanc opinionem probabilẽ putat Fagundez par. 2. lib. 4. cap. 3. num. 17. iuncto cum num. 15. & 16. nam asserit in casu raptus, secundùm probabilem sententiam aliquorum philosophantium, esse sicut in casu stupri, quòd si puella spontè consentit, non differt, vt dictum est, à simplici fornicatione.

In Resol. 39. in fine adde hæc verba. Notãdum est etiã quòd Zanardus Dominicanus in direct. confess. par. 1. de. sacrament. Pœnit. cap. 18. fol. 204. docet. quòd qui per noctem cum amasia dormiuit, non est opus, vt dicat, ego eam cognoui per tot vices, sed feci quod potui; dummodò non habuerit interruptionem mentis, vel operis Ita ille. Sed fallitur, nam opera illa consummata, sunt distincta peccata in confessione aperienda, nec vnũ respicit, & ordinatur ad alterum. Ergo, &c.

In Resol. 42. tactus, & oscula quantumuis libidinosa, quæ subsequuntur copulã, non sunt in confessione explicanda. Ita Granado in p. 2 D. Thomæ, contr. 6. tract. 2. disp. 5. numero 11. Grattiis in Appendice ad decis. lib. 1. capit. 5. num. 12. Fagundez pt. 2. libr. 3. cap. 4. num. 14. & Salas in p. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 91.

In Resol. 43. qui in peccato mortali excipit confessiones multorum successiue, vnum tantùm peccatum committit: vt docet Fagundez pt. 2. lib. 3. cap. 5. nu. 9. vnde cum hæc circumstantia tantùm notabiliter aggrauet, ego puto non esse necessariò in confessione explicandam, & ideò hanc sententiam docet; vt prius notaueram Rodriquez in summ. nouissima, tom. 2. c. 44. nu. 23. Sed nunc verba illius proferam, quia textus rarus est. sic igitur ait. (Ni obsta que en estas communiones ay mil actos distinctos en numero, y assi parece hauer distinctos pecados, por que aunque sean distinctos hablando moralmente antes in genere moris, se tienen por vn mismo acto, como tambien hablãdo desta materia se tiene por vn mismo acto confessar veynte sin le vantar se, del confessario, ò leuantando se con intencion de luego boluer.) Ita ille; quidquid in contrarium afferat Homobonus in exam. Ecclesiast. par. 1. tract. 5. cap. 13. quæst. 82. & Bonacina de Sacram. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 2. numero 7.

In Resol. 48. delectationes morosæ non differunt specie, quãdo non consistunt in efficaci voluntate, sed in simplici complacentia, vnde sufficit, vt pœnitens dicat, toties morosè delectatus sum, sine explicatione, an illa delectatio fuerit circa coniugatã, Monialem, &c. hanc sententiam probabilem putant Tanneras in p. 2. D. Thomæ disp. 4. qu. 8. dub. 8. nu. 149. Salas in pr. 2. to. 2. disp. 6. sect. 6. num. 56. Azorius tom. 1. lib. 4. disp. 6. quæst. 4. & Siver. luxuria, num. 13.

In Resol. 64. non est necessarium in confessione ipsam omissionem explicare, quando non est sub libera ommittentis potestate; sed sufficit rãtùm se accusare de causa omissionis. Ita Granado in p. 2. D. Th. contr. 6. tract. 4. disp. 3. num. 12. licèt contrariam sententiam docuerit nouissimè P. Bonici Societatis Iesu, vir quidem doctus. & lector. S Theologiæ in collegio Panormitano, sed nostra sententia etiam est probabilis.

An ad accipiendam confessionem sufficiat ratihabitio de præsenti?

RESOL. LXVIII.

NEgatiuam sentẽtiam ita mordicus docet Didacus Nugnus in addit. ad 1. p tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. vt contrariam parum probabilitatis habere existimet.

Sed fallitur quidem, nam ego probabilissimam puto, & illã præter Syluestrum ver. confessor. 1. q. 6. & Sotum in 4. d. 18. qu. 4. art. 3. sequitur etiam Becanus de Sacram. cap. 38. quæst. 8. num. 3. Homobonus in exam Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 11. q. 105. Fagundez pr. 2. li. 7. c. 2. num. 71. Toletus lib. 3. cap. 13. num. 5. Sanchez de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 35. num. 22. Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 13. num. 13. Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. difficul. 51. num. 2. vbi sic afferit. [Si la ratihabicion fuesse de presente porque el Obispo lo ve y cõsiente, en el tal caso valdria porque esta no es propriamente ratihabicion sino consentimiento tacito, ò interpretatiuo, el qual basta.] Ita ille; an verò Sacerdos grauiter peccaret, si ita cõfessionem audire incipiat, affirmatiuè respondet Coninch. de Sacram. disp. 8. dub. n. 36. quia à principio inualidè confessionem audit.

Sciendum tamen est, quod est valdè notandum, Filliucium tom. 1. tract. 7. c. 9. num. 242. docere esse probabilem illam opinionem quæ tenet ex præsumpta voluntate Superioris, posse vnum aliquem absoluere, etiamsi talis præsumptio fundetur in aliquibus signis quæ indicent præsentem voluntatem Superioris concedendi facultatem, quod coincidit cum ratihabitione de futuro, quam non esse sufficientem probauimus. At his non obstantibus, vt dixi, Filliucius docet hanc sententiam esse probabilem, & citat Medinam, Richardum, Syluestrum D. Bonauenturam, & alios. Sed an ita sit, videant viri docti, mihi enim non placet, & alibi contra Peregrinum illam reprobo.

An teneatur præuenire confessionem qui timet, quod quando obligabit confessio, non erit copia Confessarij.

RESOL. LXIX.

AFfirmatiuè respondeo cum communi DD. quos citant & sequuntur Suarez in 3. pat. tom. 4. disput. 36. sect. 5. num. 5. & nouissimè Fagundez pr. 3. lib. 1. c. 6. nu. 5. & Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 5. nu. 9. nam si quis in die festo præuidet, se non posse audire sacrum hora 9. tenetur anticipare tempus, & audire hora tertia si potest, & in nona non potest, & idem dicendum de præcepto communionis, vt supradictum est.

Attamen Io. de la Cruz in direct. conscient. pat. 2. de Sacr. pœnit q. 5. dub. 3. concl. 2. licèt hanc sententiam teneat, cõtrariam verò putat etiam esse probabilem, sic enim asserit. Si times probabiliter, quod quando obligabit confessio, non erit tibi Confessor etiam pro non reseruatis, teneris præuenire confessionẽ; ita Antoninus, Durandus, Cano, Nauarrus, & Ledesma contra alios oppositum probabiliter sentiẽtes. Ita ille, & hoc etiam de præcepto communionis asserunt Azorius, vt supra visum est, nempè qui præuidet impedimentum futurum, vt paschate Eucharistiam accipere non possit, non tenetur præuenire tempus, vt præceptum adimpleat.

An satisfactio Sacramenti Pœnitentiæ causet gratiam ex opere operato, & an illam adimplere in peccato mortali, sit peccatum mortale?

RESOL. LXX.

AD hanc quæstionem respondet Ioannes de la Cruz in direct. conscien. pat. 2. de Sacram. Pœnit. q. 1. dub. 4. concl. 2. vbi

vbi sic asserit, Probabilius est, quod satisfactio quando exercetur, (si non adsit impedimentom peccati mortalis) causat gratiam ex opere operatovt dicit ordinem ad claues Ecclesiæ. Et si arguas, quod gratia pœnitentiæ causatur in instanti terminatiuo prolationis verborum Sacerdotis, *Ego te absoluo*, sed satisfactio fit postea. Ego ad hoc dico, quod in illo instanti causatur gratia essentialis Sacramenti; at quando posteà fit satisfactio, causatur quædam perfectio, & augmentum gratiæ; sicut enim satisfactio est pars integralis istius Sacramenti, sic gratia ab eâ causata efficit perfectionem, & integritatem eiusdem gratiæ. Ex quo patet non peccare mortaliter, eum, qui implet satisfactionem in peccato mortali, cum nō ponat obicem effectui essentiali, sed soli perfectioni, & integritati eiusdem effectus. Ita ille, & ante illum Ledesma in summ. tom. 1. de Sacram. Pœnit. c. 3. dub. 2. & alij.

An non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis possit quis eligere confessarium non approbatum pro omnibus peccatis, & censuris reseruatis?

RESOL. LXXI.

NEgatiuam sententiam docent Sotus, Couarruuias, Grassius apud Finellium, vbi infra cum Cano, & Ledesma, quos citat & sequitur Ioan. de la Cruz: putant enim distingui articulum mortis à periculo, ita vt priuilegium eligendi Sacerdotem non expositum pro confessione, sit solius articuli, non autem periculi.

Sed falluntur equidem, & ita affirmatiuam sententiam docet Finellius tract. de cas. reseruatione, cap. 8. nu. 8. qui citat Henriquez, Abbatem, Angelum, Syluestrum, Medinam, Victoriam, Nauarrum, Philiarchum, Sayrum, & alios; vnde ipsimet aduersarij hanc opinionem probabilem putant, & ideò Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de Sacram Pœnit. q. 5. dub. 10. conclus. 2. sic asserit. Probabile est, quòd qui existit in periculo mortis, potest eligere in confessorem, etiam non expositum pro omnibus peccatis, & censuris etiam reseruatis. Ita ille. Et ratio præter alias ista erit, quia si periculum mortis ab articulo, distinguamus, sæpius continget infirmum inabsolutum decedere, dum Cōfessarius morborum inexpertus nesciat articulum à periculo distinguere, ac propterea verum articulum non cognoscens, differat absolutionem, aut quia à reseruatis credat adhuc absoluere non posse, aut expactare velit Parochum, vel alium approbatum Sacerdotem. Dicendum est igitur, quod mortis periculo idem priuilegium tribuitur, quod vel in mortis articulo conceditur, vnde ex his sequitur hæc dubitatio.

An simplex Sacerdos possit absoluere a censuris, & casibus reseruatis omnes parturientes, tanquam constitutas in periculo mortis?

RESOL. LXXII.

AD hanc quæstionem affirmatiuè videtur respondere Bellochius tract. de cas. reser. par. 1. quæst. 2. num. 128. vbi sic ait. Quoad mulieres prægnantes proximas, aut vicinas partui, vel partus dolores iamiam sentientes, an dicantur positę in periculo mortis, ita vt possint à reseruatis absolui, multi multa dicunt, Nauarrus in man. cap. 2. num. 9. in fine, dicit, quod periculum mortis limitandum est in muliere, quæ nunquam peperit, vel experta est partus difficiles. Idem fatentur Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 5. & Grassius par. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 7. & Fulgosius in leg. 2. § sed etsi quis cautioni, dicit hoc non habere locum in mulieribus rusticis, quę pariunt sine dolore, vt plurimū, & pro nihilo ducunt parere etiam binos. Abbas tamen in c. Pastoralis §. 1. num. 3. de offic. ordin. tenet, quod indistinctè habeat locum in omnibus mulieribus parturientibus. Et hæc sententia indistinctè admittenda est hoc modo, si scimus iam ita partui propinquas, quæ dolores sentiant, & eo casu, nulla est expectāda facultas à superiori, si verò non sunt ita partui propinquæ, tunc est expectanda Superioris licentia, quia non subest mortis periculum. Hæc omnia Bellochius.

Sed contrariam præter Nauarrum, & alios, quos ipse citat, docet etiam Finellius tract. de cas. reseruatione cap. 8. nu. 8. vbi asserit, non quęlibet prægnans paritura in eodem periculo mortis constituitur, sed ea quæ primum partum sit editura, vel quæ aliàs difficiles, & periculosos partus solita sit habere. Ita ille, & ego.

An Confessarius absoluens a casibus Episcopo reseruatis sine prætextu alicuius priuilegij, incidat in excommunicationem, & alias pœnas Decreti Clem. VIII.

RESOL. LXXIII.

REspondent affirmatiuè Homob. in Exam. Eccles. par. 1. tra. 5. c. 4. q. 22. & Floronus tr. de cas. reseru. p. 1. cap. 5. num. 27. alias pauci quidem in has pœnas inciderent, & receptus vsus declarat, ita fuisse mentem summi Pontificis.

Non reticeam tamen, negatiuam sententiam docere Horatium Gambaruptam de cas. res. c. 3. n. 12. per verba in dicto Decreto posita, vbi sub prætextu priuilegiorum, &c. sumpto argumento ab ijs, quæ in simili docuerat Nauarrus in man. c. 25. nu. 94. & Couar. in cap. Alma mater, p. 1. §. 6. nu. 9 At posset aliquis dicere cum Florono vbi supra, verba illa, sub prætextu. priuilegiorum, intelligenda esse, ne Regulares possint sub prætextu priuilegiorum absoluere, & sic ne haberent causam vllam excusationis; vnde clausulam illam putat appositam esse ampliatiuè Sed negatiua sententia tenenda est per ea, quæ adducit Suarez de censur. disput. 22. sed 6. num. 11. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. par. 1. lib. 3. cap. 10. Sayrus de cens. lib. 3. cap. 31. num. 10. Rodriquez QQ. Regul. to. 2. q. 47. art. 2. Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. num. 68.

Notandom est tamen cum ipso Florono. §. 4. & Homob. loco citat, non incurrere in pęnas dicti Decreti Religiosum, qui absque facultate absolueret ab aliquo casu in Religione reseruato, iuxta aliud Decretum Clem. VIII. Nam hoc decretum, de quo loquimur, loquitur tantùm de casib., tum Sum. Pontifici, tum Episcopis, vel alijs sæcularibus Prælatis Episcopali auctoritate fungentibus reseruatis. Ergo, &c.

Notandum est etiam cum Finellio tract. de cas. reseru. cap. 6. nu. 6. & 8. & alijs, quod ad incurrendas pœnas dicti Decreti non satis est absoluere à reseruatis absque facultate, sed necessaria est præsumptio in absoluente, vt patet ex ipsis verbis Decreti. Vnde si quis absoluat à reseruatis sub spe ratihabitionis, vel ex inconsideratione, aut ignorantia, non tamen crassa, aut affectata, non incideret in excommunicationem.

Sed hic obiter potest aliquis quærere, an Sacerdos, qui in dictam excommunicationem incidit, absoluēdo absque facultate à casibus reseruatis, possit absolui ab Episcopo vigore Cōcil. Trident. sess. 24. de reform. Negatiuè respondent Floronus tractat. de cas. reseru. par. 1. c. 5. §. 2. nu. 4. & alij. quia Episcopus non potest absoluere à casibus reseruatis ex noua lege post dictum Concilium Tridentinum, & asserunt ita declarasse Cardinaliū Congregationem.

Non desunt tamen Doctores affirmatiuam sententiam docētes, vt Beia par. 4. cas. 37. Finellius de cas. reseru. c. 7. n. 12. Homobonus de exam. Eccles. p. 1. tract. 5. c. 4. q. 23. qui citat Suarez, Peregrinum, & alios, tum quia verba Concilij nō arctantur vel limitantur, & cū decretum sit fauorabile animabus fidelium, & nullum inferat nocumentum, debet ampliari, tum quia vbi loquitur antecedenter de suspensionibus, & irregularitatibus, absolutè loquitur de omnibus ex delicto occulto prouenientibus. Et ita per casus occultos reseruatos intelligit quocunque tēpore sint reseruati, quousque de illis fiat absolutio, tum denique quia tam in reseruatis, quàm in reseruandis est eadem ratio absolutionis, si sunt occulti, ac proinde debet in vtrisque esse eadem legis dispositio. Cur enim minor erit Episcoporum auctoritas in nouis reseruationibus, quam in antiquis?

An pœnitens, qui à Superiore fuit absolutus à peccatis reseruatis tantum, teneatur postea ista cum alijs Sacerdoti inferiori confiteri?

RESOL. LXXIV.

AFfirmatiuè respondet Homobonus in exam. Eccles. par. 1. tract. 5. cap. 4. qu. 25. qui citat Henriquez, Suarez, & Coninch,

nunch, vni enim Confessario pandenda sunt omnia peccata.

Verùm nō reticeam contrariam sententiam docere Ioan. de la Cruz Dominicanum in direct. cōscient. par. 2. de sacram. pœnit. quæst. 3. dub. 5. concl. 3. vbi sic asserit. Et si Superior possit audire integram confessionem, & ad id teneatur, si non est occupatus, si tamen nolit, & solùm absoluat à reseruatis, valet Sacramentum, & licet penitens tunc maneat absolutus ab omnibus peccatis, à reseruatis directè, & indirectè à non reseruatis, cum gratia data in illo Sacramento eque excludat omnia peccata tamen si vult sumere Eucharistiam, tenetur cōfiteri alia peccata non reseruata alteri Confessori, non tamen sunt isti confitenda peccata reseruata Superiori cōfessa, cum iam sint subiecta clauibus Ecclesiæ, & directè absoluta. Ita ille, qui citat Maiorem, & Gersonem, sed tu primam sententiam tene, licèt vtramque probabilem esse doceat Ledesima in summa, tom. 1. de Sacram. Pœnitent. cap. 20. conclus. 3. dub. 4. fol. mihi 334.

An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, vt adimpleat præceptum, si mortalia quæ habet ratione alicuius periculi, vel alterius infamia, minime confiteri possit?

RESOL. LXXV.

Affirmatiuè respondet Didacus Nugnus in addit. ad 3. par. D. Th. q. 6. art. 6. difficul. 1. quia præceptum annualis confessionis obligat, quando tantùm sunt peccata venialia. Secundò talis homo simpliciter loquendo, habet præceptum confessionis, sed potest illud adimplere confitendo venialia: ergo tenetur.

Sed contrariam sententiam docet Suarez in 3. par. tom. 4. disput. 36. sect. 6. num. 1. in fine, nam vt supra dictum est contra Alensem par. 4. quæst. 18. num. 4. art. 2. Richardum in 4. d. 17. art. 2. quæst. 4. ad primum, Bonauenturam ibidem, art. 2. quæst. 1. & alios, quis nō tenetur confiteri venialia ex præcepto Ecclesiastico de annua confessione, quia Ecclesia, vt rectè notat Becanus de Sacram. capit. 76. quæst. 6. numero. 3. & alij non fecit nouum preceptum de confessione, sed solùm determinauit diuinū præceptum ad certum tempus. Ergo si nō tenemur præcepto diuino confiteri venialia, non tenemur etiam determinationi huius præcepti.

Dicendum est igitur in casu proposito, quod si aliquis non potest confiteri mortalia propter aliquod periculum vel infamiam, non tenetur ad implendum præceptum annuæ confessionis, alia peccata venialia, quæ habet, confitendo.

An Superior, vel quiuis alius possit negare suffragium illi cuius defectum scit solum per confessionem, quando suffragatur secretò; vbi multa de sigillo confessionis?

RESOL. LXXVI.

Affirmatiuè respondent Pottel. in dubijs regularium, verb. Electio num 9. Castellinus de elect. cap. 5. nu. 103. Vasq. in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 4. dub. 8. num. 7. Nugnus in addit. ad 3. par. quæst. 11. art. 1. diffic. 1. ad 6. & ad 7. argum. Guttierrez de matrim. cap. 60. num. 10. Henriquez lib. 3. de Pœnit. capit. 23. num. 6. Nauarrus in cap. Sacerdos de pœnit. dist. 6. num. 147. & alij quos citat Sanchez, & Fagundez vbi infra. Et ita mordicus aliqui sustinent hanc sententiam, vt doceant teneri id efficere in conscientia, & rationem omnium horum adducunt, quia Sacerdos ex vi sigilli tenetur accepta in confessione secreta seruare, sed Superior, vel alius quando denegat suffragium in Capitulo, nemini reuelat peccata in confessione accepta: ergo. Deinde, Sacerdos per confessionem alterius non priuatur iure suo, sed si ipse talem confessionem non audiuisset, posset huiusmodi suffragium denegarē. Ergo, &c. Et hanc sententiam veram esse, quando suffragium ità cautè denegetur; vt pœnitens nullam de hoc facto possit habere suspicionem, docent multi, & nouissimè Villalobos in sum. tom. 1. tr. 9. diffic. 75. numer. 4. vbi sic ait, [Tambien dico que seriá licito no dar el voto alque sabe por la confession que es indigno, con que fuesse con tãta cautela, que no pudiesse el ni na die caer en ello, y en cosas, que el penitente no tiene aquirido derecho.]

Sed hæc opinio opus est vt non doceatur, nec in practicam adducatur, vtpotè periculosa, & nociua honori, ac religioni Sacramenti, & ideo contrariam sustinendam esse puto, quā Claudius Aquauiua præcepit à Superioribus obseruari, à Professoribus Societatis Iesu publicè, & priuatim doceri, & ita etiam docent nouissimè Layman. in theol. moral. lib 4. tract. 6. capit. 15. num. 22. Fagundez præcepto 2. lib. 6. cap. 3. num. 1. & sequ. Bezaa part. 3. cas. 10. Coninch. de Sacram. disput. 9. dub. 4. num. 64. Delrius in disquis. lib. sect. 2. Bannez in 2. 2. quæst. 33. artic. 8. Malderus tract. de sigillo, cap. 14. vbi docet nullo vnquam casu, etiam quando id nemo rescijsset Confessarium fecisse, licere vti sciētia confessionis in electione, & omninò in omnibus, quæ pœnitētem grauant. Quia etiam si in particulari hic & nunc ignoretur ex qua scientia agat Confessarius, retrahit tamen infirmos à cōfessione, si nouerit fieri posse, vt occasione confessionis non eligantur, sed puniantur inuiti. Dico infirmos, quia puto in fauorem confessionis non tantùm consideranda esse incommoda, respectu illorum, qui iusta causa à confessione alienarentur, sed etiam respectu illorum infirmorum, qui reformidarent eandē confessionem, si cōtra se eius liceret vti scientia tanquam odiosa, ideoque ab ea auerterentur, non quidem omninò immeritò, sed ex fragilitate quadam humana, homines enim infirmi magis alliciendi sunt ad confessionem, eaque magis indigent, quā perfectiores. Hæc quidem procedunt, quando non possunt aliæ causæ prætexi prætereundi indignum, quia si allegari possit defectus ætatis, scientiæ, aut aliquid eiusmodi, nō dubium est, quin Confessarius possit, illis allegatis, prætertire eum, quem ex confessione secretò nouit indignum. Ita Malderus.

Igitur etiam si ponamus confitentem nullo omninò indicio assequi posse, suffragium v. g. in electione occulta sibi à Cōfessario propter confessionis notitiam denegatum fuisse, tamē si hæc nimirum sciant pœnitentes, se ob peccatorum suorum cōfessionem impedīri posse à consequēdis officijs, ac honoribus abhorrescūnt à confessione, ijs præsertim facienda, quos vel leuiter suspicantur aliquando sibi prodesse, vel obesse posse, vt cum vocalibus, cum Magistro nouitiorum, cum Præposito, &c. Et ideò nō possum hic non apponere verba Fagundez vbi supra n. 2. ita afferentis. Potissima ratio, ob quam sacramentale sigillum, tam inuiolabiliter obligat, vt nullo modo eius notitia ad notitiam fori externi, & exteriorum actuum deducatur, est, ne hoc diuinum Sacramētum, quod à Christo Domino in salutem animarum institutū est, reddatur hominibus formidabile, & ideò fugiendum est omninò quidquid illud onerosum, ac odiosum potest reddere. At nihil magis odiosū illud potest reddere hominibus, quàm si illi intelligant posse priuari à superioribus, seu alijs Confessarijs, Officijs, Ordinibus, aut mutari in alia loca, & sibi negari suffragia, ad communes honores ob notitiam confessionis. Nam vt optimè docet Sanchez, vt homines auertantur à confessione, & sic inuria fiat Sacramento, satis est, quod antecedenter sciant Superiores, & alij confessarij posse iuuare notitiam confessionis ad actus externos dirigendos. Ita Fagundez.

Ex quibus omnibus patet resolutio multorum casuū, Primò non licere ob notitiam confessionis priuare subditos officijs amouibilibus. Etiamsi ipse amotus in suspicionem non esset deuenturus, sed expectet commoditatem occurrentis liquidè alterius causæ. Ita Malderus, Layman. Fagundez & Bonacina de Sacram. disput. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 14. Io. de la Cruz in direct. par. 2. de Sacram. pen. q 6. dub. 1. concl. 3. quidquid in contrarium asserat Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 3. cap. 2. nu. 16. & Vasquez in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 14. dub. 9. num. 5. Secundò non posse Confessarium dicere Prætoribus Vrbis, aut Inquisitoribus, vt diligentius inuigilent cum notitia, & forus confessionis nullum commercium habeat cum his admonitionibus externis, & quia ipsi statim conijcient id ex confessione Confessarium scire, quod redundat in detrimentum sigilli. Ita Fagūdez nu. 9. Vnde etiam stando in opinione contraria, nunquam Confessarij possunt supradictos monere, & eis dicere periculū imminens se scire in cōfessione, cum eiusmodi forma odiosam reddat confessionem, vt notauit Malderus vbi supra. cap. 14. fol. mihi 122. & in hoc plurimi decipiuntur miserrimè. Tertiò nō potest licitè Prælatus, seu quiuis alius vti notitia cōfessionis cōplicis alicuius delicti, vt fiant vigilantiores circa alios complices, nec potest dicere vt solito diligentius inuigilēt, vt eos in delicto comprehendant, quia ex hac cautela necessariò redditur odiosa confessio. Fagundez num. 10. & sic in similibus casibus

Et

Et hæc omnia voluit prohibere Clem. VIII. in decreto, quod adducunt omnes citati Doctores.

Responsiones verò ad argumenta pro contraria sententia superius posita inuenies reiecta, & soluta apud Fagundez, & Layman. vbi supra. Et circa præsentem quæstionem præter DD. citatos, vide Filliucium to.1.tr.7.ca.11.n.337. Sanchez de mat. to.1.li.3.disp.16.per totam, Sancium in select.disp.8.n. 10. & 11. Onuphrium opusc.de sigillo sect.2.qu.2.dub.2.& alios penes ipsos, qui plures Doctores pro vtraque sententia adducunt; sed tu nostram tene, & aduerte, quod licèt contraria sententia esset probabilis, tamen vt aduertunt etiam aduersarij, ad illam amplectendam opus esse tanta prudentia, & cautione, totque circumstantias requiri, vt difficillimum sit in praxim ipsam deducere, & ita notat Reginaldus tom. 1.lib.3.c.2.nume. 33. in fine, & alij.

Notandum est hic etiam obiter, quod multi, qui contrariam sententiam aduersus nos tenent, illam tamen limitant, & asserunt, non esse veram, & in praxim reducēdam, quādo subditus pœnitens in suspicionem veniret, se priuari eo munere, vel officio ex scientia habita à Superiori in confessione; nam in tali casu nihil ex illa efficere superior, seu cōfessarius poterit. Et ita docet Pitigianus in 4.sent.tom.2.dist.21.q.2.art.12.concl. 1. Faber de pœnitentia in 4.dist.19.quæst.vnica, disput.34.cap. 14. numer. 86. Nugnus in addit.ad 3.p.quæst.11.art.1.ad 6.arg. & alij. Vnde apparet quam sit difficilè deducere in praxim supradictam sententiam.

An Sacerdos ante consecrationem teneatur confiteri, si sine nota possit, & quid de laico ad linteum altaris parato communicare?

RESOL. LXXVII.

Affirmatiuè respondent Coninch. de Sacram. q. 80. art. 4. dub.2.n.16. Vbi sic ait. Si sacerdos recordetur se esse in peccato mortali ante consecrationem, tenetur confiteri, si sine nota possit. Ita ille cum Suarez, Nauarro, & alijs.

Contrarium tamen docent nouissimè Petrus Matthæus in annotat.ad rubricas missalis, p.1.cap.8.numer. 5.& Layman.in theol.mor.lib.5.tract.4.cap.6.n.5.cum Soto, & Victoria, etiamsi Sacerdos statim post introitum recordetur peccati mortalis, nō enim est opus accersere confessarium, quamuis id fieri sine nota possit; sed satis est, imò etiam consultius, elicita contritione, & posteà confitendi proposito ob honorem sacrificij pergere, & ceptum perficere. Et hanc etiam sententiam docent Henriquez lib.8.c.46.num.3. qui etiam ibidem in Glossa littera A, tenet quod laicus, qui ad linteum altaris adstat paratus communicare, & confessionem præmiserat, excusatur propter reuerentiam Sacramenti, ne statim redeat ad Confessarium, vt directè absoluatur à peccatis quorum fuerat oblitus, & hoc etiam seclusa nota, & scandalo. Ita ille; licet contrarium asserant Medina Ledesma, Cano, Syluester, & alij vbi supra in hoc tract. citati, sed Reginaldus in praxi, to. 2. lib. 29.c.4.sect.1.n.105.tenet opinionem Henriquez, etiam quoad laicum ad linteum altaris paratum communicare.

An absolutio obtenta bona fide à peccatis tantùm, & non à censuris sit valida, si pœnitens sit innodatus aliqua excommunicatione etiam reseruata.

RESOL. LXXVIII.

Negatiuè respondet Finellius tract.de cas.reseru. ca. 10. nu. 8. vbi sic ait. Licet quodlibet Sacramentum de facto collatum excommunicato teneat, nec per excommunicationem irritetur vis sacramenti, hoc tamen non est verùm in sacramēto Pœnitentię, etenim reliqua sacramenta solùm requirunt ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest, at Sacramentum Pœnitentiæ vlterius requirit iurisdictionem, per excommunicationem verò subtrahitur excommunicatus à iurisdictione Confessarij, & propterea absolutio eidem impertita, est nulla, quia absque iurisdictione, non item alia Sacramenta, quę absque iurisdictione, quæ sit eorū validitati necessaria, conferuntur, ita Finellius. Hanc etiam sentētiam docent Ledesma in summa, to.1.de Sacram.pœnit.c.20.dub.2. Vasquez in 3. par. to.4.tract.de excommunic.du.4.nu. 8. & Sancius in select. disp. 32.num.11. qui citat Paludanum, Adrianum, & Syluestrum, Maiorem, Gabrielem, Antoninum, Ledesmam, Chapeauillam, & alios, quibus ego addo nostrum Megalam in 1. p.lib.5.ca.19. quæst.4.in fine.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Nauarro in manuali, cap.9.nu.4. Toleto libr.3.cap.10. Layman in Theol.mor. lib.5.tract.6.c.12.num.12.& Coninch.de Sacram.disp. 8. du. 3. concl.4.num.104. vbi asserit. Qui est excommunicatus excommunicatione reseruata, si bona fide confiteatur aliqua peccata nō reseruata simul cum reseruatis, validè absoluitur, nam nullo modo est de essentia huius sacramenti, vt pœnitens prius absoluatur ab excommunicatione, quam à peccatis. Sic ille. Dicēdum est igitur, quod excommunicatio non irritat absolutionē, dum se tenet ex parte recipiētis, vnde nisi ipse sciens vellet Sacramento communicare, sacramentum, & fructum sacramenti reciperet, nullo enim iure fit irrita talis confessio, & dum cætera sacramenta Pœnitentiæ. Et ideò hanc sententiā præter DD. citatos, tenet etiam Suarez de censuris, disput. 10.sect.3.n. 9. qui citat Caietanum, Couarruuiam, & alios. Igitur in tali casu pœnitens absolutus à peccatis, & non à censura non tenetur reiterare talem confessionem, sed tantùm petere absolutionem ab excommunicatione, quod est valdè notandum.

Et omnia supradicta procedunt, non solùm quando pœnitēs absoluatur, quia ipse ignorat excommunicationem, vel recipit sacramentum ex necessitate, sed etiam si confessarius sciēs peccata habere annexam excommunicationem, illum tamen hoc non obstante, ex malitia absoluat, licet non habeat potestatem absoluendi à tali censura.

Ad argumentum verò Finelij, & aliorum, respondeo; in hoc casu adesse iurisdictionem, nam per excommunicationem priuatur quis iurisdictione actiua in alios, non tamen subiectione passiua ad alios sibi superiores, (seu quod idem est) alij nō priuantur iurisdictionem in ipsum; alioquin non tam ipsorū excōmunicationem, quam ipsius Confessoris esset talis pœna. Vide Suarez vbi supra nu. 11.& seq. Et hæc omnia vera esse etiam, vt diximus, si censura sit reseruata, optimè notat Suarez loc.cit.n. 15.ad illum, & non pigebit.

An si proprius Sacerdos iniustè neget licentiam alteri confitendi peccata, confessio facta alteri sit valida.

RESOL. LXXIX.

Ponamus exemplum. Subditus cum proprio Parocho sine periculo salutis, & famæ, confiteri non potest, vt verbi gratia, concubinæ, &c. an si ipse deneget licentiam alteri confitendi, possit hoc non obstante cum alio Sacerdote confiteri? Negatiuè respondent Layman in theolog.moral.libro quinto, tract.6.ca.13.numero 3.adducens sex argumenta, & citans pro hac sententia Alensem, Sotum, Medinam, Philiarchum, Llamas, Suarez, Nauarrum, & alios, & hanc sententiam nouissimè docet Villalobos in summa, tom. 1. tractat. 9.difficult.49. numero decimoquarto, vbi sic ait. (Si se diesse caso en que fuesse peligroso confessarse con el proprio Sacerdote, ò porque descubra las confessiones, ò porque sollicita à mal, respondo le pida licentia para confessarse con otro, ò recurra al superior, y sino puede hazer lo vno, ni lo otro hase de juzgar, como se no tuuiesse copia de confessor, porque la malicia del Confessor no da iurisdicion al otro parocho le absolua, Lo mismo es quando el Prelado niega iniustamente la licentia para se absuelto.) Ita ille, & in cap.omnis vtriusque sexus, sic habetur; si qui autem alieno Sacerdoti voluerit iusta causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cum aliter ipse illum non possit absoluere.

Sed his non obstātibus, affirmatiuam sententiam tuetur Paludanus in 4. distinct. 17.quæst.3.artic.3.cas. Maior q.2. colu. 6. Richardus artic. 3. quæst.7. Adrianus in 4.de confess.q.5.dub.3. Syluester ver. confessor. 1.q.6. Toletus lib.3.c.13. & Henriquez lib.6.cap.3.num. 4. vbi sic asserit. Quidam non sine ratione addunt, esse licitum in quibusdam casibus confiteri alieno sacerdoti, quando proprius pastor præsens petitam ad id licentiam iniustè negat, quia sic iure petita, videtur ipso iure concessa, & defectum Parochi negantis supplet ipso iure Episcopus, defectum verò Prælati regularis supplet Generalis regularium, aut

certè vtrumque ipso iure, aut ex præsumpta voluntate supplet Summus Pontifex. Sic ipso iure censetur concessa licentia, quando professus impunè transit in strictiorem religionem petit à Prælato licentiam, quam ille iniustè negat, & quando Episcopus regularibus legitimè, & dignè præsentatis negat iniustè licentiam audiendi confessiones supplet Papa; & iurisdictionem confert prædictis Confessarijs. Ita Henriquez.

Cum igitur vtraque opinio ex supradictis sit probabilis, pœnitens in tali casu; vel secundùm primam sententiam potest fingere, tanquam copiam nō habens confessarij, & sic in Paschate non frangeret præceptum, si non confiteretur, & eliciendo actum contritionis, poterit sacram Eucharistiam sumere: vel secundùm alteram sententiam potest confiteri alieno sacerdoti, quæ omnia valdè notanda sunt.

An si pœnitens laboret ignorantia, debeat confessarius illum admonere, si fructus non speratur?

RESOL. LXXX.

HÆc sunt exempla. Si matrimonium, v.g. ob latens impedimentum inualidum sit, si maritus ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea commissum facultate petendi debitum priuatus sit, si pœnitens per ignorantiam aliena bona possideat, &c. Dico igitur quod si Confessarius intelligat pœnitentē laborare ignorantia inuincibili, vel saltem moraliter nō culpabili, & arbitretur admonitione non secuturum esse fructum, sed potius animi inquietudinem, rixas, vel scandala, dissimulare debet, iuxta illud S. Augustini Homil. 41. inter. 50. Si scirem tibi non prodesse non te admonerem, non te terrerem. Et hæc docent ex Adriano, Medina, & Nauarro Paulus Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 13. nu. 5. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 32. sect. 5. n. 3. Sanchez de mat. to. 1. lib. 2. disp. 38 n. 6. Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. diffic. 70. nu. 4. & alij communiter, quæ sunt valdè notanda, quia facilius possunt accidere, & tunc discretus animarum Pastor omnia perpendēs iuxta supradicta se gerat. Nam scio quendam imprudentē confessarium dedisse occasionem multorum peccatorum, è quadā manifestatione vnius ex supradictis casibus. Vnde Villalobos vbi supra nu. 13. sic optimè asseruit. [En estos casos has de estar muy cauto el Confessor, porque algunos ay tam imprudentes, que sin reparar mas luego dizen al penitēte, no esta ys casado, de lo qual se siguen despues grandes inconuenientes; y en este caso tātas veces acontece que el Confessor tenga esta obligacion, porque se ha de alcançar dispensacion del Papa, y esta lexos Roma, y por lo menos ay gran peligro de la incontinencia mientras se saca la dispensacion.] Ita Villalobos.

Notandum est etiam hic, quòd cauere Confessarius debet, si fructus non speretur, ne plus respondeat, quam à pœnitente interrogatus. V.g. Vtrum matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici castitatis, voto obstrictus erat, validū existat, & an vxori debitum reddere teneatur, affirmet vtrumque Confessarius interim tacens de obligatione non petendi debitum. Et ita contra Sotum in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. ad 2. docent Sanchez loco cit. nu. 8. & Layman n. 6. vbi etiam rectè obseruat, quod vbi intelligat Confessarius, vtrum in supradictis casibus pœnitens inculpata ignorantia laboret, necne, caueat eum sollicitare interrogationibus specialibus, videlicet existimetne matrimonium validum esse, nam subdito pœnitenti suspicionem commouebit. Sed solùm in tali casu contentus sit interrogare pœnitentem, nihilne sit, quod animum eius grauet, conscientiam scrupulosam reddat? Et hæc omnia adnotare volui in gratiam Confessariorum, quia in praxi sæpè sæpius aduenire solent.

An si quis v.g. in Natiuitate confessus est, teneatur posteà confiteri, si sequente Paschate à communione accipienda impediatur.

RESOL. LXXXI.

PRo affirmatiua sententia Layman vbi infra citat Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 36. sect. 3. sed immeritò, & Petrum Sotum sect. 5. de necessitate confessionis, & idem tenet Pater Megala in p. 1. lib. 5. c. 3. n. 3.

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam ego ipse docui aduersus Megalam in reso. 54. tract. 3. Miscellan. vbi plures Doctores adduxi hanc sententiam tenentes, quibus nunc addo Emanuelem Sà ver. Confessio, nu. 4. & Layman in theol. mor. li. 5. tr. 6. c. 5. n. 10. quia Concilium Lateranense in c. omnis vtriusque sexus non ita statuit de confessione, ac de communione. Nam dicit, vt fideles omnia sua peccata saltem semel in anno confiteantur, & communionem saltem in Paschate accipiant. Ergo non ita pro confessione, sicuti pro communione tempus Paschale assignauit.

Ex his optimè infert Layman, quod infirmi in lecto defixi, qui communionem in Paschate pro tali impedimento suscipere non possunt, non sunt compellendi ad confitendum, si intra anni decursum legitimè confessi sunt. Imo addit, & si aliquis toto anno nunquā confessus fuisset, & communionem ad breue tēpus ex causa iusta vsque ad Pentecosten differre statueret, probabile est, grauiter non peccaturum, etsi etiam cōfessionem differret, si putaret posteà eam commodius peracturum esse.

Dicendum est igitur absolutè, vt ego ex pluribus Doctoribus in dicta resol. firmaui, si quis confessionem fecit intra annum, non teneri posteà in Paschate confiteri, quia iā adimpleuit præceptum annuæ confessionis, nisi de nouo peccauerit mortaliter, & sacram communionem accipere velit.

An Confessarius possit imponere pœnitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pœnitentis.

RESOL. LXXXII.

NEgatiuè ex Vasquez respondet Turrianus de pœnit. disp. 35. dub. 2. quia si pœnitentia est libera, non prouenit à potestate ligandi, hęc n ligat pœnitentem, vnde non erit pars Sacramenti. Deinde prædictus modus ligandi non quadrat in sententia: sententia enim Iudicis iusta ligat, & aliàs non est sententia, sed consilium Iudicis; ergo, &c. Vide etiam Petrum Fay de pœnit. in addit. ad 3. p. q. 15 art. 1. disp. 4.

Sed his non obstantibus affirmatiuam opinionem docet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. diffic. 77. num. 2. vbi sic asserit. (Ha se de aduertir, que no esta obligado el Cōfessor à dar siempre la penitencia por via de precepto, que algunas vezes basta dezir, si hizieredes tales, y tales buenas obras yo os las doy en penitencia, que con esto por virtud de las llaues se leuanta de punto aquella satisfacion, y esta muy en vso entre Confessores.) Ita ille, & ante illum Fillliuc tom. 1. tract. 8. c. 2. nu. 57. & Fagundez pr. 2. lib. 9. c. 3. num. 11. Henriquez libr. 5. de pœnit. ca. 21. nu. 5. & Suarez to. 4. disp. 38. sect. 3. nu. 2. qui citat Paludanum, Sotū, Victoriam, Ledesmam, & alios. Et ratio est, quia Sacerdos imponendo tali pacto pœnitentiam ligat, & soluit: ligat quidem, quatenus necessitatem huius pœnitentiæ imponit, non simpliciter, sed ad hunc finem, consequendi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc Sacramentum: soluit autem, quatenus facienti talem pęnitentiam, commutat pęnam purgatorij in faciliorem pœnam, quæ per se, & sine virtute clauium necessaria esset. Vnde ex his colligitur pro praxi, vt optimè obseruat Villalobos vbi supra, quod optimi Confessarij semper in absolutione deberent addere illa verba, Quidquid boni egeris, aut mali sustinueris, &c. Ex his etiam infertur cum Fagundez vbi sup. c. 3. nu. 11. quod non requiritur semper, vt Confessarius iniungat aliquod opus in particulari, sed sufficit si dicat, præsertim personis spiritualibus, impono tibi pro pœnitentia, quidquid hodie, vel hac hebdomada, vel mense boni feceris.

Notandum est etiam hic obiter contra eundem Turr. du. 3. Vasq. & Martinum Ledesmam, posse pęnitentiam, ex voluntate tamen Confessarij, & ex iusta causa per alium impleri, & suū effectum ex opere operato in eo, pro quo impletur, sortiri, quia hoc modo impletus semper intelligitur, actus personalis pęnitentis quatenus ad illius petitionem, & preces fit, & vt sic potest esse suo modo pars Sacramenti suscepti, & hoc debet fieri à Cōfessario à principio, quando imposuit pęnitentiam, & in actu confessionis. Et ita hanc sententiam docent Fagundez pr. 2. lib. 9. c. 4. nu. & 12. Fillucius vbi sup. n. 58.

An sit conueniens aliquando imponere pænitentiam implendam per opus aliàs præceptum?

RESOL. LXXXIII.

Didacus Nugnus in addit. ad 3. part. quæst. 15. art. 1. diffic. 1.

2.con.

2.concl.2. docet id non esse conueniens,& Confessorem imponentem talem pœnitentiam peccare venialiter, si confessio sit de venialibus, & mortaliter, si confessio sit de mortalibus, & probat hanc opinionem tribus argumentis.

Sed contrariam sententiam prorsus tenendam esse existimo, quam aduersus Nugnum tenet nouissimè Turrianus de pęnit. disp.37.dub.2. Suarez, Vasquez, Henriquez, quibus ego addo Layman in theol. mor. li.5.du.6.c.15.nu.10. Villalob.in sum.to. 1.tract.8.c.2.nu.46.Fagundez pr.2.li.9.c.5.n.8. Thomam à Iesu en el Tribunal de Conscientia t.2.c.2.asserẽtes, posse hoc expedire vt saltem ex parte aliquid pœnitentiæ imponatur per opus præceptum implendum, considerata pęnitentis dispositione,& infirmitate. Et certè cum opus præcepti sit satisfactorium, atque adeo possit per illud perfici Sacramentum,& opus eleuans vt sit satisfactio sacramentalis, non apparet quare nõ possit aliquando à Confessore iniungi iustè virtute clauium.

Notandum est tamen hic nõ debere imponi regulariter pro satisfactione sacramentali opera debita præcepto aliquo. Vnde infertur, quod si Sacerdos imponat ieiunium absolutè, non satisfacit pœnitens per ieiunium ad quod aliundè teneretur; mẽs enim,& intentio Sacerdotis in hoc casu est præscribere ieiuniũ planè liberum, nisi ex verbis Confessarij, vel rei circumstantijs contrarium colligi possit. Puta si confessarius præcipiat, vt diebus festis duæ Missæ audiantur intelligendus est, Missam, quæ in pręcepto est, etiam comprehendere velle. Item si cui certa eleemosyna iniuncta fuit, is satisfaciat etiam, dando extremè indigenti. Cum enim casus iste extraordinarius sit, & ratio cõtingens, non videtur Confessarius eum excludere voluisse, ne alioquin pœnitens nimis fortasse grauetur duplicem eleemosynam dando. Et sic docet Pet. Fay de pęnit. in addit. ad 3.p.q.15. art. 1. disp.2.concl.1. Layman in theol.mor.li.4.tr.6.c.15.num. 10. Coninch. de Sacram. disp. 10.dub.8.n.60.& alij vbi supra; quidquid in contrarium afferat Sotus in 4.dist.19.q.2.art.1. in fine, vbi sic distinguit. Si obligatio faciendi eleemosynam superuenit post confessionem, sufficiet illa eleemosyna ad implendam obligationem pęnitentis, secus si antecessit. Sed hanc distinctionem meritò impugnant Suarez, Turrianus,& Fagundez. Nam quid quæso refert, quod obligatio antecedat, vel subsequatur?

An satisfactio sacramentalis facta in peccato, reuiuiscat cum homo resurgit per contritionem subsequentem.

RESOL. LXXXV.

NEgatiuam sententiam docet Turr. de pęnit. disput.38.dub. 3.qui citat Vasquez; Sotum, Ledesmam, & Adrianum. Ratio est, quia nullibi in Scriptura sacra inuenitur talis promissio. Ergo sine fundamento asseritur.

His tamen non obstantibus, affirmatiuè respondendum esse puto cum Suarez to.4.disp.38.sect.8.nu.5. Fagundez pr.2.lib.19. c.4.nu.9. Petro Fay de pœnit. in Addit. ad 3.p.q.14.art.3. disp. vn. Caietano, Petro Soto, Victoria, Nauarro. Ratio est, quia Sacramentum pœnitentiæ consequitur suum effectum recedente fictione, sicut reliqua sacramenta, ergo etiam satisfactio, vt est pars integralis sacramenti pœnitentiæ. Consequentia patet, nã vt talis, etiam est opus Dei. Quæ omnia intelligenda sunt, non tantùm quoad effectum gratiæ, sed etiam quoad effectu remissionis pœnæ,& ideò Layman in theol.mor.l.5.tr.6.c.15.num.15. sic asserit. Probabile valdè est, quod remoto posteà obice peccati mortalis per nouam pęnitentiam, mox ex virtute Sacramenti (per Christi merita) sequatur remissio pęnæ temporalis.

An qui dixit Confessario, se velle apud eum confessionem generalem facere, teneatur posteà ei aperire omnia peccata mortalia.

RESOL. LXXXVI.

AFfirmatiuè respondent Victor. in sum. Saram. nu. 253. Ledes. in 2.p.4.q.8.art.2.dub.15. Ratio est, quia aliter faciendo, decipit confessarium, qui Christi vicem gerit in re graui.

Sed quia hic casus frequẽter solet accidere, ideò negatiuam sententiam teneo cum Henriquez lib.2.ca.12.n.2. in Glossa litt. D.& alijs communiter, quia quamuis ita dicendo mentiatur, id parum refert quoad hanc obligationem. Absolutè enim non tenetur in confessione omnia dicere, nec dari præceptum, potest etiam Papale, iustè obligans in hoc casu ad omnia dicenda, nec fallit in re, quæ per se pertineat ad forum huius Iudicis, ac proinde falsum est, dicere illum fallere confessarium in re graui, pertinente ad suum Iudicem. Si verò cum id confessario dixit, habebat re vera intentionem confitendi omnia peccata; hoc non obstante non tenetur omnia dicere, quia potest posteà mutare voluntatem suam, vnde non sunt audiendi Victoria, & Ledesma vbi supra.

An si pœnitens non vult dare licentiam Confessario, vt ei aperiat defectum commissum in confessione, possit illum aperire.

RESOL. LXXXVII.

REspondent affirmatiuè aliqui, vt nos alibi notauimus, & nouissimè ita etiam tenet Turr. de pœn. q. 11. art. 1. disp. 33.dub.6. vbi sic asserit. Deinde Suarez, & alij docent, quod si Confessor commisit aliquem defectum in confessione, & iudicat esse necessarium admonere pęnitentem, potest facultatem petere ab ipso pœnitente, vt de ea re cum ipso tractet. Quod si nolit eam concedere, poterit nihilominus Confessarius manifestare pœnitenti id, quod iudicat necessarium ad rectè exercẽdum munus Confessoris. Ita ille.

Sed mihi summopere displicet, viros doctos hæc docuisse, & ideò hanc sententiam rectè Fagundez pr.2.li.6.c.4.n.33. improbabilem putat; quia ex illa datetur casus, in quo absque licentia pœnitentis expressa loqui possit Confessarium cum ipso pœnitẽte de rebus sibi confessis, quod est absurdum, & omnes DD. negant;& aliter facere, erit exprobare pœnitenti peccata confessa,& exosam reddere cõfessionem, & iniuriam facere sacramento. Vnde in casu proposito, quãdo Confessor commisit aliquem errorem in confessione, quia. v.g. absoluit non subditum, vel excommunicatum, vel à casu reseruato, vel non iniunxit obligationem restitutionis, non potest loqui cum pęnitente de supradicto errore, sed petat licentiam ab illo,& si negat, culpa, quæ fuerat Confessarij, eo ipso in pœnitentem transfertur, & Confessarius liber ab omni obligatione manet. Vide Syluium in addit. ad 3.p.q.8.art.5. quęritur 8.concl.2. & alios communiter.

Notandum est etiam ex supradictis contra Henriquez lib. 3. de pęnit.c.2.nu.2. in fine, si statim post finitam confessionem, & datam absolutionem occurrat error emẽdandus, non posse confessarium loqui cum ipso pęnitente de confessione, & errore corrigendo, absque prædicta licentia, tum quia scandalum foret pęnitenti, tum quia est contra doctrinam communem Doctorum dicentium absolutè post finitam confessionem, non licere Confessario loqui cum pęnitente de rebus confessis, nisi de licentia expressa pęnitentis, & ita contra Henriquez docet Fagundez vbi supra; quæ omnia sunt valdè à Confessarijs notanda, quia hic casus passim in praxi solet accidere.

An si quis commisit fornicationem sufficiat si dicat in confessione, commisi graue peccatum in materia castitatis cum soluta.

RESOL. LXXXVIII.

HÆc quæstio ponitur pro illis, qui tenent circũstantias aggrauantes nõ esse in confessione aperiendas,& illam apud neminem inueni, nisi nouissimè apud Turrian. de pęn. q.9. art.2. disp. 29. dub. 2. ad arg. 5. vbi obseruat, quod recentiores aliqui censent probabile, talem modum confitendi sufficere per se loquendo, licèt pęnitens commiserit fornicationem. Et ipse hanc sententiam probabilem etiam putat, nam & contrariam, quam tenet, probabiliorem tantùm vocat. Sed an sit verè talis, alijs iudicandum relinquo, communis enim vsus fidelium est in contrarium.

An sufficiat, vt meretrix inueterata in confessione tantum manifestet tempus eius officij,

RESOL. LXXXIX.

AFfirmatiuè respondent nouissimè Pharaonius de Sacram. Pœnit. tract. 1. sess. 16. casu 5. Canus de Pœnit. part. 5. §.

colligo, attamen Caietanus to. 1. opusc. tract. 5. q. 3. Petrus Soto lect. 9. de confessione, & Nauarrus in summa. c. 6. n. 15. asserunt talem sententiam non obligari ad explicandum speciatim numerum peccatorum, sed sufficiet, si manifestat tempus.

Et hanc sententiam tanquam probabilem videtur etiam admittere Fagundez pr. 2. lib. 5. c. 4. nu. 11. in fine, licèt ipse, & optimè doceat, quòd supradictæ meretrices oporter, vt saltem præter tēpus principales species peccatorum, quas possunt numerare, dicant, vt si cum clericis, religiosis, propinquis, coniugatis peccarunt, vel si crimen nefandum cum ipsis commiserint, &c. Et ita etiam docent Villalob. in sum. to. 1. tr. 9. diffic. 34. n. 5. Henriq. lib. 2. de pen. c. 5. n. 9. Turr. de pen. q. 9. art. 2. disp. 19. du. 4. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. Suarez to. 4. disp. 2. sect. 6. n. 8. 9. & alij.

Ex his apparet, vt benè obseruat Fay de pen. in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. disp. 2. concl. 2. cum alijs communiter, quod quando pœnitens per longum tempus fuit in malo statu, aut consuetudine iterationis alicuius peccati ita vt non possit designare numerum, quantum humanitùs fieri potest, satisfaciet declarando tempus, quo fuit in tali statu, & consuetudine.

Hinc etiam infertur, quod rustici homines, qui agresti, & inculto modo confitentur, sine numero, & diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones factas cum indoctis Parochis, Cum enim bona fide confiteantur, & vniformem vitæ modum, & viuendi rationem habeant, statim ex confessione vnius anni coniiciet prudens Confessarius, quantum in reliquis annis peccauerint, & quot numero peccata commiserint. Ita Fagundez sup. nu. 10. cap. 2. nu. 5. cum Henriquez lib. 2. de pœnit. c. 3. num. 10.

An qui pluries vouit, vel pluries iurauit facere aliquam rem, frangatque votum, seu iuramentum, teneatur hoc in confessione aperire?

RESOL. XC.

Respondeo negatiuè cum Fagundez præcept. 2. lib. 3. cap. 5. numero 7. vbi sic asserit. Quoties plura præcepta, vel plura vota, aut plura iuramenta de eadem re dantur, v. g. de ieiunio de audiendo sacro in eodem die, vnum tātum peccatum committit, qui eadem vota frangit, vel præcepta, vel iuramenta, graniùs quidem, quam si vnum tantùm preceptum, vel votum, vel iuramentum frangeret. Ratio est, quia omnia vota, vel præcepta, vel iuramenta sunt vincula eiusdem speciei, & relinquunt peccatum in eadem specie. Ita Fagundez, qui citat Caietanum, & D. Antoninum. An verò dicta circumstantia sit in confessione aperienda? Respondeo negatiuè. quia vt alibi satis probatum est, ego puto circumstantias notabiliter aggrauantes, non esse necessario in confessione explicandas; Igitur in dictis casibus sufficit, vt pœnitens dicat, toties non ieiunaui, vel non audiui sacrum.

Ex his etiam infertur, quòd qui per diuersos sanctos, & formas iurandi iuret, aut voueat, vnum tantùm iuramentum, aut votum efficere. Et ita docet Henriquez lib. 2. de penit. cap. 5. n. 6. cum alijs. Et ego putò hanc circumstantiam tanquam aggrauantem non esse in confessione aperiendam, sicut etiam testis, qui simul rogatur de multis articulis sub vno iuramento, & in omnibus mentitur, puto vnum tantùm peccatum committere nec teneri hoc in confessione aperire.

An pœnitens, qui confessus est de peccato dubio si posteà sciat certo, vel probabiliter illud peccatum commisisse, vel fuisse mortiferum, teneatur iterum illud confiteri?

RESOL. XCI.

Hic casus frequenter accidit, & affirmatiuam sententiam tenet Turrianus de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6. vbi sic asserit. Hoc loco occurrit notandū, quod olim docui non semel de hac re rogatus, nempè, si post confessionem peccati in dubio pœnitēs habeat notitiam certam, vel probabile iudicium, quod tale peccatum fuerit mortiferum, obligari pœnitētem ad manifestandum illud vt certum. Ratio est, quia peccatum explicandum est in confessione, prout est in conscientia pœnitentis: prædictum autem peccatum, iam est in conscientia pœnitentis, vt certum, quà ratione non erat subiectum clauibus, sed solùm vt dubium est. Ergo adest obligatio manifestandi illud in confessione. Ita Turrianus, & ante illum Sanch. in sum. to. 1. li. 1. c. 10. n. 69. qui tamen optimè addit, hoc nō procedere, quando pœnitens integrè fassus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamē an esset mortale. Quamuis. n. Confessor simili dubio teneretur, nō est iterùm illius peccati repetenda confessio, si posteà alteruter doctior factus, aut alijs consultis, norit id peccatum esse mortale. Ratio est, quia planè in confessione suum peccatum manifestauit, nec noua circunstantia explicanda occurrit, nec ad confessionis valorem est necessarium, vt pœnitens, aut confessor sciat determinatè peccatum confessum esse mortale. Ergo.

An qui non adimplet pœnitentiam in tempore a Confessario præfixo, peccet mortaliter.

RESOL. XCII.

Negatiuè respondet Thomas à Iesu en el tribunal de la cōsciencia in tract. 3. cap. 2. dub. 6. vbi sic asserit. (Dira alguno què pecado es no hazer la penitentia ex tiempo señalado del confessor.) Respondeo (de ordinario es pecado venial de negligencia, quando sin causa se difiere, mas quando con iusta causa se defiere, no es pecado ninguno.) Sed de hac quæstione alibi dictum est.

Notandū est tamen hic obiter pro praxi, quod si in honorem festi alicuius peculiaris imponat, v. g. Confessarius ieiunium, si per impotentiam à ieiunio illius Diei pœnitens excusetur, non tenetur posteà alio die ieiunare. Secus autem si Cōfessarius præciperet pœnitentibus ieiunium diebus Veneris, vel Sabbathi vnius mensis, vel anni; tunc enim qui aliquo dierum illius temporis non ieiunaret, teneretur in alio posteà die ieiunare. Et ita ex Nauarro, & Syluestro docet Fagundez pr. 2. lib. 9. c. 4. n. 5.

An Medicus teneatur derelinquere infirmum nolentem confiteri.

RESOL. XCIII.

Pius V. anno Domini 1566. in quadā bulla incipiente Super gregem, &c. præcipit, ne Medici vltra tertium diem visitet ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet per fidem confessoris in scriptis datam, & addit, vt ante gradum Doctoratus petatur ab illis iuramentum seruandi istam constitutionē. Quæ quidem constitutio renouatur, c. cum infirmitas de pœnit. & remiss. vbi præcipitur Medicis, vt quando vocantur ad curandos ægrotos, priusquam curationem corporis incipiāt, eos moneāt ad confessionem faciendam, quæ omnia essent valdè Medicis onerosa, si benignè viri docti illa non explicarent.

Dico igitur primò contra Cherubinum in compēdio Bullarum, tom. 2. const. 3. Pij V. schol. 2. Rodriquez in QQ. Regul. to. 1. q. 47. art. 3. D. Antoninum 3 part. t. 7. ca. 2. §. 4. Syluestrum ver. Medicus, q. 3. dicto 3. & alios. dictas constitutiones Pontificias nō obligare in quibuscumque morbis, sed in morbo graui, vel, qui in principio prudenter iudicatur à medico periculosus, vt grauis efficiatur. Ita Nugnus in addit. ad 3. p. to. 2. q. 6. art. 5. difficult. 2. Scortia in Bull. Pontific. Epitome 89. Theorema 225. Suarez to. 4. disp. 35. sect. 3. n. 4. Tabiena ver. medicina, q. 12. nu. 13. Rosella ver. medicus, n. 3. Angelus eodem verb. n. 9. Armilla n. 1. Graffius p. 1. Decis. lib. 3. c. 14. nu. 7. Vegha in sum. to. 2. c. 35. cas. 4. Homob. vbi infra, & alij.

Dico secundò supradictam monitionem satis esse, vt Medicus faciat per alios, nam sic constitutiones illa interpretata est consuetudo. Ita Vegha, Graffius, Suarez ll. cc. & Homobonus de statibus, p. 2. c. 4. & alij penes ipsum.

Dico tertiò, quòd si æger in probabili mortis periculo constituatur, non est deserendus à Medico, etiamsi pertinex sit in renuenda confessione. Imò idem dicendum est, quoties Medici absentia esset grauiter ægro nocitura. Plus etiam addo, quod quādo creditur certò monitionem nil profuturam ob ægri obstinationē, nec Medicus tenetur eum admonere, nec eum deserere, nam Pontificis mens fuit spirituali ægri saluti consulere, & nil frustraneū præcipit. Sed in hoc casu frustratoria esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Ergo, &c. Et ita docent Sanch. in sum. to. 1. li. 3. c. 16. n. 10. 11. & 16. Villalob. in su. tr. . 9. diffic. 27. n. 5. Barbosa in collect. t. 2. li. 5. tit. 38. c. 13. n. 4. & Sylnius in addit. ad 3 p. D. Th. q. 6. art. 5. quæritur 2. conclus.

Dico

Dico quartò, non esse necessarium, quod Medicus exigat fidem Sacerdotis in scriptis, sed sufficit testimonium illorum, qui eius curam gerunt, si sint fide digni. Immò talis potest esse infirmus, vt eius testimonium sufficiat; nam ita constitutionem Pij V. vsu acceptam fuisse, testantur Didacus Nugnus in 3.p. to.2. q.6. art.5. diffic.2. Filliucius to.1.tr.7.c.3.nu.34. Scortia, Barbosa, & alij vbi supra.

Dico quintò, cum supradictis Doctoribus, iuramentum à Medicis præstitum exequendi decreti, solùm intelligi in quantum præsens constitutio Pij V. vsu recepta est: Ita Scortia, Sanchez, & alij locis cit. Imo Villalobos in summa, to.1. tr.9. diffic. 27. n. 6. in fine, sic ait. (En esta Vniuersidad de Salamanca no esta en vso, que ni toman iuramento à los doctores, ni ellos lo guardan, sino que mandan confessar al enfermo, quando esta en peligro, y creo deue ser lo mismo en otras partes.) Sed an ita sit, nescio, in nostra tamen Synodo Panormitana part. 2. nu. 11. sic habetur. Quod Summus Pontifex Pius V. propositis pœnis iussit, ne Medici post triduum ægrotos inuisant, nisi peccata confessi sint: curent Parochi vt exequutioni debitæ mandetur, quæ verba intelligenda sunt iuxta limitationes, & interpretationes Doctorum, de quibus supra dictum est.

Quomodo intelligenda sint illa verba, plus, vel minus, quando pœnitentes se accusant de numero peccatorum?

RESOL. XCIV.

QVando non potest explicari certus numerus peccatorum, solent pœnitentes se accusare hoc modo, v. gr. fornicatus sum vigesies, plus, vel minus quæritur dicta verba ad quem numerum peccatorum extendantur; ita vt posteà non teneantur illa cõfiteri, si commissorum amplius aliquot vicibus recordentur. Ioannes Sancius in select. disput. 2. n.13. videtur docere ista verba plus, vel minus, vsque ad duo, vel tria extendi. Et ideò ait Filliucius. to.1.tr.7.c.4.n.84. si non constat certus numerus peccatorum, dicatur probabilis, dicendo, v.gr. decies peccaui plus, vel minus, quod si posteà aduertat fuisse 12. non est necesse illa duo amplius confiteri, secus si recordetur fuisse 15. vel 20. nam teneretur confiteri illum excessum. Idem etiam docent Reginaldus tom.1.lib.6.c.3. num.206. Vegha in summa, tom.1.cap. 63. cas.25. Ledesma in summa, tom.1. cap.17. concl.7. Sotus in 4.dist.18. quæst.2. art.4. Syluest. ver. confes.1. num.12. Sà verb. confessus, num.32. Toletus lib.3.cap.7.nu.1. Villalobos in sum. tom.1.tr.9. dub.31. num.5. Syluius in 3. addit. ad 3. part.q.9.art. 2. quæritur 1. & alij.

Sed supradicta opinio esset nimis rigida, & scrupulosa, & ideò non admittenda. Vnde mihi placet opinio Fagundez præcept. lib. 2.c.5.n.9. vbi docet, quod maior, vel minor excessus illorum verborum (plus minusue) sumendus sit per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum peccatorum, & ideò quãdo huiusmodi excessus, vel defectus sit nimis magnus, arbitrio prudẽtis committitur. Quod vltimum etiam docuerat antea Vasquez in 3.p.to.4.q.91. art.1.dub.2. num.2. dicendum est igitur, illa verba (*plus minusue*) esse extendenda vltra binarium, vel ternarium secundùm maiorem, vel minorem numerũ peccatorum, de quibus pœnitens se accusauit. Et ideò Nauarrus in c. consideret, de pœnit. dist. 5. num. 42 sic asserit. Non oportet confitentem nimium esse obnoxium in exactè confitendo numero, sed sufficit bona fide exprimere certum, puta centum plus minus decem, Ita ille. Neque Doctores supra citati faciunt cõtra me. Nam loquuntur communiter, quando pœnitens se accusat decies plus, minusue peccasse. Nam concedimus posito dicto numero, illa verba non esse extendenda nisi ad duo, vel tria paccata, nõ autem si pœnitens se accusaret v.g. centies plus minusue peccasse, quod est valdè notandum à Confessarijs, & pœnitentibus scrupulosis.

Non grauabor tamen hic apponere singularem opinionem Martini Viualdi in Candelabro aureo de confess. tit.7.§. sed dixi nu.3. fol. mihi 100 vbi sic ait. Si aliquis recordaretur multorum peccatorum, vt si confessus fuit peccasse decies, & posteà recordatur peccasse vigesies, quia error magnus fuit in primo numero, teneatur illa peccata secundùm communem confiteri, sed verè, salua pace, mihi videtur, quod si quis dixit, peccaui decies in hoc peccato, & de omnibus alijs, quæ Deus scit me commisisse in hoc casu, quorum non recordor, dico meam culpam, non teneri amplius confiteri, si posteà aliqua venerint in memoriam; dummodo sufficiens examen, ac debitum prius fuerit. Ita Viualdus. Sed an hæc opinio sit probabilis, iudicent alij, mihi enim non placet.

An circumstantia interruptionis actus interni sit in confessione toties, quoties exprimenda?

RESOL. XCV.

PLausibilis erit hæc quæstio Confessarijs. Igitur supponendũ Melchiorem Canum in relect. de pœnit. par.5. docuisse dupliciter interrumpi posse aliquam voluntatem, primò contraria volontate, & tunc necesse est, confiteri, quoties prauam voluntatem quis renouauit. Si verò interruptio fiat naturali obliuione, aut inconsideratione, non oportebit numerum exprimere, sed dicere, toto mense, v.g. amaui Mariam, etiamsi possit numerus exprimi. Hæc in sentẽtia Cani, quam falsam putant Nugnus in addit. ad 3. part. tom.2. qu.9. art.2. dub.1. & Vasquez in 3.par. tom.4.q.91. art.1. dub. 5. num. 10. vbi ait. Existimo falsissimam opinionem Cani, quia reuera sunt plura numero peccata, quando reperitur sepissime eadem voluntas, etiamsi nunquam fuisset retractata actu contrario. Nullam enim continuitatem video in iis voluntatibus, cum vna ex alia non dependeat, tam quando interruptæ sunt naturali obliuione; quam quando interruptæ sunt contraria voluntate. Ita Vasquez, & communiter DD. & ego.

His tamen non obstantibus opinionem Cani, quam falsam vocauerint Vasquez, & Nugnus, nouissimè viri doctissimi amplexi sunt, quorum verba accipe. Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct. conscientiæ, p.2. de Sacram. pœnit. q. 3. du 6. si intra aliquod tẽpus renouasti pluries cogitationes intercisas per cessationem, somnum aut aliam occupationem, nõ teneris explicare singulas renouationes; cum omnes illæ censeantur vnum peccatum in genere moris, etsi materialiter multiplicentur, sat est enim explicare tunc tempus illarum cogitationum; secus si illæ cogitationes interrumpantur per actum cõtrarium. Ita ille, & ex eademmet Dominicanorum familia Petrus Fay disp. de Sacram. pœnit. in Addit. ad 3. p. D. Thomæ, q.9. art. 2. disp. 5. ad 4 argum. sic asserit. Oportet aperire tempus, quo actum peccati quis continuauit, si notabile fuerit, v. g. permansit aliquis in turpi cogitatione per integrum diem, aut hebdomadã, debet hoc pœnitens confiteri. Non est tamen necessariũ dicere vices, quibus cogitationem illam repetiit, quando non fuit interrupta per actum cõtrarium, sed solùm per cessationem, aut occupationem in alijs. Ratio est, quia repetitio illa non efficit distinctum numero peccatum mortale in genere moris, sed tantùm vnum æquiualens pluribus. Idem dicendum proportionabiliter, quando quis per mensem, aut annum cõtinouauit odio prosequi aliquem, neque toto illo tempore interrumpit actu contrario. Ita Fay licèt contrarium asserat Bonacina de Sacr. disp. 5. sect.2. punct.2. §.3. difficul.2. n.5. Sed audiamus Pitigianum in 4. sent. to. 2. dist. 17. q. vnica, art.5. circum, quantum, vbi sic asserit. Si interruptio actus mali facta est per actum cõtrarium, necesse est confiteri eam in confessione, pandendo vices, quibus eandem malam voluntatem renouauit. Sed si interruptio fuit naturaliter, non oportet explicare huiusmodi renouationes, sed tantùm eius continuationem, si notabilis est: veluti dicendo, per totum mensem desideraui hoc facere malum.

Et tandem hanc sentẽtiam docet Homobonus de Examin. Eccles. par.1. tract.5. ca.13. quęst. 83. ita asserens. Quando interruptio fieret alicuius negotij, aut alterius cogitationis occurrẽtis, vt cum quis, v.g. statuit fœminam, vt ea potiatur, alloqui, sed naturaliter ab alijs rebus distractus, & peregrina cogitatione absurdius illius propositi obliuiscitur, tunc cum se negotijs vacuum videns, pristinam illam iniquam voluntatem repetit, pandere vices, quibus illam renouauit, non tenetur pœnitens, cum vnicum tantùm peccatum admittatur. Sic Homobonus, & ex parte hanc sententiam docet Salas Societatis Iesu in par.2. to. 2. tr.13. disp.5. sect.8. num.85. vbi sic ait. Voluntas efficiendi aliquod peccatum externum, quamdiu opere nõ completur, nec interrumpitur per cõtrarium actum, licèt physicè interrumpatur, & posteà renouetur, vnicum tantùm peccatum est. Intellige nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio. Ita Salas. Vnde ego, licèt primam sententiam sequar, nõ condemnarem hanc secundam sequi volentem, vt confessio reddatur hominibus facilior,

& amabilis, ac iugum Domini suaue. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Filliucium to.2.tract.21.c.8.n.317. Philiarchum de offic. Sacerd. to.1.p.2 l.2.c.22. Coninch. de Sacram. disp.7.dub.7.n.52. Reginald. to.1.li.6.c.4.p.2.du.5. n.118. Contradum in resp.p.2.q.173. Lopez in instruct.p.1.c.13.q.4.

An mendacium de veniali peccato, quod est totalis materia confessionis, sit peccatum mortale.

RESOL. XCVI.

AFfirmatiuè respondent communiter DD. Nauarrus in cap. Fratres, de Pœnit. dist. 5. num. 15. Layman in theolog. mor. lib.4. tract.6. cap.8.n.15. Coninch. de Sacram. disput. 6. dubio 3. num.8. Fagundez præcept.2. libr.4. cap.2. num.10. Angelus ver. confessio, nume.17. Armilla eodem ver. §. 6. Filliucius tom. 1. tract.7. c.4. num.112. Megala in pr. part. libr. 5. c.9. num 7. Villalobos in summ. to.1. tract.9. dub.41. num.4. Sotus in 4. distinct. 18. q.2. art.4. Suarez tom.4. disp. 22. sect. 10. numer.6. & alij communiter. Et ratio est, ait Suarez, quia pœnitens in tali casu mentiendo efficit Sacramentum nullum, quia nulla materia apponitur formæ.

Sed Philippus Faber publicus Theologiæ Professor in Academia Patauina nouissimè in suo tract. de pœnit. in 4. sent. dist. 17. quæst. vnica, disp. 14. cap.3. nume. 51. docet mendacium veniale, etiam quando est tota materia confessionis, esse tantùm peccatum veniale. Ad rationem verò, quod forma redditur falsa, & nullum Sacramentum, respondet idem euenire cùm materia est partialis, nam etiam quis partialiter mentiens, facit vt ex illa parte forma sit falsa, & sit sacrilegium: sicut qui proferret formam consecrationis simul super panem triticeum, & hordeaceum, non minus peccaret, quam si supra hordeaceum tantùm. Nec valet responsio Suarez, quod non est par ratio de Eucharistia, & de forma confessionis, quia illa est vniuersalis, & respicit totam materiam, hæc non ita; sicut qui baptizaret aqua, in qua mixta esset gutta aquæ rosaceæ, non propter hoc non baptizaret. Hæc, inquam, responsio non valet. Differentia enim illa inter formam Eucharistiæ, & istam confessionis est voluntaria, quia vtraque cum sit forma Sacramenti, & habeat suam materiam, illam totam respicit, absolutio enim respicit omnia, & singula peccata. Vnde si in parte fraudetur, in parte læditur, & fit sacrilegium. Exemplum autem illud de baptismo non est ad propositum. Ratio enim propter quam aliquis aqua admixta gutta aquæ rosaceæ baptizaret, non est, quia illa gutta sit partialis materia baptismi, vt est veniale, sed quia ista gutta nõ mutat essentiam, & substantiam aquæ naturalis, sed in illam conuertitur, ideò non lædit materiam illam, ne possit esse materia sacramenti, ideò non est simile hic, & ibi. Hæc omnia Faber vbi supra, qui putat omne mendacium veniale, siue sit partialis, siue sit totalis materia Sacramenti, esse semper peccatum veniale, est enim semper res leuis, & parum læuis iudicium cõfessarij, ideò nunquam censendum peccatum mortale. Ita ille. An verò probabiliter, iudicio aliorum me remitto, mihi enim non placet.

Quam sit necessarium ad tollendos Confessariorum scrupulos, in imponendis paruis pœnitentijs adiungere post absolutionem illam clausulam, quidquid boni feceris, aut mali sustinueris?

RESOL. XCVII.

LIcèt pœnitentiæ pro peccatis à Confessarijs in confessionẽ iniungendæ non sint determinatæ, sed relinquantur arbitrio confessarij moderandæ, attentis criminum, & delictorum circumstantijs, attamen si confessarius pro magnis peccatis imponeret paruas penitentias, peccaret ex communi DD. consensu; ideò multi confessarij magnis scrupulis in imponendis penitentijs excruciantur. Dicendum est igitur ad eorum solatium, quod si post peccatorum absolutionem, apponant clausulam illam quidquid boni feceris, &c. excusantur à peccato, si fortè paruas pœnitentias imposuissent. Et ita docet Bera in Resp. par.3. cas.1. in fine, vbi sic asserit. Hinc fortè possunt excusari à peccatis confessores imponendo paruas pœnitentias, quia omnes hac clausula iam vtuntur, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c. Homines autem vt plurimum bona multa faciunt, & mala plurima sustinent, quæ sic applicata, rationem habent satisfactionis sacramentalis. Ita ille. Et Homobonus in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap.15. quæst.94. sic ait. Admonent DD. confessarium debere penitenti iniungere, *vt quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit, in suam satisfactionem cedat*. Qua clausula excusari videntur confessarij, si vel pro magnis peccatis paruas pœnitentias iniungant, sic Homobonus. Vide etiam Reginaldum in Praxi, tom. 1. lib.7. c.3. sect.1. num.26. Filliucium to.1. tract.8. c.2. num.47. & Bonacinam de penit. disp.5. q.5. sect.3. numer. 13. Sed supradicta opinio non est intelligenda, si pœnitens egeat penitentia aliqua præseruatiua quia illa opera bona ab ipso posteà facienda, non erunt forsitan proportionata ad necessariam peccatorum medelam, & verba dictæ clausulæ erunt pœnitenti declaranda, vt sciat leuem pœnitentiam sibi ideò imponi, quia omnia bona opera totius suæ vitæ, in satisfactionem pœnæ peccatis suis debitæ iniunguntur, & acceptantur.

An in articulo mortis etiam post confessionem factam, tamen cum attritione cognita teneamur elicere, & habere actum contritionis omnium mortalium, qua in vita commisimus?

RESOL. XCVIII.

HIc casus omnibus deseruiet. Nam qui est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Affirmatiuam sententiam docent Suarez in 3. p. to. 4. disp. 15. sect.4. nu. 17. Nugnus in 3. p. tom.2. q.2. art.4. dub.4. Zambranus de cas. occur. tem. mor. cap. 4. dub.1. num. 4. & alij. Probatur hæc opinio, nam vnusquisque tenetur ex charitate propria certam facere salutem suam omnibus medijs possibilibus. Sed quamuis practicè verum sit attritionem cognitam sufficere cum sacramento penitentiæ, tamen hoc non est de fide certum, & idem falsum esse potest. Ergo saltem vir doctus, qui totum hoc scit, & aduertit, tenetur in morte elicere actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, & hoc non faciendo mortaliter peccabit. Ita Suarez, primus auctor huius opinionis.

Sed contrariam sententiam, & meritò, docent nouissimè doctus Fagundez de præcep.2. li.2. cap.4. num.13. Becanus de Sacram. cap.35. num.3. Layman in Theol. mor. lib.4. tra.6. c.2. n.6. Coninch. de Sacram. disp.5. dub.1. num.5. & Faber de pen. in 4. sent. dist. 14. qu.2. disp. 18. cap.3. nume.71. cum alijs. Primò, quia nec in scripturis, neque in Concilijs habetur tale preceptũ charitatis. Secundò nemo tenetur neque ex propria charitate, neque ex alio precepto amplius facere, quam id, quod Ecclesia docet ad salutem esse necessarium. Sed Ecclesia per Cõciliũ Tridentinum docet ad salutem, & ad gratiam impetrãdam a Deo, sufficere attritionem cognitam simul cum pœnitẽtiæ Sacramẽto. Ergo non tenetur quis ad amplius. Tertiò, quia ex ista opinione sequeretur incertum esse, non sufficere attritionem cum sacramẽto ad obtinendam salutem. Sed hoc dicere est falsum. Ergo frustrà requiritur alia certitudo extrinseca. Quartò, ex hac opinione sequeretur nunquam licere homini cõfiteri cum sola attritione, quia semper se committeret periculo peccandi mortaliter, vel saltem non excipiendi gratiam quod est omninò falsum. Ergo, &c. Quintò, quia ex ista sententia, non omnes homines tenerentur in tali casu elicere actum contritionis, & amoris Dei, sed solùm viri docti, qui scirent non sufficere attritionem cum sacramento, vnde tale præceptum naturale esset tantùm doctis impositum, & non indoctis, & ideò esset in hoc peioris conditionis Theologus, quam artista. Sed hoc minimè dicendum videtur. Ergo, &c.

Cæteras rationes videbis apud Fabrum, & Fagundez, qui rectè notauit sententiam Suarez, laqueos inijcere conscientiis in re graui, & ad salutem necessaria, & homines in dubium de propria salute adducere. Igitur infirmus in articulo mortis non tenetur in rigore, & ex præcepto elicere actum contritionis; sed sufficeret si cõfiteatur etiam cum attritione cognita, licet melius faceret si in se excitaret perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei, vt notant ipse Faber, & Layman vbi supra.

Sed dices, præceptum cõtritionis per se, & ex intrinseca eius obligatione, obligat saltem in tẽpore mortis. Ita DD. communiter

niter. Ergo tunc quilibet infirmus tenebitur elicere actum contritionis. Respondeo cum Fagundez vbi sup. præcep. 2. lib. a.c.6.num.5. quod si tempore mortis existat confessarius, non tenetur quis elicere actum contritionis, sed solùm tenetur attritionem præmittere, & confessionis sacramentum suscipere, quia per Sacramentum confessionis cum attritione, ex attrito fit homo contritus, & tunc satis suppletur obligatio præcepti, per attritionem videlicet, & susceptionem Sacramenti confessionis. Vide etiam Ioan. de la Cruz in direct. part. 1. de Sacram. pœnit.q.3.dub.5.concl.2.

Quam parcè, & cautè se gerere debeant Confessarij in interrogationibus aliquorum peccatorum cum mulieribus?

RESOL. XCIX.

POnam hic pulchra verba Angeli ver. interrogationes, nu. 1. sic asserentis. Confitetur mulier, quod fuit cognita extra vas debitum, nõ quęrat posteà cõfessarius in quo loco, vel quomodo, & huiusmodi, sicut faciunt quidam, qui potius sunt cõtaminatores, quam confessores. Ita ille; quem posteà sequutus est Fagundez præcep. 2. lib. 4. cap. 2. num. 8. vbi sic asserit. Si mulier, aut vir confitetur habuisse copulam extra vas naturale, non est inquirendum in qua parte corporis, quia sufficit habere cognitionem huius peccati contra naturam, & non oportet scire illas circunstantias, quia maior cognitio potest afferre nocumẽtum magnum confessori. Hinc Homobonus in exam. Eccl. part. 1. tr. 4. c. 12 q. 11. dixit, præstare aliquando sacerdotem minus perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quam vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, quæ verba ille desumpsit ab Ægidio Coninch. de Sacram. disp. 7. dub 7. n. 56.

An confessio sacramentalis iniuncta singulis mensibus possit vltra differri?

RESOL. C.

POnam hic verba Ioannis Sancij in selectis, disp. 13. num. 9. vbi sic asserit. Animaduertito tamen non transgressurum pœnitentiâ illum, cui esset iussum intra vnum mensem confitendum fore, si per tres, vel quatuor dies vltra mensem confessionem differret, præsertim ex causa iusta, & idem iudico si votum esset emissum de confessione agenda. Nõ enim ita mathematicè præfigendus est terminus, nec Deus adeò rigorosus exactor erit iudicandus. Imò si intra octo dies à mense elapso solemnis aliquis dies sequeretur, vel Iubileum, &c. posse differri confessionem vsque ad illum diem mihi persuadeo, si ęgrè pœnitens ferret bis intra octo illos dies confiteri, vel Iubileum non lucrari. Et posse anticipari per octo dies minimè dubito, ex causa illa Iubilei, vel solemnis diei. Quod si per tres hebdomadas confessionem præueniret, fortè nõ implebit præceptum cum mens iubentis eò tendat, vt per mensem curet pœnitens mundam habere conscientiam certior namque experiẽtia sumitur emendationis pœnitentis per spatium vnius mensis, quã per hebdomadam. Hæc Sancius, multum pro praxi conducentia, licèt aliquibus non admodum certa videantur.

An coitus sodomiticus inter masculos in primo, & secundo gradu habeat etiam malitia incestus, & sit in confessione aperiendus?

RESOL. CI.

AFfirmatiuam sententiam docent Azorius par. 3. libr. 2. cap. 18. quæst. 5. Graffius de Arbitr. confessar. libr. 2. cap. 34. nu. 3. vbi sic ait. Est etiam incestus, quando coitus sodomitici fiunt inter masculos in primo, & secundo gradu, vel coitu masculi cum masculo, sodomiam perpetrans, & masculus est cognatus, licèt non sit incestus quantum ad matrimonium contrahẽdum, impediendum, aut dirimendum, & ita intelligitur Caietanus 2. 2. q. 153. art. 11. Tamen sodomiæ incestuosæ rectè dicuntur, quoniam sunt perpetratę contra pietatem debitam cognatis, & quoniam sunt abusus luxuriosi inter cognatos: quare cũ habeant specialem deformitatem, & malitiam præter malitiã sodomiticam est exprimendum in confessione non solùm quod fuerit perpetratum peccatum sodomiticum; sed quod fuerit etiam cum fratre in primo, & secũdo gradu, vel cum cognato, vel cum cognata. Imò coitus sodomitici inter masculos, qui sũt cognati inter tertium, & quartum gradum consanguinitatis, etiam habent specialem deformitatem, & malitiam præter sodomiticam. Ita Graffius, & Azor, & nouissimè Syluius, in 2.2 D. Thomæ, q. 154. art. 12.

Verùm hæc sententia, quoad tertium, & quartum gradum, in praxi nõ recipitur, vt testatur Bellochius in praxi theol. mor. part. q. 1. num. 110. & Homob. tract. de cas. reseru. part. 2. cas. 4. fol. mihi 314. in 2. editione. Et ideò existimo cum Florono de cas. reseru. part. 2. cap. 6. num. 31. & Finellio de cas. reseru. cas. 10. num. 10. contra Zechium de cas. reseru. cas. 15. nu. 1. per culpam sodomiticam nullam contrahi affinitatem, & ex consequenti, neque incestum committi; & ideò ratione incestus non erit reseruatus abusus fratris, aut sororis per actum sodomiticũ inter gradus prohibitos, quamuis, vt asserit Finellius, personę cõiunctæ circumstantia grauius reddat ipsum scelus Sed ego, qui teneo circumstantias aggrauantes intra eãdem speciem, non esse in confessione aperiendas, puto contra Azorium, Graffium l. C. & Bonacinam de matrim. quæst. 4 punct. 11. num. 7. posse aliquẽ probabiliter in tali casu se accusare de actu sodomitico tãtùm cum cõsanguineo, vel affine sine esplicatione gradus primi, & secundi, cum quibus habita fuit culpa, vt probabiliter docuit de copula non sodomitica cum muliere affine, & cõsanguinea, Giptius de cas. reser. cap. 8. num. 5. & Megala in 1. part. lib. 5. cap. 12. numer. 9. & nos diximus in Tract. de Circumstantijs, quia incestus non differunt specie, licèt contrarium etiam probabiliter asserunt aliqui.

Notandum est tamen hic obiter, Iacobum de Graffis docere in praxi de cas. res. lib. 1. c. 13. num. 9. impuberes commiscentes se cum consanguineis, vel affinibus; non esse inclusos in casu reseruato incestus, licèt contra sentiat Floronus de casibus; reser. par. 2. cas. 6. num. 18. sed mihi opinio Graffij videtur probabilis, ex his quæ adduximus in tract. 1. Miscellan. resol. 1.

An si quis culpabiliter omittat modicam iniunctam pœnitentiam peccet mortaliter, etiamsi sit imposita propter peccata.

RESOL. CI.

PEccare mortaliter docuit nouissimè Ioannes Sancius in selectis, disp. 15. num. 14. sic asserens. Infero ex dictis implentem maiorem partem pœnitentiæ, & omittentem modicam in se, solùm delinquere venialiter. At si modica esset tantũ iniuncta, & illã culpabiliter non impleret, lethaliter peccare indico, cum truncum, & defectibile reddat sacramentum, quod graue quid est. Sicut enim ille, cui impositum esset sub pœnitentia vnam tantùm salutationem Angelicam recitare, & nollet acceptare absque causa, absoluẽdus non esset, vt dispositus, renuens integrare sacramentum. Eodem modo non volens implere iniunctam salutationem Angelicam, mortaliter peccabit, cũ nolit implere illam obligationem, quam sub mortali acceptauit; Et quamuis oratio Angelica secũdùm naturam orationis modica sit materia, si tamẽ vt materia, & vt pars cõstituitur sacramenti pœnitentiæ, grauis est reputanda: sicut deglutire guttam aquę secundùm se quid modicum est, at post illius sumptionem Eucharistiam sumere, quid graue est. Et quod præceptum pronuncietur de non sumendo Eucharistiam post sumptionem cibi, aut potus quãtumuis exigui, & graue semper pręceptũ violatur, & in re graui, videlicet irreligiositas sacramẽti sicut simonię crimen mortale erit rem spiritualem vẽdere, etiam exiguo pretio. Ita Sancius probabiliter quidem.

Sed contrariam sententiam in praxi probabilem, & tutam esse existimo, quam tuentur Henriquez lib. 5. cap. 20. n. 3. in Glossa, littera I. Fagundez præcept. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 14. Coninch. de Sacram. disp. 10. dub. 9. n. 80. Reginaldus to. 1. lib. 7. c. 7. num. 77. Vegha in summa, p. 2. c. 64. cas. 3. Rodriquez in summ. to. 1. c. 56. nu. 9. & alij penes ipsos; quia leue reputatur ex hac parte sacramentum non integrare. Adde, quod Suarez to. 4. disp. 38. sect. 7. n. 5. putat obligationem acceptandi pœnitentiam leuem, esse solùm sub veniali.

Notandum est etiam hic obiter contra Henriquez lib. 5. cap. 20. nu. 81. quod etsi pęnitentia grauis sit, sed ob veniale tantùm

peccata

peccata imposita, vt iustè aliquando fieri potest eius transgressio, non transcendit culpam venialem. Et ita docet Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 15. num. 7. nisi pœnitens versetur in probabili periculo mortaliter peccandi, si penitentiam sibi impositam non exequatur.

An Confessarius sæcularis vnius Episcopatus possit absoluere penitentem alterius Episcopatus à casibus reseruatis?

RESOL. CIII.

De hac quæstione alibi actum est, & ideò nunc breuiter dico, quod negatiuam sententiam docent Belloch. in praxi theol. mor. p. 1. q. 2. num. 26. Floronus de cas. res. p. 1. c. 4. §. 11. nu. 4. & Sotus in 4. dist. 18. qu. 1. art. 4. vide etiam Chapeauil. tract. de cas. res. part. 1. cap. 4. diffic. 9. Vgolinum de potest. Episc. ca. 36. n. 3. & alios.

Sed contrarium ego sentio, & ita tenent Henriquez lib. 3. de penit. ca. 15. num. 8. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. diffic. 56. nu. 4. vbi sic asserit: [Los peregrinos y caminantes se han de iuzgar como se fuessen subditos del Obispo del lugar donde se hallan, y que en este sentido se ha de entender la costumbre, y la extrauagãte de Eugenio IV. y si el caso esta reseruado en ambos Obispados, ha le de absoluer el Obispo, ò el que tuuiere su autoridad para absoluer de los casos reseruados, y lo mismo es si el caso esta reseruado solamente en el Obispado donde esta, mas si el caso esta reseruado solamente en su proprio Obispado, en tal caso puedele absoluer el Confessor del Obispado adonde esta, aunque no tenga autoridad para absoluer de casos reseruados, como tienen Cayetano Paludano, y Suarez.] Ita Villalobos: & hæc omnia à fortiori procedunt in confessariis Regularibus, modo penitentes id non faciant in fraudem proprij Ordinarij.

Quidam habebat casum reseruatum cum excommunicatione annexa, & vrgente necessitate celebrauit, quæsierunt an tenebatur in dicto casu confiteri sacerdoti inferiori?

RESOL. CIV.

Aliqui affirmatiuè responderunt, nam in tali casu consulens tenebatur saltem confiteri peccata non reseruata, vt docent Alexander p. 4. qu. 18. membr. 4. art. 5. §. 2. Soto lect. 10. de Confessione, & probabilem putat Fillruc. to. 1. tr. 4. c. 7. n. 213. licèt necessario in tali casu confitenda esse omnia peccata, velit Veglia in speculo curatorum tom. 1. c. 11. nu. 273. & Capeauilla tr. de cas. reseru. c. 8. & alij.

Nec obstat, quod peccatum reseruatum habebat annexam excommunicationem, nam in tali casu etiam potest pœnitens confiteri peccata ex mente Nauarri cap. 9. num. 3. Couarruuiæ in c. alma mater, par. 1. §. 2. nu. 5. Caietani in summa ver. absolutionis impedimenta, quia, vt ait Suarez tom. 4. disp. 31. sect. 3. n. 6. & tom. 5. disp. 10. sect. 3. num. 9. excommunicatio non irritat absolutionem, dum se tenet ex parte recipientis.

At ego tunc probabiliter etiam putaui, non solùm ratione excommunicationis, sed etiam propter solùm peccatum reseruatum potuisse consulentem celebrare sine præuia confessione. Et ita liberat penitentes habentes casum reseruatum à confessione peccatorum, etiam, nõ reseruatorum, Richardus in 4. distinct. 17. art. 2. q. 8. ad 2. Adrianus quæst. 4. de confessione. Durandus in 4. dist. 17. qu. 16. & nouissimè Syluius in Addit. ad 3. p. D. Th. qu. 20. art. 2. quæritur 3. Potest igitur in tali casu sacerdos, siue laicus, sumere Eucharistiã, vel celebrare Missam sine præuia confessione cum sacerdote inferiori, sed tantùm cum contritione, tanquam non habens copiam confessarij.

Dixi non solùm ratione excommunicationis; quia si peccatum reseruatum habeat annexam excommunicationem, tunc licèt penitens habeat alia peccata non reseruata, non tenebitur illa confiteri sacerdoti inferiori, sed poterit vrgente necessitate sumere Eucharistiam eliciendo actum contritionis. Et ita docent Vasquez tom. 4. tt. de Excomm. dub. 4. n. 8. §. 3. ergo opinio. Syluius vbi supra. Megala in 1. par. lib. 5. capit. 19. num. 7. in fine Ledesma in summa, tomo primo, cap. 20. diffic. 2. Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 6. ar. 1. concl. 2. & 4. Syluest. ver. Excommunicatio 4. nu. 1. & ver. confessor. 1. quæst. 3. cas. 5. & ver. confessor 3. numer. 12. Gabriel in 4. q. 1. art. 3. dub. 2. D. Antoninus p. 3. tit. 14. cap. 15. §. 4. & alij. Ex quibus omnibus apparet, penitentem habentem casum reseruatum, etiam cum excommunicatione, vrgente necessitate ad celebrandum, vel communicandum; posse vt sibi magis libuerit, vel expedierit, aut confiteri peccata non reseruata, seu simul reseruata, & non reseruata, vel elicere actum contritionis, sine præuia confessione celebrare, aut communicare.

An si Confessarius, habeat euidentiam, quod pœnitens fecerit tale peccatum, & non sit confessus, debeat illum absoluere?

RESOL. CV.

Respondendum est negatiuè, quia licèt Confessarius, qui non habet euidentiam facti, sed solùm nouit ex aliorum relatu, vel vidit quidem peccatum, sed non ei constat, quod nõ fuerit interea confessus alteri, non potest negare absolutionem, quia pœnitenti creditur pro se, & contra se; secus autem, vt presupponimus in casu nostro, quando Confessarius scit pœnitentem peccasse, & nõ confessum fuisse. Et ita docent Henriq. lib. 6. c. 20. n. 6. Syluius in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. quæritur 3. conclus. 3. quia non est pronuncianda forma Sacramenti, vbi certo constat subiectum esse indispositum, & Confessor non solùm est Iudex, sed etiam medicus. Et hoc etiam tenent Suarez in 3. p. to. 4. disp. 32. sect. 3. Fagundez pr. 2. lib. 6. c. 4. n. 38. & nouissimè Sancius in selectis, disp. 8. n. 6. & seq.

At his non obstantibus; noster Megala in 1. part. lib. 1. c. 2. nu. 12. contrariam sententiam tuetur, vbi asserit in multis casibus excusari pœnitentem à materiali integritate confessionis, & in eisdem casibus etiam secundùm doctrinam Suarez, si interrogetur à Confessario penitens, an peccatum commiserit, confiteri non teneri, posseque pœnitentem absque mortali negare. Ergo quando Confessarius ex propria scientia euidenter scit pœnitentem aliquod peccatum mortale commisisse, ac euidẽter etiam scit non esse confessum, & pœnitens negat illud commisisse, potest aliquando Confessarius credere pœnitentẽ illud negare: non quia non commiserit, sed quia credit non teneri tunc illud confiteri; ergo tenetur tunc hoc sibi persuadere, & pœnitentem absoluere, si in alijs est pœnitens ritè dispositus, alioquin grauem illi iniuriam faceret. Ita Megala, qui alias rationes pro hac firmanda sententia adducit. Sed circa præsentem quæstionem præter DD. citatos, vide etiam Toletum lib. 3. c. 16. n. 4. Nauarrum c. 8. n. 17. ver. 21. Fumum ver. confessio, §. 17. & 20. D. Antoninum p. 3. tit. 14. c. 15. Syluestrum ver. confessio 3. n. 8. & alios.

Quis ex deuotione recitabat singulis diebus officium Beatæ Virginis, qui postea habuit penitentiam recitandi per annum singulis diebus tertiam partem coronæ eiusdem Beatæ Virginis, quæsiuit à me an satisfaceret dictæ pœnitentiæ cum recitatione supradicti officij?

RESOL. CVI.

Negatiuam sententiam docent Lauorius tract. de indulg. par. 2. c. 5. n. 49. Valentia to. 4. disp. 7. q. 20. punct. 3. Regin. to. 1. lib. 7. c. 11. n. 125. Nauarr. de indulg. not. 31. nu. 20. & Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. art. 2.

Sed his non obstantibus, tunc supradicto consulenti ostendi Bonacinam de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. nu. 8. vbi docet, obligationem pœnitentiæ cessare non solùm per indulgentias, verùm etiam per omissionem pœnæ alia via obtentam, vt per alia pia opera satisfactoria propria sibi applicata; nam eædem rationes militant in indulgentijs, ac in alijs operibus pijs satisfactorijs. Ita Bonacina, quæ quidem opinio limitanda est; dummodo pœnitentia non sit medicinalis, & præseruatiua, sed tantùm satisfactoria, vt erat pœnitentia consulentis. Et ideò supradicta sententia probabilis tunc mihi, & alijs per consulẽtem consultis, visa est, sed non videtur à priori recedendum, cum non potest penitenti constare an per illam recitationem satisfaciat pœnæ; quia opus in penitentiam iniunctum habet virtutem satisfaciendi ex opere operato, qua caret illa officij recitatio.

An

An si quis probabiliter iudicat se non peccasse mortaliter vel iam esse confessum tale peccatum, si probabiliter etiam iudicet contrarium, teneatur confiteri.

RESOL. CVII.

Affirmatiuè respondent Nugnus in addit. ad 3.p.q.9.art.1. dub. 5. in fine, quia putat, quod tunc homo potest sequi opinionem probabilem, quando in ipsis rebus non imminet aliquod periculum, & citat pro hac sententia D. Thomam, Paludanum, Ricardum, Sotum, Victoriam, Nauarrum. Idem docet Salas in p. 2. tract. 8. q. vnica, sect. 5. num. 60. in solut. ad 4. & ex parte hanc sententiam docet Coninch de Sacr. disp. 7. dub. 8. n. 68. vbi putat, quod qui probabiliter iudicat se non esse confessum aliquod peccatum, teneatur illud confiteri.

Mihi verò contraria sententia videtur etiam probabilis, quã docent e Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dis. 27. quest. vnica, artic. 13. Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 21. sent. 9. num. 6. & alij, nam potest vnusquisque sequi opinionem probabilem, quæ tollit periculũ quod timet Nugnus vbi supra.

Sed difficultas est, quãdo pœnitẽs probabilius iudicat se peccasse mortaliter, vel non esse confessum tale peccatum. In hoc casu Coninch. vbi supra, & Fagundez pr. 2. lib. 3. capi. 4. num. 7. docent illud peccatum debere confiteri, quia penitens non est Iudex, sed est accusator sui ipsius, & testis; & nisi tale peccatum tunc sub eo dubio cõfiteatur, potest se exponere periculo mortaliter peccandi, & ideò tenetur euitare huiusmodi periculum, confitendo illud peccatum sub eo dubio, ne forte se peccato mortali exponat. Ita ille.

At hæc sententia mihi non placet. Non enim possum intelligere, quomodo penitens sequendo opinionem probabilem exponat se periculo peccandi mortaliter, vt timet Fagundez, nam opinio probabilis hoc efficit, vt quis eam sequẽdo sine periculo operetur, etiam probabiliori, & tutiori relicta, & ita nostram sententiam docent Sanchez in summa tom. 1. lib. cap. 11. num. 76. Syluius in addit. ad 3. p. q. 6. 4. quæritur 9. & alij.

Notanda est etiam hic obiter solemnis doctrina Ioan. Sancij in selectis disp. 41. num. 28. vbi asserit, quod nullus, etiamsi scrupulis non sit vexatus, post mediocrem adhibitam in discussione conscientiæ suæ perquisitionem, in ordine ad confessionem peccatorum efficiendam, teneatur vlterius de anteacta vita cogitare, quod si aliquid occurrat non explicatum fuisse in cõfessione, poterit sibi persuadere illud iam fuisse memoratum. Ita Sancius, quod est valdè notandum ad tollendum multos scrupulos.

Quidam puer vsque ad 13. annum non se accusauit de ordinarijs pollutionibus quas faciebat, sciens posteà hoc esse peccatum mortale, dubitatum fuit à multis Confessarijs, an teneatur repetere omnes confessiones?

RESOL. CVIII.

Respondi tunc de hoc casu interrogatus negatiuè, nam potest dari ignorantia inuincibilis de pollutione, quæ non sit peccatum, vt in specie notant Layman in theol. mor. lib. 4. tr. 6. cap. 8. num. 3. Sanchez in summa tom. 1. lib. . cap. 16. num. 33. & addidi etiam celebrem doctrinam à Cõfessarijs nunquam obliuioni tradendam, quam tradit Nauarrus in cap. fratres de pen. num. 8. dist. 52. Syluester ver. confessio 1. qu. 3. Beia part. 1. cas. 9. Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 62. art. 5. dub. 1. num. 7. & Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 6. cap. 5. sect. 5. num. 153. vbi sic ait. Cum quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in cõfessione, eo quod erroneè putaret ipsum non esse tale, etiamsi error vincibilis fuerit, neca mortali perpetrantem excusaret, tamen ab iteratione totius cõfessionis ita sufficiat pœnitẽtem ipsum in sequẽti confessione peccatum omissum declarare. Sic ergo pueri & puellæ, quę grandiores factæ nouè agnoscũt peccatũ mortale esse, quod aliàs omiserunt cõfiteri, eo quod ignorarent illud tale esse, non tenentur iterare confessiones eorum quæ confessi fuerunt legitimè, sed tantùm eorum quæ omiserunt. Et idem dicendum est de circumstantia peccati omissa, & de numero peccatorũ non expresso in confessione. Ita Regin. ex quibus tunc vt dictum est, consului supradictum iuuenem non fuisse astrictum præteritas confessiones reiterare, sed sufficere se in prima confessione de pollutionibus factis accusare.

Notandum est etiam hic obiter, quod quando confessio nulliter facta fuit, & posteà aliæ intermediæ factæ fuit cum vero dolore, & proposito ex obliuione naturali, penitens non est cõfessus defectus inualidæ confessionis; tunc nõ erit opus omnes præteritas confessiones recitare, sed solùm defectum nullitatis, & peccata in ea confessa, vel confitenda, quia confessiones intermediæ validæ fuerunt, & semper validæ manent. Et ita docent Ioannes Sancius in selectis disp. 41. num. 19. Vasquez in 3. p. to. 4. q. 92. art. 3. dub. 1. nu. 9. cum alijs. Et hæc sententia sæpius me in praxi à multis laboribus liberauit.

In quodam monasterio Monialium quidam Confessarius inter audiendas confessiones aliquando dormiebat, vnde non intelligebat aliqua peccata, quæsierunt à me posteà an dictæ confessiones essent repetendæ.

RESOL. CIX.

Responderunt aliqui affirmatiuè, quia confessio est accusatio ipsius. Ergo erit nulla, si non à iudice intelligatur, & adducebant Syluestrum ver. confessio 1. q. 3. & alios.

Sed ego consului supradictas confessiones non esse reiterandas cum Henriquez lib. 5. cap. 14. num. 5. & nouissimè inuenio hanc sententiam docere etiam Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 6. cap. 9. nu. 5. vbi sic asserit. Si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Confessario resedit, ob surditatem, vel animi distractionem, arbitror datam absolutionem validã, & fructuosam esse, propterea quòd essentia, & effectus Sacramenti pœnitentiæ consistere possit absque integra, & specifica peccatorum explicatiõne, si ea sine vlla culpa pœnitentis, summque dolorem Sacerdotis explicantis intermittatur. Nihilominus si pœnitens posteà cognoscat vnũ, vel plura peccata mortalia Confessarium nullo modo intellexisse, debet ea sola cum alijs posteà commissis in sequenti confessione iterum explicare, quia semper manet explicatio peccata omnia mortalia secundùm speciem, & numerum Sacerdoti indicandi, vt omnibus absolutio directè & in specie conferatur.

An Parochus possit exponere ad confessiones audiendas approbatos à quocunque Episcopo?

RESOL. CX.

Posse Parochum concedere facultatem simplici Sacerdoti ad excipiendas suorum parochianorum confessiones putat Ledesma in summa, to. 1. de Sacram. pęnit. c. 12. mediate ait 5. conclus. & Ludouic. de San Iuan. in summa q. 7. art. 2. de pęn. diffic. 12. cum alijs.

Sed hanc opinionem reijciunt Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. nu. 43. Zanardus in direct. par. 1. de Sacram. pœnit. c. 26. Nugnus infra cum alijs communiter, & patet ex Concilio Triden. Difficultas est an hoc possint efficere cum Sacerdotibus saltem approbatis ab aliquo Episcopo. Nagatiuè respõdet Nugnus in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 7. ad 4. arg. Sed sententiam affirmatiuam sustinet Io. de la Cruz Dominicanus in direct. p. 2. de Sacram. pęnit. qu. 5. dub. 6. concl. 3. vbi sic asserit. Ex dictis patet potestatem concessam Parochis in cap. omnis vtriusque sexus, delegandi suam iurisdictionem alijs Sacerdotibus aliàs idoneis, non esse ablatam in Concilio Tridentino, sed solùm, quod parochi non possint iudicare de idoneitate requisita pro cõfessionibus audiendis. Vnde patet posse parochum delegare suam iurisdictionem Sacerdoti semel approbato à suo, aut extraneo Ordinario, vel etiam extraneo parocho pro suis omnibus & pro se in eisdem casibus. Ita ille. & ante illum Henriquez lib. 7. c. 12. num. 4. & nouissimè Aegidius Coninch. Societatis Iesu de Sacram. disp. 8. dub. 7. num. 59. docet etiam hanc sententiam, seclusa tamen prohibitione Episcopi, itaq. sic ait. Quandiu Episcopus non prohibet suis parochis, aut Superioribus Religiosorum, ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas confessiones in sua Diœcesi exponant, hi validè assumuntur, & exponuntur, quia habent conditionem à Concilio Tridentino requisitam, quod scilicet à suis Ordinarijs sint approbati. Ita Coninch.

Ex

Ex quibus patet maximè non extante prohibitione Episcopi, quod approbatus v. gr. in Diœcesi Messanensi, si transferat se in Diœcesim Panormitanam, possit ibi à parocho vel Superiori Regularium assumi, vt eum adiuuet in audiendis confessionibus sine noua approbatione Archiepiscopi Panormitani. Neque aduersus hanc sententiam faciunt aliquæ declarationes Cardinalium; nam ad illas, & argumenta contraria optimè respondet Coninch. vbi supra.

Notandum est etiam hic obiter, supradictos Confessarios ex consensu parochorum audientes confessiones, non esse puniendos ab Episcopis, eo quod in aliena Diœcesi confessiones auscultent, quidquid in contrarium asserant Ledesma in summa, tom. 1. de Sacr. pœnit. c. 12. immediatè ad 5. concl. & Ludou. de San Iuan. in summa quæst. 7. ar. 2. de pœn. dif. 12. Et ita docet cõtra illos Ioannes Sancius in selectis disp. 48. n. 52. qui etiam notat disp. 44. n. 72. quod Episcopus iustè non poterit punire Cõfessarios alibi approbatos, audientes confessiones in sua Diœcesi virtute Bullæ Cruciatæ, absque noua approbatione. Nam secundùm opinionem Doctorum probabilem, si non committunt culpam, digni nequaquam erunt pœna. Sed in casu, de quo loquimur, Confessarij sequuntur opinionem probabilem. Ergo digni non erunt vt ab Episcopis puniantur. Et ideò idem Sancius disp. 33. nu. 43 asserit non posse iustè Superiorem punire subditum non obedientem, ductum ad id probabili opinione, quia cum tunc non obediendo, minimè deliquat, & nullus dignus sit pœna, nisi ob culpam sit, tunc non habet ius Superiorem punitionis dandæ subdito. Sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo. Sed his non obstantibus omnia supradicta, disputationis causa dicta esse volo, nam negatiuam sententiam in praxi obseruandam esse puto.

An si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem in confessione, teneatur Confessarius occultare tale peccatum sub sigillo Confessionis?

RESOL. CXI.

Affirmatiuam sententiam docet Malderus tract. de sigillo, c. 18. qui citat Suarez, Vasq. Ledesma, Bannez, Nugnum. Idem etiam docet Syluius in 3. par. quæst. 11. ar. 11. concl. 2. qui citat Sotum, Richardum. Syluestrum, Angelum, & est communis opinio, quam nouissimè etiam docet Faber de pœnit. in 4. sent. dist. 19. quæst. vnica, disp. 34. cap. 2. num. 31. & c. 4. n. 84. Pitigianus in 4. to. 2. dist. 21. q. 2. ar. 8. concl. 3. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. dist. 73. nu. 1. sic asserens. [El sigillo se estiende a todos los peccados confessados, y sus circumstancias, y a las cosas, que son necessarias para declarar los peccados, y assi si el penitente declarò el complice, ora porque era necessario para declarar el peccado, ò por ignorancia] que es mui ordinario [todo esto cae debaxo de sigillo.] Ita ille.

His tamen non obstantibus negatiuam sentẽtiam docet Io. de la Cruz in Direct. conscient. part. 2. de Sacram. penit. quæst. 6. dub. 2. concl. 2. vbi sic ait. Si penitens absque necessitate manifestauit in confessione complicem sui peccati, nõ tenetur Confessor complicis peccatum occultare sub sigillo cõfessionis, sed ex solo secreto naturali. Nam tunc peccatum complicis materialiter solùm pertinet ad istam confessionẽ, & sicut est dictum in confessione, posset dici extra eam, & sic pro bono communi est manifestandum, sicut alia secreta naturalia, dum tamen non explicetur penitens. Ita ille. Sed tu tene primam sententiam, quia quæ necessaria sunt ad integritatem confessionis, vel quæ dicuntur quasi coniunctim ad declarationem proprij peccati, sunt materia sigilli. Secundò, quia ex reuelatione peccati simplicis, sæpenumero potest agnosci peccatum pœnitentis, vnum enim est alterius manifestatiuũ. Tertiò, alioquin confessio redderetur onerosa, & odiosa.

Dices hoc verum esse, quando complex ex necessitate integritatis cõfessionis secundùm opinionem multorum DD. manifestatur, non autem quãdo absque necessitate manifestatur, vt est in casu nostro. Respondeo, & dico hoc etiam procedere non modo cum ad peccatum declarandum necessarium fuerit complicem in confessione exprimi, sed etiam cum fuerit vtile. Imò quoties ad eum finem pœnitens (etiam si in eo fortè agat minus prudenter) id dixerit; quod est in confessione tolerandum, habita ratione communis modi confitendi hominum multa sæpè dicentium animo declarandi sua peccata, quæ non sunt ad id necessaria, imò interdum neque vtilia. Cum ergo simplices, & imprudentes animaduertendi non sunt à Confessore, sicut nec alij, tacenda sunt quæcunque ab eis dicuntur ad explicationem peccatorũ suorum, vt possint securè, & sine timore reuelationis confiteri. Et hæc responsio desumpta est ex celebri doctrina, quã adducunt in terminis Reginaldus to. 1. lib. 3. cap. 4. nu. 39. Suarez to. 4. disp. 33. sect. 3. nu. 5. & Malderus tractat de sigillo, cap. 18. fol. mihi 170. vbi probant, omnia, quæ occasione sui peccati explicandi, penitens in confessione dicit, cadere sub sigillo, etiam si superfluè addita sint.

An qui inuenit chartam, in qua scripta erant alicuius peccata, teneatur illa abscondere sub sigillo confessionis?

RESOL. CXII.

Teneri dicta peccata abscondere sub secreto naturali, non autem sub sigillo confessionis docent Suarez tom. 4. disp. 33. sect. 4. num. 5. Coninch. de Sacram. disp. 9. dub. 4. nu. 50. Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 15. num. 19. Henriquez lib. 3. de pœn. cap. 10. num. 2. & in Glossa littera M. Megala in p. par. lib. 1. cap. 16. num. 7. Onuphrius opusc. de sigillo confessionis, sect. 3. quæst. vnica, dub. 6. fol. mihi 228. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia etsi peccata illa descripta fuerint; aut sint futura materia remota confessionis, tamen non sciuntur primò, & immediatè ex Sacramẽtali confessione, sed omninò ab extrinseco. Ergo non cadunt sub sigillo confessionis. Vnde ex his apparet, quod si dicta peccata vergerent in damnum commune, seu alicuius tertij innocentis, teneretur in tali casu, vt notat Layman vbi supra, qui dictam chartam inuenit, illa peccata ad auertẽdum tale damnum, reuelare, nam secretum naturale vt patet, non obligat cum damno alterius.

Sed ego contrariam sententiam sustinendam esse puto, & ita docent Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 5. num. 16. Delrius in disquis. magicis lib. 6. cap. 1. sect. 2. Graffius, Vegha, Viualdus, Nauarra penes ipsos. Idem etiã docet nouissimè Homobonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 21. quæst. 115. Zanardus in direct. confes. part. 1. de Sacram. Penit. cap. 29. dub. 3. Rodriquez in summa tom. 2. c. 55. num. 4. Berarducius in summa corona, p. 1. cap. 3. nu. 17. & Malderus tract. de sigillo confess. c. 13. vbi sic asserit. Qui inuenerit descripta pœnitentis peccata, quæ litteris mandauit fortè memoriæ causa, vt ea exactius confiteatur, tenetur sigillo, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda sit. Communis Doctorum ratio est, quia chartæ istius tenor est aliquid confessionis, & quasi confessio scripta, vt æquiparari possit charta illa eo modo, quo quis casu audit confessionem, est enim charta illa quasi internuntia, iuuans memoriam confitẽtis itaque censetur sigillata sacro sigillo. Ita Malderus, & rectè quidem; nam charta illa dici potest confessio inchoata: & si peccata illa sint confessa, iã effecta. Ideò firmius dicere possumus, cadere illa sub eodẽ sigillo, sicut illa, quæ aliquis reuelauit mihi ex dicto Cõfessarij, vel ex auditione cõfessionis. Et licèt pro cõtraria opinione adsint DD. tamen nostra est amplectenda, quia fauorabilior est Sacramento.

Notandum est hic obiter Layman in theol. moral. lib. 4. tract. 6. cap. 15. num. 19. asserere, quod si dictæ schedulæ repertor moraliter certus sit, non nisi leuia, & non infamantia peccata in ea scripta esse, ideoque curiositate legat, vel lecta alijs euulget, non debet censeri plusquam venialiter peccasse, quia non violauit sigillum confessionis, sed tantùm naturale, cuius obligatio ob materiæ paruitatem minuitur. Ita ille. Sed ego puto ita facientem peccare mortaliter, & frangere sigillum confessionis, sicut Superiorem, vel Iudicem, qui inuenta schedula peccatorum alicuius, vellet contra illum inquirere, & punire. Vide Fabrum in 4. sent. dist. 16. q. vnica, disp. 34. c. 4. nu. 88. Reginald. in praxi, to. 1. c. 3. n. 30. & alios communiter.

An liceat Confessario interrogare de complice in confessione, in ordine ad ipsius correctionem, & illam facere ex licentia pœnitentis?

RESOL. CXIII.

Affirmatiue cum aliquibus limitationibus videtur respondendum

um ex Fagundez præcep. 2.lib.5.cap.2.nu.2. Suarez in 3. part. om. 4. disp.34.sect.4.nu.4. & alijs,penes ipsos; quia talis actio non est de se mala,ordinatur enim ad bonum finem, neque est contra sigillum,quia Confessarius in tali casu loquitur de auditis in confessione ex licentia pœnitentis.

Sed tu contrarium tene cum Villalobos in summa, tom. 1. tract.9. diffic.38. num.5. Sylvio in addit. ad 3.part.D. Thomæ, quæst. 11. artic.2.conclus.2. Maldero tract. de sigillo confess. cap.17. Coriolano tract.de cas.reseru.part.1.sect.3.artic.9. Rodriquez in summa, tom. 1.c.109.num.9.in editione nouissima. Ledesma in sum.tom.1.de Sacramen. pœnit.cap. 22.conclus. 6. Bannez in 2. 2. quæst.33.artic.8.dub.8.par. 1.concl.4. Soto in 4. sent.dist.18.quæst.2.art.5.ad 4. & nouissimè hanc sententiam docent Petrus Fay in addit. ad 3. par. quæst. 11.art.1.disp. vnica. Petrus Lorca in 2. 2.D. Thom. quæst.34. art.6.sect.3.disput.45. num.20.& Nugnus in addit.ad 3.part. quæst. 11.artic.2. dub.2. vbi oppositum vocat temerarium, & perniciosum, tanquam ipsius sacramenti destructiuum:& respondet ad omnia argumenta, quæ pro affirmatiua sententia adducit Suarez. Et ratio est, quia talis correctio non potest effici sine iura sacramenti, non est enim negandum multum detrogare sigillo confessionis notitiam illius ad effectus adeò extrinsecos: finis etenim intrinsecus sacramenti pœnitentiæ, est tantum iustificatio pœnitentis, non autē emēdatio complicis. Cæteras rationes inuenies apud Nugnum.Et hæc opinio est communis in schola D. Thomæ.

Notandum est etiam, quod stando in prima opinione, & ex hypothesi concedendo esse probabilem,non tamen ex hoc debet Confessarius interrogare de persona complicis in hunc finem correctionis,sed expectare, vt pœnitens id sua sponte declaret. Neque se inuitet ad faciendam correctionem, etiamsi intelligat esse necessarium, sed expectet petitionem pœnitentis, hic enim forte per ipsum, vel per alium curabit corrigere. Et ita docet Filliucius to.1.tract.7.cap.11.num. 349. Vnde apparet multum errare aliquos Confessarios ex zelo indiscreto, & ex ignorantia extorquētes complices à pœnitentibus propter correctionem, vnde dum conscientijs aliorum mederi volunt,suarum conscientiarum iacturam faciunt, aiunt Henriquez lib.2. de pœnit. cap.9. num. 10.& Fagundez præcept. 2. lib.5. cap. 1. num.12.& alij.

An circumstantia scandali indirectè voliti sit in confessione aperienda?

RESOL. CXIV.

QVis v.g. induxit mulierem non paratam ad fornicandum non directa intentione, expetendo ruinam ipsius & eo affectu, vt ipsa peccet, sed propter propriam delectationem,& vtilitatem, quæritur an dicta circumstantia scandali sit in confessione explicanda. Aliqui negatiuè possunt respondere, quia in tali casu circumstantia scandali est tantum aggrauans in eadem specie, vt docent expresse ex Societate Iesu Fagundez pr.2.lib.4.c.4.n.4.& 5.& ex Dominicanorum familia Ledesma in summa,tom.1.tract.4.cap.5.concl.5.& alij,vbi infra.Sed circumstantiæ taliter aggrauantes, ex multorum sententia probabili non sunt in confessione explicandæ. Ergo,&c.

Sed Doctores communiter contrariam sententiam docent, & ita ait Lorca in 2. 2. quæst.43.sect.3. disp.56.nu.7.scandalum actiuum quando non est speciale peccatum, est circumstantia: & ideo aggrauans, vt nimis augeat peccatum,& sit in confessione explicanda. Qui enim esset causa peccati alterius, non satisfaceret integritati confessionis si solum diceret, peccaui cum quadam fœmina,aut fui particeps homicidij, quod quidam commisit: sed exprimere tenetur, fui causa peccati alterius.& induxi illum ad peccandum. Neque quisquam concessit hanc circumstantiam taceri posse,neque tuto, & sine temeritate cōcederetur. Ita Lorca.& ita etiam hanc sententiam docent Villalobos in summa,tom.2.tract.3.diffic.8.nu.3. Becanus in 2.2. c. 27.q.2.num.5.Coninch.de Actibus supernat.disp.32.dub.5.nu. 35.Filliucius tom.2.tract.28. c.6. n.226. Fagundez,Ledesma vbi supra.& alij vbi infra.

Sed difficultas, quæ magis affligit in confessione,est ista. An sit explicandus numerus personarum, quibus scandalum datū est etiam vnico peccato, vt quādo v. g. peccauit publice coram multis, præbendo illis scandalum,&c. Respondent affirmatiuè Sylvius in 2.2. D.Thom.quæst.43.artic.3.conclus.2. Filliuc. vbi supra, Sanchez in summ. tom.1.lib.1.cap.6.num.8.Layman in theol.mor.lib.2.tract.3 cap.13.num.6.& alij. Igitur in confessione non solum teneris explicare speciem peccati mortalis, ad quod tuo exemplo induxisti; sed etiam exprimendus est numerus personarum,quas ad tale peccatū traxisti. Vnde patet ignorantia multorum confessariorum,qui cum pœnitentes se toties accusant dedisse scandalum, non faciunt illos accusare, neque de specie peccati,neque de numero personarum, cæci quidem sunt,& duces cæcorum,sicut etiā in alio casu passim occurrēti,nempe quādo quis se accusat de delectatione rerū turpium, ex colloquio cum alijs nam in tali casu, vt benè aduertunt Bonacina,de Sacram.disp. 5.qu. 5.sect. 2.punct.2.§.3.diffic.3.nu.21. & alij, tenetur exprimere conditionem personarū adstantium, an fuerint coniunctæ,solutæ,&c. Et tenetur etiam exprimere qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos,circa solutos,circa nefandum vitium, &c. quæ omnia obseruantur, sed male.

An Confessarius possit imponere sub pœnitentia, quod sacra Eucharistia non suscipiatur?

RESOL. CXV.

HAec quæstio nostris temporibus fuit in Hispania inter viros doctos summopere aggitata, & affirmatiuam sententiam docuit Salazar tract.de frequent.commun.cap.24.§ 1. vbi sic asserit [El sentimento de la Iglesia vniuersal es y ha sido siempre, que el Confessor puede imponer por penitencia la dilació de la comuniō si ay iustas causas para ello, y que muchas vezes la suele auer. Non puedo citar por esta sentētia ninguno en particular porque nadie la ha tratado en terminos;]& post multas rationes,quas adducit,tādem sic concludit. [Se collige claramente que aunque en la speculacion podamos tener diuersos pareceres, però en quanto à la pratica todos hemos de conuenir enque el penitente à quien su Confessor le mandare en penitencia de sus culpas, que no comulgue, siempre estara obligado à obedercele. Porque el dicho Confessor para dar la penitencias es superior, y la quele impone es siguiendo opiniō probable, y assi aunque para las escuelas sea este punto de controuersia de argumento y disputas. para los penitentes, no es materia de duda ni consultacion.] Ita ille.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Sancius in selectis disputat.35.per totam,quia cessatio operis virtutis nullius est entitatis, nec pœnalitatis materialis requisitæ ad Sacramentum,& consequenter nec meriti,nec satisfactionis, & addit num. 21. quod Confessarius iniungens sub pœnitentia non sumptionem Eucharistiæ, aduersatur Concilio Tridētino, & Cardinalium declarationi. Deinde numero 21.& 23. varios textus explicat in quibus decernebatur delinquētes priuandos fore per aliquod tempus communione in pœnam sui delicti, & resoluit ex dictis decretis, non posse sumi argumentum, quod possit Confessarius imponere sub pœnitentia cessationem sumptionis Eucharistiæ. Ex hac & multis alijs rationibus, quas ibi adducit Sancius.Notat primo in disput. 30.numer. 5. quod non expedit Prælatis Religionum priuare susceptione Eucharistiæ suos subditos causa illos mortificandi, nec id expedit confessarijs erga suos pœnitentes, quia de se minus bonum mortificatio adducit subdito, quam susceptio Eucharistiæ. Secundò notat, quod pœnitens purus à mortali, sequens consilium Confessarij vetantis communionem sine præcauēdi peccata venialia, vel imperfectiones, licitè agit, & meretur, melius tamen egisset, si communicasset contra huiusmodi consilium, aliorum Doctorum opinionem sequens, dicentium non esse amplectendum in illo euentu, quia ex communione plura nancisceretur bona, quam ex abstinentia. Et quamuis per accidens contigant ob negationem Eucharistiæ curare magis pœnitentem cauere peccata venialia,non ob id expedict illam denegare, quia quæ per accidens eueniunt, possunt etiam non euenire,& aliàs iam habet pœnitens,vt dum mundus sit à mortali,sibi non negetur Eucharistia. Vnde pœnitens non habens conscientiam peccati mortalis, non tenetur obedire ex præcepto confessario præcipienti, ne communicet ob finem acquirendi emendationem venialium, vel imperfectionum. Iurisdictio namque Confessarij non se extendit ad negandam Eucha-

Eucharistiam. Et tandem tertiò notat, quod sumptio Euchaistiæ absolutè potest imponi sub pœnitentia, quia est actus virtutis Religionis, non tamen tenetur illam acceptare pœnitens, quia grauari non potest acceptare opus quod adimplèdum sit in statu gratiæ, & status pœnitentis non est aliquid materiale, & sensibile, & consequenter non potest rationem pœnitentiæ intrate. Et nota etiam, hic obiter, quod communiones, quæ ex constitutione præfinitæ sunt fieri, potest Prælatus imperare; quæ verò præfinitæ non sunt, probabile est non posse iubere, quia ad id, quod est supra regulam, non potest obligare. Hæc omnia Sancius, vir doctissimus, & amicissimus; quæ tamen ab aliquibus non admittuntur, & ideò an sint probabiliter dicta; aliis iudicandum relinquo, ego enim libenter adhæreo sententiæ P. Salazar vbi supra, viri quidem doctissimi.

An quando quis iterum confitetur peccata iam confessa, teneatur elicere nouum actum contritionis?

RESOL. CXVI.

Hic casus frequenter accidit, & ideò affirmatiuam sententiam tenent aliqui, nam materia proxima pœnitentiæ non est sola confessio, sed & contritio, & satisfactio. Ergo totum est repetendum.

Sed contrariam sententiam putat esse probabiliorem Ioan. de la Cruz in Director. conscien. part. 2. de Sacram. penit. qu. 1. dub. 6. concl. 2. nam repetita sola confessione vocali, repetitur materia proxima, etsi non totaliter, & hoc sat est vt iterum repetatur forma. Et sic patet responsio ad argumentum oppositi prèter quam quod repetita confessione vocali, reperitur saltem virtualiter dolor in ordine ad confessionem vocalem. Si argueas nam etiam sat erit repetere dolorem eorundem peccatorū sine noua confessione vocali, cum contritio, sicut & confessio, sit pars sacramenti Pœnitentiæ. Ad hoc, nego antecedens, nam, etsi contritio sit absolutè principaliter necessaria in cōfessione, tamen confessio in ratione partis Sacramenti est precipua, imò contritio non est pars Sacramenti in ordine ad confessionem vocalem, cum non sit signum sensibile, nisi in quantum, per confessionem manifestatur, & si non repetitur confessio, etsi repetatur contritio, non repetitur materia proxima sensibilis. Ita Io. de la Cruz.

Et ante illum hanc etiam sententiam docuit ex eadem familia Dominicana Petrus Ledesma primarius professor Sacræ Theologiæ in Academia Salmaticensi, & quia Codex rarus est, & hæc opinio est satis curiosa, ponam per extensum eius verba; itaque sic asserit fol. 217. [Duda es si bastara repetir la confession vocal de los mismos pecados para poderse iterar la forma, ò si seria necessario repetir tambien el dolor interior. Parece ser necessario, porque la materia proxima deste Sacramento son los actos del penitente contrition y confession, luego para hazer nueua materia proxima necessario es repetir no solamète la cō nfession de los pecados, sino tambien el dolor interior dellos. En esta difficuldad algunos hombres doctos discipulos de Sancto Thomas ensenan, que para repetir la forma sobre los mismos pecados, no basta repetir la confession, sino que es necessario repetir el dolor de los pecados, y tenerle de nueuo y de otra manera seria pec. y sacrilegio. Pongamos exemplo en vno que se cōfesso de vn hurto, y le absoluieron deste tal pata boluer à serabsuelto deste mismo hurto, no basta que se buelua à confessar del, y que aga nueua cōfession, es necessario que renueue el dolor, y no basta perseuerar en el antiguo dolor, cō que se confessò la vez passada. A esta duda mi parecer es, que aunque esta sentencia referida tenga alguna probabilidad, lo contrario es mas probable, y mas comun entre los Doctores, y esto se ha de seguir de manera, que si el penitente se buelue à confessar del mismo pecado sin renouar el dolor, sino perseuerando en el antiguo con que se confessò la primera vez, le pueden muy absoluer de nueuo, sin escrupulo ninguno. Esto se prueua, porque auiendo nueua confession, aunque no se varia el dolor interior, se varia la materia proxima, come es claro, lue go muy bien se podra boluer à pronunciar la forma de nueuo sobre la tal materia proxima, que es distinta. De lo qual facilmente se responde à la razon de dudar de la contraria sentencia, diziédo, que aunque la materia proxima son aquellas obras del penitēte contricion y confession, como se varia la vna parte d'estas, que es la confessiō se varia la materia proxima, aunque no totalmēte y segun todas sus partes. Tambien se podria dezir, que aunque perseuere el mismo dolor, repitiendo las cōfessiones algunas manera se repite el dolor en ordine à ellas, por lo menos virtualmente, como dizen los Theologos.] Hæc omnia Ledesma, ex quibus Confessarij sedabunt multos scrupulos. & præsertim illorum, qui cōfitentur de peccatis venialibus ordinarijs, & cum illis de aliquo peccato mortali aliàs confesso, & absoluto, nam in tali casu, & in tali confessione secundùm sententiam horum Doctorum, non tenetur elicere nouum actum doloris, & contritionis. Sed ego contrarium teneo cum Henriquez lib. 4. cap. 26. num. 7. & Filliucio tom... tract. 6. cap. 63. num. 77. debet enim semper adesse nouum motiuum, erubescentiæ, & doloris, quoties quis confitetur, quod videtur probabilius, & tutius.

An sola attritio in homine iusto sit sufficiens ad remissionem peccatorum venialium extra sacramentum Pœnitentiæ?

RESOL. CXVII.

Negatiuam sententiam docet Vasquez in 3. part. to. 4. disp. 87. art. 16. dub. 1. num. 6. quia peccatum quodlibet etiam veniale, est aliquo modo contra, Deum, quippe auersio aliqua, & recessus à Deo. Ergo extra sacramentum veluti priuilegium remitti nō debet, nisi per pœnitentiam, seu detestationem peccati conceptā propter Deum, seu per quam conuertitur homo ad Deum quæ est contritio.

Sed contrariam sententiam tenet Villalobos in summa, to. 1. tr. 9. diffic. 16. nu. 5. Suarez in 3. part. to. 4. disp. 11. sect. 3. nu. 11. & Coninch. de Sacramen. disp. 1. dub. 14. nu. 124. vbi sic asserit. Probabilius est, ad remissionem peccati venialis etiam sine sacramento in iustis sufficere attritionem, & adducit multas rationes pro hac firmanda sententia.

Notandum est tamen hic obiter, quod ad remissionem venialium extra, & intra sacramentum requiritur etiam propositum in posterum vitandi illa. Verùm circa hoc idem dicendum est de venialibus, quod Doctores tradunt de mortalibus; vnde sæpe fieri potest, vt licèt aliquis absolutum, & sufficiens propositum habeat, nihilominus timeat, vel etiam existimet, se non vitaturum omnia mortalia peccata, vel certum aliquod peccati genus, quia antè etiam voluntatis suę inconstantiam expertus fuerat, & in hoc casu talis omninò est absoluèdus, vt recte notant Syluester verb. Confessio 1. quæst. 21. Lopez in instruct. par. 1. cap. 13. qu. 3. Nauarrus cap. 3. nu. 13. & cap. 9. num. 18. Sà verb. absolutio, num. 12. Henriq. lib. 4. cap. 24. nu. 24. Coninch. de Sacram. disp. 3. dub. 2. nu. 19. Bela part. 3. cap. 9. & alij, quæ omnia procedunt etiam circa propositum vitandi venialia, quod quidem propositum in aliquibus tamen summopere differt à proposito vitandi mortalia, & præcipuè in hoc, quia sicut potest vnum peccatum veniale remitti sine alio, ita etiam potest remitti existente actuali affectu erga alia. Vnde si quis confiteatur multa peccata venialia, sufficit ad validitatem sacramenti, si doleat tantùm de aliquo cum proposito illud de cætero vitandi. Et hæc omnia erunt multum plausibilia scrupulosis.

An moriens absente Confessario teneatur reuocare in memoriam omnia peccata, vt de illis postea eliciat actum contritionis?

RESOL. CXVIII.

De hoc casu olim inter me, & quendam Theologum dissensio fuit; nam ille affirmatiuam sentētiam docebat motus auctoritate Soti in 4. sent. distinct. 17. quæst. 2. cui ego addebam Adrianum quæst. 3. de Baptismo, in fine. Angelum ver. contritio, §. 4. Durandum in 4. distin. 17. quæst. 2. Richardum dist. 16. artic. 2. quæst. 2. Philiarcum de offi. sacer. tom. 1. part. 2. cap. 20. & hāc sententiam videtur etiam docere D. Thomas in 1. 2. q. 113. artic. 5. ad 3. & in 3. part. quæst. 87. artic. 1. in corpore, vbi ait, ad remissionem peccatorū requiri, vt homo diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata, vt singula detestetur. Et ita nouissime hanc sententiam docet Franciscus Sylutus insignis

insignis commentator D. Thomæ in Addit. ad 3. part. quæst. 2. artic. 6. conclus. 1. vbi asserit, quod ad iustificationem regulariter, & per se non sufficit contritio de vniuersis peccatis generatim, & confusè; sed requiritur specialis, & distincta singulorum peccatorum, iam quoad numerum, quàm quoad speciem ita scilicet, vt singula recogitari debeant, & de illis sic recogitatis formari vna contritio.

Sed tunc contrariam sententiam docui, & adduxi Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 7. c. 4. n. 3. casum in terminis decidentem, vbi sic asserit: Seclusa obligatione confitendi, vt putat in lege veteri, vel etiam in noua lege, si confessio, v. g. ob inopiam confessarij impossibilis sit, non videtur extare præceptum sigillatim recogitandi peccata, modò homo sibi persuadeat, se, siue tali peccatorum specifica, aut numerica recogitatione, verùm actum contritionis elicere posse. Ita ille.

Et nouissimè sustinet etiam hanc sententiam Villalobos in summa, to. 1. tract. 9. difficult. 19. nu. 4. ita asserens. [De lo dicho se infiere, que quando el hombre se iustifica fuera del Sacramento por la contricion, basta que sea general, aunque no se accuerde en particular de los peccados, porque la inquisicion de los pecados en particular solo deue hazerse, quando se han de confessar, porque sea la confession entera;] vide etiam Coninch. de Sacram. disput. 2. dub. 8. n. 76. Henriqu. libr. 4. cap. 27. num. 2. Caietanum in 3. p. q. 81. art. 2. Nauarrum in man. c. 1. nu. 22. & alios.

An ad effectum Sacramenti sufficiat implicitum propositum de cætero non peccandi, quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur?

RESOL. CXIX.

NEgatiuam sententiam docet Sotus in 4. dist. 14. p. 2. artic. 2. & disp. 17. q. 2. art. 1. & libr. 2. de natura, & gratia, capit. 14. Cano relect. de pœnit. p. 2. Bellarminus lib. 2. de pęn. c. 6. & 7. & alij, quia Concil. Trident. sess. 6. c. 6. hoc propositum requirit distinctum ab amore Dei.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quam tuẽtur Vegha lib. 3. in Concil. Trident. capit. 41. Petro Soto de pœnit. lect. 17. Maior, & Almaynus in 4. sent. dist. 14. quæst. 1. cum alijs; Et ratio est, quia vno simplici actu detestationis peccatorum ex motiuo supernaturali, homo sufficienter disponitur ad iustificationem, & tamen fieri potest, vt de vita in posterum instituenda, aut peccatis euitandis nihil cogitet. Ergo Aduertit tamen Villalobos in summa tom. 2. tract. 9 difficult. 19. num. 8. quod [quando el penitente se accuerda de los pecados futuros tiene obligacion de tener proposito actual de euitarlos, que de otra manera le rendra virtual, mas quando por la tristeza, y dolor de los pecados no se accuerda de los futuros, esto basta, como le basto à Dauid.]

Ex quibus Layman in theol. mor. libr. 5. tract. 6. cap. 4. num. 6. conciliat Doctores citatos, quorum aliqui ad iustificationem peccatoris formale propositum vitandi peccata requirunt, alij verò implicitum in ipsa peccatorũ detestatione inclusum sufficere aiunt. Hinc Franciscus Syluius in addit. ad 3. part. quæst. 1. quæritur 1. sic asserit. Si quis occupatus vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita pręterita, vel in implorãda Dei misericordia, & petenda venia, vel in excitando se ad amorem Dei, & dolorem de ipsius offensa, non cogitet actu, dicens intra seipsum, volo abstinere à peccatis, sed bona fide eat ad confessionem, ibique se accusans veniam petat, verè est contritus, talisque eius confessio est bona, quia in dicto examine peccatorum, & petitione veniæ à Deo, includitur sufficiens propositus non peccandi de cætero. Ita Syluius, & ego. Vnde confessar. ex, supradictis sedabit multos scrupulos aliquorum dubitantium, illa de cætero vitandi.

An quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ cum confessione voluntariè nulla, quia sine dolore, proposito, &c.

RESOL. CXX.

NEgatiuam sententiam docent Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 1. quæst. 7. artic. 5. difficult. 6. Faber de pœnit. in 4. sent. dist. 17. q. vnica, disp. 30. c. 3. nu. 55. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 36. sect. 7. nu. 3. Coninch. de Sacram. disput. 5. dub. 9. Layman in

theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 5. nu. 10. Sotus in 4. distin. 18. articul. 3. Medina in summa, libr. 1. cap. 14. § 41. Nauarrus c. 10. nu. 4. Comitolus in resp. mor. lib. 1. q. 19. Filliucius to. 1. tract. 67. c. 13. nu. 64. Syluius in 3. p. q. 6. art. 5. quæritur 1. Emanuel Sà verb. confessio, num. 1. & alij. Et ratio est, quia non aliam confessionem præcipit Ecclesia, quam Deus. Sed præcepto diuino quis non satisfacit, nisi per susceptionem Sacramenti. Ergo nec Ecclesiastico. Vnde si nulla sit confessio etiam ex parte Sacerdotis, etiam tenebitur pœnitens iterùm confiteri, quia præcepto Ecclesiastico non satisfecit, vt notant Syluius, & Filliucius vbi supra. Hæc opinio est probabilior.

Sed contrariam etiam probabilem existimo cum Fagundez præcept. 2. libr. 1. cap. 4. numer. 4. in fine, quam docent Paludanus in 4. distinct. 17. q. 7. Gabriel ibidem, quæst. 1. art. 3. dub. vltim. Victoria in summa, q. 163. Alensis p. 4. quæst. 77. nu. 5. art. 7. Syluester verb. confess. 4. num. 3. in fine, & alij, quia Ecclesia solùm externum confessionis actum præcipere potest, de occulto autem defectu non iudicat. Adde, quod remissio peccatorum cum sit finis præcepti, non cadit sub præcepto. Vide etiam Pitigianum in 4. to. 2. dist. 17. q. vnica, art. 7.

Notandum est tamen, quod talis inualidè absolutus, licèt stãdo in prima opinione non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, tamen liberatur à reseruatione peccatorum, si confessarius potestatem habeat ab iis absoluendi. Et ita docent Coninch. de Sacram. disp. 8. dub. 12. nu. 91. Layman in theol. mor. libr. 5. tract. 6. c. 5. nu. 11. & alij penes ipsos, & ego ipse alibi.

Notandum secundò, quod Henriquez lib. 4. cap. 4. §. 2. licèt, doceat per confessionem inualidam ex culpa pœnitentis, humanum præceptum annuæ confessionis non impleri; tamen putat per eam confessionem vitari pœnam excommunicationis in constitutionibus Episcopalibus impositam contra tale præceptum transgredientes; verùm hanc sententiam non admittit Fagundez nu. 12. sed probabilem illam esse docet Emanuel Sà verb. confess. nu. 1.

Sed quidquid sit de hoc, ego puto pueros ante 14. annum non incurrere supradictam excommunicationem, licèt per cõfessionem inualidam non satisfaciant Ecclesiastico præcepto de annua confessione, quia tales pueri excusantur à censura ferenda à Iudice, non tamen à censura Canonis, quod est valdè notandum. Et ita docent Filliucius tom. 1. tract. 7. capitul. 3. numer. 72. & Nugnus in Addit. ad 3. part. quæst. 6. artic. 5. dub. 1. vbi sic ait, Videtur mihi satis probabile, pueros ante annos pubertatis non ligari excommunicatione, vel alijs pęnis Ecclesiasticis, vnde quando in aliqua Parochia in communi excommunicantur, qui non sunt confessi, non comprehenduntur pueri, vt supra. Ita ille.

An qui bona fide confitetur confessario valdè ignoranti, teneatur postea dictam confessionem iterare?

RESOL. CXXI.

AFfirmatiuam sententiam docet Vasquez in 3. parte tomo 4. qu. 93. art. 3. dub. 2. numer. 2. quia bona fides amplius efficere non potest, quam excusare à culpa pęnitentem accedentem ad Sacerdotem ignorantem.

Sed contrariam opinionem tuetur Henriquez libr. 2. de pœnitentia, cap. 14. numer. 5. vbi sic asserit. Qui bona fide confitetur ignoranti, quem posteà nouit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, non videtur cogendus iterare confessionem, quia ille potuit, & voluit bene dispositum absoluere, quamuis defecerit in prudentia circa medicinam & satisfactionem imponendam. Ita ille, & post illum Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. cap. 10. num. 69. sic asserens. Quando pœnitens integrè fassus est peccatum quod fecit, dubitabat tamẽ, an esset mortale. Quamuis enim confessor simili dubio teneretur, non est iterùm confessio illius peccati repetenda, si posteà alteruter doctior factus, aut alijs consultis nouit id peccatum esse mortale, nisi aliundè confessio fuerit irrita, vt quia data opera quęsiuit ille confessorem ignarum, ac insufficientem ad eius confessionem excipiendam. Sic Sanchez, & ego.

An sit iteranda confessio facta cum Confessario, qui cum falsa licentia ordinarij excipit aliorum confessiones.

RESOL. CXXII.

Affirmatiuè respondet Homobonus de exam Eccles. par. 1. tract. 5. c. 3. q. 20. Reginaldus in praxi, to. 1. lib..... c. 8. dub. 9. nu. 98. Sanchez de matrim. to. 1. libr. 3. disp. 22. qu. 2. Megala in 1. p. libr. 5. c. 19. n. 12. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia talis est intrusus, non enim habet titulum à legitimo Superiore, nec valet solùm communis error. Ergo, &c.

Sed negatiuam sententiam docet Molfesius in summa, to. 1. tract. 7. cap. 13. num. 21. vbi sic asserit. Aliqui asserunt inualidam esse absolutionem, quoties Parochus nullum habet legitimum titulum, vt quia de facto cum bullis falsis se gerebat pro Parocho. Attamen eorum opinio mihi non probatur, nam eadem est ratio; si quidem in vtroque casu error est communis, qui tribuit iurisdictionem, & adest bona fides pœnitentis. Ita ille, & hanc sententiam ego libenter etiam teneo, quia puto, quod ex errore communi confertur iurisdictio etiam sine titulo colorato collato à legitimo possessore, & hoc solidè probant Basilius Pontius de matrim. lib. 5. c. 20. nu. 2. Sancius in selectis, disp. 44. nu. 3. & ego ipse alibi.

Hinc à fortiori infertur, quòd si pœnitens sciat priuatum esse Confessarium iurisdictione, quod ipse Confessarius ignorat, & communis populus, poterit pœnitens petere ab illo absolutionem, quæ validè confertur.

An Confessarius si neque in confuso statum pœnitentis recordetur, & illum absoluat, absolutio sit valida?

RESOL. CXXIII.

Respondeo, quod si confessio fuit inualida, vel ex parte pœnitentis, vel confessarij, & pœnitens cum eodem confessario confiteatur, non tenetur denuò peccata explicare, si saltem confusè recordetur confessarius illius statum, vt conuenientem illi pœnitentiam imponere possit. Ita communiter Doctores, quos citant, & sequuntur Vasquez in 3. p. to. 4. q. 92. artic. 3. dub. 3. & alij. Et ratio est, quia specifica peccatorum manifestatio, aut cognitio per se, & simpliciter non est de essentia, ac necessitate sacramenti, sed tantùm de necessitate præcepti diuini, cui pœnitens anteà satisfecit enumerando omnia peccata. Ergo solùm tenetur defectu, v. grat. contritionis supplere de omisso peccato, seu accusare.

Sed cum hæc omnia vera sint, difficultas est, si Confessarius statum pœnitentis neque in cōfuso recordetur, & tamen illum absoluat, an dicta absolutio sit valida: de hoc casu olim interrogatus fui, & affirmatiuè respondi, & adduxi Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 9. nu. 6. vbi sic asserit. Tametsi confessarius neque statum peccatoris generatim recordetur, sed id tantùm, quòd sibi confessus fuerit, eumque iam rectè dispositum absoluat, peccaturum illum quidem, cum non rectè suo munere in pœnitentia imponenda, &c. fungi possit, nihilominus absolutionem validam, & pœnitenti fructuosam fore. Ita Layman, ex quibus in tali casu confessarius peccabit quidem, sed non tenetur monere pœnitentem de aliqua re, vt quidam Sacerdos scrupulosus putabat, quia confessio fuit valida, non tenetur igitur ad aliud, nisi de peccato pœnitere.

Quis in confessione Paschate omisit aliqua peccata per obliuionem, & posteà statim de illis recordatur, quæritur an teneatur illa statim confiteri?

RESOL. CXXIV.

Sotus distinguit, & ait hoc posse fieri dupliciter. Primò, quia peccata sciuntur quādo homo confitetur, & omittuntur ex iusta causa. Secundò, quia illa peccata fuerunt oblita. Si primo modo fiat, ait, quod tenetur homo cum primum potest illa peccata confiteri. Si verò secūdo modo fiat, adhuc distinguit, quia si obliuio fuit culpabilis, tenetur hic statim confiteri illa peccata, si verò fuit inculpabilis, non est talis obligatio. Hęc Sotus apud Nugnum in Addit. ad 3. p. tom. 2. q. 6. art. 5. diffic. 6. qui ipsius sententiam rigorosam vocat, sed probabilem.

Apponam etiam hic opinionem Medinæ in summa, libr. 1. c. 14. §. 41. vbi sic asserit: [Si los peccados que se le oluidaron se le acuerdan dentro del mismo año, en que se confesso, esta obligado à confessarlos ante que el año se acabe, porque el precepto le obliga à que cada año se confiesse vna vez de todos los pecados, que se le accordaren acordase de dos, ò tres luego esta obligado à confessarlos. Pero si era ya passado el año quando se le acordo de los peccados, que antes hauia hecho y se le hauian oluidado en la cōfession del año passado, no esta obligado à confessarse luego dellos, hasta que los confiesse quando se confessare para cumplir con aquel anno presente en que esta.] Ita Medina.

Verùm prorsus existimo absolutè dicendum sine vlla distinctione, posse talia peccata non confiteri vsque ad cōfessionem sequentis anni. Et ita docent Villalobos in summa, tom. 1. tractat. 9. difficult. 28. nu. 8. Syluius in addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 5. quæritur 3. in fine Ioan. de la Cruz in direct. p. 2. de Sacram. pœnit. quæst. 5. dub. 2. concl. 3. Layman in theol. mor. libr. 5. tra. 6. cap. 8. num. 13. Fillilucius tom. 1. tract. 7. cap. 3. nu. 57. Victoria in summa num. 157. Fagundez p. 2. lib. 1. cap. 4. num. 17. Suarez to. 4. disp. 36. sect. 4. nu. 6. Toletus libr. 3. cap. 8 nu. 1. Syluester ver. confessio 1. num. 3. Nauarrus cap. 11. 2. nu. 10. & alij, quia Ecclesia obligat tantùm ad confitenda omnia peccata commissa illo anno, quantum memoriæ occurrunt, adhibita sufficienti diligentia, sed qui taliter confessus est, satisfecit præcepto. Ergo non tenetur iterùm confiteri.

An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, saltem si habeat mortalia, quæ ex iusta causa non debeat aperire Confessario.

RESOL. CXXV.

Affirmatiuam sententiam docet Nugnus in addit. ad 3. par. qu. 6. art. 6. diffic. 1. quia talis homo simpliciter loquendo habet præceptum confessionis, & potest illud adimplere confitendo venialia. Ergo tenetur.

Sed contrariam sententiam in terminis docet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 36. & sect. 6. Et ratio est, quia nullum præceptū, nec quidem Ecclesiasticum obligat fideles ad confessionem peccatorum venialium vt probant Vasquez in 3. part. to. 4. quæst. 90. artic. 2. dub. 1. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 5. nu. 18. Fagundez pr. 2 lib. 2. c..... num. 5. & alij penes ipsos. Ergo si quis non potest confiteri ex iusta causa peccata mortalia, non tenetur confiteri venialia.

Quæ omnia ita vera sunt vt aliqui Doctores asserant Ecclesiam sacramentalem confessionem de venialibus præcipere minimè posse, vt tradit Paludanus in 4. dist. 17. qu. 2. art. 4. concl. 2. cui fauent Syluester ver. confessio 1. qu. 13. Sotus in 4. dist. 18. qu. 1. art. 3. argum. 2. Henriquez lib. 4. c. 4. nu. 10. Rodriquez qq. Reg. to. 1. q. 62. art. 1. & alij, licèt contrarium sentiat Benzonius de Iubilæo lib. 5. cap. 15. dub. 6. Vasquez loco citat. art. 2. dub. 3. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 8. Nauarrus in cap. placuit, dist. 6. de pœnit. nu. 122. & alij.

Sed quidquid sit de hoc, aliqui putāt Clementinam vnicam de statu monachorum, vbi præcipitur religiosis sancti Benedicti, vt semel in mense confiteantur non obligare sub mortali, si habeant tantùm peccata venialia, vt docent Nugnus in addit. ad 3. par. quæst. 6. art. 5. diffic. 7. Molfesius in summa tract. 2. ca. 1. num. 21. Megala in 1. par. lib. 5. c. 4. numer. 4. & alij penes ipsos, licèt absolutè doceant Caietanus to. 1. opusc. titul. 5. quæst. 1. & Cano Relect. de pœnit. p. 4. supradictam Clementinam non obligare sub mortali, etiamsi Monachi peccata mortalia habeāt, & ideò sic asserit. Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. diffic. 28. numero 5. [Los Monges Benitos tienen precepto en vna Clementina de confessarse todas las vezes, que tienen conciencia de pecado mortal, elqual precepto se estiende à los de mas y solo obliga à pecado venial, como dize Henriquez lib. 1. c. 4. n. 10. mas à mi pareceme que no esta en vso, sino de confessarle à su tiempo.] Ita ille.

An peccata venialia sint confitenda, quando requiritur confessio ad Iubilæum comparandum.

RESOL. CXXVI.

Affirmatiuam sententiam docent Fagundez præc. 2. libro 2. cap. 2

cap. 2. nu. 20. Sotus in 4. dist. 21. qu. 2. art. 3. Sanchez de matr. libr. 8. disp. 15. nu. 19. & alij, quia hæc est vna, & potissima conditio, quam requirit Papa, vt quis Iubilæum consequatur, confessione scilicet peccatorum. Ergo.

Sed negatiuam sententiam probabiliorem esse existimo, & ita docent Beia par. 3. cas. 37. Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 52. sect. 3. num. 5. Coninch. de sacram. disput. 12. dub. 7. num. 3. Fillíucius tom. 1. tract. 8. cap. 6. nu. 145. Henriquez libr. 7. cap. 10. nu. 8. & c. 12. nu. 2. Zanardus in direct. Confess. p. 1. de Sacrament. pœnit. c. 21. q. 24. Graffius decis. p. 1. lib. 4. cap. 15. nu. 19. Reginald. tom. 1. lib. 7. ca. vlt. q. 2. nu. 173. Conatolus in Resp. mor. lib. 1. qu. 39. & Benzonius de Iubilæo, libr. 5. c. 15. dub. 6. vbi sic ait. An qui non habet conscientiam peccati mortalis, teneatur confiteri pro Iubilæo consequendo?

Respondetur breuiter nequaquam teneri, cum enim sit in statu gratiæ, nec materiam necessariam habeat ad confessionẽ, non obligabitur pro Iubilæo consequendo ad illam. Vnde cum neque diuino, neque positiuo præcepto obligetur quis ad confessionem, quando peccatum mortale non habet, neque tempore Iubilæi obligabitur. Sic Benzonius.

Dicens cum Scoto, Bonauentura, Ales, Syluestro apud Benzonium vbi supra, & Caietano tom. 1. opusc. de confes. tract. 1. & alijs qui caret mortalibus, & venialia tantùm habet, tenetur sub mortali illa in Quadragesima confiteri. Ergo etiam tenebitur tempore Iubilei. Respondeo hanc sententiam non esse veram, vt docent DD. quos citat, & sequitur Fagundez pr. 2. lib. 2. c. 1. nu. 8 & rationes inuenies apud illos.

An esset absoluendus, qui sine causa praberet Confessario peccata sua scripta, & de illis illo præsente se accusaret?

RESOL. CXXVII.

NEgatiuè videtur respondendum ex Fagundez præcept. 2. libr. 3. cap. 1. nu. 8. vbi sic ait. Extra necessitatem ipsa confessio, & accusatio semper facienda est ore, & peccaret mortaliter ille, qui cum benè posset proprio ore confiteri, per signa, & nutus, & interpretem (adde tu & per scripta) confiteretur. Et ratio est, quia mutaret consuetudinem Ecclesiæ, quæ mutatio est grauis, & in re graui. Et ita etiam docet in terminis hanc sententiam Syluius in Addit. ad 3. par. quæst. 9. art. 3. concl. 2. vide etiam Fillíucium to. 1. tr. 7. cap. 1. nu. 14. Coninch. de Sacram. disp. 6. dub. 1. concl. 3. numer. 3. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 11. sect. 3. num. 5. & 6. & alios.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. difficult. 31. nu. 1. vbi sic asserit. [De lo dico se infiere, que si vno diesse sus pecados escriptos, y se cóféssasse de los en presencia del Sacerdote, podria ser absuelto, si lo hiziese sin causa seria graue pecado venial; porque se apartara del vso comun de la Iglesia, mas si lo hiziese con causa razonable, non seria pecado.] & hoc vltimum concedunt etiam Coninch. & Fagundez vbi supra. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 6. & Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 91. art. 4. dub. 4. num. 7. quidquid asserat Syluius I. C. Vnde si quis magnum pudorem sentiret, si proprio ore peccata confiteretur nõ peccaret mortaliter, si per scriptum confiteretur præsente sacerdote, quia consuetudo proprio ore confitendi non obligat tam grauiter in hoc casu, vt etiam præter Doctores citatos, docet Layman in theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 6. nu. 3. vbi ponit alium casum in praxi facilè occurrentem. nempè, quod, si ægrotus per gutturis angorem confiteri absolutè quidem voce possit, sed vix, aut ægrè, compellendus non erit, si peccata scribere facile possit, voce confessionem facere.

An in Paschate, vel in articulo mortis, teneatur per scriptum confiteri, qui alio modo non potest.

RESOL. CXXVIII.

AFfirmatiuè respondent Nugnus in addit. ad 3. p. q. 9. artic. 3. Turrianus de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 2. qui citant Suarez, Petrum Sotum, & Gabrielem, idem docent Becanus de sacram. c. 37. q. 7. nu. 2. Vasq. in 3. p. to. 4. q. 91. art. 4. dub. 5. nu. 2. vbi ita ait, quod non obstat scriptum perdi posse, quod absoluta confessione potest statim rumpi, & paulò ante confessionem ita scribi, & custodiri, vt non perdatur, nec etiam obstat, quod surripere potest sacerdos, sic enim etiam posset ipso eodem modo manifestare crimina, quæ voce audisset in confessione & nihilominus tenemur confiteri, & æquale est damnum vtrobique.

Hanc sententiam videtur etiã docere Layman in theol. mor. lib. 5. trac. 6. c. 6. n. 4. vbi ait: qui perpetuò mutus est, & scribere nescit, ad confessionem annuam nutibus, quatenus potest, faciendam obligatus esse videtur. Vnde supponit in illis verbis (si scribere nesciat) quod si mutus scribere sciat, tenetur confiteri per scripturã, intellige semper præsente Confessario. Vide etiam Syluestrum ver. confessio 1. qu. 15. & Suarez to. 4. disp. 16. sect. 6.

At his nõ obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, & ita docent Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de sacram. pœnit. qu. 3. dub. 7. concl. 1. Sotus in 4. distin. 18. qu. 2. art. 6. Valentia tom 4. disp. quæst. 11. punct. 1. Fillíucius to. 1. tractat. 7. n. 63. & Henriq. lib. 4. cap. 4. nu. 4. in Glossa litt. A, vbi sic asserit. Non tenetur præcepto Ecclesiæ confiteri per scriptum etiam mutus, aut infirmus, qui loqui non potest. Sic ille. Vide etiam Villalobos in summa, to. 1. tract. 9. diffic. 32. nu. 3. & alios communiter, quia peccata scribere, & scriptum Confessario tradere, insolitus est confitendi modus, & plerumque non vacat omni periculo publicationis, & hoc sufficit quare Ecclesiastica lex in tali casu non obligat. Quid verò dicendum in articulo mortis dic, vt in sequ. resol. resoluemus.

An in articulo mortis teneatur confiteri per interpretem, si quis alio modo non potest.

RESOL. CXXIX.

DIco primò, quòd præcepto Ecclesiastico nemo tenetur ad cõfitendum per interpretem, quia hæc aliquo modo publica confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet, & ideò in Concilio Lateranensi dicitur. Omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti, & ita docent DD. quos citant, & sequuntur Turrianus de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 1. Layman. in theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 6 nu. 5 Fagundez præc. 2. libr. 2. c. 6. nu. 6. Villalobos in summa, to. 1. tract. 9. diffic. 32. n. 3. Ioan. de la Cruz in direct. conscien. p. 2. de Sacram. pœnit. q. 3. dub. 7. concl. 1. Fillíucius to. 1. tract. 7. capit. 3. nu. 62. & alij quos citat Sancius in selectis disp. 32. nu. 8.

Dico secundo contra Turrianum vbi supra, & Suarez to. 4. disp. 36. sect. 6. quod in articulo mortis, si pœnitens habet probabilem existimationem de sua contritione, non tenetur confiteri per interpretem: quia tunc confessio non videtur moraliter necessaria ad salutem, nec Deus videtur obligare cum tanto onere, & quia talis confessionis modus de se est publicus. Ergo, &c. Si autem probabiliter dubitet de sua contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri per interpretem, ne se exponat periculo damnationis, quia cum absolutè teneatur Deo satisfacere, meritò in casu dubio obligatur. Ita DD. citati, quæ adeò vera existimo, vt putem cum Vasquez in 3. par. tom. 4. quæst. 19. artic. 4. dub. 3. nu. 6. quod si talis confessus sit omnia peccata, & postea nullum commisisset mortale, licèt meminerit posteà alicuius, quod prætermisit propter obligationem, non teneretur in articulo mortis confiteri per interpretem, quamuis tenebatur confiteri, si posset secretò soli confessori, quia de tali peccato per confessionem factam fuerat indirectè absolutus.

Sed difficultas est, quando quis in articulo mortis dubitat de sua contritione, an teneatur confiteri per interpretem omnia peccata mortalia. Ad hoc ita respondet Nugnus in addit. ad 3. p. q. 9. art. 3. difficul. 1. ad argum. 1. Videtur mihi (saluo meliori iudicio) quod poterit talis pœnitens tacere peccata maioris infamiæ.

Ita Nugnus, & post illum Fagundez pr. 2. lib. 1. c. 6. n. 8. Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 5. Henriquez lib. 4. c. 4. n. 4. Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 5. Et ratio est, quia in tali casu non tenetur facere confessionem materialiter integram, sed formaliter.

At plus addit Coninch. de Sacram. disp. 5. dub. 10. nu. 77. quia in rigore putat aliquem in tali casu posse cõfiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia peccata, dicẽdo se cõfiteri alia omnia peccata, quibus Deũ offenderit. Ita Coninch. quem posteà sequitur Molfesius in sum. to. 1. tr. 7. c. 11. nu. 12. licèt consulendũ sit, vt tali casu moribũdus omnia peccata cõfiteatur, quia interpres tenetur seruare sigillũ, vt omnes commu-

niter tenent, contra Caietanum, Victoriam, & Sotum quos citat, & sequitur Io. de la Cruz in direct. part. 2. de Sacram. confess. qu. 3. dub. 7. concl. 1. Sed si aliquis vellet confiteri aliqua venialia, & mortalia in genere, confessio erit valida, quia opinio Coninch. & Molfesii est probabilis.

An qui in Paschate non implenit præceptum confessionis, teneatur primo quoque tempore confiteri.

RESOL. CXXX.

Affirmatiuè respondent communiter Doctores, & ita docent Nauarrus c. 21. nu. 45. Henriquez lib. 4. c. 4. nu. 6. Valentia to. 4. disp. 7. q. 9. punct. 4. Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 36. sent. 4. num. 2. Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 5. nu. 8. Coninch. de sacram. disp. 5. dub. 8. nu. 63. Nugnus in Addit. ad 3. p. to. 2. q. 6. art. 5. difficul. 6. Fagundez pr. 1. lib. 1. c. 4. num. 16. & Villobos in summa, tom. 1. tract. 9. diffic. 28. numer. 8. vbi sic ait. [El que no se confessó el año, està obligado a confessarse luego despues, y mientras mas lo dilata, mas peca;] Et ratio est, quia tempus Paschale, veluti implendi præcepti terminus propositus non est ad obligationem finiendam.

Sed licèt hæc opinio sit probabilior, vt benè notat Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 55. tamen ipse nu. 54. negatiuam sententiam probabilem putat. Primò ob auctoritatem Doctorum. Secundò, quia præceptum affirmatiuum determinatè obligat pro aliquo tempore, licèt intra illum violetur, tamen eo transacto non obligat amplius, vt præceptum ieiunij, Horarum Canonicarum, Missæ, &c. Confirmatur, quia sic homo continuo peccaret, quandiu non confiteretur. Ita Filliucius, qui vt dixi, probabilem hanc sententiam putat, quam absolutè tenent Syluester verb. Eucharistia 3. quæst. 15. D. Antoninus part. 2. titul. 9. cap. 9. §. 3. Tabiena verb. communicare, num. 10. Megala in 1. parte libr. 5. cap. 3. num. 13. Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 8. punct. 4. verb. quartum est, & alij. Vnde secundùm hanc sententiam, qui ob inopiã confessarij, vel ob aliam causam rationabilem non impleuit debito tempore præceptum annualis confessionis; dicendum est de illo qui ex culpa in Paschate minime confessus fuit, licèt (vt diximus) contrariam sententiam probabiliorem esse existimem.

Notandum est etiam hic obiter contra Henriquez lib. 4. c. 4. nu. 5. eum, qui non est confessus in periculo mortis, cum haberet conscientiam peccati mortalis, non tenetur posteà quàm primum confiteri. Ita Bonacina de Sacram. disput. 5. quæ. 5. sect. 2. punct. 4. nu. 28. quia præceptum confessionis eo tempore obligat propter periculum damnationis, sed sublato periculo mortis dictum periculum damnationis abest. Ergo.

In quibus casibus confessio erit valida, & tamen non integra materialiter?

RESOL. CXXXI.

Primò, si homo mutus, surdus, balbutientis linguæ, aut ignoti idiomatis omnia peccata explicare nequeat. Vide Henriquez lib. 5. cap. 12. numer. 3. Secundò, si inter confitendum periculum sit, ne pœnitens mox moriatur, debet statim absolui, & posteà si superuiuat, reliqua peccata audienda sunt, & posteà denuo absoluendus est. Vide Sà ver. absolutio, n. 9. Tertiò, tempore pestis, naufragij periculosi, prælij, si Confessarius multorum integras confessiones audire non possit, quo casu licitum est quoque plures simul confitentes audire, & absoluere. Vide Coninc. de Sacram. disp. 7. dub. 9. n. 74. Quartò, si aliquis habeat casus reseruatos, de quo vide Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. nu. 8. & 10. & quæ dixi ego in hoc tract. resol. ... Quintò, si necessitas vrgeat confitendi cum aliquo confessario, cui, v. g. sine graui periculo animæ, corporis, famæ, aut fortunarum proprio, vel alieno, peccatum aliquod confiteri nequeat, tunc eo prætermisso reliqua explicari, & absolutio peti potest. Vide Sotum in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 5.

Sed de his omnibus vide Fagundez pr. 2. lib. 4. c. 2. per totum vbi num. 17. benè obseruat, vt in his & similibus casibus, in quibus licitè dimidiatur confessio, absoluatur pœnitens directè, & per se ab illis tantùm peccatis, quę cõfitetur; indirectè verò, & consequutiuè ab alijs de quibus non est confessus, ea tamen obligatione, & conditione, vt teneatur prædicta non confessa confiteri cessante causa & sublato periculo; non tenetur tamen ea statim confiteri, sed potest illa in primam confessionem, siue annualem in Quadragesima, siue ex deuotione differre nec refert, quod exponatur periculo obliuionis.

An qui peccet, qui duos Confessarios habens, eorum vni prius confitetur mortalia, alteri postea solum venialia?

RESOL. CXXXII.

Affirmatiuè respondet Syluester verb. Confessio 1. quæst. 6. & Victoria in summa sacram. n. 196. quia etsi hoc non sit contra integritatem sacramenti, est tamen quędam hypocrisis, & virtuale mendacium.

Sed contraria opinio est tenenda, quam tenet Fagundez pr. 2. lib. 2. cap. 2. num. 14. Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 7. cap. 8. nu. 14. Coninch. de Sacr. disp. 6. dub. 4. nu. 13. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 22. sect. 2. nu. 22. Henriq. lib. 5. ca. 16. num. 6. & Villalobos in sum. to. 1. tr. 9. diffic. 35. nu. 1. Et ratio est, quia hoc non est cõtra integritatem sacramenti, nam vtraq; confessio est integra, neque est vera hypocrisis. Nam velle conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non grauem inordinationem continent. Non esse speciem mendacij, patet, quia talis nihil falsum confitetur, & licèt facto ipso permittat alium decipi, id non est per se peccatum mortale.

Notandum est tamen per accidens, hoc esse aliquãdo peccatum mortale, vt si ob hanc causam pęnitens maneret in aliqua occasione peccati mortalis. Sed pro coronide huius resol. ponã hic verba Villalobos vbi supra, n. 2. [Se ha de aduertir, que muchas vezes conuiene mudar Confessor por muchas causas, que los confessores cada dia exprimentan, las quales aun algunas vezes las ay entre Religiosas, y harian muy bien los que cõfiessan algunas vezes personas de ordinario, en aduertirles, que si alguna vez quisiessen, se confessassen cõ quien les pareciesse.] Vnde ait Layman loco cit. quod imprudenter agunt Confessarij, si reprehendant pœnitentes suos qui aliquando confessionale eorum declinant, cum potius id dissimulare deberent.

Laicus quidam absoluit ab excommunicatione morientem, quæritur an absolutio sit valida, ita vt in loco sacro defunctus sepeliendus sit?

RESOL. CXXXIII.

Respondent negatiuè communiter, quia ad absoluendum aliquem ab excommunicatione requiritur iurisdictio Ecclesiastica, quam laicus non habet. Ergo, &c. Et ita docent Villalobos in summ. to. 1. tr. 6. diffic. 20. n. 14. Layman in theol. moral. lib. 1. tract. 5. c. 6. nu. 2. Coninch. de Sacram disp. 14. dub. 16. nu. 236. Suarez de cens. disp. 7. sect. 6. n. 6. Sotus in 4. dist. 27. quæ. 4. art. 3. Couar. in c. alma mater, p. 1. §. 11. num. 9. Garsias de beneficijs, to. 2. p. 1a. c. 5. n. 353. & alij.

Sed ego cum Auila de cens. par. 2. capit. 7. disput. 1. dub. 5. probabilem puto contrariam sententiam, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. absolutio, differ. 14. nu. 3. quibus ego addo Ioan. de la Cruz in direct. p. 2. de excommunicatione, dub. 4. concl. 1. & Ledesmam in summ. tom. 1. de excommun. c. 8. dub. 4. Sancium in select. disp. 44. nu. 7. Raguclum in lucerna Parochorũ de absolutione, q. 124. alterum Ledes. p. 2. q. 26. art. 1. Sed audiamus Valerum loc. cit. nu. 3. vbi sic afferit. Effectus prædictæ absolutionis secundùm pręcitatos DD. maximus est, scilicet, quod hæredes absoluti non tenebuntur adire Papam, nec excommunicantẽ pro absolutione petenda, poteruntq; sepelire defunctum in loco sacro, & pro eo facere Missas celebrare, licèt id impugnent Sotus, & Cou. quorum opinionem in rigore iuris veriorẽ existimo. Sed non damnarem pium Parochum sequẽtem contrariã, & iuxta eam sepelientem defunctum, & Missam pro eo publicè celebrantem, maximè vbi de facili non potest adiri ad iudicem excommunicantem, vt ab eo absolutio impetretur antequam defuncti corpus sepulturæ tradatur. Itaque præfata absolutio multum proderit quoad prædicta. Ita Valerus, vbi supra. qui etiã notauit nos alibi diximus, laicũ in prædicto articulo mortis posse moribundo concedere indulgentiam plenariam Bul-

le

in Cruciatæ, & citat Nauarrum de indulgen. notab. 3. num. 9. Sed prima sententia est probabilior, & communis, quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. solis Sacerdotibus hanc facultatem concedit.

An si pænitens eliciat actum doloris, post narrata peccata ante absolutionem recipiat Sacramentum pænitentiæ?

RESOL. CXXXIV.

IN hoc casu non recipere Sacramentum putat Coninch. de Sacram. disp. 4 dub. 6. nu. 4. concl. 2. vbi sic ait. Dolor iste non solùm natura, sed etiam tempore debet præcedere ipsam confessionem Pater, quia ille dolor debet saltem natura præcedere voluntatem confitendi, quia debet esse causa confessionis, quod fieri nequit, nisi sit causa voluntatis confitendi, hanc autem non potest accusare, nisi sit ea prior. Voluntas autem confitendi cum sit tota in instanti, necessario est prior tempore ipsa confessione, quæ fit in tempore, & necessario præsupponit motum linguæ, qui non potest fieri nisi in tempore. Ita ille, & post illum Layman in theol. mor. lib. 5. c. 4. n. 4 vnde secundùm illos, quis non reciperet Sacramentum penitentiæ, si ante confitendum, aut statim post confessionem ante absolutionem.

Sed hanc opinionem refellit Bonacina de Sacram. disp. 5. qu. 3. punct. 2. n. 18. & asserit illam docere Suarez in 3. p. disp. 20. sec. 4. n. 31. licèt Layman vbi sup. probet Suarez verbo tenus, non autem reipsa contra suam sententiam repugnare; rationes verò pro firmanda opinione Bonacinæ lege apud illum.

Notandum est verò ad tollendos scrupulos, stando etiam in opinione Layman, & Coninch, quod si aliquis pœnitens eliciat actum doloris post narrata peccata, si posteà dicat, doleo de peccatis narratis, vel petat absolutionem, hæc sola verba sufficere tunc, & habere veram rationem confessionis, quę sit pars Sacramenti.

An omittens per vnum annum confessionem, toties peccet, quoties non confitetur oblata confitendi opportunitate?

RESOL. CXXXV.

AFfirmatiuam sententiam docet Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 5. sent. 2. punct. 4. nu. 30. quia quomodo fieri potest, vt aliquis teneatur quamprimum ad confessionem faciendam, & nihilominus non peccet eam prætermittendo, oblata post annum opportunitate? Alioquin dicendum esset, facientem contra præceptum in re graui non peccare mortaliter, quod nullus audebit asseueranter affirmare. Ita Bonacina.

Sed contrariam sententiam docet ex nostris Molfesius in summa, to. 1. tract. 7. c. 19. nu. 37. vbi sic ait. Quod autem dicunt Auctores contrarij ditum sequi, & continuo peccaret, si statim non confiteretur elapso anno. Respondetur non esse durum ea parte præcepti, sed ex parte non adimplentis. At non semper committit nouum peccatum mortale, sed continuando & aggrauando peccatum commissum per omissionem confessionis in Paschate, & sic satis est confiteri tempus, à quo non est confessus peccata sua, nisi interueniat etiam contemptus præcepti, tunc enim esset hoc explicandum in cõfessione. Sic Molfesius, & Valentia tom. 4. disp. 7. q. 9. punct. 4. vbi sic asserit. Neque tamen idcircò volumus toties aliquem de nouo peccare, quoties, elapso anno confessionem differt, cum possit confiteri, sed dicimus manere illum adstrictum eodem illo peccato, quod admisit, non confitendo intra annum, idque tandiu, quamdiu anno elapso confessionem differt, ac proindè teneri illum statim confiteri sub illo eodem peccato. Sic Valentia.

Ego verò (vt supra probatum est) puto probabiliter, quod si quis in Paschate confessionem non fecit, non tenetur postea amplius confiteri, sed dato, & non concesso hanc sententiam esse improbabilem, adhuc tamen contra Bonacinam puto in tali casu, quod quantò diutius quis confessionem sine causa differt, tanto magis peccatum auget, non autem peccare denuo toties quoties. Et ita docent etiam Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 6. ca. 5. nu. 8. Corollar. 1. Villalob. in sum. to. 1. tract. 9. diff. 28. n. 8. Nugnus in Add. 3. p. to. 2. q. 6. art. 5. diffic. 5. & alij.

An qui non implet pœnitentiam grauem impositam pro venialibus, vel quod sæpius solet euenire pro mortalibus aliàs confessis, peccet mortaliter?

RESOL. CXXXVI.

PEccare mortaliter docent Fagundez pr. 2. libr. 9. cap. 3. num. 13. Henriq. lib. 5. cap. 20. num. 8. & à fortiori Nugnus in 3. p. to. 2. q. 13. art. 2. diffic. 2. concl. 4. vbi sic asserit. Etiamsi confessio sit solùm de peccatis venialibus, vel de mortalibus iam confessis, est mortale peccatum, non adimplere talem satisfactionem, quidquid dicat Suarez, qui dicit, quòd quando confessio solùm fuit de peccatis venialibus, vel etiam de mortalibus iam confessis, etiam quotiescumque pœnitentia iniuncta est leuis, tantùm esse veniale peccatum non adimplere illam. In quibus Suarez non loquitur consequenter ad ea, quæ antea dixerat scilicet Sacerdotem obligari ad imponendam satisfactionem, & pœnitentem ad acceptandam, & adimplendam illam. Et ratio est, quia facere Sacramentum nõ integrum, est res grauissima, & importat magnam irreuerentiam contra ipsum Sacramentum. Ergo est peccatum mortale, & etiam si aliàs materia secundùm se leuis sit. Ita Nugnus.

Sed his non obstantibus, mihi placet sententia Suarez, & contraria dura videtur. Et ideò existimo non adimplentem pęnitentiam grauem impositam pro venialibus, vel pro mortalibus aliàs confessis, non peccare mortaliter, sed venialiter. Et ita præter Suarez citatum in 3. p. tom. 4. disp. 38. sect. 7. num. 4. docet etiam Layman in theol. mor lib. 5. tr. 6. c. 15. num. 7. quia (vt ipse ait) durum videtur fateri. licèt culpa contracta leuis sit, tamen obligationem pro ea satisfaciendi grauem effici posse, per se loquendo, nam per accidens id fieri posse non nego, si alioquin homo versetur in probabili periculo peccandi mortaliter, nisi remedia pęnitentiæ ipsi imperata exequatur. Similiter durum videtur dicere, posteaquam homo peccata mortalia semel confessus est, & iniunctam pœnitentiam impleuit, si iterum eandẽ peccata libera voluntate confiteatur, quòd nouam obligationem satisfaciendi sub culpa mortali contrahat. Ita Layman. Quæ omnia à fortiori procedunt, si pœnitentia imposita absolutè esset leuis, vel si aliqua exigua pars pœnitentiæ grauis à pęnitente non impleretur, nam in his casibus contra Nugnum, tantùm venialiter peccaret pęnitens, vide etiam Filliucium to. 1. tract. 8. c. 2. nu. 54. Villalobos in summa, to. 1. tr. 9. diffic. 78. nu. 3. & alios.

Notandum est hic etiam obiter contra dictum Nugnum vbi supra, q. 18. art. 4. diffic. 2. confessarium imponentem pœnitentiam post datam absolutionem, non peccare venialiter, nullum enim est peccatum pœnitentiam post absolutionem conferre.

An confessarius possit commutare pœnitentiam præseruatiuam ab alio Confessario impositam?

RESOL. CXXXVII.

NEgatiuam sententiam docet Zerola in praxi pœnit. capit. 25. quæstio. 12. vbi ait, id quod dictum est de commutatione pœnitentiæ impositæ debet limitari, non procedere in pœnitentia præseruatiua, quæ datur loco medicinæ; nam ista pœnitentia non potest, nec debet commutari, quia datur per modum pharmaci.

Sed Bonacina de Sacram. disput. 5. qu. 5. sect. 3. punct. 3. nu 5. affirmatiuam sententiam tenet, quãdo tamen Confessarius iusta, & rationabili causa pęnitentiam præseruatiuam commutet in aliam præseruatiuam, secùs autem minimè. Et hanc sententiam probabilissimam esse puto, nec cõtra illam facit Reginaldus tom. 1. lib. 7. c. 8. nu. 92. & Suarez in 3. part. to. 4. disp. 38. sect. 10. n. 10. quem Bonacina malè adducit pro contraria opinione; nam, vt legenti patebit, dictus Auctor non loquitur in casu nostro, sed quando Superior concedit indulgentias, quia vt ipsi benè asserunt, per has indulgentias non remittuntur pœnitentiæ impositæ, vt præseruatiuæ. Et est dispar ratio inter nostrum casum, & casum indulgentiarum. Nam in casu indulgẽtiarum, pęnitus tollitur, & remittitur pęnitentia, in casu autem nostro pœnitentia non tollitur, sed commutatur, vt suppono, in aliam æqualem, etiam præseruatiuam. Ergo, &c.

Adde etiam, quod Zerola adductus à Bonacina vbi supra,

non facit contra nos, nam est intelligendus, quando pœnitentia præseruatiua commutatur in aliam non præseruatiuam. Sed hoc non accidit in casu nostro. Ergo. De commutatione verò pœnitentiæ, an Confessarius possit illam commutare, non audita priori confessione eorumdem peccatorum, etiamsi peccata, pro quibus imposita fuit pœnitentia, essent reseruata, diximus in tract. 1. Miscellan. Resolut. 54. vbi affirmatiuam sententiam docuimus. Vide etiam Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 16.

An concubitus viri Christiani cum muliere infideli, Turca Iudæa, Heretica, &c. sit circumstantia in confessione aperienda.

RESOL. CXXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam docent Naldus in sum. verb. fornicatio, n. 2. Lopez in instruct. p. 1. ca. 35. §. affinie est huic. Homob. de cas. reser. p. 2. cas. 4. sent. 5. Conradus in respons. cas. consc. par. 2. qu. 174. Floronus de cas. reser. part. 2. cas. 7. post §. 1. ver. mulieribus abutentes, nu. 5. Bellochius de cas. reseru. par. 2. qu. 1. nu. 169. Henriq. lib. 2. de pœnit. c. 6. n. 3. in Glos. liter. M. & Sanchez de matrim. to. 2. lib. 7. disp. 5. nu. 12. vbi sic asserit. Infertur quintò habere circumstantiam luxuriæ mutãtem speciem, ac necessario fatendam accessum fidelis cum infideli, aduersus impedimentum dirimens matrimonium ob cultus disparitatem, quia ratio, ob quam Ecclesia hoc matrimonium dirimit, videlicet quia cedit in religionis dedecus, si fidelis cum infideli copuletur matrimonio, locum habet in copula illicita. Et ideò prohibito matrimonio, censetur specialiter copula illicita prohibita. Adde etiam esse quoque Periculum educationis prolis in infidelitate, & peruersionis coniugis fidelis, quæ pericula in coitu fornicationis etiam reperiuntur, vtpotè qui vnitatem carnis efficit, & valdè amorem conciliat. Et tandem pœnæ peculiares grauissimæ huic copulæ legibus statutæ argumentum non leue indicunt, vt inde illius specialis grauitas colligatur, Ita Sanchez. Vide etiam Lessium lib. 4. c. 3. dub. 6. nu. 45. qui putat hoc peccatum pertinere ad sacrilegium, quia talis coniunctio est prohibita in honorem Christianismi ab Ecclesia.

Verùm licèt ego hanc sententiam teneam, attamen contrariam tenentes non damnarem, quia multi ex supradictis Doctoribus, & in specie Azorius part. 3. lib. 3. cap. 29. qu. 3. Ioannes Franciscus Suarez in Enchiridion casuum conscientiæ, libro 5. ver. Confessio, fol. 346 & Filliucius to. 2. tract. 30. cap. 2. num. 52. asserunt, talem accessum hominis Christiani cum infideli, non esse specie distinctum à simplici fornicatione, & esse tantùm circumstantiam aggrauantem, sed circumstantiæ etiam notabiliter agrauantes, secundùm opinionem probabilem multorum Doctorum, non sunt necesario in confessione explicandæ. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam absolute interminis tenet Alcozer in sum. c. 20. fol. 74. pag. 1. §. ei sex muger: & nouissimè illam tenet Franciscus Syluius, Professor publicus Sacræ Theologiæ in Academia Duacena in suis doctissimis commentarijs ad 2. 2. T. Tho. q. 154. art. 2. §. quæritur secundò.

Igitur secundùm hos Doctores, secluso scandalo, & periculo subuersionis, vel contemptus legis & Religionis Christianæ, vel nisi sit casus ab Episcopo reseruatus, si quis concubitum haberet cum infideli, sufficit in confessione, vt dicat toties fornicatus sum, sine explicatione, quod dicta mulier fuerit Turca, Iudæa, Hæretica, &c. quia talis copula (vt dictum est) non differt à simplici fornicatione, & est tantùm circumstantia aggrauans. Sed ego teneo primam sententiam, nempe esse aperiendam in cõfessione, quia est circumstantia mutans speciem. Vide etiam Menochium de arbitr. Iudicum lib. 2. cas. 290.

An si frigidus, vel Eunuchus haberet concubitum cum muliere, deberet hanc circumstantiam aperire in confessione?

RESOL. CXXXIX.

AFfirmatiuè respondet Henriq. lib. 5. de pœn. c. 6. nu. 3. in Gl. litt. M, Lessius libr. 4. c. 3. dub. 6. nu. 45. & Sanch. to. 2. lib. 7. disp. 5. n. 14. vbi ita ait. Infertur, coitum cum impedimento impotentiæ, vt si frigidus, vel Eunuchus coeat, habere circunstantiam diuersæ speciei necessario contitendã, quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos, nempè impotentia generãdi, & sic frustatio finis, ad quem natura coitum destinauit, militat etiam in copula illicita, quare hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam. Ita ille.

Sed hanc sententiam non existimat ita certam Filliucius to. 1. tr. 10. p. 2. c. 1. nu. 23. vbi sic asserit, copulam cum habẽte impedimentum impotentiæ naturalis, esse etiam peccatum contra naturam reductiuè, ex ea enim sequi non potest generatio, asserunt Henriquez & Sanchez, communiter non reputarur addente specificam malitiam, est valdè dubium. Sic Filliucius.

Vtrum copula vxoricida, vel adulteri cum promissione matrimonij sit circumstantia in confessione aperienda?

RESOL. CXL.

AFfirmatiuam sententiam docet Henriq. libr. 5. de pœnit. c. 6. n. 3. in Glossa lit. M. vbi dicit esse circunstantiam necessario explicandam in confessione, si vir ad eo accedat, cum qua nequit matrimonio copulari, vt si sit vxoricida, & licet non explicet, num ea circumstantia speciem mutet, at eam numerat inter alias, quæ in sexto præcepto diuersam speciẽ constituunt.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tuentur Lessius lib. 4. c. 3. dub. 6. nu. 45. Filliucius to. 1. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 24. & Sanchez de matrim. to. 2. lib. 3. disp. 5. nu. 14. Dico igitur; quod quando impedimentum matrimonij imponitur in pœnam admissi delicti, & ad præcauendum aliquod damnum, tunc copula cum habente tale impedimentum continet tãtùm singularem malitiam fornicationis. Exemplum est in impedimento criminis, vt adulterij cum promissione matrimonij, vel cum contractum est de presenti, vel homicidij coniugis. Nam in prohibitione talis matrimonij non est speciale motiuũ virtutis, sed tantũ est in pœnam delicti. Consequenter copula illa illicita erit tantùm vnius malitiæ fornicationis, & ideò in tali casu dicendum non esse circumstantiam in confessione detegendam.

Non reticeam tamen hic adnotare cum supradictis Doctoribus. Primò esse circumstantiam incestus diuersam specie à simplici fornicatione; & necessario explicandam in confessione, si quis coitum habeat cum qua nequit inire matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis. Secundò, similiter esse circumstantiam luxuriæ speciẽ diuersam, ac necessario fatendam, si quis rem habeat cum cognata spirituali in eo gradu, in quo hæc cognatio matrimonium dirimit, speciem autem hanc fornicationis aliqui vocant incestũ spiritualem. Vnde, & sacrilegium. Tertiò, concubitus cum cognatis legalibus addit malitiam specificam necessario fatendam, & reducitur ad incestum. Et tandem; Quartò, dicendum est reduci ad incestum, si quis accessum habet cum consanguinea in primo gradu sponsæ propriæ de futuro contra publicæ honestatis impedimentum, dirimens in eo gradu matrimonium. Et ideò talis circumstantia erit in confessione aperienda. Sed similibus relictis ad alia procedamus.

An sit necessarium in confessione explicare, si quis peccauit scienter, an ignorantia culpabili?

RESOL. CXLI.

ALiqui affirmant necessarium esse explicare, si peccatum fuit scienter admissum, quia distinctam malitiam importat. Sic Adrianus in tract. de confessione, q. 4. in 2. p. illius, vbi de circumstantijs paulò post principium ver. fortè obijcies. Medina Complutensis C. de confes. q. de circumstantijs mutantibus speciem, paulò post principium.

Sed contrarium docent Nauarrus in cap. consideret à nu. 52. vsque ad 79. de pœn. dist. 5. & Suarez to. 4. disp. 22. sect. 4. numero 14. nam vt ait Valentia tom. 2. disp. 6. q. 6. punct. 3. eiusdem rationis sunt peccata, siue interna, siue externa, cum ignorantia culpabili commissa, cum peccatis scienter admissis, licèt scientia illa aggrauet. Addit tamen Suarez, & benè, id esse necessarium aliquando in ordine ad censuras Ecclesiasticas; nam ex illis, vt infra dicemus, ignorantia sæpius excusat. Idem etiam dicendum est, quãdo ea ignorãtia moraliter vincibilis excusaret à mortali transgressione humani præcepti; nam in tali casu necesse erit ignorantiam explicare, quippe quamlibet circumstantiam ita minuentem, quæ ex mortali efficiat veniale, necessarium est explicare. Similiter dicendum est, quando ignorantia est affecta-

ta

ta, licèt Nauarrus in man. c. 6. nu. 42. dicat eam non esse necessariam in confessione explicandam, quamuis affectata sit ad finẽ liberius peccandi. Sed ego sic distinguendum censeo. Si ignorans ille exponatur periculo admittendi alia peccata, ratione illius ignorantiæ affectatæ, siue affectetur ad finem liberius peccandi, siue ad alios fines, & aduertat ad id periculum, tenetur eam ignorantiæ circumstantiam fateri; quia mutat speciem: tot enim peccata ille committit, quot committendi periculo se exponit. Vt si v.gr. vellit fœminam cognoscere affectet ignorare, quænam sit illa, vel vt liberius peccet, vel ne eius culpa ita grauis sit, hic enim in tali casu exponitur periculo incestus, adulterij, fornicationis sacrilegij, &c. Si autem ei periculo non exponatur, quia nouit fœminam alio statu præter coniugatæ carere, & an hunc habeat, affectat ignorare vel affectat ignorare aliam rem, in qua non est aliud præter peccati determinati periculum, tunc si ignorantia non affectetur ad liberius peccandum, non est necesse illam explicare, quia non aggrauat, sed aliquantulũ minuit culpam; si verò sit ad finem liberius peccandi, notabiliter aggrauat. Et ita, qui tenet circumstantias notabiliter aggrauantes esse necessario confitendas, dicendum est hanc circumstantiam fatendam esse. Qui verò contrarium censent dicunt cum Nauarro illam fatendam non esse, quia intra eandem speciem notabiliter aggrauat. Et hæc omnia mutuatus sum à Sanchez in sum. to. 1. lib. 1. ca. 17. nu. 14. quæ valde à confessarijs notanda sunt, non enim ita facilè in eorum summis inueniuntur, sicut ista, quæ hic sumpsi à doctissimo Ioan. Maldero in p. 3. D. Tho. q. 66. art. 2. vbi sic asserit.

Quæres, quando quis peccat ex ignorantia, suntne duo ibi peccata vnum ignorantiæ, alterum quod ex ignorantia admittitur? v.g. est aliquis qui ex vincibili ignorantia non legit horas canonicas, ad quas ratione ordinis tenetur, anne ille peccet duplici peccato, vno ignorantiæ, altero contra virtutem Religionis? Pro respõsione obseruandum est, ignorantiæ peccatum dependere ex obligatione sciendi, obligatio autẽ sciendi interdum ex eo solo pendet, quod obligemur aliquid facere, vel omittere, ad quod faciendum vel omittendũ opus est cognitione eius, aliquando autẽ prouenit obligatio sciẽdi ex peculiari præcepto, quo tenemur habere scientiam, eamque nobis comparare. Quo supposito; Respondeo, quando obligatio est prioris generis, peccatum ignorantiæ, & peccatũ quod ex ignorantia fit, non esse duo peccata, aut duplicem malitiam, quia tantũ incurritur eo casu in periculum incidendi in aliquod peccatũ siue illud sequatur, siue non. Quando verò obligatio sciendi est posterioris generis, ignorantia est peccatum per se, etiam si nõ fuerit periculum alterius secuturi ex ea peccati, & quando ex ista ignorantia aliud peccatum admittitur, sunt ea peccata distincta. Imò etiamsi fuerit solum periculum alterius peccati specie distincti coniunctum cum peccato talis ignorantiæ, fieri poterit concurrente sufficiente aduertentia illius periculi, vt contrahatur præter malitiam ignorantiæ, etiam malitia istius speciei V. g. si quis ex ignorantia culpabili Decalogi, incidat in peccatum homicidij, duplex peccatum admisit, vnum negligẽtiæ sciendi illud quod scire poterat, & debebat, videlicet Decalogum, alterum homicidij. Eadem est ratio confessarij ex ignorantia eorum, quę ad officium suum pertinent absoluentis eum quem non potest absoluere. Hæc omnia Malderus; vide etiam Adamum Tannerum in p. 2. disp. 4 q. 9. dub. 1. n. 12. & 13. & alios penes ipsos tractantes propositam quæstionem, videlicet vtrũ ignorantia vincibilis sit peccatum speciale, adeoque distinctũ ab eo, cuius est causa. Sed de hac quæstione iterum redibit sermo, vbi contra Malderum, & alios DD. supra citatos multis disseram, licèt omnia supradicta probabilia sint.

An Vicarius Episcopi, si habet potestatem subdelegandi possit absolui ab alio, si incidit in casum reseruatum à suo Episcopo?

RESOL. CXLII.

NEgatiuam sententiam mordicus tenet Iacobus de Grassis in Append. ad decis. aur. lib. 3. c. 8. nu. 22. Primò ex præsumpta mente Prælati, quæ magis attendenda est quàm verba ex lege de quibus, ff. de legibus. Sed interrogatus Episcopus à Vicario an etiã illa auctoritate vti posset diceret quòd nõ, quia si secus esset, perniciosum esset concedenti, quia sic posset dare occasionem peccandi, & qui occasionem peccandi dat, ipse dãnum dedisse videtur; vnde ne hoc absurdum accidat, dicendum est, verba generalia arctari, vt non comprehendatur perniciosum concedenti ex leg. si cui, ff. de seruit. Secundò verba generalia arctantur semper ad solita concedi ex leg. si finita, ff. de damno infect. & ad id quod est de iure, vt notat Glossa in c. fin. ver. negotijs de offic. deleg. sed semper potestas absoluẽdi cum potestate sub delegandi intelligitur data in personam aliorum, & nemo potest auctorizare se ipsum ex cap. qualiter de elect. & in generali sermone excipitur persona, cum loquimur leg. qui hæredi, §. Palutius, ver. at si hæres, ff. de cond. & demonst. Ergo, &c. etiam dictus Grassius idem asserit de priore habente potestatem à Prælato absoluendi casus reseruatos, cum potestate subdelegandi, putat enim sicut de Vicario Episcopi asseruit, si incidat in aliquem casum reseruatum, non posse ab illo, quem ipse subdelegauerit, absolui.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam docent Vgolinus de potest. Epis. c. 39. nu. 2. & Floronus de cas. reser. p. 1. c. 3. §. 1. n. 3. Nam & Episcopus si in casum incidit reseruatum Romano Pontifici, à quo ipse alios absoluere potest, delegando eam facultatem alteri ab eo, absolui valet, atque ita sacra Cardinalium Congregatio declarauit Tridentinum Concil. in sess. 24. de refor. c. 6. & ita communiter asserunt DD. Maiolus de irregular. lib. 5. c. 21. n. 7. Suarez to. 45. disp. 41. sect. 2. n 9. Henriq. lib. 14. c. 18. nu. 3. Sayrus de cens. lib. 7. c. 9. nu. 5. Riccius in praxi, part. 1. resol. 445 nu. 2. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 3. n. 3. & in summa, to. 1. lib. 2. c. 11. nu. 11. Belletus in disquis. cler. p. 1. tit. de disciplina clericali, §. 1. nu. 54. Naldus in summa, ver. casus, n. 6. Emanuel Sà ver. confessor. n. 16. & alij, quidquid in contrarium asserat Marius Alterius de cens. to. 1 disp. 8. ca. 3. conclus. 4. vers. 3. quæri potest in ordine ad dispensationem, sicut loquuntur etiam multi ex supra citatis Doctoribus, idem dicendum de dispensatione, ac de absolutione.

Nec valet dicere in tali casu, Vicarium seipsum quodammodo absoluere, cum delegatus delegantis officio fungatur. Nam respondeo, quod id locum haberet, vbi iurisdictio delegata est ab eo, cui iurisdictio competit ordinaria, vt Vicarius hic subdelegat, subdelegatus autem fungitur vice primi delegantis, ac perindè est, ac si ipse primo delegans delegasset, quo casu sine dubitatione Vicarius absolui posset. Et idem dicendum est de Priore, qui vt Vicarius ab Episcopo talem potestatẽ habuit à Prælato sui monasterij, nam si in aliquem casum inciderit, potest ab alio confessario subdelegato, de illo absolutionem obtinere sine licentia Prælati.

Sed ponam hic pulchrum dubiũ, an si subditus petat à Prælato omnem eius auctoritatem pro vna vice, pro vna persona sibi subiecta includatur ipse petens, ita vt possit absolui à reseruatis ab aliquo Confessario. Videtur affirmatiuè respondendum, si petens diceret; Et quædã persona, quæ indiget vestra auctoritate, placetne vobis illam mihi dare? Secus autẽ si diceret. Rogatẽ vt des mihi tuam facultatem pro vna persona. Et ratio est, quia in generali sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concipit verba in persona alterius, vt patet ex lege. Paulus respõdit, §. fi. ff de pignorib. Et ita hanc sententiam videtur tenere Floronus vbi supra, ex Gassio, qui tamen contrarium docet. Sed post hęc scripta inueni Villalobos in summ. to. 1. tr. 9. diffic. 64. n. 4. circa præsens dubium sic asserete. [Quando el Prelado cõcede à vno la autoridad sin restrincion ninguna, es visto cõcederla actiua y passiua, que aunque algunos dudan desto, es mas cõforme al estilo de la Religion, mientras el Prelado no declara otra cosa.] Sic ille, & nouissimè noster P. Leo. de off. & potest. Confes. tom. 2. recollect. 6. nu. 131. asserit, quod quando subditus petit facultatem à Superiore pro vna persona pro casibus reseruatis potest vti pro sua persona.

An qui vi, & metu, vel fraude, & dolo, aut alio quocunque casu inter infideles exterius fidem negans, corde tamen illam retinens, possit postea inter Christianos rediens absolui à quocunque confessario ordinario approbato, & quid de blasphemantibus hæreticaliter inter Christianos?

RESOL. CXLIII.

REspondet affirmatiuè Steph. Fagundez pærc. 2. lib. 8. c. 8. numer. 39. vbi sic asserit. Animaduerto illum, qui vi, & metu, vel dolo, & fraudulenter se inter fideles exterius infidelem fingit, Maurum, videlicet, Iudæum, Idololatram, aut Hæreti-

reticum, & exterius fidem negauit, corde tamen illam retinēs, peccare quidem grauissimè contra externam fidei professionem, non tamen esse hæreticum comprehensum in Bulla Cœnæ, nec incurrere excommunicationem ipsius, & posse absolui à quocunque Confessario ordinario approbato. Ita Fagundez, & ante illum ex eadem Societate Iesu docuerat hanc sententiam Toletus lib. 4. cap. 4. num. 6. & posteà Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 2. num. 22. & disput. 21. sect. 2. num. 3. & tandem Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 8. in fine, & post omnes Fillucius tom. 2. tract. 21. cap. 6. num. 164. Et ratio est, quia talis non est verè infidelis, vel hæreticus, quia non habet errorem in intellectu. Ergo, &c. Deinde hæresis ratione solius excommunicationis reseruatur. At hæresis externa absque errore interno non subiacet excommunicationi. Ergo, &c. Nec refert, (ait Fagundez) quòd ab Inquisitoribus huiusmodi homines puniri possint in foro externo, tanquam hæretici, nam præsumunt Domini Inquisitores illos habuisse dissensum à fide in intellectu, si quidem hunc dissensum exteriùs finxerunt, & manifestarunt. Ita ille.

Et post hæc scripta inueni etiam sententiam supradictorum Auctorum docere, etiam Franciscum Syluium in suis eruditissimis Commentarijs ad 2. 2. D. Thom. quæst. 11. artic. 3. concl. 2. vt sic asserit. Hæreticus solo actu externo, quamuis grauiter peccet, non autem est excommunicatus, neq; incurrit alias pœnas Ecclesiasticas in hæreticos latas, & per consequens potest à quolibet Confessario absolui, quamuis pro heretico in foro externo reputatur, imò, & pro excommunicato, geri debet apud eos, qui nouerunt peccatum externum, & nesciunt animum semper mansisse Catholicum. Ex his sequitur, quod qui propositiones hereticas effuderunt, qui sanctorum imaginibus illuserunt, qui comederunt carnes tempore prohibito, qui Mahumeto cultum, & reuerentiam exhibuerunt, si ea fecerint, aut metu compulsi, aut spe lucri adducti, aut ira, vel alia quacunque passione commoti, nullum in animo errorem, at pristinam fidem rectam tenentes, neque hæretici sunt, neque excommunicatione in hæreticos lata inuodari. Syluius vbi supra.

Item hanc sententiam docet Homobonus de bonis in examin. Ecclesi. par. 1. tract. 7. cap. 1. q. 4. vbi ita ait. Quid sentiendum de eo, qui solùm exterius rem fidei negat, aut ab ea omninò per apostasiam recedens, absque tamē errore intellectus ad aliam sectam transit? Respondeo, cum censura, & reliquæ pœnæ delictum aliquod afficientes non nisi ob delictum verum, & consummatum contrahantur, sequitur, quemlibet Confessarium, ab hoc (licet grauiter peccato) absoluere posse. Secus autem in externo foro iudiciali, in quo præsumptionibus statur, proindè qui huiusmodi delicta committunt, per Ecclesiasticos Iudices reconciliari, & à censuris absolui solent. Idemque de his dicendum est, qui aliqua hereticalia verba protulerunt, & posteà se ea ioco dixisse asserunt; nam eorum excusationes in foro interiori, non autem in exteriori iudicio admittuntur. Sic Homobonus.

Item hanc opinionem tenet Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, vers. Heræsis, differ. 2. n. 1. vbi sic asserit. Fidem negans exterius, interius tamen seruans, non est in foro animæ excommunicatus, & ideò in tali foro non indiget absolutione, & potest à suo Parocho à prædicto peccato absolui, vbi Episcopi nō habent prædictum peccatum reseruatum; in foro tamen exteriori iudicabitur excommunicatus, & tenemur eum denunciare Dominis Inquisitoribus.

Idem tenet Bartholomæus Giptius in tract. de cas. reser. cap. 6. cas. 4. numer. 83. & 84. sic asserens. Et hæc sint breuiter dicta, ad cognoscendum quæ sapiunt heresim manifestam, eaque procedunt in foro fori. At verò aliter proceditur in foro conscientiæ, in quo cum procedatur secundùm intima cordis, nam si quis aliquod hæresim manifestam sapiens proferat, non sequitur: Ergo est hereticus. Prudens igitur Confessarius considerabit, sitne reuera hereticus, nam si quodcunque manifestam hæresim sapiens fecerit, si reuera non sit hereticus, absoluat ab hoc casu, si non est Episcopo reseruatus, quidquid sit futurum coram Inquisitore, si res aliquo futuro tempore detegatur. Sic Giptius.

Et tandem hanc sententiam ex Dominicanorum familia refert Michael Zanardus in Directorio Theologorum, p. 2. præcep. 1. cap. 11. vbi sic ait; Quando blasphemia est hæreticalis, absolutio Inquisitori reseruatur. Si verò confessor compererit blasphemum benè sentire de fide, eum absoluat. Ita Zanardus, quo nihil clarius, nam apertè docet tunc blasphemiam hæreticalem esse Inquisitoribus reseruatam, quando blasphemus habet errorem intellectus, nam si benè sentiat de fide, docet à Confessario absoluendum. Vide etiam Torreblancum de magia lib. 4. c. 5. n. 8. Bannez in 2. 2. D. Tho. qu. 11. art. 4. §. quæritur secundo, concl. 3. arg. 2. fol. mihi 658.

Vidisti amice lector, quot patronos numero, & scientia insignes habeat hæc opinio. Ex qua sequitur, quod si aliquis, vt dictum est, tantùm externè fidem negauit, vel alia sapientia manifestè hæresim commisit, potest à quocunque Confessario absolui sine auctoritate Dominorum Inquisitorum, & sine priuilegio Bullæ Cruciatæ, dummodo tale peccatum nō sit Episcopo reseruatum. Verùm hæc opinio displicet multis, & præsertim viro doctissimo Domino D. Francisco de la Riba Vicario Eminentiss. Cardinalis ab Auria nam putant, hoc minimè Cōfessarium efficere posse sine Dominorum Inquisitorum auctoritate, vel sine Bulla Cruciatæ, cum tale peccatum sit Dominis Inquisitoribus per eorum Edicta reseruatum.

An Confessarius hic Panormi ab Episcopo approbatus possit Panormitanum absoluere Romæ, Neapoli, vel alijs locis extra Diœcesim?

RESOL. CXLIV.

De proprio Parocho, & de Religiosis, qui per approbationem æquiparantur parocho, non dubitant Doctores; difficultas est de alijs Sacerdotibus approbatis, & negatiuè respōdent Io. Guttierez qq. Canon. 1. cap. 27. cum Zetola, & Sorbos quos citat, & sequitur Garsias de beneficijs, to. 1. p. 1. c. 8. nu. 132 quia delegatus etiam Ecclesiæ Romanæ non potest extra prouinciam sibi decretam absoluere subditum ex manuū iniectione in Clericum, vt patet in c. penult. de offic. Legati, iurisdictio enim delegatorum terminatur territorio.

Verùm affirmatiua sententia mihi placet, quam communiter tuentur DD. vt Sanchez de matrim. to. 1. lib. 3. disput. 34. n. 2. Megala in 1. p. lib. 1. c. 7. n. 25. & c. 9. n. 12. Henriquez lib. 6. c. 6. n. 7. & lib. 7. c. 1. nu. 4. Peirinus de relig. subdito, to. 1. q. 1. c. 21. §. 2. Vegha in summa, to. 1. cap. 61. cas. 41. Gomez in Explicat. bull. Cruc. claus. 10. n. 8. Suarez in 3. par. to. 4. disp. 28. sect. 6. & 7. Nugnus in 3. p. to. 2. q. 8. art. 5. dub. 8. Et ratio est, quia isti Confessores delegati habent iurisdictionem in personas pœnitentium, Ergo non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantùm persona. Adde, quod iurisdictio voluntaria potest exerceri extra territorium à quocunque illam habente, vt patet ex lege 2. ff. de offic. Procons.

Nec obstant declarationes Cardinalium, & Doctores, quos affert Garsias etiam nouissimè in Additionibus, nam respōdeo, quod loquuntur in casu, quo, v. g. Confessarius approbatus hic Panormi, vellet absoluere extra hanc diœcesim Messanenses, vel Neapolitanos. Nam quisque per approbationem habitam in vna Diœcesi, non potest absoluere vbique. Non autem loquuntur, quando talis Confessarius extra territorium absoluit subditos Episcopi, qui illum approbauit. Vide Acostam in Bull. Cruciat. q. 38. Vgolinum de potest. Episc. c. 7. §. 2. nu. 7. & alios. Vnde est dispar ratio inter vtrumque casum. Ad text. verò in cap. penult. de offic. legati, respondeo, quod loquitur, quando delegatus vult exercere iurisdictionem externam in foro contentioso, quæ exerceri minimè potest extra territorium, quod non accidit in casu nostro.

Qui absolutus fuit virtute Iubilæi, quod posteà non lucratus est, quæritur, an peccata oblita reseruata possit posteà cuicunque Confessario confiteri?

RESOL. CXLV.

Probabiliter negatiuam sententiam docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 31. sect. 4. numer. 23. Et ego magis probabiliter contrarium puto cum Sāchez de matrim. tom. 2. lib. 8. disp. 15. num. 21. & in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 45. Portel in addit. ad dubia Regul. ver. Iubilæum num. 50. & alijs, quia cum valida sit illa confessio, confessarius ab omnibus peccatis, tum directè expositis, tum indirectè ex obliuione omissis absoluit: & dum Confessarius absoluit, habet & habere debet intentionem, quamcumque reseruationem à pœnitēte remouendi illi

iuxta

iusta potestatis suæ extensionem absoluens, & vera hac intentione eum absoluere potest. Ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter, quod si aliquis confiteatur animo lucrandi Iubilæum, & absoluitur ab excommunicatione, & peccatis reseruatis, sed posteà illud non lucratur, reseruationem, & excommunicationem illam iterum non reddire, quidquid in contrarium asserant Angles in floribus part. 1. de confess. quæst. 3. art. 5. difficult. 4. Rodriquez in Bull. Cruciatæ, §. 2. numer. 8. & alij. Et ratio est, quia non absolutus fuit ab excommunicatione ad reincidentiam, nihil enim in diplomate Iubilæi de hoc agitur, nec absolutio à reseruatis data fuit ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur, verùm sine vllo alio pacto, & obligatione absolutus fuit, sicque dicendum est de votis commutatis. Et ita hanc sententiam sustinent Suarez in 3. parte 4. disputat. 31. sect. 4. num. 5. & tomo 5. disputat. 7. sect. 5. num. 10. Filliucius tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 280. Emanuel Sà verb. absolutio. num. 18. Sanchez de matrim. lib. 8. cap. 54. num. 4. Henriquez lib. 6. cap. 16. nu. 6. & lib. 7. cap. 11. num. 4. Fillucius tom. 1. tractat. 8. capit. 10. n. 181. Vasquez in 3. p. tom. 4. quæst. 91. art. 7. dub. 6. num. 5. Molfesius in summa, tom. 1. trac. 7. cap. 16. num. 39.

Aduertant etiam confessarij, quod tempore Iubilæi non possunt absoluere à casibus reseruatis ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur; nam peccatorum absolutio absoluta esse debet, imo nec à censuris sub tali conditione, nisi ex Pontificis concessione, absoluere possint. Ita Henriquez, & Sà vbi supra, Sanchez in summa loco cit. n. 49. & alij.

Sed inquirat curiosus lector, an supradictus pœnitens absolutus à casibus & censuris, modo quo supra, si postea mutet voluntatem, & non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter: aliqui affirmatiuè respondent. Ita Suarez de Religion. tom. 2. libr. 2. c. 6 num. 11. Coriolan. de cas. res. part. 1. sect. 3. art. 17. existimantes hunc grauiter peccare. Mihi placet opinio negatiua, quia hic nihil promisit, neque confessarius, nec ipsum Iubilæum vllam obligationem ei imposuit, neque ipse Pontifex quamobrem illum Iubilæi lucrandi propositum habuisse satis est, & sententiam mutans non peccat, eo quod nullis promissis, pactis, aut obligationi contraueniat. Deinde tale preceptum non apparet. Itaque sine maximo fundamento pœnitenti imponi non debet. Et ita hanc sententiam docent Sanctarellus de Iubilæo, cap. 22. dub. 4. Naldus in summa, ver. indulgentia, n. 4. Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 54. nu. 54. Henriquez lib. 6. c. 16. num. 6. Floronus de cas. reser. p. 1. cap. 6. §. 6. nu. 2. Portelan addit. ad dub. Regul. ver. Iubilæum, num. 20. & alij.

An post Concilium Tridentinum, Parochi possint exponere ad confessiones suorum subditorum audiendas, simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum?

RESOL. CXLVI.

Rem difficillimam explicandam aggredior, de qua cursim alibi nos aliqua diximus; Affirmatiuam sententiam docuit ex Dominicanorum familia Magister Ioannes Gallo, qui Concilio Tridentino interfuit, & Magister Ioannes Orellana, Professores publici Sacræ Theologiæ in Academia Salmanticensi, quos refert, & sequitur nouissimè Petrus de Ledesma in summ. tomo. 1. de Sacram. pœnit. cap. 12. concl. 5. §. la secunda sententia, Ludouicus de S. Iuan. in summa de pœnit. quæst. 7. art. 2. difficult. 12. & hanc sententiam probabilem esse docet etiam nouissimè Ioan. de la Cruz in direct. conscient. par. 2. de Sacrament. pœnit. q. 5. dub. 6. conclus. 1. Probatur, quia cum Parochus sit proprius Sacerdos, & Pastor suorum subditorum, habet iure diuino potestatem delegandi confessores pro suis subditis, imò & iure Ecclesiastico antiquo, vt patet in capitulo omnis vtriusque sexus, & quia hec potestas non est ablata per Decretum Concilij Tridentini sess. 25. de reform. cap. 15. quod solùm intendit abrogare priuilegium Bullæ, & consuetudines audiendi confessiones, sine approbatione Episcopi, etiam immemorabiles, quod autem Parochus possit delegare confessiones pro suis subditis, non habetur ex priuilegio aliquo, sed ex iure diuino, aut Ecclesiastico antiquo. Et sic quando dicitur in Concilio, nullus audiat confessiones, &c. nisi sit Parochus, &cet. statim reuocantur priuilegia, & consuetudines immemorabiles in contrarium. Vide etiam omninò Ledesmam, qui textum Concilij minutatim exponit, & probat non tollere iurisdictionem Parochis.

Verùm ego hanc sententiam probabilem iudicarem, nisi obstaret in contrarium Declaratio DD. Card. Concilij interpretum, quem affert, & sequitur Petrus Fay in Addit. ad 3. par. q. 8. art. 5. disput. 2. quæ declaratio, vt ipse ait, conformis est valdè textui Concilij, quod præcisè, & priuatiuè duos tantùm ponit titulos excipiendi confessiones sæcularium, & sacerdotum expositionem: scilicet approbationem Episcopi & beneficium Parochiale. Ergo qui neutrum habuerit, confessionem audire non poterit. Voluit ergo Concilium auferre abusum plurimorum Parochorum, qui vt commodius se otio darent, exponebant quoscumque etiam inidoneos; imò plerique illorum non ita vigebant prudentia, quæ ad debitum tam graue debitè peragendum requiritur: iudicauitque id reseruandum Episcopis, in quibus regulariter maior est prudentia, & circumspectio. Et ita hanc sententiam docent etiam nouissimè Villalob. in summa, tom. 1. tractat. 9. difficul. 49. num. 9. Sancius in select. disput. 48. num. 51. Regius in resolut. casu 61. num. 2. & Fagundez præcept. 2. lib. 7. num. 42. qui alias adducunt rationes, quas tu apud illos videbis.

Notandum est tamen, hic Parochum posse exponere alium Parochum ad confessiones audiendas in sua Parochia. Et ita Parochi per Bullam, Iubilæum, &c. sunt eligibiles per totum mundum ad confessiones audiendas, sine approbatione Episcopi: Vide Fagundez præc. 1. lib. 7. cap. 2. num. 35. Filliucium to. 1. tract. 7. num. 257. Suarez tom. 4. disputat. 28. sect. 4. Toletum lib. 3. cap. 13. num. 6. licet contrarium asserat P. Leone tract. de offic. & potest. Confessar. to. 2. recollect. 4. num. 79. Sed tu tene nostram sententiam.

Quis die Sabbathi accessit ad confitendum, sed ob angustiam temporis Confessarius distulit confessionem post transactum Iubilæum, quæritur an possit absolui à casibus reseruatis, post tempus elapsi Iubilæi commissis?

RESOL. CXLVII.

In tali casu Confessarius pœnitentem à censuris absoluat, & reseruationem casuum, & votorum tollat, absolutionem verò à peccatis differat, & posteà elapso illo Iubilæi spatio, confessionem peccatorum audiat, & pœnitentem absoluat, & vota commutet: cum illa peccata, & vota præterita amplius non sint reseruata. Ita Henriquez lib. 7. cap. 11. num. 3. Sanchez de matrim. lib. 8 disput. 15. num. 17. Emanuel Sà ver. Indulgentia, num. 14. & alij.

Difficultas est, si talis post elapsum tempus Iubilæi in nouos casus reseruatos inciderit, an poterit absolui: hunc casum non apud multos inuenies: amicissimus Sanctarellus de Iubilæo, c. 8. dub. 7. & Alphonsus Leo de Iub. p. 2. q. 16. num. 189. negatiuam sententiam docet: sed contrariam etiam probabilem esse puto, quam nouissimè tenuit noster Siculus Bartholomæus à Sancto Fausto, vir quidem doctus tract. de Iubil. lib. 4. qu. 133. quia per illam dilationem intendit Pontifex inducere pœnitentes ad lucrandum Iubilæum. Sed qui de consensu confessarij confessionem distulit, & in casus, & censuras reseruatas incidit, Iubilæum non potest lucrari, nisi priùs ab illis absoluatur: Ergo donec Iubilæum consequatur, Confessarius electus habet potestatem illum à casibus, & censuris reseruatis absoluendi, ac si tempus Iubilæi non esset elapsum; alioquin dicendum esset, illum, qui confessario obtemperauit, deterioris esse conditionis, quàm alios. Et cum Iubilæum sit Principis beneficium nulli præiudiciale, sine aliquo textu, & valida ratione non est restringendum, hæc Faustus probabiliter quidem, vt ipse Sanctarellus, & Leo vbi supra, fatentur.

An si quis suscipiat sacram Eucharistiam in peccato mortali, vel faciat confessionem sacrilegam, lucretur postea Iubilæum, si in vltima Iubilæi periodo per actum contritionis sit in gratia?

RESOL. CXLVIII.

Sententiam negatiuam docent Sanctarellus tract. de Iubilæo cap. 7. dub. 2. & Petrus Prost. in Specilegio Theol. de

Iubilæo

Iubilæo c.7. dub. 1. Zanardus in direct. confess. p. 1. de Sacramen. pœn. c. 25. q. 28. Alphonsus de Leone tr. de Iubilæo p. 2. sect. 5. n. 168. & alij, quia Summus Pontifex confessionem validam, & communicationem ritè factam exigit.

Et ego opinionem contrariam non minus probabilem esse puto, quam tuentur Fernandez in exam. theol. mor. part. 3. c. 7. §. 8. num. 1. Henriquez lib. 7. cap. 9. nu. 5. & nouissimè Bartholomæus à S. Fausto de Iubilæo, lib. 4. qu. 46. quia non est necessarium (ait ille) vt quis sit in statu gratiæ toto tempore, quo singula opera facit, sed sufficit, vt in vltimo instanti, in quo vltimum opus perficitur, sit in gratia. Dicendum est igitur, quod si in die Dominico in ipso Iubilæi termino in gratiam cum Deo talis rediret, obtineret quidem Iubilæum, non obstante, quod confessio fuerit inualida, & communio in peccato mortali facta. Igitur vtraque opinio est probabilis.

An Confessarius virtute Iubilæi possit absoluere à casibus Episcopo reseruatis?

RESOL. CXLIX.

Negatiuam sententiam docet Bonacina, de cens. disp. 1. qu. 3. art. 15. nu. 10. Coriolanus de cas. reser. part. 1. sentent. 4. art. 14. nu. 7. & alij. Ratio est, quia Clem. VIII. in Bulla quadam decreuit, ne vllus prætextu cuiuscunque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

Sed hæc opinio refellenda est, & ideò meritò contrariam amplectuntur Zanardus in direct. par. 1. de Sacram. pœnit. cap. 21. quæst. 24. Floronus de cas. reser. p. 1. c. 4. §. 8. nu. 7. Henriquez lib. 3. c. 14. nu. 9. Vgolinus de casibus tab. 1. cap. 10. §. 4. Vasquez in 3. p. to. 4. qu. 43. dub. 10. num. 6. Reginaldus tom. 1. lib. 8. cap. 5. sectio. 1. num. 57. Graffius part. 1. lib. 4. cap. 15. nu. 28. Suarez de cens. disp. 6. sect. 5. num. 10. & alij; quia cum in Iubilæis conferatur expressè absolutio à casibus reseruatis Pontifici, à fortiori censetur concessa facultas absoluendi à censuris, & casibus Episcopalibus. Et hanc opinionem aliqui, & optimè quidem, extendunt ad casus, & censuras reseruatas ab Episcopo, etiam post Iubilæi publicationem.

Qui consequutus est Iubilæum non tamen est confessus, quia peccati mortalis sibi conscius non erat, quæritur an transacto Iubilæo, à peccatis reseruatis ante illud commissis, & oblitis absolui possit?

RESOL. CL.

Respondeo negatiuè, quia non fuit vllo modo ablata reseruatio, cum nulla absolutio peccatorum data fuerit, non enim Iubilæum tollit ipso facto reseruationem, sed tantùm confert facultatem Confessario electo illam auferendi media absolutione, quæ in casu nostro non est data. Ergo, &c. & ita docet Sanchez de matrim. to. 3. lib. 8. disp. 15. nu. 21. Henriq. lib. 6. cap. 16. nu. 6. Suarez tom. 4. disp. 31. sect. 4. nu. 9. & 24. Floronus de cas. reser. p. 1. cap. 6. §. 6. num. 3. Portel. in Addit. ad dubia Reg. Ver. Iubilæum, num. 19. & alij.

Verùm opinionem contrariam tenet amicissimus, & doctus Sanctarellus de Iubileo cap. 13. dub. 2. quia in rigore loquendo, cum ad Iubileum obtinendum confessio præcipitur, is qui nullius peccati mortalis conscius est, ad confitenda peccata venialia non tenetur, licèt vnicuique operæ pretium esset, præsertim tunc temporis, de peccatis venialibus confiteri. Verùm cum præfatus, quidquid ad Iubilæum erat necessarium, perfecerit, iam Iubilæum lucratus est, & priuilegium vt ab omnibus casibus reseruatis absoluatur; atque in votis reseruatis dispensetur sibi vendicauit, quia concessio à tali homine non requiritur & cum priuilegium a prædictis casibus, & votis absoluendi ad tempus Iubilæi non restringatur, pœnitens etiam elapso Iubilæo, priuilegio sibi parto gaudere potest.

Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Nam dicendum est illa peccata esse adhuc reseruata, quia neque directè, neque indirectè absoluta fuerunt, sed quia talis fecit omnia opera necessaria ad lucrandum Iubilæum, & de facto illud lucratus est, ideò obtinuit priuilegium, vt à casibus reseruatis absoluatur, quod priuilegium ad tempus Iubilæi restringendum esse negamus, & ideò illo transacto potest à quocunque Confessario virtute illius priuilegij, & consequutione Iubilæi obtenti absolutionem à peccatis reseruatis obtinere, sicuti ex opinione ipsius Sanchez in sum. to. 1. lib. 4. c. 54. num. 40. & aliorum, Confessarius potest vota commutare, tametsi pœnitens Iubilæi tempore votum fecerit, & noluerit petere dispensationem, quia cum præfatus omnia ad Iubilæum consequendum requisita præstiterit, iam priuilegium vt sibi vota ante Iubilæum emissa secum dispensari possint, acquisiuit, quod priuilegium ad Iubilæi tempus non est limitatum; quapropter trãsacto prædicto tempore, parto priuilegio vti posse, omninò dicendum est. Sed hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c.

Itaque opinio Sanctarelli est probabilis, licèt contrariam nouissimè teneat Faustus de Iubilæo lib. 4. quæstio. 134. sed cum Sanctarello consentit Alphonsus de Leone tractat. de Iubilæo par. 2. quæst. 17. n. 197. vbi etiam notat cum Zanardo in direct. confess. par. 1. de Sacram. penit. cap. 2. q. 20. quod si aliquis tempore Iubilæi non habuit copiam Confessarij, & contritus sacrã Eucharistiam sumpsit, & omnia pro lucrando Iubilæo perfecit, potest absolui à reseruatis transacto tempore Iubilæi, quia cum Iubilæum adeptus sit, obtinuit iam priuilegium, vt absolui possit à reseruatis.

Notandum est etiam hic à fortiori, quod quãdo quis in confessione Iubilæi non manifestauit peccatum reseruatum, ne v. gr. manifestaret complicem, vel ex alia iusta causa, posteà transacto Iubilæo potest de tali peccato à quocunque Confessario absolutionem obtinere: quia in tali casu peccatum illud habetur, vnde directè fuit illius reseruatio ablata, & ita docet Homobonus in exam. Eccles. p. 1. tr. 5. c. 6. q. 38. & alij.

Qui lucratus est Iubilæum Messanæ posteà negotiandi causa Panormum venit, vbi Iubilæum celebratur, quæritur an possit illud lucrari, & Confessarius à peccatis reseruatis de nouo incursis illum possit absoluere.

RESOL. CLI.

Hic casus frequenter potest accidere, & non ita facilè apud Authores inuenies. Noster Pater Alphonsus de Leone in tract. de Iubilæo par. 2. quæst. 17. num. 196. affirmatiuam sententiam docet, & potest probari hæc opinio quia multi asserunt posse duabus hebdomadibus lucrari iubilæum ab eodem, vt docent Floronus de cas. res. p. 1. cap. 6. §. 5. num. 2. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 2. num. 64. Henriquez lib. 6. c. 16. n. 3. Fernandez in examin. theol. moral part. 3. cap. 7. §. 8. num. 4. Zanardus in Direct. Confess. part. 1. de Sacram. pœnit. c. 21. qu. 30. Naldus in summa, verb. indulgentia, num. 4. & alij penes ipsos. Ergo, &c.

Non reticeam tamen Filliucium tom. 1. tract. 8. c. 10. n. 278. adnotare Clementem VIII. rogatum respondisse semel tantùm sumi posse Iubilæum, tam in anno Sancto, quam in alijs. Et ita respondisse Sacram Cardinalium Congregationẽ, de hoc interrogatam testatur idem Filliucius n. 261. quod anteà docuerant multi Doctores vt Sanchez in summa tom. 2. lib. 4. cap. 54. num. 30. Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 18. Portel. in Addit. ad dubia Reg. ver. Iubilæum, nu. 10. Benzonius de Iubilæo lib. 15. dub. 23.

Verùm certum est, quod si quispiam dum in patria versabatur, Iubilæum lucrari neglexerit, elapsis verò duabus hebdomadibus alio pergat, vbi Iubilæum durat, illud omnia requisita in bulla exequendo, & adimplendo, consequi poterit. Ita Sanctarellus de Iubilæo, cap. 7. dub. 1. Vgolinus de potest. Episcop. c. 4. §. 4. nu. 5.

Notandum est etiam hic obiter, quod qui tempore, quo fuit publicatum Iubilæum in sua patria, ex aliqua ignorantia inuincibili non habuit notitiam illius, poterit illo tempore transacto lucrari inter duas hebdomadas à die notitiæ. Ita Bottenus in obseruationibus Iubilæi Sixti V. fol. 131. & alij. Et idem dicendum est de illo, qui feria sexta, vel Sabbato habuit notitiam de Iubilæo, vel cum isto confessarius commutet in alia opera ieiunio prætermissa, & illum absoluat, & communionem sumere faciat in illa hebdomada non transacta.

Quis

Quis voluit lucrari Iubilæum, & in secunda hebdomada die Sabbati à Deo inspiratus mutat propositum, quæritur an possit absolui à reseruatis, & lucrari Iubilæum?

RESOL. CLII.

REspondeo affirmatiuè, dummodo commutentur ieiunia in communionem, nam eleemosynam, visitationem, & orationem, potest facere die Dominico. Ratio est, quia iam tempore debito confitetur; non enim obligatus erat confiteri ante Sabbathum, nam poterat mane die Dominico, & in tali casu cum ipso proceditur, ac si fuisset impotens ad ieiunium. Et ita docent Lauorius de Iubilæo part. 1. c. 21. n. 53. & Sanctarellus de Iubilæo cap. 7. dub. 1. licet penes ipsos Pinellus, & Sanchez contrarium teneant.

Sed quæret quis hic obiter, an si aliquis omnia opera iniuncta pro consequendo Iubilæo fecisset, & mane die Dominico vellet confiteri, & sacram Eucharistiam sumere, sed inaduertenter, & in curia aliquid cibi deglutiuit, vel bibit, an hoc non obstante, possit lucrari Iubilæum, & à reseruatis absolui respódeo affirmatiuè, nam in tali casu Confessarius potest communionem, quam tenebatur facere in aliud opus pium commutare, & ita docet Sanctarellus de Iubilæo cap. 7. dub. 1. Graffius in Appendice, lib. 2. cap. 5. nu. 50. & Henriquez lib. 7. c. 10. num. 8. in fine.

Quis ieiunauit, & visitauit Ecclesias in prima hebdomada Iubilęi, postea in secunda die Dominico vult confiteri, & communionem sumere, quæritur an ita lucretur Iubilęum, & Confessarius possit illum a peccatis, & censuris reseruatis absoluere?

RESOL. CLIII.

REspondi affirmatiuam sententiam probabilem esse, & ita illam vocat Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. capit. 16. numer. 49. & 50. Bonacina de Sacram. disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 34. & Naldus in summa verb. indulgentia, num. 14. asserit ita respondisse Patres Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ in Iubilæo anno 1620. licèt contrariam sententiam doceat Lauorius de Iubilæo, part. 1. cap. 21. num. 52. Henriquez lib. 7. cap. 11. nu. 2. Nugnus in 3. par. to. 2. quæst. 17. art. 3. dub. 5. Vgolinus de potest. Episc. c. 41. §. 4. nu. 5 Fernandez in exam theol. mor. p. 3. c. 7. §. 8. num. 5. & alij, asserentes omnia opera iniuncta in Iubilæo esse explenda physicè infra hebdomadam vnam. Verùm, vt dixi, affirmatiua opinio est probabilis, quam præter DD. citatos docuisse nonnullos patres Societ. Iesu testatur Bonacina, vbi supra, qui pro confirmatione talis sententiæ multas adducit rationes, lege illum, & non pigebit.

Certum tamen est, quod si opinio negatiua esset vera, licèt præfatus non lucraretur indulgentias, atque eius confessio peccatorum reseruatorum esset valida, quia probabilis opinio (vt alibi dictum est) confert iurisdictionem, & hoc valde notandum est, nam plures opiniones inuenientur, quę negant consequi Iobilæum, & tamen si aliquis affirmatiuam sententiam probabilē sequi vellet, si à parte rei non esset vera, licet indulgentiam non consequeretur, valide (hoc non obstante) à censuris, & casibus reseruatis absolueretur, & idem dicendum est de votorum commutatione.

Quæro tamen hic obiter, an qui compleuit intra hebdomadam omnia opera in Iubilęo coniuncta, ita vt vltimum opus sit ieiunium Sabbathi, si iterum mane in die Dominica incidat in casum reseruatum, possit ab illo virtute Iubilæi absolutionem obtinere. Ratio dubitandi est, quia finis talis gratiæ est obtinēdi Iubilæum, quod cum iam sit obtentum, non potest quis amplius frui dicta gratia. At hoc non obstante Pater Alphonsus de Leone in tract. de Iubilæo, par. 2. sect. 5. n. 170. affirmatiuam sententiam docet quia cum sit infra eandem hebdomadam, potest variare. & tutius procedendo iterùm confiteri, & communicare, & posteà facere eleemosynam, aut visitare Ecclesias, sua destinatione id faciendo pro vltimo opere Iubilæi; quam cautelam vidi consultam à viris doctis, etiam eis, qui post communionem Dominicæ incurrerunt in reseruata, nemini enim prohibetur plures idem opus repetere pro eodem fine intra terminum concessum. Hæc omnia Leo, licèt contrariam sententiam doceat Sanctarellus de Iubilæo c. 8. dub. 6.

An quicunque Confessarius ab Ordinario approbatus possit tempore Iubilæi absoluere Moniales à peccatis, vel a casibus, & censuris reseruatis.

RESOL. CLIV.

AFfirmatiuam sententiam docet Bonacina de Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 2. §. 1. 0. 22. in fine, sed aduersus illum insurgit Faustus de Iubilæo, lib. 4. q. 78. & Alphonsus de Leone etiam de Iubilæo, par. 2. quæst. 9. num. 25. quia confessarijs prohibitus est accessus ad monasteria Monialium, & ideò Romanus Pontifex non intendit dare iurisdictionem illis sacerdotibus, qui habent aliquod impedimentum. Hinc in prax. rationabiliter seruatur pro bono regimine Monialium, quod dum virtute Iubilæi habent Moniales facultatem eligēdi sibi Confessarium, tenemur designare Confessarium Ordinario ipsarum. Et solent Abbatissæ congregare Moniales, & ab eis habere votū, quosnam Cōfessarios gratos habeant, & sic nominant tres, quatuor, vel plures, quorum nomina mittunt ad eorum Ordinarium, vt ab eo omnes, vel prout ei libuerit, approbētur & impartiatur eis licentiam accedēdi ad monasteria. Sic enim Ordinarij sciunt personas accedere volentes ad monasteria, ne sub prætextu earumdem licentiarum, accedant ad vana colloquia facienda, & non ad audiendas confessiones Monialiū, cū omnis confessio intelligatur facta in ędificationem, non autem in destructionem Regularis obseruantiæ. Et hæc omnia notat, & docet noster Molfesius in summa, to. 1. tract. 7. c. 16. n. 31. & post illum Ioannes Suarez in Enchiridio casuum cons. lib. 5. ver. Indulgent. §. tempore Iubilæi.

An quando adest periculum obliuiscendi multa peccata, teneatur, quis iure diuino confiteri, etiam ante annum.

RESOL. CLV.

AFfirmatiuè respondent Medina Complutensis C. de pœnit. tract. 2. qu. 14. §. 2. sub fine, & ex neotericis Didacus Nugnus in 3. p. to. 2. q. 6. art. 5. difficult. 1. concl. 4. quia iure naturę tenemur ad faciendam integram confessionem, ergo quoties ex dilatione oritur periculum obliuiscendi peccata, toties tenemur confiteri, vnde sequitur multos, qui tantùm confitētur semel in anno, violare hoc præceptum: atque adeò sunt etiam in hac parte examinandi a confessario, vt accusent se de tali violatione, saltem ad cautelam. Ita Nugnus.

Sed hæc opinio non est tenenda, & illam repellunt Turrianus de pœnit. quæst. 6. art. 2. disp. 19. dub. 4. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. difficult. 27. num. 7. Coninch. de Sacram. disp. 5. dub. 2. num. 33. Henriquez lib. 4. cap. 4. num. 8. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 4. concl. 7. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 2. num. 36. & alij, quia sic etiam infra annum sæpè homo obligaretur confiteri, nam regulariter non potest homo recordari peccatorum vnius anni. Cum autem Ecclesia determinat obligationem iuris diuini, si hoc sępius requireret, malè Ecclesia fecisset, quod dici non potest. E contra, si quis peccata scriberet, ne traderet obliuioni, & posset differre vsque ad mortem, quod est absurdum, Ergo, &c.

Restat modo respondere ad argumentum Nugni. Dico igitur nos teneri integrè omnia peccata nostra mortalia confiteri, quorum, dum confitemur, recordamur, & moralem diligentiam adhibere, vt possimus prius ea omnia in memoriam reuocare; non tenemur tamen extra ordinariam aliquam diligētiam adhibere, ne ea obliuiscamur, alioquin quādo nollemus, aut etiam non possemus ea statim confiteri, teneremur ea statim scripto annotare; imò quicumque multa peccata fecisset, teneretur ea prius scripto mandare, & ex charta confiteri, qui aliàs exponunt se alicui periculo, ne aliqua per obliuionem omittant. At hæc omnia sunt absurda. Ergo, &c.

An Parochus qui residet in sua Parochia, sed non per seipsum, sed per alios administrat sacramenta Penitentię, Eucharistię, &c. peccet mortaliter, & teneatur fructus restituere.

RESOL. CLVI.

LEge cum attentione hanc resolutionem ò Paroche, & caue, ne in hora mortis illa te angat. Dico igitur, quod Parochus non dicitur verè & iuxta mentem Concil. Trid. sess. 7. cap. 3. & sess. 23. c. 1. residere ob solam habitationem in loco beneficij, nam residere cum effectu, accipiendum est, nempè officium suum personaliter exercere, & non solùm in sua parochia esse præsentem, & cætera sustituto suo committendo. Debent igitur Parochi illis Sacramentis ministrandis operam dare, quæ ex æquitate ministrari ab eis possint, non tamen tenentur noctu administrare, nisi nominatim & instanter desiderentur. Et ita communiter docent Doctores, & inter illos pręcipuè Ioannes Sancius, qui omninò à Parochis videndus est in selectis disput. 47. per totam. Vide etiam Vasquez opus de Pontificijs c. 4. §. 2. dub. 1. in fine, & art. 2. num. 181. Emanuelem Sà ver. residentia, nu. 1. Vgolinum vbi infra nu. 2. & alios quos citat Sancius loco citat.

Sed difficultas est, an Parochus, qui per seipsum Sacramenta non administrat, sed per sustitutos non solùm peccet mortaliter, vt dictum est, sed etiam teneatur ad restitutionem fructuum. Negatiuè respondet Garsias de beneficijs tom. 1. part. 3. cap. 2. numer. 53. vbi sic asserit, Parochus qui residet in Parochiali, non tamen per se exercet, & administrat Sacramenta, non videtur teneri ad restitutionem fructuum; nam Cōcilium solùm ponit hanc pœnam amissionis fructuum cōtra absentes, & non residentes; iste verò non potest dici abesse, & non residere, quamuis officium suum non exerceat, & pœnæ non sunt extendendæ, maximè impositæ ipso iure, sicut etiam qui malè facit suum officium, Parochus, seu Episcopus, non ideo amittit fructus ipso iure. Ita Garsias.

Sed aduersus illum insurgit Ioannes Sancius, vbi supra in selectis disp. 47. nu. 4. ita ait Censeo fructus nequaquam acquiri Parocho non ministranti, quamtumuis materialiter resideri. Si enim non residere pro eodem accipit Concilium, quod nō seruire, & pœna sit imposita nō residenti, fit ad restitutionem fructuum teneri Parochum, si non ministret, sed quanam ratione præsens, & quisnam magis absens se habet his parochianis? Imò nihil prodest Parochi præsentia ministerio destituta, cum potius offendat; vt rectè notauit Sotus de iust. lib. 10. q. 3. art. 1 Graffius to. 1. consiliorum lib. 3. cons. vnico de Clericis non resident. n. 7. & idem est inutiliter adesse, quod abesse, nec amissio fructuum non ministrantis, vel non residentis, vt vult Garsias apud nos tamen idem reputatur) pro pœna debet haberi, quæ cum ad ipsius exequutionem sententia iudicis minimè sit requisita, potius non lucratio dicitur, vt cōstat ex illis verbis Concilij sess. 23. c. 1. Pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciet, &c. vsque ad illa verba non obstantibus, quibuscumque priuilegijs, &c. Cum igitur beneficia dentur propter officium, vt in cap. cum secundum Apostolum de presbyter. & cap. fi. de rescript. in 6. non acquirere illius fructu haud seruiētem, pęna nullo modo est, sed conditio, vt ait Graffius lib. 2. c. 97. n. 56. & Rodriquez tom. 2. qq. regul. q. 44. art. 4. seu conuentionis naturalis adimpletio, non accipiendi sibi neutiquam debitum, sicut operarius sui vicini colens vineam, & ob id stipendiū, quod abest, non recipiens pœnam, minimè incurrisse dicitur: labefactata igitur est prima ratio Garsiæ.

Secundam verò æqualis momenti iudicio, ait enim, quod sicut Parochus malè suum munus administrans, fructus efficeret suos; ita, & nullo modo ministrans, residens tamen. Equidem si male ministrat, sibi, & non Parochianis damnum dat, mentem enim Concilij quoad subāstantiam exequitur, sicut & Ecclesiæ, Missam audiens ob vanam gloriam. At non administrans, Concilio aduersatur, nam Parochianos suo iure defraudat. Vnde iustitiam commutatiuam læsam esse dubitabit nemo, cum reciperet beneficium, nō quidem propter officium, sed propter propriam suam temporalem vtilitatem, & lucrum. Et esto, admittamus cum Garsia ex pręcepto prouenienite ex Concilio solùm teneri Parochum se rigorosè, & corporaliter absentantem à loco beneficij restituire fructus, & ex iure naturali restituere tenebitur, si non ministret, licèt in loco beneficij maneat, cum beneficium, & illius fructus dentur propter officium ex pacto, & conuentione; qui igitur officium non adimplet; fructibus, & mercede indignus est. Cum enim ibi reperiatur contractus, do, vt des inter Parochum, & Parochianos, seu inter Episcopum conferens beneficium, & beneficiatum, id est do fructus, vt faciat ministeria beneficij, iure ipso contractus fractus neutiquam suos efficiet Parochus, si munia non adimpleat. Vnde licèt solùm se corporaliter à loco beneficij absentibus obligationem restitutionis iniuogat Concilium, non est, quia non putet eandem incurrere obligationem neutiquam inseruientes licèt præsentes sint in loco beneficij, sed quia non præsumit mansurum Parochum in loco beneficij, & non administraturum.

Hæc omnia transcripsi ad verbum ex Sancio, vt torporem à Parochis negligentibus excutiam. Non reticeam tamen sententiam Garsiæ contra Sancium docere etiam Vgolinum de potestat. Episc. cap. 15. §. 3. nu. 3. sed cum Sancio tenet Graffius, Corduba, Astensis, Hostiensis, Syluester penes ipsum, quibus adde Petrum de Aragona in 2. 2. qu. 63. art. 2. §. sed pro explicatione huius difficultatis, vide & Ludouicum de San Iuan. in summ. tract. de officio diuino, art. 13.

Notandum est hic obiter, quod habitatio Parochi vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, debet esse propè Parochiam, quæ quidem dictio refertur ad modicam quantitatem. Vide Riccium p. 4. decis. 41. per totam.

Quis in die ieiunij sæpius comedit carnes, & lacticinia, quæritur an distincta peccata commiserit, & in confessione aperienda?

RESOL. CLVII.

AFfirmatiuè respondeo, & ita docet Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 5. n. 42. vbi sic ait. In quadragesima comedere sæpius per diem, & comedere carnes, & comedere oua, sunt singula particulariter & distinctis præceptis prohibita, vnde singula habent distinctam prohibitionem Ecclesiæ, eiusque fini repugnantiam, quod inde patet, quod vnum sæpè sine altero permittatur, & consequenter continent distinctam malitiam in confessione explicandam. Ita ille.

Notandum est tamen hic obiter, quod qui vouit aliquo die ieiunare, non toties peccat quoties in illo die carnes comedit, & ita aduersus Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. ca. 7. num. 12. docet nouissimè Paulus Layman in theol. mor. lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 3. sed ego de hac quæstione alibi etiam egi in tract. de ieiunio resol. 45.

An si Episcopus reseruando absolutionem alicuius excommunicationis Summo Pontifici, possit hoc non obstante Metropolitanus in casibus sibi permissis eam elargiri?

RESOL. CLVIII.

NEgatiuè respondet Campanili in diuer. Iur. Can. Rub. 11. c. 15. nu. 132. putat enim per hanc reseruationem censeri abdicatam potestatem absoluendi etiam Metropolitano, ita quod in casibus in iure permissis non valeat absoluere, stante tali reseruatione facta per Ordinarium.

Sed contrariam sententiam tenendam esse existimo, quia licet reseruatio facta per Ordinarium Papæ; tollat ipso iure potestatem absoluendi vigore renunciationis factæ, tamen hoc non potest præiudicare Metropolitano, licèt quis possit renunciare fauori suo, non tamen in alterius præiudicium. Et sic primò vassallus non potest in preiudiciū domini absque eius consensu alterius iurisdictioni consentire. Secundò Clerici non possunt renunciare eorum priuilegio. Tertiò, Pater non potest renunciare donationi inofficiosæ. Quartò, iuramentum non firmat contractum in prægiudicium tertij. Et eadem etiam clausula motu proprio, non operatur in tertij præiudicium, nec ius in re acquisitū alteri adimit. Et ideò (ne in aliena vinea arare videar) hanc sententiam, & omnia supradicta docet doctus Iurisconsultus Ioann. Maria Nouarius in QQ. Forensibus p. 1. q. 66. per totam.

An

An in peccato sodomiæ teneatur quis exprimere in confessione, an fuerit agens, vel patiens, vel gradus cognationis carnaliter.

RESOL. CLIX.

RESolutionem horum dubiorum apud paucos inuenies, quæ tamen faxit Deus, vt sæpius in praxi non occurrant. Et ad primum negatiuè respondet noster Pater Alphonsus de Leone in tract. de officio, & potestate Confessarij, p. t. Recollect. 9. nu. 216. & 218. vbi sic ait. Ego dicerem, saluo meliori iudicio, non esse necessariò exprimendum an fuerit agens, vel patiens, quia tale peccatum est eiusdem speciei, & ideò quia magis graue est peccatum agentis, quam patientis, Ideoque maiori pœna punitur, non autem sequitur esse diuersæ speciei, cum magis, & minus non varient speciem. Ita ille. Si quis ergo aliquis verecundiam haberet confitendi se in actu sodomitico fuisse patientem, sufficit vt dicat toties sodomiam exercui.

Ad secundùm dubium supradictus Auctor ibidem nu. 224. etiam negatiuè respondet, docet enim copulam sodomiticam inter cognatos mutare speciem, quando illi inuicem sunt tales in linea recta: in linea verò transuersali circumstantiam aggrauantem: non esse tamen in vtroque casu gradum cognationis carnalis exprimendum, quia in incestu probabile est nullum gradum mutare speciem, & in tali copula nõ commiscetur caro, nec contrahitur affinitas: sed de hoc dubio etiam alibi à nobis actum est.

Notandum est etiam hic obiter cum Filliucio to. 2. tract. 30. c. 7. nu. 132. & alijs probabile esse, quod peccata omnia contra naturam sint vnius speciei infimæ, & non subalternæ: licèt cõtraria opinio sit magis probabilis.

Vtrum Parochus, v.g. Messanensis, possit ex licentia Parochi Panormitani confessionem Panormitanorum in eius Parochia recipere absque approbatione Archiepiscopi Panormitani.

RESOL. CLX.

NEgatiuam sententiam docet Beia p. 1. cas. 16. & nouissimè Alphosus Regius in suis Resolutionibus, cas. 61. num. 9. qui citat Guttierrez, Toletum, & Rodriq. Ratio est, quia Curatus extra suam Parochiam, & diœcesim censetur persona priuata, & nihil amplius habere videtur, quam simplex Sacerdos: ergo quamuis per beneficium Parochiale iudicetur idoneus in sua diœcesi, tamen extra illam tale beneficium nihil suffragatur quoad confessiones alienarum ouium audiendas, sicuti neque alteri Sacerdoti approbato à suo Episcopo: & ideò Concilium Tridentinum æquiparat beneficium Parochiale approbationi Episcopi: asserit enim quemlibet illorum modorum esse per se sufficientem, & alterutrum esse necessarium, sed approbatus in vno Episcopatu non est vbique approbatus, seu idoneus, nec is qui beneficium habet Parochiale. Ita Regius vbi supra.

Sed contrariam sententiam docet Suarez to. 4. disp. 28. sect. 4. nu. 18. & seq. cum Vasq. in 3. p. to. 4. qu. 93. art. 3. dub. 4. n. 2. vbi sic asserit. Existimo ex Concilio Trident. apertè reputari idoneum ipso iure, quicunque parochiale habet beneficium, vt non tantùm in sua Diœcesi, sed in alia audire possit confessiones, iurisdictione tamen sibi commissa, quam tamen iure ipso habet solum in sua Parochia, nec indiget extra suam Diœcesim approbatione Episcopi illius Diœcesis, vt censeatur idoneus, sed cõmissa sibi iurisdictione ab eo, qui potest, vt à proprio Parocho existenti in alia Diœcesi, potest ille quæcunque absoluere, quia iam iure ipso idoneus sine alia Episcopi cuiuscunque approbatione reputatur, sic enim ex Concilio, vt duo diuersa, vnde aliquis censeatur idoneus, ponuntur: alterum habere Parochiale beneficium, alterũ approbatum esse ab Episcopo. Ita Vasquez, satis quidem probabiliter, vnde contra Regia vbi sup. nu. 12. qui sequitur hanc opinionem, non se exponit periculo efficiendi irritum valorem sacramẽti: nam vt alibi approbatum est, quicũ opinione probabili administrat sacramẽtum, quod suam iurisdictionem semper illud conficit, nam Ecclesia in tali ratione opinionis probabilis confert illi iurisdictionem.

An in iactantia de peccato mortali sit in confessione explicanda species peccati, & circumstantia.

RESOL. CLXI.

PErcussit quis v.g. Clericum, & de hoc posteà iactatur, quæritur an sit confitenda circumstantia clericatus, vel si quis iactauit se de peccato cum coniugata, teneatur fateri circumstãtiam coniugij, sed an sufficiat se accusare toties se iactasse de peccato mortali; fatendam esse in tali casu speciem, ac circumstantiam peccati tenet Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. c. 3. n. 23. vbi citat Lopez, & Rodriquez, sed isti loquuntur quando iactans complacet se de illo peccato, & tunc non est dubium esse fatendam speciem, & circumstantiam peccati.

Igitur magis probabiliter contra Sanchez puto cum Nauarro penes ipsum, in tali casu sufficere, si pœnitens se accuset de peccato iactãtiæ in re mortaliter peccaminosa. Et ratio est, quia deformitas mortalis in hoc peccato iactantiæ, sumitur ex eo, quod tanquam medium ad humanam gloriam comparandam assumitur offensa rei mortalis. Sed hæc ratio offensæ mortalis eiusdem rationis est in omnibus mortalibus, quod verò sit hoc, vel illud peccatum mortale, materialiter se habet. Ergo, &c. Et ideò vt alibi firmauimus, licèt verba contumeliosa sint diuersæ speciei, eo quod per illa obijciãtur proximo defectus speciei diuersæ, non tamen sunt peccata mortalia contumeliæ specie distincta; quia in tantùm contumelia est peccatum mortale, in quantum assumitur, vt instrumentum, seu medium ad honorem proximi lædendum quod verò sint hæc, vel illa verba contumeliosa, materialiter se habet.

An sit peccatum necessariò in confessione explicandum, si quis fecit aliquid contra conscientiam dictantem illud confusè, vt peccatum non determinata materia particulari, nec vnde possit deduci, an sit mortale, vel veniale.

RESOL. CLXII.

AFfirmatiuè respondent Vasquez in p. 2. disput. 59. capit. 3. num. 10. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 8. qu. 6. Clauis Regia, lib. 1. cap. 4. num. 17. Reginaldus to. 1. lib. 11. nu. 31. & alij. Nam operari cum tali conscientia, est peccatum mortale, qui enim ita operatur absque alio examine, exponit se periculo peccati mortalis, & ideò virtualiter vult illud committere, qualecumque sit, ergo operari cum tali conscientia est peccatum mortale, vnde necessariò est in confessione aperiendum. Hæc sententia est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Valentia tom. 2. disp. 2. quæst. 14. punct. 4. Salas in part. 2. quæst. 1. tract. 8. disp. 1. sect. 3. num. 33. Nauarrus in manual. præl. 9. num. 9. & alij, quia velle id quod in genere dumtaxat iudicatur illicitum, non videtur esse grauis malitia, cum huiusmodi voluntas contineat se adhuc intra limites eius rationis, quæ est communis peccato mortali, & veniali, & ideò est imperfecta in genere mali, & constituit tantùm peccatum veniale. Ergo operari cum tali conscientia, non erit necessarium in cõfessione explicare. Secùs autem, quando aliquis operatur cum conscientia dictante aliquid esse mortale, aut veniale speciatim.

Notandum est etiam hic obiter, quod si quis falso putans hodie esse vigiliam carnes comedat, sufficiet dicere in confessione, comedi carnes in die prohibito, quia peccatum eiusdem speciei commisit, ac si verè fuisset vigilia, quidquid in contrarium asserat Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 11. punct. 1. & Nauarrus in man. cap. 6. nu. 14. asserentes esse necessarium explicare, quod peccauerit contra conscientiam. Vnde infertur agere contra conscientiam, non esse speciale peccatum contra speciale præceptum, vel virtutem, sed continere tantùm generalem quandam rationem peccati, quæ determinatur ad talem rationem peccati, ex tali, aut tali materia præcepta, quæ per conscientiam proponitur. Vide Salas in praxi 2. tractat. 8. disputat. 1. sect. 33. numer. 18. Clauem Regiam lib. 1. cap. 4. numer. 12. & alios penes ipsos.

An si quis uno continuato sermone in eadem re terperiuret, sufficiat ut in confessione dicat se falsum iurasse?

RESOL. CLXIII.

REspondeo affirmatiuè, quia in tali casu vnum tantùm peccatum committit, etenim tria periuria, vel mendacia sunt vnius continuati sermonis partes, & sermo in vltimo mendacio vel periurio perficitur; ergo vnum erit numero peccatum. Vide Azorium to. 1. lib. 4. c. 4. qu. 5. vbi etiam notat, quod si quis aliquē vno ire impetu, ter, vel quater pugnō percutiat, aut vulneret, vnū tātùm numero peccatum committet, & si Clericus sit, in vnam tantùm excommunicationem incidere dicendum est, & ita docet Suarez de cens. disp. 5. sect. 3. num. 8. Sayrus lib. 2. c. 10. nu. 9. Vgolinus tab. 1. c. 16. §. 3. & alij.

Notandum est etiam hic obiter, quod si quis sine morali interruptione multa verba blasphemiæ in Deum proferat, vnum, solùm delictum blasphemiæ committere: Nec necesse est, vt in confessione numerum blasphemiarum explanet, sed satis est dicere contra Deum blasphemiam intuli. Vide Molinam tom. 4 tr. 3. disp. 4 1. nu. 5. Couarruuiam lib. 2. var. resol. c. 10. num. 8. & ego sane, & hoc verum est, etiamsi verba blasphemiæ, res vanas significarent.

Vtrum in eodem actu possint dari plures malitiæ solo numero distinctæ, & in confessione aperiendæ?

RESOL. CLXIV.

DE hac quæstione pendet decisio multorum casuum in praxi sæpius occurrentium, partem negatiuam tenet Filliucius to. 2. tract. 21. c. 8. n. 320. Layman. in theol. mor. lib. 1. tr. 3. c. 3. n. 2. Duardus in Bull. Cœn. lib. 3. §. 3. q. 2. n. 3. Megala in 1. p. lib. 5. c. 12. nu 4. & Suarez in 3. p. to. 4. disp. 22. sect. 5 nu. 33. Vbi tamen asserunt, in hoc casu debere explicari eas circumstantias in cōfessione, nō quia multiplicant peccata, sed quia augent peccati grauitatem. Et ratio est, quia licèt actus tendat in plura obiecta materialiter distincta, non tamen tendit in illa per modum plurium, sed per modum vnius.

Sed qui probabiliter tenet circumstantias aggrauantes non esse in confessione explicandas poterit consequenter sine peccato in tali casu istas reticere, quod minimè dicendum est. Et ideò affirmatiuam sententiam amplectendam esse puto, quam etiam tenui in tract. de circumstantijs Resol. 19. cum Vasquez, cui nunc addo Salas in p. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 2. num. 19. Azorium. tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 5. & 6. Henriquez lib. 5. cap. 5. nu. 4. Pesantium in Addit. ad 3. par. quæstio. 10. disp. 3. Yribane in 4. sent. to. 2. dist. 17. disp. 15. sect. 8. Clauem Regiam lib. 2. cap. 5. nu. 14. & alios. Dico igitur, quod in eodem numero actu physico reperiuntur plures malitiæ morales numero distinctæ, & cōsequenter censentur plura numero peccata, quæ omninò sunt in confessione explicanda.

Ex hac secunda opinione infertur: Primò, quod qui statuit totam quadragesimam vnico voluntatis actu non ieiunare, tot peccata committere quot sunt dies quadragesimæ: & idem dicendum est de eo, qui statuit omittere Missam, vel officium diuinum per totum annum: aut habuit voluntatem occidendi multos homines, quod etiam intellige de simplici complacētia voluntatis, ac delectationis morosæ. Vnde si quis de præsenti sibi complaceat, seu delectetur morosè, de triplici actu nefando antea habito, committit tria peccata delectationis amorosæ moraliter numero distincta, & in confessione aperienda. Vide Molfesium in summa, tom. 1. tract. 8 cap. 7. nu. 19. Salas in tract. 13. disp. 5. sect. 6. num. 6. Pesantium in Addit. ad 3. p. q. 10. disp. 3. & alios.

Secundò infertur cum Nauarro in man. cap. 6. num. 18, Vgolino de cens. tab. 1. c. 15. §. 3. Megala in p. par. lib. 5. c. 12. n. 4. ad 2. & alijs, Petrum, v. gr. volentem occidere Paulum cum tota sua familia, duo tantùm peccata interna homicidij committere: quia tota familia in iure pro vna persona reputatur, & vna familia est multarum personarum collectio, sicut grex ouium, & bibliotheca, est quoddam totum ex multis rebus tamquam ex partibus constitutum.

Sed his non obstantibus contrarium tenet Salas, & Molfesius vbi supra, Azorius tom. 1. lib. 4. cap. 4. qu. 3. & alij. Hic etiam nota, quod si libri furati, vel oues, v. gr. essent plurium dominorum pro indiuiso, non censeri plura numero peccata, vt docet Vasquez in 3. p. to. 4 quæst. 91. dub. 4. nu. 5. licèt contrarium asserat Molina tom. 4. disp. 41. nu. 4. secùs autem si essent diuersorum dominorum pro diuiso: nam essent diuersa peccata in cōfessione explicanda, & ita tenet Henriquez lib. 5. c. 5. nu. 4. Molina loco cit. & alij.

Tertiò infertur vno sermone maledicentem Deum, B. Virginem, & D. Petrum, tria pecata numero distincta committere. Sed quid dicendum de eo, qui maledicit Deum, & duodecim Apostolos, vel imprecatur mortem Paulo, & toti familiæ illius? Henriquez lib. 5. c. 8. nu. 4. docet vnum peccatum committere. Fagundez p. 2. lib. 3. cap. 5. num. 10. Duardus in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 5. quæst. 2. num. 3. Megala in p part. lib. 5. cap. 12. num. 4. ad 2. Vgolinus de cens. tab. 1. capit. 16. §. 3. num. 8. & alij putant esse duo peccata. Vasquez verò in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. num. 10. Molfesius in summa. tom. 1. tract. 8. capit. 6. num. 19. Azorius tom. 1. lib. 4. ca. 4. quæstio. 5. tenent in tali casu tredecim peccata mortaliter numero distincta committi, explicanda in confessione.

Quartò infertur, lędentem eodem verbo famam, & honorem trium: tria peccata numero committere, in confessione aperienda; sicut qui vno ictu occideret tres. Ita Filliucius to. 2. tr. 21. c. 9. nu. 325. Yribarne in 4. sent. to. 2. dist. 17. disp. 15. sect. 8. Vasquez, & Azorius loc. cit. & ego etiam alibi Resolu. 29. de circumst. aggrau.

Quintò infertur, simul recogitantem in vna mollitie plures coniugatas, plura peccata in illo actu physico moraliter numero distincta comittere in confessione aperienda. Ita Henriquez lib. 5. c. 1. nu. 8. Reginald. tom. 2. lib. 22. cap. 8. sect. 9. in fine. Toletus lib. 5. c. 7. & alij.

Sextò infertur, inducentem vnico verbo quatuor v. gr. ad peccandum, quatuor peccata committere in cōfessione explicanda. Ita Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. cap. 6. nu. 8. Vasquez in p. 2. q. 71. art. 7. nu. 15. Salas in p. 2. tract. 3. disp. 5. sent. 13. nu. 110. & alij.

Et tandem, Septimò à fortiori infertur, quod coniugatus, qui cum vxore alterius adulterium committit, vno actu duplicem malitiam iniustitiæ contrahit, vnam contra propriam vxorē, alteram cōtra virum alterius: similiter Religiosus, qui rem habet cum Moniali, committit duo sacrilegia moraliter numero distincta. Præterea, si quis vno ictu occidit tres homines, tria homicidia numero distincta committit. Et horum omnium supra dictorum in præsenti resolutione alia ratio adduci non potest; quia malitia peccati consistit in respectu contrarietatis ad rectā rationem. Cum autem actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque pro se prouenit contrarietas ad rationem, concedendum est esse plures malitias numero distinctas, & ideò plura numero peccata explicanda in confessione, vt ex vsu omnium Christianorum patet.

Notādum est etiam hic obiter, quod si quis vno ictu tres occideret Clericos, in tres excommunicationes incurreret, vt Nauarrus c. 6. nu. 18, Vgolinus de cens. tab. 1. c. 16. §. 3. nu. 8. Molina tom. 4. tract. 3. disp. 41. nu. 3. Sayrus de cens. lib. cap. 10. nu. 9. Aiterius de cens. to. 1. lib. 3. disp. 10. cap. 8. & alij. Et idem dicendum est de irregularitate. Secùs autem si ter percuteret Clericum; nam vnam tantùm incurreret excommunicationē, vt in superiori Resolutione notaui, & docet Salas in p. 2. to. 2. tr. 13. disp. 5. sect. 8. nu. 91.

An ignorantia vincibilis mysteriorum fidei, sit speciale peccatum in confessione explicandum?

RESOL. CLXV.

ESse peccatum speciale docuerunt Vasq. in p. 2. disp. 119. c. 3. Tannerus in p. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. n. 12. Sanchez in summ. to. 1. lib. 1. c. 17. nu. 11. Filliuc. to. 2. tr. 21. c. 10. n. 365. Henriq. lib. 5. capit. 6. num. 3. in Glossa littera F, & Cutiel in par. 2. quæstio. 76. artic. 2. dub. 2. §. 4. vbi docet ignorantiam vincibilem articulorum fidei habere non solùm malitiam peccati, cuius periculo se exponit, v. gr. omissionis actus fidei tempore, quo obligat præceptum credendi, aut asserendi aliquid contra fidem; sed

sed etiam aliam distinctam speciem, quæ consistit in negligentia addiscendi articulos, quæ opponitur virtuti studiositatis. Hæc opinio est probabilis.

Verùm contrariam sententiam tuetur ex multis rationibus Merolla dis.1.c.2.diffic.3.n.697.vbi tamen n.699.notauit, ignorantem vincibiliter mysteria fidei, quamuis de facto nihil cōtra sentiat, neque adsit tempus, quo quis tenetur ea credere, teneri hanc ignorantiam confiteri; quia non curando eorum scientiam acquirere, ad quã tenebatur, exposuit se periculo sentiendi aliquid contra fidem, aut omittendi assentiri illis occurrente tempore, quo ad id obligatur, & consequenter mortaliter peccauit; hoc autem peccatum non est distinctum ab eo, quod cōmittitur sentiendo actu ignorātet aliquid contra hæc mysteria. Prima opinio videtur probabilior, & omninò tenenda.

Notandum est etiam hic cum dicto Merolla num.700.in ordine ad confessionem esse necessarium explicare cuius præcepti Decalogi fuerit ignorantia, secùs verò in ignorantia mysteriorum fidei. Et ratio est, quia ex aduersitate præceptorum Decalogi, vel Ecclesiæ, eo quod ita vincibiliter ignorans exponit se periculo admittendi peccata specie diuersa secundùm præceptorum diuersitatem. At verò ignorans vincibiliter mysteria fidei, non se exponit periculo cōmittendi peccata specie diuersa iuxta diuersitatem mysteriorum, sed semper peccatum est eiusdem speciei, cuiuscunque mysterij sit ignorantia, quia opponitur eidem præcepto, ac virtuti; vnde infertur ignorantem vincibiliter plures articulos fidei, non committere plura peccata specie distincta, secùs verò si ignoret plura præcepta Decalogi, vel Ecclesiæ.

Sed difficultas est, an si ignorans vincibiliter plures articulos fidei, plura peccata saltem numero distincta admittat. Affirmatiuè respondet Marullus vbi supra, sed negatiua sententia est etiam probabilis, quam tuetur Pater Suarez tr.de fide.disp. 15.sect.1.nu.7.& adhibet exemplum in præcepto recitandi horas canonicas; peccatum enim omissionis illatum, non multiplicatur numero, iuxta multiplicationem horarum, sed vnum tantùm numero est, ergo idem dicendū est in casu nostro. Vnde ego infero, ignorantem vincibiliter plures articulos fidei nō teneri numerum articulorum, quos ignorat, explicare in confessione, licèt Marullus vbi supra contrarium asserat, nempè ignorantem vincibiliter plures fidei articulos, censeri plura numero peccata committere, explicanda in confessione; sed vtraque opinio est probabilis.

Et tandem ex his omnibus aliqui inferūt contra Curiel in p. 2.quæst.76.art.2.dub.2.§ 4.& contra Malderum etiam in par.2. q.76. art.2. quod ignorantia vincibilis præceptorum Decalogi non est speciale peccatum, vt v.g. ignorantia culpabilis præcepti de non fornicando, non est speciale peccatum oppositum distinctę virtuti, ac diuersā à virtute castitatis, cui fornicatio opponitur. Vnde sequitur, quod qui ex ignorantia culpabili negligit scire præceptum nō fornicandi, non committit duo peccata mortalia, si de facto fornicetur, vnum negligentiæ sciendi huiusmodi præceptum, & alterum fornicationis; & ideò sufficit, vt in cōfessione dicat, fornicatus sum. Quod si huiusmodi ignorans præceptum non fornicandi de facto non fornicetur, tenetur adhuc culpabilem ignorantiam, ac negligentiam confiteri: quia periculo transgrediendi illud præceptum se exposuit, & consequēter voluit in causa transgressionem illius. Sufficiet autem dicere in confessione, habui voluntatē fornicandi. Et idem contra Maldernm, & Curiel dicendum est de ignorantia vincibili eorum, quæ quis scire tenetur, ratione specialis muneris, vt Confessarij, Aduocati, Iudicis, &c. vide Filliuc.to.2.tr.21.c.10.n. 365.Sanch.in sum.to.1.lib.1.c.17.n.9.& alios penes ipsos.

Sed hæc resolutio aliquibus non placet, quia peccatū ignorantiæ constituitur ante actualem fornicationem; nam alias nō sequuta fornicatione nō peccaret, & proinde est ab illa distinctum, & quando quis non fornicaretur, non posset dicere, habui voluntatem fornicandi, quia etiamsi quis ignoret fornicationem esse peccatum potest tali voluntate carere.

An si quis mœchatus est in Sacristia alicuius Ecclesiæ, teneatur in Confessione hanc circumstantiam explicare.

RESOL. CLXVI.

Respondeo negatiuè, quidquid in contrarium asserat Zerola in praxi pœnitent. cap.12. quæst.27. & alij, quia per locum sacrum solùm corpus ipsum Ecclesiæ consecratæ, vel benedictæ intelligitur: & idem dicendum est de Refectorijs, Cubiculis, Bibliothecis, Dormitorijs, & Monasterijs Regularium, & de Cameris, & Campanilibus Ecclesiæ adhærentibus. Et ita hanc sententiam docet Azorius p.3.lib.3.cap.27.q.13. & alij. Vnde infertur contra Seluam de Beneficijs p.2.q.97.n.2. & alios: quod si quis furetur notabile quid in supradictis locis, nō tenetur aperire hanc circumstantiam, sed sufficit dicere, furatus sum: & ita docet præter Azorium loc.cit.q. 14. Dominicus Sotus in 4. dist.34.q.1.art.3.& alij.

DE EXTREMA VNCTIONE.

An Sacerdos tempore pestis possit inungere infirmum, non digito, sed virga oblonga, vt eius contactum fugiat?

RESOL. CLXVII.

His annis elapsis, quando hic morbus miserimè Ciuitatem hanc afflixit, sententiam affirmatiuam consului, quam docent Capeauilla de sacr. extrem. vnct. quæst. 34. & Franciscus Sylnius in 3. p. q. 32. artic. 3. vbi sic asserit. Curet Sacerdos habere vestes breues, & ita eas ad se colligat, vt quam maximè potest, fugiat contactum infirmi. Præterea ægrotum (si potest) constitui faciat in loco puro, & libero, ne se statuat inter ignem, & infirmum, muniat se præseruatiuis iudicio medicorum: & vti potest virga oblonga, verè tamen oleo tincta, sic vt perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione, virgam eiusmodi aut purgabit, ac in similem vsum seruabit, si aurea, vel argentea sit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur, si sit lignea. Ita Sylnius, quæ omnia multùm pro praxi in tali casu erunt conducentia.

An tempore pestis possit Sacerdos inungere vnam tantùm partem, dicendo consuetam formam?

RESOL. CLXVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sylnius in 3.p. q.32. art 7. quam approbasse Theologos Louanienses anno 1583. & 1573. testatur Octauius Tricaricensis Nuntius Apostolicus in Germania, & indirectorio Ecclesiasticæ disciplinæ, vbi sic asserit. Et si ordinariè vngenda sunt singula singulorum sensuū loca, nec vnquam, nisi grauissima necessitas cogat, aliter faciendū sit: constabit tamen sacræ vnctionis Sacramentum, & in vngendo contagioso morbo, aut peste laborante, ad euitandum contagionis periculum, sufficiet, si vngatur sensus organum ad vnctionem magis expositum, & detectum, dicendo. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, &c. Ita supradictus Nuntius Apostolicus, Sylnius, & Theologi Louanienses, quibus etiam adde Capeauillam de Sacr. c.5.q. 30. & hanc sententiam probabilem esse præter DD. citatos tenet etiā Layman in theol.mor.lib.5.tr.8.c.3.n.4.& Coninch. de Sacr. disput.19.dub.3.n.9.& 12.vnde in praxi tutò amplecti potest.

Sed ego in tali casu, potius velocissimè sine Crucis forma, vnum oculum, vnam aurem vnam manum, nare, & os, vnica sententia partialium omnium formarum sententias cōplectente iniungerem, dicendo: Per istas sanctas vnctiones, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti. Vide Zambranum de casibus temp. mortis.c.5.n.9. Andream Victorellum de Sacramen. Extremæ vnctionis, fol. 66. & Suarez in 3. par. tom.4. disput.41.sect.2.num. 7. & 8. Coninch. & Layman vbi supra.

Notandum est tamen hic obiter, quod etiam extra casum necessitatis si Sacerdos faceret vnctiones, non in forma Crucis, minimè lethale peccatum committeret. Ita Zambranus vbi sup.n.22. & Suarez disp.40.sect.2.n.3.

An puer sit vngendus Sacramento sub conditione, quando dubitatur si habeat vsum rationis?

RESOL. CLXIX.

AD hunc casum ita respondet Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis, cap. 1. dub. 1. num. 7. Credo dandam esse extremam vnctionem sub conditione, quando de puero dubitaretur, an haberet vsum rationis sufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ, licèt in tali casu dubij de vsu rationis, videatur esse tutius non dare vnctionem, quando dictus puer non posset recipere Sacramentum pœnitentiæ sub conditione, quamquam non sit omninò improbabile etiam tunc posse dari vnctionem, sub conditione scilicet, si es capax, propter maximam eius vtilitatem, & fructum in tali articulo mortis, quem summopere refert fœliciter concludere. Ita ille; sed tu absolutè, & sine vllo timore dabis extremam vnctionem sub conditione, etiamsi puer recepisset Sacramentum pœnitentiæ sub conditione. Et ita docent Saocius in selectis, disp. 27. nu. 17. qui omninò videndus est.

An Sacramentum extremæ vnctionis sit suscipiendum sub onere peccati mortalis, & illud sub eodem onere teneatur Sacerdos ordinarius in tempore necessitatis ministrare?

RESOL. CLXX.

AD primam dubitationem secluso contemptu, & scandalò negatiuè respondeo, & ita contra Petrum Soto sect. 2. de Sacram. Extremæ vnctionis docet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 10. difficult. 5. num. 1. vbi sic asserit [No ay præcepto de recebir la extrema vncion, por laqual si se dexara no es pecado saluo si vuesse escandalo, ò meno sprecio.] Ita ille, & nos alibi; An verò sit peccatũ veniale affirmant Coninch. de Sacram. disp. 19. dub. 10. concl. 1. & Nugnus in 3. par. tom. 2. q. 23. art. 2. difficult. 1. qui tamẽ notat Suarez inclinare in illam partem, quod nullum peccatum sit, sicut etiam docere Villalobos patet in verbis supra allatis.

Ad secundam dubitationem respondeo negatiuè cum Layman in theolog. moral. lib. 5. tract. 8. capit. 7. num. 3. vbi ita ait; Sacerdos qui non est proprius Pastor, si absente Parocho licitè, ac facilè ministrare possit hoc Sacramentum extremæ vnctionis in casu necessitatis ad id ex charitatis lege obligatur, quamuis non obligatione graui, sed solùm culpa veniali, excepto si infirmus grauiter indigere videatur, quia alioquin sine omni Sacramento decedere deberet. Ita ille, qui citat Paludanum, & Coninch.

Notandum est tamẽ hic obiter in casu necessitatis, si Pastor adsit, vel non possit, aut nollet iniustè hoc Sacramentum infirmo ministrare, tunc inferiorem Sacerdotem posse renitente Parocho, hoc officium facere; nam in tali casu Summus Pontifex licentiam illi præbere censendus est. Ita docent Henriquez lib. 3. cap. 13. n. 4. Caietanus verb. excommunicatio, c. 64. Armillam eodem verb. nu. 49. & alij, quos citat & sequitur Layman vbi supra, c. 6. nu. 1. quidquid in contrarium afferat Syluest. verb. excommunicatio 7. excomm. 14. dub. 2. & Antoninus p. 3. tit. 24. c. 34.

An moribundus sensu carens sit inungendus tempore interdicti non valens alia sacramenta recipere, si non habeat Bullam Cruciatæ?

RESOL. CLXXI.

NEgatiuam sententiam docent Petrus de Ledesma in summa, tom. 1. de sacram. extremæ vnctionis, cap. vlt. conc. 4. vbi sic asserit. [Es cierto que en el tal caso no es licito administrar al enfermo el sacramento de la extrema vncion. Esto enseñan communmente los Doctores, porque dizen que la extrema vncion no se puede administrar en tiempo de interdicho, y nunca sacan este caso; la razon es, porque este sacramento en ningun caso es sacramento de necessidad, ni ay precepto diuino de recebirle, luego la prohibicion de la Iglesia estiendese à estos casos.] Ita ille.

Sed ego contrariam sententiam, in facti contingentia consului, nempè moribundum sensibus destitutum, qui sacram Eucharistiam, & sacramentum Pœnitentiæ, non poterat recipere, fuisse omninò inungendum, etiamsi non haberet Bullam Cruciatæ, & esset in Ciuitate interdictum. Et hanc sententiam docet Zambranus de casibus temp. mortis. c. 5. dub. 7. nn. 5. vbi sic ait. Satis probabile est, licitè ministrari posse, & debere extremã vnctionem morienti carenti omni priuilegio, etiam tempore interdicti, & maximè si tũc careret sensu. Ita ille qui multas rationes adducit, & citat Henriquez lib. 3. cap. 10. nu. 3. in Glossa littera F, & multos viros doctos à se consultos. Et ipse Ledesma vbi supra, etiam hanc sententiã probabilem putat. Restat modò respondere ad argumẽtum Ledesmæ. Dico igitur, quod nec iura, nec Doctores loquuntur in casu nostro, cum negant tempore interdicti posse sine priuilegio dari extremam vnctionem; nam agunt de casu ordinario, in quo moriens recipit aliud Sacramentum, vel quando licèt non recipiat, potest tamen commodè adiri Iudex, qui posuit illud interdictum, vt tollat illud prædicto casu. Igitur nostram sententiam in fauorem animarum omninò amplectendam esse puto, & illam Parochi, si casus occurrat, sine metu in praxim (me impellente) & consulente) deducant.

Vtrum adulto in articulo mortis recenter baptizato, sit illi Sacramentum Extremæ vnctionis ministrandum?

RESOL. CLXXII.

HIc casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent Nugnus in 3. p. q. 32. art. 4. concl. 2. & Sancius in selectis disp. 27. nu. 18. vbi sic asserit. Ego recente baptizato, vnctionem ministrandam non consulerem, nisi nouum post batismum peccatum admisisse constaret.

Sed contrarium ego teneo, & ideò anno 1620. testatur ipsemet Sancius, fuisse ministratum Catechumeno Matritensi, mancipio Mahumetano periculoso morbo decumbenti Sacramentum baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis successiuè, & immediatè vnum post aliud. Et ita hanc sententiam docent Zambranus de cas. tempore mortis c. 5. dub. 3. n. 6. Ledesma tom. 1. de sacram. extrem. vnct. cap. 6. concl. 7. Vegha in speculo curat. part. 1. c. 13. n. 20. Naldus in summa, ver. extrema vnctio, nu. 9. Posseuinus de officio Curati c. 9. nu. 4. Henriquez lib. 3. cap. 11. nu. 3. Filliucius to. 1. tr. 3. c. 6. n. 108. vbi sic asserit: Peccatum actuale non est materia proxima, vel remota huius Sacramenti, sicut est pœnitentiæ. Ergo quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia adhiberi, atque adeò conferet effectum suum. Confirmatur, quia si quis in graui morbo baptizetur, etsi in fine vitæ, post viaticum debet sumere hoc Sacramẽtum, etiamsi nullum peccatum post batismum commiserit. Ita Filliucius, & post illum Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 8. c. 3. n. 3. sic afferens. Potest hoc Sacramentum ministrari homini, etiamsi nullum peccatum habeat. v. g. ei, qui immediatè ante baptizatus fuit. Sic ille, vide etiam Suarez in 3. p. to. 4. disp. 42. sect. 2. nu. 9. Lopez in instruct. p. 2. c. 23. Syluestrum ver. vnctio extrema n. 5. in 3. dicto Paludanum in 4. dist. 23. q. 3. n. 15. Richardum in 4. dist. 23. art. 3. q. 4. & alios.

Vnde licet Nugnus vbi sup. in 3. p. q. 32. art. 4. concl. 1. & alij afferant, in tali casu sub cõditione ministrãdam esse extremam vnctionem, attamen ego puto cũ supradictis Doctoribus absolutè posse ministrari: ex quibus valdè miror, aliquos Parochos baptizare infideles tempore mortis, & tamen illis Sacramentum extremæ vnctionis minimè ministrare.

Quo tempore sit danda infirmis vnctio extrema.

RESOL. CLXXIII.

EXperientia nos docet, parentes vt plurimum amare magis corpora, quam animas infirmorum, & ideò quando agitur de extrema vnctione illis ministranda clamant, & vsque ad vltimum differre volunt, sed in hoc quantum errent etiam contra salutem corpor um infirmorum, demonstrat doctrina Soti

Soti in 4.sent.dist.23.quæ.2. art. 2, Ioannes de la Cruz in direct. conscient.part.2.de Sacram.Extrem.vnct.dub.3.concl.3. vbi sic asserit. Sanitas corporis est effectus istius Sacramenti non infallibilis, sed quãdo subiectum est dispositum, & alias salus corporis expedit saluti animæ, & tunc subiectum est indispositum, quando est ita viribus corporis destitutum, quod virtus finita istius Sacramenti non potest illud sanare. Et paulò post dub. 4. concl.2.ita ait. Cum hoc Sacramentum in causando salutẽ corporis, non operetur miraculosè, sed virtute ordinaria supernaturali, non speretur tempus, quo causæ naturales iuuare non possint, sed adhuc spes salutis duret. Ita ille. Sed audiamus etiã Pitigianum in 4.sent.to.2.dist.23.qu.vnica, art. 5. quæst. 4. sic loquentem. Non est expectandum, vt infirmus iam sensu, & cognitione careat, nam id est contra reuerentiam, & vtilitatem Sacramenti; Nec etiam est expectandum tempus, in quo iam constet infirmum non posse naturaliter viuere, nam hoc etiam derogat secundariò fini huius Sacramenti. Nam quamuis hoc Sacramentum supernaturaliter iuuet ad sanitatem recuperandam, non tamen est consentaneum expectare tempus, in quo ferè manifestè sit necessarium miraculum, nam hoc est quodãmodo tentare Deum; & virtutem Sacramenti velle experiri. Hæc Pitigianus.

An Parochus teneatur tempore pestis ministrare Extremam vnctionem, & Eucharistiam cum periculo vitæ.

RESOL. CLXXIV.

AFfirmatiuam sententiam docent Syluius in 3. p. q. 32. art. 3. & Nugnus in 3. part. to. 2.q.33.art .. difficult. 1. quia ita mordicus hanc opinionem tenet, vt contrariam existimet falsam, & impiam.

Sed iste auctor nimis rigidè se habet, in qualificãdis aliorum opinionibus; vnde dicendum est, opinionem negatiuam esse probabilissimam, & illam docet ex Hispanis Theologis Villalobos in summa, to. 1. tr. 10. diffic. 6. num. 7. vbi sic asserit. [Aunque el Parroco en tiempo de peste tiene obligació de administrar el Sacramento de la penitentia y de la Eucharistia, cõ peligro de la vida, quanto à este Sacramento de la Extrema vncion, se ha da dezir que si el parroco puede euitar el peligro de la muerte, tiene obligacion administrarle, mas si no puede sin esse peligro, no tiene obligacion, porque este Sacramẽto no es de precepto, ni es necessario para la salud del alma, aunque es vtil.] Assi lo tienen Armilla, y Suarez, quibus ego addo Molfesium in summa, tom. 1. tr. 4. c. 3. num. 51. vbi asserit, si peste infecti confessi sunt, posse parochos tuta conscientia hanc opinionem sequi, & Sacramentum extremæ vnctionis minimè illis ministrare. Ita Molfesius.

Notandum est tamen hic, quod Molfesius loco citato, num. 52. idem dicendum esse putat de Sacramento Eucharistiæ, sic enim asserit. Sacramẽtum pœnitentiæ, quia necessarium est ad salutem proximi, tenentur Parochi ministrare ouibus suis etiã cum periculo vitæ, Sacramentum verò Eucharistiæ, & sic viaticum, non tenerentur cũ tanto periculo, nisi necessitas proximi magna esset, vt quia validè dubitaretur de illius salute, si absque viatico decederet; At à longè posset Parochus hortari oues peste laborantes, vt patienter sustineant infirmitatem, ac propositum habeant suscipiendi viaticum, quia in casu necessitatis indicatur satis esse propositum suscipiendi, & sic etiam adimpletur præceptum. Ita Molfesius, & ante illum Maior in 4. sentent. dist. 7. qu. vlt. & dist. 23. qu. 1. sed contrariam sententiam docent Villalobos vbi supra, & Rodriquez in summa tom. 2. cap. 87. n. 8. cum alijs.

An forma deprecatiua in Sacramento Extremæ vnctionis sit de necessitate Sacramenti?

RESOL. CLXXV.

SVfficere formam indicatiuam videtur, & ita Martinus Beeanus de Sacramentis, cap. 27. quæst. septima, nu. 3. asserit: Quæres, an necesse sit formam huius Sacramenti esse deprecatoriam, multi affirmant; quia primò Iacobus dicit, *orent super eum*. Secundò, forma Romana est deprecatoria. Alij negant, primò, quia forma Ambrosiana, & Veneta non est deprecatoria, & tamen est sufficiens. Secũdò, quia ex illis verbis *baptizantes eos, &c.* colligit Ecclesia hanc formam. *Ego te baptizo*. Ergo similiter ex illis, *Vngentes illum*, potest colligi hæc forma, *Ego te vngo*. Tertiò, quia in Sacramento confirmationis sufficiens hæc est forma; *Cõsigno te Chrismate*. Ergo similiter in hoc Sacramẽto *Vngo te oleo*. Quartò, quia Sacramentalis forma, etiamsi per modum indicatiuũ proferatur, solet à SS. Patribus vocari oratio, quo pacto Leo Papa, & alij multi absolutionem sacramentalem vocant orationem Sacerdotis. Ergo quamuis in hoc Sacramento proferatur forma per modum indicatiui, sufficiens erit illud Iacobi ad saluandum, *Orent super eum*. Ita Becanus. Et hanc sententiam probabilem esse docent Suarez in 3.p tom. 4. disp. 40. sect. 3. nu. 7. & Filliucius to. 1. tr. 3. c. 4. nu. 80. nam contrariam, quam ipsi tenent, probabiliorem vocant.

Sed negatiuam sententiam, non solùm probabiliorem, sed omninò certam putauit Nugnus in Addit. ad 3. part. q. 33. art. 6. ita vt si aliquis conficeret hoc sacramentum sub forma indicatiua, putet debere iterari sine conditione. Idem etiã docent Coninch. de Sacram. disp. 9. dub. 4. num. 14 Ledesma in summa, to. 1. de Sacram. extremæ vnctionis, ca. 1. concl. 2. Syluius in addit. ad 3. p. quæst. 29. art. 7. & alij communiter. Et ratio est, quia duæ formæ non possunt esse institutæ pro vno sacramento, nisi sint æquiualentes, saltem in sensu; si ergo forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit, quia non habet æquiualentem sensum. Ergo, &c.

His ita suppositis, difficultas est, an sit sufficiens hæc forma. *Vngo te oleo sancto, et Deus tibi remittat quidquid peccasti, &c.* affirmatiuè respondet Suarez tom. 4. disp. 40. sect. 3. num. 8. sed aduersus illum acriter insurgit Nugnus in addit. ad 3. part. qu. 26. ar. 7. vbi ait, quod nullus ausus fuit vnquam dicere, quod ista forma sit sufficiens. At nouissimè, & meritò sententiam Suarez sequuntur Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 55. & Layman. in theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. num. 1. quia verbo indicatiui modi adiungitur sufficiens deprecatio. Ergo, &c. quidquid in contrarium cum Nugno asserat Bonac. de sacram. disp. 7. q. vnica, punct. 3, num. 4. licet grauiter peccaret, qui hac forma vteretur.

Notandum est hic obiter, quod verba formę huius sacramẽti sunt ista. *Per istam sacram Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c. In nomine Patris, & Filij, et Spiritus sancti*, quæ quidem vltima verba, *In nomine Patris*, &c. non sunt necessaria, neque de necessitate præcepti, vt obseruat Filliucius tom. 1. tract. 3. ca. 3. n. 86. & alij. Illa autem verba (*sanctam, & pijssimam*) non esse substantialia, docent Reginaldus tom. 2. lib. 28. cap. 9. n. 56. Pitigianus in 4. tom. 2. dist. 23. qu. vnica art. 4. dub. 2. & alij, quia illis detractis sensus adhuc manet integer, idem asserunt supradicti Doctores de illis verbis (*suam misericordiam*) quia quæ sequuntur *indulgeat tibi Dominus*, causam principalem quæ in hoc Sacramento, sufficienter exprimant illis omissis, sed de hoc alibi, Idem dicendum videtur de particulis illis, *per visum, per auditum, &c.* quæ in fine singularum formarum partialium ponuntur; igitur de necessitate Sacramenti sufficiunt ista verba. *Per istam Vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti vel per auditum, &c.* Non sunt autem omittenda supradicta verba, & qui hoc faceret, peccaret.

Quidam Sacerdos vnxit infirmum cum oleo veteri, quæritur an peccauerit mortaliter?

RESOL. CLXXVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Zambranus de casibus occurrent. temp. mortis, c. 5. dub. 4. nu. 5. & seq. vbi nu. 14. sic concludit. Ex dictis sequitur esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die, quam feria quinta, vel illud singulis annis non renouare, vel veteri vti extra necessitatem. Ita ille.

Sed hęc aliquibus nõ probantur, nam vt ait Ledesma in summa, tom. 1. de Sacram. Extremæ Vnctionis, cap. 2. in fine [No es cierto que aya precepto de renouar el aceyte de los enfermos cada año, aunque se suele hazer assi; Pero de la Chrisma se halla claro precepto del derecho deque se renueue.] Et Henriquez lib. 3. cap. 8. nu... in fine, asserit absolutè, quod non est de præcepto renouare oleum singulis annis. Ex his aliquis probabiliter posset respondere, non peccasse mort. supradictum Sacerdotem vngentem infirmum oleo veteri. Sic determinauit Henriquez lib. 2. cap. 29. nu. 3. vbi ait, quod non prohibetur vngere infirmos

veteri oleo, & in Glossa littera V. notauit ita Theologos, & vtriusque Iuris peritos Salmanticenses post longam consultationem determinasse.

Sed mihi magis placuit prima sententia; non tamen damno sententiam Henriquez, renouandum esse quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam inijciendum. si verò non sit aliud oleum, nisi vetus, potest instãte morte fieri cum illo extrema vnctio, & ad hunc finem seruari debet vetus, quo vsque nouum habeatur, vide etiam Layman. in theol. mor. lib. 5. tr. 8. cap. 2. nu. 4. qui etiam n. 3. adnotat, quod si Sacerdos per errorem vngeret infirmum, non oleo, sed Sacro Chrismate, probabiliter dici posse videtur nihil esse repetendũ, sed rem Domino commendandam; tum quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo, tum quia valdè probabile est sacramentum extremæ vnctionis, validè conferri in materia sacri Chrismatis. Ita Layman.

An vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ Vnctionis?

RESOL. CLXXVII.

NEgatiuam sententiam docet Filliucius to. 1. tract. 3. c. 4. nu. 78. vbi sic asserit. Dico quamlibet vnctionem tantam esse debere, quanta satis est iuxta cõmunem modum loquendi. Verùm vt rationem vnctionis attingat in particulari, non videtur satis vnam guttam olei stillare, sed opus est perfundere partem sensus, id enim est vngere. Ita ille.

Sed pro probabilitate partis affirmatiuè habeo validũ argumentum; nam ex doctrina Reginaldi in praxi to. 2. lib. 28. c. 9. n. 13. Suarez, & aliorum, id quod de quantitate aquæ circa Sacramentum baptismi asseritur, hoc etiam de quantitate olei circa sacramentum extremæ vnctionis asserendum est, sed probabiliter multi DD. vt supra visum est, tenent vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem baptismi. Ergò vna stilla olei dicitur etiam vngere. Sed tu lector cogita.

An supradictæ vnctiones faciendæ sint in modum Crucis, saltem ex necessitate præcepti.

RESOL. CLXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam docet Syluester v. vnctio, §. 2. & Glossa in c. nunquid de consecr. distin. 5. cum Petro de Ledesma in summa, tom. 1. de Sacram. Extremæ vnctionis, cap. 2. concl. 2. de diffic. 1. & Didaco Nugno in addit. ad 3. par. qu. 29. art. 6. vbi sic asserit. Mortale peccatum est, facere vnctiones sine figura Crucis, probatur, quia est contra communem consuetudinem Ecclesiæ in re graui. Vnde falsa, & improbabilis mihi videtur sententia Suarez, dicentis non esse graue peccatum omittere Crucem. Ita Nugnus.

Sed hic auctor, vt alibi etiam notauimus, nimis audacter se gerit in censurandis opinionibus. Vnde ego puto opinionem Suarez, quam ipse falsam, & improbabilem putat, esse probabilissimam, secluso contemptu, & scãdalo, quia nullum est expressè latum præceptum de hac re, neque constat consuetudinem sub hac existimatione introductam esse. Vnde si quis sacerdos vngeret infirmum non in modum crucis, malè quidem faceret, non tamen peccaret mortaliter. Et ita nostram, & Suarez sententiam tenent Becanus de Sacram. c. 27. q. 3. num. 3. Layman. in theol. mor. lib. 5. tr. 8. c. 3. n. 7. Filliucius to. 1. tr. 3. cap. 5. nu. 75. Coninch. de Sacram. disp. 19. dub. 2. num. 7. Zambranus de cas. occurrentibus tempore mortis. c. 5. nu. 12. & alij.

Quando Sacramentum Extremæ vnctionis conferat gratiam.

RESOL. CLXXXIX.

QVidam, vt obseruat Henriquez lib. 3. c. 12. nu. 3. probabiliter putant partiali vnctione, conferri statim gratiam, cum habeat propriam materiam, & formam, & tamen omnes vnctiones dici vnum sacramentum, vt duæ species in Eucharistia, vel septem ordines dicuntur vnum.

Secunda sententia probabilis putat, quod confertur gratia, quando perficitur vltima vnctio, cum sua forma, essentiali, quæ est quinta. Vnde si infirmus moreretur ante quintã vnctionem non reciperet gratiam. Et ita docent Filliucius tom. 1. tract. 3. c. 5. n. 126. Suarez to. 4. disputat 41. sectione 2. n. 13. Ioannes de la Cruz in direct. consc. p. 2. de sacram. extremæ vnctionis, dub. 1. concl. 3. Villalobos in summa tom. 1o. difficult. 2. nu. 2. Ledesma in sum. tom. 1. de sacrãm. Extremæ vnctionis c. 1. Nugnus in addit. ad 3. p. q. art. 6. & alij.

Tertia sententia est Martini Becani de sacram. c. 25. q. 7. n. 6. & aliorum asserentium, quòd tametsi plures vnctiones fiunt in hoc sacramento, tamen videtur vna sufficere ad essentiã sacramenti, siue fiat in capite, siue pectore, &c. Probatur primò, quia nec ex Scriptura, nec ex vniuersali traditione Ecclesiæ aliud colligi potest. Secundò, quia forma Ambrosiana, & Veneta non significant nisi vnam vnctionem. Tertiò, quia sicut in baptismo sufficit vna immersio, & in Eucharistia vna species, ita hic sufficit vna vnctio. Nec valet dicere, quod in Concilio Florentino ponuntur plures vnctiones, nam ibi ponuntur septem, & tamẽ certum est non omnes esse necessarias. Ergo inde nihil conuinci potest, sicut in multis Concilijs tres immersiones, & duæ species in Eucharistia ponebantur. Et confirmatur, quia si aliquis nõ haberet oculos, non esset necesse eum vngere super oculos, aut dicere indulgeat tibi, &cet. quidquid deliquisti per oculos. Ergo numerus vnctionum non est de essentia huius Sacramenti. Ex his sequitur, quod hoc Sacramentum statim confert gratiam, quando vnica vnctio peracta est cum sufficienti verborũ forma; reliquæ tamen vnctiones ob receptam consuetudinem non facilè sunt omittendæ, si autem omittantur, fit sine detrimento sacramenti, & effectus illius. Hæc omnia Becanus, probabiliter quidem, vt aduertit Syluius in add. ad 3. p. qu. 32. ar. 6. quæritur 2. sed tu tene secundam sententiam tanquam probabiliorem, & communiorem.

An qui in forma Extremæ vnctionis omitteret illa verba, per suam piissimam misericordiam, conficeret Sacramentum?

RESOL. CLXXX.

NEegatiuè respondet Didacus Nugnus tom. 2. in Addit. ad 3. p. quæst. 29. art. 9. conclus. 4. quia, ait ille, ista particula ponitur, vt explicetur causa principalis huius sacramenti, & effectus illius; sed magis pertinet ad Sacramentum causæ principalis, quam instrumentalis. Ergo cum Sacramentum sic nullum per omissionem illius particulæ, nempè per istam vnctionem, etiam est nullum per omissionem istius. Ita Nugnus, qui acriter insurgit aduersus Suarez contrarium docentem tom. 4. disp. 40. sect. 3. n. 13.

Sed immeritò quidem, nam opinionem Suarez sequuntur doctissimi neoterici, vt Pitigianus in 4. sent. to. 2. dist. 23. q. vnic. art. 4. dub. 1. Layman in theol. mor. lib. 5. tr. 8. c. 4. n. 4. Reginal. in Praxi, to. 2. lib. 28. c. 9. nu. 56. Filliuc. to. 1. tr. 3. c. 4. nu. 85. Coninch. de Sacram. disp. 19. dub. 4. n. 25. & alij.

Dico igitur, quod si aliquis Sacerdos in vngendo infirmum, omitteret ista verba, conficeret Sacramentum. Et ratio est, quia expressio causæ principalis effectus Sacramenti in alijs formis non solet esse de substantia, nisi vbi est necessaria inuocatio Trinitatis ob rationem specialem. Adde, quod in illis verbis. *Indulgeat tibi Deus*, causa principalis, quæ in hoc Sacramento operatur, sufficienter exprimitur. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum Nugni.

An Parochus si cognoscat per confessionem puerum nunquam actualiter peccasse, teneatur ministrare extremam vnctionem.

RESOL. CLXXXI.

NEgatiuam sententiam mordicus tenet Didacus Nugnus in 3. p. tom. 2. q. 32. diffic. 2. & in terminis Ioannes Sancius in selectis, disp. 27. num. 18. quia qui nunquam peccauit, subiectum habile non est, cuius respectu forma vnctionis verificari valeat. Nam qua ratione verè dici potest, *Indulgeat tibi Deus*

quid-

quidquid deliquisti, &c. respectu illius, qui nec peccatum, nec peccati reliquias habet, cum nulla vnquam labe fuerit infectus? Ita Sancius.

Sed mihi contraria opinio magis placet, quam tuetur Suarez tom. 4. disput. 42. sect. 2. num. 10. quia in hoc casu infirmus indigebit sacramento extremæ vnctionis ob robur acquirendum aduersus tentationes, & ad superandam tristitiam ex infirmitate manantem, & accipiet gratiam, qua perfectibus ad ingressum gloriæ præparetur. Et ita hanc sententiam ex multis alijs rationib. præter Suarez tenent etiam Villalobos in summa, to. 1. tra. 10. difficul. 4. nu. 7. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dub. 25. qu. vnica art. 5. Reginal. in praxi. tom. 1. lib. 28. ca. 11. numer. 69. Filliucius tom. 1. tract. 3. ca. 4. n. 108. Coninch. de Sacram. disp. 19. du. 7. n. 23. Henriquez lib. 3. c. 11. n. 3. & alij.

Vnde apparet immeritò hanc sententiam falsam à Nugno fuisse vocatam. Restat modo respondere ad argumentum Sancij, quod forma non falsificatur in tali casu, dicendo, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, nam hunc sensum facit. Imponendo tibi gratiam sacramentalem de se remissiuam peccati, si fortè adsit, sicut qui in sacramento pœnitentiæ absoluit quempiam iam contritum, nam illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*, sensum reddunt, Imponendo tibi gratiam remissiuam peccatorum. Vide Coninch. de Sacram. disp. 4. dub. 4. n. 50. & 59. Filliucium vbi supra, & alios.

DE SACRAMENTO ORDINIS

An si quis bona fide ordinatur ante legitimam ætatem incurrat suspensionem, & celebrando irregularitatem.

RESOL. CLXXXII.

RESPONDEO non incurrere in suspensionem, & ita docet Portel in dubijs Regular. ver. ordines sacri, n. 13. nam pœna suspensionis apposita per Pium II. tantùm est contra præsumentes, qui vero bona fide facit, credens se habere ætatem, vel quid simile, non dicitur præsumere. Ergo, &c. Et ita etiam docent Miranda in manuali Prælatorum to. 1. qu. 39. art. 6. Filliucius to. 1. tract. 17. c. 5. n. 84. Suarez de cens. disp. 31. sect. 1. n. 26. & alij.

Difficultas est, an adueniente mala fide si sic Ordinatus ante legitimam ætatem celebret incurrat irregularitatem. Respondeo negatiuè cum Peirino in priuileg. Minimorum, tom. 1. constit. 1. Iulij II. §. 16. num. 29. qui citat Quarantam, Mirandam, & Nauarrum. Et ratio est, quia cum à principio non incurrerit in suspensionem, & adueniente mala fide si celebret, non est cur irregularitatem incurrat.

Sed an saltem ita celebrando peccet mortaliter respondet affirmatiuè Villalobos in summa, tom. 1. tract. 11. diffic. 11. n. 7. & alij communiter. Nauarrus verò putat nullo modo peccare, cuius sententiam probabilem esse docens Petrus de Ledesma, in sum. tom. 1. de Sacram. ord. c. 7. conclus. 1. fol. mihi 432. col. 2. sic asserit. [No me parece improbable, sino antes tiene alguna probabilidad dezir, que en tal caso el an si ordenado se puede exercitar en el officio de la orden, que recibio, aunque no tenga legitima edad. Esta conclusion se prueua con la authoridad del Doctor Nauarro, laqual se confirma, porque este tal estando legitimamente ordenado, tiene derecho de exercitarse en el officio del tal orden, luego si no es por peccado no puede estar priuado, ni carecer deste derecho, y en tal caso no ha hauido pecado, luego no esta priuado del exercicio de tal orden, segun esta sentencia hemos de dizir, que el Concilio manda, que no se ordenen antes de la legitima edad, però despues de ordenados no despone ninguna cosa el concilio, y ansi pueden segun esta sentencia ministrar en sus oficios.] Ita Ledesma, sed contraria sententia communis est, & practicatur.

Notandum est tamen hic, quod taliter ordinatus post quam peruenit ad legitimam ætatem, potest sine vlla dispẽsatione celebrare vel exercere actum ordinis suscepti, vt notant Scortia in Bull. Pontefic. Epitome 49. theorem. 109. & alij penes ipsum, imo aliqui hoc tenent etiã in casu, quo quis mala fide ordines ante legitimam ætatem susciperet. Et ita docet Corduba Cas. 144. Sotus in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. ar. 2. in fin. Medina in sum. 1. cap. 11. §. 8. Passarellus, Zerola, & Sorbus apud Peirinum vbi sup. n. 21. licèt contrarium asserant Henriquez lib. 13. c. 38. §. 1. in glossa littera F. Syluester, Mãdosius, Couarruuias, & alij, quorum sententiam ego sequor.

Notandum est etiam, quod aliqui putant recipientem ordinem mala fide ante legitimam ætatem, non solùm remanere suspensum ab exequutione illius ordinis sic mala fide suscepti, sed etiam ab exequutione aliorum ordinum ante legitimè susceptorum. Et ita docet Nauarrus, Rodriquez, & alij, stante quadam Bulla Sixti V. sed contrariam sententiam probabilem esse cum Auila, & Henriquez putat Villalobos in summa to. 1. tract. 18. diffic. 11. n. 2.

An Clerici sacris ordinibus initiati peccent mortaliter, si non deferant habitum clericalem, & coronam in capite.

RESOL. CLXXXIII.

AD istam difficultatem respondeo cum Villalobos in sum. to. 1. tract. 11. difficul. 16. num. 5. vbi sic asserit, [Dize Syluestro ver. Clericus, §. 2. que el Clerigo peca mortalmente si no trahe habito clerigal y la corona abierta, mas Cayetano in su. verb. Clerici peccata, dize, que en esto solo le ay auiendo temeridad, y contumacia, ò meno sprecio, cuya sentencia me parece muy probable, y se puede seguir, porque es mas mansa quãdo truxesse alguna señal, en que se echasse de ver que es clerigo, mas si no truxesse ninguna señal, de suerte que no se echasse de ver que era clerigo, como si truxesse espada y otras cosas semejantes, no se excusaria de pecado mortal, si no es que fuesse por breue tiẽpo, ò por alguna justa causa.] Ita ille, & ego; licèt contrarium probabiliter aduersus Caietanum docet etiam Ledesma in sum. to. 1. de sacram. ordinis, c. 11. concl. 2. per totam.

An Ordinatus cum patrimonio ficto, vt pote donato, & post ordines illud restituat donanti, incurrat in suspensionem, teneaturque postea illud restituere.

RESOL. CLXXXIX.

HIc casus in praxi frequenter solet accidere, & peccare mortaliter, non est dubium. Sed difficultas est, an incurrat suspensionem, & teneatur restituere. Ego negatiuam sententiam teneo cum Ledesma in summa, to. 1. de Sacram. ordinis, cap. 7. conclus. 6. difficult. 3. vbi sic asserit. [Este tal se ordena con verdadero titulo de patrimonio luego no esta suspenso, porque este tal por el concierto que hizo no queda obligado, y la promesa fue de ningun effecto, y fue como si no huuiera prometido nada, porque fue contra derecho, y no puede ser obligatoria, luego con verdadero patrimonio se ordenò, y por consiguiente no queda suspẽso, de loqual se collige bien claramente, que no esta obligado à estar al concierto, y al pacto, que hizo de restituir el patrimonio.] Ita Ledesma, & post illum Villalobos in summ. tom. 1. tract. 11. diffic. 15. n. 10.

Non reticeam tamẽ probabiliter contrariam sententiã docere Auilam de cens. part. 3. disput. 5. dub. 5. concl. 3. & Ioan. de la Cruz in direct. conscient par. 2. de Sacram. ordinis, dub. 6. conclus. 2. qui citat Cordubam, & Lopez, nam talis donatio fuit conditionalis, & licèt fraudulenter, & verbo tenus facta sit, tamen in iure non est reprobata, & aliàs donator potuit conditionaliter donare, & Clericus sic admisit donationem, vnde saltem in foro conscientiæ iuxta intentionem donãtis valet donatio; Igitur in tali casu ordinatus tenetur in conscientia retrò donare patrimonium ita conditionaliter donatum.

Sed ad hoc argumentum respõdet Ledesma vbi supra, [que el que da el patrimonio mire loque haze, porque vna vez dado paraque se ordene, no lo puede dar cõ la tal condicion, porque es contra derecho, y el que se ordena con el, no lo puede boluer con buena consciencia.]

Sed notandum cum Auila vbi supra, & alijs, stando in secũda sententia, quod in foro conscientiæ teneatur sic ordinatus restituere illud patrimonium sic conditionaliter donatum. Attamen in foro exteriori potest rescindi talis retrodonatio, & hoc in pœnam donationis, quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum.

An

An Ordinandus debeat de necessitate Sacramenti tangere hostiam, vel aliam materiam ordinis?

RESOL. CLXXXV.

AFfirmatiuam sententiam tenent nouissimè Fernandez in Exam. theol. mor. par. 3. cap. 11. §.6. num. 1. & Faber Lector publicus S. Theologiæ in Academia Patauina de Sacramento Ordinis in 4. sentent. distinct. 24. quæst. 1. disput. prima c. 4. num. 121. & seq. & respondet ad argumentum, quod vinum ab ordinando non tangatur, sic enim ait. Quod autem non tangatur vinum, cum sit in calice, ergo nec hostia necessariò est tangenda; Respondetur non valere consequentiam, quia neq; Apostoli tetigerunt vinum, cum datum fuerit in calice, & regulariter accipiens vinum, non soleat tangere vinum, sed illud recipere in aliquo vase. At hostia, & panis cum datur, accipitur in manibus, & tangitur: Ergo dicendum est esse de necessitate Sacramenti. Quod etiam adducitur de sermonibus familiaribus, in quibus quis donat equum alicui, & ille eum recipit absque eo, quod eum tangat, multo minus concludit: quia aliud est loqui de similibus actionibus familiaribus, & de actione Sacramentali. Ita Faber.

Sed ego hanc opinionem refello in tract. 3. Miscell. Resol. 31 vbi etiam addidi, & nunc addo contra Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 8. quæst. vnica, punct. 5. nu. 10. realem, & physicum contactum materiæ, quæ in ordinatione traditur, ad substantiam, seu valorem Sacramenti non pertinere. Et præter quos ibi citaui, docet etiam hanc sententiam Albertus Magnus in 4. sent. dist. 24. art. 38. ad 2. Zambranus de cas. tempore mortis cap. 6. dub. vnico, num 6. Ragucius in Lucerna Parochorum de Sacramento ordinis quæst. 3. numer. 2. & nouissimè Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 4. vbi sic asserit: Mihi placet magis sententia aliorum, qui negant ad substantiam, & valorem ordinationis contactum requiri: nam rationes sententiæ affirmantis; cui præsertim in re tam graui probanda onus incumbit, non conuincunt. Ad primum enim respõdetur, verbum, *accipe*, solùm significare spiritualem potestatem ordinãdo conferendam, per exhibitionem Symboli externi, quo collatio talis potestatis significatur. Quare negandũ est verbum illud ex necessitate sacramenti referri ad eum qui ordinandus est, vt capiat, seu manu tangat externum Symbolum. Cur enim necessariò illud tangere debeat, non video aliam causam afferri posse, nisi vt traditio potestatis ab illo acceptetur. Id verò dici non potest, cum Sacramentum istud non consistat in contactu aliquo, sicut matrimonium, quod proinde traditionem, & acceptationem postulat. Sed neque ad ipsum matrimonij contractum corporum contactus necessariò requiritur, cum alia signa mutuæ traditionis, & acceptationis exhiberi possint. Quanto igitur magis, cum traditio spiritualis potestatis fieri possit sine reali contactu per solam exhibitionem Symboli factam homini præsenti? Adde, si naturalis acceptatio significata ad valorem sacramenti necessario requiritur, consequens esse, vt paruuli, qui vsum rationis nondum habentes, huiusmodi acceptationis signum edere non possunt, inualidè ordinentur, quod repugnat communi sententiæ. Ad secundum respondetur ex praxi Ecclesiæ plus colligi non posse, quàm quod talis cæremonia tangendi materiam ab Ecclesia præcipiatur. Ita Layman: quæ omnia adnotare volui ad extirpandos scrupulos, qui ordinandos ferè semper vexare solent, maximè pro tactu hostiæ. Notandum est tamen hic, quod DD. asserentes necessarium esse contactum physicum in ordinatione concedunt, quod non sit necessarius contactus hostiæ, sed sufficit tangere patenam.

Imò Sotus, & Syluester, quos citat, & sequitur Villalobos in summa tomo primo tract. decimoprimo, difficult. 4. numero 3. asserunt satis esse, vt quis in tali casu tangat solùm calicem; & ita docet Coninch. de Sacramen. disp. 20. dub. 7. nu. 71. & Ioan. de la Cruz in direct. conscien. part. 2. de Sacramen. ordinis, du. 2. conclus. 1. & Ledesma in summa, tom. 1. de Sacram. ordinis cap. 3. concl. 2. circa finem. debent tamen ipsi diligenter curare, vt in ordinatione subdiaconatus tangatur calix cum patena, in diaconali liber Euangeliorum, in presbyteratu calix cum vino, & patena, cum hostia, seu pane; nam ita Ecclesia præcipit.

Quidam suscepit ordinem Presbiteratus, & in calice non fuit vinum appositum, quæritur an sacramentum fuerit inualidum, & sit denuò ordinandus?

RESOL. CLXXXVI.

HIc casus potest in praxi accidere, ideò notes, & ad illum affirmatiuè respondet Ledesma in sum. to. 1. de Sacram. ordinis c. 2. diff. 3. & Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Sacr. ordinis dub. 2. concl. 1. vbi sic ait. Materia Sacerdotis est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, ita vt si in patena non sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manet ordinatus. Sic ille.

At negatiuam sententiam docent Filliucius tom. 1. tract. 6. c. 2. nu. 4. Homobonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 4. c. 9. quæst. 75. Bonacina de Sacram. disp. 88. q. vnica, punct. 3. nu. 3. & Henriq. lib. 10. c. 6. nu. 1. vbi sic asserit. Materia in illo, qui sacerdotio initiatur, integra ex precepto est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, quia & sacrificium Missæ ex præcepto, fit vtraque specie. At traditio vasis cum altera specierum, videtur esse materia sufficiens, ita vt si id ex obliuione contigat, non sit hic ordo iterandus ex necessitate. Nec enim diuisim datur potestas in vnam speciem, sed qui potest alteram, potest & vtramque speciem consecrare. Ita Henriquez, & ego.

Non grauabor tamen hic apponere sententiã doctissimi Villob. in sum. tom. 1. tr. 11. diffic. 4. num. 1. ita asserentis. (Si sucediesse en pratica (como ha succedido vezes en estos tiempos) dexar de poner el vino en el caliz por descuido, hase de reiterar el Sacramento de baxo de condicion, como se hizo en estos tiempos, y deste parecer fueron los mas doctos desta vniuersidad de Salamanca a cerca dello.) Sic ille.

De materia ordinis Presbyteratus.

RESOL. CLXXXVII.

SEcundùm aliquos materia sacerdotij est duplex. Prima est traditio calicis cũ vino, & potestatis offerendi sacrificium, &c. Secũda est impositio manuum vna cũ verbis, Accipe Spiritũ Sãctum, quorum remiseris peccata, &c. Vtraq; autem est de essentia, quia confertur distincta potestas: nam in prima tantũ consecrandi, in secunda absoluẽdi, ideoq; sine altera earum esset imperfectus sacerdos, & si vna ex ijs omitteretur, illa sola supplẽda esset. Igitur dicendum est ordinationẽ sacerdotis cõstare duobus partialibus materiis, ad perfectã ipsius ordinationem essentialiter requisitis, & per vnamquamq; conferri nouã potestatem supernaturalem. Quare omninò credẽdum est, per vtramque conferri gratiam sacramentalem, & ita docent Coninch. de Sacr. disp. 20. dub. 7. nu. 60. conclus. 2. Vasq. in 3. p. to. 3. disp. 239. c. 3. Bellarm. de Sacr. ord. li. 1. c. 9. Fillinc. to. 1. tr. 9. c. 2. n. 42. Layman in theol. mo. lib. 5. tr. 9. c. 5 n. 2. Hẽriq. li. 1. c. 6. & c. 11. n. 9. Syluius in 3. p. qu. 37. art. 2. quæritur 4. & alij penes ipsos.

Sed cõtrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Valentia to. 4. disp. 9. q. 1. punct. 5. Faber de sacram. ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 4. nu. 96. Io. de la Cruz in Direct. consc. par. 2. de Sacram. ordin. du. 2. concl. 1. Sotus in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. concl. 5. Nugnus in 3. p. to. 2. q. 37. art. 5. & alij, asserẽtes ordinationem sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione materiæ suæ, & impositionem manuum cum verbis secundæ formæ non esse de essentia, & substantia ordinis sacerdotalis, sed esse sacramentalia, quæ sunt adhibenda ratione præcepti, non quia sunt de essentia. Ita DD. citati, qui respondent ad argumenta Bellarmini, & contrariorum. Vtraque opinio (vt dixi) est satis probabilis.

De materia ordinis Diaconatus.

RESOL. CLXXXVIII.

MAteriam ordinationis Diaconi esse traditionẽ libri Euangelij cum impositione manuum: tradunt Syluius in. 3. p. q. 37. art. 2. quæritur 3. Layman in theol. mor. li. 5. tract. 9. c. 5. n. 2. Filliucius tom. 1. tr. 9. c. 2. nu. 44. Coninch. de Sacram. disp. 20. dub. 7. conclus. Henriqu. lib. 10. c. 8. num. 2. Bellarminus de Sacram. ordinis, lib. 1. c. 9. & alij penes ipsos.

Non desunt tamen Doctores, asserentes traditionem libri Euan-

Euangeliorum esse solam materiam essentialem Diaconatus, & ita docent Valentia to.4.disp.9.quæst.1.punct.5.Faber de Sacram.ordinis in 4.sent.dist.24.q.1.dub.1.c.4.nu.3. Villalobos in sum tom.1.tract.11.diffic.4.nu.1.& diffic.5. num. 2. Nugnus in 3.part.20. 2. q. 37.art.5.Et ideo si Episcopus ordinaret aliquem Diaconum sine impositione manuum, esset verè ordinatus. Vtraque opinio est probabilis.

De materia ordinis Subdiaconatus.

RESOL. CLXXXIX.

ESse duplicem respondet Filliucius tom.1.tr.9.cap. 2. nu. 45. Prima est traditio calicis vacui,& patenæ vacuę superpositæ. Secunda est traditio libri Epistolarum; de prima non est controuersia; de secunda probatur eodem modo, quo supra de Diacono, nam eodem modo confertur subdiacono liber Epistolarum,vt dicatur, accipe potestatem,&c. Sed in hoc traditio libri Euangeliorum,est partialis materia, ergo etiam in subdiacono traditio libri Epistolarum. Ita Filliucius. Vide etiam Viguerium in instit. Theol.c.16.§.6.verb.1.& 2.cum alijs.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, nempè materiam subdiaconatus esse traditionem calicis vacui cum patena. Et ita docet Syluius in 3.par.q.37.art.2.quæritur 3. Coninch.de Sacram disp.20.dub.6.nu.69. Layman.in Theol.mor. lib.5.tract.9.cap.5.num.3. Valentia tom.4.disp.9.qu.1. punct. 5. Comitolus in Resp.mor.lib.1.quæst.12. Molfesius in sum. to. 1. tract.2. c. 8.nu. 22. Vasquez in 3.p tom.5.disp.238.cap.5.Fomarius tract.de ordinatione,c.10.& alij penes ipsos.

Notandum est etiam non esse necesse,calicem esse consecratum contra Syluestrum verb. ordinatio, §.4.verb.2.& alios. Ita Henriq.lib.10.c.5.in Glossa littera F.& alij.

An Episcopus possit dispensare in interstitijs, quando ordinat aliquem familiarem suum.

RESOL. CXC.

NEgatiuam sententiam tenent Villalobos in sum.tom.1. tr. 11.diff.9.nu.10. Ledesma in sum.tom.1.de Sacram. ordinis,c.8.concl.5. qui citat Nauarrum li.1.cons.23.de tem. ordin. quia id, quod concedit in tali casu Concilium Tridentinum Episcopis,est priuilegium.Ergo non est intelligendum de illis rebus,de quibus non loquitur.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Io.de la Cruz in direct.consc.par.2.de Sacram. ordinis,dub.44.conclus 1.vbi sic ait, Episcopus potest ordinare familiarem suum alienæ diœcesis,si per triennium,secum sit commoratus,& ei det beneficium ita in Concil.Trident.sess.23.cap. 9. Imò,& cum isto potest in interstitijs dispensare in casibus dicti Concil.c.11.& 13. Ita Cōgregatio Cardinalium. Hæc supradictus Doctor. Et hanc opinionem probabilem putat esse etiam ipsemet Ledesma vbi supra,sic asserens.[En lo que toca,los intersticios, no me parece muy improbable, que el Obispo à quien sirua le puda dispensar.] Vnde Episcopi possunt tutò opinionem affirmatiuam in praxim deducere. Et ratio est, quia eo ipso quòd Concilium dat Episcopis potestatem concurrentibus illis conditionibus familiares suos ordinandi,& consequenter concedit illis necessaria ad talem ordinationem faciendam, vt est dispensatio in interstitijs.

An si in Dimissoria concedatur licentia ordinandi à quocunque Episcopo in propria Diœcesi ordinante, possit quis ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi de licentia ordinarij loci ordinationem exercente?

RESOL. CXCI.

HIc casus olim accidit,& sententiam negatiuam docet Gutierrez in QQ.Canonicis lib.1.cap.16.sed tunc ego adduxi Ledesmam in sum.to. 1.de Sacram.Ordinis,c.8. concl. 4. diffi.5.qui affirmatiuam sententiam probabilem putat. Cum enim adduxisset aliquas rationes pro sententia negatiua, sic tandem asserit.[Esta sentencia parece mas cierta, y probable, aunque quien dixiesse lo contrario, no parece que daria muy improbablemente por la razon,que hizimos.Porque parece, que las tales reuerendas equiualen à generales, aunque en la aparencia tengan alcun limite, y restricion.] Ita ille.

Sed tunc etiam dubitatum fuit, an in tali casu cum ordinandus,& Episcopus ordinās, certo scirent proprium Episcopum, (si hoc scirent)generales dimissorias concessurum esse,& omnia rata habere;an inquam, in tali casu non obstante dimissoria cū illa limitatione,sine scrupulo potuisset Episcopus dictum Clericum ordinare. Et respōdi affirmatiuè cum Villalobos in sum. to.1.tr.11. diffic.9.n.8. vbi ita ait. (en lo que toca à reuerendas ha lugar la ratihabició,esto es,que al que se ha de ordenar crea con buena fe que el Obispo tiene por bien,que se ordene sin esperar dimissorias, como lo dice Salcedo.) sic ille;& Ledesma vbi supra, concl.5.ita asserit. [Puede el Obispo ordenar al que no es subdito,teniēdo por cierto,que el proprio Obispo lo tendra por bien.]& de hac quęstione nos alibi fusius diximus, partem etiam affirmatiuam cum Paludano in 4.sent.dub. 18. qu. 1. art.2.cas. 19.tenentes;quidquid in contrarium videatur docere Bonacina de Sacram.disp.5.q.vnica,punct.4.nu.28, & Aloysius Riccius in Addit.ad Inst.Can. Lancelloti,lib.1.tit.25.§.pari ratione,& nouissimè doctus Turrianus de cens.lib.5.disp.46. du. 1. vbi negat Episcopum per ratihabitionē posse ordinare alienum subditum;sed nostra sententia est etiam probabilis.

An si quis suscepit ordinem sacrum ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissorijs, vel extra legitima tempora incidat in suspensionem.

RESOL. CXCII.

REspondeo affirmatiuè ex Bulla Pij II. si celebrat incurrit in irregularitatem. Sed prædictam pœnam, vt notat Portel in dubijs regul. ver. ordines sacri.n.13.cum alijs communiter incurrunt tantùm præsumentes, vnde sic asserit Villalobos in summa.to.1. tr.11.diff.11.nu.6.[Se aduierta,que para incurrir la dicha suspēsion es menester,que aya de lo por la palabra præsumpserit que pone la extrauagante, y assi el que se ordena por ignorācia,que sea tal que escuse de presumpcion, y temeridad,aunque no escuse del todo de la culpa no quedara suspenso,como dizen Nauarro, Suarez, y Rodriquez.]sic ille. Igitur ad hanc suspensionem incurrēdam requiritur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis. Sed plus addit Auila de cens. part. 3.disput. 5.dub.7.nam adeò in tali casu requirit dolum in ordinato, vt omnem ignorantiam etiam crassam,si affectata non sit à suspensione, & irregularitate contrahenda excusare dicat, licet hanc opinionem non admittat Layman in theol. mor.li.5.tr.5. cap.10.num. 2. Vide Peirinum in priuileg. Minim.tom.1. conc. 1.Iulij II.§.26.n.28.

An ordo per vim, & metum susceptus, impediat, & dirimat matrimonium.

RESOL. CXCIII.

NEgatiuam sententiam communiter docent Doctor. quos citant, & sequuntur Sanchez tom.2. lib.7. disp.29. Azorius to.1. lib.13.c.vlt q.8.& Rebellius p.2.lib.1.q.5.& ideò asserunt,sic ordinatum ad seruandam continentiam non teneri,& posse validè matrimon um contrahere, quia votum ex metu graui factum nullum est ipso iure, ex cap. per latam, cap. cum dilectus,de ijs,quæ vi,&c.

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam nouissimè docere Basilium Pontium de matrim.libro 7.capit.29.numero 3. vbi sic asserit; Ego, qui multitudinem Doctorum parum curo, cum sciam multos sine vllo examine, aliorum dictis adhærere, sed tantùm fundamenta, atque rationes considero, longè probabilius iudico, si rationum attendamus merita, votum cōtinentiæ valere in eo, qui ordinatur ex metu graui, & inhabilem esse ad matrimonium, esse dignum tamen, vt cum eo facile dispensetur. Ita ille, qui multas rationes solidè, & acutè, vt semper solet, adducit, & respondet ad Canones pro contraria sententia adductos, quam quidem his non obstantibus probabilem etiam esse existimo, & illam cum Sanchez tenent nouissimè Villalobos in sum.tom. 1.tr. 14.diff. 14.n. 4.& Bonacina de matrim.q.3.punct.9.n 11, cum 12. Doctoribus quos citat, & sequitur Barbosa in collect.tom.1.lib.3.tit.42.c.3.n. 18.

An

An Episcopus primam tonsuram conferens sine proprij Episcopi licentia, incurrat pœnam suspensionis latam in cap. eos, de tempor. ordin. in 6.

RESOL. CXCIV.

SVppono cum Suarez tom. 5. de cens. disp. 31. sect. 5. Toleto lib. 1. c. 8. nu. 4. Sayro de cens. lib. 4. c. 12. nu. 13. Campanili in Diuer. iur. can. 1. rubr. 9. nu. 16. & alijs communiter ex dicto ca. eos, de temp. ordin. in 6. quod Episcopus si scienter, vel affectata ignorantia ordinare præsumit alienum Clericum sine sui ordinarij licentia; est suspensus per annum à collatione ordinum. Hoc supposito, ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Glossa in dict. cap. eos in ver. ordinate, & in cap. nullus in ver. homine, eodem titulo, cum Salzedo in Pract. Bernardi in Diaz cap. 26. & alij.

Nouissimè tamen contrariam sententiam docent ex Geminiano Villalobos in summa, tom. 1. tract. 18. difficul. 7. num. 17. & Aloysius Riccius in Addit. ad inst. Can. Lancelloti, libr. 1. tit. 25. §. pari ratione, vbi sic asserit. Aduerte tamen, quod cap. eos, loquens de Episcopo ordinante clericum alienũ, supponit eum esse clericum, saltem tonsuratum. Vnde si primam tantùm tõsuram laico alterius diœcesis conferat, non incurrit Episcopus suspensionem à collatione ordinum, sed solùm a collatione primæ tonsuræ, arg. c. nullus, de temp. ordin. in 6. Et quamuis Concilium Tridentinum explicet hoc de ordinante simpliciter, & non restringat se ad ordinantẽ clericum, vt propterea dubitari possit, an saltem ex virtute decreti huius, Episcopus conferens alieno primam tonsuram, à collatione ordinum suspensus fuerit, & consulenda sit congregatio Cardinaliũ qui Concilij Tridentini interpretes præficiũtur: nihilominus tamen valdè mihi probabile est, iuxta ea, quæ diximus, hunc non nisi à collatione primæ tonsuræ suspensum esse. Ita Riccius.

Sed mihi stante Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. & sess. 23. c. 8. de reform. prima sententia magis placet quam sequitur ex neotericis Barbosa in collect. tom. 3. lib. 1. tit. 9. c. 2. num. 10. Vide etiam Bonacinam de censuris, disp. 3. punct. 5. §. 2. num. 4. & Filliucium tom. 1. tract. 17. cap. 8. n. 141.

An Diaconus, & Subdiaconus peccent mortaliter frequenter canentes Epistolam, & Euangelium in peccato mortali.

RESOL. CXCV.

AFfirmatiuè respondet Filliucius to. 1. tract. 1. c. 6. nu. 87. & à fortiori docebunt etiam hanc sententiam Doctores, asserentes absolutè talẽ peccare mortaliter, vt inter neotericos docent nouissimè Cabrera de Sacram. q. 64. art. 6. disp. 1. §. 6. n. 48. & Syluius in 3. par. q. 64. art. 6. quæritur 1. concl. 5. vbi sic ait. Si Diaconus, aut Subdiaconus in mortali exercent actum sui ordinis, probabilius est, quod mortaliter peccẽt, quia sunt actus sacramento peculiares, & maximè ad Eucharistiam accedentes, ad quos sunt consecrati. Ita ille, qui citat D. Thomam, Nugnum, Syluestrum, Angelum, Toletum, Victoriam, & Molanum; quibus adde Sà verb. ordo, nu. 31. Caietanum q. 64. art. 3. ad 1. & Nauarrum cap. 25. n. 72.

Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam docent Villalobos in summa, tom. 1. tr. 4. diffic. 10. nu. 7. Fernandez de Heredia disp. de Sacram. in genere, part. 10. du. 3. n. 4. Vasquez in 3. part. to. 3. disp. 136. c. 4. Sotus in 4. dist. 24. q. 1. Valentia tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 4. ad 4. Coninch. de Sacram. q. 64. artic. 6. dub. 1. n. 38. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 16. sect. 4. & alij. Et ratio est, quia talis actio nõ est dispensatio meritorum Christi, vt sunt Sacramẽta, aut opus in se tam sanctum, vt adsit tam grauis obligatio exercendi illud in gratia.

Et ita hanc sententiam ego veram etiam existimo cõtra Filliuc. vbi sup. licèt longo tempore tales actus exerceantur cum peccato mortali, quia sepius velle peccare venialiter, non efficit peccatum mortale, & hi actus sunt planè separati inter se, nec relinquunt effectum post se ratione cuius prior coalescat cum posteriori. Nec valet asserere, sæpius talia facere in peccato mortali includere implicitum contemptum; nam hoc non est verum, quia non est vlla ratio, qua iudicetur in eo actu frequentato magis includi virtuale contemptum, quam in frequentatione mendacij iocosi, aut negligentiæ in repellẽda distractione inter orandum. Hæc omnia Coninch. vnde vt diximus, non est audiendus Filliuc.

Notandum est etiam hic obiter contra Layman. in Theol. mor. li. 5. tr. 1. c. 5. n. 8. & alios, Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter. Et ita docet inter alios Io. de la Cruz in direct. consc. pa. 2. de Sacram. in genere, qu. 4. dub. 3. concl. 1. quod etiam de Sacerdotibus nos in tr. de celebratione Missarum, satis probabiliter docuimus.

An Acolythi, qui solemniter cereos ferunt in peccato mortali, peccent mortaliter?

RESOL. CXCVI.

AFfirmatiuè respondet Philippus Faber de Sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 4. nu. 80. qui citat Angelum, & Sylu. Idẽ docet Nau. in man. c. 28. n. 163. & de Horis canonicis, c. 7. n. 41. qui etiam hoc docet locum habere in eo, qui capitulum, & collectam pronunciat in choro, qui id faciat tanquam presbyter.

Sed bonus, & doctus senex nimis scrupulosè loquitur. Ideò contrariam sententiam veram esse existimo, quam docet Cabrera de Sacram. in 3. par. q. 64. art. 6. disp. 1. §. 6. n. 55. vbi ait; non esse mortale, exercere functiones minorum ordinum in peccato mortali, quia vt supra dictum est, nõ est certum, imò oppositum est multùm probabile, minores ordines non esse vera sacramenta, atque adeo illorum ministros non esse ad huiusmodi functiones consecratos, vel saltem est valdè probabile eos non esse consecratos per gratiam, ac characterem sacramentalem, ac proinde ex sanctitatis defectu in ministro colligi non potest mortale peccatum. Secundò, licèt ordines minores sint Sacramenta, eorum tamen officia non sunt perfecta in genere sacri mysterij, & ex consequenti propter leuitatem materiæ non erit culpa mortalis. Cæteras rationes vide apud dictum Cabreram.

An Concionatores prædicantes in peccato mortali peccent mortaliter, etiamsi peccatum sit occultum?

RESOL. CXCVII.

AFfirmatiuam sententiam docent D. Thomas in 4. sent. dist. 19. qu. 2. art. 2. quæst. 2. ad 4. Paludanus in 4. dist. 19. qu. 3. art. 3. Caietanus in 2. 2. q. 187. art. 3. Nauarrus in Manuali, c. 21. num. 141. Angelus ver. prædicator, num. 7. & alij, asserentes esse peccatum mortale prædicare in peccato mortali, non solùm publico, sed etiam occulto, non habita prius contritione.

Sed tu contrariam sententiam tene cum Soto in 4. dist. 1. qu. 5. artic. 6. Suarez in 3. par. to. 3. disp. 16. sect. 3. Valentia to. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. Cabrera de Sacram. qu. 64. art. 6. disp. 1. §. 7. nu. 67. Dicendum est igitur, non esse peccatum mortale prædicare in peccato mortali occulto, sed tantùm in peccato mortali publico. Quia actus prædicandi ex sua natura, neque est consecratus, vt actus sacramentorum, cum gratiam ex opere operato non conferat, vt conferunt sacramenta, neque est consecratus ex aliqua institutione Ecclesiæ, neque certo ordini deputatus iure diuino vel positiuo humano, cum & Prophetæ in lege veteri prædicauerint, & in nouo testamento multi nondum sacris ordinibus initiati prædicare soleant. Ergo, &c.

Idem quod dictum est de Cõcionatore, dic etiam de Lectore Sacræ Theologiæ, & sacræ Scripturæ (& in hoc differt à concionatore) si sit in peccato publico, dummodo absit scandalum, quidquid in contrarium asserant D. Thom. & Paludanus vbi supra, Syluester verb. correctio, q. 16. Angelus verb. correctio, n. 4. & verb. prædicare, num. 7. sed nostram sententiam docent Cabrera, & Suarez loco citato, & alij.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Quis commisit adulterium, cum promissione ficta contrahendi post obitum viri, quæsitum postea an contraxerit impedimentum?

RESOL. CXCVIII.

AFfirmatiuam sententiam docent Sanchez de matrimonio, tom. 2. lib. 6. disp. 79. num. 10. Coninch. de Sacram. disp. 31. dub. 5.

dub.5 num.57. Veracrux in speculo,p.1.art.34.concl.9.& alij.

Sed contrariam sententiam tuetur Henriquez libro duodecimo.cap.14.num.3.in fine Emanuel Sà de matrim.imped.nu.7. & hanc opinionem ego probabilem esse puto cum Layman in theol. mor.lib.5.tract.10.par.4.cap.10.nu.4.igitur vt contrahatur hoc impedimentum opus est, vt promissio matrimonij seriò,& ex animo fiat,non fictè, cum alioquin nõ censeatur promissio. Vnde sequitur,quod talis promittens sine vlla dispensatione possit contrahere matrimonium cum adultera,si vir illius posteà obierit.

Notant etiam probabiliter Layman, & Henriquez vbi supra, Villalobos in summa,to.1.tract.14. diffic. 11.n.9.& alij cõtra Sotum in dist.37.q.vnica,art.4.Lopez p.2.c.54.& alios;dato quod dicta promissio sit facta seriò,& ex animo, tamen hoc nõ obstãte requiritur,vt ab altero acceptata sit, neque satis esse ad contrahendum hoc impedimentum tacitam acceptationem, sed requiri promissionẽ mutuam, et reciprocam, quod est valdè notandum,sicut etiam est illud,quod dictus Layman aduertit contra Sanchez libr.7. disp.79.nu.11. Nauarrum, et Rodriquez, nempè ad contrahendum hoc impedimentum,opus esse, vt promissio sit pura,aut saltem ante mortem cõiugis purificata,cum alioquin non sit simpliciter facta promissio, quippè adhuc suspensa, & pendens à futuro euentu; Et ita etiam docuit ante Laymã Aegidius Coninch.de Sacram.disp.31.dub.5.n.56.

An contrahentes matrimonium in peccato mortali peccent dupliciter?

RESOL. CXCIX.

PEccare dupliciter docent Pontius de matrim.libr.1.c. 8. nu. 11. Vasquez in 3.p.to. 3. disp. 36.c.3.n.38. Ledesma de matrim.q.42.art.3.ad vltim.argum. Nauarrus in c.1.§.sacerdos,nu. 10.dist.6. de pœnit.& alij. Et ratio est, quia ipsi non solùm suscipiunt,sed etiam ministrant sacramentum.Ergo peccant dupliciter,& tanquam susceptores,& tanquam ministrantes.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto,quam tenet Fernandez de Heredia disp.de Sacram.in genere,p.10 du. 3.num.4.Fillincius to.1.tract.1.c.6.numer.87.Ledesma in sum. c.6.t.1.de Sacram. in genere,du.9. Fernandez in examin.theolog.mor.p.3.c.18.§.1.n.5.qui citat Sotum,Guttierrez de matrimon.c.41.nu.3.Sanchez de matrim. to.1.li.2. disp.6.num.4.Io. de la Cruz in direct. conscient.par.1.de Sacram.in genere. q.4. dub.3. concl. 1. Coninch.de Sacram.qu.61.art.6. dub.1.nu.38. Layman in theol. mor.lib.5. tract.1.c.5.n.9. Villalobos in sum. tom.1.tract.4.diffic.4. nu.5. vbi sic asserit. [El que recibe el Sacramento del matrimonio en pecado mortal,no peca mas que vn pecado,como si recibiera otro Sacramento,porque aunque ambos los contrayentes sean ministros, con todo no estan deputados especialmente para esso.] Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

An coniux excusetur a peccato mortali, si voluntariè delectetur in commotione sensitiua orta ex imaginatione coniugis absentis?

RESOL. CC.

COntra Nauarrum, Azorium, Philiarcum, & alios, affirmatiuam sententiam alibi cum multis DD. probabiliter docui,sed quia aduersus me propter hoc quidam Theologaster obmurmurauit, ideò iterùm eandem sententiam doceo;quam docent etiam Medina in p.2.qu.74.art.8.du.1.Zumel ibid.disp. 4.dub.3. Curiel du.3. §.2.diffic.3. Zanardus in direct.consc.p.1. tract. de matr.cap.41. Layman in theol.mor.lib.1.tract.3.c.6.n. 14.vbi sic asserit. Licèt existiment aliqui etiam coniugatũ mortaliter peccare si voluntariè delectetur in motione Venerea, orta ex coniugis absentis apprehensione, eò quod talis commotio tunc ordinari non possit ad actũ coniugalem,sed potiùs ordinetur ad pollutionem,opposita tamen sententia probabilitate non caret. Cum enim matrimonium à mortali peccato excuset tactus impudicos inter coniuges,non copulãdi, sed solius voluptatis gratia institutos, consequens est similiter etiam sensitiuam commotionem ex absentis mariti cogitatione ortam, vel voluntariè acceptam à culpa mortali excusari. Ratio est, quia hæc omnia in coniugibus per se loquendo tendunt ad opus coniugale. Per accidens autem est,quod ob absentiam, vel similem impedimẽtum opus non exerceatur. Suppono autem in his casibus abesse probabile pollutionis periculum. Ita Layman, & ego: licèt nouissimè contrarium doceant Pontius de matrim.lib.10.c.16.§.2.n.11. Fernandez in exam. theol.mo. p.1.c.2.§.4.nu.6.& alij,sed nostra sententia est probabilissima.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato,vel aliquantulum debili, vt facilior pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest.

RESOL. CCI.

AFfirmatiuam sententiam docent communiter DD. & inter illos Sanchez,de matr. to.2. lib. 7. disp. 93. n. 32.quia cum verum sit matrimonium, ius sui corporis transtulit in virum. Ergo si commodè potest sine magno incommodo aptam se reddere viro,tenetur. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Villalobos in sum.to.1.tr.14. diffic.18.nu.16.præter Doctores veteres,inter quos est D.Th.in 4.dist.44.q.1.art 2.ad 5.

Sed ego contrariam sententiam probabilem esse puto,quam docet Basilius Pontius de matrim.lib.7.ca.62.nu.2.qui pro hac sententia validas rationes adducit, præter auctoritatem Durandi, Paludani, & Gabrielis. Et ita Salmanticæ die 3. Aprilis anno 1570. consultam respondisse testatur M. Luysium Legionensem in causa Matrimonij D. Francisci de Fonseca, & D. Ioannæ de Azeuedo.

Igitur in tali casu tale impedimentum censendum est perpetuum & matrimonium declarandum nullũ, nec femina tenetur huiusmodi remedia pati, sed à coniugij onere libera est, & alteri nubat. Ad argumentum verò, quòd adducit Sanchez,respondetur,feminam per contractum matrimonij, ius suum tradere viro apto, non inepto, atque in non aptum nullum trasferri ius.Ergo,&c.

An nuptiæ sint prohibitæ in die Sabbati ante Aduentum.

RESOL. CCII.

PRobabilem puto contra Sanchez lib.7. disp.7. opinionẽ Basilij Pontij de matrim.lib.6.c.8. nu.5. vbi sic asserit. An dies præcedens Dominicam Aduentus, & diem cinerum saltem à vesperis comprehendatur decreto Conc. Tridentini, ita vt in vespere eorum dierum nuptiæ celebrari non possint. Et quidẽ quod attinet ad diem Cinerum,conueniunt Doctores,non incipere prohibitionẽ nisi à media nocte, itaq; integro die Martis solẽniter nuptias celebrari posse. At quod spectat ad aduentum Domini non pauci Doct. & inter eos Thomas Sanch. existimant in vesperis præcedentis diei esse nuptias prohibitas,nisi vbi cõsuetudo aliud approbauerit.Ego tamen existimo verius etiam prohibitionem incipere à media nocte,atq; in Sabbatho integro ante Dominicam primam Aduentus nuptiarum solẽnitatem nõ esse prohibitam. Ad id moueor, quia Concil. Trid. & alia antiqua Decreta dicunt, ab Aduentu Domini non posse solemniter celebrari nuptias,at Concil.Rauennatense secundũ sub.Clem. V.c.19.expressè primam Dominicam Aduentus nominat, quam certũ est à media nocte incipere. Ex quo decreto colligo, ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ decreta,quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerint. Ita vir iste doctissimus, qui n. 10.putat,si dicto tẽpore prohibito adhibeatur solemnis benedictio, aut traducatur solemniter sponsa ad domum sponsi,vel adhibeant cõuiuia, aut alia lætitiæ signa, peccare mortaliter sponsos talia faciẽtes.Sed in hoc Iacobus de Graffis p. 1.lib.2.c.85.n.28.tantùm veniale peccatum agnoscit.

An qui post votum Religionis, vel castitatis, corrupit fœminam sub pacto coniugij,teneatur eam ducere.

RESOL. CCIII.

AFfirmatiuè respondent Doctores, nempè quod si quis post votum Religionis, aut castitatis virginem corrupit sub spe & pacto cõiugij,vel aliam fœminam honestæ famæ,tenetur illam ducere,& consummare,nisi ea gratis remittat obligationem,aut alia via illis satisfactione præstita,liberè consentiat.

riar. Et ità inter multos docet Vasquez opusc. de restit. ca. 3. §. 1. dub. 8. n. 20. & Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 45. n. 3.

Notandum est tamen, vt benè aduertit, & docet Basilius Pontius de matrim. lib. 6. c. 12. n. 9. quod probabile est, si talis tenebatur voto Religionis, teneri quidem contrahere, sed ante consummationem debere ad Religionem transire. Ratio probabilitatis hæc est, quia potest commodè vtriq; obligationi satisfacere. Iustitiæ, contrahendo; sic enim resarcitur damnum illatum illa deceptione. Voto autem, transeundum ad Religionem. Cum ergo commodè possit vtrique satisfieri, non est cur dicamus, obligationem voti Religionis, aut cessare, aut differri. Ita Pontius.

Notabilia quædam circa coitum coniugalem.

RESOL. CCIV.

DIximus in resol. 37. tr. 3. Miscell. contra aliquos DD. non esse licitum coniugato incipere actum sodomiticum cum vxore; quæro nunc, an saltem liceat perfricare pudenda circa vas præposterum; Affirmatiuè respondet Sanchez de matrim. tom. 3. li. 9. disp. 17. n. 5. vbi sic ait. Si vir superficie dumtaxat vasis præposteri vxoris refricaret sua verenda, vel in os eius intromitteret cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse lethale, cum os nõ sit vas ordinatum ad copulam sodomiticam, nec intra vas præposterum, ad eam tendens virile membrum includatur, sed solùm superficiem eius externam tangat, quare tactus hic reputatur instar aliorum inter coniuges, qui ad summum culpæ veniales sunt. Ita Sanchez.

Sed hæc opinio mihi non placet, & illam reprobat nouissimè Basilius Pontius de matr. lib. 10. c. 11. n. 5. vbi sic asserit. Non omnes tactus licent inter coniuges, & ita neque licebit perfricare pudenda in vase præpostero vxoris, & aliud asserere, mera turpitudo est, & habenas laxare libidini. Sic Pontius & ego.

Notandum est tamen aliquos coniugatos peccare mortaliter ex conscientia erronea, si variant situm ordinatum in coitu: nam ex se tantùm est peccatum veniale, dummodo copula habeatur semper in vase naturali, quod verùm esse putat Pontius vbi supra, etiamsi eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur, dummodo retineatur alia, docent enim medici, non totam seminis quantitatem in matrice retineri. Rursus docet, neque esse peccatum mortale, quamuis ex eo modo concubendi non ita certum sit fore prolem; non enim coniuges tenẽtur vti medio certiori ad prolem suscipiendam, sed satis est, si vtantur conuenienti; Docet etiam non esse necessarium, vt vterq; simul concurrat ad seminis effusionem, quia re expectare vir non tenetur; licèt possit etiam effuso semine copulam continuare, vt fœmina seminet.

Addit idem Auctor, seminationem extra vas posse aliquando contingere sine vlla culpa in coniugatis, vt in viris potentibus, dum congredi conantur, poterit euenire, vt ex festinatione prætet intentionem semen effundatur, id enim non vitio; sed naturæ festinationi, & vigori tribuendum est.

Nota etiam contra Syluestrum, Rosellam, & Azorium, viro cum vxore licere inchoare copulam causa delectationis, & postea inchoatum coitum non absoluere, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius cõiugis, & vxor ea inchoata copula contenta sit. Item contra Azorium, & alios Theologos, & iuris peritos, quos adducit Sanchez lib. 9. disp. 21. nu. 2. non est peccatum mortale accedere ad menstruatam vxorem, imò aliqui in tali coitu nullam culpam agnoscũt, Idque probabile putat Sanchez ibid. nu. 7. licèt ipse asserat esse tantùm culpam venialem, nisi hæc etiam excusetur ex eo quod vrgeat incontinẽtiæ periculum. Et hæc omnia, vt dixi, docent Pontius cum multis alijs loco citato de matrim. lib. 10. c. 11. n. 3. 6. & 9. & c. 14. nu. 5. & 6. quæ sunt à confessarijs valdè notanda, vt non imponant onus ferre nolentibus, & vbi non est.

Sed pro coronide huius Resolutionis dico, quod licèt Pontius in dicto c. 14. n. 7. cum Azorio putet esse peccatum veniale, accedere ad vxorẽ grauidam, si non adest periculum incontinentiæ, ego tamẽ puto in tali copula nullam culpam interuenire, & ità docet ex Sanch. Coninch. de Sacram. disp. 34. dub. 9. concl. 4. & Villalobos in summa, to. 1. tract. 13. difficul. 41. n. 9.

An in sponsalibus sufficiat consensus fictus?

RESOL. CCV.

REsolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantùm ficto obliget promittentẽ, & communiter negatiuè respondent, ita Sanch. de matri. to. 1. lib. 1. disp. 9. nu. 5. & vniuersim de omni pactione docent Angelus ver. pactum, nu. 4. Sylu. eodem ver. q. 4. Armilla ibid. nu. 2. Tabiena ibid. q. 2. & de promissione ad sponsalitia, Veracruz p. 3. speculi, art. 19. post 5. Concl. Corduba lib. 1. q. 13. dict. 2. vbi alios citat, & vniuerse de omni contractu docet Ricchardus in 4. d. 27. ar. 1. q. 2. Gulielmus de Rubeis q. 1. art. 1. Gabriel q. 1. art. 1. notab. 3. Docent igitur eam, qui fictè promisit aliquam ducere; tãtùm teneri ratione damni illati, si corrupit, non aliter. Vide etiam Molinam de iust. t. 2. disp. 352. Et ratio horum omnium est, quia obligatio promissionis prouenit ex lege positiua, quam quis sibi imponit. Sed nulla lex obligat, nisi legislator velit, vt obliget. Ergo quando quis promitit animo non se obligandi, promissio quæ est lex priuata, non obligat.

Sed aduersus hanc sententiam insurgunt duo lumina ætatis nostræ Basilius Pontius de matrim. lib. 1. c. 4. & lib. 12. c. 2. & Gabriel Vasquez disp. 6. de matr. c. 3. hanc sententiam sequutus est etiam Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 64. dub. 15. Probant igitur hi Doctores, quod eo ipso, quod quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi, cui fit promissio, sũt insinuata, ex naturali iure tenetur ad seruãdam veritatẽ, cũ promissio debeat esse fidelis, itaq; qui promisit, nõ potest sua volũtate tollere eam naturalem obligationem, & non potest esse voluntas proferẽdi externa signa promissionis, siue cõtractus sine implicito animo se obligãdi. Et hæc omnia probat validissimis rationibus Pontius vbi sup. quæ etiã procedere in votis demonstrat.

Ex quibus patet responsio ad argumentum Sanchez. Nam respondetur obligationem promissionis non oriri ex voluntate promittentis, sed ex naturali iure, quod debet esse coniuncta verbis veritas in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Vnde infert Pontius eum, qui fictè promisit, & sub ea spe virginem decipit, teneri implere promissum, etiamsi disparis conditionis sit, vel in nobilitate, vel in diuitijs, dummodo reuera nullum aliud signum exterius fuerit, quo indicaret eum dolo promitti, disparitas enim illa conditionis non est argumentum sufficiens doli, neque fictionis. Et hęc omnia solidè, vt semper solet, conatur probare. Sed his non obstantibus primam sententiam Sanchez, & aliorum, nempè promissionem fictam non obligare, puto in praxi tutam, & probabilissimam esse, quam nouissimè tenet Villalobos in summ. to. 1. tr. 12. diffic. 2. nu. 1. Coninch. de Sacr. disp. 21. du. 2. n. 7. Molin. de iust. to. 2. tr. 2. disp. 352. n. 4. Laym. in theol. mor. li. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10. & alij.

Quidam contraxit sponsalia, & posteà adimplere noluit, quæritur an sit per censuras compellendus?

RESOL. CCVI.

HIc casus frequenter solet accidere, & ad illum sic respondet Basilius Pontius de matr. li. 12. c. 6. nu. 2. si is, qui sponsalia contraxit, & adimplere nolit, monẽdus prius per Iudicem est; & si adhuc negat, per censuram compellendus est, c. ex litteris eo. de spons. Illud tamen addẽdum est, iudicem compellere debere per cẽsuras compulsione moderata, non præcisa, si pertinax sit pars in resistendo ex c. requisiuit respons. Imò & quando prudenter iudicatur frustrà ferri excommunicationem, ab illa est abstinendum. Ita Pontius, & Villalob. in sum. to. 1. tr. 12. diffic. 19. num. 3. vbi ita ait. (Han de aduertir mucho los Iuezes, que no sean en este casu muy rigurosos, porque no hagan que se contrayga el matrimonio pro miedo, que cayga en varon constante, que si esso ay no aura nada y tambien, porque suelen tener estas fuerzas difficultosas las salidas.) Ita ille.

An sponsalia dissoluantur per solum ingressum Religionis, vel sit expectanda professio?

RESOL. CCVII.

PRima opinio asserit, non dissolui nisi per professionem. Sic Couarruuias part. 1. de matr. c. 5. nu. 15. Nauar. in manuali, c. 22. n. 26. & alij, quia reuera non est textus, vnde colligatur ante

te

te professionem dissolui, & aliàs ex natura rei non videntur dissolui cum possit maritus egredi, & implere sponsalia.

Secunda opinio distinguit, scilicet quoad eum, qui in seculo remanet, sponsalia dissolui; non verò quoad illum, qui Religionem ingreditur, quia si ille alter velit cum eo egrediente contrahere, tenetur. Ita Gabriel in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. cas. 6. Rebellius lib. 4. q. 8. sect. 5. & alij.

Tertia opinio est aliorum, qui docent sponsalia dissolui solo Religionis ingressu, quoad vtrumque. Sic Toletus lib. 7. ca. 21. Sanchez de matr. to. 1. lib... disp. 41. num. 2. & 5. cum alijs penes ipsum. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles.

Notandum est hic obiter, regulariter, & absolutè loquendo licitum esse Religionem ingredi post sponsalia etiam iuramento confirmata dissoluentur enim iuxta supradictas opiniones. Nec facit contra c. commissum 16. de sponf. vt fusè illud explicat Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 10. num. 9. & seqq.

An peccet, qui contraxit sponsalia, si suscipiat sacros ordines?

RESOL. CCVIII.

Affirmant Rebellius lib. 4. q. 8. sect. 5. Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 47. & alij: sed mihi contraria sententia magis placuit semper enim quando contrahuntur sponsalia, videtur subintellecta conditio melioris status. Et quamuis propositum celibatus sit melioris boni, attamen quia nõ est status melior, ideò non videtur subintellecta cõditio celibatus. At clericalis ordo status est immobilis, & ideò ex ipsa natura rei subintelligitur ea conditio in sponsalibus. Vnde dicẽdum est nullum peccatum cõmittere, eum qui contractis sponsalibus ad sacros ordines promoueri curat. Et ita docet nouissimè Basilius Pontius de matrim. lib. 12. cap. 11. n. 3. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 5. & Nauarrus in man. c. 22. num. 25.

Notandum est etiam hic contra Sanchez vbi supra, votũ suscipiendi sacros ordines dirimere spõsalia, & licitè post illa potest quis tale votum emittere. Sic Põtius, vbi supra. c. 12. n. 3. qui citat Azorium. Non est tamen negandum opinionem negatiuam Sanchez esse probabilem.

Negatiuè respondet Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disput. 46. n. 9. vbi etiam asserit post sponsalia, tale votum emittere illicitum esse.

Sed affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius de matrim. li. 12. c. 12. num. 4. vbi sic asserit. Quod attinet ad votum castitatis superueniens sponsalibus, nonnulli censent eo non dirimi sponsalia, neque eiusmodi votum post sponsalia licitum esse. Ego tamẽ existimo votum castitatis emissum post sponsalia esse validum, vel non; hoc secundum dici non potest, ex eo quod fatetur idem Sanchez vouentem obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium. Si ergo validum est votum, non possunt sponsalia consistere, quia incõpossibilis est obligatio absoluta voti cum obligatione spõsaliorum. Ita Pontius, qui respondet ad omnia argumenta Sanchez cuius tamen opinio, quam etiam tenent Villalobos in summa, tom. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 9. Coninch. de Sacram. disput. 23. dub. 3. concl. 1. nu. 15. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 6. videtur etiam mihi probabilis, licèt cum Pontio consentiant Suarez lib. 2. de voto, c. 4. n. 13. Vasquez opusc. de restit. c. 3. §. 2. dub. 1. num. 17. & alij.

Vtrum ex matrimonio valido dissoluantur sponsalia.

RESOL. CCIX.

Certum est dissolui quoad eum, qui non contraxit matrimonium, difficultas est quoad eum qui contraxit. Pater Sanchez de matrim. to. 1. disp. 48. nu. 3. affirmat in tali casu omninò dissolui, et nulla prorsus manet obligatio ex c. 1. de sponsa duorum, c. sicut c. 51. inter, c. veniens, c. 15. qui fidem, de sponsalibus.

Sed negatiuam sententiam sustinet Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 13. n. 4. vbi docet obligationem sponsalium in casu, quo alter expectet, non extingui, sed suspendi, ita vt eo matrimonio dissoluto, teneatur priora spõsalia implere; quia obligatio nata ex sponsalibus in tali casu, extinguitur iure positiuo, nam in canonibus allegatis à Sanchez, tantũm dicitur eum, qui post sponsalia contrahit matrimonium cum aliqui, debere manere cum illa. An vero extinguatur omninò obligatio sponsalium, non diffinitur, solumque indicatur illum ea de causa non posse cum prima contrahere, quia iam impossibile est, contracto coniugio cum secunda. Neq; etiam extinguitur talis obligatio ex ipsa rei natura; quia quando priori vinculo superuenit aliud fortius diuersæ rationis, vel aliud impedimentum, quo minus primum impleatur, non extinguitur, sed suspenditur. Vt cum quis votum Religionis emisit, & posteà contraxit coniugium, & consummauit, non extinguitur voti obligatio, sed dissoluto matrimonio tenetur Religionem ingredi. Hæc Pontius aduersus Sanchez cuius tamen opinio his non obstantibus non caret probabilitate quam nouissimè sequitur Villalob. in sum. tom. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 11.

An si post sponsalia cum prima sequantur sponsalia cum secunda, vna cum copula dissoluantur prima?

RESOL. CCX.

Non dissolui putat Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 49. nu. 5. nisi secunda fęmina quæ cognita est, & violata sub spe coniugij notabile damnum pateretur: tunc enim posset Iudex obligare ad contrahendum cum secunda. Ratio verò, quare dicto casu non dissoluantur sponsalia, hæc est, ait Sanchez, quia iniuria illata posteriori non aufert ius suum priori.

Sed in tali casu dissolui spõsalia ex parte vtriusque, & cogendum esse ad ducendum secundam, tenet Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 14. n 4. quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando; huic potius fauendum est quam primo. Sed secunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò vt lucrum aquirat. Ergo huic, quæ damnum passa est, fauendum potius, quam alteri, quæ nullum, vel leue patitur. Ad argumentum Sanchez respondetur, posteriorem iniuriam, & traditionem præualere priori promissioni, est enim fortius vinculum, & strictior obligatio resarciendi iniuriam, quam vinculum primæ promissionis, & ideò præualet, etsi posterior. Hæc Pontius aduersus Sanchez. Sed vtraque opinio est probabilis, & cum Sanchez consentit nouissimè Villalobos in summa, to. 1. tract. 12. diffic. 12. n. 12. cũ Pontio verò tenet Rebellius lib. 4. q. 8. sect. 8. nu. 56. Coninch. de Sacram. disp. 22. dub. 4. concl. 4. & ego.

Notandum est etiam hic obiter, quod quando ex aliquo casu cessant priora sponsalia, an seruanda sint secunda, dissentiunt Doctores, affirmat Couarruuias par. 1. de matrim. cap. 4. §. 1 nu. 10. & Rebbellius lib. 4. quæst. 8. sect. 8. concl. 1. & alij, sed negant Sanchez lib. 1. disp. 55. nu. 6. Coninch. de Sacram. disp. 22. dub. 6. concl. 8. & Pontius vbi supra, nu. 2. quibus ego adhæreo; quia si nulla fuit prior obligatio, non est quòd conualescat.

An in contractu sponsalium validè apponatur pœna persoluenda ab iniustè resiliente?

RESOL. CCXI.

Negatiuè communiter respondent Doctores, quos citant, & sequuntur Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 30. & Gutierrez de matr. c. 27. docentes resilientem etiam iniustè nõ teneri eam pœnam soluere. Probant id ex cap. Gemma 29. de sponf. & leg. Titia, ff de verb. obligat. & leg. mulier, C. de sponf. vbi eiusmodi stipulationes dicuntur non obligare quia matrimonia debent esse libera.

Sed ego puto cum Basilio Pontio de matr. lib. 12. c. 19. num. 8. & Coninch. vbi infra, in sponsalibus licitè apponi posse pœnam iniustè resilienti, tam iure ciuili, quam canonico, vt ipse Pontius validissimis rationibus totum hoc probat, ad quem te remitto. Verùm propter iura supra citata, & maximè propter communem ferè Doctorum sententiam satis probabile est, vt notat Coninch. de Sacram. disp. 22. dub. 5. concl. 229. & Laymã in theol. mor. tract. 10. p. 1. c. 10. num. 8. iniustè resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resiliẽti impositum, etiamsi iuramento firmetur, vt tenet Sanchez disput. 33. n. 21. & alij contra Lessium lib. 2. c. 17. dub. 7. num. 56. & Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 151. num. 22.

An pactum appositum in contractu matrimoniali, vel sponsalibus, quod vir perpetuo habitet in domicilio vxoris, sit validum?

RESOL. CCXII.

Hic casus frequenter solet accidere, & ideò ad illum affirmatiuè respondeo cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Sanchez to.1.lib.1.disp.40.n.2. quibus ego addo Layman in theol.mor.lib.5.tr.10.p.2.c.2.num.3. & Basilium Pontium de matrim.lib.12.c.20.nu.8. & in tali casu si contraueniator, posse exigi pœnam tenent multi, neque hoc repugnare libertati coniugij. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi noua causa emergeat mutandi domicilij tunc enim etiamsi pactum sit iuramento confirmatum, licebit resilire, & mulier tenebitur virum sequi.

Notandum est tamen hic obiter cum Pontio vbi supra, nu. 9. contra Ancharanum cons.75.num.3. Aleiatum consil. 34. nu. 3.lib.5. & alios, valere pactum, ne quis possit ingredi in aliquam ciuitatem, quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum. Et hoc non solùm si pactum sit temporale, sed etiam perpetuum, Et rationes pro supradictis adduxit Pontius loco cit. vnde confessarij sedabunt multas conscientias, & respondebunt ad querelas partium.

An ne proles multiplicetur, cessante incontinentiæ periculo, sit peccatum mortale, non reddere debitum.

RESOL. CCXIII.

Affirmatiuè respondent Layman in Theol.mor.lib.5.tract. 10.par.3.capit. primo, num. 16. qui citat Angelum, Syluestrum, & Nauarrum, & limitat hanc sententiam, nisi eo loco tes sita sit, vt ob nouæ prolis generationem parentes, vel proles ad extremam penuriam redigendi sint; quod tamen ijs, qui inter Christianos viuunt, rarò eueniet. Ita Layman; vide etiam Coninch. de Sacram. disp.44. dub.3. concl.4. num.24.

Sed contrariam sententiam aliqui docent, nam in alijs etiam debitis excusat magna soluendi incommoditas, vel difficultas, & ideò Sotus in 4.dist.32.quæst. vnica, art.1. Sà verb. debitum, n. 18. & alij tenent non esse peccatum mortale, cessante incontinentiæ periculo, ea de causa debitum negare. Sed plus addit Petrus Ledesma de matr.q.64. art. 1. in fine, & Sanchez tom. 3.lib.9.disput.25. nam putant in tali casu nullam culpam interuenire.

Consentiunt tamen omnes Doctores, validum esse pactum inter coniuges initum se continendi à coitu coniugali, ne proles multiplicetur; secluso incontinentiæ periculo, vide inter alios Paludanum in 4.dist.31.qu.3.art.2.casu 5. D. Antoninum p.3.tit.1.c.20.§.6. & Nauarrum cap.16.nu. 33. vide etiam Villalobos in sum.tom.1.tract.13.difficult.41.num.9.

An vt mulier transire possit ad secundas nuptias sufficiat præsumptio verisimilis, & probabilis de morte viri.

RESOL. CCXIV.

Hic casus frequenter accidit, & negatiuè respondendum est ex his quæ adducit Sanchez tom.1.lib.2.disput.46. qu. 1. Villalobos in sum.tom.1.tr.1.difficult. 25.num. 2. & Doctores quos ad satietatem citat Barbosa in collect.tom.2.l.5. titul. 21. cap.2.num.3. & 4. vide etiam Basilium Pontium de matrim.lib. 7.cap.52. per totum, qui omnes requirunt certum nuncium, & famam de morte viri.

Sed his non obstantibus. vt optimè notat Layman in Theol. mor.lib.5.tract.10.par.3.cap.3.num. 2. probabilis est illa sententia, quod mulier in tali casu nihil peccaret, si cum eiusmodi valdè probabili persuasione, ac præsũptione, atque iustissima credendi causa, quod prior maritus mortuus sit, adeoque bona fide si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret. Vnde Confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere, & iudex in forò externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere, idque apertè sumitur ex cap. cum per bellicam 33.quæst. 1. Ratio verò est, quia in moralibus, in quibus certitudo omninò haberi non potest homini, ad instituendas actiones suas, sufficere debet probabilissima, licèt non omninò certa opinio, seu præsumptio. Ita Layman, qui citat D. Antoninum, Rosellam, Syluestrũ, & Philiarcum, & in facti contingentia, de hoc casu nouissimè interrogatus fui, & cum doctrina Layman consului nihil innouandum, donec veritas de morte viri magis eluceret.

An coniugatus si seipsum tangat propter voluptatem capiendam absque pollutionis periculo, peccet mortaliter?

RESOL. CCXV.

Affirmatiuè respondet Montesinus in p.2.D.Thomæ, tom. 1. quæst. 74.art.8.quæst.5.in fine, Ioã. de la Cruz in direct. part.1.præcep.6.art.9.dub.12. Salas in par.2.tom.2.tr.13. disput. 6.sect.14.num.119. Vasquez in p.2.tom.1.qu.78.art.8. disp. 113. num.4. & Sancius in selectis, disp.21.numer.26. Et ratio est, quia coniux non habet dominium proprij corporis in ordinem ad vsum veneris secum explendum, sed tantùm habet dominium corporis consortis sui; quapropter vtens proprio corpore in ordine ad venerem secum vtitur. Ergo, &c. & ita peccare mortaliter coniuges in tali casu docent Doctores citati.

Sed Thomas Sanchez de matrim.tom.3.lib.9. disp. 44. num. 16. contrarium tenet, & putat tantùm peccare venialiter, quia cum tactus ille suaptè natura indifferens sit ad copulam coniugalem, vel illicitam, possitque ad vnam, vel alteram referri, nec ex intentione tãgentis se à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur; non est cur de culpa lethali damnandus sit. Nec dici potest eum tactum non esse actum coniugis, nam non desideratur, eum cum coniuge fieri, sed satis est vt ad coniugem præsentem suaptè natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illa vtentis deuiet. Ita Sanchez, aduersus quem insurgit Sancius vbi supra. Nam licèt actus ille indifferens dicatur in eo sensu, quod ordinabilis est ad fornicationem, vel copulam coniugalem tamen intrinsecè malus est, quatenus per illum vtitur coniux proprio corpore, in ordine ad venerem secum explendã, quod illi prohibitum est, & non in ordine ad explendam cum coniuge, quæ absens reperitur. Ergo, &c. Et ideò tu tene primam sententiam.

An coniuges vtentes copula causa voluptatis peccent venialiter?

RESOL. CCXVI.

Affirmatiuè respondent Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disput.11.num.4. Bonacina de matrim.q.4.punct.6. nu.7.

Sed ego puto probabiliter nõ esse peccatum veniale cognoscere vxorem causa voluptatis, & hanc opinionem probabilem putat Veracruz in speculo, par.3.art.16 concl. 2. & docet Ioannes Sancius in selectis, disp.23.n.25. & Basilius Pontius de matrim.lib.1.cap.21.numer.6. & 7. & ex veteribus Maior in 4.sent. dist.31.q.vnica, concl.7. & Almainus in 4.dist.26.qu.1.in fine.

Notandum est etiam contra Sanchez lib.2.disp.29.q.3. num. 11. non esse neque peccatum veniale cõtrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel diuitias. Et ita docet Pontius vbi supr. num.13. cum Soto in 3.dist.20.qu. 1. art. 2. concl. & Maiore in 4. dist.26.q.3. concl.1. & 12.

An in aliquibus casibus tactus, oscula, &c. sint licita inter coniugatos cum periculo pollutionis?

RESOL. CCXVII.

Referam hic tantùm verba Michaelis Zanardi Dominicani in direct.cõf.p.1. de Sacram. Matr.cap.22.qu.27.fol. mihi 908. vbi sic asserit. Tactus, & oscula coniugati cum coniuge cum periculo pollutionis, imò cum pollutione quandoque non sunt peccata mortalia. Primò, si pollutio accidat petenti, quia quamuis petens non possit petere oscula cum periculo pollutionis potest tamen peti ea, etiamsi polluatur, quia non dat operam rei illicitę, & hoc est præter intentionẽ eius. Secũdo,

nec

nec etiam in petente, si intenderet copulam, & dum iam intendit per oscula eam excitare, polluitur, propter supradictam rationem. Nec tertiò, si fierent ad exeitandum amorem, vel ad eum conseruandum, & tum propter intentionem sequeretur pollutio. Ita Zanardus, & ante illum Sanchez tom. 3. lib. 9. disp. 45. num. 35. quem etiam sequitur Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 1. capit. 9. num. 356.

An coniuges peccent venialiter si exerceant actum coniugalem causa valetudinis conseruandæ.

RESOL. CCXVIII.

AFfirmatiuè respondet D. Thomas in 4. sent. dist. 31. art. 2. ad 4. & in supplem. 3. par. qu. 40. art. 5. ad 4. & Paludanus in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 3. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 11. Ledesma quæst. 49. art. 5. dub. 4. & nouissimè Franciscus Syluius in 3. par. qu. 49. art. 6. concl. 5. vbi sic asserit: Qui exercent actum coniugalem causa valetudinis venialiter peccāt quia licèt finis intentus sit bonus, & medium quod eligunt sit licitum, non est tamen proportio medij ad finem; actus enim coniugalis non est de se ordinatus ad sanitatem corporalem, sed ad generationem.

His tamen non obstantibus contrariam sentētiam probabilem etiam esse puto, quam tuentur Maior in 4. dist. 32. qu. vnica §. his præmissis, concl. 3. Coninch. de Sacram. disp. 34. dub. 1. num. 10. Emanuel Sà ver. debitum, nu. 5. Layman in theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. nu. 3. & alij. quia cum matrimonium præcipuè institutum sit ad propagationem speciei, videtur etiam secundariò institutum esse ad conseruationem indiuidui, species enim nisi saluis indiuiduis propagari non potest. Ergo, &c.

Vnde non mihi placet limitatio Filliucij tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 321. Sanchez de matr. tom. 2. lib. 9. disp. 10. num. 3. Henriquez lib. 11. cap. 15. nu. 5. nempè nostram sententiā tunc esse veram, quando non occurrit aliud medium accommodatum pro conseruanda valetudine. Dicendum est enim absolutè vsum matrimonij esse licitum, etiamsi pro tuenda valetudine alia media proportionata occurrerent, nā in tali casu nulla potest ostendi inordinatio, cum coniux vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem naturaliter est proportionata.

An coniuges peccent etiam venialiter, si actum matrimonialem exerceant causa vitandæ fornicationis?

RESOL. CCXIX.

AFfirmatiuè respondet D. Thomas in 4. dist. 31. quæ. 62. artic. 2. ad 2. Bonauentura ibidem quæst. 2. art. 2. D. Augustinus lib. 1. de nuptijs, cap. 14. Gregorius lib. 31. mor. c. 20. & ex neotericis Franciscus Syluius in addit. ad 3. par. quæst. 49. art. 6. concl. 4. Ratio est, quia talis coniux aliquo modo obsequitur libidini quamuis eam coerceat intra limites matrimonij, & cum exigat debitum non causa prolis, desunt ea bona quibus actus matrimonialis honestetur, scilicet fides ex parte, & proles. Ergo, &c.

Sed negatiuam sententiam. & meritò sustinent Durandus in 4. dist. 31. quæst. 4. Paludanus quæst. 2. art. 3. Maior quæst. vnic. concl. 4. Nauarrus cap. 16. num. 52. Philiarchus de offic. sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 4. cap. 19. Coninch. de sacram. disput. 34. dub. 1. num. 6. Emanuel Sà ver. debitum, nu. 5. & alij, quia matrimoniū post lapsum hominis in peccatum ordinatū est etiam in remedium concupiscentiæ, quæ omnia ita vera existimo, vt mihi nō placeat limitatio, quam adhibet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 9. nu. 4. Filliucius to. 1. tract. 10. par. 1. c. 9. num. 320. Paludanus in 4. dist. 31. q. 2. art. 2. D. Antoninus 3. par. tit. 1. c. 10. §. 11. Veracruz in speculo 3. p. art. 16. concl. 1. nempè opinionem supradictam esse amplectendam, quādo alia remedia carni coercendæ coniugi non sufficere videntur. Nam vt optimè docent Coninch. nu. 9. & Layman. in Theol. mor. lib. 5. tit. 10. part. 2. c. 4. num. 2. cur necesse erit nota remedia præferre, quando ad hoc medium coniugalis vsus bonum est, & ad eum etiam finem à Deo ordinatum, & ab Apostolo 1. Corinth. 7. commendatum; Profectò valdè anxij reddētur coniuges, præsertim qui sine spe prolis copulātur, si examinare debeant num alijs modis, v.g. ieiunijs, alijsque carnis afflictionibus continentiæ suæ mederi possint. Ita Layman.

Ex his infero contra Syluium vbi supra in fine, quod qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, siue sint senes, siue iuuenes, non peccare venialiter, licèt ipse contrarium non bene asserat.

An vir possit irritare omnia vota vxoris?

RESOL. CCXX.

NEgatiuam sententiam docet Basilius Pontius de matrim. lib. 10. cap. 17. nu. 3. Syluius in 2. 2. D. Thomæ, quæ. 88. art. 9. concl. 7. Valentia to. 3. disp. 6. qu. 6. punct. 6. Azotius to. 1. libr. 11. cap. 18. q. 12. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 4. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 18. Filliucius tom. 2. tra. 26. c. 8. nu. 236. & alij, asserentes maritum non posse omnia vota vxoris irritare, sed ea tantū, quæ, & quatenus iuri suo, quod habet ad coniugij vsum, & familiæ gubernationem præiudiciū aliquod afferre possunt. Et ita hoc pacto non possunt. v.g. irritare vota de præceptis, & rebus necessarijs, vt de seruāda castitate coniugali, de non mentiendo, de oratione aliqua recitanda in die, & similia.

Sed in gratiam virorum, & ad subleuandum onus quod sustinēt confessarij in commutatione votorum, assero omnia vota vxoris, saltem constante matrimonio edita, à marito irritari posse, non minus quàm vota Religiosi à Prælato, & vota impuberis à patre. Et ita docet Villalobos in summa, to. 2. tract. 34. dub. 21. per totam Malderus in 2. 2. D. Thomæ, tr. 10. dub. 7. q. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. ca. 34. nu. 2. Io. de la Cruz in direct. par. 1. pr. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3. Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. qu. 88. art. 9. disput. 7. Aragon. in 2. 2. q. 88. art. 8. post 5. conclus. Emanuel Sa ver. irritatio, num. 1. Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 1. concl. 6. Soto de iust. lib. 7. q. 3. art. 1. & alij.

Et hanc sententiam probabilem vocat Lessius lib. 2. capit. 40. dub. 10. nu. 83. Rationes inuenies apud citatos Doctores. Quæ omnia supradicta ita vera existimo, vt firmiter teneam contra Malderum, Ledesmā, & alios, virum posse irritare votum vxoris non petendi, nec exigendi debitum. Sic Sanchez vbi supra, num. 10. & 11. Sic etiam poterit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur, & ideò potest irritare votum vxoris de ingredienda Religione post mortem mariti. Item potest irritare vota vxoris emissa ante matrimonium. Quæ omnia militant, etiam in marito secundi matrimonij. qui potest irritare vota, quæ fecit vxor tempore matrimonij. Et hæc omnia Sanchez vbi supra, quidquid in contrarium asserat Pontius de matrim. lib. 10. c. 17. num. 5. & seq.

An quis ex vi denunciationum teneatur denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non potest probare?

RESOL. CCXXI.

HIc casus frequenter potest accidere, & affirmatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. to. lib. 2. disp. 13. n. 2. qui citat Paludanum. Driedonē, Nauarrum Couarruuiam, Gutierrez, Henriquez, Rodriquez, Vegham, & vtrumque Ledesmam, quibus ego addo Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 5. nu. 4. Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 21. numer. 3. Aragon. in 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2. arg. Lopez in instruct. par. 1. ca. 37. §. pen. Layman. in theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 2. c. 4. num. 9. Barbosam de potest. Episc. Allegat. 96. n. 51. Genuensem in Praxi Archiepisc. c. 2. nu. 2. Lazarum de matrimonijs, sect. 2. q. 32. nu. 23. & Bonacinam de matr. disp. 2. q. 6. pun. 1. nu. 9. vbi testatur de communi. Ratio est, quia ex cap. præterea de spons. vnus testis sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum, & hoc Barbos. in collect. to. 2. lib. 4. dict. 1. c. 12. nu. 2. cum Guttier. de matr. cap. 36. num. 2. & seq. ampliant, etiamsi testis non fuerit citatus, sed per partem oblatus, & quamuis esset denunciator, seu accusator, allegaretque turpitudinem suam.

Sed his non obstantibus doctissimus Basilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 34. num. 5. contrariam sententiam tenet, vbi sic asserit. Mihi placet sentētia, quæ negat obligationem esse detegendi impedimentum matrimonij, si illud est omninò occultum, & ipse solus nouit, ita vt probari nullo modo possit. Quam

sententiam tenuit Ioannes Maior in 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 3. & eadem mihi sententia placet, eamque per partes explicare, & probare conabor, vt magis constet eius veritas. Ita Pontius, qui posteà fusè hanc sententiam explanat, & probat vnde quando acciderit casus, lege illum, & omnia solidè pertractata inuenies nam ego in his meis laboribus breuitati studeo.

Nota etiam, quod dictus Basilius nu. 11. respondet ad argumentum contrarium desumptum ex cap. preterea de sponś. qui posteà in cap. 36. num. 2. sic etiam asserit. Delato ad ordinarium impedimento, si vnus tantùm testis sit absque alijs adminiculis, censeo nō posse interdici matrimonium, nec deberi per ea quæ adduxi supra cap. 34. vnus enim testis etiam in causa matrimoniali non probat, etiam quoad effectum impediendi matrimonium quidquid dicant multi, grauésque Doctores. Ita ille, quæ omnia valdè notanda sunt, quia noua, & practicabilia.

An si sponsalia communi consensu dissoluantur, oriatur hoc non obstante ex eis impedimentum publicæ honestatis?

RESOL. CCXXII.

DE hoc casu olim magna altercatio fuit, nam quidam contraxit sponsalia cum filia, & posteà illis ex communi consensu dissolutis cum matre contrahere volebat, tunc sine Summi Pontificis dispensatione hoc efficere minimè posse asseruerunt multi Theologi, nam ita docet Sanchez de matrimonio tomo 2. libro septimo, disp. 65. numero 21. & probat hanc sententiam, quia nulla maior spōsalium dissolutio accidere potest, quam alterius sponsi morte, sed in tali casu durat etiam impedimentum. Ergo.

Sed ego tunc contrarium consului, & in meam sententiam attraxi multos viros doctos ex Dominicanorum familia, & ex Societate Iesu, & præter Sà verb. Matrimonium. numero 12. citatum à Sāchez, adduxi pro hac opinione Basilium Pontium de matrimonio libro septimo, capit. 36. numer. 9. Guttierrez de matrim. cap. 103. num. 11. & Rebellium part. 2. lib. 3. quæst. 14. numero 3. qui citant Declarationem Cardinalium sic asserentem. Si sponsalia soluuntur de consensu, congregatio censuit esse inualida. Ad rationem verò, quam adducit Sanchez respondebam, quod adest dispar ratio inter vtrūque casum; quia in morte qui contraxit spōsalia, censetur in eadem voluntate decessisse, vel saltem debuisse decedere, quamdiu alter non dissentit quod non accidit in casu nostro; nam adest voluntas expressa dissolutionis sponsaliorum. Non est ergo audiendus Sanchez, licèt vir doctissimus in hoc casu, sed omninò dicendum est cum supradictis Doctoribus, ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis, nullum nasci impedimentum.

An possit maritus tuta conscientia interficere vxorem in adulterio deprehensam.

RESOL. CCXXIII.

ALiqui affirmatiuè respondent, vt Castillo in leg. 82. Tauri, num. 6. in fine, & ibi Antoninus Gomez nu. 52. in fine, & leg. 76. in fine. Menchaca de success. creat. §. 7. num. 22. & vsu. freq. cap. 8. & illust. c. 94. num. 4. Azeuedus lib. 8. tit. 20. leg. 1. in fine, & lib. 4. tit. 10. leg. 1. num. 22. Et ratio est quia tunc maritus id non efficit tanquam priuata persona, sed tanquam minister iustitiæ ex leg. marito. ff. de adulterijs, & ex l. Grachus eodem tit. Nec valet dicere has leges esse iniustas: nam ait Lessius, mirum est tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum hanc iniustam tot seculi non vidisse, eamque legibus, & moribus à tempore Solonis probasse. Deinde eędem leges redactæ sunt in Codicē Iustiniani Principis Christiani, & à reliquis Principibus, & Iuriscōsultis Christianis acceptatę. Igitur in tali casu publicum ius istarum legum, maritos ministros mortis efficit, illisque facultatem tribuit, vt in flagranti possint vxores occidere, non secus ac si post causę cognitionem, & sententiam latā, illos exequendę mortis ministros destinaret, deputat enim maritum tanquam ministrum publicæ auctoritatis iustitiæ exequutioni. Atqui id quidem rectè fieri posse lege lata, etiam inaudita adultera, quia notorius excessus examinatione non indiget c. bona de elect. quādo enim crimen notorium per deprehensionem, ac nullatenus excusari potest, nec est necessaria citatio, nec sententia ad pœnam irrogandam.

Vnde ex his rationibus motus hanc sententiam Lessius lib. 2. c. 9. dub. 5. num. 16. iudicat probabilem, vt aduertit Basilius Pontius de matrim. lib. 9. c. 15. nu. 20. qui in num. 4. testatur huic opinioni subscripsisse suo tempore multos Theologos Salmanticēses, quorum alij veram, alij probabilem, & omni censura liberā asseruerunt. Adde etiam, quod licèt Magister sacri Palatij correxerit Emanuelem Sà, asserentem hanc sententiam esse probabilem, tamen Iudex Hispanus librorum prohibitorum à supremo Inquisitionis Consilio editus illam minimè reprobat.

Sed his non obstantibus, hanc sententiam ipse Pontius improbabilem, & falsam esse existimat, & illam etiam reprobant 48. Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in collectan. tom. 4. part. 2. causa 33. quæst. 2. cap. inter hæc, vbi Nicolaus scribens Alberio Archiepiscopo, dicit non licere secundùm Ecclesiasticas leges vxorem adulteram interficere. Cęteras verò rationes videbis apud Pontium, qui respondet ad argumenta contraria, sicut etiam facit Lessius vbi supra. Vnde non est amplius de hoc dubitandum, nam ex contraria sententia daretur occasio occidendi impunè quemlibet, fingendo quod cum vxore voluerit commercium habere, & exponeretur manifesto periculo animæ sic interfectorum salus, qui capi possunt, accusari, & per Iudicis sententiam puniri. Igitur prima opinio prorsus non est tenenda.

An sit licita inter coniuges delectatio de copula cogitata vt prǽsenti, quando ipsa copula est illis interdicta ob aliquam causam?

RESOL. CCXXIV.

AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 44. num. 21. sed aduersus illum insurgit Basilius Pontius de matr. lib. 10. c. 16. §. 2. numer. 12. & Emanuel Rodriquez in summa nouissima tom. 1. cap. 129. concl. 3. vbi sic ait. [Quādo la copula matrimonial es illicita, por razon de alguna circonstancia extrinseca, que de su naturalezza no los priua del vso legitimo del matrimonio, tambien es illicita la delectacion del apetito sensitiuo desta copula pēsada como de presente. Esta conclusion es contra Sanchez, el qual dize ser licita la dicha delectacion, y assi affirma, que entre los casados, aunque sea illicita la copula por razon del notable periglio de la salud, ò del aborso, no serà illicita la delectacion desta copula, pues esta delectacion no es contra la dicha salud, y dize mas que illicita es la copula coniugal en lugar publico, por ser contraria à la honestidad natural, porque no es illicita mortalmēte la delectacion interna sensitiua de la copula coniugal en el mismo lugar, attento que esta delectacioo no es cōtraria à la honestidad natural, por razon de la qual la copula es illicita. La qual doctrina tengo per muy agena de la Theologia moral, porque anque la dicha delectacion de presente no sea notablemente contraria à la salud corporal, ni à la honestidad natural, ella ansi sin respecto à circonstantia extrinseca, es illicita, porque la delectacion coniugal de su naturalezza quando se tiene de presente absolutamente no es buena, sino solamente quādo se tiene actualmente el acto, y no quando no se tiene.] Ita Rodriquez.

Sed non rectè quidem, nam si absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale coniugibus delectari morosè de copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt, quia cum illis non sit peccatum mortale consensus in actum, nec etiam erit in delectationem, & ita sentiunt plures DD. quos supra, & alibi citauimus, quibus nunc addo Malderum in parte 2. Diuus Thom. quæst. 74. artic. 10. dub. 11. Tannerum etiam in parte 2. disput. 4. questione 8. dub. 7. numero 140. Iacobum Granado vbi infra, & Filliuc. tom. 1. tract. 10. ca. 9. 353. qui citat Diuum Thomam, Paludanum, Caietanum, Gersonem, Armillam, & Tabienam.

Igitur respondēdo ad quæstionem in hac resolutione propositam, assero probabiliter cum Sanchez vbi supra, quod quoties copula interdicitur coniugibus ob circumstantiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab vsu matrimonij, licita est delectatio appetitus sensitiui de copula cogitata vt præsenti, vt si illicita sit copula propter periculum aborsus, & salutis. Et ratio est, quia matrimonium non tantum excusat coitum à culpa, sed etiam morosam delectationē.

Ergo

Ergo cum impedimenta supradicta opponantur soli copulæ, vsus solus ille redditur, illicitus, & noo delectatio. Secundò, in his casibus vsus matrimonij ex se est licitus, sed tantùm ab extrinseco prohibetur ratione charitatis, aut pietatis obligantium præcaueri damnum coniugis, vel prolis; sed his virtutibus non aduersatur delectatio, nam ex illa simile damnum noo timetur: ergo non erit prohibita.

Et idem dicendum est, quoties est physicum impedimentum ad copulam, vt si impotentia coeundi superueniat matrimonio contracto, vel quando concubitus est interdictus ratione alicuius præcepti Ecclesiæ, vt si coniux contrahat affinitatem, seu cognationem cum altero côiuge, & ratione cuius arcetur à debiti petitione; vel si vterque similiter eam contraxit, quia tale impedimentum est extrinsecum, & arcens à copula in penam admissi delicti. Ergo cum res sit pœnalis, oon est extendenda ad delectationem, & id quod diximus de delectatione, dicendum esse puto, etiam de tactibus. Et hæc omnia asserit Sanchez vbi supra, quem posteà sequitur Granado in 1.2. D. Thom. cont 6. disp. 5. numero 10 & Villalobos in sum. tom. 2. tract. 40. diff. 17. numero 6. vbi ait. [Duda es quando entre los casados no es licito el acto coniugal, porque tienen hecho voto de castidad, ò por falta de salud, o por otro impedimento, si entonces es licita la delectacion. A lo qual respondo, que si es por voto, en tal caso como el acto es illicito, tambiê lo sera la delectacion, como dize Sanchez, mas no quando fuesse el impedimento extrinseco tan solamente como el mismo dize, y lo mismo siente, quando por la affinidad que sobreuiene al matrimonio, no pueden pedir el debito, porque est es impedimento extrinseco del precepto de la Iglesia, en pena del pecado.] Sic ille; vnde apparet non benè Rodriquez dixisse, opinionem Sanchez à Morali Teologia alienam esse; est enim probabilissima.

An sit peccatum mortale si coniuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam voluptatem.

RESOL. CCXXV.

Esse peccatum mortale à fortiori docet Paludanus in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. conclus. 6. Syluester ver. debitum coniugale, quæst. 7. & ex neotericis Rodriquez in summ. nouissima tom. 1. cap. 119. conclus. 11. vbi sic asserit. [Los casados que se deleytan en tactos venereos, no los queriendo ordenar à copula coniugal, pecan mortalmente, auoque Cayetano diga, que no, cessando el peligro de polution, en pero como ordinariamête a y este pelygro, no deue ser amitida la opinion de Cayetano, pues de las cosa morales auemos de iuzar, conforme lo qoe communemête acaece, y no auemos de acudir a metafisicas.] Ita ille.

Sed si hæc opinio esset vera, væ væ coniugatis; igitur contrariam sententiam docêt communiter Doctores, etiamsi tactus, & oscula sint in partibus pudêdis, vnde Zanardus ex Dominicanorum familia in Directorio Confessor. parte prima, de sacramento matr. cap. 41. nu. 24. sic ait, Dico non esse peccatum mortale citra periculum pollutionis, quoscunque tactus, oscula verba impudica, & aspectus partium verendarum inter coniuges. Sed audiamus Syluium in 2. 2. quæst. 154. art. 4. concl. 61. Oscula, (ait) tactus & amplexus etiam in honesti, inter eos adinuicem si sunt coniugati excusantur à mortali, quamuis fiant ob delectationem absque intentione copulæ cooiugalis, modo non sit periculum pollutionis. Idem docet Fillucius Societatis Iesu to. 2. tract. 30. cap. 10. nu. 195. vbi sic asserit. Infertur oscula in partis inhonestis à fortiori esse peccata mortalia: hæc enim in his partibus non fiunt nisi ex amore libidinoso, & deprauato, & practicè loquendo, semper sunt oscula libidinosa inter non coniugatos. Inter hos autem, etsi non sint censenda peccata mortalia, tamen increpandi sunt qui hoc faciunt, tanquam operi arguenti animum nimis mollem, & libidini deditum. Ita ille, & ego. Vide etiam Salas in p. 2. to. 2. & q. 74. tract. 13. disp. 6. dist. 26. num. 169. Granado etiam in p. 2. contr. 6. tt. 4. disp. 7. num. 4.

Ad argumentum verò Rodriquez respondeo, supradicta oscula, & tactus communiter non fieri cum periculo pollutionis, & si tale periculũ in aliquibus adesset, illis vti minimè possent, vt dictum est. Notandum est tamen hic obiter, quod si aliquis sine ioterruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius fęminæ, vel pueri (ignoscite pudice aures) sufficit, vt in confessione dicat, osculatus sum solutam, vel puerum, & non opus est explicare, quod talis tactus vel osculum fuit in partibus pudendis, nam est hæc tantùm circumstantia aggrauans, quæ secundùm probabilem opinionem, quam ego teneo, non est necessariò in confessione aperienda.

An tactus, & oscula sint licita inter coniugatos, etiamsi ex illis prauideatur sequutura distillatio.

RESOL. CCXXVI.

Ad hanc quæstionem ita respondet Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 46. n. 43. Non existimo esse mortale in coniugatis, per tactus, aspectus, & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata côsurgeotem dare causam commotioni membrorum seruieotium generationi, & incurrere in delectationes præuisas, quamuis inter solutos id esset lethale; nam hoc non est graue damnum generationis in tali statu, & aliunde eæ delectationes, & spirituum commotiones in eis vacant culpa mortali. Ita Sanchez, & post illum Salas in p. 2. tom. 2. q. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 18. oum. 123. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. dificul. 42. nu. 1. vbi sic asserit. [los aspectos tocamientos, y dectationes soñ licitos entre los casados, y oũca llegan à pecado mortal, quaodo no ay peligro de polucion, porque el acto aque se ordenan, o de donde nace la delectaciõ, no es pecado entre los casados si con los abracos y osculos se intentasse solo mostrar señal de amor, no seria pecado ninguno no hauiendo el peligro dicho, mas si aque los actos fuessen dirigidos solo ad deleyte sin animo de llugar à la copula, solo seria pecado venial, y aunque en esto vuiesse periculum delectationis, no seria pecado mortal entre casados.] Sic Villalobos; vide supra in Resol. 199.

An coniuges etiam sine peccato veniali, ne seminatio noceat, saluti, vel ob aliam iustam causam possint cœptam copulam abrumpere.

RESOL. CCXXVII.

Hoc non esse peccatum mortale contra Syluestrum ver. debitum, q. 7. & alios, si coniuges consentiant, alibi notauimus, & docent etiam Ioan de la Cruz in direct. conf. p. 2. de Sacram. matr. q. 3. dub. 6. concl. 5. Paludanus in 4. dist. 31. q. 3. art. 2. cas. 5. D. Antoninus p. 3. tit. 1. cap. 2. §. 6. Caietanus in 2. 2. qu. 154. art. 1. §. ad 2. verò casum, Sà ver. debitum, num. 17. Armilla n. 9. & alij.

Difficultas est in caso proposito, an adsit culpa venialis, & negatiuam sententiam docet Layman in Theol. mor. lib. 5. sent. 4. nu. 19. vbi sic asserit. Communiter notant Doctores, cessante in vtroque coniuge pollutionis periculo noo peccare maritum mortaliter, si cœptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat vxore côseotiente, aut non rationabiliter inuita. Imò si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. g. ob paupertatê ac multitudinem prolis, & nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam, omnem culpam abesse si mutuus consensus accedat, dummodo etiam mulier non seminet, alioquin etiam maritus ordinariè seminare debet, ne alterius semen frustrà effundatur. Ita Layman, & ante illum Sanchez to. 3. lib. 9. disp. 19. oum. 3. ita asserens. Vbi causa iusta esset v. g. ne seminatio noceat saluti, vel coniuges sunt pauperes, & prole abundabant, quam noo sunt alendo, & habeât similem copulam sine seminationis periculo, quo concupiscentiam sedent, nullam inuenio culpam. Ita ille: vnde non erunt damnandi etiam de culpa veniali cooiuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, & voluntariè illam minimè perficerent, & hic casus frequenter potest accidere.

Notandum est tamen hic obitér, eum qui uersatur io ipso actu fornicatio, tenere se rettahere ante spermatismum, etiamsi complex iam seminat, imò etiamsi ex ui prioris commotionis post tetractionem esset futura seminatio extra uas. Et ratio est, quia omni momêto teoetur opus prauum abrumpere. Nec refert;

ferr, quod inde sequatur aliud incommodum, quod sit contra naturam generationis, quia illud per accidens, & præter intentionem obuenit. Et ita docet Lessius lib.2 c.3.dub.6.num.55.& Sanchez lib.9.disp.19.n.7. licèt ipsi contrariam sententiam, probabilem esse existiment, sed mihi non placet.

An si deprehensus in stupro offerat matrimonium, nè prodatur iustitiæ, non obstante tali metu, teneatur illud matrimonium in conscientia adimplere?

RESOL. CCXXVIII.

HIc casus olim accidit, & de illo interrogatus respondi affirmatiuè cum Basilio Pontio de matrim.li.4.c.19. num.10. vbi sic asserit. Si deprehẽsus in stupro offerat cõsanguineis matrimonium cũ illa, vel in adulterio deprehensus offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti, non valet, dummodo id faciat metu mortis inferendæ à consanguineis, vel á viro. Is enim metus esset illatus iniustè, cum nõ possint iustè occidere, sed tantùm comprehendere, & Iudici prodere. Valet autem in eo casu matrimonium huiusmodi, quod offertur, vel exigitur in præmium ne prodatur, vel accusetur, quod iustè facere poterant, quia ibi notissima est iniuria consanguineorum, vel mariti, & eo tendere debet Iudicis sententia, vt iniuria compensetur. Quare si sine sententia compensationem offerat, quam Lessius iudicat sufficientem, nihil agitur contra bonos mores. In quo vides latum esse discrimẽ inter hunc casum, & eos de quibus agitur in leg. timorem, & in lege. isti quidem, ff. de eo quod metus causa. Hæc Pontius, ex quibus in casu occurrẽti videbit cõfessarius an matrimonium oblatum fuerit metu mortis inferẽdæ, vel ne proderetur iustitiæ. In primo casu respondebit matrimonium esse nullum; secùs autem in secundo casu, quia in primo casu metus incutitur iniustè, non autem in secundo. Et hæc valdè notentur, quia sæpius in praxi solent accidere.

Notandum est tamen hic obiter, quod si aliquis minister iustitiæ, eum quem iustè ad mortem, vel aliam pœnam grauẽ damnare debuerat impunitate oblata inuitet, vt eius filiam ducat in vxorem tale matrimonium non valere. Et ratio patet ex dictis, quia ille re vera in tali casu infert metum iniustè, abutiturque potestate, cum nõ fiat vlla delicti compensatio, ratione cuius metus iustè possit inferri. Et ita docet Rebellius pa.2. quæst. 11.sect.2.num.14.& 15.& Pontius de matrim.lib.4. cap.19. nu. 13. licèt contrariam sententiam doceant Sanchez de matrimo. tom.1.lib.4.disp.12.nu.10. & Coninch. de Sacram.disp.28.dub. 1. concl.3. num.10. Secùs autem dicendum est si illi, qui capite plectendus est ob homicidium probatum legitimè promittatur impunitas, si ducat filiam, vel vxorem occisi, nam in tali casu adest compensatio iustè facta per Iudicem. Idem dicendum est si Iudex deprehẽso in homicidio, uel alio crimine, propter quod iustè possit occidere, minetur mortem, & per se tantum intendat pro crimine supplicium sumere, tu uero ut mortem euadas spontè eandem fœminam poscas in uxorem, quamuis scias, non aliter condonandam esse pęnam, matrimonium ualet. Et hæc omnia docet Pontius loco citato.

An in matrimonio ex metu graui contracto, possit resilire, qui liber a metu est, nec particeps illius fuit?

RESOL. CCXXIX.

AFfirmatiuè respondet Thomas Sanchez de matrim. to.1. lib.4.disp.15.num.5.ubi docet, nõ teneri cogentem in foro conscientiæ perficere matrimonium, donec per Iudicem cõdemnetur, sed liberè altero inuito posse resilire, nisi aliud damnum sequutum sit, quia uel iste tenetur ratione delicti, & coactionis in pęnam illius, & hoc exigit Iudicis condemnationem, antequam nemo tenetur subire pœnã. Aut tenetur ratione iniuriæ illatæ per coactionem, & hoc non, quia non est tanta iniuria coactionis, quando aliud damnum inde non sequitur, uel aliter, quam per matrimonium resarciri nequeat. Ergo, &c. Ita Sanchez.

Sed aduersus illũ insurgit nouissimè Basilius Pontius de matrim.lib.4.c.15.num.3. ubi docet, eum qui particeps fuit, aut cõscius metus illati alteri, cũ quo contrahit, non posse in cõscientia resilire, sed teneri obligatione expectandi uoluntatem eius qui vim passus est, & hoc secluso quouis damno. Et ratio est, quia iniustum est, vt ille contrahere cogatur inuitus, nam is qui coegit, vel coactionis particeps, aut cõscius fuit, reuera iniustitiam commisit in personam; ergo remanet obligatio resarciẽdi, & cum resarciri possit sine damno alterius, qui vim intulit, resarcienda est, stando scilicet contractui si alius velit. Ad hoc autem nõ est necessaria Iudicis sentẽtia, cum ex iniuria illata nascatur naturalis obligatio reparãdi, & ideò ante omnem Iudicis sententiam, ea obligatione tenetur. Vnde ex his patet responsio ad argumenta Sanchez. Nam in tali casu dicẽdum est, illum non teneri ratione delicti in pœnam, neque ratione obligationis matrimonij, cum nulla ibi sit obligatio matrimonij; sed teneri, quia ratione iniuriæ illatæ consurgit in illo alia naturalis obligatio restaurandi in eodem genere, cum possit. Nec vero hæc censenda leuis iniuria, sed grauis, cum in ea coactione committatur peccatum mortale, parque est, in eo casu vir, & fœmina.

At his non obstantibus, puto sententiam Sanchez probabilem esse, & illam tuetur nouissimè Villalobos in summa, tom. 1.tract.13.difficult.37.num.5.

An matrimonium ex leui metu contractum valeat iure naturali, & positiuo?

RESOL. CCXXX.

AFfirmatiuè communiter respondent Theologi, & Iuris periti, quos citat, & sequitur Sanchez de matr.tom. 1. lib. 4.disp.17.num.2. Rebellius lib.2.quæst.11.sect.1. concl. 3. Pontius de matrim.lib.4.cap.18.n.2. Villalobos in summa tomo 1. tract.13.difficult.37.num.5.& alij. Et ratio est, quia qui operatur ex metu leui, nõ dicitur, neque vi neque metu operari, nam habet in sua potestate sufficiẽs principium, quod debet metum repellere, cum operetur imprudenter; imprudentia autem cum vitium sit, potest illam expellere. Ergo, qui cum adeo facile ex eo metu liberari possit, non se liberat, iure optimo censetur liberè operari.

Non reticeam tamen, aliquos asserere metum leuem reddere matrimonium nullum, quando reuera ita extorquet consensum, vt sine eo metu non fieret, & ita tenet Gabriel in 4. dist. 29.quæst.2.art.2. cõclus.4. Nauarrus in summa cap.17.num. 29. & cap.22.num.51.not.1. Couarruuias par.2.cap.3.§.6.num.4.& alij, quos refert Sanchez vbi sup. num.4. vbi fatetur hanc sententiam esse probabilem, & pro illa adducit multas rationes, licet eam soluat Pontius num.5.

An sponsi rus profecti recreationis causa possint ibi matrimonium contrahere?

RESOL. CCXXXI.

REspondent communiter negatiuè, quia tale matrimonium non esset contractum, neque coram Parocho sponsi, seu sponsæ, neque de Parochi licentia, ergo erit nullum, & ita sentiunt Doctores, quos citat, & sequitur Cenedo qu. 30. numero 60. Barbosa de potestat. Episcopor. part.1. Allegat. 32.n. 66. Riccius in praxi tom. 1. Resol. 214. num. 2. & Menochius vol.4.consil. 378. qui pro hac sententia adducit quatuor Sacræ Rotæ Decisiones.

Sed his nõ obstantibus, aliqui sentiunt eum qui habet alicubi etiam parui temporis habitationem, posse contrahere, & coram Parocho habitationis & coram sui domicilij Parocho, si velit, & ita nouissimè hanc sententiam docet Basilius Pontius de matrim.lib.5.cap.13.§.1. nu.4. & ante illum Emanuel Sà expurgatus à Magistro Sacri Palatij vbi ver. Parochus, num. 2. sic asserit. De Parochia efficiatur quis acquisitione domicilij. Quãtum ad pœnitentiam autem, & Eucharistiam, sufficit habitatio per sex menses, secũdùm quosdam. At melius alij sufficere quãtum ad sacramenta illic habitare, & non posse commodè ad proprium ire. Ad matrimonium verò sufficit, vel modica habitatio, & ver. matrimonium, numero 2. ita ait. Qui alicubi habitant non animo permanendi, quibusdam nõ videtur posse sub illo Parocho contrahere. At mihi videtur Congregatio Concilij aliud sentire, scilicet sufficere illic habitare dum contrahunt. Sic Emanuel Sà.

De

Declarationes verò Cardinalium hæ sunt, quas affert Pontius nu. 5. Proprius Parochus est, in cuius Parochia contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur: & alia sic assit. Quando matrimonium cōtrahitur inter duos alienigenas, & à paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamē sunt cogniti, & non sunt comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius Parochia habitant, & tempore quo matrimonium contrahunt. Vide lector, quam, sit difficilis hæc quæstio, cum pro parte negatiua adsint Rotæ decisiones, & pro affirmatiua Cardinalium Responsiones. Sed cum de istis non constet authenticè, à prima opinione non discederem.

An validum sit matrimonium, cui proprius Parochus vnius contrahentis assistit in Parochia alterius sibi non subditi?

RESOL. CCXXXII.

EXempli gratia, si Parochus Petri contrahentis assistat in Parochia Mariæ, cuius non est Parochus. Aliqui existimant, quemuis Parochus ex duobus contrahentium, & ita Parochum viri in Parochia fœminæ, & è contra, posse illos matrimonio iungere, & ita docet Sanchez de matrim. tom. 1. libr. 3. disp. 19. num. 11. qui multas rationes adducit ad firmandam hanc sententiam.

His tamen non obstantibus, aduersus illum cōtrarium tenet Basilius Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 16. num. 4. & alij penes ipsum, qui etiam adducit aliquas Cardinalium declarationes. Prima ad Episcopum Brugnatensem sic ait. Si quando vir ad domum vxoris accedit pro contrahendo, & consummādo matrimonio, is proprius Parochus sit, qui vxoris est, & illis benedictionem sacerdotalem dare poterit de iure. Secunda ad Episcopum Leomensem, ita ait. Vt proprius Parochus sit, qui vxoris parochus est, si in domo vxoris contrahitur, vel eius parochia, vt supra in vna Brugnatensi benedicere sponsos debeat, non obstante quacumque cōsuetudine contraria, & immemorabili. Et quamuis ad has declarationes posset quis respondere, in illis tantùm dicere sufficere Parochum vxoris quando cōtrahitur in Parochia vxoris, & non addi illum præcisè requiri, quia eo ipso dicant vnum sufficere, nō verò negari, quin alter possit esse præsens; hoc tamen responsum refellitur ex earum declarationum verbis rectè consideratis; nam quæstioni propositę quis censendus esset in parochia fœminæ, v. gr. proprius parochus, respondet Episcopo Brugnatensi, proprium parochum esse vxoris, quando in Parochia vxoris: cumque Concilium dicat contrahendum coram proprio parocho, & Congregatio declaret illum esse proprium parochum, manifestè sequitur coram alio non posse contrahi matrimonium; expendo etiam in secunda declaratione dictum esse, parochum vxoris esse, qui in eius parochia benedicere sponsos debet, nota verbum debet, non ergo alius potest nec parochus viri in Parochia fœminæ, aliàs non vterentur Cardinales verbo debet, & hæc omnia asserit Pontius vbi supra, qui respondet ad argumenta Sanchez.

Verùm sententia Affirmatiua Sanchez, quām Pontius impugnat, sequitur nouissimè Layman in Theol. moral libr. 5. tract. 10. par. 2. cap. 5. num. 5. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. difficult. 18. num. 2. sic afferens. [Vale el matrimonio hecho delante de qualquiera de lo Parochos de lo contrayente, aunque se haga fuere de su parroquia, la razon es porque el Parocho à qui no exercita officio de iurisdicion, que solo es testigo, y aunque la exercitara no pertenecería esto à iurisdicion contenciosa, sino à voluntaria, que es de consentimiento de las partes, la qual se puede exercitar fuera del territorio, y como el Concilio Tridentino non pone por sustancia, ni circonstancia deste contrato, que se haga en la propria parochia, no ay paraque estenderlo à esso.] Ita ille: vnde remanet hæc sententia satis probabilis.

Sed an dictus Parochus, qui in aliena Parochia coniungit suum Parochianum, peccet mortaliter, & puniendus sit, negat Sanchez, & Villalobos: affirmat verò Pontius, & Henriquez, at vtraque opinio est probabilis.

An Parochus excommunicatus assistens matrimonio peccet?

RESOL. CCXXXIII.

SVppono Parochum excommunicatum validè assistere matrimonio posse, item suspensum, & irregularem, etiam sit excommunicatus non toleratus, & nominatim denunciatus; difficultas est an peccet? Aliqui affirmatiuè respondent, vt Vasquez in 3. part. tom. 4. tractat. de Excomm. dub. 7. numer. 7. imo Basilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 17. dub. vnico, numer. 11. putat esse peccatum mortale, est enim communicatio in re graui & sacra.

Verùm Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 21. numer. 8. cōtrarium docet, quia cum spectet ad suum munus, communicat in re necessaria, & licèt ex alia parte videatur peccare, quia videtur actus iurisdictionis benedicere sponsos illis verbis, quę præcipit Concil. Trident. sess. 24. de matrim cap. 1. Ego vos coniungo, &c. non tamen exceder venialem culpam, quia in nullius est præiudicium, & res est parui momenti, nec necessaria ad sacramentum, & si omitterentur ea verba, tantùm esset veniale. Hæc omnia Sanchez, quæ tamen conatur refellere Pontius vbi supra, tamen cum Sanchez concordat nouissimè Villalobos in summ. to. 1. tra. 13. diffic. 18. nu. 7. vbi sic ait. [Añade Sanchez que el escomunicado si es tolerado no pecá en esto, y si no lo es peca venialmente, no porque asista al matrimonio, sino porque benedize à los contrayentes diziendo, Ego vos coniungo] Ita Villalobos.

Vnde apparet, sententiam Sanchez esse satis probabilem, & excommunicatum toleratum, si assistat matrimonio, nullam culpam contrahere, secùs autem nō toleratum, nam peccatum veniale efficeret. Nota tamen cum Suarez de cens. disp. 11. sect. 1. nu. 24. certum esse nullum peccatum committere parochum excommunicatum, quando in articulo mortis esset necessariū matrimonio assistere.

Notandum est hic obiter, excommunicatum etiam non toleratum validè posse alijs licentiam dare, vt matrimonio assistant. Ita Sanchez vbi supra num. 7. & Basilius Pontius num. 14. quidquid in contrarium aserat Layman. in theol. moral. libro 5 tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 5. & Coninch. de Sacram. disput. 27. dub. 7. concl. 8.

An propter magnam necessitatem possit contrahi aliquando matrimonium sine præsentia Parochi?

RESOL. CCXXXIV.

AFfirmatiuam sententiam docuit Iacobus de Graffis decis. quest. lib. 2. cap. 86. num. 9. vbi ait, quod quando necessitas adeò esset vrgens, vt copia parochi, & testium haberi non posset, vt puta quando quis est in articulo mortis, vel quando aliqua virgo sub tutela iniqui tutoris constituta, timet quod ipse eam viro ignobili, & indigno tradat in vxorem, posse quidem in his casibus, per mutuum consensum contrahi matrimonium sine præsentia parochi.

Sed aduersus Graffium, & meritò insurgit Petrus Cenedo q. 30. num. 18. & 19. vbi docet adeò strictè ad litteram seruandum fore decretum Concilij Tridentini, videlicet vt nullo modo contrahatur matrimonium sine parocho; & testibus, vt procedat ipsius decisio, etiam vrgente maxima necessitate, vt si morti vicinus vellet concubinam ducere, idque omninò videatur necessarium ad legitimandam prolem ex ea susceptam, & adimplendam fidem ei datam.

Notandum est tamen cum Sarmiento libro 1. select. capitul. 16. numero 7. Henriquez libr. 3. capit. 11. numer. 8. & alijs, apud Cenedum vbi supra, in supradicto casu, quando quis in articulo mortis contrahit, posse parochum omittere denunciationes. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Layman. in theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 2. capit. 4. num. 11. & alij penes ipsum.

An denunciationes faciendæ sint in vtraque Parochia, in qua diutius commorati sunt sponsi, vel sufficiat illas facere in Parochia, in qua breui tempore commorantur?

RESOL. CCXXXV.

Faciendas esse in vtriusque parochijs, vbi diutius versati sunt, & principaliorem habuere latem, docet Sanchez de matrim.tom.1.libr.3.disp.6.num.6.& Coninch.de Sacram.disp. 27.dub.5.num.50. Et ratio est,quia denonciationes efficiuntur, vt contrahentium impedimenta detegantur. At cum breuem moram in aliqua parochia sponsi contraxere,ignoti sunt,& impedimenta ignorantur. Ergo, &c. Et ita declarasse Sacram Cardinalium Cōgregationem testatur Segura Dauolos p.2.Direct. cap.16.num.19.

Sed his non obstantibus si ego, ait Basilius Pontius de matr. lib.5.cap.30.num.5.viderem declarationem Cardinalium, istorum opinioni acquiescerem. Cæterum neque lego in his quas ediderunt Farinacius atque Rebellius, quin potius ex his quæ excusæ sunt,ego colligo in eis tantùm Ecclesijs debere fieri proclamationes,de quarum parochia sunt; nam cum Concil. Tridentinum dicat eas debere fieri à proprio Parocho, declarant Cardinales proprium Parochum esse,in cuius Parochia contrahentes habitant,tempore,quo matrimonium contrahunt;& in alia declaratione expressè dicitur;vt quando matrimonium cōtrahitur inter duos alienigenas, qui à paruo tempore in aliquo loco habitant,& non sunt de vagabundis,proprium Parochum esse, in cuius parochia habitant tempore quo contrahunt matrimonium. Existimo itaque de iure in prædictis parochi præcisè debere fieri,an verò in alijs,vt voluit Sanchez,etiam fieri expediat;relictum existimo Episcoporum iudicio. Hæc Pontius supra: sed tu tene sententiam Sanchez, quam nouissimè tenet Ioan. Maria Nouarius in pract. Iur. Pont. concluſ. 47. num. 3. & Barbosa de potest.Episc.part.2.allegat.32.numer.10.Guttierrez de matr.c.56.nu.5.& alij.

An prætermittere vnam de dictis denunciationibus sit peccatum mortale, vbi plura de denunciationibus.

RESOL. CCXXXVI.

Negatiuam sententiam docet Sanchez de matr.to.1.libr. 3. disp.5.n.8. sed aduersus illum insurgit Basilius Pontius de matr.lib.5.c.30.nu 3.& Coninch.de Sacram.disp.27. dub.5.n.51. quia omissio vnius proclamationis non est materia leuis, vt constat ex fine,ad quem ordinantur;quare Parochus, qui id suo arbitratu faceret; grauiter puniendus esset ab Episcopo. Neque satis erit ad excusandum à mortali culpa, quod cesset causa denunciationum in aliquo peculiari casu, vt dixi supra vniuersè de legibus,in præsumptione fundatis Ita Pontius.

Sed his non obstantibus, Sanchez opinionem ego probabilè existimo, quam tuetur post illum Barbosa de potestat. Episcop. part. 2. allegat. 32.num.5.Guttierrez de matrim.cap.57.nu.1.& Villalobos in summa,tom.1.tract.13.disp.24.nu.3.vbi,& ita ait, (Añade,Sanchez,que no seria pecado mortal dexar vna denūciacion, donde moralmente habiando no huuiesse peligro de impedimento; porque es leue materia,y parcial del præceptor.] Sic ille,& alij.

Nota etiam, quod Pontius putat denunciationes non posse fieri extra Ecclesiam, etiamsi locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant,sed Villalobos vbi supra,nu.4.contrarium docet,& citat Sanchez, quibus adde Layman.in theol.mor. lib. 5.tract.10 p.2.c.4.nu. 10.

Debent etiam fieri dictæ denunciationes in tribus diebus festiuis,sed Villalobos loco citato asserit ex Sanchez, [que aunque no fuesse en fiesta, si estuuiesse junto el pueblo la manera que suele en las fiestas,se podrian hazer,porque milita la misma razon y se guarda el intento del concilio.] Ita ille, sed contrarium docet Pontius,vbi supra nu.7.Et an verò, in tribus diebus festiuis continuis, vt in Paschate possint fieri dictæ denūciationes,negatiuè respondendum est,& ideò Layman, vbi supra, ex Sanchez notat oportere aliquod,saltem duorum dierum interuallum,inter vnam,& alteram denunciationem,intercedere,& ita docet Riccius in praxi p.1.resol.22.nu.4.& Segura in direct. Iudic.p.2.c.15.nu.20.

Notandum est etiam,quod Henriquez libr.11.cap.7.num.1. in Glossa littera C.docet quod esset peccatum mortale,si parochus efficeret dictas proclamationes in tribus diebus festiuis, sed interpolatè, v.gr.die dominica facit vnam proclamationem,in altera verò nullam,& posteà in alijs duabus dominicis facit alteras duas denunciationes.Sed ego puto contrariū cum Villalobos vbi supra nu.3.ita asserente. [No sera pecado mortal,en no se hazer las denunciaciones en tres fiestas continuas, aunque no huuiesse grande espacio de tiempo entre la vna, y la otra.] Vide etiam Coninch. de Sacram.disputat.27.dubio 5. num.47.

An Ordinarius possit dispensare vt omittantur denunciationes, & quid intelligendum sit nomine Ordinarij in Concil. Tridentini sess. 24. de matrim.c.1.

RESOL. CCXXXVII.

Respondeo,non posse Parochum omittere denunciationes, sed id spectare ad Ordinarium, si ipse expedire iudicauerit; quia non potest fine causa. Quænam verò sint iustæ causæ vt dispensetur in denunciationibus, vide Basilium Pontium de matrim.lib.5.c.32.n.2.& Layman in theol.mor.lib.5.tra.10.p.2. c.4.n.11.cum Coninch.vbi infra n.96.Sed quis nomine Ordinarij intelligatur, vt possit dispensare in hoc casu,magna quæstio est,nam Sanchez de matr.to.1.lib.3.disp.3.nu.4.Coninch.ou.4. de Sacram.disp.27.dub.6.num.54.& alij quos citat, & sequitur Barbosa de potest.Episc.p.2.allegat.32.nu.30.putat sub nomine Ordinarij intelligi eos,quos quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicunt Doctores.

Sed contrariam sententiam docet Basilius Pontius de matr.lib. 5.c.31.n.3. vbi docet hanc potestatem dispensandi in denūciationibus solis Episcopis iure Tridentino concessam, & non his qui iurisdictionem quasi Episcopalem habēt.vt Abbatibus, aut Vicarijs Sancti Ioannis,vel similibus.Et ita determinauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis.Non permittitur hæc facultas commendatario, licèt eius Abbatia sit quasi Episcopalia habeat,cuius Abbas appellatione ordinarij,venit, iuxta Glossam in cap.fin.de offic.ordin.in 6.dixit enim Sanctissimus Dominus noster,quod Ordinarius hic non intelligitur nisi Episcopus, ac tamen Cardinali Farnesio Farsensis Monasterij commendatario fuit permissum,non autem eius Vicario. Et hanc declarationem non solū adducit Pontius,sed etiam Villalobos in summa,to.1.tra.13.diffic.24.n.6.vbi tamen addit.[Vease lo que esta en practiqua acerca desto,que esta se podra seguir.]

An saltem Vicarius Episcopi possit dispensare, ut ex iusta causa denunciationes efficiantur?

RESOL. CCXXXVIII.

Affirmatiuam sententiam tenet Thom.Sanch. de matrim. to.1.lib.3.disp.7.num.11. quia hæc potestas in Tridentino conceditur Ordinario, Vicarius autem Ordinarius,est;ergo,&c. limitat tamen hanc sententiam Sanch. num. 13. nisi Episcopus hanc facultatem dispensandi sibi reseruauerit.

Sed aduersus Sanchez contrarium docet nouissimè Basilius Pontius de matrim.libr.5.c.31. & ita declarasse Sacram Cardinalium congregationem testatur Henriq.lib.11.c.5.nu.5.Igitur sub nomine Ordinarij in hoc casu nō intelligitur Vicarius Episcopi, & ita illum non posse has denunciationes remittere, nisi specialiter committatur.

Ad argumentum verò Sanchez respondetur,quod Cardinales ad quos spectat declarare Concilium, declararunt,vt dictū est, in illis verbis Concilij, non intelligi Vicarium.Et ea limitatio, quam adducit Sanchez sententiam ipsam,quam docet euertit. Si enim Vicarius eo ipso quod Vicarius constituitur,habet à Tridentino potestatem denunciationes remittendi, non posset per Episcopum tolli, sicut quamuis resistat, & contra dicat Episcopus, non potest tollere Parocho licentiam assistendi matrimonio,neque potestatem concedendi alteri licētiam. Quod ergo Episcopus denegare potest Vicario, cui generalem administrationem commisit, signum est non esse illi concessum a

Con-

Concilio, eo ipso quod Vicarius est. Et hæc omnia asserit Pontius contra Sanchez.

At non reticeam opinionē Sanchez tenere nouissimè Aloysium Riccium in praxi tom.1. Resol.226.nu.2. Coninch.de Sacram.disp.27.dub.6.cap.55.& Villalobos in summa, to.1.trac.13.difficult.24.num.7.vbi sic asserit: El Vicario General del Obispo tambien puede dispensar en las denunciationes, porque es ordinario, como queda dicho y el Cōcilio comete te esto al Ordinario, saluo si el Obispo lo reseruasse, que lo puede muy bien hazer, como tienen Sanchez, y otros.] Sic illez & alij, quos citat ad satietatem, & sequitur Barbosa de potestat.Episc.par.2.allegat.32.nu.29.

Notandum est tamen hanc sententiam nō procedere in Vicarijs foraneis, ita Guttierrez in Can.qq.lib.1.c.19.n.16. Didacus Spin.de Testam.glos.15.nu.29.& alij.

An quando contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus, & Ordinarius vnius dispensat in denunciationibus, sufficiat hoc, ne fiant in Parochia alterius?

RESOL. CCXXXIX.

AFfirmatiuè respondet Sanchez de matrim. to.1. lib.7.disp.7.nu.7.vbi asserit, quod quando contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, vtriusque Prælatum posse cum vtroque dispēsare, & vnius dispensationem sufficere, quia in hac re coniuges cēsentur quasi vna persona, & ratione connexionis causæ vterque alterius Prælato censetur subiectus. Ita ille.

Sed Basilius Pontius de matrim.libr.5.cap.31.nu.9. valdè dubitat de huius dicti veritate, quia sepè potest contingere, vt impedimentum, quod in vna Diœcesi notum non est, sit notum in alia, & ita ex dispensatione denunciationum in vna diœcesi, non sequitur per connexionem, & colligationem aliquam, dispensatio in alia, in quo est valdè diuersa ratio de matrimonio, & denunciationibus, nam in matrimonio, cum sit necessariò vinculum duorum, necessariò etiam fit, vt qui vnum coniungere potest, possit & aliam, est enim mutua coniunctio: at in denunciationibus non est ita necessaria colligatio, & consequentia, vt satis constat. Sic Pontius.

His tamen non obstantibus, sententiam Sanchez tenet Guttier.de matr.c.46.n.10. Reginaldus in praxi to.2.lib.31.c.32.nu.332.& Coninch.de Sacram.disp.27.dub.6.nu.54.

An sit peccatum saltem veniale consummare matrimonium, antequam recipiat benedictiones Ecclesiæ.

RESOL. CCXL.

AD hanc dubitationem ita respondet, Villalob.in sum.to.1.tract.13.cap.24.n.12.vbi sic ait.[No es pecado mortal ni venial consumar el matrimonio antes de la benedicion de la Iglesia. La razon es, porque no es prohibicion para esto en derecho, porque el Concilio Trid. solo dize Sancta Synodus hortatur, &c. Y despues el c.nostrates.30.q 5. cunctas el Papa dice las cosas, que concurren para las bodas, y entre ellas la benedicion solenne, añaden; hæc omnia non seruare non est peccatū, y aun no podria poner à cerca desto de scomunion el Obispo, y si la pudiesse, no ligaria; porque el concilio solo habia exortando à cerca desto, mas no seria pecado mortal, el no pargar el debito, antes de la benedicion, porque ay muchos Doctores que dizen, que es pecado venial consumar en este caso el matrimonio, y puede el casado seguir esta opinion.] Ita ille.

Dicendum est igitur absolutè, non esse neque peccatum veniale si coniuges ante benedictionem matrimonium consumment, & ita præter Villalobos citatum docet Sāchez de matr. to.1.lib.3.disp.12.n.7.& Layman in theol.moral.lib.5. tract.10. p.2.c.4.n.12. cum alijs penes ipsos: quidquid in cōtrarium asserat vterque Sotus, Petrus, & Dominicus hic in 4.sent.dist.8.qu.1.ar.2.ille sect. 14.de matr.§.primum ius ipsum, & alij, imò cum Sanchez aliquando credo esse sanum consilium, cōnsummare ante benedictiones, vt quando ex ex aliqua causa iusta differuntur, estque periculum incontinentiæ.

An si omittantur denunciationes, matrimonium sit validum?

RESOL. CCXLI.

REspondet negatiuè Cephalus lib.3.cons.421.& Menochius lib.1.consil.79.nu.70. sed omninò contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docent communiter Doctores, vt Sarmiento lib.1.select.c.6.nu 7. Molinus de ritu nupt.lib.2. diffic.11.n.45. Guttierrez pract.qq.lib.2.q.4.n.12. Riccius in praxi tom.1.resol.224.n.6. Chamerota de Sacr.tr.22.de matr.dub.17. Campanili in diuer.iur.can.rub.11.c.13.n.143. Leo in Thes.for. Eccl.p.2.c.6.n.45. Villalobos in summa, to.1.tr.13. diffic.24.n.2. vbi ait ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem his verbis, denunciationes si omittantur, per hoc matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis.

Notandum est tamen contra Sotum in 4.dist.28.q.1.artic.2. contrahentes ante denunciationes factas peccare mortaliter, & ita dicendum est de parocho tali matrimonio assistente. Ita Villalobos vbi sup. Guttierrez de Sacrament. confir.p.1.c.51.n.29. Sanchez de matrim.to.1.lib.3.disp.5.nu.6.& alij.

Notandum secundò cum Layman.in theol.mor. lib.5.tra.10. par.2.cap.4.num.11. quod in tali casu quando videlicet denunciationes ante nuptias factæ nō fuerint, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse Concil. Trident. vt si fortasse impedimētum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo consulto videatur eas omninò intermitti.

Notandum tertiò cum Coninch.de Sacram. disp 37. du.5.n.53. quod non possunt sola auctoritate Parochi prætermitti denunciationes, si timetur matrimonium malitiosè impediendū, licèt postea efficerentur, antequam dictum matrimonium consummetur; quia hoc spectat ad Episcopum cū facilè possit adiri, licèt Viualdus in candelabr.p.1.de matrim.nu.243. cum quibusdam alijs doceat posse hoc efficere Parochum, Sed tu tene primam sententiam; nam vt notat Henriquez lib 11.c.15.nu.5. ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vide Sanchez de matrim.lib.3.disp.7.nu.17.

An non obstante copula violenter extorta intra bimestre, possit fœmina quæ vim passa est, contradicente viro ad Religionem transire?

RESOL. CCXLII.

AFfirmatiuam sententiam docet Tho. Sanchez de matrim. to.1.lib.3.disp.31.nu.6. cum alijs penes ipsum, quibus adde Emanuelem Sà ver.matrim. n.17. quia spōsus grauem intulit iniuriam, cum non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre concessum, ex c.ad nostram de empt. & vendit. c.tuæ de clericis non resid. c.sedes de rescript. cum multis similibus, quæ congerit Tiraquellus de retract.lign.§.3. Glossa 9.nu.68.

Sed opinio cōtraria preter alios multos tenet nouissimè aduersus Sanch. Basilius Pontius de matrim.lib.9.c.10.n.3. quia iā matrimonium consummatum est, & iura sine distinctione loquuntur, quare vbi ius non distinguit, nec distinguendum est, nisi turpitudo sequatur. Non ergo potest talis femina inuito viro ad Religionem transire. Cęteras rationes videbis apud præfatum Pontium vbi sup. qui n.4. inuehitur etiam contra Sanch. loco cit.n.12. asserentem posse talem feminam, quæ in isto casu vim patitur, incontinenti conari ad semen emittēdum iam receptum, quia tunc inquit, semen non habet pacificā vasis possessionē. Sed ait Pontius, si dum reluctatur fœmina, eueniret, vt semē effundaretur extra vas, illam ego à peccato liberā iudicarem. At semel effusum semē, atque receptum, cuius nullus alius vsus est, nisi in ordine ad generationem, emittere turpissimum est. Neque verò quia femina posset, dū vim patitur, virile membrum extrahere, ideò potest & semen iam receptum emittere, nam aliud est impedimentum apponere, dum quasi in via est ad consummationem violentus aggressor; aliud verò semen exijcere, cum iam ad finem peruentum est, & consummatum matrimonium, vt satis constat. Et denique inquirendum est à Sanchez, quo fine honestari possit ea eiectio seminis; nam vt ea honesta esse posset, necessarium esset, vt duo concurrerent præcepta, vnum efficacius alio, hic autem cōcurrit præceptum na-

turale

turale non eijciendi semen, cum consilio suscipiendi habitum religiosum. Quomodo ergo potest illa effusio honesta reddi. Hæc omnia Pontius loco citat. contra Sanch. cuius sententiam principalem positam in titulo quæstionis his non obstantibus, tenet nouissimè Layman in theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 6. n. 3. Vide etiam Villalobos in summa, to. 1. tr. 13. diffi. 13. n. 5. hanc quæstionem tractantem.

An vir consentiens vt vxor Religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debeat, & an sufficiat si sumat habitum Equitum D. Ioannis.

RESOL. CCXLIII.

PVlchra, & curiosa quæstio, ad quam asfero, certum esse vt sit licitus ingressus alterius coniugis post matrimonium consummatum in Religionem, minimè sufficere licêtiam alterius manentis in sæculo, sed si manens in sæculo sit senex, & absque incontinêtię suspicione, desiderari vt votum castitatis emittat; si autem iuuenis, id non sufficere, sed opus esse, vt pariter Religionem Ingrediatur, vt habetur in c. cum sis de conuer. coniug. & c. vxoratus eodem tit. hoc supposito tanquam certo, difficultas est, an in tali casu sufficiat, si vir assumat habitū Religionis Equitum Melitensium. Negatiuè respondet Sanchez de matrim. to. 2. li. 7. disp. 32. n. 4. in fine, vbi sic ait. Nec sat est si profiteatur vir assumpto habitu Equitū D. Ioānis, quia ea sit professio solennis, at ij manent in sæculo cum periculo incontinêtię, cuius contrarium petitur in c. vxoratus de conuer. coniug.

Sed his non obstâtibus, affirmatiuam sentêtiam docet Basilius Pôtius de matrim lib. 9. c. 12. nu. 3. vbi sic asserit. Cum ergo vno coniuge ingrediête Religionem, alter si iuuenis est, ingredi etiam Religionem compellitur, non quidem ingreditur, vt sibi tantum degat tanquam in aliquo honesto loco reclusus, vt seruet continentiam, sed vt verè profiteatur; sufficiet autem ingredi Religionem S. Ioannis, quod immeritò negat Sanchez, constatque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Fœminis etiam licebit monasterium S. Iacobi ingredi, & in eo ordine profiteri, & satisfaciet suæ obligationi. Ita Pontius, satis quidem probabiliter, nam vt alibi ex auctoritate multorum Doctorum probauimus, votum ingrediendi Religionem impletur, ingrediendo dictam Religionem D. Ioannis.

An si vnus promittat matrimonium, & alius acceptet, non tamen repromittendo, maneat promittens obligatus.

RESOL. CCXLIV.

AFfirmatiuè respondet Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 3. disp. 5. num. 12. vbi sic ait. Quando matrimonij promissio fit gratis, & liberaliter, tunc altero acceptante promissionem, nec repromittente solus promittês obligatur; quod si alter post acceptationem diu distulerit repromissionem, & matrimoniū perficere, censetur côtemnere; atque ita qui promisit, manebit liber ex tacita remissione, quia cum promissio matrimonij mutuam ex se repromissionem exigat, tendatque ad matrimonij complementum; euidens contemptus, ac tacitæ remissionis signum apparet diu repromissionem, ac matrimonium protrahere. Ita Sanchez.

Sed contra illum stat Basilius Pontius de matrim. lib. 12. cap. 4. num. 1. vbi sic ait. Ego existimo nunquam esse posse promissionem futuri matrimonij gratuitam, & sine conditione repromissionis, & ex consequenti, si vnus promittat, neque alter repromittat tacitè, vel expresse, neutrum obligari; & affert rationem ex Gabriele Vasquez in 3. part. tom. 4. disp. 4. de matrim. c. 4. num. 33. quia contractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessariò in se côtinet mutuam obligationem vtriusque, ita vt nemo velit, nec velle possit se tradere nisi sub conditione, vt alter se ei mutuo tradat in compensationem & obliget.

Ex his multa colligit Pontius contra Sanchez. Primò, promissionem futuri matrimonij non obligare ante acceptationê, neque ex iustitia, neque ex fidelitate Secundò, sponsionem matrimonij factam infanti fauore illius non esse firmam, vel ratâ, neque expectandum tempus, donec ille velit repudiare, vel acceptare. Tertiò, promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, neque in hoc seruatur stipulationis solemnitas; attamen antequam acceptetur ab absente, posse reuocari, & nô obligare; nec posse stipulari aliquem pro alio in hac promissione, ita vt recedere non liceat promittenti. Vnde non satis est, neque pater, neque mater, neque frater, neque soror, neque alij ad acceptandum eius nomine. Quartò, si viro promittente matrimonium eam promissionem fœmina acceptet, côtractum sponsaliorum valere, neque esse necessariam aliam repromissionem, quia cum promissio matrimonij non sit nisi sub conditione repromissionis, neque esse possit ipso, quod aliquis acceptat, significat velle se in futurum contrahere, cum non possit alter promissionem acceptare, quæ est de matrimonio futuro. Hæc omnia Pontius aduersus Sanchez; sed quia fuerunt viri doctissimi, saltem ex principio extrinseco vnusquisque suam opinionem efficit probabilem, & tutam in praxi.

Quando teneatur implere, qui contraxit sponsalia, nullo præfixo termino.

RESOL. CCXLV.

ITa respondet Sanch. de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 28. num. 2. si dies apposita minimè sit obligationi, nec alia conditio, non teneri promissorem statim implere, sed tantùm requirente eo cui promissio facta est, tunc verò cum alter petit, teneri contrahere. Ratio est, quia id generale est in omni debito absque diei præfixione, solùm enim tenetur debitor à creditore requisitus, soluere, vt constat ex leg. debitores præsentes, Cod. de pignoribus. Ita Sanchez.

Sed hæc opinio displicet Basilio Pontio de matrim. libr. 12. c. 6. num. 1. vbi sic asserit. Incipit obligatio adimplendi sponsalia à momento contractus leg. in omnibus obligationibus, ff. de reg. iuris, cuius oppositum immeritò docuit Sanchez, argumento textus in leg. debitores, Cod. de pignoribus, ex quo textu constat debitorem non teneri soluere, nisi requisitum, quando non est debito soluêdo præfixus terminus, sed id perperam ex dicta lege colligitur; nam ibi agitur de distractione pignoris, quod creditor habet; nô enim valent pacta de pignore propria auctoritate distrahendo. At quando conuenit, ne pignus debitoris distrahatur, & perpetuam moram soluendi faciat solenniter, at cum testibus denunciare eidem possunt, vt pignus liceat distrahere, vt in dicta lege debitores, itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sâchez. Quod autem attinet ad eam doctrinam quam affert; verùm quidem est quando aliquis mutuam pecuniam dedit, nec terminum præfixit, intelligi debere necessariò aliquem terminum arbitrio iudicis, vt vtile sit mutuum, aliàs nulla mutuatarij vtilitate datum mutuum esset, si statim repeteretur, sicut etiam idem dicitur de precario. At in nostro casu, longè diuersa ratio est, non enim est necessarium tempus expectandi, in quo sit vtilis promissio, est enim vtilis à principio, & vtilis adimpletio, & ita etiam alio non petente adimplêda est, nisi alter adimpletionem differri ex causa postulet. Ita Pontius aduersus Sanchez.

Sed his non obstantibus, opinionem Sâchez probabilem esse puto, quam post illum tuetur Villalobos in sum. to. 1. trac. 12. diffic. 9. nu. 2. vbi sic ait. [El que le desposo sin terminar el tiempo, en que se casar, obligacion tiene pudiendolo hazer commodamente, quando la otra parte lo pidiere, porque assi à contece en las demas deudas, que se contraen sin señalar el termino de la paga.] Et hanc sententiam docet etiam Coninch. de Sacram. disp. 22. dub. 1. nu. 2.

An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pupertatem adepto resilire.

RESOL. CCXLVI.

NOn posse resilire mordicus docet Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 51. q. 3. n. 22. & adducit c. ex litteris el 2. de sponſ. Affirmatiuam tamen sententiam tenet Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 9. nu. 7. vbi ait. Quæres quid dicendum sit, si impuberum sponsalia iuramento confirmentur? Nonnulli dicunt resilire non posse, etiamsi ad annos pubertatis peruenerint docet cum alijs Sanchez. Addit tamen, vt eiusmodi iuramentum confirmet sponsalia, necessarium esse, vt sint proximi puber-

pubertati. In quo non loquitur consequenter, sed euertit sententiam quam primùm defenderat. Sed mihi lõgè probabilius videtur, etiam si iuramẽtum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis, quia iuramentum sequitur naturam obligationis cui adiũgitur, sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur, altero eorum reclamante, cum ad pubertatem peruenerit. Ergo idem etiam est quamuis iuramẽtum accedat. Vt enim dicamus aliũ effectum habere iuramentum, deberet esse in hoc specialis iuris dispositio, quę nõ est. Ita Pontius, qui multas alias rationes adducit aduersus Sãchez. Et hæc opinio videtur mihi satis probabilis, vnde impuberes possunt à sponsalibus resilire post annos pubertatis, licet sponsalia iuramento firmauerint.

Nota tamen quod opinio Sanchez est etiam probabilis, & illam etiam tenet Aegidius de Coninch. de Sacr. disp. 23. dub. 2. concl. 3. n. 9. vbi sic asserit. Impuberes contrahentes sponsalia, si ea iuramento confirmẽt, non possunt postea parte inuita ijs renunciare.

An qui fictè contrahit matrimonium, iterùm teneatur verè, & ex animo contrahere?

RESOL. CCXLVII.

Negatiuè respõdet Martinus Ledesma dub. 4. quę. 47. art. 4. nec multum ab illo differt Thom. Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 11. n. 5. docet .n. si nullum damnum sequitur fœminę, cum qua quis fictè contraxit matrimonium, non teneri iterùm contrahere, secùs tamen si damnum sequitur, vel infamia, vel quia aliud iam inire non potest, nisi fortè sint disparis conditionis, putat enim ex nullo contractu cum fictione celebrato obligationem oriri, nisi ratione alicuius damni illati, non vero ex vi contractus.

Sed hanc sententiam refellit Basilius Pontius de matrim. li. 2. c. 5. n. 5. vbi sic ait. Mihi videtur, fictè cõtrahentem iterùm teneri vere ex animo cõtrahere, quod quidem ita certum existimo, vt iudicem oppositum probabilitate carere, neque vllum alium quam Martinum Ledesmam pro se citare potest Sãchez, vnde meritò improbabilem censet Petrus Ledesma q. 45. art. 4. du. 5. & indubitatam Petr. Soto lect. 3. de matrim. §. primũ igitur, tenet eam Sotus in 4. distinct. 27. q. 1. art. 3. qui omnium esse fatetur, olim tenuit Ioannes Maior in 4. dist. 27. qu. 1. Petr. Gregor. lib. 9. Synt. c. 5. n. 6. quia si opinio contraria admitteretur, latissima aperiretur via hominibus sceleratis ad decipiendas sæpè fœminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad contrahendum. Ita Pontius, qui alias validissimas rationes adducit ad hãc sententiam confirmandam, & nu. 8. infert contra Sanchez, ita fictè contrahentem teneri iterùm ad verè contrahẽdum, etiamsi sit longè disparis conditionis in nobilitate, aut diuitijs, quando cetera nullum signum adsunt, quo iudicari posset non serio promitti, præter disparitatem; disparitas enim illa conditionis non est argumentum huiusmodi doli, atque fictionis.

Sed licèt hæc omnia dicta sint à Pontio satis solidè, & probabiliter, tamen sententiam Sanchez non puto improbabilem, vt ipse Pontius existimat, & ideò illam tenet nouissimè Villalob. in summa, to. 1. tract. 13. diffic. 8. n. 2. Layman in theol. mor. li. 5. tract. 10. p. 2. c. 6. n. 1. licèt asserat: quod compensatio damnorum plerumque alia ratione secũdùm æqualitatem fieri non potest, nisi denuò verè contrahatur.

Nota etiam cum Layman ibid. qui citat Syluestrum, Ledesmam, Henriquez, & Vasquez. quod deceptor ad matrimonium nõ obligatur in multis casibus. Primò, si decepta pro virgine se falsò iactauit. Secundò, si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeantur. Tertiò, si deceptor vt dictum est lõgè eminētiori statu positus sit. Quartò si decepta cognita deceptione, aliam damni compẽsationem spontè recipiat. Quintò, si deceptor aliud posteà matrimonium vero consensu contraxit.

An saltem peccet venialiter, qui loqui valens contraheret matrimonium per signa, & nutus?

RESOL. CCXLVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. to. 1. 2. disp. 3 r. n. 10. vbi ait. Fateor culpam esse venialem non exprimere verbis, sed solis signis consensum in matrimonio contrahendo, nisi iusta causa excusaret.

Sed contra illum nullam culpam venialem in tali casu agnoscit Basilius Pontius de matrim. lib. 2. c. 7. num. 14. vbi sic asserit. Ego non video aliquod præceptum Ecclesiasticum de verbis adhibendis, & Pontifex in c. tuæ fraternitati. & c. licèt de sponsduar non intendit excludere alia signa sensibilia expressiua cõsensus, & ipse Sanchez admittit nullum in dictis capitibus contineri preceptum. Quod si nullum agnoscit pręceptum in dictis cap. quomodo potuit consequenter affirmare, esse peccatũ veniale in omissione verborum: cum peccatum, tam mortale, quã veniale, non possint esse, nisi vbi lex & præceptum est? Nec verò ex Trid. sess. 24. c. 1. de refor. matr. colligi potest necessitas verborum, cũ dicitur, *vbi Parochus viro, & muliere interrogatis & eorum consensu intellecto, &c.* Neque .n. dicit Concilium, vt interrogato fiat per verba, cum surdi, & muti parochi verba percipere nõ possunt, & quando parochus interrogat eos, qui loqui possunt, & audire, non definit Concilium, neque pręcipit, vt responsio etiam verbis fiat, sed solùm vt parochus intelligat contrahentium consensum, potest autem ex signis æquiualentibus intelligi. Ita Pontius contra Sanchez.

Sed in illius fauorem stant nouissimè Coninc. de Sacramen. disp. 24. dub. 9. nu. 66. & Filliucius to. 1. tract. 10. p. 1. c. 3. n. 82. qui asserunt tales contrahentes peccare venialiter: non sunt tamen audiendi Petrus de Ledesma in summa, de matrim. qu. 45. art. 1. concl. 1. & Rodriquez in summa, to. 1. c. 216. nu. 5. qui putent supradictos contrahentes peccare mortaliter, quod etiam docet nouissimè Sylnius in 3. p. q. 44. art. 2.

An procuratore misso ad contrahendum, si mandans in amentiam incidat, matrimonium sit validum?

RESOL. CCXLIX.

Affirmatiuè respondet Sanchez de matrim. tom. 1. libr. 2. disp. 1 r. n. 1 2. vbi sic ait. Hinc infertur, si procuratore misso dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseueret dum procurator nomine suo contrahit, valere matrimonium: manet enim virtute prioris consensus, cum reuocatus non sit, sicut baptismus factę tempore receptus, petitus ante furiam, validus est ex c. maiores, de baptismo, sicuti, si tunc temporis esset dormiẽs, valeret matrimonium. Ita Sanchez.

Sed hæc sententia displicet Basilio Pontio de matrim. lib. 2. c. 15. nu. 14. quia pro forma, & causa contractus est consensus. Ergo nullum est matrimonium: adde si moreretur mandans, eo tempore nihil ageret procurator, ipsa enim morte cessaret consensus, Ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti, quoad consensum; in quo videtur longè diuersam esse rationem de mandato, si in amentiam incidat, aut si dormiat: ille enim incapax habendi consensum, hic verò minimè. Neque simile est, quod baptismus petitus ante amentiam, validè conferatur in amentia. Nam vt baptismus effectum habeat, satis est voluntatem præcessisse, neque reuocatam, eo enim ipso posita materia ponitur effectus: at in matrimonio necessarius est cõsensus perseuerans, etiam in ipso fieri contractus, quia consensus per verba expressus, vel signa est forma matrimonij. Idem est in sacramento pęnitentiæ, potest enim absolui. qui ante amentiam dedit signa contritionis, neque enim necesse est simul sint in pęnitẽtia, materia, & forma eius sacramenti. Atque id, quod dicimus, intelligetur facilè si quęramus, an cum illo in amentiam incidente, & præsente, licet explicasset antea consensum, contraheretur matrimonium? Minimè. Ergo, neque per procuratorem contrahi poterit, si mandans in amentiam incidat. Sic Basilius contra Sanchez.

Sed Sanchez sententiam tenet Henriquez li. 11. cap. 4. num. 4. & nouissimè doctus Bonacina de matrimon. quæst. 2. punct. 5. num. 13.

An matrimonium inter absentes contractum per procuratorem, vel per litteras coram Parocho, & testibus sit Sacramentum?

RESOL. CCL.

Negatiuam sententiam docet nouissimè Gullielmus Estius in 4. sentent. dist. 19. §. 5. & Franciscus Sylnius in 3. parte D. To-

D. Thomę, qu. 42. art. 1. quæritur 3. concl. 2. qui citat Caietanum, Victoriam, & Canum. Et ratio est, quia sicut collatio Sacramēti est actio personalis, ita eius receptio est personalis passio negatiuè neque dici potest hoc esse matrimonio, vtpotè contractui, peculiare, quia præter naturam contractus etiam habet rationē Sacramenti, quod proinde similiter, vt alia Sacramenta, requirit, vt minister applicet formam ad materiam in subiecto præsente. Confirmatur, etiamsi pœnitentialibus absolutio sit iudicialis, possit autem aliquis iudicialiter absolui etiamsi sit absens, quia tamen est sacramentum, non potest in absentem proferri. Deinde sequeretur alioquin, quod sacramenta conferant gratiam absenti, & sic occupatio circa alia, vt nec ipse de sacramento cogitet, nec circa ipsum fiat actio sacramentalis.

Sed contrariam sententiam docent Doctores, quos citat, & sequitur Sánchez de matrim. tom. 1. lib. 2. disput. 11 qu. 2. nu. 20. quibus ego addo Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. diffic. 9. num. 3. Ioan. de la Cruz in directꝫ. p. 2. de matrim. ante qu. 1. Basilium Pontium de matr. lib. 1. cap. 10. num. 2. Valentiam tomo 4. disput. 10. quæst. 1. punct. 6. Coninch. de Sacram. disp. 24. dub. 2. concl. 5. num. 23. & alios, vnde inferunt supradicti DD. contrahentes sub peccato mortali teneri curare, vt sint in gratia illo tempore, quo procuratores eorum nomine contrahunt; ne Sacramentum viuorum in peccato mortali suscipiant; secus de procuratoribus, qui alieno nomine agunt, nec vllum Sacramētum suscipiunt.

Quid ego sentiam dicam breuiter cum Rebellio p. 2. libr. 2. q. 5. concl. 2. nu. 9. quod etsi valdè probabile sit, matrimonium inter absentes contractum, non posse esse Sacramentum nouæ legis, seu gratiæ, siue periculoque defendi posse videatur, omnē collationem, receptionemque cuiusuis sacramenti exigere præsentiam conferentis, ac recipientis, vt habet prior opinio; attamen posterior tenēda est, vt communior, ac securior, quę absolutè ait, esse Sacramentum, si videlicet contrahentes intendunt saltem implicitè, facere sacramentum, id autem intendere sunt censendi, quoties intendunt quod Ecclesia intendit in coniugandis fidelibus.

Et licèt Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. diffic. 9. num. 3. optimè asserat, [que hazen bien los contrahentes, que despues en presencia se bueluen à casar para quitar escrupulos, porque el matrimonio por la parte que tiene de contracto, se puede repetir à manera de los demas contratos, y no se reytera à quel sacramento, porque esto solo es confirmar el contrato, y no hazerle de nueuo.] Vnde sic faciendo si fortè non receperunt Sacramentum, postea illud recipiant; attamen ego puto cum Rebellio vbi supra, num. 10. quod tam sacerdos, quam contrahentes cum in facie Ecclesiæ iterum iungentur, ad faciēdas solennitates omissas, implicitè hoc facere saltem intendunt; siquidem rē, vt de iure licèt peragere volunt; quod est valdè notandum ad tollendos scrupulos.

Notandum est tamen hic cum Syluio, Pontio, & alijs vbi supra, diuersitatem sexus nullius esse momenti in procuratore, cum sit tantùm instrumentum ministrans verba, quibus contrahitur matrimonium, & ideò fœmina potest contrahere in tali casu matrimonium pro viro.

Notandum est etiam, quod procurator non debet excedere suum mandatum, alioquin matrimonium est nullum: [mas non obstante esto, ait Villalobos vbi supra, num. 2. aunque en el poder le digan, que contrayga guardando la forma del Concilio Tridentino, si hizo al contrato sin moniciones, con todo vale, porque tambien valdria, si el mismo, que da el poder, le hiziera assi.] Ita ille, qui etiam aduertit, [que se puede dar poder al procurador, aunque no sea con escritura, ni tan poco es necessario, que tenga edad determinada.] Nota quod dicta procuratio, nō est necesse, vt efficiatur coram Parocho, ac testibus. licèt coram prædictis, postea sit ineundum matrimonium.

Idem quod dictum est de matrimonio per procuratorem cōtracto, dicendum est, vt notat Barbosa in collect. to. 4. p. 2. decreti, causa 30. q. 5. c. nec illud, num. 2. cum alijs communiter, si per litteras contrahatur, & ad hoc efficiendum à Villalobos vbi supra, diffic. 10. num. 2. faciles vię præbentur, [la vna, si el que escriue la carta, embia mensagero con ella, dandole poder à el, ò a otra persona, que en su nombre acepte el contracto: lo qual no solo seria contraher por carta, sinò iuntamente con ello por procurador. La secunda manera es, [& hic est modus facillimus] que en carte escrita, que desde entonces acepta la tradicion, que la otra parte le hiziere, y si leyda la carta delante del parocho y testigos, da su consentimento, la otra parte; ya el matrimonio vale, y este modo es facil.] Notentur hæc, quia in praxi possunt non semel accidere.

Quænam sit materia, & forma huius Sacramenti.

RESOL. CCLI.

Prima opinio asserit, Internum consensum contrahentium esse materiam, verba autem esse formam. Ita Nauarrus cap. 22. num. 20. & Syluester verb. matrimonium 1. n. 1. Secūda contra Nauarrum docet, nempè verba esse materiā, consensum formam. Ita Maior in 4. distin. 26. q. 1. & 3. Tertia tenet verba ab vno prius prolata esse materiam, alterius verò verba esse formam. Ita Victoria in summa n. 245. Quarta docet verba cōtrahentium, esse sibi mutuo materiam, & formam, qua enim matrimonij contractum inchoant, & offerunt, materiæ rationem obtinent: qua vero eundem acceptant, perficiunt, & complent, formæ rationem habent. Ita DD. quos citat, & sequitur Sanch. de matrimonio to. 1. lib. 2. disp. 6. quibus ego addo Coninch. de Sacram. disp. 34. dub. 3. nu. 32. & 33. Villalobos in summa, to. tra. 13. diffic. 6. n. 2. & Suarez in 3. p. to. 3. disp. 2. sect. 1. asser. 1. Quinta opinio asserit, materiam huius Sacramenti esse coniugum corpora mutuo tradenda, formam verò esse verba coniugum contrahentium. Ita Paludanus, Couarruuias, D. Antoninus, & alij, quos citat, & sequitur Layman in theol. mor. libr. 5. tr. 10. punct. 1. cap. 2. num. 3.

Mihi quarta opinio magis placet. Sed quænam sit materia, & forma in matrimonio contrahendo per procuratorem inter absentes, vide Sanchez tom. 1. libr. 2. disput. 11. quæst. 4. nu. 28. cuius sententia displicet Basilio Pontio de matrim. lib. 1. cap. 10. num. 6.

An si coniux infidelis velit permanere cum coniuge fideli sine iniuria creatoris, & scandalo, possit hoc non obstante coniux fidelis nouum matrimonium inire?

RESOL. CCLII.

Negatiuè respondet Rebellius part. 2. libr. 3. quæst. 10. nu. 16. quia gratia non destruit naturam, ergo nec prior contractus per similem contractum in lege gratiæ sine culpa alterius coniugis soluetur. Idem docet Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 7. Toletus in summa, lib. 7. cap. 7. Nauarrus in manuali, c. 22. nu. 49. & ex veteribus D. Bonauentura in 4. dist. 34. art. 2. qu. 1. D. Thomas ibid. qu. vnica, art. 5. Ricardus art. 2. qu. 2. Paludanus q. 1. art. 2. Durandus q. 2. & alij, & adducunt textum in cap. gaudemus de diuortijs.

Sed alij his nō obstantibus putant absolutè coniugem ex infidelitate ad catholicam fidem conuersam posse trāsire ad alias nuptias, quamuis alter coniux in infidelitate persistēs pacificè, & sine iniuria cohabitare vellet. Et ita docet Sanchez de matrimon. to. 2. lib. 7. disp. 74. nu. 9. & alij penes ipsum.

Ad argumentum verò desumptum ex cap. gaudemus, rēspōdet Coninch. de Sacram. disput. 26. dub. 5. num. 61. quod Pontifex ibi pro eodem sumit coniugem velle cohabitare manendo in sua infidelitate, & id velle cum contumelia creatoris: quia velle in infidelitate permanere, Dei contumelia est, præsertim quod talis, vel exemplo filius ad infidelitatem facilè pertrahet, vel saltem erit infidelem, & hostem Dei fidelibus liberis dominari. Vnde hos duos casus scilicet infidelem velle se conuertere, & nolle cohabitare fideli sine iniuria creatoris, aut ab ea discedere, ponit tanquam duo membra adæquate genus diuidentia.

Nota verò, quod Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 3. num. 4. cum Veracruz in speculo p. 2. art. 29. putat ob auctoritatem Doctorum contrariæ sententiæ, longè tutius esse in hoc casu Summum Pontificem consulere, atque dispensationem petere.

At si aliquis hoc nollet efficere, tenetur alterum coniugē monere, & inuitare ad fidem. Vnde sequitur infideli petenti certū tempus ad deliberandum de conuersione, id debere ei concedi quia hoc rationabile est, nec ante potest constare eum esse pertinacem. Non tamen requiritur, vt per Ecclesię sententiam declare-

claretur esse pertinacem, sed sufficit alia via id constare, & idem quod de matrimonio diximus, dicendum est de ingressu Religionis, & de susceptione ordinis Sacri, Coninch vbi supra, num. 62. & alij.

An matrimonium infidelium cum ambo baptizantur fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat.

RESOL. CCLIII.

Prima opinio affirmat solam baptismi susceptionem sine alio nouo consensu, efficere matrimonia in fide infidelium verum Sacramentum. Et ita docet Sanchez de matrim. to. 1. l. 2. disp. 9. n. 5. quia statim ac baptizatur, matrimonium illud repræsentat Vnctionem Christi cum Ecclesia, cum in Christi fide cōtractum perseueret, efficiaturque indissolubile, saltem vt matrimonium ratum fidelium. Ergo statim, ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Sed hæc Sanchez sententia mihi displicet, quia si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes matrimonium, conficere nouum Sacramentum, & matrimonium, quia quod prius poterat per dispensationem Pontificis, & ingressum Religionis solui, & tantum repræsentabat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, efficiunt insolubile, & repræsentans vnionem Christi per Incarnationem, vt habetur c. debitum 5. de Bigamis, sed hoc dicere est absurdissimum. Ergo.

Secunda opinio docet, quod tunc primum matrimonium in fidelium rationem Sacramenti assequitur, cum post baptismum vel noui cōsensus mutui exprimuntur, vel præcedentes per aliqua externa signa; & probabile est non esse opus, vt Sacerdos, vel testes præsentes sint, sed vt dixi, sat est primum matrimoniū de nouo signis externis ratum habere iuxta Ecclesiæ intentionem; verùm est, quod si infideles coniuges baptizentur: nolnit tamen de nouo in Christo contrahere, vel ratum habere præteritum coniugium secundùm Ecclesiæ intentionem ad recipiendum illud Sacramentum, non videntur damnandi mortalis, sed absque Sacramento vti possunt pristino, & ita docet Rebellius p. 2. lib. 2. quæst. 7. num. 2. Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 5. & cap. 15. & alij.

Sed mihi tertia opinio magis placet, quæ asserit matrimoniū contractum inter infideles, non posse fieri verum Sacramētum, etiam si posteà baptizentur. Et ita docent Basilius Pontius de matrim. lib. 1. c. 9. nu. 8. Gabriel Vasq. tom. 2. in 3. disp. 138. c. 5. & tom. 4. disp. 2. de matrim. c. 10. & Ægidius Coninch. de Sacram. disp. 24. dub. 2. concl. 7. nu. 15. Et ratio est, quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni potest, nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & iā nullo modo in se existit, neque tales possunt de nouo matrimonium contrahere, quia non possunt sibi mutuo corpora tradere; nemo enim potest alteri tradere, quod non est suum, & quia neuter iam habet potestatem proprij corporis, vt docet Apostolus 1. Cor. 7. ergo non possunt ea sibi mutuo tradere. Fateor tamen cum Coninch. vbi supra, n. 28. credibile esse Deum talibus maiores dare gratias præuenientes ad ferenda incommoda matrimonij, quam dat infidelibus, non ob Sacramentum matrimonij, sed quia fideles sunt, quibus, ratione fidei, ac baptismi diuina gratia magis debita, & vbiq; parata est.

Quisnam est minister Sacramenti matrimonij.

RESOL. CCLIV.

Notabilis est sententia Melchioris Cani libro 8. de locis, ca. 5. asserentis ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem ipsum proferentem verba, & coniungentem contrahentes matrimonio. Sed hanc Cani opinionem vsque ad sua tempora nullum defensorem habuisse testatur Sotus in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 3. & præter Gulielmum Parisiensem, & Theologos Concilij Coloniensis, nullum auctorem pro tali opinione allegari posse, notat Vasquez tom. 4. in 3. parte disput. 3. de matrimon. ca. 8. num. 3. & Vasquez loco citato, n. 46. hanc opinionem improbabile putat, & nota dignam, vnde illam temerariam appellat Rebellius par. 2. lib. 2. quæst. 4. sect. 2. nu. 6. Et patet ex Concilio Tridentino, & Florentino, vbi ex instituto propter nouas hæreses de matrimonij Sacramento agunt, nec aliam nouam materiam formam, ac ministrum illius in ratione Sacramenti tradūt, quam in ratione contractus sub omni lege ab initio fuerit requisitos. Constat autem non opus fuisse sacerdote ante legem nouam, nec hodie inter gentes, vt matrimonium in genere contractus validum sit. Ergo, &c. Et ita etiam hanc sententiam improbabilem esse docet Coninch. de Sacrament. disp. 24. dub. 3. num. 29.

His tamen non obstantibus Melchioris Cani sententiam, quam supradictis notis Auctores citati inuunt, sequuntur nouissimè nostris temporibus duo viri doctissimi Sacræ Theologiæ in Academia Duacena publici professores Gulielmus Estius in 4. sentent. distinct. 26. §. 10. Franciscus Sylnius in 3. par. D. Thom. quæstio. 42. artic. 2. quæritur primò, qui octo argumenta adducit ad probandum Sacramenti matrimonij ministrum esse solùm sacerdotem. Et hanc sententiam tanquam probabilem videtur admittere Didacus Nugnus in 3. parte, to. 1. quæstio. 64. artic. 6. diffic. t. conclus. 2. Sed an ita reuera, sit alijs iudicandum relinquo: mihi enim placet communis sententia, asserens ministrum huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, vt alibi diximus.

Notandum est tamen hic obiter, Toletum lib. 7. c. 6. nu. 4. docere ministrum in hoc Sacramento ante Concilium Tridentinum non fuisse necessarium, at posteà esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij ministrum, & testes. Sed hęc verba continere multa absurda notauit Basilius Pōtius de matrim. lib. 1. c. 8. nu. 8. nempè ante Tridentinum non fuisse necessarium ministrum in matrimonio; & tamen sacramēta non perficiuntur sine ministro; deinde posse Ecclesiam alium ministrum constituere. Quæ omnia enim sint absurdissima, & viro docto indigna, dicendum est contra Pontium sub nomine ministri Toletum intelligere sacerdotem assistentem cum testibus matrimonio, & sic omnia absurda cessant; nam præsentia Parochi ante Tridentinum non erat necessaria ad contrahendum matrimonium, posteà verò sic.

An inter fideles possit esse matrimonium, quod non sit Sacramentum.

RESOL. CCLV.

Diximus in superiori Resolutione ministros huius Sacramēti esse ipsos contrahentes, & cum omne Sacramentum perficiatur intentione ministri; quæritur modo, an si fideles contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem sacram, sed tantum vt contractum, reuera tale matrimonium non esset Sacramentum, valeat tamen ratione contractus? Nonnulli negant; quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio Sacramenti à contractu matrimonij, vnde in tentio cōfici Sacramentum repugnat intentioni legitimè cōficiendi matrimoniū, quatenus est contractus. Sicut è contra qui intenderet facere Sacramentum, & non contractū, nihil efficeret, quia ex Christi institutione, hęc duo sunt inseparabiliter cōiuncta, & se mutuo ponunt, & destruunt. Ita Sanchez de matr. to. 1. lib. 2. disp. 10. n. 6. Layman lib. 5. tract. 10. par. 2. c. 2. nu. 2. Coninch. de Sacram. disp. 24. dub. 1. concl. 4. Petrus de Ledesma de matr. q. 42. ar. 2. dub. 7. ad 1. & 2. cum alijs.

Mihi verò contraria sententia placet, quam aduersus Sāchez non solùm tenet Basilius Pontius de matrim. lib. 1. cap. 9. num. 3. & Villalobos in summa, tomo 1. tract. 13. diff. 6. nu. 4. sed ex ipsamet Societate Gabriel Vasquez to. 2. in 2. parte, disput. 138. cap. 5. in principio, & ante omnes Rebellius p. lib. 2. quæst. 5. cont. 1. Nam quæro à Sanchez, & alijs Doctoribus, vnde colligant eo modo factam à Christo institutionem, cum eorum assertio ab institutione dependeat: eam enim non explicant Concilia, neque insinuant Sancti Patres, neque etiam vnanimis Doctorum opinio. Et ideò plures Doctores, vt supra visum est, docent, & docuerunt, matrimonium inter absentes, & per procuratorem esse firmum, atque legitimum, non tamen Sacramentum, & nō pauci recentiores iudicant hanc opinionem adhuc post Cōcilium Tridentinum esse valdè probabilem. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Rebellium.

Ex his omnibus sequitur (nota Lector) quod quando aliquis contraheret sine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt illud matrimonium non sit Sacramētum, quia in ministro non adfuit intentio necessaria, attamen manet validum in ratione contractus, ita vt contrahens

Mm non

non possit deinde alteri nubere, neque in posterum posse tale matrimonium effici Sacramentum. Et ita docet Pontius vbi supra de matrim lib. 1. cap. 9. n. 8. & Vasquez tom. 2. in 3. p. disput. 138. c. 5. to. 4. disp. 2. de matrim c. 10. n. 138. sicut etiam diximus supra matrimonium infidelium post baptismum minimè fieri posse Sacramentum. Et ratio est, quia, ait Pontius, & Vasquez, ratio Sacramenti matrimonij, annexa est fieri contractus, non vinculo remanenti post contractum. Consistit enim hoc Sacramentum in actione, sicut & alia omnia: excepta Eucharistia, & in eo fieri ipsius cum actus datur gratia, non postea, vt certa sententia Doctorum est; post semel autem contractum validè matrimonium, non potest denuò esse aliud fieri eius contractus. vinculum enim matrimonij relictum, in nullo penitus iam dependet à consensu eorum qui contraxerunt. Quare cum etiamsi renouetur consensus, nihil efficiatur circa contractum anteà validum, nec adhibeatur materia, & forma; cum solùm verbo tenus renouetur consensus, & Sacramentum matrimonij tantum consistat in fieri, nec possit esse, nisi re ipsa fiat contractus, quod iam factum est, ergo non potest iam amplius fieri Sacramentum.

An si Parochus intellecto consensu contrahentium non dicat; Ego vos coniungo in nomine Patris, &c. peccet mortaliter.

RESOL. CCLVI.

Respondet affirmatiuè Rebellius parte 2. libr. 2. quæst. 7. sent. 2. nu. 4. vbi sic ait. Opus est, vt Parochus intellecto vtriusque consensu dicat; Ego vos coniungo in nomine Patris, &c. vel alijs verbis vtatur iuxta Prouinciæ consuetudinem. Quæ verba licèt non sint de necessitate Sacramenti, cum nō sint forma ipsius, sunt tamen de necessitate præcepti sub mortali obligantis, adhibenda. Ita ille, & post illum Cenedus in QQ. Cano. quæst. 30. n. 38. & Zanardus in direct. par. 1. de Sacram. matrim cap. 10. q. 27.

At contrariam sententiam tenet Villalobos in sum. to. 1. tr. 13. diffic. 6. nu. 3. sic asserens. [Non obstante, que el Concilio dize que el Parocho entiendendo el consentimieto de las partes diga quellas palabras.] Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &cæt. [o otras segun el vso recebido de la tierra, lo qual dize Ribellio que obliga à pecado mortal, mas yo soy de parecer que obliga solo à venial; porque ni las palabras son de manera, que den à entender otra cosa, ni la materia es graue.] Sic ille, & ante illum Guttierrez de matrim. c. 69. n. 16. Sanchez to. 3. lib. 8. disp. 38. n. 7. & Coninch. de Sacram. disp. 27. dub. 4. n. 45. & ego hanc sententiam teneo.

An propter adulterium occultum valeat quis secluso scandalo, vxorem in foro conscientiæ dimittere.

RESOL. CCLVII.

Negatiuè respondet Basilius Pontius de matrim. libr. 9. c. 18. nu. 6. qui citat D. Thomam, Bonauenturam, Richardum, Turrecrematā, & alios, & ratio præcipua est, quia lex, quæ prohibet separationem coniugum etiam fornicationis causa, ante prohibitionem, & Ecclesiæ iudicium, data est iure optimo, vt occurratur hominum malitiæ, & fraudi, cumque eiusmodi leges in præsumptione fundentur, & præsumptiones, vt plurimū non deficiāt, non cessat eorum obligatio, etiamsi in aliquo particulari casu deficiat præsumptio, & ratio legis. Et ita hanc sententiam docet etiam Io. de la Cruz in direct. part. 2. de matrim. q. 5. dub. 3. concl. 2.

At his non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet. Dico igitur, quod quando adulterium est occultum vt probari ab innocente non possit, posse illum non expectato Ecclesiæ iudicio in foro conscientiæ vxorem dimittere, seu fugere in partes longinquas, secluso tamen aliorum scandalo. Et ita docet Rebellius p. 2. lib. 2. qu. 17. nu. 2. Coninch. vbi infra Villalob. in summ. to. 1. tr. 15. diff. 3. num. 4. Sanch. de matr. tom. 1. libr. 10. disp. 11. num. 12. Sotus in 4. dist. 36. q. vnica, art. 3. & ex veteribus Paludanus in 4. dist. q. 1. artic. 3. concl. 3. Et ratio est, quia vir in foro conscientiæ sublato scandalo, sibi ius dicere potest, cum defectus probationis non sit ex culpa sua. Cæteras rationes videbis apud Paludanum, & apud Panormitanum in cap. fori de adulteriis. Ad argumentum verò Pontij respondeo, quod quando lex fundatur in præsumptione, si deficiat in casu particulari, lex illa non obligat: vide ea, quæ adduximus in p. 1. tract. 10. de legibus, resol. 27. & 28.

Sed hæc omnia intelligenda sunt in foro cōscientiæ. vt diximus, nam quoad forum externum talis separatio non permittitur, nisi adulterium sit notorium, iuxta c. significasti, &c. porrò de diuortiis.

Notanda sunt tamen aliqua hic obiter, primò, si vterque coniux sit reus adulterij, neuter potest ab altero diuertere, vt patet ex dicto cap. significasti de diuort. quia compensatur mutua iniuria. Nec refert vter prius commiserit crimen, aut quod vnus sæpius altero, aut quod vnius crimen sit publicum, & alterius omninò occultum, & coniugem lateat, quia vterque verè fidem matrimonij fregit, soli autem innocenti conceditur diuortium. Ita Coninch. de Sacram. disp. 35. dub. 2. concl. 3. num. 12. Rebellius vbi supra n. 6. & alij. Vnde vt plurimum ex hoc capite multi illicitè diuortium petunt, quod est valdè notandum à confessarijs, sicut etiam illud quod aduertit Coninch. loco cit. n. 13. nēpè, si innocens post factum diuortium commisit adulterium, tenetur alterum cōiugem emēdatum iterum ad totum admittere, & ad instantiam alterius, vt notat etiam Rebellius num. 9. compelli poterit ad id à iudice.

Secundò nota, quod si præcessit sententia Iudicis Ecclesiastici de diuortio, hoc non obstante, innocens quamdiu non mutat statum, habet ius liberum ad reuocandum ad se nocentem si velit, vnde non potest dictus nocens, inuito aut inconsulto innocenti ad Religionem transire, vel sacris ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere, & etiamsi professus sit, vel sacris Initiatus, vel votum irritare. Et hæc omnia docet Basilius Pontius de matrimon. libr. 9. cap. 19. num. 3. & 4. cum alijs.

Verùm Coninch. de Sacrament. disput. 35. dub. 5. conclus. 4. num. 26. asserit, quod si dictus nocens se omninò emendasset, sæpiusque, ac instanter petiisset reconciliationem, & innocens eam absolutè negasset, posset Religionem, aut ordines suscipere, quia innocens in tali casu irrationabiliter est inuitus, non enim habet ius, vt alter cogatur perpetuò de suo statu incertus manere, nec possit animæ suæ aliquem statum suscipiendo consulere.

An matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium: transeat saltem in sponsalia de futuro.

RESOL. CCLVIII.

Affirmatiuè respondet Henriquez lib. 11. c. 5. nu. 4. Vegha in summa, to. 2. c. 34. cas. 25. Layman. in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. nu. 18. Coninch. disp. 21. dub. 4. concl. 18. Rebellius, p. 2. lib. 1. q. 9. nu. 3. & alii.

Sed opinionem contrariam tenendam esse existimo, quam tuetur Guttierrez de iuram. confir. p. 1. c. 51. nu. 26. & seq. Spino. de test. Gloss. 15. n. 7. & seq. Ledesma de matrim. q. 45. ar. 5. & alij, quos citat Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. num. 143. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem testatur Petrus de Cenedo in QQ. Canon. q. 30. n. 28. & hæc sententia procedit, etiamsi illud matrimonium fuerit iuramento confirmatum, vnde dicti contrahentes possunt discedere à tali contractu matrimonii, sine vlla Iudicis auctoritate, & cum alijs contrahere, nec indigent iuramenti absolutione. Et ratio horum omnium est, quia attento decreto Concilij Trident. sess. 24. ca. 1. de refor. matrim. tale matrimonium non solùm non tenet tāquam de præsenti, sed neque etiam tāquam sponsalia de futuro. Nam cum sic contrahentes peccent, & contraueniant dispositioni Concilij, & præcepto superioris, videntur potius facere actum illusorium, quam aliquo modo validum. Ergo, &c.

An impedimenta criminum sint per dissuetudinem sublata?

RESOL. CCLIX.

Hæc impedimenta sunt. Primò, vxoricidium capit. admonere 33. qu. 2. Secundò, presbytericidium, c. qui presbyterum,

rum, de pœniten. & remiss. Tertiò, matrimonium cum Moniali scienter initum, cap. hi ergo 27. quæst. 1. Quartò, si quis propriam prolem de facto fonte suscepit in fraudem vsus coniugalis, cap. de ea 30. quæstio. 1. Quintò, qui ob peccatum publicum pœnitentiam peragere debuit, cap. de his 33. quæst. 2. Sextò, raptus sponsæ alienæ, cap. statutum 27. quæst. 2. Septimò, incestus cum consanguineis eiusdem, aut sponsæ adhuc viuentis, cap. 1. 2. & cap. transmisse, de eo qui cognouit, & saltèm intra secundum gradum post Concilium Tridentinum, sess. 24. ca. 4. de reform. matrimon. His suppositis assero, supradicta impedimenta criminum, esse per diuturnam consuetudinem penitus sublata. Et ita docet Coninch. de Sacram. disp. 30. dub. 3. num. 25. Sotus in 4. dist. 37. q. vnica, art. 2. prope finem. Veracrux in speculo p. 1. art. 27. concl. 2 Sanchez de matrim. 2. lib. 7. disp. 17. num. 8. Nauarrus cap. 22. nu. 75. Basilius Pontius de matrim. lib. 6. c. 14. n. 4. quidquid in contrarium afferat Rebellius p. 2. lib. 3. q. 18. nu. 23. & alij penes ipsum.

Vnde Confessarij pœnitentibus incestuosis, vxoricidis, &cet. non debent imponere onus, vt si contrahere voluint dispensationem obtineant: nam vt dictum est, iam per disuetudinem dicta impedimenta sublata sunt. Sed si aliquis scrupulosus hoc non obstante, dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit, sicut ex communi Doctorum sententia notat Nauarrus libro 4. consilior. 9. num. 5. de consanguin. editio. 2.

Qui in Ecclesia instar patrini tenuit puerum in domo iam baptizatum, quæritur an contraxerit impedimentum Catechismi.

RESOL. CCLX.

Hic casus in praxi sæpius solet accidere, ideò notandum est quod tale impedimentum contrahitur, quando quis tenet aliquem in Catechismo, qui solet præmitti baptismo. Respondeo eius nomine Sacerdoti interroganti, an credat, an renunciet diabolo, &cet. Sed nota, quod quando hæ cæremoniæ solent baptismum comitari, communiter fit idem, qui tenet in Catechismo, & in baptismo, tamen quandoque sunt diuersi, vt quando in necessitate puer subitò ab obstetrice baptizatur, & cæremoniæ posteà in Ecclesia supplentur, tunc enim quis instar patrini pro eo respondet, & tunc talis ex cap. 2. de regener. spir. in 6. contrahit impedimentum Catechismi non dirimens, sed impediens. Hoc supposito, quæritur an hodie contrahatur hoc impedimentum, vel sit sublatum per Concilium Tridentinum sess. 24. c. de reform. matr. Aliqui negant esse sublatum. Ita tenet Palatius in 4. dist. 42. disp. vnica, & Bartholomæus de Ledesma de matrim. dub. 46. in priori editione, & alij, qui post Tridentinum scribentes, asserunt esse impedimentum, vt Toletus, Vegha, Lopez, Cucchus, Angles, & alij, & ita ex Neotericis Societatis Iesu tenet etiam hanc sententiam Rebellius p. 2. li. 2. q. 18. n. 20. & Valentia to. 4. disp. 5. punct. 4.

Sed ego puto cum Basilio Pontio de matrimon. libr. 9. ca. 11. nu. 3. qui citat Sanchez, hoc impedimentum esse sublatum per Concilium Tridentinum, vbi in Baptismo, vel Confirmatione vult tantùm contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum, eiusque patrē, & matrem, ex vna parte, & Baptizatum, ac susceptores ex fonte ex alia parte, omni alia cognatione spirituali sublata: verba Concilij sunt hæc. *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.* Et quia existimare aliquis posset, Cōcilium solùm agere de impedimentis cognationis spiritualis prouenienti ex baptismo, quod vult non extendi ad alias personas, sicut olim extendebatur, ideò Pontius addidit declarationem Sacræ Congregationis, quæ Concilij sensum esse hunc, quem diximus apertè demonstrat, sic enim habet. Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi verè fuit baptizatus, si deinde in Ecclesia fuerunt seruatæ solemnitates nullam cognationem spiritualem contraxit. Itaque committatur ordinario, vt si legitimis probationibus compererit D. N. filium prius fuisse baptizatum, declaret nullum inter N. ipsum, & dictum filium adesse impedimētum cognationis spiritualis. Ita Sacra Congregatio. Et hanc opinionem esse probabilem tenet Coninch. de Sacrament. disputat. 30. dub. 3. num. 24. & illam tenet etiam Filliucius tomo 1. tract. 10. parte 2. cap. 9. num. 273. & Villalobos in summa tomo 1. tract. 14. diffic. 2. num. 5.

Sed quia contraria opinio est etiam probabilis, deducit Sanchez de matrimon. tomo 2. lib. 7. disput. 10. num. 13. expedire, vt Parochus describat in libro (quem habere debet ad describendum nomina Patrinorum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. de matrimon. cap. 3.) an fint illi Patrini in solo Catechismo, quod puer sit iam domi baptizatus. Ita Nauarrus, & alij. Et quamuis hi non explicent, an Parochus ad id teneatur, ac existimo eum teneri, quia Tridentinum Patrinorum nomina describi iubet, quo sciatur, qui cognationem spiritualem contrahant, ne matrimonia iniquè contrahantur. At latissima est differentia, num in baptismo tenuerint, an in Catechismo. Nam priori casu est impedimentum dirimens, posteriori autem ad summum impedimentum. Vnde non fideliter id describeret Parochus, nisi annotaret solus Catechismi Patrinos fuisse, defraudaret enim Concilij intentionem, ansamque præberet dissoluendi matrimonia valida, cum eo solo impedimento inita, cuius ego testis sum oculatus in casu Granatæ contingenti. Hæc Sanchez. Verùm Gutierrez de matrimon. cap. 84. num. 7. præcisè & in rigore non videtur hoc onus sub peccato mortali Parochis imponere.

Quis libidinis causa rapuit Virginem, & adhuc in sua potestate existentis, cum illa matrimonium contraxit, quæritur, an fuerit validum.

RESOL. CCLXI.

Respondet negatiuè Emanuel Sà, ver. matr. nu. 9. vbi sic ait, Inter raptorem, & raptam etiam alia causa, quam vt vxor ducatur, quamdiu est in potestate raptoris, non potest fieri validum matrimonium. Ita ille, & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem, testatur.

At ego contrariam sententiam teneo, cum Sanchez to. 2. li. 7. disp. 13. nu. 4. vbi asserit, decreto Concilij Tridentini sess. 24. c. 6. de reform. matr. solùm comprehendi raptum, qui fit causa contrahendi matrimonij; non item ad exercendam libidinem. Et hanc sententiam probabilem esse, docet Coninc. de Sacram. disp. 31. dub. 4. nu. 48. & pro ea adducit Marzilla aliam Cardinalium declarationem.

Notandum est etiam hic obiter contra Sà loco citato Henriquez lib. 12. cap. 14. nu. 4. & alios in dicto Concilio Tridentino solùm eam raptus speciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus. Vnde si illa consentiat, etiamsi rapiatur vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium nam intentio Concilij fuit per illud decretum succurrere libertati matrimonij, ne id mulier inuita contrahere cogatur, sed hoc non accidit quando illa consensit, ergo, &cet. Ita hanc sententiam docet Sanchez vbi supra num. 3. & probabilem putat Coninch. loco citato, & tenet Filliucius tomo 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 265.

An affinitas ex copula fornicaria contracta, impediat matrimonium post baptismum contrahendum.

RESOL. CCLXII.

Affirmatiuè respondet Coninch. de Sacram. disp. 32. dub. 4. num. 57. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. parte 4. ca. 6. num. 6. cum alijs, quia tunc contrahentes, subduntur legibus Ecclesiæ.

Sed ego probabilem etiam contrariam sententiam existimò, quam tuetur Henriquez libr. 12. cap. 1. num. 2. & cap. 3. num. 4. quem citat, & sequitur Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disput. 65. numer. 10. Et ratio est, quia cum illa affinitas non sit vinculum naturale, & subinde nō contrahatur tempore infidelitatis, nil est, quod post baptismum impediat matrimonium inter illum infidelem, & consanguineam mulieris ante baptismum fornicariè cognitæ.

Negant igitur hi Doctores, spectato iure naturali, vllam affinitatem ex copula fornicaria contrahi. Hinc infertur, vt ego his diebus consultus respondi, quod si quis in infidelitate fornicatus fuit cum Titia, posteà baptizatum non prohiberi, vt in vxorem ducat filiam, vel sororem eiusdem Titiæ.

An coniux infidelis, qui fidelem coniugem sequi noluit, possit nouum sibi coniugem eligere.

RESOL. CCLXIII.

AFfirmatiuè respondet Sanchez de matrimonio tom. 2. libro 7. disp. 77. num. 6. vbi sic ait. Licet infideli dissoluto semel fidelis matrimonio ad aliud transire Ducor, quod nullo iure interdicatur infideli hic transitus, nō enim humano Ecclesiastico, cum Ecclesia careat iurisdictione in infideles; ius verò seculare nullibi reperitur. Nec ius diuinum naturale id infidelibus prohibet, quia etsi peccat violans ius diuinum naturale legis prioris matrimonij, quà astringebatur sequi priorem coniugem ad fidem conuersum, at priori illo matrimonio iam penitus dissoluto, nulla lex diuina naturalis prioris matrimonij, quod iam nihil est, superest, qua hic infidelis arceatur ab alio matrimonio, nec aliud ius diuinum id vetans reperitur. Hæc omnia.

Sed aduersus illum tenet Basilius Pontius de matrimon. lib. 7. cap. 48. num. 25 vbi probat suam sententiam ex cap. si infidelis, 28. quæstio. 2. & ex D. Thom. in 4. sent. dist. 37. quæstio. 2. artic. 5. ad 3. vbi sic asserit. Postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonij ex vtraque parte, quia matrimonium non claudicat quantū ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Vnde in pœnam vxoris infidelis ei iudicetur, quod non possit cum alio contrahere magis, quam ex virtute matrimonij præcedentis, sed si posteà conuertatur, potest ei cōcedi dispensatiuè, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem. Sic D. Thomas.

Nota vero quod hanc pœnam non Ecclesia, sed Deus infligit propter iniuriam, qua infidelis ipsum Deum, veram fidem, & veritatem Sacramenti afficit, cuius pœnæ Ecclesia est promulgatrix. Ex quibus facile refelles, quæ pro sua sententia adducit Sanchez. Ita Pontius.

At his non obstantibus mihi opinio Sanchez probabilis etiā videtur, & illam nouissimè docet Filliucius tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 7. nu. 248. Barbosa in collect. tomo 4. par. 2. Decreti causa 28. q. 2. c. 2. num. 8. & Coninch de Sacram. disp. 26. dub. 5. concl. 2. n. 66. vbi sic ait. Quod autem aliqui dicunt, infideli in pœnam prohiberi secundas nuptias, sine fundamento dicunt. Ita ille, non recte quidem, nam Pontij, & D. Thomę opinio non caret etiam sua probabilitate.

An coniux infidelis volens post baptismum contrahere matrimonium, teneatur requirere consensum coniugis infidelis in remotissimis partibus habitantis.

RESOL. CCLXIV.

HIc casus potest frequenter accidere, vnde notandum est, vt supra diximus, quod vt coniux infidelis post baptismum possit contrahere aliud matrimonium cum fideli, tenetur requirere cōiugem infidelem, & monere an velit conuerti, seu cohabitare sine scandalo, & iniuria creatoris cum ipso, & illa renuēte hoc facere, potest posteà liberè aliud inire matrimonium. Hoc supposito, quæritur an talis monitio requiratur, quando coniux infidelis adeò distet, vt commodè requiri nequeat? Et in hoc casu negatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. tomo 2. lib. 7. disp. 74. n. 12. asserens, quoties infidelis adeò distat, vt commode requiri nequeat, non est opus monitione, quia vt res modo se habent, est moraliter certum fore, vt nolit conuerti, & relinquere suos, vt legitimè cohabitet, atque requisitio est moraliter impossibilis. Sic ille.

Aduersus quem nouissimè insurgit Basilius Pontius de matr. lib. 7. c. 48. nu. 22. vbi ita ait. Si reperiri non possit, vel ob difficultatem viæ, & itineris, cum in remotissimis versetur regionibus, vt euenit in his, qui ex Aethiopia captiui, vel serui auferuntur, vel ignoratur, vbi sit alter cōiux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Sanchez, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta. Ita Pontius.

Sed ego vtramque opinionem existimo probabilem, & ita cum Sanchez tenet Filliuc. to. 1. tract. 10. p. 2. c. 7. nu. 241. & Riccius in praxi p. 1. resol. 240. n. 1. 2. Coninch. de Sacram. disput. 26. dub. 5. conclus. 2. nu. 62. & cum Pontio tenet Rebellus p. 2. libr. 4. q. 10. sect. 2. num. 12.

An orationes, & cæremoniæ, quæ pro secundis nuptijs destinatæ sunt, possint tempore prohibito Aduentus, & Quadragesimæ ministrari.

RESOL. CCLXV.

AD hanc dubitationem ita respondet Basilius Pontius de matrimon. lib. 9. cap. 8. numer. 13. Nonnulli viri docti huius Academiæ Salmanticensis existimarunt nullam incurrere pœnam clericum, qui temporibus prohibitis administrat ea, quæ Ecclesia designat pro secundis nuptijs, eo fundamento commoti, quod illa non sit nuptialis benedictio. Cæterum si rem istam attentius considerassent, aliter respondissent. Mihi enim semper visum est, neque eas cæremonias, quæ pro secundis nuptijs destinatæ sunt, posse tempore prohibito ministrari sine culpa, & pœnis iure latis. Et in primis ad id me mouet, quod proxime superioribus annis vidi in hac Salmanticensi Vrbe. Nam quidam nobilissimi vidui contrahere volebant matrimoniū, & cum esset quadragesimale tempus, dispēsationem à Sedis Apostolicæ Nuntio postularunt, quam denegauit; Quod magno argumento est etiā eam cæremoniam, licèt non appelletur nuptialis benedictio, esse prohibita illo tempore. Deinde me mouet, quod iura, antiqua, & recentiora vniuersè loquuntur, de matrimonio, & solemnitate nuptiali. Sicut ergo antiquis Canonibus etiam viduorum coniugia erāt prohibita, etiam & solemnitas illa nuptialis in nuptijs viduorū de more Ecclesiæ adhibita, prohibita censetur. Præterea quia Canones tam antiqui, quam recentiores vniuersè prohibēt solemnitatem nuptialem, & non solùm nuptialem benedictionē; illę autem cæremoniæ, licèt non sint nuptialis benedictio, sunt tamen pars solemnitatis nuptialis, vt satis notum est. Ergo, &c. Ita Pontius vbi supra.

Notandum est tamē hic obiter, quod licèt adsit consuetudo, vt etiam secundæ nuptiæ benedicantur quando alter cōiux benedictionem non suscepit, siue sit vir, siue fœmina, attamen talis consuetudo non obligat sub mortali, quia eo rigore inducta est, & ita docet Filliucius to. 1. tr. 10. part. 2. c. 4. nu. 168. qui citat Henriquez, & Sanchez.

Adde quod Sotus in 4. distin. 28. quæst. 1. artic. 2. Emanuel Sà verb. matrim. nu. 9. & alij, vt, suprà visum est, probabiliter asserunt benedictionum ommissionem secluso scandalo, & contēptu, non esse peccatum mortale, quia tantùm est omissio cuiusdam sacramentalis, non tanti momenti. Vide etiam Filliucium loco cit. nu. 165.

An tempore Aduentus, & Quadragesimæ sit peccatum mortale traducere sponsam solemniter in domum sponsi, & conuiuia solemnia facere.

RESOL. CCLXVI.

NEgatiuè respondent Sanchez de matrimon. tom. 2. li. 7. disput. 7. nu. 18. vbi sic ait. Verùm vt meam sententiam explicem, solas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas esse sub mortali existimo, quia generali consuetudine receptum esse video, vt sponsæ eo tempore in sponsi domum traducantur conuiuiaque fiant, ac alia lætitiæ signa præbeantur conniuentibus Prælatis. Quare si hæc moderata sint, nullam culpam agnosco, si aliquantulus sit excessus, solam venialem, mortalem autem minimè, nisi vbi nimius esset excessus, ita vt sanctitati prædictorum tēporum notabiliter detraheretur, & ansa notabilis iure optimo offensionis, ac scandali spectantium animis tribueretur. Ita Sanchez.

Sed contrariam sententiam tenet Basilius Pontius de matri. lib. 6. cap. 8. num. 10. vbi probat sponsum traducentem solemniter sponsam in domum suam, ac conuiuia facientem peccare mortaliter.

Verùm mihi opinio Sanchez videtur etiam probabilis, & illam nouissimè docet Villalobos in summa. tom primo, tract. 14. difficul. 2. numero 4. vbi ita asserit. [En este tiempo lleuar à la muger à casa con solennidad, y señales de alegria, dizen muchos, que seria pecado mortal, aunque Sanchez con otros dize, que solas la bendiciones serian peccado mortal, porque esta assi recebido en vso, la qual sentencia es mas mansa, y probable,

bable, y se puede seguir.] Sic ille, & ego.

Ex his infertur nō benè Syluestrum verbo matrimonium 7. quæst. 2. Emanuelem Sà verb. impedimenta matrimonij nō dirimentia, num. 2. Veracruz in speculo, p. 1. art. 14. conclus. 4. Bartholomæum Ledesmam de matrim. dub. 60. concl. 3. Cucum li. instit. tit. 12. n. 9. & alios, asseruisse omnem traductionem sponsę in domum sponsi, etiam absque solemnitate, interdictam esse feriarum tempore. Et etiam parū probabiliter loquuti sunt Paludanus in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. D. Antoninus p. 3. tit. 1. c. 17. in fi. Rosella verb. impedimentum, impedimento 17. Angelus verb. debitum, n. 1. Tabiena, vers. impedimentum, impedimento 14. quæst. 2. num. 3. in fine, Caietanus in summa. ver. matrimonium, cap. vlt. §. in publico autem loco. Armilla, ver. matrimonium, n. 64. & alij, asserentes non licere hoc tempore feriarum consummare matrimonium (nullum enim est peccatū) si his temporibus consummentur matrimonia, siue de prima cōsummatione, siue de sequentibus sermo sit. Vide Basilium Pōtium vbi supra, n. 8. Coninch. de Sacramento disp. 30. du. 3. concl. 4. n. 37. Sanch. loco cit. num. 23. & alios penes ipsos cum Filliucio tom. 1. tract. 10. par. 2. c. 9. num. 271.

An licitè contrahatur matrimonium tempore interdicti.

RESOL. CCLXVII.

Affirmatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. tomo 2. libr. 7. disput. 8. nu. 2. quia ea sola Sacramenta censentur tempore interdicti vetita, quę purè sacramenta sunt; & omninò spiritualia. Sed matrimonium est contractus quidam naturalis, cui per accidens adiecit Christus Sacramenti rationem. Ergo &c.

Sed more suo aduersus Sanchez insurgit Basilius Pontius de matrimonio, libro 6. cap. 9. num. 3. quia generali prohibitione vetitum est Sacramenta ministrari tempore interdicti, exceptis Baptismo, Confirmatione, pœnitentia, & Eucharistia per modum Viatici, vt patet ex cap. Alma mater, de sent. excom. in 6. c. quoniam eodem tit. cap. non est vobis, de sponsalibus, & capit. quod in te, de pęnit. & remiss. Cum ergo matrimonium verè, & propriè sacramentū sit, nec excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprehendi censetur, argum. Clement. 1. §. porro, de verb. significat. Neque obstat ratio Sanchez, nam cum iam verè & propriè Sacramentum sit, & in ratione sacramenti etiam spirituale sit, & Ecclesia generaliter prohibeat tempore interdicti ministrari Sacramenta præter supradicta, non est cur ab ea generali prohibitione excludamus sacramentum matrimonij. Ita Pontius.

Verùm ego vtramque sententiam probabilem esse puto, & ideò negatiuam cum Pontio tenet Suarez tomo 5. disp. 32. sect. 1. num. 51. Reginaldus to. 2. lib. 32. tra. 2. cap. 27. n. 28. Filliuc. to. 1. tract. 18. c. 2. num. 51. & alij. Affirmatiuam verò cum Sanchez tenet Coninch. de Sacram. disp. 17. dub. 2. n. 47. Auila de cens. p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 19. diffic. 4. nu. 10. & alij.

Sed stando in opinione affirmatiua assero cum eodem Sanchez nu. 5. quod nihil refert si contrahentes sint specialiter, & personaliter interdicti, possunt enim licitè copulari: quia sub illo interdicto non cōprehenditur matrimonium, nisi sit expressum; & à fortiori dicendum est ex supradictis tempore interdicti fieri posse matrimonij denunciationes, vt docet Paludanus in 4. d. 26. q. 2. ar. 2. nu. 12. & alij.

An qui matrimonium contrahit cum excommunicato peccet mortaliter.

RESOL. CCLXVIII.

Prima opinio affirmat, & ita docet. Petr. de Ledesma de matrim. quæst. 59. art. 1. §. penult. Vignerius lib. instit. cap. 16. §. 7. ver. 8. impedim. 1. & saltem peccare nō explicando culpæ qualitatem docet D. Tho. in 4. dist. 39. quæ. vnica art. 5. ad 5. Toletus lib. 7. cap. 7. nu. 1.

Secunda opinio distinguit, & illam docet Basilius Pontius de matrimo. lib. 6. cap. 10. num. 3. vbi sic ait Petere ab alio excommunicato, siue denunciato, siue non denunciato, vt contrahat,

dum ille, absolui ab excōmunicatione non potest, quia non habeat copiam absoluentis, vt si sit excommunicatio reseruata à iure, vel ab homine, peccatum mortale est, quia petitur ab eo actus, quem nō potest facere benè, sed necessariò malè. At si potest absolu i, quia copiam habet, nec peccat, qui contrahit cum excommunicato, siue denunciato, siue secùs, quia petit ab illo actum, quem posset bene facere. & sine peccato, & sua culpa facit male; vnde duo peccata erunt in eo, qui contrahit cum excommunicato excommunicatione maiori, quando absolui nō potest ab ea excommunicatione, antequam contrahat, & quia ipse communicat in sacramentis cum illo, & quia inducit illum ad indignè ministrandum, & recipiendum, imò tria peccata committit, est enim causa duorum peccatorum in proximo. Ita Pontius.

Tertia opinio, quam ego sequor, absolutè negat vllam esse culpam cōtrahere scienter cum excommunicatione maiori ligato, nisi denunciatus sit, aut notorius clerici percussor. Et ita docet Guttierrez de matrim. c. 83. n. 7. & ante illum Sanchez to. 2. lib. 7. disp. 11. num. 8. ex fauore Concilij Constantinensis, & ex alijs rationibus, quas videbis apud Sanchez, nam ego breuitati studeam.

An matrimonium Catholici cum Hæretico sit licitum cum periculo peruersionis, quando tamen ex magna aliqua causa contrahitur.

RESOL. CCLXIX.

Matrimonium Catholici cum infideli, hæretico, vel pagano non esse ita intrinsecè malum, vt nulla circumstantia redde possit licitum, sed aliquibus additis, vel mutatis circumstantijs, licitè aliquando posse; & sine peccato contrahi docuerunt Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 72. nu. 5. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 10. cap. 6. par. 2. qu. 2. Coninch. de Sacramen. disp. 31. dub. 3. concl. 3. Bellarminus de matrimo lib. 2. cap. 23. propos. 4. Reginaldus in praxi, to. 2. li. 32. nu. 169. Serarius in opusc. de matrim. Cathol. cum hæret. num. 18. & alij.

Difficultas est, an etsi probabili periculo peruersionis dictum matrimonium sit licitum ex magna aliqua, & eximia causa, puta, vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & Consiliarijs hæreticis oppressi teneantur. Hoc dubium apud neminem inueni, nisi apud doctissimum Basilium Pontium de matrimo. in appendice ca. 6. vbi affirmatiuam sententiam ex pluribus tenet. Et ratio est, quia exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamuis peccatum sit, non tamen ex his peccatis est, quæ quauis circumstantia posita, vel detracta suam deformitatem retinet, sed eius malitia pēdet ab his, vel illis circumstantijs. Vnde ea expositio periculi non erit peccatum, quando, ex magna fiat, & vrgenti causa, tunc enim non est amare periculum, sed amare illud ingens bonum, ad quod sine eo periculo perueniri non potest, & ideò periculum adeat inuitus, non amans. Sed totum hoc accidit in casu proposito. Ergo, &c. Non esse autem peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti, docet D. Thomas in 2. 2. quæst. 10. artic. 9. in corpore, Armilla, verb. periculum. Graffius de arbitr. Confess. 2. cap. 49. nu. 5. Sanchez in summa tomo. 1. libro 1. cap. 8. num. 3. Lopez in instruct. punct. parte 1. ca. 20. conclus. 1. & 4. Nauarrus in man. cap. 3. numer. 14. & in cap. negotia, de pœniten. distin. 5. num. 8. Henriquez lib. 4. cap. 25. num. 3. Sed audiamus de hac re differentem Caietanum in summa, verb. periculum, sic enim ait. Secundo, eundo ad locum, siue societatem, vbi est periculum, peccādi mortaliter propter aspectum, persuasionis commoditates, aut aliquid huiusmodi, & hoc quidem si sine vrgenti necessitate fit, ad in cautelæ peccatum spectat, non autem ex suo genere peccatum mortale quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi. Ita ille. Hinc Emanuel Sà, verb. absolutio, num. 12. sic asserit. Item absolui potest, qui ex rationabili, & iusta causa non vult omittere peccandi occasionem, modo proponat firmiter, non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus.

Igitur ex his omnibus apparet offerre se periculo peccandi, tunc esse peccatum, quando fit sine causa vrgenti, vel necessitate ad id obligante, non verò si talis adsit causa, & causa

etiam sufficit, esse non solùm pro bono spirituali, sed etiam pro aliquo bono temporali. Nec requiritur vt semper sit causa inuoluntaria, aut ex necessitate prouenienti, sed satis est, etiamsi sit causa voluntariè quæsita. Hæc omnia Basilius Pontius vbi supra.

Ex quibus cum Vasquez opusc. de testitut. c. 3. §. 2. dub. 6. nu. 23. & 24. & alijs infert, posse hominem aliquod medicamentum sumere ad effequendam salutem, quamuis probabiliter putet ex eo futuram seminis effusionem.

An quando aliqui pro alijs præsentibus, & tacentibus contrahunt sponsalia, horum taciturnitas sit signum sufficiens interni consensus.

RESOL. CCLXX.

SVpppono eam taciturnitatem sufficere, quando illi ex horum mandato contrahunt; Secundò, certum est etiam quando parentes ita cõtrahunt pro filijs, horum taciturnitatem esse sufficiens signum consensus, & hoc habetur expressè in cap. vnico de sponsal. impuberum in 6. Difficultas est, quando contrahit non pater, vel mater, sed alij. Prima opinio negat, & ita docet Sanchez tomo 1. lib. 1. disp. 22. nu. 7. cum alijs penes ipsum, quia in ca. vnico, tanquam quid speciale hoc patentibus statuitur. Et ita tenet nouissimè hanc sententiam Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 11. nu. 38. & Barbosa in collect. tom. 4. lib. 4. sexti Decret. tit. 2. cap. vnico. nu. 15.

Secunda opinio affirmat, quam tuetur inter recẽtiores Basilius Pontius de matr. lib. 2. cap. 14. nu. 7. & illam non solùm procedere in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo esse amplectendam demonstrat.

Sed mihi opinio Sanchez magis placet, neque vrget illa regula iuris, quod qui tacet consentire videtur; nam respõdeo tacentem censeri consentire, quantum est in sui fauorem, non verò in sui præiudicium, vt est in casu nostro. Non est tamen negandum sententiam Pontij esse probabilissimam, quam tenent Doctores quos citat, & sequitur Henriq. lib. 11. cap. 2. nu. 6. iuncto commento littera P. vnde immeritò illam falsam vocauit Guttierrez de matr. c. 15. n. 2. contra quem etiam teneo probabilem esse sententiam Ægidij Coninch. de Sacr. disp. 21. dub... nu. 37. asserentis id quod prima opinio Sanchez asserit de patre, & matre, asserendum esse de tutoribus secùs autem de ijs, quorum curæ illi non sunt ea ratione commissi, vide etiam Layman in Theol. mor. lib. 5 tract. 10. par. 1. cap. 2. n. 13. in fine. Et omnia supradicta procedunt, etiamsi parentes contraherent sponsalia coram filijs emancipatis, & spurijs.

An quando parentes, & tutores pro filiis, & pupillis absentes contradicunt sponsalia, & hi postea id scientes non contrahunt, censeantur consentire.

RESOL. CCLXXI.

PRima opinio affirmat sic Henriq. li. 11. cap. 13. num. 5. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. artic. 2. ad 1. & alij. Et ratio est, quia eadem prorsus est ratio, ac quando ipsis præsentibus, & tacentibus parentes contrahunt.

Secunda opinio negat, ita Basilius Pontius de matr. li. 2. c. 14. nu. 14. Sanchez to. 1. li. 1. disp. 22. num. 16. quia textus cap. vnico de spons. impuberum in 6. agit de sponsalibus à parentibus nomine filiorum præsentium, & tacentium contractis, ideò in nostro casu non sufficit posteà scientes non contradicere, sed requiritur, vt hi iam certiores facta sponsalia à partibus absentibus contracta, tacitè, vel expressè aliquo signo sufficienti ratificent.

Tertia opinio est Ægidij Coninch de Sacram. dispu. 21. dub. 3. num. 39. asserentis, quod quando hi rescifcunt per aliquem, ad quem non pertinet rem gestam ad eos referre, ipsos tacẽdo non censeri cõsentire, quia non teneotut huic vllo modo assẽtire. Quando verò id ipsis proponitur per ipsos parentes, aut curatores, si taceant, censeri consentire, quia tenentur his talia ijs proponentibus mentem suam apetire, atque ita vel cõtradicere, vel consentire, quod censentur facere dum tacet, quare si rem ipsis proponant coram parte, fient statim sponsalia; secùs est si eam hac abiente, ijs proponant: tunc enim non erunt sponsalia, donec pars per ipsos minores, aut aliam ab ijs ad hoc destinatum cognoscat eorum consensum, eumque acceptet. Ita Coninch. Mihi vero secunda senteotia magis placet, licet alias probabiles esse existimem.

An quod dictum est de sponsalibus, dicendum sit de matrimonio, vt sit validum si illud parentes contrahunt præsentibus, & tacentibus filijs

RESOL. CCLXXII.

AFfirmatiuam sententiam tenent communiter Doctores ex authoritate Bonifacij in dicto cap. vnico de spons. impuberum in 6. dummodo tale matrimonium sit contractum coram Parocho, & testibus.

Tamen in gratiam studiosorum non reticeam hic adnotare ea, quæ adducit Basilius Pontius de matrimon. libr. 2. cap. 14. nu. 3. vbi sic ait An dispositio Bonifacij locum etiam habeat in matrimonijs, quæstionem habet; video communem esse Doctorum sententiam in illis locum habere nonnullis exceptis At nisi me tot Doctorum auctoritas detineret, planè cum his paucis sentirem, nempè hanc Bonifacij constitutionem non habere locum in matrimonijs, sed tantùm in sponsalibus de futuro, inductus duobus fundamentis. Primum est ex verbis ipsius constitutionis, si enim in ea planè agitur de sponsalibus de futuro, cur ad matrimonium extendimus? Agere autem Pontificem, de sponsalibus de futuro, planè constat ex omnibus, quæ in ea constitutione continẽtur, nam in §. 1. planum est cum per Innocentij III. constitutionem in cap. fin. de despons. impuberum, inter septennes non matrimonia, sed sponsalia esse possint. In §. autem 2. speciatim agit de matrimonijs eorum impuberum, quæ tantùm fictione iuris sunt sponsalia. In 3. quoque § id plenissimè constat, quia agitur de sponsalibus contractis in filiorum absentia, & illis ignorãtibus. Quis autem dicat matrimonium contrahi in filiorum absentia, & illis ignaris? neque id vlli in mentem venire potest. Præterea, quia vel Pontifex in isto §. agat de sponsalibus, & matrimonijs, vel tantùm de sponsalibus, ad matrimonium autem extenditur à Doctoribus. Primum dici non potest, vt probatum est, neque secundum, non enim ea, quæ de sponsalibus dicuntur, ad matrimonia etiam extendi semper debent, cum enim strictior sit obligatio matrimonij, quam sponsalium, multo plura requiruntur exactius ad matimonium, quam ad sponsalia. Hæc enim multis de causis dissolui possunt, matrimonium autem indissolubile est. Vnde quamuis sponsalia à parentibus celebrata, præsente filio, atque tacente sustineri possint, & sic statuat Pontifex, non idem de matrimonio dicendum videretur; cũ ad matrimonium plena libertas requiratur, & facillimum sit filium, vel filiam metu reuerentiali impediri metum autem reuerentialem impedire matrimonium dicam posteà. His accidit, quod cum tota hæc dispositio de valore sponsalium, quæ celebrant parentes pro filijs, illis tacentibus & præsentibus, nitatur in quadam præsumptione consensus iacentis, non est firmum aliquod fundamentum eos iudicasse eam taciturnitatis præsumptionem sufficientem ad iudicandum validum matrimonium, cum sit res longè maioris momenti, & quæ magis veritate ipsa decidenda est, quam præsumptionibus, aut illis efficacissimis, & vrgentissimis. Ita Pontius solidè, & subtiliter, vt semper solet.

Doctores verò, qui asserunt Cõstitutionem Bonifacij in d. c. vnico, agere tantùm de sponsalibus, & non esse extendẽdam ad matrimonium, hi sunt, Gabriel in 4. dist. 27. q. 1. ar. 2. concl. 4. Angel. ver. matrimonium 2. nu. 5. & nonulli recentiores, quos refert Petrus de Ledesma de matrim. q. 45. ar. 2. du. 3. & ex Theologis Societatis Iesu Henriq. lib. 11. cap. 2. nu. 6. iuncto commẽto in litt. P. vide etiam Bassoli in 4. dist. 27. q. 1. art. 1.

Sed standó in prima opinione, quæ vt diximus, est communis, hoc non obstante, non erit validum matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea respondet, quia cõsensus ipsius nõ sufficienter exprimitur per taciturnitatem, nisi parentes pro ipsa respondeant. Dixi, nisi parentes pro ea respondeant; nam non sufficit alium extraneum repromittere, sed opus est, vt respondeat pater, vel mater, aut tutor, nam hi censentur agere in gratiam, & fauorem puellæ, cuius curam gerunt, & consequenter, tunc valet regula, quod qui tacet consentire videtur, & ita obseruat doctus Bonacina de matrim. quæstio 2. punct. 1. nu. 8. &

& alij licèt Syluius in 3. parte, quæst.45. art.2. contrarium doceat nempè in tali casu valere matrimonium, etiamsi extranei repromittant.

Verùm pro coronide huius Resolutionis ponam hic verba Joannis Guttierrez de matrim.cap.13.num.9.sic asserentis. Vidi in praxi obseruari pro securiori cautela, quod etiamsi parentes sint cum filijs tempore contrahendi matrimonij, & illi hec aperiant Parocho cum testibus: nihilominus ipse Parochus interrogat filios contrahentes, eorumque exquirit consensum, non verò parentum, conformans se cum dispositione Concilij Tridentini ibi. Vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, &c. Interrogatio igitur ipsorum contrahentium requiritur. Verùm si hoc non fieret; sed potius parentes interrogarentur à Parocho, coram testibus præsentibus & intelligentibus, ac tacentibus ipsorum filijs, contraherent matrimonium nomine ipsorum filiorum; quia præsentia, & taciturnitas filiorum, quorum nomine eorum parentes contrahunt matrimonium, sufficiens externum signum est consensus interni, iuris præsumptione, & dispositione in cap. vnico, de spons. impub. in 6. quod Concilium Tridentinum non corrigit; nec de hoc casu loquutum est, sed de frequentiori, & regulari, scilicet, quando ipsimet coniungendi matrimonialiter per se contrahunt, nulla facta mentione de parentibus. Noster igitur casus, tanquam omissus, remanet sub dispositione iuris communis, argumento leg. commodissimè cum similis, ff. de liber. & posthumis. Ita Guttierrez.

An maior vsus rationis requiratur ad contrahenda sponsalia, quam ad peccatum mortale.

RESOL. CCLXXIII.

AFfirmatiuè respondet Bonacina de mat. quæst. 1. punct. 4. nu.4. & alij penes ipsum, quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & aduertentia mali præsentis, ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum.

Sed ego contrariam sententiam teneo cũ Basilio Pontio de matrim.lib.4.ca.1.vbi sic asserit. Ea deliberatio, siue ea libertas cum ea consideratione necessaria est ad contractum matrimonij, & ad sponsalia, quæ necessaria est ad peccatum mortale. Ita ille & ante illum Sanchez tomo 1.li.1.disput. 16.num.16. Et ratio est, quia si ea futurorum prouidẽtia, quam postulat Bonacina, & alij, desideraretur in contrahendis sponsalibus, incautè à iure præscriptum esset tempus septem annorum, vt ineantur sponsalia, quod decernitur in l. de spons. 2. ff. de spons. & in cap. litteris, cap. accessit, cap. ad dissoluendum, de spons. impub. Deinde si is vsus rationis, qui in septennio communiter adest, sufficit ad obligandũ pro voto solemnis ordinis sacri, & pro voto religionis, quæ est obligatio status perpetui. Ergo maiori ratione sufficiet ad contrahenda sponsalia, vide Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 17. §. 1. n. 6. Coninch. de Sacram. disput. 21. dub. 5. nu. 49. & alios.

An septennium requisitum ad contrahenda sponsalia esse debeat omninò completum.

RESOL. CCLXXIV.

AD hanc quæstionem affirmatiuè respondet Coninch. de Sacram. disp. 21. dub. 5. nu. 51. quia sicut quando iura alicui rei præscribunt certum pretium hoc consistit omninò in indiuisibili, ita etiam quando alicui actioni præscribunt certam ætatem agentis; quia ideò certum pretium, ac ætatem agentis præscribunt, ne quisquam suo iudicio possit ea mutare: sufficeret tamen inchoatum esse vltimum diem anni septimi, quia eodem modo requiritur ætas septem annorum ad sponsalia, sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum testamentum, sed in fauorem testamenti, ad hoc sufficit inchoasse vltimum diem anni 14. vt patet in lege qua ætate, ff. de testam. & qui testamenta, &c. Ergo idem sufficiet in sponsalibus, quæ non sunt minus fauorabilia. Ita Coninch. & hanc sententiam docet etiam Pontius de matrimon. lib. 12. cap. 5. nu. 3. Sanchez tom. 1. lib. 1. disput. 17. num. 4. & alij. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam probabilem etiam esse existimo, quæ asserit sufficere septennium moraliter esse completum, vt si, ait Guttierrez de matrimon. cap. 22. num. 6. duo, vel tres dies deficerent. Sed plus addit Rebellius par. 2. lib. 4. quæst. 5. conclus. 2. numer. 2. qui citat Sotum, Victoriam, Veracruz, Syluestrum, Diuum Antoninum, & Diuum Thomam, nempè valida esse sponsalia, etiam si octo, vel decem dies ad complendum septennium desint.

Et hæc omnia intelliguntur in foro externo, & quando non constat malitiam supplere ætatem: nam in foro conscientię valida erunt sponsalia etiam multo ante septennium contracta, si malitia suppleat ætatem, cum eam sufficiens vsus rationis præuenerit. Et ita ex multis docet Rebellius, & Pontius loc. cit. quidquid in contrarium asserat Richardus in 3. dist. 27. art. 3. q. 1. Durandus q. 3. art. 2. & Argentina art. 4. existimantes septennium ita esse requisitum vt si vterque sponsus, vel alter sit minor septennio, irrita sint ipso iure sponsalia.

An sit peccatum mortale contrahere sponsalia ante septennium completum.

RESOL. CCLXXV.

DIximus in superiori Resolutione validè aliquando ante septennium expletum contrahi sponsalia. Nunc videndum est an contrahantur licitè. Affirmant Syluius in 3. p. qu. 43. art. 2. Rebellius p. 2. lib. 4. q. 5. nu. 4. Bonacina de matrim. q. 1. pun. 4. nu. 6. Henriquez lib. 11. c. 13. n. 13. & alij, & ratio desumitur ex præcepto posito in c. 2. de despons. impuberum, vbi sic habetur. Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque vel alter ad ætatem Canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima causa necessitate interueniente, vt potè pro bono pacis talis coniunctio toleretur.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, & quo ad pueros patet nullũ esse peccatum, nam vt asserit Põtius de matrim. lib. 12. cap. 5 num. 4. si malitia supplet ætatem, illa spõsalia valent, si non supplet, nihil agunt, neque iniuriam inferunt alicui sacramento, ergo nullo modo peccant. Et hoc vltimum probat etiam neque parentes peccare, quia cum sponsalia non sint sacramentum, nec sacramẽto, nec alicui alteri efficitur iniuria, cum ex illis sponsalibus non oriatur obligatio, saltem respectu illius qui doli capax nõ est, nec aliquid illicitum permittitur. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Coninch. de Sacram. disput. 21. dub. 5. conclus. 2. num. 53. Villal. in summa, to. 1. tract. 12. diffic. 4. num. 7. Filliucius tomo 1. tract. 10. par. 1. cap. 7. num. 259. Sanchez to. lib. disput. 17. num. 14. Guttierrez de matrim. cap. 2. num. 14. & nouissimè Barbosa in collect. to. 2. lib. 4. tit. 2. c. 2. n. 4. qui omnes respondẽt ad c. 2. Nicolai Pontificis de despons. impuberum. Sed mihi magis placet responsio noua quam adducit Pontius vbi supra, qui intelligit textum de coniunctione, hoc est habitatione in eadem domo. Vel dicendum est ante Clementem III. valuisse matrimonia, de præsenti inter impuberes, quæ erãt veluti cõditionalia matrimonia. Nicolaus autem, qui multis annis præcessit Clementem III. ea prohibuit, nisi magni alicuius dissidij vitandi causa fierent, atque ius istud in d. cap. 2. nõ corrigit alia iura, quæ matrimonium de præsenti inter impuberes resoluunt in sponsalia cum sit antiquius, sed statuit ne talis contractus de presenti inter impuberes fiat, nisi ex magna causa, quę contractum de præsenti inter impuberes posteriora iura Clementis, Lucij, & Innocentij III. vim tantum sponsalium re ipsa habere, vel declararunt, vel denuo statuerunt. Ita Pontius, sed quod quæsitum est de sponsalibus in hac Resolutione, quærendum est de matrimonio in sequenti.

An contrahere matrimonium ante legitimam ætatem sit peccatum mortale.

RESOL. CCLXXVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos in sum. to. 1. tr. 14. diffic 22. n. 8. vbi sic asserit, [El contraher matrimonio de presẽte sin tener edad legitima, esta prohibido en derecho, en el c. 2. de spons. impub. y hazer lo contrario es peccado mortal, como se vzen aquellas palabras districtius inhibemus.] Sic ille, & ante illum Coninch. de sacr. disp. 21. dub. 5. num. 54. Guttierrez de matrim. c. 2. n. 16. Bonacina de matr. q. 1. punct. 4. n. 7. Filliucius tom. 1. tract. 10 p. 1. c. 7. num. 259. & hanc sententiam docet

docet etiam nouissimè Basilius Pontius de matrim. libr. 7. c. 65. nu. 3. & docuerat antea Henriquez lib. 11. c. 13. nu. 13. vnde non est dubium esse probabiliorem, & communiorem.

Non reticeam tamen negatiuã sententiam docere Thomam Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 17. nu. 6. quia à iure antiquo recedendum nõ est absque textu expresso, & quòd iuris correctio est odiosa, & omninò vitanda, leg. præcipimus, c. de appell. Sed matrimonium de præsenti inter impuberes est permissum multis canonibus, & interpretantur, quasi essent verba de futuro, c. fin. de sponsi. impub. c. vnico, §. Idem quoque eodem tit. in 6. Ergo non est dicendum c. 2. citat. correxisse hæc iura: cum optimè possit interpretari ne corrigat. Item, quia Panormitanus eodem c. 2. n. 5. & Præpos. ibi. n. 2. explicant illum textum, vt tãtùm prohibeat, ne impuberes cum impubere cõtrahant matrimonium, simulque copulæ carnali dent operam, ne post modum de matrimonij valore dubitetur. Quod si vrgeas, textum permittere hanc coniunctionem propter pacis bonum: nõ posse autem permitti copulam; Respondeo, permitti quidem posse quando iudicio Episcopi probabile esset malitiam præuenire ætatem; vrgentissimaq; causa concurrente, quamuis de potentia ad copulam dubium esset aliquale, & si experiẽtia facta cõperiretur, nondum adesse potentiam esset illud matrimonium sponsalia iuris interpretatione. Hæc omnia Sanchez.

Sed stando in prima sententia moderãda est cum Paludano in 4. distinct. 28 quæst. 2. art. 2. num. 8. & 10. Angelo ver. matrimonium 3. impedimento 16. num. 7. Tabiena ver. matrimoniũ 2. quæst. 6. numer. 7. Henriquez, & Filliucius locis citatis. nisi cum Episcopi licentia, & iusta interueniente causa, matrimonium ante legitimam ætatem celebretur ex c. 2. vbi supra. Item stando etiam in dicta opinione quæritur.

An sit peccatum mortale contrahere matrimonium vltimo die, quo completur legitima ætas?

RESOL. CCLXXVII.

Affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 65. n. 1 vbi sic ait. In dubio an præfinitum tempus completum sit, inhabiles iudicat Ecclesia, etiam si exigua temporis distantia sit, neque enim hic locum habet illa regulã, quod parum distat nihil distare videtur, sicut neque in alijs in quibus ius præfinitum tempus exigit, vt in anno probationis Religiosi, & in ætate ad ordines; si enim, vel vnus dies, aut hora desideretur, vitiat factum. Cum enim ius præfiniat tempus exigatq; illud esse completum, nisi malitia suppleat, nõ est locus paucorum dierum supplemento. Quod si illa suppleat, parum refert an duo, vel tres dies, aut etiam plures deessent. Imò existimo, nec satis esse, vt impleta ætas censeatur, vltimum diem inceptum esse quando malitia non suppleat ætatem; vt de anno probationis dicendum est: Neque obstat, quod iure ciuili alia sit dispositio in testamentis, nec enim à iure ciuili ad canonicum in hac re argumentum desumi potest, aut à testamentis ad matrimonia, vbi est expressa decisio Pontificum. Ita Pótius.

Contrariam tamen sententiam tenet Barbosa in collect. to. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 14. nu. 2. & Villalobos in summa tom. 1. tract. 14. difficul. 22. n. 1. & alij penes ipsum, vbi sic asserit. [Esta edad ha de ser complida, como dize el c. ex litteris en estas palabras Donec compleat puer annum decimumquartum. Verdad es, que bastaria si estuuiesse en el vltimo dia, como tiene Syluestro, Ab. Alexãdro de Neuo, Sanchez y otros Iuristas y es la razon, porque se determina assi en fauor del testamẽto en la ley qua ætate. ff. de testam. y no es menor el fauor del matrimonio. Mas no bastaria si faltassen tres dias, como con otro tiene el mismo Sãchez; y lo mismo siento si faltasse vn dia, porque moralmẽte no se iuzga por complido el año, como se iuzgaria estando en el mismo dia.] Sic Villalobos.

At Ioannes Guttierrez (attende Lector) de matrim. c. 2. n. 20. hoc vltimum cõtra Villalobos admittit, sic enim ait. Satis enim erit si prima dies anni duodecim in fœmina; & decimi quarti in viro sit incepta, quinimò, & idem erit dicendum quamuis tres dies ex ea ætate deficiant, ea eo quod moraliter censeatur tunc completa, non enim metaphysicè compleri requiritur, vt tenet Hostiensis in cap. impuberes numer. 5. de desponsi. impub. & Veracruz in spec. p. 1. art. 16. Imò Martinus Ledesma in secundam part. lib. 4. sent. q. 60. art. 1. col. penul. ver. hæsitabis, vlterius dicit satis esse quamuis decem dies desint. Ita Guttierrez.

Notandum est tamen hic obiter validum esse matrimonium contractum ante legitimam ętatem, si malitia suppleat ętatem, vt ex multis notat Barbosa in collect. to. 2. lib. 4. tit. 2. c. 9. nu. 2. & patet ex c. de illis 2. desponsi. impub.

An sponsalia metu graui contracta valida sint, si iuramentum accedat, vel iuramentum saltem obseruandum sit, donec relaxetur.

RESOL. CCLXXVIII.

Respondet affirmatiuè Henriq. lib. 11. c. 9 nu. 6. & alij penes Sanchez vbi infra nu. 2. saltem quoad obligationem iuramenti, quia iurans soluere vsuras tenetur obseruare iuramentum ex c. debitores de iureiurando, quamuis id iuramentum non confirmet contractum. Ergo, &c.

Hæc sententia, vt ait Arãgon. in 2. 2. q. 89. art. 7. circa solutionem ad 3. §. sed vltra, est satis probabilis: sed ego cõtrariam probabilissimam etiam esse puto, quam tuetur Sanchez de matrim. to. 1. lib. 3. disp. 41. n. 3. & post illum Barbosa in collect. to. 2. lib. 4. tit. 2. c. 11. n. 4. vbi ait. Nota quod sponsalia metu graui cõtracta non firmantur iuramento, nec ratione illius obligant, aut relaxatione indigent. Sic ille. Igitur dicendum est sponsalia metu contracta esse inualida, nec effici valida accedente iuramento, quia iuramentum metu cum non confirmet contractum, relinquit illum in pristino valore, aut nullitate, quare ex illis nullum oritur publicæ honestatis impedimẽtum. Vnde dicendum est etiam tale iuramentum minimè obligare, & ita non indigere relaxatione. Probatur hæc opinio ex c. litteris de sponsi. impub. per quam irrita sunt sponsalia metu contracta, & Alexander de Neuo ibi n. 5. explicat in casu, de quo loquitur Summus Pontifex in dicto textu interuenisse iuramentum.

Adde quod dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, si iuramento stabiliatur, iuramentum nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget. Sed hoc accidit in casu proposito. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum cõtrariæ sententiæ, nam contractus vsurarius prohibetur principaliter ad bonum priuatum, non enim interest reipublicæ, siue hic ciuis, siue ille pecuniam per vsuram extortam comparet, sponsalia vero coacta ob publicam vtilitatem interdicuntur.

Non relinquam hic tamẽ adnotare in gratiam confessariorum, esse probabilem illam sententiam, quę asserit iuramentum metu extortum, non solùm non confirmare cõtractus aliàs inualidos, sed nec etiam obligare, & proindè nulla indigere relaxatione. Et ita docet Sanch to. 1. lib. 4. disp. 20. n. 3. in fine, & disput. 21. n. 5. in fine, licèt ipse contrariam sententiam putet probabiliorem. Vnde stante probabilitate alterius sentẽtiæ multa iuramenta non obligabunt, si metu extorta sint, & facta ad cõfirmandos contractus ipso iure nullos.

An Episcopi possint prohibere ne matrimonia domi contrahantur.

RESOL. CCLXXIX.

Respondet negatiuè Barbosa de potest. Episcop. p. Alleg. 32. n. 18. & ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio his verbis. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur seruata Concilij forma. Sed cũ maximè deceat, vt in Ecclesia celebrentur, ad id hortari debent, non præcipere. Et hãc declarationem adducit Rebellius p. 2 lib. 2. qu. 7. sect. 1. n. 11. Et ratio est, quia vt obseruat Sanchez to. 1. lib. 3. disp. 15. n. 20. Reginaldus to. 2. lib. 31. c. 33. num. 242. & alij, vbi nullum reperitur impedimentum, debet parochus volentes contrahere matrimoniũ in facie Ecclesię coniugare, vt constat ex Concilio Tridentino sess. 24. de matrimo. cap. 1. vbi si nullum legitimum apponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij, in facie Ecclesiæ procedatur. Vt autem dicatur matrimonium in facie Ecclesię celebrari, nõ est opus vt in ipsa Ecclesia materiali, vel in eius limine celebretur, sed satis est coram fideliũ multitudine, vt testatur Abbas in cap. finali de clandest. desponsi. nu. 9. vbi Propositus nu. 9. Alexander de Neuo in principio nu. 25.

Syl-

Sylvester verb. matrimonium 2. q. 17. dicto 2. & alij. Hodie autẽ dicitur satis contractum in facie Ecclesiæ, si coram Parocho & duplici teste, denunciationibus præmissis, matrimonium inicatur. Ita Sanchez.

His tamen non obstantibus inuenio, vt obseruat Petrus tract. de impedim. matrim. causa 30. quæst. 25. cap. 26. §. 2. ver. 3. Patres Concilij Prouincialis Coloniensis 2. cap. 33. aliter decreuisse, & in nostra Synodo Panormitana 1615. par. 2. num. 22. sic decretum est. Nullo autem alio in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, sponsos iungat Parochus, nisi iustam ob causam Archiepiscopo probatam. Quo circa caueant medici, ne facili negotio finem faciant ipsos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Ecclesiam adire nõ posse. Vide Rebellum loco cit.

An qui prius votum Religionis, aut castitatis emisit, virginemque deflorauit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum.

RESOL. CCLXXX.

Respondent communiter, quod non obstante voto tenetur ad cõtrahendum matrimonium, si puella votum promittentis ignorauit. quia ingressus religionis iam factus est ei illicitus, non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ. Ergo, &c. Deinde iustitiæ vinculum fortius est, quam charitas, sed ob charitatis vinculum superueniens non potest quis ingredi religionem, vt ratione parentum indigentiæ. Ergo a fortiori propter vinculum iustitiæ, quale est hoc de quo loquimur. Et ideo hãc sententiam tenet Lessius lib. 2. c. 10. dub. 4. nu. 32. Reginaldus to. 2. lib. 31. c. 36. n. 258. Coninch. de Sacram. disp. 23. dub. 3. concl. 6. nu. 24. Vasquez opusc. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 16. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disput. 45. nu. 3. Guttierrez de matrim. capit. 25. num. 7. & alij. Hæc sententia est probabilis.

Sed contrariam etiam esse probabilem concedit ipse Sanchez, & Guttierrez vbi supra, & ego talem esse existimo, quia in tali casu deflorans virginem, non tenetur ratione promissionis, quia nulla fuit, tanquam promissio rei illicitæ cõtra votum; neque etiam ratione damni; quia violans virginem, nuptijs nõ promissis non tenetur eã ducere, sed aliter satisfacere. Sed idem est non adesse promissionem, vel eam esse nullam, vt est in casu nostro. Ergo, &c.

Nec obstat dicere fictè promittentem teneri ratione damni puellam defloratam ducere, vt multi asserunt, cum tamen promissio nulla fuerit, quia respondeo, quod in eo casu tenebatur verè promittere, in nostro autem non poterat obstantibus votis. Et ita hanc sententiam tenet Nauarrus, & Rodriquez, quos citat, & sequitur nouissimè Layman in theolg. mor. lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. nu. 5. Cum enim (ait ille) per votum prius Deo ius acquisitum sit, non potest vouens illud propria libertate tollere, maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut statum voto contrarium suscipiendo.

Ad argumenta verò contrariæ sententiæ possit quis respondere, quod parum vrgent; nam ita primò sumitur apertè quod probandum est, scilicet talem plus obligari illi fœminæ, quam Deo per votum. Ad secundum respondet Suarez lib. 4. de voto, c. 3. negando iustitiam fortius obligare quam votum, grauius n. peccat, quam qui in eadem materia violat iustitiã. Igitur dicẽdum est vtramque sententiam ex supradictis satis probabilem esse, vnde si quis habẽs votum Religionis, deflorauit virginem cum promissione coniugij, potest vel tale matrimonium contrahere, vel Religionem ingredi.

An habens votum Religionis, seu castitatis peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendi religionis, antequam consummet matrimonium.

RESOL. CCLXXXI.

Affirmatiuè respondent Doctores communiter, quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, cogeretur enim eius professionem expectare. Secundò ob periculum mutandi animum, & ita violandi votum. Tertiò, quia tali animo contrahens videtur sacramento illudere. Et ita hanc sententiam docẽt DD. quos citat, & sequitur Sanchez vbi infra nu. 7. & 18. quibus ego addo Coninch. de Sacram. disp. 25. dub. 3. n. 13. & Guttierrez de matrim. c. 25. nu. 4. Hæc sententia est probabilior, & sequenda.

Nõ reticeam tamen contrariam sententiam esse probabilem & ita illam vocat Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 43. nu. 6. in fine, & num. 11. in fine. Primò, quia nulla infertur iniuria alteri, si religionem ante consummationem matrimonij ingrediatur, & contractus vtrinque æqualis est, id enim alteri licet. Ergo, &c. Secũdo, vbi actus nullam iniuriam irrogat, sed ingredi religionem post matrimonium, non est contra iustitiam, ergo nec erit, si contrahatur eo animo. Et ita docet Calderinus in c. rursus qui cler. vel vouen. Scotus in 4. dist. 38. q. vnic. propè finem, verb. cõsimiliter si de peccato ageretur. Altissiodorensis lib. 3. sum. tr. 2. c. 2. q. 3. ad 3. Angelus ver. matrimonium 3. impedim. 5. nu. 1. Caietanus in summa, ver. matrimonium, cap. 1. ver. & scito peccatum esse, & Petrus Ledesma de matr. q. 53. art. 1. dub. 1. concl. 2. qui cum Scoto asserit, nullam in hoc casu interuenire culpam. Et hæc omnia a fortiori etiam procederent contra Cucchum, libr. 5. inst. tit. 12. nu. 20. Ledesmam in 2. p. 4. q. 55. art. 2. & alios, quando quis absque vllo voto eo animo matrimonium contraheret. Sed contraria sententia, vt dixi, est probabilior.

An quis puber factus possit statim resilire à sponsalibus, non expectata alterius pubertate.

RESOL. CCLXXXII.

Ex Neotericis noster Pater Antonius Naldus, vir quidẽ doctus, in summa ver. sponsalia, nu. 1. negatiuam sententiam docet ex c. de illis de spons. impub. & eandem sententiam tenet ibi glos. & Cardinalis num. 2.

Sed hęc sententia non est admittenda, & affirmatiuam prorsus tenendam esse puto, quam citatur Pontius de matrim. li. 12. cap. 9. num. 3. Coninch. de Sacram. disput. 23. dub. 2. num. 20. Guttierrez de matrim. cap. 20. num. 2. Barbosa in collect. tom. 2. lib. tit. 1. cap. 7. num. 6 quibus adde Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez tom. 1. lib. 1. disput. 51. num. 9 & ratio est, quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus, cap. cum contingit, de off. deleg. ergo si prius factus puber potest altero pubertatem adepto reclamare, poterit etiam statim. Textus verò in c. de illis in vers. si verò, loquitur, quando is, qui tẽmpore sponsaliũ erat impuber, factus puber reclamat, at verò in ver. mulier, quãdo sponsalium tempore puber erat, & reclamat altero impubere existente, qua distinctione posita apparet veritas nostræ sententiæ, & responsio ad argumentum Naldi ex dicto cap. de illis.

Notandum est verò hic cum Coninch. & Sanchez vbi supra, factum puberem, si vult, debere statim reclamare, aliàs si ignota fuerit, censebitur tacitè sponsalia confirmare, statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit ex l. finali, C. de errore aduocat. & leg. finali, Cod. de iudicijs, in foro verò conscientiæ satis est eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interius stato tempore dissentit, etsi exterius id non exprimat.

An sponsa possit resilire à sponsalibus, quandò sponsus permittit se ab alia impudicè tangi per oscula, amplexus, &c.

RESOL. CCLXXXIII.

Notandum est ex c. quemadmodum 25. de iureiurando, si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit, sponsalia dissolui, etiamsi iurata sint, dissoluuntur tamen in fauorem innocentis, & ideò si innocens adhuc velit contrahere, alter tenetur. Et hoc procedit, etiamsi sponsa per vim cognita fuerit, & omnino renuens. His suppositis ex Basilio Pontio de matrim. lib. 12. cap. 17. num. 3. & alijs communiter, quæritur an sicut sponsus potest resilire à sponsalibus, quando sponsa permittit se impudicè tangi, per oscula, amplexus, &c. an itaquam hoc sit licitum sponsæ, quando sponsus id efficeret. Respondeo negatiuè cum Reginaldo tom. 2. lib. 31. c. 36. num. 262. & Sanchez tomo 1. libro primo, disp. 55. num. 5. quia id sponsæ non est dedecus, nec est mutatio alicuius momenti, & solùm pares sunt ratione mutuæ fornicationis ad dissoluenda sponsalia. Verùm

de

de hac sententia dubitat Guttierrez de matrim. c.31.n.1. in fine, & illam limitat Coninch.de Sacramentis,disp.23.dub.7.nu.56. & Layman in Theol.mor.lib.5.tract.10.p.1.c.2.nu.11.nisi fortè eiusmodi oscula, & tactus, essent frequentes, ita vt indicarent propensum valde sponsi in alteram animum, vt meritò possit timeri ne ipse minus sit sponsam amaturus, aut fidem ei non seruaturus.

An liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia.

RESOL. CCLXXXIV.

NEutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire docet Martinus Bonacina de matrim.q.1.punct.8.num.6.& Paludanus in 4.sent.dist.27.q.1.art.3.nu.17.Primò quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius.Secundò,quia quando vterque coniux post contractum matrimonium commisit adulterium,vir non potest facere diuortium, quamuis adulterium feminæ sit grauius adulterio viri.Ergo neque sponsus potest facere diuortium, seu dissoluere sponsalia,quamuis sponsus maiorē subeat ignominiam per fornicationem sponsæ, quam subeat sponsa per fornicationem sponsi.Hæc omnia Bonacina,probabiliter quidem.

Mihi verò contraria sententia magis placet, asserens solùm virum posse in eo euentu à sponsalibus resilire.Et ita docet Coninch.de Sacram. disp.23.dub.7.concl.6.nu.63. Henriquez lib.11.cap.14.num.6.Reginaldus in praxi,tom.2. lib.31. c.36.num.262.Gutierrez de matr. c.31. nu.4. Sanchez to.1.lib.1.disp.55. nu.9.quib.nouissimè addendus est Basilius Pontius de matr.lib.12.c.17.nu.3.& Layman lib.5.tract.10 p.1.c.2.nu.12.

Nec argumenta Bonacinæ sunt satis firma, nam ad primum respondeo, quod non potest in tali casu dari compensatio quia delicta sunt valdè imparia, longèque ignominiosius est sponso talem ducere,quam sponsæ tali nubere, & ex fornicatione spōsæ longè grauius damnum spōso imminet propter incertitudinem secuturæ prolis.Ad secūdum argumentum,quod vir adulter non possit vxorem adulteram repudiare, respondeo,hoc simile non habere locum, quia longè difficilior est separatio tori, quam sponsalium.

An si sponsa tempore sponsalium pulchra esset, dissoluantur sponsalia ea effecta notabiliter deformis.

RESOL. CCLXXXV.

NOtandum est sponsum non teneri contrahere matrimonium,si spōsa oculos, vel oculum,aurem, seu nasum amiserit,vel si morbus contagiosus,paralysis,vel lepra superueniat. Idem dicendum est de vehementi suspicione morbi gallici,etsi non plenè probetur,& de oris graueolentia, quādo immedicabilis est. Et hæc omnia habentur,& deducuntur ex c.quemadmodum de iureiurando. Hoc supposito, difficultas est de superueniente deformitate; Affirmatiuam sententiam docet Sāchez tom.1.lib.1.disp.27.n.4. quia res non eodem statu permanet, estque notabilissima mutatio, & talis, qua à principio existente sponsus non contraxisset, & ideò Innocentius in d. cap. quemadmodum nu.3.ait.Dissoluuntur sponsalia,quando notabilis deformitas superuenit, quia non manet res in eodem statu,cum non sit fęmina apta facere id propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet. Innocentius,& Sanchez.

Sed aduersus illum nouissimè insurgit Ioannes Guttierrez de matrim.c.21. nu.5. quia textus in d.c.quemadmodum, tantùm permittit dissolui sponsalia ob oculorum, vel nasi amissionem, vel ob paralysim. At deformitas,de qua nunc agimus,vt aduersatur pulchritudini vultus præcedenti, non est huiusmodi. Ergo.&c.Nec obstant verba Innocentij,quia de deformitate textus in d.c. quemadmodum intelligēda sunt,non verò de alia inferiori diuersi generis, nēpè[por auer se hecho de hermosa fea sin perder los ojos, y narizes, ni tener otra infermedad de las expressas en derecho.] Si quidem patet virum posse accedere ad nō pulchram, imò frequenter cōtingit viros habentes pulcherrimas mulieres cum alijs non pulchris fornicari.Nec valet dicere, quod illæ infirmitates in d.c.proponunt ex gr. nam respondeo esse extendendas ad alias similes eādem rationem, vel grauiorem habentes non autem ad deformitates procedentes ex defectu pulchritudinis, quæ multo inferior est, & minimè comprehensa sub dispositione dicti cap. quemadmodum. Hæc omnia Guttierrez contra Sanchez, vbi citat pro sua sententia Couarruuiam, Carrerum, Matienzo,& Lopez.

Verùm his non obstantibus sentētia Sanchez mihi probabilissima videtur, quam post illum docet Basilius Pontius de matrim.lib.12.c.17.nu.5.& Filliucius to.1.tract.10.p.1.c.8.nu. 189. & Villalobos in summa tom.1.tract.11.difficul.12.n.18.

Notandum est tamen hic,quod Doctores loquūtur communiter de sola deformitate accidēte sponsæ, quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Quare valdè magna debet esse deformitas sponsi, quæ de nouo accidens det sponsæ ius resiliendi, qualis posset fortè esse,si totum omninò nasum perderet, aut si tota facies fœde exureretur, aut alia ratione ita fieret deformis, vt spectātibus horrorem aliquem incuteret, aut si vnà cum deformitate accedat aliud malum,vt si perdat oculum,& sit periculum, ne perdat secundum, aut si ineptus reddatur ad suum opificium exercendum,aut officium acquirendum ad sustentationem familiæ necessarium: Aliàs quando deformitas non est excessiua non dat sponsæ iustam causam resiliendi.Et hæc omnia adnotauit Coninch.de Sacr.disp.23.dub.8.nu.66.

An nulla dotis promissione præuia possint dissolui sponsalia ob paupertatem sponsæ superuenientem.

RESOL. CCLXXXVI.

REspondet negatiuè Paludanus in 4.dist,27.q.1.artic.2.num.14.Lopez Rodriquez,& alij,penes Sāchez de matrimon. to.1.li.1.disp.59.n.3.quia sibi spōsus imputare debet,quod nullum de dote tradenda pactum inierit. Et hanc sententiam probabilem esse docet Sāchez loco citato in fine, & Villalobos vbi infra.

Mihi verò contraria sententia placet, quam tuetur Basilius Pontius de matr.lib.12.c.17.num.8. Villalobos in summa to. 1. tract.12.diffic.12.nu.19.Henriquez lib.11.c.14.num.6.Sanchez vbi supra nu.4. & alij. Et ratio est, quia negari non potest, quin hæc non sit notabilissima mutatio, quæ si à principio existeret, sponsalia non contraherentur; adde quod promissio intelligitur facta rebus in eodem statu permanētibus ex cap. quemadmodum,de iureiurando. Ergo,&c. Et hæc sententia procedit; etiamsi illa sponsalia fuissent iuramento confirmata, quia iuramentum intelligitur rebus notabiliter non mutatis ex eodem cap. quemadmodum.

Notandum est tamen hic,quod si sponso subito accedat noua hæreditas,qua eius status plurimum melioretur,ita vt sponsa sit iam multum inæqualis illi:non ideò potest sponsalibus renunciare, quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, quia non errauit circa obiectum consensus,sed circa propriam cōditionem,circa quam consensus non fertur, eademque est ratio sponsæ si ipsi noua hæreditas accedat. Et hanc sententiam prius solum Sāchez vbi sup. num.7. auctorem habebat,nunc verò illam docet Coninch.de sacr.disp.23.dub.8.nu.69.Gutrier.de matrim. c.33. num.4.& Reginaldus in praxi tom.1.lib.31.c.36.nu.363.

Notandum est etiam hic à Confessarijs an iurans se aliquā ducturū,nulla dotis promissione præmissa, teneatur ipsam ducere,si cum ipse diues sit,nullam ei dotem assignare velit; Quidam affirmant teneri, quādo vir diues esset,& onera matrimonij sustinere posset.Alij verò negant, ego vtramque sententiam probabilem esse puto, vide Sanchez tom.1.lib.1.dis.60.& Gutierrez de matrim.c.33.num.5.

Vtrum sponsus possit contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius si alter conscius esset,posset iustè à sponsalibus resilire.

RESOL. CCLXXXVII.

HÆc quæstio est satis practicabilis, & ego olim de illa interrogatus fui, quia sponsa virgo non erat. Ideò assero cum Basilio Pōtio de matrim.lib.12.c.18.nu.5.& 6.& Coninch. de

de Sacram. disput. 23. dub. 12. numer. 91. & sequent. quod distinguendi sunt defectus in duplici genere. Primùm est eorum defectuum, qui insunt vni ex contrahentibus, siue cum culpa, aut sine illa. qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas. Vt si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, & quæ existimatur honesta, nō sit virgo, sed corrupta, vel vi, vel spontè, quando tamen studeret in posterum honestè viuere: si enim id non proponeret, iam nuptiæ non solùm essent minus appetibiles, sed etiam perniciosæ, morbus scilicet contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult, grauis infamia, siue personalis, siue generalis, quæ possit honestā familiam deturpare. Si ergo sunt defectus primi generis, dico nō teneri cōtrahentem aperire eos. Nota tamē, quod patienti huiusmodi defectus nullo modo licet vel dicto, vel facto positiuè simulando cōtrarium; alterum vana spe ad nuptias suas allicere. Dixi positiuè simulando, quia tales defectus, maximè quando cum aliqua infamia coniuncti sunt, quis nō tenetur manifestare, & ideò etiā interrogatus potest eiusmodi defectus dissimulare. Vnde recens nupta licitè, & consulto potest vti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat corruptam, immò, etsi fœmina malefaciat promittēti sibi nuptias, cōcedendo vsurā corporis, tamen aut nullo modo, aut leuiter peccat tali artificio tegendo se esse corruptam, ne alter hoc deprehendens eius nuptias auersetur: nam in tali casu nō propriè se fingit virginē, sed vitium occultat, & etiamsi apertè diceret se esse virginem, nō credo per hoc præcisè peccaturam mortaliter, nisi esset periculum ne vir postea eam corruptā deprehēderet. Si verò defectus sunt secundi generis modo quo supradictum est, non licèt cum horum ignaro cōtrahere, nisi simul les defectus paterentur. Ex his faciIè colligitur an is, qui defectum aliquem patitur, possit ignarum eius defectus renuentē implere spōsalia, cogere vt adimpleat. Et quidem si sunt defectus posterioris generis, nō potest, etiamsi post sponsalia in eos defectus inciderit. Et idem dicēdum est de patiēte defectus primi generis, si dolo induxit illum ad sponsalia cōtrahenda. At si patiens defectus primi generis non illum induxit ad contrahendum, probabile satis est posse cogere, vt impleat, probabilius tamen videtur non posse illum resilientem cogere. Et hęc omnia desumpta sunt a Pōtio & Coninch. vbi supra, qui horum omnium rationes adducunt in alijs libris non ita passim obuias.

Ex his infertur, me olim rectè consuluisse contra Villalobos in summa tom. 5. tract. 12 difficul. 24. num. 5. quādam virginem post sponsalia corruptam potuisse sponsum defectus occulti ignarum cogere matrimonium contrahere, & stare sponsalibus. Nec valet argumentum Villalobos, nempè adulterum ex iustitia nō posse exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara. nam ego puto adulterum licitè debitum exigere in tali casu, & ita docet Coninch. vbi supra numer. 87. qui citat Caietanum, vtrumque Sotum, & Hēriquez, quidquid cum Villalobos sentiat Nauarrus c. 22. nu. 23. Couarruuias in 4. decret. p. 2. c. 7. n. 4. Armilla verb. Adulterium, num. 8. in fine, & Angelus ibid. nu. 3. sed tu tene nostram sententiam, quam etiam docet Sanch. tom. 1. lib. 1. disp. 68. nu. 4.

An impuberes possint resilire a sponsalibus iuramento firmatis, postquam ad annos pubertatis peruenerint?

RESOL. CCLXXXVIII.

REspondēt affirmatiuè communiter DD. ex cap. litteris 2. de sponsalibus, contrariam tamen sententiam probabilem esse docet Villalobos in summa tom. 1. trac. 12. difficul. 12. nu. 27. vbi sic ait: [Algunos tienen problablemente, que si los desposorios se confirmaron con iuramēto, se pueden dissoluer, porque el iuramēto sigue la naturaleza del acto à que se interpone, como dize la ley fin. C. de non num. pecun. y assi parece que estos desposorios incluyen esta tacita condicion, saluo si llegando à la edad resistiere assi lo tiene Iuan Andreas, y Paludano.] Sic Villalobos, qui tamen negatiuam sententiam tenet, & quidem meritò, si impuberes, quando sponsalia iuramento firmarunt, erant vt supponimus, doli capaces.

An deficientibus hominibus sæcularibus tenerentur Religiosi contrahere matrimonium?

RESOL. CCLXXXIX.

CVriosa magis, quam vtilis erat hæc quęstio. Negatiuam sententiam docet Basilius Pontius de matr. lib. 1. cap. 4. nu. 11. Vasquez in 3. par. to. 4. disput. 1. de matr. cap. 3. Rebellius part. 2. lib. 2. quæst. 2. num. 7. Syluius in 3. p. q. 41. art. 2. concl. 2. ad arg. 5. & alij, penes ipsos, putantes mundi iam finem instare, in tali casu, & ideò necessarium non esse matrimonium contrahi à Religiosis, vt per illos genus humanum restauretur.

Mihi verò magis placet sententia affirmatiua, quam docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 3. n. 4. quibus ego addo Reginaldum in praxi to. 2. libr. 31. cap. 2. nu. 8. & Villalobos in summa to. 1. tract. 13. diffic. 3. num. 1. Et ratio est vrgenti necessitate obligans, sed in nostro casu maximè vrget, nec seclusa Dei reuelatione finem mundi adesse constare poterit. Ergo, &c.

Notandum verò cum Sanchez, & Reginaldo, locis citatis, posse etiam nūc occurrere casum, in quo aliquis Religiosus teneretur matrimonium contrahere, vt quando sequeretur seditiones, & bella, nisi Principis filius vxorem duceret; tunc enim sub onere peccati mortalis matrimonium inire teneretur, non ratione præcepti matrimonij. Sed ad casus practicabiles veniamus, ideo quæro.

An sponsalia inter consanguineos inita cum conditione si Papa dispensauerit, sint valida, & obligent in conscientia impetrata dispensatione.

RESOL. CCXC.

AFfirmatiuam sententiam mordicus tenet Adrianus in 4. sentent. tract. de sponsalibus, dub. 10. quem ex recentioribus sequuntur Basilius Pontius de matr. libr. 5. cap. 15. nu. 5. Coninch. de Sacram. disp. 29. dub. 1. concl. 5. num. 18. Paulus Comitolus in resp. mor. lib. 1. qu. 145. per totam, Rebellius part. 2. lib. 2. qu. 10. sect. 6. num. 46. quibus adde Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez, to. 1. libr. 5. disp. 5. q. 3. num. 12. Et ratio est, quia earum rerum, quæ suaptè natura nec malæ sunt, nec vlli iustæ legi repugnantes, iusta, ac firma potest esse pactio, sed pacisci de futuris nuptijs inter propinquos, ex concessione Romani Pontificis, nec turpè est, nec vllam legem perstringit, ergo inita de ea re pactio rata esse debebit, quandiu Romani Pontificis non infirmetur auctoritate. Deinde non est verùm illud fundamentum, quod pendens à voluntate Principis est impossibile, quando Princeps illud concedere solet, vt accidit in casu nostro. Ergo, &c. Adde quod ideò institutio spurij facta sub conditione, si Princeps eum legitimauerit, est valida. Secundò, venditio rei feudalis, seù maioratus simpliciter facta, inualida est, valet tamen si fiat sub conditione, si dominus feudi, aut Princeps voluerit. Tertiò, Votum Episcopi transeundi ad Religionem, si Papa dispensauerit, validum est. Quartò, quandò est cōtrouersia super aliquo beneficio, licèt nō possint pacisci simpliciter de pensione (aliàs esset simonia) si tamen faciant pactum super ea cum conditione si Pontifex consenserit, suspendendo dictam pensionem in euentum, quo Papa consentiat, licita est conuentio, & ita quotidie practicatur. Et tamē supradictæ conditiones pendent à Principis voluntate. Ergo, &c. Vnde ex his omnibus apparet, hanc sententiam esse satis firmam, & probabilem.

Verùm cōtrariam sententiam esse etiam probabilem existimo, & ita illam vocat Sāchez vbi supra, & illam absolutè tenet nouissimè Io. Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. matr. diff. 7. per totam, Barbosa in Collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. c. 5. nu. 11. & Riccius in Prax. p. 1. Resol. 217. num. 2. Genuensis in Prax. c. 13. n. 5. Molfesius in sum. to. 1. tract. 4. c. 5. n. 54. Ragucius in Lucerna Parochorum, de matrim. q. 127. Henriq. lib. 12. c. 10. nu. 4. quibus addo Sotum, Ledesmam, Grassium, Viualdum, quos citat Sanchez loc. cit. nu. 5.

Dicendum est igitur secūdùm hos Doctores, talem promissionem esse nullam, & proinde licitū esse vtrique contrahenti ante, et post impetratam à Pontifice dispēsatonem altero inuito à sponsalibus resilire. Et hoc etiam procedit, si talis promissio

fuerit

fuerit iuramento confirmata. Verùm si magnæ expensæ factæ sint causa talis promissionis pro impetranda dispensatione, resiliens à dictis sponsalibus tenetur illas restituere. Et rationes horum omnium inuenies apud Valerum loco citato. Ex his infert Guttierrez QQ. Canon. lib. 1. cap. 22. nu. 17. consanguineos contrahentes matrimonium per verba de præsenti, sub conditione, si Papa dispensauerit, incurrere in excommunicationem latam in Clem. vnica de consang. quia ea conditio tanquam impossibilis reijcitur & ideò manet purum matrimonium. Sed Doctores primæ sententiæ hoc negant, quia secundùm illos ea conditio reputatur possibilis.

An matrimonium initum sub conditione honesta per verba de præsenti, vt contraho tecum, si pater tuus voluerit, adueniente conditione, efficiatur validum absque alio nouo consensu?

RESOL. CCXCI.

Circa præsentem quæstionem pugnant inter se Canonistæ, & Theologi, & cum Canonistis tenet Coninch. de Sacramentis disputat. 29. dub. 1. concl. 3. num. 11. Sanchez tom. 1. libro 5. disputat. 8. n. 5. & Syluius in 3. p. quæst. 43. art. 1. quæritur 1. concl. 7. sicut Theologi, quia cæteri contractus conditionales, adueniente, & impleta conditione absque nouo consensu purificantur, vt patet ex l. hæc venditio ff. de contrah. empt. in illis verbis. Conditionales venditiones tunc perficiuntur cum impleta fuerit conditio. Ergo idem dicendum est de matrimonio. Hinc infertur matrimonium aliàs contractum post prius cōditionale, & impletam iam conditionem esse inualidum, quia per implementum conditionis prius matrimonium omnino firmum fuit. Et hanc Canonistarum opinionem, Cum Petro Ledesma de Matrim. q. 47. art. 5. dub. 7. principali, conclus. 1. valdè probabilem esse existimo.

Attamen mihi magis placet contraria sententia Theologorum, quos citat Sanchez vbi supra num. 3. quibus ego addo Basilium Pontium de matr. lib. 3. cap. 14. num. 15. & ex Canonistis Augustinum Barbosam in collect. tom. 2. libr. 4. tit. 5. c. 5. nu. 7. et Guttierrez de matr. cap. 81. num. 8. Et ratio est, quia forma illa cōtrahendi tantumdem videtur valere ac si fieret per verba de futuro. vt patet ex cap. super eo, de condit. appos. Deinde confirmatur, quia nullum Sacramētum pendere potest à conditione de futuro, vnde si dicas ego te absoluo vbi primū restitues, nihil efficis. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Pontium vbi supra.

Vnde ex his infero contra Doctores primæ sententiæ, si post euentum conditionis ante nouum consensum præstitum, alter aliud contrahat matrimonium, peccare quidem contra fidem præstitam, at validum esse matrimonium, quia prius tātùm habebat vim sponsalium. Ita Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. post cōclus. 5. vers. si arguitur ad id. Secundò infertur contra Sanchez vbi supra, numer. 26. si duo consanguinei contrahāt coram Parocho, & testibus, per verba de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit, non esse matrimonium absque nouo consensu post obtentam dispensationem Papæ. Guttierrez de matr. c. 71. nu. 10. vide etiam Comitolum lib. 1. q. vlt. n. 5.

Dicendum est igitur secundùm opinionem Theologorum, matrimonium de quo est quæstio, nō effici validum post adimpletam conditionem, absque alio nouo consensu, sed transire, & habere tantùm vim sponsaliorum.

Non reticeam tamen hic apponere sentētiam mediam, quā tenet Rebellius par. 2. lib. 2. qu. 10. sect. 6. num. 44. asserens, quod si contrahentes expressè pacificantur, aliisque signis declarent, se velle, vt adueniente conditione, matrimonium statim fiat, si in eodem consensu saltem virtuali permanent, probabile est sine nouo consensu matrimonium fieri. Ita Rebellius.

Notandum est tamen, quod etiam stando in prima opinione requiritur, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus; vel vt Parochus, & testes cognoscant conditionem esse adimpletam. Ita Coninch. & Rebellius vbi supra, cum Basilio Pontio de matrimonio, libr. 5. cap. 22. nu. 8. quidquid in contrarium afferat Sanchez loco citato, nu. 24.

Vtrum ad reualidandum matrimonium fictè contractum, sufficiat adhibere consensum post longum tempus.

RESOL. CCXCII.

De hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam coram Parocho, & testibus, fictè matrimonium contraxerat, post autem decem menses verè, & ex animo contrahere volebat, quæsiuit à me, an post illud longum tempus sufficeret adhibere consensum, inscia neque de nouo consentiente vxore. Et tunc respondi affirmatiuè cum Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 32. nu. 11. & 13, vbi sic ait. Tertio infertur, satis esse si fictè, vel metu consentiēs post verè assensum præbeat, quocumque temporis spatio interiecto, quia quando vnius adsunt consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, vt prior consensus virtute maneat; in nostro autem casu, non tantùm virtute, sed actu, & formaliter semper manet, cum semper qui verè consensit, æstimet valere matrimonium, & alterum habeat coniugem: petēs, & reddens debitum. Nec opus est, vt iterùm coram Parocho, & testibus celebretur hoc matrimonium, quia id est necessarium, quando omninò celebratur matrimonium, hic autem tantùm suppletur defectus interni consensus, vel alius defectus occultus, & iam externo contractui astiterunt Parochus, & testes. Ergo, &c. Ita Sanchez, & alij penes ipsum quibus ego addo Guttierrez de matr. cap. 46. n. 14.

Notandum est tamen hic obiter, quod licèt in contrahendo matrimonio non sit necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, tamen exigitur simultas moralis, ita, vt non magnum interuallum inter vnius, & alterius cōsensum distet; magnum verò interuallum Bartholomæus Ledesma de matrim. dub. 15. putat esse, quando annus intercedit, Hentiq. li. 11. cap. 3. num. 6. quando biennium intercedit. Sotus verò in 4. sent. dist. 27. qu. 1. art. 3. vers. sed alia hinc nascitur, & Lopez in instr. part. 2. cap. 39. § quando septennium, sed melius Petrus de Ledesma de matr. qu. 45. art. 3. dub. 2. asserit hoc prudentis arbitrio relinqui, attentis particularibus circumstantijs. Verùm super hoc vide si libet Aegidium Coninch. de Sacram. disput. 24. dub. 7. per totum.

Vtrum sit validum matrimonium contractum cum falso errore alicuius impedimenti?

RESOL. CCXCIII.

Difficultas huius quæstionis est, quando adest error facti, & scientia iuris, vt quando coniuges falsò credunt adesse impedimentum, & existimant hoc stante non posse consistere matrimonium, & tamen contrahūt. Et de hoc casu olim interrogatus fui nam quidam contraxit, existimans coniugem mortuum, esse viuum, & tamen sciebat matrimonium esse nullum, contractum superstite coniuge. Prima opinio negat, & ita docet Coninch. de Sacram. disput. 23. dub. 6. n. 53. & alij penes ipsum, quia impossibile est talem habere veram intētionem contrahendi, quia nemo potest serio intendere id quod omninò credit impossibile: quare non est verum talem posse intendere contrahere, quantum potest, cum omninò credat se nullo modo posse, leuis esset si de altera parte, vel leuissimè dubitaret, ita vt concipere posset fortassè fieri posse, vt validè contrahat, tunc enim posse hoc intendere. At verè contraheret, quamuis committeret grauiter peccaret ob periculum inualidè contrahendi, cui suo iudicio se exponit. Ita Coninch.

Secunda opinio affirmat, quam tuetur Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 33. numer. 2. cum alijs penes ipsum, quibus ego addo Guttierrez de matr. capit. 47. num. 1. nam contrahentes intendunt quantum in seipsis est consentire, quia hæ personæ sunt reuera habiles ad contrahendum, & intendunt quatenus possunt contrahere. Ergo validè contrahunt. Secundò, quia hæreticus, etsi credat baptismum esse rem irrisoriam, & nihil valere, verè baptizat, si verè intendat facere, quod potest, & intendit Ecclesia, Ergo, &c.

Verùm Basilius Pontius de matrim. lib. 4. c. 23. num. 1. & seq. existimat non esse inter has sentētias discrimen reipsa, si distinctè explicentur. Duobus enim modis potest se habere contrahentium animus in prædicto casu. Primus est, si eliciant duos actus, vel iudicia, quorum vnum feratur in impedimentū, quod falsò

falsò subesse putant, & in scientiam, & supposita ea volunt adhuc contrahere, quamuis ius resistat. Secundus est, vt quamuis habeant, in cognitionem circa factum, & ius, & aliam habeant, qua ipsis occurrat fortasse nō teneri eo impedimēto, &c. consensus fit quasi conditionatus, qui sic explicari potest. Et si non teneamur impedimento, & ius resistat, attamen si fortè potest iniri inter nos matrimonium, cōsentimus in illud In primo casu impossibilis est intentio contrahendi, & si oppositum sentit Sanchez, non est sequendus, & in hoc casu procedit prima opinio Coninch. In secundo autem casu bene potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia consensus ille est quasi conditionatus, fit possum, cumque conditio sit de præsenti, si non teneor fortè aliquo impedimento, & re vera non teneatur illo, statim consistit contractus matrimonij, & in hoc casu vera erit opinio Sanchez; fin aliter, non erit admittendo, & ad primum, eius argumentū patet responsio ex dictis. Ad secūdum respondeo, negando cōsequentiam, quia ita baptizans, scit se posse facere id quod intendit, scilicet facere, quod facit Ecclesia, sed cōtrahentes in nostro casu, putant se nullo modo posse cōtrahere, quare non possunt hoc serio intendere. Ergo, &c.

An Parochus teneatur sub mortali interrogare sponsos de mutuo consensu.

RESOL. CCXCIV.

Respondeo quod debet Parochus vtrumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum, an scilicet liberè consentiant, vt præcipit Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. eius tamen omissio, quando alias Parocho constat eos liberè cōsentire, est leuis, & tantùm culpa venialis. Et ita docet Coninch. de Sacram. disp. 27. dub. 8. conclus. 4. num. 74. & Sanchez tom. 1. lib. 3. disp. 38. nu. 9. Guttierrez vbi infra.

Notandum est etiam hic cōtra Veracruz in speculo in appēdice dub. 2. concl. 1. & 2. non teneri Parochum interrogare cōtrahentes, an aliquod impedimentum habeant ne contrahere possint, & ita tenet Guttierrez de matrim. cap. 69. nu. 17. & Sanchez vbi supra, num. 10.

An qui bona fide contraxit, posteà dubitans de valore matrimonij, & adhibita diligentia non constet veritas, possit adhuc non solùm reddere, sed etiam petere debitum.

RESOL. CCXCV.

Negatiuam sententiam docet Rebellius p. 2. lib. 2. q. 16. sect. 2. num. 11. Guttierrez de matr. c. 49. num. 28. & alij, quia canones absolutè decernunt non esse petendum debitum cum dubio absque illa distinctione diligentiæ, antea, vel post adhibitę; quæ etsi in tali dubio locū haberet, necessario fuerat adhibenda, tanquam ad rem magis pertinens, quam distinctio de eredulitate à Pontifice in canone adducta. Denide vbi iura nō distingunt, nec nos distinguere debemus: hęc sententia est probabilis.

Sed magis probabilem contrariam existimo, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez tom. 1. lib. 2. disput. 41. n. 46. & 47. quibus ego addo Coninch. de Sacram. disput. 34. dub. 10. concl. 4. num. 105. Filliuc. tom. 1. tr. 10. par. 1. cap. 9. num. 343. Valentiam tom. 4. disp. 10. quęs. 6. punct. 2. Reginaldum in praxi tom. 2. lib. 31. cap. 36. num. 299. Et ratio est, quia possessor bonę fidei, si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, nequit dubiū vincere, potest nō tantùm rem retinere, sed etiam illa vti: ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio, reddendo, & etiam petendo. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalobos in summa, tom. 1. tract....

Notandum est tamen etiam hic, quod coniux nō tenetur regulariter e redere alteri asserenti etiam sub iuramento, se vel nō consensisse ab initio, vel aliud dirimens impedimentum subesse, atque adeò dubio deposito potest petere debitum. Ita Doctores citati, nisi adsint aliæ sufficientes circumstantię, & coniecturę, vt asserentis probitas, &c. nam tunc, nec reddere, nec petere potest.

Vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali, v. g. quoad situm, &c.

RESOL. CCXCVI.

Martinus Bonacina de matrim. quæst. 4. punct. 3. nu. 9. & 10. negatiuè respondet, docet enim coniugem nōn debere reddere debitū alteri coniugi, qui petit modo indebito, quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo, nam petit illicitè ex circumstantia actus.

Verùm ego puto contrarium asserendum esse cum Sanchez tom. 3. li. 9. disput. 16. num. 8. cui ego addo Basilium Pontium de matr. li. 10. c. 11. num. 4. & Filliucium tom. 1 tract. 10. par. 1. ca. 9. num. 308. & 328. quia peccatum veniale petens sic debitum in hoc casu, nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi appetitu voluptatis, cui appetitui, & affectui non cooperatur alter cōiux reddens, sed exercet actum licitum cōiugibus, & ordinatū ad generationem, adhuc enim, & ille modus posset exerceri sine eo appetitu, & affectu. Ita Pontius: vnde contra Henriquez lib. 11. c. 16. num. 6. assero non vix, sed absolutè, & sine vllo scrupulo, posse vxorem reddere debitum viro petenti, qui inuerso modo, seu prępostere succumbens, vult illam intra naturale vas cognoscere.

Notandum est etiam hic à Confessarijs, quod vir habens votum castitatis, si petit, vxor tenetur reddere debitum, licèt ipse; quia per votum non amisit dominium corporis alterius coniugis, sed tantùm peccat, exigens, ergo coniux exatus tenetur reddere. Nota etiam probabile esse, non peccaturam coniugē reddēdo debitum incestuoso, qui scilicet peccauit cum ipsius vxoris consanguinea ante dispēsationem, quia nō cooperatur peccato alterius: alter enim peccat tantùm petēdo actum sibi prohibitum, at coniux non cooperatur petitioni, sed hac supposita, cooperatur actui ex se licito. Et hæc omnia ex Sanchez notat Filliucius vbi supra n. 309. & 310. quidquid in contrarium etiam probabiliter, quoad redditionem debiti incestuoso, affectat Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. diff. 47. nu. 4. & alij.

An contrahere cum impedimento dirimente sit duplex peccatum mortale.

RESOL. CCXCVII.

Affirmatiuam sententiam docent viri grauissimi, & cū magna probabilitate, vt ait Petrus Ledesma de matrimonio q. 50. art. 1. diffic. 3. post concl. 2. quia vltra culpā transgressionis iuris naturalis aut Ecclesiastici, secundùm quod est impedimentum, reperitur sacrilegium irritationis sacramenti matrimonij.

Verùm mihi contraria sententia placet, quia cętera sacramēta habent iure diuino præscriptam materiam, & formam certā, ac determinatam, & solam sacramenti rationem subeūt, ac proinde materia, & forma non possunt adhiberi, quin sint ex se materia, ac forma sacramēti, quare si fit indebitus vsus, ita vt sacramentum irritetur, est sacrilegium. At matrimonium vltra sacramenti rationem est cōtractus quidam naturalis, nec habet præscriptam materiam, & formam determinatam, sed consensus contrahentium legitimos verbis, nutibus, aut litteris, aut per procuratorem expressos. Vnde cum Ecclesia, aut iure naturali irritante consensus inter aliquos, qui matrimonio copulantur, non ipsi irritum sacramentum efficiunt. Quantum enim ex sua parte est, validè contrahunt; sed ius Ecclesiasticum, aut naturale statuens id impedimentum, illud irritat. Hæc omnia Sanchez to. 2. lib. 7. disp. 5. num. 1. & post illum Filliucius to. 1. tract. 10. p. 1. c. 1. n. 21.

TRACTATVS V. MISCELLANEVS.

An in rebus venereis detur paruitas materiæ.

RESOLVTIO PRIMA.

AFFIRMATIVE respondent Sanchez de matrim.lib.9.disput.46.numer.9.27.& 40.Zanardus in direct.Confessar.par.1.de Sacram. matrim.cap.41.quæst.28. & Salas in p.2.disput.6. sect.21.numer.149.quia, ait ille, cur in cæteris præceptis detur paruitas materiæ, & non in hoc? Hanc etiam sententiam docet Villalobos in summa.tomo 2.tr.40.dub.9.num.8.vbi sic asserit, [Tambien se ha de aduertir que se puede hallar en este pecado paruidad de materia como en otros, quales son los tocamientos leues,como de la mano de vna mugier, y del pie,con torcerle los dedos,o pisarle el pie,como dizen Nauarro, y Caietano,no obstante,que algunos no admiten aqui paruidad de materia.] Ita ille. Vide etiam Seraphinum Freitam in addit. ad Tract.de Cōfess.sollicit.q.7.nu.13.& Sancium in selectis.disp.11.num. 22.& hanc sententiam speculatiuè esse probabilem,docuit Malderus in p.2.quæst 74 art.10.

Verùm his non obstantibus, prorsus negatiuam sententiam sustinendam esse puto,quam tuetur Tannerus in p.2. disp.4. q. 8 dub.6.num.109.Castrus Palaus in opere morali, tomo 1,tr.2. disp.2.punct.10.§.2.num.4.Basilius Pontius de matrim.libro 10. ca.16.§.2.num.8.Lessius lib.4.cap.3.dub 15.num.109.Rebellius p.2.li.3.quæst.19.sect.3. & hanc sententiam docendam à Theologis Societatis Iesu, decreuit Claudius Aquauiua die 24.Aprilis 1612.Probat hanc sententiam Rebellius, quia cum nulla sit tam exigua fornicatio,quin sit peccatum mortale,& delectatio sortiatur morem actus,videtur omnis delectatio morosa in ista materia esse mortalis. Deinde omnis delectatio venerea,secundùm Galenum,est inchoatio quædam pollutionis, itaque sicuti inchoatus actus pollutionis est mortalis, ita etiam quæcumque eiusmodi delectatio.Et ideò Sanchez in summa,tom.2.lib.5.ca. 6.num.12.de contraria sententia se retractauit. Non datur igitur in rebus venereis paruitas materiæ, & contrarium asserere puto periculosum esse.

An si vidua, vel sponsa de futuro carnaliter delectetur de copula præterita,& futura peccet mortaliter.

RESOL. II.

NEgatiuè respondet Alphonsus Curiel in p.2.D.Thom. q. 74.artic.8.dub.3.§.2.Herrera de peccatis disp.33.q.13.Victoria,quem refert,& sequitur Medina in p.2.quæst.74. artic.8. Zumel ibidem disp.4.dub.3.& alij recentiores. Et ratio est,ait Curiel, quia delectatio carnalis in vidua consequitur ad actum qui fuit licitus,& delectatio sapit naturam actus,ad quem consequitur. Ergo, &c.Deinde, vidua non delectatur de libidine præsenti;sed de libidine in memoria,hoc est de preterita,vt præterita;similiter sponsa, non de libidine præsenti, sed de futura copula delectatur.Ergo, &c.Et hanc sententiam probabilem esse docuit Corduba in QQ.lib.1.quęst.23.dub.19.& alij;vide etiā Valentiam to.4.disp.6.q.4.punct.4.Sa ver.luxuria,nu. 13.& Syluestrum ver.delectatio,q.3.cum.Salas in p.2.tr.13.disput.9. sect. 30.num.201.

Ego tamen contrariam sententiam teneo cum DD. quos citat,& sequitur Bonacina de matr. q.4.punct.8.nu.3.quibus ego addo Emanuelē de Vale de Moura opus.1. de Ensal. & Incant. sect.2.cap.18. numer.14.Castrum Palaum tom.1.tract.2.disput. 2.punct.10.§.2.n.7.Malderum in p.2.q.74.art.10.Montesinum in p.2.to.2.q.74.art.8.q.6.n.103.Martinez in p.2.tom.2.q.74.art. 8. p.1.tract.de elect.dub.3.concl.7.Villalobos in summ.to.2.tract. 40.dub.17.nu.3.Philiarchum de offic.Sacerd.to.1.p.2.li.4. c.18. Filliuc.to.1.tr.10.c.9.n.359.Layman in theol.mor.li.1.tract.3.c. 2.n.14.Tannerum in p.2.disp.4.q.8.nu.13.& Basilium Pontium de Matr.li.10.c.16.§.2.nu. 10. & 11.Et ratio est, quia sicut actus externus venereus,respectu sponsæ, aut viduæ, non est licitus, ita neque est licita delectatio, quę de illo actu capitur non constante matrimonio.Et ita ēt hanc sententiā præter DD.citatos, tenet Lessius li. 4. c. 3.dub.15.n.120.& Vasq.in p.2.disp.114.n.3.

Notandum est tamen,quod multi ex DD. citatis docent,viduam non peccare mortaliter, si oborta cogitatione copulæ carnalis cum marito defuncto,eam approbet voluntate, & sic dicendum putant de sponsa circa copulam coniugalem futuram, si eam vel desideret, vel simplicis volūtatis affectione approbet quod Sanchez in summa tom.1.lib.1.c.2.n.33. & alij extendunt ad omnem voluntatis affectionem etiam simplicis complacētiæ, concepta ex cogitatione concubitus cum muliere, si vxor esset,sed hanc sententiam in praxi non audet consulere Laymā in theol.mor.li.1.tra.3.c.2.n.13.& ego similiter, & illam nouissimè reprobat Castrus Palaus to.1.tr.2.disp.2.punct.10.§.2. n. 6.

Dicēdum est igitur absolutè non esse licitam viduis delectationem ortam ex cogitatione copulæ habite tēpore matrimonij,neque sponsis de futuro delectari de copula habenda tempore coniugij, vnde licèt Valentia vbi supra,to.4.disp.6.quęst.4. punct.4.per se loquendo, teneat primam sententiam, attamen posteà sic asserit. Quoniam motus saltem concupiscentię facilè excitatur, cum illa delectatio in animo hæret,crediderim propter periculum consentiendi directè, aut indirectè in aliquā cōcupiscētiam mortalem, plerumque talem delectationem de actu prȩterito coniugali in vidua esse mortale peccatū,aut enim grauis mulier est,& pia,aut leuis.Si est grauis, & pia,nō admittet,vel certè non fouebit eiusmodi delectationem in animo; sin autem leuis est, magno periculo sese exponit, propter rationem dictam,itaque peccat mortaliter. Hæc Valentia.

An chirurgus expertus, dum medetur pudendis fœminarum in pollutionem consentire, poterit se tali periculo obijcere, cum determinatione tamen non consentiendi. Idem quæritur de Parocho in confessionum auscultatione.

RESOL. III.

AFfirmatiuam sentētiam docet nouissimè ex Societate Iesu Castrus Palaus in opere morali,to.1.tra.2.disp.2. punct.9. §.3.n.11.& 13.vbi sic ait. Cirurgus potest verenda feminæ curare cū periculo consensus, nec Parochus est obligatus deferre officiū,etsi experiatur voluntariè pollui occasione desumpta ex auditis in cōfessione,sufficit.n.si proponat amplius nō cōsentire, Ita ille,& ante illum Io.Sancius in selectis,disp.21.n.9.vbi ita asserit.Parochus qui ex auditis in cōfessionib.expertus est in pollutiones consentire,non peccat confessiones auscultando, dum determinatus sit nō prolabi,quāuis eas ausculter. Deinde Chirurgus,qui pudenda fœminarum causa medendi videt,vel tangit,expertus illas concupiscere,vel volūtariè pollui,ob illud periculum à curatione nō tenetur cessare,nec peccat illi se cōmittendo,dum determinat, sic non peccare,quando partes illas videat,vel tangat. Vlterius qui pedester ambulare non potest,aut equitare,& ad eius honorem conducat, expertus tamen pollutioni ex eo obuenieti cōsentire;nō tenetur ab equitatione abstinere, nec peccat periculo illi cōsentiēdi se tradendo,dum semper determinatus sit non consentire, quando equester agat. Et ratio horum omnium est, quia quoties aliquis ex causa necessaria

saria, vel vrgente se exponit periculo peccandi, nõ ob id delinquit, dum quãdo se obijcit tali periculo, determinatam habeat voluntatem non peccandi, cum in tali casu inuoluntariũ sit periculum. Ita Sancius.

Sed contrariam sententiam, & meritò docet Villalobos in summa tom. 2. tract. 40. diffic. 16. num. 5. Leone de officio Confessar. par. 1. Recollect. 20. num. 73. Megala in 1. par. lib. 4. c. 4. nu. 6. Lessius lib. 4. c. 3. d. 14 nu. 98. Ioan. de la Cruz in Direct. consc. p. 1. præc. 6. art. 8. dub. 9. concl. 2. & alij. Et ratio est, quia ob nullam rem potest quis se exponere formali periculo peccãdi, nam qui amat periculum, peribit in illo.

Nõ desinam tamen hic adnotare D. Thomam in 2. 2. qu. 10. artic. 9. in fine corporis, Salas in p. 2. tract. 6. disp. vnica, sect. 5. nu. 60. & tom. 2. tract. 13. disp. 7. sect. 17. num. 105. & 106. Sotum de iust. lib. 5. q. 1. art. 6. in fine 2. conc. & alios. docere posse aliquem accedere ad infideles gratia illos cõuertẽdi cum periculo subuersionis, & ad prædicandum meretricibus cum periculo peccandi: quod etiam docuit Castrus Paulus nu. 10. qui etiam addit, posse, imò teneri parẽtem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque alia via possunt victũ quærere, etsi periculum habeat lapsus cum concubina: & faciũt pro hac sententia Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. c. 8. nu. 3. Basilius Pontius de matr. lib. 5. c. 35. n. 4. Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 19. num. 17. Sà ver. peccatum, num. 6. & alij asserentes, quod exponens se periculo peccandi causa vrgente, nõ peccat, & ponunt multa exempla.

Verùm Lopez in instruct. par. 1. c. 21. §. ad tertiam rationem, & Petrus Lorca in 2. 2. D. Thomæ sect. 3. disp. 28. num. 9. & alij, asserũt non licere exponere se periculo peccãdi certo, nec probabili ob bonum spirituale proximi; & ideò Suarez de charit. disput. 9. sect. 2. num. 8. sic asserit. Sequitur contra Sotum, nemini licere propter aliorum salutem exponere se morali periculo peccandi mortaliter, ex illa regula Eccles. c. 3. qui amat periculum, peribit in illo; nam in moralibus idem est committere, & exponere se morali periculo committendi. Quod maximè verũ est, quãdo periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est. Si verò confuso non potest certa regula tradi, sed pro ratione necessitatis, & periculi, pensanda res erit ita Suarez, quem ego sequor; vnde cogita si opinio Basilij Pontij, quam supra in tract. 4. de Sacramen. Resol. 269. adduxi, sit probabilis.

An sit peccatum mortale falsum crimen obijcere testi falsum, aut contra ordinem iuris testanti.

RESOL. IV.

NEgatiuam sentẽtiam esse probabilem testatur Ioann. de la Cruz in direct. conscient. par. .. pr. 8. art. 4. dub. 17. conclus. 1. vbi sic ait, Bannez, & Ledesma cũ Orellana probabiliter sentiunt esse solum peccatum veniale obijcere testi iniquo crimen falsum secluso periurio in obijciente, & testibus ad hoc inducendis. Ita ille. Et nota quod si reus, & testes in tali casu falso iurarent, licèt peccarent contra Religionem, nõ peccarent tamẽ contra iustitiam, & ideò non tenerentur ad restitutionem, & sic docet Ledesma in summa, tom. 2. tract. 8. cap. 35 conclus. 21. in fine, vbi ita asserit. [Puede el reo cometer pecado mortal cõtra religion, si induze los testigos para que testifiquen con iuramẽto la obiection falsa, y los mismos testigos aunque son periuros no pecan contra iusticia, ni estan obligados a restituit hablando de si; y la razon es, porque el reo, que los induze y es causa principal, no peca contra iusticia, ni esta obligado à restitucion, luego tampoco los tales pecan contra iusticia, ni tienen obligacion de restituir.] Sic Ledesma.

At his non obstãtibus communiter DD. asserũt, reum etiam in casu, de quo loquitur Io. de la Cruz vbi supra; peccare mortaliter, nam non habet ius defendendi se illo medio: cum mendacium sit intrinsecè malum, nec ordinabile in finem bonum. Ergo, &c. & ita docet Malderus in 2. 2. D. Thom. tract. 6. c. 3. dub. 3. & alij.

An si quis in die Veneris delectatur sensibili delectatione de esu carnis, mente concepto, perinde ac si eas reipsa comederet, peccet mortaliter.

RESOL. V.

AFfirmatiuè respondent Medina Cod. de restit. quæst. 21. & alij. Sed negatiuam sententiam omninò amplectendam esse affirmo. Dico igitur, quod delectari de rebus, positiuo solũ præcepto, aut voto voluntario prohibitis (non quia prohibitæ sunt) non esse peccatum mortale. Et ratio est, nam præceptum positiuum humanum per se nõ prohibet actus internos, sed solum externos, ergo, &c. Et ita docent Tannerus in p. 2 D. Thomæ disp. 4. q. 8. dub. 7. nu. 137. Layman in theol. mor. lib. 1. tract. 3. cap. 2. num. 9. Villalob. in sum. lib. 1. tr. 3. dub. 3. nu. 5. Malderus in p. 2. D. Tho. q. 74. ar. 10. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 114. & alij cum Vasquez in p. 2. disp. 110. cap. 1.

An comedentes, vel bibentes absque necessitate ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter.

RESOL. VI.

POnam hic opinionem doctissimi Ioannis Sancij, vt illam studiosi legant, & iudicent: sic itaque ait in selectis disp. 2. num. 14. Deficiente nocumento corporis, & salutis, comedere, vel bibere absque necessitate, solùm ob delectationem capiendam, scilicet ob frigiditatem potus, vel sanitatem cibi, neutiquam contra rationem erit; sed talis comestio, an potio liberè nt, vt appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitũ delectari suis operationibus quę cõtra rationem non sunt, nullatenus peccatum est, cũ scelus reperire sit impossibile, nisi contra rationem tendat operans. Dicas quæso, quare contra rationem operatur edẽs, aut bibens absque fame, dum aliàs esus, aut potus nocumentum salutis non inferant? Nam si ob solam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumẽto, peccatum etiam esset odorari res aromaticas ob solam delectationem capiẽdam boni odoris. Et esset scelus res inspicere pulchras ob solã delectationem, quam visus in visione capit, & esset crimen audire musicam, ob capiendam auditus delectationem. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum ex eo quod appetat cibum ob solam eius delectationem, damnari erit fas; & cur peioris erit conditionis quam alij. Ita ille, qui etiam illum versiculum, quem adducit D. Thomas 1. 2. quæst. 148. art. 4. propere, lautè, nimis, ardenter, studiosè; non sic absolutè esse intelligendum arbitratur, sed in certis quibusdã casibus, quos ipse latius explanat, & sic ipse ait. Propere edit quis quando tempore ieiunij ante horam comedendi sit comestio. Ardenter, quando ex modo comedendi læditur modestia. Lautè, quando perquisitione ciborum læditur modestia, quærẽs tanta sollicitudine, & cura, quod in illis fœlicitatem esse sitam ostendatur. Studiosè, quærens cibos nimis accuratè pręparatos. Nimis, quando ex nimio cibo, & potu, damnum aduenit saluti. Hæc omnia Sancius.

An peccet venialiter, si quis ob vitanda grauia tormenta, sibi falsum crimen imponit, etiam cum iuramento æquiuocatione vtens?

RESOL. VII.

NOn peccare mortaliter in tali casu docẽt communiter. Ita Nauarra de restit. lib. 2. cap. 4. num. 21. & alij.

Difficultas cõsistit, an peccet venialiter affirmatiuè respõdet Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 7. num. 4. & alij. Sed mihi placet opinio Ioannis Sanchez in selectis, disput. 46. num. 16. vbi sic asserit. Ad vitanda grauia tormenta excusabitur quispiam etiam à veniali labe falsum sibi imponendo, licèt ob illius confessionem esset morte plectendus; quia vita non est digna tanto dolore, & mẽdacium excusatur æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commisisse, non re, sed solùm vt fateatur iudici ad euitãda tormẽta. Quod verũ ẽt iudico, licèt falsã sibi impositionẽ iurẽt:

Nam eadem causa quæ adest ad excusandum mēdacium æquiuocatione retenta, sufficit etiam ad excusandum iuramentum. Ita ille, quidquid in contrarium asserat Vegha in summ. p. 2. cap. 8. cas. 1. Ragucius in Lucerna Parochorum de restitut. qu. 167. & alij, quando adest iuramentum, sed tu tene cum Sācio, & vide Azorium tom. 1. lib. 11. cap. 4. quæst. 5. reg. 3. Valentiam tomo 3. disp. 6. q. 7. punct. 4. & to. 4. disp. 7. qu. 13. punct. vlt. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. c. 6. nu. 15. Suarez de Relig. to. 2. libr. 3. c. 10. n. 5. Delrium in disquis. Mag. libr. 6. capit. 1. sect. 2. & alios penes ipsos.

Notandum est etiam hic obiter, posse delinquentem occultum, prodere se Iudici, vt in eo debitam exequatur punitionem cum id efficiat ob virtutem iustitiæ, volendo potius in hoc mundo peccati pœnam sustinere, quam in alio luendam seruare. Ita Sancius vbi supra num. 19. cui adde Nauarrum de restitut. libr. 2. cap. 4. nu. 20. Sanchez in sum. tom. 2. libr. 6. c. 18. num. 43. & Sà ver. infamare, num. 1. nisi esset persona maximæ auctoritatis, & Reipublicæ vtilis, quæ se prodens, & tradens puniendam; maximum pareret scandalum, occasionem aliis ad delinquendum offerens.

An sit peccatum mortale si in omnibus diebus festiuis quis exerceat, v. gr. per mediam horam aliquando opus seruile?

RESOL. VIII.

SEntentiam affirmatiuam docet Toletus lib. 4. cap. 25. nu. 1. & nouissimè Fagundez præcep. 1. lib. 1. c. 14. nu. 3. num in opere seruili cum sit opus materiale, datur continuatio, & extentio materiæ, licet detur discontinuatio in ipsis diebus.

Sed si hæc opinio esset vera, væ væ operariis, ideò negatiuam sententiam affirmandam esse puto quam docet Sanchez in su. tom. 1. lib. 1. c. 4. num. 12. vbi sic ait. Si quis distinctis vicibus eademmet festi die seruilia exerceatur, ita vt singulis vicibus parū temporis insumat, ac totū tempus sit notabile, peccabit lethaliter. Secùs si in diuersis diebus, etiamsi habeat propositum singulis diebus paruo tempore laborandi. Ita ille. Vnde ego puto, quod si aliquis singulis diebus festis laboraret per spatium duarum horarū, non peccaret mortaliter, quia dictæ materiæ partes non cōtinuantur, neque coalescunt in vnum, sicuti si in diebus diuersis ieiunii parum quispiam singulis diebus comederet etsi simul haberet propositum, sic singulis illis diebus comedendo non peccaret, neque ieiunium frangeret.

Notandum est etiam cum Sanchez vbi supra, non esse similiter peccatū mortale, si quis efficiat, vt multi eodem, vel diuersis festis, magna partis tempore laborent, si omnium labor vniatur, & singuli tantùm modico tempore, quia illa modica singulorum tempora nunimè vniuntur, & cuiuslibet culpa non est nisi venialis. Ergo, &c. Sed post hæc scripta inuenient omnia supradicta docere cum Sanchez Martinum Bonacina tract. de legibus, disp. 5. quæst. vnica punct. 3. num. 3. & 4. vnde non est audiendus Fagūdez, nam eius opinio esset laqueus omnium operariorum.

Notandum est etiam hic obiter, qdod puella laborans in diebus festiuis ob euitandum otium, excusatur ab Emanuel Sà ver. festum, numer. 6. Ioan. de la Cruz in Direct. consc. par. 1. præc. 3. art. 1. dub. 1. concl. 4. Villalobos in Manuali confessar. c. 22. num. 99. vbi etiam hæc verba asserit. [Las obras seruiles que se puedē hazer secretamente, como coser, &c. son licitas en fiesta, quando se hazen por limosna.] & idem docuit in sum. to. 2. tract. 32. dub. 4. nu. 20. vbi citat pro hac sententia Angelum, Syluestrum, & D. Antoninum. Sed an probabiliter iudicent viri docti, nam aliqui hoc non admittunt, & quia de operibus seruilibus in diebus festiuis incidit sermo, ponam hic dubiolum, de quo ipso die interrogatus fui.

An qui templorum parietes tapetibus, & aulæis ornant, possent hāc artem exercere sine peccato mortali in diebus festiuis. Respondeo (quidquid asserant Conradus in Resp. p. 2. qu. 233. & alij) ita facientes, non peccare mortaliter, etiamsi antecedentibus diebus talia ornamenta ponere possint, & ita docēt Bonacina de legib. disp. 5. qu. vnic. punct. 3. nu. 3. citans Suarez, Caiet. & Toletum, quibus ego addo Fagundez præcep. 1. lib. 1. cap. 14. num. 4. cum aliis penes ipsum.

Nota etiam quod in 2. part. tractat. primo Miscellan. Resol. 36. cum Filliuc. docui quod si aliquis in dieb. festiuis laboraret per spatium duarum horarum non peccaret mortaliter. Et hāc sententiam, præter Filliucium, tenet etiam ex eadem Societate Iacobus Granado in part. 1. D. Thomæ, contr. 6. tract. 2. dispu. 2. sect. 6. num. 54.

An Episcopus possit instituere diem festum alicuius Beati nondum canonizati?

RESOL. IX.

NEgatiuam sententiam docent Sanchez in summa to. 1. lib. 2. cap. 43. nu. 9. Azorius tom. 2. lib. 1. c. 26. qu. 4. Barbosa in collectan. to. 1. lib. 1. tit. 9. c. 5. num. 24. Villalobos in summa, to. 2. tract. 32. dub. 1. num. 3. & alij.

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam docere [illegible]arez de relig. tom. 1. lib. 2. de diebus festis, cap. 11. num. 4. [illegible] & post illum Fagundez præc. 1. lib. 1. cap. 3. nu 14. & 15. q[illegible]hil aliud est Beatificatio, quam quædam canonizatio mi[illegible] apparatu celebrata Sed his non obstantibus, negatiuam [illegible] etiā tenēdam esse puto, quam nouissime docet etiam Luc[illegible]astellinus de Canon. sanct. cap. 1. punct. 34. §. 7. & ideò tēpore Pauli V. humiliter petiit Respublica Veneta, vt festum Beati Salonij in eadem ciuitate coleretur, & idem euenit tempore Greg. XV. pro Beato Alberto Magno, id petente Archiepiscopo Ratisbonensi Nota etiam hic obiter, quod quando Pontifex concedit Sacerdotibus certæ Religionis, vt certo die dicant Missā de alio Sancto Beatificato, non possunt facere octauam, neque in illa dicere officium, & Missam de dicto Beatificato, vt apparet apud Turrianum in 2. 2. to. 1. disp. 17. dub. 18. cautè enim in his materijs procedendum est.

Vnde neque licet etiam Sanctum Beatificatum inuocare in publicis Litanijs, quidquid aliqui recentiores asserant, & ita docet Portel in addit. ad dubia regul. ver. Reliquiæ Sanctorum, num. 21. Lucas Castellinus de Canon. sanct. ca. 2. punct. 6. §. 2. & sequen. qui etiam optimè punct. 51. §. 2. docet facultates Summorum Pontificum in his materijs esse potius restringendas, quam dilatandas. Et tandem non sunt audiendi recētiores cum Molfesio cens. 45. num. 31. qui asserunt licitum esse depingere imagines viri sancti nondum Beatificati, cum radijs, vel diademate. Contra quos, & meritò insurgent Bellarminus tom. 1. lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 7. Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 6. q. 8. Fagūdez præcept. 1. libr. 1. cap. 4. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disput. 17. dub. 21. & alij.

An compensatio in foro conscientiæ sit valida, etiamsi adsint alij creditores anteriores?

RESOL. X.

HIc casus multum practicabilis est, & his diebus præteritis accidit in morte cuiusdam Argentarij, & tunc multi viri docti negatiuè responderunt, quia debitor in tali casu accipit rem alteri obligatam, & ita docent communiter Doctores.

Sed ego contrariam senteōtiā probabilem existimo, quam docet Comitolus in Respon. mor. li. 5. q. 39. quem postea sequuti sunt Homobonus in exam. Eccles. par. 1. tract. 10. capit. 3. qu. 6. casu 7. & Fernandez in exam. Theol. mor. par. 4. cap. 5. §. 13. nu. 4. vbi sic asserit. Habeo apud me res Petri vita functi, mihi debentis aureos, scio illum è vita migrasse cum alijs debitis antiquioribus, rogo an possim retinere res, quas habeo in compensationem mei debiti? Scio responsionem posse retardari ex eo, quod Petrus viuus teneretur prius priora debita persoluere, si non posset omnibus simul soluere. Dico tamen potes eam facere compensationem. Ratio est, quia non teneris ita rebus alienis prouidere, vt tuarum facias iacturam, & è manibus sinas labi, quod pro illis habes, neque est lex, quæ illum ordinem in cōpensatione præcipiat. Ita Fernandez.

Notandum est tamen, quod Comitolus vbi supra, limitat hanc sententiam, nisi creditor possideret rem debitoris iure depositi, quia depositum compensationem non admittit, vt habetur in l. postrema, Cod. de pens. & docent Doctores communiter.

Sed ego puto probabiliter cum Tannero in 2. 2. D. Thom. disput. 5. quæstion. 6. dub. 24. numero 141. qui citat Nauarrum, & Lessium, illam legem & alias, spectare solùm ad forum externum, vel certè intelligendas, si aliter obtineri possit cōpensatio.

Vnde

Vnde in [illegible]stro casu non solùm creditor iustè faceret compẽsationem e[illegible]tibus creditoribus anterioribus, vt dictum, est sed etiam co[illegible] Comitolum, licèt possideret rem iure depositi.

Notandum est etiam, quod quando debitori soluit debitum posteriori creditori, cum solui deberet priori, in tali casu creditor non tenetur ad restitutionem, sed potest retinere pecuniam illam contra ordinem restitutionis sibi solutam. Et ita probabiliter docent Ioan. de la Cruz in director. parte 1. pr. 6. art. 8. dub. 2. conclus. 3. Molina de iust. tomo 2. tract. 2. disput. 536. num. 46. quidquid in contrarium etiam probabiliter asserant Faber de pœn. in 4. sentent. dist. 15. quæst. 2. disp. 50. cap. 7. num. 222. Turrianus in 2. 2. tomo 2. disp. 19. 2. dub. 4. nu. 6. & Azorius tom. 3. lib. 4. cap. 36. quæst. 8.

Notentur hæc omnia in præsenti Resolutione posita; nam ex illis Confessarij à multis perplexitatibus, & scrupulis immunes erunt. Nã in praxi moraliter impossibile erit, vt creditores posteriores habentes debitum in manibus solutum, illud restituãt creditoribus anterioribus, licèt, vt diximus, ex communi sentẽtia ad id tenerentur. Sed nostra sententia negatiua est satis probabilis, & tuta, ideò illam sequere. Quæ omnia superius dicta intelligenda sunt de debitis tantùm personalibus, & non habẽtibus specialem hypothecam, aut pignus.

An liceat procurare abortum ad vitandum periculum vitæ, & infamiæ alicuius puellæ prægnantis.

RESOL. XI.

NEgatiuam sententiam docent Tannerus in 2. 2. D. Thom. disput. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 58. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 9. disput. 20. num. 10. Syluius in 1. 2. D. Thomæ, quæstio. 64. art. 7. quæritur 4. conclus. 3. Finellius tract. de cas. reser. par. 1. cas. 5. ver. Abortus. §. 1. nu. 3. Azorius, & Zanardus vbi infra, Bellocchius in praxi Theol. mor. p. 2. quæst. 8. num. 78. Filliucius to. 2. tract. 20. cap. 6. num. 103. & alij. Ratio est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & vnde nullo bono fine honestari potest abortus.

At his non obstantibus aliqui, vt notat Zanardus in director. confess. par. 1. de Sacramen. matrim. cap. 41. quæst. 17. & Azorius tom. 3. lib. 1. cap. 4. quæst. 1. docent in tali casu licitum esse procurare abortum, quia cum fœtus non sit animatus, nulli fit iniuria si procuretur remedium, ne cõcipiatur. Deinde probabiliter asserunt Arragon, Sayrus, Lessius, Henriquez, Reginaldus, Sanchez, & alij, quos citant, & sequuntur Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. nu. 4. & Homobonus tract. de cas. reseru. p. 3. c. 4. quod quando aliud non suppetit remedium pro salute infirmæ matris potest quis licitè procurare abortum si fœtus nondum est animatus. Ergo hoc etiam facere licitum erit in nostro casu. Negat hanc consequentiam Sanchez, & adducit disparitatem rationis.

Sed illud impugnat doctissimus Pontius de matrimon. li. 10. cap. 3. num. 2. vbi sic ait. Si licèt euacuatio fœtus nondum animati ad vitandam mortem matris, & restituẽdam sanitatem, licèret etiam procurare abortum nõdum animatum, cum ad famam, & statum conseruandum opus erit: Casus enim sese offerre potest adeò premens, vt nullo alio medio possit mulier eripi, nisi abortu fetus nondum animati, quod tamen Sanchez nõ vult admittere, sed nullo conuenienti assignato discrimine; Ita Basilius. Vnde vel negandum in vtroque casu licitum esse procurare abortum, vt negat Basilius, vel cõcedendum est in vtroque casu licere; & hoc vltimum nouissimè docet Franciscus Torreblanca de magia lib. 2. cap. 43. num. 10. vbi sic ait. Quando ex partu concepto euidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama eius lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis possit subire, benè poterit poculum abortionis præberi, dum fetus tamen non erit animatus. Ita Torreblanca, qui, vt vides, apertè docet licere procurationem abortiuus ad tuẽdam vitam, vel honorem puellæ prægnantis. Sed an hæc opinio sit probabilis, iudicent viri docti, mihi enim omninò non placet. Sed quia incidit sermo de abortu.

Notandum est hic obiter, quod si mater in aliqua infirmitate post fetus animationem periculosè laboraret, & nullũ aliud remedium sit, possunt præberi medicamenta directè tendentia in curationem vt sectio venæ, contra Pontium de matrimonio, libro 10. capitulo decimotertio. numer. sexto, & Vasquez opusc. de restitut. capitulo 2. §. primo, dub. 7. numero 27. capitulo quinto, §. 1. dub. 6. numer. 28. etiam balnea, & pharmaca ad purgationem ventris; quia mater habet ius ad talia medicamẽta, licèt indirectè, & per accidens ex illis sequatur mors fœtus. Ita communiter DD. Sed difficultas est, quando medicamenta æquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, vbi salus infirmæ omninò desperata est, & fœtus etiam periret an inquam in tali casu, liceat supradicta medicamenta prebere. Negatiue respondent Corduba, Lopez, Rodriquez, & Vegha apud Sanchez de matrimonio tomo 3. libro 9. disput. 20. num. 19. & 20. at ipse affirmatiuam sententiam docet etiam in casu dubii.

Et hanc sententiam docent etiã Ioann. de la Cruz in direct. parte 1. præcept. 5. quæstione prima dub. 7. conclusione 3. & 4. & Villalobos in summa tomo 2. tractat. 12. dub. 13. numero 2. vbi sic asserit. [Quando la Medicina ygualmente se ordina à la salud de la madre, à la muerte de la creatura, no hauiendo otro remedio para librar la madre, es licito tomarla, porque se ha de preferir la vida de la madre, y muerta ella à marauilla viuira la creatura, y lo mismo digo, quando el medicamento es dudoso.] Si igitur de vita matris, & fœtus omninò desperatum sit, licitum erit medico, & ad id tenetur, ait Sanchez, applicare medicinas ad matris salutem, & ad fœtui nocendum eiusque abortum; imò etiam si medicamenta sint dubia, an auxilium, vel mortem potius sint allatura, in tali euẽtu melius est anceps auxilium experiri, quam omni spe destitutam, sinere infirmam perire.

Notandum est tamen cum Lessio libro 2. capit. 9. dubio 10. numero 63. & alijs communiter; quod quando proles est animata, illicitum erit præbere matri medicamentum directè curatiuum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valdè probabilem, prolem sine illo viuam edendam. Sed Sanchez vbi supra de matrimonio tomo 3. libro 9. disput. 20. numer. 17. existimat casum hunc rarissimum esse, ac moraliter impossibilem. Matris enim morbo laborantis lethali, corrupti humores alimentum quo puer nutriendus est, ita inficiunt, vt penè miraculum sit, matre pereunte fœtum incolumen euadere. Sed ad alia procedamus.

Quis scienter accessit ad consanguineam vxoris sui, ignorabat tamen prohibitionem, & pœnam iuris; quæritur, an stante dicta ignorantia egeat dispensatione ad petendum debitum.

RESOL. XII.

IN tali casu posse sine dispensatione petere debitum existim contra Cordubam in QQ. lib. 1. quæstione 12. artic. 1. & Rodriquez in summa, tomo primo, cap. 242. numero 11. & ita docet Portel in Addit. ad dubia Regul. ver. Ignorantia, numer 29. Basilium Pontium de matrimon. libro 10. cap. 6. numero 10. & Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disput. 32. num. 49. cum Henriquez libro 11. cap. 15. numero 11. vide etiam Suarez in 3. p. to. 3. quæst. 97. artic. 8 §. maius verò dubium. Syluestrum verb. matrimonium 8. quæst. 7. dicto 2. & Paludanum in 4. distinct 42. quæstio. 1. art. 3. conclus. 2. & hæc opinio erit multum plausibilis Confessarijs secularibus, qui non habent priuilegium Regularium vt possint dispensare cum pœnitentibus incestuosis ad petendum debitum.

Sed difficultas magis est, quando coniux habet tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ, videlicet, ne petatur debitum, scit tamen prohibitum esse à iure, & tunc etiam respondet Portel vbi supra, non egere dispensatione. Et ita tenet nouissimè Castrus Palaus tomo 1. tract. 2. disput. 1. punct. 17. num. 8. in fine, & hanc sententiam probabilem vocat Sanchez vbi supra, numer. 10. licèt contrarium doceat Basilius Pontius vbi supra num. 12.

Notandũ est etiã omnia supradicta maiori ratione procedere in pena excõicationis, suspensionis, irregularitatis. Et ideò asserit Portel vbi supra nu. 21. ad incurrendam excõicationem non sufficere, quod sciã opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vt sciã de pena, idque prohiberi sub excommunicatione, ita de cæteris penis, suspensione, interdicto, irregularitate dicendum, quod vt incurrantur, non sufficit me scire opus esse prohibitum, sed requiri vt sciam esse prohibitum sub pœna suspensionis, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Ita ille, qui citat pro hac sententia Na-

uarrum,& Rodriquez,quibus adde Curiel in p.2.q.79.art.4. du. 5.valentiam tom.2.disput. 6. quæst.6.punct.1.corrolar.9.Henriquez lib.13.cap.23.num.2.Suarez de cens.disput.4.sect 9.nu.19. Auilam de cens.par.1.cap.5.disp.5.dub.6. Sayrum de cens. lib.1. ca.18. num.37.ex quibus infertur, quam frequenter cōfessarios posse ab excommunicatione laicos excusare,quoniam sæpè illā inuincibiliter ignorant. Sanchez verò putat hanc doctrinam procedere tantùm in excommunicatione, non tantùm in alijs pœnis.Sed tu tene nostram sentētiam,quam ipse in n.21. vocat probabilem,& illam amplectuntur Coninch.de Sacram.disput. 18.dub.4 nu.31.Durandus in Bull.Cœn.lib.1.cap.2.quæst.5. nu. 27.Bonacina de cens.disput.1.quæst.2.punct.1.numer. 13. at de hoc infra latius dicemus. An tamen hæc omnia vera sint,etiam quando operans laborat ignorantia vincibili,dicendum est sequenti Resolutione,

An ignorantia vincibilis, iuris,vel facti, excuset ab incursione censurarum,& aliarum pœnarum.

RESOL. XIII.

HÆc resolutio erit plena magnæ consolationis,quia respondeo affirmatiuè, & ita docet Portel in Addit. ad dubia Regul.ver.ignorantia.num.25.& Sanchez de matrim.tom.3. lib.9. disput.32.num.31. vbi sic ait.Existimo ignorantiam etiam mortaliter culpabilem,siue iuris,siue facti modo nō sit crassa, excusari à censuris,& pœnis.& idem dico licèt adsit scientia legis, si adsit ignorantia non crassa censuræ. Ita ille, qui validis rationibus confirmat hæc omnia, & intelligenda esse docet de quibuscunque pœnis,siue latis à iure communi Papæ,siue à particulari Episcoporum Si tamen scire cupis,quanam dicatur ignorantia crassa,& supina,respondet, illam dicēdam esse, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit:culpa verò lata est,quando ignorans aut nullam,aut valde modicam adhibuit diligentiam. Et Grafius decis.par.1.lib.4.cap.8 nu.20.& alij,asserunt culpam latam,seu ignorantiam crassam esse illam,quę ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Imò Anton.cap.2.de const.num.9. amplius videtur petere: explicat enim eam ignorantiam esse, quando est latissima culpa,quæ dolo æquiparatur. Et hæc omnia Portel,& Sanchez vbi supra, quidquid in contrarium asserant Sotus in 4.dist.28.quæst.1.art.2.Gaffius par.1. decis. libro 4. disp.4.cap.9.num.20.Suarez,& alij quos citat,& sequitur Villalobos in summa tom.1.tract.16.dub.12.nu.6.vbi ait. [La ignorācia vincibile ora sea del echo,ò del derecho,no escusa de la cēsura. Asi lo tiene Suarez,porque como no escusa de peccado, tā poco escusa de la cēsura.] Sed tu tene nostram sententiam ex c. 2.de constit.in 6.vbi habetur ignorantiam, quæ non est crassa, & supina,excusare ab omnibus sententijs Ordinariorum. Et ita etiam hanc sententiam docet Bonacina de censur.disp.2.quæst. 2.punct.1.num.10.& Barbosa in collect.tom.3.lib. 1.sexti decreti,tit.2.cap.2 num. 8. vbi num. 7. optimè impugnat Suarez asserentem ignorantiam crassam, & supinam,idem esse cum ignorantia vincibili.

Notandum est etiam hic obiter; Primò ignorantiam quantumcumque crassam,nisi esset ingens temeritas, & latam culpā excusare à pœna imposita scienter aliquid facienti.Secundò idē dicendum est, cum lex pœnam inducit præsumenti aliquid facere; quia non verè dicitur præsumens,si quis aliquid ignorantia culpabili,& crassa efficeret,præsumptio enim dolum importat,& temeritatem. Ita Basilius Pontius de matr.lib.10.cap.6.n. 10.Sanchez vbi supra.Curiel in p.2.quæst.76.art.4.dub. 4. Henriquez lib.13.cap.23.num.3.Auila de cens.par.2.cap.6.dispu.10. dub.6.Molina tract.5.disp.71.n 14. quidquid in contrarium asserat Toletus lib.1.cap.48.Alterius de cens.disput.11.de suspen. cap.5.§.hoc autem.

Imò Bonacina loco citato de cens.disp.1.quæst.1.punct.4.nu. 11.cōtra Suarez docet hanc sententiam procedere, non solùm quando quis operatur cum ignorātia crassa,sed etiā cum ignorantia affectata,si vt dictum est, verba censuræ hæc essent. Qui scienter hoc fecerit, vel qui præsumpserit, &c.Et hæc omnia Confessarij in mentem habeant, nam ex illis non pauci ab incursione censurarum immunes erunt.

In quadam Ciuitate huius Regni quidam percussit Clericum publicè,& notoriè,quæsierunt statim à me,an esset vitandus.

RESOL. XIV.

HIc casus erit multum practicabilis. & prima facie affirmatiuè aliquis poterit respondere, quia ex Concilio Constātiensi, vt communiter DD.docent, tenemur vitare publicum Clerici percussorem,sed in casu proposito ille percusserat Clericum in publica platea coram omni populo. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, tunc negatiuam sententiam consului,nā vt quis dicatur publicus percussor Clerici, vt illū vitare teneamur, necesse est vt talis percussio nulla possit tergiuersatione celari, & nullo iuris remedio niti.Cū igitur in hoc casu,& fere in omnibus similibus possit percussor Clerici notorius dicere,se fuisse ebrium, aut in suam iustam defensionem fecisse,vel ignorasse excommunicationem percussioni esse adnexam, & alia tergiuersatione celari,allegando in iudicio rumoris falsitatem: ideò quandiu non constat per iudicis sententiam, illū Iuris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius Clerici percussor.Et ita hanc sententiam docent Couarruuias in ca. Alma mater par.1.§.2.num.7.& Fagundez precep.1.li.2.cap. 5. n.12.vbi sic asserit. Vt quis dicatur publicus percussor Clerici, vt illū euitare teneamur,requiritur, quod nulla tergiuersatione celari possit; vnde licèt ea percussio notoria sit, & patens multis, si tamen non sit notorium ijs,qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua in eo facto à peccato excusaretur, adhuc nō censetur vitādus.Opus est ergo,vt constet percussorem nullam habuisse causā percutiendi, vt euitetur. Nam si potest probabiliter aliquam allegare veram causam,qua à peccato excusaretur,quandiu non constiterit nō ita esse,non erit vitandus. Hoc autem constare non potest, nisi per iudicis sententiā, vel per facti notorietatem. Quamobrem rarò continget percussionem Clerici ita esse notoriam facto, vt nō possit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excusari. Ita Fagundez,& ante illum Sayrus de cens.lib.2.cap.11. nu. 18. Igitur ex superius adductis censui, consulentes non fuisse astrictos vitare supradictum publicum Clerici percussorem, & hęc notentur à Confessarijs, quia passim erunt obuia, & à multis scrupulis liberi erunt.

An mulier peccet mortaliter mingendo statim post copulam ad emittendum semen.

RESOL. XV.

AFfirmatiuè respondet Sanchez de matrim, tom.3. li. 9.disput. 30. n.3.& Bonacina de matrim.q.4.punct.9.10 num. 10.vbi sic ait. Verùm verò vxor grauiter peccet emittēdo semē è vase statim post copulam,ne filios concipiat,patet ex supradictis,hoc enim est contra naturæ,& generationis ordinem, cum prodigatur semen à natura institutum ad prolem suscipiendam.Sic Bonacina,& hoc solent facere sæpius meretrices.

Attamen contrarium docet Petrus Bellochius in praxi de cas. reser.p.2.quæst.4.num.365.vbi ita asserit. Quia sepè solet mulier mingere post coitū,vel se erigere vt semen emittat,ne concipiat,saluo meliori iudicio,credo quod non peccat saltē mortaliter,nam ex hoc,vt liquidò patet, non impeditur prolis generatio, quandoquidem aiunt Syluester ver.debitum,numer.6.& Conradus par.2.quæst.315. matrix mulieris habet vim attractiuam,& retentiuam seminis,vnde frustra post coitū mulier mingit,vt illud foras emittat Ita Bellochius.His tamen non obstantibus,puto dictas mulieres sic facientes peccare contra consciētiam erroneam,si crederent ita mingendo peccare.

An si aliqua tentatio carnis nimis notabilis sit,quis teneatur tunc orare; vnde hoc minimè faciens duplex peccatum committat, si vere v.g. delectetur.

RESOL. XVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Ioannes Sancius in selectis disput.21.num. 19.20. sic asserens. Si venerea delectatio nota-

notabilis esset,& periculum in illam consentiendi interueniret sub mortali peccato, tenebitur auxilium Dei implorare. Et quamuis tunc oratio non obliget per se, sed per accidens: erit tamen duplex peccatum omittere orationem, & venere delectari. Et sic delinquet contra Religionem, & castitatem omittens orare tempore grauis tentationis carnalis. Idem in casu simili sentit Faber de pœn. in 4. sent. distin. 14. quæst. 1. disput. 18. cap. 3. num. 68.

Sed mihi opinio contraria placet. Nam actus amoris Dei, per accidens obligatim multis casibus, & tamen vt benè aduertit Tanerus in 2. 2. D. Thomæ. disput. 2. quæst. 4. dub. 4. numer. 83. omissio huius actus in his casibus, non est peccatum speciale, & distinctum ab eo peccato, ad quod vitandum requirebatur, secùs est in his casibus, in quibus tale præceptum obligaret. Sed hoc accidit in casu nostro. Ergo. Et certè si opinio Sancii esset amplectenda, multi ex illa scrupuli orirentur.

An sit peccatum mortale saltem contra charitatem, detegere peccatum notorium facti, vel iuris alio loco, vbi ignorabatur, & in quem facilè eius fama non erat peruentura.

RESOL. XVII.

MVltum practicabilis est quæstio ista, & in explanatione illius plurimos, & fortissimos aduersarios habemus. Ideo sententiam affirmatiuam docent communiter DD. Ita Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 23. num 78. Sotus de iustit. libr. 5. quæst. 10. art. 2. Villalobos in summa, tomo 2. tract. 11. difficult. 16. nu. 13. Fabrus de restit. in 4. sent. dist. 15. quæst. 3. disp. 53. cap. 4. num. 130. Salonius in 2. 2. D. Thomæ. quæstio. 62. ar. 2. contr. 18. Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 288. Sayrus in Claui Regia lib. 11. cap. 9. num. 25. & 26. Malderus in 2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 6. & alii quam plures penes ipsos. Probatur hæc opinio, quia in tali casu læditur proximus in re magni momenti, quod meritò ægerrimè ferrem mihi fieri. Nec valet dicere, quod taliter infamatus ius ad famā non habet, quia sine cuiusquam iniuria, & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fruitus. Ergo contra charitatem est, illum bono nomine spoliare, præsertim si nihil commodi proueniat de detractione. Ita Lessius, qui limitat hāc sententiam. Primò, si ille parum curet se alibi infamari, quod sæpè fieri solet, præsertim si procul absit. Secundò, si quis ob graue crimen fuerit publicè punitus: tunc enim sæpè expedit talia ad ædificationem narrari.

Sed ad tollendos omnes scrupulos, his non obstantibus existimo probabiliter sic detrahentes, non peccare, neque contra iustitiam, neque contra charitatem. Et ita docet nouissimè Fagundez præcept. 2. lib. 5. cap. 3. n. 14. vbi sic asserit. Vera sententia docet non esse peccatum mortale neque contra charitatem, neque contra iustitiam detegere notorium crimen facti, vel iuris, hoc est, vel per rumores, & famam publicam, vel per sententiā Iudicis in alio loco, & regione, vbi ignorabatur, & personis qui nihil de illo sciebant, siue fama illuc breui, siue post lōgum tempus, siue nunquam peruentura sit. Sic ille, qui validissimis rationibus probat hanc sententiam, & citat pro illa Caietanum to. 2. opusc. 31. respons. 9. Nauarrus in summa cap. 18. num. 26. & Maiorem in 4. dist. 21. quæst. 2. Hanc opinionem docent etiam Azorius par. 3. lib. 13. c. dub. 8. & Filliucius tomo 2. tract. 32. cap. 9. nu. 235. qui se remittit ad Nauarrum, & Caietanum vbi supra. Et illam probabilem putat Nugnus in 3. par. tomo 1. q. 80. ar. 6. difficul. 3. §. hæc difficultas. nam opinionem contrariam, quam ipse tenet, vocat probabiliorem.

Fundamentum verò contrariæ sententiæ, quod adducit Lessius, reprobatur solidè à Fagundez vbi supra. Igitur viatores abstineant à similibus detractionibus sed si detrahant non peccabunt mortaliter, vt patet ex dictis, neque contra charitatē. Sed ad alia deueniamus.

An peccet offerens alicui occasionem peccandi propter aliquem bonum finem.

RESOL. XVIII.

CLarum est licere v. gr. viro suspicanti adulterium vxoris, illam obseruare cum testibus, vt eam possit de adulterio conuincere, nec peccare parentes, vel heros, qui filiis, vel famulis non auferūt occasionem aliquam furandi, cum eos ad furādum propensos norunt, vt sic in furto deprehensi resipiscant. Ita docent Valentia, to 2. disput. 5. q. 6. punct. 5. dub. 7. in fine, Molina tomo 3. p. 2. tract. 2. disput. 739. nu. 8. Vegha in summa, tu. 1. c. 120. cas. 1. Sanchez vbi infra, & alij penes ipsum. nam hoc nō est cooperari ad peccatum, sed permittere vnum committi, vt plura alia euitentur.

Difficultas consistit, an licitum sit in his casibus non solū non auferre, sed apponere occasionem vxori v. g. vt adulteretur, aut famulis vt furentur. Negatiuam sententiam docet Sanchez to. 3. de matrimon. lib. 10. disp. 12. n. 13. cum Emanuele Sa, ver. peccatum, nu. 7.

Sed Petrus Nauarra de restit. lib. 3. cap. vlt in noua edit. num. 104. affirmatiuam sententiam tenet, quam nouissimè sequuntur Layman to Theol. mor. libro 2. tract. 3. cap. 13. numero 5. & Sancius in selectis disput. 35. numero 12. vbi sic ait. Adhæreo opinioni asserētium, offerentem alicui occasionem ad peccatum, vt deprehensus in illo resipiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare. Ita ille. Et ratio est, quia id non est formaliter cooperari ad peccatum, sed materiam, & occasionem peccati ministrando, illud permittere; non quod permittens intendat malum peccati fieri, sed potius graue aliquod malum impedire.

Aliqua notabilia, & practicabilia circa crimen incestus.

RESOL. XIX.

AN si quis habeat rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibique eodem gradu affini impediatur à petitione debiti.

Affirmatiuè respondet Comitolus in respons. lib. 1. quæst. 138. nu. 2. Sed tu tene contrariam sententiam, quia huiusmodi impedimenta sunt de iure Ecclesiastico, sed nullum ius Ecclesiasticum statuit incestum in tali casu à petitione debiti impedire; ergo. Et ita docet Nauarrus, quem sequitur Basilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 13. nu. 6. qui etiam nu. 2. ait. Nota quod si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittens semen post extractum è vase naturali membrū, quamuis post modum casu illabitur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas, licet cōtrarium videatur docere Floronus de cas. reseru. par. 2. cas. 6. num. 18. citans Graffium.

Nota etiam cum dicto Basilio Pontio contra Sanchez libr. 2. disp. 21. nu. 2. quod si semen alicuius viri ope dœmonis deferatur in vterum fœmineum non contrahitur affinitas, quia illi nō sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt.

Difficultas est, an contrahatur affinitas, si vir seminet, fœmina verò non seminet. Affirmatiuè respondent Syluester infra, Floronus vbi supra de cas. num. 28. Finellus de cas. reser. cas. 10. num. 9. Pontius vbi supra, vbi sic asserit. Parum autem refert ad affinitatem contrahendam, quod femina seminet, vel non: cum eius semen ad generationem necessarium non esse sit constans opinio. Sed aliqui, vt notant Finellius, & Floronus vbi supra, cōtrariam sententiam docent, putantes ad contrahendam affinitatem requiri cōcursum seminum, scilicet tam viri, quam mulieris. & Syluester ver. Matrimonium 8. quæst. 15. pro hac sententia citat Innocentium, Hostiensem, & Vgonem, quibus adde Caietanum in 2. 2. quæst. 154. ar. 12. & hanc sentētiam probabilem putat Sanchez de matrim. tomo. 1. lib. 2. disput. 21. num. 11. & Ioannes Suarez in Enchiridion casuum conscientiæ li. 5. ver. affinitas, §. ad contrahendum. Ad rationem verò Basilij Pontij posset quis respondere, quod non est ita constans opinio illa, vt semen fœmineum non requiratur ad generationem, quin sententia contraria non sit probabilis, & illam acerrimè contra Aristotelem, nō solùm tuentur Medici, duce Hypocrate libro de Genitura, & Galeno lib. 6. de locis affectis cap. 5. Vallesio lib. 2. contr. Medic. cap. 6. Vegha lib. 1. de arte medendi, cap. 3. Petrus Meta. tractat. de semine §. iam vero, sed etiam præstantissimi Theologi, vt Scotus in 3. distin. 4. quæstio. vnica, Bonauentura quæst. 1. num. 31. Maior quæstio. 5. art. 4. & alij, quos citant Conimbricenses de Generat. lib. 1. c. 4. quæst. 27. Sed tu tene communem sententiam.

An

An solus metus reuerentialis sine minis, aut alicuius grauis mali timore, censeatur cadere in virum constantem, & idem quæritur de precibus importunis.

RESOL. XX.

HÆc quæstio deseruiet ad rescindēdos contractus vxorum, & filiorum familias. Negatiuam sententiam docet Sanch. de matr. to. 1. lib. 4. disput. 6. num. 7. & alij penes ipsum. Fundamentum huius opinionis est, quia in cap. quamuis pactum, de pact. in 6. disponitur, quod renuntiatio facta à filia in fauorem patris, vallata iuramento est valida, nisi metu vel dolo sit inducta. Ergo cum textus non excipit reuerentiam, sicut metum, & dolum, sequitur metum reuerentialē minimè in constātem virum cadere. Et ita hanc sentētiam ex Iurisconsultis docent inter alios Molina de primog. lib. 2. c. 3. num. 9. Donellius libro 15. comment. c. 39. Facchineus lib. 2. contr. Iuris. cap. 69. & triginta Doctores, quos adducit, & sequitur Barbosa in collect. to. 3. li. 2. sexti decreti tit. 18. c. 2. nu. 18. cum alijs, quos etiam adducit, & sequitur Farinacius in fragmen. crimin. p. 2. num. 125.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem, & in praxi tutam existimo, quam nouissimè docent doctus Basilius Pontius de matr. lib. 4. c. 5. num. 6. & alij penes ipsum, & penes Menochium li. 1. consi. 491. & de arbit. Iud li. 2. cas. 236. n. 7. & Farinacium vbi sup. nu. 126. Limitat tamen hanc opinionem Pontius, nisi metus reuerentialis dederit ansam, & occasionem contractus, non verò causam. Potest enim contingere, vt vxor, filius, &c. metu reuerētiali inducatur ad contrahendum, & tamen postea iam libens contrahat. Secundò, suam sententiam Pōtius intelligit, non de metu indignationis leuis, & quæ facilè transeat, sed de indignatione graui, & diuturna, semotis tamen minis, & verberibus, vt perperam volunt Iurisconsulti.

Sed aliqui plus addunt, dicendo sufficere solam præsentiam eius, cui reuerētia debetur, absque minis, & verberibus, vt metus inducatur. Ita plures Doctores, quos citat Mongollon tract. de his, quæ vi, metu, &c. cap. 2. §. 1. num. 3. qui nu. 5. suam sententiam in hac quæstione sic aperit: Ego (ita ille) vt hanc controuersiam definiam, sic distinguo. Aut interuenit mandatum eius, cui reuerentia debetur sine minis, vel verberibus (quod mandatum inducitur etiam per verbum *rogo*) vt leg. 1. ff. mandatis, quam ad hoc allegat Barbatius in consi. 46. num. 11. schol. 47. & in isto casu sufficit sola præsentia, & hoc habetur in lege Velle, ff. de reg. iur. cuius verba hæc sunt, *velle non creditur, qui obsequitur alterius imperio aut non interuenit mandatum, sed sola præsentia*; & tūnc iterùm distinguo, quod duplex est reuerentia, vna simpliciter, & in gradu positiuo: altera nimia, & sic in gradu superlatiuo. Primo casu, quando est talis persona, cui solum debetur reuerentia simpliciter, vt pater, si ita est ignauus, aut vilis, quod filius audeat dicere nolo, tunc procedit, quod non sufficit sola præsentia, sed quod præcedant minæ, vel verbera. Secundo casu, quando est persona ita grauis, quod ei debeatur reuerentia nimia, tunc procedit altera opinio: & sic quod sufficit sola præsentia absque mandato, & absque minis, vel verberibus. Ita Mongollon, qui doctè hanc sententiam validissimis rationibus firmat, vide Fagundez vbi infra.

Ex his omnibus possunt Confessarij sine vllo scrupulo infinitos vxorum, & filiorum familias contractus rescindere, nam vt plurimum ex metu reuerentiali efficiuntur, qui vt diximus, cadit in constantem virum, etiamsi sit sine minis, & verberibus. Hinc Basilius vbi supra de matrim. lib. 4. cap. 11. num. 5. 6. & 7. probat, renuntiationem hæreditatis paternæ ex metu reuerentiali factam nullam esse; sicut etiam fideiussionem vxoris pro marito, vel promissionem de soluendis debitis factam à filio, vel vxore, quādo vir, aut pater est in periculo mortis. Hinc ego etiam cum Basilio vbi supra num. 15. & 16. existimo contra Sanchez de matrim. tomo 1. lib. 4. disp. 6. quæst. 2. num. 18. Riccium in praxi, tom. 1. resol. 599. num. 4. & alios professionem religionis metu reuerentiali factam non valere, ideoque rescindendam, & declarandam irritam. Vide Fagundez præcept. 4. libr. 6. cap. 2. num. 21. & idem etiam puto cum Rodriquez QQ. Regul. tom. 2. quæst. 52. artic. 1. Electionem factam metu reuerentiali esse nullam.

Notandum est tandem id, quod dictum est de metu reuerentiali, dicendum esse de precibus importunis, etiamsi cum ipsis non adsit metus reuerentialis, & ita contra Sanchez vbi sup. disp. 7. num. 7. Henriquez lib. 11. de matrim. ca. 9. num. 5. & alios penes ipsos; Assero preces importunas seorsim consideratas, & sine metu reuerentiali efficere metum iniustum, & cadentem in constantem virum, dummodo non inducant tantùm ad contrahendum, sed faciant non libenter contrahere. Ita Glossa in cap. tuæ fraternitatis, verb. importunitatem, de præbendis, vbi Hostiensis in principio, Imola, num. 2. Rebuffus to. 2. coust. reg. tit. de rescript. artic. 2. Glossa 3. verb. item non valet electio. Peralta in leg. si quis, num. 95. ff. de legibus 3. Naldus in summ. ver. metus num. 4. & Basilius Pontius vbi supra de matrimon. libro 4. cap. 5. num. 17. & cap. 12. per totum; adi illum, & non pigebit, est enim vir eminentissimi ingenij. Preces verò importunas voco eas, quæ sunt instantissimæ, & sæpius repetitæ, & inculcatæ iuxta leg. 1. Cod. de petitio. bonorum, ibi inuerecunda petentium inhiatione.

Si igitur patres cum filijs, & viri cum vxoribus, præter metū reuerentialem, qui solus sufficeret, adhibeant sæpius etiam preces importunas, dicendum est, vt plurimum contractus in gratiam ipsorum initos, esse nullos, & rescindendos, maximè si sint contractus lucratiui, & qui à liberalitate proficiscantur. Nam contra Sanchez vbi supra de matrim. lib. 4. disp. 8. nu. 4. Lessium lib. 2. c. 7. dub. 6. n. 37. Henriquez libr. 11. c. 9. n. 4. & alios, puto dictos contractus metu graui, vt est in casu nostro, celebratos esse inualidos omninò, non solùm iure naturæ, ita vt neque naturalis obligatio ex illis sequi possit, sed etiam iure positiuo; & ita docet Basilius Pontius de matrim. lib. 4. c. 6. nu. 4. & cap. 8. nu. 3. qui citat Rebellium, Molinam, & alios, vide Pontium, qui ad omnia argumenta, quæ adducit Sanchez, solidè respondit. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quæ sine vlla controuersia vera sunt, quando cum metu reuerentiali coniungitur etiam læsio; vnde metus præsumitur in donatione facta per filiam patri, quando in ea filia est enormiter læsa. Et ita tenent 24. Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius in fragm. crim. part. 2. num. 130.

Ex quibus omnibus infertur contra Suarez de relig. tomo 3. lib. 6. cap. 5. num. 7. Henriquez lib. 11. cap. 9. nu. 5. Tapiam decis. 16. num. 33. Rolandum volu. 3. consi. 83. num. 27 & alios, preces importunas cum metu reuerentiali coniunctas inferre metum, vt diximus, & ita tenent Afflictus decis. 69. Socinus Senior vol. 2. consi. 263. num. 8. Mandellus consi. 77. nu. 10. Guttierrez QQ. can. lib. 1. cap. 37. num. 17. & 18. Garzias de nobil. Glossa 17. nu. 15. & 23. Barbatius vol. 1. consi. 60. num. 3. Paulus de Castro vol. 1. consi. 74. & alij.

An si pollutio, quæ incipit in somnis, sit reprimenda in vigilia sub onere peccati mortalis.

RESOL. XXI.

AFfirmatiuam sententiam docet Toletus lib. 5. c. 13. num. 1. tunc enim quis non tenetur reprimere pollutionem, quādo potestatem habet imperfectam, quia semisomnis est, sed in nostro casu patiens pollutionem, perfectam habet potestatem, quia in vigilia, est ergo tenetur illam reprimere.

Sed negatiuam sentētiam docet Emanuel Sà ver. luxuria nu. 10. vbi sic asserit. Cœptam in somno pollutionem non tenetur euigilans reprimere, sufficit enim non placere. Ita ille. Et ratio est, quia dicta pollutio incepit in somnis sine peccato, & inuoluntariè, effusio verò illius in vigilia, est effectus naturalis illius causæ inculpabilis, ergo. Et ita hanc sententiam docent Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. præcept. 6. art. 8. dub. 10. concl. 2. Filliucius tom. 2. tract. 30. c. 8. nu. 147. & probabilem putat Fagundez præcep. 3. lib. 3. c. 6. n. 11. in casu quo quis certus est, quod non adhibebit consensum; nec in alio casu ego puto illam docuisse Doctores citatos.

Notandum est hic etiam, quod gaudere de supradicta pollutione in somnis cœpta, non ob delectationem carnalem, sed ob sanitatem, & illam optare, non est peccatum, neque veniale. Scio contrarium docere Sotum in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 7. Medinam in par. 2. quæstio. 74. art. 6. Zumel ibidem art. 8. disp. 4. dub. 4. Ledesma, Lopez, Angles, Rodriquez, & alios, sed tu tene nostram sententiam, quam docent Doctores, quos citat, & sequitur Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disputat. 4. quæst. 8. dub. 7. num.

no. 145. quibus ego addo Villalobos in summ. tom. 2. tract. 40. difficult. 16. nu. 10. Sancium in selectis disput. 21. num. 35. Sanchez in summa. tomo 1. cap. 2. num. 18. & alios penes ipsos, & nos infra.

Quidam vir nobilis comedens quosdam cibos calidos, & accumbens in lecto incidebat in pollutionem; quaesitum a me, an teneretur aliter decumbere, & cibos illos non comedere poterat enim sine aliquo damno, à supradictis abstinere.

RESOL. XXII.

Quidam Theologus affirmatiuè tunc illi respondit, & hanc opinionem docet nouissimè Fagundez praecept. 3. lib. 3. c. 6. numer. 13. vbi sic asserit. Non probo opinionem asserentem non esse mortale comedere illa, ex quibus credatur sequutura pollutio, modò illa in se non intendatur, nisi fortè loquatur, quando dubiè id credatur, aut quando non ita facilè possit eam causam auferre, ac remouere, nam si aliter dormire nō possit, quàm taliter accumbendo, si alios cibos non habeat, nisi illos, vnde pollutio solet moraliter cōtingere, aut si habeat, sunt tamen tales, ob quos dolorem capitis, aut aegritudinem contrahat, profectò in meliori opinione non tenetur abstinere ab illis aut à tali modo accumbendi. Ita ille citans alios Doctores, & alia exempla, vide etiam Azorium parte 3. libro 3. cap. 24. quaestio. 7.

Sed contrariam sententiam etiam probabilem esse puto, quā in terminis docet Sancius in selectis disput. 21. num. 12. sic asserens. Accubentem sic vel aliter, & sentientem se ex tali situ in pollutionem venire in somno, vel in vigilia, dum absit periculum consensus, & determinatus sit non consentire, & experientiam consentiendi non habeat (vt erat in casu dicti viri nobilis, de quo ego interrogatus fui) non teneri aliter decumbere, licèt illi minimè vtilis esset talis modus decumbendi, sed solùm ad commodius quiescendum in lecto, intenderetur. Ita Sancius, & loquens de comestione ciborum idem docuit Lessius libro 4. cap. 3. dub. 14. numer. 100. & 101. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 40. dub. 16. numer. 6. Ioannes de la Cruz in direct. parte 1. praecept. 6. artic. 8. dub. 9. conclus. 2. & alij. Ratio verò huius opinionis haec est: quia aliquis non tenetur vitare causam per accidens influentem in pollutionem, dum tamen absit periculum consensus.

Hinc infert Sancius, quod Confessarius ex denotione solùm audiens confessiones expertus pollui, non tamen consentire, non peccabit confessiones excipiendo. quia cum audire confessiones causa per accidens sit pollutionis, illas non tenetur vitare ob solam pollutionem, quae voluntaria illi nō est, nec in se, cum illa non velit, nec in causa, cum illa sit per accidens, similiter qui sine damno aliquo pedester posset ambulare, & nollet, expertus tamen pollutionem pati, sine tamen consensu, equitando minimè peccaret, cum equitatio causa sit per accidens illius pollutionis, & ideò nec in se, nec in causa esset illi voluntaria.

Et tandem foemina, vel vir, quae ob superpositionem vnius femoris in aliud, motum sensualem sensit, nō tenentur modum situs mutare, dum determinati sint non cōsentire; neque sit periculum consensus; quia per accidens actus influentes in pollutionem, vitare non tenemur. Et haec omnia docet Sancius vbi supra contra opinionem Fagundez. Notandum est etiam hic, quod mūdans a sanguine verendi, vel femina à sanguine menstruo, etsi praeuideat pollutionem, & sequatur, si gaudeat de illa, non peccabit. Vnde ex his omnibus apparet me olim rectè cōsuluisse, quendam iuuenem, cui necesse erat interuenire in quibusdam festis nuptiarum, non peccasse, dum ex tactu manus mulieris in ballo in pollutionem incidebat, sine tamen vllo periculo in illius consensum, & tunc adduxi doctrinam Sanchez de matrimonio tom. 3. libro 9. disput. 45. n. 8. vbi sic ait. Secundò deducitur, pollutionem praeter intentionem subsequutam ex tactu licito, & in eo praeuisam, quando tactus ille est necessarius, & cessat consensus periculum, carere omni culpa, vt ex amplexu iuxta patriae consuetudinem, quo euitato in notam inurbanitatis incidere. Ita Sanchez, quem postea sequuti sunt Villalobos in summa, tomo 2. tract. 40. difficultat. 16. numer. 5. Filliucius tomo 2. tract. 30. cap. 8. numero 150. & Bonacina de matrim. quaest. 4. punct. 10. num. 8. quae omnia procedebant in casu nostro.

Notandum est etiam hic obiter, quod si aliqua mulier inchoreis publicis sciat se tangi ab aliquo intentione mala, si tactus sunt ex suo genere liciti, vt consortio manuum in choreis, non peccat illos admittendo coram alijs. Ita Filliucius vbi supra, to. 2. tract. 30. c. 10. num. 198. qui citat multos alios.

An Episcopus iure ordinario possit dispensare in lege Concilij, seu Summi Pontificis, quoties facultas dispensandi non adimitur.

RESOL. XXIII.

Negatiuam sententiam docet communiter Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matrimon. tomo 1. libro 2. disput. 40. num. 1. tomo 2. libro 7. disput. 7. num. 6. vbi sic asserit. Eo ipso quod lex editur à Pontifice, vel Concilio, nec conceditur dispensatio, nequit Episcopus dispensare, sed censetur reseruata dispensatio, propter id principium generale, quod inferior nequit in lege superioris dispensare. Ita Sanchez, & nouissimè Vgolinus de potest. Episcop. capit. 57. §. 1. Alterius de censuris tomo 2. disput. 8. cap. 3. verb. sed controuersia Barbosa de potestat. Episcop. parte 2. allegat. 3. num. 18. Reginaldus in praxi tomo 3. libro 31. cap. 27. num. 202. Molinus de ritu nupt. libro 2. different. 11. num. 145. Gutierrez can. QQ. libro 1. cap. 5. numer. 10. Gratianus in discept. forens. cap. 397. num. 33. & alij penes ipsos.

Nō reticeam tamen aliquos cōtrarium docere, & quia apud me Basilius Pontius instar multorum est, ponam eius verba lib. 6. de matrim. cap. 8. num. 11. vbi sic asserit. Quaeritur, an Episcopus dispēsare possit, vt adhibeatur solemnitas nuptialis tempore ribus prohibitis. Equidem olim iure ordinario potuisse Episcopum dispensare indubitatum est. Deinde extraordinario iure planum videtur dispensare posse, scilicet si aliquis casus vrgeat, & non sit facilis aditus ad Pontificem, sicut in multis alijs iudicandum est. An autem extra hunc casum post legem latam a Cōcilio vniuersali dispensare possit Episcopus, ex eo pendet an inferior ordinarius in lege lata à Superiori possit aliquando dispensare, quod nonnulli negant, quos refert, & sequitur Sāchez, alij ècontra affirmant, quos, sequuti Sotum in 4. dist. 32. quaest. vnica, art. 3. in fine qui nec sunt numero pauci, nec auctoritate inferiores: quorum accedo sententiae. Dispensare itaque Episcopum posse assero, interim dum illi non adimitur facultas dispēsandi. Ita Pontius. qui magnā tribuit Episcopis auctoritatem, vnde etiam si facilis esset aditus ad Summum Pontificem, possent ex iusta causa, & de iure ordinario super leges Concilij generalis dispensare. Sed his non obstantibus, ego à negatiua sententia non discederem.

Notandum verò hic obiter, quod stando in prima sententia, quam ego teneo, quando Concilium, seu Summus Pontifex censurae absolutionem non reseruat, potestatem Episcopis absoluendi ab illa videtur concessisse. Ita Miranda in manuali Prael. tom. 1. quaest. 30. artic. 10. conclus. 2. Sanchez. de matrimon. tom. 1. lib. 2. disp. 61. num. 3. Suarez de legibus, lib. 7. cap. 14. nu. 3. Henriquez libr. 10. cap. 35. nu. 2. in Glossa, littera D. Sayrus de censlib. 2. cap. 19. num. 2. Gutierrez can. QQ. lib. 1. cap. 5. & alij communiter.

An si quis vouit se quotidie recitare B. Virgini, Pater, & Aue, *vel vnum* Salue Regina, *& per annum v. gr. non recitet, peccet mortaliter.*

RESOL. XXIV.

Affirmatiuè respondent Zumel. in parte 2. quaest. 88. artic. 4. dub. penult. Sayrus in Claui Regia, libro 2. cap. vlt. nu. 21. Valentia tomo 3. disput. 6. quaest. 6. punct. 4. Malderus in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 4. quaest. 1. in fine, & Tannerus in 2. 2. disp. 5. dub. 3. nu. 38. est enim haec vna quaedam vnius voti materia, eaque grandis.

Sed cōtrariam sententiam esse probabilem docet idem Tannerus, & illam tenet Sotus de iust. lib. 7. quaest. 1. artic. 1. Aragon. in 2. 2. quest. 88. art. 3. Ioannes de la Cruz in direct. par. 1. praecep. 2. artic. 2. dub. 4. conc. 2. & nouissimè Villalobos in summa, tomo 2. tractat. 34. difficult. 3. numero 3. vbi sic ait [Se infiere, que

el que dexo derezar todo el anno vna Aue Maria, que hauia prometido de rezar cada dia, no llego à peccar mortalmente, porque muchos peccados veniales, no hazen vn mortal.]Igitur illæ paruæ materiæ non possunt coalescere in vnum, & efficere notabilem quantitatem materiæ magnæ. Notandum est etiam, quod in tali casu vouens materiam istam paruam, non potest se obligare sub mortali in recitatione dictæ materiæ leuis Sic Villalobos vbi supra, cui addit Sanchez in summa, tomo 1. libro 4. capit. 12. numero 6. & alios penes ipsum, sicuti legislator non potest se obligare sub mortali in materia leui. Et ita docet Ioannes de la Cruz vbi supra; vnde infert præceptum Prælati in re leui, & in ordine ad bonam gubernationem obligare sub solo peccato veniali; nam esset intolerabile, si posset Prælatus in omni materia, etiam leuissima, obligare sub peccato mortali. Ita ille, quod tene menti. Notandum est tamen, doctrinam superius adductam, non procedere in casu quo vouisti singulis dare paruam Eleemosynam: nam si pluries omittendo istam paruam eleemosynam, deuenisti ad materiam grauem, teneris illam restituere. Sic Tannerus in 2. 2. disp. 5. dub. 3. num. 50. Ioann. de la Cruz, Villalabos, & omnes DD. supra citati. Sed circa præsentē quæstionem vide etiam Vasquez in p. 2. disp. 146. c. Azotium, tom. 1. lib. 11. c. 5. q. 3. Suarez de Relig. to. 2. libr. 5. c. 5. nu. 10. & alios penes ipsos, & nos infra.

Aliqua practicabilia, circa votorum dispensationem, & commutationem.

RESOL. XXV.

PRimò puto contra Tannerum in 2. 2. D. Thomæ, disputat. 5. quæst. 4 dub. 5. num. 81. Layman in Theologia moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 9. Fillincium tom. 2. tract. 26. cap. 10. nu. 285. Azorium, tom. 1. lib. 11. cap. 18. quest. 2. & alios, posse vouentem sine confessario commutare, suum votum in materiam æqualē. Ita probabiliter Sancius in selectis, dispu. 14. num. 3. Henriquez lib. 2. de pœn. cap. 20. num. 5. Medina lib. 1. instir. cap. 4. §. 7. cum alijs quorum sententiam probabilem vocat Ioann. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 1. art. 2. dub. 11. concl. 4. Villalobos in summa to. 2. tract. 34. diffic. 31. nu. 5. & Portel in addit. ad dubia. regul. ver. voti commutatio. num. 88.

Secundò qui potest commutare, seu dispensare in votis, potest etiam in iuramentis quia: arctius est vinculum voti, quam iuramenti; & priuilegia, quæ cedunt in fauorem animarum non restringenda, sed amplianda sunt. Ita contra Nauarrum cap. 27. num. 275. Azorium tom. 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. & alios docent, Aragonius, & Sà, & probabilem vocat hanc sententiam Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 5. quæst. 5. dub. 1. nu. 36. & 37. qui in quæst. 4. dub. 5. numer. 95. docet etiam probabiliter, quod qui habet potestatem delegatam dispēsandi vota, potest etiam illa commutare, quia multò minus est commutare, quam dispēsare, & ita etiam tenent Sotus de iust. lib. 7. quæst. 4. art. 3. Syluester, ver. votum 4. quæst. 3. Villalobos in summa, tom. 2. tract. 34. difficul. 32. nu. 2. licet contrarium etiam probabiliter multi Doctores asserant, quos citat, & sequitur Sanchez. tom. 2. lib. 8. disq. 2. num. 15. sed nostram sententiam Layman in theol. mor. libr. 4. tract. 4. cap. 8. num. 20.

Tertio, quando quis commutat votum suum propria authoritate in melius, non eget iusta causa; & ita etiam puto quando commutatio efficitur in materiam æqualem, etiam propria authoritate; quod est valdè notandum, quia nouum, & illud docet Villalobos in summa, tomo 2. tract. 34. difficul. 31. num. 8. quidquid asserat Layman. in Theolog. moral. lib. 4. trac. 4. cap. 8. nu. 22. in contrarium: vnde quidam vir nobilis astrictus voto audiendi Missam, detentus in colloquijs amicorum, ne frangeret votum, rectè illud commutauit in opus melius, vel saltem æquale sine iusta causa, vt suppono, & ego illum non peccasse de hac re interrogatus his diebus consului. Et quidem si hanc doctrinam multi scirent, haberent, quidem remedium satis promptum pro liberatione fractionis voti, & peccati mortalis, sine consultatione Confessariorum: nam propria auctoritate, vt dictum est, commutare possent votum, quod pro illa vice nollent adimplere, in opera æqualia, vel vt docet etiam Portel in dubijs Reg. ver. voti dispensatio, numero 58. securius in meliora.

Quartò. Regulares Confessarij possunt dispensare in omnibus votis, in quibus potest Episcopus, excepto voto peregrinationis, vltra duas dietas. Ita ex communi Tannerus in 2. disput. 5. quæst. 4. numer. 92. quæ quidem dispensatio votorum post fieri extra Sacramentum Confessionis, vt alibi, contra Peregrinum, satis firmatum est, & idem dicendum est de absolutione censurarum, & de dispensationibus super irregularitate, iuramento, petitione debiti, &c. Item contra Rodriquez in addit ad Bull. Cruc. §. 9. numero 120. dicta dispensatio est applicanda cum omnibus ad ipsos confluentibus, & non ad subditos tantùm illius diœcesis in qua manent. Ita Sanchez in summa, tomo 1. libro 4. capit. 44. numero 15. & de matrimon. lib. 8. disp. 16. numero 10. cum Villalobos vbi supra. Et quando supradicti Regulares commutant vota, ex priuilegijs, quæ habent, possunt illa commutare in opus minus; ita probabiliter Medina in summa, libro 1. cap. 14. §. 7. regul. 3. Lessius libro 2. capit. 40. dub. 16. numero 109. & alij contra Azorium tom. 1. libro 1. cap. 18. quæst. 6. Sanchez in summa, tomo 1. lib. 4. cap. 50. numero 4. Suarez de relig. tom. 2. libro 6. cap. 19. numero 7. Toletum libro 4. capit. 18. & alios asserentes, vota commutanda esse in opus æquale. Sed stando in hac opinione, non oportet Confessarios scrupulis agitari, num opus in quod votum commutatur, sit omninò æquale, hæc enim æqualitas non debet esse Mathematica: & moraliter loquendo, omnimoda æqualitas non est cognoscibilis. Sufficit ergo æqualitas ad arbitrium boni viri, seclusa fraude, & graui ignorantia: maximè si commutatio fiat virtute priuilegij. Ita Portel in dubijs Regular. verb. voti dispensatio, numero 43. qui citat Syluestrum, & Rodriquez. Immò ait Suarez de religion. tomo 2 libro 6 cap. 12. numero 6. quod quando conceditur commutatio in æquale, extenditur ad commutandum in dubio, an sit melius id, in quod fit mutatio; immò & etiam quamuis dubium sit, an sit minus, dummodo non sit certum; credibile enim est Papam delegantem, aliquam voluisse concedere benignitatem. Et hæc omnia docet etiam Portel vbi supra.

Quintò, commutatio, aut dispensatio votorum, facta bona fide, tempore Iubilæi valet, & est tuta, etiamsi posteà non impleantur requisita pro obtinendo Iubilæo. Ita contra Ioan. de la Cruz in direct. consc. parte 1. art. 2. dub. 11. concl. 7. Raphael de la Torre in 2. 2. tom. 2. quæst. 88. artic. 12. disput. 5. & alios docet Portel in dubijs Regularium ver. voti dispens. numero 52. Henriquez lib 7. de indulgen. cap. 11. num. 4. Sanchez in summa, to. 1. lib. 4. cap. 54 1. nu. 53. Suarez de relig. tomo 2. lib. 6. cap. 16. nu. 10. Prost. de Iubilæo, cap. 12. dub. 3. & alij. Sed an posteà pœnitens, qui bona fide obtinuit dispensationem votorum, si voluntariè omittat opera prescripta in Iubilæo, peccet mortaliter? Affirmatiuè respondet Portel vbi supra, & Suarez num. 11. Sed mihi placet opinio Sanchez negatiua, quam probabilem putat Fillincius tomo 2. tract. 26. cap. 10. nu. 301.

Sextò, si commutatio fuerit, facta in melius, negant aliqui posse vouentem redire ad prius votum. Ita Suarez de religio. 2. lib. 6. cap. 20. num. 1. & alij. Sed contrariam sententiam Sanchez probabilem esse putat Fillucius tom. 2. tra. 26. c. 10. n. 289. & ego tutam in praxi esse existimo, quia talis commutatio efficitur in fauorem vouentis. Ergo, &c.

Septimò, si vnus Confessor inueniat pœnitentem, cui alius Confessor commutauit votum in rem minus æqualem, & ambo Confessores sint viri docti, poterit vltimus Confessor quiescere, & stare opinioni Cōfessoris prioris, qui fortè aliquam circumstantiam melius considerauit. Ita Portel in addit. ad dubia Regul. verb. voti. commutatio. numero 92. quod si Confessarius sit idiota, pœnitentem moneat, si spes sit vt acquiescat, sin illum relinquat in bona fide.

Octauò, puto quoad vota conditionalia castitatis, Religionis &c. etiam post adimpletam conditionem, posse illa Episcopum, & Confessarium Regularem, & priuilegiatum commutare, quidquid in contrarium asserant Lessius libro 2. capit. 40. dub. 18. numero 131. Sotus de iust. libro. 7. quæst. 2. artic. 1. ad 4. Nauarrus capit. 12. numero 43. Azorius tomo 1. libro 11. ca. 19. quæst. 3. Valentia tom. 3. disput. 6. quæst. 6. punct. 7. & alij. Sed tu tene nostram sententiam, quam tuentur Sanchez in summa, tomo 1. libro 4. cap. 40. num. 99. & de matrimon. tomo 2. libro 8. disput. 11. num. 13. & alij, quos nouissimè citat, & sequitur Layman in Theolog. moral. libro 4. tract. 4. ca. 8. num. 10. quia supradicta vota non emittuntur ex directo affectu ad rem votam, sed ad beneficium, quod à Deo expectamus; vnde etiam post adimpletam conditionem non videntur vota absoluta, &

per-

perfecta, quia eorũ radix est imperfecta, quæ in illis intrinsecè semper imbibitur, quæ est affectus ille indirectè, ex quo votum processit. Et hæc magis practicabilia decerpsi in materia commutationis votorum, nunc ad alia transeamus.

An votens omnibus circumstantijs attentis dubius maneat, an votum emissum sit intuitu temporis, teneatur illud adimplere.

RESOL. XXVI.

HAec quæstio est satis practicabilis, v.g. vouit quis certa die ieiunaturũ pro animabus purgatorij, atque eo die impeditus fuit, an teneatur altero die ieiunare? Respondent aliqui negatiuè, si vouendi intẽtio fuit cum dependentia à tali die ob peculiarem rationem, secùs autem si fuit simpliciter propter ieiunium, & deinde speciatim tali die. Difficultas verò est, quãdo vouens dubitat, an emiserit votum cum hac, vel illa intentione; & in tali casu teneri ad votum putat Azorius tomo 1. lib. 11. ca. 15. quæst. 21. quem sequitur Sanchez in summa, to. 1. lib. 4. cap. 14. num. 31. & rationem adducit, eo quod obligatio voti sit, & sic votum est in possessione.

Sed mihi contraria sententia placet, quam tuentur Caietanus in 2.2. quæst. 88. art. 12. in fine, & nouissimè Paulus Laymann in Theol. mor. lib. 4. trac. cap. 2. nu. 3. nam votum in dubio strictè interpretandum est.

Ad argumentum verò Sanchez respondetur, quod licèt ita vouens sit certus, se v.g. ieiunium, vel Missam voluisse tali die dubius tamen est an absolutè, seu independenter à tali die ieiunium, vel Missam vouere intendit. Ergo in tali dubio pro libertate ipsius vouentis præsumendum est.

An Sacerdotes in domibus suis priuatim audientes lectorem Legum incidant in excommunicationem.

RESOL. XXVII.

AFfirmatiuè videtur respondendum ex auctoritate Filliucij to. 1. tract. 14. cap. 7. nu. 103. & Suarez de cens. disp. 23. sect. 3. nu. 19. & aliorum.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam docent nouissimè Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 50. cap. vlt. num. 1. Squillante de oblig. cleric. par. 2. dub. 8. Homobonus de statibus, parte 1. cap. 18. num. 6. Gambarupta de casibus reseru. cap. 9. nu. 6. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 17. difficult. 28. num. 4. & Sanctarellus tract. de Apost. cap. 2. dub. 1. num. 1. & alij penes ipsos. Dico igitur, in excommunicationem latam in capit. super specula ne Clerici, vel Monachi, &c. non incurrere Sacerdotes sæculares, & Regulares habentes priuatim in domibus suis lectorem Legum, vel Medicinæ, qui eos doceat priuatim has facultates.

Imo nec incurrũt hanc excommunicationem prædictã, si studeant legibus ciuilibus in scholis publicis, quatenus conducũt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum. Ita Sanctarellus loco citato, & Barbosa nu. 7. Squillante de oblig. cler. par. 2. dub. 18. nu. 57. & alij penes ipsos.

Sed nota hoc verum esse in foro interiori; nam in foro exteriori præsumerentur excommunicati. Notandum est etiam, quod Diaconi, & Subdiaconi non comprehenduntur sub dicta prohibitione, & excommunicatione licèt beneficium habeant, nisi sit personatus. Ita DD. citati.

Aliquis narrat peccata alterius audita; & expressè asserit se nihil certo scire, sed tantùm recensere, quæ audiuit, quæritur, an peccet mortaliter.

RESOL. XXVIII.

HIc casus sæpissimè accidit. Affirmatiuam sententiam docet Sotus de iust. lib. 4. quæst. 6 art. 3. ad 4. Nauarrus c. 18. num. 50. Villalobos in summa, tom. 2. tract. 11. dub. 36. num. 6. Tannerus vbi infra. Malderus in 2.2. tract. 7. cap. 1. dub. 17. Syluius in 2.2. D. Thomæ, quæst. 62. ar. 2. quæritur 16. concl. 3. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 53. dub. 10. nu. 8. & alij: quod si referunt peccata aliorum, eo ipso sunt causa, vt alij talia peccata nouerint, & per consequens sunt causa, vt fama alterius apud plures amittatur. Et hanc opinionem multi recẽtiores, vt Azorius p. 3. lib. 13. cap. 6. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 5. Layman in Theolog. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. c. 3. n. 7. Ioan. de la Cruz in Direct. art. 8. q. 2. art. 2. dub. 3. concl. 4. & alij tenent, quando qui refert, sit vir tantæ auctoritatis, vt ei credatur, etiamsi tãtùm audita referat; vel, quando eo modo narret, vt aliquos ex leuitate, quidem credituros putet, sed nulla per se data causa sufficiente.

His tamen non obstantibus, licèt supradictæ opiniones sint probabiliores, & amplectendæ, contrariam probabilem etiam esse puto cum Tannero in 2. 2. D. Tho. disp. 4. quæstio 8. dub. 7. num. 139. & illam docet Caietanus 2. 2. quæst. 73. artic. 2. dub. 2. Sotus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 1. Syluester ver. detractio, quæst. 4. except. 5. Armilla ver. restitutio, nu. 4. except. 7. Sà, ver. informare post Gabrielem, Adrianum, & alios. Dico igitur auditũ crimen simpliciter sine noua assecuratione, vel cõfirmatione narrare, etiamsi quis animaduertat aliquos ex audientibus temerè credituros nõ esse peccatum mortale. Et ratio est, quia damnificatio famæ in tali casu, non tam est dicentium, quam credentium. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Faber de restit. in 4. sent. distin. 15. quæst. 3. disp. 53. c. 1. n. 29. Nisi ergo, qui sic narrat, addat aliquam maiorem certitudinem quam sit, quæ ex cõmuni relatione habetur, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sinistra opinio non tam generetur ex relatione, quam ex leuitate audientium, vel infirmitate, aut malitia.

An qui falsum dicendo alterum infamauit, teneatur, si opus sit, iurare se falsum dixisse.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuam sententiam docet Caietanus, & Arragon. in 2. 2. Diui Thomæ, quæst. 62. art. 2. Sotus de iust. li. 4. q. 6. art. 3. Faustus in speculo confess. disp. 21. quæst. 21. Syluius in 2. 2. D. Thomæ, q. 62. art. 2. quæritur 22. tract. 32. c. 10. n. 245. Turrianus in 2. 2. to. 2. disp. 53. dub. 1. n. 9. Nauarrus c. 18. n. 45. Nauarra libr. 2. c. 4. nu. 137. Salonius de iust. to. 1. q. 62. art. 2. conr. 3. Carbo de restitu. q. 18. Villalobos in summa, to. 2. tract. 11. difficul. 37. n. 2. & Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4 q. 6. dub. 6. nu. 141. vbi sic ait. Qui falsum dicendo alterum infamauit, tenetur (si alia via commodiori fama restitui non possit) fateri falsitatem, & cum id scienter fecit, ac si opus sit, iuramento retractationem suam confirmare. Ita ille, & ego.

Nota etiam, quod Molina to. 5. disp. 41. Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 7. art. 2. dub. 5. concl. 3. Sotus, Arragona, & Salonius asserunt esse etiamsi opus fuerit, testes adhibendos.

Sed his non obstantibus Philippus Faber lector publicus in Academia Patauina de restitut. in 4. sent. dist. 15. q. 3. disput. 53. cap. 1. num. 32. contrariam sententiam docet, & ita asserit. Ego puto solùm sufficere ad restitutionem famæ in consciẽtia, quod diffamans se retractet serio coram illis, apud quos proximum diffamauit absque iuramento, & multo magis absque testibus, & alijs sumptibus: ad faciendum, vt ij, qui ex causa detractionis malam opinionem conceperunt, illam deponãt. Antiqui enim Doctores, vt Alensis par. 2. quæst. 129. membro 6. D. Thomas 2. 2. quæst. 62. art 2. ad 2. Scotus hic apertè nihil aliud requirunt. Nam D. Thomas loc. cit. declarando, quomodo huiusmodi diffamator teneatur restituere, habet hæc verba. Alio modo falsò dicendo, & iniustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Ita Faber, qui hoc etiam probat ex verbis Alexandri de Ales, & ex multis alijs rationibus, & respondet ad argumenta contraria. Non esse etiam testes adhibendos, docet vterque Nauarrus vbi supra cum Tannero.

Notandum est etiam, quod stando in prima opinione, excipiuntur viri magnæ auctoritatis, vt notant Doctores citati, & inter illos Syluius in 2.2. q. 62. art. 2. quæritur 10. in fin. & Villalobos in summa, to. 2. tract. 11. diffi. 27. n. 3. sic asserens [Ha se de entender esta doctrina regularmente, porque si el fuesse Obispo, Prelado, o Conde, o otra persona de grã autoridad, no estara obligado con tan gran perdida de su honor a confessar que mentio, y ansi estarà obligado a restituir cõ el mejor modo que pudiera, que sera como diremos luego del que restitue, quãdo dixo verdad.] Sic ille. Ideò quæritur.

An

Ad quid tenetur, qui verum dicendo, occultum crimen alicuius propalauit illum infamando.

RESOL. XXX.

QVia in praxi pœnitentes difficiliter famam restituunt, probabilis mihi videtur opinio Caietani in 2.2.q.62.art.2 & Soti de iust.lib.4.q.6.art.3.ad 4.quam affert.& approbat Villalobos in summa to.2.tract.11.diff.37.n.4.vbi sic asserit, Otro modo ay mas vsado entre los Doctores, y pone lo Caietano, Soto, Nauarro, y otros. y es que el que infamo descubriẽdo peccado secreto no hable mas del, sino que procure tomar occasion de tratar del disfamado con las personas, cerca de las quales le infamo, y hable del honorificamẽte, y trate familiarmente al disfamado en algun caso, que cõ esse honra, si el es hõrado. Hæc ille. Et hic modus suauis est, & illum facile pœnitentes obseruabunt, secùs autem asserendo se perperam loquutos, vel iniuriam fecisse, vel fuisse deceptos, vel quod aliqui volunt, se falsum dixisse, vel fuisse mẽtitos. Ergo ad nihil aliud tenetur diffamator, quam laudare eum, quem prius diffamauerat, nec amplius de ista re coram illis, apud quos eum diffamauit, loqui. Et hunc modum restituendi famam approbant etiam Tannerus in 2.2.D.Thomæ disp.4.q.6.dub 4.num.134. Valentia to.3.disp.q. ... punct.5.&: q.17.punc.2 Lessius lib.4.c.11.dub.10. Arragon.in 2.2.q.62.art.2. Faustus in speculo confess. disp.21 q 74.nu.6.quidquid in contrarium asserat Layman in theol.moral.lib.3.sect.5.tract.3.part.2.cap.7.num.2. Nauarra lib.2.cap.4.num.370. Faber de restitut. in 4.sent.d.15.qu.3.disp.53.c.2.num.46 Syluius in 2.2.D.Thom.q.62.art.2.quæritur 22.Filliucius tom.2.tract.32.cap.10.num.246.

Notandum est tamen primò, quod si infamator nõ possit famam restituere, non tenetur famam pecunia compensare. Ita Layman in theol.mor.lib.3 sect.5.tract.3.parte 2.cap.7.numero 3.Filliucius tom.2.tract.32.capit.10. numero 239. Turrianus in 2.2.to.2.disput.53.dub.7. numero 3.Faber de restitut. in 4.sentent dist.15.quæst.3.disput.53.cap.4.num.122. Malderus in 2.2.tract.7.cap.7.dub 8.Nauarrus cap.17.num.19.Bannez in 2.2.q.62.ar.2.Syluester ver.detractio.quæst.17.Nauarra lib.2.cap.4.n.416. Lessius lib.2. cap.11.dub.11.& alij. Sed quia contraria sententia est probabilis, quam tenet Villalobos in summa tomo 2.tract.11.difficul.39.numero 5.Sotus de iustit.lib.4.quæst.6.ar.3.ad 4.Arragon.in 2.2.qu.62.art.2.Valentia tomo 3.disp.5.quæst.6.punct.5.Couar lib.1.var.c.1.numero 8.Molina tract.4.disput.45.numero 8. Sa. ver.infamia, num.7.Syluius in 2.2.D.Thom.quæst.62.art.2.quæritur 22.post Rebellium, Sotum, Ricardum, Adrianum, Caietanum, & alios, cum inquam, hæc opinio sit probabilis puto cum Ioann. de la Cruz in direct. parte 1.præc.7.art.2.dub.6.concl.3.Tannero in 2.2. D. Thomæ disp.4.quæst.6.dub.6 numer.150. qui citat Lessium, & Arragon. posse infamatũ sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si is alia ratione satisfacere nolit, aut non possit, quod est valdè notandum, quidquid in contrarium dicat Malderus in 2.2. D. Th. tract.7.cap.1.dub.14.licèt, vt dixi, contraria opinio sit etiã probabilis nempè non debere famam pecunia compensari, quãdo aliter compensari nequeat?

Notandum est secundò contra Turrianum in 2.2.D.Thomę tom.2.disp.53.dub.5.num.7.Tannerum in 2.2.disput.4.quæst.6.dub.6.num.155.& alios, qui se mutuo infamauerunt, posse vti compensatione, dummodo infamia non sit inæqualis, & non oriretur scandalum, vel si vnus velit alteri famam reddere, tunc enim etiam alter tenetur ipsi restituere, & tandem compensatio non potest fieri reddendo maledictum, pro maledicto. Exceptis igitur his casibus admittenda est contra præfatos DD. compensatio famæ, & ita docent Syluius in 2.2.D.Thom.quęst.62.art.2 quæritur 10.Malderus in 2.2.tract.7.c.2.dub.14.& alij penes ipsos.

Notandum est tertiò secundùm opinionem Fabri de Rest. in 4.sent.dist.15.quæst 3.disp.13.cap.2.num.56. quod etiam quando reus est accusatus, & interrogatus iuridicè de crimine vero, & negat, non tenetur ad restitutionem famæ, quod est valde notandum contra Caietanum in 2.2.qu.68 art.2.Sotum de iust. lib.4.quæst.6. art.3.ad 4.Azorium tom.3.lib.5.c.9.q.8.Molinam tract.4.disp.43.& alios.

Notandum est quartò, quod non adest obligatio restituendi famam, quando detractio effecta est cum verbis generalibus, videlicet aliquem esse mendacem, ambitiosum, &c. nisi ratione dignitatis personæ, vt si de Prælato, aut Religioso et grauioribus talia dicta essent; quamuis Filliucius tom.2.tract.32.cap.9.nu.229.docet Syluestrum, & Nauarrum vniuersaliter asserere detractionem, vt obliget ad restitutionem, debere esse de peccatis mortalibus.

Notandum est quintò, quòd licèt Sotus de iust lib.4.quæst.6.artic.3.ad 4.Couarr.Regul.Peccatum, parte 1.numero 76.& Rebbellius lib.4. quæst.13. dixerit vitam alicuius plebeij reputari posse viliorem fama alicuius nobilis, eoque casu plebeium debere reparare nobilis famam cũ periculo propriæ vitę; tamen contrariam sentẽtiam in tali casu tenendam esse existimo. vide Caietanum in 2.2.quæstio.62.ar.6.Syluestrum ver.detractio, quæstion.4.Nauarrum.& Nauarram, quos citant, & sequuntur Tannerus in 2.2.disput.4.quæst.6.dub.6.numero 149. Malderus in 2.2.tractat.7.capit.2.dub.9.cum alijs penes ipsos: nam bona inferioris ordinis nõ sunt restituenda cum detrimẽto boni superioris ordinis, sed vita est bonum superioris ordinis, quam fama. Ergo, &c. Et hoc etiam procedit, etiamsi infamia esset maxima, vtpotè de hæresi, de crimine læsæ maiestatis, &c. vt notat Faber de restitut. in 4.sentent.dist.15.quæst.3.disp.53.cap.4.numero 121.vide etiam Ioannem de la Cruz in director.parte 7.quæst.5.art.6. dub.6. conclus.1. Ex his adultera etiam infimæ sortis, & nupta viro nobili, cui supponit filium alterius pro successione maioratus, omissis filijs legitimis, non se prodat, etsi sciat profuturum, nec tenetur adultera hoc reuelare filio spurio, nec filius tenetur credere, tenebitur tamẽ adultera in tali casu, si potest, ex iustitia satisfacere, aut conferenda bona libera filijs legitimis, aut consulendo spurium intrare Religionem. Ita communiter DD.

An quando ex leuibus inditijs, qui temerè, & voluntariè de proximo suspicatur, peccet mortaliter.

RESOL. XXXI.

AFfirmatiuè respondet Angelici Doctoris doctissimus interpres Franciscus Syluius in 2.2. D. Thomæ quæst.60.art.3. qui citat Bannez, Arragon.& Salonium, & hanc sententiam sequuntur Sotus de iust.lib.3.quæst.4.artic.3. Molina de iustitia tract.4.disput.17.num.10.Medina de instruct.confess. lib.1.capit.14.§.37. Villalobos in summa tomo 1.tract.14.difficulat.19.numero 3.Turrianus in 2.2.D.Thomæ tomo 2.disput.4. dub.3.numero 7. & alij, quando suspicio esset de graui scelere circa personam honestam, vt de hæresi, de incestu cũ matre, de proditione ciuitatis, &c.

At contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Ioann.de la Cruz in direct.parte 8.quæst.1.dub.2.conclus.2.qui citat Caietanum, Rosellam, Armillam, & Lopez. Idem tenent Faber de rest. in 4.sent. dist.15.q.3.disp.54.c.1.num.10.Layman in Theol.mor.lib.3.sect.5.tract.3.par.2.c.2.n.6.Nauarra de restit. lib.2.cap.4.num.454. Caietanus in 2.2.quæst.60.art.3.& in summa ver. iudicium, cum alijs; Et ratio est, quia nullum iudicium citra certitudinem, est peccatum mortale, vt ait D. Thomas, sed ista certitudo tollitur non solùm per dubitationem; quæ in neutram partem declinat, sed etiam per suspicionem, & opinionem, quia etsi suspicio, & opinio vni parti magis adhæreant, non tamen id fit sine formidine alterius: ergo, &cet. Igitur suspicio de re graui, si non habet assensum firmum, nunquã erit peccatum mortale. Vnde ex his ego puto multos pœnitentes falsò, sed ignoranter se accusare de iudicijs temerarijs, nam vt iudicium temerarium sit peccatum mortale, opus est vt efficiatur sine indicijs sufficientibus. Secundò, ex plena deliberatione. Tertiò, certo, & sine vlla formidine, quæ omnia raro simul concurrunt in homine malè de proximo iudicãte, & pręsertim tertium requisitum, nam multi iudicant cum formidine alterius partis, & tunc non est iudicium temerarium mortale. Sed circa præsentem quæstionem vide pręter DD.citatos Tannerum in 2.2.D.Thomæ dis.4.qu.3.dub.2.nu.39.Filliucium tomo 2.tract.40.c.1.num.12.& sequ.Lessium lib.2.c.29.dub.3.nu.16.Valentiam tom.3.dis.5.qu.4. punct.4.Reginaldum in praxi tomo 2.lib.24.c.2.num.26.& seq.& Ledesmam in summa tom.2.tract.8.cap.2.concl.5.

An

An ſi quis narret alicui amico iniuriam ſibi ab aliquo ſecretò illatam ad leniendum dolorem, peccet mortaliter.

RESOL. XXXII.

NEgatiuè reſpondeo, nimis enim durum eſt, & præter humanam conſuetudinem, vt quis cogatur acceptas iniurias ſolus ferre, nec poſſit eas amico communicare, non animo detrahendi, ſed ad ſuam commoditatem, & vt eas leuius ferat. Ita Syluius 2.2.D.Thomæ, q.62.art.2, quæritur 15. Leſſius lib.2.cap. 11.dub.12.nu.72. Nauarra lib.1.cap.4. num. 345. Molina tract. 4.diſp.29.n.5. Layman in Theol.mor.li.3.ſect.5.tr.3. par.2.cap. 3.nu.6. Tannerus in 2.2.D.Thomæ diſp.4.q.8.dub. 7.nu.145. & alij Doctores cõmuniter. Sed plus addit Io.de la Cruz in direct. confeſſ.part.8.quæſt.2.artic.2.dub. 3. concl. 1. vbi ſic aſſerit. Si perſona ſecretò grauiter iniuriata, non valens ſe à dolore cohibere, in quærimonias prorupit publicas, nõ illico de culpa mortali damnatur, ſi iniurias infametur; durum enim videtur, ſic affectum animum cohibere, ne in quærimonias prorũpat, cum hoc naturaliſſimum ſit. Ita ille, qui citat etiam pro hac ſentẽtia Ludouicum Lopez.

An qui occultum crimen ſine iuſta cauſa manifeſtat vni vel duobus viris prudentibus, quos ſcit non euulgaturos, peccet mortaliter?

RESOL. XXXIII.

HAnc quæſtionem alibi, ſed breuiter tetigimus, nunc verò fuſius illam explicabo. Affirmatiuam ſententiam docent Turrianus in 2. 2. D.Thomæ, to.2.diſp.53.dub.8.nu.2. Sotus de iuſt.li.7.q.10.art.2.concl.4. Molina de iuſt.tra.4.diſp.29.n.7. Leſſius lib.2.c.11.du.11.nu.70. Bannez in 2.2.qu.62. art. 2. Azorius to.1.lib.5.c.9. Filliucius to.2.tra.40.c.4.n.91. Suarez to. 4.diſput. 34.ſect.1.n.2. Villalobos in ſumma, to.2.tra.11.diffic.36.num.8. Valentia to.3.diſp.5.q.17.pun.2. Malderus in 2.2.tra.7.c.1.dub. 4. Layman in theo.mor.lib.3.ſect.5.tra.3.pa.2.c.3.nu.6. Ioan. de la Cruz vbi infra, & Salonius in 2.2. q.62.art.2. qui aſſerunt hãc opinionem eſſe communem inter recentiores Thomiſtas. Et ratio videtur clara, quia ſi conſideretur famæ detrimentum iudicio prudentis maius erit reuelare illud crimen vni graui viro, quam ſi decem infimis hominibus reueletur, & tamẽ hoc eſſet peccatum; quod explicatur ex eo, quod quilibet maius bonum putat virum aliquem grauem habere rectam opinionẽ de alicuius moribus, quam illud iudicium habeant homines plures abiectæ conditionis. Secundò, iudicium temerarium eſt ex ſuo genere peccatum mortale, vt patet, etiamſi illud non producatur exterius, neque frater amittat bonum nomen apud alios, quam apud iudicantem, ergo nec detractio deſinet eſſe mortalis, ex eo quod fratris exiſtimatio tãtum lædatur apud vnum. Tertiò, prudens, cui reuelas, & à te prudẽter audit, poterit etiã alios ſimiles prudentes inuenire atque ita apud plures prudentes periculum infamiæ ſubibit frater. Quartò; ex iſta opinione ſequitur aliquod oppoſitum communi doctrinæ DD. & Sanctorum, nempe auditorem detractionis, quando ipſe ſolus detractorem audit, non debere deteſtari detractionem tãquam lethale peccatum, ſed propter prudẽtiam ſuam, qua celaturus eſt, poſſe tolerare tanquam veniale.

His tamen non obſtãtibus, contrariam ſententiã docet Caietanus in 2.2.q.62.art.2. Nauarra de reſt. lib.2.c.4.n.334. Graſſius lib.2.c.137.& alij. Et hanc ſententiam probabilem eſſe docent multis ex DD. contrarijs, vt Tannerus in 2.2. D. Thomæ, diſp.4.q.8.dub.7.nu.138.& Ioan. de la Cruz in direct. conſcient. par.8.q.2.ar.2.dub.3.concl. 3. & alij. Et ratio eſt; quia talis non lædit famam notabiliter, cum reuelet occultum delictum apud vnum, vel duos, qui non ſunt alijs reuelaturi; ergo non peccat mortaliter, & ſicuti non eſt fama vno dicente, ita nec erit infamia niſi pluribus dicatur. Et hæc ſententia videtur mihi etiam probabilis, ſicut etiam viſa eſt Filliucio, qui ſuam ſententiam vocat tantùm probabiliorem.

An infamator criminis occulti teneatur reſtituere famam tantum apud ſuos Auditores, licet ipſi auditum crimen alijs notum fecerint.

RESOL. XXXIV.

AFfirmatiuè reſpondẽt aliqui. Sed Philippus Faber de reſtit. in 4.ſent.diſt.15.q.3.diſp.35.c. 1. n. 37. contrarium docet, ſic enim aſſerit. Dubitãt alij, an ſufficiat retractare impoſitionẽ criminis coram his tantùm, apud quos ille diffamauit, an etiam apud alios, quibus illi audientes retulerunt. Aliqui aſſerunt, ſed hæc opinio eſt irrationabilis. Cum enim verba ex ore prolata in infinitum creſcant, eſt impoſſibile diffamatorem poſſe ſe retractare apud omnes, ad quos talis diffamatio perueniat. Proinde Alenſis innuit ſufficere, vt ſe retractet coram iis, apud quos ipſe detraxit. Ita Faber; & ratio etiam poteſt eſſe, quia poſterior infamia fortuito quaſi ſequitur, & ex propria malitia audiẽtium, qui proinde vtique tenẽtur ad reſtitutionem. Sicut qui indirectè ſcandalum præbet, non cõtrahit ſpecialem illam malitiam cui per accidens cauſam dedit.

Sed ego ſine metu, hanc ſententiam amplectendam eſſe puto, in caſu quo, vt ait Villalobos in ſumma to.2.tract.11. diffic. 37.n.11. [El peccado del proximo ſe deſcubrio à vn hombre de confiãca de quien ſe eotendiera, que de ninguna manera lo dixera nadie, y el lo dixo, con eſſo ſolo ſe aura de hazer la diligencia para la reſtitucion y eſſe con los demas.] Ita ille, ſed circa præſentem quæſtionem vide Tannerum in 2. 2.D.Th.diſp.4.q. 6.dub.6.n.146.& alios penes ipſos.

An qui audit detrahentem de aliorum criminibus peccet mortaliter.

RESOL. XXXV.

REſpondeo vt plurimum minimè: & ſic ait Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct.conſ.pr. 8.q 2. art. 2. dub. 5. concl. 1. qui ob timorem, verecundiã, negligentiam, aut animi leuitatem, nõ reſiſtit detractori, peccat venialiter. Et hanc ſentẽtiam docet etiã ex Societate Ieſu Adamus Tannerus in 2. 2. D. Th. diſp.4 q.8.dub.7.n.151. vbi ſic aſſerit. Eſt peccatum contra iuſtitiam, ſi quis directè iniuſtitiam, & detractionem approbet, aut quod deterius, ad eam iudicat, vel contra charitatem, ſi quis mere negatiuè ſe habeat, non impediendo, niſi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere aut famam alterius defendere, nempè quia huius, vel illius ſuperior eſt. Cõmuniter tamen ex negligentia timore, aut verecũdia non repellere detractionem, ſolùm cenſetur peccatum veniale, niſi vel audiens ſuperior ſit, vel graue damnum ex detractione ſequuturum animaduertatur, vel timor ipſe adeò peruerſus ſit, vt propter eũ peccare aliquis mortaliter nõ curet. Ita ille, & hanc ſententiam nouiſſimè docent etiam Reginaldus in praxi to.2 lib.24.c. 4.nu.95. & Faber de reſtit.in 4.ſent.diſt.15.q.3.diſp.53.c.3.nu.127. vbi ſic aſſerit. Si omittat corripere detrahentem vel ex timore, vel ex negligentia, vel etiam ex verecundia, eſt peccatum veniale. Non igitur vt aliqui ſcrupuloſi putant: eſt ſemper peccatum mortale audire, & non corripere detrahentem, vide etiam noſtram Reſol.24.tract.3. Miſcellan.

An Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum peccent mortaliter, & incidant in excommunicationem, vbi plures alios caſus explanatos inuenies.

RESOL. XXXVI.

SEntentiam affirmatiuam docuerunt Fernandez in Exam. Theol. mor.par.4.cap.5.§.4.n.6. Vgolinus de cenſ.Papæ reſeruatis par.2.c.3.§.2. Suarez to.5.diſp.21.ſect.2.nu.60.61.& 62. Paulus Comitolus in reſpon.mor.lib.5.q 8. Graffius pa.1.li. 4.c. 28.nu.6. Sayrus de cenſ.lib.3.c.7.nu.8. Beia part.3.caſ.23 Salas in p.2.tra.3.diſp.11.ſect.1.de legibus, Nauarrus in Man.c.17.n.63. Toletus in ſumma li.1.c.24.& alij, ſed ſi Turcæ corpora dictorũ Chriſtianorum affligũt, iſti Doctores eorum animas laceſſunt,

quia si hæc opinio esset vera, væ, væ, væ, Christianis captiuis.

Idem contrariam sententiā puto omninò sustinendam esse, quam docent 8. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 18, quibus ego addo Tannerum in 2. 2. D. Thomæ, disp. 1. quæst. 9. dub. 5, num. 144. Villalobos in summa, to. 2. tract. 5. diffic. 10. n. 2. Layman in Theol. mor. lib. 2. tra. 3, c. 13. nu. 5 Naldum in summa ver. Christianus 2. nu. 6. Reginaldum tom. 2. lib. 21. nu. 119. Turrianum in 2. 2. disp. 95. dub. 3. Filliucium tom. 2. tra. 22. c. 5. nu. 147. Benzonium tra. de fuga lib. 1. disp. 1. q. 4. Sousam in Bull. Cœnæ c. 4. disp. 31. numer. 6. Vasquez opusc. de scandalo, art. 8. dub. 7 Ortiz in summa, c. 17. n. 80. Aulam de cens. par. 2. c. 6. disp. 8. dub. 5. Duardū in Bull. Cœn. lib. 2. can. 3. q. 13. concl. 1. nu. 1. & seq. Vegham in summa tom. 1. c. 118. cas. 2. Rebellium par. 1. lib. 1. q. 14. sect. 7. n. 52. Possunt igitur dicti captiui Christiani contra Catholicos remigare, vel propugnacula ædificare, sarcinas, machinas, & arma necessaria ad bellum afferre. Et ratio est, nam licèt peccatum ad quod materialiter cooperantur perniciosum sit, tamen cooperatio illorum non tam propinqua est, vt sine illa damnum nihilominus inferretur, quia alij non deessent, qui hunc laborem obirent, & actiones supradictæ sunt indifferentes. Ergo, &c. Limitanda tamen videtur hæc sententia. Primò, si eo loco constituta res ita esset, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Christianos eriperent, vel victoriam illis conferrent; tunc enim bonum Reipublicæ Christianæ ante ponendum erit propriæ vitæ. Secundò, etiam limitanda est in ijs, qui tormenta in Christianos dirigunt, ignemque applicant, quia directè damno inferunt.

Ex dictis deducitur multi casus in praxi sæpius occurrentes: nempè licere famulis cibos condire, & ad mensam ministrare, & lectum sternere concubinæ heri, & ornare heram meretricē secundùm Azorium tom. 2. lib. 12. c. vlt. q. 8. Sed male addit, licitum esse adducere cōcubinam in domum heri, vel in alium locum in quo peccaturus est, vel deferre internuntia, aut scripta, in quibus herus petit à concubina, vt ea nocte ad se veniat, & si norit velle, vt veniat ad fornicandū. Vnde in his duobus casibus, & optimè dissentit ab Azorio Rebellius par. 1, lib. 2. qu. 14. sect. 7. n. 51. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 25. & 26.

Item deducitur ex supradictis, licere famulis sternere equum & herum comitari, & expectare, quamuis norint ipsum ad fornicandū abire; item iussu herit portare aliqua munuscula, aut esculenta ad concubinam, vel aperire ianuam domus cōcubinæ, porrigere cibos; & mensam sternere, si ieiunare nolit, &c. ex eodem principio licitum erit domum meretrici, vel vsurario locare.

Item ex Caietano, Arragonio, & Bannez in 2. 2. q. 78. artic. 4. & Salonio qu. 62. art. 5. contr. 2. ad vlt. deponere pecunias apud eundem, licèt hoc aliqui, & melius non admittant, vt Sotus de iust. lib. 6. q. 1. art. 5. ad 2. Lessius li. 2. c. 20. dub. 21. num. 184. Azorius tom. 2. lib. 12. cap. vlt. qu. 2. & alij.

Item contra Vasquez opusc. de scandalo, art. 1. dub. 3. alios fas erit amico, qui violandi ieiunij causa ad cauponam diuertere cogitur, domum tecum abducere, cœnam ministrare hospitalitatis, vel vrbanitatis causa. Ita Layman in Theol. moral tract. 13. nu. 4. Caietanus in 2. 2. q. 147. art. 4.

Item licitum erit cauponibus ministrare cibos soluturos illis ieiunium. Ita Ledesma in summa to. 2. tra. 27. c. 2. concl. 6. diffic. 4. Salonius in 2. 2. q. 77. art. 4. controu. 6. post 3. conclus. Martinus Ledesma 2. p. 4. q. 17. art. 6. dub. 3. Faustus in Thes. Relig. lib. 1. q. 178. nu. 1. & alij contra Fernandez in Exam. Theol. par. 2. c. 8. §. 2. nu. 22. Gabrielem in 4. dist. 16. q. 3. art. 3. dub. 6. & alios.

Et tandem contra aliquos recentiores docet Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 1. q. 9. dub. 5. nu. 144. posse aliquem vendere infideli idolum, aut Iudæo in Synagoga ędificanda operam locare, si magna egestate prematur. Et ratio horum omnium est, quia præbere alteri proximam materiam peccādi ex se indifferentem ex iusta causa non intendendo eius peccatum, sed ad aliud spectando, non est indirectè ad malum cooperari; neque verò indirectè, nam illa dicitur indirecta cooperatio, quando quis potest sine suo incommodo, & tenetur abutentis peccatum euitare, quod non accidit in supradictis casibus in quibus, vt supponimus, adest iusta causa, & necessitas: ergo, & cetera.

An licitum sit suadere minus malum ad euitandum maius?

RESOL. XXXVII.

NEgatiuè respondent Valentia tom. 3. disp. 5. qu. 21. punct. 4. Emanuel Sà ver. peccatum, n. 8. Caiet. in 2. 2. qu. 78. art. 4. notab. 3. Azorius to. 2. li. 12. c. 16. q. 8. Couar. in 4. decret. par. 1. c. 4. n. vlt. Gabriel in 4. dist. 15. q. 11. ar. 3. du. 14. & alij. Et ratio est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & sic non licet assumere prauum medium ad obtinendum bonum finem; nec licet furari, vt des eleemosynam, &c. Sed quando suades facere minus peccatum, inducis hominem quantum inde est, hic, & nunc in peccatum. Ergo, Ad id verò quod asseritur quod ex duobus malis minus est eligendum, respondent id locum non habere in peccatis, quæ voluntariè, ac liberè acceptantur, sed in his tātum malis, quorum vnum sustinendi necessitas incumbit. Hæc Doctores citati probabiliter.

Sed magis probabiliter contrarium sustinendum esse puto, & ita docent Syluius in 2. 2. D. Th. q. 43. art. 4. quæritur 2. concl. 3. Rebellius par. 1. lib. 1. q. 14. sect. 7. n. 54. Becanus in 2. 2. c. 27. q. 4. n. 2. Vasq. opusc. de scandalo, art. 1. dub. 1. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 11. n. 15. Molina to. 2. disp. 335. Medina in p. 2. q. 76. ar. 4. Sotus de iust. li. 6. q. 1. art. 4. Molfesius in summa, to. 1. tr. 8. c. 11. n. 67. Nauar. c. 14. n. 40. Syluester ver. vsura. 7. q. 1. Angelus ver. vsura 2. q. 2. alij, præsertim nouissimè Barbosa in collect. tom. 4. par. 1. Decreti c. duo mala, dist. 13. n. 11. Dicendū est igitur quod si quis omninò decreuit facere magnū peccatū, licet ei suadere minus, quia tale consilium nō fertur absolutè in malū, sed in bonum, scilicet euitationem maioris mali, & non simpliciter in electionem mali, quod minus est, sed in electionē eius potius, quamuis, cui consulit, eligat malū. Vnde consulens non dicit ei absolutè, fac hoc malum, neque fac istud, sed conditionaliter, si omninò decreuisti malum facere, potius elige minus: quasi diceret, sufficit tibi facere minus, & abstinere à maiori.

Ex his apparet, quod si viderē Petrum velle, & certò statuisse adulterium committere, & non possem aliter ab hoc proposito illum reuocare, nisi suadēdo fornicationem loco adulterij, tunc licitum esse suadere fornicationem; non quatenus ipsa peccatum est, sed quatenus impedit peccatum adulteri, quod aliàs sequutum fuisset.

Sed hæc omnia limitanda sunt, vt tali suasione nullum damnum, seu corporale, seu spirituale tertiæ personæ inferatur, vt v. g. volenti adulterium committere, suadere nō licet, vt cum tertia persona fornicetur, & volēti à Petro furari 100. aureos, suadere, vt furetur 50. à Paulo. Ita Layman in Theol. Moral. libr. 2. tra. 3. c. 13. nu. 7. Secus autem, vt aduertit Malderus in 2. 2. tr. 4. c. 2. dub. 3. si fur simul rem Petri, quæ valeat centum, & rem Pauli, quæ valeat solùm quinquaginta, certò si ablaturus alteram, sed dubitaret, vtram auferre velit, si tu impedire eum nequeas aliter, potes sine obligatione restitutionis suadere, vt potius rem Pauli auferat (si modò eam auferēdam cogitabat cū re Petri,) suadere inquā id potes, in genere inculcādi, auferendum potius illud, quòd minus est, & hoc esse minus, quia Paulo non facis iniuriam, docendo furem à maiori furto potius abstinere debere, aut hanc rem esse minoris pretij; neque enim fur tali indicio propriè disponitur ad iniuriam inferendam, sed malitia sua infert noxiam conclusionem, Paulum re sua esse priuandum. Hæc omnia Malderus ex Salonio.

An consentiente filio possit pater illum castrare, vt voce, & cantu Ecclesiæ deseruiat.

RESOL. XXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam docet Salonius in 2. 2. to. 1. qu. 65. ar. 1. contr. 2. vbi sic asserit. Hinc sequitur licere quidem parentibus filijs, quos voce plurimum Ecclesijs profuturos sperant, amputare virilia, & efficere Eunuchos, sed ita vt fiat sine periculo vitæ, & de eorum consensu. Quia licèt huiusmodi Eunuchi vtiles etiam sint bono communi Ecclesiarum, non tamen necessarij: tum etiam quia postquam sunt Eunuchi, non manet eis facultas ad quemcunque statum,

tum, cum ex iure Clerici esse non possint, nec ex constitutione Sixti V. coniugati, electio autem libera est quo sit neminem faciendum esse Eunuchum, nisi consentiat. Ita Salonius.

Sed illum impugnat nouissimè Tannerus in 2. 2. D. Tho. disput. 4. quæst. 8. dub. 5. num. 101. vbi ita ait. Non desunt quidam (in quibus Salon) qui licere putent parentibus filios suos voce, cantuque Ecclesiæ inseruituros, & in id liberè cōsentientes, intuitu boni publici castrare: Sed contrarium videtur verius, non ob varia animæ pericula, & incommoda, quæ hinc cōsequi solent, sed etiam quia bonum illud tanti momenti non est, vt ob id res tam per se à natura aliena suscipiatur, quando nec pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando id licitum esse constabit infra ex sacris Canonibus, quæ tamen causa alioqui multo maioris momenti videri possit. Hoc certum repugnantes liberos ad hoc cogi non posse: cum libera illis manere debeat, quoad vitæ statum electio. Ita Tannerus, qui sententiam Salonij videtur probabilem putare, cum contrariam, quam ipse tenet veriorem tantum appellet. Sed an ita sit, iudicent viri docti.

An donatarius peccet, & teneatur ad restitutionem quando scit donationem fieri cum damno creditorem, etiam si a b ipsis intra annum non reparetur?

RESOL. XXXIX.

Respondet affirmatiuè Layman in theolog. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 4. nu. 30. qui citat Paludanum, D. Antonium, Caietanum, Nauarrum, & Cordubam, quia ad talem donationem factam in fraudem creditorum, donatarius cooperatur consentiendo, & illum acceptando, vnde licet suadendo non impellat; & propterea non sit causa efficiens quo ad principium, seu propositum huiusmodi donationis, est tamen eius causa efficiens, quo ad exequutionem; hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam nō minus probabilem, & tutam in praxi esse existimo cum ipso Layman vbi supra, & ideò hanc sententiā absolutè docent Lessius lib. 2. capit. 20. dub. 19. num. 168. Nauarra lib. 3. cap. 4. num. 218. Molina to. 2. disp. 328. nu. 14. Et ratio est, quia alienario illa fuit in se valida, accipiēsque comparauit dominium rei ita acceptę. Cū ergo ius positiuum solùm intra annum à die scientiæ concedat rescissoriam actionem creditorib. aduersus accipientem, sequitur, vt si vel creditores rem nō petant, vel illam petant elapso iam anno accipiens reddere illam non tenetur. Ad rationem verò Layman respondet, quod donatarius in tali casu vtitur iure suo intra iustitię limites, accipiēdo atque suam efficiendo rem in se liberam, hoc est nulli alteri obligatam, vtendo peccato dantis in suum proprium commodum; non secus atque qui licitè accipit sub vsuris, vtitur peccato dantis in suum proprium commodum neque etiam accipiēs titulo lucratiuo in fraudem creditorum, contra charitatem aduersus illos peccaret; quia charitatis ordo nō postulat, vt donatarius postponat suum commodum, vt creditores ab æquali damno seruet indemnes. Dicendum igitur, quod opinio contraria tunc procedit, quando donatarius sciens, & prudens incitaret debitorem ad alienādum in fraudem creditorum, nam tūc causa esset peccati iniustitiæ illius in creditores, & ideò ad restitutionem teneretur, secus autem in casu nostro, ergo, &c.

An si quis à fure emente pecunias furtiuas bona fide accepit, easque cum proprijs commiscuit, teneatur ad restitutionem dictarum pecuniarum domino comparente?

RESOL. XL.

Affirmatiuè respondent Lessius lib. 2. c. 20. dub. 18. num. 50. ex authoritate leg. Marcellus, §. Pomponius. ff. de re vendicata, & §. si duorum instit. de rerum diuis. quibus locis habetur: si duorum dominorum materiæ confusæ fuerunt, ita vt discerni non possint: & ratio est, quia in tali casu non tenetur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, vel absumptionis, quia hoc actum fuit cum bona fide; neque ratione rei acceptæ, & possessæ cum alienam pecuniam non possideat, cum vel eam cōsumpserit, vel cum propria miscendo eius dominium acquisiuerit, neque etiā ex hoc locupletior factus est, nam pretio iusto rem suam vendiderat: ergo, &c. Et ita docent hanc sententiam Nauarra lib. 3. c. 4. num. 216. Sayrus in Claui Regia lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 13. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. c. 23. nu. 15. Medina de restitut. q. 10. post illos Vasq. opusc. de rest. cap. 9. § 2. dub. vlt. cum alijs.

An si quis rem alienam à fure bona fide emptam maiori deinde pretio vendidisset, teneatur restituere domino illud plus, in quo locupletior factus est.

RESOL. XLI.

Affirmatiuè respondent Nauarrus cap. 27. num. 8. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 23. nu. 28. & Lessius lib. 2. ca. 21. nu. 34. & alij ex authoritate leg. si. & rem, ff. de pet. hæred.

Sed mihi contraria sententia, quam docet Molina de iustit. tom. 3. tr. 2. dispu. 721. num. 10. probabilis etiam videtur quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ, illam ementis iusto alio maiori pretio; fructus autem industriæ ad possessorem bonæ fidei, & non ad dominum rei spectat; quod autem id non sit fructus rei, sed industriæ, patet. Quia si fur ipse emeret iterum eamdem rē ab vltimo possessore, eamque domino restitueret sine vlla proximi læsione, seruandoque omninò illum indemnem, neque res illa vllos fructus habuisset, sanè qui ita esset lucratus emendo illam à fure, aut alio intermedio venditore, & vendendo illam maiori pretio iusto alicui alteri, non teneretur illud restituere, eo quod esset fructus suæ industriæ, & non rei. Cæteras rationes inuenies apud Molinam in Theolog. mo. li. 5. sect. 5. tract. 4. ca. 17. §. 3. nu. 25. qui respondit ad authoritatem, l. si & rem, dicendo id esse speciale, in distractione hereditatis, seu iuris vniuersalis, vt pretiū succedat loco rei: secus autem se res habet in particularibus contractibus, vt docent DD. in leg. mater, Cod. de rei vend.

Nota quod idem Molina vbi supra, contra Sanchez docet furem vendētem rem furtiuam, & posteà iustè minori pretio redimentem, non teneri excessum illum pretij domino restituere, sed satisfacere reddendo ei rem suam non deterioratam, & fructus ex ea debitos.

An vendens bona fide rem alienam eodem pretio quo emerat, teneatur pretium vero domino restituere.

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent Vasquez in part. secunda, quæstio. 96. articulo quinto, disp. 172. capitulo primo, numero 4. Ledesma in summa tomo secundo artic. 8. capit. 14. post 4. conclusion. dub. 2. Sayrus in Claui Regia, libro decimo tractat. 2. capitulo secundo, numero 13. Bannez & Arragon. in 2. 2. quæstion. 62. artic. sexto dubio secundo, & alij. Ratio est, quia pretium succedit loco rei, leg. si rem, ff. de pet. hæred. Ergo tale pretium est alienum, sicut & ipsa res, vnde tenetur id restituere ratione rei acceptæ, vti rem alienam apud se haberet. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariā etiam probabilem esse existimo, quod fatetur ipse Ledesma, & illam docent Molina de iustitia, tom. 3. tract. 2. disp. 721. nu. 6. 7. & 8. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 5. num. 29. Vegha in summa, tom. 1. cap. 60. cas. 14. & 15. Philiarchus de officio Sacerd. tom. 2. par. 2. lib. 6. cap. 18. Rebellius par. 1. lib. 2. quæst. 3. num. 3. & part. 2. lib. 9. quæst. 18. sect. 1. num. 9. Sotus de iust. lib 4. quæst. 7. ar. 2. & alij. Et ratio est, quia sic vendens nil tenetur domino ratione iniustæ acceptionis, cum totum bona fide factum sit, nec ratione rei acceptæ, cum iam distraxerit: ergo &c. Dices tenetur restituere ratione pretij; quia, vt tradunt DD. contrarij, succedit loco rei. Respondeo, non esse vniuersaliter verum, succedere pretium loco rei, id enim in solis vniuersalibus iudicijs locum habet, cuiusmodi sunt hæreditas, fidei commissum, & dos, &c. Et ita docet Glossa in d. l. si & rem, & pretium, ver. quia potest, ff. de pet. hæred. & ibi Bartolus in fine, & omnes scribentes.

An bona fide consumens res consumptibiles vnico vsu, teneatur vero domino restituere, quatenus locupletior euasit fur non impotens ad restituendum.

RESOL. XLIII.

EXempli gratia, qui inuitatus edit bona fide cibos furtiuos, an teneatur restituere id in quo locupletior euasit, nimirum quę domi expensurus erat. Et affirmatiue respōdēt Doctores quos citat, & sequitur Sanchez in summa, tom. 1. libr. 2. cap. 23. num. 34.

Non reticeam tamen contrarium docere Bannez in 2. 2. qu. 62. art. 6 dub. 3. concl. 4. Ledesma, in summa, tom. 2. tract. 8. c. 14. post. 14. concl. dub. 3. dicto 4. vbi asserit, ita sentire communiter Thomistas, Salonium in 2. 2. tom. 1. q. 61. art. 6. concl. 4. Et ratio est, quia verus dominus non habet ius petendi à latrone ipsas numero res si consumptæ iam sint, sed similes, vel eiusdem pretij. Sed similes, vel eiusdem pretij manent apud latronem, quas restituat, cum non sit redditus impotens ad restituendum: ergo recipiens ab illo non tenetur restituere, quamuis locupletior factus sit, sed poterit dominum remittere ad latronem, vt ab ipso recuperet res sibi furto ablata. Prima opinio est probabilior.

An qui à minoribus per ludum, aut similem contractum aliquid acquisiuerunt, illud teneantur restituere.

RESOL. XLIV.

REsolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an pupillus, & minor 25. annis sine tutoris authoritate contrahens, si non ciuiliter, saltem obligetur naturaliter, & in foro conscientiæ. Hanc quæstionē ad partes discutit Sanchez de Matrimon. tom. 1. lib. 6. disp. 48. num. 20. & seq. & affirmatiuam sententiam cum paucis limitationibus docet, quam post illum sequuntur nouissimè Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4 cap. 9. nu. 7. Lessius lib. 1. cap. 17. dub. 8. nu. 6. Rebellius par. 2. libr. 1. de contr. q. 8. sect 2. & Tannerus in 2. 2. D. Thomæ dist. 4. qu. 6. dub. 11. num. 310. vbi sic asserit. Aliqui ex probabiliori docent, impuberes, & pupillos pubertati proximos (vti est in puero decennis cum anno dimidio, in puellis nouennium cū anno dimidio aut minores iam puberes, etiam si curatorem habeant, contrahendo aut paciscendo circa res suas (non tamen immobiles, aut quæ seruando seruari possunt) cōtractu oneroso, per ludum, scilicet, emptionem vēditionem, locationem etiam absque tutoris, aut curatoris authoritate obligatos manere naturaliter, ac proinde in foro conscientiæ contractui state debere, nisi forte cum ipso tutore (cæteris casibus exceptis apud Sanchez, vbi supra) contraxerint, quamuis postea beneficio restitutionis in integrū eiusmodi contractus, si velint per Iudices irritos reddere possint Ita Tannerus: & ratio est, quia obligatio naturalis oritur ex consensu leg. Stichum. §. naturali, ff. de solut. Sed pupillus, si pubertati proximus sit, & maior 25. annorum sufficiētem consensum habet: ergo hæc sententia est probabilis; licèt contraria sit etiam probabilis.

Vnde pro praxi confessariorum dico primo, quod si pupillus vel minor ludendo perdidit, aut alio contractu promisit soluere non tenetur, sed exceptione legis ciuilis defendere se potest, dū modo se soluturum non iurasset; quid enim opus est inani circulo, vt soluat quis, quod ipsi restituendum erit.

Dico secūdò, quod si pupillus, vel minor creditori soluit, tunc potest in foro conscientiæ rem illā retinere, donec ab eo repetatur per beneficium legis ciuilis talē repetitionem concedentis. Ita Tannerus vbi sup. n. 311, Layman nu. 10. & alij, contra Couaruu. in c. quamuis pactum par. 2. §. 4. num. 10. & aliquos Iurisconsultos.

Dico tertio, si pupilli minores, & eorum nomine tutor, & curator rem aliquā indebitè solutam repetere velint, sed propter contradictionem aliquorum, qui cum ipsis contraxerunt, vel Iudicis negligentiam, recuperare non possint, compensationem aliquam, seu palam, siue occultè facere nō prohibentur. Et hæc omnia tradit Layman ex Molina, & Sanchez, ex quibus habent Confessarij satis ampla principia ad tollēdos multos scrupulos, nam si minor non velit soluere, & si soluerit, creditor non velit restituere, potest confessarius securè, neque minorem ad solutionem, neque creditorem ad restitutionem obligare.

An Iudex peccet expediendo pecunia mediante vnius causam ante alios, si litigantes iure temporis æqualiter gaudeant.

RESOL. XLV.

AD hunc casum respondet Paulus Layman in Theol. Mor. lib. 3. sect. 5. tr. 4. c. 4. n. 9. vbi sic asserit. Cauendum ne talia cum alterius iniusto damno coniuncta sint, vt si minister publicus propter oblatum sibi munus vnius causam citius expediat post habitis alijs, qui diutius expectarunt, & ante alios expediri deberēt. Sed ponamus plures adesse, qui æquali iure gaudeant, vt in iudicis arbitrio positum sit, quem præponat; peccabitne Iudex, si vnius causam ante alios expediat, ex pacto oblati muneris; Res ista periculo non vacat, spectato tamen naturali iure non audeo hominem damnare, quia ea in re alijs injuriam non infert, in gratiam vero Titij remuneratoris suscipit nouam obligationem, ante alios expediendi causam ipsius, quæ obligatio pretio æstimabilis videtur. Ita Layman.

Notandum est tamen hic obiter cum Lessio lib. 2. c. 12. dub. 9. n. 64. Iudicem in rigore, & secluso scandalo, & periculo iniustitiæ posse accipere, nec teneri restituere id, quod accepit à litigantibus, si datum sit instar muneris liberalis, vt maiorem quā solet, quamque tenetur diligentiam in causa adhibeat, vel vt loquitur Molina de iust. to. 1. tr. 2. disp. 88. n. 6. antequā negotium expediat munus ad eum mittatur vt afficiatur ad diligentiam, atque in fauorem eius, qui munus mittit, negotium intra iustitiæ limites expediendum.

An hodie explicita fides Incarnationis Christi, & Sanctissimæ Trinitatis sit adultis necessarium medium ad salutem?

RESOL. XLVI.

HIc casus solet affligere confessarios circa homines rudes. Affirmatiuam sententiam docent communiter, vt Lorca in 2. 2. q. 2. art. 8. disp. 22. memb. 2. n. 4. Sanchez in sum. to. 1. lib. 2. c. 2. concl. 6. Valentia to. 3. q. 2. punct. 4. & 5. Molina in 1. p. qu. 1. ar. 1. disp. 2. Malderus in 2. D. Thomæ q. 2. art. 8. Acosta de procur. Indo. sal. lib. 5. c. 5. c. 3. & Becanus in 2. 2. c. 12. q. 3. concl. 3. Tannerus, & Layman vbi infra, & alij penes ipsos. Et ratio est, quia alioquin sequeretur, vt obseruat Syluius in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 2. art. 7. conclu. 6. posse nunc temporis, aliquem saluari in lege Mosaica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euāgelicam, & seruet legem Mosaicam, quæ implicitè continet fidem Christi.

Sed mihi cōtraria sententia probabilis etiā videtur cū Tannero in 2. 2. D. Thomæ, dispu. 1. quæst. 7. dub. 2. nu. 4. & Layman in Theol. Mor. lib. 2. tract. 1. cap. 8. n. 5. & absolutè illam docent Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, tract. 2. Villalobos in summa to. 2. tract. 1. diffic. 3. nu. 6. & 7. Medina in instruct lib. 1. cap. 14. §. 2. Sa verb. fides, n. 1. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 27. dub. 4. & 8. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia inter Christianos inueniuntur homines adeò rudes, vt mysteria Incarnationis, ac Sāctæ Trinitatis vero conceptu non apprehendāt, & consequenter non credant explicitè. Idem solet euenire cum mutis, & surdis à natiuitate. Ab ijs verò mysteria Trinitatis, & Incarnationis, vero conceptu apprehēdi, & credi, vix credibile est; nisi ad miracula cōfugiendum sit: vnde Azorius to. 1. li. 8. c. 6. q. 6. ait. Si quis ob ingenij hebetudinē Trinitatis articulum nequeat precipere, satis esse si credat explicitè alios clariores, nimirum Christum Filium Dei natū ex Virgine, passum, crucifixum, &c. Hosius in Cōfes. fidei c. 2. sic asserit, distinctionem personarū, & vnitatem substantię, si qui sunt rudiores quamuis comprehendere possint, non est adeò necessarium ad salutem omnibus explicitè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus de eius salute dubitandum sit. Ita ille.

Notandum est tamen cum Tānero vbi supra nu. 49. stando etiam in prima opinione, & tenēdo fidem explicitam nūc post promulgationem Euangelij esse necessariam necessitate medij quod si aliqui sunt adeò rudi intellectu, vt ea mysteria sub propria aliqua notione cōcipere nullo modo possint, tunc supradicti rudes, quo ad hanc rem cum infantibus, ac fatuis cōparandi

erunt

erunt. Neque enim credibile est, Deum à quoquã exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus ipse cõsequi possit. Ita ille, vnde apparet, quam bonus Deus i s qui recto sũt corde. Et ex his Confessarij à multis scrupulis immunes erunt, & multas conscientias afflictas sedabunt. Vide etiam Sanchez in summa, to.1.lib.2.c.3.n. 18. & 23. vbi docet, quomodo dicantur rudes explicitè credere, etiam si substãtiam articulorum percipere nequeant, & pro consolatione rudium Syluius in 2.2.qu.2. art. 8. conclus. 8. sic asserit. Si quis adeò sit hebes, vt huiusmodi misteria retinere nõ possit, excusabitur à præcepto, & si credat, quomodo potest, ea, quæ diximus necessaria necessitate medij, saluus esse poterit.

An si quis consilio suo confirmauit furem, vel hortatur suo causa fuit, vt citius furaretur teneatur, ad restitutionem?

RESOL. XLVII.

AFfirmatiuè respondent Nauarra lib. 3.c. 4. nu. 15.35.& 67. Molina to.2. disp. 736.n.5. Vasquez opus.de restit. c.9. §.1. dub.1.in fine, & dub.2.num.32. Malderus in 2.2.tract.4.capit.1. dub.2. Villalobos in summa, to.2.trac.11. diffic.8. Caietanus in 2.2.quæst.62.art.7. Medina Cod. de restit.qu. 7. & 8. Sotus lib.4. quæst.7.art.3.& alij.

Sed mihi contraria sententia probabilis videtur, sicut visa est Lessio li.2.capit.13 dub.2.num.8 & Layman in Theol.mor. lib. 3. sect. 5.tr.2.cap.5.num.5. Et ratio est, quia in tali casu non fuit causa substantiæ damni, sed modi, vel circumstantiæ, cum qua mandatur exequutioni, v.g. vt quod fiat hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento. Ergo nõ tenetur substantiam damni restituere. Dicẽdum est igitur, quod si aliquis iniustum damnum alteri inferre decreuerat, & tu magis consilio, vel hortatu etiam confirmasti, ad damni restitutionem non teneris, etiamsi hortatu tuo causa fueris, vt citius, aut expeditius damnum inferretur: at si hortatu tuo causa fuisti, vt maius damnum inferretur, quam alioquin illatum fuisset, teneris tantum de excessu, quidquid afferant Molina dicta dis. 736. num.2.& alij. Et à fortiori contra Vasquez opus. de rest.c.9. §. 1. dub. 2. si furi furandi gratia ascendenti scalam teneas, quam, & si nemo teneret, tamen ascenderet; & si asportando rem furtiuam, adiuues aliquem, quam sine tuo subsidio ferret tamen, & furaretur; non teneris ad restitutionem. Hęc omnia Layman, & alij, multum ad praxim conducentia, ex quibus multos scrupulos, & onera restitutionum prudens Confessarius tollet: vide etiam Henriquez lib.14.cap.7.nu.12.

An fideles ordinarij teneantur explicitè scire, & credere Mysterium Circumcisionis Christi, Aduentus Magorum, Missionis Spiritus sancti, Communionis Sanctorum, & omnia Ecclesiæ sacramenta?

RESOL. XLVIII.

PEr se loquendo Mysteria Circumcisionis, Aduentus Magorum, & Missionis Spiritus Sancti non esse explicitè credẽda docent Tannerus in 2.2.disput.1.q.7.dub.3.num.68. Suarez tract.de fide disp. 13. sect. 4.n.3.& alij quidquid in contrarium asserant Lorca in 2.2.q.2.art.8.disp.33.membr.1.n.10.& Syluius in 2.2.q.2.art.8.conc.8.cum alijs. Et ideò ignorantes supradicta Mysteria nõ peccare mortaliter docet Coninch.in 2.2. disp. 14. dub.10.num. 190.

Quoad Sanctorum communionem, quia huius rei cognitio nõ videtur ita necessaria scitu, & videtur habere maiorem subtilitatem, cum etiam docti disputent in quibus rebus hæc communio consistat, negatiuè respondet Villalobos in summa, to.2. tract. 1. diffic.4.nu.3.& Coninch.in 2.2.disput.14.dub. 10.n.189. licet affirmatiuam sententiam doceat Turrian.in 2.2.tom 1.disput.28.dub. 1.& Tannerus etiam in 2.2. disp.1. quæst.7.dub.3. num. 70.

Quoad Sacramenta respondeo, omnes explicitè scire debere substantiam, & rationem sacramentorum nõ omnium, sed Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; in cæteris verò idem opus erit, si quando ea suscipere quis voluerit. Ita Villalobos in 2.2. tr.1. diffic.4.n. 4. Tannerus in 2.2. disp 1. quæst.7. dub. 3. n.72. Suarez de fide disput.13. sect.4.nu.12. Sanchez in Summa, tom. 1.lib.2.cap.3.nu.9. Malderus in 2.2. quæst.2.art. 7. dub.2 nu.51. & alij contra Lorcam in 2.2.quæst.2. art. 8. disput.23. membr.1. num. 19.

Notandum est etiam cum Suarez tract.de fide disp. 13. sect. 4.num.9. esse probabilem opinionem multorum, asserentiũ nõ obligari fideles explicitè scire, & credere matrẽ Dei Virginem post partum, ac perpetuo mansisse, licet cõtrarium probabilius sit; aduertit etiam Suarez n.6. contra Bannez, quod non teneantur fideles explicitè credere creationem mundi fuisse in tempore & non ab æterno.

Et tandem nota contra Syluium in 2.2.quæst.2.art.8.concl.8. Io.de la Cruz in direct.par.1.art.1.dub.1.concl.2. Palacium in 4.dist.15.disput.9 Nider in summa, præcep.1.cap.3.& alios, non peccare mortaliter, sed tãtum venialiter, adultos Symboli Apostolici formam, sub verbis præceptis memoria non tenẽtes. Idẽ dicendum est de Decalogo, de oratione Dominica; dummodo eorum substantiam sciant, & intelligant, & à fortiori de Aue Maria. Ita Layman in Theol.mor.lib.2.tract.1.ca.9.num.4. Suarez sect.5.num.8. Tannerus n.67. Coninch, num. 194.& alij Doctores vbi supra. Et sic etiam non esse peccatũ mortale, sed veniale nescire se signare signo Crucis, docet Sanchez in summa tom.1.lib.2.c.3.nume.14. licet contrarium doceat Angelus, Tabiena, Syluester, Armilla, quos citat, & sequi videtur Villalobos in summa, tom.2.tract.1.difficul.4. num. 10. sed non obstante, quod supradicta sint probabilia, suadendi tamẽ sunt fideles, vt illa omnia explicitè sciant, & memoria retineant.

Olim per Epistolam quæ sierunt à me, an in terris Turcarum si quis vtatur pileo Turcico cum tobalia alba, vt securus pertranseat peccet mortaliter.

RESOL. XLIX.

AFfirmatiuam sententiam docent Caietanus in 2.2. q. 3. ar. 2. D. Antoninus par. 2. tit. 11.c. 6. sub fine. Syluester ver. Apostasia, q.1.n.4. Angel. ver. infidelitas, n.9. Nauarrus in man.c. 11.n.27. Philiarchus de off. Sacer.to.1.par.2.lib.3.cap.9. Toletus lib.4.c.2. Valentia to.3.disput.3. punct. 2. & nouissimè Becanus in 2.2.c.9.q.5.dub.6.n.35. quia nunquam licitum est falsam Sectam simulare: sed in tali casu Christianus simulat se Turcam esse. Ergo peccat mortaliter. Sed contraria sententia mihi videtur probabilior cum Sà ver. fides n.5. Dico igitur id esse licitum ob periculum mortis aut iustam ab hoste victoriã reportandam vel ob aliam causam satis grauem, & necessariam. Et ratio est, quia huiusmodi vestes per se, & directè nõ sunt signa protestatiua falsæ Religionis, sed sunt res secundùm se indifferẽtes. Ergo, &c. Et ex his infertur, posse aliquem Romæ gestare pileum cum signo flauo more Iudæorum, vt dum ad necem quæritur incognitus effugiat.

Et nouissimè hanc sententiã prꝛter Doctores citatos docent Tannerus in 2.2.disp.1.q.7.dub.5.num 110. Bannez in 2.2.qu.3. art.2.dub.2. Sanchez, & Coninch vbi infra, Laym. in theol.mor. lib.2.tr.1.c.11.n.3. Villalobos in summa, tom.2.tract.1.diffic.5.n. 10. Suarez de fide disp.14.sect.5.n.7.& alij.

Ad argumentum cõtrarium respondetur, supradictas vestes non continere mendacium, nec falsam significationem, ac proinde, nec fidei negationem, sed occultationem tantùm cum materiali simulatione. Et confirmatur, quia etiam in verbis, si habeant plura significata, licitum est vti verbo ambiguo in significatione, quæ ad occultandum secretum deseruit, etiam si ab audiẽte in alio sensu sint verba accipienda. Ergo in nostro casu licitus est vsus talium vestium in necessitate, sunt enim quasi ambigua, & æquiuoca signa, quæ possunt, vel ob solùm vsum primarium, vel propter significationem sumi. Est igitur in potestate vtẽtis, vnum ab alio separare, etsi aliquis fortasse decipiẽdus sit.

Sed plus addunt Sanchez in summa, tom.1.lib. 2.cap.4. n.10. & alij, ob grauem necessitatem, licere etiam in terris infidelium vti per materialem simulationem ad se occultandum vestibus per se primo deputatis ad superstitiosum cultum alicuius falsæ sectæ, quæ non habent communem, & corporalem vsum, sed sacrum, vel quasi sacrum in tali Secta. Et ratio est, quia

quia supradictæ vestes etiam in tali casu semper retinent aptitudinem, quam de se habent ad communem vsum tegendi, ac defendendi corpus. Ergo licitum est homini vti quacunque veste propter hunc vsum quasi intrinsecum, & naturalē, contēpta quacunque alia hominū institutione, & permittendo aliorum deceptionem; etiā si inde sequatur scandalum: Hæc opinio est probabilis, sed longè probabilior est contraria, quam tuentur Suarez tract. de fide disp. 14. sect. 5. num. 12. & alij.

Notandum est etiam hic obiter, primò aliquos etiā asserere licere falsam religionem, vtendo aliquibus ipsius cæremonijs; quibus illa in cultu sibi proprio vtitur, non quatenus sunt cæremoniæ illius religionis, sed ob alium finem, & iustam causam. Ita Medina in par. 2. q. 103. art. 4. & hanc sententiam nouissimè docet etiam Lorca in 2. 2. q. 6. disp. 24. nu. 7. vbi num. 9. addit hoc verum esse, etiam si hæc ita fierent, vt videntes credant nō illas cæremonias formaliter vsurpari, quatenus sunt cæremoniæ illius religionis, quia hæc est simulatio, aut potius dissimulatio; addit tamen idem Lorca huic sententiæ triplicem limitationē. Primò, vt actiones tales sint, vt ratio cultus ab ijs separari possit ideoque damnat adorationem externam Idolo factam cum ijs circumstantijs, quibus nata est significare eiusdem internam adorationem. Secundò, vt absit scandalum. Tertiò, vt illo vsu non obscuretur confessio fidei, quando hæc obligat, nec ex circumstantijs censeri posset fidem negari. Hæc omnia Lorca, sed an probabiliter, iudicent viri docti, nam illum impugnat nouissimè Coninch. tract. de fide disp. 15. dub. 3. num. 18.

Notandum est secundò contra Azorium to. 1. lib. 8. 27. qu. 6. & alios, licere vexilla signis consuetis Turcarū insignita in classe, vel exercitu erigere, etiāsi esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, Lunæ, Solis, & etiam Mahometis. Et ita docent Tannerus in 2. 2. disp. 1. qu. 7. dub. 5. nu. 117. Layman in theol. mor. lib. 2. tract. 5. cap. 11. num. 4. & alij.

Notandum est tertiò contra Caietanum in 2. 2. q. 3. art. 2. non semper præceptum de confitenda fide obligare ad respondendum infideli interroganti, an aliquis sit Christianus; sed regulariter tantùm id verum est, quandiu alioqui dissimulatio fidei cederet in fidei iniuriam, aut nocumentum proximorum. Et ita docet Bannez. etiam in 2. 2. q 3. art. 2. quem nouissimè sequitur Tannerus ibidem disp. 1. q. 7. dub. 5. num. 120. Coninch. tract. de fide, disp. 15. dub. 5. num. 109. Lorca in 2. 2. disp. 24. num. 21. & 22. & cum alijs.

Aduerte tamen cum Filliucio to. 2. tra. 21. c. 3. nu. 65. posse in tali casu aliquem eludere aliqua ratione interrogantem, nō autem negare se esse Christianum.

Explicantur aliqui casus, an quis teneat ur propter extremam necessitatem spirituale m proximi exponere propriam vitam?

RESOL. L.

PRimò quæritur, an Sacerdos teneatur audire, & absoluere cum discrimine vitæ propriæ illum, qui in articulo mortis timet non habere sufficientem contritionem, & ideò petit, cōfessarium ad obtinendum sacramentalem absolutionem. Affirmatiuè respondent Valentia to. 3. disp. 3. quæst. 4. punct. 4. post. 5. asserit: Lorca in 2. 2. sect. 3. disp. 28. n. 32. Suarez tra. de fide disp. 9. sect. 7. nu. 3. Syluius in 2. 2. q. 26. art. 5. cum alijs, quia etsi talis per contritionem saluari possit, hæc tamen ei est difficilis, & ipse meritò timet, an sit contritus.

Sed hoc alij (ait Coninch. tractat. de fide disput. 25. dub. 7. numero 89.) videtur difficile; vnde meritò (ait ille) Nauarrus capit. 24. numero 9. hunc casum limitat ad existentem in peccato mortali, qui omninò ignorat sibi necessaria esse cōtritionem extra susceptionem sacramenti, aut omninò ignorat quid sit contritio, & quomodo eam possit in se excitare, atque ita non cogit se ad eam habendam. Non est igitur absolutè dicendum moriturum existentem in peccato mortali, qui creditur nō esse contritus, esse in extrema necessitate: secùs autem in casu Nauarri, vt supra.

Sed ponam hic pulchrum dubium. Obstetrix quædam fatetur plures infantes inualidè baptizasse, quibus postea à Parocho sine alio baptismate cæremoniæ tantùm adhibitæ fuerunt: personæ autem istæ non verè baptizatæ, etiam si adhuc viuant, sunt tamen per varias ciuitates, vel regiones dispersæ, vt cōsideratis omnibus nullus modus excogitari possit, quo illis defectus baptismatis significetur, nisi mulier se prodat Magistratui, & vltimum supplicium subeat: difficultas est, an hoc efficere teneatur, & quid confessarius facere debeat. Ad hanc quæstionem ita responder Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 3. capit. 3. numero 3. licèt casum istum speculatiuè considerando, probabilissimum videatur, quod hæc mulier teneatur se ipsam magistratui prodere; quia salus corporis ex lege charitatis postponēda est saluti animæ. præsertim non vnius, sed plurium personarum. Imò hæc obligatio ex iustitia esse videtur, quandoquidem ipsamet mulier homines illos innocentes in salutis soę discrimen per summam iniuriam coniecit. Tamen hic ipse discursus fortasse non tam certus est, vt à nemine in dubium reuocari possit; cum homines illi per contritionem saluari possint. Sed quidquid sit de hac responsione, saltem mulier cui ponimus obligationem hanc seipsam prodendi, & ad mortem offerendi, nō agnoscit: edocere autem illam probabiliter ignorante in re non omninò euidenti, consultum non est, si confessarius arbitretur se non persuasurum, sed magis obfuturum, vt dicam lib. 5. tract. 6. capit. 13. num. 5. Imò si confessarius id mulieri explicauerit, & ab isto tam heroico facto plene abhorrentem conspiciat, non illam vrgendam multum arbitror, dicendo v. g. aliter saluam fieri non posse ne omninò in desperationem agatur; sed contentus esse debet, si mulier in posterum à peccatis, & sacrilegijs eiusmodi abstinere firmiter proponat. Ita Layman vbi supra.

Reprobantur etiam aliqui casus, in quibus homo non tenetur exponere propriam vitam pro salute spirituali proximi.

RESOL. LI.

GRegorius de Valentia eximius Theologus Societatis Iesu tom. 2. disput. 3. quæst. 4. punct. 6. post 5. assert. ponit aliquos casus, in quibus putat quemlibet teneri exponere vitam propriā pro salute spirituali alterius. Primus casus est, si aliqui v. g. seducantur ab hæretico cōcionatore, ita vt illi vincibiliter ignorent veritatem, atque adeò sint in peccato mortali, nec facilè pateat alijs aditus ad eos rectè informandos. Tunc si ij indocti alioqui sint, qui non videantur per se posse dijudicare veritatem, omninò censeri debent esse constituti in extrema necessitate spirituali. Quare si quis efficaciter possit subuenire illis, etiam cum discrimine propriæ vitæ, id tenebitur facere ex charitate. Secundus casus est, si quis exerceat aliquem iniustum contractum, quem vincibiliter ignoret esse iniustum, nec sit ita intelligens, vt videatur per se cognoturus iniquitatē contractus, nec adsit alius, qui eum doceat: vt si omnes in aliquo loco probent talem contractum, &c. Tunc censeri potest talis esse in extrema necessitate spirituali, quando quidem est in peccato mortali propter vincibilem ignorantiam, vt suppono, nec potest ipse moraliter loquendo sibi consulere. Tertius casus est, si quispiam velit filiam prostituere, & tales sint circunstantiæ, vt moraliter loquendo videatur filia peritura spiritualiter, si prostituatur; tunc enim laborare extrema necessitate in spiritualibus censeri potest eiusmodi filia; itaq; tenetur ei subuenire, qui potest etiam cum detrimento vitæ propriæ Hæc omnia Valentia vbi supra.

Sed omninò in his casibus cōtrariam sententiam tenendam esse existimo cum Lorca in 2. 2. sect. 3. disp. 28. membr. 2. nu. 34. & Coninch. tr. de fide disp. 25. dub. 7. n. 91. vsque ad n. 95. & quo ad primum, & secundum casum, dico quod illæ personæ, vel laborant ignorantia vincibili, & sic non sunt in extrema necessitate, quia possunt se iuuare, vel laborant ignorantia inuincibili, & tunc in errore existentes non peccant. Ex alio autem capite quis in primo casu ad hoc teneretur, quod exponit Coninch. vbi supra num. 91. & 92.

Quoad tertium casum, illa filia etsi initio secundùm quid in vita peccet, tamen absolutè voluntariè id facit, vnde in hoc casu extrema necessitas non interuenit: non enim est talis fœmina in periculo ineuitabili prostitutionis, cum voluntarie resistere possit, sicut ait Lorca vbi supra, si adultera me admonente desistere ab adulterio, non teneor admonere, si ab adultero occidendus sim, nam in tali casu adultera non indiget extremè.

Notan-

Notandum est tamen hic obiter, quod aliqui quærunt, an infans non baptizatus iam sit moriturus, teneatur quicunque potest, mortem subire si ab aliquo impediatur vt illũ baptizet. Negatiuè respondet Sotus de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 2. post 6. conclus. quia necessitas illa paruuli ab intrinseco inducta est. Et hanc sententiam probabilem putat Emanuel Sà correctus à Magistro Sacri Palatij ver. charitas, numero 4. vbi sic asserit. Infantem alioqui sine baptismo moriturum teneris cum tuæ vitę periculo baptizare, secundùm quosdam, quod alij probabiliter negant, nec enim cum tanto damno debetur ei tale officium, alioquin & mater grauida teneretur permittere se secari, vt fetus baptizaretur, aliàs sine baptismo moriturus esset quod nemo. docet Ita Sà.

Sed contrariam opinionem docent Syluius in 2. 2. quæst. 26. artic. 5. Suarez de fide disput. 9. sect. 2. num. 3. Lorca in. 2. 2. disp. 28. memb. 2. num. 32. qui citat Azorium, Syluestrum, & Maiorem idem etiam docent Tannerus in 2. 2. dispu. 2. quæst. 3. dub. 4. num. 61. Coninch. tract. de fide disput. 25. dub. 7. nu. 88. & alij, non enim refert, vt asserebat Sotus, quod necessitas inducatur ab extrinseco, si verè extrema sit, vt est in nostro casu; immò quantò plus est ab extrinseco, & violenter proueniēs ab aliena malitia, tantò est maior necessitas.

An si reus iuridice interrogatus neget delictum, ex cuius commissione pœnam pecuniariam teneretur soluere, sit restitutioni obnoxius.

RESOL. LII.

Affirmatiuè respondent Molina de inst. to. 1. tract. 2. disp. 95. prope finem Sotus de iust. lib. 1. q. 6. ar. 6. Castrus de lege pęnali lib. 2. c. 12. §. ex his, & alijs; nam, etsi Iudex ante latam sententiam ius non habet exigendi pœnam pecuniarum à reo, habet tamen ius ad inquirendum de delicto ad dictam pęnam inferendam. Ergo si reus neget, iniustè impedit Iudicem à dicta pœna consequenda, ac proinde restituere tenetur. Et hanc sententiam docent etiam nouissimè Layman in Theol. moral. li. 3. sect. 5. tr. 2. c. 7. n. 4. & alij in casu, quo pœna illa sit ipso facto imposita à lege propter criminis admissionem, secùs autem si pœna sit Iudicis arbitratu crimini imponenda.

Sed absolutè, & sine vlla distinctione mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tenent Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. nu. 76. Nauar. c. 18. n. 49. Azorius to. 1. li. 5. c. 8. q. 5. Vasq. in p. 2. dis. 175. c. 12. Lessius li. 2. c. 31. dub. 8. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 22. nu. 22. & alij. Et ratio est, quia reus in tali casu lædit iustitiam publicam, & vindicatiuam, nō autem iustitiam commutatiuam, ex qua oritur obligatio restitutionis. Ergo nō tenetur restituere. Hinc infertur contra Layman vbi supra vxorem adulterij accusatam, & falsis testibus se tuentem, aut opponendo, licèt falso, simile adulterium viro, minimè teneri dotem, ac alia bona suo viro restituere, quæ ille alioquin propter mulieris adulterium lucrari deberet, sed tenetur tantùm restituere litis expensas, & famam iniustè ablatam, & ita tenet Sāchez de matrim. to. 3. lib. 10. disp. 8. nu. 14.

Notandum est etiā hic obiter contra Syluestrum, Salonium, Carbonem, Vasquez, Layman in Theol. mor. li. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 7. & alios, Iudicem iniustè reum non damnantem, non teneri ad restitutionem pęnæ pecuniariæ fisco, vel parti lęsæ soluendæ. Ita probabiliter Tannerus in 2. 2. disput. 4. quæst. 6. dub. 2. nu. 81. & alij cum Azorio tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæst. 5. ad 4. & Lessio lib. 2. cap. 13. dub. 10. nu. 73. vbi sic asserit. Neque procurator fiscalis non accusans, neque Iudex non condemnans, tenetur ad pœnæ compensationem.

An qui precibus, vel suasione abducit collatorem Ecclesiastici beneficij iam determinatum ad conferendum Titio, vt sibi, vel alteri minus digno conferatur, teneatur ad restitutionem.

RESOL. LIII.

Affirmatiuè respondent Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Syluester ver. restit. q. 12. Caietanus in 2. 2. quæstio. 62. art. 2. & Bannez dub. 12. conclus. 7. Nauarra de restit. li. 3. cap. 5. num. 10. Garsias de Benef. to. 2. p. 7. capit. 16. num. 30. Ioan. de la Cruz in direct. parte 1. pręcep. 2. artic. 2. dub. 8. conclu. 3. & communiter Thomistæ cum Villalobos in summa, tomo 2. tract. 11. difficult. 44. numero 9. vbi sic asserit. [El que haze que el beneficio, o cathedra se de al digno dexando al mas digno, aunque lo haga con solos ruegos sin fuerza, esta obligado à restituir al mas digno. El fundamiento es, porque fuera de quebrar la iusticia distributiua hizo daño al mas digno contra iusticia commutatiua, en cosa que estaua ya à cerca de manera que si el distribuydor estaua determinado firmamente de dar el beneficio, ò cathedra al mas digno, que si no fuera por la persuasion à restituyrle todo, ò casi todo, y sino estaua tan cerca como esso estara obligado à restituyr cōforme à la propinquidad el otro tenia.] Ita Villalobos, qui etiam citat Arragon, & Couarruuiam.

Sed ego cōtrariam sententiam probabilem etiam esse puto; etiamsi hoc, quis malo animo, vel ex odio faciat. Et ita docent Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 18 num. 128. Valentia tom 3. disput. 5. quæst. 7 punct. 2. Nauarrus c. 17. num. 72. Sà, ver. restitutio num. 22. Sotus de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. Turrianus, & Layman vbi infra. Syluius in 2. 2. q. 62. art. 4. concl. 2. cum alijs. Et ratio est, quia Titius, verbi gratia, non habet ius, nisi in libera voluntate collatoris; ergo si relinquas collatorem in sua libertate, non censeris hoc ius violare. Igitur cum verbi gratia preces, munera, blanditiæ, &c. non repugnent libertati (non enim collator inuoluntariè censetur facere, quod ita inductus facit) nullo modo Titio iniuriam infers. Ergo, &c. Malus verò animus non obligat ad restitutionem, quia non est peccatum contra iustitiam, sed cōtra charitatem.

Ex his infertur etiam contra Scotum in 4. distin. 15. quæst. 2. ad vlt. argum. Richardum art. 5. quęst. 4. ad 7. Paludanum quęst. 2. artic. 2. Syluestrum ver. restitutio 3. quæst. 12. & alios, si alicui res ex iustitia debita non erat, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, aut fraude collatorem suasione, aut pręcibus mouet, vt officium, legatum, hæreditatem, &c. non conferat ei, cui animo destinaret, sed sibi, vel alteri, is cōtra iustitiam non peccat, & ideò ad nullam restitutionem tenetur, etiam si totum hoc ex odio efficiat, ex ratione supra allata. Ita Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 4. tract. 2. cap. 7. nu. 1. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 16. dub. 1. num. 5. & 7. & DD. citati; hinc ego his diebus liberaui ab onere restitutionis quendam, qui suaserat domino, vt qui liberum seruum in testamento relinquebat, illum liberum non relinqueret: nam in voluntate domini erat, dimittere, aut non dimittere mancipium, ex qua doctrina multa dubia solui possunt.

An Custodes portarum, syluarum, &c. teneantur restituere pœnam pecuniariam impositam contra eos, qui certas merces exportant, vel ligna, &c. si eos non manifestant, sed dissimulent.

RESOL. LIV.

Affirmatiuam sententiam docent Ioann. Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. restitutio, differ. 39. Rebellius libro 2. quæstio. 16. num. 3. Graffius parte 1. libro. 2. cap. 127. nu. 41. Nauarra de restitut. lib. 3. cap. 4. num. 142. Salonius tomo 1. quæstio. 62. artic. 6. contr. 5. Molina de restit. quæst. 12. & 15. Villalobos in summa, tomo 2. tract. 11. diffic. 9. nu. 3. vbi sic asserit. [Todas estas guardas, y ministros publicos, que han cogido al que haze el daño, ò passa las mercadurias vedadas, y lo dissimulan, estan obligados à pagar la pena à la persona, que lo auia de hauer, no en quāto es pena, si no por ser danno, que se haze cōtra iustitia cōtra el arrendador, ò la persona, que lo auia de hauer.] Sic ille.

Sed contrariam sententiam ipsemet Villalobos putat probabilem esse, & illam tenent absolutè Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. n. 73. Nauarrus cap. 25. nu. 34. Syluester, ver. restitutio. 3. q. 5. §. 7. Tannerus in 2. 2. disput. 4. q. 9. dub. 2. num. 83. & alij. Et ratio est, quia pęna non debetur ante sententiam; vel melius, quia custodes huiusmodi non tenentur ex iustitia accusarę, vt dominus, vel respublica ditetur multis, sed solùm vt damna impediātur, & vectigalia soluantur, ergo, &c. Et eadem ratione putat Tannerus publicos æstimatores rerum venalium, non teneri pecuniariam illam mulctam soluere, quam soluissent denūtiati rei, etiam si eos deferre negligant.

Notandum est etiam hic obiter, quod Lessius vbi supra; nu. 68. Nauarra libr. 5. cap. 4. numero 132. & alij notant, quod si fur

tibi

tibi aliquid det, ne impedias ipsius furtum, clamãdo, vel manifestando, teneberis ad restitutionem. Sed cõtrarium docet Sotus, lib. 4. q. 6. art. 3. & Nauarrus cap. 17. num. 21. & alij, dum hoc facere non teneris ex officio. Hinc notat Laymã in Theol. mor. lib. 4. sect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 7. Nauarrus, cap. 24. num. 7. Lessius vbi supra, nu. 74. & alij, quod si aliquis ex domesticis furaretur res ex domo, non tenentur ad restitutionem alij famuli, qui hoc vident, sed ille tantùm cui cura domus est, Sotus lib. 4. q. 7. art. 3. Nauarra lib. 3. ca. 1. num. 224. & alij, nisi fures extranei domum ingrediantur ad furandum; nam tunc ex iustitia ratione famulatus cẽsentur obligari ad res domini ab iniuria externorum tuendas, & ex eodem principio docent Molina, & Syluester, quos citat, & sequitur Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 8. n. 59. quibus ego addo Tannerum in 2. 2. D. Thomæ disput. 4. q. 6. dub. 2. num. 79. testem quamuis citatum precisè ob denegatam testificationem, non teneri de tali damno partis, quia non ita certo constat talem ex officio, siue ex iustitia erga alteram partem actricem teneri ad bonũ eius procurandum, vel eiusmodi damnum eius impediendum.

An acceptum pro eo quod ex charitate solùm, aut alterius virtutis obligatione erat debitum, quis teneatur restituere.

RESOL. LV.

Affirmatiuè respondet Medina de rest. quæst. 27. Nauarrus c. 17. nu. 33. Salonius in 2. 2. quæst. 62. art. 5. contr. 3. Couarruuias in reg. peccatum, par. 2. §. 2. Carbo de rest. q. 50. & alij, vnde ex mente dictorum si alicui detur aliquid ne fornicetur, ne blasphemet, &c. esset restituendum.

Sed contrariam sententiam puto probabiliorem, quam tuẽtur Sotus de iust. lib. 4. quæst. 7. art. 2. Valentia in 2. 2. q. 6. punct. 5 & Lessius lib. 2. c. 15. dub. 9. nu. 71. qui nu. 69. excipit ea, quæ nullam habent difficultatem, vt odium deponere.

Sed nec istud, vt benè obseruat Tannerus in 2. 2. disp. 4. quęst. 6. dub. 10. num. 291. caret difficultate, & voluntatis mortificatione. Ergo ita faciens, & aliquid accipiens nõ teneretur ad restitutionem. Notandum est tamen, stante iure naturali, quod si forte circa litem aliquam ea est varietas sententiarum, vt iudici liberum sit, vtramlibet partem in iudicando sequi, esse contra iustitiã si Iudex aliquid ab vna parte accipiat, vt in eius potius fauorem iudicet, vnde in tali casu Iudex tenetur ad restitutionem. Ita Tannerus vbi supra 290.

Licèt contrariam sententiam, stando in solo iure naturæ, docet Lessius in editione Parisiensi apud Rolinum Theodoricum anno 16.8. & loco citato, nume. 64. quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberũ ei est, sequi quam maluerit, ergo si aliquid accipiat, vt hanc sequatur potius, quam illam, nõ facit vlli iniuriam Consequentia patet, quia cum res non est debita, non est contra iustitiam (si solùm ius naturæ spectemus) exigere pro ea re pretium, si alioquin pretio sit æstimabilis. Deinde in tali casu non accipitur pretium pro iustitia sententiæ, sed quia in hac causa hæc opinio præfertur isti, ad quod nullo modo Iudex tenebatur. Cæteras rationes vide apud Lessium, quæ omnia procedũt secluso iure positiuo, quod tamen id fieri prohibet, vt ipsemet Lessius, loco vltimo citato, docet.

An Aduocatus possit esse Iudex in causa, cuius patronus fuit, & an hæres non conficiens inuentarium teneatur soluere vltra vires hæreditatis.

RESOL. LVI.

Negatiuè videtur respondendum propter affectionem, & præsumptionem, quæ est contra eum, iuxta leg. Prætor, ff. de iurisd. omniu. iud.

Sed quia dicta lex fundatur in præsumptione, puto procedere in foro exteriori, & in foro conscientiæ, si aliis cessat omnis inordinatus affectus, dictum iudicem non peccare existimo, etiam altera parte inscia, dummodo sententiam proferat secũdùm leges, nullo habito respectu ad affectionem carnalem. Et ita docet Corduba in summa, quæst. 159.

Et eadem ratione assero, quod hæres non conficiens inuentarium tenetur in foro exteriori vltra vires hæreditatis, iuxta cap. Rainaldus, de testam. & leg. fin. Cod. de libert. Secùs autem in foro conscientiæ, nam non tenetur, nisi quatenus vires hæreditatis se extendunt: etenim, vt benè docet Abbas in cap. quia plerique, numero 41. de Immunitate Ecclesiastica, prædictæ leges fundantur in præsumptione, quod scilicet hæres fraudauit bona, de quibus non confecit inuentarium. Ergo si contrarium constaret, non habent locum prædictæ leges. Quæ omnia vera esse puto contra Couarruuiam, & alios non solùm quoad solutionem legatorum, sed etiam quoad creditores hæreditarios. Nec valet, quod cum supradictis creditoribus hæres non conficiens inuentarium si addit hereditatem, quasi cõtrahit iuxta legem apud Iulianum, §. si. ad Trebell nam respondetur, quod dicta lex intelligenda est quoad forum exterius, non autem in foro conscientiæ in quo nos loquimur. Et ita nostram sententiam docent Ioan. Valerus in differẽtijs vtriusque fori, ver. hæreditas, differ. 2. numero 3. & Aegidius in lege 1. Codice de Sacrosancta Ecclesia, parte quinta, §. primo, numero 6. Vide etiam Villalobos in summa tomo 2. tract. 30. diffic. 24. nu. 1. & 2. & alios.

An legatum sub conditione, v. g. si non nupserit, vel si religionem non ingrediatur, sit validum in foro conscientia.

RESOL. LVII.

Dixi in foro conscientiæ, nam in foro exteriori dictas conditiones haberi pro non appositis, habetur in lege reprehendenda, Cod. de instit. & substit. & in leg. quidam, ff. de cond. instit. & in leg. turpia de leg. 1. cum alijs, citatis in Glossa penul. in cap. finali post textum ibi, de condit. appos. vnde in foro exteriori dicta legata erunt valida, etiam si legatarius conditiones non adimpleat. Hoc supposito.

Aliqui asserunt in foro conscientiæ dicta legata non valere, quando constat voluntatem testatoris fuisse, vt conditio adimpleatur, & non aliter noluisse supradicta legata facere, vnde in conscientia non potest capere legatum legatarius, si nõ nubat, vel ingrediatur religionem contra voluntatem testatoris, vel donantis. Et ita docent Rebellius de obligat. iust. part. 2. lib. 18. quæst. 16. num. 3. & 4. Medina Cod. de rest. quęst. 23. Guttierez can. qq. lib. 2. cap. 25. num. 13. Caietanus, Nauarrus, & Angles, quos citat, & sequitur Lopez in instr. conf. par. 2. c. 18. post principium in 1. & 2. concl.

Sed contrariam sentẽtiam putat veriorem Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. legatum, differ. 4. numero 1. videlicet tam in foro interiori, quam etiam exteriori posse à legatario puta conscientia capi prædictum legatum, etiam si deficiant dictæ conditiones. Et ratio est, quia cum talis conditio à iure merito reprobetur, & pro non scripta habeatur, non video cur in conscientia securus esse non possit, licet de contraria voluntate testatoris appareat, quia regulãda est eius voluntas secundum ius, nec potest facere, vt leges iustæ in suo testamento non valeant. Et voluntas testatoris non semper pro lege seruanda est, nisi quando est secundum, vel præter legem, non tamen quando talis voluntas à lege reprobatur, vt est in casu nostro. Cæteras rationes videbis apud Valerum vbi supra. Et hanc sententiam probabilem putat etiam Rebellius loco citato, & illam ante Valerum absolutè docuit Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 33. n. 2. cum alijs penes ipsum. Et licet aliqui limitent hanc sententiam in conditione apposita, nempe in religionem non ingrediatur, quando constat appositam fuisse, principaliter causa conseruandi familiam, sed tu in hoc casu etiam contrarium tene cum Valero vbi supra in fine, & in ver. Hæreditas, differ. 12. nu. 3. & ver. testamentum, differentia 10. per totam.

An legata incerta ratione incertitudinis personæ in foro conscientiæ teneatur hæres inter illos ea diuidere, si in id consentiant.

RESOL. LVIII.

DIxi in foro conscientiæ, nam legata incerta ratione incertitudinis personæ ex aliquo extrinseco accident, quia v.g. eiusdem nominis, & patris, amicitiæ erga testatorem duo reperiuntur, non debentur in foro exteriori, vt in casu lege in tempus, §. 1. ff. de hæred. instit. leg. si quis seruum, §. si inter duos, ff. de leg. 2. quod adeò verum est, vt etiam si alter eorum renuntiet alterius, nihilominus, hæres non tenebitur ei legatum soluere, & idem dicendum est, si fortè inter se pacifcantur, vt legatum inter eos diuidatur, quidquid in contrarium teneat Ægidius in leg. 1. in principio. num. 39. Cod. de sacrosan. Eccles. hoc supposito.

Dicendum est in foro conscientię, quod hæres in tali casu tenetur illud legatum inter eos diuidere, si in id cōsentiant. Nam afferunt Sotus de iust. lib. 4. quæst. 7. artic. 1. ad 3. Caietanus in 2. quæstio. 62. tract. 5 ad 3. cum alijs, debitorem de debito quidem certum, incertum verò, vtrum Petri, vel Ioannis, teneri illos debiti quantitatem dispartiri. Et ita hanc sententiam in terminis docent Molina disp. 197 Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. legatum, differ. 5. n. 2. vide etiam Villalobos in sum tom. 2. tract. 30. diffic. 29. num. 6.

Notandum est tamē hic obiter, quod si testator legatum fecerit, v. g. Ecclesiæ D. Mariæ, vel alterius Sancti, & in eo loco plures sint Ecclesię eiusdem nominis, tunc in dubio cedit Parochiali, si tali nomine nōcupetur, alioqum cedet maiori, vel pauperiori: & si omnes essent æquales daretur Episcopo loci, vt distribuat sicut ei videretur, si nulla verò Ecclesia sit talis nominis in illo loco, cedit Ecclesiæ Cathedrali. Vide Afflictum decisio. 244. Manticam lib. 8. tit. 6. per totum, & Tuscum ver. Legatum, concl. 46. cum aliis penes ipsos.

An hæres, seu testamentarius in foro conscientiæ habeant annum ad soluenda legata.

RESOL. LIX.

ALiquis affirmatiuè potest respondere ex authoritate Auth. hoc amplius, Cod. de fideicomm. & Glossæ in cap. si hæredes, de testam. & cap. nos quidem eodem tit. & vtrobique Couarruuias.

Sed hæc omnia procedunt in foro conscientię, in quo statim, & quamprimum poterit tenetur hæres soluere legata. Et ita docent Villalobos in Manuali Confes. cap. 5. num. 16. Carillo in explicat. Bullæ defunct. parte. 2. capit. 14. numero 16. & 17. & Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. legatum, different. 1. num. 2 qui num. 3. addit vnum singulare, videlicet, quod si hæres fuerit negligens per annum, à die monitionis factæ per Episcopum circa soluenda legata, & alia ordinata per testatorem, poterit priuari hæreditate, si est hæres extraneus, & etiam filius salua ei legitima, per dictam Authent. hoc amplius, & transit ad substitutos, vel alios per ordinem, quod vtinam in praxi vbique seruaretur. Ita Valerus, vide etiam Syluestrum ver. testamentum 2. quæst. 6. & Nauarrum libr. 3. cap. 4. num. 166.

An in legatis soluendis sit seruandus aliquis ordo, vt in debitis.

RESOL. LX.

AD hanc dubitationem sic respondet Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. legatum, diff. 2. numero 2. Vidi dubitari, an in legatis soluendis sit seruandus ordo proprietatis, & dignitatis vt prius soluantur legata magis pia, deinde alia minus pia, tertio loco profana, & non pia, & an teneretur in conscientia, qui prædictum ordinem non seruauerit, quando hæreditas non est ita sufficiens, & ampla vt possit omnibus satisfieri. Et dubium hoc contingit potissimum, vbi testator relinquit in testamento, vt in quibusdam redditibus paulatim legata per se relicta soluerentur. Et sanè si testator nihil circa hoc disposuit idem dicendum de legatis, quod de creditoribus chirographarijs, nempè non esse locum gratificationi, sed pro æquis portionibus esse soluēda, seu pro rata bona esse restituenda. Ita Valerus, & alii penes ipsum, quibus ego addo Sanchez in sum. to. 1. lib. 4 c. 15. n. 40. & Bonacinam de contrac. disp. 3. q. vlt. punct. vlt. num. 27. vide etiam Comitolum in resp. mor. lib. 7. q. 10. nu. 4.

An si quis cum teneatur, ieiunare in pane, & aqua, non possit nisi sumendo parum vini, aut obsonij, sit astrictus tali ieiunio.

RESOL. LXI.

AFfirmatiuè respondet Sancius in select. disput. 15. numer. 13. Vbi ita ait. Si alicui sub pœnitentia esset indictum, vno die in pane, & aqua ieiunare, neque taliter posset, non etiam teneretur ieiunare modo consueto Ecclesiæ, cum illud ieiunium, vt quid indiuiduum præcipiatur. Sed tamen si posset ieiunium conficere sumēdo parum vini, aut modicum quid obsonij, ad ieiunium fore deuinctum arbitror, cum per talem sumptionem vini, & obsonij non dissoluatur ieiunium in pane, & acqua.

Sed si illud modicum obsonij, & vini reducatur ad paruitatem materiæ, quam etiam in die ieiunij in comestionem carnis concedimus, cum Tannero in 2. 2. D. Thomæ disputat. 3. quæstio. 3. dub. 5. numero 93. veram puto Sancij opinionem, sed si parum illud obsonij, aut vini superet materiæ paruitatem; puto contra Sancium, aliquem in tali casu non teneri ad sic ieiunandum, quia non esset ieiunium in pane, & aqua ad quod tenetur, & cum non possit, ab illo excusatur, & ad nihil aliud tenetur.

Hinc etiam contra dictum Sancium num. 6. puto, quod vouentem recitare septem Psalmos pœnitentiales, non potentem integros recitare, non teneri ad partem, eo quod materia indiuidua sit, & ita docet Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 19. n. 4. Nec in tali casu teneretur, ita vouens, si sciret tantum vnum Psalmum ex septem pęnitētialibus illum septem vicibus recitare, presertim si Psalmus septies recitādus esset ex maioribus, quia ita vouens, vouit tantùm septem Psalmos pœnitentiales, & si illos non possit recitare, ad nihil aliud tenetur, quiquid in contrarium afferat Sancius vbi supra, imponens onus vbi non adest, sed tu tene nostram sententiam.

An blasphemię, & iuramenta falsa inaduertenter prolata, orta tamen ex praua consuetudine blasphemandi sint peccata mortalia?

RESOL. LXII.

HIc casus passim Confessarijs in praxi solet occurrere, affirmatiuam sententiam docet Raphael de la Torre in 2. 2. Diui Thomæ, quæstio. 98. articul. 3. disput. 3. Tannerus in 2. 2. Diui Thomæ disput. 1. quæstio. 8. dub. 7. numero 141. Azorius tomo 1. libro 11. cap. 3. quæst. 3. Sayrus in Claui Regia, libr. 5. c. 5. n. 10. Ledesma in summa, to. 2. tract. 11 cap. 5. du. 4. & 5. cum alijs penes ipsos. Et ratio est, quia talia iuramenta sunt voluntaria in causa propter prauam consuetudinem iurandi ex graui negligentia non correctam.

Sed si hęc opinio esset vera, magnum onus pœnitens, & Cōfessarij haberent, cum talia iuramenta maximè frequentia sint, ideò contrariam sententiam in praxi amplectendam esse puto. Sed quamuis aliquis habeat prauam consuetudinem peccādi, si tamen hic, & nunc ex inaduertentia naturali, & indeliberatè peccaret, non committeret nouum peccatum mortale. Ita docent Reginaldus in praxi, tom. 2. li. 18. cap. 6. sect. 3. num. 85. Pitigianus in 3. par. sententiæ, tom. 2. distinct. 39. quæstione vnica, artic. 7. Sanchez in summa, tomo 1. libr. 2. cap 5. numero 28. & Suarez de relig. tomo 1. tract. 3. libro 2. de irreligiositate, capit 6. num. 2. & tomo 2. de iuramento, lib. 3. cap. 7. à nu. 3. vsque ad 8. cum alijs penes ipsos, & nouissimè Ioannes Sancius in selectis, disp. 20. num. 5. qui docet, blasphemias, & iuramenta indeliberata orta ex praua conditione iurandi, nec in seipsis esse peccata, nec in sua causa; sicut contumelia præuisa ab ebrio dicenda in ebrietate, neç in se, nec in sua causa peccatum contumeliæ est, vtpotè ex sui natura requirens, quod à ratione vtente proferatur, vide etiam Fillucium tom. 2. tract. 25. cap. 10. numero 317.

317. & hanc ſententiam docet Layman in Theolog. moral. libro 1. tract. 2. ca 3. num. 6. in fine, poſt prauam conſuetudinem retractatam, ſic enim ait Poſtquam verò pœnitens prauam conſuetudinem efficaci propoſito retractauit; tunc conſequentia falſa iuramenta, & verba blaſphemiæ eadem conſuetudine quaſi naturali, & neceſſario impetu prouenientia, non imputabuntur ad peccatum, cum neque ſint voluntaria in ſe, vt ſuppono; neque in ſua cauſa, puta conſuetudine, quippè quæ ab ipſo per propoſitum retractata, non amplius voluntaria cenſeri debeat. Ita Layman.

Et his deduxit Sancius vbi ſupra num. 7. quod Doctores aſſerentes negandã eſſe abſolutionem habenti cõſuetudinem iurandi, intelligendi ſunt de habente conſuetudinem iurandi ex aduertentia; non autem quando proferuntur iuramenta inaduertenter, cum tunc vt diximus, non ſint peccata, quantumcunque ex peſſima conſuetudine naſcantur. Et hæc omnia prouidus Cõfeſſor in mente habeat, nam per illa ex multis interrogationibus, & ſcrupulis immunis erit, faciant tamen Cõfeſſarij in tali caſu accuſare pœnitentem de negligentia in extirpanda praua conſuetudine iurandi, & de reliqua aliud non curent.

An teſtes priuilegiati de iure, teneantur reuelare crimen occultum ſui coniuncti, ſi non adſunt alij teſtes, propter excommunicationem latam in aliquo monitorio.

RESOL. LXIII.

RESpondeo affirmatiuè cum Nauarro in Manuali, capit. 25. numero 49. Felin. in capitul. 1. de teſtibus cogend. Capella Tholoſana, deciſio. 4. & ibi Aufrerius deciſio. 412. Lazar. de monitorijs ſectio. 3. quæſtio. 11. numero 18. & alij aſſerentibus priuilegiatos eſſe aſtrictos ad reuelandum, ſi alij non adſint teſtes.

Non reticeam tamen contrarium docere Gabrielem Pereira tractatu de manu Regia capit. 10. numero 36. vbi ſic aſſerit. Plures ſunt caſus, in quibus teſtes à reuelatione excuſantur, vt quando ille teſtis eſſet de perſonis à iure priuilegiatis, qui crimen ſui coniuncti reuelare non tenebitur propter naturale debitum, quo inter ſe coniunguntur, & ſic exploditur ſententia Nauarri, & aliorum, dum exiſtimant, quod hi non excuſantur à reuelando, quando alij teſtes non adſunt, non aduertentes, quod tales coniuncti nullo modo poſſunt teſtificari, ex leg. Iulia, ff. de teſtibus, & capit. iniuſtis 4. diſtinctio. ne tollantur inter coniunctos pietatis officia, quæ innituntur rationi naturali, illorũque opinio admitti poteſt in alijs priuilegiatis, de quibus agit lex, inuiti, ff de teſtibus, qui non ob naturale fœdus, ſed alias rationes minus iuri naturali conſonas priuilegiati exiſtunt veluti miles, ſenex valetudinarius, de quibus in l. inuiti prima, & ſecunda agitur. Ita Pereira, ſed an probabiliter iudicetur alij, cum ſententia contraria ſit communis.

An ſi in eo tempore, quo debet fieri prouiſio per concurſum, non adſint examinatores ſynodales, de quibus loquitur Concilium Tridentinum ſeſſio. 25. cap 18. poſſit Epiſcopus deputare alios abſque Synodi celebratione.

RESOL. LXIV.

AFfirmatiuam ſententiam docent Homobonus de examin. Eccleſ. par. 1. tract. 2. capit. 3. quæſtio. 30. in fine, Riccius in praxi, tom. 1. reſol. 355. per totam, & Barboſa de poteſt. Epiſcop. parte 3. allegat. 60. num. 50. ſtantibus deciſionibus Rotæ in vna Archipresbyteratus 6. Iunij 1582. in vna Pampilon. Parochialis 23. Ianuarij 1591. & in alia Placentina Parochialis 29. Nouembris 1593. Et ratio eſt, quia vbi forma à lege inducta nõ poteſt præcisè adimpleri, tunc illa remittuntur, ſed cum Cõcilium Tridentinum loquatur cum præſuppoſito, quod examinatores ſynodales exiſtant: ergo ceſſante hoc præſuppoſito, ceſſare debet eius diſpoſitio.

His tamen non obſtantibus, negatiuam ſententiam docent nouiſſimè Antonius Maſſobrius in praxi habendi concurſum requiſit. 12. numero 6. à numero quarto, vſque ad numer. 10. & Doctus Melchior Lotterius de re beneficiaria, tomo primo, libro 2. quæſtione 31. numero 71. & ſequent. vbi notat affirmatiuam ſententiam, & Deciſiones Rotæ procedere, quando concurreret caſus mortis, vel abſentiæ deputatorum in Synodo infra annum à die celebrationis eiuſdem Synodi, vt fuit deciſum per Sacram Cardinalium Congregationem, in vna Panormitana Archipresbyteratus 5. Iulij 1620. coram Illuſtriſſimo Buratto: nam quemadmodũ in hoc caſu, nihil poſſit imputari Epiſcopo, qui neque ex forma Decreti Concilij Tridentini, neque ex forma antiquorum Canonum, tenetur intra annum vltra quàm ſemel cogere Synodum; ita ſi annus iam eſſet elapſus, omninò imputari ei debet, cur non adimplerit forma Concilij Tridentini, cũ ſuccedente vacatione, illicò poſſit indicere Synodum: & in prima eius ſeſſione deputare examinatores Synodales, atque ita Decreti formam adhibere; Sic Lotterius, vnde patet reſponſio ad argumentum Ricij, Homoboni, & aliorum vbi ſupra. Et ita etiam hanc ſententiam docet Garſias de benefic. tomo ſecundo, parte nona, capitulo ſecundo, numero 92. vbi ſic aſſerit. Magis conformis Concilio videtur ſententia Sacræ Congregationis nam elapſo anno, defectus examinatorum contingit culpa ipſius Epiſcopi non facientis Synodum, in qua illi deputentur, vt diſponit Tridentinum, & ſic defectus iſte culpa ſua, & negligentia contingens, non excuſat eum ab obſeruatione formæ, & ſic ceſſat ratio Rotæ Ita Garſias, & aduerſus Riccium, hanc etiam ſententiam tenet Venerus in exam. Epiſcop. libro quarto, capitulo 25. numero 12. aſſerens beneficium ſic collatum, poſſe ab alio impetrari, quia prouiſio deuoluitur ad Sedem Apoſtolicam ex expreſſo Decreto Concilij Tridentini vbi ſupra, & Bulla Pij V. in Bullario 32. irritante prouiſiones rectas ſine Examinatoribus Synodalibus, & ego hanc ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo; quando verò infra annum Synodi examinatores mortui fuerint, tunc Epiſcopus alius eligat, iuxta formam Decreti Clement. VIII. quam aſſerunt Maſſobrius vbi ſupra dubio tertio, numero ſecundo, & Garſias num. 73.

Notandum eſt tamen hic obiter, quod declaratio Sacræ Cõgregationis à Coſmo Cardinali de Torres ſubſcripta, ſic aſſerit, An exiſtentibus in Synodo Doctoribus, Clerici non Doctores poſſint eligi in examinatores Synodales? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini, reſpondit neceſſario examinatores eligi debere, qui ſint Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, ſi extent; alioquin alios Clericos eſſe eligendos, qui ad id videbuntur magis idonei.

Nota etiam, quod ſi quotannis Synodus non fiat, examinatores ſemel deputati munus ſuum debẽt exercere, donec noua Synodus habeatur, vt refert deciſum Franc. Leo in Theſauri Eccleſ. parte ſecunda, cap. 3. nu. 25. ſi anno autem elapſo, aliqui ex eis mortui fuerint, officium omnium expirat, & ita deciſum refert Galettus in Margar. caſ. conſc. ver. Examinatores, numero primo, vide etiam Venerum in Exam. Epiſcop. lib. 4. cap. 25. nu. 8. & 10. & Barboſam de poteſt. Eipſcop. par. 3. alleg. 60. numero 48 & 49.

An concurſus alicuius beneficij vitietur ex eo, quod cum examinatoribus Synodalibus adhibeantur alij examinatores non Synodales.

RESOL. LXV.

NEgatiuè reſpondent Homobonus de Exam. Eccleſ. parte 1. tract. 2. cap. 3. quæſt. 30. vbi ſic aſſerit. Si tres examinatores Synodales adſint, & alij duo non Synodales ad maiorem, & abundantiorem cautelam adhibeantur, actus propterea vitiari non videtur, præſertim cum his actus naturæ, vel formæ non repugnet, ſed potius ad illius augmentum tendat, nec Concilium id vt ſuperfluum prohibeat, neque vlla taxatiua dictione vtatur. Et ita etiam docet Naldus in ſumma, ver. Examinatores, numero 3. qui adducit pro hac ſententia quandam Rotæ deciſionem.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, & ita docet Maſſobrius in praxi habendi concurſum, requiſi. 13. dub. 1. numero 2. & Garſias de beneficijs tomo 2. parte 9. cap. 2. num. 83.

324.

324.& 341.vbi adducunt declarationes Sacræ Congregationis ac Rotæ deciſiones, per quas determinatũ fuit collationes factas, habito cõcurſu cum tribus examinatoribus Synodalibus, vna cum alijs notatis ab Archiepiſcopo Toletano, abſque eo, quod à Synodo approbati ſint, inualidas eſſe, eaſque ad Sedem Apoſtolicam deuolutas eſſe.

Ad argumentum verò contrariæ ſententiæ, reſpondet Maſſcbrius vbi ſupra, quem omninò vide.

An reus iuridicè interrogatus de homicidio commiſſo ob iuſtam ſui defenſionem, teneatur reſpondere, vbi & multos alios caſus deciſos inuenies.

RESOL. LXVI.

AD hanc queſtionem reſpondeo cum Portel, in addit. ad dubia Regularia, verſ. Iuramentum, num. 16. ſic aſſerente. Quotieſumque factum externum contra legem excuſatur à peccato propter aliquam circumſtãtiam, poteſt rogatus iuridicè de illo, ſub iuramento illud negare, intelligendo de crimine criminoſo, ſeu de opere, quod fuerit peccatum, vt ſi quis occidat hominem putatum feram, vel ob iuſtam ſui defenſionem, vel quodcunque aliud opus fecit ex ignorantia inuincibili, vel quid ſimile. Nam interrogatorium Iudicis, ſolum tendit ad opus, quod ſi crimen, quale non fuit illud, legitimè excuſatum à culpa. Vnde colligis, quod quando taxa alicuius rei eſt iniuſta, ſi pluris vendens, aut defraudans in pondere, vel menſura, vt ſibi ſatisfiat pro iniuſtitia pretij, poteſt hic rogatus à Iudice, an pluris vendiderit, vel defraudauerit in põdere, vel menſura, id negare, & aſſerere ſe vendidiſſe pretio taxato, videlicet pretio iuſto quæ ab ipſo iuſtitia debebat taxari, hæc enim eſt mens Iudicis ibi iuſtè, & iuridicè interrogantis videlicet quærere de pretio iuſto. Et ex hoc multi deciduntur alij caſus, vt quando aliquis per iuſtam compenſationem rem ſuam, vel ſibi debitã clam abſtulit, & de hoc rogatur à Iudice. De illo etiam, qui nũmos accipit mutuatus à Petro, eoſque illi ſoluit, non tamen habet teſtes, neque chirographũ ſolutionis: ſi enim rogetur à Iudice poteſt iurare, ſe illos mutuo non accepiſſe, intelligendo ita vt teneatur nunc iterum ſoluere. Hæc omnia Portel, multum à confeſſarijs adnotanda, quia multum practicabilia. Vide etiam Bannez in 2. 2. quæſt. 69. art. 2. dub. penult. & Azorium tom. 1. li. 11. cap. 4. quæſt. 5.

Notandum eſt etiam hic obiter, cum Portel, vbi ſupra nu. 6. quod vt quis iuret licitè, & abſolutè, ſatis eſt, ſi rem audiuerit à perſona valde fide digna: ſecus autem in iudicio, nam ibi debet exprimere quomodo id ſciat.

An irregularitas ex delicto incurratur, ſi delinquens noſcat peccatum, ſed ignorat ius poſitiuum, prohibens ſub dicta pœna irregularitatis.

RESOL. LXVII.

AFfirmatiuè reſpondent Layman in Theol. mor. libr. 2. tract. 5. part. 1. cap. 5. num. 8. Auila de cenſ. parte 2. cap. 4. diſput. 5. dub. 10. concluſ. 2. Aluarez in par. 2. D. Thom. diſput. 158. nu. 5. Suarez tom. 5. diſput. 40. ſectione 5. nu. 10. Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 15. quæſt. 7. & alij, eo quod talis irregularitas non contrahatur propter cõtumaciam, ſed propter turpitudinem, ſeu maculam culpæ, qua criminoſus ſecundùm Eccleſiæ Canonẽ inhabilis redditur ad Altaris miniſterium; hæc opinio eſt probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam exiſtimo, quam tenent Sãchez de matr. to. 3. lib. 9. diſput. 32. num. 17. Reginaldus tom. 2. lib. 30. cap. 1. num. 15. Peregrinus de duello, quæſt. 8. num. 18. & Portel in additio. ad dubia regul. ver. ignorantia, num. 21. vbi ſic aſſerit. Sicut ad incurrẽdam excommunicationem diximus nõ ſufficere, quod ſciam opus eſſe prohibitum ab Eccleſia, ſed vt ſciam de pœna, idque prohiberi ſub excommunicatione, ita de cęteris pœnis, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, &c. dicendum, quod vt incurrantur non ſufficit, me ſcire opus eſſe prohibitum, ſed requiri, vt ſciam eſſe prohibitum ſub pęna ſuſpenſionis, irregularitatis, &c. Ita ille, Et ratio eſt, quia in cap. 2. de conſtit. in 6. aſſeritur ignorantes non ligari ſententijs, vbi non eſt ſermo de ſola excõmunicationis ſententia, ſed de omnibus ſententijs ordinariorum. Ergo, &c. Vnde apparet me his diebus probabiliter reſpondiſſe cuidam cõſulenti in caſu, vt ſupra propoſito, nõ incurriſſe in irregularitatem, de hac queſtione vide ſupra in reſol. 20.

An in caſu neceſſitatis poſſit quis confiteri peccata reſeruata, quæ habent annexam excommunicationem cum Sacerdote inferiori.

RESOL. LXVIII.

QVis ad vitandum ſcandalum debet Miſſam celebrare, habet caſus reſeruatos cum excommunicatione annexa, exiſtimat ſe non eſſe contritum, ſed tantùm attritum; quæritur, an poſſit cõfiteri illa peccata reſeruata cum annexa excommunicatione, ita vt per Sacramentum de attrito efficiatur contritus, & ſic ſine peccato celebrare. Reſpondent communiter negatiuè, quia excõmunicatione nõ ablata, abſolutio inualida eſt, ſed in tali caſu confeſſarius nõ habet iuriſdictionem circa excommunicationem; ergo inualida erit talis confeſſio. Et ita docent Paludanus in 4. diſt. 17. quæſtio. 6. art. 1. concluſ. 2. & 4. Syluester ver. excommunicatio 4. num. 1. & verb. confeſſio 1. quæſt. 3. caſ. 5. & verb. Confeſſ. 3. num. 12. Gabriel in 4. queſt. 1. artic. 3. dub. 2. Antoninus par. 3. tit. 14. cap. 19. §. 4. Sotus in 4. diſt. 22. quæſtio. 1. art. 1. Ledeſma 2. par. 4. quæſt. 23. art. 1. Vaſquez in 3. par. 10. 4 tract. de excom. dub. 4. nu 8. Ledeſma in ſum. tract. de pęn. c. 20. dub. 2. Toletus lib. 3. c. 8. §. 3. caſus, & alij.

Sed cõtrariam ſentẽtiam puto etiam probabilem eſſe, quam docent Nauarrus in Manual cap. 9. nu. 3. Couarruuias in cap. Alma mater, par. 1. §. 2. nu. 5. Caietanus in ſumma, verſ abſolutionis impediment. & in opuſc. quæſtio. 1. de qualit. confeſſ. & ver. Excommunicatio minor. Suarez in 3. par. to. 4. diſput. 31. ſect. 3. numero 6. & tomo 5. diſp. 10 ſect. 3. numero 9. & nouiſſimè Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 9. difficul. 40. numero 7. vbi ſic aſſerit. [En el caſo de la cõcluſiõ paſſada (nempè quando pęnitens ratione ſcandali debet celebrare, & habet caſus reſeruatos es lecito abſoluer al penitẽte de los pecados nõ reſeruados, aunque el pecado reſeruado anneya deſcommunion, de la qual el inferior no puede abſoluer. Eſta ſentẽcia es de Angelo, Medina, y Suarez. El fundamento es, que la deſcommunion no haze, inhabil a la perſona para recebir el Sacramento, ſino ſolo prohibe, que no ſe reciba, que pueſta la deuida materia y forma, no ſe puede impedir el Sacramento, y aſſi ſi el confeſſor oluidaſſe de abſoluer de la excommunion, y abſoluieſſe primero de los pecados, quedaria abſuelto el penitẽte, y ay caſo en que por alguna grande cauſa podra llegar al Sacramento de la Euchariſtia eſtando deſcomulgado ſin pecado.] Ita ille.

Notandum eſt tamen hic obiter, quod habentem caſum reſeruatum ſine excommunicatione annexa, vrgente neceſſitate communicandi ad vitandum ſcandalum, ad ſummum aſſerunt aliqui ſolum teneri confiteri peccata non reſeruata confeſſario inferiori. Tunc enim cum certus ſit pœnitens non poſſe ſe abſolui à reſeruato, ad aliud nõ erit vtilis confeſſio reſeruati, quã ad ſe diffamandum coram tali confeſſario. Ita docent Alexander de Ales parte 4. quæſt. 18. memb. 4. art. 5. §. 2. ad vlt. Petrũ de Soto lect. 10. de Confeſſ. Angelus ver. Confeſſio 1. §. 7. & hanc opinionem in tract. de celebr. Miſſarum, reſol. 65. probabilem putaui cum Filliucio tomo 1. tract. 4. cap. 7 num. 213 quam hoc formidet concedere Suarez tomo 4. diſt. 31. ſect. 3. nu. 8. & neceſſario eſſe omnia peccata confitenda in tali caſu docent Vegha in ſpeculo Parochorum tomo 1. ca. 11. nu. 173. Chapeauilla de caſ. reſer. cap. 8. & alij.

Sed plus addit Sancius in ſelectis, diſput. 32. num. 10. cum Richardo in 4. diſtinctio. 17. articul. 1. quæſtio. 8. ad 2. Adriano quæſtio. 4 de confeſſione, Durando in 4. diſtinct. 17. quæſt. 19. quia liberat pœnitentem in tali caſu à confeſſione etiam non reſeruatorum.

Igitur in praxi Confeſſariorum ex ſupradictis opinionibus probabilibus Doctorum, pœnitens vrgẽte neceſſitate communicandi ad vitandam infamiam grauẽ habens caſus reſeruatos, poteſt primò confiteri cum inferiori Sacerdote omnia peccata, tam non reſeruata, quam reſeruata, & celebrare; vel ſecũdò poteſt confiteri tantum peccata nõ reſeruata, & reticere reſerua-

seruata, vel tertiò si hoc etiam non velit, eliciat actum contritionis, & celebret sine præuia cõfessione. Si autem peccata reseruata habeant annexam excommunicationem, primò conteratur, & celebret, vel secundò si est tantùm attritus, confiteatur cum inferiori Sacerdote, & Missam dicat, vel communionem sumat. Notentur hæc omnia, quia in praxi erunt multum practicabilia.

An quis non incidat in excommunicationem ratione paruitatis materiæ.

RESOL. LXIX.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Graffius in decis. par. 1. libr. 4. cap. 8. numero 5. sic asserens. Si excommunicantur colloquentes cum Monialibus, non comprehenditur, qui transeũdo Monialem salutaret, vel parum cum ea loqueretur. Idem docet Finellius de cas. reser. capit. 5. num. 10. vbi sic asserit. Si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutatus respondeas, siue de statu eius ipsá interroges, siue interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea. Ita ille. Sed difficultas est in isto exemplo de excommunicatione contra colloquentes cum Monialibus, quod tempus dicatur breue, vt cum illis colloquentes nõ incidant in excommunicationem. Aliqui tenẽt esse quadrantem horæ, quod mihi non placet; sed si quis per spatium vnius *Miserere* cum illis loqueretur, puto ratione paruitatis materiæ in dictam excommunicationem non incidere.

Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de casibus reseruatis, & si v.g. modicitas rei subtractæ id Ecclesia excusat à mortali sic etiam excusabit à reseruatione.

De priuilegio Bullæ Cruciatæ edendi carnes ex licentia vtriusque medici.

RESOL. LXX.

Aliqui putant hoc priuilegium deseruire, quando causa est dubia, & se fundant in doctrina Lessij libr. 4. cap. 2. dub. 6. num. 45. Veghæ in summa par. 1. c. 14. cas. 36. Armillæ, ver. ieiunium, num. 6. Syluestri eodem verb. num. 20. Filliucij to. 2. tr. 27. c. 6. num. 128. & aliorum.

Sed contrarium asserit Sancius in selectis, disput. 51. num. 9. nam cum dicti Auctores fateantur existente causa manifesta non egere ieiunantem dispensatione; eodem modo dubia causa existente, opus non erit dispensatione, cum idem ius habeat aliquis ad fugiendum damnum certo venturum, atque illud de quo rationabiliter dubitatur an sit exoriturũ, sicut qui probabiliter dubitat, quod in extremam necessitatem deueniet, si extremè indigenti subueniat, nõ tenebitur subuenire. Dices, in hoc casu ius dubium vincit ius certum, sed hoc est absurdum, ergo, &c. Respondet Sancius, quod quamuis præceptum abstinendi à carnibus sit certum, & in possessione obligandi. Attamen etiam ius ad conseruandam vitam in homine certum est, & antiquius, & antiquior etiam est possessio in illo ad conseruandam suam vitam, & à stritiore iure orta. Nam in homine non solùm est ius certum ad certo conseruandam vitam, sed etiam est illi ius certum ad non exponendã vitam periculo dubio eam amittendi, & quamnis dubium sit homini, an ex abstinentia à carnibus sit detrimentum passurus in salute, nõ est tamen illi dubium, quod ius habeat certum non se committendi tali dubio. Quando igitur virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edẽdi carnes ex licentia vtriusque medici, non intelligitur, quando causa est manifesta, quod noceat saluti abstinentia: nec quando dubitatur prudenter, quod nocebit, sed quando causa est solùm sufficiens ad petendam dispensationem, nõ tamen ad comedendum carnes absque illa. Vnde fit, Doctores dicentes tunc recurrendum esse ad superiorem ad poscendam dispensationem in ieiunio, vel in esu carnium, quando causa est dubia, non intelligendos esse id asserere, quando fuerit dubium, magnum nocumentũ exoriturum ex obseruatione ieiunij, nam tunc necessarium videtur dispensatio, vt probatum est, sed quando dubitaretur aliquale nocumẽtum promanaturum, quod quamuis actu existeret, obligatio ieiunij, vel abstinentiæ à carnibus nõ cessaret, cum leges positiuæ cum aliquali labore obligent, & detrimento, illa tamen causa dubia obiecta Pontifici sufficiens esset ad impetrandam dispensationem. Hæc omnia Sancius, quæ apud alios non inuenies.

Notandum est tamen hic obiter, quod qui habet experientiam antiquam sibi esse nocuum, carnibus non vti in Quadragesima, nõ tenetur in futuris Quadragesimis abstinere à carnibus ad experiendum, an nocumentum exoriatur; quia aliàs nũquam licitum esset carnibus vti ob præseruationem, nisi maximè dubitetur causam nocumenti cessasse. Ita Ioann. de la Cruz in direct. conscientiæ par. 1. pr. 3. ar. 4. du. 9. concl. 3. Sancius. vbi supra num. 23. & alij.

Nota etiã, quod ex iusta causa in Quadragesima comedentes carnes, nec pecant etiam contra temperãtiam naturalem, si ad excitandum appetitum parum piscati sumant. Nec in tali casu incurrunt in excommunicationẽ latam in aliquibus diœcesibus contra comedentes piscatum, & carnes in Quadragesima. Ex piscis suauis (hispanè Turcha) potest sumi in magna quantitate cum carne, quia ex esu illius non læditur salus. Ita Sancius loco citato, num. 21.

Quibus sumptibus soluenda sit eleemosyna Prædicatori.

RESOL. LXXI.

Hic casus frequenter solet accidere, & non ita facile apud Casuistas inuenitur; illum verò determinat Paponius de iur. Franc. lib. 1. arrest. 9. in Glossa littera A. vbi sic asserit. In quæstione, quisnam salarium Prædicatori præstare teneatur, distinctione vtendum est: nempè vt si de vrbe agatur, in qua Archiepiscoparus, vel Episcopatus, eo casu officium pastoris est prædicare, vel prædicari curare, & verbum Dei annunciare gregi suo, idque expensis suis. Et ita iudicatum fuit aduersus Archiepiscopum Bituricensem 1. Iunij 1542. At si nõ de vrbe, sed oppido agatur, vbi sit Ecclesia Collegialis, vel Curio, tum omnes ij, qui decimas in prædicta parochia pręcipiunt, ad Prædicatoris salarium conferre debent, parochiam verò ad victus expensas. Ita ille, & ante illum Mynardus decisio. 34. 35. & 36.

Sed quod dictum est de Episcopo, procedit etiam quãdo dubitatur, quorum sumptibus sit conducendus Prædicator, seu alendus, & ita declarasse Sacram Cardinalium Cõgregationẽ, ex Vgolino, & Galeti testatur Riccius in praxi tomo 1. resolut. 468. num. 3. qui in numero quarto, & 5. limitat supradicta existente consuetudine in contrarium. Nam vbi consuetudo adesset, vt Prædicator, vel ab Episcopo eligeretur, vel ab alio, communitas, vel aliquis alius sumptus præberet, in tali casu Episcopus ad nihil teneretur. Quod etiam procedit, si populus eligeret, & nominaret Concionatorem, & sumptus etiam faceret: nam tunc Episcopus hoc onere leuabitur. Igitur consuetudo cõsideranda videtur, & secundùm illam determinandum, qua seclusa Episcopum obligabis.

An in dubio facti circa homicidium censendus sit aliquis irregularis.

RESOL. LXXII.

Affirmatiuè communiter Doctores respondent, quos citat & sequuntur Sanchez in summa tom. 1. libr. 1. cap. 10. nu. 42. & seq. Auila de cens. parte. 7. disput. 2. dub. 5. Villalobos in summa. tom. 1. difficul. 22. num. 2. Coninch. de Sacram. dispu. 18. dub. 2. num. 23. Valentia tom. 4. par. 4. disput. 7. quæst. 19. punct. 2. Flores de Mena variarum resol. libr. 1. quæst. 9. numero 18. Azorium par. 1. lib. 2. c. 19. quæst. 10. & 11. Salas in p. 2. quæst. 21. tr. 8. disput. vnica. sect. 10. à num. 70. Vgolinus. de cens. capit. 4. §. 2. num. 3. Saurus de cens. lib. 6. ca. 2. num. 16. cum alijs, & hoc non solùm in foro externo, sed interno, vt patet cap. ad audientiam, de homicidio.

Non reticeam tamen contrarium docere Henriquez lib. 14. cap. 3. nu. 3. & 4. & cap. 14. nu. 3. & hoc probabile esse putat Suarez de cens. disput. 40. sect. 2. numero 13. & ad cap. ad audiẽtiam, respondent procedere, quando homicidiũ est ita dubiũ, vt verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sibi videri declara-

sumi-

declaratum in cap. significasti, ad finem, nec ab illa communi regula, odia sunt restringenda, dicendum est, nisi ratio conuincat quod non adest in casu dubij, ergo, &c. Sed tu primam sententiam tene.

Dicendum est tamen contra Turrianum de censuris libro 8. disputatione 57. dub. 5. Vasquez part. 2. disput. 65. cap. 3. disputatione 66. capit. primo, Couarruuiam, & alios, in alijs dubijs facti præter homicidium, quis minimè censendus est irregularis in vtroque foro, & sic qui dubitat an legitimè natus sit, nec ne potest legitimus censeri, & sacros ordines accipere, & qui dubitat vtrum vxor vnica accesserit virgo, potest ita præsumere, & Clericus fieri; & ratio horum omnium est, quia irregularitas non incurrinr, nisi in casibus iure expressis e ap. is. qui de sentent. excommunic. in 6. sed in iure tantùm pro dubio homicidij incurritur irregularitas, vt patet. Ergo in alijs dubijs præter homicidium standum est illis regulis iuris communis tam Canonici, quam ciuilis, asserentibus in dubio neminem condemnandum, in pœnis benigniorem interpretationem faciendam. Et ita docet Henriquez lib. 14. capite 3. numer. quarto. Auila de censur. par. 7. disputat. 2. dub. 5. concl. 2. Layman in Theolog. mor. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. n. 39. Coninch de Sacram. disputat. 18. dub. 2. nu. 2. Salas in p. 2. quæst. 21. tract. 8. disput. 1. sect. 18. num. 168. & alij.

Notãdum est etiam, quod licèt vt dictum est in dubio homicidij irregularitas præsumatur, tamen hæc doctrina non est extendenda ad dubium mutilationis, quia mutilatio non est homicidium; neque ad dubium homicidij iusti, v. g. in bello commissi, quidquid dicat Henriquez libr. 14. capit. 3. numer. 4. Nauarr. cap. 27. dub. 266. Auila de censur. part. 7. disput. 2. dubio 5. conclus. 2. Bonacina de cens. disput. 7. quæst. 1. punct. 1. numero 4. quia iura loquuntur de casu homicidij prohibiti; & odia sunt restringenda. Vide Sanchez in summa, tomo primo lib. primo cap. 10. num. 49. & 50. Fillincium tom. 1. tractat. 19. capit. 2. quæst. 7. num. 47. & alios. Vnde ex his omnibus concludant cõfessarij quod in omnibus dubijs iuris, vel facti, nunquam incurritur irregularitas, nisi in dubio facti homicidij prohibiti. Et hæc omnia procedunt in casu veri dubij, nempè quando intellectus in neutram partem inclinare potest, nam si aliquis probabiliter opinetur, nõ commisisse homicidium, irregularis minimè censendus erit.

An peregrini obligentur censuris locorum generali sententia, aut statuto decretis?

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè respondet Glossa in cap. à nobis, de sentent. excommunic. & ibi Abbas num. 7. Vgolinus de cens. tab. 1. c. 9. §. 2. nu. 4. & DD. quos citat, & sequitur Barbosa in collect. to. 2. lib. 5. cap. 21. num. 4. & hanc sententiam docet etiam Suarez de cens. disp. 4. sect. 5. n. 12. quando censura lata est per statutum quia cum territorio inhæreat, affici debent etiam peregrini. Et absolutè hanc sententiam docet Basilius Pontius de matrim. li. 5. cap. 7. §. 2. num. 19. siuè excommunicatio sit lata per modum statuti, siuè per modum sententiæ.

Sed ego cõtrariam sententiam, teneo ex textu claro in cap à nobis, el 2. de senten. excommunicatio. nam potestas iurisdictionis tantũ se ad subditos extendit, sed sicut sententia, ita & statutum manat à potestate iurisdictionis Ergo solùm ligat subditos, non autem aduenas, & peregrinos. Et ita nouissimè aduersus Suarez docet Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 4. num. 5. vnde contra Basilium, vbi supra, excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum, seu delictum esse commissum, nõ ligat transeuntes. Ita Coninch de Sacramentis disp. 13. dub. 7. concl. 5. nu. 60.

An subditi incurrant excommunicationem latam per statutum in Diœcesi, si contra illud agant extra Diœcesim?

RESOL. LXXIV.

Respondeo negatiuè subditus enim nõ incurrit excommunicationem latam per statutum propriæ diœcesis, si contra illud agat extra Diœcesim vel intra Diœcesim in loco exempto

existens; vt hic Panormi est Ecclesia Sancti Cataldi. Et ita docet Couarruuias in cap. Alma. part. 1. §. 10. nu. 12. & alij communiter ex cap. 2. de constit. in 6. & ex leg. vlt. ff. de iurisd. omnium iudicum.

Sed maior difficultas est, quando censura lata est per sententiam, affirmat Suarez de cens disp. 6. sect. 5. numet. 9. Layman in Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 4. n. 7. Vgolinus de cens. tab. 1. c. 9. §. 3. num. 4. & alij. Et ratio est quia statutum dirigitur ad territorium, & ideò neminem ligat extra illud; Præceptum verò, & sententia immediatè tendit ad personas subiectas, &c. ideò illas ligat quocunque vadant.

Verùm mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam tuentur Auila de cens. par. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 5. Coninch. de Sacram. disp. 13. dub. 7. concl. 6. n. 1. Henriquez libr. 13. cap. 26. num. 1. Sayrus de cens. lib. 5. c. 6. nu. 40. ex leg. vlt. ff. de iurisd. omnium iudicum.

Dico igitur Episcopum nõ posse excommunicare etiam per sententiam suum subditum existentem extra suam Diœcesim, nisi in ea aliqua ratione delinquat quantumcũque extra eam delinquat, quia Episcopi iurisdictio non extenditur extra suam Diœcesim ex cap. 2. de constitut. in 6. Hinc contra Doctores citatos nõ potest Episcopus præcipere clerico peregrinaturo sub pœna suspẽsionis, ne ludat, ne arma prohibita ferat, ne dicat sacrũ, vel, vt singulis hebdomadibus sacrificet, &c. nisi fortè quatenus ob istam causam posset ei præcipere, ne Diœcesim egrederetur, & tunc quidem nõ peccaret, propriè dicendo sacrum, ludendo, &c sed egrediendo Diœcesim. Et hæc doctrina procedit etiam, vt benè obseruat Coninch vbi supra num. 63. quãdo subditus delinquit in loco exempto, & si intra Diœcesim sit. Excipienda tamen sunt ex mente Suarez de cens. disp. 5. sect. 4. n. 6. Monasteria Regularium, aut similia loca, quæ non sunt per se exempta, sed tantùm ratione personarum inhabitantium: sed aduersus Suarez tenet Bonacina de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 15. num. 8. quem sequi videtur nouissimè Paulus Squillante de priuilegijs Cler. cap. 2. dub.... num. 68.

Notandum est tamen, quod omnia supradicta procedunt quãdo delictum subditi perpetratur extra Diœcesim; secùs autem si illud committeret in Diœcesi, nam in tali casu potest Episcopus illum excommunicare, etiã si extra diœcesim commoretur. Non reticeam tamen (attende Lector) cõtrariam sententiam docere Basilium Pontium de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 2. nu. 20. vbi sic ait. Ex eodem principio colligo contra nonnullos, Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre cõtra subditum suũ, existentem tamen in alio territorio, id quod etiam docuit Gabriel in 4. dist. 1. qu. 1. conclu. 2. Ita Pontius, qui tamen putat pro delicto extra territorium commisso si ad suam diœcesim redeat, posse Episcopum subditum punire.

An pactum de retrouendendo appositum in fauorem emptoris census sit licitum.

RESOL. LXXV.

Vsurarium esse docent Rebellius part. 2. lib. 10. q. vlt. difficul. 4. n. 4. & 5. Sotus de iustitia, lib. 6. quæstion. 5. art. 3. Binsfeldius in cap. ciuitate, quæst. 3. 2. conclus. 10. Aragon. in 2. 2. quæst. 78. art. 3. 4. concl. 4. Rodriquez de redditib. lib. 1. q. 4. & 18. libr. 2. qu. 3. & 13. Couarruuias var. lib. 3. capit. 9. num. 4. & alij, nisi pensiones solutæ sint computandæ in pretium; Et ratio est, quia vbi cumque datur pecunia cum pacto eandem recipiendi, & aliquid vltra sortem, illic vsura vel latet, vel patet. Sed sic est in tali casu; ergo.

Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse existimo, quam mordicus ex neotericis tuentur Malderus in 2. 2. D. Thomæ tractat. 5. c. 5. dub. 11. per totam. Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. q. 7. dub. 4. nu. 128. vsque ad n. 131. Azorius tom. 3. lib. 10. c. 12. qu. 4. Layman in Theolog. mor. libr. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 18. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 10. per totum. Salas tract. de cens. dub. 30. per totum, & Valentia tom 3. disput. 5. qu. 22. punct. 6. vbi sic asserit. Secũdò sequitur, probabile esse, quod possit etiam ex rei quidem natura (vbi nulla humana constitutio vigeat) licitè addi pactum de retrouendendo in fauorem emptoris, siue censualistæ etiam nõ computatis fructibus censûs in partem pretij, idest posse obligari venditorem, seu cẽsuarium,

rium ab emptore census, seù censualista, vt quando is velit teneatur reemere censum, quē vendiderat, reddito eodem pretio, vel pretio, quod post valebit census, prout inter se cõuenerint; nec debere tunc censualistam, siue emptorem census computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modo tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori, iuste ad arbitrum boni viri ipsi ab emptore cõpensetur. Et ita Romæ anno 1581. in cõsultatione multorum, & doctissimorum Theologorum, nobis præsentibus, iudicata est hæc ipsa sententia probabilis, quamuis ob periculum vsuræ huiusmodi pacta minimè sũt suadenda. Ita Valentia, & ante illum Maior. in 4. distinct. 15. qu. 43. & 44. in fine. Gabriel ibidem quæst. 12. art. 2. concl. 4. Conradus de contract. q. 84. post 5. concl. & Carol. 1. Medina quæst. vlt. de cens. q. 15. de vsuris dub. 2. & 5. cum alijs.

Vnde ex his sequitur à fortiori non fuisse vsurarium pactum illud appositum in Parlamento Principis Philiberti anno 1624. in fauorem subiugatariorum huius Regni in illis verbis. [Di più del sudetto si dichiara, che hauendo effetto la sudetta prorogatione (come è la volonta del Regno) hauendosi compito da parte di sua Maestà nella forma sudetta, e non in altro modo, si hà da intendere fatta prorogatione in fauore delli detti soggiogatarij, alli quali s'intende acquistato ius, stipulando per essi il spettabile Protonotario ad effetto di andar pagando le dette soggiogationi, secondo si anderanno maturando, e di quel che auanzerà, il donatiuo sudetto di detti scudi 300. M. si vadano ricattando, e rendendo li capitali di dette rendite,] &cet.

An requiratur expressus, seù personalis consensus legislatoris, qua approbet consuetudinem introductam.

RESOL. LXXVI.

AFfirmatiuam sententiam docent duo viri docti Pontius, & Vasquez hic in p. 2. disput. 177. c. 2. & 3. ille lib. 6. de matrim. c. 6. num. 7. quia non omnis consuetudo approbatur à Principe, sed multæ cõsuetudines permittuntur tantum, aliæ approbantur. Ergo non potest ob vniuersalem illam doctrinam cap. fin. de consuet. præsumi in quauis consuetudine approbatio. Hæc opinio est probabilis.

Sed cõtrariam longè probabiliorem esse existimo, quam tenent Suarez de legibus lib. 7. c. 13. num. 6. Sanchez de matr. libr. 1. disp. 4. num. 11. & 14. Salas de leg. disp. 19. sect. 3. nu. 20. & 37. Azorius to. 1. li. 5. c. 18. q. 1. & alij penes ipsos Et ratio est, quia in d. cap. vlt. de consuet. stabilitur, consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam iuri positiuo derogare. Quod autē sit rationabilis non pendet ex scientia, & voluntate legislatoris, sed ex natura ipsius rei cuius est consuetudo; esse autem legitimè rescriptam habetur ex cursu temporis. Ergo cum nulla alia cõditio ad stabiliendam consuetudinem requiratur iure canonico; gratis, & sine fundamento expostulatur scientia Principis, & eius nouus consensus.

An Commissarij possint à singulis tantum exigere quantum ab vno possent, si pro eo solum negotium facerent.

RESOL. LXXVII.

HIc casus frequens est in hoc Regno Siciliæ, & alibi etiam, & affirmatiuam sententiam docet Lessius lib. 2. c. 24. dub. 5. num. 28. vbi sic asserit. Quando quis pluribus obligat operam suam, singulis insolidum, & illa, æquè commoda est singulis, ac si pro illis solis fuisset exhibita, potest à singulis tantum exigere, quantum ab vno posset, si pro eo solo præstitisset. Vt cũ quis nomine diuersorum proficiscitur ad locũ dissitum, vt ibi illorum negotia tractet, vel testimonia, & probationes in eorum causis conquirat porrò ad bonam fortunam, vel industriam illius pertinet, quod plura negotia concurrant, ita vt vno, medio possit ad ea cõficienda vti, vel eandem cautionē pluribus impendere, neque opus est, vt qui sua negotia ipsi committunt, sciant, illum etiam aliorum negotia gerere, sed sufficit vt tam vtiliter, & opportunè ea gerere possit, ac si alia simul gerenda non haberet, & suam operam cuique seorsum impenderet. Ita Lessius, quæ omnia accidunt in casu nostro, nam Commissarij huius Regni accipiunt plura negotia per vnã, vel plures ciuitates, & stipendium ab omnibus eundi, vt dicunt, & redeundi accipiunt.

Sed his non obstantibus, contrariam sētentiam docent Tanerus in 2. 2. disp. 4. q. 7. dub. 6. nu. 162 & Ortiz in summa. c. 9. n. 3. vbi sic asserit. [Si vno lleua tres comissiones, y cada vna dellas, dize que vaya tal pueblo, y que por cada dia de yda, y buelta lleue tanto, sin bolner de cada publo, puedehazer todas tres comissiones, proque estan todos tres pueblos juntos, y assi sea hora de venir de cada pueblos, en tal caso no deue decobrar todo lo que se deuia si de cada pueblo boluerta a dar lo que auia cobrado.] Ita etiã docet Ioannes de Heuia in Labirintho Cõmerciorum, lib. 2. c nu. 10. sic asserens. [El salario de la persona que fuere à hazer dos, omas desta cobrancas, de yda, y buelta, assi a vn lugar como a dos, o mas, se ha de repartir ẽtre los deudores pro rata dellas cobrancas, y de los lugares segun la distãcia dellos por no poder lleuar mas de vn salario desto en vn tiempo.] Sic ille. Vide etiam Fernandez in instr. Confess. p. 2. ca. 14. num. 2. & c. 12. nu. 22. Bobadilla to. 2. lib. 5. c 1. nu. 3. fol. mihi 631. Ad ea verò, quæ adducit. Lessius dicendum est cum Tannero vbi supra, quod res, vel opera iam vni ex iustitia debita, nõ potest denuò alteri nouo pretio vendi, quia sua non est, sed alterius, vel melius in casu nostro dicendum est, supra dictam sẽtentiam Lessij verã esse secluso iure positiuo, sed in hoc regno adsunt Regiæ pragmaticæ prohibentes Commissarijs hoc efficere. Ergo, &c.

An laicus ratione consuetudinis, vel præscriptionis possit esse immunis à solutione decimarum.

RESOL. LXXVIII.

DE hoc casu interrogatus fui nouissimè in causa decimarum vertente inter Excellentissimum Melchiorem Hieracensem, & Episcopũ Cephaludensem, & respondi affirmatiue, quia immunitas à soluendis decimis etiam prædialibus tam à laicis, quam à clericis cum bona fide vsucapi potest cum titulo, annis quadraginta sine titulo, vel tempore immemorabili, idq; nõ tantùm ex parte, videlicet, vt duodecima, aut vigesima soluatur, sed etiam in totum; modo interim Ecclesiæ ministris sufficiens sustentatio ex alijs titulis v. gr. ampla Ecclesiæ fundatione, fidelium oblationibus & pijs legatis, &c. suppetat. Et ita docent decem Doctores, quos citat, sequitur Layman in Theolog. mor. libr. 4. tra. 6. c. 7. n. 9. quibus ego addo Syluium in 2. 2. D. Thomæ, q. 87. art. 1. concl. 5. Fagundez precep. 4. lib. 3. c. 1. nu. 24. Reginaldum to. 2. lib. 19. c. vlt. sect. 3. q. 4. nu. 97. Monetam tract. de decimis, c. 5. q. 6. concl. 4. n. 112. & alios penes ipsos quidquid in contrarium asserant aliqui Iuriscõsulti, vt Rebuffus tractat. de decimis, disp. 13. n. 55. Barbatius vol. 2. cons. 35. Ruynus vol. 5. cons. 142. Socinus libro. 2. cons. 297. Parisius volum. 4. cons. 25. n. 17. & alij penes Fagundez vbi supra putantes neminem posse eximi præscriptione, seu consuetudine à solutione omnium decimarum prædialium, ita vt nullus omninò teneatur soluere decimas de aliquibus, vel de omnibus suis prædijs, posse tamen decimas consuetudine ad vigesimam trigesimamvè partem reduci, ita vt loco decimæ soluatur vigesima, aut trigesima pars fructuum, sed tu tene primam sententiam.

Imò notandum est, quod in tali casu, sufficere ad præscribendum spatium quadraginta annorum, etiã sine titulo, docuit ex Societate Iesu Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disputat. 5. quæst. 3. dub. 2. n. 31. & Henriquez lib. 7. c. 27. n. 2. sed contrarium docent Doctores citati. At quidquid sit de hoc, nimis scrupulosè dicẽdum est loquutum fuisse Molfesium in summa, tomo 1. tra. 6. cap. 4. nu. 46. vbi inclinat, vt requiratur in nostro casu, præscriptio immemorabilis, nempè centenaria. Sed dicendum est cum supradictis Doctoribus, sufficere præscriptionem quadraginta annorum, licèt cum titulo iusto, seu probabili, quia causam possessori tribuat præscribendi.

Aliqua additamenta ad tractatum de Parlamento.

RESOL. LXXVII.

IN Resolut. 1. huius tractatus assero cũ multis DD. donatiua ordinaria Regni Siciliæ, & Neapolis nomine esse voluntaria; sed reuera esse necessaria, vnde impositiones dici possunt. Hæc opinio nõ placuit quoad Regnum Neapolitanum nostro Raphaeli Rastellio viro quidem docto, & Episcopo Carpensi de Regimine Principis li.3.fol.133.sed nostram sententiam nouissime tenet doctus Tassonus in pragmat. de Antifato, vers.4. obseru.3.nu.18.vbi me citat.

In Resolut.11.huius tractatus asserens intrantes in Parlamẽto posse credere Regi attestãti se esse in necessitate, dummodò moraliter aliud in contrarium non constaret,& ita tenet Capiblancus de offic.Baronum,to.2.prag.1.c.1.num.17.& DD.quos citat, & sequitur Barbosa in collect.tomo 4. par.2.li.2.Clementinarum tit.7.Clement.litteris,num.7.Sed modo non reticeam contrarium docere Franciscum Ferrer, doctissimum Iurisconsultum Hispanum ad constitutionem hac nostra eudent, n. 42. fol.mihi 61.vbi sic asserit.An autem de vrgente Principis necessitate constare prius debeat, tanquam de causa præambula ad vectigalium impositionem, & vt necessarium antecedens, vidi apud interpretes in dubium reuocari,ductos quod requisitum, seu qualitas à lege inductiua,sed induct uum alicuius actus,debet prius ante omnia constare, ex Ripa, leg. ex facto, de vulg. num. 30. Valasco conf.74.nu.9.Crauetta conf.322.nu.4.Lara de Anniuer.lib.2.c.4.n.38.cum alijs. Et quamuis sint ex interpretibus non leuis authoritatis existimantes, solam Principis assertionem sufficere pro necessitate probanda; nihilominus non tantùm deferendum esse voluntati Principis, multi consuluerunt,propter inconueniens resultans ex simili assertione,vt possit per indirectum constitutionibus prohibitis vectigalium abrogari,cum pragmaticæ semper se in egestate Principis fundare possent, licèt hoc inconueniens cessare posset in præsenti ob religionem exactam potentissimi Regis nostri. Sed quia leges semper extirpare, & procauere ea, quæ duci possunt ad inconueniens,& quæ de facili induci possent in fraudem legis; ideò non sufficere assertionem solam Principis super necessitate, tenuerunt Decius conf.376.nu.13.Ferdin. Loazes pro Marchione de los Velez in 3.fundam.pro dicto Matchione, nu.60. Calicius in extrauagatorio Cur. Regul. 191.Pinellus in rubric. Cod. de rescinden.vendit.1.par.c.3.nu.3.Ex quo enim vei fatur tantorum præiudicium, & interesse vltra Principis assertionem alia admInicula cõcurrere esse congruum putarunt Felinus ca. cum à nobis,nu.1.& 2.de test.Guttierrez pract.lib.4.q.11.nu.24. Gesse decis 131.q.1.in ordine sub vol.2.nu.13.ad n.22.Hæc omnia Ferrer.vbi supra.

In Resol.7 asserui exterminandum esse abusum, vt vnus, qui ingreditur Parlamentum,habeat plures procurationes,& nunc addo,quod illum exterminare curauit Excellentissimus Dux Ossunæ tunc Prorex per actum Vice regium registratum in officio Patrimonij ann.1615.die 17.Februarij 13.Indict. per V. I. D.Ioannem Garlanũ tunc Protonotarium. In quo actu dictus Dominus Prorex testatur euenire multa absurda ex multis Procuris,in personam vnius intrantis in Parlamento, vnde hoc efficere per dictum actum sapienter, & prouidè prohibuit, quod vtinam nunc obseruaretur.

In Resol.14.adnotaui, quod quando Regnum est multum tributis oneratum debet Rex non imponere nouum tributum, vel requirere nouum donatiuum, sed minuere, vel suspendere gratias,& pẽsiones aliquibus assignatas & adduxi pro hac sententia Aponte, & Valenzuola ministros Regios, quibus nunc addo alios duos Scipionem Rouitum inconsultatione de Donatiuis nu 4.& seq.post conf. 100.& Carolum Tappia,dec,23.n. 83.Idem etiam docet Rastellius de Regimine Princip. lib.3.de causa efficienti Parlamenti,nu.4.

In Resol.27.in fine, adde hæc verba,& ratio est, quia, vt clarè colligitur ex Gottifredo in Archontologia Cosmica,vbi agit de Regno Siciliæ,nu.8.Brachium Ecclesiasticum in Parlamento positum est; vt resistat iniustis petitionibus, si forte efficeretur, cum in tali Brachio adsint tot Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Priores,& alij Prælati litteris præditi,& qui loqui possint sine metu, quod non ita facilè accidit in personis aliorum Bra-

chiorum, quia sunt sæculares; & ideò si aliquod donatiuum determinaretur à Brachio militari, & Dæmaniali tantùm, facilè illa determinatio populis esset suspecta, non autem si cum vno Brachio concurreret etiam Ecclesiasticum, ex ratione allata:& sic anno 1591.Brachium Ecclesiasticum cum Brachio Dæmaniali non concurrente Brachio militari,præbuerunt hoc nõ obstante donatiuum Serenissimi Regis.

In Resol.29.asserui esse prohibitum præbere in Parlamentis aliquod donatiuum Domino Proregi, & si esset licitum, deberent omnes,& singuli concurrere,& ita in facti contingentia accidit in Parlamento anno 1600. celebrato: nam cum per tria Brachia fuisset conclusum quoddam donatiuum, præbendum Domino Proregi Duci Machedæ, quia Illustrissimus Marchio Sortini, Don Cæsar Caietanus, tunc Baro, & nunc Princeps Cessari,vir nunquam satis laudatus, noluit concurrere,ideò dictum donatiuum minimè effectum habuit, Vnde non est audiendus Tassonus in pragm. de Antifato ver.2. obser.2.nu.126. contrarium docens,sed nostram sententiam tenet Raphael Rastellius de Regimine Principis,fol.146.

An Sacerdotes ducentes reum ad furcam, incurrant irregularitatem, hortando illum vt scalam ascendat, vel accelerando exequutionem iustitiæ etiam notabiliter.

RESOL. LXXIX.

HAec Resolutio pulchra erit, & maximam consolationem legenti præbebit. Aliqui Doctores supradictas actiones ab irregularitate excusant,ratione indeliberationis,vel ratione paruitatis materiæ,& ita docet Henriquez lib.14.cap.12.num. 7.Aulia de cens. parte 7, disputatio 5.sect.2.dub.1.§.8.Reginaldus in praxi tomo 2 libro 30.tractat. 2. cap.9.numero 103.Molina de iustit.tomo 4.tract.3.disputatio.74. numero 4. Layman in Theolog.moral libro 3.sectio.5.tract.3.parte 3.cap.7.numero 2.Villalobos in summa tomo 1.tract.21.difficult.27.numero 13. vbi sic asserit [Hase de aduertir, que si algunos de los que van accompañando al reo para consolare (como suelen hazer los Religiosos) dixese inaduertidamente, andemos hermano, o a caso picase alumento,o les dixese arre,no por esso queda ria irregular,no procurãdo que se accelerase la muerte. La razon es porque este acto no es planamẽte humano.En el segundo caso da otra razon Henriquez, y dize que parum pro nihilo reputatur,y lo mismo es quando dize al reo que suba otro escalon.] Ita ille.

Igitur secundùm præfatos Doctores similia excusantur, vt dictum est, vel quia Sacerdotes inaduertenter illa faciunt, vel ratione paruitatis materiæ: vnde aiunt Layman, Molina, & alij communiter, quod si cooperatio, vel acceleratio mortis in tali casu notabiliter facta sit, irregularitatem contraherent.

Sed ego ad tollẽdos omnes scrupulos puto probabilem esse contrariam opinionem sapientissimi ætatis nostræ Theologi P. Gabrielis Vasquez, qui putat etiamsi notabiliter acceleretur, supradictos non incurrere irregularitatem. Et sequitur Turrianus de censuris lib. 9, disput. 66, dub.3. vbi sic asserit. Difficultas est de illis, qui assistunt, & non sunt ministri iustitiæ necessarij ad ferendam sententiam, vel concurrentes ad exequutionem pœnæ, est dubium, an incurrant hanc irregularitatem, si aliquid dicant, vel faciant, ex quo sequatur mors, vel acceleratio eius; aliqui enim Doctores seuerè loquuntur, existimantes esse irregulares, & sequitur P. Suarez. Sed oportet considerare, an illi sint causa homicidij iniustè, vt si sine causa facerent, vt reus citius occideretur, & ob peccatum possunt incurrere irregularitatem impositam ob iniustum homicidium, de qua modo non loquimur. Si verò sine peccato aliquid faciant, non videntur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita sensit Pater Vasquez,& sequuntur multi viri docti hoc tempore, quia iura in quibus supponitur hæc irregularitas, solum loquuntur de ministris iustitiæ,& his,qui concurrunt ad causæ probationem, sicut Aduocatus, & testes, & pœnæ exequutionem, vt ministri iustitiæ. Ita Turrianus ex Vasquez, qui etiam ad casum propositum in præsenti Resolutione sic respondet. Vlterius casus est frequens (hæc sunt

eius verba (ex quo solent oriri dubia viris bonæ conscientiæ, an incurrat irregularitatẽ, qui aliquo modo facit, vel dicit aliquid, ex quo citius sequatur mors rei, quando illum comitatur, v.g. si dicat, pergamus citius, vel si dicat reo, ascende citius, quando ascendit scalam. P. Auila, & P. Henriquez solùm excusant hos actus ab irregularitate, quia non solent esse plenè liberi, quod necessarium est ad talem irregularitatem. Ego verò existimo, distinctione opus esse; nam vel isti actus sunt peccata mortalia, quia qui illos facit iniustè, est causa, vt mors citius fiat, & tunc incurritur irregularitas, quę oritur ex delicto, de qua modo nõ agimus, neque tale peccatum fit à personis religiosis; in hoc euentu, vel non sunt peccata, & tunc existimo non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi aliquid faciant, vt ministri publici iustitiæ. Hæc omnia Turrianus.

Igitur secundùm Vasquez, & Turrianum nullum ius imponit irregularitatem priuatis personis ex defectu lenitatis, sed iura, in quibus supponitur hæc irregularitas, loquuntur tantùm de ministris iustitię, & iis, qui concurrunt ad causæ probationę, vel pęnæ exequutionem. Vnde ex hoc principio deducitur resolutio multorum casuum contra prædictos Doctores, & sic nõ incurrit irregularitatem, si quis ei, qui plectendus est capite, dicat, vt supponat caput ad excipiẽdum ictum; & ideo citius supponat. Item si quis dicat carnifici, vt aliqui aptet, quo citius is, qui morte plectitur, extinguatur. Item si quis, dum reus ad supplicium ducitur, consilium det capiendi viam breuiorem, quod illud subeat citius, aut sollicitet accelerari exequutionem iustitiæ, dicẽdo v.g. horam esse tardam, vel populum nimis detineri. Item vendentes, vel commodantes scalam, funes, enses, sagittas, & similia instrumẽta ad mortis exequutionem. Et idem dicendum est de eo, qui fecit furcam: quidquid in contrarium asserant in supradictis casibus Io. de la Cruz in direct. conscien. part. 2. de irregularitate dub. 5. conclus. 3. Bonacina de censuris, disput. 7. quæstio. 4. punct. 1. numer. 9. Nauarrus, Auila, Henriquez, Reginaldus, & alij vbi supra. Ratio verùm horum omnium erit, quia in his casibus potest incurri irregularitas; vel ex homicidio iniusto, vel ex defectu lenitatis, non primum, quia suppono supradictos non peccare: non secundum, quia non operantur, vt ministri iustitiæ. Ergo nullam irregularitatem incurrunt.

Non grauabor tamen hic adnotare contra aliquos ignaros Sacerdotes, posse sine periculo irregularitatis, ministrantes infirmis vertere eos ex latere ad latus, vel trãsmutare de lecto ad lectum, vel eis cibum, & potum porrigere, licèt ex his actionibus præter intentionem mors citius sequatur, dummodo hæc omnia cum cautela, quę communiter à prudentibus adhibetur, efficiantur ab ipsis. Et ita docent Reginaldus in praxi tom. 2. libro 30. n. acta 1. 2. cap. 9. num. 102. Megala in 3. par. libro 7. cap. 1. quæstio. 5. numero 56. Filliucius tom. 1. tract. 19. cap. 10 numero 278. qui citat Caietanum, Sotum, Nauarrum, Toletum, Armillam, & Suarez.

Vnde non benè Comitolus libro 6. quæstio. 52. numero 2. vt optimè obseruat Filliucius, damnauit de irregularitate Sacerdotem pium, qui iacentem in via conspicatus, & accurentibus alijs consuluit, vt illum erigerent, qui dum sustolleretur, mortuus est.

Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quam vt in principio dixi, non parum gratam lectoribus fore existimo, sed ex dictis alia similis quæstio descutienda erit, quærto igitur.

An Confessarius, & responsor casuum conscientiæ sit irregularis, si interrogatus à Iudice, an sit obligatus ad occidendum reum, respondeat esse obligatum.

RESOL. LXXX.

ESse in tali casu irregularem tenent Auila de censuris part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6. conclus. 2. & Henriquez de irregular. libr. 14. cap. 16. nu. 4. vbi docent, quod Clericus consultus de casu aliquo in particulari, ne dicat iure reum licitum occidere, sed respondeat consulendos esse iurisconsultos. Aliqui verò vt Ioann. de la Cruz in direct. conscien. par. 2. de irregularitate, dub. 5. conclus. 4. Molina de iust. tomo 4. tract. 3. disput. 74. numer. 4. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de censuris, disput. 7. q. 4. puncto primo, numero 7. asserunt in tali casu Clericos interrogatos posse dicere, quid sentiant leges in communi, nil aliud præcipiendo, vel consulendo in particulari, vel dicendo quid ipsi sententiant.

Sed ego puto in tali casu Cõfessarium, vel alium Doctorem non incurrere irregularitatem, etiam si respondeat in particulari adesse obligationem occidẽdi reum. Et ita docet Vasquez, qui apud me instar omnium est, quẽ citat, & sequitur nouissimè Turrianus de censuris lib. 9. disp. 66. dub. 4. vbi sic asserit. Solet quæri, an incurrat irregularitatem vir doctus, qui interrogatus à Iudice, an sit obligatus ad occidendum aliquem, respondeat esse obligatum? Ego censeo non incurrere, etiam si expressè dicat Iudicem obligari ad occidendum, quia non est ius, ex quo colligatur non incurri, si interrogatus respondeat esse obligationem seruandi leges eius materiæ, & incurrere, si expressè dicat esse obligationem occidendi, & hoc sentit P. Vasquez, & multi alij huius ætatis. Ita Turrianus.

Et reuera, vt ille etiam benè asserit in 2. 2. tom. 1. disp. 93. dub. 2. consideratis circumstantijs rerum, si quis euoluat illam inuolutam responsionem de obligatione legis in communi, planè intelliget sibi dari consilium de occasione iusta in particulari; neque apparet caput, vt dictum est, in quo liceat responsio illa confusa de obligatione seruãdi legem in communi, & non expressa de obligatione seruandi talem legem in particulari imponentem pęnam homicidij. Et certè seuerè valdè ageretur cõ Doctore, vel Confessario, si propter responsionem de obligatione expressa in prædicto euentu imponeretur irregularitas. Adde etiã, quod vt dictum est in superiori Resolutione, illi solum incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel sunt necessarij ad causam iudicialem, vel vt ministri iustitię assistunt exequutioni mortis. Sed tales non sunt in casu nostro Confessarius, & Consultor casuum conscientiæ. Ergo non incurrunt irregularitatem, etiam si expressè respondeant in illo casu particulari, de quo interrogati sunt, Iudicem seù alium esse obligatum ad aliquem occidendum.

Ex his infertur contra Bonacinam de censuris, disputatione 7. quæstion. 4. puncto 1. numero 18. Nauarrum, Couarruiam, Auilam, & alios, non esse irregularem eum, qui detegit malefactorem, vel clamat adesse latronem, vel comprehendatur, nisi quando qui manifestat, esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret, vt minister iustitiæ, & ita docet Turrianus vbi supra de censuris, qui respondet ad ea, ad tua nos, de homicidio. Notentur hæc à confessarijs, quia noua, practicabilia, & probabilia sunt, & in alijs libris minimè obuia.

An Clericus voluntariè percutiens seipsum incurrat in excommunicationem Canonis si quis suadente.

RESOL. LXXXI.

AFfirmatiuam sententiam docent 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Grassis de effectibus Clericatus ef. sect. 9. num. 82. quibus addo ego Suarez de pensat. disputat. 22. section. 1. numero. 59. Molinam de iustit. tomo 4. tract. 3. disput. 51. num. 4. Layman in Theolog mor. lib. 2. tract. 5. parte 2. cap. 5. num. 5. Filliucium tomo 1. tract. 15. cap. 1. num. 33. Reginaldum tomo 1. libro 1. cap. 17. num. 209. Auilam de cens. p. 2. cap. 5. disputat. 3. lib. dub. 12. Bellettum in disquis. cler. p. 1. tit. de fauore Clericorum Canon. §. 1. numer. 11. Fernandez in Examine Theolog. moral. part. 2. cap. 9. §. 20. num. 20. Sayrum de censuris libr. 3. cap. 26. num. 20. Giptium de cas. reseru. cap. 3. num. 27. Guttierrez de iuram. confirmatorio part. 1. cap. 16. numer. 54. & Rayneriuum in Catalogo censuratum ca. 9. excommun. 1. not. 6. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 17. difficult. 22. nu. 10. & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio, primò, quia Canon, Si quis suadente, non tam in fauorem personæ, quam in fauorem ordinis clericalis effectus est, vt patet ex c. contingit. de sent. excommun. ergo Clericus, qui voluntariè percutit seipsum, incurrit in excommunicationem, quia non nequit ad hoc consentire, cum iniuria fiat tot ordini clericali. Secundò probatur ex can. si non licet. 23. qu. 5. vbi habetur, plus esse homicidam qui se occidit, quam qui occidit alium: ergo, &c.

Sed his non obstantibus negatiuam sentẽtiam nouissimè putar

tant esse probabiliorem Turrianus de censuris libro 3. disput. 29. dub. 2. Primò, quia prædictus Canon, Si quis suadente, manifestè loquitur de persona distincta à percutiente Clericum. Secundò, quia oppositum nullo iure probatur, nam cap. contingit, loquitur de actione iniuriosa, de qua loquitur Canon, Si quis, & hic, vt dixi, de actione alterius personæ loquitur.

Neque est idoneũ fundamentum in eo capite ad dicendũ, talem censuram ligare Clericum seipsum percutientem, aliud verò maioris momẽti est, sed dico, quod licèt dicatur magis homicida, qui seipsum interficit, quam qui interficit alium, tamen hoc nihil refert ad probãdum in prædicto Canone, Si quis suadente, sermonem esse etiam de ipso Clerico se percutiente, & hoc multi putant probabile. Hæc omnia Turrianus, & ante illum ex Neotericis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collect. tom. 4. par. 2. decreti causa 17. quæst. 4. nu. 38. & 39. qui probat hanc sententiam ex ipsomet cap. contingit, & respondet ad argumentum, quod hoc priuilegium sit concessum ordini Clericali, & quod non possit à Clerico renuntiari, lege illum, & non pigebit.

Sed quidquid sit de hac opinione, non grauabor tamen hic obiter adnotare celebrem doctrinã Ludouici Molinę de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 51. num. 4. qui ex Caietano meritò affirmat, Monialem, quæ potione, aut venæ scissione abortum intendit, non incurrere hanc excommunicationem, eo quod ea manus iniectio in seipsam sui comparatione violenta, iniuriosa, ac cõtumeliosa non sit, quippè cum volenti, & consentienti, violentia, iniuriosa, ac contomeliosa, non sit, neque item iniuriosa est statui Ecclesiastico: Ergo, &c.

Notandum est etiã hic obiter contra Duardum in Bul. Cęnæ, q. 8. nu. 8. & quęst. 22. nu. 2. Cardinalem seipsum percutientem, aut vulnerantem non incurrere in excommunicationem dictæ Bullæ, & ita probabiliter docet nouissimè Bonacina to. 3. disp. 1. quæst. 12. punct. 3. num. 3.

An percutiens Clericum, qui non habet beneficium, neque requisita Concilij Tridentini, incurrat in excommunicationem.

RESOL. LXXXII.

Affirmatiuè respondendum est, quia in tali casu Clericus amittit priuilegium fori, non autem Canonis, vt declarauit Sacra Congregatio, id testante Antonio Cardinali Caraffa in quadam Epistola directa ad Paulum Comitolũ, vt habetur in suis resp. mor. lib. 6. quæst. 20. vbi sic asserit. [Quanto al secondo la Congregatione hà sentito, che i Chierici, che mancando nelle cose contenute nel cap. 6. sessio. 23. del Concilio, non godano il peruilegio del foro, non per questo s'intendono priuati del priuilegio del Canone, Si quis suadente diabolo.] Et ita etiam hanc sententiam docent Nauarrus li. 4. cõs. 25. de priuileg. editio. Molina, de iustitia, to. 4. tract. 3. disp. 54. nu. 9. Auila de cens. p. 2. c. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3. & alij.

Sed non desunt Doctores; qui negatiuam sententiam tanquam probabilem admittũt; & ita tenent Bannez in 2. 2. quęst. 12. art. 1. circa finem, Suarez disp. 22. sect. 1. nu. 11. Coninch. de Sacr. disp. 14. dub. 15. nu. 163. & nouissimè Layman in Theolog. mor. lib. 2. tra. 5. par. 2. c. 5. nu. 4. vbi sic asserit. Probabile est, nullum prima tonsura initiatum aut in minoribus ordinibus constitutum gaudere priuilegio Canonis, nisi vel Ecclesiasticum beneficium habeat, vel Clericalem habitum, & tonsuram deferre solitus alicuius Ecclesię ex mãdato Episcopi deseruiat, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, cũ licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines versetur. Ita ille, & rationem affert. Primò, quia priuilegium fori difficilius amittitur, quam priuilegiũ Canonis: ergo si Concilium aufert illis clericis fori priuilegium dicendum est etiã auferre priuilegium Canonis, tanto magis, quia priuilegium Canonis ex humano iure inductum est; priuilegium verò fori ex diuino; at his nõ obstantibus tu primam sententiam tene, stante declaratione Illustrissimorum Cardinalium.

Quis consuluit homicidium cuiusdam Clerici, & postea seriò tale consilium reuocauit; quæritur ex homicidio sequuto, an incurrerit in excommunicationem, in irregularitatem, & in obligationem restituendi.

RESOL. LXXXIII.

Pulchra est hæc quæstio, & ex illa à Confessarijs multi casus benignè si opus erit resolui possunt, ideò probabiliter negatiuè respondendum esse puto. Et ratio est, quia quando consulens fecit, quod potuit, vt prius consilium euertat, vel ostendat omnibus consideratis esse iniquum, & non amplectendum, non videtur in tali casu exequutor ipsius consilio moueri, sed potius sua malitia. Et ideò contra Nauarrum in Manu. capit. 27. numero 25. & alios, hanc sententiam, quoad excommunicationem tenent Layman in Theolog. moral. libr. 2. tract. 5. part. 2. capit. 5. conclus. 7. Auila de censuris part. 2. capit. 5. disputat. 3. dub. 7 numero 3. & alij. Idem quoad irregularitatem contra Molinam tractat. 2. tomo 3. poster. disputat. 731. Toletum lib. 1. cap. 85. & alios tenent D. Antoninus in 3. part. tit. 28. cap. 2. §. 2. Syluester. verb homicidium 1. num. 11. §. 3. & numer. 12. in fine. Petrus Nauarra de restit. lib. 3. cap 1 num. 27. & hanc sententiam probabilem vocant Lessius lib 2. cap. 13. dub. 3. nu. 27. & Layman loco citato. Et tandem quoad obligationem restituendi, liberant enim consulentem, qui seriò consilium suũ reuocauit, non ignobiles auctores, vt Tannerum in 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 394. Salonius in 2. 2. qu. 62. art. 7. contro. 6. & expressius Petrus Nauarra de restit. loco citato. Emanual Sa ver. restit. n. 11. contra Malderum in 2. 2. tract. 4. cap. 2. dub. 3. & hanc sententiam cum Lessio probabilem etiã vocat Layman, vti reuera est.

Concludendum est igitur cum dicto Layman in gratiam confessariorum ad tollendos omnes scrupulos, quod qui alteri propositis rationibus homicidium iniustum persuasit, si eas postea seriò, & quatenus potest efficaciter retractauit; sequuto nihilominus homicidio, nec in excõmunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem restituendi incurrit.

An consulens furtum, aut homicidium, & dubitans, an ex suo consilio sequutum sit furtum, aut mors, teneatur restituere.

RESOL. LXXXIV.

Affirmatiuè respondent Salas in p. 2. to. 2. tract. 8. dist. 1. sect. 23. nu. 249. Naldus in summa, verb. cons. nu. 13. Mascardus de probatio. to. 1. concl. 419. n. 9. Couar. in Clem. si furiosus, p. 2. §. 2. nu. 1. Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. disp. 21. n. 17. & Sancius in select. disp. 42. num. 14. vbi sic asserit, Ille, qui consulit furtum, aut homicidium, vel aliter adiuuit, tenetur ad restitutionẽ dãni, licèt dubitet, num ex suo consilio fuerit sequutum homicidium, vel furtum? Nam cum constet de iniusta actione consulentis, quæ apta est ad affectum producendum, & ex natura sua illum assequitur, dum de effectu subsequuto constat, possessio est pro actione illa iniusta, quod effectum assequuta fuerit. Ita Sancius, & multi alij, probabiliter quidem.

Sed probabilem contrariam sententiam etiam esse puto, quam tuentur Syluester, ver. restitutio. 3. quæst. 6. dist. 2. Medina Cod. de restitut. quæst. 7. ante ver. si autem consilium Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 167. Rebellius par. 1. libr. 2. quæ. 14. sect. 2. Sayrus in Claui Regia libr. 10. tract. 2. cap. 8. nu. 1. in fine. & Nauarra. lib. 3. cap. 4. dub. 4. in 2. editio. numer. 48. vel 58. vbi sic asserit. Si dubium est, an positiuè, & efficaciter consulerim ad damnum, vel an fuerim causa sine qua non; respondeo, quod nõ teneor, quoniam in dubijs maximè in materia iustitiæ melior est conditio possidentis, vnde solũ tenetur, quando certus est saltem moraliter, quod ab eo actio iniusta efficaciter processerit, quod non absolutè docet Diuus Thomas in 2. 2. quæstione 62. articulo septimo, dum dicit. Tunc solùm tenetur, cum probabiliter æstimari potest, quod ab eo actio iniusta sit subsequuta; quod licèt solùm doceat de quatuor causis, tamen de omnibus esse accipiendum dicemus. Sic Nauarra, & post illum ex Societate IESV docent etiam hanc

sententiam Tannerus in 2.2.disp.4.quæst.6.dub.14.numer.395. Emanuel Sâ, ver. restitutio, num. 5.& Henriquez lib.14.c.3.n. 4.in fine,& in Glossa littera B.Dicendum est igitur probabiliter cum supradictis Doctoribus,quod si quis dubitatjan fuerit,dāni causa,minime ad restitutionem tenetur.

Notandum est tamen cum Molina tom.3.disp. 736. num. 6. quod etiam stando in prima opinione,ita consulentem non teneri restituere totum damnum, sed partem pro quantitate dubij,& Sayrus de cens.lib.7.cap.3.num.1.cum Henriquez lib.14. cap.6.num.3. illum excusant à tota restitutione , si homicida ei asserat ad homicidium perpetrandum nō fuisse motum eo consilio,licet Sanchez in summa,tomo 1.lib.1.cap.10.num. 44.doceat hoc esse verum, quando homicida est fide dignus, vel aliæ coniecturæ cócurrāt; sed ego,vt dixi, absolutè teneo in tali dubio consulentem post adhibitam, diligentiam,si adhuc dubius remaneat, ad nullam teneri restitutionem.

Notandum est etiam hic obiter cótra Caietanū in 2.2.quest. 62.artic.6.Medinam de restit.quæst.7.& 8.Sotum de iust.libr.4. quest 7.art.3.quod qui alterum certo proposito determinatum ad damnum inferendum sub hortatu magis adhuc confirmauit,non obligatur ad restitutionem, & hoc verum puto contra Vasquez opusc.de restitu.cap.9.§.1. dub.2.numer. 32.Molinam disput.736.nu.3.& alios,etiamsi hortatu suo causa fuerit vt citius,aut expeditius damnum inferretur,quod si contra Molinā loco citato, n.2. & Adrianum in 4.de restit.vbi de concurrentibus cum fure dub.1.quod si inquam,suasione,vel hortatu causa fuerit, vt maius damnum inferatur , quam alioquin illatū fuisset, tenetur tātum de excessu,& horum omnium rationem adducit Layman in Theol.mor.libr.2.sect.5. tract.1. cap. 5. nu. 2, & alij penes ipsum.

Ex his infertur à fortiori,quod qui furi ascendenti scalam teneat,quam etsi nemo teneret,tamē ascenderet, vel si alicui obsequium præstet in exportādo res furtiuas, quas fine cuiusquam subsidio auferret tamen, & furaretur,in his , inquam casibus,& similibus talis non tenetur ad restitutionem , quidquid in contrarium asserat Vasquez opusc.de restit.ca.9 §.2.dub.2. quia talis cooperatio fuit tantū materialis in effectum formaliter nō influens , quia sine ea hoc ita. damnum ab hoc damnificante iam illatum fuisse.Et ita docent Doctores , quos citat , & sequitur, doctus Layman vbi supra.

An liceat conari fricationibus ad semē corruptum expellendum, etiam si inde sequatur aliqua vera emissio seminis.

RESOL. LXXXV.

AFfirmatiuam sententiam docuerūt multi viri docti Societatis Iesu,quos citat,& sequitur Sanchez de matr.to.3. lib. 9.disp.17.nu.18.& post illum docet etiam hanc sententiam Bonacina de matr.quæst.3.punct.10.num.11. vbi sic ait. Secundò, fœminam , quæ propter semen corruptum patitur accidentia venenosa,sequitur posse conari fricādo , vel adhibēdo medicamenta ad expellendum semen corruptum,quod est noxium sanitati,etiāsi inde sequatur vera seminis emissio: nam illa emissio sequitur per accidēs ad expulsionem seminis corrupti,quod est sanitati noxiū,modo nō sit periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & modo cōstet semen illud corruptum esse.Sic Bonacina , & nouissimè hanc opinionē tenet etiā doct. Villalobos in sum 1.2.tr.40.diffic.16.n 4.sic asserens.[Duda es] si semen est corruptū ex quo in vase retēto patitur mulier accidētia venenosa,an liceat conari illud expellere, vel fricatione partium , vel intromissione digitorū vsque ad os vteri [A lo que se responde con distincion, proque quando procede de que semen peccat in quantitate , non licet, quia est verè semen. [Mas si verdaderamente esta corrupto, licito es procurar expelerle de las maneras dichas, yotros remedios, porque ya no es verdaderamente semen, pues esta corrupto, yno se ha da hazer caso de que de camino,y præter intentionem,se sigua iōtamente veri seminis emissio, quia datur opera rei licitæ.] Ita Villalobos , cuius sententiam ex multis rationibus approbat Sancius in select.disp.21.num. 30.

Sed si dubium esset,num in quantitate,an in qualitate peccaret,asserunt non licere,si dubium ita esset,vt docti medici neutri parti acquiescerent,quia tunc semen est in possessione,quod verum,& aptum generationi sit ; cū hæc qualitas suapte natura illi insit. Si verò probabiliter opinarentur illud in qualitate peccare , quamuis cū alterius partis formidine, id putent licere , nam opinionē probabilem quis tuto amplecti potest.Et ita docent Sanchez,& Bonacina vbi supra,& Reginaldus infra.

His tamen non obstantibus Sanchez posteà in summa; tomo 2.lib.5.cap.6. num.12.mutauit sententiam,& docuit non licere iuuare naturam confricationibus ad expellendam qualitatem morbidam,in quam semen iam corruptum transijt,& hāc sententiam docuere etiam ex eademmet Societate Rebellius par, 2.lib 3.quæst.19.sect.5.& Ioannes Salas in p.2.tomo 2.q.74.tra. 13.disput.6.sect.15.num.90. vbi post multa,sic tandem concludit. Mihi magis placet illicitum esse semen quantumcumque corruptum cum venerea voluptate emittere etiamsi de corruptione certitudo esset.Sic ille,& ego;concedit tamen Sanchez, & Filliucius.tom.2.tract.30.cap.8.num.150.hoc fieri posse cum medicamentis,non autem confricationibus,vide etiam Zanardum in direct. Theologorū p. 1. de Sacram. matrim.ca.41.vet. 11.& Reginaldum, tomo 2.lib.22.c.3.nu.40.

Notandum est tamen hic obiter, quod Sancius in select.disp. 21.num. 33. Reginaldus ,& alij vbi supra docent non peccare taliter mundantem verenda à lanugine,& sanguine menstruo, ne prutitum,aut fœtorem patiatur, quamuis inde præter intentionem subsequuta videretur pollutio,secluso consentiendi periculo.

An omnes alicuius exercitus depradantes vrbem teneantur insolidum ad restitutionem.

RESOL. LXXXVI.

AFfirmatiuè respondent Syluius in 2.2.D.Thomæ,q.62. art. 7.§.de participante,& Laiman in Theol. moral.lib.3.tr.2. c.6.num. 5. qui citat Adrianum,Gabrielem , Caietanum , Sotum,Couarruuiam,Angles,& Molinam.Hāc etiam opinionem docet Adamus Tannerus in 2.2.D.Thomæ,disp.4. q.6. dub.14. num.396.quia singuli efficaciter,etiamsi non totaliter ad totum damnum concurrunt,cum vnus alteri præstet fiduciam, auctoritatem,aut qualemcumque opem, nec vnus sine alijs facinus aggredi ausus fuisset. Nec obstat si miles dicat,etsi ego non interfuissem, nihilominus vrbs ab alijs direpta fuisset ; nam ita omnes & singuli se excusare possent , atque totus exercitus restituendi obligationem effugeret,quod falsum est.Secundò,nihil iuuat si idem milites se excusare vellent dicendo , etsi nos Duci non militati essemus , & ad iustam direptionem non cócurrissemus tamen alij non defuissēt , à quibus idem damnum illatum fuisset ; nam sicut illi alij tunc restituendi obligationem contraxissent, ita nunc de facto istos contrahere dicendum est.

His tamen non obstantibus ego supradictos milites non obligarem ad totam restitutionem, & ita hāc sententiam tenent Vasquez opusc.de restitut.cap.8.§.1.numero 35.Petrus Nauarra lib.3.cap.4.num.53.Nauarrus cap.17.num.20. Paludanus in 4. dist.15.q.2.art.5.& Lessius lib.2.c.13.dub.4.nu.37.vbi sic afferit, Miles gregarius non tenetur, nisi de damno , quod ipse per se in bello iniquo dedit , nō autem ad totum illius belli. Non obstat, quod singuli iuuerint ad iniquam expugnationem , & ingressum in Vrbem,quia solùm iuuerunt faciendo partem suā, non autem procurando,vt alij suam in illo damno facerent,aut Vrbem expugnarent; vnde sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis quam ipse intulit, ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro sua parte. Sicut enim totus exercitus est causa totius damni,ita singulæ suæ tantùm partis,nisi alia ratione alios iuuerit , vel incitauerint.Dux tamen tenetur ad totum , quod per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxerit,vel si non direxerit saltem tenebatur ex officio impedire.Ita Lessius, satis quidem probabiliter.

An

An sit peccatum mortale desiderare pollutionem in somnis, aut de illa sic habita gaudere ob aliquem bonum finem.

RESOL. LXXXVII.

AFfirmatiuè respondent Sotus in 4.dist.12.q.1.art.7.Medina in par.2.quæst.74.art.6.Azorius par.3.lib.3.c.24.q.3.Ledesma in 1.par.4.q.21 ar.7.dub.6. Zumel in p.2.q.74.art.8.disput.4. dub.4.Rodriquez in summa tom. 1.c.211.num.3. & nouissimè doctus Franciscus Syluius in 2.2.D.Thomæ,q.154.art. 5. concl. 5.quia pollutio ex se, & ex obiecto, natura sua est mala; ergo sicut propter valetudinem, vel aliam rationẽ non licet desiderare, vt fornicatio tibi eueniat in somnis, neque etiã licet desiderare pollutionem. Probo consequentiam, nam quod est per se, sine ex obiecto malum, nõ potest voluntariè desiderari propter quemcunque bonum finem; quia consensus in tale malum non potest esse malus; alioquin liceret desiderare adulteriũ, homicidiũ, & huiusmodi propter aliquem bonũ finem, vt ea tibi dormienti acciderent.

Sed his nõobstantibus contrariam sententiam probabiliorem esse puto, quam tuentur 22. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in summa tom.1.lib. 1. cap. 2.num. 18.quibus ego addo Sãcium in selectis,disput.21. nu.35. Tannerum in p.2.D. Thomæ,disput.4. quæst.8.dub.7.num. 145. Villalobos in summa tom.2.tract.40.difficul.16.num.144.Filliucium tom.2.tract. 30.cap.8.num.10.Reginaldum tom 2.lib.22.cap.3.num.41. Ioann.de la Cruz in director. conscientiæ,par.1.pr.6.artic.8.dub. 10 conclusio.2.Layman in Theolog.moral.lib.3.sect.4.num.17. Granado par.2.D.Thomæ, contr.6. tract.4.disput.6.n.6.& Fernandez in Exam.Theol. mor. par. 4.cap.11. §.4.num. 3. Et ratio est, quia talis pollutio sola via naturali consequens, non est ex se peccatum mortale, nec habet malitiam obiectiuã mortalem; sed eam habet certo solummodo (via scilicet naturali causata) quocirca à ratione contraria mortale esset desiderare, vt præter naturam ab alio quamuis amãte, vt sibi etiam dormiẽti pollutio prorumperet. Deinde non infrequens est, quod ob honestum finem liceat desiderare effectũ aliquem per causas naturales euenire, & de eueniente gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret; & ideò si legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam administrat, licitum est boni communis causa optare simplici affectu vt moriatur, aut eo mortuo gaudere, cum tamẽ mortem ipsi procurare non liceat. Ergo, &c.

An licitum sit aspicere coitum bestiarum, seu verenda turpiter commota, & quid de coitu, & verendis aliorum.

RESOL. LXXXVIII.

AD hanc quæstionem ita respondet ex Sanchez Iacobus Granado Societatis Iesu in suis doctis Commentarijs ad par.2.D.Thom. contr.6.tract.4.disput.7.num.3. vbi sic ait. Non damnatur de mortali inspicere verẽda bestiarum etiam turpiter commota. Quod verò attinet ad coitum, licèt sine necessitate sit mortale studiosè aspicere cõcubitum licitum, vel illicitum hominum, eo quod nimium sensualitatem commoueat, & sit periculo nimis obnoxium, de coitu verò bestiarum videtur id de se non esse mortale, quia nõ multum prouocat ad luxuriam. Denique aduerto non esse mortale aspicere vllum coitum ita breuiter, & quasi per transennam vt non sufficit ad notabilem commotionem, & idem dicendum est, si ille, qui aspicit. attenta propria complexione non subit periculum prædictæ commotionis. Ita Granado, qui etiam addit peccatum mortale esse ex proposito, & sine necessitate aspicere personam alterius sexus nudam, vt si vir fœminam, & fœmina virum intuatur, imò, & si solùm videat verenda illius; quia id valdè pugnat cum honestate naturali, & quia est notabilis causa magnæ commotionis sensualitatis. Putat tamẽ hoc non esse mortale in eo, qui ob curiositatem adeò leuiter, & per transitum aspicit, vt non sit occasio dictæ commotionis; similiter si attẽta ætate, vel complexione, quis prudenter sibi persuaderet nullum esse periculum magnæ cõmotionis, nõ damnaretur ad mortale, etiã si ex proposito inspiceret. Ita ille. Sed in his materijs cautè procede, & fuge.

Quid sentiendum de tactibus, & osculis inter solutos.

RESOL. LXXXIX.

COmmunis sententia Doctorum affirmat esse peccatũ mortale, tangere immediatè alterius viri, aut fœminæ verenda, quia id de se valdè prouocat luxuriam, & commouet sẽsualitatem; & idem de tactibus, quibus quis immediatè tãgeret verenda propria, excusabuntur autem omnes prædicti tactus à mortali, si fiant ex aliqua necessitate, aut ex leuitate animi, ita breuiter, vt nõ habeatur periculum magnæ commotionis, & eodem modo excusatur à mortali, qui tangeret verenda super vestem, non intenta vlla maiori delectatione, quam sit illa, quæ prouenit ex tactu mediato. Alij verò tactus ex se notabiliter commouentes sensualitatem, videntur etiam mortales, sicut oscula, & amplexus, eiusmodi autem sunt, si vir tãgat crura, vel vbera fœminæ: alij verò tactus leuiter commouent sensualitatem; & hi excusantur à mortali, vt si vir tangat digitum, vel manum fœminæ, similiter, & confricare partes obscænas brutorum, non videtur communiter mortale. Et hæc omnia docet Iacobus Granado Societatis Iesu in 1.2.D. Thomæ contr. 6. tract.4.disp.7.nu. 5.& 6.& alij penes ipsum.

Vnde ex his secundùm aliquos excusantur à mortali, qui ioci causa inter natandum arripiunt inter se pudenda, vel leuiter tangunt nates, quia ait Sanchez de matrimon.tom. 3.lib.9.disp. 46.num.12. in tali casu deficit animus libidinosus, nec tãta versatur indecentia, & inhonestas, ac inter personas diuersi sexus, & secundùm Granado vbi supra, hæc omnia efficiũtur breuiter ex leuitate animi, vnde Filliucius tom.2. tract. 30. cap.9.nu. 200.sic asserit. Non facile damnarem eum, qui simpliciter tantum tactu secretiores alterius partes in transitum tangeret.

Sed aliquibus magis placet sententia Francisci Syluij in 2. 2. D.Thomæ, quæst.154.artic. 4. conclus. 3. vbi ita ait; Qamuis si vir viri, aut fœminæ partes inhonestas tãgat ob delectationem, mortale peccatum sit: si tamen ex leuitate facerẽt, vel ioco, absque vllo periculo delectationis, aut motus carnalis, verisimile esse, quod solùm peccarent veniàliter opinatur Sanchez: Quod putamus admitti posse, si valdè leuiter, & quasi per transennam hoc fieret: non autem si omninò deliberatè quia talis leuitas, & iocus deliberatus est nimis turpis, & periculosus. Ita Syluius, Sed in his materijs cautè procedendum est, & ideò omnia supradicta fuge & deuita: nec in his materijs vt supra probatum est, admittenda est paruitas materiæ.

An liceat viro honorato occidere inuasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, si aliter hac ignominia vitari nequit.

RESOL. XC.

AFfirmatiuam sententiam docent Lessius lib.1.c.9.dub.12.n. 77.Sotus, Syluester, Lopez, Nauarrus, & alij penes ipsum; quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines æstimatur, quam damnum multarũ pecuniarum. Sed si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiã, ne hanc ignominiam cogatur sustinere.

Sed aduersus Lessius insurgit nouissimè Tannerus in 2. 2. D.Thomæ, disput.4.q.8.dub.4.num.74. vbi sic ait. Non etiam placet, quod absolutè dicit Lessius, fas esse viro honorato occidere inuasorem, qui fustem, vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, si aliter vitari hęc iniuria nequit, tum quia fieri potest, vt si res in occulto agatur, ea re parum honor lędatur, tum quia etiam læsus ita honor via iuris, aut alijs modis recuperari potest.

An liceat verò præuenire aggressorem, & eum priusquã inuadat occidere, negatiuè respondent Syluius in 2.2.D.Thomæ, quæst.64.art.7.quæritur 6. vbi sic ait. Probabilior est non licere præuenire inimicum, quantumuis paratum, donec actu inuadat, & aggrediatur: præuenire namque inimicum non te inuadentem, nõ est te defendere, nemini autem priuato licet alium occidere, nisi in necessariam defensionem: ergo nõ licet inimicum præueniendo ipsum occidere. Ita Syluius, qui tamen contraria sententiã tanquam probabilem videtur admittere, nam

suam

suam tantùm probabiliorem vocat, & illam docet Bannez in 2.2.quæst.64.art.7.dub.4.conclus.2.vbi sic asserit. Postquam iam aggressor fecit aliquam actionem, parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non possum, nisi occidendo illum, tunc licitum est mihi medio tempore, antequam instet meum damnum occidere insidiantem, etiam si pro tunc quietus sit. Ratio est, quia tunc propriè loquendo, est defensio vitæ meæ: nam profectò moraliter loquẽdo ille est actualis aggressor. Ita Bannes. Sed hæc sententia aliquibus, & mihi etiam displicet, vnde tene sententiam Syluij negatiuam.

An reus teneatur Iudici respondere, si testium depositio non notificetur?

RESOL. XCI.

HIc casus frequenter solet accidere, & erit Cõfessarijs perutilis, ideò respondeo negatiuè, quia ei non constat, quod iuridicè interrogetur, vnde teneatur respõdere, & ita docet Ioseph. Aldrete Societatis Iesu de Religiosa disciplina tuenda, lib. 2.cap.4.num7.vbi sic ait. Exigitur quod reus nouerit se iuridicè interrogari, propter quam causam asserunt necessarium esse quod testium depositio reo notificetur, vt sciat ad obediendum se teneri. Ita Soto, Nauarrus, Corduba, Salzedo, Toletus Nauarra, & alij, hoc autem necessarium non esse voluere nonnulli, vt Lopez, Arenalus, Iulius Clarus, Gutierrez, & alij. In qua quæstione minimè necessarium putamus, quod verius sit, in stricta disputandi ratione indagare; cum reus tot pro se habeat grauissimos Doctores; & si iudices cõsueuerint eorum non admittere opinionem, id efficit, vt ita è contrario, & interroganti, rei delicta semper occultare non vereantur. Quapropter consultius est tutiorem eligere viam, eam nimirum quæ plenè demonstrat, eos omninò teneri ad veritatem confitẽdam propter testium depositionem ipsis notificatam, ne rei propter contrariam opinionem illi fauentis, veritatem occultent. Sic Aldrete.

Et ita docent Caietanus, & Aragon in 2.2.q.69.art.2.Io.de la Cruz in direct.par.1.pr.8.art.3.dub.9.concl.1.Sanchez in summa, to.1.lib.3.cap.7.num.15.Salon.in 2.2.to.1.q.69.art.2.contr. 2.conclus.2.Lessius lib.2.cap.31.dub.3.nu.10.Segura de Aualos in direct.indic.par.2.cap.24.num.32. & Ludouicus Miranda in ordine iudiciario to.2.q.19.art.13.concl.1. quem omninò vide. Dicendum est igitur quod iudiciorum, & semiplenæ probationis copia reo tradenda est, vt inde veritatem probare astringatur; aliàs non tenetur verum dicere: vnde ait Segura vbi supra num. 31. omnes vtriusque fori iudices in hoc errant, quia nunquam iudiciorum copiam delinquentibus ostendere solent, ante eorum confessionem recipiendam, ex quo rei iuste possunt veritatem in iudicio degnare. Sed mihi cum Salzedo in pract. crimin. cap. 126. littera C. summopere placet ea forensis practica, qua Ecclesiastici, & seculares iudices Deum timentes vti solent, vt ante confessionem receptam nunimè præcipiant informationis copiam dari, sed tantùm Tabellioni, vel Notario præcipiunt, quod testium depositiones absque eorum nominibus corã reo legat, vt inde compertũ habeat, quid cõtra ipsum probatum sit, & veritatem fateatur. Ita Salzedo, quod vtinam iudices obseruarẽt. Vnde si non obseruant, miserrime in hoc falluntur, & ideò possunt Cõfessarij reos absoluere, qui veritatem in tali casu confiteri nolunt; & ratio librum omnium erit: nam qui bonam suam famam, honorem, & vitam iure possidet, nullo astringitur iure illa dimittere, quo ad vsque sibi innotescat alienum ius, & qui contrarium faceret imprudens esset nimis; sed in proposito casu reus iure omnia ista possidet; ergo quo vsque per statum processus sibi constet, & innotescat ius, quo iudex potest illum interrogare, non tenetur seipsum prodere, aut veritatem ei dicere. Nota tamen quod Ioseph à S. Maria in Tribun. Relig. tract.4 capit. 17. §. 3. docet omnia supradicta esse vera in ordine ad reos seculares, non autem si agatur cum Regularibus, sed fabitur quidem omnes DD, citati loquuntur etiam in causis Regularium.

An qui fecit contractum vsurarium bona fide credens esse iustum, possit tantum lucrum retinere, quantum acquisiuisset per contractum licitum.

RESOL. XCII.

IN tract.de contract. resolut.47. affirmatiuam sententiam cõtra aliquos probabilem putaui, innixus authoritatis solius Exmanuelis Sà, & aliquorum, quos tacito nomine citat Lessius Sed nouissimè inuenio hanc sententiam docere etiam Tannerum in 2.2.D.Thomæ.disput.4. quæst.7. dub. 3. num. 99. Et ratio est, ait ille, quia hoc ipso quod mutuans v.g. beneuolo affectu, & bona fide in gratiam mutuãtis suam pecuniam exponit, probabiliter censeri potest, & ipse omni, quo potest, modo licito auctarium lucri accepisse, & contra etiam mutuatarius, etsi expressè non monitus, saltem implicitè consensisset ad mutuãtem in contractu indemnem seruandum, adeoque ad præstandum interesse, nisi aliunde contrarium constet. Licitè ergo mutuans, saltem ratione lucri cessantis, retinet quod accepit, modo alioquin cæteræ conditiones, ad hunc titulum requisitę, dum contraheretur, adfuerint. Accedit, quod talis non tenetur, nisi iuxta leges possessionis bonæ fidei ad restituendum id, in quo ex contractu ditior est factus; non videtur autem ex contractu absolutè ditior factus, secundùm id, quod secluso tali contractu erat lucraturus, quia hoc potius ad eum indemnem seruandum pertinet, merito enim alioquin diceret se ex tali contractu damnum sensisse: ergo, &c. Hæc omnia Tannerus, ex quibus Confessarij multos ab onere restitutionis liberabunt.

An teneamur corripere aliquem in dubio, an correctio sit profutura, vel obfutura.

RESOL. XCIII.

NEgatiuè respondeo cum Villalobos in summa tom. 2.tractat. 4.difficult. 3.num. 4. vbi sic ait. [Aduiertase que en caso de duda si mi correcion ha de aprouechar, ò dañar, es mui probable, que no tẽgo obligacion de amonecer al hermano como dize Bañez y Caietano; el exemplo es, quando no conozco alque he de corregir, ni su condicion, porque me pongo a peligro de escandalizarse, y que me diga mil pesadumbres, y pequeñas en eslo, que en lo otro, saluo si estuuiesse in articulo mortis.] Ita ille. Vnde ex his tollẽdi sunt scrupuli ab illis, qui volunt corripere aliquos per plateas ciuitatis blasphemantes: nã in tali casu, non tenentur ad præceptum correctionis, cum nesciant naturam, & conditionem talium personarum, & ideo ait Tannerus 2.2. disp.2.quæst.5.dub.4.num. 86. maior est obligatio in tali casu præcepti negatiui de non nocendo proximo, quam affirmatiui de commodando.

An ludens oppignerata fide, si aliquid perdidit, teneatur in conscientia.

RESOL. XCIV.

AFfirmatiuè respondent Azorius tomo 3. libro 2. capit. 24 quæst. 7. Valentia tomo 3. disp.5.quæst.6.punct.5.§.2. Syluius in 2.2.quæst. 168. art.3. concl.3. & alij, quia promissio hoc ipso, quod vera promissio est, ex iure naturali habet vim obligandi, & nullum est ius commune, quod promissionem de qua loquimur, reddat irritam: ergo talis promissio obligabit. Vide etiam Layman in Theol.mor.lib.3.sect.5.tract.4.c.21.num.3.

Sed contrariam sententiam tenent 18.Doctores, quos citat, & sequitur Salas tract.de contr.dub.20.num.2.& ego hanc opinionem cum Tannero in 2.2.D.Thomæ, disput.4.quæst.6.dub. 11.num.308.probabilem esse puto. Et ratio est, quia ei qui ludo perdidit, & soluit, datur per leges actio ad repetendum; ergo multò magis eidem competit exceptio, antequam soluat? quid enim opus est soluere, si posteà soluens repetendi coram iudice ius habeat.

Igitur Confessarius poterit absoluere pœnitentem, qui non vult soluere pecuniam credito amissam in ludo. Sed quæret aliquis si talis soluerit, qui accepit teneatur in conscientia restituere. Affirmatiuè respondent Sotus, Castrus, Aldrete, & alij

apud

apud Salas vbi supra num.6.sed ipse,& meritò,contrariam sententiam tenet,quia leges non intendunt obligare ad restitutionem pecuniæ si soluta fuerit,vel si id intendunt, non fuerunt in eo sensu receptæ.

An qui propter impotentiam, vel ignorantiam edicti non denunciauit intra terminum, teneatur postea denunciare?

RESOL. XCV.

Affirmatiuè respondent Filliucius tom.1.tract.14.c.2. n. 42. qui citat Suarez,idem etiā docet Sancius in selectis disp. 11.nu.59.qui citat Acunam,& Freytam, vide etiam Antonium Ragucium in var.discep.Eccles.tit.de monitorijs quæst. 97. n 2. Et ratio est,quia terminus nō est in edicto positus ad finiendā, sed ad differendam obligationem.Ex his infertur,quod excusatur ob ignorantiam,ad non releuandum intra præfixum terminum, si posteà illi constet de edicto, tenetur ad reuelandum, quia obligatio adhuc durat.

Nō reticeam tamen contrariam sententiam docere Vgolinum de potest. Episcop.cap.45.§.5. nu. 1. Philiarchum de offic. Sacerd to.1.part.1.lib.3.cap.34. Armillam ver. excommunicatio, num.34.& Tabienam verbo excommunicatio 4.nu. 5. vbi sic asserit. Ex his sequitur quæstio ista,scilicet est facta monitio per Episcopum,vt qui habet instrumenta Titij reuelet infra sex dies, Petrus habet vnum, & est absens, & ignorans, post sex dies fit excommunicatio; deinde venit Petrus,nūquid incurrit? dicitur quod non, quia vltra terminum statuentis, nullum habet vigorem. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docet noster Naldus in summa,verb.reuelare, nu.2. vbi ita ait. Reuelare iubēs edictum superioris delictum aliquod occultū sub pœna excommunicationis intra certum temporis spatium nō comprehendit subditos,qui tempore edicti degunt extra territotiū excommunicantis,& similiter qui promulgationis edicti tempore erat impotēs, vel ignarus edicti vel aliàs legitimè excusatus,cessante eiusmodi excusatione post elapsum terminum, nō incidunt in illam excommunicationem,quæ vires suscipit tempore suæ publicationis:& ideò noua sententia opus esset ad eos excusatos eiusmodi censura afficiendos. Sic Naldus, sed tu à communi sententia ne recedas.

Nota verò cōtra Sancium vbi supra, quod in tali casu non est obligatio denūtiādi statim,sed intra eosdem dies, quos edictum signauerat; non enim debet esse peioris conditionis, qui ignorauit edictum,quam cæteri qui notitiam habuerunt, & ita docent Filliucius loco citato,& Villalobos in summa tom.1.tr. 17.difficult. 18.num.4.

Notandum est etiam hic obiter, cum Lazario de Monitorijs sect.2.quæst.4.numer.8.qui citat Conradum, Graffium, & Nauarrum,quod qui non denunciat intra terminum præfixum in edicto, nō incurrit in nouam excommunicationem,sed tātum manet in eadem. Contrariam sententiam docet Bonacina in tract. varijs disp. 6.punct.1. §.1.num.2.putans toties incurrere excommunicationem non denunciando, quoties potest commodè denunciare,sed opinio Lazarij,& aliorum, est satis probabilis.

Notandum est etiam,quod in talibus edictis iubentur scientes denunciare intra sex primos dies,& ex praxi constat inter eos nō numerari diem primum publicationis, ac subinde dum edictum publicatur in Dominica,cum sex diebus datis pro tribus terminis, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora, & qui nesciūt statim primo die fuisse latam excommunicationem in edicto cōtra scientes,possunt à die notitiæ numerare prædictos sex dies.Et hæc omnia docet Henriquez lib.13. c.18. nu.6. & in Glossa littera O.

An milites extranei dubitantes de iustitia belli possint sine peccato militare?

RESOL. XCVI.

De hoc casu his diebus interrogatus fui, & vt verū fatear negatiua sententia est communis; nam Doctores distinguunt inter milites subditos in dubio de iustitia,quos posse militare,secùs autem extraneos, & ita docet Caietanus ver. bellū. Gabriel in 4.dist.25.qu.4.art.2.concl 4.Maior ibidem quæst.20. §.istis notatis.Syluest. ver. bellum 1.q. 9. propè finem. Molina de iust.tract,2.disp.114.num. 1. Valentia tom.3. qu. 16. punct.2. Syluius in 2.2. q.40.art.1.quæritur 4. concl. 5.& 6. Malderus in 2.2.qu.40.art.1. dub.3. Molfesius in sum.tom.2.tr. 12.cap 3.nu. 162.Villalobos in summa tom.1.tract.1.diffic.18.nu.4.Ledesma in summa tom.2.tract.3.c.13.concl.20. Reginaldus in praxi to. 2.lib.21.cap.8.sect.3.nu.103.& tandem hanc sententiam docet Ioan de la Cruz in directorio conscientiæ par.1.pract.5.artic.3. dub.2.conclus.2.vbi sic ait,Miles dubitans de iustitia belli, si sit subditus Principis bellantis,aut ab eo cōductus; tenetur bellare,quia ad militem, si aliàs nō est consiliarius, non attinet examinare causas belli,sed se habet vt lictor, qui exequitur iudicis sententiam:esset enim impossibile, & in damnum Reipublicæ, si omnibus militibus esset danda ratio iustitiæ belli,alij autē milites nec subditi,nec conducti,si dubitent de iustitia belli, non possunt bellare,quia nec obedire tenentur,cum nō sint subditi, nec stipendiarij, & aliàs bellando exponūt se periculo irrogandi iniuriam, & sic si bellent restituent,sicut & Princeps,& Consiliarij damna illata in bello, cuius iniustitiā culpabiliter ignorarunt. Ita Ioan. de la Cruz, & DD.citati.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docuit Petrus à Nauarra de rest.lib. 2.ca.3. num. 278. quia quamdiu etiā miles voluntarius,certus non est de iniustitia belli, non peccat, imò tenetur cogitare Regem illum iustitiam habere,alias peccato temerarij iudicij esset obnoxius, cum cōdemnet eum,quē sine certis iudicijs iniustè bellare existimat: in dubio enim de peccato proximi,etiam mihi nō superiori,non licet certam ferre sententiam de malo, atque peccato Vnde quamdiu illa dubitatio probabilis manet, de neutra exercitus parte possum iustè iudicare, sed cogitare teneor, vtrumque iustè bellare in sua mente, laborareque ignorantia probabili,quia sic vtrique videtur,ius habere,& iustitiam.Ita Nauarra,& post illum tenet etiā hanc sententiam Suarez tract.de charitate disp. 13.sect.6.n.11. & 12.vbi pro firmanda hac opinione, sex validissimas rationes adducit,vnde vt diximus licèt contraria opinio sit tutior,& communior, tamen si aliquis miles hanc secundam sententiā sequi vellet,non damnarem illum de peccato, nec ad restitutionem vllam post peractum bellum obligarem; maximè,si dubium de iustitia belli fuerit negatiuum,vt fermè semper in militibus esse solet,& ideò Adamus Tannerus in 2.2.disp.2.q.6.dub.4.n.49.sic asserit.Non videtur facile,peccati mortalis damnandus miles, etiam non subditus, qui alioquin nō nisi bello iusto paratus est militare, orto inter Principes Christianos bello,& facta prius de iustitia vtriusque partis inquisitione inæquali dub. speculatiuo de causa bellandi iusta anceps hærens, sed vtramque tamē partem bona fide, & iure vtcumque probabili agere existimās vtriuis parti seruire paratus est.Ita Tannerus, & ego.

Sed nota, quod post hæc scripta inueni Vasquez in p.2.disp. 66.cap.9.sub finem,& Loream in 2.2.sect.3.disput.53.nu.7.non agnoscere discrimen inter subditum,& non subditum, & ideo docent neutrum posse militare,quando omnibus spectatis dubitat de belli iustitia,quia in dubijs tutior paras est eligenda,& licèt hos authores conetur cōcordare Coninch.de actibus supernat.disput.31.dub.5. nu. 81. Tu tamen absolutè ne recedas ab opinionibus, quas supra posuimus,nempè posse sine dubio, subditum quando dubitat de belli iustitia, pro Rege suo militare, & secundùm probabilem opinionem etiam nō subditū.

Notandum est etiam hic obiter, contra Molinā de iustitia, tomo primo tract.2. disp. 37. numero 10.& aliōs penes ipsum, non esse improbabile, quod capti in bello etiam iusto ex parte capientium,in iusto autem ex parte aduersariorum, ad suos fugere possint absque peccato, modo scandalum,& promissio permanendi absit. Et ita docent Vasquez in 1.2.tom.2.disput.174.capit.2. num. 8.& alij,quos citat,& sequitur Layman in Theol.mor.lib.2.trac.3.c. 12.num.16.cum pœna perpetuæ seruitutis naturæ admodum repugnet, vt eam sustinere valde difficile sit,si effugere quis possit.

An

An liceat clam occidere eum, qui in iudicio conatur aliquem calumniis opprimere in causa magni momenti?

RESOL. XCVII.

AFfirmatiuam sententiam tenet Bannez in 2.2.quæst.64.articul.7.dub.4.conclus.1.& in responsad 2. Petrus Nauarra de restitut.lib.2.num.289.& 290.Sanchez in summa, tom.1. lib.2.c. 39. num. 7.& alij,quia hoc non est tam occidere,quam se defendere.

Sed etsi spectato solo iure naturæ,non sit improbabile,quando inter duos lis agitur,siue criminalis,siue ciuilis,modo hæc sit magni momenti,& vnus conetur falsis instrumentis, aut testibus subornatis innocentem opprimere,hunc,si id ipsi certo cõstet, posse alium secretò interficere,si id possit commodè facere nec alia sit ratio euadendi periculum, quod ipsi ab alio iniustè imminet: quia hæc occisio habet rationē iustæ defensionis contra iniustum inuasorem. Et si inquam hoc spectato iure naturæ non sit impossibile, tamē credo iure positiuo posse id prohiberi, atque adeò de facto esse prohibitum à lege prohibente homicida ad hunc casum extendi posse. Vsu enim videtur receptum, vt in quauis Republica benè constituta, talis occisor deprehensus morte puniatur,nec credo vllibi admittendam esse excusationem, quod id ob necessariā sui defensionem fecisset,& meritò: nam si eiusmodi exceptio admitteretur,grauissimi inde sequerentur abusus.Cum enim litigantes communiter sibi persuadeant se habere certum ius,quoties viderent esse periculum, ne causa caderet, facilè sibi persuaderent, se aduersæ partis machinationibus iniustè opprimi; eumque conarentur clam occidere, & sic infinitis cædibus daretur occasio. Quare, meritò ius positiuum, euitandi cædes, etiam in casu quo fortè iure naturæ,aliàs essent licitæ,prohibet,ac morte punit. Et ita, hęc omnia docet Ægidius Coninch. de actibus supernat. disp. 32.dub.2.nu.2.vide etiam Sylnius in 2.2.D. Thomæ, quæst.64. artic.7. quæritur 6.

An liceat pro regibus condemnare aliquem de mandato, non adhibitis solemnitatibus,terminis,& processu de iure necessariis.

RESOL. XCVIII.

NEgatiuè respondendū est, quia neque hoc efficere possūt Reges.Et ita inter multos Iurisconsultos docent nouissimè Franciscus Capiblanco de officio Baronis tomo 2.pragmatic.1. cap.2.num.22. & seq.& inter Theologos Ioannes Azorius par. 2.lib.11.c. 7. vbi sic asserit.Peccat Rex, qui per se, vel aliū condemnat hunc,vel illum subditum inaudita causa,aut denegata ei se tuendi,& defendendi potestate,aut nō habita publica notitia ex publicis in iudicio probationibus,vt colligitur ex Sācto Thoma 2.2.quæst.67.arti.1.& Caietano in summa verb. homicidium,sententia enim,cum sit actio publica, ferenda est nō ex priuata notitia, sed ex publica in iudicio habita. Item iuris naturalis est,ne quis non auditus, vel non defensus damnetur, Clemen.pastoralis,§.certum, de sentent. & re iudicata,Glossa in Extrauanti 1. de dolo, & contumacia quare homicidæ sunt ij Reges,qui hūc, vel illum subditum non auditum, aut nō data facultate se tuendi secundum leges,& iura,veneno, aut alio modo interfici iubent,vel officijs,dignitatibus, honoribus,aut alijs quibusuis,quæ non sunt ex numero eorum, quæ ad nutum tolli possunt priuata notitia, non publica, & peccant ministri qui huiusmodi Principum mandatis obediunt sunt enim mandata contra ius diuinum, & naturale,in quibus Principi parere nō cogitur.Ita Azorius, vide etiam Ioan.de la in Cruz in direct. conscient.p.1.pr.8.art.1.dub.2. concl.3.

Limitatur tamen hæc opinio à Maldero in 2.2.tr.6.ca,1.dub. 14.§.dico sexto.Lessio lib.2.c.29.num.110.Villalobos in summ. tom.2.tractat.14.difficult. 4.nume.7.& Francisco Syluio in 2.2. D.Thomæ, quæst.67. art.3. conclus.6. si enim crimen est omninò pub. aut iudicium aliquot testibus euidens, sicut quando latrones reperiuntur in flagranti delicto) potest reus absque citationibus condemnari, & si ex publica interfectione periculum sit, occultè potest interficere. Idem iudicium est de reo, ex cuius manifesto processu,vel populi rebellio, vel grauis alia turbatio metuitur, talē enim (causa priuatim discussa, certoque cognita)licèt etiam clanculum occidere, vt tradunt Sylueſter ver.homicidium 1.quæst.1.dub.3.num.10. Nauarrus c.25.num.10.Nauarra lib.2.c.3.num.192. Quia iudex clarè videns nō superesse reo viam iustæ defensionis, nullā censeri potest iniuriam ipsi facere.Præterea,si quis machinetur proditionem aliam vel perniciē Republicæ,quæ non poterat aliter impediri, quàm per occultam interemptionem illius machinatoris,licet Principi iubere vt sic interficiatur, modo indubiè constet de pernicie per illum attentata, ponō exequenda, nisi tempestiuè occurratur. Neque refert, quod Princeps fortasse hoc sciat ex priuata duntaxat scientia: cum enim non agat, vt Iudex ad punitionem, sed solùm tanquam bonus Princeps ad euitandum mala imminentia, quomodo vnusquisque debet rem sibi commissam defendere,& ab ea malum impedire, non tenetur seruare ordinem iuris.Hæc Sylnius. Vide etiam Morlam in Emporio iuris parte 1.titul.2. quæst.2. numero 5. sed in casibus,in quibus Proreges solent de mandato aliquem condemnare, non concurrunt supradictæ circumstantiæ, vnde attendat ipsi, & eorum consiliarij quid faciant.

Nota etiam, quod licèt Malderus, & Sylnius cum alijs asserant, quod si Principi cum aliquot testibus delictum sit euidēs, vt quādo capitur reus in flagranti delicto, posse dictum Principem reum absque citationibus cōdemnare, attamen hoc est intelligendum existente aliqua iusta causa,quæ cogat Principē hoc efficere, secùs autem si nulla adsit causa, nam tunc tenetur citare reum,& illum condemnare,ordine,& iure seruato.Et ita docent Tunianus in 2.2.ro.2.dispu.48.dub.44.num.2.Villalobos vbi supra. Vnde iterùm moneo,vt videant Proreges in his casibus quid faciant, & aliquorum Fiscalium consilijs non acquiescant,sed cum Theologis,& Consiliarijs timoratis rem totam agant,& in eorum determinatione persistant.

An reus conuictus,& confessus de vno crimine,teneatur respondere interrogatus de complicibus nulla infamia laborantibus?

RESOL. XCIX.

AD hunc casū ita respondet Villobos in summa, tomo 1. tract.14.difficult.10.num.2.vbi sic ait. [Hase de aduertir, que si consta claro, que el delicto no lo hizo vno solo, sino que huuo complices, podrase preguntar por ellos con inquisicion general,como quando se hallao vn cuerpo muerto,y no consta quien lo hizo. Mas en este caso no tendra obligaciō el reo à de clarar los complices, sino es que estan infamados. Y quādo de ordinario los Iueces preguntan por los complices,hase de entender desta manera,porque si no es assi,van engañados.Y tan bien se hà de aduerti r,que tiene obligacion a reuelar los complices,quando entiende que no estan arrepētidos, sino aparejados para cometer otros delictos en daño publico, ò particular, y que no se corrigeran por correcion fraterna,qual e suelen ser de ordinario ladrones falsarios de moneda, bruxas,hechizeros, y hereges ò otros semeiantes como dize Nauarro. Y dize Rodriquez, que deue el Iuez declararlos,quādo tienen obligacion à reuelar los complices, ò darles licentia, y tiempo para consultarlo con hombres doctos, ne incidant in laqueū Diaboli, y si la niegan,dize con Nauarro, que no se atreuiera à librarlos de peccado mortal.] Hæc Villalobos, quæ à Iudicibus, & Fiscalibus obseruentur.

Igitur nō tenentur rei in quocunque casū interrogati de cōplicibus respondere, vnde Confessarij illos obligent ad respondendum tantùm in casibus supra expressis, & iudices de dictis complicibus interrogantes, extra casus prædictos peccant lethaliter,& in hoc aliqui miserrimè decipiuntur. Vide Ioseph à S.Maria in tribus Relig.tract 4.capit.16. Ioānem de la Cruz in direct.conscient. parte prima, pract.8. articulo 3. dub.9. concl. 3.Mirandam in ordine Iudiciario, tomo 2. quæst.19.articul. 11. Malderum in 2.2.tract. 6.capit.1.dub.23.Tannerum in 2. 2. disput. 4. quæst.4. dub. 4.numero 86. Ledesma in summa, tomo 1.tractat.8. cap. 24.conclus.5. Aldrete de disciplina tuenda libro 1.capit.11. numer.14.Octauianum Spatarium in praxi Regularium tract.9. capit.12. & 13. quæst. 12. num. quinto cum Villalobos vbi supra rectè docentes absolutè in omnibus casibus oon esse complices reuelandos,quando cognouerit correctos,

ctos, & emendatos, vel si probabiliter cognoscat, illos emendatum iri per solam fraternam correctionem, quod est valdè notandum.

An testis teneatur denuntiare, quando scit nullum alium scire illud delictum.

RESOL. C.

RFspondět affirmatiuè Sotus de iustit. lib. 5. quæst. 7. art. 1. & Panormitanus. quem citat, & sequitur Azorius, par. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 2. & nouissimè mordicus docet hanc sententiam Sancius in selectis disput. 43. num. 39. qui citat Turrianum, Valentiam, & alios.

Sed negatiuam sententiam ex Schola D. Thomę docet Ioã. de la Cruz in directorio conscientiæ par. 1. pract. 8. artic. 4. dub. 13. in principio, vbi sic asserit. Si accusator habet solùm vnũ testem, iste, dum sibi non cõstat de alio conteste, tenetur sub peccato mortali dicere se nihil scire. Ita ille qui citat Ledesmam, Bannez, & Orellanam.

Tertia opinio, quam tenent Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 49. Villalobos in sum. tom. 2. tr. 17. diffic. 1. num. 11. Pitigianus in pract. crim. c. 3. fol. 166. asserit, posse testem in tali casu, testari, si velit, sed non teneri.

Sed ego puto probabilem esse opinionem negatiuam (licèt affirmatiua sit probabilior) Ioann. de la Cruz, & aliorum. Nã cum testis sciat neminem alium illud delictum à reo perpetratum scire, eius testificatio nihil proficiet, nisi ad vexãdum reũ, quia ex sola ipsius depositione minimè condemnari potest. Ergo, &c. Igitur absque causa infamat tunc testis delinquentem, cum sciat ipse probandum non esse delictum, & ideò Octauianus Spatarius in praxi de modo corrigendi Regulares, tract. 7. cap. 8. num. 7. sic asserit. Ex quo patet, quod non tenetur, quis testificari, si sciat nullum alium esse testem, contestem, vel aliud æquiualens iudiciũ siuè procedatur ex munere, siuè ad instantiam partis. Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & iuramento super delicto, quod sciebam nullum alium nosse, nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de visu, & certa scientia potuissem, quod tuta conscientia fecisse reputaui, & reputo. Ita Spatarius. Notentur hæc, quia practicabilia erunt.

An testis iuridicè interrogatus, teneatur ex iustitia commutatiua respondere, ita vt dicendo se nihil scire, restitutioni obnoxius sit.

RESOL. CI.

PRobabiliter affirmatiuam sententiam tenent Malderus in 2. 2. tract. 6. c. x. dub. 9. §. dico tertio. Turrianus in 2. 2. disput. 52. numero 2. & Azorius parte 3. lib. 13. cap. 27. dub. 4. vbi sic ait. Quando testis est in iudicium vocatus, & à Iudice legitimè interogatus, tunc ex lege iustitiæ tenetur ad veritatem dicendam ex officio, quo in iudicio fungitur, & obligatur ad restitutionem damni, quod sequutum est ex veritate non manifestata. Ita etiam docent Medina, Orellana, Sotus, Nauarrus, & alij. Hæc opinio, vt dixi, est satis probabilis.

Sed non minus probabilem negatiuam sententiam teneo, quam tuentur Ioann. de la Cruz in direct. par. 1. p. 8. art. 4. dub. 13. concl. 5. Syluius in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 71. artic. 1. quæritur 1. conclus. 6. Pitigianus in pract. crimin. p. 2. c. 6. fol. 191. & multi alij. Ratio est, quia licèt huiusmodi testis grauiter peccet contra charitatẽ erga proximum, & contra obedientiã, & iustitiã legalem erga iudicem, nõ peccat tamen cõtra iustitiam commutatiuam; nam ante mandatum iudicis non tenetur ex commutatiua iustitia, etiam secundùm auctores contrariæ sententiæ, sed per mandatum iudicis solùm accedit obligatio iustitiæ legalis, & obedientiæ. Ergo nullum est vinculum iustitiæ commutatiuæ. Et hæc opinio à fortiori procedit, si per mandatum iudicis testis insinuatũ, ipse tamen subterfugiat, & nõ compareat, in quo casu testem nõ teneri ad restitutionem præter Doctores citatos, docent Villalobos in sum. to. 2. tract. 12. diffic. 1. num. 12. Lessius. Molina. & alij, quidquid in contrarium doceat Octauianus Spatarius in pract. Regul. tract. 7. c. 11. nu. 7. & alij. Sed tu nostram sententiam tene.

Notandum est etiam hic, quod etiam stando in prima opinione affirmatiua, si testis iuridicè interrogatus neget veritatẽ, tenetur quidem parti de damno, non tamen Fisco de mulcta, & pœna pecuniaria, quæ imponeretur reo, si testis veritatẽ manifestaret. Et ita docent Ioan. de la Cruz in direct. par. 1. pr. 8. ar. 1. dub. 6. Turrianus vbi supra, nu 6. & Malderus, qui etiam addit, quod testis, qui per imprudentiam occultum crimen detexit, si bona fide detexit (vt frequenter solet fieri) quia putabat se legitimè de hoc interrogari à iudice, nõ tenetur lege iustitiæ retractare testimonium suum, si tamẽ sine suo detrimento possit, & speret retractationem profuturam, tenetur lege charitatis retractare, ita tamen vt non obligetur ad restitutionem, si non retractauerit. Et hæc omnia pro praxi erunt multum adnotanda.

An liceat instrumenta ad perfringendum carcerem reo suppeditare.

RESOL. CII.

NEgatiuè respondet Valentia tomo 4. disputat. 5. quæst. 13. punct. 4. quia ait ille, si hoc licitum esset, multi fugerent, & ita multa crimina impunita manerẽt, ac tot processus iudicum exitum haberent, quod magnum detrimentum esset boni communis. Secùs autem dicendum est de consilio, nam id non est medium tam efficax. Deinde, suppeditans instrumentũ, non solùm supplet ignorantiam practicam in reo, vt facit cõsulens, sed manus eius armat, & cõtra potestatem publicam potẽtiam supplet. Item, cum non possis captiuo mittere famulum tuum, qui tanquam instrumentum animatum ipsum iuuet in carceris fractione ergo neque securim mittere potes, præsertim si illa plus valitura sit quam famulus. Et ita præter Valentiam docent etiam hanc sententiam Sotus, Toletus, & Grafiius, quos citat Malderus in 2. 2. tract. 6. c. 3. dub. 7.

Sed ipse, & meritò contrariam sententiam tenet, quã tuentur Villalobos in summa, to. 2. tract. 16. diff 11. num. 16. qui citat Caietanum, Vasquez, & Lessium, Ioan. de la Cruz in direct. par. 1. pr. 8. art. 3. dub. 12. concl. 4. Syluius in 2. 2. quæst. 69 artic. 4. quæritur 2. qui citat. Bannez, & Salonium, Azorius parte 3. lib. 13. cap. 24. Turrianus in 2. 2. tn. 1. disp. 51. dub. 3. num. 2. cum alijs communiter. Ratio est, quia si quis potest consulere finem, quare non potest suppeditare media ad illum? Sed qui potest consulere reo vt fugiat, ergo poterit ei suppeditare instrumenta ad fugiendum.

Notandum est tamẽ hic primò, reum tunc licitè posse fugere, & effringere carcerem, quando hoc efficit non inferendo vim ministris iustitiæ, verum, vt benè obseruat Syluius vbi sup. quia leuitas materiæ in alijs peccatorum generibus excusat à mortali sic, & in casu nostro. Et propterea si reus vim exiguam inferat custodi, vt si dormienti manus alliget, si obsistentem fugæ à se excutiat, in terramque prosternat sine læsione, non peccat mortaliter.

Notandũ secundò aduersus Henricum de Gandauo, Maiorem, Syluestrum, & Couarruuiam, posse reum, etiamsi damnatum iustè ad mortem fugere, & effringere carcerem. Et ita docent Ioann. de la Cruz, & Villalobos vbi supra, nu. 14 cum alijs communiter, qui etiam addit cum Syluio contra Caietanum, Sotum, Couarruuiam, & alios hoc etiam posse efficere, si sit damnatus ad carcerem perpetuum, & etiam probabiliter secũdùm Bonacinam de legibus disp. 10. num. punct. 2. num. 14. si sit damnatus ad carcerem temporaneum, maximè si sit valdè grauis vt docet Tannerus in 2. 2. disput. 4. quæst. 4. dub. 5. nu. 102. & etiam si sit damnatus ad triremes, cõtra Caietanum, Sotum, Couarr. & alios.

Notandum est tertiò cum Syluio in 2. 2. q. 69. ar. 4. quæritur 2. ad 4. argum. quod reus, qui carceres frangit, atque ita fugit, non ex hoc peccare, vel ad restitutionem teneri, quod alij captiui inuento carcere rupto vel aperto fugiant, modo ipsis fugam non cõsuluerit, quia ipse inuentor per seipsum vtitur suo iure, quod habet ad saluandam vitam, neque tenetur suam vitam negligere vt euitet damna, quæ præter intentionem accidunt, cum

aliorum

aliorum captiuorum cura ei non incumbat. Sicuti ſi itinerantium aliquis videns latrones ſtricto enſe appropinquantes fugiat, fugiendoque conculcet alienas ſegetes, debebit damnum, ſi notabile eſt, quod intulit, domino reſarcire; ſi autem eius exẽplo cæteri per eaſdem ſegetes fugiant, non ab eo incitati, non tenebitur ad damnum per eos illatum. Et ita etiã docent Villalobos loco citato, nu. 13. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. ca. 7. ſect. 7. num. 152. & alij.

Notandum quartò contra Sotum, & Caietanum reũ fugientem rumpendo vincula, & parietes carceris nõ teneri reſtituere damna ſequuta. Et ita docet Ioan. de la Cruz vbi ſupra in direct. par. 1. pr. 8. art. 3. dub. 12. concl. 4. & Tannerus in 2. 2. diſp. 4. q. 4. dub. 5. nu. 104. quia non tenetur reſtituere ratione rei acceptæ, cum nil alienum habeat apud ſe, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum licitè illud faciat: ergo, &c. In his igitur caſibus, in quibus poteſt reus fugere, poteſt quis illi fugam cõſulere, & inſtrumenta ad rumpendum carcerem ſuppeditare. Sed ad alia deueniamus.

An reus, qui negauit veritatem, poſt iudicium finitum, etiam ad mortem damnatus, teneatur manifeſtare veritatem negatam.

RESOL. CIII.

AFfirmatiuam ſententiam docent Ledeſma in ſumma, tomo 2. tract. 8. cap. 24. poſt 2. concluſ. 2. diffic. 2. Salonius in 2. 2. to. 1. quæſt. 69. art. 2. conclus. 3. Vegha in ſumma, to. 2. c. 89. caſ. 2. & 3. Bannez in 2. 2. quęſt. 69. art. 2. Medina in ſum. lib. 1. c. 14. §. 35. Corduba in ſumma qu. 64. punct. 2. & alij, quia in hoc caſu reus infamat iudicem, & teſtes; commouetur enim populus, & ſcandalizatur, credens à iudice illũ iniuſtè occidi, & teſtes falſum dixiſſe.

Sed cõtrariam ſententiam ego teneo cum Reginaldo in praxi to. 2. lib. 24. c. 7. ſect. 6. nu. 145. Nauarro in Manuali, c. 25. n. 38. Rodriq. to. 2. q. 18. art. 9. Pitigiano in pract. crim. can. c. 3. fol. 258. Segura Dauolos in direct. iud. c. 17. nu. 36. Villalobos in ſum. t. 2. tr. 16. diffic. 3. nu. 4. & alij. Ad argumentum verò contrarium reſpõdeo, quod in tali caſu, nulla ſequitur infamia iudici, accuſatori, aut teſtibus, quia omnibus notiſſimũ eſt reos ſolitos delicta negare, imò puſillanimes, ac ſtulti habẽtur, ſi delicta fateãtur, & præſumptio ſtat pro iudicis ſententia. Ergo, &c. Vnde confeſſarij caueant vrgere reos pęnitentes, qui ducũtur ad ſupplicium ad hoc efficiendum. Et ita hanc ſentẽtiam præter DD. citatos, tenet etiam Sanchez in ſumma, tom. 1. lib. 3. cap. 7. n. 11. qui in nu. ſeq. cum Nauarra, & Rodriquez, addit etiam, quod ſi reus ſibi ob metum tormentorum falſum crimen impoſuerat, propter quod damnatur, non teneri ſe retractare, niſi infamia notabilis in alios redundaret, vt ea retractatione illi damno obuietur. Sed hoc in caſu noſtro rariſſimè accidit: Ergo, &c.

An appellatio ſit licita, ſi ſententia lata ſit à Iudice ſecundum opinionem probabilem, vel quod magis eſt probabiliorem.

RESOL. CIV.

QVæſtio iſta eſt multum curioſa, & in praxi frequentiſſima, & ad illam negatiuè reſpondet Petrus de Ledeſma in ſumma, to. 2. tract. 8. cap. 24. concl. 8. diffic. 2. ita aſſerens. [Si el Iuez dio ſentencia conforme opinion probable, aunque aya otra mas probable, no es licito al cõdenado apelar de la ſentẽcia. Y lo miſmo es, quando las opiniones ſon ygualmente porbables. Eſta ſentencia tiene Orellana en vn parecer, que dio en vn tratado de las fuerza, que anda de mano. La razon es, porque en tal caſo el Iuez ſentenciò legitimamente, y iuſtamente, y no agrauio a nadie, luego el condenado no puede apelar, ni defenderſe de la tal ſentẽcia. Confirmaſe, porque de otra ſuerte ſeria dar occaſion à que los pleitos nunca iamas ceſſaſſe.] Idẽ etiam docet Villalobos in ſum. to. 2. tract. 16. diffic. 8. num. 4. vbi ita ait. [No puede el reo apelar de la ſentencia del Iuez, quãdo ſiguio opinion ygualmente probable o mas probable, pues ſentencia iuſtamente. Mas podra apelar, quãdo ſentencio ſiguiendo la menos probable.] Ita ille, qui citat etiam Dominicum Bannez.

Sed ſi hæc opinio eſſet vera, innumera committerentur peccata, & væ, væ, Reis, Aduocatis, & Procuratoribus. Vnde affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe putat in cauſa ſanguinis Ioan. de la Cruz in direct. parte 1. p. 8. ar. 3. dub. 11. conclus. 2. ſic aſſerens. Damnato, iuxta vnam opinionẽ, licet appellare ad iudicem, habentem cõtrariam etiam minus probabilẽm. Ita ille, & ante illum Salonius in 2. 2. tomo 1. quæſtio. 69. ar. 3. concl. 2. §. vnde dico in primis, & in hanc ſententiã inclinat Syluius in 2. 2. D. Thomæ. q. 69. art. 3. & abſolutè illam tenet Turrianus in 2. 2. tom. 2. diſput. 51. dub. 1. nu. 4. vbi aſſerit Oppoſita ſententia eſt admodum dura, & refutari poteſt, quia tueri vitam via honeſta licitum eſt. Appellatio verò in hoc caſu ſatis apparet iuſta, ſunt enim variæ opiniones, & reus vult amplecti probabilẽ opinionem, ſecundùm quam iudex ſuperior poteſt ferre ſententiam. Et hanc doctrinam exiſtimo eſſe veram etiam quando opinio ſuperioris eſt minus probabilis, & minus cõmunis eſſet. In quo minus cõſequenter loquuntur recentiores aliqui dicentes iuſtam eſſe appellationem ad ſuperiorẽ; quãdo opinio illius, vel æquè probabilis, vel probabilior eſt, non tamen ſi ſit minus probabilis. Hęc tamen differentia mihi non probatur, quia ſi ſemel demus probabilem eſſe iudicis ſuperioris opinionem, cõcedẽdum eſt iuſtam fore ſententiam illius ſecundùm talem opinionem. Poterit ergo reus ad ſuperiorem appellare, vt ferat iuſtam ſententiam. Et idem exiſtimo licitum eſſe in alijs cauſis, quia cum ſint diuerſę opiniones probabiles, nõ eſt cur priuetur reus, iure recurrendi ad ſuperiorem, vt iuſtam ferat ſententiam. In quo etiam minus conſequenter loquuntur quidam recentiores fatentur enim in cauſa ſanguinis licitam eſſe appellationem, non tamen in alijs cauſis: ratio verò in his cauſis, etiam videtur habere locum. Ita Turrianus.

Ex quibus apparet contra Salonium, & Syluium vbi ſupra, & Malderum in 2. 2. tract. 6. ca. 3. dub. 4. non ſolùm in cauſis capitalibus, ſed in ciuilibus, licitum eſſe appellare, etiamſi iudex inferior ſententiam tulerit ſecundùm opinionem probabiliorem. Quam ſententiam Io. de la Cruz loco citato tenet tantũ in caſu, quo pars appellans ſit in poſſeſſione. Sed illam abſolutè in omnibus caſibus tenendam eſſe puto, dummodo cõtraria opinior, pro qua appellatur, probabilis ſit.

Sed inſtabis dicendo, Iudex ſuperior ad quem appellatur, nõ poteſt iudicare ſecundùm opinionem probabilem, ergo illicita eſt appellatio. Probo maiorem, nam iudex tenetur iudicare ſecundùm opinionem probabiliorem, vt communis fert opinio, ſecundùm quam iam iudicauit iudex inferior. Ergo, &c. Reſpondeo, poſſe iudicem iudicare ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori, vt docent DD. quos citaui in tract. de Parlamento Reſol. 20. & tract. de Opin. probabili Reſolut. 3. Ad alias verò rationes aduerſus noſtram ſententiam reſpondet Turrianus lege illum, & non pigebit.

An teſtes ratione falſi teſtimonij non teneantur aliquando ad reſtitutionem.

RESOL. CV.

REſpondeo affirmatiuè, & ideò ſi reus iam erat per alios teſtes conuictus, & tunc teſtimonium accedens nihil efficit, eo quod pœna propter illud non eſt addita, nec iudex firmior redditus eſt ad eam irrogandam non teneris ad reſtitutionem quia etſi iniuriam ei facias, non tamen es cauſa efficax damni: quod ex prioribus teſtimonijs iam cenſetur illatum. Et ita docet. Pitigianus in pract. crim. canon, de teſtibus, cap. 6. fol. 193. & alij. Vnde ego in facti contingentia multoties ex hac, doctrina liberaui pœnitentes ab onere reſtitutionis, quod aduerſantur Confeſſarij.

Nota etiam cum Pitigiano vbi ſupra. Caietano 2. 2. q. 70. art. 4. Petro à Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 253. & alijs, quod qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili vel ex obliuione ſaltem nõ mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad reſtitutionem quia neque ratione rei acceptæ (cũ nihil inde habeat) neque ratione iniuſtitiæ, & damnificationis, nõ enim peccauit ſaltem mortaliter, vt ſuppono, & probabiliter docet Leſſius li. 2. cap 7. dub. 6. cum alijs, non teneri ad reſtitutionem ex damno illato, qui non peccauit mortifere: Ergo, &c.

An

An reus, & testis teneantur respondere, si dubitant vtrum Iudex iuridicè illos interroget.

RESOL. CVI.

Affirmatiuam sententiam sustinet, quoad reum Ioannes Sácius in selectis disp.43.n.28.& quoad testem Pitigianus in pract.crim.can.de secundo substátiali Iudicij,c.3.fol. mihi 175. quia superior in possessione est praecipiendi, qua priuari aequum non est ob dubium ius subditi Nec valet, dicere, quod non magis est superior in possessione praecipiédi, quam subditus in possessione obediendi, quia superior ex tunc quod electus est superior, in possessionem praecipiendi introducitur, & in illa possessione permanere pertinet ad superioris naturam & essentiam, aliàs ad quid esset superior, nisi praecipere posset? At subditus numquam est in possessione non obediendi, nisi quando certò cõstat mandatum esse iniquum, vel probabiliter id esset in opinione, est enim de essentia subditi in possessione obediédi permanere. Ergo, &c. Haec opinio est probabilis.

Sed probabiliorem contrariam esse existimo, quam tuentur Lessius lib.2.cap.31.dub.3. nu. 10. Sanchez in summa, tomo 2. lib.6.c.3.n.24. Salas in p.2.q.21.tract.8.disp.vnica.sect. 17.num. 155. Henriq.lib.14.c.3. nu.3. in Glossa littera X. Bannez, Sotus, Medina, & alij penes ipsos.

Dicendum est igitur, quod quando periculum aliquod imminet alicui tertiae personae, vt.v.gr.est cum Iudex inquirit contra aliquem homicidam, vel furem, &cet. aut in quemcunque alium reum priuati criminis, quod non sit in perniciem publicam, quia tunc aliud erit, & dubium est probabile pro vtraque parte, sintne infamia, aut inditia, quibus possit inquirere: tunc testes, & rei hoc modo dubitantes, non tenentur respondere, quoniam maius periculum est, si occidatur homo contra ius, quam si non obediatur superiori. Praetereà vnusquisque praesumitur bonus, quoad vsque probetur malus. Sed quamdiu dubium est, an sit ius inquirendi aduersus aliquem, tunc nec probatus est malus, nec iure existimatur talis, nam sola infamia, & indicia sunt, quae faciunt praesumptionem iuris. Ergo in re dubia, & Iudex inquirés peccat, & testis si obsequatur iniustus est. Tertiò, iura fauent reo, sicut & possessori, ergo quoadusque cõstiterit ius esse inquirendi, reus habet ius vitae, famae, & bonorum suorum, atque adeò non licet in illum inquirere, nec testimonium dicere.

Ex his apparet, quo quando Superior generaliter inquirit super aliquod delicto notorio, cuius auctor ignoratur, tunc subditus, qui dubitat, an infamia, vel indicia sint cõtra illum, quem ipse scit commisisse delictum, non tenetur prodere delinquentem occultum, sed debet respondere se nescire quis commisit. Notentur haec, quia circa illa miserrimè decipiuntur aliquãdo testes, & iudices.

An promissio, seu donatio facta Ecclesiae, vel ad piam causam ante acceptationem valeat, ita vt non possit per poenitentiam reuocari.

RESOL. CVII.

Non esse validam, & posse per poenitentiam reuocari docuere Layman in Theolog.moral.lib.3.sent. 5. tractat. 4.capit. 1. num.9.& alij penes ipsum, quia haec est natura pollicitationis, vt ante acceptationem possit reuocari, neque aliud iure speciali positiuo in Ecclesiarum fauorem statutum reperitur. Ergo, &c.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Molinam de iustit. tomo 2.tract 2.disp.262.num.16. Felinum in cap. 1.de pactis, nu.7. qui citat Bartolum, Baldum, Panormitanum, & alios; hanc opinionem probabilem esse, docet etiam Lessius lib.2.c.18.dub.6.num.38. Ratio est, quoniam sicut leges ciuiles, quae inualida reddunt ea testamenta, quae carent certa quadam solemnitate, nullã vim habent in dispositionibus ad pias causas, eo quod circa eas nihil, quod earum validitati deroget, prout spectatur in solo iure naturali, vim habet, sine approbatione Summi Pontificis; ita etiam neque ciuiles leges, quae annullant promissiones non acceptatas, vim habent in promissionibus circa pias causas, cũ nihil tale à iure canonico approbatũ reperiatur. Et ideò donationes ad pias causas, validas esse sine insinuatione vltra summã iure ciuili praescriptam putamus, nihil impediéte, quod ciuile ius donationes etiam ad pias causas comprehendere intendat, vt patet ex lege illud, Cod. de Sacrosan. Eccles. Ita Molina. Vnde vtramque opinionem probabilem esse puto. Et si quis hanc posteriorem sententiam vult sustinere, debet asserere cum Molina, ex promissione nõ acceptata, stãdo in iure naturali, obligationem oriri, contra Sanch. de matrimon. tomo primo, libro primo, dispu. 7. nu. 24. & alios penes ipsum.

An officia saecularia vendi possint.

RESOL. CVIII.

Negatiuè respondent Medina, Cod. de rest. q.4. de vsuris, Adrianus in 4.qu. de vsura, §.ex his, & nouissimè Turrianus, nu.22.to.2.disp.33. dub. 2.num.5. quia ex voluntate Reipublicae distribuenda sunt dignioribus, neque concessum est Principi, vt illa possit vendere, sed vt distribuat dignioribus, vel aequè dignis, praemissa communi saltem diligentia.

Sed considerata natura rei haec officia vendi possunt. Verùm hoc non obstante, non expedit ea védere, ob multa incommoda, quae inde sequi solent, ideò plerumque hoc est illicitum, atque perniciosum, nam venduntur vt plurimum indignis. Secundò, ex tali venditione homines magis prouocantur ad acquirendas pecunias, quam ad studia litterarum, & probitatis. Tertiò, qui haec officia emunt, vt pretium recuperent, quod soluerunt, non administrant ea, vt debent, sed multa iniustè extorquent, vnde non immeritò talis venditio pestis Reipublicae cẽsenda sit, vt notant Doctores citati.

Potest tamen dicta venditio aliquando cum aliquibus circumstantijs licitè fieri. Primò, vt talia officia vendantur saltem digno. Secundò, vt pretio moderato. Tertiò, vt hoc efficiatur ob Reipublicae necessitatem, vel vtilitatem, quãdo videlicèt summa esset conflãda, quae aliter commodè haberi nequiret. Et ita docent Lessius lib.2.cap.32.dub.4.num.29.& sequen. Arragon.in 2.2.q.63, artic.2. Villalobos in summa, to.2. tract.8. diffic.7.num.3. Ioann.de la Cruz in direct.par.1.pr.7.q.7.artic.2. dub.10.concl.3. Ledesma in summa, tom.2.tract.7.c.1.concl.15. Salonius in 2.2.tom.1.quaest.63.art.2.contr.8.concl.2. Syluius in 2.2.quaest.63.art.2. Tannerus 2.2 disp.5.quaest.7.punct.2.§. 5. ad 3. Malderus in 2.2.tract. 9.c.1.dub.5. Rebellius lib.9.qu.18.sect. 2.num.24.& alij.

His tamẽ non obstantibus, non grauabor hic apponere verba Ioannis Azorij tom.3 lib.8.cap.7.q.3. sic asserentis. Caeterùm quamuis auctores clament, & conquerantur eiusmodi venditiones penitus detestãtes, & damnantes, videmus tamen eas in Principum Curiis vendi, quia ipsi Principes contendunt, tales véditiones Reipublicae vtiles esse eo, quod emptores metu poenae ne officium amittant, simul, & pretium quod dederunt, coguntur suo munere rectè fungi, & Principes possunt ipsos emptores facilius ab officijs amouere, & poenis coercere, quàm si gratis ea officia contulissent. Iure nemo condemnat tales venditiones, cum iusto, & moderato pretio fiunt, & cum officia venduntur ijs hominibus, qui apti, & idonei sunt, & cum probabilis spes est eos bene officio functuros, & certo, ac definito pretio taxatur id, quod emptores sint accepturi ob laborem, & operam suam in officio obeundo: alioquin enim ipsi emptores suo arbitratu pretium augent. Ita Azorius, qui non videtur damnare Principes vendentes officia, dummodo illa vendant pretio moderato, & persona officium emens sit digna, & si taxentur pretia pro laboribus, & operibus. Et ita praeter Azorium videntur etiam docere hanc sententiam Filliucius tomo 2. tractat. 24. par. 2. cap.2. num. 44.& Corduba in summa, quaestio.117.

(?)

An qui habet licentiam à Rege officium in aliam personam transferendi, possit vendere.

RESOL. CIX.

Negatiuè respondet Malderus in 2.2. tract.9.cap.1. dubio 5. vbi sic ait. Qui habet à Rege officium transferendi, non propterea potest illud vendere, nisi etiam vendendi expressa facultas accesserit, aut saltem tacita, vt si Rex concedat illis officiū cū potestate transferendi, quos nouit solere vendere, aut si concedat patri, vt transferat in aliquem filiorum sibi placentem, tunc enim pater alijs filijs pensionem videtur posse reseruare. Ita Malderus, & Azorius to.3.lib.8.cap.7.quæst.6. & ante illum Salonius in 2.2.tomo 1.q.63.ar.2 contr.8. conc.4.& Villalobos in sum.tomo 2.tract.8.diffic.7. num.8.

Sed Salonius l.c.notat Io. Penam, & Petrū Sot. asserere talem vendentem peccare tantùm venialiter, & ita sensisse Orellanam, & aliquos Theologos ex Schola D.Thomæ testatur Petrus de Ledesma in summa, tomo 2. tract.7.cap.1. concl. 25. & hanc sententiam ipse Ledesma probabilē putat, & ratio est, por que la tal persona particular tiene licēcia del Rey para passar el tal officio a otro, y que lo passe d. gracia, o por vēta no dana nada a la Republica como el tēga cuydado, de que no se sigua algun detrimento en ella, y al tercero à quien vende el officio, no se le sigue detrimento ninguno, si se lo da por el iusto precio.] Ita Ledesma, licet ipse primam sententiam teneat, nempè peccare mortaliter vendentem officium sine expressa, vel tacita licentia Principis, scientis tālem venditionem. Sed nouissimè Io. de la Cruz in direct.p.1.pr.7.art.2. dub.10.concl.4. docet etiā esse probabile, quòd ij quis habet licentiam transferendi officia in alium, possit illa vendere.

Notandum est hic obiter Cordubam quæst.117.& Azorium par.3.lib.8.ca.7.docere adesse tacitam facultatem vendendi officia, cum ea dātur his, quos Princeps certo credit, non eos per se talia munera obituros, vt cum dat fœminis, aut viris nobilibus, vt fieri solitum est in Aula Regia.

Nota etiam, quod si sine licentia Principis modo, quo supra dictum est, quis vendiderit aliquod officium, quidquid sit de peccato, non tenetur ad restitutionem pretij si habuerit, vt dixi sius, licentiam illud transferendi Et ita docent Ledesma loco citato, & Petrus Soto apud Salonium, licèt ipse cum Dominico Soto, Rebellio, & Malderio contrarium sentiat.

Quænam sunt causæ excusantes à pecca o eligentes minus dignum relicto digniori.

RESOL. CX.

Primò, quando excessus non est notabilis, & manifestus.

Secundò, quando magis dignus est de alia domo, vel Ecclesia; igitur licitè præfertur indigena dignus extraneo digniori, quod perpetuo tenē menti.

Tertiò, cum maior pars vult eligere minus dignum, tunc minor pars potest non eligere digniorem, sed dare suffragium minus digno, quod est valdè notandum, & ex hoc procedit etiam si electores iurassent eligere digniorem & sic eligendus est minus dignus, quando est magis acceptus comuentus.

Quartò, quando ex tribus concurrentibus. sc. magis digno, & indigno eligitur indignus si pro digno suffragium non do.

Quintò, cum dignior præesset alteri Ecclesiæ, & esset postulandus.

Sextò, quādo magis dignus est implicatus negotijs externis, vel non ita residentiam facit, sicut minus dignus.

Septimò, si minus dignus sit iam expertus, & disertus circa prælaturam, & digni or inexpertus.

Octauo quando non est liberum collatori, vel institutori cōferre alteri, vel alium instituere, quam sibi præsentatum a patrono.

Nono, si beneficium ex sua institutione per Ecclesiam cōfirmata, vel acceptata, dādū sit alicui ex certa familia, vel oppido.

Decimò si beneficij parochialis fundator præsentet dignum, & non digniorem, nam hoc ei licitum est facere.

Vndecimò, quādo quis beneficio resignat digno prætermittens digniorem. Et tādē duodecimò, patronus laicus potest eligere, & præsentare minus digni, relicto digniori. Et hæc omnia inuenies apud Ioan. Valerum in differentijs vtriusque fori, ver. electio, differ.1.nu.1. Io. de la Cruz in direct.pa.1.pr.7.qu.7.ar. 2.dub.9 concl.2. Ricciū par 3.decis.214.num.3. Sylvium in 2. 2.qu.63.art.2. quæritur 4.conc.3. Tannerum in 2.2.disp.4. qu.8. dub.2.nu.17. Lessium lib.2.c.34.dub.13.n.58. Villalobos in summa, tom.2.tract.8.diffic.4.nu.6.& seq. vide etiam Malderum in 2.2.tract.9.c.2.dub.7.

Notandum est hic obiter, quod licèt sit probabilior opinio afferens in concursu beneficiorum, & cathedralium electores, eligendo dignum, prætermisso digniori teneri ad restitutionē, attamen opinio contraria est probabilis, & tuta in prax. Vide Villalobos in summa tom.2.tract.8.diffic.8.n.15. Sotum de iust. lib.4.q.6.art.3.ad6. Nouarrum c.17.nu. 74. & alios.

Nota secundò, quod in dicto casu, minus dignum etiam si sibi, & electoribus notum sit digniorem in electione esse prætermissum, posse tamen hoc nō obstante sine peccato mortali beneficium, & cathedram acceptare. Ita Turrianus tom.2. in 2.2. disput.22.dub.3.num.8.& Sotus de iust.lib.2.quæstion.6.arti.2. post 9.conl. quidquid incontrarium asserat Petrus Nauarra de rest.libr.2.cap.2. nu.6. quod probabilissimum putat Tannerus in 2.2. disput.4.quæst.8.dub.2.n.15. Verùm tu tene sententiam Turriani, qui nu.4.notat hoc procedere post electionem, nam ante electionem minus dignus, quando certo agnoscit ex proprio, & aliorum iudicio se esse minus dignum, omnibus consideratis, nō potest petere præbendam, seu beneficium curatum; petit enim rem iniustam, quā electores non possunt facere absque peccato simul, & damno tertiæ personæ. Et hāc sententiā docent etiam nouissimè Ledesma in summa, tom.2.tractat. 7. concl 7.difficul.19.& Sylueus in 2.2.quæst.63.ar.2.conc 4.quando certè, & manifestè aliud est dignior, nam si alterius Maior. idoneitas sit dubia, puteique minus dignus examinatores posse aliquid in ipso aduertere ob quod eum iudicent æquè dignū nō peccat bona fide se præsentans, remque totam iudicio examinatorum relinquens.

Sed his non obstantibus Lessius lib.2.cap.34. dub. 41. nu.70. docet minus dignum posse se offerre ad obtinendum beneficium, non petendo absolutè vt sibi conferatur, sed relinquendo totum iudicium electori, siuè collatori.

An examinatores Synodales teneantur indicare Episcopo digniorem, licèt ipse præcipiat solum, vt ei dicant, qui, & quot sint digni, & idonei.

RESOL. CXI.

Hic casus frequenter solet accidere, Episcopi vt plurimum negatiuam sententiam tenent, & pro illis videtur stare declaratio Cardinalium apud Marzillam li.1.tit.2.ca.19.ita asserentium Congregatio Concilij censuit non pertinere ad examinatores, sed ad solùm Episcopum iudicare quis ex concurrētibus ad Parochialem vacantem sit magis idoneus. Et in Conc. Trid.sess.24.cap. 18.tantùm habetur, vt examinatores peracto examine renuncient Episcopo quoscunque ab his idonei iudicati fuerint.

Sed his non obstantibus, Doctores clamant, & docent cōtrarium, vt Azorius par.2.lib....c.a.15.quest.11.& Medina in summa, cap.14.§.32.teg.4. vbi sic asserit [A se de aduertir, que el Obispo ò Prouisor à cuyo cargo esta el proueer los beneficios, llama algunas personas, para que examen los tales, estan obligados à firmar qual es el digno, y que es el mas digno, porque haziendo lo contrario pecan mortalmente. Porque en dezir ei Obispo, que lo digan qual es el mas digno, sino que digan si son dignos, es en buen romance dezir que lo quiera el proueer a quien el quisiere, y no conìada la ley, y en esto han de tener animo, y pecho para responder al Obispo, y los semejantes los examinadores, porque es gran la stima lo que passa oyda, mas se ha da mitar lo que manda Dios, que lo que ama el Obispo.] Ita Medina, quem posteà sequuntur Villalobos in summa, tom. 2. tract.8. difficult. 5. nu.7. & Petrus de Ledesma in summa, to.2. tract.7.cap.22.conclu.5.difficul.13.fol. mihi 166. vide etiam Zerolam in praxi Episc. par. 1.ver. Parochia §.2.& Lopez in instr. part.1.cap.127.

Non reticeam tamen primam sententiam negatiuā probabilem esse secundùm mentem Ledesmę vbi supra, & illam nouissimè docet Venerus in Exam.Episc.lib.4.c.25.nu.21. Lotterius

rius de te beneficiaria, tomo 1. libro 2. qu. 31. num 98. & Massobrius in praxi de conuers. Requis. 4. dub. 3. nu. 2. vbi asserit, examinatores ex officio, & in exequutionem Concilij, non teneri iudicare digniorem; secùs autem quando Episcopus id postularet extra casum Concilij, vt instrueret suam conscientiam, vt sciat vtiliorem facere Ecclesiæ, electionem, & magis digno illam conferre. Ita Massobrius. Garzia de beneficijs tomo 2. p. 9. c. 2. num. 108. & seq. cum Viuiano in praxi iuris patr. par. 2. lib. 10. c. 1. num. 45.

Quanta sit latitudo trium pretiorum infimi medij, & supremi.

RESOL. CXII.

OMnes Doctores cum Diuo Thoma 2. 2. quæstio. 77. artic. 1. ad 1. asserunt vulgare impositum à communi æstimatione prudētum habere latitudinem infimi, medij, & supremi. Sed quanta sit hæc latitudo inter pretium infimum, medium, & supremum vt non facilè apud Auctores inuenies, sic nec in praxi facilè inuenitur, atque ideò Thomas Boninsignius tract. de vendit. ad tempus cap. 11. num 2. dixit, quod distinctio dictorum triū pretiorum in abstracto potius, quam in vsu habetur, & cap. 15. n. 1. ait, quod varietas trium pretiorum in pauco contingit.

Attamē in gratiam Confessariorum non grauabor hic apponere opinionem Romoaldi Coli in tract. de vendit. cap. 8. numero quinto, & sexto, & quia codex rarus est, ponam eius verba, sic enim asserit. [Alcuni moderni hanno scritto, che la larghezza del prezzo più rigoroso importa dieci per cento, & anzi più, nella qual cosa si sono per mio auuiso ingannati. Dico dunque, che se bene di questa larghezza del prezzo non se ne può dare regola ferma, nondimeno si estende intorno alle quattro, ò sei, ò otto lire per ogni cento di scudi, e non à dieci scudi per cento. Altrimente ogni vsuraro, il quale vende à credenza, oltre à termine del prezzo giusto si potrebbe giustificare dicendo, che se bene hà venduta la mercantia otto, ò dieci scudi di più, l'hà nondimeno venduta al prezzo giusto rigoroso, & gli altri, che la vendono otto scudi, ò dieci meno per li contanti, la vendono al prezzo più, e perciò egli non hà commesso ingiustitia veruna; percioche là del prezzo più rigoroso vi è questa larghezza d'otto, ò dieci per cento, laqual cosa quanto sia falsa è noto à tutti i periti.] Ita ille. Qui asserit plures mercatores interrogasse de hac re, qui responderunt nullam, vel paucissimam horum pretiorum latitudinem agnoscere in vendendis mercibus.

Sed his non obstantibus contrarium videtur docere Filliucius tomo 2. tract. 35. c. 3. nu. 57. vbi ita ait. Latitudo huius pretij naturali, varia est, aliquando maior, aliquando minor. Nam si res est pretiosior, maior erit latitudo, vt si res medio pretio valeat centum, supremum erit centum, & quinque, infimum 95. quare latitudo erit decem aureorum. E conuerso si res sit minus pretiosa, latitudo minor erit, vt si pretium medium sit decem supremum erit, & infimum nouem, quare latitudo erit trium aureorum. Ita ille, & hoc etiam docent Rebellius par. 2. lib. 9. q. 1. sect. 6. num. 33. Lessius lib. 2. c. 22. dub. 2. nu. 11. Molina tomo 2. tract. 2. disp. 347. nu. 4. & alij.

At, vt verum fatear, nescio si in praxi inter hæc pretia tantam latitudinem mercatores, & vendentes ponant; ideò in casu occurenti remitto consulentem ad vsum fori, & ad viros peritos, ac timorosos.

An venditor non tradendo rem venditam tempore determinato, teneatur emptori ad interesse, non solum intrinsecum, sed extrinsecum.

RESOL. CXIII.

HÆc quæstio in praxi sæpius solet contingere, & affirmatiuè respondent Turrianus in 2. 2. tomo 2. disput. 59. dub. 8. num. 12. Filliucius tomo 2. tractat. 35. cap. 8. numero 174. & alij, vbi infra, qui aiunt, si emptor soluit, & obtulit pretium venditori, & venditor sit in mora rei tradendæ, omnes fructus deberi emptori, imò venditorem teneri illi ad omne interesse intrinsecum, vt si plus fructuum ex re fuisset percepturus, si res deterior est facta, vel minoris pretij interim dum apud venditorem fuit, & emptor si eam habuisset, opportunè, & cum lucro alienasset, vel non esset apud eum reddita deterior. Et ratio horum omnium est, nam tunc vendens non tradens rem, vere est causa, ob quam emens non percipiat fructus ex re sibi debita, debita enim erat ab eo die traditionis. Ergo, &c. Hinc Megala in 2. 2. lib. 2. c. 6. q. 1. nu. 37. docet, quod si v. g. venditum est frumentum, & à die quo traditio erat facienda vsque ad diem, quo purgatur mora, frumenti pretium auctum est, hoc augmentū semper venit in æstimatione interesse, & illud vēditor debet restituere emptori.

Sed hæc omnia procedūt in ordine ad interesse intrinsecum, difficultas est, an idem dicendum de interesse extrinseco, id est, quod per accidens emptori euenit, vt si emptor negotiaturus rem illam erat, v. g. in alium locum transferendo, vbi pluris valebat, vel quia mancipia mortua sunt fame ob rem nō traditam, &c. Respondeo contra Molinam de iustit. tomo 2. tractat. 2. disput. 368. numero 10. quod in tali casu venditor morosus, tenetur etiam ad interesse extrinsecum, & ita docent Lessius libro 2. cap. 21. dub. 13. num. 102. Rebellius parte 2. libro 9. quæstio. 17. sectio. 1. numero 9. Megala loco citato, numero 39. & alij: nam cum venditor in tali casu ex iniusta rei detentione est causa damni, tenetur ad totum interesse. Nota verò, quod hæc omnia vera sunt in foro conscientiæ, nam in foro externo venditor tenetur solùm ad interesse intrinsecum, & non ad extrinsecum, vt apparet in lege sterilis, §. cum per venditorem, ff. de actio. emptio. Nota etiam, quod debitor in tali casu tenetur tantùm ex mora culpabili, non autem si inculpabiliter rem venditam non tradidit, nisi in pactum in contractu positum non obstaret, nam vt in tract. 1. Miscell. Resol. 49. diximus, ratione pacti, etiam ex mora inculpabili debetur interesse. Quę omnia valdè à Confessarijs notanda sunt, nam passim accidunt in praxi.

An si venditor tradidit rem emptori, & ipse non soluit pretium, possit recipere vsuras pretij pro ratione fructuum.

RESOL. CXIV.

SEntentiam negatiuam in foro conscientiæ tenet Megala in 2. 2. libro 2. cap. 6. quæstio. 1. nu. 19. vbi sic ait. Dico non licere venditori in foro conscientiæ vsuras, seu fructus pretij non soluti exigere, nec exactas retinere, nisi ob morā emptoris damnum aliquod illi emergat, vel lucrum illi cesset, nam cū sint vsuræ intrinsecus malæ, semper erunt malæ, ita vt nec à legum dispositione, nec alia via iuste fieri possint. Ita ille, & ante illum Lessius lib. 2. c. 21. dub. 13. nu. 109. & Filliucius tom. 2. tract. 35. c. 8. num. 176.

Sed multi ex l. vltim. ff. de periculo, & ex leg. curabit, Cod. de actio. empt. contrarium docent, & asserunt, quod si venditor rem venditam tradat emptori, & emptor in mora sit tradendi pretium, siue totum, siuè partem eius; nō solùm ad pretium, aut partem pretij nō solutam, sed etiam ad vsuras pretij non solùm cogendus erit, iuxta fructuum pretij nondum soluti proportionem, vt si nihil pretij soluit, restituat omnes fructus; si dimidiā, vel tertiam partem pretij, tantùm soluat dimidium quoque, vel duas tertias partes fructuum vltra pretium. Et ita docent Couarruu. lib. 3. variar. resol. c. 4. nu. 5. Molina, Binsfeld. Sà, quos adducit Tannerus in 2. 2. disp. 4. quæst. 7. dub. 2. num. 48. asserentes dictas leges procedere etiam in foro conscientię, & illas ab vsura liberant.

Sed in hac quæstione mihi placet opinio Ferdinandi Rebellij, par. 2. lib. 9. quæstio. 16. sect. 1. num. 11. ubi prędictas leges ab usuras excusandas esse putat, non ex parte dilatæ solutionis, sed ex eo quod propter moram culpandam, siue culpam non soluēdi pretium, in pœnam morosi emptoris actionē in foro externo, uenditori concedere uoluerunt, ad exigēdos omnes fructus quos emptor percepisset, uel percipere potuisset, ac per negligētiam non percepit à tempore moræ, iuxta proportionem pretij non soluti. Ex quibus infert num. 14. quoad forum conscientiæ, non esse cogendum dictum emptorem ad predictos fructus, siue usuras pretij soluendas ante cōdemnationem; cum id in pęnam pro culpa à iure decernatur, & pœna non debetur ante iudicis sententiam.

Nota etiam cum dicto Rebellio n. 13. quod in foro cōscientiæ,

si vēditor nolet iudicialiter exigere dictam pœnam à iure statutam id est fructuum restitutionem, sed tantùm lucrum cessans, vel damnum emergens, emptor in conscientia illud compensare tenetur ante illam iudicis cōdemnationem; cum sit damnum datum ex peccato contra iustitiam commutatiuam, nempè ex mora culpabili. Ita Rebellius.

Ex quibus patet responsio ad argumentum Megalæ. Non enim illæ leges in tali casu tribuunt vsuras vēditori, sed pœnam moroso debitori imponunt soluendam vēditori. His tamen nō obstātibus, prima opinio est probabilior, nō tamen damnarem hanc secundam sequi volentem, est enim probabilis. Vide etiā circa præsentem quæstionem Azorium tomo 3. lib. 8. cap. 15. & Nauarra de rest. lib. 3. cap. 2. num. 18.

Solent aliqui merces certo pretio vendere; quæritur, an hoc sit licitum.

RESOL. CXV.

Respondeo cum Ronaldo Coli tract. de emptione cū pretio anticipato, cap. 2. num. 6. & Azorio par. 3. lib. 8. cap. 9. quæst. 4. & alijs, licere merces certo pretio vendere, quando dubitatur, num futuro tempore pluris, aut minoris æstimabuntur, in tali casu venditor, & emptor paris sunt conditionis, si quidem futurum pretium quoniodo potest esse maius eo pretio, quod nunc taxatur. Sic enim poterit esse minus, ac ideò emptor potest lucrari, & perdere eadem ratione, qua venditor, & è conuerso.

Sed difficultas est in hoc Regno Siciliæ vbi ex pragmat. r. 2. 3. & 4. tit. 61. tomo 1. prohibetur certo pretio vendere oleum, vinum, frumentum, linum, &c. Sed respondeo, quod cum dictæ pragmaticæ, vt legentibus patebit, fundentur in præsumptione fraudis: quoties fraus deficiat, & vēditio celebretur modo, quo supra, putarem in foro conscientiæ dictum contractum esse validum, & licitum contrahētes ad illud certum pretium teneri. Salua semper, &c.

An promissio interna obliget in conscientia.

RESOL. CXVI.

De hoc casu interrogatus fui his diebus, nam Paulus actu interiori donauit, & promisit Petro certam pecuniarum summam, quæ posteà promissio dicto Petro constitit; quæsitum à me fuit, an Paulus teneatur adimplere promissionem, & an Petrus possit occulta compensatione sibi satisfacere, non restituendo quasdam pecunias Pauli, quas apud se habebat.

Respondeo, quod in tract. 3. Miscellan. Resolut. 9. asserui probabiliter, promissionem externam etiam acceptam non obligare in cōscientia, sed nunc etiam probabiliter assero, promissionem internā in conscientia obligare. Igitur renetur, qui mente aliquid promisit alteri, aut donauit, patefacere hominibus, quæ illi pollicitus est; nam vt dixi, probabile est io donationibus, & promissionibus posse transferri dominium per actum interiorem. Et ita docent Sotus de iust. lib. 4. quæst. 5. art. 1. ad 1. & lib. 7. q. 2. art. 1. in solutione adit. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 3. nu. 4. Arragon. in 2. 2. q. 88. art. 3. Angles in Floribus p. 2. q. 1. de voto, ar. 2. difficul. 4. & Ledesma 2. 2. q. 18. artic. 1. dub. 13. quidquid etiam probabiliter in cōtrarium afferant Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. quæst. 1 dub. 5. num. 59. & Basilius Pontius de matrim. lib. 2. c. 6. num. 9. vide etiam Lessium lib. 2. c. 18. dub. 5. num. 29.

Cum igitur supradictus Petrus, à quo consultus fui, esset nimis pauper, & propter aliquas iustas rationes, nō posset dictam summam integrè à Paulo promissam in iudicio petere, respōdi de supradicta pecunia posse occultam compēsationem sibi facere. Et ita in terminis docent Mendozza lib. 1. de pactis. c. 4. n. 8. & num. vlt. Palacios de contract. lib. 5. cap. 12. & nouissimè amicissimus, & doctissimus Pater Antonius Sanctarellus, var. resol. p. 1. q. 66. nu. 49. & seq. ad illum, & non pigebit; nam ego more meo breuitati studeo, vide etiam Molinam de iust. tomo 2. tract. 2. disp. 266. num. 17.

Notandum est tamen hic obiter, quod donatio, seu promissio facta Petro præsenti, etiamsi non acceptet, sed taceat, obligat in conscientia, & transfert dominium, vt probabiliter ex Iulio Claro contra Angles docet Ioan. de la Cruz in direct. cōscien. par. 1. pr. 7. art. 1. dub. 1. concl. 1. quia iuxta regulam iuris, qui tacet consentire videtur.

An contractus factus ex metu leui valeat in conscientia.

RESOL. CXVII.

Negatiuè respondent Lessius libro 2. cap. 17. dub. 7. num. 46. Rebellius parte 1. libro, quæstio. 5. iunctis his, quæ docet num. 9. & num. 16. Sanchez de matrimonio, tomo primo, libro quarto, disput. 9. numero 4. & alij. Probatur hæc opinio ex leg. metum, ff. quod metus causa, & ex ratione, quia qui metu cogitur ad aliquem contractum efficiēdum priuatur per iniuriam sua libertate. Ergo debet in pristinum statum restitui, vt probet, vel improbet contractum per metum celebratum; deinde metus leuis aliquando nō minus conturbat hominem, & impedit nolentem ad consensum, quam metus grauis; ergo, &c. Hæc omnia intelliguntur, quando metus leuis iniustè incussus est, & quando reuera metus causa est, sine qua non consentiret. Ex his inferunt hi DD. Primò, quod ea, quæ solo metu reuerentiali acta sunt, possunt rescindi, & eum, qui inde commodum percipit, teneri ad restitutionem. Secundò, si vxor consentiat in aliquem contractum mariti, vel promittat aliquid, vel fide iubeat, quia non audet contradicere marito, timens iurgia, & austerum coniuctum, potest reuocare consensum, & quæ inde aliquid acceperunt ad restitutionem teneri. Tertiò, ea quæ per preces importunas ab aliquo obtenta sūt, voluntate illius repugnante, & solum ad repellēdam molestiā illam concedente, restituenda esse. Ita Lessius, vbi supra ex Sylvestro, Nouatro, Nauarra, & Sanchez, licèt hoc vltimum dictum ab ipso dupliciter limitetur.

Sed his non obstantibus, non desunt Doctores contrariam sententiam docentes, vt Medina Complutensis Cod. de restit. quæstio. 3. causa 9 ver. si fiat remissio, & qui apud me instar multorum est, Basilius Pontius de matrim. lib. 4. cap. 10. num. 5. quia metus leuis est in potestate patientis metum, eunque refutare potest: nam & is, qui operatur ex metu, non agit prudenter, quare in eius potestate est imprudentiam repellere, habetque ipse sufficiens principium, vt repellat, & sine metu agat. Quare voluntariè omninò videtur operari, qui eum posset facilè repellere, & non vult. Idem constat in eo, qui ab intrinseco metum patitur. Ex qua doctrina iam facilè constat in promissione, vel donatione non euerti eo metu titulum libertatis, cum in eius potestate sit ex eo metu operari. Constat etiam in contractibus alijs non censeri factam iniuriam aliquam, cum illam à se facilè repellere possit, sed potius voluisse illam pati. Hæc Basilius, qui respondet ad argumenta contrariæ partis, contra Sanchez, & Sarmiento docet hoc esse verum, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo. Vnde sustinet nullam in iure ciuili fieri rescissionem dari in his, quæ ex metu leui gesta sunt, sed ea valida semper indicari, quia non est necessarium, vt euitentur per metum passim subueniatur officio iudicis, cum vt dictum est, nulla, aut ferè nulla illata sit iniuria, quæ considerari debeat ob rationes allatas. Ex his apparet vtramque sententiam esse probabilem. Vnde Confessarius, si pœnitens, qui intulit metum non vult restituere, cum Basilio liberabit illum à restitutionis pœna: si verò pœnitens passus est metum, & vult quæ tradita sunt repetere, potest ei cum Sanchez ad hoc efficiendum licentiam præbere.

Notandum est hic obiter, etiam contractum matrimonij ex metu leui initum, non esse irritum, nec irritari posse: multos tradere, multos verò negare, & vtrosque probabiliter, vide Lessium vbi supra num. 47. & alios.

An contractus lucratiui, & promissorij ex metu iniusto celebrati iure naturali sint validi, & quid de iure ciuili.

RESOL. CXVIII.

Valdè necessaria est huius rei cognitio, vt intelligamus, quæ obligatio maneat in conscientia, nam si contractus ali-

aliquis metu celebratus nullus est, nec trāsfertur dominium, & qui cōtraxit tenetur rem cum fructibus restituere. Igitur, quod attinet ad cōtractus liberalis donationis, & promissionis Sotus in 4.dist.29.q.1.ar.3.parum minus eius, quod dixerat libro 6. de iust.q.1.ar.4.dicet donationem, aut promissionem metu iniusto factam, validam esse iure naturæ, & ita tenet etiam Henriquez lib.11.c.9.n.4. Carbo de rest.c.46.q.4. Ledesma de matr.q. 47.art.3.dub.1.ad 3. & 4. Sanchez de mat.lib.4.disput.8.num.4. Lessius lib.2. c.7.dub.6.num.36.ex leg.vlt.C.de his, quæ vi; hæc opinio est satis probabilis.

Sed alij non minus probabiliter contrariam sententiam docent, & afferunt cōtractum liberalis donationis, aut promissionis ex metu graui celebratū inualidum esse omninò iure naturæ, ita vt neq; naturalis obligatio ex eo sequi possit. Et ita tenent Medina, C. de rest.q.3.causa 2. ver. si fiat remissio. Arragon. in 2.2.quæst.89.ar.7.in dubio circa solutionem ad 3.conc.1. Rebellius p.2.li.1.q.5.concl.1. Molina, & Azorius, quos citat, & sequitur nouissimè Basilius Pontius de matrim.lib.4.c.6.n.4. vbi solidis rationibus, vt semper solet, hanc sententiam firmat, & ad omnia argumenta respondet. Et relinquendo rationes à priori, probatur hæc opinio à posteriori, nam ferè innumeri DD. admittunt eum, qui iniustè aliquid extorquet per vim, & metum à donante teneri in foro conscientiæ ad restitutionem. Ita Couar. Adrianus, Syluester, Nauarrus, ipse Sanchez, & Lessius apud Basilium vbi supra.num.6. Ergo neque transfertur dominium, neque valet contractus; nam si iure naturali valeret, non esset obligatio restituendi ante sententiam, vel postulationem rescissionis, & transferetur dominium, solumque esset actio in persona m, non in bona: quæ omnia sunt absurda. Ergo, &c. Ex his sequitur, ait Pontius n.8. Lessium parum sibi constare, cum docuit ex vna parte donationes metu extortas mero iure naturali valere, & tamen postea n.44. docet eum, qui ex huiusmodi cōtractu aliquid est assequutus, teneri ad restitutionem, & eum qui vim passus est, posse occultè surripere, si alia via, quod donauit, recuperare non possit. Hæc quidem manifestè sibi repugnant, nam si valent naturali iure; ergo etiam iure ciuili valent, vt Lessius fatetur, donec rescindatur. Ergo nō est locus occultæ compensationi, neque restitutionis obligationi, donec per sententiam rescissio fiat, aut postulet his, qui vim passus est.

Neque est simile in eo, qui furatur, & retinet, est enim in illo, seclusa quauis lege, obligatio restituēdi ratione iniustę acceptationis. At hic iure naturali non est obligatio restituēdi ex illius Doctoris sentētia, cum valeat donatio, existimat enim iste Auctor, sufficiētem titulum esse liberalem donationem, etiam cū coactione, & cum illa exerceri liberalitatem posse. Quare illa duo cōsistere simul non possunt, contractum valere naturali iure, & illum ante sentētiam ad restitutionem teneri, & coactum posse occultè surripere. Solumque ea doctrina locum esse iuri positiuo, iuxta aliquorum sententiam. Atque eodem modo reprehendendus est Sanchez, qui lib. 4.disp. 8.nu.4. docet valere naturali iure, & disp.9. docet esse obligationem restituendi ante sententiam, quem in hac parte meritò reprehendit Rebellius par.2.lib.1.q.5.n.15. Quare quicunque hanc restitutionis obligationem ante sententiam cognoscunt, nō possunt asserere dominium translatum, aut sibi non constant.

An verò supradicti cōtractus ex metu graui celebrati sint iuris positiui dispositione ipso iure irriti, vel rescindēdi, agit idem Pontius loco citato, cap.8. per totum, & contra Sanchez, & alios firmat huiusmodi cōtractus & quidquid à liberalitate proficiscitur, non tantùm iure naturali, sed etiam positiuo nullos esse. Itaq; actus omnes, in quibus legitimus titulus est donatio, vel liberalitas, si ex graui metu iniustè illato fiant etiam iure positiuo sunt irriti ipso iure, requiriturque iudicis auctoritas, nō ad illos irritandos, sed vt à principio ita fuisse declaret.

Notandum verò pro Confessarijs ex supradictis. Primò, promissiones latroni factas propter metum iniustum nullā inducere obligationem ratione iustitię. Secundò, quādo puella propter metum iniustè illatum consentit, esse obligationem restituendi in eo, qui stuprum intulit. Tertiò porogationem, quamcunque iurisdictionis metu, extortam, nullam esse iure naturæ, & positiuo. Quartò, idem dicendum de mandato ad aliquid agendum, si metu extorqueatur. Quintò, idem dicēdum de dispensatione, & priuilegia metu extortis, quamdiu vel tacitè, vel expressè non confirmantur; nulla enim sunt ipso iure, quod intellige, quando verè fauores sunt, non verò si ob causam, & obsequia præstita compensationis gratia conceduntur; hæc enim in eo casu non proficiscuntur ea liberalitate. Sextò, idem dicendum de renunciatione beneficij per metum facta, contra Rebellium, Lessium, & alios, quia renuntiatio ex liberalitate debet oriri, & renuntiatio magis sapit gratiam, quam iustitiam, vnde non potest ad eius titulum ordinari, qui ex ea ratione beneficiū accepit. Septimò, idem dicendum, non tantùm de absolutione ab excommunicatione per metum extorta, sed etiā de reuocatione censuræ ante diem, vel conditionem sub qua promulgata est. Et de fideiussione, & institutione hæredis vel legatis, relictis quando hæc metu extorquentur. Et hæc omnia Basilius Pōtius loco citato, sed an idem dicendum sit in contractibus onerosis, videbimus in sequenti Resolutione.

An contractus onerosi celebrati ex metu graui sint validi iure naturali, & quid de iure ciuili.

RESOL. CXIX.

Contractus onerosi, dicuntur, in quibus datur res pro re, vt venditiones, promissiones reciprocæ de præsenti, &c. & hos esse inualidos spectato iure naturæ, tradit Rebellius parte 2.lib.1.q.5.concl.2.num.15. & alij penes ipsum.

Aliquibus tamē verius videtur eos contractus, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validos esse iure naturæ, etsi fiant ex graui metu iniustè incusso. Et ita docent Basilius Pontius de matrim.li.4.c.7.nu.2. qui citat Sotum, Richardum, Paludanum, Syluestrum, Nauarrum, Henriquez, Molinam, & Vasquez. Imò Pontius in c.9.nu.2. plus addit, hos contractus valere etiam in iure positiuo, dari tamen actionem metus causa, & limitat hanc sententiam tantùm in cōtractu ludi, & in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quæ metu facta non valēt. Itaque quoad forum conscientiæ ante iudicis sententiam, nulla adest obligatio restituendi in eo, qui taliter cōtrahendo vim intulit, quia hi contractus sunt validi in vtroque foro, donec alter petat rescissionē, & sic emptor, qui metum fecit, potest licitè rem retinere, & fructus perceptos, donec venditor rescissionem postulet, & ita docent Pontius, & alij vbi supra. Quæ sunt notāda ad tollendos scrupulos, & onus pro illo tempore restituendi. Differentiam verò, quare hi contractus onerosi validi sint iure naturali, & positiuo, non autem contractus lucratiui, vt diximus in superiore solutione, inuenies satis firmatum apud Pontium locis citatis.

An Peregrinus possit vti Indulgentia sui territorij, si in loco vbi moratur seruatur ius commune.

RESOL. CXX.

Exempli gratia, Mediolani licet ex cōsuetudine vesci carnibus, quatuor primis diebus Quadragesimæ, quod iure communi prohibitum est; quæritur, an si aliquis Mediolanensis hospes sit hic Panormi, vbi ius commune viget, possit in illis dieb. edere carnes. Negatiuè respondet Basilius Pontius de matrim. lib.5.c.8.n.3. vbi citat Suarez asserentem, oppositam sentētiam neque esse probabilem, neque securam in praxi.

Non reticeā tamen illam docere P. Thomam à Sanchez de matrim.to.1.lib.3.disp.18.num.7. quia licèt hoc priuilegium videatur locale, soloque cohærens; est vtique tale in hoc sensu, vt eo gaudeant, nō tantùm ibi quoquo modo existentes, sed etiam qui in iure habentur pro præsentibus, ibique existentibus, quales sunt, qui breui tēpore absunt, citò reuersuri, eo quod illi domicilium ibi habeant. Et ita Palacius in 4.dist.15.disp.8.post 6. concl.ver. at verò, dixit, Castellanum per Lusitaniam transeuntem, posse more suæ patriæ intestinis vesci die Sabbathi, quæ in Lusitania non permittuntur. Ita Sāchez, qui etiam citat Ledesmam de matrim.quęst.45.art.5.punct.3.dub.vl.§.2.arguitur, & §.quibus positis.

TRACTATVS VI.

MISCELLANEVS

Notabilia quædam circa materiam Duelli?

RESOLVTIO PRIMA.

MATERIA duellorum frequenter in praxi solet accidere, ideò ponam hic breuiter aliqua magis practicabilia: Dico igitur primò, quod diffidans alterum non animo pugnandi, sed causa honoris proprij defendendi, non incurrit in excommunicationem. Ita contra Peregrinum de duello, qu.24. docet Floronus de duello cap.6. §.2.& Naldus summa ver.duellum, nu.2.imò cum Filliucio to.2.tr.15.c.5.q.5.nu.113.alibi probabiliter docui hoc esse verùm, etiamsi ad locum conuentum accedant absque animo verè pugnandi, sed tantummodo aliquos ictus inferendi, cum morali securitate, quod nullũ damnum secuturum sit, sed pax potius inde concilianda, & ita etiam hanc sententiam tenet nouissimè Volfangus à Vorbug. in Rudimentis Iuris Canonici de excommun.art.5. fol.196.

Dico secundò, nõ incurrere in excommunicationem, si quis ad inimicum accedat arguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, etiamsi hoc dicendo manum ensi apponat. Ita contra Peregrinum q.26.n.2. tenet Bonacina tom. 3.disp.2.q.3.pun.48.n.14.hoc enim non est prouocatio ad duellum facta ex condicto, statuto loco, & tempore, sed potius est iniusta aggressio.

Dico tertiò, non affici excommunicatione, qui alium prouocat ad pugnandum nullo statuto loco & tempore, & hoc etiam procedit in terminis Bullæ Clement. VIII. quidquid sentiat Peregrinus quæst.15. nu.3.& quæst.20.num.3.contra quem insurgit Bonacina vbi suprà num. 15. & alij, ex ratione superius adducta: quia videlicet hæc actio non habet requisita costituentia duellum.

Dico quartò, eum qui ad locum duelli causa inspiciẽdi accessit, non incurrere in excommunicationem, dummodo duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus nõ sit. Ita ego olim consului contra Peregrinum q.37. imò puto cum Lessio lib. 10. c.4.dub.11.n.83.& Scortia in Bull.Pont.epitom.155.Theorem. 392.spectantem ex occulto duellum nõ incidere in excommunicationem, quod etiam Riccius in praxi, t.3.resol.42.n.2.Scortia cum Reginaldo, & Sanchez tenent de transeunte obiter, & aspiciente duellum, cum non sit spectator, ex industria, & ex proposito.

Dico quintò, quod qui narrat aliquod factum, ex qua narratione præuidet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem prouocãdi se ad duellum, nõ incurrere in excommunicationem, quidquid asserat Peregrinus qu.27. & ita docet Bonacina, n.32. & ita ego olim in casu cõtingenti determinaui cum cõsensu doctorum virorum, nisi hoc faciat, vt eos ad duellum incitet. Et ratio nostræ sententiæ contra Peregrinum est, quia ista actio Bullæ Clem. VIII. non exprimitur, & pœnæ non sunt extendendæ vltra verborum significationem. Ergo, &c.

Dico sextò audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se prouocant ad duellum, minimè nexu excommunicationis vinciri: Et ita ego olim consului contra Peregrinum qu.28.& adducebam Comitolum lib.6.ca.14 num.7. & rationes supra adductas, quia hoc in Bulla non exprimitur, & quia odia non sunt amplianda.

Dico septimò, quod qui ratam habet procurationem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificijs expressam, suo nomine factam, non incidit in excommunicationem, ita Floronus c.14.§.3.nu.1.quidquid asserat Peregrinus qu.31.nu. 3.quia Pontifices dum volunt pœnam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; adde quod ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur. Ergo, &c.

Dico octauò, eum qui præmissa ob duellum prouocatione contulit se ad locum constitutum, & altero non comparẽte discessit minimè in excommunicationem Gregorij XIII. incidisse puto, & ita contra Peregrinum qu.45. tenet Scortia in Bull. Pont.epitome 155.Theore.392.& alij penes ipsum, quibus ego addo Megalam in 3.parte li.4.c.4.q.2.num.1.Ioan.Franciscum Suarez in Enchiridion casuum conscientiæ.lib.7.ver.duellum. Naldum in summa ver.duellum, nu.6. & Riccium in praxi, to. 3.Resol. 52.

Dico nonò, quod Peregrinus qu.33.docet duellum consulentem incurrere in excommunicationem, etiamsi consilium non sit efficax, vel influat in effectum, sed cõtraria sententia probabiliter sustineri potest, vt notat Bonacina num.28.

Dico decimò, consulentem duellum non incidere in excommunicationem, etiamsi conatus fuerit influxum consilij reuocare, sed re ipsa non reuocauerit, scio Bonacin. numer.36. contrarium docere, sed tu probabiliter nostram sententiam sequi potes.

Dico vndecimò, quod si incontinenti orta inter aliquos sit rixa, vnus alterum iracundia motus ad dimicãdum in certo loco inuitet, & incontinenti ibi dimicent, non incurrit in excommunicationem. Ita Flauius Cherubinus in Bulla Pont.tomo 3. const. 11.Clement. VIII.schol.1.qui citat Ludouicum, Lucensẽ, Farinacium, & Tuschum, quibus ego addo Io.Franciscum Suarez in Enchiridion cas. consc.lib.7.ver.duellum, & Riccium in praxi, to.3.resol.51.Item ait Graffius, diffidantes se ad pugnandum in aliquo loco, quò statim tendunt, & pugnant ibi, nõ incidere in excommunicationem, quia non adest assignatio temporis. Ita ille in praxi lib.1.c.7.num.22.&.Io.Franciscus Suarez vbi supra, sed probabiliorem esse contrariam sentẽtiam asserit Bonacina loco citato, num.7.

Non reticeam hic adnotare, quod secundùm Layman in Theol.mor.lib.3.tr.3.par.3.c.3.nu.3.in duobus casibus duellum damnari non potest, videlicet, si miles in exercitu, vir equestris in aula Regia, officio, & dignitate excidere debeat ob ignauię, ac timiditatis notam, nisi identidem prouocanti se sistat: vel si quis ab iniustis conuitiis, ac subeundo dedecore aliter se liberare nequeat, nisi cum prouocante congrediatur. Hęc Layman, an verò probabiliter alijs iudicandum relinquo, mihi enim non placent, ex his, quæ adducit Reginaldus tomo 2.lib.21.cap.7. num.80.

Nota secundò, contra Megalam in 3.part.libr.4. cap.4. qu.2. numer.13. & Salonium in 2.2.quæst.64.art.3.controu. 3. concl. vlt. posse Principem in casu extraordinario ad maiora vitanda mala duellum permittere, & ita docet Scortia in Bull Pont.epitome 155. Theor.392.qui citat Sanchez, Valentiam, Caietanum, Sà, & Nauarrum, quibus ego addo Reginaldum to. 2.libr. 21.cap.7.num.75.

Et tandẽ nota tertiò pro coronide huius Resolutionis, quod nouissimè Franciscus Merolla in disp.Theol.mor.tom.1.disp.2. cap.4.dub.10.corrol.3.num.390.sic asserit. Quantum ad scripta prouocantia ad duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantum, & non deferentibus existimo posse dari casum, in quo licitùm sit famulis ea scribere, vt si aliàs eis immineret periculum mortis, vel alterius grauis nocumenti. Si vero de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valdè probabile, id ita esse intrinsecè malum, vt in nullo casu liceat, quamuis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem materiam duelli, alias quæstiones ex industria relinquimus, quia non ita in praxi facile occurrere solent.

An

An liceat vendere credito pretio currenti tempore solutionis?

RESOL. II.

Respondet affirmatiuè Caietanus in 2.2.qu. 78.art.2. & ibidem in Relect. Franciscus Victoria cũ multis recentioribus Thomistis, quia tempore solutionis dicitur perfecta venditio. Et hanc sententiam probabilem esse putat Sotus de iustitia, lib.6.quæst.4.art.3.

Sed ipse contrariam tenet, si nõ eras seruaturus merces tempore solutionis, cum communi Doctorum. Dicẽdum est igitur, posse quem vendere credito pretio currẽti tempore solutionis, si pro tunc seruaturus erat illas merces. Tamẽ in tali casu rectè notat la Cruz in direct.p.1.præc.7.q.5.dub.7. concl.2. postea de pretio deducendas esse expensas, quæ faciendæ erant v. gr. pro cõseruando tritico, & pericula, si quæ probabiliter timentur in eius conseruatione. Item habenda erit ratio pretij, quo res in Maio, v.gr. æstimarentur; si vsque tunc seruarentur, nam si mille cori tritici in Maium seruantur, ex copia vilescit pretium. Hæc illæ, quæ sunt valdè menti tenenda. Sed circa præsentem quæstionem vide Molinam disp.355. Medinã de rest. q. 58. Rebellium p.1.lib.9.quæst.11. Aragon.in.2.2.q.77.art.4.& ibidem Salonium contr.22.& alios.

Notandum est etiam cum Villalobos in summa, to. 2. tract. 11. diffic.7.num.3.[que no es lecito vender el trigo apreciadal precio, que vale al presente, con pacto de que se pague para tal tiempo en trigo, o en dinero, como mas quisiere el que le vẽde; porque en tal caso el que vende posuit spem in tuto, esto es que assegura su negocio, y no se pone à peligro de perder, pues ha de escoger, y el otro si.] Ita ille, & ante illum Rebellius p.2.lib.9. q.11. nu. 12. in quo multi Barones, & negotiatores miserrimè decipiuntur.

An qui bona fide expendit monetam falsam, teneatur ad restitutionem?

RESOL. III.

Hic casus frequenter accidit, Syluester, ver. falsarij, qu.6. Angelus eod. ver.§.4. asserunt, quod ignoranter accipiens falsam monetam, & scienter expendens, tenetur damnificato ad restitutionem. Igitur ex eorum sententia, si eadem bona fide in alium transtulit, non tenetur.

Sed contrariũ docet Petrus Nauarra de restit. lib.3. cap.1. n. 312. error enim meus, ait ille, nulli nocere debet, sed error suos tenere debet auctores. Idem docet Nauarrus in Man. cap.27. n. 167. Vtraque opinio est probabilis.

An testis teneatur restituere danti, si quid accepit pro veritate dicenda, & Iudex pro iusta sententia ferenda?

RESOL. IV

Affirmatiuè respondet Aragon. in 2.2.q.75. art.4. Nauarrus lib.4.c.2.nu.34. Rebell. lib.18.q.10.n.8. Tolet. lib.1. ca. 21. Nauarr. c.17.num.34.& 96.& alij communiter, sed hi Doctores intelligendi sunt, quando datur aliquid ad redimendum vexationem: secus autem si detur ad alliciẽdum animum iudicis ad iustam ferendam sententiam, aut ex mera liberalitate; nam in tali casu testis, & iudex potest recipere, nec tenetur danti restituere, quod est valdè notandum ad tollendos scrupulos: & ita hanc sententiam alibi etiam docui, & etiam docet Io. Fraciscus Suarez in Enchirid. cas. consc. lib.5 §. cui restituendum, verbo, quod accepisti, & lib.10 §. iudicium, ver. Iudex potest, vbi citat Sayrum, Molinam, Medinam. & alios.

Nota etiam quod sententiã affirmatiuam Sotus de iust. li. 4. q.7. ar.1. ad.2. & Azorius p.3. li.4. c.21 q 6. intelligunt si accipias ab eodem, non verò si accipias ab alio, nam in tali casu non teneris restituere. Et ratio est, quia licèt ex iustitia obligeris v. gr. ad bonum Petri, non tamen teneris ex iustitia id facere in gratiam Pauli, à quo donum accepisti. Ergo, &c. Verùm hæc sententia displicet Lessio lib.2. cap.14. dub.9.& alijs.

An quis possit per partes restituere?

RESOL. V

Secundùm mentem Nauarri cap.17. numer.65. Angeli verbo restitut. vltim.§.5. Antonini part.2. titul.2. cap.8. & Petri à Nauarra lib.4. cap.4. dub.15. qui potest statim totum restituere, sed non vult, nisi per partes ob aliquod emolumentum inde sibi proueniens, potest absolui; si creditor nolit cõcedere dilationẽ parum sibi nociuam, & confessor probabiliter credat, quod negata absolutione, & dilatione, nunquam, vel non ita vtiliter restituet.

At alij docent huiusmodi non esse absoluendum, nec confessarium posse dilationem concedere. Ita Aragon, & Salonius in 2.2. quæst.62. art.8. Medina de restitut. quæst.5. dub. 3. Corduba in summa quæst.68. punct.2. Sotus de iust. libr.4. quæst.7. art. 4. Sayrus in Claui Regia lib. 10. tract.5. cap.5. dub.5. Molina de iust. tract.2. disp.756.& alij. Et ratio est, quia eo ipso, quod restituere non vult, nisi per partes, cum teneatur, & possit totum restituere, verè consentit in detentionem iniquã illius residui ratione cuius manet in peccato, & consequenter est incapax absolutionis. Ergo, &c.

Nocens alteri in re, ad quam erat solùm in potentia, ad quid teneatur restituere?

RESOL. VI.

Si damnum v.g. ait Sayrus in Claui Regia lib.10. tr.4. ca.1. n. 6. cũ culpa datum est in seminibus, & plantis, si sint in proxima dispositione, restituẽdum, ac si essent matura, deductis expensis: secus si adhuc longè distabant. Ita Sayrus Alij etiam, vt Sotus de iust. lib.4. q.6. art.3. Aragon, Bannes, & Salonius in 2.2. q.62. art.4. in responsione huius casus aliquas distinctiones adhibent, quas apud ipsos videre potes. Mihi verò sententia Lessij lib.2. cap.11. dub.19. probabilissima videtur, qui absolutè negãs prædictas distinctiones, docet huiusmodi inferentem damnum siuè ex malitia, siuè ex negligentia, teneri tantùm ad æstimationem temporis præsentis.

An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes afficiat contrauenientes ex ignorantia affectata.

RESOL. VII.

Affirmatiuam sententiã tenet Layman in Theol. mor. libr. 5. tra.5. par.1. cap.5. n.8. Suarez in 3. par. tom.5. disp.4. sect. 10. nu.1. Henriquez lib.13. c.23. num.3. Sanchez de matrim. lib. 9 disp.32. nu.40. Molina tra.5. disp.71. n.13. Graffius in decis. to. 1. lib.4. c.9. n.83. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorãtia affectata æquiparatur scientiæ, vt patet in c. eos, qui de temp. ord in 6. ibi scienter, seu affectata ignorantia, vbi Glossa in vers. scienter. Hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Sanchez se retractans in summa to. 1. lib.2. c. 10. num. 38. Fillincius to. 1. tr. 21. c.6. n. 205. Bonacina de cens. disp.2. quæst.5. punct.4. nu.9. Duardus in Bull. Cœn. lib.1. q.36. nu.3 & alij, quia verba legis pœnalis nõ sunt extendenda vltra proprium significatum, sed qui operatur cum ignorantia affectata, non operatur scienter. Ergo non incurrit in excommunicationem contra aliquid scienter facientes latam, & hoc procedit siuè ignorantia affectata sit iuris, siuè facti. Vnde ex his aliqui docent legentes libros hæreticorum ignorantia affectata, non incurrere in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, quæ fertur contra scienter legentes: licèt alij hoc non approbent, quia putant excommunicationes Bullæ Cœnæ non esse pœnales, sed fauorabiles, cum sint latè principaliter in fauorem Dei, & animarum. Vtraque opinio est probabilis.

Notandum est etiam ex supradictis à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, siue sit iuris, siue facti violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Et hanc sententiam ex pluribus Doctoribus probat nouissimè Merolla in disput. Theol. moral. disp.

disput.1.cap. 2.dub.6.num.232. cui ego addo doctum Anguianum de legibus, tomo 1.lib.4.contr.1.num.18. quidquid in cõtrariũ afferãt Doctores citati per Tiraquellum tract.de pœnis tempor.causa 13.num.22.qui post Glossam in cap. finali, de offic. delegat. in 6. inaduertenter tradiderunt pœnas contra nescientes præscripta obtinere, ideoque contra ignorantes per ignorantiam crassam. Sed tu nostram sententiam tene. Notentur hæc à confessarijs; nam ex illis multos scrupulos sedabunt. At post hæc scripta inueni omnia supradicta docere iterum doctum Bonacinam in Bull.Cœn.tom.3.disput.1. quæst.2. punct.4.num.9.

An actus, qui est causa omissionis culpabilis, sit peccatum distinctum ab ipsa omissione?

RESOL. VIII.

VT si quis ita studio sit intentus, vt relinquat audire Missam, an illud studium sit in seipso peccatum & contineat ipse deformitatem distinctam à malitia omissionis Missæ? Negatiuè respondeo cum Vasquez in p.2.disp.93.cap.3.nu.10. Becano p. 2.Theol.scholast.tra.2.c.3.qu.5.& alijs. Dico igitur tam voluntatem expressam omittendi, quã opus, quod est causa omissionis, non solùm non esse peccata distincta ab ipsa omissione, verùm etiam neque esse peccata commissionis, sed omissionis tantùm, quidquid asserunt in contrarium Salas in p.2. tract. 13. disp.2.sect.7.& 8. Valentia to.2.disp.6.q.1.punct.4.& alij. Vnde satis est vt quis dicat in confessione, Missam non audiui, nec opus est causam exprimere omissionis Missæ, vel voluntatem expressam omittendi, quæ omnia si essent peccata commissionis, deberent in confessione explicari.

Sed hic obiter posset quis curiosè inquirere, an actus, qui fiunt ab operante post propositum omittendi præceptum, vt si quis v. gr. proponeret omittere Missam propter pigritiam, aut aliam causam, & postcà tempore celebrationis Missę domi studeret, aut ambularet, an inquam hi actus dicantur causa omissionis Missæ, & consequenter sint peccata. Negatiuè respondet Medina in part.2.q.71.art. 5. dub. 2. Aluar.in par.2. disput. 126.num.2.Salas in p.2.tra.23.disp.2.sect.6.n.102. licèt contrarium asserat Valentia to.2.disp.6.q.5.punct.4. Sed tu circa præsentem quæstionem vide Filliucium to.2.tract.21.cap.7.n. 268. Layman in Theol.mor.lib.1.tr.3.c.4.nu.43.Becanum vbi supra c.2.nu.5. & 6.& illos sequere.

An in dubio circa dispensationem matrimonij dispensatio censenda sit valida?

RESOL. IX.

HIc casus frequenter potest accidere, vt si v.gr.causa tacita, vel falsa inter alias veras expressa sit finalis, quæ vitiat dispensationem, vel tantùm impulsiua, quæ non vitiat, item quando dubium est, an satis probetur veritas narratorũ in supplicatione, &c.& negatiuam sententiam docet Coninch de Sacram. disp.33.dub.6.nu.93.vide etiam Guttierrez li. 3.Pract.QQ.qu. 17.nu.115.Menochium vol.3 cons.272. n.57. Barbosam part.1. leg.1.num.84.pro solut. matrim.& alios penes ipsos. Hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuentur Salas de legibus, disp.20.sect.15.n.122.Sanchez de matrim.lib.8.disp.21.num.23.& alij, quia in dubio semper præsumitur actus validus, cap. Abb. de ver. significat. & consequẽter dicẽdum est, quod possessio sit pro valore actus, & in dubio causa præsumitur semper impulsiua. Cæteras rationes videbis apud Sanchez; adi illum, & non pigebit. Vide etiam Riminaldum vol.3.cons.275.nu.17.& vol.5.cons. 562. num. 26. & sequ. & Bonacinam de legibus tom.3.disp.1.qu.2.punct.6. n.4.hanc sententiam docent. Verùm post hæc scripta inueni nouissimè Franciscum Merolam in suis disp.Theol mor.tom.1. disp.3. ca. 3.diffic.3. corol. 15.n. 178. negatiuã sententiam aduersum Sanchez docere, sed ego his non obstantibus, non discedo ab eius sententia affirmatiua, quam præter citatos Doctores, etiam docet, & sustinet amicissimus Pater Sanctarellus to.2. Variar. Resol.quæst.59.per totam. Dico igitur, quod quando dubitatur an dispensatio sit valida, an subreptitia, præsumendum est, quod sit valida; nam in re dubia iudicandum est in fauorem actus. Ideò hæc omnia confessarij mente teneant, nam vt dixi, plures hæc dubitatio in facti contingentia potest accidere, & secundum hanc opinionem cõsulentes, seu pœnitentes à multis laboribus liberabuntur.

An in contractibus gratia vtriusque contrahentis celebratis, si aliquod damnum contingat sine culpa illius, diuidatur inter vtrumque?

RESOL. X.

REspondeo negatiuè in foro externo, secùs, autem in foro conscientiæ, in quo contractus, vbi vtriusque vtilitas vertitur, vt in empto, locato pignore, societate, &c.si res perit sine culpa vnius ex cõtrahentibus, damnum diuiditur inter ambos; quia cum gratia vtriusque sit contractus, & vnusquisque percipiat ex eo commodum; videtur iustum, vt etiã participet vtramque partem damni. Et ita hanc sententiam docet, Paludanus in 4. dist.15. quæst 2. art.1. concl.5. in fine, quem citat, & sequitur doctus Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori verbo damnum, differ.4. & ita in facti contingentia cõsuluit, sic enim ait. Hinc collige responsum ad dubium, super quo elapsis proximè mensibus fui cõsultus: Quidam enim mulo locauerat equũ cuidam scholari, & in itinere equus accepit plagam in dorso præter culpam scholaris cõductoris, ex qua post iter peractum mortuus est equus in domo domini sui locatoris. Petebat dominus à scholare medietatem valoris equi, scholaris recusabat, dicens se nihil debere: cum ex nulla sui culpa equus interijsset. Respondi in foro fori scholarem nihil debere, sed in foro conscientiæ teneri ad medietatem valoris equi, Quorum nunquã obliuiscaris quia casus hic, & alij similes, sunt quotidiani. Ita Valerus, & ego.

His diebus interrogatus fui, an qui vulgò Sigitteri vocantur, possint conducere concubinam in domum amasij?

RESOL. XI.

HIc casus frequenter accidit, & tunc affirmatiuam sententiam aliqui probabilem esse dixerunt ex auctoritate Azorij to.2.lib.12.c.vlt.quæst.8. asserentis licitum esse famulis deducere concubinam in domum heri, vel in aliũ locum in quo peccaturus est. Sed quia in isto casu Azorij adest tantùm simplex comitatus, & non concursus physicus, vt in casu de quo loquimur, ideò tunc adduxi Franciscum Merollam in disput theol. moral.tom.1.disput.2.cap.4.dub.10.corol.3.nu. 280. vbi sic ait. Ex hoc colligitur quid dicẽdum sit de aurigis deferẽtibus meretricem ab vno loco ad alium, quam sciunt illuc petere ad peccandum: hi enim regulariter excusantur à peccato, quia adest causa non amittendi lucrum, quod ex eo ministerio comparant Ita ille, & ego.

An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos.

RESOL. XII.

NEgatiuè respondet Pater Azorius.to.1.lib.9.c.9.post quęsitum 5.ver.quæres, etiamsi vendantur tantùm ratione materiæ, ex quadam constitutione Gregorij XIII.quæ incipit, Omni arte audio, &c.apud.Quaratã in summa Bullarij, ver. Agnus Dei.Lauorium de Iubilæo, cap.23.nu.88.& alios.

Verùm si sint albi, & non minio confecti, posse vendi sine vllo scrupulo ratione materiæ, ac laboris, & impensarum in eis asportandis, docent Flauius Cherubinus in compend.Bull.to.2. const.2.Greg.XIII.schol.1.Naldus in summa, ver. sacrilegium, n. 9.Homobonus de exam.Eccles.par.2.tr.9.c.5.q.9.Villalobos in sum.to.2.tra.37.diffic.11.n.4.Suarez de Relig.to.1.tr.3. lib.4. c.14.nu.6.Bonacina to.3.disp.2.qu.2.punct.29.num.2. Sanchez in summ.tom.1.lib.2.capit.43.numer.27. qui etiam optimè notat, præfatos Agnos Dei retineri posse, postquam in excommunica-

nicationem iocursum est eos depingendo prohibetor enim in constitutione illa pingere, vel retinere Agnos depictos ad vendendum, secùs autem si depicti retinerentur nō ad vendendū. Et hanc opinionem Sanchez probabilem putat Bonacina, vbi supra, quam nouissimè tenet etiam Scortia in Bull. Poot Theorem. 330. & Fagūdez vbi infra: quidquid in contrarium teneat Rainerius in catal.cens.cap.9.excommun.64.in fine, cum alijs. Vnde egò olim consului, potuisse quem in donum tecipere, & retinere Agnum Dei depictum, & miniatum.

Nota etiam cum Azorio, laicos non grauiter peccaturos, si absque cōtemptu dictos Agnos tangant. Immò ego puto cum Sanchez, nullam esse culpam illos tangere, eo quod vsus obtinuerit, vt à laicis etiam fœminis tangantur.

Et tandem non reticam hic describere verba Vincentij Filliucij tomo primo tractat. 14. capit.6. numer.95. vbi sic asserit. Hæc excommunicatio à multis committitur, & nescitur, vt propterea crediderim extra Vrbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti, quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Ita Filliucius. Verùm Fagundez par.1.libr.primo cap.4.numer. 25. docet hanc excommunicationem esse in viridi obseruantia, certum est tamen, quod si dicta excommunicatio est in vsu, non est tamen Pontifici reseruata, vt ex multis tradit Barbosa de potest.Episc.par.3. alleg.50.num.150.

An maledictio, seu alicuius mali imprecatio sit semper peccatum mortale.

RESOL. XIII.

HIc casus passim occurrit, & nimium Cōfessarios scrupulosos angit, ideò ponam hic verba Ioannis Azorij tom.3 .lib. 13.cap.10.vbi sic ait. An maledictio sit peccatum mortale. Respondeo, ad hoc vt sit peccatū mortale requiri, vt ipsa imprecatio mali sit ex animo. Secundò, vt sit ex plena deliberatione animi. Tertiò, vt malum, quod imprecamur alteri, sit graue, quare si aliquid istorum desit, erit veniale tantùm peccatum. Vnde nō semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis; vel in rusticis, mulionibusque maledicētibus, sibi, vel iumētis alijsvè est pecatum mortale, quia frequēter ex ira quadam vel ex deprauata consuetudine maledicunt, non ex animo imprecantes malum. Ita frequenter in his est imperfecta animi deliberatio. Item leuis quædam negligentia, vel inconsideratio in maledicendo, Ita Azorius, & ego.

An conducens operam alicuius si per conductorem stetit, etiam ob casum fortuitum, quo minus locator operam suam præstare teneatur ad omnem mercedem.

RESOL. XIV.

DE hoc casu olim mihi altercatio fuit cū quodam amicissimo Iurisconsulto, qui affirmatiuam sententiam mordicus in casu contingenti tenebat, & rectè quidem, loquendo in foro iudiciali, ex leg. si addes.§. cum quidam, ff.locat. & alijs iuribus ab ipso adductis.

Sed ego in foro conscientiæ tunc contra Nauarrum cap. 17. numer.198. contrariam sentētiam docui cum his limitationibus, si locator aliam non inuenisset mercedem, si mihi suam operam nō locasset aut potuisset inuenire si vellet, & omisit; vt accidit in casu, de quo tunc interrogatus fui, & ideò hanc sententiam tenent Doctores, quas citat, & sequitur Rebellius de obligat.iustit.parte secunda lib.4.quæst.14.numer.15.& nouissimè Ioannes Valerus in differētijs vtriusque fori, verb.locatio, different. 3.vbi sic ait. In facti contingentia respondi, cum quidam cōduxisset vespere operam cuiusdam pro die sequenti, & statim mane certiorem fecisset conductorem se non indigere opera eius, non teneri ad mercedem illius diei, si certum erat ab illo pro eo die nullum inuenire locatorem, etiamsi non locasset illi operam suam vel poterat se locare cū alio, si voluisset, vel in suis terris, quas habebat operari. Sic Valerus. Et ratio est, quia in dictis casibus euenientibus nullam mercedem conductor amittit mea causa, sed sua culpa, quia voluit esse otiosus. Hinc asserunt aliqui, & rectè, quod possessor malæ fidei non teneatur ad fructus, quos in veritate dominus rei non erat probabiliter percepturus, vt quia rem non locasset si habuisset, Vide etiam Io.de la Cruz in direct.part.1.præc.7.quæst. 7.art.6.dub.4.conclus.1.

An famulus conductus per annum, si discedat ante tempus completum perdat mercedem.

RESOL. XV.

HIc casus frequenter solet accidere, & affirmatiuā sententiam tenet Bartolus in leg. si. vno, §. Item cum quidam §. locat.sed hoc procedit in foro iudiciali. Vnde in conscientia tenetur dominus famulum redeūtem admittere, vel ei soluere mercedem temporis quo seruiuit, etiamsi redire nolit; nisi domini multum interesset immoratio, & seruitium famuli, nam in tali casu puto ad nihil teneri in conscientia, si eius interesse tantùm valeat quātum id quod famulo debet. Et ita tenet Rebellius par.2.li.14.quæst.13.num.18. & Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, ver.locatio, differ.4. Vide etiam Azorium part.2.lib.2.capit.39.quæst 7. Ioan. Franciscum Suarez in Enchiridion casuum conscientiæ. lib.1.vers.locatio. §. famulo. & alios.

Quædam practicabilia valdè notanda a Confessarijs circa famulos, & sartores.

RESOL. XVI.

HEnriquez, Villalobos, vir quidem doctus, in summa tomo 2.tract.25.diffic.13.numer.6.ita circa famulos, & sartores asserit. [Muchas vezes acontece, que los criados se quexan que no les pagan lo que merecen, y toman ellos secretamente algo demas por via de recompensa, y aun los officiales tambien, y se quedam por esso con sobras, ò retazos de la obra, y quanto a esto digo que estos criados cometen hurto, si no es que los hagan seruir por fuerza, ò engaño. La razon es porque si el salario llega al intimo percio iusto, basta que no les deuen mas, y sino llega y no les costa cierto es, que no lo podran tomar, i quando dixessen que no llega ad intimo precio, parece que no se les puede creer, porque si ellos hallaran otro que les diera mas, no seruieran a quel amo, y pues no le hallan son como mercaderias, que se ruega con ellas, y por esso valen menos, que los seruicios valen menos por falta de amos, como las mercaderias por falta de compradores, y ansi no tieneo de que se quexar. Y si dicen con mas fidelidad, y puntualidad respondeseles, que no merecen mas en dinero, sino en otros agradecimientos. Confirmasse esto, porque en este caso no tuuiera el, amo al criado si entenderia que le costaua tan caro, y es contra razon querer que otro compre ò alquile por el precio que el no quiere, y ansi rarissimas vezes se puede iustificar esta recompensa de los criados, si no es que interuenga miedo, ò fuerza. Lo que toca à los officiales, que de ordenario son los sastres, y otros semeiantes se ha de iuzgar por el mismo camino, y ansi no pueden recompensar el precio por dezir que les dan poco por loque hazen, sino huuiesse miedo, ò fuerza, y en lo que toca a las sobras, y retacos con que estos algunas vezes se quedan. Mi parecer es, que quando se entiende de la voluntad præsumpta de señor de la obra, que no quiere, que le bueluan las sobras se podran quedar con ella, y tal creeria yo que es quando fuesse de poco valor lo que sobra, como suelen ser las cerceņaduras, y lo que queda de los huecos de la ropa que hazen, por que todos sauen que pueda esso y nadie lo pide: mas si quedasse cosa de consideracion, como es algun pedazo entero que puede seruir, no se pueden quedar con ello, y ansi quando les pide vno que saquen el paño, o seda, que es menester para vna iupa, y ellos pidē mas de lo necessario, porque aya sobras no tienen escusa que es hurto manifiesto,

Hæc omnia Villalobos, qui citat Sotum, & Rebellium. Non desinam etiam hic adnotare Ioannem Valerum in differentijs vtriusque fori, ver.locatio, diff.8.nume.1. dicere quod dominus etiā in foro conscientiæ non teneatur soluere iustum pretium

saltem

saltem infimum, si famulus iusta de causa noluit alijs seruire, & dominus non refutasset illius seruitium etiam pro iusto infimo pretio si famulus institisset, aliàs secus; quia scienti, & consentienti nulla fit iniuria, ergo nulla est ratio, quæ faueat famulo ad conquerendum de domino, nec de diminutione prætij, & consequenter nullo modo potest se compensare. Imò plus addit Valer. num. 2. nempè quod cum famulus facit aliqua grandia, & extraordinaria seruitia excedentia pretium conuentum, tunc dominus ex gratitudine, & honestate, & debito morali, nō tamen legali tenetur ad æquiualentem satisfactionē, & isto in casu non potest famulus sibi facere vllam compensationem. Hæc omnia Valerus, quæ multum dominis erunt plausibilia. Sed aduersus illos pro famulis insurgit Rebellius li. 4. quæst. 15. num. 9. & seq. cum Vasquez opusc. de restitut. cap. 5. §. 1. dub. 10. num. 57. & alijs.

An ob sterilitatem agri fortuitam sit aliquid remittendum agricolis de pensione agri.

RESOL. XVII.

Dicitur sterilitas fortuita, quæ prouenit ex insolito calore, frigore, tempestate, nimia pluuia, locustis, & similibus, seclusa negligentia culturæ, & debilitate terræ: & nota cum Armilla ver. locatio, num. 16. & Doctoribus citandis, quod sterilitas hæc est, quando ex tribus partibus solitis colligi, non colligantur vix duæ. Hoc supposito, sic respōdeo ad casum propositum, quod si sterilitas sit tanta, vt non compensetur ex fertilitate præcedentis, & sequentis anni, fiet agricolæ aliqua remissio pensionis ad arbitrium boni viri, secùs autem si compensetur. Vt si in anno præcedenti, & sequenti plus solito tertia pars colligatur. Vnde etiam dicendum est, quod ob fertilitatem fortuitam augenda est pensio pro rata aucti fructus. Et hæc omnia docet Io. de la Cruz in direct. part. 1. præc. 7. qu. 7. art. 6. dubio 5. conclus. 1. & alijs.

Sed difficultas est, quando conductor renunciauit omni casui fortuito, & in foro iudiciali conducens possessionem aliquā v. g. per tres, aut quatuor annos, vel locans fructus alicuius Episcopatus, vel dignitatis, aut canonicatus, & renuncians omni casui fortuito, & qui contingere potest, etiam rarissimè, quod est solitum apponi per notarios instrumentis locationum, & conductionum, tenetur soluere omnem pensionem, etiamsi ex aliquo euentu, & fortuna etiam insolita nullos fructus dignitatis, vel ex illa pensione colligat. Et hoc, vt dixi certū est in foro iudiciali, ex leg. licet, C. de locato.

Sed quid dicendum in foro conscientiæ? Io. Valerus in differentijs vtrisque fori, ver. locatio, differ. 6. negatiuam sentētiam tenet, quia locator ex natura cōtractus debet agnoscere casus fortuitos, & diminutionem fructuum, & pensionis, vnde debet remittere de pensione, quod iustum fuerit arbitrio boni viri. Alias rationes videbis apud ipsum, & apud Comitolum lib. 3. qu. 29. num. 4. Rebellium p. 2. lib. 14. q. 7. nu. 4. & alios.

Verùm ad hanc quæstionem ita respōdet Villalobos in summa, tom 2. tract. 25. diffic. 6. nu. 6. [Quando el que recebio en arrendamiento la heredad, renuncio los succeffos futuros, tambien tiene obligation à pagar por entero, pues se concerto assi. Mas ha se de aduertir, que en este caso ay duda si el que renunciò los casos fortuitos, es iusto renunciar no solo los ordinarios que en la tierra suele auer, sino tambiē los extraordinarios que nūca en aquella tierra succedieron ni se pensaron. La mas comun, y à mi parecer mas probable es, que no es iusto renuntiar los tales sueceffos. La razon es, porque no parecer que quiso este renūciar, sino solo los casos fortuitos acostumbrados saluo si renuncia los acostumbrados, y los no acostumbrados, hazien do especialmente mencion dellos.] Sic Villalobos, & ego. Vide Gomez lib. 2. var. c. 3. num. 19. Valascum de iure emph. q. 26. nu. 55. & alios.

An venationes licitè per Dominos terrarum prohibeantur.

RESOL. XVIII.

Aduersus has prohibitiones inuenitur Hostiensis in c. non est, de decim. Decius consil. 197. num. 2. Thomas Grammaticus decis. 67. nu. 12. Gulielmus de Benedictis in ca. Raynucius, ver. & vxorem, nu. 336. Tiraquellus tract. de nobil. capite 37. num. 150. & alij.

Sed ego puto licitè fieri, quando talis prohibitio fieret ex iusta causa, publicam vtilitatem concernente, vel quando Princeps supremus causa solius reiterationis prædictas prohibitiones fecerit, dummodo moderatas illas faciat. Ita Sotus de iustit. lib. 4. q. 6. art. 4. qui tamen eandem facultatem alijs dominis inferioribus non concedit, sed Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. peccatum, differ. 16. putat etiam magnates ob prædictas causas posse licitè easdem prohibitiones facere, sed restrictius quam Principem supremum, vt habet consuetudo. Ita ille. & Villalobos in sum to. 2. tract. 10 diffic. 16. num. 7. asserit quod [qualquiera persona puede prohibir que no se caze en su propria heredad, y por este camino los señore vedan que no cazen en sus montes.] Vnde ego olim ex hoc principio defendi quendā magnatem a quadam indiscreta murmuratione cuiusdam Religiosi, qui tantum Summas veteres habebat.

An venatio sit Clericis licita.

RESOL. XIX.

Ad hoc quæsitum negatiuè respondet Ioan. Franciscus Suarez in Enchri. cas. conscien. lib. 2. §. Clericus. vbi sic ait Venatio sine strepitu etiam Prælato est licita causa recrationis, etiam cum canibus, modestè. Panorm. in ca. 1. de cler. venat. Hoc tamen dictum videtur contra d. c. 1. vbi Episcopis, presbyteris, & Diaconis prohibitum est sub pœna suspensionis, nec canes, aut accipitres ad venādum habeant, & c. 2. eod. tit. interdicuntur venationes, & syluaticæ vagationes cum canibus. Idem habetur c. 1. ne Cler. vel. Mon. Ita Suarez.

Sed ego puto cū Panormitano, venationem Clericis recreationis causa nō esse prohibitam, dummodo nō sit omninò clamorosa, sed modesta nempè cū retibus, vel laqueis, atque etiā cum aliquibus canibus. Imò si esset, omninò clamorosa, si tamē rarò fiat causa recreationis, non esse peccatum mortale existimo, secùs autem si frequens. Et ita docet Valerus in differētijs vtriusque fori, ver. peccatū, differ. 20. Rebellius lib. 1. quæst. 14. num. 10. & alij.

An vineas ingredientes possint licitè, & impunè vuas comedere.

RESOL. XX.

Affirmatiuè respondet Ioannes Valerus in differētijs vtriusque fori, verb. Peccatū, differ. 23. vbi sic asserit. Vnicuique licitum est in foro conscientiæ ingredi uineam ad vuam, aut alteram vuam ibidem comedendum, modo foras non exportet. Ita notat Glossa in cap. omnes leges, distinct. 1. fas est, quē allegat Cæpol. de ser. rest. præd. cap. 20. num. 3. ubi, dicit idem seruari de consuetudine, imò, & Couarruias in reg. peccatum, 2. par. §. 1. nu. 3. & Ripa in leg. damnum, col. 2. ff. de damno infect. addit etiam licere uiatori, uuas, quas ad comedendum accepit, uel in uinea, uel in uia ipsa comedere, etiamsi sine necessitate famis eas accipiat; adducit textum Deut. 23. *Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit foras autem ne afferas tecum*. Hæc omnia Valerus, & ante illum Couarr. in Regula peccatum, part. 2. §. 1. numero 3. Quorum opinio si esset vera, væ væ vinearum dominis, & quidem nescio, quare hoc priuilegium habere debeant comedentes vuas, & non ficus, poma, pyra, &cet.

Stabularii, nautæ, & caupones ad quam culpam teneantur.

RESOL. XXI.

Respondeo, quod licèt supradicti sicut omnes, qui deposito pro mercede res alienas recipiunt, in foro externo de omni culpa, etiam leuissima teneantur, ex lege. Et ita §. at hoc, ff. Naut. caup. & hoc ne hostium fraudibus pateret.

Attamen in foro conscientię puto solùm de dolo, & leui culpa rationes contractus, uel quasi cōtractus, teneri, & ita in terminis

minis docet Rebellius par. 2.li.1.quæst.19.num.11.& alij, quod est valdè notandum à Confessarijs.

An interficiens aliquem non habentem filios, aut alios cognatos intra tertium gradum, teneatur ad aliquam restitutionem?

RESOL. XXII.

De hoc casu in facti contingentia olim interrogatus fui, & negatiuè respondi, quia interficiens hominem non habentem filios aut fratres hæredes, sed alios, non ita coniunctos, nō teneetur aliquid restituere ratione dicti homicidij; quia in conscientia circa extraneos hæredes nullum damnum considerari potest, vigore cuius teneatur homicida ad aliquam restitutionem, cum defunctus si adhuc viuus esset, non teneretur eis alimenta præstare. Et ita hanc sententiam tenet Mercatus tract. 4. de Restit. c.6. & Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. Restitutio, differ. 8. qui plus addit cum Soto lib. 4. de iust. qu. 6. art. 3. ad 3. nempè, nec fratribus in tali casu deberi aliquid in foro conscientiæ, quidquid sit in foro iudiciali.

Consilium dans ad damnum faciendum ad quid restituere teneatur?

RESOL. XXIII.

Hic casus frequēter solet accidere, & de illo ego alibi fusius. Ideò nunc breuiter assero, quod vbi consilium non fuit efficax, nec causa efficiens, sed solùm excitans animum iam paratum, tunc consulens ad nullam tenetur restitutionem, & ideò glossa 1. in cap. de cætero, de homicidio dicit, tū quem dici dedisse causam damni, si propinquā causam dedit, secùs si remotam, qualis est mouens tantùm per suum consilium sine quo aliàs res efficeretur. Vide etiā aliam Glossam ver. simplici in ca. felicis, §. aliud de pœnis lib. 6. & Rebellius par. 1 lib. 2. q. 14. sect. 4 à num. 17. vsque ad num. 25. cum alijs.

Sed difficultas est de alijs consulentibus, seù consiliarijs ad contractus, & alia negotia. Et quidem si consilium fuit datum ab idiota, vel alio quocunque bona fide, sine dolo, aut fraude, non tenetur in vllo foro, fallit tamen si haberet officium consultoris, vt in Aduocato, dummodo reciperat salarium, aliàs non puto teneri ex simplici consilio, quod est valdè notādum. Et ita Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori, verb. restitutio: differ. 13. nu. 2.

An si quis haberet voluntatem committendi omnia peccata venialia, peccaret mortaliter?

RESOL. XXIV.

Sententiam affirmatiuam docet Sanchez in summa tom. 1. libro 1. cap. 5. nu. 4. & alij; ac proinde peccat mortaliter, qui apud se statuit nullum veniale vitare. Probatur hæc opinio. Primò, quia qui vult se exponere proximo periculo peccati mortalis, peccat mortaliter, sed qui vult committere omnia peccata venialia, vult se expōnere proximo periculo peccati mortalis. Ergo peccat mortaliter. Vnde Sotus in 4. dist. 16. q. 2. artic. 1. §. hic animaduertendum est, licèt cum aliqua formidine, sic ait. Forsan est mortale contemnere omnia venialia ratione imminentis periculi. Secundò probatur, quia Religiosus tenetur progredi in via perfectionis, & peccat mortaliter, si nolit obseruare omnes regulas, licèt non obligent sub mortali. Ergo etiam tenebitur sub mortali non velle omnia venialia. Et ideò Syluester ver. Religio 1. quæst. 12. asserit, in Religioso S. Dominici esse mortale velle transgredi omnia principalia statuta, quibus peruenitur ad perfectionem. Hæc opinio propter hæc argumenta est probabilis.

Sed negatiuam probabiliorem esse existimo, quam nouissimè tuetur doctus Iacobus Granado in p. 2. D. Thomæ contr. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 7. per totam. Et ratio est, quia committere omnia peccata venialia, etiamsi id foret possibile, non est peccatum mortale, nam eo ipso, quod venialia sint, sunt leuia & nō mortalia offensa. Ergo non erit peccatum voluntas committendi omnia venialia. Probo consequentiam, quia malitia interni actus voluntatis desumitur ab obiecto; prout proponitur à ratione; sed obiectum huius interæ volūtatis sunt omnia venialia, & nulla maior malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem. Ergo interna voluntas committendi omnia venialia nō potest esse culpa mortalis. Responsiones vero ad argumenta affirmatiuè sententiæ inuenies apud Granadum vbi supra num. 62. & seq.

Notandum est hic à fortiori ex supradictis, quod si quis vocat quotidie v. gr. per integrum annum recitare semel Salutationem Angelicam, ita vt singulæ salutationes sint attrictæ singulis diebus, non peccat mortaliter, etiamsi nunquam illam recitet, immò etiamsi statuat in toto anni exordio nunquam illas salutationes dicere. Et idem dicendum est de voto elargiendi quotidie modicissimam eleemosynam, huic vel illi pauperi pro libito elargientis, secùs autem, si vni determinato pauperi, quia promissionem illam acceptasset, & consequenter haberet ius ad magnam quantitatem, licèt singulis diebus modica esset. Ita Granadus vbi supra sect. 6. nu. 56. qui citat Sanchez, Vasquez, Azorium, & alios.

An detur casus, in quo vltima acceptio rei ablatæ complens materiam nobilem, non sit peccatum mortale?

RESOL. XXV.

Affirmatiuè respondet Granado in p. 2. D. Thomæ contra. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 5. num. 51. vbi sic asserit. Cum quis committit vltimum furtum, si habet animum citò restituendi vltimum illum obolum, aut aliquid aliud; ita quod non velit retinere sibi notabilem quantitatem non peccabit mortaliter in illa vltima acceptione complente materiam notabilem, quia acceptio rei alienæ non est mortalis, quando sit animo restituēdi illam, ita citò, vt ratione dilationis non inferatur domino damnum alicuius momenti. Sicut, etiamsi cum homo furatur vltimum obolum, iam consumpserit omnes, quos prius subtrpuerat, nec habebat vnde solueret, non peccabit mortaliter, dummodo habeat animum soluendi illam quantitatē, si fortè aliquando perueniret ad pinguiorem fortunam. Probatur, quia in hoc vltimo furto solùm potest peccare mortaliter, quia inuito domino vult sibi retinere saltem per longum tempus notabilem, quantitatem, id autem in prædicto furto, non inuenitur, nam ipse in vltimo furto solùm vult obolum retinere, & potest dolere de furtis præcedentibus, obolos autem, quos prius subripuerat, non vult retinere inuito rationabiliter domino, quia ipse non potest modo soluere, & paratus est ad soluendum si fortè potuerit. Ergo modo non infert proximo grauem iniuriam, ac proinde non peccat, mortaliter. Hæc Granadus, quæ sunt valdè à Confessarijs adnotanda, quia sunt quotidiana, & valdè practicabilia.

An omnia, quæ habentur in iure canonico obligent, & habeant vim legis?

RESOL. XXVI.

Respondeo negatiuè. Nam circa ius canonicū notare oportet, cum in corpore iuris habeātur plura desumpta ex Cōcilijs Prouincialibus, & alia ex Sanctis Patribus Augustino, Isidoro, & similibus, non omnia, quæ in eo continentur obligare omnes, aut habere vim legis: nam solùm Pontifex, & Concilium Generale ab eo approbatum habet vim obligandi vniuersam Ecclesiam, præcepta verò Conciliorum Prouincialium obligabunt Prouinciam, ad quam spectant testimonia de rigore Patrum, quæ non sunt ex se leges obligatoriæ. Itaque cum Gratianus fuerit horum collector, & ipse non habuerit auctoritatē condendi leges, non potuit his Concilijs, & Patribus maiorem auctoritatem, & vim tribuere, quam ipsi habebant. Vnde etiam constat minus obligatorium esse, quod Gratianus addit de suo, vt interdum addere solet. Imò licet aliquid referat tanquam dictum ab aliquo Concilio, vel Papa, si aliunde constaret non fideliter referri, aut esse res omnino dubiæ auctoritatis, non esset obligatio illi parendi. Et hæc omnia docet Iacobus Granado in part. 2. D. Thomæ, contr. 7. tract. 3. par. 2. disp 3. sect. 7. n. 17. vide etiam Suarez de legibus, lib. 4. c. 5. nu 5. Gretserum pro defensione Bellarmini lib. 2. de Rom. Pont. cap. vlt. Rodriquez in

qq. Regul. tom 1. quæst. 6. art. 2. & alios penes Rodericum Acugn. in proœm. decreti Gratiani nu. 19. & Augustinû Barbosam num. 6.

An Vicarius Capituli sedis vacantis possit ad libitum sine iusta causa reuocari ab eodem Capitulo.

RESOL. XXVII.

HIc casus frequenter potest accidere, & negatiuâ sententiâ aiunt rescripsisse Sacram Cardinalium Congregationem, & illam docet Franciscus Zypæus in Analytica iuris canonici l. 1. tit. Ne sede vacante, n. 4. Quaranta in summa Bullar. ver. Capitulum sede vacante, q. 12. n. 3. & alij. Et ratio est, quia reuocare aliquem ab officio est maxima pena, ex leg. 1. ff. de offic. procur. Ceteras rationes adducit Quaranta.

Nô desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam, docere Azorium to. 2. lib. 3. c. 38. q. 18. Aloysium Riccium in praxi to. 1. Resol. 505. nu. 4. & Galettum in Marganta casuum conscientiæ, ver. Vicarius, num. 3. vbi ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem testatur. Igitur secundùm hanc sententiam potest Vicarius Capitularis ad libitû Capituli amoueri, tenetur tamen Capitulum alium Vicarium intra octo dies cõstituere, alias ius deputãdi ad Metropolitanum deuoluitur, & si fuerit Metropolitana, ad antiquiorem Episcopû deuoluitur. Ita DD. citati.

An si peregrinus proficiscatur in aliquod oppidum, non negotij causa, sed vt confiteatur parocho illius, sit talis confessio valida.

RESOL. XXVIII.

NEgatiuam sententiã docet Gabriel Vasquez in 3. par. to. 4. quæst. 93. art. 2. dub. 4. nu. 6. vbi sic ait. Omnes iter agentes pertinent de iure ad eam Diœcesim, & Parochiam vbi inueniuntur tempore præcepti. Vnde etiam extra tempus præcepti, ei Parocho confiteri possunt in cuius Parochia sunt, & hoc nõ ex commissione, sed tanquam proprio, Secùs esset, si non negotij gratia, profectus aliquis esset in aliud oppidû, vt Parocho illius confiteretur, tunc enim existimo ex commissione proprij fieri debere. Ita Vasquez.

Sed aduersus illum insurgit nouissimè, aliud Hispaniæ ornamentum, Basilius Pontius de matrim. lib. 5. capit. 9. nu. 6. ita asserens. Ex his colligo cum in cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remissione statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IV. peregrinus possit confiteri illi Parocho, in cuius Parochia habitat, nõ quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio Sacerdoti, sic inquam idem dicendû esse, etiãsi quis eo an imò solùm cõfitendi illi Parocho eò accedat, & à sui domicilij parochia recedat, illi enim licèt alteri confiteri, dum extra suã parochiam est. Scio dissentire Vasquez, sed sine efficaci fundamento. Ita Pontius. Erratio huius opinionis est, quia in tali casu nõ adest fraus illicita, nec dolus malus, sed quis vtitur iure suo.

Ex his infertur, quod si aliqui in fraudem legis Conc lij Tridentini, vt contrahant sine testibus, & parocho proficiscantur in partes vbi Concilium non est vsu receptum, possunt valide contrahere clandestinè, seruata quoad fieri possit antiqua lege Ecclesiastica, quia ita faciens non vtitur malâ fraude, nec dolo illicito, sed iure suo. Ergo, & c. Et ita ex Sanchez docet Pontius loco citato, contra Ledesmam, & Rodriquez, quibus ego addo lib. 1. 1. c. 3. num. 8. in fine, & Cenedum quæst. 30. num. 64. Sed tu sententiam Pontij probabiliter tenere potes, licèt ego contrarium etiam probabiliter docui.

Quædam notabilia de legatis.

RESOL. XXIX.

MVlti casus circa materiam legatorum in praxi solent occurrere, ideò vt Confessarijs, & casuum conscientiæ responsoribus rem gratam faciã, aliquos hic obiter colligendos duxi. Dico igitur.

Primò legata certo die præstanda, ante illum diem præstari non possunt, & ideò certis diebus, eleemosynas faciendas esse: & electiones puellarum, iuxta diem præfixum à testatore, rectè probat Ioann. Baptista de Thoro in sing. piarum causarû, sing. 36. & in summa priuilegiorû, priuil. 23. vbi distinctionem optimam affert.

Secundò, licèt relictum vel legatum tali anno, vel tempore debeatur in fine anni, ex leg. quæst. hoc anno de v. r. ob a lig. tamẽ in causa pia debetur in principio ex textu in leg. si ita fuerit libertas relicta, ff. de manum, test. Ita Tiraquellus de priuilegijs piæ causæ, priu. 22. & ibi Ricius Gomez in leg. 36. Taur. n. 2 ver. 11. & Ioan. Baptista de Thoro in summa priuilegior. piarû causarum, priuil. 11.

Tertiò licèt regulariter, quando legatum efficitur genericè, debet intelligi de minori re, vel summa: tamen fallit si efficaciter pro pia causa ex textu in leg. Titia, §. finali, ff. de auro, argent legat. & ibi DD. nisi vt obseruat Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 3. num. 17. obstaret testatoris paupertas. Si igitur testator nobilis relinqueret culcitã pro suo funere; deberetur illi Ecclesiæ culcitra aurei velleris, & nõ de serico nigri coloris Ita Thorus vbi supra priu. 11. & Riccius p. 2. decis. 84. vide etiã ipsum. Thorû priu. 264. & Genuensem in pract. Ecclesiastricen. q. 153. nu. 5. vbi docent, quod legatum factum Ecclesiæ de Flotenis, intelligitur de magnis.

Quartò, legatum factum pro maritãdis puellis pauperibus, debetur etiam, & procedit quoad viduas mulieres pauperes. Et ita fuisse decisum per S. C. Neapolitanum testatur Rouitius cõsil. 33. & refert Thorus vbi supra, priuil. 84. vide etiam Caualcum. decis. Fiui. 26. num. 20 par. 3.

Quintò. legatum factum consanguineo pauperi, debet dari pauperiori, quod facit pro consequutione legati maritagiorum factorum in beneficium consanguineorum indigentium. Ita Thorus vbi supra priuileg. 169. ex errore 2. vbi etiam notat cû Genuensi in pract. Ecclesiastricen. 13. q. 387. nu. 2. quod legatum pro dote puellæ pauperis debetur, etiamsi illa possit viuere ex labore suo.

Sextò, si quis legaret alicui puellæ si nupserit mille, si autem Monasterium ingrediatur bis centum, si Monasterium ingressa fuerit. mille consequi debet. Ita DD. quos citat, & sequitur Thorus vbi supra priuil. 142. quibus ego addo DD. quos citat, & etiam sequitur Iacob. Bleda in defensione fidei, in causa Moriscorum tr. 2. c. 1. §. 3. obiect. 2. folio mihi 159. quidquid nouissimè in contrarium sentiant Capiblanchus de offic. Baronum to. 2. Frag. 9. c. 6. num. 13. & alij.

Septimò, legatum pro dotandis puellis potest dari puellæ iam nuptæ sine dote, vel cum modica dote, secùs autem si legatum stat pro Virginibus maritandis, ita Nouarius in QQ. Forens. qu. 125. & alij penes ipsum, qui etiam num. 6. notat, quod legatum factum pro maritagio puellarum potest dari puellæ, quæ habet aliquam dotem, sed non iuxta eius conditionem, & nobilitatem.

An ex iusta causa licitum sit etiam iurando vti amphibologia, quando verba non sunt ambigua, sed in sensum verum detorquentur ex solo aliquo addito mente iurantis concepto.

RESOL. XXX.

HIc casus solet frequenter in praxi accidere, & negatiuam sententiam docent Maldei us opusc. de restrict. mentalibus capit. 4. & 10. Syluius in 2. 2. DD. Thomæ q. 89. art. 7. quæritur 2. conclus 5. Rebellius par. 1. lib. 4. quæstio. 10. nu. 2. Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 13. n. 7. & capit. 14. num. 8. Coninch. de actibus supernat. disp. 10. dub. 3. concl. 3 nu. 49. Cydonius cõtra Epistolam Isaaci Casauboni cap. 5. & 8. & in Apologia pro Henrico Garneto c. 2 præter Doctores, quos citat Sanchez in summa tomo 1. lib. 3. c. 6. n. 12. qui omnes asserunt, nunquam aliquid affirmando, aut negando, licere vti oratione, quæ spectatis omnibus circumstantijs prout externus profertur, est absolutè falsa, nec potest habere verum sensum, quamuis iuncta verbis, quæ à dicente tacitè subintelliguntur, sit vera, nisi illa ea ratione, ijsque circumstantijs proferatur, vt prudens auditor ex his meritò colligat, verbis exterius prolatis aliqua alia subintelligi.

Sed

Sed ego contrariam sententiam, quam cursim tenui in 2. part. tractat. 1. Miscellan. resolut. 25. nunc etiam teneo, & illam docent Sanchez vbi supra, numero 15. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. capitul. 1. numer. 10. Pesantius in 2.2. quæst. 70. articul. 4. disputat. 1. & nouissimè mordicus illam sustinet Stephanus Emonerius disputat. de veritate capitul. 9. & seq. Vnde stante hac opinione, multos casus particulares decidendos esse puto.

Et ideò dico primò, si quis Clericus interrogatus in porta Ciuitatis, vtrū habeat aliquid de quo debet solui gabella, & ille habens, respondet quod non, intendens quod non obligatur ipse ad gabellam soluēdam non dicit mendacium, quamuis alter aliter intelligat verbum, quàm proferens. Ita D. Antoninus in summa part. 2. titul. 10. capit. 1. §. 1. Et sic etiam dicendum est de illis, qui asportant res ad vsus proprios, de quibus cum non teneātur soluere gabellam, secundùm probabilem opinionem, possunt eodem pacto respondere. Ita Suarez de Relig. tomo. 2. lib. 3. cap. 9. num. 3.

Secundò interrogatus in iudicio an debeat centum sibi mutuata, quæ verè secretò restituit, potest respōdere se nihil debere causa mutuati, intelligendo intra se, quod verè non soluerit Et interrogatus, an debeat cētum, cū verè debeat tantū quinquaginta, potest negare petita, prout petuntur. Ita Naldus in summa, ver. interrogatus, num. 1. & 2.

Tertiò, si quis à te petat, vt illi commodes librum vel mutues peccuniam, aut aliquid aliud, negare potes te pecuniā habere, si tu illa indigeas, aut timeas fore, vt mutuatarius serò, vel difficulter restituat, aut periculum sit, vt commodando patiaris aliquod incommodum; modo restrictionem aliquam in mente addas, negando scilicet te id habere, vt illi commodes, vel mutues. Ita Claudius Millhardus in summa parochorum to. 2 ca. 80. num. 2.

Quartò, si aliqua persona priuata, aut metu, aut importunis precibus compellit aliquem iurare, tunc qui iurat potest iurare ad mentem sui, nō verò illius, quamuis secundùm mentem interrogantis non sit verum. Ita Rodriquez in summa, tom. 1. cap. 190. num. 7.

Quintò, quia sæpè interrogamur, quid comedimus, quot habemus nummos, quid dixit nobis N. &c. possum respondere, intelligendo nonnulla, quibus dicamus veritatem, & negemus quod petitur à nobis; sicut si dicat quis, vt dicamus ei aliquid noui possumus dicere nihil scire noui, intelligentes interius, quod conueniat dicere alijs Idem Rodriquez in summa tom. 1. capit. 246. num. 4.

Sextò, Sacerdos inquisitus de culpa in confessione percepta, respondere verè potest se nescire, & iurare, subintelligendo, quod nesciat tanquam homini subiectus. Quod si compellatur, vt respondeat, non per verbum scio, sed per verbum audio, potest respondere se nihil tale in confessione audiuisse, subintelligendo tanquam purum hominem. Quod si impius quæsitor vrgeat, vt respondeat, an audierit vt Deus, respondere potest se non audiuisse, subintelligendo, ad modum causæ principalis. Ita Grassius in decis. par. 1. lib. 1. cap. 23. num. 3. & idem repetit num. 24. agens de eo, cui ex simplicitate fit confessio in neccessitate tanquam Sacerdoti, cū tamen sit laicus, & vt talis agnoscatur.

Septimò, infamator veri criminis, sed occulti, simpliciter dicere potest. se falsum dixisse, & mendacio infamasse, sub intelligendo crimen publicum, ita vt sensus sit, falsum ei crimen affinxi prout publicum; Item negare potest quis peccatum suum occultum, negando illud, vt publicum, idque subintelligendo. Ita Petrus Nauarra de Restitut. libr. 4. capitul. 2. num. 479.

Octauò, cui licitum est aliqua bona abscondere, eo quod illis ad vitam sustentandam egeat, ne à creditoribus capiantur, & sic cogatur mendicare, potest rogatus à Iudice iurare se nulla bona abscondita habere, atque idem possunt iurare id scientes, dummodo ipsis constet licitè eum abscondere ad hunc finem, intelligendo secum, non habere bona abscondita, quæ Iudici manifestare teneatur. Ita Sanchez in summa tom. 1. libr. 3. cap. 6. num. 31.

Nonò, potest Confessarius proferre verba absolutionis absque intentione, ad effugiendam mortem sibi minatam à pœnitente, si non absoluat. Item si minaretur mortem, nisi consecraret, panem in foro existentem, poterit proferre verba consecrationis, absque intentione consecrandi, sine vlla labe mendacij vtendo aliqua æquiuocatione: nisi hæc omnia efficerentur in contemptum fidei, & religionis, nam in tali casu teneretur subire mortem. Et ita iurans latroni se illi daturum pecunias sine intentione dandi, nō peccat si mente concipiat æquiuocationem, videlicet dabo, si ad id tenear, nec posteà tenetur ad restitutionem. Sic Ioannes Sancius in selectis, disput. 35. numero 6. & 7.

Decimò, pœnitēs interrogatus temerè, an hoc, vel illud peccatum fassus sit, potest iurare se non confessum, intelligendo ita vt teneatur illi explicare. Sic Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 19. numero 7.

Vndecimò, adultera rogata à marito, an adulteriū admiserit, non solùm potest iurare se non fregisse matrimonium, sed contra Sotum de instit. lib. 5. quæ. 6 ar. 2. potest negare adulterium, cōcipiendo intra se aliam diem ab ea, in qua illud admisit; imò potest iurare se non fecisse vllum adulterium, intelligendo intra se, vt tibi reuelem. Ita Nauarrus cap. humanæ aures 22. quæst. 5. in parte 1. num. 9. & Sayrus in Claui Regia lib. 5. cap. 4. num. 24.

Duodecimò, veniens ex loco, qui falsò putatur peste infectus, rogatus potest iurare se ex eo non venire, intelligēdo tanquam ex loco pestilenti; atque idem puto, quando veniens ex loco pestilenti certò credit, nec se, nec aliquid suum peste infectum esse, potest iurare indè non venire, intelligendo ita, vt aliquid mali ex loco pestilēti contraxerit. Ita Suarez de Relig. tomo 2. lib. 3. cap. 9 numero 7. & Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. numero 47.

Decimotertiò, sic debitor pauper pro ea paupertate excusatur à debito tunc soluēdo, & exactor iniquus illū premat, potest à Iudice interrogatus iurare se illas pecunias non accepisse, quia Iudex ad eum effectū rogat, vt cogat statim soluere, quare negans se accepisse, intelligēdo vt statim debeat soluere, verè ad debitam Iudicis mentem respondet. Ita Sanchez in summa tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 32.

Quartodecimò, si reperto cadauere quis interrogetur, an gladius, vel scalpellum ibi repertum sit suum, vel tali hora illic transierit, quæ vera sunt, & petuntur ab eo tanquam illius homicidij indicia, quod verè non commisit, potest negare, quia ad debitam Iudicis mentem verè respondet. Ita Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 14.

Decimoquintò, vbi factum exterius ob aliquam causam excusatur à peccato potest interrogatus à Iudice de illo facto id negare, intelligendo de facto criminoso, vt si in propriam defensionē hominem quis occidit, vel rem alienam in veri debiti compensationem vsurpauit. Ita Lessius vbi supra, & Sanchez num. 29. qui optimè addit, quod quando taxa alicuius rei probabiliter est iniusta, venditor si pluris vendat, defraudat in pondere, & mensura: ita vt sibi satisfaciat, vel pro pretij iniustitia, potest à iudice interrogatus, an pluris vendiderit, vel cum falsa mensura, potest inquam totum negare, & asserere se pretio taxato vēdidisse, & cum iustis ponderibus, intelligendo hæc, ita vt pluris vendens, aut deficiens in pondere deliquerit. Et hoc procedit, vt diximus, quando adest tantùm opinio probabilis, vt taxa sit iniusta.

Decimosextò, qui intra quinquennium non reclamauit, & sciebat suam professionem esse inualidam, nec vnquam illam ratificauit, & sciebat etiam elapso quinquennio se non posse amplius reclamare; si velit posteà reclamare in iudicio, petens restitutionem in integrum, affirmans se non reclamasse ob ignorantiam; si iudex eum de hoc interroget, potest sine peccato iurare, se non habuisse scientiam, quod potuisset reclamare, vtendo verbis æquiuocis, seu amphibologicis; nam talis professus non est verè religiosus, quia professionem inualidam, numquam facit validam ob ratificationem. Quare potest dicere se non habuisse scientiam, subintelligendo in mente sua, qua ratam habuerit professionem, cum Concilium Tridentinum præsumat huiusmodi professum ratificasse professionem inualidam, si intra quinquennium non reclamauit: sicut si à iudice interrogaretur, an promiserit matrimonium, quod fictè promisit, potest iurare se non promisisse, ne cogatur matrimonium contrahere, cum non possit probare, se fictè promisisse. Ita doctus & amicissimus Sanctarellus part. 1. ver. resolut. quæst. 48. numero 15. & 16.

Decimoseptimò, is qui ex necessitate, vel aliqua vtilitate offert se ad iurandum nemine petente, potest vti amphibologijs,

nam habet iustam causam ijs vtendi. Sic cõtra Lessium, Nauarrum, Sayrum, & alios tenet Sanchez vbi supra, n. 21. & Bonacina vbi infra, num. 4.

Ex his omnibus apparet ex iusta causa, nempè, quãdo id necessarium est, vel vtile ad salutem corporis, honoris, aut rerum familiarium, vel etiam quando iniustamur erroganio proponitur, posse aliquem absque mendacio aliqua verba vsurpare, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec cum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantijs occurrentibus, sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud sit. Verùm in tali casu animus ita respondentis non debet esse ad fallendum proximum, sed ad occultandam veritatem, quam tunc non expedit manifestare.

An verò supradicto modo iurare absque iusta causa sit peccatum mortale, diximus in part. 1. tract. 1. Miscellan. Resol. 27. vbi adduximus Sanchez, Bonacinam, & Filliucium negatiuam sententiã probabiliter asserentes, modo non iuret aliquis in iudicio, dum Iudex iuridicè interrogat; aut non iuret in materia præiudiciali. Et ratio est, quia non facit contra finem iuramenti in materia graui, tum quia in huiusmodi iuramento deficit sola discretio, seu iudicium, iuramentum autem, cui sola discretio, seu iudicium deficit, non est mortaliter peccaminosum. Ergo, &c. Non nego autem contrariam sententiam esse communiorem, & probabiliorem, quam tuentur Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. nu. 46. Toletus lib. 4. cap. 21. nu. 9. notab. 1. Sayrus in Claui Regia lib. 5. cap. 4. n. 21. Philiarcus de offic. Sacer. to. 1. part. 2. lib. 3. cap. 14. & alij.

Quando fœmina violenter cognita à viro peccet, vel non peccet mortaliter.

RESOL. XXXI.

Respondeo, quod fœmina, quæ violenter à viro aliquo cognoscitur, non peccat si duo habeat. Primo contrariam voluntatem non consentiendi eiusmodi copulæ. Secundò, impedire quantum in se est talem violentum effectum, alioquin censeretur cõsentire; ideò tenetur impedire talem violentiam cum clamore, cum conatu, & renisu corporis, &c. Et ita docent Adamus Tannerus in part. 2. D. Thomæ, disput. 2. quæst. 6. dub. 4. nu. 56. Valentia tom. 2. disput. 2. quæst. 1. punct. 3. Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 2. num 67. Azorius tom. 1. lib. 1. capit. 9. quæst. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 12. cap. 1. sect. 1. num. 20. Syluius in 2. 2. quæst. 154. ar. 2. Bonacina de legibus disp. 2. q. 8. punct. 2. nu. 2. Sayrus in Claui Regia li. 2. cap. 5. n. 4. Medina in part. 2. D. Thomæ quæst. 6. art. 5. ad 2. & alij.

Notandum est tamen quod licèt mulier, vt dictum est, non possit cooperari fornicationi, quia hoc est intrinsecè malum, & potius mortem sustinere debet, attamen ad euitandã mortem potest mulier pati externam corruptionem, non tamen cõsentiendo, sed merè passiuè se habendo, quia non tenetur mortem sustinere, dum interius non consentit eiusmodi copulæ, & fecit quod potuit ad illam vitandam, vt supra. Ita Sotus de iust. lib. 5. q. 1. art. 5. Nauarrus c. 16. n. 1. Rodriquez in summa to. 1. c. 290. nu. 1. Molfesius in summa to. 1. tract. 8. c. 2. nu. 38. & alij.

Sed plus addit Ioannes Salas in p. 2. tom. 1, tractat. 3. disp. 3. sect. 1. num. 31. nempè hanc sententiam esse veram, etiamsi in muliere vim patiente, adesset periculum cõsentiendi; quia ait ille, sæpè licèt pericolum peccati nõ fugere ad vitandam mortem, infamiam vel aliud incommodum grauissimum, vt si vir & fœmina cohabitent cum manifesto periculo internę libidinis & separari non possint sine ingenti periculo mortis, infamiæ, vel scandali, licitum erit vnà permanere cũ eo periculo, quod nõ amatur, nec temerè suscipitur, sed necessitate quadam toleratur. Sic Salas.

Verùm hæc sententia displicet Molfesio vbi supra, & multis Patribus Societatis Iesu, & nostræ Religionis ab ipso consultis; & illam impugnat Martinez tom. 1. in part. 2. quæst. 6. articul. 5. dub. 1. ad art. 1. & etiam Alphonsus Curiel in part. 2. D. Thomæ quæst. 6. artic. 5. Et ratio est, quia exponere se periculo consentiendi est secundùm se actio mala moraliter respectu ipsius fœminæ, & prohibita præcepto naturali negatiuo, quod obligat semper, & in omni euentu. Ad exemplum verò, quod quoad cohabitationem adducit Salas, respondeo, quod non est intrinsecè malum, & in illo casu possunt per Confessarium adhiberi multa remedia. Dicendum est igitur cum Curiele vbi supra, quod si fœmina non timeat periculum consentiendi, videtur probabilis sententia eorum, qui dicunt, quod solùm tenetur facere id, quod commodè potuerit; habita ratione periculi, in quo versatur; ita quod si ex vociferatione, aut alia resistẽtia possit sequi graue incommodum, vt mors, infamia, vel detrimentum in bonis suis, non tenebitur ea vti: quoniam oppressio in isto casu non habet rationem actionis liberę respectu fœminæ, sed putæ passionis, & resistere ipsi, solùm præcipitur præcepto affirmatiuo, quod non obligat in omni euentu, sed iuxta mensuram rationis & ex cõsequenti modo morali, & humano, atque proinde non obligat cum tanto periculo. Ita ille, & ego.

Quando faciendæ sunt extractiones frumentorum à Dominis Proregibus in hoc Regno Siciliæ.

RESOL. XXXII.

Ponam hic pulcherrima verba eloquentissimi Ioannis Cassiodori lib. 1. variar. Epistol. 34. vbi sic ait. Copia frumentorum Prouinciæ, debet primum prodesse, cui nascitur; quia nimius est, et incolis propria fœcunditas seruiat: quam peregrinis commercijs studiosæ cupiditatis exhauriatur: Alienis siquidem partibus debet impendi, quod supereft, & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleuerit. Atque ideò Illustris Magnificentia tua, per loca singula, qui curam videnti habere littorum, faciat commoneri, vt non antea quispiam peregrinas naues frumentis oneret ad aliena littora transituras, quam expensæ publicæ ad optatam possint copiam peruenire. Hæc Cassiodorus eleganter, vt semper solet. Sed audiamus in hac re celeberrimum Iurisconsultum nostrum D. Io. Franciscum Aponte de potest. proregis tit. 5. de tractis numer. 5. sic loquentem. Per Proreges conceduntur sæpè tractæ, seu extractiones frumentorum, vinorum, & similium: quæ concessiones intrinsecam, & infirmam habent naturam, & cõditionem, quod eas liceat extrahere, quatenus Regnum remanet munitum, & his opus nõ habet, aliàs Proreges malè facerent, ex quo multa mala successerunt, penuriæ, ruinæ, & conturbationes totius Regni, in quo prudẽtes Ministri summopere aduertere debent, & inuigilare. Ita Aponte. Videant ergo Proreges, ne propter amicitiam, vel sanguinis coniunctionem concedant personis particularibus, tractas, à Rege illi datas, cum periculo damni, & penuriæ Regni: nam in omnibus concessionibus tractarum, à Serenissimo Rege quibuscunque personis largitis, semper intelligitur ista conditio, si Regnum illis rebus opus non habeat.

Notandum est hic obiter, quod Aponte vbi supra numer. 8. docet cum illis Doctoribus, nõ incurrere in excommunicationem Bullę Cęnę, Proreges, & ministros prohibentes extractionem fumenti, & aliorum victualium ad Romanam Curiam, idque quando Regno deficit necessaria prouisio, quia prima charitas incipit à se ipso. Et ita hanc sententiam tenet nouissimè Doctus Sousa in explic. Bullæ Cęnæ cap. 9. disp. 53. concl. 1. numer. 3. Verùm hanc opinionem moderandam esse putat Genuensis in pract. Eccles. tricenario 21. quæst. 618. numer. 2. ideò asserit nõ procedere quando Summus Pontifex caput Reipublicæ Christianæ post Christum, & eius ministri indigerent. At hic casus metaphysicus est, & in praxi moraliter nunquam accidet, quia Summus Pontifex & Domini Cardinales, etiam tempore extremæ penuriæ, semper Pro eorum victu necessaria habebunt. Vide etiam Megalam in 3. part. libro 3. capitul. 7. quæst. 1. num. 4. & 5. vbi probat, quod hanc excommunicationem non incurrit, qui ob periculum saltem probabile, vel dubium charitatis annexæ, prohibet extractionem in seruitium Romanæ Curiæ.

Non reticeam tamen hic apponere pulchrum casum, & qui in praxi sępè potest accidere. Fingamus, quod in Sicilia adesset maxima frumenti penuria, & ex vi ventorum nauis frumentis onusta Romam petens huc accederet: an tunc ministri, & Proreges illam retinendo, & dictum frumentum accipiendo incurrerent in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ, vt dictum est, excommunicat omnes, impedientes eos, qui

qui victualia, seù alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt. Negatiuam sententiam docet Vgolinus, quem citat, & sequitur P. Duardus in Bulla Cœnæ libr. 2. can. 8. quæst. 4. nu. 2. & adducunt textum in leg. Præses, C. de seruit. & aqua, capit. discipulus dist. 5. Et ratio est, quia aliena subtrahens, famis necessitate compulsus à culpa excusatur: ergo, qui ex supradicta causa, deferentes victualia ad Romanam Curiam impediunt, excommunicationis vinculo non alligatur, quia vt habetur in can. nullus 11. quæst. 3. vbi lethalis culpa non contrahitur, ibi excommunicatio locum non vendicat. Verùm Sousa in Bulla Cœnæ, vbi supra, capit. 9. dispu. 53 concl. 1. num. 3. hanc opinionem admittit in casu, quo in curia Romana non esset illarum rerum, quæ exportari impediuntur, indigentia, quia tunc videretur habere locum Epicheia, aliter impedientem à censura non excusat; cum ad impediendam dclationem mercium, quæ aliundè asportantur, ius non habeat. Sed circa hoc, si casus occurreret cogitarem: nam vt ait Glossa in capit. discipulos, distinct. 5. in necessitate omnia sunt communia per tex. in capit. sicut dist. 47. & maximè cibaria, ex leg. 2. §. cum in eadem naui in fine, ff. ad leg. Rhodiam de iac. Vide Duardum vbi supra.

An si quis vi, & fraude impediat, ne nepos filius spurii instituatur heres ab auo, teneatur ad restitutionem?

RESOL. XXXIII.

Svppono nepotem filium spurij posse institui hæredem ab auo, si hæc institutio non efficiatur intuitu filij spurij, vt illa bona ipse habeat. Ita Vasquez opusc. de restit. cap. 5. §. 7. du. 7. n. 123. Molina de iust. to. 1. tract. 2. disp. 167. concl. 9. n. 16. & ex Iuristis Iulius Clarus de testam. quæst. 32.

Hoc supposito de hoc casu olim interrogatus affirmatiuè respondi, quia qui vi, aut fraude impedit aliquem ne instituatur hæres, vt est in casu nostro, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; quidquid asserant aliqui apud Emanuelem Sà ver. restitutio 21. aduersus quos, & rectè insurgit nouissimè doctus Tannerus in part. 2. D. Thomæ. disputat. 4. quæst. 6. dub. 2. num. 65. cum Bonacina de contract. disput. 1. quæst. 2. punct. 12. num. 5. & Syluio vbi infra concl. 5. Laynian in Theol. Mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 7. nu. 3. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. ca. 22. num. 21. Turriano vbi infra. Et ratio est, nã violatur ius ipsius, quod habet ad illud bonum, quod ius non est quidem absolutum, sed conditionatum, quia in libera voluntate collatoris positum; si enim velit, res tibi debetur, si nolit, non debetur. Vnde si quis voluntatem eius, qui proposuit, vel deliberat tibi dare per vim, aut fraudem directè impediat, aliove inflectat, veram tibi iniuriam facit; nam ius tuum in libertate collatoris cõstitutum violat. Ergo, &c. Et ideò hanc sententiam sustinent etiam Nauarrus in Man. capit. 17. numer. 76. & ibi Victorellus in notis num. 67. Lessius lib. 2. capit. 12. dub. 17. numet. 123. Vasquez in p. 2 D. Thomæ tom. 2. disput. 175. capi. 2. num. 13. Azorius part. 3. lib. 4. cap. 9. quæst. 1. & alij penes ipsos. Idem dicendum est de illo, qui fraude, & vi impedit, ne aliquis cõsequatur officium, vel beneficium, &c.

Notandum est tamen, quod hæc restitutio nõ est integrè facienda, sed quanti iudicio prudentis spes potest æstimari. Ita Doctores citati.

Verùm non grauabor hic adnotare, quod si impediatur, ne omnia supradicta bona aliquis assequatur, non vi fraude, mendacij, &c. sed precibus, blanditijs, muneribus, &c. etiamsi hoc ab aliquo efficeretur cum odio, & inuidia, peccaret quidem, sed ad restitutionem non teneretur; quia omnes supradicti, qui impediuntur ab assequendis istis bonis, ius ad illa non habent, nisi vt dictum est, in libera voluntate collatoris: ergo si relinquas collatorem in sua libertate, nec aliquid facias, quod illi libertati repugnet, non censeris hoc ius violare. Igitur cum preces, munera, blanditiæ non repugnent libertati, nullo modo infers alicui iniuriam. Et ita aduersus Caietanum in 2. 2. quæst. 62. artic. 2. Couarruuiam in reg. peccatum, par. 2. §. 7. num. 8. Paludanum in 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 2. conclus. 4. Scotum eadem dist. & quæst. ad arg. vlt. Richardum ibidem circa 5. principalem q. 4. art. 6. docent communiter Doctores, vt Lessius, Azorius, vbi supra, quibus adde Villalobos in summa to. 1. tract. 11. diffic. 43. nu. 10. Nauarra de restit. lib 3. c. 5. nu. 12. Turrianum in 2. 2. to. 2. disput. 16. dub. 1. num. 7. Rebellium par. 1. lib. 3. q. 1. concl. vlt. num. 5. & Syluium in 2. 2. q. 62. art. 2. quæritur 25. con clus. 2. Nec obstant intentio nocendi, odium, & inuidia, nam si non sequatur opus contrarium iustitiæ, hæc omnia non inducunt onus restituendi; vnde quod ad restitutionem attinet, vidẽdum est, quo iure fiat quicquam, non autem quo animo; animus enim nocendi est cõtra charitatem, sed non violat iustitiã nisi accedat opus iustitiæ repugnans.

Hinc ex dictis infertur primò, aliquem non teneri ad restitutionem, si sine vi, & fraude impediuit, v. g. ne Paulus institueret hæredem, vel legatarium Petrum, quem gratis instituere volebat, etiamsi ex odio, & malo animo fecerit, & orauerit, vt se ipsum, vel alium amicum loco Petri, Paulus institueret.

Secundò, non tenetur ad restitutionem, qui sine vi, & fraude curauit aliquod testamentum iam factum mutari, & alium hæredem institui, vel aliquid sibi, vel amicis relinqui.

Tertiò, si absque vi, & fraude, procuras, vt beneficium detur digno, non teneris quidem restituere alijs competitoribus dignis, quia nihil contra ius illorum fecisti, sed teneris Ecclesiæ, vel Reipublicæ, cuius iura violasti, procurando ei ministrum ineptum, & in tali casu seruãdus est ordo, vt primo loco teneatur is qui officium administrauit, & stipendia accepit. Secundò loco tenetur collator, & suasor.

Quartò, si absque vi, & fraude impediuisti digniorem, vt daretur minus digno officium, vel beneficium, peccasti quidem, non tamen teneris ad restitutionen non digniori, quia contra ius eius nihil actum est, nec etiam Ecclesię, vel Reipublicę, quia nullum damnum per iniuriam illis illatum est; nam in potestate collatoris erat eligere dignum, relicto digniori, quamuis in eo non sit fidelis dispensator.

Quintò, qui impediuit per vim, & fraudem, ne alter consequeretur beneficium, vel officium, quo dignus erat, tenetur ad restitutionem, quanti iudicio prudentis ea spes valebat; nisi tamen dignus nullam spem haberet ad dictum beneficium consequendum.

Sextò, qui per vim, & fraudẽ impediuit dignum à consequutione alicuius beneficij, vel officij, vt daretur indigno, tenetur ad restitutionem, non solùm digno, qui fuit iniustè impeditus, sed etiam Ecclesiæ, & Reipublicæ, quæ damnum patitur, non habens idoneum ministrum.

Septimò, qui vi, & fraude impediuit multos competitores ad aliquod beneficium, vel officium assequendum, tenetur singulis restituere, quanti, vt dictum est, iudicio prudentis spes eorum valebat.

Octauò, qui per vim, & fraudem impediuit, ne piscator, aut venator, piscaretur, & venaretur, tenetur ad restitutionem arbitrio prudentis viri.

Nonò, qui per mendacium impediuit Petrum, ne faceret eleemosynam Paulo pauperi, dicẽdo illum non esse pauperem tenetur ad restitutionem.

Decimò, si vi, & fraude procurantem aliquod officium retrahis, & auocas, teneris ad restitutionem. Idem dicendum est de eo qui verbis, & precibus, etiam absque vi, & fraude addit Bonacina retrahit procuratorem alicuius, vt desistat ab aliquo incepto opere, vnde sequitur alteri damnum.

Vndecimò, si aliquis dignus spem habebat ad obtinendum aliquod officium, vel beneficium: & fraude, & vi illum impediuisti, vt conferretur digniori, multi putant te teneri ad restitutionem, quanti illa spes illi valebat, sed verius est te non teneri. Secùs dicendum est, si procurasti, vt æquè digno conferretur, tunc enim teneris illi, quem iniustè impediuisti: nam respectu alterius æquè digni, ius habebat, vt collatori sua libertas relinqueretur.

Duodecimo, is qui secretum alterius cognouit per iniuriã, si eo vtatur in suum commodum cum incommodo alterius, aliquando non tenetur ad restitutionem, v. g. Petrus scribit Romã ad Paulum, vacare beneficium in mente Pontificis: litteræ veniunt in manus Ioannis, qui illas aperit, & posteà clausas reddit Paulo, sed illum præueniens impetrat beneficium, in tali casu, si Ioannes litteras tempestiuè tradidit, probabilius est non teneri ad restitutionem; quia etsi commisit iniuriam aduersus Paulum in legẽdis, & aperiendis litteris, non tamen in comparãdo beneficio cum Paulus non heberet maius ius, quam alter. Et hæc exempla colligere volui ex supradictis DD. in gratiam Cõfessariorum, vt ex illis promptè, & facillimè multa in facto occurrenti solui possint.

Sed claudam hanc resolutionem cum dubitatione, quam ponit Syluius in 2. 2. quæst. 62. artic. 2. quæritur 25. conclus. 5. vbi sic ait. Petes, quid de illis dicendum, qui etsi non per vim, & fraudem, per preces tamen, aut aliter illicite impediunt quempiam idoneum a consequutione boni, quod principaliter institutum est in singulorum vtilitatem; cuiusmodi sunt ærarium publicum, montes pietatis, piæ fundationes, &c. Respondeo eos teneri ad restitutionem, quia ad tale bonum singuli habent ius quoddam particulare, a quo inuiti impediuntur. Vnde non est eadem ratio istorum bonorum, quę beneficiorum, vel officiorum publicorum; cum hæc principaliter in bonum commune ordinentur, non autem in bonum particulare singulorum. Vnde Nauarrus Sotum sequutus in Manu. capit. 7. nu. 72. inquit. Non sunt beneficia, & munera publica communitatis, ita debita ijs, inter quos sunt diuidenda, sicut centum aurei communitatis diuidendi singulis eius membris sunt debiti eis, eo quod beneficia, & officia publica sunt instituta principaliter propter seruitium Ecclesiæ, vel Reipublicæ, & non propter eos, qui seruituri sunt. Et collatores eorum non distribuunt tanquam debita eis, quibus distribuuntur, sed tanquam debita seruitio Ecclesiarum, ita quod per bonam, vel malam electionē eorum, non fit principaliter commodum, vel damnum ijs, qui eliguntur, sed Ecclesijs, vel illi Reipublicæ, ad quam regendam præficiuntur. Sed quando v. g. centum aurei communis ærarij sunt distribuendi particularibus membris illius communitatis, vnusquisque eorum habet aliquod ius, ob quod illis debetur sua pars, quia illi sunt destinati principaliter in vsum, & vtilitatem eorum, non verò in commodum Reipublicæ. Hæc omnia Syluius. Verùm quia ex principijs in ista resolutione positis, resoluuntur duo casus in praxi sæpius occurrentes, de illis speciatim differere existimaui, ideò quæritur.

An qui sine vi, & fraude, sed tantùm suasione, & precibus, impedit ne beneficium conferatur digniori, sed digno, teneatur aliquid digniori restituere.

RESOL. XXXIV.

DE hac quæstione alibi dictum est, & affirmatiuam sententiam præter Caietanum in 2. 2. D. Thomæ, quæstio. 62. art. 2. tenent ex Neotericis duo viri doctissimi Vasquez de Beneficijs, cap. 4. §. 3. dub. 19. num. 140. & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 11. diffic. 44. num. 9. vbi sic ait. [El que haze que el beneficio, o cathedra se dè al digno dexādo al mas digno, aunque lo haga con solos ruegos sin fuerza, ni fraude, està obligado à restituir al mas digno. El fundamento es, porque fuera de quebrar la iusticia, hizo danno al mas digno contra iusticia comutatiua, en cosa que estaua ya à cerca de tenerla, de manera que si el distribuidor estaua determinado firmamente de dar el beneficio, ò cathedra al mas digno, de suerte, que sino fuera por la persuasion, infalibilmente le lleuara, tendra obligacion à restituirle todo, ò casi todo; y sino estaua tan cerca como esso, estare obligado à restituyr conforme a la propinquidad que el otro tenia.] Sic ille, qui citat, Aragon, & Couarruuiam.

Sed si hæc opinio esset vera, heu quam multi in Aulis Principum, & Prælatorum Ecclesiasticorum tenerentur ad restitutionem. Ideo contrariam sententiam probabilissimam esse censeo, quam præter Lessium lib. 2. capit. 12. dub. 18. numer. 129. Valentiam tom. 3. disp. 5. quæst. 7. punct. 2. Sotum lib. 4. quæst 6. artic. 3. Nauarrum in Manuali cap. 17. num. 72. & alios, tenent nouissimè Syluius in 2. 2. D. Thomæ qu. 62. artic. 2. quæritur 25. concl. 2. Filliucius tom. 2. tract. 32 c. 8. num. 185. & Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract 2. cap. 7. num. 2. vbi sic asserit. Probabile est, quod neque is contra iustitiam peccet, vel ad restitutionem teneatur, qui Ecclesiastici beneficij collatorem, iam determinatum ad alicui conferendum suasione, aut precibus eò perducit, vt sibi vel alteri etiam minus digno conferatur. Ita Layman, qui citat etiam Adrianum, Toletum, & Sa. Vide etiam Azorium par. 3. lib. 4. cap. 9. q. 2.

Ratio est, vt benè explicat Guttierrez can. qq. libr. 2. c. 11. nu. 47. cum alijs, nam qui confert Ecclesiasticum beneficium, propriè nullam iniuriam infert digniori si, eo prætermisso, conferat minus digno, & consequenter contra Vasquez vbi supra, neque ille iniuriam infert, qui collatorem suasione, aut precibus, ad id faciendum mouet, neque collatoris peccato ita suadens cooperatur aduersus digniorem, vnde neuter restitutionē illi facere tenetur, quippe ei beneficium propriè, & strictè debitum non erat. Post hæc scripta inueni Bonacinam de contract. disp. 1. q. 2. punct. 12. nu. 7 primam sententiam cum Vasquez, & alijs tenere; sed tu tutò potes secundam opinionem amplecti.

An si is, cuius bona ob crimen iustè sunt confiscanda, vel diripienda si hoc fraude, aut mendacijs impediat, teneatur ad restitutionem,

RESOL. XXXV.

AFfirmatiuè respondent Molina de iustit. tom. 1. tract. 2. disp. 95. num. 36. Layman in Theol. Mor. libr. 3. sect. 5. tract. 2. capi. 7. num. 4 & ante illos Sotus de iust. lib. 1. quæst. 6. artic. 6. & Castrus de leg. pen. lib. 2. capit. 15. §. ex his, quia iniustè impedit pœnam Fisco, vel alijs applicandam, & debitam, per sententiam. Et confirmatur à fortiori, quia, vt supra visum est, iniustè impediens vi, vel fraude, aut mendacijs rem nō debitam, vt legatū, quod testator volebat alteri relinquere, tenetur restituere; ergo magis tenebitur, quando res est debita, vt est in casu proposito. Vnde infert Molina loco citato, integrum esse Fisco, cui constaret reos iuridicè interrogatos negasse verùm crimen, vti compensatione occulta bonorum, quæ lata sententia erant sibi applicanda, aut esto pœna ipso iure nō incurreretur, erant sibi in pœnam applicanda; eo quod reus ius suum iniustè impedierit.

At his non obstantibus contrariam sententiam probabiliorem esse existimo, quam docent Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disput. 4. qu. 7. dub. 2. num. 76. Lessius libr. 2. capit. 12. dub. 18. nu. 134. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 8. q. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. nu. 22. Vasquez in p. 2. tom. 2. disp. 175. cap. 11. num. 13. & 14. Carbonius de restit. qu. 31. concl. 5. Bannez, Aragon, & Salonius in 2. 2. qu. 62. contr. 2. art. 5. Nauarrus cap. 18. num. 49. & alij Et ratio est, quia huiusmodi occupatio bonorum constituta est in pœnam criminis; sed pœna non debetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, vt communiter fatentur DD. imo non est soluenda ante sententiam constitutam pœnæ, qua ipsa pœna iubeatur solui. Ergo sententia non secuta, non debetur pena. Multas aliàs rationes afferunt DD. citati, quas apud ipsos videbis.

Ex quibus multi casus in praxi sępius occurrentes decidendi sunt. Primò Hæreticum qui fraude, mendacijs, & falsis testibus se defendit, & impediuit sententiam, aut cōfiscationem bonorum, non teneri ad restitutionem.

Secundò, idem dicēdum de adultera, quæ ipso iure ammittit dotem, quidquid in contrarium asserat Layman vbi supra. Si enim legitimè accusata de adulterio, falsis se tueatur testibus, vel vicissim de viro adulterium falsis allegationibus ostendat, ideoque absoluatur, obligari quidem in conscientiæ foro ad expensas litis viro soluendas, non autem ad dotem reddēdam. Similiter si a sententia iusta aduersus illam lata appellet, etsi iniquè; nam appellatio suspendit sententiam.

Tertiò, Iudex in proferenda sententia negligens, & nō condemnans, non tenetur ad mulctam pecuniariam fisco, vel læsæ parti soluendam. Idem dicendum de Procuratore fiscali si non accusat; eo quod ad huiusmodi mulctam nondum est acquisitum ius fisco, & partibus. & non satis cōstat debere iudicem, & fiscalem propriè ex officio, & iustitia eiusmodi fortuita fisci emolumenta procurare.

Quartò, custodes ciuitatum, syluarum fluminum, licèt transgressores ad magistratū deferre negligant, non tenentur ad soluendam illam pœnam pecuniariam, quę alioquin ad fiscum, vel Dominos peruenisset.

Quintò, idem dicendum est de ęstimatoribus publicis rerum venalium, nam ipsi tenentur ad pecuniarum mulctam, quam soluerent denūciatori rei, vel fisco, vel alijs personis. Et hoc deseruiat pro illis, qui apud nos vocātur vulgo *Mastri di piazza*.

Sextò, idem locum habet in eo, cuius bona ob nō solutū vectigal, vel res prohibitas, importatas, vel asportatas sūt ipso facto commissa, seu addicta fisco, vel redemptori, aut alijs personis; nam non tenetur ad restitutionem ante iudicis sententiam.

Septi-

Septimò, idem dicendum est de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & cõsequenter confiscationem, vel mulctam pecuniariam, Fisco vel alijs applicandam, non enim sicut principalis auctor, aut mandans tenentur ad eius restitutionem. Et omnia hæc Cõfessarius inueniet apud Tannerum, & Lessium vbi supra.

Notandum est etiam cum Petro à Nauarra de restitut. li. 3. capit. 5. num. 13. quod impediens fraude aliquam denunciationem, vel ne delinquens veniat ad manus iustitiæ, aut qui occulter, vel faciat fugere officiales tempore syndicatus, non tenetur ad restitutionem pœnæ supradictis imponendæ: nam ante condemnationes Fiscus, vel alius vllum ius nõ habet, vt supra sępè dictum est. Quod ita verùm aliqui existimant, vt doceant etiam penam conuentionalem inter partes positam non esse solueridam in conscientia ante iudicis sententiam, quod ego alibi probabiliter docui, & nunc doceo cum amicissimo P. Antonio Sanctarello tractat. de Hæres. capit. 21. dub. 1. numero 10. Guttierrez in qq. can. lib. 2. cap. 29. num. 13. & alijs. Sed de his satis.

Vtrum Episcopus existens in alterius Diœcesi licitè possit celebrare Missam in Pontificalibus, seu cum Baculo, & Mitra absque licentia eius Ordinarij.

RESOL. XXXVI.

SVppono Pontificalia insignia, & ornamenta esse Mitram, Baculum pastoralem Annulum, Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, & Crucem pectoralem, vt testatur Isidorus Mosconius tract. de magnitudine militan. Eccl. p. 1. lib. 1. c. 8. quorum singulorum significationes exponit Durandus in ration. diuin. offic. lib. 3. c. 13.

Hoc supposito; Prima opinio est affirmatiua, quia nullus canon prohibet Episcopis hoc efficere. Ergo licitum erit. Nec obstat Concilium Tridentinum cap. 5. sess. 6. cuius verba sunt hæc Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licẽtia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab exequutione Ordinum sint ipso iure suspensi. Non, inquam, obstant verba, nam loquuntur de vsu Pontificalium, cum aliquo exercitio, vt cõsecrare, chrismare, ordinare, degradare, & similia; vnde ex ponens hunc locum Concilij Tridentini, sic asserit Villalobos in summa, tomo 1. tractat. 18. difficul. 9. num. 5. [Aduertese que actos Pontificales son los que pertenecen al orden Episcopal, y su consecracion, como ordenar, hazer chrisma &c.] Et ita etiam supradictus locus Cõcilij exponitur à quodam viro amicissimo, qui tamen nullum Auctorem adducit, sed ego inuenio Concilium sic exponere Tamburinum de iure Abbatum, tom. 1. disput. 15. quæst. 15. num. 3. Campanili de diuer. iur. can. Rubr. 9. cap. 5. nu. 1. & 3. Quaranta in summa Bullar. ver. Archiepiscopi auctoritas, sub num. 23. & Coninch de Sacram disput. 16. dub. 5. num. 35. Et hanc esse veram expositionem verborum Concilij patet ex eiusdem verbis ibi; Exercere, quod verbum non videbitur amplecti vsum tantùm Pontificalium, sed etiam exercitium super alios; idque magis manifestant subsequentia verba; tum illa, & in personas eidem Ordinario subiectas, tum alia, & sic ordinati, &c. Hinc Campanil. & alij obseruant, quod Nauarrus consil. 12. de Cler. excomm. ministr. asseruit quendam Episcopum, qui in aliena Diœcesi Pontificalibus insignibus vsus fuit, incurrisse pęnam suspensionis in prædicto Decreto Concilij comminatam; non ob solum Mitræ, & Pontificalium vsum, sed quoniam Calicem etiam consecrauit, & corporalia benedixit, absque Diœcesani licentia. Cum igitur Concilium Tridentinum in d. c. 5. sess. 14. prohibeat Episcopis exercere officia Pontificalia in alienis Diœcesibus, sequitur quod in illis possit Episcopus celebrare in Põtificalibus, cum Mitra, & Baculo, quia si celebrans non exercet in alijs officia Pontificalia, quæ prohibuit, Concilium, sed tantùm conficit sacrificium Missæ, cum ornamentis Pontificalibus.

Quod apertè probatur, nam in hac materia, de qua loquimur, vt notant Cochier de iurisdict. in exemptos, p. 2. quæst. 1. numer. 6. Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. disput. 15. q. 14. numer. 1. & alij penes ipsum, locus exemptus, & locus extra Diœcesim iudicantur à pari, ex quo statuit Tamburinus quæst. 15. num. 1. quod Episcopi vigore prohibitionis Concilij sess. 6. capit. 5. & sess. 14. capit. 2. non possunt exercere Pontificalia in Ecclesijs exemptis suarum Diœcesum; & tamen ipse Tamburinus num. 3. concedit Episcopos posse in dictis Ecclesijs exemptis vti Pontificalibus insignibus, & ornamentis, & diuina officia celebrare in Pontificalibus, quia asserit Tamburinus, supradicta facere sine aliquo exercitio, non est officia Pontificalia exercere, quæ prohibentur in dictis locis Concilij. Ergo, &c.

Et ideò posse Episcopum in aliena Dięcesi celebrare in Pontificalibus præter Couarruuiam lib. 3. var. resolut. capi. 20. num. 9. & Henriquez lib. 3. capit. 6. num. 6. docet etiam Hostiensis penes Glossam in Clem. Archiepiscopo, de pœnis, ver. etiam celebrare, Tabiena ver. Patriarcha, num. 4. Syluester eodem ver. §. Tertium, & Barbosa in Collectaneis tom. 3. lib. 5. tit. 7. clemen. 2. numer. 6. sic asserit Episcopus in aliena diœcesi potest Sacra Missarum solemnia in Pontificalibus celebrare. Hoc etiam docet Layman Theol. mor. lib. 1. tractat. 4. cap. 5. nu. 5. seclusa consuetudine in contrarium.

His tamen non obstantibus, negatiuam sententiam tenendam esse puto, & ideò quoad Mitram docet Riccius par. 4. decis. 27. numer. 7. Barbosa de potest. Episc. parte 3. allegat. 8. numer. 14. & Erasmus Cochier de iuris. par. 2. q. 1. num. 8. quod Episcopus in locis exemptis illa vti non potest, nisi inuitatus, & facit mentionem de prohibitione Concilij Tridentini in locis citatis. Quoad Baculum verò, sic habetur in Cœremoniali Episcoporum libr. 1. cap. 17. Vtitur Episcopus Baculo pastorali in sua tantùm ciuitate, vel Diœcesi, & etiam alibi, vbi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere ei Apostolica auctoritate conceditur. Et hanc sententiam aliqui ita mordicus tenent, vt asserant non posse Episcopum loci concedere vsum Baculi alteri Episcopo in sua Diœcesi existenti; nisi in his, in quibus dicta verba Cœremonialis ex præscripto ordine necessario requirant Baculum. Vide Campanili in diuer. iur. canon. rubr. 9. c. 5. n. 3. Et ratio quare Episcopi in aliena Dięcesi celebrare minimè possint cum Baculo, & Mitra, est; quia Baculus, & Mitra sunt signa iurisdictionis, vt infra dicetur. Et ita nostram sententiam in terminis, vt asserunt, terminantibus firmat, & docet Fuluius Pacianus de Prælat. lib. 2. cap. 29. nu. 56. & 64. qui omninò videndus est.

Ad illud verò, quod pro contraria opinione adducebatur, nẽpè Episcopum posse celebrare pontificaliter in locis exemptis. Respondeo ex Gratiano tomo. 3. capit. 567. num. 29. quod est dispar ratio inter locum exemptum intra propriam Diœcesim, & inter Diœcesim aliam; & sic potest Episcopus, vt obseruat Fuscus de visit. libr. 2. capit. 8. num. 6. vti Baculo in locis exemptis, quod facere minimè potest in alienis Dięcesibus. Et ratio est, quia in locis exemptis Episcopis conceditur, propter reliquam præcedentis subiectionis; cum per exemptionem, vt etiam notant Gonzales in Reg. 8. Can. Glos. 43. nu. 187. & alij, talia loca non desinant esse in Prouincia, vel Diœcesi propria.

Ad loca verò Concilij Tridentini superius adducta, respondeo ex leg. de interpretatione, ff. de legibus, & capit. cum dilectus de consuet. cum alijs adductis per Ioann. Mariam Nouarium in Quæstionibus Forensibus part. 1. q. 85. numer. 11. quod consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita interpretata est mentem Concilij; vnde, Episcopi non celebrant pontificaliter in alienis diœcesibus sine Ordinarij licentia. Nec valet dicere, quod hoc faciant propter quandam reuerentiam & decentiam debitam Episcopo diœcesano, & ideò ab illo licentiam petunt; quia si hoc efficerent Episcopi propter solam decentiam, quando Episcopi diœcesani licentiam celebrandi pontificaliter illis præbere nollent, vt sępius accidit; quod de facto ipsi celebrarent, sed hoc non audent facere, ergo non possunt. Neque propter decentiam, in tali casu credendum est Episcopos velle amittere iurisdictionem, si illam haberent.

Ad illud verò, quod Episcopus celebrans in Pontificalibus, non exercet officium Pontificale, sed faciat sacrificium cum ornamentis Pontificalibus Aliquis respondebit, quod Baculus non solùm est ornamentum, sed etiam signum superioritatis, & officij; nam æquiparatur, vt notat Gratianus tomo 3.

cap. 467. nu. 6. Vexillo Crucis, quo vtitur Archiepiscopus. Et quod vt diximus, sit signum superioritatis, & iurisdictionis, docent apertè Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. disput. 21. q. 3. num. 8. Venerus de exam. Episc. lib. 4. c. 10. nu. 12 & 23. Pacianus vbi sup. & apparet in versibus, quos adducit Glossa in cap. vnico, § finali, verb. propter historiam, de sacra vnct. & sic asserunt:

In Baculi forma Præsul, datur hæc tibi forma.
Attrahe per primum media rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege iustos, punge vagantes.
Attrahe, sustenta stimula, vaga, morbida, lenta.

Et in ceremonia consecrationis Episcopi, consecrans tradendo Baculum consecrando, sic ait. *Accipe Baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs piè sæuiens, in tranquillitate seueritatis censuram nō deserens, &c.* Et in libello, qui Ordo Romanus inscribitur, sic dicitur; *Accipe Baculum pastoralis officij, potestatem ligandi, atque soluendi, vt sis in corrigendis vitijs per seuerās, &c.* Vnde quia Baculi curuatio in Episcopis limitatam, & coarctatam potestatem significat, ideò illo non vtitur Summus Pōtifex, cum potestatem habeat vniuersalem, vt notat, & docet Germonius de Sacra immun. lib. 3. cap. 5. nu. 108. & 110. & de Indul. Cardin. §. Episcopus, n. 25 & seq. cum Doctoribus, quos citat Barbosa in Collect. tom. 1. libr. 1. tit. 15. cap. vnico, §. vngitur. num. 15. Ex quibus apparet. Baculum non solùm esse ornamentum, sed signum iurisdictionis, & superioritatis, vt etiam erat apud Prætores Romanorum, & apud Indices Germanorū teste Gratiano dicta decis. 29. nu. 7. & Greg. Tholosano de Republ. lib. 6. cap. 20. n. 21. Ergo nullo modo licitus erit eius vsus in aliena Diœcesi, sine licentia Ordinarij.

Vtrum Archiepiscopus, factus Episcopus possit vti pallio?

RESOL. XXXVII.

NEgatiuè respondeo: Primò, quia pallium est signum proprium potestatis, & dignitatis Archiepiscopalis, & ideò habetur in cnisi de auctoritate, & vsu pallij, quod Archiepiscopus ante pallij susceptionem, nō potest se vocare Archiepiscopum. Probatur secundò, quia vt apparet in cap. bonæ memoriæ el 2. de postulatione; & aduertit Glossa; Pallium datur contemplatione loci, vnde est priuilegium singulare, & indiuiduum respectu singularis, & indiuiduæ potestatis pontificalis; & ideò ex supradicto textu Ceremoniale Romanum li. 1. c. 16. Azorius par. 2. lib. 3. cap. 34. q. 8. D. Lancellotus instit. can. lib. 1. tit. 11. in Glossa, litera H Genuensis in praxi Archiepisc. cap. 70. nu. 18. Cucchus inst. can. libr. 4. tit. 6. num. 15. Berti in praxi crim. Regular. tit. 4. cap. 14. num. 11. Bagnus de S.R.E. dignitatibus, tractat. 14. Zerola in praxi Episcop. par. 1. ver. Archiepisc. numer. 1. Acugna in Decretum Gratiani par. 1. distinct. 100. cap. 7. num. 1. Zecchius de Repub. Christ. tit. de Patriarchis, num. 5. Quaranta in summa Bull. ver. Archiepiscopus, sub nu. 23. author. 32. & alij asserunt, quod Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum translatus, nō potest vti pallio priori; sed alio nouo indiget. Ergo à fortiori, illo vti minimè poterit, si ad Episcopatum translatus fuerit, cum nō sit amplius Archiepiscopis; cui, vt dictum est vsus pallij nō solùm ratione personæ, sed etiam ratione loci conceditur.

Adde, quod aliqui ita mordicus tenent, quod priuilegium pallij sit locale, vt asserant Archiepiscopum extra suam prouinciam nō posse vti pallio, etiam de licentia Ordinarij illius Diœcesis in qua reperitur. Et ita docent Barbosa in Collectaneis to. 1. lib. 1. tit. 8. cap. 6. nu. 2. Prosper de Augustino in Addit. ad Sum. Quaranta, ver. Archiepiscopus, num. 33. Author. 32. Maiolus de irregular. lib. 2. capit. 2. num. 7. Pansius de Resignat. Benef. lib. 1. q. 17. à num. 20. Ruzzeus de præminentia Arch. priuileg. 21. ver. illud tamē, & Glossa in Clem. Archiepiscopo, de priuilegijs, litera M. vbi sic ait. Differunt Pontificalia à Pallio, quo non vtitur Archiepiscopus in aliena prouincia, etiam de licentia illius ad quem spectat, nisi super hoc esset priuilegiatus. Ita Glossa quidquid aliqui in contrarium asserant. Vide etiam pro confirmatione supradictorum, pulchrum textum in c. ad postulationem, de renunciatione, vbi Archiepiscopo Ragusiensi propter periculum vitæ renunciauti Ecclesiam non amenti dignitatem, Summus Pontifex concedit exercere officia Pontificalia, attamen negat ei expressè vsum pallij.

Igitur ex his omnibus, satis firmata remanet nostra sentētia, quam nouissimè in terminis, vt asserunt, terminantibus tuetur, & docet Venerus in exam. Episc. lib. 4. cap. 10. num. 12. vbi quærit, Si Archiepiscopus sit Episcopus poteritne vti pallio? & negatiuè respōdet, quia ait ille, pallium est signum soli Archiepiscopo debitum. Sed dices: Aliqui Archiepiscopi ad Episcopatum translati vsi sunt pallio: Respondeo hoc ipsos effecisse ex priuilegio Summi Pontificis, qui Episcopis etiam aliquando vsum pallij concedit, vt apertè apparet in cap. cum in iuuentute, de probationibus.

Notandum est tamen hic obiter, quod aliqui putant, quod si quis semel habuit pallium vnius Archiepiscopatus, si ab illo ad alium transferatur, iterumque redeat ad priorem, indigeat nouo pallio, & primum non sufficiat, & in hanc sententiam inclinat Acugna in Decretum Gratiani par. 1. dist. 100. cap. 10. nu. 3. & 4. vbi etiam num. 5. probabiliter asserit, quod si detur euentus, in quo aliquis Archiepiscopus suum perdat pallium à Pontifice acceptum, vel casu igne comburatur, poterit absque illo Pontificalia munera exercere, licèt Venerus in exam. Episc. lib. 4. c. 10. num. 19. videatur asserere, quod debeat petere aliud à Summo Pontifice.

An Episcopus possit erigere Collegiatam cum nouis Canonicis, vel addere nouum numerum Canonicorum alijs antiquis?

RESOL. XXXVIII.

NEgatiuam sententiam mordicus sustinet Aloysius Riccius in decisionibus Curiæ Archiepis. Neapol. part. 3. decis. 66. docet enim ibi Episcopum non posse creare nouos Canonicos, & citat Baldum cons. 91. num. 10. lib. 1. Bursatum concl. 27. nu. 4. & consil. 110. nu. 6. cum alijs.

Verùm contrariam sententiam docet nouissimè Ioan. Maria Nouarius in Quæstionibus Forensibus, par. 1. quæst. 24. num. 4. vbi probat posse Episcopum nouum constituere Canonicorum numerum, & Collegium, nouasq; creare dignitates, & citat Zerolam in praxi Epis. ver. Episcopus, q. 17. & Seluam de Benef. p. 2. q. 23. num. 16. & addit Nouarius, quod in tali casu Episcopus potest insignire supradictos Canonicos signo illo, quod vulgo dicitur *Almutica* seu *Capuccio*, vel *Zambarda*, sine aliqua Sedis Apostolicæ licentia. Ita ille.

De iuramento seruandi statuta, seu capitula Ciuitatum, Collegiorum, &c.

RESOL. XXXIX.

SI supradicta Statuta, sunt in vsu, nulla indigent probatione, non obseruantes illa esse periuros, vt patet ex c. querelam, & toto ti. de iureiur. Si verò aliqua statuta in dissuetudinē abierunt, vel vsu recepta non fuerunt, tunc illa non obseruātes periuri non sunt. Nam vt rectè notant Megala cons. 81. nu. 1. Gutierrez de iuramen. confirm. p. 1. c. 28. n. 14. Gomez in leg. Tauri, nu. 365. & 396. & Sanchez in summa, to. 1. libr. 3. cap. 14. n. 8. Portel in addit. ad dubia Regul. ver. iuramentum, nu. 22. Malderus in 2. 2. D. Thomæ, tract. 10 capit. 6. dub. 9. Homobonus in Exam. Eccles. par. 1. tract. 7. c. 9. quæst. 46. & alij penes ipsos, iuramentum de seruandis statutis non extēdi ad statuta moribus vtentium non recepta, vel quæ per contrariam consuetudinem abrogata sunt. Hinc infertur Gubernatores Tabulæ huius vrbis non esse periuros mutuando pecuniam Ciuitati, nam Capitulum id prohibens non fuit vsu receptum, & in dissuetudinem abijt; & sic etiam docendum est de Prætoribus huius vrbis, qui aliqua capitula Ciuitatis non obseruant, quæ in dissuetudinem abierunt.

Notandum est etiam hic obiter cōtra Megalam vbi supra num. 4. tunc materiam statuti iurati esse grauem, vt constituat periurium mortalem, quando tanti momēti est vt iuramēto secluso statutum suæ materiæ ratione sufficiens esset ad obligationem sub mortali. Et ita docet Sanchez loco citato, num. 2. hinc transgredientes statuta iurata decernentia faciendum, aut omittendum aliquid sub aliqua pœna non peccare dicendū est

Nota

Nota etiam quod quando statutum iuratum reuocetur per potentem reuocare; tunc illud non seruans non esse periurum, dicendū est, quia non amplius obligat, & ideò cessabit iuramētum. Ita Sanchez vbi supra, nu. 10 cum Caietano 2.2.q.89.art.9. Soto lib.8. de iust.q.1.ar.9.& alijs.

Vnde infertur in rigore loquendo, Prætores huius vrbis non peccare, neque esse periuros, quando Dominus Prorex cum aliquo actu viceregio dispensat pro illa vice, vt aliquid efficiatur, non obstante aliquo Capitulo ciuitatis in contrarium, vt *v.g.* fiat electio ad aliquod officium sine vusciuolo, vt vulgò dicitur, &c. licèt hoc Domini Proreges efficere minimè deberent, & ideò Prætores in tali casu exponant Proregibus inconuenientia, quæ sequuntur ex supradictis dispensationibus, vt nihil timeant.

An parentes diuites, si propter aliquam iustam causam exponant filios hospitali, teneantur restituere expensas circa eorum nutritionem.

RESOL. XL.

AFfirmatiuè communiter respondent Doctores, & ita tenent Homobonus de Examin. Eccles. pat. 2. tract. 10. questio. 14. Bellocchius in praxi mor. Theol parte 2. quest. 7. nu. 25. Azorius parte 2. lib. 2. cap. 5. quæst. 7. & alij. Ratio est, quia hospitalia instituta sunt ad nutriendos hos infantes pro egenis, & nō pro diuitibus.

At his non obstantibus, non grauabor hic apponere sententiam Roderici Acugn. in Decretum Gratiani p. 1. dist. 87. cap. 9. num. 13. vbi sic asserit. An parentes expositorum, si sint diuites, teneantur in conscientia ad sumptos nutritionis hospitali restituendos.

Et nō teneri verius videtur, cum hospitalia sint instituta pro præsentibus necessitatibus, absque vllo onere miserorum & expositi quantumuis eorum parentes sint diuites, præsente necessitate vrgente exponuntur, & ita nihil tenentur, postquam fuerint sui iuris, hospitalib. restituere. Accedit, quod peregrini spoliati à latronibus, & similiter ægrotantes, quamuis in sua patria sint ditissimi, gratis curantur, & sustentantur in similibus hospitalibus sine vllo onere restituendi, vt ex vsu constat. Et confirmatur, quia alioquin hospitalia redditus haberent, non vt liberaliter, & gratis propter Deum necessitatis patientium succurreretur, sed potius, vt mutuum miseris daretur, quod est inconueniens, & non præsumendum de fundatoribus hospitalium. Sed forsan dici potest, tres classes hominum esse distinguendas; in prima continentur homines pauperes in re, & in spe; in secunda pauperes tantùm in re, & non in spe, vt filij familias; in tertia alij diuites in re, impediri tamen propter metum, vel aliam iustam causam, filios alere nequeunt, & hos teneri ad restitutionem hospitalibus faciendam dicendum videtur. Ita Acugna loco citato.

An si Episcopus prohibeat furtum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, furans incurrat in excommunicationem, si inuincibiliter legem istam ignoret.

RESOL. XLI.

INcurrere in excommunicationem docent Aluarez in p. 2. D. Thomæ. disp. 158. num. 5 Comitolus lib. 5. qu. 3. Couarruuias in c. Alma mater. par. 1. §. 10. num. 9. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia excommunicatio lata est super furtum lege naturali damnatum.

Sed mihi contraria sentētia magis placet, quam tuentur Salas in parte 2. tomo 2. tract. 15. disput 8. sect. 10 Molina tomo 4. tract. 5. disput. 71. num. 9. Valentia tomo 4. disp. 7. quæsito. 17. punct. 7. Sanchez de matrimon. tomo 3. lib. 9. disput. 32. num. 9. Suarez de cens. disput. 4. sect. 8. num. 20. Henriquez lib. 13. capit. 13. num. 2. Azorius tomo 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 3. Toletus libro 1. cap. 8. Sayrus de cens. lib. 5. cap. 18. numero 24. Graffius tom. 1. li. 5. cap. 9. num. 16. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorans inuincibiliter excommunicationem impositam ab Episcopo, peccat tantùm contra ius naturale aduersus quod se agere cognoscit, non autem ius positiuum Episcopi, quod quidem inuincibiliter ignorat. Ergo non incurrit in excommunicationem ab Episcopo latam.

Et hęc omnia vera esse puto, non solùm si excommunicatio sit lata ab Episcopo, sed etiam à Summo Pontifice, quia militat eadem ratio, & ita docent Azorium, Henriquez, Toletus, Sanchez, & alij vbi supra, quidquid in contrarium asserant Salas in p. 2. tract. 13 disp. 8. sect. 10. nu. 77. Vgolinus de cens. c. 1. tit. 5. §. 8. num. 10. D. Antoninus pat. 3. tit. 24. cap. 75 Corduba lib. 2. quæst. 27. & alij.

Quæ autem dicta sunt de excommunicatione, dic etiam de suspensione, & interdicto, nam ab his pœnis excusat ignorantia inuincibilis iuris eas imponentis, quamuis factum sit iure naturali damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Pontifice. Et ita docent Vasquez de excommun. dub. 16. nu. 6. Nauarrus cap. 23. num. 47. Suarez de cens. disput. 4. sect. 8. num. 20. & seq. Sanchez li. 9. disput. 32. num. 18. Filliucius eodem tract. cap. 8. quæst. 10. num 253. quidquid in contrarium asserant Auila de cens. par. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 10. conc. 2. Aluarez in parte 2. Diui Thomæ. disput. 157. num. 5. & alij, & idem sentiendum est de irregularitate, vt alibi dictum est, quando imposita est in pœnam debiti.

Notandum est etiam hic obiter, quod si quis v.g. vouit non fornicari, vel ludere sub pœna centum aureorum, si posteà immemor voti fornicetur, non tenetur soluere pœnam, quia naturalis obliuio æquiparatur ignorantiæ inuincibili, & ita docent Sanchez in summa tomo 1. lib. 4. ca. 22. num. 18. & alij. Idem dic si dum fornicatur memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiamsi esset pœna Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolimitanæ, vt probabiliter asserit idem Sanchez nu. 19. Idem dicendum est de eo, qui ex obliuione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nam nō tenetur restituere fructus, nō obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitionem, quæ omnia sunt valdè notanda.

An paruæ materia diuersorum præceptorum coalescant in vnum & faciant quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam.

RESOL. XLII.

VT si in die festo incidat ieiunium, & consequenter quis teneatur eo die ad ieiunandum, ad audiendam Missam, ad non laborandum, & si est Clericus in sacris, ad recitandas horas Canonicas, an inquam si ex singulis his obligationibus modicum quid omittat, ita vt omnia illa modica quantitatem notabilem efficiant, peccet mortaliter; Respondeo negatiuè, quia nullum pręceptum in materia graui trasgreditur, sed multa singula tamen in leui materia, & ita docet Sanchez in summa, to. 1. li. 1. c. 4. nu. 16. qui tamen limitat hanc sententiam, & putat secùs dicendum esse, si quis ad omnia hæc obligaretur ex diuersis votis, & pro eadem die.

Sed hæc limitatio mihi non placet, quia non est differentia inter transgressionem voti, & pręcepti Ecclesiastici cum votum obliget eo pacto; quo obligat pręceptum Ecclesiasticum de eadem re, vt docent Caietanus in 2.2.q.88. art. 3. Sotus li. 7. q. 2. ar. 1. Corduba in summa, quęst. 188. Valētia to. 3. disp. 6. q 6. punct. 4. Arragonius in 2.2.q 88 at. 3. concl. 3. Nauarrus in summa, cap. 12. num. 65. & alij. Ergo si non est mortale, secundum Sanchez, transgredi multa præcepta Ecclesiastica in re leui, neque erit mortale transgredi plura vota.

Sed quid dicendum, quando quis vouit indeterminatè pro aliquo die audire v. g. tres Missas, & ex qualibet illarū omittat parte non notabilem, an inquam peccet mortaliter. Aliqui affirmatiuè respondent, quia sunt partes materiæ eiusdem rationis: ergo possunt continuari ad constituendam quantitatem notabilem.

At his nō obstantibus, puto probabilem esse contrariam sententiam, quam apertè videtur tenere Suarez de Relig. to. 2. lib. 5. cap. 5. num. 12. & sequ. lege illum, & non pigebit.

An qui in die ieiunij sæpius modicum quid comedit, frangat ieiunium, & peccet mortaliter.

RESOL. XLIII.

AFfirmatiuā sentētiam docent communiter DD. quia cum sit eadem dies, illæ paruæ comestiones continuantur, & coalescunt in vnum, efficiendo quantitatem notabilem. At

Ioan-

Ioannes Salas in p. 2. D. Thom. tract. 13. disp. 16. sect. 26. in fine, limitat, vt procedat tantùm, quando ille absolutè vellet vno, & eodem actu, omnes illas modicas comestiones; secùs autem si conditionaliter quis vellet ita eas comestiones, vt nunquam peccaret mortaliter, sed venialiter tantùm, hoc est, vt omnes ista comestiones essent veniales.

Verùm hæc opinio aliquibus displicet, quia nõ est in potestate comedentis facere, vt ex omnibus illis modicis comestionibus eadem die habitis, nõ coalescat materia notabilis, vnde resultet peccatum mortale, & ex limitatione Salas sequitur, quod quis posset eludere præceptum, seu votum ieiunij centies in die modicum quid comedendo, & intendẽdo omnes illas modicas comestiones tantum centum peccata venialia committere. Sed hoc dicere est absurdum. Ergo, &c.

An quis, si tradat aliquibus vinum, vt nomine suo vendatur, si noscat illos vendituros minuendo mensuram, admiscendo aquam, peccet mortaliter.

RESOL. XLIV.

Affirmatiuam sententiam docent Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. c. 7. n. 37. & Molfesius in summa, to. 1. tract. 8. c. 11. nu. 63. quia sic tradentes vinum, ipsi reuera illud vendunt, ac iniustitiam per tabernarios, tanquam per suos ministros censentur committere.

Sed in hoc posse excusari sic tradentes vinum, si duo supponantur existimo. Primùm si adsit iusta causa tradendi, quia videlicet paterentur graue damnum. Secundùm quod tradant ministris vinum vendẽdum iusto pretio. Nec obstat, quod sciat dictos ministros fraudibus vsuros, quia illa vini traditio non est ex obiecto mala, sed indifferens: ergo licèt tradentes sciant ministros fraudibus cum emptoribus vsuros, non propter hoc peccant vinum illis tradendo, si aliàs graue damnum paterentur. Et ideo Doctores asserunt, posse quem pecuniam apud vsurarium deponere, etiamsi sciat fore illi materiam vsuræ exercẽdæ, & ita docent Caietanus 2. 2. quæst. 78. ar. 4. Bannez quæst. 77. art. 4. dub. 1. ad 2. Aragonius quæst. 62. art. 5. ad vlt. Salonius eadem quæst. 62. art. 5. cont. 1. ad vlt. & maximè, vt suppono in casu nostro, quando adest vrgens, & iusta causa, vt docet Valentia, tomo 2. disp. 5. q. 21. punct. vlt. in fine. Molina tom. 2. tract. 2. disp. 331. ver. de eo, qui apud vsurarium. Rebellius p. 2. l. 2. q. 16. sect. 4. num. 10. & alij.

Ex his deducitur etiam contra eundem Sanchez vbi supra, n. 38. licere, deferre munera concubinæ medicis, vt pro ipso apud iudicem intercedat, dum adest periculum alicuius grauis nocumenti, vel si aliàs ius suum à iudice minimè consequi posset, nec in tali casu litigans intẽdit fouere turpem amorem cõcubinæ, ac eo vti, sed tantùm necessitati suæ consulere. Et ita docent Molfesius in summa, tom. 1. tract. 8. c. 11. nu. 62. vbi ait, ita etiam consuluisse plures alios viros doctos, & timoratos. Et nouissimè post hæc scripta hanc sententiam aduersus Sanchez docet Castrus Palaus in opere morali, tomo 1. tract. 6. disput. 6. punct. 15. num. 2.

An ex aliqua iusta causa licitum sit commodare cubiculum alicui petenti ad fornicandum.

RESOL. XLV.

De hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam vir nobilissimus instanter ab amico domum eius ad meretricandum petebat, ac si hoc illi denegasset in grauissimum damnum incidebat, consuluit an peccaret hoc faciendo, & respondi negatiuè, quia absque detrimẽto proprio proportionato hoc denegare minimè poterat, & commodare cubiculum ex obiecto, non est intrinsecè malum, sed indifferens, & ex sola praua abutentis intentione ad malum ordinatur, ergo, &c. Et ita hanc sentẽtiã in terminis docet nouissimè Marulus tom. 1. disp. 2. c. 4. dub. 10. corol. 4. nu. 295.

Hinc à fortiori infertur contra Nauarrum cap. 17. num. 195. licitum esse, ex iusta tamen causa, locare domũ meretrici, etiã si ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod minimè perpetraret, eo loco sibi non cõcesso, vt ratione situs, &c. vel si meretrix domum illam cõducens plurimum fœminis honestis vicinis noceret. Et ita docent Valentia to. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4. & Salonius in 2. 2. q. 27. art. 4. contr. 6. post. 4. concl. col. 3. cum alijs.

Quis minabatur mortem famulo, si non deferret litteras dominæ, in quibus ad peccatum prouocabatur, quæsitum, an si hoc faceret peccaret mortaliter.

RESOL. XLVI.

Hic casus, in facti contingẽtia torsit multorum ingenia; quia consulens multos Theologos interrogauit, & negatiuè respondendum videtur, quia verba sunt intrinsecè mala, & deferre tales litteras idem est, ac si deferret internũcium de rebus turpibus; Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docent Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. c. 7. nu. 26. & Rebellius par. 1. lib. 1. quæst. 14. sect. 7. nu. 53. Molfesius in summa to. 1. tract. 8. c. 10. n. 60. & alij. Et ita ego tunc etiam consului.

Verùm aliqui contrariam sententiam putãt probabilem, nã videtur dispar ratio de internuncio, & de litteris. Nam famulus, qui internuncium de rebus turpibus defert concubinæ heri, directè ac proximè censetur peccato heri cooperari, tãquam instrumentum, quo mediante herus inducit mulierem illam ad peccandum secũ, ideò est omninò intrinsecè malum, ac proinde in nullo euentu licitum. At verò deferre tantùm litteras ita materialiter, non videtur directa cooperatio ad peccatum, tanquam proximum instrumentum, sed magis remotè se habet, & ideò videtur saltem in aliquo casu extremæ necessitatis, vt ad euadẽdam mortem sibi comminatã licitè posset famulus eiusmodi litteras deferre. Et ita hanc sententiam olim docuit Emanuel Sà, ver. peccatum, num. 9.

Sed tu ne recedas à prima opinione, & idem tene de famulis scribentibus tantum huiusmodi litteras, quamuis non deferẽtibus, quia idem cooperandi modus in vtroque ministerio inuenitur, licèt aliqui hoc etiam negent, quia Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disput. 46. num. 34. asserit, quod scribere verba turpia nõ est intrinsecè malũ: ergo potest dari casus, in quo licitum sit famulo scribere heri litteras verba turpia cõtinẽtes, vt si aliàs immineret ei periculum mortis, vel alterius grauis nocumenti. Verùm à sententia contraria non est recedendum.

Notãdum est verò hic; quod si herus in dictis litteris petat solum à concubina, vt tali hora ad se veniat, vel ad talem locum, vtique in tali casu potest famulus tales litteras deferre, vel ore hoc nunicare; quia rem indifferentem continet, cum non ad fornicandum, sed ad solum aduentum inducant. Et ita docent Molfesius; Sanchez vbi supra nu. 26. Azorius to. 2. lib. 12. cap. vlt. q. 8. & alij, concurrente iusta causa non solum famulatus, sed etiam quia dominus malè tractaret, aut è domo eijceret.

Et idem dicendum est de famulis, quos herus mittit fœminã insequuturos, vt videant vbi habitet, vel id inquirant, ac posteà illum certiorem faciant & eo maior causa excusans necessaria est, si fœmina, quam insequuntur, sit honesta.

Vnde ex his etiam collige quid dicẽdum sit de aurigis deferentibus meretricem ab vno loco ad alium, quam sciunt illuc petere ad peccandum, hi enim regulariter excusantur à peccato, quia adest iusta causa non amittẽdi lucrum, quod ex eo ministerio comparant.

An sit peccatum mortale optare, verbi gratia, vt fornicatio sit licita.

RESOL. XLVII.

Non semper esse peccatum mortale optare, vt id, quod est intrinsecè malum, non esset, malum, sed licitum, sed attendendum esse ex quo fine quis moueatur, docet Vasquez in p. 2. disput. 116. cap. 2. in fine, & ideò si quis id optaret, ex eo quod videretur ob suam fragilitatem sæpius incidere in peccatum, non esset mortale.

At contrariam sententiam docet Azorius to. 1. lib. 4. cap. 6. q. 10. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 2. num. 23. Molfesius in sum. to. 1. tract. 8. cap. 8. nu. 49. & alij quia bonum totius naturæ, ac ordinis naturalis nõ potest postponi, ac eius immutatio, quæ grauissimũ malum est, desiderari ob particulare huius bonum.

Notan-

Notandum est etiam hic obiter, vt aliam similem attingamus quæstionem, quod Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 6. num. 10. Sanchez, & Azorius vbi supra, asserunt consensum códitionalem non esse mortalem, quando versatur circa res solo *iure* positiuo prohibitas, secùs verò si versetur circa ea, quæ iure naturali sunt interdicta, & ideò hic actus, comedere carnes *in* quadragesima, nisi Ecclesia prohibuisset, caret culpa: hic verò non, occiderem si non esset peccatum, aut offensa Dei: quia hoc vltimum absque sua malitia intelligi nequit, & códitio illa negans inuoluit contradictionem.

Verùm Valentia to. 2. disput. 6. q. 4. punct. 4. Sayrus in Claui Regia lib. 8. c. 7. nu. 28. & 19. Salas in p. 2. tract. 12. disput. 16. sect. 27. Vasquez disput. 116. c. 2. num. 4. & alij docent, quod quoties *conditio* omnem malitiam, & deformitatem ab actu aufert, excusar à peccato: secùs autem si non auferat, & ideò non peccaret, si quis diceret, occiderem inimicum, si mihi liceret, vel malum non esset, peccaret verò si diceret, occiderem inimicum, si supplicium, vel infamiam non timerem. Rationes verò huius differentiæ, apud Doctores citatos inuenies.

An in obsidione alicuius ciuitatis, quando alius cibus non adest, licitum sit vesci carnibus humanis, & an gesta ex metu graui excusent a peccato.

RESOL. XLVIII.

NEgatiuè quoad primum videtur respondere Diuus Thomas in 2. 2. quæst. 142. artic. 4. ad 3. & acerrimè tenet Valentia tomo 3 disput. 9. quæstio. 1. punct. 1. Et ratio est, quia hoc est intrinsecè, & ex obiecto malum. Et ideò nunquam licet, sicut nunquam licitum erit mentiri. Et hanc sententiam docent etiam Fernandez de septem pecc. mort. cap. 2. §. 6. Azorius parte 1. lib. 7. cap. 22. Victoria Relect. 9. Syluius in 2. 2. quæst. 142. ar. 4. & alij.

At cótrariam sententiam tuentur Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 10. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. capit. 18. num. 12. Naldus in summa, ver. Medicus num. 7. Emanuel Sà, ver. Comedere, num. 1. Caietanus in 2. 2. quæst. 148. art. 2. Abulensis in 4. Reg. c. 6. q. 12. Toletus lib. 8. cap. 60. & hanc sententiam probabilem etiam esse putat Malderus in 2. 2. tract. 3. c. 1. dub. 1. in fin. quia non est intrinsecè malú vesci carnibus humanis secluso homicidio, & quamuis eius prohibitio sit iuris naturę, tamé iuris naturæ prohibitio nó obligat in vitę discrimine. Et hoc etiam verum est, si vitæ periculum immineat ab extrinseco, puta si sub pœna mortis à quopiam quis iubeatur carnibus humanis vesci. Hinc à fortiori licitum erit in morbi necessitate per modú medicamenti sumere aliquid humanæ carnis alteratum, & licitum erit haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum ad acquirendum vigorem corpori senili, & senectuti prorogandæ. Vnde Medici, inter illos Marsilius Ficinus libro de sanitate tuenda, vocant hoc remedium singulare. Igitur ad seruandam vitam licitum erit vesci carnibus humanis: nam quæ non sunt intrinsecè mala, propter eius conseruationem licita efficiuntur.

Et ideò primò contra Comitolum libr. 5. quæst. 7. num. 3. licitum erit propter periculum mortis comminatę admouere scalam furari volenti, vendere, vel commodare ensem volenti alterum occidere, aut ostendere vbi occidendus est. Ita Durãdus in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 3. q. 13. n. 10. Sanchez in sum. to. 1. li. 1. c. 7. nu. 18. Corduba in sum. q. 137. dub. 2. qui cum Auila de cens. p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 5. asserunt etiam non peccare nauclerum, qui metu mortis, cymba transuehit aliquos voleotes duellum committere, vel alium interficere.

Secundò, licitum erit celebrare Missam sine Altari, vel Calice consecrato, aut sine vestibus sacris, vel lumine, metu mortis, dummodo nó incurratur in odium Religionis, vel contemptú sacrificij Missæ. Ita contra Caietanum in parte 2. quæst. 96. artic. 4. docent Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 11. quęstio. 11. Valentia, to. 2. disput. 7. par. 5. punct. 6. Vasquez in p. 2. disput. 161. cap. 3. num. 15. Becanus parte 2. tract. 3. cap. 6. quæstio. 4. nu. 8. Et hanc sententiam veram esse puto, etiamsi celebranda sit Missa sine vlla veste sacra, nam militat eadem ratio: Ita Salas de legib. disp. 11. sect. 1. num. 7. quidquid in contrarium, asserant Granado in par. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disp. 8. sect. 15. Filliucius tomo 1. tract. 5. cap. 5. num. 149. Suarez in 3. p. to. 2. disp. 83. sect. 3. ver. secundo dicendum, & alij. Debet tamen in tali casu Sacerdos non celebrare cum vestibus valdè sordidis, aut cum vase immundo, est enim seruanda reuerentia debita Sacramento.

Tertiò, licitum erit metu mortis contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, si verò in eorum animo sit contrahere tantùm exterius, non verò cósummare, vel habere animum consummandi, non esset peccatum mortale. Ita contra Nauarrum cap. 27. num. 141. & Caietanum in par. 2. quæstio. 96. artic. 4. docent Vasquez in par. 2. disp. 161. ca. 3. num. 17. Suarez de legib. lib. 3. cap. 30. num. 13. Beccanus par. 2. tract. 3. c. 6. q. 4. n. 9. Salas vbi supra, num. 9. & Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 18. nu. 7. cum alij.

Quartò, licitum erit ob metú mortis, vel alterius grauis nocumenti communicare cum excommunicato non tolerato, id est nominatim denunciato, vel publico clerici percussore. Ita contra Vgolinum de cens. tab. 2. cap. 23. num. 4. Alensem, par. 4. quæst. 23. memb. 1. ar. 6. §. 3. Caietanum in p. 2. quæst. 125. ar. 3. & alios docent Sayrus de censuris lib. 2. cap. 14. nu. 40. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. Suarez de cens. disp. 6. sect. 3. num. 10. Valquez in p. 2. disp. 161. c. 4. Azorius to. 1. lib. 1. c. 11. q. 1. Salas de legibus disp. 11. sect. 1. nu. 12. & alij penes ipsos.

Quintò, infertur non teneri adultum cum vitę discrimine suscipere Sacramentum Baptismi, quia potest elicere actum contritionis, & sibi consulere. Ita contra Azorium tom. 1. lib. 1. cap. 21. q. 2. docet Corduba q. 137. Arragonius in 2. 2. q. 6. art. 3. dub. 1. Sayrus in Claui Regia lib. 3. c. 7. num. 34. Sotus de iust. lib. 1 q. 6. artic. 4. Suarez in 3. par. tom. 3. disput. 31. sect. 3. & alij dummodo adultus non esset in mortis articulo per se constitutus, vel nisi causa fidei aliud requireret.

Sextò, licitú erit captiuis Christianis, metu mortis, aut amissionis membri, nocumentú inferre Christianis in bonis externis, & ad infidelium præceptum destruendo, vel capiendo, & ad triremes asportando. Ita contra Bonacinam de contr. disput. 1. quæst. 2 punct. 10. num. 8. docent Turrianus in 2. 2. disput. 96. dub. 3. Reginaldus tomo 2. lib. 21. num. 119. Molina tomo 1. disput. 115. conclus. 5. & Sanchez in summa tomo 1. lib. 1. cap. 18. num. 7. qui etiam cum Layman in Theolog. mo. lib. 2. tract. 3. c. 13. num. 5. & excusant à peccato hos captiuos asportantes farinas, & necessaria ad bellum, admouentes scalas, & machinas ad muros, porrigentes Turcis arma ab eis petita ad interficiendos Christianos. Et Molina cum Sanchez vbi supra, & Lessius libro 2. cap. 13. dub. 3. num. 29. excusat dictos Christianos captiuos, qui Turcas humeris sustentant, atque iuuant ad castra muniendа, ædificanda propugnacula, aliaque eiusmodi generis perficienda.

Septimò, licitum erit Sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto in occulto metu mortis, aut alterius nocumenti, nisi metus incurreretur in contemptum Sacramenti vel odium Religionis. Ita Nugnus lib. 3. par. to. 1. q. 80. art. 6. diffic. 4. Bonacina de Sacr. disp. 1. q. 1. punct. 4. nu. 14 & alij.

Et tandem octauò potest Sacerdos metu mortis non incusso in odium Religionis, & Sacramenti contemptum cóficere Sacramenta in materia dubia, vt Eucharistiam cum vino congelato, vel cum pane ex spelta confecto, vel ministrare Baptismú cum aqua, & sale resoluta, &c. Ita Henriquez lib. 1. c. 9 num. 7. in Glosa littera B. Sancius in selectis disp. 44. nu. 12. Perez in Laurea Salmantina. certam. 10. cap. 22. Et ratio horum omnium est, quia gesta ex metu in supradictis casibus excusant à peccato, cum non sint intrinsecè mala.

An certus de debito, dubius autem an soluerit, teneatur soluere.

RESOL. XLIX.

REspondeo, quod certus de mutuo, aut altero debito, & dubius an soluerit, tenetur ad solutionem. Sed hæc sententia limitatur primò à Tannero in par. 2. disput. 2. quæst. 6. dub. 4. numero 48. nisi creditor etiam dubius sit, an debito sit satisfactum, tunc enim putat debitorem non teneri ad restitutionem, quia in tali casu melior est conditio debitoris possidentis. Secundò, limitatur à Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 1. cap. 6. in fine, vt in tali casu debitor non teneatur ad integram solutionem debiti, sed tantùm ad partem.

Notandum est etiam hic obiter primò, quod Galletus in Margarit. casuum conscient. ver. commodatum, & ver. dubium,

bium, tenet, quod commodatarius dubius an sua culpa commodatum perierit, teneatur ad restitutionem. Cõtrariam verò sententiam tenẽt Henriquez lib. 14 cap. 15. in fine, Sanchez de matrimon. lib. 2. disp. 41. numero 18. Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 3. in fine, & alij maximè quando dubium est æquale. Et ratio est, quia delictum in dubio nõ præsumitur, vt patet in leg. meritò, ff. pro socio, & hæc opinio confirmat doctrinam valdè notandam, quam tenent Sotus de iustit. lib. 4 quæst. 6 art. 2. Ledesma in 2. par. 4. q. 8. ar. 6. concl. antepenul. §. sed dubitas. Toletus lib. 5. cap. 18. Henriquez lib. 14. c. 3. nu. 1. Emmanuel Sà, ver. culpa, nu. 2. asserentes in cõtractibus quempiam teneri tãtùm de dolo, & lata culpa, quæ constituat peccatum mortale. Et hanc sententiam cum Lessio li. 2. c. 7. dub. 8. num. 43. probabilem esse existimo, licèt cõtrariam sequãtur. Azorius to. 3. lib. 7. de commodato, cap. 7. quæst. 1. Molina tom. 2. disp. 295. n. 10. Rebellius p. 2. lib. 16. quæ. vnica, de commodato. Caietanus in 2. 2. quest. 62. art. 5. Nauarrus cap. 17. nu. 184. Gomezius tom. 2. ver. resol. c. 7. nu. 2. existimantes sufficere in hoc casu ad obligationem restitutionis culpam iuridicam, quia, vt benè obseruant, Maior in 4. dist. 16. quæst. 45. & Molina to. 2. disp. 293. num. 24. cum, alijs, nõ semper habet coniunctam culpam theologicam imò aliquãdo potest esse sine peccato, etiam veniali.

Sed his non obstantibus nostra sentẽtia est probabilis, vt ipsimet Authores contrariæ sententie, fatentur & inter illos Layman in Theol. mor. lib 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. c. 6 num. 4. & ideò nõ obligarem ad restitutionem, si aliquis adhiberet diligẽtiam communem, quæ faceret latam culpam iuridicã, si hoc prouenirit ex naturali obliuione, ita vt excusaretur quis à peccato mortali. Rectè igitur dicendum, quod commodatarius non tenetur ad restitutionem, si res commodata absque eius culpa theologica perit, & in consequentia non tenebitur ad restitutionem, quãdo dubitat an culpa sua perierit, quia in dubio culpa theologica, seù peccatum non præsumitur.

Et hæc omnia à fortiori procedunt in depositario dubitante, an depositum culpa sua perierit, maximè quãdo depositum factum est in commodum deponentis, ita docẽt Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 18 Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 1. in fine. Henriquez lib. 14. cap. 15. in fine. Rebellius par. 2. lib. 16. quæst. vnica de deposito. Et quod dictum est de commodatario, & depositario, aliqui etiã probabiliter extendunt ad locatorem, seù cõductorem. Quæ omnia valdè notanda sunt à Confessarijs, & Responsoribus casuum conscientiæ, vt nõ obligent ad restitutionem, si aliqui in his casibus nollent restituere, vt ego alibi etiam adnotaui.

An certus de voto, dubius autem de qualitate, teneatur ad strictionem.

RESOL. L.

Respondeo negatiuè, nam vbi agitur de obligatione inducenda stricta interpretatio fieri non debet, vt habetur in cap. 1. de iuretur. lib. 6. & in leg. quidquid adstringendæ, ff. de verborum oblig. Hinc infertur primò quod si quis vouit quotidie dicere Rosarium, dubitat tamen an vouerit integrum: potest eligere dicere tertiam partem. Ita Suarez de Relig. tom 2. lib. 4. cap. 8. num. 5. Secundò, qui vouit Religionem, dubitat tamen an vouerit se professurum, potest non profiteri. Ita Suarez vbi supra. num 7. Bonacina de voto, quæst. 2. punct. 5. numero 23. & alij. Tertiò, si quis certus est se vouisse castitatem, aut perpetuã aut temporalẽ, sed immemor est verborum, ad solam temporalem obligatur. Ita Suarez in summa, tomo 1. lib. 4. cap. 13. num. 16. & seq. Quartò, si quis certus est de voto dandi Ecclesiæ aliquas tritici mensuras, dubitat tamen an intellexerit de maioribus, vel minoribus, potest minores eligere ex consuetis in eo loco. Ita Valentia tomo 2. disput. 6. quæst. 8. punct. 4. Molina tomo 1. disput. 198. ver. vtrum verò. Nauarrus comment. 1. de regul. num. 20. nisi vt notat Sanchez in summ, tomo 1. lib. 4. cap. 13. numero 11. aliqua sit ratio suadens verisimilius esse mentem vouentis præsumi fuisse obligandi se ad maiorem mensuram.

Vnde si quis voueret se largiturum Ecclesiæ calicem, non satisfacit si det æreum, vel stanneum. sed tenetur dare argenteũ, vel aureum; nã in tali voto intelligitur calix aptus diuino cultui, & secundùm Ecclesiæ consuetudinem. Ita Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 10. Nõ tenetur tamen dare totum calicem argenteum, vel aureum, sed sufficit si sola superior cuppa argentea, vel aurea sit, quia talis calix est etiã aptus diuino cultui ex vsu multarum Ecclesiarum. Et tandem nota, quod si quis vouit dare panem pauperibus sufficit eis panem largiri pauperibus vsitatum, & non tenetur dare de puro tritico, nisi constaret de alia intentione vouentis. Et ita docet Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 8. num. 9.

Notandum est tamen hic obiter, contra Sanchez in summa. to. 1. li. 4. c. 1. num. 13. quod in dubio, an expleuerit septennium, quãdo quis emisit votum, ad illud minimè tenetur, & ita docet Malderus in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 1.

Nota etiam contra Filliucium tom. 2. tract. 21. cap. 4. nu. 165. Rebellium par. 2. lib. 1. quæst. 2. sect. 2. num. 10. & 11. & Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 34. quod qui omninò dubitat, sed magis in eam partem inclinat, vt votum emiserit, & sic suspicionem voti habet, nõ tenetur ad votum, neque ad partem pro ratione huius maioris propensionis. Et ita docent Sanchez se retractans in summa, tom. 1. lib. 1. ca. 10. num. 36. Garsias de beneficijs tom. 2. par. 7. cap. 2. nu. 23. Fernandez exam. theol. mor. par. 1. cap. 2. §. 2. nu. 4. & alij, & ita alibi diximus de dubitante in materia, iustitiæ cum Vasquez in par. 2. disp. 66. cap. 7. nu. 42. & Salas in par. 2. to. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 23. n. 231. quæ omnia sunt valdè notanda, quia quotidiana.

Et tandem nota, quod si quis certus est se votũ emisisse, verbi gratia castitatis, dubitat tamen, an habuerit animum se obligandi, tenetur quidem seruare castitatem, cum possessio stet pro voto: attamen quod est pro praxi notandum, tale votum nõ erit Pontifici reseruatum, quia cum reseruatio sit odiosa, ad casus certos est restringenda. Et ita docet Suarez de Relig. to. 2. lib. 6. cap. 26. num. 6. cum Sanchez in summa, tomo 1. lib. 4. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3. Et hoc etiam dicendum est, si quis votum emisit post septennium, dubitat verò, an tunc vsu rationis præditus fuerit.

An suspensio, interdictum, irregularitas, &c. incurratur propter culpam venialem?

RESOL. LI.

Aliqui affirmatiuè respondent, & ita docet Caietanus in summa, ver. suspensio, ver interdictum, & ver. irregularitas, & de suspensione docent Armilla verb. suspensio num. 1. & Lopez in instruct. par. 2. cap. 31. & de irregularitate docuerunt Molina de iustitia, tom. 4. tract. 7. disp. 75. nu. 1. & disp. 77. nu. 2. Megala in 3. par. lib. 7. c. 2. q. 1. nu. 7. & q. 5. n. 39. Corduba de leg. pen. lib. 1. c. 5. docum. 4.

At mihi semper contraria sententia magis placuit, quam tuentur loquentes de omnibus censuris. Suarez in 3. par. to. 5. disput. 4. sect. 10. num. 8. & Sanchez de matrimonio, tomo 4. lib. 9. disp. 32. num. 29. & ita loquentes de suspensione docent Henriquez lib. 13. cap. 34. num. 1. Emanuel Sà, ver. suspensus ab officio, ver. qui certus est, & loquentes de irregularitate, ita etiam docent Filliucius tomo 1. tract. 20. cap. 3. num. 58. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 21. diffic. 22. num. 8. & 14. Bannez in 2. 2. q. 64. art. 8. tract. de irreg. p. 2. dub. 2. Aluarez in par. 2. disp. 136. nu. 11. Sotus de iust. lib. 5. q. 1. ar. 9. Salonius in 2. 2. q. 64. art. 8. immediatè ante 4. contr. & alij.

Dicendum est igitur, quod quoties ignorantia iuris, vel facti excusat transgressorem Canonis à peccato mortali, excusat etiam non solùm ab excommunicatione, sed etiam ab alijs censuris, & pœnis ob delictum impositis, vt irregularitate ob delictum, suspensione, & interdicto. Et ratio est, quia supradictæ pœnæ cum sint grauissimæ, non est credendum illas piam matrem Ecclesiam infligere ob peccatum veniale. Sed de hac quæstione alibi à nobis etiam actum est, ideò ad alias transeamus.

(?)

An

An aliqua facta ebriorum non reputentur peccata, quæ alioquin essent.

RESOL. LII.

AFfirmatiuè respondet Pater Vasquez cap.2. tom.1. disput. 227.ca.3.num.11. vbi sic ait. Vltimo addendum est, multa dicta, vel facta ebriorum non teputari peccata, quæ alioquin essent, id quod verum est etiam si præuidcãtur, quia in hominũ æstimatione non censentur iniuriosa, qualia sunt aliqua dicta, vel facta, quę alioquin in sana mẽte iniuriosa essent; nempè dicta, facta, & contumeliæ, ex quibus non sequitur alijs vllum detrimentum, mos tamen, & damnum illius temporale peccatum est, quia re vera proximum lædunt. Sunt etiam alia peccata, quæ facta in ebrietate non imputantur, quia postulant scienter fieri vt imputentur; huiusmodi est peccatum blasphemiæ, infidelitatis, & periurij, nam qui non videt, vel dubitat esse falsum quod iurat, periurus non est; & peccata carnis, vt fornicatio, & pullutio imputantur ebrio; si verò hæc peccata in somno euenirent, non item, quia cum somnus sit causa naturalis, ebrietas verò præter naturam, mirum non est, si aliqua quæ in somno eueniunt non imputentur. quæ uerò in ebietate accidunt imputẽtur; damnum autẽ proximi utroque modo cauere debemus, ne eueniat, vel ex somno, vel ex ebrietate, alioquin imputabitur. Hæc Vasquez, quæ mente tenenda sunt à Confessarijs.

Non desinam tamẽ adnotare aduersus Vasquez, quoad peccata blasphemiæ, periurij, & infidelitatis contrarium docere Thomam Sanchez in summa tomo 1.lib. 1.cap.16.numero 44. Medina in p.2.q.71.ar.5.conclus.4.Caietanum in 2. 2.q.150.artic.4.dub.2. & alios asserentes dicta peccata, licèt in se non sint voluntaria, nec scienter facta, attamẽ in causa sunt voluntaria, cum sint præuisa, nec in hoc comparari debent facetijs. His tamen non obstantibus opinionem Vasquez docent etiam Salas in p.2.tr.13.disp.5.sect.14.nu.114.Sayrus in Claui Regia li.2.ca.9.nu.42.& nouissimè Adamus Tannerus, vir quidem doctus, in par.2.disp.4.q.3.dub.3.nu.65.

Addit etiam Sanchez ubi supra, contra eundem Vasquez, nõ esse verum, fornicationem in somno contingentem, ac præuisam non esse necessario cauẽdam, quia cum sit in damnum prolis, omninò cauẽda uidetur, sicut de peccatis in damnum tertij docet ipse Vasquez. Sed vtraque opinio est probabilis.

Notandum est etiam hic obiter contra Sotum in 4. dist.12.q.1.art.7.Medinam in par.2.quæst.71.art.5.Henriquez lib.8.c.51.nu.2.in Glossa.littera F.Sanchez de matr.tom.3.lib.9.disput.45.num.28.Salas in par.2.tract.13.disp.2.sect.9.Beccanum par.2.tr.2.cap.3.quæst.6.nu.8.Tannerum in par.2.disput.4.dub.3.nu.35.& ibi Suarez tract.5.disp. 3.sect.4.numero 5. opera in ebrietate contingentia, & omnia alia, quæ efficiuntur, quando non manent amplius in potestate operantis, non informari malitia aliqua morali, & per consequens non esse peccata, neque denominatione extrinseca à malitia causæ, sed esse quosdam peccati præcedentis effectus, sicuti quãdo quis occidit hominem mors non est peccatum, sed peccati effectus. Et ita docent Vasquez in parte 2.tomo primo, disput.94.cap. 2.& seq. Azorius tomo 1. lib.1.cap.7.quæst.1.Sayrus in Claui Regia lib. 2.cap.6.num.15. Herrera in 2.sent.disp.20.quæst.8. & ipsimet aduersarij, vt Sanchez in summa, to.1.lib.1.cap.16.num.46.hanc opinionem probabilem esse putant.

Dicendum est tamen, stando etiam in prima sententia, quod si quempiam antequam subsequantur dicta peccata externa, pœniteat datæ causæ, tunc vacare culpa peccata posteà subsequuta, & per consequens nõ erunt vocanda formaliter, & in se peccata, quia per pœnitentiam causa eorum fuit intercisa, & ideò sunt posteà inuoluntaria. Ita Sotus in 4. dist.12. quæst.1. ar. 7.Henriquez vbi infra, Medina in par.2.quæst.71. artic. 5.Becanus par.2.tract.2.cap.3.in fine Graffius in decis.par.1.lib. 2.cap. 88.num.14.

Imò ego puto cum Soto vbi supra, Sanchez de matrimonio, tomo.3.lib.9.disp.45.nu.29.Salas in par.2.tract.13.disp.6.sect.8. num.59.& alij, quod si quis ante ebrietatem, vel antequam subsequantur talia peccata externa, confiteatur, & accuset se de causa data, non tenetur posteà confiteri si dicta peccata subsequantur, sed plus addit Henriquez lib.5.c.5.in Glossa, littera H, nempè peccata illa commissa in ebrietate, si prior voluntas, ve dictum est, fuerit pee pœnitentiam interrupta, non inducere excommunicationem. Sed contrarium docent Vasquez in par. 2.disp.94.cap.4.in fine. Azorius to.1.lib.1.cap.7.q. 1. & alij, asserentes in tali casu supradicta peccata inducere irregularitatem, excommunicationem, & restituendi obligationem.

Limitat tamen hanc sententiam Sanchez in summa, tomo 1. lib.1.cap.16.num.vlt.non procedere in peccatis solius oris, nam si excommunicatio lata esset in periurium, non includeretur periurium volitum in sola causa, vt est in casu nostro, & idem docet Suarez de Relig.tom.2.lib 3.c.8.nu.6.in casu simili, nempè de excommunicatione lata in periurium, docet enim in excommunicatione non includi periurium inaduertenter prolatum ratiune consuetudinis.

Quis vulnerauit opificem, quæsierunt à me ad quid vulnerans teneatur restituere.

RESOL. LIII.

REspondi ad impensas medico largitas iuxta, cap.1. de iniurijs. Secundò ad æstimationem operarum, quibus ille caruit, quibus ex illo vulnere inutilis factus est, vt patet ex leg. vlt. ff.de his, qui eiecerunt, vel effuderunt. Sed difficultas tunc fuit, vtrùm deducenda esset æstimatio molestiæ, ac laboris, quem in officio, aut opificio subiturus erat? Et alij negatiuè responderunt, & probabiliter quidem, nam ita tenent Lessius lib.1.cap.9. dub.19.Nauarra de restit.lib.4.cap.1.num.68.Couarruuias ver. resolut.lib.2.cap.10.num.7. & Sotus de iust.lib.4.q.6 art. 3.circa 3.argum.& alij.

Verùm ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimaui, quam docent Rebellius par.1.lib.3. q.13. Molina de iust.tr.3.disp.87.conclus.1.& Maior in 4.dist.15.qu.19.Igitur in tali casu, si pœnitens vellet æstimationẽ laboris deducere, confessarius illum potest securè absoluere, & à dicto onere restitutionis liberare.

Notandum est tamen hic obiter primò contra Scotum in 4. dist. 15.q.3.Adrianum in 4.de restit.quæst.vlt.Sotum de iust.lib. 4.q.6.ar.3.Syluestrum ver.restitutio 3.q.2.Azorium tom.3.lib.5. c.3.q.4. & Molinam tract. 3.disp.84. procreatricis deformitate membri, imò ipsius vitæ iactura nullam pecuniæ compensationem secundùm se faciendam esse, ante iudicis sententiam. Ita docent Lessius lib.2.cap.9.dub.23.& 25.Nauarrus cap 15.num. 22.Gomezius var.resol.lib.3.cap.8.num.12. Nauarra lib.4.cap. 11.num.80.& sequ. Vasquez in opusc.de restit.cap.2.§.3.dub. 6. & Gloss.in ca.1.de iniurijs, & habetur clarè in leg.vlt. & in lege 1.§.sed cum homo, ff.de his, qui effuderũt, vbi asseritur, quod in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.

Vnde hic etiam obiter nota contra Sà, ver. infamia, num.7. Molinam tract.4.disput.45.nu.3.Adrianum quodlib. 11. diffic. 6.Sotum de reg. secr.memb.1.q.2.concl.5.& alios probabile esse, quod si quis famam iniustè ablatam, non directè, nec indirectè restituere possit, non teneri ante iudicis sententiam pecuniã illam compẽsare, vel satisfacere. Et ita tenent Lessius lib. 2.cap. 11.dub.16.Nauarra lib.2.c.4. nu. 417. Syluester ver. detractio. q.4.& nouissimè Layman in Theol.mor.li.3.sect.5.tract. 3. p.2. cap.7.nu.3.cum alijs.

Notandum secundò aliquem, qui prouocatus ad pugnam accessit, etsi deliquerit vulnerando non tamen teneri damnum restituere, nam prouocans quantum in se erat potestatem fecisse censetur inferendi damnum, & sic probabiliter sentiunt Lessius lib.2. cap. 9.dub. 21.Rebellius, par.1. lib. 3.quæst.12.Azorius tomo 3. lib. 5. cap.3.quæst. 7.quidquid in contrarium asserat Molina de iustit. tract.3.disp. 82. Vnde à fortiori infertur, qui ex condicto ad duellum descendit, & mortem, aut vulnus alteri intulit, ad nullam restitutionem hæredibus, seù vulnerato teneri, nam volentes, & consentientes ad pugnam descenderunt. Lessius vbi supra, & alij.

An

An homicida teneatur restituere damnum illatum creditoribus pro morte occisi.

RESOL. LIV.

Affirmatiuam sententiam docet Molina de iustit. tract. 3. disp. 83. nu. 8. Et ratio est, quia occisus maiori obligatione iustitiæ tenebatur erga creditores, quam erga parētes, vxorem, & filios, & ideò his alimenta, & hæreditas non præstatur, nisi solutis creditoribus. Ergo si homicida, vt omnes fatentur, tenetur damnum resarcire, quod vxori, liberis parētibus occasione homicidij accidit, multò magis creditoribus, si ob tale homicidium debito suo priuati fuerant, dicendum est ad restitutionem teneri.

Sed his non obstantibus, ego contrariam sententiam teneo cum Salonio in 2.2.q.62.art.2.contr.8. Lessio lib.2.ca.9.dub.26. & alijs, penes quos rationes huius sententiæ videbis.

Notandū est tamen hic obiter primò, homicidam neque teneri ad vllam restitutionem familiaribus, vel clientibus, sidamnū aliquod ex morte occisi illis prouenit; nam occisus supra dictis ad nihil tenebatur ex iustitia, sed ex liberalitate operabatur. Et ita tenent Sotus lib.4.q.6.art.3.circa 3.argum. Molina de iust.tract.3. disput.83.num.6. Lopez in instruct.par.1.c.72. Lessius, & Salonius vbi supra, quidquid in cōtrarium afferant Vasquez opusc.de rest.c.2.§.3.dub.7.& Petrus Nauarra, de rest.lib.4. cap.1.num.76.

Notandum secundò, quod si maritus aliquem deprehensum in adulterio occidit, in conscientia non tenetur restituere damna ex morte occisi sequuta, donec ad iudice causa delata cognoscatur, vtrum in pœnam delicti, atque iniuriæ compēsationem restitutio ipsi remittenda sit, nec nè. Ita Molina tract.3. disput.81.num.10.& alij.

An aliquando licitum sit aperire litteras alienas.

RESOL. LV.

Respondeo affirmatiuè, etiam inuito eo ad quem mittuntur, puta si id fiat iure belli, iustæ defensionis contra inimicum insidias molientem, vel si Prælatus, pater familias, &c. suspicentur, aliquid mali patrandi in litteris cōtineri, vel si religionis statutum, aut cōsuetudo licentiam aperiendi litteras Regularium Prælato tribuat. Vide Peirinum de Relig.to.2.q.2.c. 1 § 13.per totum, & alios penes ipsum.

Sed difficultas est, quæ potest sæpius accidere, vt Venetijs testatur Syluester accidisse, videlicet, an si aliquis litteras ad se missas, in publicum laceratas abijciat, possit quis sine peccato, collectis litterarum fragmentis, eas legere. Negatiuè respondet Rebellius par.2.lib.9.quęst.7.nu.9. Sed mihi placet opinio contraria, quam cum Archidiacono tenet Syluester ver.emptio, quæst.17.vbi sic ait. Si quis litteras in publicum locum abiectas legit, solùm vt sciat, curiositas est, si vt sibi prouideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est. Ita Syluester, quem citat, & sequitur Layman in Theol.mor.lib.3.sect. 5.tract.3.par. 1.cap. 4. num. 4. vbi etiam benè aduertit ex charitate in tali casu eum, qui illas litteras legit, teneri non manifestare aliquod secretum in ipsis contentum, si in damnum alicuius cederet.

An sit licitum amissa aliqua vera, & legitima scriptura, aliam similem confingere.

RESOL. LVI.

Videtur prima facie respondendum affirmatiuè, quia nemini ea re iniuria infertur, & sic olim docuit Emanuel Sà, versic. falsarius, num.2. Verùm contrariam sententiam docent Couarruuias var.resolut.lib.1.cap.2.numero 2. Tannerus in 2. 2.dispnt.4.quæst.6.dub.1 2 nu. 33 2. Emanuel Sà expurgatus, & Paulus Layman in Theolog.mor.lib.3.sect.5.tract.3.par.1.cap. 4. num.4. vbi docet huiusmodi falsificationes esse Reipublicæ perniciosas, quamobrem à legibus seuerè prohibentur, & cum prohibitio iusta sit, in conscientia obligat. Nec valet ratio in contrarium adducta, quia quamuis per tales falsificationes non violetur particularis iustitia, quia nemini ius suum læditur, & ideò neque restitueñti obligatio aliqua oritur; attamen peccatur cōtra veritatis virtutem, & quidem cum Reipublicæ pernicie, graue etenim est, publicorum instrumentorum conficiendorum, etiam alio quouis damno secluso, ius sibi vēdicare. Vide etiam Additionem ad summam Syluestri ver. Falsarius, in fine. In quibus pro hac sententia citatur etiam Nauarrus. Igitur illicitum erit, & peccatum mortale, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. aliam similem confingere, vel conuento de pecunia, v.g. mutuo accepta, quam legitimè solutam, factæ solutionis falsum instrumentum producere. Quæ omnia valdè notentur, quia passim hic casus solet accidere, & in illo plures decipiuntur.

An beneficiarius, qui omisit horas canonicas, liberetur à restitutione, propter eleemosynas pauperibus largitas, non tamen hoc intuitu.

RESOL. LVII.

Hic casus mihi contigi t, & ab onere restitutionis consulentem liberaui, nixus auctoritate Pauli Layman in Theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 12. num. 9. vbi sic ait. Quando obligatio restituendi, puta pauperibus ex iure ecclesiastico tantùm promanet, arbitror probabiliter dici posse eleemosynas, quæ cum tali obligatione, quamuis non animo satisfaciendi factæ sint, tamen ad eas extinguendas prodesse posse. Exempli causa. Venit Canonicus ad confessionem, qui toto anno officium recitare neglexit, & ideò in pias causas 300. aureos restituere deberet, tali obligatione à Confessario illi significata, respondet, se quamuis huius obligationis immemorem, his ipsis diebus statuam argenteam Ecclesiæ alicui donasse, quæ 300. aut amplius aureis æstimetur, puto quod Confessarius contentus esse possit. Tum quia non desunt Doctores, qui ita sentiunt, tum quia videtur esse virtualis intentio omnium dantiū eleemosynas, satisfaciendi per eas omnibus obligationibus, quas suis peccatis, aut negligentijs contraxerunt, tum denique quia leges ecclesiasticæ benignè explicari debent. Ita Layman, & ego.

Notādum est tamen, quod contrarium dicendum est in alijs debitis, vnde qui ex furto, vsuris, &c. debitor est, si ei ius restituendum esset tantundem, donec immemor sui debiti, non liberatur ab onere restitutionis, quia illa gratis donata sunt. Nec refert dicere, quod si debiti sui memor fuisset, se gratis donaturum non fuisse; nam actualis dispositio voluntatis, non autem conditionalis inter contrahentes attendenda est. Ita docent Lessius libro 2. cap.17.num. 11. Lopez de contract. lib. 2. cap. vlt. prope finem. Sanchez in summa, tomo 1. lib. 1. cap. 13. num. 1 1.& alij.

An famulus teneatur ad restitutionem, si non manifestet domino alios famulos res ex aliqua domus officina sæpius furari.

RESOL. LVIII.

Hic casus frequenter accidit, & ad illum sic respondet Layman in Theolog.mor.lib.3.sect.5.tract.2.cap. 5. num. 7. si duo eiusdem familiæ famuli sint, quorum vni cura penus custodiendæ demandata est, alteri non est: etsi vterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facilè, & sine suo incommodo possit; ex iustitia tamen fermè is solùm, qui curam penus gerit, quare solus etiam ad restitutionem obligatur. Ita ille, & ante illum Nauarrus cap.14.num.7 Lessius lib.2.cap.15. lib. 10. num.74.& alij.

Notandum est tamen quod Petrus Nauarr. de rest.lib.3.ca.1. nu. 204. limitat hanc sententiam, nisi fures extranei in domum ingrediatur, nam in tali casu putat ex iustitia quemlibet famulum obligari ad reuelandum, si aliter malum impediri non potest: cuicunque etenim famulo, eo ipso quod domesticus est, custodia domus aliquo modo incumbit, vt ab extraneorum iniurijs defendat.

Sed quæret aliquis, an dictus famulus teneatur restituere, si ab alio famulo furāte accepit aliquid, si clamet, vel indicet furtum eius domino? Respondeo negatiuè, nisi res accepta sit pars furti. Ita Sotus de iust.lib.4.quæstio. 7.art.3.& Nauarrus cap.17. num.21.& alij.

Verum

Verùm huic doctrinæ rectè Nauarra vbi supra num. 132. & Lessius num. 68. adhibent limitationem, vt non procedat, si accipiens sua pollicitatione expressa, vel tacita furem animosiorem reddit, qui alioquio absterritus esset; nam in tali casu tenebitur de illato damno tanquam particeps.

An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eo die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus.

RESOL. LIX.

Affirmatiuè respondeo cum Villalobos in sum. to. 1. tract. 7. diffic. 39. nu 11. Zambrano de cas. tempore mortis, cap. 3. dub. 5. num. 6. Henriquez lib. 8. cap. 50. n. 1. Suarez in 3. pat. to. 7. q. 80. disp. 68. sect. 7. Layman in Theol. mor. lib. 6. tract. 4. c. 6. n. 20. Syluio in 3. pat. q. 80. art. 8. Regioaldo in praxi, t. 2. lib. 29. c. 6. qu. vlt. sect. 2. n. 20. & Coninch de Secram. q. 80. art. 8. n. 50. vbi sic asserit. Quando quis est in præsenti periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue quod supplicio afficiendus sit; tûc enim potest communicari non ieiunus, & quocûque diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus, quia saltem valdè probabile est, talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quam præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicari. Secundò, quia cû communio tali homini sit tunc valdè vtilis, & quodammodo necessaria, vt in extrema illa lucta, tanto præsidio côfortetur, & roboretur, noluit eum Ecclesia tanto bono priuare Ita ille, & alij.

Notandum est etiam hic obiter, pro damnatis ad mortê, nô esse necessarium tempus viginti quatuor horarum, inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipientis mortem intercurrere: & licèt hic Panorm, & in Regno Castellæ, & alibi, vt opinior, interuallum vnius diei faciant intercurrere, attamen hoc non est necessarium. Vnde ego puto cû Sancio in selectis, disp. 40. n. 4. quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterû se communicare, minus pium esset communionem impedire, imò pij iudices ad suscipendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmonis tentationes illa hor. maximè turbantes facilius superent. Nec ex hoc reuerêtia Sacramenti minuitur, Cum Christus istud instituerit ad nostram vtilitatem, & non cohæret irreuerenter suscipi, & ob nostram vtilitatem sumi, si aliàs comunicans debitam dispositionem habeat, vnde vellem hæc à Principibus, & iudicibus prænotari. Ita Sancius.

Scio Iulium Clarum §. fin. q. 99. nu. 3. Corsetum singul. 68. Vegham par. 1. c. 61. cas. 21. Cucchum iostit. lib. 5. tit. 5. nu. 107. Ant. Scap. de iur. nô scrip lib. 5. c. 210. n. 7. & Zerolam in praxi Episc. par. 2. verb. damnati ad mortem, & verb. Eucharist. reputare, indecenter recipi Eucharistiam ipso die mortis, & ob id à iudicibus non esse permittendum mioistrari, & imputandum damnato, quod pridie mortis renuerit recipere.

Sed contrariam sententiã tenet Maiolus de irregul. li. 3. c. 24. n. 15. vbi ita ait. Ego nonnullis locis, quibus pro Episcopis magistratum gessi, validiore auctoritate qua potui, induxi vt dânatis ad morte ea ipsa die cômunio côcederetur. Sic ille, & ita Romæ obseruari testatur Sancius Corsettus, & Ant. Scap. vbi supr.

Vnde asserunt multi, posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad paribulum ante vnam horam mortis. Et ita docent Emanuel Sà ver. Eucharistia, n. 2. quem sequitur Fagundez de præcep. Ecclesi. par. 3. lib. 1. c. 4. nu. 3. & Sotus io 4. dist. 12. q. 1. art. 1 x. non longè à fine ait, quod apparet non nihil irreuerentiæ irrogari Sacramento, si quis Eucharistiam susciperet, & illicò ad patibulum, & mortê caperetur, ergo dum dicit illicò, non sentit fore irreuerentiam ante vnam horam ministrari. Et hęc omnia à fortiori procederent, quando Princeps eo die vellet omninò reum patibulo suspendi, vt docent Petrus de Cenedo in qq. can. p. 5. nu. 4. in fine, & Doctores in principio resolutionis citati.

An victualia debeant à Republica taxari, seu potius arbitrio vendentium relinqui.

RESOL. LX.

Negatiuè prima facie videtur respondendum ex auctoritate Doctoris Nauarri in Manual. cap. 23. num. 88. cuius côfilium non contemnit Rebellius de obligat. iust. part. 2. lib. 10. 9 quæst. 2. sect. 1. numero 5. Sed audiamus verba Nauarri. Arbitror, inquit rarissime ponendam esse hanc taxam, tum quia dat occasionem vendendi corrupta, & ferè inutilia eodem pretio, quo sincera, & vtilissima, tum quia superueniente maxima necessitate annonæ, & frumenti, tollitur omninò taxa, & illa non incurrente parum est necessaria, tum quia nemo diuitum vult mutuare, neque vendere credito res taxatas, nisi pretio taxæ etiam tempore abundantiæ; tum quia præbet occasionem innumerorum peccatorum mortalium mille modis taxã fraudantibus. Ita ille.

Sed contra doctum, & bonum senem, meritò insurgit vir in hoc genere nunquã satis laudatus Bartholomæus Salonius in 2. 2. tom. 2. quæst. 77. artic. 1. controu. 2. numero 8. & idem docet Ludouicus Lopez de contract. lib. 1. capit. 13. §. secundùm quod pretia. Probatur hæc opinio ex communi DD. sententia. Ioan. de la Cruz in directorio conscientiæ, par. 1. præcepto 7. quæst. 2. dub. 2. concl. 2. sic ait. Rex per suam legem potest taxare pretia rerum, & ita expedit boni communis conseruationi, maximè pro rebus communiter singulis necessarijs. Conradus de contract. q. 57. concl. 3. arg. 4. fol. mihi 272. sic asserit. In lege annonam, ff de extraor. criminibus, mandatur præsidibus prouinciarum, vt ad hoc suis statutis laborent, quod annona non oneretur, & quia certum est annonam augeri si superiores non taxent pretium rerum venalium venditioni expositarum, igitur ad hoc tenentur. Ita ipse, & alij, vt Petrus Ledesma in summa, tom. 2. tract. 8. capit. 33. concl. 6. diffic. 1. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 25. cap 16. num. x89. Petrus Tholosanus in Syntagma iuris lib. 35. capit. 29. nu. 10. & 11. & nouissimè Homobonus de Bonis de exam. Eccl. par. 1. tract. 6. cap. 9. quæst. 43. in fine, & tandem eruditissimus Bobadilla in sua Politica, tomo 2. lib. 3. c. 4. numero 63. vbi sic loquitur. [Es cosa conuenientissima a la Republica, que en los mantenimientos aya tassa, y postura, por lo qual tienen los Doctores, que tambien en los paños, y sedas; y en los mesones, y alquileres de casas, en que fuesse possible auia de hauerla.] Et paulo post [los Romanos por esta causa tuuieron por bueno, y necessario gouierno venderse por tassa, y precio cierto los mantenimientos, y consta de sus leyes, y por las destos Reynos,] & in numero seq. latè docet, quomodo Senatores debeant constituere pretia rerum venalium, probãdo omnia, vt ipse solet, cum authoritate multorum Doctorum, vide illum & non pigebit te vidisse.

Non desunt pro hac sententia firmãda validissimę rationes. Nam, vt docent Molina de iust. tom. x. tract. 2. disp. 348. num. 4. Molfesius in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 5. numero 64. Graffius par. 1. lib. 2. cap. 112 num. 6. & Doctores supra citati, & infra citandi, ad iustitiam iusti pretij præcipuè considerandum est. Primò, multitudo, & penuria rerum. Secundò abundãtia, & penuria pecuniarum. Tertiò, paucitas vel multitudo emptorum. Quartò; varietas temporum. Sed vt optimè obseruant Lessius de iust li. 2. cap. 21. dub. 2. numero 8 & Malderus in 2. 2. D. Thomæ tract. 5. cap. 2. dub. 1. Superiores melius cæteris, possunt nosse has, & similes circumstantias, ex quibus æstimatio rerum crescit, vel decrescit, & minus erit corruptum circa tale taxationes ipsorum iudicium: ergo propter bonum commune erit ab ipsis talis taxatio constituenda.

Et si forsan aliquando propter aliquas circumstantias pretia non sint taxata à Republica, sed arbitraria sint, certè (ait Lopez vbi supra) non arbitrio ipsorum mercatorum, sed arbitrio prudentium, & peritorum arbitranda sunt. Tum quia, sic quisque suspectus habetur iudex in propria causa, ita, & mercatores in hac sua causa iudices essent deprauati. Tû quia cupiditas excæcat, vt facile à recto, & æquo deuient mercatores, si ex eorum affectu taxandæ veniant merces eorum. Tum quia semper innecterent fraudes, obtendentes semper pro expensis, & laboribus accipere pretia cum aliqua accessione lucri, cum tamê nequaquam semper eis liceat, præsertim cum sua ignauia, & imperitia interdum in causa sint viles, cur emendæ merces, caroque pretio, quas tunc idcircò minoris vendere tenentur. Ita Lopez. quæ quidem multum sunt ad casum nostrum.

Ex quibus apparet responsio ad argumentum Nauarri, nam plures fraudes, & maiora inconuenientia sequerentur, si pretia rerum essent arbitraria, quam si taxarentur à Republica, & vt bene aduertit Rebellius vbi supra, supradictis malis à Nauarro recentius Superiores, si rectè officio suo fungantur, occurrere possunt. Igitur concludendum ex his videtur, propter bonum com-

commune pretia rerum venalium esse à ciuitate taxanda. Et ideò noster Megala 2.2.lib.2.cap.6.quæst.3. nu.89. testatus est, quod regulariter hodie in Italia victualia taxantur à lege. Hæc circa præsentem casum pro temporis angustia breuiter, & cursim collegi ad instantiam Vincentij Vanni Sindici huius Vrbis.

Verùm post hæc scripta cursim, vt dicebam, legi doctissimum P. Thomam de Mercado, & quia Codex rarus est ponam per extensum eius verba, sic enim libro 2.de contract.cap.6.asserit. [Los mismos Reyes tassan en Cortes algunas cosas, y cometen generalmente, à los Magistrados, especialmête las que son necessarias, y mas se gestan, pan, vino, carne, pescado, fruta, paños, sedas, lienços, criados, casas, sin las quales non se puede viuir ni passar. Porque sabiendo puntualmente, lo que vale, nadie puede agrauiar en ellas, ni ser agrauiado, en lo de mas, como brocados, tellilas, loyas, y otras preseas no se requiete tanto la tassa, porque ni son tan menester, ni se gastan tan en comun, ni à la Republica se le da mucho valgan caro, ni se puede tã claramête saber su valor,] & paulo post addit. [En ninguna manera cõuiene dexar el precio en confuso è la voluntad, y arbitrio de los mercantes, porque cada vno es amigo de su interes, y subiran muy contra razon el precio, si en su mano se dexa assi que es iusto, es muy necessario, que las que mas, à la vida sieruen y se gastan, se valuen por la Republica, las de mas se deyen al successo del tiempo.] Ita ille.

Ex quibus elucessit magis veritas supradictorum. Limitanda tamen est nostra sententia tempore necessitatis, & penuriæ. Nã propter penuriam aliquarum rerum venalium, vel quæ extra Regnum in ciuitatem asportantur, vt venditores exportant, & asportent dictas merces venales, in tali casu deberet magistratus relinquere arbitrio vendentium pretium supradictarũ mercium, nisi dicas cum Bobadilla vbi supra, numer.65. in tali casu præsertim penuriæ, deferendum esse pretium à Magistratu, & ego, ait ipse [siempre alle por buen remedio, y gouierno faltando promisiõ de alguna cosa por culpa de los tiempos, y sin malicia, ò dolo de los dueños, y vẽdedores, subir el precio della, porquè luego cessa la falta, y se sigue en abũdancia, conforme el refrã, que dixe Mercaderia cara de baxo del agua mana.] Ita ille, sed satis dictum sit circa præsentem quæstionem.

An qui habet in manu sex digitos coniunctos, vel diuisos, si non adsit impedimentum in vsu membri sit irregularis.

RESOL. LXI.

Respondeo negatiuè, dummodo non adsit magna deformitas. Ita Tabiena ver.corpore vitiatus: nu.2. Syluester eodem ver.quæst.3.nu.4. Auila de censuris, part.7. disput.13.dub.1. corollar.3. Henriquez in summa.lib.14. capit.8.numero. 3. Filliucius tom.1.tractat.19.cap.6.num.165. Reginaldus tom. 2.li. 30.tract.2.cap.5.sect.1.num.46. Campanili in diuer.iur.can.rubric.11.c.17.num.113. Belletus in disquis.cler. par.1.§.7.num.33. Sayrus de cens.lib.6.c.8.num.2. Bonacina de cens.disp.7.quę. 2. punct.1.num.11.& alij communiter.

Dices, quando hæc deformitas inducat irregularitatem, cuius arbitrio relinquendum est. Respondeo Episcopi ex ca.2.de corpore vitiato, & ibi Glossa cum Abbate, Butrio, & Cardinali, & ex Neotericis docent Ioan. de la Cruz in directorio consc. par.2.tract.de irreg.dub.2.conclus.2. Molina de iust.tom.4.trac. 3.disp.70.num.5. Suarez de censuris, disp.51.sect.3.num.16. Nauarrus cap.27.num.200. Menochius vol.1.cons.99. nume.30.& 31. Seraphinus decis.625.num.4.& alij.

An verò in casu N. de quo consultus fui, adsit magna deformitas; vt diximus, non est nostrum definire, sed si iudicium meum promere circa hoc adstrictus essem responderem negatiuè, & ita intellexi à quodam Episcopo in simili casu fuisse decisum, & dispensatum. Adde quod consulens ita abscondere potest in celebratione Missæ hunc defectum, vt circumstantes illum difficulter videre possint, & solùm si ministraret alijs sanctissimam Eucharistiam appareret, quam functionem consulens facilè potest omittere, saluo, &c.

An Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa Spiritus Sancti, B. Virginis, vel cũ aliqua collecta, dicens postea Missam in illa die currentem, peccet mortaliter?

RESOL. LXII.

Sæpius in praxi occurrere solet casus iste, & ad illũ negatiuè respondet Petrus Nauarra de restitut.lib.2.cap.2.nu. 48. vbi sic asserit. Petenti Missam de Spiritu Sancto, vel de Defunctis, vel de alio Sancto, vel vt Orationem de salute, vel de B. Virgine, &c. apponat, non tenetur Sacerdos acquiescere, nisi ob specialem illum laborem non debitum, eleemosynam augeat, quod non solùm probo ex eo, quod vt Syluester in ver.Missa.quæst.8. dicto 5. sentiunt, & alij multi, nulla Missa est defuncto, vel cuiplam alteri salubrior quam diei, sed etiam ex eo, quod cum taxatur Missæ labor, nõ cum ijs circumstantijs, sed simpliciter taxatur. Vnde importunas has conditiones Sacerdos non tenetur admittere, nisi specialiter promitteret, tunc enim tenetur ex vi promissionis, & veracitatis sub veniali peccato implere, sicut aliam quamuis promissionem, quæ nõ impleta non damnificaret proximum notabiliter. Licèt Syluester ver.Missa, peccatum esse mortale cõtendat, cum dicat infideliter agere, & non satisfacere, quod tunc verum duntaxat putarem, cum ad has conditiones, vel similes, eleemosyna notabiliter augeretur. Hæc Nauarra, quæ omnia notabiliter à confessario sunt aduertenda, & addenda Resol.31.tract.de celebr.Missarum in 2.par. quidquid in contrarium asserant Fraxinellus de oblig. Sacer. sect.4. cõcl. 4.§.4.num.6. Rodriquez to.2.cap.44.n.9.& alij.

An puella exposita in aliqua ciuitate possint consequi legatum relictum pro maritagio Virginum illius ciuitatis.

RESOL. LXIII.

De hoc casu sępius interrogatus fui, & affirmatiuam sententiam docent Alfonsus de Lara de Anniuer. li.1.c.21.num. 78. vbi sic asserit. Et si anniuersarium relictum pro virginibus maritandis requirat, quod puellæ sint naturales loci, adhuc expositæ consequentur dotem cum præsumantur esse eius patrię, in qua expositę fuerunt. Bar.l.1.in fine, ff.ad munic. Io.de Platea lege ciues in fine, C.de incolis, lib.10.& alij. Ita Lara.

Sed mihi magis placet opinio negatiua, quam semper cõsului, & nunc inuenio illam docere. Ioann. Mariam Nouarium in qq.forensibus par.1.quæst.161.num.3. quia ciues originarij debent alijs præferri, & ideò, vt notant Valenzuola cons.73. nu. 52. Augustinus Caputus de Regim.Reipublicæ, cap.3.num. 52. & alij, in electione officialium vniuersitatis originarij præferuntur incolis: hinc etiam vt obseruant Capiblancus de offic. Baron.to.1.prag.10. nu. 75. & ciuilitas ciuis originis præfertur ciuilitati ciuis domicilij.

Itaque ad casum propositum respondendum est, quod quando ad consequendum legatum concurrit ciuis originaria, & puella exposita, illa huic præferri debet, & opinionem affirmatiuam libenter admitto in casu, quo puella exposita non cõcurreret cum puella originaria: nam si non adsint puellæ originariæ, puto supradictum legatum obtineri posse aliqua puella exposita; nã dicitur ciuis illius ciuitatis, in qua exposita fuit, vt docet Angelus in leg. hæres absens, §. si quis tutelam, ff. de iudicijs. Boerius decis.15.num.41.& alij.

An minor quatuordecim annorum possit præsentari ad beneficium iurispatronatus.

RESOL. LXIV.

Affirmatiuam sententiã mordicus sustinet doctus Iuriscõsultus Ioann. Maria Nouarius in Quæstionibus Forensibus part.1.quæst.71.numer.5.& seq. quia licèt ex dispositione Concilij Tridentini sess.23.capit.6.de reform. nullus ante decimumquartum annum beneficium potest obtinere, tamẽ beneficium iurispatronatus tunc venit appellatione beneficij, quando adest eius fauor, secus autem, in non fauorabilibus, vt est in casu nostro.

His tamen non obstantibus cõtrariam sententiam tenet Viuianus

uianus in praxi iuris pa. p. 2. lib. 6. capit. 6. num. 8. Squillante de priuil. clericorum, cap. 4. dist. 3. num. 62. Riccius p. 3. dec. 26. & p. 4. dec. 343. Marius Antonius var. resol. 112. cas. 51. & alij; asserentes vidisse plures dispensatos super ætate ad beneficia simplicia, etiam iurispatronatus, quia Concilium loquitur absolutè, prohibendo ne assumatur ad beneficium minor quatuordecim annorum. Sed ad hoc respondet Nouarius vbi supra, vt visum est, & secundùm sententiam Nouarij decidisse Rotam Romanam in vna Gerunden. Beneficij 12. Iunij 1679. coram Lancelloto, præter Nouarium testatur Garsias de Benef. tomo 2. parte 7. cap. 4. num. 10. & habetur etiam hæc decisio in nouis. decisi. 482. nu. 3. in fine par. 1. & ita etiam nouissimè hanc sententiam contra Riccium, & alios tenet idem Nouar. in nouo Iur. Pontif. concl. 14. num. 7.

Notandum est tamen hic obiter, non oportere esse expletum quartumdecimum annum ad obtinendum simplex beneficium vt notant Henriquez lib. 10. c. 19. nu. 2. Gallet. in Margarita casuum conscien. ver. beneficium, n. 4. Valascus to. 1. alleg. 8. Campanili in diuer. iuris can. rubr. 7. c. 6. nu. 2. Gonzalez regul. 8. cancell. Glossa 5. nu. 99. Azorium par. 2. lib. 6. c. 5. qu. 7. & alij. Sufficit igitur annum 14. esse cœptum, quidquid in contrarium afferat Tuscus concl. 338. nu. 10. & 15. littera E, & Mandosius de ætate minorum, cap. 4. num. 5.

An omnia vota, & iuramenta in votum solemne Religionis commutentur.

RESOL. LXV.

EX Neotericis, noster P. Naldus, vir quidem doctus, in summa, ver. votum, nu. 50. docet, quod votum solemne Religionis non commutetur in votum dandi aliquid Terræ Sanctæ, & hanc sententiam etiam docet etiam Syluester verb. votum 5. quæst. 7. dicto 3. & Angelus ver. votum 4. num. 2.

Verùm ego absolutè existimo, omnia vota personalia, realia, & mixta tam in sæculo, quam in nouitiatu emissa extingui per solemne Religionis votum; & ideò existimo non solùm votum peregrinationis Terræ Sanctæ commutari in professionis votū quoad peregrinationem, sed etiam contra Naldum, quo ad id quod profitens vouit dare in subsidium dictæ Terræ Sanctæ, & ita docet Suarez de Religione, to. 3. lib. 6. c. 14. num. 5. Miranda in Manuali Prælat. to. 5. q. 25. art. 7. & Sanchez in summa, to. 2. li. 5. c. 5. n. 50. Et ratio est, quia tale votum, licet quoad expensas sit votum reale, per professionem vniuersa vota realia commutātur, vt tenēt communiter Doctores, quos citat Sanchez loc. cit. n. 43. quidquid in contrarium afferant Paludanus in 4. d. 38. q. 4. ar. 1. concl. 5. & ar. 2. n. 33. concl. 3. D. Antoninus par. 2. tit. 11. c. 2. §. 8. not. 2. & Tabiena ver. votum 4. in fine. Ergo, &c. Nec valet dicere, quod illud votum est Pōtifici reseruatum, nam similiter est reseruatum votum peregrinationis Hierosolymitanæ, & tamē commutatur, & extinguitur in professione, vt patet ex cap. scripturæ, de voto, & asserunt communiter Doctores. Ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter, omnia supradicta procedere etiā in iuramētis siue personalibus, siue realibus soli Deo emissis, quia votis æquiparantur, & per ea ius tertij non acquiritur. Secus verò si iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatum, quia ratione iuris tertij acquisiti, in melius commutari non potest, ac proinde neque in Religionis professionem. Ita Sanchez vbi supra, nu. 44. & to. 1. lib. 3. c. 21. nu. 3. & alij.

An in hoc anno sequenti 1632. cum viglia Sancti Matthæi veniat in vltimo die Bacchanalium, possit Episcopus transferre tale ieiunium in Sabbathum præcedens.

RESOL. LXVI.

AD hunc casum ita respondet Layman in Theol. mor. libr. 4. tract. 7. c. 3. num. 9. si ieiunium ab Ecclesia præceptum incidat in festum solemne, peculiariter in aliqua diœcesi, vel ciuitate celebrari solitum, potest auctoritate Episcopi ieiunium in alium v. g. præcedentem diem trāsferri. Qua etiam ratione fortasse aliquis respondere poterit, si viglia S. Mathiæ incidat in feriam secundam, vel tertiam quinquagesimæ, & iustam forte causam vt Episcopus tale ieiunium in præcedens Sabbathum transferat, si animaduertat, homines eius loci ita comparatos, & ad intemperantiam ijs diebus procliues esse, vt plurimi (nisi dicta commutatio fiat) ieiunium violaturi sint, etiam cum carnium esu non sine scandalo; si quidē ob specialem causam pro vna vice in lege vniuersalis ieiunij dispensare, aut commutare, ad Episcopum pertinere debet, cum eius officium sit spirituali subditorum saluti inuigilare, scandala infirmorum tollere, &c. Sic Layman, & alij viri docti, quorū sententia forsan alicui probabilis videbitur, nō obstante quod sine esu carnium, esset violandum dictum ieiunium. Nam militat etiam ratio commutationis suptadictæ, ad vitandum scilicet peccatum, licet fractio ieiunij cum esu carnium sit grauius peccatum.

An Episcopus consecrando Chrisma, vel oleum, seu conferendo ordines minores in peccato mortali, peccet mortaliter.

RESOL. LXVII.

AFfirmatiuam sententiam docet Didacus Nugnus in 3. par. to. 1. q. 64. art. 6. diffic. 2. concl. 3. Ledesma in summa, to. 1. c. 6. de Sacram. in genere, dub. 10. Io. Medina Cod. de pœnit. tract. 1. q. 6. Cabrera de Sacram. q. 64. disp. 1. §. 7. nu. 60. & Syluius in 3. par. q. 64. art. 6. quæritur 1. concl. 3. quia cōsecrationes istæ per se pertinent ad potestatem ordinis Episcopalis, celebranturque in Ecclesia cum magna reuerentia.

Sed tu cōtrariam sententiam, tanquam probabiliorem tene, quam docet Fernandez de Heredia disp. de Sacram. in genere, p. 10. dub. 3. n. 4. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Sacr. in genere, q. 4. dub. 3. concl. 1. Coninch. de Sacram. q. 64. ar. 6. dub. 1. n. 36. Suarez in 3. p. to. 3. disp. 16. sect. 3. & Villalob. in sum. to. 1. tra. 4. diffic. 14. nu. 6. vbi sic asserit. [El Obispo si benedixisse la Chrisma, ò el olio, aûque estasse en peccado mortal, no peccara mortalmente, si no ay escādalo, ò meno sprecio, si no solo venialmēte. Porque en esto no se ha como ministros de Dios para sāctificar almas, y ansi no es la causa tan graue.] Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Sed quæres, an Episcopus peccet mortaliter si in peccato mortali conferat ordines minores. Affirmatiue respondet Ledesma in sum. to. 1. e. 6. de Sacram. in genere, dub. 10. vbi sic ait. [El Obispo que haze ordenes menores en peccado mortal, pecca mortalmente, porque el Obispo esta consagrado cō especial consagracion para a quel ministerio, y las ordenes minores esse Sacramentū] & hi sunt Layman in theol. mor. lib. 5. tra 9. c. 4. n. 4. Fabrus de Sacram. ordinis in 4. senten. d. 24. q. 1. disp. 1. e. 3. nu. 64. Villalob. in sum. to. 1. tr. 21. diffic. 1. nu. 2. Filliuc. to. 1. tract. 9. c. 1. nu. 82. Coninch. de Sacram. disp. 21. dub. 6. n. 47. Valentia to. 4. disp. 9. q. 1. punct. 4. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Sacramento Ordinis, dub. 1. concl. 3. & alij penes ipsos.

Sed negatiuam sententiam docet Nugnus, Coninch, Suarez vbi supra, & Syluius conclus. 3. sic asserentes. Exercere functiones minorum ordinum in mortali nō est mortale, quia non ita sunt propinqui Sacramento Altaris, vnde, & illorum officia sunt imperfecta in genere sacri ministerij. Ita ille. Quibus adde primam tonsuram, & quatuor ordines minores non esse Sacramentum, secundùm Vasquez in 3. parte tom. 3. disp. 237. c. 2. & alios penes ipsum; quorum opinionem probabilem vocant Doctores contrarij. Ergo Episcopus conferens ordines minores in peccato mortali, non peccabit mortaliter.

Notandum est hic obiter à fortiori contra Ioannem Medinam, Cod. de pœnit. tract. 1. quæst. 6. Episcopum consecrantem Ecclesiā in peccato mortali, non peccare mortaliter. Et ita docent Syluius vbi supra in 3. par. q. 64. art. 6. quæritur 1. conclus. 6. Filliucius tom. 1. tract. 1. c. 6. num. 87. Coninch. de Sacram. q. 64. art. dub. 1. n. 39. & alij viri vbi supra. Idem dicendum est, si Episcopus sacramētalia, quæ non sunt actus ordinis, faceret in mortali, vt tonsurare, iurisdictionem fori exterioris exercere, virgines, vestes, & calices consecrare, & similia.

Quidam scrupulis angebatur, an habuerit intentionem implendi præceptum Missæ, & dicendi horas Canonicas? ideò benignam aliquam opinionem impensè a me postulabat.

RESOL. LXVIII.

DVbium huius cōsulentis oriebatur, quia sciebat, quod præter attentionem internam necesse esset etiam ad implen-

dum præceptum dicendi horas Canonicas, & audiẽdi sacrum, intentio formalis, vel virtualis, qua quis vult dicta præcepta adimplere. Ita multi Doctores. Vide Nauarrum in cap. quando, notab. 3. n. 27. & Azorium tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 6. Sed ego puto precepta solùm obligare ad actum quem præcipiunt, vnde sufficit huiusmodi actum efficere, vt illa impleantur, & non est necesse, vt ipsum actum faciamus ex intentione formali, vel virtuali implendi præceptum. Et ideò si quis audiuit Missam ex deuotione, putans non esse diem festum, non tenetur postea aliam Missam audire, vt rectè docent Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. cap 9. n. 6. Vasquez in p. 2. q. 100. ar. 9. in expositione litteræ, nu. 3. Valentia to. 3. disp. 6. q. 2. punct. vlt. & alij. Vel dicendum est, quod ad implendum præceptum, licèt opus sit, non solùm vt faciamus actum humanum imperatum per illud, sed etiam vt faciamus illud, saltem ex intentione virtuali implendi illud, quam virtualem intentionẽ Suarez to. 3. disp. 88. sect. 3. semper dari affirmat in ipso actu, quamdiu illa per contrarium actum non excludatur. Quoties igitur quis non habet hanc voluntatem formalem, nolens implere v. g. præceptum Missæ, vel horarum Canonicarum, cẽsetur habere intentionem virtualem implendi illud per illum.

Et ita hanc sententiam docet etiam Fagundez præcept. 1. li. 2. cap. 7. num. 14. vbi sic asserit. Iuxta doctrinam Suarij, & Sancij respondendum est ad sedandos scrupulos Sacerdotum dubitãtium, an habuerint intentionem requisitam ad consecrandam hostiam; nam iuxta fundamenta Suarij, eo ipso, quod verba cõsecrationis dixerunt, & non habuerunt hunc actum, & hanc intentionem formalem, Nolo consecrare, virtualem habuerunt intentionem consecrandi. Iuxta fundamenta verò Sancij, illi solùm tenentur, & præcipiuntur proferre verba consecrationis attentè, & deuotè, non autem præcipiuntur, vt proferant cum intentione aliqua actuali volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obliganti ad consecrandam, & ideò irrationabiliter scrupulis excruciantur. Ita ille.

Vnde ex his patet, sufficere tantùm audire Missam, & recitare officium, non autem necesse est habere intẽtionem implendi huiusmodi pręcepta, & dum quis nõ habet intentionem expressam non adimplendi præceptum, habet virtualem implendi. Repellantur igitur anxietates à scrupulosis, qui Domini iugum suaue, durum, & difficile reddunt. Immò ego puto, vt alibi etiã notauimus, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium, cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitationis officij, & audiendi Missam, nec opus esse mutare animum in tempore habili, & applicare pro adimplendo præcepto Missam illam auditam, & officium recitatum. Ita contra Arragonium in 2. 2. quæst. 83. artic. 13. Lessium lib. 2. cap. 37. dub. num. 59. Suarez in 3. pat. tom. 3. disp. 88. sect. 3. Azorium tom. 1. lib. 7. cap. 2. q. 6. & alios docent Sanchez, Valentia, & Vasquez quos citat, & sequitur Fagundez in præcept. 1. libro 2. c. 87. num. 14.

An qui accedit ad audiendum sacrum dum Præfatio dicitur, & non sit aliud, teneatur illud audire.

RESOL. LXIX.

Affirmatiuè respondeo cum Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 88. sect. 2. & Sanchez in summa, tom. 1. libr. 1. cap. 19. num. 6. quia ea, quę à consecratione vsque ad consumptionem continentur sunt maximè necessaria, & per se primò in præcepto audiendi Missam, nam in ipsis sacrificij substantia consistit, & sic aliqui censent non assistentem consecrationi peccare mortaliter licèt totam Missam audiat.

Sed contrariam sententiam docèt Sancius in selectis, disput. 13. numer. 5. vbi sic asserit. Probabile iudico accedentem ad audiendum sacrum tempore quo Præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minimè teneri reliquis illius Musæ interesse, quamuis oppositum doceant aliqui. Et à fortiori, qui tantum posset vsque ad consecrationis tempus interesse, non censeretur adstrictus vsque ad illud assistere, cum in illa parte præceptũ de audiendo sacro nequeat impleri, quoad substantiam, quod vtrumque constat, etiam timoratorum. Ita Sancius.

An pueri, tempore quo sunt capaces recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Sacramentum Eucharistiæ.

RESOL. LXX.

Negatiuè respondent Vasquez in 3. p. tomo 3. disp. 214. c. 4. n. 38. Henriquez lib. 8. c. 5. Fagundez precep. 3. lib. 1. c. 5. n. 20. & 21. Comitolus in respons. libr. 1. q. 17. Suarez tu. 4. disp. 36. sect. 2. Nauar in Manual. cap. 21. n. 5. Azorius to. 1. lib. 7. capite 41. quæst. 10. Toletus lib. 6. cap. 15. nu. 3. Coninch. de Sacrament. quæstio. 80. artic. 12. dub. 4. num. 102. Fillucius tomo 1. tractat. 4. cap. 7. num. 192. Salas de legibus, disput. 14. sect. 13. num. 127. Martinus Funes in speculo morali. part. 3. cap. 2. num. 8 Tannerus in 3. parte Diui Thomæ, disput. 5. q. 8. dub. 5. nu. 11. Zambranus de cas. tempore mortis c. 3. dub. 2. num. 7. Villalobos in sum. tomo 1. tract. 7. diffic. 42. num. 6. & alij communiter asserentes, prius aduenire pueris tempus obligationis præcepti confessionis, quam communionis; nam minor rationis vsus, & discretio requiritur ad confitendum, quam ad communicandum. Et Conradus in respons. parte 1. quæst. 54. in fine, docet, quod pueri non obligantur ad communionem vsque ad duodecimum annum.

Sed his non obstantibus, nouissimè Ioannes Sancius, vir quidem doctus in selectis. disput. 26. per totam, mordicus contendit, & probat absolutè pueris ministrandam Eucharistiam, postquam ad annos discretionis peruenerint, neque distinguendum esse inter tempora confessionis, & communionis, nam vtriusque rei præceptum imponitur sine vlla distinctione in ca. omnis vtriusque sexus de pœn. Nec minor discursus requiritur ad præceptum confessionis, quam communionis; imò si rectè perpendantur præcepta, maior ad confession. quam communion. quæ omnia per partes, & accuratè probat, & pro hac sententia adducit Tabienam ver. communicare, num. 3. D. Antoninum 3. parte tit. 9. cap. 8. §. 2. & par. 3. tit. 14. cap. 12. §. 5. & Paludanum, qui in rebus moralibus est instar omnium, in 4. sen. d. 12. quæst. 1. nu. 25. vbi sic asserit. Et dicitur annus discretionis, nõ pubertatis, qui sunt anni nubiles in fœmina 12. & 14. in masculis, sed postquam est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de cõfessione, & per cõsequens de communione, quæ simul dantur, quia ex quo potest peccare, debet remedium cõfessionis, & communionis adhibere. Ita Paludanus, & D. Antoninus.

Ex quibus omnibus infert, secundùm se loquendo, peccare parentes puerorum, & Confessarios non sinentes illos communicare statim ac peccare norunt, cum causa sint transgressionis præcepti. Excusantur tamen à peccato, quia sequuntur opinionem contrariam, quam supra retulimus. Notat tamẽ dictus Sãcius, quod etiam stando in sua opinione, pueri non communicantes in Paschate, nec excommunicatione, nec pœnis Canonicis ligãtur vsque ad annum decimumquartum, & probat hoc ex multis Authoribus. Et hæc omnia Sancius multum conducentia ad tollendos scrupulos Confessariorum, si dedissent, vel dare vellẽt pueris communionem, in quo casu multos anxios, & indeterminatos cognoui, sed secundùm Sancium à perplexitate liberi erunt; nam statim ac notum erit eis puerum vsum rationis habere, poterunt illi sacram communionem exhibere.

Verùm primam opinionem ego teneo, quam etiam ex Neotericis tenet Iac. Granado in par. 2. contr. 7. tract. 3. par. 1. disp. 6. num. 37. vbi docet præceptum annuæ communionis non obligare ante decennium, quia Doctores ita intellexerunt hoc præceptum. Sed his non obstantibus puto opinionem Sancij esse probabilem, quam nouissimè tenet etiam doctus Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 24. §. 2. nu. 7. lege illum, & non pigebit.

Vtrùm sit licitum coniugatis die habita copula Eucharistiam sumere, vel sit minus, vel magis expediens.

RESOL. LXXI.

Esse coniugibus consulendum post habitam copulam nocte saltem antecedente non recipere Eucharistiam docent

cent

tent 10. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matrimon. tomo 1. libro 9. disputat. 13. num. 4. & 5. quibus ego addo Salazar, insignem Theologum Societatis in tract. de frequent. commun. capit. 9. §. 1. & sequent. & non pauci asserunt esse peccatum veniale accedere ad Eucharistiam suscipiendam ipso die habitæ copulæ.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Sācius *in suis* selectis, disput 23. per totam, vbi ait primò, etsi consulendum sit coniugatis à copula abstinere, vt Eucharistiam suscipiant, dato tamen quod à copula non abstineant, non est illis consulendum, quod non communicent, sed potius è contra, quia ex communione maxima bona nanciscuntur. Et hoc procedit, etiam si coniuges copulam habuissent causa voluptatis, nō enim sunt dissuadēdi à communione, quamuis melius egissent si à copula abstinuissent, nec ex hoc datur illis occasio à copula non abstinendi, nam semper cōsulendum est ab illa abstinere ob reuerentiam Sacramenti. Secundò docet, quod habenti pollutionem nocturnam, non est consulendum abstinere ab Eucharistia suscipienda, præsertim si causa nō fuisset voluntaria: imò etiam si fuisset voluntaria, vel fornicationem aliquis noctu commisisset, & ab ea cōfiteretur vero dolore sui criminis pœnitendo, consultius aget communicando, quam non; cum ex communione gratiæ Sacramentalis, auxilia ad præcauenda peccata, remissionem venialium, & alia nobis occulta bona comparet ille, ex abstinentia verò solùm meritum reuerentiæ. Tertiò infert Sancius inualidum esse votum de non communicando die habitæ copulæ, quia est de minori bono. Quartò sanum consilium esse distractionem mentis expellere curare ad deuotius Sacram Eucharistiam suscipiēdam, at supposito quod quis nolit curare distractionem expellere, non est sanum consilium non communicare, quia tunc gratia sacramentali, & alijs fructibus priuaretur, & aliàs distractiones perseuerarent, & quia cum illa communicare nō est peccatum, nec veniale irreligiositatis. Ex his omnibus apparet, quod siue coniuges petierint, siue reddiderint debitum, consultius agent communicando, quam abstinendo, supposito, quod à copula non se retraxerunt, quamuis melius egissent si à copula abstinuissent in ordine ad suscipiendam Eucharistiam. Et hæc omnia asserit Sācius vbi supra, sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorū, ego enim primam sententiam sequor.

An contemptus formalis in re leui sit solùm peccatum veniale.

RESOL. LXXII.

Sententiam negatiuam docet Suarez de legibus li. 3. cap. 28. num. 24. & alij, quia esse rem leuem, quæ tibi imperata est, non obstat, quo minus tibi imperetur ex eadem potestate, qua imperantur res grauis: ergo si ex cōtemptu huius potestatis præceptum leue violas, ita grauiter peccas ac si violares præceptū graue. Dicendum est igitur, quod contemptus legislatoris humani, quatenus legislator est, seu violatio cuiuscunque legis præcepti, & consilij ipsius ex tali contemptu semper reputatur peccatum mortale est, non solùm in graui materia, sed etiam in leui.

At his non obstantibus ego contrariam sententiam teneo, quam etiam tenet Caietanus in summa, ver. cōtemptus verbo aduerte hunc. Armilla eodem ver. num. 3. Medina in pr. qu. 88. art. 4. in fine. Valentia to. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. in 1. casu, & to. 3. disp. 7. q. 3. punct. 3. consentit Leonardus Lessius libro 2. cap. 46. dub. 6. num. 45. & 46. loquens expressè non solùm de legislatore humano, sed etiam diuino, & affirmans, si nolis illis parere in rebus minimis, vt ostēdas eorum minima præcepta te parui facere, nō esse mortale, quod de legislatore diuino negat, & optimè Sanchez in summ. to. 1. lib. 5. cap. 5. nu. 11. & 13. in fine Ratio verò nostræ opinionis est, quia potes contemnere legislatorem, eiusque præcepta non absolutè, sed quatenus sunt in materia leui, v. g. in silentio seruando; ergo tunc contemptus non videtur grauis, sed leuis. Dicēdum est igitur dari posse peccatum veniale contemptus, sicut & inobedientiæ formalis, si præceptum superioris contemnas non absolutè, sed quantum est in materia leui.

Hinc à fortiori colligitur, si superior contemnatur, non quatenus superior est, sed quatenus est infimæ sortis, indoctus, imprudens, & ex huiusmodi contemptu nolis ei obedire in re leui, non erit peccatum mortale, quia tunc non contemnitur formaliter eius potestas, sed eius persona ob defectus, quos habet. Item si ex indignatione leui, & prauo aliquo affectu erga superiorem; nolis ei obedire in re leui, non est mortalis talis inobedientia. Ita Lessius nu. 46. Sanchez nu. 13. vide etiam Sancium in selectis, disp. 7. nu. 13.

An delectatio coniugis cum fœmina aliena habeat non solùm malitiam contra castitatem, sed etiam contra iustitiam.

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè respondēt communiter. Vide Bonacinam de matrim. q. 4. punct. 8. nu. 19. Et ratio est, quia coniux per matrimonium non solùm corpus, sed etiam affectus alteri cōiugi obligauit. Ergo si in alteram fœminam a sua coniuge inclinat, iniuriam illi irrogat.

Sed hæc ratio non caret difficultate, vt docet Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 10. §. 4 num. 4. supposita eius sententia affirmante delectationem non accipere militiam omnem obiecti, sed quatenus ab intellectu voluntati repræsentatur. Cum autem à circumstantia coniugis possit intellectus præscindere, & se ipsum quasi solutum considerare, nō videtur circumstātiam coniugij posse malitiam tali delectationi tribuere. Quod autem per coniugium non se coniuges obligauerint ab his delectationibus abstinere, sicuti obligant vouentes castitatem, inde probatur, quia hæ delectationes sunt per se incognitæ alteri coniugi. Ergo nō potest ratione illarum iniuria pati, neque ob illas priuari copula sibi debita. Ergo non sunt contra iustitiam, sed solùm contra temperantiam, quod dubitando dictum sit. Hæc omnia Castrus, sed tu ne discedas à prima sententia affirmatiua.

Verùm, vt alibi docuimus, & nunc iterùm doceo cum dicto Castro Palao vbi supra, tract. 2. disput. 2. punct. 10. § 2. num. 17. licitum est coniugibus delectari de copula maritali habita, vel habenda, ac si præsens esset, modo absit periculum pollutionis, quia hæc delectatio coniugibus est licita, eo quod principium, & dispositio sit copulæ coniugalis, quæ illis licita est, neque redditur mortalis, etiam si inde consurgat membri pudendi alterario, & cōmotio absque pollutionis periculo, quia hæc omnia ad copulam maritalem de se ordinantur, si tamen propter eorum delectationem appetantur, erit culpa venialis quia, extrahitur à suo fine. Quod verò Salas affirmat in parte 2 tractat. 13. disput. 6. sect. 30. num. 205. mortale esse, si coniuges delectentur de copula maritali imaginaria, & ficta, non probatur, quia parum refert copulam esse fictam, vel veram, si delectatio absolutè illis prohibita nō est, & non fertur ad obiectum formaliter malū. Ita Castrus loco citato, cui adde Coninch. de Sacramēt. disput. 34. dub. 11. nu. 113. Vasquez in p. 2. disp. 113. c. 2. Layman, Sāchez, & alios, quos supra in duobus locis aduersus quendam Theologastrum citaui.

Nota tamē non esse licitum coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitimè habita, vel habenda, quia licèt obiectum bonum sit, at delectatio bona non est, quia aduersatur voto castitatis, quod prohibet omnem delectationem sensibilem veneream. Ita Basilius Pontius de matrimon. lib. 10. cap. 16. §. 2 num. 12. Sanchez, Vasquez, & alij, quæ opinio procedit aduersus aliquos penes Coninch de Sacrament. vbi supra num. 109. etiam si coniux emiserit votum castitatis absque consensu alterius cōiugis, ratione cuius non de obligatur à debiti redditione. Ita Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 106. Vasquez disput. 115. cap. 2. & alij.

An verba imperatiui modi præceptum contineant.

RESOL. LXXIV.

Prima opinio negat supradicta verba imperatiua, vt v. gr. facite, cauete, soluite; abstineant omnes, nemo audeat &cet. præceptum continere. Ita Castrus de lege pœn. lib. 1. cap. 5. docum~. 4. Caietanus in 2. 2. q. 166. arti. 4. circa solut ad 2. Carbo de legibus, lib. 7. disp. 4. ad finem, & alij.

Secunda opinio putat dicta verba solùm importare obligationem sub veniali, non autem sub mortali. Ita Nauarrus in Man.

Man.c.13.n.49. Emanuel Sà, ver. lex, n.6. Saytus in Claui Regia, lib.3.c.7.num.16.& alij.

Tertia opinio docet, standum in hac parte consuetudini Religionis, quod si de hac consuetudine non cõstat, attendendam esse materiæ grauitatem, & necessitatem, quæ si magna sit, & grauiter à legislatore fuerit ponderata, illa verba cẽsenda sunt præceptiua, vt ferè semper accipienda sunt in Decretis Pontificum, & Conciliorum, vt patet in Concil. Trid. sess. 13. ca. 5. & 7. vbi per verba imperatiua imponitur præceptum Sacerdotibus confitendi quam primum si celebrauerint, non præmissa cõfessione, ob inopiam Confessoris. Item in Decreto Clem. VIII. de casuum reseruatione latum est præceptũ per verba imperatiua, ne Superiores pro tempore existentes vtantur scientia confessionis ad extremam gubernationem. Ita Sanchez in sum. to. 2. lib.6.c.4.n.39. Vasquez in p.2.disp.158.c.2.nu.24.& alij.

Notandum est tamen hic obiter Azorium to.1.lib.5.c.6.q.5. & Sà, ver. lex n.6. docere verbum Iubeo, vel Mãdo præceptum graue nõ importare; sed contrarium tenet Vasquez loco cit. c.3.nu.22. Sanchez nu.33. vt alibi notauimus. Verùm de verbo, oportet, certum est, honestatem, & conuenientiam, non autem præceptum importare.

Notandum est etiam, quoties verba legis intelligi possunt de obligatione veniali, non debent ad mortale extendi, quia semper in pœnis benignior interpretatio facienda est, vt patet in lege Interpretatione, & leg. si Præses, ff de pœnis, & notat Saytus in Claui Regia, lib.3.c.7.nu.29.& alij.

Qui in quadam platea ciuitatis audiuit quoddam Bannum, seu edictum, quæritur an teneatur illud obseruare, antequam publicetur in alijs plateis, & in tota ciuitate diffundatur.

RESOL. LXXV.

Hic casus frequenter solet accidere, & de illo olim interrogatus fui, & respondi negatiuè, & ita inuenio nouissimè respondere Castrum Palaum in opere morali, tomo 1. tra. 3. disput. 1. punct. 11. num. 7. vbi sic ait. Promulgatur Matriti aliqua lex pro toto Castellæ Regno, eius publicatio, quæ in foro fit, non potest simul & eadem hora per totum Regnum diffundi, imò neque per totam ciuitatem diffundi possit, neminem illius ciuitatis arctat, etiamsi publicationi præsens extiterit. Probo, quia lex prius arctat communitatem, quam singulos illius; singuli enim communitatis in tantum arctantur lege, in quantum partes sunt communitatis lege obligatæ; hæc enim est vna ex differentijs legis à præcepto, quod præceptum respicit singulos, quia in bonum ipsorum ordinatū est; lex vero communitatem, quia in ipsius bonum primò, & per se ordinata est. Sed ad maioris partis ciuitatis notitiam non potuit lex deuenire in eodem puncto, & momento, quo in foro publicatur. Ergo singuli illius ciuitatis non arctantur, quousque tota ciuitas arctetur. Ita ille, & ego, vide etiam Suarez de legibus, lib.3.cap. 17. à num.5. vbi num.14. rectè etiam asserit, quod si legis publicatio in notitiam absentis deueniat miraculosè, cum tamen humano modo venire fuerit impossibilis, nullo modo obligare ad illius obseruationem, quia respectu illius lex non est publicata, licèt contrarium asserat Salas de legibus disput.12. sect. 9. num. 54.

An excommunicatio ferenda obliget ad peccatum mortale.

RESOL. LXXVI.

Alibi pro parte negatiua adduxi Valentiam tom.2. dispu.7. q.5. punct.7. cui nunc addo Sotum lect.3. de excommunicatione, §. primò igitur. Driedonem lib.2. de libertate Christiana, c.1. paulo ante 3. propositionẽ, quos citat, & sequitur ex Societate Iesu Castrus Palaus in opere morali, tom.1. tra.3. disp.1. punct.15. num.3. vbi ita asserit. Si excommunicatio ferenda est, tunc plures Doctores affirmãt esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio sine vlla alia monitione, & contumacia posset inferri, censeo certissimum. At quia existimo, cum censura annexa nõ est peccato indigere semper alia monitione, vt imponatur, ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis. Ita Castrus.

Sed tu ne recedas à sententia existimante excommunicationem ferendam, esse signum mortalis obligationis, quam sententiam Sanchez in sum. to. 2. lib.6.c.4. nu.51. & seq. temperat, nisi ad terrorem excommunicatio exposita sit, & non animo statim illam sine vlla monitione inferendi, & ita passim fieri à iudicibus Ecclesiasticis credit, quæ omnia multum plausibilia erunt Confessarijs ad multos scrupulos tollendos.

Nota verò, quod suspensio, interdictum, & irregularitas pœnalis, si absolute non proferantur, sed ferendæ sint, non sunt signum obligationis sub mortali. Et ita tenet Castrus Palaus vbi supra, qui citat Salas de legibus, disp.10. sect.9. nu.54. & 62. Vasquez, Suarez, Sanchez, Azorium, & alios, licèt Nauarr. contrarium doceat in Man. cap.23. nu.53. eo quod suspensio, interdictum, & irregularitas imponantur aliquando extra culpam.

An qui audit Missam animo non satisfaciendi voto, vel iuramento, satisfaciat voto, vbi plura de intentione satisfaciendi præcepto.

RESOL. LXXVII.

Negatiuè respondet Suarez de Religio. tomo 2. libro 4. de horis Canonicis, cap.26. numero 8. vbi probat, quod si audias Missam voluntate non satisfaciendi voto, ad quod teneris, sed intendas aliam Missam audire vt voto satisfacias, tacitè te prorogare votum, vel nouum votum facere, quia cum obligatio voti à te dependeat, potes pro libito illam tibi de nouo imponere.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Sanchez in summa, to.1. lib.1.c.13 n.18. Dico igitur te integrè satisfacere voto, licèt habeas intentionẽ alia Missa satisfaciendi, quia verè præstas illud, quod vouisti; neque cum illam voluntatem habeas minimè satisfaciendi voto per illam Missam, intendis de nouo vouere, etsi possis, sed solùm intẽdis priori voto per aliam Missam à te audiendam satisfacere. Ergo, si iam satisfecisti, nihil restat tibi satisfaciendum.

Notandum est tamen hic obiter, necessarium nõ esse habere voluntatem expressam satisfaciendi præcepto, nam si ex ignorantia præcepti rem præceptam exequaris, præcepto satisfacis, taliter quod deobligatus remaneas ad aliud faciendum. Ita Vasquez in par. 2. quæst.100. ar.9. num.4. Valentia to.3. disp.4. q.2. punct. vlt. Henriquez lib.9 cap.25. num.6. Suarez in 3. part. to. 3. disp.88 sect.3. Azorius tom.1. lib.7.c.2. quæst.6.& alij. Imo aliqui plus addunt, non solùm si ignarus præcepti rem præceptam exequaris, sed animo expresso non satisfaciendi præcepto per talem rem, adhuc tamen satisfaceres præcepto. Ita ego alibi, & Lessius lib.2.cap.37. dub.10. num.59. Valentia, Vasquez, & alij vbi supra.

Hinc infertur contra Sanchez in summ. to.1. lib.1. cap.13. nu.3. & Bonacinam disp.1. q.1. punct.10. n.4. accedentem ad Ecclesiam animo meditãdi res diuinas, si sacerdos interim adeat ad Altare ad celebrandam Missam, satisfacere præcepto audiendi Missam, licèt cum primum accessit ad Ecclesiam, non habuerit animum audiendi sacrum. Ita Castrus Palaus to.1. tract.3. disp. 2. punct.17. num 7.

Verùm supradicta non procedunt in obligationibus iustitiæ, in quibus sine cognitione obligationis exequi rem præceptam non potes, quia res præcepta est solutio, nõ donatio, solutio autem necessario inuoluit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac proindè debitum non extinguit, quæ sententia limitatur, quando in genere voluisti, vt si casu aliquam obligationem habeas restituendi, eleemosynæ à te faciendæ loco illius subrogentur, nam tunc illæ eleemosynæ non propriè eleemosynæ, & donationes liberales sunt, sed solutiones debiti, cum ex voluntate satisfaciendi debito procedant, quod est valdè notandum. Vide Sanchez in summa, tom.1. lib.1.c.15. num.11.& alios.

An delinquentes extra territorium possint ligari lege, & statuto.

RESOL. LXXVIII.

Negatiuam sententiam alibi docui, & communiter docent Doctores ex cap. vt animarum, de constit. in 6. verùm ingra-

gratiam curiosorum non desinam hic apponere sententiam affirmatiuam Ferdinandi de Castro Palao in opere morali, tom 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5. num. 21. vbi ex pluribus rationibus probat esse satis probabile, posse ligari lege, et statuto delinquentes in alieno territorio, atque adeo posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohiberi subditis, vbicunque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitione dignam; lege illum, & nō pigebit, vide etiam Salas de legibus, disp. 14. sect. 7. num. 90. & Basilium Pontium de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 2. nu. 19. vbi asserit se nullam differentiam inuenire in excommunicatione lata per sententiam, vel per modum statuti, sed delinquentes extra territorium per sententiam, & generale præceptum subduntur, verbi gratia, excommunicationibus, vt tradit Suarez in 3. part. to. 5. disp. 5. sect. 5. Bonacina de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. & alij communiter. Ergo subduntur etiam per legem, & statutum, cæteras rationes videbis apud Castrum loco citato.

Notandum est tamen hic obiter, te non contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in tuo territorio, occideres existentem in alieno, vel si decepisti in territorio virginem, & extraxisti à territorio, & in alieno violasti; quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob eius consummationem, ac cōsummatio est extra territorium; ergo, &c. Ita contra Vgolinum de cen. tab. 1. c. 9 §. 3. in fine, docet Suarez de cens. to. 5. disp. 5. sect. 4. n. 8. & 9. & de legibus li. 3. c. 32. n. 5. & 6. Salas de legibus, disp. 14. sect. 5. nu. 71. & alij.

An pœnas exilij, carceris diuturni, &c. teneatur quis exequi.

RESOL. LXXIX.

QVoad pœnam verberationis exilij, carceris diuturni, communis sententia docet reum teneri pœnam exequi, si ad exequutionem, condemnetur sententia vltima, quam appellatione, vel alio re medio iuris non potest infirmare. Ita D. Thomas in 2. 2. quæst. 62. art. 3. Tiraquellus in lege vnquam, C. de reuocandis donat. ver. reuertatur, num. 291. Salas de legibus, disp. 15. sect. 2. nu. 32. Sayrus in Claui Regia, lib. 5. c. 9. nu. 4. Azorius to. 1. lib. 5. c. 8. q. 6. & alij.

Verùm Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 4. numer. 5. censet hanc sententiam communem temperandam esse; quare si carcer sit durus, & tristis non videris obligatus ibi persistere, & à fortiori si ibi male tracteris, & idem censet si condemneris ad exilium terræ insalubris, & longo tempore ad triremes, & ad quamlibet aliā actionem de se nimis molestam, præcepta enim humana, humana debēt esse, at inhumanum videtur si obligeris, vt in pœnis adeò molestis ipse sis minister iudicis contra te ipsum; ergo dicendum est te non posse ad hoc obligari. Adde quod his omnibus condemnatis præcipitur obedire sententiæ sub comminatione grauioris pœnæ; ergo signum est solo timore pœnæ velle iudicem te astringere, vt obtemperes; quare si in aliquo casu lex pœnalis censenda est ad solam pœnam obligare, hic debet esse, cū præcipiatur res difficilis, & ardua. Ita Castrus vbi supra, vide etiam Lessium li. 2. c. 31. dub. 5. nu. 39. Salas de legibus, disp. 15. sect. 7. n. 88. Suarez de legibus, lib. 5. c. 10. nu. 16.

Notādum est hic obiter contra Bonacinam disput. 2. de rest. quæst. vlt. punct. 5. nu. 3. Arragonium in 2. 2. q. 69. ar. 4. Emanuelē Sà, verb. iudicialis actus, nu. 54. & alios non posse reum obligari sumere venenum, vel abstinere à cibo. Ita Vasquez in p. 2. disp. 173. c. 3. Salas loco cit. n. 82. & 85. Suarez n. 14. Lessius li. 2. cap. 9. dub. 6. n. 26. & alij. Tenetur tamē reus condemnatus, ad locum destinatū proficisci, collū præparare, manus apponere, & alias actiones efficere, quæ ab alio ministro iustitiæ commodè fieri non possunt, sed non tenetur ipse sibi mortem inferre. Ita DD. citati, quibus adde Sotum de iust. lib. 1. q. 3. art. 6. concl. 2.

An oua, & lacticinia sint prohibita in ieiunio Quadragesimali de iure positiuo sub peccato mortali.

RESOL. LXXX.

NEgatiuè respondet Fagundez in præcep. 4. Ecclesiæ, libr. 1. cap. 2. num. 12. asserit enim quod ex vi iuris communis, &

seclusa quacunque consuetudine alicuius loci, aut prouinciæ non esset plusquam veniale oua, & lacticinia edere in ieiunio Quadragesimæ. Idem docet Palatius in Annotat. ad summam Caietani, ver. ieiunium. Dominicus in cap. denique in compendio, & num. 5. cum alijs. Et hanc opinionem probabilē esse putant Doctores Academiæ Conimbricensis, Eborensis, Salmanticensis, & Complurensis, quos nominatim nouissimè citat Fagundez in sua Apologia, c. 3. qui rationes multas etiam adducit ad probabilitatem huius opinionis firmandam.

Verùm ego contrariam sententiam teneo, quam tuentur Sāchez in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 53. Sancius in selectis disp. 51. num. 27. Toletus lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3. Nauarrus cap. 21. nu. 22. Rodriquez in explic. Bullæ, §. 6. num. 2. Azorius tom. 1. lib. 7. c. 10. q. 1. Henriquez lib. 7. c. 13. nu. 8. Beia in Respons. parte 1. cas. 47. Lopez in instruct. parte. 2. cap. 212. Bonacina to. 2. disp. vlt. q. 1. punct. 2. nu. 2. Villalobos to. 2. tr. 23. diffic. 8. nu. 1. & alij. Et ratio est, quia ita communiter exponunt DD. textum ca. denique dist. 4.

Quoad cōsuetudinem verò displicet mihi id quod asserit Pater Fagundez vbi supra, num. 11. difficillimum esse scire, vbi illa obliget ad nō comedenda oua, & lacticinia in diebus Quadragesimæ, nam vt asserit Suarez de legibus, lib. 7. cap. 15. numero 13. & Ferdinandus de Castro Palao in opere morali, tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 3. nu. 13. ex tribus coniecturis deduci potest consuetudinem obligare. Prima, si consuetudo sit grauis, difficilis, & communiter seruata à populo, quia nō solet populus vniformiter conuenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. Secunda, si viri timorati malè sentiant de his qui non seruant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur. Tertia, si Prælati, & Superiores puniant violantes consuetudinem. Sed omnes hæ coniecturæ adsunt lere in omnibus mundi partibus, circa consuetudinem nō comedendi oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ ergo clarè, & facillimè apparet dictam consuetudinem abstinendi ab ouis, & lacticinijs in dicto tempore obligare sub peccato mortali: vnde pro praxi certum est comedentes oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ peccare mortaliter, si nō ex iure positiuo, vt ego teneo, saltem ex consuetudine.

Notandum est etiam hic obiter primò, Confessarios non debere scrupulos iniicere pœnitentibus, comedentibus tempore Quadragesimæ, cum Bullæ Cruciatæ, oua quæ intra gallinas inueniuntur, vulgò dicta oui annunnati, quia sunt eiusdem speciei, & generantur ex eadem materia, qua generantur oua perfecta, quæ pariunt gallinas, ergo si licitum est hæc comedere, licitum erit, & illa.

Notandum secundò contra Grassium in decis. tomo 1. libr. 2. cap. 36. nu. 10. Alexandrum in cap. denique, dist. 4. num. 16. Dominicum in cap. Rogationes, de consecr. distin. 3. Astensem p. 2. tit. 28. ar. 3. q. 5. Richardum in 4. dist. 15. ar. 3. quæst. 5. Tabienam. ver. ieiunium, nu. 3. & alios, oua, & lacticinia non esse prohibita in ieiunijs extra Quadragesimam, & in diebus Veneris, & Sabbathi de iur. communi. Et ita docent D. Th. in 2. 2. quæst. 147. ar. 8. ad 3. Lessius lib. 4. c. 1. dub. 2. n. 8. Azorius to. 1. lib. 7. c. 10. q. 1. Paludanus in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. Sancius in selectis, disp. 51. nu. 18. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. c. 11. nu. 52. Sà, ver. ieiunium, num. 8. Villalobos in sum. to. 2. tract. 23. diffic. 2. nu. 7. Vasquez in p. 2. to. 1. disp. 177. c. 6. nu. 54. & alij.

Notandum tertiò contra Lamas in 3. par. Methodi, c. 5. §. 26. in fine, Antonium Gomez in explic. Bullæ Cruciatæ, clausula 7. num. 7. & alios, oua, & lacticinia comedere in diebus Dominicis Quadragesimæ esse peccatum mortale. Ita Henriquez lib. 7. c. 13. num. 10. Vegha in summa, tom. 1. c. 14. cas. 26. Villalobos in sum. to. 2. tr. 23. diffic. 8. nu. 1. Sanchez in summa, to. 1. lib. 4. c. 11. num. 53. Sancius in selectis, disp. 55. nu. 25. Rodriquez in explic. Bullæ Cruciatæ, §. 6. num. 8. & alij.

Ad quid teneatur, si quis corruperit Virginem, decipiendo illam sub promissione coniugij.

RESOL. LXXXI.

HIc casus frequenter solet accidere, & respondeo, quod si promisit coniugium, & ea spe, & conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiam si fictè promisisset, in multis tamen casibus non tenetur ducere. Primò non solùm

Ss 4 si ipse

si ipse longè sit nobilior, sed etiam si sit multò longè opulentior, & puella id sciuerit, & secundùm aliquos etiamsi non sciuerit. Nam in his casibus facilè suspicari potest, virum simulatè coniugium promittere, vt ea fruatur. Secundò, si ex alijs coniecturis facilè deprehēdi poterat ipsum non sincerè agere, vt verbis ambiguis vti, incōstanter loqui, nimis vti exagerationibus, &c. Tertiò, si aliquod impedimentum legiti, num interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si graue aliquod damnum, vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur. Quartò, si illam contingat posteà cum alio fornicari, & in hoc casu non tenetur illi alter satisfacere. Quintò, si asserenti se virginem promisit nuptias vt ea potiretur, & posteà deprehendat non esse virginem. Sextò, si putabat esse virginem, & in coitu deprehendat retteta non fuisse, quamuis ex eius verbis deceptus non fuerit, & in hoc casu non solùm nō tenetur ducere, sed etiam probabilissimum est, quod neque tenebitur pecunias compensare, quia ex vi promissionis solùm obligatur ad eam ducendam, quæ obligatio cessat ex eo, quod deprehendat non esse virginem; si verò sciebat non esse virginem, & promisit ei matrimonium fictè ad obtinendam copulam, ea secuta tenebitur illam ducere si ipsa velit, mihi verò placet contraria sententia, si non timetur infamia, quare sufficiet compensare pecunia. Et hæc omnia cum suis rationibus inuenies apud Sanchez de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 10. & Lessium lib. 2. cap. 10. dub. 3. per totam.

Quando casus dubius egeat dispensatione, & an Episcopus possit dispensare in lege Pontificia, quando dubium est, an casus egeat dispensatione.

RESOL. LXXXII.

HIc casus frequenter potest accidere, & quidem si dubium sit positiuum, non excludens probabilitatem, potest dispēsandus absque dispensatione operari, nam sequitur opinionem probabilem. Ita Barbosa de potest. Episc. par. 2. alleg. 35. num. 18. difficultas verò est, quādo dubium est negatiuum, & iudicium, affirmare quis nō potest dispensationem superuacaneam esse, & quidem in hoc casu Bonacina de legibus, disp. 1. q. 1. punct. 1. nu. 18. putat dispensationem petendam esse à Pontifice.

Sed Castrus Palaus in opere morali, to. 1. tr. 3. disp. 6. pūct. 5. n. 10. existimat, quod si æquè dubium sit, an casus indigeat, vel nō indigeat dispensatione, reputandum esse non indigere, quia tūc est præsumptio pro libertate, si verò inclines te dispensatione indigere, adhuc existimat te reputari posse non indigere illas, quia nō debes censeri aliquo præcepto, seù lege obligatus, si de lege moraliter certò non constet. Sed dato, & concesso, quod in tali dubio, necessaria sit ad rectè operandum, dispēsatio Episcopalis sufficit, quia Pōtifici non videtur reseruatus casus dubius, & potestas dispensandi latè est interpretanda. Ita Barbosa vbi supra, n. 19. Emanuel Sà, ver. dispensatio, n. 1. & hāc sententiam probabilem esse docet Salas de legibus, disp. 20. sect. 3. nu. 28. & loquens de voto reseruato docet Suarez de Relig. to. 2. libr. 6. c. 26. nu. 6. & Sanchez in summa, to. 1 lib. 4. c. 40. nu. 26.

Notādum est hic obiter, vt supra etiam cursim adnotauimus aliquos docere, Prælatum inferiorem posse dispensare in legibus Superioris, si ei interdictum non est. Ita D. Antoninus p. 1. tit. 17. §. 20. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. §. at quo tandem. Couarruuias in c. Alma mater, p. 1. §. 7. nu. 8. & alij. Et hanc sententiam probabilem esse putat Bonacina de legib. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 27. & alij, & faciunt pro hac sententia Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 61. n. 3. & DD. quos citat Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 33. nu. 17. asserentes Episcopum in sua Diœcesi posse quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi à Pontifice prohibeatur.

Verùm ego contrariæ sententiæ tāquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Guttierrez in qq. can. lib. 1. cap. 5. num. 10. Suarez de legibus lib. 6. cap. 14. num. 4. Basilius Pontius de matrim. libro 8. cap. 6. num. 1. Salas de legibus, disp. 20. sect. 3. nu. 20. Barbosa, & Bonacina vbi supra, & colligitur ex c. cum inferior. de maior. & obed. & ex Clemen. Ne Romani, de elect. vbi cauetur inferiorem non posse superioris iura mutare. Adde quod plures sūt irregularitates, & inhabilitates à iure statutæ, in quibus nequeunt Episcopi ex proprio munere dispensare, etiamsi non inueniantur prohibitæ.

An sit licitum contrahere matrimonium cum impedimento dirimente ex timore mortis, vel alterius grauis damni, & quid de multis alijs casibus.

RESOL. LXXXIII.

REspondeo affirmatiuè, quia Ecclesia non obligat cum tanto rigore, & in tali casu matrimonium esset nullum. & ita tenet Suarez de legibus, lib. 3. cap. 30. num. 13. Vnde ex his obiter colligitur. Primò cum Sanchez in summa tomo 1. lib. 1. c. 19. num. 8. ex timore mortis posse aliquem excommunicare absque potestate, licèt Suarez de cens. disp. 6. sect. 3. num. 8. contrarium asserat. Secundò, cum vitæ discrimine quis non tenetur Eucharistiā, vel Baptismum suscipere, quoties moraliter certus fit de contritione. Ita docet Aragon in 2. 2. quæst. 62. artic. 3. in 1. dub. circa solut. ad 4. Sotus lib. 1. de iust. q. 6. art. 4. & alij, licet contrarium asserat Azorius tomo 1. lib. 1. c. 11. q. 2. Tertiò, ex timore mortis, vel alterius grauis damni potest quis celebrare sine vestibus sacris, & mixtione aquæ: dummodo ad id faciendum non compellatur in contemptum fidei. Ita Becanus tom. 2. tract. 3. c. 6. q. 4. nu. 8. Valentia tom. 3. disp. 7. q. 5. punct. 8. & alij, licèt contrarium nouissimè asserat Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. num. 9.

Notandum est tamen hic obiter, quod Ioannes Sancius in selectis, disput. 35. numero 6. asserit ob timorem mortis, & grauem causam in administrandis sacramētis licitam esse simulationem, & adducit varia exempla. Primò ait, si hæreticus minatetur mortem, si non consecraret omnem panem in foro extantem, poteris vti æquiuocatione, & intentionem non habere consecrandi. Secundò, poterit Confessarius verba absolutionis sine intētione proferre circa indispositum, si alia via malum comminatum vitare non potest. Tertiò, poterit ob solatium scrupulosi anxiè petentis absolutionem, cum tamen indispositus sit, verba sine intentione proferre. Quartò, licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam pro consecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum, quæ sine iactura famæ non potest communionem omittere. Hæc Sancius, quæ audaciam, & temeritatē redolere putauit Castrus Paulus in opere morali, to. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. nu. 8. Verùm Sancius, vti amicissimus, nunquam dixit, vt patet in tota dicta disp. & in nu. 10. licere Sacerdoti in illo casu ministrare hostiam non consecratam pro consecrata; vnde immeritò aduersus illum insurgit doctus Palaus.

Non desunt tamen Doctores asserentes hostiam non consecratam pro consecrata posse ministrari peccatori occulto fictè, & petenti sibi dari propter vitandam infamiam, dummodo proponatur hostia consecrata adoranda, & à tergo post illam non cōsecratam ita vt non videatur, nec adoretur, & hoc efficiatur, vt dictum est, ex consensu peccatoris, ne ex conscientia erronea adoret non consecratam pro consecrata. Et ita hanc sententiam post Aloysium Dorensem, Albertum, Bonauenturam, & alios, tenent Neoterici doctissimi Ludouicus de San Iuan in summa, tom. 1. tract. de Eucharist. quæst. 7. art. 8. dub. 4. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 7. diffic. 38. num. 7. Sed ego contrariæ sententiæ, tanquam probabiliori, adhæreo cum Palao vbi supra, & Doctoribus, quos citat, & sequitur Sancius loco citato, qui, vt diximus, malè à Castro Palao pro affirmatiua sententia citatur. Et ratio est, quia ministrans hostiam non consecratam, velut consecratam, etsi à tergo alterius consecratæ illam ponat, ponit quidem adorandum distinctum indiuiduum hostiæ non consecratæ, & adest periculum manifestum idolatriæ, cum circumstantes possint, si velint, distinctō actu adorationis, adorare quamlibet hostiam, quæ communicantibus porrigitur, nec est in ministris potestate vitare aliorum adorationem hostiæ non consecratæ, quam ipse proponit velut consecratam. Ergo, &c.

An

An optare mortem alicuius, vel de illa gaudere ob hereditatem habendam, sit peccatum mortale.

RESOL. LXXXIV.

NAuarrus in Manuali ca. 15. num. 10. affirmatiuam sententiam docet esse communem, quia charitas obligat præferre vitam proximi diuitijs, & emolumento temporali. At his nõ obstantibus nouissimè Castrus Palaus in opere morali, tract. 6. disp. 4. punct. 1. nu. 11. cum debita moderatione putat, aliquem posse absq. peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci effectu petere, & desiderare, nõ quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentũ inde sequuturũ; quia in tali casu quis *non* gaudet de illa morte, quatenus proximo mala est, sisteodo ibi (hoc enim esset malũ) sed gaudet de illa, quatenus est causa sui emolumenti, & secundùm hanc rationem, bona esse videtur, & appetibilis. Secus verò esset, si quis vellet proximo absolutè, & efficaciter mortem, quia talis voluntas peccaminosa esset, sub quocũque motiuo illam quis haberet. Igitur in isto casu desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono in die sequuturo. Ergo, &c. Ita ille.

Hinc à fortiori infert Azorius tom. 1. lib. 3. cap. 12. qu. 2. & alij licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatẽ, vel inopiam nõ possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere, vel si ob illarũ causam male tractaretur à marito, & Ioann. Sancius in selectis, disp. 2. num. 9. asserit licitum esse optare tibi, vel proximo mortem, ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitã pœnalem à marito inflictam, & aliud huius generis, dummodo desideres, vt à Deo infligendam, non ab homine iniustè, aut à dœmone, vide etiam Emanuelem Sà, ver. charitas, num. 8.

An tristari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit sit peccatum mortale inuidiæ ex genere suo.

RESOL. LXXXV.

AFfirmatiuè respondet Coninch de act. supernat. dispu. 30. dub. 2. num. 20. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 13. punct. 2. Suarez de charitate, disp. 6. sect. 4. num. 4. Regin. in praxi, tom. 2. lib. 7. num. 129. & alij.

Verùm Lorca in 2. 2. D. Thomæ, qu. 36. in addit. ad art. 3. affirmat (attende Lector) inuidiam solùm esse mortal. cũ ita vehementer bono proximi inuides, vt ex illo affectu mouearis ad iniustè remouendum proximi bonũ, secùs si absque hoc periculo inuideas, sicut auaritia. & vanagloria, quæ non sunt peccata mortalia, nisi aliqua circũstantia mortali vestiantur. Et probari potest, quia dolere de bono proximi, quatenus tuum bonum diminuit, nõ est absolutè de bono proximi dolere, sed dolere de illo, quatenus hunc effectũ causet, & licèt non causet media volitione inimicosa, negari tamen nõ potest esse tibi molestum, iniucundum, si quidem tollit opinionem, & honorem singularem antea à te possessum. Ergo talis tristitia, & dolor nõ videtur ordinatus, vt peccatũ mortale constituat. Adde si doleas de bono alterius: quia inde proximus occasionẽ sumit te vexandi, nõ peccas, quia doles præcipuè de tuo incommodo. Ergo idem erit cum doles, quatenus ex se causat tibi incommodum: nam esse causam per se, vel per accidens, parum videtur referre.

At his non obstantibus nõ est recedendum à prima sententia, quam etiam tuetur Villalobos in summa, tom. 2. tra. 40. dific. 20. num. 1.

An quis possit vnico actu pluribus præceptis, & obligationibus satisfacere.

RESOL. LXXXVI.

REspondeo negatiuè si obligationes sunt iustitiæ, nõ enim potes pluribus vnico actu satisfacere; secus autem si sint obligationes diuersarum virtutum quia nõ implicat rem debitã vno titulo, alio diuerso deberi, ex quo infertur, quod si voueas ieiunare in Quadragesima, satisfacis & præcepto Ecclesiæ, & voto. Item si voueas restituere debitũ, dare eleemosynam indigenti; satisfacis vnico actu duplici obligationi sicuti obligatus recitare officium diuinum ratione ordinis sacri, & beneficij, vtrique titulo satisfacit vnica recitatione, vide Sanchez in summa, lib. 1. c. 14. nu. 5.

Sed difficultas est, quando de facto superueniens obligatio cadat super actum debitum, quando verò expostulet alium? In quo casu certa regula definiri non potest, sed ex circumstantijs, omnia colligenda sunt, quia hoc ex intentione, & voluntate legislatoris dependet. Regulariter tamẽ quoties distincta obligatio superuenit, distinctum actum expostulat, & in casu dubio sic est interpretandum, vide Sanchez vbi supra, nu. 6. & Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 37. sect. 6. nu. 5.

Ex quibus infertur primò, quod Confessarius imponens pœnitentiam cẽsendus est ad actus, qui aliàs obligatorij non sunt obligare, nisi contrarium explicet. Ita Sanchez, & Suarez supra, quibus adde Azorium tom. 1. dub. 11. c. 14 q. 1. Sayrum in Claui Regia, lib. 6. cap. 3. num. 22. Henriquez lib. 5. c. 19. nu. 5. & alios. Limita tamen supradictum corollarium in casu quo Confessarius dicat, singulis diebus hoc mense audias sacrũ, & benigna interpretatione censeatur Missa debita ex præcepto diebus festiuis contentus esse. Ita Sanch. loco cit. num. 6.

Secundò infertur, quod vouens dare eleemosynam, non satisfacit voto, restituens debitum. Ita Sanchez ibid.

Tertiò infertur, quem non satisfacere voto, vel pœnitentiæ de dando eleemosynã, si det fratribus, auis, & parentibus indigentibus taliter, vt teneatur illis subuenire. Secùs autem alijs consanguineis indigentibus, quia non tenetur illis subuenire, vel alimenta præbere. Ita Sanchez, & Surdus de alimen. tit. 7. q. 37. à n. 1. vsque ad 11. vide etiam Molinam Iurisconsultum, lib. 2. de primogenijs. c. 15 à nu. 37.

Quartò infertur, quod quis satisfacit voto, vel pœnitentiæ dando eleemosynam extremè indigenti, quia nõ est debita illa eleemosyna ex præcepto misericordiæ absolutè, sed ex suppositione, quod quis non possit alia via necessitati pauperis subuenire. Ita Henriquez lib. 5. cap. 21. nu. 3. in Glossa littera Q. Azorius tom. 1. lib. 11. c. 14. q. 1. Emanuel Sà ver. satisfactio, nu. 9. & alij, quidquid in contrarium asserat Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 6. num. 5. Sayrus in Claui Regia, lib. 6. cap. 3. n. 22. Paludanus in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. num. 8. & alij.

Sed quid dicendũ, si actum facias, cui pluribus obligationibus sigillatim tantũ satisfacere potes, vt si v. g. debes dare pauperibus centum ob iniustè ablata, centum ex voto, centum ex pœnitentia? vide Sanchez vbi supra numero 8. sed ad alia procedamus.

An pueri post vsum rationis teneantur præceptis Ecclesiæ.

RESOL. LXXXVII.

NEgatiuè videtur respondendum ex D. Antonino par. 2. tit. 9. cap. 7. §. 2. vbi affirmat præcepto confessionis, non teneri pueros vsque ad decimum, & dimidiatum annum, & aliquantulum vltra, & fœminas vsque ad nonum, & dimidiatum annum, & aliquantulum vltra Sotus in 4. sent. dist. 12. q. 1. artic. 11. ad fin corporis, dicit vsque ad duodecimum annum non teneri pueros vllis Ecclesiæ præceptis, nec confessionis. Henriquez li. 8. de Euchar. c. 42. n. 4. censet Ecclesiæ præceptis non obligari pueros statim ac vsum rationis habent, & lib. 13. de excommunic. cap. 49. num. 2. in Glossa littera N. affirmat dari his lacticinia, & carnes aliquo tempore post vsum rationis, in diebus ieiunij.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto cum Sanchez in summa, to. 1. lib. 1. cap. 12. nu. 6. Salas de legibus, disput. 14. sect. 13. & alijs penes ipsos & ita aduersus Sotum, & Henriquez de præcepto confessionis & abstinentiæ à carnibus, & lacticinijs tenet Suarez in 3. parte tom. 4. disp. 36. sect. 1. num. 3. Azorius tom 1. lib. 7. c. 2. q. 1. & ca. 40. q. 6. & alijs relatis à Sanchez loco citato. Dicendum est igitur absolutè aduersus supradictos Doctores, pueros cum ad vsum rationis peruenerint, qui cõmuniter intelligitur aduenire septennio completo, obligari legibus, & præceptis Ecclesiæ. Limitatur tamen hæc sententia communiter quoad præceptum communionis, sed ego alibi probabilem contrariam sententiã putaui asserẽtem pueros post vsum rationis posse communicari statim,

mento, in quo Deū in testē rei promissæ adducis, in hoc enim non potest quis limitare obligationem ad veniale, si materia gravis est, quia non pendet a tua voluntate obligatio implendi promissum. Secundo colligitur, posse Confessarium pœnitentiam grauē imponere sub obligatione veniali, quia est quædā lex, & præceptum, & cōditiones legis, & præcepti humani sortiri debet: ergo, &c. Ita Suarez in 3. par. to. 4. disp. 38. sect. 7. n. 5. Medina Cod. de confess. tract. 1. q. 48. & alij, licèt, cōtrarium asserat Sanctius in select. disp. 15. nu. 16. Coninch de Sacr. disp. 10. dub. 8. nu. 65. Ochagauia vbi sup. nu. 7. & alij.

Notandum est tamen, certum esse, nullo modo posse legislatorem in materia leui, obligationem grauem imponere, licèt velit, & intendat, quia talis intentio esset iniqua & iniusta, vnde non est audiendus Greg. Sayrus in Claui Regia, lib. 3. cap. 7. nu. 17. qui putat hanc doctrinam esse veram, quoad legislatorem sæcularem: secus autem quoad Ecclesiasticum, quod probat ex vsu Religionū, in quibus aliquādo Superiores res leues prohibent sub pœna excommunicationis.

Sed hanc limitationē meritò impugnat Sanchez in sum. to. 1. lib. 1. c. 4. nu. 3. Suarez de legibus, lib. 3. c. 25. nu. 7. & alij. Et ratio adducta militat etiam quoad iudicem Ecclesiasticum, & ad vsum Religionum respondeo, quod ipsi Superiores si aliquam rem leuem in virtute obedientiæ, vel sub excommunicatione præcipiunt, dicendū ob aliquem finem grauem, redditam esse grauem, vt v. g. propter silentium seruandum, ne ingrediatur quis in aliorum cellas, &c. vt notat Bonacina de legibus, disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. nu. 21. Sanchez loco cit. & alij.

An Episcopus possit committere alicui absolutionem ab heresi.

RESOL. XCII.

SVpposito, quod sit opinio probabilis, licèt contrariam sententiam ego teneam in Bulla Cœnæ nō reuocari Episcopis facultatem absoluendi ab hæresi concessam in Concilio Tridentino, quæritur an hæc facultas sit ab Episcopis delegabilis, ita vt per alium ab ipsis deputatū possint hæreticum occultum absoluere. Negatiuè respondet Lorca in 2. 2. disput. 45. num. 11. Guttierrez in qq. Canon. lib. 1. c. 13. nu. 29. Garsias de beneficijs, p. 11. c. 10. n. 113. Molina de iust. tract. 5. disp. 18. n. 2. Suarez de fide disp. 30. sect. 2. nu. 9. & 15. & alij.

Verùm alij probabiliter affirmatiuam sententiam tenent, vt Azorius, tom. 1. dub. 8. cap. 10. quæst. 11. Henriquez lib. 6. cap. 14. numer. 7. Emanuel Sà, ver. Episcopus, num. 37. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 11. numer 23. & alij penes ipsos, quia Concilium solùm exclusit Vicariū ad id specialiter deputatū, quod intelligēdum est de Vicario specialiter deputato ad casus omnes hæresis contingentes, non autem de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum hic, & nunc oblatum. igitur dicendum est, quod per verba Concilij, Vicarius generalis excluditur, non autem specialis, vt est in casu de quo loquimur. Et hæc doctrina est multum notanda, quia si Episcopus hanc facultatem in casu particulari specialiter delegare nō posset, difficulter in praxi talis potestas deseruiret; nam non ita facile, & sine scandalo pœnitentes, & præsertim fœminæ, pro absolutione hæresis occultè ad Episcopos irent.

An infantes filij Principum, vel si periculum mortis immineat ante vsum rationis, possint ab Episcopo confirmari.

RESOL. XCIII.

AFfirmatiuè respondeo cum Tannero tomo 4. disp. 4. quæst. 4. dub. 2. nu. 37. vbi sic asserit. Colligitur ob honestas causas decenter quoque infantes nonnunquam confirmari posse, vt si propter distantiam rarius in eo loco confirmet Episcopus, si filius Principis, sit, si periculum mortis immineat infanti, &c. Ita ille, qui citat Henriquez, & Suarez.

Nota tamen hic obiter, vt alibi notauimus, per se loquendo non esse peccatum cōfirmare infantes ante vsum rationis, vt significat D. Thom in 3. p. quæst. 77. ar. 8. ad 2. & expressius in 4. sent. dist. 7. q. 3. art. 2. quæst. 2. Alensis in 4. par. quæst. 28. memb. 2. & 3. Bonauentura in 4. dist. 7. ar. 3. q. 1. Richardus ar. 3. quæ. 2. Gabriel ar. 3. dub. 7. Petrus Sotus lect. 2. de confirm & alij. Consultius tamen est, vt infantes non confirmentur ante vsum rationis, vt probant communiter DD. & Ecclesiæ consuetudo, quam tamen sub peccato non obligare existimat Suarez, quem citat, & sequitur Tannerus vbi supra.

Nota etiam nō solùm licitè confirmari amētem, qui aliquādo rationis vsum habuit, si alioqui nō constet incidisse in amētiam in statu peccati mortalis, sed etiā perpetuo amentes, atque adeò etiam illos, qui sunt in articulo mortis cōstituti, quidquid in contrarium asserat Emanuel Sa ver. cōfirmatio, & Valentia, quæst. 2. punct. 2 & alij, ita docet Henriquez, & Suarez cum Tannero loco citato, num. 39. & ego alibi. Sed quia, vt diximus, nonnulli Theologi oppositum sentiunt, non est Episcopus damnandus de peccato, si hoc facere prætermittat.

An vir debilis, vel infirmus possit sine peccato mortali incipere copulam cum vxore in vase legitimo, & non effundere.

RESOL. XCIV.

NEgatiuam sententiam puto probabiliorem esse per ea, quæ adducit Ludouicus de San Iuan in summa, tomo 1. quæst. 3. art. 3. diffic. 5. dub. 1. vbi tamen notat, sententiam affirmatiuam esse probabilem. [Porque la copula carnal, y el matrimonio no solamente se ordena a la generacion, mas tambien para remedio de la cōcupiscentia humana propria, y de la mugier; luego la tal copula nō sera illicita tenida para este fin, ò alo menos no sera mortal. Segundo entre los casados nō son peccado mortal los tocamientos por feos que sean, siguen la sentencia de muchos, luego la tal copula no sera mortal entre los casados, porque entōces tan solamente tendra razon de tocamiēto feo. Por estas y otra razones no tengo por improuable essa sentencia.] Ita ille, qui licèt postea ad supradicta argumenta respondeat, tamen vt visum est affirmatiuam sententiam probabilem esse putat. Sed de hac quæstione à nobis alibi fusius actum est.

Verùm pro coronide huius Tractatus ponā aliquas resolutiones, quæ ex incuria impræssorum non fuerunt appositę in tract. de sacram. sub tit. de Eucharistia.

An Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitat medij, ita vt detur preceptum diuinum positiuum sumendi hoc Sacramentum.

RESOL. XCV.

AFfirmatiuè respondent Becanus de Sacram. cap. 23. quæst. 4 num. 2. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 5. nu. 2. & seq. Syluius in 3. par. quæst. 70. art. 11. quæritur 1. conclus. 1. & 2. Henriquez lib. 8. capit. 3. num. 2. Emanuel Sà ver. Eucharistia, numero 1. & alij, quos citat, & sequitur Fagundez de præcept. Eccles. pr. 1. lib. 1. cap. 3. num. 4. vnde ex hac opinione inferunt. Primò præceptum diuinum Eucharistiæ sumendę obligare in articulo mortis, etiam si mors sit violenta, & authoritate iudicis inflicta. Secundo in reliqua vita quoties tali remedio opus est ad perseuerandum in statu gratiæ. Et tertio aliqui addunt quando quis prudenter putat se non amplius habiturum commoditatem communicandi in tota vita; tunc enim meritò debet se munire contra tentationes postea euenturas. Probatur hæc opinio ex verbis Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis*, & ex Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, non intrabitis in regnum cælorum*; in quibus locis eodem tenore, & forma verborum proponit Christus sumendum Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Eucharistiæ, ergo, &c. Hæc opinio probabilis.

Sed cōtrariam etiam probabilem esse existimo, quam tuentur Coninch de Sacram, quæst. 73. art. 3. num. 36. & num. 44. Ferrariensis contra gentes, lib. 4. c. 61. Alexander de Ales in 4. parte q. 51. memb. 14. Syluester ver. Eucharistia 3. num. 1. Fernandez de Hæredia de Eucharistia, dist. 2. p. 2. dub. 2 per totum, & Villa lobos in summa, tom. 1. tractat. 8. diffic. 34. num. 3. vbi sic ait. [El Sacramento de la Eucharistia no es medio necessario in voto

para

para alcançar la bienauenturança. Queremos dezir, que ſi no huuiera precepto de comulgar, ſe pudiera vno ſaluar ſin tener propoſito de recebirle. Eſta concluſion es de San Thomas, Cayetano, Rodriquez, Ledeſma, Suarez, Hoſio, y Pedro de Nauarra; y parece que ſe coligę del Concilio Tridentino ſeſſ.7 can. 4. que como dize del Baptiſmo, que es neceſſario para la ſalud, y lo miſmo de la penitencia ſeſſ.14 can.4. tambien lo dixera de la Euchariſtia. El fundamento de la concluſion es porque para alcançar la bienauenturança, ſolo es neceſſario eſtar en gracia, y perſeuerar en ella haſta el fin de la vida, y la gracia cierto es que ſe da por la penitẽcia, y los demas Sacramẽtos, y no ſolo por eſte. La perſeuerancia en gracia es fauor eſpecialiſſimo de Dios y no es effetto proprio deſte Sacramento, aunque ayuda mucho para ello, y aſsi no es medio neceſſario eſte Sacramẽto.] Ita ille. Igitur ſecundũ hanc ſententiã; negandũ eſt Sacramentum Euchariſtiæ eſſe medium neceſſarium neceſſitate ſalutis pro omnibus, qui ſaluandi ſunt; ſed tantùm medium vtile, ac morali neceſſitate neceſſarium ad cõſeruãdam vitam ſpiritualem gratiæ. Notat etiam ex his Villalobos in ſumma, to. 1. tra. 7. diffic. 5. nu. 5. [que no es licito conſagrar en materia dudoſa, porque como recebir eſte Sacramento no es medio neceſſario para ſaluacion; nõ ay moral neceſſidad para que ſe cõſagre en materia dudoſa,] & ita etiam docet Fagundez part. 3. libr. 2. c. 1. n. 17. etiã ſtando in prima opinione, quia tale præceptum diuinum neceſſarium neceſſitate ſalutis, non obligat, niſi quando decenter, & reuerenter ſumi poteſt.

Quando communicanti confertur gratia Sacramentalis?

RESOL. XCVI.

RESpondeo cum Syluio in 3 part. quæſt. 79. artic. 2. Fagundez part. 3. lib. 4. cap. 1. num. 3. Henriquez libr. 8. cap. 43. nu. 1. & alijs penes ipſos, hoc Sacramentum gratiam conferre in eo inſtãti, in quo verum eſt dicere, nunc facta eſt ſumptio, & immediatè antea non erat; licèt hoc inſtans notum nobis non ſit, ſed Deo; quod quidem non eſt quamdiu hoc Sacramentum eſt in ore, nam ſi quis illud ſumeret in ore, & poſtea aliqua de cauſa non deglutiret, non acciperet gratiã ſacramentalem. Sumptio ergo perfecta eſt quando deglutitur, & tranſit per guttur, tunc enim dicitur iam perfecta manducatio, & comeſtio, licèt Becanus de Sacr. c. 22. q. 6. n. 2. teneat gratiam ſacramentalẽ dari cũ Hoſtia ſumpta eſt, etiam ſi non ſit tranſmiſſa, alioquin ægroti qui Hoſtiam præ infirmitate non poſſunt tranſmittere, non acciperent gratiam, quod videtur abſurdum. Ita Becanus.

Nõ deſinam etiam hic apponere ſententiam Nugni in 3. p. quæſt. 79. artic. 1. ſic aſſerentis; Euchariſtia habet totum ſuum effectum in inſtanti, quod tamen inſtans poteſt eſſe a principio ſumptionis ſpecierum, ab illo ſcilicet inſtanti in quo primũ verum eſt dicere, tutũ ſumptum eſt Sacramentum, & receptum in ſtomacho, vſque ad inſtans in quo verum eſt dicere, totum Sacramentum, hoc eſt ſpecies ſacramentales ſunt conuerſæ in ſubſtantiam hominis. Itaque ſi homo accedat cum ſufficienti diſpoſitione, ſtatim in illo primò inſtanti habet effectũ; ſi verò accedat ſine illa, & poſteà habet diſpoſitionem durantibus ſpeciebus, recipiet effectum ſacramentalem, in primò inſtanti, in quo habuerit diſpoſitionem. Vnde hæc ſententia concedit Sacramentum habere ſuum effectum in inſtanti, & eſt magis pia, & extollit excellentiam ſpecierum ſacramentaliũ, quod ſcilicet poſſint cauſare gratiam toto tempore quo permanent. Hæc omnia Nugnus. Ex his infertur cum Henriquez vbi ſupra lib. 8. capit. 43. num. 1. & alijs, quod conſequitur effectum gratię ſacramentalis, qui poſtquam hoc Sacramentum deglutiuit, ſtatim illud euomuit, & ſi ſumpta vna parte Hoſtiæ moriatur homo, non ſumpta alia parte illius, etiam in tali caſu conſequitur effectum Sacmenti.

Notandum eſt etiam ex dictis cũ Io. de la Cruz in directorio conſcientiæ part. 2. de Euchariſtia, quæſt. 4. dub. 1. concluſ. 2. & alijs Euchariſtiam non cauſare gratiam toto tempore, quo eſt in ſtomacho, ſicut nec toto tempore mãducationis, aliàs eſſes melioris conditionis communicando te ſub multis hoſtijs, quod falſum eſt, & puniuntur vt ſuſpicioſi per inquiſitores, qui ſunt multum ſoliciti ſe communicare ſub multis hoſtijs, vt diutius duret corpus Chriſti in ſtomacho, nec eſt idẽ de cibo corporeo, cum iſte operetur per conuerſionem ſui in ſubſtantiam aliti, & ſic ſucceſſiuè. Ita Io. de la Cruz.

Et licèt ſecundùm Coninch. de Sacram. quæſt. 79. art 1. dub. 2. num. 42. concluſ. 5. & alios probabile ſit, ſi dum interim ſpecies integræ manent in ſtomacho, melioretur diſpoſito communicantis, etiam gratiam Sacramentalem augeri; tamen ipſemet Coninch. adnotat, ex hoc nullo modo per ſe loquendo aliquem recipere maiorem gratiam, quia ſumit maiores, aut plures hoſtias aut quia diutius hæret in ijs ſumendis, aut digerendis, etſi per accidens hæc longior mora poſſet eſſe occaſio, vt quis maiorem gratiã accipiat, quatenus interim plures, ac perfectiores actus charitatis elicit, qua etiam ratione ſi vnus diutius expectet antequam cõmunicet, quam alius, hæc mora poteſt ei eſſe occaſio maioris gratiæ percipiendæ, quatenus poteſt interim melius ſe diſponere plures actus charitatis eliciendo. Quare hæc ſententia nõ debet dare occaſionem aliquibus, qui id ſatis ſuperſtitiosè curant, vt inter communicandum plures hoſtias ſuſcipiant, quo diutius in ſtomacho hæreant, atque ita maiorem gratiam ſuſcipiant. Ita Coninch. Vide etiam aduerſus plures hoſtias, vel maiores ſumentes Fagundez part. 3. lib. 4. c. 1. nu. 11. Syluium in 3. p. q. 79. art...... & alios.

An detur maior gratia ſumenti duas ſpecies, quam ſumenti vnam?

RESOL. XCVII.

SVppono tanquam certum, quod excepto Sacerdote celebrãte nemo iure diuino tenetur communicare ſe ſub vtraque ſpecie, & quod Eccleſia habuit iuſtiſſimas rationes præcipiendi laicis communionem ſub vna ſola ſpecie. Hoc ſuppoſito, quæritur, an celebrans, qui ſumit duas ſpecies, recipiat per ſe maiorem gratiam, quam laicus, qui recipit vnam.

Reſpondeo negatiuè cum Syluio in 3. part. quæſt. 80. artic. 12. quæritur 2. Coninch. de Sacramento quæſt. 80. artic. 12. dub. vnico, numero 119. & alijs communiter, quia vel reciperet maiorem gratiam ex parte ſymboli, vel ex parte rei contentæ: non prius nam ſecluſa re contenta, ſymbolum non cauſat gratiam: non poſterius, quia eadem res continetur ſub ſingulis ſpeciebus, ergo, &c.

Non deſinam tamen adnotare contrariam ſententiam docuiſſe Alenſem par. 4. quæſt. 53. memb. 1. & Gaſparum Cuſſal. li. 2. de cęna, & calice, capit. 25. & nouiſſimè hanc ſententiam probabilem putat Fagundez part. 3. lib. 4. ca. 4. numero ſecundò in fine, & Becanus de Sacramento capit. 22. quæſt. 7. numero 4. vbi ſic ait. Probabile eſt maiorem gratiam dari per ſumptionẽ duarum ſpecierum, quam vnius tantùm. Primò, quia vnaquæque ſpecies per ſe confert ſuum effectum, & vna non depẽdet ab altera, ergo ſi ambæ ſimul ſumantur, vnaquæque confert ſuum peculiarem effectum; ergo duæ plus conferent, quam vna ſola. Secundò, quia probabile eſt Sacramenta phyſicè operari; ergo neceſſe eſt vnam ſpeciem non minus phyſicè concurrere, quam alteram. Ergo ſi vna phyſicè confert vnum gradum gratiæ, altera confert alterum gradum, & ſic plus conferent duæ ſpecies, quam vna. Ita Becanus, & Fagundez, qui tamen his non obſtãtibus, negatiuam ſententiam tenent, & reſpondent ad ſupradicta argumenta, & omninò tenendum eſt.

An poſſit aliquis ita accedere ad Euchariſtiam, vt non accipiat gratiam, neque peccatum committat?

RESOL. XCVIII.

NEgatiuè reſpondet Sotus in 4. diſt. 12. qu. 1. artic. 4. cui videtur accedere Richardus in 4. diſt. 9. quæſt. 2. artic. 2. Adrianus de Euchariſtia, quæſt. vnica, & Maior in 4. diſt. 9. qu. 1. quia, vel accedens diſcuſſit ſufficienter conſcientiam ſuam, vel non diſcuſſit, ſi primum, cum nullum obicem ponat, gratiam recipiet: ſi ſecundum, indignè accedit, & per cõſequens nouum ſacrilegium committit. Item, vel accedit cum attritione, quæ putetur contritio, & gratiam ſine dubio recipiet, vel cum attritione quæ ſit cognita, & putata attritio, & ita indignè accedit, & peccatum committit. Ergo. &c.

Sed his non obſtantibus ex Caietano, Alenſe, Bonauentura, contrariam ſententiam docent Suarez tom. 3. diſput. 63. ſect. 2. §. ex his infero, & Fagundez part. 3. lib. 4. cap. 2. numero 14. quia

poteſt

potest quis diligenter discutere conscientiam, & non recordari de peccato aliquo, mortali, cum tamen reuera illud habeat, & potest accedere tunc ad communionem sine vllo prorsus dolore, merè negatiuè se habens: cum conscientiam peccati mortalis non habeat; is quidem non peccabit sic accedendo, eo quod arbitrio suo fecerit sufficientem diligentiam à culpa excusantē, non tamen consequetur gratiam, qui habet obicem peccati obliti, & nullum Sacramentum habet vim delendi, remittendique peccata mortalia absque dolore illorum. Hæc omnia Fagundez, qui alias rationes etiā adducit pro hac firmanda opinione: vnde quia hic casus frequenter potest accidere, ideò accedentes ad Eucharistiam habent dolorem generalem suorum peccatorum

Ex his infertur, quod quamuis hoc Sacramentum pro se primò non sit institutum à Christo ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius: tamen in duobus casibus, illam conferre, & peccatum mortale remittere, ac delere potest. Primò cum quis diligenter discussit conscientiam suam, & nullius culpæ conscius fuit, tunc si cum dolore accedat ad communionem, ex attrito per Eucharistiam fiet contritus, & recipiet primam gratiam. Secundus casus est, cum quis memor est peccati mortalis, & de illo habet attritionem quam putat esse contritionem, si vrgeat necessitas communicandi, & Sacerdos non adsit; tunc quidem iste virtute Sacramenti Eucharistiæ accedens ad illud, ex attrito fiet contritus, & primam gratiam acquiret.

An Sacerdos Græcus sub peccato mortali teneatur sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ, & consecrare in fermentato.

RESOL. XCIX.

Negatiuam sententiam docet Nugnus in 3. par. tomo primo quæst. 74. artic. 4. conclus. 6. vbi sic ait, peccare mortaliter Græcum, si consuetudinem suæ Ecclesiæ non seruet, videtur mihi rigorosum dicere; quia cum nostra consuetudo sit melior non videtur res grauis, quod ille sequatur, vel non sequatur consuetudinem suæ Ecclesiæ, imò credo quod si esset apud nos aliquis Sacerdos Græcus, quod melius faceret si consecraret in azymo. Ita ille.

Sed hæc opinio est contra communem, & ideò refellenda, vnde ex ipsamet Dominicanorum familia Ioan, de la Cruz in directorio conscientiæ, pat. 2. de Eucharistia, quæst. 1. dub. 2. conclus. 2. ita asserit. Sacerdos tenetur seruare ritum suæ Ecclesiæ, peccabit enim Latinus consecrando in fermentato, & Græcus consecrando in azymo, etiam secluso scandalo, & cum magna necessitate: vt ob communicandum infirmum: nam discedere priuata auctoritate à rationabili vsu suę Ecclesię in re grauissima, vt est ista, est peccatum mortale. Imò Pius V. in motu incipiente, Prouidentia Romani Pontificis 13. Calendas Septembris ann. 1566. reuocat licentias Græcorum latino more, & Latinorum græco ritu, Missas, ac alia diuina officia celebrandi hactenus concessas. Ita Ioan. de la Cruz, Layman in Theol. mor. lib 6. tract. 4. cap. 2. num. 4. Villalobos in sum. to. 1. tra. 7. diffic. 6. n. 2. & alij.

Verùm, an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum, & Græcus morem Latinorum existens apud Latinos, sic videtur posse explicari. In monasterijs, vel Ecclesijs, quę sunt Gręcis in Ecclesia latina destinatæ, vbi seruatur ritus Græcorum, seruare deberēt Gręci vsum fermentati, & similiter Latini vsum azymi in Ecclesijs, quas sibi suisque ritibus proprias habent in Græcia; quia perinde est, ac si singuli versarentur in sua Ecclesia. Latinus etiam iter agens per Græciam, aut Græcus per occidentem potest (vbi nullum est scandali periculum) retinere suum ritum, quamuis si cōformaret se Ecclesiæ in qua versatur, nō esset damnandus. Et hæc omnia docent Sylvius in 3. par. q. 74. artic. 4. Cōinch de Sacramentis q. 74. art. 4. dub. 3. n. 117. Filliucius to. 1. tract. 4. c. 3. n. 83. & alij.

Non est igitur audiendus Ledesma in 4. parte prima quæst. 15. artic. 4. dub. 2. vbi docet, nō solùm posse licitè, sed etiam teneri Sacerdotem Gręcorum, transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, & peccare mortaliter si aliter faciat; quia priuilegium illis concessum ad consecrandum in fermentato, intelligendum est, quando celebrant in suis proprijs Ecclesijs. Verùm, hanc opinionem Ledesmæ rectè improbat Fagundez pr. 3. lib. 2. cap. 2. num. 9. nam vt supra dictum est, potest Sacerdos Latinus transiēs per Greciam celebrare, vel ritu Grecorum, vel ritu Latinorum, & similiter Græcus transiens per loca Latinorum.

Et tandem notandum est hic etiam cum Suarez in 3. par. to. 3. disp. 44. sect. 3. §. illud verò, Coninch. & alijs vbi supra, non licere Sacerdoti Latino in templo Grecorū, quod in Ecclesia Latina existat, in fermentato consecrare, neque etiam licere alijs fidelibus Latinis ibidem in eodem fermentato communicare, quia illud est veluti speciale priuilegium Gręcis largitum, quo vti non possunt Latini, neque illo gaudent.

An in Germanijs, vel alijs locis validè consecraret Sacerdos in vino paulò ante congelato in calice.

RESOL. C.

Negatiuè respondet Didacus Nugnus in 3. par. to. 1. quæ. 74. art. 5. Armilla ver. Eucharistia, nu. 19. Alanus lib. 1. de Eucharist. c. 11. Henriquez lib. 8. cap. 12. n. 3. & alij, quia vt in aqua congelata non potest fieri validè baptismus, sic nec in vino cōgelato, validè fieri potest Eucharistia, adde quod vinum congelatum, quatenus congelatum est, non est potabile, sed comestibile: ergo, &c.

Verùm affirmatiuam sententiam ego teneo, quam tuentur Emanuel Sà ver. Missa, n. 3. Angelus eodem ver. 23. Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. Layman, Suarez, Coninch, & Fagundez vbi sup. Filliucius to. 1. tract. 4. c. 4. nu. 87. Reginaldus, to. 2. lib. 29. cap. 2. num. 25. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 3. diffic. 7. nu. 2. Sylvius in 3. par quæst. 74. art. 5. & alij, quia vinum per congelationem non corrumpitur substantialiter: ergo &c. Deinde vinum congelatum, etsi nō sit in actu secundo potabile; tamen potest esse materia proxima consecrationis, quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, vt baptismus, sed in cōfectione eiusdem. quare sufficit, quod eius materia sit natura sua potabilis, etsi ob aliquod accidens actu potari non possit; vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

Notandū est tamen, quod grauiter peccaret, qui tale vinum consecraret, quod si tamen prius congelatio solueretur, nō puto improbabile contra Fagundez par. 3. lib. 2. c. 3. n. 10. licitè ipsum cōsecrari, & ita docet Coninch de Sacramentis q. 74. ar. 5. num. 27. quamuis deceret aliud sumere, & omninò suadendum est, quando commodè fieri potest, vt obseruat Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 45. sect. 1. in fine, & Layman infra.

Aduerte etiam cum Layman in Theolog. moral. lib. 5. tract. quarto, capitulo secundo, numero sexto, contra Alanum libro primò de Eucharistia, ca. 11. si vinum consecratum congeletur, nō desinere esse Christum sub speciebus; & ideò minimè aliud vinum consecrandum est. Vnde Missale Romanum monet, si contingat vinum cōsecratum in calice cōgelari, debere liquefieri, & sumi.

Sed quia hodie apud Hispanos efficitur quoddàm vinum, quod ipsi vocantur *Hypocrasso*, ponā hic verba Petri de Ledesma in summa, tomo 1. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 4. conclus. 15. vbi, sic asserit. [Es duda si el vino adobado con cosas odorosas, y con cosas semeyantes es materia deste Sacramento que se pueda consagrar. Se responde, que si la mezcla destas cosas es tanta, ò el cozer cō ellas de tal qualidad, que corrompa la substancia del vino, no sera materia deste Sacramento. Y para ver quando la corrompe totalmente, se ha de acudir a la experiencia de los sentidos, y al iuyzio de los hombres prudētes. Y lo mismo se ha de dezir del vino aguado, y de vn vino que llaman aguapie. Pero hase de aduertir, que consagrar en estos liquores, que ay duda si son materias deste Sacramēto, es pecado mortal de sacrilegio.] Ita ille.

An Sacerdos possit dicere Missam Assumptionis, Natiuitatis, &c. Beatæ Virginis quando dicta Missa à laicis exigitur

RESOL. CI.

Negatiuè respondet Gauantus, vir in his materijs versatissimus in Comment. ad Rubricas Missalis, tomo 1. par. 4. tit. 17. num.

17. num. 8. vbi sic asserit. Quid agendum, quando Missa votiua exigitur de Assumptione B. Virginis, de Natiuitate eiusdem, & eiusmodi; dici potest de Beata Virgine ex quinque votiuis pro diuersitate temporum accommodatis, cũ intentione ad honorem Assumptionis B. Virginis, &c. alias enim dedecet, vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino, diē festum, &c.* vel immutare tunc verba, *diem festum in commemorationem*, neque laicorum causa violandæ sunt Rubricæ. Ita ille.

Non desinam tamen adnotare nostrum Castaldum in praxi cæremon. lib. 2. sect. 6. cap. 4. n. 1. contrariam sententiam docere, sic enim ait. Missa votiua de quolibet Sancto, ac quacunque festiuitate, de qua iuxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici potest assumendo eam, quæ in die festo habetur, accommodando orationem, vbi habetur *Natiuitas*, vel *festiuitas*, dicendo, *commemoratio*, vel *memoria*, omittendo vbi habetur *hodie* cum Præfatione propria si eam habeat, tamen sine *Gloria*, & *Credo*. Si celebretur Missa votiua de Assumptione B. Virginis, vel de Sancta Agatha in introitu *Gaudeamus*, vbi habetur, *diem festum celebrantes*, dicetur *memoriam celebrantes*. Sic Castaldus, & ante illum Alcocer in cæremon. tractatu primo, Glossa quarta,

An Sacerdos possit dicere Missam aliquam de passione, quæ in Hebdomada Sancta recitatur, si illa a laicis cum eleemosyna petatur.

RESOL. CII.

Hic casus his diebus in praxi accidit, & in illo magna contentio fuit inter viros doctos, ego pro affirmatiua sententia addixi Henriquez lib. 9. cap. 23. num. 6. in Glossa, littera M, & Fagundez de præceptis Eccles. princip. 1. lib. 3. cap. 9. num. 6. vbi ex Nauarro asserunt, Sacerdotem pro Missa de Passione longa, & magna satisfacere, si dicat Missam de Festo, etiam semidnplici, aut infra octauam. Ex quibus verbis apparet dictos Authores putare dictam Missam dici posse in diebus ferialibus.

Sed ego apud Nauarrum hanc opinionem non legi, & tunc contrariam sententiam tenui, quia vt optimè notat Castaldus in pr. cærem. lib. 2. sect. 6 c. 4. n. 1. de tempore, & festis mobilibus Missæ votiuæ non celebrantur, & ideò de Passione, Spiritu sancto, Sancta Trinitate, ac Sacramento Corporis Christi, nonque eo tempore habentur, sed votiuæ assignatæ in Missali Romano dici debent. Sic ille, vnde Ioannes Alcocer in cæremon. tract. 1. Glossa 4. ita asserit. [Aduiertase, que pidiendose alguna Missa votiua de Passion, no se ha de dezir de las de la semana santa, con la passion de alguno de los Euangelista, sino la que entre las Missas votiuas se pone al fin del Missal.] Vide etiam Gauantum in comment. ad rubr. Missalis, tomo 1. par. 4. tit. 17. num 2. vbi docet, quod Missa festiuitatis Corporis Christi non potest dici, nisi in eius Festo, & Octaua, & extra illam dicenda est Missa votiua de Sacramento in fine Missalis posita, cui nihil addi debet, neque sequentia, inconsulta Sede Apostolica. Ita etiam Missæ illæ de Passione dicuntur in Hebdomada Sancta tantùm, & extra illam, Missa de Passione in fine Missalis posita dicenda est. An verò seclusò scandalo, & superstitione talis recitatio sit peccaminosa, ex principijs alibi à nobis positis determinandum est. Verùm negare non possumus, quin saltem sit reprehensibilis, non enim ex indiscreta laicorum deuotione violandæ sunt rubricæ.

Quidam Sacerdos in Sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, quæ quidem in pyxide super Altare in cornu Epistolæ fuerunt ex errore apposita, non autem super Aram; quæritur, an remanserint consecrata, si Sacerdos de illis amplius non meminerit.

RESOL. CIII.

Hic casus frequenter potest accidere, & ego in facti contingentia negatiuam sententiam docui, quam tuetur Pater Suarez in 3. parte tomo 3. disp. 43. sectio. 6. Et ratio est, quia intentio ministri debet esse rationabilis, non esset autem talis, si minister intenderet consecrare particulas positas extra Aram. Ergo in tali casu nõ est præsumendum Sacerdotem dictas particulas consecrare voluisse, & ideò nouissimè hanc sententiam docet Bartholomæus Gauantus in rubrica Missal. tomo 1. parte 3. tit. 7. numero 4. vbi sic ait. Quod hic dicitur de ordinaria materia consecranda in Missa, intellige etiam quando plures particulæ ponuntur super Altare, vt consecrentur, & in actuali consecratione nõ recordatur illarum Sacerdos, sed eius tantùm quam in manibus habet, tunc enim omnes sunt consecratæ. Debent tamen esse præsentes intra Aram, non extra, eam, inquit Suarez, aliàs non æstimarem illas consecratas esse. Ita Gauantus.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam probabilem esse putat Tannerus in 3. parte D. Thomæ, disput. 5. qu. 2. dub. 2. numero 76. quia etsi primò, & per se non sit hæc voluntas Ecclesiæ, adeoque nec ipsius consecrantis, vt Hostiæ extra corporale consecrentur, tamen ex hypothesi facta, quod per inaduertentiam naturalem, Hostiæ rationabiliter, & voluntate quidem non retractata sint ad consecrationem destinatæ, & in altari, quamuis alieno situ positæ per accidens, & consequenter, idque meritò, ac iure velle tam Ecclesiam, quam Sacerdotem consecrantem, vt Hostiæ etiam cum eiusmodi situm, quem diximus, habent, (non verò si omninò extra altare sint positæ) consecrentur: præsertim cum ordinariè alioqui, vel scandalum, vel saltem perturbatio grauis oriri soleat, si quando tali casu Hostiarum propositarum consecratio non valeret. Hæc Tannerus, qui tamen postea cum formidine loquitur, & suadet non esse recedendum à sententia negatiua. Nota tamen obiter, quod si pyxis posita super corporale, non aperitur tempore consecrationis sit tamen cõsecratio. Ita omnes Doctores.

An quando Sacerdos ante consecrationem extendit manus super Calicem, & Hostiam, dicens, Hanc igitur oblationem &c. *an inquam tunc debeat pollices subtus manus, vel supra in formam Crucis tenere.*

RESOL. CIV.

Decisionem huius casus non facile apud Authores inuenies, & de illo olim ego interrogatus fui ab Excellentissimo Principe D. ANTONIO ARAGONA, ET MONCATA Duce Montis alti, heu quondam Domino meo amantissimò plures Patres Societatis IESV, tunc pollices in tali casu subtus manus tenendo esse docuerunt.

Sed ego contrariam sententiam mordicus sustinui, & ita tenet, & fuisse dicisum Rot. testantur Petrus de Reyna in cæremon. de la Missa razada, §. 8. numer. quarto littera Q. & Ioan. Alcocer Missæ cæremon. tractat. 1. Glossa 8. vbi sic asserunt. (Quando dize el celebrante, *Hanc igitur oblationem*, &c. ha de tener las palmas de las manos sobre la Hostia, y Caliz, no pegadas al Caliz, sino en el ayre, cerca del que esso quieren dezir a quellas palabras *versus ac supra Calicem*. Y los purgales han de estar en la parte superior cruzados, el derecho sobre el yzquierdo, como se respodio en Roma.) Ita supradicti DD. Et ita obseruatur in tota nostra Religone, & etiā obseruabat supradictus Religiosissimus PRINCEPS, cuius præclaras virtutes, & generis magnitudinem, silendo venerabor; quia, vt asserebat de Imperatrice Placidia Cyrillus Alexandrinus lib. de fide, omnis sermo noster eius nobilitate inferior est, & fatetur absque rubore se victum. Verùm pro nunc satis mihi feliciter erit huic mearum Resolutionum Moralium tertiæ parti cum Augusto eius NOMINE finem imposuisse.

(†)

ADDI-

ADDITIONES SECVNDARIÆ
AD NONNVLLAS
EX CELEBERRIMIS
RESOLVTIONIBVS

Primæ, Secundæ, & Tertiæ Partis; Atque etiam de nouis casibus.

NONDVM HACTENVS EDITÆ.

An depositum compensationem admittat.

RESOLVTIO PRIMA.

NEGATIVAM sentẽtiam docet Samuel Lublinus in summa verb. pecunia, num. 17. Rabellinus par. 1. libro 2. quæstio. 18. num. 3. Molina de iustitia, tom. 2. disput. 524. Ioannes Franciscus Suarez in Enchiridinn Theol moral. lib. 1. §. commodatum, ver. in deposito. Reginaldus tomo 2. lib. 2. cap. 47. sect. 6. Garsias de contract. cap. 5. num. 17. Malderus de iustitia, tract. 4. cap. 7. dub. 5. Voltherus Strenersdorff in D. Tom. de iust. & iure, q. 66. artic. 8. disput. 4. num. 4. & alij ex authoritate leg. si quis vel pecunias, iuncta authentica ibi subiecta, C. de deposit. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam docui cum Tannero in mea parte 3. tract. 5. Resolut. 10 asserens leges supradictas legare tantùm in foro externo. Verùm nouissimè, me citato, aduersus hanc opinionem acriter insurgit Megalius in Promptuario Theolog. tom. 1. ver. Creditor, num. 5. sed quia casus quotidianus est, & deseruiet ad tollendos multos scrupulos, iterùm doceo, & assero, quod in foro conscientiæ, quando nulla est alia ratio rei sibi debitæ obtinendæ probabile est admitti compensationem in deposito: quia est de iure naturæ, & gentium, vt possit quis sibi satisfacere, quando alia via sibi debitum habere non potest. Et ita nostram sententiam, præter Tannerum docet Filliucius tomo 2. tract. 34. num. 18. Lessius de iustitia lib. 2. cap. 27. dub. 4. num. 16. Emanuel Sà, ver. depositum, num. 4. Petrus Nauarra de restitut. lib. 3. ca. 1. num. 391. Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 9. num. 10. Faustus in specul. confess. disp. 8. quæst. 18. num. 2. Naldus in summa, ver. compensatio, num. 5. Bizozzerus in summa, parte 2. memb. 2. numero 13. & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 29. diff. 5. num. 2. & tract. 11. diff. 23. nu. 5. vbi sic asserit. [En el deposito nn se admite compensacion v. g. deposito Pedro en ti mil ducados, y deuia te otros mil, en tal caso no se puede hazer compensacion con el dinero depositado, como consta en el derecho cap. bona fides, de deposit. tanto que vn deposito no se compensa con otro, y es por la fidelidad que se deue al deposito. Aunque esto dize Lessio, que le parece solo en el fuero exterior, que se lo manderian boluer, por la presuncion que hay de perfidia, y a mi me parece que lleua esto mucho camino, porque el que hizo compensacion con el deposito con las conditiones necessarias, no tiene mas de lo que deue tener, si ansi parece que no esta obligado en el fuero de la consciencia à restituir.] Ita ille, & ego. Et ideò in facti contingentia possunt Confessarij sine vllo scrupulo hanc opinionem in praxim deducere, cum tantos habeat patronos, & sit valida ratione fulcita. Vnde immeritò dixit Megalius, me citra rationem hanc sententiam docuisse, cum, vt visum est, sit satis probabilis.

An Missa certis Regularibus concessa pro aliquo Beato, possit ab alijs dici etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs.

RESOL. II.

EX multis rationibus negatiuam sententiam docui in parte 2. tract. 1. Miscell. Resolut. 55. sed nouissimè me citato, aduersus hanc sententiam insurgit Megalius in Prompt. Theolog. to. 1. ver. Canonizatio Sanctorum, nu. 1. vbi tenet cum Castro Palao tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 3. licere Beatificatos, vt beatificatos, colere recitatione horarum, processionibus solemnibus, & sacrificio Missæ, non solùm in locis, & Prouincijs, pro quibus est hoc concessum, sed etiam in alijs.

Ve-

Verùm hæc opinio summopere mihi displicet, & ideò negatiuam sententiam iterum doceo; & preter rationes ibi adductas, nunc addo hanc sententiam expressè determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die decimonono Nouembris 1622. teste Augustino Barbosa de officio Parochi, capit. vndecimo, num. 34. & Bartholom. Gnanto in Enchirid. Episcop. ver. Missæ ritus, num. primo, quod etiam probat Lucas Castellinus tract. de Canonizat. Sanctorum, c. 2. punct. 1. §. 6. n. 6. & septimò, ex ipsis Bullis Pontificijs, in quibus conceduntur supradicta Beatificatis cum clausulis restrictiuis diei, loci, & temporis; Vnde Eminentissimus Dominus meus Cardinalis ab Auria, & Illustrissimus Senatus huius vrbis Panormi, ex speciali priuilegio, & Decreto Sacræ Congregationis die 2. Augusti 1625. obtinuerunt vt Missa, & officium concessa Clericis Regularibus pro nostro B. Andrea Auellono diceretur à Clericis sęcularibus, & Regularibus in alijs Ecclesijs dictæ Ciuitatis. Et ideò ex his opinio Castri Palai, quam contra me sequitur Megalius, à Reuerendissimo Magistro Sacri Palatij Romæ admissa non fuit, & liber ille ibi anno præterito venalis non erat, licèt vt verum fatear eius auctor aliàs sit vir doctissimus. Inuigilent igitur Ordinarij, ne in eorum Diœcesibus opinio supradictorum Auctorum deducatur in praxim, & contrauenietes, me consulente, sine debita animaduersione minimè derelinquant.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato vel debili, vt facilior pateat aditus teneatur pati incisionem si commodè potest.

RESOL. III.

IN Parte tertia mearum Resolutionum, tractat. quarto, Resolut. 201. opinio negatiua Basilij Pontij lib. 7. de matrimon. cap. 62. numero 2. probabilis mihi visa est ex rationibus, quas ipse adducit, & in fortioribus terminis hanc sententiam in causa matrimonij Illustrissimorum D. Francisci de Fonseca, & D. Ioannæ de Azeuedo testatur consuluisse virum illum magnum Aloysium Legionensem Salmanticę die 3 Aprilis anno 1570.

Sed aduersus illum nouissimè, me etiam citato, insurgit Megalius in Promptuar. Theolog. tomo primo, vèr. corruptio Virginis num. quinto, asserens hanc sententiam esse contra Sacros Canones, nimirum contra ca. ex litteris, & cap. fraternitati, de frigidis, & malefic. & contra Doctores, præsertim Durandum, Paludanum, & Gabrielem, & plurimum dolet me hanc sententiam docere.

His tamen non obstantibus adhuc puto opinionem quam docui, probabilissimam esse, pro cuius explicatione duæ sūt discutiendæ difficultates. Prima, an in tali casu mulier teneatur adhibere incisionem, si non adsit periculum. Secunda, an sit dissoluendum matrimonium. Et quoad primam difficultatem affirmatiuè respondet Megalius vbi supra, sed ego puto distinguendum esse. Nam aut defectus naturalis est in muliere ob extraordinariam arctitudinem, aut mulier nullam patitur ægritudinem, seu defectum, & per illam non stat, quo minus reddat debitum viro suo, sed defectus procedit ex illo, quia membrū habet (ignoscant quæso pudicæ aures) minus improportionatum, vel non ita firmiter erigit.

Hoc supposito, dico quod in primo casu si incisio non sit inductiua mortis, vel infirmitatis grauis, & periculosæ, non solùm potest, sed tenetur mulier illam pati, quia defectus prouenit ex se ipsa, & in eas angustias mulier sua culpa se coniecit, debuisset enim sibi prospicere ante nuptias. Verùm in secundo casu, quando defectus non prouenit ex muliere, sed ex viro, vt est in casu de quo loquimur, tunc puto fœminam non teneri ad incisionem tollerandam, etiamsi modo facili efficiatur, hoc est si vitæ periculū non adducat, puta cauterio, vel apertione sigilli. Et hanc sententiam non solùm tenet Pontius, & Ledesma de matrimonio, quæst. 58. art. 1. circa fin. ab ipso Sanchez citatus, sed etiam nouissimè illā docet Gaspar Hurtado insignis Theologus Societatis Iesu tract. de matrimonio, disp. 12. difficult. 8. numero 25. quia, ait, fœminæ nullus est defectus vt reddat, sed tantùm viro, ergo ipsi tantùm, & non fœminæ incumbit vti remedio, quo defectus ipsius suppleatur: fœminæ verò sufficit offerre debitum more ordinario, præsertim quod fœminam præcipuè virginem artificio corrumpi horreat quodammodo natura, & honestas ipsa difficile patiatur. Ita Hurtado loco citato. Igitur fœmina, in casu de quo loquimur, nullam tenetur adhibere incisionem, etiam si medici sine periculo illam aptā redderent, vt vir cum ipsa coitum consummare posset. Et hanc sententiam probabilissimam esse minimè dubito, quidquid in contrarium afferat Megalius, & Sanchez, quibus ego addo Petrum Ochagauiam de sacr. tract. 3. de impedimento matrim q. 69. num. 16.

Quoad secūdam verò difficultatem, an si vir trium annorum congressu atque conatu, claustra tamē non violauit, an inquam in tali casu matrimonium sit dissoluendum? & probabiliter affirmatiuè respondeo; Vnde notandum est cum Pontio, in contractu matrimonij celebrati in ordine ad copulam esse traditionem corporis apti in vsum, etiam pro corpore apto. Tradit itaque femina corpus aptum, vt vtatur eo etiam vir ex se aptus non verò se tradit inepto, cum sit contractus rei pro re ęqualis æstimationis. Hinc oritur ius, quod confert matrimonium, non esse aliud, quam vt vir aptus vtatur apto corpore. Si ergo ineptus fuerit ad corporis vsum, quod de se aptum illi in vsum traditur, nullum habet ius in matrimonio vir in corpus fęminę. Qui ergo impotens est ad virginem agnoscendam, cū re vera ille sit ineptus nisi incidatur, nullum ius habet ad eius vsum, quia cum hoc ius solùm conferri debeat ex vi contractus, non censetur contractus validus, nisi subintellecta conditione mutuæ aptitudinis. Hæc Pontius.

Nec valet dicere cum Megalio, quod matrimonium tunc est dissoluendum, quando impedimentum est perpetuū, v. g. quando arte medicorū absque corporali periculo non potest remoueri. Sed in nostro casu hoc impedimentum non est tale, quia opera humana potest remoueri, vt supponimus; ergo non potest tale matrimonium dissolui. Non inquam, valet hoc argumentum, quia non procedit in casu nostro; Non enim impedimentum prouenit ex defectu fœminæ, quæ si naturaliter esset ita arcta, vt membrum virile intra vuluæ non reciperet, tunc inquam minimè matrimonium esset dissoluendum: nam tale impedimētum sine periculo, opera humana posset quis remouere. Sed in nostro casu impedimētum prouenit ex defectu viri, ad quod tollendum, medicamētum nullum superest, neque adest, nec ille in tali casu habet ius in corpus vxoris, vt male asserebant Sanchez, & Petrus de Ochagauia vbi supra, quia, vt dictum est, fęmina per eōtractum matrimonij ius suum tradit viro apto, non inepto, & ideò in non aptum nullum trāsfertur ius; commune est enim cuicunque cōtractui obligationem inducere iuxta solemnitatem, formam, & conditiones quibus celebratur, ac proinde cum matrimonium contractus quidam sit in quo vir, & vxor se mutuo tradunt in vsum matrimonij, ea conditio subintelligitur, quamuis non exprimatur, si ad eum vsum apti fuerint. Manifestum autem est, non subintelligi vt apti sint ad vsum tertij, sed inuicem alter alterius comparatione habilis, vxorque se tradit viro vt ab illo cognoscatur, non autem à medico, igne, vel auro, vel obstetricis manu. Ergo, &c.

Igitur concedo Megalio, & verùm est, quod quādo impedimentum arte medicorum tolli potest absque grauibus tormētis, impotentia non censetur perpetua; neque ex illo capite potest censeri irritum, quamtumuis mulier mediocres cruciatus pati nolit, quos tamen tenetur sustinere propter ius mariti, licèt in hoc etiam contrarium doceat Pontius. Sed hæc omnia intelligenda sunt, vt diximus, si impedimentum non prouenit ex defectu viri. Vnde patet responsio ad Canones adductos contra nostram sententiam.

Et primò, adducit Megalius textum in capit. ex litteris, de frigidis, & maleficiatis, vbi Alexander Tertius, sic ait. *Respondemus igitur, quod si vitium mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adiuuare, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ergo, ait Megalius, si opere medicorum adiuuari poterat, adiuuanda erat, & viro non erat concedenda facultas aliam accipiendi. Ita ille, Sed non ad rem; nam textus, vt patet, loquitur quando vitium mulier à natura contraxit, at in casu de quo loquimur, mulier non contraxit vitium à natura, sed vir; ergo textus non facit pro casu nostro, in quo mulier est integra, & vegeta, & in suo statu secundum naturam, vnde quid reparatione, medicamentis, & obstricante manu opus habet? adhibeantur hæc viro defectuoso, & impedimentum patienti, & non mulieri sanæ, & si non adsunt,

vnus-

vnusquisque reuertatur per aliamviam ad regionem suam.

Secundò, Megalius adducit textum in cap. fraternitatis eodem titulo de frigidis, & malefic. vbi Innocentius III. sic habet. *Per hæc autem quæstionem illam noueris esse solutam, qua quæritur, virum ea quæ adeò arcta est, vt nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodo leuis, sed forte tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi*, Ita textus, per quem contra me putat Megalius casum in terminis decisum esse. Sed textus vt legenti patet, loquitur de muliere arcta ex defectu sui adeò, vt nulli possit carnaliter commisceri. At in casu nostro mulieri non obstat aliud nisi virginitas, & est arcta vt omnes aliæ mulieres, ita vt cũ alijs carnaliter, vt dicit textus possit commisceri, defectus autem ex viro prouenit, qui improportionatã trabem habet, vel languidam, & semimortuam. Quare igitur pęna sustinenda erit à muliere, neque vt superius satis probatum est, vir defectuosus habet ius super illam, vt patiatur ferrum, ignes, aurum, & alia medicamenta. Ergo, &c.

Igitur Canones loquuntur, quando defectus prouenit ex muliere, non autem ex viro, vt supponimus in casu nostro. & ita loquuntur, Paludanus, Gabriel, & Durandus, quos adducit Megalius, & alij Doctores communiter, demptis aliquibus. Vnde apparet hanc opinionem, vt supra explicatam, non carere maxima probabilitate, licèt Pontius magis absolutè loquatur. Sed ego; vt patet ex titulo dictæ resolutionis, in casu modo explicato, vt supra illum sequutus sum. Non est ergo sententia, quam in dicta Resolutione docui, contra Canones, vt Megalius putatur.

An Regulares possint confiteri (seclusa prohibitione suorum Prælatorum) vel de eorum licentia, cum sacerdotibus sæcularibus non approbatis ab Ordinario.

RESOL. IV.

IN part. 1. mearum Resolut. moralium. tractat. 2. de immunitat. Eccles. Resol. 49. adduxi opinionem amicissimi Ioann. Sancij heu quondam nostri, viri quidem docti, in select. disput. 49. num. 11. vbi docet Equites D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ. &c. quia sunt verè Religiosi, posse confiteri cum sacerdote seculari non approbato ab Ordinario, Sed nouissimè Ioannes Maria Nouarius Iurisconsultus in tractat. de Elector. fori, cap. 69. numer. 22. me citato, iudicat in meo codice illa verba (cum sacerdote sęculari) fuisse posita ex impressorum incuria, quia aliàs falsa, & cõtra Concilij Tridentini mentem esset mea opinio.

Verùm supradicta verba non fuerunt impressa ex incuria Typographis, neque mea opinio est cõtra Concilium Tridentinum, quia supposita opinione Sancij, quæ an sit probabilis, vt ego alibi dixi p. 3. tract. 2. resol. 23. remitto me iudicio aliorum; Religiosi non tenentur confiteri sacerdoti approbato ab Ordinario, si fortè ex licentia Prælatorum confiteantur sacerdoti sęculari, quod contra communem Theologorum, & Casuistarũ opinionem tenet Nouarius vbi supra.

Imò si sine licentia confiterentur Confessario sęculari, illa confessio esset nulla: non quia Confessarius carebat approbatione Ordinarij, sed quia ipsi carebant licentia confitendi. Dicendum igitur contra Nouarium, Regulares quando riiè confitentur cum sacerdotibus sęcularibus, posse illos eligere, qui etiam carẽt Episcopi approbatione. Nec aduersus hanc sententiam facit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 15. vt asserit Nouarius; imò ex dicto loco Concilij probatur; nam Concilium, vt legenti patet, solùm decernit nullum sacerdotem, nec etiam regularem, posse excipere confessiones sæcularium absque approbatione per Episcopum obtenta; Ergo tantùm inducit obligationem, quod sacerdos sæcularis, absque approbatione Episcopi, non audiat sęcularium confessiones; benè igitur poterit sine approbatione eiusdem Regularium audire cõfessiones.

Et ita hanc sententiam præter Sà, Ragucium, Vegã, Ledesmam, Graffium, Henriquez, Suarez, Campanili, & Nanarrum, quos ego ipse citaui in part. 3. tractat. 2. de Dubijs Regularium, Resol. 30. tenet etiam Petrus Ochagauia de Sacram. tractat. 2. de confess. Sacram. quæst. 39. num. 4. Aegidius Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ, libro. 1. § 7. capit. 1. dub. 1. numero 5. Philippus de la Cruz in thes. Eccles. tractat. 1. capit. 20. numero 1. Hieronymus Rodriquez in compend. qq. regul Resolut. 31. numer. 21. Fagundez Pręcept. 2. libro 7. capit. 2. numero 3. Vasquez in 3. parte tom. 4. quæst. 93. artic. 3. dub. 3. numero 5. Villalobos in summa, tomo 1. tractat. 9. diff. 55. numero 1. Ioseph. de Ortu in specul. Paroch. capit. 10. numero 8. Syluius in Addi. ad 3. part. D. Thomæ, quæst. 8. artic. 5. quæritur 4. Reginaldus tomo 1. libro 1. capit. 5. numero 41. & libro 8. capit. 3. section. 4. numero 36. & Ludouicus de San Iuan in summa, tomo 1. quæst. 9. artic. 1. de Sacram. pœnitent. dub. 1. diff. 4. in Appendice, vbi sic asserit. (Para oyr las confessiones de los Religiosos es sufficiente la approuacion, y comission de sus Prelados, y con ella las pueden oyr qualesquier simples sacerdotes. Porque aunque el Cõcilio sess. 25. capitolo 15 determina que ninguno aunque sea regular, pueda oyr las confessiones de los seglares aunque los dichos seglares sean sacerdotes, si no fueran aprouados para los Obispos, esse decreto solamente tiene lugar en las confessiones, que hazen los seglares, porque para los Religiosos es sufficiente la aprouacion y licentia de sus Prelados, como lo era antes del Concilio, que no reuoco el vso y derechos antiguos de los Regulares,) Sic ille. Vnde clarè patet opinionem nostram non esse, vt asserebat Nouarius, contra mentem Concilij, sed esse potius fundatam in ipsomet Concilio, & communiter ab omnibus Doctoribus receptam. Et licèt à Sancio, vbi supra, pro contraria sententia in fauorem Nouarij, citetur Coriolanus de casibus reseruatis, parte 1. section. 3. art. 16. numero 2. fallitur tamen, nam Coriolanus ibi loquitur, vt apertè patet, quando Regulares confitentur sacerdoti sęculari vigore alicuius Iubilæi, & tunc multi asserunt, non solùm Coriolanus, quod talis sacerdos debet esse ab Ordinario approbatus, nam Summus Pontifex illud priuilegium concedit Regularibus cum illa conditione. Secus autem est in nostru casu, de quo contendimus cum Nouario; nam nos loquimur in terminis Concil. Trident. & in alijs cõfessionibus extra Iubilæum factis à Regularibus cum confessarijs sæcularibus ex licentia suorum superiorum, in quibus non opus est Ordinariorum approbatione.

Imò ego probabiliter puto Regulares, qui confitentur vigore Iubilæi seu Bullæ Cruciatæ, posse eligere Confessarium Regularem, approbatum solùm per eius superiorem, quamuis nõ obtineat approbationẽ per Episcopum. Nam licet in Iubilæis, & in Bulla Cruciatæ exprimatur, vtentem illis debere eligere Cõfessarium approbatum ab Ordinario, intelligi oportet iuxta formam traditam in Trident. sess. 23. cap. 15. exposcente ab Ordinario approbationem, videlicet ab Episcopo quando confessiones excipiendæ sunt sæcularium, quando verò Regularium, relinquitur dispositioni iuris communis, dicentis Ordinarium Regularium esse Religiosi ordinis Superiorem. Ita Sancius loco cit. numero 6. qui citat Rodriquez, Ledesmam, Bonacinam, Monte, Valerium, & alios.

Vnde ex his omnibus sequitur, & sæpius accidit, & practicatur, quod si alicui Regulari concedatur licentia tacitè vel expressè, vt in itinere confiteatur cum sacerdotibus extra ordinem, tunc eligere potest Sacerdorem sęcularem non approbatum ab Episcopo, dum tamen sit aliàs idoneus. Et ita docet Zerola in praxi de pœnitent. capit. 15. quæst. 2. §. dico quarto. Henriquez libro 6. cap. 31. numero 1. Suarez tomo 4. disputat. 28. sect. 4. num. 5. Emmanuel Sa ver confessar. numero 6. Ochagauia de Sacram. tractat. 2. quæst. 38. numero 4. Vasqu in 3. part. tomo 4. quæst. 93. artic. 3. dub. 3. numero 5. & alij. Quibus etiam addo Ludouicum de San Iuan in summa, quæst. 9. artic. 1. dub. 2. diffic. 5. cõclus. 2. vbi sic ait. (El Padre Llamas dize, que el Relegioso que va a camino con licentia de sus superiores, la lleua virtual para elegir qualquier sacerdote de todo el mũdo secular, o regular, auque no sea aprouado, como ne este descomulgado, suspenso, o por otra via impedido. Lo primero se prueua, porque assi enseña Caietano, trayendo vna declaracion de Eugenio IIII. acerca deste punto. Lo segundo, porque esse à sido costumbre antigua de los Prelados, que lo han tenido por bien, y el Concilio Tridẽtino no ha inouado algo acerca de los Regulares.) Ita ille, licèt aduersus Llamas dubitet de tali licentia generali Prælatorum, quando potest haberi Confess. ordinis. Sed hoc non facit pro casu nostro. Ex quibus remanet satis firmata nostra sententia aduersus Nouarium, vi-

rum alioquin doctum,& mihi carissimum.

Notandum est tamen hic obiter, id quod alibi docui,& nūc iterùm doceo, in quo multi Regulares pessimè falluntur, & seipsos decipiunt, nempè in itinere etiam si habeant expressè licentiam confitendi cum quocumque Sacerdote, sub tali licentia non includitur facultas, vt possint obtinere absolutionem à reseruatis, maximè à Confessarijs secularibus. Ita Doctores communiter; vnde supradictus Ludouicus de San Iuan loco citato, dub. 3. sic ait. (Si el Prelado da licencia al Religioso para eligir confessor fuera de la orden, no podra en virtud de la dicha licencia ser absuelto de reseruados, porque como se dize en derecho, en la concession general no se contienen à quellas cosas que no se concederian si especialmente se pidiessen.) Sic ille. Vnde si Regulares in itinere, quod Deus auertat, incidant in casum reseruatum, & necesse sit Missam dicere; possunt illam ratione scandali celebrare sine præuia confessione, eliciendo actum contritionis; vel, vt alibi diximus, confiteantur cum attritione etiam peccata reseruata si velint, quæ indirectè tunc à Confessario absoluuntur,& posteà iterùm Confessario habenti super illa iurisdictionē manifestent, vt de illis directam absolutionem obtineant. Vide me ipsum in 3. part, tract. 4. resolut. 104. & tract. 5. Resol. 68.

An qui ministrat Eucharistiam in peccato mortali, peccet mortaliter.

RESOL. V.

PRo negatiua sententia plures Doctores adduxi in parte 2. tract. de Celebrar. Missarum, resolut. 23. sed cuidam Theologastro nimis laxa visa est hæc opinio, immeritò tamen, nam est probabilissima. Et ita præter Vasquez, Ledesmam, Nugnum & alios, quos ibi citaui, tenet nouissimè hanc sententiam, me citato, amicus noster doctus Barbosa, tract. de officio Parochi. capit. 20. numero 17. vbi sic ait. Priusquam Parochus Eucharistiam administret, si habeat conscientiam peccati mortalis, debet præparare se ad gratiam per confessionem, vel saltem per contritionem: non peccabit tamen mortaliter, si sit in peccato mortali ministrans, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem proximè, sicut in alijs Sacramentis, sed tantùm est veluti applicans actiua passiuis, in alijs namque Sacramentis sacerdos simul conficit,& ministrat Sacramentum, non autem in hoc, nō enim est idem cōficere,& ministrare. Ita mecum Barbosa.

An expositi censendi sint irregulares, & sint baptizandi.

RESOL. VI.

PRo affirmatiua sententia in part. 2. tractat. 15. Resol. 22. adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Hurtadum de irregul. disputat. 2. diff. 14. numero 57. verùm ibi contrariam sententiam probabilem existimaui,& iterum existimo, vnde tales possunt ordinari sine vlla dispensatione,& metu irregularitatis, & præter DD. ibi adductos docet etiam hanc sententiam nouissimè Paulus Squillante de Priuileg. Cleric. capit. 4. dub. 2. n. 39. Barbosa de potest. Episcopi, part. 3. alleg. 52. numero 150. & me citato, Dominicus Tassonus in Pragm. de Antifato, ver. 13. obs. 1. num. 78. verùm de hoc iterùm redibit sermo in 4. p. trac. de irregularitate.

Sed an dicti (& est casus quotidianus) sint baptizandi sub cōditione, Henriquez libro 2. capitulo 31. numero 1. putat si quis infans inter Catholicos in ianuam Ecclesiæ, aut alterius hominis expositus inueniatur, credi debere baptiz. nisi peculiares coniecturæ grauem suspicionem in contrarium gignerent, vt si in eo loco degerent multi infideles, aut Anabatistæ, qui filios suos non baptizarent. Sed hoc, vt aduertit rectè Adamus Tannerus in 3. parte disputat. 4. quæst. 2. dub. 4. num. 113. maiori indiget limitatione; nam sæpè mulieres cum ad scelus tegēdum partum occultè effundunt, parum sunt sollicitæ de spirituali infantis salute, sed hoc potius, curant, vt partum à se quouis modo, & quam fieri possit occultissimè amoliantur. Vnde quoties tenellus, & paucorum dierum infans expositus reperiretur, meo quidem iudicio necessariò sub cōditione baptizandus esset, quod etiam in Eboracensi Concilio fuisse statutum refert Baronius tom. 12. Annal. secus esset si infans reperiretur cum schedula baptismi teste, ita Tannerus. Vide etiam Præpositum in 3. part. quęst. 66. artic. 9. dub. 1. num. 102. Layman, Coninch,& alios vbi infra.

Difficultas verò est, si tale testimonium non apponatur, sed puer ex colore,& ætate videretur infans natus ante mensem; an in tali casu sit etiam cum conditione baptizandus. Negatiuè respondet Sotus in 4. distinct. 3. quæst. vnica, artic. 9. Filliucius tom. 1. tractat. 2. cap. 6. numero 149. Vasquez Ochagauia,& alij. Sed ego in tali casu consulerem infantem baptizandum esse sub conditione,& ita docet Villalob. in summ. tom 1. tractat. 5. difficult. 7. num. 4. vbi sic ait. (Dize Soto que si se iuzgasse por la edad que vn nino era de mas de vn mes, o veinte dias, no se atreueria à baptizarle. Mas yo en este caso dixera que le baptizaran de baxo de cōdicion, pues no auia certidumbre que estaua baptizado, mayormente que en tan tierna edad muy mal se puede hechar de ver, si el nino era de vn mes, que nacen algunos tan grandes como son otro de vn mes.) Sic ille. Idē etiam cum Vasquez in 3. part. tomo 3. disputat. 146. capit. 4. nume. 26. dicendum puto, si puer expositus esset inter infideles, etiam si haberet chartam appositam testantem de baptismo, nā in tali casu puto esse baptizandum sub conditione. Item puto cum Ochagauia de Sacram. tract. vnico de Sacram. baptism. quęst. 11. numero 8. si pueri inueniantur in nemore, de quibus dubitaretur, quibus essent parentibus nati an fidelibus, vel infidelibus deberent enim sub conditione baptizari, vt salutis æternæ amittendæ periculum vitaretur.

Non reticeam etiam hic apponere dubium, de quo olim interrogatus fui, an peccaret mortaliter, si quis non baptizatum baptizaret sub conditione; tunc multi affirmatiuè responderunt, sed ego negatiuam sententiam docui, & adduxi Ludouicum de San Iuan in summa de Sacrament. baptismi, qu. 1. artic. 8. dub. 2. conclus. 2. vbi sic ait (Pecado venial es bautizar condicionalmente alque consta no estar bautizado porque bautizar con condicion en caso cierto es acto inutil, y contra el vso de la Iglesia, que solo pone condicion en caso dudoso, y digo que es venial, porque la materia, de la iniuria es leue.) Sic ille,& Villalobos vbi supra, num. 2.

An confessarius approbatus pro viris, sit eligibilis à fœminis virtute Bullæ Cruciatæ.

RESOL. VII.

PRo sententia affirmatiua, & negatiua adduxi Doctores in 1. parte. tracta. 11. Resolut. 9. & ibi vtramque sententiam probabilem existimaui, quam ita esse nouissimè docet etiam Philip. de la Cruz in thes. Eccles. tractat. 1. §. 20. numero 1. vbi sic ait. (Otra dificuldad mayor es la que se sigue, y es, por virtud de Iubileo, o bula, o priuilegio pueden las mugeres elegir por confessor al que solo esta aprobado para confessar tan solo hombres? Algunos Doctores dizen, que no, como tengo dicho, y aqui se pondra la opinion contraria, y cada vno eligira la que mas le pareciere. Pero lo contrario se puede tener tambien con Enriquez y refiere à Medina, y a Angelo, Coninch, Nuñez, Sāchez, Ledesma y otros y sea la razon, que este tal verdaderamente esta aprobado por el Ordinario. Lo otro que à qui se habla en materia fauorabile, pero lo que tiene de mas probable la contraria, es, que ella esta puesta en vso, y esta segunda no. No obstante se puede tener vna y otra, por ser ambas de tan graues Doctores.) Ita ille.

Nota etiā quod vbi supra in Resolut. 12. asserui regularem olim approbatum,& posteà sine causa reprobatum ab Ordinario, esse eligibilem virtute Bullæ Cruciatæ, & præter Acostam ibi citatum, tenet etiam hanc sententiam Trullench in Bulla Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 7. n. 17.

Sed incidenter ponam hic pulchrum dubium, an Religiosus à Prælato suo non præsentatus possit ab Ordinario, approbari,& de eius licentia confessiones secularium audire, & virtute Bullæ eligi. Rodriquez 1. tomo. quæst. 60. articul. 3. existimat approbationem esse inualidam,& per consequens non posse eligi; quia Regularibus ius commune medio Prælatorum consensu communicat sua priuilegia: quod colligit ex constitutione Iulij III. dubio super citato. Probabilis tamen

mihi

mihi est pars affirmans:nam reperiuntur omnia requisita,scilicet approbatio,& iurisdictio, quæ duo à Trident. requiruntur. Ad constitutionem Iulij iam responsum est sup.solùm intelligi quoad iurisdictionem, & facultates suorum priuilegiorum.: Hæc enim sine consensu Prælatorum ipsis non communicantur.Et hæc omnia docet Trullench vbi supra,dub.6.n.8.

An compensatio in foro conscientia sit valida, etiam si adsint creditores anteriores.

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam Conitoli, Homoboni & Fernandez adduxi in part.3. tractat. 5. Resolut. 10. & quia cognoui hanc opinionē cum gaudio à viris doctis fuisse receptam,quia casus quotidianus est,ideò in eorum gratiam adducam alium Doctorem hanc sententiam docentem, & is est Samuel Lublinus Professor Sacræ Theologiæ in studio Cracouiensi, ex almo Ordine Prædicatorum, in summula casuum conscientiæ,versic.pecunia, numero 17.vbi sic ait.Detur casus, Henricus est in bonis nonnullis sui debitoris mortui, cui tredecim nummos aureos crediderat,sed si velit iure experiri,causa cadet Henricus,quia suum nomen testibus,&syngrapha caret, eius est is solus conscius. Hæres demortui ad Henricum scribit,vt quātum est eius nomen, tantundem sumat de bonis defuncti. At multi sunt creditores, qui de bonis defuncti volunt sibi solui.Quare ijs apud Iudicem Ecclesiasticum,obnixè agētibus, edixit Iudex vt qui aliquam rem quæ in peculio mortui debitoris erat possidet, aut à quopiā possideri scit,cogatur denuntiare sub pœna excommunicationis. Quærit modo Henricus, num compensationis nomine possit retinere de bonis defuncti quantum ei crediderat,& num de iure res quas habet in manibus indicare Iudici teneatur. Quid putas dicere ? satisfit. Est Henricus compensandus,nec de reliquis creditoribus, quibus mortui debitoris nondum sunt bona addicta, debet esse solicitus,dummodo Henricus non possideat iure depositi,nam depositum non admittit compensationem, & dummodo eius creditum sit certum. Respondet Henricus certum suum esse creditum, quamuis actionis, & probationis ciuilis sit expers, neque se nomine depositi quidquam mortui debitoris habere. Tunc ergo infero. Igitur in compēsatioem ius tibi dicere potes neque enim æquum esse videtur, te rem tuam amittere, cùm illam possis recuperare.Ita ille,sed ego aduersus illum puto probabiliter etiam in deposito dari compensationem, vt supra probatum est in Resol.1.contra Megalium.

An regulares virtute Bullæ Cruciatæ possint absolui extra Religionem à peccatis reseruatis.

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam docui in parte prima, tractatu de Bulla Cruciatæ,Resolut.14. sed ibi pro affirmatiua adduxi Ioann.de la Cruz, cui nunc addo Aegidiū Trullench in expofit.Bull.Cruciat.li.1.§.7.c.1.dub.9.per totum, quia Summus Pontifex in Bulla concedit facultatem Regularibus sumendi eam, & quando Bulla post suspensionem omnium indulgētiarum, gratiarum, & facultatum excipit concessa superioribus mendicantibus, ista exceptio intelligitur respectu tantum indulgentiarum, vt patet ex contextu, dum dicitur, *quo ad sibi subditos*; & confirmatur, quia Commissarius absolutè derogat priuilegijs huic expeditioni contrarijs, & talia sunt supradicta priuilegia Regularium, nam multi Religiosi retardarentur ab acceptatione Bullæ. Ergo &c. Deinde supradicta priuilegia Regularium post Bullæ promulgationem non sunt ad instantiam Prælatorum per Papam reualidata, & post reualidatioē à superioribus subditis suis notificata, & per notificationem à subditis acceptata, quæ omnia ad horum obligationem requiruntur, secundùm opinionem probabilem Soti libro 1.quæstio 1.articul.4.& Medinæ,quos affert Rodriquez in Bull. Cruciat. §.9.numero 24.quibus adde Becanum in part.2.tractat.4.cap.6. quæst.6.numer.7. Ex quibus omnibus,& multis alijs rationibus

concludit Trullench loco citato,numer.16.Regulares licitè,& validè absque licentia Prælatorum,vigore Bullæ Cruciatæ posse eligere pro libito quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum,qui eos possit absoluere etiam à reseruatis suis superioribus. & Papæ,sicut alij sęculares ; casu tamen, quo non cōstaret eorum Priuilegia post Bullę promulgationem esse reualidata,& notificata,& acceptata modo supra explicato.Ita ille,qui respondet ad Breue Clem.VIII.asserendo solum Pontificem declarare suam intentionem pro Bullis scilicet, & indultis particularibus à se concedendis,& concessis,non autem pro concedendis à suis successoribus,proindeque ipsius successores Bullam cōcedentes potuerunt Clementis intentioni, & declarationi derogare, concedendo nimirum facultatem Regularibus Bullam accipiendi, & eius priuilegijs fruendi.Et hanc sententiam probabilem putat P. Leone de officio, & potest. confess.part.2.Resol.11.num.54.licèt, me citato,dicat contrariam esse communem,& probabiliorem.

At his non obstantibus hanc sententiam puto non esse probabilem,nec tutam in Praxi, stante Bulla Vrbani VIII. innouantis Constitutionem Clement.VIII. cuius tenorem ponam huc per extensum. *Innouatio Constitutionis fel. record. Clementis Papæ VIII. supra Bulla Cruciatæ, & regularibus quoad Sacramentum Pœnitentiæ.* VRBANVS PAPA VIII. *ad perpetuam rei memoriam* (In specula militantis Ecclesiæ, nullo licèt meritorum suffragio,diuina dispositione constituti, & attentè considerantes, sacros Regularium ordines tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulisse ; vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontif. prædecessores nostri magnā iure optimo diligentiam semper adhibuere,indignum, quin potius debitum reputamus,vt eorundem Pontificum vestigiis inhærentes, ad eas pastoralis vigilantię partes iugiter intendamus vt in eisdem ordinibus disciplinæ regularis obseruantia sarta tecta conseruetur, & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ constitutionis ministerio salubriter remoueantur. Aliàs siquidem fel. rec. Clem. Papæ VIII. prædecessori nostro per Procuratorem generalem Ordinis fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo nuncupat. exposito quòd cùm in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & alijs priuilegijs ab Apostolica Sede cōcedi solitis, detur facultas eligendi Confessarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à Casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis, Religiosi prædicti Ordinis seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus vti præsumebant in detrimentum eorum regularis disciplinæ: Quare idem Clemens prædecessor sua perpetuo valitura constitutione declarauit facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ,& aliorum indultorum prædictorum, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, non habere locum cum fratribus, & fororibus Monialibus quorumcumque Ordinum,& Congregationum cuiusmodi instituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam in Prouincia Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutis, neque eis suffragari, sed eiusdem Clementis prædecessoris intentionis fuisse, quod ijdem fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma Breuis desuper, sub die XXIII. Nouembris 1599. Pontificatus sui anno octauo expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleoius continetur Nihilominus,sicut nobis, non sine animi nostri molestia, innotuit, nonnulli Ordinis fratrum Prædicatorum professores prætextu Bullæ eiusdem Sanctæ Cruciatæ ac dictorum indultorum Confessarium huiusmodi,qui eos,vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendant, & forsan eligant, etiam ad præsens, postquam litteræ nostræ sub die xiiij.iunij 1624. Pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus Confessarium ad effectum huiusmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum concessa, emanatæ, pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum status, & obseruātiæ regularis præiudicium. Nos præmissis quantum nobis ex alto conceditur,obniare, ac fœlici tam eorundem fratrum Prædicatorum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quam omnium, & quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregat. Societ.& instituti, etiam speciali mentione, & nota digni vtriusque sexus tam Mendicantium, quam non Mendicantium statui,atque directioni,& aliorū Christi fidelium saluti consulere

T 2 vo-

volentes, prefataque Clementis prædecessoris declarationi inherentes, illamque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit, ampliantes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicè potestatis plenitudine Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi, etiā laicis & Clericis sęcularibus cuiuscunque status, gradus, qualitatis & conditionis, etiam speciali nota dignæ quod casus reseruatos etiam in Bulla Cęnæ Domini (heresi excepta) contentos, nonnisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi a prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & instituti Prędicatorū Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet cōstitutorum locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quod litteræ nostræ huiusmodi, vt præfertur durauerunt; si quidem die xiij. mensis Iunij 1629. proximè preteriti iam expirauerunt sed nostrę intētionis fuisse, & esse, quod iidem fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti pœnitentiæ, seu confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata, subiecti sint, earumdē tenore pręsentium perpetuo declaramus. Decernentes præsentes nostras litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis intentionis vitio seu nostræ, aut alio quocunque defectu à quoquam impugnari non posse. Sicque, & non aliter, in omnibus, & singulis præmissis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarū Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosuis alios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, ac iudicari debere, irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, præmissis ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis prædecessoris litteris concessa sunt non obstare cæterisque contrarijs quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenoris præsentibus pro sufficienter expressis habētes illas alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris est, ipsasque sic publicatas, omnes, & singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent, quoque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die xix. iunij 1630. Pontificatus nostri anno septimo.

Igitur ex supradicta Bulla apertè apparet saltem dum viuit, viuat verò Nestoreos annos, Sanctissimus Vrbanus VIII. non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium extra ordinē pro casibus reseruatis, vnde corruit opinio Trullench, & aliorum.

An rebaptizans aliquem sub conditione sit irregularis, & an infans ab infidelibus captus sit postea baptizandus sub conditione.

RESOL. X.

PRobabiliter quo ad primum negatiuam sententiam docui in part. 3. tract. 4. res. 9. & nunc iterùm doceo cum Tannero in 3. part. disputatione 4. quæstio. 1. dub. 4. num. 120. & Homo bono de bonis in consultat. cas. conscient. vol. 1. par. 4. Resp. 152. sed non desinam hic adnotare contrariam sententiam, nō solùm quoad irregularitatem, sed etiam quoad pœnam mortis impositam in leg. 2. Cod. ad Sanctum Baptisma iteretur, docere Ioannem Præpositum in 3. part. quæstione 66 articul. 9. dub. 3. numer. 103. vbi sic asserit. Aduerte vt pœna mortis propter rebaptizationem incurratur, aliquos requirere, vt Baptisma absolutè iteretur, quia pœnæ sunt restringendæ, vnde cēsent eum qui rebaptizaret sub conditione, etiam sciens validitatem prioris Baptismi, non afficiendum extremo supplicio, quamuis grauiter peccatet. Sed verius videtur, quod si in fraudem legis apponeret conditionem, sciens priorem, Baptismum fuisse validum, & illicitum rebaptismum, possit illa pœna affici, quia conditio non tantùm in ordine ad culpam, sed etiam in ordine ad pœnam potest censeri his circumstantijs tanquam non apposita, cum censeatur apposita solùm ad vitandam pœnam, & de cætero actio exterior videatur exerceri animo hæretico, & ex morali iudicio, quod Baptismus etiam ritè collatus possit repeti. Ita ille. Sed quidquid sit de hoc in foro externo, ego puto in foro interiori talem rebaptizantem sub cōditione non esse irregularem. Sed obiter ponam hic pulchrum dubium, de quo his diebus interrogatus fui, & hęc est facti species. Quidam in Rhutenia prouincia nascitur in qua eius regionis incolæ Christianam Religionem profitentur. Triennis Turcarum incursibus capitur, vt ipsi testantur, apud eos vti Turca educatur, crescit, viuit. Iterum à Hierosolimitanis Equitibus ad triremes mancipatur, annis pluribus vt mācipium Turca viuit sua lege, seruit. Is tandem Christianus fieri petit. Quæritur, an de suscepto baptismate dubius teneatur sub conditione baptizari.

Et prima facie negatiuè videtur respondendum, quia licet quando adest, dubium, an quis baptizatus, fuerit sit iterandus baptismus sub conditione, vt patet in capit. de quibus, de Baptis. Et docet D. Thomas in 3. part quæst. 66. articul. 9. ad 4. Scotus in 4. disputat. 6. quæst 8. Gabriel qu. 2. articul. 3. dub. vltim. Paludanus quæst. 4 articul. 1. post. 2 concl. & Doctores infra citandi, tamē hoc procedit, quando dubium est probabile, vt obseruat Bizozerus de sacram. part. 2. cap. 7. num. 18. Comitolus lib. 1. quęst. 1. num. 2. Zambranus de casibus tempore mort. ca. 1. dub. 1. num. 1. Estius in 4. sent. dist. 4. §. 15. Petrus à Sancto Ioseph de sacram. part. 2. disput. 1. sect. 5. Præpositus in 3. part. qu. 66. articul. 9. dub. 2. num. 99. Vasquez in 3. part. tom. 2. disputat. 146 ca. 3. numer. 22. Petrus Othagaria de sacram. tractat. vnico de sacram. Baptismi, quæst. 11. numer. 5. & alij communiter Sed in nostro casu non adest dubium probabile de Baptismo nō suscepto, nam quis potest probabiliter opinari puerum natum inter Christianos non esse baptizatum post tres annos suæ natiuitatis; Ergo &c. quod confirmatur ex doctrina Syluestri ver. Baptismus 4. num. 7. Soti in 4. dist. 3. quæst. vnica, artic. 9 Filiucij tom. 1. tract. 2. cap. 6 n. 149. Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de sacram. Baptis. quæst. 1. dub. 3. concl. 2. & aliorum asserentium quod expositi inter Christianos si ex ætate iudicētur nati ante mensem, censendi sunt baptizati; ergo quanto magis censendus est baptizatus iste puer qui in terra Christianorum natus, tres annos habebat quando fuit ab infidelibus captus. Igitur dicendum videtur supradicto consulenti non esse adhibendum Baptismum cum conditione.

Neque his obstat cap. paruulos, de consecrat. distin. 4. & D. Leo, in Epist. 37. vbi asseritur paruulos à parētibus subtractos, de quibus nescitur an fuerint baptizati, baptizandos esse, si non inueniantur testes de eorum Baptismo. Nam respondeo cum Vasquez in 3. part. tom. 3. disput. 66. artic 9. disp. 146. ca. 3. num. 25. Barbos. in Collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 42. cap. 2. num. 5. & alij quod canon citatus & D. Leo loquuntur de illis, qui in parua ætate à Barbaris capti fuerunt, & certum non esset in ea baptizari à fidelibus parentibus consueuisse. Sed in nostro casu scimus dictum paruulum fuisse captum in ea ætate, in qua omninò certum est fideles consueuisse Baptizare infantes, nam fuit captus ætatis suæ anno tertio. Ergo &c. & ideò Coninch. de sacram. quæst. 66. art. 9. dub. 1. nu. 97. asserit, quod si constaret tales infantes à Barbaris captos, iusto tēpore à fidelibus educatos fuisse, omninò præsumendi essent esse baptizati. Ita ille. Sed hoc accidit in casu nostro; Ergo, &c.

His tamen non obstantibus puto in supradicto casu adhibēdum esse Baptismum sub conditione, nam tota vis argumentationis pro parte negatiua superius positæ consistit in eo, quod dictus infans fuit captus ab infidelibus in ea ętate, in qua moraliter impossibile videtur non fuisse baptizatum, sed hæc veritas cōstat ex testibus infidelibus, qui hoc dicere potuerūt, vt posteà talis à Christianis captus non baptizaretur; vel absolutè dico

non

non posse testes fide dignos, ergo non est eis credendum, nam quę fides adhibenda est eis, qui fidem non habent. Quod à fortiori euidenter probatur ex doctrina Petri Ochagauiæ de sacram. tract. vnico de sacram. Baptismi quæst. 11. num. 8. & Vasquez loco citato, numero 16. Ioan. de la Cruz, & aliorum asserentium, quod si infantes exponerentur inter infideles qui baptismum execrantur, tunc etiam si secum haberent testimonium asseuerans eos esse baptizatos, essent saltem sub conditione baptizandi, quia tale testimonium suspectum esse posset; inde, ait Nugnus in 3. part. tom. 2. quæst. 66. artic. 9. concl. 2. si testis non sit ita fide dignus, vel quia inimicus est, vel alia ratione debet baptismus iterari sub cõditione, ex quo asserit Coninch. Vasquez, Ochagauia, locis citatis, Paludanus in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 1. post 1. concl. numero 6. in fine, Zambranus de casibus temp. mor. cap. 1. dub. 1. numero 9. Villalobos in summa, tomo 1. tract. 5. diff. 7. numero 4. Suarez tomo 3. disput. 22. sect. 2. Ledesma in summa, tomo 1. de sacram. baptis. cap. 5. diff. 2. & alij communiter ad tollendam dubitandi rationem, quod aliquis non sit baptizatus, opus esse testificatione testis fide digni, qui asseueranter affirmet se eum baptizari vidisse. Si ergo testis nõ est fide dignus, etiam si testificetur de ipso baptismo non sufficit; neque ei credendum est. Quanto magis credendum minimè est in casu nostro testibus infidelibus baptismum execrãtibus, qui non testantur de ipso baptismo, sed tantùm de quodam facto, ex quo si verum esset, oriretur probabilitas ipsius baptismi? Sed ego plus addo, quod etiam si dicti testes infideles asseuerarent supradictum infantem fuisse baptizatum, non esse eis credendum, & ita in specie docet Glosa celebris in cap. cum itaque de consecrat. distinct. 4. quam sequitur Ioann. Sancius in selectis, disp. 34. numero 8. vbi asserunt dubitanti de suo baptismo non esse iterum ministrandum, si vnius testis dicto constet collatum fuisse, nisi testis sit infidelis, aut Iudæus; quia tunc præsumitur testimonium ferre in iniuriam baptismi, siue baptizandi, vt scilicet alter sine baptismo remaneret. Non sunt igitur supradicti testes infideles fide digni, vt ex eorum testimonio, in casu de quo controuertimus, non sit baptismus cum conditione adhibendus. Et ita ego sentio saluo semper meliori iudicio.

An rectè Confessarij imponant pœnitentias applicandas pro animabus Purgatorij.

RESOL. XI.

HIc casus frequentissimus est, & passim hoc faciunt Confessarij, sed ego pro negatiua sententia in 3. part. tract. 4. Resolut. 54. Adduxi Ioannem Sancium, cui nunc addo Philippum de la Cruz in Thesauro Eccles. tract. 2. §. 6. num. 11. vbi sic ait. (Noten los Confessores concuidado lo que al presente aqui se dira, y preuengolo assi, por tener conocimento de que cotidianamente caen en esta falta y descuido, que quando cõfiassan y imponen la tal pęnitencia, la dan, deziẽdo a los seglares, que rezen tantos rozarios, ayunen tantos dias, hagan dezir tantas missas, y otras diligencias; A los Ecclesiasticos, que rezen vno, o dos Noturnos de difuntos, o los Salmos Penitenciales con sus preces, o sin ellas, o otra qualquiera oracion, y esto por las animas, que estan en Purgatorio padeciẽdo. Y verdaderamente hazen mal, porque el Sacrosanto Sacramẽto de la Penitencia fue instituido para remetir y perdonar la culpa y la pena del penitẽte, y para que satisfaga por el reato, a loqual se ordena la tal satisfacion, y assi sera contra la naturalezza de aqueste instituto el imponer la parte de la satisfacion al penitente, y que no le sea de prouecho sino a otros, y querer que satisfaga por penas agenas quedando el tal obligado y cargado con la suyas proprias, y assi digo, que imponerle al penitẽte quãdo se confiessa deste modo, y manera las las penitẽcias para que satisfaga por las animas, es no darle ninguna penitencia, y assi al penitente que desta manera se le diere, aunque tengan obligacion à cumplir loque le mandan, y mas ya acetada pena de pecado, ya sea graue la que le imponen, assi por pecados mortales non confessados, y aunque sean veniales con la comun; y ensenan Zerola, Sayro Valencia, Coninch, Reginaldo, Rodriquez, Nauarro, y otros infinitos que cita y sigue Enriquez, a los quales se allega Bonacina; con todo esso no tiene obligacion aplicar la tal penitẽcia por las animas de Purgatorio. El fundamento es, porque la tal satisfacion fue dada imprudentemente, y el Confessor no tiene autoridad para imponer penitencias indiscretas, y siendo la penitencia fuera de razon, no tiene el penitente obligacion a compirla, como ensena la comun, y trata muy bien Villalobos. Esta dotrina mas en particular resuelue Vega y Pedraca, y entre algunos auisos, que da al Confessor, pone estos por essenciales, y refiere los que mas hazen al inteuto, y a la letra dize Pedraca, Algunos dan en penitencia, que no buelua à caer ne tal culpa; y otros, que si cayeren en ella, que se obligados a hazer tal cosa; de lo qual se ha de guardar mucho el Confessor, porque esto es armar lazo al que va suelto. Otros que rezen tal cosa por las almas del Purgatorio y es descuido, porque la penitencia se da para satisfazer por si y no por otro, &c. La qual dotrina patrocinta tãbien el Dotor Iuan Sanchez con agudeza, y parece cosa dura, que deuiẽdo Pedro mil Ducados, y queriendo pagar los por si para que deste modo, quede desobligado y libre, se le prima a que quella cantidad pague per Antonio que los deue à Marcos, y que por esso el tal Pedro, queda con la carga y obligacion de pagar, assi al presẽte deue vno pagar segun los peccados cometidos pene como de vn año en purgatorio, debesele aplicar penitentia saludable para que quede desobligado. Llega el Confessor, y mandale que satisfaga por otro, o por otros que estan en penas, y assi queda el tal penitente cargado con aquella obligacion, que a no satisfazer el por otro camino, saliẽdo desta vida con ella, es fuerca la pague en el purgatorio. Esta es iniusticia grande que se haze al penitente, y assi se aduierta y note que ni missas, ni oraciones, ni limosina las aplique el Confessor quãdo confiessa a alguno, y le quiere imponer la penitẽcia por las animas, sino por el mismo penitente que es quien ha de satisfazer, como dice muy bien el Dotor Iuan Sanchez.)Ita ille. Verùm pro affirmatiua sententia in dicta Resolut. adduxi Turrianum, tract. de pęnit. disputatione 37. dubio 4. & quia Codex rarus est, ponam hic per extensum eius verba, sic enim ait. (Recentiores aliqui ausi sunt dicere hoc non esse licitũ & probant: quia opus illud est pars Sacramẽti, & fructus eius est ipsi pęnitenti, qui recipit Sacramentum. Mihi placet primo, satisfactionẽ, vt habet effectũ ex opere operato non posse pro alio offerri, vel alteri applicari, quia effectus Sacramenti ex institutione Christi datur recipienti Sacramẽtum. Secundò existimo, satisfactionẽ, quæ respondet operi pœnali, ex opere operantis posse pro altero offerri, & alteri applicari, quia hæc non respondet soli recipienti Sacramentum, neque talis est institutio, neque fundamentum ad dicendum esse talem institutionem. Tertiò existimo opus pœnale posse imponi penitenti cum obligatione, vt satisfactionem ex opere operãtis offerat pro anima purgatorij, nihil est enim, quod hoc impediat. Ratio verò contrariæ opinionis solùm probat, effectum ex opere operato non posse pro alio offerri. Et hæc sententia est in vsu apud doctissimos homines quos ego agnosco. Dices, illud potest esse pars Sacramenti, ergo non potest pro altero offerri. Ratio est illud opus, vt habet effectum vt partem Sacramenti non posse pro altero offerri, benè tamen vt habet effectum ex opere operato. An verò contraria opinio recentiorum habeat probabilitatem dicam in censura Theologiæ.) Ita Turrianus, Sed vtramque sententiam probabilem esse ego existimo.

An laicus possit absoluere morientem a censuris?

RESOL. XII.

PRo hac sententia negantes Doctores adduxi in 3. part. trac. 4. Resol. 133. sed pro affirmatiua sentẽtia ibi adduxi etiam plures Authores. Cuidam casuistæ vnius summæ visa est hæc opinio probabilis, sed immeritò nam illam cũ Auila loco citato in dicta Resol. probabilem esse censeo, & præter Doctores citatos absolutè tenet hanc sentẽtiam nouissimè Philippus de la Cruz in Thes. Eccles. tract. 1. §. 12. numero 4. vbi sic ait. (Notese tambien, que quando el penitente estando a la hora de la muerte, no puede confessar alcun peccado, aun en general qualquiera sacerdote le puede absoluer de las censuras: y ausente el sacerdote, esto es no hauendole, qualquiera aunque sea seglar: y lo tengo por comun, Rodriquez dice lo puede hazer de prima tonsura, quæ en mi opinion

todo es vno, esto es, quæ todos tienen igual potencia, como lo digo en el libro que intitulo, Norte de confessores, y es dotrina de Syluestro, fray Pedro de Ledesma, fray Ioan de la Cruz, y otro, losquales dizen, que qualquiera fiel bautisado aunque sea lego, y aun herege, puede absolner de las censuras. Dizelo fray Ioan de la Cruz en dos palabras.] In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus, etsi sit hæreticus, & præcisus absoluit ab excommunicatione. [A algunos ha espantado esto, y no se porque, que dottrina es comun digolo assi, por hauermelo preguntando algunos, aquienes he satisfeco con razones, y autoridad, y assi baste esto a cerca desta materia.] Ita ille. Notandum est etiam hic obiter, posse laicum in articulo mortis, quãdo non adest Sacerdos, applicare moribundo indulgẽtias Bullæ Cruciatæ. Ita ego alibi, & nouissimè Ægidius Trullench in expos. Bullæ Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 19. num. 6. Vbi citat Nauarrum, & Reginaldum.

An Iudex possit iudicare secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori.

RESOL. XIII.

Affirmatiuam sententiam ego in part. 1. tract. 13. Resol. 3. cum multis DD. probabiliter asserui, quod in ciuilibus, quando diuersitas opinionum versatur circa ius, posse Iudicem sine vllo scrupulo peccati, & restitutionis iudicare secundùm opinionem probabilem relicta probabiliori. Et hanc sententiam, præter DD. ibi citatos, tenet nouissimè Castrus Palaus to. 1. disp. 2. punct. 11. nu. 7. Pharaonius de Sacram. pœnit. tract. 1. sess. 3. cas. 6. Leo. de officio, & potest. Confess. part. 1. recollect. 2. num. 177. & Lazarius tract. de Blasphemia, quæst. 13. numero 63.

Nota etiam quod si ex parte facti probationes æquales sunt, & ius æque tibi, & alter fauet integrum est Iudici rem applicare cui maluerit. Ita probabiliter docet Ioannes Sancius in Selectis, disp. 44. numero 51. & Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 45. artic. 1. dub. 2. ad 3. Sed magis probabiliter in tali casu dicendum est, iudicem debere si res diuisibilis est diuidere, aut si diuidi non potest, partes componere. Ita Filliucius tom. 2. tract. 21. num. 44. Castrus Palaus, tom. 1. disp. 2. punct. 10. num. 2. Coninch. de Sacram. disput. 34. dub. 10. numer. 94. & alij penes ipsos.

Sed hic incidenter ponam pulchrum dubium, an Iudex in causis criminalibus teneatur sequi opinionem probabilem in fauorem rei, non obstante opinione probabiliori in fauorem Fisci, & accusatoris. Hic casus est multum practicabilis, & faxit Deus quod circa illum multi non errent. Dico igitur licere Iudici in tali casu sequi partem probabilem in fauorem rei. Ita Sayrus in Claui Regia, lib. 1. cap. 11. num. 13. & Salon. in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 63. art. 4. contr. 2. concl. 2. & Pharaonius de sacram. pœniten. tract. 1. sess. 3. cas. 8. sed difficultas est, an teneatur.

Ego affirmatiuam sententiam teneo, quam docent Alphonsus de Leone tract. de officio, & potest. confess. part. 2. recol. 2. nu. 188. Merolla in disp. Theolog. tom. 1. disp. 3. cap. 4. corollar. 4. num. 181. Salas in par. 2. D. Thomæ tract. 8. disput. vnica, sect. 12. num. 115. Castrus. Palaus tomo 1. disp. 2. punct. 11. num. 4. & alij. Et ratio est, quia nemo condemnandus est ad pœnam, nisi pro certa causa, & in criminalibus ad condemnandum reũ debent probationes esse luce meridiana clariores. vt habetur in lege sciant cuncti, Cod. de probat. Sed quando Fiscus, vel accusator tantùm probat probabilius, & defensione rei manente adhuc probabili, probationes istæ contra reum non sunt luce meridiana clariores. Ergo, &c.

Et hæc sententia non solùm procedit quando opinio in fauorem rei est probabilis circa factum, vt tenent DD. citati, sed quando etiam est probabilis circa ius, & ita tenet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 1. diffic. 15. nu. 3. & 4. vbi sic asserit. Quando ambas opiniones son probabiles de parte del hecho (esto es que el hecho se prueua de ambas partes) mas vna della es mas probable entonces en la cosas ciuiles esta obligado el Iuez a dar sentẽcia por la parte quæ mejor probo, assi lo tienen todos, y es la razon, porque esta obligado a iuzgar segun los meritos del processo. Mas en las cosas criminales puede seguir el juez la opinion menos probable en fauor del reo dexando lo mas probable: y a mi parecer tiene obligacion precisa a ello, porque a qui no es el dereco de las partes claro, sino obscur. Item por que para cõdenar, deuen ser las prouancas mas claras que la luz del medio dia ex leg. sciant cunct. Cod. de probat. y a qui no lo son, y seria cosa teribile, que pudiendo dexar de condanar a vno a muerte, el juez le condanasse, loqual deue hazer a mas no poder.] Ita ille, qui posteà licèt doceat, quod Iudex teneatur sequi opinionem probabiliorem, quando versatur circa ius, tamẽ statim subdit. [Mas ha se de aduertir que en fauor de reo ha se de seguir la opiniõ menos probable, como queda dicho.] Vnde apparet, vt dixi secundùm Villalobos, Iudicem sequi debere opinionem probabilem circa ius in fauorem rei. licèt contraria sit probabilior, & ita etiam docet Emanuel de Moure opus. 8. de Ensal. & incantat. sect. 1. cap. 1. num. 25. vbi sic ait. Reus habens pro se opinionem probabilem, quamuis contra se probabiliorem, non nisi iniquè contra iustitiam commutatiuam damnabitur iuxta probabiliorem, non verò absoluetur iuxta probabilem, Sic ille.

Non desinam tamen hic adnotare Bonacinam tom. 2. de legibus, disput. 1. quæst. 6. punct. 1. numero 15. Contrarium docere; ita enim ait. Ego non improbabiliter censeo eamdem doctrinam applicari posse causis ciuilibus, & criminalibus, ita vt in opinione æquè probabili ex parte iuris liberum sit Iudici sequi quam maluerit opinionem. In opinione verò æquè probabili ex parte facti, Iudicem posse partem pœnę imponere, nisi aliter ferat consuetudo, vel decreta. Sic ille, quem sequitur Alphonsus de Leone in tract. de officio, & potest. Confess. part. 1. recoll. 2. num. 182. Quando diuersitas opinionum versatur circa ius.

Sed absolutè ego existimo non esse recedendum ab affirmatiua sententia, quia gratis asserit Bonacina, eamdem rationem militare in causis criminalibus ac in causis ciuilibus, nam vt optimè obseruat Martinez in part. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 6. cõclus. 3. & alij, in moribus alterius rationis est agere de vita, aut de bonis temporalibus. Verùm quia sententiam Bonacinę, quando opiniones versantur circa ius, docet etiam Ioannes Sancius in selectis, disp. 44. num. 52. non audeo illam tanquam improbabilem refellere, nimis tamẽ durum videtur cum possit Iudex absoluere reum, stante opinione probabili in eius fauorem, velle illum ad mortem damnare. Verùm si, vt dictum est opiniones versentur circa factum, omninò contra Bonacinam assero Iudicem non posse damnare reum secundùm opinionem probabiliorem, relicta opinione probabili in eius fauorem. Et ita docent Doctores citati.

An qui indignè in Paschate sumpsit Eucharistiam, incurrat in excommunicationem latam ab ordinario contra transgressores precepti communionis?

RESOL. XIV.

Qvidam Theologus affirmatiuam sententiam docuit, sed contrarium dicendum est per ea, quæ addixi in parte 3. tract. 4. Resolut. 43. vbi contra Nugnum, & Syluium docui, sumentem indignè Eucharistiam in Paschate satisfacere præcepto Ecclesiæ, & præter Doctores ibi citatos, tenet etiam hanc opinionem Vasquez in 3. part. tomo 3. disp. 214. cap. 4. cui etiam adde Petrum Ochagauiam de sacram. tr. 2. de Eucharist. quæst. 15. num. 6. qui indiuidualiter respondet ad causam huius resolutionis, sic enim ait, Implet præceptum sumendi Eucharistiam in Paschate, qui indignè, & cum conscientia peccati mortalis illam sumit. Probatur; nam illa præcepta impleri possunt per actum continentem in se peccatum lethale, vt ille, qui die ieiunij nimis replet stomachum cibis in eo vnico prandio, quod licitum est ieiunantibus, posset quidem peccare lethaliter, & tamen sine dubio satisfaceret præcepto ieiunij. Item is, qui in peccato mortali susciperet Sacramentum Baptismi satisfaceret præcepto diuino suscipiendi Baptismum. Secundum probatur idem responsum ratione D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. quia lex quæ præcipit aliquem actum, præcipit substantiam eius, non verò modum, nisi modus sit de essentia secundùm se, vel prout cadit sub lege, qua ratione attentio est de essentia orationis. At verò suscipere Eucharistiam cum dispositione debita, nõ est modus essentialis Sacramenti cõmunionis, nam si quis indignè cummunicat, sacramentaliter communicat. Vnde ad primum argumentum respondetur, di-

gnum

gnum cultum,seu reuerentiam huius Sacramenti esse finem huius præcepti,non materiam eius. Ad secundum respondetur illud verbum *reuerenter*, vel denotare reuerentiam extrinsecam,vel intrinsecam, quam petit hoc Sacramentum ex natura sua,& iure diuino,non humano. Inde ille, qui cum reuerentia extrinseca,siue extrinseca tamen communicaret, non violaret præceptum Ecclesiasticum de suscipienda Eucharistia, sed diuinum. Vnde qui indignè communicaret, non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas,quæ contra transgressores huius legis imponerentur, quia in rigore seruaret præceptum, & legem Ecclesiæ.Ita ille,& ego.

An irregularitatem ex defectu lenitatis incurrant tantum ministri iustitiæ,& non alij.

RESOL. XV.

OMnes in dictam irregularitatem incurrere docent communiter DD. & hæc opinio est probabilior, & communior.Sed pro contraria sententia ego ipse in par.3.mearum resol.moral.tract.5.Resol.79.adduxi Turrianum de Censlibr. 8. disp.66. dub. 3.& quia scio hanc opinionem,vt liberatricem multorum scrupulorum,fuisse à multis viris doctis exceptam, nunc assero illam,præter Vasquez.& Turrianum,docere etiam Gasparem Hurtado ex eadem Societate Iesu disp.2. de irregul. diff.11.num. 39. igitur secundùm supra d. DD. irregularitas ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud,nisi aut factum à ministro publico iustè, aut factum à persona priuata iniustè; vnde qui vendunt, aut donant ligna ad viuos comburendos,& gladios,& funes, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, nec Confessarius secus consulens pœnitentem,Iudicem, & quemlibet alium in casu particulari, vt concurrant, & cito ad interfectionem delinquentis; nec quiuis alius, qui acceleret mortem alicuius, incurrunt irregularitatē, & multa alia exempla inuenies apud me in dicta Resol. & ratio horum omnium est, quia in iuribus, in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis,tantùm est sermo de Iudicibus,& alijs officialibus cōcurrentibus ad occisionem, aut mutilationem,vt publicis personis, & ministris iustitiæ.Ergo dicta irregularitas non est extendenda ad alios.Perpetuò tene menti hanc doctrinam,amice lector,nam ex illa non paucos extricabis casus,& celebra eius auctorem, qui fuit sapientiss. Vasquez, vt testantur Turrianus, & Hurt. loco citat.& eodem P. Vasquez assistente hanc sententiā publicè defendit in Collegio Complutensi Societatis Iesu vir doctiss. & amiciss. D. Franc.de la Riba heu quondam noster. Vnde non est audiendus Villalobos tom.1.tractat.21,diff 29.numer. 12. vbi asserit, (el que amonesta al reo que llegue la cabeça al tronco donde le ha de iusticiar,o le dize que suba a priesta la escaleta,o al verdugo que afile el cuchillo,todos estos son irregulares;)nō inquam est audiendus,quia supradicti nō accelerant mortem, vt ministri iustitiæ,neque committunt peccatum, vt suppono ego. Vide,vt dixi, meipsum in cit.resol.79.& 80.

Quis habet casus reseruatos, & confessus vigore Bullæ fecit scienter confessionem inualidam, quæritur an possit postea a quolibet Confessario absolui?

RESOL. XVI.

PRO affirmatiua sententia,quam probabilem putaui in p. 1 tract.11. resol.1. adduxi Conitolum,& alios. Sed hæc opinio displicuit cuidam viro docto immeritò quidem, & ideò tamquam probabilem iterum illam admitto, quam absolutè tuetur nouissimè Aegidius Trullench in Bull. Cruc. libr. 1. §.7. cap.2.dub.4,nu.9. vbi sic ait.Quæres, an qui fecit confessionem irritam, & inualidam, in qua confessus est reseruata, & à Confessario absolutus fuit ratione Bullæ, liber sit à reseruatis confessis, ita vt possit postea ea peccata cuilibet approbato confiteri. Respondeo affirmatiuè, quia directè, & animo gaudendi hoc priuilegio, vt suppono, se subiecit legitimo superiori, qui potuit,& voluit tollere reseruationem.Secūdò, quia à reseruata Papę censura potest absolui ratione Bullæ extra confessionē, ergo nō requiritur ad effectum tollendi reseruationem virtute Bullæ, quod confessio fuerit valida, vel non. Et hæc omnia etiam procedunt, quādo pœnitens habet animum,& intentionem expressam confitēdi,& subijciendi absolutioni,non solùm ea reseruata, quorum recordatur,sed etiam ea omnia si recordaretur, & Confessarius absolutè absoluit expressè confessa, & sub conditione oblita, tunc enim ab omnibus censetur absolutus, & sufficit postea illa peccata quādo memoriæ occurrerint, cuilibet approbato confiteri. Ita Trullench, cui adde insignem Theologum Salmanticensem Petrum Ochagauiam de sacrā, tr.2.de confess.sacram.q.12.concl.2.nu.8. vbi sic asserit. Si quis expressè confiteatur omnes casus reseruatos Sacerdoti habenti ad id iurisdictionem,vel concessam in gratiam sui,vel in gratiam pœnitentis,satisfacit omninò reseruationi, etiam si cōfessio in aliquo capite nulla reddatur; vnde talia peccata potest posteà cuilibet Confessario cōfiteri,quia reseruatio ad id ordinatur, vt pœnitens deferat peccata propria Sacerdoti, & eius sententiā audiat, & pœnitentiam impositam acceptet. Sed hoc totum contingit cum confessio ex aliquo capite redditur nulla, vt supponimus, ergo tollitur omninò reseruatio. Et hæc cōclusio etiam est vera,cum absolutio datur ratione potestatis delegatæ, quia satisfit fini reseruationis.Hæc Ochagauia, qui citat Syluestrum,ver,confessio 1.quæst. 19. & D. Antoninum part.3. tit.14.capit.19.§.17. Vnde immeritò, vt dixi hanc opinionem quidam existimauit improbabilem, est enim probabilissima, cū pro se magnos Authores habeat, & validis sit fulcita rationibus. Vnde probabiliter ego his diebus consului, quemdam absolutum à reseruatis virtute Cruciatæ, qui posteà cognouit confessionem illam fuisse nullam,& tunc Bullam non habebat, potuisse posteà de illis absolui à quocumque Sacerdote approbato, & ita mecum censerunt etiam multi viri docti de hac re ab illo consulti.

An possit absolui ratione Bullæ toties quoties à casibus Pontifici reseruatis, si sint occulti?

RESOL. XVII.

HÆc quæstio erit multum plausibili Confessarijs. Ergo pro opinione negatiua in p. 1.tract.11.resolut. 28. adduxi Villalobos,Ledesmam Fernandez,quibus nunc addo Henriq. lib 6.c.4.n.9.& Bannez in 2.2.q.64,art.vlt,

Sed ibi pro affirmatiua sententia adduxi Sanchez, cui nunc addo Aegidium Trullench in Bull.Cruciatæ lib. 1.§. 7. c. 2.dub. 6.num.3.Quia,ait ille,restrictio illa semel in vita,& in articulo mortis, posita est in Bulla quoad casus publicos, non manifestos; Bulla enim solos casus Pontifici reseruatos excipit, nec licet illos absoluere toties quoties, at casus occulti cum non sint casus Papæ reseruatis,sed competunt Episcopis;non ex aliqua delegatione speciali,vt existimat Henriquez; sed iure ordinario, tamquā perpetuo annexi dignitati Episcopali, neque exigitur industria personæ Episcopi, aliter enim ita essent personales,vt eos delegare nō posset, quod est falsum. Ergo eis talis facultas competit iure ordinario, & eo iure casus Papales, si occulti sint, censentur casus Episcoporum reseruati. Et confirmatur, quia etsi casus Episcopales non desinant esse tales per concessionem peculiarem factam ab Episcopo, at desinerent esse si constitutione Synodali concederetur Parochis,& solis illis reseruati essent.Ergo similiter, & casus Papales nō desinunt esse tales,eo quod illos semel,aut iterum Pontifex concedat Episcopo,immò etsi semper eos concedat Episcopo speciale, at desinunt esse tales per generalem constitutionem concedentes eos in perpetuum cuicumque Episcopo, vt factum fuit in Tridentino respectu casuum Papalium occultorum. Cum ergo Bulla cōcedat absolutionem à reseruatis Episcopo toties quoties, concedendum est per Bullam posse dari absolutionem ab ijs reseruatis occultis toties quoties, vt potè qui per decretum Tridentinum iam non sunt Papales,sed Episcopales. Et tandem probatur, quia reseruatio ex odiosa est limitanda quando verba talem limitationem patiuntur.Sed illa restrictio potest alligari soli absolutioni casuum prædictorum,qui publici sunt: ergo solùm respectu eorum negabitur per Bullam facultas repetendi in eodem anno absolutiones toties quoties oportuerit. Hæc omnia Trullench.loco cit,& hanc opinionem probabilissimam esse,& tutā in praxi, sentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & nostræ Religionis, de hac re à me consulti.

An

An qui elegit aliquam ex commutationibus, & alijs renuntiauerit, possit redire ad prius votum, vel ad aliam commutationem?

RESOL. XVIII.

DE hac quæstione egimus in part.2. tractat. 16. Resol. 6. & pro parte negatiua nouissimè stat Aegidius Trullench in expos. Bull. Cruc lib.1.§.7.cap.3.dub.14.num. 10. qui citat Sanchez, quia per nouam electionem censetur de nouo vouisse, & ideò vt ad prius votum, vel ad aliam materiam subrogatam possit redire, requiritur noua commutatio. Verùm contrariam sententiã probabilem esse existimo, quam tenet Villalobos in summ.tom.1.tract.27.clauf.9. numer. 34. vbi sic ait. (Aunque se aya comutado el voto, y dexar la comutacion. Mas dice Sanchez que renuncio la comutacion y se boluio al primero voto, no puede vsar ya de la comutacion, porque ya de nueuo se obligo à Dios, pora quel acto. Mas à mi pareceme esta opinion dura pues no haze nueuo voto, y ansi que podra complir lo vno, lo otro.) Ita ille. Est igitur vtraque sententia satis probabilis.

An pueri tempore quo sunt capaces recipiendi Sacramentum pœnitentia, sint etiam capaces recipiendi Eucharistiam?

RESOL. XIX.

NEgatiuam sententiam ego docui in par.2. tt. 6. Resol. 70. cum multis Doctoribus, quibus nunc addo. Præpositum in 3.par.quæst.80.art.11.dub.2.numer. 58. Ludouicum de San Juan in lucer. Sacerdotum, quęst.7. de Euchar. ar.11.dub.1. cõcl.1. Graffium in Decis. aur. par.1.lib.2.cap.38.num.1. Scortiam de sacris. Missæ.libr.4.capit.29. numero 5. Cordubam in summ. q.60.ver.11. Bonacinam de sacram.disp.4.q.7.punct.2.nu. 3. & alios penes ipsos. Sed ibi pro contraria opinione quam probabilem existimaui, adduxi Ioannem Sancium; verũ aduersus illum acriter insurgit nouissimè Ioan. Merlinus Societ. Iesu, tract de frequen. Euchar. dict.2.c.1.& seqq.

At his non obstantibus opinionem Sancij tenet ex eadem Societ. Iesu, vt ibi notaui, Castrus Palaus in opere morali, tom. 1.tract.3.disp.1.punct 24.§.2.num.7. cui nunc addo Philippum de la Cruz in Thesaur. Eccles. tract.1.§.11. nu. 3. vbi docens ad lucrandum Iubilæum pueros, qui possunt confiteri, esse etiam ad Sacramentum Eucharistię admittendos, sic ait (Esta es dotrina de San Antonin.3.par.tit.14.cap.12. §. 4. & 5. y Paludano in 4.dist.12.qu.1.num.15. que se comprehende en estas breues palabras. Et dicitur annus discretionis, non pubertatis, qui sunt anni nubiles in fœmina 12.& 14. in masculo, sed postquam est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, & per consequens de communione, quæ simul dantur, quia ex quo potest peccare debet remedium confessionis, & communionis adhibere, y assi estos Doctores enseñan que ygualmente el que tiene vso de razon, tiene obligacion à la cõfession y a la communion, laqual dotrina mas que ningun Dotor la trahe y defiende con grande agudeza Iuan Sanchez, en quien toda esta disputa se puede ver, la qual concluye cõ estas palabras. Cuilibet puero statim ac peccare nouerit distinguendo inter bonum, & malum, ministrari debet Eucharistia, licèt sexto, aut septimo anno; nam præceptum de annua confessione, & suscipienda Eucharistia, eodem tempore obligat fideles, statim verò an qui scit peccare obligatur præcepto confessionis annuæ, guidandose pro esta dotrina los confessores, pueden amonester que comulguem a los tales para ganar las indulgencias.) Ita ille. Sed ne discedas à prima opinione, tanquam communiori & probabiliori.

An in Iubilæo extra tempus Quadragesimæ possit quis comedere lacticinia sine Bulla Cruciata.

RESOL. XX.

PRo affirmatiua sententia, quæ nimis laxa immeritò aliquibus visa est in p.1.tract.9. Resol. 6. adduxi aliquos Doctor. quibus nunc addo Philippum de la Cruz in Thes. Eccles. trac.1. §.22.num.9. vbi sic ait. (Si los Iubileos vienen en quaresima se puede ayunar y cumplir comiẽdo hueuos, y cosas de leche, teniendo bula: no porque lo pida el Iubileo, sino por ser quaresma, y entre año viniendo aunque no lo tengan comiendo los dicos maniares complen cõ los tales ayunos.) Sic ille. Nec potest consuetudo in contrarium adduci, quia talis consuetudo nescio an sit scienter, & sponte inducta, sed ob frequentes Bullas, quas ferè omnes capiunt, puto viros simpliciores per errorem se obligare: & in Sicilia, & in Hispania talis cõsuetudo nescio, quo pacto possit probari, eo quod ab hinc quinquaginta annis maior pars populorum, quæ sola posset, & deberet consuetudinem introducere, ex priuilegio Bullæ comedit oua, & lacticinia. Ergo circa hoc nullus vsus allegari potest, qui introduxerit consuetudinem per modum præcepti cũ nullus fuerit vsus huius abstinentiæ.

Adde quod in tali casu non sufficeret vsus, & consuetudo, nisi hæc facta fuissent animo se obligandi, sunt enim hæc duo valdè diuersa, nam potest intendi per se vsus, & consuetudo, & non intendi animo se obligandi, sed tantùm ex deuotione.

Et cum hæc res sit valdè dubia, an videlicet in tali consuetudine si extaret, fuerit animus, & intentio totius populi se obligandi ad talem abstinentiam lacticiniorum, sequitur inclinandum esse in eam partem, vt cõsuetudo potius sit deuotionis, & honestatis, quam obligationis, quia in dubio nemo præsumitur velle se obligare, & melior est conditio possidentis. Et ita hæc omnia præter Vasquez, Sancium, Suarez, à me alibi citatos, tenet, & docet nouissimè Aegidius Trullench in Bull. Cruciatæ, lib.1.§.4.dub.3.n.4.

Vtrum ad contrahendam affinitatem necesse sit non solùm virum, sed etiam fœminam seminare.

RESOL. XXI.

PLausibilis erit lectoribus hæc Resolutio. Dico igitur, quod in tali casu communiter asserunt DD. sufficere tantùm semen viri. Ita Villalobos in summ.to.1.tt. 14. diffic. 11.n. 8. Comitolus in respons. moral. lib.1.quæst.30. nu. 2. & DD. quos citat, & sequitur Sanchez de matrim.to.2.lib.7.disp.64. nu. 31.& ego adduxi in 3.p.tract.5. Resolut.19. Et ratio est, quia copula sine emissione seminis fœminę est copula perfecta, & sufficiens ad generationem, ergo per illam contrahitur affinitas; quod autem ad generationem sufficiat solum semen viri, tradit Aristoteles lib.2.de generat.cap.2. Auicenna lib.9. animalium, c.1. & D. Thomas in 3.p. quæst. 31.artic. 5. ad 3. quem ferè omnes Theologi sequuntur, Rosella verb. impedimentum.14.num.8. Tabiena eodem verb.4.quæst.2.numer.3. in fine D. Antoninus part.3.tit.1 cap.11. ante §.1. Sotus in 4.dist. 27. quæst. 1. artic.4. Henriquez lib. 11. cap.8.num.8. in Glossa litt. N.& alij. Vnde Ancharanus in cap. fraternitati de eo, qui cognoscit consanguin. paulo post principium ait ad affinitatem non requiri semen fœminæ.

Sed his nõ obstantibus, ego cum Sanchez vbi sup.n.20. in fi. in d. resol. putaui contrariam sentẽtiam esse probabilem, quam nouissimè præter DD. quos in d. resol. citaui ex Theologis Societatis Iesu tenet Gaspar. Hurtado tr. de matrim. disp. 20. diffic.1.n.5. vbi sic ait. Ad affinitatem non sufficit seminatio viri in matricem fœminæ, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiritur seminatio fœminæ, vt indicatur in can. lex diuinæ constitutionis 27. q.2. dum in eo requiritur sanguinis (idest seminis) commixtio; quia Galenus docet, quod etiã seminatio fœminæ est necessaria ad generationem. Et sanè semen fœminę nõ videtur ad aliud à natura institutũ. Sic ille. Tenet etiam hanc sententiam ex Dominicanorum familia Lopez in Instruc. part.2.cap.50. Graffius p.1.lib.2.cap.80. num.8. & ex veteribus Innocentius, Archidiaconus, Bellamera, Cardinalis Assensis, Nicolaus de Orbellis, Gaeta, & alij penes Sanchez loc.cit.

Et ideò non grauabor hic apponere verba Ioannis Præpositi in Addit. ad 3.p.D. Thom. quæst.5. de insolubil. matrim. dub.9. nu.79. sic asserentis. Non est improbabile ad consummationem matrimonij requiri etiam seminationem fœminæ. Primò, quia multorum est sententia, quod semen fœmineum per se etiam requiratur ad generationem, & quod mater etiam per suum semen etiam actiuè concurrat ad generationem tanquam materiam. Secundò Benedictus Pontifex in can. lex diuinæ constitutio-

stitutionis, dicit osculum non parere propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem; ergo ad affinitatem (de qua ibi loquitur) iuxta illum requiritur commixtio seminis virilis, & feminei, cum non possit dici commixtio sanguinis si adsit solùm semen virile. Ita Præpositus. Ex quibus rectè infert primò, quod si viro seminante mulier non seminauerit, idque partibus constet, possint religionem ingredi sitque probabile, quod per professionem soluatur matrimonium, atq; adeò pars in sæculo relicta, possit aliud matrimonium inire. Infertur secundò, si vir in eadem circumstantia mortua vxore aliam accipiat, cum qua cõsumet matrimonium, non idcircò impediatur sacros ordines accipere, quia ex eo capite non erit bigamus, vt satis probatum est in tractatu de irregularitate, qui, Deo dante, videbit lucem in 4. parte breui edenda. Igitur ex supradictis dicendum est affirmatiuam sentẽtiam circa præsentem quæstionem probabilem, & tutam esse in praxi, vt ipsimet aduersarij fatentur, Sanchez, Villalobos, Comitolus, & clarè hanc opinionem præter DD. citatos, docet D. Thomas in 4. dist. 4. qu. 6. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. vbi sic ait, Vir & mulier efficiuntur vna caro per commixtionem seminum, vnde quantumcunque aliquis claustra pudoris frangat, nisi commixtio seminum sequatur, nõ contrahitur affinitas. Ita Sanctus Doctor, quod iisdem verbis docet D. Bonauentura etiam in 4. sent. dist. 41. qu. 1. Vnde ex his sequitur stante probabilitate huius opinionis, eum, qui habuit culpam cum sorore, v.g. vxoris, si illa non seminauit, nullam cõtraxisse affinitatem, & ideò posse sine vlla dispensatione petere à sua vxore debitum.

Et pro coronide huius Resolut. non desinam hinc inquirere, an quando copula fornicaria est, iure naturali oriatur affinitas. Affirmatiuam sentẽtiam docet Hurtado de matrimonio disp. 10. diffic. 2. num. 7. Coninch. de sacram. disput. 22. dub. n. 49. quia etiam per dictam copulam fornicauerit, & fœmina fiunt vna caro; & vnus sanguis, non minus quam per coniugalem, vt patet ex D. Paulo 1. Corinth. 6. dum ait; *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, & erunt duo in carne vna.* Sed negatiuam sententiam tenet Sanchez de matrim. to. 2. disp. 67. n. 9. Pontius de matrimonio, lib. 7. c. 33. n. 4. Henriquez lib. 12. c. 1. nu. 2. quia nulla sũt nomina quibus nominemus sic affines ex fornicatione, deinde in lege non facile, §. affines, & §. sciendum est, ff de gradibus affinitatis, dicitur neque cognationem; neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint. Ex qua sententia, quam etiam tenet Villalobos in summ to. 1. tr. 14. diffic. 17. nu. 10. infertur, vt ipse ait, [que el que siendo infiel conocio illicitamente a vna muger, se puede despues de baptizado casar con su hermana, porque no nacio de illis affinidad, y assi no tiene impedimento. Y lo mismo seria, si vn Christiano tratasse illicitamente con vna muger infiel que podria despues casarse con hermana suya, que fuesse Christiana.] Sic ille. Vnde dicendum est vtramque sententiam probabilem esse.

An per Bullam Cruciatæ suspendantur altaria priuilegiata sita in Ecclesijs Regularium?

RESOL. XXII.

PRobabiliter cum Fernandez, & Rodriquez affirmatiuam sententiam docui in p. 1. tract. 11. Resol. 86. Sed nunc negatiuam sententiam nõ minus probabilem esse existimo, quã nouissimè tuetur Ægidius Trullench in expos. Bull. Cruc. libr. 1. qu. 9. cap. 3. dub. 4. n. 3. vt colligitur ex ipsa Bulla. Nam Pontifex solùm cẽsetur suspendere indulgentias pro viuis concessas, quia solùm suspendit eas respectu eius, cui reualidãtur accepta Bulla, quod colligitur verbis illis reualidationis. Insuper in fauorem præsentis huius concessionis, & Cruciatæ declaramus, vt quicumque summarium huiusmodi Bullæ sermone, & idiomate vulgari conscriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratijs, Indulgentijs, Iubilæis, peccatorum remissionibus, ipsis tam per SS. Dominum Nostrũ Greg. XIII. quam per alios Summos Pontifices, aut Sedem Apostolicam concessis, &c. At reualidatio hæc respicit viuos, & non defunctos; nam viui, & non defuncti participare possunt omnia, quæ in reualidatione continentur, Ergo Bulla suspendit solùm indulgẽtias pro viuis concessas. Et potest roborari, quia vt docet Mart. Carillo in exposit. Bullæ defunct. p. 2. cap. 9. in fi. Indulgentiæ concessę animabus Purgatorij, non suspenduntur per suspensiones generales, v. g. promulgationem Iubilæi in anno sancto sicque indulgentia plenaria in Altari priuilegiato pro animabus Purgatorij concessa, eo anno suspensa non manet, nam ratio ob quam illo anno Pontifex indulgentias suspẽdit, est, vt Christi fideles animo alacriori, & promptiori feruentiorique deuotione Romam proficiscantur ad indulgentias cõparandas, & loca sacra visitanda, quę ratio cessat respectu animarum Purgatorij, atque ita per generalem suspensionem non suspenduntur indulgentiæ pro defunctis concessæ, nisi de ipsis expressa fiat mentio, ergo nec per Bullæ generalem suspensionem. Deinde, quia vt patet ex verbis suspensionis Commissarij, Bulla suspendere solùm cẽsetur ea, per quæ tam pium opus impeditur, ibi. (Ne hoc adeò pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, & concessiones. At per hanc non suspesionem hoc opus paruum, aut nihil impeditur, nam cum hęc indulgentia solis defunctis prosit, viui, vt illis Bulla prosit, eodem modo accipere eam tenentur. Sic ille, satis probabiliter, vt dixi.

An Bulla Cruciata suspendat priuilegia Mendicantium, ita vt non possint commutare, & dispensare vota, absoluere a reseruatis, &c.

RESOL. XXIII.

NEgatiuam sententiam cum multis doctoribus sequutus sum in par. 1. tra. 11. Resolut. 100. Sed aduersus hanc opinionem insurgit Ægidius Trullench in Bul. Cruc. lib. 1. quest. 9. ca. 3. dub. 3. nu. 8. vbi sic ait Tenenda est sententia affirmans, nimirum talia priuilegia quoad sęculares esse per Bullã suspensa, quod tanquam certum supponit Lopez c. 10. de Bulla, pagin. 870. colum. 1. Probatur, & simul destruitur fundamentum cõtrariæ sententiæ, quia Bulla Cruciatę, expressè suspendit priuilegia, facultates, &c. concessas, non solùm singularibus personis, sed etiam Ecclesijs quibuscunque, & Monasterijs ac locis pijs. Patet ex facultate suspendendi, quam Pontifex in Bulla latina concedit Commissario illis verbis. Item prædicto Commissario datur facultas, vt suspendere possit similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates, &c. quibusuis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, pijs locis, Vniuersitatibus, confraternitatibus, & singularibus personis in Regni Insulis, terris, locis, & dominijs prefatis concessas. Et in Bulla Hispana. [Y nos el dicho Commissario suspendemos todas y qualesquier indulgẽcias concedidas à todos y qualesquier yglesia y monasterios, &c. y seglares personas.] Quia suffultus authoritate Commissarius Generalis suspendit omnes indulgentias, & facultates quibusuis Ecclesijs, Hospitalibus, & locis pijs, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis concessas. Ergo constat euidenter non solùm suspendi per Bullam priuilegia personalia particularibus, sed etiam priuilegia realia Ecclesijs, Monasterijs, & alijs pijs locis concessa. Sed ex ijs priuilegijs, quæ per Bullam conceduntur, tantùm excipiuntur concessa à superioribus Mendicantiũ, quoad eorum fratres ergo quoad seculares omninò suspensa remanebunt; nam particula tantùm expressè limitat illam exceptionem solùm extẽdi ad fratres, & minimè ad sæculares. Non valet si dicas in Bulla suspendi quidem priuilegia concessa Monasterijs, non quidem Religiosi. Non inquam valet primò, quia vt docet Syluest. Religio 8. nu. 1. Monasterium significat ipsos Religiosos. Vnde suspensis priuilegijs concessis Monasterijs suspenduntur priuilegia concessa singularibus personis eorum. Secundò, quia Bulla expressè suspendit priuilegia etiam particularibus personis concessa, ergo etiam si Regularium priuilegia ipsis Monasterijs, vel potius ipsis particularibus personis sint concessa per Bullam, suspenduntur, quare sententiam Rodriquez nõ auderem admittere in praxi: aliàs enim quasi actum esset de Bulla, & nihil prodessent illa verba addita à Papa, quoad eorum fratres tantùm Sic ille. Verùm his non obstantibus non est recedendum à negatiua sentẽtia, quam in dicta Resol. docuimus, & præter DD. quos ibi citaui, tenet hanc opinionem Villalobos in suma. to. 1. tract. 27 clau. 12. n. 6. & 7. vbi sic asserit. [No suspende la Bulla si no es priuileios personales que se cõceden a las personas, a las quales se da facultad impeditamente, par aque gozen de las gracias cõcedidas à Confradias, Monasterios, Hospitales, y otros piadosos lugares, que no los gozan sino tienen la Bula, y cõ ella los pueden gozar, y no ha menester tomarla el Hospital

fino

sino las personas que han de gozer del priuilegio. Mas no suspende la Bula los priuilegios reales concedidos a las Religiones, que para esso era necessario declaratlo expressamente, como dixe Henriquez, el qual dixe que fueron deste parecer muchos doctores consultados en Salamanca anno de 76. Gallo, Medina, Bannes, el Padr. F. Gaspar de Vzeda, y el P. Alcocer, y Nauarro.] Sic ille.

An si aliquis sumat pro amico Bullam Cruciatæ, & scribat in ea eius nomen possit talis eam non acceptare sed nomen suum tollere, & illam alteri applicare?

RESOL. XXIV.

PRo affirmatiua sententia in p. 1. tract. 11. Resolut. 95. adduxi Villalobos, cui nunc addo Aegidium Trullech in Bulla Cruc. lib. 1. §. 1. dub. 2. num. 6. vbi sic ait. Si habens Bullam non eam sibi acceptauit seu applicauit, potest eam in alium gratis seu data stipe transferre vel eam Commissarius recuperare. Ita Rodriquez, §. 12. nu. 17. & Henriquez lib. 7. c. 8. nu. 1. litt. B. & c. 20. nu. 5. litt. H. Vnde si iam acceperam Bullam, & patentes aut amici miserũt ad me aliam, vel alias, quas nomine meo acceperant, licet tunc mihi has Bullas, quibus non indigeo sub stipe in alios transferre. Ratio est, quia quãdiu non acceptaui, applicatio est in pendenti atque ita licet eam in alium transferri etiam data stipe: talis enim censetur animus Pontificis, & Regis, scil. vt nemo sit grauandus vt retineat nisi vnam Bullam sibi opportunam, quare reliquas si alijs cõferat accepta stipe, reuera illis proderunt. Quod procedit, quamuis in Bulla ad me transmissa sit nomen meum appositum, nam per nominis appositionẽ per errorem factam, sine propria acceptatione Bulla non sit mea, & adhuc manet in pendẽti. Vnde potuit mutato nomine ante acceptationem in alium transferri. Nec mutare nomen ab alio scriptum est culpa, quia hoc potius est corrigere, siue emendare, id quod ex ignorantia alterius factum est, vt docet Nauarr. c. 12. num. 62. in fin. Et ratio est, quia istæ Bullæ non sunt litteræ Apostolicæ, sed transumpta litterarum Apostolicarum. Ita ille. Vide etiam Rodriquez in Bull. §. 12. n. 17. & Henriquez. lib. 7. c. 8. n. 1. in glos. lit. B. & c. 20. nu. 5. in glos. lit. H.

An sufficiat ad lucrandas Indulgentias visitare ex vno loco quinque altaria sine motu corporali?

RESOL. XXV.

HIc casus frequenter potest accidere in praxi, & de illo ego egi in 1. p. tract. 11. Resolut. 102. & pro parte negatiua adduxi Rodriquez, cui nunc addo Aegidium Trullench in Bul. Cruc. lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 4. vbi sic ait. Henriquez, ait etiamsi expediens sit vt altarium visitatio fiat cum aliquali corporis, & situs motu si commodè fieri possit, id tamen nõ requiritur necessario. sed satis est vt vno loco fixus preces fundat versus quinque altaria. Quod etsi probabile sit tutius, & verius existimo requirit aliqualem corporis motum quando commodè fieri potest aliter enim in rigore non videtur quintuplex, sed vnica visitatio. Quando verò quis idem altare quinquies visitat existimo non teneri loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodo qualibet visitatione finita saltem corpus, & caput inclinet in signũ distinctæ visitationis. Ita ille. Sed ego in dicta Resol. contrariam sententiam docui cũ multis doctoribus, quibus nunc addo Philippum de la Cruz in Thes. Eccles. tract. 1. q. 10. n. 5.

An nuptiæ prohibeantur à primis Vesperis sabbati ante primam Dominicam Aduentus.

RESOL. XXVI.

PRo affirmatiua sententia in par. 3. trac. 4. Resol. 102. adduxi Sanchez, cui nũc addo Barbosam de Officio Parochi, c. 21. numer. 13. & Petrum Ochagau de sacram. tract. 3. de impedim. Matrim quæst. 41. nu. 3. vbi sic ait. Prænotandum est tempus feriatum Aduentus incipere à primis Vesperis Sabbati ante Aduentum, tunc enim communiter, & quantum est de se officium Aduentus solet incipere, tempus verò feriatum Quadragesima, incipere à media nocte diei Cinerum, quia Officium Quadragesimæ si in toto rigore perpendatur, tunc sumit exordium. Quæ doctrina vera est, nisi alium modum incipiendi consuetudo legitima obtinuerit: tunc enim consuetudini fauendum est. Iste autem modus numerandi initium temporis feriati, conformis videtur rationi, quia numerari debet iuxta leges Ecclesiæ, in qua tempus incipere dicitur ab eo puncto, in quo officium Ecclesiasticum proprium illius temporis incipit. Ita ille.

Sed ego in citata Resol. pro contraria sententia adduxi Basilium Pontium, cui nunc addo Caualcanum p. 2. decis. 58. n. 19. & alios vbi infra, quia verba Concil. Trident. alia antiqua decreta, licet dicant ab Aduẽtu Domini non posse solenniter celebrari nuptias at Concil. Rauennatense secundum sub Clem. V. c. 19. expresse primam Dominicam Aduentus nominat. Sed prima Dominica Aduentus incipit à media nocte, ergo, &c. Ex quo decreto colligit Pontius, ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ decreta, quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerunt. Et hanc opinionem Pontii visa est amplecti nostra prima Synodus Panormitana anno 1615. sub Eminẽtissimo Domino meo Cardinal. ab Auria, vbi p. 2. c. 7. nu. 23. ita asseritur. Postremò meminerit à Dominica prima Aduentus vsque ad diem Epiphaniȩ, & à feria 4. Ciner. vsque ad Octauã Paschæ inclusiuè solemnitates nuptiarum prohibitas esse. In quibus verbis apertè apparet, quod sicuti prohibentur nuptiæ in Quadragesima à feria quarta Ciner. ita prohibentur in Aduentu a Dominica prima Aduentus, sed feria 4. Ciner. incipit à media nocte, & non à Vesperis feriæ 3. ita Dominicam primã Aduentus etiam à media nocte, & non à Vesperis Sabbathi dicendum esse incipere. Et ideò hanc sententiam præter Põtium & Caualcanum tenẽt etiam ex Societate Iesu Reginald. to. 2. lib. 31. c. 25. n. 188. Filliucius to. 1. tr. 10. p. 2. c. 9. nu. 168. Bonacina de matrim. q. 3. punct. 14. n. 4. vbi sic ait. Ex Tridentino vetitum est celebrare matrimonium à primo die Aduentus Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à 4 feria ciner. vsque ad oct. Paschæ inclusiuè, quod tempus incipit à media nocte pręcedentis Dominicæ Aduentus, & à media nocte feriæ 4. Ciner. tunc enim incipit Aduentus, & Quadragesima ritu Romano. Ita ille, qui cum Filliucio pro hac sententia citat Sanchez, sed malè; nam contrariam sententiam docet, vt supra diximus.

An mulier vi compressa non teneatur clamare ad euitandam mortem, infamiam, &c. etiam si absit periculum consentiendi in copulam carnalem.

RESOL. XXVII.

NOn teneri mulierem in tali casu clamare docuit Salas, quem adduxi in 3. part. tract. 6. Resolut. 31. cui nunc addo Seraphinum Freytan in nouis additionibus ad tract. de Cõfess. solicit. quæst. 19. num. 26. vbi sic ait. Ex periculi permissione infertur fœminam per vim compressam nõ teneri clamare ad euitãdam mortem, infamiam, aliudve simile, tametsi exponat se periculo consentiendi, seu cooperandi libidini, vt benè resoluit Salas, & constat ratione; etenim etsi fœmina in animo dissentiat, ex natura tamen vi in tali opere non potest non adesse periculum consentiendi, & cooperãdi. Ergo aut nunquam ei id permittere debet, aut non obstante eo periculo excusanda erit. Ita Freytas.

Sed ego vbi supra contrariam sententiam docui ex rationibus, & Doctoribus ibi adductis, quibus nunc addo Ioannem Sancium in Selectis disput. 10. num. 17. qui tamen posteà num. 20. improbabiliter docet non esse negandam absolutionem pœnitenti, qui mutuo dedit concubinæ centum aureos, quorum recuperationis spem amittit, si domo eam eijciat. Sed hanc opinionem præter Freytam loco citat. num. 25. refellit etiam Castrus Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. num. 14. nam si ipse Sancius non permittit periculum, vt visum est, ad euitandam mortem, infamiam, &c. quomodo admittendum est ad euitandum damnum centum aureorum?

An

An legatum factum pro monachatu possit dari Mulieribus, vulgò dictæ Bizocche, quæ cælibem vitam in propria domo sub voto emiserunt?

RESOL. XXVIII.

Hic casus frequenter accidit, & ego in p. t. tra. 15. resol. 84. affirmatiuam sententiam docui, quam postea à multis doctis Iurisconsultis in praxi libêter admissam fuisse scio, & illam, me citato, docet etiam nouissimè Io. Maria Nouarrius in noua Edit. de elect. fori sect. 1. q. 67. n. 16. vbi sic ait. Hodiè Terciarias quæ castam, & cælibem vitâ sub expresso voto in habitu traducunt, posse côsequi legatum relictum pro monachatu, non obstante quod viuant in proprijs domibus, vtique dicendum, & ita tutantur Riccius, & Diana. Sic ille.

An licita si petitio Fisci instantis, vt aliqui rei indiciati tantum ad torturam, condemnentur ad triremes, sine aliquo termino defensionis.

RESOL. XXIX.

PRo parte affirmatiua propositæ quæstionis multa adduci possunt argumenta. Primò, quia datur in hoc casu aliqualis defensio, cum reus sciat se carceratum esse pro tali delicto, & citatus ad examinationem testiû, quos aduersus illum Fiscus produxit, scit eorum nomina; ergo nô damnatur omninò inauditus. Addo quod in nostro casu cum non damnentur rei ad pœnam ordinariam, videtur sufficere vt eis præbeatur aliqualis modus se defendendi, eo pacto quo diximus.

Secundò Princeps, ex iusta causa potest tollere, seu vt melius dicatur potest declarare ius naturale, vt in specie docet Decius in c. dilecti de except. in 6. Cabedo p. 2. decis. 79. n. 10. & alij penes ipsum. Ergo ex iusta causa potest declarare in nostro casu non esse adhibendam defensionem propter frequentiam, & atrocitatem delictorum.

Tertiò, hic modus procedendi non est nouiter introductus, sed ex antiqua consuetudine, vt apparet ex sententijs, à Fisco adductis.

Quartò, reis malæ famæ infertur tortura sine defensione. Ita multos allegans docet Gratianus Falconius. Reg. 469. n. 3. qui etiam n. 5. cum multis alijs asserit, posse reum torqueri sine data copia indiciorum, & defensione, si ab ipso non petatur, vt colligitur ex leg. vnius, §. finali de qu. ibi postulante reo, & docet Glossa final. in c. 1. de accusat. in 6. Bertazzolus. li. 2. consil. 474. n. 15. & ideò Nauarrus lib. 5. Consilior. tit. de accusat. 8. Excusauit quemdam Inquisitorem, qui multos reos torqueri iussit non data eis copia indiciorum, neq; assignato termino ad defensionem, quia non petierunt sibi dari. Igitur in nostro casu licitè Princeps supradictam doctrinam applicare potest, & condênare reos modo quò supra. Adde quod in atrocissimis denegatur copia processus, vt notat Bertazzolus in Addit. ad Bertazzolum patrem, cons. 30. & Gratianus Falconius regul. 168. num. 4. cum alijs, & defensionem negâdam esse insignibus latronibus disturbatoribus, stratarijs, & docet Monticellus in prax. crimin. Regul. 14. n. 24. vbi citat Marsilium, & alios.

Quintò pro bono publico, aliquando Princeps punit Innocentes, & ideò valet statutum, quod conuicti teneantur dare in manibus Curiæ delinquentes conuictos. Item quod puniatur pro delictis suorum coniunctorum bâditorum patratis in territorio, vt obseruat Barbatius in c. cognoscentes de constitut. n. 5. Decius cons. 63. n. 3. Caballus in resol. crim. cent. 2. cas. 150. Couar. lib. 2. var. c. 8. & alijs. Ergo etiam quod Princeps in nostro casu damnaret aliquem innocentem sine defensione, non ei imputabitur ad culpam, quia hic modus procedendi introductus fuit pro bono publico, aliter delicta atrocissima manerent impunita, cum hodie tormentum torturæ non efficiat vt reis, vnde quasi omnes torti, & negatiui à carceribus exeunt, ad vetera facinora redeuntes.

His tamen non obstantibus, existimo non esse recedendum à negatiua sententia, pro qua firmanda.

Suppono, primo, defensionê competere reo de iure naturali, & diuino, vt patet in Clem. Pastoralis, de re iudicata. Ibi de crimine graui delato. Facultas defensionis, quæ de iure naturali prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori nô licuerit, quæ iuris naturalis existunt. Et Prorex Festus in Actis Apostolorû. c. 25. sic dixit. Non est Romanis consuetudo damnare aliquê hominem priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. Vnde defensionem esse de iure naturali testantur Theologi; vt Azorius to. 2. li. 11. c. 7. Turrianus in 2. 2. D. Th. to. 2. disp. 48. dub. 4. n. 1. Io. de la Cruz in Direct. côfe. p. 1. pr. 8. q. 3. art. 2. dub. 2. concl. 2. Ledesma in sum. to. 2. tr. 8. c. 22. diffic. 4. Sayrus in Claui Reg. li. 12. c. 8. n. 21. & 25. P. Nauarra de restit. li. 2. c. 3. n. 182. & 197. Miranda de ordine iudiciario, to. 2. q. 26. art. 14 concl. 1. Villalobos in sum. to. 2. tr. 14. diffic. 4. n. 2. Arragon. in 2. 2. D. Th. q. 67. art. 2. Zanardus in direct. theol. p. 3. c. 39. dub. 3. Non adduco Iurisconsultos, quia hoc suppositum inter illos est commune. Sed omninò videatur Lud. Pegnera, Doctor Hispanus, in sua praxi crim. c. 12. §. 6. n. 2.

Suppono secundò, cum supradictis Doctoribus, & cum illis, quos adduxit, & sequitur Farinac. q. 39. nu. 8. quibus ego addo Caballum. tr. de omni genere homicidij, n. 425. Rudolphinum tr. de absoluta potestat. principis, c. 9. n. 89. Beratt. in speculat. visitat. c. 17. n 84. Cardosum in lib. de Iudice, & aduocato, ver. defensio nu. 2. & ver. sent. n. 34. Barbosam in collect. to. 1. lib. 2. tit. 12. c. 1. nu. 7. Rouitum in addit. ad pragm. 1. de bonis spoliatorum, n. 2. & Spatharium in praxi Can. tt. 10. p. 2. c. 12. n. 1. Principem etiam de suprema potestate nô posse tollere defensionem reis, quæ est illis debita de iure naturali, in quo nullus Princeps potest dispensare: vnde ipsemet Summus Pont. in c. 1. de causa possess. & proprietate; Confitetur nihil se posse contra inauditâ partem definire. Deinde, vt optimè obseruat Aragon. loc. cit. in 2. 2. q. 67. art 2. auferre ab aliquo arma, quibus iustè se defendere, potest, non solùm est contra charitatem, sed etiam côtra iustitiam. Constat autem reum, antequam sit legitimè conuictus iustè posse se defendere multis vijs, & rationibus. Et sic, qui non audiendo talia arma ab eo aufert, facit contra ius naturæ, non minus quâ qui ensem furriperet, quo solo posset quis se defendere à morte, & eo sublato est occidêdus: nihil enim refert armis, vel rationibus de salute demicare. Ita Aragonius.

His igitur suppositis sic argumentor. Defensio competit reis (vt visû est in primo supposito) de iure naturali, & diuino: Sed Princeps etiâ de absoluta potestate (vt patet in secundo supposito) non potest tollere ea, quæ sunt de iure naturali, & diuino. Ergo iniustè in nostro casu condemnat reos inauditos sine defensione.

Deinde ad improbandum supradictum modum iudicandi, multum me mouet communis illa doctrina Iurisconsultorum, quos affert, & sequitur Farinacius, q. 39. n. 35. quibus ego addo Almontem Ciazzium in discept. crim. discep. 32. n. 27. Baldasarum Amescuam tr. de potest. in se ipsum, li. 1. c. 19. n. 15. Pegueram in praxi, c. 12 §. 6. n. ... Caballû in resol. crim. cent. 1. cas. 41. nempè reo confesso, & conuicto (ô rem miram, sed veram, & iustam) etiam si non petat, concedendam esse defensionem, neq; aliter posse condemnari. Igitur quanto magis non erit dicta defensio deneganda reo, neque confesso, neque conuicto sed tantùm indicato, vt est in casu, de quo loquimur?

Adde quod in nullo Regno est in vsu talis praxis iudicandi, & tamen in alijs Regnis, neque adest modus procedendi ex abrupto ita ordinariè, & in omnibus casibus, vt est, in nostro Regno aduersus quem modum procedêdi, licèt in illo denegetur tâtum defensio quoad torturam, insurgit Rouitus in addit. ad pragm. 1. de bonis proditor. n. 20. & alijs & nu. 29. 30. & 38. cum seq. Quid ergo supradicti Doctores clamarent, si scirent vltra prædictum modum procedendi, Palatino modo ad torturam nunc introductum esse in Regno alium modum condemnandi reos inauditos per sententiam definitiuam.

Verùm, quia nostra sententia magis firmabitur ex respôsionibus ad argumenta contraria, ideò ad primum assero hoc esse stramineum argumentum, quia substâtia defensionis côsistit in scientia eorum, quæ testes dixerunt, & est textus expressus in c. qualiter, & quando de accusat in 6. ibi. *Et exponenda sunt ei capitula vt facultatem habeat se defendendi.* Vide vt Pontifex asserit, reum nô habere facultatem seipsum defendêdi, nisi sciat contenta in informationibus? Et quidem si reus ista non sciret, quo pacto se defendere posset demostrando falsitatem, côtrarietatem testium, &c. formando negatiuas coarctatas, &c. Et si verum esset, quod dicitur in hoc argumento, tortura in Sicilia non daretur Palatino modo sine defensionibus, vt omnes asserût, quod datur, quia omnes rei, qui in Sicilia torquêtur, sciunt,

pro

pro quo delicto sunt carcerati, & sciunt nomina testiũ aduersus illos producta, & fuerunt citati, & interrogati. Ergo non esset dicendum secundùm hoc argumẽtum, quod torquerentur sine defensionibus. Sed hoc dicere est absurdum, vt patet: erit ergo etiam absurdum dicere, quòd rei non dicuntur cõdẽnati sine defensione in casu, de quo loquimur. Ad confirmationem verò argumenti respondeo negãdo totum. Nam eadem ratio, quæ militat in pœna ordinaria, militat in pęna extraordinaria quia leges, vt visum est, absolutè decernunt non esse cõdẽnandos reos inauditos, & non distinguunt, quoad pęnã ordinariã & quoad pęnam extraordinariam, & vbi lex nõ distinguit, nec nos debemus distinguere, vt patet leg. de pretio, ff. de public. in rem act. & per ea, quæ adducit Surdus cons. 51. num. 7. Gamma decis. Lusit. 105. n. 1. Escobar de ratioc. c. 18. n. 43. & alij communiter. Adde quòd argumentum de toto ad partem, valet ex leg. de rota, ff. de rei vẽdit. maximè vt est in casu nostro, quãdo militat eadem ratio, vt obseruat Menochius, cons. 72. n. 5. Surdus cons. 193. num. 6. & alij. Si igitur defensio competit reis, quando condemnantur pęna ordinaria, idem dicendũ est quando, cõdemnantur pœna extraordinaria. Quod etiam probatur ea alia consuetudine, nam DD. communiter asserunt, nõ esse reos torquendos denegatis defensionibus, hoc est copia indiciorũ. Ergo non est verum dicere, vt aduersarij supponũt in argumẽto, quod copia indiciorum non est danda, quando damnatur reus ad pęnam extraordinariam triremium, exilij, &c. sed ad pœnã ordinariam mortis. Et ita hanc sententiam tenet Lessius li. 2. c. 39. dub. 11. n. 102. vbi sic ait. Ea quæ diximus de non condẽnando reum nõ auditum ad mortem, videntur etiam habere locũ in carcere, exilio, priuatione bonorum, officiorum, &c. Nam eędem ferè rationes accomodari possunt. Ita ille, & P. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 195. Sayrus in Claui Reg. lib. 22. c. 8. nu. 26. & alij. Ex quibus satis remanet labefactatum argumentum contrariæ sententiæ, quod solidissimum aduersarij putabant.

Ad secundum argumentũ Respondeo cum Rudolphino, tr. de Princip. potest. c. 2. n. 92. & alij penes ipsum, quibus ego addo Villalobos in sum. to. 2. tr. 14. diffic. 4. n. 6. Filliucium to. 2. tr. 40. c. 6. n. 176. Layman li. 3. sect. 5. tra. 6. c. 2. n. 7. Lessium loco cit. n. 100. Zanardũ in direct. Theol. p. 1. c. 34. dubio 3. & alios quos ipse adduxi in 3. p. Resolutionum moraliũ. tr. 5. Resol. 98. quod ex iusta causa potest Princeps denegare defẽsionem; tamẽ hoc procedit in aliquibus tantũ casibus à Doctoribus particulariter expressis, vt quando delictum est notorium, quando timetur de populi tumultu, & alijs casibus à dictis Doctoribus enumeratis, in quibus scit Princeps rei nullam competere, nec habere posse defensionem. Extra quos casus non dari aliam iustã causam dispẽsandi, tenet Rudolphinus loco cit. Dauid à Mauden in decalog. discur. 3. pr. 8. n. 4. in fine. Farinacius q. 39. nu. 24. sed in casibus neque directè, neq. indirectè possunt includi casus, per quos rei de quibus loquimur, condemnantur inauditi; ergo non potest dici quod Princeps in nostro casu potest ex iusta causa dispensare quoad defensionem dictorum reorum.

Ad tertium argumentum respondeo, quod in nostro casu nõ valet adducere consuetudinem in contrarium: nam cum satis probatum sit defensionem esse de iure naturali, consuetudo nihil aduersus illud præualere potest, vt docet Suarez de legib. li. 7. c. 6. n. 4. Salas de legib. tr. 16. sect. 11. n. 80. Molfes. in sum. to. 1. tra. 9. c. 11. nu. 41. Becanus in p. 2. tr. 3. qu. 6. num. secundo, & alij Theologi communiter. & in terminis vt asserunt terminantibus, ita respondet etiam Farinacius q. 39. nu. 29. asserendo non valere cõsuetudinem, per quam tollitur reo defensio. Et nouissimè ita etiam tenet Piagius, tr. de consuetud. q. 6. nu. 172. Nec valet dicere quod Lessius lib. 2. c. 29. dub. 11. nu. 99. Filliuc. to. 2. tr. 40. c. 6. num. 176. & alij asserunt defensionem non esse de iure naturali, sed de iure gentium. Sed consuetudo aduersus ius gẽtium valet ex Glos. in leg. si locus, ff. quemadmodũ seruit. amit. Ergo, &c. Nam respondeo (quidquid sit de probabilitate opinionis Lessij, & aliorum) quod consuetudo neque potest tollere ea quæ sunt de iure gentium, vt probat Azorius to. 2. lib. 5. c. 17. q. 6. maximè vt obseruat Bonacina de legib. disp. 1. q. 1. punc. vlt. n. 8. quãdo ius gentium procedit ex iure naturali, vt procedere in casu nostro fatentur Lessius, Filliucius loc. cit. Vnde Salas de legib. tra. 29. resp. 19. sect. 2. sic ait. Licet aliquod ius gentium possit consuetudine abrogari, tamen moraliter id non contigit, quia deberent omnes gentes in tali consuetudine cõcordare, quod est moraliter impossibile, maximè cum etiam iura gẽtium sint valdè consentanea iuri naturali, & ideò oppositæ consuetudines raræ esse possunt. Ita Salas. Ex quibus manet solutum hoc tertium argumentum, in quo Fiscus nimis se fundabat.

Ad quartum argumẽtum assero primò, quod supradicta doctrina cõmuniter à Theologis, & Iurispertis absolutè refellitur, vt videre est apud Pegueram in praxi, c. 12. §. 6. n. 3. Farinacium. q. 39. nu 91. & 99. Aliqui verò ex Marsilio in pract. §. nunc videndum, n. 13. distinguunt; vel reus est idiota, & simplex; vel litteratus, & sagax. In primo casu asserunt, etiamsi non petat, dandam esse copiam indiciorum. In secundo casu verò negãt. Et ita docet Didacus Cantera in quæst. criminal. q. 9. de iudice, n. 3. & alij. Sed in nostro casu omnes rei sunt idiotæ, & simplices, ergo, &c. Vel respondeo secundo, esse disparem rationem inter illum casum, & nostrum; nam in nostro casu reus absolutè condemnatur per sententiam ad pœnam subeundam sine vlla defensione, & non auditus, in illo verò casu, de quo loquitur in argumento cõtrario, defensio non tollitur, sed differtur, vt notat Antoninus de Nigris Neapolitan. c. 272. n. 57. cum reus tantùm torqueatur; vnde ei remanet spes non confitendi tormento: & si confitetur post tormentum, datur ei terminus innocentiæ ad se defendendum, & ita dictam Doctrinam procedere quoad torturam, non autem quoad condemnationem rectè notat Pitigianus in praxi Canon. tit. 3. c. 7. circa finem, & Elisæus Dãza de potest. ad modum belli, c. 4. n. 1. Vnde Nauarrus in d. consil. 8. de accusat. dixit quod licèt communis opinio teneat dãdam esse defensionem ante torturam, nullus tamen videtur textus expressus, in hoc, quod de condemnatione rei nõ est dicendum, cum omnia iura apertè clament nõ esse damnãdum nisi auditum. Et ideò, vt dixi, non valet argumentum de tortura ad condemnationem, licèt communiter DD. asserant in vtroque casu dandam esse reis defensionem. Ad cõfirmationem verò argumenti dico opinionem Claudij Bertazzoli, & aliorum esse reprobatam, vt docet Caballus in resolutionum Criminalium cent. 2. cas. 41. & Farinacius q. 39. nu. 41. cum alijs penes ipsos. Vnde in delictis atrocissimis, etiam in hæresi, conceditur defensio, & datur copia indiciorum, & quando delicta sunt frequentia, & atrociora, augetur pœna, priuilegiatur eorum modus procedendi vel inuenitur alia ad illa extirpanda, non autem tollitur defensio, quæ reis competit de iure naturali, & quæ tolli non potest etiam, vt probatum est, de absoluta Principis potestate. Ad doctrinam verò Mõticelli, & aliorum negantium defensionem insignibus latronibus, &c. Respõdeo veram esse quando supradicti sunt notoriè tales, alias secus Et ita limitat dictam sententiam Farinacius q. 39. nu. 109. Bossius tit. de Indicijs, num. 76. Et supra ad secundum argumentum, ex mente etiam Theologorum, diximus Principem, quando delictum est notorium, posse defensionem denegare.

Ad quintum argumentum, assero illa exempla nõ facere ad casum nostrum nam vt rectè obseruat Farinacius q. 23. n. 139. in illis statutis nõ apponitur pęna corporalis: & si apponeretur, esset iniusta. Verùm in nostro casu rei damnãtur sine defensione ad triremes. Vnde si inter illos esset aliquis innocẽs, subiret inauditus pęnam tam atrocem, vt Caballus Resolutionum Criminalium cent. 1. cas. 9. nu. 48. asserit quod ista pœna maior, aut grauior reperiri non possit.

Igitur ex omnibus supradictis satis firmata mihi videtur circa præsentem quæstionem opinio negatiua. Vnde claudã hoc responsum cum verbis Medeæ, iussæ exulare à Creonte Rege ita cum illo loquentis, vt notat Bobadilla in Politica to. 1. lib. 2. c. 5. n. 36. [Qualquier que manda alguna cosa sin oyr la parte, aunque lo que manda sea justo, el en lo mandar es iniusto.] Et ita ego sentio, saluo semper, &c.

FINIS.

R. P. D. ANTONINI DIANA

PARTIS QVARTÆ TRACTATVS PRIMVS

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

TERTIO calamum sumo pro defensione immunitatis Ecclesiasticæ: notandum est tamen, quòd plurima dubia ex infrascriptis, à me reprobanda sunt, quatenus eorum authores conantur illa defendere vel de iure communi, vel ex consuetudine: secus autem esset, si illa defenderent ex priuilegiis, concordatis, vel aliis capitibus adductis à P. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. quæ quidem, cum debitis requisitis, si reuera extent, vel non extent, in sequentibus casibus non est meum definire.

An consuetudo possit in aliquo casu particulari tribuere iurisdictionem iudici laico.

RESOL. I.

AFfirmatiuè respondet Pereira de manu Regia, p. 2. c. 50. n. 41. vbi sic ait: Cùm agitur de iurisdictione Ecclesiastica in casu aliquo particulari tribuenda, iudici laico ex vsu & consuetudine acquiri potest, quare etiãsi in hac cognitione aliqua esset spiritualitatis quæstio, seu vmbra, rectè quidem ex tã antiquo vsu, & diuturna obseruantia eius definitionem laici acquirere potuissent. Ita ille, quod etiam docuerat in 1. p. c. 5. n. 4.

Sed hæc opinio, pace viri, quidem docti, & inter præclara Lusitaniæ ingenia nemini secundi, mihi displicet, quia omnes cõsuetudines à DD. reprobatæ essent validæ, quia semper sunt circa particulares casus; & ideò hanc sententiam reprobat Bonacina to. 3. disp. 1. q. 20. punct. 3. nu. 10. Castrus Palaus in opere morali tom. 2. disp. vnica punct. 12. nu. 2. & 3. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 32. nu. 14. & sequ. Ratio est, quia iura, vt Authentica cassa, C. de sacrosf. Eccles. c. cum terra, de elect. cap. ad nostram, & c. cum inter. de consuet. non loquuntur de consuetudine abrogante totam immunitatem Clericorum, vel in tota materia eius, vel in omnibus criminibus, vel omnibus caussis ciuilibus, vel alia simili magna parte exemptionis, quia nunquam tales cõsuetudines fuerunt in Regnis Catholicis à multis annis introductæ, vel etiam inueteratæ, neque hoc authores canonum ignorabant: loquuntur igitur de consuetudine particulari, vt apertè patet ex cap. clerici de iudic. & ideò aliqui authores, quando volunt defendere aliquas consuetudines Regnorum, cum consuetudine adducunt famam priuilegij, vt facit Philippus Probus in addit. ad Ioã. Monachum, in c. si iudex laicus, de sent. excomm. in 6. nu. 3. & Carolus Degrassalius in Regal. Fran. lib. 2. c. 17. nam, vt rectè obseruat idem Suarez vbi supra cap. 34. n. 17. si cum consuetudine coniungatur constans fama, & traditio antiqua, seu immemorialis, quod præcesserit priuilegium, & talis traditio integra probetur, videtur sufficiens vt talis cõsuetudo pro priuilegio reputetur: vnde ex his apparet, non esse admittendam doctrinam traditam ab Aluaro Valasco in praxi de partit. c. 35. nu. 11. vbi docet, consuetudinem immemorialem valere, etiamsi sit præiudicialis Ecclesiæ; sed de hac quæstione infra etiam redibit sermo, vbi videbimus an Iudex laicus ex cõsuetudine possit iudicare Clericos in minoribus: Et circa præsentem quæstionem ne prætermittas videre Alexandrum Pesantium in 2. 2. D. Tho. q. 62. ar. 2. disp. 6. & Petrum Binsfeldium in comment. de iniurijs & damno dato c. 7. concl. 12. dub. 3. vbi reprobat consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi exemptio Clericorum non esset de iure diuino, sed tantùm humano.

Verùm an dictæ consuetudines excusentur per tollerantiam Papæ, traditum, est in p. 1. tract. 2. resolut. 5. nunc addam tantũ ea, quæ circa illud sentit Peregrinus de immunit. Eccles. c. 2. nu. 34. vbi postquam reprobaret ex sacris Canonibus omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam, tandẽ sic asserit. Colligitur ex supradictis, quòd excusari nõ possunt iudices & officiales curiæ secularis illa communi & vulgari excusatione, quòd Summ. Pontifex vidit & tolerat, nec declarat illos nominatim excommunicatos; & per consequens tacitè videtur consentire, & iste tacitus cõsensus sufficiens sit ad excusandos illos à peccato & censuris. Nam decipiuntur, quia licèt nominatim non excommunicentur, nõ tamẽ per hoc sequitur, quòd non sint excommunicati in Bulla Cœnæ Domini; & similiter decipiuntur dum præsupponunt subesse tacitum Romani Põtificis consensum, imò quotidie Summi Pontifices conquerũtur cũ Oratoribus Principum, prohibent, pœnas constituunt, & quotannis in die Cœnę Dom. publicam & solemnem sententiã ferunt contra magistratus, iudices, &c. seculares, qui talia agũt cõtra immunitatem & libertatem Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum, annullãdo omnes cõsuetudines & præscriptiones, seu corruptelas, & abusus supradictos. Ex qua publicatione sententiæ manifestè demonstrant non adesse tolerantiam, quam ipsi præsupponunt. Ita Peregrinus vbi supra, & Castrus Palaus in opere morali to. 2. disp. vnica, de immun. Eccl. punct. 12. n. 13. docet lõgè abesse Pontificem ab hoc cõsensu, eũ quotannis in Bulla Cœnę abroget omnes consuetudines immunitati derogantes. Idem docet nouissimè Gabriel Lotherius de re beneficiaria li. 3. q. 33. n. 19. Vnde P. Suar. contra Regem Angliæ li. 4. c. 32. n. 11. sic ait. Semper Apostolica Sedes per sententias, vel per expressa edicta consuetudinibus contra libertatem Ecclesiasticam resistit, & specialiter in Bulla Cœnæ singulis annis eas reuocat, vel potius irritas esse declarat. Ergo nunquam potest præsumi tacitus consensus Pontificis. Nam licèt fortasse Pontifices non ignorent multa per consuetudinem fieri cõtra libertatem Ecclesiasticam, quæ non punit, sed quodammodo tolerat, non ideò est, quia consentiant, sed quia sine periculo maioris mali non possunt efficacius resistere, & ideò non cõsentiunt, sed permittũt. Ita ille. Ex his igitur apparet semper &

absolutè noo esse verum dicere, quòd si Papa tolerat aliquam consuetudinem: ergo consentit in illam. Vide Duardum in Bul. Cœn. lib. 2. can. 19. q. 8. n. 23. Bonacinam loco cit. q. 13. punct. 4. §. 3. num. 3. in fine, & Fagnan. in respons. pro cens. Pauli V. folio mihi 119. cum Aponte in respons. pro censura Pauli V. fol. 11. & 45. & Antonino Bouio in respons. pro cens. Pauli V. part. 4. ad argum. 11. & 12. fol. 79. & Collegio Bononiense in respons. pro libert. Eccles. num. 57. Vnde dum Pereira vbi supra cap. 24. nu. 32. asserit, quòd idem operatur tolerantia S. Pontificis, ac dispensatio, verum est si loquitur de tolerantia approbatiua, secus autem de permissiua. Vide Cochier de libert. Eccles. pat. 2. cap. 3. num. 8.

An Clericus in minoribus amittat priuilegium fori, si non deseruiat Ecclesiæ ad certum ministerium ex Episcopi mandato.

RESL. II.

RESpondet affirmatiuè Pereira de manu Regia par. 2. cap. 26. num. 7. vbi sic ait. An autem affixatio, vel deputatio facta in ipsismet chartis Ordinum, dum dicit, eumque suæ parochiæ affiximus, sufficiat? dubitatum est in Senatu, & non sine fundamento, videtur enim quòd hoc casu requiratur specialis Episcopi affixatio ad certum ministerium in Ecclesia obeundum, non verò generalis, sicque iudicauimus visa forma sacri Concilij. Sic ille.

Sed negatiua sententia vera est, vt praxis demonstrat, & ideò Doctores, quos ego citaui in part. 1. tract. 2. resol. 34. asserunt absolutè, Clericos minores gaudere priuilegio fori, si deseruiunt alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, nec vllam faciunt mentionem de affixatione speciali ad certum ministeriũ, quod manifestiùs apparet ex illa doctrina, quod Clericus si deseruiat alicui Ecclesiæ, etiamsi hoc non faciat de mandato Episcopi, gaudet priuilegio fori, & ita tenet & obseruat determinasse sacram Cardinalium Congregationem die 29. Iunij 1628. Sellius in select. can. c. 18. n. 22. Idem etiam testatur Franciscus Capiblancus de offic. Baron. pragm. 8. p. 3. n. 32. Riccius part. 4. decis. 111. nu. 5. Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resolut. 48. Ricciulius de iure personarum, &c. li. 7. c. 6. n. 15. Quaranta in sum. Bull. ver. habitus clericalis, & Nouarius in iure Pôtificio tit. de foro compet. concl. 6. aliàs 92. n. 5. vbi sic ait. Sufficit quod Clericus inseruiat diuinis etiam alteri Ecclesiæ, quam illi cui fuit per Episcopum adscriptus, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, & decisum refert Riccius in curia Archiep. Neapol. inferens ex hoc hodie adscriptionem in Ecclesia de mandato Episcopi non esse necessariam, sed sufficere, quòd realiter fiat seruitium in diuinis: & meritò quidem, cùm ad id Concilium habuerit mentem, & ita obtinui in magna curia Vicariæ in fauorem Clerici Dominici Port. qui fuit remissus ad curiam Archiepiscopalem, probato seruitio in diuinis, licèt non fuisset assignatum a suo Episcopo; hæc Nouarius, quæ à fortiori militant aduersus sententiam Pereiræ. Vnde non est audiendus Barbosa de potest. Episc. p. 2. allegat. 12. n. 14. Bonacina in Bulla Cœn. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 6. n. 34. & Carolus de Grassis effect. 1. n. 1170. asserentes, Clericum inseruientem alteri Ecclesię quam illi, cui Episcopus inseruire præcepit, non gaudere priuilegio fori; nam contrarium, vt dixi, declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, quam, me etiam citato, adducit nouissimè Antonius de Marinis quotidian. resolut. ca. 58 nu. 12. & Paulus Squillante, de priuileg. c. 7. dub. 1. n. 13. & ideò contra Pereiram non est ab hac sententia recedendum, quam denique mutans opinionem, etiam me citato, tenet Barbosa de iure Pontificio lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 35.

An iudex laicus possit exequi suam sententiam contra bona Clericorum in casibus, de quibus in iudicio seculari actum est.

RESOL. III.

HOc esse licitum de iure communi docet Pereira de manu Regia part. 2 cap. 51. num. 1. vbi sic ait. Si Clericus in iudicio sęculari cõtra se sententiam reportauerit mandato eiusdem Iudicis secularis, in eius bonis fiat executio, quod de iure communi comprobatur. Sic ille.

Sed hoc de iure communi esse illicitum probaui in par. 1. tr. 2 resol. 21. & par. 3. tract. 1. resolut. 4. cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Bonacinam in Bullam Cœnæ disput. 1. quęst. 16. sect. 1. punct. 4. §. 6. num. 8. & Paulum Squillante de priuileg. Clericor. c. 7. dub. 3. n. 74. vbi sic asserit. Est aduertendum, quod licèt in casibus de iure permissis, & vbi viget consuetudo, recõueniatur Clericus apud iudicem laicum, attamen si Clericus reconuentus condemnetur ab ipso laico, nõ potest exequi, nec in rebus Clerici recõuenti, sed ad iudicem Ecclesiasticum pertinebit exequutio ad instãtiam iudicis laici. Ita ille, qui ex Genuẽsi notat, quòd in curia Archiepiscopali Neapolitana in casu prædicto seruatur, quod visa sententia & processu iudicis secularis mandat curia exequtionem fieri contra Clericum, & ita hanc sententiam tenet Imola & Butrius in ca. postulasti, de foro competent Marianus Socinus in c. 1. de mutuis pet. & me citato, nouissimè Antonius de Marinis resolut. quotidian. c. 53. n. 15. & 16. qui citat Lupum & Grassum.

An Clerici in Sacris, vel Beneficiati, qui condignè non puniuntur in foro Ecclesiastico, possint a Rege priuari bonis ab ipso Rege obtentis

RESOL. IV.

REspondet affirmatiuè Pereira de manu Regia p. 2. c. 48. nu. 3. & 4. non per viam iurisdictionis, sed per viam œconomicę gubernationis, vt flagitiosos à se & à suo domo arceat, insurgens in hoc, in fauorem legis Canonicæ, flagitiosis hominibus non sufficienter punitis, illam pœnam addendo quod priuentur omnibus bonis, quæ ab ipso Principe habent: vnde sub tali conditione censentur talia bona cõcessa, itaque adueniente conditione sine vlla iniuria adimuntur.

Sed hęc opinio fundata in aliquo priuilegio Pontificio sustinetur, secus verò minimè; & ad authoritatem Suarez, quem pro se adducit Pereira, respondeo esse disparem rationem in feudo & in alijs criminibus. Deinde cum certum sit, quod ex concessione facta Ecclesiæ nihil concedenti censetur reseruatum, quod etiam procedit in dubio, vt docet Barbatia in ca. verum, de foro compet. nu. 69. Felinus, Tuschus, & alij, quos citat Cochier de libert. Eccles. p. 1. c. 31. nu. 21. quæro à Pereira, vnde pateat Reges dedisse bona Ecclesijs cum tali conditione? Dicendum est igitur, quòd bona concessa Clericis efficiuntur statim Ecclesiastica, & gaudent eodem priuilegio, quo gaudet persona Clerici, vt habetur in c. Ecclesia S. Mariæ, de constit. & asserunt DD. communiter. Vide Layman in theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 6. nu. 8. vbi probat, bona Clericorum ex titulo spirituali acquisita, esse prorsus immunia à iurisdictione seculari. Vide etiam Io. Cochier de libert. Eccles. p. 1. c. 18. n. 10.

An cognitio de habitu clericali spectet ad iudicem laicum.

RESOL. V.

AFfirmatiuam sententiam præter DD. quos adduxi in p. 1. tr. 2. resol. 27. & p. 3. tract. 1. resol. 15. tenet nouissimè iterum Pereira de manu Regia p. 1 c. 44. n. 3. putant enim per c. si iudex, de sentent. excommunic. in 6. non esse licitum laicis cognoscere quęstionem iuris circa Clericos, secus, quoad quæstionẽ facti, vt est cognitio de habitu clericali, & addit Pereira de bigamia, de tonsura, & alijs conditionibus requisitis à Concil. Trid. sess. 23. ca. 6. Vide etiam nouissimè Ioannem Honorium in comped. iuris Canonici lib. 3. tit. 1. nu. 15. qui etiam hanc sententiam tenet.

Sed ego locis cit. contrarium docui, & nunc iterùm doceo, & præter DD. quos vbi supra citaui, tenent hanc opinionem Duardus in Bull. Cęn. lib. 2. can. 19. q. 8. n. 19. Molina de iust. tra. 3. disp. 49. nu. 11. Gauantus in enchiridio Episc. ver. fori priuilegium. n 32. Sanchez in opusc. to. 2. lib. 6. c. 1. dub. 1. n. 16. Castrus Palaus in opere morali to. 2. disp. vnica. punct. 4. nu. 7. Melchior Lotherius de re beneficiaria lib. 3. q. 36. n. 69. Scaccia de iudicijs lib. 1. c. 11. nu. 8. Menochius de præsumpt. lib. 6. q. 76. n. 341. Genuensis in praxi, c. 38. nu. 6. in fine. Ambrosinus de immunit. Eccles. c. 23. n. 15. Bonacina in Bull. Cœn. disp. 1. q. 16. sect. 1. pun. 6. n. 31. Rolandus à Valle lib. 1. cons. 4. n. 33 Suarez de Paz in praxi, to. 2. præl. 2. n. 9. Nauarrus in c. nouit, de iudic. notab. 66. n. 44.

Gratia-

Gratianus in disceptation. forens. tom. 1. cap. 190. num. 15. & alij penes ipsos. Nam si cognitio, an sit Clericus, per dictum cap. si iudex, spectet ad iudicem Ecclesiasticum non video cur cognitio de habitu non spectet ad eumdem, cum vtraque cognitio tendat ad idem. Et licèt sit controuersia de facto, est tamen de quodam facto spirituali, scilicet Ordinis, ipsique pertinens. Item in iure Canonico statuitur Clericum fori priuilegio gaudere, si habitum & tonsuram deferat. Ergo ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, & non ad sęcularem, decidere quis dicatur tonsuram & habitum deferre. Deinde ad Episcopum pertinet habitum à Clericis deferendum præscribere; ergo ad eundem etiam spectat cognoscere an habitus sit clericalis. Vnde affirmatiuam sententiam falsam esse & sacris Canonibus contrariam, docuit Paramus in respons. pro iurisdict. S. Officij, cap. 4. n. 2. & Farinacius qu. 8. n. 34. & ideò nostram opinionem non solùm tenuit sacra Rota Romana decis. 302. de sentent. excommun. in nouis: sed illam determinauit sacra Emmentissimorum Cardinalium Congregatio die 11. Iulij anno 1595. Vnde nescio quomodo aduersarij affirmatiuam sententiam tueantur, cum eorum opinio sit contra communem Doctorum opinionem, contra sacram Rotam Romanam, & contra sacram Congregationem Cardinalium.

An qui beneficium habens delinquit, & posteà matrimonium contrahit, sit a Iudice puniendus.

RESOL. VI.

REspondet affirmatiuè Pereira de manu Regia p. 2. cap. 42. nu. 8. quia omne delictum de se temporale est, solumque ratione personę ad hoc, vel illud iudicium spectat: vnde cum priuilegium personæ attendi debeat, quando iudicium incipit, ex l. cum quædam puella. ff. de iurisdict. omn. iudic. & ex c. penult. de foro compet. planè si eo tempore Clericus nullum habet priuilegium, nulla ratio est, ob quam ad iudicium Ecclesiasticum remitti debeat.

Sed ego contrariam sententiam doceo per ea quæ adduxi in 3. p. tra. 1. resol. 34. & ita hanc sententiam docet etiam Baiardus in addit. ad Iul. Clar. q. 36. n. 46. vbi sic ait. Si Clericus commisit delictum tempore quo erat Clericus, & posteà vxorem duxit debet puniri ab Episcopo, & non à iudice laico, vt iudicatum fuit per sacrum Cōsilium Neapolitanum. Ita ille. & ante illum Franchus in decis. 417. num. 4. vol. 2. apud quem videbis rationes fundantes nostram sententiam, & nouissimè hanc sententiam, me citato, docet etiam Squillante de priuileg. cleric. c. 7. n. 101. & 38. vbi citat Gratianum in discept. forens. c. 224. & Barbosam de potestat. Episcop. p. 2. allegat. 13. nu. 6. quibus ego addo Sanchez vbi infrà, & Bonacinam in Bull. Cœn. disput. 1. qu. 16. sect. 1. punct. 3. nu. 14 & Gauantum in enchir. Episc. ver. fori priuilegium, n. 31.

Idem dicendum est de Clerico coniugato, qui post commissum delictum tempore quo omnia requisita habebat vt fori priuilegio gauderet, effectus sit bigamus iniens aliud matrimonium. nam in tali casu gaudebit priuilegio fori, cum in his casibus ad tempus commissi delicti spectetur. Vide Doctores citatos, & Riccium part. 5. collect. 1864. quibus nouissimè adde Sanchez in opusc. tom. 2. libro 6. cap. 1. dub. 3. n. 1. quæ quidem omnia confirmantur ex declaratione sacrę Congregationis immunitatis in Nullius Garopoli die 9. Septembris 1631. vbi determinatur, quòd fori priuilegio gaudet laicus pro tempore quo fuit Clericus.

An si laicus delinquat simul cum Clerico, possit puniri à iudice Ecclesiastico maximè si prę ueniat.

RESOL. VII.

NEgatiuè respondet Pereira de manu Regia par. 2. cap. 41. num. 3. & alij penes ipsum, quibus ego addo, præter Doctores quos citaui in 3. part. tractat. 1. resolut. 1. Vrsillum in addit. ad Afflictum decis. 223. num. 7. Aymonem consil. 232. libro 2. Rupelium in forens. instit. libr. 3. cap. 11. Osascum decis. Pedemon. 103. num. 10. & facit pro hac sententia textus in leg. si quis vxori, ff. de furtis, vbi in delictis socius criminis non gaudet priuilegio socij. Et ita hanc opinionem tenet nouissimè Nouarius de elect. fori, sect. 3. quæst. 1. num. 28. & alij penes ip-

sum, quibus etiam adde Thomam Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 3. c. vnico, dub. 30. num. 5. & Castrum Palaum tom. 2. disp. vnica, punct. 6. num. 11.

Sed ego in dicta resolut. contrarium docui, & nunc iterum doceo cum docto Iurisconsulto Ioann. Francisco Fagnano in respons. pro cens. Pauli V. part. 3. fol. mihi 85. maximè in casu, quo Iudex Ecclesiasticus præueniret in captura, & ita in specie tenet Farinacius quæst. 8. num. 151. in fine, & Baiardus in addit. ad Clarum quæst. 36. num. 50. vbi sic ait. Licèt vsu magis receptum esse videatur, quòd laicus cum Clerico insimul delinquens possit à sæculari iudice puniri, non tamen à Doctoribus hanc opinionem tenentibus negatur, quin possit etiam à Iudice Ecclesiastico, si in captura præueniat. Ita ille. Et quia in dicta resolutione adduxi Scacciam testantem hanc sententiam affirmatiuam fuisse determinatam à sacra Cardinalium Congregatione, & non citaui locum, visum est modò illum adducere. Tenet igitur Scaccia hanc sententiam in lib. 1. de iudic. causarum, & cęt. cap. 11. num. 24. vbi postquam adduxit Doctores negatiuam sententiam docentes, & testantes de consuetudine, ipse tamen sic asserit. Tamen quicquid isti dixerint, ego vidi istam opinionem seruari ex decreto sacræ Congregationis, quæ de anno præterito 1591. die 10. Decembris rescripsit Domino Pompeio de Amatis, tunc temporis Commissario ciuitatis Tusculanæ, vt tam Clericos, quàm laicos inquisitos de violentia illata cuidam mulieri remitteret ad iudicem Ecclesiasticum. Sic ille. Et meritò quidem, nam magis dignum trahit ad se minus dignum, vt patet in cap. per tuas, de arbitr. cap. quanto, de iudic. & in l. si cummunem, ff. quemadmodum seruit. amit. & in l. eum, qui ædis, ff. de vsucap. & quia causæ continentia diuidenda non est, ex l. nulli, Codic. de iudic. & ex cap. 1. de casu possess. & proprietat. Et hanc sententiam tenet etiam Marianus Socinus in cap. 2. num. 30. de mutuis petition. & consil. 12. num. 19. volum. 1. & vidisse in practica ita fuisse obtentum testatur Bartholomæus Socinus in l. cum Senatus, num. 11. ff. de rebus dub. & sequitur Felinus in cap. 1. numer. 6. de præsumpt. Parisius consil. 154. num. 1. volum. 4 Riminaldus iunior in l. imperium, numer. 83. de iurisdict. omnium iudic. & consil. 202. num. 12. & 39. vol. 2. consil. 261. num. 43. vol. 3. Cardinalis Albanus consil. 14. num. 6. & alij. Vnde non est audiendus M. Anton. Cucchus in instit. maior lib. 3. tit. 9. nu. 16. & notandum est etiam hic obiter cum Scaccia loco citat. quod licèt aduersùs nostram sententiam videatur facere Bulla Pij IV. die 26. Maij anno 1565. tamen dicta Bulla fuit correcta, & redacta ad terminos iuris communis & sacri Conc. Trident. per aliam Bullam Pij V. die 20. Iunij anno 1566.

An iudex laicus possit exigere pœnas impositas à lege, si clerici illam transgrediuntur, & res vendita cecidissent in commissum?

RESOL. VIII.

AFfirmatiuam sententiam docent aliqui Iuniores Iurisconsulti, vt alibi notauimus, quibus iterum addo Pereiram de manu Regia part. 2. cap. 39. num. 15. quando pœna imposita à lege, exigenda est de plano, quasi in commissum ceciderit: vnde ait ille. Si Clericus frumentum, vel oleum publicè exposuit venditioni, excedens taxam præfinitam ab Aedilibus, si frumentum amissionem incurrit, ex statuto capi potest, quasi in commissum cecidisset, & hanc sententiam (quod vehemēter doleo) tenet etiam Castrus Palaus in opere morali tomo 1. tractat. 3. disputat. 1. punct. 14. §. 6. numero 9. vbi ita asserit. Si pœna exigenda est de plano absque alia controuersia iudiciali, qualiter solent iudices exigere ob solam declarationem ministrorum, qui signati sunt ad has pœnas, seu contributiones exigendas, tunc licitè videtur posse sæculares iudices illam ab Ecclesiasticis exigere: quod si soluere noluerint, poterunt ij ab illis aliqua in pignus accipere solutioni præstandæ, quia hæc non tam in pœnam violatæ legis accipiuntur, quàm in reparationem damni dati, seu in contributionem debitam. Ita Palaus. Sed magis amplè, & minus benè, loquitur in hac re Samuel Lublinus in summula casuum conscient. verb. Bulla Cœn. cas. 17. vbi sic ait. Constituit Rex cum Senatoribus in suis Comitijs iustum pretium frumenti, simul obligans ad pœnam subditos, si maiori pretio præsumerent vendere; interim

Clericus contra hanc pragmaticam carius vendit, cuius bona iudex vel magistratos ex officio sequestrat, numquid talis censuram incurreret? Dicendum quòd leges taxantes pretium rebus, non solùm obligant sæculares, verùm etiam Clericos, quoties illas vendiderint; proinde licèt Clerici non sint subiecti legibus ciuilibus, subduntur tamen legi naturali & diuinæ, quæ præcipit ne res alio pretio, quàm iustè vendantur, ergo præfatus iudex frumentum Clerici sequestrans non incurrit censuram. Oppones, igitur per te Clerici transgressores legum ciuilium sunt puniendi. Respondeo in personis nequaquam puniendi; sed solùm in rebus & bonis temporalibus. Hæc Lublinius. Sed hæc omnia sunt directè contra Immunitatem Ecclesiasticam, & contra opinionem Lublini, Theologo quidem indignam, oppono Theologorum omnium communem opinionem, & pro nunc contra illum satis sit adducere ex eadem illustri Dominicana familia Antonium Sousam in Bull. Cœn. cap. 20. disput. 95. numer. 4. vbi probat, quòd sicut iudex laicus non potest in realibus Ecclesiasticos ad suum tribunal trahere; ita neque etiam bona sequestrare. nam si persona Ecclesiastica est exempta; ergo & res eius. Vide me ipsum in part. 1. tra. 2. resolut. 41. Ad sententiam verò Castri Palai, quæ etiam est contra communem Theologorum, oppono ex eadem Societate Iesu P. Suar. de legibus, lib. 4. c. 34. num. 17 vbi tenet, quòd maior coactio efficitur, quando absque alia controuersia iudiciali exigitur pœna imposita à lege, vt est in casu quem docet Palaus & Pereira, a quibus peto; Res illæ, quas malè vendunt Clerici, quo iure cadunt in commissum; certè non ex alio capite, quam ex lege prohibente, ergo etiam hec est pœna, ad quam Clericos indubitatum est non teneri; ergo, &c. Vide etiam meipsum, vbi suprà resol. 1. 5. 71. & 76.

Nota etiam hic obiter contra Pereiram loc. cit. nu. 8. 9. & 11. Clericos pro damno, & noxa data à suis animalibus non posse conueniri coram iudice sæculari, & neque teneri ad pœnas impositas, vt patet ex dictis.

Nota etiam secundò contra Pereiram vbi suprà num. 17. dixi dilem nō posse Clericum compellere, vt domum ruinosam destruat, ne vicinis noceat, neque pro plateis mundandis vbi ipsi degunt, pœnas pecuniarias extorquere. nam hæc compulsio facienda est per iudicem Ecclesiasticum, vt nos locis citatis satis firmauimus, & docet Molina de iustit. tractat. 2. disp. 672. nu. 5. numquam enim laici habent iurisdictionē ad cogendos Clericos, vt in casu simili notat Suarez contra Regem Angliæ libro 4. cap. 26. nu. 6. & ita nouissimè hanc sententiam docet Thom. Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 55. num. 9. & 11. vbi in dictis & similibus casibus putat Clericos per Iudicem Ecclesiasticum debere cogi.

An possit Princeps prohibere ne Inhibitoriæ quæ ad Magistratus Regios mittuntur, ab Ecclesiasticis promulgentur, priusquam ipsi Principi offerantur, vt de eius facultate publicentur.

RESOL. IX.

Affirmatiuam sententiam docet Pereira de manu Regia, part. 2. cap. 65. qui ait, num. 5. in executione talium litterarum, quibus sæculares Magistratus inhibentur, inesse violentiam, & publicarum functionum perturbationem, si iniustè fiant ratione cuius iustissimè tales inhibitoriæ ad ipsum Regem deferri debent, vt ipse, qui pro communi vtilitate creatus extitit, sua manu Regia liceotiam Ecclesiasticorum compescat, vt se intra suos limites contineant. Ita ille. Sed, quod valdè miror, Rodriquez in addit. ad Bull. Cruciatæ §. 9. num. 87. vbi sic ait: [Puede el Principe secular prohibir a los Obispos, y sus Vicarios que nō descomulguē à sus vassallos sine que primero muestren la causa que tienen para lo hazer.] Vnde vides, amice Lector, quomodo ex prætensa violentia conantur se ingerere iudices laici in causis Ecclesiasticis, quasi tales non haberent superiores competentes ad eorum licentiam compescendam, si adesset. Frustrà itaque per hos Summus Pontifex constituit Metropolitanos, & Nuncios in singulis Regnis, & ideò in casu occurrenti, Episcopi si vellent inhibere aliquos iudices, tali executio dependeret à regio beneplacito.

Igitur contrariam sententiam in casu proposito tenendam esse puto, vt docui in part. 3. tractat. 1. resolut. 9. contra Antonium Costam consil. 1. per totum, in simili casu loquentem de Pragmatica, nuncupata in hoc Regno Siciliæ la Cathalana, quam cum Antonio de Ballis firmaui esse contra immunitatem Ecclesiasticam, & ad rationem quam adducit Pereira, quòd litteræ Pontificiæ non exequuntur sine Regio Exequatur, remitto me ad ea quæ dicit Acosta in Bulla Cruciatæ quæst. 96. per totam, & dicunt Doct. quos citaui in part. 1. tractat. 2. resolut. 12. Nostrum verò Sereniss. Regem hoc efficere ex priuilegio Pontificis, tradit Bannez in 2. 2. quæst. 67. art. 1. dub. 2. concl. 6. & Castrus Palaus in opere morali tom. 2. disp. vnica, punc. 9. nu. 10. vel ex Concordatis cum eodem Summo Pontifice, vt testatur Iacobus de Graffijs in decis. aur. p. 1. lib. 4 c. 10. num. 120. addit tamen hæc verba. Caueant ministri Regis, cuius mēs sanctissima est, in non inferendo præiudicium Sanctæ Sedi Apostolicæ, neque diuexent negotiatores in non expediendo Regium Exequatur. Sic ille.

Notandum est tamen hic obiter, quòd supposito tali priuilegio, vel dictis Concordatis, de quibus testantur citati authores, Regium Exequatur conceditur tantùm inter rescripta, priuata, vel obtenta inter partes, vel ad instantiam alicuius, non autem in legibus generalibus, & statutis vniuersalibus, prout sunt Bullæ & Extrauagantes Pontificiæ, vt optimè obseruat Rao in responsionibus ad dubia circa immunitat. Ecclesiastic. fol. mihi 32. nam si dictæ Bullæ executorijs indigerent, vniuersalis Ecclesiæ regimen in præceps ruueret, & hucusque ait ille, nulla inuenitur Bulla & constitutio generalis Summi Pontificis, executorijs mandata: vnde apparet, quam malè quidam asserebat Bullam Gregorij XIV. de Immunitate Ecclesiarum in hoc Regno Siciliæ non valere, quia in illa Regium Exequatur non inuenitur.

An iudex laicus ex consuetudine possit iudicare in criminalibus Clericos in minoribus constitutos.

RESOL. X.

Affirmatiuam sententiam docet Pereira de manu Regia, part. 2. cap. 77. num. 2. vbi sic ait. Circa Clericos in minoribus potest Iudex sæcularis iurisdictionem in criminalibus acquirere ex consuetudine, Ita ille, & hoc etiam docet in cap. 26. num. 10.

Sed hæc opinio est contra sacros Canones, per quo apparet Clericos in minoribus, etiam in prima tonsura constitutos, integrè & plenè gaudere priuilegio clericali, sicuti Clericos in Sacris constitutos, vt patet in cap. 2. de foro compet. & in c. cum non ab homine, de iudicijs ibi. *Clericos cuiuscumque Ordinis constitutos:* & iterum, *Clericos in quocumque Ordine constitutos:* & ratio est clara, nam priuilegium fori, in criminalibus, etiam, vt est à iure diuino, ita gaudent Clerici in Sacris cōstituti, ac Clerici in minoribus, vt probat Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 16. per totum, ergo sicuti Iudex laicus ex consuetudine non potest in criminalibus cognoscere Clericos in Sacris, ita etiam non potest cognoscere clericos in minoribus. Vnde idem Suarez loco cit. c. 26. nu. 16. licèt asserat in Hispania Clericos minores non gaudere exemptione gabellarum ex consuetudine; tamen addit, vt hoc licitum sit, oportet vt constet talem consuetudinem esse à Pontifice approbatam, alioquin illam reprobar: vnde si sola consuetudo, sine approbatione Summi Pontificis, non valet contra Clericos, quoad exemptionem gabellarum, quanto magis non valebit contra Pereiram quoad priuilegium fori in criminalibus; vnde in cap. Clerici, de iudicijs dicitur, cum Canones generaliter tradant, vt de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico Iudice conueniri, non debet in hac parte Canonibus ex aliqua consuetudine præiudicium generari, & in cap. cùm terra de electione, damnatur quędam consuetudo, quia in grauamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis tendundabat; & idem docet cap. ad nostram, & ca. cum inter, de consuet. vt notat glossa vltima in dicto cap. Clerici, de iudicijs, vide etiam Authen. Cassa, C. de sacrosanct. Eccles. & ideò Honorius III. in cap. nouerit. de sententi. excommunic. excommunicat omnes, qui consuetudines introducta contra Ecclesiasticam libertatem seruari fecerint, & ita tenent DD. quos citaui in par. 1 trac. 2. resol. 4. quibus nunc addo Vigianium de immunit. Eccles. disp. 2. concl. 5. & Antonium Bonium in respons. pro cens. Pauli V. p. 1. ad arg. 11. fol. 79. vbi sic. ait. [In questa materia d'immunità Ecclesiastica i sacri Canoni hanno reprobata ogni contra-

contraria cōsuetudine, come il Lateranense alla sess. 10. & tutti i Summi Pontefici nella Bolla Cœnæ Domini, e percio, nō valere alcuna consuetudine cōtra la libertà Ecclesiastica, dicono i Dottori con la Glosa sopra il c. Clerici, de iudicijs. E Tiberio Deciano lib. 4. c. 9. nu. 10. & seq. proua questa verità, e vi pone molte estensioni, e tra l'altre che non vaglia tal consuetudine, ancor che il Papa l'hauesse saputo, & non hauesse detto cosa alcuna.] Ita ille, quę quidem vltima verba sunt multum notanda: & hanc opinionem in terminis contra Pereiram circa Clericos minores firmat Ioā. Franciscus Fagnanus in respons. pro censur. Pauli V. fol. 117. & 118. ex Concil. Trid. ca. 6. sess. 23. iuncto cap. 20. sess. 25. & ex alijs rationibus, & in terminis etiam contra Pereiram docet hanc sententiam Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 19. q. 8. nu. 1. & seq. Notandum est etiam hic obiter, Episcopum non posse publicare edictum, vt Clerici in minoribus debeant assumere sacros Ordines sub pœna priuationis habitus. Ita declarauit sacra Congregatio in vna Mazariēsi die 14. Decembris 1630. rectè Sellio in select. Canon cap. 19. nu. 4. & Barbosa in Collect. Doctorum super Concil. Trident. sess. 23. c. 7. num. 4.

An iudex laicus possit statuere ne concubinæ teneantur pro furtis ab ipsis concubinis factis, etiamsi hoc extendat ad concubinas Clericorum.

RESOL. XI.

Respondet affirmatiuè Pereira de manu Regia p. 2. c. 75. nu. 1. Ratio est, quia talis lex detestari intendit concubinatum, illumque à sua Republica penitus exterminare, vnde hac prohibitione deterriti concubinarij resipiscant, licèt per accidens fit vt exinde concubinæ furandi licentiā arripiant impunè, quod lex non intendit, nec legi tribuendum est peccatum, quod subditus ex sua malitia occasione legis aliàs iustè accipit ex se ipsa. Et hæc lex est communis tam laicis, quàm Clericis. ergo, &c. Ita Pereira loco cit.

Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt docet Bertrand. de Gueuara in propugn. Eccles. asser. 1. §. 1. nu. 25. Aponte respons. Pro cens. Pauli V. fol. mihi 71. doctus & nunquam satis laudatus Preses Valenzuela in defens. monitorij Pauli V, p. 1. nu. 55. Maynardus de priuileg. Eccles. part. 1. art. 1 num. 24. Butrius in cap. cum terra, de elect. num. 6. Felinus in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 69. Imola, num. 11. Decius num. 3. de constit. & alij penes ipsos, lex, seu statutum si tollat Clericis id, quod de iure communi eis competebat, est cōtra immunitatem Ecclesiasticam; sed de iure communi competit omnibus actio furti, quæ per hanc legem Clericis denegatur; ergo, &c. Nec valet dicere cum Pereira, quod ista lex etiam hanc actionem furti denegat laicis, & quod fertur propter bonum commune. nam si hoc axioma esset verùm, omnes leges comprehenderent Clericos, quia feruntur propter publicam vtilitatem, & sunt generales; sed publica vtilitas non confert iurisdictionem laicis vt possint statuere aliquid præiudiciale Ecclesiasticis, vt patet ex sacris Canonibus & communi DD. sententia, & tradit Surdus vol. 3. consil. 302. & vol. 1. consil. 2. Angelus verb. immunitas, num. 37. Marta p. 4. cent. 1. cas. 1. & alij.

An Iudex laicus possit punire Apostatas

RESOL. XII.

Affirmatiuè respondet Pereira de manu Regia par. 2. cap. 74. num. 3. quando quæstio versatur circa factum simplex, an quis fuerit Apostata, & fidem omninò dimiserit, quia quæstio facti huius criminis non est magis spiritualis, quàm quælibet quæstio facti matrimonij, vel similium, de quibus Iudex laicus cognoscit: ergo, &c.

Sed hæc opinio prorsus non est tenenda. nam Apostasia non est peccatum specie distinctum ab hæresi, vt docet Bannez in 2. 2. quæst. 12. art. 1. Valentia, to. 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæs. 3. Caietanus in 2. 2. quęst. 10. ar. 1. Castrus lib. 1. de iust. hęretic punit. cap. 7. Pegna in director. Inquis. par. 2. comment. 74. Becanus in 2. 2. disput. 17. dub. 1. & alij communiter. Sed iudex laicus non potest se ingerere ad cognoscendum de hæresi, etiamsi agatur de quęstione facti, vt ego probaui in 3. p. tract. 1. resol. 2. & dicam inferius. Ergo neq; de quęstione facti Apostasię. Vnde apparet quàm latè in his materijs iurisdictionalibus procedant hodie quidam recctiores. nam nō solùm conantur ingredi in aulis Episcoporum, sed etiam in secreto tribunali Inquisitorum.

Notandum est hic obiter, ipsum Pereiram num. 5. in fine, asserere suam sententiam repugnare communi opinioni, sed illam sequi posse, quia Reges nō tenentur sequi communes opiniones, sed probabilem. Verùm ego puto hanc sententiam non esse probabilem, cum sit contra cap. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de heret. in 6. vbi absolutè in causa hęresis prohibetur laicis se ingerere, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & ita docent Doctores quos citaui in dicta resol. Sed quoad electionem opinionum in casibus similibus, Reges obseruent consilium alterius senatoris, & non Pereirę, is est doctus & pius Valenzuela in defens. monitorij Pauli V. p. 1. nu. 43. vbi docet; quod in conflictu opinionum illa magis est amplectenda, quę fauet Ecclesię.

An valeat statutum sæculare, quo cauetur ne bona immobilia transferantur in Ecclesiasticas personas sine Regia facultate?

RESOL. XIII.

Affirmatiuam sententiam docent Pereira de manu Regia p. 2. cap. 67. num. 9. & seq. ratione publicę vtilitatis, cum oporteat bona illa retineri & conseruari pro defensione Reipublicę, & pro subeundis tributis, quę Ecclesiasticis personis nequeunt imponi. Deinde hoc pactum dominus directus in concessione emphyteusis licitè apponere potest. ergo & Respublica, & tandem, quia in tali statuto tollitur Clericis solùm id, quod tanquam ciuibus illis competit; ergo non erit contra libertatem Ecclesiasticam, quæ solum versatur in his, quæ Clericis, vel Ecclesiis competunt, quatenus tales sunt, non autem quatenus ciues.

Verùm mihi displicet his temporibus hāc opinionem typis mandatam fuisse à viro tam docto, vt reuera Pereira est, cum fuerit reprobata à SS. Domino nostro Paulo Quinto & Paulus Seruita cum rationibus adductis à Pereira simile statutum impositum defendebat, vt patet apud Iulium Rosso in respon. ad M. Anton. Capellam. part. 4. cap. 1. & sequ. Valenzuelam in defens. cens. Pauli V. part. 3. Bertran. de Gueuara in propugn. libert. Eccles. assert. 1. §. 6. Theologos Religionis Seruitæ in defens. cens. Pauli V. cap. 7. Maynardum de priuileg. cler. part. 2. articul. 22. num. 52. Antonium Bouium in respons. ad Paulum Seruitam part. 3. Fagnanum de iustitia, censur. Pauli V. parte 3. Anastasium Germonium in assertion. Immunitat. Eccles. capit. 7. Vgolinum in respons. ad Iurisconf. Gymnasij Patauini capit. 6. respondentes ad argumenta, quæ Paulus Seruita, & nouissimè Pereira pro tali statuto adducunt; & cum Paulus Seruita adduceret pro defensione huius sentētię statutum Regni Portugalliæ, de quo loquitur Pereira, supradicti authores respondent, statutum Portugaliæ iustificari ex priuilegio Pontificis, & Concordatis, & tamen Pereira, his non obstantibus, vult illud defendere in terminis iuris communis, quod minimè admittendum est, cum sit apertè contra Immunitatem Ecclesiasticam.

Sed nō grauabor hic apponere verba aliquorum Doctorum ex supradictis, & ideò Antonius Bouius vbi suprà ad argum. 10. fol. mihi 42. sic asserit. [In Portogallo vi sono simili leggi, ma fatte di concordia col Clero e di consenso del Papa. Veggasi Frāceso Celio nel trattato de Immunitate Ecclesiastica nel fine, che referisce trà l'altre leggi che haueua fatto Alfolso III. ancora questa, e racconta che perciò ne fù scomunicato da Honorio III. e tutto il Regno interdetto, fin che poi ne fù assoluto e si fecero d'accordo cō questi Ecclesiastici alcuni articoli, che furono dal Papa approbati, e dice questo Autor d'hauer egli stesso veduto le Bolle Apostoliche, e dice il luogo doue si cōseruano.] Iulius Rosso loc. citat de argumen. 27. sic ait. [In Francia se fu fatta tal legge, fu fata con consentimento della santa Sede si come anche ne Regni di Portogallo.] Fagnanus vb. suprà fol. mihi 81 sic ait. Legem verò Regni Lusitanię cum sanct. memor Clemens IV. compertum habuisset, ad Regem protinus litteras dedit, vt correctione nō expectata eam reuocaret. Imò Franciscus Cœlius tractat. de Immunit. Eccles. scriptum reliquit, Regem Alphonsum similem in dicto Regno legem cōdi-

disse, ac propterea ab Honorio III. fuisse excommunicatum, ac Regnum interdictum, posteaque ipsum absolutum initis cum Clero conuentionibus, quas ait fuisse postea à Summo Pontifice approbatas, seque Apostolicum eius vidisse diploma. Ita Fagnanus, & Anastasius Germonius in assert. libert. Eccles. cap. 7. fol. mihi 73. cum Collegio Bononiense in respons. pro libert. Eccles. n. 39. igitur in Pontificio diplomate debebat Pereira legem illam Lusitanam fundare, & non in iure communi; fundamenta verò nostræ sententiæ videbis apud citatos Doctores, qui ex sacris Canonibus, & apertis rationibus illam acerrimè defendunt, nec aliter potest sustineri. Vide omnes Canonistas in cap. fin. de immunit. Eccles. in 6. Dicendum est igitur, tale statutum esse contra immunitatem Ecclesiasticam, quia in illo sunt nominatim Clerici & Ecclesiæ, vt in seq. resol. videbimus; tum etiam, quia si non essent nominati, disponeret super pertinentibus ad iurisdictionem Ecclesiasticam, ac etiam, quia forma non potest impleri sine magna difficultate, ideò præter citatos Doctores, & præcipuè Maynardum de priuil. Eccles. p. 2. art. 22. nu. 51. & seq. Collegium Bononiense in respons. pro libert. Eccles. num 13. & 14. Aponte in respons. pro cens. Veneta fol. 83. & seq. 93. vsque ad 98. hanc sententiam reprobat Zabarella, quem citat & sequitur Corneus vol. 3. cons. 64. num. 4. Lapus allegat. 92. num. 7. & ibi Mandosius Felinus, c. in Ecclesia S. Mariæ, de constit. num. 86. Syluester verb. immunitas 2. nu. 5. Ladetchius cons. 103. nu. 1. 2. & seq. cum alijs communiter. Igitur dum superioris licentia requiritur, ab eo omnis pendet contractatio, & sic nullo modo libera, ergo est contra libertatem Ecclesiæ.

An statutum quando fundatur in publica vtilitate, etiam si faciat mentionem de Clericis, sit inualidum, & lædat immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. XIV.

NEgatiuè respondet Pereira de manus Regia part. 2. c. 67. n. 11. vbi sic ait. Nec obstat, quod in hac lege de Ecclesijs mentio fit, quo casu censetur in eius odium, & succedit reg. in cap. fin. de immun. Eccles. in 6. quia vtique illud procedit in dubio, quando non constat de publica vtilitate, & illa communis opinio, quæ habet legem ciuilem non valere facta mentione Clericorum, nõ procedit quando talis lex fundatur in ratione naturali, & quæ publicæ conueniat vtilitati. Ita ille. Et c. 38. nu. 32. ita etiam asserit. Dicẽdum est, quod laicorum statuta generalia, quę gubernationem respiciunt, etiamsi Clericorum mentionem faciant, non ob id nulla sunt, si rationabilia, & iuri non contraria existant, imò valent, & ipsos tanquam ciues ligant. Hęc ille, & idem asserit in c. 59. n. 6.

Sed si hæc opinio esset vera, omnes Principes possent impunè in suis ordinationibus & legibus nominare Clericos; nam omnis lex publicatur ad bonum commune, & propter publicã vtilitatem, aliter lex esset iniusta; vnde affirmatiuam sentẽtiam prorsus sustinendam esse puto, cum communi sententia Theologorum, Canonistarum & Iuristarum, per ca. fin. de rebus Eccles. non alien. & per c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut & docent Doctores, quos citat & sequitur Bertran. de Gueuara in propugn. libert. Eccles. assert. 1. §. 6. n. 55. & 58. Surdus consil. 301. n. 11. & cons. 560. nu. 11. Aponte in respons. pro cens. Ven. fol. 71. & seq Maynardus de priuilegijs Eccles. p. 2. art. 22. nu. 46. & hæc opinio est ita vera, vt etiam si statuta laicorum sint Clericis fauorabilia, si de illis mentionem faciunt, sunt nulla, & cõtra libertatem Ecclesiasticam, & ita tenet Surdus vol. 2. consil. 301. nu. 13. Caualcanus lib. 5. decis. 33. n. 16. Plotus cons. 93. nu. 2. Cioffus lib. 1. cons. 81. n. 84. & alij communiter. Vide etiã Layman in Theol. moral. li. 1. tract. 4. c. 13. n. 1. Suarez de legib. lib. 5. c. 34. n. 13. & contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 16. nu. 7. & alios penes ipsos. Vnde opinio Pereiræ est contra communem, & prorsus non admittenda. Necessitas enim publica non tribuit iurisdictionem laico, vt statuat contra non subditos, vt probat Baldus in cunctos populos, nu. 20. C. de summa Trinit. Decius in c. Ecclesia sanctæ. Mariæ, de const. n. 7. & Felinus num. 18. & alij; vnde si opinio Pereitæ esset vera, omnes leges contentę in corpore iuris ligarent Clericos, nam omnes respiciunt publicam vtilitatem, vt optimè obseruat Fagnanus in respons. pro censuris Pauli V. folio mihi 65. Gueuara vbi supra, & alij communiter, cum Anastasio Germonio in asser. liber. Eccles. c. 6. fol. 81. & Collegio Bononiens. in respons. pro libert. Eccles. nu. 26. & Batiola consil. 58.

An statutum, si tollat Clericis ea quæ tanquam ciuibus sibi competunt, sit contra libertatem Ecclesiasticam.

RESOL. XV.

REspondet negatiuè Pereira de manu Regia, p. 2. cap. 67. nu. 15. dummodo tale statutum non fuerit factum in odium Ecclesiasticorum; quare vbi odium non debetur, sed sub ratione boni publici statuatur, licèt in aliquo minuatur ciuilis societas, vel libertas Clericorum, non ideò statutum desinet valere, cum non libertati Ecclesiasticæ, sed ciuili obuiet. Ita ille, qui respondet ad c. fin. de immunit. Eccles. in 6. asserens Pontificem illud statutum reprobasse ex præsumpto odio: secus autem, quando non ex praua intentione, sed propter publicam, vtilitatem tale statutum promulgatum fit. Ergo &c.

Sed hæc opinio est contra libertatem Ecclesiasticam, tũ quia Ecclesiastici ob huiusmodi statuta timidiores fiunt, tum quia libertas Ecclesiastica cõsistit in facultate faciendi quidquid fieri licet; Ecclesiastici autem non possunt facere quidquid eis fieri licet, dum magistratus huiusmodi statuta, vel decreta edunt; ergo, &c. Deinde licèt talia iura communia ciuibus, nõ debeãtur Clericis, quia Clerici sunt, debentur tamen ipsis vt ciuibus, etiamsi statum diuersum habeant à laicis; imò quia Clerici sũt, ideò illis nouo & maiori titulo debetur, ne his communibus iuribus priuentur, quia propter statum clericatem non amittũt iura communia ciuium, & aliorum qui ratione status maiori honore & reuerentia digni sunt: ergo ad immunitatem naturali iure debitam Clericis pertinet vt his iuribus non priuentur. Adde quod Summ. Pontifex in Bull. Cœn. absolutè loquitur de libertate Ecclesiastica, qua videlicet gaudẽt personę Ecclesiasticæ, etiamsi versetur circa rem communem laicis & Ecclesiasticis, tum quia Summ. Pontifex consulere intendit Ecclesiasticis personis, ne à sęcularibus magistratibus vexentur; graue autem damum Ecclesiastici paterentur, si laici eos impunè vexare possent in ijs, quæ ad conuictum politicum spectant. ergo, &c. & hęc omnia docet Bonacina in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 16. sect. 2. punct. 2. n. 4. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 22. nu. 19. Carolus de grassis de effect. Cleric effect. 2. q. 44. nu. 358. & seq Duardus in Bulla Cœn. can. 15. q. 19. nu. 83. & alij penes ipsos & penes me alibi. Ad id verò quod asserit Pereira, nempè tale statutum esse contra immunitatem Ecclesiasticam, quando efficeretur ex odio. Respondeo cum docto Iurisconsulto Hispano Io. Bertran. de Gueuara in propugn. liber. Eccles. assert. 1. §. 6. n. 10. & 11. quod libertas & immunitas Ecclesiasticorum non dependet ex bono, vel malo animo statuentium, sed ex natura rei, & ex priuilegijs, quæ illis absolutè competunt de iure diuino & humano: & si opinio Pereiræ esset vera, omnes laici efficerent talia statuta, asserendo se illa non efficere ex odio. Non est igitur talis opinio admittenda, vnde præter DD. citat. communiter illam refellunt omnes Canonistæ in cap. fin. de immu. Eccles. in 6. Nec obstat dicere cum Pereira, n. 6. quod in d. c. fin cõtinetur prohibitio absoluta & generalis; secus autem in nostro casu, in quo prohibitio est particularis; nam respondeo cum Gueuara vbi sup. num. 33. eandem esse rationem prohibitionis, & valere argumentum de toto ad partem, ex l. quę de tota. ff. de rei vendic. & plus & minus non differunt specie, l. final. ff. de fundo instructo. Ad aliud verò argumentum Pereiræ, super verbo *præsumuntur*, quod positum est in d. cap. final. respondet idem Gueuara à n. 67. vsque ad nu. 76. & Maynardus de priuil. Eccles. p. 2. art. 22. nu. 25.

An iudex Ecclesiasticus possit punire adulteros.

RESOL. XVI.

NEgatiuam sententiam tenet Pereira de manu Regia p. 2. c. 56. numer. 11. quia crimen adulterii sęculare est, ratione materiæ & personarum: absurdum ergo videtur assere, quod ad punitionem criminis sęcularis Ecclesia cognoscere possit, aliàs enim illud idem de furto & homicidio deberet admitti, quo nihil absurdius dici potest, nam Ecclesia in adulterio & similibus solùm ad correctionem se intromittere debet, propter peccatum ratione spiritualis finis, non verò vt vindicet

quia

quia punitio subditi ad sæculares magistratus spectat. Ita ille.

Sed hæc opinio est contra communem opinionem Doctorum, & præcipuè Canonistarum in c. gaudemus, de diuortijs, Couarruuię p. 2. c. 7. §. 7. nu. vlt. Abbatis in c. tuę, nu. 6. de procurat. & in cap. cum sit, de foro competent. num. 24. Layman. in Theolog. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 2. n. 5. & aliorum asserentium adulterium esse crimen mixti fori, tum quia per adulterium peccatur contra matrimonium, quod est vnum de Sacramentis Ecclesię, & sic aliquo modo peccatur contra Ecclesiam, quæ ratio est cur etiam sacrilegia in Ecclesiastico foro puniantur, quin immò adulterium continet in se sacrilegium, vt asserit Imperator in l. quamuis, C. de adulterijs, ergo, &c. & ideò præter DD. citatos hanc sententiam docet Bellerus in disquis. Cleric. p. 1. tit. de fauore Clericorum reali, §. 5. n. 63. vbi citat Felinum, Archidiaconum, Clarum, & alios.

An Episcopi possint capere laicos per propriam familiam sine inuocatione brachi sæcularis.

RESOL. XVII.

NEgariuè respondet Pereira de manu Regia p. 2. cap. 57. n. 1. & 5. & decis. 117. quia iudex Ecclesiasticus non habet territorium, ex Cyno & Baldo in l. Episcop. num. 2. C. de Episc. aud. Vnde quando Ecclesiasticus de causis laicorum criminalibus, vel ciuilibus cognoscit, debet requirere iudicem territorij, rei, vt illum capiat, ne videatur extra suum territorium ius dicere, cū hoc sibi nec lege aliqua canonica, nec ciuili concessum reperiatur, imò contrarium in dicta l. Episcop. & suadetur ex ca. quoniam, de offic. ordin. vbi auxilium implorandum statuitur, nec aliud probat textus in c. cum sit generale, de foro compet. & licèt decidat sacrilegos puniendos, non tamen decidit per quem capi debeant, quia hoc à iure petendum est, quare ex hoc textu nullum efficax deducitur argumentum. Ita Pereira.

Sed aduersùs illum affirmatiuam sententiam, tenendam esse puto. Dico igitur Episcopum habere territorium, & in eo vti posse iurisdictione contentiosa, tenendo familiam armatā, fiscum & carcerem, vt probat textus in c. omnes basilicæ 16. q. 7. vbi cum dicitur Ecclesias esse in potestate eius Episcopi, in cuius territorio positæ, patet Episcopum habere territorium; patet hoc etiam in c. vt animarum, de constit. in 6. & ideò hāc sententiam docet Ioā. Andreas in cap. cum contingat, de foro compet. nu. 3. & Franchus in cap. final. eodem tit. n. 13. Glossa in cap. contra idolorum 26. quæst. 5. Felinus in ca. cum sit generale, n. 20. de foro compet. Marius Anton. var. resolut. libr. 3. resol. 14. nu. 1. & seq. Campanili in diuers. iur. Canon rubr. 12. c. 13. n. 87. & sequ. Belletus disquis. Cleric. part. 1. tit. de fauore Cleric. reali, §. 1. num. 18. Pegna in direct. inquis. part. 3. comment. 116. Franciscus Leo in thes. fori Eccles. p. 1. c. 9 à nu. 19. & p. 2. c. 16. n. 26 & alij penes ipsos.

Deinde diœcesis & territorium sunt idem, vt tradit Panormitanus consil. 82. num. 7. lib. 1. & Alexander cons. 248. & iurisdictio ordinaria subsistere non potest sine territorio, vt tradit Boerius decis. 227. & ideò territorio adhęrere, docuerunt Bartolus & Angelus in l fin. C. vbi & apud quem, Parisius vol. 4. consil. 16. num. 21.

Cum igitur Episcopi iurisdictionem habeant cum territorio, sequitur habere fiscum, carcerem, & familiam armatam, per quam capere possint delinquentes, nam cōcessa iurisdictione omnia licent, quæ ad illam tuendam & exercēdam sunt necessaria, ex l. 2. ff. de iurisd. omnium iudic. & per ea quæ adducit Erasmus Cochet de iurisdict. ordin. part. 2. quæst. 111. num. 18. & 19.

Et omnia supradicta probātur ex sacris Canonibus, vt ex c. Episcopus, de officio ordin. in 6. & ex cap. Clericos, de sentent. excommunic. eodem libr. in quibus conceditur Episcopis carcer, ergo debent habere custodes & carcerum familiam, vt est textus in Clem. 1. §. sanè, de hæretic. vnde & ministros, qui reos capiant, & ad carceres ducant, quod clarè apparet in c. contra idolorum, & ibi glossa 26. quæst. 5. & in cap. attendendum, 16. q. 4 & in c. 2. de adul. in quibus iuribus Episcopus potest laicos capere, & corporaliter carcerare. Nec potest dici esse speciale in casibus dictorum iurium, quia non potest reddi ratio specialitatis, nec valet dicere quòd in dicto cap. attendendum, non exprimuntur laici, quia dum loquitur de sacrilegis, indefinitè loquitur etiam de laicis si fuerint sacrilegi, qui possūt animaduerti ab Ecclesiastico iudice. Et tandem in Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 3. tribuitur Episcopis iurisdictio contra quoscunque etiam laicos per mulctas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarumq; districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam. In quibus verbis duo notanda sunt, primo quòd Episcopus potest tenere familiam armatā, & proprios executores. Secundò quòd prædicta familia non solùm deseruiet contra Clericos, verùm etiam contra laicos.

Nec valet dicere, quòd Episcopi habent censuras, & possunt vti brachio sæculari, quia hæc concessio non est eis tributa in diminutionem iurisditionis Ecclesiasticæ, sed in maiorem fauorem, scilicet vt non solùm suos habeat proprios executores, verùm etiam, si opus fuerit, omnes ministros curiæ sæcularis, qui inseruire tenentur curiæ Ecclesiasticæ, vt patet in c. Princeps. 23. quæst. 5. c. 1. & cap. quoniam. extra de officio iudic. ord. absurdum enim esset iudicium habere, & posse precipere, sed executores mandatorum, & preceptorum à curia sæculari mēdicare. Adde quòd inuocatio brachii sæcularis est iuris remedium extraordinarium, & subsidiarium, quo non debet vti Episcopus, nisi in subsidium experto iam ordinario, ex glossa in ver. remediis, Clem. 2. de relig. dom. & adhoc est textus in c. 1. de statu regular. & in cap. 2. de Cleric. excomm. ministr. & hoc firmant DD. in cap. cum non ab homine, de iudic. Hostiensis, Ancharanus, Zabarella, Felinus, Decius, & alij.

Probatur etiam hæc opinio à Francisco Leone in thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 9. nu. 19. & aliis, vnico & euidenti argumento, quia cùm plura crimina sint mixti fori, per glossam in cap. cùm sit generale, de foro compet. Vnde in his delictis datur locus præuentioni, per l. si quis posteà, & ibi Doctores, ff. de iudic. in qua præuentione non consideratur solùm sola inquisitio & citatio verbalis, vt notat Bossius tit. de foro compet. numer. 130. sed etiam attenditur, quis pręuenerit in citatione reali, adeò quòd iudex capturæ præuenisse dicatur, cum realis verbali præponderet. Si Episcopis non liceret ad hūc effectum familiam armatam habere, proculdubio esset aperta via fraudibus in ijs, quæ sunt mixti fori exercendi iurisditionem Ecclesiasticam, quia iudex laicus si sciret causam capturæ, semper curaret ipse præcurrere, & capere vt præuenitet, & sic nunquam daretur locus præuētioni iudicis Ecclesiastici, cum ipse numquā personaliter capere posset, & ideò requirentibus officialibus Ecclesiasticis familiā armatam à Magistratibus sæcularibus contra laicos, vel curarent scire causam capturæ, & de illa cognoscere, aut fingere possent præuentionem; ergo; &c. Vnde satis manet firmata nostra sententia aduersus Pereiram & alios, quos citaui & reprobaui ego ipse in part. 1. tract. 2. resolut. 88.

An Clericus in minoribus vt gaudeat priuilegio fori, opus sit vt tempore delicti, vel saltem captura, reperiatur in tonsura & habitu?

RESOL. XVIII.

PEreira de manu Regia p. 2. c. 26. nu. 5. aduersùs aliquos DD. asserentes, quòd necessarium sit vt tempore criminis commissi in habitu & tonsura delinquens incedat, quia ad gaudendum foro delicti tempus inspicitur, vt colligitur ex l. 1. ff. de pęnis; tamen ipse considerans quòd sæpè delicta sine habitu & tonsura committuntur, & delinquentes reassumunt habitum, vt foro gaudeant, putat vt sufficeret si tempore capturę in tonsura & clericalibus vestibus induti reperiantur. Ita illle.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur, cum Paulo Squillante de priuileg. Cleric. c. 7. dub. 1. n. 10. quod carens tōsura, vel habitu clericali tempore delicti, vel capturę, non amittit priuilegium fori, si aliàs erat solitus deferre, & ita decisum fuisse in sacro Consilio Neapolitano testatur, quod etiam ante ipsum docuerat Regen. Tapia in constit. Regni de personis, n. 57. Riccius in praxi to. 1. resolut. 530. n. 6. Grassus de effect. Cleric. effect. 1. n. 910. Genuensis in praxi c. 38. n. 6. in fin. Antonius de Marinis resolut. quotid. c. 50. n. 3. & alij, & ego ipse hęc omnia docui in p. 1. tract. 2. resol. 33. vbi ex Bonacina & Capiblanco adduxi pro hac sententia declarationē Cardinalium. Vnde, vt dixi, Clericus etiamsi dimisso habitu delictum commiserit, & etiam sine habitu à iudice laico fuerit captus, si aliàs in tonsura & habitu incesserit, remittendus est

ad

ad iudicem Ecclesiasticum.

Notandum est hic obiter quòd si aliquis Clericus dimisisset habitum clericalem, & illum reassumeret, etiam sine licentia Episcopi gauderet priuilegio fori, etiamsi in Synodo hoc fieri prohibitum esset Clericis. Ita Squillante de priuileg. Cler. ca. 6. dub. 1. n. 19. Riccius p. 2. decis. 167. & alij.

Nota secundò, quòd fori priuilegio gaudet Clericus incedens in habitu & tonsura descriptis in Catalogo Clericorum, qui in Synodo diœcesana obedientiam præstitit Ordinario, & per paucas vices in choro & processionibus interfuit, attentis circumstantijs, quamuis alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi nō inseruiat, vel beneficium Ecclesiasticum non habeat, ita determinauit sacra Congregatio Concilij in Nullius die 28. Martij anno 1628.

An valida sit lex quæ permittit Magistratibus sæcularibus vt arma heris prohibitis Clericis capiant?

RESOL. XIX.

Affirmatiuè respondet Pereira de manu Regia part. 2. cap. 43. nu. 2. vbi sic ait. Receptissima est opinio posse legem sęcularem ita statuere, & vigore illius posse talia arma capi sine metu excommunicationis, quia omnibus armorum vsus prohibitus est, tam laicis, quàm Clericis: vnde fit, quod cum arma attento iure Canonico Clericis prohibeantur, rectè potest lex ciuilis adiuuando Iuris Canonici prohibitionem pęnas addere. Facit deinde quia hęc lex lata generaliter ob publicam vtilitatem Clericos ligat. Ita ille.

Sed ego hāc sententiam in 1. p. tr. 2. resol. 9. satis reprobaui, & ad rationes Pereiræ respondeo quòd licèt lex lata generaliter ob publicam vtilitatem, liget etiam Clericos; hoc tamē intelligendum est via directiua, non coactiua, ita vt possit priuari authoritate propria armis, nec valet dicere, quòd arma nō tolluntur in pœnam transgressionis legis, sed potiùs ne Clericus prosequatur in legis violationē, nam hæc responsio admittenda foret, vt obseruat Castrus Palaus to. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 14. §. 6. n. 9. si Clerico posteà redderentur arma, sed ipsa tollūtur & applicantur fisco Regio, vel birruarijs, ergo in pęnam delicti commissi: vnde iam puniuntur Clerici à sæcularibus iudicibus. Et licèt arma portare prohibitum sit Clericis à iure Canonico, nō tamen ex hoc sequitur posse illos ex hac legis trāsgressione à iudice laico puniri, sed ab Ecclesiastico, vnde ad euitāda scādala solent aliqui Episcopi, (quod approbat Bonacina in Bull. Cœn. disp. 1 q. 16. punct. 5. n. 27.) dare facultatem birruarijs laicis, vt si noctu inueniant Clericos cum armis prohibitis, illos capiant, & ad eos deducant, & sic euitantur scandala, & consulitur bono publico, sine tamē diminutione immunitatis Ecclesiasticæ. Nec valet dicere, quòd arma in tali casu cadunt in cōmissum, nec capiuntur cum aliqua controuersia iudiciali, ergo, &c. Nam respondeo, hanc esse speculationem chimæricam, nā vt supradictum est semper hoc procedit ex pœna apposita in ipsa lege; sed Clerci nō tenentur nisi condemnati à iudice Ecclesiastico ad pœnam impositam à lege, etiamsi sit lata in bonū publicum, ergo iniustè armis spoliantur à iudice laico.

Hinc à fortiori explodenda est opinio Redini, quam in puncto iuris veriorem existimat Pereira, asserentis in tali casu iudicem sæcularem posse damnare Clericum ad pęnam pecuniariam impositam à lege, sed hæc opinio est contra communem & sacros Canones, vt alibi probatum est; ergo, &c.

An Clerici in minoribus obseruantes requisita Concilij Tridentini gaudeant omnibus priuilegijs, quibus gaudent Clerici in Sacris constituti.

RESOL. XX.

Negatiuè respondet Pereira de manu Regia p. 2. c. 33. nu. 2. vbi sic ait. Clerici in minoribus sæculares reputantur in omnibus nisi in causis criminalibus, in quibus suo gaudent foro, & ideò nihil mirum est vt compellantur incendijs occurrere personaliter ac cæteri laici, & infrà in fine numeri, sic etiam ait. Circa Clericos in minoribus minus erit dubij vt à Principe sæculari compelli possint, cùm legibus sęcularibus subsint, excepto casu, quo foro gaudeant ad criminalia.

Sed ego nescio quo pacto hæc dici possint, cùm Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 6. asserat absolutè, & sine vlla distinctione supradictos Clericos cum aliquibus requisitis gaudere priuilegio fori; ergo etiam in ciuilibus, imò si nō obseruent dicta requisita in Concilio posita, gaudeant priuilegio Canonis, & secundùm veriorem & communiorem sententiam exemptione gabellarum, quę omnia satis à nobis probata sunt in p. 4. tract. 2. resol. 36. & ideo hanc sententiam vt certam docet Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 26. nu. 3. & ex cap. 2. de foro compet. & cap. cum non ab homine, de iudicijs; vnde nu. 5. asserit. Omnia quæ hactenus de generalitate exemptionis tam in criminalibus, & ciuilibus iudicijs, quam in legibus etiam ciuilibus & tributis diximus, ad omnes Clericos cuiuscunque Ordinis in statu clericali perseuerantis, æqualiter applicanda sunt, quia iura quoad hanc partem nihil inter eos discernunt. Ita ille, & ante illum Comitolus in respons. moral. li. 1. q. 54. vbi loquens de Clerico primæ tonsuræ sic ait. Priuilegia, quæ Clericus ex prima tonsura nanciscitur, hæc sunt. Primum, quòd in religiosam Domini sortem cooptari certum est atque ex laicis & prosanis personas fieri sacras. Secundum, quòd Sacerdotij, seu beneficij Ecclesiastici capaces euadunt. Tertium, quòd Ecclesiæ iurisdictiones participes sunt, idest, potestatis excōmunicandi, interdicendi, suspendendi Quartum, quòd in eos imperium & ius Magistratus sęcularis non habet, quod priuilegiū dicitur fori. Quintum, quòd nemo ijs violentas manus potest adferre, quin in censuram incidat excommunicationis. Sextū est priuilegium immunitatis suorum bonorum omnium, siue illa iure patrimonij, siue beneficij Ecclesiastici possideant. Hæc omnia Comitolus, & DD. communiter, & ideo (vide, quæso, si rectè dicat Pereira) Clericos in minoribus constitutos sæculares reputari in omnibus, nisi in causis criminalibus, et si Iudices sæculares possint illos compellere sicut laicos ad occurrendū incendijs, vel ad separandum rixantes, vel ad delinquentes capiendum. Dicendum est igitur Clericos minores obseruantes requisita Concilij Triden. gaudere omnibus priuilegijs quibus gaudent Clerici in Sacris constituti. Sed si aliquis dicat quod hæc opinio Pereiræ procedit ratione consuetudinis, iam hoc suprà reprobatum est, vnde nunc addam tantùm Peregrinum de Immunitate Eccles. cap. 2. nu. 24. vbi docet omnes consuetudines trahendi Clericos etiam in ciuilibus, coram Iudice laico, esse reprobatas à Concilio Tridentino, & alijs iuribus. Si autem cum dicta consuetudine adsit consensus, & tolerantia approbatiua Summi Pontificis, videant illi, ad quos spectat. dixi approbatiua, quia simplex tolerantia non sufficit, per ea quæ suprà adduximus, & facit textus D. Thomę in 1. 2. qu. 97. art. 3. ad 3. quem sapienter ponderat. Ludouicus Mæratius in summ. to. 1. tract. de legib. disp. 15. sect. 11. in fine.

An Ecclesiasticus hæres laici defuncti sæculari iudicio conueniri possit?

RESOL. XXI.

Affirmatiuè respondet Pereira de manu Regia part. 2. cap. 30. nu. 6. quia Clericus hæres laici in proposito proponitur successor laici defuncti, cui nullum priuilegium competebat, cumque successoris priuilegium non ad præterita trahi possit, sed ad ea quæ subsequuntur, inde fit quòd Clericus successor laici litem prosequi tenetur, vbi defunctus cui ipse successit, citatus proponitur.

Sed sententiam negatiuam tenendam esse puto cum Doctoribus, quos ego ipse citaui in 1. part. tract. 2. resolut. 24. cui nunc addo iterùm Bonacinam in Bulla Cœn. disp. 1. q. 16. punct. 5. nu. 18. qui citat Felinum Abbatem, Imolā, & Rotam Rom. Idem docet Duardus in Bulla Cœn. can. 15. nu. 3. Altherius de cens. lib. 5. disp. 16. cap. 1. col. 12. & seq. cas. 3. Belletus part. 1. disquisit. Cleric. fol. 274. num. 6. Molfesius in consuet. Neapolit. part. 2. q. 8. & cum multis alijs, me etiā citato, Paulus Squillante de priuileg. Cleric. c. 7. nu. 58. qui optimam adducit rationem penes ipsum videndam, præter illam, quam ego in citata resolutione adduxi; cui nunc aliam addo, quia cùm Clericus non posset coram laico conueniri si lis non inchoata fuisset, vt concedunt aduersarij; ergo neque conueniri poterit lite inchoata. Probo consequentiam, quia pręuentio laici iudicis non tribuit ei potestatem, neque potest tribuere aduersùs Clericum, nec potest derogare potestati Ecclesiasticæ.

Notandum est etiam hic obiter à fortiori, quòd si Clericus

succe-

succedēs laico, possidet rem specialiter hypothecatam, ratione hypothecæ non potest conueniri coram iudice sęculari. Ita docet Antonius de Ripol.de iurisdict.omn.iudic.c.1.nu. 192.

An laicus relegatus per certum tempus, infra quod efficitur Clericus, & rumpit exilium, sit à iudice laico pro dicta fractura cognoscendus?

RESOL. XXII.

NEgatiuè respondeo, sed hoc ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, quia agitur de nouo delicto facto in statu, quo delinquens effectus est exemptus, & ita tenent Doctores, quos citat & sequitur Antonius de Marinis resol. quotidian.ca. 189. num.2. Riccius part.3.decis.302.& Squillante de priuil.Cleric. cap. 7.dub. 3.num. 107.qui etiam addit quòd si quis fuerit bannitus tempore quo erat laicus, & banno durante efficitur Clericus, quòd vtique liberabitur à iurisdictione laicali. Vide Franchum decis.209.& 384.

An instrumentum incusari possit coram iudice laico contra debitorem, qui post obligationem, Clericus effectus est?

RESOL. XXIII.

IN tali casu respondet Franchus decis. 656.procedendum esse contra Clericum quoad bona, secus autem quoad personam. Ratio est, quia iudex sæcularis est competens in actione reali inter laicum actorem, & clericum conuentum, & ita etiā tenet Fabius de Anna lib. 2.consil. 104.nu.2.qui citat Socinum, Surdum,& alios.

Verùm contrariam sententiam prorsus tenendam esse puto. Dico igitur, quòd si Clericus se obligasset per publicum instrumentum guarentigiatum tempore quo erat laicus si posteà efficiatur Clericus, pro exequutione ipsius instrumenti non potest conueniri coram Iudice laico, sed conueniendus est coram Ecclesiastico,& ita ex multis docet Carolus de Grassis de effectibus Clericatus, effect. 1. num.125. Genuensis in praxi c.16. num. 2. quibus adde nouissimè Antonium de Marinis resolut. quotidianar.cap. 189. nu. 8. vbi testatur ita fuisse decisum in sacro Concilio Neapolitano anno 1625.& subdit hęc verba.Hęc decisio quamuis contra clientem, mihi, meliùs demum re considerata, admodum placuit, tamquam fauens Ecclesiæ libertati, iurique magis consona, & tuta, ita vt ampliùs ab ea non recederem; & licèt Doctores suprà per me relati oppositum firmauerint,nullo eis hac in re adhibenda fides, cùm eorum opiniò nulla nitatur fundamento,ac proinde eam penitus abolendam esse arbitramur.Hæc ille.

An laicus ratione fructuum præbendæ sibi locata debeat conueniri coram iudice Ecclesiastico?

RESOL. XXIV.

REspondet affirmatiuè Marta de iurisdict.part.2.cap. 30.nu. 5.vbi sic ait. Laicus ratione fructuum præbendæ sibi locatæ conueniri debet coram Iudice Ecclesiastico,nec potest remissionem petere ad iudicem sæcularem, ex Abbate in cap. si Clericus laicum,in 1.not.col.4. de foro competent. vbi habetur quòd Clericus potest conuenire laicum pro rebus Ecclesiæ coram Iudice Ecclesiastico, & pro rebus suis, siue agat actione reali,siue personali.Ita Marta.

Et ex personali actione agi posse in iudicio Ecclesiæ contra laicum, docet Valascus de iure emphyt.q.39.n.14.licèt contrarium sentiat Guttierrez practic.qq. lib.3. q.26.nu.10.qui tamen concedit,tunc hoc seruari posse quando probetur sic de consuetudine esse illius loci.

Non reticeam tamen Hostiensem & Innocentium in c.cum sit generale,de foro competent. & ibi Butrium n. 9. Marianum Socinum nu.15. Felinum n. 4. docere, quòd Ecclesia laicum ad suum forum trahere nequit, nisi quando proposuerit qualitates furti, vel violentiæ. sed tu cogita, si hæc doctrina valeat circa casum propositum. nam dum Ecclesiæ non soluitur pensio tempore statuto, contra legem contractus, adest iniusta & violenta occupatio, & succedit doctrina Innocentij & aliorum. Igitur quando emphyteuta pensiones denegat, & non soluit, Ecclesiam priuat iure suo, eique violentiam facit. Ergo coram Iudice Ecclesiastico conueniri potest, & debet. Et pro confirmatione supradictorum omninò vide Maceratensem variar.resol. lib. 1. resolut. 48. per totam, vbi ex multis probat, quòd pro bonis & fructibus Ecclesiæ potest laicus conueniri coram iudice Ecclesiastico, & præsertim si contrahentes laici renuntiassent fori priuilegio, & Iudici Ecclesiastico se submisissent, quod prohibere non potest Princeps sæcularis, & si hoc prohiberet per aliquam constitutionem, talis constitutio non valeret, vti contra iurisdictionem, & libertatem Ecclesiasticam, vt rectè obseruat Maceratensis vbi suprà nu. 24. quicquid in contrarium afferat Ofascus decis.78.n.19.& alij.

An Clericus ab emptore interpellatus teneatur eum defendere coram iudice sæculari?

RESOL. XXV.

REspondet affirmatiuè Aufrerius ad Capellam Tholosanam dec. 360. n.2. Couarr.pract. qq.c.8.n.3. Fachinæus libro 2. contr.c.37. Gail.lib.1.obseru.37.nu.7. & alij, quos citat & sequitur Ceuallos tract. de cognit. per viam violent. p.2.qu.23.n. 24. Nam in tali casu Clericus dum ad iudicium accedit, vt emptorem defendat, reus necessarius nunquam efficitur, ita vt comparere necesse habeat, cum lis contra ipsum non instituatur, & sententia ferenda sit contra reum principalem, & Clericus assistens liti propter proprium interesse non reus est propriè, licèt forum & partes rei sequi teneatur: ergo,&c.

Verùm contrariam sententiam docet Marta de iurisdict.p.4. centur.1.cas. 35.n. 21. & ita fuisse sępissimè iudicatum obseruat Marāta in speculo p.3.dist.11.n. 78. Capycius dec. 197.n.7. Grāmaticus dec.21.& alij, quos citat Squillante de priuil.Cler.c.7. dub.3.n. 80. Dicendum est igitur Ecclesiasticos venditores laudatos in actores & defensores debere remitti ad suum iudicē competentem; Clericus enim non potest consentire in laicum Iudicem, vt patet in c.si diligenti, de foro compet.& reuera in tali casu cōsentiret, nam citatur à iudice laico ad defensionem causæ, & vocatur & notificatur vt illam defendat, sub prætextu quòd tenetur ad euictionem, vnde necessitate coactus ad Iudicium accedit, quæ omnia sunt cōtra immunitatem Ecclesiasticam,& opinio contraria tunc esset admittenda, quādo clericus vēditor denūciatus canonicè coram iudice Ecclesiastico de eius licentia vellet defendere emptorem cōra iudice laico.

An ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora, &c. gaudeat priuilegio fori.

RESOL. XXVI.

NEgatiuam sententiam tenent Bernardus Diaz, Rolandus, & Chassaneus, quos citat Pereira de manu Regia p.2. ca. 26.nu.18.quibus adde Vasquez allegat.45.n.20.

Sed contraria est vera, quam cum multis tnetur nouissimè Paulus Squillante de priuileg. Cleric. c.7.dub.3. n.29.quia talis est verè ordinatus, & ei impressus fuit character. Notandum est tamen quod licèt hanc sententiam olim probabiliter docuerint de Clerico ordinato à non suo Episcopo sine litteris dimissorialibus, vel cum falsis, multi DD. hodie tamen ex constit. S. D.N. Vrbani VIII. die 11.Decembris 1624.taliter ordinati nō gaudent priuilegio fori. Vnde affirmatiua sententia, quam tenuit Barbosa de potestate Episc.p.2.alleg. 8.nu. 18.& alij penes ipsum, probabilis erat ante dictum decretum Vrbani VIII. nunc verò non est admittenda.

Notandum est etiam hic obiter Clericum ordinatum per simoniam, vel ab Episcopo, qui erat impeditus Ordines conferre aliquo iuris impedimento, nempè excommunicationis, suspensionis, interdicti, &c. gaudere priuilegio fori.

An Clericus solutus in minoribus tempore delicti si posteà viduam ducat, ex bigamia amittat priuilegium fori?

RESOL. XXVII.

DE hoc casu olim interrogatus fui,& negatiuam sententiam docui cum Pereira de manu Regia part.2.capit.26.nu.17. vbi sic asserit. Quid dicendum quando bigamia contracta sit

post

post delictum, an inducat priuilegij amissionem; prout si quis erat solutus in minoribus tempore delicti, & posteà viduam duxit, an obest bigamia. Videtur quòd sic, quia tempore capturæ reperitur bigamus, & deuenit res ad casum, à quo non potuit incipere, obstat tamen, quòd habilitas personæ circa priuilegium, solùm consideratur tempore delicti cōmissi, illa enim post delictum non nocet: vnde is, tamquam Clericus solutus, remittetur, attento delicti tempore. Ita Pereira, cui adde Alexandrum cons. 146. num. 9 lib. 5. & alios communiter.

Notandum est tamen hic non esse bigamum, ita vt amittat priuilegium fori, si quis fœminam prius à se cognitam ducat posteà in vxorem, quicquid aliqui asserant, quia talis non potest dici ducere virginem, sed tu ne recedas à nostra sententia, quia talis viri caro non est diuisa, nec potest censeri diuisa ratione vxoris, quæ alteri fuerit permixta, nec aduersùs hanc sententiam procedunt canones curandum, & præcipimus, dist. 34. quia possunt explicari quòd per virginem intelligatur non ab alio corrupta, & ea quæ fictione iuris in eo casu virgo reputatur; videri potest glossa in cap. 2. de bigamis, ver. diuisit. Et ita hanc opinionem tenet Io. Præpositus in 3. part. quæstio 5. de irregular. dub 17. nu. 134. Vnde si talis sumat Ordines minores, gaudebit priuilegio fori tamquam Clericus coniugatus, & non bigamus.

An Clericus negotiator, si ter non fuerit monitus, amittat priuilegium non soluendi gabellas.

RESOL. XXVIII.

NEgatiuam sententiam bis docui, quam aliqui Iurisconsulti nimis laxam existimarunt; sed immeritò, cum sit probabilissima, & præter Doctores, quos alibi ad satietatem adduxi, adducam nunc non Theologum, sed Iuristam in his materijs circa Clericos non parum rigidum, is est Gabriel Pereira de manu Regia part. 2. cap. 24. num. 35. vbi sic ait. Illud omittendum non est quod vt has pœnas incurrant Clerici negotiatores, requiritur quòd ter moniti sint. Ita ille. Vbi pro hac sententia citat Decianum, Grassium, Bossium, Capycium, Rodoanum, Imolam, & alios, quibus ego addo nouissimè Homobonum de Bonis in consultat. cas. conscient. part. 1. resp. 111. vbi sic ait. Quidquid sit de peccato, restitutionis obligationi obnoxius non est Clericus negotiator, nec vectigalia soluere tenetur, antequam ter ab Episcopo sit admonitus, cum ante admonitionem immunitatis priuilegium non amittat. Sic ille, & alij penes ipsum.

Non desinam etiam hic adnotare id quod idem Pereira nu. 36. adducit pro excusatione Clericorum qui forsitan negotiarentur. sic enim ait. Si Clericus in iudicio pulsaretur, plura allegare potest, quæ eum à culpa reseruarent, veluti negotiari potuisse ob tenues redditus, quibus familiam alere non poterat, vel quòd ex industria propria (rebus melioratis, vel immutatis) lucra negotiationis sibi prouenerunt; insuper se habere patrimonialia, quorum separatio fieri debet. Item quòd maiorem partem bonorum negotiationi non exposuit, vel si omnia bona, hæc tamen non per se, sed per amicos, & interpositas personas negotiationi exposuit, & ideò in his casibus docet Pereira Clericum minimè dici posse negotiatorem, vt priuilegio non gaudeat. sed aliqua ex his nimis laxa sunt.

An si iudex Ecclesiasticus non condemnet Clericum in pœnam legis laicalis, possit illum iudex laicus condemnare?

RESOL. XXIX.

AD hoc dubium respondet Ludouicus Mexia in pragmatic. taxæ panis conclus. 5. num. 7. & seq. vbi sic ait. Pœna pragmaticæ inferenda est quoad Clericos per Iudices Ecclesiasticos, & non à iudice laico, nisi quando Iudex Ecclesiasticus requisitus dictam pœnam Clerico infligere recusaret, aut negligens esset, plusve debito differret, vel si leuem pœnam imponeret. nam tunc iudex sæcularis posset se intromittere, & vsque ad debitam pragmaticæ pœnam supplere. Hæc Mexia.

Quæ quidem omnia sunt contra immunitatem Ecclesiasticā, nam, vt ego docui part. 1, tractat. 2. resolut. 7. ex Vasquez, & Salas, Iudex Ecclesiasticus non debet Clericis violantibus leges ciuiles eandem pœnam infligere, quæ laicis statuta est. Immò Surdus consil. 301. num. 38. docet in tali casu iudicem Ecclesiasticum non debere eos punire pœna temporali, si lex Ecclesiastica non accessit. Sed quidquid sit de hoc, certum est Ecclesiasticos mitiori pœna plectendos esse. Adde quòd negligentia, vel iniustitia iudicis Ecclesiastici non præbet authoritatem iudicibus laicis, vt possint exercere iurisdictionem in Clericos, sicuti facerent si illos damnarent ad pœnam legis laicalis, licèt esset lata propter publicam vtilitatem; ergo explodenda est supradicta opinio Mexiæ.

An familia laica Episcoporum gaudeat priuilegio fori?

RESOL. XXX.

AFfirmatiuam sententiam tenēt ex veteribus Canonistis in cap. fin. de offic. Archid. Hostiens. nu. 14. Io. Andreas nu. 15. Butrius n. 2. & Panormitanus in c. 2. n. 6. de foro compet. & alij, quos citat Antonius de Marinis resolut. quotid. c. 117. numer. 1. Mauritius Alzedus in praxi Episcop. p. 1. c. 12. nu. 77. & Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 107. nu. 1. & 9. nec de hoc hodie potest dubitari, cum ita declarauerit sacra Cardinalium Cōgreg. die 7. Iunij anno 1595. teste Gauanto in enchir. Episc. ver. familiarum Episcopi, num. 2. & hanc sententiam nouissimè ex dicto c. fin. de offic. Archidiaconi, tenet Hermanus Stamm. de seruitute personali lib. 2. c. 7. num. 6.

Cùm igitur hæc opinio firmata sit tot Doctorum authoritate, aliqui ministri laicalis iurisdictionis inuenerunt quamdam distinctionem, & asserunt, quòd aut sunt familiares commensales, vel conductitij, & mercede seruientes Episcopis, qui domesticis seruitijs mancipantur, & istos putant gaudere priuilegio fori. Vel sunt officiales qui inseruiunt Episcopo in eius curia, & iurisdictione, & isti si sint laici, gaudent tantum in delictis perpetratis sub prætextu officij, secus autem in delictis cōmunibus: sed hæc distinctio non est admittenda, quia officiales, & seruientes curiæ, sunt verè familiares, & de familia dicūtur, ergo debent gaudere priuilegio fori, quo gaudet familia Episcopi. Vnde cap. fin. de offic. Archidiac. in quo fundatur hæc exemptio, indistinctè, & simpliciter absque distinctione personarum, & delictorum loquitur, vt legenti patet. Ergo officiales tamquam familiares absolutè, & sine vlla distinctione gaudebunt priuilegio fori, & ridiculum esset stabularium, seu cocum Episcopi gaudere in omnibus priuilegio fori, non autem eius Magistrum Notarium, &c. & ideò contrariam sententiam esse contra sacros Canones testatur ex Paulo V. Cardinalis Gallus in quadam Epistola dat. Romæ die 2. Martij 1611. vbi inter alia sic habetur. [E perche si è auuertito, che in detta hortatoria è vna clausula, nella quale si dichiara, che gli officiali, e familiari del Vescouo quando sono laici non deuono godere del priuilegio del foro Ecclesiastico ne i delitti communi, ma solo in quelli, che sono commessi sotto protesto dell'officio, ne meno deuono godere della essentione delle gabelle, e datij regij, essendone trattato con il Signore, sua Santità ha commandato, che si scriua, che si riuochi detta clausula essendo manifestamente contraria alla dispositione de'sacri canoni, e della ragione cōmune, e pregiuditiale alla iurisdittione Ecclesiastica.] Sic ibi. Igitur omnes Notarios, Actuarios, scribas, &c. curiæ Episcoporum in omnibus delictis, etiam commissis extra officium, debent gaudere priuilegio fori, & ita tenent Riccius, & Barbosa, quos citaui in part. 3. tract. 1. resolut. 11. quibus nunc addo Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina in Bulla Cœn. disputat. 1. quæst. 16. punct. 3. num. 7. Squillante de priuileg. clericor. cap. 7. num. 54. & Antonium de Marinis resolut. quotidian. cap. 117. num. 2. Alzedum in praxi Episcop. p. 1. c. 12. nu. 77. Gauantum in enchirid. Episc. ver. forum Episcopale, num. 31. & Gratianum decis. 233. & disceptat. forens. libr. 2. cap. 340. Sententiam verò Pereiræ, quod familia laica Episcopi non gaudet priuilegio fori de iure nouo Concilij Trident. iam refutaui in p. 1. tract. 2. resolut. 97. licèt illam etiam teneat Ceuallos tract. de cognit. per viam viol. p. 2 q. 58. nu. 10. sed, pace doctorum virorum, non est digna responsione.

Notandum est etiam, quod post hæc scripta inueni apud Sellum in select. canon. cap. 18. num. 25. sacram Congregationem in vna Sorana die 25. Aprilis 1614. declarasse Barisellum Episcopi, cum sit de illius familia armata, fori priuilegio gaudere, & die 15. Aprilis 1615. declarauit, illum non posse, nec de iure debere.

debere, per laicum Iudicem captari. Et idem Sellius n.26. eamdem S. Congregationem die 11. Decembris 1615. declarasse Fiscalem Episcopi tamquam ipsius familiarem fori priuilegio gaudere, & ad personalia ciuitatis munia non teneri, quod de Notario Episcopi eadem S. Congregatio declarauit die 6. Augusti 1602.

An oblati viuentes in aliquo monasterio gaudeant fori priuilegio?

RESOL. XXXI.

AFfirmatiuè respondeo, & ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem die 26. Ianuarij anno 1606. testatur Marta de iurisd. part.4. centur.2. cas.113. num.37. Idem etiam docet Duardus in Bulla Cœn. lib.2. can.15. quæst.7. concl.3. Squillante de priuileg. Cleric. cap.7. dub.1. num.43. Barbosa de potestate Episcopi part.2. allegat.12. num.39. Riccius p.2. decis.88. Grassus de effect. Cleri. effect.1. nu.96. & alij, quos citat & sequitur Antonius de Marinis resol. quotidian. cap.114. num.6. qui docet num.7. quòd hi vt gaudeant priuilegio fori, has conditiones debent habere. Prima, quod alicui Religioni probatæ eorum personam per legitimam & expressam dedicationem obtulerint, & dicauerint. Secunda, quod fiat oblatio, nulla bonorum reseruatione, aut eorum vsus fructus facta, ita vt in oblationis instanti omnia ad monasterium transferantur. Tertia, quod in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur. Quarta, quod perpetuò stent & seruiant Religioni. Quinta, quod modo debito Religionis portent habitum à sæcularibus euidentiùs distinguentem. Ita ille. Obserua etiam dictos oblatos quoad delicta ante oblationem commissa gaudere priuilegio fori, si absque fraude se & sua monasterio obtulerint, quod si fraus subsit, possunt à Iudice laico puniri pęna pecuniaria, non autem corporali. Ita sacra Congregatio, teste Aldano in compend. Canon. resol. tit.10. nu.15. Non desinam hic adnotare doctrinam Martini Bonacinæ in Bulla Cœn. disp.2. quæst.26. sect.1. punct.3. n.18. asserentis illos homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia & obsequia Monialium, ad petendas pro ipsis eleemosynas gaudere priuilegio fori.

Notandum est etiam obiter me satis firmasse in par.1. tract.2. resolut.84. mulieres tertiarias, vulgò dictæ Bizocche, cum cõditionibus ibi expressis gaudere priuilegio fori, & exemptione gabellarum, & hanc sententiam docet nouissimè, me citato, Paulus Squillante de priuileg. Cleric. cap.7. dub.1. nu.42. & Antonius de Marinis vbi suprà num.11. & Nouarius de electione fori, in editione nouissima, sect.1. quæst.66. num.13. qui etiam num.16. me citato, firmat dictas tertiarias cum requisitis conditionibus, id est si castam & cœlibem vitam agant, ex voto castitatis emisso in manu superioris Religionis posse consequi legatum relictum pro Monachatu, non obstante quod viuant in proprijs domibus.

An sint exempti ab onere hospitandi patres & fratres Clericorum dum vna simul habitant.

RESOL. XXXII.

CLericos cogi non posse ad hospitandum, patet ex l.1. C. de Episcop. & Cler. & ibi glossa cum DD. communiter. Sed difficultas est, an hoc priuilegium extendatur ad patres & fratres, & nepotes habitantes cum ipsis Clericis in indiuiso? Affirmatiuam sententiam docet Antonius de Marinis resol. quotid. cap.167. num.4. si Clerici sint in Sacris constituti; secus autem si essent Clerici minores. Paulus verò Squillante de priuileg. Cleric. cap.9. num.4. cum nostro Molfesio in summ. tom.2. tract.12. cap.22. num.166. putat hoc priuilegium laicos parentes Clericorum cũ illis commorantes habere tantùm in ordine ad hospitandum, scilicet ne cogantur milites hospitari, ne Clericus inde sustineat incommoda; tenentur tamen contribuere in pecunia.

Verùm Riccius part.3. resol.28. nu.1. & Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect.3. num.122. & alij penes ipsum docent, Immunitatem hospitandi cõcessam Clericis extendi ad patres, & fratres, si habitant in domo communi, quia priuilegium alicui concessum extenditur ad eius socios, & in specie quòd socius consequatur immunitatem ab oneribus concessam suo consocio, docet glossa in l. fin. C. de muner. & Surdus latè consil.301. nu.8. vbi docet quod immunitas concessa Doctoribus extenditur ad eius fratres, sed fratres, patres, &cet. Clericorum cum ipsis in vna domo commorantes, etiamsi solùm soluerent pecuniam, vt voluit Molfesius & Squillante, non gauderent in hoc casu priuilegio quo gaudent Clerici parentes. ergo, &cet. Deinde Doctores absolutè, & sine vlla distinctione asserunt, priuilegium non hospitandi concessum Clericis, extendi ad eorum patres & fratres, ergo videtur non esse restringendum tantùm ad Clericos Sacris initiatos, & non ad Clericos in minoribus constitutos, neque dicendum est teneri contribuere in pecunia.

Notandum est etiam hic obiter, sacram Congregationem Episc. & Regul. in vna Nouarien. die 9. Iunij anno 1617. declarasse, milites hospitari facere nõ posse magistratus sæculares in domibus Ecclesiasticarum personarum, quamuis laicis locatis, cum per indirectum in bonorum Ecclesiasticorum præiudicium redundet.

An mediator assassinij gaudeat immunitate Ecclesiarum?

RESOL. XXXIII.

NEgatiuam sententiam docet Peregrinus tract. de Immunitate Ecclesiastica cap.7. num.37. vbi sic ait. Præterea socij, & complices huius criminis assassini, qui habuerint sciẽtiam qualitatis assassinij, non gaudent Immunitate. Ita ille, qui citat Caballum in tract. de omni genere homicidij, num.412. & Tuscum to.2. lit.E. conclus.10. num.10. & conclus.11. nu.7. sed in hoc casu mediator huius criminis est complex & particeps: ergo, &c.

Sed his nõ obstantibus, & meritò, affirmatiuam sententiam tenet Antonius de Marinis in resolut. quotidian. cap.171. num.5. Gambacurta de immunitate Eccles. lib.5. cap.34. nu.14. Masullus in addit. ad Capyc decis.112. Ratio est, quia Doctores in cap. pro humani, de homicid. in 6. asserunt sub nomine assassinij non venire mediatorem, & sic fuisse decisum in sacro Concil. anno 1615. refert Rouitus in pragm.1. de assassino, num.49. Sed in Bulla Gregor. excipiũtur, ne gaudeant Immunitate Ecclesiarum tantum assassini. ergo mediatores debent Immunitate gaudere.

An occidens inimicum, cui fideiussionem dederat de non offendendo gaudeat immunitate Ecclesiarum?

RESOL. XXXIV.

NEgatiuè respondet Peregrinus tract. de Immu. Ecclesiast. c.7. num.10. quia proditoriè dicitur in tali casu occidisse; proditio enim nihil aliud est, quam deceptio contra fidem. Ita ille, qui pro hac sententia citat aliquos.

Sed ab affirmatiua sententia contra Peregrinum non est recedendum, quam tuetur nouissimè doctus Iurisconsultus amicus noster Antonius de Marinis resolut. quotid. cap.174. nu.3. quia propriè homicidium proditorium dicitur, cum ab amico, nullo præcedente rancore, patratur, simul comedendo, vel deambulando. Sed in casu de quo loquimur, hoc non adest, imò contrarium, quia propter inimicitiam præcedentem præsumi debet odium adhuc durare. ergo, &c. & ideò asserit idem de Marinis, me citato, Occidens amicum reconciliatum non dicitur homicidium proditorium commisisse, quòd autem in nostro casu adsit fideiussio de non offendendo, nihil efficit, non enim ex illa dici potest proditoriè occidisse, quia adhuc stante fideiussione præsumi poterat odium durare, & suppono inter occisorem & occisum post dictam fideiussionem strictam amicitiam minimè extitisse, v.grat. simul comedendo, alloquendo, commorando &c. ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter cum dicto de Marinis vbi supra cap.175. num.4. & seq. quòd Iudex sæcularis tenetur delinquentem restituere Ecclesiæ, ab illa cum licentia Episcopi abstractum, si constat posteà reum non commisisse delictum in Bulla exceptuatum, vt infrà latius dicendum est. Et hoc etiam in ca.78. docet, me citato, si suasionibus, vel blanditijs reus fuit inductus, vt ab Ecclesia exiret. nam in tali casu etiam Ecclesiæ restituendus erit, & cap.80. tenet, quòd delinquens ab Ecclesia

extra-

extractus, si à carceribus aufugit, & iterùm captus est in loco non immuni, adhuc Ecclesiæ restituendus erit.

An Eremitæ gaudeant priuilegio fori.

RESOL. XXXV.

RESpondeo affirmatiuè, si edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione apud Prælatum Ecclesiasticum, vel Episcopum Ordini, vel Ecclesiæ alicui speciatim addicti sint: secus autem dicendum est de Eremitis profugis, qui non subsunt alicui superiori Ecclesiastico, & ita docet Antonius de Marinis in resolut. quotidian. cap. 114. num. 8. Marta de iurisdictio. parte 4. cent. 2. cas. 213. num. 4. 5. & 6. Squillant de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. num. 44. Layman in Theol. moral. lib. 1. tractat. 5. part. 2. cap. 5. num. 4. Barbosa de potestat. Episcopi part. 2. allegat. 12. num. 43. Duardus in Bull. Cœn. libr. 2. canon. 15. quæstione 6. num. 2. Idem etiam docet Coninch de Sacrament. disputat. 14. dub. 15. num. 164. & nouissimè Bonacina in Bulla Cœnæ disputat. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 3. numer. 18. vbi ex Duardo extendit priuilegium fori non solùm ad Eremitas, qui in communitate viuunt in aliqua Congregatione sub aliquo Prælato ex tacita, vel expressa Pontificis authoritate, quãuis non faciant professionem, sed etiam ad Eremitas, qui, vt suprà diximus, peculiarem viuendi modum tenent, habitum religiosum deferentes, alicui sacro loco ex obligatione seruientes, sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati. quidquid aliqui in contrarium asserant.

An Equites nouitij D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. gaudeant priuilegio fori?

RESOL. XXXVI.

NEgatiuam sententiam docet noster Marius Giurba in cõsilijs criminal. consil. 77. numero 21. vbi asserit dictos Equites quamdiu professi non sunt, minimè priuilegio fori gaudere, quia non sunt verè Religiosi, & in hoc ponit differentiam inter Equites D. Ioannis, & hos, quia illi etiam nouitij gaudent priuilegio fori, hi autem minimè; & hanc sententiam ante illum docuerat Bobadilla in polit. tomo 1. lib. 2. cap. 19. numero 16. Mastrillus decis. 290. num. 166. Villa diego in polit. cap. 5. §. 20. numero 112. & 114. Cenedus in qæst. Canon. quæst. 4. numero 40. Rodriquez in qq. regul. tomo 2. quæst. 62. articul. 14. & alijs.

Sed hos milites esse verè Religiosos, satis ego probaui in p. 1. tractat. 2. resolut. 49. & ideò etiam docui nouitios dictarum Religionum gaudere priuilegio fori, & exemptione gabellarum, quam sententia, etiam quoad nouitios, aduersus Giurbam nominatim tenet Nouarius in tractatu nouissimo de election. fori, sect. 2. quæst. 66. numero 29. & Riccius in praxi tomo 4. resolut. 181 numer. 2. Idem docet Valenzuela tom. primò consil. 95. num. 53. Didacus la Mota de confirmatione Ordinis D. Iacobi lib. 2. cap. 2. §. 8. num. 28. doctus Scipio Rouitus consil. 96. Barbosa pater & filius, hic tractat. de potestate Episcopi part. 2. allegat. 12. nu. 45. ille in remission. ad ordinat Lusitan. lib. 2. titul. 12. §. 1. nu. 2. vbi affirmat, ita iudicatum esse in Regio Senatu Portugalliæ, & sic etiam fuisse decisum in sacra Rota Romana, & in Congregatione Eminentissimorum Cardinalium, testatur Riccius vbi supra. Dicendum est igitur, Equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ gaudere priuilegio fori, non solùm emissa professione, sed etiam tempore nouitiatus.

Nota etiam quòd Riccius & Nouarius loc. citato, & alij id quod asserunt de Equitibus D. Iacobi, Alcaotaræ, & Calatrauæ dicendum affirmant, & meritò, de militibus Montese sancti Stephani, sancti Lazari, secus autem dicendum est de Equitibus aurei Velleris, sancti Michaelis, Annuntiationis. B. Virginis, & de militibus Garreriorum, & de illis vulgò dictis della Banda, & de omnibus alijs absque Sedis Apostolicæ authoritate erectis.

An confraternitates laicorum gaudeant priuilegio fori, ita vt Episcopis sint subiecta.

RESOL. XXXVII.

NEgatiuam sententiam docet Aponte volu. 1. consil. 18. vbi probat confraternitates & Collegia, quæ per laicos reguntur, dici sæcularia, & licèt denominentur sub nomine alicuius Sancti, vel Ecclesiæ, minimè dicuntur religiosa, & Episcopo subiecta. Idem docet Viuius in addit. ad decis. 517. nu. 40. & Gabriel in suis commun. opin. concl. 1. Tamen quando in dictis confraternitatibus exercentur opera charitatis & pietatis, & exercitia spiritualia, puta quia sunt ibi destinata aliqua bona in alimoniam pauperum, vel infirmorum, aut in redemptionem captiuorum, pauperumque nuptias, & alia huiusmodi existimo esse loca pia. Nec obstat quòd non fuerint erecta authoritate Episcopi, nam ex exercitio operum charitatis, & pietatis negari nequit, quin non debeant appellari pia, nec enim necesse est, quòd locus sit pius, sed sufficit quòd in eo opera pietatis exerceantur; quia in hoc priuilegium non datur loco, sed causæ; & ideò bona supradictarum confraternitatum non possunt alienari sine assensu Apostolico; vnde hanc affirmatiuam sentẽtiam ex multis alijs rationibus docet Nouarius tractat. de elect. fori, sect 2. quęst. 56. nume. 8. Riccius in praxi to. 3. resolut. 142. Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 64. & alij penes ipsos, asserentes dictas confraternitates esse loca pia. Vnde infert Nouarius num. 13. quòd vbi tales confraternitates sunt adaptatæ ad pias exercendas causas deberi restitutionem in integrum, etsi authoritate Episcoporum non sint fundata, sufficit enim vt in eis charitatis opera exerceantur. Vide etiam Barbosam de potest. Episcopi, p. 3. alleg. 71. num. 38. quæ omnia à fortiori procedunt in Hospitalibus, licèt non fuerint erecta authoritate Episcopi, vt firmat idem Nouarius c. 34. per totum, & alij penes ipsum.

An si quis effectus Clericus postquam lis contra eum coram iudice sæculari mota est possit opponere declinatoriam pro remissione ad iudicem Ecclesiasticum.

RESOL. XXXVIII.

SEntentiam negatiuam docet noster D. Carolus de Graffis tract. de effect. Cleric. effect. 1. num. 1239. vbi sic ait. Quando quis efficitur Clericus post inceptam causam coram Iudice sæculari, non impedit quin causa prius inchoata prosequatur coram eodem iudice, & citat pro hac sententia plures DD. quibus adde Surdum decis. 110. n. 3. Riccium p. 4. decis. 218. n. 3. & Squillante de priuileg. Cler. c. 7. dub. 3. num. 59. qui malè pro hac sententia me citat. Verùm contrariam opinionem, vt nimirum Clericus effectus post litem contra ipsum in foro sæculari motam, statim à Iudicis sæcularis iurisditione eximatur, tam in causa ciuili, quam in criminali, firmauit Genuensis in praxi cap. 8. n. 5. & nouissimè hanc sententiam docet etiam Antonius de Marinis in quotidian. resol. cap. 54. nu. 8. & rationem adducunt; nam si confugiens ad Ecclesiam post delictum animo magistratum sæcularem fraudãdi, Ecclesiastica gaudet immunitate, quamuis sit laicus, & ad tempus in ea moretur, multò magis gaudere debet, qui personam eius per Ordinum susceptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur.

Notandum est tamen, quòd si aliqui stare vellent in prima opinione, illã multis modis limitat Carolus de Graffis vbi suprà, & Antonius de Marinis rectè asserit procedere, quousque lis per sententiam terminetur: vbi autem post sententiæ prolationem de exequutione venit tractandum, illis concernentia sunt ad Iudicem Ecclesiasticum remittenda, neque in hoc aliter sentiendum est.

An iudex laicus possit punire Clericum delinquentem in officio sæculari.

RESOL. XXXIX.

AFfirmatiuè respondet Pereira de manu Regia part. 2. capit. 48. num. 4. vbi asserit, quòd Clericus delinquens in officio à Principe punitur. Idem docet Escobar tra. de ratiocin.

cap. 7.

cap.7.num.7.& alij,quos ego adduxi in p.1.tract.2.resol. 18.

Sed ego ibi cum multis Doctoribus contrariam sententiam docui, quam nouissimè,me citato,tenet Paulus Squillante de priuileg.Cler.cap.7.dub.3. nu. 87. & iterùm Bonacina in Bull. Cœn.disput.1.quæst.16.punct.5.numer. 17. vbi sic ait. Nota iudicem laicum vinculo excommunicationis irretiri, trahendo Clericū ad suum tribunal, etiamsi eum trahere intendat prętextu officiorum sæcularium, quæ Clericus exercet. Ratio, est, tum, quia Bulla vniuersaliter loquitur, & solùm excipit casus in iure expressos; exceptio autem firmat regulam in casibus nō exceptis tum quia licèt Clericus nequeat officia sæcularia sine Superioris dispensatione suscipere, cap. Sacerdos,ne Cleric. vel monach.nihilominus priuilegiū clericale retinet, & exemptus est à laica potestate,ex cap.final. de vita & honestate Clericorum.Quamobrem Clericus qui officium tutoris, vel curatoris,vel administratoris bonorum exercuit, & in eo deliquit, non potest in iudicium à laico ad reddendam rationem vocari; quamuis enim delinquat assumendo huiusmodi officium, non tamen amittit fori priuilegium. Ita Bonacina. quod procedit, etiam si in tali casu Clericus puniretur à iudice sæculari pœna pecuniaria, vt præter alios nouissimè tenet Sanchez in cōsilijs to.1.lib.3.c.vnico,dub.21.n.11.

Notandum est etiam,quod stando in prima sententia,illa limitanda venit,vt si ibi compilato processu apparuerit Clericus ipse debitor, & in officio deliquisse,sint iudicis sæcularis partes non illum ad soluendum cōdemnare, sed simpliciter declarare quantitatem, in qua debitor apparet: qua declaratione facta, adeundus est iudex Ecclesiasticus pro illius exequutione; & ita docet Antonius de Marinis quotidian.resol.c.53.n.15. nam, vt sæpiùs dictum & probatum est, exequutio sententiæ contra Clericum in casibus permissis, non ad ipsum iudicem laicum, sed ad Ecclesiasticum spectat.

An palatia Episcoporum extra eorum diœcesim gaudeant immunitate.

RESOL. XL.

SAtis firmatum est in par.1.tract.1.resolut.27.palatia Episcoporum etiam sine Capella, & distantia ab Ecclesijs extra 40.passus, gaudere immunitate, quod etiam docet Acugna in decret. Gratiani part.1.dist.87 c.2.n.2.Cortea relect. de immunitat.p.2.n 19.& Alzedus in praxi Episc.p 1.c.12.nu. 77. vt melius patebit infra.

Sed difficultas est,an dicta immunitate gaudeāt palatia Episcopi extra diœcesim? & negatiuè respondet Peregrinus de immunit.c.4.n.73.Marius Italia lib.1.c.4.§.9.n. 19.& Antonius de Marinis quotidian.resolut.c.180.nu.12.Ratio est, quia Episcopus extra suam diœcesim nullam habet authoritatē, nec Pontificalia exercere potest.

Verùm contraria sententia potest suaderi, quia Concilium Aurelianense in capit.id constituimus, 27.quæst.4. indistinctè asserit Palatium Episcopi gaudere immunitate, neque hoc coarctat in eius diœcesi;& vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.Adde quòd cum agatur de re fauorabili,vt in simili casu notat Germonius de sacror.immunit.lib.3.cap. 16. num.49.fauor extendi debet.Deinde, vt obseruat Gambacurta lib.4.cap.3.nu.7. hæc immunitas concessa est loco, ratione personæ Episcopalis,propter sanctitatem muneris, & dignitatis;& ideò,vt diximus,palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam sine Capella,& etiam extra quadraginta passus Ecclesiæ. Ergo in quacumque parte fuerit Epicopus, ratione eius personæ, cuius intuitu concessum fuit hoc priuilegium, gaudere debet immunitate eius palatium. Nec valet argumētum Peregrini. nam licèt Episcopus in aliena diœcesi non possit exercere Pontificalia, attamen dignitas eius personæ, etiam in tali loco, magnam habet reuerentiam & authoritatē. Vnde Episcopus alium Episcopum in sua diœcesi debet valdè honorare,& particularem reuererentiam exhibere,& in loco eminentiori,& in propria sede collocare,etiamsi qui suscipit,Cardinalis sit,& qui suscipitur non:vt habetur in cap.Episcopi 7.q.1. & docet Mauricius Alzedus in praxi Episcop. 1.c.6. nu. 11. vbi citat Chassaneum,& Zerolam.

Sed his non obstātibus,an hæc opinio sit probabilis, alijs iudicandum relinquo,certum tamen apud me est, palatia Cardinalium extra Vrbem existentium dicta immunitate gaudere, vt tenet Antonius de Marinis loco cit.Marius Italia lib.1.cap. 4.§.9.num. 22. & 23.quidquid in contrarium asserat nouissimè Castrus Palaus tom.2.disput.vnica de immunit. Eccles. punct. 6.num.23.

An vxores Clericorum coniugatorum gaudeant priuilegio fori.

RESOL. XLI.

COntra Bonacinam & Sanchez, quibus nunc addo Antonium de Marinis quotidianarum resolut.capit.58.nu. 14. Castrum Palaum tom.2.disputat.vnica,de immunit. Ecclesiast. punct.2.num.10.& Ioan.Andream in cap.vnic.de Cleric. coniug.in 6.docui affirmatiuam sententiam in part.3.tractat.1.resolut.45.quam scio cuidam Iurisperito displicuisse, sed immeritò; & ideò iterum illam doceo. Vnde,præter Squillante,Belletum & de Grassis vbi suprà citatos, tenet nouissimè hāc sententiam Ludouicus Cortea in relect.ad capit.inter alia.de immunitate Eccles.par.2.num. 33 vbi sic ait. Probabile est quòd vxores Clericorum eodem gaudeant foro, & probatur nostra resolutio ex glossa prima in cap.eos,32.dist.& cap.2.11. quæst. 1.confirmat hæc iura Abbas in cap.2. de foro compet.num. 9. Felinus ibid. num. 5.necnon iure ciuili, secundùm quod dicitur vxores sequi forū mariti, in L.final.Cod.de incolis, vbi expressè hoc probatur.Ergo si vxores foro mariti adhærent, non est cur hoc deficiat in Clericorum vxoribus. Ita ille, & Sanchez,qui docuit contrariam sententiam,docet etiam hanc nostram in opusc.tom.2.lib.6.cap.1.dub.3.num.2.vbi sic ait. Vxor Clerici coniugati gaudet etiam fori priuilegio,& hoc non tantùm viuo marito,sed etiam eo mortuo,durante viduitate; quare vxor Clerici,quę homicidium commisit viuo marito,vel durante viduitate, debet conueniri coram Episcopo, non autem coram iudice sęculari.Ita Sanchez,qui citat Hostiensem,Imolam Panormitanum,Montaluum & alios.

An in casibus exceptis liceat iudicibus sæcularibus sine licentia Episcopi reos ab Ecclesia extrahere.

RESOL. XLII.

AFfirmatiuam sententiam docet Ludouicus Cortea in relect.ad cap.inter alia,de immunitate Eccles.part.4.num. 10.Acugna in Decret.Gratian.part.1.dist.87.cap. 6. numer 7. Iulius Clarus libro 5.quæstione 30.§.fin numer.20.Couarr. lib. 2.variar.cap.20.num.18 Guido Papa decis.121.numer. 1. Boerius decis. 109. num.2.Guilelmus de Benedictis in repet.capit. Raynutius, ver.& vxorem, nu. 444.& alij testantes ita obseruari in praxi.

Sed hodie hęc sentententia non potest sustineri stante Bulla Gregor.XIV.vt ego ipse satis firmaui in part.1.tract. 1.resolut. 14.cum multis Doctoribus. quibus nunc addo Ambrosinum de immunitate ca.11.num.2.Simonem Rao in respons. ad dubia super immunit.Eccles.fol.mihi 27.vbi citat Aufreriū; Vulpellum, Cynum & Syluestrum, & nouissimè Peregrinum.de immunit.cap. 14. nu. 6. vbi sic ait.In casibus exceptis,si iudex, vel alius minister iustitiæ,absque licentia Episcopi, vel eius officialis, & interuentu personæ Ecclesiasticę à dicto Episcopo, vel eius officiali auctoritatem habente, per vim extrahat reum qui confugit ad Ecclesiam,graue sacrilegium committit,& incurrit in excommunicationem, & pœnas contra sacrilegos prædictos statutas. Patet hæc conclusio ex præsenti constitutione Gregorij XIV.in illis verbis. Volumus dictaque auctoritate decernimus & declaramus, vt curia sęcularis eiusque iudices,& officiales ab Ecclesijs, monasterijs, locisque sacris prædictis laicum aliquem, vt præfertur,delinquentem, in nullo ex casibus supradictis (exceptis) sine expressa licentia Episopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticę ab eo authoritatem habentis,ad quos solos,& non alios Episcopis inferiores, etiamsi alijs Ordinar. sint, aut nullius diœcesis aut Conseruatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati,prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorē deuoluatur hæc cognitio, & non

ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis (exceptis) superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint, tūcque reuerentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent. Hodie tamen cessat per supradictā constitutionem pontificiam. Ita Peregrinus, & ego.

An deflorantes Monialem gaudeant immunitate Ecclesiæ.

RESOL. XLIII.

NEgatiuam sentētiam docet Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immun. Eccles. part. 3. num. 16. vbi sic ait: Ampliatur etiam resolutio hæc, vt procedat etiam in deflorante monialem, vt non gaudeat immunitate, si ad Ecclesiam confugiat. Ita ille, & ante illum Barbosa ad ordin. Lusitan. tom. 2. lib. 2. tit. 5. §. 2. n. 3.

Tamen ego contrariam sententiam teneo, stando etiam in iure communi: nam Correa ideò affirmatiuam sententiam tenet, quia putat raptores virginum non gaudere immunitate Ecclesiarum: vnde hoc ampliat ad deflorantes Monialem. Verum raptores virginum gaudere Ecclesiæ immunitate ex iure Canonico, firmant Hostiensis Archidiaconus, Bellamera, Abbas & omnes Canonistæ, & Casuistæ, quos adducit & sequitur Peregrin. de immunit. Eccles. c. 12. n. 14. Fagundez p. 2 lib. 4. c. 4. n. 47. Layman in Theol. mor. lib 4. tract. 9 c. 2. n. 8. Farinacius in append. de immun. c. 6. n. 88 Tuscus ver. Ecclesia, concl. 11. nu. 35. & 36. Guttierrez pract. qq. li. 3. q. 5. alij.

Sed quidquid sit de iure communi, hodie stante constitutione Gregorij X I V. puto raptores virginum & deflorantes Moniales gaudere immunitate Ecclesiarum, quia supradicti casus non sunt inter exceptuatos à Pontifice in dicta Bulla, ergo debent gaudere immunitate. Et hæc opinio procedit, etiamsi reus deflorasset Monialem in ipsa Ecclesia monasterij, nam in Bulla exceptuatur tantùm homicidium, & mutilatio membrorum facta in Ecclesijs. Ergo alia delicta in illis perpetrata, licèt enormissima, gaudebunt eorum immunitate, vt satis ego ipse cum multis alijs firmaui in p. 1. tract. resol. 1. quicquid asserat Portel in dub. reg. ver. Ecclesiæ immunitas, n. 15.

An immunitas Ecclesiarum sit de iure diuino.

RESOL. XLIV.

REspondet negatiuè Peteira de manu Regia part. 2. cap. 50. num. 1. Peguera in pract. crim. cap. 26. num. 1. Gambacurta de immunit. lib. 3. cap. 15. num. 8 Suarez de Relig. to. 1. lib. 3. c. 8. n. 21. Couarr. lib. 2. var. c. 20. nu. 2. Fagundez præc. 2. lib. 4. c. 4. n. 59. Bobadilla in politic. tom. 1. lib. 2. c. 14. nu. 3. & alij penes ipsos, asserētes esse tantùm de iure positiuo, quia in lege euangelica non inuenitur hæc immunitas concessa Ecclesijs, ergo dicendum est eam non esse iuris diuini, sed tantùm Canonici & positiui: vide etiam Decianum lib. 6. c. 25. nu. 2. & Ambrosinum de immun. Ecclesię c. 1. n. 3.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam ego teneo, quam tuentur Cenedus in quæstion. canon. quæst. 42 à numer. 6. Additionat. ad Capellam Tholos. disput. 423. num. 5. Tuschus tom. 4. litt I. conclus. 59. num. 1. Ioannes Lupus tract. de libertate Eccles. part. 2. quæst. 2. Decius in capi. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 14. & seq. de constit. Rebuffus tom. 2. super constit. in tract. de immunit. in princip. num. 2. Simon Rao in respons. ad dub. super immunitate Eccles. Guttierrez pract. quæst. lib. 1. quæst. 1. num. 8. Germonius de sacr. immunit. li. 3. cap. 56. nu. 3. Marius Italia de immunit. lib. 1. cap. 2. per totum, Pechius trac. de Arest. cap. 6. num. 5. Remigius de Gonni tract. de immunitate Eccles. suppos. 2. num. 5. Igneus. in l. 1. numer. 26. ff. ad Syllan. Cardinalis Tuschus tom. 3. conclus. 8. num. 4. & Farinacius in append. de immunit Eccles. cap. 1. num. 9. vbi pures alios citat, & docet immunitatem Ecclesiarum non solùm esse de iure ciuili & Canonico, sed etiam diuino, & ad rationem in contrarium & ad alias, quas adducit Couarruuias vbi supra, latè respondet Germonius & Cenedus locis citatis. Vnde ex hoc sequitur, reprobandas esse consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum, cum sint non solùm contra ius Canonicum, sed etiam contra ius diuinum; & maximè hodie, cum in specie, vt dictum est supra, Gregorius X I V. illas reprobet & annullet; & ideò Simon Rao vbi supra in respons. ad dub. super immun. Eccles. fol. mihi 45. rectè has firmat conclusiones. Prima, quod quando consuetudo est contra Ecclesiasticam libertatem, vt esset, si Curia sæcularis reos ab Ecclesia extrahere, & eius carcetibus mancipare ex consuetudine prætenderet, non valet. Secunda, quòd talis consuetudo nulla temporis longinquitate defendi potest. Tertia, quod supradicta consuetudo est irrationabilis, & sic non potest rationabiliter præscribi: vnde etiamsi vera esset à parte rei talis consuetudo, nullius esset momenti, nam corruptela potius, quam cōsuetudo dici deberet. quæ quidem omnia communiter defendūtur à Theologis & Canonistis, quos ego adduxi in 1. part. tract. 2. resol. 3. & tandem non desinam hic apponere verba Petri de Cenedo in qq. can. q. 42. vbi post quam probauit immunitatem Ecclesiarum esse de iure diuino, tandem sic num. 11. asserit. Quamuis à iure diuino non sit instituta Ecclesiarum immunitas, canonicis sanctionibus, Pontificumque & Conciliorum decretis stabilitam esse, satis docet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. quo quidem decreto renouatur obseruantia immunitatis Ecclesiasticæ, & cōsuetudo, si qua est introducta cōtra talem immunitatem, prorsus est sublata & abolita; quod posteà fecit Gregor. XIV. in Bulla, &c. Ita Cenedus & ego supra in hoc tract. & optimè Antonius de Ballis in tract. var. lib. 9. tit. 42. n. 12. in fine, & nu. 13. cum Cardinale Tusco to. 4. consil. 59. n. 19.

An qui commiserunt peccatum nefandi, gaudeant immunitate Ecclesiarum.

RESOL. XLV.

NEgatiuè respondet Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. p. 3. nu. 40. qu. 17. quia in grauissimis delictis, & in quibus includitur atrocitas & abominatio, Ecclesia non debet patrocinari, & ideò etiam alia peccata contra naturam immunitate non gaudebunt. Ita ille. qui citat Rodriquez in qq. regul. to. 2. q. 51. art. 4. Auendagnum de exequen. mandatis, p. 1. c. 229. Phœbum to. 1. decis. 81. nu. 7. Barbosam ad ordin. to. 2. lib. 2. §. 1. nu. 5. quibus adde Marium Italiam immunit. Eccles. lib. 1. c. 5. §. 3.

Sed hæc opinio, stante Bulla Gregorij XIV. non est tenenda, quia in illa crimen nefandi non exceptuatur, & dictam constitutionem non esse ad alios casus extendendam. satis ex eius lectura patet. Nam, vt alibi probaui, Summus Pontifex in illa, dum excipit aliquos casus, apponit dictionē taxatiuam, tātùm, cuius natura est impedire extensionem, vt notat inter alios Ambrosinus de immunit. c. 1. num. 14. Peregr. c. 6, nu. 24. & alij scribentes super dictam Bullam; & ideò committentes crimen nefandi gaudere immunitate Ecclesiarum in terminis docet Farinac. in appen. de immun. Ecclesiar. c. 6. n. 98. Castrus Palaus in opere morali, tom. 2. disp. vnica. de immun. Eccles. punct. 10. nu. 6. & Marius Giurba cons. 100. num. 4. quod ego etiam puto, stando in iure cōmuni, nam Canones absolutè asserunt Ecclesiæ immunitate gaudere omnes ad eam confugientes pro quātumuis grauissimo, & atrocissimo crimine: vt patet in ca. inter alia, de immun. Eccles. vbi expressè cauetur liberum hominem non esse violenter ab Ecclesia extrahendum, quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, & ibi Hostiensis nu. 1. Ancharanus nu. 2. & 6. & alij, cum Farinac. vbi supra iuncto n. 85. Sed quidquid sit de iure cōmuni, in terminis Bullę Gregor. de hoc casu amplius non est dubitandum, quidquid dicat Marius Italia sine fundamento vbi supra, & ideò hanc sententiam tenet nouissimè Sanchez in opusc. to. 2. lib. 6. c. 1. dub. 10. nu. 2. & ante illum Bonac. in Decalogum disp. 3. q. 7. punct. 5. n. 14.

An qui in duello inimicum occiderunt, gaudeant Ecclesiæ immunitate.

RESOL. XLVI.

NEgatiuam sententiam docet Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. nu. 19. licèt mors non sequatur, & Marius Italia de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 4. numer. 42. & 43. qui hanc rationem adducit, quia qui duel-

duellum permittunt, vel faciūt dant, causam vt loca, in quibus duellatur interdicto supponantur, vt patet in quadam constit. Clementis VIII. Sed qui dat causam interdicendi Ecclesiam eius immunitate non gaudet: ergo &c.

Sed hæc opinio non est tenenda, stante Bulla Gregorij XIV. vbi excluduntur tantum ab immunitate Ecclesiarum qui homicidia, vel membri mutilationem in Ecclesijs perpetrarunt, & videtur mihi impertinens velle duellantes cum mutilantibus & occidentibus in Ecclesijs comparare, & cum, vt dictum est, tale crimen non excipiatur in Bulla, necessariò sequitur vt debeat gaudere Ecclesiæ immunitate. & ita hanc sententiam docet Farinacius in append. de immunitat. Ecclesiast. cap. 7. num. 17.

An damnatus ad triremes fugiens ad Ecclesiam gadeat eius immunitate.

RESOL. XLVII.

CONtra Martam & Villadiego, quibus nunc addo Megalium in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. nume. 33. affirmatiuam sententiam docui in part. 1. tractat. 2. resolut. 40. &, me citato, hanc etiam opinionem tenet Anton. de Marinis quotid. resol. cap. 177. num. 2. & 3. Aliqui verò, vt obseruat idem de Marinis num. 5. approbant hanc sententiam distinguendo, vt si ille, qui à triremibus aufugit, sit loco depositi condemnatus, vel certam habet condemnationem, sed est reclamatum, & pendet reclamatio, vel compleuit tempus, sed detinetur, generalem expectando libertatem, & in his casibus gaudere debet immunitate, nec aliter extractio permittitur; si verò aufugiens certam habeat condemnationem, de qua non pendet appellatio, vel si pro delictis per eum patratis seruire se concordauit, & adhuc tempus completum non est, eo casu, ex quo seruus pœnæ est effectus, debet complere, & index Ecclesiasticus præstar extractionem. & hanc sententiam in praxi obseruatam fuisse à multis Nuntijs testatur Ioseph Imperato penes de Marinis vbi supra.

Sed ego iterū puto absolutè & sine vlla distinctione omnes remiges confugientes ad Ecclesiam gaudere eius immunitate, & ita hanc sententiam, præter Giurbam & Antonium de Marinis, tenet etiam nouissimè Pereira de manu Regia part. 2. cap. 50. num. 17. Antonius Nouarius in summa Bullar. tit. de immunit. Eccles. num. 27. & Ludouic. Correa in relect. ad capit. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. num. 9. quæst. 4. Quia asserit ipse, si aliqua ratio esset, quare cōdemnatus ad triremes nō gauderet immunitate Ecclesiæ, ea foret, quia per talem condemnationem seruus pœnæ efficeretur, atque hodie per condemnationem huiusmodi, vel ad aliquod opus publicum, etiam in perpetuum, seruus pœnæ non efficitur, iuxta textum in Auth. sed hodie, Cod. de dooat. inter vir. & vxor, excepto casu quoad mortem condemnatur, vt patet in l. qui vltimo, ff. de pœnis. Ergo, &c. Facit etiam, quia ductus ad vltimum supplicium, licèt seruus pœnæ efficiatur, si tamen ad Ecclesiam confugerit, illius gaudebit immunitate, vt communiter tradunt DD. & hæc omnia docet Correus vbi supra. qui optimè limitat hanc opinionē, vt procedat quando condemnatus non sit ad temigandum propter crimen, ratione cuius immunitate priuaretur. Vnde ex his à fortiori patet condemnatum ad verbera gaudere priuilegio Ecclesiarum, vt docet Pereira & Correa loco cit. Igitur Episcopi inuigilent, ne remiges ad Ecclesiam effugientes tradant curiæ sæculari. nam Ecclesiæ immunitate omninò gaudere debent, quidquid afferat Megalius & alij vbi suprà. & ad rationes patet responsio, ex his, quæ notauit Correa loco citato.

Notandum est etiam hic obiter, Ludouic. Correa loc. cit. n. 12. Nouarium n. 20. Castrum Palaum tom. 2. disp. vnica, de immunit. punct. 8. num. 6. docere id quod ego olim docui, nempè Mercatores dolosè fractos, vulgò *que se azen quebrados*; si ad Ecclesiam confugerint, non esse ab illa extrahendos, quia tales neque in iure, neque in constitutione Gregoriana excipiuntur. Quidquid in contrarium afferat Pereira de manu Regia parte 2. cap. 50. numer. 16. Vide meipsum part. 1. tractat. 2. resolut. 32.

An reus confugiens ad reliquias Sanctorum, vel ad eorum imagines quæ per plateas processionaliter circum feruntur, gaudeat immunitate, vel si apprehendat Sacerdotem ambulantem.

RESOL. XLVIII.

HIc casus frequenter potest accidere, & de illo non inueniö qui tractent, solus nouissimè Ludouic. Correa in relect. ad c. inter alia, de immu. Eccl. p. 2. n. 25. illum ponit, & affirmatiuam sententiam docet, quia, ait ille, ratio ob quam seruatur immunitas Ecclesiæ, est propter honorem, & reuerentiam debitam Deo: atqui eadem reuerentia & honor consideratur in reliquijs Sanctorum, & eorum imaginibus, necnon B. Virginis, quando illis conceditur hæc immunitas. Ergo non est dubium illam habere. Minor probatur, quia honor & reuerentia præstita Sanctis pertinet ad Religionem cultumque Dei. Deus enim in Sanctis suis honoratur & colitur; quemadmodum enim ipsi sunt propter Deum honorati, ita Deus honoratur & colitur in ipsis, honorantur namque Sancti tanquam chari & amici Dei Vnde sicut honor qui domesticis, Consiliarijs, filijs, amicis, ac ministris Principū defertur; ita similiter honor exhibitus Sanctis, & Deo exhibetur. Probatur præterea ex Gambacurta. lib. 3. de immun. c. 4. n. 15. vbi latè probat Ecclesiam fundatam sub nomine alicuius Sancti, vel B. Virginis parem habere immunitatem ac si dicata fuisset nomine Christi. Ita Correa, qui etiam quod dixit de reliquijs imaginibus, dicendum putat de persona Sacerdotis, ita vt qui illam apprehenderit, immunis exeat; quia cum Sacerdotes ministri sint Christi, & eius vicem in terris gerant, sentato illis honore, idem & Deo seruatur. Sed verum est dicere seruari honorem immunitatem præstando. Ergo eam habebunt. Deinde, quia si Ecclesia ex eo habet immunitatem quòd cultui diuino deputata est, & ad hoc vt in illa diuina Officia celebrentur, potiori iure Sacerdotes eamdem debent, habere siquidem non solùm Dei ministerio dicantur Ecclesiæ, sed ipsum Deum manibus suis tractant, & fiunt Dei sacrarium; ergo non est cur dicatur illos immunitatem præstare non posse, & hæc omnia dicta sunt secundùm mentem Correæ loco cit. Nam, vt verum fatear, iura loquuntur tantùm de Ecclesijs, & Doct. tantùm de Sacerdote Eucharistiam deferente.

An cognitio, vtrùm reus gaudere debeat immunitate Ecclesiarum, possit aliquando spectare etiam ad iudicem laicum?

RESOL. XLIX.

ANastasius Germonius de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. num. 21. docet Petrum Bellugā & Remigium Gonzi asserere, hanc cognitionem esse mixti fori, & propterea ad vtrumque iudicem tam sæcularem, quàm Ecclesiasticum spectare ad diuersos effectus eo modo, quo ipsi explicant, quos nouissimè sequitur & citat Pereira de manu Regia p. 1. cap. 56. nu. 12. vide etiam Fagundez præc. 2. lib. 4. c. 4. n. 57. Martam de iurisd. part. 2. c. 1. n. 10. Suarez de Paz in praxi tom. 1. n. 5. c. 3. §. n. 8. Bobadillam in polit to 1. lib. 2. c. 19. n. 40.

Sed hanc opinionem, & meritò impugnat Farinacius in append. de immunit. Eccles. cap. vlt. numer. 366. & contrariam de iure veram esse tenet Correa in relect. de immunit. Eccles. par. 4. num. 2. & de illa hodie nō est dubitandum, stante Bulla Gregorij XIV. In qua etiam apparet solū iudicem Ecclesiasticum esse competentem in hac materia, quod etiam prius patebat ex cap. fin. de immunit. Eccl. & ex cap. ad Episcopos 17. quæst. 4. & cap. metuentes, eadem caus. & quæst. & nouissimè hanc sententiam docet Lotherrius de benef. tom. 1. lib. 1. quæst. 13. nu. 96. & seq. & Bonacina vbi infra, & alij. Ratio est clara, quia causa immunitatis, vtpotè Ecclesiastica ab Ecclesiasticis iudicibus debet tractari, neque aduersus Vulpellum & alios valet circa hoc consuetudo aliqua in contrarium (quod aduertant ministri laicalis iurisdictionis.) nam dicta constitutio Gregorij XIV. vt ego satis firmaui in part. 1. tractat. 1. & docet Ceoedus in qq. Canon. qu 42. nume. 12. & Bonacina in Decalogum disp. 3. q. 7. punct. 10. n. 2. tollit omnes cōsuetudines in contrarium: vnde hodie non sunt audiendi Doctores asserentes, quod licèt in aliquibus casibus pro immunitate assistat ius Canonicum; contrarium tamen de consuetudine seruari testantur,

& eam fore attendendam opinantur, quia, vt diximus per constitutionem Gregorij omnes consuetudines penitus tolluntur. Vide Tuscum.ver.immunitas concl. 59. n. 19. vsque ad num. 25. & ideò stante dicta cōstitutione reprobandus est Correa loco cit. part. 1. num. 18. vbi aduertit magnam habere vim cōsuetudinem circa immunitatem Ecclesiarum; qua propter multis in casibus ad illam iudices recurrunt. Ita ille; sed malè. nam hodie iudices in casibus contingentibus non ad aliam consuetudinē, nisi ad Bullam Gregorij XIV. recurrere debent, alioquin censuras minimè effugient. Nec facit quod quãdoque Episcopi & Pontifices dictis consuetudinibus nō contradicant, nam asserit Pacianus de probat lib. 1. c. 29. nu. 87. Laudensis decis. Pisan. 36. n. 265. part. 1. & Farinacius in append. cap. 1. n. 15. illos non consentire, sed simulare ad maiora mala vitãda. Vide c. iamdum, de præbendis, & suprà resol. 1.

Ex his infertur stante dicta constitutione contra Pereiram, loco cit. num. 16. cognitionem loci, an sit sacer & religiosus, ad gaudendam immunitatem, nō spectare ad iudicem laicum, sed priuatiuè ad Ecclesiasticum, & ita tenet Marius Giurba consil. 10. n. 7. Bonacina in Decal. disp. 3. q. 7. punct. 3. num. 16. Peregrinus de immun. cap. 13. n. 18. Marta de iurisd. part. 2. cap. 50. n. 4. & Raudensis vol. 2. consil. 17. n. 12. & patet ex ratione & iuribus adductis, quibus adde cap. ex parte, de verbor. signific. vbi est casus de hoc, nam tractatur an territorium Ecclesiæ sit violatum, & dicit quod huius cognitio spectat ad iudicem Ecclesiasticum, imò Comitissa habens interesse appellat ad Archiepiscopum. Et, me citato, Antonius Nouarius in summa Bullarum titul. de immunit. nu. 95. docet ad iudicem Ecclesiasticum spectare cognitionem si captus à satellitibus affirmat fuisse captū in loco sacro illis negantibus.

An infideles, Iudæi, &c. gaudeant immunitate Ecclesiarum.

RESOL. L.

Hic casus frequenter potest accidere, & negatiuam sententiam tenet Megala, Peregrinus & alij, quos citaui in p. 1. tract. 1. resol. 22. quibus nunc addo Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 12. Suarez de Paz in praxi to. 1. p. 5. c. 3. §. 3. num. 106. Pereira de manu Regia p. 2. c. 5 1. n. 5.

Sed ego ibi, & meritò, affirmatiuam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Tiraquell. de iure primogenituræ, q. 66. nu. 9. Remiginm de immunit. fallent. 18. nu. 3 Felinum in c. Iudæi, de Iudæis, nu. 2. Hippolytum in l. vnic. C. de raptu virginum, num. 114. quos nouissimè citat & sequitur Ludou. Correa relect. de immunit. Eccl part. 3. cap. 3. quia, ait ille, immunitas non delinquentibus, sed Ecclesiæ ob Dei reuerentiam & honorem concessa est; vnde qualiscúque proponatur delinquens, non respicitur ad illum, & ita locum habet immunitas. dummodo tamen excipiantur excepti. Deinde pessimis hominibus confugientibus ad Ecclesiam immunitas conceditur, qui quidem etiam non causa fidei, sed tantùm propter pœnæ timorem ad Ecclesiam confugiunt; ac proinde licèt infideles ita se habeant, nequaquam ab Ecclesia sunt extrahendi, cum malitia illorum immunitati Ecclesiasticæ nocere non debeat. Ita Correa: quam quidem sententiam non solùm in terminis Bullæ Gregorij XIV. veram esse existimo, sed etiam de iure communi. nam in capit. inter alia, de immunitat. Eccles. neque in alio. Canone, non restringitur immunitas ad Iudæos & Sarracenos: ergo, &c. Et hanc sententiam etiam nouissimè tenet Gauantus in enchir. Episcop. verb. immunitas Ecclesiastica, num. 9.

Notandum est hic, etiam stando in prima sententia infideles confugientes ad Ecclesiam, si non simulatè petant Baptismum, gaudere immunitate. Verumtamen si infidelis post delictum commissum ad Ecclesiam confugiens Baptismum petat, cum anteà cōuersionis nulla signa dedisset, præsumptio est cōtra illum, quod simulatè, & solùm pœnæ vitandæ causa petat, ideoque nisi contrarium appareat, extrahi potest. Non tamen puto, quidquid asserant Castrus Palaus in opere morali tom. 2. disput. vnica de immunitate Eccles. punct. 7. nu. 8. Megala in 3. p. lib. 4. c. 2. & Marta de iurisdict. p. 3. c. 51. nu. 3. præsumptionem hanc iuris esse, ac de iure, cōtra quam non admittitur probatio in contrarium, quin potius dicēdum ad Episcopum pertinere, vt in hoc casu examinet volūtatem infidelis Baptismum petentis, & si iudicarit veram esse atque à Deo inspiratam immunitatem, ipsi concedat, quominus à iudice laico extrahi possit. Et hæc omnia docet Layman in Theolog. moral. lib. 4. tract. 9. ca. 3. num. 12. & Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. nu. 11. Verùm ego, vt dixi, absolutè teneo omnes infideles, etiamsi nō petant Baptismum, confugientes ad Ecclesiam gaudere eius immunitate; ad textum verò in l. 1. Co. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, ex quo contraria sententia firmatur, respondeo cum Correa loco citato, esse textum iuris ciuilis, & Pontificio contrarium, & ideò non esse obseruandum. Quod autem infideles non sint subditi Ecclesiæ, ac proinde ab illa tutari non debeant, responderi potest non debere attendi quod Iudæi, v. g. careant fide, vel illam habent ad hoc, vt ipsi hac immunitate gaudeant, quia hoc priuilegium non conceditur intuitu personæ, sed loci.

An blasphemantes Deum & B. Virginem gaudeant immunitate Ecclesiarum.

RESOL. LI.

Negatiuè respondet Ludouicus Correa in relect. de immunitat. Eccles. part. 3. numer. 35. Bobadilla in polit. tractat. 1. lib. 2. cap. 14. num. 53. Boerius decis. 110. Decianus lib. 6. cap. 26. num. 5. & 6. & nouissimè Marta de iurisdict. part. 2. cap. 51. num. 30. & 31.

Sed ego omninò affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, non solùm in terminis constitut. Gregorij XIV. sed etiam de iure communi; & ita docet Ambrosinus de immun. Eccles. cap. 8. num. 11. Peregrinus cap. 12. nu. 12. Megalus in 3. part. lib. 4. cap. 2. num. 6. & Farinacius in append. cap. 13. nume. 175. qui, & optimè, limitant hanc sententiã si blasphemia sit hæreticalis, tunc enim talis blasphemus Ecclesiæ immunitate non gaudebit; non quia blasphemus, sed quia hæreticus, quod de quocumque alio de hæresi suspecto omninò affirmandum est, si ad Ecclesiam confugiat, nam ab ea à ministris sancti offici indifferenter abstrahi potest. Ratio verò, quare blasphemus gaudeat immunitate, est, quia inter delicta exceptuata in constitutione Gregorij, & in sacris Canonibus, non adest delictum blasphemiæ: & ergo, &c.

An Clerici possint vendere vinum ad minutum, & de aliquibus statutis quoad hanc materiam, contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LII.

Respondeo ex communi sententia DD. Clericos posse vendere per famulos suos vinum & similia, tam ex patrimonialibus, quam beneficialibus, non solùm in mensura magna, &, vt dicitur, ad grossum, sed etiam ad mensuras minutas, neque ex hoc dicitur negotiari. Ita glossa 1. in cap. negotiatorem, 88. dist. Abbas in capit. 2. numer. 1. de cleric. vel monach. Geminianus & Franchus in capit. vnic. de vita & honest. Cleric. in 6. Bertachinus tractat. de gabellis part 2. quæst. 7. Roland. vol. 4. consil. 71. nu. 9. & alij, quos affert & sequitur Belletus in disquis. Cler. tit. 1. §. 21. num. 15. Genuens. in praxi Archiep. cap. 62. nu. 7. Prosper de Augustino in addi. ad summ. Quarantæ, verb vectigal. Squillant de priuileg. Cleric. cap. 8. num. 38. & Barbosa part. 3. allegat. 13. Marta part. 4. cas. 3. numer. 13. & alij. Difficultas est, an si quis iudex laicus statueret vt venditores vini deberent præstare fideiussionem ad soluendas pœnas, & in hoc casu interrogatus includeret etiam venditores vini Clericorum, vel si præciperet venditores vini non posse illud vendere nisi in quarta domo distante ab Ecclesia. quæritur an hęc statuta sint contra immunitatem Ecclesiasticam? & affirmatiuam sententiam teneo.

Verùm vt veritas elucescat, suppono primò, quod dicitur statutum contra immunitatem Ecclesiasticam, siue indirectè, siue directè id fiat, ex cap. statutum, de hæret. in 6. siue expressè, siue tacitè, ex capit. Clericis. §. nos igitur, de immunit. Eccles. in 6. & etiamsi non loquatur de personis Ecclesiasticis; & ita docet Valenzuela in defens. cens. Pauli V. p. 3. num. 123. Maynardus de priuileg. Eccles. art. 22. num. 20. & 70. Mandellius vol. 2. consil. 8. num. 3. Marta de iurisdict. parte 4. cent. 1. cas. 62. num. 9. Duardus in

dus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 19. nu. 2. Fagnanus in tract. de validitate cens. Pauli V. parte 3. fol. 39. Guevara in propugn. libert. Eccles. assert. 1. §. 5. num. 36. & Surdus consil. 301. nu. 77. & alij.

Suppono secundò Clericos non esse exemptos à legibus ciuilibus quatenus cum libertate Ecclesiastica non repugnant, vt sunt leges circa pretia rerum, mensuras vendendi, & similia, & ideo Villalobos in summ. tom. 1. tract. 2. diffic. 31. num. 1. sic ait: [Los Ecclesiasticos todos estan obligados à las leyes ciuiles que pertenecen a buena gouernacion y paz de la Republica como son la tassa del trigo y otras cosas semejantes . el fundamento desta conclusion es que los tales tambien sun vecinos como los demas y aunque sean esentos de la iurisdicion nolo han de ser en las demas cosas que les pertenecen como a miembro de la Republica. mas hase de aduertir que los Ecclesiasticos no estan sujetos a las dichas leyes quoad vim coactiuam, si no solo quoad vim directiuam, porque esta obligacion no nace de obediencia que deuan a los seglares como a Superiores sino porque de derecho natural se deuen conformar con los demas pues son tambie miembros de la mesma Republica de lo qual se infiere que no estan obligados a las penas que las tales leyes les ponen; porque si las penas sun ipso facto no les pueden obligar porque no son de Superior y se las ha de poner el Iuez, que no se les ha de poner el Iuez seglar que los Ecclesiasticos que delinquen con tra las leyes seglares, si no a su Iuez Ecclesiastico el qual no esta obligado a poner la mesma pena de la ley sino que podra poner pena arbitraria qual conuenga y se le pareciere conueniente podra poner la mesma que la ley pone.] Ita ille, & ego ipse part. 5. tract. 2. resol. 7. & me citato, nouissimè Paulus Squillante de priuileg. Cler. cap. 8. num. 89. & Doctores communiter, quos ego in dicta resolut. citaui: vbi cum Vasquez & Salas docui iudicem Ecclesiasticum non debere Clericis violantibus leges ciuiles eandem pœnam infligere, quæ laicis statuta est. Imò Surdus consil. 301. num. 38. qui citat Sotum, putat in tali casu iudicem Ecclesiasticum non debere eas punire pœna temporali, si lex Ecclesiastica non accessit. Vnde Nauarrus cap. 13. n. 88. & alij asserunt, quod in his casibus benefaceret iudex Ecclesiasticus, si sæculares iudices suis edictis iuuaret, & tunc Ecclesiastici possint puniri pœna temporali.

His suppositis, assero bannum emanatum esse contra immunitatem Ecclesiasticam, quòd vnico argumento ita euidenter probo. Clerici licèt teneantur obseruare leges iustas laicorum, tamen non tenentur ad pœnas impositas contrauenientibus supradictis legibus; sed per dictum bannum indirectè Clerici coguntur soluere dictas pœnas, ergo bannum est contra immunitatem Ecclesiasticam. Maior propositio huius argumenti satis suprà probata est. Minor verò clarè patet, quia stante dicto bano venditores vini debent fideiussionem præbere ad soluendas pœnas, si ad illas damnandi sunt; ergo si Clerici vinum vendere volunt, nunquam venditores laicos inuenient, si prius non fecerint eos indemnes de omnibus pœnis, quæ ex venditione dicti vini erunt soluendæ, & sic Clericus indirectè erit obnoxius solutioni pœnæ impositæ legi laicali, vel imponendæ à iudice laico, ad quam nullo iure tenebatur. Nec valet dicere quòd hoc procedit etiam cum laico domino vini. nam respondeo in hoc banno laicis non fieri iniuriam, neque iniustitiam, quia ipsi de iure in omni euentu tenentur ad pœnam impositam, vel imponendam à iudice laico; secus autem est, vt probauimus, in Clericis. Vnde apparet intentionem statuentium in hac ordinatione aliam non fuisse, quàm indirectè pœnam à Clericis exigere, quàm directè non poterant, cum nisi cæcutientibus non pateat Clericos ex hoc banno minimè posse in posterum venditores vini inuenire, nisi velint pro dictis venditoribus Clerici ipsi in casibus contingentibus pœnas à iudice laico damnatas soluere. & ideo apertè apparet, vt dixi suprà, dictum bannum indirectè lædere immunitatem Ecclesiasticam, licèt loquatur cum laicis. Sed statutum non attenditur eum quo loquatur, sed in quem sermonis effectus dirigatur. Vnde licèt aliquod statutum quoad verba non videretur infringere libertatem Ecclesiasticam, cum præcipiat subditis, vt apparet in casu nostro; tamen quoad mentem est contra libertatem Ecclesiasticam faciendo fraudem de persona ad personam, vt optimè notat glossa in cap. final. de immunitate Eccles. in 6. verb. libertatis, & ibi Ioann. Andreas, Ancharanus & Geminianus num. 5. & idem Ancharanus consil. 111. num. 7. Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. numer. 27. & 31. Alba consil. 8. numer. 13. cum seq. & sub numer. 20. & alij, quos citat & sequitur Vgolinus in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini cap. 6. numero 8. Collegium Bononiense in respons. pro libertate Eccles. num. 14. & Maynardus de priuileg. Eccles. art. 22. nu. 66. & ideo asseruit P. Suarez quòd dum disponitur circa personas laicas, & ordinatur grauamen ad Clericos, statutum est contra libertatem Ecclesiasticam. Ita ille ad Regem Angliæ libro 4. capit. 33. numero sexto, sed hoc accidit in casu nostro, ergo, & cæter.

Secundò probatur, hoc statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam, quia quando per aliquod statutum laici non possunt habere liberam contractationem & commercium cum Clericis, libertas Ecclesiastica arctatur, & adstringitur. Nam Ecclesia habet liberam facultatem, vt laici possint liberè cum ea contrahere & commercium habere. Sed in nostro casu laici non liberè possunt contrahere cum Clericis, nam arctantur, vt si velint vinum eorum vendere, præstent prius fideiussionem, ergo clarum est ex hoc capite statutum istud esse etiam contra libertatem Ecclesiasticam. Cùm igitur Clerici de iure communi possint contrahere liberè cum laicis quibuscumque, nec vendentes eorum vinum de iure communi teneantur aliquam fideiussionem soluere; ergo si statutum hoc addat, dicitur contra libertatem Ecclesiæ, cui datum est, vt contrahat cum quocumque, nec contrahens cum ea grauetur aliquo onere. Dicant ergo Clerici, Tolle statutum, & si venditores vini tenentur fideiussionem præstare, compelle eos ad præstandum; sin minus, ne ius nostrum auferas liberè contrahendi cum omnibus, sine aliquo onere, nostra enim interest habere venditores vini sine obligatione præstandi fideiussionem, quod euidenter patet, nam ex isto statuto Clerici, vt sæpius dictum est, non inuenient in posterum venditores vini; quis enim præstabit dictam fideiussionem?

Dicendum igitur absolutè quòd onus, quod non potest imponi Clericis, non potest imponi contrahentibus cum eis, & hæc omnia supradicta docet Laderchius consil. 103. numer. 5. & 9. Mandellus consil. 8. num. 16. 17. & 18. Aponte in respons. ad cens. Pauli V. fol. mihi 82. & alij penes ipsos, quæ valdè notanda sunt ad adducendam potissimam rationem, quare gabella imposita super emptore sit contra libertatem Ecclesiasticam, non tantum eo, quia pet onus gabellæ vilius venderent Clerici res suas, sed quia, vt dictum est, de iure possunt contrahere cum laicis liberè, & sine aliqua conditione & onere, nec ementes ab eis tenentur soluere gabellam. ergo si statutum hoc addat, lædit libertatem Ecclesiæ cui competit contrahere cum quocumque, nec contrahens cum ea quicquam soluere. quod est valdè notandum contra illos, qui putant gabellam positam super emptore non esse contra libertatem Ecclesiasticam quando pretium rei est impositum à lege, quod consistendo in indiuisibili non potest à contrahentibus alterari, & sic Clerici non vilius vendent res suas, quia dato, & non concesso, quod ita eueniet, dico adhuc gabellam esse contra libertatem Ecclesiasticam, qui onerat laicus cum quo Ecclesia de iure sine vllo onere antea poterat contrahere, quod non parum ei expediebat & vtile erat, quòd à fortiori in casu nostro accidit, nam, vt dictum est prius, Clerici inueniebant venditores vini sine vlla difficultate, imò rogati, quia nullum onus erat eis impositum; nunc verò ex isto statuto manifestum est, quòd non inuenient propter onus eis impositum de fideiussione præstanda: vide ergo, quæso, si ex hoc læditur libertas Ecclesiastica?

Restat modò discutere secundum punctum, nempe venditores vini non posse illud vendere, nisi in quarta domo ab Ecclesia distante; & hoc etiam esse contra libertatem Ecclesiasticam patet, quia statutum prohibens, vel præcipiens personis Ecclesiasticis id, quod eis nec diuino, nec humano iure præceptum, vel prohibitum est, erit contra libertatem Ecclesiasticam vt docet Felinus in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. numer. 72. & 73. quem citat & sequitur Zechius de republ. Eccles. tit. de Clericis, fol. mihi 410. Laderchius conf. 103. numer. 1. Annibaldus in addit. ad Mandellum, conf. 8. lit. H. Sousa in Bull. Cœn. cap. 16. disp. 84. concl. 3. Sayrus de censur. lib. 4. cap. 19. num. 9. §. sic etiam. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 10. nu. 270. §. tertiò ea. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 23. nu. 358. §. tenendum est tertiò, Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. conf. 15. q. 19. n. 1. & alij. Sed de iure communi non est prohibitum Clericis vendere vinum in taberna posita in domibus Ecclesiæ, imò hoc facere eis concedūt,

Geminianus & Franchus in capit. vnic. de vita & honest. Cler. in 6. Lambertinus de iure patronat. lib. 2. part... art. 26. q. 9. nu. 4. Genuens. in praxi Archiep. cap. 62. num. 7. & Prosper Augustin. in addit. ad summ. Quatantæ, verb. vectigal. & tamen per hoc bannum arctantur vendere illud alio loco cum interesse. ergo hoc bannum erit contra libertatem Ecclesiasticam, quia cum eorum detrimento imponitur Clericis onus quod de iure eis non est impositum. Nec valet dicere quòd interesse Ecclesiasticorum in hoc seruando statuto erit modicum, nam respondeo quod siue magna, siue modica sit læsio Ecclesiæ, non sustinetur. Ita Collegium Bononiense in respons. pro libert. Ecclesf. num. 40. Surdus volum. 3. consil. 358. num. 20. & 27. Lupus de libert. Ecclesf. part. 1. quæst. 8. num. 2. Adde quòd Bonacina in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 16. sect. 2. punct. 2. num. 11. asserit, statutum quo decernitur, vt Clerici etiam teneantur aliquam formam, vel aliud onus seruare, in contractu venditionis esse contra libertatem Ecclesiasticam. Sed hoc accidit in casu nostro, nam præscribitur Clericis forma vendendi eorum vinum, nempe in quarta domo distante ab Ecclesia, cum onere locandi dictam tabernam; ergo hoc bannum est contra libertatem Ecclesiasticam.

Deinde statutum quo Ecclesiastici efficiuntur peioris conditionis, quàm laici, est contra immunitatem Ecclesiasticam. Ita DD. citati, & Gueuara in propugn. libert. Ecclesiast. assert. 1. §. 5. num. 42. Valenzuela in defens. cens. Pauli V. part. 3. nu. 168. Riccius in praxi tom. 3. resolut. 207. num. 7. cum Megala in 3. p. lib. 3. cap. 10. quæst. 1. nu. 51 & alij communiter. Sed ex hoc banno Ecclesiastici efficiuntur peioris conditionis, quàm laici; ergo. Probo minorem, quia Regularibus, v. g. ex hoc banno semper opus erit conducere tabernas alienas ad vendendū vinum; cùm præcipiatur in ipso banno vendi in quarta domo distante ab Ecclesia, quod laicis non accidet, sed in propria domo sine conductione aliæ apothecæ suum vinum venale semper habebunt, cùm non habirent in Ecclesijs vt Regulares. Vnde manifeste apparet hoc bannum contra Regulares promulgatum fuisse, & in hoc esse peioris conditionis quam laici. Deinde multum interest habere tabernam vini coniunctam cum propria domo, vt ipsimet laici confitentur, quod beneficium Ecclesiastici ex hoc bāno non habebunt, sed solum laici, & tamen iura clamant esse magis Clericis fauendum, quàm laicis. l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer. ergo, &c.

Restat modò respondere ad aliqua argumenta, quæ aduersùs supradicta adduci possunt. Primò, quòd ista statuta dirigūtur ad venditores vini laicos subiectos Principibus sæcularibus. Respondeo quod cùm sit concessum Clericis vendere vinum non per se, sed per suos famulos, vt tradit Genuensis in praxi Archiepisc. capit. 62. num. 7. Prosper de Augustin. in addit. ad sum. Quatanta ver. vectigal. Squillante de priuileg. Cleric. capit. 8. num. 38. & alij, quidquid disponitur circa tales, redundans in damnum Clericorum, est contra libertatem Ecclesiasticam, & censetur dispositum contra Clericos, vt patet apud Surdum consil. 301. num. 74. & alios DD. communiter. Vnde licet hoc statutum cum laicis loquatur, effectus sermonis dirigitur in Clericos, quod supra probauimus, & diximus esse contra immunitatem Ecclesiasticam, & tradunt etiam Parisius consil. 27. vol. 2. num. 63. Rimioaldus senior consil. 268. num. 32. vol. 2. & Laderchius consil. 103. num. 9. Nam Clerici non inueniendo famulos propter onus fideiussionis præstandæ erunt astricti vel vinum non vendere, vel dictos famulos indemnes seruare. Vnde cùm laici directè pęnas à Clericis exigere prius minimè poterant, per hoc statutum indirectè illas exigent. Adde his omnibus, quòd vt suprà satis probatum est, eo ipso quod contrahentes cum Clericis grauentur aliquo onere, læditur libertas Ecclesiastica; sed hoc accidit in casu nostro: ergo, &c.

Secundò non valet dicere, quod quando statutum non prohibet absolutè seruitium fieri Clericis, sed permittit cum certa forma & modo, vt est in casu nostro, non est contra libertatem Ecclesiasticam, vt docet Natta lib. 2. consil. 280. num. 4. & ideo statutū vt custodes animalium soluant pœnam pro damno dato, ligat etiam custodes animalium Clericorum, vt docet Maccabruus consil. 18. num. 17. Nam respondeo quòd opinio Nattæ non est amplectenda, & illam in specie reprobat Carolus de Grassis de effectibus clericatus, effect. 2. num. 359. quia per indirectum lædit Clericos, vt apertè apparet in casu nostro. Adde quòd suprà satis probatum est, quod eo ipso quòd laici contrahentes cum Clericis grauantur aliquo onere, læditur Ecclesiastica immunitas, maximè quando tale onus redundat in damnum Clericorum, vt est in casu nostro: ergo, &c. Ad exemplum autem de custodibus animaliū dico, quòd procedit quando dominus pascuorum, antequam intrassent animalia Clericorum, expressè prohibuisset custodes, nam tunc intrantes post prohibitionem in specie tenerentur, per text. in l. diuus. ff. de seruit. rusticor. prædior. secus autem si prohibuisset in genere per banni emanationem, vt efficitur in casu nostro; quoniam famuli & coloni Ecclesiæ non alligantur statutis, & edictis laicorum, siue specialiter, siue generaliter de illis disponant, & ita docet noster doctus P. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. consil. 15. q. 27. num. 6. Marta de iurisdict. p. 4. cas. 8. nu. 14. Surdus cons. 301. nu. 74. & alij.

Tertiò iam suprà probatum est, Ecclesiasticos, si non vi coactiua, saltem directiua, teneri seruare leges latas propter bonum commune: sed istud statutum tale est; ergo vi directiua obligabit Ecclesiasticos. Respondeo hanc doctrinam esse veram quando dicta statuta, seu leges editæ in bonum publicum, neque directè, neque indirectè lædunt libertatem Ecclesiasticam, vel aliqua iura Clericorum, quod non accidit in casu nostro, vt suprà satis probatum est. Ita D. Franc. Aponte in respons. de cens. Pauli V. fol. mihi 75. Collegium Bononiense in respons. pro libert. Ecclesiast. contra Venetos nu. 24. Molina de iustitia & iure tom. 1. tract. 2. disp. 31. n. 15. Squillante de priuileg. Cleric. c. 7. dub. 3. nu. 94. & hæc dicta sufficiant circa hanc quæstionem, Saluo semper, &c.

An iudex Ecclesiasticus possit acquirere iurisdictionem in laicos ex consuetudine, vel præscriptione?

RESOL. LIII.

Affirmatiuè respondeo per ea, quæ adducunt communiter Doctores in cap. cùm contingat, de foro compet. cap. licet ex suscepto, eodem tit. & l. 3. Co. de amancip. liber. Idem etiam docet Cardinalis Tuscus tom. 5. conclus. 545. num. 9. Iason & Zasius in l. more, ff. de iurisdict. omn. iudic. & Mynsingerius consil. 17. asserentes merum & mixtum imperium præscribi posse, adeò vt iudex Ecclesiasticus iurisdictionem sæcularem facilè præscribere possit, licet non è conuerso, ex cap. significauerunt, vbi Aretinus in 2. notab. & Felinus num. 3. de iudic. eiusmodi quæ iurisdictio per præscriptionem acquisita non cumulatiuè, sed priuatiuè censetur adepta; perinde atque si contractu esset acquisita, cum præscriptio æquiparetur pacto, siue contractui & hæc omnia docet Ioannes Cochier in vindicijs libertatis Ecclesiasticæ par. 1. cap. 30. num 7. & cap. 26. nu. 1. & 2. vbi etiam num. 2. docet valere consuetudinem, vt laicus possit indistinctè coram Ecclesiastico conueniri. ex c. si Clericus laicum, cap. licet ex suscepto, de foro compet. Franchus in cap. si duobus. §. denique, nu. 3. de appellat. & alijs. Nec aduersus supradicta admittenda est limitatio aliquorum asserentium tunc est vera, quando datur scientia Principis, adeò vt non sufficiat scientia officialium, vt tradit Castaldus tract. de imper. quæst. 54. num. 20. Capycius decis. 57. Petra de fideicommiss. q. 12. nu. 298. Decius consil. 307. num. 9. & alij, nam respondetur id verum esse respectu subditorum, & vasallorum, qui aduersùs superiorem præscribere non possunt, non autem respectu Ecclesiasticorum, per ea, quæ adducit Abbas, Felinus, & alijs in cap. cum nobis, de præscrip. & in cap. per venerabilem qui filij sint legitimi & ita docet idem Cochier vbi supra c. 3. n. 3.

Coram quo facienda sit appellatio, quando causa decisa fuit per duos iudices, vnum laicum, & alium Ecclesiasticum?

RESOL. LIV.

Respondeo faciendam esse coram Iudice Ecclesiastico, quia dignior trahit ad se minus dignum, & cum in dicta appellatione agatur de actu ipsorum iudicum arbitrorum, quorum iudex non potest esse laicus, dicendum est appellationem interponendam esse coram Ecclesiastico, & ita docet Felinus in cap. 1. de præscript. nu. 6. Ambrosinus de immunit. cap. 20. nu. 6. Bonacina in Bulla Cœn. disp. 1. quæst. 16. punct. 3. nu. 20. quidquid in contrarium asserat Couuar. lib. 1. variar. cap. 12.

Quando

Quando statuta laicorum sunt contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LV.

PRimò, quando Ecclesia & personæ Ecclesiasticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, aut facultatibus à iure communi sibi concessis. Ita Felinus in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. num. 111. & ibi Imola, & Butrius, Alexander libr. 1. consil. 121. & lib. 2. consil. 208. Tuschus tom. 5. concl. 342. nu. 13. 19. & 137. & probatur ex d. c. Ecclesia S. Mariæ, 4. de priuileg. c. fin. de immunitate Eccles. in 6.

Secundò, quando diminuuntur, vel tolluntur priuilegia Ecclesijs, & Clericis concessa à Deo, summis Pontificibus, aut alijs Principibus sæcularibus. Ita Cynus, & Salicetus in Authent. cassa, & irrita. Baldus in l. cunctos populos. Imola in cap. nouit, de iudicijs, num. 2. Abbas num. 2. Alexander libr. 1. consil. 209. nu. 3.

Tertiò, quando Clerici & Ecclesiasticæ personæ efficiuntur timidiores. Ita Angelus de Perusio in l. 1. §. quæ onerandæ, ff. quarum rerum, & Bartolus ibi cum DD. in c. Ecclesia, & Cardinalis Tuscus to. 5. concl. 342. nu. 39.

Quartò, quando Clerici efficerentur deterioris conditionis quàm laici. Ita Felinus in dicto cap. Ecclesia, num. 111. Pechius de amortizat. cap. 6. Zabarella in cap. peruenit, de immunit. nu. 13. & probatur ex cap. quanto, de priuileg. & ex cap. fin. de immunitate Eccles. in 6.

Et quintò, illa statuta sunt contra libertatem Ecclesiasticam, quæ sunt apta afferre Ecclesijs & Ecclesiasticis personis semper incommodum, vt notat Felinus in d. cap. Ecclesia, num. 69. etiamsi indirectè noceant Ecclesijs, quamuis dispositio & statutum non disponat super illis, super quibus Ecclesia haberet special ia priuilegia, vt patet ex c. quanto 26. de priuilegijs, & probat Felinus vbi suprà. n. 104. & Tuschus n. 140.

Sunt etiam præter prædicta, aliqua statuta contra immunitatem, de quibus supradictum est, vnde infertur cum Angelo de Perusio consil. 48. Felino in d. cap. Ecclesia, num. 148. Lapo allegat. 92. & Pechio de amortizat. c. 6. quam periculosa sit hęc materia statutorum, ne lædant immunitatem Ecclesiasticam: vnde aduertant Confessarij, vt ab huiusmodi statutis ferendis pœnitentes deterreant.

An iudex Ecclesiasticus sit competens ad cognoscendum laicum pro re, quam in emphyteusim tenet ab Ecclesia?

RESOL. LVI.

DE hac re alibi dictum est, & affirmatiuam sententiam docui, quam nouissimè tenuit sacra Rota Rom. die 28. Maij 1631. coram Illustrissimo & Doctissimo Merlino, Domino meo amantissimo, cuius decisionem ponit per extēsum Antonius de Matinis quotid. resol. cap. 107. nu. 4. & seq. & quia in dicta decis. firmantur multæ conclusiones pro immunitate Ecclesiastica ex sacris Canonibus & Doctoribus, non grauabor illas hic apponere.

Prima, licèt iuspatronatus laicorum non sit propriè spirituale, attamen quia est annexum spiritualitati, ideò super illo iudicat solum iudex Ecclesiasticus.

Secunda, possessio rei spiritualis licèt sit merè temporalis & laicalis, attamen etiam de possessione solùm cognoscit iudex Ecclesiasticus, quemadmodum de ipsa proprietate, non autem laicus, cùm qualitas spiritualitatis qualitatem temporalitatis absorbeat.

Tertia, causa decimarum licèt in feudum datarum sæcularibus discutienda est coram iudice Ecclesiastico; licet enim dominium huiusmodi decimarum, scilicet fructuum illorum, omninò spectet ad laicos, & feudum censeatur à sæculare, tamen quia oritur & dependet à iure spirituali & Ecclesiastico, non potest iudex laicus de illis cognoscere.

Quarta, possessorium matrimonij quamuis agatur inter personas mere laicas, tamen quia habet admixtam causam & titulum spiritualitatis, definiendum est à iudice Ecclesiastico.

Quinta, ratione connexitatis dominij vtilis cum directo emphyteutas Ecclesiæ non teneri ad collectas & onera realia per statuta laicorum super rebus & bonis imposita, censuerunt grauissimi authores, & hæc omnia, vt dixi, firmantur in dicta decis. sacræ Rotæ ex iure & authoritate Doctorum, quam in casibus occurrentibus omninò videndam esse puto.

Notandum est etiam hic obiter cum D. Antonio de Matinis vbi suprà cap. 206. per totum, iudicem laicum non esse competentem ad cogendum Clericum pro restitutione pecuniæ illi liberatæ cum cautione de restituendo, dum creditor anterior compatuerit, sed in tali casu adeundum esse iudicem Ecclesiasticum, omnino dicendum est.

An leges amortizationis sint contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LVII.

DE hac materia tractatum est in p. 1. tt. 2. resol. 103. & in 3. p. tr. 1. res. 14. vbi damnaui supradictas leges, in quibus bona stabilia prohibentur alienari in manum mortuam absque Principis licentia & certa pecunia soluta.

Sed quia cum quodam Iurisconsulto olim mihi fuit magna controuersia super hac quæstione, præter Doctores quos in dictis locis adduxi, nunc alios adducam. Et ideo Theologi Religionis Seruorum in defens. censurat. Pauli V. cap. 7. ad argum. 8. sic asserunt [Il costume dell'amortizatione douunque si vsi è corrutela, e perciò non può seruire per ragione, e per proua.] Ioan. Franciscus Fagnanus in respons. pro cens. Pauli V. fol. mihi 82. amortizationem Ecclesiasticæ libertati aduersam esse, nulloque iure defendi, aut sustineri posse arbitror. Et nouissimè hanc opinionem tenet Ioan. Cochier in vindicijs libertatis Eccles. part. 1. cap. 11. per totum, vbi num. 6. obseruat Carolum II. Siciliæ Regem similem legem reuocasse, satisque esse arbitratus est, si bona immobilia cum onere suo ad Ecclesiam transirent; & ratio nostræ sententiæ est, quia Constantinus Magnus liberum cuique decedenti fecerit arbitrium Ecclesijs, quæ vellet relinquendi, vt patet ex l. 1. C. de sacros. Eccles. vide etiam c. 1. & cap. fin. de immunit. Eccles. in 6. Bartolum, Alexandrum, Ruinum, Iasonem & alios in l. 1. de sacros. Eccles. cæteras rationes adducit Cochier loc. cit.

Dicendum est igitur quod libertas Ecclesiastica violatur ob necessitatem petendæ amortizationis, quod verum esse puto stando in iure communi; secus autem si hoc efficeretur, aliquo Regno ex priuilegio Summi Pontificis, vel ex tolerantia approbatiua, quæ quidem si adsint, videbunt illi ad quos spectat.

An iudex laicus possit cognoscere de crimine hęresis, quando agitur de quęstione facti.

RESOL. LVIII.

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Seraph. Freitas in 3. edit. de Confessar. folic. quæst. 5. num. 80. quia quæstio facti criminis hæreseos non est magis spiritualis, quam quæstio facti aliorum spiritualium, de quibus sæcularis cognoscit, prout est beneficialis causa & matrimonialis, & similes, de quibus multa exempla inuenies apud Peregrinum de manu Regia part. 2. cap. 50. nu. 16. cap. 29. nu. 4. cap. 63. num. 18. & 19. c. 74. nu. 4. cap. 43. num. 4. c. 44. num. 14. & cap. 52. num. 41. & confirmatur, quia cognitio de quæstione facti non est propriè cognitio de crimine.

Sed hanc opinionem ego reprobaui cum multis DD. in part. 3. tract. 1. resol. 2. & nunc iterum reprobo cum Barbosa in l. Titia 55. ff. soluto matrim. num. 85. tom. 2. & Mouta de Insal. sect. 3. cap. 1. num. 34. dico enim quod licet iudices sæculares de crimine hæresis olim poterant cognoscere, vt patet ex §. si verò, in Authent. de sanct. Episcop. & ex l. 2. §. fin. Cod. de summa Trinit. & l. quicumque, §. vlt. C. de hæret. Verùm hoc illis prohibetur iure Canonico sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, vt patet in cap. ex inquisitionis officio. § prohibemus, de hæret. in 6. vbi sic habetur, Prohibemus quoque districtius Potestatibus, Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorumque officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cum merè sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscant & iudicent. In quibus verbis notandū est illud verbū quoquo modo, quod omnem

tudines contra libertatem Ecclesiasticam, quas communiter improbant Doctores, essent admittendæ, quia probarēt, vt docet Pereira, priuilegium; sed hoc dicere est absurdum vt patet omnibus: ergo dicēdum est vltra immemorialem vsum, requiri etiam famam priuilegij, vt tales consuetudines excusent ab incursione censurarum, eo pacto quo docet P. Suarez contra Regem Angliæ, libr. 4. cap. 34. n. 17. vbi contra opinionem Pereiræ sic asserit. Quæri potest, an immemorabilis consuetudo sit sufficiens indicium, seu testimonium, quòd ex legitimo priuilegio inchoata fuerit; videtur enim valdè probabile ita esse præsumendum, quia immemorialis consuetudo præsumitur honesta, vt multi Iurisperiti tradiderunt, quia cum non possit probari mala, præsumitur bona. Nihilominus censeo solam, & nudam consuetudinem, etiam immemorialem, non sufficere in hac materia ad probandum priuilegium; tum, quia illa regula non procedit in consuetudine reprobata per legem, tum etiā quia valdè odiosum est priuilegium hoc, & difficile, & rarò cōceditur, & ideò nisi legitimè probetur, nō præsumitur, solus ergo vsus quantumuis antiquus, cùm in facto consistat, non probat sufficienter ius, seu priuilegium. Loquor autem de nuda & pura consuetudine, quia si cum illa coniungatur constans fama & traditio ęquè antiqua, seu immemorialis, quòd pręcesserit priuilegium, & talis traditio integrè probetur, videtur sufficiens vt talis consuetudo pro priuilegio reputetur. Ita Suarez & ante illum Stephanus Aufrerius tract. de potest. sæcul. in Eccles. conclus. 4. fallent. 12. & 13. & Bursatus lib. 2. consil. 44. num. 12. licèt Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 19. qu. 9. nu. 15. doceat, quòd quando præscriptio & Consuetudo à iure scripto reprobatur, vt, v.g. Clerici conueniantur coram iudice laico, &c. satis non est probatio priuilegii per famam.

Sed difficultas est, an consuetudo etiam fundata in priuilegio trahendi causas Ecclesiasticas ad laica tribunalia, sit reuocata per Bullam Cœnę. Ad hoc dubium affirmatiuè respondet Bonacina in Bulla. Cœn. disput. 1. q. 15 punct. 4. §. 3. nu. 1. vbi sic ait. Vel consuetudo nititur priuilegio, vel nullo priuilegio fulcitur: si nullo priuilegio fulcitur, nullum ius confert, vt probatum est, si nititur priuilegio, adhuc non potest vtentibus suffragari, quando enim consuetudo, licèt immemorabilis, fundatur in priuilegio, non plus operatur, quàm ipsum priuilegium, cùm vires ex eo accipiat, vt patet ex l. hoc iure. §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana, & ex cap. super quibusdam, §. præterea, de verbor. significat. Cùm ergo priuilegium in hac Bulla sublatum sit, sequitur iudices laicos, causas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahentes, vel illatum executionem impedientes, à peccato & à censura non excusari titulo consuetudinis. Ita Bonacina.

Verùm hæc quæstio pendet ex illa, quam tradidimus in p. 1. tract. 2. resol. 6. an sc. Bulla Cœnæ deroget priuilegijs, si reuera existent, quando sunt contra immunitatem Ecclesiasticam? Et pro affirmatiua & negatiua sententia multos Doctores adduxi, ideo quæstio est difficillima, maximè cum reuocatio priuilegiorum in dicta Bulla generalissima sit, vt legenti patet.

An in donatione facta Ecclesijs requiratur insinuatio.

RESOL. LXIII.

AD hoc dubium negatiuè respondet Aponte in responso super censura Veneta fol. mihi 99. vbi sic ait. Libertatem Ecclesiasticam tantùm iura custodierunt, quòd licèt alias de iure communi per leges Imperatorum etiam in donationibus factis Ecclesię vltra summam quingentorum aureorum requirebatur insinuatio, de quo in l. illud C. de sacrosanct. Eccles. in l. sancimus Cod. de donation. quæ est solennitas, quæ passim & indirectè absque aliqua difficultate interponitur, cum non consistat in alio, quam in registratione penes acta coram iudice interponente super donatione suam auctoritatem, secundùm glossam in §. illud, ver. gesta, in Authent. vt non fiant pignor: quæ solemnitas introducta est in fauorem donationum, vt nullo vnquam futuro tempore de illarum firmitate & validitate posset dubitari. Et tamen in donationibus factis Ecclesiæ, non obstantibus legibus Imperatorum, non requiritur hodie insinuatio, vt docet Hostiensis, & Io. Andreas in c. final. de fide instrum. hæc omnia Aponte vbi supra, & Doctores communiter, inspecta Ecclesiarum libertate, quæ non subiacet authoritati sæculari, quia quodammodo ex hoc esset impedita liberam dispositionem à iure proditam in contractione & acquisitione inter laicos & Clericos, quæ latius tradit & firmat Vitalis in tract. clausular. in cap. an legibus insinuat, exig. post renunt. n. 105.

An Ecclesiasticus sit iudex, quando incidit quæstio cuius sit iurisdictio.

RESOL. LXIV.

REspondeo affirmatiuè cum Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 52. num. 2. & dub. 55, numer. 31. Guttierrez practic. quæst. lib. 1. qu. 6. nu. 2. & Io. Francisco Fagnano in respons. pro censuris Pauli. V. part. 4. fol. 121. vbi sic ait, Horum omnium articulorum definitionem non ad sæcularem iudicem, sed ad Ecclesiasticum spectat, nam vbi quęstio incidit cuius sit iurisdictio, iudex maior cognoscit, vt patet in cap. si iudex, de sent. excommunic. in 6. & docet Ripa in cap. decernimus. post num. 4. de iudic. Alexander consil. 8. col. 3. lib. 1. Felinus & Decius in capit. pastoralis, in princip. de rescript. Couarruuias, qui testatur ita in Hispania seruari, cap. 33. practic. quæst. numero. 1. & alij.

An Clericus possit reconueniri coram iudice laico de re, qua non habet connexitatem cum petitione.

RESOL. LXV.

AFfirmatiuam sententiam defendere videtur Viuius decis. 49. num. 6 tom. 1 sed contrarium omninò tenendum est, per ea quæ asserunt Antonius Ripol. de iurisd. omn. iud. cap. 1. n. 125. & Antonius Thesaurus li. 1. q. forens. q. 98. Vnde si Clericus petat à laico centum ex causa mutui, & ille reconueniat Clericum, & petat commodatum, hoc casu cum diuersæ sint causæ diuidendæ erunt, & Clericus ratione reconuentionis erit ad iudicem Ecclesiasticum remittendus.

Notandum est hic obiter etiam in multis alijs casibus Clericum coram iudice laico reconueniri non posse, nempè si reconuentio oriatur ex causa criminali, etiamsi ciuiliter fuerit intentata, vel si reconuentio de re spirituali, vel connexa spirituali, vel propter quam Clericus possit incarcerari, vel si lis contra Clericum fuerit affectatè procurata per laicum sub spe & intentione reconueniendi Clericum. Vide citatos DD.

Notandum est etiam secundò quòd licèt Clericus possit à laico reconueniri tamen ista reconuentio debet fieri in principio litis, vel statim post contestationem litis, cùm enim causæ conuentionis & reconuentionis simul tractandæ sunt, necesse est reconuentionem fieri ante litis contestationem, vel in ipsa contestatione, vel statim post litis contestationem. Ita Bonacina vbi infrà, cum multis alijs contra Carolum de Grassis effect. 1. n. 763. & alios.

Notandum est etiam tertiò quòd licèt Clericus possit à laico reconueniri, & teneatur stare sentētiæ, nihilominus secuta sententia non poterit à laico iudice cogi ad soluendum, quia coactio supponit iurisdictionem: iudex autem laicus non habet iurisdictionem in Clericum præcisa occasione reconuentionis ergo, &c. & ita docet Bonacina in Bull. Cœn. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 4. §. 6. n. 8. & alii penes ipsum, quibus adde Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 11. n. 66.

An Clericus sit conueniendus in curia sæculari pro debitis Regalibus.

RESOL. LXVI.

AFfirmatiuè respondet Antonius Ripol de iurisdict. omn. iudic. c. 1. ou. 17. & 182. vbi sic ait, Clericus ratione solutionis census qui Domino Regi est soluendus, conuenitur in curia sæculari, & non obstāte quòd firmauerit ius in curia Ecclesiastica, solet declarari non esse locū firmæ iuris in dicta curia Ecclesiastica factæ, & non solùm Dominus Rex attrahit ad suum forum personas Ecclesiasticas quæ sibi soluunt annuas præstationes & debita, verùm etiā & arrendatores iurium Regiorum habent eamdem prærogatiuam trahendi personas Ecclesiasticas ad iudicium sæculare. Ita ille, & alij.

Sed ego inuenio apud sacros Canones simpliciter & absolutè

lutè Clericos etiam in causis ciuilibus exemptos esse à iudice sæculari in quocumque negotio. & ideò in cap. nullus Clericus 11. quæst. 1. dicitur, Omne negotium Clericorum in Episcopi sui, &c. Ergo si Summus Pontifex asserit, quòd omne negotium Clerici agendum est coram Episcopo, agendum erit coram illo etiam negotium Clerici debitoris Regis: & in Concil. Triden. sess. 14. de reformat. cap. 20. sic habetur. Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoscantur; sed causa Clerici debitoris Regis pertinet ad forum Ecclesiasticum, cum Clericus in ciuilibus gaudeat priuilegio fori. vt patet in cap. nullus Episcopus, ibi, *neque pro ciuili causa*, &c. ergo dicta causa per Tridentinum cognoscenda erit coram locorum ordinarijs. Deinde iura declarant causas in quibus Clerici pro ciuilibus possunt conueniri coram iudice sæculari, vt patet ex cap. transmissa, &c. vtrùm de foro compet. Sed inter dictas causas non inuenitur causa Clerici debitoris Regis: ergo, &c. At his non obstantibus asserunt aliqui bona regalia quando conceduntur Clericis, sub hac conditione concessa censentur nam talis conditio non est per se mala, & voluntariè potuit apponi, & ideò seruanda erit, ex cap. verùm, de foro compet. & ex cap. verùm de condit. appos. & ibi DD. & quia hanc opinionem admittit Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 14. n. 13. non audeo illam improbare.

An sæcularis delinquens in Ecclesia possit à Iudice Ecclesiastico puniri.

RESOL. LXVII.

Respondet negatiuè nouissimè Antonius Ripol. de iurisdict. omn. iud. cap. 1. num. 170. vbi sic ait. Si iudex Ecclesiasticus habet iurisdictionem & territorium in rebus sæcularium, poterit cognoscere de delictis commissis intra Ecclesiam per sæculares; si autem talem iurisdictionem non habet, non poterit, quia ad dominum habentem omnem iurisdictionem & imperium in oppido, pertinet cognitio & punitio delinquentis intra Ecclesiam. Ita ille, qui citat Olibanum de iure fisci c. 11. à n. 7.

Sed his non obstantibus, etiamsi delictum in Ecclesia commissum non sit Ecclesiasticum, sed sæculare, & à laicis patratum, adhuc existimo ratione loci, in quo est commissum, sortiri naturam mixti fori, & ideò in tali casu puto sæcularem iudicē & Ecclesiasticum procedere posse, datur enim locus præuentioni: vnde is delinquentem punire potest, qui in captura præuenit. Ratio est, quia is, qui in Ecclesia delinquit, sacrilegium committit, quod est crimen mixti fori, ergo, &c. & sic patet responsio ad rationem quam Ripol adducebat: & ita hanc sententiam docet Farinacius in append. de immunit. Eccles. c. 16. n. 236. & alij penes ipsum.

An occidens, vel percutiens Clericum, seu Religiosum, gaudeat immunitate Ecclesiarum.

RESOL. LXVIII.

Nouissimè negatiuam sententiam docet Ludouicus Correa in elect. de immunit. Eccles. part. 3. numero 37. quia, ait ille, crimen hoc grauissimum videtur, & Reipublicæ admodum perniciosum, ac similium, qui in cap. inter alia, de immun. Eccles. excipiuntur. Ergo etiam immunitas tale crimen facientibus denegabitur. Deinde, quia qui occidit, vel percussit Clericum, commisit sacrilegium ex specie illius commissi in Ecclesia, vtpotè personam sacram offendens; sed committens huiusmodi sacrilegium immunitate non gaudet: ergo, &c. Ita ille, & ante illum Boerius decis. 109. n. 3.

Sed ego contrariam sententiam satis firmaui in p. 1. tra. 1. resolut. 34. quia neque per sacros Canones, neque per constitut. Gregorij excipitur hoc delictū; ergo gaudere debet immunitate: vnde, me citato, nouissimè tenet etiam hanc opinionem Antonius de Marinis quotidian. resolut. cap. 170. num. 14. & de hoc non est dubitandum, stando in terminis constitut. Gregor. XIV. vide me ipsum supra, vbi respondeo ad omnia argumenta contraria.

An consuetudines laicorum, & Clericorum mixtæ sint validæ, etiam si sint contra libertatem Ecclesiasticam.

RESOL. LXIX.

Videtur affirmatiuè respondendum per ea, quæ adducunt Colleggium Bononiense in respons. pro libert. Eccles. nu. 28. Maynardus de priuileg. Eccles. p. 2. art. 22. n. 88. Surdus cons. 2. vol. 1. Tiraquellus de vtraque retract. lignag. §. 1. glo. 8. n. 173. qui hoc pacto defendunt quandam consuetudinem vt monasteria non succedant, de qua consuetudine testatur Peregrin. in tr. var. lib. 6. nu. 77. Guillelmus de Benedictis in c. Raintius, v. & vxorem, nu. 225. de testam. Boerius decis. 754. nu. 8. Rebuffus cōsil. 173. n. 11. & 12. & hoc etiam seruari Ferrariæ testatur Riminaldus consil. 85. n. 38.

Sed P. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 32. nu. 19. docet quòd cùm dicitur consuetudo mixta, posse operari in rebus, vel personis Ecclesiasticis, intelligendum est de consuetudine, quæ non præiudicat sacris Canonibus: vel si præiudicat, in illam Pontifex consentiat, saltem tacitè, vnde res est periculosa, & ideò vbi vigent tales consuetudines, videant illi, ad quos spectat an habeant supradictas conditiones.

An statutum prohibens alienationem bonorum in non subditos, sit contra immunitatem Ecclesiasticam.

RESOL. LXX.

Videtur negatiuè respondendum, quia hoc statutum, *ne liceat* alienare in non subditos, non censentur inferre non subditis iniuriam, cum à Iurisperitis communiter validum iudicetur; ergo nec personæ Ecclesiasticæ exemptæ sibi illatam iniuriam hac prohibitione conqueri possunt, cùm exempti exteris æquiparentur, ex Io. Andrea in c. 2. de constit. in 6.

His tamen non obstantibus, tale statutum non comprehendere Clericos, & si comprehendat esse contra immunitatem Ecclesiasticam dicendum est, quia personæ Eclesiasticę magis exemptæ sunt à potestate Principis sæcularis, quàm alienigenę sæculares. nam hi consentiendo possunt prorogare iurisdictionem iudicis laici, ex l. 1. Cod. de Iurisdict. omn. iud. c. illæ autem minimè, vt patet in cap. si diligenti, de foro compet. Ergo magis læduntur si lege laica obligentur, quàm alienigenæ. Deinde magnum est discrimen inter exemptos etiam in territorio, vel diœcesi existentes, & alios existentes extra territorium, vel diœcesim. nam illi etsi non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi, hi tamen neque sunt in diœcesi, neque de diœcesi, quod etiam eodem modo dicendum est quoad territorium, vt patet ex Felino in c. graue nu. 2. de officio ordin. Hinc sentiunt Doctores personas exemptas in odiosis & onerosis non venire appellatione vniuersitatis, populi, & territorij, venire tamen in fauorabilibus, vt docet Felinus & Paulus de Castro in capit. Rodulphius num. 34. de rescript. Eademque distinctio adhibenda est quoad Clericos, qui cum sint pars Reipublicę, ex l. 1. §. huius studij, ff. de iustit. & iur. veniunt appellatione populi in fauorabilibus, secus autem in odiosis, vt notat Abbas in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, & Felinus ibid. n. 74. Decius nu. 10. de constitut. Meritò igitur asseruit Riminaldus consil. 11. n. 101. vol. 2. in hac materia fallax esse argumētum de exteris ad Clericos: vnde ex his omnibus patet responsio ad argumētum pro negatiua sententia adductum, & hæc omnia docet Ioan Franciscus Fagnanus in respons. pro censuris Pauli V. part. 3. fol. 75. & Philippus Maynardus de priuileg. Eccles. p. 2. art. 22. n. 21. & seq. cum alijs penes ipsum.

Notandum est etiam hic obiter quòd licèt Princeps possit suis subditis prohibere immobilium alienationem, ex leg. si in emptione, §. omnium. ff. de contrahend. emptio. & ex l. de pollicitationibus, in fine, ff. de pollicitat. tamen talis prohibitio non procedit in præiudicium Clericorum, & Ecclesiarum, tūc enim non valebit, ex cap. final. de immunitate Eccles. in 6. Vide Collegium Bononiense in respons. pro libertate Ecclesiast. num. 14. Vgolinum in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini, cap. 6. num. 8. & seq. cum Maynardo loco cit. nu. 67. Nam licèt dictum statutum quoad verba non videatur infringere Ecclesiasticam libertatem, cùm præcipiat subditis; tamen

quoad

quoad mentem est contra libertatem Ecclesiasticam, faciēdo fraudem de persona ad personam, per ea quæ adducit Surdus vol.3.consl.301.n.76.

An Iudex laicus possit cognoscere si Clericus sit bigamus.

RESOL. LXXI.

Affirmatiuam sententiam docet Pereira in manu Regia p.2.c.24.n.3.vbi sic ait. Si quæstio sit super bigamia, laicus iudex erit competens.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto ex ca.si iudex laicus de sentent.excommunicat.in 6. & ita tenet Alexander.cōs.149.volum. 6. Vnde Nicolaus Harpsfeldius in historia Anglicana sæcul.13.c.9. notat, quòd inter alios abusus & iniustitias contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, quæ tempore Eduardi Regis efficiebantur in illo Regno, vna hæc erat, quòd laici cognitionem bigamiæ ad se rapiebant.Ita ille. Vnde nostram sentētiam aduersùs iudicem laicum docet nouissimè Gabriel Lotherius de re beneficiaria lib.3.qu.36. n.73. vnde non est audiendus Pereira, vir alioquin doctissimus.

An si animalia Clericorum inferant damnum, possint per iudicem sæcularem capi, & damnum factum exigi.

RESOL. LXXII.

Affirmatiuè respondet Pereira de manu Regia part.2.cap.39. nu.8.9.& 11.vbi in tali casu docet contra Clericorum animalia plenam fidem facere ministros sęculares, quibus illud officium incumbit, & mordicus hanc sententiam tuentur vt plurimum Iurisconsulti.

Sed ego 1.par.tract.2.resolut.80. multum de hac sententia dubitaui, & nunc illam absolute reprobo cum Sāchez in opusc.tom.2.lib.3.cap.vnic.dub.31.num.2.vbi mordicus docet negatiuam sententiam, quia iudex sæcularis non potest procedere neque contra personam Clerici, neque contra res Clerici, quia bona accessoria sunt personæ, & pro hac sententia citat Gregorium Lopez part.7.tit.15.leg.24.ver.el ganado. vbi dicit Clericos per suum iudicem Ecclesiasticum damnandos esse, quando eorū animalia damnificant, & Castillo in leg.70.Taur.n.18. dicit. quòd Clerici in his casibus si contrauenient, puniuntur pœnis statutis per iudicem Ecclesiasticum, & ideò ab hac sententia non puto recedendum.

An Reges in aliquo casu sint iudices exemptorum.

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuam sententiam tenent Doctores, quos citant, & sequuntur Pereira de manu regia part.2.cap.22. num.18.Bobadilla in polit.tom.1.libr.2.cap.18.num.127.& Cenedo in Decretum collect 37. nu. 3. asserentes quòd Clerici, immò & omnes Ecclesiasticæ personæ exemptæ ab Ordinarijs locorum, quamuis sint immediatè subiectæ Pontifici, si tamen non habeant superiorem in Regno, qui eos puniat, si delinquant, possunt conueniri coram iudicibus laicis, eo pacto, quo tradit Thomas Mieres in constit.Cathalon.collat.2.c.11. in princip. Videtur etiam Michaelem Roussel.in histor.Pontific iuris lib.4.c.3.n.46.

Sed hanc opinionem Camillus Borrellus in addit.ad speculum Belling.rubric.11.§.videndum, in litt.G.existimat esse iniquam, nec seruari debere, & nouissimè reprobat Megalius in 3.part.lib.3.cap.11.numer.37.illam vocando falsam, quia cum generaliter omnes Ecclesiastici à laica iurisdictione immunes sint, multo magis hæc exemptio illis Ecclesiasticis erit concedenda, qui ex speciali priuilegio habent vt soli Papæ subdantur, etenim per hanc exemptionem generali priuilegio Clericorum non derogatur, sed illi hoc amplius additur, vt qui est hoc priuilegio munitus, soli Papæ subdatur, alioquin specialis fauor in odium illius retorqueretur, contra l.quod fauore, C. de legib.Ita ille.

An Iudex laicus possit cogere Clericum, qui spoliauit laicum sua possessione, ad illam restituendam.

RESOL. LXXIV.

Affirmatiuè respondet Bobadilla in polit.tom.1.lib. 2. cap. 18.num.193. vbi sic ait. [Quando algun Clerigo huuiesse despojado de su possession algun lego podria el corregidor restituyrle en ella por via de defensa estraiudicial citando generalmente à los interessados, y assi se guardo en el Reyno de Napoles.] Ita ille, & ante illum Maranta in pract.par.4.dist.11. num.63.

Sed contrariam opinionem tenendam esse puto, quam tuetur Paulus Squillante de priuileg.Clericor.cap.7.dub.1.nu.73. Matth. de Afflictis decis. 85. Carolus de Grassis de effectibus Cleric. sect. 1. num. 1305. quia Clericus, qui spoliauit, si est à possessione eijciendus, debet expelli authoritate iudicis, & sic tamquam reus, debetque hoc fieri per iudicem Ecclesiasticum, qui est competens ipsius Clerici, & non per iudicem laicum.

An Reges, vt executores Concilij Tridentini, possint compellere Clericos, vt illud obseruent.

RESOL. LXXV.

Affirmatiuam sententiam his diebus quidam Iurisconsultus mordicus sustinebat, & adducebat Bobadillā in polit.tom.1.lib.2.cap.18.num.194.vbi sic ait. [Quādo por los Prelados, ò Clerigos se haze ò intenta algo contra lo dispuesto por el Concilio Tridentino entonces el supremo Consejo manda librar prouision real para la execution y obseruancia del, y acuerdme auer practicado esto algunas veces en special siendo corregidor en la ciudad de Soria cōtra Don Iuan de Castilla Vicario della, queriendo empedir al Maestro Fray Antonio de Queuedo Prior de san Agustin, que no predicasse el dia de los Reyes en la Yglesia de N. Señora la Maior sobre que se causara escandalo, si yo no assistiera à que se guardara el decreto del Concilio, que manda, que en las fiestas principales se predique y declare el santo Euangelio en las Yglesias, y assi se predico.] Ita Bobadilla, & post illū, quod valdè miror. Rodriq. in sum.to.2.c.66.n.40. Sed hæc opinio mihi non placet, & illam alibi reprobaui, nam si Reges sunt executores Cōcilij, id intelligendum est quoad laicos subditos, non autem quoad Ecclesiasticos, in quos nullam habent, nec exercere possunt iurisdictionem. Si igitur in aliquo casu Concilium in eorum Regnis non obseruetur à laicis, compellant obseruari: si autem ab Ecclesiasticis non obseruetur, vt Reges Catholici & zelantes certiorent de hoc Episcopos, Archiepiscopos, Nuncios, & si opus erit scribant ad Summū Pontificem, ad hos enim spectat compellere Ecclesiasticos vt decreta Concilij obseruent, & non ad Reges, de quorum iurisdictione Ecclesiastici exempti sunt; & ideò hanc sententiam tenet Melchior Lotherius de re benefic. to.1.lib.1.q.11.n.81. aduersùs Ceuallos, qui asserebat Reges vt executores Concilij Trident. posse compellere Clericos ad reparationem Ecclesiarum.

An Reges possint expellere Episcopum ab Episcopatu, si simoniacè electus est.

RESOL. LXXVI.

Affirmatiuè respondet Bobadilla in polit.to.1.lib.2.c.17.n.65.vbi sic ait. [Podra el Rey echar del obispado el obispo promouido por simonia, segun lo escriue y funda Chassaneo.] in catal.gloriæ mundi p.5.considerat.13.n.142.

Sed hæc opinio est falsa, cum tam respectu causæ, quæ spiritualis est, quam respectu personæ, quæ Ecclesiastica est, illius cognitio spectet ad Summum Pontificem. & ideò Reges hanc Bobadillæ sententiam sequentes, certum est in censuras Bullæ Cœnæ incurrere, & ita docet Megalius in 3.part. lib.3. cap. 11. num.18.

An

An Ecclesiasticus vsurpans iurisdictionem sacularem, aut alia Regalia, possit a iudice laico bonis temporalibus priuari.

RESOL. LXXVII.

Sententiam affirmatiuam docet Bobadilla in polit. tomo 1. lib. 2. ca. 18. numer. 60. vbi sic ait. [Si los Prelados ò sus Iuezes o quales quier otros Ecclesiasticos vsurpassen la Iurisdicion Real ò otras Regalias son auidos por estranos destos Reynos, y pierden las temporalidades, en lo qual por el buē gouerno y politicamente, y con consideracion tienen mano los Iuezes seglares.] Sic ille; & ante illum Garsias de Hispan. nobilit. gloss. 9. num. 32. Borrell. de præstantia Regis Cathol. cap. 71. numer. 55. Peguera in pract. crimin. c. 24. nu. 7. & seq. Selle de inhibit. ca. 8. §. 5. num. 100. Olibanus de iure fisci c. 12. n. 3. cum. seq. Bayetola in allegat. pro iurisd. sancti Officij, art. 5. n. 127. Mirauerre in informat. pro iurisdict. Regia art. 12. Et, quòd magis miror, Laurentius Osorius Canonicus Ecclesię Compostell. en su Piña de Rosas lib. 4. in præludio §. 2. & hanc sententiam docent etiam Doctores quos citat & sequitur Calixtus Ramirez trac. de lege Regia §. 27. nu. 15. in glossa litt. F & Franciscus Pradila en suma de todas las leys, p. 2. c. 8. n. 4.

Sed hæc Megalius in 3. p. lib. 3. c. 11. n. 12. præsumit fieri cum expressa Sedis Apostolicæ licentia, alioquin esset contra libertatem Ecclesiasticam. nam quamuis ex doctrina Innocentii in cap. cum olim, el 1. de restitut. spoliat. & in cap. dilectus, de pœn. competat Ordinario iurisdictio in extraneos impedientes suam iurisdictionem, per cap. 1. de offic. delegat. tamen procedere hoc non potest, quo ad ordinarios iudices sæculares contra Prælatos Ecclesiasticos, cum non liceat inferiori superiorem iudicare & punire. Ita ille, & ante illum docuit hanc sententiam Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. cap. 17. quæst. 5. vbi probat cum Matta de iurisd. p. 4. cas. 101. non esse licitum potestati sæculari, cuius iurisdictio vsurpatur ab Ecclesiasticis, eorum bona ac fructus sequestrare, aut, quod magis est, occupare, etiamsi bona sint ex patrimonialibus. nam Clerici in patrimonialibus eisdem priuilegijs & exemptionibus gaudent, quibus earum potiuntur personæ. Vide etiam Bonacinam in Bulla Cœn. disp. 1. quæst. 18 punct. 3. numer. 12. vbi docet, quod iurisdictio sæcularis ab Ecclesiasticis vsurpata non confert ius laicis vsurpandi & occupandi bona Ecclesiasticorum ad seruandam æqualitatem in iudicijs; & ita hanc sententiam docuere aliqui Theologi & Iurisconsulti Hispani, subscripti in quodam voto, quod penes me habeo, sub die 30. Ianuar. ann. 1614. Cæsaraugustæ, vbi probant non posse iudices laicos occupare tēporalitates Ecclesiasticorum. Sic enim asserunt. [No pudo este Iuez occupar las temporalidades à los Ecclesiasticos, porque esta prohibido en la Bula.] in Cena Domini. *quive redditus & prouentus ad quascunque personas Ecclesiasticas pertinentes vsurpant. Vsurpare* autem idem est, quod occupare, vt docet Caietanus, & habetur in Clemen. 1. ver. vsurpare, y assi lo entiende Vgolino c. 17. declarando estas palabras de la Bulla Cœnæ. Item en la misma Bula se dice, etiam quauis occasione, sine Romani Pontificis, seu aliorum ad id legitimam authoritatem & facultatē habentium expressa licentia sequestrant, &c. [Luego si este Iuez seglar no puede secrestar los bienes de los Ecclesiasticos menos podia occuparlos, porque mas es occupar, y vsurpar dichos bienes, que sequestrarles, y mas haziendolo con authoridad y persona publica, es cierto hauer incurrido en las penas de la Bula in Cœna Domini. Ita, vt dixi, habetur in dicto responso subscripto à Magistro Ioanne de Aldouera y Monsalue, Magistro Philippo Hernandez, Ludouico Serra, Fratre Antonio Bielsa, Magistro Dominico de Altaba, Doctore Ioāne Pardos & Magistro Stephano Bertiz. Et tandem non desinam hic apponere verba Ioannis Dionysij Portocarrero in allegat. pro iurisdictione Domini. Inquisitorum numer. 96 folio mihi 61. sic asserentis [Llegaron à declarar al Inquisidor por baniro y mandarlo salir del Reyno, y occupar las tēporalidades, como si por semejante procedimento no se incurriesse en las censuras de la Bula in Cœna Domini.) Sic ille. Vide etiam Cochier in vindic. libertat. Ecclesiast. part. 1. cap. 28. num. 8. & Martam de iurisdict. cent. 2. cas. 101.

Et tandem omnia supradicta confirmantur ex authoritate doctissimi Thomæ Sanchez in opusc. to. 1. lib. 3. c. vnic. dub. 31. num. 2. vbi tamquam certum firmat iudicem sæcularem non solùm non posse procedere contra personam Clerici, sed nec etiā contra res Clerici, quia bona accessoria sunt personę, quod etiam probaui lib. 2. cap. 4. dub. 55. num. 2. & 31. Cùm igitur laici non habent authoritatem in personas Clericorum, quomodo possint illam habere in eorum bonis, occupando illa, cùm bona vt dictum est, Clericorum gaudeant priuilegio personæ: vnde in Clem. 1. de vita & honestate Clericorū, habetur, quòd Clerici gaudent priuilegio clericali, non solùm in personis, sed etiam in rebus.

An Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori, etiam in ciuilibus.

RESOL. LXXVIII.

Sententiam negatiuam tenet nouissimè Pereira de manu Regia par. 2. ca. 26. num. 10. & Ludouicus Correa relect. de immunitate Eccles. part. 2. nu. 32. vbi sic ait. Clerici coniugati, quantumuis adimpleant omnes conditiones, nō sunt exempti à iudicio sęcularis, in causis merè ciuilibus, nec obstat textus in cap. vnico, ibi, *aut ciuiliter ad iudicium sæculare*, vbi dicitur, quòd Clerici coniugati etiam in causis ciuilibus à iudicio sęculari eximuntur. nam reiecta multorum scribentium resolutione in d. cap. vnic. respondeo verbum illud *ciuiliter* intelligi, ita vt Clerici huiusmodi eximātur à sæculari iudicio in causis criminalibus, quamuis ciuiliter motis. Ita ille, & alij, quos citat & sequitur Antonius de Ballis in tract. var. libr. 5. tit. 10. num. 18. Eliseus Dansa in pugna Doctorum c. vnic. de Clericis coniugatis, n. 13. Capiblancus de officio Baronum tom. 1. pragmat. 8. p. 3. num. 52.

Sed ego in 1. part. tract. 2. resol. 70. meritò affirmatiuam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Speculatorem in tit. de compet. iudic. addit. §. 1. num. 24. Francum in c. vnic. de coniugat. in 6. Cœpollam consil. crimin. 10. Mandosium in addit. ad Lapum, allegat. 40. & 118. & Camillum Bortellum in speculo Principum rubr. 11. §. videamus, in princ. litt. A, quos citat & sequitur Riccius p. 3. decis. 170. numer. 1. & ita hanc affirmatiuam sententiam nouissimè, me citato, tenet etiā Paulus Squillante de priuileg. Clerc. c. 7. dub. 2. nu. 27. & Antonius de Marinis quotid. resol. c. 58. n. 2. ex Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. & ex alijs iuribus, quę ego ipse vbi supra adduxi, & hanc opinionē tenet etiam Gauantus in enchirid. Episc. ver. Clericus nu. 84. quæ præsertim procedit in Rego Neapolitano vt ipsemet testatur ex declaratione sacræ Congregationis 27. Februarij 1630.

Notandum est etiam hic obiter, quòd sacra Cardinalium Congregatio censuit Clericum coniugatum qui post dimissum habitum & tonsuram clericalem pro debito aliquo in Curia laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, si deinde reassumpto habitu & tonsura (modò non in fraudem) Ecclesiæ inseruiat iuxta decretum Concilij vbi suprà, non posse à iudice laico propter id delictum in carcerem coniici, aut personaliter astringi, & ad hæc facit cap. si iudex laicus, de sentent. excommun. in 6. Et licèt Cabedo p. 1. decis. 58. n. 8. doceat, quòd si Clericus coniugatus pro crimine capiatur, incedens sine habitu, & tonsura, & deinde è carcere fugiens, habitum & tonsuram reassumat, & in ea iterum capiatur, nō gaudet priuilegio fori, in c. ex parte, de priuileg. tamen hæc opinio displicet Barbosæ de potest. Episc. p. 2. alleg. 12. n. 29.

An iudices sæculares possint capere Ecclesiasticos impedientes & resistentes iurisdictioni laicali, necnon illos punire pœna pecuniaria.

RESOL. LXXIX.

Affirmatiuè respondet Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 84. vbi sic ait. (Si algun Clerigo ò Religioso impediesse la Iurisdicion seglar, ò la resistiesse, quitādo a los ministros de Iusticia que no prendan a alguno, o forcādo para que suelten al preso en los dichos casos podra el corregidor y sus ministros prender a los Clerigos, o Religiosos para remitirlos a los Iuezes, y podra tabien mulctarlos en penas pecuniarias en sus bienes.) Ita ille, & post illum Villadiego polit. ca. 5. n. 77.

Sed quoad capturam existimat Megalius in 3.part.li.3. cap. 11. nu. 23. hoc procedere quando aliàs laicam iurisdictionem defendere non possent, tunc enim hoc liceret ratione iustæ defensionis: sed extra hunc casum, illam nullo modo licitam esse putat, cùm prohibeatur expresse in Bulla Cœnæ, sed de hoc alibi à nobis actum est. Quoad punitionem verò nullo modo hoc procedere posse docet, nam quo iure laici possunt punire Clericos, etiamsi pœna sit pecuniaria, & in bonis, cum eorum bona gaudeant, vt sæpiùs dictum est, priuilegio personę. Et ita hanc sententiam docet Sanchez in consil. tom. 1. libr. 3. cap. vnic. dub. 31. num. 2. vbi firmat iudicem sæcularem non posse procedere non solùm contra personam, sed nec etiam contra res Clerici, quia bona accessoria sunt personæ, vnde dub. 21. num. 11. damnat iudices laicos punientes Clericos delinquentes in officio sæculari pœna pecuniaria. Adde quòd similes pœnæ sæpiùs applicantur fisco saltem pro aliqua parte, & quando pœna pecuniaria est fisco applicanda, causa dicitur criminalis, iuxta glossam in leg. 3. ff. de sepult. viol. & ibi Bartolus. Sed per Bullam Cœnæ nullo modo possunt laici causam criminalem Ecclesiasticorum cognoscere; ergo, &cet. Ex his apparet, non esse audiendos aliquos Iurisconsultos asserentes in multis casibus Clericos à iudice laico posse punire in bonis, & pœna pecuniaria. nam, vt sæpiùs dictum est, si persona Clerici est exépta, erunt exempta eius bona, & sicut importat iurisdictionem punire Clericos in persona, sic etiam importat iurisdictionem illos punire pœna pecuniaria. Vnde malè asseruit idem Bobadilla vbi suprà num. 143. Ecclesiasticum delinquentem in iudicio sæculari, ab eodem iudice puniri posse pena pecuniaria, & in bonis, & ita optimè illum reprobat Megalius loco cit. n. 38.

An iudex laicus possit punire Clericum in defectu iustitiæ Ecclesiasticæ.

RESOL. LXXX.

Affirmatiuam sententiam docet Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 91 in fine, vbi docet Clericum falsa testificantem coram iudice sæculari vel falsam scripturam præsentantem, non posse puniri à iudice laico, nisi in defectum iustitię Ecclesiasticæ, & nu. 93. idem asserit in alijs casibus. Vide etiam Escobar de ratiocin. c. 7. n. 31. Morla in empor. iur. tit. 2. q. 44. nu. 4. & 5. & alios, quos citat. & sequitur Menochius de retin. poss. remed. 3. n. 254.

Sed hæc opinio est falsissima, quia numquam licitum est iudicibus sæcularibus negligentiam Ecclesiasticorum iudicum supplere, cum inferiorem habeant iurisdictionem, & ipsis obsequendi maneat necessitas, non auctoritas imperandi, & hoc est expressè definitum in cap. qualiter, & quando, de iudicijs, vbi prohibetur omninò, ne ob defectum iustitiæ Clerici trahantur ad tribunalia sæcularium. Vide Martam p. 4. cent. 2. casu. 146. & Canonistas communiter, necnon nouissimè Martinũ Bonacinam in Bull. Cœnæ. disp. 1. quæst. 15. punct. 4. §. 4. num. 10. Guazinum tractat. de defens. reorum tom. 1. defens. 1. capit. 28. num. 9. Gratianum in disceptat. forens. tom. 2. cap. 238. nu. 72. & seq. Aluarez de priuileg. pauperum, quæst. 50. num. 11. & Suar. contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 14. nec obstat cap. filijs 16. q. 7. vbi dicitur quòd si Prælatus sit negligens, implorari posse Regem nam, vt diximus in 1. part. tract. 2. resol. 14. dictum cap. fuit correctum per cap. qualiter & quando, vel in illo casu speciali dicitur adiri posse Regem, non tamquam iudicem, sed tamquam protectorem & defensorem, vt roget & moneat Prælatum, & interim bona tueatur, donec Pontifex consuli possit. Ita Bonacina & Suarez vbi suprà, & ne prætermittas videre meipsum p. 3. tract. 1. resol. 25.

An iudex laicus possit eijcere è regno Clericum seditiosum, & perturbantem Rempublicam.

RESOL. LXXXI.

Respondent affirmatiuè Doctores quos citat & sequitur Callistus Ramirez tract. de leg. Regia. §. 27. numer. 15. in glossa littera G, quibus adde Franciscum Pradillam in summa de todas las leges, par. 2. c. 8. num. 4. & Bobadillam in polit. to. 1. lib. 2. cap. 18. n. 112. vbi sic ait. [Si algun Clerigo fuesse sedicioso y reboltoso que turbase la paz de la Republica, podriale el corregidor mandarle salir de la Iurisdicion por algun tiempo; aũque fuesse Clerigo de Missa y cõdennarle en las temporalidades.] Ita ille, & post illum Marius Giurba consil. crim. 48. num. 16. & Antonius de Ballis in tractat. var. lib. 5. pragm. 1. tit. 10. num. 44. vnde Fuscus de visitatione lib. 2. cap. 20. num. 25. refert quòd Dux de Alcala Regni Neapolitani Protex, quemdam Equitem sancti Ioannis Hierosolymitani, qui continuò erat seditiosus, & turbabat ciuitatem, constito de excessibus continuis, mandauit eijci à territorio Regio, sub prætextu quòd Rex possit vt quem velit maneat in domo sua. Et ideò Rodriquez in additionibus ad Bull. Cruc. §. 9. n. 84. sic ait. [Quando vn Clerigo ordenado de ordenes sacros turba la Republica y paz que ha de tener, en este caso el Rey y su supremo Cõsejo à cuja cuenta esta la conseruacion desta paz puede castigar al dicho Clerigo echandolo fuera del Reyno.] Ita ille. Sed aduersùs hanc sententiam meritò insurgit Megalius in 3. part. libr. 3. cap. 11. num. 34. iuncto nu. 14. quia Clerici, & Ecclesiastici omnes de iure diuino habent vt liberè possint in qualibet mundi parte habitare, & Ecclesiastica officia exercere, dixit etiam illis Dominus in personam Apostolorum Marc. 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*: & vsus Ecclesiæ habet, vt Ecclesiastici omnes, qui voto religionis non sunt astricti, cum sola licentia, & litteris commendatitijs suorum Ordinariorum, liberè vtique incedant & inhabitent, & ad diuina celebranda, & sacramenta ministranda admittantur, iuxta decretum sacri Concil. Trid. sess. 23. c. 16. de reform. ergo sicut non potest maritus tamquã paterfamilias expellere è domo vxorem inobedientem, & perniciosam, ex eo quod ex matrimoniali vinculo habet illa ius cohabitandi vnà cum marito ita nec potest Rex tanquam paterfamilias expellere è dominio suo Ecclesiasticos inobedientes & perniciosos, cùm de iure diuino habeant vt liberè possint vbilibet habitare.

Et præterea in clausula Bullæ Cœnæ excommunicãtur quomodolibet mulctantes personas Ecclesiasticas, necnon executores & subexecutores huius banni: ergo ex quacumque causa hoc faciant, excommunicatione hac ligantur. Recurrendum est igitur è Regibus, & ministris eorum ad proprios iudices Ecclesiasticorum eueniente casu; & ab illis, qui in eos, iurisdictionem exercere possunt, sunt Ecclesiastici in exilium eijciendi, non quidem simpliciter, sed causa cognita, quia aliàs iniustitiam committerent condemnando pœna exilij reum non auditum, & circa hoc vide optimam decisionem Friderici Imperator. in titul. 1. §. si Clericus, de pace tenenda. in vsib. feud. vbi determinat coram suo Episcopo conueniendum & adducendum esse Clericum pacis violatorem, & ab eodem puniendum. Immò non excusarem ab hac cẽsura Prælatos illos, qui ad instantiam & requisitionem Principum sæcularium oretenus, & causa non cognita præciperent alicui Ecclesiastico aut illum cogerent, vt è finibus suæ diœcesis discederet, quia talis est Principis voluntas & mens, nam cum huiusmodi præceptum, seu preces fiant ad instantiam Principis sæcularis, sunt quodammodo executores, maximè quia tunc hoc non faciunt tãquam Episcopi, sed vt priuati, vt & ipsi excommunicationem incurrerent, vt tenet expressè Marta de iurisd. par. 4. centur. 2. cas. 140. num. 8. & hæc omnia docet Megalius loco citato. Sed circa præsentem quæstionem ne omittas videre meipsum in 1. part. tract. 2. resolut. 17. & 3. part. tract. 1. resol. 27. Vnde non est audiendus nouissimè Franciscus Miravete in informat. pro iurisdictione Regia art. 22. fol. 69. vbi asserit Ecclesiasticos turbatores pacis expelli posse à Regnis; nam in his casibus recurrendum est ad eorum Superiores Ecclesiasticos, vt ego satis firmaui in locis cit.

An Rex possit statuere, vt familiares S. Inquisitionis non gaudeant priuilegio fori in aliquo delicto sine consensu DD. Inquisitorum.

RESOL. LXXXII.

Respondeo negatiuè, quia iurisdictio quam habent Inquisitores in suos familiares, est Ecclesiastica, vel dato, & non cõcesso quòd sit Regia, iam per vnionem & incorporationem cum Ecclesiastica iurisdictione ipsa etiam Ecclesiastica, effecta est

est. Deinde addunt aliqui quod dicta exemptio etiamsi procederet à Rege, quia fuit data propter benemerita, & publicum bonum, nempè pro seruitijs, in quibus occupantur familiares pro officio sanctę Inquisitionis, effecta est irreuocabilis: & ideò hanc sententiam docet Io. Dionysius Portocarrerus in allegat. pro iurisdict. S. Inquisit. nu. 44. & quia codex rarus est, & non facile inuenitur, ponam eius verba. Sic itaque asserit. [En las concordias que se han tomado con la Inquisicion sobre estas causas, ha sido tan necessario el consentimiento de los Señores Inquisidores Generales, y de su Consejo, que sin el, no pudieron tener fuerca porque si las dichas esenciones y Iurisdiciones procedē de la autoridad Apostolica, nadie puede disponer sobre ella] quacumque præditus potestate, cui obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, ad notata in c. decernimus, de iudicijs, c. Ecclesia S. Mariæ, de constit. Sesse to. 2. decis. in epist. Reg. num. 52. Mayormente que aunque las esenciones fueran original, y principalmente concedidas por los Reyes hauiendolo sido à personas benemeritas y en premio de su ocupacion en seruicio del santo Officio y beneficio publico sō irreuocables.] Baldus in l. quæ ex relationibus, notabil. 3. C. de leg. Curt. Iunior cons. 144 n. 4. Decius cons. 186. nu. 4. Romanus consil. 436. nu. 14. Gonzalez in reg. 8 Cancellar. gloss. 18 nu. 23. [Y mucho mas siendo en fauor de la Yglesia.] Marta 4. par. cētur. 1. cas. 52. nu. 17. y otros. Sic Portocarrero, Vide etiam Narbonam in 3. p. recopilat. lib. 4. tit. 1. leg. 10. gloss. 22. n. 21. docentē etiam hanc sententiam, necnon & Paramum in respons. 2. pro iurisdictione S. Officij, n. 149. & 154. qui probat hāc opinionem esse veram, nō obstante concordia anni 1581. vbi videtur Regem sibi reseruasse potestatem hanc de qua loquimur.

Igitur dato, & non concesso, quod iurisdictio Inquisitorum in familiares procedat ex facultate Regia, tamen cùm sit priuilegium concessum non subdito, amplius non potest reuocari, per ea, quæ adducit Basilius Pontius de matrimonio lib. 8. c. 29. §. 2 n. 12. Suarez de legibus lib. 8. c. 37. nu. 2. & alij communiter in c. nouit, de iudicijs. Vnde infertur hanc esse differentiā inter priuilegium concessum à Principibus laicis Ecclesiæ, & priuilegium concessum ab Ecclesia Principibus laicis, nam hoc reuocari potest tanquam priuilegium concessum subdito, illud autem minimè. Hinc rectè Bonacina in Bulla Cęn. disp. 16. punct. 4. §. 1. n. 6. & alij, docent priuilegium cognoscendi causas Clericorum Principibus concessum reuocari posse, etiamsi per cōsuetudinem immemorabilem tali priuilegio innixam obseruatum fuerit: quia priuilegium subdito cōcessum reuocari posse, communis est Doctorum opinio. Sed priuilegium cognoscendi causas Ecclesiasticas concessum est subdito, etiamsi cōcessum sit Imperatori, vel Regi, Papa enim est illis superior, cū Christus generaliter dixerit Petro, & consequenter eius successoribus, *Pasce oues meas*, ergo, &c. Vide Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 34. nu. 27. & Cardinal. Tuscum to. 5. verb. libertas Ecclesiastica, concl. 342.

Deinde cōfirmatur nostra sententia ex doctrina Azorij p. 1. lib. 5. c. 13. qu. 5. Pesantij tract. de immunit. Ecclesiast. disp. 9. Filliucij to. 1. tract. 16. c. 10. n. 269. Alter. de censuris tom. 1. disp. 16. lib. 5. c. 6. & aliorum, quos ego ipse adduxi in p. 1. tract. 2. resol. 60. asserentes contra nonnullos, non posse Principem condere statutum abrogans aliud statutum suum, quod clericorum priuilegium continebat, quia priuilegium concessum post quam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius. ergo Princeps laicus potuit à principio priuilegiū Clericis non concedere, sed semel concessum non potest amplius reuocare, vt habetur ex Felino c. Ecclesia S. Mariæ, de constit. num. 124. Sed hæc omnia accidunt in casu nostro, quia hoc priuilegium concessum est. Clericis & Tribunali Ecclesiastico sanctissimæ Inquisitionis: ergo, &c.

Facit etiam quod supradictum priuilegium fuit concessum propter benemerita & seruitia facta Tribunali sancti Officij ad bonum publicum; ergo est priuilegiū remuneratorium, quod transiuit in vim contractus, & factum est irreuocabile, per ea, quæ tradit Bayetola in allegat. pro iurisdictione S. Officij art. 5. n. 91. Cochier de libert. Eccles. p. 1. c. 30. nu. 10. Rolandus à Valle vol. 3. cons. 13. n. 30. Grammaticus decis. 65. n. 24. Ofascus decis. 139. n. 28. Surdus consil. 140. nu. 38. Aponte consil. 60. n. 22. & alij communiter, ergo, &c.

An qui proditoriè vulnerauit, si mors sequuta non fuerit, gaudeat immunitate Ecclesiarum.

RESOL. LXXXIII.

NEgatiuam sententiam docet nouissimè Ludouicus Correa in relect. de immunit. Eccles. p. 3. q. 6. nu. 19. Io. Dominicus Tassonus in pragmat. de antisato. ver. 13. obseru. 3. n. 35. qui citat Fontanellam de pact. nupt. to. 1. clausul. 4. glos. 14. nu. 117. asserentem dictum reum non gaudere immunitate, & in Bulla tale delictum comprehendi.

Sed affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto, quam tuetur Peregrinus de Immunit. Eccles. cap. 7. numer. 13. Farinacius in append. de immunit. Eccles. cap. 9. nu. 146. retractans se in quæst. 28. num. 45. Tuscus ver. Ecclesia conclus. 11. n. 7. Italia de immunitat. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 4. à nu. 22. Villagut tractat. de extens. leg. tit. de immunitate Eccles. à num. 54. & 58. Antonius Nouarius in summa Bullarum tit. de Immunit. Ecclesiar. nu. 75. & alij, quia constitutio Gregor. XIV. loquitur expressè de occidente proditoriè; ergo requirit actum consummatum cum effecto subsequuto, ex leg. 1. § hæc verba, ff. quod quisque iuris. & hanc opinionem non solum in terminis Bullæ Gregorianæ, sed etiam de iure communi veram esse puto, & ita docet Suarez de religione tom. 1. lib. 3. cap. 11. nu. 14. Decianus tom. 2. lib. 6. c. 28. nu. 17. & consil. 80. lib. 3. Germonius de sacra immunit. lib. 3. cap. 16. nu. 60. Boerius decis. 109. & alij. Vnde non est audiendus Couarruuias lib. 2. variar. cap. 20. num. 7. Guttierrez pract. q. lib. 3. q. 7. nu. 55. & alij relati à Tuscho loco cit. num. 8.

Notandum est etiam hic obiter, mercatores decoctos gaudere immunitate Ecclesiarum, vt ego ostendi cum multis DD. in 1. p. tract. 2. resol. 32. quibus nunc addo Corream vbi supra q. 12. n. 12. & hanc sententiā etiam docet, me citato, Dominicus Tassonus vbi sup. n. 33.

Notandum est etiam contra Megalium in 3. p. lib. 4. c. 2. n. 6. Apostatas à Religione gaudere Immunitate Ecclesiarum, eo modo, quo firmaui in dicto tract. 2. resol. 23.

An Notarius effectus Clericus sit puniendus à iudice laico pro falsitate quando erat laicus.

RESOL. LXXXIV.

REspondeo negatiuè cum Mastrillo in decis. 159. quem citat, & sequitur Guazzinus de defensionibus reorum tomo 1. defens. 20 cap. 9. num. 1. & Carolus de Grassis de effectibus Clericor. effect. 8. num. 15. vbi firmat fuisse decisum, Notarium effectum Clericum non posse cognosci à iudice laico pro falsitate commissa tempore, quo erat laicus; sed difficultas est, quid faciendum, si talis Clericus conficeret acta & instrumenta? Mastrillus loc. cit. respondet ei trinam monitionem faciendam esse vt abstineat, verùm de hoc, & meritò, dubitat Ioann. Dominicus Tassone in pragmat. de antisato ver. 9. obseru. 3. nu. 12. quia Clerici sunt penitus exempti à iurisdictione laicali, ideò in tali casu contra Mastrillum dicendum esse puto, quod Iudex laicus requirere debet Episcopum, vt eum à tali exercitio prohibeat.

An iudex laicus possit in aliquibus casibus capere Clericum, & detinere in carceribus vltra viginti horas.

RESOL. LXXXV.

AFfirmatiuam sententiam docet Villadiego in polit. cas. 5. num. 60. [Si fuesse el delicto tan graue, o escandaloso, que conuiniese dar cuenta al consejo o al Rey que entonces es arbitrario el tiempo que le deue detener conforme a la calidad del negocio y circunstancias del.] Ita ille, & ante illum Garsias de Hispan. nobilit. glos. 9. num. 39.

Sed, vt verum fatear, res ista est periculosa, quia delictum graue & scandalosum non præbet authoritatem iudicibus laicis detinendi Clericos carceratos vltra tempus quo de iure, in aliquibus tantùm casibus detinere possunt. & ideò Belettus in disquis. Cler. part. 1. tit. 3. §. 11. num. 2. Laurentius Osorius en su

Piña

Pisa de Rosas lib.4.§.3.& Naldus in summ.ver. Bulla Cœnæ n. 58.& Guazzinus de defensionibus reorum tom.1.lib.1. defens. 1.cap.2. num. 5. notant quod laicus in casibus,in quibus potest capere Clericum,nõ potest ipsum in carceribus retinere vltra viginti horas,& ita etiam tradit glossa in I.capite , & ibi Bartolus,de adult.Panormitanus in c.cum non ab homine,nu.11.de iudicijs. & hanc esse communem opinionem testatur. Farinacius quæst.8.num.118.Vnde Carolus de Grassis de effect.Cleric.effect.1.n.557.& Scaccia de iudic.Can.tom.1.lib.1.c.39.nu. 14.asserunt quod in casibus concessis si laicus officialis capiens Clericum non præsentet statim suo iudici,incidit in excommunicationem,& Campanili in diuer.iur.canon. rubr.4. nu.26.& Barbosa in collectan.tom. 2.lib.5.tit. 39. cap.35.num. 5.in fine. docent laicos in casibus,quibus possunt capere Clericos,debere illos statim iudicibus Ecclesiasticis consignare , nec ad id faciendum concedunt spatium viginti horarum,ex rationibus , quas ipsi adducunt, vnde, vt dixi, negotium videtur periculosum : attendant ergo ministri laicalis iurisdictionis in casibus contingentibus quid faciunt , & aduersus illos vide omninò Guazzinum vbi supra , & nouissimè doctum Castrum Palaum in opere morali tom.2.disp.vnica,punct.6.num.14.vbi absolutè docet in casibus permissis non posse iudicem laicum detinere Clericum in suis carceribus vltra viginti horas,immò docet neque eo tempore detinere posse , si breuiori potest illũ iudici Ecclesiastico remittere.

An milites D.Ioannis gaudeant priuilegio fori.

RESOL. LXXXVI.

SVperuacanea videtur hæc quæstio,& tamen non defuit Villadiego in polit.cap.5.num. 112. qui hæc scripsit. [Es competente el Iuez seglar contra los caballeros de la orden militar de san Iuan en las causas ciuiles. y en las que delinquieren en officios seglares de Regidores,corregidores , y en los delittos graues.] Sic ille.

Sed immeritò quidem,nam extra controuersiam est quod in omnibus delictis,licèt grauibus,& atrocibus, supradicti milites gaudent priuilegio fori cùm sint verè Religiosi. Vnde Principes in dictos iurisdictionem exercentes contraueniunt Bullæ Cœnæ, & incurrunt in excommunicationem. Vide Barbosam de potest.Episcop. part.2. allegat. 12.numer.45.Paulum Squillante de priuileg.Clericcap.7.nu. 46.& nouissimè Guazzinum de defens.reorum tom.1. defens.1.cap. 2. num.5.Ioann. Mariam Nouarium de elect.fori sectiõ.2.quæst.69.per totam, & ideò si dicti Equites D.Ioannis exerceant officia sæcularia , & in illis delinquant,non possunt puniri à iudice laico , vt probat Belletus in disquisit.Cleric.p.1.tit.3.§.1.nu.16.Caballius centur.1.cas.64.Narbona in recopila.leg.Hispan.leg.20.num.34.& ego ipse alibi.

An verò idem dicẽdum sit de Equitibus S.Stephani & S. Lazari,negatiuè respondet Elisæus Danza in pugna DD.cap.1.de qualitate officia.ium.n.8 2.vbi sic ait. Quod verò ad duoni Stephani,& Lazarij Equites, in eorum priuilegijs nõ habent Exequatur,& sic in illis militiæ Iesu Christi in Lusitania, isti S.Stephani à Duce Florentiæ, & in eorum delictis isti milites Lusitaniæ S.Stephani,& S. Lazari à iudicibus sæcularibus cognoscũtur,& fori declinatoriam non opponunt.Sic ille.

Sed ego in 3.part.tract.1.resolut.61.docui supradictos Equites gaudere priuilegio fori , & adduxi multos Doctores , quibus nunc addo Nouarium de electione fori,in editione nouissima,sect.2.quæst.69.num.31.Bonacinam,de cens.disput.2.q.4. punct.3.n.9.& Ioannem Sancium in selectis,disp.49. n.13. vbi sic ait. Verè Religiosos esse Equites Christi , & Auis in Lusitania,& Montesæ in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ , probabiliter arbitror , cum hi etiam milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter ac milites S.Iacobi Alcantaræ & Calatrauæ,præter Equites S.Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem concessa anno 1560.Cosmo de Medicis Florentię magno Duci constat,quam ego vidi.Et idem iudico de quibuslibet alijs Religionibus militaribus tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apostolica approbatis. Hæc Sancius Vide Caballum cẽtur.2.cas.225. & Viuianum trac. de iurepatronat.part.2.lib.6.cap. 2.nume. 19. qui ponit Bullas exemptionis dictorum Equitum : vnde ex his apparet non esse audiendum Villadiego in polit.cap.5.numer.116.& 117. asserentem priuilegia dictorum Equitum esse tantùm localia,nam cum sint verè Religiosi, vt patet ex Bullis Pontificijs,eorum priuilegium est absolutum , & eo gaudere debent vt Religiosi in omnibus mundi partibus , vt de Equitibus D. Ioannis D.Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ,&c.dicendum etiam est. Vnde ex his rectè docuit Barbosa de potest.Episcop.p.2.allegat.13.num. 14. cum Nauarro supradictos milites S. Stephani gaudere exemptione gabellarum.

An Iudex laicus tempore carestiæ possit compellere Clericos vt vendant frumenta,vel ad aliquid faciendum tempore pestis.

RESOL. LXXXVII.

AFfirmatiuè respondet Viladiego in polit.c.5.nu.90. vbi sic ait.[En tiempo de necesidad de pan podra el corregidor tornar el trigo que sobrare à las Iglesias, y monasterios,y Obispos,y Clerigos,aunque sea contra su voluntad pagandoselo à la tassa.]Sic ille.

Sed ego hanc sententiam reprobaui in part. 1. tract. 2. resolut.8.& nunc iterum reprobo cum Caballo cent.1. cas. 9.nu. 10.Antonio de Ripol.variar.resolut.cap.11.de empt. & vendit.num. 91. & Sebastian. Guazzino de defensione reorum tomo 2.defens.20.cap.9.num.10.vbi post multa sic concludit. In omnem casum non possunt cogi personæ Ecclesiasticæ ad aliquid faciendum , vel non faciendum tempore carestiæ,vel pestis, per Iudices laicos , sed per eorum iudices Ecclesiasticos, nec possunt puniri pœna comminata à laico , sed alia arbitraria . Ita Guazzinus . Ratio est clara , quia publica necessitas, quando periculum non est in mora, nõ potest dare iurisdictionem laico super Clericos & Ecclesiasticos ,& ita anno 1606. vt notat Elisæus Danza in pugna DD cap.3.de qualitate officialium, nu. 14. tempore maximæ penuriæ in Regno Neapolitano iudices laici obtinuerunt licentiam à Nuncio Summi Pontificis compellendi Ecclesiasticos ad frumentum reuelandum , & vendendum.

Vnde obiter non desinã hic adnotare , capitaneos ,qui mittuntur per Regnum à Proregibus pro reuelatione frumentorum,nõ posse neque Clericos coniugatos astringere ad dictam reuelationem faciẽdam,sed hoc fieri debet à Vicarijs foraneis ex ordine Episcoporum: Vnde apponam hic per extensum Epistolam Cardinalis Orosci Archiepiscopi Panormitani,vbi sic ait . [Magnifico Signore Habbiamo visto la vostra risposta alla lettera che si decernio in questa Corte Arciuescouale, alla quale vi dicemo, che nostra intentione non è , eximere , e liberare alli Clerici cõugati di quelle cose che si fanno per bene della Republica,come è questa del reuelo delli frometi,ma quando alcuni di questi Clerici non fosse cosi obediente , voi altri laici non potete constringerli per essere della Giurisditione Ecclesiastica,laquale pretende à noi conseruarla iuxta la dispositione de Sacri Canoni , e sono certo che il Signor Don Francesco de Padro farà contento che si conserui cosi la giurisdittione Ecclesiastica in questa terra , come si conserua nelle altre terre della nostra diocese , & cosi comandai hieri , che si facesse vn'altra lettera contra di noi altri più aggrauata . E cosi mi è parso hora scriuere al Reuerendo mio Vicario Foraneo dandoci commissione speciale , che possa constringere ad osseruare detto bando à detti Clerici coniugati , cosi circa il passato,come per l'auuenire nõ però per condennarli in la pena che haueranno incorso per il passato . Per la qual cosa non mancherete restituirli li frumenti , che hauete pigliato à detti Clerici;percioche com'ho detto non sete gindici competenti . N.S. vostre magnifiche persone guardi in suo santo seruitio.di Castronouo il dì 6. di Nouembre 1560. Ad ogni ordine vostro.]F. Archiepiscopus Panormitanus. A tergo,[Al magnifico Signore Giouannotto Sifcar Locotenente di Capitanio in Caccamo .] Hanc Epistolam originalem ego vidi, & legi in libro MSto Regiæ Monarchiæ post fol.1530.qui conseruatur in Officio Regij Protonotarij, vbi etiam inuenies alias scripturas, in quibus dictus Archiepiscopus officiales laicos pro hac re excommunicauit, & licèt ibi inueniatur littera Viceregia . Ioãnis de Vega sub die 17.Septembr.14.Indictionis, 1555. vbi asserit

asserit non solùm Clericos coniugatos, sed etiam alios Ecclesiasticos cogi posse ab officialibus laicis in tali casu, tamen hoc est contra libertatem Ecclesiasticam, per ea, quæ superius dicta sunt, & communiter asserunt DD. Et ideò præter Doctores rectè docuit Philibertus Marchinus de bello diuino, seu tract. de peste, part. 4. cap. 2. num. 1. & sequ. cum Marta de iurisdict. p. 4. centur. 1. cas. 74. & alijs, Principes laicos tempore Pestis non posse Clericos coercere ad obseruanda eorum banna pro bono publico, & pro tuenda sanitate edita, sed debent Episcopum pro executione prædictorum rogare. & ita declarauit nouissimè sacra Cardinal. Congregatio facto verbo cum Sanctissimo sub die 21. Ianuarij 1531. Vnde Episcopi tempore pestis, si rectè id iudicent bono publico expedire, vel omnem suam potestatem in Ecclesiasticos quantum ad arcendam ab vrbe pestē & ad conseruandam sanitatem pertinet, ipsi magistratui sæculari delegare debent, vel Ecclesiasticam personam assessorem laicalibus sanitati præsidentibus misceat, qui iurisdictionem in Clericos exercebit.

An Clerici minores, vt gaudeant priuilegio fori, debeant in diebus Dominicis cum superpelliceo Diuinis interesse.

RESOL. LXXXVIII.

HÆc quæstio à nobis posita est per quamdam pragmaticam huius Regni, quam citat & sequitur Maurus Burgius de modo procedendi ex abrupto cent. 1. quæst. 65. n. 29. in qua statuitur, vt Clerici volentes gaudere priuilegio clericali, debeant per Regnum perseueranter incedere cum Clericali habitu & tonsura, atque diuinis officijs quibuslibet diebus Dominicis, & festiuis, horis congruis, cum superpelliceo personaliter interesse.

Sed quod Clericus, vt gaudeat priuilegio fori, debeat seruire singulis diebus Dominicis, & festiuis, cum superpelliceo, diuinis Officijs, falsum est. Nam Concil. Tridentinum sess. 23. cap. 6. statuens vt Clerici debant deseruire alicui Ecclesiæ, non est intelligendum ita liberaliter & rigidè, id est, pro omni tempore, sed pro maiori parte ipsius, vt ex sacra Cardinalium Congregatione ego adnotaui in 1. part. tract. 2. resolut. 34. & docet Riccius p. 4. decis. 154. num. 5. Gratianus in discept. forens. to. 3. cap. 440. n. 6. Mastrillus tom. 1. decis. 113. num. 13 & alij. Nec obstat pragmatica huius Regni. nam aduersùs illam insurgit nouissimè Sebastianus Guazzinus de defensionibus reorum, to. 2. defens. 20. c. 9. nu. 35. Vide etiam Alexandrum Trentacinquum consil. 12. num. 75. vol. 2. Tritum est enim Clericos non posse ligari pragmatica iudicis laici, & licèt Antonius de Ballis in tr. variar. lib. 5. pragm. 1. tit. 10. nu. 5. asserat, quod ista pragmatica tanquam coadiutiua dispositionis iuris communis, licèt sit facta à laico, sustineri potest; tamen quicquid sit de hac doctrina assero dictam pragmaticam imponere onus Clericis, quod ius commune illis non imponit, vt probatum est; ergo non potest ligare Clericos, & ideò ex defectu iurisdictionis nullam esse dicendum est.

An Clericus in minoribus si habeat beneficium, & non deferat habitum & tonsuram gaudeat priuilegio fori.

RESOL. LXXXIX.

NEgatiuam sententiam docet Maurus, Burgius de modo procedendi ex abrupto, centur. 1. qu. 65. nu. 23. vbi inuehitur contra Farinacium, & asserit hanc opinionem decere Concilium Tridentinum sess. 23. c. 6. Sed omninò fallitur. nam affirmatiua sententia quam tenent communiter Doctor. fundatur in Concilio Tridentino, vbi ponit particulam, *aut*, quæ disiungit, sic enim asserit. Is fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, &c. Et ita hanc opinionem præter Farinacium docet, me citato, Paulus Squillante de priuileg. Cleric. c. 7. dub. 1. n. 23. Heuia in curia Philippica p. 3. §. 1. nu. 3. Bobadilla in polit. to. 1. lib. 2. c. 18. n. 102. Cenedus in qq. canon. q. 4. nu 19 Nouarius in nouo iure Pontificio conclus. 117. nu. 6. & Salzedo in pract. crim. Benardi Diaz c. 62. nu. 9. vbi sic ait. Si Clericus prima tonsura initiatus beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, quamuis non deferat vestes clericales, gaudere debet priuilegio fori Ecclesiastici, vt constat ex Concil. Tridentino. Sic ille. Vnde non est audiendus Burgius.

Vtrum pauper, & miserabiles personæ possint laicum coram iudice Ecclesiastico conuenire?

RESOL. XC.

AFfirmatiuam sententiam omninò tenendam esse puto, ex textu expresso in cap. super quibusdam, de verbor. significat. ibi, *item viduis pupillis, orphanis, & miserabilibus personis tenearis in iudicio Ecclesiastico respondere, & cetera.* Idem probatur ex Panormitano & Butrio in cap. per vestras, de donatione inter virum & vxorem, facit etiam textus in c. si quis de potentibus 21. cap. si qui s Romipetas 23. cap. illi qui 25. in ordine, 24. quæst. 3. & ita docent scribentes in cap. significantibus, de offic. & potestate iudic delegat. & in cap. ex tenore, de foro competent. & hanc tuentur sententiam Palacius. Rubeus in repet. cap. per vestras, §. 1. numer. 5. & alij, quos citat & sequitur nouissimè Gabriel Aluarez tract. de priuileg. pauper. quæst. 52 num. 13. quibus adde Scacciam de iudicijs tom. 1. lib. 1. cap. 12 num. 17 Cenedum in quæst. canonic. quæst. 14. num. 4. Vnde pro sibi relictis alimentis posse pauperem aduersarium laicum ad Iudicem Ecclesiasticum trahere, docent Bartolus, Imola, Geminianus, & alij, quos adducit Petrus Surdus de aliment. tit. 8. priuileg. 9. n. 2. & in quauis alia causa idem dicendum est, cùm miserabilibus ac pauperibus, absque alicuius, causæ præfinitione concessum sit priuilegium in dicto cap. super quibusdam, alijsque iuribus relatis. Vnde immeritò quidam Iurisconsultus nolebat olim hanc sententiam admittere, & inconuenientius ipse asserebat; nam multæ causæ laicorum ad Ecclesiastica tribunalia, stante hac opinione, differri possunt; sed, vt dixi, immeritò hoc asserebat. nam, vt visum est, sacri Canones hæc determinant, & concednnt, quibus omninò standum esse nemo Catholicus ambiget.

Notandum est tamen pro intelligentia dicti cap. super quibusdam, quod si pupillus, vel vidua esset diuites, non gaudent priuilegio trahendi laicos ad tribunal Ecclesiasticum. Ita Doctores citati.

An Clericus vt gaudeat priuilegio fori, debeat portare non solùm pallium, sed etiam togam vsque ad talos.

RESOL. XCI.

SEntentiam affirmatiuam tenebat in facti contingentia quidam Iuriscõsultus, & adducebat Bullam Sixti V. & hoc etiā docet Moscouius de maiestat. milit. Ecclesiæ, lib. 1. part. 2. cap. 2. Venetus in examin. Episcop. lib 5. c. 5. nu. 2. vbi asserunt tunicam Clericorum esse debere nigram & talarem, & hanc sententiam docet etiam Cæpolla consil. 11. n. 30.

Sed ego tunc contrariam sententiam docui cum Ioanne Maria Nouario in nouo iure Pontificio conclus. 117. numer. 6. vbi sic ait. Dicendum est Clericum in habitu & tonsura incedere, quando fert pallium talare, licèt toga non tangat genu, & consequenter debet priuilegio fori frui, tamquam satis faciens dispositioni Concilij Tridentini sess. 23. capit. 6. vbi cautum est Clericos in minoribus teneri deferre habitum & tonsuram, Ita ille. Vide etiam Antonium de Ballis tractat. var. lib. 5. pragmat. 1. tit. 10. num. 53. & hanc sententiam in terminis dictæ Bullæ Sixti V. quam ille Iurisconsultus asserebat, tenet Garzias de beneficijs tomo 2. part. 7. cap. 1. num. 23. & alij penes ipsum, asserentes Clericis non esse necessarium portare duas vestes longas, sed quod vna sufficiet, vel tunica, vel pallium,

Verùm circa præsentem quæstionem communem doctrinam adducit Farinacius quæst. 8. num. 69. & Scaccia de iudicijs tom. 1. libro 1. cap. 11. num. 84.

An

An bannitus, si steterit in Ecclesia sua patria, intelligatur exilium fregisse.

RESOL. XCII.

Affirmatiuam sententiam docet Io. Capiblan. de officio Baronum to.2.pragm.8.cap.34.num.4. quia licèt Ecclesiæ sint exemptæ à iurisdictione temporali, & subiaceant Ecclesiasticis, tamen stant in territorio Principis sæcularis in quo fundatæ sunt, & inde est quod Doctores asserunt, Episcopum non habere territorium; cum ergo locus stat in territorio, vbi exiliatus commorari non debet, ideò videtur, inquiri, & puniri posse de sententiæ inobseruantia.

Sed ego negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam nouissimè tuetur Anton. de Marinis quotid.resol. cap.116. per totum. lege illum, & non pigebit. Vnde ad rationes Capiblan. dico; Ecclesiam ratione situs verè dici in territorio ciuitatis vbi sita est, attamen quoad iuris effectus, & præcipuè ad ligandum ordine, aut statuto Principis territorij id, quod fit intus Ecclesiæ, vel in loco exempto, verè non dicitur de territorio; immò duo hæc æquiparari, esse in loco exempto, vel esse extra territorium, docent Legistæ in leg.fin.ff.de iurisdict. omnium iudicum. Paulus de Castro consil. 187. Alexander consil. 151. vol.2. Natta consil.643. per totum, Rolandus consil.33. volum. 3.& alij. Id verò quod asserit Capiblancus, Episcopum non habere territorium, negatur, quod suprà in hoc tractatu satis probatum est, & probat Barbosa de officio & potestate Episcop.p. 3.allegat.107.n.1.

An Clericus incedens in habitu si omittat portare tonsuram perdat priuilegium fori.

RESOL. XCIII.

Affirmatiuè, videtur respondendum ex Côcil. Trident sess. 23.cap.6. vbi statuitur, quod vt priuilegio fori potiri possint Clerici in minoribus, debent deferre habitum & tôsuram, & ita docent Barbosa de potestate Episcopi, part.2.alleg.12. n. 19. Riccius tom. 4. decis. 154. Belletus in disquis. Cleric.p. 1.tit de fauore Clericorû personali, §.8.nu.7. & alij penes Barbosam loco cit. quibus adde Gauantû in enchirid. Episc. verb. fori priuilegium, n.8.

Sed contrariam sentêtiam docet Marius Antoninus variar. resolut. lib.3. resolut. 48. num.9. & 10 Capiblancus de Officio Baronum. tom.1. pragmat.8. part.3. numer.29.& Elisæus Danza in pugna Doctor. cap.1. de Clericis, num. 15. vbi asserunt quod dicti Clerici si neglexerint portare tonsuram, non amittunt priuilegium fori, quia tonsura non est tantæ solemnitatis. Vide etiam Scacciam de iudicijs tom.1. lib.1. cap. 11. num. 9. & Farinacium quæst.8. num.65. asserentes in Clericis non coniugatis vt gaudeant priuilegio fori, sufficere alterum istorum, sc. vt deferant habitum, vel deferant tonsuram. Et ad verba Concilij Trident. respondet Marius Antonius vbi supra, quod licèt loquantur per copulam *&*, quę requirit concursum copulatorû: tamen in c. si iudex, de sentent. excommun. in 6. legitur copula *&*, circa dictam delationem, vt legitur in Conc. Trid. & tamê de iure cômuni sufficit delatio alterius, & Concil. Trid. in dicto loco non videtur inducere correctionem iuris communis: ergo, &c. Vnde ego huius dubij resolutionem remitto ad sacram Congregationem.

An iudex sæcularis possit punire laicum sub prætextu eius prohibitionis etiamsi habeat licentiam ab Episcopo in diebus festis laborandi.

RESOL. XCIV.

Negatiuè respondendum est, & ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio sub his verbis Cùm officiales Curiæ sæcularis Mutinæ prætendant, neminem posse in diebus festis vacare operibus seruilibus, etiam de licêtia Episcopi, nisi eorum quoque licentiam obtineat, & laborâtes absque eorum licentia, incidere in pœnas ab eis, contra non obseruantes dies festos, statutas Episcopus petit vt declaretur, ad quem spectet huiusmodi licentiam concedere; & an si ipse prævia necessitatis approbatione aliquibus illam concesserit, possint prædicti Officiales eos punire? Sacra Côgregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum censuit huiusmodi licentia concedendi iuxta sacrorum Canonum præscriptum, ad Episcopos tâtùm pertinere, non autem ad ministros sæculares, atque eos, qui diebus festis præuia Episcopi licentia operibus seruilibus vacauerint, nequaquâ posse à iudicibus laicis quoquomodo mulctari, aut puniri, Robertus Cardin. Vbaldinus. & hanc declarationem adducit Megalius consf. 97. num. 2. & Homobonus de bonis in examin. Eccles. part.3. tract.15. cap.7. quæst.17. resol. 3. qui alios DD. adducit pro hac firmanda sententia quam iterùm docuit nouissimè in consul. cas. conscient. volum.1. part.2. præc. 3. respons. 32.

An iudex laicus possit punire aliquem qui post diffamationem & inquisitionem homicidij ingressus est Religionem?.

RESOL. XCV.

De hoc casu controuersia mihi fuit cum quodam Iurisconsulto, qui in facti contingentia adducebat pro parte affirmatiua Bullam Sixti V. & quod delinquens in tali casu præsumatur habitum Religionis in fraudem suscepisse.

Verùm ego negatiuam sententiam teneo, quam in terminis docet Homobonus in consult. moral. vol.1. præc.8. p.2. respons. 190. & ante illum Bartholo. de Vecchis in praxi nouit. disp.11. dub.12. num. 11. vbi rectè probat, in supradicto casu Nouitium ad summum puniri posse à Iudice sæculari in pecunia & bonis, non autem in corpore, etiam si cum fraude ingressus sit religionem. Immò Marta de iursdict. par.4. cent.2. cas. 121. à. numero 22. latè probat dictum Nouitium etiam neque in pecunia & bonis, posse puniri à iudice sæculari, quod ego alibi de Clerico satis probaui. Ad Bullam verò Sixti V. assero iam moderatam fuisse à Clemen. VIII. vt notant supracitati Doctor. Ergo, &c.

An palatia Episcopi vltra quadraginta passus ab Ecclesia distantia gaudeant immunitate si non habeant Oratorium in quo Missa celebretur.

RESOL. XCVI.

Pro negatiua sententia in part. 1. tractat. resolut.27. adduxi aliquos, quibus nunc addo Ambrosinum de immunitat. Eccles. cap.10. numer.7.& nouissimè Elisæum Danza in pugna. Doctorum cap. 2. de Immunit. Eccles. num.1. vbi sic ait. Cauti debent esse Episcopi, qui in eorum palatio Episcopali vltra quadraginta passus ab Ecclesia habeât Oratorium, siue Capellam in qua Missa celebretur, hoc enim casu huiusmodi palatium Ecclesiæ immunitate gaudet, ita vt ad illud confugientes tuti sint. Ita ille.

Sed non esse discedendum à sententia affirmatiua vbi suprà, ego docui cum multis Doctoribus, & nunc iterùm docet cum Ludouico Cortea in relect. de immunit. Eccles. part.2. quæst.8. num.19. Belleto in disquis. Cleric.p.1. tit. de fauore Clericorum reali §.4. num.35. Alzedo in praxi Episc. p.2. capit.12. nu.77. Gauanto in enchir Episc. ver. immunitas Ecclesiastica, nu.... & me citato, tenet etiam hanc sententiam Io. Domin. Tassonus in pragmat. de Antifato. ver.13. obseru.3. num. 31. & ratio est clara, quia iura & canones indistinctè domui Episcopi immunitatem concedunt. ergo non est restringenda ad palatia Oratoriû habentia, quæ omnia Antonius Nouarius in summa, Bullarum tit. de immunitat. Eccles. num. 10. & alij, extendunt ad palatia Episcopi, etiam ipso mortuo, vel absente, dummodo non fuissent alteri locata.

An iudex sæcularis teneatur restituere reum Ecclesiæ, licèt fuerit extractus cum licentiâ Episcopi, si constet illum non commisisse delictum in Bulla Greg. XIV. exceptum.

RESOL. XCVII.

Hic casus potest frequenter accidere, apud paucos auctores agitatum inuenies, cui ego affirmatiuè prorsus respondeo quia

quia tali delinquenti verè debebatur immunitas, & per errorem qui in huiusmodi imperfecta cognitione facilè interuenire potest, ab ea exclusus, traditus est curiæ sæculari. Constat autem postea iniustam à parte rei fuisse illam Episcopi sententiam consequenter cōstat debitam esse illi immunitatem, ergo dum res integra est, & immunitas illi seruari potest, seruanda est; & ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Antonius de Marinis resol. quotidian tom. 1. cap. 175. nu. 2. & seq vbi multas alias adducit rationes pro hac firmanda sententia, adi illum, & non pigebit. Vnde hāc sententiam aliquibus ministris Regijs ego consului. quibus etiam adduxi Regentem Constantinū in supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Greg. XIV. vbi num. 70. sic ait. Et idem dicendum quando extractio fieret cum licentia Episcopi æstimantis reum ob qualitatem delicti extrahendum esse, nam si postea apparuerit, qualitatem illam non esse veram, reponendus erit delinquens ad Ecclesiam. Ita Regens Constantius.

An verò detur appellatio à sententia Episcopi declarantis reum non gaudere, negat Guazzinus de modo defen. reos, to. 1. defen. 1. cap. 31. nu. 11. & Bonacina de leg. disp. 3. q. 7. punct. 7. n. 11. Secus si sit lata sententia in fauorem rei, sed etiam in tali casu appellationem non competere, tradit Peregrinus de immunit. c. 16. nu. 33 Verùm cum Bonacina consentit Farinacius in append. c. 27. n. 372.

An iudex laicus possit incidenter cognoscere nullitatem censurarum, & ordinare vt sæculares & Ecclesiastici illas non seruent, & quod tolantur cedulones à portis Ecclesiarum.

RESOL. XCVIII.

GAbriel Pereira de manu Regia cap. 7. nu. 22. affirmatiuam sententiam tenet, quam postea acriter defendit & tutatur Franciscus Mirauete in informat. Lingua Hispanica conscripta, pro iurisdict. Regia art. 10. & sequ. quia iudex laicus incidenter potest cognoscere de validitate, vel nullitate spiritualium, quæ ex ipsis actis summariè, de plano, & sine altiori discussione potest colligi, & ideò iudex sæcularis cognoscere potest de quocumque articulo spirituali incidenti in causa principali, de qua ipse cognoscit quando res est notoria, & euidens. Igitur in casu posito iudex non cognoscit, de nullitate censurarum principaliter, sed per modum causæ, & incidenter, & pro hac sententia faciunt DD quos citat Octauianus Cacheran in decis. Pedemont. 116. vide etiam Barbosam in l. Titia. nu. 34. & 52. ff. solut. matrim, Sesse de inhibit. c. 10. §. 1. n. 4. & seq. cum Ramirez de lege Regia §. 27. à n. 11.

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quia, vt rectè probat Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 2. & ibi Decius nu. 46. quos citat & sequitur Piasecius in praxi Episcop. p. 2. c. 4. art 3. num. 16. Iudex laicus non potest cognoscere causam ad forum Ecclesiasticum spectantem, neque incidēter; vnde Innocent. Panormitanus, & Antonius de Butrio in cap. tuam, de ordin. cognit. docent, quod si incidit quæstio spiritualis coram sæculari iudice, remittere tenetur Ecclesiastico terminandam, neque potest præcipere vt infra certum tempus illam expediat, vt cum multis firmat Genuensis in praxi Archiepiscop. cap. 77. num. 2. Igitur in causis spiritualibus etiam incidenter, nullatenus Iudex sæcularis potest se intromittere; vide cap. decernimus, c. quanto, de iudic. c. lator, c. causam quæ, qui. fil. sint legit. & glossam in c. si iudex laicus, de sent. excommunic. in 6. & ita hanc sententiam, nempè non posse iudicem sæcularem neque incidenter cognoscere de nullitate censurarum, docet Marta de iurisd. p. 3. c. 16. n. 4. & seq. Et ex Doctorib. Hispanis hanc etiam opinionem contra Mirauetem vbi suprà tuetur Mathias Beyetola in allegat. pro iurisdictione sancti Officij art. 7. n. 136. & seq & Anton. Arrianus in discursu iuridico pro iurisd S. Officij art. 2. nu. 148. & seq. vbi firmat & probat has conclusiones.

Prima, [que los iuezes seculares ni principaliter ni incidenter pueden conocer de la nulidad de las censuras, antes bien el querer pretender esso es cosa nefaria segun el Decreto del S. Cōcilio Tridentino sess. 25. cap. 3. Secunda por essa razon los Iuezes seculares que mandan so color de nulidad que no se guarden algunas censuras fulminadas por los Iuezes Ecclesiasticos incurren en sentencia de descumunion ipso iure, y en las censuras de la Bula Cœnæ Domini, vt patet ex Clem. grauis, vbi scribentes, de sentent. excommunic. & in Bull. Cœn. excommunic. 16. Tertia los Iuezes seculares o otras qualesquiere personas legas que sin tener autoridad, como no la tienen so pretesto de nulidad de las censuras o de otro qualquiera mandan a los Prelados y Curas y otras personas Ecclesiasticas que no las publiquen obedescan ni guarden, son y han de ser vistos menos preciarlas y por el cōsiguiente sentir mal dellas, y finalmēte de primo ad vltimum se hazen sospechosos en la fe,] quæ omnia dictus Arrianus vbi supra satis, vt dixi, firmat & probat. Vnde rectè hanc opinionem subscripsere Theologi & Iuristæ doctissimi Cæsaraugustæ die 3. Ianuarij anno 1614. in quodam voto manuscripto, quod penes me habeo; non est igitur de hac opinione dubitandum, quicquid asserat Pereira & Mirauete locis cit. Vide etiam Morl. in empor iuris, p. 1. tit. 2. n. 133. vbi firmat non posse iudicem laicum cognoscerè de validitate, vel nullitate censuratum.

Ad id verò quod aduersarij asserunt, iudicem laicum in casu proposito cognoscere de nullitate censurarum, incidenter respondeo cum Morla vbi supra numer. 134. Ioanne de Vanchel in cap. vt inquisitionis, conclus. 4. de hæret. in 6. iudicem laicum nō posse neque incidenter cognoscere de negotio spirituali ratione incapacitatis, vt patet ex cap. tuam, de ordin cognit. & in cap. lator, & cap. causam quæ el 2. qui filij sint legit. quod aliqui extendunt etiam, quando quæstio versatur circa factum, quia ex facto ius oritur, vt patet ex l. si ex plagis. § in cliuo capitolino, ff. ad leg. Aquiliam, & sic non potest dari quæstio facti, quin non sit iuris, cum vna ab alia separari non possit: vnde ratione connexitatis, etiam quæstio facti agitanda videtur coram Ecclesiastico, argumento c. quanto, de iudicijs, vt in casu simili notauit Bartolus in l. solent, num. 13. ff. de alim. & cibar. legat. Vide Doctores quos refert Meneses in l. 1. C. de iur. & fact. ignorantia, n. 57. Romanus in l. Titia, num. 5. ff. solut. matrimon. & Fulgosius cons. 133.

Nota etiam quod post hæc scripta inueni nostrā sententiam docere Io. Dionysium Portocarrero in allegat. pro iurisdict. S. Officij, num. 97. vbi sic ait. Postremò in profundo malorum deuentum est, [publicaron vn edicto enque teniendo las censuras por nulas, y llamandolas assi, mandaron à todas las personas Ecclesiasticas à quiē tocaua su publicaciō, que no las guarden ni publiquen, y poniendolo ellos en execution no se quisieron tener por excomulgados. este hecho ha sido calificado por los calificadores del Consejo declarandolo por injurioso, y escandaloso, y sosphecoso, y que sapit errorem, y deuerse recoger el Edicto como tal, porque los Ministros Reales procedieron de cho sin iuri sdicion, pues siendo la materia de censuras meramente Ecclesiastica no pudierō conocer de su valor personas seglares, y siendo los Iuezes seglares inferiores de los Ecclesiasticos no puedē conocer del valor, de lo que ellos hazē.] Ita Portocarrero, qui latè ex sacris Canonibus & rationibus hanc sententiam probat, vnde de illa non est dubitandum, vt superius dictum est.

Ex his obiter aduerte esse reprobandam sententiam Corseti tracta. de potest. Reg. part. 4. num. 8. Senatus Pedemon. decis. 30. nu. 15. & aliorum, asserentium posse Principem laicum interdicere, seu inhibere Episcopis & eorum Vicarijs ne quemquam excommunicent nisi prius excommunicationis causa ostendatur. Sed hæc opinio est contra Concil. Trid. sess. 25. c. 3. ex quo etiam reprobatur. Couarr. pract. q. c. 35. nu. 4. Sed de hac quæstione suprà satis dictum est,

An iudices laici possint se intromittere in executione legati pij.

RESOL. XCIX.

EXecutionem etiam talium legatorum esse mixti fori, tradit Io. Honorius in comp. iuris, canon lib. 3. titul. 26. numer. 20 Valens. in Decret. lib. 3. titul. 26. § 8. num. 4. Marta de iurisdict. p. 2. cap. 11. num. 14. & Sanchez in opusc tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 54. num. 4. Tiraqu. de priuil. piæ causæ, priuil. 149. & ibi Io. Baptista Thorus & alij penes ipsos assereores executionem legatorum piorum pertinere ad vtrumque iudicem, Ecclesiasticum & sæcularem.

Sed hæc opinio videtur procedere in terminis iuris ciuilis, per l. hæreditas, & l. nulli, C. de Episc. & Cler. l. hæreditas, verb.

finali,

finali. ff. de petit. hæred. & alios textus. Verùm attento iure Canonico priuatiuè executio legatorum piorum solis Episcopis commissa videtur, vt patet per capit. tua, de testam. in illis verbis. Cùm igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundùm defuncti voluntatem vniuersa procedant, &c. vide etiam cap. si hæredes, eodem tit. & Concil. Trident. sess. 7. cap. 15. & sess. 22. de reform. capit. 8. & ita hanc sententiam docet Bonacina de contract. disp. 3. q. 18. punct. 1. §. 10. num. 1. vbi sic ait. De legatis pijs perspicuum est competentem ipsorum iudicem esse Ecclesiasticum, non verò secularem, quia nulla causa excedit sphęram, seu terminos suę actiuitatis: legata autem pia non sunt intra sphæram, seu terminos & limites iurisdictionis laicæ. Sic ille, & alij, præsertim Spino in speculo testam. glossa. 28. n. 44.

An iudices laici possint præscribere numerum satellitum Episcoporum, vulgò dicti Alarij.

RESOL. C.

NEgatiuè respondeo, & ideò, teste Gauanto in enchirid. Episc. verb. forum Episcopale, num. 36. & Barbosa de iure Pontificio lib. 1. cap. 11. n. 75. Sacra Cardinalium Congregatio die 14. Aprilis anno 1615. decreuit, quod Episcopus potest habere tot satellites, quot voluerit. Vnde tempore Philippi Regis Franciæ, cùm ministri Regij contra Prælatos illius Regni instarent, quòd dicti Prælati magnam haberent multitudinem officialium, tunc Cardin. Petrus Bertrandus in 2. respons. ad articulos laicorum. num. 7. sic respondit. fol. mihi 272. Tam de ratione, quàm de iure, & consuetudine quilibet Prælatus in quacumque parte suæ diœcesis potest habere officiales suos, & alias personas ad iurisdictionem Ecclesiasticam exercendam; quilibet enim dominus temporalis vbicumque in terra sua potest habere gentes, & iustitiarios suos, & eadem ratione, & spiritualis iudex. Sed si tales Commissarij abusi fuerint in aliquo, seu etiam abutantur, parati erunt Prælati tales abusus corrigere, & apponere remedium opportunū, vel si alicubi sit talium commissariorum nimia multitudo, ipsi de sufficienti numero prouidebunt. Ita Bertrandus. Vnde ex his apparet non posse Principes laicos determinare numerum satellitum Episcoporum pro quacumque ciuitate, & si de illis esset nimia multitudo, instent & rogent Episcopos vt ipsi de sufficienti numero prouideant, qui quidem iustis petitionibus Principum debent acquiescere. Et ita post hęc scripta inueni hanc sententiam docere Venerum in examine Episc. lib. 4. cap. 12. num. 5. vbi sic ait. Si fuerit controuersia, vel querela inter iudicem sæcularem & Ecclesiasticum propter multitudinem ministrorum, quis debet determinare numerum certum? Respondeo iudex Ecclesiasticus superior: nam iudex laicus, etiamsi sit Prorex, nō potest cognoscere causam Ecclesiasticam Episcopi, vel Vicarij, aliàs incidit in excommunicationem latam a iure; benè tamen potest obseruare vt talis numerus reformetur repræsentando damna & incommoda. Ita Venerus.

An Principes laici consuetudine possint acquirere ius collectandi Ecclesiasticos.

RESOL. CI.

REspondetur quòd secundùm opinionem communem Canonistarum & Iurisperitorum si bona Clericorum & Ecclesiæ iure diuino exempta sunt, & hæc libertas eodem iure inducta sit, consuetudo non potest eam tollere, quia in ea, quæ sunt iuris diuini, consuetudo suam non exercet vim. Si autem hæc exemptio non est iuris diuini, sed positiui, adhuc respondendum est consuetudinem non valere, & iniustam esse, qua vsurpatur potestas à laicis collectandi & grauandi Clericos, & quo diuturnior, eo est damnabilior. Nam consuetudo cui lex resistit eam improbando, non valet. Felinus in c. accedentes, de præscript. post col. 4. fallent. 3. qui etiam alios allegat. Panormitanus in cap. cum ex officij, eodem titul. Franciscus Balbus de præscript. in 5. p. quintæ principalis, qu. 9. propè finem. Nec mirum, cum hæc cōsuetudo dicatur irrationabilis, quam iura improbant, per multa iura allegata à glossa in c. fin. de consuet. & ibid. Doctores. Sed vtrumque ius improbat consuetudinem contra libertatem Ecclesiasticam, & eam non valere vult, quę Ecclesijs, earūque ministris inducit grauamen, c. 1. de consuet. arg. c. quamquam, de consuet. in 6. & c. 1. de iureiurand. eodem lib. &c. & si pignorationes, de iniurijs, ibi, & in Authent. Cassa, C. de sacrosanct. Ecclesijs. Cassa & irrita (ait) esse denuntiari per totam Italiam præcipit omnia statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, &c. & de cætero similia attentata ipso iure nulla esse decernit. hæc ibi. Vnde Doctores communiter concludunt, statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam non valere, & nullius esse roboris. His accedit, quod Nauarrus in manuali cap. 27. n. 7. declarat, quòd censuræ Bullæ Cœnæ includunt omnes, etiam Imperatores, & Reges, & vniuersitates, & quòd nulla consuetudo, etiam immemorabilis, nec præscriptio quælibet longissima contra eas prodest. Non ergo sæculares titulo cōsuetudinis possunt inducere exactiones, & grauamina cōtra Ecclesias, & Clericos, nec colore talis prætextus liberantur à censura excommunicationis, & restitutionis debitu. Quare mirandum, quòd aliquando nasuti, & qui gloriantur de aliquali scientia, velint sua facta in his excusare prætextu consuetudinis, quam rectiùs corruptelam, & abusum nominarent, & verendū iure, vt etiam Nauarrus c. 17. n. 203. obseruat, ne Deus omnipotens in dies magisq; iratus Consultores Principum de prædictis Canonibus parum curantes, & Principes nimium illis credentes grauissimè tandē castiget. Et hæc omnia supradicta docet doctus Binsfeldius in comment. de iniurijs & damno dato, c. 7. conclus. 12. dub. 3. Vide meipsum p. 1. tract. 2. resol. 96.

Vnde ex his apparet quàm malè & contra sacros Canones loquutum fuisse circa præsentem quæstionem Nicodemum de Florentia in speculo Confessar. c. 73.

An iudex laicus violet immunitatem Ecclesiæ, si carceret aliquem a personis priuatis per vim extractum ab Ecclesia.

RESOL. CII.

NEgatiuam sententiam docet Suarez de Religione tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 17. & 19. in fine, quia talis Iudex, vt suppono, non fuit particeps extractionis. ergo non incurrit pœnas.

Sed ego affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto, quia illa extractio irrita fuit & nulla; ergo extractus illicitè, nec iuridicè potuit à Iudice laico incarcerari, quamdiu per extractum non sterit, ne in loco sacro reponeretur. Adde quòd Gregorius XIV. in sua constitutione interdixit illas actiones per particulam vel, quæ est alternatiua, ibi, capere, extrahere, aut carcerare, & ita docet Bonacina in Decalog. disp. 3. quęst. 7. punct. 9. num. 10. Valentia to. 3. disp. 6. q. 15. punct. 1. ad 2. & Genuens. in praxi c. 17. nu. 6. vbi etiam rectè notat cum Peregrino de immunitate c. 14. n. 10. & alijs contra Gambacurtam li. 8. c. 7. nu. 4. & 5. quòd priuata persona, qui extrahit aliquem ab Ecclesia, afficitur censura.

An gaudeat immunitate Ecclesiæ coniurans, seu machinans, vt tradat inimicis Regnum, ciuitatem, &c.

RESOL. CIII.

REspondet negatiuè Gambacurta de immunit. li. 1. c. 44. du. 5. quia talis est reus criminis læsæ maiestatis. ergo non debet gaudere immunitate.

Sed ego contrariam sententiam teneo cū Peregrino de immunit. c. 10. n. 7. Farinacio in appen. c. 14. n. 190. Mario Italia de immunit. lib. 1. c. 5. §. 7. nu. 45. & alijs; quia Gregor. XIV. in sua constitutione excipiendo crimen læsæ maiestatis taxauit dictā exceptionem in personam ipsiusmet Principis, & paulo antè posuit dictionem taxatiuam *tantum*, quæ de sui natura est impeditiue extensionem ad non expressa. Et in dicta constitutione exceptio casuum fit per modum formæ, ergo nihil addi, vel minui potest, sed ad vnguem seruari. Ita Peregrinus vbi supra, & post hæc scripta inueni hanc sententiam docere etiam Martinum Bonacinam in Decalog. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 6. num. 5. quia, ait ille, in tali casu delinquens non dicitur coniurare in personam Principis nec facere actionem, in offensionem personæ, sed dignitatis, quę tali personæ competit: ergo, &c. Et

tandem

tandem hanc sentẽtiam docet Castrus Palaus hoc anno Lugduni impressus to.2.de reuerentia debita locis sacris, disputat. vnica, punct.9.num.42.in fine. Vide meipsum in part. 1. tract. 1.resolut.7.

An testis qui pretio falsum deposuit, vnde innocens damnatus fuit ad mortem, gaudeat immunitate Ecclesiarum.

RESOL. CIV.

NEgatiuam sententiam docet Marius Italia lib.1.capit.5.§. 5 n.144.& seqq.quem citat.& sequitur Peregrinus c.7.n. 42.quia talis dicitur assassinus; cui enim competit definitio assassinij, competit etiam definitum. Et idem dicendum est de iudice, qui pecunia corruptus innocentem ad mortem damnauit.

Verùm oppositam sententiam obseruat Martinus Bonacin. in Decalogum disp.3.qu.7.punct.6.§.3.nu.8.esse probabilem & fauorabilem immunitati Ecclesiæ. nam testis, seu iudex in tali casu propriè,& physicè loquendo, non occidit.ergo, & ideò si casus aliquando acciderit, saltem ego puto consulendum esse Summum Pontificem, licèt olim in p.1 tract.1.resol.19.docuerim absolutè talem reum non gaudere immunitate.

Sed quid si testis falsus deponat sine pecunia mediante contra aliquem, & ob id morti à iudice adiudicetur, priuetur que immunitate tamquã occidens aliquem proditoriè? Affirmatiuè responder Italia loco cit.Farinacius in append.ca.7.n.141. putat, dum casus acciderit, consulendum esse Summum Põtificem. Bonacina verò in §.3.n.4 & Peregrinus, asserunt supradictum non priuari immunitate, & ego hanc sententiam amplectendam esse puto, vel saltem consulendum esse Summum Pontificem.

An qui proditoriè occidit infidelem, gaudeat immunitate Ecclesiæ.

RESOL. CV.

REspondet negatiuè Castrus Palaus to.2. disp. vnic. de immun.punct.9.n.31.Peregrinus de immunit.c.7.n.15.Farinacius in append.c.8.n.120.& Marius Italia li.1.c.3.§.3.nu.7. & sequ.quia Greg. XIV. in constitutione excipit proditorem proximum suum occidentem; sed proximi appellatione comprehenduntur omnes homines cuiuscumque fuerint cõditionis vel cultus, seu Religionis, vt latè probant supradicti DD. ergo,&c.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam docet Ambrosinus de immunit.cap.7.nu.12.vbi sic ait.Infertur quòd etiamsi quis proditoriè occiderit infidelem, non propterea est priuãdus immunitate ista, quia si assassinus debet gaudere ea, si assassinat infidelem, multò magis proditor, cum maius sit assassinium proditione. Ita Ambrosinus, quem sequitur Martinus Bonacina in Decalogum.disp.3.q.7.punct.6.§.3.n.6.qui ait. Ille infidelis, strictè loquendo, non videtur noster proximus, cum nobiscum non communicet in fide, in Sacramentis,& in Ecclesia. ergo non includitur in Bulla Greg. & ideò hanc opinionem tamquam probabilem & fauorabilẽ immunitati Ecclesiæ in praxi amplectendam esse puto.

Notandum est etiam hic obiter, occidẽtem infidelem pretio conductum non esse assassinum, & gaudere immunitate Ecclesiæ. Ita Ambrosinus vt visum est cum Castro Palao loco cit.n.35. & alij penes ipsum, contra Farinacium in append.c.8. nu.120.Decianum lib.6.c.28.n.18.& alios.

An qui detentus à birruarijs adhuc intrat Ecclesiam gaudeat eius immunitate.

RESOL. CVI.

SEntentiam negatiuam docet nouissimè Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit.de Immunit.Ecclesiast.n.14. vbi sic ait Detentus à birruarijs, si ita detentus vim faciendo traxisset secum birruarios intus Ecclesiam, non gaudebit immunitate, nisi liber,& solutus euasisset manus familiæ. Ita ille.

Sed ego alibi bis affirmatiuam sententiam docui. cũ Mario Italia,& Farinacio,& nunc iterùm doceo cum Castro Palao in opere morali to. 2. de immunit.disp.vnica pun.7. n. 11. vbi ita asserit. Infertur, si captus à ministris. & ex eorum manibus in locũ sacrum te recipias, immunitate gaudere, quod credo extendendum esse, etiamsi per vim tecum ferres ministros iustitiæ, semper enim verum est ad Ecclesiam confugere, ac proinde illius debes immunitate gaudere. Sic ille.

An si quis ex subita rixa & occasione occidit, vel mutilat aliquem in Ecclesia gaudeat eius immunitate.

RESOL. CVII.

REspondet negatiuè castrus Palaus to.2.disp. vnica, de immunit.Eccles.punct.9 n.12.qui citat Suarez, Bonacinam; Nauarrum, Clarum, Germonium & alios, quia quis puniri debet in eo, in quo deliquit, & Pontifex in Bulla sine vlla distinctione asserit absolutè, mutilantes & occidentes in Ecclesia, nõ gaudere eius immunitate. Verùm non desunt DD. affirmatiuam sententiam docentes quam ego docui in p.1.tract.1.resol. 11.vide etiam Marium Italiam de immunit.lib.1.cap.5.n.24.& seq.Cardinalem Tuschum vet.Ecclesia, conclus.11.n.13. & 14. Azotium p.2.lib.9.c.9.sub q.9 Vnde nouissimè, me citato, Antonius Nouarius in summa Bullarum tit.de immunit.Eccles.n. 58.docet quòd committẽs homicidium, vel membrum mutilans accidentaliter calore iracundiæ prouocatus. non autẽ deliberatè gaudebit Ecclesiæ immunitate. Sic ille, qui etiam nu. 51. tenet existentem in Ecclesia & mutilantem & occidentem existentem extra Ecclesiam, gaudere eius immunitate; quòd à nobis alibi tactum, est licèt Castrus Palaus vbi supra nu.14.cõtrarium doceat, qui tamen n.18. rectiùs docet, quòd si vi, dolo & fraude aliquem ex Ecclesia extraxeris,& extractum occidas immunitate minimè priueris, quicquid in contrarium asserat Farinacius in append.c.16.n.232.& Azorius p.2.lib.9.c.9. q. 14. quia licèt in Ecclesia dedisti causam occisionis, non dedisti tamen causam occisionis necessariam, cum liberè posteà occideris; ergo non eris priuandus immunitate.

An campanile Ecclesiæ, etiamsi sit ab ipsa disiunctum, gaudeat eius immunitate.

RESOL. CVIII.

AFfirmatiuè respondet nouissimè Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit.de immunit.Eccles.n.26. vbi sic ait. Sed quid dicendum de campanili Ecclesiæ (Prima facie dicerẽ quod si esset adiunctum Ecclesiæ, nec peteretur diuisionem, gaudere eius immunitate. Immò quãuis esset diuisum ab Ecclesia, adhuc censerem gaudere debere immunitate, cum videamus palatiũ Episcopi, licèt diuisum sit ab Ecclesia, gaudere dicta immunitate;& campanile habet plus spiritualitatis, quàm palatium Episcopale, dum ibi adsunt, campanæ Oleo sanctissimo consecratæ,& exercentur opera pia, quando pulsantur in Dei honorem, & vulgò appellatur Turris sacra. Ita ille.

Sed hæc opinio mihi non placet, & ad exemplum palatij Episcopi respondeo quòd ad illud extenditur immunitas, non ratione loci, sed ratione personæ & dignitatis Episcopalis, & ideò quamuis distet longissimè ab Ecclesia, gaudet immunitate,& quamuis in eo non adsit Oratorium, in quo sacrificium Missæ celebretur, vt suprà satis probatum est. Ad id verò quod asseritur, quòd in campanili exercentur opera pia quando pulsantur campanæ in Dei honorem, respondeo quòd non omnia loca in quo exercentur opera pia, gaudent immunitate; nam in Oratorijs priuatis domorum celebratur sacrificium Missæ, & in illis sæculares confitentur, & Eucharistiam accipiunt,& tamen, vt patet, non gaudent immunitate, vt determinauit sacra Congregatio Episcop. die 17. Nouembris 1617. & Congregatio immunitatis die 9.Decembris 1631.Igitur solùm in vno casu sententiam Nouarij admitterem, videlicet quando campanile disiunctum ab Ecclesia, esset tamen intra triginta passus. Moueor ad hanc opinionem tenẽdam ex simili casu determinato à sacra Cõgregatione immunitatis die 7. Decẽbris 1632. sub his verbis. Immunitate gaudet arriga, siue campana Ecclesiæ, ab ea tamen distans, sed intra triginta passus, quæ solummodo inseruit pro seruitio Ecclesiæ.

Notandum est tamen hic obiter contra Doctores quos citat Decianus lib.1.cap.24.n.18.& 30. Cœmeterium disiunctum & separa.

separatum ab Ecclesia, hoc non obstante, gaudere eius immunitate, quia eo ipso quòd sepulturæ fidelium destinatum est, præsumitur benedictum esse, & auctoritati Episcopali sacratũ ita DD. quos citat, & sequitur Castrus Palaus to. 2. disp. vnica, de immunit. Ecclesi. punct. 6. n. 16.

An qui conductus pecunia occidit inimicum mandantis, præsente ipso mandante, gaudeat immunitate Ecclesiarum? & quid de mediatore assassini.

RESOL. CIX.

Affirmatiuè respondet Hieronymus Gabriel libr. 1. consil. 170. & Castrus Palaus tom. 2. disput. vnica, de immun. Eccles. punct. 9. num. 36. quia tunc occisor auxilium videtur præstare mandanti, ipseque mandans videtur ibi esse præcipuus occisor, cum autem ab eo se debebat occisus præcauere, non censetur illa occisio proditoriè facta ac proindè nec digna immunitatis priuatione. Ita Castrus, & ego in part. 1. tract. 1. resolut. 23.

Notandum est etiam hic obiter, mediatorem seu proxenetam assassinij gaudere immunitate Ecclesiarum, quia non dicitur verus assassinus. Ita nouissimè Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immun. Eccles. n. 72. qui citat alterum Nouarium, Rouitum & Gambacurtam.

An mortuo Episcopo inuentarium pro spolio possit fieri à iudice laico.

RESOL. CX.

Respondet affirmatiuè Guttierrez in pract. qq. lib. 2. quæst. 49. num. 3. Cabedo decis. 8. & Ceualos de cognit. per viam violent. p. 2. quæst. 78. nu. 13. vbi sic ait. [De aqui se saca la practica de inuentariar los corregidores la haziẽda de los obispos y Arcobispos, y si esto seles impidiere que se saque la ordinaria por via de fuerça dal Consejo Real, adonde se mandan alcar las censuras, y se remite la causa al Iuez seglar, para effecto de pagar las deudas de criados y otras cosa tocantes al buen gouerno.] Sic ille.

Sed tale inuentarium à iudice Ecclesiastico faciendum esse existimo cum Marta de iurisd. part. 4. cas. 122. nu. 15. & Franc. Marco in Delphin. decis. 105. part. 1. Ratio est clara, quia tam mortui, quam successores dictorum bonorum sunt personæ Ecclesiasticæ, nam in tali casu ex morte, verb. grat. alicuius Episcopi, vel ad dicta bona succedunt Episcopi eligẽdi, vel Ecclesia, vel Camera Apostolica, quæ quidem omnes sunt personæ prorsus exemptę à iurisdictione laicorũ. Ergo nescio quomodo in tali casu inuẽtarium supradictorum bonorum possit fieri à iudice laico, qui nullam habet in dictas personas, nec in eorum bona iurisdictionem. Et ita hanc sententiam post hæc scripta inueni docere nouissimè ex Doctoribus Hispanis Augustinum Barbosam de iure Pontificio lib. 1. capit. 8. num. 88.

An filij Clericorum gaudeant priuilegio fori Ecclesiastici.

RESOL. CXI.

Pro affirmatiua sententia in 3. p. tract. 1. res. 7. adduxi plures Doctores, sed scio hanc sententiam displicuisse cuidã ministro Regio, viro doctissimo, & amicissimo; immeritò quidem nam illam præter Doctores vbi suprà citatos tenet nouissimè Augustinus Barbosa de iure Pontificio lib. 1. c. 39. §. 2. nu. 62. vbi etiam testatur sacram Cardinalium Congregationem die 18. Martij 1631. nostram sententiam declarasse, nempè Clerici filium legitimum ante Clericatum susceptum gaudere priuilegio fori durante vita eius patris.

Notandum est etiam hic obiter supradicto ministro Regio displicuisse aliam sententiam, quam docui in dicta 3. p. tract. 1. resol. 43. nempè Clericos non ligari statuto laicorum edito super iure quod vocant cõgrui, sed ego illam iterùm doceo, cum ita decisũ sit à sacra Rota in Romana domo de Scapuciis 19. Ianuarij 1611. coram Illustriss. Domino meo Coccino, viro doctissimo & publico bono nato, quam decisionem affert Marchesanus de commiss. p. 1. c. de commiss. appell. in possess. salu. §. 2. decis. 8. Dicendum est igitur nullatenus laicum validè posse quidquam statuere circa vtile dominium emphyteutæ Ecclesię: quicquid in cõtrarium asserat Valascus de iure emphyteut. q. 17. n. 12. & 14. Gratianus discept. forens. c. 460. n. 26. & alij.

Et tandem nota etiam hic contra Chassaneum in consuet. Burg. rub. 11. §. 1. vers. lors. nu. 9. quòd Clericus emphyteuta non est conueniendus coram iudice laico ad solutionem laudemij, sed coram Ecclesiastico. Ita Maurus Burgius de laudemio p. 3. inspect. 1. n. 14. & Amadeus a Ponte eodem tract. q. finali. n. 5.

An Episcopus, quando cognoscit si reus gaudeat necnè immunitate Ecclesiarum, debeat illum citare.

RESOL. CXII.

Negatiuam sententiam docet Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n. 96. vbi testatur de praxi curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum in controuersijs forensibus.

Sed affirmatiuam sententiam tuetur noster Peregrinus trac. de immunit. Eccles. c. 3. à n. 9. vsque ad nu. 18. & mordicus sustinet hanc sententiam nouissimè Castrus Palaus to. 2. disp. vnica de immunit. punct. 13. n. 11. & 12. vbi respondet ad argumenta contraria, & ait praxim in contrarium si alicubi extaret, abrogandam esse, vtpotè iuri naturali contrariam.

Verùm quicquid sit de hoc, certum est, quòd si reus spontè compareat non citatus, petatq; audiri pro sui iuris defensione, omninò audiẽdus est, & in hoc casu, quousque audiatur se potest opponere sententię Episcopi declarantis immunitatem illi non competere; agitur enim de graui eius pręiudicio, & de iure naturæ competit ei defēsio. Ita Castrus & Peregr. locis cit.

Notãdum est etiam hic obiter Episcopum non posse tradere curiæ sæculari reum extractum ab Ecclesia ex præsumptionibus & coniecturis probabilibus, sed cõcludentem probationem requiri de delicto in Bulla excepto. Ita DD. quos ego ipse citaui in 3. p. tract. 1. resol. 38. quibus nunc addo Castrum Palaũ vbi supra n. 8. qui etiam nu. 9. docet quòd in tali casu Episcopus non tenetur stare processui facto à iudice laico.

TRAT-

ladiego de irregular.cap.6.n.75.Layman sect.5.tract.3.p.3.c.9. n.3.Reginaldus tom.2.lib.30.tract.2.c.9.n.105.Vgolinus de irregularit.c.29.§ ..num.3.Maiolus de irregular.lib.5.c.48.num. 6.Nauarrus c.27.n.271.& alij. Ratio est, quia in Clem.si furiosus, de homicid. excipitur tantùm casus in quo aliter non potest se defendere: ergo,&c.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Petrus Cornejo in 3.part.D.Thomæ tract.5.de irregular. disp. 4. dub. 1. quæstion. 4. Turrianus de cens. lib. 9. disput. 65.dub.1.Hurtado de irregular. disp. 2. diffic.10.num.36.Coninch.de Sacrament.disp.18.dub.9.num.90. Villalobos tom.1.tract. 21. diffic. 24.num.2.Filliucius vbi infrà.Suarez tom.5.disp.46.sect.1.n.6. Præpositus in 3.part quæst.5.de irregul.dub.11.nu. 87. Tannerus in 3.part.disp.6.quæst.10.dub 11.nu.210. Dico igitur, eum qui non potuit euitare occisionem inuadentis iniustè, nisi fugiendo cum dedecore notabili, non esse irregularem, quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem iniustè inuadentis, nisi quando inuasus dedit causam grauem inuasioni, vt quando adulterio, aut verbis contumeliæ incitauit iniuriatum ad inuasionem. Verùm si hæc per accidens consecuta essent, occidentem etiam in hoc casu non incurrere irregularitatem, docet Filliucius vbi infrà, nu. 135. nunc igitur incurritur irregularitas quando in tali casu homicidium præuisum est, vel præuideri potuit ab inserente iniuriam. Verùm Cornejo vbi suprà absoluè docet, quod si aliquis aggressori alapam dedit, aut iniuriosum verbum dixit, aut cum eius vxore inuentus est, in tali casu si aggressus potest fugere, non potest se licitè defendere occidendo, vnde sibi imputet infamiam fugæ, cum ipse occasionem dederit, & ideò cogita an opinio Filliucij sit probabilis. nam contra illum præter Cornejo adest etiã Portel. in dubijs regular, ver. homicidium n.32. in fine, vbi citat Suarez de cens.disp.46.sect.1.n.12.

Nota tamen quod ex hac doctrina infert Suarez & DD. citati vbi suprà, Clericum incurrere irregularitatem occidendo inuasorem si non fugiat cùm possit, quia Clericis non est ignominiosum effugere, & à fortiori idem dicendũ est de Religioso, & Sotus de iust.lib 5.quæst.2 art.8.& alij. Idem asserunt de homine infimæ notæ, qui nullam incurrit infamiam ex fuga. Verùm si in aliquo casu etiam Clerico fuga esset ignominiosa, puto cum Felino in cap.suscepimus, de homicidio, non incurritur irregularitas, & ita notat Filliucius tom.1.tract.20. cap. 5. num. 133.

Notandum est tamẽ hic obiter id quod alibi notauimus, irregularitatem contractam ex homicidio facto in defensionẽ sui, culpabilem non esse moraliter indispensabilem, (sicut contractam ex directè voluntario, in qua solus Papa dispensat) sed comprehendi sub decreto Concilij Tridentini sess.24.c.6. quia idem Concilium sess.14.cap.7. de reformat. tam homicidium factum in defensionem immoderatã, quàm casuale distinguit ab homicidio facto ex industria in ordine ad irregularitatem. Et confirmari potest ex eo quòd Iurisperiti docent, homicidiũ factum in defensionem immoderatam non puniri pœna ordinaria. Et ita hanc sententiam tenet Mercerus de Sacrament. in 3.p.D.Thomæ q.24.du.7.propos.1.

An sit irregularis qui occidit inuasorem in defensionem bonorum temporalium, honoris, pudicitię, &c.

RESOL. IV.

Esse irregularem tenet Auila par.7.disp.5.sect.3.dub. 4. Nauarrus cap.27.num.209.& 213 Villadiego de irregular. c. 6.& ratio est, quia Clem.si furiosus, solùm excipit eum, qui non potest aliter defendere propriam vitam: ergo. & ita hanc sententiam nouissimè docet Reginaldus tom.2.lib.30.tract.2.c.9. n.107.Salonius in 2.2.q.64.art.8.controu.2.concl.1. & Bannez eodem art.dub.2.& 3.Vega en espejo de curas to.1.c.22. q. 26. n.255.Layman sect.5.tract.3.p.3.c.9.nu.3. vbi citat Abbatem, Syluestrum, D. Antoninum, Armillam, Gurtierrez, Molinam, Henriquez,& alios.

Sed ego contrariæ sententię tanquam probabiliori adhæreo quam tuetur Petrus Cornejo in 3.p.D.Thomæ tract.5.de irregular.disp.4.dub.1.quest.vlt. Portel. in dubijs regul. ver. homicidium, num.34.Gordonus in Theol.moral.tom.1.lib.7. quæst. 18.cap.10.§.3.nu.73.Villalobos in summ.tom.1.tract.21.diffic. 24.nu.8.Filliucius tom.1.tract.20.cap.5.nu. 150. Castrus de lege pœn.lib.2.cap.14.Sotus lib.5.q.1.art.8. Prępositus in 3. part quæst.5.de irregular.dub.11.num.90.Tannerus in 3. p. disp. 4. quæst.10.dub.11.num.210.Hurtado disp.2. de irregular. diffic. 10.numer.36.Mercerus de Sacram.in 3.par. D. Thomæ quæst. 24.dub.7.propos.2.Coninch.de Sacram.disp.18.dub. 9. nu. 88. concl.4. Turrianus de cens.lib.9. disp. 65. dub.3. Suarez & alij penes ipsos. quia tale homicidium non est peccatum, vt clarè patet: sed propter priuatum homicidium nõ est imposita irregularitas nisi quando est peccatum, vt latè probat Suarez, Tãnerus, Præpositus & alij, ergo,&c.

Nota tamen in tali casu esse licitam defensionem sine metu peccati & irregularitatis, si adsint aliquæ conditiones. Prima, vt nocumentum temporale sit graue, & actu iniustè inferatur. Secunda, vt non sit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam censeatur graue nimis detrimentum. Tertia, vt verè sit defensio & moderata. Quarta, vt non possit alio modo fieri defensio nisi per mortem aggressoris. Ad Canones verò, quæ pro affirmatiua sententia adducũt DD. respõdet optimè Coninch. Mercerus & Turrianus locis cit.

An incurratur irregularitas propter defensionem licitam proximi.

RESOL. V.

INeutri putat Layman.sect.5 tract.3.part.3.cap.9.nu. 3. qui citat glossam. Nauarrum Abbatem, Syluestrum, & ante Layman ex eadem Societate Iesu docuerant hanc sententiam Stephanus de Auila part.7.disp.5.sect.3.dub.4. Vide etiam Bizozerum in summa.cap.5. de censuris nu. 2. Maiolum de irregular.li.5.c.48.n.9. & ratio est, quia talis casus non excipitur in dicta Clement.si furiosus ergo,&c. Deinde æquè est diligenda vita vtriusque proximi.

Sed contrariam sententiam docet Couarr. Maior, & Suarez, quos citat & sequitur Turrianus de censur.lib.9.disput.65. dub.4. quibus ego addo Petrum Cornejo in 3.part. D. Thomæ tract.5.de irregul.disp.4.dub.1.quæst.11. Mercerum de Sacrament.in 3.p.D.Thomæ quæst.24.dub.7.propos. 3. Tannerum in 3.p.disp.6.quæst.10.dub.11.num.110.Hurtadum disput.2.de irregulat.diffic.10.num.36. Coninch. de Sacram.disp. 18. dub. 9.num.88.concl. 3. Dico igitur non esse irregularem qui cum moderamine inculpatę tutelæ occidit alterum in defensionem proximi innocentis, præsertim sibi propinqui, & hoc verum esse puto, non solùm in casu, quo defensio innocentis cadit sub obligatione, sed etiam quando tantum est licita, & ita prręter DD. citatos tenet etiam hanc sententiam Villalobos in summ. tom.1.tract.21.difficult.24.numer.11.& Filliucius tom.1.tract. 20.cap.5.n 159.& 160. ad authoritatem verò Clem.si furiosus, sæpius adductam respondeo, quòd non adducit ius nouum, quod declaret antiquum, & argumentum à contrario sensu est inefficax in hac materia.

An sit irregularis, qui occidit inuasorem ne grauiter vulneretur.

RESOL. VI.

NEgatiuè respondeo cum Hurtado disput.2. de irregularit. difficult.11.nu.36.Salonio in 2.2.quæst.64. art. 8. controuers.2.conclus.1 Sayro de censur.lib.6.capit.17.numer. 4. quia ita se defendens vitam suam tuetur, cùm hoc ad vitæ consistẽtiam pertineat, & ideò Villalobos in summ.to.1. tract. 21. difficult.24.num.7. sic asserit. [No se incurre irregularidad quando no ay peligro de muerte ni mutilacion si le ay de graue percussion como si le yua a dar de palos y no lo pudo euitar de otra manera.]

Vnde aliqui putant contra Petrum Cornejo in 3.p.D. Thomæ tract.5.de irregular.disput.4.dub.1. quæst.7.& Auilam de cens.p.7.disput.5.sect.4.dub.1.qui citat Nauarrum, quòd occidens inuasorem ad se defendendũ à graui deformitate vultus non incurrit irregularitatem, & ita tenet Sayrus vbi supra, & magis in terminis Martinus Bonacina de censur. disp. 7. q. 4. punct.6.num.8. quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam, sed, vt dictum est, potest quis ad defendendas suas diuitias occidere inuasorem, ergo

ergo, &c. Adde quòd graue vulnus in facie magnum deductus & infamiam affert, & ita hanc sententiam ante Bonacinam docuerat Henriquez lib. 14. cap. 10. num. 3. Notandum est tamen hic obiter contra Nauarrum lib. 5. consil. 33. de homicid. quòd qui verbis, vel factis iniuriando aliquem dedit occasionem rixæ si illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrere irregularitatem. Ita Mercado de contr. lib. 6. cap. 4. & Auila vbi suprà, quia iniuria non dat ius alteri vt quis se vindicet manu propria.

An non impediens homicidium quod tenetur ex iustitia impedire, incurrat irregularitatem.

RESOL. VII.

Hic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuam sententiam tenet Auila de cens. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. conclus. 2. vbi citat Syluestrum, Nauarrum, Henriquez, Rodriquez, Felinum, & alios, quibus ego addo Mercerum de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæst. 14. dub. 6. ad 2. Bannes in 2. 2. q. 64. art. 8. dub. 1. part. 2. conclus. 4. Paulum Layman sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 2. nu. 7. Megalam 3. p. lib. 7. cap. 2. q. 5. nu. 89. Coninch. de Sacrament. disp. 18. dub. 8. n. 71. Vega en espejo de curas tom. 2. cap. 12 §. 26. n. 274. Villalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 22 n. 16. Sayrum de cens. lib. 7. cap. 4. nu. 3. & Bonacinam de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. nu. 37. qui citat Suarez, Filliucium, Reginaldum Toletum, asserentes quòd quotiescumque omissio, seu permissio homicidij est solùm contra charitatem, non incurritur irregularitas, licèt omissio illa sit peccatum. Si verò omissio sit contra iustitiam, qua quis vel ex officio, vel ratione stipendij, vel alicuius obligationis factę alium à morte, vel mutilatione defendere tenetur, tunc incurritur irregularitas ex homicidio sequuto ex illa omissione; & ratio est, quia in tali casu quis cēsetur causa moralis homicidij, priuat enim aliū iure suo, & re sibi necessaria ad sui defesionem, vnde consequenter moraliter influit in homicidium. Vnde ex hac doctrina supradicti DD. inferunt, quòd Iudex, vel alius Gubernator, per omissionem non defendens innocētem si occidatur, vel mutiletur, incurrit irregularitatem. Idem de alijs ministris iustitiæ, qui ex officio tenentur. Sic etiam dicendum est de illis, qui ex officio & iuramento assumpserunt custodiam viarum, vt viatores tutò possint itinerari, si dolosè quemquam occidi permittant; & similiter qui ex promissione se obligauit ad defendendum aliquem. Idem dicendum est de alijs personis, quæ ex subiectione tenentur defendere suos superiores, vt sunt filij, serui vasalli, & è contra domini, parentes, &c. Item Aduocatus, vel Procurator assumptum patrocinium rei dolosè deserēs, si reus ob desertionem damnetur ad mortem. Idem dicendum est de teste, qui productus & legitimè citatus dolosè tacet veritatem vnde posteà reus morte damnatur. Item Medicus si officium suum nō exequitur, & sit stipendio cōductus, & infirmus moritur. In his & similibus casibus supradictos incurrere irregularitatem, tenet Sayrus & DD. citat. quibus etiam adde Fernandez in medulla p. 2. c. 10 §. 14. n. 11.

Verùm his non obstantibus (attendas quæso amice Lector) ingeniorum phœnix Gabriel Vasquez contrariam sententiam docuit, quam nouissimè tuetur Hurtado disput. 2. de irregular. diffic. 9. nu. 34. vbi sic ait. Vasquez in manuscripto docet non impedientem homicidium iniustum non esse irregularem, etiā si teneatur ex iustitia, & quamuis ex dolo non impediat. & meritò, quia etiamsi iste non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & sit causa moralis & voluntaria homicidij quod non impedit, non tamen est causa positiua positiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec consilio: in iure autem non fertur irregularitas nisi contra verè & positiuè homicidas, saltem consilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium, quod etiam est verum quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam illatam non impedienti quamuis non contradicenti verbis ei, qui occidit, quia etiam tunc permittens, seu non impediēs non influit positiuè. Ita Hurtado, qui citat etiam D. Antoninum & Tabienam, & hanc sententiam ex Neotericis docet etiam Turrianus de cēsur. lib. 9. disp. 63. dub. 3. quia, ait ille, licèt talis peccet contra iustitiam, tamen nō dicitur in iure propriè occisor, neque dicitur propriè dedisse causam homicidio, sed tantùm est per accidens non prohibendo. Item quia sicut non diceretur excōmunicatus, qui ex iustitia tenebatur impedire Clerici percussionem, & non impediuit, nisi esset expressum in cap. quanta, de sent. excommun. ita non est dicendus ille irregularis. In eo autem capite non excommunicantur omnes, qui non impediunt, sed qui dolo non impediunt percussionem Rectoris Ecclesiæ. Item quia licèt peccet contra iustitiam non impediens, tamen non debet puniri eadē pœna cum ea qua punitur ille, qui positiuè operatur. Vnde sic in iure non dicitur fur, qui non impedit furtum, sic etiam non dicitur homicida, qui nō impedit homicidiū, & ita sensit P. Vasquez in manuscripto tractatu de irregularitate. hæc omnia Turrianus, & hanc sententiam probabilem putat Coninch. de Sacr. disp. 18 dub. 8. n. 71. nam affirmatiuam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantùm satis probabilem. Immò hanc opinionē negatiuā esse probabiliorem quàm affirmatiuam, tenet nouissimè Præpos. in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 10. nu. 79. Quid ego sentiam dicam breuiter. Prima opinio est communior & probabilior; secundam verò puto probabilem, vnde si quis illam sequi vellet, non damnarem.

Notandum est hic à fortiori contra Suarez to. 5. disp. 45. sect. 4. n. 3. Vegam en espejo de curas to. 2. c. 12. §. 26. n. 275. Megalā in 3. p. lib. 7. c. 2. q. 5. n. 90. Sayrum de cens. lib. 7. c. 4. nu. 8. & alios penes ipsum nō esse irregularem qui per vim, vel dissuasionem impedit, ne aliquis impediat hominis occisionem. & ita tenet Auila p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 2. §. ex dictis. quem sequitur Layman sect. 5. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 7. Sed circa præsentem materiam olim mihi tale dubium propositum fuit.

An sit irregularis Sacerdos qui sciens mulierem pregnantem à se redditam, abortum procurare, illam impedire non studet.

RESOL. VIII.

Affirmatiuè respōdēt Syluester, Nauarrus, Suarez, Sāchez, Reginaldus. Bonacina, Sà, quos citat & sequitur nouissimè Aloysius Bariola in aphor. litt. I. v. irregularis est Sacerdos quibus ego addo Portel in dubijs regul. ver. abortus, nu. 14. Rodriquez in sum. to. 1. c. 5. ad finem, Layman, sect. 5. tract. 3. p. 3. c. 4. nu. 7. & Auilam p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 2. §. sequitur quartò; & ratio est, quia tamquam pater tenetur titulo iustitiæ vitam seruare filio.

Verùm ego olim, vt dixi, de hoc casu interrogatus respondi nagatiuam sententiā etiam probabilem esse Primò ex doctrina, quam adducit Vasquez, Hurtado & Turrianus in superiori resolut. nempè si quis non impedit homicidium, quod impedire tenetur ex iustitia, non esse irregularem. Secundò quia satis Probabiliter Lessius lib. 2. c. 9. dub. 13. nu. 94. docet patrem non teneri defendere vitam filiorum lege iustitiæ, sed pietatis, & officij paterni; ergo, &c.

An quis incurrat irregularitatem si sciens non contradicat volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ ei illatæ.

RESOL. IX.

Respondet affirmatiuè Vega en espejo to. 2. c. 12 §. 26. num. 275. vbi sic ait (El que recebio iniuria de otro y vee à sus deudos y amigos querer vengar la injuria, y el no lo prohibe quanto puede sino consiente si se sigue muerte o cortamiento de membro esta obligado de culpa y es irregular. Otra cosa serà si lo estoruo quanto pudo.) Ita ille.

Verùm quia hic casus frequenter potest accidere, non desinam hic adnotare contrariam sententiam docere ex Vasquez Turrianum de cens. lib. 9. disp 63. dub. 4. & Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 9. nu. 34. in fine, quia in tali casu permittens homicidiū, seu illud non impediens, non influit positiuè; ergo non est irregularis, quod est valdè notandum, quia quotidianū, & fundatur in doctrina superiùs posita, quòd non impediens homicidium non incurrit irregularitatem. Hinc à fortiori infertur contra Barbosam in collect. to. 2. li. 5. tit. 12. c. 17. nu. 3. Riminaldum Iuniorem cons. 441. n. 31. vol. 4. Osascum decis. 104. n. 5. & alios, non esse irregularem, qui rixam habens cum Titio admonet accurrentes in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant. Ita Bonacina de censur. disp. 7. q. 4. punct. 8. nu. 34. qui citat Auilam, Henriquez & Reginaldum.

An

An si vulneratus vulnere non lethali mortuus est Medici, vel propria incuria, incurratur irregularitas?

RESOL. X.

AFfirmatiuam sententiam tenet Nauarrus cap. 27. nu. 223. Molina tract. 3. disp. 32. n. 2. Guttierrez in can. qq. lib. 2. c. 6. n. 9. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 5 concl. 2. Henriquez lib. 14. cap. 14. n. 4. Turrianus de cens. li. 9. disp. 64. dub. 1. Layman. sect. 5. tract. 3. p. 3. c. 10. n. 5. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 21. diffic. 23. n. 9. & alij. Ratio est, quia si vulnus illatum non fuisset, mors non accidisset; quare non sola Medici, aut infirmi incuria, sed simul etiam ipsa vulneratio fuit causa mortis, ergo, &c. Immò Villalobos loc. cit. asserit, [Han se deponderar las palabras del texto in c. audientiam de homicidio in dorso aliquantulum vulnerauit, donde se da ad entender que basta herida pequeña si de alli resulto la muerte.]

Sed ego negatiuam sententiam etiam probabilem esse puto, quam docent Sotus lib. 5. quæst. 1. art. 9. Syluester verb. homicidium 2. qu. 22. Caietanus & Aragon. in 2. 2. quæst. 64. art. 8. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 15. nu. 102. & Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 8. num. 31. quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen reuera non est causa mortis, sed negligentia Medici, vel ipsius vulnerati tenebatur enim vterque diligentiam adhibere; ergo illi, qui neglexit, imputandus est effectus, & in c. significasti 2. de homicidio, hoc apertè indicatur. Si verò vulnus fuerit leue, non incurrere in nostro casu irregularitatem ita vulnerantem, licèt vulneratus moriatur modo, quo supra testantur Layman, Auila Villalobos loc. cit. quibus adde Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 9. num. 80.

Vtrum qui tradit arma Titio quibus Caium ocidit, sit irregularis.

RESOL. XI.

REspondet affirmatiuè Bonacina de censuris disput. 7. qu. 4. pun. 8. numer. 35. vbi citat Suarez, Filliucium, Molinam, Vgolinum & Felinum, si suspicionem aliquam habuit illa peti ad homicidium patrandum, tunc enim occisio inde sequens censetur sufficiens voluntaria, ita vt imputetur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio casuali; si verò nesciuit, nec suspicatus est peti ad malum, excusatur ab irregularitate.

Non grauabor tamen hic adnotare sententiam Gasparis Hurtado disp. 2. de irregul. diffic. 8. numer. 32. vbi sic asserit. Id tamen quod docet Sayrus & Auila, nempè eum esse irregularem qui præbet arma. sciens. aut timens esse ad iniustè occidēdum, quamuis verum existimemus quādo ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere iuuando ad illud, immò id pertinet ad homicidium ex proposito quia assumit medium vtile ad occisionem ex intentione occisionis. Id tamen difficile existimamus, quando ea præbet absque intentione homicidij, quia tunc nō dicitur occidere, nec ad id iuuare, quia tunc tantùm tribuit arma, quibus occidens posset benè & malè vti absque intentione mali vsus, quod nō pertinet ad homicidium absque dicta intentione, quia ita est vtile ad homicidium, vt etiam sit vtile ad alia bona, & ad summum id tātùm est peccatum scandali passiui, & contra iustitiam secundariò, & non obligans ad restitutionem damni, ita Hurtado; sed ne discedas à prima opinione.

An quis incurrat irregularitatem quando alteri consilium dedit, vt, v. g. intret in duellum, vel occidat inimicum, & is cui dedit consilium, occisus est,

RESOL. XII.

CAsus potest esse frequens, & affirmatiuam sententiam docet Suarez de cens. dis. 44. sect. 3. nu. 18. à qua nec speculatiuè, nec practicè putat esse recedendum. Idem tenet Nauarrus & Coninch. penes Hurtadum vbi infrà, quibus adde Petrū Cornejo in 3. p. D. Thom. tract. 5. de irregul. disp. 1. du. 2. q. 2. nu. 3. Auilam de cens. p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5. conclus. 4. Sayrum li. 7. c. 3. n. 3. Villalobos in sum. to. 1. tract. 21. diffic. 20. nu. 10. vbi sic ait. [El que Aconsejo, ò mando à vno que matasse otro y succedio al reues que otro le mato a el queda irregular, la razon es porque assi como el que aconseja à otro que se mate siguiendo se effecto queda irregular, assi tambien el que iniustamēte pone à peligro de muerte; porque en cosas morales lo mismo es hazer y poner se à peligro de hazer luego lo mismo se ha de dezir de a consejar y mandar] Ita ille.

Sed contrariam sententiam vt probabilem nouissimè tuetur Turrianus de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 4. vbi adducendo plures rationes pro hac firmanda sententia, tandem sic ait. Noui viros doctissimos huius ætatis qui hanc sententiam vt veram sequuti sunt, alij qui vt acutam, & probabilem laudarūt, & mihi videtur satis probabilis. Ita ille. & post illum hanc opinionē docet etiam doctus Hurtado disp. 2 de irregul. diffic 6. n. 12. vbi sic ait. Addo contra Nauarrum & Coninch. mandantē, aut consulētem aliquem vt occidat alterum (& idem est de mutilatione) nō esse irregularē adhuc ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius, aut consultarius, seu consilium accipiens occidatur ab altero, quem inuadit, quia in iure nō est lata irregularitas nisi ob mandatum, aut consilium, quo qui mādat, aut consulit aliquem vt vel seipsum, vel alterum occidat sequuto effectu. In præsenti autem casu mandans, aut consulens non mandat, nec consulit inuadentem occisionem ipsius, sed alterius, sicuti nec mandatarius, aut consultarius seipsum occidit (quamuis constituatur in occasione & periculo vt occidatur ab altero, & ob id peccet contra fortitudinem, quando id timet prudenter,) quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independētem à voluntate aliena, quòd erat necessarium vt diceretur seipsum occidere. Hæc omnia Hurtado. Sed sciat etiam Lector hanc sententiam ante Turrianum & Hurtadum docuisse sapientissimum Vasquez in 1. 2. to. 1. disp. 100. q. 73. art. 9. dub. 3. nu. 45. ita asserentem. Qui alteri suaderet furtum ex quo scit illum puniendum pœna mortis, non incurreret irregularitatē, quia non fuit causa homicidij, irregularitas verò non est in iure inflicta propter consilium, quo quis alterū mouet, vt se morti offerat, sed propter consilium, quo quis mouet aliquem ad occidendum alium, aut etiam seipsum, quia est consilium directè tēdens ad occisionem ipsam, tametsi in opinione positum sit, vtrùm seipsum occidere sit contra fortitudinem aut contra iustitiam: cōsilium autem traditum ei qui occiditur, quod non tendit ad mortem nisi ratione periculi, quod incautè aggreditur, nō videtur in iure prohibitum, nec is dicitur homicida expressè & propriè in iure ad effectū irregularitatis, sed ille solùm qui consilium præbet occidendi aut seipsum, aut alterum. Ita ille, qui apud me instar multorum est. Vide etiam Henriq. lib. 14. c. 16. nu. 1. qui eandem sententiam docet, quam etiam nouissimè probat Præpositus in 3. par. q. 5. de irregul. dub. 10. n. 78. Vnde hęc opinio satis probabilis remanet aduersùs Suarez. Sed tu ne discedas à prima opinione tanquam probabiliori & tutiori, quia iste vt est vera causa moralis, incurrit irregularitatem huius speciei, si verò non intendebat eius mortem, incurret irregularitatem homicidij casualis.

An qui homicidium suo nomine factum posteà ratum habeat incurrat irreguldritatem.

RESOL. XIII.

INcurrere mordicus sustinet Molina de iust. to. 4. tract. 3. disp. 33. membr. 4. Syluester ver. homicidium 1 qu. 7. Maiolus de irregul. lib. 5. c. 58. §. 6. Nauarrus c. 27. n. 233. & multi Iurisperiti, quia, secundùm regulam iuris, ratihabitio mādato comparatur. Sed ex mandato homicidij incurritur irregularitas: ergo, &c. & hanc sententiam tanquam communem docet etiam Fernandez in medulla p. 2. c. 10. §. 14. n. 11. vbi citat Speculatorem, Archidiaconum, Boich, Syluest. & Rosel.

Sed prorsus contrariam sententiam tenendā esse puto, quā tenuit Vasquez in tract. manuscripto de irregular. vt notat & sequitur Præpositus io 3. p. q. 5. de irregul. dub. 8. nu. 66. Turrianus de cens. lib. 9. disp. 63. du. 3. Hurtado disp. 2. irregul. diffic. 7. n. 25. Petrus Cornejo in 3. p tract. 5. de irregul. disp. 1. du. 2. q. 3. n. 3. Coninch. de Sacram. disp. 18. du. 8. n. 72. Suarez de censur. disp. 44. sect. 3. num. 24. Auila part. 2. disp. 6. sect. 2. dub. 6. Henriquez lib. 14. c. 16. n. 2. Villalobos tom. 1. tract. 21. diffic. 20. nu. 12. Megala in 3. part. lib. 7. cap. 2. q. 9. n. 85. Layman sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 4. num. 6. ponit illud iam factum: sed ista irregularitas in-

fligitur contra eos, qui sunt causa homicidij; ergo, &c. Adde quòd tarihabitio mandato æquiparatur quoad culpam, nō autem quoad pœnam, si Superior aliter non disponit, sicut disposuit respectu percussionis Clericorum in cap. cum quis, de sent. excommunic.

An mandans homicidium ad vitandam irregularitatem, non solum teneatur reuocare mandatum, sed monere occidendum vt caueat, & quid de consulente?

RESOL. XIV.

SEntentiam affirmatiuam docet Petrus Cornejo in 3. part. D.Thomæ. tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. quæst. 2. num. 1. Turrianus de cens. lib. 7. disp. 63. dub. 3. & Hurtado disp. 2. de irregul. diffic. 6. nu. 14. Ratio est, quia ipse suo mandato in eo periculo constituit occidendum, ergo si non potest efficaciter reuocare mandatum, tenetur monere illum vt caueat, & ita hi Doctores asserunt de consulente.

Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quā tuentur DD. quos citat & sequitur Stephanus de Auila part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 4. concl. 3. vbi sic ait. Qui consulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate debet efficacius reuocare consilium quam mandatum, quia in mandato agitur res mandantis, in consilio verò agitur res ipsius consulti, vnde consulens debet conari precibus importunis, ne consilium mandetur executioni, quod si non firmiter credat preces profuturas, debet indicare occidendum in particulari, vel in generali ad arbitrium viri prudentis vt caueat: at verò mandans non tenetur monere. Ita Auila & ante illum Henriquez li. 14. c. 16. n. 2. vbi sic asserit, Curet mandans persuadere mandatario, vt omnino desistat; sed quia ille non agit nisi in gratiam mandantis, satis est huic intimasse reuocationem mandati, nec tenetur monere eum, qui periclitatur, vt caueat, vt tenetur qui dedit consilium. Hæc Henriquez. Est igitur magna differentia inter mandantem & consulentem in tali casu, & ideò optimè Villalobos in summ. to. 1. tract. 21. diffic. 20. n. 7. aduertit; [que no basta para euitar la irregularidad reuocar el Consejo antes de la muerte que si de hecho se siguio la muerte en virtud del Consejo toda via quedaria irregular el que lo dio, que en esta ay grande differencia del mādato al Consejo porque en el mandato aquel aquien se manda siempre esta pendente de la voluntad del que se lo mādó en virtud de laqual obra loqual no acontece en el Consejo, porque el effecto del Consejo propiamente hablando es enseñar al entendimento, y hecho esto no pende de la voluntad del que le aconsejó y assi para euitar la irregularidad es menester dissuadirle.

Non desinam tamen in gratiam studiosorum hic adnotare Præpositum in 3. part. q. 5. de irregular. dub. 8. n. 62. & 64. & Petrum Nauarra lib. 3. de restit. cap. 4. n. 26. nullam agnoscere differentiam inter mandantem, & consulentem, & docere in nostro casu sufficere, reuocare mandatum & consilium, sic enim Nauarra asserit. Tertiò notandum quòd antequam qui iussus est & consilium accipit opus exequatur, iubens, & consulēs reuocet mandatum & consilium si sequatur damnum non tenetur imperans, vel consulens restituere, quia tunc actio iniusta non procedit ex eo consilio, vel imperio, sed alterius malitiæ imputatur sicut totali causæ. Vnde in iure immunis, est ab irregularitate qui cum mandasset, vel consuleret Clericum occidi ante factum reuocauit, & dissuadere conatus est. Ita ille, cuius sententiam probabilem putat Lessius lib. 13. dub. 3. n. 17. & 18. vt notat Coninch. de Sacram. disp. 14 dub. 15. num. 177.

Notandum est tamen hic obiter quòd si bona fide consulens putauit sufficere tantùm reuocationem solam, non erit irregularis, etiamsi sequatur homicidium. Ita Sayrus lib. 7. c. 3. nu. 6. Petrus Cornejo in 3. p. D. Thom. tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. q. 2. nu. 4. qui etiam q. 1. n. 4. rectè notat, quod si mandatarius occidator, mandantem manere irregularem, non quidem irregularitate homicidij voluntarij, sed casualis, siue voluntarij indirectè, quia mandans non intendit mortem mādatarij, neque ad eam directè operatur, sed solùm indirectè in quantum dando operam rei illicitæ cogitare debuerat talem rem contingere posse, vt infrà dicemus.

An sit irregularis qui non potuit dimouere fœminam à consilio dato de abortu faciendo?

RESOL. XV.

AFfirmatiuè ex Nauarro & Corduba respondet Auila de censur. part. 7. disp 6. sect. 2. dub. 4. conclus. 3. quia, vt dictum est in superiori resolut. non sufficit reuocare consilium vt euitetur irregularitas si in effectu mors ex dato consilio sequatur. Adde quod aliqui addunt, quòd si consulens nō potest occidēdum monere de periculo, adhuc remaneat irregularis; sed hoc accidit in casu nostro, ergo, &c. Et hanc sententiam docet etiam doctus Petrus Cornejo in 3. p. tract. de irregular. disp. 1. dub. 2 q. 1. num. 5.

Verùm non reticeam contrariam sententiam docere Henriquez lib. 14. cap. 16. nu. 5. & in gloss litt. O, vbi sic ait. Non fit irregularis Clericus, qui coniugatam dissuadere non potest à consilio abortus dato, quia sat est præmonuisse infantem in matre sua vt moneri potuit. Ita ille cuius sententiam ipse testatur docuisse aliquos recentiores. Sed asserit Auila quòd illa monitio infantis in matre nullius est momenti siquidem infans in vtero nullo modo potest se liberare, posset tamen quis dicere, quòd in tali casu, consulens vt auertat homicidium facit quod facere potest, & ideò Villalobos in sum. to. 1. tract. 21. diffic. 20. n. 8. rectè notat [que el Consejo no es meramente causa natural, que ponga necessidad phisica como el veneno, sino solamente es causa moral, y por esto el consejero hizo lo que moralmente pudo y deuia hazer para impedir el effetto, es visto hauer quitado la causa y assi nose le imputarà el homicidio.] Ita ille, qui citat Suarez. His tamē non obstantibus contra Henriquez ante Auilam docuit affirmatiuam sententiam Sayrus lib. 7. cap. 3. n. 5. in fine. Verùm Nauarra & Præpositus, quorum doctrinam probabilem putat Lessius, vt visum est in superiori resolutione, dixerunt sufficere consulentem reuocare tantùm mandatum, & non monere occidendum; sed hoc accidit in casu nostro. ergo. Adde quod suprà probabiliter dictum est, quòd non impediens homicidium ad quod tenetur de iustitia, nō est irregularis, ergo quanto magis in casu nostro, in quo impedimentum fuit præstitum. Vnde sententia Henriqu. probabilis mihi videtur, sed primam puto probabiliorem & tutiorem.

An qui fecit abortum, sit irregularis si dubitetur de animatione fœtus?

RESOL. XVI.

AFfirmatiuam sententiam docent communiter DD. quos citat & sequitur Merolla in disp. Theolog. tom. 1. disput. 3. cap. 3. n. 237. Sayrus lib. 6. c. 15. n. 9. Sotus in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3. concl. 4. Barbosa in collect. tom 2 lib. 5. tit. 12. c. 12. nu. 15. Auila p. 7. disp. 2. dub 1. concl. 1. Sanchez in summ. tom. 1. li. 1. c. 10. nu. 43. quia in tali casu, qui præbuit causam abortus, est dubius an sit homicida, ergo censendus est irregularis.

Sed contrariam sententiā tenet doctus Emmanuel de Moura opusc. de ensal. & incant sect. 3. cap. 1. numer. 27. vbi sic ait. Non incurrit irregularitatem ille, qui cùm certus sit iniquè se concurrisse ad abortum, dubitat verò an proles per abortum occisa fuerit iam animata anima rationali. Ita ille & post illum nouissimè docet hanc sententiam ex Theologis Societ. I E S V Ioannes Præpositus insignis Theologus in suis comment. ad 3. part. D. Thom. quæst. 5. de irregular. dub 8. numer. 58. vbi sic asserit. Incurritur irregularitas si quis, post fœtum & animationem procuret abortum; peti verò potest quid sit censendum si dubitetur de animatione fœtus. Respondeo si adhibita diligentia verè remaneat dubium, non videri irregularem, quia nec est censendus irregularis ex eo quòd irregularitas homicidio sit apposita, cum dubitetur num hic & nunc commissum sit homicidium, neque etiam ex eo quòd in dubio homicidij aliquis debeat se habere tamquam irregularem, quia si benè perpendantur iura id statuentia, aduertetur ea non comprehendere præsentem casum cum omnia supponant subiectum capax mortis, nam agunt, quando constat de morte alicui illata, & dubium est à quo ex varijs concurrentibus sit illata, quo casu decernunt eos, de quibus dubitatur, habendos

irregu-

irregulares. In præsenti verò casu dubium versatur circa conditionē subiecti an sc. viueret necne; vnde dispositio iuris non intelligitur de nostro dubio, & proinde non satis constat an in præsenti casu irregularitas iure sit illata, & per consequens nō est dicenda incurri. Ita Præpositus, & hanc sententiam videtur approbare Gomez de delict. c. 3. in rubr. de homicidio, nu. 3. in fine & Baiardus in addit. ad Iul. Clar. q. 68. n. 9. vbi tenent, quòd in dubio fœtus præsumi debet inanimatus, hæc opinio est probabilis, verùm ne discedas à prima opinione tamquam probabiliori, quam præter DD. citatos tenet Farinacius in fragment. crim. p. 2. n. 444.

An si intimus am cus bono animo associaui aliquem ne in rixa periclitaretur, incurrat irregularitatem, si amicus inimicum occidat.

RESOL. XVII.

Negatiuè respondet Auila p. 7. disput. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 1. & Henriq. lib. 13. c. 16. nu. 1. in fin. & à fortiori idem dicendum est de patre, vel filio, &c. Vnde Nauarr cons. 3. x. de homicid. docuit non esse irregularem eum, qui bono animo tenebat ensem euaginatum in manu sine alia læsione, quamuis alius percussus à fratre in rixa postea mortuus sit; & ratio est, quia dabat operam rei licitę. Sed hanc opinionem limitat nouissimè Præpositus in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 8. nu. 65. si exterius ita amicum rixantem associando non videatur illum animare ad occidendum.

An consulens ad mutilandum aliquem sit irregularis?

RESOL. XVIII.

Affirmatiuè respondent communiter DD. sed de hoc non datur (vt obseruat Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tr. 5. de irregular. disp. x. dub. vnico q. 5. nu. 3. & Ioannes Præpositus in 3. p. q. 5. de irregul. du. 9. n. 64.) expressus textus, & non sequitur, consulentes sunt irregulares quādo concurrunt ad homicidium; ergo etiam quando concurrunt ad mutilationem, nam quoad pœnas non debet asseri de mutilatione sine textu, quod asseritur de homicidio, quia nulla irregularitas incurritur si nō sit in iure expressa vt patet. Sed hanc irregularitatem consulētibus ad mutilationem nullum ius imponit, sicut imposuit cōsulentibus ad homicidium, ergo, &c. Adde quòd in materia incurrendæ irregularitatis respuitur argumentum à paritate rationis, à simili, immò à maiori ad minus, ergo, &c. Verū Molina to. 4. tract. 3. disp. 75. n. 3. Præpos. in 3. p. q. 5. de irregular. du. 2. n. 4. & alij putant non esse recedendum à communi sententia. Nota tamen quòd etiam sequendo dictam cōmunem opinionem, non erit irregularis qui dedit consilium mutilatonis mēbri ei, quem non potest aliter ab homicidio auertere. Ita Cornejo vbi suprà, & Doct. quos refert Sayrus de censur. libr. 7. c. 3. num. 13.

An mandans aliquem verberari modo cauto & prudenti, & cum ministro fideli, & ille occidatur, incurrat irregularitatem.

RESOL. XIX.

Respondet affirmatiuè Suarez de censur. disp. 45. sect. x. nu. 3. ex cap. vlt. de homicidio in 6. quod hanc irregularitatem ponit solum, quia mandator in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare, quæ duo concurrunt etiam post diligentiam adhibitā in casu nostro, adhuc enim cogitari debet, non obstante illa posse mādatarium excedere si non ex malitia, saltem ex alio casu. & ideò ait Suarez quòd nulla humana diligētia mandantis est sufficiens ad euitādam irregularitatem si effectus homicidij sequatur.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, non minus probabilem esse existimo negatiuam sententiam, cum Præpos. in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 10. n. 78. quia ita mandans nullo modo est reus homicidij, decisio autem illius cap. vltimo. de homicid. videtur agere de eo, qui reus est homicidij, & qui potuit præuidere homicidium, fortè vel ex verberatione, vel suo mandato secuturum.

An incurratur irregularitas ob homicidium casuale quando factum fuit dando operam rei illicitæ, etiamsi adhibita fuerit debita diligentia?

RESOL. XX.

Affirmatiuè respondent Caietanus in 2. 2. quæst. 64. art. 9. Syluester ver. homicidium 2. nu. 2. & alij, & hanc sententiam multi tenent, quando homicidium sequitur dando operam rei illicitæ periculosè, & tendenti ad illud. Ita Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 3. dub. 2. concl. 2. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. opin. 3. vbi citat Couarr. Sotum, Cordubam Castrum, Medinam Aragon. & Nauarrum, quibus ego addo Fernandez in medulla part. 2. c. 10. §. 14. n. 9. Maiolum de irregul. li. 5. c. 48. §. 3. Paludanum, Gabrielem, Cōradum, Nauarrum, Felicianum penes Tānerum vbi infra, Villalobos in summa tom. 5. tract. 21. dub. 23. numer. 3. Valentiam to. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 3. Sanchez de matrim. to. 2. libr. 9. disp. 32. n. 25. & alios penes ipsos. Ratio est quia tale homicidium est voluntarium in causa.

Sed ego negatiuę sententię tamquam probabiliori adhereo, quam docet Coninch. de Sacram. disp. 8. dub. 9. num. 80. Hurtado disp. 2. de irregular. diff. 8. num. 28. Præpos. in 3 p. quęst. 5. de irregular. dub. 10. num. 63. Fillincius tom. 1. tract. xo. cap. 3. num. 64. Tannerus in 3. p. disp. 6. quæst. 10. punct. 11. n. 16. Henriquez libr. 13. c. 11. nu. 1. & c. 15. Emmanuel Sà ver. irregularitas ex deformatione licita, num. 4. & alij. Dico igitur occidentem in casu nostro nunquam fieri irregularem, nisi ipsa actio hic & nunc ita sit periculosa, vt peccet contra ius naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hic & nunc ita operando se exponit. Et ratio horum est, quia irregularitas, de qua agitur, non incurritur nisi intercedat culpa homicidij, cū sit irregularitas ex homicidio casuali; sed in nostro casu intercedit culpa homicidij, cùm ratione diligentiæ præstitæ homicidium non censeatur plenè voluntarium, ergo, &c.

Adde quòd, vt sępiùs dictum est, irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis; sed in nullo iure expressū est homicidā esse irregularem ob homicidium omninò casuale, licèt factum dando operam rei illicitæ etiam ex se tendenti ad homicidium, ergo, &c. Vide Hurtadum & Coninch. qui respōdent ad c. dilectus, &c. Ioannes de homicid. quæ facere videntur contra nostram sententiam, sed reuera non faciunt.

Quæ negligentia requiratur, vt per homicidium casuale ex ea consequens efficiatur quis irregularis.

RESOL. XXI.

Respondeo contra Megalam in 3. part. lib. 7. cap. 2. quæst. 5. nu. 110. quòd requiritur negligentia. quæ omnibus consideratis perueniat ad peccatū mortale nam irregularitas homicidij casualis est pœna peccati cōmissi in non adhibendo diligentiam requisitam; cùm autem hæc pœna sit valdè grauis, non videtur esse intētio Ecclesiæ eam infligere propter leuem culpam, & ideò in cap. quæsitum, de punit. declarantur Clerici esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus fuerūt oppressi; & ita docet Sylulus in 22. DD. Tho. quæst. 64. ar. 8 conclu. 3. qui citat Sotum, Bannes & Suarez, quibus ego addo Fillincium to. 1. tract. xo. c. 3. nu. 59. & 61. Coninch. disp. 18. dub. 9. n. 88. & alij communiter.

An qui alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defensionem non vitæ, sed alicuius membri, sit irregularis?

RESOL. XXII.

Respondet negatiuè Nauarra de restit. libro 2. capit. 3. numer. 364. & alij communiter, quia in uasus, vt docent Doctores si non excedat moderamen inculpatæ tutelæ non solùm vitam, sed membrorum integritatem licet tueri. ergo.

Verùm hęc sententia ab aliquibus non probatur, quia sublata est irregularitas iuris antiqui quæ incurrebatur ex occisione ob necessariam vitæ suæ defensionem, loquitur enim Clement.

Clement. si furiosus, de illo qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem. Neque satis est respondere quòd quantum ad irregularitatem, paria sunt homicidium & mutilatio, quoniam etsi sunt paria quantum ad hoc quod ex vtroque contrahitur irregularitas, non tamen quantum ad hoc, quòd quidquid de homicidio statuitur, dicendum sit de mutilatione, alioquin non esset irregularis, qui se defendens tunc occideret, quando posset euadere mutilando; cuius tamen contrarium est tenendum, quia iste non seruaret moderamen inculpatæ tutelæ, & ita hanc sententiam docet Toletus quem citat & sequitur Antonius Fernandez in medulla par. 2. cap. 10. §. 14. n. 9. & inclinat Syluius in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 7. quæritur 7. Sed licet hæc opinio sit probabilis, negatiuam non minus probabilem & tutam in praxi esse puto. nam, vt suprà ostensum est, potest quis sine metu irregularitatis occidere inuasorem, ne recipiat graue vulnus in facie, vel in defensionem bonorum magni momenti, quanto magis non recipiat mutilationem membri, & ita hanc sententiam tenet etiam Hurtado de irregular. disp. 7. diffic. 19. n. 36. vbi sic ait. Si ob homicidium factum in defensionem propriorum bonorum magni momenti non incurritur irregularitas, quia licitum est, multo minus incurretur quādo fit ne occidens mutiletur, aut aliter grauiter vulneretur, quia tunc non minus licitè fit. In Clemen. verò tantùm declaratur esse immune ab irregularitate homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, quia id esse licitum, erat certum apud omnes. Ita Hurtado, & ego.

An Clericus in Sacris exercens chirurgiam per incisionem, vel adustionem, fit irregularis morte sequuta, licet adhibeat necessariam diligentiam, & explicatur cap. tua nos, de homicidio.

RESOL. XXIII.

Affirmatiuam sententiam tenet Nauarrus, Couarr. Corduba, quos citat & sequitur Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. du. 2. quibus ego addo Turrianum de censur. li. 9. disp. 68. dub. 1. Filliucium to. 1. tract. 20. c. 4. nu. 74. Bonacinam de censur. disp. 7. q. 4. punct. 7. n. 9. Molinam de iust. to. 4. tract. 3. disp. 75. n. 3. Suarez disp. 45. sect. 4. n. 10. Villalobos in summa to. 1. tract. 21. diffic. 24. n. 8. Layman sect. 5. tract. 3. p. 4. c. 10. n. 3. Sayrum lib. 7. c. 5. n. 13. & ratio est quia dat operam rei illicitæ, & prohibitæ, & ita videtur determinatum in c. tua nos, de homicidio, & hanc opinionem ego teneo.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quia, vt supra satis firmatum est, non incurritur irregularitas, ex opere illicito etiam periculoso, & de se tendenti ad homicidiū, si adhibita fuit omnis diligentia ergo &c. Nec valet dicere, quod hoc particulariter accidit in casu nostro, quia Monachis interdicitur illa actio per sacros Canones. nam respondeo quòd prohibitio non facit, vt opus maiorem habeat connexionem cū effectu, & magis ineuitabilem, quam habet eo seclusa prohibitione, cum ea sit plenè extrinseca operi. Vnde si citra prohibitionem opus non habeat talem connexionem, neque dicendum habere posita prohibitione; neque sufficienter potest probari quod positis alijs paribus vnus sit censendus homicida, quia vacat operi periculoso, sibi prohibito alius verò cui idem opus non est prohibitum, non sit homicida quod confirmatur, quia prohibitio facta eo quòd tale opus minus deceat statum Monachorum, & Clericorum, efficit vt actio sit contra Religionem, non verò contra iustitiam, neque contrarium potest sufficienter ostendi.

Restat modo respondere ad c. tua nos. Dico igitur, quòd hoc ius pro nobis facit, quia ibi Pōtifex ait talem posse celebrare si peritus omnem diligētiam adhibuerit, & culpa mulieris mors acciderit, alioqnin si imperitus, aut negligens fuerit, ab Altari amouendi, clarè indicans fore irregularem, si qua ratione sua temeritate fuerit causa mortis, aliàs non. Nec refert quòd dicatur in eo misericorditer cū eo agi, quia per hoc aut significari pœnitentia, quæ ipsi ob vsurpatum officium prohibitum erat iniungenda, aut de rigore posse durius ob eam culpam ab Altari arceri. Similiter cap. 1. de corpore vitiato, dicitur cum eo, qui in duello partem digiti amiserat, posse misericorditer agi, & peracta pœnitentia permitti ministrare, cùm tamen talis, præsertim ante Tridentinum, non fuerit irregularis, & hæc omnia docet Coninch. de Sacr. disp. 18. dub. 9. n. 87. vbi tenet supradictum Monachum, de quo agitur in d. cap. tua nos non incurrisse irregularitatem, neque aliter in d. cap. determinari, & ita hanc sententiam docet etiam Præpos. in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 10. num. 86. vbi sic ait. In cap. tua nos, videtur decerni irregularis quidam Monachus, verùm ex ipsomet textu potest probabiliter colligi non fuisse, cùm dicatur, quòd licèt prædictus Monachus multum deliquerit alienum officium vsurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamē causa pietatis, & non cupiditatis, id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studiū quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quòd per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeò reprobandus, quòd non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer possit agi, vt Diuina valeat celebrare. Vbi indicatur & non fuisse reum homicidij, & non incurrisse irregularitatem homicidij casualis. Nec obstat, quòd dicatur, *post satisfactionem*, & cætera. *misericorditer*, & cæter. quia similia sepè adducunt in iure, vt ostendatur esse salutare præmittere aliquam satisfactionem propter aliqualem fortè culpam, quæ interuenerit, non quòd id sit plenè necessarium. Confirmatur, quia hæc verba non sufficienter exponunt, & exprimunt irregularitatem quam non cōstat aliunde incurri. Adde quòd, licèt non fuerit irregularis, potuerit Episcopus eum punire, quòd alieno officio sese immiscuerit, ergo misericordia non necessariò supponit irregularitatem, sed delictum propter quod poterat ei prohibere exercitium Ordinis, quod tamen ex misericordia non prohibebatur. Hæc omnia Præpos. loc. cit. & ideò Sotus, Dominicanæ familiæ decus, asserunt l. b. 5. qu. 1. art. 9. supradictum Monachum de quo agitur in d. cap tua nos, non incurrisse irregularitatem: vnde hæc opinio satis probabilis alicui videri potest, verùm quia contraria est communis, tu ne tecedas ab ea. Licèt igitur, vt suprà tenui, non incurratur irregularitas propter homicidiū secutum ex opere aliàs illicito adhibita diligentia, tamen hæc doctrina non procedit in casu nostro cùm contrarium sit in iure expressum.

Non desinam tamen in gratiam Confessariorum adnotare. Primò quod in d. ca. tua nos, illa actio Monachis & Clericis in Sacris non prohibetur in extrema necessitate quando non adest alius chirurgus, vt potest sæpiùs accidere tempore pestis, & si illam operarentur extra hoc tēpus cum ignorantia inuincibili huius prohibitionis, non incurrerent irregularitatem. ita ex Vasquez, Turrianus de censur. lib. 5. disp. 64. dub. 1. Molina vbi infra num. 3. & alij. Secundò. Monachus, vel Clericus qui applicat emplastrū mollificatiuum quo apostema sese aperit, & mors inde sequitur sine eorum culpa, non incurrunt irregularitatem, quia in cap. tua nos, agitur de scissione, & adustione. Ita Molina tom. 4. disp. 75. num. 4. & alij. Tertiò si supradicti secundùm peritiam artis iubeant incisionem & adustionem, si mors inde sequatur, non incidūt in irregularitatem, quia pœna lata contra facientes non ligat mandantes, neq; consulentes, nisi exprimantur. Ita Molina loc. cit. Quartò Clericus qui secūdùm artem abscidit vel addussit, quando mors est secuta propter morbi grauitatem, & non ex adustione, vel abscissione, puto non esse irregularem. Ita contra Suarez disp. 47. sect. 7. n. 4. dicendum est cum Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10. concl. 5. & alijs; sed ex supradictis oritur pulchrum dubiolum.

An vena sectio sit Religiosis & Clericis in Sacris prohibita, ita vt incurrant irregularitatem latam in cap. tua nos, si ex tali sectione secuta sit mors.

RESOL. XXIV.

Affirmatiuè respondet Auila p. 2. disp. 6. sect. 1. dub. 10. ante concl. 3. vbi sic ait; Licet Clerico perito Medico dare cōsilium quod fiat minutio sanguinis, dummodo per se ipsum non faciat dictam minutionem. Ita ille. & ratio est quia illa sectio venæ videtur incisio quam prohibet d. c. tua nos ergo.

Sed contrariam sententiam docet Molina de iustit tom. 4. tract. .... disp. 75. num. 4. vbi ita asserit, Illud admoneur im venæ apertionem non esse chirurgiæ actum, ac proinde nec iure inueniri prohibitum initiatis Ordinibus sacris, neque enim actus ille ad chirurgos spectat, sed ad tonsores quia ad præscriptum Medicorum & Chirurgorum venas scindunt; in pœnalibus autem & odiosis, vt sunt prohibitiones, quæ irregularitatē inducunt,

cunt, facienda non est extensio à paritate, quin neque à maioritate rationis eorum, quæ dispositæ comperiuntur in iure. Sic ille. Et licèt post hæc scripta inuenerim Bonacinam de cens. disp. 7. quæst. 4. punct. 5. num. 5. aduersùs Molinam cum Auila affirmatiuam sententiam docere, tamen ego puto vtramque esse probabilem.

Notandum est hic obiter contra Auilam loco cit. & Henriquez lib. 14. c. 11. num. 1. Clericos in minoribus quamuis habeant beneficium, posse exercere artem medicam & chirurgiam, abscindendo & adurendo secundùm artem. Ita Molina vbi suprà n. 2. quod etiam extendit ad Religiosos, si non sint Subdiaconi, vnde Felinus, vt notat Auila vbi suprà c. tua nos, de homicidio, intellexit de Religioso Sacerdote.

An si quis mandat dubius, an suum consilium influxerit ad homicidium factum, debeat se reputare irregularem.

RESOL. XXV.

AD hunc casum frequentissimum affirmatiuè respondet Præpositus in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 8. numero 64. Sed negatiuam sententiam tenet Henriquez lib. 13. cap. 16. num. 3. in gloss. lit. D. vbi sic ait. In dubio æquali post factam diligentiam potest practicè deponere dubium & scrupulum, reputâs se excusatum ab irregularitate propter possessionem innocentiæ. Sic ille.

Verùm sententiam affirmatiuam tenet etiam Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 44. Sayrus de cens. lib. 7. ca. 3. nu. 1. Merolla in disput. Theolog. tom. 1. cap. 3. disput. 3. num. 251. Tabiena & Auila part. 7 disput. 6. sect. 2. dub. 2. conclus. 5. vbi notat quod si homicidium commissum sit post multos dies res manet dubia, an consilium influxerit. Sed quoad hoc, contrarium tenet Tabiena ver. consilium, num. 5. vbi sic asserit. In dubio præsumitur delinquentem fuisse motum ex consilio, aliàs non fuisset facturus, & etiamsi stetisset per multos dies post, præsumitur quòd fecit propter illud consilium. Ita Tabiena. At cum Auila tenet Præpositus loco citato; tu ne discedas à sententia affirmatiua, quam præter Doctores citatos tenet etiam Petrus Corneio in 3. par. tract. 5. de irregularitate, disp. 1. dub. 2. vbi tamen, & optimè aduertit quòd in tali casu standum est dictis ipsius consulti, ita vt si dicat se motum non fuisse per consilium, liber manet consulens ab irregularitate.

An qui mutilauit alterius pollicem, sit irregularis.

RESOL. XXVI.

REspondent affirmatiuè Caietanus in 2. 2. q. 68. art. 1. & Sotus de iustit. lib. 5. qu. 2. art. 1. quia putant illud esse membrum, quod habet officium disiunctum, vel coniunctum cum aliis membris, vt est digitus.

Sed tu cõtrariam sententiam tene, nam membrum propriè dicitur illa pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus, vt sunt oculus, manus, pes, auris, membrum virile, & c. non autem digiti, etiam pollices, vngues, dentes, testes, barba, capilli, labia, & c. ita tenet Villalobos in sũ. to. 1. tract. 2. difficult. 19. num. 4. Hurtado de irregular. disp. 2. dific. 5. num. 18. Præpos. in 3. part. quæst. 5. dub. 10. num. 71. & alii, quos citat, & sequitur Bonacina de cens. disput. 7. q. 4. punct. 8. nu. 3. qui nostram sententiam de pollice in terminis tenet, sicut etiam Auila de censur. p. 7. disp. 5. sect. 1. du. 1. & Megala in 3. p. lib. 7. cap. 1. num. 31. & alii, licet Suarez & Vasquez contrarium docuerint, vt notat Turrianus infra, & nostra opinio est fundata in doctrina Aristotelis lib. 10. de par. animal. cap. 5. asserentis quòd membra sunt in corpore operationis gratia.

Ex his infertur primò non esse irregularem eum, qui alteri abscindit auriculam id est, cartilaginem, nam ipsa solùm deseruit ad ornatum & tutelam auris. Ita Auila loco cit. & Præpos. cum Turriano de censur. lib. 9. disp. 67. du. 2. contra Nauarrum & Suarez penes ipsum. Secundò nota non esse irregularem qui præscindit mamillam fœminæ. Ita probabilitet Auila, Villalobos vbi suprà, ex Couarr. & aliis. Sed contraria sententia est probabilior, quam docuit ex Vasquez Turrianus loc. cit. & antea Molina tom. 4. tract. 3. disput. 69. num. 6. & alii. Tertiò nota cum Megala vbi suprà, qui citat Toletum, non esse irregularẽ qui excæcauit hominem, eum priuando solo visu, non autem illi oculum extrahendo, quia sic non dicitur mutilasse membrum. Vide etiam Molinam disput. 68. Et tandem quartò nota nõ esse irregularem qui non abscindit, sed tantùm debilitat membrum, & reddit illud inutile. Ita Megala nu. 30. Villalobos n. 7. Auila & alii vbi suprà.

An milites pugnantes in bello iniusto, si aliquem non occidant remaneant tamen irregulares?

RESOL. XXVII.

AD hanc dubitationem sic respondet Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 10. num 98. Communiter Doctores dicunt omnes adhortantes ad bellum iniustum, aut in eo pugnantes, immò custodientes pugnantiũ sarcinas, contrahere irregularitatem homicidii, vt voluntarii, si aliqui ex parte hostium occidãtur, quia omnes sunt vna causa moralis, quia se mutuò excitant, sed quamuis hoc, quando sunt ita pauci, vt se mutuò omnes videre, vel audire possint, sit communiter verum, quia omnes se mutuò animant; quando tamen sunt multa millia, videtur valdè difficile intelligere quomodo singuli quosuis occidẽtes, aut mutilãtes ad hoc animent, cũ multi sint, qui eos nec videre, nec audire possint, & difficile intelligitur, quomodo quis hic & nunc possit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo sensu percipit, vnde hãc irregularitatem extenderem ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia possunt hi omnes se mutuò animare. Ita ille.

Sed aduersùs Coninch. quoad hanc limitationem insurgit nouissimè Hurtado disp. 2. de irregular. difficult. 6. nu. 21. vbi sic ait. In bello iniusto omnes milites, quamuis sint plura millia, & etiam omnes custodientes sarcinas, fiunt irregulares, quamuis vnus tantùm occidat, aut mutilet, quia quilibet assistentia aliorum animatur, & custodia adiuuatur, non ergo placet Aegidio Coninch. qui quando sunt plura millia, id tantùm, limitat ad quinquaginta, vel ad centum ex circumstantibus occidentem, aut mutilantem. Hæc Hurtado. Vide etiam Petrum Corneio in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 2. quæst. 2. Mercerum de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæst. 24. du. 9. n. 5. Auilam part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2. conclus. 1. Layman lect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 8. nu. 2. Villalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 29. nu. 1. & alios penes ipsos. Verùm his non obstantibus limitationem quam in hoc casu adducit Coninch, aliqui tanquam probabilem admittunt, nam Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 4. nu. 37. cum Paludano in 4. sentent. dist. 15. quæst. 2. num. 30. non putat omnes milites exercitus teneri in expugnatione vrbis ad totum damnum, quod alii dederunt, & adducit rationem quæ militat etiã in irregularitate. Verùm mihi opinio prima magis placet.

Notandum est tamẽ hic obiter militantes in bello iusto aggressiuo non fieri irregulares, modò suis manibus sanguinem non fundant, etiamsi alii mutilent, vel occidãt, vt colligitur ex cap. petitio, de homicidio. Nec valet dicere quòd tales etiamsi per seipsos non occidant, tamen occidunt per alios quos animant & adiuuant. Ergo non minus erunt irregulares quàm iudex, vel satellites assistẽtes per suam authoritatem, vel auxilium executori homicidii iusti. Nam respõdeo negando antecedens, quia miles qui per se non occidit, ex eo solùm quòd iustè militet, non censetur iuuare alios ad occidendum, sed tantùm ad strenuè militandum, remotè igitur & tantùm per accidens censetur cooperari, quod non sufficit ad irregularitatem. Iudex autem & satellites concurrunt ad determinatam actionem homicidii, &, quod præcipuum est, habemus declarationem in vno casu à iure, & non in alio.

An qui vendit arma, vel tribuit & mutuat illa ad bellum iniustum, incurrat irregularitatem.

RESOL. XXVIII.

AD hunc casum ita respondet Turrian. de cens. lib. 9. disp. 68. dub. 1. si istæ actiones ex mente P. Suarez fiant solùm generatim, & ordinentur ad bellum iustum, non incurritur irregularitas propter illas. Si verò fiant in ipso bello, & determinatè ordinantur ad occidendum, incurretur irregularitas, quia actio illa tendit determinatè ad homicidium. Alii putant non incurri irregularitatem, quia hæc irregularitas

requirit homicidium non quomodocumque, aliàs Princeps qui gerit bellum ex solo imperio & præcepto erga milites illā incurret, ergo sicut in illo non sufficit tale imperium, multo minus in priuata persona actio vendendi, vel mutuandi arma ad bellum gerendum, etiam quando iudicatur prudenter futurum homicidium, & hoc placitum non videtur improbabile. Ita Turrianus. Et licèt sententiam Suarez docuerat ante Syluester ver. homicidium 3. Henriquez lib. 13. cap. 12. num. 4. in gloss. litt. N. & Villadiegu de irregularitate cap 6. num. 5. ergo tamen cum Turriano puto cōtrariam sententiam probabilem esse, quam absolutè docet Auila part. 7. disput. 5. sect. 3. dub. 2. conclus. 1. vbi asserit. Ex dictis sequitur quod vendentes, vel donantes arma militibus ad bellum iustum, non manent irregulares. Et hoc intelligo, quamuis præbeant arma offensiua in ipso conflictu belli, & quamuis sit Clericus in Sacris. Sic Auila. Sed quoad Clericos intellige; modò nō præbeant arma ad occidendum hunc, vel illum in particulari, & ita rectè aduertit amicissimus & doctissimus Barbosa in collect. to. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 24. num. 2.

An milites in bello iusto si occidunt alios ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, incurrant irregularitatem.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuam sententiam, si dicti milites processerunt ad bellum pugnandi causa, & non alio fine, docent Suarez, Henriquez, Rodriquez, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 4. punct. 5. num. 2. quia tales procedendo ad bellum tali intentione voluntariè se exponunt periculo homicidij, & saltem in causa volunt homicidium, ergo, &c.

Verùm mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam tenet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 11. dub 2. quæst. 3. & Auila de censur. par. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 1. qui citat Syluestrum & alios viros doctos. Ratio est, quia talis defensio est licita, & confirmatur. nam si iudex, aut carnifex inuadatur à reo, quem volebat decapitare, & pro necessaria sui defensione occidat illum, non manet irregularis. ergo, &c.

Non desinam etiam hic adnotare id quod docet Præpositus in 3 p. quæst. 5. de irregularit. dub. 12. num. 93. vbi sic asserit. Si bellum iniustum sit agressiuum, constat eos, qui occidunt, vel mutilant, incurrere irregularitatem homicidij voluntarij, similiter mandantes, cooperantes, animantes, subministrantes arma, &c. excepto forte, casu, quo aliquis inuasus non possit sibi aliter consulere. nam eo casu non est improbabile quod possit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere inuadentem, absque periculo irregularitatis. Ita ille. Sed hoc non admittit Petrus Cornejo loco citato. Hinc à fortiori dicēdum est, quòd si bellum defensiuum sit iustum & licitum, milites, etiamsi occidant; non sunt irregulares. Ita Tannerus. in 3. part. disp. 6. qu. 10. dub. 11. num. 208. qui citat Suarez. nam in hoc caso militat eadem ratio quæ in priuata defensione. Et tandem hic obiter nota cum Cornejo loco cit. non esse irregulares qui exhortantur milites in bello iusto, vt strenuè se gerant, nec qui illis vendunt, vel donant arma, modò non incitent ad determinatam hominis occisionem; quamuis non desint authores qui probabiliter asserant non incurrere, eo quòd irregularitas hæc imposita non sit, nisi contra eos, qui propria manu occidunt.

An qui pugnauit in bello iusto, si dubitet an occiderit mutilauerit, debet se iudicare irregularem.

RESOL. XXX.

AFfirmatiuè videtur respondendum ex Villalobos tomo 2. tract. 21. difficul. 28. n. 6. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 4. punct. 5. n. 5. & 10. in editione nouissima, & alijs, asserentibus ex c. petitio tua, de homicidio, quòd Clericus assistens bello, irregularis iudicatur si aliquem interfecit, vel si dubiam de hoc habet conscientiam.

Verùm non desunt DD. negatiuam sententiam docentes, & ideò Præpos. in 3 part. quæst. 5. de irregular. dub. 12. numer. 97. sic ait. Petitur an qui solùm dubitat, an in bello iusto occiderit sit censendus irregularis, etiam eo casu, quo non possit probabiliter iudicare se occidisse. Varij affirmāt, sed non videtur improbabile quòd nō teneatur se habere tanquam irregularem, quia Pontifex in d. c. petitio tua, dicit: Si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordeat, quod non contingit quando nullum probabile iudicium formari potest. Ita ille. & ante illum hanc sentētiam docuerat etiam Auila part. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 2. conclus. 3. vbi citat Nauarrum & Henriquez & addit, quòd si solùm dubium sufficeret ad irregularitatem in his qui pugnant in bello iusto, innumeri essent irregulares, & ideo hanc sententiam post hæc scripta inueni docere Merollam in disp. Theolog. to. 1. disp. 3. c. 3. n. 252. qui respondet ad c. petitio tua.

An testis præcepto iudicis obligatus, vel graui metu coactus, & in casibus, in quibus iure naturali tenetur testificari, incurrat irregularitatem.

RESOL. XXXI.

NEgatiuè quoad duos primos casus respondet Coninc. de Sacram. disput. 18. dub. 10. num. 56. vbi sic ait. Dubium est inter Doctores, vtrùm qui obligatus præcepto iudicis agentis merè criminaliter contra reum, aut graui metu coactus, fert testimonium, ex quo sequitur alterius mors, fiat irregularis. Multi affirmant, sed non probant, quare quidam viri docti putant contrarium veriùs esse, saltem quando testis apertè protestatur se hoc inuitum facere, nec alterius mortem petere. Primò, quia hic directè tantum seipsum tuetur à damno corporis vel animæ, quo casu ne quidem fit irregularis auum occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis (gratis enim fingitur omnis alia indecētia) sed hic nullus est defectus lenitatis, quia hic solùm reperitur in inuoluntariè occidente, sicut faciunt ministri iustitiæ, qui spontè talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occisionem obligant, hic autem omnino inuoluntariè ad alterius mortem concurrit. Ita ille. Quando verò testes tenentur fert testimonium iure naturali, non incurrere irregularitati præmissa protestatione, tenet ex Henriquez Auila de cens. part. 7. disp. 5. sec. 2. dub. 12. concl. 2. Nam ius concedens hoc priuilegium Clerico accusatori, censetur cōsequenter concessisse testi in hoc casu ne priuilegium reddatur inutile. Exemplum est, quando tenetur testificari ad liberandum à morte iniustè accusatum, vel quando tenetur testificari ne ille qui iustè accusauit machinantem contra Rempublicam deficiens in probatione puniatur pœna talionis.

Verùm aduersùs has sententias insurgit nouissimè doctus Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 11. nu. 40. vbi sic ait. Id quòd ait Coninch. nempè testem præcepto iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad testificandum non fieri irregularem; falsum est, quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate, & etiam in alijs, in quibus iure naturali tenetur. (quicquid in his dicat Auila) quia quamuis in omnibus prędictis casibus nō reperiatur in teste defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus & coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia ob rigorem per se & obiecto in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est dicta irregularitas; sicut etiam fieret irregularis iudex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamuis obligatus & coactus assumeret officium, & ferret sententiam. Ita Hurtado. Satis quidem probabiliter, & hanc sentētiam ego teneo, & tenet etiam Villalobos tom. 1. tra. 21. diffic. 27. num. 1. Filliucius tom. 2. trac. 19. cap. 9. nu. 254. Fabrus de sacram. ordin. in 4. sent. dis. 25. quæst. 1. disp. 3. nu. 211. & alij. Sed aduersùs Hurtadum, sententiam negatiuam Coninch. & Auilæ, quam ipse falsam vocat, puto probabilem esse cum Præpos. in 3. par. q. 5. de irreg. dub. 13. num. 105. sic asserente. Testis in causa sanguinis fit irregularis, nec ei prodest protestatio ad euitandam irregularitatem. Aliqui probabiliter censent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel iure naturæ, vel iusto iudicis præcepto ad testimonium ferendum, & multo potiori ratione, quādo ad id graui metu obligatur, cum eo casu non censeatur volūtariè ad mortem concurrere, sed quadam necessitate antecedente voluntatem, qua ratione distinguitur à iudice & alijs, qui liberè suscipiendo officium ex consequenti cēsetur se

obligare

obligare ad pœnam sanguinis interdum infligendum. Hæc Præpos. vbi supra. Et post hæc scripta inueni supradictam sententiam negatiuam, quam, vt dixi, non bene falsam vocat Hurtado, docere etiam Mercerum de Sacramen. 3. p. D. Thomæ, qu. 24. dub. 8. resp. 3. Petrum Cornejo in 3 part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 11. dub. 1. q. 7. Est igitur opinio satis probabilis, licèt ego, vt dixi, affirmatiuam sententiam teneam.

An Aduocatus & testes in causa sanguinis incurrant irregularitatem, si præmittant protestationem eo modo quo facit accusator?

RESOL. XXXII.

SVppono Clericos & laicos in casu criminali accusando cum protestatione non incurrere irregularitatem, si hoc faciant petendo satisfactionem pro iniuria sibi, vel suis rebus illata, vel parentibus. Hoc supposito affirmatiuè ad casum nostrum respondeo cum Villalobos in summ. to. 1. tract. 21. difficul. 27. nu. 1. vbi sic ait. [Aunque el derecho ay excepcion en el que acuso si haze la protesta no quedádo por esto irregular, no lo ay en el testigo y assi la protesta nole escusa la irregularidad.] Idê docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tractat. 5. de irregul. disp. 11. dub. 1. quest. 6. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 11. num. 133. Vgolinus de irregul. cap. 6. §. 9. nu. 3. Layman. sect. 3. tract. 3. p. 3. cap. 7. nu. 3. Molina tom. 4. tract. 3. disp. 74. num. 10. Henriquez lib. 14. c. 12. num. 9. Turrianus de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3. & ratio est, quia dicta facultas protestationis solùm côceditur in iure accusatori. ergo non potest extendi ad testes & Aduocatos.

Verùm non desinam hic adnotare opinionem Ioannis Præpositi in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 13. num. 104. vbi sic ait. Aduerte primò, quo casu protestatio potest excusare accusatorem ab irregularitate, eodem posse excusare aduocatum illi necessarium; nisi enim eius Aduocatus eodem priuilegio vti posset, sæpè redderetur inutilis facultas accusandi sine periculo irregularitatis. Idem dicendum est de teste illi necessario. Sic ille.

Et ita hanc sententiam ante Præpos. docuit Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 10. num. 95. putat enim in casu quo accusator cum protestatione non incurrit irregularitatem, non etiam incurrere Aduocatum & testem, quia in his, ait ille, est eadem ratio, cui enim conceditur aliquid, censetur etiam concedi ea omnia quæ ad hoc necessaria sunt, alias concessio sit inutilis: sed cùm accusatori concessum sit priuilegium accusandi in aliquibus casibus sine metu irregularitatis, præcedente protestatione, hoc autem priuilegium videretur inutile si testis non posset absque irregularitate, cum protestatione testari, nam timore tantæ pœnæ, retraheretur à testando, & consequenter accusator nihil probare posset, & nihil obtineret, eiusque priuilegium vanum & inutile redderetur. ergo, &c. & idem dicendum est de Aduocato, & hâc opinionem tanquam probabilem admittit Io. de la Cruz in director. part. 2. de irregul. dub. 6. conclus. 5. vbi sic ait. Probabile est non fieri irregularem qui in fauorem alterius, & maximè Reipublicæ, accusat, testificatur, aut patrocinatur in causa sanguinis cum protestatione. Ita ille.

An Clerici & laici incurrant irregularitatem, si accusent in causa criminali cum protestatione quando tantùm agitur non de damno illato ipsis, sed eorum consanguineis.

RESOL. XXXIII.

IRregularitatem incurrere docet Petrus Corneio in 3. par. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 1. quæst. 6. num. 4. Vgolinus de irregul. cap. 6. §. 9. n. 4. & Bonacina de censur. disp. 7. quæst. 4. punct. 2. numer. 4. vbi citat plures Doctores pro hac sententia minimè hoc asserentes. Ratio verò huius sententiæ est, quia in cap. penult. de homicid. in 6. permittitur Clericis, & laicis in consequentia conqueri coram iudice de malefactoribus suis, non autem alienis, ergo, &c.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 11. nu. 41. Coninch. disp. 18. dub. 10. n. 95. Villalobos tom. 1. tract. 51. diffic. 56. n. 6. & 7. Auila parte 7. disp. 5. sect. 2. dub. 11. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 13. nu. 101. & alij penes ipsos. Dico igitur quòd accusator excusatur ab irregularitate quando accusat ob læsionem factam in propria persona, aut in proprijs bonis, si ante sententiam protestetur se non accusare ad vindictam; & idem est quando accusat ob læsionem factam eis, qui sunt ipsi coniuncti, aut ei sunt ita propinqui, vt eorum iniuria ad ipsum pertinere censeatur, quales sunt parentes, filij, fratres, &c. Idem cum Præpos. loco cit. dicendum est de accusante eum, qui dedit damnum Ecclesiæ, vel suis subditis, & quando accusator accusat ad euitandũ graue damnum innocentis, vel Reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non possit, & in isto vltimo casu ex Molina, Auila loc. citat. putat non esse necessariam protestationem, quod etiam tenet Præpos. loco cit. nu. 102.

An Aduocatus, qui reum defendit, incurrat irregularitatem si sequatur mors accusatoris.

RESOL. XXXIV.

AD hoc dubium ex Vasquez Turrianus de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3. respondet negatiuè, nisi Aduocatus rei postulet pœnam talionis contra accusatorem, secus si solùm defendat reum suum, & ex accidenti sequatur pœna mortis accusatoris. & Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 13. nu. 104. ita asserit. Aduocatum patrocinantem reo non fieri irregularem si accusator deficiens in probationibus morte puniatur, dummodo in progressu non censeatur eum impetere crimina objiciendo, nisi id sit necessarium ad defensionem rei grauiter alioquin periclitantis, nã verisimile est Aduocatum rei eo casu objicientem accusatori crimen, non fieri irregularem si præmittat protestationem. Ita ille.

An Clerici assistentes quando reus in patibulo suspenditur, incurrant irregularitatem, & peccent mortaliter.

RESOL. XXXV.

SI intersunt nullam præstando authoritatem, non incurrunt irregularitatem, peccant tamen mortaliter, ex cap. sententiam sanguinis, ne Clerici vel Monachi, secundùm Sayrum de censur. lib. 6. cap. 18. nu. 20. & alios. Alij putant peccare tantùm venialiter, si assistant ex curiositate ob paruitatem materiæ. Ita Suarez de cens. disp. 47. sect. 4. numer. 10. Auila part. 7. disputat. 5. sect. 2. dub. 14. quia licèt Clericis sit prohibitum in dicto Canone ne se immisceant in causa sanguinis, tamen hæc materia est leuis.

Sed ego puto Clericos etiam in Sacris, Beneficiarios, & Religiosos assistendo tantùm executioni sententiæ mortis, non peccare, neque venialiter, quia Canones hoc prohibentes videntur contraria consuetudine abrogari. Adde quod Vgolinus de irregul. capit. 5. §. 3. nu. 3. asserit iura id prohibentia intelligenda esse de Clericis auxilium & fauorem sua præsentia præstantibus.

An quis incurrat irregularitatem si committat aliquid quod sit iure naturæ prohibitum, vt homicidium, ignorans tamen esse prohibitum iure Ecclesiastico, aut saltem pœnam irregularitatis ei esse annexam.

RESOL. XXXVI.

AFfirmatiuè respondet Villalobos tom. 2. tract. 21. diffic. 6 num. 1. vbi sic ait. [El que ignora el derecho de la irregularidad si haze el acto à que esta annexa, incurre en ella, esto es comun y llano porque tambiẽ otras penas, como la del blasfemo y homicida se incurren ignorando el derecho, y en esto difiere tambien esta penas de las censuras porque aquellas como son medicinales no las incurren, los que las ignoran con ignorancia inuincibile, mas ha se de entender la côclusion del que ignora el præcepto Ecclesiastico tan solamẽte cometiẽdo culpa contra ley natural, o diuina, porque estas irregularidades que se ponen por culpa miran la indecentia que el acto en si tiene, y ansi faltando essa no se incurren.] Sic ille. Et ita hanc senten-

sententiam tenet Suarez & Vasquez, quos citat & sequitur Hurtado disp. 2. de irregul. diffic. 8. num. 28. quia, ait ipse, homicidium, v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est simpliciter tale delictum, v. g. homicidium, aut aliud; & quamuis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam, remanet in eo sufficiens indecētia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos iam susceptos ob quam euitandā fertur irregularitas. immò in eo remanet sufficiens culpa, vt ea pęnalitas ei infligatur, quamuis irregularitas infligetur vt pœna. ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticę ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio iure prohibitum. Adde multo minus pręrequiri scientiam, seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, quia de ratione pęnæ, aut quasi pœnæ, non est quod sit voluntaria; quod autem delictum absque notitia irregularitatis factum habeat minorē contumaciam, seu inobedientiam respectu Ecclesię, parum refert, quia absque ea notitia sufficientem habet cōtumaciam & indecentiam, est tamen pęcuniaria excommunicatione, & alijs pœnis latis per statuta Ordinariorum, quòd probabiliter ignoratæ non incurrant. Hæc omnia Hurtadus.

Verùm non reticeam hic aduotare quod non desunt Doct. contrariam sententiam tenentes, & hi sunt inter neotericos, Thom. Sanchez de matrim. lib. 9. disput. 32. n. 17. iuncto n. 9. & Ægid. Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 4. n. 19. & 31. vbi sic asserit. Probabilius est exercentem actum, cui annexa est in puram pœnam irregularit. hanc non incurrere si inuincibiliter ignoret iure Ecclesiastico prohibitam; & etiam non est improbabile ignorantiam pęnæ irregularitatis excusare, etiamsi quis sciat agere contra legem Ecclesiasticam. Ita Coninch. qui multos adducit textus & rationes, & hanc sententiam tenet etiam Io. Præpos. in 3. part. q. 5. de irregul. dub. 2. num. 9 vbi docet absolutè non incurrere irregularitatem committentem aliquid cōtra legem naturalem, vel diuinam si ignorat, quòd idem lege Ecclesiastica prohibetur sub pœna irregularitatis; & licèt nu. 10. teneat hoc non procedere, quando non præceptum Ecclesiasticum, sed solùm pœna irregularitatis ei annexa ignoratur, attamen hanc sententiam, quam ipse contra Sanchez tenet, vocat tantùm veriorem, vnde cum Coninch. vbi suprà putat illam, etiam in hoc casu, quando tantum ignoratur pœna irregularitatis, esse probabilem sed tu ne recedas à prima sententia, quoad irregularitatem homicidij, vt optimè obseruat Merolla in disput. theolog. tom. 1. disp. 1. cap 2. corollar. 1. n. 49. & ego infrà in hoc tract. resol. 85. nam quoad alias irregularitates impositas in pœnam puram delicti, ego puto secundam sententiam negatiuam esse probabilissimam. Vide Merollam vbi supra, & de hac quæstione iterùm redibit sermo in d. resolut. 85.

An irregularitas reddat aliquem inhabilem ad beneficium obtinendum. & ad fructus percipiendos.

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuè respondēt Villalobos to. 1. tract. 21. difficult. 2. n. 12 Lessius lib. 2. c. 34. dub. 22. nu. 120. Auila part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 3. Nauar. c. 27. n. 351. Sayrus lib. 6. c. 2. n. 2. Couar. in cap. alma mater, part. 1. §. 7. n. 1. Henriq. lib. 4. cap. 2. num. 7. in gloss. lit. C. & alij penes ipsos, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem ad obtinēdum beneficium, & ideò irregularem non posse tuta conscientia beneficium retinere, vel fructus ex eo perceptos. Immò obtenta dispēsatione ab irregularitate beneficium nō potest retineri sine noua collatione, seu reualidatione collationis priùs factæ; & adducunt pro hac firmanda sententia c. 2. de Clerico non ordinato ministrante, c. 2. de Clericis pugnātibus, c. dudum, de electione, c. cum bone, de ætate ordin. & secundùm hanc opinionem non valet collatio Prælaturę Regularis facta irregulari.

Sed ego contrariam sentētiam probabilem etiam esse teneo cum Turriano de censur. lib. 7. disp. 58. dub. 2. Suarez disput. 40. sect. 2. nu. 35. Hurtado disp. 1. de irregular. diffic. 20. nu. 21. Præpos. in 3. part. qu. 5. de irregul. dub. 3. num. 18 Coninch. disp. 18. dub. 1. n. 6. qui tres vltimi respondent ad Canones supradictos. Igitur secundùm hanc sententiam certum est peccare mortaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & similiter retinendo, valet tamen collatio beneficij, & potest facere fructus suos, neque teneri eos restituere etiamsi per iudicem beneficio priuaretur. Item potest validè resignare beneficium, antequam eo priuetur. Item post impetrata dispensatione irregularitatis, potest, inquam, quis licitè beneficiū retinere absque alia habilitatione, vel noua collatione. Potest etiam validè exercere omnes actus competentes ratione beneficij, immò & licitè, si non sint actus Ordinis, & saltē nō sit in mora petendi dispensationem, hinc validè eligit, præsentat, confert beneficia, iurisdictionem, potestatem excipiendi confessiones, ministrandi Sacramenta, benedicendi sponsis, &c. Hæc omnia Præpos. luc. cit. & ideò hanc sententiam absolutè tenet Syluester ver. excommunicatio 4. n. 4. & Plouius de irregul. reg. 44. n. 39. & 40. Verùm his non obstantibus tu ne recedas à prima opinione affirmatiua tamquam tutiori in praxi, vt obseruat Suarez, Coninch. & Turrianus loco cit.

Quædam notabiliora circa irregularitatem bigamiæ.

RESOL. XXXVIII.

An laicus bis contrahens, sed cum altera, vel cum vtraque inualidè, aut inualidè contrahens cum vidua, efficiatur irregularis, non constat apud DD. nam aliqui in omnibus his casibus affirmant, alij in quibusdam, in alijs negant; sed, vt verum fateat, nemo ius aliquod adsert, quo vllo ex his casibus irregularitatem cōtrahi clarè probetur. Hinc infertur primò laicum contrahentem bis inualidè, non esse irregularem. Secundò fictè contrahentem secundum matrimonium, aut cū vidua, neque etiam in irregularitatē incurrere. Infertur tertiò, etiam laicum contrahentem secundum matrimonium inualidè ob alium defectum minimè irregularem esse, & hæc omnia docet Coninch. disp. 18. dub. 11. n. 101. licèt hoc vltimum cum aliqua formidine asserat; verùm illud docet Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 13. n. 41. Vide etiam ad supradicta stabilienda Auilam p. 7. disp. 8. dub. 1. & 2. cum Henriq. lib. 12. c. 6. n. 9. Turriano de cens. lib. 9. disp. 70. dub. 2. & Præposit. in 3. p. qu. 5. de irregul. dub. 7. num. 135.

Notandum est hic obiter pro praxi, quòd ducens fæminā à se ipso defloratam non incurrit irregularitatem. Ita contra non paucos, docet ex Sanchez Turrianus loc. cit. & Præpos. in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 1. nu. 133. cum Petro Cornejo in 3. p. tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. n. 4. & ratio est, quia in tali casu neuter diuidit carnem suam nec verè, nec interpretatiuè, cum illa non fuerit à pluribus cognita, sed ab vno & eodem.

An Clericus sæcularis sacris Ordinibus initiatus, si contrahit cum virgine, incurrat irregularitatem bigamiæ.

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. qu. 5. Auila part. 7. disp. 8. dub. 1. Præpos. in 3. part. q. 5. de irregul. dub. 7. nu. 136. Toletus lib. 1. c. 26. n. 7. Valentia to. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. Emmanuel Sà ver. irregularitas, vbi de bigamia n. 4. Sāchez de matrim. to. 2. lib. 7. disp. 85. nu. 5. Suarez de cens. disp. 49. sect. 6. Coninch. disp. 18. dub. 11. nu. 102. & alij penes ipsos, & probant hanc opinionem ex c. 1. qui Clerici, vel vouentes, & ex c. 2. eodem titulo.

Sed aduersus hanc sententiam nouissimè insurgit Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 13. nu. 47. vbi sic ait. Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quamuis cum virgine, quæ tantùm habet locum cum Religioso, & non cum sæculari in Sacris initiato, vt contra Suarez & Coninch. aduertunt non pauci, tum quia in cap. quotquot. 27. q. 1. vbi inducitur hæc irregularitas, tantùm est sermo de Religiosis, tum etiam, quia aliàs superfluè sæcularibus in Sacris constitutis apposita esset irregularitas in cap. nuper, quando post vnum matrimonium validum ante ordinationem contractum post ordinationem cōtrahunt aliud, quia primum matrimonium nō esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem, & etiam superfluè apposita esset eis irregularitas in cap. vlt. de bigamis, quando post ordinationem contrahunt cum vidua, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficeret

ficeret

ficeret contrahere cum Virgine, vt patet in d.cap. quotquot. Ita Hurtado,& ante illum Tannerus in 3.part.disp.6.quæst.10. dub.10.num. 184. qui citat Henriquez. Ad Canones verò quos pro contraria sententia adducit Sanchez & alij, respondet Turrianus de cens. lib. 9.disput.70. dub. 3.quod in illis capitulis non apperet initiatos sacris Ordinibus contraxisse cum virgine.

An vxorem vi ab altero cognitam, maritus post adulterium violentum cognoscens incurrat irregularitatem bigamiæ?

RESOL. XL.

Affirmatiuè respondet glossa, Turrecremata, Henriquez, Maiolus, Palarius, Viualdus,& alij,quos affert.& sequitur Thom. Sanchez de matrim. tom. 2.lib.7. disp. 84. nu. 15. quibus ego addo Villalobos in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 31. nu. 6. Suarez de cens. disp. 49.sect. 3. num. 16. Et ratio est, quia vis illa præcisa excusat fœminam à culpa, at non efficit matrimonium illud aptum esse ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia; ergo, &c.

Sed contrariam sententiam esse probabilem,docet Io.Præpos.in 3. part. D. Thom. qu. 5. de irregular. dub. 7. num. 135. quia Canones requirunt vt vxor adulterium cõmiserit: vt clarè patet ex textu, sed vim passa non potest dici adulterium cõmisisse, ergo, &c. Nec valet dicere quòd qui ducit corruptam ab alio, etiam vi, fit irregularis. ergo qui cognoscit propriam vxorem ab alio cognitam. Nam respondetur negando consequẽtiam, quia in priori casu est expressa iuris decisio,cum Canones solùm requirant esse corruptam,quod in omni proprietate etiam dici potest de ea, quæ vi est corrupta. In nostro autem casu dicitur in Canone, *cum vxorem adulterium commisisse*, &c.Item si laici vxor in adulterio fuerit deprehensa,quod nullo modo dici potest in proprietate sermonis de ea, quæ vi ab alio est cognita, & in materia odiosa verba legis sunt restringenda quantum verborum proprietas patitur.

Nec valet dicere secundò quòd irregularitas quæ ex bigamia interpretatiua oritur, est ex defectu significationis, qui etiam resultat ex accessu ad suam, quæ vi ab alio est cognita. nam respondeo id non referre, quia propter illam solam congruentiam hæc irregularitas non incurreretur si non esset in iure imposita; sed in nostro casu non sufficienter constat hanc irregularitatem esse in iure impositam; vt patet ex dictis considerando Canones. ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum factum à Sanchez pro prima opinione.

An quis incurrat irregularitatem bigamiæ si cognoscat vxorem post eius adulterium, licèt non sit notorium,vel ignoretur ab eo.

RESOL. XLI.

Quoad primum, affirmatiuam sententiam ex Nauarro & Castro docet Sanchez de matrim.tom. 2. libr. 7. disp. 84. n. 15. & patet ex cap.si cuius & cap. si laici. dist. 34. Verùm Ioan. Præpos. in 3.part. q. 5. de irregular.dub.7.num. 133. notat quòd videtur requiri vt adulterium sit notorium. nam in d. cap. si cuius, dicitur, [si cuius vxorem adulterium commisisse, cùm esset laicus, euidenter fuerit comprobatum;] sed non est recedẽdum à prima sententia, quia textus ille intelligitur quoad forum externum, non autem in conscientia. Quoad secundum Emmanuel Sà ver.irregularitas,qui agit de bigamia, num. 3. Petrus Ledesma de matrim. qu.66.art.3.& alij putant, tunc maritum in nostro casu incurrere irregularitatem, quando habet copulam cum vxore quam scit commisisse adulterium, secus autem si adulterium ignoret.

Verùm contraria sententia est tenenda, quam tuentur Doctores, quos citat & sequitur Sanchez loco cit. quibus ego addo Petrum Cornejo in 3.p.D. Thomæ tract. 5. de irregul.disp. 10.dub. 2. qu. 4 Villalobos tom. 1. tract. 21.difficult. 31. nu. 6. Ioan. de la Cruz in director. part. 2.de irregular. dub. 1.concl. 1. Hurtadum disp.2. de irregular. difficul. 13. nu. 49. Turrianum de censur. libr. 9.disp.70. dub. 2. & Auilam de cens. part. 7. disp. 8. dub. 1.vbi cum D. Thom.& alijs rectè docet hoc esse verum, licèt maritus compulsus per censuras Ecclesiæ (quia nõ plene probauit adulterium in foro externo, vel alia de causa) cognoscat vxorem quæ fornicata est. Igitur siue scienter, siue ignoranter maritus cognoscat vxorem postquam adulterauit,incurrit irregularitatem bigamiæ, quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis, qui reuera est in nostro casu, etiamsi in marito adsit ignorantia. Vnde cognoscens posteà vxoris delictum, soluto matrimonio ab Ordinibus suscipiendis debet abstinere. Et ita præter Doctores citatos tenet etiam hanc sententiam Petrus Cornejo in 3. p. D. Thom. tract. 5. de irregular. disp. 10.dub. 2. q. 4.

An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur in copula seminis virilis emissio intra vas fœmineum?

RESOL. XLII.

Ad incurrendam dictam irregularitatem sufficere tantùm copulam absque seminatione, docet Auila de cens. part. 7. disp. 8. dub. 1. Henriquez lib. 11. cap. 15. nu. 3. in gloss. lit. B. Tabiena, Armilla, Viualdus, Palacius & alij, quos citat Sanchez de matrimon. tom. 2. libr. 7. disput. 83. num. 6. Sed ipse, & meritò, sententiam contrariam docet cum Borghasio & Vega, quibus ego addo Hurtado disp. 2. de matrimon. difficult. 13 inumer.48. Turrian. de censur. lib. 7. disput. 70. dub. 1. Præpos.in 3, part.q. 5. de matrimon. dub. 9. num. 75.iuncto cum nu. 77. Coninch. disp. 18.dub.11. num. 102. & Megalam in 3. part. lib. 7. cap. 1.num. 65. Vnde in tali casu quis posset promoueri ad sacros Ordines si res occulta fuerit sine aliqua dispensatione: rationes verò huius sententiæ inuenies apud Sanchez, sed maior difficultas consistit in dub. seq.

An ad incurrendam dictam irregularitatem bigamiæ requiratur non solum effusio seminis viri, sed etiam fœmina.

RESOL. XLIII.

Solùm viri semen requiri docet Vega in sum. tom. 1. c. 38. cas. 4.Turrian.de cens.lib.7.disp. 70. dub. 1. qui citat Sanch. vbi infra, quia semen fœmineum non est necessarium ad consummationem matrimonij & generationem, vt post Aristotelem docet D. Thom. in 3. p.q.31. art.5.ad 5.

Sed ego contrariam sententiam nõ minus probabilem esse existimo, quam tuentur in terminis casus nostri,de quo loquimur,Io.Præpos.in 3.part. q. 5.de insolubilit.matrimonij,dub.9. nu. 81.& probabilem etiam esse existimat Sanchez de matrim. tom.1.lib.7.disp.83.nu 6.in fine; quia ex Medicorum sententia semen fœmineum est necessarium ad generationẽ & consummationem matrimonij. Vnde ex his vltra decisionẽ casus nostri sequitur primò quod si viro seminãte mulier non seminauerit, idque partibus constet, possint religionẽ ingredi, sitque probabile quòd per professionem soluatur matrimonium, atq; adeò pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire. Ita Præpos. & alij. Secundò infertur decisio alterius casus, quem alibi tetigi, licèt cum aliqua formidine. Dico igitur esse sententiam probabilem & satis tutã in praxi asserere quod ad cõtrahendam affinitatem non sufficit seminatio viri in fœmina matricem, in qua est sanguis menstruus ad generationẽ paratus, sed etiam requiritur seminatio fœminæ. & ita docet Hurtado tract. de matrim.disp. 20.difficult.1.n. 5. qui citat Innocentium & Lopez, & hanc sententiam probabile etiam putat Præpos. Sanchez & Turrianus loc. cit. Vnde stãte probabilitate huius sententiæ qui habuit copulam cum consanguinea, vel affine vxoris, si illa non seminauit, non contraxit vllum impedimẽtum, & ideò potest sine vlla dispensatione petere debitum.

An hereticorum fautores, receptatores, defensores, &c. incurrant irregularitatem?

RESOL. XLIV.

Affirmatiuam sententiam tenent communiter DD. quos citat, & sequitur Auila part.7.disput.4.dubit.2.conclus. 2. quibus ego addo Villalobos tom.1.tract.21.diffic.15.n.6.Io.de la

la Cruz in direct. part. 2. de irregular. dub 4. concl. 2. Præpos. & Coninch. vbi infrà, Suarez de cens. disp. 43. sect. ... n. 5. Valētiam tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. Toletum lib. 1. cap. 69. nu. 2. & amicissimum Sanctarellum tract. de hæresi cap. 25. dub. 1. nu. 4. qui hoc probat ex cap. 2. §. hæretici, de hæret. in 6. vbi isti dicuntur esse inhabiles ad omne beneficium & officiū publicum, & sub nomine officij publici comprehenduntur non solū officia temporalia, sed Ecclesiastica, & consequenter etiam Ordines qui pertinent ad officium publicum. Alij adducunt alios canones, sed Turrianus de cēsur. lib. 9. disp. 62. dub. 2. obseruat quòd hæc sententia ex iure non omninò apertè colligitur, & ideò Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 3. nu. 9. difficile existimat supradictos incurrere irregularitatem, quia in iure dicuntur tantùm inhabiles ad beneficia & officia publica: quod antè sub nomine officiorum non includatur Ordo, aduersùs Sanctarellum & alios, probat Hurtado loco cit. nu. 7. adi illum, & non pigebit; & hanc sententiam absolutè docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregular. disp. 8. dub. vnico q. 8. Sed stando in prima opinione Præpos. in 3. part. q. 5. de irregul. dub. 7. num. 44. Coninch disp. 18. dub. 7. num. 51. conclus. 2. & alij limitant illam, vt intelligatur, si supradicti foueant hæreticos formaliter, seu vt tales, ita vt per hoc foueantur in hæresi, secus autem si ob amicitiam, parentelam, &c.

An filius natus ex patre Catholico, qui posteà in hæresim incidit, & in ea mortuus est, vel etiam si pœnituerit, brachio sæculari traditus est, an, inquam, in his casibus filius incurrat irregularitatem?

RESOL. XLV.

AFfirmant Auila part. 7. disp. 4. dub. 7. Turrianus de censur. lib. 6. disput. 62. dub. 2. & alij. Negant Hurtado disp. 2. de irregul. diffic. 3. nu. 8. Villalobos tom. 1. tract 21. difficult. 16. nu. 9. & alij.

Sed licèt vtramque sententiam existimem probabilem esse, tamen aduerte amice Lector, quòd sententia negatiua parum refert in nostris partibus. nam licèt supradicti non incurrant irregularitatem inflictam in cap. statutum contra filios hæreticorum, incurrere tamen facilè possunt irregularitatem ortam ex infamia. Igitur sententia negatiua defenditur pro locis hæresi valdè infectis vbi hanc irregularitatem ex infamia filij hæreticorum non incurrerent, vt obseruat Tannerus in 3. p. disp. 6. q. 10. dub. 10. nu. 201. secus autem, vt dictum est, in nostris; & ita aduertit Præpositus in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 7. nu. 2. & Coninch. de Sacrament. disp. 18. dub. 7. n. 51. in fine, quod est valdè notandum, quia multi in hoc possunt se decipere ex authoritate DD. asserentium supradictos non incurrere irregularitatem, qui tamen nihil asserunt de irregularitate ex infamia, sed loquuntur tantùm, vt dictum est; de irregularitate lata contra filios hæreticorum.

An hæreticus occultus incurrat irregularitatem?

RESOL. XLVI.

AFfirmatiuè respondent Turrianus de censuris lib. 9. disput. 62. dub. 1. Filliucius tom. 1. tract. 10. can. 9. num. 228. Præpositus in 3. part. q. 5. de irregular. dub. 7. n. 51. Coninch. de cens. disp. 18. dub. 7. n. 50. Suarez de cens. disp. 43. sect. 1. n. 4. Sanctarellus tract. de hæresi c. 25. dub. 1. Sanchez in sum. to. 1. lib. 2. c. 25. n. 2. & alij penes ipsos, adducentes pro hac firmanda sententia multos canones.

Sed non desunt Doctores negatiuam sententiam asserentes, & ita nouissimè docet Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregular, disp. 9. dubio vnico, q. 4. Hurtado disp. 2. de irregul. diffic. 4. nu. 13. & Tannerus in 3. p. disp 6. q. 10. dub. 10. nu. 200. Layman in Theolog. mor lib. 2. tract. 5. part. ... c. 6. nu. 11. Philiarcus de officio Sacerd. to. 1. p. 1. lib. 4. cap. 15. Auila part. 7. disp. 4. dub. 2. Henriquez lib. 14. c. 4. nu. 6. Emmanuel Sà ver. irregularitas ex defectu animæ, n. 2. Sayrus de cens. lib. 7. cap. 12. nu. 16; & Garzias de benefic. tom. 1. par. 11. cap. 10. nu. 83. & 84. Vnde secundùm hos Doctores hæreticus occultus post impetratam absolutionem potest sine vlla dispensatione & metu irregularitatis celebrare. & ad cap. ad abolendam, respondent, quòd loquitur de publico hæretico, vt apparet in illis verbis: *quicumque manifeste fuerit in hæresi deprehensus*, Sic etiam c. saluberrimum 1. q. 3. loquitur pariter de hæretico publico, & de solemni abiuratione, quæ in scriptis fit, & hanc sententiam probabilem esse docet Reginaldus to. 2. libr. 30. tract. 2. cap. 15. num. 193. Sed tu ne discedas à prima opinione tamquam probabiliori.

An qui de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, incurrant irregularitatem?

RESOL. XLVII.

HOs esse irregulares ratione suspicionis vehementis de hæresi, & notoriæ quidem, tradit Azorius tom. 1. lib. 8. c. 21. qu. 8. & nouissimè hanc sententiam docet etiam Emmanuel Moura opusc. 1. de ensalmis & incantationibus sect. 3. c. 6. num. 21. & 22.

Sed dicendum est nullatenus esse irregulares, & ita docet Coninch. de censur. disp. 18. dub. 7. num. 55. Sanctarellus de hæresi cap. 25. dub. 1. nu. 9. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 12. Henriquez lib. 13 capit. 56. nu. 1. Sousa in aphorism. inquis. lib. 3. cap. 5. nu. 6. Farinacius de hæresi, quæst. 192. §. 5. n. 80. Nauarrus lib. 5. de hæret. consil. 16. nu. 1. Portel. in addit. ad dubia regul. ver. irregularitas, nu. 20. Garzias de benefic. tom. 2. p. 11. c. 10. nu. 88. asserens ita fuisse resolutum in Rota. Emmanuel Sà ver. hæresis, num. 5. & alij. Ratio, est quia hi non damnantur tamquam hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæresim, sed ob ea gesta, ex quibus hæresis suspicio orta est, à qua se purgat per abiurationem, & in iure imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non autem abiurantibus hæresim, & ideò Villalobos in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 15. num. 2. [dize de vn Prelado que abjuro] de vehementi, [y el dia siguiente sin dispensation se fue à dezir Missa, loqual aprobo, y loo el Papa y toda la curia.]

An suspecti de hæresi sint irregulares?

RESOL. XLVIII.

AFfirmat Pesantius in addit. 3. part. q 10. disput. 5. Turrianus de censur. li. 9. disp. 62. dub. 2. & alij, negat Præposit. in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 7. n. 47. & alij.

Sed tu die cum Sanctarello tract. de hæresi cap. 25. dub. 1. n. 9. & alij penes ipsum, quod suspecti de hæresi sunt irregulares quando suspicio oritur ex eo, quod fauent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt, sed si suspicio oritur ex alio crimine tunc non erunt irregulares propter huiusmodi suspicionem, sed solùm propter infamiam, si crimen fuerit notorium, quare si auferatur infamia, & suspicio purgetur, consequenter etiam tollitur huiusmodi irregularitates, & ita etiam docet Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 10. Filliucius tom. 2. tract 10. cap. 9. n. 235. Villalobos in summa tom. 1. tract. 21. diffi. 16. nu. 7. & alij penes ipsum.

Notandum est tamen hic obiter secundùm Auilam de censur. part. 7. disp. 4. dub. 2. Sayrum de cens. lib. 7. cap. 12. n. 16. & alios posse Clericum qui lapsus est in hæresim post pœnitentiam & abiurationem exercere susceptos Ordines, sed non posse ante susceptam legitimam dispensationē saltem ab Episcopo, docet Præpositus in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 7. num. 42. Coninch. de censur disp. 18. dub. 7. nu. 57. Verùm non reticeam hic etiam adnotare affirmatiuā sententiam absolutè & sine vlla distinctione docere nouissimè Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 3. num. 10 vbi sic ait, Clerici conuersi ab hæresi non possunt ad superiorem Ordinem promoueri, vt patet ex canon. saluberrimum 1. quæst. 7. possunt tamē absque dispensatione aliqua suis Ordinibus vti, quicquid nonnulli dicant, vt ex eodem canone deducitur. Ita ille. Sed tu negatiuam sententiam tene per ea, quæ adducit Sanctarellus tractat. de hæresi capit. 25. dub. 1. numero 3. & 6. & Pegna in director. inquisit. part. 3. comment. 174. vbi etiam asserunt Pium V. anno 1567. prohibuisse Inquisitori Generali Hispaniarum, vt non possit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare, vt Missam celebrent. Vide Suarez de censur. disput. 43. sect. 1. numer. 6. vb. asserit cum supradictis hæreticis pœnitentibus posse Episcopos dispēsare circa vsum Ordinum vsque ad Diacona-

crnatum inclusiuè, secus autem quoad dispensationem Sacerdotij.

An fictè negans fidem ab ea apostatando, siue spontè, sine timore ductus, incurrat irregularitatem?

RESOL. XLIX.

HIc casus olim mihi in facti contingentia accidit, & supradictum apostatam esse irregulatẽ docet Sanctarell. tract. de hæresi cap. 25. dub. 1. n. 4. Maiolus de irregul. lib. 5. c. 34. n. 2. Sanchez in sum. tom. 1. libr. 2 c. 25. n. 6. Suarez de cens. disp. 43. sect. 2. n. 2. Farinacius de hęresi q. 92. n. 73. quod probat Sãchez ex c. presbyteros, dist. 50. qui textus de fictis apostatis videtur apertè loqui.

Verùm ego cõtrariam sententiam cum Filliuc. to. 1. tractat. 20. cap. 9. num. 230. probabilem puto, si crimen occultum sit. nam si crimen esset notorium, incurreret irregularitatẽ ex infamia, non autem irregularitatem peculiarem, & ratio est, quia talis irregularitas non videtur inflicta contra tales nullo canone. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Azorius to 1. lib. 8. c. 11. quæst. vlt. & c. 21. q. 8. & ad c. Presbyteros respondet Filliucius loco cit. n. 231. & hanc sententiam probabilem etiam esse putat Bonacina de cens disp. 7. q. 3. punct. 7. n. 2. nam sententiam contrariam, quam ipse, & meritò, tenet, & ego teneo, vocat tantùm probabiliorem.

An filij Saracenorum, Paganorum, Iudæorum, sint irregulares?

RESOL. L.

REspondeo quod si dicti baptizati sunt ab infantia, nullam incurrunt irregularitatem, quia non sunt filij hæreticorum, contra quos lata est in iure irregularitas. Ita DD. quos citat & sequitur Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 3. punct. 7. nu. 11. Si autem conuersi sunt, & baptizati in adulta ætate, dicuntur Neophyti, & sunt irregulares, vt communiter tradunt Doctores; difficultas verò consistit quanto tempore sit iudicandus aliquis Neophytus, vt ratione irregularitatis non possit etiam minores Ordines recipere. Mihi placet sententia Filliucij tom. 1. tract. 20. cap. 9. nu. 240. Suarez de cens. disp. 42. sect. 3. n. 6. & 7. & aliorum, asserentium non posse vllum certum tempus assignari ad iudicandum aliquem pro Neophyto, sed hoc remitti arbitrio Episcopi, qui potest eum promouere, quem post aliquam temporis dilationem à die suscepti Baptismi iudicat habilem & idoneum ad Ordines. Nota tamen quòd in tali casu Episcopus non dispensat in irregularitate, sed declarat irregularitatem cessasse, iura enim certum tempus non præscribunt. Nota tamen hic cum Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 19. nu. 61. & alijs, quod post decem annos à sub Baptismo Neophytus non est amplius irregularis.

An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum.

RESOL. LI.

MOrdicus negatiuam sententiam tenet Vgolinus de irregular. cap. 56. §. 7. nu. 4. vbi ex pluribus rationibus illam conatur defendere, sed aduersùs illum insurgit Villalobos to. 1. tractat. 21. diffic 7. num. 2. vbi sic asserit [De la irregularidad que nace del homicidio cometido antes del baptismo ay difficultad. Vgolino dice que no se quita por el baptismo que este solo quita la culpa y no la irregularidad, mas la contraria sentencia tienen casi todos y consta de vn testo cap. si quis vidua dist. 50. aunque no es muy fuerte, porque se trahe por argumẽto à contrario sensu. Y aunque estando in puncto iuris se podria defender lo que dize Vgolino mas esta es mas probable y se ha de seguir en practica.] Ita ille. Vide etiam Hurtado disp. 1. de irregular. diffic. 20. num. 64. & nouissimè Io. Honorium in compend. iuris canonic. libr. 5. tit. 39. nu. 111. vbi sic ait. Tollitur Baptismo omnis irregularitas etiam ex homicidio cõtracta, præterquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramẽti, vt bigamia. Ita ille, & nouissimè Petrus Cornejo in 3. par. D. Thom. tract. 5. de irregular. disp. 1. dub. 4. q. 5.

An in dubio facti non solum in casu homicidij, sed etiam in alijs casibus quis censendus sit irregularis?

RESOL. LII.

DE hoc casu alibi pauca diximus, & ad illũ affirmatiuè respondet Hurtado disp. 1. de irregul. diffic. 4. n. 15. & ante illum Vasquez in 12. disp. 66. c. 1. & Turrianus de censur. lib. 8. disp. 57. dub. 5. Ratio est, quia aliàs sic dubius temerè se exponeret periculo faciendi cõtra prohibitionẽ irregularitatis, quod efficaciter deducitur ex c. ad audientiam, & c. significasti, de homicidio, in quibus generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubij homicidij, sed generaliter omnibus dubijs, (excepto dubio in materia iustitiæ) quia in illis capitibus non dicitur in dubio homicidij abstinendum esse à ministerio Altaris, quia in eo dubio, sed quia in dubijs tutiorem semitam debeamus eligere. vbi exponendum est quod dicitur *debeamus*, quo denotatur tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro casu homicidij, sed obligationem generaliter in dubio cuiuscũque facti aliunde prouenire, ex lege videlicet, aut ex præcepto, cuius transgressioni dubius se temerè exponit. Hęc Hurtado, & ideò Turrianus ait, quòd in supradictis iuribus interrogatus Pontifex non condidit nouum ius, sed declarauit obligationem iuris naturalis, nam circa factũ non debebat statuere legẽ, sed pro futuro. Item quia reddit rationem suæ regulæ, nempè quia in dubijs tutior pars est eligenda. quæ ratio ineptè subiungeretur si esset falsa, & non contineret doctrinam vniuersalem.

Verùm his non obstantibus communiter contrariam sententiam docent DD. nempè in solo homicidio quem censeri irregularem in dubio facti, secus autem in alijs casibus. Ita Malderus 1. 2. D. Thomæ q. 19. artic. 5. disp. 87. dub. 8. Alphons. de Leone tract de offic. & potest confess tom. 1. re collect. 17. num. 68. Suarez de censur. disp. 40. sect. 6. Henriquez libr. 14. cap. 13 n. 4. Auila part. 7. disp. 2. dub. 5. conclus. 2. Sanchez tom. 1. lib. 1. capit. 10. num. 48. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 3. Coninch. de Sacram. disp. 18. dub 2. nu. 11. Salas in 1. 2. quęst. 21. tract. 8. disp. 1. sect. 18. num. 168. & alij penes ipsos. Prima pars nostræ conclusionis probatur ex dictis c. ad audientiam, &c. significasti. Secunda pars probatur, quia omnia iura clamãt in casu dubio neminem esse puniendum, eo quod in dubijs melior sit conditio possidentis; ad rationes verò superius adductas respondent Suarez & alij vbi suprà. Ex his infertur contra Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 4. dubium an mutilauerit non esse irregularem, cùm iura, vt dictum est, in solo dubio homicidij hanc irregularitatem statuerint, nõ sunt extendenda ad dubium facti mutilationis. Ita Sanchez tom. 1. lib 1. ca. 10. num. 49. & alij. Deinde ex his sequitur quòd in dubio iuris quis non sit censendus irregularis, quando videlicet non constat irregularitatem aliquam esse à iure statutam, quod clarè probatur ex cap. his qui, de sent. excommunic. in 6. vbi decidit irregularitatem non incurri nisi quando est expressa in iure: at quando ius est dubium non dicitur esse expressa in iure. ergo. & ita docent DD. cit. vbi supra.

Non reticeam tamen hic adnotare aliquos asserere etiam in dubio facti homicidij neminem se irregularem gerere debere, & ad cap. audientiam, respondent procedere quando homicidium est ita dubium, vt verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sic videri declaratum ab Innocent. III. cap. significasti 2. ad fin. & hanc sententiam non esse improbabilem, docet ipsemet Suarez de censur. disput. 40. sect. 6. n. 70. & post illum Salas in 1. 2. tom. 1. quæst. 21. tractat. 8. disp. 1. sect. 6. nu. 70. Alponsus de Leone tract. de potest. confessor. tom. 1. recollect. 17. num. 47 & Rebellius part. 2. lib. 1. quæst. 4. sect. 2. nu. 13. asserens quosdam recentiores ita sentire; sed non est recedendum a contraria sententia, nisi in dubio homicidij iustè commissi. vt in bello iusto. nam in huc casu dubitantem, vt suprà diximus. puto non esse irregularem, quia in cap. ad audientiam, & in cap. significasti, sermo est de dubio facti homicidij: occisio autem iusta non venit sub nomine homicidij ergo, &c.

An Episcopi incurrant irregularitatem, quæ fertur aliquo iure generali.

RESOL. LIII.

Negatiuè respondet Maiolus lib. 1. de irregular. cap. 1. num. 7. nam in cap. quia periculosum 4. de senten. excommunic. in 6. statuitur Episcopos non teneri iure generali ferente suspensionem, aut interdictum. Sed quia iste Doctor erat Episcopus, agebat causam suam; cùm igitur sine fundamento loquatur, non est recedendum à contraria sententia quam docet Hurtado disp. 1. de irregul. diffic. 7. nu. 16. & Turrianus de cens. lib. 8. disp. 59. dub. 1. quia nullo iure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, immò nec ab incurrēdo excommunicationē, quamuis iure dicti capit. excipiantur ab incurrendo suspensionem & interdictum, quæ iure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

An sit irregularis Latinus si ordinetur à Græco, vel Græcus si ordinetur à Latino, & quid si ordinetur ab Episcopo schismatico.

RESOL. LIV.

Affirmatiuam sententiam quoad primum docet Maiolus lib. 4. de irregulat. cap. 32. quod probat ex cap. cum secundum, & ex cap. ex parte, de tempor. ordin. Sed contrarium tenendum est, quia in priori cap. cum secundum, verum est quòd id prohibetur, sed pœna irregularitatis non imponitur; in c. verò ex parte, non est sermo de hac materia, & ita hanc sententiam negatiuam tenet Turrianus de censur. lib. 9. disp. 61. dub. 3. Filliucius tom. 1. tract. 20. cap. 7. n. 204. & alij, non nego tamen esse prohibitum Græcos ordinari à Latinis, & Latinos à Græcis, vt probat Azorius tom. 1. lib. 3. c. 48. q. 14.

Quoad secundum dico non incurri irregularitatem propter susceptionem Ordinum ab Episcopo schismatico, & ita censuerunt quoque Theologi Societatis Iesu in Colleg. Rom. in consultatione de hac re habita, vt testatur & probat Io. Præpositus in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 5. n. 28. non obstante instructione Clem. VIII. super Ritibus Græcorum anno 1595. quam interpretatur Præpositus vbi suprà.

An efficiatur irregularis, si quis suscipiat Ordinem furtiuè, & quid dicendum in alijs casibus in praxi occurrentibus.

RESOL. LV.

Respondeo quòd qui ordinatur furtiuè, incurrit irregularitatem, dicitur verò furtiuè ordinari qui non examinatus, neque admissus suscipit Ordines, vel quando fecit vt alius examinaretur, & ipse loco illius & nomine suscipit Ordines, vt patet ex c. 1. de eo, qui furtiuè ordinatur: dispensatio verò huius irregularitatis committitur Episcopo, capit. 1. & vlt. tit. cit. cum hac tamen conditione, vt non fuerit denunciatus ab Episcopo, vel Archidiacono, vel alio ministro mandante vt nullus se furtiuè ingerat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, in hoc enim casu non potest Episcopus dispensare, nisi aut Religionem ingrediatur, aut faciat ibi condignam pœnitentiam. & ita docet Turrianus de cens. lib. 9. disp. 61. dub. 3. Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 1. num. 3. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. num. 26. Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 5. n. 43. Suarez de cēs. disp. 42. sect. 3. n. 5. & alij penes ipsos verùm quia hoc tempore Episcopi communiter ferūt excommunicationem contra furtiuè ordinationi se ingerentes, ideò dicta irregularitas regulariter Papæ est reseruata.

Non reticeam tamen hic adnotare Bonacinam de censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. num. 6. in fine docere, licèt cum aliqua formidine, supradictam doctrinam esse veram, quando quis diaconatum furtiuè suscipit, & cōsequenter in hoc casu incurri irregularitatem, vt loquitur dict. cap. 1. Secus autem in susceptione furtiua aliorum Ordinum, nam in hac contrahitur tantum suspensio.

Nota etiam hic non incurrere irregularitatem si quis ordinetur in his casibus. Primò quando quis accipit Ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui quoad locum & dignitatem. Secundò qui ordinatur ante legitimam ætatem. Tertiò qui ordinatur ab Episcopo alieno sine licētia proprij. Quartò qui ordinatur non seruatis interstitijs. Quintò qui ordinatur per saltum. Sextò qui recipit Ordines extra tempora sine dispensatione. Septimò qui existens in irregularitate si recipiat Ordines sine dispēsatione dictæ irregularitatis, in his enim casibus non irregularitas, sed suspensio incurritur. Ita Filliucius tom. 1. tract. 20. c. 7. n. 190. & seq. Villalobos to. 1. tract. 21. diffic. 12. numero 1. & alij.

Nota etiam secundò quòd aliqui probabiliter asserunt ligatum maiori excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines sacros, non incurrere irregularitatem. Vide Bonacinam vbi supra. Idem dicendum est etiam probabiliter de suspenso & interdicto, & de recipiente Ordines, sine confirmatione, vnde in gratiam Confessariorum dico absolutè, quòd in duobus tantùm casibus quis in mala Ordinum susceptione incurrit irregularitatem. Primò si furtiuè ordinetur modo, quo suprà dictum est. Secundò si durante matrimonio, etiam non consummato, præsumit sacros Ordines suscipere; in alijs autem casibus quos adducunt Doct. asserētes incurri irregularitatem in susceptione Ordinum, tutene contrarium, quia cum non exprimantur in iure, nō sunt admittendi, vnde prudēs Confessarius à multis irregularitatibus liberabit pœnitentes & consulentes, & ita hanc opinionem tenet Hurtado disp. 2. de cens. diffic. 1. nu. 3. & Præpos. io 3. p. q. 5. de irregul. dub. 5. num. 27.

An qui sine Ordine requisito administrat Sacramenta sit irregularis.

RESOL. LVI.

Suppono primò quod si quis præsumat solenniter baptizare carens Ordine ad id requisito, & qui sine sacerdotali Ordine præsumat Missam celebrare, efficitur irregularis, ex capit. 1. & 2. de Cler. non ordin. minist. Sed difficultas est, an irregularitatem incurrat is qui sine Ordine requisito administrat alia Sacramenta, vt, v. g. si Clericus præsumat sacramentaliter absoluere, vel conferre Extremā vnctionem, immò & Sacerdos qui solùm priori ordinatione est ordinatus. Item si simplex Sacerdos præsumat conferre sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, &c. ad hanc difficultatem communiter respondent DD. affirmatiuè, vide Auilam part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 15. Coninch disp. 18. dub. 6. n. 48.

Sed, vt verum fatear cum Ioan. Præposito in 3. part. quæst. 5. dub. 6. nu. 35. hæc opinio videtur pati difficultatem, cum nullo iure expressè habeatur aliquem carentem Ordine administrātem Sacramenta fieri irregularem. Sed DD. id tradunt ex c. 1. citat. vbi dicitur. Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur ab Ecclesia, & numquam ordinetur. Sub diuinis autem Officijs non satis constat hic contineri administrationem Sacramentorum, cum sæpè in iure inter se distinguātur, vt patet ex c. Episcoporum, de priuileg. in 6. & ex cap. responsio, de sent. excommun. cap. alma mater, eodem tit. in 6. & ex Trident. sess. 21. cap. 4. de reformat. Confirmatur, quia Baptismus in cap. cit. condistinguitur contra diuinum Officium, ergo nō videtur satis constare diuinum Officium ibi comprehendere Sacramentorum administrationem, quamuis quibusdam alijs capitulis comprehendere videatur, & ideò opinio negatiua videtur alicuibus probabilis, & illam docet Syluester ver. Cōfessor 1. ego autem non audeo recedere ab opinione affirmatiua.

Notandum est tamen hic obiter quod digladiantur DD. inter se, an laicus exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem; alij negant, alij affirmant, & omnes quidem probabiliter sed mihi affirmatiua opinio videtur probabilior, quia licèt titulus affixus in supradictis capitibus loquatur de Clericis vsurpantibus Ordinem quo carent, tamen dicta iura absque limitatione loquuntur de vsurpante Ordinem quem non habet & titulus ipsis affixus post ipsa iura lata affixus est, & non à ferente illa, vt benè obseruat Præpos. vbi suprà, & Hurtado vbi infrà.

Verùm vt hæc irregularitas incurratur siue à Clerico, siue à laico,

laico, requiritur vt Ordinem quem vsurpat exerceat, seriò, & quod exerceat illum vt ordinatus, seu solemniter, id est, eo modo, quo nequeat à non ordinato exerceri, vnde laici qui exercent Ordines minores quocumque modo eos exerceant, non fiunt irregulares, quia actus eorum Ordinum iam nõ censentur propria eorum; nec qui in Missa canit epistolam sine manipulo, quamuis cu Dalmatica. Immò laicus, canens prædicta cum omnibus requisitis, quamuis peccet, non fit irregularis si id efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati, & qui baptizat nõ solemniter, quamuis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis, & qui fingens se Parochum assistit matrimonio, non fit irregularis, & hæc omnia docet Hurtado disp. 2. de irregular. diffic. 2. n. 5. & alij, licèt, vt supra dixi, probabiliter aliqui asserant absolutè laicum exercentem actum Ordinis non fieri irregularem. Vnde ego olim interrogatus, an laicus sacramẽtaliter absoluens incurrat irregularitatem? respõdi negatiuè cum Sayro, Henriq & alijs, quos citat & sequitur Barbosa in collect. to. 1. lib. 5. tit. 28. ca. 1. n. 7. licèt magis probabiliter contrarium dicendum sit, quia talis absolutio est actus Ordinis. ergo, &c.

An Clericus excommunicatus incurrat irregularitatem si facit coram se celebrare? & multi casus aduersus Maiolum deciduntur.

RESOL. LVII.

AD hunc casum affirmatiuè respondet Villalob. in summa tom. 1. tract. 21. difficult. 14. num. 3. vbi sic ait, [El que haze celebrar delante de si estando descomulgado incurre en irregularidad como dize la glossa, Abad, Couarr. y otros muchos y lo prueuan de lo texto cap. illud, de Cleric. excommunic. ministr. ibi, *celebratione se ingesserit*, y dize Suarez que es comun sentencia y aunque e la restringe a los Sacerdotes los de mas DD. no la restringen.] Et ita etiam docet Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 6. dub. vnico, q. 5. qui citat Nauarrum, & Sayrum.

Verùm contrariam sententiam nouissiè tuetur Præpos. in 3. p. q. 5. de irregular. dub. 6. n. 38. vbi sic asserit, an Ecclesiasticus excommunicatus faciẽs coram se celebrari, incurrat irregularitatem? Affirmant varij ex ca illud, de Cleric. excommun. &c. ex quo tamen non sufficienter colligitur, vt patet ex textu, verius est non incurrere. Ita ille.

Nota tamen hic obiter quòd si aliquis non est censura ligatus, & faciat vt excommunicatus, suspensus, vel interdictus coram se celebret, non est irregularis. Ita Cornejo vbi suprà contra Sayrum & Nauarrum, quia talis irregularitas nõ reperitur in iure, & in c. illud, est sermo quando excommunicatus facit coram se celebrari.

Nota etiam hic quòd licèt Clericus ligatus censura incurat irregularitatem exercendo actum Ordinis, attamen per indignam administrationem Ordinis non incurritur irregularitas quando non est administratio contra censuram. Ex qua regula excluduntur casus ab irregularitate, quos falsò apponit Maiolus lib. 3. c. 18. aduersus quem insurgit Turrianus de cens. lib. 9. disp. 61. dub. 5. per totum.

Et nota etiam hic contra dictum Maiolum lib. 4. cap. 1. nu. 8. Episcopum qui male vtitur potestate sua in conferendo Ordines, non incurrere irregolaritatem. Ita Turrianus loc. cit. qui etiam notat aduersus dictum Maiolum lib. 3. cap. 26. n. 5. quod non est irregularis qui celebrat prætermisso toto ritu Ecclesiæ in celebrando & sacrificando. Item non incurrit irregularitatem Sacerdos qui pro persona viuenti Missam defunctorum dicit, quicquid ipse Maiolus asserat li. 3. cap. 25. num. 6. vt optimè notat Turrianus vbi supra, nec per iteratam receptionem sacramenti Confirmationis contra Maiolum li. 3. c. 15. nec per susceptionem fictam Baptismi contra eumdem lib. 4. cap. 7. & nota cum Turriano vbi supra disp. 62. dub. 3. dictum Maiolum lib. 5. ferè per quadraginta capita referre multa peccata, propter quæ dicit incurri irregularitatem, & de nullo id satis probat, exceptis aliquibus, vnde cautè illum lege, & in casu occurrenti consule alios DD. & tene menti illam regulam ab omnibus receptam, & in cap. is qui, de sententia excommunicat. in 6. latam videlicet quod nulla irregulatitas incurritur nisi sit in iure expressa, ex quo principio a multis irregularitatibus consulentes, vel pœnitentes liberabis, & ideò quando accidit casus, considera si in iure adest textus clarus & expressus imponens irregularitatem, & tunc non est dubium, quòd irregularitas incurritur; si autem adsunt opiniones probabiles ex vtraque parte, vel dubium si in illo textu imponatur irregularitas, tunc potes liberare consulentem, seu pœnitentem ab irregularitate, & ita docent communiter DD. Vide Villalobos tom. 1. tract. 21. diffic. 22. n. 1.

An expositi dicantur irregulares.

RESOL. LVIII.

HAnc quęstionem ego tractaui in 2. part. tractat. 5. resolut. 22. & pro parte affirmatiua multos Doctores adduxi, quibus nunc addo Hurtado in disp. 2. de irregular. difficult. 14. num. 57.

Sed ibi ego negatiuam sententiam tenui, & nunc etiam teneo, & præter DD. quos ibi pro hac sententia citaui, nouissimè illam tẽnet, me citato, Io. Dominicus Tassonus in pragmat. de antifato vers. 13. obseru. 1. num. 78. Squillante de priuileg. Clericor. cap. 4. dub. 2. num. 39. Mercerus in 3. part. D. Thomæ de Sacramen quæst. 24. dub. 12. quæritur 2. Malderus in 1. 2. D. Thomæ quæst. 19. art. 5. disp. 87. in fine. Præpositus in 3. part. q. 5. de irregul dub. 6 num 127. Salas in 1. 2 tract 8. disp. vnic. sect. 24. num. 246. Pesantius in addit. ad 3. part. qu 20 disp. 5. & Turrianus de cens. lib. 9. disp. 71. dub. 1. asserit de iure nouo hãc sententiam tenendam esse. nam Gregor. XIV. Bulla quadam edita anno 91. in gratiam confraternitatis pro expositis decreuit, vt habeantur pro legitimis, quod etiam testatur Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 15. dub. 1. num. 4. Coninch. in disp. 18. dub. 12. n. 105. Peirinus to. 2. de Relig. Prel. q. 2. c. 5. §. 9. nu. 136. Henriquez lib. 13. c. 8 n. 10. in glossa litt. L. & Auila de cens. p. 7. disp. 3. dub. 7. Vnde sine vllo metu irregularitatis puto supradictos expositos posse sacros Ordines suscipere; & ratio est, quia expositi nullo iure decernuntur illegitimi, & quòd aliquis exponatur, non est sufficiens signum quòd sit extra matrimonium susceptus, cùm parentes ob paupertatem prolem suam interdum exponant; ergo, &c.

An dubius si quis sit illegitimus, debeat censeri irregularis.

RESOL. LIX.

AFfirmatiuam sententiam tenet Vasquez, Couarr. & Toletus, quos citat & sequitur Hurtado disp. 2. de irregularit. diffic. 17. num. 56. ne se exponat periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis; quod autem dicitur neminem in dubio esse condemnandum, tantum est verum de pura condẽnatione, seu pœna, non verò de condemnatione, seu pœna, quæ est prohibitio, ob rationem dictam. Hæc Hurtado, cui adde Reginaldum tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 7. n. 78. & Turrianum de cens. lib. 9. disp. 71. dub. 1.

Verùm ego contrariæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Petrus Cornejo in 3. p. D. Thom. tractat. 5. de irregular. disp. 15. dub. 1. quæst. 2. Coninch disp. 18. dub. 12. nu. 102. & Auila de censur. part. 7. disp. 3. dub. 10. iuncta disp. 2. dub. 5. concl. 2. quia, vt suprà ostensum est, in alijs casibus pręter homicidium si vtrinque sit æquale dubium facti, & pro vtraque parte adsint rationes æquè probabiles, non tenetur se reputare irregularem, sed poterit adhærere alteri parti, scil. quòd non sit irregularis, & ratio est, quia nemo censendus irregularis, nisi in casibus à iure expressis, sed extra casum homicidij non exprimitur in iure, quòd in dubio sit aliquis irregularis ergo. &c.

Notandum est tamen hic primò ex communi sentẽtia DD. quod si mater coniugata dicat filio etiam in fine vitæ, vel si dicat cum iuramento eum esse illegitimum, is nõ tenetur credere nisi circumstantiæ valde vrgeant, & rationibus conuincatur; vt si vterque parens id affirmet. Vide Bonacinam de cens. disp. 7. q. 1. punct. 3. nu. 5. & Mercerum de Sacram. in 3. p. D. Th q. 24. dub. 12 quæritur 1. vbi etiam docet neminem debere se reputare illegitimum propter aliquem rumorem, & infamiam, quia hæc non inducunt sufficientem probationem, & præualet possessio bonæ fidei cum iusto titulo matrimonij.

Nota secundò non esse illegitimum filium quando tempore quidem conceptionis intercedebat impedimentum dirimens, tamen eo sublato tempore eius natiuitatis parentes validè poterant contrahere, vt quando, v. grat. quis carnaliter cognouit suam consanguineam, quam impetrata dispensatione in vxorem accipit, antequam proles nascatur. Ita Sanchez de matrimon. lib. 8. disp. 7. n. 19. & Sayrus de censur. lib. 6. cap. 10. nu. 19. licèt contrariam sententiam docuerit Præpositus in 3. p. q. 5. de irregularitate, dub. 16. n. 126.

Nota tertiò celebrem doctrinam adductam à Reginaldo tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 7. num. 72. vbi sic ait. Aduerte probabile esse illegitimum qui sine dispensatione ad aliquem Ordinem promotus est antequam ipsius parentes matrimonio, per se coniungerentur, posse post initum tale matrimonium, per quod factus est legitimus, Ordinem susceptum exercere, & ad altiorem ascendere. Namque per illam susceptionem Ordinis non incurrit in nouam irregularitatem, sed tantum suspensionem ab executione suscepti, atque illa, cui subijciebatur ex defectu natalium, purgata est per sequens matrimonium, per quod verè factus est legitimus; quia igitur nulla ei superest irregularitas, nulla opus habet dispẽsatione. Cessat pariter suspensio secuta ex illa ordinatione, nã cessat effectus, cessante ipsius causa. Ideoque sicut ordinatus ante ætatem hoc ipso, quòd ætas debita aduenit potest sine dispẽsatione exercere susceptos Ordines: ita & is qui adhuc illegitimus ordinatus est, potest prædicto modo factus legitimus in susceptis Ordinibus ministrare. Hæc omnia Reginaldus, & alij.

Nota quartò quòd filij censentur legiti mi, quãdo matrimonium cõtractum inter duos inualdè fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed vnus eorum bona fide contraxit in facie Ecclesiæ. Ita Bonacina de censur. disput. 7. q. 2. punct. 3. num. 3. licèt Suarez & alij penes ipsum hoc verùm esse asserant, dum vterque contrahentium bona fide contraxit. Sed nostra sententia est probabilissima, quam tenet etiam Hurtado disp. 2. de irregularit. difficul. 14. num. 56. Peirinus tom. 2. de relig. Prælat. q. 2. c. 5. §. 9. n. 106. Coninch. disp. 18. dub. 12. n. 103. Secus autem si clam contraxissent, aut vterque parens impedimentum sciuisset.

An si quis culpa sua ab aliquo fuit mutilatus, etiam si membrum sit occultum, & non impediat vsum Ordinis, sit irregularis.

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondeo cum Molina de iustit. tom. 4. tractat. 3. disp. 70. num. 18. vbi sic ait. Est obseruandum, si alicui ob suam culpam ac delictum membrum aut pars membri abscindatur, siue à iudice, siue ab alio iniustè in vindictam delicti quod is commisit, aut quia ipse occasio fuit rixæ in qua ei abscissum est membrum, aut pars membri, vel aliqua alia ratione dando operam rei illicitæ, irregularitatem incurrere. Vnde DD. communiter affirmant, si adultero, aut alteri inhonesto membrum virile, aut testiculi abscindantur in vindictam delicti quod ommisit, irregularitatem eo ipso eiusmodi inhonestum incurrere. Sic Molina, & ante illum Sayrus de censur. lib. 6. cap. 7. nu. 15. qui multos DD. citat, quibus addo Bonacinam de censur. disp. 7. q. 2. punct. 2. num. 29. & 33 Reginaldum tom. 1. lib. 30. tract. 2. cap. 5. num. 47. Villalobos tom. 1. tract. 21. diffic. 35. num. 6. Io. de la Cruz in direct. part. 2. de irregularit. dub. 2. conclus. 2.

Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quàm docet Præpositus in 3. part. quæst. 5. dub. 114. numer. 117. & Hurtado disput. 2. de irregularitate, difficult. 14. numero 52. Ratio est, nam, vt ex Suarez de censur. disp. 51. sect. 2. num. 8. obseruat nouissimè Turrianus de censur. lib. 9. disput. 62. dub. 4. si iura imponentia hanc irregularitatem in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum mutilandi ex indignatione, aut aliquo zelo indiscreto, vt colligitur ex cap. si quis 1. 2. & 3. & capis qui. distinct. 55. & cap. maritum, distinct. 33. & can. 22. & 23. Apostolorum, & in capit. ex parte, pendenda sunt illa verba affectauerint, &c. & verba, in hac materia sicut in materia de cens. secundùm proprietatem sunt explicanda. Hæc Turrianus. Cùm igitur clarum sit qòd irregularitas non incurritur nisi sit in iure expressa, & irregularitas, de qua loquimur, minimè in iure, vt dictum est, expressa videtur; ergo illam non incurri dicendum erit. Et hanc sententiam videtur etiam docere Acugna in Decret. p. 1. distinct. 3. c. 2. n. 6. vbi docet hãc irregularitatem incurri propter culpam actiuæ abscissionis. Vide etiam Coninch. disp. 18. dub. 14. nu. 108. qui putat affirmatiuam sententiam vniuersaliter non esse veram, sed tãtum quando defectus mutilationis, seu abscissionis ipsi mutilato in se, vel in causa fuit voluntarius, iuxta illa, quæ tradit n. 64. 67. & 74. Sed vt dixi, ego primam sententiam teneo.

Notandum est hic obiter illum qui spõtè sibi membrum, vel membri partem, v. gr. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, irregularem esse, etiamsi ex tali abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrationem, vt patet in c. qui partem 6. distinct. 55. Attamen non desinam hic adnotare quod multi ad incurrendam hanc irregularitatem requirebant notorietatem facti, sc. abscissionis ex indignatione & impatientia. Ita Tannerus in 3. p. disp. 6. q. 1c. dub. 10. n. 188. Reginaldus to. 2. lib. 30. tract. 2. c. 5. nu. 4. Vgolinus de irregularitate c. 51. n. 1. Bartholomæus ab Angelis in exam. ordin. dialog. 5. §. 158. Et licèt hæc opinio sit probabilis, contraria tamen non requirens hanc notorietatem est probabilior, & ita inter alios tenet Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. c. 10. §. 7. n. 1.

An irregularitas orta ex bigamia propria, & interpretatiua, sit aliquando ab Episcopo dispensabilis, etiam ad sacros Ordines.

RESOL. LXI.

Negatiuè respondeo cum communi DD. sententia, quos affert Mauritius Alzedo in praxi Episcop. part. 2. capit. 6. nu. 51. & Barbosa de potestate Episcopi part. 2. allegat. 49. num. 25. Verùm non grauabor hic apponere sententiã Ioann. Præpositi in 3. part. quæst. 5. de irregularitate, dub. 7. nu. 138. vbi sic ait. Peculiaris difficultas est, an Episcopus nonnunquam possit dispensare in irregularitate orta ex bigamia interpretatiua, v. gr. si res sit occulta? Aliqui vniuersim censent non posse, quia hæc irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu significationis, vel ex ipso facto coniugij attentati etiam inualidè; non videtur tamen improbabile quod possit in ea quæ oritur ex delicto etiam alieno, v. gr. in irregularitate, quam contrahit is, qui cognouit vxorem, postquam ea commisit adulterium cum alio, etiamsi adulterium vxoris sit occultum, quia talis irregularitas verè oritur ex delicto. Item quod possit in ea, quam contrahit Sacerdos qui post mortem vxoris legitimæ existens in Sacris, teneat aliam in vxorem accipere, quia etiam hæc irregularitas oritur ex delicto, idque etiamsi conetur contrahere cum vidua. nam cùm matrimonium sit irritum, non inducit irregularitatem ex defectu significationis, sed ex peccato. Idem si laicus contrahat irregularitatem ineundo matrimonium cum duabus inualidè vel inualidè cum vidua, quam irregularitatem oriri ex delicto tenet Sanchez lib. 7. disput. 84. numer. 6. in fine, & disputat. 86. num. 12. censet Episcopum in nostro casu posse dispensare. Non est, inquam, improbabile in his & similibus casibus, quando irregularitas est occulta, Episcopum posse dispensare, non solùm quoad minores Ordines recipiendos, vel exercendos, sed etiam quoad maiores, iuxta potestatem ei concessam à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. de reformatione. Posset etiam dispensare in irregularitate occulta, quam contraxit Subdiaconus ducens viduam, quia eius irregularitas est ex delicto. Ita Præpositus vbi supra. Et hanc sententiam tenet etiam Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 9. dubio 15. num. 3. qui citat Sanchez, & illam extendit ad Prælatos Regulares cum eorum subditis, & post illum Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 17. q. 3. n. 3. Sed licèt hæc opinio sit probabilis, tu ne recedas à prima sententia negatiua.

An

An saltem dicta irregularitas vera bigamia sit dispensabilis ab Episcopo quoad Ordines minores, & simplex beneficium.

RESOL. LXII.

NEgatiuam sententiam tenet Villalobos tom. 1. tractat. 21. diffic. 31. num. 13. Turrianus de censur. lib. 9. disp. 70. dub. 5. Bizozerus in summa tract. de censur. cap. 2. num. 7. Squilante de priuileg. Cleric. c. 4. dub. 6. nu. 97. & alij penes ipsos, asserentes Episcopum non posse dispensare cum bigamis in bigamia vera, vel interpretatiua, non solùm ad Ordines minores suscipiendos, sed neque ad vsum susceptorum; & ratio est, quia Episcopus non potest dispensare in lege Pontificis nisi in casibus iure concessis, sed ius excludens bigamos ab omnibus Ordinibus latum est à Concilio Nicæno, teste D. Ambrosio epist. 82. ergo, &c. Deinde in c. nuper. & c. vlt. de bigamis, reseruatur illis potestas suscipiendi Ordines minores.

Non desunt tamen DD. affirmatiuam sententiam tenentes, vt Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 1. q. 5. Comitolus in respons. moral. lib. 1. q. 106. Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 86. nu. 11. Auila de cens. p. 7. disp. 7. dub. 4. Azorius p. 2. lib. 5. cap. 2. quæst. 2. Miranda in manual. Prælat. to. 2. q. 8. art. 2. concl. 2. Sayrus de cens. lib. 6. c. 6. nu. 11. & alij penes ipsos, quibus adde nouissimè Mauritium Alzedo in praxi Episcop. p. 2. c. 6. n. 52. Ioan. de la Cruz in direct. p. 2. de irregul. dub. 1. concl. 1.

Sed tu ne recedas à negatiua sententia, quia ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vt testatur Piasecius in praxi p. 1. c. 1. art. 10. nu. 11. Armendar. in recopil. ad leg Nauarræ lib. 2. tit. 19. nu. 16 Garzias de benef. tom. 2. p. 7. cap. 6. num. 5. Molfesius in summa to. 1. tract. 6. cap. 7. nu. 28. de Vecchis in praxi nouitior. disp. 9. dub. 15. nu. 2. Tamburinus de iure Abbatum to. 2. disp. 7. q. 3. n. 2. Nouarius tract. de elect. fori q. 52. nu. 25. Leo in thesaur. fori Eccles. p. 2. cap. 8. n. 36. & ita etiam fuisse decisum in Curia Archiep. Neapolitana, testatur Riccius p. 4. decis. 33. nu. 8. in fine.

Notandum est tamen hic obiter cum Turriano, & alijs DD. supracitatis posse Episcopum dispensare in bigamia similitudinaria, cum eo, qui contraxit cum virgine, contra Maiolum, lib. 1. de irregular. cap. 33. n. 7. Secus si cum vidua, vel si duplex iniit matrimonium contra Palatium in 4. dist. 27. disp. 4. & Henriq. lib. 12. c. 6. num. 11.

An saltem irregularitas bigamia vera & interpretatiua sit dispensabilis à Prælatis Regularibus cum suis subditis.

RESOL. LXIII.

NEgatiuè respondet Rodriquez, & alij, quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 49. num. Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 9. dub. 15. nu. 2. & Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 17. qu. 3. nu. 2. Ratio est, quia in priuilegijs semper cēsetur excepta bigamia, nec inuenitur priuilegium, quod hoc concedat Prælatis Regularium ergo, &c.

Verùm his non obstantibus Auila de cens. part. 7. disp. 8. dub. 4. conclus. 8. & Henriquez lib. 2. de matrimon. cap. 6. num. 11. in gloss. litt. Z. docent Religiosos dispensare posse in bigamia prefata non solùm à Superioribus, sed etiam à quocumque Cōfessario Ordinis, & hoc ex priuilegio Sixti V. Vide etiam Petrum Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 1. in fine.

Sed hoc priuilegium non esse ita clarum, tenet Tamburinus vbi supra, & alij, vnde adducam aliud ex Hieronymo Rodriq. in compend. qq. regular. resolut. 16. num. 14. vbi sic ait. Nota, cum Portel. in addit. ad dub. regul. ver. dispensare, num. 5. quod Prælati Regulares per quamdam concessionem Pauli III. de qua in Bullario, possunt semel singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, quauis occasione, vel causa contracta, vbi nil excipit, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium, quæ solent excipi priuilegijs, vnde cùm nec lex, nec Princeps distinguat, nec nos distinguere debemus, quæ sententia tamquam pia & probabilis potest in praxi sequi licèt opposita sit tutior, & conformior menti Pontificum, qui semper bigamiam excipiunt, iuxta stylum Curiæ. Ita Rodriquez vbi supra, & ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Peirinus de relig. Prælat. tom. 1. qu. 1. cap. 5. §. 8. nu. 99. Non reticeam etiam hic adnotare quòd vt notat Portel. in dub. regular. verb. dispensare, num. 4. in compend. Societ. Iesu, verb. dispensare, §. 5. & 6. dicitur quod Generalis ipsorum potest dispensare cum subditis in bigamia ex cōcessione Sixti IV. facta Carthusiensibus.

Sed ego in facti contingentia, quam præter DD. citatos tenet etiam Sebastianus à Bononia tract. de elect. p. 2. c. 4. dub. 7. n. 2. vbi rectè notat posse supradictos Prælatos dispensare cum suis subditis super bigamiam similitudinariam, eo modo, quo possunt Episcopi dispensare cum suis.

An irregularitas occulta ex defectu natalium sit ab Episcopo dispensabilis quoad sacros Ordines.

RESOL. LXIV.

NEgatiuè respondent DD. quos citaui in part. 2. tractat. 15. resol. 21. quibus nunc addo Layman vbi infrà, Hurtadum disp. 2. de irregular. diffic. 20. num. 63. Alzedum in praxi Episc. p. 1. c. 6. n. 30. & Turrianum de cens. lib. 9. disp. 71. dub. 2. quia talis irregularitas non prouenit ex delicto, sed ex defectu, quia quamuis parentes filium illegitimum sine peccato in amentia generarent, etiam fieret irregularis.

Sed affirmatiuam sententiam, licèt improbabilem & sine fundamento vocet Suarez & Hurtado, tamen, vt in d. resolutione notauimus, illam tenet Auila & probabilem existimat Coninch, quibus nunc addo Petrum Cornejo in 3. par. D. Thomæ tract. de irregul. disp. 15. dub. 1. qu. 1. Layman. lib. 1. tractat. 10 part. 1. cap. 5. num. 2. & Io. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 16. num. 13 r. vbi sic ait. Non est improbabile quòd Episcopus possit dispensare in irregularitate illegitimi, vt inquit Auila, asserens viros doctos id sentire, quia licèt illius prolis hæc irregularitas sit ex defectu, rem tamen moraliter considerando oritur ex delicto, & Ecclesia eam inducendo voluit punire parentum incontinentiam, atque adeò potest fortiri rationem pœnæ. Confirmatur, quia omnia iura hanc irregularitatem inducentia supponunt communiter peccatum in parētibus, ex quo illa oriatur, & varijs casibus vbi peccatum illorū non interuenit; proles non est irregularis quamuis nata sit extra matrimonium verum à patre rei. Nec refert quòd si proles absque culpa parentum nasceretur extra matrimonium, etiam putatum legitimum, censenda esset irregularis quia non obstante tali casu rarissimo, & quem lex non spectauit, dicendum quòd moraliter, & secundùm quod communissimè accidit, illegitimitas prolis, oriatur ex peccato parentum, & quod lex spectauit id, quod sæpius accidit, quamuis in eo casu rarissimo, quem non excipit, etiam incurreretur irregularitas; in quo tamen inueniretur actio materialiter mala, & sufficiens fundamentum malitiæ, si adessent cætera requisita. Vnde sit verisimile quod Episcopus in casu resolutionis possit dispensare absolutè (sicut potest absolutè dispensare per Concilium) quoad sacros Ordines & beneficia maiora, seu dignitates & prælaturas, hinc si quis susceptus ex occulto adulterio habeatur passim legitimus, posset ab Episcopo impetrare dispensationem ad sacros Ordines suscipiendos, & beneficia duplicia. Hæc omnia Præpositus loc. cit. & ita hāc sententiam affirmatiuam cum Auila & supracitatis DD. tenet etiam post illos Laurentius de Peirinis tom. 2. de relig. Prælat. quæst. 1. cap. 5. §. 9. nu. 143. Et tandem nouissimè hanc opinionem me citato docet Barbosa de iure Pontificio lib. 1. cap. 11. nu. 156. Verùm his non obstantibus nouissimè ego puto non esse recedendum à negatiua sententia.

Notandum est tamen hic obiter posse Episcopum cum illegitimis ex quocumque damnato coitu ad maiores Ordines, & ad beneficium simplex dispensare cum causa tamen & eorum suffragantibus meritis, & hoc procedit etiam quoad Canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum, & in dimidijs portionibus, seu inferioribus beneficijs Ecclesiæ Cathedralis, & hanc dispensationem modo, quo suprà, posse etiam Capitulum Sede vacante impartiri existimo. Vide Barbosam de

de potest. Episc. part. 2. allegat. 45. nu. 19. & seq. & Sanctarellum var. resol. p. 1. q. 41. per totam. Nota etiã hic quòd Layman vbi suprà docet quod si aliquis bona fide ordinatus fuerit, cognito natalium defectu Episcopus dispensare potest, vt insusceptis ministret. Immò fortasse etiam si mala fide Ordines accepit, vt colligitur ex c. nisi cum pridem, §. personæ, de renunt. Hęc Layman, qui etiam addit quod si filius sciat, aut credat se esse illegitimũ, & ex vna parte causa vigeat cur sacros Ordines suscipiat, ex altera parte si hoc faceret petendo dispensationem, se infamaret grauiter apud Papam, tunc sine dispensatione potest ordinari. Exemplum habes si primogenitus Regis occultè sciens se illegitimum esse, hæreditatem legitimo fratri nõ possit aliter relinquere quam si fiat Cardinalis, vel Sacerdos, non tenetur se infamare apud Summum Pontificem.

An irregularitas ex defectu natalium tollatur per professionem solemnem Religionis, non solum quoad sacros Ordines, sed etiam ad Prælaturas suscipiendas.

RESOL. LXV.

Licèt illegitimus per professionem legitimetur quoad Ordines suscipiendos, non tamen legitimatur quoad Prælaturas intra Religionem, vel extra eam obtinendas. & ita docent communiter DD. vt Barbosa in collect. to. 1. lib. 1. tit. 17. c. 1. n. 3. Peirinus to. 2. de relig. Prælat. q. 2. c. 5. §. 9. nu. 135. Sanctarellus var. resol. p. 1. q. 42. n. 1. Præpos. in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 16. n. 130. Sebast. à Bononia tract. de lect. p. 2. c. 4. dub. 72. nu. 2. Bartholomæus de Vecchis in praxi. nouit. disp. 13. dub. 6. nu. 1. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 8. nu. 73. Auila p. 2. disp. 10. dub. 6. Suarez de censur. disp. 50. sect. 5. n. 15. Henriquez lib. 14. c. 7. n. 2. Azor. p. 1. lib. 6. c. 4. quæs. 10. Sanchez in sum. to. 2. lib. 5. c. 5. n. 16. & alij penes ipsos, & hoc patet ex c. 1. de filijs Presbyterorum.

Non desinam tamen hic in gratiam studiosorum apponere quæ adnotauit Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 60. n. 10. vbi sic ait. [Los Padres de la Congregacion de san Iuan Euangelista en Portugal tienen vn Priuilegio de Eugenio I V. concedido al Conuento de san George de Allega de su Orden para que entre ellos.] Admissus ad professionem si habet defectum natalium, ipso facto fit dispensatus, non solum ad Ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis Prioratus, seu Præposituras, Rectorias, aut officia inuicem compatientia. [De suerte que entre ellos el professo no solamente queda dispensado àlas ordenes sino tambien à los oficios, y dignidades de la orden, y dixo vna Padre que fue General de aquella ordẽ en Portugal que se praticaua entre ellos assi, y hauiendo communicacion de Priuilegios me parece que se podria gozar deste no obstante que por ignorãcia no se aya vsado del. Porque Nicolao I V. concedio à los Padres de la Lartioxa que puedan vsar de los Priuilegios à ellos concedidos, aunque por simplicidad ò ignorancia del derecho no hayan vsado dellos en tiempos atras como no se aya prescripto cõtra ellos ni esten derogados, y presupuesto que gozamos de todos los Priuilegios que estan concedidos las demas ordenes, parece que podamos gozar tambien deste, y supuesto que Sixto V. Clem. V I I I y paulo V. en las confirmaciones que hizieron de los Priuilegios de nuestra orden no pusieron la clausula, *quatenus sunt in vsu*, por todo esto me parece, que se podria vsar deste Priuilegio, saluo meliori iudicio.] Ita Villalobos, & de hoc priuilegio meminit etiam Portel in dub. Regul. verb. illegitimus, n. 9.

Notandum est tamen preter supradictum priuilegium adesse constitutionem Gregorij X I V. in qua conceditur Prælatis Regularium, vt possint dispensare cum suis subditis illegitimis ad Prælaturas, & dignitates in Capitulo tamen Generali, vel Prouinciali. Ita Barbosa de iure Pontificio li. 1. cap. 42. nu. 290. & ego alibi.

Notandum est etiam hic contra Sayrum de censur. lib. 6. c. 9. n. 3. per professionem Religionis deleri etiam irregularitatem ex vsu Ordinis contractam, vt si illegitimus in sæculo absque dispensatione ad Ordines Promotus fuisset. Ita Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 13. dub. 6. n. 3. qui citat Sanch. in summa to. 2. lib. 5. c. 5. n. 10.

An eiecti à Religione, vel dimissi à Superioribus ex Societate Iesu, reincidant in irregularitatem ex defectu natalium, ita vt non possint exercere Ordines receptos, nec ad alia promoueri.

RESOL. LXVI.

Hic casus frequenter potest accidere; & est difficilis & curiosus, & ad illum negatiuè respondet Sanch. in summa to. 2. lib. 5. c. 5. nu. 14. asserens supradictos posse in Ordinibus susceptis in Religione ministrare, & in alios nondum promotos promoueri, & probat hoc ex multis rationibus.

Sed aduersus illos insurgit nouissimè Hieronym Rodriquez in compend. quæst. regular. resolut. 76. num. 7. qui respondet ad omnia argumenta, quæ ipse adducit, & hanc sententiam tenet etiam Miranda in manual. Prælat. tom. 1. quæst. 25. articul. 10. conclus. 1.

Quid ego sentiam, dicam breuiter. Opinio Sanchez absolutè quoad eiectos aliarum Religionũ probabilis mihi videtur & illam tenet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. difficult. 60. numer. 6. & Pelrinus de relig. Prælat. tom. 2. quæst. 2. cap. 5. §. 9. numer. 199. in fine, ex ratione vbi infrà. Verùm quoad dimissos ex Societate Iesu puto non posse ad Ordines promoueri post egressionem, & ita docet ex eadem Societate Turrianus de cens. lib. 9. disp. 71. dub. 2. vbi sic ait. Addendum est hanc irregularitatem ex defectu natalium tolli per emissionem trium votorum simplicium post biennium in Societate nostra, quia per illa verè sunt Religiosi, vt definitum est à Gregor. X I I I. in constitut. Ascendente Domino. Difficultas verò esse potest, an si quis dimitteretur à Societate post talia vota, ante susceptionem tamen Ordinis intelligeretur, quasi reuiuiscens ea irregularitas, vt non possit Ordines suscipere sine dispensatione. & quamuis res sit dubia, mihi est probabilius necessariã esse dispensationem, quia prædictus fauor concessus videtur ijs, qui ita fiunt Religiosi, vt in eo statu suscipiant Ordines. Ita Turrianus.

Adde quòd est dispàr ratio inter dimissos è Societate, & eiectos ab alijs Religionibus, nam dimissi è Societate, vt patet in dicta constitutione Gregor. X I I I. & obseruat Hieronymus Rodriquez vbi suprà, & docet Sanctarellus tract. de Apostasia cap. 7. dub. 2. nu. 10. manent omninò soluti à vinculo monachatus, & à votis Religionis; eiecti verò ab alijs Religionibus, vt obseruat Peirinus loco citat. & alij communiter; quamuis propter delicta expellantur ab Ordine, non per hoc desinunt esse Religiosi, & tenentur ad vota eo modo quo docent DD. quos citat & sequitur Sanctarellus vbi suprà cap. 6. dub. 1. nu. 1. non est ergo mirum si isti possunt gaudere post eiectionem a Religione aliquibus priuilegijs Religioni cõcessis, & dimissi è Societate Iesu minimè, quia hi post dictam dimissionem sunt meri seculares, illi vero post eiectionem minimè, sed remanent veri Religiosi. Prælati enim per illam expulsionem non possunt facere de Monacho non Monachum, vt notat Rodriquez loc. citat. resolut. 57. num. 6. & alij. ergo, &c. Verùm his non obstantibus non nego contrariam sententiam esse probabilem, quam tuetur nouissimè Barbosa de iure Pontificio lib. 1. c. 41. num. 192. vbi citat Suarez & Sanctarellum, asserentes eiectos è Societate Iesu non reincidere in pristinam irregularitatem ex defectu natalium; mihi verò, vt dixi, sententia Turiani magis placet. Sed quid dicendum de Religioso illegitimo post annullatam professionem, potest ne post latam sententiam in sæculum rediens exercere susceptos Ordines, & ad alios promoueri? Affirmatiuè respondet Peirinus loc. cit. de religios. Prælat. to. 2. q. 2. c. 5. §. 9. nu. 149. qui citat Sanchez. Sed ipse de hoc casu in illo loco non loquitur, sed tantùm de illis, qui validè professionem emiserunt, vt qui dimittuntur è societate, & qui expelluntur propter crimina à Religione, & ideò cõtrariam sententiam tenendam esse puto, quam in terminis; vt dici solet, terminantibus tenet doctus Aloysius Riccius in praxi to. 2. resol. 311. per totam, & Barbosa in collect. to. 1. li. 1. tit. 17. c. 1. n. 9. Ratio est manifesta, nam, vt patet ex communi sensu DD. irregularitas ex defectu natalium tollitur per professionem; sed in casu de quo loquimur, non fuit vera professio, sed nulla. ergo dictam irregularitatem tollere minimè potuit. Alias rationes adducit Riccius vbi suprà, quas tu videre poteris.

Notandum est hic obiter professionem non solùm tollere irregularitatem quoad Ordines suscipiendos, sed etiam quoad vsum Ordinum susceptorum. Vide Sanctarellum variar. resol. part. 1. quæst. 39. nu. 8. Vecchium in praxi nouit. disp. 13. dub. 6. n. 3. & alios penes ipsos. Nota tamen, quod post hæc scripta inueni, sacram Cardinalium Congregationem sub die 21. Septembris anno 1624. declarasse, eiectos à Religione & extra illam degentes, esse perpetuo suspensos ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi ac moderandi.

An irregularitas incurratur à pueris ante pubertatis annos.

RESOL. LXVII.

NEgatiuè respondet Ioan. Sancius in selectis disp. 26. nu. 18. vbi sic ait. Puto non incurrere irregularitatem puerum occidentem ante pubertatem, nam cum odia restringēda sint ex regula iuris in 6. Odia, &c. sit excommunicationem nec cæteras pœnas incursuros puerus nisi post annum decimumquartum, & fœminas post completum duodecimum. Ita ille, qui citat Auilam part. 7. disput. 6. sect. 1. dub. 13. & Henriquez lib. 13. cap. 3. n. 4. Sed isti Doctores hoc non afferunt, sed docent pueros doli capaces incurrere irregularitatem, quod aliqui extendunt etiam, si ante septennium habeant plenum vsum rationis, quod Auila, & meritò negat. Et ita affirmatiuam sententiam tenet nouissimè Gauantus in aphorism. Episcop. ver. irregularitas, n. 91. vbi sic ait. Puer maior septennio occidens fit irregularis. Vide etiam Præpositum in 3. part. q. 5. de irregularit. dub. 10. n. 76.

An irregularis inualidè absoluat.

RESOL. LXVIII.

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Hurtado disp. 1. de irregular. difficult. 11. nu. 19. vbi sic ait. Existimamus cōtra aliquos absolutionem à peccatis factam ab irregulari esse nullam, quia irregularitate impeditur quis ab vsu Ordinum quātum potest ab Ecclesia impediri, Ecclesia autem potest absolutionem à peccatis irritari, quia quamuis sit vsus potestatis, seu iurisdictionis Ordinis, pendet tamen ab Ecclesia quoad applicationem subditorū, quia ex vi Ordinis nullus est determinatus, absolutio autem in non subditum est nulla. Ita Hurtado & ante illum Auila de cens. p. 7. disp. 2. du. 6. concl. 7. quod confirmatur, quia absolutio est actus Ordinis ex parte potestatis actiuæ, licèt connotet iurisdictionem ex parte materiæ.

Verùm mihi contraria sententia placet, quam docet Petrus Cornejo in 3. par. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 5. dub. 3. quæst. 3. num. 4. Villalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 2. nu. 8. vbi sic ait. [No esta priuado el irregular de la iurisdicion en el fuero de la penitencia segun la mas probable opinion de suerte, que licitamēte puede el prouisor ò Obispo aunque este irregular dar licentia à vn Sacerdote para que confiesse y si el irregular oyesse confessiones aunque peccaria mortalmente porque haze officio de orden, mas si de hecho absoluiesse valdria la absolucion porque tiene potestad de orden y de iurisdiciō y ansi como el que esta prohibido de celebrar por estar descomulgado ò irregular si celebrasse, consegraria, lo mismo es à qui.]Ita ille, & ante illum Suarez de cens. disp. 40. sect. 2. nu. 45. & nouissimè hanc sententiam tenet etiam Præpositus in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 3. num. 13. vbi sic asserit. Dubitari potest, an absolutio impensa ab irregulari sit valida, quādo scilicet ratione irregularitatis impeditur eam impendere. Suppono futurā validam, si quis per iudicem non sit nominatim declaratus irregularis, iuxta Extrauag. ad euitanda, cum in gratiam aliorum saltem eo casu relinquatur vsus iurisdictionis, quamuis peccet irregularis si ingerat, quæstio verò procedit in casu quo irregularitas sit per iudicem promulgata. negat Auila, asserit Suarez; si non inueniatur obex ex parte pœnitentis quod dicit sensisse viros doctos à se consultos. Idem censet de suspensione ab Ordine & de interdicto; quæ sententia est valdè probabilis, quia irregularitas non irritat actus Ordinis, etiam eos, qui sunt ex institutione Ecclesiæ, vt consecrationem templi, altaris, calicis, &c. nec etiam irritat actus iurisdictionis, nam irregularis præcisè ratione irregularitatis non impeditur, quo minus possit etiam licitè excommunicare, leges ferre, &c. ergo ex hoc absolutio sacramentalis non redditur inualida. Hæc Præpositus loco cit.

Sed pro praxi circa præsens dubium dicendum est cum Turriano de censur. lib. 8. disput. 58. dub. 2. seclusa ignorantia pœnitentis in casu de quo loquimur non posse validam esse absolutionem, quia peccaret grauiter petens absolutionem ab eo, quē scit non posse illam conferre sine peccato graui. Sed si accedat pœnitens bona fide, existimans illum Sacardotem posse absoluere, quia est toleratus ab Ecclesia, & publicè exercet officium suum, valida erit absolutio. Ita illa. Sed Præpositus, vt visum est, hoc etiam admittit in casu, quo irregularis esset publicè denunciatus, quod tu semper intellige, quando penitēs accedit bona fide. nam aliter poneret obicem, & ex hoc capite absolutio esset inualida, & ita hanc sententiam affirmatiuam etiamsi irregularis sit publicè denūciatus, præter Doctores citatos tenet etiam Coninch. de censur. disp. 18. dub. 1. nu. 7. probans absolutionem ab illo datam esse validam, licèt Hurtado, & Auila vbi suprà, & Nauarr. in manual. c. 9. nu. 8. doceant quòd suspensus & interdictus inualidè absoluit.

An irregularitas contracta ex defectu lenitatis sit dispensabilis ab Episcopo, vel Prælatis Regularium.

RESOL. LXIX.

NEgatiuam sententiam docent penes Barbosam vbi infrà, decem Doctores, quibus ego addo Præpos. in 3. part. q. 5. de irregularitate, dub. 13. num. 112. Mauritium Alzedo in praxi Episc. part. 2. cap. 6. nu. 46. Franc. Leo in Thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 8. numer. 32. Petrum Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 11. dub. 3. Bonacinam de cens. disp. 7. qu. 4. punct. vlt. num. 13. Hurtadum disp. 2. de irregul. diffic. 20. nu. 66. Auilam part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 1. Bannez in 2. 2. quæst. 64. art. 8. part. 2. in fin. dub. 2. Tanner. in 3. part. disp. 6. quæst. 10. dub. 11. num. 113. quia in Concilio Trident. solùm conceditur irregularitas ex delicto; sed hæc irregularitas non est ex delicto. ergo, &c.

Non desunt tamen DD. affirmatiuam sententiam tenentes, vt Emmanuel Rodriquez, Couarr. Cāpanili, Viualdus, Medin. quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episcopi part. 2. allegat. 39. num. 47. quibus ego addo Nouarium in nouo iure Pontif. conclus. 8. num. 3. Plazam de delictis lib. 1. cap. 11. num. 11. Emmanuel. Sà ver. irregularitas ex occisione licita, n. 5. & Hieronymum Rodriquez in compend. quæst. regular. resol. 81. n. 3. & resol. 52. num. 22.

Quid ego sentiam dico breuiter. Secunda opinio est probabilis; sed prima est probabilior, & sequenda. Verùm quoad Prælatos Regulares puto secundam opinionem tenendam esse, nam, vt affirmat Auila part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 1. conclus. 2. Caietanus in 2. 2. q. 64. art. 8. ad 2. Mercerus de Sacram. in 3. par. D. Thomæ quæst. 24. dub. 9. in fine, & alij, qui habet priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia & homicidio voluntario, potest dispēsare in irregularitate ex defectu lenitatis. Sed tale priuilegium habent Prælati Regulares circa suos subditos. ergo, & ita in terminis nostram sententiam tenet Vilalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 28. nu. 10. Fillucius to. 1. tract. 19. c. 10. n. 282. & nouissimè Lezana in sum. q. regular. c. 18. n. 43. nisi tale priuilegium fuerit concessum viuæ vocis oraculo. Hinc obseruat Auila loco citat. & optimè, quòd commissarius Cruciatæ potest in dicta irregularitate ex defectu lenitatis dispensare, quia in eius commissione dicitur, *& super quacumque alia irregularitate, qua non procedat ex homicidio voluntario*. quod est valdè notandum.

An irregularitas orta ex homicidio iusto sit per Episcopum dispensabilis, & quid de Prælatis Regularium.

RESOL. LXX.

NEgatiuè responder Gauantus in enchirid. Episcopor. verb. irregularitas, num. 105. Alzedus in praxi Episc. part. 2. c. 6. numer. 46. Guttierrez in Can. quæst. lib. 2. cap. 6. numer. 170. Cornejo vbi infrà, Molina de iust. tom. 4. tract. 3. disputat. 79. num.

num.8. Filliucius tom.1.tract.19.cap.10.nu.281,& alij communiter. Ratio est, quia Concil. Trident, in sess.24.cap.6.tantum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto. Aliqui tamen asserunt Episcopum posse dispensare, in irregularitate iustæ occisionis, quia hoc conceditur Episcopis in dicto loco Cōcilij, dum excipitur homicidium voluntarium, nam ibi sub nomine homicidij volūtarij excipitur tantum occisio hominis iniusta, prohibita in quinto præcepto Decalogi, & ideò hanc sententiam tenet Barbosa de potestate Episc. par. 2.allegar.39.num.47.Bannez in 2.2,quæst.40.art.2. dub, 4. Medina in summ.p.1.c.12.§.12.Campanili in diuer.iur,Can. rubr, 11.c.23.n.138.Hieronym,Rodriq.in compend,q.regular.resol, 81.n,3.Nouarius in iure nouo Pontif.concl.81,nu.3,& Io. de la Cruz in director.p.2.de irregul. dub. 9,concl,1.probabilem esse docet,licèt,& merito,in concl.2,negatiuam sententiam tanquam probabiliorem teneat. Verùm ego puto Prælatos Regulares absolutè posse dispensare cum suis subditis super irregularitate prouenięnte ex bello iusto, vt tenet Filliucius loco cit. & Hieronymus Rodriq.in compend.q.regular.resol.52. n. 23, quia sub nomine homicidij voluntarij, vt suprà dictum est, & obseruat in specie Vega en espejo de curas to.2.c. 12. §. 32. nu, 325,& alij,non includitur homicidium iustum,[como(ait ipse) el echo por los ministros de Iustitia y el echo por los soldados en guerra justa. Et ita nostram sententiam præter DD.citatos tenet etiam Petrus Cornejo in 3.p,D,Thom.tract.5,de irregul, disp.13.dub,3.q.2,

An irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri sit ab Episcopo dispensabilis, & quid de Prælatis Regularium.

RESOL, LXXI,

NEgatiuam sententiam tenet Sanchez in summ.to.1,lib. 1. cap.10.num.49.qui citat.Henriquez lib.14.cap,9.nu.3. & ante illos Medina in summa lib.1.c.11.§.12, & rationem adducunt, quia in Concil.Triden.sess,24 cap.6.sola dispensatio irregularitatis ex delicto consurgentis conceditur Episcopis, vnde si non exciperetur ibi irregularitas ex homicidio voluntario, cēsetetur excepta eo quod non sit ex solo delicto, sed etiam ex significatione. Sed irregularitas ex mutilatione est ex delicto & significatione; ergo non censetur concessa eius dispensatio Episcopis, & ita hanc opinionem tenet etiam Franciscus Leo in Thesaur.fori Eccles.p.2.c,8.n.89,

Sed contraria sententia est communis, & illam tenēt sexdecim Doctores, quos citat & sequitur Barbosa de potestate Episcopi p.2.allegat,39.nu.49.quibus ego addo Portel,in dubijs regularium ver.dispensare nu.7. & 9, Didacum de Arrojo de Saeram,in c.de irregulat.n,10.Homobonū de bonis in exam. Eccles.p.1.tract,12.c.3.q.10.Alzedum in praxi Episc,p.2 c. 6. nu. 2. Villalobos in sum.to.1.tract.21.diffic.21,nu.2. Hurtadum disp, 2.de irregular,diffic.20 n.66.Filliucium to.1.tract,20.c.2.nu.51. Gauantum in enchirid.Episc.ver.irregularitas,n.108. Nouariū in iure nouo Pontificio concl.81.nu.16,Pręposi.in 3.p.q.5.de irregulat.dub,9.num.73.& Tannerum in 3.part.disp.6.quæst.10, dub.11.n.229.Bartholomæum de Vecchis in praxi nouit. disp. 6.dub,17.num.1,Vt autem dicatur mutilatio membri,requiritur ipsius abscissio, itaque etiamsi aliquis debiliter membrum alterius, & ita quidē vt plenè mutilatus reddatur ineptus functionibus Ordinum propter quod reddatur irregularis, ipse tamen non contrahet irregularitatem, sed ad hoc requiritur, vt membrum abscindat.& quidem viuum.Ita Prępositus & multi ex Doctoribus citatis, & ideò ait Fernandez in exam.Theol, moral.p.2.c,10.§.14.nu.7.qui alium excæcat, sed oculum non foras eruit,non est mutilatus,neque irregularis, neque qui fœtum antequam animetur occidit.

Quid sit homicidium voluntarium & casuale, ex quibus irregularitas incurritur.

RESOL. LXXII,

HÆc resolutio deseruiet ad explicationem multorum casuum, vt quis scire possit quando irregularitas sit ab Episcopo dispensabilis. Dico igitur quod sub nomine homicidij voluntarij,& de quo agitur in Concil. Trident.sess.24.c.6.& in multis priuilegijs. Reg. intelligitur homicidiū illicitum & prohibitum in quinto Decalogi præcepto, quod per insidias & ex proposito fit. Cōcilium enim in d.loco iterum ac multoties repetit huiusmodi particulas, *per industriam, per insidias, ex proposito, propria voluntate, &c*,ad insinuandum quòd huiusmodi homicidium, de quo loquitur, & cuius irregularitas dicitur ibidem quod sit Summo Pōtifici reseruata, debet esse illicitum intentum ac volitum,siue voluntarium in se. Ita Barbosa de potest,Episc,part,2.alleg.39,nu.47, & alij communiter, & ideò ex Vasquez obseruat Turrianus de censur.lib.9.disp 63,dub. 1. quod vt homicidium voluntarium dicatur, necesse est vt in illo perpetrando adsit voluntas directa & expressa, & non sufficit vt sit voluntarium in causa, quod perpetuò tene menti, & ad maiorem explicationem addit Turrianus posse in homine cōsiderari triplicem voluntatem, vna est expressa occidendi, & hęc sine dubio sufficit, Secunda est expressa non occidendi, sed vulnerandi tantum,& hæc non videtur sufficere, vt dicatur voluntarium homicidium per se vt distinctum à casuali. Tertia potest esse voluntas vulnerandi expresse, nulla præmissa cogitatione de occisione, & hæc etiam voluntas non videtur sufficere vt in hac materia dicatur homicidium voluntarium. Homicidium verò casuale nō solùm est illud quod est commissum indirectè eo modo, quo explanat Præpos,in 3.part.quæst. 5. de irregular. dub.10,num. 74.qui omninò videndus est, sed etiam quod est commissum directè excedendo moderamē inculpatæ tutelæ,& etiam quod est commissum ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè, Ita Hurtado disp.2.de irregular. difficult.20. num, 66. ex quibus omnes Confessarij & consulentes casuum conscientiæ habent principia satis ampla ad extricandos multos casus circa dispensationem irregularitatum occurrentium,licèt quando vulnus est lethale,& voluntariè infertur aliqui putant esse homicidium voluntarium.

Notandum est hic obiter quòd est magna differentia inter Episcopos & Prælatos Regulares quoad potestatem dispēsandi circa irregularitatem homicidii casualis. Nam Episcopi possunt dispensare illam; quando homicidium est occultum. Ita Auila de censur.part.7.disp.6,sect,5,dub.5. concl. 2. & alij, Prælati verò Regulares dispensant circa dictam irregularitatem, etiam quando homicidium est publicum. Ita Vecchius in praxi nouit.disp.9.dub.18. nu. 6. Sebastianus à Bononia tract, de elect.p.2.c,4.dub.71.n.14.& alij.

An spectes ad Prælatos Regulares iudicare circa suos subditos, an defectus corporis sit ita notabilis vt inducat irregularitatem, vel non.

RESOL. LXXIII.

CIrca Clericos sæculares spectare id ad Episcopum, firmaui ego ipse in p.2.tract.6.resol,61,quoad Regulares id ad suos Superiores minimè spectare, tradūt Barbosa de potest.Episc.p. 2.allegat,42.n.vlt.Campanili in diuer.iur.Can.rubr.11.c, 17.n. 104.Henriq.lib.13.c,14.§.1.& nouissimè Hieronym. Rodriq.in compend.qq.Regul.resol,52 n,17.

Verùm affirmatiuam sententiam tenet Peirinus tom. 2. de religios,Prælat,quæst,...cap.4. numer, 24.Auila de censur. part. 7.disp,1.dub.2,Layman lib.2.tractat.5,part.5.cap.7.num.6.Miranda in Manual.Prælat.tom.2,quæst.8,art.3.conclus.3. & Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit.disp.9.dub.21.numer. 3. Suarez de censur.disp.51.sect.3,num.16.& hæc opinio videtur mihi probabilis cum Petro Corneio in 3. part. D. Thom. tract. 5.de irregular.disput,12,quæst.2. quia hoc magis spectat ad iurisdictionem Episcopalem quam ipsi Prælati habent, quam ad Ordinis characterem. Aduertit tamen Layman, Suarez, Vecchius & Miranda vbi suprà, liberum esse Episcopo qui daturus est Ordines, admittere, vel reijcere tale arbitrium factum à præfato Religionis Prælato circa defectum corporis subditi sui, vt non inducat irregularitatem. possunt tamen Prælati regulares auctoritate quasi Episcopali gaudentes dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente, dummodo vitium non sit tam fœdum, aut turpe, vt ex eo scandalū oriri, rationabiliter formidetur. Ita Villalobos & Rodriquez vbi infrà. Vecchius loc.cit.dub.20.nu.3.& Miranda.Io.de

la

la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 6. dub. 17. concl. 2. & alij, & ita in facti contingentia ego consului potuisse Prælatum dispensare ad sacros Ordines suscipiendos cum subdito, qui digito carebat, non tamen pulgari, siue pollice.

Sed difficultas est, an dicti Prælati possint dispensare cum subdito, qui caret pede, & ambulat cum pede ligneo. Affirmatiuam senteotiam tenet Villalobos in summa tom. 1. tract. 22. diffic. 9. num. 21. Hieronymus Rodriquez in compend. quæst. regular. resol. 52. nu. 16. & alij & hæc opioio videtur mihi probabilis, licèt aliqui illam non admittant, vt Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 12. dub. vnico, quæst. vlt. Idem etiam dicendum puto de Religioso si careat oculo dextro, nam cum ipso potest Prælatus dispensare, vt tenet Vecchius loc. cit. cui adde Peirinum in priuileg. Minim. tom. 1. cōst. 2. Iulij II. §. 29. num. 118. qui citat Io. de la Cruz, immò licèt orbatio oculi sinistri irregularitatem inducat si oculus dexter tali polleat virtute, vt sine deformi faciei conuersione Canon legi possit, ad quam rem inseruire potest Missalis accōmodatio, puto in tali casu non adesse irregularitatem. Ita Layman libro 2 tract. 5. part. 5. cap. 7. nu. 2. & alij. Ex quibus omnibus ego olim consului potuisse Prælatum dispensare cum Sacerdote sibi subdito, & maximè in occulto, ad offerendum sacrificium Missæ, qui quidem Sacerdos ob manus tremulas, vel ob chiragram, vel ob aliud huiusmodi impedimentum, laboraret aliqua inhabilitate obseruandi omnes ceremonias in celebratio. ne Missæ coosuetas, dummodo hæc impotentia non sit tanta, vt ex ea graue oriatur scandalum, & dispensatus possit sine periculo explere ministerium, & maximè sine effusione sanguinis, si habet manus tremulas. Ita Vecchius vbi supra dub. 21. num. 6.

Et tandem notandum est hic obiter contra Nauarr. cap. 27. nu. 223. non esse irregularem, qui aures non habet, ita Henriquez libr. 14. c. 8. nu. 3. quod probabile esse puto cum Coninch. disp. 18. dub. 13. n. 108. & Auila part. 7. disp. 3. dub. 3. quando crinibus aut simili ratione defectus iste ita potest legi, vt non appareat. nam hoc modo cessat deformitas, quicquid in contrarium cum Nauarro sentiat Viualdus in candelabr. aur. tract. de irregular. tit. de aurium defectu, n. 4.

De irregularitate ex ignorantia, & an Regulares non multum literati sint ordinandi.

RESOL. LXXIV.

CLarum est quòd ex ignorantia oritur irregularitas; vnde constat in cap. illiteratos, dist. 36. & in cap. cum in cunctis, de elect. & ex cap. vlt. de temp. ordin. in 6. illiteratos non posse ordinari, & consequenter semel ordinatos, quamuis bona fide, non posse Ordines exercere; quæ autem scientia ad quemlibet Ordinem perquiratur, tradit Concil. Trident. sess. 23. c. 4. 13. & 14. de reform.

Sed difficultas est circa Regulares. Dico igitur cum Hieronymo Rodriquez in compend. quæst. regular. resolut. 51. n. 22. quòd cum Religiosis noo multum literatis possunt Episcopi dispensare vt ad Ordines sacros promoueantur, quia in illis nō requiritur tanta scientia, quanta in Clericis sæcularibus, eo quod ad curam animarum non ordinētur, & ex continuo contactu & cōmunicatione cum doctis in Religione semper manet spes discendi, idque colligitur ex cap. nullus, de tempor. ordin. in 6. vbi illiteratus tonsurari prohibetur, nisi Religionem intret. Vnde sufficit quòd constet prædictis dominis Episcopis per litteras testimoniales suorum prælatorū Religiosos ordinandos esse examinatos, & sufficienter litteris instructos ad suscipiendos Ordines, nec hoc est contra Concil. Trident. in decreto de examine ordinandorum, nec contra aliud decretū de sufficientia ordinandorum in Presbyteros ad docēdum populum; & cur magis credere debet Episcopus sæculari examinatori, quàm Prælato Regulari testificandi de scientia & sufficiētia ordinandi? Ita Rodriquez & ego ipse alibi in part. 2. tractat. 16. resolut. 29. vbi citaui Villalobos, Henriquez & Portel, & hanc sententiam, me citato, tenet etiam nouissimè Peirinus tract. 2. de relig. Prælat. quæst. 3. cap. 7. num. 20. vbi citat plures alios Doctores asserentes, quòd licet Episcopis initiare etiam sacerdotio Regularem, qui benè legit & cantat, quamuis minus sit literatus. Vide etiam Aloysium Bariolam in aphorism. litt. R. verb. Regulares ad Ordines, hanc etiam opinionem tenentem. Et ideò illam sine vllo metu & scrupulo possunt domini Episcopi in praxim deducere.

An protestatio liberet ab irregularitate si ficto animo efficiatur & sequatur mors.

RESOL. LXXV.

HIc casus potest frequenter accidere, & negatiuam sententiam tenet Vega en espejo de curas, tom. 2. c. 12. §. in 6. nu. 270. Toletus lib. 1. c. 82. n. 5. Nauarr. c. 27. n. 226. Syluester verb. homicidium 2. q. 8. & Ioan. Baptista Bizozerus in summa tract. de censur. c. 5. n. 5. sic habet, Ille qui coram iudice, vel alio reum accusat sine protestatione, se id non facere vt reus ad mortem, seu mutilationem damnetur, sed vt suum habeat, vel vt publica scandala tollantur, fit irregularis; secus, si accusat cum tali protestatione, quæ protestatio potest fieri ore, vel in scriptis, & protestatio talis vt euitetur irregularitas, non tantùm verbo, sed verè & animo fieri debet. nam si verbo faceret talem protestatiooem, & cuperet animo, vel sibi placeret, vt talis suspenderetur, vel mutilaretur, non euitaret irregularitatem, & ita omnes Doctores. Sic Bizozerus.

Sed fallitur. nam hoc minimè asserūt omnes Doctores, dempto Nauarro & alijs vbi supra, & ideò affirmatiuam seotentiam docet Petrus Cornejo in 3. p. D. Thom tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 1. quæst. 6. Turrianus de censur. lib. 9. disput. 66. dub. 2. Hurtado disp. 2. de irregularitate, Præpos. in 3. part. q. 5. de irregularitate, dub. 12. nu. 103. Suarez de cens. disp. 46. sect. 2. num. 3. Henriquez lib. 14. cap. 11. in fine, Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 10. n. 93. Auila de censur. part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 9. conclus. 1. & alij penes ipsos. Ratio est, quia cap. Prælatis, de homicidio in 6. solum requirit protestationem externam, qua deficiente etiamsi non esset peccatum, aut voluntas homicidij incurreretur, & illa posita nō est causa vt dicemus illam incurri. Deinde protestatio ficta tantum valet apud iudicem ignarum fictionis, quantum valeret si ex animo, & non fictè fieret. ergo, &c. Deinde Ecclesia non imponit irregularitatem ob intētionem & actum internum, sed ex omissione protestationis.

Notādum est tamen hic obiter quòd etiam laici facta dicta protestatione noo incurrunt irregularitatem, quæ etiam excusat, quamuis non fiat simul cum ipsa accusatione, sed posteà coram iudice ante prolationem sententiæ, & non solùm quando accusat, sed etiam quando reum detinet & iudici tradit.

Nota etiam à fortiori Clericum consulentem alteri vt accuset in casu permisso cum protestatione, non incurri irregularitatē, quia sicut accusans in præfato casu non incurrit irregularitatem cum protestatione, ita neque consulens. Sic Paulus Comitolus in resp. mor. lib. 6. q. 59. Filliucius tom. 1. tract. 19. c. 9. n. 248. & alij.

An qui laqueo se suspendit, & impeditus ab alijs non moritur, maneat irregularis.

RESOL. LXXVI.

VIdetur negatiuè respondendum. quia contra Maiolum de irregul. lib. 5. c. 48. n. 5. secutum glossam vltimam in c. perniciosè, de pœnitent. dist. 1. irregularitas imposita est homicidio voluntario, & non attentato, ergo quamdiu quis non moritur, licèt se lethaliter vulneret, noo erit irregularis pœnæ enim extendendæ non sunt, sed potiùs coarctandæ ad proprietatem verborum legis: sed hoc accidit in casu nostro, quia talis venit tantum in actum proximum homicidij, illudque solum attentauit. ergo, &c.

At his non obstantibus Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregularitate, disput. 1. dub. 2 quæst. 4. num. 1. putat talem manere irregularem, non ratione homicidij attentati, sed ratione delicti enormis infamiam inducentis; sed tu cogita.

An

An laicus celebrans Missam, vel sacramentaliter absoluens, incurrat irregularitatem.

RESOL. LXXVII.

Affirmatiua sententia suadetur ex c. 1. de cler. inordin. ministran. vbi generaliter dicitur, *si quis ministrauerit*, &c. & ita hanc sententiam docet Gauantus in enchirid. Episc. ver. irregularitas, num. 58. Paludanus, Syluester, Scotus, Nauarrus, Suarez, Valentia, & alij, quos citat Sayrus de cens. lib. 7. cap. 10. nu. 6. quibus adde Auilam de cens. part. 7. disp. 9. dub. 15. Hurtadum de irregul. disp. 2. diffic. 2. nu. 5. Ledesma in 2. p. quarti, q. 47. art. 73. dub. 5.

Sed Sayrus meritò negatiuam tenet opinionem, quam nouissimè tuetur etiam Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. de irregularitate, disp. 7. dub. 2. quæst. 1. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 1. Henriquez libr. 2. cap. 29. §. 1. & lib. 14. cap. 6. §. 1. & alij, quia textus loquuntur tantùm de Clericis, & ideò dicendum est quod laicus solemniter baptizans, aut Missam celebrans, vel absolutionem sacramentalem conferens, fingens se Sacerdotem, nũ incurrit irregularitatem; & ad c. adductum respondeo esse intelligendum iuxta titulum, sub quo ponitur, ergo cum ponatur sub titulo de Clerico non ordinato ministrante, de Clericis, & non de laicis intelligendum est.

Verùm in dicta irregularitate contracta, vt diximus, à solis Clericis si non Sacerdotes confessiones audiant, vel Missas celebrent, vt ascendant ad vlteriores Ordines solus Papa dispensare potest; in susceptis verò vt ministret proprius Episcopus, quod si delictum occultum sit, etiam quoad vlteriores Ordines dispensare potest; per Bullam autem Cruciatæ potest hæc irregularitas quoad vtrumque effectum tolli, quia habet rationẽ censuræ. Et hæc omnia docet Petrus Cornejo vbi suprà q. 2.

An Ecclesiastici committentes iudici laico in particulari casum alicuius rei dignum morte, si sequatur, incurrant irregularitatem.

REOSL. LXXVIII.

Affirmatiuè respondet Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 6. qui addidit ad hanc firmandam sententiam Nauarrum lib. 5. consil. de homicidio. Sed Nauarrus ibi tantum loquitur de Prælato qui præcipit iudici, vt maue exequeretur sententiam mortis, quam ipse iudex tulerat, in quo casu reuera irregularis esset, sicut si præciperet iudici vt hunc furem, vel homicidam suspendat, ex textu in cap. his à quibus 23. quæst. 8. ibi, *aut inferendas præcipiant*.

Vnde in casu proposito puto Prælatum non incurrere irregularitatem, & hanc sententiam ex Suarez firmat Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregular. disput. 11. dub. 1. qu. 1. vbi sic asserit. Ex textu in cap. vlt. ne Clerici vel Monachi in 6. dicendum est Ecclesiasticos temporalem iurisdictionem habẽtes posse sine irregularitate causas sanguinis alijs delegare, quod procedit etiamsi in communi dicat iudici cui causas committit, vt contra malefactores inuigilet, immò etiã committant ei in particulari casum dignum morte, vt colligitur ex eodem textu. Ita ille. Et nouissimè Gaspar Hurtado de irregul. disp. 2. diffic. 1 1. num. 42.

An collatio beneficij facta irregulari sit irrita & inualida ipso iure ante iudicis sententiam.

RESOL. LXXIX.

Affirmatiuè respondent communiter Doctores, vt Suarez de censur. disp. 40. sect. 2. num. 30. 36. & 41. Sayrus lib. 6. cap. 2. num. 21. Auila part. 7. disp. 2. dub. 6. & alij penes ipsos quia beneficium datur propter officium, siue propter exercitium Ordinis, ergo qui per irregularitatem nõ potest Ordines exercere, incapax est beneficij, ita vt eius collatio irrita sit, non minus ac si daretur purè sæcularibus Ordinibus carentibus, & ita hanc sententiam nouissimè docuit etiam Turrianus de cens. lib. 8. disp. 58. dub. 2.

Sed contrariam opinionem Syluestri ver. excommunicatio nu. 4. probabilem esse puto. Dico igitur collationem beneficij factam irregulari validam esse, & ideò talis solùm indiget dispensatione super irregularitate, non tamen noua collatione beneficij, vnde potest fructus suos facere in conscientia, & ratio est, quia sicut irregularis potest retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinuerat, ergo etiam potest retinere beneficium quod impetrauit post irregularitatem incursam, quia in vtroque casu militat eadem ratio priuationis exercitij Ordinis, & ad argumentum factum pro sententia communi responderi potest negando consequentiam, & rationem discriminis optimè adducit Petrus Cornejo in 3. p. D. Tho. tract. 1. de irregul. disp. 5. dub. 2. q. 1. vbi docet hanc Syluestri sententiam esse satis probabilem.

An irregularitas incurratur in aliquo casu à iure non expresso.

RESOL. LXXX.

Respondeo negatiuè, & ita habetur expressè in cap. is, qui, de sent. excommunic. in 6. Vnde in hac materia non valet argumentum à simili, vt pluries suprà dictum est, neque à fortiori, &c. nec obstat cap. ad audientiam. & cap. significasti, de homicidio, vbi statuitur censendum esse irregularem eum, qui de irregularitate sui dubius, atque incertus est, eo quòd in dubio tutior pars sit eligenda. ergo nõ solùm vbi est irregularitas expressa, sed etiam vbi dubium est, incurritur.

Non, inquam, hæc iura obstant, nam procedunt vbi dubium est de facto, sed cap. is, qui, procedit de iure; igitur quando dubium est de iure, hoc est, an sit pro aliquo delicto cõmisso imposita à iure aliqua irregularitas, tunc est iudicandum non esse irregularitatem in eo casu constitutam, cum talis irregularitas non sit in iure expressa, & ita docent Aloysius Bariola in aphorism. litt. I. verbo irregularitas. §. 10. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 20. notab. 3. Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregularitate, disp. 1. dub. 2. Suarez de censur. disp. 4. sect. 4. num. 15. Sayrus lib. 6. c. 2. nu. 4. & alij communiter; vnde summoperè notanda est hæc doctrina à Confessarijs & casuum conscientiæ responsoribus; nam ex illa ab incursione irregularitatis multos pœnitentes liberabunt.

An aliqua species irregularitatis sit dispensabilis per Bullam Cruciatæ.

RESOL. LXXXI.

Negatiuam sententiam docent Doctores, quos citaui in 1. part. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 17. quibus nunc addo Ægidium Trullench in exposit. Bull. Cruciatæ lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 17. n. 5. & seq. & hæc opinio est probabilior.

Sed ego ibi affirmatiuã sententiam probabilem esse dixi, & præter Doctores quos adduxi, tenet etiam hanc sententiam nouissimè Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tractat. 5. de censur. in genere, disput. 1. dub. 2. diffic. 2. Dicendum est igitur per Bullam tolli non posse eam irregularitatem, quæ est pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis & repræsentationis contrahitur, qualis est bigamia, homicidium iustum, & illegitimitas. Neque tolli posse eam irregularitatem, quæ simul est pena, & inhabilitas, qualis est illa quæ contrahitur ex homicidio iniusto voluntario, vel mutilatione; solùm ergo per Bullam tolli potest irregularitas, quæ est pura pœna peccati, & ideò Cornejo loco cit. tract. 5. de irregul. disput. 5. dub. 1. quæst. 12. docet irregularitatem ex iteratione Baptismi posse tolli per Bullã Cruciatæ in foro conscientiæ, & quando delictum est occultum, & non propter significationem, habet rationem censuræ & pœnæ Ecclesiasticæ à quibus absolui potest per Bullam Cruciatæ. Item disput. 6. quæst. vlt. docet per Bullam tolli etiam posse irregularitatem incursã ex violatione censurarum, vt si aliquis sit suspensus, excommunicatus, &c. vnde disput. 16. asserit, quòd si quis ante ætatem ordinatus est, & celebrauit virtute Bullæ Cruciatæ, potest obtinere dispensationem ab irregularitate incursa, eo quòd irregularitas hæc censura sit, & pœna Ecclesiastica; & tandem disp. 7. dub. 2. quæst. 2. docet posse tolli per Bullam Cruciatæ irregularitatem, quam quis incurrit ministrando in Ordine quẽ non habet quia talis irregularitas habet rationem censuræ, & pro confirmatione supradictorum ne prætermit-

termittas videre me ipsum vbi suprà. Vnde ex dictis in dicta resolutione apparet, non benè Turrianum in selectis disputationibus centur. 2. cens. Theolog. dub. 29. asserere hanc sententiam esse improbabilem, quam communiter esse receptam in schola D. Thomæ asserit Ioan. de la Cruz citatus in dicta resolutione.

An Religiosus nulliter professus incurrat suspensionem si Ordines recipiat, & irregularitatem si celebret.

RESOL. LXXXII.

Affirmatiuè respondeo, tum quia Ordines sacros sine titulo suscipit, tum quia accedit ad Ordines sine litteris dimissorijs legitimi Prælati, & ideò consequenter incidit in suspensionem, & si celebret, irregularitatem incurrit, nisi ignorantia, vel metus infamiæ excuset à culpa suscipientem, vel exercentem Ordines susceptos sine valido professionis titulo, leges enim humanæ cum graui incommodo obligare non solent, & hæc omnia docet Bonacina tract. de clausura, q. 2. punct. 10. diffic. 5. num. 4.

Sed ego hic pro Dominis Episcopis aduertam quid facere debeant quando Regulares in sacris Ordinibus ordinat, nempè nullum Regularem ordinare nisi iuratum, scriptoque suo chirographo confirmato affirmet coram Antistite, se quemadmodum fecerit professionem, ita firmam & ratam semper habuisse quod scriptum in Episcopali archiuio asseruandum Cancellario tradat, & ita ordinabat Regulares Eminentiss. Cardinalis Fridericus Borrhomeus Archiepiscopus Mediolanensis, vt patet in sua institutione pro ordinandis, edita Mediolani anno 1602. fol. mihi 110. & ideò Bartholomæus Gauantus in enchirid. Episcoporum, ver. Ordines maiores, n. 28. sic asserit. Regulares titulo paupertatis ordinãtur, sed iurent coram Episcopo se sponte professionẽ solemnem emisisse, aut ratam habuisse. Ita ille. qui etiam citat Synodum Prouincialem Quintam Mediolanensem.

An damnatus ad triremes efficiatur irregularis.

RESOL. LXXXIII.

Hic casus frequenter potest accidere, & de illo interrogatus fui propter quemdam Religiosum, qui cùm abiurasset in nostro sacro Tribunali Inquisitionis, & fuisset damnatus per triennium ad remigandum, postea elapso tempore, & ad Religionem reuersus, Superior putabat supradictum esse irregularem, & tunc negatiuam sententiam probabilem esse dixi. Et ita docet Riccius decis. cur. Neapol. part. 1. decis. 119. & Homobonus in consultat. casuum conscient. vol. 1. part. 4. responsi. 158. nam irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expressis, quod idem dicendum est de pœna infamiæ, ex glossa in cap. infamibus, de reg. iuris, in 6. Sed nunquam legitur condamnatum ad remigandum contrahere infamiam, ex Borello consil. 52. & alijs. ergo, &c. quæ omnia notent Confessarij, nam hi casus sæpè in praxi accidunt, vnde cum Riccio vbi suprà dicendum est non benè secundùm hanc sententiam quemdam Prouincialem Religionis voluisse excludere ab electione Capituli Monachum olim condemnatum ad triremes.

Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiã docere Barbosam de potest. Episcop. par. 2. allegat. 43. num. 15. Lezanam in summa quæst. regul. c. 16. n. 32. & Campanili in diuer. iur. canon. rubr. 11. cap. 18. nu. 16. & seq. cum alijs, asserentes damnatos ad triremes esse irregulares, vnde vtramque opinionem puto probabilem esse.

An Aethiopes sint irregulares.

RESOL. LXXXIV.

Negatiuè respondet Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 21. Sed hanc sententiam Vgolinus tractat. de irregularit. cap. 50. n. 4. verani censet inter Aethiopes, nam lepro sis iote legrosos admittitur, secus autem inter nos, horrorem enim generant; opinio tamen Maioli locum habere posset, vbi paulum nigri essent, Ita Vgolinos.

Verùm sententiam Maioli in fauorem Aethiopum absolutè tenet nouissimè Bartholomæus Gauantus in enchirid. Episcopor. ver. irregularitas, numet. 18. & mihi satis probabilis esse videtur.

An ignorans alicui actui impositam esse irregularitatem excusetur ab illa.

RESOL. LXXXV.

Quàm plausibilis erit Confessarijs hæc resolutio, & negatiuam sententiam docet Hurtado tract. de irregular. disp. 1. diffic. 8. numero 28. Vasquez in 3. part. tomo 4. dub. 16. de excommunic. Azorius tom. 1. lib. 1 cap. 15. q. 7. Corduba in qq. lib. 2. quæst. 27. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 10 Aluarez in part. 2. disp. 158. nu. 5. Auila de cens. part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 10. cõclus. 2. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. ad finem, & Martinus Ledesma in 2. 4. q. 24. art. 6. Verùm ego puto contrariam sententiam non minus probabilem esse. Dico igitur quod ignorantia iuris inuincibilis excusat ab irregularitate; etiamsi imponatur pro facto iuri naturali damnato, quia pœna non incurritur absque culpa. Ita Nauarrus, Reginaldus, Peregrinus, Sanchez & Bonacina, quos cit & sequitur Merolla in disput. theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. coroll. 3. nu. 48 quibus adde Castrum Palaum in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 18 num. 6. Coninch de Sacram. disp. 18. dub. 4. num. 31. & Portel vbi in fr & ideò si excommunicatus celebret ignotans inuincibiliter esse impositam pœnam irregularitatis excommunicato celebranti, nõ incurrit irregularitatem. Immò Merolla vbi supra dub. 3. num. 83. docet etiam ignorantiam moraliter vincibilem excusare à pœna irregularitatis, dummodo non sit crassa, quia hæc non oritur ex lata culpa.

Sed dicet aliquis, si hæc doctrina esset vera, sequeretur quòd si quis occideret aliquem nesciens homicidio impositam esse irregularitatem, illam non incurreret. Sed hoc dicere est absurdum. ergo. Respondeo Laurentium de Portel. in dubijs regularium, ver. ignorantia, numer. 19. totum hoc concedere, sic enim asserit. Præmittendum est aliam irregularitatem consurgere ex delicto, vt ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione, &c. in pœnam delicti. Alia verò est irregularitas, quæ non ponitur ob delictum, sed ex indecentia, vel defectu significationis, & comitatur non culpam, sed indecentiam, qualis est bigamia, & irregularitas contracta à iudice siue culpa damnante hominem ad mortem iustè. Et quidem certum est apud omnes hanc irregularitatem secundi generis certo contrahi, etiamsi operans operetur ignorantia inuincibili. Est ergo sola quæstio de, irregularitate primi generis orta ex delicto, an ista quæ pœna est, similiter & suspensio, interdictum, inhabilitas & similes incurrantur ab operante inuincibiliter ignorante? Sotus & Ledesma affirmant; Sanchez verò tenet probabilius has omnes pœnas non incurri ab operante qui habet ignorantiam iuris positiui illas imponentis, ita Portel, qui vt apertè apparet ex eius verbis, tenet expressè irregularitatem ex homicidio tanquam ortam ex delicto non incurrri ab ignorante illã; & hanc sententiam etiam apertè videtur docere Castrus Palaus vbi suprà.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, quia, vt benè obseruat Merolla loc. cit. in disput. theol. tom. 1 disp. 1. cap. 2. n. 49. & nu. 87. irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licèt videatur esse ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis, ergo incurritur, licèt occidens ignoret homicidio illam impositam esse, & hoc dubiũ est valdè notandum, quia quotidianum, & à paucis discussum & scio quod aliquando doctorum hominum torsit ingenia. Vide etiam Guilielmum Mercerum de Sacram 3. p. D. Thomæ q. 66. art. 9. num. 6.

Dicendum est igitur ad incurrendam excommunicationem non sufficere quod sciam opus esse prohibitum, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione. Ita de cæteris pœnis suspensione, interdicto, irregularitate, &c quod est valdè consolatorium, & verum est etiamsi ignorantia, vt supra diximus, esset vincibilis, & ita præter Merolam docet Laurentius de Portel vbi suprà nu. 27. vbi ita ait. Ignorantia vincibilis siue facti, siue iuris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, siue factum illud sit peccatum mortale; siue non, si tamen non fuerit ignorantia crassa & supina, excusat ab omnibus illis

illis pœnis, & hæc conclusio est magnæ consolationis, estque intelligenda de quibuscumque pœnis siue latis à iure communi Papæ, siue à particulari Diœcesanorum. Crassa verò & supina ignorantia est illa quæ procedit ex culpa lata, quę interuenit in adhibenda diligentia; culpa verò lata est, quando ignorans aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam vt sciret quæ nosse tenetur, vel quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Vbi vides posse aliquem euadere prædictas omnes pœnas, etiamsi operetur culpabiliter mortaliter cum ignorantia iuris, vel facti, dummodo ignorantia non sit crassa & supina, siue magna. Vnde etiam colliges non incurri irregularitatem homicidij ob solam culpam venialem. Sic Portel & ego supra in resol. 37.

An qui plura homicidia commisit, contraxerit plures irregularitates necessariò in dispensatione manifestandas.

RESOL. LXXXVI.

AFfirmatiuè respondet Coninch. de Sacram. disput. 18 dub. 14. num. 112. Suarez de legibus lib. 6. cap. 24. numer. 12. vbi sic ait. Similiter censeo, qui plura homicidia commisit, si vno tantum narrato velit dispensationem vnius irregularitatis obtinere, nihil faciet, quia licèt illæ censeantur irregularitates numero diuersæ, moraliter efficiunt vnam grauiorem, vel certè nulla illarum satis explicatur sine alia. Ita ille, & hanc sententiam docet etiam Emmanuel Rodriquez, quem citat Auila de censur. p. 7. disp. 10. dub. 8.

Sed ipse ibi contrariam sententiam docet, quam etiam tuetur Henriquez lib. 12. cap. 10. §. 3. & lib. 14. cap. 7. §. 3. Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. quæst. 7. & 8. & Sanchez, quem citat & sequitur Castrus Palaus in opere morali tom. 1. tractat. 3. disp. 6. punct. 16. §. 4. num. 16. vbi sic ait. Non caret probabilitate, contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero distinctam, etiamsi aliud homicidium committas, quia cum irregularitas sit inhabilitas per modum habitus nō potes amplius ex eadem causa inhabilitari neque vna causa super aliam operari. Ita ille, & sic de excommunicato qui pluries in excommunicatione celebrauit, tenet Nauarrus consil. 3. de raptoribus, numer. 6. Zerola in praxi Episcop. part. 2. tit. irregularitate, §. 12. ad finem. Garzias de benefic. to. 2. p. 8. c. 3. n. 80. vsque ad 87.

Quæ omnia confirmantur, nam copula sæpiùs repetita non inducit nouum impedimentum, neque est necessariò facienda mentio omnium illorum delictorum, sed sufficit si vnius tantùm mentionem faciat, vt docet Sanchez lib. 8. disp. 24. num. 7. Azorius part. 3. lib. 3. cap. 10. quæst. 1. Garzias nu. 77. Item si quis teneat in Baptismo plures filios alicuius, vnica tantùm est cōpaternitas, vt tenet Garzias num. 78. Et tandem si quis ter, vel quater contraxit nuptias, non est necessarium id exprimere quando petat dispensationem bigamiæ. Ita Vgolinus de irregul. cap. 56. §. 7. nu. 3. Auila de censur. part. 7. disp. 8. in fine, Garzias n. 79. & Sanchez lib. 7. disp. 86. n. 24. Verùm his nō obstantibus asserunt multi hanc secūdam opinionem non esse tenendam, quia stylus Curiæ est in contrarium.

An Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate suorum subditorum contracta ex abortu animato.

RESOL. LXXXVII.

SEntentiam negatiuā docet Emmanuel Rodriquez in quęst. regul. tom. 2. quæst. 33. art. 4. quia, ait ille, tale homicidium est nimis qualificatum, vnde si quis petijt dispensationem à Papa quòd occideret hominem, tacendo fuisse Clericum occisum, non manet dispensatus, quia homicidium Clerici est magis qualificatum, ergo, &c.

Sed aliqui putant contrariam sententiam esse probabilem; dicunt igitur in supradicta irregularitate posse Prælatos regulares dispensare, dummodo sit occulta, quamuis Aloysius Vega in summa tom. 2. cap. 15. cas. 6. teneatur quòd si homicidium est occultum apud sæculares, & manifestum apud Fratres, possunt adhuc Prælati in illo dispensare; sed nōn posse quando est notorium, ita vt possit probari in iudicio, docet Miranda tom. 2. q. 8. art. 10. conclus. 2. Et ita hanc sententiam affirmatiuam tenet Laurentius Portel in dubijs Regularium, ver. Abortus, nu. 10. & post illum Villalobos in summa tom. 2. tract. 12. diffic. 14. nu. 6. & Hieronymus Rodriquez in compend. qq. regul. resol. 4. numer. 6. & respondent ad argumentum Rodriquez, dicunt igitur quòd Ecclesia non ponit irregularitatem ob grauius & qualificatum peccatum, & ad exemplum de homicidio Clerici asserunt cum Castro Palao in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 4. num. 16. non esse necessariam in dispensatione illius qualitatis manifestationem, quia ad irregularitatem est omninò extrinsecum, & per accidens occisum fuisse Clericum, non enim ob sacrilegium, sed ob defectum perfectæ lenitatis imponitur, qui defectus in quacūque hominis occisione reperitur. ergo, &c. Sed his non obstantibus non est recedendum à contraria sententia, quicquid sit an possit dispensare in irregularitate homicidij voluntarij.

Nota verò quòd post hæc scripta inueni Hieronymum Rodriquez in compend. qq. regular. vbi supra, resolut. 4. numero 15. docere probabilem satis esse sententiam Alphonsi de Vega asserentis, vt diximus, posse Prælatos dispensare in irregularitate abortus, etiamsi sit manifesta & notoria apud Fratres; sed tu ne recedas à prima sententia, maximè quod intelligo, si verum est, hoc priuilegium esse viuæ vocis oraculum, quod vide.

An irregulares possint initiari prima tonsura sine præuia dispensatione.

RESOL. LXXXVIII.

SEntentiam negatiuam docet Auila de censur. part. 7. disput. 2. dub. 6. conclus. 1. Præpositus in addit. ad 3. part. D. Thomæ quæst. 5. de irregularit. dub. 3. numer. 12. Suarez tom. 5. disput. 40. sect. 1. numer. 11. & alij communiter, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem etiam ad primam tonsuram.

Sed aduersùs hanc sententiam (attendas quæso amice Lector) adest maximum argumentum, supposita communi sententia Theologorum asserentium primam tonsuram non esse Ordinem, cum D. Thoma in 3. part. quæst. 40. artic. 2. Vasquez tom. 3. disp. 236. c. 1. num. 9. & disp. 237. cap. 2. Bellarmino libr. 1. de Clericis, cap. 11. Martino Fornario tractat. de Ordine cap. 7. num. 1. Filliucio tom. 1. tract. 9. cap. 1. numer. 13. & nouissimè solidè, vt semper solet, cum Patre Hurtado de Sacram. tractat. de Ordine, difficult. 2. quorum sententiam supposita sic argumentor. In odiosis non est facienda extensio de vno casu ad alium, sed Canones asserunt irregularem esse incapacem Ordinum; ergo non erit incapax primæ tonsuræ, quia, vt dictum, propriè non est Ordo, tonsuratus enim ordinatus dici non potest, quia ordinatus habet peculiare officium ad Eucharistiæ celebrationem directum; sed tonsuratus nullum habet officium circa ministerium Altaris, ita vt dici possit deputatus ad Ordines, sed non ordinatus: ergo, &c. Sed his non obstantibus, quia opinio negatiua est communis, non audeo ab ea recedere, & ideò illam omninò tenendam esse existimo.

An Sacerdos qui non habet licentiam confitendi, si excipiat alicuius confessionem, incurrat irregularitatem

RESOL. LXXXIX

AFfirmatiuam sententiam potest quis tribuere Ioanni Præposito in 3. part. D. Thomæ q. 5. de irregular. dub. 6. nu. 36. vbi sic asserit. Diaconus præsumens sacramentaliter absoluere vel conferre extremā Vnctionem, fit irregularis, immò & Sacerdos qui solùm priori ordinationi est ordinatus, quia in ea nondum recepit potestatem absoluendi. Ita ille; sed non loquitur in casu proposito, sed in alio, in quo deest Ordinis potestas. Sed mihi placet contraria sententia quam tuetur Bonacina de censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 6. quia irregularitas incurritur ab exercente Ordinem quem quis non habet; sed Sacerdos in hoc casu non exercet actum quem non habet, cum verè sit Sacerdos, sed potius dicitur exercere actum iurisdictionis quam non habet. ergo non est irregularis, cum non sit lata irregula-

regularitas contra exercentem actum iurisdictionis alienæ. Ita Bonacina, qui citat Coninch, & Henriquez. Et idem dicẽdum est si talis Sacerdos administraret extremam Vnctionem.

An Sacerdos excommunicatus si excipiat confessiones, incurrat irregularitatem.

RESOL. XC.

Hic casus potest frequenter accidere, & ad illum respondet affirmatiuè Laurentius Portel in dubijs Regularium, ver. irregularitas numer. 13. vbi sic ait Dubium est, an Sacerdos excommunicatus maiori excõmunicatione, si ministret alicui sacramẽtum Pœnitentiæ, maneat irregularis? Quòd enim Sacerdos celebrans excommunicatus sit irregularis, omnes admittunt. At de audiente confessiones apud nullum clarè inueni, est dubium quotidianum. Ego iudico talem Confessorem manere irregularem. Moueor ex eo quod tradit Nauarrus in man. cap. 27. nu. 244. vbi pro regula generali tradit, fieri irregularem illum, qui celebrat diuina Officia, vel facit aliquem actũ deputatum Ordini sacro maior quàm habet. Constat autem quòd audire confessiones est actus specialiter deputatus Ordini presbyterij. Secundò probo ex regula generali, videlicet fieri irregularem illum Clericum, qui exercendo actum Ordinis violat censuram: at Sacerdos excommunicatus audiens confessiones primò exercet actum Ordinis Presbyterij, vt patet; secundò violat censuram excommunicationis, per quam illi interdicitur ministrare Sacramenta, ergo fit irregularis, & hoc intellige quantumcumque excommunicatio, vel delictum sit occultum. Ita Portel, qui licèt dicat hunc casum à nemine fuisse discussum, ego tamen illum inuenio resolutum etiã affirmatiuè apud Auilam vbi infra, Henriquez lib. 13. cap. 7. num. 1. Alterium de censuris lib. 2. disp. 1. cap. 2. dub. 1. Suarez de censur. disp. 10. sect. 3. nu. 15. Martinum Bonacinam de cens. disp. 7. qu. 3. punct. 5. num. 6. qui docet hanc sententiam esse veram, etiam si absolutio esset inualida ob culpam pœnitentis. Verùm his non obstãtibus Didacus Perez in annotat. ad Velladiegum de irregular. cap. 2. nu. 12. docet tunc excommunicatum absoluentem incurrere irregularitatem, quando absoluit cum orationibus, stola & Miserere, secus quando ordinario modo absoluit; sed ego nõ audeo recedere à communi sententia. Vnde ex his rectè ego olim in casu contingenti consului quemdam Sacerdotem excommunicatum irregularitatem incurrisse ex sola administratione Eucharistiæ, licèt Missam non celebrauerit, quia talis administratio est actus deputatus Ordini sacro. Ita Auila de censur. p. 7. sect. 2. dub. 2.

An Clericus nondum Sacerdos si excipiat alicuius confessionem efficiatur irregularis.

RESOL. XCI.

Affirmatiuè respondet Sayrus de censuris lib. 7. cap. 10. nu. 5. Henriquez lib. 14. capit. 6. §. 2. Maiolus de irregulat. lib. 4. cap. 13. numer. 5. Auila de censur. part. 7. disp. 9. dub. 15. cõcl. 1. Bonacina de censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 4. & alij penes ipsos. Ratio est, quia sic determinatur in capit. 1. de Clerico non ordinato, &c ibi, *Si quis baptizauerit, vel aliquod diuinum Officium exercuerit*, sed absolutio sacramentalis est diuinum officium, ergo.

Sed, vt verum fatear, hæc opinio videtur pati difficultatem, cùm nullo iure expressè habeatur aliquem carentem Ordine administrantem Sacramẽta fieri irregularem, sed Doctores id tradunt ex c. tantum c. 1. Sed sub nomine diuinorum Officiorum non satis constat contineri in dicto capite administrationem Sacramentorum, cum sæpè in iure inter se distinguantur, vt patet ex cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. & ex cap. responso, de sentent. excommunicat. cap. alma mater, eodem tit. in 6. & ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 4. de reform. Quod confirmatur (attende quæso amice Lector) ex contextu litteræ supradicti cap. 1. vbi Baptismus condistinguitur contra diuinum Officium; Ergo non videtur satis constare diuinum Officium in dicto capitulo comprehendere Sacramẽtorum administrationem, quamuis quibusdam alijs capitulis comprehendere videatur. Sed quia affirmatiua sententia est communis, non audeo ab ea recedere. Vide Coninch. de Sacram. disput. 18. dub. 6 num. 48.

Notandum est tamẽ hic obiter, quòd in irregularitate exercendi Ordinem quem non habet Episcopus potest dispensare vt vtatur Ordine suscepto. Ita Auila loco cit. conclus. 3. & post Concilium Tridentinum, etiam vt ascendat ad Ordines vlteriores si delictum sit occultum.

An suspensus ab Ordine incurrat irregularitatem si ad Ordinem superiorem ascendat.

RESOL. XCII.

Affirmatiuè respondet Couarr in cap. alma, part. 2. §. 3. nu. 5. Nauarr. lib. 1. consil. 26. numer. 2. de tempor. ordin. & alij apud Henriquez lib. 14. cap. 6. num. 4. in gloss. lit. C. quia ascensus ad Ordinem superiorem est veluti exercitium Ordinis inferioris à quo suspensus est. Et ideò si Diaconus ab Ordine suspensus sacerdotium accipiat, exercet ministerium Presbyteri sacrificando cum Episcopo. Item Subdiaconus cantando solemniter Euangelium ergo, &c.

Sed ego negatiuam sententiam probabiliorem esse existimo cum Suarez de censuris disput. 42. sect. 3. nu. 2. Sayro de censuris lib. 4. cap. 16. num. 22. & alijs communiter; quia talis irregularitas non est in iure expressa, nec valet primum argumentum suprà adductum, quia, vt probat Layman in Theol. moral libr. 1. tract. 5. part. 3. capit. 1. corollar. 6. susceptionem Ordinis superioris non nisi impropriè & abusiuè dici posse exercitium Ordinis inferioris.

Ad primum argumentum assero, vt alibi probaui, primum sacrificium nõ æstimari actum illum concelebrationis. Ita Auila de censur. p. 3. disp. 5. dub. 7. assert. 3. Henriquez lib. 14. c. 3. n. 6. Medina in summ. lib. 1. c. 11. §. 8. & alij.

Notandum est etiam hic obiter Episcopũ suspensum à Pontificalibus non incurrere irregularitatem si Missam celebret cum apparatu Episcopali; quia ab actu celebrandi secundùm substantiam supensus non est, sed tantum secundum solemnitatem accidentalem. Ita Auila de censur. p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 2. §. sed notandum. Couarr. in Clem. p. 1. §. 1. n. 1. Sylnester verb. suspensio q. 5. & alij.

Nota etiam excommunicatos & suspensos non fieri irregulares, si exercent ea quæ pertinent ad iurisdictionem fori exterioris, vt si aliquis excommunicet, suspendat, aut absoluat ab aliqua censura, dummodo absoluat absque solemnitate, nempè sine stola, Psalmis, &c. hinc ego olim rectè consului, Parochum excommunicatum matrimonio assistentem non incurrisse irregularitatem. Vide Auilam loco cit. qui dub. 3. rectè etiam docet contra Syluestrum & Nauarrum, excommunicatum, suspensum, & interdictum non incurrere irregularitatem, si exerceat solemniter actus minorum Ordinum.

An irregularitas orta ex infamia iuris contrahatur si crimen sit occultum.

RESOL. XCIII.

Affirmatiuam sententiam docet D. Antonin. p. 3. tit. 28. c. 6. §. 7. Syluester verb. irregularitas, quæst. 14. & P. Suarez de cens. disp. 48. sect. 1. nu. 17. cum ait, quod talis qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso iure annexa est, teneatur abstinere ab Ordinibus tamquam irregularis, si cesset periculum se infamandi, &c.

Verùm contrariam sententiam probabiliorem esse existimo quam tuetur Couarr. lib. 3. var. c. 3. n. 2. Tannerus to. 4. disp. 6. q. 10. dub. 11. nu. 227. Coninch. de cens. disp. 18. dub. 7. nu. 56. Henriquez lib. 14. c. 5. n. 2. & Auila de cens. p. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 1. vbi docet quòd nullum crimen, quantumuis enorme, inducit hanc irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium, ex c. ex tenore, de tempor. ordinat.

Hinc contra Couarr. in Clem. si furiosus, p. 2. §. 3. num 4. ver. hoc ipsum, simonia in Ordine si occulta sit non inducit irregularitatem, quia non inuenitur textus expressus in quo talis irregularitas infligatur, & licèt videatur hoc dicere c. inquisitionis de accusat. tamen simonia per illum textum, vt attentè legenti patebit, non inducit irregularitatem, sed suspensionem. Immò ego puto cũ Auila loco cit concl. 7. simoniam in beneficio non induce-

inducere irregularitatem, etiamsi publica sit, quod antea docuit Henriquez lib. 13.c.37.n.5.

Notandum est etiam hic obiter contra Nauarrum in man. c.25.num.73.& 77. Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum post peractam penitētiam, & vitæ emendationem publicam, interposito saltē aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare posse, quia ex infamia facti nō oritur irregularitas simpliciter dicta & indelebilis, donec per dispensationem tollatur, nec obstat quòd D. Antoninus p.3.tit.27. c.5. Syluester ver. concubinarius, q.5. Couar. in Clem. si furiosus, p 1.§. 1.n. 5. doceant Clericos concubinarios notorios suspensionem ab officio contrahere, ex c. præter, dist.32. ca. si qui sunt, dist.81. cap. vlt. de cohabit. Cler. & mulier. Nam respondeo suspensionem istam consuetudine sublatam esse, vt docet Sotus in 4. dist 1.q.5.art.6. circa 2.argu. & alij quos citat, & sequitur Layman in Theol. mor. lib.1.tract.5.p.1.c.4.n. 11.

An excommunicatus recitando Horas canonicas priuatim, & dicendo, Dominus vobiscum, incurrat irregularitatem.

RESOL. XCIV.

IN aliquibus casibus affirmatiuè respondet Suarez de cens. disp.12.sect.2.num.13. vbi sic ait. Quando excommunicatus Horas canonicas recitat, debet omittere salutationem, *Dominus vobiscum*, & loco illius dicere, *Domine exaudi orationem meam*, adeo vt si sit Sacerdos, aut Diaconus, dicendo, *Dominus vobiscum*, irregularis fiat, vt aduertit Nauarrus lib. de orat. cap. 7.n.16. quia iuxta vsum Ecclesiæ ille versiculus à solis Sacerdotibus, vel Diaconibus dici potest, & præfert personam publicam. Ita ille, & absolutè hanc sententiam tenet Maiolus de irregul. lib.3.c.25.num.6.

Sed ego puto excommunicatum dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccare mortaliter, & ita docet Auila de cens. par.2. disput.5. diffic. 2.n.4. Prępositus in 3.p.D. Thom.q.2. de excommun. dub.9.n. 56. & per consequens nō incurrere irregularitatem, & ideò ex eadem Societate doctus Hurtado tract. de excommun. diffic.2. disp. 5. n. 3. sic ait. Excomunicatus priuatim recitando horas Canonicas potest absque peccato dicere, *Dominus vobiscum*. quia potest illud dicere vt priuata persona; sicut etiam potest dicere, *Venite adoremus*. Et quamuis peccaret dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccaret nisi venialiter, quia est materia leuissima, ac proinde nec ob id incurreret irregulariatem, quæ quando ob peccatum incurritur non nisi ob mortale incurritur. Ita ille, & ante illum Villalobos in sum. to.1. tractat.17. diffi.7.n.3 vbi nominatim improbat Maiolum, & docet excommunicatum si priuatim recitet Horas Canonicas, & dicat, *Dominus vobiscum*, non incurrere irregularitatem, vide etiam Filliucium to.1. tract. 12. c. 4. nu. 93. & Coninch. de Sacram. disp.14. dub.7.n.54.

An Episcopus incurrat irregularitatem si concedat licentiam iudici laico exhumandi corpus occisi ab Ecclesia, ad finem capiendi informationem de delicto in genere.

RESOL. XCV.

REspondet negatiuè Iulius Lauotius in suis varijs elucubrationibus tit.2.c.7.n 31. quia ad incurrendam irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis requiritur quòd actus qui fit, sit causa proxima & directa in mortem, vel mutilationem, non autem causa remota, vt ex Nauarro c.21.n.211.& Auila de cēs. p.7. disp.5. sect.2. docet Turrianus de cens. lib.9. disput 66. du. 3. Sed in nostro casu actus ostendēdi cadauer occisi, est remotissimus, & suaptè natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantum permittit exhumari corpus, & capi informationes. Ergo. &c. & ita hanc sententiam præter Lauorium docet etiam in terminis, vt dici solet, terminantibus doctus Alovsius Riccius in praxi to.1. resol.453. & ita practicatum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur M. Antonius Genuensis in praxi c.42.n.10. & ita etiam docet Venetus in exam. Episc. lib.2.c.23.n.19.

Notandum est etiam hic quòd Genuensis vbi suprà testatur in dicta Curia resolutum fuisse, posse concedi Curiæ sęculari copiam sententiæ depositionis, sine degradationis verbalis. & renunciationis habitus clericalis alicuius Clerici inquisiti de homicidio in Curia sæculari, alleganti se esse Clericum, & Curia sæcularis negabat esse Clericum, ob prædictam depositionem, & renunciationem: sed tu in supradictis cogita.

An ferens testimonium in fauorem rei incurrat irregularitatem si ob id sequatur mors accusatoris.

RESOL. XCVI.

NEgatiuè respondeo quia mors accusatoris respectu testis censetur sequi per accidens ex ipsius testificatione; nam ipsius dictum per se & ex natura sua ordinatur ad manifestandam rei innocentiam, & ad illius defensionem; & ad incurrendam hanc irregularitatem, vt alibi dicemus, opus est vt adsit causa proxima ad mortem, vt dictum, vel factum ex sui natura sit ad illam directum. Et ita hanc sententiam tenet Sayrus de cens. lib.6.cap.18.numer.11. Suarez disput.47.sect.4. numer. 9. Filliucius tom.1, trac.19.cap.9.num.257. Vgolinus de irregul.c. 7.nu.7. & alij, quod procedit etiamsi testis sit Clericus, qui in fauorem rei potest testari de licentia Episcopi, vel eius Vicarij, nam Clericum ferre testimonium in fauorem rei; nullo iure prohibetur.

An Episcopus possit dispensare in irregularitate, si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, & iam finito iudicio punitum.

RESOL. XCVII.

SEntētiam negatiuam docet Barbosa de potest. Episcop.p.2. alleg.39.num.35. vbi citat Guttierrez, Rodriquez, Suarez, & Bonacinam, quibus ego addo Sayrum de cens. lib.4.c. 17.n.25. Garzias de benefic. to.2.p.7 c.11.n.50. Bartholomęum de Vecchis in praxi Nouitiorum disp.9.dub.16. in fine. Ratio est, quia non potest negari quòd delictum non fuerit deductum ad forum contentiosum, nec deinde occultū, immò publicum. nam quæ probantur in iudicio, appellātur publica. Sed Concilium Tridentinum sess. 24.c.6. facultatem dispensandi super irregularitate concedit Episcopis in casibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, nec vllam adhibet distinctionem. ergo, &c.

Sed ego puto contrariam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi, quam tuentur Gaspar Hurtado de irregul. disp.2. diffic.20.n.68. Sebastianus à Bononia in tract. de elect.p.4.ca.4. dub.71.n.13. Auila de cens.p.7. disp.10. du.7. Sanchex in summ. to.1. lib.2.c.11.n.21. Henriquez lib.14.c.7.nu. 5. Reginaldus to. 2. lib.30. tract.2 n 29. vers. & alij. Ratio est, quia in dicta dispensatione super irregularitate de qua loquimur, non turbatur tribunal iudicis, quod vitare intendit Concilium Tridentinum dicta exceptione. nam intentum Concilij fuit conseruare authoritatem iudicibus, sed in nostro casu nihil authoritari detrahitur iudicis, quia iam functus est iudicio suo. ergo, &c. Deinde Concilium ideò requirit delictum esse occultum, vt vitetur publicum scandalum, sed hoc cessat per punitionem factam per iudicem, & humiliter toleratam a delinquente. ergo, &c. ex quibus patet responsio ad argumentum pro prima sententia adductum.

Quando verò delictum dicatur deductum ad forum contētiosum, vt Episcopus non possit dispensare super irregularitate; Riccius in praxi to.1. resol. 449. putat vbi primum citatio facta fuerit; sed tu tene dici delictum deductum ad forum contentiosum post litis contestationem.

An Consiliarij Principum, vt, v.g. Regentes, Præsides, Magistri, Rationales, &c. sint irregulares, ita vt sine dispensatione ordinari non possint.

RESOL. XCVIII.

VIdetur affirmatiuè respondendum, ex cap. 1. 2. & 3. dist. 15. vbi Curiales, & qui publicis functionibus occupantur, sunt irregulares, & sub nomine Curialiū in dictis textibus vocantur quicumque Curiæ sæculari obligati sunt in ministerio alicuius officij publici, siue in perpetuum, siue ad tempus, & siue talis obligatio sit ex iuramento, pacto, aut stipendio.

Sed his nō obstantibus, vt optimè obseruat Mercerus in 3. p. D. Tho-

D.Thom. q.24.dub.13. Petrus Cornejo in 3. p.D. Tho.tr.de irregul.disput.14.dub.2.n.3.excipiuntur ab hac generalitate, qui sunt Principum Consiliarij, siue hæc exceptio sit expressa Pontificis concessione, siue ex consuetudine præscripta, quod etiam docet Suarez de cens.disp.51.sect.3 nu.16. quibus adde Hurtadum tr.de irregul.disput.2.diffic.18.n.60. vbi etiam docet cum Mercero & Cornejo locis cit iudices, & Officiales Episcoporũ, & Administratores rerum Ecclesiasticarũ, imò rerum piarum, quamuis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari posse, quod deducitur ex c. vlt.dist.86.& ex can.1.dist.8.

Notandum est etiam hic obiter contra Toletum lib.1.ca.60. & alios quòd obligatus ad ratiocinia non potest ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio, secus verò dicẽdum est ante solutionem debiti pecuniarij relicti ex officio, vel administratione, post desertionem officij, & rationem redditam, quia solutio nullibi in sacris Canonibus requiritur. Ergo in tali casu poterit ordinari. Ita DD. citati vbi suprà.

Et tandem nota hic cum Cornejo loc. cit. quòd in casibus in quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ab Ordinibus excluduntur, si fideiussorem exhibeant, qui causam raoocinij in se assumat, ordinari non prohibetur. Ita ille, qui citat Panormitanum, & Sayrum, quod est valdè notandum, vt in casu contingenti aliquis ex supradictis possit, si velit, statim ordinari.

An Confessarius qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, si iuridicè interrogetur, incurrat irregularitatem?

RESOL. XCIX.

NEgatiuè respondeo, quia hoc non est concurrere ex parte inferentis mortem, sed ex parte sustinentis, & hoc iustè, præterquam quòd solùm intendit consulere animæ pœnitẽtis, & mors est per accidens sequuta. Et idem est si illi consulat vt consentiat sententiæ mortis iustæ, quam differre non potest, nisi per iniustam appellationem, esset tamen irregularis si consulat omittere appellationem iure concessam, quia esset causa accelerationis mortis. Ita Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract.5. de irregul.disp.11. dub.1. q.4.

An Episcopus in aliquo casu possit dispensare cum irregulari ex homicidio occulto, vt ministret in Ordinibus susceptis.

RESOL. C.

REspondeo affirmatiuè vrgente magna necessitate scandali, vel alia, & difficili existente recursu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam distantiam; & hoc siue ex eius ordinaria potestate, siue ex tacita Pontificis commissione, nõ enim credendum est, Papam sibi dispensationem reseruasse in tanto animarum periculo, vt de dispensatione in impedimentis dirimentibus matrimonij dixit Sanchez libr.2. disp.4.nu.7. & DD. communiter. Et ita nostram sententiam ex Henriquez, & Syluestro docet doctus Petrus Cornejo in 3. p.D.Thomæ, tract.5. de irregular.disp.1.dub.4.qu.4. & ante illum Auila de cens.p.7. disp 6 sect.5. dub.3. in fine conclusionis.

Notandum est tamen hic obiter, Henriq.lib.14.c.14 n.1. docere Episcopum posse etiam modò post Concilium Trid.dispẽsare cum homicida voluntario ad vsum saltem minorum Ordinum, & li.13.ca.57.n.1. docet posse dispensare cum eo ad beneficium simplex, quia existimat Concilium Trid. non abstulisse ab Episcopis id quod aliàs erat omnibus iure communi cõcessum, vt c.20.de clericis pugnantibus in duello, vbi vtrumque videtur Episcopis concedi Sed hæc sententia, pace viri doctissimi, falsa videtur, & conuincitur ex verbis Concilij, ibi: *Nec illis aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine & beneficio Ecclesiastico perpetuo careant*. vbi clarè loquitur de beneficio simplici, & etiam de vsu minorem Ordinum, cum talis vsus officiũ sit Ecclesiasticum. Et hæc omnia docet Cornejo vbi suprà qu.2. Non desinam tamen hic adnotare Guilelmum Mercetum de sacramen.in 3. D.Thomæ qu.24. dub.9.numer.1. asserere posse Episcopum in irregularitatem incursam ex bello dispensare cum Clericis constitutis in sacris Ordinibus ne mendicare cogantur, & ad beneficium obtinendum, sed hoc etiam videtur contra mentem Concilij.

An DD. Inquisitores possint remittere familiares iudici laico, quando non gaudent priuilegio fori absque metu irregularitatis?

RESOL. CI.

PArs affirmatiua suaderi potest, quia, vt obseruat Ioannes de Vanshel in cap.si iudex laicus, de sentent.excommun.in 6.litera B, captus à iudice laico in habitu clericali debet remitti ad Ecclesiasticum, donec constet an sit Clericus, aut non, & si non constet quòd non sit Clericus, adhuc postea debet remitti ad sæcularem: ergo dicendum est in casu nostro idem faciendũ esse à DD. Inquisitoribus; nam, vt obseruat Narbona in recopil.libr.4.tit.1.leg.20 glossa vlt.num.5.praxis inquisitionis in tali casu conuenit praxi vsitatæ, cum inter Ecclesiasticum & sæcularem iudicem, cui eorum alicuius Clerici punitio spectat, conuenitur. *Sed*, vt dictum est, quando casus occurrit, Episcopus remittit iudici laico Clericum foro priuilegij non gaudentem; & ita DD. Inquisitores debent in tali casu etiam iudicibus sæcularibus suos familiares remittere, vnde in Concordia quã vbi supra exponit Narbona fol.358. n.8. sic habetur. [Y que en tanto que se vee, y haze la dicha remission el familiar delinquẽte esse preso en la carcelaria que le huuiere posto el que en la captura huuiere preuenido, sin que se proceda hasta la dicha remission, la qual luego que se hiziere y presentare al Inquisidor, o Iuez seglar contra cuia jurisdicion se huuiera declarado, remita en tal processo, y causa, y lo dexea aquel en cuio fauor se huuiere fecho la dicha remission, para que proceda en el conocimiento y determinacion de la causa.] Sic ibi. Nec valet dicere quòd in dictis verbis non præcipitur Inquisitoribus remittere reum, sed causam & processum; nam respondeo quòd si talis remissio esset facienda sine reo, etiam iudex laicus causam & processum sine reo Inquisitoribus remittere posset; nam Concordia iisdem verbis loquitur de remissiona facienda ab Inquisitoribus, ac de facienda à iudice laico. Sed hoc dicere est absurdum. ergo, &c.

Confirmantur insuper supradicta ex ratione. nam, vt rectè obseruat ex Societate IESV Turrianus de censur.lib.9. disp.66. dub 3.ex nostra Religione Megalius in 3. p.instit. Peregrinus lib.7.c.5.q.5.n.39. Bizozerus in summa c.5.de censur. n.1 § dixi septimò. Vega en espejo de curas, to.2.c.12.§ 26.n.261.& alij, ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis opus est vt causa sit proxima, nempè dictum, vel factum ex natura sua tendens ad mortem, vt notat Homoboous in exam. Ecclesi. p. 2.tract.12.c.1.q.2. Beia in respons.cas.37.p.1. & alij. Sed in nostro casu remissio rei per se, & ex natura sua non tendit ad mortem.ergo. Probatur minor à fortiori, quia, vt rectè obser- Nota quod his verbis vtitur Concordia vbi supra.
uat Villalobos in summa to.1.tract.25.difficult.25.n.8. Inquisitores qui tradunt hæreticum brachio sæculari, etiam seclusis Bullis Pontificiis, non incurrunt irregularitatem, quia ait ille, in tali remissione & tradizione [el Inquisidor ni da sentencia, ni comete la iurisdicion, sino solamẽte remite la causa al Iuez seglar, que por otro camino tenia iurisdicion cõtra aquel;] quam rationem priùs docuerat Suarez de cens. disp.47.sect.1.n.10. & seq. Filliucius to.1.tract.19.cap.9.nu.244.& Laymao libr.3.sect. 5.tract.3. p.3.cap.7. num.3. Et idem dicendum est de Episcopis qui tradunt iudicibus laicis Clericos degradatos, vt patet ex c. nouimus, de verbor. significat. vnde ex dictis Gaspar Hurtado de irregular.disputat.2.difficult.12.numer.42.sic asserit. Iudices Ecclesiastici, & Inquisitores, eorumque ministri, non fiunt irregulares, si aliquem degradatum, aut hæreseos cõdemnatum, tradant brachio sæculari, quia non cooperantur ad mortem. Ita ille. & ante illum Emanuel Sa ver. irregularitas. §. ex deformatione licita, nu.4. vbi ita ait: Oportet verò dedisse ad id causam propinquam & directam ex natura sua ad deformationẽ, tale autem est adiudicare morti, accusare, testificari: at tale non videtur rſſe tradi hæreticum ab Inquisitore brachio sæculari. Hæc ille. & nouissimè hanc sententiam docet Mercerus in 3. part.quæstio.24. de irregularitat. dub.6. Bonacina de censuris disputat.7. quæst.4. punct.1. num.27. Igitur si Episcopi & Inquisitores tradentes supradictos brachio sæculari, minimè irregularitatem incurrunt, quia non sunt causa proxima, nec cooperantur ad eorum mortem: quanto magis dicendum est in nostro casu neque irregularitatem incurrere si tradant reum iudicibus laicis.

Nec supradictis obstat primò quòd Gregorius XIV. in Bulla de immunit. Eccles. vt docet Farinacius in append. ca. 22. n. 343. liberat ab irregularitate iudices, qui in casibus exceptuatis in dicta constitutione, tradunt reos iudicibus sæcularibus. Ergo non est verum, quod supra conati sumus firmare, nempè dictā remissionem & traditionem non esse causam proximam, neq; per eam irregularitatem incurri; non, inquam, hæc obstant, quia puto Pontificem in dicta Bulla non dispensare in irregularitate, sed declarare non incurri, vt apparet, si attentè verba Bullæ considerentur. Adde quòd ad tollendos scrupulos, & pacandas conscientias, Pontifices solent dispensare, & concedere multa priuilegia, quæ in rigore necessaria non forent.

Non obstat secundò, quod in casu c. si iudex laicus, & in casu c. nouimus, supra citatis, Inquisitoribus & Episcopi sunt immunes ab irregularitate ex vi præcepti Apostolici, quia, vt obseruat Gambacurta de immun. Eccles. li. 2. §. 7. ver. absque irregularitatis nota, cum Pontifices in aliquibus casibus iubeant Ecclesiasticis, vt tradant reos iudici sæculari, eo ipso intelliguntur irregularitatem auferre, ne ex obedientia, & obseruatione Canonum, videantur damnum incurrere; quod quidem non accedit in casu nostro, nam præceptum tradendi familiares iudicibus laicis, non emanat à Pontifice, qui ab incursu irregularitatis liberare potest, sed à supremo Consilio Inquisitionis, quod hac potestate caret. Fateor hoc argumentum apud me validissimum esse; sed posset quis respondere Hurtadum, Sà, Villalob. Suarez & alios vbi suprà, excusare Ecclesiasticos in supradictis casibus ab irregularitate, nō ex vi præcepti Apostolici, sed quia in remissione & traditione reorum Curię sæculari, minimè sunt causa proxima, neque cooperantur ad mortem, vnde non incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

Et tandem non obstat tertiò quòd qui detegit malefactorē, vt comprehendatur, incurrit irregularitatem, vt colligitur ex c. tua nos, de homicidio, & inter multos docet Adamus Tannerus in 3. p. D. Thomæ disp. 6. q. 10. dub 13. nu. 306. Sed in nostro casu non solùm detegitur malefactor, sed curiæ sæculari traditur, ergo, &c. Nam respondeo supradictum manifestantē tunc irregularitatem incurrere, quando esset accusator, vel hoc faceret vt minister iustitiæ. Et ita tenet Turrianus de cens. lib. 9. disp. 67. dub. 4. qui respondet ad c. tua nos.

Verùm his minimè suffragantibus, quia casus est magni momenti, putaui de illo interrogatus à DD. Inquisitoribus huius Regni consulendum esse summum fidei Quæsitorem, supremum S. Inquisitionis Consilium. Saluo semper, &c.

An Inquisitores possint se adinuicem super irregularitatibus dispensare?

RESOL. CII.

Affirmatiuè respondet Royas de hæret. p. 2. num. 423. vbi sic ait. Si aliquis Inquisitorum incurrat in irregularitatem, alter eum poterit absque alia dispensatione absoluere, vt in Extrauaganti Vrbani III. quæ incipit, Dilectis filijs, quam refert Repertorium Inquisitorum in ver. Inquisitores, & in ver. irregular. Ita Royas & post illum Pegna in Director. Inquis. part. 3. comment. 72. & Campegius in addit. ad Zanchinum tractat. de hæret. c. 31. lit. A.

Sed an hoc priuilegium Commissarijs Inquisitorum competat, dubitari potest, & verius est secundum Pegnam vbi suprà competere, & hoc fauore fidei, quod est valdè notandum.

An absentes possint absolui ab irregularitatibus quæ includuntur sub nomine censuræ?

RESOL. CIII.

Diximus suprà, & in trac. de Bull. Cruciatę resolut. 17. probabilem esse illam sententiam quam asserunt esse communem in schola D. Thomæ, nempè sub nomine censuræ in Bulla Cruciatæ includi irregularitates procedentes ex delicto, & quæ sunt pura pęna peccati; sed modò quæritur an absens possit absolui, seu rectiùs dispensari per Bullam à dicta irregularitate? Et negatiuam sententiam docebunt illi, qui tenent virtute Bullæ; non posse extra sacramentum Pœnitentiæ absolui à censuris, & per consequens ab irregularitate, quia ex decreto Clementis VIII. sub die 20 Iunij 1602. asseritur esse temerariū dicere quòd absolutio sacramentalis possit absentibus conferri, cum ergo absolutio excommunicationis & irregularitatis conferri debeat intra Sacramentum, & hoc non possit exerceri inter absentes, sequitur necessariò quòd nec absolutio censurarum, & dictarum irregularitatum possint absentibus conferri.

Verùm illi quos ego citaui in p. 1. tract. de Bull. Cruciatæ resolut. 25. tenentes posse aliquem absolui à censuris extra Sacramentum virtute Bullæ Cruciatæ, sententiam affirmatiuam docebunt, nempè absolutionem censurarum & irregularitatum posse in absentes conferri, & ratio erit, quia absolutio censuræ quæ independēter est ab absolutione à peccatis, ex natura sua potest conferri absenti, vt tenent communiter DD. nisi expressè à concedente priuilegium limitetur ad sacramentum Pœnitentiæ. Sed in Bulla Cruciatæ absolutio ab excommunicatione non limitatur ad sacramentum Pœnitentiæ, nec limitatur vt in præsentia conferatur. Ergo virtute Bullæ potest absolui absens à censuris, & per consequens dispensari in irregularitatibus, quæ sub nomine censuræ in dicta Bulla includuntur. Et ita hanc sententiam loquens de censuris tenet in terminis, vt dici solet, terminantibus, Ægidius Trullench in exposit. Bull. Cruc. lib. 1. § 7. c. 2. dub. 18. n. 12. verùm n. 13. subdit hoc non expedire communiter fieri ob reuerentiam censurę, & ad vitanda scandala, nisi in casu aliquo raro, vt si valdè expediret excommunicato absolutio, & non facilè aut sine scandalo adire possit Cōfessarium, nam in tali casu licitum erit absolui per literas, aut per nuntium, quo in casu tunc censebitur absolutus quando recipit literas, aut notificatur ei absolutio per nuntium, nisi aliter de mente absoluentis constiterit, nam si intendat vt nunc pro tunc sit absolutus, statim ac eum absoluit absentem, manet absolutus: interim tamen dum absens absolutionem ignorat, tenetur se gerere pro excommunicato. Hæc Trullench quæ si vera sunt procedunt etiam in irregularitatibus, sub nomine cēsurę contentis: & facit etiam pro hac sententia opinio Laurentij Portel in dubijs regular. verb. Confessor dispensans, num. 15. asserentis posse contra Sayrum & Capucinum Confessores regulares dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum extra sacramentum Confessionis: sed n. 14. quærit an possint cum illis dispensare in absentia per scriptum, accepta informatione rei per scriptum, dari enim potest casus in quo vrgeat necessitas talis dispensationis, & sit magna difficultas adeundi talem Confessarium Regularem, vnde dictus Portel sic ait: Ego apud nullum inuenio hoc dubitatum, & in primis dico talem Confessorem Regularem sic dispensantem in absentia non violare mandatum D. Papæ Clementi. VIII. quo prohibetur audire confessiones per scriptum in absentia; hæc enim dispensatio cum his absentibus ob votum castitatis, vel incestum, non est absolutio sacramentalis, vt patet. Secundò de ratione dispensationis non est quòd fiat in præsentia, multi enim dispensantur in absentia à Papa, videlicet, Episcopis & cæteris Prælatis. Tertiò, quia in ista dispensatione facta à tali Confessore Regulari in absentia non incurrunt, nec timentur illa pericula, quæ timentur in absolutione sacramentali facta in absentia. Hæc omnia Portel, quæ confirmant opinionem Trullench, & quòd absenti possit dari absolutio super irregularitate, quæ includitur sub nomine censuræ per Bullam Cruciatæ. Verùm his non obstantibus, an omnia supradicta probabilia sint, remitto iudicio aliorum.

TRA-

TRACTATVS III.

DE

CONSCIENTIA DVBIA.

An sit licitum operari cum conscientia dubia speculatiuè, & non practicè.

RESOL. I.

PETRVS Lorca in 1.2. D. Thom. agens de actibus humanis, disp. 37. membr. 1. ineptam esse putat distinctionem inter dubium speculatiuum; & practicum; verùm quia omnes DD. illam admittunt, ideò respondeo ad quæsitum affirmatiuè, quando sufficiens diligentia adhibita fuit ad vincendum dubium speculatiuum, & quando subest rationabilis causa, suadens variare practicè, seu hic, & nunc iudicium speculatiuum. Exempli gr. si bona fide res possidens incipiat dubitare, an res illa sit aliena, quod est dubium speculatiuum, tenetur diligentiam adhibere vt veritatem assequatur, eaque præmissa, nec veritate detecta, potest licitè eam retinere, & practicè hic, & nunc non dubitare non obstante dubio speculatiuo, quia melior in pari causa est conditio possidentis, vt patet ex reg. 61. de reg. iur. in 6.

Notandum est hic obiter contra Paulum Layman lib. 1. tra. 1. c. 5. §. 1. nu. 3. quòd licèt ad rectè operandum requiratur iudicium practicum moraliter certum, nō tamen ita, quo excludatur omnis formido oppositi, vt rectè docet Vasquez in 1. 2. disp 62. c. 5. & Sanchez in summa to. 1. lib. 1. ca. 10. num. 19. sufficit enim assensus probabiliter dictans, quamuis non sine formidine oppositi, hoc, vel illud honestè agi.

An hac regula, scilicet, In dubio melior est conditio possidentis, *non solum sit vera in materia iustitia, sed etiam in materia aliarum virtutum.*

RESOL. II.

CElebris, & difficilis est ista quæstio, & negatiuam sententiam docet Vasquez in 1.2. disp. 65. cap. 3. & disp. 66. cap. 1. Antonius Perez in laurea Salmantina, certam. 10. scho att. nu. 132. Salas ex parte tract. 5. disp. vnica sect. 17. nu. 162. Turrianus in opusc. Theolog. opusc. de conscientia dubia, disp. 1. dub. 1. & seq. Azorius to. 1. lib. 2. c. 18. q. 4. & lib. 11. c. 15. q. 2. Comitolus in respon. moral. lib. 2. q. 18. Sayrus in claui regia lib. 1. c. 13. nu. 9 & 36. & alij penes ipsos, quorum sententia satis probabilis est, vnde mihi displicet Suarez in 3. p. to. 5. disp. 40. sect. 5. num. 18. asserens esse falsum, & sine fundamento, possessionem in sola iustitiæ materia suffragari.

Sed non minùs probabilem, affirmatiuam sententiam esse existimo, quam tuentur ipse Suarez etiam de Relig. tom. 2. lib. 4. de voto, cap. 5. num. 7. Sanchez in summa tom. 1. libr. 1. ca. 10. num. 11. Coninch de Sacram. disp. 34. dub 10. nu 86. Henriquez lib. 8. cap. 3. in glossa lit. P. Filliucius tom. 2. tract. 21. c. 4. nu. 159. Sancius in selectis disputat. 42. num. 7. Villalobos in summa to. 1. tract. 1. difficul. 21. nu. 1. vbi sic ait. [En caso de duda tambien e las demas materias, fuera de la iusticia, es mejor la condicion del que possee. El fundamento desto es porque la possession es titulo vniuersal para todas las virtudes, a la manera que la obediencia de la ley es vniuersal a todas las virtudes, y assi el que esta en tal duda puede deponerla, y obrar practicamente contra ella.] Sic ille, vnde ex hac opinione benignè in hac tractatu resoluendi sunt multi casus ad alleuiandas animas; & præter Doctores citatos tenent etiam hanc opinionem Sanctarellus var. resol. tom. 1. quæ. 44. num. 9. Tannerus tom. 2. disp. 2. q 6. dub. 4. nu. 47. Malderus in 1. 2. D. Thomæ q. 19. artic. 5. disp. 87. Merolla to. 1. disp. 3. ca. 3. dub. 2. nu 60. Castrus Palaus to. 1. disp. 3. punct. 6. n. 1. & alij penes ipsos.

An in dubio tutior pars sit eligenda.

RESOL. III.

HÆc regula habetur in cap. iuuenis, de sponsal. & in cap. si quis autem, dist. 7. de pœnit. habetur. Tene certum, & dimitte incertum. Sed Malderus in 1. 2. D. Thom. q. 19. art. 5. disp. 87. Castrus Palaus to. 1. disp. 3. punct. 6. n. 4. Suarez de cens. disp. 40 sect. 6. n 9. Merolla to. 1. disp. 3. c 3. dub. 2. num. 67. Emanuel Moura opusc. 1. de incant. sect. 1. c. 5. n. 2. & alij asserunt supradictam regulam non præceptum, sed consilium continere. Viger. in 2. 2. D. Thomæ qu. 19. art. 6. dub. 6. num. 55. Naldus in summa, ver. dubium, num. 39. ex Nauarro tenent dictam regulam procedere, quando in iure exprimitur de casu aliquo speciali. Alij verò asserunt, distinguendum esse inter incertitudinem, seu dubium abstractum, quod etiam speculatiuum appellatur: nā in illo quisque obligatus est sequi partem tutiorem, veluti si dubito, vtrùm mihi hic, & nunc licitum sit instituere contractum cambij, v. gr. co la ricorsa, peccabo nisi abstineam, quia committerem me peccandi periculo. In dubio autem abstracto, & speculatiuo, v. g. vtrùm contractus cambij co la ricorsa secundùm se & suaptè natura sit iustus, necesse non est sequi partem tutiorem, quia sequendo partem minus tutam, tamen probabilem, formare possum conscientiam, siue iudicium moraliter certum, licitum esse mihi hic, & nunc operari secundum scientiam speculatiuam probabilem, & hęc omnia docet Paulus Layman in Theolo. mor. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 8. Tannerus to. 2. disp. 2. q. 6. dub 4. nu. 46. Becanus in 1. 2. tract. 1. c. 4. q. 9. nu. 4. & alij communiter, vnde deueniendum est ad decisiones particulares casuum.

An dubitans, vtrum casus sit reseruatus, possit illum absoluere?

RESOL. IV.

REspondet negatiuè Armilla, Frias, & Corduba, quos citat Sanchez vbi supra, quia hæc pars tutior est, & est solius habentis potestatem absoluendi a reseruatis, iudicare an casus reseruatus sit.

At ego contrariam sententiam teneo cum Sà verb. casus reseruati, n. 5. Ocagauia de sacram. Pœnit. tract. 2. qu. 13. n. 8. Hurtado de Sacram. tom. 1. diffic. 11. de pœnit. dub. 6. Homobono in consult. cas. conscient. vol. 2. p. 5. respons. 87. Filliuc. to. 2 tr. 21. c. 4. n. 172. & Suarez de relig. to. 2. lib. 4. c. 5. n. 15. & alijs, quos citat, & sequitur nouissimè Laurentius Portel in dubijs regularium, ver. casus reseruati, num. 7. vbi sic ait. Si sit in dubio quod casus sit reseruatus, præsumitur non reseruatus, & potest absolui tanquam non reseruatus. Ita ille, & ratio est, quia reseruatio est odiosa, & per consequens strictè interpretanda.

Verùm hanc sententiam Sanchez in summ. to. 1. libr. 1. c. 10. num. 74. limitat, nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti admissi veritate, quia stante hac pręsumptione, est pro certitudine delicti possessio, & illi præsumptioni est in vtroq; foro standum, dum contraria veritas non constat: vt, ver. gr. hæresis externa reseruatur quādo etiam mente ita sentiur, dubius autem eum proferens est, an ita mente senserit, vel an mente ita sentienti protulerit exteriùs animo eius asserendæ, & sic sit verè externa, ac proindè reseruata, an solius loci animo cēsebitur in hoc dubio reseruata, quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumat dicere quod in corde non habet, nec aliter quam in eo habet, præsumptio est ac possessio

in hoc dubio vt hæresis illa processerit exteriùs ex vero consensu interiori in illam. Sic Sanchez.

Non reticeam tamen nouissimè aduersùs illum insurgere Thomam Merollam in disp. Theolog. tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 2. coroll. 23. nu. 370. vbi impugnat supradictam Sanchez limitationem; existimat enim casum non censeri reseruatum, nisi certò constet de reseruatione, nec satis esse quòd præsumatur reseruatus, quia cum reseruatio sit odiosa, & ideò strictè interpretanda quando Prælatus reseruat sibi, v.g. hæresim, debet intelligi de peccato hæresis certo, & non tantùm præsumpto; & confirmatur hoc à simili, nam quamuis quando quis est certus, se emisisse votum castitatis, sed dubitat an habuerit animum se obligandi, teneatur castitatem seruare, quia possessio, ac præsumptio stat pro illo voto castitatis; nihilominus tale votum non censetur Pontifici reseruatum, vt concedit ipse Sanch. libr. 4. c. 40. nu. 26. & cap. 44. nu. 3. Et hoc non alia ratione, nisi quia, cum reseruatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos; ergo eadem ratione dicendum est in casu nostro. hæc omnia Merolla loc. citat. sed sententiam Sanchez nouissimè tenet Alphons. de Leone de potest. confess. p. 1. recollect. 15. n. 25. verum vtramque sententiam ego puto probabilem esse.

Notandum est etiam hic obiter, posse reseruari peccatum in dubio, an sit mortifera in materia aliqua determinata, quod fusè probat nouissimè Turrianus in selectis disput. part. 1. disp. 38. dub. vnico.

An qui dubitat, vtrùm commiserit peccatum mortale, necne, teneatur illud confiteri?

RESOL. V.

NEgatiuam sententiam indicat Henriqu. libr. 8. de Eucharist. capit. 45. num. 3. in glossa litt. P. Et hanc sententiam multis rationibus confirmat Layman lib. 1. trac. 1. c. 5. §. 4. n. 37. licèt non audeat aliquid determinare, & nouissimè ad hoc dubium ita respondet Ioannes Præpositus in 3. part. D. Tho. qu. 5. de integritate confessionis, dub. 3. nu. 117. Ex vna parte videtur obligari illud confiteri. Primò, quia in dubio tutior pars est eligenda. Secundò in tali casu potest homo dici habere conscientiam peccati, nam tale peccatum est in cōscientiam saltem dubiam. Tertiò homo tenetur conteri de tali peccato; ergo tenetur illud confiteri, quia in homine baptizato illud quod est necessarium contritionis obiectum, est etiam necessarium confessionis obiectum, cùm illud nequeat remitti sine ordine ad claues, & ita tenent aliqui, quos citat, & sequitur Suarez disp. 22. sect. 9. Ex altera autem parte videtur non teneri, quia qui non habet probabile indicium, quod peccauerit, potest censere se non esse obligatum ad aperiendum peccatum in Confessione, & potest censere meliorem suam conditionem possidentis suam libertatem, & immunitatem confitendi. Secundò, qui post diligens examen remanet dubius de voto, non astringitur quidquam ex voto adimplere: similiter non tenetur alteri soluere qui dubitat num contraxerit debitum: ergo idem in præsenti dici potest.

Dices hoc dubium, quo aliquis dubitat num peccauerit, est solum speculatiuum, cum quo stare potest moralis certitudo de obligatione illud confitendi. Respondeo potuisse quidem ita instituti sacramentum Pœnitentiæ, vt etiam imponeretur obligatio recensendi peccata dubia, non verò constare an ita sit institutum, & de cætero de hac obligatione non posse iudicare sicut de alijs ortis ex præceptis, in quibus ex dubio speculatiuo quoad rem ipsam iuncto principio practico, quòd melior sit conditio possidentis suam libertatem, concludimus non astringi aliquo præcepto.

Dices, est certum peccatum esse dubium. Respondeo non videri quidquam hinc posse conuinci. Vnde hæc opinio semper mihi visa est speculatiuè probabilis, similiter ex Lessio, & quibusdam alijs a me consultis.

Ad rationes prioris sententiæ dici potest.

Ad primam quando dubium est omnino practicum, tutiorē partem esse eligendam; si verò ex dubio speculatiuo iunctis alijs principijs elici possit conclusio practica, qua concludamus nos non teneri aliquod onus subire, non semper tutiorem partem eligendam, vt varijs exemplis ostendi potest.

Ad secundum respondeo negando assumptum quantum ad præsens institutum pertinet; patet in simili, qui dubitat de voto, qui non est dicendus habere conscientiam voti in ordine ad obligationem, & vt teneatur aliquid ex vi voti exequi: similiter qui dubitat num commiserit contra legem habētem annexam excommunicationem, si post diligens examen nō possit rei veritatem agnoscere, non tenetur se habere excommunicatum. ergo similiter videtur dicendum, quòd is qui post diligens examen non potest iudicare se peccasse, non teneatur censere se obligatum ad illud in confessione aperiendum.

Ad tertiā respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico, per se loquendo obiectum necessarium contritionis in baptizato esse obiectum confessionis, quando scilic. constat de peccato, per accidēs autem non esse; nam inter præceptum contritionis ex vna parte, & confessionis ex altera, est discrimen, quod de lege ordinaria contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali ita sit necessaria extra Sacramentum, vt nullus sine ea possit consequi remissionem peccati, confessio autem in re non ita sit necessaria; vnde licèt homo propter necessitatem medij contritionis teneatur conteri de peccato etiā dubio, non idcirco tenetur illud sub tali statu consideratum confiteri, quia in eo statu potest censeri non obligare ius diuinum positiuum; & licèt dicatur, quòd nullum mortale commissum post Baptismum remittatur sine ordine ad claues, potest intelligi quòd præceptum solùm vigeat pro tempore, quo moraliter constat de peccato; sed licèt hæc opinio sit, vt dixi, speculatiuè probabilis, non iudico in praxi recedendum a priori opinione. Hæc omnia Præpositus, vbi suprà. Verùm ego absolutè supradictam sententiam improbabilem puto, & ideo in omninò in proposito dubio sententiam affirmatiuam teneo; nempè dubitantem si peccatum mortale commiserit, teneri illud confiteri, & ita tenet Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. ca. 10. num. 66. & alij, quos citat, & sequitur Merolla tom. 1. disputat. 3. cap. 3. dub. 2. corrollar. 23. nu. 353. quibus ego addo Syluium in addit. ad 3. part. quæstio. 6. artic. 4. in respons. ad 3. Homobonum in consultat. cas. conscient. volum. 2. part. 5. respons. 131. Guilielmum Mercerum in 3. part. D. Thom. quęst. 9. art. 4. num. 7. Hurtadum de Sacrament. disput. 9. de pœnitentia, difficul. 7. Filliucium tom. 2. tract. 21. capit. 4. num. 171. Faustum in Theol. moral. tom. 1. libr. 4. quæst. 72. Turrianum de pœnit. quæst. 9. artic. 2. disput. 29. dub. 9. Valentiam to. 4. disp. 6. quæst. 9. punct. 3. Azorium tom. 1. lib. 1. cap. 4. quæst. 5. Salas in 1. 2. tom. 1. tractat. 8. disp. 1. sect. 5. Emanuelem Sà verb. confessio num. 5. & ipsummet Henriqoez lib. 2. de pœnit. ca. 4. § 5. & indicat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6.

Nota tamen hæc omnia procedere, quando pœnitens est in dubio puro, secus autem si habeat assensum probabilem circa factum, quòd iudicet vel nullum commisisse peccatum, vel saltem tale peccatum non esse mortale. Ita Syluius vbi suprà, & Syluester ver. confessio 2. quæst. 2. cum Mercero qui addit, excepta fortasse mortis articulo propter irreparabile periculum salutis, cui tunc certiùs prouidere tenetur.

Nota etiam hic obiter docere Turrianum & Sanchez locis citatis, quòd si post confessionem huius peccati in dubio pœnitens habeat notitiam certam, vel probabile indicium, quòd tale peccatum fuerit mortiferum, obligari pœnitentem iterum in confessione manifestare illud vt certum; & ita quando pœnitens confitetur hoc peccatum, in dubio tenetur illud confiteri cum alio peccato certo. Verùm Merolla vbi supr. n. 557. & 559. contrarium tenet, sed nouissime sententiam Sanchez, & Turriani docet etiam Hurtado loco cit.

An in dubio quis censendus sit illegitimus?

RESOL. VI.

REspondeo negatiuè cum Maldero in 1. 2. D. Thom. quæst. 19. art. 5. disp. 87. vbi sic ait. Qui dubitat an sit legitimi tori, non tenetur sequi partem tutiorem, sed potest sequi mitiorem, etiam contra possidentem, saltem in materia iustitiæ, v. gr. quando adeunda est hæreditas: probatur ex l. filium, ff. de his quæ sui, vel alieni iuris sunt, & est Syluester verb. filius qu. 12. & communis aliorum, extendit id Salas etiam ad illum de cuius natalibus ab initio dubitatum fuit, & cuius fratres iam sunt in possessione hæreditatis. Hinc sequitur expositum de cuius parentibus dubium est, habendum esse legitimum. Ita Malderus, vide etiam Martinez in 1. 2. to. 1. q. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2. Turrianum in opusc. Theologicis opusc. 10. disp. 5. dub. 3. Castrum

Palaum

Palam to. 1. disp. 3. punct. 5. per totum. Villalob. in summa, to. 1. tract. 1. diffic. 20. nu. 10. & Sanctarellum var. resolut. tom. 1. q. 24. numer. 20. & seq. vbi etiam probat quòd si dubitetur an aliquis filius sit naturalis, vel spurius, debet præsumi quòd potius sit naturalis quàm spurius.

An milites dubitantes de iustitia belli possint bellare?

RESOL. VII.

Prima opinio absolutè affirmat, siue miles sit subditus Principis bellum indicentis, siue non, quia dum de iustitia belli clarè non constat, semper præsumendum est pro Principe bellum indicente, vt iustè procedat. Ita Petrus Nauarra de restitut. lib. 2. capit. 3. part. 2. dub. 12. num. 262. quem citat, & sequitur Ioannes Salas in 1. 2. D. Thomæ q. 21. tract. 8. disput. 1. sect. 16. num. 171.

Secunda opinio absolutè negat, etiamsi miles sit Principis subditus, quia in dubio an res præcepta sit licita, nō potest subditus obedire, nisi saltem per extrinseca principia dubium deponat formas iudicium determinatum, quo rem illam licitam esse iudicet. Ita Vasquez in 1. 2. D. Thomæ disp. 66. c. 9. nu. 53. & Lorca in 2. 2. sect. 3. disp. 53. n. 7.

Tertia opinio distinguit, nam si milites sint subditi Principis indicentis bellum, possunt in dubio de iustitia belli, ad bellum procedere; secus autem si non sint subditi, & ratio est, quia in dubio, & vbi contrarium apertè non constet, subditi licitè acquiescunt sui Superioris iudicio; cæteri verò, qui non sunt subditi, communi lege tenentur ad examinandam honestatem actionum quas aggrediuntur; & ita tenet Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thomæ disputat. 2. quæstio. 6. dub. 4. numer. 48. Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. capit. 3. num. 15. Syluius in 2. 2. D. Thomæ quæstio. 40. articul. 1. quæritur 4. conclus. 5. & 6. Valentia to. m. quarto disputat. 3. quæstio. 6. punct. 2. §. si autem miles, Molina tom. 1. tractat. 2. disputat. 113. Azorius tom. 1. libro 2. capit. 19. quæstio 9. Bannez in 2. 2. quæst. 40. art. 2. dub. 6. & Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ controu. 3. tractat. 12. disput. 4. sect. 3. §. 4. nu. 41.

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, & Tannerus vbi suprà, numer. 49. asserit Romæ Patrem Suarez primam sententiam docuisse, quia Aduocatus etiam in dubia causa vtriusque parti patrocinari potest, & famulus seruire potest domino exercenti contractus speculatiuè dubios. Et hanc sententiam tenet etiam Viger. in 2. 2. D. Thomæ quæst. 40 art. 1. dub. 3. nu. 50.

Verum stando in tertia sententia tanquam probabiliori, sub nomine militum subditorum puto intelligi non solùm subditos indigenas, sed etiam alienigenas mercede conductos, qui continuis stipendijs sub eodem Principe antea degebant tam tempore belli, quàm pacis; secus de illis, qui solùm tunc tempore belli conducuntur. Ita ex multis Sanchez vbi suprà numer. 16.

Notandum est tamen hic obiter contra Syluestrum verbo bellum 1. quæst. 9. conclus. 3. quòd supradicti milites si postea cognoscunt iniustitiam belli, non tenentur restituere quæ consumpserunt; quia cum non præcauerint, solùm tenentur restituere ratione rei acceptæ si extet, vel quantum ex ea facti sunt locupletiores, ita ex multis tenet Merolla to. 1. disput. 3. c. 3. corollar. 12. n. 334. Non omittam etiam hic adnotare cum Martinez in 1. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2. quòd ministri Principum, etiamsi dubitent de iustitia sententiæ, possunt, & tenentur nihilominus illam exequi.

Et tandem pro coronide huius resolutionis ponam hic singularem locum Paludani in 4. dist. 15. quæst. 2. numer. 30. vbi sic ait. De exercitu autem sciendum, quòd quando constat dominum habere iustum bellum, subditi tenentur iuuare; vel quādo dubium est: quando autem est certum de opposito, peccant obediendo; sed quia non sunt principales, nec vnusquisque est adiuuans talis, quòd siue eo non fieret prædatio, non tenentur restituere omnia spolia exercitus, sed solùm quantum ad eum peruenerit. Ita ille.

An subditus dubius de legitima Prælati potestate teneatur illi obedire, maximè si sit in possessione superioritatis.

RESOL. VIII.

Respondet affirmatiuè Sanchez in summa tom. 2. libr. 6. cap. 3. num. 19. quia cum in possessione prælationis sit (si enim in ea possessione non esset, denegari posset possessio donec de legitima electione, aut confirmatione constaret) non potest ob solùm dubium, vel opinionē spoliari legitima possessione, denegando ei obedientiam, donec certus sit de defectu. hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse sentio, quam tuetur Vasquez in 1. 2. q. 19. art. 6. disput. 62. cap. 6. in fine, & Salas etiam in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disput. vnica, sect. 8. nu. 78. asserentes, quando dubitatur de legitimi Superioris potestate, non teneri subditum obedire; & idem docet quando adsunt diuersæ opiniones probabiles, quia subditus tunc habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet ius, & potestatem certam præcipiendi, sed in casu nostro est dubium de eius potestate legitima; ergo, &c.

An subditus dubitans an res præcepta sit licita, teneatur obedire?

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam docet Vasquez in 1. 2. disput. 66. cap. 6. numer. 51. Sed magis probabiliter affirmatiuam tuetur Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. cap. 3. n. 3. Azorius to. 1. lib. 2. ca. 19. q. 9. Valentia to. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. quæst. tunc. 4. §. quartum est, Suarez de Relig. to. 4. lib. 4. c. 15. n. 10. Molin. to. 1. tract. 2. disp. 113. concl. 3. & alij penes ipsos.

Sed ego sententiam Vasquez amplector in casu quo subditus ita dubitans timeret obediendo sibi, vel tertiæ personæ aliquod magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpora; vt si v. g. Superior interrogaret illum de proprio, aut alterius delicto, & esset dubium si iuridicè interroget, tunc enim subditus non tenetur illi obedire. Ita Arragon. in 2. 2. q. 69. art. 2. Medina in 1. 2. q. 19. art. 6. Henriquez lib. 4. c. 3. num. 3. in glossa litt. X. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 9. n. 77. & alij penes ipsos; quicquid in contrarium asserat Ioan. Sancius in selectis, disp. 43. n. 28. Et ratio est, quia in dubijs fauendum est reo, & licèt subditus in tali casu non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, seu iuris, quo potest se, vel alium a rebus periculosis conseruare; sed de hac quæstione ego alibi fusiùs egi.

Nota hic etiam cum Sanchez vbi supr. n. 26. contra Salas in 1. 2. tract. 8. disput. vnica, sect. 19. n. 177. quòd si Superior præcipiat aliquid sub conditione de qua dubium est, an sit adimpleta, subditus non tenetur ei in hoc casu obedire; quia in dubio non est præsumendum conditionem esse adimpletam; sed ante impletam conditionem præceptum illud nō obligat subditum. ergo, &c. Et in his casibus in quibus subditus non tenetur in dubio obedire Prælato, idem dicendum est si Prælatus præciperet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ratio est, quia excommunicatio non imponi potest nisi pro inobedientia: sed in his casibus non reperitur, quia subditus iustè non obedit. ergo, &c. Ita Sanchez loco cit. n. 27. & alij.

Notandum est etiam hic, quòd si Prælatus dubius de honestate rei præceptæ, vel de excessu suæ iurisdictionis imperet, subditus si ipse etiam dubitet, non tenetur obedire. Ita contra Henriquez lib. 12. c. 6. nu. 5. in glossa lit. T. Cordubam, vtrumque Ledesmam, Lopez, & alios docet Castrus Palaus to. 1. disput. 3. punct. 13. n. 13. & alij penes ipsum.

An dubius de voto, & iuramento, teneatur illa adimplere?

RESOL. X.

Respondet affirmatiuè Basilius Pontius de matrim. libr. 10. c. 15. nu. 3. Pesantius in 1. 2. D. Thomæ q. 19. art. 6. disput. 3. Vasquez in 1. 2. disp. 165. cap. 3. in fine. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 19 quæst. 10. Sayrus in claui regia libr. 2. cap. 13. nu. 36. Antonius Perez in Laurea Salaman. certam. to. scholast. dub. 2. num. 132. &

& nouiſſimè Turrianus in opuſc. to. diſp 1. dub. 1. & de cenſ. lib. 8. diſp. 57. dub. 5. ad 3. argum. & hanc ſententiam tenet Petrus Cornejo in 1. 2. D. Thomæ tra 8. q. 19. diſp. 4. dub. 2. n. 2. & dub. 3. n. 6. cum Salas in 1. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 17. nu. 162. & ſect 25. nu. 252. & 253. cum hac tamen limitatione, quando in voti adimpletione non eſt magna incommoditas, ſeu difficultas, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda, nec iuuat poſſeſſio extra materiam iuſtitiæ.

Sed contrariam ſententiam abſolutè tenendam eſſe puto, quam tenet Malderus in 1. 2. D. Thomæ q. 19. ar. 5. diſp. 87. Villalobos to. 1. tract. 1 difficult. 21. n. 2. Fauſtus in theſ. relig. libr. 1. q. 23. nu. 4. Layman libr. 1. tract. 1. c. 5 §. 4. nu. 31. Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. diſp. 9. n. 11. & in ſumm. to. 1. lib. 4. c. 1. n. 16. Suarez de cenſur. diſp. 40. ſect. 5. n. 15. Rebellus 1. 2. libr. 1. qu. 3. ſect. 2. nu. 10. & 11. Reginald. to. 2. lib. 18. nu. 176. Henriquez lib. 8. c. 45 n. 3. in gloſſa lit. P. Filliucius to. 2. tract. 21. ca. 4. nu. 165. Auila de cenſ. p. 7. diſp. 2. dub. 5. concl. 2. Fagundez t. 2. libr. 2. c. 1. n. 10. Aluarez in 1. 2. q. 19. art 6. diſp. 79. nu. 5. Sotus de iuſt. lib. 7. qu. 3. art. 2. Medina in ſumma lib. 1. c. 14. § 7. & alij penes ipſos. Ratio eſt, quia in noſtro caſu nulla eſt poſſeſſio pro voto, vel iuramento ſed tota pro libertate voluntatis. Et hanc opinionem veram eſſe puto contra Garziam de benefic. to. 2. p. 7. c. 2. nu. 16. non ſolùm quando votum eſt affirmatiuum de aliquo opere faciendo, tunc enim in dubio neque obligat votum, vt rectè obſeruat Merolla to. 1. diſp. 3. c. 3. cortollar. 2. n. 83.

Ex his infertur primò certum ſe emiſiſſe votum Religionis, & ſi dubium ſit an Religionis in communi, vel huius in particulari, poſſe quamlibet ingredi, quia poſſeſſio extat pro libertate. Secundò infertur, qui certus eſt quòd vouerit ſe non acceſſurum ad aliquam fœminam, & dubitat num de acceſſu fornicario, vel vxorario ſenſerit, non tenetur abſtinere à nuptijs, quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Ita Sancius in ſelectis diſput. 43. num. 3. & 4. qui citat alterum Sancium de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. num. 33. quibus ego addo Petrum Cornejo in 1. 2. D. Thomæ tract. 8. quæſt. 19. diſp. 4 dub. 2. Tertiò infertur, ſi quis certus eſt ſe vouiſſe caſtitatem aut perpetuam, aut temporalem, & eſt omninò verborum voti immemor, ſed tantùm certum aſt ſe alteram promiſiſſe, ad ſolam temporalem, quæ minor eſt tenetur, ſecus autem ſi memor ſit verborum voti, vt, v. gr. voueo caſtitatem, nam hæc verba perpetuitatem quamdam important. Ita Sanchez in ſumma to. 1. lib. 4. c. 13. nu 16. & ſeq. Quartò infertur contra Nauarrum lib. 3. conſil. tit. de voto, in prima edit. conſil. 16. nu. 2. & in poſteriori conſil. 26. num. 2. eum qui vouit Religionem, dubitat autem vtrùm vouerit ſe profeſſurum, non teneri ad profeſſionem. Ita Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 8. num. 7. qui num. 5. tenet etiam quòd ſi quis vouit quotidie dicere Roſarium, dubitat autem poſtea an per Roſarium intellexerit integrum Roſarium, vel tantùm tertiam partem eius, poteſt eligere tertiam partem, quia etiam tertia pars Roſarium Virginis appellatur, & obligatio cum ſit dubia, ſtrictè interpretanda eſt.

Notandum eſt tamen hic obiter, quod Alphonſus de Leone in tract. de poteſt. confeſſ. p. 1. recollect. 17. concluſ. 8. nu. 93. docat, quòd dubius an habuerit voluntatam ſa obligandi voto etiam interpretari poteſt, ſe non habuiſſe talem voluntatem, quia fauendum eſt libertati, & citat Rebellium p. 1. libr. 2. q. 14. Sed dictus Rebellius nec ibi, nec alio loco hanc ſententiam tenat, & mihi non placet, nam quando aliquis aſt certus de voto, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, tunc poſſeſſio nō aſt pro libertate voluntatis, ſed pro voto, vt poſt alios docet Merolla vbi ſupra to. 1. diſp. 3. c. 3. n. 83. ergo, &c.

An qui dubius eſt, vtrùm emiſerit votum, habens vſum rationis, teneatur adimplere.

RESOL. XI.

HAnc quæſtionem pertractat Turrianus in opuſculis Theologicis, opuſcul. 10. diſp. 1. dub. 2. & affirmatiuam ſententiam tenet, quia, ait ipſe, in dubijs tutior pars eſt eligenda, & hanc ſententiam etiam docet Suarez de religion. to. 2. lib. 4. ca. 6. num. 10. & Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 4. cap. 1. n. 13. quando dubium oritur ex deliberationis defectu, vt, v. gr. quia factū fuit ex aliqua animi perturbatione, ob aliquem metum mortis ax morbo, aut ob iracundiæ calorem, quia in his caſibus rarò contingit defectus deliberationis requiſitæ, & ideò ex communiter accidantibus præſumitur debitam deliberationem adfuiſſe.

Sed difficultas eſt quando defectus delibetationis oritur ex tenera vouentis ætate? Turrianus vbi ſuprà abſolutè affirmat pro obligatione voti. Villalobos in ſumma to. 2. tract. 34. diffic. 7. num. 3. Fauſtus in tract. Relig. libr. 1. quæſt. 26. Malderus in 2. 2. tract. 10. cap. 1. dub. 5. Sanchez n. 14. diſtinguit; ſi vouens ſeptennium expleuerat tempore voti emiſſi, præſumendus eſt in eo dubio vſus rationis, ac proindè obligabit votum, ſeu iuramentum: ſi autem non expleuerat, præſumitur defectus vſus rationis, niſi de illo conſtet, ac proindè non obligabunt. Quòd ſi dubium ſit, an expleuerat, vel ne, credo in voti fauorem præſumendum. Ita Sanchez.

Verùm contrariam ſententiam tenet Sotus de iuſt. lib. 7. q. 3. art. 2. docum. 1. ver. ſed eſt hic. Ludouicus Beia in ſumm. part. 1. caſ. 49. & alij, quos affert Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. diſp. 9. numer. 12. in 4. argum. aſſerentes dubitantem puerum de rationis vſu dum vouit, minimè teneri; & hanc opinionem probabilem eſſe docet nouiſſimè Caſtrus Paulus to. 1. diſp 3. punct. 11. num. 4. & ego etiam probabilem eſſe iudico. Sed ſi quis ſtare vallet in prima ſententia, aduertat cum Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 6. nu. 7. quamuis ex vi circumſtantiæ ætatis votum factum poſt ſeptennium præſumatur validum, quia in ea ætate ius præſumit vſum rationis, nihilominus tot poſſunt eſſe in contrarium coniecturæ, vt prævaleant contra præſumptionem ætatis. Imò licèt aliquando coniecturæ non ſufficiant ad formandum iudicium probabile defectu vſus rationis, poſſunt tamen efficere rem dubiam, ita vt ſaltem æquiualeant præſumptioni ætatis, & tunc votum non obligabit.

Notandum aſt etiam hic obiter, quod quando *quis eſt* certus ſe emiſiſſe votum, v. gr. caſtitatis, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, tenetur ſeruare caſtitatem, quia poſſeſſio ſtat pro voto, nihilominus tale votum non cenſetur reſeruatum Pontifici, quoniam cum reſeruatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad caſus certos. Et idem dicendum eſt in caſu noſtro, quando ſcilicet quis vouit expleto ſeptennio, ſed dubitatur an tunc habuerit vſum rationis. Ita Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 26. nu. 6. Sanchez in ſumma to. 1. libr. 4. c. 40. nu. 26. & c. 44. num. 3. & alij.

An qui non omnino dubitat, ſed magis in eam partem inclinat vt votum emiſerit, teneatur illud adimplere?

RESOL. XII.

AFfirmatiuè reſpondet Rebellus part. 2. libr. 1. quæſt. 2. ſect. 2. & Filliucius to. 2. tract. 21. ca. 4 num. 165. & hunc teneri voto nō integrè, ſed ad partem, pro ratione huius maioris propenſionis, docet Sanchez de matrim. to. 1. libr. 2. diſp. 41. n. 34. & ratio eſt, quia maior inclinatio compenſat ſufficientem exceſſum poſſeſſionis, quam alter habet.

Verùm ego contrariam ſententiam teneo cum Garſia de benefic. tom. 2. part. 7. capit. 2. numer. 23. Lorca in 1. 2. D. Thomæ diſputat. 38. membr. 3. Fernandez in examin. theolog. moral. part. 1. cap. 2 §. 2. numer. 4. Layman libr. 1. tract. 1. capit. 5. § 4. num. 31. Caſtro Palao tom. 3. diſputat. 3. punct. 9. num. 2. aſſerentibus in tali caſu dubitantem abſolutè non teneri ad votum; & ratio eſt, quia licèt pro voto fortiores vrgeant rationes, ita vt homo poſſidens libertatem in eam partem magis incliniet, ſi tamen non adſunt adeò efficaces, vt illius partis aſſenſum generent, ſed rem adhuc relinquant dubiam, certa alterius poſſeſſio huic inæqualitati præponderat. Et ita ſe retractans hanc ſententiam tenet etiam Sanchez in ſumma tom. 1. libr. 1. c. 10. nu. 36. Et idem de dubitante in materia iuſtitiæ docuit Vaſquez in 1. 2. diſputat. 66. cap. 7. num. 42. & Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 8. diſput. 1. ſect. 23. numero 231. vt infrà videbimus.

An

An in dubio, vtrùm materia voti ſit bona, vel mala, teneatur quis illud adimplere?

RESOL. XIII.

ABſolutè loquendo in tali caſu votum obligare ad ſui obſeruationem, vel non tranſgreſſionem, ac proindè non poſſe vouentem contra id votum operari ſine legitima diſpenſatione, docet Suarez de Relig. tom 2. lib. 4. cap. 6. num. 12. Filliucius tom. 2. tract. 26. cap. 3. num. 90. Fauſtus in theſ. Religioſ. lib. 1. quæſt. 28. quia ad valorem voti duo neceſſaria requiruntur: primum vt homo velit ſe obligare, ſecundum eſt vt Deus acceptet; quando ergo quis eſt dubius de honeſtate materiæ, non eſt dubius de valore voti ex parte ſuæ voluntatis, ſed eſt dubius ex parte Dei acceptantis. Ergo cum homo de voluntate ſua ſit certus, tenetur procurare vt de diuina acceptatione certior fiat, tenetur ergo conſulere Pontificem vt in eo dubio vel diſpenſet, vel interpretetur.

His tamen non obſtantibus Sanchez in ſumma to. 1. libr. 4. c. 6 nu 6. putat abſolutè quòd quando dubium eſt, an materia voti bona ſit, vel mala, votum non obligat, & hanc ſententiam tenet etiam Sotus lib. 7. q. 1. art. 3. & Caſtrus Palaus tom. 1. diſp. 3. punct. 12. n. 2. Bonacina de voto qu. 2. punct. 4. §. 2. nu. 5. & quando eſſent opiniones circa hanc bonitatem, vel malitiam, fas erit quamcunque amplecti, etiam minus probabilem, ſed licèt hæc opinio affirmatiua ſit probabilis, negatiuam tamen, quam docet Suarez, puto probabiliorem.

An dubitans, ſitne aliqua lex excommunicationem, ſuſpenſionem, vel irregularitatem imponens vſu recepta, poſſit exiſtimare non eſſe vſu receptam.

RESOL. XIV.

NEgatiuè reſpondet Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 1. capit. 10. Filliucius tom. 1. tract. 21. cap. 4. num. 164. Bonacina, de legibus diſp. 1. quæſt. 4. punct. 7. num. 21. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. corollar. 8. nu. 129. Alphonſus de Leone de poteſt. confeſſ. p. 1. recollect. 17. n. 35. & alij, quia in tali caſu præſumptio, & poſſeſſio ſtat pro lege, quam conſtat latam eſſe, ſed dubitatur tantùm de illius executione.

Non deſunt tamen DD. contrariam ſententiam tenentes, Azorius tom. 1. libr. 2. cap. 19. quæſt. 12. & Salas citat Azorium, ſed non impugnat, in part. 2. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 18. num. 169. Primò, quia cum ſit lex pœnalis, & odioſa, benignior pars eſt amplectenda. Secundò, quia poſſeſſio ſtare videtur pro ſubditis ſuam libertatem poſſidentibus. Tertiò, quia in hoc caſu non conſtat de lege impoſita, ac proindè nō poſſidet, vbi enim dubium eſt, an aliquando obligauerit. ergo; & cet. Et ideo hanc ſententiam cum Caſtr. Palao tom. 1. diſp. 3. punct. 7. num. 4. valde probabilem & tutam in praxi eſſe iudico, & illam præter Azorium & Salas tenet Emanuel de Moura opuſc. 1. de enſal. & incant. ſect. 1. c. 5. nu. 13. vbi etiam adducit doctrinam Rebellij aſſerentis quòd cum exiſtit æquale dubium an detur conſuetudo ſufficiens ad obligandum in foro conſcientię, partem negantem ſequi poſſumus. Ita Rebellus p. 2. lib. 1. de contract. in genere, quæſt. 2. ſect. 1. num. 4. §. ſecundò, quæ omnia ſunt valde notanda.

An coniux dubitans de valore matrimonij poſſit petere, & reddere debitum.

RESOL. XV.

HIc caſus agitabatur quando poſt matrimonium bona fide contractum superuenit dubium de ipſius valore, & in tali caſu coniugem ita dubitantem non poſſe petere, teneri autem debitum reddere, docuerunt præſtantiſſimi ætatis noſtræ Theologi Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 15. Monteſinus in 1. 2. D. Thomæ diſp. 39. q. 4. Vaſquez in 1. 2. diſput. 66. cap. 4. Hurtado de matrim. diſp. 10. difficult. 9. num. 39. Rebellius lib. 2. quęſt. 16. ſect. 2. Turrianus in opuſculis theologicis, opuſc. 10. diſp. 4. dub. 1. & diſp. 5. dub. 1. Peſantius in 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſp. 4. ſentent. 6. & hoc ait Hurtado, ſiue coniux bona fide, vel mala fide contraxerit; & ratio eſt, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda: ſed coniugi dubio (ſiue bona, ſiue mala fide contraxerit, & ſiue ſit dubius ante ſufficientem diligentiam, ſiue etiā poſtea) tutius eſt non petere, quia petendo ſe exponit periculo peccandi contra caſtitatem, & eidem coniugi tutius eſt reddere petenti bona fide, quam non reddere, quia non reddendo ſe exponit periculo iniuſtitiæ cōtra ius coniugis petendi, & reddendo tantùm ſe exponit periculo fornicationis contra caſtitatem, quæ eſt minus peccatum, quam dictum iniuſtitiæ. Ergo coniux in dicto dubio non poteſt petere, tenetur tamen reddere. Hæc Hurtado, & in hanc ſententiam magis inclinat Martinez in 1. 2. to. 1. q. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2.

Sed licèt hæc opinio ſit probabilis, tamen contrariam non minus probabilem eſſe exiſtimo. Dico igitur ante diligentiam adhibitam ad aſſequendam veritatem teneri coniugem dubitantem reddere debitum, non tamen poſſe petere, ea tamen ſufficienter adhibita poſſe reddere, & petere. Ita Sanchez tom. 1. lib. 2. diſp. 41. num. 46. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 5. n. 16. Henriquez lib. 12. cap. 6 num. 5. & 7. Emanuel Sà verb. debitum coniugale, num. 7. Sotus de iuſt. lib. 4. quæſt. 5. art. vltim. Bannez in 2. 2. quæſt. 62. ar. 6. dub. 5. concl. 4. & nouiſſimè Ioannes VVigers in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 19. art. 6. dub. 6. num. 59. & 60. Coninch de Sacram. diſp. 34. dub. 10. Lorca in 1. 2. D. Th. diſp. 38. Nam poſſeſſor bonæ fidei ſi dubitat rem eſſe alienam, & facto ſufficienti examine, vt infrà videbimus, non poteſt dubium vincere, poteſt non tantum rem detinere, ſed etiam illa vti, quia in dubio eſt melior conditio poſſidentis. Ergo coniux dubitans ſi præmiſerit ſufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio non ſolùm reddēdo, ſed etiam petendo, & hoc verum eſt, etiam quando moraliter eſt impoſſibile adhibita diligentia poſſe vinci dubium, tunc enim, vt notat Sanchez loco cit. nu. 47. poteſt coniux dubitans nulla adhibita diligentia reddere & petere.

Notandum eſt tamen, etiam ſtando in prima opinione, illam non procedere, vt notat Pontius, Vaſquez, Monteſinus, & Hurtado vbi ſuprà, quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ. nam tunc vterque coniux poteſt reddere & petere debitum.

Sed difficultas eſt an coniux dubitās de valore matrimonij, ſi ante adhibitam diligentiam petat debitum, teneatur alter ei reddere? Affirmat Corduba in ſumma q. 45. punct. 3. Henriqu. lib. 12. c. 6. n. 5. in gloſſ. lit. T. vterque Ledeſma, Bartholomæus dub. 20. de matrim. concl. 1. & Petrus de matrim. q. 45. art. 1. ad finem, §. ad hoc dubium reſpondetur, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ſed in hoc dubio vterque poſſidet, ſuppono enim quòd bona fide contraxerint; ergo, &c.

Verùm mihi magis placet opinio negatiua Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. diſp. 41. n. 45. & aliorum, quia in tali caſu coniux dubitās non habet ius ad petendum debitum donec adhibeat debitam diligentiam ad veritatem aſſequendam.

Difficultas etiam eſt, an ſi coniux dubitans de valore matrimonij contrahendi, illud ineat, poſſit adhuc reddere, & petere debitum. Quando alter ſolus coniux bona fide contraxit, ita dubitantem non poſſe reddere, nec petere, docent Sotus in 4. diſt. 17. q. 1. art. 3. Bartholomæus Ledeſma de matrim. dub. 20. & alij. Sed mihi placet opinio Ancharani in cap. Dominicus, de ſecund. nupt. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. diſput. 41. nu. 2. Henriquez lib. 11. cap. 6. nu. 5. & 7. in gloſſa lit. S, & aliorum aſſerentium, coniugem, qui tali dubio contraxit, nullo modo poſſe debitum petere, teneri tamen reddere alteri bona fide poſſidenti. Verùm ſi vterque coniux mala fide contraxit, neutrum poſſe petere, nec reddere, docet Coninch de Sacram. diſp. 34. dub. 10. nu. 102. & alij vbi ſuprà. Ratio eſt clara, quia neutri ſuffragatur poſſeſſio mala fide incepta. At ſi curioſus lector inquirat; quid dicendum in tali caſu, ſi coniuges habeant rationes probabiles iudicent matrimonium non tenere: poſſe in tali caſu reddere, & petere debitum, affirmat Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. diſp. 42. nu. 8. Negat verò mordicus Merolla to. 1. diſp. 3. cap. 3. corollar. 12. difficult. 2. num. 168. Sed vtraque opinio eſt probabilis.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis, quæritur vtrùm dubitans de valore matrimonij à ſe bona fide contracti, quia dubitat de ſeruitute alterius, poſſit ac teneatur reddere debitum? Reſpondeo affirmatiuè cum Hurtado tract. de matrim. diſp. 10. diffic 9. n. 42. vbi ſic ait. Tenetur coniux debitum reddere quamuis ſit dubius de valore matrimonij, quia dubitat an

contra-

contraxerit cum mancipio ignorata ſeruitute, quia ex vna parte non reddendo ſe exponit periculo iniuſtitiæ contra mancipium, & ex altera reddendo nullum patitur detrimentum, quo excuſari poſſit a reddendo, quia ex eo quòd accedat ad mancipium affectu maritali, vt tenetur accedere, non reualidat matrimonium præcedens, quia non accedit intendendo de nouo contrahere ſi forté fuit nullum, quod erat neceſſarium ad reualidationem, ſed tantùm accedit vt ſoluat debitum ſi forté debeat, ne ſe exponat periculo iniuſtitiæ. Ita Hurtado, & ante illum Sanchez de matrimon. tom. 1. libr. 2. diſp. 43. nu. 8. & alij penes ipſum, quicquid aſſerat Nauarr. Angles & alij, quos refert Sanchez num. 2.

Non deſinam tamen hic adnotare mirabilem opinionem Ioannis Salas in 1. 2. tractat. 8. diſputat. vnica, ſect. 22. numero 218. vbi aſſerit coniugem qui bona fide contraxit, ſi postea non dubitet dubio ſuſpenſionis, ſed potiùs opinetur matrimonium eſſe nullum, non ſolùm poſſe reddere, ſed etiam petere debitum, ſed tu ne diſcedas à contraria ſententia, quam tuetur Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 2. diſp. 44. quo ad petitionem debiti.

An in dubio, vtrum cenſura ſit lata, vel ferenda, cenſenda ſit tantum ferenda?

RESOL. XVI.

AFfirmatiuè reſpódeo cum Auila de cenſ. t. 2. cap. 2. dub. 2. & Coninch de Sacram. diſput. 13. num. 22. quos citat & ſequitur Hurtado tract. de cenſ. in communi, difficult. 5. num. 22. vbi ſic ait. Quando verba relinquunt dubium, an contineãt cenſuram latam, iudicandum eſt non continere illam, ſed tantùm ferendam, quia odia ſunt reſtringenda; ſic Hurtado, qui etiam in diſp. 2. de excomm. difficult. 3. num. 7. docet, quòd vt teneamur vitare excommunicatum, nõ ſufficit dubium adhuc pendens denuntiationis, ſed requiritur notitia moraliter certa dictæ denuntiationis.

Quid dicendum quando eſt dubium, an inter volentes contrahere adſit aliquod impedimentum dirimens.

RESOL. XVII.

AD hoc dubium ita reſpondet Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 43. n. 44. Dubitans an impedimentum matrimonij habeat, facta ſufficienti diligentia, poteſt illud inire abſque diſpenſatione, quia poſſeſſio ſtat pro libertate ad contrahendum; dubium verò impedimento fauet: at abſque certo iure nemo ſpoliandus eſt ſua poſſeſſione. Sic ille.

Notandum eſt tamen hic obiter Emanuelem Sà ver. diſpenſatio num. 1. docere, in dubio an res egeat diſpenſatione, poſſe Epiſcopum iuxta quorumdam probabilem opinionem declarare non deſiderari diſpenſationem, vel ad cautelam diſpenſare. Ita ille.

An ſi quis dubitet in die Iouis cœnans, ſi ſit tranſacta media nox, poſſit adhuc edere carnes?

RESOL. XVIII.

REſpondeo affirmatiuè cum Villalobos in ſumm. to. 1. trac. 1. diffic. 21. nu. 7. vbi ſic ait. [El que duda ſi ſon las doze de la noche, y el dia ſiguiente es dia de ayuno eſte tal puede comer carne porque duda del precepto, y eſta aun en poſſeſſion de ſu libertad, mas ſi al contrario es oy dia de ayuno, y ſe duda ſe ſon las doze de la noche o no, no puede cenar, porque eſta la poſſeſſion por el precepto que conſta que es oy dia de ayuno, y no ſe ſabe ſi ba paſſado ò no.] Ita ille, & poſt illum Ioannes Sãcius in ſelectis diſp. 43. nu. 5. idem etiam docet alter Sancius de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. n. 40. & Layman lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. num. 36. & Salas in 1. 2. tom. 1. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 25. n. 264. Naldus in ſumma, ver. dubium num. 25. Caſtrus Palaus to. 1. diſp. 3. punct. 8. num. 6. Fagundez part. 4. lib. 1. cap. 10. num. 3. Igitur ſi quis die Iouis cęnans dubitet, an hora duodecima noctis ſonuerit, poteſt edere carnes. nam ius & poſſeſſio ſtat pro libertate edendi, certumque horas antecedẽtes eſſe diei Iouis, & dubium ſit pro die Veneris, dubium autem ius præualere non debet contra ius certum. Econtrario infertur, quòd ſi hodie ſit dies Veneris, aut ieiunij, & dubitetur, an hora duodecima noctis ſonuerit, non poteſt quis edere carnes, quia poſſeſſio eſt pro præcepto, cum conſtet hodiernum diem eſſe ieiunij, & dubitetur an tranſacta ſit hora, ergo, &c.

Sed poſſe ne dubitantem, an ſit tranſacta hora mediæ noctis, & tunc edentem, vel bibentem ſumere Euchariſtiam in die ſequenti, diximus in tract de Euchariſt. reſol. 1. Sed pro hac dubitatione oritur pulchra quæſtio.

An ſi diuerſa ſint horologia, & vnum ſonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, poſſit qui tunc bibit, vel comedit, communicare ſequenti die.

RESOL. XIX.

REſpondet affirmatiuè Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 53. num. 3. vbi ſic ait. Si horologia diuerſa ſint, ad pulſationem primi poterit refectio fieri; ſicut enim in odioſis ad vltimum poteſt appellari, ita poſſunt comedẽtes poſt horam duodecimam noctis ab vno horologio deſignatam craſtino Euchariſtiam ſumere, ſi aliud horologium ſonuiſſe conſter eſu expleto. Ita ille, & ante illum alter Sancius de matrim tom. 1. lib. 2. diſput. 41. num. 40.

Sed nouiſſimè aduerſùs hanc opinionem inſurgit Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. corollar. 11. nu. 139. vbi ſic ait. Falſum eſt id quod ſubdunt aliqui, id eſt, Sanchez, quòd ſcilicet ſi diuerſa ſint horologia, & vnum ſonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, poteſt qui tunc ſoluit ieiunium naturale communicare ſequenti die, quia eſt veluti ſi eſſent duæ rationes, vel opiniones probabiles, liceret enim vtram illarum amplecti. Hoc, inquam, falſum eſt, quia in pari cauſa melior eſt conditio præcepti poſſidentis, & opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculatiuæ, & ideò homo tunc debet ſe gerere, ac quando factum eſt dubium. Ita Merolla.

At, pace huius viri docti, affirmatiuam ſententiam non falſam, ſed probabilem, & tutam in praxi eſſe exeſtimo, & ideo illam non ſolum tuentur vterque Sanchez vbi ſuprà, ſed etiam Fagundez præc. 4. libr. 1. cap. 10. Pharaonius tract. de Sacram. Pœnit. in appendice ſeſſ. 3. caſ. 14. Vega in ſumma tom. 1. cap. 14. caſ. 12. & Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 1. difficult. 21. n. 7. vbi ita ait. [Si ay diuerſos reloxes, ſe ha de juzgar como ſi huuieſſe dos opiniones probables que puede elegir la que quiſiere ſaluo ſi vno de los fueſſe tal, que de ordinario no anduuieſſe bien concertado, y ſe aduierta que el primer golpe que da el relox ea la hora, y anſi ſi beuio tras el, aunque no aya acabado de dar todos los golpes el relox, no podra comulgar eſſe otro dia,] Sic ille; Verùm poſt hæc ſcripta inuenio ſententiam Merollæ docere etiam Salas in 1. 2. to. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 25. n. 264. vnde vtraque opinio eſt probabilia.

An qui vouit ieiunare Quadrageſimam, & dubitat, an voluerit vouere abſtinentiam à lacticinijs, teneatur illa non comedere?

RESOL. XX.

REſpondet affirmatiuè Turrianus in opuſculis Theologicis tom. 1. opuſc. 10. diſp. 1. dub. 2. vbi ſic ait. Alterum dubiolum eſt de eo qui vouit ieiunare Quadrageſimam, cum ad id aliàs non eſſet obligatus, & dubitat an voluerit vouere abſtinentiam à lacticinijs. Ego exiſtimo, quando eſt purum dubium, tutiorem partem eſſe eligendam. Sic ille.

Sed tu contrariam ſententiam tene, quam tuetur Angles part. 1. de ieiunio, quæſt. 9. de abſtinentia à cibo, art. 1. dub. 2. & Ioannes Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 8. diſputat. vnica, ſectio. 25. nu. 50. quia melior eſt conditio poſſidentis.

(?)

Dubitans an expleuerit viginti & vnum annos, teneaturne ieiunare?

RESOL. XXI.

RESpondeo negatiuè cum Sancio in selectis disp.43.num.6. Naldo in summa ver. dubium, num.23. Castro Palao. to. 1.disp.3.punct.8.num.7. Alphonso de Leone de offic. & potest. confess.p.1.recollect.15.n.22. Layman lib.1.tract.1.c.5.§.4 nu. 33. Fagundez præc.4 libr.1.c.8.nu. 7. Sanchez de matrim. to.1. lib.2. disput.41.nu 38. & alijs, ideò si quis facta debita diligentia dubius adhuc est an expleuerit viginti & vnum annos, non tenetur ad ieiunium, quia non est possessio pro præcepto ieiunij, sed pro libertate illius dubitantis.

Vnde sequitur quòd si facta debita diligentia quis dubitat an hodie sit dies ieiunij, nõ tenetur ieiunare: & idem dicendum est, quando est dubius an hodie sit dies festus, non enim tenetur ab operibus seruilibus abstinere, & Missam audire, quia in his casibus possessio stat pro libertate; vt rectè obseruat Suarez de cens. disp.40.sect.5. nu.15. & alij.

Contrarium tamen dicendum est quando quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines, vel beneficia, vel ad aliud actum requisitum, tunc enim possessio est pro præcepto, & ideò illud seruandum est, donec constet de ætate. Ita DD. citati, & præcipuè Ioann Sanchez num. 7. semper enim extat præceptum negatiuum non assumendi Ordines ante ætatem; cùm verò volens suscipere Ordines isto tempore antecedente dubitationem, habuerit ius certum ad non suscipiendos Ordines, hoc ius certum vinci non debet à iure dubio superueniente.

An quando constat de lege, dubium autem est an in aliquo casu obliget, liceat contra illam facere?

RESOL. XXII.

AD hoc dubium ita respondet Ioannes Sancius in selectis disput. 43. num. 4. Quando dubitatur an præceptum sit derogatum alio præcepto, vel consuetudine, vel sit dispensatum, non licet contra præceptum facere, quia lex possidet. Et idem dicendum dum constat de lege, vel præcepto, dubium autem est, an in aliquo casu ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione illius, teneri lege, vel præcepto, cùm lex possideat. Ob id qui dubitat an lex prohibens edere carnes in Quadragesima se extendat ad obligandum ratione necessitatis, salutis scilicet, aut alterius circumstantiæ, tenetur petere dispensationem à Superiore. Ita ille, vide etiam Medinam in 1.2.quæst.96.art.6. Sanchez de matrim.tom.1.lib.2.disput.41.num.37. Suarez de legibus libro 6. cap.8.num.7. Naldum in summa ver.dubium num. 22. Villalobos in summa tom.1.tract.1.difficult.21. n.4.& alios penes ipsum.

Non desinam tamen hic adnotare, Ioann. Salas in 1.2. tomo 2.tract.8.disput. vnica, sect.25.nu.159. contrariam sententiam docere, sic enim ait. Addunt aliqui recentiores, dum constat de lege, vel præcepto, dubium autem est an aliquo casu ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, teneri lege, vel præcepto, quia lex tunc possidet, sicut de voto dixerunt in simili dubio; sed sicut nos reijcimus in voto, ita nunc reijcimus in præcepto, nam in vtroque euentu præceptum, vel votum impropriissimè dicitur possidere. Voluntas suam libertatem antea possidebat; qua in dubio ea poliari non debet si ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum, & sic debent reijci, vel limitari Doctores, dicentes in dubio præcepto circa qualitatem materiæ ipsius esse seruandum esse præceptum, vel intelligendi sunt in dubio completè practico, & strictè sumpto. Hæc omnia Salas. Igitur secundum Salas si certus sis de lege imposita, dubites autem an ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab ea eximaris, non teneris eam obseruare, si eius executio est tibi incommoda & molesta, sed opinio contraria est communis.

An in casu dubio detur locus Epikeiæ.

RESOL. XXIII.

NEgatiuam sententiam mordicus tenet Ioannes Sancius in selectis disp.43. nu.8. vbi sic ait. Non est locus Epikeiæ in dubijs, sed seruanda sunt verba legis, vt sonant, quia ipsa lex possidet, & propter dubium non debet sua possessione priuari. Epikeia namque cum virtus sit, vt ait D. Thomas 2. 2. q. 120. art.1. non debet iniustè possessorem sua possessione spoliare: iniustum autem esset Epikeiam dictare ius dubium præferendum esse iuri certo. Ita ille, & Sotus de iust.lib.1.qu 6 art.8. Vasquez in 3. part. tom.3. disp. 219. cap.8. num. 43. Suarez de legibus, lib.6.c.8.n.10. Sanchez de matrim.to 1.lib.2. disp.41.n. 37. Merolla tom.1.disp.3.cap.3.corollar.7.num.128. & alij penes ipsos. Igitur in tali casu recurrendum est ad Superiorem, vt declaret si voluerit ad illum casum legem suam extendere, & si dubium est de potestate Superioris an, inquam, potuerit obligare, cum clarè non constet eius impotentia, iniustum videtur interpretari non posse obligare, & legem deficere, cum pro lege & potestate Superioris sit possessio. Et hanc doctrinam procedere, vt non possis vti Epikeia, etiam in casu vrgenti, in quo Superior consuli non potest, docet Castrus Palaus to. 1. disput. 3.punct.8.nu.4.qui alios citat.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam tenet Syluest.ver. Papa quæst.16.dict.2. in fin.& ver. dispensatio q.4. Corduba in QQ. lib.3. q.13. ante reg.1. & Ioannes Salas in 1.2. tom.2. tract.8.disp. vnica, sect.25.nu.160. vbi sic asserit. Addunt aliqui recentiores in dubijs non esse locum Epikeiæ, sed seruanda esse verba legis vt sonant: at hoc reijciendum est, vel limitandum, & DD. exponendi quando nulla est necessitas operandi cum illo dubio, vel quando dubium est completè practicum, & strictè sumptum, contra tale enim dubium non licet agere, secus in dubio speculatiuo, & incompletè practico, de quo nos loquimur. Quod probatur, quia quando dubito rationabiliter, an Superior velit me obligare, possum sequi partem minus tutam ad vitandam notabilem incommoditatem; sed in casibus dictis dubito an Superior velit me obligare. Ergo possum in partem minus tutam ad vitandam incommoditatem inclinare. Ita Salas, & ante illum Henriquez lib. 14.c.3.nu.1. in glos.lit. X. vbi sic ait. Æquitas & Epikeia suadet temperandum legis rigorem in dubio, iuxta præsumptam intentionem legislatoris, quia in dubio melior est conditio possidentis innocentiam suam. Hæc Henriquez.

Nec valet dicere cum Castro Palao vbi supra nu.4. hos DD. intelligendos esse non de dubio æquilibri, sed de formidine, vel non potuisse vel noluisse Superiorem in tali casu obligare; non inquam, hoc valet dicere, nam DD. citati loquuntur in dubio, & Salas loc. cit. in specie refellit hanc declarationem Castri Palai, & vult sententiam horum DD. procedere in dubio æquilibri, & multum etiam facit pro hac firmanda sententia authoritas Syluestri. Nam Ioannes Sancius in selectis,disp.43. n 37. asserit quod tres, aut quatuor Summistæ, inter quos reperiatur Syluester, opinionem probabilem meritò constituere possunt, nisi post illorum scripta aliquid iure nouo positiuo contra ipsos decretum sit, Syluestrum namque ab omnibus tam iuris peritis, quam Theologis reuereri meritò est manifestum.

Sed tu ne recedas à prima sententia negatiua, quam Suarez de legib.lib.6.cap.8.nu.12. limitat, vt procedat, nisi alien legi grauiori dubitetur contrariari, tunc enim, inquit, liceret grauiorem legem exequi, omissa minori, verùm hæc limitatio displicet Castro Palao vbi suprà numer.5. Sed vtraque opinio est probabilis.

An dubius ob tenuitatem beneficij de onere recitandi diuinum officium teneatur recitare?

RESOL. XXIV.

AFfirmat Vasquez in 1.2.D.Thomæ, disp.65.cap.3. nu. 11. nam quando obligatio est certa, vt est in casu nostro, & excusatio dubia, teneris obedire, quòd obligatio sit certa, patet, nam certum est te habere beneficium, & per consequens onus diuini Officij illi annexum.

Verùm Ioan. Salas in 1.2.tract.8.disp. vnica, sect.17. nu.154. in fine, docet in tali casu non adesse obligationem recitandi diuinum

diuinum Officium, quia est dubium iuris, & præceptum onerosum, & molestum implendum ex obligatione non est in casu dubij, sed hoc accidit in casu nostro, ergo &c. vtraque opinio est probabilis.

An facta sufficienti diligentia an res sit sua, possit possessor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere & alienare?

RESOL. XXV.

NOn posse asserit Adrianus quodlib. 2. à n. 2. ad 2. confir. argum. 1. vel saltem teneri diuidere rem cum persona, de qua dubitatur, an eius sit, docet Sotus de iust. lib. 4. quæst. 5. art. vlt. Martinus de Ledesma 2. par. 4 qu. 18. art. 1. dub. 14. & Aragon. in 2. 2. q. 62. artic. 1. trac. de dominio, ante § his constitutis, nam extante æquali dubio, videtur ius esse æquale vtriusque partis, ergo, &c.

At his non obstantibus contrariam sententiam communiter docent DD. vt Villalobos in summa, to. 1. tract. 1. diffic. 1 n. 1. Coninch de Sacram. disp. 34. dub. 10. n. 93. Azorius to. 1. lib. 2 c. 19. q. 5. Vasquez in 1. 2. disp. 66. c. 7. à n. 36. Salas in 1. 2. trac. 8. disp. vnica, sect. 23. n. 233. Sanchez in summa to. 1. lib. 1. c 10. nu. 9. Molina to. 1. tract. 2. disp. 36. concl. 1. & to. 3. disp. 721. n. 4. Valentia to. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. Salonius in 2. 2. q. 82. art. 6. contr. 4. concl. 2. Bannez in 2. 2. q. 62. art. 6. dub 5. concl. 4. Sancius in selectis disp. 43 n. 11. Merolla to. 1. disp. 3. c. 3. corollar. 3. n. 11. & alij penes ipsos. Ratio est, quia in pari causa melior est conditio possidentis, ergo, &c. Quod etiam probatur. nam in foro externo in tali casu possessor dubius non esset spoliandus. ergo neque in foro interno. Probo consequentiam, quia forum internum semper externo conformari debet, quando externum falsa præsumptione non innititur, vt docet Merolla loc. cit. nu. 7. Garzias de benefic. to. 2 p. 9. c. 1. n. 10. Salas in 1. 2. tract. 8 disp. vnica, sect. 18. n. 166. 171. & 226 Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 5. n. 20. Suarez de cens disp 40. sect. 5. n. 16. Sancius in selectis disp. 48. nu. 55. ergo &c.

Notandum est tamen hic primò quòd durante inuestigatione veri domini, non potest quis vti rebus, quæ vsu consumuntur, nam frustra dominus quæreretur, potest tamen vti illis, quæ vsu non consumuntur, vt equus, mancipium, &c. dum tamen adsit animus soluendi vero domino pretium illius vsus, deductis expensis alimentorum. Ita Villalobos in summa to. 1. tract. 1. diffic. 20. nu. 4. & alij.

Nota secundò possessorem, qui adhibita diligentia, an res, quam possidet, sit aliena, si mansit adhuc dubius, non teneri in posterum vero domino comparenti restituere. nisi instar bonæ fidei possessor, nempè rem ipsam si apud se extat, vel si consumpta sit, aut sit alienata, tenetur solum quatenus factus est locupletior. Ita Lessius lib 2. cap. 14. dub. 4. nu. 23. Rebellius part. 1. lib. 2. qu. 5. num. 11. Vasquez in 1. 2. disp. 66. cap. 7. n. 38. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. ca. 23 num. 186. & alij penes ipsos. Vnde non sunt audiendi, Aragonius in 2. 2. quæst. 62. artic. 5. dub. 1. & ibi Bannez dub. 2. concl. 3. Salonius contr. 2. Salas in 1. 2. trac. 8. disp. vnica, sect. 23. num. 227. & alij asserentes hunc teneri restituere pretium rei venditæ, sed aduersùs dictos Doctores, & meritò, insurgit Merolla tom. 1. disp. 3. ca. 3. corollar. 3. num. 18. docens hanc opinionem tunc esse veram, quando ex pretio locupletior euasit, tunc enim tenetur esse paratus restituere domino totum pretium, si in toto factus est ditior, vt si rem illam ipse dono acceperat, ac postea vendidit: vel partem pretij, vt si illam emerat, sed postea pluris vendidit, quia in eo excessu tantum factus est locupletior.

Et tandem nota, quod si spes moralis non est vt verus dominus compareat, non teneris monere de dubio emptorem, quia tunc emptor morali periculo non exponitur, secus autem dicendum est quando probabilis spes est dominum compariturum. Ita Sancius in select. disp. 43. n. 12. Bannez in 2. 2. q. 62 at. 6, dub. 5. Castrus Palaus to. 1. disp. 3. punct. 3. nu. 13.

An si præmissa debita diligentia adhuc dubius sis, propendeas tamen magis rem esse alienam, tenearis illam restituere; vel diuidere.

RESOL. XXVI.

HAnc quæstionem declarauimus in p. 2. tract. 15. resol. 10. & teneri iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere, diximus docere Bannez, Ledesmam, Salonium, & Sanchez, quibus nunc addo Coninch de Sacrament. disput. 34. dub. 10. n. 93. Valentiam to. 3. disp. 3. qu. 16. punct. 2. §. si autem quia in tali casu non est par causa tua, & aliena, vt possessio tibi suffragetur.

Nihilominus in dicta resolutione ego contrariam sententiam docui cum Vasquez, Bonacina, Salas, & Sanchez se retractante quibus nunc addo Merollam, me citato, in suis disput. Theologicis, tom. 1 disput. 3. cap. 3. corroll. 3. num. 24. Castrum Palaum to. 1. disp. 3. punct. 2 num. 11. Layman lib. 1. trac. 1. c. 5. §. 3. nu. 21. & Filliucium to. 2. tract. 21. c. 4. num. 158. & ratio est, quia possessio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus.

An si studio emptionis, vel donationis quis rem furtiuam sub dubio possidet, & facta diligentia dubium adhuc persistit, ad quid teneatur.

RESOL. XXVII.

AD hoc dubium ita respondet Villalobos in summa tomo 1. tract 1. diffic. 20. n. 5. [El que començo a posseer la cosa en duda por compra; o por otro qualquier titulo, esta obligado a restituir. El fundamento es porque sin derecho verdadero o presumpto no ay possession como dize Syluestro verb. possessor nu. 1. declarando la definicion de possestion que dan los iuristas. Mas hase de aduertir que este tal no tendra obligacion a restituir toda la cosa, sino mas o menos conforme a la duda que tuuiere.] Sic ille, & post illum Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 3. n. 2. vbi ita asserit. Si dubitans, an res sit furtiua, & titulo emptionis, vel donationis possedisti, teneris facta diligentia & dubio persistente rem diuidere inter te, & eos de quibus dubitas, quia tunc pro nullo stat præsumptio, ac proindè omnes æquale ius habent. practicum autem a te datum in causa esse non potest, quominus debeas alijs qui non acceperunt, & de quibus dubitas an eorum sit res, satisfacere, sicut si compareret verus dominus, teneris illi integrã restituere, etiamsi pretium dedisses, quia mala fide dedisti. Limita supradictam doctrinam, nisi à possessore bonæ fidei acceperis, at non comparente domino post factam diligentiam poteris tennere rem, & illa vti, quia succedis loco possidentis a quo accepisti titulo emptionis, vel donationis. Qua ratione emens mancipia ab asportantibus, etsi dubius emeris, an fuerint furtiua, at facta diligentia pro inuestigando verum dominum, illoque non comparente potes illa retinere, quia tunc non est possestio pro libertate mancipij, sed pro possessore bonæ fidei, qui illud vendidit, & cuius loco successisti. Vide etiam circa præsentem quæstionem Merollam tom. 1. disp. 3. cap 3. corrollar. 5. nu. 18. Rebellium part. 1. lib. 2. de restit. quæst. 5. num. 7. Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 36. & to. 3. disp. 723. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 24. & seq. Bannez in 2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 5. concl. 5 & ibi Salonium qu. 61. tract. de dominio. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. vnica. sect. 23. n. 232. & 236. Io. Sancium in selectis disp. 43. n. 14. & alios penes ipsos.

Notandum est tamen hic obiter, quòd Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 5. n. 32. aduertit, quòd vt aliquis dicatur bonę fidei emptor, non sufficere si ignoret rem illam esse furtiuam, & credat non omnia, quæ alter vendit, talia esse. Nam quando rumor est, aut vehemens suspicio illum multa vendere furto sublata, nefas est ab eo emere, nisi, præmisso sufficienti examine, constet ementi, alium iustè vendere: Quod si emerit, non præmissa hac diligentia, tenetur postea eam adhibere, vt sciant an res fuerit legitimè vendita. Si verò nulla occurrat diligentia quæ ad illud sciendum possit deinceps fieri, & adhuc perseueret dubium, an legitimè fuerit vendita, tunc pro quãtitate dubij, quod remanet, tenetur restituere partem valoris rei emptæ. Ita Merolla, & ante illum Molina tom. 1. tractat. 2. disp. 35.

diſput. 35. in fin. 2. concl. Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. diſp. 41. n. 27. Mercado de contractib. libr. 2. c. 20. Villalobos in ſum. to. 1. tract. 1. diſp. 20. nu. 7. & alij.

Verùm Caſtrus Palaus tom. 1. diſp. 3. punct. 3. n. 5. hoc intelligit, quando rationes efficaces, ſeu moraliter conuincentes adeſſent, venditorem vendere rem furtiuam, non quando dubiæ ſunt & probabiles, tunc enim deponendum eſt dubium, & intelligere, alium ritè vendere, quia nemo præſumitur malus, niſi probetur, neque in dubijs delictum commiſiſſe, ex l. merito. ff. pro ſocio.

An conſulens homicidium, furtum, dubitans tamen an ex tali conſilio motus ille fuerit ad id faciendum, teneatur ad reſtitutionem.

RESOL. XXVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Ioannes Sancius in ſelect. diſp. 43. n. 14. Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 3. in fine. Molina, to. 3. diſp. 736. n. 6. Salas in t. 2. tract. 8 diſp. vnica, ſect. 23. nu. 242. & alij, quos citat & ſequitur Merolla to. 1. diſp. 3. c. 3. corollar. 6. n. 41. Et ratio eſt, quia in hoc dubio nulla eſt poſſeſſio pro conſulēte, imò præſumptio iuris eſt contra ipſum, vnde in foro externo condemnaretur ad reſtitutionē, eo quòd eſt certa iniuſti conſilij actio, & præſumitur illam ſortitam fuiſſe ſuum effectum, & ideò in reum transfertur onus probandi non fuiſſe, & dum non probauerit ſuccumbet, ergo idem erit in foro conſcientiæ.

His tamen non obſtantibus negatiuam ſententiam tenet Nauarra de reſtit. lib. 3. c. 4. dub. 4. n. 48. Henriq. lib. 14. c. 3. n. 4. Sayrus in claui regia lib. 10. tract. 2. c. 8. n. 5. Rebellius p. 1. lib. 2. q. 14. ſect. 2 n. 5. & 7. Medina C. de reſtit. q 7. ante ver. ſi autem conſilium, Sylueſter ver. reſtitut. 3. q. 6. dicto 2. initio Villalobos in ſumm. to. 1. tract. 1. difficul. 20. n. 9. vbi ſic ait. [Si vno duda acerca de ſu action iniuſta, v. g. aconſejo à Pedro que hurtaſſe ò mataſſe, y eſta en duda ſi del tal Conſejo, o action ſe ſiguio el daño; en tal caſo aunque ay graues Doctores que tienen lo cōtrario ſoy de parecer, que el que diò el Conſejo no tiene obligacion à reſtituir; y parece lo ſiente aſſi S. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 7. ibi, ſolùm tenetur Conſiliarius, aut palpo ad reſtitutionē cùm probabiliter æſtimari poteſt quòd ab eo actio iniuſta fuit ſubſecuta, el fundamento es que in dubijs melior eſt conditio prudentis, y cierto como la reſtitucion ſea de naturaleza odioſa no ſe deue eſtender, ſino antes reſtringir; y anſi aunque la parte contraria eſpeculatiuamēte hablando ſea muy probable eſta es mejor para practica.] Ita ille. Vide etiam Vuitherum Strouerſdorff de iuſt. & iure in D. Tho. q 62. art. 8. diſp. 2. qui loquitur in iubente, & ait quod ſi dubius ſit an exequens iuſſu ſuo motus ſit, vel non, non tenetur ad reſtitutionem.

Sed an cenſenda ſit coniectura ſufficiens ad credendum cōſilium nil operatum eſſe, ſi homicida huic conſulenti aſſerat, ſe ad homicidium perpetrandum non fuiſſe motum eo conſilio. Affirmat Henriq. lib. 14. c. 16. n. 3. & Sayrus de cenſ. lib. 7. c. 3. n. 2. licèt hoc nullo modo probet Caſtrus Palaus to. 1. diſp. 3. pun. 4. n. 3. Sanchez in ſumma to. 1. lib. 1. c. 10. n. 14. & alij, niſi homicida ſit ita fide dignus, aut tales aliæ coniecturæ concurrant, vt prudens arbitretur fidem illi habendam eſſe.

Verùm ſi aliquis vellet ſtare in opinione affirmatiua, quæritur an cōſulens dubius in eo caſu an influxerit in homicidium futurum, &c. teneatur reſtituere totum damnum, vel partem? Merolla vbi ſuprà to. 1. diſp. 3. c. 3. corollar. 6. n. 44. tenet conſulentem in eo caſu teneri totum damnum reſtituere, quia cùm in dicto caſu nulla ſit poſſeſſio pro conſulente, ſed pro conſilio iniuſto, ſequitur cōſulentem teneri reſtituere totum damnum, cuius cauſa fuiſſe præſumitur conſilium datum.

At ego non condemnarem conſulentem ſi in tali caſu non reſtitueret totum damnum, ſed partem pro quantitate dubij remanentis poſt peractam diligentiam, ſicut aſſerunt DD. de eo, qui rem furtiuam emit dubitans an ſit furtiua, & ſi nihil in tali caſu vellet reſtituere, puto abſoluendum eſſe. nam opinio Villalobos, & aliorum ſuperius adducta excuſans dictum conſulentem a reſtitutione, puto quòd ſit probabilis, licèt contraria ſit probabilior.

An poſſeſſor bonæ fidei, qui dubitans rem eſſe alienam, neglexit inueſtigare verum dominum vnde impotens effectus eſt ad eum ſciendum, teneatur ad reſtitutionem?

RESOL. XXIX.

TEneri reſtituere illi, cuius rem eſſe dubitat, vel eo ignoto teneri reſtituere pauperibus iuxta qualitatem dubij, & ſpem quam habebat inueniendi dominum, tradunt Villalobos in ſumma to. 1. tract. 1. diffic. 20. n. 2. Salas in t. 2. tract. 8. diſput. vnica, ſect. 23. nu. 238. Alphonſus de Leone de poteſt. confeſſ. p. 1. recollect. 15. n. 76. Sanchez in ſumma to. 1. lib. 2. c. 23. nu. 183. Molina to. 1. diſp. 36. concl. 1. & alij.

Verùm ſecundum Bonacinam de contract. diſp. 1. q. 2. punc. 2. nu. 8. non ſine probabilitate videtur dicendum non teneri ad reſtitutionem; tum quia quamuis peccauerit negligendo inquiſitionem veritatis, nihilominus poſſidere incepit bona fide; ſed melior eſt conditio poſſidentis. ergo, &c. tum quia non cōſtat an damnum alijs intulerit non inquirendo rei veritatem: qui autem dubitat, an ſua actione, vel omiſſione fuerit alijs cauſa damni, non tenetur ad reſtitutionem. Ergo, &c. Et hanc opinionem probabilem etiam eſſe putat Caſtrus Palaus to. 1. diſp. 3. punct. 2. nu. 9.

An quando commodatarius, vel depoſitarius eſt dubius, vtrum res ſit ſua culpa amiſſa, teneatur illam reſtituere?

RESOL. XXX.

QVoad commodatarium affirmatiuè reſpondet Merolla to. 1. diſp. 3. c. 3. corollar. 7. n. 50. & 51. & Gallet. in margarita caſuum conſcient. ver. commodatum, & ver. dubium. Ratio eſt, quia in dubio potius damnum pati debet qui beneficiū accepit, quàm qui cōtulit, deinde vt commodatarius obligetur ad reſtitutionem, ſufficit culpa iuridica. ergo, &c.

Sed his non obſtantibus contrariam ſententiam teneo cum Ioanne Sancio in ſelectis diſp. 43. nu. 11. vbi ſic ait. Quando depoſitarius, vel commodatarius dubius eſt an res ſit ſua culpa amiſſa, non tenetur reſtituere, quia cum delictum non præſumatur, ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. Ita ille, & Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 1. difficul. 20. nu. 10. ſic aſſerit. [El depoſitario que duda ſi la coſa perecio por ſu culpa no eſta obligado à reſtituir porque eſta en poſſeſſion y conforme al derecho,] in dubijs non præſumitur delictum. Vnde hanc ſententiam tenet Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. nu. 18. Leſſius lib. 2. cap. 27. dub. 3. in fine, Salas in t. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 23. nu. 243. Caſtrus Palaus tom. 1. diſp. 3. punct. 4. nu. 4. Henriqu. lib. 14 c. 15. in fine.

Nota tamen quod in foro externo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, præſumitur in dolo, & ſic depoſitario incumbit onus probandi caſu periſſe vel non poſſe ſimul ſeruaſſe res ſuas, & depoſitas, ob imminens incendium, vel ex alia ratione, maluiſſeque res ſuas ſeruare, quam alienas, tunc enim ceſſat dicta præſumptio de dolo, etiamſi res ſuæ viliores eſſent. Ita Maſcar. de prob. ver. depoſitarius concluſ. 509.

Sed an opinio ſuprà poſita in fauorem depoſitarij, & commodatarij applicanda ſit ad locatarium, ſeu conductorem, negatiuè reſpondet Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3 corollar. 7. n. 54. Sed hanc ſuam ſententiam probabiliorem vocet; ergo contraria ſecundum ipſum eſt probabilis.

Notandum eſt etiam pro præſenti materie id quod etiam alibi notauimus, exiſtimare aliquos generaliter, in contractibus neminem teneri ad reſtitutionem niſi de dolo, & lata culpa, latam autem culpam volunt eſſe illam, quæ eſt culpa mortalis, vnde inferunt etiamſi non adhibeatur diligentia communis, quæ faceret latam culpam iuridicam, tamen ſi hoc proueniat ex naturali obliuione, ita vt excuſetur quis à mortali, non obligat illa lata culpa in foro interiori ad reſtitutionem. Ita Sotus libro quarto de iuſtitia, quæſtione ſeptima, articul. ſecundo, Martinus Ledeſma 2. parte 4. quæſtione 8. articul 6. § ſed dubitas. Henriquez libro 14. cap. 3. numer. 1. in fine. Emanuel Sà verb. culpa, numero 2. & hanc opinionem alibi cum Leſſio lib. 2. cap. 7. dub. 8. nume. 43. probabilem eſſe iudiceui, & nunc iterum

tum iudico, quicquid aliqui aduersum me non solidè obmurmurauerint.

Quis teneatur alere illegitimum quando duo dubitant vter ipsorum sit eius pater?

RESOL. XXXI.

Ab vtroque soluenda esse alimenta, docet Turrianus in opusculis Theologicis, to. 1. opusc. 10. disp. 5. dub. 3. Martinez in 1. 2. to. 1. q. 19 art. 6. dub. 5. concl. 2. Vasquez in 1. 2. disp. 66. c. 8. n. 7. & Villalobos in summ. to. 1. tract. 1. diffic. 20. nu. 12. vbi sic ait. [Si Pedro, y Iuan dudan qual de ellos es padre de Francisco, porque ambos tratauan con su madre; ambos deuē alimentarle pro medietate; y si el vno no puede, o no quiere, lo deue el otro hazer.] Ita ille, & Azorius to. 1. lib. 2. c. 19. q. 8 asserens, vt Villalobos, quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alium esse obligatum in integrum.

Sed hoc non approbat Sala in 1. 2. tract. 8. disp. vnica, sect. 14. num. 248. & Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 4. nu. 15. quia aduersus quemlibet non habet filius integrum ius: & hanc opinionem ego teneo. Quòd verò alter ex iis de quibus dubitatur, vter sit pater, ditior, aut nobilior, parum refert, vt ei potius quam alteri filius tribuatur, ac proindè obligatio alimentorum ipsum potius, quam alterum constringat. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 66. cap. 8. nu. 48. licet etiam probabiliter asserant Salas & Palaus vbi supra, si patres inæquales in diuitiis, & nobilitate sint, posse matrem à ditiori & nobiliori plus alimentorum exigere, quia ditior & nobilior meliora alimenta tenebatur filio ministrare.

An quando non solum debitor, sed etiam creditor dubius est, num debito sit satisfactum, teneatur adhuc debitor illud soluere?

RESOL. XXXII.

Clarum est quando solum debitor certus est debito, sed dubius de solutione, teneri soluere, vt communiter tradunt Doctores, Sancius in selectis disp. 43. num. 9. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 11. Vasquez in 1. 2. disp. 66. c. 7. nu. 43. Salas in 1. 2. trac. 8 disp. vnica, sect. 24. n. 241. in fine, Suarez de Relig. tom. 2. lib. 2. c. 4 3. nu 7. & alij. Ratio est, quia creditor possidet actionem debiti. Ergo illum in dubio priuare nō potes, ne debito certo æqualis sit solutio dubia, nec inæqualitas alterius possessioni præualet.

Difficultas igitur est, quando sunt dubij de solutione non solum debitor, sed etiam creditor; in hoc casu debitorem etiā obligatum esse ad solutionem, tenet Merolla to. 1. disp. 3. ca. 3. dub. 2. n. 65. quia certum est, debitum fuisse contractum, & per consequens creditorem acquisiuisse ius contra debitorem, vt sibi pro debito satisfaciat, & dubium est an fuerit satisfactum. Ergo ne debitor spoliet creditorem sua possessione, tenetur in eo dubio soluere debitum iam contractum. Deinde non videtur ratio, cur potiùs melior sit conditio debitoris possidentis quando vterque dubitat, & non quando solus debitor dubitat.

Sed contrariam sententiam tuetur Tannerus in 1. 2. D. Tho. disp. 2. qu. 6. dub. 4. nu. 49. vbi sic ait. Quoties ex parte operantis supponitur certa obligatio ad aliquid faciendum, & dubium manet an ei fuerit satisfactum, tunc omnino eligenda est pars tutior. Exempla sunt, si quis dubitet an dies ieiunij totus præterierit, an Horas dixerit, an voto satisfecerit, &c. & id etiam faciendum in materia iustitiæ omnes affetunt, vt cùm quis dubitat an creditori satisfecerit, quod vtique verissimum est, si ipse tantum debitor ea de re dubitet, creditor autem existimet non fuisse satisfactum. At si vterque dubitet, existimo meliorem esse conditionem possidentis debitoris, quia non est causa cur vtroque æquè dubitante debitor potiùs qui possidet, eò que ipso melioris sit conditionis, quàm creditor, sequi debeat partem tutiorem, quādo vterque simul hoc casu eam sequi nō potest. Ita Tannerus. Sed ego in tali casu non sine magna probabilitate, vt reor, non ad integram solutionem, sed ad partem secundùm dubij proportionem, obligarem debitorem, & ita tenet Paulus Layman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. nu. 42. vbi sic asserit. Si in vtramque partem æquale rationabile dubium sit vtrùm pecuniarō debitor illud soluerit, necne; quæstio est, an hoc casu ad integram solutionem teneatur? Ita probabiliter aliqui, tum quia factum in dubio non præsumitur, tum quia creditor iure & actione sua, quam semel eum habuisse constat, in dubio priuari non debet. In oppositam verò partem offert se ratio iisdem probabilis, quòd debitor non teneatur ad solutionem integram, sed tantùm ad partem debiti, secundùm dubij proportionem; quia æquitas non patitur, vt debitor sine culpa sua magno periculo subijciatur bis soluendi integrum debitum; creditor autem qui & ipse, vt pono, tale dubium non diffitetur, nullo periculo expositus sit. Profectò in hoc casu neque creditorem condemnaré si integram solutionem reciperet, neque debitorem, si integram solutionem facere omitteret; idque ob diuersas probabiles, quibus vtraq; pars nititur, rationes. Ita Layman, & ego quicquid in contrarium etiam probabiliter asserat Sanch. in summa to. 1. lib. 1. c. 10. n. 12. & Merolla to. 1. disp. 3. c. 3. dub. 2. n. 65.

An dubitans, si res sit furtiua, possit illam emere, vt postea à vero domino totum pretium accipiat?

RESOL. XXXIII.

Respondeo affirmatiuè, quia cum habeat animum quærēdi verum dominum vt ei illam restituat, non peccat rem illam emendo, cum vtiliter agat domini negotium. Ita Medina, C. de restit. qu. 10. § alter tamen, & omnes DD. qui tamen obseruant quòd si dominus non compareat, emptor tenetur rē illam in pios vsus cōuertere, deducto tamen pretio; sicuti etiam si vero domino comparente illam ei tradat.

Sed Merolla to. 1. disp. 3. c. 3. dub. 1. corollar. 5. n. 36. qui citat Alciatum, Bartolum, Nauarram, Molinam, Syluestrum, & alios docet hanc sententiam procedere tantùm quando dubitans, an res sit furtiua illam emit modico pretio, eo animo, vt dictū est, vt eam reddat domino, quia videt nisi ipse illam emat, dominum eam nunquam recuperaturum, vt si emat illam ab hostibus, vel latrunculis exteræ gentis, tunc enim dominus non potent eam habere nisi soluto pretio.

Verùm Doctores absolutè, & sine vlla distinctione asserunt ita ementem rem furtiuam comparente vero domino deducere posse pretium pro illa solutum, dummodo fuerit pretium iustum, & dominus alias non fuisset sine expensis recuperaturus; quia cum vtiliter eius negotium gestum sit, non est æquum re in amissione pretij emptorem condemnare. Et ita tenet Castrus Palaus to. 1. disp. 3. punct. 5. n. 4. Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. disp. 41. n. 29. Bannez in 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 5. concl. 2. Salon. ibidem contr. 4. concl. 2. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 23. n. 237. & Villalobos in summ. to. 1. tract. 1. diffic. 20. n. 8. vbi sic ait. [El que compro la cosa que sabia que era hurtada para volverla à su dueño, esta tal no peca, ante haze cortesia al dueño que no la pudiera hauer por otro camino, y tendra obligacion à darla al verdadero señor, sacando lo que le costo.] Ita ille.

An dubius vtrùm proximus extremè indigeat, teneatur veritatem inuestigare?

RESOL. XXXIV.

Ad hoc dubium ita respondet Ioannes Sancius in selectis; disp. 43. num. 20. Qui dubitat an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare, siue in dubium inciderit, quia pauper suam inopiam proposuit, siue alia via, ne si id omittat, periculo peccādi se subijciat, eo modo quo dubitans an aliquis dies sit ieiunij, vel festiuus, perquirere veritatem erit coactus, & consequenter veritatem non indagans, exponeret se voluntariè periculo frangendi illa præcepta. Quòd si sibi constet necessitatem extremam esse (imo grauem) elargiri eleemosynam tenebitur: at manente dubietate facta sufficienti diligentia, nō erit compellendus eleemosynam erogare, quia tunc libertas non erogandæ eleemosynæ possidet, & non præceptum erogandi illam. Ita Sancius.

An dubius vtrum excommunicationem contraxerit, censendus sit excommunicatus.

RESOL. XXXV.

IN dubio facti censendum esse excommunicatum, secus in dubio iuris, censet Molina de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 67. nu. 7. Azotius to. 1. lib. 2. c. 19. q. 10 & 11. & Sayrus in claui regia lib. 1. c. 13. nu. 23. & 24. vide etiam Turrianum de censur. lib. 8. disp. 57. dub. 4. circa finem, & Vasquez in 1. 2. disp. 66. c. 1. hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo. Dico igitur nec in dubio facti, nec in dubio iuris aliquem cẽsendum esse excommunicatum, & ita ego in facti contingentia consului non fuisse excommunicatum quemdam virum notabilem, qui dubitat etiam post factam diligentiam an percusserit Clericum, & ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Cùm ergo vnusquisque possideat ius communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea possessione priuari, vnde hanc sententiam docet Sanchez in summa to. 1. lib. 1. c. 10. n. 55. Layman lib. 1. tract. 5. c. 5. §. 4. n. 38. & alij.

Notandum est etiam hic cum Filliucio tom. 1. trac. 13. cap. 7. num. 129. quòd dubitans de alterius excommunicatione & denuntiatione, non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis; ergo non debet priuare illum communione in re dubia, sed quando dubium esset de validitate actus, vt si quis confiteri vellet ei, quem dubitat esse denuntiatum, tunc abstinendum esset, ne se exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modo absque scàdalo, vel alio periculo fieri posset; sed de hac quæstione alibi actum est à nobis fusius.

Quod autem dictum est suprà de excommunicatione dubia, idem dicendum est de suspensione, & interdicto dubijs, quia eadem ratio militat. Ita Sanchez loco cit. n. 61.

Et nota etiam, quòd quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est an conditio fuerit impleta, ea non ligat, quamdiu non constat de impletione conditionis. Ita Emanuel de Moura opusc. 1. de ensal. & incantat. sect. 1. cap. 5. nu. 8. qui etiam n. 9. cum Suarez, & Garsia docet titularem obligatum ad pensionem soluendam in certo termino sub excommunicatione in forma Cameræ, non illam incurrere adueniente termino, prius quam pensionatius declaret, etiam authenticè suam voluntatem esse vt ipse incurrat: proindeque quamdiu de ea dubitatur (dubitari autem iustè posse quamdiu eam non declarat authenticè) excommunicatio non operatur.

Dubius an promiserit solùm ingredi Religionem, aut profiteri, an teneatur ad profitendum.

RESOL. XXXVI.

AFfirmatiuè respondet Nauarrus, Rodriquez, & DD. asserentes absolutè in dubio voti amplectendam esse partem tutiorem, ne se infringendi voti periculo exponat.

Verùm mihi contraria sententia placet. Dico igitur supradictum non teneri perseuerare in Religione, quia in dubio obligat votum ad id quod minus est; & ita in terminis docet Sãch. in summa to. 1. lib. 4. cap. 16. num. 86. qui etiam cap. 13. num. 17. optimè docet quòd quando possessio non stat pro verbis voti, tenetur vouens in dubio ad id quod minus est: vt, v. grat. si quis certus est se promisisse castitatem aut temporalem, aut perpetuam, & est omnino verborum immemor, sed tantùm certus est se alteram promisisse ad solam temporalem, quæ minus est, tenetur. Similiter si quis immemor omnino verborum voti dubitat an promiserit omnimodam castitatem, an coniugalem solam, tenetur ad hanc quæ minor est. Similiter si quis est certus se vouisse castitatem, aut Religionem, vel inter duas Religiones, an strictiorem, aut minus strictam, dubitat autem vtram harum partium vouerit, tenetur ad minorem; quicquid asserat Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 15. quæst. 9. & Rodriquez cum Nauarro.

(?)

Anton. Diana Resol. mor. Pars IV.

An in dubio vtrum votum sit emissum ante pubertatem, aut post minorem ætatem, possit pater illud irritare.

RESOL. XXXVII.

NEgatiuam sententiam docet Ioannes Salas in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disput. vnica, sect. 25. nu. 261. & 262. vbi sic asserit. Quando dubia est potestas irritandi, vel dispensandi votum aliquod, vel relaxandi iuramentum, etiamsi quis quantum in se est dispenset, commutet, vel irritet, votum tamen, aut iuramentum implendum est, quia obligatio certa nõ tollitur dispensatione, commutatione, vel irritatione dubia & incerta: vt si dubium sit; an votum personale emissum sit ante annos pubertatis, & votum reale ante annum 25. non potest ita irritare pater tale votum, vt filius illud non seruans, sit tutus in cõscientia. Confirmatur primò, nam filius non est in possessione certa suæ libertatis, quinimò votum ipsum quodammodo est in possessione certa, quia certò obligat; ergo in dubio de irritatione non est melior filij conditio, sed adhuc tenetur implere votum. Confirmatur secundò, quia dubitans an tempore contractus minor fuerit, ius non habet rescindendi contractum nisi probet se fuisse minorem. Ergo, &c. Ita Salas vbi suprà.

Verùm tu ne discedas ab affirmatiua sententia, quam tuetur Sancius in selectis, disp. 43. num. 9. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 6. num. 1. & Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 32. num. 2. quia licèt vouens possessione sua careat, & sic votum respectu eius possideat, at pater possessionem suæ potestatis dominatiuæ habet ad irritanda vota, & ne independenter ab ipso ea vota emittantur. Ergo dum non constat de exemptione ab hoc dominio per lapsum ætatis, qua hoc durat, non est priuandus hac possessione, & ita hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. difficult. 21. n. 5. vbi sic ait. [El que duda si quando hizo el voto tenia catorze año para la irritacion de los votos, se ha de iuzgar que no los tenia, y puede irritarselos el que podia no los teniendo porque el Padre esta en possession de derecho sobre la voluntad del hijo y mientras ay duda no se le deue quitar.]

Notandum est etiam hic, supradictam doctrinam esse veram quoad tutores, & curatores, etiam in casu quo dubium sit circa tempus subiectionis; vt, v. gr. si vxor dubitet an ante matrimonium votum emiserit; aut seruus, qui aliquando fuit liber, an tempore libertatis; & pupillus, qui aliquando caruit tutore, & minor, qui caruit aliquando curatore, an tempore sui iuris, an post subiectionem illis votum fecerint. Puto enim in his casibus posse supradictos irritare vota, & vouentes non teneri illa post dictam irritationem adimplere, durante subiectione.

Sed quid si dubium sit, an votum sit confirmatum ab impubere transacto subiectionis tempore, nempe si votum sit personale, & dubitet an pubes factus confirmauerit? Respondeo quòd tunc potest esse dubium de ipsa confirmatione, quia de nullo constat, aut potest de solo eius tempore dubitari, vt si constat confirmatum esse, at dubitatur an tempore impubertatis, vel potiùs tempore pubertatis: in vtroque casu dico Superiorem posse votum irritare; & rationes horum omnium videbis apud Sanchez vbi supra n. 7. & 8. ex quo hæc omnia desumpta fuit.

An Confessarius dubius de sua iurisdictione possit confessiones excipere.

RESOL. XXXVIII.

AD hoc dubium ita respondet noster amicissimus P. Naldus in summam verb. confessiu nu. 32. Confessarius dubitans an habeat facultatem absoluendi, puta quia mortuus sit Delegatus, vel priuilegium aliqualiter dubium, & in similibus, & adeo dubitat, quòd non potest intellectus in neutram partem determinari, sed anceps, & suspensus remaneat, tunc duobus simul concurrentibus potest absoluere. Primò vt adsit necessitas pœnitentis, puta suscipiendi Eucharistiam, vel per longum tempus confiteri non possit. Secundò vt absolutio detur sub conditione, si possum, & cum onere iterum confitendi habenti certam iurisdictionem, in his enim casibus nihil sit remerè, & irrationabiliter, & si Sacramentum re vera non subsistat, nulla ei fit iniuria, quia conditio nihil ponit in esse. Et

similiter potest Confessarius absoluere aliquãdo sub conditione de præsenti, & quæ non est actu suspensiua, quando scilicet dubitaret an pœnitens ob ætatis imbecillitatem haberet perfectum vsum rationis, necnè, dicens, Ego te absoluo, si habes vsum rationis; & idem erit si diiudicare non posset, an pœnitens præbeat sufficientem materiam absolutioni sacramentali, vt contingit in conscientijs valde timoratis. & sufficeret in his casibus habere eiusmodi intentionem, seu conditionem in mente retentam, absque alia exteriori prolatione verborum, hæc omnia Nalduı, & ante illum Reginaldus in praxi to. 1. lib. 1. c. 8. n. 102. Coninch de Sacram. disp. 8. dub. 6. n. 43. Suarez in 3. p. to. 4 disp. 26. sect. 6. & alij.

Non desinam tamen hic adnotare in tali casu non esse peccata iterum cõfitenda Sacerdoti habenti certam iurisdictionem, docere Ioannem Salas in 1. 2. tract. 8. disput. vnica, sect. 27. nu. 283. vbi sic ait. Dico, in necessitate, & sub conditione licitum est vti iurisdictione dubia sine onere confitendi iterum eadem peccata Sacerdoti habenti iurisdictionem certã, durum enim, & intolerabile esset cogi hominem partim necessitate eligendi Confessorem dubium, partim lege Dei, seu onere, quod à Sacerdote necessariò imponendum pęnitenti sit, ad cõfitendum bis eadẽ peccata; ergo sine tali onere absolutio est valida. Cõfirmatur primò, quia etiamsi Sacerdos tale onus non imponeret pęnitenti siue quia oblitus est, siue quia noluit, siue quia existimauit necessarium non esse, probabile est absolutionem validam fuisse. Ergo nõ tenetur Sacerdoti habenti certam iurisdictionem peccata eadem confiteri. Confirmatur secundo, quia in dubio iurisdictionis impropriè dicto, seu non excludente iudicium probabile, confessio facta non est repetenda Sacerdoti habenti certam iurisdictionem nacta opportunitate. ergo nec in dubio propriè dicto; eadem enim ratio quantum ad hoc esse videtur in vtroque euentu. Ita Salas.

Sed tu ne discedas à contraria sententia, quam præter DD. citatos, tenet etiam Villalobos in summa to. 1. tr. 9 difficult. 51. n. 3. vbi sic asserit. [Digo que si huuiere iurisdicion dubia, tambien aura duda en si se le puede administrar este Sacramento, y assi necessidad graue, y entonces ha de ser de baxo de condicion, y con carga de que despues hauiendo oportunidad, se cõfiesse con quien tenga iurisdicion cierta.] Sic ille.

An subditus dubitans de iustitia tributi, teneatur illud soluere.

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuè respondet Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 64. Malderus in 2. 2. tractat. 5. cap. 6. dub. 4. §. dico quintò, vbi sic ait. Quando subditus dubitat solùm negatiuè, non habens pro iniustitia tributi vllam probabilem rationem, credo præsumi posse pro Principe, & in conscientia ipsum subditum teneri. Ita ille.

Contrariam tamen sententiam docet doctus Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. difficult. 26. nu. 3. vbi sic asserit. [Quando se duda si el tributo es justo, no ay obligacion a obedecer y pagarle porque se duda de la justa possession, y es interessado al Principe.] Sic ille, qui hanc sententiam in to. 2. tract. 8. diffic. 13. n. 11. intelligit quo ad tributa noua, & citat ibi pro hac opinione Castrum & Aragon, quibus ego addo Ludouicum Carbonem in tract. de restit. qu. 33. vbi sic ait, Antiqua tributa, seu gabellæ veteres putari debent iustæ, & ita in dubio eas defraudare non licet, cum saltem adsit præscriptio; nouæ verò gabellæ, vt sunt pedagia & guidagia, præsertim in rebus ad vsum quotidianum impositæ, si manifestam non habeant causam, fraudari possunt. Sic ille. Et hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Molina de iustit. tom. 3. trac. 2. disp. 274. num. 7. sic asserens. Quando tributa sunt noua & non constat de illorum iustitia, sed dubitatur an desit aliquid ex requisitis, vt sint iusta, affirmant Doctores non deberi in conscientia, sed posse defraudari modo periuria & mendacia non interueniant, imò denegari posse cessante scandalo. Ratio autem est, quoniam in dubio melior est conditio populi possidentis, & quoniam eiusmodi noua tributa præsumuntur iniusta, quando de contrario non constat; vnde cap. quamquam, de cens. in 6. dicitur, tributa regulariter esse contra iura tum canonica, tum ciuilia: & in cap. peruenit, de cans. ait Summus Pontifex, necesse esse scire priùs causam, propter quam census sit soluendus, quàm soluatur. Quòd si subditis causa tributi alicuius reddatur, & de iustitia illius dubitent, necesse est vt consulant peritos, debitamque adhibeant diligentiam ad iustitiam, vel iniustitiam illius indagandam, ne fortè Principem priuent debito tributo; interim tamen dum de iustitia causæ illius non constat, non tenentur in conscientia soluere id tributum. Hæc omnia Molina, qui citat Caietanum, Angelum, Syluestrum, Gabrielem, & Medinam, & tandem hanc sententiam tenent etiam nouissimè Filliucius to. 2. tract. 28 p. 2. c. 7. n. 117. & doctus P. Ioan. de la Cruz in direct. consc. p 1. q. 7. art. 3. dub. 1. concl. 2. vbi respondet ad argumentum, quod in dubio præsumendum est pro Rega, dicit enim hoc debere intelligi, quando non agitur de interesse ipsius Regis, vt est in casu, de quo loquimur.

Iudex quid facere debeat in pari dubio.

RESOL. XL.

Dico primò existente pari dubio iuris vtriusque partis, ita vt iudex omnino sit pendulus, teneri possidenti fauere, nec ipsum posse cogere, vt partem restituat, quia ius retinendi habet possidens in hoc dubio.

Dico secundò in eodem dubio, si neuter possidet, teneri iudicem inter vtrumque diuidere, quia æquum est vtriusque ius. Sed Petrus Ledesma de matrim. qu. 45. art. 1. dub. 2. ad 3. primæ sent. docet rem indiuiduam posse iudicem applicare cui voluerit, vt duobus æquè dignis petentibus beneficium, potest Episcopus eligere quem maluerit, quia indiuiduum est. Sed hoc impugnat ex Sanchez Ioannes Salas in 1. 2. tract. 8. disp. vnica, sect. 23, num. 240. quia lex iustitiæ petit, vt in hoc dubio res illa sorte distribuatur, vel vni res, alteri verò dimidium æstimationis conferatur; ergo iudex, qui est iustitia animata, eiusque minister, sic tenetur facere; nec est simile de beneficio, quia nullus illorum, cum neutrius sit, habet ius aliquod iustitię etiam distributiuæ vt sibi conferatur; sed hæc iustitia dictat vt alteri illorum detur: in nostro autem casu vterque habet ius commutatiuæ iustitiæ, vt inter nos diuidatur. Ita Salas, & de hac quæstione vide Io. Valerum in different. vtriusque fori, ver. opinio, differ. 3. Tuscum ver. medium conclus. 170. Homobonum in consult. cas. consc. p. 7. respons. 26. vol. 2.

Dubius de valore matrimonij post bimestre tempus, si illud nondum consummauit, quid facere debeat.

RESOL. XLI.

In priori bimestri post cõtractum matrimonium coniux dubitans de eius valore, siue post examen, siue antea, non tenetur reddere debitum, quia alter non habet ius petendi, & inde sequitur non posse reddere, quia nullum est periculum iniustitiæ, ob quod solum vitandum licitum est reddere cum periculo fornicationis; sed difficultas est, quid faciendum, quando coniux nondum consummauit matrimonium, & post bimestre tempus adhuc dubitat? Vasquez in 1. 2. disp. 66. cap. 6. num. 33. asserit, quòd elapso illo tempore non debet detinere alterum coniugem perpetuò dubium, sed debet ei detegere dubium, vt ipse etiam interim non peræt donec sufficienter examinetur. Hoc intelligit si probabiliter non timetur talem dubij reuelationem nihil profuturam, sed potius nocituram; quod si tale sit periculum, tunc debet coniux dubius reddere debitum, ne vltra tempus bimestre signatum à iure, alterum coniugem detineat: obligare autem ipsum ingredi Religionem, cùm reuera possit, vt ita liberum relinquat alterum cõiugem nimis durum est, eo quòd nisi status Religionis spontè suscipiatur, difficiles soleat habere exitus. Hoc mihi videtur probabilius, tametsi alij qui censeant, huiusmodi debere intrare Religionem, cùm hac via possit periculum incontinentiæ euadere, cui se exponeret sine vlla obligatione, si in principio redderet. Ita Vasquez, cuius sententiam certissimam putat Salas in 1. 2. tr. 8. disp. vnica, sect. 22. n. 208. quia non tenetur ait ipse, cum tanto detrimento suo, vel alterius, aut Religionem ingredi, aut à redditione debiti in dubio abstinere, vnde licitè illi periculo materialis fornicationis se exponit.

An

An dubius vtrùm vouerit castitatem independenter à Religione, teneatur illam seruare.

RESOL. XLII.

AFfirmatiuam sententiam docet Nauarrus libr. 3. consil. tit. de voto, consil. 13. nu. 2. quia in dubio tenetur quis eligere partem tutiorem, & reputare se obligatum.

Verùm circa præsens dubium mihi placet opinio Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 16. num. 114. sic distinguentis. Si ita vouens recordetur verborum, siue interiùs, siue exteriùs prolatorum, iudicandum est in dubio iuxta communem illorum intellectum, quare si in eis expressa sit castitas & religio, absolutè censebitur castitas promissa principaliter, & per se, ac independenter à Religione, quia cum in dubio intentionis sint vota diiudicanda iuxta communem verborum sensum, hæc pars possidebit in hoc dubio; si verò sola Religio expressa sit, & dubitat vouens an se quoque voluerit ad castitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus est, & censendus omninò non obligatus ad castitatem; quia nulla est possessio pro illa, sed tota pro voluntatis libertate. Si verò quamuis sola Religio expressa sit, meminit suæ intentionis fuisse se obligare quoque ad castitatem, dubitat tamen an dependenter, vel independenter à Religione. existimo iudicandum obligationem dependenter à Religione; quia non tenetur vouens sequi semper quod tutius est, & in hoc dubio non video possessionem pro voto castitatis independenter à Religione, imò potius cum hac dependentia, cum sola Religio expressa sit, & quando quispiam intendit se ad vtrumque velle principaliter obligare, solet vtrumque exprimere. Ita Sanchez, & ego.

In dubio an effectus sit à causa naturali, vel à dæmone, quid faciendum.

RESOL. XLIII.

AD hoc dubium ita respondet Sanchez in summa tomo 1. lib. 2. cap. 40. nu. 44. Si dubium sit an effectus à causa naturali proueniat, eo quòd non constet an vires causæ naturalis excedat necne, censendum est potius eum à causa naturali prouenire, quia cum innumeræ agentium naturalium vires nos lateant, non est cur, eo quòd virtus illa nobis dubia sit, effectum illum causæ naturali negemus, nec absque necessitate confugiendum est ad occultam mali Angeli operationem. Si autem constet effectum illum vires causæ naturalis excedere, existimo, nisi maxima operantis sanctitas, vel alia vrgentissima indicia suadeant effectum eum à Deo prouenire, censendum esse in dubio superstitiosum, & à dæmone prouenire, etiamsi verba adhibita sint sacra; quia quotiescunque causa adhibita nequit effectum naturaliter producere, est superstitio, & ad tacitum cum dæmone pactum pertinet. Ita Sanchez.

Sed in hac materia videndus est omnino doctus Emanuel de Moura opusc. 1. de ensal. & incant. sect. 2. c. 16. 17. & 18. vbi quærit primò, an concurrentibus talibus indicijs, quibus intellectus prudenter dubitet, an ensalmus operetur virtute diuina, naturali, vel diabolica, fas sit eo vti. Secundò, vtrum fas sit vti ensalmo dubio, saltem ad medendum, vel succurrendum graui necessitati. Tertiò, vtrùm in dubio; an dæmon sit auctor ensalmi, fas sit eo vti, saltem sub conditione, & protestatione, si dæmon non subest; & ad omnia hæc tria dubia post eorum latam discussionem negatiuè respondet.

Non desinam tamen hic apponere opinionem Lessij libro 2. cap. 44. dub. 6. num. 46. vbi sic asserit. Non est licitum vti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis inuocationem, hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi fortè id faciat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione. Pari modo fas non est à Mago petere, vt maleficium dissoluat, si dubitas an absque nouo maleficio id possit, quia id de quo dubium est an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum vt faciat; secus quando constat sine peccato fieri posse, & causa iusta petendi subest. Ita Lessius.

An Superior possit dispensare in dubio, si causa sit iusta.

RESOL. XLIV.

REspondeo affirmatiuè cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 44. num. 10. vbi sic ait; Quia in benigniorem partem est in eo dubio inclinandum, & credendum, facultatem Superiorum esse in hoc dubio, id enim petit bonum, & suaue Ecclesiæ regimen, esset enim multis scrupulorum occasionibus exposita potestas. Si ad causas solas certas extenderetur, & vix auderent Superiores dispensare. Et ita hanc sententiam tenet etiam Syluester ver. dispensatio qu. 14. vbi agens de Prælatis Regularium, quibus permittitur dispensare in regulis, sic ait. Dispensare possunt quando eis constat de causa legitima, & etiam si dubitent, quia ad clementiorem partem declinandum est. Ita Sanchez, licèt contrariam sententiam teneat Bonacina de legib. disp. 1. q. 2. punct. 3. nu. 7. Verùm mihi placet opinio affirmatiua, quam præter Sanchez, & Syluestrum tenet Caietanus in 2. 2. q. 147. art. 4. in principio, & nouissimè Iacobus Granado in 1. 2. D. Thomæ contr. 7. tract. 2. disp. 6. sect. 1. nu. 2. vbi etiam cum aliquibus iunioribus docet, cum dubitatur an sine dispensatione teneretur quis ieiunare, vel aliam legem seruare, eo ipso esse sufficientem causam ad dispensandum, nec opus esse aliqua commutatione.

An qui dubitat num dispensatio obtenta sit valida, possit ea vti.

RESOL. XLV.

REspondeo, quod in tali casu præsumendum est dispensationem esse validam. Ita tenet Riminaldus lib. 3. cons. 275. num. 17. & lib. 5. cons. 562. num. 26. quem citat, & sequitur Sanctarellus variar. resol. tom. 1. q. 59. numer. 1. Et ratio est, quia in re dubia iudicandum est in fauorem actus, vt scilicet magis valeat, quàm pereat, vt patet ex cap. Abbate, de verb. significat. & ex l. quoties ff. de rebus dub. Nec valet dicere, quod, v. gr. constat esse impedimentum, & dispensatio est dubia. Ergo possessio stat pro impedimento; & cum melior sit conditio possidentis, dicendum est dispensationem non valere, nam respondeo meliorem esse conditionem possidentis, si illi aliquid aliud non præualeat, vt præualet in casu nostro, nam in dubio præsumendum est pro validitate actus.

Notandum est etiam hic obiter, quod quando dubitatur, an causa in dispensatione, vel gratia, vel priuilegio tacita, vel falso expressa sit finalis, ita vt sine illa non concederetur dispensatio, vel gratia; an verò sit tantum impulsiua, ita vt etiam ex expressa Princeps concederet dispensationem, vel gratiam, præsumendum est causam esse impulsiuam, & non finalē; quia, vt dictum est, in dubio præsumendum est in fauorem valoris actus vt valeat, & non pereat. Ita Sanctarel. vbi sup. n. 5. cum alijs penes ipsum, licèt etiam probabiliter contrariam sententiā teneat Molina de iust. to. 1. disp. 173. Baldus lib. 1. cons. 355. n. 2. Bartol. Socinus lib. 2. cons. 273. asserentes in tali casu præsumendum esse, quod sit causa finalis: sed nostra opinio est probabilis, & tuta in praxi, sed de hac quæstione infrà iterum redibit sermo.

An Episcopus, v. g. quando dubitat an res egeat dispensatione, possit in lege Superioris dispensare.

RESOL. XLVI.

AD hanc dubitationem respondet Bonacina de legibus disp. 1. quæst. 2. punct. 1. nu. 18. distinguendo, vel probabiliter ait, Opinamur rem non indigere dispensatione. & tunc non est necesse dispensationem petere à Summo Pontifice, vel Episcopo, quia licitum est sequi opinionem probabilem deposito practicè dubio; vel non probabiliter opinamur, sed practicè dubitamus opus esse dispensatione, & tunc censeo petendam esse dispensationem à Sede Apostolica. Et ratio est, tum quia non debemus exponere nos periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Episcopus exceptis quibusdam casibus dispensare non potest: tum quia praxis in oppositum extare videtur. Ita ille.

Sed ego contrariam sententiam probabiliorem esse censeo, quam tuetur Castrus Palaus to. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 5. nu. 10,

An in dubio priuilegium censendum sit reale, vel personale.

RESOL. LI.

ALiqui censent reputandum esse priuilegium personale, sic relato Decio tenet Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 27. num. 4 & alij, quia duplici præsumptione concurrente, alia speciali, alia generali, præualet specialis, vt ex multis docet Menoch. de arbitr. lib. 2. cas 472. n. 14. Sed personalis pręsumptio magis specialis est, quam realis. Ergo pro personali in casu dubio standum est.

Alij verò, quod mihi probabilius videtur, distinguunt. Si priuilegium est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, nec iuri tertio contrarium est, reputari debet reale in casu dubio, & extendendum est. Ita Basilius Pontius de matrim. lib. 8. cap. 18. §. 1. nu. 7. Suarez de legibus lib. 8. cap. 3. nu. 18. & alij, quia beneficium Principis latè est interpretandum, ex l. vlt. ff. de constit. Principum. Verùm si priuilegium iuri communi deroget tantùm, etsi plures DD. sentiant latè interpretandum esse, ac proinde vt reale iudicandum: at meritò Pontius, & Suarez locis cit. sentiunt limitandum esse, & personale iudicandum. Ratio desumitur ex cap. 1. §. ille verò, de filijs presbyter. in 6. vbi ea de causa restringitur dispẽsatio, quia à iure communi exorbitat. Si autem priuilegium præter ius commune sit, vergit tamen in præiudicium alterius, ea parte qua in præiudicium vergit, strictè est interpretandum, ac reputandum personale, & non reale, si præiudicium tamen sit graue.

Nota etiam hic, quòd si tibi possidenti priuileginm vt reale, suboriatur dubium an fuerit personale, & re diligenter examinata dubium vincere non potes, reale esse poteris reputare, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Et omnia supradicta, ne in aliena vitula arare videar, docet Castrus Palaus to. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 1. nu. 6. & 8. cui ego addo Georgium Cabedum p. 2. decis. 93. n. 4 vbi tamen tenet sine vlla distinctione quòd priuilegium in dubio, præsumitur personale, licèt absolutè contrarium doceat Tapia de constit. Principum; c. 5. p. 3. n. 31. vbi asserit in dubio priuilegium potius præsumendum esse reale, quàm personale.

Notandum est etiam hic obiter, quòd in dubio priuilegium non præsumitur reuocatum, & ita docet Parisius lib. 2. conf 61. n. vlt. Alciatus respon. 19. n. 4. & alij, quos citat, & sequitur Antonius Sanctarellus in var. resol. to 1. q. 16. n. 11.

An post septennium in dubio censeantur pueri habere vsum rationis.

RESOL. LII.

REspondeo quòd quando dubium est, an pueri rationis vsum habeant, præsumendi sunt habere si compleuerint septennium, secus antea, quia præsumptio desumenda est ex communiter contingentibus. Sed ponam hic incidenter pro curiosis pulchrum dubium, an, v. g. puer teneatur confiteri, non comedere carnes, &c. si constet ante septennium habere vsum rationis. Respondeo probabiliter negatiuè, ex illa celebri doctrina quam affert Ioannes Sancius in selectis, disp. 51. num. 31. vbi sic ait. Quamuis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positiuo obligari reor; cùm leges positiui iuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare, & per accidens in vno, vel alio puero rationis vsum accelerari, in quo absque discordia puto consentire Doctores, nam ad ea quæ frequenter accidunt, leges adaptantur, ex l. nam ad ea, ff de legibus. Ita Sancius, quem nouissimè sequitur Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. a num. 3. licèt contrariam sententiam etiam probabiliter doceat Layman in Theol. mor. lib. 5. tract 6 cap. 5. nu. 7. & alij loquentes de confessione puerorum, cum Zambrano capit. 4. dub. 3. num. 5. & 6. Certum est tamen, vt dixi, ante septennium in dubio an puer habeat vsum rationis, præsumi non habere, & sic non teneretur confiteri, ieiunare, &c. vt cum alijs tradit Alphonsus de Leone in trac. de offic. & potest. confess. tom. 1. recollect. 17. num. 41.

(?)

An in dubio num puer habeat vsum rationis, debeat absolui.

RESOL. LIII.

SI omnibus consideratis de pueri capacitate dubium manet, tunc absolui potest sub conditione, saltem animo retenta; imò in mortis articulo absolui debet, tali pręsertim casu necessitatis, & in dubio inclinandum est in fauorem animæ. Ita Layman in Theol. mor. libr. 5. tr. 6. c. 5. n. 7. & ante illum Zambranus de cas. temp. mor. c. 4. dub. 3 nu. 4. & 9. quia in dubijs fauendum est pęnitenti, qui habet ius ad Sacramentum ratione confessionis. Secundò, quia, vt dicunt multi, si quis adultus fatetur aliquid quod dubitatur an sit peccatum veniale, est absoluendus sub conditione (quamquam in dicto casu melius sit dicere aliquod peccatum saltem veniale certum vitæ præteritæ, etiamsi sit confessum.) ergo & in nostro casu, eadem enim est ratio, scil. dubium de materia Sacramenti. Denique rationes pro articulo mortis ferè æquè probent extra illum articulum. Et ita hanc sententiam docet nouissimè Villalobos in summa to. 1. tract. 9. difficult. 28. n. 3. vbi sic ait. [Quando se dudasse si el mochacho tiene bastante vso de razon ò no, para confessarse, toda via estara obligado a ello, como el que duda si tiene pecado mortal ò no, y hase de absoluer de baxo de condicion.] Sic ille.

An in dubio vtrum peccator sit publicus, vel occultus, danda sit ei Eucharistia.

RESOL. LIV.

AFfirmatiuè respondet Petrus de Ochagauia tractat. 2. de Euchar. effect. quæst. 10. num. 4. vbi sic ait. In casu dubio quo dubitatur, an peccatum sit publicum, vel non, vel an factum quod publicum est, sit peccaminosum, vel non, conferendum est Eucharistiæ Sacramentum, quia in pari causa & delicto melior est conditio possidentis suam libertatem; sed ille homo in eo casu possidet suam libertatem accedendi ad hoc Sacramentum, ergo non est ei denegandum. Ita ille, qui citat etiam Ledesmam.

In dubio an iustus metus incussus fuerit, & an professio sit valida, pro quo sit præsumendum.

RESOL. LV.

REspondeo pręsumendum esse in valorem professionis, quia cùm cõstet de professione, & excusatio dubia sit, possessio stat pro professione. ergo, & ita docet Sanchez in summa to. 1. lib. 4. cap. 3. n. 27. & Barthol. de Vecchis in praxi Nouit. disp. 13. dub. 12. n. 22. Et idem dicendum est in dubio si metus intercesserit, nam in tali casu accessisse non præsumitur, vt patet ex l. 2. C. de his quæ vi, &c. Idem dicendum est quando dubium est de animo se obligandi ratione metus, vt notat Sanchez, & Vecchis locis cit. quæ omnia absolutè procedunt, quando pro quocumque casu vertitur in dubium valor professionis, nam iudicatur in fauorem Religionis. Ita Suarez de relig. to. 2. lib. 7. c. 2. n. 6. Lessius lib. 2. c. 45. dub. 7 nu 76. Gratianus in discept. forens. to. 3. c. 415. n. 17. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 37. n. 12. & alij, quos citat, & sequitur Sanctarellus var. resol. to. 1. q. 48. nu. 48. sed de hac quæstione supra etiam dictum est.

An quando causa fuerit dubia circa comestionem carnium in ieiunio, opus sit dispensatione, si ageretur de nocumento notabili.

RESOL. LVI.

AFfirmatiuam sententiam videntur docere DD. quos ego citaui in p. 1. trac. 9. resol. 15. quibus nunc addo Filliucium tom. 2 tract. 27. c. 6. n. 128. & Fernandez in exam. Theolog. moral. p. 2. c. 8. §. 2. n. 13. asserentes in ieiunio dispensatione opus esse, quando causa fuerit dubia.

Verùm contrariam sententiam docet Ioannes Sancius in selectis, disp. 51. n. 9. non existente causa manifesta nõ egere ieiunantem dispensatione edendi carnes, omnes fatentur. Eodem ergo modo dubia causa existente, opus non erit dispensatione, cùm idemmet ius habeat aliquis ad fugiẽdum damnum certò

venturum, atque illud de quo rationabiliter dubitatur an ſit exoriẽdum, ſicut qui probabiliter & rationabiliter dubitat, quod in extremam neceſſitatem incideret, ſi extremè indigenti ſubueniat, non tenebitur ſubuenire. Adde quòd dubium in fauorem rei eſt interpretandum, & in poſſidentis fauorem accipiendũ. Nec in hoc caſu ius dubium vincit ius certum, nam quamuis præceptum abſtinendi à carnibus ſit certum, & in poſſeſſione obligandi; etiam ius ad cõſeruandam vitam in homine certum eſt & antiquius, & antiquior etiam eſt poſſeſſio in illo ad conſeruandam ſuam vitam & ab ſtrictiori iure orta. Quapropter in homine non ſolùm eſt ius certum ad certò conſeruandam vitam, ſed etiam eſt illi ius certum ad non exponendam vitam periculo dubio eam amittẽdi. Et quamuis dubium ſit homini, an ex abſtinẽtia à carnibus ſit detrimentum paſſurus in ſalute, non eſt tamen illi dubium quòd ius habeat certum nõ ſe committendi tali dubio; ſit ergò quod ius certum conſeruandæ ſaluus ſuperet ius certum præcepti abſtinendi à carnibus. Et ideo ſic etiam, Doctores dicere recurrendum eſſe ad Superiorem ad poſcendam diſpẽſationem in ieiunio, vel in eſu carnium, quod idem eſt, quando cauſa eſt dubia, non intelligendos eſſe id aſſerere quando fuerit dubium, magnum nocumentum exoriendum ex obſeruatione ieiunij, nam tunc neceſſaria non videtur diſpenſatio, vt probatum eſt; ſed quando dubitaretur aliquale nocumentum promanandum, quod quamuis actu exiſteret, obligatio tamen, vel abſtinentię à carnibus non ceſſaret, cũ leges poſitiuæ aliquali obligent labore & detrimento. Hæc omnia Sancius, qui, vt viſum eſt, interpretatur DD. ſuperiùs pro affirmatiua ſententia citatos, ſed an probabiliter, videant alij.

An dubius vtrium parentum neceſſitas ſit grauis, poſſit ingredi Religionem.

RESOL. LVII.

AFfirmatiuè reſpondeo, quia cùm dubium ſit præceptum in eo caſu, libertas filiorum ad ingrediendam Religionem poſſidet, ſicuti abſolutè diximus, in dubio an ſit in aliquo caſu præceptum. Imo hoc erit etiam licitum, quando vtrinque ſunt rationes ita probabiles, vt poſſit dici vtraque pars opinabilis, & ideo in tali caſu poteſt filius ſequi vtramuis partem, etiã minus probabilem, vt in alijs rebus opinabilibus licet. Et hæc omnia docet Sanchez in ſumma to. 1. lib. 4. c. 20. n. 8. cui ego addo Barthol. de Vecchis in praxi nouitiorum diſp. 2. dub. 8. n. 8.

An dubius de obligatione præcepti per conſuetudinem introducta, teneatur illam obſeruare.

RESOL. LVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæſ. 5. vbi ſic ait. Quandocumque populus, aut ciuitas dies feſtos vſu & more colit, & obſeruat, ſi id vſu recepto à maioribus ſeruet, conſuetudo vim legis habere cenſetur. Idem quoque iuris eſt, ſi ita ex more ſeruet, vt eius conſuetudinis memoria non extet, quandonam introduci cœperit. Item ſi ambiguum ſit, conſuetudine; necne res obſeruetur, tutius eſt eligendum, & proinde exiſtimandum eſt, eam eſſe conſuetudinem legis vim & rationem habentem. Ita Azorius.

Sed aduerſus illum contrariam ſententiam tenendam aſſe exiſtimo, quam docet Suarez de legibus, lib. 7. c. 15. vbi ſic aſſerit. In dubio de obligatione præcepti per conſuetudinem inducta, ac cæteris paribus, potius eſt inclinandum in eam partem, quòd cõſuetudo ſit deuotionis, vel honeſtatis potius quàm obligationis; quia generalis regula eſt, quòd in dubio nemo præſumitur velle obligari, neque expedit multiplicari præcepta vbi moraliter certa non ſunt, vel ſaltem probabilia. Ita ille, & poſt illum nouiſſimè Ludouicus Mæratius in ſummam D. Tho. to. 1. tr. de legib. diſp. 15. ſect. 2. nu. 3. vir quidem doctus.

An in dubio de valore voti reſeruati poſſit Epiſcopus diſpenſare.

RESOL. LIX.

REſpondeo affirmatiuè, quomodocumque dubium illud oriatur, ſiue quia non ſunt conjecturæ ſufficientes, ſiue quia ſunt probabiles rationes ad dubitandum; quia cum reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos. Ex quo colligitur poſſe Epiſcopum diſpenſare in eiuſmodi votis reſeruatis quando emiſſa ſunt ex metu cadente in virum conſtantem. nã licèt aliqui exiſtiment talia vota valere iure naturali & poſitiuo, vt docet Suarez lib. 6. de voto, cap. 26. numer. 4. & 5. attamen probabile votum eſt, an ea vota valeant, vel ſint nulla iure Eccleſiaſtico, vt tradit Sanchez in ſumma tom. 1. libr. 4. cap. 40. num. 31. & ideo, quia eorum votorum valor eſt ſub opinione, poterit in eis Epiſcopus diſpenſare. Deinde colligitur in dubio etiam an ſit aliquod votum reſeruatum, necne, in benigniorem partem eſſe interpretandum, & cenſeri non reſeruatum, & poſſe in eo Epiſcopum diſpenſare. Vnde cùm dubium ſit an vota pœnalia & conditionalia ſint reſeruata, ſequitur ratione eius dubij poſſe Epiſcopum in eis diſpenſare, etiam purificata conditione, & commiſſo delicto; & hæc omnia docet Baſilius Pontius de matrim. lib. 8. c. 9. nu. 14. & ſeq.

An dubius de malo vſu ementis, excuſetur vendens res indifferentes, nulla cauſa iuſta concurrente.

RESOL. LX.

DVpliciter poteſt contingere hoc dubium. Primo modo, vt ſit merè negatiuum, quia ſcilicet non poteſt quis prudenter ac probabiliter ſuſpicari an alter male, vel bene prædictis indifferentijs ſit vſurus. Secundò poſitiuè, quia nimirum meritò ac prudenter dubitari poteſt de abuſu alterius. Si dubium ſit primo modo, certum eſt, licitum eſſe hęc indifferentia miniſtrare abſque alia cauſa concurrente, quia in hoc dubio nemo præſumitur delictum commiſſurus; ſi verò ſit ſecundo modo, non poterunt licitè miniſtrari hæc indifferentia, ſed requiritur aliqua cauſa rationabilis, licèt minor ſufficiat, quàm vbi abuſus eſt certus. Ita Sanchez in ſumma, to. 1. lib. 1. c. 7. num. 17. & poſt illum Merolla in diſp. Theol. to. 1. diſp. 2. c. 4. dub. 10. nu. 268.

An dubius de emendatione alicuius rei in edicto Inquiſitorum poſitis, & præſertim hæretici, teneatur illum denunciare.

RESOL. LXI.

NOn ſolum in tali caſu, ſed etiam ſi moraliter conſtet eſſe emendatum, puto denuntiandum eſſe, & præter Doctores quos alibi citaui, nouiſſimè tenet hanc opinionem Emanu. Moura opuſc. 1. de incant. & enſalm. ſect. 2. cap. 16. nu. 13. vbi ſic aſſerit. Quamuis mihi priuato moraliter conſtet hæreticum occultum eſſe emendatum, vigeatque alioqui pręceptum diuinum de non infamando proximum abſque neceſſitate, etiam coram Eccleſiæ miniſtris, teneor eum deferre ad ſacrum Tribunal, & juxta omnes in dubio de eius emendatione, quia decernere an ſit, vel non ſit emendatus, judicium exigit altius, quàm priuati. Ita ille.

An dubius enſalmus operetur ne virtute diuina, vel diabolica, fas ſit eo vti, & de quodam enſalmo particulari ad præſeruandum a peſte.

RESOL. LXII

SEntentiam negatiuam docet, & validiſſimis rationibus firmat Emanuel Moura opuſc. de incant. ſect. a. cap. 16. per totum, vbi etiam notat dubitantem, an maleficus norit medium licitum, non poſſe illum adiri pro maleficio ſoluendo. Ex his non deſinam hic obiter adnotare cum dicto Moura, vbi ſup. cap. 13. nu. 25. ſuſpectum eſſe illum enſalmum, quem vt præſentiſſimum remedium contra peſtem ferunt, DD. Cardinalibus pro Concilio Tridentino Congregatis anno 1546. tradidiſſe quendam ſanctę vitę Græcum Archiepiſcopum ad idem Concilium concurrentem; & ita ego in facti contingentia conſului annis præteritis, quando peſtis miſerrimè hanc ciuitatem affligebat, nullius tamen Doctoris authoritate fretus; verùm poſtea inueni, vt dictum eſt; Mouram, virum doctiſſimũ, dubitaſſe de dicto enſalmo, qui incipit, *Crux Chriſti ſalua me*, &c. & nouiſſimè tanquã ſuperſtitioſum, ac minimè tolerãdũ damnat, & docet

cet Philibertus Marchinus tract. theologico de peste, in problematibus, probl. 33. fol. 44. vbi asserit ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem, vt patet ex literis Cardinalis sancti Honofrij ad Clementem Ægidium Inquisitorem in Etruria sub die 18. Septembris 1630. vnde apparet me rectè hic. Panormi, vt dixi supra, dictum ensalmum tanquam superstitiosum damnasse, licet aliqui tunc, sed immeritò, contrarium senserint; sed de hoc modo non est dubitandum; & ratio est clara, quia quorsum in dicto ensalmo citra superstitionem ponitur illa litera marginalis, quandoquidem quicquid illa implicitè importat, vel innuit, tot in id exprimitur in versu illi respõdente, Quid in membrana exaratio? quid ad brachium potius, quàm ad collum, quam ad caput, quàm ad pectus circumportatio? quid orationis, finita potius Missa, quam ante inchoatam recitatio? cæteras rationes videbis apud supradictum Marchinum loco cit. qui respondet ad aliqua argumenta, quæ, licèt parum solide, pro defensione dicti ensalmi adduci possunt.

An dubius, suumne suffragium concluserit rem iniustam, teneatur ad restitutionem.

RESOL. LXIII.

VT, v.grat. si per secreta suffragia agatur, vbi dubium habes an tuum suffragium sit ex posterioribus post damnum suffragijs sufficientibus conclusum, an verò ex efficacibus, an, inquam, tenearis ad restitutionem? Affirmatiue respondet Petrus Nauarra lib. 3 cap. 4. num. 35. Sed mihi negatiua sententia magis placet, quam tuetur Iacobus Gordonus in Theolog. moral. to. 1. lib. 5. q. 6. c. 2. §. 4. num. 13. qui citat Rebellium, docentes in hoc dubio (quia est vtrinque æquale) meliorem esse conditionem possidentis, eximique proinde ab onere restitutionis, licet alioquin peccauerit.

An in dubio, vtrum causa expressa in narratiua alicuius rescripti sit finalis, vel impulsiua, censenda sit impulsiua, & non finalis.

RESOL. LXIV.

NEgatiuam sententiam docet Villalobos in summ. to. 1. tr. 2. diffic. 43. n. 7 vbi sic ait. [Quando vuiesse duda si la causa fue solo impulsiua o final, algunos dizen que se ha de presumir impulsiua, y dizen que en duda en este caso haura de valer la dispensacion. Otros tienen que no se ha de presumir sino final, ansi lo tienen Baldo y Socino, y esta sentencia tẽgo por mas cierta, y que en duda no ha de valer la dispensacion por que la ley esta en possession, y assi es menester que la dispensacion sea cierta.] Ita ille, & ante illum Molina de iust. to. 1. tract. 2. disp. 573. & hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur DD. quos citat & sequitur Sanchez de matrim. to. 3. lib. 8 disp. 21. nu. 20. quibus ego addo Sanctarellum var. resol. p. 1. q. 59. n. 5. Granado in 1. 2. D. Thomæ, controu. 7. tract. 3. disp. 17. sect. 4. n. 30. Castrum Palaum to. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 5. nu. 3. Menochium vol. 2. cons. 106. nu. 91. & Laurentium de Portel in respons. mor. p. 3. cas. 8. n. 2. asserentes in casu dubio an sit causa finalis, an verò solùm impulsiua, præsumi impulsiuam & non finalem, quia semper debet stare præsumptio in fauorem actus; quod idem dicendum est cum Palao vbi suprà, vt ego alibi adnotaui, quando dubium est, an dispensatio valida sit, quia dubium est, an satis probetur veritas narratorum, vel quia est dubium an causa falsa allegata sit finalis; nam in his casibus præsumendum est validam esse dispensationem. Vide Sãchez vbi supra n. 25. illustrissimæ Societatis Iesu decus & ornamentum.

An confitens v. g. fornicationem, de qua dubitat an illam aliàs confessus sit, si hoc dubium in confessione non explicet, confessio sit inualida.

RESOL. LXV.

REspondeo negatiuè, quia sic confitendo circa materiam non mentitur, quam ipsi Confessario exponit, cum nunc certa sit, neque negat se id confessum fuisse. Et ita in terminis docet nouissimè Homobonus de bonis in consultat. cas. consc. vol. 2. p. 5. respons. 132. vbi citat Sanchez, Coninch & Bonacina cum quibus colligit, pœnitentem non teneri in confessione dicere se tale peccatum post vltimam confessionem commisisse, nisi ob aliquam particularem circumstantiam mutantem speciem, vel constituentem hominem in proximam peccati occasionem necesse sit hoc exprimere; vnde non debebat hanc opinionem improbabilem vocare Turrianus in cens. theologicis.

An qui dubitat se esse excommunicatum, possit audire Missam.

RESOL. LXVI.

AFfirmatiuè respondeo, & ita præter alios docet Petrus Cornejo in 1. 2. D. Thomæ tract. 8. q. 19. disp. 4. dub. 2. vbi probat, licitum esse dubitanti an sit excommunicatus, audire Sacrum, & alia excommunicatis prohibita facere, ac si excommunicatus non esset, & similiter licere, alijs simili dubio existẽte cum eo cõmunicare, & hoc ait Cornejo, vt vitet periculum imminens, aut præiudicium notabile spirituale, vel temporale in propria persona, rebus, aut honore; sicut non tenetur secundùm illum ad recitandum Officium diuinum, qui habẽs tenue beneficium dubitat in iure, an teneatur recitare, quia cum hoc sit graue onus, non potest incurri, nisi propter causam certam.

Ad quid teneatur si dubius quis est, an possit maiorem Officij partem recitare.

RESOL. LXVII.

SVppono aliquem non esse obligatum Horas recitare, si maiorem partem non potest, ideo ad dubium propositum respondeo in tali casu te posse & debere iudicio Medici conformare: qui si asserat nocituram recitationem, deobligaberis. Verum si Medicus dubius est an grauiter nocitura sit recitatio, Suarez de relig. to. 2 lib. 4 c. 28. n. 21. inclinat te esse obligatum, quia præceptum & illius obligatio est certa, & causa excusans dubia; præualet ergo præcepti obligatio. Bonacina de horis canonicis disp. 1. q. 6. punct. 1. n. 4. negat te esse obligatum, quia nõ teneris periculo grauis damni te exponere, ob præcepti Ecclesiastici adimpletionẽ, & hoc probabilius putat Castrus Palaus to. 2. disp. 2. punct. 6. num. 10. quia periculum illius grauis damni causa est certa, & non dubia, qua stante, præceptum Ecclesiasticum non obligat, esset enim obligatio rigorosa. ergo, &c.

An dubitans aliquem Psalmum, vel Horam omisisse, teneatur repetere.

RESOL. LXVIII.

NEgatiuè respondeo, si probabilem coniecturam habet se dixisse, vtpotè quia propositum attendendi habuit, & horas se incepisse meminit, & librum tenuisse. Imò si iste timidioris sit conscientiæ, malè faciet repetendo, aperit enim ianuam scrupulis, & ideo Confessarius ei iniungat vt non repetet, sed reliquum Officium prosequatur. Ita Homobonus in consult. cas. conscient. vol. 2. p. 5. respons. 210.

An quando dubitatur, sit ne infans baptizatus, sepeliendus sit in loco sacro.

RESOL. LXIX.

VT, v. grat. si infans in pede fuerit baptizatus; & affirmatiuè respondendum est cum Homobono in consult. casuum conscientiæ, vol. 2. p. 7. respons. 67. vbi firmat hanc sententiam, scilicet baptizatum Baptismo dubio non esse Ecclesiastica sepultura priuandum, siue dubium sit in suscipiente, siue in conferente, siue in materia, siue in forma, & qui si superuixisset, rebaptizandus fuisset. Ita ille, vbi etiam optime addit infantem secundina indutum, ac sic baptizatum, in loco sacro esse sepeliendum, & adducit Bonacinam de contract. disput. 3. quæst. 21. punct. 2.

Occur-

Occurrentibus duobus præceptis, si quis dubitaret vtrum illorum obligaret, eo quod simul impleri non possunt, quid facere debeat.

RESOL. LXX.

Respondeo, considerandam esse vtriusque præcepti grauitatem & naturam, & si attentis omnibus circumstantiis non constiterit magis de obligatione vnius, quàm alterius, posse liberè eligi impletionem cuiuslibet illorum, quia cum homo teneatur vnum illorum implere, & nullo modo constet, quod illorum magis obliget, prudentia dictat, honestè posse eligi vnum, vel alterum pro libito. Si vero attentis omnibus circunstantijs vnum credatur aliquo modo magis obligare, quàm alterum illud implendum est, de cuius obligatione magis constiterit. Vbi obiter aduerte primò, licet materia vnius præcepti ex se sit magis grauis, adhuc posse esse obligationem implendi præceptum magis leue, eo quod illud sit de re, quæ non potest non esse prohibita; ac proinde alterum præceptum de se magis graue tunc non erit præceptum, nec obligabit, v.g. magis graue præceptum est succurrendi proximo in extrema necessitate, quam non dicendi leue mendacium, & tamen si hæc duo simul concurrerent, potius non esset mentiendum, licet proximum propterea periret, quia mentiri semper est intrinsecè malum. Secundò aduerte interdum posse contingere, reperiri temexiguum excessum inter cognitionem obligationis vnius præcepti, & cognitionem obligationis alterius, vt non sit mortale implere illud, de cuius obligatione magis cōstat, quia in his est etiam paruitas materiæ, atque adeo præceptum leue, nam sicut non seruare ordinem charitatis inter eos, inter quos est leuis excessus, non est mortale, ita in præsenti. Et hæc omnia docet doctus Granado in 1.2. D. Thomæ, controuers. 2. tract. 12. disp. 6. num. 8.

An dubius de percussione notoria Clerici teneatur vitare percussorem.

RESOL. LXXI.

Respondeo quòd vt teneamur vitare percussorem Clerici, non sufficit dubium, quemuis prudens notorietatis, sed requiritur notitia moraliter certa. Ita Hurtedo de excommun. disp. 11. diffic. 3. n. 10. qui etiam nu. 7. ex Suarez docet, vt teneamur vitare excommunicatum iam denunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens dictæ denunciationis, sed requiritur notitia illius moraliter certa, quòd excommunicato sit expressè & specialiter denunciata.

An in dubio quis teneatur adhibere correctionem fraternam, & quid si peccatum sit dubium.

RESOL. LXXII.

Respondeo quòd qui dubitaret an correctio profutura esset delinquenti, si certus esset saltem non obfuturam, teneretur eam adhibere, non autem si insimul dubitaret an esset nocumentum allatura. Ita Iacobus Granado in 2.2. D. Thomæ controuers. 3. tract. 12. disp. 1. nu. 6. & alij. Verùm Filliucius vbi infrà n. 135. in casu quo correptio esset nocumentum allatura, putat conferendam esse vtilitatem cum damno, & eligendum id quod habet meiorem rationē boni, & ideo in articulo mortis, & quando peccatum est publicum, vel scandalosum, docet adhibendam esse correptionem, etiamsi timeatur, quod corrigendus deterior euadat.

Sed quid dicendum, si peccatum sit dubium, an in tali casu quis teneatur correctionem adhibere? Respondetur priuatam personam id facere non debere, pertinet enim ad Superiorem, nisi fortè in tribus casibus. Primus, quando tale esset peccatum, quod posset redundare in notabile præiudicium & detrimentum tertij, quale esset peccatum hæresis, proditionis Principis, ciuitatis, &c. Secundus, quando immineret proximi mors, tunc enim non modò a peccato posset correptio liberare, verum etiam à morte æterna. Tertius, quādo esset spes probabilis proximum non admodum ægrè laturum, si sub dubio admoneretur. Ita Filliucius to. 2. tract. 28. c. 6. n. 133.

An in dubio si fideicommissum expiret, possit vltimus vocatus de bonis liberè dispensare.

RESOL. LXXIII.

Hic casus potest frequenter accidere, & euenit in quodam fideicommisso instituto à Gaspare Diana, in quo præter multas alias rationes Antoninus Diana senior tāquam vltimus vocatus de illo disposuit, licet dubiū adesset an in verbis fideicommissi deficientibus masculis vocarentur fœminæ. Et ita hāc sententiam quoad forum exterius, & interius docuit Homobonus de Bonis in consultationib. moral vol. 1. p. 7. respons. 26. vbi sic ait. Quidam testamentum condidit in quo filium suum hæredem instituit, sed verba testamento apposuit, quibus videtur eum fideicommisso grauasse, quo minus bona alienare posset, sed ad proximiorem agnatum transmitterentur. At verò quia verba ambigua sunt, ita vt Iurisconsulti existimauerint ū eo forum externum res deferretur, non compellendum ad fideicōmissum seruandum, hac ille spe fretus bona immobilia vendidit; nunc verò scrupulo vrgetur, quia ob quasdam coniecturas putat patrem voluisse bonorum alienationem prohibere, & verborum obscuritatem Noterij culpa irrepsisse; quæsitum est quid iuris in foro conscientiæ? & respondet Homobonus quod si filius certus non sit, sed de patris testantis mente dubitet & re diligenter examinata certam cognitionem haurire nequeat; tam in foro externo, quam in interno, liber pronunciari debet, quia cum sit illorum bonorū possessor, in dubio melior est conditio possidentis. Ita ille.

An in dubio beneficium sit censendum simplex, an curatum.

RESOL. LXXIV.

Respondeo, quòd quoties de beneficio dubium est, an sit curatum, vel simplex, simplex est reputandum, quia tot sunt qualitates ad beneficium curatum requisitæ, vt meritò præsumi non debeant, nisi probentur. Et ita docet Gutierez elleg. 8. n. 5. Hojeda de incompatibil. benefic. p. 1. q. 13. n. 2. Gonzalez in reg. 8. Cancell. glos. 6. n. 91. & alij.

An si, v. gr. Petrus dubitet, vtrum Paulus cum quo lusit, esset lucraturus, si ipse fraudes non adhibuisset, teneatur ex hoc aliquid restituere.

RESOL. LXXV.

Pro affirmatiua sententie Bonacina de restit. disp. 2. quæst. 3. punct. 2. n. 7. adducit Nauarrum, & Reginaldum. Sed ipse meritò ibi contrarium docet. Dico igitur in tali casu Petrum teneri solùm ad restitutionem rei acceptæ per fraudem adhibitam in ludo, nō verò ad restitutionem rei suæ, quam Paulo tradidisset si perdidisset: nam in dubio melior est cōditio possidentis. Ita etiam Salas tract. de ludo, dub. 7. nu. 5. Lessius lib. 2. c. 26. dub. 2. & Filliucius to. 2. tract. 37. c. 7. n. 103. vbi tamen aduertit, quòd si aliquis ludens dubius sit, an ipse ob fraudem acquisierit aliquod lucrum, tenebitur ex dubio perseuerante ad restitutionem eius, quia in dubio nō potest acquirere, & melior est conditio alterius possidentis.

TRACTATVS IV.

MISCELLANEVS.

An Generales & Prelati Regularium possint confiteri extero Sacerdoti.

RESOL. I.

RESPONDEO affirmatiuè stando in iure communi, vt benè aduertit Gulielmus Mercerus in additio. ad 3. part. D. Thom. quæst.8.artic.5. dub.1. numero 2. Sed quoad Generales & Prælatos nostræ Religionis negat Peregrinus etiam nouissimè in addit. ad comment. constitut. part. 3. quęst. 1. stante decreto edito in Capitulo generali, vbi sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed ijs tantummodo nostratibus Confessarijs, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius nomine Religionis renunciamus, accedimus. Cum igitur in dicto decreto sit apposita dictio illa, *nemo*, quæ est vniuersalis negatiua, etiam in illo inclusos Generalem & Præpositos esse dicendum est.

Sed ego hanc sententiam in 3.p.tract.2.resol.1.improbaui, & nunc iterum improbo. Dico igitur decretum supradictum loqui tantùm de subditis, quod patet, nam ibi sic dicitur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed ijs tantummodo nostratibus Confessarijs, qui à Præposito domus fuerint designati. ergo apertè patet quòd loquitur de subditis. nam subditi tenentur confiteri cum Confessarijs designatis, & Superiores non obstante hoc decreto hodie in nostra Religione non sunt adstricti confessiones facere cum Confessarijs ab ipsis pro domo assignatis, qui quidem si essent inclusi in dicto decreto, vt vult Peregrinus, necessariò ex ipsius verbis cum dictis Confessarijs confiteri deberent; sed hoc dicere est absurdum, vt patet ex ipsa praxi. ergo dicendum est, vt ex verbis ipsius decreti apparet, in illo tantùm subditos comprehensos fuisse.

Nec valet dicere cum Peregrino, quòd ratio, quæ mouet Capitulum generale ad id statuendum pro subditis, multo magis procedit in Prælatis; ergo voluit omnes comprehendere, etiam Prælatos. nam primò respondeo contrarium apparere, vt visum est in verbis decreti, & hoc ad sedandam quæstionem sufficeret. Secundò respondeo negando in hoc casu eandem rationem procedere cum subditis, quæ cum Prælatis, nam Prælati tanquam Aaron eliguntur inter tantos vt digniores, & in Sicilia tantum quinque sunt, qui ex priuilegio c. ne pro dilatione, de pœn. & remiss. possunt cum extraneis confiteri, subditi verò qui poterant sumere, v.g. Bullam Cruciatæ, pro qua certum est fuisse factum dictum decretum in magno numero, vnde inconueniens, quod in istis in damnum Religionis poterat sequi ex vsu Bullæ Cruciatæ, non erat timendum in Prælatis ex vsu priuilegij dicti c. ne pro dilatione, ex supradictis rationibus: ergo est dispar ratio inter vtrosque.

Non est igitur verum dicere, quod eadem ratio quæ militabat quoad subditos circa electionem Confessarij extrà Religionem virtute alicuius priuilegij, militabat etiam quoad Prælatos, & ideo rectè in supradicto decreto subditi, & non superiores, comprehensi sunt, vt supra ex ipsius decreti verbis probatum est. Vnde patet responsio ad argumentum Peregrini fundatum in particula, *nemo*. nam respondeo esse quidem vniuersalem negatiuam, sed circa illos, de quibus loquitur decretum, videlicet subditos; non comprehendi autem Superiores, cum isti in dicto decreto comprehensi non sint, & idem respondendum est quoad dictionem *quocumque priuilegio*.

Ex his etiam patet non indigere responsionibus alia, quæ adducit nouissimè aduersus me Peregrinus, nã cum ex verbis decreti, vt visum est, Prælati in eo non comprehendantur, corruunt omnia quæ ipse dicit; sed dato, & non concesso, quòd Prælati in dicto decreto comprehendantur, quod mordicus nego, dico adhuc Prælatos posse vigore dicti cap. ne pro dilatione, confiteri extra Religionem. nam licèt renunciassent in dicto decreto quibuscumque priuilegijs sub nomine priuilegij, obseruant communiter Doctores, quos ad satietatem adduxi in 3. part.tractat.2.resol.1. non includitur quod in corpore iuris insertum est, & hoc non solum in clausulis derogatorijs, sed etiam contra Peregrinum in renunciatonibus, quia renunciatio est stricti iuris, & semper eam recipit interpretationem, vt noceat renuncianti quantum minus potest, vt docet Gratianus vol.1.respons.66.num.18. Parisius vol.1. cons.7.numer.73. Crauetta cons.200. num.10. & alij, quos citat & sequitur Riccius part.4. decis.59. num.6. & 7. quibus ego addo Nouarium de elect. fori, sect.1. quæst.3.num.5. loquentem in terminis casus nostri de renunciatione priuilegij. ergo in casu nostro licèt decretum asserat renunciatum fuisse cuicumque priuilegio, dicendum est in illo non includi priuilegium de quo loquimur, cum sub nomine priuilegij non veniat tamquam in corpore iuris insertum. confirmantur hæc omnia ex doctrina Parisij de resignatione benef. tom.2. lib.8. quæst. 1. num. 16. vbi ex Butrio docet, quòd renuncians priuilegio non censetur renunciare iuri communi: sed priuilegium insertum in corpore iuris, vt inter alios docet Lotterius de re beneficiaria, tom.1. lib.2. quæst. 7. num. 26. ex l. eius militis, §. militia missus, de testam. milit. reputatur ius commune, ergo in renunciatione priuilegiorum istius decreti non includitur priuilegium Prælatorum, de quo loquimur, quia vt clausum in corpore iuris censetur ius commune.

Restat modo respondere ad argumenta Peregrini. Dico igitur quod non est verum quod dicit Peregrinus ad infringendum argumentum, quod aduersus illum adduxeram loco citato, nempè renunciationem non esse stricti iuris, & ideo interpretandam, vt eius verba sonant, non est, inquam, hoc verum, quia, vt Doctores citati asserunt, totum contrarium dicendum est, nempè renunciationem esse stricti iuris, & in ea faciendam esse strictissimam interpretationem, vt minus noceat renuncianti; & ita præter Doctores citatos docet Decius consil. 352. num.7. Decianus cons.45.num.11. vol.2. Surdus consil.431. nu. 20.vol.3. Menochius conf.286.nu.8. & 9. volum.3. & alij penes ipsos. Ad id verò quod in decreto apponatur illa particula, *quocumque priuilegio*, quæ est collectiua habens effectum importantem vniuersitatem, respondeo intelligendam esse de quocumque priuilegio, quod sub nomine priuilegij potest includi, quod non accidit in casu nostro, vt probatum est. ergo, &c. Ad illud verò, quòd Prælati scientes habere hoc priuilegium, & illud non excipiendo, ideo renunciauerunt, assero satis excepisse, dum in specie de illo mentionem non fecerunt. nam cum renunciassent simpliciter quibuscumque priuilegijs, sciebant hoc priuilegium in dictis verbis non includi, cùm sub nomine priuilegij non veniat, tamquam in corpore iuris inclusum. Et tandem ad aliud argumentum quòd ratio, quæ mouit Capitulum generale ad renunciandum priuilegijs, multo magis procedit in Prælatis, quàm in subditis. Respondeo primò, cum renunciatio ex ipsomet Peregrino sit spontanea refutatio. Patres in illo Capitulo voluerunt renunciare priuilegijs quo ad subditos, non autem quoad Prælatos. Vel secundo respondeo esse disparem rationem in hoc casu inter subditos, & Prælatos, vt supra probatum est, remanet igitur satis firmata nostra sententia, nempè in dicto non esse inclusos Prælatos nostræ Religionis quoad priuil. c. ne pro dilatione, de pœn, & remission.

An

non rectè P. Peregrinus argumentatus est in hoc casu de Episcopis ad Regulares. Adde quòd non est nouum ex priuilegio multa concessa esse Regularibus, quæ Episcopis denegantur.

Et tandem asserit Peregrinus quòd vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio; sed eadem ratio militat in auditione confessionum Sacerdotum sæcularium, & Episcoporum, ac Religiosorum; ergo eadem dispositio Concilij Tridentini seruari debet circa Sacerdotes, qui audiunt confessiones Regularium, quæ seruatur circa illos, qui audiunt confessiones Sacerdotum sæcularium & Episcoporum. nam Sacerdotes sæculares non sunt æstimandi peioris conscientiæ, quàm Regulares. Ita Peregrinus. Sed respondeo quod valde miror apud illum Clerum sæcularem pari passu procedere cum Clero Regulari. Ego sæculares Sacerdotes valde veneror, & scio inter illos aliquos sanctiores inueniri aliquibus Religiosis, sed absolutè loquendo, perfectiores reputantur Regulares, & cautiores in peccando, quàm sæculares Sacerdotes; vt probat D. Tho. quodl. 3. q. 6. art. 17. Vnde rectè hos in decreto inclusit Tridentinum, non autem illos, & ideo nescio quo pacto asserere potuerit Peregrinus non adesse disparem rationem inter illos.

Hinc ex his sequitur, Præpositos locales nostræ Religionis, quibus non deficit commoditas confitendi Confessarijs nostræ Religionis, posse confiteri simplici Sacerdoti nostræ Religionis, qui non esset admissus ad confessiones audiendas a nostro P. Generali, quia, vt dictum est, habent potestatem eligendi Confessarium, & Tridentinum nihil innouat quoad approbationem Confessariorum in Ordine ad excipiendas confessiones Regularium, & rationes, quas pro contraria sententia adducit Peregrinus q. 5. omnes soluuntur ea supradictis.

An in sacramento Pœnitentiæ, quando agitur de iurisdictione Confessarij, possit ille & pœnitens vti, in eius administratione & receptione, opinione probabili, relicta probabiliori.

RESOL. IV.

AFfirmatiuam sententiam docui contra Peregrinum in 3. p. trac. 2. resol. 3. sed ipse iterum absolutè in addit. ad nostr. constit. p. 3. q. 6. negatiuam sententiam tenet, & putat in tali casu aliter facientes esse sacrilegos, & se exponere periculo faciendi Sacramentum nullum.

Sed notandum est quòd quædam veritates à Christo institutæ sunt, vt sic fiant, & non aliter valeant, v. grat. si fortè instituit quòd tipha, hordaum, vel amylum materia non sit consecrationis, sed tantum panis triticeus, vel quod forma Baptismi sit tantum ea, quæ nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti significatur, non quæ nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque, vel quod pars minima corporis abluta sufficiens non sit ad valorem Baptismi, &c. hæ igitur res cum à Christi institutione dependeant quoad suum valorem, sic, & non aliter, illum sortientur qualiter reuera institutæ sunt, quamuis ex opinione probabili aliter fiant; aliæ verò res sunt, quarum veritas à Summo Pontifice determinata existit, v. grat. quòd talis Confessarius habeat iurisdictionem, vel non, aut quòd talis sit Parochus, vel non, vel quod hic, vel talis contractus sit matrimonium, vel non, hoc, vel tale votum valorem habeat, vel non, aut quòd hæc, vel talis professio emissa à Religioso irrita sit, vel non, &c. harum igitur rerum veritas in indiuisibili non consistit, sed iuxta opinionum varietatem multiplicatur, vnde quando opinio probabilis adest circa earum valorem, tunc in ædificationem Ecclesiæ Summus Pontifex illam approbat, & Ecclesia tacitè in his casibus præbet iurisdictionem, aliàs nimis conscientiæ grauarentur, & ita hanc sententiam docet Castrus Palaus in opere morali tom. 1. disput. 2. punct. 5. num. 9. Lessius lib. 6. cap. 29. dub. 8. num. 68. Bonacina in Decal. disp. 2. quæst. 4. punct. 9. nu. 19. Malderus in 1. 2. D. Thom. quæst. 19. artic. 5. disput. 68. Vnde Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 35. sic ait. Quando opiniones circa iurisdictionem Sacerdotis ad audiendas confessiones versantur, atque opinio probabilis docet illam habere, probabilior autem negat, talis Sacerdos nullo modo peccabit audiens confessiones. Ita ille. Et ideo recte Henriquez lib. 5. cap. 14. n. 3. asserunt non esse minus potentem opinionem sapientium, quàm vulgi errorem ad conferendam iurisdictionem.

Hanc etiam opinionem præter Doctores citatos tenent omnes illi, qui docent approbatum ab vno Ordinario posse vbique eligi in Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ, quorum nomina adduxi in 1. p. tract. 11. resolut. 17. nam si quis eligeret hanc opinionem, relinqueret Confessarium certum pro incerto; sed quia in tali casu opinio probabilis ex consensu Ecclesiæ, vt dictum est, confert iurisdictionem, ideò in praxi illam sequi posse non est dubitandum. Hanc etiam sententiam docent illi Doctores, qui existimant posse simpliciter Sacerdotem absoluere moribundum præsente proprio Parocho, quorum nomina adduxi in part. 1. tract. 5. resol. 5. & in hoc casu citati Doctores cōsequenter docent posse aliquem relinquere Confessarium certum pro incerto, sine vlla causa, & necessitate, & alios multos casus similes poteram adducere; sed quia breuitati studeo, assero propter opinionem probabilem Ecclesiam tribuere iurisdictionem Confessario.

Sed videamus quomodo hanc sententiam impugnet Peregrinus, qui multa argumenta adducit, sed præcipuè reducuntur ad duo. Primò, quia in re graui facit contra rectam rationem, nam iudicium consultationis non potest esse de minori bono, sed hoc accidit in casu nostro, eligendo probabilem sententiam, relicta probabiliori. ergo, &c. Respondeo, quòd supposita probabilitate opinionis non est minus bonum illā sequi, quàm oppositum, & si quis non peccat minus tutam sequendo, non minus tutè quam alius incedit quoad incurrendam culpam, quia non est dare magis, vel minus inter peccare, & non peccare, & cum vna opinio non sit magis tuta, quam alia, quoad imputabilitatem ad culpam, consilium non habebit locum, vt dictet vnam esse magis sequendam relicta altera, & ita qui iuxta opinionem minus probabilem operatur, non etiam cōtra rectum iudicium & consilium agit. Ita Sancius in selectis, disput. 42. nu. 12. & post illū Castrus Palaus to. 1. disp. 2. punct. 2. n. 3. & alij. Vnde Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 14. rectè docuit, quòd nullus ad melius amplectendum astringitur, quod etiam docet Granado vbi infra nu. 23. & ideo Merolla in Theol. disp. to. 1. disp. 3. c. 4. n. 25. ex communi asseruit, quod quando quis sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori, non facit contra rectam rationem, quia eo ipso quòd est probabilis, est conformis rationi.

Secundò sic argumentatur, qui in administratione sacramēti Pœnitentiæ relinquit opinionem probabiliorem, peccat, quia voluntariè exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum aduersus etiam obligationem charitatis erga proximum cui tenemur prouidere de certo remedio. ergo, &c. Respondeo quod etiam secluso periculo, quòd in tali casu Ecclesia non præbet iurisdictionem, quod omnino negandum est; tamen hoc non obstante, in nostro casu periculum irritādi Sacramentum, & per consequens damnum proximi, de quibus tantum timet Peregrinus, moraliter loquendo, non potest adesse, nam cum in Sacramento Pœnitentiæ absoluens sit Sacerdos, & omnes simplices Sacerdotes habeant facultatem absoluendi à venialibus, & indirectè à mortalibus, consequenter sequitur Sacerdotem in tali casu conficere Sacramentum, & pœnitentem nullum subire periculum damnationis, si à Sacerdote absoluatur cum opinione probabili. nam cum homines quasi semper confiteantur venialia cum mortalibus, absoluuntur in tali casu, de quo loquimur, directè à venialibus, & indirectè sufficienter à mortalibus, & ita docent & respondent ad argumentum Peregrini, Sanchez, Malderus, Martines, & alij, quos in dict. resolutione citaui, quibus nunc addo Ludouicum à Cruce in append. de opinionibus probabil. dub. 3. per totum, Castrum Palaum in opere moral. tom. 1. disp. 2. punct. 5. num. 9 Bonacinam in Decalog. disp 2. quæst. 4. punct. 9. num. 20. Turrianum in select. disp. part. 1. disp. 22. dub. 2. & ideo Sancius in select. disput. 44. num. 14. sic ait. Est valde notandum quod in prædictis casibus non peccabit contra charitatem, neque iniustiam minister absoluens cum opinione probabili circa iurisdictionem, dum pœnitens aliquod veniale simul cum mortalibus fateatur, quia cum simplex ad venialium absolutionem indubiè habeat iurisdictionem, absoluens gratiam causabit. Ita ille. Et tandem Iacobus Granado in 1. 2. D. Thom. controu. 2. tract. 11. disput. 4. sect. 4. nu. 38. sic asserit. Mihi placet opinio affirmans, sufficere quòd Confessarius secundum probabilem opinionem habeat iurisdictionem ad absoluendum, vt licitè possit ministrare sacramentum Pœnitentiæ, quia reuera nullo periculo exponitur Sacramentum, tum quia eo ipso quòd Confessarius sequatur opinionem

nem probabilem, datur communis error in populo, & facta ex tali errore sunt valida: tum etiam, quia in confessione semper pœnitens fatetur aliquod saltem veniale, supra quod certum est esse iurisdictionem in quolibet Confessario, & cum aliunde sit probabile quod possit absoluere à mortalibus, saltem cadet indirectè absolutio supra illa, & ita nulli periculo exponitur. Hæc Granado.

Ad id verò, quod asserit Peregrinus, quòd in electione opinionum illa sit amplectenda, quæ est probabilior & securior, respondet Sancius in selectis, disput.42.num.2. hoc esse falsum; sed ego non ita rigidè hanc sententiam improbo. Dico igitur esse sententiam magis communem & probabiliorem illam, quę asserit in eligendis opinionibus sufficere sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori & tutiori; & ita docent 31. Doctores, quos ego adduxi in part.2.tract.13. resol.1. & adducit Sancius vbi suprà, & Merolla in disput.Theol. tom.1.disput.3.cap. 4. num.4.

Et tandem nota, quòd pro sua firmanda sententia adducit duo loca Lessij, & Sancij, sed non faciunt ad rem, quia in dictis casibus cum pœnitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, certum est quòd non potest pro libito ei confiteri: secus est in nostro casu, vbi pœnitens tenet, & iudicat stante opinione probabili Confessarium habere iurisdictionem; cæteras verò rationes à Peregrino adductas ex supradictis facilè solui possunt, ideo ad alia descendamus.

An quilibet Confessarius sæcularis, vel Regularis possit absoluere Nouitios, etiam à peccatis in Religione reseruatis.

RESOL. V.

ANgor in rebus tam claris tempus conterere, sed Peregrinus vbi supra quæst. 8. negatiuam sententiam docere; nixus authoritate decreti Clemen. VIII. de reformat. Nouit. & licèt ego in 3. part. tract.2. resol.4. dixissem aduersus illum cum nostris Molfesio & Leone in dicto decreto Pontificem loquutum fuisse consultiuè, non autem præceptiuè: ipse tamen iterū docet, tale decretum à Summo Pontifice latum fuisse per modum præcepti, vt patet ex verbis §.94. Ipsi autem soli Magistro Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur; liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in anno eorumdem Nouitiorum confessiones audire, quæ verba, vt dixi, putat Peregrinus imponere præceptum. Primò ex illo verbo *committatur*, & ex alio verbo, *Magistro soli Nouitiorum*, Secundò, quia Clement. VIII. in dicto decreto præscribit formam educationi Nouitiorum circa administrationem sacramenti Pœnitentiæ; sed forma non seruata facit actum nullum. ergo, &c.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam teneo, quam docent communiter Doctores, quos ad satietatem adduxi in cit. resol.4. quibus nunc addo Nouarium de elect. fori, sect.2.qu.63.num.13. Henriquez lib.6 cap.16.nu.3. in glossa lit. X. Faustum in Theol. moral. part.2.lib.8.quæst.53. & Aloysium Bariolam in Aphorism. lit.N.verb, Nouitij §.15. vbi sic ait. Nouitij à censuris absolui possunt, & à casibus reseruatis in Religione per illos Confessarios, per quos poterant absolui in sæculo, etiam inconsultis Regularibus Prælatis, quia non sunt verè, & realiter Religiosi, & ideò non ligantur Regulæ, nec Religionis statutis. Ita ille.

Sed restat respondere ad argumenta Peregrini, & ad primum dico, Sebastianum à Bononia correctum in trac.de elect. part.2. cap.1. dub.56. num.4. docere aliquas Religiones, inter quas nostram enumerat, non includi in dicto decreto; sed quicquid sit de hoc, respondeo verba decreti neque esse præceptiua, neque, vt vult Peregrinus, æquipollentia præcepto: nam, vt affirmat communis Doctorum sententia, verba æquipollentia præceptis sunt hæc, *debeant, teneantur, necessariò, necesse est, non potest*, &c. ergo non est dicendum quòd in dictis verbis, *committatur soli Magistro Nouitiorum*, includatur præceptum, quod etiam probatur, quia dicta verba imperatiua sunt, vt patet, sed verba imperatiua, vt docet Caiet. in 2.2.q.66.art.4. circa solutioné ad 2. Castrus de leg. pœn. libr.1.c.5. documen.4. Carbo de legibus lib.7. disp.4. ad fin. Sayrus lib.3. cap.7. nu.16. Nauarrus in manuali cap.23. num.49. Emanuel Sà ver. lex, num.6. non habent vim legis & præcepti obligantis ad culpam mortalem; ergo dicẽdum est supradictū decretum minimè præceptiuum, sed consultiuum esse.

Quod euidenter confirmatur. nam quando præceptum est dubium, non obligat, vt docet Henriquez lib.8. de Euchar. cap. 45. num.3. in glos. lit. P. Suarez in 3. part tom.5. disput.40. sect.5. num.15. Sanchez de matrim. tom.1. lib.2. disp.41. num.36. Villalobos in summ. tom.1. tract.1. difficult.21. num.4. Emanuel Sà ver. dubium nu.2. Castrus Palaus tom.1. disp.3. punct.7. num.1. quia in hoc dubio stat possessio pro libertate; sed in nostro casu Peregrinus non potest negare esse dubium, an in dicto decreto contineatur præceptum, ex rationibus adductis, & ex Doctoribus, qui nostram sententiam tenent: ergo dicendum est supradictum decretum non esse præceptiuum, sed consultiuum.

Confirmantur etiam supradicta ex absurdo, quia si opinio Peregrini esset vera, Nouitij in re tam graui, vt est vsus sacramẽti Pœnitentiæ, essent peioris conditionis, quàm Regulares professi. nam isti in suis confessionibus pro consolatione & exoneratione suarum conscientiarum possunt confiteri cum duobus, vel tribus, aut pluribus Confessarijs, vt habetur ex alio decreto Clement. VIII. necessariò designandis à Superiore domus, sed per opinionem Peregrini Nouitius cum solo Magistro potest confiteri. Igitur, vt dictum est, esset peioris conditionis, quàm Professi; verùm hoc dicere est absurdum, cum omnes Doctores asserant Nouitios gaudere fauorabilibus Regularium, non autem includi in pœnalibus. ergo, &c.

Ad illud verò quòd asserit Peregrinus, decretum in dictis verbis præscribere formam circa administrationem sacramenti Pœnitentiæ Nouitiorum. ergo forma nõ seruata actus est nullus, quia deficit substantia. Respondeo negando dicta verba importare formam necessariam; important igitur formam, vt magis vtiliter, conuenienter & decenter administretur Nouitijs sacramentum Pœnitentiæ, non vt validè, ita vt si ipsi confiteantur cum alio præter Magistrum, Sacramentum sit nullum. Et quidem quomodo verisimiliter credi potest Pontifex tam doctus vt fuit Clemens VIII. sciens communem opinionem Doctorum docere Nouitios potuisse confiteri cum quocumq; Confessario, si contrarium voluisset determinare, quod probabiliter non est credendum, illud tamen determinasset tam obscurè, & sub tantis verborum inuolucris, vt inter tot viros doctos & pios, qui post dictum decretum scripserunt, solus P. Peregrinus hoc præceptum venatus sit.

Vnde ex supradictis infertur posse Confessarios designatos à Superiore domus excipere confessiones Clericorum professorum manentium sub Magistro, vt ego docui in 3. part. tract.2. resolut.5. quia suprà dictum decretum, vt probatum est, non est præceptiuum, & loquitur tantum de Nouitijs; sed cum dicti Clerici sint iam Professi, ideo quoad eorum confessiones standum est nostris constitutionibus p.1.cap.6.num.7. & altero decreto Clement. VIII. die 26. Maij 1593. per quod omnes Professos, vt asserit etiam dicta nostra constitutio, apparet posse confiteri cum Confessarijs designatis à Superiore domus. ergo, &c.

Ex his patet responsio ad argumentum quod nouiter adducit Peregrinus, nempè Prælatos non tribuere iurisdictionem Confessarijs domus ad excipiendas confessiones dictorum Clericorum. nam contrarium apparet ex dicta cõstitutione & decreto, in quibus cum omnes Professi, non exclusis dictis Clericis, vt patet ex contextu literæ, possint confiteri cum dictis domus Confessarijs; ergo necessariò sequitur dictos Confessarios habere iurisdictionem etiam circa illos.

Instat adhuc contra me P. Peregrinus, & asserit, quòd dicti Clerici distinguuntur ab alijs Professis, vt patet per dictum decretum reformationis §.107. ergo non debent includi in verbis nostræ constitutionis, & in verbis alterius decreti Clem. VIII. anno 1593. Sed respondeo hoc decretum nostram sententiam magis confirmare, nam, vt patet ex eius verbis, nihil in illo disponitur de supradictorum Clericorum Confessarijs, ergo relinquuntur, vt possint sicut alij Professi cum Confessarijs domus confiteri, & miror P. Peregrinum verba supradicti decreti adducere pro sua firmanda sententia, cum potius ad nostram clarè stabiliendam conferant.

Vnde ex his assero contra illum Summum Pontificem in decreto reformationis anno 1603. non solum non limitare decretum anno 1593. sed illud magis confirmare. nam ibi loquendo

de

de Nouitijs, licèt consultiuè dixerit, quòd confiteri, debeant cum Magistro tamen loquendo postea de dictis Clericis, qui iam professi erant, nihil asserit de eorum confessionibus, meminerat enim iam in decreto an. 1593. illis concessisse, vt plures Confessarios haberent necessario designandos a Superiore domos pro excipiendis Professorū confessionibus, cætera verò argumēta, quę P. Peregr. adducit, ex supradictis facilè resoluūtur.

An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesijs sit peccatum mortale.

RESOL. VI.

NEgatiuam sententiam docui contra Peregrinum in 3. par. tract. 2. resolut. 8. sed ipse iterum in addit. quæst. 11. eamdem opinionem mordicus defendit, & licèt fateatur hâc obligationem non procedere ex vi nostræ consuetudinis, asserit tamen procedere ex vi consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ, & ex vi Canonum.

Sed miror quidem suam sententiam Peregrinum defendere ex vi Canonum, cùm communiter Doctores asserant, Regulares non teneri ad Officium diuinum, sub quo ipse includit Missam solennem ratione alicuis textus iuris Canonici, constanterque firment in toto corpore iuris Canonici non adesse Canonem imponētem hanc obligationem Regularibus, sed teneri ad Horas canonicas ratione consuetudinis iam pręscriptę in vnaquaque Religione, & ideo nouissimè Iacobus Gordonus in Theol. moral. tom. 2. lib. 6. q. 2. c. 6. §. 3. n. 22. sic ait. Restat ergo cum nullus extet Canon de hac re, aut constitutio Ecclesiæ, Regulares ad Horas canonicas tantum obligari ex longa, sancta & recepta consuetudine. Ita ille, qui citat Sotum, Medinā, & Caietanum; sed audiamus Lessium lib. 2. c. 37. dub. 9. c. 49. sic asserentem. De Religiosis ad chorum professis nondum ordinatis, communis sententia Doctorum est, teneri ad Horas canonicas: sed difficultas est quo iure teneantur, non enim iure Canonico scripto, cùm nullus Canon ea de re extet, nec iure naturæ, quia non pertinet ad essentiam Religionis; neque ex vi voti, aut professionis, quia voto se ad hoc non astringunt; nec tenentur ratione eleemosynarum, quibus viuunt, quia non datur cum hoc onere, sed vt viuant secundùm suū institutum. Itaque solum videntur teneri pręscripto consuetudinis vbique receptæ; & ita etiam hanc sententiam docent Faustus de Horis canonicis lib. 2. q. 55. Bonacina disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 1. Tannerus in 2. 2. D. Thomæ disp. 5. q. 1. dub. 4. n. 143. Suarez de Relig. tom. 2. lib 4. c. 17. n. 2. & seq. Villalobos in summ. to. 1. tract. 24. diffic. 9. num. 7. & alij penes ipsos. Vnde si in aliqua Religione non adesset talis consuetudo, quod negamus, esse dicēdū, illos Religiosos nō esse astrictos ad Horas canonicas persoluendas.

Verum his non obstantibus P. Peregrinus docet, quod sub nomine Officij diuini includitur Missa solennis, & quòd præcipiatur tribus in locis apud Canones vt Regulares Officium diuinum persoluant; ergo tenetur ad Horas canonicas, & per consequens ad Missas solennes, quæ comprehenduntur nomine Officij diuini ex vi Canonum, & iuris positiui, & textus qui hoc pręcipiunt asserit esse, cap. dolentes, de celebratione Missarum, c. cùm creatura, eodem titulo, & Clem. 1. etiam eodē tit.

Sed vt verum fatear, quando hanc sententiam legi, prima facie vehementer stupui, quòd apud veteres, & recentiores scriptores tam doctos tale præceptum in iure Canonico non fuerit inuentum, vt supra visum est, & quòd P. Peregrinus solus his nostris temporibus inuenerit, & ideo statim ad textus, & ad expositores cucurri, & cum legerim cap. dolentes, & cap. cùm creatura nec vllum verbum inueni quod comprehendat Regulares, vt legenti parebit, aliquam difficultatem mihi præbuit Clem. 1. vbi Concilium Viennense loquitur etiam de Regularibus, & ideo cum paululum suspensus hæresim, statim fugauit tenebras Filliucius tom. 2. tr. 23. c. 4. nu. 133. vbi postquam quæsierat, an Ecclesiæ sæculares, siue Cathedrales, siue Collegiatæ obligentur ad Officium in choro, tandem quærit an Ecclesiæ Regulares obligatæ sint ad eiusmodi Officium, & ita asserit. Respondeo esse obligatas iuxta cuiuscumque consuetudinem & institutum, ex Clem. 1. de celebr. Missar. nam etiam Ecclesiæ Regulares connumerantur cum Cathedralibus & Collegiatis. dixi iuxta cuiuscumque institutum, quia Religiosi non tenentur ad Officium in choro ratione proprij beneficij, cum id non habeant, neque propterea quòd viuant ex eleemosynis, vel bonis Ecclesiasticis, quia non dantur cum itae conditione, neque etiam est ius Canonicum vniuersaliter obligans Religiosos ad id, sed pendet ex peculiari cuiusque instituto & consuetudine, vt dictum est. Hæc Filliucius.

Vnde dicendum est dictam Clem. 1. non asserere absolutè Regulares esse obligatos ad Officium diuinum persoluendum, sed ad id teneri iuxta cuiuscumque consuetudinem & institutum, & ita etiam possent interpretari c. dolentes, & cap. cum creatura, si de Regularibus loqueretur. Verùm cum P. Peregrinus concedat in nostra Religione non adesse institutum, neque consuetudinem obligantem sub mortali ad canēdam Missam solennem in diebus festiuis; ergo constanter dicendum est illam relinquere non esse peccatum mortale, sicut esset si relinquerentur Horæ canonicæ ad quas persoluendas consuetudo pręscripta iam obligat. Non bene igitur P. Peregrinus dicit non teneri ad canēdam Missam solennem ex vi Canonū, sed optimè cum Gauanto ad rubr. Missalis, tom. 1. part. 3. tit. 11. n. 4. dicendum est Regulares ad id teneri ex vi regulę & consuetudinis interpretantis regulam, quam nos & ipsemet Peregrinus negamus in nostra Religione adesse cum obligatione culpæ lethalis ergo, &c. quæ omnia confirmantur. nam si nos teneremur dicere Missam solēnem ex vi Canonum, & consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ, vt vult Peregrinus, teneremur illam dicere in diebus ferialibus, vt patet ex d. Clem. 1. & cap. dolentes, & cum creatura, de celebratione Missarum. Sed nos hoc non facimus. ergo dicendum est ad illam nos non teneri virtute dictorum Canonum.

Respondet Peregrinus hoc esse verum, sed potest esse quòd per viuæ vocis oraculum licentiam non canendi quotidie Missam obtinuisset Religio ab aliquo Summo Pontifice, quia illis temporibus passim erat in vsu concedere similes facultates per viuæ vocis oraculum. Verùm si hæc opinio Peregrini admittenda foret, certi essemus de transgressione Canonum & consuetudinis (vt vult ipse) vniuersalis Ecclesiæ, dum in nostra Religione non fuerit cantata solennis Missa in diebus ferialibus, & incerti essemus de excusatione transgressionis, nam ipsemet Peregrinus loquitur cum formidine & præsumptiuè, quamquidem licentiam à Peregrino præsumptam difficulter adfuisse dicendum est; cum non sit credibile in re tanti momenti si Patres essent obligati ex vi Canonum & consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ ad canendam Missam diebus ferialibus, si hoc non facerent ex priuilegio Summi Pontificis, vt præsumit Peregrinus, non, inquam, vt dixi, credibile est in re tam graui, quo ad memoriam posteram, & in honorem Religionis, & ad securitatem conscientiarum, si de tam solemni priuilegio in Archiuio S. Syluestri, vel alio in loco mentionem aliquam non reliquissent: sed hoc non inuēnitur, neque Patres seniores de tali priuilegio vnquam mentionem fecerunt. ergo necessariò dicendum est non adfuisse, & ita est, quia reuera necessarium nō erat, cùm Regulares, vt dictum est, atque satis probatum, non teneantur dicere Missam ex vi Canonum, sed ex consuetudine præscripta in vnaquaque Religione, sed in nostra Religione non fuit recepta consuetudo, vt Missa solennis caneretur diebus ferialibus, sed tantùm diebus festiuis, & hoc sine onere peccati mortalis, ideo Patres sine vllo Pontificis priuilegio dictam Missam solennem in diebus ferialibus non dixerūt, neque nos his etiam temporibus dicimus, nō, vt dictum est, ratione alicuius priuilegij, sed quia in Religione non habemus consuetudinem illam canendi.

Igitur contra P. Peregrinum cum communi sententia omnium Doctorum, tam veterum, quàm recentiorum, dicendum est regulares non esse obstrictos sub mortali ad Officium diuinum, & Missam solennem in choro canendam ex vi alicuius Canonis, vel consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ, sed ex regula & vi consuetudinis præscriptæ interpretantis regulam. In nostra verò religione recepta est consuetudo obligans sub mortali ad persoluendas Horas canonicas, etiam extra chorum, non autem ad canendas Missas solennes in diebus ferialibus; festiuis verò diebus illam canimus, sed non cum obligatione peccati mortalis, quæ omnia patent ex superius adductis, ex quibus etiam patet responsio ad alia, quæ adducit pro sua firmanda sententia Peregrinus.

An Prælati Regulares locales possint concedere dimissorias suis Nouitijs vt ab Episcopo ordinentur?

RESOL. VII.

AFfirmatiuè contra Peregrinum respondi in 3. part. tract. 2. resol. 7. cum multis Doctoribus; sed ipse iterum in addit. q. 10. negatiuam sententiam docet, quæ mihi iterum non placet. nam præter Doctores citatos vbi suprà, meam opinionem tenet iam nouissimè Augustinus Barbosa de iure Pontificio lib. 1. c. 17. n. 171. vbi sic ait. Si Abbates, aut alij Religionum Prælati haberent speciale priuilegium concedendi suis Monachis dimissorias literas ad quemcumque Episcopum, licet in illo non exprimatur, quòd illud valeat Nouitijs communicare, poterunt tamen etiam Nouitijs illas, vt à quocumque Episcopo ordinentur sicuti cæteris Monachis professis concedere. Ita Barbosa, qui citat Tamburinum, Sanchez, à Vecchis, & Tiberium à me etiam ante illum vbi supra citatos, & ratio est, quia Nouitij gaudent priuilegijs Religionis, vt docet Henriquez lib. 7. c. 22. n. 7. Azorius part. 1. lib. 12. c. 2. quæst. 10. Sayrus de censur. lib. 7. ca. 13. n. 6. Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. c. 39. nu. 17. Suarez de Religione, tom. 3. lib 5. c. 16. nu. 17. Hinc Dominicus in c. Religioso, §. quamuis, n. 3. de sent. excommunicationis in 6. sic asserit. Nota quòd ingrediens professionem alicuius generis personarum, gaudet priuilegijs cõcessis personis illius professionis, licet non firmato proposito sit effectus illius. Ita ille. Vnde ex his patet responsio ad argumẽtum Peregrini asserentis contra me non apparere priuilegium in quo dicantur Prælati Regulares posse concedere dimissorias ad Ordines suscipiendos Nouitij, sed suis subditis, & per subditos intelligere Professos, non, inquam valet hęc ratio. nam, vt dictum est, Nouitij gaudent priuilegijs Religionis, & quoad odia non venit Nouitius appellatione Religiosorum; secus autem in fauorabilibus, vt est in casu nostro. ergo, &c. Nec etiam valet dicere cum dicto Peregrino quòd priuilegia exorbitantia à iure communi sunt strictè interpretanda, ex c. quæ à iure communi, de reg. iuris in 6. Nam respondeo hoc esse verum, quando priuilegium esset concessum vni particulari, secus autem, vt est in casu nostro, quando est concessum toti Religioni in communi, & ita in terminis docet doctus Portel in respons. regu. part. 3. cas. 49. ad 2 argum. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 1. nu. 13. & alij penes ipsum. Igitur cùm Prælati tum nostræ, tum cæterarum Religionum, habeant priuilegium concedendi dimissorias suis Monachis, dicendum est per consequens posse etiam dimissorias Nouitijs concedere, gaudentibus Religionis priuilegijs, & quoad fauorem venientibus appellatione Religiosorum & subditorum.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint commutare, vel dispensare vota extra confessionem, & quid de absolutione censurarum?

RESOL. XVIII.

AFfirmatiuè contra Peregrinum respondi in 3. part. tractat. 2. resol. 9. sed ipse nouissimè contrariam sententiam docet in addit. q. 12. quã iterum refello. nam priuilegia fauorabilia sunt, & latè interpretanda, quia licèt sint priuilegia iuri communi derogantia; vnde etiam odia iuris dicuntur, & odia sint restringenda; tamen hoc non habet locum quando priuilegiũ in fauorem publicum concessum est; tunc enim nõ odium, sed fauor Principisque beneficium censetur, & ideo latè interpretandum est, quantum eius verba patiuntur. Ita glossa & Panormitanus cap. fin nu. 2. de simon. quod multo magis procedit, quando huiusmodi facultas non particulari alicui, sed integro Ordini largita est, vt in præsenti, quo casu etiam fauorabilis censetur, & extendenda, & hæc omnia docet in terminis casus nostri Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 19. quęst. 2. n. 2. qui citat Lessium & Sanchez, & ideo nouissimè docuit etiam hanc sententiam Aloysius Bariola in aphorism. lit. V. verb. votum ex quibus apparet quam rectè dixerim contra Peregrinum, hæc priuilegia esse amplianda; quòd verò non amplientur absque ratione, vt ipse docet, patet per ea, quæ adducunt Doctores à me citati, quibus nunc addo Suarez de Religion. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu 4. Henriq. lib. 7. de Indulg. c. 30 n. 6. Sotum de iust. lib. 7. q 4. art. 3. non obstãte quòd in dictis priuilegijs ponatur ablatiuus ille absolutus, *confessionibus auditis*, quia cùm adeò distent inter se, absoluere à peccatis, ac vota commutare, neque hoc confessione indigeat, non censendus est Pontifex velle totum priuilegium limitare per illum ablatiuum absolutum, sed singula singulis sunt referenda, & ita ille refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediate sequitur, quippe ea est regula vt clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censeatur referri ad omnia in ea clausula, ex cap. secundò requiris, de appell. At intelligitur, quando omnium eadem est ratio, quod in casu nostro non contingit. ergo, &c. Non est igitur hoc priuilegium extensum sine ratione, vt asserit Peregrinus, & per consequens neque contra mentem Summi Pontificis. quæ omnia confirmantur, quia antequam in literis sacræ Pœnitentiariæ poneretur illa clausula, *audita confessione, nec alter, nec alio modo*, satis probabiliter, vt obseruat Filliucius tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 10. num. 353. asserebant aliqui dispensationes emanatas ex dicta S. Pœnitentiaria potuisse fieri extra confessionem, & ita docebat Salas de legibus disp. 20. sect. 10 n 98. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 34 num. 29. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 10. disp. 6. punct. 15. §. 1. n. 6. & alij.

Restat modò respondere ad cætera argumenta, quæ adducit Peregrinus; & ad illud fundatum supra dictam clausulam appositam nouissimè à sacra Pœnitentiaria, *audita confessione, & non aliter*, &c. respondeo quòd dictæ litteræ sacræ Pœnitentiariæ emanant in fauorem particularium personarum, & ideo non est mirum si Summus Pontifex velit tales gratias concedere cum illo onere & conditione; secus autem dicendum est in casu nostro, nam priuilegium conceditur integro Ordini Religiosorum, quo casu magis fauorabile censetur, & ideo latè interpretandum est, vt late probat Tamburinus loco citato, vnde non sequitur id, quod intendit Peregrinus. Ex quibus etiam patet responsio ad secundum argumentum. Ad tertium verò vbi asserit quod personæ prudentis est semper ac potest incedere per viam tutam sic etiam est facere suas actiones tutas dum potest, & non exponere illas sub opinione Doctorum. Respondeo quòd quando quis operatur cum opinione probabili, operatur tutè, & incedit per viam tutam, & tutas facit suas operationes, & reuera ita est, vt asserunt omnes Doctores. Vnde rectè Io. Sancius in selectis disp. 44. n. 66. obseruat, quòd dum communiter inquirunt Doctores inter opiniones probabiles dari vnam securiorem & tutiorem altera, non ita est intelligendum, quod maius periculum incidendi in culpam inueniri possit, vnam opinionem sectando, quam aliam. nam cum quælibet opinio probabilis tutam reddat conscientiam in operando, nõ minus tutus erit operans iuxta vnam, quam iuxta aliam opinionem, Ita ille, & hæc dicta sufficiant circa opiniones, & defensiones Peregrini.

An hora secunda finita post meridiem, recitato Vespere, possit statim quis recitare matutinum sequentis diei?

RESOL. IX.

AFfirmatiuam sententiam probabilem esse puto, pro qua alibi adduxi Fabrum & Molfesium quatenus dicunt posse recitari hora 20. quæ aliquando est secunda post meridiem: quibus nunc addo Sanchez in opusc. to. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. n. 4 loquentem expressè de hora secunda, & ante omnes Martinum Ledesmam in 2. 4. quæst. 16. ar. 5. dub. 1. vbi sic ait. Si preces horariæ sunt dicendæ priuatim à personis priuatis, absque peccato mortali possunt dici à vespere vnius diei vsque ad mediam noctem sequentis diei, hac lege quòd in vespere prioris diei solum dicatur Officium Matutinum, aliæ vero preces die sequenti dicatur vsque ad mediam noctem. Ita ille. Et Sanchez notat hanc sententiam tenere etiam aliquos recentiores Magistros, quorum quidam addidit, quod si quis post medium diem hodiernum recitaret Matutinum diei crastinæ saltem in Quadragesima, vbi Vesperæ dicuntur ante prandium, videtur iam incepisse dies sequens, & in rigore non videtur obligandus ad mortale, neque ad iterum recitãdum. Notat etiam Sanchez hanc opinionem esse veram, licèt quis quando recitat hora secunda post meridiem Matutinum, nõdum recitasset Vesperas, & Completorium diei hodiernæ, adhuc enim non esset peccatum mortale, quia illa peruersio horæ non videtur grauis, & horarum ordinem absque causa peruertere, tantùm

tum est veniale, & hoc docuisse præfatos Magistros testatur, licèt Turrecremata, Viguerius, & Nouarius penes ipsum Sãch. videantur docere, necesse esse, vt possint recitari matutinę preces diei sequentis, quòd sint iam recitatæ Vesperæ, & Completorium diei præcedentis, quia non videtur incipere dies sequẽs hodie vespere, nisi pensum horarũ hodiernum sit iam integrè persolutum; sed sententia Sanchez probabilitate non caret. Nõ reticeam tamen hic adnotare, Oliuerium Bonartium de Horis can. lib. 2. cap. 30. num. 23. docere quod etiam ex sententia Diui Thomæ quodlib. 5. artic. 28. Matutinum potest legi pridie post dictum Completoriũ; sed hoc ille explicat, scilicet hora quarta pomeridiana, vel etiam ad medium quartæ.

Notandum est hic obiter ad tollendam etiam culpam venialem, quòd hora competens persoluendi omnes Horas non debet sumi punctualiter, sed debet sumi cum amplitudine, vel parum ante horam præfixam chori, vel parum post recitauerit, censebitur tempore competenti recitare. Ita Sanchez loc. cit. dub. 35. num. 5. vbi existimat cum quodam docto recentiore Magistro, hoc parum post, vel parùm antè, esse dimidiam horã; aut tres quadrantes, & ad summum vnicam horam antè, vel post.

Nota etiam cum eodem Sanchez dub. 36. nu. 3. esse causam iustam, & à culpa immunem, si scholasticus differat Horas in vespertinum tempus, eo quod matutinum est aptum studio, non autem vespertinum.

An qui non potest ratione infirmitatis recitare Horam canonicam tempore debito, teneatur illam recitare præponendo, vel postponendo?

RESOL. X.

Vt, v. g. quis post Vesperas patitur quartanam, vel aliam febrim, & nequit recitare, an teneatur manè recitare Vesperas & Completorium? vel è contra, patitur quis quartanam manè vsque ad meridem, an teneatur vespere recitare omnes Horas si potest. Pro negatiua sententia ego alibi adduxi Canum in relect. de pęnit. par. 5. dub. 31. cuius opinionem improbabilem quidam recentior esse putauit, immeritò quidẽ, nam optimã habet rationem, facultas enim, quę datur ab Ecclesia anteponendi, vel post ponendi Horas intra diem tamen naturalem est priuilegium fauoris, non vinculum necessitatis, vnde præuenire non tenemur, bene possumus, & ideo hanc Cani sententiam, quando impedimentum persoluendi Horas tempore debito est à natura, vel violentia, putat esse probabilẽ Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 43. n. 7. licèt contrariam existimet probabiliorem; & ita opinionem Cani non solùm tanquam probabilem, sed etiam absolutè docet Henriquez lib. 4. cap. 4. n. 7. vbi sic ait. Febricitans non tenetur præuenire proprium tempus recitandi Horas; & in glossa lit. Q. asserit hanc sententiam esse communem, quod est negãdum; nam his temporibus contraria est communior & probabilior, quã nouissimè docet Villalobos in sum. to. 1. tr. 24. diff. 16. nu. 7. sic asserens. [Se aduierte que el que estuuo malo hasta medio dia, no queda escusado de razar el medio dia, que estuuo malo, como tãpoco lo queda el, que no pudo rezar por la mañana por otra ocasion, pues pueden estos rezar à la tarde que el precetto corre in todo el dia.] Ita ille. Sed vt dixi, contraria sententia Cani est probabilis. Nota etiam quòd post hæc scripta inueni, Oliueriũ Bonartium de Horis canon. lib. 2. cap. 38. n. 8. docere etiam opinionem supradictã Cani esse probabilem, & pro illa citat Lessium lib. 2. c. 37. dub. 8. nu. 43.

An cæci, vel ita oculis caligantes, vt legere nequeant, teneantur Horas persoluere, si illas memoriter sciunt.

RESOL. XI.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro, & Azorio, quos citat & sequitur Faustus de Horis canonicis lib. 2. qu. 229. quibus addo Villalobos in summ. tom. 1. tract. 24. diffic. 16. n. 4. Reginald. tom. 2. lib. 18. cap. 13. nu. 185. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 28. n. 14. & alios penes ipsum, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum; neque requirit vt conditionem necessariam dicendi potestatẽ per librum; ergo dum cęci possunt recitare memoriter maiorem partem Officij, ad illam teneri vtique dicendum erit.

Non desinam tamen hic adnotare cum Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 46. n. 5. dixisse Sotum de iust. lib. 10. q. 5. art. 3. se nõ esse certum an cæcus, si memoriter sciat Horas, teneatur eas dicere memoriter, quia tenacitas illa memoriæ est accidentaria, quamuis, inquit, tutius est vt se obligatum censeat, & cum Soto tenuerunt aliqui Magistri docti, & addit quidam recentior Magister, quòd quantum ad restitutionem fructuum, certum est quòd non teneretur si esset beneficiarius cęcus, & omitteret Horas, licèt memoriter sciat. Hæc Sanchez: qui indicat dictam opinionem Soti esse probabilem, nam quã ipse tenet, vocat multum probabiliorem, & Toletus lib. 2. c. 14. simpliciter excusat cæcum. Sed tu non omittas contrariam tenere, quam etiam nouissimè tenet Oliuerius Bonartius de Horis can. lib. 2. c. 38. nu. 22.

Notandum est tamen hic obiter contra Syluestrum ver. Hora, qu. 4. dict. 3. Angelum num. 9. Armillam num. 16. Tabienam nu. 20. D. Antoninum 3. part. tit. 13. c. 4. §. 15. Paludanum in 4. dist. 15. quæst. 5. & alios, cæcum qui non potest recitare Officiũ diuinum, non teneri ad recitandum aliquid loco illius, quia cũ legitime excusetur, ad nihil tenetur; sicuti qui excusatur à Missa audienda in die festo, ad nihil tenetur.

Notandum etiam cæcum qui nihil ex horarijs precibus memoria tenet, vel saltem perparum, non obligari ad audiendam partem socij in alternatione; & rursus ad suam cum illo recitãdam, quia non videtur precęptum humanũ ad illam exactissimam diligentiam obligare. Ita Bonartius loco citato; an verò cęcus teneatur adhibere socium in recitatione Horarum, dicemus infrà, & diximus etiam in 1. part. tract. de Horis canonicis, resolut. vlt. non obligari.

An iustum pretium rerum, quæ venduntur sub hasta, sit quod medietatem iusti pretij rigorosi non excedat, vel ab ea minus non deficiat, & an hoc procedat in bonis emptis vigore pacti, vulgò dicti à discurso?

RESOL. XII.

Vt si, v. g. res communi modo vendendi valet 10. pretio rigoroso, an in venditione sub hasta possit ascendi ad 15. vel descendi ad 5. & quia casus est quotidianus, pro affirmatiua sententia in 1. part. tract. 8. de contract. resol. 55. ego adduxi Salonium, cui nunc addo Lopez de contract. lib. 1. cap. 29. Mercatum lib. 2. cap. 12. Garsiam lib. 1. cap. 21. Cordubam in summ. q. 8. & Filliucium tom. 2. tract. 35. cap. 6. nu. 141. Rodriquez tom. 1. cap. 174. nu. 1. Ioan. Franc. Suarez lib. 1. ver. vendit. & emptio, §. 14. Igitur in his quæ venduntur voce præconis, pretium iustum est, quod non excedit supra dimidium, nec deficit infra dimidium illius iusti pretij, quod bona illa valerent, si alio modo venderentur, quam subhastatione.

Non desinam etiam hic adnotare aliquos absolutè docere iustum pretium in subhastatione, id esse, quod vltimò offertur sine fraude. Vnde nouissime Iacobus Gordonus in Theologia moral. tom. 1. lib. 4. quæst. 5. cap. 8. nu. 38. sic asserit. In subhastatione licitum erit emere viliori pretio quam sit commune fori, imò iustum pretium tunc censetur, quod vltimò offertur; sed fraudes abesse oportet, alioqui rescindi poterit venditio: fraus erit si venditor vitium rei venditæ sciens taceat, vel occultet; secundò si venditor aliquos supponat qui pretium augeant, vt res pluris quàm valet vendatur, aut si aliquos subtrahat ab augendo, vt res minoris ematur ab amicis & consanguineis: tertiò si venditor captato tempore quo sunt pauci emptores rem hastæ subiaceat, emptor quoque fraude vti potest, v. g. si impediat ne alius augeat vt ipse viliùs emat, aut si ob inuidiam augeat, vt alius cariùs inde emat. Ita Gordonus, & ideo Villalobos in summ. tom. 2. tract. 21. diffic. 5. n. 9. sic ait. [Aduierto mas que si la mercaduria se vende publicamente à voz de pregonero como suele acõtecer en las almonedas, en tal caso es verdadero el prouerbio que dize.] tantum valet res, quantum vendi potest. Ita ille, qui citat Medinam, Bannez, & Aragon, quibus ego etiam addo Antonium de Ripol. in variar. resolution. cap. vndecimo, de emptione, & venditione. n. 554. vbi docet iustum pretium rei esse illud, quod inuenitur pro ea in publica subhastatione.

Ex his amice Lector, cogita, an excusare possis adiudicationes, quæ passim fieri solent in hoc Regno ex pacto vulgò dicto *à discurso*, dummodo sine fraude, & non vltra dimidium iusti pretij efficiantur. nam in tali casu bona illa venduntur sub hasta; & ad vocem præconis. ergo si fine fraude & cum solemnitatibus requisitis emuntur intra dimidium iusti pretij, erit talis emptio iusta, & emptor nec tenebitur restituere, neque rem, neque fructus, ex rationibus & authoritate Doctorum vbi supra, quibus adde alios, quos adduxi ego ipse loco citato in p.1. tract.8. resol. 78. afferentes merces vltroneas non solùm vilescere pro tertia parte, & de hoc non est dubium, verùm etiam pro medietate. Ita Palatius in summ. Caietani, ver.emptio, c.1. Megalius consil 93.num.3. Rebellius, Salas, & alij. Sed bona quæ venduntur sub hasta, vti venduntur bona vigore pacti ad discursum, dicuntur merces vltroneæ, vt patet, & docet Molina de iust.tom.2.tract.2.disp.349. num.9. Gordonius vbi supra, num.17.& alij, ergo licitè possunt emi pro medietate, & ideo, vt dixi, tu cogita.

An in priuatis Oratorijs si non adsit dominus præsens, liceat Missam celebrare coram familiaribus?

RESOL. XIII.

Olim negatiuè respondi, nixus authoritate Henriquez lib. 7 c.13 Rodriquez in Bulla Cruc. §.5.n.5. & aliorum, asserentium id fieri non posse tempore interdicti vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ, in qua adest eadem clausula ac in dictis licentijs, in quibus conceditur celebratio Missæ in priuatis ædibus.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam etiam probabilem esse puto, & ita, vt mihi asseruit, obseruatur in praxi, & in terminis Bullæ Cruciatæ docet Ludouicus à Cruz dispur.1.cap.5.dub.3.nu.5.vbi sic ait. Id quod notat Rodriquez, nimirum Missam celebrari non posse coram familiaribus, aut consanguineis, nisi ipso domino præsente, non placet quibusdam iunioribus, quia Bulla concedit posse celebrari in sua, ac familiarium & domesticorum, nec non consanguineorum suorum præsenna: ergo sicut posset celebrari in sola præsentia domini, non obstante illa particula copulatiua, *&*, ita etiam in sola præsentia famulorum. Ita ille, quæ omnia militant in casu nostro. ergo, &c. Nec obstat quòd in dictis licentijs adsit illa clausula, *in sua, & suorum*, quæ quidem particula, *&*, coniungit antecedentia cum sequentibus, nam respondeo quòd aliquando hæc particula, *&*, accipitur disiunctiuè pro aut, seu, vel, vt obseruat Rodriquez in qq.regul.tom.3.quæst.17.art.19. Comitolus in resp.moral.lib.7. quæst.9.nu.4. & Portel in resp. moral part.3. cas.49.

An in Oratorijs priuatarum ædium possint Regulares ministrare Eucharistiam, non obstante Episcopi prohibitione?

RESOL. XIV.

Negatiuè videtur respondendum ex nostra Synodo Panormitana Eminentiss. Domini mei Cardinalis ab Auria part.2.cap.2.nu.6. vbi sic habetur. In Oratorijs priuatarum ædium, in quibus sanctæ sedis Apostolicæ permissu celebratur, nemini vnquam sacra communio ministretur, nisi facultate ab Archiepiscopo petita, & ob iustam & necessariam causam obtenta. Ita ibi, quod etiam probatur ex Concilio Trident. sess. 22. in decreto de Obseruandis in celebratione Missarum; vbi datur facultas Episcopis vt possint prohibere Religiosis, ne celebrent in Oratorijs priuatis sæcularium. ergo Episcopi possunt impedire ne ijdem Regulares ministrent communionem eisdem sæcularibus io dictis Oratorijs.

Verum his non obstantibus nouissimè contrariam sententiã docet Laurentius Portel in responsion.mor. part.3. cas.39. per totum, quia Religiosi habent clarum priuilegium Pauli IV. anno 1557. & aliorum Pontificum ad dandam Eucharistiam sæcularibus extra Conuentus suos, nec constat vllum Papam hęc priuilegia reuocasse. ergo Secundò ista prohibitio Episcopi ne Religiosi dent sacram Eucharistiam in his Oratorijs, in rigore est reuocano dicti priuilegij concessi Religiosis, vt patet, sed Episcopus non potest reuocare priuilegia Papæ, neque id illi commisit Tridentinum loco citato, circa ministrationem Eucharistiæ extra Conuentum faciendam a Religiosis, licèt committeret Episcopo, vt possit illis prohibere ne celebrent in Oratorijs, quod est nimis distinctum à ministratione Eucharistiæ. ergo, &c. Tertiò ministratio Eucharistiam hoc modo in Oratorio priuato nullum damnum & iniuriam infert Parocho, nam hæc communio est voluntaria, & non fit in articulo mortis, neque in die Paschatis. ergo, &c reliquas rationes videbis apud Portel. Rodriquez in regul.qq.tom.1.quæst.61.art.3. & Suarez de Religion.tom.4.lib.9.c.3.§.dices ergo. Ad rationem verò desumptam ex authoritate Concilij Tridentini respondet idem Portel vbi supra, ego puto hanc sententiam esse probabilem, sed Regulares consulo, hoc ne faciãt cũ displicẽtia Episcoporum.

Nota etiam quòd non obstante prohibitione dictæ Synodi Panormitanæ in rigore Sacerdotes sæculares possunt ministrare Eucharistiam in dictis oratorijs, si eligantur ad id faciendum virtute Bullæ Cruciatæ. nam Episcopo non potest tollere priuilegium à Papa concessum; verum etiam eosdem consulo vt hoc faciant cum licentia Episcopi.

An Episcopi extra suam diœcesim possint cum Altari portatili celebrare per se, vel per alium in præsentia sua?

RESOL. XV.

Ad hunc casum ita respondet Beia part.4. cas. 33. quando Episcopus fuerit in alieno Episcopatu permanens per multos dies, ita vt non sit per modum transitus & itineris, sed iusti & vtilis Ecclesię negotij, tunc non suffragatur priuilegium celebrãdi extra Ecclesiam cum Altari portanli, quia cessat eius ratio, & maximè quando Episcopus loci, in quo degit, prohibuerit ne quis celebret in suo Episcopatu extra loca sacra, vel quòd ad id fuerint ab ipso deputata. hanc sententiam tenet etiam Nauarrus conf. 5. & 16. de priuileg. & Emanuel Sa verb. Episcopus, num.24. vbi sic ait, Episcopus potest dicere vbique Missam in sua diœcesi cũ Altari portatili, & extra cum licentia Episcopi loci, vbi receptum est Concilium Trident. Sic ille.

Sed nõ desinam hic adnotare, absolutè & sina vlla distinctio ne affirmatiuam sententiam docere Laurentium de Portel in respons. Regul.par.5.cas.20.nu.7.vbi sic ait: Dubitari potest an Episcopus possit Altare erigere priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio priuato, etiam quando est in aliena diœcesi; Credo quòd poterit, primò quia cap. final. de priuil. in 6. videtur fauere dicens de illis concedi, quia sæpe absunt à suis Ecclesijs, quod maximè potest euenire cùm sunt in aliena diœcesi. Secundò id probatur, quia Episcopum celebrare Missam in Orator o priuato dum in aliena diœcesi moratur, non est exercere iurisdictionem contentiosam, vt patet, sed voluntariam, hanc verò voluntariam iurisdictionem, seu potius priuilegiũ personale potest exercere in aliena diœcesi, vt tenet Sanch.lib.3.de matr.disp.19.à n.7.ergo, &c. Ita Portel, vbi fusè probat Episcopos non obstante Conc. Trid.& decreto Vrbanis VIII. posse etiamsi non sint infirmi, vel in itinere, erigere Oratorium in suis Palatijs, & in villa rurensi, & ibi celebrare, vel audire Missam, quod etiam docet Venerus vbi infrà, & præter ipsos posse Episcopum portare secum Altare viaticum, & in itinere non solum in sua, sed etiam in aliena diœcesi, non tamen Romæ, Missam celebrare, & celebrari facere, docet Gauantus in enchir. Episc. ver. Episc opus, nu.8. & 9. cũ Vgolino de potest. Episc.lib.1.c.2.§.2.n.4. Mauritius Alzedo in prax. Episc. part. 2. cap.13.n.6. Venerus in examine Episc.li.4.c.17.n.14. & ita ego sentio, quicquid Sà vbi supra & alij dixerint.

Notandum est tamen hic cum dicto Portel, quod in Oratorio Palatij Episcopi potest quis celebrare pręsente ipso Episcopo, non autem ipso absente; quia illud priuilegium non est reale, id est, illi Oratorio concessum, vel loco, sed est priuilegium personale, concessum scilicet personæ Episcopi, cùm celebrat, vel cùm ibidem audit, ac proinde cæteri Sacerdotes absente Episcopo non poterunt tali priuilegio gaudere.

An qui teneatur in aliqua Ecclesia celebrare, vt vulgò dicitur, con la sola presenza, *possit aliud stipendium pro illa Missa accipere, & alteri applicare?*

RESOL. XVI.

Pro affirmatiua & negatiua sententia in part. 1. tract. 14. resol.80. adduxi aliquos Doctores, & pro affirmatiua senten-

tia

ta etiam post decreta Sanctiss. D. N. Vrbani VIII. stat Bartholomæus à S. Fausto in tract. de Iubilæo lib. 1. qu. 81. vbi sic ait, Quando Sacerdoti datur stipendium non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Dei, vel commoditate populi, potest tuta conscientia aliud stipendium accipere pro applicatione sacrificij. Hinc confratres qui faciunt in Oratorio celebrare diebus festiuis, vel ob commoditatem ipsorum, vt Missam audiant, aut ob commoditatem vicinæ gentis absque alia expressione, non intelliguntur sacrificij applicationem velle. Ita ille, & nouissimè in terminis dictorum decretorum Vrbani VIII. hanc etiam opinionē tenet Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 5. dub. 19. num. 21. vbi sic ait. Nec dictis obest declaratio sacræ Congregationis sub anno 1626. dum ait, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique oneri satisfacere. Respondetur enim id intelligi dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione. Hæc ille. Et tandem hanc sententiam non obstante decreto Vrbani VIII. nouissimè docet etiam Homobonus de Bonis in consult. cas. conscient. vol. 2. p. 5. responf. 63. Vnde corruit argumentum quod Gauantus pro sua adducebat sententia, nempe Cardinales Concilij sic determinasse, nam eorum responsio non intelligitur in casu nostro, quando Sacerdos non habet obligationem peculiarem applicandi valorem pro alicuius intentione: vide etiam Fraxinellum in editione nouissima de Sacerd. obligat. ad dicendam Missam, sect. 4. conclus. 6. §. 8. numero 1.

Verùm his non obstantibus sententiam negatiuam nouissimè tuetur & docet doctus Augustinus Barbosa in tract. de officio Parochi, cap. 11. nu. 11. & pro hac sententia adducit aliam decisionem sacræ Congregationis diuersam ab illa, quam attulit Gauantus editam die 1. Septembris 1629. Vnde immeritò Turrianus in select. part. 2. disp. 31. dub. 16. asserit hanc sententiam nullam habere probabilitatem, & procedere ex ignorantia; sed iste author, vt alibi dictum est, rigidè se gerit in censurandis aliorum opinionibus, vt docti viri eiusdemmet Societatis fatentur.

An qui ex voto vel pœnitentia tenetur recitare aliquo die tertiam partem Rosarij, si illam cum notabili interruptione recitet, dicatur satisfacere?

RESOL. XVII.

Affirmatiuè respondeo, quia, vt probaui in 2. part. tractat. 12. resol. 4. recitans Officium diuinum cum magna interruptione, satisfacit præcepto; ergo idem dicendum erit in recitatione Rosarij ex voto & pœnitentia, & hanc sententiam quoad vtramque partem tenet Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 19. nu. 5. vbi sic ait. Secunda sententia docet, quòd licet sine causa iusta interrumpat recitans Horam, & per magnum tempus, non peccat mortaliter, nec tenetur sub mortali ad repetendum, quia licet, physicè loquendo, quando est magna interruptio, non sit eadē hora continua: at loquendo moraliter propter intentionem, quam hic habet supplendi quod deest intra eandem diem, censetur integrario, & continuatio eiusdem horæ, atque adeò impletio præcepti Horarum quoad substantiam. Item, quia qui tenetur ad Rosarium, vel Psalmum ex voto, vel penitentia, satisfaciet recitando dimidiam partem manè, & aliam vespere; ergo similiter in Hora canonica. Ita Sanchez, qui optimè notat hanc sententiam veram esse, licèt quis faciat illam interruptionem cum proposito formali reincipiendi postea illud, quod fuerat recitatum, hoc enim non obstante poterit postea nō reincipere, sed prosequi quod cœperat, quicquid afferant aliqui, quos alibi impugnauimus.

An Bulla Cœnæ deroget facultatem Bullæ Cruciatæ quoad absolutionem à reseruatis in eadem Bulla Cœna.

RESOL. XVIII.

Affirmatiuam sententiam ex Hispanis Doctoribus docet Garzias de beneficijs tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 130. & seq. & ita asserit dixisse Clemen. VIII. in quodam examine ad Episcopatum Caietanum; & Iacobus Bleda in opusc. de sensionis fidei in causa Moriscorum cap. 31. obseruat quòd duo viri Hispani cùm examinarentur ad Episcopatum coram supradicto Pontifice, repulsam tulerunt, quia responderunt a casibus Bullæ Cœnę posse absolui in Hispanijs virtute cuiusdam priuilegij, non Bullæ Cruciatæ; quod probatur ex clausulis in fine Bullæ Cœnæ appositis, in quibus reuocantur omnia, & quæcumque indulta, gratiæ, indulgentiæ, &c. sub quauis forma & tenore, & cū quibuscumque clausulis, etiam derogatoriorum derogatorijs à Sede Apostolica concessę quibuscumque personis, etiamsi regali prefulgeant dignitate, ex quauis causa, etiam per viam cōtractus, aut remunerationis, & cum clausula quorum tenore. ergo, &c.

Verùm his non obstātibus hodie praxis in omnibus Regnis Hispaniarum est, vt virtute Bullæ Cruciatæ detur absolutio à reseruatis in Bulla Cœnę, excepta hæresi, & hoc posse fieri tradunt omnes expositores Bullæ Cruciatæ, Acosta, Rodriquez, Sanchez, Fagundez, Henriquez, Villalobos, Fernandez, Sorbus, quos citat & sequitur nouissimè Ludouicus à Cruce in expositione Bullę Cruciatæ disp. 1. cap. 10. dub. 4. num 8. quibus ego addo Ægidium Trullench in expositione eiusdem Bullæ lib. 1. §. 1. dub. 13. num. 2. quia expressè in Bulla Cruciatę conceditur absolutio à casibus Cœnæ, excepta hæresi; ne ergo Papa contrarius sibi videatur, dicendum est per Bullam Cœnæ Cruciatæ non derogari. Deinde post reuocationem in Bulla Cœnæ positam, qua prohibetur absolutio à casibus illius, & derogatur omni priuilegio, etiam speciali. Sixtus V. anno 1590. fecit hanc exceptionem nisi eiusmodi casus reseruati in Bulla Cœnæ in eis præsentibus literis expressè comprehendantur. At ijdem casus in Bulla Cœnę iam exprimuntur in Cruciata, excepta hęresi; ergo Bulla Cœnæ non reuocat Cruciatam, sed solùm derogat alijs priuilegijs, ijs exceptis, quæ in Bulla Cruciatæ continentur. Et hanc esse mentem Pontificis, præter rationes citatas, apparet primò, quia dum Pontifex Cruciatam concedit ex certa scientia, agnoscit Bullam Cœnæ esse non semel, sed pluries promulgandam intra spatium ab ipso præfixum pro Cruciatæ duratione, & nihilominus expressè vult, quòd per totum id spatium sit valida. Secundò quia expressè in concessione Cruciatæ facultatem impendit vt absque noua licentia singulis annis publicetur, idque absque diei, seu temporis determinatione. Tertiò, quia cum concessio Cruciatæ per viam contractus onerosi facta sit, adhuc tamen post Bullę Cęnę promulgationem non iubet Pontifex vt Cruciatam suscipientibus contributa eleemosyna, vel quid çquiualens reddatur. ergo apparet per Bullam Cœnæ, non velle Pontifices derogare Bullam Cruciatæ. Multas alias rationes videbis apud Ludouicum à Cruce vbi supra, qui etiam respondet ad argumenta contraria, adi illum, & non pigebit.

An potestas delegata ad vota, extendatur ad iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo, cuiusmodi sunt iuramenta soluendi vsuras, aut metu iniusto extorta.

RESOL. XIX.

Hic casus quotidianus est, & ad illum negatiuè p. 1. tract. de Bulla Cruciatę, respondi cum Suarez & Sanchez, quibus nunc addo Ludouicum à Cruz in exposit Bullæ Cruciatæ, disp. 1. cap. 6. dub. 5. num. 13. quia esto per dicta iuramenta nullum ius acquiratur homini, cui fiunt; nihilominus cùm nec intuitu pietatis, sed humani contractus fiant, proinde nec vllam voti, sed merè promissionis humanæ rationem induunt.

Verùm licèt hæc opinio sit satis probabilis, contrariam tamen probabilem etiam esse puto, pro qua loco citato adduxi Bartholomæum Ledesmam & Rodriquez, quibus nunc addo Ægidium de Trullēch in expos. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 2. num. 7. quia tota ratio propter quam iuramenta votiua, & vota æquiparantur in commutando, est, quia per iuramenta votiua, seu in Dei honorem facta, nullum ius homini acquiritur, sed per prædicta iuramenta, nullum ius homini paratur. ergo quamuis hæc iuramenta nō sint præcipuè in Dei honorem facta, sed intuitu hominis, cum per ea nullum ius homini sit quæsitum, in commutando cum votis æquiparari debent. In tali enim iuramento duplex potest obligatio considerari, altera expressa facta homini, & ex hac parte iura-

mentum turpiter extortum non obligat, homo enim per iniustitiam nullum ius acquirit; altera Deo; qui in testem inuocatur, atque ita tenetur iurans Deo seruare quod per nomen suum promisit, si licitum sit, quare cum per tale iuramentum iurans aliquo modo sit Deo obligatus, & non homini, potius inducit tale iuramentum naturam voti, & iuramenti in fauorem Dei facti, quàm in hominis vtilitatem, ac per consequens in commutatione æquiparatur iuramento voriuo, & hæc omnia docet Trullench vbi supra, vnde probabiliter quis potest facultatem Bullæ Cruciatæ ad vota commutanda, extendere ad iuramenta adiuncta contractui, in quo est turpitudo & iniustitia in creditore, quale est iuramétum vi, vel metu extortum, vel soluendi vsuras, quicquid in contrarium asserat Ludouicus à Cruz vbi suprà nu. 14. quod confirmatur, nam Episcopus potest dispensare in his iuramentis metu extortis, vt omnes concedunt; sed ratione Bullæ Cruciatæ possumus commutare omnia vota, vel iuramenta, quæ potest Episcopus dispensare; ergo, &c. quæ omnia sunt valdè notanda à Confessarijs, & casuum conscientiæ responsoribus.

Ex his sequitur quod probabiliter dici potest, quòd quando carcer est iniustus, & quis iurauit se rediturum, tenetur redire etiamsi timeret morte iniustà damnandum; & idem dicendum est de eo, qui latroni mille aureos promisit iuramento ne occideretur. Ita Becanus in 2. 2. de iustit. quæst. 89. & de iurament. quæst. 5. num. 2. Sotus lib. 8. quæst. 1. artic. 7. ad 3. Mercato de contract. quæst. 89. artic. 7. ad 4. & alij, & hæc opinio est communis.

Sed ego contrariam sententiam quoad iuramentum redeundi ad carceres, probabilem etiam esse puto cum Sáchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 16. num. 4. quam absolutè tenet Guttierrez de iurament. part. 1. cap. 57. num. 26. Nota tamen quòd omnes supradicti asserunt posse, v. gr. qui iurauit latroni dare pecuniam, posse, inquam, petere relaxationem iuramenti ab Episcopo, sed ego etiam probabiliter puto, vt supradictum est, vigore Bullæ Cruciatæ posse Confessarium huiusmodi iuraméntum commutare.

An Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V, hodie censeantur reualidatæ?

RESOL. XX.

Svppono S. D. Paulum V, die 23. mensis Maij anno 1606. in Bulla, quæ incipit, Romanus Pontifex, & est in 3. tomo Bullarum Bulla 21 §. 19. fol. 203. reuocasse omnes Indulgentias concessas per antecessores suos quibuslibet Regularibus, Religiosis, ac Monialibus cuiusuis Ordinis, illasque annullasse, ac decreuisse quòd loco illarum ibi reuocatarum, omnes & singuli Religiosi gauderent solis Indulgentijs in eadem Bulla ibi Religiosis concessis ab eodem Summo Pontifice; modo difficultas est, quia idem Paulus V. post dictã reuocationem confirmauit Minoritis sua omnia antiqua priuilegia, dicens in cõfirmatione se confirm re etiam gratias, concessiones, & indulta spiritualia, & confirmare priuilegia eis concessa à Clemen. VIII. quæritur an sub his verbis sint viuificatæ, & reualidatæ antiquæ Indulgentiæ? Negatiuam sententiam docet Laurentius Portel in dubijs Regular. verb. Indulgentia, num. 12. § secundum principale, vbi sic ait. Ego constanter teneo per illa verba Pontificem non confirmasse antiquas Indulgentias à se reuocatas, & sic nos hodie rectè non habere nisi suprapositas concessas ab illo, & idem dicendum est de cæteris Religiosis, si post illam reuocationem non impetrarunt particulare illarum antiquarum confirmationem ab illo, & huius meæ opinionis fuerunt graues ac docti Religiosi hac de re cõsulti in Conuentibus Olysiponensibus, & in Academia Eborensi, qui dixerunt ita rem se habere, quia non est credendum de Sanctis. Domino Papa tam cito mutasse sententiam in re grauissima, quam in prædicta Bulla dicit iam intentam à Clement. VIII, & sibi etiã à Procuratoribus Ordinum postulatam. Ita ille. Qui pro hac firmanda sentétia tres alias rationes adducit, quibus omnibus adde omnes Doctores constanter asseruisse & asserere Indulgentias Regularium esse iam reuocatas.

His tamen non obstantibus nouissimè Hieronymus Rodriquez in compend. qq. regular. resol. 77. num 45. oppositam sententiam tenet, docetque per dictam confirmationem priuilegiorum concessam Patribus Minoribus fuisse viuificatas, & reualidatas antiquas Indulgentias ab ipso Domino Paulo V. in principio sui Pontificatus reuelatas, quia postquam Paulus V. in dicta confirmatione priuilegiorum ait se cõfirmare priuilegia, gratias & indulta spiritualia, addit se innouare, seu de nouo concedere priuilegia confirmata a Clem. VIII. cum omnibus & singulis decretis, clausulis, & declarationibus quibuscumque contentis in literis suæ confirmationis. Dominus verò Clemens VIII, expresse & apertè coocedit Indulgentias; vnde cum decretum innouans intelligendum sit secundum tenorem decreti innouati, ex l. in testamento. ff. de condition. & demonstrat. sequitur manifestè Indultum Pauli V. esse intelligendum iuxta formam & tenorem Bullæ Clem. VIII. atque adeo confirmare Indulgentias, quas expressè confirmat idem Clemens, alias verò rationes videbis apud dictum Rodriquez, qui etiam respondet ad omnia argumenta adducta à Portel, & tandem sic concludit. Hæc de tota hac quæstione circa Indulgentias reuocatas à Paulo V, & ab eodé postea renalidatas dicta probabiliter sint satis, quibus subscripserunt quidam ex Salmaticensis scholæ Magistri. Vellem equidem, quod hic articulus clariùs & apertius, tamquam res grauissima, à Domino Papa per suas literas nobis innotesceret, interim tamen dum non apparet de expressiori mente suæ Sanctitatis, probabiliter possunt Religiosi vti præfatis Indulgentijs. Ita Hieronymus Rodriquez.

Sed ego non discederem à sententia Portel; quicquid autem sit de supradicta quæstione, certum est apud me Indulgentiam plenariam concessam à Clem. VIII. parentibus Fratrum existentibus in Purgatorio, si pro illis Minorita dixerit vnam Missam, non esse reuocatam per Paulum V. quia talis Indulgentia non est concessa Fratribus, sed eorum parentibus. Idem dicendum est de Indulgentijs concessis ab antiquis Pontificibus pro sæcularibus visitantibus Ecclesias regularium. Ita Portel loco citato.

Nota etiam quòd Indulgentiæ & priuilegia pro defunctis concessa non censentur reuocata per dictam Bullam Pauli V. sed permanent adhuc in suo robore & firmitate, prout declarauit idem Summus Pontifex Congregationi S. Mariæ Fuliensis. Ita Peregrinus in priuileg. Cleric. regular. ver. Indulgentia §. 7. in scholio, Idem dicendum est de Indulgentia plenaria à Calisto III. concessa parentibus Fratrum Minorum, in qua possunt eligere Confessorem per quem absoluantur plenariè à culpa & pœna, quo priuilegio gaudent parentes aliorum Regularium. Ita Portel vbi suprà, num. 4.

Quidam confessus est cum Sacerdote, quem sciebat in statu peccati mortalis esse, habens commoditatem confitendi cum alio, quæritur an peccauerit mortaliter, & confessio illa fuerit nulla.

RESOL. XXI.

Hic casus olim accidit, & de illo magna controuersia fuit inter viros doctos; multi affirmatiuè responderunt, quia pœnitens in tali casu accedit ad Sacramentum cum obice, inducens Confessarium ad peccatum mortale, nempè ad indignam administrationem Sacramenti. Ego postquam cognoui illum Confessariũ fuisse paratum ad omnium confessiones excipiendas, quod pœnitens antequam confiteretur etiam sciebat, illũ liberaui ab onere reiterandi confessionem, & per consequens putaui non peccasse, neque confessionem illam fuisse nullam, & pro hac sententia addixi DD. quos citaui in 3. p. q. 4. resolut. 89. quibus nunc addo doctissimum Martinum Ledesmam, inclití Ordinis Prædicatorum ornamentum, in 1. 4. q. 5. art. 6. dub. 12. propos. 8. vbi sic ait. Si quis Sacerdos est paratus, siue proprius, siue alienus, licet exigere & inducere, & petere ab illo Sacramentum, vt si Sacerdos sit in peccato, nihilominus nõ se subtrahit ab administrando, potest quis etiam sine necessitate petere, & rogare illum, vt celebret, sicut potest petere ab vsurario parato, etiam extra casum necessitatis. Ita Ledesma. Scio alios probabiliter sentire alter, sed meam sententiam probabilem quoque esse existimo; vnde in tali casu venialiter tantum peccare petentem Sacramentum à ministro malè parato absq; necessitate, vel vtilitate aliqua, probabiliter putauit Sanchez in sum. to. 1. lib. 3. cap. 8. n. 23. & hanc sententiam certam esse dicit Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 6.

An

An Regulares pro concionibus debeant ab Episcopis examinari?

RESOL. XXII.

AFfirmatiuè respondet Henriquez libr. 10. c. 23. in gloss. litt. L. vbi docet Episcopos posse examinare Regulares ad Ordines, confessiones, & conciones.

Verùm his non obstantibus de iure negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam docet Mauritius Alzedus in praxi Episc. p. 2. c. 13. n. 104. Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 76. n. 23. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. regul resol. 112. nu. 2. & ante illos Miranda in manuali Prælatorum, to. 1. qu. 50. art. 2. concl. 1. quia est dispar ratio de Confessoribus & de Prædicatoribus; nam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 15. agens de Sacerdotum approbatione pro audiendis confessionibus sæcularium, inquit, Nullus etiam Regularis ad id idoneus reputetur, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut licètiam ab Episcopis obtineat per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, quòd nullatenus dicit, quando agit de Prædicatoribus Regularium. Cum igitur vno in loco mentionem faciat de examine faciendo, si Episcopis videbitur necessarium, non verò alio in loco agendo de Prędicatoribus, planissimè apparet, nostram sententiam veram esse, nam vbi Concilium voluit hanc authoritatem Episcopis supra Regulares concedere, id expressit, ergo quando non expressit, non concessit. Verùm post hæc scripta inueni factam Cardinalium Congregationem in vna Vgentin. sub die 22. Ianuarij 1622. declarasse, posse Episcopos examinare Regulares prædicare volentes in Ecclesijs quæ non sunt suorum Ordinum.

Notandum est etiam hic obiter posse Parochum bis, vel ter, dare licentiam Regulari valdè docto & graui, & noto, alias ibi non approbato, vt prædicet in sua Ecclesia. Quòd maximè verùm erit, si Prædicator sit in itinere. Ita Portel in dubijs Regular. ver. Prædicatores, numer. 2. vterque Rodriquez, Hieronymus & Emanuel, ille in compen. qq. Regul. resol. 112. nu. 4. hic in qq. Regul. to. 3. qu. 32. art. 1, quibus adde Barbosam vbi suprà n. 26. & alios penes ipsum.

Et tandem nota quòd Fratres Minores & Prædicatores, & similiter communicantes in eorum priuilegijs, prædicantes in suis domibus quocumque anni tempore, possunt concedere suis auditoribus decem & octo annos ac trecentos viginti dies Indulgentiarum; extra verò suas Ecclesias vltra dictos 18. annos, 222. dies tantùm. A tempore Quadragesimæ prædicantes apud suas domos feria 2. 4. & 6. centum quinquaginta sex annos, & viginti quatuor dies, & hoc ex varijs priuilegijs Pontificum, quas quidem Indulgentias dicti Prædicatores debēt expressè concedere nomine suæ Sanctitatis, aliàs auditores illas non lucrantur. Ita Hieronymus Rodriquez vbi suprà, resolut. 112. n. 20. & resol. 77. numer. 58. Portel in dub. regul. ver. Prædicatores num. 15. Miranda in manual. Prælat. to. 1. qu 50. artic. 10. & alij.

An Religiosus qui ex improuiso mortuus inuentus est in Calla cum marsupio denariorum, sit priuandus Ecclesiastica sepultura, & an sit contra votum paupertatis accipere pecunias sæcularium in depositum.

RESOL. XXIII.

SVperior illius Religionis talem Ecclesiastica sepultura priuandum esse sustinebat, adducens cap. super quodam, de statu Monachorum. Ego verò eum à tali sententia conatus sum remouere, vt feci, quia iura non priuant officio Altaris talem Monachum viuentem cum peculio, nisi quando priùs monitus noluit dimittere, ergo sic mortuum non priuabunt sepultura Ecclesiastica. Adde quod talis mortuus poterat se purgare, quòd sic denarij essent sui amici consanguinei, vel sibi depositi, vel concrediti, vt alteri deferet loco eleemosynæ, vel restitutionis, & ita docet ex Emanuele Rodriquez, Laurentius Portel in dubijs Regular. ver. sepultura, nu. 11. qui hoc limitat, dummodo talis Religiosus non sit Minorita, ob strictiorem regulæ prohibitionem erga pecuniam recipiendam, nisi circumstantiæ probabiles occurrerent in cōtrarium; hanc sententiam docet etiam Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 128. nu 20. Et, vt ex contraria sententia supradictum Superiorem amouerem, adduxi Villalobos in summa to. 2. tract. 31, difficul. 3. num. 6. vbi sic ait. [Al monje que fue hallado proprietario tambien se niega la sepultura come dize el derecho, mas hase de aduertir que no luego, que el Religioso fuere hallado cō vna bolla de dineros en la celda sin licencia de su Prelado se le deue negar la sepultura Ecclesiastica, porque el c. super quodam habla del que siendo amonestado del Prior no quiso resignar el proprio que tenia contra la regla, y si à el se oyetan pudiera dar escusa de que lo tenia en deposito ad algun seglar ò cosa semejante, ò quica tendria licencia del Superior de palabra y pudo auersela dada, y oluidarse, y pudo ser, que fuesse el dinero, que se le dieron para restituyr como acontece algunas veces. Y al fin ha de costar muy claro que sea proprietario, y mas que siendo secreto no puede el Prelado por esso cōdenarle, y pocas vezes sucedera en platica ser este caso publico pues nadie sabe si el Prelado le dio licentia secreta sino es que el imprudentemente lo diga.] Ita ille, cuius vltima verba cum audisset supradictus Superior, qui mecum hunc casum consulebat, obmutuit, & satisfactus decessit.

Notandum est hic obiter ex illis verbis Villalobos, [pudiera dar escusa de que lo tenia en deposito de algun seglar,] sequi Religiosum si ipse detineat penes se pecunias alicuius sæcularis in depositum, non peccare contra votum paupertatis, licèt contrarium sentiat nouissimè doctus Nazarius ex almo Ordine Prædicatorum, opusc. de statu & obligat. Religios. dub. 8. de voto paupertatis, concl. 20. Sed opinio negatiua est satis probabilis, quam ego docui in 1. part. tract. de paupert. religiosa, resol. 85. cum Sanchez & Fausto, quibus nunc addo Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. num. 45. vbi sic ait. Si Religiosus acciperet ab alio pecuniam tātum in custodiam, vt eam reddat, quoties dominus voluerit, per se non esset contra paupertatem, licèt possit esse contra obedientiam, & cōtra decentiam religiosam si occultè fiat. Ita ille, & ego.

Ex dictis infero non benè dictum Nazarium loco cit. dixisse, quòd si Religiosus acciperet magnam pecuniæ summam in depositum, & repentina morte migraret è vita, nullo relicto scripturæ testimonio, iudicandus esset verè proprietarius, & pœnæ proprietarijs debitæ subijciendus, priuationi scil. Ecclesiasticæ sepulturæ, non, inquam, in hoc benè dixit Nazarius, ex rationibus adductis à Portel & Villalobos vbi suprà, quia ex multis capitibus potest talis Religiosus in hoc casu excusari à vitio proprietatis.

An existens in gratia, si ad tria signa campana post Solis occasum recitet, Aue Maria, *cum vers.* Angelus Domini, &c. Ecce ancilla Domini, &c. Verbum caro, &c. *lucretur Indulgentiam plenariam, ignorans tunc talem Indulgentiam concedi?*

RESOL. XXIV.

SVppono tamquam certum Adrianum VI. talem Indulgentiam concessisse non solum pro Regularibus, sed etiam pro omnibus Christi fidelibus, vt inter alios docet Hieronymus Rodriquez in compend. quæst. Regular. resol. 77. num. 51. iuncto n. 17. Difficultas verò est, an sæculares illam lucrentur, qui existentes in gratia recitant dictas *Aue Maria*, modo quo suprà, nescientes tamen in tali recitatione gaudere indulgentia; & videtur negatiuè respondendum, ex doctrina Aegidij de Trullench in Bull. Cruciatæ lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 5. Emanuelis Rodriq. in eadem Bulla §. 8. num. 9. & aliorum asserentium, quod lucraturus indulgentiam debet habere intentionem actualem, vel virtualem eam lucrandi, quando facit opera iniuncta pro illa lucranda. Sed in nostro casu recitans supradictas *Aue Maria*, nō habet intentionem neque actualem, neque virtualem, quia nescit in tali recitatione concedi Indulgentiā plenariam; ergo necessariò sequitur illam non lucrari.

His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Laurentius Portel in addit. ad dubia Regularia, ver. indulgentia, num. 7. quia vnumquodque opus nostrum factum in gratia maximè pœnosum, vltra portionem gratiæ, quam meretur, meretur etiam certam satisfactionem pro pœna debita in Purgatorio, vt Theologi fatentur; at tale opus meritorium meretur hanc

hanc certam portionem satisfactionis pro pœnis, etiamsi operans meritoriè, neque actu neque virtualiter intendat talem satisfactionem quando actu operatur, imò multi & ferè omnes sæculares id ignorant. Ergo cum indulgentia suppleat nostra opera satisfactoria circa easdem pœnas Purgatorij, habeatque eamdem conditionem, vt scilicet opus iniunctum & factum pro Indulgentia acquirat portionem illam satisfactionis, etiam si is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque sciat, neque intendat de tali Indulgentia. Et confirmatur, quia subrogatum habet naturam, quam habet illud, pro quo subrogatur; ergo si opus meritorium factum in gratia, meretur portionem satisfactionis absque eo, quòd operans illud intendat, & cogitet, vel sciat, faciens opus iniunctum pro indulgentia (quod opus fit loco operis meritorij, vel satisfactionis nobis deficientis) acquirat illam satisfactionem Indulgentiæ, etiamsi quando tale opus operatur neque intendat actualiter, neque virtualiter, imò etiamsi penitus ignoret, quæ veritas magis confirmatur ex probabiliori opinione afferente, quòd quis satisfacit præcepto recitandi Horas canonicas, & audiendi Missam & sacramentalis pœnitentiæ, si fiat opus iniunctum, quamuis fiat cum formali intentione positiua non satisfaciendi pro tunc, ergo satisfiet præcepto imposito pro faciendis rebus iniunctis pro Indulgentia etiamsi quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, hoc enim est multo minus, quàm in supradictis tribus præceptis habere intentionem actualem non satisfaciendi pro tunc, qua non obstante satisfiet. & hæc omnia docet Portel vbi suprà, alijs etiam adducens rationes, & ideò concludit, quòd si in aliqua Ecclesia est vna Indulgentia concessa intranti illam, & ibi certis vicibus diceti *Pater noster*, & *Aue Maria*, vel quid simile, si aliquis existēs in gratia intrauit Ecclesiam, & recitauit Orationes iniunctas pro illa Indulgentia lucranda, sed ignorabit ibi talem Indulgentiam illo die concedi, hoc non obstante asserit supradictam illam Indulgentiam lucrari. & hanc sententiam testatur Portel audiuisse ex ore proprio à sapientissimo Patre Ludouico Molina Societatis IESV illam docente.

An vouens Religionem absolutè, nil de exeundi libertate determinando satisfaciat ingrediens, & postea exiens?

RESOL. XXV.

NEgatiuè respondet Caietanus in 2.2. quæstion. vlt. artic. 4. dub. 3. Arragonius in 2.2 quæst. 88. articul. 3. circa solutionem ad 2. Valent. tom. 3. disput. 6. quæst. 6. punct. 4. quæstiunc. 4. vet. vnde rectè Ledesma in summa tom. 2. tract. 10. cap. 3. dub. 7. cas. 4. Sotus de iustit. libr. 7. quæst. 1. art. 1. ad 3. & alij afferentes talem non satisfacere voto retrocedendo ex sola libertate Nouitijs iure concessa, sed exigi iustam recedendi causam, & ideo si omnia in Religione grata inueniat, teneri sub mortali perseuerare, & si exeat teneri iterum ingredi. Vnde hoc est discrimen inter ingredientem Religionem cum voto, & absque illo, quòd illa mortaliter peccet, exeundo absque legitima causa; hic autem peccat venialiter. Et ratio huius opinionis est, quia materia huius voti est id, quod communiter intendunt Religionem ingredientes: at hi intendunt perseuerare inueniendo omnia grata; ergo materia huius voti est ingredi & perseuerare in eo casu. ergo tunc non perseuerando minimè impletur.

Non desunt tamen his non obstantibus affirmatiuam sententiam docentes, & ita ex veteribus docet Henricus de Gandauo quodlib. 3. quæst. 19. & quodlib. 13. quæst. 15. & ex recentioribus alter Ledesma in 4. distinct. 38. disp. 1. post 12 conclus. & sapientissimus senex Nauarrus libr. 3. consil. titul. de voto, in 1. edit. consil. 19 & in 2. edit. consil. 25. per totum, mordicus sustinet hanc sententiam, quia votum ingressus Religionis intelligitur ad experiendum eo modo, quo iniure statutum est, sed annus probationis iure conceditur, vt Nouitius Religionem experiatur cum omnimoda exeundi libertate, ca. 1. & 2. de Regular. in 6. ergo cū eadem libertate id votum intelligitur. Confirmatur hæc sententia ex alia doctrina Caietani in 2. 2. quæst. vlt. art. 4. dub. 3. Armillæ verb. Nouitius, numer. 10. Couarruuias de pactis 1. part. §. 3. ad finem. Nauarri in manuali cap 10. num. 47. & aliorum asserentium causam legitimam egrediēdi è Religione esse solam Religionis displicentiam, & inuenire eam non gratam & commodam sibi; sed authores negatiuæ sententiæ sano modo intelligant hos Doctores, scilicet non de displicentia omnino libera, sed cum passione, anxietate, tristitiaque animi, siue ea oriatur ex naturali aliqua causa, siue ex dæmonis tentatione, dummodo tempore notabili duret, vt integro mense, & conans ille expellere nequeat; atque tanta posset repentè anxietas animo Nouitij superuenire, statim suscepto habitu, vt rationabiliter crederet fore vt non posset Religionem tolerare, & sic iustam exeundi causam haberet. Ita Sanchez in summ. to. 1. lib. 4. c. 16. n. 100.

Sed quærendum est hic obiter, an quis censeatur satisfecisse voto, si ingrediatur Religionem, verùm culpa sua postea expellatur? Affirmatiuè respondet Azorius part. 1. libr. 11. cap. 22. qu. 9. in fine, quia id votum ad solum ingressum bona fide obligat; sed hoc à vouente adimpletum fuit: ergo voto satisfecit. Sed contrariam sententiam tenet Toletus in summ. lib. 4 c. 17. n. 12. & c. 18. n. 2. quia ille cuius culpa conditio non impleta esset, sed in voto Religionis intelligitur conditio, si hic in Religione retineatur, ergo sua culpa non retentus manet perindè obligatus, ac si ingressus non fuisset, & ac si dimissus non esset, & ideo hæc opinio est probabilior.

Nota verò quòd in vno casu opinio affirmatiua Azorij apud me certa esset, scilic. quando talis mediocrem diligentiam adhibuit ad culpas suas corrigendas; & ad se Religionis instituto accommodandum, & ex infirmitate, prauisque habitibus, aut ex praua indole, qua præditus erat, non se ad Religionis instituta accomodauit, aut in eas culpas lapsus est, in tali, inquam, casu certum est etiamsi talis expellatur à Religione propter suos defectus, & ex sua culpa, voto satisfecisse, nec ad aliquid ampliùs faciendum astrictum esse.

An qui facit opus, cui imponitur pœna inhabilitatis, statim ipsam incurrat ante iudicis sententiam.

RESOL. XXVI.

HÆc quæstio sæpiùs in praxi potest accidere. nam in Bullis Pontificijs non rarò imponitur pœna inhabilitatis ad officia & dignitates, præsertim contra Religiosos, & affirmatiuam sententiam docet Corduba, Mexia, Medina, Arragon. Salonius, & Rodriq. quos citat Sanch. in summ. to. 1. libr. 2. c. 39. n. 31. quia talis pœna est pœna priuatiua, non priuans aliquem aliquo iure quæsito, ac possesso, sed solum acquirendo. ergo non est expectanda iudicis sententia, sicut non expectatur in excommunicatione & cæteris censuris.

At his non obstantibus negatiuam sententiam docet Thomas Sanchez vbi supra num. 32. cum Nauarro, Molina Theologo, & Martino Ledesma, quibus ego addo Villalobos in summa tomo 1. tractat. 2. difficult. 25. numero 3. & Portel in dub. Regular. verb. Inhabilitas, numer. 3. quia non omnes sententiæ priuatiuæ nullam iudicis executionem petentes incurruntur absque vlla sententia, sed id peculiare est in excommunicatione, suspensione, & interdicto, vt latè probat ipse Sanchez de matrimon. libr. 9. disputat. 30. num. 2. cæteras rationes videbis apud Sanchez & Portel. Igitur si aliquis faciat actum cui imposita est inhabilitas ad officia & beneficia, non tenetur ante iudicis sententiam subire dictam pœnam, & ita posset illud officium, vel beneficium acceptare, vel iam obtentum non relinquere. Et ideo Sotus de iustit. libr. 4. quæst. 9. art. 34. docet scholasticos in Academijs, qui violantes præceptum, vel statutum illarum, incurrunt inhabilitatem, posse dare suffragium in electione ad cathedram, si delictum sit occultum, quia in dictam inhabilitatem non incurrunt, nisi post iudicis sententiam. Sed ego puto primam opinionem affirmatiuam esse probabiliorem, & sequendam; si quis autem sequi vellet hanc secundam; docentem quòd pœna inhabilitatis non incurritur ante iudicis sententiam, si quis, inquam, hanc opinionem sequi vellet, ego eum non damnarem, habent enim pro se graues Doctores, & rationes satis probabiles.

Quidam

Quidam iurauerit dare meretrici pro actu fornicario centum aureos, quæsiuit postea an ratione præstiti iuramenti teneatur illos soluere.

RESOL. XXVII.

Respondi negatiuè, quia promissio prodiga etiam iureiurando firmata obligat solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas, non verò quoad incrementum, vt tradit Sotus lib.4.quæst.7.art.1. ad 2. Martinus Ledesma in 2. part.quarta, quæst.18.art.5.§. circa 2. membrum. Mercatus de contract. lib.6.c.16. Palacius de contract. libr.5.cap.11 Arragon.in 2.2.q. 89.art.7. Salonius in 2.2. quæst.62.artic.5. controuers.4. post 3. conclus.& ibi Bannez dub.5.conclus.3. & alij, licet probabiliter Molina de iustit.tom.2.dispur.271.& alij contrarium sentiant. Itaque obligaui dictum consulentem per manus alterius personæ soluere tantùm illam pecuniarum summam, quam huiusmodi meretricibus dare consueuerunt viri eius conditionis æquales.nam cum talis promissio fuerit prodiga, etiamsi iuramẽto fuerit vallata, obligabat tantum ad illam summam, in qua nulla aderat prodigalitas.

Nec valet dicere cum Caietano in 2.2.quæst.32.art.7.& Valentia tom.3.disput.5.qu.6.punct.5. quòd in promissione meretrici facta, licèt adsit culpa, quòd sit approbatio actus turpis, & ad eum inductio, at in solutione post actum turpem, vt erat in casu nostro nulla adest culpa, ergo, &c. Nã respondeo, quòd hoc argumentum vim haberet, si promissio illa non fuisset prodiga, & ideo ego iuuenem illum obligaui ad illam mediocrem summam, sed non procedit in tota summa promissionis prodigæ, vt est in casu de quo loquimur.

Nota etiam quòd multi probabiliter sentiunt, vt ego ipse alibi notaui, promissionem factam meretrici pro actu turpi absolutè non obligare in conscientia, etiam post actum turpem, secluso tamen iuramento.

An iuramentum metu, aut dolo adiectum contractibus inualidis, & de iure reprobatis, obliget in conscientia?

RESOL. XXVIII.

Vt, ver.gr. in alienatione fundi dotalis in renunciatione futuræ successionis in contractibus minorum absque solemnitate iure petita celebratis, &c. & prima opinio affirmatiuam sententiam docet, quia talia iuramenta, nec iure naturali, nec humano sunt irrita; ergo obligant, & ita tenet vterque Molina Theologus, & Iurista, hic lib.2.de primog.c.3.n.13. iuncto num.12. ille de iust.to.1.disp.149. hanc etiam sententiam docet Lessius lib.2.c.17.dub.7.n 51. Suarez de Relig.to.2.lib.2.c.11. à nu.14. Couarruuias lib.1.variar.c.4.nu.7. Guttierez de iuram.p.1.c.57.n.19.& alij penes ipsos.

Secunda opinio negat in his casibus iuramentum adiectum obligare, & ideò non indigere relaxatione; ita Sarmiento de redditibus Eccles.p.1.c.4.num.7. Azorius tom.1.lib 11.ca.7.qu.2. Rolandus à Vale consil.10.num.130.vol.4. Angelus verb. Iuramentum 5.num.10. Syluester ver. Iuramentum 4.quæ.8. Parisius de resignat.benefic.libr.13.quæst.2.num.12.D. Antonin.3.part.tit..10.cap.6. in principio cas.5. glossa in cap. quamuis pactum, de iurament.in 6. Grammaticus decis.103. numer.70. & alij. Vnde vtraque opinio est probabilis, sed prima est probabilior.

An Superiores possint irritare vota emissa tempore subiectionis, implenda tempore illius soluta?

RESOL. XXIX.

Vt si, v.gra. vxor aliquid promittat in tempus viduitatis, impubes in tempus pubertatis, pubes in tempus quo liberam bonorum dispensationem habuerit, seruus dum fuerit liber, &c.

Prima opinio vtitur distinctione, nam aliqui ex supradictis sunt plenè subditi Superiori quoad voluntatem, cui ad plenum eius regimen traditi sunt, quales sunt Religiosi respectu suorum Prælatorum, & filij impuberes respectu patris, & tutoris; alij vero sunt tãtum subditi quoad aliqua obsequia, & aliquod voluntatis regimen, quales sunt serui domino, vxor viro, filij puberes patri, & curatori. Priorum ergo vota facta ad tempus solutę potestatis, possunt Superiores irritare, non autem posteriorum, & ita docet Sanchez mutans sententiam in summ. to. 1. lib.4.c.20. nu.31.

Secunda sententia absolutè facultatem supradictam cuicũque Superiori denegat, quia votum refertur in tempus solutæ subiectionis, & ita tenet Caietan.in 2.2.q.88.art.8.dub.penult. in solut.ad 3. Nauarrus in summ.c.12.nu.66. Arragon.in 2.2.qu. 88.art.8. & alij.

Tertia sententia eam facultatem omnibus Superioribus habentibus facultatem dominatiuam concedit, quia tempore, quo votum emittitur, voluntas subditi subditur Superiori siue absolutè, siue quo ad materiam promissam, quantumcumque executio in aliud tempus differatur. Deinde sequitur ex tali voto præiudicium Superiori, nam tempore, quo est Superior, & alter subditus, eum non recognoscit vouens sine eius consensu. Et hanc sententiam probabiliorem vocauit Sanchez de matrim.lib.9. disp.39.nu.16. licèt postea loco cit.in summ.tantùm probabilem vocet; secluso tamen voto serui emisso in tempus, quo libertate donatus fuerit: & illam absolutè tenet Petrus de Ledesma in summa to. 2. tract.10.c.7. dub.vlt. dict.10. Vega in summ. to.2.c.129. cas.20. & alij.

Sed stando in prima opinione, ego olim putaui aliquos probabiliter consuluisse, patrem potuisse votum irritare Religionis a filio emissum, post annos pubertatis exequendum, & hanc sententiam summopere notent Confessarij, & casuum consciẽtiæ responsores, quia in casibus contingentibus plurimum deseruire poterit.

An authoritas vnius Doctoris probi & docti reddat opinionem probabilem.

RESOL. XXX.

Affirmatiuè respondet Angelus, Nauarrus, Valentia, & Sà, quos citat & sequitur Sanchez in summ.to.1. lib.1.cap. 9.n.7. quia illa est opinio probabilis, quæ non leui innititur fundamento, sed authoritas viri docti, & pij non est leue fundamentum, maximè si adducat aliquem rationem probabilem, & eius opinio non sit contra communem. ergo, &c.

Sed hanc sententiam ita absolutè prolatam non placet Laurentio de Portel in dub. Regular. ver.opinio eligenda, nu.4. & ideo illam limitat, vt vera sit in casu nouo nunquam ab alijs disputato, tunc enim quis poterit quietari cum dicto vnius tantum Theologi dicentis licere, & aliquam rationem habẽtis; secus in casu a multis alijs ventilato, & pluribus rationibus in cõtrarium a Doctoribus munito; tunc enim non est acquiescendum vnius Doctoris dicto, obstantibus alijs multis, & Doctoribus, & rationibus, & sic est intelligendus D.Thom.cum dixit, posse aliquem acquiescere dicto solius Magistri, in casu sc. nunquam ab alijs ventilato, & cuius noui casus ipse Magister resolutionem colligit ex dictis ab alijs. Ita Portel.

Sed non desinam hic adnotare sententiam affirmatiuam Sanchez sine vlla limitatione, docere etiam absolutè Merollam to.1. disp.3.c.4.dub.1.n.4. Filliucium to.2.tract.21.ca.4.nu. 134. & alios.

Notandum est tamen hic obiter cum Villalobos in summa to.1.tract.51.diffic.7.n.3. [Que la opinion de vn Doctor singular, que sustenta el valor del matrimonio ya hecho, como se funde en razon probable, se ha de preferir a la opinion de muchos, que la imponen como dizen Hostiense, Iuan Andres, Ancharano, Alexandro de Neuo in capit. si vir, de cognat. spir. y que esta doctrina de vn Doctor singular se estenda à qualquiera causa pia lo dize Beroio in capit.1. num.281. de constitut.] Ita ille, cuius sententiam sequitur Castrus Palaus in opere morali tom.1. disputat. 2. punct. 1. nu.12.

An

An subditus possit non obedire præcepto Superioris, quando probabiliter iudicat esse illicitum, vel extra eius iurisdictionem?

RESOL. XXXI.

Opinio communis & probabilior, vt notaui in 2. p.tract.13. resolut.10. negat, & pro illa adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Antonium Perez in laurea Salmantina, certam.10.scholast.n.115. Azorium tom.1.lib.2.ca.17.q.9. Salas in 1.2.tract.8.disp.vnic.sect.8.n.76. & alios penes ipsos, quia in tali casu cum Superior habeat ius præcipiendi, nã saltem ex probabili ratione mouetur; ergo subditus tenetur ei obedire, quia subditus tenetur parere, quoties absque peccato id potest facere, vt est in casu nostro.

Verùm loco citato pro contraria sententia adduxi Ioannem Sancium, cui addo nunc Castrum Palaum in opere morali to. 1. disp.2. punct.6.nu.5. quia licitum est subdito non parere Superiori præcipienti, quando est opinio probabilis non esse obligatum parere, vt docet Sanchez in summ.tom.2.libr.6.c.3.nu.7. Sayrus in claui Regia lib.1.cap.12.num.6. Turrianus de iust. tom.1.disp.50.dub.5.numer.9. Petrus Nauarra de restit.lib.3.p.3. dub.13.nu.239. & alij. Sed quando est opinio probabilis non esse licitum quod præcipit Superior, vel esse extra eius iurisdictionem, est opinio probabilis non esse obligatum parere. ergo, &c. Probatur minor, quia probabilitas opinionis deobligantis subditum obedire, in nullo alio capite efficaciori fundari potest, quàm in eo, quòd probabile sit rem imperatam illicitam esse, vel extra Superioris iurisdictionem. Et confirmatur, quia ideo, quando est probabilis opinio, non teneri subditum obedire, deobligatur subditis ab obedientia, in sententia Sanchez, & aliorum Doct. vt supra, quia possessio Superioris in illa materia vocatur in dubium. Sed similiter vocatur in dubium potestas Superioris, cùm probabilis est opinio illicitũ præcipere, aut eius iurisdictionem excedens; ergo, &c. Deinde numquam Superior fuit in possessione imperandi illicitum, aut excedens eius iurisdictionem, vt patet; sed est probabile, v.gr. tale præceptum esse illicitum, vel excedens eius iurisdictionem. ergo est probabile non habere Superiorem ius præcipiendi; ergo est probabile subditum non teneri obedire, & hæc omnia præter multas alias rationes docet Palaus vbi suprà doctè & accutè & probabiliter, vt semper solet; & ad argumentum adductum pro prima sententia respondet Superiorem habere ius præcipiendi, quod est licitum certò, & indubitabiliter, quòd verò sub opinione tantùm licitum est, etiam sub opinione ius habet, & ita hanc posteriorem sententiam ante Palaum & Sancium docuit ex almo Ordine Prædicatorum Petrus Ledesma tract. de statibus, vbi de Religiosis in communi, c.4. sed, vt dixi, prima opinio est communior & probabilior.

Non desinam etiam hic adnotare Salas vbi suprà nu.78. Lessium de iustit.lib.2.cap 41.dub.9.nu.76. in fine, Lorca in 1.2.to. 2.disp.26.§.aduerte prętetea. Sãcium in selectis disp.33.nu.31. Vasquez in 1.2.q.19.art.6.disp.6.cap.6.in fine, & alios, quos citat & sequitur Palaus loco cit.n.7. docere etiam quod si sub opinione probabili est Superiorem non esse legitimum, quia, v.g. non legitimè est electus, vel ex alio capite, subditum non esse obligatum obedire, quia tunc non est possessio certa Superioris, cùm de eius possessione probabiliter subditus dubitet; licèt contrariam sententiam doceat Sanchez in summ. to.2.lib.6. c. 3.n.29. sed vtraque opinio est probabilis.

An milites non subditi alicuius Principis teneantur inquirere iustitiam belli.

RESOL. XXXII.

Milites subditi ad hoc non tenentur, difficultas est de militibus non subditis, & quia casus in praxi frequenter potest accidere, ego in 2. part.tract.5. resolut.96. adduxi aliquos Doct. pro negatiua sententia, quibus nunc addo Castrum Palaum in opere mor.tom.1.disp.2.punct.8.n.4. vbi sic ait. Valdè probabile est eodem modo milites non subditos bellare posse, ac possunt subditi, neque aliquam esse inter illos differentiam, quia cuilibet licitum est alterum iuuare in re, quæ præsumitur iusta, præcipuè cum non leue emolumentum inde accipiat: cũ igitur bellum præsumatur iustum, dum de iniustitia non constat, efficitur posse quemlibet in illo iuuare. Ita ille. Negamus igitur cum Sanchez in summ.tom.2.lib.6.c.3.nu.16. Molina de iust.tom.1.tract.2.disput.114. & alijs, milites non subditos non posse bellare, nisi certitudine morali constet illis bellum iustum esse. Imò ego puto, si milites tam subditi, quàm non subditi dubium habeant positiuum, hoc est, rationes probabiles pro vtraque parte de iustitia belli, posse se illis conformare, si autem rationes ita sint vrgentes de iniustitia belli, vt dicti milites probabiliter nequeant illas soluere, tenerentur tunc aliquo modo veritatem inquirere ne se periculo morali iniustitiæ exponant; tamen hoc onus addit Palaus ex Suarez non esse facile militibus imponendum.

An si quis ex metu cogatur matrimonium contrahere, licèt in genere, si postea contrahat, matrimonium sit inualidum?

RESOL. XXXIII.

Negatiuè videtur respondendum ex sententia Azorij tom. 1.libr.1.cap.11.quæst.11. Ioannis Lupi in c. per vestras, de donat.inter virum & vxorem, notab.3.§.11.nu.1. Abbatis, Felini, Imolæ, Iasonis, & aliorum, quos affert Couatruuias in 4. Decret.p.2.c.3.§.5.n.8. asserentes, quod si quis ex metu cogitur contrahere matrimonium cum aliqua ex filiabus Pauli, matrimoniũ tenet, quia in tali casu nulla adest coactio circa electionem illius fœminæ, sed circa electionem absolutè.

Sed ego magis probabiliter puto in tali casu matrimonium esse nullum, quia vt matrimonium sit liberum, non sufficit electio huius, vel illius personæ, sed requiritur vt electio talis status liberè plena sit, & non coacta, vt rectè docet & obseruat Castrus Palaus in opere morali tom.1. tract. 2. disp. 1. punct.9. nu.9. ad 1. argum. & ideò affirmatiuam sententiam contra Doctores citatos in casu illius matrimonij ex metu contracti docet Salas in 1.2.tract.3.disp.3.sect.1.nu.27. Rebellius part.2. libro 2.quæst.11.sect.1.num.11. Sanchez de matrimon.to.1.libr. 4.disp.12.num.20. & nouissimè Basilius Pontius de matrimon. libr.4.c.14.nu.14. vbi rectè obseruat, quòd non obstat si alicubi consuetudine inductum sit, vt aliqui non contrahant, nisi cum aliqua ex certo genere, vel etiam lege induci possit. nam ea cõsuetudine, aut lege nulla vis infertur, cum possit non nubere, & præterea lex illa, vel consuetudo acceptata est voluntate & moribus vtentium, & cum iusta sit, non infertur vis ab extrinseco. ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter contra Sanchez de matrim. lib 4.disp.14.n.2. Azorium to.1.lib.1.c 11.qu.6. Coninch de Sacram.disput.28.dub.1.conclus.5. & alios penes ipsos, matrimonium ex graui metu initum esse nullũ, non solum, vt citati Doctores asserunt de iure Ecclesiastico, sed etiam inspecto iure naturali, atque ideo non tantum in Ecclesia, sed etiam extra Ecclesiam matrimonium esse nullum dicendum est, si ex metu graui iniustè illato celebratum sit, & ita docet Pontius loco cit. num.4. Comitolus in respons.moral.libr.1.quæst.123. Scotus in 4.dist.19.q.1.art.2. Rebellius p.2.lib.2.qu.11.sect.1.conclus.2.& ante omnes omnium Magister D.Tho.in 4.dist.29.qu.vnic.art. 3.quæstiunc.1. in corp. & alij.

Nota etiam ea, quæ dicta sunt, locum habere in constitutione Procuratoris ad matrimonium, nam si ex metu graui fiat, erit nulla iure naturali, & positiuo, & per consequẽs matrimonium nullum, vt obseruat Pontius loco cit.n.16.& latè probant viri doctissimi in allegatione quam impressam penes me habeo art.2.fol.5.super matrimonio inito per Procuratorem, die 23. Ianuarij 1590. inter Excellentissimum D. Antonium Aluarez de Toledo Ducem de Alua de Alcala, quia eadem libertas, quæ requiritur tempore contractus matrimonij, requiritur tempore quo Procurator constituitur ad illud contrahendum, & subinde si tunc non adest liber consensus, vitiabitur ipse Procuratoris constitutio, ac perindè vitiabatur matrimonium eius virtute contractum quoniam qualitas metus quæ à principio adfuit, dicitur durare.

Aduerte tamen quòd si parentes cogerent filios ad matrimonium ineundum, non incurrerent in excommunicationem latam in Concil. Trident. sess.24.capit.9.de matrim. Ita Villalobos in summ.tomo.1.tract.13.diffic.38.nu 4 qui citat Sanchez & Henriquez. Et tandem nota quòd matrimonium erit validum, si iudex cogat iustè matrimonium contrahere, secundùm allega-

allegata & approbata;iniuſtè tamen ſecundùm rem, vt ſi cogat aliquem contrahere cum fœmina poſt promiſſionem datam fornicante. Ita Sanchez de matrimonio lib.4.diſput.14.num.8. Sed ego magis probabiliter puto in tali caſu matrimonium nõ eſſe validum. Ita Baſilius Pontius de matrimonio libro 4.capit. 19. nu. 11.

An ſi quis minatur malum abſque animo inferendi, & ſi poſſet iuſtè inferre, valeat retinere quod ſic extorqueat.

RESOL. XXXIV.

VT, v.gr. poteſt quis homicidam aliquem accuſare apud iudicem; poteſt quis repetere pecuniam credito in ludo perditam; quæritur an ſi vir nobilis ob verecundiam accuſaturus non erat, aut ex alio motiuo accuſare nolebat, vel pecunias perditas nolebat in iudicio repetere, poſſit adhuc accuſationem, & repetitionem minari, & retinere illa, quæ ab aliquo ſic minando extorquet? Caſus poteſt faciliter accidere, & non eſt ita facilis, vt aliquis forſitan putaret. nam negatiuam ſententiã docet Ludouicus Molina de iuſtit. tom.2. tract.2. diſp.514. nu. 4. quia fallacia ac ſimulatione, & iniuſtè ab illo extraxit, & dolus in hoc caſu dedit cauſam contractui. ergo, &c. hæc opinio eſt probabilis.

Sed ego contrariam ſententiam tamquam probabiliorem amplector, quam tuetur Leſſius de iuſt.li.2.cap.17. dub 6.n.42. Sanchez de matrim.tom.1.libr.4.diſput.9.nu.9. quibus ego addo Caſtrum Palaum in opere morali to.2.tract.2.diſp.1. punct. 10.n.5. & ratio eſt, quia etſi non habeat animum, habet tamen ius accuſandi, eoque iure vti poteſt, quòd quidem ius eſt pretio æſtimabile, ſiue habeat animum eo vtendi, ſiue non. ergo, nec obſtat quòd ſimulatio, fallacia & dolus dedit cauſam contractui, quia non fuit dolus malus, ſeu iniuſtus, ſed iuſtus, nam iuſtè poterat minari accuſationem, & repetitionem pecuniarum in iudicio, ſiue haberet animum, ſiue non, neque illud quod datur, datur vt deponat animum, ſed vt re ipſa non accuſet, neque pecuniam repetat, & iuri accuſandi, aut repetendi cedat, quorum vtrumque ille præſtat. ergo, &c.

An aliqua ignorantia quæ aliàs eſſet mortaliter culpabilis, quæ non ſit affectata, aut craſſa, excuſet à tranſgreſſione præceptorum humanorum.

RESOL. XXXV.

PRima ſententia negat, ſic Caſtrus Palaus in oper. mor. tom. 1.tract.2. diſp.1. punct.16. nu.3. vbi ſic ait. Fateor tenuitatem ingenij mei, non enim percipere poſſum quomodo detur ignorantia mortaliter culpabilis, & tranſgreſſio præcepti ex tali ignorantia mortalis non ſit. nam tota materia tranſgreſſionis conſiſtit in negligentia culpabili ſciendi præceptum, imò potiùs non eſt alia malitia omiſſionis, v.gr. ieiunij, vel Miſſæ præceptæ, quàm eſt in illa culpabili negligentia: ſi ergo illa negligẽtia eſt culpabilis mortaliter, omiſſio culpabilis mortaliter erit; nequit ergo negligẽtia culpabilis mortaliter reddere violationem venialiter culpabilem. Ita Palaus, & ante illum Suar. in 3.p. to.3.diſp.82. ſect.3. verſ. ſecundo dubitari ſolet.

Secunda ſententia affirmat. Ita Bonacina in Decal.diſp.2.qu. 8.punct.3.num.21. Sanchez in ſumm.tom.1.lib.1.cap.17.nu.19. Valentia tom.2.diſp.6. quæſt.6. punct.3. verſ. poteſt etiam, & alij aſſerentes à tranſgreſſione præceptorum humanorum excuſare etiam ignorãtiam inuincibilem quæ in alijs materijs eſſet mortalis, dummodo nõ ſit craſſa, vel ſupina, quia ius humanum non obligat cum tanto rigore, vt obligat ius diuinum, ſed has ſententias pugnantes conatur conciliare Merola diſput. Theol.to.1. diſp.1.c.2.dub.10. n.167.

Verùm quicquid ſit, certum eſt non peccare ſaltem mortaliter tranſgredientes præcepta Eccleſiæ, v. gr. ieiunij, obſeruationis feſtorum bona fide, ex cauſa, quam ſufficientem putant, quamuis reuera ſufficiens non ſit, quia cum præcepta ſint humana, non obligant cum tãto rigore ad inquirendas cauſas excuſantes, & tollendam ignorantiam, vt obligant præcepta iuris naturalis. Ita Caietanus in ſumm.ver. Ieiunium capit 3.& verb. Feſtorum violatio Henriquez libr.9.cap.25.numer.10. Azorius tom.1.lib.7.cap.7.quæſt.4.in fine, Leſſius lib.4.cap.2.dub.5.nu. 34. Armilla ver.ieiunium, n.2.& 6.& ver.feſtum, n.10. Emanuel Sà ver. ieiunium, n.14. & alij.

Nota etiam, peccatum ex ignorantia culpabili, vel ſcientia commiſſum non ita differre, vt neceſſariò debeas in confeſſione eorum differentiam explicare, videlicet an fuerit commiſſum ex ignorantia culpabili, vel ſcienter. Ita Tannerus in 1. 2. diſp.4.q.9.dub.1.n.26. Suarez in 3.p.tom.4.diſp.22.ſect.4.num. 14. Secus autem ſi peccatum procederet ex ignorantia affectata liberius peccandi, & ſine remorſu. nam in tali caſu Caſtrus Palaus loc.cit. punct.16.num.3. putat tale peccatum eſſe explicandum in confeſſione, tamquã conſtituentem ſpecialem malitiam aduerſantem voluntati Deo ſeruiendi; ſed Sanchez vbi ſup.cap.17.in fine, tenet tale peccatum eſſe declarandum tanquam ſolum augentem malitiam.

An ignorantia dicatur vincibilis, ſufficiat te eſſe obligatum aduertere?

RESOL. XXXVI.

AFfirmatiuè reſpondet Valentia tom.2. diſputat.6. quæſt.6. punct.1. Zumel in 1.2.q.67. artic.3. diſp.2.dict.4. Alphonſus Curiel ibid. dub.3. §.3. & nouiſſimè ex Societate Ieſu Iacobus Gordonus in Theol.moral.tom.1.libr.1.quæſt.8.cap.10.nu. 37. vbi ſic ait. Satis eſt ad peccatum mortale contrahendum (cognito obiecto) cognitio malitiæ, quam vocant interpretatiuam, vt contingit, dum ratio actu non conſideret malitiam, potuit tamen, & debuit conſiderare. Hanc certè ſententiam probat D.Thom. in 1.2.quæſt.73.art.8. docens ſatis eſſe, quòd fuerit in poteſtate operantis aduertere, licèt ex negligentia id non fecerit. Ita ille, qui teſtatur hanc ſententiam accepiſſe à P.Suarez, dum publicè Romæ legebat anno 1582. vnde poſtea ſubdit. Malè ergo concludunt aliqui nullum committi peccatum, niſi præceſſerit vel expreſſa cognitio malitiæ, vel dubitatio de mali periculo; & cur non dicent requiri neceſſariò etiam cognitionem de offenſo Deo, cùm ſit neceſſaria connexio cum actu morali malo? Præterea iſta reprehenſio conſcientiæ (quam ponunt in cognitione periculi, aut mali,) ſi eſſet neceſſaria ad peccandum, quomodo diceret Paulus ſe non habere reprehenſionem conſcientiæ, & tamen poſſe habere peccatum. Cùm ergo Paulus docet peccatum poſſe conſiſtere, & ſine vlla mali notitia contrahi, ſequitur non rectè aliquem requirere conſcientiæ apprehenſionem. Hæc Gordonus, qui aliàs etiam adducit rationes pro hac firmanda ſententia.

Sed illam improbabilem vocat Salas in t. 2. tract.13. diſput. 8.ſect vlt.nu.87. ego tamen opinionem doctorum virorum aliqua ratione fulciam, nec poſſum, nec debeo nota improbabilitatis vrere, vt Salas facit, & ideo exiſtimo illam probabilem eſſe; verùm contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori, & communiori libenter adhæreo. Dico igitur, quòd vt ignorantia dicatur vincibilis, nõ ſufficere aliquem ex ſtatu & officio eſſe obligatum aduertere, niſi aliqua cognitio, dubitatio, vel ſcrupulus de malitia, aut obligatione adſit; quare nullum eſſe peccatum mortale in voluntatis conſenſu cenſeo, niſi cogitatio aliqua præceſſerit, & conſideratio expreſſa, quam actualem vocant malitię moralis, vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, vel ſcrupulus. Itaque vt quis peccet mortaliter (o quàm ſuaue & leue eſt iugum Domini) debet conſiderare, vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe malitiæ periculum, vel dubium, vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere, & ſic non ſatis eſt cognitio illa virtualis, ſeu interpretatiua, quam ſufficere dicebat Gordonus vbi ſuprà, & ita hanc ſententiam pręter Salas loco cit. multis rationibus firmat Sanchez in ſumm.tom.1.lib.1. capit.16.n. 21. Vaſquez in 1.2.quæſt.74.art.7.diſp.107.cap.3.num.6. & qu. 76.art.2.diſp.123. num.6. Portel in dub.Regul.ver. Ignorantia, num.11. Caſtrus Palaus in opere morali tom.1.tract.2.diſputat. 1.punct.15.num.5. Aluarez in 1.2 quæſt.74.art.8. diſp.144.nu. 6. Coninch de actibus ſupernat.diſp.14. dub.11.nu.229. Sayrus in claui Regia lib.2.c.9.nu.20. Reginaldus to.1.lib.11.c.3.n.32. Tannerus in 1.2.diſp.4.qu.9.dub.1.num.17. Layman in Theol. mor.lib.1.tract.2.cap.4.num.6 & ratio eſt, quia ſi nunquam in mentem venit cogitare, aut ſuſpicari de operis malitia, tũc homo non operatur malum deliberatè, cùm fieri non poſſit vt voluntas in malum peccati conſentiat, niſi intellectus illud cognoſcat. ergo, &c.

Vnde ex his deducitur ſano modo intelligendo iura ac DD.

dum

dum dicunt esse par, scire, & debere scire. nam intelligenda sunt quando adfuit aliqua actualis plena, & sufficiens ad mortale aduertentia ad malitiam, eiusque periculum, seu dubium, aut scrupulus, quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, nō est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam, aut non est plenè, ita vt ad mortale peccatum sufficiat.

Sed si aliquis hic incidenter quærat, quibus in rebus contingere possit ignorantia inuincibilis? Respondeo cum Tannero in 1.2.D.Thom.disp.4. quæst.9.dub.1.num.14. ex communi & vera sententia ignorantiam inuincibilem cōtingere posse non solùm circa ius positiuum humanum, ac particularis facti circumstantias, sed etiam circa ius positiuum diuinum, & mysteria fidei nostræ; imò etiā circa ius naturale, non quidem quo ad vniuersalissima præcepta iuris naturæ, sed quoad alia, facilius quidem & frequentius circa ea, quæ difficiliùs ex præceptis vniuersalibus naturæ deducuntur, vt est, v.g. bigamia, accipere lucrum ex mutuo, propriàs iniurias vlcisci, & simplex fornicatio, aut etiam mendacium officiosum, &c. difficiliùs autem, nec ferè nisi pro breui tempore circa præcepta illa, quę facilè ex vniuersalibus illis præceptis deducuntur, vt sunt cultus vnius veri Dei, & cætera quæ directè continentur in præceptis Decalogi. Ita ille. Sed ne prætermittas videre Merollam tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 6. per totum. Ex quibus apparet me olim rectè respondisse ignorantia inuincibili laborasse puerum putantem pollutionem voluntariam non esse peccatum, & mysteria fidei, sicuti etiam alia præcepta positiua posse ab aliquibus inuincibiliter ignorari, vt autem Confessarius iudicet, an circa supradicta ignorantia sit inuincibilis, recurrat ad doctrinam superiùs positam, discutiendo an in mentem pœnitentium dubium aliquod, vel saltem scrupulus de saltem rerum malitia venerit, si enim nil horum venerit, ignorantia reputabitur inuincibilis.

An ignorantia vincibilis sit in peccatum speciale distinctum ab eo, cuius est causa?

RESOL. XXXVII.

AD hoc dubium Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 2. c. 4. num. 10. Vasquez in 1. 2. disp. 126. cap. 3. & disp. 119. cap. 2. & 3. respondet, quòd ignorantia atque sciendi negligentia earum rerum, quarum cognitio per se, siue ratione sui præcipitur, est speciale peccatum oppositum ei virtuti, quæ in talium rerum cognitione versatur, videlicet negligentia in cognoscendis fidei mysterijs ad credendum necessarijs, est peccatum fidei oppositum, ignorantia autem atque cognoscendi negligentia earum rerum, quarum cognitio non per se præcipitur, vel prohibetur, non est speciale peccatum. sed accipit speciem suam à legis transgressione, cuius causam, vel periculum præbet, v.g. vincibilis ignorantia, vtrùm ieiunij dies sit, quo carnem comedis, pertinet ad peccatum intemperantiæ; vincibilis ignorantia, vtrùm Sacerdos sit, quem percutis, ad peccatum sacrilegij, neque tunc refertad formalem peccati malitiam, vtrùm reuera dies ille ieiunij sit, vel vtrùm Sacerdos, qui percutitur, sufficit si suborto dubio & non discusso commissus te periculo taliter peccandi.

Sed Tannerus in 1. 2. D. Thom. disp 4. quæst. 9. dub. 1. nu. 12. circa præsentem quæstionem paulò aliter distinguendum censet, ait enim quòd quædam scire tenemur per se, seu siue respectu & ordine propinquo ad opus aliquod particulare, vel, quod idem est, non ex sola suppositione operis alicuius particularis, quales nimirum sunt articuli fidei, præcepta Decalogi, sub quibus etiam comprehenditur modus ritè Deum colendi, communia item præcepta Ecclesiæ, & quæ præterea ad cuiusque statum & officium pertinent, in quibus etiam comprehenduntur nonnunquam quæstiones aliquæ facti, tenetur enim Episcopus, aut Parochus scire, vtrùm subditi confiteantur, & communicent præscripto tempore. Alia verò sunt, quæ solùm per accidens, seu ex suppositione, & in ordine ad subsequens factum, hic & nunc sciri debent, eiusmodi est, v.g. cognitio iuris alicuius in casu, quo quis non ex officio, seu vi suæ vocationis sed spontè velit causam aliquam controuersam dirimere, talis est etiam cognitio particularis alicuius circumstantiæ facti, solùm in ordine ad opus propositum rectè exequendum, v. g. quòd homo non sit, sed fera, id, quod in dumeto latitans aspicio, & ad quod iaculum dirigo, &c. Ex quibus hæc posteriora ignorare non est peccatum distinctum ab opere consequente; quia in his necessitas sciendi oritur non ex virtute studiositatis per se, sed ex præcepto eius virtutis, in cuius materia versatur operans. Res verò prioris generis ignorare voluntariè, seu non curare, vt sciantur, est peccatum per se & distinctum ab opere consequenti, quia aduersatur virtuti distinctæ, nempè studiositati, quæ moderatur appetitum sciendi, iuxta cuiusque materiæ, ac personæ conditionem. Ita Tannerus, quæ omnia licèt aliquantulum speculatiua videantur pro Confessarijs, tamen ea scire necessarium est.

An Clericus, qui lapsus est in heresim, possit exercere susceptos Ordines?

RESOL. XXXVIII.

NEgatiuè respondet Bonacina de censur. disput. 7. quæst. 3. punct. 7. num. 6. vbi multos alios citat. Ratio est, quia irregularis non solum non potest promoueri, sed nec etiam Ordines exercere ante obtentam legitimam dispensationem irregularitatis.

Sed post pœnitentiam, & abiurationem probabiliter puto posse susceptos Ordines exercere. Ita Sayrus de censur. lib. 7. c. 12. num. 16. Auila de cens. part. 7. disp. 4. dub. 2. & alij, ex c. salubterrimum, 1. q. 3.

Notandum est etiam hic obiter quem ob suspicionem heresis ex qua consurgat infamia, irregularem fieri; sed, vt obseruat Bonacina vbi suprà numer. 4. ex Diaz, & Suarez hoc intelligimr, quamdiu suspectus manet, seu donec non purgauerit suspicionem.

An sit dicenda Missa Assumptionis, Natiuitatis, &c. B. Virginis extra diem dictarum festiuitatum?

RESOL. XXXIX.

EGo in 3. p. tract. 6. resol. 102. docui hoc fieri esse reprehensibili, non enim ex indiscreta laicorum deuotione violandæ sunt Missalis rubricæ; dixi tamen quòd si Sacerdos aliquis hoc faceret sine scandalo, aut superstitione, quod non peccaret mortaliter, ex his, quæ adduxi in 2. p. tract. 14. resol. 55.

Verùm nouissimè aduersus me acriter insurgit P. Megalius resolut. var. to. 2. resol. 187. nu. 18. contrariam sententiam tenens ex authoritate Bullæ Pij V. positæ in princip. Missalis, vbi in virtute sanctæ Obedientię præcipit Sacerdotibus vt Missam nonnisi iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale, quod ab ipso traditum est, dicant, aut legant. ergo, &c.

Sed optimè obseruat Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. nu. 140. dictum præceptum pijssimi Pontificis non obligare cum tanto rigore ad obseruantiam singularum regularum Missalis, sed iuxta grauitatem earum, generaliter autem obligat ad obseruandum ritum Missalis, & non ad introducendum alium, quod accideret, vt obseruat Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thom. qu. 83. art. 4. dub. 3. numer. 187. quando quilibet pro se arbitrio Sacrum faceret secundùm aliud Missale, sed hoc non accidit in casu nostro, nam Sacerdos dicit Missam positam in Missali Romano, licèt affixa die & tempore, cuius mutatio secluso scandalo, aut aliqua superstitione non videtur transgressio ita grauis vt peccatum mortale possit constituere. Et ita hanc sententiam docet Tannerus tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 1. nu. 6. vbi sic ait. Non obstat Bullæ Pij V. præfixa nouo Missali, vbi omnibus in virtute sanctæ Obedientiæ præcipitur, vt Missam iuxta ritum illius Missalis legant, sensus enim dumtaxat est, vt nō fiant Missæ seu votiuę, sed de tempore, nisi prout in nouo Missali præscribuntur; non autem prohibetur ne vna Missa in aliam eiusdem Missalis commutetur, vt ex contextu patet. Ita ille. Nec aliter sentiunt Gauantus, & noster doctissimus & amicissimus P. D. Antonius Carauiolus, quos citat Megalius: nā ipsi asserunt quidem dictas Missas non esse celebrandas, quod etiam ego asserui, & nunc assero, sed non dicunt, quòd si Sacerdos aliquis de facto illas celebret, sit de peccato mortali damnandus, & hoc ego probabiliter nego, propter allatas rationes, & propter authoritatē nostri P. Castaldi & Alcocer asserentiū absolutè posse supradictas Missas celebrari, & ideo in tali casu Sacerdotem non peccare mortaliter, sentiunt etiam multi viri docti Societatis IESV, & Dominicanæ familiæ de hac re à me consulti.

An

An Sacerdos institutus & obligatus ad celebrandum in certo altari priuilegiato pro animabus Purgatorij, satisfaciat obligationi si alibi celebret cum calculo, v. g. D. Caroli liberante animam è Purgatorio.

RESOL. XL.

NEgatiuam sententiam docui in 1. p. trac 14. resol. 29. sed me non rectè respondisse docet Megalius variarum resolut. to. 2. resol. 187. nu. 20. quia in tali casu à Sacerdote promissio & obligatio sufficienter seruatur per æquipolleos.

Sed hæc opinio Megalij esset vera, quando ille, qui petit Missam in Altari priuilegiato, vniuersaliter loquutus sit, & nullum Altare particulare determinasset, vt obseruat Fraxinellus in nouiss. editione de Sacerdotum obligatione, &c. sect. 4. concl. 4. §. 9 num, 3. quod etiam innuit noster Alphonsus de Leone tract. de Iubilæo, p 3. n. 29. Secus autem si postulasset vt in hoc, vel illo Altari celebraretur, vel quia suum est Altare, vel quia voluit illud honorari, & coli, tunc enim in petito Altari, & non alibi cum calculo benedicto celebrandum est, alioquin intentioni, & voluntati petentis Missam non satisfieret, vnde patet responsio ad rationem Megalij negando in hoc casu Sacerdotem seruare promissum per æquipollens, & ita nostram sententiam præter Fraxinellum docet etiam nouissimè in terminis, vt dici solet, terminantibus, Homobonus de Bonis in consult. casuum conscientiæ, volum. 2. p. 5. respons. 60. & in exam. Eccles. p. 1. tr, 4. c. 13. q. 123. & alij.

Quòd vero ego vbi suprà sim locutus in casu quo Sacerdos debebat celebrare in certo Altari Ecclesiæ assignato, eo modo quo suprà asserût DD. citati, patet ex titulo resolut. vbi dicitur, an Sacerdos institutus, &cet. ex ipsis Doctoribus quos ibi pro mea sententia citaui, qui in tali casu loquuntur: non ergo, vt asserit Megalius, in dicto casu malè responsum dedi.

Ad id verò quod ipse asserit me non benè excusare Capellanum ab omni peccato si celebret bis, vel ter in Sacello, vel Altari non designato, respondeo quòd ego suppradictum in tali casu excuso ex paruitate materiæ: ergo suppono peccare venialiter, vt certum est peccare omnes qui aliquam obligationem, vel præceptum transgrediuntur ratione paruitatis materiæ, & aliud dicere, est quærere nodum in scirpo.

An ad incurrendam irregularitatem, quæ culpam sequitur, sufficiat peccatum veniale.

RESOL. XLI.

NEgatiuam sententiam docui in p. 2. trac. 2. Miscellan resol. 20. sed nouissimè, me citato, hanc sententiam tamquam improbabilem damnat Megalius in var. resol. to. 2. resol. 159 n. 4. & c. continebatur, de homicid.

Sed nescio, quomodo opinio communis Doctorum validissimis fulcita rationibus possit à Megalio improbabilis vocari, & ita hanc sententiam præter Sayrum, Suarez, Coninch, Bonacinam, Filliucium, Sanchez, Villalobos, quos vbi suprà citaui, tenet etiam Montesinus in 1. 2. tom. 2. qu. 76. art. 4. disput. 8. quæst. 12. num. 133. Turrianus de censf. lib. 8. disp. 57. dub. 2. Gordonus in Theol. moral. to. 2. lib. 7. q. 10. §. 4. num. 14. Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. part. 5. c. 1. n. 4. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de irregular. dub. 12. concl. 6. Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 10. n. 181, Valentia to. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. §. 5. Vasquez in 1. 2. disp. 158. capit. 1. Hurtado de irregular. disp. 1. diffic. 2. n. 8. Præpositus in 3. p. D. Thom. q. 5. de irregular. dub. 2. n. 6. Auila de censuris p. 8. disp. 2. dub. 3. concl. 3. Sotus de iust. lib. 5. q. 1. ar. 9. & alij penes ipsos, quia non est lex canonica vlla, quæ decernat irregularitatem propter solam veniale culpam, sed nec debere decerni, quia est pœna grauior suspensione, & tamen suspensio postulat peccatum mortale ex communi opinione, imò est grauior etiam excommunicatione minore, cum priuet executione Ordinum, ne sit pœna medicinalis, sed de se quidem perpetua, & difficilis admodum dispensationis, quæ quidem sententia est ita vera, vt asserat Coninch de Sacramen. disp. 18. dub. 2. n. 13. & Suarez to. 5. disp. 40. sect. 3. num. 17. Pontificem non posse purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem, & licèt contrarium asserat Auila de cens. part. 7. disp. 2. dub. 3. concl. 2. tamen aduersus illum insurgit nouissimè Turrianus de censur. lib. 8. disp. 57. dub. 2. & sic ait. Fallitur Auila dicés pa-

pam posse imponere irregularitatem ob peccatum veniale, sed de irregularitate vt pœna falsum est, quia pœna non esset proportionata culpæ. Ita ille. Verùm quicquid sit de hoc, certum est de facto nullam irregularitatem esse impositam in iure, nisi pro culpa mortali, & ad c. continebatur, quod adducit Megalius, respondet Sayrus de cens. lib. 7. c. 5. n. 5. & alij ibi, Diaconũ peccasse mortaliter; alias verò responsiones videbis apud DD. citatos, præsertim apud doctissimum Ludouicum Mõtesinum in 1. 2. D. Tho. to. 2. q. 76. art. 4. disp. 8. q. 18. n. 150.

An pater incurrat excommunicationem Concilij Trid. sess. 25. c. 18 si cogat filiam impuberem intrare Monasterium.

RESOL. XLII.

REspondi negatiuè in 2. p. tract 1. Miscellan. resolut. 56. cum Laureotio de Portel & Sanchez, quia Concilium in illo loco non reuocat ius, sed iura, vt patet ex c. addidistis 20. qu. 1. & aliis capitibus, concedunt parentibus offerre Religioni filios impuberes, secus autem si essent puberes. ergo, &c.

Sed hanc sententiam, me citato, impugnat Megalius var. resol. to. 2. resol. 157. n. 5. & 9. quia; ait ille, iura adducta concedut parentibus hoc fieri posse filijs non repugnantibus At si hoc esset verum, nulla differentia esset inter filios impuberes, & puberes, dicendum est igitur parentes offerre posse Religioni filios impuberes vigore suprædictorum canonum sine eorum consensu, quia vt optimè asserit Suarez de Relig. to. 3. lib. 5. c. 2. n. 15. filius in illa ætate non tam sua, quàm patris voluntate regendus est Vnde inter filios impuberes sic à parentibus in Religione oblatos non posse egredi sua voluntate ante annos pubertatis, quod etiam antea docuerat Syl. verb. Religio 2. qu. 10. & ideo hanc sententiam præter Suarez, Sanchez, & Portel a me in d resolut. citatos, tenet etiam nouissimè Bartholomæus a Vecchis in praxi nouitiorum, disp. 2. dub. 6. n. 5. concl. 2. & Barbosa in collectan. to. 4 p. 2. De. reti 20. q. 2. c. 1. & ante omnes D. Antoninus in summ. 2. p. tit. 1 c. 2 § 8. notab. 4. vbi asserit posse patrem offerre Religioni filium impuberem contradicentem, sicut etiam inuitus ad scholam potest ponere, & ad artificium. Ita ille, quæ quidem verba etiam ponit Paludanus in 4. sent. distin. 38. art. 3. n. 36. hanc etiam opinionem docens. Restat modo respondere ad argumentum quod adducit Megalius nu. 10. Dico igitur Leonem Papam in dicto c. loqui de puellis adultis, & § cum ergo, nõ est Leonis Papę, vt asserit Megalius, sed Gratiani, & ideo glossa super dicta verba sic asserit. Concludit hoc Gratianus ex supradicto capitulo à contrario sensu, quod si à parentibus coactæ fuerunt recipere habitum, ipsum deserere possunt. Postea soluit, dicens, quòd cap. illud puellæ loquitur de puella nubili, quæ post 12. annum à patre cogi non potest Monasterium ingredi; sed si esset innubilis, secus esset. Ita ibi glossa; vnde apparet verba, quæ adducit Megalius, non esse verba Pontificis, vt dixi, sed Gratiani Doctoris priuati, & non destruere, sed confirmare magis nostram sententiam, vt patet ex glossa, dicta verba, vt supra, interpretante. Ad alia verò iura contra nostram sententiam adducta, respondeo quod loquuntur de puberibus.

Notandum est tamen hic obiter quòd etiam stando in opinione Megalij, patrem cogẽtem filiam etiam puberem intrare Monasterium non in Ordine ad professionem, sed vt tantùm ibi educetur, donec nuptui apta sit, non incurrere in dictam excommunicationem Tridentini, quia Concilium consuluisse videtur libertati Religionis, & licèt absolutè & simpliciter loquatur de ingressu in Monasterium, ipsius mens colligi debet ex subiecta materia, de qua in ea sectione. Ita probabiliter nouissimè Bonacina to 3. disp. 2. q. 2. punct. 2. nu 6. & alij, quos loco cit. adduxi, licèt ego magis probabiliter contrarium ibi docuerim. Igitur etiamsi parentes filias impuberes non possint cogere ad intrandum Monasterium in casu de quo loquitur Megalius, poterat adhuc pater excusari probabiliter ab excommunicatione, quia cogit filiam ad ingressum Monasterij non in ordine ad professionem, aut habitus susceptionem, sed in ordine ad educationem tantùm, ergo, &c.

An Regulares possint post Bullam Vrbani VIII. absolui cum Bulla Cruciata a reseruatis cum Confessario domus.

RESOL. XLIII.

NOn posse amplius Regulares confiteri virtute Bullæ Cruciatæ extra Religionem; satis docui in additionibus positis in fine quintæ editionis Lugdunensis meorum operum resol.9.ex clara mente Summ. Pont. D.N. Vrbani in Bulla edita sub die 19.Iunij anno 1630. vt post alios obseruat etiam Gauätus in enchir Episc.ver. Regularium iura sub Episcopis, nu 84. Difficultas modò est an de peccatis mortalibus,& etiam de reseruatis possint nunc post dictam Bullam Vrbani Regulares confiteri cum Confessarijs designatis à Superiore, sicut poterant antea secundùm aliquos, vt notaui in 1.part.tract.11. de Bulla Cruciatæ, resol.14. in terminis constitut. Clement. VIII. quam confirmat dictus Vrbanus VIII. Et quoad peccata mortalia affirmatiuè respondet Ludouicus de la Cruz in exposit. Bullæ Cruciatæ,disp.1.c.1.dub.12.num.2.non autem quoad reseruata,licet ibi in fine,nu.1 asserat nonnullos docere etiam reseruata,non obstante dicta Bulla Vrbani VIII. posse Regulares cum dictis Confessarijs designatis à Superiore confiteri, & absolui sumendo Bullam Cruciatæ, & hanc sententiam probabilem putat dictus Ludouicus à Cruz, nam contrariam quam ipse tenet ibi in principio n.2. vocat tantùm veriorem.

Verùm ego negatiuam sententiam teneo ex verbis positis à dicto Pontifice in illa constitutione sic asserente. Sed nostræ intentionis fuisse,& esse, quod ijdem Fratres, & Moniales quantum ad sacramentum Pœnitentiæ,seu confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ,quoad sibi reseruata subiecti sint,earu ndem tenore præsentium perpetuò declaramus. Ita Pontifex, in quibus verbis apertè patet, prohiberi Religiosis vsum Cruciatæ quoad articulum eligendi Confessorem,etiam quoad reseruata,& nota quod in constitut. Clem. VIII. quam confirmat Vrbanus, nō aderant supradicta verba, quoad sibi reseruata, quæ quidem Summ. Pontifex Vrbanus VIII. vt credo, posuit ad tollendas quæstiones omnes & Doctorum opiniones.

An iactantia de aliquo peccato eandem habeat malitiam ac ipsum peccatum, ita vt in confessione teneatur explicare peccatum, de quo iactantia fuit.

RESOL. XLIV.

SI iactantia non sit cum gaudio de peccato commisso, negatiuam sententiam alibi cum Nauarro docui. Sed scio hanc sententiam cuidam viro docto displicuisse, immeritò quidem, vnde illam iterum doceo cum Castro Palao in opere mo ali tom.1.tract.2.disp.2.punct.11.num 5.vbi sic asserit. Si gaudium excludas, & solum peccatum iactantiæ committas, existimo probabilius nō variari eius malitiam ex varietate peccati circa quod versatur,ac proinde te non esse obligatum declarare peccatum cuius fuit iactantia, sed sufficienter satisfacere, dicendo te de mortali culpa iactasse. Probo, quia tota iactantiæ malitia consistit in captanda gloria & honore ex malefactis, quòd verò malefacta sint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid est,& per accidens ad iactantiæ malitiam, sicuti ad violationem voti, & iuramenti materiale quid est, quòd violatio sit in castitate,vel paupertate. Ita ille, & ego,quod est valdè notandum.

Notandum est etiam hic obiter cum Lessio libr.2.ca.47.dub. 6.num.42.Sanchez in summ.to.1.lib.1.cap.3.nu.4.& alijs,quòd si de dexteritate, ingenio, virilitate, in committendo peccato iacteris,non esse mortale, si audientes intelligant te in peccato non complacere neque de illo laudari, sed solum de modo,qui in committendo adfuit, & ideo in tali casu debes animum tuū manifestare.

Nota etiam quod si alius te de peccato laudat, & tu laudes acceptes, mortaliter peccas, nisi tibi displiceret, & præ verecundia taceres, nam in tali casu existimant Sanchez loc.citato, te non peccare mortaliter, nisi talis esses, vt tacendo stantibus scandalum præberes, venim hoc non placet Castro Palao, putat enim semper necessarium esse in tali casu, vt aliquo modo displicentia exterius manifestetur; sed vtraque opinio est probabilis.

An prohibitus ludere, si ludat continuatè per noctem cum quinque, committat quinque peccata mortalia.

RESOL. XLV.

AFfirmatiuam sententiam docet Castrus Palaus in opere moral.tom.1.tractat.2,disput.3.punct.3.numer.7. quia ad multiplicitatem personarum multiplicantur actiones, neque vna cum alia vnum efficiunt; quis enim dicet administrationem Sacramenti Petro factam vnum componere posse cum administratione facta Ioanni, & idem est de ludo, quælibet enim ex his actionibus omnimò independens est ab alia in esse peccati,& totam in suo genere malitiam completam habet, sicut habet fornicatio cum diuersis personis. Ita ille, satis quidem probabiliter.

Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse puto,quam tuetur Azorius tom.1.libr.4.cap.4. in fine, quem citat & sequitur Sancius in selectis disp.6. num.1, vbi probant, quòd qui per totam noctem cum pluribus ludit, semel tantùm lusisse videtur, quia licèt illi actus numero sint distincti, in genere tamen moris pro vno actu habentur. Vnde Confessarium existentem in peccato mortali & plures confessiones eodem tempore excipientem vnicum tantum peccatum committere docuerunt Fagundez & Rodriquez, quos ego citaui in 3. p. tract. 4. resol. 67.

Ex his ego præteritis diebus consului iuuenem, qui ex voto non poterat ludere,cùm per diem continuatè lusisset cum quatuor, se vnum peccatum mortale commisisse.

Senator ciuitatis emebat salmam frumenti ad tarenos, v. gr. 30, sed asserebat illa emisse ad tarenos 36. quæsiuit an possit vti Bulla Compositionis, cum illud frumentum illo cariori pretio emissent ciues in pane cocto, qui modo ignorantur, quinam sint.

RESOL. XLVI.

VIdetur prima facie in tali casu supradictum posse sumere Bullam Compositionis, quia, vt obseruat Ægidius Trullencb in expos.Bullæ Cruciatæ lib.2. dub.4.nn.4. ex Rodriquez in omnibus casibus,in quibus obligat restitutio, & non inuenitur creditor certus,cui fieri possit, habet locum Bulla Compositionis. Sed hoc accidit in casu nostro,quia damnum ex supradicta fraude passi sunt aliqui, qui modò nesciuntur, videlicet ementes panem coctum, ergo, &c. Vnde casus iste similis est casui pistorum, dulciariorum, cauponum, cerearιorum, laniorum & similium, qui quidem omnes cum in vendendo fraudauerint ementes, illosque nesciant, possunt beneficio Bullæ Cōpositionis gaudere, vt tenet expressè nouissimè Ludouicus a Cruz in exposit.Bullæ Cruciatæ disp.3 dub.1.nu.3. & Perez de Lara in compend.trium Gratiarū lib.1.fol.45.nu.18.vbi sic ait. [Item si alguno ba vendido vino aguado por puro, o medido con falsa medida, o huuiere vendido otra cosa alguna con menores pesos,o medidas, o vendido vna cosa por otra,o mezclado o pesado, o mal medido no sabiendo a quien lo huuiere vēdido se puede dello componer.] Sic ille. Et ita dictum Senatorem posse sumere Bullam Compositionis, tenuit quidam doctus Magister ex Dominicanorum familia.

Sed resolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an quando damnum illatum est multis de ciuitate, quos tamen in particulari ignoras, siue quia in prædam data est, siue quia vsuris, aut fraudibus vendendo vsus es, tenearis eidem ciuitati restituere,an satis sit pauperibus? Et quidem communis opinio docet, quòd in illis, quæ communitati, aut maiori eius parti debentur, non erunt bona iudicanda incerta, etiamsi in particulari ignores quòd cuique debeatur; & ita docet Malderus in 2. 2.D.Thom.tract.4.cap.4.dub.2.Becanus in 2.2.tom.2.de iustit, q.44.de restitut.nu.2. Gordonus in Theol.moral.to.1.lib.5.q.5. cap.9.nu 22.& alij. Vnde in tali casu pecunia non est restituenda pauperibus; sed modum restituendi ponit Filliucius tom.2. tract.32.cap.4.n 97. Nauarra de restit.lib.4.cap.2.n.66. Molina

de

de iust.tom.3.tract.2.disp.745.nu.4. vbi sic ait. Quando aliquid esset incertum, ad quem, aut ad quos in singulari attineret, quia aliquis vẽdendo in aliqua ciuitate, aut oppido multos defraudauit in pondere, aut mensura, aut admiscendo aquam vino, quod est in vini mensura defraudare, aut alio simili modo, ignoretque ementes in particulari, & quantum vnumquemque per minima defraudauerit, tunc si coniectura sit plus minus perseuerare eosdem ementes, aut ementium hæredes, optimus restituendi modus erit, vt tantum det qui ita defraudauit in pondere, aut mensura accrescat, vel decrescat in precio, itaut ad æqualitatem eidem Reipublicæ restituat quoad eosdem emptores quàm maximè fieri posset. Ita Molina locis citatis, quibus adde Syluium in 2. 2. D. Tho.q.62.art.5. quæritur 1. concl. 2.

Quod autem in casu nostro restitutio possit fieri modo quo suprà asserit Molina, clarum est, nam Senator supradictus potest per tertiam personam mittere summam defraudatam in emptione frumentorum ad Magistratus ciuitatis cum hoc onere, vt per aliquot tempus faciant panem coctum populo minori pretio vendere, vel eius mensuram accrescere vsquequo perueniatur ad summam restitutam vnciarum 800. & ita hunc casum in terminis terminantibus, vt dici solet, ita resolutum esse inuenio à doctissimo Petro Nauarra de restit.lib.4.capit.2. num.69 vbi sic ait. Secundò colligo, cuiusdam casus, qui sæpiùs est à nobis requisitus, resolutio. Quidam vendidit ciuitati Para el Posito, o Aloy triticum tempore necessitatis plus iusto pretio per legem taxato, modò dubitatur cui potissimum restituet? numquid communitati, idest, Posito, vel Aloy, aut pauperibus? Audiui nonnullos doctissimos homines respõdere solitos pauperibus, & non communitati, seu Posito restitutionem faciendam esse. Probant ea ratione, quoniam communitas non fuit læsa, sed ciues; ex hoc autem prædictæ sententiæ fautores colligunt, quòd qui ita acrius vendiderunt communitati, possunt pauperibus restitutionem facere, vel se componere, cùm sit debitum incertum, vtpotè particularibus de Republica tam ciuibus, quàm alienigenis. Hæc igitur resolutio, etsi doctissimorum, & à me suspiciendorum virorum sit, non omninò mihi probatur, non enim vel pauperibus tribuendo, vel se componendo liberantur à restitutione. nam cùm extant damnum passi, & aliquo modo cogniti, ijs quantum fieri potest, restitutio est facienda: si autem ille restituat ipsi Posito, vel Aloy, proculdubio in distributione per ciuitatem facienda panis pretium minuetur, ac proinde idem illi, vel certè plures ex illis, qui damnum passi sunt carius emendo, vilius emendo recompensabuntur; quare non iustum videtur, vt vel pauperibus tribuat, vel se componat. Hæc Petrus Nauarra vbi suprà, satis, vt dixi, conducentia ad casum nostrum, quæ omnia confirmat Layman in theol. moral. lib.3.sect.5.tract.2.c.9.nu.2.& Reginaldus in praxi tom.1.libr.10.c.14.sect.2.nu.205. vbi sic asserit. Id quod per iniuriam singularibus ciuibus factam minutatim acquisitum est, vt per minutas venditiones olei, vini, tritici, aut similium, restituendum est ipsis singularibus ciuibus, non autem pauperibus, si quis modus sit quoad ipsos, vel ad maiorem ipsorum partem debitum prouenturum esse verisimiliter existimetur. Ratio est, quia tunc dominus in rem restituendam ius suum retinet, nec in pauperes, cùm ille non sit omnino ignotus, translatum est. Ita Reginaldus.

Ex quibus patet responsio ad argumenta superiùs adducta. Et ad primum dico, quòd bona restituenda in nostro casu non dicũtur simpliciter incerta, vt docet Layman, Malderus, Gordonus, & alij vbi supra. ergo non sunt pauperibus restituenda, & ideò non est locus Bullę Compositionis. Ad secundum quod asserebat Ludouicus à Cruz vbi suprà, caupones, tabernarios, &c. qui in aliqua ciuitate defraudauerunt in pondere & mensura, &c. nescientes ementes in particulari posse sumere Bullam Compositionis. ergo, &c. respondeo contrarium docere Villalobos in summ.tom.1.tractat.29.num.36. vbi sic asserit [La dudeces si sabiendo el lugar donde se vendio, aunque no se se pan determinadamente las personas ha lugar la composicion, como si vn tauernero vendio en vn lugar con falsa medida, o en otra manera mal quatro meses vino, en lo qual sabe que tiene mal lleuado tanto dinero, aunque no sabe en particular quãto a este o aquel en tal caso es mi parecer, que no ha lugar la composicion, como no lo ha quando se duda entre dos à quien se deue, que se ha de repartir pro qualitate dubij, y assi este tauernero ha de restituir, o dandolo para gastos communes del Consejo, o dando el vino mas barato por otro tanto tiempo.] Ita ille.

Verùm si aliquis instabit percontando, an ego supradictam sententiam, quam improbaui, improbabilem iudicem, respondeo quòd hoc non audeo dicere ex reuerentia quam debeo D. Thomæ omnium Magistro, qui in 4. sentent. distinct. 15. quæst. 1 art.5. docuit, prædantem ciuitatem posse restituere pauperibus illius villæ, aut in alios vsus ciuitatis expendere secundùm arbitrium Episcopi, vel eorum ad quos cura illius ciuitatis spectat, in qua disiunctiua propositione, vt rectè aduertit Petrus Nauarra de restit.lib.4.cap.2.nu.65. vtramque opinionem probasse videtur; igitur cũ ex D. Tho. in tali casu, cuius ratio militat etiam in nostro, restitutio possit fieri pauperibus, erit locus Bullæ Compositionis, nam, vt obseruat Ægidius Trullench in exposit. Bullæ Cruciat. libr.2.dub.4.num.4 & alij, quotiescumque aliqua ex obligatione restitutionis cedunt pauperibus, potest fieri compositio, & ita hanc sententiam in terminis casus, de quo loquimur, tenet Vasquez in opusc. de restitut. capit.5.§. 4.num.47. & Lopez instruct. part.1. cap.137. Sed ego, vt dixi, in praxi non recederem à negatiua sententia, quam suprà satis firmaui, & in specie contra opinionem D. Thom. adest Caietanus in 2. 2. quęst.62. art.5. ad 3. vbi mordicus tenet restitutionem ex prædata ciuitate non esse dandam, nec pauperibus, nec ædificanda Monasteria cùm extent damnum passi, & contra Vasquez adsunt omnes Doctores Societatis Iesu, & alij; vel dici potest quòd ipse loquitur in casu, quo restitutio esset facienda simpliciter ciuitati, quæ damnum minimè passa est, & non quando restitutio præbetur ciuitati, vt ipsa modo, quo supra dictum est ad ipsos ciues restitutam pecuniam peruenire faciat qui damnum passi sunt, vel loquitur quando, vt obseruat Malderus de iustit.tract.4.c.4.dub.2. pecunia restituenda esset tam exigua, vt parum admodum ex ea ad singulos dominos partita veniret, quod non accidit in casu nostro, in quo summa restituenda ascendit ad vncias 800.

An liceat ministrare peccatori scienti, & petenti sibi dari hostiam non consecratam ad sacrilegium ipsius & graue damnum vitandum.

RESOL. LXVII.

NEgatiuam sententiam docet D. Thom. in 3. part. quæst 80. artic.6. ad 2. Caietanus, Ricardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Maior, & Sotus, quos citat & sequitur Gabriel Vasqu. in 3. part. to.3. disp.209. cap.4. nu.40. quibus adde Suarez tom. 3. disp.67. sect.4.§. circa tertiam obiectionem. Valentiam to.4. disp.8. quæst.8. punct.4.§. denique hic notetur. Reginaldum to. 2. lib.29 cap.4. num.49. Henriquez libr.6. cap 22. num.4. Ledesmam in summ. to.1. de sacram. Eucharist. cap.12. dub.7.§. toda via quedan dos difficultades. Didacum Nugnum in 3.p. tom.1. qu.80 art.6. diffic.2. in fine & alios penes ipsos. Ratio est, quia perniciosa & execrabilis est simulatio in Sacramentis, & in tali casu ministrans quantum est ex se alios ad idololatriam inducit, cùm exponat ad adorandam hostiam non consecratam pro consecrata.

Verùm his non obstantibus opinio negatiua suaderi potest, quia Sacerdos in tali casu iam proponit adorandas hostias cõsecratas, nec obstat quòd inter illas apponit non consecratam, nam intentio adorantis non tendit expressè & formaliter ad quamlibet hostiam à Sacerdote propositam adorãdam, sed ad Christum, qui cùm sub alijs hostijs cõtineatur, ministratur iam verum obiectum adorationis, ea ratione, qua non adorant fideles pilum, v.gr. conglutinatum hostiæ consecratæ, sed solùm Christum. Nec obstat quòd fictio & simulatio in Sacramentis sit perniciosa, quia adest in tali casu iusta causa illam efficiendi, & ideo potest Sacerdos fingens absoluere pœnitentem ad vitãdam infamiam non absoluti, vt quotidie efficitur quando inuenitur pœnitens indispositus, & circumstantes vident illum confiteri, quapropter Sacerdos minimè peccare videtur vbi grandi occulto peccatori abstinenti à communione periculum immineret, si ministraret hostiam non consecratam pro consecrata, hoc modo, videlicet proponendo hostiam cõsecratam adorandam, & a tergo post illam non consecratam, vel alio modo, ita vt hostia non consecrata nec videatur, nec adoretur. Vnde hanc sententiam ex veteribus tenet Altisiodorensis in

summ.lib.4 tract.5.cap.5. Albertus Magnus in 4.dist.13.art.20. quos refert Suarez vbi suprà, tenet etiam Bonauentura in 4. dist.9.art.2. quæst. vlt. in fine, & ex neotericis hanc sententiam docuere nostris temporibus Hēricus Villalobos, & Ludouicus de San Iuan, & quia eorum codices non ita facilè inueniuntur, ponam hic verba per extēsum. Villalobos in summ.to 1.trac.7. diffic.38.nu.7.sic ait.[No es licito dar la hostia non consagrada por el peligro que ay de la idolatria, mas si la forma que le ha de dar la tuuiesse secreta, de maniera que los fieles no la pudiessen adorar con cōsentimiento del pecador, seria licito darsela para euitar alcun gran scandalo, pues alli no auia peligro de idolatria.] Ita ille, Ludouicus verò de San Iuan in sum. to.1. qu.7. de Euchar.art.8.difficult.3. sic asserit.[Sera licito dar tal pecador occulto, vna hostia no consagrada con su sentimiento, para que no se infame con quin viere, que no comulga, porque no se comete sacrilegio en la comunion, ni se infama al proximo y como es licito dar la absolucion cautelosa, tambien lo as dar la comunion, pero se ha de aduertir que esta conclusion no se ha de practicar si no en casos raros con sabiduria del pecador, y proponiendole delante otra hostia consagrada que el y el pueblo adoren.] Ita ille. Sed ego puto non esse discedendum à prima sententia negatiua, quam præter Doctores citatos fuse pertractat Ioannes Sancius in selectis disp.35.per totam, & respondet ad argumenta contraria quæ supra adduximus, & ipse adducit, non tamen audeo posteriorem sententiam affirmatiuam nota improbabilitatis inurere.

Notandum est tamen hic, quòd esto hostiam non consecratam loco consecratæ porrigere accedenti communicare minimè Sacerdon liceret, potest tamen saltem simulare se Eucharistiam in os illius immittera, licèt ad hoc facere non teneatur; & ita hanc sententiam docet Henriquez libro sexto, capit.22. num. 4.

An fœmina quæ contraxit matrimonium cum impedimento dirimente, si hoc postea sciat, teneatur reddere debitum in tempore, quo petit dispensationem, si absit periculum vitæ.

RESOL. XLVIII.

CAsus hic frequenter in praxi potest accidere, & faxit Deus quòd illo passim non peccetur mortaliter, nam Doctores communiter asserunt in tali casu fœminam non posse reddere debitum, & ita docet Villalobos in summ.tom.1. tract 13. diffic.50.num.1. Coninch de Sacram.disput.34. dub.10. nu.96. Guttierez de matrimon.cap.50.num 4.Bonacin.de matrimon. quæst.4.punct.4.num.17. Barbosa in collectan tom.2. lib.5. tit. 39 cap.44. num 3. Petrus Ochagauia de Sacrament. tract.2. de matrim.quæst.11.concl.1.n.2. Io. de la Cruz in direct conscien. part.2.de matrim.q.3.dub.1.concl.2. & alij, quos citat & sequitur Sanchez de matrim.to.1. lib.2.disp.39.n.5. vnde postea ipse nu.8.sic asserit. Ex his infertur tamquam certissimum tenēdum esse, coniugem nullitatis matrimonij consciam ob impedimentum dirimens, siue diuino, siue humano iure, in nullo euentu posse reddere debitum viro ignoranti, licèt vitæ periculum ipsa subeat. Ita ille. Et ratio est clara, quia si contrarium diceretur, sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, videlicet propter famę, vel vitæ periculum; sed hoc dicere est erroneum, cum fornicatio sit intrinsecè mala; ergo in tali casu etiam cum vitæ periculo non est reddendum debitum, quia qui in tali casu reddit debitum, certò scit, matrimonium esse nullum; ergo certò scit fornicari; ergo si liceret in tali casu reddere debitum, licebit subindè fornicari, & ita hæc sententia determinatur in c.inquisitioni, de sentent.excommunicat.

Addunt tamen aliqui, teste Villalobos vbi suprà num.4.[que si la muger sabe el impedimento, y no puede ausentarse que puede cohabitar con animo de negar el debito, y resistir quanto pudiere, y si no consiente, ni cooperra con su cuerpo, si no sola padece y permite que el marido trate con ella siendo forcada y callando, que esta segura en conscientia. Fauorecelo Henriquez lib 12.cap.6.num.8.Soto lib.5. de iust.quæst.1.artic. 5.ad 3.Nauarr.cap.16.n.1.& 13.en quanto dizen, que la muger no peca, si quando ay miedo de muerte, no resiste con el cuerpo, con tal que no se disponga al acto, ni coopere. Mas dexando a parte lo que ay en este caso, en el caso presente non se ha de tener esta sentencia, la razon es, porque cohabitando con el marido es iusta a acomodarse al pecado, y esta en probabilissimo peligro de consentir.] Ita ille, & Sanchez vbi suprà, num.16. cum Corduba in q.libr.1.quæst.11. ad finem.§.penultim.

His tamen non obstantibus non desunt Doctores asserentes in nostro casu ad euitandum periculum vitæ posse fœminam licitè permittere vt vir vtatur suo corpore reddendo ei debitū, & ita docet Magister sententiarum, Hugo de Sancto Victore, Hostiensis, Perez, & alij penes Sanchez num.2. quibus ex neotericis ego addo in aliquo casu nostrum Molfesium in summa tom.1.tractat.4.cap.14.num.90. vbi sic ait, Doctores dicunt, vt nec etiam ad euitandam mortem excusetur coniux, sciens impedimentum, non reddere debitum; quod mihi non probatur, quoties hoc impedimentum iam euenisset ex peccato, & sic detegeretur infamia coniugis. Vt si mulier antequam consummaret matrimonium cum viro, rem habuisset cum fratre, vel alio consanguineo viri in quarto gradu, vel cum patre, vel filio viri, quo casu matrimonium sequens esset nullum ob præcedens impedimentum dirimens, tunc puto, si non posset Religionem ingredi, nec adesset iusta causa petendi diuortium, puto, inquam, quòd teneatur reddere debitum, & non detegere turpitudinem suam, qua occidenda sit per virum, & occultè petere debet dispensationem circa illud impedimentum. Sed vrgent contrarij, quia fornicatio numquam licita est; verùm licèt prædicta opinio sit securior, & practicanda; nihilominus opinio contraria probabilitatem habet in casu proposito, quòd licèt non possit petere debitum, tum tamen alter est in bona fide, vtitur iure suo petendo debitum, & sic potest alter sciens impedimentum dirimens permittere illi, vt suo corpore vtatur reddendo ei debitum ad vitandum publicum scandalum ac mortem, & intentio obtinendi dispensationem potest illum excusare a committendo nouo peccato, nam illa erit fornicatio materialis, & magis teneretur nō facere alteri apertam iniuriam, quàm vitare periculum fornicationis materialis, secus si vterque id sciat, quia ex nulla parte excusari possit. Ita Molfesius, & alij vbi supra quorum sententia mihi non placet, & Sanchez illam erroneam & falsam vocat.

Notandum est tamen hic obiter in casu supradicto, si ad Pontificem non pater accessus ex inopia, vel alia iusta causa impediente, potest Episcopus in dictis impedimentis dispensare. Ita Ochauagia de Sacram.tract.2. de matrim.q.11.concl.3. n.5. & alij vbi suprà.

An impetrata dispensatione matrimonij nullius, coniux impedimenti conscius teneatur aperire alteri matrimonium contractum fuisse irritum.

RESOL. XLIX.

HÆc quæstio grauissima est, & prima sententia asserit coniugem ignorantem nullitatem prioris matrimonij debere admoneri eius vt modò denuo consentiat, & nōn sufficere eum post ablatum impedimentum, & cum eadem ignorantia annqua accedere ad vxorem per copulam affectu maritali. Ita Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matrim.tom.1.libr.2. disp.36.num.8.quibus ego addo Villalobos in summ.to.1.tract. 14.difficul.32.n.6.Ochagauia de Sacram.tract.2.de matrimon. q.10.n.2. Basilium Pontium de matrim.lib.4.cap.25.n.2. Comitolum in resp.mor.lib.1.q.120. Hurtadum de matrim. disput.3. diffic.10 n.36.Rebellium p.2. lib.2.q.9.nu.4. Præpositum in 3.p. D. Thom.q.4. de matrim.dub.18,150. Lessium de iust. libr.2.c. 17.dub.11.nu.76.Et ratio est clara, quia nihil est magis contrarium consensui, quàm error, l.si per errorem, ff. de iurisd.omn. iud.sed iste talis ex errore, quo putat fœminam esse suam vxorem, in illa consentit, & ad eam per copulam accedit; ergo verè non consentit. Deinde coniux ignarus impedimenti præcedentis. & modò per dispensationem ablati, tantùm intendit cū copula, vel alijs verbis ex errore dictis approbare priùs matrimonium, & non aliud de nouo efficere, imò forsan si sciret fieri nouum matrimonium, illud facere recusaret; ergo, &c.

Non desunt tamen contrariam tenentes, & ideò illarū docti doctissimi Thomistæ, Caietanus in summ.verb.matrimonium, tit.contractus matrimonij potest reddi ex 7.capitibus vitiosus, Sotus in 4.dist.28.q.1.ar.2.conclus.3.cas.1.Paludan.in 4.dist.36. q.1.

quæst.1.art.2.concl.2.num.14.Bartholomæus Ledesma de matrim.dub.17.Lopez in instruc.p.2.c.39.Petrus Ledesma de matrim.q.45.ar 7.dub.vlt.§ sed dubium est,quodnam remedium, & alij multi.& ita hanc sententiam plures Theologos Salmanticenses, & Complutenses consultos etiam docuisse testatur Henriquez in summ.lib.11.c.3.num.6. in glossa lit.Y. asserentas coniugem impedimenti consciũ obtenta dispensatione,vel impedimento cessante, non oportere alteri aperire prius matrimonium fuisse irritum, sed satis esse si caute curet vtriusque cõsensus renouari, vt dissimulanter petendo ab altero, vt pro sua consolatione ipsum habeat in coniugem.

Quid ego sentiam dicam breuiter. Prima opinio tamquam probabilior est sequenda, sed quando timetur scandalum, aut graue damnum, & coniux neque ex aliquibus verbis generalibus potest à marito consensum extorquere,tunc sufficit copula procedēs ex affectu maritali, & in hoc casu puto sine vllo scrupulo sequi posse secundam opinionem,vt etiam docent Doctores primæ sententiæ, Ochagauia & Sanchez, vnde Villalobos vbi suprà,nu.8.sic ait. [Ha se mucho de notar, que se vuiesse temor de grāde escandalo ò graue peligro se puede seguir la sentencia que dize, que no es necessario aduertir a la parte ignorante de la nulidad del matrimonio, si no que basta consentir de nueuo el que sabia el impedimiento,y Henriquez lib.11.c.3. n 6.dize que es lo mismo, aonque se crea que la persona ignorante auisada de la nulidad no contraheria, que basta, que no tenga entonces acto contrario, y assi que aquella preparacion habitual del animo de no consentir no obsta.] Ita ille, quod vltimum etiam docuerat præter Henriquez, Petrus de Ledesma de matrim. q.45.art.3. dub.vlt.

Notandum est tamen hic obiter, quod Sanchez lib.2.disput. 32.nu.9.Coninch disput.24.dub.10.nom.90. & alij asserunt, supradictam doctrinam non esse applicandam quando reualidatur matrimonium nullum,quia vni defuit cõsensus verus. nam in tali casu docent sufficere, vt iste renouet consensum absque eo, quòd alter,qoi verè & legitimè consensit, hoc sciat, & iterum de nouo consentiat. Sed contrarium docet Pontius de matrim.lib.4.c.24.n.3.Hurtado de matrim.disp.3.diffic.9.n.35. & alij; & ita determinasse Clem. VIII. de hoc casu interrogatũ à sacra Pœnitentiaria, testatur Paulus Comitolus in responsmor. lib.1. q.120.

An Episcopus in sua diæcesi peccet, si confirmet subditos alterius Episcopi.

RESOL. L.

Hic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuam sententiam docet Martinus Bonacina de Sacram. disput.3. punct.2.nu.10. vbi citat Petrum Ledesmam, Viualdum & Bartholomeum ab Angelis Ratio est,quia mitnt falcem in messem alienam,nec constat de voluntate proprij Episcopi.

Verùm me consulente sine vllo scrupulo DD. Episcopi confirmare possunt alienos subditos, & ita docet Petrus Ochagauia de Sacram.tract.vnic.de confirmat.quæst.11.num.1. vbi sic asserit. Potest Episcopus sine vlla pœna, aut culpa, dum in sua diœcesi suos confirmat,alienos subditos ibi concurrentes confirmare,quia præsumendum est id gratum futurum alieno Episcopo, & probatur ratione, quia cum actus confirmandi non petat(ad valorem) necessariò iurisdictionem, facilè præsomitur ratihabitio alieni Episcopi. Ita ille, qui citat Caietanum, Paludanum, & Henriquez, quibus ego addo Tannerum in 3. part.D.Thom.disput.4.quæst.4.dub.3.n.56. vide etiam Barbosam de iure Pontificio lib.1. cap.11. num.47. Præpositum in 3. part.D.Thom.q.72.art.8.dub.2.nu.39.Sà verb.confirmatio, n. 2.Henriquez lib.3.c.6.n.6.& Layman in Theol.mor. lib.5.trac. 3.c.5. nu.2.

Notandum est etiam hic obiter primò contra Nognum in 3.p.to.1.q.72.art.2. non peccare mortaliter Episcopum, qui sacramentum Confirmationis administret extra Ecclesiam. Ita Bonacina vbi suprà,n.14.non enim consuetudo confirmandi in Ecclesia recepta est cum tanto onere, vt reum mortalis culpæ constituat Episcopum alio in loco confirmantem, & hanc sententiam tenet etiam Præpositus loco cit. in 3.p.q.72.art.12.nu. 54.vbi sic ait.Sacramentum Confirmationis potest cõferri post prandium,& quamuis conferri debeat decenti loco, nõ tamen necessariò in Ecclesia. Ita ille.

Nota secundò contra Sotum in 4.dist.7.q.vnic.art.7. propos. 3.non esse peccatum veniale recipere Eucharistiam ante hoc Sacramentum, si enim hoc esset, multa peccata venialia circa hoc efficerentur, & nulla ratione id ostendi potest, & antiqua consuetudo Ecclesiæ, qua statim post Baptismum succedebat Confirmatio,deinde Eucharistia,iam exoleuit. Ita Præpositus vbi suprà art.8.n 38.

Et tandem vt Christiani non sint negligentes, vt plures sunt circa susceptionem huius Sacramenti, sciant, cæteris paribus, per sacramentum Confirmationis maiorem gratiam conferri, quam per Baptismum & per vllum aliud Sacramentum, excepto Ordine, per quem aliquis constituitur Dux in Ecclesia. Sic Præpositus art.7.dub.1.nu.35. in fine, contra Scotum in 4. dist. 7.q.1.Sed hanc sententiam tenet etiam Sotus vbi suprà.Suar.in 3.p.tom.3.disp.34 sect.2. Ochagauia de Sacram. tract.vnico de confirm. q.7. n.5, & alij.

An quis possit ordinari ab Episcopo in cuius diæcesi est beneficium, licet illud sit tenue.

RESOL. LI.

Negatiuam sententiam docet Prosper de Augustino, Vgolinus,Piasecius,quos citat & sequitur Squillante de oblig. cler.c.4.dub.18.nu.238 quibus adde Riccium in decis. Archiep. p.3.decis.77. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum sess.21. de reform.c.2. postolat, vt beneficium sit sufficiēs,vt possit quis sacris Ordinibus insigniri.

Sed ego prorsus puto in tali casu posse Episcopum sacros Ordines conferre, & ita hanc sententiam docet Garzias de benefic.to.1.part.2.c.4.nu.8. Henriquez lib.10. cap.22. §.1. iuncta glossa lit.C.& cap.17. in glossa lit.Q. & nouissimè Barbosa de iure Pontificio lib.1. cap.33.nu.38. Ratio est, quia cap. cùm nullus, de temp. ordin. simpliciter loquitur de habentibus beneficium,nec explicat illius valorem, & quantitatem; & ideo, quod est valdè notandum, sacra Cardinalium Congregatio, teste eodem Barbosa vbi suprà, cap.39.num.17. censuit in vna Ianuensi die 18.Martij 1628. promotum ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum scutorum annuorum, qui incedens in habitu laicali cum armis, dum caperetur à birruarijs vnum ex illis occidit, & ad carceres laicales adductus fuit, gaudere priuilegio fori. Ita sacra Congregatio; vnde ex his non potest adduci in materia de qua loquimur opinio Soti de iustit.lib.10.qu.5.artic.3. asserentis beneficium tenuissimum esse,quod non attingit ducatos octo, vel secundum Campanili quod non attingit quatuor ducatos in annos,non, inquam, obstant hæ Doctorum opiniones; nam,vt visum est, sacra Cardinalium Congregatio censuit beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori; ergo etiam ad sumendos Ordines, ex quibus oritur priuilegium fori. Hinc Sanchez in opusc.tom.2.lib.7.cap.1.dub.22.num.7.dixit, sufficere beneficium quantumuis tenue, vt quis possit ordinari ab Episcopo vbi est beneficium. Restat modo respondere ad argumentum Concilij Trident. adductum pro negatiua sententia. Dico igitur, quòd Concilium ibi determinat, quòd quis nõ possit ordinari ad titulum beneficij tenuis, non autem asserit; quòd si ordinandus beneficio tenui patrimonium sufficiens ad victum adiungat,non posse ordinari ab Episcopo. Igitur aliud est quærere, num beneficium sufficiat pro titulo, aliud si sufficiat vt tamquam subditus ratione beneficij possit promoueri ad Ordines.

Notandum est etiam hic obiter ratione beneficij tenuis, posse aliquem ordinari ab Episcopo vbi est beneficium, etiam si illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo resideat, nec in illius diœcesi, & sic non eximatur à iurisdictione primi Episcopi. Ita Garzias & Barbosa locis citatis, quos in casu contingenti, videlicet quando quis ordinari potest ratione beneficij, omnino videndus esse existimo.

disp.6.diff.3.n.3.Sanchez de matrim.tom.1.lib.3. disp.51. n.22. Coninch de Sacram,disp.14. dub.93. nu.80. Vasquez opusc. de beneficijs cap.3. §.3.dub.4.nu.229. Nauarra de restitut.lib.2.ca. 2.num.238. Auila de cens. part.2.cap.6.disp.6.dub.1.concl.2. & alijs penes ipsos. Igitur cum Doctoribus citatis dicēdum est in tali casu non adesse obligationem restituendi, modò beneficianus excommunicatus exequatur onera & officia beneficij, siue excommunicatus sit curator animarum,siue Canonicus, siue habeat beneficium simplex. Imò addo cum Hurtado loco cit. quòd quamuis de rigore iuris excommunicatus eo ipso absq; noua sententia iudicis esset priuatus fructibus sui beneficij, cōsuetudine tamen non priuatur, quia dicto iuri, quamuis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

An collatio pensionis facta excommunicato titulo clericali sit inualida.

RESOL. LV.

Affirmatiuam sententiam docet Villalobos in summa tom. 1. tract. 17. diffic.9. num. 3. Turrianus de censuris libr.2. disput.16.dub.1. Sayrus de cens.lib.2.cap.5.numer. 15. Lessius lib.2.cap.34.dub.22.num.127.Vasquez in 3.part.tom.4.tractat. de excommun.dub.6. Henriquez lib.13.cap.13.num.3.in gloss. lit.N.Suarez de censur.disp.13. sect.1.num.9. Filliucius tom.1. tract.12.cap.5.quæst.4. Reginaldus tomo 2.lib.32.tract.1. cap. 7.num.43. Alterius de cens.tom.1.lib.2 disp.6.c.4. & alij.Ratio est, quia excommunicatus est incapax priuilegiorum; ergo est incapax pensionum. Adde quòd multi asserunt talem pensionē esse beneficium, vnde ex hac sententia sequeretur obtinentem pensionem tituli clericalis non posse fructus percipere, nec vllum ius ad illos habere.

Sed licèt hęc opinio sit probabilior,contrariam tamen etiam probabilem esse iudico, quam tuetur Auila de cens.p.2.capit. 6. disp.5. dub.5. conclus.2. & hanc sententiam absolutè docet ex neotericis Gaspar Hurtado tract.de excommunic.disp.6.diffic. 3.num.6.vbi sic asserit. Nomine beneficij ad quod excommunicatus est inhabilis,intelligitur quodcumque beneficium,siue cum animarum cura,siue sine illa,siue ex maioribus, vt Episcopatus, siue ex minoribus; & quamuis excommunicatus sit priuatus beneficio,non tamen pensione quæcumque sit, ac proindè consignatio illius facta excommunicato est valida,vt contra non paucos docent nonnulli, quia pensio non est beneficium; quia nulla ex re est ius perpetuum ad fructus, quod deinceps est conferendum,quod requiritur ad rationem beneficij,& excommunicatus non est priuatus, nisi beneficio. Ita ille, & ante illum ex eadem Societate Ioannes Præpositus in 3.par.D.Tho. q.2. de excommun.dub.11.n.64.vnde, vt dixi,non dubito hanc sententiam esse probabilem & tutam in praxi; vnde non obligarem pensionarium in tali casu ad restitutionem. Nec valet dicere cum Vasquez, Suarez & alijs, quòd excommunicatus est suspensus ab officio. ergo est incapax saltem pensionis, quæ datur titulo Ecclesiastico; nam respondeo negando consequētiam, quia non obstante eo, quòd in antecedente assumitur, constat excommunicatum non esse ex rei natura incapacem beneficij, vel pensionis: ergo incapacitas debet prouenire ex iure positiuo. Dicimus autem non probari in particulari ex iure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec sufficienter ostendi ex eo, quòd collatio beneficij sit irrita, cùm pensio etiam collata titulo Ecclesiastico non sit beneficiū, nec de ea sit discurrendum, sicut de beneficio sine iure expresso propter aliquam inter ea conuenientiam, præsertim in materia odiosa, & quantum fieri potest restringenda, ergo, &c.

An sit valida acceptatio beneficij ab excommunicato, qui tempore collationis & electionis non erat excommunicatus.

RESOL. LVI.

Talem acceptationem esse inualidam, docet Coninch de Sacram.disp.14.dub.9.num.78. Hurtado de excommunic. dup.6.difficult.3.num.8. Couarruuias lib.3. var cap.16. num.4. & alij, quia quod in cap.postulasti,de cler. excommunic.intenditur, est inhabilitare excommunicatum ad acquirendum beneficium, id autem non minus fit annullando acceptationem quam collationem,quia,vt exprimitur in cap. si tibi absenti 19. de præb. in 6. acceptatione beneficij acquiritur ius in illo, non quia sibi conferat tale ius qui acceptat, sed quia acceptat quod sibi ab altero offertur,imò melius fit annullando acceptationē, quia per hanc proximè acquiritur, & non per collationem,seu oblationem,nisi inchoatiuè. Addit etiam Hurtado vbi supra.n. 10. & alij dictam acceptationem tempore excommunicationis factam adhuc non valere ad hoc, vt postea subsequuta absolutione acquiratur beneficium, quia quamuis acceptatio illa quamdiu non retractatur perseueret habitualiter adhuc post absolutionem, quia tamen à principio fuit nulla, ideo nequit postea conualescere & fieri valida.

His tamen non obstantibus dicendum est in supradicto casu validam esse acceptationem beneficij, ab eo, qui tempore collationis non erat excommunicatus, licèt sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij,& ita docet Turrianus de cēs. lib.2.disp.16.dub.2. Vasquez in 3. part. to.4. tractat.de excommunic.dub.6.num.9.Alterius de cens.tom.1. lib.2.disp.6.cap.5. Auila de cens.part.2.cap.6.disp.5.dub.8. Præpositus in 3.par.D. Thomæ quæst.3.de excommunicatione dub.11.num.67. Parisius de resignat benefic. lib.10.quæst.8.num.39. Sayrus de censuris lib.2.cap.5.num.11. & alij penes ipsos, quia iura solùm irritant collationem, & electionem beneficij, non verò acceptationem,nec aliam interpretationem admittunt, nam versamur in materia odiosa.ergo, &c.

Hinc infertur quòd Canonicus excommunicatus validè potest optare præbendam meliorem, & beneficium pinguius. Ita Vgolinus de censuris tab.2.c.13.§.2.n.15.Sayrus lib.2.c.6.n.13. Alterius loco cit. quicquid in contrarium asserat Filliucius to. 1.tract.12.c.5.nu.121.

Sed maior difficultas est, an sit valida electio & præsentatio facta tempore excommunicationis, sed acceptata post obtentā absolutionem excōmunicationis, modò tempore acceptationis electores, & præsentatores permanserint in sua prima voluntate? Negatiuam sententiam docet Lessius lib.2. c.34. dub. 22.nu.119. Coninch de Sacrament. disp. 4.dub.9. n.74.& alij, quia in tali casu reuneretur beneficium sine titulo,cum titulus electionis fuerit inualidus, vtpotè collatus excommunicato, qui ad illum est inhabilis. Quod confirmatur,nam frustra videretur impositus iste effectus excommunicationis, quia in tali casu quilibet excommunicatus differre potest acceptationem donec absoluatur.

Verùm Martinus Bonacina de censuris disp.2.qu.2. punct.4. §.1.nu.10. licèt supradictam opinionem dicat esse veriorem & probabiliorem, nihilominus contrariam non existimat improbabilem, quam tuetur Henriquez lib.13.c.13. nu.1.in glossa lit. D.Couarr.& alij,quos citat Sanchez de matrim.to.3. lib.8.disp. 7.n.12. Et ratio est,quia in tali casu prior electio,& præsentatio videtur ratificari, & approbari per continuationem, seu permanentiam in prima voluntate.

Notandum est etiam hic obiter quòd si periculum imminet infamiæ,seu scandali,excommunicatus occultus in electione, vel collatione beneficij non tenetur suam excōmunicationem prodere, quia Ecclesia non censetur obligare in tali casu cum tanto incommodo, & ideo potest sine vllo scrupulo acceptare beneficium; debet tamen postea quamprimum occultè petere dispensationem.Ita Suarez de censuris disput.13. sect.1. nu.11. & alij.

An excommunicatus non audiendo Missam peccet contra Ecclesiæ præceptum si sit negligens in obtinenda absolutionem excommunicationis.

RESOL. LVII.

Affirmatiuam sententiam mordicus docet Didacus Nugnus ex Illustrissima Religione D. Dominici in 3. p. to.1. qu.83.art 6.post dub.2. qui ait quòd omnis, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur ad media per se ordinata ad illum; sed tollere impedimentum in casu nostro per se moraliter ordinatur ad audiendam Missam.ergo quando modò habet pręceptū audiendi Missam, cōsequenter habet præceptum procurandi absolutionem excommunicationis. Patet minor,excommunicatio directè & per se moraliter est impedimentū audiendi Missam,si quidem hoc ipsum habet ex intētione pręcepti Ecclesię; ergo

ergo tollere illam, per se loquendo, ordinatur ad implendum præceptum audiendi Missam.

Deinde confirmatur, quia si quis sit excommunicatus in Pascha, & non velit procurare absolutionem, cùm tamen possit, peccat contra præceptum confessionis, & contra præceptum communionis. ergo idem dicẽdum est in nostro casu. Hæc Nugnus, contra Suarez in 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 6.

Verùm ego, his non obstantibus, sententiam Suarez tenendam esse puto, quam docet & tuetur Coninch de Sacramentis disp. 14. dub. 7. num. 56. Auila de censuris part. 2. cap. 6. disp. 4. dub. 7. Sayrus de cens. lib. 2. cap. 3. num. 24. Nauarrus in manuali cap. 22. num. 3. Henriquez lib. 13. cap. 7. numer. 2. & nouissimè Gaspar Hurtado tract. de excommunicatione, disput. 5. difficult. 2. num. 4. vbi sic ait. Excusatur excommunicatus ab audiendo Missam quamuis negligens sit in obtinenda dispensatione, quia obseruatio præcepti audiendi Missam, non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempè ad acquirendam capacitatem audiendi Missam; sicut etiam incarceratus ob debita excusatur ab audiendo Missam, quamuis possit soluere, & non soluendo peccet contra iustitiam; non tamen excusatur excommunicatus à præcepto confessionis, & communionis annuæ, quando facilè potest absolutionem obtinere, quia obseruatio horum præceptorum est magni momẽti. Ita Hurtado. Vnde patet responsio ad argumenta superiùs adducta à Nugno, quòd si excommunicatus, v. gr per annum non audiuit Missam in diebus festis, si postea obtenta absolutione confitetur, non teneatur se accusare, quòd peccauerit toties contra præceptum audiendi Missam, quia negligens fuit in obtinenda absolutione.

An excommunicatus si non potest propter impedimentum Papam adire, teneatur impetrare absolutionem per epistolam, vel possit absolui ab Episcopo.

RESOL. LVIII.

Hic casus in praxi solet frequenter accidere, & in illo Bonacina de cens. disp. 1. q. 3. punct. 2. nu. 4. existimat teneri excommunicatum mittere Epistolam pro absolutione obtinenda, vt patet à simili de impedimentis matrimonij; non enim credibile est, Papam velle ab Episcopo absolutionem impendi, quando patet recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem, vel per epistolam. Ita ille.

Verùm ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quàm docent Henriquez libro 12. cap. 3. num. 1. & lib. 6. cap. 9. num. 7. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 8. num. 21. quibus ego addo Auilam de censuris part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 6. conclus. 3. & nouissimè Gasparum Hurtado de excommunicatione disp. 15. difficul. 2. num. 10. vbi sic ait. Episcopis quoque conceditur facultas absoluendi à quacumque excommunicatione Pontifici reseruata, quãdo excommunicatus est legitimè impeditus adire Summum Pontificem siue ętate senili, siue impubertate, siue infirmitate, siue inimicitia capitali periculosa, siue fragilitate sexus, siue cura familiæ, siue quia est sub cura parentum, siue paupertate in eo, qui non solet mendicare, siue quocumque alio impedimento, ad arbitrium viri prudentis sufficiente, quamuis possit ad Summum Pontificem mittere, & non mittat. Ita Hurtado. Et ratio est, quoniam à iure ad id non obligatur.

Sed magis difficultas est in tali casu, an excommunicatus possit absolui ab Episcopo, si potest adire Nuncium Summi Pontificis? Martinus Bonacina vbi suprà negatiuam sententiam docet, & ideò ait in tali casu excommunicatum, qui Summum Pontificem adire non potest, non posse ab Episcopo absolui, si possit adire legatum Summi Pontificis, vel alium habentem priuilegium absoluendi, quia in eo euentu non censetur adesse iusta ac legitima causa, vel impedimentum, propter quod possit ab alio absolui. & ita hanc sententiam præter Bonacinam tenet etiam Coninch de Sacramentis disput. 14. dub. 16. num. 242. Nauarrus in manuali c. 27. n. 89. Corduba in sum. q. 18. & alij.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Auila de censuris part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. conclus. 3. & Hurtado loco cit. cum Henriquez lib. 12. c. 3. n. 1. in glossa lit. H. quia in his casibus absoluit Episcopus tamquam proprius pastor, & potestate ordinaria, illa enim potestas ordinaria, quę sublata erat ei per reseruationem, restituta est existente iusto impedimento recurrendi ad Summum Pontificem.

An etiam Parochos possint Episcopi aliquoties examinare.

RESOL. LIX.

Hanc quæstionem non inuenies ita facilè apud Doctores, & affirmatiuam sententiam docet Ægidius Trullench in expos. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. num. 3. & Ioan. Sancius in selectis disput. 50. per totam, pro cuius explicatione suppono certum esse, posse Episcopum vnum, vel alterum Parochum examinare quando defectus scientiæ adeò notus esset, quòd vel nullatenus posset celari, vel errores admissi à Parocho id ostenderent, tunc enim cum errores, vel fama publica se gerant tamquam accusatores, in Parochum ius habet Episcopus vocandi illum ad suum Tribunal, & confessionem iuridicam ab eo excipiendo (hoc est, per examinationem) scientiæ quantitatem mensurandi, quam si minus sufficientem, quàm oportet, habere Parochum inuenerit, poterit absque dubio, vel ab officio suspendere, aut illi coadiutorem designare, vt cõstat ex Trident. sess. 21. cap. 6. Verum difficultas est, an valeat Episcopus vocare ad examen omnes Parochos generaliter, quamuis nulla præcedat infamia imperitiæ ipsorum; & , vt dixi, affirmatiuè respondet Sancius; nam potest Episcopus vocare ad examen, vt omnes concedunt, Confessarios tam sæculares, quàm Regulares, vt experiatur an sufficientes sint, vel non, quia fundamentum sufficientiæ mutabile & variabile est, qualis est sufficientia & boni mores; & quia leges, seu facta ab vno legislatore, seu Superiore potest successor derogare, nisi superius ius, aut legislator obsit. Propter eamdem igitur rationem fas erit illi vocare ad examen Parochos vniuersos vt ei per experientiam innotescat an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutati, cum Parochi nullo modo possint iuuari iure, aut exemptione magis, quàm cæteri Confessarij. Deinde non minoris esse momenti visitare Parochos in externis, quàm internis, neminem credo in dubium reuocare. Sed Episcopus habet ius visitandi annis singulis, vt ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 8. constat, Parochorum vitam & mores; quare igitur impeditus erit illorum scientiam perquirere? Porrò nisi examinentur Parochi; non posse verba Concilij plenè seruari reor, ait enim Concilium debere Episcopum visitare beneficia curata, & prospicere an cura animarum rectè exerceatur, at nisi præuio examine non posse prospicere num rectè minusve exerceatur animarum cura, arbitror. Nam animarum cura nõ præcipuè sita est in eo quòd Parochus Sacramenta petentibus ministret, sed etiam in eo quòd rectè ministret; at nisi perquiratur Parochorum scientia, sciri nequaquam poterit, num rectè ministrentur Sacramenta, vel non, pręcipuè Pœnitentiæ. Igitur vt mens & Concilij verba verificentur, contendentis teneri Episcopus explorare an animarum cura rectè exerceatur, vel non, opus esse videtur Parochorum scientiam per examẽ mensurari, & ita hæc omnia docet Sancius loco cit. nu. 11. & 12. vbi etiam testatur hanc opinionem in praxi his temporibus deduxisse D. Andream Pacheco Episcopum Segobiensem virum doctissimum, D. Ioannem Manuel Episcopum Siguntinum, & D Castillo Episcopum Calaguritanum, & ante omnes Ioãnem à Ribera Archiepiscopum Valentinum, vt testatur Trullench, qui omnes examinauerunt Parochos.

Sed his non obstantibus non desunt Doctores contrariam sententiam docentes, & ideo contra Hispanum, alium Hispanum opponamus; & is est Ludouicus de San Iuan in summa, seu Luz de Sacerdotes quæst. de sacram. Pęnitentiæ art. 2. dub. 3. vbi sic asserit. [No puede el obispo compeler a los Curas à nueuo examen, porque ipso iure son los curas Confessores idoneos.] Vnde non benè dixit Sancius numer. 15. Nullum vsque modò inueni docentem, non posse Episcopum Parochos examinare, nam poterat legere supradictum auctorem hanc sententiam docentem, quam etiam nouissimè tenet & docet Homobonus de Bonis in exam Ecclesi. part. 3. tract. 15. cap. 9. quæst. 31. resolut. 1. vbi sic ait. Successori in Episcopatu integrum est omnes, quamuis simpliciter & absolutè approbatos, generatim ad examen aduocare, & quos idoneos non inuenerit reijcere. Quo autem ad Parochos dico Episcopum ad nouum examen eos vocare non posse, si quidem animarum curatores, qui perpe-

perpetuum titulum habent, à iure approbationem obtinent, quàm locorum Ordinarij ab eis reuocare non valent, quamuis ex noua causa ob demerita à munere eos suspendere & aliquando punire integrum sit. Ita ille, & ante illam Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 201. Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam ego teneo, vnde Barbosa de potestat. Parochi c. 2. num. 10. sic ait. Post electionem factam & collatam sibi Parochialem non existimet Parochus se non ampliùs de doctrina & literatura rationem redditurum, quia sacra Congregatio Concilij in vna Placentina sub die 6. Augusti 1628. censuit liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quàm extra iterum examinare super doctrina & literatura Parochos approbatos ab Antecessore tẽpore prouisionis Parochialium, nec non superueniente rationabili causa & suspicione ignorantiæ posse examinare ad effectum cap. 6. sess. 21. de reformat. Ita Barbosa, vnde stante dicta declaratione sacræ Congregationis opinio Homoboni & aliorum non est admittenda. Dico igitur Episcopum posse iterum examinare Parochos ab Episcopis antecessoribus approbatos & examinatos.

An Episcopi possint concedere Bullas cum facultate absoluendi à casibus sibi reseruatis, & dispensare & commutare in ijs, quæ ipsi iure suo ordinario possunt.

RESOL. LX.

Respondet negatiuè Nauarrus consil. 18. libr. 5. de pœnitent. & remiss. & Rodriquez in addit. § 1. num. 2. docent enim talem cõcessionem esse simoniacam iure saltem humano prohibitam, in qua nullus inferior Papa dispensare potest, dispẽsat autem quando Cruciatam pro belli subsidio contra infideles concedit.

His tamen non obstantibus Henriquez lib. 7. de Indulgent. c. 31. n. 1. in glossa lit. C. affirmatiuam sentẽtiam docet, & ideò tenet posse Episcopos in Hispania & India, quæ distant à Papa, si ipse Papa Bullam Cruciatæ non concederet, indulgere data Bulla ea quæ ad illorum facultatem extenduntur, & ita, ait, Episcopi Hispaniæ anno 1571. ad Regis instantiam concesserunt Bullas quasdam ferè similes Bullæ Cruciatæ circa peccata & censuras Episcopo reseruatas, & vt fieret compositio quædam pro incertis. Hæc Henriquez.

Et nouissimè hanc sententiam docet etiam Ægidius Trullench in exposit. Bull. Cruciat. in proœm. dub. 2. nu. 4. cum his tamen limitationibus. Prima, vt Papa Bullam Cruciatæ non concesserit. Secunda, vt vrgens & ingens necessitas esset. Tertia, vt pecunia quæ pro illius concessione datur, nullo modo applicetur in vsus & necessitates ipsius Episcopi, sed in opus pium ad bonum communem spectans, quod probatur à simili, nam etsi Concil. Trident. session. 25. cap. 18. de reformat. prohibeat ne aliquid temporale in dispensationibus, tamquam illarum pretium recipiatur, nihilominus tamen potest Episcopus absque labe simoniæ dum dispensat vota in quæ ipse habet potestatem, imponere onus largiendi eleemosynas pauperibus, vel Monasterio, quia Tridentinum, vt aduertit Lessius lib. 2. c. 35. dub. 9. num. 57. tantùm prohibet ne dispensans inde sibi aliquod temporale cõmodum reportet; ergo dum Bullam suam concedit Episcopus, poterit absque simonia illam concedere cum onere, vt præstetur aliqua pecunia in bonum vniuersalis Ecclesiæ, vel particularis. Et ideo hanc sententiam absolutè etiam tenet Perez de Lara in lib. trium Gratiarum, folio 13. & fol. 94. refert D. Didacum de Espinosa Cardinalem & Episcopum Siguntinum instituisse & concessisse quamdam Bullam, quam vocauit Carta y Bula de hermandad, y Confradia de nuestra santa fe Catolica, in qua concessit suam ordinariam facultatem, & multa priuilegia ac Indulgentias Confratribus hanc Bullam accipientibus; solutis tamen duabus drachmis in subsidium belli contra Turcas & Agarenos Regnum Granatense occupantes, & hæc omnia notauit Trullench vbi supra; & quia dictum Perez de Lara penes me habeo, ponam hic eius verba, sic itaque ait. [La Santidad del Papa Pio V. en vn breue dado en Roma à 20. de Nouembre ann. 1563. suspendio las Indulgencias de la santa Cruzada y auiendo por esto cessado la limosna que se sacaua, y ofreciendose la guerra de la rebelion de los Moriscos de Granada para soccorrer se de la limosna de los fieles, se junto el Cardinal Espinosa Obispo de Siguença Inquisidor general con muchos Obispos de los Reynos, y acordaron de hazer vna Carta, y Bula de Hermandad concediendo à los que entrassen en ella y diessen la limosna señalada las Indulgencias, y gracias que ellos podian conceder por sus Prelacias en sus Diocesis, la qual se publico en estos Reynos el año 1570. y se saco tanta limosna como se solia de la Cruzada.] Sic ille vbi postea per extensum ponit dictam Bullam. Sed circa dubium huius resolutionis de meo nihil ego dicam, solùm referre volui quid alij dixerunt.

An pollutio cogitando tantum turpia sit peccatum reseruatum, & quid si sequatur ex aspectu nimium libidinoso.

RESOL. LXI.

Aliquando Superiores Regulares reseruant sibi pollutionem voluntariam, etiam sine complice, quæritur an si sequatur voluntariè ex turpibus tantùm delectationibus morosis, vel ex aspectibus libidinosis, sit peccatum reseruatum? Et ad hæc dubia respondet Georgius Kiene in trac. de cas. reser. part. 3. cap. 6. nu. 4. vbi sic ait. Quæres primò, vtrùm Religiosus cogitando turpia, ijsque morosè delectando in pollutionem prolapsus sine proprij corporis aspectu, aut contactu libidinoso, vllaque motione instrumẽtali, casum reseruatum incurrat? Respondet Suarez affirmatiuè, sed non improbabiliter alij negãt, putant enim quòd ad huiusmodi reseruationem non solùm externa actio in sua specie consummata, sed etiam externa respectu mediorum requiratur & procuretur, non tantùm per interiorem delectationem, tamquam causam adæquatam, sed potissimum per opus externum, v. gr. libidinosum contactum. Et quemadmodum ille non incidit qui tangit personã quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitię actus absque seminis profusione, aut copula, quamuis mortaliter peccet, ita quoque qui sine tactu proprij corporis, aut alio instrumento ob veneream turpitudinem mentalem polluitur, nisi perueniatur ad consummationem illius actus impudici, quem peccans intendit, vel in quem natura sua ordinatur, id est, copulam carnalem.

Quæres secundò, vtrùm aspectus libidinosus in fœminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, sit casus reseruatus? Respondeo primò, si aspectus aliqua quidem libidine quasi inaduertenter informatus a pulchritudine faciei, aut formæ fœmineæ, aut personæ superbè conuestitæ proueniat, nõ esse vti nec mortalem, ita neque reseruatum. Ratio est, quòd huiusmodi aspectus de se leuiter tantùm in libidinem prouocet. Respondeo secundò, quando in grauem tentationem, & indè in pollutionem prolaberetur, nec dum culpam reseruatam probabiliter committi, etiamsi ex praua affectione & intẽtione ad libidinem concitaretur ob affectum corporis externi, quòd per se oculus impudicus non possit censeri propinquè lapsus carnis opere consummatus. Respondeo tertiò, aspectus denudati in fœmina corporis, aut potioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione iunctus videtur sine præuijs osculis, aut contactus, casus reseruatus. Ita Kiene loco cit. Vide etiam Homobonum de Bonis de casib. reseru. p. 3. c. 5. excep. 6. Molfesium in sum. to. 1. tract. 7. c. 20. n. 104. & Coriolanum etiam de casib. reseru. p. 2. cas. 9. §. 10. n. 15. assererẽtem pollutionem ortam ex turpibus cogitationibus numquam esse casum reseruatum, sed tantùm peccatum mortale.

An Typographiam in diebus festis exercere sit licitum.

RESOL. LXII.

Hic casus est curiosus, & nouus, & de illo à Typrographis nostrorum librorum olim interrogatus fui; & tunc affirmatiuam sententiam tenui, licèt illam consulere non fuerim ausus nullum enim pro me Doctorem habebam; nunc verò illa inuenio docere Homobonum de Bonis in consultat. cas. conscien. vol. 1. p. 2. respons. 34. & Paulum Layman in Theol. moral. lib. 4 trac. 7. cap 2. num. 3. vbi sic ait. Existimo pictores damnari non posse si postquam rei diuinę satisfecerũt, artem suam sine scandalo exerceant. Idéque iudicium esto de Typographis characteres ordinantibus, ipsa verò librorum impressio seruile

opus

opus est. Ita ille, & ego. Nec enim prædicta opera seruilia fiunt iudicia, quòd ob lucrum & mercedem exerceantur, nam hoc per accidens se habet.

Notandum est etiam hic obiter primò, Homobonum vbi supra respons. 16. excusare tonsores tondentes in diebus festis ex occasione cessantis lucri, quoniam alijs diebus ob laborum occupationes tondendi non accedunt, nec potest Episcopus prohibere alioqui in festo licita causa necessitatis, vt pietatis. Ita ille.

Nota etiam secundò. Layman loco cit. nu. 6. probabile esse existimat cum Caietano in 2. 2. q. 122. art. 4. iuramenta in die festo prohibita non esse nisi iudicialia.

Nota tertiò cum eodem Layman c. 7. nu. 2. sartores non peccare, si in diebus festis conficiant vestes, vel alia pro aliquo funere, & interdum excusantur cum post medium noctis festo die laborare coguntur, vt vestes promissas perficiant.

Nota quartò excusari à peccato puellas & domicellas in festo suentes, vel alio modo laborantes, si ad fugandum otium hoc faciunt, & ne ad domus fenestras se conspiciendas exhibeant. Ita Homobonus loc. citat. respons. 55. & Sylvester verb. Dominica, quæst. 5. dicto 3. licet Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 26. nu 4. & Comitolus in resp. lib. 4. quæst. 37. contrarium asserant.

Quis vendidit scapham, v. gr. frumenti furatam, cuius pretium postea decreuit; quæritur an teneatur restituere pretium frumenti secundum quod venditum fuit, an secundum taxationem temporis in quo restitutionem facit.

RESOL. LXIII.

Hic casus frequenter potest accidere, & negatiuè respondendum est, sufficit enim in similibus casibus restituere vel rem ipsam numero, vel aliam eiusdem numeri & bonitatis, vel denique eiusdem pretium, siue æstimatione præsentem, nisi dominus venditurus fuisset, & habiturus illud lucrum. Nec obstat quòd fur tempore intermedio cariùs vendendo lucrum cepetit, nam hoc pertinet ad eius industriam. Et ita quamuis non ita certò, tamen probabiliter dici potest, de rebus vsu non absumptibilibus satis fieri creditori, si equus ipse restituatur omninò talis, qualis ablatus fuerat, & si vel tunc cum auferebatur, vel tempore intermedio pluris valuerit, & hæc omnia valdè notanda docet Layman in theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 4. n. 6. qui citat Lessium, Molinam & Nauarram.

Notandum verò quòd secus dicendum erit quãdo res apud furem melior effecta est augmento intrinseco, veluti si pullus equinus furatus adoleuit, nam in tali casu semper restitutio fieri debet rei, spectatæ secundum optimum statum quem in manu furis habuit, ex Vlpiano in l. re furtiua, ff. de condict. furti. Angelo ver. furtum. § 44. Sylvestro verb. restitutio 4. qu. 7. dicto 1. Couarr. in reg. peccatum part. 2. § 7 num. 2. & alijs, quod ego limito cum Nauarra lib 4. cap. 1, num. 34. & Vasquez opusc. de restit. cap. 5. § 1 dub. 12. nisi ita res apud dominum similiter deterior facta esset, & si ab iniquo possessore in statu optimo restituta fuisset, vt si, v. g. fur rem furatam in optimo statu restituisset, & tamen a domino tunc diuendita non fuisset, sed seruata, & inde deterior facta esset, tunc satis erit si fur restituat rem in statu deteriore.

An si quis sciat aliquem nomine suo paratum damnum inferre, v. g. inimicum occidere, neque prohibeat, cum facilè possit, teneatur ad restitutionem.

RESOL. LXIV.

Affirmatiuè respondet Molina de iustit. to. 3. tract. 2. disput. 729 num. 6. vbi sic ait. Obserua quando aliquis crederet aliquos nomine ipsius damnum iniustè alteri daturos, ac posset illud impedire, illisque significando nulla ratione velle vt id efficiant, teneretur id efficere, atq; si id prætermitteret, teneretur restituere damnum sequutum, etsi postea ratum non haberet id damnum esse datum. Ratio est, quoniam eum videat, ut tineat nomine ipsius id damnum esse dandum, tenetur non solû ex charitate, sed etiam, quasi ex officio, ex proprioque iustitiæ onere impedire, ne nomine ipsius & tamquam aliquid sibi gratum damnum proximo iniustè inferretur. Ita Molina.

Sed circa præsentem dubitationem placet mihi magis distinctio Rebellij p. 1. lib. 2. q. 14 sect. 3. nu. 13. asserentis, quod vel alter scit te malignum suum propositum cognitum habere, & nõ contradicere, aut impedire, vel hoc nescit. Si primum, taciturnitas, cõsensus & approbatio iudicatur, per quam si ille mouetur ad damnum conferendum, oritur obligatio restituendi. Si secundùm, non teneberis ad restitutionem vt mandans, sed interdum vt non obstans, si videlicet ex officio, & ideò ratione iustitiæ, non solius charitatis obligatus sis ad damnum iniustum impediẽdum: igitur cum hac distinctione libenter opinionem Molinæ amplector, sin autem minimè.

Notandum est etiam hic obiter contra Paludanum in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 3. Syluestrum verf. restitutio 3. quæst. 6. dict. 2. Angelum ver. furtum, num. 20. & Nauarr. in man. cap. 17. num. 133. quòd si, v. gr. filius nomine patris, vel famulus nomine domini sui nescientis, & non consentientis, damnum intulit, neque dominus, neque pater tenebitur ad restitutionem, etiamsi postea re intellecta illam ratam haberent. Ita Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 13. Vasquez opusc. de restit. cap. 9. § 1. nu. 19. Molina loco cit. num. 3. Medina C. de restitut. qu. 7. ad 4. & alij, quia talis reuera non est causa efficiens damni, cum ad præteritum non sit potentia.

Nota etiam cum Soto de iustit. lib. 4. quæst. 7. art. 3. & Nauarro cap. 17. numer. 21. quòd si quis à fure pecunias accipiat ne clamet, & ne indicet, ad nullam restitutionem obligatur, nisi ex officio furtum impedire debeat, vel nisi res accepta sit pars furti.

An reus pœnam pecuniariam meritus, si iuridicè interrogatus crimen a se admissum iniustè neget, teneatur ad restitutionem.

RESOL. LXV.

Prima sententia affirmat. Ita Sotus lib. 1. qu. 6. Molina de iustit. to. 1. tract. 2. disp. 95. circa finem. Castrus de lege pœn. l. 2. c. 12. & alij.

Secunda opinio distinguit, nam si sermo sit de pœna iudicis arbitratu ob commissum crimen imponenda ac fisco inferẽda, non tenebitur restituere reus, vel testis si iniustè neget etiam iustè interrogatus; si verò loquamur ipso facto, seu criminis admissione contracta, tenebitur vtique restituere, quia tunc agitur directè ad pœnam soluendam, cuius iam reus factus est qui crimen admisit; ergo, &c. Ita Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 7. nu. 4.

Tertia sententia absolutè docet reum pœnam pecuniariam meritum, si iuridicè interrogatus crimen à se admissum iniustè neget, non teneri ad restitutionem, quia in tali casu non peccat propriè contra iustitiam commutatiuam, sed contra iustitiam publicam & iudicialem; ergo ad nullam tenetur restitutionem. Ita Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 22. Vasquez in 1. 2. disp. 175. c. 12. Azorius to. 1. lib. 5. c. 8. q. 5. & alij. Vnde omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles; sed ego tertiæ tamquam probabiliori adhæreo.

An filius, v. g. cauponis, mercatoris, &c. possit exigere salarium, quia patris bona administrauit.

RESOL. LXVI.

Negatiuè respondet glossa in l. cum oportet, Cod. de bonis quæ liberis, &c. ver. ex eius substantia. Petrus Nauarra de restit. lib. 3. c 1. nu. 76. Molina de iustit. to. 1. tract. 2. disp. 234. & alij communiter, filius enim dum in domo patris degit, obligatus esse videtur ad obsequiales operas.

Verùm quia hic casus frequenter potest accidere, ego contrariam sententiam probabilem & tutam esse existimo, cùm enim in tali casu lucrum non tantum ex bonis patris, sed etiam ex filij industria prouenit, ideo partim inter profectitia, partim verò inter aduentitia bona numerandum esse videtur, ex quo infertur quòd si solus pater lucrum acceipiat, nullamque eius partem filio quasi societatis iure relinquat, tum tantumdem salarij ipsi dare obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet, saltem si filius exigat; sin autem ob metum reuerentialem

tialem petere non audeat (vt mihi accidit in facti contingentia cum quodam pœnitente,) vel probè sciat si petat se repulsam laturum esse, dicendum est filium clam a patre accipere posse, & hæc omnia docet Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4 c. 8. num. 6. qui citat Lessium, Nauarrum, Lopes, & Angelum; vnde in tali casu aduertant Confessarij non imponere pœnitentibus onus restitutionis, nisi vltra æstimationem laboris ac industriæ suæ acciperent, computatis in dicta æstimatione expensis, quas pater fecit in illo alendo.

An si quis bona fide pecunias furtiuas accepit, easque cum proprijs commiscuit, teneatur domino pecuniarum comparente ad restitutionem.

RESOL. LXVII.

Affirmatiuam sententiam docet Lessius lib. 2. capit. 20. dub. 18. num. 157. ex authoritate l. Marcellus, § Pomponius, ff. de rei vendicat. & ex §. si duorum, Instit. de rerum diuisione, in quibus locis habetur, si duorum dominorum materiæ confusæ fuerint, ita vt discerni, vel separari nequeant, vtrique vindicationem pro parte sua competere, quod quidem videtur esse valde consentaneum iuri naturali; cur enim cum certò mihi constat rem meam esse huic permixtam, non possum mihi vindicare ex mixto illo, quantum de meo inest, & ideo hęc sententia est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Vasquez opusc. de rest. c. 6 §. 2. dub. vlt. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 23. nu 15. Nauarra de restit. lib. 3. cap. 4. num. 216. & lib 4. cap. 1. num. 7. Sayrus in Claui Regia tract. 2. cap. 3. num. 13. Medina de restit. qu. 10. cum alijs, & ideò Layman in Theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 17. §. 3. nu. 23. quærit an fur, qui aureis 100. furtiuis equum à Sempronio emit bona fide vendente, statimque aufugit, postea comparet dominus, & pretium repetit a Sempronio, quærit Layman an restituere illud debet. Et respondet, quòd restitui debet, si centum aurei furtiui in specie extent, sin autem consumpti sunt, vel cum proprijs nummis commixti, ita vt discerni non possint, ad nullam restitutionem obligatur Sempronius, non ratione iniustæ acceptionis, vel absumptionis, cùm bona fide egerit, vt suppo nimus; neque ratione rei acceptæ possessæ, cum alienos nummos non possideat, posteaquam eos vel consumpsit, vel cum proprijs miscendo eorum dominium acquisiuit, neque etiam locupletior factus sit, cum pretio iusto equum vendiderat, ergo, &c. Ita Layman vbi suprà, qui etiam rectè docet, quòd si aliquis ludendo falsis aleis pecuniam lucratus est, eiusque partem socio, vel amico suo donauit, quamuis scienti, tamen non cooperanti ad fraudem committendam, rectè dici potest dictum socium, vel amicum ad nullam restitutionem obligari, & lusor ille pecunias ludo iniquo acceptas cum proprijs miscuerat. notentur hæc à Confessarijs, quia multos scrupulos sedabunt.

An depositarius possit vti re deposita vsu consumptibili.

RESOL. LXVIII.

Videtur negatiuè respondendum, nam si depositarius sine expressa, vel præsumpta domini licentia vtatur re deposita, & eam alienet, furtum committere censetur, vt patet ex l. 3. Cod. eod. & ex Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur, §. furtum.

Verùm contrarium tenendum est de rebus vsu consumptibilibus, v. gr. frumento, oleo, &c. vt saltem grauis peccati condemnandus non sit depositarius si ea alienet, modò certus sit se tantumdem eiusdem generis ac bonitatis pretio habiturum cum dominus repetierit, nam talis alienatio in nullum eius damnum cedit. Vnde licèt Magistratus prohibeat, sicuti ex communi Cæsareo iure prohibitum est, ne frumentum ex horreo sine eius iussu extrahatur, nec pecuniæ publicæ in mutuum alijs tradantur, si tamen certum sit neque ipsum Magistratum, alijs vllum exinde damnum accepturos, quia tam industrius est officialis, vt constitutis temporibus frumenta ac pecunias æquè bonas in promptu habeat, probabile est non posse culpæ mortalis damnari. Ita Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5 tract. 4 c. 25. num. 3. & 4. qui citat D. Antoninum, Syluestrum, Nauarrum & Rebellum.

An iuramentum ingrediendi Religionem, vel obseruandi castitatem, sit per Episcopum, vel per Bullam Cruciatæ dispensabile.

RESOL. LXIX.

Prima sententia affirmat, ita tenet Tabiena verb. iurare, qu. 20. num. 21. ad finem, & insinuat Nauarrus libr. 2. consil. de iureiuran. in priori edit. consil. 3. nu. 4. & 5. & in posteriori edit. consil. 1. num. 4.

Secunda sententia negat, ita Caietanus in 2. 2. q. 89. art. 9. Sotus de iust. lib. 8. q. 1. art 9. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 7. punct. 4. Azorius tom. 1. lib. 11. c. 10. q. 3. Layman in theol. moral lib. 4. tr. 3. c. 1 n. 4. Arragon. in 2. 2. q. 88. art. 12. Basilius Pontius de matrim. lib. 8 c. 11. nu. 3. & alij.

Tertia distinguit, putat enim hanc secundam sententiam esse veram, quando iuramentum continet promissionem factam Deo; secus autem quando non includit promissionem, sed meram assertionem & affirmationem. Ita Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 13. nu. 4. Verùm aduersùs hanc distinctionem Sancij insurgit nouissimè Ægidius Trullench in exposit. Bullæ Cruciat. lib. 1. § 7. c. 3 dub. 5. nu. 5.

Vnde quid ego sentio dicam breuiter. Puto igitur cum Doctoribus secundæ sententiæ, omne iuramentum Deo factum includere votum, iuramentum namque, quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est, quàm votum iure iurando firmatum. ergo si votum est Papæ reseruatum, similiter erit & iuramentum; cæteras rationes videbis apud citatos Auctores; non nego tamen primam sententiam esse probabilem, quam præter DD. vbi supra tenet etiam Petrus Ledesma in summ. tom. 2. trac. 11. cap 4. dub. 2. quia in iure nullum reperitur iuramentum Pontifici reseruatum, & non sequitur, illa quinque vota sunt Pontifici reseruata; ergo etiam iuramenta de illa materia. nam obligatio voti maior est iuramenti obligatione, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8. & ex alia parte cum reseruatio sit odiosa, restringenda est, & non amplianda. Deinde cum Pontifices per aliquod indultum concedunt facultatem relaxandi, seu commutandi omnia iuramenta, siue partis tamen præiudicio, non solēt excipere aliqua iuramenta, sicuti excipiunt aliqua vota; ergo signum est non esse vsu receptum, aliqua iuramenta, etiam illa quinque, esse Pontifici reseruata, & ideo quando Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi iuramenta, possunt sine scrupulo à Confessarijs illa quinque relaxari; est igitur, vt dixi hæc sententia satis probabilis; quicquid in contrarium afferat Turrianus in disput. select. cent 2. censur theolog. dub. 92. & ideò Ægidius Trullench vbi suprà, nu. 4. contrariam quam ego teneo, vocat tantùm probabiliorem, & probabilem etiam vocat hanc sententiam Leone de potestate confess. part. 2. recollect. 20 n 181.

An detur paruitas materiæ in iuramento promissorio, ita vt aliquando sit tantum peccatum veniale illius transgressio.

RESOL. LXX.

Negatiuam sententiam docet Armilla verb. iurare, nu. 12. Medinam in instruct. Sacerd. lib. 1. cap. 14. § 4. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 5. num. 23. Valeotia tom. 3. disp. 6. q. 7. nu. 3. concl. 3. & alij asserentes omne periurium promissorium esse peccatum mortale, neque ob materiæ leuitatem fieri posse veniale, quia qui rei paruæ promissionem quam iuramento confirmauit non implet, is quātum in se est facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cum sit magna in Deum irreuerentia; ergo, &c.

Alij verò, vt Caietanus in 2. 2. q. 89. art. 7. & Couarr. lib. 1. var. c. 1. nu. 2. distinguunt, asserunt enim quod quando res parua est tota materia promissionis, tunc violatio iuramenti est peccatum mortale, secus si solùm sit pars materię, nam tunc erit tantùm veniale.

Omnes istæ sententiæ sunt probabiles, sed non minus probabi-

babilem illam esse existimo, quæ absolutè & generatim asserit, si res promissa sit parua, siue ea sit tota materia siue pars tātum, non foré transgressionem, nisi venialem. Ita Sotus de iust. lib. 8. quæst. 1. art. 7. & quæst. 2. artic. 3. D. Antonin. part. 2. disput. 10. cap. 4. §. 1. Coninch de Sacrament. disput. 22. dub. 7. num. 53. Sanchez in summ tom. 1. lib. 3. capit. 4. numer. 23. Suarez libr. 3. cap. 16. & alij. Et ratio est clara, quia si violatio voti circa materiam leuem non est nisi peccatum veniale, vt alibi satis probatum est; ergo etiam violatio iuramenti promissorij circa similem materiam, quia, vt asserit D. Thom in 2. 2. quæst. 89. artic. 8. obligatio voti maior est quam obligatio iuramenti. cæteras rationes videbis apud citatos Doctores, & ita hanc sententiam præter illos tenet Io. de la Cruz in direct. conscien. tom. 1. præc. 2 art. 1. dub. 3. concl. 1. Bizzozetus in summ. par. 3. præc. 2 cap. 2. membr. 3. nu. 5. Syluius in 2. 2. D. Tho. quæst. 98. artic. 3. concl. 4. Malderus in 2. 2. tract. 10. c. 6. dub. 5. Dauid a Mauden, in Decal. pr. 2. discur. 4. nu. 3. Tannerus in 2. 2. disput. 5. q. 5. dub. 1. nu. 25. Io. Franc. Suarez in enchirid. cas. conscien. libr. 3. verb. iuramentum § 8. Villalobos in summ. to. 2. tract. 36. diffic. 5. num. 9. vbi sic inteit. [De lo dicho se infiere que el que juro de rezar todo vn año vna Aue Maria y lo dexo todo el año no peco mortalmente aun en el fin del año.] Idem asserit Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 3. c. 14 nu 6. de illo, qui iurauit cum socio animi causatus iturum, vel pater si iurauerit se puerum ita meritum castigarurum, & postea sine causa intermittat, nam putat supradictos peccare quamuis non mortaliter ob materiæ leuitatem, & ideò Villalobos vbi supra, rectè asserit, quòd si opinio contraria esset vera, [figuriase que todas las madres y amas que crian los niños cometerian muchos peccados morta les, que enojandose con ellos juran por momentos, que los han de azotar y no lo hazen] & sic dicendum est etiam in similibus casibus, vt si quis iurauit date pauperi quadrantem, &c.

An dispensatio in literis Pœnitentiariis fieri debeat in confessione sacramentali, & an Confessarius debeat esse approbatus sine limitatione.

RESOL. LXXI.

FRequenter in praxi occurrit iste casus, ideo circa præsentem quæstionem in gratiam Confessariorum magis practicabilia adnotabo; & quoad primum quæsitum affirmatiuè respondet Basil. Pontius de matrim. lib. 8. c. 21. §. 1. n. 17. Reginald. tom. 2. lib. 3 t. cap. 28. nu. 216. Et ratio est, quia omnia quæ iniunguntur in tali clausula secundùm communem de eis loquendi & intelligendi modum, spectant ad sacramentum Pœnitentiæ. Accedit quòd ad Cōfessarium dirigatur commissio dispensandi, eumque approbatum, quam conditionem Concil. Trident. sess. 23. c. p. 15. introduxisse in ordine ad auditionem confessionum, verba illius dubitare non sinunt, & requirendo in Confessario qualitatem approbationis, superuacanea videtur posita qualitas Magisterij si confessio non esset necessaria.

Verum negatiuam sententiam docuit Sanchez de matrim. lib 8. disp. 34. num. 29. Salas de legib. disp. 20. sect. 10. num. 98. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 15. §. 1. num. 6. quia Pontifex non dicit dispensationem expediendam esse pro foro pœnitentiæ, sed pro foro conscientiæ; forum autem conscientiæ non est forum sacramentale, sed secretum & extraiudiciale. ergo, &c.

Sed licèt hæc sententia negatiua olim esset satis probabilis, hodie tamen non potest sustineri, sed prima opinio affirmatiua est tenenda, per ea quæ adducit Filliucius tom. 1. tractat. 10. p. 2. cap. 10. nu. 355. vbi sic asserit. Notandum secundò an exigatur confessio sacramentalis, necne? olim erat probabile non requiri, quia non addebatur clausula, *audita confessione, non aliter, neque alio modo*, sed tantùm in foro cōscientiæ, quod distinguitur à foro pœnitentiæ, & medium est intra forum externum, & forum pœnitentiæ sacramentale, quòd scilicet fiat, non publicè adhibitis testibus & notoriè, sed secretè in foro animæ internæ, sed extra confessionem, vt potest quis absolui à censura ab Episcopo, & tunc sine confessione. Hodie autem ex clausula dicta confessio est omninò necessaria. Sic ille, & nouissimè etiam Ant. Fernandez in instruct. confess part. 1. docum. 4. § 1. num 6. vbi sic ait. [Tercera clausula destos dos breues dice que le absuelua del voto y que le imponga penitencia saludable. Sanch dice que no es menester que sea en confession, pero Reginaldo tiene lo contrario, porque despues aca se añade en las letras que sea en confession y assi se ha de hazer.] Hæc ille.

Cum igitur hodie sit necessaria confessio, vt patet ex tenore literarum, quæritur an ad valorem dispensationis sufficiat si confessio sit inualida? & de hoc casu olim ego interrogatus fui, & respondi quòd si confessio est inualida defectu doloris, vel integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur absolutio, vel circa rem, de qua petitur dispensatio, satis est dicta confessio, licèt inualida; secus autem si non esset integra, vt dixi respectu eius cuius quæritur dispensatio, & ita in facti contingentia liberaui quemdam pœnitentem & Confessarium ex magnis angustijs stante supradicta distinctione & doctrina, quam docet Suarez to. 4. disp. 31. sect. 4. n. 6. & Filliucius tom. 1. tract. 10 p. 2. c. 10 nu. 355.

Sed deueniendo ad secundum quæsitum, videlicet an dicta confessio sit facienda cum Sacerdote approbato absolutè, vel sufficiat si sit approbatus pro viris, v. gr. & non pro mulieribus, pro personis huius oppidi, &c. Affirmatiuam sententiam, nempè sufficere si sit aliquo modo approbatus, docet Sanchez de matrim. tom. 1. libr 8. disput. 34. num. 16. & ratio est, quia licet asserunt Confessarium debere esse approbatum ab Ordinario; sed talis Confessarius, de quo loquimur, est approbatus ab Ordinario. ergo, &c. non enim approbatio restringenda est ad approbationem absolutam. Sed ego prorsus negatiuam sententiam tenēdam esse puto si respectu petentis dispensationis approbatus non sit, & ita docet Riccius in decis. Cur. Arch. tom. 4. decis. 34. n. 2. Basilius Pontius de matrimon. lib. 8. c. 21 §. 1. nu. 13. Reginaldus to. 2. lib. 31. c. 28. n. 214. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 15. § 1, num. 1. Guttierrez de matrim. cap. 28. nu. 19. & ratio est clara, quia, sicut suprà firmatum est, hodie est præmittenda confessio ad has literas expediendas; ergo qui illam efficere non est capax, non erit capax huius delegationis, quod est valde notandum à Confessarijs, qui ex opinione Sanchez fœdè in hoc labi possunt, & Sanchez scripsit antequam verba illa apponerentur in dictis literis. Limitat tamē nostram sententiam Filliucius tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 10. nu. 352. nisi Confessarius approbatus, v. g. pro maribus tantum, vel pro fœminis tantū esset simul Doctor, vel Magister; sed hæc limitatio mihi non placet, quia talis Doctor, seu Magister non poterit excipere confessionem necessariò hodie præmittendam à petente dispensationem. ergo, &c.

Notandum est tamen hic obiter ad ornatum supradictæ materiæ quòd Regulares quibus Superiores permiserint, habent priuilegium expediendi has literas, etiamsi non sint Doctores, vel Magistri, si verò supradicti iudicent esse subreptitiam, aut inualidam dispensationem, possunt mutare postea sententiam, vel imperrans dispensationem potest alium adire, qui sibi videatur dispēsationem validam esse iudicaturus; secus autem in foro externo, si iudex delegatus declaret dispensationem esse subreptitiam. Ratio est, quia cum talis commissio facta sit pro foro conscientiæ, ea sequitur eiusdem fori naturam, quæ est vt pœnitens non adstringatur acquiescere vnius Confessarij sententiæ, sed possit alium adire, illique prior Confessarius possit re melius perpensa mutare suam sententiam. Ita Basil. Pontius de matrim. lib. 8. c. 21. § 1. nu. 14. Riccius p. 4. decis. 34. nu. 2. Castrus Palaus loco cit. nu. 2. & 3. Ant. Fernandez in instit. Sacerd. vbi suprà n. 2. Reginaldus nu 314. & alij.

Sed quia in dictis Pœnitentiariæ literis aliquæ clausulæ apponuntur, breuiter dico circa primam, quòd præter dicta, talis delegatus opus est vt sit Doctor iuris Canonici in aliqua Academia, vel Magister in Theologia, & non sufficit esse Licentiatum in decretis Theologiæ, aut Doctorem iuris ciuilis, neque harum facultatum Professorem in Academia approbata, neque Magistrum in Theologia secundum institutum Regularium. Circa secundam clausulam præter ea quæ dicta sunt, præmittere debet dispensans causæ cognitionem, alias nulla est dispensatio, & in hac cognitione potest credere dicto etiam non iurato petentis dispensationem non recipiendo testes, si vult tamen expostulare iuramentum, potest, & si constat causam esse notoriam, vel ipsi delegato cognita sit, nullum erit examen præmittēdum; quòd si cognoscat aliunde causam esse falsam, non debet credere latori. Monita verò, vt lator dicat veritatem manifestando ei quantum intersit ne dispensatio frustretur, non sunt necessariò facienda, ita vt illa omittendo dispensans peccet, & dispensatio sit nulla. Circa tertiam clausulam dico non esse in potestate dispensatoris illa opera omittere,

re, quia apponuntur pro forma, potest tamen ea moderari prout sibi videbitur; debent tamen esse opera super erogationis, vnde confessio, quæ inter ea opera numeratur, imponi quidem non potest frequentior, quàm menstrua, vt saltem aliquo die mensis confiteatur; potest tamen præscribi bimestris, sed cui non satisfaciat per aliam, ad quam ex voto, vel pœnitentia tenetur, quicquid perperam asserat Salas. Circa quartam clausulam vt literæ dilanientur, dico hoc non esse de substantia dispensationis, mens enim Pontificis est, ne literæ illæ in foro externo suffragentur. Cæteræ verò clausulæ non habent difficultatem, solum difficultas est in clausula, quæ apponitur, maximè in dispensationibus pro foro externo, ne sub pœna excommunicationis latæ sententiæ recipiat Ordinarius quodcumque munus, &c. vbi Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. nu. 363. Sanchez & Salas loc. cit asserunt sub dictis verbis, non prohiberi stipendium debitum laboris, ex consuetudine; verùm nouissimè Gauantus in enchirid. Episcop. ver. matrimonij impedimenta; nu. 34. statuit dispensantem nihil prorsus posse accipere, siue pro laboribus in instruendo processu, siue pro decreto dispensationis matrimonialis, & ita testatur declarasse sacram Cardinalium Congregationem die 22. Aprilis 1616.

An Principes possint licitè concedere Repressalias.

RESOL. LXXII.

Hic casus frequenter accidit, vt si, v. gr. ait Victoria de iure belli, num. 41. Galli milites fecerint prædas in agrum Hispanorum, vel è contra, & Rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionem cùm possit, possunt Hispani auctoritate Principis spoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantumcumque innocentes, quia licèt fortè à principio Respublica, aut Princeps Gallorum non fuerit in causa, iam est in culpa, quia negligit vindicare.

Sed his non obstantibus negatiuam sententiam docet Petrus Lorca, vir quidem doctus, in 2. 2. D. Thom. quæst. 40. art. 1. sect. 3. disp. 52. in appen. nu. 15. quia hic modus compensationis natura sua iniustus est, quia per se infert nocumentum innocenti, & punit vnum pro peccato alterius, quod humana iustitia fieri non potest, non minus in bonis externis, quam in personis, & ita iure ciuili & Canonico reprobatæ sunt dictæ Repressaliæ, vt patet in Authentica, vt non fiant pignorationes, coll. 5. & in cap. & si pignorationes, de iniur. in 6. sic habetur. Et si pignorationes, quas vulgaris elocutio *repressalias* nominat, in quibus aliquis pro alio prægrauatur, tamquam graues legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili sint constitutione prohibitæ, &c. Nec valet dicere, quòd licet inferre bellum toti Reipublicæ propter iniuriam ab aliqua parte eius illatam, si communitas & Princeps vindicare neglexerint; ergo pariter licebit solam compensationē damni accipere à quibuscumq; Reipublicæ membris. Nam respondeo primò disparem esse rationem, quoniam iniuria, aut damnum pro quo petitur Repressalia, non est tantum, aut tanti momenti, vt sit iusta causa belli, nam si esset, iam non esset Repressalia, sed bellum; nos autem loquimur de Repressalia vt a bello distinguitur; non ergo est tam vrgens causa, vt tota Respublica puniri possit. Quare licèt læsi non assequantur restaurationem damni, petendo eam à Principibus, non sufficit vt innocentes patiantur, & contra totam Rempublicam agi possit. Respondeo secundò etiam in bello iusto innocentes lædi non posse in bonis externis per se & directè. Hęc omnia Lorca vbi suprà.

Verùm affirmatiuam sententiam ego probabilissimam, & tutam in praxi esse existimo, quam tuentur, teste ipso Lorca, communiter Doctores, vt Syluester, Caietanus, & alij Casuistæ in ver. Repressalia, Couarr. Victor. Gabriel. Nauarr. D. Anton. penes Lorcam. quibus ego addo Iacobum Granado in 2. 2. D. Thomæ contr. 3. tract. 13. disp. 4. sect. 8. nu. 73. Castrum Palaum tom. 1. tract. 6 disp. 5. punct. 4. & Coninch in 2. 2. disp. 31. dub. 7. & 8. nu. 152. & Molin. tom. 1. disp. 121. concl. 4. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 3. Villalobos in summ. to. 2. inst. 5. diffic. 4. nu. 16. Io. Franc. Suarez in enchir. lib. 7. lit. R. ver. Repressaliæ. Petrum Binsfeldium tract. de iniurijs & damno dato, cap. 8. quæst. 4. concl. 1. & seq. Dauid à Mauden in Decal. præc. 7. discur. 2. num. 8. Tannerum in Theol. schol. tom. 3. disp. 2. quæst. 6. dub. 5. num. 73. Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 13. Mynsingerum cent. 6. obseru. 1. Dico igitur licitas esse Repressalias, concurrentibus tamen sex conditionibus, prima quod manifestè constet ciues vnius Reipublicæ fecisse iniuriā ciuibus alterius Reipublicæ, v. g. aliqua eorum bona capiendo, aut detinendo, nolendo soluere clarè ex iustitia debita, aut simili ratione, debet tamen hæc iniuria esse notabiliter grauis. Secunda, vt Superiores illius Reipublicæ cuius ciues iniuriam intulerunt, rogati vt faciant iustitiam, id recusent, aut negligant. Tertia, vt apertè constet illos culpabiliter nolle facere iustitiam. Quarta, vt supremus Princeps Reipublicę læsę adeatur, & causa cognita concedat facultatē capiendi Repressalias. Quinta, vt non inferatur alteri Reipublicæ plus damni quàm sit necesse ad plenā m satisfactionem pro iniuria ac damnis acceptis. Sexta, vt non concedantur in personas Ecclesiasticas.

His ergo conditionibus positis puto Repressalias licitas esse; & ratio est, quia in bello iusto, vt omnes asserunt, bona innocētium licitè diripiuntur quādo hoc est necessarium ad obtinendam plenam satisfactionem. Ergo id fieri potest per Repressalias. est enim omnino eadem ratio. Nec valet dicere cum Lorca, quòd bellum requirit grauiorem causam, quia eius damna & incommoda sunt etiam longè grauiora & acerbiora quàm Repressaliarum. Ad illud verò quòd asserit, innocentes non posse lædi in bonis externis per se & directè, etiam in bello iusto, ergo neque in Repressalijs. Respondeo cum Molina disput. 120. & 121. Valent. tom. 3. disp. 13. quæst. 16. punct. 3. §. 4. Infero contrariam sententiam esse tenendam, nempe in bello etiam innocentes directè posse spoliari suis bonis & libertate, quod Coninch in tit. disp. 31. dub. 7. nu. 112. probabilius credit, quandò aliter nequit sufficiens satisfactio obtineri pro iniurijs & damnis acceptis. Pro quo nota omnes ciues alicuius Reipublicæ constituere vnum corpus, atque etiam censeri aliquid vnū, adeò vt quod Reipublica ita facit, censeatur omnes facere, atque ita hoc peccāte censentur omnes & singuli peccasse ac esse punibiles in his bonis, quæ censentur bona Reipublicę, eiusque dominio ac dispositioni subsunt, qualia sunt omnia bona fortunæ, non solùm communia, sed etiam priuata singulorum ciuium, ex quibus contra Lorcam assero innocentes licèt ob aliorum culpam non possent puniri, possent tamen compelli vt satisfaciant pro debito, quod tamquam pars illius Reipublicæ contraxerunt, & hoc efficitur in casu belli & Repressaliarum.

Restat modo respondere ad alia argumenta quæ adducit Lorca, & ad primum nego, hunc modum compensandi natura sua esse iniustum quādo efficitur cum auctoritate Principis, & seruatis supradictis conditionibus, ad quæ præcisè, quia aliter satisfactio obtineri nequit, quod æquitati naturali nullo modo repugnat, cùm is, qui grauatur in Repressalijs, sit huic grauamini obnoxius ratione Reipublicæ cuius est pars, & cui sua bona obstricta sūt. Vnde vsus Repressaliarum ab antiquis prodijsse post Budæum in annot. ad legem, aut facta, §. euntes, ff. de penis, obseruat Couarr. in reg. peccatum, p. 2. §. 9. n. 4. & Gail. in lib. de pignorat. obseru. 2. ad cap. etsi pignorationibus; & ad Authent. vt non fiant, respondeo etiam intelligenda esse, quando Repressaliæ efficiuntur sine supremi Principis auctoritate, vel sine supradictis conditionibus.

An mulier quinquagenaria dicatur senex, vt vir possit profiteri Religionem, remanente illa in sæculo cum voto castitatis.

RESOL. LXXIII.

De hoc casu his diebus interrogatus fui, pro cuius decisione suppono, non sufficere solum consensum coniugis, vt alteri licitum sit Religionem ingredi, sed requiritur vt quòd ambo ingrediantur, vel qui in sæculo mansurus est, & votum perpetuæ continentiæ editurus, ea sit ætate, vt extra periculum incontinentiæ esse videatur. Ita determinatur in cap. cum sis, & cap. Apostolicæ, de conuer. coniugat. & docet Villalobos in summ. rom. 1. tract. 13. diffic. 14. n. 2. Hurtado de matrim. disput. 11. diffi. 9. n. 28. & Reginald. to. 2. lib. 31. c. 4. n. 40. Henriq. lib. 11. c. 8. n. 9. in glossa lit. I. Gratianus in discept. forens. c. 102. n. 2. & 27. cum alijs communiter.

Difficultas est, quænam ætas senectutis sufficiat vt coniux non egeat Religionis ingressu, sed possit in sæculo manere castitatis voto astrictus, vt alter coniux legitimè ad Religionem transeat?

Prima opinio est Basilij Pontij de matrim. lib. 9. cap. 12. nu. 3. qui putat hoc arbitrarium esse, & ex circumstantijs personæ, valetudinis, roboris, & antextæ vitæ considerandum & definiendum esse, nam quamuis in alijs legibus, quæ communitati imponuntur, vt in priuilegio lacticinia comedendi, non ieiunandi, & Diaconissarum ætate determinetur senilis ætas ad sexaginta annos, quia leges illæ fundantur in præsumptione vt plurimum, attamen in hoc casu cum sit specialis dispositio huc tantum respiciens, vnumquodque iudicandum est ex proprijs circumstantijs, & ideo non potest certa regula definiri. Hæc Pontius.

Secunda opinio est Aloysij Barioke in aphor. lit. M. verb. maritus sexagenarius. Riccij part. 2. decis. 131. & 135. Bartholomæi a S. Fausto in thesaur. Relig. lib. 5. qu. 55. Dominici Soto in 4. sent. dist. 37. qu. 1. art. 4. §. præter ex contra eamdem primam conclus. & dist. 38. q. 1. art. 2 concl. 2. & 3. Cordub. q. 178. Azorij tom. 1. lib. 18. cap. 14. quæst. 11. & aliorum, asserentium fœminam dici senem quoad hunc effectum, quando est sexagenaria, quia, vt satis apud DD. firmatum est, sexagenarios neque ad ieiuniũ obligari, neque teneri cum Bullæ abstinere a lacticinijs, quia in tali ætate dicuntur senes.

Tertia opinio, quam ego probabilem & tutam in praxi esse existimo, vt superiores, asserit, fœminam quinquagenariam esse senem quoad hunc effectum, & ita docet Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 32. nu. 15. quem citant & sequuntur nouissimè Ioann. Guttierez, & Augustin. Barbosa, ille in tract. de matrim. c. 91. n. 2. hic in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 32. c. 4. nu. 4. vbi sic asserit. Credit meritò Sanchez fœminas quinquagenarias esse senes quoad hunc effectum, qui attento breuiori cursu vitæ illarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam senex est mulier quinquagenaria, quàm vir sexagenarius, quod communis æstimatio testatur, & libidinis ardor ita tepescit in illa, ac in hoc etiam in ea ætate est sterilis, & communiter verè senex tunc appellatur, & de suspicione incontinentiæ libera creditur. Ita Barbosa. Vide etiam Bonacinam de matrim. in nouiss. editione q. 3. punct. 4. n. 12. hanc etiam sententiam docentem, & Filliucium tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 4. nu. 133.

Notandum est tamen hic quòd ad Episcopum pertinet dispicere vtrùm vxor in his casibus extra incontinentiæ periculum existat; quare conuenit ab eo licentiam petere, vt colligitur ex cap. si vir. & vxor. 27. quæst. 2. & notauit glossa in c. 5. de conuer. coniugat. ver. reuocari, sed an dicta licentia adhibenda sit ex præcepti necessitate, negat Sanchez lib. 7. disp. 32. num. 2. sed affirmat Richardus in 4. dist. 32. art. 2. q. 3. glos. cit. ver. reuocari, & ita in praxi obseruatur, teste Layman loco citato. Verùm Pontius vbi infrà n. 2. putat circa licentiam petendam ab Episcopo iam vsu abolitum esse præceptum si quod extitit, neque etiam consuetudine receptum est, vt petatur Episcopi licẽtia. Sic ille; & post illum Guttierrez vbi sup. nu. 4. Sed ego non recederem ab affirmatiua sententia, quam præter Sanchez ex neotericis docet Rebellius lib. 3. q. 4 n. 12. & Bonac. vbi suprà.

Non desinam tamen hic adnotare quòd si coniux ingreditur Religionem vt profiteatur, sufficere si ingrediatur Religionem S. Ioannis, vnde ego in facti contingentia consului fœmina ingrediente ad profitendum in monasterio Monialium, potuisse virum se militem S. Ioannis efficere, & ita hanc opinionem docet in terminis Basilius Pontius de matrim. lib. 9. cap. 12. num. 3. vbi sic ait. Cùm ergo vno coniuge ingrediente Religionem, alter sit iuuenis, ingredi etiam Religionem compellitur; sufficit autem ingredi Religionem S. Ioannis; constatque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Ita Pontius, contra Sanchez lib. 7. disput. 32. nu. 4. negatiuam sententiam docentem, quam nouissimè sequitur Faustus in thesaur. Relig. lib. 5. qu. 58. sed, vt dixi, opinio Pontij est probabilis, & vt talem illam tenent multi viri docti de hac re à me consulti.

Et tandem pro coronide huius resolutionis quæro, an ingrediente vxore in Religionem, possit vir senex remanere in sæculo cum voto castitatis perpetuæ, sicuti de vxore dictum est suprà. Affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius loco cit. num. 1. vbi sic ait. Si consentiat vir vt vxor Religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debet, neque potest in sæculo remanere nisi fortasse vir sit adeò prouectæ ætatis, vt in sæculo sine periculo permanere possit, vel nisi vir creetur Episcopus. Ita ille.

Sed aduersus illum insurgit nouissimè Gaspar Hurtado trac. de matrim. disp. 11. difficult. 9. nu. 8. vbi sic ait. Conueniunt Doctores neutrum coniugum posse Religionem ingredi nisi vterque ingrediatur, vt exprimitur in cap. vxoratus, vbi excipitur posse maritum ingredi, non ingrediente vxore, quando vxor est senex, & non suspecta de incontinentia, si castitatẽ voueant; nullibi tamen excipitur posse vxorem ingredi, non ingrediente marito, quamuis prouectæ ætatis, & potentis manere in sæculo absque periculo, & ideo Basilius absque fundamẽto excipit, quòd id possit vxor in casu dicto. Sic Hurtado. Sed immeritò quidem asserit, Pontium loquutum fuisse sine fundamento, nam opinio Pontij apertè determinatur in cap. ad Apostolicũ, de conuers. coniugat. vbi de alterutrius coniugis ingressu sic deciditur, Non est alter coniugum recipiendos ad obseruantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit eius ætatis, vt sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere; sic textus ibi, ex quibus verbis clarè apparet contra Hurtadum, quòd non solùm vxor, sed etiam vir potest in sæculo remanere, si sit senex, & sine incontinentiæ periculo, vt optimè docuit Põtius. Vide etiam Layman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. nu. 2. Sanchez lib. 7. disp. 32. num. 2. & Bonacina de matrim. in nouiss. edit. q. 3. punct. 4. num. 12. qui etiam docet virum, vt manens in sæculo dicatur prouectæ ætatis, sexagenarium esse debere, vel eam ætatem quæ ex praua valetudine illi ætati respondeat, ita vt a periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abesse, quod vltimum est valde notandum. Vide etiam Filliucium to. 1. trac. 10. p. 2. c. 4. nu. 133.

An si Princeps impediat mercaturam, peregrinationem, nauigationem, &c. per sua Regna ciuibus alterius Regni, possint alij Principes iuste contra illum bellum indicere.

RESOL. LXIV.

Affirmatiuam sententiam docuit vir doctissimus Franciscus Victoria in relectione de Indis Insulanis part. 2. in princ. & hoc iusto titulo asserit Hispanos potuisse debellare Indos, & eorum regiones possidere. Ratio est, quia iure gentium hæc omnia videntur deberi. Verùm aduersus hanc sententiam insurgunt communiter Doctores, vt Molina de iust. to. 1. tract. 2. disp. 105. §. Venobis contrarium. Castrus Palaus tom. 1. trac. 6. disp. 5. punct. 3. nu. 4 Coninch in 2. 2. disp. 31. dub. 2. nu. 52. & Villalobos in summ. tom. 2. tract. 5. diffic. 4. n. 9. vbi sic ait. [Vna cosa justa pone Victoria y es, que por derecho de las gentes puede vno andar en prouincias estranas sin daño de los moradores, negociando en ellas, lleuandoles las cosas que les faltan y comprando de las que tienen abundancia xportar a sus puertos, approuecharse de los rios y pescar en ellos, buscar Margaritas y poder cauar en los campos communes para buscar oro y cosa semejantes, y que si esto quitassen seria justa cosa de las guerras, mas yo soi de parecer contrario, porque estas cosas en tanto son communes de derecho de las gentes en quanto no se prohiben, mas assi como vn particular adquiere dominio de su hereedad, tambien vna Republica le adquiere de las dichas cosas, y por justas cosas podrian prohibirlas a los forasteros no teniendo estrema o graue necessidad, y aosi no podria hauer por esto justa cosa da guerra.] Sic ille. Igitur nullo iure probari potest tale commercium extero deberi, præcipuè cùm Princeps causam habere possit denegandi supradicta externis. Item, v. g. cùm ius piscandi in fluminibus margaritas, vel in mari coralia sint propria illi populo cuius sunt illa littora, aut flumina, nulla est causa cur teneatur id cum alijs communicare, aut si id aliquibus communicet, cur teneatur id omnibus communicare, nec enim ex eo quòd aliquibus aliquid gratiæ impendam, vllo modo sequitur me teneri id omnibus æqualiter impendere, præsertim cum ille populus sæpe possit habere iustas causas, cur nolit vlli externo quidquam ex his concedere, aut cur aliqua concedat aliquibus, & alijs neget.

His tamen non obstantibus inuenio nouissimè sententiam Victoriæ, docere Petrum Lorcam in 2. 2. D. Thom. quæst. 4. art. 1. sect. 3. disp. 52. num. 7. vbi sic asserit. Quærunt aliqui an sit iusta causa indicendi bellum, si Princeps aliquis negaret negotiationem, & mercaturam in portibus, vel ciuitatibus alienæ regionis, peregrinationem, hospitium & rerum vsum; quæ iure gentium indigenis & aduenis cõmunia sunt, quales sunt aquæ

flumi-

fluminum,& alia quæ nulli sunt propria, & denique de institutione habitationis,& coloniæ in aliena prouincia? Victoria opinatur pro his posse miri iustum bellum si iniustè negentur. Iniustè autem negantur, quando negantur ijs, qui absque aliquo nocumento possidentium ea expetunt; quoniam hæc omnia iure gentium concessa sunt omnibus, si sint innoxia, neque in aliquo differunt à transitu per alienam prouinciam. Vnde infert propter hanc causam potuisse Hispanos inferre bellum Barbaris Indiarum. Alij hoc impugnant,sed non sufficientibus argumentis. Existimo igitur hanc causam posse iustificare bellum, an verò ea occurrerit Hispanis, vt iusto titulo potuerint debellare Indos, & eorum regiones possidere, non decerno,est enim quæstio facti, non iuris. Hæc omnia Lorca loco cit. sed præter hanc causam alias etiam habuisse Hispanos debellandi Indos existimo.

Nota tamen quòd supradicti Doctores omnes conueniunt, quòd si negetur exercitui transitus, qui absque negantis detrimento exigitur, posse Principem aduersus alium Principem bellū mouere; vnde Num.21. præcepit Dominus, vt filij Israel pugnarent contra Seon, & Og, Reges impedientes transitum eorum,& ideo in c.notandum,23.q.2.sic habetur. Notandum quomodo iusta bella gerantur à filijs Israel cōtra Amorrhæos, innoxius enim transitus negabatur, qui iure æquissimo humanæ societati patere debebat. Sic ibi. Sed nota quòd eiusmodi transitus armatis sæpe iustè negatur, nisi præstent sufficientem cautionem, eum fore omnino innoxium, vt nouissimè aduertit Coninch loco cit.

An impotentes cum impotentia perpetua & cognita possint inire verum matrimonium in ordine ad castè viuendum.

RESOL. LXXV.

HIc casus potest frequenter accidere,& negatiuam sententiam tenet Valentia to.4. disput.10. qu.5 punct.3.Henriquez lib.12.cap.8.nu.1. Tolet.lib.7.cap.12.nu.vlt. & alij,quos citat & sequitur Sanchez de matrim.tom.2. lib.7.disp.97.nu.2. quibus ego addo Hurtadum de matr. disp. 22. diff.4.n.10.P æpositum in addit. ad 3.part. qu.7. de impedim. dub.19. nu. 166. Tannerum tom.4. disp.8.qu.4.dub.8.n.136. Layman in Theol. mor.lib.5.tract.10.part.4. cap. 11. Et ratio desumitur ex natura huius contractus, de cuius intrinseca ratione est traditio potestatis ad vsum & copulam matrimonialem, cuius immutatio non pendet ex arbitratu contrahentium vbi deest potentia ad rem aliquam, illic potestas eius rei alteri tradi non potest, non magis quàm domus vendi non potest ab eo, qui domum non habet.

Deinde hanc sententiam Sixtus V. in Bulla edita 1587. apertè videtur definire, nam ibi declarat matrimonia cum spadonibus,vel eunuchus prorsus euiratis, seu vtroque testiculo carentibus cum quibuslibet mulieribus, seu defectum prædictum ignorantibus, seu scientibus,esse semperque fuisse irrita.

Sed his non obstantibus Basil. Pontius inter Theologos recentiores doctissimus lib.7.de matrim. à ca.55. vsque ad 59. affirmatiuam sententiam tenet & probat,neque iure naturali, neque iure Ecclesiastico supradicta matrimonia cum impotentia perpetua inita in ordine ad castè viuendum, & sine ordine ad copulam esse prohibita, & adducit pro hac sententia Paludanum,D. Antonin. Veracruz,Petrum Scotum,Medinam & Magistrum sententiarum, & illam etiam probat ex D. Thom. & respondet ad argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V.

Probatur hæc opinio, quia id, quod ad essentiam contractus matrimonij requiritur, tantum est quòd sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatē cum diuersitate sexus; sed totum hoc in matrimonio impotentium celebrato ad castè viuendum reperitur.ergo illud est verum legitimumque matrimonium. Tota difficultas est in maiori propositione, qua probare conabor. In primis ex generali ratione contractus in quo est traditio dominij, non repugnat matrimonium esse sine vllo prorsus ordine ad copulam ex illo generali principio, passimque recepto,vbi dominium distinguitur ab vsu,potest esse contractus circa materiam dominij sine ordine vllo ad vsum, & etiamsi aliàs deficiat vsus; tam enim vsus,quam dominium potest esse vnumquodque separatim integra materia contractus.

Ex quo fit corpus generationi aptum non esse necessariam materiam huius contractus. Sic enim aptum corpus necessaria materia proculdubio propter liberorum procreationem esset, quorsum enim isto fine secluso requireretur. Hic autem non est necessarius finis; eo ergo sublato & matrimonio propter alium finem celebrato, quid indigemus apto ad generandum corpore. Itaque concomitabitur tantum contractum aptitudo hæc si fortè fuerit in contrahente,non autem erit necessaria.

Deinde confirmatur, nam commune est omni Sacramento non consistere si desit materia ad illud necessaria, nec Baptismum sine aqua, Eucharistiam sine pane & vino, Pœnitentiam sine peccatis & dolore,Vnctionem sine oleo,&c. Nec ergo matrimonij sacramentum consistit sine necessaria materia, atque ideo sine corpore apto ad generationem, si illud est materia, quam necessariò postulat; sed omnium sententia certum est superueniente impotentia perpetua non dissolui matrimonium; ergo non est necessaria materia ad matrimonium corpus aptum generationi, & licèt aliqui disparitatē rationis in hoc conantur assignare, tamen Pontius omnes eorum responsiones elidit, & probat suam opinionem cum multis rationibus,& ex c.consultationis, & c.requisisti,de frigid & malef. & respōdet, vt dixi, ad omnia argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V. ex quibus apparet hanc affirmatiuam sententiam esse satis probabilem,licèt contraria negatiua,quam ego teneo,sit communior & probabilior, & illam præter DD. citatos tenet etiam Syluius in addit.ad 3. part.D. Thom.qu.58.art.1. quæritur 2.& Villalobos in sum.to.1.tract.4.diffic. 18. n.20.Rebellius p.2.lib. 3.q.16.sect.1.n.2. & Ludouicus de san Iuan in summ.tom.1. de sacram.matrim. q.6.art.15.dub.1. concl.1.

An in priuatis Oratorijs cum licentia summi Pontificis approbatis ab Ordinario licitum sit virtute Bullæ Cruciatæ non solum in diebus concessis, sed etiam in festiuitatibus prohibitis, celebrare, & ibi Missam audire.

RESOL. LXXVI.

SVppono licentiam celebrandi in aliquo Oratorio priuato, vt patet ex earum tenore, multas conditiones habere, & præsertim quòd à dicta licentia celebrandi & audiendi Missam in dictis Oratorijs excipiantur dies Paschę, Resurrectionis, Pētecostes, & alia festa solemnia; quæritur modò an Episcopus possit prohibere habenti Bullam ne celebrare faciat, vel Missam audiat in Oratorio alias approbato, etiam in supradictis festiuitatibus? Et negatiuè respondeo cum Ægidio Trullench in exposit. Bull.Cruciat. lib.1.§.3 du.4.n.11.quia vigore dictarum licentiarum solùm licèt cum limitationibus & conditionibus ibi contentis in Oratorijs celebrare; at supposita Oratorij approbatione per dictam licentiam Pontifex per Bullam Cruciatæ concedit, vt possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis,eo quod talis licentia, vt patet in Bulla Cruciatæ, cōceditur absolutè & sine temporis & personarum differentia. Sic etsi Parochus ex vi suæ approbationis solùm possit suas oues absoluere,aut supposita approbatione, si ab habēte Bullam eligatur, potest alienas non vigore suæ approbationis, sed quia supposita approbatione Papa ei per Bullam iurisdictionem cōfert; sic in hoc casu,etsi nunc in aliquo Oratorio modo quo suprà approbato solùm possit strictè & limitatè celebrari & audiri Missa virtute approbationis; at supposita ea approbatione per Bullam Cruciatæ Papa de nouo confert absolutè licentiam celebrandi & audiendi Missā, quod insinuare videtur ipse Pōtifex, qui non immemor supradicti decreti post illius promulgationem in Bulla confert supradictam facultatem, & cōcedit Commissario facultatem suspendendi ea, quæ sunt Bullæ contraria. Vide etiam præter Trullench Rodriquez in addit. ad Bull.Cruc.§.5.nu.1. vbi sic ait. [Nota que no solamente se concede aqui licentia para que se pueda dezir Missa en tiempo de enterdicho en oratorios priuados visitados por el ordinario mas aun en qualquier otro tiempo, y esto da a entender claramente la Bula plūbea, ibi *etiam tempore interdicti*, laqual diciō etiam da claramēte a entender que se concede esta licentia para todo el tiempo;y quorque en tiempo de enterdicho auia mas dificultad añade la Bula] etiam tempore Interdicti. Igitur, vt dictum est, licèt Oratorijs priuatis approbatis ab Ordinario non possit celebrari nisi cum limitationibus appositis à Ponti-

fice in eorum licentijs, tamen supposita dicta approbatione vigore dictæ licentiæ postea per Bullam Cruciatæ absolutè in illis quis celebrare potest, & Missam audire quod est valde notandum à Confessarijs.

An si quis audiuit à viro optima fama aliquam rem, possit deponere in iudicio se illam scire.

RESOL. LXXVII.

Affirmatiuè videtur respondendum ex mente sapientissimi Ludouici Mexia in legem Regiam Toleti 23. part. 2. fund. num. 32. & 33. vbi sic ait. Petrus ab Ancharano conf. 24. consuluit testes de falso non puniendos qui deposuerunt se id scire, quod a viro optimæ famæ & opinionis audiuerant, quod dictum, vt singulare & valde cordi tenendum, citat & sequitur Iason in l. 1. col. vlt. ff. de eo per quē fact. erit. & in l. de pupillo, §. si quis ipsi prætori, col. 8. vers. secundò in quantum, ff. de nou. oper. nuntiat. Cui accedit quod Dominicus scribit quòd quis certò dicitur pro certo scire quando est certificatus ab vno notabili viro & fide digno, ad quod etiam citat cap. sicut pro certo, de simonia, & sequitur Iason in d. l. 1. & in dicto §. si quis ipsi Prætori, & in l. properandum, §. sin autem alterutra, col. 4. in 6. concl. C. de iudicijs, & Franc. Curtius senior conf. 72. & idem voluit Romanus, loquens tamen pluraliter de fide dignis, conf. 403. col. pen. vet. secundò, quia ad hoc. Ita Mexia vbi suprà, qui alia multa adducit pro hac sua firmanda sententia, & Didacus Peres in addit. ad Villadiego de irregul. c. 3. §. Idem dicerem, fol. mihi 46. ex Dominico, notat etiam quod certificatus à notabili, seu fide digno viro, dicitur scire pro certo. Sed hæc opinio aliquibus non placet, quia si esset vera, omnes testes de auditu efficerentur testes de causa scientiæ; adde quòd in foro externo testis tenetur reddere rationem sui dicti, in foro tamen interiori extra iudicium probabiliter potest sustineri; vnde si aliquis iuraret rem aliquā ita esse, & hoc quia illam ita esse intellexit à fide digno, non esse periurum dicendum est. Et ita post hæc scripta inueni hanc sententiam docere Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. c. 4. nu. 13. vbi sic ait. Ad veritatem iuramenti satis est, iurantem audiuisse rem illam à persona ita fide digna, vt sit moraliter certus ita rem se habere; at in iudicialibus id nō satis erit ad rem tanquam certam iurandam, nisi adiungatur causa illius notitiæ. Ita ille.

An qui cessit bonis sedendo in loco publico, si venerit in pinguiorem fortunam teneatur ad restitutionem.

RESOL. LXXVIII.

Negatiuam sententiam docet Elisæus Danza in pugna Doctorum c. 3. de contumace, n. 12. vbi sic ait, Cessio bonis sit cum ignominia, & cedens sustinet infamiæ speciem, adeò vt etiamsi ad pinguiorem fortunam venerit, ad debita non teneatur. Ita ille, & ante illum Nouarius collect. 35 nu. 2. & seq.

Sed affirmatiuam sententiam docent Theologi, quia licèt debitor cesserit bonis per actum ignominiosum, hæc enim pœna non est loco solutionis, sed loco pœnæ pecuniariæ, vel alterius pro culpa præsumpta in accipiendis mutuis, & faciendis alijs contractibus cùm esset impotens solutionis, vt optimè aduertit Couarruuias lib. 2. var. c. 1. n. 6. & ita hanc affirmatiuam sententiam docet Filliucius tom. 2. tract. 32. c. 5. num. 153. & nouissimè Henricum Strouesdorff. in D. Thom. de iust. & iure, disput. 10. membr. 2. caus. 2. fol. 138. & Lessius lib. 2. c. 16. dub. 3. n. 4. qui tamen hanc sententiam veriorem vocat, vnde videtur negatiuam tamquam probabilem admittere.

Notandum est tamen hic obiter quod quādo quis cessit bonis, potest tuta conscientia sibi retinere necessaria & familiæ suæ, vt non indecorè viuat, contra Adrianum in 4. sent. quæst. 2. de restit. & Medin. C. de rest. qu. 3. quod verum puto contra Strouesdorff, etiamsi debita pro quibus cedit, sint ex iniustitia & delicto notorio acquisita. Ita Lessius vbi suprà num. 63.

An ferentes suffragium ad aliquod iniustum opus, teneantur singuli restituere in integrum.

RESOL. LXXIX.

Vt si, v. g. in comitijs, seu Parlamento aliqui ferrent votum pro iniusto donatiuo; & affirmatiuè respondendum est, quia quando singuli cooperati sunt ad totum damnum in indiuiduo, omnes tenentur restituere in integrum, vt communiter testantur Doctores.

Verùm non reticeam, de hac sententia valde dubitare virum doctum Henricum Strouesdorff, qui pulcherrima commentaria nouissimè edidit in quæstiones D. Thomæ de iust. & iure q. 62. art. 8. disp. 4. concl. 2. vbi sic ait. Vt verum fatear, mihi non videtur hæc sententia, quantumuis sit communis, vniuersaliter ita omnino certa, nam etiamsi pluribus concurrētibus ad idem damnum quod sine tali concursu in specie, qualem illi conferunt, sint causa totius damni, non sunt tamen causæ adæquatæ totius damni, sed causę partiales, seu inadequatę, quia concursus, quem singuli conferunt, non est sufficiens ad inferendum damnum, sed ex omnibus simul iunctis fit vnius cōcursus sufficiens, vt apertissimè patet in pluribus auferentibus vnum marmoreum lapidem, quem singuli auferre non poterant. Confirmatur, quia quando plures vnam nauem trahunt, quam vnus trahere non poterat, non sunt singuli totalis causa promotionis nauis, neque singulis debetur integra merces, quæ dāda est pro tractione nauis, sed debent illā inter se diuidere. ergo pari modo si cùm prosunt, non debeatur singulis integrum præmium, neque cum obsunt, debebunt singuli integrum damnum, & ideo secundùm hanc sententiam existimo plures ferentes suffragium ad aliquod iniustum opus non teneri singulos forte restituere in integrum. Idem dico de pluribus eamdem iniustitiam suadentibus, quando singulorum consilium sine consilio aliorum non fuisset efficax. Ita Strouesdorff vbi suprà, qui etiam notat hanc sententiam docuisse publicè in Academia Louaniensi anno 1615. Doctorem Alardum VVielinm, Professorem in dicta Vniuersitate. Sed vt dixi, communis sententia Doctorum est in contrarium.

An qui habet licentiam vt possit audire Missam in Oratorio domus suæ, si est infirmus, aut carceratus, teneatur illam in diebus festis audire.

RESOL. LXXX.

Affirmatiuè videtur respondendum ex Azorio to. 1. lib. 7. c. 2. ver. Tertiò quæritur, Soto in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 1. & dist 22. q. 3. art. 1. Medina in summa 1. p. c. 11. §. 12. & 14. §. 30. & alij, quos citaui in 1. p. trac. 11. resol. 2. qui asserunt tempore interdicti habentem Bullam Cruciatæ teneri Missam audire, & probatur hæc sententia affirmatiua, quia cùm talis possit audire Missam ex licentia quam habet; ergo tenetur.

Verum negatiuam opinionem tenendam esse puto, quam tuetur Suarez in 3. p. quæst. 83. art. 6. disp. 88. sect. 6. Ledesma in summa part. 1. cap. 27. de Euchar. conclus. 16. & nouissimè Ægidius de Trullench in expositione Bullæ Cruciatę lib. 1. §. 3. dub. 6. n. 9. quia talis non tenetur quærere Sacerdotem, & dare stipendium vt sibi Missam celebret, sed solùm tenetur ex præcepto audire Missam, & ideo nemo cogitur sumere Bullam vt tempore interdicti possit Missam audire. Imò ego puto cum Ledesma, Trullench & alijs, sic impeditum non teneri audire Missam in dicto Oratorio, quamuis gratis inueniat celebrantem, quia dicere Missam in priuatis domibus & Oratorijs approbatis, de se est odiosum, & priuilegium derogatorium iuris communis, & est dispar ratio inter hunc casum & casum tempore interdicti. nam in casu interdicti sublato impedimento nulla fit dispensatio in iure communi, nam Missa & dicitur & celebratur vt debet & solet: at in hoc casu sublato impedimento non celebratur Missa vt regulariter & ordinariè celebratur, quia extra Ecclesiam dicitur. Adde quòd multi Doctores, vt Auila, Coninch & alij, quos adduxi loco citato, probabiliter asserunt, neque tempore interdicti habentem Bullam Cruciatæ teneri sacrificium Missæ audire.

An

An in die Paschatis virtute Bullæ Cruciatæ possit quis in Oratorio priuato alicuius domus sumere ex deuotione Eucharistiam, vel sine Bulla in Ecclesijs Regularium.

RESOL. LXXXI.

CONtra Suarez satis firmaui probabiliter in mea 1. par. trac. 11. resolut. 20. posse aliquem vigore Bullæ Cruciatæ sine licentia Parochi accipere Eucharistiam de manu simplicis Sacerdotis: nunc quæritur, an hoc efficere possit in Oratorio modo quo suprà, in ipso die Paschatis? Et negatiua sententia magis placet Ægidio de Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 3. dub. 7. n. 9. quia putat in illis verbis, *excepto die Paschatis*, non solùm intelligi communionem tempore paschali, sed quæ fit ipso die Paschatis.

Verùm ego cum Suarez in 3. part. quæst. 82. art. 3. disput. 72. sect. 3. ver. censeo igitur Fagundez præc. 3. lib. 1 cap. 5. numer. 8. & 9. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. 4. Coninch in 3. part. qu. 82. art. 3. num. 31. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. quæst. 42. art. 2. Ludou. de San Iuan in summ. q. 8. art. 5. dub. 1. de sacram. Euchar. Filliucio, & Peirino vbi infra, puto in dictis verbis summum Pontificem excipere communionem paschalem, nō materialiter, id est, quæ in die Paschatis fit, sed formaliter, seu prout est præceptum in lege quæ præcipit semel in Paschate communicare, & ideo qui impleuit præceptum ante Pascha, vel impleturus est immediatè post intra illos octo dies, potest ipso die Paschæ in Oratorio domus suæ sumere virtute Bullæ Cruciatæ Eucharistiam ex deuotione à simplici Sacerdote, quod etiam de omnibus alijs dicendum est sine Bulla si sumant Eucharistiam modo quo suprà in Ecclesijs Regularium, vt testatur Suarez, Fagundez, Layman, Coninch, Miranda, & Ludouicus de San Iuan locis citatis, quibus etiam adde Filliucium tom. 1. tract. 4. cap. 9. nu. 265. Peirinum in priuileg. Minim. tom. 5. const. 1. Iulij II. §. 32. nu. 86. Præpositum in 3. part. quæst. 80. art. 11. dub. 2. n. 60. omnino videndum, & Villalobos in summ. tom. 1. tract. 7. diffic. 47. n. 4. vbi sic ait. [En sus proprias yglesias pueden los Religiosos el dia de Pasqua dar la Euchatistia a los Seglares si complieron con la Perroquia.] Ita ille, quicquid in contrarium ex Azorio & Nauarro afferat Trullench vbi suprà, quibus adde Syluium in 3. par. D. Thom. quæst. 80. art. 11. quæritur 1. conclus. 2. Et ratio supradictorum est, quia Pontifices reseruauerunt in Bulla Cruciatæ, & in priuilegijs concessis mendicantibus illum diem Paschatis, intendentes vt saltem semel in anno omnes Parochiani suo Parocho se præsentarent pro communione sumenda: qui autem se præsentauit, v. g. die Iouis sancti, nam præceptum impleuit, & qui intendit se præsentare in die aliqua infra octauam, intendit tempore congruo præceptum adimplere, & ideo menti Pontificum satisfecisse videtur, vnde non apparet quare in ipso die Paschę quis ex deuotione virtute Bullæ non possit Eucharistiam sumere in Oratorio domus suæ, vel sine Bulla in Ecclesijs Regularium, dummodo satisfecerit, vel animum satisfaciendi habuerit præcepto sumendo Eucharistiam è manibus proprij Parochi in propria Parochia.

Non prætermittam tamen hic adnotare non solùm Suarez, sed etiam Tannerum in 3. part. disput. 5. quæst. 8. dub. 8. nu. 185. Auilam de censur. part. 5. disput. 4. sect. 1. dub. 8. in fine, Henriquez lib. 7. cap. 13. nu. 4. Trullench vbi suprà in Bulla Cruc. libr. 1. §. 3. dub. 8. nu. 4. & alios docere virtute Cruciatæ non posse aliquem sumere Eucharistiam ab alio Sacerdote sine licentia proprij Parochi; sed ego, vt dixi, opinionem Vasquez puto probabilissimam, & tutam in praxi, quam nouissimè sequitur Petrus Ochagauia de Sacram. tract. 3. de ministro Eucharist. q. 4. num. 16.

An debitores si non habeant spem, quòd manendo in sæculo fiant potentes ad soluendum, possint Religionem ingredi, non obstante Bulla Sixti V.

RESOL. LXXXII.

AFfirmatiuam sententiam de iure communi ego tenui in part. 3. tract. 3. resol.... Sed difficultas est de iure nouo Sixti V. & negatiuè videtur respondendum, per ea quæ obseruat Malderus de iust. tract. 4. c. 7. dub. 4. in fine, & Syluius in 2. 2. qu. 42. art. 8. quæs. 1. concl. 7. causa 10.

Verum ego puto etiam in terminis Breuis Sixti V. debitores, si bona quæ habent creditoribus relinquāt, & nulla sit spes, vt in sæculo manendo fiant potentes ad soluendū, posse ingredi Religionem & ita docet Faustus in thesaur. Religios. lib. 5 q. 134. n. 5. Sanchez in summ. to. 1. lib. 4. c. 19. n. 26. Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum disp. 2. dub 13. n. 15. Portel in dub. Regular. ver. Nouitius, n. 19. Vide etiam Dauid à Mauden in Decal. præcept. 7. discut. 18. n. 17. Hieron. Rodriq. in compen. qq. regul. resol. 101. n. 10. Mirandam in manuali Prælat. to. 1. q. 17. art. 7. & alios penes ipsos.

Imò aliqui plus addunt Bullam Sixti V. non extendi ad eos, qui absque sua culpa peruenerunt ad impotentiam soluendi creditoribus, quod probant ex ipsis verbis Bullæ ibi, *multi decoctores post dilapidatam rem familiarē*, &c. & ita tenet Vecchius vbi supra, cui ego addo Bonacin. de restitut. disp. 1. q. vlt. punct. 2. §. 1. n. 8. licèt ibi erret in nomine Pontificis, nam pro Sixto V. citat Pium V. & alios penes ipsum.

Notandum est etiam hic obiter in dicta constitutione Sixti V. non comprehendi debitores ex sola promissione liberali, vel qui incertis debitis sunt grauati. Ita Vecchius & Sanchez loco cit. qui Sanchez addit etiam sub hac Bulla neque comprehendi damnatum ad pecuniariam pęnam ratione alicuius delicti, nec obligatum ad satisfactionem pecuniariam causa alicuius damni, vel iniuriæ illatæ: vt qui, v. g. virginem deflorauit, licet in hoc dissentiat Miranda vbi supra.

Non desinam etiam hic adnotare quòd licèt Doctores asserant, quòd quando quis breui tempore manendo in sæculo habeat spem soluendi debita creditoribus, nō potest ingredi Religionem, nam in tali casu moraliter non est impotens ad soluēdum, licet, inquam, hoc sit verum, tamen difficultas est quod tempus dicatur breue in hoc casu; ponam opiniones Doctorum, omnes quidem probabiles. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 3. num. 32. & Azorius part. 1. lib. 12. cap. 1. qu. 5. docent tunc dici breue tempus, quando debitor paucis annis satisfacturus creditur. Maior in 4 sentent. dist. 38. quæst. 10. concl. 3. tempus duorum, vel trium annorum ponit. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 19. nu. 8. duorum annorum. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. nu. 2. vnius anni.

An Religiosus qui tenetur ieiunare, v. g. Feria VI. in qua occurrit vigilia alterius Sancti, si non ieiunet, peccet dupliciter.

RESOL. LXXXIII.

AFfirmatiuam sententiam communiter docent, Vasquez in 1. 2 disp. 98 cap. 2. nu 7. Merolla in disp. Theolog. tomo 1. disp. 2. cap. 7. corollar. 6. num. 126 & alij, quia in tali casu frangitur duplicis virtutis præceptum, alterum temperātiæ ex præcepto Ecclesiæ, alterum verò religionis, nam ex voto tenetur regulam obseruare.

His tamen non obstantibus non reticeam, contrariam sententiam docere Petrum Cornejo in 1. 2. D. Th. trac. 7. quęst. 71: disp. 5. dub. 8. nu. 10. nisi transgrediatur votum ex speciali inobedientia qua velit non subijci regulæ, aut Superiori. Vnde Caietanus qu. 186. art. 4. §. dicitur ad hoc docet quòd si Religiosus transgrediatur præcepta Dei, vel Ecclesiæ, quæ præcipiuntur sub peccato mortali in sua regula, non propterea licet inferre peccasse duplici peccato, aut vno habēte circumstantiam alterius peccati. Adde quòd regula potest præcipere talia ieiunia, imò pręcipit propter idē motiuum, propter quod præcipit Ecclesia; ergo cùm ibi non sit duplex motiuum, nō erit nisi vnum peccatū, & idem est in alijs, nam Religio cùm præcipit ieiuniū suis Religiosis, nihil aliud intendit, quam virtutem temperantiæ, quod idem vult Ecclesia, ac proinde cum Religiosus nō ieiunat contra præceptum suæ regulæ, non committit nisi vnum peccatum, ac si tale ieiunium semel tantùm esset præceptum. quod confirmatur, quia regula in suis pręceptis nisi exigat specialiter obediētiam, solùm intendit virtutes in particulari iuxta materiam pręceptam ad ipsam obedientiam solùm generaliter: ergo qui peccat, nō cōmittit duplex peccatū, nam illa obediētia est circūstantia generalis quę reperitur ibi, sicut in omnibus alijs peccatis. Secus autē dicendū est si Pręlatus in virtute

sanctæ Obedientiæ præcipiat Religioso, v. g. ieiunium, nam illud non præcipit solùm sub ratione temperantiæ, sed etiam sub ratione voti obedientiæ, & ideo transgressio illius esset duplex peccatum, contra temperantiam, & contra obedientiam, quæ in particulari exigitur. Igitur in illo casu Religiosus committit duplex peccatum specie distinctum si à regula, vel Prælato exigatur obedientia specialiter; secus autem si non exigatur, quia sæpe regula in suis præceptis habet motiuum, quod Ecclesia in suis, hinc est quod Religiosi Franciscani, si non ieiunant in sexta feria, etiamsi sit vigilia, tantùm vnum peccatum committūt, & idem dicendum est de alijs casibus; & hæc omnia dicta sunt secundùm mentem Petri Comejo, vt ipsemet docet vbi suprà, ego enim non recedo à prima opinione.

An pro expediendis dispensationibus recipere quis aliquid possit.

RESOL. LXXXIV.

Negatiuè respondendum est, & ita in sacræ Pœnitentiariæ literis hæc verba semper apponuntur. Gratis vbique; verùm hoc procedere putat Sanchez & Filliucius, quos citat & sequitur Homobon. de Bonis in exam. Eccles. part. 3. tract. 13. c. 11. q. 32. suppos. 4. quando munera exibentur ante expeditionē, secus si peracta dispensatione aliquid gratitudinis gratia reciperetur, quia in tali videtur cessare ratio prohibitionis. Imò nō desinam hic adnotare Gutterez de matr. c. 128. n. 2. Homobonum vbi suprà, & alios docere quod in supradictis verbis interdici censentur ea tantum dona, quibus recipientis animus corrumpi potest, & à tramite iustitiæ auelli; sed alij contrarium docent.

An sint à matrimonio arcendi, qui fidei rudimenta nesciunt.

RESOL. LXXXV.

Affirmatiuè, videtur respondendum per ea, quæ adducit Basilius Pontius de matrim. libr. 5. cap. 36. nu. 8. Vnde in prima Synodo Panormitana Eminentiss. Domini mei Cardin. ab Auria part. 2. cap. 7. num. 21. sic habetur. Parochus moneat sponsos matrimonio minimè iungendos esse, quin fidei Christianæ rudimenta prius nouerint, quod antea decreuerat Card. dm. Paleotus in Archiepisc. Bonon. part. 3. de sacram. matr. fol. 157. col. 1. vbi ita ait. Quæret Parochus an matrimonium facturi doctrinam Christianam sciant, aut saltem *Pater noster*, *Aue Maria*, *Credo*, *& Decalogum*; quòd si vterque ea nesciat, aut eorum alter moneat illos ne non ante ad tertiam denunciationem venturum quàm illa ab ipsis rectè memoria teneri & intelligi perspexerit. Sic ibi.

Verum his non obstantibus negatiuam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam docet vterque Sanchez, Thomas, & Ioan. hic in selectis disp. 28. num. 9. ille verò de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 15. n. 19. & nouissimè Homobon de Bonis in exam. Eccles. part. 3. tract. 13. cap. 11. quæst. 33. resol. 2. vbi ita ait. Licèt nonnulli asseruerint aliquem à matrimonio contrahendo arceri posse si Christianam doctrinam ignoret, donec saltem Orationem Dominicam & Angelicam salutationem, Symbolum fidei & Decalogi præcepta memoria retineat, nisi pię senio, aut ingenij tarditate incapax esset. Alijs tamen verius videtur absolute & per longum tempus prohiberi nō posse, cum matrimonij prohibitio regulariter non nisi in casibus à iure expressis inducenda sit, & inter carmina in quibus coniugiorum impedimenta dilucidantur, vt sunt error, conditio, &cæt. hoc impedimentum non extat. Expedit tamen suauiter absque vi bono modo & prudenti ratione ad breue tempus impedire vt sic doctrinæ addiscendæ curam habeant. Ita ille. & hoc modo intelligendæ sunt Synodi supradictæ, sin aliter, prohibitionem illorum non approbo; nam, vt notat Thom. Sanchez vbi suprà, statuere impedimenta matrimonij non ad Episcopum, sed ad Pontificem spectat; & hæc opinio apud me certa est, & contrariam non puto probabilem, quod valdè notandum est à Parochis & eorum Capellanis, nam hic casus frequenter potest accidere.

An Capellanus obligatus singulis diebus Missam pro aliquo celebrare, possit in quolibet anno aliquando pro se vel pro alijs sacrificium applicare.

RESOL. LXXXVI.

Affirmatiuè respondet Naldus in summa, verb. Missa, num. 7. & Homobon. de Bonis in exam. Eccles. part. 3. tract. 14. c. 1. q. 3. resol. 2. vbi sic ait. Probabiliter puto ex aliqua ingruenti necessitate Capellano licere aliquando per annum, puta quater, vel sexies pro seipso, vel sibi coniuncto ad aliquam à Deo gratiam obtinendam celebrare, id enim pius Capellaniæ institutor non negasset si de tali casu cogitasset, vel de hoc interrogatus fuisset. Ita ille.

Notandum est etiam hic obiter primò, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenetur tres Missas in Natiuitate Domini pro ea celebrare, sed tantum vnā, & alias duas potest sibi applicare, quia institutio Missæ nihil aliud imponit, quam quod Sacerdos quotidie, vel in omnibus festis celebret. Sed qui in die Natiuitatis Domini vnā Missam applicat institutori, celebrat in illo die. Ergo vna Missa institutori satisfacit. Deinde nullus Sacerdos, nec etiam Parochus tenetur de præcepto tres Missas dicere in dia Natalis, cùm ad id nullo iure obligetur, sed tantum de consilio; ergo neque tres Missas applicare tenebitur; & ita hanc sententiam docet Fraxinellus in editione nouissima de Sacerdotum obligationib. ad Missam, sect. 4. concl. 4. §. 21.

Nota etiam secundo, Sacerdotem Missæ quotidianæ addictum posse in die omnium defunctorum non pro institutore capellaniæ, sed pro aliquo particulari defuncto Missam applicare. Ita Alphonsus de Leone de Iubilæo part. 3. nu. 21. ad finem. Sed talem Sacerdotem in dicta die Commemorationis omnium defunctorum non pro aliquo defuncto particulari, sed pro omnibus defunctis in Purgatorio existentibus vniuersaliter celebrare posse, imò debere, docet ex multis rationibus Fraxinellus loco cit. §. 22. per totum, vbi conatur probare intentionem Ecclesiæ esse vt Sacerdotes in illa die non pro particularibus defunctis, sed generaliter pro omnibus defunctis offerant sacrificium.

An Sacerdos qui simplici beneficio cum onere Missarum gaudet, possit pro hoc munere idoneum substitutum deputare.

RESOL. LXXXVII.

Respondet negatiuè Riccius in praxi tom. 1. resol. 340. num. 6. arguendo à Rectore Parochiano infirmo qui non potest deputare Vicarium, sed munus deputandi pertinet ad Episcopum, vt dictum fuit per Rotam 6. Octobris 1583. coram Seraphino.

Sed in nostro casu ego contrariam sententiam teneo: puto igitur idoneum substitutū ab ipso Capellano deputari posse, & non ab Episcopo, & ad argumētum Riccij respondeo quòd non est eadem ratio de substitutione Capellani & Vicarij Parochi; Capellanus enim Missam tantùm celebrare tenetur, Vicarius autem Parochi præter onus celebrandi, onus habet curæ animarum. ergo à solo Episcopo rectè debet Parocho infirmo substitui, & ita hanc sententiam docet Fraxinell. de oblig. Sacerd. ad Missam, sect. 4. concl. 4. §. 14. nu. 5.

Nota tamen quòd si in institutione Capellaniæ expressè disponatur vt Capellanus per se ipsum celebret, tunc per alium substitutum satisfacere non potest, vt declarauit sacra Cardin. Congregatio, & testatur Campanili in diuer. iur. Can. rubr. 7. c. 6. num. 13.

An Coadiutor Canonici præbenda diaconalis sedere debeat ante Canonicos subdiaconalis.

RESOL. LXXXVIII.

Svppono contra Nauarrum consil. 3. nu. 5. de Cleric. ægrot. quòd dictus Coadiutor cum futura successione non potest sedere & incedere in loco antiquo coadiuti, vt decisum fuisse testatur Gonzales in reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. num. 102. Garzias de benef. to. 1. part. 4. c. 5. nu. 66. & seq. Moneta de opi. can. cap. 4.

c.4. q.8.n.141. Sebastianus Cæsar in releċt. de Eccles. Hierarch. p.3.disp.14.§.9.n.6. Barbosa tract. de Canon. c.29.n.22. Gratian. in discept. forens. to.1.c.106.n.39. & alij.

Sed difficultas est, an debeat sedere in vltimo loco Canonicorum præbendæ diaconalis ante Canonicos subdiaconalis: & negatiuè videtur respondendum, quia Doctores citati asserunt quod Coadiutor Canonici post omnes Canonicos sedere debet ante portionarios. Verùm ego affirmatiuam sententiam teneo cum Bartholomæo Gauanto in enchir. Episc. verb. coadiutor Episcopi, numer.24.& Francisco Leone in thesaur. fori Eccles. part.2.cap.4.numer.57.& 58. asserentibus quod Coadiutor Canonici præbendæ presbyteralis sedet ante Canonicos diaconalis, ergo Coadiutor Canonici præbendæ diaconalis sedet ante Canonicos subdiaconalis, cùm in vtroque casu, vt patet, militet eadem ratio, quam affert Leo vbi supra, quia Coadiutores inseruiunt in eodem ordine in quo seruiebant coadiuti; ergo æquitas suadet quod in eodem ordine post omnes Canonicos eiusdem ordinis sedere debeant. Nec aduersus hanc sententiam faciunt DD. cit. dicentes Coadiutores Canonicos sedere post omnes Canonicos, non enim loquuntur in casu nostro quando Canonici distinguuntur in diuersis ordinibus, sed in casu, quo Canonici sine disparitate sunt omnes in vno & eodem ordine, vt patet ex Gauanto vbi suprà n.23. & 24.

An Episcopus possit committere Confessario Monasterij vt Monialem absoluat ab hæresi externa.

RESOL. LXXXIX.

De hoc casu olim interrogatus fui, & pro affirmatiua sententia adduxi Homobonum in exam. Eccles. part.3. tract. 15.c.7.qu.20.resol.2. vbi sic asserit. Dico Episcopum Confessario illius Monasterij facultatem dare potuisse vt Monialem in peccato hæresis externo actu proditæ absolueret, nam etsi teneamus facultatem Episcopis concessam a Concil. Triden. sess. 24. de reform. cap.6. quoad absolutionem ab hæresi esse reuocatam per Bullam Cœnæ, licèt multi contrariam sententiam sint amplexi, adhuc tamen fatemur impeditos, quominus Sedem Apostolicam adire possint, per proprium Episcopum à casibus & censuris in dicta Bulla reseruatis absolui posse, ex cap mulieres, & c. ea noscitur, de sent. excomm. Ita Homobonus, qui pro hac sententia citat nostrum Patrem Duardum.

An intrantes cum licentia in monasteria Monialium, si finito negotio ibi notabiliter commorentur, incidant in censuras.

RESOL. XC.

In partem affirmatiuam videtur inclinare Naldus in summ. ver. Monialis, n.13. vbi ait. Monialium clausuram cum debita Superioris licentia ad inseruiendum Monialibus in opere necessario ingressus, si ibidem opere iam expleto ad quod fuerat admissus, notabiliter commoretur, fortè non videtur immunis ab excommunicatione violatæ clausuræ. Ita ille.

Sed non reticeam aduersùs illum negatiuam sententiam docere Aloysium Bariolam in Aphorism. litt. M. verb. Moniales, §.8. vbi ita asserit. Monialium monasteria intrantes cum licentia finito negotio, cuius causa sunt ingressi, si curiositate ducti aliò diuertant, nec peccant, nec censuras contrahunt, licèt oppositum sentire videatur Naldus. Ita Bariola loco cit.

An Regulares possint reconciliare eorum Ecclesias pollutas, & quid de alijs Sacerdotibus.

RESOL. XCI.

Hic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè respondendum est per ea, quæ adducit Homobonus de bonis in exam. Eccles. part.3. tract.15. cap.8. quæst.27. resol.2. Adde quod Ecclesia si sit benedicta, potest reconciliari per quemcumque simplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi, contra Toletum, vt habetur in c. si Ecclesia, de consecr. Eccles. iuncta glossa; nec requiritur ad hoc Episcopi licentia, vt patet ex ipso textu ibi, *protinus lauetur*, quod non diceretur si oporteret expectare licentiam Episcopi, & ita docet Auila de censuris p.5. disput.7. dub.4. qui citat D. Antonin. & Henriquez, quibus ego addo Tamburinum de iure Abbatum, tom.1. disp.23. quæst.10. num.11. Præpos. in 3. p. quæst.83. artic.3. dub.2. nu.163. Barbosam de potest. Episcop. part.2. alleg.28. num.57. & post hæc scripta omnia supradicta inuenio docere Lautentium Portel in dubijs Regul. p.t. ver. Ecclesiæ Fratrum, nu.1. vbi tenet Superiorem Regularium posse reconciliare suam Ecclesiã aqua tantùm à se benedicta, quod etiam concedit de Sacerdote sæculari, secus autem dicendũ, si Ecclesia fuerit consecrata, tunc enim vt alibi dictum est, neque Regularẽ, neque alium Sacerdotem etiam de licentia Episcopi posse illam reconciliare testatur iura & Doctores. Vnde nescio qua ratione Episcopi possint interdicere Ecclesias Regularium non consecratas, si pollutę fuerint ab eorum Superioribus recõciliari. Nec valet dicere cum aliquibus quod Superiores Regulares tunc possunt reconciliare Ecclesias pollutas cum aqua ab Episcopo nõ benedicta, quãdo Episcopus di tar per duas dietas, secus autem minimè. Nam respondeo quod si simplex Sacerdos, vt suprà visum est, potest reconciliare Ecclesias pollutas cum aqua non ab Episcopo, sed à se ipso benedicta, quare hoc denegandum ast Sacerdoti Regulari? Equidem non video disparitatem rationis.

Notandum etiam quod post hæc scripta inueni Antonium Nouarium in summ. Bullarum tit. de pollutione Ecclesiarum, n.7. docere Superiores Regulares ex priuilegio posse reconciliare Ecclesias consecratas, & citat Graffium cons.2. de confes. Eccles. n.18. Sed hoc, vt dixi, multi negant.

An Confessarius possit absoluere sua conditione moribundum, qui neque petijt confessionem, nec vllum signum edidit.

RESOL. XCII.

Negatiuam sententiam ego docui in 3.p. tract. 3. resolut.8. cum multis Doctoribus, quibus adde Petrum Ochagauiam de Sacram. tractat.2. de confess. sacram. quæst.17. num.14. & Gulielmum Mercerum in addit. ad 3. part. D. Thomę quęst. 9. art.2. in dubio, n.9. qui respondet ad quamdam authoritatem D. Augustini.

Verùm ibi pro affirmatiua sententia adduxi Homobonum, Molfesium, Litteratum & Gregor. XV. quando erat Archiep. Bononiensis, quibus nunc addo Bartholo. à S. Fausto in Theol. moral. tom.1. lib.4. qu.204. quia, ait ille, si potest dari absolutio sub conditione quando dubitatur, an pœnitens habeat vsum rationis, vel an sit peccata, nulla est ratio conuincens, cur id fieri non possit, similiter sub conditione, quando talis his nullũ signum dedit contritionis, & aliàs deuotus erat, & frequentabat confessionem & communionem, nam potest esse, pro vt in dubio præsumitur, vt quis sit memor salutis æternæ, & quod intra ius habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè dispositus sit recipere sacramentalem absolutionem, & de attrito fiat contritus, præsertim quia nulla fit iniuria huic Sacramento, quando sub conditione impertitur absolutio, vnde si non reperietur dispositus, absolutio habetur pro non data, & sic prodesse, non autem nocere potest, nec fit irreuerentia Sacramento, & in confirmationem huius refertur quod dum casu cadebat Romæ quidam ex fabrica D. Petri, & reperiebatur ibi Clemens VIII. Pont. Max. vir sapientis. & vidisset illum cadentem, quòd dederit ei absolutionem his verbis; Si tu es capax absolutionis, ego te absoluo. Ita Faustus loc. cit. Et tandem nouissimè, posse in tali casu absolutionem per modum suffragij adhiberi, docet doctus Iacobus Bayus Professor Sacr. Theo. in Academ. Louaniensi in instit. Relig. Christ. libr.2 capit.91. & quia codex rarus est, ponam eius verba. Cæterùm ait, an repentè loquelam & sensum ac omnem intelligentiam deperdens sine vlla prçuia confessione, nulloque signo peculiari in ordine ad claues, ne vel in communi dato absolui possit, maiorem habet difficultatem; cùm enim absolutionis sententia per modum iudicij & causæ cognitione proferenda sit, nullaque hic peccatorum confessio, vel iudicij materia reperiatur, absolutionis sententia impendi nequit; attamen per modum suffragij absolutionem adhiberi, nihil vetat inclusa conditione tacita, vel expressa, in quantum possum, & quatenus capaxes. Ita Bayus; sed ego, vt dixi, negatiuam sententiam tenendam esse puto,

puto, nec aliter in praxi faciendam esse existimo.

Notandum est etiam hic, Philibertum Marchinum in tract. de bello diuino, seu de peste, part.3.cap 13.numer.15. docere, quòd licitum est Confessario absoluere à peccatis morti proximum sensibus destitutum, etiamsi nulli sint præsentes, qui testentur ipsum petijsse confessionem, aut signa contritionis dedisse, dummodo alius absens, qui illum vocauit, fidem de petita ab eodem confessione prius illi fecerit. Ita ille. vbi etiam num. 19. docet, absoluendum esse sub conditione Sacerdotem qui inchoata Missa post introitū etsi corpore priùs sanus, voce amissa cadens ad interitum rueret; quia præbens signa pœnitentiæ & Missam inchoans dispositus iudicandus est ad sacramentalem absolutionem recipiendam, eo vel maximè quòd in articulo mortis quilibet quocumque pietatis signo virtualiter confessionem in votis habere censeatur, cùm vnusquisque in mortis discrimine optimo, quo potest, remedio animæ suæ prouidere præsumatur. Sed hæc omnia non admittunt DD. quos ego ipse citaui vbi supra, resol. 7.

An Summ. Pontifex possit dispensare vt socer sumat in vxorem nurum suam.

RESOL. XCIII.

NEgatiua sententia suaderi potest, quia affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium iure naturali, quòd probatur primò ex rationibus: nam filius, v.gr. eamdem reuerentiam debet vitrico, quam parentibus, hoc ipso quòd vna caro cum parentibus facti sunt; eademque est ratio nurus & soceri, generi, & socrus, quia & illi respectu horum quasi filij censentur, vnde Pomponius in l.17.ff. solut matrim. obseruat, quòd parentis locum socer obtinet, & D. August. lib.22. contra Faustum cap.61. relatus in c. si vir 33. quæst. 3. asserunt. Si vir & vxor non duo, sed vna caro sunt, non aliter est nurus reputanda quā filiæ; vnde rectè vitricus priuignæ marito apud Ouid. libr. de Ponto asserebat,

Nam tibi quæ coniux, eadem mihi filia penè est.

Secundò probatur ex authoritate Scripturæ, nam D. Paul. 1. Corinth. 5. ait, *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Vnde D. Thom. ibi lect. 1. ait. Vxor patris repellitur à matrimonio sicut persona patris, vel matris, hinc Spartianus *in Seuero*, qui nouercam matrem, quinimò in vxorem dixit, & *in Caracalla*, matrem enim (non alio dicenda erat nomine,) duxit vxorem, ad parricidium iunxit incestum.

Tertiò probatur ex Concilijs, nam in Concil. Aroerens. sub Vigilio Papa cap. 11. cum prohibitum esset matrimonium cum priuigna, subditur, eum qui secus ausu sacrilego authoritatem diuinæ legis & iura naturæ prorumpere, &c. in quibus verbis apparet affinitatem in primo gradu lineæ rectæ dirimere matrimonium iure naturali, quod cōfirmatur in l. auunculo, §. nouerca, ff. de condiction. sine causa, vbi sic habetur. Nouerca priuigno, nurus socro pecuniam dotis nomine dedit, neq; nupsit. cessare conditio prima facie videtur, quoniam iure gentium incestum committitur, &c. vbi Anton. Faber iurisconsultus eminentis literaturæ, dicit in hæc verba, ius naturale vocari ius gētium, & ideo matrimonium inter socrum & nurum asserit esse prohibitum de iure naturali.

Quartò probatur ex auctoritate Doctorum, asserentium iure naturæ nullum esse matrimonium inter nouercam & priuignum, inter vitricum & priuignam, & inter omnes affines in primo gradu lineæ rectæ, quales sunt etiam gener & socrus, socer & nurus, & ita docent DD. quos citat Sanchez vbi infrà n. 6. quibus ego addo Syluium in addit. ad 3. p. D. Tho. q. 55. art. 6. concl 3. Tanner. in theol. scholastica tom. 4. disp. 8. q 4. dub. 7. n. 122. Layman in Theol. moral. libr. 5. tract 10. part. 4. cap. 6. nu. 5. Coninch de Sacram. disp. 32. dub. 4. conclus. 3. nu. 53. Zanardum in director. Theol. p. 1. de sacram. matrim. c. 25. §. 6. Bizozerum de sacram. p. 8. c. 3. §. de impedimento affinitatis, n. 6 Zecchium de sacram. matrim. cap. 18. prop. 2. in fine. Guliel. Estium in 4. sent. dist. 41. §. 3 & Chamerotam de Sacram. tract. 12. ca. 5. dub. 11. quorum sententia confirmatur ab experientia, eo quòd non extat memoria vt Pontifex in aliquo matrimonio in casibus supradictis dispensauerit.

His tamen minimè suffragātibus existimo Sum. Pontificem posse dispensare in supradictis casibus, quia affinitas in primo gradu lineæ rectæ non dirimit matrimonium iure naturali, & hanc sententiam videtur docere D. Thom. in 2.2. quæst. 154. ar. 9. ad 3. & illam etiam tenent 14. Doctores, quos citat & sequitur Sanchez de matrim. tom. 2 lib. 7. disp. 66. num. 7. quibus ego addo Præpositum in addit. ad 3. p. D. Thom. quæst. 7. de impediment. matrim. disp. 11. num. 69. Hurtadum tract. de matrim. disp. 20. diffic. 4. num. 13. Ludouicum Meratium in D. Tho. to. 4. tract de matrim. disp. 9. sect. 13. nu. 4. & seq Pontium de matrim. lib. 7. cap. 34. num. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de sacram. matrim. art. 5. dub. 9. conclus. 1. Archangelum Rubeum de Sacram. dispu. 40. & 41. latissimè Gutierez de matrim. cap. 99 num. 9. Bonacinam de matrim. quæst. 3. punct. 12. numer. 7. & duos doctissimos viros, quorum codices, quia rari sunt, ponam verba per extensum, Villalobos in summa tomo 1. tract. 14. diffic. 17. nu. 11. sic ait. [Ningun grado de affinidad dirrita el matrimonio de derecho natural, el fondamento es porque se dirimiera el matrimonio de derecho natural fuera lo mesmo en todas las ocasiones lo qual no es, porque Adonias pidio à Abisac Sunamitide, para su muger como consta 3 Reg. 2. y ella hauia sido muger de Dauid su Padre como dize la misma escritura 2. Reg. vlt. y Valerio Maximo lib. 5. cap. .... Plutarco in vita Demetrij refieren, que Seleuco dio a su hijo Antioco por muger à Estrathonica su propria muger y pudieranse traer para esto otros muchos exemplos, de loqual se infiere que si el infiel contraxa matrimonio en primero grado de affinidad (no estando prohibido entre ellos) conuertendose à la fe no se han de apartar.] Sed audiamus Ludouicum de San Iuan in summa quæst. 6. de sacrament. matrim. artic. 7. diffic. 5. dub. 1. conclus. 1. sic asserentem. [Mas prouable es, que la affinidad en el primero grado en la linea recta no dirime el matrimonio por derecho natural, si no por el positiuo porque hablando en verdad y propriedad, ni el suegro es Padre ni su suegra madre como dize la contraria opinion; luego esta affinidad no ha de impedir como la consanguinidad en el primiero grado en los ascendentes por linea recta, qual es la de los Padres y abuelos, lo segūdo se prueua, porque muy de ordinario dispensa la Silla Apostolica en semejantes affinidades contrahidas por copulas illicitas por escusar grandes inconuenientes, y yo he aconsejado se pida dispensacion en casos semejantes y se han alcancado.] Sic ille. Et tandem hanc nostrā sententiam docet insignis Theologus Salmanticensis Petrus Ochagauia de Sacram. tract. 3. de impediment. matrim. quæst. 60. conclus. 1. nu. 5. vbi sic ait. Primus gradus affinitatis non irritat iure naturę matrimonium, vnde inter nurum & socrum non est tanta naturalis amicitia, vt ex ea crescat vehementer ardor libidinis, neque nurus habet ita strictam naturalem reuerētiam & subiectionem socero vt inter eos implicet copula coniugalis. Ita Ochagauia, & hanc opinionem affirmatiuam præter DD. citatos qui absolutè illam tenēt, probabilem etiam esse docent Rebellius t. 2. lib. 3 q. 15. n. 10. Filliucius to. 1. tract. 10. p. 2. c. 6. num. 109. Fernandez in exam. Theol. moral. p. 3. c. 16 §. 2. sect. 2 n 7. Molfesius in summ to. 1. tr. 4. cap. 10. n. 109 & ex authoribus cōtrariæ sententiæ Sotus, Coninch, Tannerus & Layman vbi suprà.

Verùm præter rationes adductas à Villalobos & San Iuan probatur hæc opinio primò, quia, vt obseruat Hurtado, & alij, inter dictos affines nulla reperitur superioritas contra cuius reuerentiam sit vsus matrimonij, quia superioritas tantum est in eo, qui est principium naturale alterius, & non in eo, qui est affinis, quamuis fiat vna caro cum principio naturali, quia propriè non fit vna caro cum illo, sed tantùm, quia fiunt principiū vnius carnis, ac proinde quamuis in accessu filij ad vxorem patris iam defuncti sit ex natura rei aliqua indecentia, sed non irreuerentia, aut impietas, benè tamen in accessu ad vxorem patris viuentis non ipsi nouercæ facta, sed patri, & maximè, quia ei fit maxima iniuria adulterij.

Secundò probatur hæc opinio ex decretis Concilior. nam, vt obseruat Pontius, in cano. 61. Concilij Agathensis, & cano. 30. Epaunensis, expressè prohibetur matrimonium cum priuigna, cum nouerca, relicta fratris, relictaque auunculi. & tamen præcipitur ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta dissoluantur, quod euidenti argumento probatur illa cōiugia valere, & dispensabilia ea impedimenta in primo gradu, quod etiam confirmatur ex Concil. III. Aurelianensi can. 10. vbi sic habetur de incestis coniunctionibus. Ita quæ sunt seruentur, vt hi qui aut modò ad Baptismum veniūt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prędicatione antea in notitiam non venerunt,

ita

ita pro nouitate conuersionis, ac fidei suæ credidimus cõsulendum, vt contracta hucusque huiusmodi coniugia non soluãtur, sed in futurum quod de incestis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est obseruetur, i. vt ne quis sibi sub coniugis nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, sororem vxoris, sobrinam, consobrinam, vel relicta auunculi, vel patrui. Ita Concilium ibi, in quibus verbis aperte apparet, quod vult manere huiusmodi coniugia in infidelitate cõtracta, & non dissolui; ergo gradus affinitatis inter vitricum & priuignam, inter priuignum & nouercam, &c. non dirimit matrimonium iure naturali. Imò & eos qui ignorantia legum Ecclesiasticarum ea matrimonia contraxerunt, idem Concilium decernit non separandos; vnde subdit Põtius, verè phœnix ingeniorũ, quia hæc nostri Theologi minimè viderunt, non est mirum si circa præsentem quæstionem in varias opiniones distrahantur.

Tertiò hæc opinio non leuiter confirmatur ex eo quod Pontifices non rarò pro foro conscientiæ dispensant in dicta affinitate orta ex copula fornicaria, & tamen est eiusdem rationis cũ ea, quæ oritur ex copula coniugali, qui fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam ac coniuges, vt rectè probatur in addit. ad c. 20. n. 9. praxis Archiepiscopalis nouissimè M. Anton. Genuens. & rectè Rebellio 1. 2. li. 4. q. 15. concl. 2. & alij, Pius V. concessit Henrico Cardinali Lusitaniæ facultatem dispensandi in affinitate cuiuscumque gradus orta ex occulta fornicatione.

Restat modò respondere ad argumenta adducta pro contraria sententia. ideo

Ad primum patet responsio ex his, quæ dixi in primo argumento pro firmanda affirmatiua sententia. nam licèt parens, v. gr. per matrimonium, præsertim consummatum, efficiatur vna caro cum nouerca alicuius, nihilominus priuignus nec ab ea accepit esse, nec ita coniungitur, vt coniungitur cõsanguineus in primo gradu collaterali, vnde licèt priuignus magnam reuerentiam nouercæ debeat, non tamen tantam, quæ iure naturali videatur obstare coniunctioni matrimoniali, sed solùm quæ causet aliqualem indecentiam in tali coniunctione, si desint causæ, & idem dicendum est de nuru cum socero, vnde largo modo, & impropriè socrus dicitur pater, & nurus filia, vt asserebat Pomponius, & D. Augustinus.

Ad secundum argumentum desumptum ex D. Paulo, assero nihil inde concludi, quia incestuosus ille Corinthius nouercam carnaliter cognouit viuente patre, aliàs non dixit D. Paulus, huiusmodi peccatum non esse auditum inter gentes, certum enim est ex historijs apud quasdam gentes, visitata cum nouercis coniugia patre mortuo, vt patet apud Theodoretum lib. de legibus versùs finem, & hanc esse germanam huius loci expositionẽ, vt patet ex alio loco D. Pauli 2. Corinth. 7. in illis verbis. *Igitur etsi scripsi vobis non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est*, &c. in quibus verbis asserendo illum ince stuosum fecisse in patrem iniuriam, apparet illud crimen commissum fuisse viuente patre, nam propriè non irrogaret iniuriam patri suo si illius demortuam vxorem cognouisset, & ita hunc locum D. Pauli explanant DD. citati pro secunda sententia, quibus adde D. Anselmum, Cornel. à Lapide, & Gulielmum Estium. Ad authoritatem D. Thom. omnium Magistri, respondeo standum esse eius vltimo testamento, quod est summa, vbi vt dictum est in 2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3. clarè videtur docere inter solos parentes, & filios iure naturæ prohiberi matrimonium: videatur omnino Caietanus ibi. Vnde hanc sententiam esse communem inter Thomistas testatur Ludouicus de San Iuan in summ. tom. 1. quæst. 6. de sacram. matrim. art. 7. diffic. 5. dub. 1. concl. 1.

Ad tertium respondeo cum Basilio Pontio de matrim. lib. 7. cap. 13. nu. 10. Concilium in illis verbis demonstrare quòd iure naturæ matrimonium illud videatur turpitudinem aliquam continere, atque adeo illicitum, nisi iuxta excusetur causa, propter quam etiam Ecclesia dispensare posset iustè in sua prohibitione Adde etiam Sanchez de matrimon. to. 2. libr. 7. disp. 66. num. 9. in fine, & disp. 52. num. 7. vbi probat matrimonia supradicta, licèt non aduersentur iuri naturali primario, & irritanti, aduersari tamen iuri naturali secundariò, quatenus nudè ac secundum se considerata, & pro libito priuatorum inita sine peculiaribus circumstantijs cohonestãtibus indecentiam quãdam naturalem continent, & ita intelligendus est textus in l. auunculo, quod etiam probatur ex D. Ambrosio Epist. 66. ad Paternum, vbi dixit illicitum esse iure naturæ, vt patruus ducat nepotem, quæ verba sunt intelligenda de iure naturæ secundariò modo quo suprà explicatum est, & ideo Henriquez lib. 12. c. 13. n. 9. in glossa litt. D. Villalobos in summa to. 1. trac. 14. diffic. 26. nu. 7. & alij asserunt Summum Pontificem Greg. XIII. dispensasse cum Comitissa de sancta Hadea, vt matrimonium iniret cum suo patruo.

Ad confirmationem verò positam in quarto argumento respondeo quòd licèt hactenus dispensatum non sit in tali matrimonio à Romanis Pontificibus, parum refert, quia iusta causa & quæ necessaria in eo gradu esset non occurrit, & inquiro, vt benè obseruat Pontius cap. 32. num. 10. quando audiuimus, vel legimus dispensare Pontificem, vt quis nubat duabus sororibus, & tamen nostra ætate dispensarum in eo est à Clement. VIII. Vnde non valet argumentum, non fuit dispensatum in tali matrimonio: ergo non est dispensabile.

Verum pro coronide huius resolutionis ponam hic aliud pulcrum, & difficile dubium, an matrimonium inter fratrem & sororem sit irritum iure naturæ, vt non possit circa illud Summ. Pontifex dispensare. Esse irritum de iure naturæ docet Præpositus in addit. ad 3. p. quæst. 7. de impedim. matrimon. dub. 9. nu. 73. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 52. num. 11. Valent. to. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 1. Henriquez lib. 12. cap. 9. num. 4. Vasquez in 1. 2. quæst. 74. art. 8. disp. 112. nu. 7. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 28. Petr. in Gen. tom. 2. libr. 16. disp. 12. nu. 21. & Doctores cit. pro prima opinione superioris quæstionis. Ratio est, quia Innoc. III. in cap. gaudemus, de diuor. ait, Conuersos ad fidem qui ante in secundo gradu & in vlterioribus gradibus contraxerunt, non esse separandos; vnde videtur supponere separandos esse qui in primo gradu contraxerant, ac proinde eorum matrimonium fuisse nullum & iure naturali, quia ante Baptismum non tenebantur iure Ecclesiastico. & hoc argumentum ita firmum visum est Soto in 4. sent. dist. 40. q. vnic. art. 4. vt eo ductus damnauerit contrariam sententiam, tamquam erroneam.

Sed immeritò quidem. nam ipsimet aduersarij, vt Sanchez & Præpositus locis cit. probabilem esse existimant, & illam absolutè tenent ex Theologis Societ. IESV Hurtado tractat. de matr. disp. 17. diffic. 5. num. 12. vbi citat Caietanum, Scotum & alios, & hanc sententiam tenet etiam, quæ instar multorum erit, Basilius Pontius de matr. libr. 7. c. 32. numer. 3. vbi citat D. Tho. Riccardum, Durandum, Carthusianum, Abulẽsem, Armillam, Veracruz, Oleastrum Heruetum, & ita censuisse magnum virum illum Aloysium Legionensem sub Philippo II. Matriti die 22. April. 1589. testatur.

Probatur hæc opinio, quia nullo sufficienti fundamẽto ostendi potest ex natura rei, seu iure naturali, deberi reuerentiam consanguineis qui non sunt ascendentes & naturaliter superiores; ergo absque sufficienti fundamento dicitur in copula inter ipsos irreuerentiam reperiri ex natura rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum esse ex natura rei nullum, imò & esse illicitum; non nego tamen ob tantam sanguinis cõiunctionem in primo gradu indecentiam manifestam reperiri in copula inter eos, & in matrimonio ad eum ordinatum, ob quod ferè ab omnibus gentibus iure positiuo fuerit vetitum. cæteras rationes videbis apud Pontium vbi suprà.

Restat modò respondere ad c. gaudemus. Dico igitur quòd ibi Innoc. III. definiuit id, quod certum erat circa id quod sibi fuit propositum, an scilicet coniuges consanguinei in secundo & vlterioribus gradibus conuersi ad fidem, erant separandi; circa consanguineos verò in primo gradu; quia sibi non fuit propositum, nihil definiuit. Nec etiam obstat quòd in cap. litteras, de restit. spoliat. Pontifex dicat non posse dispensare in gradibus prohibitis diuina lege, vbi glossa in ver. diuina lege, explicat de gradibus interdictis Leuit. cap. 18. sed gradus de quo loquimur, est prohibitus in d. loco Leuit. 18. ergo, &c. non, inquam, hoc obstat, quia ibi Pontifex dum ait dispensare nõ posse in illis gradibus, intelligi debet, non debere nec expedire sæpiùs facere sine magna causa, & constat sic accipiendum, quia statim additur in illo textu, non consueuisse Pontificem in illis gradibus dispensare, quòd additum superfluum esset si verè nõ posset, & hoc patet experientia. nam Leuit. 18. erat prohibitum matrimonium cum vxore fratris, & consequenter est prohibitum d. cap. literas; & tamen certum est Pontificem sæpiùs ex magna causa dispensasse in tali matrimonio, vt ipsemet Innocent. III. cum Libionensibus, vt patet in cap. final. eodem titul. Alexand. VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ, Iulius II. cum Henrico

Henrico VIII. cuius dispensationem Clemēs VII. approbauit, ergo clarum apparet Pontifices dispēsasse in aliquibus casibus prohibitis Leuit. 18. & in d.c. litteras, quicquid in contrarium afferat Bellamera conf. 38. & Parif. vol. 4. conf. 68.

Patet igitur ex dictis iure naturæ validum esse matrimonium inter fratres & sorores, vnde & iusta concurrente causa dispensare in eo posset Pontifex iuxta tamen, ait Pontius loc. cit. mihi causa videtur vt quod exempli causa dictum sit, si Hispaniarum Princeps cū ex vna parte digna tanta regia maiestate vxor non esset, nec sine graui inconuenienti iuxta præcedentem æstimationem etiam adhuc illam ducere non posset, & ex illa parte illæ, quæ pati coniugio copulari possent, essent aut hæreticæ, aut suspectæ, vnde probabile periculum immineret, vel peruertendi Regis, vel inficiendi Regni, quod non esset difficile euenire, posset certè iustè dispensari, vt cum sorore nuberet, maximè si vterina non esset. Ita mihi videtur, ait Pontius, sub Sedis Apostolicæ iudicio, cuius etiam determinationi ego humiliter omnia dicta submitto.

An Indulgentia sublata peccati fictione sortiatur effectum suum.

RESOL. XCIV.

Affirmatiuam sententiam docet Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. art. 3. & Syluester ver. Indulgentia, n. 20. & 32. quos citat & sequitur Henriquez lib. 7. de Indulgent. c. 9. num. 3. vbi asserunt sublata peccati fictione suum indulgentiæ sortiri effectum, sicut reuiuiscit Baptismus sublata fictione, & opus à Confessario in pœnitentiam iniunctum.

Verùm contraria sententia placuit Suarez to. 4. disp. 52. sect. 2. n. 12. quia hoc priuilegium proprium est Sacramentis, & non omnibus, & non constat tale priuilegium esse concessum indulgentiæ, nec ex sacra Scriptura, nec ex voluntate concedentis, quod confirmatur, quia omnes indulgentiæ conceduntur hominibus confessis, vel contritis; ergo nihil operantur in illis, qui sunt in peccato, quia non sunt contriti.

An Sacerdos vtens Missali Romano possit celebrare iuxta ritum receptum in loco, per quem transit, etiamsi discrepet à Romano.

RESOL. XCV.

Vt si, v. gr. quis transiret per monasterium Monachorum D. Benedicti, D. Dominici, &c. & respondet affirmatiuè Ioannes Præpositus in 3. p. q. 83. art. 4. dub. 5. nu. 190. quod non tantum intelligit de Ecclesia sæculari, sed etiam de regulari, & ideo Religiosum, vel sæcularem transeuntem per monasterium quod vtitur alio Missali quàm Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videri in hac parte plus permittendum existenti in Ecclesia sæculari quàm in loco regulari, quia non est potius priuilegium respectu Religiosorum, quam respectu sæcularium, vt propterea sit dicendum externas personas posse celebrare in Ecclesia sæculari, iuxta illius ritum, non verò in regulari, cùm singulæ Ecclesiæ non minus regulares, quàm sæculares relinquantur antiquæ cōsuetudini. Ex quo deducitur idem dicendum si ritus celebrandi Missam in proprio loco & alieno discrepet à Romano, scil. aliquem foris existentem posse celebrare iuxta ritum receptum in loco vbi celebrat, & hęc omnia docet Præpositus loc. cit. quę aliqui non approbant, & nescio circa hanc quæstionem an aliquid sit declaratum à sacra Cardinalium Congregatione.

An ad implendum præceptum annuæ communionis possit quis celebrare, vel communicare sine præuia confessione.

RESOL. XCVI.

Posse aliquem in tali casu, si cōscius est peccati mortalis, non habens copiā Confessarij, elicere actum contritionis, & celebrare, vel communicare, docet Henriq. lib. de Euchar. c. 46. n. 4. qui plures citat in glossa litt. M. & hanc opinionem non esse improbabilem docet Præpos. in 3. p. q. 80. art. 5. dub. 3. n. 19.

Sed contrariā sententiā tenet Nugnus in 3. p. q. 80. ar. 4. diffic. 2. circa fin. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. & Suarez tom. 4. disp. 66. sect. 4 quia sola adimpletio humani præcepti non videtur sufficientem necessitatem præbere, neq; præceptū humanum obligat, quo casu non potest adimpleri conuenienter & conformiter iuri diuino, & de hac quęstione ego alibi etiā latius dicturus sū.

Notandum est tamen hic obiter cum Præposito vbi suprà, n. 17 quod probabiliter potest quis elicere actum contritionis, & celebrare, vel communicare sine præuia confessione, quando cum peccatis non reseruatis habet peccatum reseruatum, & adest Confessarius qui solùm habet potestatem in non reseruata, nam cùm secundùm aliquos, vt alibi dictum est, huiusmodi Confessarius in illa circumstantia non possit absoluere, probabiliter tunc quis potest secundùm illam se dirigere, & iudicare in tali casu non adesse copiam Confessarij, quando scilic. vrget necessitas communicandi.

Quis confessus est ante celebrationem, & ex obliuione omisit aliquod peccatum, quæritur an teneatur confiteri illud quamprimùm, ex præcepto Concilij Trident. sess. 13. c. 7.

RESOL. XCVII.

Ad hoc dubium affirmatiuè respondet Io. Præpos. in 3. p. q. 80. art. 5. dub. 4. n. 21. vbi sic ait. Si Sacerdos vrgente necessitate celebrauerit sine præuia confessione peccati mortalis, cuius ante celebrationem erat conscius, tenetur quamprimùm confiteri, quod non solù habet locum in eo, qui absoluiē nō est confessus, sed etiā in eo qui iusta de causa aliquid in cōfessione non recensuit, vel ex obliuione, quia huiusmodi peccatum, per se loquendo, debebat ante cōmunionem subijci clauibus, & dici potest, quòd conscius illius celebrauerit, sine eiusdem cōfessione, & proinde Decretū Concilij ad illum casum se extendit.

Quid facere debeat Sacerdos qui in Altari recordatur alicuius peccati mortalis, & non possit excitari ad contritionem eliciendam, vel laicus iamiam recepturus Eucharistiam.

RESOL. XCVIII.

In casu quo huiusmodi Sacerdos ita coarctaretur temporis angustia, alijsque rebus necessarijs ad sacrificium ia districtaheretur, vt nullo modo ad perfectam contritionem moraliter possit excitari, putat Vasquez in 3. part. tom. 3 disput. 207. cap. 1. eum non peccaturum mortaliter, etiamsi cum conscientia peccati mortalis Sacramentum recipiat, quia præceptum dignè suscipiendi hoc Sacramentum non videtur ita strictè obligare, vt cogat in eo casu ad dimittendum sacrificium inchoatum cum populi scandalo, & sui honoris dedecore, quod intelligit iste cùm multi adessent illi sacrificio Missæ, & non solus Minister, quem facilè possit in alium locum mittere, vt actum contritionis eliceret. Et idem sentit de sæculari, qui positus ad pedem Altaris coram populo, & immediatè recepturus Eucharistiam recordatur alicuius peccati mortalis, cuius neque præmisit confessionem, neque contritionem, & hanc opinionem tenet etiam nouissimè Gaspar Hurtado de Sacram. disput. 8. de Euchari stia, difficult. 1. vbi sic ait. Si contingat vt quis in Altari existēs recordetur alicuius mortalis non confessi, & cuius non habuit, neque habet contritionem, & quando recordatur, est adeò propinquus communioni, vt pro temporis angustijs nequeat moraliter, seu absque nimia difficultate ad contritionem excitari, nisi pro tempore aliquo aliqualiter notabili cum graui nota sui honoris ad eam eliciendam detineatur, tunc iste talis ab eo peccato excusabitur cōmunicando in eo malo statu, quia non est contra irreuerentiam Sacramenti debitam in eo statu accedere, ne totam grauem honoris incurrat. Ita Hurtado.

Sed ad prædictum dubium Petrus de Ochagauia de Sacram. tract. 2. de Euchari. effectibus, quæst. 8. numer. 4. sic respondet. Existimo Sacerdotem celebrantem in tali casu debere elicere actum contritionis, tum quia ad eum eliciendum semper est paratum Dei auxilium, tum quia facilè potest sine vllo populi scandalo per aliquod breue spatium temporis occupari in acquirenda contritione peccatorum, tum quia facilè potest distractam mentem componere. Concedo tamen posse strictius contingere casum in sæculari, quam in Sacerdote, vt cum recordatur eiusmodi peccati, quando iamiam recipit Sacramentum de manu Sacerdotis, in quo quidem casu, si commodè potest ratione alicuius salutæ proijciendæ, vel ratione alterius legitimæ causæ aliquantulum differre receptionem Eucharistiæ, debet eam differre, & pro breuitate temporis in quocumque euentu

euentu procurare contritionem, quòd si eam angustijs temporis constrictus non elicit, potiùs debet Eucharistiam recipere, quam ab Altari discedere cum populi scandalo, & proprio dedecore, quia non est credendum pium ac benignum Iesum hoc Sacramentum instituisse in nostrarũ animarum remedium cum tanto dispendio nostro, & alieno, hæc omnia docet Ochauagia loco cit. Sed aliqui putant, & ita reuera est, quod in quacumque angustia tẽporis possit quis elicere actum contritionis, & Deus semper paratus est præbere auxilium suum.

An testis falsus teneatur reuocare dictum suum.

RESOL. XCIX.

SCribo hæc cum animi dolore: nam olim interrogatus fui de hoc casu à quodam teste falso, qui ex importunitate, & minis Regij fisci, tãdem falsam depositionem fecerat in re magni momenti: & tunc respondi, quod qui falsum testimonium dicit, ratione cuius mors, vel mutilatio est inferenda, tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet, quamuis ipsi similis pœnæ periculum timeret; nam vnusquisque tenetur resarcire damnum, quod alteri iniustè intulit, etiam cũ pari damno suo. nam in pari damno melior est conditio innocentis. Ita Lessius lib 2 cap. 30. dub 7. num. 53. & communiter Doctores. Imò (attendant falsi testes & timeant) hanc sententiam Vulthemus Strouesdorff in D. Tho. de iust. & iure, q. 70. art. 4. concl. 3. docet esse verã, licèt testi ex reuocatione maius damnum immineat, neque obstat quòd dubitet an reuocatio sit profutura, quia quilibet quod suum est experiri, & tentare debet. Ita ille. Sed Petrus Nauarra de restit. lib. 2. cap. 3. num. 251. putat quod si retractatio nihil est profutura, testis falsus non tenetur illam facere, sed restitutionem damnorum, item si ex loco tuto potest sententiam reuocare, ita vt prosit, similiter non tenetur prodere se coram iudice.

An verò qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, teneatur ad restitutionem? Respondeo negatiuè cum Lessio & Nauarra vbi suprà, cui ego addo Becanum in 2. 2. D. Thom. de iust. & iure, q. 70. de testibus, quæst. 5. concl. 2. quia neque ratione rei acceptæ, cùm nihil inde habeat, neque ratione iniustæ damnificationis, quia non peccauit mortaliter, vt suppono. ergo, &c. Sed hanc sententiam Vulthemus Strouesdorff loco citat. veram esse putat quousque sic deponens in eodem statu permanet. sed certior factus de ignorantia, vel similibus tenetur reuocare, & restaurare damnum etiam cum periculo mortis, si necessitas vrgeat. Sic ille, quo in sensu intelligit Lessium, & alios, sed hæc opinio est nimis stricta.

An Episcopus, qui propter bona temporalia, vel ambitum, alium pinguiorem Episcopatum procurat, peccet mortaliter.

RESOL. C.

VTinam hic casus frequenter non accideret, & in illo peccare mortaliter Episcopum, respondet Bartholomæus Medina in sum. libr. 1. c. 16. §. 2. vbi sic ait. [El Obispo si despues que tiene vn Obispado procura otro mayormente por medios humanos y seglares regularmente es mortal y escandaloso.] Ita ille. Nauarrus etiam Miscellan. 42. de orat. n. 2. cum Barbosa de pot est. Episc. p. 1. tit. 2. gloss. 1. nu. 10. docent in tali casu supradictum Episcopum peccare grauiter.

Verùm Emanuel Rodriquez, vt notat Homobonus de examin. Eccles. p. 3. tract. 15. c. 7. q. 24. resol. 1. putauit tantùm venialem culpam dictum Episcopum committere.

An qui vouit ingredi Religionem, si per annum in fornicationem non inciderit, si in dicto anno culpa sua fornicetur, teneatur adimplere votum.

RESOL. CI.

AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez in summ. tomo 1. lib. 4. c. 23. nu. 47. & 49. Azor. part. 1. lib. 11. cap. 20. q. vltim. Riccardus in 4 dist. 38. artic. 2. Angelus verb. votum 1. § 10. Nauarrus in manual. c. 12. n. 42. & Naldus in summ. verb. votum n. 33. quia in dicto vouendi modo tacitè quis promisisse censetur, quod saltem aliquem declinandi peccati conatum adhiberet, vel saltem dolo non vti. hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem negatiuam opinionem esse puto per ea, quæ adducit Suarez de Relig. to. 2. libr. 4. de voto, capit. 17. num. 21. vbi nu. 24. sic ait. Si quis vouit ingredi Religionem si per annum integrum à fornicatione abstineat, quacumque ratione, malitia, vel praua intentione non abstineat, licèt fortè peccet contra votum, postea non teneri ingredi, quia conditio nõ fuit impleta, nec impleri potest, nec ex peccato orta est obligatio, quam votum insuper se non induxit, nec sequitur tale votum esse frustra, nam satis est, quòd obliget tum ad gratitudinem, si beneficium illud vouenti conferatur, tum ad procedendum sine fraude & dolo, & consequenter ad peccãdum, si aliter vouens se gerat, etiamsi ad recompensationem non obliget. Ita Suarez. Igitur regulariter loquendo, vouens non videtur obligandus ad voti adimpletionem non adimpleta conditione, quia vouens non censemt se voluisse obligare, nisi posita tali conditione, quamuis ergo ex causa, vel culpa vouentis conditio non ponatur in esse, votum non obligat, & ita etiam præter Suarez docet Bonacina in editione nouissima in Decalog præc. 2. disp 4. q. 2. punct. 2. & alij penes ipsum. Vnde apparet his diebus probabiliter in facti contingentia docuisse non teneri ad votum adimplendum, si quit voueat sub conditione, si impetret sanitatem intra mensem, & ob intemperantiam nõ obtineat, licèt contrarium etiam probabiliter doceat Sanchez vbi supra nu. 49.

An votum castitatis, vel non nubendi factam à proclini in Venerem valeat.

RESOL. CII.

HIc casus frequenter potest accidere, & Homobonus de Bonis in consultat. moral. vol. 1. part. 2. respons. 28. putat probabilem esse sententiam tale votum inualidum esse, cùm ab eo sit factum cui ob inconuenientiam, & in carnis peccatum lapsum matrimonium salubrius sit: sed tu cogita. Ego puto debere illum petere dispensationem ab Episcopo, quam concedere potest, quia hoc votum alternatiuum est, scil. vel castitatis seruandæ, vel non nubendi, super quod Episcopus dispensare potest, vt ex Suarez, Azorio, Lessio, & alijs docet idem Homobonus vbi suprà.

Sed quid, si votum non obliget præcisè ad materiam reseruatam ex vouentis electione, sed quia pars disiunctionis non reseruatæ est reddita impossibilis, potestne Episcopus in tali casu dispensare? Respondeo affirmatiuè, quia id votum per se & natura sua numquam obligauit ad partem reseruatam, sed præcisa obligatio ad illam consurgit per accidens ex solo facto, ratione impossibilitatis materiæ. Ita Suarez de Relig. tom. 2. libr 6. de voto c. 24. n. 4. & 5. & Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 42. nu. 44.

An qui ministrat Eucharistiam peccatori, peccet duplici peccato.

RESOL. CIII.

DVo peccata committere docent aliqui, vnum contra proprium officium, alterum cooperationis peccati proximi. Sed alij, vt notat Ioann. Præpositus in 3. part. D. Thom. quæst. 80. art. 5. dub. 6. nu. 23. non improbabiliter putant, vnum numero peccatum committere, in hoc consistens, quod Sacramentum conferatur indigno, quod necessariò inuoluit peccatum recipientis, & proinde ex eo capite non multiplicetur peccatum ministri.

An

An reliquiæ cibi si traijciantur ex industria impediant communionem, & de multis casibus in quibus quis potest communicare non ieiunus.

RESOL. CIV.

AFfirmatiuè respondet Io. Præpos. in 3. p. D. Th. q. 80. artic. 8. dub. 1. nu. 40. vbi sic ait. Idem dicendum de reliquijs ciborum pridie sumptorum, quæ interdum hærent inter dentes, dicendum, inquam, non impedire cõmunionem, si casu transmittantur, quia dicuntur transmitti per modum saliuę, secus si trãsmittantur de industria. Ita ille, & post illum nouissimè Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 9. de Eucharistia, diffic. 15.

Sed ego in 2. p. tr. 4. resolut. 37. contrariam sententiam probabilem censui, & illam docet Petrus Ochagauia de Sacram. tra. 2. de Eucharistiæ effectibus, q. 12. nu. 7. vbi ita asserit, Ieiunium naturale non soluitur ex eo, quòd reliquiæ cibi quæ inter dentes manserunt ex die præterito, postea in stomachum traijciuntur, etiam ex industria. Hæc ille, & hãc opinionem probabilem etiam putat Tannerus to. 4. disp. 5. q. 8. dub. 4. nu. 99. vbi contrariam tutiorem tantum vocat.

Aduertunt tamen alij, & inter illos Ludouicus de San Iuan in sum. to. 1 q. 7. art. 10. de sacram. Euchar. dub. 3. concl. 1. [que si la reliquia es tan grande que es menester mascarla primero cõ los dientes, parece, que se quebranta el ayuno, porque se come y traga a manera de manjar y no de saliua.]

Notandum est hic obiter quod Toletus lib. 2. cap. 28. num. 4. asserit quòd quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset absque graui nocumento omittere potionem, posse sumere Eucharistiam non ieiunum; sed hoc non admittit Præpositus loc. cit. dub. 2. num. 42. nam in tali casu communio potest sine peccato differri, nec Ecclesia censetur velle obligare ad communicandum eum, qui non potest ieiunus communicare.

Nota etiã pro praxi quòd si ægrotus non possit res suas transmittere, possit communio ei dari imposita parua parte hostiæ cum vino in cochleari. Ita præpos. vbi supra. vide etiam Suarez in 3. p. to. 3. disp. 67. sect. 6. §. secundus casus, post medium, & in disp. 71. sect. 3. sub finem.

Tandem nota quòd Sacerdos si aduertit se nõ esse ieiunum, potest pergere secũdum aliquos in sacrificio, licèt aduertat ante consecrationem; sed alij probabilius id negant, excepto casu, quo non potest sine nota ab Altari recedere, in quo casu idẽ dicendum de eo, qui est in scamno communicantium, vt communicet. Sic Præpositus n. 4.

An Sacerdos paulo post meridiem possit Missam dicere.

RESOL. CV.

TEmpus legitimum celebrandi est ante meridianum, ita vt ante meridiem inchoari debeat Sacrum, & sic negatiuè quidam respondit in casu contingenti ad dubium præsentis resolutionis.

Verùm ego contrarium docui, per ea quæ adducit Ioannes Præpositus in 3. part. D. Tho. q. 83. art. 2. dub. 4. n. 143. vbi sic ait. Plures recentiores notant nos non debere esse magnopere anxios de meridie, sed paulo post meridiem posse Sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non est lege determinata, non definitur termino indiuisibili ex ipsamet consuetudine, & parum reputatur pro nihilo. Sic ille.

An priuilegia mendicantium celebrandi extra Ecclesiam sint reuocata per Concil. Trident. sess. 22.

RESOL. CVI.

AFfirmatiuè respondet Suarez in 3. p. to. 3. disp. 81. sect. 3. in fine Nauar. c. 25. n. 81 & in hanc sententiam videtur inclinare Henriq. lib. 9. c. 27. n. 2. in glossa lit. S.

Sed Ioanni Præposito in 3. p. q. 83. art. 3. dub. nu. 151. videtur verior negatiua sentẽtia, quia in decreto Concilij nulla est clausula quæ priuilegijs Regularium antea concessis deroget, vel ea reuocet, nec refert quod in fine dicti decreti dicatur, *Non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, ac consuetudinibus quibuscumque*: quia illa commodè possunt referri ad immediatè præcedentia, nimirum. *atque ad ea inuiolate seruanda censuris Ecclesiasticis, alijsque pœnis qua illorum arbitrio constituuntur, fidelem populum compellant*. Ita ille. Vnde censet priuilegium datum Prædicatoribus & Minoribus in c. in his, de priuil. non esse reuocatum per Trident. quod confirmat, quia Canon insertus iuri communi non debet dici reuocari, nisi sufficienter constet de reuocatione, cum sit fauorabile ius commune remanere, & eius reuocari censeatur odiosa; in præsenti autem non clarè constat reuocari. ergo, &c.

An si quis audiat Missam sine interna attentione satisfaciat præcepto Ecclesiæ.

RESOL. CVII.

NEgatiuam sententiam est probabilior & consulenda, sed affirmatiuam probabilem esse ego ipse docui cũ Coninc. & Layman in part. 1. tract. de Horis canon. resol. 2. quibus nunc addo Syluestrum verb. Missa 11. nu. 6. vbi sic ait, Licèt Missa sit deuotè audienda interius & exteriùs, interior tamen deuotio quæ in attentione consistit, non cadit sub humano præcepto, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà ver. hora § 11. exterior autem cadere potest, & videtur quod cadat illa deuotio quæ de se est necessaria ad auditionem quæ cadit sub præcepto, cum qua non stat illa distractio, qua aliqui pro notabili parte Missæ nugantur cum socio. Ita Syluester, Casuistarum decus, & hanc sententiam probabilẽ esse præter Coninch & Layman ex Societate IESV, docet etiam nouissimè Io. Præpositus in 3. part. D. Thom. q. 83. art. 6. dub. 5. num 225. vbi sic asserit. Non est improbabile quod censent aliqui, per se loquendo, in auditione Missæ interiorem attentionem non requiri, sed sufficere moralem externam præsentiam, qua aliquis saltem confusè initio velit se præsentem Sacro sistere ad Deum colendum, quia talis moralis præsentia orta ex hac, vel simili voluntate, est obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis sufficienter dicitur moraliter Sacro interesse, & Sacrum audire. Vnde is, qui magna parte Sacri interius voluntariè distraheretur, non videretur mortaliter peccare, si nihil exteriùs ageret incompossibile præsentiæ morali descriptæ. Hæc Præpositus, qui respondet ad argumentum quod aliquis contra supradictam doctrinam posset adducere. Vnde nõ est audiendus Turrianus, qui nouissimè in censuris theologicis centur. 4. dub. 28. asserit hanc sententiam esse improbabilem & perniciosam, nam non solùm tãquam probabilem hãc opinionem amplexi sunt, vt visum est, plures Doctores, etiam Societatis IESV, sed ex ipsamet Societate nouissimè hanc sententiam absolutè tenet P. Gaspar Hurtado tractat. de Sacram. tom. 2. de sacrificio Missę, disp. 5. diffic. 2. & ex Dominicana familia ita visum est doctissimo Syluestro.

Ex his infertur contra Syluest. vbi supra quæst. vltim. Angelum ver. feriæ, num. 46. Armillam ver. Missa, numer. 39. & alios, satisfacere cum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui tẽpore Sacri legit Horas canonicas, ad quas obligatur, quia id non impedit externam moralem pręsentiam necessariam auditioni Sacri.

Nota etiã cum Hurtado loco cit. diffic. 4 ex Bonacina, quòd qui audit integram Missam, audiendo simul duas partes Missarum duarum Sacerdotum, etiam satisfacere præcepto audiẽdi Missam, sed hoc aliqui non admittunt.

An mortuo Episcopo casus reseruati expirent.

RESOL. CVIII.

AD hoc dubium ita respondet Præpos. in addit. ad 3 part. quæst. 9. de reseruatione casuum, dub. 1. num. 6. Censet Sà verb. absolutio, num. 21. mortuo Episcopo quemlibet Confessarium posse absoluere à casibus ipsi reseruatis, quod non videtur solidum, & primò id nõ videtur posse dici de reseruatis per statutum, cum etiam mortuo Episcopo illud vim suam retinere soleat. Secundo neque de reseruatis ab homine, quia per reseruationem inferiori sublata est iurisdictio necessaria ad valorem huius Sacramenti; non potest autem ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quod ea per mortem Episcopi restituatur. Sic ille.

Verùm hæc doctrina Præpositi admittitur ab alijs, quoad

casus

casus reseruatos per statutum, vel Synodum diœcesanam: secus autem minimè. & ita docet Gauantus in Enchir. Episc. verb. casus reseruati, num. 16 Rubeus in aphorism. Episc verb. casus reseruati, num. 4. & Praefectus in praxi nouiss. Episcop. p. 2. cap. 1. artic. 3. num. 21. vbi ita ait. Casus quos Episcopus sibi reseruat, expirant morte ipsius, non verò illi, qui de iure, vel consuetudine ipsi reseruantur, neque illi, quos per proprium statutum sibi reseruat, cùm enim statutum duret post mortem, cap. fin. de offic. leg. reseruatio quoque durabit, & absolutio petenda est à successore, seu Capitulo Sede vacante. Hæc ille. Vide etiam Ægidium Trullench in Bull. Cruc. lib. 1. § 7. cap. 2. dub. 2. num 6.

An qui obtinuit licentiam absoluendi aliquem à casibus reseruatis, in quos inciderat, & postea inuenit illum incidisse etiam in dictis casibus post licentiam obtentam, an, inquam, possit illum absoluere.

RESOL. CIX.

Hic casus frequenter potest accidere, & alibi affirmatiuè respondi, & nunc iterum respondeo cum Ioanne Præposito in 3. part. D. Thom. q. 9. de reseruatione casuum, dub. 3. nu. 22 vbi sic ait. Si Parocho petenti per literas potestatem absoluendi aliquem a casibus reseruatis in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum antequam confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui, quia petitio & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionẽ clauibus bona fide subijcietur, quod etiam videtur verùm, licèt Parochus scripsisset non esse periculum relapsus, quia eo non obstante concessio est absolutè facta, & independenter ab eo quòd non relaberetur, neque id adijciendo, Parochus bona fide decepit Episcopum. Ita ille. qui etiam ibi notat, peregrinum habentem casum reseruatum in sua diœcesi, si non sit reseruatus eo loco vbi confitetur, posse absolui ab omni eo, qui illum alias possit audire. quod est notãdum, vt ego alibi notaui, contra illos, qui asserunt in tali casu Confessarium illum si non habeat potestatem absoluendi a casibus reseruatis, non posse supradictum absoluere, sed tu ne recedat ab opinione affirmatiua.

An vir possit irritare votum castitatis de eius licentia emissum ab vxore, ita vt possit non solum petere debitum, sed defuncto marito aliud matrimonium inire.

RESOL. CX.

De hoc casu interrogatus opinionem affirmatiuam probabilem esse dixi, ex illo principio quòd omnia vota, etiam castitatis emissa ab vxore constante matrimonio, possunt irritari à marito, quamuis sint emissa tanquam implenda tempore soluti matrimonij, quia voluntas vxoris non solùm quoad materiam, sed etiam quoad se subsit viro, sitque viri eam gubernare, & dirigere, ex quo sequitur quòd ea vota irritata nunquam reuiuiscant, & proinde mulier cuius votum castitatis à viro est irritatum, possit absque peccato debitum petere, quia per hanc irritationem ius voti omninò est extincta. Secundò sequitur quòd talis defuncto marito possit licitè aliud matrimonium inire. Tertiò sequitur mulierem vouentem non inire aliud matrimonium si marito supersit, esse omninò liberam si maritus tale votum irritet, & hæc omnia præter Sanchez & alios, quos alibi adduxi tenet etiam Ioannes Præpositus in 3. par. D. Tho. quæst. 6. de bonis matr. dub. 10. num. 153. qui num. 54. etiam tenet cum Sanchez virum posse irritare votum vxoris ingrediendi Religionem relatum ad tempus soluti matrimonij, quia etiam quoad tale votum potest à marito dirigi, atque adeo si irritetur, mulier mortuo marito potest aliud matrimonium inire, & licèt neget Sanchez posse virum irritare votum ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium emissum, tamen hoc secundum Præpositum videtur minus conformiter dictum, si potestas irritandi vota vxoris oritur ex leuitate, imprudentia & facilitate mulíebris in vovis emittendis, nam inde sequitur, quòd non minus possit hoc votum irritare, quàm alia, cum eadem subsit causa. quod confirmatur, quia propter hanc causam pater potest irritare votum filij impuberis de ingressu Religionis, nec valet dicere quòd Prælatus non possit irritare votum subditi de ingressu strictioris Religionis, quia id non potest, quod ei iure prohibetur; in præsenti autem nihil simile habemus. ergo, &c.

Notat etiam idem Præpositus, quòd Sanchez censet virum non posse absolutè irritare vota vxoris ante matrimoniũ emissa, sed solùm suspendere executionem, quod etiam secundum mentem Præpositi non videtur conformiter dictum, nam si vir per matrimonium ita fiat superior vxoris, vt propter mulierbrẽ leuitatem possit eius voluntatem gubernare, & dirigere, potest non solum suspendere vota ante emissa, sed etiam irritare, quemadmodũ superior potest irritare vota sui Religiosi emissa ante professionem, & ideò procedendo iuxta principia asserentium omnia vota vxoris facta sine licentia viri ab eodem posse irritari, Vega citatus à Sanchez censet hæc vota posse à viro irritari, & irritata non reuiuiscere.

Nota etiam hic primò, quòd supradicti Doctores censent non solùm vota emissa sine licentia viri, sed etiam emissa ea licentia eiusdem a viro irritari posse, quod extendunt ad votum continentiæ, quia concedendo vxori facultatem vouendi, non ademit sibi potestatem irritandi, aliqui tamen censent eo casu irritantem sine causa mortaliter peccare: sed probabile est quod peccet solùm venialiter, inconstanter retractans, quod concesserat.

Nota secundò, quòd Sanchez negat virum posse irritare si mutuo consensu cum vxore castitatem vouerint, ita vt simul renuntiauerint iuri petendi, quod si ita intelligatur vt nulla sit irritatio secundùm mentem Præpositi, videtur minus probabile; si verò solum velit, quòd non possit licitè, vera videtur eius sententia, & hæc omnia transcribere volui à Ioanne Præposito, quia eius codex rarus est, in gratiam Confessariorum, & respõsorum casuum conscientiæ, qui ex supradictis à multis angustijs circa vxorum vota immunes erunt, cùm facilè ab eorum viris licitè irritari possint modo quo supradictum est.

Beneficiarius omittens recitationem horarum, quomodo debeat fructus restituere.

RESOL. CXI.

Circa hoc in Bulla particulari anno 1571. ita disponit Pius V. quòd qui per vnum diem totum Officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei; qui Matutinum tantum omiserit, dimidiam partẽ, qui reliquas omnes horas, alteram dimidiam, qui horas singulas, v. g. Laudes, vel Primã, vel Tertiam, Sextam, aut Nonam, sextam partem fructuum illi diei respondentium; sed hæc Bulla cum tanto rigore accepta non videtur, ait Henriquez cap. 13. de excommunicatione, nu. 2. in glossa lit. Z. vbi refert praxim cum sapientum consilio hũc rigorem ita moderare, vt Parochus & Episcopus quintam partem fructuũ pro rata iuxta decisionem supradictam restituant, reliquas partes quatuor ratione tituli & onerum retineant: Canonicus quartam partem restituat, alij verò simplices beneficiarij tertiam similiter habentes præstimonia, & pensiones Ecclesiasticas. Verùm hæc moderatio, vt alibi adnotaui, videtur Lessio lib. 2. c. 34. dub. 32. n. 177. nimis laxa, præsertim in Canonicis & alijs, qui non habent aliud onus, quàm precum, vnde eam limitat ad alios beneficiatios, qui alia onera habent idque iuxta onerum proportionem. At his non obstantibus Ægidius de Trullench in expofit. Bull. Cruciatæ, lib. 3 cas. 2. nu. 1. putat opinionem supradictam Henriq. esse tutam & probabilem, ego verò in hac quæstione de meo nihil dicam, & nihil ponam, solùm referre volui quid alij dixerunt.

An facta compositione bonorum incertorum per Bullam comparente vere domino teneatur, qui se composuit ad restitutionem; & an Episcopi possint concedere dictam Bullam.

RESOL. CXII.

Affirmatiuè respondet Villalobos in summ. to. 1. tract. 19. num. 9. vbi docet adesse in tali casu obligationem restituendi [antes de la sentencia las cosas que estan alteradas, y se ya se consumieron, se ha da restituyr a quello en que fuctus eft locupletior bona fide despues de hecha la composicion, la razõ es porque ni el Papa intendio, ni deuia cõsentir que parecien-

do el verdadero señor no vuiesse obligacion à boluercelo ni quedo priuado el señor del dominio de la cosa de suerte que pareciendo no se le deua boluer en se misma, o su equiualente.] Ita ille, qui citat Caietanum, Sotum & Lopez, quibus adde Rodriquez in Bulla composit. dub. 6.

Sed mihi negatiua sententia magis placet, quam tuetur Bannez in 2.2 q. 26. art. 5. dub. 8. Henriq. lib. 7. c. 34. nu. 6. Acosta in Bulla Cruc. qu. 93. & Trullench in exposit. Bullæ lib. 3. dub. 4. n. 8. quia hæc compositio æquiualet præscriptionis, sed qui legitimè præscripsit, postea domino comparente non tenetur restituere, vt ipsemet Villalobos concedit. ergo neque qui legitimè se composuit; sicut enim Respublica habet facultatem dominia transferendi media præscriptione, ita & Papa media compositione, quia ipse est administrator bonorum temporalium in quantum concernunt bonum spirituale. Vide etiam alias rationes penes dictum Trullench vbi suprà.

Notandum est etiam hic obiter contra Syluestrum, Cordubam & Rodriquez posse Episcopum concedere Bullam Compositionis pro sua tantum diœcesi. Ita Villalobos loc. cit. n. 11. Trullench dub. 1. nu. 3. Henriq. lib. 7. c. 33. n. 4. quia nec iure naturali, nec humano probatur id esse reseruatum Papæ, iustè. n. credi potest voluntatem creditorum esse vt Episcopus consulat conscientijs subditorum incerta debentium, nec valet dicere non esse id positum in consuetudine, quia fortè id ex eo prouenit, nam Pontifex concedit Bullam Compositionis, qua sufficienter prouidetur in hac re conscientijs fidelium.

An qui scit vendidisse vinum, v. g. in tali loco, vel mixtum aqua, vel cum falsa mensura, ignorat tamen damnificatos, possit sumere Bullam Compositionis.

RESOL. CXIII.

NEgatiuam sententiam tenet Villalobos in summa tomo 1. tract. 29. nu. 30. vbi sic ait; [La duda es se sabiendo el lugar dondese vendio aunque no se sepan determinadamente las personas ha lugar la cōposicion, como se vn tauerneto vendio en vn lugar con falsa medida o en otra manera mas quatro meses vino en lo qual sabe que tiene mal leuado tanto dinero aunque no sabe en particular quanto a este o a quel, en tal caso es mi parecer que no ha lugar la composicion, como no lo ha quando se duda entre dos a quien se deue que se ha de repartir pro qualitate dubij, y assi este tauernero ha de restituyr ò dandolo para gastos communes del consejo, o dando el vino mas barato por otro tanto tiempo.] Ita ille.

Sed contrariam sententiam docet nouissimè Ægidius de Trullench in exposit. Bullæ Cruc. libr. 3. cas. 18. nu. 2. quia in tali casu potest fieri restitutio pauperibus; ergo compositio habet locum. Igitur tabernarij, macellarij, caupones, pistores, &c. qui falsis ponderibus, vel mensuris ab emptoribus aliquid plus iusto acceperunt, & ignorant a quibus acceperint, poterunt per Bullam, aut Commissarium componi. quod intelligendum est, vt supradictas fraudes praua & positiua confidentia huius Bullæ non commiserint. Sed de hac quæstione alibi fusiùs dictum est, ad quem locum me refero.

An tempore pestis licitum sit ministrare Eucharistiam infirmis in cochleari argenteo.

RESOL. CXIV.

AFfirmatiuè respondet Venerus in examine Episc. libr. 4. ca. 46. num. 47. vbi sic ait. S. Sacramentum potest poni super cochleare argenteum, & dari infirmis ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficietur, & hanc sententiam tanquam probabilem videtur admittere Bartholomæus Gauantus in enchirid. Episc. ver. pestis, nu. 7.

Sed meritò hoc fieri prohibetur in Actis Mediol. Ecclesi. de cura pestilen. c. 15. n. 2. & rationes adducit Capeauilla de sacramen. Euchar. ministr. temp. pest. q. 33. & 34. Marchinus de bello diuino p. 3. c. 5. nu. 6. & Bonacina de Sacram. disp. 4. sect. 6. q. 6. punct. 3. n. 10. vnde annis elapsis in peste Panormitana affirmatiua sententia in praxi minimè admissa fuit.

An Confessarius habens facultatem generalem absoluendi a censuris, v. g. per Bullam Cruciata, possit absoluere a suspensione contracta ob defectum tituli secundum opinionem aliquorum, vel ob malam Ordinum susceptionem.

RESOL. CXV.

HIc casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent Henriq. lib. 7. c. 13. nu. 3. Rodriq. in summ. to. 1. c. 164. n. 3. & in addit. ad Bull. Cruciat. §. 9. n. 59. Vega in sum. to. 2. c. 15. cas. 8. & in specul. to. 2. c. 24. n. 41. & alij. Ratio est, quia Pontifex magna cum difficultate huiusmodi absolutionem cōfert. Secundò hæc facultas non conceditur Commissario, ergo sequitur non concedi Confessario.

Verùm, vt ego alibi etiam ostendi, sententiam affirmatiuam probabilissimam & tutam in praxi esse existimo, quam præter Doctores, quos citat Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 3. in glossa, litt. Y. & Z. tenet etiam Ledesma in summ. to. 1. de sacram. Ordin. cap. 7. dub. 5. Garzias de benefic. tom. 1. par. 2. cap. 5. nu. 49. Bonacina de sacram Ordin. disp. 8. quæst. vnica, punct. 5. n. 49. & nouissimè Hurtado trac. de suspensione diffic. 12. num. 33. & Ægidius de Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ libr. 1. §. 7. cap. 2. dub. 15. num. 3. vbi cum Auila absolutè tenet virtute Bullæ posse ab omni suspensione absolui, quia Bulla absolutè & simpliciter concedit facultatem absoluendi ab omni censura, nec implicitè excipit dictas suspensiones. Ergo cùm tales suspensiones sint censura, comprehenduntur in illa generali facultate absoluendi ab omni censura. Ad argumenta verò contraria respondetur. & ad primum dico, Summum Pontificem magna cum difficultate dispensare in vtroque foro, Confessarium verò in casu nostro absoluere tantùm in foro conscientiæ. Ad secundum dico quòd ex eo quòd facultas hæc non conceditur Commissario, non sequitur non cōcedi Confessario, nam hæ duæ facultates distinctæ sunt, & a diuersis non fit illatio. Dicendum est igitur virtute Bullæ Cruciatæ posse Cōfessarium absoluere ab omni suspensione, siue in sacramento Pœnitentiæ, siue extra illud, siue suspensio sit a iure, siue ab homine, siue generalis, siue nominatim, dummodo pars læsa sit modo possibili satisfacta, quę omnia valdè notanda sunt à Confessarijs, nā ex hac opinione ex multis laboribus liberabunt pœnitentes, & omnia supradicta Confessarij Societatis IESV, nostræque Religionis possunt facere, non solùm virtute Bullæ, sed etiam priuilegiorum, vt notat Hurtado & Layman tract. 5. p. 3. c. 4. num. 3. in fine. Sed an supradicti cum dicta suspensione si celebrent possint obtinere dispensationem ab irregularitate incursa virtute Bullæ Cruciatæ, affirmatiuè respondet Petrus de Comejo in 3. p. D. Tho. tract. 5. de censur. disp. 6. qu. vlt. & DD. quos citaui in tract. de Bulla Cruciatę, resol. 17. licèt contraria opinio sit communior & probabilior.

An Episcopus possit dispensare suspensionibus & irregularitatibus virtute Concilij Trident. sess. 24. c. 6. tantùm in foro conscientia, & intra diœcesim.

RESOL. CXVI.

REspondent affirmatiuè Henriquez libr. 14. cap. 20. num. 5. Auila de cens. part 7. disp. 10. dub 6. Vgolinus de potestat. Episcop. cap. 57. §. 2. nu. 6. Riccius in praxi tom. 1. resol. 518. nu. 7. Alzedus in praxi Episc. part. 2. cap. 6. num. 42. Rodriquez, Perez, & alij, asserentes Episcopum non posse dispensare in suspēsione extra suam diœcesim virtute illius decreti, & eam dispensationem aiunt Perez, Alzedo, Riccius, & Vgolinus valere tantùm pro foro interno.

Verùm contrariam sententiam non minùs probabilem esse existimo, quàm tuetur nouissimè Ioan. Præpositus in 3. part. D. Tho. q. 1. de cens. in comm. dub. 14. nu. 99. & ante illum Sanch. in summ. tom. 1. lib. 2. c. 11. nu. 12. Nam Concilium Trid. illa verba, *in foro conscientia, & in diœcesi sua*, nō apponit in priori parte, in qua conceditur dispensandi potestas in irregularitatibus & suspensionibus, quare dicta facultas potest exerceri erga subditos suos ab Episcopo in absentia, & siue Episcopus, siue subditi sint extra diœcesim, atque dispensatio non solùm

pro

pro foro interno, sed etiam pro externo proderit, quia, vt dictũ est, Concil. Trid. absolutè, & absque prædictis limitationibus facultatem in his casibus Episcopis concessit; & hanc sententiã ex parte, nempè posse Episcopum dispensare super irregularitate & suspensione extra diœcesim, tenet etiam Barbosa de potest. Episc. p. 1. allegat. 39. n. 7. Fagundez præc. 2. lib. 8. c. 8. nu. 35. & Suarez in 3. p. to. 5. disp. 41. sect. 2. num. 10. & 12. in fine, & ita in facti contingentia cum viris doctissimis his diebus consului cuidam Antistiti potuisse dispẽsare super quadam irregularitate sui subditi, licèt ipse Antistes esset in aliena diœcesi, & subditus esset etiam absens, quia dispensatio dari potest absenti, & vt dictum est, illa restrictio in foro conscientiæ & in diœcesi sua intelligenda est de illa posteriori parte tantùm, in qua Concilium concedit Episcopis facultatem absoluendi à casibus reseruatis.

An in collatione serotina licitum sit sumere, v. gr. duo oua, & quoad quantitatem an quis possit sumere quartam partem comestionis.

RESOL. CXVII.

VTramque sententiam ego reprobaui in tract. de ieiunio, resol. 1. non tamen ita acriter, vt Turrianus Societatis IESV in censuris theologicis cent. 2. dub. 94. vbi sic ait. An sit censura dignum asserere in die ieiunij posse pro collatione, seu refectiuncula sumi duo oua? Respondeo, doctrina est scandalosa, temeraria & contraria bonis moribus. Ita ille. Quoad secundam quæstionem, Filliucius & alij, vt ego suprà notaui; affirmatiuè respondent, asserentes non esse quantitatem notabilem in collatione ieiunij sumere quartam partem eorum, quæ ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam comestionem, quia quarta pars comestionis non censetur magna quantitas, sicut neque in Missa neque in Horis canonicis. Secundò, quia quãtitas, quæ fieri solet, non est minor quam sit quarta pars. Tertiò, quia ita iudicatum est in celebri, &c. Sed hæc doctrina, ait Turrianus loc. citato cent. 3. dub. 27. est omnino improbabilis, & temeraria iudicata à viris doctis Hispaniæ, neque est tuta in praxi, quia vel per comestionem intelligit meridianam, vel cœnam Vespertinam; & quicquid intelligat est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quãtitatem assumunt, vt quarta pars sit quantitas notabilis, testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos. Item non dicitur benè quartam partem alicuius totius nõ censeri magnam, non est enim consideranda quantitas relata ad totum, sed secũdùm se, vnde constat ad primam rationem. Ad secundam respondetur assumptum esse manifestè falsum secũdùm communem consuetudinem Hispanorum, & eadem refertur apud alias nationes ab his, qui in eis habitarunt. Tertium nullius est momenti. Hæc omnia Turrianus, & ego antea, licèt magis suauiter in d. tract. de ieiunio, resolut. 1. Non sunt igitur supradictæ opiniones in praxi admittendæ, & ita facientes frangerent omnino ieiunium.

Nota quòd post hæc scripta inueni sententiam nostram quã olim vbi suprà docui damnantem sumentes collationem serotinam in diebus ieiunij cum piscibus, &c. docere etiam Sãchez in opusc. to. 2. lib. 5. c. 1. dub. 25. n. 4. vbi sic ait. Illa quæ sumuntur ad collationem simul cum pane, non debent esse cibi, qui ordinantur communiter ad perfectam sustentationem, vt oua, pisces; nam in his licèt similis quantitas non violaret ieiunium, violaret tamen ratione qualitatis, vnde non potest fieri cum caseo, lacte, cremore, amygdalino & triticeo, idest, *almendrada, y almidan*. Hæc Sanchez, & ideò nescio quomodo contrarium facientes possint excusari à peccato mortali, cum hæc opinio sit communis, neque valet consuetudo, quam aliqui afferunt, nam potiùs consuetudo est in contrarium, vt omnibus patet, nec probatione indiget, & vt consuetudo in tali casu excusaret, deberet esse introducta à maiori parte, conniuentibus, & non punientibus Prælatis, nam non potest esse legitima cõsuetudo illa, quæ obseruatur à paucioribus, & parum timoratis, & si forsitan aliqui viri probi hoc antea fecerunt, excusantur ex errore & bona fide, ex opinione Bonacinæ, non autem ex consuetudine, quæ reuera, vt dictum est, non adest, & contrarium asserere est falsitas; & sic tenent Patres Societ. Iesu, & nostræ Religionis.

An Confessarius habens facultatem dispensandi super certam materiam, dispensatio sit valida si in confessione sacramentali internè illam fecerit putando tam ipse, quàm pœnitens, non esse necessarium verbis expressis facere?

RESOL. CXVIII.

DE hoc casu olim interrogatus fui, & affirmatiuè respondi, nullius tamen Doctoris auctoritate fretus, licèt tunc aliqui contrariam sententiam docuissent; sed modò nostram sententiam docet Turrianus in select. disp. part. 2. disp. 31. dub. 65. vbi sic ait. An sit vera dispensatio si data facultate Confessario dispensandi circa certam materiam, & audita confessione pœnitentis Confessor absolutionem sacramentalem dederit illi rectè disposito, & pœnitẽs & Confessor non putauerunt esse necessarium expressè dicere; Dispenso te. Interrogatus sum primò, an sufficiat virtualis dispensatio, quæ hic videtur interuenisse. Secundò, an sit necessarium iterum expressè dispensare, & proferre verba dispensationis. Tertiò an hæc dispensatio possit fieri à Sacerdote etiamsi dispensans sit absens. Circa primum mihi videtur sufficere virtualis illa dispensatio. Secundò cùm non sit sacramentalis absolutio, non video esse necessariam illam dispensationem repetere per verba expressa. Ad tertium respondeo absolutionem sacramentalem non posse fieri absente pœnitente, iuxta decisionem Clem. VIII. sed hæc dispensatio non est absolutio sacramentalis, vt suppono, & ita fieri potest absente persona cui conceditur dispensatio, vt constat in alijs dispensationibus. quæ omnia nõ solùm vt probabiliora, sed vt vera approbata sunt à viris doctissimis huius Curiæ Matritensis. Hæc Turrianus, quæ hic transcribere volui aduersus illos, qui, quando supradictam sententiam ego consului; ægrè illam tulerunt.

An in ordinatione Sacerdotum si per incuriam Magistri Ceremoniarum in Calice non apponatur vinum, ordinatio sit nulla?

RESOL. CXIX.

HIc casus potest frequenter accidere, & his temporibus in Hispania & Germania accidit, & ad illum negatiuè respondet Henriquez lib. 10. ca. 6. n. 1. vbi cum dixisset materiam in sacerdotio integram, esse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia asserit. Traditio vasis cum altera specierum videtur esse materia sufficiens, vt si id ex obliuione contigerit, non sit hic ordo iterandus ex necessitate. Ita ille, & hanc sententiam speculatiuè probabilem esse putat Tannerus in 3. p. D. Tho. disp. 7. q. 2. dub. 4. nu. 94.

Sed ipse, & meritò, docet Sacramentum in tali casu esse nullum, & inualidum, & hanc sententiam tenet etiam Ioan. de la Cruz in direct. conscien. part. 2. de sacram. Ordin. dub. 2. concl. 1. vbi sic ait. Materia sacerdotij est traditio patenæ cum hostia, & calicis cũ vino, ita vt si si in patena nõ sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manet ordinatus. Sic ille, & post illum Villalobos in summ. tom. 1. tract. 11. diffic. 4. num. 1. sic asserens, [De lo qual se infiere que si en la ordinacion del Sacerdote no vuiese vino en el caliz, ò la hostia no fuesse de trigo, no quedaria ordinado. Mas porque Henriquez con otros tienen lo contrario se sucediere en practica (como ha sucedido de vezes en estos tiempos) dexar de poner el vino por descuydo, ha se de reyterar el Sacramento de baxo de condicion, como se hizo en estos casos, y deste parecer fueron los mas doctos desta Vniuersidad de Salamanca, y de otras partes que fueron consultado à cerca dello] & tandem nouissimè hãc sententiam docet Turrianus in select. disp. Theol. par. 1. disp. 21. dub. 2. vbi ita ait. Ex dictis constat solutio dubij, de quo ante aliquot annos magna controuersia orta est in Hispania, contigit enim aliquãdo: vt in ordinatione Sacerdotum in quodam Episcopatu daretur calix sine vino? & disputatum fuit primò, quid agendum si esset probabile non defuisse vinum; secundò quid agendum si esset certum non fuisse vinum in calice. Circa primum aliqui censuerunt non esse necessarium sic ordinatũ iterũ ordinari, quia putarunt posse ordinatum amplecti opinionem probabilem in

prædicto euentu; aliqui simpliciter docuerũt esse obligationem iterum suscipiendi sacrum Ordinem sacerdotij, quia in primo euentu non fuit verum Sacramentum ex defectu vini, quod probabiliter iudicatur defuisse. Mihi placet opinio, quòd si solùm ageretur de reuerentia debita Sacramento, & vsui illius, satis esse amplecti opinionem probabilem. Secundò tamẽ existimo esse obligationem non vtendi Sacramento probabiliter solum suscepto propter damnum proximorum, quia si ille homo verè non est Sacerdos, non conficiet sacramentum Eucharistiæ, neque posset absoluere a peccatis, ex quo magnum detrimentum paterentur proximi; & ita senserũt multi viri docti in Hispania de hac re interrogati. Circa secundum, quicquid sit de aliorum sensu, mihi videtur esse obligatio recipiendi iterum verum sacerdotium per veram materiam & formam, primò, quia non est probabile materiam Sacerdotis necessariò reperiri sine vino in calice; secundo licèt esset talis opinio, tamen ratio facta probat esse necessarium tutiorem partem amplecti in tali controuersia. Hæc omnia Turrianus loco cit. Vide etiã pro hac firmanda sententia Petrum Ledesmam in sum. to.2. de Sacram. Ordinis, c.3. diffic. 5. & Tannerum vbi sup. vbi asserit suo tempore hunc casum accidisse anno 1617. & multas rationes adducit, & soluit argumenta in contrarium, & Villalobos, qui respondet ad c.1. de Sacram. nõ iterand. vbi Innocent. III. non mandauit reiterare sacramentum Cõfirmationis factum cum oleo sine balsamo, Vide etiam circa præsentem quæstionem multa alia quæ diximus in 3. p. tr. 4. resol. 186.

An cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium.

RESOL. CXX.

SVppono duplicem esse adoptionem; vna est perfecta, quæ arrogatio dicitur, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit hæres illius necessarius, etiam ex testamento, & tantùm fit authoritate supremi Principis. Altera est imperfecta, seu simplex, quæ nomen adoptionis retinet, qua adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia per eam assumitur in filium ille, qui est sub potestate sui patris carnalis, & non est hæres necessarius ex testamento, sed tantùm ab intestato, & fieri potest authoritate magistratus inferioris Principe. Hoc supposito ad propositam quæstionem affirmatiuè respõdet Basilius Pontius de matrim. libr. 7. cap. 41. nu. 2. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 14. diffic. 10. n. 8. Rebellius par. 2. lib. 3. de matrim. quæst. 7. concl. 1. num. 5. Præpositus in 3. part. D. Thom. qu. 7. de impedim. matrim. dub. 13. num. 109. Gaspar Hurtado de matrim. disp. 19. diffic. 2. n. 3. & alij penes ipsos, quia iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium, loquuntur de adoptione absolutè & absque distinctione aliqua, sed adoptio imperfecta quamuis sit imperfecta, est tamen absolutè & verè & propriè adoptio; ergo dicta iura nõ sunt restringenda ad cognationem legalem ex adoptione perfecta. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Coninch de Sacram. disp. 32. dub. 3. nu. 44. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 63. nu. 8. Mæratius in summ. D. Thom. tom. 3. tract. de matrim. disp. 9. sect. 20. nu. 8. Ludouicus de San Iuan in sum. de sacram. matrim. q. 6. art. 11. dub. 2. concl 4. Petrus de Ochagauia de Sacram. tract. 3. de impedim. matrim. quæst. 58. num. 5. Syluius in 3. par. D. Thom. quæst. 67. articul. 2. Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 5. nu. 199. Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 7. num. 3. Tannerus in 3. par. D. Thom. disp. 8. quæst. 4. dub. 4. n. 74. Et ratio est, quia cùm matrimonium sit res fauorabilis, iura illud dirimentia ob adoptionem restringi debẽt ad perfectam. Deinde cognatio legalis impedit matrimoniũ, quia filius adoptiuus debet habitare in domo adoptantis, sed hoc non est necessarium nisi sit adoptio perfecta. ergo ex ea sola oritur illud impedimentum: hanc autem esse mentem D. Thom. in 3. p. q. 57. art. 2. patet tum ex corpore articuli, tum ex responsione ad 1. & 4. art. 3. vbi solùm loquitur de adoptione perfecta. Nec obstat quòd Canones loquantur indistinctè, ipsa enim Canonum ratio quam assignat D. Tho. scilic. quod filius adoptatus conuersetur in domo adoptantis sicut filius naturalis, ideòque facilis pateret locus concupiscentię, si adoptatio non esset impedimentum dirimens, clarè ostendit dictos Canones esse intelligendos de adoptione perfecta.

Non desinam etiam hic obiter adnotare Ochagauiam, Tannerum & alios penes ipsum probabiliter docere ex adoptione imperfecta, neque oriri impedimẽtum impediens, licèt Ludouicus de San Iuan & alij etiam Doctores probabiliter contrarium asserant.

An inter filios adoptiuos possit esse matrimonium vt non obstet impedimentum cognationis legalis?

RESOL. CXXI.

DE hoc casu interrogatus fui à Serenissimo Principe Philiberto, & eius Confessarius Mag. Dominicus de los Reys negatiuè respondit, & adducebat Petrum Ledesmam de matrim. quæ. 57. art. 3. cui ego addebam Petrum Ochagauiam de Sacram. tract. 3. de impedim. matr. q. 58. n. 11. & Ludouicum de San Iuan in summ. tom. 1. de sacram. matr. q. 6 art. 11. dub. 5. & nouissimè hanc negatiuam sentẽtiam ex Theologis Societ. Iesu tenet Ludouicus Mæratius in summ. D. Tho. to. 3. tract. de matrim. disp. 9. sect. 10. nu. 3.

Sed ego tunc affirmatiuam sententiam cõsului, quam tuetur Rebell. p. 2. lib. 3. qu. 7. concl. 3. nu. 12. Hurtado de matr. disp. 19. diffic. 3. n. 3. Præpos. in 3. p. q. 7. de impedim. matr. dub. 13. n. 111. Sanch. de matr. lib. 7. c. 41. n. 4. & alij penes ipsos. Dicendum est igitur inter filios legales nullum esse impedimẽtum cognationis legalis, cùm nullo iure statuatur, esto cerni possit ex conuictu aliquod periculum incontinentiæ; tamen cùm ratò plures adoptari soleant, & ius de eo sileat, non licèt extendere, cùm hæc pendeat ex iure Ecclesiastico. Imò aduertit Rebell. loc. cit. ex Nauarr. c. 22. n. 41. impedimentũ cognationis legalis non procedere inter adoptiuum & filiam naturalem adoptantis; si sit illegitima, quod est valdè notãdum. Possunt igitur supradicti sine vlla prçuia dispensatione matrimonium inire, cùm nullo humano iure, vt dictum est, matrimonium inter eos irritum sit, quia quæ iura pronunciant irritũ fratris adoptiui cum adoptiua sorore cõniugium, loquuntur de adoptiua sorore quæ simul est partis adoptantis naturalis filia, vel si sit adoptiua tantum, de fratre adoptiuo, qui sit adoptantis naturalis filius.

An sit peccatum mortale non adimplere promissionem gratuitam acceptatam in re graui?

RESOL. CXXII.

AFfirmatiuam sentẽtiam docet Suarez relect. de libert. diuina, disp. 2. sect. 2. num. 22. Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 8. & alii, quos alibi ego ad satietatem adduxi, & probabiliter probaui. Verùm quidam Iurisconsultus cum quodam Theologastro, nostram sententiam in facti contingentiam tamquam improbabilem damnarunt. Immeritò quidem, nam est probabilissima, & tuta in praxi, & prçter Caietanum, Molinam, Rebelliũ & alios alibi à me citatos, nouissimè docet hanc sententiam tamquam probabiliorem Ludouicus Mæratius Societ. Iesu in D. Thom. tom. 2. trac. de iust. & iure, disp. 19. sect. 10. per totam. Dico igitur non adimplere promissionem ex fidelitate, & non ex iustitia, esse tantùm peccatum veniale ex genere suo, ac proindè nulla in materia, quamuis graui, vnquam esse mortale, & rationes huius sententiæ videbis apud dictum Mæratium, qui fusè respondit ad omnia argumenta contraria, & ad multa quę opponit Lessius: vnde, vt dixi, solùm ignari, vel pertinaces negabũt hanc sententiam esse probabilem, & ideò liberaui à peccato mortali & ab onere restitutionis quendã Dynastam, qui per multos annos non adimpleuerat promissionem cẽtum vnciarum, ad quas dandas ex sola fidelitate se obstrinxerat; nec tunc me ab hac sententia remouebat argumentum quòd carẽtia rei promissæ, quia erat notabilis, magnum damnum inferebat ei cui promissa fuerat; nam respondeo carentiam hanc non debere appellari damnum à promittente illatum, alioquin etiã qui simpliciter proposuisset dare centum aureos alicui, declaransque ei suum hoc propositum, dixisset se daturum, si postea mutaret animum, nec daret, magnum ei damnum inferret. Quando ergo per promissionis violationem, aut propositi mutationem, damnum inferri dicitur, damni nomine intelligenda non est ipsa præcipuè carentia rei, quę danda dicebatur, sed detrimentum aliquod aliud ex hac carentia consequens, quòd in suis bonis proprijs patiatur ille, qui decipitur, &

cuius causa sit ille, qui non implendo propositum, vel promissum decipit, quod quidem detrimentum dum graue est, graue quoque peccatum committitur, at non contra fidelitatem, sed contra iustitiam, aut charitatem, sed hoc in casu de quo interrogatus fuit, non aderat. ergo, &c.

An prohibitus celebrare in loco delicti possit celebrare, v. gr. in Ecclesia Patrum Capuccinorum, Carmelitarum prope vrbem existente?

RESOL. CXXIII.

DE hoc casu in facti contingentia interrogatus fui, nam quidam Regularis obtinuit à Summ. Pontifice dispensationem ab irregularitate homicidij, cum clausula quòd non possit celebrare in loco commissi delicti, qui locus erat ciuitas Panormi, quæsitum fuit, an supradictus potuisset celebrare in quadam Ecclesia existente propè vrbem Panormi. casus est curiosus, & practicabilis, & pro parte negatiua facit textus in l. qui in continentibus, ff. de verb. signific. vbi natus in suburbijs, dicitur natus in ciuitate, & testator si leget alicui bona sua quæ Romæ habet, censentur etiā legata bona quæ in suburbijs Romæ sunt, vt habetur in l. cui quæ Romæ, ff. de leg. 3. & docent Baldus & Felinus in cap. Rodulphus, de rescriptis, & Menochius de præsumption. lib. 4. præsumpt. 126. num. 13. & tandem in l. 2. de verbor. signif. apertè dicitur, appellatione Romæ venire etiam suburbia, & cōtinentia ędificia, vt obseruat ibi glossa, & Doctores communiter, quod etiam demonstrat modus loquendi Summorum Pontif. qui in Bulla anni Iubilæi Basilicas SS. Apost. Petri & Pauli appellant de Vrbe cùm reuera sint in suburbijs, & sic etiam loquitur Bonifacius VIII. in Extrau. 1. de pœnit. & remiss. Sixtus IV. in Extrau. quemadmodum operosi, eodem tit. Greg. XIII. Clem. VIII. & Vrb. VIII. in Bullis Iubilæi plenissimi, & tandem Io. Andreas in cap. si ciuitas, vbi infra, num. 7. obseruat, quòd Romæ fieri videntur, quæ in continentibus ædificijs sunt.

Verùm his non obstantibus puto supradictum Regularem potuisse celebrare in illis Ecclesijs, & pro hac sententia adduco cap. si ciuitas, de sent. excommun. in 6. vbi interrogatus Pōtifex an interdicta ciuitate intelligantur etiam suburbia interdicta, respondet, quòd licèt alias ciuitates murorum ambitu videantur terminari, hoc tamen casu ne in vilipendium veniat sententia interdicti, expendit interpretationem fieri latiorem, ex quibus verbis, vt optimè notat Megalius in 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 21. & alij, clarè constat in omnibus dispositionibus, excepta sententia interdicti, appellatione ciuitatis venire tantùm quæ murorum ambitu terminantur, hoc enim exceptio illa demonstrat, cuius natura est firmare regulam in omnibus alijs non exceptis, iuxta cap. Dominus 32. quæst. 7. & ea quæ notantur in cap. quoniam, de coniug. leprosorum, & ideò Io. de Vançuel in d. cap. si ciuitas, obseruat, dispositionem illius textus esse singularem in casu interdicti, cum regula sit in contrarium; vnde etiam Ancharanum in d. cap. 1. num. 1. Deinde adduco pro hac firmāda sententia doctrinam Bartoli & Alciati in l. 2. ff. de verb. signific. Rubei cons. 92. num. 2. Menochij de arbitr. lib. 2. cent. 2. cas. 155. nu. 10. asserentium quòd in materia odiosa appellatione vrbis, seu ciuitatis non veniunt suburbia, secus autem in materia fauorabili: vnde patet responsio ad argumenta cōtraria pro negatiua sententia adducta, nam in illis casibus leges, vt patet, loquuntur in materia fauorabili; secus autē est in casu de quo loquimur, cùm versetur circa materiam odiosam, ergo, &c.

Confirmantur supradicta ex cap. literis, de constit. & ex l. penult. ff. de pœnis, ex cap. in pœnis 49. de regul. iuris in 6. quòd in pœnis benignior fit interpretatio, vt notat Tiraquellus in l. si vnquam, vet. reuertatur, num. 246. Thomas de Thoma in floribus legum, reg. 158. Vgolinus de potest. Episc. c. 6. §. 1. num. 3. & alij. Sed in casu de quo loquimur pœna est apposita quòd celebratio non fiat in loco delicti, & locus delicti fuit ciuitas Panormi, cuius appellatione, vt dictum est, & obseruat etiam Azeuedus in addit. ad Curiam Pisanam, lib. 2. c. 2. n. 3. & Barbosa in collect. tom. 4. lib. 5. cap. 16. nu. 4. propriè non venit nisi id quod murorum ambitu terminatur; ergo dicta pęna nō est extendenda ad Ecclesias extra muros vrbis Panormi ædificatas, cum pœnæ non sint ampliandæ, sed restringendæ, vt docet Burgos de Paz cons. 8. nu. 2. Surdus de alimentis tit. 1. quæst. 51. num. 12. & alij communiter, etiamsi extensio fiat ex similitudine rationis, ex Imola in l. si verò, §. de viro, ff. solut. matrim. Duena regul. 287. ergo, &c.

An qui confessus est omnia reseruata legitimo Superiori, inualidè tamen, vel ex defectu doloris, vel ex integritate, teneatur postea iterum cum legitimo Superiore illa confiteri, vel sufficiat cum quocumque Confessario approbato.

RESOL. CXXIV.

ALibi probabiliter docui, illa peccata non manere ampliùs reseruata, & posse à quocumque Confessario approbato absolui; sciò alicui displicuisse hanc sententiam, immeritò tamen, & ideo illam iterum doceo, & præter DD. alibi a me citatos tenet nouissimè hanc sententiam è Societate Iesu Ludouicus Mæ atius in D. Thom. tom 3. tract. de pœnitent. disput. 30. sect. 3. nu. 1. Præpositus in 3. part. D. Thom. qu. 9. de reseruatione casuum conscientię, dub. 4. nu. 24. & ante illos Petrus de Ochagauia de Sacram. tract. 12. de Confessione sacramentali, quæst. 22. n. 8 vbi sic ait. Si quis expressè confiteatur omnes casus reseruatos Sacerdoti habenti ad id iurisdictionem, vel concessam in gratiam sui. vel in gratiam pœnitentis, satisfacit omnino reseruationi, etiamsi confessio ex alio capite nulla reddatur. Vnde talia peccata potest postea cuilibet Confessario confiteri. Patet, quia reseruatio ad id ordinatur, vt pœnitens deferat peccata proprio Sacerdoti, & eius sententiam audiat, & pęnitentiam impositam acceptet; sed hoc totum contingit, cùm confessio ex aliquo capite redditur nulla, vt supponimus, ergo tollitur omnino reseruatio, & hæc conclusio etiam est vera cùm absolutio datur ratione potestatis delegatę, quia satisfit fini reseruationis. Ita ille, qui tamen nu. 11. obseruat hanc doctrinam non esse veram, quando quis inualidè confitetur peccata tempore Iubilæi, nam tūc nullo modo tollitur reseruatio, quia tunc absolutio a peccatis reseruatis conceditur per modum fauoris, & cum ordine ad iustificationem animarum, vt media absolutione a reseruatis excitentur fideles ad quærendam salutem animæ. Ergo intelligitur talis facultas absoluendi a reseruatis concedi cum hac conditione, vt pœnitens expiet animam a peccatis, & verè confiteatur vera ac salutari confessione.

Nota etiam hic obiter cum dicto Ochagauia, & cum alijs Doctoribus, quos alibi citaui, quando quis confitetur bona fide in aliquo die septimanæ casus reseruatos, & postea non adimplet alia opera præcepta in Iubilæo, peccata illa non manere reseruata; sed quid dicendum de peccatis reseruatis oblitis in illa confessione, an possint postea cōfiteri non habenti potestatem in reseruata, etiamsi Iubilæum non lucratus fuerit? Negatiuè respondet Præpos. vbi sup. nu. 30. licèt pro contraria sententia citet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 31. sect. 4. nu. 24.

An quando vterque coniux, ex communi consensu castitatem vouit, possit propter periculum incontinentiæ Episcopus dispensare vt petant, & reddant.

RESOL. CXXV.

CAsus est multum practicabilis, & affirmatiuam sentētiam olim docui, & nunc iterum doceo cum Basilio Pontio de matrimonio libro octauo, cap. nono, numero 2. vbi sic ait. Ex hac doctrina colligitur quid sentiendum sit illa quæstione, an possit Episcopus dispensare in voto castitatis absolutè emisso post contractū matrimonium, & cōsummatum? cuius quęstionis varias species recenset Sanch. libr. 8. disp. 11. sed sine fructu, quare ego ita vniuersè statuo, siue hoc votū sit emissum ab vno tantum coniuge de consensu, aut sine consensu alterius, siue ab vtroque coniunctim, aut seorsim, vel per modum contractus, si adest periculum incontinentiæ, dispensare potest Episcopus ad petendum & reddendum debitum. Ducor in hanc sententiam ista consideratione, quia si tantùm vnus emisit, & alter non vult ad Religionem transire, semper habet ius petendi, & ille qui vouit obligationem reddendi, & eiusmodi votum non fuit absolutè castitatis, sed non petendi, neque

enim potuit cõtra ius tertij se ad omnimodam & perpetuã castitatam obligare. Similiter si vterque quomodocumque vouerit, si voluerit in sæculo remanere & cohabitare, cùm sit moraliter certum periculum incontinentię, & non possit ita breuiter aditi Pontifex, est legitima & iusta causa dispensandi. Nam ex eo quòd vterque vouerit, neuter amittit ius iustitiæ ad corpus alterius, licet sit impeditum vinculo Religionis. Ita Pontius. Vide etiam Ægidium de Trullench in Bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. nu. 16 vbi notant n. 19. commutationem huius voti in tali casu non posse fieri virtute dictæ Bullæ, quia facultas hęc in hoc casu non competit Episcopo modo ordinario & communi, sed ex quodam tacito consensu Papæ, & benigna eius voluntata interpretatiua: at quæ in ijs casibus conceduntur Episcopis, non censentur per Bullam concessa. Ergo, &c. quod idem dicendum est de priuilegijs Regularium, nam per ea non possunt dispensare in eo casu de quo loquimur, vt probat Pontius li. 8. c. 10. n. 11. Suarez de voto lib. 6. c. 26. n. 17. Sanchez in summ. to. 1 lib. 4. c. 43. nu. 7. & alij.

Sed hic obiter quærere non desinam, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Negatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 11 nu. 4. sed aduersus illum insurgit nouissimè Basilius Pontius vbi suprà, libr. 8, capit. 9. nu. 3. quia talis etiamsi sit intra bimestra, non tenetur Religionem ingredi, etiamsi habuerit animum ingrediẽdi cùm vouit, sed potest ab eo animo desistere, in quo vides iam esse notum periculum incontinentiæ; ergo potest Episcopus dispensare. cæteras rationes aduersùs Sanchez adducit Pontius, quas penes ipsum videbis.

An pragnantes & lactentes non solum deobligentur à ieiunio quoad vnicam comestionem, sed etiam quoad esum ouorum & carnium?

RESOL. CXXVI.

POsse sæpiùs supradictas in die ieiunij comedere docent cõmuniter Doctores, quos ego ipse citaui in part. 1. tract. de ieiunio, resol. 14. etiamsi sint robustæ & validæ, opus enim illis est cibo refici, nõ sua ipsarum tantùm, sed fœtus etiam nutriendi causa. Difficultas ast, an in die ieiunij possint comedere carnes? & affirmatiuam sententiam docet Martinus Funes in specul. mor. p. 3. c. 2. n. 5. & 6. vbi sic ait. Pręceptum ieiunij continet triplicem obligationem, primò abstinendi à carnibus & ijs, quæ ex carnibus ortum habent, lacte, ouis, &c. secundo semel tantùm in die comedendi: tertiò sumendi cibum non citiùs, quàm paulò ante meridiem, & nutrices & grauidæ ab his tribus obligationibus ieiunij excusantur. Ita ille.

Sed contrariam sententiam, & meritò, docet Ludouicus de San Iuan in summ. quæst. de ieiunio art. 7. diffic. 6. appen. 3. vbi sic asserit. [Ha se de notar que las preñadas y las que crian no quedan escusadas de guardar la calidad de manjares quaresmales, porque aunque tengan necessidad de mayor cantitad de manjares no tienen necessidad de otra calidad dellos en caso que no se temiesse, resulterta de alli agun daño à los niños, porque en este caso se podrà facilmente dispensar con ellas.] Ita ille, & ante illum Villalobos in summa to. 1. tract. 13. diffic. 4. n. 2. iuncto nu. 20. & alij.

An Episcopi teneantur in suis diœcesibus leges Pontificias publicari, & obseruari facere?

RESOL. CXXVII.

HIc casus frequenter accidit, & ad illum respondet Ioannes VViggars in 2. 2. D. Thom. quæst. 96. art. 4. dub. 5. nu. 93. vbi sic ait. Petes vtrùm Ordinarij locorum obligentur in suis districtibus curare leges Pontificias publicari, quas intellexerint Romæ editas & publicatas? Respondetur, quando Pontifex exprimit, vel iudicat se velle legem obtinere affectum, & obligare vbique, & si alibi alia publicatio non accesserit, tenentur tunc Ordinarij curare vt in suis locis lex obseruetur, & proindè si ad hoc iudicent esse necessarium (pro vt moraliter est necessarium,) quòd lex ibi publicetur, tenebuntur curare publicari, aut facere sufficienter innotescere, etsi verò Ordinarij non curent, non tamen ab obseruatione erunt excusari subditi, saltem quando ad notitiam plurimorum illius prouinciæ quomodolibet peruenerit: quando autem Pontifex neque significat, neque negat opus esse alia publicatione, & non dirigit mãdatum suum de eiusmodi legis obseruatione in partes prouinciarum, aut ad Ordinarios locorum, probabiliter nõ peccabunt tunc Ordinarij non procurantes eius obseruantiam in diœcesibus. Addo præsertim quando putant pro tempore & loco non obuenturũ inde aliquem notabilem fructum, possumus enim interpretari eo casu mentem Pontificis, quod legem quam ex vniuersali ratione nouit certis in locis necessariam, aut vtilem Ecclesiæ vniuersali, sic præscribat vt vbicumque pro tempore & loco fuerit iudicata, similiter fructuosa procuratur ab Ordinarijs publicari & obseruari, ita vt quando hi iudicauerint, suffulti authoritate Apostolica, possint talis legis obseruantiam à fidelibus subditis exigare. Imò non tantùm possint, sed etiam teneantur curare eius obseruationem, quamuis speciale mandatum de eo à S. Sede Apostolica non acceperint, quia de hoc non videtur posse dubitari quin mens Pontificis generalem legem præscribentis sit, quod vbique vbi cũ vtilitate & fructu id fieri potest, curetur obseruari, & proindè ad hoc præstandum obligentur, quibus id ex officio incumbit, vt sunt Episcopi, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Hæc omnia VViggers, & ante illum Malderus etiam in 1. 2. D. Thom. qu. 90. art. 4. dub. 3. §. hæc sententia, vbi sic asserit, quando Papa iudicat non opus esse alia promulgatione præter Romanam, tenetur Ordinarij prouinciarum curare vt seruetur lex Pontificia; si autem Ordinarij non curent, nihilominus vnusquisque obligabitur ad eam obseruandam, modò maior pars populi illius prouinciæ illam sciat & recipiat, aliàs non tenetur; quando autem Papa neque indicat, neque negat opus esse alia promulgatione. & non dirigit mandatum suum de eiusmodi legis obseruatione in partes prouinciarum, aut ad Ordinarios locorum, probabile est non peccare Ordinarios eius obseruantiam non procurantes in sibi subiectis, multo minus ipsos subditos legem eiusmodi non seruantes. Ita Malderus. Sed à supradictis Doctoribus, dum asserunt legem Pontificiam non obligare nisi à populo accepietur, & Romæ publicatam non vbique obligare, multi Doctores dissentiunt, & nouissimè Castrus Palaus tomo 1. tract. 3. disput 1. punct. 12. nu. 2. & punct. 13. num. 3. Tassonus in pragm. de Antifato ver. 13. obser. 2. nu. 20. & alij; quos ego ipse in tract. de leg. adduxi, & hæc opinio est tenenda.

An sit peccatum mortale detegere alterius peccatum notorium notorietate iuris, vel facti in aliqua ciuitate vbi ignorabatur?

RESOL. CXXVIII.

COntra plures negatiuam sententiam docui part. 3. tract. 5. resol. 17. in cuius confirmatione adduxi aliquos Doctores, quibus nunc addo Samuelem Lublinum in sum. cas. consc. ver. fama, nu. 28. vbi sic ait. Infamatum alicubi iuridicè, aut publicè alibi prodere non est mortale, nec vlla restituendi obligatio. Ita ille, & ante illum Emanuel Sà ver. infamare, nu. 5. igitur in tali casu non peccatur contra iustitiam, neque contra charitatem. Sed scio contrariam sententiam multos docere, asserentes tales peccare contra charitatem, sed nostra opinio non est minus probabilis.

An vir consentiente vxore possit ad sacerdotium promoueri si ipsa Religionem non ingrediatur, etiamsi sit iuuenis dummodo voueat castitatem?

RESOL. CXXIX.

NEgatiuam sententiam docet Sotus in 4. distinct. 37. qu. 1. art. 2. post 2. conclus. Coninch de Sacram. disp. 35. dub. 6. n. 32. & Sanchez de matr. libr. 7. disp. 39. nu. 6. vbi sic ait. Si vxor est senex, non suspecta de incontinentia, sufficit votum continentiæ ipsius in sæculo, secus si iuuenis, tunc enim desideratur ingressus ipsius in Religionem. Ita ille, & alij penes ipsum, quod probatur in ca. Episcopus, dist. 77. vbi sic habetur. Sanè si

coniu-

coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum volūtas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo Religione promissa postea quam pariter conuersi fuerint ordinentur. Probatur etiam ex periculo incontinentiæ, quod vxor manens in sæculo, aut etiam vterque incurret, cùm vir iam ordinatus ex antiqua cum ea consuetudine facilè possit inflecti, vt iterum coniuge vteretur, si in sæculo permanentes haberent liberum ad se mutuò accessum.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenet nouissimè Gaspar Hurtado tract. de matrim. disp. 11. diffic. 9. n. 29. vbi sic ait. Vt vir possit ad sacros Ordines promoueri, sufficit, vt contra Sanchez docent Nauarrus, & Sa, si ab vxore castitatem in sæculo voueri e absoluatur à debito thori & cohabitationis, quia in cap. coniugatus, de conuers. coniugat. id tantùm requiritur: quod verò in canone Episcopus, dist. 77. dicatur requiri promissionem Religionis, non obstat quia præterquam quòd id Canon est Concilij Agathensis, quod non fuit generale, nomine Religionis non incongruè intelligitur castitas, vt exponit glossa. Ita Hurtado, & ante illum Basilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 25. num. 7. vbi sic asserit. Denique dixerim, neque antiquo iure, neque nouiori requisitum fuisse vxores eorum, qui ad alios sacros Ordines præter Episcopatum promouebantur, Religionem profiterentur, sed tantùm vt continentiam in sæculo vouerent, siue in senili, siue in iuuenili ætate essent constitutæ. Ita ille, qui explanat omnes textus tangentes præsentem materiam, & hanc opinionem esse probabilem, fatetur ipsemet Sanchez loco citat. n. 2. & ita etiam ego sentio stando in puncto iuris.

Nota etiam cōtra Sotum in 4. dist. 27. q. 1. semper esse necessariam professionem vxoris in Religione, siue sit senex, siue iuuenis, vt possit vir ad Episcopatum promoueri, & ita statutum esse docet Pontius vbi supr. num. 6. in cap. sanè, de conuers. coniugat. Vnde infertur viro effecto religioso, vxore vetula manente in sæculo cum castitatis voto, si vir ad Episcopatum promouendus esset, necessarium fore, vt vxor illa Religionem ingrediatur, vt obseruat Ancharanus in d. cap. sanè, in fine. Et tandem nota contra Maiolum lib. 1 de irregular. c. 34. n. 2. quòd vt possit maritus ad Card nalatum promoueri, non desideratur semper vxoris ingressus ad Religionem; sed non amplius desiderari puto quàm ad Ordines à viro assumendos. Ita Sanch. vbi sup. disp. 41. nu. 4.

An qui viuunt ex officio scribendi, & reuera quotidie scribunt, excusentur à ieiunio.

RESOL. CXXX.

De hoc casu ego olim interrogatus fui, & contra aliquos pro affirmatiua sententia tunc adduxi Ludouicum de San Iuan in luce Sacerdotum, q. de ieiunio, art. 7. diffic. 8. append. 1. vbi sic asserit. [Ha se de aduertir que los escritores que tienen por officio escriuir como los secretarios de los Reyes y otros que huuiere deste trabajo tambien entiendo que quedan afscusados del ayuno, quando por la necessidad del negocio o apretura del tiempo son forçados, porque los que no saben escriuir, piensan que no es trabajo, y en realdad de verdad es trabajo grande, porque aunque parece que solamente trabajan tres dedos, todos los membros cansan, como lo dice Angles] de ieiunio q. 6. diffic. 10.

Tres digiti scribunt, cætera membra dolent. Ita ille. Sed Ioan. Sancius in selectis disp. 54. n. 16. putat, quòd scriba debeat consulere suam imbecillitatem.

An tactus, & oscula inter sponsos de futuro sint licita.

RESOL. CXXXI.

Negatiuè respondet Ioan. Franciscus Suarez in enchir. cas. consc. lib. 7. ver. luxuria. §. osculum, & tactus, & Gaspar Hurtado tract. de matr. disp. 10. diffic. 10. num. 48. quia ex vna parte grauiter opponuntur castitati, & ex altera nondum est matrimonium, quo possint excusari, qui à sponsalibus excusari non possunt, quia sponsalia, quamuis sint inchoatio quædam matrimonij, & prædicti tactus tantùm sint inchoatio quædam copulæ coniugalis, non sufficiunt ad eos excusandos, quia inchoatio contractus non sufficit ad excusādum vsum rei de qua est contractus, quamuis solum inchoatum & imperfectum, quia quousque contractus est perfectus, non traditur dominiū rei; qui autem nondum est dominus rei, nullatenus adhuc imperfectè potest ea vti, vt pote adhuc aliena, quamuis iam sibi promissa Ita Hurtado, cui adde alios, quos citaui io p. 2. trac. 3. miscel. resol. 6.

Sed ego ibi, & meritò, contrariam sententiam docui, com multis Doctoribus, quibus nūc addo Petrum Ochagauiam de Sacram. tract. 1. de matrim. q 1 num. 15. & Syluium in 2. 2. D. Thom. q. 154. art. 4. conclus. 7. & Villalobos in summ. to. 1. tract. 12. diffic. 16. nu. 2.

Notandum est tamen, hoc non procedere inter sponsos de futuro, sub conditione, si Papa dispensauerit, his enim non sunt licita tactus & oscula, quæ sponsis de futuro permissa sunt, ex ratione, quam adducit Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. & Sanchez de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 5. num. 38. & alij penes ipsum, quibus adde Salas in 1. 2. D. Thom. quæst. 78. tract. 13. disput. 6. sect. 16. num. 177. Molfesium in summa tom. 1. tract. 4. c. 15. nu. 13. Villalobos vbi suprà nu. 1. Ludouicum de San Iuan in sum. tom. 1. quæst. 1. art. 8. de sacram. matrim. diffic. 13. at impetrata dispensatione licèt non sit ratificatus prior ille consensus, puto licere illis amplexus & oscula cōmodo quo licet sponsis de futuro quia tunc illa sunt vera sponsalia, vt optimè obseruat & tenet Sanch. loco cit. n. 19. & Prępositus in 3. p D. Thom. q 3. de sacram. matrim. dub. 8. nu. 95.

An filius teneatur contrahere matrimonium, quod pater promisit, an præcepit.

RESOL. CXXXII.

Affirmatiuè respondet Cardinal. Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 19. Rebellius, & Nauarrus penes Hurtadum vbi infrà, dummodo filius non eligat meliorem statum, & quod matrimonium à patre promissum, aut præceptum non sit filio indignum, & hoc deduci videtur ex c. 1. de despons. impub. vbi dicitur, Postquam filius ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet hoc implere.

Sed mihi cōtraria sententia magis placet, quam tenuit Hurtado tract. de matrim. disp. 6. diffic. 9. nu. 32. cum Ricardo, Sanchez & Coninch penes ipsum, qui rationes pro hac firmanda sententia adducit, & recte respondet ad supracitatum cap. 1. nā illa verba omnino debet à glossa & alijs communiter exponi de debito honestatis, non autem præcepti, seu obligationis.

Notandum est etiam contra Bellarminum, Rebellium, & Sotum, licitè filios posse inire hoc, aut illud matrimonium parentibus inuitis, seu resistentibus; erit tamen illicitum contrahere matrimonium illis non certioribus factis, nisi quando filij timent, parentes iniustè impedituros dictum matrimonium, aut quando adest rationabilis causa occultandi parētibus matrimonium, & hæc omnia docet Hurtado loco cit. diffic. 10. nu. 35. & 36. cum Sanchez, Coninch, & Vasquez, vbi etiam docet parentes non posse exhæredare liberos, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium ipsis inuitis.

Non desinam tamen hic adnotare parentes, qui coactione sufficiente ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrere in excommunicationem latam in Tridētino sess. 24. c. 9. Ita contra Lopez & Albornos docet Sanchez de matr. to. 1. lib. 4. disp. 22. Coninch de Sacram. disp. 28. dub. 5. & alij, quia Tridentinum loquitur tantum de dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vnde neque Parochus, neque Episcopus compellerent ad matrimonium, in dictam excōmunicationem incurrerent, quia non habent iurisdictionem in foro externo sæculari. Ita etiam Hurtado diffic. 8. nu. 19. Imò neque Reges & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi deberet vt exprimuntur in eodem Tridentino sess. xx de reformat. cap. 11.

An si alter coniux non cogitet intrare Religionem, possit adhuc duobus primis mensibus non reddere debitum alteri petenti?

RESOL. CXXXIII.

Negatiuè respondet Coninch de Sacram. disp. 26. dub. 4. cōcl. 2. num 46 Hurtado tract. de matrim. disp. 8. difficul. 8. num. 29.

num. 29. & alij, quia ex vna parte statim ac fit contractus matrimonij, traditur dominium corporis alteri, & ex altera parte in cap. 7. de conuers. coniugat. tantum conceditur tempus cogitanti & volenti ingredi religionem vt ingrediatur; ergo qui nõ cogitet ingredi Religionem statim ac fit contractus, tenetur reddere debitum alteri petenti.

Verùm affirmatiuam sententiam docet Præpositus in 3. par. vbi infra Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 24. num. 5. & post illum Basilius Pontius de matrim. lib. 9. cap. 9. num. 7. vbi sic ait. Obseruandum est eius temporis spatio posse vti coniuges, etiamsi nõ habeant animum ingrediendi Religionem, eo enim tempore non tenetur alter alteri reddere debitum, sed licitè negat. Ita ille, & hanc sententiam probabilem esse fatetur Coninch vbi supra.

Sed hic obiter oritur difficultas, an in supradicto casu, quando quis ante matrimonij consummationem vult Religionem ingredi, professio possit emitti ante annum probationis exactum, v. gr. intra dictum bimestre? Affirmatiuè respondet Nauarrus cap. 16. num. 27. ex dicto cap. 7. vbi obligatur coniux intra dictum tempus ad Religionem transire, vel ad coniugium redire: per transire autem ad Religionem, intelligi videtur profiteri, quia in cap. 14. eodem titulo supponitur transitu ad Religionem dissolui matrimonium, & tamen non dissoluitur ingressu, sed professione. ergo, &c. & hanc sententiam probabilem esse, etiam vbi Concilium Tridentinum est receptum, tenet Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thom. quæst. 5. de indissolubilitate matrimonij, dub 6. num. 47. Sed ipse cum communi Doctorum sententia contrarium docet, nempè coniugam bimestri completo non teneri profiteri, sed satisfacere ingrediẽdo Religionem, & tempore solito profitendo, vide Sanchez, Basilium, Coninch, & Hurtado locis cit.

An excusentur à ieiunio apud Typographos prælum versantes, & typos colligentes.

RESOL. CXXXIV.

IAcobus Gordonus in Theolog. morali to. 2. lib. 6. quæst. 18. c. 6. num. 11. non excusat à ieiunio typos colligentes, & meritò, quia non videntur grauem subire laborem; quoad verò versantes prælum, excusat cum formidine; sed ego absolutè sine vllo metu puto supradictos prælum versantes excusari à ieiunio, cùm eorum labor improbus sit.

An dispensatio inter affines, seu consanguineos sit subreptitia, non facta mentione de copula.

RESOL. CXXXV.

PRo affirmatiua sententia multos Doctores adduxi in 1. par. tract. de legibus, resol. 44. quibus nunc addo Petrum Ochagauium de Sacram. tract. 4. de matrim. q. 11. n. 4. Homobonum de exam. Eccles. p. 3. tract. 13. c. 11. q. 24. Filliuctum to. 1. trac. 10. p. 2. c. 12. n. 336. & Tannerum vbi infra.

Sed negatiuam sententiam docent plures Doctores quos ibi citaui, & præter illos hanc sententiam docet etiam ex Dominicanorum familia Ioan. de la Cruz in direct. cõscien. p. 2. de matrimon. § de dispensationibus, dub. 14. conclus. 2. & ex Societ. IESV Gaspar Hurtado de matrimon. disp. 26. difficult. 5. nu. 22. & Ioan. Præpositus in 3. part. D. Thom. quæst. 8. de dispensationibus matrim. dub. 6. n. 61. & hanc opinionem probabilem esse docet etiam ex eadem Societate Adamus Tannerus tom. 4. disp. 8. quæst. 4. dub 9. num. 160. quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione, neque iure præcipitur exprimi, quia non præcipitur iure scripto, vt patet, neque iure introducto, consuetudine, seu stylo Curiæ, cùm non semper exprimatur ex consilio virorum doctorum, quamuis aliquando ex consilio aliorum exprimatur, & quando exprimitur, non est causa motiua ad negandam dispensationem consanguinitatis, aut affinitatis; & quamuis sit causa ad concedendam dispensationem cum aliquibus additamentis, non tamen pertinet ad causam motiuam, quia illa non adduntur pro dispensatione cõsanguinitatis, aut affinitatis, sed in pœnam copulæ expressæ. Congregatio verò Cardinalium, quæ in contrarium adducitur, sequuta est partem probabilem & tutiorẽ, sed forsan non probabiliorem, quò si taciturnitas copulæ habitæ ante commissionem Papę non dirimit dispensationẽ consanguinitatis, vel affinitatis, multo minus dirimet, seu irritabit taciturnitas copulæ habitæ post commissionem Papæ ante expeditionem dispensationis ab Ordinario. Hæc omnia Hurtado loco cit. & Præpositus vbi suprà, etiam docet stylum Curiæ & declarationem Cardinalium procedere in foro exteriori.

Verùm his non obstantibus ego puto in hac quæstione non esse recedendum à sententia affirmatiua in vtroque foro, propter stylum Curiæ, qui in hoc facit ius, non obstante ea, quæ dixi in p. 1. tract. de legibus, sect. 44.

An oscula, quæ fiunt ex delectatione sensibili ex illis consurgente absque alia sinistra intentione & admixtione alterius delectationis de aliquo actu luxurioso, sint peccata mortalia.

RESOL. CXXXVI.

NOuissimè negatiuam sententiam docet Franciscus Syluius in 2. 2. D. Thomæ q. 154. art. 4. conclus. 4. vbi sic ait. Vel delectatio quæ in osculis, & amplexibus sentitur, est merè sensualis, consistens in quadam proportione & conformatione rei tactæ, vel visæ cum organo tactus, vel visus, vt non aliud sit, quàm oblectatio de re blanda, leni, ac molli, vel tenera, quę cõtingitur, vt pulchra, quæ videtur, absque alia cuiuscunque rei turpis delectatione. Vel est delectatio ita sensualis, vt quamuis non versetur circa fornicationem, habeat tamen coniunctã carnis ac spirituum generationi seruientium commotionem. Tactus & oscula quæ fiunt cum sola priori delectatione, non videntur esse libidinosa, ac per consequens nec peccata mortalia, quæ autem fiunt cum posteriori, libidinosa, & mortalia sunt. Prius probari potest, quia nõ videtur esse libido venerea, quando in actu secundum suam speciem non libidinoso, abest omnis cogitatio & intentio etiam implicita voluptatis venereæ, atqui amplexus & oscula nõ sunt secundum speciem suam libidinosa, vt in corpore docet D. Thom. & in eis ponitur abesse omnis cogitatio & intentio venereæ voluptatis etiam implicita, seu interpretatiua, cùm non alia sit delectatio, quàm quod res blanda, mollis, aut tenera. ergo eiusmodi oscula non sunt censenda simpliciter libidinosa. Ita Syluius, & alij penes ipsum, quibus ego addo ex Societate IESV Comitolum in respons. moral. lib. 4. quæst. 20. num. 6. & Ioannem Salas in 1. 2. D. Thom. q. 74. tract. 13. disput. 6. sect. 20. num. 139. vbi has etiam adducunt rationes pro hac firmanda sententia, quia delectatio non est mortalis, nisi obiectum eius sit mortale; sed perceptio illius suauis temperamenti, aut proportionati tangibilis non est mortalis. ergo delectatio, quæ de illa tanquam de obiecto percipitur, non est mortalis, & hãc delectationem esse mortalem, quia est de tactu mortali, manifestè in hoc petitur principium. ergo tactus non est mortalis propter hanc delectationem, sed propter aliam delectationem, vel rem quæ in eo intenditur, per ipsum quæritur, aut ex ipso sequitur, quæ sub peccato mortali vitanda est. Deinde tangere res molles, & suaues, & temperatas propter delectationem inde naturaliter resultantem, non est mortale. ergo nec tangere carnes alienas viriles, vel fœmineas, secluso alio fine, vt periculo. vide etiam Villalobos in sum to. 2. tract. 40. difficult. 9. num. 4. Sed ego puto contrariam sententiam tenendam esse, & in his materijs non esse laxandas habenas. & Filliucius tom 2. tract. 30. c. 9. nu. 179. docet quoad praxim, tactus huiusmodi ob solam delectationem sensibilem assumptos vitandos esse sub peccato mortali, tanquam periculosos adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxuriosi. Vide etiam Sanchez in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 6. nu. 12. qui ex alijs rationibus, & meritò, improbat hanc opinionem, & ante illum Rebellius part. 2. lib. 3. q. 19. sect. 3. per totum.

Notandum est etiam hic obiter, aliquos doctores asserere in supradictis osculis, & tactibus & vniuersim in rebus venereis dari paruitatem materiæ, & ita tenet ex Societate IESV cum aliqua formidine Leonardus Lessius lib. 4. ca. 3. dub. 8. numer 58. & 59. & ex Dominicanorum familia Samuel Lublinus in summula cas. conscient. ver. osculum, num. 3. vbi sic ait. Inter solutos quamuis eiusdem sint sexus, mortale crimen est osculari & tangere, ob solam veneream delectationem ex huiusmodi actibus consurgentem, nisi paruitas materiæ excuset. Ita ille, & alij, quos ego ipse citaui in part. 3. tractat. 5. resolut. 1. Sed ibi, & meritò, contrariam sententiam docui, & iterum

iterum doceo cum Syluio in 2.2. D. Thom. quæst. 254. artic. 4. conclus. 4. in fine.

An coniux in absentia alterius si tangat libidinosè sua membra pudenda, peccet mortaliter?

RESOL. CXXXVII.

OBscœna sunt hæc fateor, sed omnia munda mundis, & Confessarij in omni materia debent discernere inter lepram, & lepram, & scire quodnam sit peccatum mortale, quod veniale. Hanc quæstionem, quia practicabilis est, ego tractaui in 3. part. tract. 4. resolut. 215. & pro negatiua sententia adduxi Thomam Sanchez, cui nunc addo Gasparem Hurtado trac. de matrim. disp. 10. diffic. 10. n. 47. vbi excusat à mortali tactū, quo coniux etiam in absentia alterius tāgit libidinosè sua membra pudenda, quamuis commouenda & alteranda, quando non est periculum effusionis seminis futuræ extra vas, quia etiam illi tactus sua natura ordinantur ad actum cōiugalem, quamuis actu nō referantur ad illud, & ita hanc sententiā docet etiam Petrus Ochagauia de Sacram. tract. 5. de matrim. q. 12. n. 9. in fine, vbi sic ait. Puto etiam vnum coniugatum absentem ab alio sua membra tangentem & commouentem propter solam voluptatem captandam tactus, absq; periculo pollutionis, non peccare mortaliter, quia tactus ille, licèt actu non referatur ad coniugium, satis est eum suaptè natura ordinari ad præsens coniugium, sicut contingit in delectatione morosa. Ita ille.

Et tandem nouissimè etiam ex Societate IESV tamquam probabiliorem tenet hanc opinionem Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thom. q. 6. de bonis matrim dub. 26. nu. 188. vbi sic ait. Petes vtrum coniux possit absque graui peccato seipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam? Negat Vasquez, asserit Sanchez, cuius sententia videtur probabilior, quia talis cōtractus exercetur intra limites matrimonij, estque natura sua idoneus ad copulam licitam; nec ordinatur ad illicitam; ergo nihil per eum committitur repugnās fidei coniugali, aut matrimonij fini, & proinde ex illis capitibus non contrahit malitiam mortalem, quam non potest aliundè contrahere si absit pollutionis periculum. Ita ille. Vnde hanc sententiam, quę priùs pro se solùm Sanchez habebat, nunc habet alios tres patronos; sed tu ne recedas à contraria cum Doctoribus, quos citaui in dicta resolutione, asserentes in tali casu peccatum mortale adesse, nec aliter sentiendum esse puto, quicquid Sanchez, Hurtado & alij asserant.

An sit licitum donare iudicis concubinæ vt intercedat apud illum.

RESOL. CXXXVIII.

REspondet negatiuè nouissimè Sanchez in cons. mor. to. 1. lib. 3. c. vn. dub. 43. nu. 2. quia, ait ille, vtor amore turpi, & eo vt tali mihi patrocinari volo, tū quia ipsa moraliter nequit bene facere, quia ipsam pergere ad alloquendum iudicem est mortale ratione scandali sui, cùm exponat se vehementissimo periculo peccandi & alieni, quia exponit alium eidem periculo, sic mihi & alijs visum est post magnam de hoc altercatione. Hæc Sanchez, quod antea docuerat in summ. to 1. lib. 1. c. 7. nu. 38. satis quidem probabiliter

Sed ego non minus probabilē affirmatiuam sententiam esse existimo, si negotium graue sit, videasque iudicem non tibi esse propitium, speres autem intercessione concubinæ gratum fore, neque alia via appareat quo possis illum ad seruādum tuum ius inflectere; quia non petis aliquod quod ipsa licitè præstare non possit, nam licèt illa intercessione iudex, vel concubina foueant turpem amorem, hoc tu non intendis; neque vllius momenti est causæ. Nam stante illa intercessione, adhuc iudex & concubina poterant à praua voluntate se continere. ergo intercessio de se mala non est, quòd verò media illa intercessione concubina & iudex periculo peccati exponuntur, non obstat quo minus id licitè fieri possit vrgente graui causa, qua licitum est ob grauem causam sæpè periculo peccandi te exponere; quia periculum peccati in tali casu non est peccatum, & hæc omnia docet Castrus Palaus to. 1. tr. 6. disp. 6. punct. 15. n. 2.

An sit contractus vsurarius vendere alicui fundum, seu domum, & reseruare sibi fructus annuales, vel redditus donec soluatur pretium?

RESOL. CXXXIX.

HVnc contractum esse vsurarium responderunt anno 1575. Patres Societatis IESV Pœnitentiarij Papæ apud S. Petrum, P. Lucius de la Croce, P. Vsmarus, P. Ledesma, P. Costa, P. Lanoya, P. Bosesus, P. Leo, P. Aegidius, P. Parra, & ita testatur Io. Baptista Antonucius in institut. Neapolitana libr. 5. c. 21. vbi etiam adducit alios Canonistas & Theologos, qui interrogati de hoc casu affirmatiuè responderunt, & sic etiam docet Syluester ver. vsura, quæst. 11. D. Antonin. part. 2. tit. 1. c. 7. §. 20 Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 11. art. 2. concl. 4. Maior ibid. Armilla verb. vsura, num. 15. Rosella verb. vsura 1. nu. 47. Plotus in l. si quando, C. vnde vi, num. 451. & alij, quorum sententia satis est probabilis, quia dum transfertur dominium, res debet fructificare domino suo, cuius periculo subſtat. Adde quod in hoc casu accipitur aliquid ratione dilatæ solutionis, quod est vsura.

Verùm his non obstantibus negatiuam sententiam probabilem & tutam in praxi esse existimo, quàm mordicus docet Couarruu. lib. 3. var. cap. 4. plures referens, & nouissimè hanc sententiam tenet Sanchez in opusc. to. 1. lib. 1. c. 7. dub. 21. n. 3. Tabiena ver. vsura n. 9. & Ludouicus Mexia in leg. Toleti p. 2. fundam. 2. n. 12. f. mihi 145. quia, ait ille, vsuras (si sic eas vocemus) quas venditor in nostro casu, percipit, non sunt veræ vsuræ, sed rei propriæ prosecutio, quæ deducitur ab æquitate iustitiæ cōmutatiuæ, quæ in æqualitate consistit, quod quatenus vnus cōtrahentium implet, debeat alter vicissim implere, aut implenti soluere lucrum implementi recepti, ne sequatur inæqualitas inter commutantes proprias res. nam si emptor fructus percipit rei emptæ, nondum soluto pretio, iustum est, vt pretij vsuras vsque ad fructuum quantitatem venditori soluat, qui ei rem tradidit liberè, cùm ei tradere pretio non soluto minimè teneretur, vsuræ enim recompensatoriæ omni iure admittuntur, quia dantur in recompensam eius, quod iustè competebat, & debitum erat eas recipienti, quodque ipse iustissimè habiturus erat. Ita Mexia, quem sequitur Sanchez loco cit. cū multis Doctoribus. Igitur in tali casu licet vendere fundum, vel domū & tradere reseruando sibi fructus, vel redditus, donec soluatur domus, vel fundi pretium, licet emptor non sit in mora soluendi pretium tempore statuto, & licet venditor ex pretio statim soluto nihil lucraturus esset, quia, vt dictum est, in nostro casu hæ vsuræ non dantur vt lucrum pretij non soluti, nam hoc esset vsura, sed dantur in compensationem, & vt seruetur æqualitas: cùm enim venditor impleat tradendo rem, debet emptor vicissim implere tradendo preciū, vel implenti soluere fructus rei receptæ, ne sequatur inæqualitas. Ex quibus patet responsio ad argumenta cōtraria, ideò ad primum dico, verùm esse si dominus solueret pretium rei fructiferæ sibi venditæ. Ad secundum respondeo, quod fructus & redditus in nostro casu non recipiuntur ob dilationem solutionis, sed in compensationem, modo quo supra explicatum est.

An legatum relictum pro orphanis maritandis possit distribui habentibus parentes pauperes & inutiles, vbi etiam multa de legatis?

RESOL. CXL.

NEgatiuam sententiam mordicus tenet nouissimè Thomas Sanchez in consil. tom. 2. libr. 4. cap. 2. dub. 13. num. 2. quia in dispositionibus testamentorum verba propriè sumenda sunt, & alias rationes adducit, propter quas hæc opinio efficitur satis probabilis.

Sed cōtrariam probabilem etiam esse existimo, quam docui in 2. part. tract. 2. Miscellan. resol. 52. cum Ildephonso Lara, & ita hanc affirmatiuam sententiam, me citato, tenet etiam Ioan. Maria Nouarius in editione nouissima de elect. fori sect. 2. q. 7. num. 3. & ita in praxi obseruatum scio a doctis Iurisconsultis. Nota etiam quòd dictus Nouarius docet legatum distribuendum, siue eleemosynam diuidendam inter viduas pauperes posse dari mulieribus habentibus viros inutiles, quia priuilegia concessa viduis extenduntur ad habentes viros inutiles,

sed

sed hoc negat etiam Sanchez vbi supra.

Notandum est hic obiter primò quòd legatum pro maritandis puellis dari potest etiam viduis, quando nullæ sunt puellæ ætate nubiles quibus possit legatum dari, tunc enim ex verisimili testatoris voluntate ita credendum est ne tam pium opus differatur. Ita Aloysius Bariola in aphorism. lit. L. ver. legatum, qui citat Sanchez de matrim. to. 2. lib. 7. disp. 91. n. 56. & 57.

Nota secundò contra Panormitanum in c. fin. de testam. nu. 2. & alios, legatum pro fabrica Ecclesiæ relictum posse expendi pro ornamentis, & alijs cultui diuino necessarijs. Ita Couarruu. in d. c. fin. de testam. num. 4. Altamiranus tract. de visitat. §. sed Episcopus, nu. 11 & alij.

Nota tertiò legatum relictum pro liberatione incarceratorum, quolibet anno posse expendi in impediendo, ne quis in carcerem detrudatur, quando certum est proximè detrudendum nisi legato illi subueniatur. Ita Sanchez vbi suprà, in opusc. to. 2. lib. 4. cap. 2. dub. 9. n. 2. vide etiam Medinam in 3. part. q. 53. art. 3.

Nota quartò contra Berouum in cap. t. de constit. num. 254. Peraltam in l. cum pater, § à filia, ff. de legat. 2. num. 2. & alios, legatum post quatuor menses, v. g. largiendum pauperibus posse distribui ante diem & tempus designatum. Ita Couarruuias in cap. t ia, de testam. num. 5. Padilla in l. vnum ex familia, ff. de legat. 2. num. 12. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 4. leg. 14. glossa 1. à nu. 37. vsque ad 45. Mantica de coniectur. vlt. volunt. lib. 8. tit. 5. n. 20. & alij, & ideo Sanchez loco cit. dub. 12 n. 4. docet ex multis, quòd si quis legauit annuum censum singulis annis pauperibus distribuendum iuxta beneplacitum suorum testamentariorum, posse ipsos semel totam illam quanotatem cū suis redditibus distribuere, applicando illam, v. gr. alicui Hospitali, vel Monasterio vt illis fruatur in perpetuum.

Nota quintò, legatum factum naturalibus v. grat. Panormi posse dare ijs, qui ibi habitarunt decennio, licèt aliundè sint oriundi, si non constet de animo non habitandi ibi perpetuò. Ita Sanchez loco cit. dub. 19. num. 1. vide etiam Burgos. de Paz in leg. 3. Taur. n. 372.

Nota sextò quòd licèt legatum relictum pauperibus, dandum sit pauperibus loci testatoris, nisi testator reliquerit heredi facultatem eligendi pauperes quos voluerit. Probabile tamen est etiam simpliciter posse dari pauperibus extra patriam, Ita Homobonus in consult. mor. vol. 2. part. 5. respons. 29. vbi citat Tuscum & alios.

An dominus compellendo famulum in die ieiunij ad opus incompatibile ratione laboris cum ieiunio peccet mortaliter si illud opus possit commodè differri in alium diem?

RESOL. CXLI.

Respondet affirmatiuè Nauarrus in summ. cap. 21. num. 27. Gabriel in 4. dist. 16. qu. 3. art. 1. & alij. Ratio est, quia eis impediunt obseruantionem præcepti, ad quam parati sunt. Idem etiam docet Richardus in 4. dist. 15. qu. 4. art. 3. Paludanus ibid. art. 2. & alij.

Sed contrariam sententiam docet Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 9. nu. 2. putat etiam nec ipsos famulos, nec dominos peccare in hoc, etiam venialiter, quia ipsi famuli potuerunt licitè locare operas suas ad inseruiendum, prout ipsis iniunctum fuerit, & ipsi domini possunt illos occupare in talibus laboribus, prout se obtulerunt, nec tenentur sub peccato obseruare, an sit dies ieiunij, licèt sit illis consulendum, vt id obseruent quando sine vllo incommodo id potest fieri; sic docti iuniores. Hæc Sanchez, & ideò Fagundez præc. 4. lib. 1. c. 8. nu. 16. docet non peccare, neque venialiter, eos, qui operarios conducunt, vt cauatores, agricoltores, messores &c. cum pacto & conditione vt eo die, quo suo labori incumbunt, non ieiunent, quia operarij non tenentur ieiunare; ergo quamuis conductores prædicto pacto illis impediant ieiunium, nō impediunt impletionem præcepti. Secundo, quia minus laborant ieiunando, quam non ieiunando, ergo ne damnum patiatur, licitè possunt apponere tale pactum, & hoc alibi ego etiam docui.

An famuli inseruientes dominis frangant ieiunium comedendo gulosè fragmenta ciborum?

RESOL. CXLII.

Hic casus passim accidit, & ad illum affirmatiuè olim respondit quidam Confessarius, sed negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam docet Sanchez in opusc. to. 2. li. 5. c. 1. dub. 24. nu. 3. vbi sic asserit. Famuli qui inseruiunt mensis dominorum, nō frangunt ieiunium comedendo gulosè ex ijs, quæ de mensa tollunt, si statim post dominos suos sint comesturi, quia totum reputatur vnica comestio, & possunt illo modo incipere comestionem. Ita ille, qui etiam antea num. 2. docuerat, seruitores & lectores ad mensam posse assumere aliquid ante talem lectionem, vel seruitium, non tantùm per modum medicinæ vt possint debitè exequi officium, sed etiam per modum cibi & sustentationis; & ad subleuandam famem, licèt nullam habeant necessitatem quia possunt tunc velle incipere comestionem, & finito seruitio, vel lectione perficere. Hæc Sanchez, sans quidem probabiliter.

An Episcopus in aliena diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam tonsuram?

RESOL. CXLIII.

Negatiuè respondet Campanili in diuer. iur. can. rubr. 6. ca. t. num. 2. Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 6. nu. 15. & nouissimè Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. nu. 2. ex iure nouo Concil. Trident. sess. 6. c. 5. de refor. vbi prohibentur Episcopis in aliena diœcesi Pontificalia exercere absque Episcopi diœcesani licentia.

Non desinam tamen hic adnotare contrariam sententiam etiam post Concil. Tridentinum docere non ignobiles auctores, & ideo præter Doctores, quos citat & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 3. q. vnic. punct. 2. nu. 13. tenet hanc opinionem Azorius p. 2 lib. 3. c. 48. q. 5. Fornarius de sacram. Ordinis, c. 5. §. 4 notab. 4. Molfesius in summ. to. 1. tract. 2. c. 2. n. 15. & nouissimè Mauritius Alzedo in praxi Episc. p. 2. cap. 5. nu. 18. asserentes posse Episcopum extra diœcesim sine licentia Ordinarij proprijs subditis primam tonsuram conferre, quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines; sed prima tonsura non est Ordo, sed initiatus ad Ordines; & solet concedi sine exercitio Pontificalium? ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter quod ego in 2. p. tract. 6. resol. 35. docui, Episcopum in aliena diœcesi non posse celebrare Missam in Pontificalibus cum baculo & mitra absque licentia Ordinarij. Verùm contrariam sententiam probabilem putat Paulus Layman in quæstionibus Canonicis c. 17. n. 224. & absolutè illam tenent Io. Vanshel in Clem. de priuileg. fol. mihi 355. col. 2. & nouissimè Mauritius Alzedo in praxi Episc part. t. cap. 13. numer. 88. qui plures alios citat, sed tu ne recedas à nostra sententia, quam consuetudo confirmat, & docet nouissimè Gauantus in enchir. Episc. ver. functiones Episcopales, nu. 11. qui citat Riccium.

An Episcopus inuitatus ad ordinandum in aliena diœcesi possit ibi ordinare non solùm suos subditos, sed etiam alienos, literas dimissorias suorum Episcoporum portantes?

RESOL. CXLIV.

Non posse sine noua & expressa licentia Ordinarij, seu Capituli a quo inuitatus est ad ordinandum, tradit Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 4. n. 64 & Miranda in manuali Prælat. to. 1. q. 38. art. 3. concl. vnic. ex Concil. Trident. cap. finali, ses. 6. de reform.

Verùm contrariam sententiam tenet Venerus in exam. Episc. lib. 1. cap. 12 num. 52. & Nauarrus, Toletus Fornarius, quos citat, & sequitur nouissimè Mauritius Alzedo in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. numer. 30. qui respondet ad locum Tridentin. asserens quod loquitur de Episcopo ordinante in aliena diœcesi ratione priuilegij sibi dati à Papa ad conferendos Ordines in aliena diœcesi, nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non poterit; secus

secus autem in casu nostro, quando Episcopus est inuitatus ab alio Episcopo ad Ordines celebrandos generales, nam potent ordinare ibi Clericos sibi subditos, & etiam aliarum diœcesium, si literas dimissorias habeant, neque ad hoc requirere tenetur aliam licentiam Episcopi vbi celebrat, sed sufficit generalis quam habet. Ita Alzedo loc. cit.

An famulus familiaris Episcopi, qui tamen eius expensis alitur possit ab illo ordinari, & gaudeat priuilegio Concil. Trid. sess. 23. cap. 9. de reformat.

RESOL. CXLV.

HIc casus est curiosus, & practicabilis, quem tamen apud paucos auctores inuenies, pro quo suppone ex dicto Concilio Trident. posse Episcopum ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante illi conferat, hoc supposito ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Sanchez in opusc. tom. 2. libr. 7. c. 5. dub. 20. num. 24. vbi sic ait. Familiares, vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi alũtur, dicuntur familiares Episcopi, & fruuntur priuilegio dicti ca. 9. Tridentini. pro hac sententia est Mandosius reg. 3. Cancell. qu. 56. vbi dicit, familiares familiarium Cardinaliũ frui priuilegio familiarium Cardinalis, & adducit etiam Salizetum, Oldradum, & Henriquez.

Notandum est etiam hic obiter contra Petrum de Ledesma in sum. to. 2. de sacram. ordinis, c. 5. post 9. concl. quòd si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, potest statim suum ordinare familiarem, non expectato triennio, quia tunc non ordinat prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi, sicut si daret beneficium cuicumque extraneo, posset illum statim ordinare, quia acquirit ibi domicilium, iuxta cap. 3. de temp. ordin. in 6. Ita Sanchez vbi supr. nu. 25. consultus cum Henriquez, quorum doctrinam ego assero etiam procedere, vt patet in famulo familiaris Episcopi.

An si quis recipiat beneficium per simoniam, vel si sit irregularis, teneatur dicere Horas canonicas, & qua quantitas redituum beneficij obliget ad Horas.

RESOL. CXLVI.

ADhunc casum ita respondet Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 63. nu. 5. Si aliquis recipiat beneficium per simoniam, vel existens excommunicatus, vel irregularis, vel non habens legitimam ætatem, vel in alio casu in quo collatio est nulla, non tenetur recitare Horas canonicas, quia nõ habet titulum verum beneficij, nec facit fructus suos; sic quidam neotericus valdè doctus, qui ita resolutum fuisse Salmanticæ à Patribus Societatis dicit, & benè aduertit, quod si hic deberet petere in his casibus reualidationem, & fructuum compositionẽ, si non recitauit, debet etiam explicare illam conditionem in compositione, aliàs tenebitur iterum componere se de fructibus ob illam causam. Ita ille. qui etiam vbi supra dub. 57. nu. 5. respondet ad secũdum quæsitum, de quo etiam nos alibi, & sic asserit. Quãdo fructus beneficij excedunt decem & sex aureos, beneficiarius tenetur recitare, sic dixerunt quamplurimi recentiores, maximè docti Magistri a me consulti, & alij viri ex neotericis Magistris in suis scriptis; fauet Sotus de hac re consultus, quia quamuis ponat pro bona parte sustentationis, quando fructus sunt octo aurei nummi, at his temporibus minus sunt decem & sex aurei, quàm ab hinc triginta annis, quãdo scripsit Soto, octo aurei. cùm res modò multo cariori pretio venundẽtur. Immò P. Doctor Henriquez retulit mihi, quòd consultus Soto de beneficio, cuius redditus erant decem & sex nummi aurei, respondit non obligare ad recitandum, & quidam maximè doctus recentior dixit, non minus quàm viginti aureos obligare. Ita Sanchez. Licèt nouissimè Castrus Palaus tom. 2. disp. 2. punct. 1. §. 2 nu. 9. doceat, beneficium exiguos fructus habens obligare ad recitationem Horarum; sed opinio Sanchez est probabilis, de qua etiam ego alibi.

An priuilegium quorundam Abbatum conferendi Ordines Minores duret adhuc, non obstante Concil. sess. 23. cap. 20. de reformat.

RESOL. CXLVII.

REspondet negatiue Henriquez libr. 14. c. 18. n. 2. & in glossa lit. P. quia hoc clarè videtur determinare Concil. Trid. vbi suprà. Et ita hanc sententiam docet etiam Gauantus in enchir. Episc. ver. Abbas, nu. 31. vbi sic ait. Abbas non potest conferre Ordines minores, neque primam tonsuram non sibi subditis ex Concil. Trident. Ita ille, & nouissimè Mauricius Alzedo in praxi Episc. p. 2. c. 5. nu. 78.

Verùm nouissimè Thom. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 19. n. 20. affirmatiuam sententiam putat probabiliorem, & ideò docet priuilegium concessum Abbatibus non reuocare Concilium Tridentinum, quia hoc priuilegium est concessum à VII. Synodo generali c. 14. & habetur in c. quoniam, dist. 69. at reuocatio decretorum Concilij sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio his verbis, non obstante aliqua lege, vel constitutione etiam in Concilio generali statuta, vt colligitur ex cap. ex parte, & c. vlt. de capellis monach. ca. eam te. de ætat. & qualitate, cap. nonnulli, de rescript. & tenet Couarr. 4. var. cap. 16. nu. 6. Archidiaconus cap. 1. de constitut. in 6. Felinus cap. nonnulli, de rescript. Alexander cons. 187. lib. 1. Iacobatius, tract. de Concilijs, libr. 5. art. 18. & per hoc dicit Nau. in summ. cap. 27. nu. 165. priuilegium concessum Religiosis in Clem. dudum, de sepult. quia est Concilij generalis, quod scil. si sine iusta causa repellantur ab Episcopo, censeantur approbati, non derogari per Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. decernens non posse Regulares audire confessiones, nisi sint approbati ab Episcopo, quia Tridentinum ibi dicit, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs*, & non dicit expressè, non obstante decreto Concilij generalis. Cùm ergo in nostro casu Tridentinum vbi supra tantùm dicat, *non obstante quocumque priuilegio*, nec dicat, non obstante decreto Concilij generalis, non censebitur reuocatum tale priuilegium Abbatibus concessum in VII. Synodo generali. Item, quia priuilegium hoc Abbatibus concessum, est insertum in corpore iuris, cap. cùm contingat, de ætate, & qualit. ca. Abbatibus, de priuileg. in 6. at in generali priuilegiorum reuocatione, qualis est, quæ fit in dicto loco Tridentini, non comprehenditur priuilegium insertum in corpore iuris. Ergo non censetur reuocatum hoc priuilegium, & ita ego hoc tempore vidi titulum de prima tonsura Abbatis Benedictini, qui ordinauit sæcularem plenè sibi subditum cum Notarij testimonio, quod sic solet facere. Hæc omnia Sanchez, satis quidem probabiliter, si nõ obstaret declaratio Cardinalium in contrarium, quam adducit Quaranta in ver. ordo. Sed Lector circa præsentem quæstionem non desinat videre Gratianum in discept. forens. tom. 2. c. 312. per totum, & Flores de Mena in qq. var. lib. 2. qu. 24. per totam.

Nota etiam quòd Sanchez vbi suprà, dub. 21. num. 6. contra Hẽriquez, Rodriquez, & alios docet supradictos Abbates posse suis subditis sæcularibus dare literas dimissorias ad Ordines, neque hoc priuilegium derogare Concilium Tridentinum, & ita etiam tenet Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. disp. 2. q. 7. nu. 1.

An dicatur Episcopus originis in cuius diœcesi natus est pater Clerici ordinandi.

RESOL. CXLVIII.

NEgatiuam sententiam docet Emanuel Rodriquez, quem citat & sequitur nouissimè Mauricius Alzedo in praxi Episcoporum p. 2. n. 44.

At ego contrariam sententiam teneo cum nostro P. Molfesio in summ. to. 1. tract. 2. cap. 2. nu. 7. vbi sic ait. Quatuor modis quis dicitur subditus Episcopo vt possit ab illo ordinari. Primò ratione originis: secundò ratione domicilij: tertiò ratione beneficij: quartò, ratione familiaritatis. Primò igitur ratione originis potest quis ordinari ab Episcopo, vt si ipse, vel eius pater natus sit in loco diœcesis illius. Ita ille, qui probat hoc ex glossa, & alijs Doctoribus, quibus ego addo Barbosam de potest. Episcop. part. 2. alleg. 4. num. 7. & alios penes ipsum. Et ideò Sacra Congregatio Concilij die 19. Decembris 1599. & 12. Augusti

gusti 1628. & 7. Aprilis 1629. declarauit, quod quis ordinari potest ab Episcopo originis paternæ, tametsi pater tempore natiuitatis illius filij ad aliam diœcesim iam transtulerat domicilium.

An Canonici confabulantes dum Chorus cantat, lucrentur distributiones quotidianas.

RESOL. CXLIX.

PRo negatiua sententia adduxi in 1. p. tract. 12. de horis canonicis, resol. 7. Suarez, Sotum, Arragonium, Moneram, Cenedum, & alios, tamen aliqui, vt ibi aduotaui, affirmatiuam sententiam asserunt, cuius probabilitatem alijs iudicandam reliqui; sed modò assero dictam affirmatiuam sententiam esse probabilem, & ideò nouissimè illam tuetur Thomas Sãch. in opusc. to. 2. lib. 2. c. 2. dub. 100. n. 2. vbi sic ait. Canonici non attendẽtes, imò confabulantes in choro, lucrantur distributiones, nam dantur Canonicis pro assistentia in choro, & vt chorum sua præsentia authorizent; item quia sic vsu receptum est. Hanc sententiam tenet Henriquez à me consultus, & quamplurimi ex neotericis admodum docti Magistri, & hæc videtur mihi probabilior. Ita Sanchez.

Ex his infertur contra Petrum Nauarram lib. 2. de restit. c. 2. num. 224. & 225. & Petrum de Arragon. in 2. 2. D. Thom. qu. 83. art. 13. in fine, Canonicos qui assistunt choro, licet nec in choro, nec priuatim recitent Horas canonicas, non teneri restituere distributiones quotidianas, quia dictæ distributiones dantur pro assistentia in choro, & sunt stipendium illius assistentiæ. ergo. Deinde in Concilio Lateranensi non recitantes tantùm obligantur ad restituendos fructus beneficiorum. sed distributiones non includuntur sub nomine fructuum. ergo. Ita Sanch. vbi supra dub. 101. nu. 2. & alij docti recentiores, & hæc sententia mihi videtur satis probabilis.

Notandum est etiam hic obiter contra Syluestrum verb. hora, quæst. 10. Angelum eodem ver. nu. 25. & 26. & alios, Canonicos nõ assistentes in choro, non recipientes distributiones quotidianas, non peccare mortaliter, nisi sequatur detrimentum cultus diuini. Ita Sandoual lib. de offic. Eccles. p. 5. ca. 8. Tabiena ver. Horæ, num. 28. & alij. Imò in tali casu nullo modo peccare, nisi, vt diximus, sequatur detrimentum cultus diuini, putat Medina in 1. 2. qu. 6. art. 4. ad 2. Verùm si absque iusta causa Canonicus in tali casu abesset à choro, peccare tantum venialiter, docet Sanchez loc. cit. dub. 112. nu. 6.

An sit simonia permutare res spirituales, dummodo non sint beneficia?

RESOL. CL.

VT, v. gr. si Monachus dicat alteri, Elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem: vel si aliquis dicat, Faciam, pro te Sacrum, & tu fac pro me; audiam tuam confessionem, si tu audis meam, &c. affirmatiuè respondet Richardus in 4. dist. 25. art. 3. q. 1. ad 1. Syluester ver. simonia, quæst. 16. in fine, Tabiena eodem ver. q. 45. n. 46. Armilla n. 42. & Petrus Nauarra de restitut. lib. 2. cap. 2. nu. 386. nisi prædicta commutatio, ait Lopez in instruct. p. 1. cap. 299. fieret ex beneuolentia & gratitudine absque aliqua obligatione.

Verùm contraria sententia docet in his casibus nullam adesse simoniam, quia iura prohibent commutationem beneficiorum; ergo cùm sint pœnalia, non debent extendi, & sic intelligendus est textus in c. quæsitum, de rerum permut. Confirmatur, quia simonia est commutatio rei spiritualis pro temporali, sed in dictis casibus, vel similibus, nil est temporale. ergo non potest esse simonia. Ita Arragon. in 2. 2. q. 100. art. 1. Sotus lib. 9. de iust. q. 5. art. 2. ad 3. Victoria in relect. de simonia, n. 17. & hæc omnia docet nouissimè Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 44. n. 3. vbi asserit ita sentire doctos recentiores.

Vnde ex mente supradictorum Doctorum infertur corruere ea, quæ tamquam certa asserit Peregrinus ad nostras constit. p. 3. c. 1. lit. I. §. 2. ver. sexto & septimo, quia in casibus quos ipse ibi ponit, non commutatur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali, & illa officia licet sint spiritualia, non sunt tamen beneficia, vt supponit Peregrinus, nam multi, vt infrà videbimus, contrarium docent. & ita cõtra Lopez docet Sanchez loco cit. num. 4. vbi sic ait, Hinc excusantur à simonia Monachi conuenientes inter se, Elige me in Prouincialem, & ego te eligam in Priorem; quia licèt hæc officia sint spiritualia, at nõ sunt beneficia, sic docti iuniores. Hæc Sanchez.

Sed licèt hæc opinio sit probabilis, ego tamen contrariam teneo, per ea quæ dixi in 3. p. tractat. 2. resolut. 125. & licèt hoc efficere non esset simoniacum, esset tamen damnabile, ex alijs rationibus.

An sit simonia dare pretium cuidam tertio vt intercedat apud alterum, vt ipse intercedat apud collatorem beneficij, vt beneficium illi conferat.

RESOL. CLI.

AD huiuc casum ita respondet Sanchez in opusc. tom. 1. libr. 2. cap. 3. dub. 26. num. 7. Si daretur pretium cuidam tertio, vt intercedat apud alterum cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, vel iste tertius obsecret vt detur illi beneficium, hoc nõ est illicitum, & nullo modo est simonia; quia datur pro re merè temporali, nec paratur via immediatè & proximè ad beneficium; sic Gabriel Vasquez disputato casu Matriti, & alij iuniores dicunt hoc esse probabile, licèt sentiant oppositum esse probabilius, & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo Auditoris, vt obsecret suum herum vt me proponat Regi ad beneficium, quia Auditores non præsentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantùm consultiuum, & sic non paratur via immediatè ad beneficium: secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, vt precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret vt me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni. Sic docti recentiores. At licèt hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum. Ita Sanchez. Igitur secundum hanc supradictorum DD. sententiam non est simonia dare pretium Paulo vt intercedat apud Petrum, vt ipse Petrus intercedat pro me apud Ioannem collatorem beneficij, vt mihi tale beneficium conferat. Sed affirmatiua sententia videtur mihi sequenda, & an contraria sit probabilis, vt asserunt Vasquez, Sanchez, & alij iuniores, remitto iudicio aliorum. Non desinam tamen hic apponere verba Turriani in select. disp. cent. 2. censur. Theol. dub. 75. vbi sic ait. An sit probabile asserere, quòd pro intercessione beneficij spirituali comparandi potest dari pretium: Aliqui referuntur ita sentire, mihi tamen hæc doctrina displicet, neque audeo dicere esse probabile placitum. Ita ille, qui potest intelligi quando datur pretium mediato intercessori cum ipso collatore beneficij, ideò totum relinquo iudicandum doctioribus, vt superiùs dixi.

Notandum est etiam hic, quòd secundùm aliquos probabile est esse tantùm simoniã de iure humano dare pecunias mediatori pro intercessione ad beneficium, quia reuera hic non emit beneficium, sed illam intercessionem, quę videtur quid temporale, vnde sequitur, quòd cum quis pretio dato pro intercessione mediante tali intercessione obtinuit beneficium, non incurreret omnes pœnas simoniæ, & sic valere collationem beneficij, nec alterum teneri restituere pretium, quia satis est probabile per simoniam de iure humano, qualis est hæc, non incurri has pœnas. Nec obstat Extrauagan. 2. de simonia, vbi excommunicatur mediator in simonia, quia hic intercessor non est mediator, non enim offert alicui pretium vt conferat beneficium, sed ipsemet est, qui simoniam contrahit, vendendo suas preces ad beneficium, & hæc omnia docet Sanchez loco cit. n. 10. quæ iudicanda etiam doctoribus relinquo.

Et tandem pro coronide huius resolutionis ponam pro curiosis pulchrum dubium. Petrus prætendebat quoddam beneficium curatum, & fecit cum Paulo, vt vulgò dicitur, *vna scommessa*, quòd si obtineret illud beneficium, dabit Paulo vncias ducentas; si verò illud non obtineret, Paulus illas dabit ei: sed hoc facto, postea Paulus intercessit pro Petro, & obtinuit beneficium; quæritur, an in hoc casu intercesserit simonia? Responsio huius dubij clarè colligitur ex his quæ adducit Sanchez vbi supra n. 12. adi illum, & non pigebit.

Et idem Sanchez dub. 28. nu. 7. & 8. docet quòd seruire Episcopo intendendo vt conferat beneficium non tãquam pretiũ seruitij, sed ex gratia & beneuolentia causata ex seruitio, non est simonia, & licèt aliqui limitent, modò non intendat seruire principaliter ob beneficium; at verius est etiam in hoc casu non esse

esse simoniam, si non vt pretium intendatur. Immò licèt valde scrupulosum sit, & suspicione simoniæ non careat, si quis seruiat Episcopo gratis, eo quòd speret ab ipso beneficium; at si non speret vt mercedem seruitij, sed gratis & ex beneuolentia, licèt principaliter speret beneficium, non est simonia: Et licèt aliqui dicant esse simoniam si detur beneficium ad exonerandum se ab obligatione antidorali, seu quæ oritur tantum ex virtute gratitudinis, vt si Prælatus det alicui beneficium, hoc expresso, quòd ea collatio fit in remunerationem, & ad tollendam obligationem, quia ad antidorale debitum tenebatur; at verius est non esse Simoniam, sed licitum, quia debitum antidorale non est propriè debitum, nec pecunia æstimabile. Ita Sanchez. Verum penes ipsum Butrius, Panormitanus & alij in hoc vltimo contrarium sentiunt.

An si elector inclinet ad eligendum indignum, vel minus dignum possit dignior pretio redimere hanc vexationem.

RESOL. CLII.

Respondeo negatiuè, quia est simonia redimere pecunia vexationem, dum quis habet tantùm ius ad rem, vt si quis iniustè vexetur, ne detur sibi collatio beneficij, nam cùm adhuc beneficium non sit suum, paratur pecunia via ad obtinendum beneficium, sed totum hoc accidit in casu nostro. ergo, &c.

Non desinam tamen hic adnotare secundum opinionem Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 30. nu. 7. esse satis probabile simoniam in hoc casu non esse de iure diuino, sed humano, vnde per eam quæ dictus Sanchez dixerat antea in dub. 26. num. 9. & 10. valeret collatio dicti beneficij, nec alter teneretur restituere, hæc, vt dixi, procedunt in opinione Sanchez; qui tamen fortasse loquitur de pretio dando alicui tertio, cui infert vexationem.

Notandum est etiam hic obiter, quòd licèt aliqui probabiliter asserant quòd facta collatione beneficij, si quis iniustè impediatur accipere possessionem, non potest pecunia hanc redimere vexationem, quia possessio beneficij quid spirituale est: at probabilius est licere, quia tota spiritualis possessionis est ratione tituli, in quo habet ius in re acquisitum per collationem. Ergo, &c. Ita Sanchez vbi suprà dub. 30. n. 11.

An liceat vendere & redimere pensiones.

RESOL. CLIII.

Negat Arragon. in 2. 2. qu. 100. art. 4. Henriquez lib. 13. cap. 13. n. 2. Nauarrus, Beia, Rebuffus, Salzedo, Lopez, Rodriquez, Corduba, & alij, quos citat Sanchez vbi infrà, pro hac sẽtentia plures adducens rationes; hæc sententia est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse puto. Dico igitur quòd omnes pensiones possunt pecunia redimi dempta ea, quę datur in titulum beneficij ob aliquod ministerium spirituale futurum, coadiutori Episcopi, vel Parochi senis. Ita Sanchez in opusc. to. 2. lib. 2. c. 3. dub. 46. n. 19. Ex his

Infertur primò pensionem, quæ solet assignari seni renuntiãti beneficium ob labores præteritos exhibitos, posse redimi, quia non datur ad exercẽdum aliquod ministerium spirituale, sed tanquam alimentum illius Clerici, & sic est temporalis.

Infertur secundò pensionem quæ datur Clerico pauperi, etiã posse redimi, quia est merè temporalis, non enim datur pro ministerio spirituali, sed tantùm in alimentum, vnde clericatus & Ordo facet tantùm se habet concomitanter.

Infertur tertiò pensionem quæ conceditur in renunciatione & commutatione beneficiorum, cùm scilicet quis commutat beneficium pinguius, reseruata pensione, aliqui tenent esse simoniam, eã redimere; sed satis est probabile posse redimi, quia hæ pensiones sunt mere temporales, nam iam sunt extractæ a titulo & officio spirituali. Idem dicendum est de pensionibus quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio de illis quæ dantur personis omnino sæcularibus, vt Principibus, militibus, &c. vel filio comitis, etiam Clerico, ob obsequia quæ pater Ecclesiæ præstitit, nam possunt omnes absque simonia redimi; & hæc omnia ducet Sãchez vbi suprà, quæ breuiter notare volui, cùm in dies occurrant.

An si quis audit Missam è fenestra domus, impleat preceptum.

RESOL. CLIV.

Hic Panormi adsunt domus è regione D. Dominici, & D. Francisci, & Ecclesiæ scholarum piarum, ex quarum fenestris quis posset Missam audire, quæritur an satisfaciet præcepto? De hoc casu olim interrogatus fui ab Excellentissimo Principe Domino meo amantissimo Marchione Hieracensi, & negatiuè respondi, nixus authoritate Filliucij tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 209 vbi sic ait. Qui domi è regione, v.g. fenestræ, vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non dicitur moraliter præsens, ideo nec satisfaciet. Sic ille. Et hanc sententiam à fortion docet Laurentius de Portel in addit. ad dubia Regularia, ver. Indulgentia, nu. 8.

Non desinam tamẽ hic adnotare nouissimè Gordonum docere quòd si quis audiret Missam stando extra Ecclesiam, satisfaceret præcepto; sic enim ait in Theologia moral. tom. 2. lib. 6. q. 7. c. 2. §. 3. n. 12. Debet auditurus Missam esse corpore pręsens, ita nempe, vt possit vtcumque cognoscere quid agat, & in qua Missę parte versetur Sacerdos celebrans, & dummodo hęc seruetur, satis est etiam si sit post Altare, vel extra Ecclesiam, sic. n. morali modo, imò & physicè dici potest de numero eorum, qui in Canone dicuntur circumstantes. Ita ille. Sed in casu nostro non est recedendum a negatiua sententia, nec doctrina Gordoni applicari potest, quia explicandus est in casu quo quis esset extra Ecclesiam in eius atrio, seu cœmeterio.

An simonia realis & completa, solo tamen iure Ecclesiastico prohibita, subiaceat restitutioni & pœnis simoniæ.

RESOL. CLV.

Affirmatiuam sententiam docet Malderus in 2. 2. D. Thom. tract. 9. cap. 3. dub. 18. §. tertio loco dicendum est. Villalob. in summ. tom. 2. tra. 37. diffic. 39. num. 2. & ideo Nauarrus in c. si quando, de rescript. except. 4. in fine, asserit incurrere excommunicationem, & collationem esse nullã, si aliquis diceret, Renuntio meum beneficium, vt tu renuncies tuum; & tamen hæc simonia est tantùm de iure positiuo. Idem hoc etiam asserit quando quis renunciat reseruata pensione, quæ etiam simonia de iure humano. Facit etiam Felinus in cap. ad audientiam, el 2. de rescript. & Panorm. in cap. ex parte, el 1. de offic. delegat. vbi docent esse simoniam de iure humano si quis renunciat vt detur beneficium certæ personæ, & tamen asserunt non valere collationem, nec renunciationem factam alteri, & ita hãc sententiam pręter DD. citatos docet Valent. tom. 3. q. 16. punct. 6. Bonacina de simonia disp. 1. q. 7. §. 2. n. 10. & Filliucius to. 3. trac. 15. c. 13. q. 3. n. 7. asserentes quoad pœnas non esse discrimen inter simoniam iuris naturalis, & positiui, quod patet in Extrau. 2. de simonia.

Verùm his non obstantibus cum Lessio lib. 2. c. 35. dub. 25. n. 141. & Reginaldo tom. 2. lib. 23. c. 12. nu. 184. probabilem puto contrariam sententiam, quam nouissimè tuetur Sanch. in opusc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 108. n. 3. & ante illum Arragon. in 2. 2. D. Th. q. 100. art. 6. & Petrus Nauar. de restit. lib. 2. c. 2. à n. 436. cum alijs asserentibus pœnas simoniæ non incurri in casu quo adest tantum simonia iuris positiui & humani, vt in permutatione beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate reseruatione pensionis sine auctoritate Papæ, promissione beneficij pro suffragio in electione ad Episcopatũ, promissione seu donatione pecuniæ mediatori pro intercessione beneficij, &c. Igitur in his casibus secundũ opinionem probabilem supradictorum auctorũ sic facientes peccant quidẽ, non tamen sunt excommunicati, nec priuantur beneficijs sic receptis ipso iure, nec tenentur fructus restituere; quæ omnia probat Sanchez ex d. Extrauag. 2. sic enim incipit, *Cum scelus simoniacæ prauitatis tam diuinorum, quam sacrorum Canonum authoritas abhorreat.* Ergo loquitur de simonia diuino simul & canonico iure reprobata. nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit, vt tradit ex multis Molina de primog. lib. 1. cap. 5. num. 3. & alij communiter. Cæteras rationes videbis apud Sanchez loco citato qui merito excipit ab hac doctrina simoniam confidentialem: quę subdita est pœnis, licèt aliquando sit tantùm iure humano prohibita, vt quando quis renunciat beneficio, pacto inito, vt sibi, vel alij

postea reddatur, vel cum reseruatione pensionis, non sibi tamen, sed aliis soluenda. Excipe etiam quãdo datur aliquid Notariis, vel Officialibus Episcopi, licèt etiam sit simonia iure humano, nam in tali casu incurruntur pœnæ Trident. sess. 21. cap. 1. de reformat. & circa præsentem quæstionem ne prætermittas videre Adamum Tannerum in 2.2. D. Thom. disp. 5. q. 8. dub. 4. nu. 95. Vnde ex supradictis saltem post factum habebunt Confessarij probabilia principia ad sedandos scrupulos, & pacandas conscientias, maximè, vt supradictum est, quando aliquis obtinuit beneficium propter pecuniam datam mediatori, qui casus sæpiùs solet accidere, de quo Sanchez vbi suprà in opusc. tom. 2 lib. 2 cap. 3. dub. 26. n. 10. & quando electores conueniunt vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter suffragetur in altera, de quo casu vide Villalobos in summ, to. 2. tract. 27. diffic. 24. nu. 1.

An Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Guardianatus, Prioratus, &c. includantur sub nomine beneficij ad incurrendas pœnas simoniæ?

RESOL. CLVI.

Affirmatiuè respõdet per Extrauag. 2, de simonia, Filliucius tom. 3. tract. 15. c. 4. quæst. 7. num. 67. Suarez tom. 5. disput. 22. sect. 5. nu. 24 & disp. 31, sect. 4 num. 45. Nauarrus in manuali cap. 27 nu. 116. Raynerus in catal. cens. cap. 9. excommunic. 12. Caietanus ver. excommunicatio, cap. 75. & hanc opinionem de nostris Consultoribus, Definitoribus, Præpositis, &c. docet etiam Peregrin in constit. part. 3. cap. 1. lit. L § 2. ver. septimo. vbi asserit supradicta esse beneficia regularia, & qui illas simoniacè obtineret, in pœnas latas contra obtinentes beneficia cum simonia incurreret, & nouissimè idem docet Reginaldus in pr. tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 182. & mutans sententiam Lessius in nouiss. editione Lugdunensi 1622. lib. 2. cap. 35. dub. 24. nu. 137. & tandem Sanchez in opusc. to. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 5. & 11. & dub. 107. nu. 3.

Sed aliqui contrariam sentẽtiam probabilem etiam esse pusant, & illam tuetur Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. Extrau. 2. n. 9 Peirinus de Relig. subdito, tom. 1. q. 1 c. 31 § 9. dict. 21. Azor. part. 3. lib. 12. c. 21. q 6. ver. quæres, & Bonac tom. 1. de simonia, disp. 1. q. 7. § 2. n. 4. Ex iisdem verbis tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 24. nu. 4. & alij penes ipsos, asserentes sub nomine beneficij intelligi ea solùm, quæ propriè beneficia vocantur, & si in d. Extrau. 2. de simonia, Papa voluisset quælibet officia spiritualis regiminis complecti clariùs locutus in illa fuisset, & ideò cùm in materia pœnali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potius restringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum a pari, vel a minori ad maius, sed proprietati verborum standum est, & in d. Extrau. nomine officiorum Ecclesiasticorum nõ intelliguntur quælibet officia Ecclesiastica, sed beneficia, vt patet ex verbis antecedentibus, & consequentibus, nam vt Summus Pontifex omnia beneficia generaliter comprehenderet, vsus est dictis verbis, quia fieri potest vt aliquod beneficium aliquibus in locis *Officium* vocetur.

Verùm his non obstantibus ne discedas à prima opinione affirmatiua, quam præter Doctores citatos tenet Portel in dub. Regular. tom. 1. verb. simonia, nu. 5. Hieronymus Rodriq. in compen qq. Regul. resol. 129. nu. 5. Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. disp. 10. q. 5. nu. 3. & 4. Gordonus in summ. tom. 2. lib. 7. qu. 13. cap. 4. num 70. & Sebastianus à Bononia in tract. de elect. part. 2. c. 1. dub. 58. n. 18. cum quo in vno casu libenter negatiuæ sententiæ adhærerem, quando officium Ecclesiasticum obtentum simoniacè penderet ex arbitrio delegatus, vt sunt Vicariatus domus in nostra Religione, qui dependent ad libitum ex voluntate Præpositi.

Ex his resoluitur illa quæstio, an mediatores simoniacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis, incurrat in excommunicationes? Doctores qui asserunt has Prælaturas non includi sub nomine beneficij, negatiuè respondebunt, & ita Peirinus vbi suprà dicto 24. sic ait. [Qui fuit mediator ad consequẽdam aliquam dignitatem in Religionibus mendicantibus, non incurrit excommunicationem, Extrauag. 2. de simonia. Ita ille. Sed Doctores sentientes has Prælaturas esse beneficia ad casum propositum, affirmatiuæ sententiæ adhærebunt.

An tantum simonia in beneficio, & ordine & ingressu Religionis subdatur pœnis, & de alijs casibus benignioribus circa materiam simoniæ?

RESOL. CLVII.

Respondeo affirmatiuè, vnde aliæ simoniæ etiam reales, & completæ non subdũtur pœnis simoniæ, & ita docet Adamus Tannerus in 2.2. D. Thom. disp. 5. quæst. 8. dub 4. num. 61. vbi sic ait. Nulla simonia inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in Ordine, beneficijs & Religionis ingressu. Vnde si quis in alijs Sacramentis conferendis, vel accipiendis in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda & emenda, vel redimenda, in Vicaria temporali conferenda, simoniam committat, grauiter quidem peccabit, non tamen contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis, quod proinde itidem dicendum videtur de permutantibus, sine debita authoritate beneficia. Ita ille, & ante illum Lessius lib. 2. c. 35. dub. 23. num. 130. & nouissime Gordonus in Theolog. mor. tom. 2. lib. 8. q. 9. cap. 3. § 1 num. 8. & Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 107. n. 3. quia non datur alius textus puniens simoniacos, nisi Extrauag. 1. & 2. de simonia, in quibus supradicti simoniaci tantùm puniuntur; hinc præter superiùs dicta infert Sanchez, quod vendens iuspatronatus, licèt sit simoniacus, at non est excommunicatus, nec incurrit pœnas simoniaci, quia non est beneficium. Similiter si Canonici Sede vacante conuenirẽt, vt qui ex ipsis eligeretur Vicarius Capituli, diuideret cum reliquis salarium & emolumenta ex officio prouenientia, omnes essent simoniaci, non autem excommunicati, quia licet Vicariatus sit quid spirituale, non tamen est beneficium.

Ex his infertur non esse audiendum Sotum de iust. libr. 9. q 8. art. 2. prope finem, asserentem omnem simoniacum incurrere excommunicationem per, Extrauag. 2. de simonia, ibi, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam committit*, & infra, *in beneficijs & officijs Ecclesiasticis*, ergo comprehendit omnem simoniam.

Nam respondeo cum Sanchez quòd illa verba, *quomodolibet dando, vel recipiendo*, intelliguntur pro Ordine & beneficio, nam de hac tãtùm simonia ibi Pontifex loquitur, & sub nomine officiorum Ecclesiasticorum intelliguntur beneficia, vt docent communiter Doctores, quos penes Sanchez habebis.

Non desinam tamẽ hic obiter apponere quæ post discussam materiam de pœnis simoniæ collegit Adamus Tannerus vbi suprà in 2.2. D. Th. disp. 5. q. 8. dub. 4. num. 99. vbi sic asserit. Ex his quæ de simoniæ pœnis diximus, colliguntur hæc pronuntiata ad praxim notabiliora. Primò nullam simoniam inducere pœnas iuris (in quibus est etiam pœnalis restitutio accepti) nisi in Ordine, beneficijs & Religionis ingressu, ex probabili sententia. Secundò simoniam mentalem nec in his quidem ipsis, aut vllis alijs casibus vllam pœnam iuris incurrere, ex cõmuni. Tertiò ex probabili, neque simoniam conuentionalẽ, excepta confidentiali inducere ipso facto illas pœnas iuris positiui. Quartò ex probabili, neque simoniam realem obligare ad restituendum spirituale simoniacè acceptum, præterquam beneficium. Quintò tandem simoniam (præter excommunicationem in Ordine & beneficijs, & suspensionem in Ordine) in supradictis casibus obligare quidem ad restituẽdum temporale simoniacè acceptum etiam ante sentẽtiam, sed ex probabili opinione ante sententiam satis esse restituere ei a quo acceptum est. Sextò simoniã confidentialem ipso quidem facto inducere excõmunicationem, attamen iuxta probabilem sentẽtiam nec inhabilitatem ad beneficia (nec priuationem beneficij, nisi eadem simonia simul etiam realis sit) in foro conscientiæ ipso facto inducere, sed solùm in foro exteriori, adeoque post sententiam declaratoriam criminis. Septimò hoc idem verum habere in simonia, quæ committitur siue in electione Papæ, siue in examine ad parœcias. Octauò & denique ex probabili sententia etiam electionem Papæ, etsi per simoniam factam, si alioqui à duabus tertijs partibus Cardinalium legitimè facta sit, non esse ipso facto irritam. Ex quibus licèt quædam minus probabilia, &, meo etiam iudicio, falsa sint, propter authoritatem tamen Doctorum probabilia & in praxi tuta censeri possunt. Hæc Tannerus loco citato. Sed si aliqua ex supradictis falsa sunt, vt ipsemet Tannerus fatetur, nescio quomodo in praxi tuta esse possint.

Et

Et tandem pro coronide huius resolutionis ponam hic ea, quæ Turrianus nouissimè in disp. select. cent. 4. cens. Theolog. dub. 59. notauit. Sic enim ait. Vasquez aliique viri docti huius ætatis, senserunt non esse obligationem restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum, supponũt enim simoniam nõ obligare ad restitutionem ex iure naturali, sed ex iure positiuo. Secundò docent ius positiuum non loqui de hac simonia quantum ad restitutionem, sed de simonia in beneficijs, & multi viri de hoc interrogati in Hispania senserunt esse probabile, quibus ego subscribo, Ita ille.

An Priores, Abbates, & alij Clerici curam animarum non habentes, teneantur inquirere pauperes vt ipsis eleemosynas faciant de superfluis ex redditibus Ecclesiasticis?

RESOL. CLVIII.

ALibi satis firmaui ad hoc teneri Episcopos, & beneficiatos; nunc quæro an alij Ecclesiastici qui curam animarum non habent, ad id etiam teneantur? & affirmatiuè respondet Auendañus in responsis, resp. 19. num. 9. Abulens. Honcala & Gregor. Lopez quos citat Sanchez.

Sed ipse in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 39. n. 4. & 5 contrarium docet, sic enim asserit. Laici non tenentur ex officio, seu statu suo quærere pauperes, sed sat est si occurrentibus subueniant: at Clerici habentes redditus Ecclesiasticos superfluos, tenentur quærere pauperes, tum quia ista bona superflua tenentur speciali vinculo pauperibus dare, & sic si non occurrãt, tenentur illos quærere, tum etiam, quia ratione status specialis cura pauperum ipsis incumbit. Sed nota hoc esse verũ de solis Episcopis & beneficiatis curam animarum habẽtibus, hi enim ratione officij tenentur ad id; at cæteri Clerici cùm pastores nõ sint, nec animarum curam habeant, non videntur ad id teneri. Ita Sanchez, qui citat Cordubam & doctos recentiores Magistros, sed de hac quæstione infra iterum redibit sermo.

An sit licitum sumere, vel applicare medicinam prouocatiuam effusionis seminis?

RESOL. CLIX.

SI nullum alium habet effectum, non est licitum, & oppositum asserere est improbabile & dignum graui censura temeritatis saltem, quia illicitum est procurare pollutionem per medium contra naturæ ordinẽ. Si medicina verò habeat alium effectum vtilẽ, quem ius intendit, licitum est applicare talẽ medicinam, non intendens pollutionem. Multa sunt exempla in materia de peccatis. Legantur Doctores agentes de delectatione morosa, vel de præcepto fornicationis. & hæc opinio non solum est probabilis, sed vera, & idem iudicium est de alia causa pollutionis, quæ de se nõ est intrinsece mala, & ex hac doctrina possunt excusari à censura multa, quæ docuit P. Thomas Sanchez in materia de matrimonio, agens de actu coniugali, quæ homines aliqui non bene cum illo compositi reprehendunt iniustè, quæ multi viri docti & pij a censura liberant & hęc omnia docet Turrianus in select. disput. cent. 2. censuræ Theologicæ, dub. 74. Sed ego contrarium teneo, & puto in his materijs non esse laxandas habenas.

An iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali, sit tantum peccatum veniale?

RESOL. CLX.

AD hoc dubium ita respondet Turrianus in select. disput. cent. 3. censuræ Theolog. dub. 3. affirmatiuam sententiam aliqui putant improbabilem, quia si adducitur Deus vt fideiussor peccati faciendi, grauis iniuria illi infertur, cõtra summam bonitatem illius, quæ ratio efficacissima est contra illam opinionem, neque video pro illa opinione aliquod idoneum fundamentum, vnde mihi non est probabilis. Ita ille.

2 Verùm ego puto affirmatiuam sententiam esse probabilissimam, quam tuetur Valentia & Azorius, quos citat & sequitur Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 5. quæst. 5. dub. 1. nu. 14. vbi sic ait. Certum est iurantem se aliquid facturum quod est mortale; peccare mortaliter etiam contra Religionem, per abusum iuramenti; venialiter autem si fuit veniale quod cum proposito implendi; iurauit, vt habet communis opinio. Ita ille, & ante illum Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. cap. 4. n. 28. qui citat Suarez, Syluestrum, Caietanum, Nauarrum, Saytum & alios, quibus ego addo Villalobos in summa tom. 2. tract. 46. difficult. 4. nu. 4. & Sotum de iust. lib. 7. quæst. 1. art. 3. vnde miror communem hãc opinionem Turrianum vocare improbabilem, & ad suum argumentum respondet Sotus & alij vbi supra; hinc cum Lessio lib. 2 cap. 40. dub. 7. num. 39 & alijs dicendum est votum de peccato veniali esse tantùm peccatum veniale, quia paruitas materiæ excusat.

An sit opinio probabilis asserere in articulo mortis, præsente Parocho, posse quemlibet Sacerdotem absoluere moribundum?

RESOL. CLXI.

ALoysius Turrianus in select. disp. cent. 2. censuræ Theolog. dub. 77. docet hanc opinionem esse improbabilem, & damnatam à Gregor. XIII & quod dixit Concil. Tridentin. in articulo mortis posse quemlibet Sacerdotem absoluere, intelligendum est de articulo mortis & necessitatis, quando non est ibi proprius Parochus, huic enim necessitati voluit Ecclesia succurrere, & propter tale periculum mortis probabilior opinio est eligenda, ne homo damnetur in æternum si minus probabilis sit falsa opinio. Sic ille.

Sed, vt verum fateat, hic auctor, vt sentiunt etiam multi viri docti ex eadem Societate, rigide & parum modestè se gerit in censurandis aliorum opinionibus, & ideo hanc opinionem, quam falsam ipse vocat, probabilem esse puto cum illis 13. Doctoribus quos citaui in part. 1. tractat. 5. resolut. 5. quibus nunc addo ex ipsamet Societate Emanuelem Sà expurgatum, in ver. Absolutio, num. 4. & nouissimè Philibertum Marchinum in tract. de bello diuino, seu peste, part. 3. cap. 3. num. 10. & seq. vbi sic ait. Potest simplex Sacerdos in articulo mortis absoluere a quibusuis casibus & censuris reseruatis, non solùm in absentia, sed etiam in præsentia cuiuslibet Confessarij approbati vel Parochi, vel Superioris. Ratio est, quia simplices Sacerdotes pro articulo mortis pares sunt quoad iurisdictionem omnibus alijs Confessarijs approbatis, nam si isti suam habent iurisdictionem ab Episcopo, illi habent eamdem à Christo, vel à Concilio Tridentino, vel a Papa, neque solum illam habent in defectum aliorum Confessariorum, sed illam habent absolute & simpliciter, Concilium enim non apposuit istas glossas & limitationes, sed loquitur absolutè: ergo neque nos illas apponere debemus. Ita ille. Concilium igitur nullum ordinem constituit, quia voluit in eo articulo amplissimum fauorem præstare fidelibus. Adde quod vt concessio vim suam obtineat, non requiritur vt motiuum legislatoris in singulis casibus inueniatur, sed sufficit quod interdum possit inueniri, quia non restringit concessionem ad casus particulares quibus necessitas reipsa inueniretur, sed generaliter concedit, quia necessitas interdum subesse potest, & ideo, vt dixi, hanc sententiam puto probabilem esse, vt contraria probabilis etiam est, quam præter Doctores, quos supra citaui, tenet P. Ochagauia de Sacram. tr. 2. de cõfes. sacram. q. 35. nu 4. Ad rationes Turriani patet responsio ex his, quæ dicta sunt, & ex his, quę adducit ipsemet Turrianus loc. cit. par. 1. disp. 21. dub. 2.

An executor testamenti à testatore nominatus teneatur acceptare officium, & ad id possit cogi.

RESOL. CLXII.

HIc casus frequenter potest accidere, & ad illum respondet Spino in specul. testam glossa 28. num. 18. quòd licet non possit cogi acceptare officium executoris: at in foro cõscientiæ si sine causa non acceptet, peccabit mortaliter, ex glossa in c. sicut 11. q. 1. ver. visum. & ibi Archidiaconus, vbi docent peccare non recipientem arbitrium, vnde dictam glossam sequuntur Imola in cap pastoralis de officio delegati, in princ. & ibi Felinus num. 6. asserentes peccare mortaliter non acceptando

officiam arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reducet.

Sed ego puto quod quando neque expresse, neque tacitè acceptauit officiũ executoris, non solum non potest cogi, sed neque tenetur acceptare, neque peccabit renuntiando, quia aliter hoc officium non esset voluntarium, contra communem Doctorum sententiam, & ita docet Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 42. n. 4. & seq. vbi etiam explanat, quando executor dicatur acceptare, vel non acceptare tacitè officium suum, & tenet cum Sarmiento lib. 8. select. sup. l. 1. ff. de legat. 2. nu. 12. contra Padillam in dictam legem num. 28. non posse iudicem compellere executorem testamenti ad officium accipiendum, etiamsi executor sit consanguineus testatoris, quod etiam mihi placet.

Notandum est etiam hic quòd in casu supradicto, nempe quando exequutores nominati à testatore nolunt acceptare officium, tunc Episcopus est executor. Ita Syluester verb. testamentum 2. q. 2. dicto 1. Armilla ver. executor n. 25. Tabiena eodem ver. q. 15. Angelus nu. 21. & Ancharanus in c. religiosus, de testam. in 6. nu. 2. vbi dicit, quod si testator assignet eum, qui esse nequit, vel is obijt, exequetur Episcopus.

Et tandem nota hic obiter id quod alibi etiam notauimus, quòd licèt in foro externo exequutores habeãt annum ad exequendum testamentum, hoc tamen non procedit in foro conscientiæ, & ideo exequutor & hæres, si cùm possint differant notabiliter soluere debita & legata defuncti, peccant mortaliter. Ita Nauarra de restit. lib. 3. cap. 4. num. 165. Nauarrus in manuali cap. 25. num. 65. quod ita verum est, vt asserat optimè Palacios Rubeos rubr. de donat. §. 65. n. 19. & 20. Azeuedus & alij, quos citat & sequitur Sanchez vbi suprà, dub. 53. nu 8. exequutores & hæredes non excusari à peccato mortali quando differunt solutionem debitorum, & legatorum causa vendendi res defuncti maiori pretio, nisi differant vt rebus defuncti meliùs venditis copiosiores dentur eleemosynæ, & augmentum eleemosynæ est valde magnum, tempus autem tarditatis est valde breue, ita vt arbitrio boni viri melius sit tardare, certum est omnino supradictos non excusari quando differunt vt res meliùs vendantur vt hęredi prosit. quæ omnia notanda sunt à Cõfessarijs, quia in hoc scio & multum doleo exequutores testamentorum multum peccare.

An reseruato peccato carnis contra castitatem externam, includatur visus, ornatus, &c. procedentes ex affectu interno?

RESOL. CLXIII.

AD hunc casum ita respondet Tarrianus in select. disp. p. 2. disp. 31. dub. 61. Aliqui claré pronuntiant, tale peccatum non esse reseruatum, quia talis visus non potest ab alijs cognosci, & fieri potest tali modo, vt non sit signum affectus interni, & intentio reseruantis videtur ea esse, vt non fiat actus externus in ea materia, quæ posset significare internum affectum. Ego verò existimo tale peccatum esse reseruatum quando reseruatio cadit super omnem actum externũ libidinosum procedentem ex voluntate libidinosa, quia talis est visus prędictus, neque est fundamentum ad limitandam intentionem reseruantis, & oppositum neque est probabile, neque tutum; suppono autem tale peccatum posse reseruari. Sic ille, & ita etiam docet in dub. 52. sed more suo excedit Turrianus in censura supradictæ opinionis, vnde ex eadẽ inclita Societate Henriquez lib. 6. c. 14. nu. 6. in glossa lit. l. & Iacob. Granado in 2. 2. D. Tho. contr. 1. tract. 15. disp. 13. num. 14. docent, non reseruari, neque subijci excommunicationi peccatum, nisi quòd secundum quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensũ internum, certo constet esse mortale.

An pro consequutione legati vt quis dicatur orphanus, debeat carere patre & matre?

RESOL. CLXIV.

HIc casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè respondendum omnino videtur, quia ille dicitur orphanus, qui caret patre & matre, prout communi calculo notarunt Doctores in l. orphanotrophos, C. de Episc. & cler. Sicardus in rubr. Cod. quando Imperator inter pupil. & vid. num. 3, Rolandus à Valle lib. 1. consil. 76. num. 48. Rebuffus in constit. Franciæ, tit. de sentent. prouision. glossa finali, ver. secundò orphani. Perez libr. 4. ordinat. tit. 1. lib. 1. ver item est notandum. Menochius de arbitr. iudic. cas. 66. in addit. nu. 7. Castillo controuers. iur. lib. 1. ca 25. num. 17. & alijs, & in terminis casus nostri Lara de anniuers. lib. 1. c. 21. nu. 32 pro consecutione legati puellas orbatas parentibus vocat orphanas.

Verùm his non obstantibus quoad consecutionẽ legatorum ego puto satis esse, vt quis dicatur orphanus, si careat tantùm patre, & ita hanc sententiam tenet Sanchez in opusc. to. 2. lib. 4. c. 2. dub. 63. nu. 4. vbi tamen num. 2. rectè reprobat Paulum de Castro asserentem orphanum esse orbatum matre; & ratio nostræ opinionis est: quia dum patrem habet licèt matre careat, non dicitur præsidio destitutus, cùm patrem habeat, cuius curæ subest, sicuti è conuerso cùm solam matrem habet, dicitur præsidio destitutus, quia non est sub matris potestate, nec mulieres prudentiam habent ad se gubernandas, necdum ad alios; & hęc sententia confirmatur ex Laurentio Valla in elegan. lib. 4. c. 33. Alciato lib. 1. prætermissorum, in verb. orphanotrophos, Gregorio Tholosano in syntagm. iuris part. 2. libr. 12. cap. 1. n. 5. & Gratiano in disceptat. forens. lib. 4 cap. 666. asserentibus orphanos vocari illos qui carent patre, & pręsidio paterno; sed an puella quæ habet patrem inutilem, dicatur orphana in ordine ad legata, iam supra satis dictum est.

An aliquando sint absoluendi qui nolunt dimittere occasiones proximas peccandi?

RESOL. CLXV.

DE hac quæstione alibi etiam actum est, nunc verò addam tantùm verba Iosephi de Ortu in speculo Parochorum cap. 10. nu. 33. vbi sic ait Parochus non debet absoluere peccatores, qui dum possunt nolunt dimittere occasionem proximã peccandi, tamen ijs infra concurrentibus potest absoluere primò, si in peccatore ęst vera pœnitentia præteritorum, secundò verum & firmum propositum non peccandi; tertiò credulitas quòd Deo adiuuante pęnitens ipse non peccabit cùm se inuenerit in illa proxima occasione; quartò si adsit aliqua rationabilis causa non separandi siue pro tunc, siue per aliquid tempus erit exemplum si ex tali separatione dãmnum corporale, vel scandalum magnum sequatur, nihil obstat si cõcurrentibus ijs, pluries etiam septuagies septies pœnitens reinciderit, quia per hoc non fit argumentum verum adiudicandum non fuisse, neque esse veram pœnitentiam siue præsentem, vel præteritam, cùm natura humana sit labilis, & de facili mutetur de vno statu in alium: vnde notandum est quod qui in statu peccati est, & vult, non est capax absolutionis; qui verò in occasione peccandi est, ijs supra concurrentibus absolui potest. Absolutio pariter non est deneganda pœnitenti, qui vult cauere à peccato, sed credulitatem habet reincidere propter magnam consuetudinem quam habuit peccandi, ista enim credulitas relabendi non impedit quin absolutio pariat effectum suum, dummodo pœnitens, vt dixi, proponat non peccare, & illo tempore caueat. Idem censeo de ijs qui legitimè sunt coniugati, & deinde habent aliquod impedimentum occultum pro quo veniunt separandi quoad thorum, expectando Põtificiam dispensationem, quamuis interim peccatum timeatur propter proximam occasionem, dummodo illa quatuor superius dicta cõcurrant, possunt absolui, in eadem domo simul conuersari, & alter alteri seruire, quamuis familiariter, & vti consanguinei simul cohabitent, eo maxime licebit, quando eorum separatio à longè esset scandalosa. Idem sentio de vitis, qui artem medendi exercent in partibus secretioribus, maximè in mulieribus, & sæpe peccauerunt saltem morosis delectationibus. Idem sentio de Confessarijs qui quotiescumque confessionem cuiusdam iuuenis, vel certæ mulieris audiunt, sæpe peccant. Idem sentio de pœnitentibus qui accedentes ad quemdã Confessariũ se morosè delectant delectatione mala, vnde sępe peccant, quando mutare non possunt absque nota infamię, vel scãdali. idẽ sentio de Magistris quarumcumq; artium, qui docent puellas, vel pueros, & occasionem proximam habent peccandi, siue opere, siue cogitatione, siue locutione, quamuis nõ proponant dimittere artẽ, vel ministeriũ, dummodo quatuor omnia illa superius allata concurrant, omnes absolui possunt, & hæc docet Ioseph ab Ortu vbi supra, quæ an omnia probabilia sint,

tudi-

iudicent viri docti, maximè exemplum de Medico, licèt, vt alibi diximus, Castrus Palaus & alij hanc sententiam etiam doceant; sed ego eius probabilitatem etiam alijs iudicandam relinquo, mihi enim non placet.

An quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilea, quorum quodlibet requirit confessionem & communionem, teneatur qui vult illa lucrari, bis confiteri, & bis Eucharistiam sumere.

RESOL. CLXVI.

HIc casus frequens est, & illum ponit Aloysius Turrianus in disp. select. part. 2. disp. 31. dub. 64. & sic respondit. Non deficit, qui affirmaret id, quia quælibet Indulgentia requirit peculiaria opera; sed longè probabilius est non esse necessarium bis confiteri, aut sumere Eucharistiam si pœnitens perseueret in gratia tempore vtriusque indulgentiæ, quia confessio & communio requiruntur in ordine ad dispensationem animæ, vt existens in gratia possit lucrari indulgentiam; secus de alijs operibus, si quælibet indulgentia requirat dare eleemosynam, tunc enim necessaria esset dare duas eleemosynas: istæ enim non habent pro effectu primario emundare animam à peccato, neque videtur contraria intentio requirentis confessionem, & requirentis eleemosynam, quando expressè non constat de voluntate requirentis duas confessiones distinctas. Ita ille.

An emens vicariatum Episcopi, teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere.

RESOL. CLXVII.

QVoad primum affirmatiuè respondet Lopez in instruct. part. 1. cap. 307. Nauarrus in manuali, cap. 23. num. 111. ver. ad 13. sed contrariam sententiam, cui tanquam probabiliori adhæreo, tenet Sanchez in opusc. tom. 1. libr. 2. capit. 3. dub. 113. num. 6. & ratio est, quia vicariatus Episcopi non est beneficium.

Quoad secundum verò dubium, an Episcopus teneatur restituere pretium, eius resolutio pendet ex illa quæstione, an non tantum pretium receptum pro simonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis sit necessario restituendum? & affirmatiuam sententiam docet Nauarra de restit. lib. 2. cap. 2. nu. 405. & lib. 4. cap. 2. nu. 134. Arragon. in 2. 2. D. Thom. quæst. 100. artic. 6. D. Anton. part. 3. tit. 1. cap. 5. §. 7. Syluester ver. simonia, quæst. 20. dicto 2. in fine. Caietan. in summ. ver. Restitutio, cap. 4. Couarruuias in reg. peccatum, part. 2. §. 2. nu. 7. Lopez vbi supra, & alij.

Sed licet hæc sententia sit probabilis, non minus probabilem contrariam esse censeo, quàm in terminis docet Thomas Sanchez vbi supra, nu. 2. qui respondet ad omnes Canones, qui videntur facere pro affirmatiua sententia, & ideò absolutè docet nullo modo teneri restituere ante iudicis sententiam pretium recipientem simoniacè extra simoniam in beneficio, ordine, & ingressu religionis, quia iure diuino ad id non tenetur, vt probat dub. 111. & ius Ecclesiasticũ nullum est, quod obliget ante iudicis sententiam restituere, exceptis illis tribus casibus, ergo, &c. Vnde hanc sententiam, quòd iure Ecclesiastico non impediatur translatio dominij, nisi in simonia, in ordine, beneficio & ingressu Religionis, tenet ex Thomistis Sotus de iust. lib. 9. quæst. 8. artic. 1. ad 6. ver. porrò verò. Vide etiam Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 35. nu. 4. in glossa lit. S. Et hanc opinionem probabilem esse concedunt ipsi aduersarij, vt Lopez loc. citato, part. 1. cap. 107. & tenent quidam docti recentiores, vt obseruat Sanchez, qui hoc intelligit, & optimè, quando tradita est res spiritualis, si enim non sit tradita, pretium est restituendum, & ponit alios duos casus, in quibus pretium est restitutioni obnoxium est. Verùm ex dictis oritur etiam pro praxi sequens quæstio, videlicet cui est restituendum pretium receptum pro simonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis? & tale pretium esse restituendum Ecclesiæ in cuius iniuriam simonia commissa est, vel pauperibus, tradit D. Th. in 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. & q. 32. art. 7. ad 2. & q. 62. art. 5. ad 2. Tabiena ver. simonia, quæst. 76. & 77. D. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 5. § 7. Arragon. in 2. 2. q. 32. art. 7. Caietanus ver. restitutio cap. 4. & alij. Probatur hæc opinio ex cap. de hoc, & cap. audiuimus, de simonia, & tenet præter DD. citatos Lessius lib. 2. c. 41. dub. 31. nu. 171.

Verùm licèt hæc opinio sit valde probabilis, vt ait Bañez in 2. 2. quæst. 32. art. 7. dub. 2 tamen ego teneo in tali casu pretium ante iudicis sententiam esse restituendum danti; & ita docet Bañez loc. cit. Molina de iust. tom. 1. tract. 2. disq. 91. Medina in summ. lib. 1. cap. 14 §. 21. Sotus de iust. lib. 9. quæst. 8. ar. 1. & alij; quos citat & sequitur Thom. Sanchez in opusc. tom. 1. li. 1. c. 3. dub. 114. num. 11. quibus ego addo Villalobos in summ. tom. 2. tract. 37. diffic. 4. num. 2. & Gordonum in Theol. moral. tom. 2. lib. 8. quæst. 9. cap. 2. §. 4. nu. 7 quia dans non aliter abdicat à se dominium, nisi vt in recipientem transferat. ergo si recipiens est incapax, dominium remanet apud dantem, de quo non debet spoliari, nisi per legem aliquam, quæ tamen non extat. nam textus citati pro contraria sententia vbi supra, applicantes Ecclesiæ iniuriam passæ pretium, sunt in pœnam talis iniuriæ; sed pœna non obligat ante iudicis sententiam. ergo, &c.

Notandum est tamen quod cum omnes supradictæ sententiæ sint probabiles, potest quis tuta cõscientia dictum pretium vel danti, vel Ecclesię, vel pauperibus restituere, & ideò si is qui recepit pecuniam in pretium beneficij & Ordinis, si pauper, potest retinere sibi dictum pretium. Ita Sanchez vbi supra nu. 12. & 13. qui etiam optimè excipit à dicta conclusione datum simoniacè pro gratia & iustitia, & datum pro ingressu Religionis. nam in primo casu pretium ex Bulla Greg. XIII. restituendum est pauperibus, in secundo verò ex c. veniens, de simonia, restituendum est danti.

An qui seruiuit Episcopo, cum intentione recipiendi beneficium vt pretium seruitij, teneatur illud resignare.

RESOL. CLXVIII.

REsolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an simonia mentalis inducat pœnas simoniæ? & affirmatiuam sententiam docet Sotus de iust. lib. 9. quæst. 8. ar. 1. ad 2. Maior in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 7. Medina in summ. lib. 2. cap. 4 § 21. Medina Complutensis, C. de restit. c. de vsurar. rest. §. iam ad rationes. Henricus quodlib. 6. quæst. 26. Adrianus quodlib 9. & alij. Ratio est, quia vsurarius mentalis tenetur etiam ad restitutionem; cæteras rationes videbis apud citatos Doctores.

Sed ego contrariam sententiam puto probabiliorem, & ita docet D. Thom. in 2. 2 quæst. 100. art. 6. ad 6. Guttierez can. qq. lib. 2. cap. 23. num. 35. & alij, quos citat & sequitur Villalobos in summ. tom. 2. tract. 37. diffic. 36. num. 4. vbi sic ait. [No ay derecho que obligue al simoniaco mẽtal a que restituya, y es necessario guardarse esto en practica, porque fauorece a las animas, que es muy difficultoso de hazer la restitucion, y dexar el beneficio, y de otra manera muchos de los criados de los Obispos estarã obligados a resignar los beneficios, que les dan, porque siruen por esso principalmente que no hazen distincion de intencion primaria ni secundaria, ni aun la saben hazer.] Sic ille. Et ideo hanc sententiam docet etiam Sanchez in opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 105. num. 5. vbi ita asserit. Hinc inferunt aliqui, quòd si quis seruiuit Episcopo animo interno recipiẽdi beneficium, vt pretium seruitij, & Episcopus ei contulit beneficium animo etiam interno soluendo illi seruitium: at externè nullum etiam implicitè interfuit pactum, sed vterque finxit gratis facere, recipiens beneficium non tenetur illud resignare, nec Episcopus soluere seruitium, quia solùm fuit simonia mentalis, quæ ad restitutionem non obligat. Hæc Sanchez, qui citat Caietanum, Angles, & alios. Ad argumentum contrarium de vsura mentali respondet Villalobos vbi supra.

An si quis vicit ludentem cum falsis chartis, vel taxillis, teneatur ad restitutionem.

RESOL. CLXIX.

IMpertinens forsitan videbitur alicui hoc dubium, & tamen affirmatiuam sententiam docuit Victoria; quem citat & sequitur Lopez lib. 2. de contract. c. 22. Garzias de contract. p. 1. c. 19. Alcocer de ludo c. 21. Azeuedus lib. 8. de recopil tit. 7. leg. 2. num. 83. & alij, quia cum ludus sit contractus, debet in ipso omnimoda æqualitas seruari. ergo vel neuter, vel vterque ludentium lucrari potest. Sed in nostro casu ludens cum falsis

charis,& taxillis non potest lucrari, ergo neque alter collusor.

Sed negatiuam sententiam sustinẽdam esse puto, quam tuetur D. Thom. in 2.2.q.32.art.7.ad 2. D. Anton.2. part.tit.1.c.23.§.3. Syluester ver. ludus q.13. Tabiena ver. restitutio.q.17. Palacius Rubeus rubr. de donat.§.81.n.6. Henriquez lib 7.c.35.nu.6. Auiles in leg. Prætorum c.29.glossa Leyes n.4.& alij, quia in nostro casu inæqualitas procedit ex culpa alterius ludentis; ergo non obstat quin eius collusor possit lucrari, qui impedimentum non apponit ex parte sua, & ideo dicendum quod si tractus ad ludum lucretur a trahente, non tenetur ipse lucrum restituere, sicut si trahens lucraretur.

Notandum est etiam hic obiter Petrum, v.g. cõmuniter non teneri restituere ob solam importunitatem, cum qua traxit aliquem ad ludum, ex eo quod illi obijciat ob miseriam non ludere,&c. Ita probabiliter Sanchez de matrim. lib.4.disp.10.nu.10. Alcoçer de ludo c.21. Garsias de contract. part.2.cap 19. Licèt aliqui magis probabiliter contrarium asserant, vt ipse Sanchez in opusc.tom.1.lib 1.c.8.dub.9.n.6. Caietanus & Bannez in 2.2.q.32.art.7. Medina in sum.lib.1.c.14.§.28. Sotus de iust.lib.4 q.5.artic.2. & alij. Et idem dicendum est, si aliquis collusor vellet dimittere ludum, & alter nolit, dicendo se non soluturum, nisi ludum sustineat, vel dicat, quod tenetur sustinere ludum; & alter ex verecundia perseuerat, &c.

An Archiepiscopus Panormitanus peccet confirmando præsentationem digni, omisso digniori, factam ab Illustrissimo Senatu huius vrbis in aliquam Parochiam? & an Senatus eligendo indignum, amittat pro illa vice ius eligendi.

RESOL. CLXX.

DE iure communi negatiuam sententiam tenendam esse non dubito, non solum in foro externo, sed etiam interno, sed difficultas est de iure nouo Concilij Trident. sess.24.c.18. de refor. & stante constitutione Pij V. edita anno 1566. vnde ductus hoc decreto Concilij & Bulla Pontificis asserit Petrus de Arragon. in 2.2.q 63.ar.2. per illa corrigi ius commune, & sic Episcopus non debet admittere præsentationem minus digni tanquam inualidam, omisso digniori.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto cum Sanchez in opusc.to.1. lib.2.c.1.dub.6.n.6. Dico igitur Concilium & Pium V. noluisse in aliquo facultati patronorum derogare, & sic præsentatio patroni facta de digno est valida, & per consequens admittenda est necessario à Prælato. Ratio est clara, quia à iure antiquo non est recedendum, nisi iure nouo expressis verbis recedatur, sed hoc non accidit in casu nostro, nam Concilium non irritat præsentationem de digno factam, quæ de iure antiquo valebat, sed tantum præcipit, vt patronus eligat digniorem, quod etiam de iure antiquo tenebatur facere, ergo, &c. alias rationes videbis apud Sanchez.

Verùm dato, & non concesso, quòd opinio affirmatiua Petri de Arragon esset vera, non facit pro casu nostro, in quo Patronus, qui præsentat ad parochias, est laicus, nempè Illustrissimus Senatus huius vrbis, & ideo secundum probabilem sententiam, quam ego ipse adduxi in 1.part. tr.1. Miscellan. resol.37. potest præsentare etiam in foro conscientiæ dignum, omisso digniori, ergo debet Archiepiscopus Panormitanus præsentationem dictam confirmare, & ad id tenetur, & si nollet, posset cogi a Superiore, quia, vt ait Sanchez loco cit. nu.8. confirmatio est actus exterior, & iudicius ab habente iurisdictionem ad confirmandum; sed talis electio est valida in foro externo, & etiam interno in casu nostro, secundum probabilem opinionem, ergo, imò in casu nostro si maior pars Senatorum ciuitatis eligeret minus dignum ad parochiam, minor verò digniorem, teneretur Archiepiscopus confirmare dignum, nam præsentatus à minori parte, censetur non præsentatus. Ita Doctores, quos citat & sequitur Sanchez nu. 11.

Et tandem nota, quòd licèt communiter asserant Doctores, eligentem indignum priuari potestate eligendi pro illa vice, ex c. cum in cunctis, §. finali, de elect. tamen ego puto contra Doctores, quos citat & sequitur Padilla in l. cum quidam, ff. de legat.2.num.17. Rochus de Curte tract. de iure patron. verb honorificum, quæst.4.nu.15. Probus in cap. si tibi absenti, de præb. in 6. num.55. textum illum non habere locum in patrono laico, sed tantum Ecclesiastico, vnde patronus sæcularis scienter præsentans indignum, poterit iterum præsentare. Ita Doctores, quos citat ad satietatem, & sequitur Sanchez vbi suprà, nu. 25. & ideo patet ex dictis, quod si Illustrissimus Senatus huius vrbis præsentaret indignum ad aliquam parochiam, non ex hac priuaretur potestate iterum alium præsentandi, nec in hoc posset inquietari ab Archiepiscopo.

An Clerici id quod detrahunt ex necessarijs ad decentiam status, viuentes parce, teneantur pauperibus largiri sicut superflua.

RESOL. CLXXI.

AFfirmatiuè respondet ex veteribus Panormitanus in cap. cùm omnes, num. 15. de testamentis, & ex recentioribus Sarmiento lib. de redditibus, p.3. cap.5. nu.1. & seq. vbi latissimè probant hanc opinionem.

Sed tu contrarium tene cum Alcocer lib. de ludo, ca 38. Nauarro lib. de redditibus quæst.1. nu.59. Molina de primog. lib 2. c.10. n 50. Auendaño respons.19. n.12. & alijs communiter.

Notandum est obiter primò contra Innocent. in cap. quia nos, de testam. Clericos de bonis quasi patrimonialibus quę lucrantur ratione alicuius ministerij, vt pro Missis dicendis, pro administrandis Sacramentis, audiendis confessionibus, pro concionibus, pro officio alicuius vicariæ temporalis, pro comitandis defunctis, officiis decantandis, &c. posse disponere sicut de bonis patrimonialibus ad libitum. Ita Auendanus & Alcocer vbi supra, quibus adde Sotum de iust lib.10 q.4. art.3. conc. 3. & Driedonem lib.2. de libert. Christ. c.4. qui etiam docẽt hoc procedere quoad bona quæ Capellani recipiunt ex Capellania collatiua, & ita tenet nouissimè Sanchez in opusc. tom.1. libr.2. c.2. dub.45. n.6. optimè obseruans n.7. sequenti, idem dicẽdum esse de stipendijs, & eleemosynis, quas Clerici accipiunt pro aliquo ministerio, ad quod ratione beneficij alias tenebantur, vt quod accipit Parochus pro administrandis Sacramentis suis subditis, beneficiarius pro anniuersarijs, & à fortiori contra Sarmientum lib. de redditibus 3. p.c.5. nu 8. dicendum est Prælatos, & Clericos posse liberè disponere de stipẽdijs officiorum quæ à Principibus sæcularibus acceperunt.

Sed difficultas est quoad obligationem conferendi superflui pauperibus, an idem sentiendum sit de quotidianis distributionibus ac de cæteri beneficij fructibus? & affirmatiuè respondet Sarmiento vbi supra nu.6. Nauarrus lib. de redditibus quæst.1. nu.74. Verum probabiliter alij contrarium sentiunt, & ita tenet Auendaño respons. 19. num.12. Syluester verb. Clericus 4. quæst.4. Angelus eodem ver.13. nu.3. & alij, qui putant distributiones dari propter diuinum laborem, vt illius stipendium; sed prima opinio est probabilior, vt asserit Sanchez vbi supra dub 46. nu.4.

An idem dicendum sit de pensionibus? aliqui asserunt habentes has pensiones non titulo spirituali, sed sæculari, immunes esse ab obligatione dandi superfluum pauperibus. Ita Corduba lib.1. q.18. ad 2. Couarr. cap. cum in officijs, de testam. nu. 6. Gigas tract. de pensionibus quæstio.52. Sed circa præsentem quæstionem vide Sanchez loco citato dub.47. n.5.6.& 7. At de obligatione Ecclesiasticorum dandi eleemosynam, infra iterùm redibit sermo.

An Principes teneantur ad officia sæcularia eligere digniores.

RESOL. CLXXII.

AFfirmatiuam sententiam cum Theologis & Iuristis docui in part.1. tract. Miscellan.1. resol.66. quam etiam nouissimè docet Villalobos in sum. tom.2. tr.8. diffic.6. num. 8.& 9. vbi sic ait. [Cayetano tiene que no ay obligacion en el caso de la tercera conclusion eligir el mas digno, el fundamento es lo vno porque el fin con que se instituyeron estos oficios no es premiar los subditos, sino solo proueer a la vtilidad publica, luego no ay obligacion de iusticia distributiua de eligir el mas digno; lo segundo porque el Rey es señor destos oficios, pues que los vende de hecho, que si no, no los pudiera vender, y ansi siendo señor podra los dar à quien quisiere como sea digno. Al primero destos fundamentos se responde, que aunque el

fin

fin primario de la Republica en instituyr estos oficios, no es premiar los subditos es el fin secūdario como se dixo en los beneficios, al segundo respondo que el Rey no tiene pleno dominio en estos oficios, sino solo gubernatiuo y no arguye el cōtrario el venderlos, porque no los pueder vender si no es en prouecho de la Republica y con algunas moderaciones, lo que no fuera si tuuiera pleno dominio.] Sic ille, & ante illum Molina de primog. Hispan. lib. 2. c. 5. n. 66. & vt dixi, communis sententia Theologorum & Iuristarum.

Sed his non obstantibus non est negandum contrariam sententiam esse probabilem, & ideo Turrianus in select. disp. cens. 2. cens. Theolog. dub. 87. sic ait. An sit probabile posse eligere Principem dignum ad officium sæculare sine peccato, relicto digniori. Affirmat Vasquez, & est ea opinio probabilis, & in praxi recepta. Hæc Turrianus.

Non desinam tamen hic apponere opinionem Sanchez circa præsentem quæstionem, ideò in opusc. to. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 36. nu. 15. sic asserit. Quando electio non fit per plura suffragia, sed ab vno tantùm electore, nec est necessariò facienda de partibus illius communitatis, probabilius est contra secūdam sententiam non esse acceptionem personarum, nec peccatum mortale prætermittere digniorem, vt quando Rex eligit Præsides, vel Auditores Regios, vel Prætores, &c. Probatur, quia tantùm quis tenetur distribuere secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ, & oppositum facere est acceptio personarum, quando dispensat bonum commune quod debetur ciuibus in quantum sunt partes illius Reipublicæ. Sed in hac electione illud officium non est bonum commune debitum ciuibus, in quantum sunt partes illius communitatis. ergo. Ita ille. Igitur secundùm Sanchez in Sicilia, v. gr. Rex non peccabit mortaliter, si eligat aliquem dignum in consultorem in stratico, vt vulgò, dicitur, ciuitatis Messanæ, vel in Proregem relicto digniori, quia isti eliguntur exteri; peccabit tamen mortaliter si eligat capitaneum, vt vulgò dicitur, ciuitatis Panormi, iudices, & Præsidentes Regni, &c. dignos, relictis dignioribus, quia tenetur eligere supradictos de partibus istius communitatis, nempè Regni, vel ciuitatis.

An qui, v. gr. accipit gradum Doctoratus in aliqua Vniuersitate publica, vt Messana, Catana, &c. non habens cursus requisitos, vel non interfuit illis iuxta Vniuersitatis statuta, vel non sit matriculæ adscriptus, &c. peccet mortaliter.

RESOL. CLXXIII.

Affirmatiuam sententiam docet Alcocer in summa. c. 27. & P. Henriquez consultus de hac re, & hoc licèt non interueniat iuramentum, quia Vniuersitas non intendit conferre gradum patientibus defectum aliquem iuxta sua statuta.

Verùm contrariam sententiam docet Sanchez in opusc. to. 1. lib. 2. c. 5. dub. 57. nu. 15. vbi sic ait. Secluso iuramento recipere gradum patientem aliquem defectum ex dictis, qui in foro conscientiæ non annullant gradum, non est peccatum mortale, si ille alias esset dignus, & sufficiens ad illum gradum, quia hi defectus non sunt substantiales, & quod substantiale est, concurrit, sc. promotio ad gradum sufficientia si autem iuramētum interueniat tunc temporis, erit peccatum mortale, non ratione talis defectus interuenientis, sed ratione periurii, quod ille committit; sic docti iuniores. Hæc Sanchez, & ego. Vnde si in tali casu quis potest euitare iuramentum, minimè peccatum lethale committet.

An tributum sit iniustum eo quod indirectè grauentur Clerici?

RESOL. CLXXIV.

Negatiuè respondet Sanchez in opusc. to. 1. lib. 2. c. 4. dub. 55. num. 40. vbi sic ait. Impositionem factam sæcularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant Bustro, quod scil. ex singulorum arietum pretio duos soluant argenteos, non esse illicitam, licèt inde resultet quòd Ecclesiastici carius emant. Probatur, quia non est iniustum tributum, eo quòd indirectè grauentur Clerici, nam ex alcauale, & vectigalibus, i. pasajes, quæ mercatores ex mercibus soluunt, quas ab vno loco in alium transuehunt, & vendunt, sequitur, quòd Clericis carius fient merces illæ, & non ob id sunt iniusta vectigalia illa. Insuper hanc sententiam tenent aliqui Doctores qui proponunt hunc casum, an possit imponi tributum supes camibus, vino, &c. indistinctè sine exceptione Ecclesiasticorum, & obijciunt videri non esse licitum, quia inde indirectè grauantur Clerici, cum hæc carius emant, & posita hac obiectione, respondent, quod si faciūt animo iniuriendi Clericis, & extorquendi pecunias, quas alio modo extorquere nequeunt, est illicitum, si verò non hoc animo, quia licèt non essent Clerici, adhuc imponerent, nec imponunt magis super his, quæ sæpiùs emūtur a Clericis, est licitum, nec possunt conqueri Clerici. Sic respondent Syluester ves. immunitas 1. q. 6. in fine, Lopez p. 1. instruct. cap. 590. Astensis lib. 6. summ. tit. 30. Angelus ver. immunitas, num. 42. At in hoc casu constat nō malo animo iniuriandi Clero impositum esse tributum, quia licèt non essent Clerici, imposuissent, & non magis imposue runt in his quæ sæpiùs emuntur a Clericis, & sic tenuerunt docti recentiores Magistri. Ita Sanchez.

Sed hæc doctrina stante Bulla Cœnæ ibi directè, vel indirectè mihi non placet, & Doctores quos pro sua firmanda sententia adducit Sanchez, ego reprobaui in 1. part. tractat. 2. resolution. 82.

An emens victualia pro filio Clerico, vel Capellano suæ familiæ, teneatur soluere gabellas.

RESOL. CLXXV.

Affirmatiuè respondet Thom. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 2. c. 4. dub. 54. num. 2. quia dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, sed patris, vel domini sæcularis; sicut Clericus, qui sustentat plures famulos sæculares, non tenetur soluere gabellam pro parte, quam famuli consumunt, sic docti recentiores. Ita Sanchez.

Sed contrariam sententiam prorsus tenendam esse puto, & ita communiter obseruatur, & præsertim in nostro Regno Siciliæ, vbi supradicti sunt immunes a gabellis pro victualijs emptis in sustentationem Clericorum, quia Clericus est ab omni exactione immunis pro ea parte, quam ipse consumit, nec valet dicere cum Sanchez, quod dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, nam respondeo quòd sufficit, quòd illa victualia emantur pro Clericis, eaque ipsi consument, & ita sentiunt plures Magistri Societatis IESV, & aliarum Religionum de hoc casu a me consulti. Adde quòd in tali casu patres possunt donationem facere filij de tota illa summa quam expensuri sunt pro illis, & postea eorum nomine illam in eorum seruitium expendere, & sic cessaret ratio Sanchez.

An quis possit licitè emere à sartoribus fragmenta, quæ supersunt ex vestibus, etsi iuste ipsi ea sibi retinent.

RESOL. CLXXVI.

Hic casus frequentissimus est, & etis Confessariis multum plausibilis. Negatiuam sententiam docet Villalobos in summ. tom. 2. tract. 25. diffic. 13. num. 6. vbi sic ait. [Muchas veces acontece que los criados se quexan que no les paga loque merecen y toman ellos secretamente algo de mas por via de recompensa, y aun los officiales y sastros tambien, y se quedan por esso con sobras, o retazos de la obra, y quanto a esto digo con Soto, Nauarro, y Rebellio que estos criados come ten hurto, si no es que no les hagan seruir por fuerça o engaño, la razon es porque si el salario llega al infimo precio justo basta, que no les deuen mas, y si no llega y no les consta cierto es que no lo podran tomar, y quando dixesen que no llega al infimo precio parece que no se les puede creer, porque si ellos hallaran otro que les diere mas, no seruieran aquel amo, y pues no le hallan, son como mercaderias que se ruega con ellas, y por esso valen menos, que los seruicios valen menos por falta de amos, como las mercaderias pos falta de mercaderos, y ansi no tienen de que se quexar, y si dizen que siruen commas fieldad y puntualidad, respondaseles que no merecen mas en dinero, si no en otros agradecimientos. Confirmase esto porque en este caso no tuuiera el amo al criado, si entendiera que le costaua tan caro, y es contra razon y iusticia querer que otro compre o alquile, por el precio que el no quiere pues es libre, y ansi rarissimas

vezes

veres se puede justificar esta recompensa si no es que interuéga miedo, o fuerça lo que toca a los sastres, y otros semejante se ha de iusgar por el mesmo camino, y ansi no pueden recompensar al precio por decir que las dan poco por lo que hacen si no huuiesse miedo o fuerça y en lo que toca a las sobras y retacos con que estos algun vezes se quedan, mi parecer es, que quando se antiende de la voluntad presumpta del sañor de la Obra, qua no quiera que le buelan las sobras se podran quedar con ellas, y tal creyeria yo qtta es quando fuese de poco valoe lo que sobra, como suelen ser las cercenadura, y loque queda de los nuecos de la ropa que hazen, porque todos saben que queda esso y nadie lo pida, mas si quedassa cosa de consideracion como es algun pedaco entero, que puede seruir, no se pueden quedar con ello, y ansi quando les pide vno qua saquen el paño o seda qua es menester para vna ropa y ellos piden mas de lo necessario, porque haya sobras no tienen escusa que es hurto manifiesto, si estau obligado a restituyr.] Hæc Villalobos.

His tamen non obstantibus nouissimè Thom. Sanchez aontrarium docet, sic enim asserit in opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 3. numer. 4. Si fragmenta quæ supersunt, atiam assent magna & magni valoris, licitum est ea emere a sattoribus magistris, non verò ab officialibus, id est, famulis, quia illis communiter minùs soluitur, quam merentur facturæ, atque ita mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conscientiæ, cùm quibus hæc contuli, & sic sibi compensant, & satisfaciunt his, quæ supersunt, quæ ratio non procedit cum famulis, hi enim pactum iniere cum magistro sub certa quantitate & modo in integrum soluatur magistro, vel non, hic illis in integrum soluit. Sic respondit mihi in quadam Epistola suo nomine subscripta quidam satis doctus recantior a me consultus. Ita Sanchez. Sed, vt verùm fatear, opinio Villalobos mihi magis placer, tamen si aliqui fartores, vel Confessarij opinionem Sanchez sequi vellent, eos ego non damnarem,

An propter pietatem licita sint opera seruilia in diebus festis.

RESOL. CLXXVII.

NEgatiuè respondet Caietanus in 2. 2. quæst. 122. art. 4. Sotus de iust. lib. 2. qu. 4. art. 4. ad 3. Lopez in instruct. part. 1. cap. 52. Nauarr. in manuali, cap. 13. nu. 4. 10. & 11. & alij communiter, quia non est prætermittendum opus Religionis, qualis est festorum obseruatio, propter pietatem extra articulum necessitatis.

Non desinam taman hic adnotare, contrariam sententiam docere Palatium in summa, Caiet. verb. festũ, Alcocer in sum. c. 17. Tabienam ver. Feriæ, n. 18. 37. & 41. Perez lib. 1. ordin. tit. 1. l. 5. fol. 41. & 42. quia in c. conquestus, de ferijs, causa pietatis permittuntur iudicialia in diebus festis; ergo & permitti debent seruilia, & hanc sententiam probabilem putat Sanchez in opusc. to. 2. lib. 5. c. 2. dub. 32. nu. 3. nam negatiuam sententiam quam ipse tenet, vocat tantùm probabiliorem, & cum aliqua modificatione hanc sententiam tenet Villalobos in manuali Confessariorum, c. 22. n. 80. vbi sic ait. [Las obras seruiles que se pueden hazer secretamente como coser son licitas en fiestas; quando se hacen por limosynas mas no otras cosas mayores como edificar, que en tal caso se ha da pedir licēcia al Obispo.] Ita ille, vide etiam Michaelem da Palacio lib. 2. de contractibus, c. 10. §. forsitan quæritur. vbi ex glossa in nostro casu docet, quòd pietas & necessitas non subduntur legi; sed mihi prima opinio magis placet, quam sequitur Fagundez de præcept. Eccles. præcept. 1. lib. 1. c. 14. nu. 2. & allij communiter.

An Episcopus sine populi consensu possit instituere dies festos?

RESOL. CLXXVIII.

REspondet negatiuè Michael de Palacio lib. 2. de contractibus, cap. 10. vbi in fine sic ait. Si quærit aliquis, num Episcopus solus potest præcipere dies festos obseruari? & quidem si Episcopus solus posset facere die festos pro suo arbitrio, posset præcipere celebrari & obseruari quos volet; at hoc esset in grauamen magnum populi, si quidem sunt pauperes multi, qui ex officio suo & labore victitent, & si multiplicaret Episcopus festa, iam ipsi grauarentur, quippè non haberent vnde sibi sufficientem pararent victum. Adde quòd in cap. conquestus, de ferijs, sic habetur. Cæteris feriandum solennitatibus, quas Episcopi in suis diœcesibns cum Clero, & populo duxerint solenniter venerandas. igitur Episcopus ad inducenda festa solus non habet authoritatem, sed ipse cum Clero, hoc est, consentiente suo Capitulo, & annuente populo, hoc est, populi rectoribus, debet statueta huiusmodi festa celebrari. Vnde videtur quòd si contra tenorem huius Capituli fecerit, non teneri populum ad obsaruationem festorum; sed quid si fulminat excommunicationis fulmen? Respondeo, facilè est tunc prouocara ad Metropolitanum, aut si hic instituit propria anthoritate festa huiusmodi, ad Papam eausam deferre. Ita Palacius vbi suprà, & DD. quos ad satietatē adducit, & sequitur Sanch. in opusc. to. 2. lib. 5. c. 2. du. 5. n. 6. qui tamen confiterur satis essa ad festa instituenda Episcopum cum Capitulo, quando Episcopus institueret festum, & populus absque causa iusta contradicaret, tunc enim tali contradictione non obstante est seruandum festum.

Verum his non obstantibus licèt da iure supradicta opinio vera sit, de consuetudine tamen asserunt aliqui, quòd dies festi sola Episcopi authoritate adhibito consilio Clericorum, non tamen suffragio, statuuntur. Ita Fagundez præc. 2. li. 1. c. 3. n. 11. Imò Villalobos in summ. to. 2. trac. 31. diffic. 1. n. 3. in fine, asserit, [que solo el Obispo puede hazer fiesta a los Santos que tiene la Iglesia Romana puestos en el Kalendario.] Adde quod obseruat Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. c. 11. n. 9. & Fagundez vbi sup. in casu, de quo loquimur, satis consentire populum cum Episcopo per hoc solum, quòd non contradicat. & in Synodo posse Episcopum sine populi consensu dies festos indicere, tradit Gauantus in enchirid. Episcop. p. 2. allegat. 105. num. 39. Sit tamen Episcopus parcissimus in institutione festorum, vt aduertit Sayrus in claui Regia, lib. 7. c. 3. num. 16.

An ingressus mulierum in claustra virorum Regularium prohibeatur sub peccato mortali.

RESOL. CLXXIX.

AD hoc dubium ita respondet Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 4. ingressum mulierum in monasteria virorum Regularium non ita certum est sub peccato mortali, aut excommunicationis censura prohibitum esse, tametsi enim allegari solet Bulla Pij V. & Gregor. XIII. est tamen valdè probabilis sententia aliquorum non fuissa mentem horum Pōtificum nouo iure condito ingressum mulierum in Monastaria virorum prohibere, sed solùm paci & quieti Regularium prospicere, ad quorum Monastaria Marchionissæ, Comitissæ, &c. prætextu priuilegiorum ipsis concessorum contra instituta eorumdem Regularium, & interdum non sine molestia ipsorum ingredi præsumebant. Ita illa. Et licèt pro contraria sententia adducatur quædam declaratio Pij V. hanc authoritatem non constare respondet Layman, qui etiam adducit Suarez tomo 5. disputat. 22. sect. 6. vbi sic asserit. In communi iure Pontificio, nequa in alijs Pontificum decretis inuenio generalem legem prohibentem ingressum mulierum in monasteria virorum sub mortali, naqua etiam ex natura rei, aut ex ipsa professione video in hoc actu par se & intrinsecam malitiam, & ideò non existimo in vniuersum esse hoc peccatum mortale, si excludantur circumstantiæ mali finis, scandali, violentiæ, iniuriæ, Monasterio illatæ, &cet. Hæc Suarez. Sed hæc opinio mihi non placet, vt nec Bonacinæ vbi supra puncto 2. numer. 6. & puncto 3. num. 1. quia Bulla Pij V. clarè loquitur, & est in Bullario posita.

Notandum est etiam hic obiter aliquos docere fœminas quæ licitè in casibus permissis ingressæ sunt in aliqua loca Monasterij, excusari ab excommunicatione, etiamsi postquam ingressæ sunt, ad vlteriora loca progrediantur, quia licèt peccent contra obligationem clausuræ, immorando, vel vlteriùs progrediendo, nihilominus pœnam excommunicationis incurrere non videntur, quia hæc lata est contra fœminas præsumentes ingredi Monasteria Religiosorum: fœmina autem ingressa non dicitur ingredi, sed immorari, vel ad loca Monasterij ambulare, percurrere, aut visitare. ergo, &c. & hanc opinionem probabilem esse docet Bonacina tract.

de

de clausura, quæst. 5. punct. 4. num. 16. Sed aliquibus, & mihi, non placet.

An per renouationem votorum Regularium obtineatur remissio omnium peccatorum.

RESOL. CLXXX.

HÆc resolutio erit deuotis Religiosis multum plausibilis, & negatiuam sententiam docet Sanchez in sum. to. 2. lib. 5. nu. 5. & Tabiena verb. Nouitius, in fine, & post illos Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum disp. 13. dub. 5. num. 7. propterea quòd opus primæ traditionis difficilius sit, & ex intentiore voluntate procedens.

Sed his non obstantibus sententiam affirmatiuam refert & non improbat Sà ver. Religio, num. 7. & nouissimé illam docet Paulus Layman in Theol. mor. libr. 4. tractat. 5 cap. 10. num. 2. nam vota quæ in Raligione eduntur, ideò afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum. Sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri & renouari potest. argo etiam remissio peccatorum iteratò acquiritur, & idaò Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 26. n. 2. sic ait. [Pareceme que se puede creer piadosamente, que todas las vezes que el Religioso se acuerda que hizo profession, y se alegra dello con tal affeto que si no vuiera professado professara de nueuo, que Dios nuestro Señor le perdona todas las penas de los pecados o casi todas por este acto tan heroico y por lo menos per grandissima parta dellos y por lo qual alguuos deuotos religiosos vsan reyterar entre si la profession quando ven que otros la hazen.] Ita ille. Ad argumentum verò, quod Sanchez adducit, respondet Layman, fieri posse vt renouatio votorum maiore animi constantia & determinatione ad Dei obsequium fiat, quam prima traditio facta fuerat. Adde quòd cùm hæc sint accidentalia, non nocent. Verùm ego puto non esse recedendum ab opinione negatiua.

An votum pœnale obliget sola prima vice ad pœnam.

RESOL. CLXXXI.

HIc casus erit frequentissimus, maximè in Sicilia, vbi tam facilè emittuntur vota; & negatiuè respondet Sanchez in summ. tom. 1. libr. 4. c. 22. n. 21. putat enim obligare pro semper, nam, v.g. qui absolutè vouet se non lusurum, non pro sola prima vice obligatur, sed semper. ergo nec qui vouit aliquam pœnam si luserit, vel nō ludere sub certa pœna obligabitur sola prima transgressione ad pœnam, cum pœna accessoria sit illi actui tamquam principali, & ideo eius naturam debet sequi.

Sed his non obstantibus, si spectatis omnibus circumstantiis dubium maneat de intentione vouentis, an fuerit in perpetuū sibi interdicere peccandi facultatem sub proposita pena, tale votū obligare tantùm pro prima vice, probabiliter docet Layman in Theol. mor. lib. 4. trac. 4. c. 5. n. 4. quia cum de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio est amplectēda, & ideo hāc sententiam docet etiam Emanuel Sà post Romanam correctionem ver. votum, n. 26. vbi sic asserit. Vouens se aliquid facturum, si contingat fortè peccare, intelligitur de prima vice, nisi intendisset expressè, quoties peccasset. Ita illa, & ego.

Notandum tamen quòd etiam stando in opinione Sanchez limitanda, secundum ipsum erit in casu, quò pœna grauissima esset, & quæ iterari non solet, nam tunc votum illud pro sola prima transgressione obligabit; vt si quis vouisset non ludere sub pœna peregrinandi Hierosolymam, aut Religionis, aut exorbitantis eleemosynæ. Quare si violato voto talis, v.g. ingrederetur Religionem, quæ fuit pœna, & tempore Nouitiatus ex iusta causa exiret, & sic iam voto pœnę satisfecisset, etsi iterum incideret, non obligaretur amplius ad illam pœnam, & sic de pęna peregrinationis & eleemosynæ exorbitanti dicendum erit, nisi aliter constaret de expressa vouentis intentione.

An parentes sint absoluendi qui nolunt ad colloquium admittere filium qui indignum matrimonium contraxit?

RESOL. CLXXXII.

CAsus est practicabilis, & ad illum respondet Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 2. vbi sic ait. Iuuenis contra parentum voluntatem indigno matrimonio se copulauit, & non paruo dedecore familiam affecit, & propter parentes & fratras hominem ad colloquium suum admittere, eique veniam petenti ignoscere constanter recusant; quæritur an a Confessario absolui possint? Respondeo quòd pater offensus à filio in locum pœnæ reconciliationem ipsi ad tempus negare possit, & idcirco reliquis suis liberis, totique familiæ præcipere, vt hominem, qui ita deliquerit, ad domum, vel consortium suum non admittant, quousque delicto conuenientes pœnas luisse censeatur, & familia hac in re præcipienti parere potest veluti ministri & executores iustæ vindictæ paternæ. Quare Confessarius in hoc casu duo exquirere debet. Primò vtrùm pater, vel patres ex animi odio procedant, an solùm iustam vindictam spectent ad ipsius delinquentis emendationem, familiæ honorem, & aliorum maiorem cautelam procurandam. Secundò vt vindicta, siue pœna quę tali filio irrogatur, non excedat mensuram delicti; quare in perpetuum non poterunt illi reconciliationem denegare, sad tantùm ad tempus differre, quousque videbitur conueniens ad punitionem & fines bonos consequendos Ita Layman: cuius doctrina etiam ampliari potest, quando filius valdè nobilis contra parentum voluntatem si non indigno, saltem multum inæquali matrimonio se copulauit, & ita in casu contingenti senserunt mecum docti recentiores.

An Clerici in Sacris peccent mortaliter ludendo ludis prohibitis aleæ & taxillorum?

RESOL. CLXXXIII.

COmmunis & probabilior sententia affirmat, quando sæpè his ludis ludunt, secus autem citra scandalum semel, vel iterum his ludant. Ita Rebellius p. 2. lib. 12. q. 1. n. 10 & alij, quos citat & sequitur Salas vbi infrà, quibus ego addo nouissimè Villalobos in summ. to. 2. tr. 28. diffic. 1. nu. 8. Sanchez in opusc. to. 1. lib. 1. c. 8. dub. 28. n. 7. quia in sacris Canonibus penes citatos DD. sub grauibus pęnis prohibetur Clericis cōsuetudo ludendi, quod procedit, etiamsi luderent recreationis causa. Ita Salas tract. de ludo, dub. 24. nu. 2. in fine.

Non desinam tamen hic adnotare Syluestrum ver. ludus, q. 4. & D. Antoninum 2. part. tit. 1. cap. 23. §. 2. non damnare Clericos propter continuationem ludi, etiam in ludis prohibitis, si ludant notabilem quātitatem, quia consuetudo licèt aggrauet peccatum, at non mutat speciem, ita vt de veniali fiat mortale, & ita explicant cap. Episcopus, dist. 35. & Guttierez de iuram. confirm. 1. part. cap. 55. num. 2. cum alijs. putant tunc esse mortale quando Clericus luderet notabilem quātitatem ludis prohibitis, principaliter ob lucrum, & tandem plus addit Caietan. in summ. verb. Clericorum peccata, & Henriquez, teste Sanch. vbi suprà nu. 4. nempè quantum ex præcepto iuris positiui non peccare Clericos ludentes ludis prohibitis; non est tamen discedendum à communi sententia, quæ magis procederet si adesset scandalum.

Sed an prohibitio ludēdi modo quo suprà dictum est, includat etiam Clericos minores? Affirmat Alcocer tract. de ludo c. 21. quia Canones citati indistinctè loquuntur de Clericis, sed meritò cum Nauarro & Lopez docet Sanchez loco cit. num. 8. dictos Canones intelligi de beneficiarijs & Clericis sacro Ordine initiatis, vnde de alijs censendum esse putat ac de laicis.

Verùm quid dicendum de puris Religiosis? ad hoc Salas vbi supra nu. 3. sic respondet. Quartò aduerte hanc prohibitionem quæ de Clericis tantùm loquitur, à nonnullis extendi ad Religiosos, vt à Valentia, Medina & Nauarro, sed sine fundamento. Vnde Religiosi qui Clerici non sunt, non peccant contra illos Canones; ludendo etiam assiduè. Ita Salas. Sed affirmatiuam sententiam docet Sanchez loco cit. nu. 9. quia hi ludi sunt valdè indecentes statui Religiosorum.

Notandum est etiam hic obiter contra Nauarrum in manu.

cap.

cap.20.nume.14. Lopez in instruct.p.2.c.31.non esse peccatum mortale si Clerici, vel Religiosi inspiciant notabili tempore ludos fortunæ mortaliter peccaminosos, nisi ludi causa sint, vel omittant corrigere quando tenentur, quia materia non videtur tam grauis. Ita Sanchez vbi suprà dub.29. nu.2. cum Syluestro, Angelo & Caietano; si tamen in tali inspectione adesset scandalum. Villalobos in summ.to.2. tract.28.diffic.1.n.7. putat esse peccatum mortale.

An repræsentationes sacræ possint fieri in Ecclesiis,

RESOL. CLXXXIV.

AFfirmatiuè respondet Angelus ver. ludus, nu.2. vbi sic ait. Demonstrationes quæ fiunt ad honorem Dei, puta passionis Christi, & vitæ alicuius Sancti, non sunt prohibitæ in Ecclesijs fieri. Ita ille, & ante illum Tabiena eodem ver.qu.4. & Syluester q.2. dicto 3. & nouissimè Sanchez in opusc. to.1. libr. 2.c.8. dub.24.nu.23.

Non desinam tamen hic adnotare, Bartholomæum Gauantum in Enchir.Episc. ver. repræsentationes sacræ, nu.1. contrariam sententiam docere, & citat Barbosam de potest.Episc p.2. alleg.24.nu.25.& obseruat quòd Sanctus Carolus Borrhomæus in consil.1. Prouinciali prohibuit vt Passio Saluatoris nullibi agatur Vide Thomas Zerola in praxi Episcoporum part.1. verbo repræsentationes, obseruat optime aliquos Episcopos prohibuisse dictas recitationes nullibi fieri posse absque eorum expressa licentia.

An si quatuor oppositoribus concurrentibus ad cathedram, vel prætendentibus aliquod officium, quis spondeat cum vnoquoque eorum seorsim, quod non adepturus esset illam, vbi certum est quòd lucrabitur à tribus, & perdet cum vno, teneatur restituere.

RESOL. CLXXXV.

HIc casus est curiosus, & affirmatiuam sententiam docet P. Ledesma in summ.to.2.tract.32.c.2.post 7.concl.difficul. 2.& post illum Villalobos in summ.to.2.tra.28.diffic.6.n.3.vbi sic ait. [Dize el Padre Ledesma que huuo vna manera de apuesta en Salamanca en vna catedra que auia quatro oppositores que la competian y cada vno dellos tenia apasionados. Vn estudiante hizo apuestas de cien reales con quatro amigos de los quatro oppositores de que no la lleuauan, porque si perdia con vno era fuerca ganar con tres, y dize que aunque cada apuesta destas en si licita, todas juntas son ilicitas, y no puede lleuar cõ buena consciencia las apuestas, y que es comun senteñia de todos. la razon es, porque todos estos contractos juntos hazen vna grande desygualdad no obstante que cada vno de por si era licito.] Sic ille.

Verùm nouissimè negatiuam sententiam docet Tho. Sanch, in opusc.to.1. lib.1.c.8.dub.16. n.2. quia cum omnibus his quatuor est dubius de futuro euentu, & sicut potest à quolibet lucrari, ita potest cum quolibet perdere. Ita Sanch, qui etiam ait sic sensisse nonnullos doctos recentiores; mihi verò magis placet prima sententia ex ratione adducta; puto tamen sentẽtiam Sanchez esse probabilem, & hic casus est valde notandus, quia potest frequenter accidere cum officia tam sæcularia, quàm Ecclesiastica semper habent plures prætensores.

An qui contestatur se certò scire, & alter contendit, & adhuc vult spondere, teneatur ad restitutionem.

RESOL. CLXXXVI.

AFfirmatiuè respondet Alcocer tract. de ludo, c.47. Garzias de contract.p.2. ca.18.& alij, quia talis censetur deceptus spondere.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Medina & Lopez, quos citat & sequitur Sanchez in opusc to.1.lib.1.c.8. dub. 13. n.11. quibus ego addo Villalobos in sum. to.2.tr. 28. diffic. 6.nu.2. quia in tali casu nulla est fraus, & talis sibi imputare debet suam temeritatem. Hinc infertur decisio alterius casus, nẽpè quando alter colludentium nouit excessum notabilem alterius in ludendo aleis, vel taxillis, aut alterius ludi, vel alter admonet ipsum, & de hoc contestatur, quod excidit ipsum notabiliter, an, inquam, in tali casu hic excedẽs teneatur pecuniam quam lucratus est, restituere? Affirmatiuè respondet Alcocer c.19.& Garzias c.14. quia alter non videtur cedere iuri suo, sed nimia ductus passione & cupiditate ludit. Sed tu potes securè in praxi negatiuam sententiam tenere, quia volenti & consentienti nulla fit iniuria. Ita vterque Medina, Salmanticensis, & Complutensis, hic in sum.lib.1.c.14.§.28.ille verò C.de restit.q. 22.& alij, quos citat & sequitur Sanch. loco cit.n.7. Verùm Rebellius p.2.libr.12.q.3.nu.3. putat hanc sententiam procedere, quando lucrum non sit ita magnum, vt possit esse pœna proportionata tali culpæ. Sed absolute negatiuam sententiam docet Sanchez, cui adde Azorium to.3.libr.5.c.25 quæsito 4. in fine.

An quidam Regularis qui mactauit vaccam, incurrerit in pœnas Bullæ Vrbani VIII. edita die 28 Aprilis 1633. contra præsumentes mactare animalia agrorum culturæ inseruientia in Regno Siciliæ?

RESOL. CLXXXVII.

SVppono Summum Pontificem in d. Bulla fulminare pœnas in audentes, & præsumentes mactare boues, vaccas, vitulos, &cet. in hoc Regno Siciliæ. quæ quidem verba importam dolum & temeritatem, vt docet glossa in l. si quis tantùm, Cod, vnde vi. Cardinalis in Clement. 1. de priuilegijs quæst. 39 D. Antoninus part.3, tit.24.cap.54. ver. quærit, idem Angelus ver. excommunicatio 5. cas. 12. nu.15. Syluester eodem ver.7. cas, 14.dub.5.num.35. Nauarrus in summa cap.27. num.155. Emanuel Sà ver. pœna, numer.5. & Doctores, quos citat & sequitur Barbosa trac.de dictionibus vsu frequentibus, dict 278, num.2. Menochius consil.363.nu.10. & Lotterius de benefic. lib.2.qu. 14. à nume.54. Cùm igitur pro contrauentione dictæ Bullæ requiratur dolus & temeritas, hoc enim, vt dictum est, significant verba illa Pontificis, *audeant & præsumant*, sequitur quòd ignorantia etiam vincibilis & crassa, excuset, vt latè probat Ledesma in summa tom.1. cap. 3. de excommunicat. dub. vlt. dicto 3. Henriquez lib.13.cap.23.num.3. Suarez to.5. disp.4 sect. 10.n.3. Sanchez de matrimon.to.2 lib.9 disp.32.nu.37. Auila de censuris p.2.c.6.disp.10.dub.6. Molina de iustit.tract.5.disp.71. nu.13. Curiel in p.2.qu.76.art.4.dub.4. Bonacina tract. de clausura q.5.punct.3.n.1. Auendanus de exequend. mand. li.1.c.4. n.38. Cenedus ad Decret.collect.45 nu.3. & Barbosa vbi supr. n.3. vbi sic ait. Dispositio puniens aliquid præsumentem, non comprehendit illum, qui id bona fide & ignoranter facit. Sic ille, & alij communiter.

Hoc supposito constanter assero supradictum Regularem, neque in foro interno, neque in foro externo in pœnas dictæ Bullæ incurrisse, quia cum ignorantia dictæ constitutionis Pontificiæ mactauit vaccam, quæ quidem ignorãtia licet regulariter debeat præsumi ex l. veniens, ff. de probationibus, tamen in nostro casu adest de tali ignorantia iuramentum; vnde de illa non est dubitandum, quia nemo præsumitur salutis suæ immemor, maximè Religiosus tam sanctæ Religionis, sicque in indiuiduo concludit Portel in respons. Regular. part.1. casu 27. nume.3. & in dubijs verb. ignorantia, num.18. Afflictus in tractat. de iure prothom.§.2.num.9.ver.& si præsumptio. & ideo glossa in capit.2. in verb. scienter, de tempore ordin. in 6.& Doctores, quos citat & sequitur Caballus resolut. crimin. centur.3. cas.287.nume.46. asserunt, quòd ignorantia probatur per iuramentum eam allegantis. quod maximè procedit, vt docet Farinacius de delictis carnis, quæst.149.nume. 203. & 204.& alij penes ipsum, quando iurans haberet pro se aliquam præsumptionem ignorantiæ, quia v.g. publicè actum contra legem fecit. Sed totum hoc accidit in casu nostro, cum dictus Religiosus palam coram omnibus vaccam mactauit. ergo dicendum est omnino in pœnas dictæ Bullæ ratione ignorantiæ non incurrisse.

(.·.)

An

An professio in aliqua Religione emissa à laborante morbo Gallico sit nulla si hoc celauit in examine.

RESOL. CLXXXVIII.

Respondeo quòd attento iure communi professio morbo Gallico, vel alia contagiosa infirmitate laborantis non est irrita. Ita decisum est in Rota decis. 346. numer. 2. apud Farinacium, & docet Hieronymus Rodriquez in compend. qu. Regular. resolut. 101. n. 61. Miranda in manuali Prælat. to. 1. qu. 19. art. 2. cum alijs communiter, & patet ex c. sicut nobis, & c. sicut tenor, de Regul. Difficultas est, an in pœnam peccati negando delictum quem tenebatur in ingressu confiteri, possit Religio priuare habitu, & illum expellere? Negatiuè respondet Grassius to. 1. lib. 3. de Regul. cons. 4. nu. 9. Sanch. in summ. to. 2. lib. 5. c. 4. nu. 58. Emanuel Rodriquez in q. Regular. tom. 3. q. 17. art. 9. & alij, quia cùm expulsio a Religione sit res grauissima, grauissimam causam exigit. Verùm mihi affirmatiua sententia magis placet, quam post Nauarrum docet Lessius lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 62. Georgius Kiene tract. de cas. reseru. p. 3. c. 2. nu. 7. Bartholomæus à S. Fausto in thesaur. Relig. lib. 5. q. 212. num. 2. Emanuel Sà ver. Religio nu. 34. Vega in summa to. 2. c. 50. cas. 4. Sorbus in compend. priuileg. verb. Nouitius, post 7. notabile. §. 5. principaliter, & alij. Ratio est, ait Lessius, quia in tali casu fraus dedit causam receptioni ad Religionem, ergo potest ex illa reijci; quando enim dolus dat causam contractui, vel contractus est irritus, vel certè in irritum reuocabilis: nec obstat quòd professio semel valida non possit irritari, quia id verum est quoad obligationem erga Deum, non autem quoad illam, quæ est inter Religiosum & monasteriū. Verùm si aduersùs supradicta obstaret aliqua noua constitutio Pontificia, erit illa videnda, ad quam me remitto, & præsertim decretum Vrbani VIII. de professis non expellendis.

Quæ omnia supradicta sine vlla difficultate procedunt in Religione, quæ haberet tale statutum de expellēdo talem professum, confirmatum à Summo Pontifice, quod habent PP. Capuccini, vt patet in eorum constit. cap. 2. PP. Eremitæ Discalceati S. Augustini part. 2. cap. 1. num. 6. & 8. in quibus Religionibus professio supradictorum est nulla. nam in dictis constitutionibus Superiores, cum se declarent nolle esse obligatos ad retinendum dictos professos, qui rogati occultarunt morbum Gallicum, clarè & apertè dicunt se non pręstare consensum, eo quòd sicuti ex assensus concessione consurgit obligatio retinēdi, ita ex declaratione non se obligandi ad retinendum apertè consurgit negatio consensus. ergo nulla erit professio supradictorum in tali casu, & ita in terminis docet Bartholomæus a Vecchis in praxi nouitiorum disp. 13. dub. 15. n. 8. quem in facti contingentia omnino videbis.

Non desinā etiam hic adnotare quòd pręfatus morbo Gallico laborans, cuius professio est in dictis Religionibus irrita, non est obligatus ad Religionem in genere, nec talis professio vllam ei iniunxit obligationem, nisi profitens peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat eo se ligare; quod tamen votum non dicitur validum tamquam aliquid professionis, sed vt votum simplex. Ita Bartholomæus a Vecchis vbi suprà nu. 10.

An si quis habeat facultatem edendi carnes, si illas non edat teneatur ieiunare.

RESOL. CLXXXIX.

Potest hic casus frequenter accidere, & ad illum sic respondet Sanchez in opusc. tomo 2. lib. 5. cap. 1. dub. 30. num. 2. & 3. quòd si talis habet manifestas vires & salutem ad ieiunandū, sed ad præseruandum se ab aliqua infirmitate edit carnes, tunc si aliqua die ieiunij non comedat carnes, tenetur illa die ieiunare, quia hos nulla alia ratione excusamus a ieiunio, nisi quia abstinentia a carnibus est conditio essentialis ieiunij, & illa non seruata, non potest seruari ieiunium. Ergo si seruant illam conditionem cùm possint reliquas seruare tenentur. Verùm si talis haberet facultatem edendi carnes ratione debilitatis & infirmitatis præsentis, licèt aliqua die illam non comedat, non tenetur ieiunare, licèt illorum saluti conduceret illam nō comedere eo die & ieiunare. Ita Sanchez ex doctis recentioribus, qui etiam dub. 14. nu. 2. cum dictis iunioribus docuerat, quòd quando infirmitas est talis, quæ communiter solet excusare à ieiunio, licèt valetudini illius infirmi conduceret ieiunare, & oppositum noceret, non tenetur infirmus tunc ieiunare ex pręcepto Ecclesiæ, sed tenebitur ex præcepto abstinentiæ, cuius fractio communiter est venialis, quia Ecclesia absolutè voluit omnes infirmos excusare, quia ieiunium eis vt plurimū nocet, quòd autem huic non noceat, est per accidens, & Ecclesia tantùm respicit id, quod communiter solet euenire. Vnde ex his ego olim ante Sanchez editum non damnaui quartanarium peccasse mortaliter, quia non ieiunauit aliquibus diebus, licèt eius valetudini tunc conduceret ieiunare, quia quartanarij excusantur a ieiunio, vt ipse Sanchez loco cit. nu. 3. notat. Igitur talis quartanarius tunc non ieiunando peccauit quidem venialiter cōtra præceptum abstinentiæ, non autem mortaliter contra præceptum Ecclesiæ.

An si quis in mari dum nauigat possit virtute Bullæ Cruciatæ edere lacticinia, non obstante quod Bulla dicat, extra Regna, vbi illa sumitur, non esse comedenda.

RESOL. CXC.

Hunc casum apud neminē inueni pertractatum, & tamen potest in praxi sæpiùs accidere, ideò respondent aliqui. Primò, quòd seruetur consuetudo, si qua est, & si stricta fuerit nè laxetur, neque si laxa coarctetur. Secundò, vt in terra, sic & in mari termini seruari possunt, quos certè ciuitates, & regna singula habent; atque hi duo modi tutissimi sunt. Tertiò, cùm quis nauigat breui rediturus in regnum, vbi per Bullam edere poterat lacticinia, quo quo eat vesci lacticinijs potest, quia mare passim omnibus patet, atque vsus eius perindè ac aeris communis est omnibus, saltem in hoc, & in iure etiam qui breui tēpore absunt breui reuersuri, pro præsentibus habentur l. postliminij, §. captiuus, l. nihil, ff. de capt. & postlim. reuers. Quartò si quis in Hispaniam proficiscatur, idem potest per intermedias regiones, saltem occultè ad minus, si non publicè: vnde infertur, etiam si quis, v. gr. in portu Neapolitano Quadragesimam agat, ouis vesci potest, & lacticinijs; imò si quis Neapoli Quadragesimam agat breui rediturus, idem facere potest, licèt contrarium sit probabilius, quæ quidem procedunt cessante scandalo, idque fit monendo de facultate, & priuilegio Bullę, vel occultè comedendo. Et ita hæc omnia publicè docuit in Collegio Panormitano P. Bernardinus Piccinus Societatis IESV, vir sanctissimus, & huius literaturæ cōsultissimus, vt omnes sciunt, in lectura super Bullam Cruciatæ num. 63. vsque ad numer. 77. vbi etiam quærit, an extra Siciliam, Romæ, v. gr. per Bullam possit quis frui priuilegio edēdi lacticinia, & ait, verba illa Bullæ, *non extra illa*, interpretari posse de Consilio ratione scandali, quod vitari potest. Accedit præterea, quòd in Bulla Italica hæc verba non habentur, vnde dicendum videtur a Commissario generali ita interpretatum; sed re vera tutior est opinio, extra territoria Sicilię nulli licere edere lacticinia, & probabilis alia opinio licere ei, qui breui intra semestre est rediturus. Hæc omnia dictus Pater Piccinus vbi suprà; sed an probabiliter, vt ipse putat, alijs iudicandum relinquo; nam quòd lacticinia possint edi extra regna Hispaniarum, ego reprobaui in 1. p. tractat. de Bulla Cruciatæ, resolut. 5.

An verba imperatiua posita in reliquo Canone, Bulla, seu decreto Pontificio, obligent ad peccatum mortale?

RESOL. CXCI.

Hic casus erit multum practicabilis, & quod verba imperatiua præceptum sub mortali non indicent, docet Caietanus in 2. 2. q. 166. art. 9. circa solut. ad 2. & alij, sed difficultas est, an indicent tale præceptum in decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum? & affirmatiuam sententiam docet Vasq. in part. 2. disp. 158. cap. 2. nu. 24. & Castrus Palaus in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 9. nu. 3. & ideò in Concilio Trident. sess. 13. cap. 5. & 7. imponitur præceptum cum verbis tantùm imperatiuis Sacerdoti quam primum confiteri, si ob inopiam Confessoris celebrauerit sine præuia confessione. Et in supradictis verbis Concilij Tridentini præceptum illud latum

cum

cum verbis imperatiuis obligare sub mortali, tradunt communiter DD. ergo, &c.

Verùm his non obstantibus, nõ desinam hic adnotare, contrariam sententiam docere Emanuelem Rodriquez in addit. ad Bullam Cruciatæ, § 9. n. 77. vbi sic ait: [Ni contra esto obsta el dicho Capitulo aduersus, por que a esto respondo, que las leyes Canonicas no obligan a pecado mortal, si no vienen palabras preceptiuas, o prohibitiuas aunque sea de modo imperatiue y la razon dello es porque no mandando ni prohibendo el legislator vna cosa, que ordena es visto no querer obligar a pecado mortal.] Sic ille. Et ideo Petrus de Ledesma, insignis Theologus Dominicanus, in summ. tom. 1. tract. de Euchar. ca. 11. ante conclus. 9. & Villalobos in summa tom. 1. tract. 7. diffic. 37. nu. 7. docent illis verbis Concilij Tridentini, *vt Sacerdotes quamprimum confiteantur, si celebrauerint ob inopiam Sacerdotis absque confessione*, docent, inquam, in dicto loco Concilij non contineri præceptum sub peccato mortali.

Sed ego primæ sententiæ adhæreo. Dico igitur legem verbo imperatiuo conditam, regulariter loquendo, obligare sub mortali in materia graui, nisi aliud ex coniecturis appareat. Et ita etiam hanc sententiam præter Vasquez & Palaum docet Granado in 1. 2. D. Thomæ, contr. 7. tract. 3. part. 1. disp. 4. sect. 1. num. 3. & Bonacina tom. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. a. 4. n. 10. qui citat Syluestrum, Armillam, Suarez, Salas, & alios; vnde tenet in dicto loco Concilij Tridentini sub verbis imperatiuis adesse præceptum sub mortali. Vide etiam Clem. exiui. de verb. significat. § item quia, ver. nos itaque, & cap. Clerici, de vita, & honest. Cler.

An si quis in duello percussus lethaliter decidat in terram, & signa contritionis ostendat, sed ex defectu Confessoris non fecit confessionem, & mortuus est, possit sepeliri in loco sacro.

RESOL. CXCII.

Affirmatiuam sententiam docet nouissimè Laurentius Portel in respons. moral. par. 3. cas. 10. num. 3. quia licèt Concilium Tridentinum sessio. 25. capit. 19. de reform. iubeat, vt moriens in duello non sepeliatur in loco sacro in pœnam delicti; tamen respondetur prędictam legem Tridentini esse pęnalem, vt patet, & proinde strictè intelligendam prout verba sonant; cùm ergo dicat priuandum sepultura Ecclesiastica morientem in duello, videtur in illa non comprehendi hunc casum, de quo loquimur, quia non est mortuus in duello, sed finito duello, & mortuus est cum signis contritionis. Et propterea loqui videtur Tridentinum de illo, qui moritur in duello, cum claro peccato mortali sine signis contritionis; hic verò obijt cum signis contritionis. Ita Portel.

Sed hãc opinionem refellit Homobonus in consult. cas. conscient. tomo 2. part. 7. respons. 64. qui citat Riccium, quibus ego addo à fortion Ioannem Sancium in selectis disp. 36. nu. 9. vbi sic asserit, Duellantibus si in loco conflictus morerentur, quamuis ibi essent ministrata sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistię, non esse concedendum Ecclesiasticam sepulturam constat, quia semper verificatur in loco conflictus decessisse, vt vult Tridẽtinum, nec refert quidquam, quòd maior, vel minor mora intercesserit inter mortem, & cessationem pugnæ, cùm semper verificetur decessisse in duello. Ita Sancius; sed aduersùs illum possit quis in fauorem Laurentij Portel asserere Cõcilium Tridentinum prohibere ne Ecclesiastica sepultura concedatur decedẽtibus in ipso conflictu duelli; sed in casu nostro, licèt talis moriatur in loco duelli, non tamen moritur in ipso cõflictu, vt patet, quia post finitum duellum ostendit signa contritionis, vel confessionem fecit cum Sacerdote, & Eucharistiam sumpsit. Dicendum ergo est non incurrere in pœnam Concil. Tridentini: quod quidem Concilium dicendum est statuere in illis verbis, *quod iure communi statutum erat*, nẽpè in peccato mortali publico morienti, vt moritur, qui ipso conflictu duelli moritur, denegandam iri Ecclesiasticam sepulturam, sed, vt dictum est, in nostro casu moriens non moritur in ipso conflictu, sed finito conflictu, ac proindè non moritur excommunicatus, & in peccato publico, imò contritus, & confessus. Ergo non includitur in tali prohibitione. Et ideo Abbas in cap. cùm ad Monasterium, num. 15. de statu Monach. & Regul. deducit ex glossa, quod si quis decedat ex facinoroso actu, si tamen in vltimo vitæ, seu puncto mortis ostendat contritionem, non debet priuari Ecclesiastica sepultura.

Verùm his non obstantibus, ego puto tenendam esse sententiam affirmatiuam Sancij cap. 1. de torneamentis, vbi sic habetur. *quòd si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pęnitentia non negetur: Ecclesiastica tamen careat sepultura*. Ita ibi, & licèt textus loquatur de torneamentis, detestabilior est duellorum vsus, quàm torneamẽtorum, nam in hoc fine ostendandi vires congrediuntur torneamentantes, in duello verò occidendi ad inuicem, & ita sententia Sancij contra Portel determinatur in Rituali Romano Pauli V. rubrica de exequijs, vbi sic habetur; *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa*. Sic ibi, vide etiam Barbosa in collect. tom. 2. tit. 13. cap. 1. n. 7. hæc tamen opinio non procedit, si quis moriatur vnum, vel alterum diem post duellum; nam, vt alibi in part. 2. tract. 16. resol. 54. contra Peregrinum diximus, in tali casu quis nõ moritur in loco duelli, sed ex occasione duelli; vnde clarum est non includi in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. & ideò talis potest sepeliri in loco sacro; licèt probabiliter etiam contrarium doceat Homobonus vbi suprà.

Sed hic oritur pulchra quæstio, an si pro illo, qui mortuus est in duello, modo, quo suprà, cùm signis contritionis, sepulto tamen extra Ecclesiam, & non in loco sacro, possit quis offerre Missam? Videtur negatiuè respondendum, quia talis moriens in publico duello mortuus est excommunicatus per multas excommunicationes positas a Comitolo in resp. mor. lib. 6. q. 13. & alijs; sed orare non licet pro publicè excommunicato oratione publica, qualis est Missa, iuxta D. Thomã in 3. p. q. 79. art. 3. & alios. ergo. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Portel vbi supra nu. 2. Primò, quia licèt talis publicè in excommunicationem incurrerit; non fuit tamen nominatim declaratus excommunicatus, neque talem excommunicatum nõ denunciatum tenemur vitare in communicatione spiritualium, vel temporalium. Secundò, quia talis nõ est mortuus clarè in peccato mortali, nam licèt duellando peccauerit mortaliter, tamẽ post duellum signa dedit contritionis. Ergo dicendum est non fuisse mortuum in claro peccato mortali; poterit igitur pro illo oratione publica orari. Et hanc sententiam tenet Nauarrus in man. c. 27. n. 36. & in terminis tract. de orat. c. 19. concl. 6. docet, quòd excommunicato non denunciato potest applicari Missa, si ostendit signa contritionis, aut si mortuus est in ijs, ob quæ credo illum mortuum esse extra peccatum mortale; quod etiã docet ex Societate IESV Henriqu. lib. 9. c. 15. nu. 3. & Reginaldus to. 2. lib. 32. tract. 1. sect. 2. nu. 76.

An ad sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio de peccatis ob malum temporale, & plura de attritione.

RESOL. CXCIII.

Ob infamiam, v. gr. vel ob nocumentum salutis, vel ob pęnam, siue pecuniariam, siue corporalem, qua peccator damnatus est, vel damnandus a iudice humano, vel ob similia. Et negatiuè respondet Vasquez in 3. p. tom. 4. q. 92. art. 1. dub. 3. Suarez disput. 20. sect. 2. & alij, quibus adde Syluium in 3. p. supplem. D. Tho. qu. 1. art. 3. in fine, alioquin sequeretur quod solis naturæ viribus posset peccato sufficienter se disponere ad Sacramentum & Sacramenti effectum.

Mihi verò contraria sententia modo, quo infrà, explicanda, etiam probabilis videtur, quam docet Ægidius de Coninch, & Petrus de Ochagauia, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 6. de pœnitentia, diffic. 5. vbi sic ait, Aliqui docent, & meritò, attritionẽ, & dolorem peccatorum ob malum temporale cũ respectu ad Deum, à quo immissum, aut immittendum est in pęnam, id est, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immisit, aut immittet dictum malum (vt verè fieri potest, quia quodcumque malum, quod non sit culpæ, à Deo immittitur) sufficere ad effectum sacramenti Pœnitentiæ; non verò ob malum temporale, vt aliundè eueniens, vel euenturum absque respectu ad Deum. Ratio prioris partis est, quia dolor ob malum temporale modo dicto respiciẽs Deum (qua ratione quodammodo est æternum, & ad alteram vitam pertinens) ex se non solum est honestus, sed etiam habet motiuum, quòd tãtùm est ad dolẽdum de peccato, & non ad dolendũ de bono opere,

&ex-

opere, & excludit effectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum. Et cõfirmatur hæc ratio, quia dolor iste, vt sic, oritur ex displicentia, aut ex metu pęnarũ diuinarum, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectum huius Sacramenti. Ratio verò superioris partis est, quia dolor ob malum temporale; vt non respiciens Deum vt punitiuum; sed vt aliunde proueniens, quamuis possit esse honestus, habet tamen motiuum, quod potest esse ad dolendum de bono opere, quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali, & ob id & se non excludit effectum peccandi, quod Tridentinum requirit in dolore, vt sufficienter disponat ad gratiam huius Sacramenti. Ita Hurtado.

Notandum est tamen hic obiter. Primò contra Sotum in 4. distinct. 18. quæst. 3. artic. 2. Bellet. de potestat. Ecclesiæ, quæst. 2. & Cordubam in Quæstionario Theologico quæst. 2. quòd attritio ad sacramentum Pęnitentiæ sufficiens, non debet esse existimata contritio. Ita Paludanus in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. Vasq. vbi supra, dub. 2. Coninch de Sacram. qu. 62. art. 1. dub. 2. & alij communiter.

Notandum secundò contra Petrum de Ochagania de Sacram. tract. 1. de pœnitentia, qu. 18. contra Coninch à me alibi citatum, non esse necessarium, quòd attritio ad sacramẽtum Pœnitentiæ requisita, præsupponatur, & antecedat confessionem; sed sufficere, quòd antecedat absolutionem, etiamsi tempore aliquo post confessionem eliciatur. Ita Hurtado loco cit. diffic. 10. & ego latiùs alibi.

Nota tertiò ad effectum sacramenti Pœnitentiæ non esse necessariam attritionem omnium venialium, etiamsi eorum fiat tantùm confessio; quia in hoc casu sufficit dolor aliquorum, imò vnius tantùm, quia vnum peccatum veniale potest remitti sine alio. Et idem dicendum est quoad dolorem de mortalibus antea legitimè confessis. Ita Hurtado loco citato diffic. 7. & ego alibi.

Sed si quæras hic incidenter, an habenda sit attritio, vel contritio de peccatis obliuioni traditis? Respondeo affirmatiuè. Primò si pœnitens se generatim peccasse meminerit, sed quæ, vel qualia peccata sit oblitus. Aliud erit si nec in genere se peccasse meminerit, nisi fortè à multo tempore confessus non sit, & memoriæ diffidens ob fragilitatem se peccasse metuat, hoc enim in casu ipsum in genere conteri debet, non sub conditione, sed sub præsumptione probabili, quæ interdum generat tantum dolorem, quantum certitudo peccati. Secundò, si post habitam contritionem de peccatis recogitatis occurrat aliud peccatum, quod priùs in memoriam non venit, tunc de eo contritio, vel attritio habenda erit: quia formalis pœnitentia de omnibus peccatis per se habẽda est; contritio autem, quæ hic præcessisse supponitur, non fuit, nisi virtualis respectu peccati obliuioni traditi; ergo manet obligatio ad formalem eius pęnitentiam, cuius in illa virtuali votum continebatur. Et hæc omnia docet Guilielmus Mercerus de Sacrament. in supplem. 3. p. D. Tho. q. 2. art. 3.

An in Hispania potio, vulgò dicta Chocolate, frangat ieiunium.

RESOL. CXCIV.

AFfirmatiua sententia probatur per ea, quæ adducit Villalobos in summ. tom. 1. tract. 23. difficult. 8. numer. 15. vbi sic ait: [Hase de aduertir, que ay beuidas, que son juntamente comidas para sustentar, y essa lleuan mescla las cosas, que sustentan, las quales no se puedem comer en dias de ayuno, si no es a la hora de comer.] Idem docet Ludouicus de San Iuan in summa quæst. de ieiun. art. 12. difficult. 1. dub. 2. sic enim asserit: [Ay algunos condimentos, que se toman por modo de beuida, y tal beuida no es licita.]

Dicendum est igitur cum Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 23. num. 1. Azorio part. 1. lib. 7. c. 10. quæst. 7. Layman vbi infrà, & alijs penes ipsos, quædam esse liquida, quæ licèt traijciantur per modum potus, habent tamen propriam, & per se rationem cibi quare soluunt ieiunium, & Sanchez ponit exemplum de aqua saccharo mixta, quod etiam confirmat Fagundez de præcept. Eccles. part. 4. lib. 1. cap. 2. n. 46. Sed hæc omnia accidunt in potu dicto chocolatę, in quo ingreditur saccharum cum aqua mixtum, & aliæ res maioris substantiæ. ergo dicendum est frangere ieiunium, cum sit potius cibus substantialissimus, quàm merus potus, & aqua, quæ in dicta potione ponitur, ex necessitate ponitur ad dissoluendum ingredientes.

Et ideo omnia supradicta docet etiam Franciscus Sylnius in 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. art. 6. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba, itaque sic asserit; Solueret ieiunium si quis sumat magnæ quantitatis potum multum nutritiuum, velut ceruisiam crassam, multumque substantiosam, aut vinum siue saccharo, siue alijs aromaticis variè conditum, aut qui alioquin valdè copiosè alat. Quapropter quod D. Thomas in respons. ad 2. art.: Non intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, de eo, qui merus potus est, intelligendum existimo, non de illo, qui secundùm se sit multum nutritiuum. Vnde D. Thomas velut pro ratione subdit, quòd potus magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem; quæ ratio de illo, qui merus potus est, procedit; nõ de eo, qui per se multum nutritiuus sit, præsertim si ex professo sumeretur ad nutriendum. Hęc Syluius, quæ quidem satis destruere videntur potionem chocolatę in tempore ieiunij.

Quod clariùs confirmatur; nam merus potus, vt asserit D. Thomas vbi suprà, cum Lessio lib. 4. cap. 2 dub. 2. num. 10. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7. & alijs Philosophis, & Medicis per se, & principaliter deseruit ad alterationem, siue refrigerationem, vel ad deijciendum cibum in ventriculum, & alimenti sanguinisque distributionem, & non ad nutriendum corpus. Sed potio chocolatæ per se, & principaliter ordinatur ad alendum corpus, cum sit sumptio multum nutritiua, & ideo non sumitur omni tempore, sed manè, vel serò, quando iam digestio cibi sumpti est confecta, & homo eget nouo nutrimento. Ergo clarè apparet dictam potionem chocolatę magis sumi per modum cibi, vt re vera est, quam per modum potus. Ergo frangit ieiunium, & hoc apud me est validissimum argumentum, nec aduersus illud valet dicere, quòd vinum etiam nutrit, & tamen eius sumptio non frangit ieiunium, nam respondeo, vinum nutrire quidem aliquantulum per accidens, nam per se, & principaliter non ordinatur ad corpus nutriendum, quod cõtrarium accidit, vt patet in potu chocolatæ. ergo, &c.

His tamen non obstantibus sententia affirmatiua suaderi potest; quia hodie (vt fertur) in Hispania sumptio chocolatę effecta est potus vsualis. Ergo non frangit ieiunium, & ita testatus est mihi Illustrissimus D. Didacus Trasmiera Inquisitor huius Regni Siciliæ, vir literis, & morum suauitate ornatissimus: hanc sententiam docere plures Patres Societatis IESV, & docuisse etiam magnos illos viros Antolinez, Basilium Pontium, & Franciscum Cornejo, sacræ Theologiæ in inclita Academia Salmanticensi Professores: vnde ad doctrinam, quam pro parte negatiua superiùs adduxi, possit quis respondere, illam tanquam veram tunc admittendam esse, quando illę potiones non haberentur in prouincia pro potu vsuali; secus autem si pro potu vsuali sumerentur, vt asserunt accidere in casu nostro. Vnde Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. num. 34. sic ait. Potus autem ante, & post non soluit ieiunium, quod intelligo quando non conficitur ex esibilibus, vt vini & aquæ, vel quando conficitur ex esibilibus, non tamen consueuit sumi in cibum, vt potus ceruisiæ. Ita ille.

Et ideo, licèt hanc sententiam ego non approbem, cùm pro modo potiùs contrariam teneam; non audeo tamen damnare, supposito ex relatione supradicti Illustrissimi viri, quòd illam docuerint tot viri docti, quos superiùs adduxi; vnde satis sit extero homini hæc pro vtraque parte cursim tetigisse; nam vera resolutio huius dubij in posterum tenenda præstantissimis Hispaniæ Theologis, meritò relinquenda videtur, qui cùm adsint in loco, vbi sumitur dicta potio, faciliùs, quàm alij scopum veritatis attingent, &c.

An qui in statu peccati mortalis, & non ieiunus, sumat Eucharistiam, peccet duplici peccato in confessione explicando, & de interuallo, quo infirmus post viaticum communicari potest.

RESOL. CXCV.

NEgatiuè respondeo; quia quamuis sumptio illa ex duobus titulis sit peccatum mortale, nempè & quia est transgressio illius præcepti positiui de non sumendo Eucharistiam,

nisi ieiunus; & quia est transgressio præcepti naturalis diuini non sumendi Eucharistiam in statu mortalis: nihilominus quia vterque iste titulus eodem modo opponitur Religioni, quia eodem modo est cōtra reuerentiam Sacramenti: ideo est idem specie peccatum; & etiam est idem numero, quia non est vnde malitia numero multiplicetur, quia materia est eadem numero,& non respiciēs diuersa extrinseca, imò nullum,quia est absoluta nullum extrinsecum respiciens. Et hæc omnia docet in suo tract. de Sacram.disp.9.difficul.1.Gaspar Hurtado Theologus Societatis IESV, quæ doctorum hominum in omni scientiam genere merito emporium vocari potest. Verùm hęc opinio Hurtadi aliqui recentiores non admittunt,& præsertim inter illos noster P.D.Thom.de Afflicto, vir doctissimus, nam licèt vtrumque peccatum opponatur eidem virtuti religionis, non tamen eodem modo illi opponuntur,cùm diuersam materiam respiciant,& diuersam habeant deformitatem,nam accedere cum peccato mortali ad Eucharistiam, opponitur reuerētiæ Sacramento debitæ quoad puritatem animæ, quæ puritas est dispositio necessaria ex iure naturali diuino. Accedere verò ad illam non ieiunum, opponitur reuerentiæ debitæ, quo ad dispositionem corporalem, & non est dispositio necessaria ex iure naturali, & diuino. Adde quòd homicidium, furtum, contumelia eidem virtuti opponuntur,nempè iustitiæ commutatiuæ, & tamen differunt specie solum ob materiæ diuersitatem, nedum ex quocumque defectu.

Notandum est tamen hic obiter, quod ego alibi docui, posse infirmum periculosè ęgrotantem sumere Eucharistiam nō ieiunum,post interuallum sex dierum;immò adduxi Lucouicum de San Iuan putantem sufficere interuallum trium dierum, nunc verò addam ea, quæ præter Armillam notat circa præsentem quæstionem Hurtado vbi suprà difficult. 16. in fine, vbi sic ait: Doctores ferè omnes pro repetitione Eucharistiæ sumendę ab infirmo periculosè ægrotante non ieiuno, requirunt interuallum aliquarum dierum inter vnam, & alteram communionem; Tabiena interuallum sex dierum, Armilla verò nullum assignat,absque dubio credens, repeti posse quoties potest à sano ieiuno, quòd in Concilio Constantiensi sess. 13. iudicari videtur, dum excipit infirmos absque vlla limitatione, quo videtur indicare,toties posse ab illis non ieiunis sumi, quoties à sanis ieiunis.Ita Hurtado; vide meipsum in 3.part.tract.4.resolut.44.sed ego in casibus contingentibus libenter concederem infirmis, posse recipere iterum lucrum viaticū post interuallum trium, vel quatuor dierum.

An qui audit Missam post Euangelium inclusiuè, satisfaciat præcepto; & an quis vnica Missa possit satisfacere pluribus petentibus vnam Missam, sine stipendio.

RESOL. CXCVI.

De hac quæstione alibi actum est, nunc verum solum addam, Gasparem Hurtadum de sacrificio Missæ disp.5.diffic.1. affirmatiuam sententiam docere, sic enim ait: Omissio Missæ vsque ad Euangelium inclusiuè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis, quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem. Ita ille.

Notandum est etiam hic secundum Hurtado disp.4.difficul. 15.ex hoc,quod sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur, credimus vna Missa satisfieri pluribus petentibus vnam Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium, sed gratis multis personis Missa promissa fuerit, quod est valde notandum. Et ratio est, quia non est alia obligatio in Sacerdote, quàm applicandi petenti Missam fructum ex opere operato, seu ex institutione Christi, qui non minus obuenit singulis, quam si vnitati applicaretur; & non est obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationum,& precum,& aliarum actionum Missæ (qui minùs obuenit singulis,) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam satisfacit petenti Missam. Ita Hurtado ex Ægidio Coninch; sed an probabiliter, iudicent alij, nam hæc opinio multis recentioribus non placet.

(3)

An si quis sumpsit Eucharistiam manè, & post prandium incidat in periculum mortis, possit iterum Eucharistiam sumere.

RESOL. CXCVII.

Decisio huius casus pendet ex illa quæstione, an qui paulò ante articulum mortis sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione pręcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo? & partem affirmatiuam alibi probabilem esse docui, quā nouissimè tuetur Homobonus de Bonis in consultat. casuum conscient. vol.2.part.5. respons.47. Sed pro consolatione alicuius infirmi, in tali casu posse iterum, etiam non ieiunum Eucharistiam sumere, probabilissimum esse existimo, tenens opinionem illorum, qui asserunt non satisfieri dicto præcepto per cōmunionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò antea factam. Et ideò Gaspar Hurtado de Euchar. disp.10.diffic.2. sic ait. Existimamus eum, qui sanus,aut si infirmus, extra periculum tamen mortis, communicauit, si in eodem die post eam communionem incidat in periculum mortis,siue violentæ,siue naturalis,& adeò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, aut quod eo transacto non sit futurus potens communicare, teneri pro viatico iterum in eodem die communicare post incidentiam in dictum periculum, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non est satisfactum communione ante periculum facta, est diuinum, & maioris ponderis, quàm prohibitio Ecclesiastica non communicandi in eodem die,nisi semel (& tu adde, ieiunus) quod expressit Vasquez in manuscriptis, & ei subscripserunt nostræ Societatis, & plures alij grauissimi viri Academiæ Complutensis, & Salmaticensis, & id fecerunt Madriti P. Vega Rector illius Collegij, & P. Auolos in eodem Collegio. Ita Hurtado vbi suprà.

An si Confessarius non intellexit integra peccata pœnitentis, sit ab ipso iteranda tota confessio, si bona fide fuerit facta.

RESOL. CXCVIII.

PRo sententia negatiua in 3.p. tract.4.resol.109. adduxi Paulum Layman Societatis IESV, quam scio alicui displicuisse,immeritò quidem,& ideo hanc sententiam nouissimè docet Guilielmus Mercerus sacræ Theologiæ Professor eximius in Academia Louaniensi, in suis comment,ad 3.p.D.Thomæ q.9. art.1.vbi sic asserit. Putant aliqui iterandam esse confessionem si intelligatur Confessor fuisse ignorans, aut nō intellexisse pœnitentem. Sed hoc casu Gabriel, & Syluester bona fide confessum esse validè absolutum probabiliter existimant, quia nihil defuit ex parte pœnitentis, & Confessor sciens, ac volens formam debitam adhibuit. Nec refert, quòd statum pœnitentis absolutè non intellexerit, quia neque id accidit ex vitio pœnitentis, neque absolutè requiritur ad substantiam Sacramenti, vt patet ex eo, qui sic in mortis articulo absoluitur. Ita Mercerus,vnde apparet satis probabilem esse opinionem, quam loco citat. olim docui cum docto viro Paulo Laymano, non teneri repetere nisi sola peccata non intellecta à Confessario.

An absoluti in articulo mortis à casibus reseruatis teneantur, si conualuerint, comparere coram Superiore, sicut tenentur si fuerunt absoluti ab aliqua censura.

RESOL. CXCIX.

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Gaspar Hurtado de sacramen.Pœnitent. disputat.11.difficult.13. quia facultas in iure concessa ad absoluendum à reseruatis, quibus excommunicatio annexa est,in articulo mortis,aut alio legitimo impedimento existente,extensa est à Doctoribus ad absoluendum à quibuscumque alijs, quamuis forsan eis non sit annexa excommunicatio. Ergo etiam extēdenda est cum eodem onere,cum quo in iure concessa est ad absoluēdum ab illis, quibus annexa est excommunicatio. Ita Hurtado contra Suarez. Sed ego sententiam Suarez puto probabilissimam esse, quam docuit Sanctorius de casibus Papalibus, cap.13. num.147. Nauarrus

uarrus in man. cap. 26. nume. 26. & nouissimè docet Guilielmus Mercerus in 3. part. D. Thomæ quæst. 9. art. 6. vbi sic ait. Notandum eos, qui propter periculum fuerint absoluti à censuris Superiori reseruatis, si euaserint, teneri, vt quamprimum potuerint, sistant se Superiori, non vt iterum absoluantur, sed vt obtemperent mandatis eius, & nisi fecerint, recidunt in easdem censura, vt habetur in cap. eos qui, de sentent. excommunicat. in 6. Sed eos quoque, qui absoluti fuerint à casibus reseruatis non habentibus censuram annexam, non teneri vt sistant se illi, cui erant reseruati, neque amplius confiteri eosdem. Ita Mercerus.

Notandum est tamen hic obiter, quòd subditus absolutus ex facultate concessa cum onere comparendi, non tenetur comparere, si ante absolutionem ignorauit dictum onus. Ita Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 1. dub. 6. Hurtado vbi supra, difficult. 12. & alij.

An Episcopi possint licitè sine rationabili causa reuocare approbationes liberas Regularium audiendi confessiones.

RESOL. CC.

Affirmatiuè respondet Gaspar Hurtado de sacrament. Pœnitent. disp. 10. difficul. 19. vbi sic ait. Addimus reuocationem approbationis, etiam Religiosorum, quantumuis sine rationabili causa pro solo nutu Episcopi factam esse validam, & licitam. Et in primis est valida, vt aduertit Vasquez, quia approbatio, sua natura est reuocabilis, & nullo iure eius reuocatio limitatur. Ergo si de facto fiat reuocatio, quamuis absque rationabili causa fiat, erit valida. Deinde est licita, quia nullo iure prohibetur; non positiuo, quia nullibi extat: nec naturali, quia sicut in principio potuit ab Episcopo pro solo suo nutu absque causa licitè negari, quia nullo iure Sacerdotis, nec alio titulo cogitur Episcopus ad id faciendum, ita etiam post eam factam poterit pro libito absque causa licitè reuocari, quia post approbationem factam nullum apparet ius in approbato acquisitum, vt approbatio ipsius non reuocetur; quia quamuis approbatio sit instar sententiæ, est tamen solum declaratiua sufficientiæ, quam antea approbatus habebat; nō collatiua alicuius id quo, vel ad quod ius aliquod acquirat, ac proindè sicut potuit à principio licitè pro solo nutu Episcopi non declarari sufficientia Sacerdotis; ita etiā declaratio semel facta poterit licitè pro libito Episcopi reuocari. Ita Hurtado. Sed, pace viri docti, immeritò quidem, & ideo contrariam sententiam teneo cum Doctoribus, quos citaui in 3. p. tract. 21. resolut. 22. quibus adde Mercerum in 3. p. D. Thom. q. 8. art. 4. dub. 2. nu. 8. & hanc sententiam sequendam esse apparet ex declaratione sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in vna Giennensi, & Oriolensi 30. Augusti 1640. quam affert Barbosa in collect. declarationum, verb. Regularis Confessor. & ver. Approbare. Et ex alio decreto S. Congregationis 20. Nouembris 1615. quod affert Gauantus in manuali Episc. ver. Confessor. nu. 23. & 24. & Peirinus in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 2. Sixti IV. § 11. nu. 45. non possunt igitur ex dicto decreto Confessarij Regulares suspendi ab Ordinarijs; nisi ex noua causa, atque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum: vnde si contra determinationes huius decreti Confessarij Regulares suspendantur ab audiendis confessionibus, Ioan. Baptista Lezana, vir quidem doctus, & amicissimus, in summa qq. Regular. c. 19. n. 9. putat quod non teneutur obedire, sed ne omittas videre me ipsum vbi supra.

Ex his infertur, quòd licèt secundùm aliquos approbatio Confessariorum Regularium possit ab Episcopis ex iusta, & rationabili causa restringi, & limitari ad certum tempus, locum, atque persona; si tamen id fiat sine iusta causa, probabilissimum est talem restrictionem non valere. Ita Lezana vbi suprà, num. 8. Miranda in manuali tom. 1. quæst. 45. num. 10. Henriquez lib. 3. de pœn. cap. 6. nu. 5. & 9. & vide omnino me ipsum loc. cit. resol. 25.

Non desinam tamen adnotare, quòd licèt supradicta sint vera, tamen Regularibus facultas audiendarum confessionum ad beneplacitum per Episcopos cōcessa potest quādocumque reuocari. Ita sacra Congregatio Episc. & Regular. in vna Papiēsi 12. Martij 1619. apud Barbosam loc. cit. ver. Regul. Confessor. & ver. approbare, contra Peirinum, quem videbis penes me ipsum vbi suprà, resol. 26.

Et tandem nota, quòd Regulares ab Episcopo antecessore præuio examine approbatos, potest modernus Episcopus pro maiori conscientiæ suæ quiete rursus examinare. Ita sacra Congregatio in vna Albanensi 5. Februarij 1628. & in vna Giennensi 30. Ianuarij 1629. apud Barbosam vbi sup. cōtra aliquos DD. quos citaui loco cit. resol. 27. Sed nostram sententiam nouissimè docet etiam Lezana in summa qq. Regul. c. 19. nu. 7. & Aldanus in compen. Canon. resol. lib. 3. tit. 12. nu. 8.

An pœnitens teneatur reiterare confessionem factam bona fide cum Confessario ignorante.

RESOL. CCI.

Negatiuè respondeo, quia dicta confessio non fuit inualida, & nulla, cum actus pœnitentis cognitis, vt peccata, sunt materia sufficiens absolutionis. Ergo absolutio supra illam cadens erit valida, licèt peccauerit Sacerdos (nisi bona fide excusetur) quia causa insufficienter cognita tulit sententiam absolutionis. Et ita docet Gabriel in 4. dist. 17. ar. 2. q. 8. Petr. Sotus lect. 6. de confessione. Ægid Coninch, Suarez, & alij, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 10. de pœnit. diffic. 15. quibus ego addo Franciscum Syluium in 3. p. D. Tho. q. 8. art. 5. quæritur 7. vnde dictam confessionem non esse repetendam docet Mercerus de Sacram. in 3. p. D. Thom. q. 9. art. 1. quod ego alibi etiam docui in 3. p. trac. 4. resol. 121. Verùm ego ibi pro contraria sententia adduxi Vasquez, cui nunc addo Homobonum in consult. casuum conscient. vol. 2. p. 5 respons. 86. Turrianum de pœnit. disput. 25. dub. 2. Victoriam in summa de confessione, num. 168. & alios, quia in tali casu absolutio fertur a iudice, causa insufficienter cognita. Ergo, &c. vnde vtramque opinionem probabilem esse existimo.

Non desinam etiam hic obiter adnotare in casu ignorantiæ proprij Parochi permitti pœnitentibus confiteri alieno Sacerdoti absque licentia proprij, ex c. placuit 9. q. 2. de pœnit. dist. 6. Ita Vasquez in 3. p. to. 4. q. 93. art. 2. dub. 3. Nauarrus, & Medina, quos citat, & sequitur Hurtado vbi supra difficult. 11. quod intelligendum est, quando Parochus est adeò ignorans, vt cōfessio illi facta sit nulla, aut illicita, ratione ignorantiæ ipsius, secūdum posteriorem opinionem, quam suprà posuimus, & etiam intelligitur quando non est alius Sacerdos, qui ex priuilegio, aut aliter habeat iurisdictionem delegatam.

Verùm his non obstantibus Sotus in 4. dist. 18. qu. 4. art. 2. & Canus Rellect. de pœnit. punct. 5. docent in tali casu non permitti pœnitentibus confiteri alieno Confessario absque licentia proprij, sed nostra opinio est probabilior. Vide Hurtadum loco citato.

An in aliquo casu possint Superiores Regularium uti scientia habita in confessione, non obstante decreto Clement. VIII. & an dictum decretum obliget sub mortali.

RESOL. CCII.

Affirmatiuè respondet Guilielmus Mercerus de Sacramen. in 3. p. D. Tho. q. 11. art. 5. dub 2. concl. 2. vbi sic ait: Clem. VIII. in decreto de casibus reseruatis, edito pro Religiosis, sic habet: Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem vtantur.

Notandum tamen est, hanc prohibitionem esse iuris humani, propulsare autē periculum a Republica, vel a proximo absq; nostro incommodo, & violatione secreti, esse iuris diuini, & ideo posse fieri, vt quis teneatur hac scientia vti ad malum auertendum, præsertim cum sit sententia probabilis, quæ habet id posse fieri, & nullum ius humanum possit impedire, ne quis in necessitate vtatur sententia probabili. Nec putandum est Pontificis cōstitutionem agere de huiusmodi casibus extraordinarijs, qui in domibus Religionis rarissimi inueniuntur. Ita Mercerus; sed an probabiliter, tibi iudicandum relinquo.

Notandum est etiam hic obiter, in supradicto decreto

latum esse præceptum cum verbis imperatiuis, quę non obligari sub mortali docuit Caiet. in 2.2.q.166.art.9. Rodriq in addit. ad Bullam Cruciatæ, §.9.n.77.& alij. Sed hæc opinio mihi non placet, & ideò puto cum Castro Palao tom.1. tract.3.disput.1. punct.9.num.3. supradicta verba decreti obligare sub præcepto peccati mortalis.

Vtrum quando confessio repetenda est cum eodem Confessario, quia fuit inualida, & vnico verbo penitens confitetur peccata in confessione inualida distinctè confessa possit Confessarius absolutionem impendere si non solum non recordetur peccatorum, sed etiam neque pœnitentia imposita.

RESOL. CCIII.

Hic casus potest frequenter accidere, & ad illum affirmatiuè respondet Guilielmus Mercerus de Sacram. in 3. part. D. Thomæ, qu.9. art.1. vbi sic ait: Ex parte Confessoris, vt rectè suo officio fungatur, obseruandum est, cùm si priùs pęnitētiam imposuerit, non indigere recordatione peccatorum, nec pœnitentiæ impositę, contra Nauarrum, sed sufficiet, quòd recordetur hunc fuisse confessum, & quòd postea nihil graue commiserit, in quo standum est eius testimonio; si verò pęnitentiam non imposuit, & neque in particulari, neque secundùm aliquam confusam, & moralem rationem recordatur status conscientis ipsius pœnitentis, postulare debet iteratam notitiam, vt imponat pœnitentiam condignam. Si tamen absolueret absque repetitione huiusmodi, licèt fuerit mutilum Sacramentum, esset validum, quia haberet omnia essentialia. Ita Mercerus.

Verùm aliquibus magis placent in tali casu ea, quę docet Gaspar Hurtado de Sacrament. disp.8. de pęnitent. diffic.8. vbi sic asserit. Nos verò existimamus, quòd si Confessarius pœnitentiam imposuit, & ea est ipsi nota, vel ipsi fit nota a pęnitente, nō vt necessarium, quòd ei fiat iterum distincta peccatorum confessio, quia ad absoluendum sufficit, confessionem fuisse a pęnitente distinctè factam, & distinctè a Confessario perceptam, & ob impositam pęnitentiam, & horum notitiam, quia absque fundamento amplius exigitur. Si autem Confessarius nō imposuit pęnitentiam, vel non taxauit illam, aut si imposuit, vel taxauit, & non recordatur illius, nec habet notitiam alias sufficientem ad eam prudēter taxandam, necessarium est, quòd ipsi fiat confessio maior, quam qui in illo vnico verbo confitēdo peccata in confessione inualida facta; sed non requiritur confessio distinctè facta, sed sufficit confessio aliqua confusa peccatorum antea distinctè confessorum talis, qualis sufficit, vt Confessarius acquirat notitiam sufficientem ad prudenter taxandam pęnitentiam; quia tunc ad id tantùm requiritur noua confessio peccatorum antea distinctè confessorum. Hæc Hurtado.

An quando quis confitetur commisisse erga Deum blasphemias, addendo paulò plus, minùsue, si recordatur se alijs quatuor vicibus blasphemasse, teneatur has quatuor vices denuo confiteri.

RESOL. CCIV.

Communiter DD. quos vidi, asserūt, illa verba, *plus, vel minus*, extendi tantùm ad duo, sed extendi eo etiam ad quatuor, docet nouissimè Gaspar Hurtado de Sacram. disp.9. de pœnit. diffic.5 vbi sic ait. Qui confitetur se fornicatum fuisse decem vicibus paulò plus, minusve, & postea recordatur se alijs tribus, vel quatuor vicibus fornicatum fuisse, nō tenetur illas tres, vel quatuor vices de nouo confiteri. Ita ille, cum quo videtur consentire Fillitucius a me citatus in 3.p. tr.4. resol.94. quam vide.

Non desinam tamen hic adnotare Hurtado suā sententiam veram existimare, quando etiam postquam talis recordatus est se illis tribus, vel quatuor vicibus amplius fornicatum fuisse, possit rectè ea verè, iudicare se decem vicibus fornicatū fuisse paulò plus, minusve, non verò quando id non potest sic iudicare, & dicere, vel quia post confessionem iam pęnitenti constāte certo, aut determinato numero, nempe se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse, vel quia post dictam recordationem non posset verè, & rectè iudicare, & dicere se fornicatum fuisse, decem vicibus paulò plus, minusve, sed duodecim paulò plus, minùsve, quia sicut in principio pœnitenti certò constaret se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse; aut iudicaret, se duodecim paulò plus minùsve fornicatū fuisse, teneretur sic confiteri, sic etiam tenetur post confessionem factam. Ita Hurtado.

Quidam adiuit meretricem, vt eius tactibus frueretur, sine intentione fornicandi, & postea fornicatus est, quæritur, an sufficiant explicare in confessione fornicationem tantùm sine tactibus.

RESOL. CCV.

De hoc casu olim interrogatus fui, & quidam putauit illos tactus non esse in confessione explicandos, nixus authoritate Doctorum asserentium tactus ante fornicationem non esse in confessione explicandos: sed nunc ego affirmatiuam sententiam mordicus tenui, quam in terminis, vt dici solet, terminantibus tenet nouissimè Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 9. de pœnit. difficult.6. vbi sic ait: Si tactus non fiant ex affectu fornicationis, sed tantùm ob libidinem in ipsis repertam, si fornicatio postea fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum distinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam ex affectu operantis. Ita ille.

Dicendum est igitur tūc tactus, & oscula non esse in confessione explicanda, quando ordinantur, & sunt inchoationes ad copulam, nam quamuis ratione sui habeant propriá malitiam, non censentur tunc moraliter peccatum numero distinctum à copula, ad quam ordinantur, quod verum existimo contra Hurtadum loco citato, etiamsi oscula, & tactus sequantur fornicationem, sunt enim illius complementum, & quasi appendix illius, vt alibi satis probatum est, & sic non sunt explicanda in confessione, quod non procedit in casu propositæ dubitationis, nam illi tactus, & oscula à principio non fuerunt ordinata ad copulam. ergo, &c.

An qui intra annum confessus est, teneatur in Quadragesima confiteri noua peccata mortalia.

RESOL. CCVI.

Ad hunc casum ita respondet Mercerus de Sacrament. in 3. part. D. Thom. quæst.6. art.5. nu.3. Notandum esse probabile illum, qui intra annum sæpiùs confessus est, si haberet in Quadragesima conscientiam noui peccati mortalis, quod nunquam confessus esset, teneri nihilominus ad confitendum illo anno pro tempore Quadragesimæ, hoc enim videtur significare cap. omnis vtriusque, cùm præcipit confiteri semel in anno omnia peccata, scil. mortalia, & quidem illa, vt apparet, quæ eodem anno commisit: in isto autem casu talis non est confessus omnia peccata mortalia eo anno commissa. ergo tenetur. Hoc tamen dico esse probabile, & in praxi certum est esse tutius, non tamen est planè certum, responderi enim potest capit. non loqui de omnibus peccatis, quæ committuntur vsque ad finem anni, sed de omnibus, quæ habemus quando confitemur. Ita ille.

Sed ego alibi negatiuam sententiam, quam ipsemet Mercerus probabilem putat, absolutè docui, & nunc iterum doceo cum Gaspare Hurtado de Sacram. disp.7. de pęnit. difficult.11. quia qui iam semel confessus est omnia mortalia, quorum tempore confessionis habuit cōscientiam, impleuit præceptum annuæ confessionis, cùm hoc præceptum non est confitendi omnia peccata mortalia, quę quis committit in anno vna, aut pluribus confessionibus, sed tantum est confitendi semel omnia mortalia, quorum quis habet notitiam tempore confessionis. ergo, & cet. Vnde ego olim contra quemdam Religiosum Casuistam vnius summæ probabiliter consului, eius pœnitentem, qui in Paschate noluit communicare, præter hoc peccatum, aliud non commisisse, videlicet quia non est confessus multa peccata mortalia perpetrata post confessionem factam in eodem anno. nam, vt dictum est, in illa confessione iam præcepto annuæ confessionis satisfecerat, & alia peccata postea perpetrata tenebatur confiteri si sacrā Eucharistiam sumeret, quam cùm sumere nollet, peccauit quidem contra præceptum sumendi communionem in Paschate, non autem contra præceptum iterum confitendi.

Notan-

Notandum est etiam, quod in casu supradicto talis tenetur in anno sequẽti confiteri illa peccata commissa post confessionem anni præteriti, & eum tali confessione facta in anno sequẽti satisfaciat præcepto anni sequentis, quamuis post eam confessionem de nouo committat intra eundem annum sequentem alia peccata mortalia. Ita Hurtado loco citat. qui etiam in difficult. 12. optimè notat, quòd qui anno præcedenti omisit confessionem peccatorum mortalium, tenetur, magis probabiliter, vt ego etiam alibi docui, à principio anni sequentis ad cõfessionem illorum; sed si in ea confessione etiam confiteatur aliquod peccatum mortale illius anni sequentis, ea etiam satisfacit præcepto confessionis illius anni sequentis, quia tunc illa confessio pertinet ad vtrumque annum, cùm confiteatur peccata in vtroque anno perpetrata.

Nota etiam, quod annus pro impletione dicti præcepti computandus est à Ianuario in Ianuarium; quia annus absolutè dictus communiter, & ordinariè sic computatur, vnde qui in Ianuario anni præcedentis, & in Decembri sequentis confitetur, satisfacit præcepto annuæ confessionis pro illis duobus annis, quia talis confitens semel in quolibet anno. Ita Vasquez in 3. p. to. 4. q. 90. art. 1. dub. 1. & alij, licèt Guilielmus Mercerus vbi suprà, Suarez disp. 36. sect. 36 & alij asserant annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Quadragesima in Quadragesimam, aut à Paschate in Pascha. Sed si quæres hic incidenter, an si quis, v.g. in principio anni confessus est venialia, & postea commisit mortalia, an, inquam, teneatur ex præcepto annuæ confessionis confiteri intra illud annum dicta peccata mortalia? Negatiuè respondendum esse ex doctrina Petri de Ochagauia de Sacram. tra. 2. q. 9. asserentis ex confessione peccatorum venialium satisfieri præcepto annuæ confessionis; sed affirmatiuam sententiam docet Hurtadus vbi supra, difficult. 11. nam qui tantùm confitetur venialia, non satisfacit præcepto annuæ confessionis, quia ea tantùm præcipitur confessio mortalium: vnde si anno illo post confessionem tantùm venialium committat mortale, tenetur intra eumdem annum illud confiteri; & hanc opinionem certiorem esse putat Mercerus loco cit. de Sacram. in 2. p. D. Th. q. 6. art. 5. nu. 3.

An impuberes incurrant in excommunicationem latam, v. gr. ab Episcopo contra non obseruantes præceptum annuæ confessionis, vel communionis in Paschate.

RESOL. CCVII.

Affirmatiuè respondet Hurtado de Sacram. disp. 7. de pœnit. difficult. 9. vbi sic ait: Impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis incurrunt excommunicationem maiorem, quæ in aliquibus diœcesibus ipso facto imponitur. Ita ille, quod etiam docuit de censuris communi, difficult. 7. vbi probat, pueros impuberes ratione vtentes posse validè ligari censuris ab homine.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Cordubа in summ. quæst. 6. & Petrus de Ochagauia de Sacram. tra. de Euchar. qu. 7. quibus adde nouissimè Guilhelmum Mercerum de Sacram. in 3. p. D. Thomæ q. 6. art. 5. nu. 7. vbi loquendo de pœnis, quæ possunt incurri ex violatione præcepti annuæ confessionis, asserit per constitutionem Synodorum particularium posse incurri excommunicationem ipso facto; sed subdit non extendi ad pueros, etiamsi peccent contra diuinum, & humanum præceptum, quia, vt dicitur in c. 2. de delictis puerorum, in pueris relinqui solet in altum, quod in alijs progressionibus ætatis humanæ legis ducunt seuerius puniendum. Sic Mercerus, vnde puto hanc sententiam, vt alibi dictum est, probabilem esse, quam, præter Doctores citatus, docet etiam Homobonus de Bonis in consult. casuum conscientiæ, vol. 2. part. 5. respons. 126. vbi citat Sotum, Comitolum, & alios, vide etiam Vgolinum de cens. cap. 17. §. 3. numero 5.

An si quis, v. g. habuit licentiam celebrandi in Oratorio domus suæ in ciuitate Panormi, possit vti hoc priuilegio si transferat domicilium Messanæ.

RESOL. CCVIII.

Hic casus est multum practicabilis, & negatiuè videtur respondendum; quia rescriptum Pontificum asserit, quòd Missa celebratur in domo ciuitatis Panormi. ergo non potest celebrare in domo ciuitatis Messanæ, nam alias dicta verba nihil operarentur: vide c. commissa §. porrò, de elect. in 6. & l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. signif.

Verùm opinio affirmatiua probabilissima mihi videtur, quod docet nouissimè Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de oratorijs priuatis, nu. 6. & Megalius var. resolut. tom. 2. resolut. 67. per totam. quia hoc non est priuilegium locale, sed personale, vnde finitur morte illius, cui talis licentia concessa fuit; ergo in quocumque loco quis habitauerit, poterit sibi facere Missam celebrare, cum licentia tamen Ordinarij, & seruatis seruandis in concessione. Ad argumentum vero contrarium respondeo, illa verba non esse apposita dispositiuè, sed demonstratiuè, & verba, quę tantùm causa demonstrationis apponuntur, nihil operantur, cùm demonstrent habitationem, vt rectè obseruat Crauetta consil. 86. numer. 11. ergo, &c. Adde, quòd in dubio verba accipienda sunt demonstratiuè, nõ autem taxatiuè, aut limitatiuè, vt declarauit sacra Rota in vna Squillacensi die 4 Martij 1616. coram Reuerendissimo Martino Andrea de cis. 54. num. 7. ex doctrina Bartol. in l. cum pater. §. Mensæ, nu. 8. ff. de legat. 2. Decio consil. 183. numer. 1. ver. & ad hoc facit, & consil. 468. nu. 3. Crauetta consil. 301. numer. 3. Cephalus consil. 13. num. 37.

Notandum est tamen hic obiter cum supradictis Doctoribus, sub nomine familiæ in præfatis licentijs pro siue venire maritum & vxorem, filios & filias, ac etiam nurum habitantem in eadem domo, & commẽsalem; sicut & omnes seruos & seruas commensales, qui in ministerio eiusdem familiæ sunt.

Quæ causa sit sufficiens vt Episcopus possit dispensare in interstitijs Ordinum Presbyteratus.

RESOL. CCIX.

Concilium Tridentinum sess. 23. capit. 11. & 13. vt Episcopus dispenset in interstitijs, requirit vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, quæ quando adsit, vel non, remittitur Episcopo iudicandum: sed Doctores vt plurimum nõ explicant in particulari quando Ecclesiæ vtilitas, vel necessitas postulat, vt quis ordinetur non seruatis temporum interstitijs, vt dispensari possint Episcopi: qui quidem hoc in casibus contingentibus scire cupiunt, & ideo quia casus est quotidianus, ponam hic verba P. Gasparis Hurtadi de Sacram. tractat. de Ordine, difficult. 23. sic asserentis: Iudicio Episcopi relinquitur, vt in interstitijs dispenset, prout necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ postulauerit, quæ verè postulat, vt ordinetur, qui habet beneficium, aut Capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam (vt Congregatio Cardinalium declarauit) vt ordinetur qui in litteris, aut in virtute magnos fecit profectus: quia is ordinatus erit vtilis Ecclesiæ. Ita ille. Vide etiam Hieronymum Rodriquez in compen. qq. regular. resolut. 106. num. 23. & Barbosam in collect. DD. super Concilium Tridentinum sess. 23. c. 14. num. 2. asserentes, hanc necessitatem, & vtilitatem moraliter debere pẽsari, non enim in puncto indiuisibili consistunt: sed recipere debent eam latitudinem, quæ in alijs rebus moralibus arbitrio boni viri attendi solet.

Obseruandum est etiam hic, facultatem remittendi interstitia concessa Episcopo ex causis supradictis transire in Capitulum, seu eius Vicarium Sede vacante, quando tamen ex decretis eiusdem Concilij potest concedere licentiam ordinandi. Ita sacra Congregatio, teste Armendario in addit. ad recopil. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. leg. 7. de Episcopis, n. 57. & Marta de iurisd. p. 2. c. 9. n. 13. cum Homobono de Bonis vbi infrà.

Nota etiam, Hurtadum vbi supra affirmare solos Generales Societatis IESV, & ab ipsis deputatos posse ex Bulla Gregorij XIII. dispensare cum suis subditis Regularibus in interstitijs, tamen alij hoc priuilegium ad alias Religiones extendunt.

Vide Suarez de Relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.12. à nu.21. cui adde Villalobos, & Ioan. de la Cruz, quos ego ipse citaui in 3.p. tract.2. resolut.32. Verum hoc desinam hic adnotare, quod Homobonus in consult. cas. conscient. tom.2. part.5. respons. 211. Tamburinus de iure Abbat. tom.2. disput.2. quęst.25. & Lauretus de Franchis de controuersijs inter Episcopos, & Regulares, ponunt declarationem sacræ Congregationis tenoris sequentis: An Superiores Regularium possint quemadmodum Episcopi, vt in sess.25. Tridentini capit. 11. & 13. dispensare super temporum interstitijs cum subditis suis? Sacra Congregatio censuit, Superiores Regulares non posse dispensare super interstitijs Regularium ordinandorũ, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensandi iudicium suum formare debet ex attestatione superiorum Regularium.

Et tandem nota, quòd recipiens Ordines non seruatis temporum interstitijs absque dispensatione non incidit in suspensionem, neque in irregularitatem. Ita Lauretus vbi suprà, q.32. fol.84. Campanili in diuers. iur. Canon. rubr.6.c.3.nu.13. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa loco cit. cap.13. num.12. neque Episcopum illum ordinantem, Barbosa nu.11.

An quando prouisio efficitur per concursum, si quis eligat dignum, omisso digniori, teneatur ad restitutionem.

RESOL. CCX.

Affirmatiuè respondet Molina de primogen. lib.2. capit.25. n.59. Guttierez canonic. quæstionum lib. 2. c.11. nu.55. & sequ. Vasquez opusc. de benefic. c.2. § 3. nu. 117. Fernandez in examin. Theolog. moral. p.4 cap.4. §.1. nu.2. & alij; quia in tali casu eligens dignum, omisso digniori, non solùm peccat contra iustitiam distributiuam; verùm etiam contra commutatiuam ortam ex illo, quasi contractu prouenienti ex dicti propositione, & ex fide in illo data.

Scio Martinum Ledesmam 2.4 quæst.18. ad fin. verb. secunda conclusio. Mercadum de contract. libr 6. cap.17. §. y an si dizen los Theologns, verb. esto no lo figuo. Garsiam de benefic. part.7. cap.16. Nauarrum in manuali cap.17. num.74. verb. nec obstat, & alios contrariam sententiam probabiliter docere; sed tu ne discedas ab opinione affirmatiua, tanquam probabiliori, & tutiori; quod autem in foro externo dicta electio sit nulla, & subreptitia, docet Azeuedus consil.9. numer.30. & declarauit Rota in vna Tudensi 18. Aprilis 1603. corã Sacrato; & in vna Dertunensi 18. Decembris 1581. coram Gipsio; & obseruat Beltraminus in annot. ad decision. 11. Gregor. XV. vnde Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori, ver. electio, different.2.n. 4. aduertit, conquerente digniore reuocari collationem factam digno de beneficio curam animarum habente, mediante concursu, &c.

An Abbates, & alij Prælati inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, etiam nullius diœcesis gaudeant facultate absoluendi, & dispensandi ex Concil. Triden. session.24. cap.6.

RESOL. CCXI.

Negatiuè respondet Gratianus in discept. forens. cap. 441. num.2. Toletus lib.1. cap.83. nu.5. Arragon. in 2.2. quęst. 88. art.12. Suarez in 3.p. tom.4. disp.30. sect.2.n.6. & tom.5. disp. 41. sect.2. nu.7. Ledesma in summa to.2. trac.1.c.6. post concl.2. diffic. 1. & alij.

Sed affirmatiuam sententiam docet Henriquez lib.6. cap.16. nu.1. Flores de Mena var. resolut. lib.3. quæst.24 nu.18. Auila de cens. part.7. disp.10. dub.10. Sanch. in sum. to.1. lib.2.c.11.n. 5. Duardus in Bulla Cœnæ lib.3. §.2. quæst.8. nu.55. Moneta de commut. vlt. volunt. c.5.n.455. Sigismundus à Bononia tract. de elect. dub.51. nu. 8. & alij afferentes, facultatem, quam habent Episcopi absoluendi à censuris, & dispensandi super irregularitate occulta, &c ex vigore Concilij Trid. competere etiam alijs Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem; vnde puto vtramque sententiam probabilem esse.

Notandum est etiam hic obiter contra Bonacinam de cens. disp.7. quæst.5. punct.1. nu.6. & Altherium de cens. to.2. disp.8. de suspens. c.3. verb. es eodem, Capitulum Sede vacante habere facultatem dispensandi, & absoluendi concessam Episcopis in dicto loco Concilij Trident. Ita Sanchez de matrim. lib.8. disp.2.n.10. Garsias de benefic. p.7.c.11.n.21. Beia p.4. cas.17. Sayrus in claui Regia lib.2.c.11. num.84. & alij. Sicut etiam contra Armendarium in addit ad recopil. leg. Nauar. lib.1. tit.18. leg.7. de irregularitate, num.50. Garziam dicto cap.11. nu. 13. & 20. Ledesmam vbi suprà, post cõclus.20. difficult.3. Suarez, & alios, dicendum est supradictam facultatem competere etiam Superioribus Regularium circa suos subditos. Ita Henriquez loco cit. §.8. & lib 7.c.25. sess.2. Rodriquez to.1. qu 61. art. 9. Molina tract.3. disp.61.n.4. & 5. Sanchez vbi sup. n.7. Vecchius in praxi Nouitiorum disp.9. à nu.4. & alij.

An confessio facta principaliter ex fine veniali sit inualida.

RESOL. CCXII.

Hic casus potest in praxi sæpiùs accidere & affirmatiuam sententiam docet Syluester ver. Confessio 1. q.7. asserens, Sacramentum Pœnitentiæ quando suscipitur principaliter ex quocumque alio fine, quam remissionis peccatorum, esse inualidum; quia hæc sola est principalis effectus Sacramenti; ergo ea sola est principaliter intendenda.

Sed si hæc opinio esset vera, plures confessiones essent iterandæ; & ideo contrariam sententiam tenendam esse puto cum Soto in 4. dist.18 quæst.3. art.3. Vasquez in 3. part. tom.4. quęst. 92. artic.3. dub.2. & alijs. Dico igitur sacramentum Pœnitentiæ non fieri inualidum quocumque fine suscipiatur, dum in eo nõ peccatur mortaliter, quamuis ex eo principaliter, & tamquàm ex motiuo suscipiatur, dum etiam suscipiatur ex fine remissionis peccatorum; quamuis minus principaliter, & tantum impulsiuè. Ratio est, quia ex eo, quòd hoc modo suscipitur, non deficit intentio suscipiendi Sacramentum. Ergo non ex eo fit inualidum, quia valor Sacramenti tantùm pendet ex dicta intentione, & ex partibus essentialibus illius. Sed hæc omnia adsunt in casu nostro. Ergo, &c.

An priuilegia Regularium concessa celebrandi tempore interdicti sint reuocata per Concilium Trid. sess.25. c.12.

RESOL. CCXIII.

Affirmatiuam sententiam docet Nauarrus in man. c.27. nu. 190. Garsias de benefic. p.3. c.2. à nu.278. qui in addit. ad p. 5. cap.8. n.87. ver. ad 8. testatur sic respondisse S. Cardinalium Congregationem consultam ab Episcopo Abulensi. Et idem asserit Armendarius in addit. ad recopil. leg. Nauarræ, lib.2. tit. 18. leg.7. de Relig. nu.73.

Sed contrarium docent, Henriq. li.13. c.48 §.1. Rodriq. to.2. q.112. art.1. Sayrus de cens. lib.5.c.13.n.24. & 25. Ioã. de la Cruz de Statu Relig. lib.2.c.7. dub.2. concl.2. Miranda in Man. Præl. to.2. q.37. art.12. Homobonus de examin. Eccles. tra.11. c.12. q. 25. resol.1. & alij, asserentes, specialia Regularium priuilegia, vt pro suis festis, vel alijs certis diebus non seruent interdicta, Tridentino Decreto non esse reuocata.

De obligatione Episcoporum, & beneficiariorum ad eleemosynas elargiendas.

RESOL. CCXIV.

Durus erit hic sermo, sed verus; sic igitur ait Iacobus Granado in 2.2. D. Thomæ contr. 3. tract.11. disp.3. n.21 Ego quidem, vt in hac re dicam quod sentio, non damnarem eum, qui quartam partem, si Episcopus sit, & qui quintam, aut sextam, si Episcopus non sit, elargiretur pauperibus, dummodo residuum post suam congruam sustentationem pijs alijs operibus impenderet, & non occurrerent speciales, & vrgentiores pauperum necessitates. Probatur, quia Ecclesiasticus non tenetur omnes redditus, qui illi supersunt post sustentationem, erogare pauperibus, quia bonam eorum partem possunt insumere in alia opera pietatis; ergo quantitas sub graui præsertim obligatione pauperibus eroganda, non potest censeri iure aliquo determinata: patet consequentia; quia nõ de diuino,

aut

aut naturali, vt constat nec Ecclesiastico, quia modo Ecclesia nihil determinauit, & quamuis olim determinauerit quartam partem, iam cessauit illud præceptum, cum cessauerit fundamẽtum illius, nempe quod quarta pars redditum esset ab alijs seiuncta, & verè extaret; solum ergo standum est in hoc negotio prudentum arbitrio; sed prudentes arbitrantur quartã partem, imo & minorem quantitatem esse sufficientem; ergo non est maior obligatio imponenda. Loquutus sum autem de quarta, & quinta parte, non quia omnibus tanta sit obligatio, quia multi Ecclesiastici erunt, quorum redditus non sufficiant, vt detrahatur quinta, imò nec octaua pars distribuenda pauperibus; sed quia ista quantitas in dictis casibus sufficiat, vt vnusquisque cẽseatur obligationi suæ satisfacere, licèt pingue sit beneficium. Confirmatur, quia abundantes, & frequentes eleemosynas censetur elargiri, qui de quinque mille aureis elargitur mille, sed ex nullo capite colligi potest teneri Ecclesiasticũ, nisi ad abundantes, & frequentes eleemosynas; ergo satisfacit suæ obligationi, quartam, si Episcopus sit, & quintam, si non sit Episcopus, elargiendo. Minor probatur, quia caput istud tantum potest esse duplex, nimirum, quòd sit pater pauperum, quod non possit superfluos sumptus facere. Neutrum autem horum probat quidpiam contra nos, non primum, quia pater spiritualis pauperum satisfacit, huic muneri copiosè illis succurrendo, eorum necessitates inquirendo saltem in generali, & quando peculiares, & grauiores necessitates occurrunt, abundantiorem stipem erogando; & totum hoc fieri potest optimè, licèt in ordinarijs necessitatibus non plus, quam quod diximus, eroget; non enim exigit munus patris spiritualis, vt quicquid ipsi superest, illis donet, alioqui, vt dicebam, non posset in alia pia opera quidquam insumere, quod est incredibile, & contra praxim Ecclesiæ, nec secundum, quia præter eleemosynam sunt alij sumptus non superflui, sed pij, & spectantes ad diuinum cultum.

Ex quo tandem infero, si post congruam sustentationem, & eleemosynam in quantitate dicta, & opera pietatis, in quibus magna latitudo est, velit Ecclesiasticus notabilem aliam quantitatem ex redditibus beneficij sibi reseruare ad vsus non pios, sed vanam ostentationem, aut superfluitatem me non videre, quo iure, aut titulo excusetur à culpa lethali: nã sacri Canones Ecclesiastica bona propterea *Patrimonium Dei* appellant, quia in Ministrorum Dei sustentatione, & pijs operibus insumenda sunt, & absurdum est æstimare non esse contra intentionem, & iustissimam voluntatem Ecclesiæ, quòd hæc accipiantur ab Ecclesiasticis, vt prodigè, & variè insumantur. Confirmatur, quia grauissimi Doctores obligant laicos sub mortali, vt superflua omnia sui status erogent pauperibus: sed certum est, Ecclesiasticos esse multò strictiùs obligatos ad eleemosynas, & pia opera, ergo certum est, teneri sub mortali ad erogandum, vel in alijs pietatis operibus insumendum superflua status sui; ergo peccant lethaliter, si in prophanis vsibus consumant Patrimonium Christi. Patet consequentia, quia hęc, quæ post cõgruam sustentationem supersunt, superflua sunt, nec ad decentiam status vllo modo pertinentia. Et sanè commune est inter Doctores pronũciatum, totum, quod superest beneficiario post suam congruam sustentationem, expendi debere in pauperes, & vsus pios, nec legi aliquem, qui contrarium doceat: cum hoc autem cohærere non potest; quòd quis contentus sit insumendo quartam, vel quintam partem inter pauperes, & alia pia opera, & reliquum vanè insumẽdo, etiam si sint multa millia aureorum. Prudentissimè ergo noster Azorius tom. 2. lib. 12. cap. 11. quæs. 1. in fin. noluit determinare quãtitatem, quam insumere sufficiat beneficiario; sed obligauit illum, vt impendat quidquid illi superest. Et hæc omnia docet Granado vbi supra, quæ quidem multum notanda erunt à Confessarijs Ecclesiasticorum, qui benignas opiniones circa præsentem materiam apud neminem ex Doctoribus inueniet: secus autem circa diuites dicendum erit, vt patebit in seq. resol.

De obligatione diuitum largiendi eleemosynas in graui necessitate proximi de necessarijs ad statum?

RESOL. CCXV.

TEneri diuitem in graui necessitate proximi, licèt non extrema, elargiri illi eleemosynam de necessarijs ad statum, docet Sotus, Cano, Victoria, quos citat, & sequitur Bannez in 2. 2. quæst. 33. artic. 2. dub. 4. Valent. hic punct. 4. & alij; & sic ait Bannez: Aduocatus tenetur defendere causam pauperis, quando aliter defendi non potest, & plura alia exempla adducit, & rationes pro hac firmanda sententia, quam puto probabilem, & consulendam.

Sed contrariam non minus probabilem esse existimo, quam tuetur Caietanus in summ. ver. eleemosynæ largitio. Nauarrus c. 24. nu. 7. Corduba lib. 1. quæst. 26. propos. 2. & D. Thomas art. 5. ad 3. vbi explicans quando sit mortale non elargiri eleemosynam, ait: Cùm pauper euidenti, & vrgente necessitate premitur, & diues habet superflua, etiam secundùm statum. Et clarius in corpore articuli: Dare (inquit) eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate; alias autem eleemosynas dare est in consilio. Ecce sanctus Doctor duos tantum casus agnoscit, in quibus præceptum illud obliget, scilicet cum pauper extremè indiget, & cum quis habet superflua; nomine autem superflui intelligit superfluum secundùm statum, vt euidenter constat ex corpore articuli; & alioqui si solùm intelligeret superfluum naturæ, cogeretur asserere absolutè, & sine vlla limitatione teneri diuites de necessarijs ad statum elargiri eleemosynã, etiam in communibus necessitatibus, quod falsum est, & contra omnes Doctores. Confirmatur hæc opinio ex sententia illorum Doctorum asserentium præceptum eleemosynæ, etiam de superfluis naturæ, & status non obligare, saltem sub mortali, nisi in extrema necessitate. Ita Alexander part. 4. quæst. 33. art. 1. Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 4. art. 2. concl. 5. D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 24. §. vlt. Rosella ver. eleemosyna, Durandus in 4. dist. 15. quæst. 6. ad 2. & alij; sed quidquid sit de hoc, dicendum est probabiliter, quod quia vnusquisque habet ius, vt viuat sicut decet statutum suum: ergo nemo post illum obligatur ad elargiendum eleemosynam de ijs, quæ ad huiusmodi decentiam necessaria sunt, nisi quando proximus est in extrema necessitate. Ad exemplũ Aduocati, quod affert Bannez, respondit Caietanus in 2. 2. qu. 61. art. 1. in sola extrema necessitate esse mortale, quòd Aduocatus non defendat causam pauperis, & ita intelligit D. Thomam: sed melius dicendum est, causam pauperis, si grauis sit, defendi debere ab Aduocato sub mortali, quia munus eius hoc est, & alioqui sæpè nihil amittit, sed potius lucrabitur, quia si propterea amitteret lucrum alicuius momenti necessarium ad statum, non teneretur sub mortali: & ita omnia supradicta pro confirmatione huius posterioris sententiæ docet Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ, controu. 3. tract. 11. disp. 2. sect. 5. nu. 32. & sequent.

Notandum est etiam hic cum dicto Granado disp. 4. num. 1. Caietano ver. eleemosynæ largitio, Corduba lib. 1. qu. 18. quòd rarò contingere potest, quòd sæculares sub mortali teneantur pauperibus erogare superflua decentiæ suæ, quia, vt alibi ex Vasquez & alijs notaui part. 2. tractat. 16. resolut. 26. vix in magnis diuitibus inueniuntur superflua status. Dicendum est igitur cum Emanuele Sà ver. eleemosyna, num. 2 quòd cùm inter Doctores non conueniat quando peccet mortaliter, qui non facit eleemosynam, non facile condemnandi diuites, qui nõ faciunt; monendi tamen, vt faciant quantas maximè possint. Ita ille, & ego. Cùm igitur sæculares de necessarijs ad statum non teneantur erogare pauperibus, nisi extremam necessitatem patiantur, & necessitates istæ rarò eueniant, aut saltem manifestentur diuitibus, quippe qui non tenentur eas quærere, & status decentia magnam habeat latitudinem, difficileque inueniatur qui superfluitatis conuinci possit, difficile est damnare ad mortẽ, & in casu, saltem dubiæ obligationis, nec diues tenetur elargiri, nec Confessarius sub mortali obligare. Vide me ipsum vbi supra.

An si quis omisit recitare, v. g. medietatem tertiæ, vel sextæ, satisfecerit præcepto.

RESOL. CCXVI.

AFfirmatiuam sententiam docet Oliuerius Bonartius Societatis Iesu de Hor. Canon. lib. 2. c. 19. num. 12. vbi sic ait. Vt sententiam meam paucis aperiam, dico insistendo vestigijs communis sententiæ Doctorum, qui putant vnum tantùm esse præceptum de omnibus Horis, simul habens pro obiecto septẽ Horas Canonicas. Ideoque illius præuaricationem vnum solũ esse peccatum, probabile videtur mihi non incurri in hac re peccatum mortale, nisi minima aliqua hora ferè integra prætereatur,

tur, vel aliqua pars horæ maioris illi respondens: vnde qui ex tertia saltem recitat vsque ad primum Psalmum inclusiue, imò vnum illius Psalmum, non videtur peccare mortifere. Probatur, quia omissio auditionis Missæ die præcepto vsque ad Euágelium secundum receptam opinionem, non est peccatum mortale; & tamen illa prætermissio æquiualet ferè priuatæ omissioni tertiæ. Si ergo in sacrificio Missæ habetur pars exigua, eius principium vsque ad Euangelium cur censebitur in officio Horarum totius diei sufficiens pars ad peccatum mortale constituendum, omissio dimidiæ partis horæ tertiæ: cùm officium istud multò prolixius sit, quàm sacrificium Missæ. Hæc Bonartius. Verùm hanc sententiam non approbant Doctores, quos citaui, & sum sequutus in part. 1. tract. de Hor. canon. resolut. 41.

An Prebendatus peccet mortaliter si à Choro absit.

RESOL. CCXVII.

REspondet affirmatiuè, etiam si cedat distributionibus, & propter eius absentiam officium non dimitiatur, nec sine decenti solemnitate celebretur. Ita Vasquez opusc. de benef. c. 4. art. 2. dub. 1. n. 182. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 10. nu. 17. & c. 13. n. 5. & seq. Bonacina de Hor. canon. disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 1. & alij, quos citat, & sequitur Castrus Palaus to. 2. disp. 3. punct. 2. n. 3. ex multis rationibus, quas ipse adducit.

Sed contrarium tenet Syluester verb. Hora quæst. 2. Caietanus §. 5. Angelus num. 21. Nauarrus de orat. cap. 1 num. 14. Macignus de Horis canon. cap. 56 nu. 34. Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 53. nu. 181. & Valentia to. 3. disp 6. q. 2. punct. 10. §. 6. vnde puto vtramque sententiam probabilem esse, vt ego alibi etiam docui.

Nota tamen, stando etiam in sententia affirmatiua, tres, vel quatuor dies in anno absentiæ à Choro non constituere culpam mortalem in præbendatis, quippiam à iure conceditur absentia à Choro tribus mensibus in anno. Ita Bonacina, Suarez, Castrus Palaus locis cit.

Nota etiam, quod Prębendatus submissa voce recitans suam partem, vel non recitans, sed solum attendens ad partem, quæ alius Chorus recitat, lucratur, secundū probabilem opinionem, mediam partem distributionum. Ita Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. c. 12. nu. 18. Nauarra de rest. lib. 1. cap. 2. nu. 222. Cenedus collect. 15. n. 6. ad 6. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina disput. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 17. licèt etiam probabiliter contrariam sententiam teneat Castrus Palaus tom. 2. disput. 3. punct. 4. n. 5. & Oliuerius Bonartius de Horis canon. lib. 2. cap. 23. n. 9. & sequenti.

An qui Subdiaconatum suscipit, teneatur ordinationis suæ die, Officium totum recitare.

RESOL. CCXVIII.

REspōdeo negatiuè, sed solùm ab illa parte, à qua obligatio incepit. v. g. si quis accepit Subdiaconatum, vel amisit professionem hora vndecima ante meridiem, non tenetur recitare matutinum illius diei, neque primam, neque tertiā, sed ad summum sextam, & reliquas Horas, quia ab illa hora vndecima incepit obligatio. Ita Castrus Palaus to. 2. disp. 2. punct. 4 nu. 3. qui citat Suarez, & Bonacinā, quibus adde Homobonum in consult. cas. conscient. vol. 2. p. 5. respons. 240.

Non desinam tamen hic adnotare, Oliuerium Bonartium de Horis canonicis lib. 2. c. 39. n. 11. docere, in tali casu Subdiaconum, v. g. satisfacere, si non dicat sextam, & nonam, sed incipiat a Vesperis illius diei; nam Ecclesiæ mens non censetur velle tironem ad paruas aliquas Horas diei currentis astringere.

Sed stando in prima opinione quæritur, quid dicendum, si antequam quis Subdiaconatum accepit, vel professionē emisit, omnes Horas illius diei recitauit? Respondet Castrus Palaus loco citato non satisfacere obligationi superuenienti; quia non potest esse satisfacere obligationis, vbi nulla est obligatio; tenetur igitur iterum recitare modo, quo supra dictum est.

Nota tamen secundùm Castrum Palaum, affirmatiuam sententiam esse probabilem. nam negatiuam, quam ipse tenet, vocat tantùm probabiliorem.

Nota etiam hic obiter id, quod alibi etiam notauimus cum Soto, & Valentia, quibus nunc addo Castrum Palaum vbi suprà, punct. 1 §. 1. num. 5. probabile esse, cùm Episcopus ordinandis iniungit aliquos Psalmos, & litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare, sed ex quadam honestate, & decentia. Et Homobonus de Bonis in supradicto casu ex Azorio, & Layman putat etiam, supradictos Clericos non peccare, nisi venialiter. Ita ille in consultat. cas. conscient. volum. 2. part. 5. respons. 210.

An sit vnum tantum peccatum internum, etiamsi voluntas omittendi Horas canonicas sæpius per diem facta morali interruptione iteret.

RESOL. CCXIX.

AD hunc casum sic respondet Oliuerius Bonartius de Hor. canon. lib 2. cap. 20. nu. 6. Censent communiter Doctores latum discrimen esse inter omissionem Horarum externam, & omittendi illas voluntatem. Illa enim, quamuis vnius diei Horas omittas, vnicum solum peccatum est, hęc multiplex pro numero volitionum renouatarum, quibus voluisti, vel omnes, vel aliquas per diem vicibus moraliter interruptis omittere, quæ etiam peccata sunt, quamuis postea mutata voluntate Horas recites. Dixi hunc esse communem sensum Doctorum; quia sunt aliqui, qui probabiliter tenent non videri multiplicari peccata pro numero volitionum internarum, eo quòd illæ censeantur continuari suo modo in externa omissione, quæ vnicum peccatum est: vt enim desideria, & proposita, quæ quis sæpiùs reaccendit, & furioso impetu fertur ad hostem suum interficiendum, non sunt, nisi vnum peccatum, quia continuantur in externa inchoatiune homicidij; ita etiam censeri poterunt omnes illæ intentiones Horas illas omittendi vnum numero peccatum, quia continuantur in illa externa omissione, quæ solum complentur sub finem diei naturalis. Ita Bonartius, qui cap. 21 num. 1 docet, beneficiarium Sacris initiatum Horas omittentem, peccare duplici peccato, contra iustitiam, & Religionem; adeoque in confessione vtrumque exprimendum; sed tu tene contrariam sententiam, quam alibi cum multis Doctoribus docui; quibus nunc addo Castrum Palaum to. 2. disp. 2. punct. 1 §. 2 nu. 29. quia eadem est res præcepta omnibus illis titulis, & sub eadem ratione præcipitur, namque recitatio in laudem Dei, &c.

An beneficiarius teneatur ad aliquam restitutionem omittendo partem notabilem alicuius Horæ.

RESOL. CCXX.

AFfirmatiuam sententiam tenet Castrus Palaus tomo 2. disput. 2. punct. 7. num. 5. quia omittens partem notabilem alicuius Horę, absolutè dicitur illam omittere, sicut absolutè dicitur omisisse Missam, qui partem notabilem non audit; sed pro cuiuslibet Horæ omissione est debita restitutio, iuxta Extrauag. Pij V. etiamsi fructus illi correspondentes leues sint. Ergo est etiam debita restitutio pro omissione cuiuslibet partis notabilis, paucitas enim fructus excusabit ab obligatione graui restituendi, non à leui. Ita Castrus Palaus, qui citat Garziam, & Bonacinam.

Sed his non obstantibus, negatiuam opinionem defendit Oliuerius Bonartius de Horis canonicis lib. 2. cap. 11. nu. 10. vbi sic ait: Primò quidem certum est, nec in Concilio Lateranensi, nec Extrauag. Pij V. quidquam de hac quæstione determinatum esse: vnde prima specie videtur nihil necessariò restituendum pro parte Horæ, quamuis notabili, prætermissa; quia cùm lex sit pœnalis, saltem ex parte, & fundamentum eius sit culpa, ob quam irrogatur pœna, solumque de Horis integris in illa mentio fiat, non debet ad earum partes extendi, sed suis terminis arctari: censeo igitur nihil fructuum necessariò tribuendum pauperibus ratione partis Horarum omissæ; quantumuis magnę, & sufficientes ad materiam peccati mortalis, nisi pro omissis laudibus, quia multi putant, illas esse Horas disiunctas; quod quamuis minus rectè arbitrentur, solent tamen separatim a nocturno Officio legi per modum Horæ diuersæ. Ratio verò est, cur nolim aliquem ob partem prætermissam ad restitutionem obligari, quia lex hæc est odiosa; & proculdubio grauem pœnam imponit, cùm pro singulis Horis restitutionis

onus

onus irrogat; cur ergo nos illam extendimus, & iugum beneficiorum magis aggrauamus, quam ius ipsum, & verba legis. Ita Bonartius; & hanc sententiam sequitur, cum aliqua tamen limitatione, Suarez de Religione tom. 2. lib. 4. c. 30. à nu. 9. & Toletus lib. 2. c. 12. num. 20. non obligantes ad restitutionem, si fructus correspondentes leues sint, eo quòd beneficium sit tenue, sed negatiuam sententiam absolutè, & sine vlla distinctione satis probabilem, & securam in praxi ego existimo.

Sed quid dicendum de eo, qui partem leuem in singulis Horis omittit, cuius omissio comparatione totius Officij diei grauis quantitas censeri potest; an, inquam, obligatus sit restituere? Et negatiuam sententiam ego teneo, quam tuetur Moneta de distribut. p. 2. q. 3. n. 22. & Filliucius to. 2. tra. 23. c. 10. q. 7. quos sequitur Castrus Palaus loco citato, validam pro hac sententia rationem adducens, adi illum, & non pigebit.

Notandum est etiam hic obiter quod aliqui dicunt, restitutionem fructuum pro omissione Horarum suppleri posse per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit, cum eæ cuiusdam anticipatæ solutionis rationem quamdam habere possint. Ita Bonarcius vbi supra n. 21. quod tamen nimis laxum videtur.

An si quis impotens sit ad recitandum Officium solus, teneatur cum socio recitare.

RESOL. CCXXI.

NEgatiuam sententiam docet Ioannes Sancius in selectis disput. 15. numer. 2. & alij; quos refert Garzias de benefic. part 3. cap. 1. num. 214. quia recitare cum socio est priuilegium; ergo quis non est astrictus illo vti. Lessius autem lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 54. & Garzias vbi suprà nu. 215. distinguunt; nam si qui solitus est recitare Horas cum socio, adhibere illum tenetur, secus si solitus non sit. Excipit tamen Garzias, nisi socium, quem gratis antea habebas, postea nisi cum stipendio sis habiturus. Ratio est, quia ita nullum onus speciale Clericis imponitur. Ergo, &c. Alij autem absolutè affirmant in tali casu obligationem adesse cum socio Horas recitare, si facile habere potes, siue antea vsus fueris illo, siue non. Ita Valentia to. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10. §. 7. in princ. Reginaldus to. 2. lib. 18. c. 13. nu. 183. ad finem. Azorius tom. 1. lib. 10. c. 13. quæst. 3. & 6. & alij communiter, quia obligatus es adhibere media ad implendum præceptum, quæ difficilia non sunt.

Sed difficultas est, si quis stare vellet in ista vltima sententia, an illa intelligenda sit, si vsus socij gratis habeatur: an verò in tali casu teneatur, saltem beneficiarius quærere illum cum stipendio?

Affirmat Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 28. num. 12. de beneficiario: negat autem de Clerico simplici, & Religioso; quia horum obligatio non est ex iustitia, sed ex Religione. Sed Castrus Palaus tom. 2. disp. 2. punct. 6. nu. 14. putat, quemlibet Clericum, seu Religiosum, si habeat vnde absque difficultate graui possit socium conducere ad secum recitandum, obligatum esse illum conducere, quia vsus socij in persona impotenti aliter recitandi officium, est medium simpliciter necessarium ad huius præcepti exequutionem. Ergo si ex communi sententia obligatur ad hoc medium assumendum, obligari debet ad expendendos aliquos moderatos sumptus, si necessarij sunt ad huius medij assumptionem. hæc sententia est nimis rigida, & ideo libenter opinioni Suarez adhæreo, imo ego puto probabiliter, quòd nec beneficiarius de rigore ad id tenetur, licèt ad hoc facere consulendus sit, & ita hanc sententiam tenet Oliuerius Bonartius de Horis canonicis lib. 2. c. 38. nu. 12. vbi sic ait. Nota tamen non videri obligari diuites Clericos, quantumuis etiam amplum, & copiosum Sacerdotium obtineat ad socium pretio conducendum, tum quia nulla ratione, vel iure hoc probari potest, tum quia sicut non teneor Sacerdoti soluere stipendium, vt festiuis diebus Sacrum audiam, ita nec socio, vt mecum legat. Adde non debere imponere maius onus infirmis Clericis, quam sanis. Consulendum nihilominus est beneficio lauto fruentibus, vt mercede sibi comparent socium, qui simul cum illis legat, dum infirmatur. Ita Bonartius.

An piscatio, aucupatio, & venatio sint licita in diebus festiuis.

RESOL. CCXXII.

PRima sententia docet talia opera esse liberalia, si ob recreationem in diebus festiuis fiunt, esse verò seruilia, si ob lucrum, & quæstum. Ita docet Angelus, Syluester, Rosella, Tabiena, Armilla, & Pisanella; quos refert Azorius par. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 7. & ideo in cap. licet de ferijs, ex dispensatione conceditur piscatio diebus festis.

Secunda sententia asserit per se venationem, & piscationem esse opus seruile; sunt enim actiones ad vsum corporis, & ipsius vtilitatem pertinentes. Ita Suarez de Religione tom. 1. libr. 2. de festis, cap. 28. nu 3. Fagundez de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 11. num. 16. verùm ratione consuetudinis putat Suarez num. 5. Fagundez nu 17. licere venari; negant tamen de piscatione adesse talem consuetudinem, nisi ob vrgentem, & specialem necessitatem; ac proinde licita non est, iuxta dict. cap. licet. Verùm, his non obstantibus, ex neotericis Iacobus Granado in 2. 2. D. Th. contrat. 3. tractat. 12. disput 4. sect. 7. nu 65. ex Nauarro, Medina, & Lopez docet, venationem ferarum non esse opus seruile, & prohibitum in die festo, licèt fiat propter lucrum; & illam solam piscationem esse opus seruile, quæ fit deferendo retia, remigando, & similem laborem exercendo: sed Filliucius tom. 2. tractat. 27. cap. 9. num. 172. & 173. & in hoc dubio distinguit, & asserit, venationem, & piscationem ob recreationem, quæ industria posita sit, volucrum; & similium accedit ad opus liberum, & non est prohibita in die festo; secus autem dicendum est de venatione, & piscatione ex officio, & quæ tota posita sit in corporis defatigatione.

Notandum est etiam hic obiter Caietanum in 2. 2. quæst. 122. art. 4. Sotum de iustitia lib. 2. quæst. 4. art. 4. § Tertium genus, & alios docere, quod iter agere sit opus seruile; consuetudine tamen excusari viatores: sed non esse opus seruile, siue pedibus, siue equo fiat, tradit Angelus ver. feriæ nu 15. Rosella num. 26. Azorius part. 2. lib. 1. cap. 27. qu. 8. Suarez de Relig. tom. 1. lib 2. de festis, c. 27. nu. 2. & alij communiter; quia iter agere est de se actio naturalis consistens in quadam corporis situatione, atque exercitatione, & ideo opus liberale, non seruile est; tunc neque erunt opera seruilia quædam agitationes corporis, quę in saltationibus, choreis, & tripudijs consistunt; vnde talia opera sunt licita in diebus festis, non ratione consuetudinis, sed quia per se opera liberalia sunt.

Ad quam summam debet ascendi res, vt pretiosa dicatur, ad effectum, vt Prælatus illam non possit alienare.

RESOL. CCXXIII.

AD hoc dubium ita respondet Castrus Palaus tom. 2. dispu. vnic. punct. 15. §. 1. num. 2. Quod si inquiras cuius valoris debet esse res, vt pretiosa dicatur? Respondeo, mihi videri centum aureos attingere debere, hinc fit illas res mobiles alienabiles esse, quæ valorem centum aureorum non attingunt. Ita ille, quod esset valde notandum, nisi determinasset sacra Congregatio, teste Homobono in consult. cas. conscient. vol. 2. part. 6. respons. 98. & Peregrino in compendio nouissimo nostrorum priuilegiorum, ver. Alienatio bonorum, in scholio, mobile pretiosum illud censeri, quod excedit valorem 25. aureorum.

Notandum est tamen hic obiter, primò opinionem asserentem, Reliquias Sanctorum non comprehendi sub bonis mobilibus pretiosis, prohibitis sine debita solemnitate alienare, probabilem esse, vt aduertit Peregrinus loco citato du. 4. & Bonacina tract. de alienatione, disp. 2. q. vnic. punct. 2. nu 31. quia in Extrauag. Ambitiosæ, sermo solus est de alienandis bonis temporalibus, pretio æstimabilibus: sed Reliquiæ non sunt pretio æstimabiles, ergo illarum alienatio non prohibetur ex hoc capite. Sed affirmatiuam sententiam tenet ipse Bonacina, Peregrinus, Castrus Palaus n. 8. & alij.

Nota secundò, posse fieri permutationem ab vna Ecclesia ad alteram absque solennitate. Ita Triuisanus par. 2. decis. 16. & alij, contra Bonacinam de alienatione, disp. 2. qu. vnic. punct. 2. nu. 14. Sed ego puto cum Peregrino loc. cit. dub. 7. vtramque sententiam probabilem esse.

Nota tertiò, fieri posse sine debita solennitate trãsactionem,

tenuis-

remissionem, aut concordiam aliquam de rebus Ecclesiæ, in quarum possessione ipsa Ecclesia non existit; quia tunc non alienantur res; quas habet Ecclesia, sed quas sperat sub dubio habere, remittit pro alicuius rei certæ acquisitione. Ita Castrus Palaus §.3.n.2. & alii penes ipsum.

Nota quarto, oblationes imagini Regularium factas, præter vota aurea, & argentea magni valoris, posse alienari per Superiorem sine requisitis solemnitatibus. Ita ex Bonacina Antonius Nouarius in summa Bullarum tit. de alienat. nu.22.

Nota quintò, non posse Regulares inconsulta sacra Coogregatione, vt patet ex decreto sub die 21. Maij 1624. accipere pecunias ad cambium, vel mutuo, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ita Homobon. in consult. cas.conscient. vol.2.p.6.respons.97. Nouarius loc.cit.nu.13. Peirinus in priuil. Minim.tom.2.constit.8. Vrbani VIII. nisi excusaret, ait Lezana in summa qq.Regular.c.10 nu.4. aduersus dictum decretum, consuetudo legitimè præscripta.

An in Bullis Pontificijs, & Decretis sacræ Congregationis sub nomine priuationis officiorum, graduum, dignitatum, &c. intelligantur comprehensi Concionatores, Lectores, Confessores, &c.

RESOL. CCXXIV.

Hic casus frequenter potest accidere, & deseruiet pro Bulla Pij V. de clausura Clement. VIII. de largitione munerum, & aliarum Bullarum, in quibus punitur pœna priuationis administrationum, dignitatum, officiorum, &cet. & adeò circa dubium propositum affirmatiuam sententiam docet Lezana in summa qq. Regul.cap.10.n.32. quia dicta verba sunt amplissima: ergo sine fundamento restringuntur: & ad quandam Bullam Sixti V. respondet, quòd Summus Pontifex manifestè declarat, se solum loqui quantum ad constitutionem illam à se editam, non quo ad alias à se, vel ab aliis editas, vel edendas; sic enim dicit: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, &c. expende enim particulam illam, *hac in re, de qua nunc agitur*; quo denotatur se non loqui in alijs casibus aliarum Bullarum. Quare dicendum est, per officia dignitates, honores, administrationes, &ce. de quibus in Bullis Pontificijs, & decretis sacræ Congregationis fit mentio, intelligi debere ea omnia, quibus propria, & secùndum communem vsum, etiam æstimationem, talia vocabula accommodantur. Ita Lezana.

Verùm contrariam sententiam, nō solum docet Sanchez in summa tom.2.lib.6.cap.15.n.66.& Rodriquez in exposit. Mot. Pij V.nu.21. sed etiam Bonacina de clausura, qui punct.4.nu.6. & de largitione munerum disp.3.punct.5.n.2. vbi tenet sub nomine officiorum, graduum, dignitatum, &c. intelligi gradus honorificos cum superioritate, seu officia, quibus annexum est ius superioritatis, vt Generalatus, Prouincialatus, Guardianatus, officium Visitatoris, Commissarij generalis, Vicarij Monachorum, seu Monialium, officium Abbatissæ, seu Priorissæ. Hoc tamen nomine non veniunt Magister Nouitiorum, Ministri, Cōsultores, Admonitores, Concionatores, Lectores Theologiæ, Confessarij, Præfectus Sacristiæ, Definitores, Discreti, &c. Ita Bonacina, quod antea docuerat Filliucius to.2.tr.34.c.3.nu.77. vnde tanquam nimis rigida non videtur amplectenda opinio Lezanæ, viri quidem docti, & amicissimi.

Notandum est etiam hic obiter cum Filliucio vbi suprà nu. 79. dictas personas non incurri ante sententiam criminis declaratoriam, & hoc ante illum obseruauerat Sousa in Bulla Clem. VIII. de largitione munerum, nu.102. Sanchez vbi supra n.65. Faustus in resp. Relig. lib.8. q.130. & alij.

An infirmus, qui non potest recitare maiorem partem Officij, teneatur recitare minorem, quam potest, vt Horas, v.g.

RESOL. CCXXV.

Affirmatiuam sententiam docet Lezana in summa qq. Regular. cap.12. numer.27. vbi sic ait. Qui propter aliquam causam, infirmitatem scilicet, excusantur à dicendo totum Officium diuinum, non tamen excusantur à dicenda illa, vel illis Horis canonicis, quas commodè dicere possunt; sicut qui debet centum, & non potest soluere nisi decem, tenetur decem soluere; & sicut qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, tenetur ieiunare illis diebus, quibus potest. Ita Lezana, & ante illum Suarez tom.2. de Religione lib.4. cap.28. nu.21. & 27. Valentiam tom.3. disput.6.quæst.2. punct.10. §.7. & Oliuerius Bonartius de Horis canonicis lib.2. cap.40. Sed mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur nouissimè Castrus Palaus tom.2.disp 2. punct.6. num.9. vbi ita asserit. Tertiò dico, mihi probabiliorem esse sententiam asserentium, te non esse obligatum Officium recitare, si maiorem illius partem non potes: tum quia maior pars trahit ad se minorem; tum quia ita videtur esse consuetudine receptum, ne infirmi, & debiles, vel alias impediti, scrupulis, & perplexitatibus vexentur, quod sine dubio contingeret, si potens sine notabili damno recitaret quamlibet Horam, ad illam teneretur; quis enim determinare posset, quot Horæ tibi nocumentum graue afferrent? aut quis affirmare vnam solam Horam ex minimis graue nocumentum allaturam? Ne igitur perplexus sit ab omni Hora videtis excusatus cum maiorem Officij partem recitare nō potes, v.g. cùm non potes recitare matutinum cum Laudibus, quia hæc est pars maior, prima, & præcipua Officij. Ita Castrus, qui citat Nauarrum, & Lessium.

Notandum est etiam hic obiter cum dicto Castro Palao nu. 7.id, quod alibi notauimus, aliquem non esse obligatum recitare Matutinum, si impotens est recitare lectiones, quia habet Diurnum, & caret Breuiario; aut visu, vel alia de causa non potest, quia exclusis lectionibus, Psalmi non constituunt substantialiter Matutinum iuxta formam à Pio V. præscriptam. ergo; &c. vnde in facti contingentia, cui alicui nauigāti casu cecidisset Breuiarium in mare, licèt haberet Diurnum, putaui non fuisse obligatum Psalmos Matutini recitare; sed Laudes cum reliquis Horis, quia erat maior pars Officij, & erant partes distinctæ præcepti, quarum vna ab alia non pendet. Quod tamen de Officio nouem Lectionum intelligo, non de Officio trium, quarum defectus videtur paruus, vt notauit Tho. Sanchez lib. 1. in Decalog. c.19. n.7.

An Litanias non recitare in diebus S. Marci, & Rogationibus sit peccatum mortale.

RESOL. CCXXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Lezana in summa qq. Regul.cap.12.num.23. & Castrus Palaus tom.2.disp.2. punct. 2.num.13. quia sunt pars Officij illius diei, neque in Bulla Pij V. excipiuntur, sicut excipiuntur alij Psalmi, & preces, & ita etiam tenent Doctores, quos citaui in part. 1. tract. de Horis canon. resolut. 42.

Sed ibi sententiam negatiuam esse dixi Molfesij, Macigni, & aliorum, quibus nunc addo Homobonum in consult. cas.conscient.vol.2.p.5.resp.244. vbi sic ait: Litanias omnium Sanctorum in diebus sancti Marci, & Rogationum recitare tenētur; si publicis supplicationibus non interfuerint, non tamen sub mortali culpa ad has astringi videntur. Ita ille; verùm prima opinio est tutior, & verior.

An si testator dicat, vt Capellania conferatur Sacerdoti, conferri possit Clerico minorum Ordinum.

RESOL. CCXXVII.

Negatiuè respondet Barbosa de potest. Episcop. par.3.allegat.44.n.17.& seq. Castrus Palaus tom.1. tract.13.disp.1. punct.6.nu.12. & alij, quia præsentandus debet habere qualitatem à fundatore requisitam; sed fundator dixit, Capellaniam esse conferendam Sacerdoti; ergo si hac qualitate caret nō potest eligi, nec valet dicere habere illam aptitudine, quia hoc nō est propriè habere illam.

Verùm ego sine vllo metu contrariam sententiam in praxi sequi posse existimo, quam tuetur Perez de Lara de Capellania lib.2.cap.5.nu.16. Gratianus in discept.forens.cap.133.num.1. & seq. Parisius de resign. benefic. lib.3. quæst.9. nu.3. Gonzalez in Regul. Cancellar.8.gloss.5.numer.74.& 104. cum alijs penes ipsos, quando testator disponit per verba affirmatiua; vt si dice-

diceret: Instituatur Capellanus Sacerdos, qui Missas celebret; secus autem si disponeret per verba negatiua, dicens: vt nullus alius, nisi qui actu Sacerdos sit, instituatur, quia illa verba aptitudinem significant, non actum, nempe illam Capellaniam Ordinem sacerdotalem habere annexum, & esse sacerdotalem, & ideo sicut beneficium parochiale, & Canonicatus sacerdotalis habent annexum Ordinem sacerdotalem, & hoc non obstante quando alicui conferuntur, non est necesse, vt actu Sacerdos sit, sed sufficit esse aptitudine, vt intra annum à die adeptæ possessionis Sacerdos ordinentur, sic in nostro casu potest conferri Capellania non Sacerdoti, dummodo habilis sit intra annum Sacerdotem esse.

Notandum est etiam hic à fortiori contra Lambertinum de iure patron. part. 1. lib 2. q. 7. art. 27. Guttierez consil. 1. num. 11. & consil 2. n. 15. Azorium part. 2. lib. 6. cap. 24. q 3. Rodriqu. qq. Regul. tom. 2. q. 122. art. 2. & alios, quòd si testator dicat: Instituatur Capellanus, qui Missas celebret, ex istis verbis non infertur Capellaniam actu, vel aptitudine proxima debere esse sacerdotalem, sed conferri posse cuilibet constituto in ætate 14. annorum. Ita Lara, Gonzales, & Barbosa, quos citat, & sequitur Castrus Palaus loco cit. nu. 18 quia supradicta verba solum significant, Capellanum astrictum esse celebrare, sed huic obligationi potest per alium satisfacere. ergo, &c. & ideo nisi fundator dixerit, vt Capellanus teneatur per se ipsum Missas celebrare, & non per substitutum, poterit patronus præsentare Clericum beneficij simplicis capacem. Et ita etiam ego docui in p. 1. tract. 414. resol. 18.

Et tandem pro coronide huius resolutionis nota quòd posito aliquam Capellaniam actu, vel habitu sacerdotem esse, ex consensu hæredis, posse Episcopum supradictam qualitatem, saltem pro vna, vel altera vice dispensare, vt conferatur Clerico 14. annorum, secundum Aldephonsum de Lara de Capellania lib. 2. cap. 5. à n. 28. Cuchus in institut. lib. 2. tit. 9. nu. 62. Vgolinus de offic. Episcopor. cap. 61. n. 7. Abbas, Imola, Felinus, Nauarrus, Rebuffus, Zerola, Zecchius, Leo, Sa, Lambertinus, quos citat Castrus Palaus vbi suprà num. 21. licèt ipse nu. 22. contrarium sentiat cum Guttierez consil. 1. nu. 18. Garsia de benefic. tom. 2. part. 7. cap. 1. à num 107. quibus ego addo Monetam de commut. vlt. volunt. cap. 1. nu. 302. Riccium collect. 158. Barbosam in collect. DD. super Concil. Trident. sess. 22. cap. 7. num. 7. & alios penes ipsos, rationem adducentes, quia Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 5. prohibet Episcopis, etiam cum consensu patroni, tollere qualitates in fundatione beneficiorum appositas.

Quando omissio correctionis fraternæ sit peccatum mortale.

RESOL. CCXXVIII.

SCio plures viros timoratos maximis scrupulis se subijcere, putantes sæpiùs peccare in omissione correctionis fraternæ; & tamen non est ita, vt patebit ex sequenti doctrina Iacobi Granadi, insignis Theologi Societatis Iesu, in 2. 2. D. Thom. controu. 3. tract. 12. disput. 1. num. 6. 7. & 8. vbi sic ait: Dicendum ergo est, vt præcepti istius transgressio sit culpa mortalis, requiri in primis certitudinem moralem, quòd proximus sit in statu culpæ mortalis, aut certè venialis, quæ speciale periculum inducit grauiter offendendi Deum, id est, quia propter periculum proximum sit culpa mortalis; alioquin non esset obligatio grauis illum corrigendi, nisi fortè in Prælato, aut illo, cui specialiter incumbit prospicere bono alicuius communitatis, quid valdè lædatur non corrigendo, quia cùm ipse non teneatur sub mortali eum corrigere, vt illas euitet. Deinde quòd indigeat correctione, nam si ipse delinquens est timoratæ conscientiæ, ita vt credatur aduertisse suum lapsum, & velle ex animo resurgere, aut certè ab alio corripiendus putatur, non est obligatio corrigendi, quia hæc est eleemosyna, quam nemo tenetur dare, nisi indigenti. Tertiò quòd spectetur probabiliter fructus; si enim non creditur emendandus, cessat obligatio, imò quando esset aliqua spes emendationis, sed valdè modica, non esset peccatum mortale omittere correctionem; qui verò dubitaret, an correctio profutura esset delinquenti, si certus esset saltem non obfuturam, teneretur eam adhibere, non autem si simul dubitaret, an esset nocumentum allaturam. Ita Valentia punct. 2. & Arragon. art. 2. cum Dominico Soto, Bañez dub. vlt. qui rectè aduertit in extrema necessitate proximi, etiamsi dubitem de nocumento, teneri nihilominus corrigere. Quartò, quòd damnum inde prouenìens corripienti non sit notabile, alioqui non erit obligatio nisi in necessitate extrema, aut quasi extrema dãnationis proximi, nisi fortè corripiens sit Prælatus. Quintò, quòd non expectetur aliud tempus, in quo commodius, aut æquè commodè corrigi possit, & alioqui sit periculum in differenda correctione. Sextò tandem, quòd ex intentione, & proposito omittatur correctio, nam si ex quadam tepiditate, aut simili affectu omitteretur, non esset peccatum mortale, nisi alioqui notabile proximi damnum tantum esset, vt grauiter imputaretur nolenti ei succurrere correctione, vt optimè Caietanus, & quidem Valentia suprà, dixit, rarò concurrere circumstantias requisitas, vt præceptum correctionis obliget sub mortali, & Emanuel Sà ver. corruptio, nu. 2. Omittere (inquit) correptionem, ferè semper veniale peccatum est, in Prælatis tamen, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, facile potest esse mortale, si ex negligentia, aut timore correptionem necessariam omittant. Vide Sanctum Augustinum to. 5. lib. 1. de ciuitate, c. 9. & aduerte eosdem Prælatos posse grauem culpam committere, etiamsi culpæ, quarum correptionem omittunt, sint valdè leues, si propterea disciplina Religiosa iacturam notabilem patiatur, vt facile pati potest, tenentur etiam defectus inquirere: neutrum autem subditorum est, de quibus in hoc loco potissimum sermo est.

Facit in confirmationem doctrinæ, quam ex Valentia, & Sà retulimus, id, quod graues Doctores notant, explicantes, quando sit peccatum mortale, audire, & non contradicere detrahēti, licèt detractione ipsa non delectetur, qui audit: sanctus enim Thomas infrà quæst. 73. art. 4. ait: Si quis tunc correctionem omittat ob negligentiam, verecundiam, vel timorem, qui non sit mortaliter malus, non peccare plerumque, nisi venialiter; addit autem Sotus lib. 1. de iustitia quæst. 10. art. 4 pag. 457. non censeri timorem hūc mortaliter malum, quoties propter illum omittitur correctio proximi, sed quādo omittitur ob timorem correctio illa ad quam adhibendam est strictior obligatio, vt si detraheretur fidei, Religioni, &c. Nec dissimilis est doctrina Nauarri in summa cap. 18. nu. 37. dicentis. Qui audit detrahentem sine assensu, & delectatione, licèt non contradicat ob verecundiam, vel amicitiam, nō peccat mortaliter, nisi in tribus casibus. Primus est, si sit superior, cui incumbit munus corrigendi subditos. Secundus, si vltra infamiam prouenit magnum aliquod damnum dicenti, vel alteri. Tertius, si fama illius, cui detrahitur, valdè læditur; quod ita intellige, vt læsio sit maior, quā illa, quæ præcisè sufficiat, vt detractio sit mortalis, alioqui enim non esset dubium, quin lethaliter non peccaret ommittendo correctionem.

Ex quibus omnibus tandem concludo, præceptum hoc fraternæ correctionis amplè accipiendum esse, nec facilè credendum, timoratos præsertim viros peccare lethaliter illud violando, præsertim si Prælati non sint, non solùm quia ita sentiunt graues Doctores, sed etiam quia præcepta charitatis minus rigorosam afferre solent; & præsertim istud eleemosynæ spiritualis, cuius finis, cùm sit subleuare miseriam spiritualem proximi, scilicet culpam, in qua ipse liberè est, & à qua liberè exire potest, non ita propriè censetur pati spiritualem necessitatem, sicut nec propriè pateretur corporalē, qui posset facile sibi ipsi succurrere, quo autem necessitas proximi minor est, eò minus tenemur illam subleuare. Et hæc omnia docet Granado vbi suprà, quæ quidem maxime notanda erunt, cum non parum leue reddant onus præcepti fraternæ correctionis.

An bellare in diebus festis sit per se licitum.

RESOL. CCXXIX.

NEgatiuè respondet Suarez de Religione tomo 1. lib. 2. de festis, cap. 28. num. 8. Fagundez de præcept. Eccles. part. 1. lib. 1. cap. 11. num. 2. Filliucius tom 2. tract. 27. cap. 9. nu. 174. & nouissimè Castrus Palaus tom. 2. de obseru festorum, disput. 2. punct. 5. nu. 11. quia bellare est actio merè corporalis laboriosa, & est vsus artis mechanicæ; ergo non est opus liberalis, sed seruile.

Hæc opinio est probabilis, sed non minus probabilem affirmatiuam sententiam esse puto, quam nouissimè docet ex eadē Societate Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ contr. 3. tract. 12. disp.

disp.4.sect.7.num.65. & respondet ad omnia argumenta adducta a P. Suarez; & ideo Caietanus in 2.2. quæst.40.art.4. Bannez dub.4.num.4. Valentia tom.3.disp.3 quæst.16.punct.5. Sa verb. Bellum, num.15. & Rodriquez in summa part.1.cap.126.nu.10. putant, prælìationem, si fiat in die festo, etiam extra necessitatem, si Missa audiatur, non esse peccatum mortale; vnde licet existiment, esse veniale: ego tamen puto cum Granado vbi supra num.63. qui citat Lorcam, valde probabile esse, nullum esse peccatum, si Missa audiatur.

Adde quod, etiam stando in prima opinione, bellare in die festo ferè semper est licitum, cùm semper sit aliqua vtilitas, aut necessitas in non differendo bello ad aliud tempus, si statim cōmodè geri possit: vnde excusantur, qui aggeritus fossa, & vallo, arces, vrbes, oppidave muniunt, & alia similia faciunt.

An magistri artis digladiatoriæ, vulgò dicti Schermidori, *possint illam docere in diebus festiuis.*

RESOL. CCXXX.

NEgatiua sententia potest suaderi, quia talis actio videtur merè corporalis, laboriosa, & circa effectus corporis omninò existens. Item est vsus artis mechanicæ: ergo tanquam opus seruile erit in diebus festiuis prohibitus: & ideo Suarez de Relig. tom.1.lib.2. de festis, c.28.n.8. asseruit, censeri artifices mechanici, qui docent vsum armorum: & ita etiam tenent Fagundez, & Palaus vbi infra, absolutè, & per se loquendo, quibus etiam adde Filliucium tom.2.tract.27.c.9.n.175.

Verùm contrariam sententiam tuetur Iacobus Granado in 2.2. D. Thomæ controuers.3 tract.12.disp.4.sect.7.num.67. vbi tenet, docere exercitium, & vsum armorum, non minus liberale esse, quàm docere saltationem, aut pulsationē citharæ, quod non est mechanicū: & ita, ait ille, hæc omnia in die festo licent. Adde, quod Fagundez part.2.lib.1.cap.11 nu.2. & Castrus Palaus tom.2.disp.2. de obseruatione festorum, punct.5. num.11. obseruant, quod iam consuetudine receptum est iuuenes diebus Dominicis, & festiuis artem digladiatoriam discere: quia esto discatur vsu, & exercitio operis seruilis ob necessitatem Reipublicæ, cui maximè conuenit iuuenes exercitatos in prælio habere: permittitur videntibus & consentientibus Prælatis. Sed ego absolutè sentio cum Granado, dictam artem non esse mechanicam, ac proinde illam docere absolutè, & per se in diebus festiuis licitam esse, etiam cōsuetudine seclusa, quod etiam confirmatur ex auctoritate Doctorum asserentium, bellum ex se non esse opus seruile: vnde docent, vt visum est *in superiori resolutione*, prælìationem, etiam extra necessitatem, esse licitam in diebus festiuis.

An si quis priuatim ex deuotione recitaret officium Confessoris non Pontificis, pro B. Andrea, v.g. vel pro B. Francisco Borgia, peccaret mortaliter; & multa alia circa cultum Beatificatorum.

RESOL. CCXXXI.

AFfirmatiuè respondet Iacobus Granado in 2.2. D. Thomæ contr.1.tract.7. disput.4.sect.2 num.19. vbi sic ait: Pateret aliquis, an in quocumque die liceat recitare Officium deuotionis gratia in honorem Beatificati, Officium, inquam, quod Ecclesia illi tribuit in suo determinato die. Respondetur non licere & quidem quod attinet ad satisfaciendum præcepto, certissimum est, non impleri præceptum recitandi, v.g. si quis Sacerdos recitaret Matutinas preces de communi Confessorum applicatas alicui Beatificato; sed præterea licèt ex deuotione id fieret, crediderim non licere extra diem deputatum à Pontifice, & tunc non, nisi à personis determinatis, quibus potestas recitandi facta est. Probatur, quia ex hypothesi, quòd hoc diuinum Officium ordinatum sit ab Ecclesia, vt in honorē Sanctorum recitetur, censetur, & verè est publicus cultus; non licet autē Sanctū beatificato deferre cultum publicum, nisi quando, & quibus Pontifex concedit. Itaque sicuti extra diem deputatum non licet celebrare Missam, quantumuis occultè id fiet; nec similiter licebit recitare Officium diuinum; nā vtrumque ex Ecclesiæ instructione est publicus cultus. Ita ille.

Notandum est etiam hic obiter id, quod alibi etiam notauimus contra Megalium, & Palaum, quòd quando in Bullis beatificationis aliquorum fit à Pontifice potestas celebrandi Missam determinatis tantùm personis, tunc non licebit celebrari per alias personas. Ita Doctores, quos alibi citaui; quibus nunc addo Franciscum Gosa Hispaniæ decus in quodam opusculo; & Granado vbi suprà sect.2.num.2 qui tamen nu.16. quærit: an si in diplomate Pōtificio fiat Sacerdotibus alicuius Religionis potestas celebrandi in honorem alicuius Beati, & non addatur particula, *tantum*, vel particula, *solum*, possent alij quicumque Sacerdotes in illius honorem celebrare sacrificium Missæ. Et respondet sibi videri valdè probabile posse celebrare; dummodò id fiat petentibus illis Sacerdotibus, quibus ea potestas concessa est. Probatur ex regul.27. de regul. iuris in 6. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum. Ergo qui potestatem habet celebrandi in honorem alicuius Beati; cōsequenter censetur habere, vt per alium celebret. Et in huius rei confirmationem facit sententia, quam sequitur Gonzalez super reg. 8. Cancell. gloss.5. à num.71. cum alijs Doctoribus, & decisione Rotæ; scilicet si quis in fundatione Capellaniæ obligaret Capellanum, vt celebret certum numerum Missarum in singulis hebdomadis, satisfacere Capellanum huic obligationi, si per alium Sacerdotem eas faciat celebrare. Idem ergo in re proposita dicendum est, cùm sit omnino eadem ratio. Hæc Granado. Sed hanc opinionem aliqui viri docti recentiores non approbant, & asserunt esse disparem rationem inter exemplum adductum pro confirmatione, & casu, de quo est quæstio.

Sed quæritur hic, an liceat infra annum commemorationem in Missa facere de supradictis Beatis? & negatiuè respondet Granado vbi suprà, sect.2.num.18. vbi sic ait: Infertur non licere in alijs diebus celebrare, aut recitare, (v.g. conceditur, vt in die obitus celebretur) Missam in honorem Beatificati; non licebit in alijs anni diebus celebrare, imò nec commemorationem, quam vocant, agere, nec auderem à mortali culpa excusare eos, qui secum facerent, nisi bona fide, aut ignorantia excusaret. Verum quidem est cùm primùm conceditur prædicta potestas, licere quasi pro initio, & inchoatione festiuitatis Missam celebrare in honorem Beatificati, etiam ante diem à Pontifice præfixum; si dies hæc multum distet à tempore, pro quo fit concessio praxis; id enim declarauit, hanc esse tacitam voluntatem illius. Ita Granado. Sed hoc vltimum non videtur admittendum, & praxis, de quo testatur Granado, in hoc Siciliæ Regno non adest; vnde in tali casu non vtique celebrantur Missæ, sed cum innotescit Pontificium diploma, pulsantur in aliquo die campanæ, & cum præsentia Episcopi cantatur solemniter Hymnus, *Te Deum Laudamus*, ante imaginem, & Altare Beatificati; & in fine dicitur eius oratio, v.gr. de communi Confessorum non Pontificum; & ita fecerunt Patres Societatis IESV in casu B. Francisci Borgiæ; & Clerici Regulares pro B.P. nostro Caietano, & B. Andrea.

Et tandem nota cum eodem Granado, loco citato, num.17. quòd quando in aliquo diplomate conceditur, vt v.gr. est concessum Clericis Regularibus celebrādi Missam pro B. Caietano, vel B. Andrea, vel Patribus Societatis IESV, pro B. Francisco Borgia in suis Ecclesijs quoad sæculares vbique terrarum, non licebit illis celebrare in alienis Ecclesijs, vt in aliqua parœcia, aut Monasterio alterius Religionis: & si obiter petas, ait Granado, an sit culpa mortalis, respondetur, si id semel, aut bis fieret, non videri peccatum lethale, quia cùm celebratio sit licita, quòd solùm mutetur Altare, vel Ecclesia, non videtur grauis inordinatio, nisi ea mutatio toties fieret, vt meritò iudicari posset, valdè contraria decreto, & legi Summi Pontificis. Ita ille, sed in his materijs cautè procedendum esse puto.

An Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Missam celebrare, vt populus eam audiat, possit pro ea manualem eleemosynam recipere.

RESOL. CCXXXII.

SVpponendum est, Parochum ex vi beneficij parochialis non teneri ad offerendum Missam pro populo, quia obligatio Parochi ad id nullo iure rescripto, nec cōsuetudine introducta probari potest, nec ex institutione beneficij parochialis deducitur, quia ex hoc tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandum Missam, vt populus eam audiat; ita ego in tract.

de

de celebratione Missarum, & nouissimè Hurtado de Sacram. disputat.4. de sacrific. Missæ, difficult.16. Hoc supposito, quæritur, an Parochus in dicto casu, quando celebrat, vt Parochiani Missam audiant, possit pro applicatione Sacrificij eleemosynam accipere ab alio? Et negatiuam sententiam testes Gellio in 8.select. Canon. capit.28. numero quarto, & Barbosa in collect. declarationum, verb. Missarum eleemosyna, §. vtrimo determinauit Sacra Cardinalium Congregatio sub die 1. Septembris 1629 sic asserens; Missam quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non possunt pro ea manualem Eleemosynam recipere.

An in Altari priuilegiato pro Defunctis satisfaciat, si quis celebret Missam, quæ non sit de Requiem.

RESOL. CCXXXIII.

Hic casus est practicabilis, & negatiuè respondit sacra Cardinalium Congregatio Rituum in vna Pistonen. 1. Iulij 1621. & in vna Toletana 13. Iulij 1601. sic asserens, Missa celebrata in Altari priuilegiato pro Defunctis non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de *Requiem*, licèt in indulto non exprimatur.

Notandum est etiam hic obiter, Missam de *Requiem* in Altari priuilegiato nõ posse dici in die festo duplici, & de præcepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto Altari priuilegiato. Ita dicta sacra Congregatio die 24. Aprilis 1626.

An gradus cuiuslibet inter se affinitatis, vel consanguinitatis sint in confessione distinguendi?

RESOL. CCXXXIV.

De hac re alibi actum est, nunc tantùm adducam verba Gasparis Hurtado de Sacram. disput.9. de pœnit. diffic.4. §. Quid sic asserentis. Difficile existimamus, gradus ipsos consanguinitatis inter se, & gradus affinitatis inter se esse necessariò distinguendos, quia difficile est, gradus ipsos consanguinitatis inter se, vtpote inter se eiusdem speciei, & gradus affinitatis inter se, vtpote inter se eiusdem speciei, addere malitiam distinctam secundùm speciem, quamuis intra eandem speciem addant notabiliter maiorem illi, qui sunt propinquiores, ob quod non desunt (vt Corduba quæst.2. refert) qui existimant, gradus consanguinitatis nõ esse inter se necessariò distinguendos, & explicandos, neque gradus affinitatis inter se, sed sufficere, si pœnitens dicat, se personam consanguineam cognouisse, non declarando gradus consanguinitatis, & se personam affinem cognouisse, non declarando gradum affinitatis. Ita Hurtado, & ante illum Caietanus in 2.2.q.154.art.9. plus addens, & tenens, consanguinitatem non esse distinguendam ab affinitate, quia malitia incestus, quam cõsanguinitas addit, est eiusdem speciei cum malitia, quam addit affinitas; licèt quoad vtrumque negetur à Nauatro manual. c.16.nu.3. vbi tenet, in confessione consanguinitatem esse necessariò distinguendam ab affinitate, sicut & gradus cuiuscumque inter se.

An Sacerdos hæreticus, schismaticus, & excommunicatus non toleratus habeat potestatem absoluendi in articulo mortis?

RESOL. CCXXXV.

Negatiuam sententiam quoad hæreticos, & schismaticos docet Sotus in 4.dist.18.quæst.4 art.4. Nauarrus in manu. cap.26.num.26. & Martinus Ledesma 2.4.quæst.21.art.6. Quia Sacerdos hæreticus, & schismaticus non habet iurisdictionem, quia caret fide, quæ est fundamentum necessarium ad iurisdictionem Ecclesiasticam, & de excommunicato non tolerato idem docuit Medina Cod. de Confessione, quæst.32. & Couar. in cap. alma mater, part.2. §.6. quia per excommunicationem aufertur ei omnis iurisdictio, saltem Ecclesiastica; sed meritò contrariam sententiam docet Cano, Suarez, & Vasquez, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado de Sacram. disput.10. de pœnit. difficult.8. quibus ego addo nouissimè doctum Gulielmum Mercerum de Sacram. in 3. part. D. Thom. q.8. art.5. dub.6.n.2. Layman lib.5. tract 6.c.12.nu.13. Barbosam in collect. in Concilium Trident. sess.13. cap.7. nu.5. & alios penes ipsum, quod probatur ex Concilio Tridentino sess.14. cap.7 vbi sic ait: Pie admodum in Ecclesia custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt; vnde triplex ista vniuersalitas, nempe quilibet pœnitens, a quibusuis peccans per quemlibet Sacerdotem, nihil relinquit excipiendum: prima comprehendit omnes pœnitentes, etiam excommunicatos, hæreticos, &c. secunda omnia peccata affecta quacumque reseruatione, & censura; tertia omnes Sacerdotes, quacumque censura, vel culpa ligatos, etiam non approbatos. Nec credendum est, Ecclesiam in tali casu nolle concedere potestatem absoluendi.

Notandum est tamen, in tali casu pœnitentem non solùm licitè, vt obseruat Mercerus, à talibus Sacerdotibus hæreticis, schismaticis, &c. expetere absolutionem, sed etiam, per se loquendo, teneri, quia obligatur ad confessionem ex diuino præcepto, quod commodè impleri potest, & hoc procedit, vt optimè obseruat Hurtado, etiamsi talis Sacerdos non sit licitè administraturus absolutionem, quia sufficit rat tunc possit, & non velit, etenim tunc pœnitens petit, quòd Sacerdos potest tunc licitè facere, si vult, quæ omnia limitanda sunt, quando pœnitens non timet subuersionem ob communicationem cum tali Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem dicti Sacerdotis.

An saltem Parochus in die natiuitatis Domini teneatur tres Missas celebrare.

RESOL. CCXXXVI.

Dixi *saltem Parochus*, quia, vt alibi probatum est, nullus Sacerdos in illa die tenetur tres Missas dicere, sed difficultas est quoad Parochum, & affirmatiuam sententiam docet Henriquez in summa lib.9.c.30.nu.6. vbi affirmat, Parochum teneri tres Missas dicere eo die.

Verùm contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Bellettus in §.15 qui Clar. p.2.§.18.nu.2. Quia sicuti Parochiani eo die non tenetur, nisi vnum Sacrum audire, nec Parochi plura dicere, seclusso scandalo, & contemptu. Deinde Ecclesia concedit ex priuilegio tres offerre Missas in die Natalis Domini, ergo nemo tenebitur ex obligatione illas celebrare.

Notandum est tamen hic obiter contra dictum Bellemm loco cit. & alios, in nocte Natiuitatis Domini posse ante Auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas, & ita præter DD. quos in tra.de celebrat. Missarum citaui, docet nouissimè Gulielmus Mercerus de Sacram. in 3.p.D.Tho.q.83. art.2. propos. 3.nu.1. Gaspar Hurtado de Sacram. disput.4. de sacrific. Missæ, difficul.4 Puteanus in 3.p.D.Thom.q.83. art.2. qui in canone, nocte sancta, de cõsecr. dist.1. & absoluitè, & sine vlla distinctione id concedit; quòd verò in Rubrica Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis, non obstat, quia id tantùm efficitur pro Missis solemnibus.

Nota etiam secundò, quòd Religiosis, quibus ex priuilegio licèt vna hora ante diem celebrare, possunt duobus horis, & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare Ita Hurtado vbi supra, & ego alibi.

An quis possit in die Veneris sancti communicare.

RESOL. CCXXXVII.

Respondet negatiuè Francolinus de Horiscanonicis, cap. 30. num.12. & videtur docere Innocentius I. in epist.2. ad Decentium, cap.4. & refert in can. Sabbato, de consecr. dist.3. dum ait, traditionem Ecclesiæ habere in isto biduo (idest, in Feria sexta, & in Sabbato sancto) Sacramenta penitus non celebrari; & Missale Romanum ita asserit: Hodie (id est, Feria quinta) Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum vnam sumit; alteram reseruat pro die sequenti, in qua non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis; ergo solùm infirmis licèt in ea Feria sexta communicare.

His tamen non obstantibus affirmatiua sententia vera est quam docent Vasquez, Suarez, Layman, & Tannerus, quos citat

citat, & sequitur Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 4. de sacrificio Missæ difficul. 3. quia id in nullo iure prohibitum inuenitur, nam Innocentius to dicta Epistola loquitur de celebratione, non de communione. dicit enim illa die non celebrari, id est, non consecrari: prohibet igitur celebrationem in cõsecrando, non verò in ministrando. Ad auctoritatem verò Missalis Romani respondetur, quòd dum ordinat, vt reseruetur Eucharistia pro infirmis, non prohibet quòd reseruetur pro sanis, & ipsis non liceat, sed tantùm infirmis. Nec valet dicere, quòd licèt hoc non sit prohibitum de iure, est tamen prohibitum de consuetudine, cùm in illa die fideles sacram Communionem non accipiant; nam respondeo, quòd etiamsi regulariter ea die fideles non communicent, id tamen non omittitur regulariter, quasi ex consuetudine id prohibente, & quasi necessarium ea die non communicate, sed quia est cõgruens, cùm sit dies maximi mœroris.

Notandum est etiam hic obiter cum Mercero de Sacram. in 3. p. D. Tho. q. 83. art. 2. proposit. 1. n. 2. contra Francolinum vbi sup. n. 8. & 9. licere indiscriminatim omnibus Sacerdotibus in die Sabbati sancti priuatim celebrare, vnde ait Hurtado vbi suprà; qui voluerit Missam in dicta die celebrare, & ante solemnem, poterit Missam Sancti in ea die contingentis, aut votiuam aliquem celebrare. Vide me ipsum in tract. de celebratione Missarum,

An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si per mensem sit infirmus, teneatur pro illo tempore Missas compensare.

RESOL. CCXXXVIII.

MVlti putant in tali casu tempus vnius mẽsis esse satis laxũ ad escusandum Sacerdotem, ne Missas compẽset; sed excusari docet Hurtadus de Sacram, disput. 4. de sacrificio Missæ, difficul. 1. vbi sic ait. Si Capellanus infirmitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus existat, nõ tenetur Missas pro paruo tempore, nempè pro vno mense omissas compẽsare, nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo id nõ permittat, quia id potest de mente fundatoris prudentissimè præsumi. Ita ille, qui citat Layman, vnde rectè asseruit Mercerus de Sacram. in 3. p. D. Thomæ q. 83. art. 2. propos. 2. n. 1. quòd obligatio celebrandi quotidie intelligenda est moraliter, & regulariter: quia alioquin esset onus intolerabile, nisi sit tale beneficium, & talis consuetudo, vt obliget ad prouidendum quotidie Ecclesiæ de sacrificio per se, vel per alium, tunc enim maiori rigore vrgebit hæc obligatio quotidiana,

An Episcopi hodie possint absoluere ab hæresi occulta?

RESOL. CCXXXIX.

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Iacobus Granado in 2.2. D. Thomæ, contr. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. nu. 8. & sequ. vbi sic asserit; Superest potissima difficultas, an scilicet ista facultas Episcopo concessa à Tridentino, reuocata sit à Summo Pontifice. Partem affirmantem sequuntur. Nauarrus in summ. cap. 27. num. 275. Molina suprà relatus. Suarez in illa sect. 4. num. 12. & 13. vbi refert, se ipsum in 4. tom. 3. part. idem asserentem, Garzia de benef. part. 11. cap. 10. nu. 115. dicens, id esse indubitatum. Sanchez in illo cap. 11. nu. vlt. concludens, hoc omninò esse tenendum, & multi alij, quos isti Doctores referunt. Probatur primò, quia in Bulla Cœnæ etiam nouissimè edita à Gregorio XV. perspicuis disertisque verbis negatur facultas absoluendi à casibus illius, ac proindè ab hæresi etiam virtute clausulæ Concilij Generalis, licèt in illa in genere, vel in specie oppositum concessum fuerit, ergo licèt Tridentinum concesserit Episcopis hanc facultatem, fuit & est modò reuocata. Secundo probatur, quia grauissimi Doctores testantur à Summis Pontificibus esse reuocatam; Nauarrus enim ait, sic declarasse Pium V. & Gregorium XIII. Azorius libr. 8. institut. moral. cap. 10 qu. 10. testatur, se audiuisse a viro Religioso, docto, & fide digno sic declarasse Clementem VIII. Tertiò probatur, quia in Generali Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronuntiatum est, non posse Episcopos iam absoluere ab hæresi occulta. Quartò tandem, quia duo sunt responsa Congregationis Cardinalium, quarum meminit Suarez suprà, in quibus declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ablatam fuisse.

Nihilominus valdè probabile est, adhuc perseuerare potestatem à Tridentino concessam Episcopis. Sic sentiunt Nauarrus lib. 1. consil. tit. de constit. consil. 1. qu. vlt. Simancas de Cathol. instit. tit. 3. n. 6. Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7 Bañez ad art. 4. quæst. 11. dub. 2. post 2. conclus. Sà verbo Episcopus, n. 37. Lorca disp. 45. Guttierez lib. 1. quæst. can. cap. 13. ad fi. in posteriori editione, & multi alij; Sanchezque tandem fatetur, rationes pro hac sententia vrgere, & authoritate Doctorum reddi videri probabilissimam. Probatur hæc sententia, quia, vt suprà argumentabamur, vitanda est correctio iuris, quoad sine incommodo fieri poterit, & id præsertim locum habet comparatione Concilij Tridentini, cuius decreta tanti æstimarunt Summi Pontifices, qui post illud Ecclesiam gubernarunt, & quod in viridi obseruantia semper esse tantopere cupiunt. Cum ergo tam disertè Concil. Trident. faciat Episcopis potestatem absoluendi ab hæresi occulta, & cæteris casibus Bullæ Cœnæ, non est credendum, eam facultatem fuisse reuocatam virtute Bullæ Cœnæ postea promulgatæ, si cum ista conciliari possit; quòd autem rectè conciliari possit, facilè ostenditur. Primò, quia sic sentiunt tot graues Doctores, quorum in explicando iure magna authoritas est. Secundò, quia rectè dici potest, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Es quo patet responsio ad primum contrariæ sententiæ. Ad secundam respondetur, nullibi afferri à prædictis Authoribus testimonium authenticum talis reuocationis, aut declarationis, & cùm aliunde tam perspicuè constet de facultate Tridentini, non cogimur credere, eam esse reuocatam. Ad tertium respondetur, id pronuntiatum esse in hoc grauissimo, & sanctissimo Tribunali secundùm oppositam sententiam, quæ probabilissima est; sed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum est contrariam reputare etiam valdè probabilem, sicut & multi alij reputarunt. Ad quartum similiter dicendum est, ea responsa Cardinalium esse magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam contrariæ sententiæ probabilitatẽ, & hæc omnia ad verbum docet Granado vbi supra. vide etiam Fernandez in exam. theol. mor. part. 4 cap 7. §. 1. nu. 5. Guttierez can. qq. lib. 1. cap. 13. ad fin. Gomez in Bulla Cruciat. claus. 10. n. 44. in fine. Bannez in 2.2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. post 2. concl. argum. 3. vers. Et si quis obijciat Rodriquez in qq. Regul. tom. 5. q. 20. art. 10. Vegam in summa to. 5. cap. 125. cas. 11. Arragon. in 2.2. qu. 11. art. 5. Llamas in summa part. 3. cap. 1 §. vlt in fine, Zerolam in praxi Episc. part. 2. verbo Absolutio, §. 8. & 18. & vers. hæreticum, §. 4 & alios, quos ego ipse citaui in p. 1. tract. 5. resol. 2. Sed ego ibi contrariæ sententiæ adhæsi, asserenti dictam facultatem Episcopi esse per Bullam Cœnæ sublatam, & ita sentiunt plures Doctores, quos ibi citaui; quibus nunc addo Hurtadum de excommu. disp. 15. diffic. 3. n. 11. Fabrum de sacram. Ordin. dist. 25. q. 1. disp. 3. cap. 4. nu. 126. Duardum in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 11 num. 47. Coriolanum de cas. reser. part. 1. sect. 3. art. 13. nu. 6. Bonacinam in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 2. puncto 2. n. 6. in fin. Acostam in exposit. Bul. Cruc. q. 58. Gratianum in discept. forens. to. 3. c. 414. nu. 12. Armendariz in addit. ad recopil. legum Nauarræ lib. 2. titul. 51. lege vnica, de familiaribus Inquisitorum nu. 3. & 4. Alzedum in praxi Episc. p. 2. c. 6. nu. 15. Campanilli in diuers. iur. can. rubr. 11. c. 26. n. 55. Farinacium de hæresi qu. 192. §. 4. num. 55. Bledam in defensione fidei in causa Moriscorum, p. 1. c. 13. & alios penes ipsos, testantes de supradicta declaratione Gregorij, de qua etiam testatus est mihi Dominus meus Clemens Merlinus sacræ Rotæ Auditor, vir non solùm legalis, sed etiam politioris litteraturæ consultissimus, & morum suauitate ornatissimus.

Notandum est tamẽ hic obiter, quòd etiamsi standũ esset in prima sententia, Emanuelem Rodriquez in addit. ad Bullam Cruc. §. 9. nu. 69 docere, facultatem datam Episcopis absoluendi ab hæresi, intelligendam tantùm, quando ipse hæreticus solus absque eo, quòd ab alio audierit, committit occulte crimen hæresis, manifestando illam aliquo actu exteriori, quamuis nemo eam audiat; deinde subdit illam facultatem non extendi ad hæresim occultam, quando adest complex, nam aliàs, inquit, esset destruere machinam Sancti Officij; & denique resoluit Concilium in præsenti dum dare facultatem absoluendi ab obligatione denunciandi complicem, quam habet, alias est excõmunicatus edicto Sancti Officij; sed Granado vbi suprà num. 6. putat, Episcopum vigore dicti Concilij Tridentini posse absoluere

uere hæreticum, etiamsi coram aliquo, hæresim protulerit, dummodo delictum sit occultum, quod est, quando nō scietur à maiori parte communitatis, quæ saltem conflet decem personis, & ad id, quòd docet Rodriquez de denunciandis complicibus, vide me ipsum in p. 1. tract. 4. resol. 9.

Nota secundo, ea sententia Granadi num. 5. Episcopum absolutionem ab hæresi impendere posse ijs, qui quomodolibet pertinent ad suam diœcesim, siue quia domicilium in ea habent, siue quia ibi inueniuntur, tanquam Peregrini, siue quia ipse existens extra diœcesim, vult alicui sibi subdito, & in hæresim lapso, absolutionis beneficium impendere.

Nota tertiò, cùm prædictam absolutionem ab hæresi non permittat Concilium Vicarijs Episcoporum, Molina de iust. tract. 5. disp. 18 nu. 1. Garzias de beneficijs tom. 2. part. 11. ca. 10. nu. 113. & alij existimant, nullo modo posse ab Episcopo hanc absolutionem ab hæresi committi alteri personæ; sed Iacobus Granado loco citato n. 7 cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 15. num. 23. & alijs tenent, quòd licèt Episcopus non possit hanc absolutionem committere alteri; qui generaliter habeat facultatem absoluendi ab hęresi, potest tamen committere casum particularem, cùm occurrerit, ita vt tunc specialiter, & non generaliter tribuat vices suas. Verùm omnia supradicta non procedunt in nostra sententia asserente, hanc potestatem absoluendi ab hæresi esse per Bullam Cœnæ Episcopis sublatam.

Nota quartò, etiam potestatem dispensandi in irregularitate, & occulta hęresi prouenientе ademptam esse Episcopis per Bullam Cœnę Domini docere Ricciullum lib. 5. c. 16. num. 5. & alios, licèt cōtrarium doceat Vgolinus tract. de irregular. c. 46. n. 5 Sanchez in summa to. 1. lib. 2. c. 25. nu. 17. quos alibi citaui; imò Petrus Cornejo in 3. p. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 9. dub. vnico, q. 4. & probabiliter docet, ob peccatum hæresis secundùm se seclusa infamia non incurri irregularitatem, sed vide supra, in tract. de irregular.

An in aliquo casu quis non incidat in excommunicationem, etiamsi proferat exterius heresim internam?

RESOL. CCXL.

AD hanc quæstionem ita respondet Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ contr. 1. tract. 15. disp. 13. nu. 14. Dubitari solet, an contingere possit, vt quis exteriùs proferat hæresim internam, quin subiaceat censuris Ecclesiæ, præsertim excommunicationi. Respondetur affirmanter. Et quidem primus casus est, quando illam manifestaret solum ad petendum consiliū vel ad illam aperiendam Confessario. Ita Arragon. §. sed dubiū est. Similiter, qui illam scriberet inter sua peccata, vt manifestaret Confessario; etenim totum hoc non est formaliter se manifestare hæreticum, sed quærere medicinam criminis omninò mentalis. Secundus casus est, quando quis omnino indeliberatè, & absque vlla aduertentia exteriùs diceret hæresim; hic enim actus non est humanus, ac proindè nulla illius ratio habenda est ad incurrendam vllam pœnam. Imò Henriquez statim referendus ait, non reseruari, aut subijci excommunicationi peccatum, nisi quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internū, certò constet esse mortalem, dicitque esse multorum recentiorum. Addunt etiam alij, & benè, non incurrere pœnas hæreticorum illum, qui exteriùs manifestaret hæresim cum deliberatione, quę tantùm sufficeret ad peccatum veniale. Tertius si quis iocosè tantum, & non assertiuè eam proferret, & alioqui esset homo, de quo hæresis præsumi non posset. Ita Victoria, quem refert, & videtur sequi Simancas de Catholicis institutionibus tit. 42. n. 10. Quartus, licèt alij contra sentiant, videtur valdè probabile, non incurri pœnas ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod signum exterius, ex quo nullus alius, si esset præsens, posset probabiliter colligere, illum esse hæreticum, quamuis, qui illud profert, haberet animum exteriùs illam profitendi. Ita Henriquez libr. 6. summæ cap. 14. num. 6. littera I. Colligitur planè ea Castro a. de iusta hæreticorum punitione, capit. 18. vbi ait, solos illos hæreticos excōmunicationi subiacere, qui hęresim mente conceptam manifestant, vt si quis esset tunc præsens, posset cognoscere, illum lapsum esse in talem hæresim; & Bañez supra ait, non incurri excommunicationem ab eo, qui exteriùs signum efficeret, quod secundum se, aut ex circumstantijs non esset sufficiens ad explicandum errorem. Probatur, quia propterea Ecclesia non punit hæresim penè mentalem, quia non potest ab vllo cognosci, præterquam ab habente illam; sed idē est, quando signum ne probabiliter quidem potest alteri manifestare hæresim: ergo perindè reputandus est, ac si foret hæreticus mentalis. Vnde si quis hæreticus exteriùs moueret caput, quando nullus posset vllo modo colligere, id fieri ad profitēda hæresim, non incurreret pœnas, secus verò, si ille dixisset, se vti illo signo ad hæresim suam profitendam, quia iam satis se declarauit. Denique alij dicunt, non incurri excommunicationem ab hæretico mentali qui solùm recitatiuè profert hæresim suam, dicendo; Ego habui in mente mea istum actum hęresis. Quod quidem probabile valdè videtur, si nullatenus inde colligi posset, adhuc eum in errore permanere, & iuxta hoc intellige, quod tenet Azor. libr. 8. cap. 10. q. 6. & hæc omnia docet Granado vbi suprà.

Notandum est tamen hic obiter primò contra Panormitanum, Ioannem Andream, Ananiam, Felinum, & cæteros Canonistas in c. vlt. de hæresi. Adrianum in 4. q. 2. de confessione, §. Alij probant. Albertum Pighium lib. 6. de Eccles. Hierar. c. 16. Albertinum de agnoscen. asser q. 33. Rojas de hæret. p. 1. n. 246. Menochium de arbitrarijs cas. 360. nu 6. Azeuedum in recopil. lib. 8. tit. 3. leg. 1. n. 152. Spino in speculo testam. glos. 7. principalit nu. 3. cum seq. & alios, hæreticum purè mentalem non incurrere in excommunicationem, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in actus, qui nullo modo possunt esse exteriùs cogniti, regimen enim illius est visibile; ergo debet versari circa obiecta visibilia. Ita DD. communiter.

Nota secundò contra Caietanum in 2. 2. qu. 92. art. 1. hæreticum purè externum, qui mente non negat fidem, non incurrere in censuram; optimè, vt obseruat cum communi Mercerus de Sacram. in 3. p. D. Thom q. 66. art. 9. num. 4. Quare potest à quolibet Confessario absolui in foro conscientiæ, vt rectè notat Granado vbi supra in 2. 2. contrà, tract. 15. disp. 13. num. 11. licèt Ecclesia pręsumat, illum esse hęreticum, & excommunicatum, nisi aliunde constiterit oppositum.

An adimplens pœnitentiam in peccato mortali, peccet mortaliter, & plura de pœnitentia sacramentali?

RESOL. CCXLI.

HIc casus sæpius in praxi occurrit, & affirmatiuam sententiam quoad primum docet Barbosa nouissimè in collect. Doctorum super Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. num. 6. vbi sic ait: Pœnitentiam in peccato mortali adimplens, peccat mortaliter. Ita ille. Verum negatiuam sententiam tenendam esse puto, & ideo Hurtado de Sacramentis disp. 14. de pœniten. difficult. 14. sic ait: Quamuis qui implet pœnitentiam in statu peccati mortalis ponat obicem effectui primario sacramenti Pœnitentiæ, sed tamen secundariò conferendo media pœnitentia sacramentali. Ita ille. Imò plus addit Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 94. art. 2. dub. 5. nempè pœnitentiam sacramentalem in statu peccati mortalis factam; causare ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis, sicut causat, quando fit in statu gratiæ. Et ita hanc sententiam tenet etiam Marsilius in 4. quæst. 11. art. 3. & Medina Cod. de Confessione, quæst. de pęnitentia iniuncta extra gratiam impleta, licèt contrarium doceat Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 8. Henriquez libr. 5. cap. 20. nu. 7. Coninch de Sacramentis disp. 10. dub. 11. asserentes, pœnitentiam sacramentalem in statu peccati mortalis impletam remittere postea pœnam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est, quando cessat status ille; sed hoc dici absque sufficienti fundamento putat Hurtado vbi suprà; quia, si tribuere effectum ex opere operato recedente fictione conuenit Baptismo, & ferre etiam pęnitentiæ informi, ideò est, quia hæc duo Sacramenta sunt media necessaria ad remissionem culpæ, & pęnæ æternæ. Pœnitentia verò sacramentalis non est necessaria ad remissionem pœnæ temporalis restantis, quia hæc potest pluribus alijs operibus haberi; ergo, &c. Verùm hanc sententiam Suarez, & aliorum, quam sine fundamēto dictam putauit Hurtado, probabilem esse docet Gulielmus Mercerus de Sacram. in supplem. part. 3. D. Tho. qu. 15. dub. 3 quæritur 3. num. 3.

Notandum est tamen hic obiter pro praxi contra Richardum in 4. distinct. 17. art. 2. q. 8. ad 4. D. Antoninum par. 3. tit. 14. cap. 19. §. 19. & Syluestrum ver. Confessio 6. quæst. 3. pœnitentem qui oblitus est pœnitentiæ sibi iniunctæ, non teneri secundo eadem peccata confiteri, vt aliam pœnitentiam pro ijs recipiat: sed si sua culpa penitentiæ nõ recordetur, sufficit hoc peccatum confiteri, & si fortè obliuio accidisset statim post datam pœnitentiam, & crederet, Sacerdotem adhuc eius esse memorem, teneretur, si posset, ab eo petere, quid iniunxisset, præsertim quando pœnitentia est grauis. Ita Coninch de Sacramentis disput. 10 dub. 9. nu. 86. Caietanus in summa, ver. Confessio iteranda, § ex satisfactione. Sotus in 4. dist. 20. q. 2. art. 2. ad 3. Hurtado difficult 11. & alij.

Notandum secundò contra Paludanum in 4. distinct. 15. qu. 1. art. 2. & Maiorem quæst. 2. dub. 1. in pœnitentiam sacramentalem imponi posse à Confessariu opus præcepti. Ita Vasquez in 3. part. to. 4 quæst. 94. artic. 1. dub. 6. Hurtado diffic. 8. Coninch. dub. 8. Mercerus qu. 14. dub. 4. qui optimè obseruat, si eo casu pœnitens omittat opus alias debitum, iam eadem omissione peccabit dupliciter; si autem expleat, duplicem fructum reportabit, vnum ratione operis præcisè considerati, & præcepto: alterum ratione virtutis, quam opus trahit ex potestate clauium.

Nota tertiò contra Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 94. art. 2. dub. 1. nu. 9. Nugnum in addit quæst. 13. art. 2. difficult. 1. Coninch disp. 10. dub. 8. quòd Confessarius non tenentur imponere pœnitentiam obligantem, quia ex vna parte pœnitentia sub consilio tantùm imposita sufficienter sacramentalis, vtpotè imposita virtute clauium, & ex altera parte pęnitentia sic imposita potest esse expediens pœnitenti ob ipsius fragilitatem; & ita docet Suarez in 3. p. to. 4. disput. 38 sect. 3. Tannerus to. 4. disp. 6. q. 8. nu. 7. Nauarrus in manual. cap. 16. nu. 24. Henriquez lib. 5. c. 21. & alij; vnde nouissimè Mercerus de Sacrament. in supplement. p. 3. D. Thom. q 15. dub. 2. n. 5. dixit, pœnitentiam imponi posse per modum consilij, dicendo: Si hoc, vel illud feceris, seruiat tibi in satisfactionem.

Nota quartò contra eumdem Vasquez, & Coninch locis citatis, Ledesmam in 2. part. quarti, quæst. 14. art. 4. & alios, quòd pœnitens potest pęnitentiam in vindictam peccatorum implere per alterum, quando Confessarius id vult, siue id velit, quando illam imponit, siue postea, & ideò ex rationabili causa potest Confessarius imponere pœnitentiam per alium implendam. Ratio est, quia ex vna parte vnus potest satisfacere pro alio pro pœna temporali relicta post remissionem peccati, & ex altera parte obligatio implendi pœnitentiam oritur ex voluntate Confessarij, ergo quando Confessarius vult, id sufficit. Ita Suarez tom. 4. disp. 18. sect. 9. Reginaldus in prax. tom. 1. libr. 7. cap 7. q. 2. Tannerus vbi suprà num. 11. Mercerus dub. 3. nu. 4. & alij. Et tandem.

Nota quintò contra Alexandrum in part. q. 84. membr. 1 art. 1. & Almainum in 4. distinct. 15. qu. 1. posse Confessarium in pœnitentiam sacramentalem imponere opus internum. Ita Coninch vbi suprà. Hurtado difficul. 7 Suarez sect. 6. & Mercerus dub. 2 Quia sicut Confessarius potest absoluere ab internis peccatis, ita & ad actus internos ligare potest, & quamuis tales actus non sint per se sensibiles, tamen sunt sensibiles per accidens, cum exteris imponuntur, & acceptantur.

An legitimè impeditus adire Pontificem, possit ab hæresi occulta absolui ab inferiori Sacerdote.

RESOL. CCXLII.

AD hoc dubium respondet Iacobus Granado in 2. 2. D. Th. contr. 1. tract. 15. disp. 16. sect. 4. vbi nu. 18. sic asserit. Vix, aut ne vix quidem casus iste in praxi occurrere potest; nam si impedimentum sit articulus, vel periculum mortis, diximus, quemlibet Sacerdotem posse absoluere ab hæresi; extra hunc verò articulum, aut periculum, cum Episcopus iuxta valdè probabilem sententiam possit absoluere, & idem probabiliter dici possit de Inquisitoribus, non deerit (moraliter loquendo) qui remedium habeat, esto non possit adire Papam; sed si daremus, facultatem Episcoporum esse reuocatam, & Quæsitores fidei non posse in foro conscientiæ hanc absolutionem impendere, vera nihilominus sententia est, etiam quando adest legitimum impedimentum adeundi Papam, non posse hæreticum occultum ab vllo alio absolui. Ita Granado, qui citat Sanchez, & Suarez: sed circa præsentem quæstionem vide meipsum in p. 1. tract. 5. resol. 4.

PRÆCLARA ET SOLEMNIS QVÆSTIO.

An adsit obligatio recitandi officium Defunctorum in die 2. Nouembris.

RESOL. CCXLIII.

AFfirmatiuè respondent communiter Doctores. Ita Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 5. q. 1. dub. 5. num. 148. Castrus Palaus to. 2. disp. 2. de orat. punct. 2. n. 13. Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 25. n. 8. & 9. Layman in summ. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 4. Sanchez in opusc. to. 2. lib. 7. c. 2. dub. 27. n. 1. Toletus in summ. lib. 2. c. 13 n. 3 Gauantus in rubr. tom. 2. sect. 9. cap. 2. nu. 18. Lublinus in summula cas. ver. horæ Canonicæ, num. 12. Naldus in summ. ver. officium diuinum 11. Binsfeldius in enchir. Theol. par 4. cap 8. §. 5 concl. 8. Io. Baptista de Fabris in man. ordin. ca. 20. quæst. 7 Ægidius de Trullench opusc. de horis Canon. dub. 2. num. 12 Homobonus in consult. cas. conscien. vol. 2 par 5. respons 245. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 5. cap 1. num. 57. Io. Franc. Suarez in enchir. cas. conscien. lib. 2. verb. Horæ Canonicæ, §. 14. Grassius in decis part. 1. lib. 2. cap. 53. nu. 24. Vega in summ. tom. 1. cap. 128. cas. 24. Sotus de iust. libr. 4. quæst. 4. art. 4. Macignus de Horis Canon. cap. 29. num. 16. Armilla ver. Horæ Canonicę, num. 9. Escobar in exam. Confess. tract 3. cap. 12. nu. 63. Faustus de Horis Canon. lib. 2. quęst. 302. Vantius in discipl. Cleric. lib. 3. ca. 4. Lezana in summ. qq. regul. cap. 12. num. 23. & Anton. de Litteratis in summ. part. 6. cap. 7. numer 11. Probatur hæc opinio à supradictis Doctoribus, quia in tali die officium defunctorum ponitur cum Officio maiori, & præscribitur dicendum in rubrica vt Officium proprium illius diei. Secundò, quia omnes obligati ad dicendas Horas Canonicas in illa die recitant Officium defunctorum; ergo saltem ex consuetudine adest obligatio illud dicendi.

Sed contrariam sentẽtiam tenuerunt aliqui, quos tacito nomine citat Molfesius in summ. tom. 1 tract. 5. cap. 1. num. 57. & nouissimè tenuit quidam Theologus Societatis Iesu in quadam collatione domestica facta à Patribus Collegij Matritensis, vt testatus est mihi amicissimus, pariterque doctissimus P. Didacus Sigonei, eiusdem Societ. qui per epistolam datam in Collegio Complutensi sub die 26. Nouembr. 1624. mecum hunc casum dignatus est consulere, vnde vt eius mandatis obtemperarem, hanc composui resolutionem. Dico igitur quòd ista sententia suaderi potest his rationibus.

Primò, quia Pius V. in Bulla posita in principio Breuiarij non obligat ad dicendum Officium defunctorum diebus in Rubricis Breuiarij statutis, & absolutè loquitur, neque distinguit, neque excipit Officium defunctorum in die 2. Nouembr. & lex vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt patet ex l. de pretio, ff. de publ. in rem. act. l. non distinguemus, ff. de recept. arbitr. l. preces ff de offic. præs. l. 2. §. conuenire, ff. de iudic. Et lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, vt habetur in l. in fraudem, § vlt. de testam. milit. l. 1. § generaliter, de aleat. Si igitur Pius V. in dicta Bulla tollit absolutè obligationem recitandi Officium mortuorum, neque excipit diem 2. Nouembr. cur nos illam excipere debemus? & ideo Zechius in summ. tom. 2. cap. 83. num. 16. in fine. Villalobos in summ. to. 1. tract. 24. diffic. 6. num. 3 Ioan. de la Cruz in direct. part. 1. pr. 3. art. 3 dub 4. concl. 2. Carillo in itiner. ordinan. sect. 6 cap. 1. nu. 49. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 1. lib. 1. cap. 40. Rodriquez in compend. qq. regul. res. 24. n. 14. Lessius lib. 2. cap 37. dub. 1x. num. 76. Arragon. tom. 2. in 2. 2. D. Tho. quæ. 83. art. 12. Turrianus in summ. par. 1 capit. 116. dub. 5. nu. 12. Gordonus in Theolog. mor. to. 2. lib. 6. qu. 2. num. 44. Petrellus in lectura casuum conscientiæ part. 1. lect. 4. §. 1. nu. 8. simpliciter & sine vlla distinctione docent, quòd ij qui recitant iuxta Breuiarium Romanum, non obligantur ad Officium defunctorum diebus in Breuiario præscriptis, & non excipiunt diem 2. Nouembr. quã sciebant excipere supracitatos auctores. ergo non esse excipiendam putarunt.

Secundò probatur hæc sententia, quia in rubrica apposita

in

in Breuiario die 2. Nouembr. non inueniuntur vlla verba præceptiua obligantia ad dicẽdum Officium defunctorum, sed solum ibi dicitur quòd *dicto Benedicamus Domino, dicuntur Vesperæ defunctorum*; sicuti etiam in feria 2. post primã Dominic. Quadrag. dicitur in rubr. *post Vesperas dicuntur Vesperæ defunctorum*. Vide, quæso, quomodo in dictis duabus rubricis eadem sunt verba; cur ergo non erit eadem obligatio, vel non obligatio? nam vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio, ex l. illud, ff. ad legem Aquil. quod etiam habetur in l. à Titio, ff. de furt. l. quidam, nummularios, ff. de eden. l. illud. C. de sacros. Eccles. l. si postulaueris, §. 2. ff. ad leg. Iul. de adult. & ex alijs iuribus. Si igitur rubrica feriæ 2. post Dom. 1. Quadrag. non obligat sub mortali ad dicendum Officium defunctorum, quare rubrica diei 2. Nouembris ad illud obligabit, vbi in dicta rubrica sunt verba præceptiua & inductiua peccati mortalis? profectò nullibi? cur ergo asserunt Doctores in dictis verbis obligationem adesse.

Tertiò probatur, nam, vt dixi in tract. de Horis Canon. resol. 56. cum Vasquez & alijs, quibus nunc addo Graffium in decis. part. 1. lib. 2. cap. 53. num. 24 Homobonum de Bonis in consult. cas. consc. volu. 2. part. 5. respons. 245. Rubrica apposita in Breuiario in die D. Marci, & in diebus Rogation. non obligat secundùm opinionem probabilem sub culpa lethali ad dicendas Litanias extra chorum. ergo neque rubrica diei 2. Nouembris obligabit ad dicendum Officium defunctorum. Probatur consequentia à fortiori, nam supradicta rubrica in die D. Marci sic asserit. *Hodie qui non intersunt processioni Litaniarum, dicant illas priuatim post Matutinum cum suis precibus & orationibus, sine Psalmis pœnitentialibus*. In quibus vltimis verbis apparet Litanias esse partes Psalmorum pœnitentialium, & in illis includi, quod etiam euidenter apparet ex alia rubrica apposita in fine Breuiarij ante septem Psalmos pœnitentiales, vbi sic habetur, *Dicuntur flexis genibus in omnibus sextis ferijs Quadragesimæ, quando officium fit de feria. Litaniæ autem omissis septem Psalmis dicuntur in Litanijs maioribus in die S. Marci*, &c. Vide quomodo Litaniæ sunt partes septẽ Psalmorum pœnitentialium; nam alioquin non diceretur in rubrica, *Litaniæ autem omissis septem Psalmis*, &c. Et ita hanc sententiã apertè tenet Azorius illustrissimæ Societatis IESV doctiss. Theologus to. 1. lib. 10. cap. 16. q. 4. vbi loquens de supracitata Bulla Pij V. sic ait. *Liberauit quoque præcepto & lege Litaniarũ recitandarum*. Sed in tota Bulla Pij V. nulla mentio efficitur de Litanijs, quomodo ergo dixit Azorius, quòd Pontifex abstulit onus illas recitandi, nisi quia, vt dictum est, includuntur in septem Psalmis pœnitentialibus, & exclusis istis ab onere recitandi, excluduntur etiam vt eius partes Litaniæ, quod tandem confirmatur ex vsu communi fori pœnitentialis, in quo quando Confessarij imponunt pro satisfactione peccatorum septem Psalmos pœnitentiales, obstricti sunt etiam pœnitentes dicere Litanias & preces. ergo, &c. Igitur dicendum est, quòd dum Pius V. in Bulla in principio Breuiarij excludit septem Psalmos ab onere recitandi sub peccato mortali, excludit etiam Litanias, quæ in ipsis includuntur.

Sed dato, & non concesso, quòd Litaniæ non includerentur in dictis verbis Pij V. non tamen ex verbis supradictæ rubricæ in die D. Marci apparet esse recitandas sub onere culpæ lethalis. nam dicta rubrica vtitur verbo imperatiuo, *dicant*, quod quidem verbum ex opinione probabili Alphonsi de Castro lib. 1. de leg. pœnali, c. 5. docum. 4. Caietani in 2. 2. q. 166. art. 9. circa solut. ad 2. Ludouici Carbonis de legib. libr. 7. disp. 4. ad finem, non continet præceptum. Et secundum Nauarrum in manual. cap. 23. n. 49. Emanuelem Sa ver. lex. nu. 6. Sayrum in Claui Regia lib. 3. c. 7. nu. 16. verba imperantia inducunt tantùm obligationem sub veniali, non autem sub mortali. Si igitur secundùm opinionem probabilem non adest obligatio recitandi Litanias sub mortali, non obstante rubrica, quæ illas præcipiat, quia illas præcipit cum verbis imperatiuis, quanto magis dicendum est non adesse obligationem recitandi Officium defunctorum in die 2. Nouembris, cùm rubrica illius diei nõ vtatur verbis præceptiuis, neque etiam imperatiuis, sed tantùm dicat, quod dicitur Officium defunctorum.

Restat modò respondere ad argumenta contraria, &

Ad primum assero, quòd gratis dicitur Officium defunctorum in die 2. Nouembris esse partem officij illius diei, & quod præcipiatur. Nam, vt supra visum est, non apparet præceptum vllum in rubrica dicti diei de dicendo supradicto officio, nam rubrica vtitur iisdem verbis, quibus vsa est in feria 2. post primã Domin. Quadr. Si igitur non adest obligatio dicendi Officium defunctorum in supradicta die, quare erit obligatio in die 2. Nouembris: & sicut Officium defunctorum in feria 2. post dictam primam Domin. non est pars officij illius diei, quare erit pars officij diei 2. Nouembris? Quòd verò in hac die addantur alia in Breuiario, quæ in rubrica feriæ 2. post primam Domin. Quadrag. prætermittuntur, hoc non est signum maioris obligationis, sed maioris solennitatis. Non apparet igitur ex vi rubricarum, vt suprà satis probatum est, adesse obligationem recitandi officium defunctorum sub onere peccati mortalis.

Nec valet dicere quòd licèt in dictis rubricis non inueniãtur verba præceptiua, tamen Pius V. in Bulla præcipit obseruãdam esse formam præscriptam in Breuiario; sed in dicta forma præscribitur vt dicantur Litaniæ & Officium mortuorum. ergo sub præcepto recitandæ erunt. Non, inquam, hoc argumentum valet. nam posset aliquis respondere cum Valent. to. 3. disp. 6. qu. 2. punct. 10. præceptum Pij V. de recitando Officium, iuxta formam in Breuiario præscriptam, intelligendum esse de forma ab eo præscripta ad differentiam formulæ Breuiarij antiqui; sed quia hæc interpretatio displicet, & meritò, Garziæ de benef. to. 1. p. 3. c. 1. n. 163. & Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 26 nu. 51. Ideo assero quòd licet Pius V. præcipiat obseruandum esse formam in Breuiario præscriptam, attamen in dicta Bulla simpliciter, & sine vlla distinctione tollit obligationem recitãdi officium defunctorum, & Psalmos pœnitentiales, in quibus, vt dictum est, tanquam pars includuntur Litaniæ. ergo, &c.

Ad secundum argumentum adesse quidem consuetudinem recitandi dictum officium concedo, sed non ex hoc sequitur dictam consuetudinem obligare sub mortali; nam, vt rectè obseruat Sãcius in select. disp. 54. n. 33. Salas de legib. disp. 19. sect. 6. n. 61. Syluester ver. consuetudo q. 4. Tabiena eodem ver. not. 7. nu. 8. Gordonus in Theol. mor. tom. 1. libr. 2. q. 14. cap. 5. nu. 18. & Villalobos in summ. tom. 1. tract. 24. diffic. 9. nu. 8. & tract. 2. diffic. 38. nu. 5. [Para introduzir costumbre se requiere que los que la introduzen lo hagan de cierta ciencia y no por ignorancia pensando que estan obligados, y es la razõ porque los actos que introduzen la custumbre han de ser volontarios, y no ay cosa tan contraria a la voluntad como el error.] Ita ille. Sed in nostro casu hæc consuetudo censetur introducta ex errore, quia, vt visum est, Doctores non benè asseruerunt ex vi rubricæ recitandum esse Officium defunctorum in die 2. Nouembris, quam obligationem nõ adesse satis probatum esse credo. Ergo dicendum est dictam consuetudinem fundatam esse in ignorãtia & errore, atque ideo non obligare, quia Clerici Religiosi & Beneficiarij ideo recitant in tali die Officium defunctorum, quia existimant se obligatos ad recitandum.

Vel secundò posset aliquis respondere, consuetudo vt inducat obligationem opus est, vt obseruat Tannerus in p. 2. disp. 5. quæst. 7. dub. 1. nu. 19. Henriquez lib. 7. c. 13. num. 9. Montesinus in p. 2. to. 2. tract. de legib. disp. 23. qu. 13 nu. 222. & alij communiter, vt sit introducta cum animo obligandi, & non ex deuotione: sed consuetudo de qua loquimur, non videtur introducta cum animo obligandi ergo. Probatur minor, nam nõ videtur probabile quòd cùm Summ. Pontifex, Pius scilicet V. in sua Bulla propter periculum peccandi tolleret cõsuetudinem obligatoriam sub mortali ad dicendum Officium defunctorum, vt patet ex contextu Bullæ, & notat Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. nu. 76. & alij, non, inquam, videtur probabile quòd Clericis, &c. voluissent introducere, non obstante dicta Bulla, iterum illam consuetudinem cum animo se obligandi ad culpam lethalem. Videtur igitur dicendum talem consuetudinem fuisse introductam ex deuotione cum animabus Purgatorij, & ad lucrandas Indulgentias, quas Pius V. in Bulla dictum officium recitantibus largitur. Vnde cùm dubitetur, vt patet ex supradictis, an talis consuetudo fuerit introducta cum animo se obligandi, vel tantùm ex deuotione, sequitur ex doctrina probabili Patris Suarez de legib. libr. 7. cap. 15. num. 13. Ioannis VVigers in p. 2. D. Tho. quæst. 97. art. 3. nu. 29. Castri Palai in opere moral. tomo 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. nu. 13. Bonacinæ de leg. disp. 1. q. 1. punct. vlt. §. 4. nu. 21. Ægidij de Trullench opusc. de Hor. Can. dub. 2. nu. 13. & aliorum, sequitur, inquam, non esse præsumendum dictam consuetudinem fuisse introductam cum animo se obligandi, quia ea, quæ sunt facti, & non iuris, non præsumuntur, & lex non præsumitur, nisi probetur, tum etiam, quia nemo præsumitur sibi velle onus, & obligationẽ imponere, nisi id ma-

nifestè constet; quidquid in contrarium etiam probabiliter asserat Granadus in p. 2. controu. 7. tract. 3. par. 3. disp. 16. sect. 2. n. 13. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 16. qu. 5. & Reginaldus tom. 1. lib. 13. c. 23. sect. 1. nu. 244.

Verùm his non obstantibus hæc omnia disputationis causa dicta esse volo, nam quia prima sententia est communis, non audeo ab illa discedere, & certè Officium defunctorum in die 2. Nouembris esse proprium illius diei probari potest ex kalendario & Martyrologio, vbi nomen quòd Ecclesia tribuit festiuitati illius diei, est Commemoratio defunctorum. ergo officium magis proprium illius diei est Officium defunctorum, quia per nomen festiuitatis explicatur, de quo agi officium debet. Et ideò quando duo signantur officia pro aliquo die, magis intentum erit ab Ecclesia, quod correspondet nomini festiuitatis, quod in casu nostro probatur, quia quando Ecclesia dispensauit cum inclyto Ordine Dominicano, vt vnum tantùm Officium diceret in dicta 2. die Nouembris, designauit Officium defunctorum, relicto officio de octaua. ergo euidens signum est, quòd officium magis proprium illius diei est officiũ defunctorum. Confirmantur supradicta, quia si Officium defunctorum non potest in 2. die Nouembris celebrari, in aliam diem transfertur, & est adeò solemne, vt solum transferatur, quando in diem Dominicam incidit, quod non accidit in alijs Officijs defunctorum intra annum dicendis. ergo, &c.

Vnde ex his patet quòd Pius V. in Bulla superiùs allegata solùm loquitur de Officio defunctorum quod per anni circulum statuitur dicendum in rubricis aliquibus diebus, & non de officio proprio illius diei 2. Nouembr. quòd ampliùs probatur ex dicta Bulla, vbi Pontifex tollit obligationem dicendi Officium defunctorum, his verbis. *Nos propter varia huius vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus*, &c. in quibus verbis clarè apparet non esse inclusum Officium defunctorum 2. die Nouembr. nam ad semel illud dicendum non obstant negotia & occupationes huius vitę, neque periculum non recitandi adest. ergo verba illius Pontificis diriguntur ad Officia mortuorum multoties per anni circulum dicenda, quæ si cum onere peccati mortalis recitanda essent, prudenter SS. Pontifex timebat periculum habendi in dicta recitatione adesse.

Deinde Summum Pontificem in dicta Bulla non loqui de supradicto officio in die 2. Nouembris patet ex consuetudine, quæ est optima legum interpres. vt colligitur ex cap. cùm dilectus, de consuetud. ex l. minimè, ff. de legibus, & ex l. si de interpretatione, ff. eodem tit. & notat Menochius consil. 32. nu. 44. consil. 390. n. 21. & consil. 1415. n. 10. Cenedus in qq. can. q. 3. nu. 11. Syluanus consil. 88. nu. 27. Afflictus decis. 166. num. 6. & alij. Cùm igitur à diebus Pij V. vsque modò communis consensus omnium fuerit, talem obligationem non fuisse sublatam per Bullam Pij V. vt fatentur omnes Doctores post dictam Bullam scribentes; ergo dicendum est consuetudinem interpretatos esse, sub illa clausula non includi Officium defunctorum in die 2. Nouembris recitandum. Igitur de ista consuetudine, de qua loquimur, non est philosophandum, tanquam de consuetudine inductiua obligationem, sed tanquam de consuetudine interpretatiua legis, quæ supponit obligationem.

Et tandem, etiamsi de tali consuetudine esset philosophandum, vt consuetudo inductiua obligationem, dicendum videtur, illum ad culpam mortalem obligare, quia, vt docet Suar. de leg. lib. 7. cap. 15. nu. 13. Castrus Palaus to. 1. tract. 3. disp. 3. punc. 2. §. 3. num. 13. Io. VVigers in p. 2. D. Thom. quęst. 97. art. 3. num. 29. & alij. Ex aliquibus coniecturis deduci potest consuetudinem obligare. Prima, si consuetudo sit grauis, difficilis, & communiter seruetur, quia non solent multi vniformiter conuenire in his actibus, nisi quando se obligati sentiunt. Secunda, si viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, vel communiter scandalizantur. Sed omnes hæ coniecturę adsunt in consuetudine recitandi Officium defunctorum in die 2. Nouembris, nam est consuetudo grauis, & communiter seruatur, & viri timorati malè sentiunt de his, qui illam non seruant. ergo dicendum est talem consuetudinem ad culpam mortalem obligare. Ex quibus omnibus patet responsio ad argumenta pro secunda sententia superiùs adducta. Et hęc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, non ita diligenter ab auctoribus vsque adhuc examinatam.

TRACTATVS QVINTVS
DE
CONFESSARIIS SOLICITANTIBVS.

An sint denunciandi Confessarij solicitantes, qui de tali delicto infamati non sint?

RESOL. I.

CIRCA materiam huius tractatus de Confessarijs solicitantibus, multas quæstiones explanaui in p. 1. trac. 4. à resol. 11. sed quia enixè à multis rogatus fui, etiã per literas, vt alia, si haberem, in lucẽ emitterem, vt eorũ precibus satisfacerem, sequentia simul collegi, & ideò ad dubiũ præsentis resolutionis videtur negatiuè respondendum ex verbis appositis in Bullis Pontificijs, ibi, *quomodolibet diffamatos*, quibus apparet non posse Inquisitores se intromittere in hoc crimine, si non adsit infamia, cum constitutio pœnalis non sit extendenda vltra verborum latitudinem, ex reg. odia, de regul. iuris in 6. & ex leg. cum quidam, ff. de liberis & posthumis, & ideo Stephanus Fagundez de præcept. Eccles. præc. 2. lib. 4. c. 3. nu. 31. & Marcellus Megala in 1. edit. lib. 1. cap. 5. nu. 14 docuerunt non esse denunciandos Inquisitoribus Confessarios sollicitantes ad Venerem si aliquo modo de tali delicto non fuerint diffamati.

Sed hæc opinio destruit constitutiones Pontificias, & tollit praxim, ideò contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto. Vnde meritò Megala in 2. editione, in apostilla marginali mutauit sententiam, & aduersùs Fagundez ex eadem Societate nouissimè insurgit Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disput. 9. punct. 10. num. 3. cui ego addo Emanuelem de Moura opusc. 1. de Ensal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 11. Acugnam tract. de confess. solic. qu. 4. nu. 4. Sousa de Confess. solicit. tract. 3. cap. 21. num. 2. & sequ. Portel in addition. ad dub. Regul. verb. solicitare, nu. 11. & 20. Peyrinus in priuileg. Minim. to. 2. const. 4. Gregor. XV. § 3. num. 3. & Sanctarellum tract. de hæresi c. 44. dub. vn. num. 8. quia sicuti in crimine hæresis potest fieri inquisitio, licèt contra reum nulla præcedat diffamatio, vt docet Simãcha in Cathol. instit. tit. 43. nu. 7. & seq. Rolandus à Valle lib. 3 cons. 8. num. 6. Pegna in Director. Inquis. part. 3. comment. 16. Scaccia de iudicijs, in causa, &cet. lib. 5. cap. 59. num. 10. Campegius in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 9. nu. 9. Royas singul. 3. num. 22. & alij. Ita igitur in hoc crimine solicitationis in confessione potest fieri inquisitio, quamuis non præcedat infamia, quod clarè apparet ex verbis constitutionis Pontificiæ, ibi, *diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.*

Ad illa verò verba, *quomodolibet diffamatos*, quæ aduersarij adducunt, respondeo non obstare, quia, vt obseruat Acugna & Moura, illa particula *quomodolibet*, significat non necessariò requiri vt præcedat vera infamia, sed sufficere qualemcunque infamiam, vt constat ex cap. statutum, §. in nulla. de rescript. in 6. & ex cap. indemnitatibus, §. sanè, de elect. etiam in sexto. Igitur supradicta verba non exigunt infamiam simpliciter, sed eam, quæ quocumque modo talis dici queat, dicit enim *quomodolibet*; dicetur autem diffamatus aliquo modo, qui iam non habet integram & illæsam famam, sed laceratam per notitiam, præsertim fœminarum, in qua est in proximo publicitatis periculo; vide etiam Freitam in nouis addit. de Confess. solic. q. 6. n. 62. & DD. citatos.

Nota verò quòd post hæc scripta inueni Fagundez in editione nouissima, vbi suprà nu. 83. suum iudicium circa præcedentem quæstionem praxi Sancti Tribunalis subijcere.

An sit denunciandus Confessarius qui tribuit pœnitenti chartam in confessione, postea tamen legendam, in qua ad Venerem solicitabat.

RESOL. II.

AFfirmatiuam sententiam docet Ioann. Sancius in selectis disp. 11. nu. 31. vbi sic ait. Confessarius pœnas Breuis non effugiet si chartam continentem solicitationem tradat fęminæ pœnitentis, quamuis non statim legendam conferat. nam cùm traditur charta, incipit solicitatio, & iniuria fit Sacramẽto, quo monendum erat pęnitenti vitam in melius mutare, instrumentum conferatur, quo saucietur. Ita ille.

Sed contrarlam sententiam indicat probabilem nouissimè Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disput. 9. punct. 4. nu. 2. si charta non immediatè post susceptum Sacramentum legatur, sed trãsacto iam tempore, quia talis chartæ traditio est solùm causa solicitationis, non verò solicitatio, non enim tunc quando traditur charta, mouetur pœnitens ad malum, vt supponitur; ergo tunc non solicitatur, solicitatio namque est motio voluntatis alienæ, cum autem non moueatur pœnitentis voluntas in confessione, sed extra, quando scilicet legit chartam, efficitur in confessione non fuisse factam solicitationem, ac proindè non fore ex obligatione denunciandum. cæteras rationes videbis apud Castrum Palaum.

Et ad argumentum non tactum à Castro Palao quòd ex negatiua sententia daretur ansa, & occasio Confessarijs solicitandi pœnitentes fraudando legem, & eludendo cum hac inuentione pœnas inflictas aduersùs eos in Bullis Pontificijs, forte quis posset respondere ex doctrina doctiss. Emanuelis de Moura in opusc. 1. de ensal. & incant. sect. 3. cap 3. numer. 18. quod Confessarius in committendo delicto si sibi caueat a circumstantijs quæ illum submittunt Inquisitoribus, faciunique delictum enormius, hoc non est facere fraudem legi, sed facere opus prudentiæ humanæ & cautelæ, quo magis fidem profiteatur.

Verùm his nõ obstantibus tunc recedas à sententia affirmatiua Sancij, quia talis solicitatio moraliter incepta fuit in confessionario, quando Confessarius tradidit chartam postea legẽdam fœminæ. Et ideò aduersùs sententiam negatiuam, quam prorsus ego improbo, meritò nouissimè insurgit Fagundez de præcept. Eccles. in edit. nouissima, pr. 2. lib. 4 c. 3. nu. 62.

Vtrùm fœmina solicitata teneatur sub mortali denuntiare Confessarium?

RESOL. III.

REspondet affirmatiuè Acugna de Confess. solicit. quæst. 21. num. 6. & seq Henriquez lib. 6. cap. 2. nu. 6. in fine, Sanctarellus de hæresi c. 46. dub. vnic. num. 10. Rodriquez in quæst. Regul. tom. 2. q. 27. art. 1. & alij communiter, & hoc magis clarum est post Bullam Gregor. XV. in illis verbis Mandantes omnibus Confessarijs vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse, vt suprà, ab alijs solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes. Vnde quamuis per Inquisitores edictum denunciandi non publicetur, tenebitur pœnitens solicitatus denunciare post habitam sufficiẽtem notitiã dicti decreti Greg. XV.

vt

vt optimè notat Sancius in selectis disp.11.nu.20. Adde quòd licèt in tenore aliarum Bullarum nullum intimabatur præceptū fœminis solicitatis denunciandi Confessarios solicitantes, sed tantùm tribuebatur iurisdictio Inquisitoribus huiusmodi delicta puniendi, tamen supradictæ Bullæ aliorum Pontificum ante Gregor. XV. fuerunt vsu receptæ cum obligatione denunciandi dictos Confessarios sub onere peccati mortalis, sed consuetudo est optima legis interpres, cap. cum dilectus, de consuetud. ergo,&c.

An Confessarius consentiens solicitationis, sed statim desistens de turpi illa materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non prabendo pœnitenti absolutionem, incidat in Bullam Greg. XV. & sit denunciandus?

RESOL. IV.

AD hoc dubium negatiuè respōdet Sousa in aphor. Inquis. lib.1.c.34 num. vbi 10.sic ait. Si Confessarius solicitationem amplectens de materia illius loqui desistat, ac libidinis complementum in aliud tempus & locum differat, neque fœminæ solicitatrici absolutionem impendat, probabilius est decreta hæc minimè violasse. Ita ille, quod etiam antea docuerat opusc. de Confess. solicit. tract.1.cap.6.num.8.& ratio est, quia Cōfessarius in hoc casu solummodo videtur infidelis minister, qui mulierem ab impudico proposito noluit dissuadere, cùm hoc ad Confessarij munus propriè attineat, non verò vocandus est solicitator, neque volens iniuriam inferre Sacramento, vt colligi potest ex eo quòd noluerit confitenti absolutionem tāquam indispositæ impendere. Neque potest dici abutens Sacramento positiuè, quod ad transgressionem decreti necessariò exigitur, vt testantur illa verba, *Allicere, & Prouocare*, quæ abusum Sacramenti actiuum denotant; solum igitur dicendum est, non benè vtens Sacramentum ministrans. Ita Sousa & alij, quos adduxi in 1. p. tract.4. resol.11.

Verùm contrariam sententiam ego sequor, nam vt Confessarius dicatur verè solicitator, non est opus, vt absolutionem sacramentalem impendat, nec vt de rebus venereis longiùs cum pœnitente loquatur, sed sufficit solicitationi fœminæ acquiescere, nam talis consensus ad illam solicitationem non efficitur mentaliter, sed verbis; ergo eo ipso quòd ita solicitationi consentit, dicitur habere inhonestos sermones cum pœnitente, quòd prohibet Gregor. XV. in sua Bulla, nec enim magis, aut minùs mutat substantiam, aut differunt specie, vt patet in l.fin.ff. de fundo instruct. leg. si is cuis. ff. quemadmodum seruit. amittat. & docet Surdus consil. 305.num.66. & consil. 368.num.13. Marius Antoninus var. resolut.libro 3. resolut.39. numer.4. Ferrerus in constitut. Cathalon. glossa 8. num. 155. & alij. Ergo, &c. Sed de hac quæstione inferiùs etiam redibit sermo.

An Confessarius in solicitando propter paruitatem materiæ non sit denunciandus.

RESOL. V.

PRo sententia negatiua in part.1. tract.4. resolut.21.adduxi Portel, cui nunc addo Castrum Palaum to.1. tract.4.disp.9. punct.3.n.2.& 3.& Sousam in aphorism. Inquisit.lib.1.c.33.nu. 4.sic asserentem, vt solicitans puniatur iuxta hæc decreta, necesse est vt actus solicitationis sit peccatum mortale, quod si detur sufficit quicumque actus inhonestus. Sic ille, & de Confessar.solicit. tract.1.c.1.nu.7. vbi probat in tali casu non adesse obligationem denunciandi, quia excommunicatio maior posita in edicto, non potest ferri nisi pro mortali culpa, nec lata pro veniali obligat ergo, &c. Ita Sousa ex inclito Ordine Prædicatorum, vir quidem doctissimus.

Sed hęc opinio mihi displicet, & ideo contrariam docet Ioānes Sancius in selectis disput.11. num.22. vbi sic ait. Quamuis manum, brachium, vel pedem fœminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & similia peccata, venialia sint intra genus luxuriæ, dummodo absit finis mortalis, vel pollutionis periculum, vt docent Nauarrus cap. 14. nu. 31. Sanchez de matrim. lib.9 disp.46.nu 16. Salas in 1.2. quæst.74. tract.13.disp.6. sect.20.num.146. & sect. 21. nu. 149. Freitas in addit ad tract. de Confessar solicit. quæst.7. nu. 28. hæc tamen si fiant tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè antè, vel post, erūt mortalia & damnata ob grauem iniuriam illatam Sacramento, vt tenet Freitas quæst.7. num.33. quamuis enim intra genus castitatis leuia illa sint, intra Religionis tamen genus grauia reputantur, sicut licèt intra genus temperantię ieiunij die modicum cibi sumere leue peccatum sit, nihilominus intra Religionis genus graue crimen est illo sumpto cibo Eucharistiam sumere. Ita Sancius ad cuius argumenta licèt Castrus Palaus conetur respondere, tamen eius opinio non est admittenda, nam daretur occasio labendi malis Confessarijs, & prophanandi Sacramentum, nā si ad tales tactus mulieres consentirent, Confessarius haberet intentum; si fœminæ nihil agerent, & non consentirent, Confessarius impunè sine periculo denunciationis solicitationem adhibuisset, asserendo illos tactus esse tantùm venialiter culpabiles, & non inducere obligationem denunciandi. Adde quòd ego puto, Confessarium, qui supradictos tactus, licèt leues, in confessione cum pœnitentibus adhiberet, moraliter posse præsumi animum habere vlteriùs progrediendi, vnde pœnitens in tali casu debet moraliter præsumere illos tactus cum malitia mortali à Cōfessario adhibitos fuisse, & ideo denunciationis nexu ligari, quod etiam probo ex doctrina Sousæ loco cit.n.54. vbi docet, quòd mulier cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre, sed hoc accidit in casu nostro. ergo,&c. & ideò omnes Confessarij in casu de quo loquimur, obligent pęnitentes ad denunciandū, vnde opinio Castri Palai, Sousæ & aliorum in praxi minimè consulendam esse puto, & post hæc scripta inuenio illam meritò reprobare Fagundez de præcept. Eccles. in editione nouissima, pr.2.lib.4.cap.3.num.52. vbi etiam rectè contra Freitam & alios Doctores citatos negat in peccato luxuriæ dari paruitatem materiæ, vt ego etiam alibi docui, & nouissimè docet Homobonus in consult.cas.conscient.vol 2.part.5.respons.139. Et ita tales Confessarios, vt dictum est, esse denuntiandos, docet etiam me citato Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de solic.in confess. nu.4.

An sit denunciandus Confessarius qui dicente fœmina se velle in crastinum confiteri, illam solicitat, & confessionem dissuadet.

RESOL. VI.

NOn esse denunciandum tenet Sancius in selectis disp.11. numer.49.vbi sic ait. Si fœmina se velle crastino confiteri diceret, & tunc dissuaderet Confessarius, & venerea ageret, propriè non dicitur solicitata proximè ante confessionem, cum tunc quando fit solicitatio, nolit fœmina confiteri, vnde solicitatio tunc non est proxima confessioni faciendæ, sed proxima conuentioni de illa agenda. Ita ille Cuius sententiam nouissimè inuenio docere etiam Castrum Palaum to 1. tract.4.disp.9. punct.8.num.4.

Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. contrariam sententiam tenendam esse puto, quia hæc solicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem solicitat, simulat eius confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, & ideo est denuntiandus.& ita hanc sententiam tenet Fagundez de præc. Eccles. in edit. nouissima, pr.2.lib.4.c.3. nu.49.

An confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam discedentem paulò post ab Ecclesia, & in itinere illam solicitans incidat in pœnas, & sit denunciandus?

RESOL. VII.

AFfirmatiuam sententiam docet Laurentius de Peyrinis in priuileg.Minim.tomo 2. constit.4.Gregor.XV.schol. 2. numero 2. vbi sic ait; Occasione confessionis diceretur solicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, eamque leuem ibi cogoscens, lenonem paulò post ad dictæ mulieris vestigia insequenda mitteret, eamque domum intrantem solicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille, qui pro hac sententia citat Iacobum de Graffijs, & ita hanc sententiam nouissimè docet etiam

etiam Lezana in summ. qq. regular. c.19.n.14. vir quidem doctus, & amicissimus.

Sed tu cogita, nam secundùm aliquos si Confessarius diuertit ad alios actus, in dicto casu solicitatio neque moraliter, neque physice incepit in locis prohibitis à Pontificibus. ergo, &c. & licet Confessarius vtatur scientia confessionis, non tamen vt dictum est, solicitat pœnitentem in locis prohibitis solicitare. ergo non incidit in pœnis Bullæ, neque denunciandus erit. Imò putant neque Pontificias Bullas contrauenire, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor fœminam solicitaret, dummodo id efficeret extra tempora & loca in Bulla Gregor. XV. contenta. Et ita sentiunt docti recentiores à me consulti, & præsertim aliqui Magistri Illustrissimæ Societatis IESV, quia prætextus confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, vt docet Sousa opusc. de Confessar. solicit. in addit. nu. 10. & de occasione idem dicendum putant. Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

An Sacerdos non habens potestatem absoluendi, si in excipiendo aliorum confessiones illos solicitet, incurrat in pœnas solicitantium, & sit denunciandus.

RESOL. VIII.

NEgatiuam sententiam docet Sousa in aphor. Inquis. libr. 1. ca. 34. num. 16. vbi sic ait, Sacerdos qui sciens se iurisdictionem audiendi confessiones minimè habere, mulierem, quæ bona fide confitetur, ad inhonestos actus inducit, in dictis decretis non comprehenditur, & si mulier confiteatur Sacerdoti quem nouit non fungi iurisdictione, ea tamen intentione, vt ipse à Superiori potestatem illam absoluendi petat, probabile est huius decreti reum, probabilius tamen oppositum. Ita ille. & pro hac sententia in p. 1. tract. 4. resol. 17. adduxi etiam Portel. Et hanc sententiam recenter mordicus tenet Fagundez de præcept. Eccles. in editione nouissima pr. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 79. etiam in terminis Bullæ Gregorij XV. & ratio est, quia Sacerdos in talis casu probè nouit non dari verum Sacramentum. ergo solicitatio & prouocatio ab eo facta, vt est ab eo, non coniungitur cum Sacramento. ergo non est iniuriosa Sacramento. prout de iniuria Sacramenti loquuntur Pontifices in constitutionibus, sed suspicio hæresis in hoc casu non datur ab iniuria Sacramenti separata. ergo cum hæc non detur, nec suspicio danda est, ac proinde huiusmodi Sacerdos in Pontificijs decretis non peccat, neque includitur, & in terminis etiam Bullæ Greg. XV. tenet hanc sententiam suprà citatus Sousa opusc. de confessar. solicit. in annot. ad dictam Bullam nu. 4.

Sed ego vbi supra, & meritò, contrariam sententiam tenui, & nunc iterum teneo, non solùm in terminis Bullæ Gregor. XV. sed etiam aliorum Pontificum, & ideo præter Acugnam & Sancium, quos ibi citaui, docet hanc opinionem nouissimè Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 9. nu. 1. vbi sic asserit. Certum esse debet Sacerdotem iurisdictione carentem ad audiendas confessiones, si exponatur illas audire & pœnitentem solicitet, fore denũciandum, quia absolutè censetur Confessarius, cùm Ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus & mortalibus confessis possit absoluere, & ab omnibus in articulo mortis, aliàs posset quilibet Sacerdos solicitãs affirmare ausũ fuisse solicitare pœnitentem, eo quòd iurisdictionem non haberet ad absoluendum à peccatis, quæ sibi erant cõfessa, quòd esset eludere decreta Inquisitionis, & constitutiones Pontificum, & quidem iuxta constit. Gregor. nemini potest esse dubium talem Sacerdotem comprehendi, cum hic Sacerdos simulet se audire confessiones, & sic simulans ad Venerem incitet pœnitentem. Hæc Palaus loco cit.

Verùm, vt aduertit Sancius in selectis disput. 11. nu. 19. Henriquez libr. 6. cap. 21. num. 4. & alij, si mala fides Confessarij & pœnitentis interueniat, quia vnusquisque cognoscit confessionem inualidam iri ex defectu iurisdictionis, & ob id intendere nequeant conficere Sacramentũ, in tali casu talis Sacerdos nõ esset denunciandus. Verùm ego contrarium puto, per ea quæ adducit Freitas in editione nouiss. de Confess. solicit. quæst. 13. nu. 22. Sed quicquid sit in terminis Bullæ Pauli V. & Clemen. VIII. hodie stante constitut. Greg XV. supradictus Confessarius erit denunciandus, vt rectè obseruat Sancius loc. citat qui addit etiam hoc procedere à fortiori, si Cõfessarius deprehendens fœminam verum propositum emendationis non haberet, & ob id illam non absoluit, sed illam hoc non obstante soliciret, nam in tali casu Confessarius erit denunciandus non solùm in terminis dictæ Bullæ Gregorianæ, sed etiam aliarum Bullarum, quia licèt in hoc Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro pœnitentiæ fit, quæ sufficit ad obligationem sigilli.

Ex quibus etiam sequitur quòd Confessarius, qui ad libidinem mulierem prouocat, quæ ei confitetur, vt excommunicationem Ecclesiæ pro defectu annuæ confessionis fugiat, comprehendatur in supradictis Pontificum decretis. Ita Sousa loc. cit. num. 18.

An interpres si solicitet in confessione pœnitentem sit denunciandus?

RESOL. IX.

AFfirmatiuam sententiam docet Seraphinus Freitas Additionator Roderici Acugna trac. de Confess. solicit. qu. 15. num. 27. vbi sic asserit. Ex prædictis noua quæstio excitari potest, vtrùm laicus confessionis interpres, si in eodem actu soliciter, quod facilè fieri potest, ignorante linguam Confessario, Pontificis pœnis subiaceat; non incurrere suadet, quia is nec est Sacerdos, nec huius Sacramenti Minister. Contrarium tamen dicendum mihi videtur, tum quia in hoc casu eademmet datur ratio, quæ in Confessore. hoc est abusus Sacramenti, sacrilegium, antidoti remedium in venenum, sumiturque Sacramentum vt medium ad peccandum: tum etiam, quia interpres, licèt laicus participat aliquid de actu clauis, vt ait D. Th. in addit. ad 3. par. q. 11. art. 3. in corp. & Suar. tom. 4. disp. 33. sect. 5. num 4. Sub nomine igitur Sacerdotis comprehenditur siua extensiuè, siue per participationem. Accedit quòd dictus laicus in tali casu secundùm opinionem communiorem tenetur ad sigillum æquè ac Confessarius, quia sicut de actu clauis participat, vt diximus cum D. Thom. participat etiam sigillationem, ex eodem D. Tho. in 4. dist. 21. q. 3. art. 4 ad tertium. Ita Freitas vbi supra.

Sed his non obstantibus, ego puto interpretem non solùm laicum, sed etiam Sacerdotes non incurrere pœnas solicitantium, quia absolutè non est confessarius, sed potius ex parte pœnitentis se teneat, & ita docent Ioan. Sancius in selectis disput. 11. num. 10. & 37. Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 9. n. 6. & Antonius Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 4. n. 14 vbi sic ait. Siue laicus, siue Sacerdos interpres mulieris confitentis, qui ipsam confitentem solicitat, non comprehenditur in Sum. Pontificum decretis. Ita ille, & ego. quamuis Freitas in editione nouissima num. 37. & seq. suam iterum conetur defendere opinionem. Sed nolis contemnere nostram sententiam, quam post hæc scripta inueni etiam docere Fagundez de præcep. Eccles. in edit. nouissima pt. 2. lib. 4. c. 3. nu. 78. & iterum Sousa de confess. solicit. tract. 1. c. 10. nu. 3.

An si Confessarius & pœnitens conueniant in simulatione confessionis, vt ibi inhonestos sermones habeant, sint denunciandi, & incidant in pœnas Bullarum?

RESOL. X.

NEgatiuè respondet Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 2. vbi sic ait, *Si vterque in simulatione confessionis conuenerunt vt liberius de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denunciandi, non Sacerdoti, vt de se constat, neque pœnitenti aliàs esset obligatus denunciare se ipsum. Neque hæc solicitatio est propria Sacerdotis potius, quàm pœnitentis, sed est mutua solicitatio ac proinde in solicitationem sibi factã vterque consentit.* hæc sententia est probabilis in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII.

Verùm stante noua constitutione Greg. XV. non est tenenda, & ideò Ioann. Sancius in selectis disput. 15. num. 3. sic ait. Quamuis aliquibus pijs & doctissimis viris visum sit nõ solum mortale crimen committendum iri in huiusmodi fictione, verum contra illum casum procedere rationem & mentem breuis contra solicitantes Confessarios editi, vtpote peccantis sub

confes-

confessionis furto, & in illius opprobrium, vt refert Aceugna de solicit. Confessar. quæst. 15. num. 2. qui tamen non comprehendi sub Breui casum illum censet. Verùm, quamuis sub dicto Breui non comprehendatur casus ille, comprehenditur tamen ex vi decreti Gregor. XV. vt constat ex illius tenore. Ita ille.

Nota tamen quòd si pœnitens bono animo accedat alia negotia in confessione tractaturus, Sacerdos verò occasione arrepta ad Venerem inducat, tunc etiam secundum ipsummet Castrum Palaum est obligatio in pœnitente denunciandi Sacerdotem, ex dicta constitutione Gregor. & ideò Sousa in aphor. Inquis. lib. 9. cap. 34. num. 42. ita asserit. Solicitatio in loco ad audiendas confessiones deputato, non tamen in actu confessionis, non comprehenditur in dictis constitutionibus secundùm antiqua iura. Secus in iure nouo Bullæ Greg. XV. quod comprehendit omnem solicitationem tam in confessionario, quàm in loco ad audiendas confessiones deputato, seu vbi confessiones audiuntur, dummodo simuletur confessio. Hæc ille.

An confessarius statim post confessionem ducens ad cellam puerum, vt chirographum confessionis tradat, & illum solicitet, sit denunciandus?

RESOL. XI.

Affirmatiuè respondet Sousa in aphorism. Inquis. libro 1. cap. 34. nu. 39. ita asserens. Si Confessarius solicitet puerum à se confessum & absolutum, dum eum statim post cõfessionem in domum, seu cubiculum suum ducit, vt confessionis chirographum tradat, est denunciandus, quia iste casus ratione dependentiæ includit confessionem, sicuti si Confessarius fœminæ sibi confessæ pœnitentiam imponat, vt ab ipsomet Confessario nuda verberetur, & cum ad hoc peruenisset, manu propria, aut scutica vapulat ab ipso, vel si Confessarius suadet fœminæ vt ipsi eo loco verenda ostendat, quæ ipsa in eadem confessione morbo affecta habere dixit. Hæc ille, qui etiam n. 31. optimè notat, quod actus immediatus ad confessionem censeri debet, si Confessarius sciens mulierem velle confiteri, illam solicitet, quamuis confessio non sequatur, vel quia ipsa noluit cõfiteri, vel quia Confessarius noluit eam audire, & hoc etiam antea docuerat Aceugna q. 14. n. 8. & nouissimè Castrus Palaus tract. 4. disput. 9. punct. 7. nu. 3. quod tamen intelligendum putat cum Sancio disp. 11. num. 49. quando fœmina vellet statim confiteri, vt infra videbitur.

An Confessarius sit denunciandus qui solicitat pœnitentem ad lenocinium?

RESOL. XII.

Etiam in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clemen. VIII. supradictum Confessarium esse denunciandum, docuit Aceugna quæst. 17. num. 8. & ibi eius Additionator Freitas numer. 14. Sed alij tenent quod secluſa noua constitutione Gregor XV. dictus Confessarius non erat denunciandus, & ita tenet Ioan. Sancius in select. disp. 11. num. 44. vbi sic ait. Quando Confessarius fœminam solicitat, non quidem sibi, vel alijs copulandam, sed quòd mediet, & intercedat vt alia fœmina in fornicationem consentiat, pœnas Breuis euitabit, cum talis solicitatio non sit directa ad exequendum carnis flagitium cũ pœnitente fœmina. Iam verò reor ex decreto Gregor. XV. denunciandum fore huiusmodi Confessarium, ea illis verbis, *aut cum pœnitentibus illicitos & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint*, inhonesti sanè sermones sunt pœnitentem inducere, quòd mediet vt alia fœmina in fornicationem consentiat. Hæc Sancius, & nouissimè hoc etiam docet Antonius Sousa in aphorsi. lib. 1. c. 34. n. 21. sic asserens. Confessarius fœminam pœnitentem ad lenocinium solicitans, non comprehẽditur in terminis antiquarum constitutionum; secus verò iuxta constit. Gregorij.

Sed ego non solùm stante constitutione Greg. hanc sententiam tenendam esse puto, vt docui part. 1. tractat. 4. resolut. 19. sed etiam in terminis Bullarum aliorum Pontificum, & ita hãc sententiam tenet etiam in editione nouissima iterum Freitas nu. 19. & Castrus Palaus tr. 4. disp. 9. punct. 5. nu. 2. nam ex supradictis Bullis, & ex edicto Inquisitorum, mandantur denunciari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, seu alliciunt; qui autem prouocat pœnitentem, vt mediet, absolutè prouocat ad actus inhonestos, illa enim mediatio actus inhonestus est, & eiusdem speciei cum crimine perpetrãdo. Item ratio tota prohibendi solicitationem pœnitentis factã procedit in præsenti, cum venenum propinet ei Confessarius, cui debebat antidotũ salutis propinare, & loco reconciliationis grauem peccati molem imponat, fontique limpidissimo lutum admisceat, ergo cum illa decreta sint instituta in fauorem sacramenti Pœnitentiæ, non limitanda sunt, sed potiùs extendenda. Ita Castrus, & ego satius quidem probabilius. Vide etiã Bonacinam in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 19. & post Bullam Greg. de hoc non est dubitandum, vt obseruat Peyrinus in priuileg. Minim. to. 2. constitut. 4. Gregor. XV. §. 5. n. 16. Et ita hanc sententiam, me citato, docet Nouarius in summa Bullarũ, tit. de solicit. in confessione, nu. 10.

Non desinam tamen hic adnotare quod Antonius Sousa opusc. de Confess. solicit. in annot. ad Bullam Gregor. XV. num. 7. videtur negatiuam sententiam, nempè Confessarium solicitantem pœnitentem ad lenocinium, non esse denunciandum, tamquam probabilem admittere, etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. quia affirmatiuam sententiam vocat tantùm tutiorem, & probabiliorem; sed ego puto omninò negatiuã sententiam esse damnatam in supradicta Bulla, vbi Pōtifex vtitur his verbis. Ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda; vbi illa verba, *cum alijs, & quomodolibet*, omne lenocinium, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte Confessarij manifestè includunt, & ita hanc sententiam nouissimè docet etiam Lezana in summ. qq. Regular. c. 19. n. 34.

An si pœnitens solicitet ad fornicandum, & Confessarius renuat, contentus tantum osculis, vel tactibus, sit denunciandus?

RESOL. XIII.

Negatiuè respondet doctus Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 5. num. 4. quia quando Confessarius renuit congressum, volens se tactibus tantùm delectari, non censentur solicitare ad malum, sed solicitationi factæ à fœmina consentire, fœmina enim inducens ad congressum, tacitè & in virtute inducit ad oscula & tactus, vt potè prçuia ad illum, eaque de causa manifestato congressu in confessione nulla est obligatio cõfitendi tactus & oscula. ergo Cõfessarius suadens solùm tactus renuens vlterius prosequi, non persuadet fœminam ad congressum solicitantem aliquod malum, ad quod ipsa non induxerit, imò si benè perpendatur; solum persuadet fœminam vt contenta sit solicitatione ad tactus & oscula, neque vltra velit procedere. Hæc omnia Castrus.

Sed contrariam sententiam docuit Ioan. Sancius in selectis disput. 11. nu. 28. vbi sic asserit. Si fœmina ad actum naturalem Veneris instiget, Confessarius tamen illum renuat, intendens solùm tactibus se oblectare, & ad eos solos prouocet, tunc denunciandus erit Cõfessarius; cum tam à copula, quã ab osculis, & tactibus auertere posset fœminam. Sic ille, qui multas rationes adducit pro hac firmanda opinione. Certum est etiam in vtraque sententia, quòd si fœmina prouocaret, v. g. Confessarium ad sodomiam, ipse vero ad naturalem congressum inciraret; vel si fœmina solicitaret ad fornicationem, ipse autem ad molitiem, vel è contra, certum quidem est Confessarium in tali casu fore denunciandum, quia solicitauit fœminam ad malum, ad quod non fuit ab illa inductum.

Notandum est etiam hic obiter, quod si fœmina Confessariũ solicitasset, postea verò dolore tacta pœniteat, vt absolutionem petat, Confessarius tamen solicitet, erit vtrique in tali casu Cõfessarius denunciandus, quia postquam fœmina cessauit à solicitatione, in illo statu est constituta ac si nunquam solicitasset, ergo tunc solicitatio facta à Confessario non potest dici continuatio fœmineæ solicitationis; sed noua solicitatio ex parte ipsius Confessarij.

An

An quando Confessarius & fœmina ad inuicem se solicitant, sit in tali casu Confessarius denunciandus.

RESOL. XIV.

RElpondet Sancius in selectis disp. 11. nu. 26. Acugna de Cõfess. solicit. qu. 11. num. 1. Castrus Palaus tract. 4. disputat. 9. punct. 5. num. 4. Peyrinus in priuileg. Minim. tom. 2. constitut. 4. Gregor. XV §. 3. num. 10. & alij, quod si ad inuicem hat solicitatio à fœmina primò; à Confessario deinde, ita vt mutuò se polliceant, non fore denunciandum Confessarium, quia illa nõ est prouocatio ex parte Confessarij, sed in prouocationem factam consentire, & illam continuare.

Sed hodie hoc non procedit stante Bulla Gregor. XV. & in terminis aliarum constitutionum, quando Confessarius, & pœnitens simul ad inuicem se solicitarent, nam in tali casu dicendum est Confessorem contra Bullas delinquere, & ita docet Sousa in aphoris. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 11. & Freitas in editione nouissima de Confess. solicit. quæst. 11 num. 35. qui citat Sousam in alio loco, nempè in opusc. de Confess. solicit. tract. 1. cap. 6. num. 9. vbi sic ait. Si Confessarius & pœnitens simul & adinuicem, sese prouocent, dicendum est Confessorem in decretum delinquere, & ratio est, quia Confessarius in simili euẽtu fuit verè solicitator, animumque impudicum actu exteriori patefecit, nec vt faceret prouocatus fuit ab incontinente fœmina, cum non ideò solicitauit quia solicitatus fuerit, atque adeò solicitatio fœminæ per accidens se habuit ad solicitationem Confessarij, ex quo sequitur nullo modo excusari posse Confessarium; qui postquam fœminam prouocauit, nouit se ab illa solicitandum fore, quia hoc etiam per accidens est. Ita Sousa, & ego.

An si Confessarius consentiat in solicitationem metus causa sit denunciandus, & ab Inquisitoribus puniendus?

RESOL. XV.

AD hoc dubium ita respondet Io. Sancius in selectis disput. 11. num. 30. Si vocatus Confessarius ad ægrotantis fœminę confessionem ab ipsa solicitaretur, minas superaddente se exclamaturam vim sibi ab illo inferri, nisi consentiat, sicque ipse ob vitandam infamiam actui impudico consentiat, nõ erit locus cõstitutioni Pontificiæ. Ita ille, qui citat Acugnam & Grassium, quibus ego addo Peyrinum de priuileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Greg. XV. §. 3. nu. 9.

Verùm si talis Confessarius denunciaretur, Antonius Sousa in aphorism. Inquis. libr. 1. c. 34. n. 28. & in opusc. de Confess. solicit. tract. 1. c. 17. n. 8. & seq. putat puniendum esse ab Inquisitoribus arbitraria, & extraordinaria pœna, sine tamen abiuratione; sed nouissimè Freitas tra. de Confess. solicit. qu. 11. n. 36. docet dictum Confessarium non esse denunciandum, neque posse illum Inquisitores pœna arbitraria punire.

An Confessarius incidat in Bullas Pontificias si solicitet fœminam in alijs sacramentis, Baptismi, matrimonij, &cet.

RESOL. XVI.

REspondeo negatiuè cum Lezana in summ. quæst. Regular. cap. 19. num. 34. Sancio in selectis disp. 11. nu. 42. Acugna q. 16. num. 6. & ibi Freitas num. 10. Castro Palao tract. 4. disp. 9. punct. 1. num. 4. Sanctarello de hæret. disp. 46. dub. vnic. n. 5. Peregrino in constitut. Cleric. Regular. part. 1. cap. 5. litt. M. Marono Bonacina in tract. var. disput. 6. punct. 3. num. 7. Laurenoo de Peyriois in priuil. Minim. tom. 2. const. 4. Greg. XV. §. 5. num. 17. & alijs, nam in omnibus constitutionibus Pontificum fit meooo tantùm de sacramẽto Pęnitentiæ. Deinde rarissimè occurrit, vt in alijs Sacramentis Confessarius solicitet fœminas, quod faciliùs accidit in sacramento Pœnitentiæ, & ideo Pontifices in suis Bullis intenderunt obuiare abusibus, qui in dicto sacramento Pœnitenntiæ frequentiùs, & commodiùs fieri possunt, cum in illo fœminæ sua peccata carnalia manifestant, & inclinationem ad ea, vnde facilè potest Confessarius sumere occasionem solicitandi pœnitentes ad turpia, quod, vt dictum est, non accidit in administratione aliorum Sacramentotum. & ita hanc sententiam docet iterum Freitas vbi suprà, in edit. nouissima n. 31. & seq. reprobans Megalam opusc. 1. de incantat. sect. 3. c. 3. nu. 17.

An incidat in prædictas Bullas, qui solicitauit pœnitentem ad actus illicitos extra Venerem.

RESOL. XVII.

AFfirmatiuam sententiam præter Pegnam in director. Inquis. part. 2. comment. 81. docet Lælius Zecchius in summa, tom. 1. tract. de fide, cap. 11. nu. 5. §. Tertia suspicio, & nouissimè hanc sententiam tenet etiam doctus Emanuel Moura opusc. 1. de ensal. & incant. sect. 3 part. 3. num. 17. vbi sic asserit. Acugna considerat non frustra duplicari in Bulla ad actus inhonestos & illicitos, quasi illiciti addant supra inhonestos, quamuis conetur vtrosque sumendos tantùm intra materiam Veneris; ergo rationabiliter puto illicitos ampliare ad illicitos in omni materia. Sic ille. Vnde Castrus Palaus to. 1. tract. 5. disput. 9. punct. 6. num. 2. putat probabiliter dici posse ob facultatem generalem Inquisitoribus datam cognoscendi de hæresis suspectis posse cognoscere de alijs solicitationibus extra Venerem si deferantur.

Sed hæc sententia mihi non placet, vt patet ex praxi DD. Inquisitorum, & illam reprobaui cum multis DD. in part. 1. tract. 4. resol. 20. quibus nunc addo Bonacinam in tract. var. disput. 6. punct. 3. nu. 7. & Freitam in nouissima edit. de Confess. solicit. c. 17. nu. 21. & q. 8. nu. 18. Sousam de Confess. solicit. tr. 1. c. 13. num. 4. & seq. & nouissimè Homobonum in consult. cas. consc. vol. 2. p. 5. respons. 130.

An Confessarius si laudet pœnitentem ex pulchritudine, venustate, &c. dicatur illam solicitare, & ideo sit ex hoc denunciandus.

RESOL. XVIII.

NEgatiuam sententiam probabilem esse putat Antonius Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 5. vbi sic ait. Confessarius, qui pulchritudinem pœnitentis, & venustatem laudat, licèt in terminis antiquarum constitutionum contra illos non faciat, probabilius est violare nouam constitutionem Gregorij. Ita ille. Vnde in verbo illo *probabilius*, docet negatiuam sententiam etiam in terminis Bullæ Gregorianæ esse probabilem; sed, vt dixi, seclusa constitutione Gregoriana, Confessarium putat in tali casu nõ esse denunciandum, quod etiam docuit opusc. Confess. solicit. tract. 1. cap. 1. n. 10. vbi sic ait: Ex his colligo primò, pœnæ huius decreti non manere subiectum Cõfessarium, qui in ipso etiam confessionis actu mulieris pulchritudinem, atque venustatem laudat, aliasque eius dotes commendat, tum quia de se hoc non est peccatum mortale, tum etiam quia ille actus non est inhonestus, neque de se ad inhonestum actum ordinatus. Sic Sousa.

Sed in terminis omnium constitutionum puto, dictam sententiam non esse tenendam, & ideo Peyrinus de priuileg. Minim. tomo 2. constitut 7. Gregor. XV. § 6. num. 21. sic ait. Inquisitores possunt, & debent procedere contra Confessarios qui non verbis expressis, sed solùm tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhonestos, vt si illos de pulchritudine, venustate, &c. laudent. Ita ille, quod antè docuerat Acugna de confess. solicit. quæst. 7. num. 13. Sanctarellus de hæresi cap. 44. dub. vnic. num. 9. & nouissimè Barbosa de officio Parochi c. 19. num. 49. & Bonacinam tractat. var. disput. 6. punct. 3. num. 3. qui rectè addunt hoc verum esse, modò non constet, aut rationabiliter non præsumatur Confessarium, qui fœminam laudauit a venustate, protulisse hæc verba alio fine, quàm intentione alliciendi ad actus inhonestos: vt si, v. gr. ait Bonacina, fœminæ pœnitenti dicat, suæ pulchritudini & venustaoi iniuriam facere prostituendo se ipsam alijs, sed de his verbis etiam in hoc casu abstineant Confessarij, nam equidem aliam rationem efficaciorem possunt inuenire, vt pœnitens minimè turpem copiam sui alijs faciat, quam laudando venustatem & pulchritudinem eius. Verum post hæc scripta inueni Freitam in editione nouissima de confess. solicit. qu. 7. nu. 44. & 45. circa præsens dubium etiam in termiois Bullæ Gregorianæ negatiuam senten-

sententiam docere; sed tu ne discedas ab affirmatiua, maximè post Bullam Gregorij XV.

An pœnitens solicitata teneatur denunciare Confessarium, si ex illa denunciatione timeat damnum notabile?

RESOL. XIX.

PArtem affirmatiuam regulariter sequendam esse docet Bonacina in tract.var.disp.6. puncto 1.§.3.num.6.& in fine,& punct.3.n.11. quia ferè nunquam huiusmodi periculum damni imminet, tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu sacramenti Pœnitentiæ, in hac materia præualent incommodo priuatarum personam.

Sed his non obstantibus negatiuam sententiam tenet Lezana in sum.q.Regul.c.19.n.34. Acugna de confessar.solicit.q.19. nu.6.Peyrinus de priuileg.Minim.to.2 constit 4.Gregor.XV.§. 9.n.28.Fagundez pr.2.lib.4.c.3 n 31. Sancius in selectis disp.11. n.55.& Sousa in aphorism.Inquisit.lib.1.c.34.num.58 vbi sic ait. Regulariter excusatur fœmina solicitata à denunciando, si ex denunciatione ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis famæ,vel honoris iactura,amissio maioris,vel magnę partis bonorum, aut hæc consanguineis & affinibus vsque ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur; & vt quis dicatur sufficienter timere prædicta mala taliter quòd à denũtiando deobligetur,sufficit quòd probabiliter proximè euentura credantur, facileque eis occurri non possit, & qui illa minatur,possit,ac solitus sit illa, aut similia exequi. Verùm si ex omissione denunciationis bonum fidei periclitetur, non potest omitti denuntiatio,licèt inde denuncianti aliquod ex prædictis malis, vel periculis eueniat. Ita Acugna & in hoc vltimo casu admittenda est opinio Bonacinæ.

Sed licèt supradicta sint vera, aduertant tamen Confessarij, quod in hoc cauendum est, ne trepidetur à timore, vbi timor non est, & ideo, vt vult Peyrinus loco cit. suadeant mulieri nõ esse inhonestum comparere coram Inquisitoribus pro Catholicæ fidei defensione ad denunciandum taliter delinquentes. Vnde Sancius in selectis disp.11.nu.45. Acugna q.22. nu. 14.& ibi Freitas num.14.& alij asserunt fœminas egregias & nobiles teneri testificationis causa in solicitatione adire Inquisitores,id enim nimis durum non est ob bonum Religionis, nisi clausura, infirmitas, aut alia iusta causa excuset; vide etiam infrà res. 37. monendæ tamen sunt mulieres solicitatæ cessantibus periculis ad denunciandum teneri.

An pœnitens, qui ignoranter accusauit se in confessione habuisse animum peccandi cum ipso Confessario vnde ex hoc illam solicitauit, teneatur dictum Confessarium denuntiare?

RESOL. XX.

REspondeo affirmatiuè cum Bonacina in tract.var.disput.6. punct.3.numer.17.vbi sic ait. Fœmina non obligatur ex vi constitutionum Apostolicarum ad denuntiandum Confessarium, cui expressè,vel tacitè suum libidinosum animum erga ipsum significauit, vt ipsum ad peccatum induceret, & Confessarius occasionem inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercendi. Hoc tamen intelligitur, modò fœmina turpem suum amorem Confessario significet animo ipsum prouocãdi, tunc enim ipsa dicitur solicitare Confessarium, non autem ab ipso solicitari: secus si hoc aperiat Confessario animo confitendi, seu accusandi se de graui illo affectu, & Confessarius ansam inde assumat exequendæ libidinis, tunc enim Confessarius dicitur solicitare pœnitentem. Ita Bonacina.

An Confessarius, qui abiurauit propter sollicitationes, si perseueret in solicitando, sit denunciandus ob præteritam solicitationem?

RESOL. XXI.

DIximus in part.1. tract.4. resol.26.non esse denuntiandum Confessarium,qui propter solicitationem alterius fuit punitus, & abiurauit, sed difficultas est si perseueret in solicitationis vitio,vtrùm sit deferendus ob præteritam solicitationem? & affirmatiuam sententiam docet Seraph. Freitas in tract. de Confess. solicit. quæst.3. num.34. Verùm contrarium tenet Io. Sancius in selectis disp.11. num.53. Nam obligatio ad denuntiandum ob præteritam solicitationem extincta fuit eo ipso, quòd solicitans Confessarius ab Inquisitoribus punitus fuit, nec renascitur denunciandi obligatio, quia iterum in solicitationis crimen incidit Confessarius, nec quicquam prodesse potest illa denunciatio ad secundam punitionem infligendam,cũ crimen illud ante primam punitionem fuisset commissum, & ad secundam punitionem solùm sint attendenda delicta commissa post primam.nam deterior non iudicabitur Cõfessarius, quia modo reuelētur aliqua solicitationis delicta ante primam punitionem patrata, sed ex eo quòd post vnam punitionem in alia noua crimina solicitationis fuerit lapsus, primam monitionem, seu punitionem spernens. Ita Sancius. Verùm ego puto non esse recedendum ab opinione affirmatiua quam docet Freitas loco cit.

Adde quòd non est verum id, quod asserit Sancius, nempè nihil prodesse istam denunciationem ad secũdam punitionem infligendam, nam Inquisitores grauiores pœnas pro pluribus solicitationibus, quàm pro vna rependere solent, & in causa hæresis accedente noua probatione reus iterum punitur, & condemnetur.ergo,&c.

An si Confessarius post solicitationem statim pœniteat se solicitasse, sit denunciandus.

RESOL. XXII.

AFfirmatiuè respondet Antonius Sanctarellus tractat. de hæresi,cap.41.dub.vnic.num.18 vbi sic ait. Incurret has pœnas Confessarius si in actu confessionis sollicitet fœminam, licèt statim pœniteat se solicitasse,nam quod factum est,nequit non fieri, l.in bello, §.factæ, ff. de capt. & postlim.reuer. quod est verum,etiamsi ex magna animi perturbatione & vehementi passione fuerit motus ad huiusmodi solicitationem. Ita ille, & post illum Martinus Bonacina in trac. var. disput.6. punct.3. num.4. vbi ita asserit. Addo extare obligationem denuntiandi Confessarium sollicitantem, etiamsi Confessarius statim pœniteat sollicitasse pęnitẽtem, & ratio huius opinionis fundatur in alia opinione asserente Confessarium emendatum esse denuntiandum. Sed dato,& non concesso, quòd Confessarius emendatus non sit denũtiandus,tamen adhuc in casu, de quo loquimur, magna prudentia opus est; nam quilibet Confessarius solicitans ad effugiendam denuntiationem potest dicere se pœnituisse de sollicitatione facta. Vnde regulariter puto esse supradictos Confessarios denuntiandos.

An Confessarius emendatus sit à pœnitente denuntiandus.

RESOL. XXIII.

NEgatiuè respondet Sousa de Confess. sollicitat.tract.2.c.6. concl.4.num.16. Lezana in summa qq.Regular.c.19. nu. 34. Acugna quæst.3. num. 16. Peyrinus tract. de priuileg. Minim.to.2.const.4.Gregor.XV.§ 9.nu.31.Castrus Palaus tractat. 4.disp.9.punct.10.nu.1.& ideo Io. Sancius in selectis dispur.11. num.15.asserit. Si multi sine anni elapsi post factam solicitationem, & credatur verisimiliter emendatum iam esse Confessarium,non erit denuntiandus, hoc enim pia conditio humanæ pati videtur, vt post longum tempus admissi criminis non deferatur ad punitionis Tribunal delinquens, sed præsumatur emendationem iam consequutam esse; tres verò annos exigit communis DD.ad emendationem præsumendam in criminoso. Hæc Sancius,& hanc sententiam, à fortiori docebunt DD. asserentes hæreticum emendatum non esse denuntiandum, quorum nomina inuenies in part.1. tract.4. resol.3. & ratio est, quia obligatio edictorum videtur cessare, posita emendatione Confessarij, sicut cessante causa cessat effectus, causa enim obligationis denuntiandi hæc videtur esse, vt Confessarius emendetur, & non amplius Confessionis sacramento abutatur, ergo, &c.

Sed ego ibi quoad hæreticum contrariam sententiam tenui, & illam etiam quoad Confessarios sollicitantes tenet Martinus Bonaci-

Bonacina in tract.var. disput.6. punct.3. nu.9. tum quia summi Pontifices absolutè in suis Bullis præceperunt denuntiari Confessarios tentante solicitare pœnitentes ad turpes actus, tum quia denunciatio & Inquisitio contra huiusmodi delinquentes iudicialiter fieri debet, nec solum instituitur ad emendationem delinquentis, sed etiam ad pœnam, vt tam ipse, quam cæteri metu pœnæ in tali crimine in futurum retrahantur, ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Ita Bonacina.

Nota verò quod si aliquis staret in prima sententia, nunc dicendum est Confessarium esse emendatum, si eadem solicitata mulier ter, vel quater ad ipsum accedens non iterum in eo libidinosum animum, & libidinis signa reperiat. Ita Sousa vbi suprà.

An si speretur correctio, pœnitens debeat denuntiare Confessarium.

RESOL. XXIV.

NEgatiuè respondet Fagundez in præcept. Eccles. pr.2. lib. 4. cap.3.num.31. Sousa de Confess. solic.tract.2.cap.6.n.9. Lezana in summa qq.regular cap.10.numer.34.Portel in addit.ad dub.regul.ver.solicitare fœminas,n.18. Castrus Palaus tr. 4. disp.9. punc.10 n.2. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. reg.resol.131.nu.14. Peyrinus in priuileg.Minim.const.4.Greg. XV.§.9.nu.26.Io. de la Cruz in direct. conscien.p.1.pr.5.quæst. 2.dub.5.concl.2.Ledesma in summ.tom.2.tract.4.c.4.concl.24. dub.2. Acugna de Confess. folic. q.18.n.14. & iterum Sousa in Aphor.lib.1.c.34.num.57.& à fortiori DD.quos ego ipse citaui in 1 p.tract.4.resol.2.asserentes etiam hæreticos, quando adest spes certa emendationis, esse corrigendos. Ratio est; quia præceptum de correctione fraterna obligat ex iure naturali, quando speratur emēdatio, quæ in casu nostro potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi, vnde si mulier solicitata scit alicuius idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo hoc intendere.

Sed ego loco citato contrarium docui, & idem in specie docet de Confessarijs solicitant. Ioan. Sancius in select. disput.11. nu.56.vbi sic ait. Etiamsi firmiter credatur emendatio in Confessario solicitante per fraternam correctionem, non excusabitur fœmina à denuntiatione, nam licèt in crimine hæresis, vel illam olentibus (quale est de quo agimus) stando in solo iure naturæ à denuntiatione poterit quis cessare, si firmiter credat per secretam monitionem fore hæreticum emendationem nacturum, quia tamen Inquisitorum edictum publicatur de hæretico, siue solicitante Confessario deferendo, nulla præmissa monitione, quantumuis firmiter credatur emendationem consequuturus, parendum erit præcepto, vt benè docet Areualo de correct. fraterna; fol. 118. cum bonum publicum magis sit procurandum, quàm particulare, & iudicium de spe emendationis hæretici, aut Confessarij solicitantis nolunt Inquisitores committere fœminis denuntiaturis, sed semetipsis, qui tanquam literati, & in istis rebus experti saniùs rem meditabuntur. Hæc omnia Sancius, cuius sententiam tenet Suarez tract. de fide, disput. 20. sect.4. num.11. vbi loquens de hæretico qui cùm retulisset opinionem eorum, qui dicebant præmittendam esse correctionem, si adsit firma spes, quod hæreticus statim esset emendandus, & consequenter quod in tali euentu denuntiandi præceptum cessaret. Respondet huiusmodi opinionem veram esse stando in solo iure naturæ: at ex suppositione alicuius iuris Ecclesiastici præcipientis immediatè procedendum esse ad denuntiationem, sustinere non debere talem opinionem. Addit tamen præceptum positiuum denuntiandi hæreticum prætermissa correctione nec in iure Canonico, nec in Bullis Pontificijs inueniri, sed immediatè oriri ex præcepto imposito per edicta Inquisitorum, quod non minorem habet vim, quàm lex Canonica, cùm illius Tribunalis potestas Apostolica authoritate feratur, & quamuis videatur præceptum ab homine, tamen quia Tribunal à quo procedit, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuò durat. Et ita hanc sententiam præter Sancium, & Suarez, tenet etiam nouissimè Iacobus Gordonus in Theolog.mor.tom.2. lib.6. quæst.12. cap.25. §.2.num.68.

Aduertit tamen idem Sancius quòd quādo dicitur edictum Inquisitorum obligare vt denuntiatio fiat nulla, præmissa correctione fraterna, non in eo sensu est intelligendum quod edictum prohibere intendat correctionem absolutè, sed solùm obligat vt denuntiatio non omittatur titulo correctionis factæ, vel faciendæ. Hoc si perpendatur, difficultatem omnem aufert, qua quidam sunt superati nō capientes quoquomodo edictum sanctissimi Tribunalis Inquisitionis præcipuè possit, quòd correctio nulla fiat ante denuntiationem, cùm id iuri naturæ conforme sit, & Christi Euangelio Matth.18. Vt enim iam diximus, non præcipitur per edictum correctionem non fieri, sed quòd quamuis sit facta, non ob id denuntiatio omittatur, quia sic expedit bono Religionis, & communi. Hæc Sancius, quæ hic transcribere volui, quia codex ratus est. Verum quia, vt aduertit Freitas in tractat.de Confess. solicit. quæst.18.nu.31. Doctores communiter tenent Inquisitorum edicta reijcere correctionem, ideo assero cum Suarez loco citato de fide, disput.20. sect 3.num.12. rationabiliter id præcipere. Primò, quia ob periculum communis detrimenti quod est in peccato hæresis, rarissimè potest conueniens remedium adhiberi per solam monitionem priuatam, & magna prudentia necessaria est ad cognoscendum, an hæreticus verè corrigatur, vt fingat, & decipiat; ergo meritò potuit Ecclesia quasi reseruare sibi, vel suis Prælatis, & iudicibus suis hoc negotium, & illud non relinquere arbitrio & discretioni alicuius hominis priuati. Secundò, quia finis adæquatus & præcipuus huius denuntiationis iudicialis non est, sola amenda fratris, sed etiam publica correctio, & securitas aliorum fidelium, ad hunc autem finem secreta monitio nunquam est sufficiens medium, & ideo in c.qualiter & quando, de accus.dicitur, quamuis ante denuntiationem vtique Euangelicam præcedere debet secreta monitio, non esse tamen necessariam, quādo via accusationis proceditur; sed eadem ratio est de denuntiatione iudiciali, nam quoad finem, & effectū intentum eiusdem rationis est.ergo, &c. Et ideo glossa, quod est valdè notandū in c.2.de accusat. ver.charitatiuè, notat, quòd in denuntiationis modo, cum agitur ad pœnitentiam, tūc necessaria est admonitio secundum veritatem Euangelicam.

Notandum est tamen quòd etiam stando in prima opinione ipsimet auctores illam tenentes existimant rarò emēdationem in Confessario solicitante correctione secreta sperari posse, ac proinde rarò cessare obligationem illum denuntiandi, & ita obseruat Castrus Palaus tractat.4.disp.9.punct.10.num.2. Vnde Sousa in aphor.Inquis.lib.1.cap.34.n.56. sic asserit. Regulariter loquendo crimen solicitationis quantumcumque occultum, statim denuntiādum est, prætermissa secreta admonitione. Sic ille. Et Henriquez lib.6.cap.17.num.4. in gloss.lit.L. ita ait. Casus solicitantis reseruatur censoribus fidei, quia serpit contra bonum commune, & honorem Christi, & vix (nota Lector hæc verba) vafer Confessarius emendari solet correctione. Sic Henriquez. Et tandem non desinam hic apponere verba Iacobi de Granado in 2.2. D. Thomæ, controu.3. tract.12.disp. 5.sect.4.nu.33.vbi loquens de correctione facienda in criminibus vergentibus in damnum communitatis, vt est solicitatio in confessione, sic asserit. Itaque nō sufficit probabilitas, quòd delinquens iste emendabitur correctione priuata, quia cum hac verisimilitudine stare potest prudēs timor, quod delictum perseuerabit, & communitas grauiter lædetur, necessaria ergo est certitudò quam in re tanti momenti non facilè sibi quisque persuadeat, nisi si non sit vir magnæ authoritatis, & efficacitatis, non poterit, practicè loquēdo, certus omnino esse, quòd sua priuata monitio omnino impediat malum imminens communitati. Ita doctus Granado, vnde aduertant Confessarij in casibus contingentibus quid faciant, ne cœcus cœcum ducat, & ambo in foueam cadant.

An quando Confessarius cum verbis, vel signis dubijs solicitat, teneatur pœnitens illum denuntiare.

RESOL. XXV.

AFfirmatiuam sententiam docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1.cap.34.num.54. vbi sic asserit. Mulier, cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre, & stante dicto dubio possunt Inquisitores vocare Cōfessarium, & illum interrogare de intentione, qua verba illa, vel signa ambigua protulit. Ita ille, quod etiam antea docuerat in opusc. de Confess.solicit.tr.2. cap.4.n.16.& ratio est, quia Inquisitores possunt circam factū,

aut verbum dubium Confessarium interrogare, ergo prædicta verba, vel facta Inquisitoribus denuntianda sunt, vt ipsi cognoscant, & examinêt an solicitationes sint. Probatur antecedens, quia cum Inquisitores possint procedere in hoc crimen, & vt constet, an commissum sit, necessariò sit exploranda mens ipsius Confessarij, quod nisi ipsemet explicet, fieri non potest; sequitur necessariò quòd possint ipsum vocare, & interrogare, aliàs enim frustra daretur in hoc crimen eis iurisdictio, sed quãdo hoc fieri expediat, diligenter aduertant Inquisitores. Et ita hanc sententiam præter Sousam locis cit. docet etiam Peyrinus in priuileg. Minimor. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. nu. 21. vbi sic ait. Mulieres si non solum verbis claris, sed etiam tacitis, seu obscuris, & ambiguis, seu etiam nutibus, vel tactibus fuerint à Confessarijs solicitatæ, debent eos Inquisitoribus denuntiare. Ita ille.

An fœmina edicti ignara teneatur denuntiare Confessarium solicitantem statim, vel intra eosdem dies, quos edictum signauerat.

RESOL. XXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Acugna tract. de Confess. solicit. q. 21. nu. 4. vbi sic ait. Præmitto, excommunicationis consumpto termino nõ consumptam denunciandi obligationem, imò teneri quemuis edicto semper obedire, cùm dietum illud spatium non detur, vt extinguatur, sed ne differatur obligatio. Propterea si edicti quis ignarus aut iusta aliqua armatus excusatione, non intra præfixum terminum compareat, mandati tandem iam gnarus, & impedimentis illis iustis iam expeditus comparere tenetur, atque non teneri statim ac sciat probabile est, sufficiens erit iudici se sistere testimonium dictorum intra æqualem terminum, qui per edictũ conceditur, quia non debet peioris esse conditionis. Ita Acugna.

Sed Ioanni Sancio in selectis disp. 11. num. 59. verius videtur obligare edictum ante alios dies ab illis, quos antea signauerat, & teneri fęminam denunciare cum primum commodè possit; sicuti teneretur denũciare ex pręcepto naturali opportunitate adueniente, nec ob id est peioris conditionis fęmina quæ ignorauit edicti publicationem, cùm tam ipsi, quàm alijs terminus ad denunciandum æqualis sit designatus, imò est melioris conditionis per accidens, cùm ob ignorantiam edicti excusetur ab obligatione denunciandi per amplius tempus, quam fœminæ edicti gnaræ. Hæc Sancius, qui tamen concedit opinionem affirmatiuam esse satis probabilem, quam tuentur etiam Filliucius tom. 1. tract. 14. c. 2. n. 42. & Suarez de censuris disp. 20. sect. 5. n. 14. loquentes in communi de illo, qui tenetur reuelare aliquid sub pœna excommunicationis.

Notandum est tamen, quòd si excusata fuisset fęmina denũciare ob aliquod impedimentum intra terminum edicti, dum esset illius conscia, non oportebit illi nouum terminum concedere, quia habuit scientiam vt posset toto illo tempore deliberare quid & quomodo agere oporteat, & consulere. Ita Suarez, & Sancius vbi suprà, licèt in hoc dissentiat Freitas in nouiss. addit. de Confess. solicit. quæst. 21. num. 41. vt infrà patebit. Nota etiam hic, quòd fœmina conscia edicti, & non denuntians intra terminum, excommunicationem incurrit, a qua absolui non potest per Bullam Cruciatę, nisi facta sit denuntiatio, aut per fœminam non stet, quin fiat cum læsa pars non sit adepta satisfactionem, videlicet Inquisitores, quorum iustum mãdatum non est impletum.

An fœmina in decimo mense, v. g. anni post edictum publicatum, teneatur denuntiare Confessarium solicitantem.

RESOL. XXVII.

Negatiuè videtur respondendum, per ea, quæ docet Henriquez libr. 13. cap. 18. num. 4. in gloss. litt. L. vbi sic asserit. Dum Inquisitor visitat pro causa fauorabili fidei, vt habet maius territorium, ita obligatio denunciandi longiori tempore durat, sed nono præcepto edicti non intendit obligare pro toto anno, & prudens perpendet quanto tempore duret noua obligatio, dum promulgatur edictum per pręcipuas Parochias. Pegna & recentiores negant obligare pro toto anno. Ita Henriq. ex quibus sequeretur quòd quis, v. g. post decimum mẽsem à die publicationis edicti non teneretur denuntiare.

Sed hæc opinio est prorsus reijcienda. nam, vt optimè obseruat Suarez de fide, disp. 20. sect. 4. num. 11. obligatio hæc denũtiandi oritur immediatè ex præcepto imposito per edicta DD. Inquisitorum, quæ non minorem vim habent, quàm leges Canonicæ. nam Apostolica authoritate feruntur, & quamuis videantur præcepta ab homine, tamen quia Tribunal, à quo procedunt, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuò durant, sicut de Bulla Cœnæ DD. communiter asserunt. Vnde in terminis nostram sententiam docet Fagundez de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 31. Auila de cens. part. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 5. conclus. 3. vbi sic ait. Edicta Inquisitorum durant per totum annum, donec iterum publicentur; itaque in quocumque tempore anni sciam aliquem esse hæreticum, teneor denuntiare. Probatur, nam hæc videtur intentio Inquisitorum, cum hæc delicta sint contra bonum commune, & ita practicatur, quòd fideles in quocumque tempore anni denuntiant huiusmodi delicta. Ita Auila, qui tamen notat, quod edicta Episcoporum non durant per totum annum, sed per duos, vel tres menses, vnde si post hoc tempus transactum nouit aliquem esse concubinarium, non tenetur denuntiare, nam cùm hęc delicta non vergant in damnum publicum, non videntur ita strictè interpretanda, neque accipiuntur à fidelibus cum tanto rigore, sicuti accipiuntur edicta Inquisitorum.

An quis teneatur denuntiare Confessarium solicitantem si hoc audiuit non solum à fide dignis, sed etiam à leuibus personis.

RESOL. XXVIII.

Et incipiendo quoad fide dignos certum est adesse obligationẽ, per ea, quæ adducit Villalobos in summ. to. 2. tr. 17. diffic. 1. nu. 15. Nauarr. de hæret. cons. 3. n. 1. Io. de la Cruz in direct. consc. p. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. conclus. 3. Pitigianus in pract. crim. reg. c. 3. fol. mihi 167. Lessius lib. 2. c. 30. dub. 7. n. 49. Reginald. to. 2. lib. 24. c. 3. sect. 6. n. 50. Genuens. in pract. c. 2. n. 9. Nau. de restit. lib. 2. c. 4. n. 228. & alij communiter.

Difficultas est, an quis teneatur denuntiare si audiuit, v. grat. Confessarium solicitasse à leuibus personis? & negatiuè videtur respondendum, per ea, quæ docet Rodriquez in qq. Reg. tom. 2. q. 6. art. 7. vbi firmat neminem obligatum esse denuntiare, quod à gente parui nominis & æstimationis audiuit, ita vt si illis fidem dederit, de facilitate in credendo possit à prudentibus notari, quod adeò est verum, vt procedat etiamsi à Superiore sub pœna excommunicationis & in virtute Spiritus sancti imperetur. Ita ille. & ita in terminis docet hanc sententiam Fagundez de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. c. 3. nu. 31. vbi sic ait. Si fęmina dicat coram multis se fuisse solicitatam à tali Cõfessario in confessione sacramentali, & ea sit fide digna, iam talis Confessor manet infamatus, & qui audiunt, tenentur sub excommunicatione denuntiare; secus si sit leuiuscula, aut non ita fide digna, & ita hanc sententiam docet etiam Portel in addit. ad dub. regul. ver. solicitare fœminas, nu. 22.

Sed ego contrariam sententiam teneo in nostro casu, & in alijs pertinentibus ad sanctum Officium, cùm talia delicta cõmuni bono noceant, & ideo Thom. à Iesu in lib. de visitat. trac. 1. c. 15. nu. 11. sic asseruit. Nemo tenetur peccatum, de quo est dubium, an fuerit commissum, vel quod a leuibus personis, vel minimè fide dignis referentibus audiuit denuntiare; secus verò si communi bono noceret, tũc enim simul cum dubio & leuitate referentium referri debet. Ita ille, & Octauian. Spatharius in praxi de modo corrigẽdi Regulares, tr. 5. c. 11. n. 4. sic ait. Nullus tenetur denuntiare quod auditu tantum percepit, excipio tamen casus in quibus vel ob grauitatem delicti, vel ob alium dignum respectum Prælati præcipiunt denuntiari ab omnibus etiam qui audierint, etsi aliter non sciuerint. In quibus casibus contra Rodriquez dico, subditos teneri ad denuntiãdum, quæ audierint à quibuscumque; nec ad illos pertinet discernere an a viris bonæ famę audierint, necne. Sed Prælati illud esto iudicium & onus, qui sic præcipit. Ita Spatharius, quæ omnia à fortiori procedũt in casibus pertinentib. ad S. Officiũ.

in

in cuius edicto absolutè & sine vlla distinctione præcipitur sub excommunicatione, vt si quis sciuerit, vel audiuerit delicta in illo edicto contenta, Inquisitoribus denuntiet. Igitur si quis audiuerit Confessarium aliquem fœminam solicitasse, tenetur illum denūtiare, nec ad illum spectat discernere, si ille, à quo hoc audiuit, sit bonæ famæ, vel leuis conditionis. Adde, & hoc est maximum argumentum, quod, vt patet ex c. in fidei fauorem, de hæret. in 6. in S. Officio contra reos admittuntur testes aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminosi, infames, periuri, &c. & hoc quia crimen hæresis, vel illam olens, est ita graue, & perniciosum Reipublicæ, vt meritò in eius detestatione tales testes admittantur, vt sic faciliùs delictum puniri possit, & extirpari. ex quo argumento necessariò concluditur delicta in edicto contenta esse Inquisitoribus denuntianda, licèt illa fuissent audita ex ore hominum infimæ conditionis & famæ. Vnde ex his apparet esse reprobandum Homobonum de Bonis in cōsult. mor. to. 1. p. 4. respons. 51. non solum quia asserit, nō teneri quem denuntiare Confessarium solicitantē, si audiuit à non fide dignis, sed multo magis est reprehendendus, quia asserit, ad denuntiationem faciendam non teneri nisi fęminam solicitatam. Sed tu contrarium tene cum Fagūdez loc. cit. & ita obseruat praxis S. Officij, tenetur igitur non solùm fœmina solicitata denuntiare Confessarium, sed etiā alij qui hoc audierunt saltē à fide dignis.

An fœmina in aliquo casu teneatur denuntiare ante impletum terminum publicationis edicti Inquisitorum.

RESOL. XXIX.

AD hoc dubium curiosum quidem ita respondet Io. Sācius in select. disp. 11. nu. 60. Si fœmina conscia edicti iter ageret ante terminum publicationis impletum ad oppidū, vbi non esset opportunitas denūtiandi, aut quia Inquisitionis Tribunal ibi nunquam est situm, aut alia causa probabile erit nō cōstringi fœminam præuenire denūtiationem ante impletionem termini designati per edictum Inquisitorum, si tantum loquamur ex iuris positiui obligatione, quia lex nō obligat denūtiare, nisi intra illum terminū, nec constringit præuenire denuntiationem ante in aliquo casu eo modo, quo nec teneri quem præuenire tempus annuæ confessionis, communionis, aut recitādum Officium diuinum ante terminum designatum per leges, quāeis sciat ille, qui non præuenit teddendum impotentem ad nō implendas leges, probabile iudicent aliqui, qua admissa probabilitate præsens casus probabilis erit, nec tenebitur fęmina ab iter agendo cessare sibi non necessarium, nec expectare dies edicti, si noluit ante illos denuntiare; sicut non tenetur non iter agere, quod est sibi non necessarium, qui sciret se reddi impotentem ex eo ad ieiunandum. Diximus non teneri præuenire denuntiationem ex vi præcepti positiui, nam ex vi naturali si maximè timeretur damnum Reipublicæ, aut metueretur fuga Confessarij, qui alibi quoque nociturus esset, præuenire teneretur. Hæc omnia Sancius.

Sed ego contrariam sententiam teneo, quia quis tenetur præuenire tempus confessionis si timeat, quod quando obligabit confessio, non erit copia Confessarij, & ita docet Suarez tom. 4. disp. 36. sect. 5. nu. 5. Fagund. z vbi infrà, Laymann in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 3. n. 9. & alij. Et idem asserunt de præcepto communionis, nam qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam recipere non possit, tenetur præuenire tempus, & illam facere, vt docet Syluius in 3. part. q. 80. art. 11. diffic. 2. Fagundez pr. 3. lib. 1. c. 6. n. 3. & alij, & sic etiamsi quis in die festo præuidet se non posse audire Sacrum hora nona, teneretur anticipare tempus, & audire hora tertia, si in nona non poteft. Vnde meritò idem Sancius vbi supra, asserit probabilius esse in casu nostro etiam ex vi iuris positiui tenere fœminam illam præuenire denūtiationem ante terminum designatum per edictum Inquisitorum, & denuntiare Confessarium solicitantem.

Notandum est tamē hic cum eodem Sancio vbi suprà, n. 64. quod si fęmina, quæ iam censuram incurrit, denūtiationis præceptum adimpleat, poterit virtute Bullæ Cruciatæ a quocunque Confessario absolui a censura, nam satisfacta parte absoluendi priuilegium ab omnibus censuris traditur in Bulla, vel a Regularibus virtute priuilegiorum, nec indigebit fœmina fateri Inquisitoribus in sacramento Pœnitentiæ, nec extra se negligentiam fuisse in denuntiatione, quod est valdè obseruādum, quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus alijs casibus contentis in edicto.

An sit denuntiandus Confessarius qui non absoluit fœminam ex aliqua iusta causa, si tamen illam solicitet.

RESOL. XXX.

REspondet affirmatiuè Sancius in selectis disp. 11. num. 41. vbi sic ait. Si Confessarius deprehendens fœminam verum propositū emendationis non adducere, & ob id absoluendam non iri, adhuc solicitet, pœna Breuis non vitabit, quia licèt Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro conscientiæ fit, quæ sufficit ad obligationem sigilli, & liquet quoque ex decreto Greg. XV. in illis verbis, *Qui occasione confessionis etiam ipsa confessione non sequuta solicitare*, &c. Ita Sancius, cui addendus est Acugna tr. de Confess. solicit. q. 14. nu. 10. vbi eius additionator Freitas nu. 16. alios duos casus solicitationis ponit, etiam in terminis aliarum Bullarum ante cōstitutionem Gregorianam. Primò, si fœmina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia solicitante. Secundò, si filiam spiritualem, hoc est, ex præcedentibus confessionibus notam ad genua procumbentem ante Crucis signū præoccupet Confessarius solicitans.

An fœmina si consentit solicitationi, teneatur Confessarium denuntiare.

RESOL. XXXI

IN part. 1. tract. 4. resolut. 9. adduxi Acugnam, Sanctarellum, Peyrinum & alios, affirmatiuam sententiam docentes, ex quadam Epistola Cardinalis Mellini directa ad Federicum Cardinalem Borromæum Archiepiscop. Mediolan. cuius tenorem hic per extensum modò apponere visum est. Sic enim habet [Illustrissimo, & Reuerendissimo, Signor mio Osseruātissimo. Doppo essersi hauuta longa e matura consideratione sopra il dubio significato da diuerse bande, se i penitenti siano obligati à denuntiare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, o atto della Confessione quando hanno consentito alla sollecitatione. N. S. e questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione tenuta auanti S. Santità a 25. di Luglio passato, doppo hauer ancho inteso il parere d'vna particolare Congregatione deputata per questo effetto hāno risoluto che qual siuoglia penitente è tenuto à denuntiare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo ò atto della Confessione, anchorche gli habbia consentito & non è tenuto à propalare il proprio consenso, nè sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò dall'Inquisitori, ò loro Vicarij auanti quali deporrà, ne meno il Confessore denuntiato procedendosi poi contra di lui, ne i cōstituti che se gli faranno non s'interroghi sopra dito consenso, & in caso ch'egli volesse dirlo da se non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante all' Officio della santa Inquisitione, le parti dūque di V. S. Illustrissima sono di significare a i Cōfessori detta risolutione, & incaricargliene strettamente l'osseruanza acciò ne i casi che occorrono alla giornata conforme al tenore della constitutione publicata da Gregor. XV. S. M. contra i confessori sollicitanti significhino a i penitenti l'obligo che hanno di denuntiare i Cōfessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendogli consentito, & facendo difficultà in scoprire il proprio consenso cōforme alla risolutione che si è fatta gli dichino apertamente che non sono tenuti a propalare il detto consenso, e che tanto i penitenti, quanto i confessori sollecitanti procedendosi contra di loro non saranno di ciò interrogati, e dicēdolo da se non si scriuerà ne riceuerà il loro detto, e quando il penitente mittaua perfistesse nella medesima tenitenza Nostro S. si contenta che dal Vescouo ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura e con giuramento la denuntia per portarla subito à chi gli hauerà data autorità di pigliarla, e se oltre le cose sudette occorrera altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denuntiare vuole S. Santità che si scriua qui, e s'aspetti la risposta & in tanto si soprasieda nell'assolutione, e tanto si contenterà Vostra Signora Illustrissima di far osseruare nella sua Diocese facendo registrare la presente negli atti di cotesta corte per informatione sua e de

suoi successori, quali hauranno mira che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti che per hauere consentito sanno difficoltà in denunciare, ma a quei che non hanno consentito ò hauendo consentito non sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficolta alcuna, ma lasciare che indifferentemente liberamente sodisfacciano all'obligo che hãno di denunciare conforme alla cōstitutione. Si compiacerà anco V.S. Illustrissima di mandare copie della presente a i Vescoui suoi suffraganei acciò da essi ancora sia fatta la presente risolutione & a V.S. Illustrissima per fine humilissimamēte bacio le mani, di Roma li 27 di Settemb. 1624. di V.S. Illustrissima & Reuerendissima humilissimo & obligatissimo seruitore, il Cardinal Mellino. A tergo. All'Illustrissimo & Reuerendissimo Sign. mio Osseruantissimo il Signor Cardinal Borromeo.]

Vnde ex hac epistola apparet, nō esse admittendam opinionem Sousæ de Confessar. solicitant. tract. 2. cap. 7. num. 4 asserentis fœminam si consentiat solicitationi, & veniat in actum peccati, præsertim in confessione, non teneri denuntiare Confessarium. Secundò apparet non esse admittendam opinionem Freitas in editione nouissima de Confessar. solicitan. quæst. 10. num. 40. asserentes fœminam in tali casu non solum teneri ad denuntiandum, quod est verum, sed etiam teneri aperire copulam, & si hoc non faciat Inquisitores possunt illam interrogare de omnibus circumstantijs solicitationis, tam tactuum, quam etiam copulæ, quæ omnia, pace viri doctissimi, sunt contra supradictam Epistolam, & expellunt fęminas à denuntiatione, vt omnibus patet vnde non sunt admittenda, neque in sacro Tribunali practicantur.

Non desinam hic adnotare id, quod obseruat Laurētius Peyrinus in priuil. Minim. tom. 4. constitut. 4. Gregor XV. §. 6 nu. 34. nempe datas esse litteras omnibus Archiepiscopis & Vicarijs Generalibus die 3. Octobris 1626. subscriptas, Cardinalis Mellini, quibus præcipitur dictis Ordinarijs de mandato SS. D. N. Vrbani VIII. vt omnibus Sacerdotibus, tam regularibus, quam sæcularibus approbandis ad confessiones audiendas in actu ipso approbationis legatur, & intimetur constit. Gregor. XV. præsertim §. 9. qui incipit, Mandantes, vt eodem tempore sciant Confessarij pęnas propositas solicitantibus, & quòd non hortantes, vt debent, pœnitentes solicitatos ad denunciandum, vel docentes eos non teneri denuntiari, punientur ab Inquisitoribus.

An quis excusetur à denuntiatione Confessarij solicitantis si hoc sciuit sub sigillo secreti.

RESOL. XXXII.

Affirmatiuam sententiam docet Fagundez de præcept. Eccles. præc. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. cuius sententia mihi non placuit, in part. 1. tract. 4. resol. 24. & nouissimè ex eadem Societate illam impugnat Castrus Palaus to. 1. tract. 4. disp. 9. pun. 10. nu. 5. Ratio est manifesta quia, vt probat Lessius lib. 2. c. 30. dub. 6. nu. 47. & DD. communiter, certum est, si denuntiatio est necessaria ad damnum aliquod publicum, vel priuatum, aduertendum promissionem secreti cum iuramento confirmatam non obligare, nullum enim iuramentum promissorium cadens in damnum tertij & Reipublicæ obligat, ac proinde talis tenetur illud aperire, non secus ac si non promisisset.

Sed hæc omnia accidunt in casu nostro, vt non cœcutienti patet, nam expedit bono Reipublicæ Christianæ tales Confessarios puniri, & ideo Gregorius XV. asseruit in sua Bulla in hoc casu procedendum esse, sicut proceditur in causis fidei, ergo, &c.

An etiam seclusa Bulla Gregorij XV. Confessarij solicitantes masculos sint denuntiandi.

RESOL. XXXIII.

Dubius in hac quæstione remansit Lopez, & absolutè negatiuam sententiam docuit Bariola, Fagundez & Portel, & de hac re consulendam esse Sedem Apostolicam desiderauit Paramus. Sed, vt ego asserui in 1. part. tractat. 4. resol. 12. affirmatiuam sententiam docebant communiter Doctores, verùm quia negatiua habebat pro se viros doctos, nec in contrarium aderat determinatio clara Pontificis, vt ego tunc putabam, censui esse probabilem, quod modo non censeo, quia inuenio ante constitutionem Gregorij Paulum V. die 6. Februarij anno 1619. decreuisse expressè Confessarios solicitantes pueros inclusos esse in Bullis, & per consequens denuntiandos, & ita testatur Io. Baptista Scortia in Bull. Pontif. epitom. 77. theorema. 197 & idem decreuerat die 29. Nouembris 1612. vt testatur Hieronymus Rodriquez in comped. quæst. Regular. resolut. 131. numer. 3. & Antonius Sousa opusc. de Confessar. solicitant. trac. 1 cap. 12. n. 12. & meritò quidem, quia respectu Confessionis sacramenti est eadem vtrobique irreuerentia & iniuria. Adde quod, vt notat glossa in c. 1. de tempor. ordin. in 6. ver. Italię, quam celebrat Panormitanus in ca. nihil, de elect. & Baldus in l. si quis furto. C. de furtis. & in l. illud. C. de sacros. Eccles. tunc non efficitur extensio & ampliatio casus ad casum in pœnalibus, sed declaratio solum, cùm vtrobique per omnia sit eadem ratio, vt fit in c. si postquam, de elect. & in l. quædam §. nummulario, ff. de edendo. Sed extensio tunc efficitur, quando casus non est omnino similis. Verùm in nostro casu nō solùm eadem omnino, sed etiam maior ratio est de solicitante masculum, quam fęminam. ergo meritò Doctores antea asserunt hunc casum fuisse inclusum in Bullis, quod postea Paulus V. vt diximus apertè ad tollendas Doctorum opiniones declarauit, & nouissimè fecit Gregor. XV.

Notandum est tamen hic obiter, nō bene Nouarium in summa Bullarum, tit. de solicit. in confess. citare meam resolut. 12. de denuntiationibus, & resolut. 26. de legibus, nam in dictis locis, vt legenti patebit, ego assero in terminis Bullæ Greg. XV. solicitantes masculos esse denuntiandos; solùm ibi dico in terminis aliarum Bullarum, opinionem negatiuam fuisse probabilem, cum Doctoribus quos ibi citaui, quam sententiam nunc, vt dictum est, neque etiam teneo; non bene igitur Nouarius me adduxit.

An Confessarius qui statim post confessionem solicitauit pœnitentem, & rem habuit cum illa, teneatur hanc circumstantiam confiteri.

RESOL. XXXIV.

Affirmatiuè respondet Petrus de Ochagauia tractat. 2. de Confess. sacram. quæst. 14. num. 14. vbi sic ait. Si forté contingat aliquem Confessarium committere peccatum luxuriæ cum aliqua pęnitente in ipsa cōfessione, vel proximé ad illam, talis circumstantia esset explicanda in confessione, quia mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra sacramentum Pœnitentiæ commissam. Cùm verò tale peccatum cōmittitur vnico die post confessionem, non habet eam specialem deformitatem necessariò confitendam, tum quia non dicitur proximè ad confessionem, tum quia ex confessione minimè contrahitur cognatio spiritualis perpetuò duratura, sicut nascitur ex Baptismi sacramento. Ita ille, & Ludouicus de S. Iuan in luce Confess. q. 5. de sacram. Pœnitent. artic. 12. difficult. 5 & nouissimè doctus Hurtado de sacram. Pœnitent. disp. 9. diffic. 4. § Quid in fine.

An fœmina post incursam excommunicationem, quia non denuntiauit Confessarium solicitantem, sit absoluenda si promittat illico eum denuntiare.

RESOL. XXXV.

Videtur affirmatiuè respondendum ex Lucio in summa cap. 24. num. 11. qui, vt refert Freitas in tract. de Confessar. solic. q. 21. nu. 25. asserit fœminam solicitatam absolui posse virtute Bullæ ab excommunicatione quam cōtraxit ob omissam denuntiationem, dum tamen cogatur à Confessario denuntiare Inquisitoribus, & in hanc sententiam videtur inclinare Freitas vbi supra n. 31. cum Rodriquez, sicut retinens rem alienam potest absolui bis, & ter cum proposito restituendi; & confirmari potest, quia contumax eo quod non vult ad iudicium venire, potest absolui si cautionem de stando iudicio præstiterit; ergo similiter qui promisit denuntiare.

At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Sancius in selectis disput. 11. numer. 6a.

Auila

Auila de censur. part. 2. cap. 7. dub. 7. in fine, & nouissimè Ægidius Trullench in Bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. nu. 11. quia, ait ille, in re tam graui non est facilè adhibenda fides promittendi denuntiare, & contraria sententia licèt stando in iure communi sustineri possit, & attenta solùm natura præcepti; at supposita excommunicatione tenēda non est, nam cum à peccatis nemo absolui valeat, nisi à censura antea immunis sit, & à censura illa absolui nequeat per Bullam, nisi prius satisfacta parte, videlicet Inquisitoribus, fit ne semel quidem fœminam fore absoluendum, & ideo si fœmina confiteatur post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum negligentem se fuisse in delatione criminis, ne quidem semel absolui poterit (iusta tamen causa non intercedente, de qua diximus in loco citato) quamuis fidem det se illico denuntiaturam: sicut non est absoluendus, qui eacommunicatur, donec eijciat concubinam, nisi priùs sit expulsa, nec sufficit quod proponat expellere, vt docet Suarez de cens. disp. 7. sect. 5. n. 45. Gutterez in qq. Canon. libr. 1. c. 5. nu. 30. & 31. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. & alij. Vide Sancium & Trullench locis cit.

An fœmina excusetur à denunciatione, si timeat graue damnum in bonis temporalibus amici maximi.

RESOL. XXXVI.

Affirmatiuè respondet Sancius in selectis, disput. 11. num. 55. asserens deobligari fœminam à denunciatione, si graue damnum metuat in fama, vita, aut bonis temporalibus proprijs, vel mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi. Ita ille.

Sed in editione nouissima contrarium asserit Freitar de cōfessar. solicit. quæst. 12. nomer. 19. dubitat enim, & meritò de exemplo amici posito a Sancio, si in bonis temporalibus damnum timeatur; licèt namque in alia materia id locum habere possit, ea tradit is per Sanchez lib. 4. disput. 4. num. 9. attamen in hæreseos crimine maior amicus est Deus, & dici solet amicus vsque ad aras, nam sententia Sancij admissa rarò quis teneretur hæreticum deferre, si esset consanguineus, aut amicus, cum propter hæresim omnia bona amittat, ex cap. cum secundùm, de hæret. in 6. Ita Freitas. Non desinam hic adnotare celebrè doctrinam eiusdem Freiras ibidem num. 21. Tunc ex amissione bonorum temporalium quis excusatur à denunciatione, quando statum mutare ex illa cogatur: vnde ait ipse nume. 24. cùm in casu contingentia consultus, vtrùm creditor magnæ quantitatis debitorem, sed hæreticum, ad Inquisitores deferre teneretur, à delatione excusari putabat, propter difficultatem & dilationes petendi debitum à fisco. Respondi non obstante ea difficultate ad denuntiandum teneri, tum quia per eam dilationem nec statum delator mutabat cùm esset diues, nec timor ille iustus erat ad excusationem, nam metus qui excusat, debet esse iniustè illatus & instans. Hæc ille, quæ quidem sunt multum notanda, & iuxta hæc intelligenda sunt ea, quæ superiùs dixi in resolut. 19.

An sit denuntiandus Confessarius prætextu confessionis agendæ vocatus, si postea in domo solicitet.

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuè videtur respondendum ex Sancio in select. disp. 11. n. 68. in fine, vbi sic ait, Siue in domo fœminæ simulatio illa interueniat, dum videlicet prætextu confessionis agēdæ vocatur Confessarius, vtrique tamen intentione venereorum agendorum ad simulandum duceretur. Ita ille.

Sed negatiuam sententiam, & meritò, docet Freitas de confessar. solicit. in nouissima editione quæst. 15. numer. 44. vbi sic ait. Si Confessor domum vocetur sub prætextu confessionis, veluti vt Prælatum Confessor decipiat, cùm tamen ex præcedente tractatu tam Confessor, quam fœmina intentionem habeant venereorum agendorum, puto Breui non esse locum, eo maximè, quia in casu Sancij non proponitur solicitatio ea parte Confessoris in sacramento Pœnitentiæ, vel proximè, sed tractatus remotus ex vtriusque placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, siue simuletur, siue non, confessio. Opinio ergo Sancij defendi tantùm potest, quādo in ipsa domo & loco ad confessionem deputato, & sub confessionis figura, vt ita dicam, simulet Confessor ad inspectantes illudendos confessionem audire, etsi ab ipso non incipiat solicitatio, nec præcedat inter eos tractatus, simulatio namque ipsa per se sufficiat. Ita Freitas. Igitur prætextus confessionis, de quo agit constitutio Gregoriana, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, de quo videndus est Sousa de confess. solicit. in addir. nu. 10.

An sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in confessionario, & loquens cum pœnitente, stante, vel sedente ante confessionarium illam solicitat.

RESOL. XXXVIII.

Hic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè videtur respondendum, ex decreto Pauli V. quod affert Coriolanus de cas. reseru. part. 1. sect. 2. art. 22 numer. 4. & Peyrinus de priuileg. Minim. tom. 2. constitut. 4 Greg. XV. § 5. numer. 15. cuius tenor est hic. Feria 5. die 30. Iulij 1614. in Generali Congregatione Sanct. Rom. & vniuer. Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. D. Paulo diuina prouidentia Papæ V. ac Illustrissim. & Reuerendissimis DD. Petro titulo S. Mariæ in via Bellarmino, Ferdinando Taberna titulo S. Eustachij, & Ioanne Garzia titulo SS. quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Presbyteris S. R. E. Cardinalibus aduersùs hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à sacra Sede Apostolica specialiter deputatis facta relatione quod multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem cōfessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decreuit vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio. Sic ibi, in quibus verbis nulla efficitur mentio de simulatione confessionis; vnde intelligendum videtur, licèt Confessarius non simulet cōfessionem, dummodo solicitet fœminam in confessionario, & in hoc casu differentia est inter solicitationem in confessionario, & inter eam, quæ fit in subselijs, & alijs locis, qui licèt deputentur aliquando ad confessiones excipiendas, non sunt, neque dicuntur Confessionalia; videtur enim Sum. Pontifex respexisse ad locum illum, qui ex instituto ad Sacramentum exercendum reputandus est in Ecclesia, & is casus in hoc differt à Gregoriana constitutione.

His tamen non obstantibus talem Confessarium non esse denuntiandum sentit Freitas in nouissima editione de Confessar. solicit. quæst. 15. num. 52. & quæst. 13. num. 30. vbi ait. Sed ego puto Gregorium restrinxisse decretū Pauli V. ad simulationis terminos, seu potius declarasse ad quod reducendus est. & ita docet Sousa de Confessar. solicit. tractat. 1. capit. 15. & in annotat. num. 13. & inclinat Freitas vbi supra quæst. 15. numer. 51. & ideo Sancius in selectis disputat. 11. num. 66. docuit Paulum V. in illo decreto, & Gregorium XV. in sua constitutione idem decreuisse. Vnde ex sententia dictorum auctorum dicendum est ad dubium propositum, talem Confessariū non esse denuntiandum, quia in tali solicitatione nulla adsuit simulatio audiēdi confessiones, & ideo Castrus Palaus tom. 1. tractat. 4. disput. 9. punct. 8. nu. 4. sic asserit. Aduertendum est autem optimè posse Sacerdotem cum fœmina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio vlla sit confessionis audiendę, & tunc denuntiandus non est, quia non quælibet solicitatio in confessionario facta cauetur illo decreto Gregor. sed solicitatio quæ simulatione confessionis trahat, vt constat ex illis verbis, *simulantes ibidem confessiones audire*. Ita ille. & nouissimè Freitas loc. cit. nu. 49. vbi sic ait. Stando in terminis Bullæ Gregor. XV. si Confessor in confessionario solicitet extra cōfessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo fœminam stantē, vel sedētem, qui compositionis modus à communiter accidentibus confessionis actum, & speciem excludit, non incurrit pœnas, quòd à fortiori procedit si Confessor in subselijs Ecclesiæ, in quibus etiam sæculares sedere solent, non in confessionario solicitet, tametsi aliquando in eisdē subselijs & scamnis confessiones excipiat. Hæc Freitas, & hanc sententiam nouissimè docet etiam Lezana in summa qq. Regul. c. 19. n. 34. Sed cùm contra Doctores istos habeamus apertam declarationem S. R. & vniuersalis Inquisitionis, ab ea non est recedendum.

Notandum est tamen hic obiter, Freitam vbi suprà quæst.9. num.21.& quæst.15.n.24. docere verba illa constitutionis Gregor. *simulantes confessionem audire*, intelligenda esse de simulatione ad circumstantium illusionem, quę cessat inter illam correorum. Sed contrarium docet Sancius in selectis disp. 11. nu. 40. quem ego sequor.

An sit denuntiandus Confessarius qui fœminam ad confessionem accedentem ante Crucis signum, solicitet illam, dilata in aliud tempus confessione.

RESOL. XXXIX.

Esse talem Confessarium denuntiandum in terminis Bullæ Greg. XV. non est dubitandum. Difficultas est in terminis aliarum Bullarum Pauli V. Clem. VIII. &c. Negatiuè respondet Sousa de Confess. solicit. tractat.1.cap.18. nu.7. Sed aduersùs illum, & meritò, insurgit Freitas in edit. nouissima de confessar. solicit. quæst.14. num.28. quia praxis S. Officij est in contrarium, cum tales Confessarij in Tribunali Sacræ Inquisitionis plectantur, vt accidisse Pinciæ testatur ipse Freitas. Deinde certum est secundùm communem opinionem Doctorum, & tenet Moura opusc.1. de incant sect.3.cap.3. num.18. in terminis dictarum Bullarum Confessarios solicitantes paulò post, vel ante confessionem, esse denuntiandos; sed hoc accidit in casu nostro. ergo, &c. Deinde non satis percipitur discrimen inter hunc casum, & illum, quem probat ipse Sousa in num.6. vbi sic ait. Idem existimo, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, ipsam solicitet, quamuis confessio nõ sequatur, siue quia solicitata cõfiteri postea noluit, siue quia Confessarius audire recusauit, aut ad alium Confessorem remisit. Ita ille. ergo omnino dicendum in dubio proposito talem Confessarium esse Inquisitoribus denuntiandum.

An fœmina teneatur denuntiare solicitationem commissam ante promulgationem Bullæ Gregor. XV. & aliorum Pontificum.

RESOL. XL.

PRo affirmatiua sententia in part.1. tract.3. resol.25. adduxi aliquos DD. quibus nunc addo Freitam in editione nouissima de Confess. solicit. q.3. num.15. & Hieronymus Rodriquez in compen. qq. regular. resol.131. num.1. Sed ego ibi negatiuam sententiam docui cum Portel, & Fagundez, quibus nunc addo Antonium Sousam de Confess. solicit. tract.1. cap.20. num.6. & seq. loquentem de cõstitutione Pauli V. Vnde existimo vtramque opinionem probabilem esse. Et post hæc scripta inueni recenter opinionem negatiuam docere etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. Fagundez vbi supra, de præcep. Eccles. in edit. nouissima præc.2. lib.4. c.3. nu.74. & Sousa in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num.3. vbi sic ait. Aduertendum est hanc constitutionem, siue in illis, quæ ex certa scientia confirmat, siue in alijs, quæ de nouo statuit & obseruari vult, non extendi ad præteritos lapsus, ad eos scilicet, qui eius sufficientem promulgationem præcesserunt, nullum enim verbum in ea inuenio quod oppositum suadeat; vnde omnes lapsus ante huius sufficientem promulgationem puniendi sunt, iuxta tenorem constitutionis antiquæ Pauli V. Ita ille, & tandem hanc sententiam negatiuam, me citato, docet etiam Antonius Nouarius in summ. Bullarum tit. de solicit. in confess. nu.16.

An si edictum non publicetur, teneatur adhuc fœmina Confessarium solicitantem denuntiare sub pœna excommunicationis.

RESOL. XLI.

SVppono edictum Inquisitorum annuale esse, nec finire per terminum in illo appositum, sed durare per integrũ annum cum singulis annis publicetur. Sed difficultas est, quid dicendũ si Inquisitores particulares ex negligentia, seu alio capite edictum non publicarent, an fœmina teneretur denuntiare? Respondeo affirmatiuè non sub pœna censurarum, quia obligatio denuntiandi hæreticum, vel de hæresi suspectum, est perpetua, licèt edicta non publicentur infligentia censuras, & alias pœnas, & ita docet Freitas in nouiss. edit. ad tract. de Confess. solicit. q.21. n.43. & 58. asserens hoc esse verum quoad obligationẽ denunciandi, non autem quoad incursionem censurarum, cùm in edicto non sint contrauenientibus inflicta, & in Bullis Pontificijs non imponitur pœna excommunicationis in fœminam non denuntiantem Confessarios solicitantes.

Sed ego puto in tali casu non denuntiantes non solum peccare mortaliter ex natura rei, sed in censuras incurrere, quia Confessarij solicitantes sunt de hæresi vehementer, vel saltem leuiter suspecti, vt docet Aloysius Bariola in tract. de Confessar. solicit. post Flores Inquis. Genuensis in praxi Archiep. cap. 66. num.2. Modius de sacris Ordin. cap.27. num.6. Sesse tom.4. decis.449. numer.3. Acugna de Confess. solicit. quæst.2. nu.20. Castrus Palaus tract.4. disput.9. punct.6. num.1. & alij. Sed adest præceptum sub die 3. Ianuar. 1623. sacræ Vniuer. Inquisit. Romanæ de hæret. seu de hæresi suspectis iudicialiter propalandis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. ergo, &c. Tenor autem supradicti præcepti hic est. Vniuersis & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusuis status, Ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus; & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie ac tenore auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij qua fungimur in hac parte, præcipimus & mandamus quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio ac trina monitione canonica assignamus omnes & singulos hęreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reuerendo Commissario nostro quoad habitantes in Vrbe, quo vero ad alios extra Vrbem & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicarijs generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S.D.N. Papæ, & nobis reseruamus. Certificantes huiusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos, tamquam contra hæreticorum fautores aliàs prout melius visum & iuris fuerit procedetur. ideo, &c. Datum in nostra & Officij S. Rom. vniuers. Inquisit. Congregat. die 3. Ianuar. 1623. Oct. Episc. Prænestin. Cardinal. Bandinus C. Cardin. Madrutius, Ioann. Garsia Cardin. Mellinus Fr. Card. Verallus G. Card Borgia. Fr. Fœlix. Cardin. Asculanus. S. Card. S. Susanæ. Fr. D. Card. de Cremona. L. Card. Lodouisius. L. Card. de Lauallette, Andreas de Petrinis S. Rom. & vniuers. Inquis. Notar.

Et licèt aliqui opinati sint supradictum præceptũ sacræ Congregationis non fuisse perpetuum, quia proponitur sub nomine præcepti, & non decreti, attamen falluntur, quia si diceret decretum, nullus dubitaret quin esset perpetuum: at præceptũ & decretum sæpius confunduntur in iure, vt notat Tuschus verb. Præceptum, conclus.480. num.4. & 11. & clariùs apparet ex constitut. Sixti V. circa agitationes taurorum, quam refert Guttierez lib.1. canon. qq. c.7. n.36. vbi postquam retulisset Põtifex constitutionem quamdam Pij Quinti & Gregor. XIII. ait, *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta prout decet inuiolabiliter obseruentur*, vbi constitutiones Pontificum vocat *præcepta*. Deinde ex dicto præcepto nullum apparet signum, quare non debeat esse perpetuum. Illud enim, *Præcipimus vt infra duodecim dies proximè computandos*, &c. intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti, & colligitur ex eo, quia obligat vbique locorum, & pœna indefinitè posita perpetua est: proponitur autem sub nomine præcepti fortè, quia id est familiarius illi sancto Tribunali. Et hæc omnia obseruat, & docet Laurentius de Peyrinis de priuileg. Minim. tom.2. constit.9. Pauli V. § 2. nu.27. Igitur non denuntiantes hæreticos, vel de hæresi suspectos, vt est in casu nostro, ex decreto perpetuo sacræ Congregat. incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ.

Notandum est etiam Sancium in selectis. disput.11. num.62. docere, Præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes esse perpetuum, & per consequens excom-

excommunicationem quoque perpetuam; sed hoc impugnat Freitas loc. cit. n. 58.

Non desinam tamen hic adnotare circa materiã edictorum pro praxi id, quod docet idem Freitas vbi supra nu. 41. & sequ. quod quando per edictum iubentur scientes denunciare intra sex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis, vnde cùm dies naturalis 24. horarum spatio circumscribatur, incipit terminus à sequenti die & hora, qua edictum in præcedenti promulgatum fuit; ac subinde dum edictum publicatur in Dominica, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora.

Secundò notandum tempus edicti computandum de momento ad momentum, ita vt nec ignoranti, nec impedito curras, putat enim Freitas vbi supra, nullam constituendam esse differentiam in hoc casu inter ignorantem & impeditum, nam iura ignorantibus, & impeditis æqualiter fauent, licèt Suarez, vt suprà obseruatum est, de cens. disp. 26. sect. 3. nu. 14. & alij teneant, quòd obligatio denuntiandi intra certum terminum data ignorantia publicationis incipit eo transacto cùm æquali termino, si verò non ignorantia, sed impedimentum aliquod occurrat, eo cessante statim ligabit, & de hoc supra dictum est.

Notandum est etiam cum eodem Freitas n. 70. & 71. edicti Inquisitorum non comprehendere hæreticos, & eorum complices, quia hæreticus non tenetur se prodere, neque complices, quia illos denunciando se ipsos proderent, nec per id impeditur Officium S. Inquisitionis, quod procedit in foro exteriori, fallit hoc tamen in fœmina sollicitata consentiente, vt suprà ex epist. Cardin. Millini probatum est; & docet nouissimè Hieronym. Rodriquez in compen qq regul. resol. 131. nn. 11. & 12. nam tenetur denontiare Confessarium eo modo, quo supra declaratum est, cùm ex tali denunciatione nulla sui nominis, seu honoris iactura obuenire potest.

Notandum est etiam hic obiter, quòd licèt supradictum sit verum, quòd non incurrit in censuras positas in edicto, si quis non denuntiat alios ex metu grauis damni, videlicet vitæ, bonorum, &c. tamen aduerte, eo, qui ad edicti obseruantiam non tenentur propter metum amissionis vitæ, vel bonorum eorum, qui denuntiantur excusari propter metum iniustum ex aliorum malitia illatum, non propter iustum per leges impositum, qui non excusat. Vnde non sunt intelligendi Doctores de pœnis contra hæreticos impositis, quæ iustissimæ sunt, & ita docet Freitas vbi suprà, q. 19. nu. 20.

An si Confessarius consentiat solicitationi, sit denuntiandus vigore Bullæ Greg. XV.

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondet Fagundez de præc. Eccles. in 2. edit. præc. 2. lib. 4. c. 3. nu. 56. & 57. quia Summus Pontifex in dicta Bulla omnes illicitos & inhonestos sermones, quos Confessarij cum pœnitentibus habuerint, prohibet & dictos Confessarios denuntiandos esse statuit. sed Confessarius consentiens solicitationi, commiscet cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones: ergo denuntiandus est. Ita Fagundez, & ante illum ego ipse in 1. p. tract. 4. resol. 11. sed ibi obseruaui multos Doct. etiam in terminis Bullæ Gregorianæ circa præsentem quæstionem negatiuam sententiam docere.

An Confessarius sit denuntiandus qui concubinam in confessione de zelotypia arguit.

RESOL. XLIII.

Affirmatiuam sententiam docet Ioa. Sancius in selectis disput. 11. num. 32. vbi sic ait. Sub pœnis Breuis comprehendi arbitror Confessarium lasciuè obiurgantem suam concubinã, Hispanè *si la pidiesse Zelos lasciuos*. nam talis actio maximè prouocatiua est ad lasciuiam, vel ad minus est signum ostendes lasciuum amorem, zelosum enim aliquem se ostendere, non est aliud, quàm pœnitentiæ signa ostendere, quòd alius, & non ipse solus particeps sit lasciui amoris fœminæ, & idem est ac si tunc diceret Confessarius, pœniteo quòd causam discontinuãdi nostrum affectum & amorem afferas, quod magis verum est iam ex decreto Gregorij XV. prohibentis in confessione illicitos tractatus, siue sermones haberi. Ita ille.

Sed aduersus illum nouissimè acriter insurgit Seraphinus Freitas in nouis addit. de Confess. sollicit. quæst. 9. numer. 21. & quia codex rarus est, ponam eius verba per extensum, sic itaque asserit. Casus à Sancio propositus fictitius mihi est, nam aut concubina ad Sacramenti fontem pro erratorum expiatione pœnitens accedit, aut animo à peccatis non discedendi concurrente Confessoris mala fide; in secundo casu non est Sacramentum, & Confessor in ea specie solicitans non incidit, vt ipse Sancius fatetur d. disp. 11. nu. 39. & nos cum Illustrissimo infra quæst. 14. quod ego intelligo etiam stante Gregoriana Bulla contra eumdem Sancium d. disp. 11. nu. 40. quia tunc ex Gregoriano edicto Confessor incurrit, quando interuenit simulatio ad circumstantium illusionem, quę in nostra specie inter ipsos excogitari non potest, nisi adsint arbitri. In primo verò casu falsa propositio mihi videtur, supponimus enim fœminam peccata luxuriæ cum vxoratis & alijs cõfessam (aliàs enim si ea occultat cum Confessoris scientia, locum habet præcedens casus) reprehendit & obiurgat vehementer fęminæ lasciuiam & peccata audire Confessor, in hac hypothesi, si Confessor zelotypia ducatur, pendet ab animo hæc intentio, quam si penetret concubina, vt supponit Sancius illis verbis, *signum est*, &c. iam dire ctè & principaliter non agitur de solicitatione verbis non expressa, sed mente retenta, & tunc auctore Sancio sistitur fœmina apud Inquisitores denuntians Confessorem tamquam hæreticum, aut de hæresi suspectum; quia eam de peccatis carnis cum alijs reprehendit in confessione. Itaque absurdum & hæreticum mihi videtur firmare, quod idem est solicitare ad peccatum carnis, & reprehendere in genere (& præcisè stando in terminis tantùm reprehensionis peccati in genere) peccatum luxuriæ cum alijs, si Confessor eam de similibus obiurget: quia *signum est*, ait Sancius, ac si dicat Confessor, Pœniteo quòd causam dissensionis nostri amoris offeras, quod cum alijs distraheris in similibus lasciuijs, hæc igitur cautè legenda, & seriò cauenda puto. Tunc autem forsan opinio Sancij locum habere potest, si obiurgatio progrediatur vltra peccati reprehensionem, minetur Confessor concubinæ si deinceps cum riuali nominato cõfabuletur illius domum intret, vel interueniat aliud ex ijs, quæ subintelligit & exponit Sancius, nam stando in terminis reprehensi tantum peccati, tametsi Confessarij intentio in zelotypiam dirigatur, non subiacebit Breuis edicto, præcipuè, quia obiurgatio lasciua ex zelotypię vitio supponit fœminam incorreptam & impœnitentem, qui casus vix considerari potest in hypothesi à Sancio proposita & Sacramenti administratione; quid enim opus est reprehendi lasciuè concubinam in confessione qua cum consuetudine perpetua vtitur Confessarius, vt supponit Sancius. Et hęc omnia docet Freitas vbi supr. at his non obstantibus sententiam Sãcij sequitur nouissimè Fagundez in 2. editione de pręcept. Eccles. pręc. 2. libr. 4. cap. 3. num. 63.

An Ecclesiastici qui intersunt sententia contra Confessarios solicitantes, teneantur sub peccato mortali non manifestare delinquentem.

RESOL. XLIV.

Affirmatiuam sententiam docet Sousa de Confess. solicit. tract. 2. cap. 16. num. 8. vbi sic ait. Illud notandum existimo, non esse vocandos tot numero, vt crimen secreto seruari non possit; dixi non debere tot personas numero interesse vt crimen secretò seruari non possit, quia, vt existimo, omnes, qui intersunt huiusmodi sententijs, & abiurationibus, tenentur sub peccato mortali secretum seruare, personamque delinquentem, aut crimen alijs non manifestare. Ratio est, quia infamia talis criminis Tribunalis sancti Officij Inquisitionis limites non excedit, vt patet ex eo quòd sententia illa propter bonum commune occultè profertur, nec iudices fidei infamare intendunt eos quos sic puniunt, sed quando crimen aliquos limites non excedit, nõ potest sine peccato mortali manifestari, ergo quotquot intersunt, secretum seruare tenentur. Ita Sousa.

Sed, vt verum fatear, hęc sententia nimis rigida mihi videtur, & Seraphinus Freita in addit. ad tract. de Confessar. solicit. quęst. 24. nu. 49. propter scandala putauit à DD. Inquisitoribus in tali casu pœnam excommunicationis & iuramentum adhibendum

bendum esse, ne interuenientes hoc crimen propalarent alijs. Ergo dum non adhibetur, non adest obligatio peccati mortalis, maxime si tales Ecclesiastici crimen manifestarent inter alios Ecclesiasticos & Regulares; nam ita nullum scandalum oriretur, imò cum edictis viris propalatio effectum bonum faceret, incurreret enim eis timorem, secus autem esset cum sæcularibus, & de propalatione cum sæcularibus, loquitur Freitas vbi supra.

An si Confessarius in confessione petat à pœnitente domum suam, vt ibi adducat concubinam, sit denuntiandus.

RESOL. XLV.

NEgatiuam sententiam docet Antonius Sousa in opusc. de Confessar. sollicitant. tract. 1. cap. 14. num. 8. vbi sic asserit: Constitutio non intelligitur de actu quo Confessarius fœminæ suadet vt sibi det pecuniam ad largiendum meretrici, quia licèt huiusmodi actus inhonestatem aliquam contineat, illam per se primo obiecto non continet, idemque dicendum est si Confessarius suadeat fœminæ vt in domo ipsiusmet ad ipsius Confessarij notam concubinam pateat accessus. Ita ille.

Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. hæc opinio mihi non placet, nam ibi Pontifex hæc verba apponit. *Ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda*, vbi illa verba, *cum alijs, & quomodolibet*, videntur casum de quo loquimur includere.

An Confessarius sollicitans fœminam ad confessionem accedentem, quia ipse eam præuenit faciendo differre confessionem in aliud tempus, sit denuntiandus.

RESOL. XLVI.

NEgatiuè respondet Antonius Sousa opusc. de Confess. solicit. tract. 1. cap. 18. num. 7. vbi sic ait. In hoc decreto Pauli V. existimo non comprehendi casum illum, nimirum si accedens fœmina confessionis causa à Confessario præueniatur, vt confessio in aliud tempus differatur, mutatoque confitẽdi animo à Confessario solicitetur, nam solicitatio tunc non est immediata ad confessionem, cùm ante omnem solicitationem mutatum sit propositum confitendi; sicut si fœmina ipsa, quæ alias vt confiteretur accessit, dicat Confessori se iam confiteri nolle, & Confessarium solicitet, cui solicitationi ille consensum præbeat, imò & in actum venereum illic deueniat, pro eodem enim reputo mulierem propositum confitendi mutasse iam ad pedes Confessoris, ac si domi, aut in itinere antequam ad Confessarium accederet, illud mutasset, dummodo id fuerit ante solicitationem. Idem etiam puto si mulier absque Confessarij suasu in ipsa iam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta solicitatio sequatur. Hæc omnia Sousa.

Quæ quidem an sint probabilia in terminis decreti Pauli V. remitto me iudicio aliorum. nam Freitas in addit. ad tractat. de Confessar. solicitant quæst. 14. n. 15. docet in casu primo, quem ponit Sousa, Confessarium esse Inquisitoribus denuntiandum. Sed quicquid sit, de hoc, certum est hodie stante Bulla Gregor. XV. hos Confessarios esse denuntiandos, quia hæc solicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem solicitat, simulat eius confessionem audire, ergo includitur in dicta Bulla, vt in casu simili ex Fagundez supra dictum est.

An Confessarius dans pœnitentiam fœminæ vt nuda à se verberetur, vt postea accidit, sit Inquisitoribus denuntiandus.

RESOL. XLVII.

AFfirmatiuè & rectè respondet Sousa opusc. de Confessar. solicit. tract. 1. cap. 18. nu. 14. vbi sic ait: Duo Confessarij fœminis sibi confessis hanc imposuerunt pœnitentiam, vt ab ipsismet Confessarijs nudæ verberarentur, & cùm ad hoc peruenissent, altera manu propria Confessarij, altera verò scutica, quam Confessarius tenebat manu, vapulat ab ipso. Dubitatum fuit an huiusmodi actu solicitationes in confessione factæ dicendi forent? & resoluta est pars affirmatiua, ac meritò quidem cùm sint actus inhonesti, qui solicitantes, seu potiùs solicitationes tentationis dici debent. Quòd sint solicitationes in confessione, videtur etiam manifestum, cum pœnitentiæ confessionis sit annexa per se. Ita ille, qui & optime alium casum solicitationis ponit, quando videlicet Confessarius suadet fœminæ sibi actu confitenti, vt ipsi eo loco vas naturale ostendat, quòd ipsa in eadem cõfessione morbo affectum habere dixerat, est enim hęc suasio, cùm non fiat ad medicinam pręstandam, nihil aliud quàm solicitare tentare.

An Confessarius regularis ex abiuratione propter solicitationem remaneat inhabilis ad officia Religionis.

RESOL. XLVIII.

HAnc quæstionem pertractarunt duo Lusitani viri doctissimi, Rodericus Acugna, & Anto. Sousa, hic in opusc. de Confessar. solic. tract. 2. c. 16. num. 6. ille in tract. etiam de Confess. solic. quæst. 24. nu. 22. & ibi additionator eius Freitas num. 70. & asserunt Confessarium propter solicitationem, de qua fuit conuictus, vel quam est confessus, ipso iure inhabilis ad gradus, & dignitates Ecclesiasticas non manere, quia nullus est textus, nec glossa, nec Doctor, qui per abiurationem de leui inhabilitatem ad dignitates, & officia inducat; & hoc etiam docuerat Henriquez libr. 13. capit. 56. §. 1. in glossa lit. K. & Garzias de benef. tom. 2. part. 11. cap. 10. numer. 87. cum alijs penes ipsos.

Sed hodie contrarium dicendum est, stante decreto Vrbani VIII. edito anno 1626. in quo Regulares puniri per S. Officium (pęnitentijs salutaribus exceptis) eo ipso fiunt inhabiles ad gradus & officia Religionis, nec possunt rehabilitari, nisi per Sanctissimum, vel per Illustrissimos Inquisitores sacræ Congregationis, vt obseruat Aloysius Bariola in aphor. lit. R. ver. Regulares. Barbosa de iure Ecclesiastico lib. 1. c. 19. nu. 128. Peyrinus in priuil. Minim to. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. nu. 29. & Tamburinus de iure Abbat. to. 1. disp. 5. q. 21. nu. 17. qui per extensum verba supradicti decreti adducunt.

An fœmina solicitata si non denuntiauit, & tamen Confessarius ex aliarum delatione confessus, vel conuictus punitus fuit, teneatur adhuc denuntiare.

RESOL. XLIX.

PRobabiliter cum multis negatiuam sententiam docui in p. 1. tract. de denunciat. resol. 26. Sed nota quòd hæc sententia defendi potest, quando Confessarius fuit confessus, aut plenè cõuictus, & in primo casu ego illam tenui, vt patet ex titulo dictæ resolut. Secus autem dicendum est, si Confessarius fit absolutus, aut non plenè punitus ex defectu probationis, nam in tali casu adest obligatio denuntiandi, quia Promotor fiscalis S. Officij habet, iam ius acquisitum ad procedendum contra Confessarium, quod non cessat per illam sententiam, sed noua adueniente probatione denuo repetitur causa, cùm sit de re pertinente ad finem, non enim in rem iudicatam transeunt huiusmodi sententiæ; cum ergo hoc ita sit, non videtur cessare obligatio denuntiandi, cùm adhuc extet censura Inquisitorum, quæ in fauorem causarum fidei posita est; vnde quia non semper constat reum esse sufficienter punitum, regulariter denuntiandus est, & hæc omnia docet Sousa opusc. de Confessar. solicit. tract. 2. c. 20. nu. 12.

Verùm his non obstantibus Seraphinus Freitas in addit. nouiss. ad tract. de Confess. solicit. q. 3. n. 54. aduersùs Sousam oegatiuam sententiam tenet, etiamsi Confessarius fuerit absolutus, aut non plenè conuictus: vnde in tali casu non obligat pœnitentem ad denuntiandum, quia etiam præsumitur emendatus; ergo, ait ille, non erit denuntiandus.

Non desinam tamen hic adnotare Bonacinam in tract. var. disp. 6. punct. 3. numer. 16. distinguere circa præsentem quæstionem, sic enim ait. Vel Confessarius confessus, seu conuictus fuit de solicitatione illius pœnitentis, qui nondum denuntiauit; vel confessus, seu conuictus fuit tantùmodo de solicitatione alterius: si confessus, vel conuictus fuit de solicitatione illius

pœni-

pœnitentis, probabile est pœnitentem non teneri ad denunciandum Confessarium, qui iam abiurauit illud delictum, quia iudicium bis exerceri non solet in idipsum, & res semel iudicata & punita, regulariter loquendo, in iudicium reuocari non solet, vt iterum puniatur. Si verò Confessarius confessus, vel conuictus tantummodo fuit de prouocatione alterius pœnitentis, censeo pœnitentem adhuc teneri ad denuntiandum, etiamsi Confessarius semel abiurauit. Ratio est, tum quia sic non censetur sufficienter punitus, cum grauiores pœnas pro pluribus delictis, quàm pro vno rependere debeat, tum quia absolutus, vel condemnatus in causa hæresis accedente noua probatione iterum puniri, aut condemnari debet. ergo etiam in casu nostro accedente noua denuntiatione puniri debet consequenter pœnitens tenetur præfatum Confessarium denuntiare. Ita Bonacina. Sed Freitas stando in suo principio semper dicit, quòd pro qualibet abiuratione Confessarius censetur emendatus; ergo non erit denuntiandus Et hæc afferunt DD. circa præsentem quæstionem; Sed sententiam Bonacinæ ego sequor.

An Confessarij solicitantes in confessionario, sine tamen vlla occasione confessionis, debeant abiurare de leui.

RESOL. L.

Negatiuam sententiam docet Antonius Sousa post opusc. de Confess. solicit. in annotat. ad Bullam Gregor. XV. nu. 16. & 17. vbi docet solicitantes in confessionario non esse de fide suspectos quia tunc ex aliquo facto colligitur hæresis suspicio, quando vel factum illud est coniunctum cum hæresi, vel quando qui illum exequitur, inuenitur hæreticus, sed neutrum istorum in proposito reperitur. ergo nulla ex eo colligi debet hæresis suspicio. Minor quoad primam partem ostenditur, quoniam ea hæresis posset dici coniuncta cum tali solicitatione, quæ nostris temporibus negat auricularem confessionem; ab hac autem longissimè abest solicitatio illa, cùm nulla ibi inueniatur confessio etiam inchoata. Secunda pars non aliter probari potest, quàm experientia, quæ nullum adhuc solicitantem hæreticum inuenit. Ita Sousa.

Deinde confirmatur hæc opinio, quia Confessarij solicitantes ideo sunt suspecti, vnde abiurant de leui, quia per actum solicitationis iniuriam inferunt Sacramento in ipsius Sacramenti substantia, qualis est quæ materiam, seu formam Sacramenti, aut ad illud ex parte pœnitentis necessariam dispositionem tollit, & ideo Summi Pontifices Paulus IV. Paulus V. & Greg. XV. in suis constitutionibus sic asserunt. Nos in animum inducere nequentes, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis à Christo Domino nostro institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant. Sed in nostro casu Confessarius solicitans non abutitur Sacramento neque illi iniuria facit, vt patet, quia non solicitat in confessione, neque ex vlla occasione, aut prætextu confessionis; ergo non potest dici suspectus de fide, atque ideo nulla abiuratio illi imponenda erit, sed alijs pœnis puniatur Inquisitorum arbitrio.

An verò idem dicendum sit de Confessario solicitante paulò post, vel paulò ante confessionem, dubium esse potest, nam talis non videtur esse de fide suspectus, vt probat idem Sousa opusc. de Confess. solicit. tractat. 1. cap. 18. num. 15. Seclusis aliquibus casibus: nam qui cum possit solicitare in actu confessionis, in quo fortè solicitandi occasio erit opportunior (tunc enim fœmina conscientiam suam manifestante, peccata carnis confitente, Confessori facilè occurret occasio in aggrauandis, vel facilitandis peccans propalandi animum impudicum) & id in tā opportuna occasione facere non vult, sed solicitationem differt, vel anticipat, manifestè ostendit, nolle se integritatem & perfectionem Sacramenti commaculare. ergo, vt dictum est, talis Confessarius non est de fide suspectus; ergo non debet abiurare.

Sed ego puto quoad hunc vltimum casum de Confessario solicitante paulò ante, vel post confessionem, omnino abiurationem ei indicendam esse, quia qui paulò ante, vel post confessionem solicitat pœnitentem, dicitur solicitare in ipsamet confessione, vt tradunt Doctores communiter, & ego probaui in 3. p. tract. 4. resolut.....

Quoad alios verò casus quando solicitatio fit in confessionario, &c. Sousa, vt dictum est, vbi suprà, & in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 34. nu. 68. docet Confessarium solicitantem non debere abiurare, sed tu cogita, quia supradicti casus enumerati à Sousa includuntur à Pontifice simul cum alijs casibus, in quibus solicitātes abiurant de leui, & Pontifex, vt loquitur de istis casibus inducentibus secundum Sousam suspicionem, loquitur etiam eodem modo de illis, quos negat Sousa suspicionem inducere, vnde postquam absolutè, & sine vlla distinctione enumerasset Pontifex omnes supradictos casus, postea subiungit vt Inquisitores & Ordinarij super his prout in causis fidei inquirant & procedant. ergo, &c. Vnde reuera debēt abiurare, prout in Rom. & vniuersali Inquisitione obseruatur.

An Confessarij solicitantes in confessione sint suspecti vehementer de hæresi, & quo pacto debeant abiurare.

RESOL. LI.

Esse supradictos suspectos vehementer de hæresi, docuit Pegna in director. p. 2. commen. 81. & post illum Modius de sacris Ordinibus, cap. 27. num. 6. & M. Anton. Genuensis in praxi Archiepisc. cap. 66. num. 5. vbi sic asserit. Non est omittendum quòd tentans mulieres in actu confessionis est suspectus de fide vehementer, quomodo sentit de sacramento pœnitentiæ, etiamsi prope actum confessionis ante, vel post ipsam tentauerit, vt fertur declarasse Clemens Papa VIII. Ita ille. Vnde stante hac sententia debent abiurare de vehementi, & ideo Augustinus Bariola Cōsultor S. Officij in Inquisitione Mediolanensi in tractat. de Confessar. solicit. post flores Inquis. sic ait. Debent Confessarij solicitantes regulariter abiurare de vehementi.

Verùm contrariam sententiam tuētur Paramus de orig. Inquis. lib. 3. quæst. 10. num. 115. Ioseph Sesse in decis. Regni Aragon. tom. 4. decis. 449. num. 3. Acugna in tract. de Confessar. solicit. quæst. 2. num. 10. Antonius Sousa opusc. de Confess. solicit. tract. 1. c. 5. nu. 6. & alij, asserentes suspicionem Confessariorum solicitantium esse tantum leuem, quod probatur à Sousa, quoniam hæc suspicio non est vehemens, neque violenta; ergo erit leuis. Antecedens ex eo apparet verùm, quia ex hoc facto non colligitur, neque ferè semper, neque vt plurimum, vt illud facientes sint hæretici. Deinde factum hoc secundum ab hæresi longissimè distat, præsertim cum ad peccatum luxuriæ, quod ibi intenditur, homines maximè procumbant; ergo solicitatio non potest maiorem ingerere suspicionem, & ita intelligenda sunt verba Pontificis, *nos in animum inducere nequentes*, &c. Nam Summus Pontifex solùm vult indicare, non decernere in tali facto suspicionem, & hoc tamquam certum, manifestumque tradit; an verò dicta suspensio sit vehemens, vel leuis reputanda, non declarat, vnde stante hac opinione abiuratio imponenda Confessarijs in confessione solicitantibus, erit tantùm de leui, & ita docet præter Sousam vbi suprà, Ioseph Sesse loco cit. decis. 454. nu. 5. & alij, & de hac quæstione infrà redibit sermo in tract. de pœnis. Sed in hac quæstione vbi casus contingerit vnusquisq; sequatur stylum & praxim Inquisitionis suæ.

An Episcopi possint cognoscere de crimine sollicitationis.

RESOL. LII.

Affirmatiuam sententiam docui in 1. part. tract. 4. de denunciation. resolut. 29. Sed difficultas est an separatim ab Inquisitoribus possint hoc crimen cognoscere Episcopi in Regnis vbi adest Inquisitio Hispaniæ? & videtur etiam affirmatiuè respondendum ex verbis Bullæ Gregor. XV. ibi, [& præterea omnes Inquisitores, & locorum Ordinarij super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus,] &c. Vnde in his verbis æquè facultatem inquirendi contra Confessarios solicitantes concessam esse Inquisitoribus ac Episcopis, docet Castrus Palaus in opere mor. tomo 1. tract. 9. disp. 9. punct. 1. n. 9. & punct. 10. n. 4. ergo, &c.

Verum ego de hoc non dubito, sed difficultas est, vt dixi, an stantibus dictis verbis Episcopi, vbi adest Inquisitio Hispanica, possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes inquirere ex virtute dictæ constitutionis? & certè qui fauent parti Episcoporum, affirmatiuè respondent, cum supradicta verba citatæ constitutionis loquantur, vt patet ea contextu literæ absolutè de Episcopis omnium Regnorum, vt possint

possint simul, vel separatim ab Inquisitoribus de dicto crimine cognoscere. ergo &c.

Probatur secundò, quia Episcopi possunt separatim ab Inquisitoribus procedere in causis fidei contra suspectos, imò & contra hæreticos, vt patet ex cap. per hoc, de hæret. in 6. & ideo iurisdictionem Inquisitorum non præiudicare iurisdictioni Episcoporum, cum censeatur concessa cumulatiuè, non autem priuatiuè, docet Syluester ver. hæreticus. §. 2. nu. 10. Rojas singul. 28. num. 2. Gundissaluus de hæret. quæst. 7. num. 9. Simanca de Cathol. instit. tit. 25. num. 4. Glossa & Panormitanus in cap. ad abolendam, de hæret. Sigismundus Scaccia de iudicijs tom. 1. lib. 1. cap. 67. num. 9. Carrera de hæret. num. 67. Decianus to. 2. lib. 5. cap. 21. numer. 10. & alij. ergo sequitur necessariò, quòd Episcopi possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes, tamquam suspectos de fide procedere, quia, vt dictum est, Episcopi de iure communi procedunt contra hæreticos, vel suspectos, docetque Simanca tit. 6. num. 3. & habetur in cap. præsidentes, cap. statutum, cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6. cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, de hæret. Clem. 1. eodem titulo, & Extrauag. 1. eodem tit. Vnde dati sunt Episcopis Inquisitores tamquam adiutores.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto, pro cuius confirmatione, suppono tamquam certum in Regnis Hispaniarum, in quibus Hispanica Inquisitio adest ex consuetudine, & priuilegio Pontificio, non posse Episcopos separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere, & denuntiationes sibi factas teneri ad ipsos Inquisitores remittere, neque reum posse incarcerare, nisi timeatur de fuga, sed certiorare Inquisitores, vt illum capiant; & ita de dicta consuetudine, & priuilegio testatur Sanctarellus tract. de hæresi, Romæ impressus, cap. 40. dub. 2. nu. 15. Molina de iust. to. 5. tract. 5. disp. 28. n. 12 & 13. Acugna de Confess. solicit. q. 2. n. 1. Ioan. Valerus in differentijs vtriusque fori. Pegna in director. p. 3. q. 52. commen. 101. & nouissimè Barbosa in collectan. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 17. n. 3. & alij.

Hoc igitur supposito sic argumentor in fauorem DD. Inquisitorum. Constitutio Gregorij XV. vt patet ex contextu literæ, præbet authoritatem Episcopis, vt possint separatim in nostro casu inquirere, prout in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, &c. Sed in omnibus causis fidei ex priuilegio & consuetudine Inquisitionis Hispanicæ, vt suprà probatum est, Episcopi non possunt separatim sine Inquisitoribus inquirere; ergo neque posse separatim in casu solicitationis sine Inquisitoribus inquirere dicendum erit. quia in dicta constitutione, vt patet, non reuocantur consuetudines & priuilegia Sedis Apostolicæ in contrarium, si alibi adessent, vt adsunt in Inquisitione Hispanica. & ideo sicut Fagundez in 2. editione de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 97. & Antonius Sousa in annotat. ad Bullam Gregorij XV. numer. 21. asserunt, quòd per dictam Bullam non reuocatur priuilegium concessum Generali Inquisitori Lusitaniæ aduocandi ad se omnem causam hæresis, etiam si coram Ordinarijs tractentur: vnde non obstante Bulla Gregor. XV. docent hodie posse Inquisitores Generales Lusitaniæ ad se aduocare omnes processus & integras causas Confessariorum solicitantium inceptas coram Episcopis. Sic etiam dicendum est, per dictam Bullam non reuocari priuilegium concessum Inquisitioni Hispanicæ, vt Episcopi non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, vt est ista, de qua loquimur, pertractare.

Secus autem dicendum est de alijs Regnis & inquisitionibus vbi talis consuetudo & priuilegium Papæ non adest. nam ibi ex hac constitutione Pontificia posse Episcopos contra Confessarios solicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere concedo.

Ex quibus patet responsio ad argumentum primum superiùs adductum; dico enim intelligendum esse de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent priuilegium, vt Episcopi non possint separatim ab illis procedere. Ad secundum verò respondeo illam doctrinam esse veram, loquendo in terminis iuris communis, secus autem ex consuetudine & priuilegio Apostolico, vt adest in Inquisitione Hispanica, ex rationibus quas optimè obseruat Ludouicus Molina de iust. tr. 5. disp. 28. numer. 13. ex quibus apparet, quàm vtiliter & rationabiliter supradicta consuetudo fuerit introducta & priuilegium concessum.

Notandum est tamen hic obiter quòd etiam in Regnis vbi non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarius solicitans & fœmina solicitata eodem tempore ab Episcopo & Inquisitore citentur, coram Inquisitore comparere debet, non autem coram Episcopo. Et ita contra Rojas singul. 44. nu. 3. & seq. docet Sousa opusc. de Confess. solicit. tract. 2. cap. 2. nu. 7. & alij penes ipsum, quia iurisdictio Inquisitorum cùm sit delegata a Summo Pontifice, superior est, & maior iurisdictione ordinaria; si autem Confessarius esset Regularis exemptus, posset in tali casu coram Episcopo comparere, quia Episcopus contra illum procedit ex iurisdictione delegata. Sed in Regnis nostris Hispaniarum etiam hoc vltimum non procedit, quia, vt dictum est, ex consuetudine, & priuilegio causæ fidei ab Inquisitoribus tantum tractantur, cum quibus assistunt Episcopi per procuratores.

An Episcopi vbi non est Inquisitio Hispania possint separatim ab Inquisitore proferre sententiam contra Confessarios solicitantes & è contra.

RESOL. LIII.

ADuertit Sousa post opusc. de Confessar. solicit. in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num. 20. quòd licet ex dicta constitutione Inquisitores & Episcopi possint procedere, non tamen per illam conceditur, vt sententiam separatim proferant, etiamsi sola abiuratio eis iniungatur; sed quoad hoc iura, & constitutiones Pontificiæ seruandę sunt. Nec etiam per dictam Bullam tollitur communicatio processuum secundùm ius Canonicum. Ita Sousa. Igitur dicendum est, quòd nec soli Episcopi, nec soli Inquisitores possunt sententiam condemnatoriam proferre aduersùs Confessarios solicitantes, vt patet ex cap. per hoc, de hæret. in 6. & ita tenet Pegna in direct. part. 3. comment. 97. Lucerna Inquisitor. ver. absoluere, numer. 2. Antonius Sousa opusc. de confessar. solicitant. tract. 2. cap. 1. numer. 15. & Fagundez de præcept. Eccles. in 2. editione pr. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 96. Azorius part. 1. lib. 8. c. 18. q. 16. Paramus de origine Inquisitionis lib. 3. quæst. 4. num. 2. Molina de iust. tract. 5. disp. 28. num. 16. & alij penes ipsos. Ratio est, quia per abiurationem abiurans pronuntiatur hæreticus, vel de hæresi suspectus, ergo per hoc verè & propriè condemnatur; si tamen sententiam abiurationis Episcopi absque Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes ferant, asseruut citati Doctores factum tenere, & ideo, ait Pegna, hæc esse de genere eorum, quæ licèt fieri prohibeantur, facta tamen teneni; licet Castrus Palaus to. 1. tract. 4. disp 8. punct. 13. num. 18. contrarium doceat, ex Clement. 1. de hæret. vbi postquam Pontifex dixerat non posse Inquisitorem absque Ordinario, vel è contra, ad sententiam contra reos procedere, concludit, non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit & inane.

Sed quid dicendum de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopis sine Inquisitoribus? Affirmatiuè respondet Fagundez loco citato, nu. 93. & Sousa num. 12. Molina num. 15. & alij penes ipsos; quia in iure solùm prohibetur supradictis proferre sententiam contra reos, vt patet ex dicta Clem. 1. ergo poterunt proferre pro reis.

Verùm negatiuam sententiam docet Pegna in director. inquis. part. 3. comment. 97. Rojas singul. 27. numer. 7. Simanca in instit. cathol. tit. 3. num. 8. Azorius, Carerius, Zanchinus, & alij, quos citat Barbosa in dicta Clem. 1. nu. 18. quibus addo ex neotericis Castrum Palaum vbi suprà num. 20. & ratio est, quia licèt textus illius Clementinæ de sola sententia condemnatoria expresse loquatur, indirectè tamen loquitur de qualibet sententia ob communicationem & examinationem processuum suum prærequisitam. Deinde confirmatur hæc opinio; quia eò ipso quòd in Clement. 1. sit restrictum ius antiquum quoad condemnationem, ita vt Inquisitores & Episcopi non possint separatim condemnare, sequitur quòd similiter non possint absoluere.

Probatur consequentia, quia condemnare & absoluere eiusdem sunt potestatis, vtpore contraria & aduersa, ex l. qui condemnare, ff. de re iudicata. ergo, &c.

An

An testimonium duarum fœminarum sufficiat ad carcerationem Confessarij solicitantis.

RESOL. LIV.

NEgatiuam sententiam docet Acugna de Confessar. solicitant. quæst. 23 num. 9. si complices fuerint, & Sousa opusc. de Confessar. solicitant. tract. 2. cap. 12. conclus. 4. num. 8. docet, quod nisi fœminæ sint probatæ vitæ, & famæ, non sufficiunt duæ deponentes de diuersis actibus ad incarcerãdum Confessarium, sed ad minus tres requiruntur, vnde Aloysius Bariola de Confessar. solicit. quæst. 15. sic ait. Vt Inquisitores procedant contra Confessarios, prius constare debet de delicto per duos testes Molfesius vbi infra. Sed ego puto cum Ioanne Sancio in select. disp. 11. num. 47. hoc remittendum esse iudicio Inquisitorum, qui qualitates & mores denunciati, & denuntiantium prudenter debent inspicere; existimo tamen absolutè contra Canteram in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. nu. 47. ex vnius fœminæ quantumuis honestæ delatione non esse Confessarium in carcerem detrudendum, & ita tenet Freitas in addit. de Confessar. solicitant. quæst. 4. num. 27. & Sousa vbi supra, dum asserit, quòd talis Confessarius iustè possit incarcerari si duæ fœminæ probatæ vitæ aduersus illum denuntiauerint; ergo secundùm Sousam vna non sufficeret, quod etiam aperte docet cap. 21. num. 6. prædicta tamen delatio erit sufficiens ad inquirendum, quod si per Inquisitionem apparuerit, vt rectè obseruat Freitas loco cit. nu. 28. Confessarium leuem, seu potius malæ vitæ esse, poterit & tunc capi, & ideo Molfesius in summa tom. 1. tract. 7. cap. 25. nu. 39. sic ait. Dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris solicitatæ ad turpia, quæ sit bonæ famæ, Domini Inquisitores verbotenus se informent de qualitatibus Confessarij, si aliàs inquisitus sit de similibus, nam in pari qualitate præualet Confessarius, vt ab ijsdem Dominis audiui, & ita seruatur in praxi. Sic ille.

Ex quibus infertur esse reprobandam opinionem Parami lib. 3. de orig. Inquisit. quæst. 10. num. 158. & 165. asserentis, sufficere ad condemnationem huius criminis duarum fœminarum testimonium; sed aduersus hanc sententiam, & meritò, insurgit Acugna de Confess. solicitant. quæst. 23. à numer. 4. Peyrinus de priuileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §. 8. nu. 23. Sousa loco citato, num. 12. qui docet quatuor testes non probare sufficienter & plenè hoc delictum; sed aduersus Sousam tenet Acugna quæst. 23. num. 11. imò Ortiz in summa cap. 24. nu. 11. ait dictum trium fœminarum sufficere; sed ego puto hoc remittendum esse iudicio Inquisitorum vt alibi docui, & ipsemet doctus Sousa concedit. qui quidem omnia maturè considerabunt, quia cùm in hoc crimine proceditur vt in crimine hæresis, vbi testes non publicantur, atque ideo plenus defensionis ordo non conceditur, semper timeri potest ne innocens damnetur, quamuis quilibet testis singularis sit probatissimus, ignotum tamen est iudici, quid illi à reo objici potest. Ita Sousa n. 7. vnde diligenter omnia perpendant sacræ fidei Quæsitores in casibus contingentibus.

An Inquisitores possint animaduertere in solicitationem præteritam si iam præiudicata fuerit ab Episcopo.

RESOL. LV.

NEgatiuè respondet Acugna tract. de Confessar. solicitant. quæst. 3 num. 11. vbi sic ait. Tunc non extenditur ad præterita nostra conclusio, cùm talia crimina ab ordinario iudice præiudicata fuerint, nam manent tunc extincta in foro Ecclesiæ: vel enim reus iudicialiter absolutus est, ob id sistet accusatio, non vltra progrediens, ex cap. de his, de accus. Vel damnatus idem reus per diffinitiuam sententiam est, atque similiter in ipsum accusatio progredi non potest. Ita ille.

Sed aduersus illum insurgit Emanuel Moura opusc. 1. de ens. & incant. sect. 3. c. 3. num. 16. vbi ita asserit. Non loquitur Acugna consequenter, quatenus dicit in solicitationem præteritam non posse ire Inquisitores, cùm præiudicata fuerit ab Episcopo, siue absolutus, siue finaliter condemnatus fuerit solicitans, quamuis non fuerit sufficienter punitus. Non, inquam, loquitur consequenter, quia si hoc crimen inducit suspicionem de hæresi, & constitutio Pontificis est solùm excitatiua iurisdictionis Inquisitorum, consequens necessarium est, vt ipsi possint illud reassumere, saltem vt reum cogant ad abiurationem. Hæc ille.

Verùm sententiam Illustrissimi, & doctissimi Roderici Acugna, meritò nunc Archiepiscopi Bracharensi, acriter defendit Freyias in additionibus nouissimis ad dictam quæst. 3. nu. 37. & seq. vbi respondet ad rationes Emanuelis de Moura, vide illum & non pigebit.

Non desinam etiam hic obiter adnotare, Confessarium solicitantem, qui non iudicatur suspectus, non esse ad suum Ordinarium remittendum, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debet; nec valet dicere, quòd cessante suspicione contra fidem, videtur suspendi Inquisitorum iurisdictio; nam respondeo, quod licèt ratio commissionis sit suspicio, commissio tamen Pontificis est absoluta, & Summus Pontifex ex illo facto præsumit, & super præsumpto statuit. & ita docet Sousa opusc. de Confessar. solicit. tract. 2. c. 1. n. 7. & ideo Molfesius in summ. tomo 1. tract. 7. cap. 24. num. 45. sic ait. Si Confessarij solicitantes non sint suspecti de hæresi, imponitur eis pœnitentia salutaris sine abiuratione secundùm qualitatem excessus. Ita ille.

TRA-

TRACTATVS SEXTVS
DE TORTVRA
IN SANCTO OFFICIO
ſuſpectis vehementer de hæreſi inferenda.

MAteriam ſatis amplam explanare aggredior, quam fusè pertractarunt docti Iuriſcoſulti: ego autem, more meo, reſolutoriè breuiter & clare tantùm quæſtiones attingam, quæ ad praxim maximè ſpectant, illas determinando, non ſolùm ex mente ſupradictorum, ſed, quod apud me plus ponderis eſt, ex doctrina Pegnæ, Simancæ, Rojas, Albertini, Canteræ, aliorumque Doctorum noſtri ſacri Tribunalis, & ideo in primis quæro,

An Inquiſitores debeant eſse proniores ad torquendum reos.

RESOL. I.

NEgatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ adducit Torreblanca de Magia lib.3.c.19. n.3. & ſeq.

Sed, pace viri docti, & de noſtro Tribunali bene merentis, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quia crimen hæreſis eſt occultum, & difficilis probationis; ergo ad torturam iudex debet eſſe promptior, & ita hanc ſententiam docet Seraphinus Fietta in addit. ad tract. de Confeſſ. ſolicit. quæſt. 4. num. 29. Delrius in diſquiſ. magic. append. 2. lib. 5. queſt. 22. & iſtarum materiarum Magiſter Io. Rojas de hæreticis, part. 2. nu. 295. & 296. vbi ſic ait. Quàuis Vlpianus egregiè affirmet in l. 1. §. quæſtioni, ff. de quæſtionibus, hoc verborum tenore, *Quæſtioni fides non ſemper habenda eſt, res enim fragilis, & periculoſa eſt, & veritatē plerumque fallit* ſunt enim aliqui timidi, qui potius mentiri, quam tormenta pati velint, & falſa pro veris proferre. In crimine tamen hæreſeos iudices ad torturam proniores eſſe oportet, & faciliùs ad quæſtionem veniendum eſt, quia eſt crimen ſuapte natura occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. Ita ille. & ante illum doctiſſimus Simanca in enchirid. cap. 52. n. 26. & in cathol. inſtit. tit. 65. n. 51. qui aliam addit rationem quia confeſſio rei in noſtro caſu non ſolùm Reipublicæ, ſed ipſimet hæretico plurimum eſt profutura.

Vnde ex his infertur quòd cùm DD. Inquiſitores, vt determinatur in inſtruct. Toletana anno 1561. nu. 46. 47. 48. habeant tria remedia terminandi proceſſum, quando reus non eſt plenè conuictus, ſed tantum indiciatus, vnum ſcilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & tertium per torturam; hoc extremum videtur accomodatius cæteris ad eruendam veritatem, cùm purgatio & abiuratio inuentæ potiùs ſint ad ſuſpicionem & infamiam hæreſis excludendam, quam ad veritatem indagandam, vt docet & obſeruat numquam ſatis laudatus Franciſcus Pegna in director. Inquiſ. part 3. comment. 39. Ex quo non eſt audiendus Eymericus in d. direct. vbi ſuprà nu. 51. docens, quòd ad torturam deueniendum non ſit, quando adſunt indicia ſufficientia ad abiurationem; ſed noſtra ſententia claré determinatur in ſupradicta inſtruct. Tolet. loco citato ergo, &c.

Nota etiam ex his quòd licèt ſecundùm dictam inſtructionem, & Barboſam in collect. tom. 2. libr. 5. tit. 34. cap. 10. num. 5. purgatio canonica poſſit indici ab Inquiſitoribus etiamſi adſint indicia ad torturam; tamen rectiùs & meliùs aſſerit Genuēſis in praxi Archiepiſc. cap. 32. non eſſe deueniendum ad purgationem canonicam, ſi adſunt indicia ad torturam, ſed reum eſſe torquendum, & cùm hic caſus accidiſſet in curia Archiepiſcopali Neapolitana, reſtatur Genuenſis quòd maior pars Doctorum Congregationis dictæ Curiæ inclinauit, quòd ſi adeſſent indicia ſufficientia ad torturam, non indiceretur purgatio.

Notandum eſt tamen hic, quòd quando delictum probari poteſt alia via, nullo modò eſt adhibenda tortura, nam hęc iuxta communem ſentētiam eſt vltimum remedium in defectum teſtium. Ita Eymericus à Rosbach in pract. crim. tit. 5. c. 17. n. 1. Portel in dub. Regul. ver. tortura, n. 4. & alij communiter; tortura enim eſt remedium quoddam ſubſidiarium, ergo non eſt deueniendum ad eam, niſi deficientibus alijs probandi modis, vt rectè obſeruat Petrus Binsfeldius in commen. de malef. leg. 7. q. 2. conc. 3. Michael Zanardus in director. Theol. p. 3. c. 88. Ambroſinus de proceſſu informatiuo, lib. 4. c. 1. n. 8. Guazzinus to. 2. lib. 1. defenſ. 30. c. 2. n. 3. & alij communiter.

Cum quibus indicijs debeant Inquiſitores reos torquere.

RESOL. II.

MArtinus Antonius Delrius in diſquiſ. mag. appen. 2. libr. 5. quæſt. 22. docet, quod in cauſis fidei leuiora indicia ſufficiunt ad torturam; verum leuiora indicia vocat, non ſecundum ſe & abſolutè loquendo, ſed quæ comparatiuè, ſeu relatiuè reſpectu eorum, quæ in criminibus non exceptis requiruntur, leuia videantur, & idcirco comparatione iſtorum ſunt leuiora, quàm in his requiſita, non verò quæ ſunt leuiora, ſeu minus ſufficientia, quamuis aut natura criminis requirat: quæ autem indicia leuiora ſufficiant, reſpondet eſſe legitima & ſufficiētia iuxta criminis naturam, & in genere indiciorum ad torturam, ſed quæ ſint iſta indicia ſufficientia reſpondet, quòd nihil certum in his dici poteſt, ideo totum hoc negotium remittitur arbitrio DD. Inquiſitorum. Itaque ſecundum Delrium in crimine hæreſis ad torquendum leuiora, quam in alijs criminibus ſufficiunt indicia, quod videtur etiam docere Inquiſitor Camillus Campegius in addit. ad Zanchinum, tract. de hæret. cap. 9. litt. E. in princ. ver. Rurſus obſerua, & Ludouicus Carrerius in tract. de hæret. n. 116. in fine, & n. 126. & alij.

Verùm Sanctarellus de hæreſi cap. 41. dub. 1. nu. 1. & Simanca in Enchirid. tit. 52. num. 5. aſſerunt indicia pro tortura in crimine hæreſis debere eſſe magna, & vehementer vrgentia, ita vt ſola confeſſio rei videatur deeſſe, vt patet ex l. 1. in princ. ff. de quæſt. ibi, *ita vt ſola ſeruorum confeſſio deeſſe videatur*, & ex l. milites, §. oportet, & l. cùm cognitionaliter, C. eodem tit. vt docet etiam Souſa in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 39. nu. 9. Vide etiam Pegnam in director. Inquiſitor. part. 3. comment. 110. quænam verò ſint talia indicia, docet Antonius Blancus tractat. de indicijs num. 10. & Guazzinus tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 4. num. 3. Sed ego puto quod in materia torturæ non poteſt dari certa regula ad cognoſcenda indicia ſufficientia ad illam inferendam, ſed totum hoc negotium remittendum eſt arbitrio DD. Inquiſitorum, qui habita ratione qualitatis perſonæ, delicti, ſuſpicionum, aliarumque circumſtantiarum, iudicabunt ea ſufficientia, vel non, & ita docent communiter Doctores, quos ad ſacietatem adducit Petrus Caballus in reſol. crim. cent. 3. caſ. 251. num. 14. quibus ex noſtris adde Rojas de hæret. part. 2. nu. 291. Sanchez in opuſc. to. 2. lib. 6. c. 3. dub. 15. n. 6. Mirandam de ordine iudic. to. 2. q. 261. art. 4. concl. 6. Souſam in aphor. Inquiſ. lib. 2. c. 39. n. 6. Pegnā in director. p. 3. cōmen. 110. Guazzinū to. 2. lib. 1. defenſ. 30. c. 4. n. 10. Simancā in Cathol. inſtit. tit. 65. n. 22.

Nota

Nota tamen quod supradictum arbitrium, quod DD. Inquisitoribus concedo, non debet esse absolutum, sed limitatum, & secundum iuris dispositionem, vt ex communi docet Ambrosinus de processu inform. lib. 4. c. 1. nu. 15. Guazzinus to. 2. lib. 1. defens. 30. c. 4. nu. 4. Baiardus in addit. ad Iulium Clarum, qu. 64. n. 56. Ludouicus Peguera in praxi c. 12. §. 9. n. 5. & Zanardus in director. Theol. p. 3. c. 88.

Vnde ex his infertur, quòd si reus torqueretur sine legitimis indicijs præcedentibus, & crimen confiteatur, confessio talis non est efficax ad condemnationem, nec confitenti præiudicat, & etiam si postea legitima indicia superuenirent, non tamen confessio ea tortura antecedenti indicia indebitè extorta, valida redderetur, & legitimaretur, quia quod ab initio non valuit, ex post facto conualescere nequit, & ita docent Doctores, quos citat & sequitur Petrus Binsfeldius in comment. de maleficijs & math. leg. 7. quæstio. 2. concl. 2. fol. mihi 551. Miranda in ord. iudic. to. 2. q. 26. art. 17. concl. 1. & probatur ex l. 1. §. D. Seuerus, ff. de q. Sed difficultas est, an si post confessionem in tortura extortam sine indicijs legitimis supraueniat nouum indicium confessionis extraiudicialis, per quam apparet reum hæreticum esse, an, inquam, in tali casu valida erit confessio facta in tormento, non præcedentibus indicijs? & affirmatiuam sententiam tenet Marsilius in l. quæstionis n. 63. de quæst. & Baiardus in addit. ad Iulium Clarum q. 55. nu. 40. Verùm contrarium docet Antonius Queuedo de indicijs & tortura, p. 2. c. 4. nu. 15. qui citat Farinacium q. 83. c. 1. n. 5. quibus ego libenter adhæreo ex ratione paulò superiùs assignata.

Notandum est hic, quòd etiam non præcedentibus indicijs legitimis, si Inquisitores habeant vehementem opinionem cõtra reum, quamuis extra processum, possunt eum verbaliter terrere, minando torturam cum hoc non sit torquere, nisi reus sit persona timida. & ita docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. c. 39. n. 4. & Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. capit. 5. num. 3. vbi etiam asserit, quòd quando adsunt indicia ad terrendum, vel leuiter torquendum, posse iudicem spoliare reum in loco torturæ, vel funi alligare, vel in saltum eleuare, & Franciscus Personalis tr. de indic. n. 78. hoc exemplificat, quando iudex haberet vnicum testem non integrum, contra reum, vel duos singulares testes deponentes de indicijs remotis, tūc posset quidem iudex reum ad locum torturæ conducere, spoliare, & à terra aliquantulum eleuare, eumque eleuatum, suspensumque interrogare; & per aliquod notabile temporis spatium in tortura retinere; & hæc omnia præter Personalem, & Guazzinum docet etiā Tuschus lit. T. concl. 315. num. 9. Clarus qu. 64. nu. 33. & alij. Vnde Peregrinus conf. 2. n. 104. docuit vnum indicium remotum sufficere ad torturam leuem inferendam, sed tu cogita, nam hæc doctrina in nostro Tribunali non est in vsu.

Et tandem nota, quòd licèt adsint pro fisco sufficientia indicia ad torturam, reus tamen torqueri non potest, si dicta indicia fuerint elisa per indicia inquisiti. Ita Guazzinus tom. 2. libr. 1. defens. 30. cap. 4. numer. 23. & communis Doctorum opinio. Immo secundùm Grammaticum vot. 3. numer. 20. Rolandum. lib. 1. consil. 7. num. 38. Riminaldum iuniorem libr. 6. consil. 704. n. 37. & Hondedeum libr. 2. consil. 93. num. 83. vnum indicium pro reo tollit indicia fisci, vt possit torqueri; sed tu cogita, nam hæc doctrina ita absolutè prolata mihi non placet, sicut etiam mihi non placet alia doctrina Baiardi in addit. ad Iul. Clar. qu. 64. nu. 98. & Io. Antonij de Nigris super cap. Regni, cap. frequens, numer. 34. asserentium, esse in arbitrio iudicis, super quale indicium reus debeat torqueri. Sed dicendum est reum non posse super quolibet indicio torqueri, sed cumulatis omnibus indicijs torturæ subijciendum esse. Ita Caualcanus de brachio Regio, part. 3. n. 134. Grammaticus consil. 45. num. 34. Guazzinus in defens. reor. tom. 2. libr. 1. defens. 36. cap. 25. n. 5. Bettazzolus volum. 1. consil. 144. nu. 10.

An dicta indicia debeant saltem per duos testes esse probata, vt possint Inquisitores reos torquere.

RESOL. III.

Affirmatiuè respondeo cum Pegna in director. par. 3. comment. 119. num. 289. Roias de hæret. part. 2. nu. 289. Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2. appen. 25. nu 34. Eymerico à Rosbach in pract. crim. tit. 5. cap. 17. num. 7. Cantera in qq crim. c. 2. de probat. per testes, q. 1. nu. 24. Delrio in disquis. mag. libr. 5. sect. 3. Lo- cato in praxi Inquisit. quæst. 33. Simanca in enchir. cap. 52. nu. 6. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. ca. 3. §. 12. num. 41. Miranda in ordin. iudiciario, tom. 2. quæst. 26. art. 4. concl. 3. Bernardino in addit. ad Ambrosinum de process. infor. lib. 4. cap. 1. n. 16. Caballo in resolut. crimin. cent. 2. cas. 193. nu. 1. Bruno tract. de iudic. part. 1. quæst. 1. num. 7. Guazzino to. 2. libr. 1. defens. 30. ca. 31. num. 1. Farinacio quæst. 37. num. 14. vbi nu. 16. probat, quòd hæc opinio est ita vera, vt vnus testis non probet indicium remotum, etiam quòd sit omni exceptione maior, quòd etiam confirmat Mascardus de probat. libr. 1. conclu. 462. nu. 18. & 19. Vide etiam Iulium Clarum in praxi lib. 5. § final. quæst. 22. nu. 2. vbi concordat duas glossas, nempè glossam in l. fin. ver. vel indicijs, C. fam. hercisc. asserente indicia ad torturam per duos testes probanda esse, & glossam in l. si quis, ver. conuictus, C. ad leg. Iul. maiest. vbi videtur velle, quod per vnum testem reus dicatur conuictus, saltem semiplenè, cõcordat, inquam, Clarus has glossas hoc modo, quòd aut adest vnus testis de veritate deponēs de ipsomet delicto, puta quia audiuit Semptonium blasphemantem, & tunc talis testis facit indicium ad torturam, vt infra videbimus, & ita procedit glossa in d. l. si quis, aut verò testis deponit non de visu ipsius maleficij, sed de aliquo actu vel remoto, vel proximo ipsi maleficio, & tunc talis testis non facit indicium ad torturam, sed requiruntur duo testes ad ipsum indicium probandum, & ita procedit glossa in l. finali. Ita Clarus, & ego, & hanc distinctionem esse canonizatam in iudicijs, & in scholis, tradit Alciatus conf. 445.

Nota tamen quod supradicta doctrina, nempe quòd indicia ad torturam debent esse probata per duos testes, procedit etiā si testes non sint idonei, vt familiares, infames, &c. dummodo sint contestes. Ita Rojas de hæret. vbi supra part. 2. nu. 289. Rolandus à Valle lib. 1. cons. 24. num. 25. Bertazzolus vol. 2. consil. 341. numer. 10. Brunus tractat. de indic. & tortura, part. 1. quæst. 2 num. 7. & DD. adducti per Hondedeum cons. 87. numer. 137. vol. 1. & Hippolytus de Marsilijs in pract. crimin. §. diligenter, num. 8. vbi sic ait. Quando requiruntur duo testes ad probandum indicium remotum à maleficio, non requiritur quòd sint omni exceptione maiores, & in tali casu admittuntur etiam infames. Ita ille. licèt Menochius de præs. lib. 1. quæst. 91. numer. 5. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. nu. 41. Gomez tom. 3. var. cap. 13. num. 18. Farinacius quæst. 37. nu. 28. Miranda in ordine iud. to. 2. qu. 26. art. 4. concl. 2. Michael Zanardus in director. Theolog. part. 3. cap. 88. fol. mihi 487. Mascardus volu. 1. concl. 895. n. 3. Gratus vol. 2. consil. 59. n. 34. contrarium mordicus teneant; sed nostram sententiam præter Doctores citatos tenet etiam ex Regnicolis Antonius de Ballis in tract. var. libr. 1. quæst. 5. nu. 15. & 16. qui citat Socinum, Baldum, Crauettam, & respondet ad argumenta Farinacij, nec aliter sentiendum esse puto, quia ex testificatione ipsius delicti potest dari tortura; non est ergo mirum si testis vnicus, qui de illo deponit, necesse est vt sit omni exceptione maior: at ex indicijs remotis quis nō potest torqueri ex vno tantùm indicio, sed saltem ex duobus, vnde erunt quatuor testes, non est ergo mirum, si non requiruntur omni exceptione maiores, & ideò quærendum est in sequenti resolutione.

An si adsit tantum vnicum indicium, probatum tamen per duos testes, possint Inquisitores reum torquere.

RESOL. IV.

Iulius Clarus in pract. lib. 5. qu. 64. nu. 14. asserit quòd Doctores indistinctè dicunt, quòd de consuetudine in practica seruatur, quòd per vnum indicium proceditur ad torturam, & adducit plures auctores, quibus etiam videtur adhærere Pet. Caballus in resol. crim. cent. 2. cas. 193. num. 5. & DD. quos citat Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 30. n. 8.

Verùm contrariam sententiam tuētur Doctores, quos citat & sequitur Farinacius quæst. 37. numer. 43. quibus ego addo ex Doctoribus, qui materias S. Inquisitionis tractarunt, Seraphinum Freitas in addit. ad tract. de Confess. solicit. quæst. 4. nu 25. vbi ex Battolo, Menochio, & alijs, docet, vnicum indicium non sufficere ad torquēdum. & ita etiam docet Ludouicus Peguera in praxi cap. 12. § 9. nu. 8. Vnde Miranda de ordine iudic. to. 2. quæst. 26. art. 4. conclus. 4. & Guazzinus to. 2. libr. 1. defens. 30. cap. 4. num. 12. Iacobus Bossius in tit. de indicijs nu. 71. asserunt quòd ad torturam inferendam saltem duo indicia probata debent

Anton. Diana Resol. mor. Pars IV. Mmm

bent esse, & Bertazzolius vol.1.consil.213.numer.8. Sanchez in opusc.to.2 lib.6.cap.3.dub.15.nu.11. Syluester verb. Indicium, quæst.2. Tabiena nu.1. Baiardus in addit. ad Iul. Clar. quæst.64. num.60. putant duo indicia etiam leuia sufficere ad torturam, quod Delrius in append.2.lib.5.quæst.2. concedit, etiãsi in iure nõ sint expressa, dummodo sint per duos testes probata, & sint verisimilia; quod est valdè notandum à Dominis Inquisitoribus. Certum est igitur, vt dictum est, quòd ex vnico indicio remoto, non possunt reos torquere: secùs autem si sit proximum, & delictum maximè inferens, vt patet ex Caterio in pract. crim. leg. obseruare curabis. num.109. Pegna in director. part.3. comment.110 & Marsilio in pract. §. diligenter, num.177. Miranda in ordine iudic. to.2.q.26.artic.6.concl.2. & Peguera in praxi cap.12.§ 9.n.8.

An si adsint plura indicia, probata tamen per testes singulares, possint Inquisitores torturam adhibere.

RESOL. V.

NEgatiuè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Rojas de hæretic. part.2.nu.286. Simanca in cathol. institut. tit.65.n.14. & Pegna in director. part.3. comment.510. asserentes quòd indicia, ex quibus reus torqueri potest, probata esse debent, & ex neotericis tenet, licèt cum formidine, hanc sententiam Menochius de probat. lib.1. quæst. 91. num.6. & illam absolutè tenet Antonius Gomez tom.3. var. cap.13.num.18. & Franciscus Personalis de Mirandula in tract. de indicijs & tortura num.63. ver. nec obstat, cum Socino & Grammatico penes ipsum.

Sed his non obstantibus ego puto, quòd licèt quodlibet indicium duobus testibus debeat probari, vt sit sufficiens ad torturam, vt suprà dictum est, attamen vbi plura essent indicia, licèt probarentur testibus singularibus, sufficerent ad torturam, & ita ex Fulgoso, Socino & Bruno docet Vmbertus Locatus post praxim Inquis. quæst.35. quibus etiam ex nostris ego addo Antonium Sousam in aphor. Inquis. libr 2.cap.39.num.19. Seraphinum Freytam in addit. ad tract. de Confess. solicit. qu.22.n.20. & Albertinum de agnoscen. asser. cathol. qu.25. nu.20. vbi ait. Licèt indicium ad torturam debeat per duos testes probari, tamen negari nequit, quin vnus testis faciat aliquam præsumptionem, & ideo si plures testes sint singulariter de singulis indicijs deponentis, dicentur plures facere præsumptiones, quæ faciunt vnum indicium ad torturam. Ita ille, & Layman in Theol. moral. lib.3. sect.5. tract.6.cap.4.nu.7. Franciscus Brunus tract. de indic. & tort part.1. quæst.2. num 5. Antonius de Ballis var. tract. lib.1. quæst.5.n.1. & vlt. & ego hanc sententiam mordicus teneo, quando testes singulariter de indicijs singulis deponentes essent testes idonei, vt obseruant Doctores, quos citat & sequitur Giurba consil. 87. nu. 30. cui adde Guazzinum tom.2.lib.1.defens.30.capit.4.n.13. Sousam loco citato loquentem de indicijs proximis, & Queuedo libr. de indic. & tort. cap.7. numer.1. & 2. licèt doctus Criminalista Petrus Caballus cum multis Doctoribus probabiliter sentiat in resolut. crimin. cent.2.cas.193.num.6. etiam indicia remota esse sufficientia ad torturam, si probentur testibus singularibus minus idoneis, & repulsatis, dummodo sint plures numero duorum, quod etiam docet Bertazolius pater vol.1.consil.214.num.8. & eius filius in addit. litt.C. Et tandem pro coronide huius resolutionis apponam verba Antonij Sousæ in aphor. loc. citat. nu.20. vbi sic ait. Indicia remota requirunt, vt probent ad torturam contestationem duorum testium, aut plures singulares, qui deponunt de illis, quæ tendunt in eumdem finem. Ita ille. Vide etiam circa præsentem quæstionem, quando casus occurrerit, M. Ant. Delrium in disquis. Mag. appen.2.libr.5.qu.10. per totam, & Guazzinum to.2, lib.1. defens.30.c.32.

An ex dicto vnius testis immediatè deponentis de delicto, possint Inquisitores reum torquere.

RESOL. VI.

REspondeo affirmatiuè si testis vnicus sit omni exceptione maior. Ita Villadiego in polit. cap.3.numer.367. Bernardinus in addit. ad Ambrosinum de process. inform. libr.4.cap.5.n.36. Rojas de hæret. part.2. in direct. part.3. qu.61. & ibi Pegna comment.150. Zanchinus de hęret. cap.9. & ibi Campegius in addit. lit.E. Cantera in quæst. crimin. cap.2. de probat. per testes quæst.1.num.5. Ludouicus Peguera in praxi cap.12 §.9 num.7. Suarez de Paz in praxi tom.1. part.5. cap.3.§.12.num.39. Filliucius tom.2. tract.40.cap.7. num.126. Miranda in ordine iudic. tom.2.q.26 art.6. concl.1. Sousa in aphor. Inquis libr.2.cap.39.n.17. & quis dicatur testis omni exceptione maior, glossa verb. maiores, ca.1. de affin. & consanguin. dicit, quòd ille dicitur testis omni exceptione maior, qui repelli non potest aliqua exceptione, id est, sine vlla prorsus macula, & inuulnerabilis. Vnde Rolandus à Valle vol.3.consil.2.nu.38 & Bursatus lib.1.consil.37 asserunt, quòd omnis macula & minimus defectus impedit testem ne probet iudicium, quòd etiam docet ex multis Maceratensis var. resolut. lib.5. resol 44. cas.4.

Sed quid si reus sit bonæ famæ? Respondeo quòd tunc ad reum torquendum non sufficit vnicus testis, etiamsi sit omni exceptione maior. Ita Sanctarellus de hæresi cap.41. dub.1. nu.1. Decianus tom.1.lib.5.c.36.n.6. Sanchez in opusc. to.2.lib.6.c.3. dub.15.n.3. Sousa in aphor. Inquis. lib.2. c.39.num.17. Pegna in direct. Inquis part.3. commen.110. Michael Zanardus in direct. Theol. p.3.cap.95.fol.513. Ioseph de Sancta Maria in tribunal. Relig. tra.5.c.2.§.5. & Simanca in enchir. tit.52.n.13. vbi sic ait. Necessaria est saltē dimidiata, siue semiplena probatio ad torquendum hominem; reus ergo infamatus torqueri poterit vnius hominis fide digni testimonio de crimine ipso testificante, quòd si reus sit bonæ famæ, alia præterea indicia necessaria sunt. Ita ille, & ideo S. Ludouicus Rex Galliæ, teste Boerio decis 103.nu.2. & Aldrete de discipl. tuen. lib.1.c.17.nu.11. statuit nullum virum honestum, vel integræ famæ, quamuis pauper existeret, ad vnius testis depositionem posse torqueri, vide Grammaticum consil.47.nu.18. Non desinam tamen hic adnotare, contrarium docere Petrum Caballum resol. crimi. cent. 1.cas 84.n.15. vbi docet bonæ famæ probationem tollere indicium ad torturam prouenientem ex fama, secus si ex alijs indicijs, alias vix posset vnquam torqueri ex quibusuis vrgentibus indicijs, cùm nullus sit tam deprauatæ vitæ, qui non facilè hodiernis temporibus reperire posset testes eius bonam famam probantes. Sed DD. Inquisitores facilè scire possunt, si reuera reus sit bonæ famæ, vitæque integræ.

Vnde è cõtra dicendum est, vt ego sæpiùs in sacro Tribunali vocatus sum, si reus sit malæ vitæ, posse ex vnico teste de visu deuenire ad torturam, etiam quòd dictus testis non sit omni exceptione maior. Ita Baiardus in addit. ad Iul. Clar. quęs.21.n.55. & Carenus in praxi crimin. leg. obseruare curabis, nu.110. quibus adde Menochium de præsumpt. lib.1. q.89. nu.6. & Farinacium qu.37.nu 65. qui hanc opinionem sequitur, dummodo testis non sit ipso iure inhabilis, vel non patiatur plures defectus, & dummodo inquisitus sit malæ vitæ, quia puta aliàs criminosus, & malæ famæ, non qui simpliciter vilis, vel pauper sit. Ita ille, & ego.

An ex solo dicto socij criminis possit reus ab Inquisitoribus torqueri.

RESOL. VII.

AFfirmatiuè videtur respondendum, tam de consuetudine teste Petro Caballo cent.1.cas.84.num.7. quàm per ea, quæ adducit Antonius Gomez var. resol. tom.3. ca.12.num.18. Blanchus in tract. de indicijs ad l. fin. de qu.n.378. & 379. Scotus cons.10.n.28. & 31.l.2. Placa de delictis, c.13.n.28. Guido de Susaria tract. de indicijs, n.24. Butrius, Imola, Abbas in c.1. de confess. & Lessius libr.2.c.30.dub.5.nu.29. vbi sic ait. In criminibus exceptis admittitur socius criminis, vt testis idoneus, vt in hæresi, atque huiusmodi depositio non solum, erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio; & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari. Ita ille. & post illum Pitigianus in pract. crimin. par.2.c.1.§. septimò socius criminis, fol. mihi 138.

Sed fallitur, & ideo vera responsio est negatiua. Dico igitur quòd si cum dicto socij criminis non concurrit alia præsumptio, vel adminiculum, aut iudicium, non facit indicium ad torturam: & ratio est clara, quia quis nõ potest torqueri, si non adsit saltem semiplena probatio, quam efficit dictum vnius testis omni exceptione maioris: sed socius criminis, vt patet, non est testis omni exceptione maior. ergo, &c. & ita hanc sententiam

tiam docet Didacus Cantera in quæst.crimin. cap.2.de probat. per testes, quæst.1.nu. 57. Ioseph Aldrete de discipl. tuenda lib. 2.ca.8.num.27.Becanus in summ.tom.3.part.2. de iust. & iure, quęst 67.D.Thom.de iniustitia iudicis,q.10.concl.2.numer.10. Sanchez in opusc.tom.2.lib.6.cap.3.dub.15.nu.7.Syluester ver. Indicium,num.5.Armilla num.6. Angelus num.5. Tabiena nu. 4.Layman in Theol.moral.lib.3.sect.5.tractat.6. cap.5.num.7. Sousa in aphor.Inquis. lib.2.cap.39.num.51. Delrius in disquis. magic.append.2.lib.5.quæst.1. Queuedo de indic. & tort. part. 2.cap.5.num.16. Narbona in recopil. part.2.leg.2.gloss.4.nu.5. Ioseph de sancta Maria in tribunal.Relig.tractat.5.capit.2.§.5. Bossius titul.de indic ante torturam, num.160. Marsilius consil.28. num.17.

Sed difficultas est, quęnam sint adminicula requisita, vt cum dicto socij criminis facit contra nominatim indicium ad torturam. Menochius de arbitr.li.2.cas.474. num.47. Peguera decis.crim.5.numer.33.& alij putant, ex quo non inuenitur in lege determinatum, qualia esse debeant supradicta indicia, arbitrio Inquisitorum remittenda esse; sed quia in facti contingentia adest scrupulus ad arbitranda hæc adminicula, ponam hic casus aliquos, quos affert Antonius Queuedo lib. de indic. & tort. part.2.cap.5.num.5. & doctiss. Sousa in aphor.Inquis.lib.2. c.25.numer.24. in quibus cum socij criminis testimonio datur tortura. Primus, quando simul concurrunt testes de auditu. Secundus, quando concurrit fama. Tertius, quando concurrit fuga. Quartus, specialis & stricta amicitia nominati cum tali socio. Quintus, si concurrit secreta allocutio, & conuersatio inter nominatum & socium. Ita Sousa, qui citat Menochium, & Farinacium. Vnde ego olim in sacro Tribunali consului dictum vnius socij criminis cum adminiculo conuersationis strictæ cum nominato, esse sufficiens iudicium ad torturam, & præter Sousam, & Farinacium vbi suprà, adduxi Grammaticum vol.6.nu. 3.& Antonium de Ballis var. tract.lib.1.quæst.26.num.7. per ea, quæ obseruat Binsfeldius in comment. de malef.& math.leg.9. de indic.§ 5.

Notandum est tamen hic, quòd depositio duorum sociorũ criminis sufficit ad torturam. Ita Castrus Palaus tom.1.tract.4. disp.8.punct.15.§.4.num.1. cui ego addo Martinum Becanum in 2.2.de iustit.quæst.57.de iniust.iud. quæst.10.numer.10. licèt Michael Zanardus in direct. Theolog.part.3.cap.94.folio mihi 516 asserat duos socios criminis facere indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indicijs deponant; sed absolutè dicendum est, depositionem duorum sociorum criminis sufficere, & ita etiam docet Pegna in director. Inquis. part.3.comment.110.in appendic. Menochius de præsumpt. libr.1. quæst. 9 numer.5.Clarus in pract.crimin.§. fin.quæstio.21. Ioseph Aldrete de discipl.tuenda lib.2.cap 8. numer.27. Filliucius tom.2. tractat.40.cap.7.numer.37.Beccanus vbi suprà, & Queuedo de indic. cap.2.nu.20.

Sed difficultas est, an duo socij criminis non contestes, sed singulares faciant indicium ad torturam? & affirmatiuam sententiam docet Sousa in aphor.Inquis.lib 2.cap 39.nu.55. vbi sic ait. Duo socij criminis, etiamsi sint singulares; indicium faciunt ad torturam. Ita ille, qui citat Farinacium qu.43.nu.37. & 38.& Iul. Clarum in praxi §. fin. q.21.

Notandum est tamen hic obiter primò, quòd Mascardus vir quidem doctus de probat.concl.1318. num.43. docet, quod dictum socij criminis tunc facit indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à iudice, sed non quando declarationem illam voluntariè fecit. Sed ex Farinacio Antonius Queuedo de indicijs part.2.cap.5.numer.17. asserit, [Esta opinion no es verdadera porquę haze mas indicio, y tiene menos presumcion de sugestion quando se haze voluntariamente, que quando se haze por la pregunta del Iuez] Ita ille. Verùm quicquid sit de hoc, etiam stando in opinione Mascardi, dictum socij in nostro sacro Tribunali semper habetur ex interrogatorio iudicis, & quando reus non vocatus se delatat ex obligatione edicti, & ex metu censurarum, hoc efficere dicendum est. ergo doctrina Mascardi non militat in casu nostro.

Notandum secundò, quòd si quis tortus fuerit, & negatiuus ex dicto socij criminis adminiculato, si postea alij duo socij criminis contra illum deponant de tali delicto, potest reus iterum torqueri. Ita Marius Giurba in consilijs criminalibus, cons.50. num.42. cum Muscatello tenens hanc sententiam, siue reus sit malæ, vel bonæ famę, & vitæ, licèt alij in homine bonæ famæ & vitæ id procedere negant.

Notandum tertiò, quòd tunc dictum socij criminis facit indicium ad torturam, quando, vt dicitur in c. fidei fauorem, de hæret.in 6. ex verisimilibus coniecturis, & numero testium, vel ex qualitate deponentium præsumitur falsum non dicere: & ita etiam obseruat Delrius in disquis.mag. in append.2.libro 5.q.1.concl.vlt.Hippolytus de Marsilijs cons.74.num.13. & alij communiter vbi infra citandi.

Et tandem nota quartò, quòd licèt sine vlla difficultate quis possit torqueri ex dicto trium sociorum criminis, tamen hoc limitandum est, quando sit tanta vis bonę famæ propter magnam personarum inæqualitatem, vt, v.grat. ait Delrius in disquis.mag. in appen.2. libr.5. quæst.6. si Princeps denunciaretur à suis subditis, tunc enim tot denunciationes requirerentur, quot possint præponderare, & idem ego sentio de aliquo qui in ciuitate publicè apud sęculares haberetur pro Religioso eximiæ sanctitatis, plurimi enim facienda vitæ præcedentis merita, vt patet ex l.3.§.sed si ex improuiso, & l.nō omnes.§. à barbaris, ff. de re milit.

An depositio socij criminis adminiculata sufficiat ad torquendum, si Inquisitores videant ipsum pati alios defectus?

RESOL. VIII.

NEgatiuè respondendum est, igitur socius criminis, qui patitur plures defectus, vt qui est infamis, criminosus, periurus, aut aliàs inhabilis, non facit indicium ad torturam. Ita Sousa in aphor.Inquis.libr.2. cap.39 num.53. & c 25. nu.25. Gigas de crimin.læsæ Maiest.libr.2.q.7.n.6. Menoch. de arbitr. lib.2 cas.474.n.54. Anton. de Ballis tract.var. libr.1.quæst.26.n. 25.Narbona in recopilat.part.2.leg.2.glossa 4.nu.10.& 11. Bursatus vol.1. cons.275.nu.19. Mascardus de probat. tom.3. concl.1315.nu.55.& 42.Farinacius qu.62.num.381. & seq. Boerius decis.319.nu.3. & ante omnes Io.Rojas singul.188.nu.5. vbi sic ait. Licèt in crimine hæresis socius criminis in testem admittatur, id locũ habeat in socio criminis, alijs non infamato ex alijs delictis, ita ille, & ideo Delrius in disquis. mag.libr.5. sect.3.fol. mihi 711. sic ait. Socius criminis vt faciat indicium ad torturam, requiritur vt non patiatur nisi hunc vnum defectum, nam si plures habeat, etiamsi tantum duos, v.g. quòd non tantum sit infamis, & criminosus, sed etiam sit vilis, abiectus, vel aliàs inhabilis, tūc ne in exceptis quidem faceret indicium ad inquisitionem specialem, nedum ad torturam, etiamsi in tortura suam nominationem confirmasset. Hæc Delrius. Vnde Ioseph. Sesse Consultor S.Officij tom.4.decis.Regni Arag.477.numer.32.sic ait. Licèt in crimine hæresis admittatur socius criminis, hoc procedit, quando talis socius non sit ex alio delicto infamatus, & sic non datur contra eum duplex exceptio, & defectus. nam sicut plura adminicula probant probationem, sic plures defectus eam destruunt. Ita ille, & nouissimè Anton. Queuedo de indicijs & tortura part.2. cap.5.numer.18. vbi ita asserit [En los casos en que el dicho del socio haze indicio para tormento ha de ser quando solamente padece exception de complice en aquel delicto, però no quando padece tachas y obieciones por otro camino que por este.] Hæc ille, & etiam ante illum Auendanus respons.31.num.7. vnde ex hoc principio ego olim reum a tortura liberaui, quod valdè tenendum est menti à DD. Inquisitoribus, quia socij criminis in nostro sacro Tribunali ferè semper patiuntur alias exceptiones.

Non desinam tamen hic adnotare, Delrium sibi contrarium in append.2.qu.17 dicti lib.5.fol.877.doceere, socium criminis in casu hæresis admittendum esse, etiamsi alios defectus pateretur, quia lex criminosos, & infames ad testimonium in criminibus exceptis ferendum admittens inter eos, qui vno, vel pluribus criminibus inuolutus, aut ratione criminum sæpius infamis notatus, non distinguit; ergo nec nos distinguere debemus. Deinde, v.gr. malefici plurimis, ijsque horrendis criminibus vt plurimum sunt innodati, quòd si alijs criminibus maleficos testes carere esset necesse, nullus vnquam esset testis idoneus. Et ita hanc sententiam putat Delrius tenendam esse, quia vtilior Reipublicæ, & iustitiæ, & pro illa citat Baiardum, Bossium, & Ludouicum; sed non est deferenda communis opinio, ex qua infert Farinacius quæst.43.num.86. vnum notabile, quod si reus primo examinatus negauerit delictum, ac etiam

complices, vel confessus de se delictum interrogatus de complicibus illos reticuerit, si postea iterũ de hoc interrogatus, vel tortus sponte, aut per torturam variando à prima depositione socios nominauerit, non vtique tunc faciet talis nominatio indicium ad torturam contra nominatos, ex defectu periurij, nisi forsan cum dicto socij criminis periuro concurrerent non solùm adminicula, sed illa quidem etiam grauia.

An dictum socij criminis adminiculatum sufficiat, vt Inquisitores possint torquere reum, si sit bonæ conditionis & famæ?

RESOL. IX.

SEntentiam negatiuam docet Grammaticus consil. 70. num. 7. vbi loquitur etiam in dicto duorum sociorum criminis. idem docet Parisius lib. 4. consil. 151. nu. 13. Rolandus à Valle vol. 1 consil. 16. num. 24. & seq. Bertazolius lib. 1. consil. 62. n. 19. Peguera decision. crimin. 5 numer. 31. Monticellus in praxi crimin. reg. 4 numer. 46. vbi sic ait. Requiritur, quòd inculpatus sit malæ famæ, conditionis, malæque vitæ & conuersationis, aliàs nominatio in socium criminis nihil ei præiudicabit? quoniam bona fama talem effectum operatur, vt per ipsam elisum intelligatur illud indicium, quod ex dicto socij criminis resultabit. Ita ille, qui citat Carreram, Alexandrum.

Sed hoc (attendãt DD. Inquisitores) ego puto remittendum esse eorum prudenti arbitrio, nam si cum dicto socij concurrerent tot adminicula, & præsumptiones, vt superarent bonam famam, esset omnino nominatus subijciendus torturæ, & ita tenet Farinacius qu. 37. n. 188.

Notandum est tamen hic obiter, quòd non est à DD. Inquisitoribus admittenda opinio aliquorum Doctorum asserentium, quòd non facit indicium ad torturam si socius criminis nulla præcedente interrogatione, alios socios nominent, & ita contra hanc opinionem insurgit Farinacius loco citato nume. 189. Iul. Clarus in pract. lib. 5 quæst. 21. & alij, nec valet dicere quòd testis vltrò se offerens examini suspectus à iure reputatur: ergo pariter reputari debet suspecta nominatio socij criminis sponte facta, nam respondetur esse disparem rationem inter vtrumque casum, quia socius criminis in nostro casu non sponte se subijcit examini, sed coactus, vt patet, nec sponte dicitur deponere, quia cùm à iudice ad dicendam veritatem super facto datur iuramentum, implicitè interrogatur de socijs si socij interuenerunt. ergo, &c. Sed de hoc suprà etiam dictum est.

An socij criminis vt fidem faciant contra nominatos, sufficiat iurare, vel opus sit, vt à DD. Inquisitoribus torqueantur ad deponendum.

RESOL. X.

SVfficere iuramentum & torturæ supradictos non esse subijciendos, docet Io. Rojas de hæret. part. 2. asser. 7 numer. 155. Simanca in cathol. instit. 53. num. 38. & Auend. resp. 31. num. 8. & alij.

Verùm M. Anton. Genuensis in praxi Archiepisc. cap. 68. nu. 11. sic asserit. Licitè secundum Simancam testi socio criminis sit adhibenda fides, etiam sine tormentis, praxis tamen se habet in contrarium, quòd torquetur aliquantulum ad validandam eius depositionem contra socium. Ita ille. & M. Anton. Delrius in disquis. mag. libr. 5. sect. 3. contra Simancam probat etiam, quòd vt fidem faciat socius criminis contra socium nominatum, debeat torqueri. Vide etiam Campegium in Zanchinum de hæret. cap. 9. lit. C. Riccium part. 3. decis. 298. & Triuisanum libr. 2. decis. 39. num. 7. Marsilium consil. 22. nu 22. consil. 78. nu. 1. &, quod maius est, Michaelem Zanardum Consultorem S. Officij in Italia in direct. Theol. part. 3. cap. 94. fol. mihi 516. sic asserentem. Duo socij criminis faciunt indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indicijs deponãt, & dictum suum in tormentis sustineant. Ita ille. & nouissimè Anton. Queuedo de indicijs & tort. part. 2. cap. 5. num. 10. sic ait. [Es de aduertir que estos complices no deben ser creidos sin tormentos, sino que por este efeto deben ser preguntados con ellos, y esto se debe assi praticar, y si no se haze no es, porque no se deba hazer, si no por la ignorancia y floxedad de los Iueces.] Sic ille, & Alphonsus Narbona in recopil. part. 2. lib 8. tit. 12. leg. 2. glos. 5. nu. 36 & 40. acriter hanc sententiam defendit; quam etiam tenet Cartharius de interrog. reor. lib. 4. cap. 2. numer. 13. & Caballus cent. 1. cas. 32.

Sed his non obstantibus opinio Simancæ mihi placet, quæ seruatur in Tribunalibus nostræ Inquisitionis Hispanicæ, & illam tenet etiam Pegna in director. Inquis. par. 3. comment. 113. Dico igitur socium criminis absque tortura indicium facere modo, quo suprà explicatum est, & hanc sententiam solidè cõfirmat Seraph. Freitas in addit. nouiss. ad tract. de Confess. solic. quæst. 4. numer. 42. & seq. & ita, teste Anton. de Ballis tract. var. lib. 1. quæst. 26. numer. 6. hodie seruatur in magna Regia Curia huius Regni, vbi recipitur dictum socij criminis absque tortura, & Petrus Caballus licèt vbi suprà, & cas. 84. numer. 11. & seq. teneat non valere dictum socij sine tortura, tamen asserit multis in locis hoc non obseruari de consuetudine.

Sed quia hęc difficultas oritur etiam circa depositiones aliorum testium inhabilium, ideo quærendum est absolutè vt in sequenti resolutione.

An testes inhabiles vt fidem faciant sint ab Inquisitoribus torquendi.

RESOL. XI.

HIc casus in sacro Tribunali quotidie accidit, quia quamuis regulariter inhabiles, vt excommunicati, infames, &c. à testimonio repellantur, at in causis fidei propter Religionis fauorem, ne tam graue hæresis crimen impunitum remaneat, admittuntur, ex cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. Sed difficultas est, an vt fidem faciant, debeant torqueri? & affirmatiuam sententiam docet Sanctarellus de hæresi c. 38. dub. vn. n. 1. & illam mordicus tenet, & defendit Antonius Delrius in disquis. mag. libr. 5. sect. 3. & Inquisitor Campegius in addit. ad Zãchinum tract. de hæret. cap. 9. lit. C. in ver. Inquisit. ver. adsunt insuper.

Verùm hæc sententia dura nimis & aspera videtur, & ideo crederem hos testes inhabiles indicium facere siue maius, siue minus, spectatis personarum qualitatibus alijsque circumstantijs, etiamsi sponte & sine tormento testimonium dederint, & certè si testes inhabiles nõ admitterentur, in nostro sacro Tribunali ad testimonium dicendum, sine tortura, facilè auerterẽtur à ferendo testimonio in causa fidei, non tamen nego, quandoque posse, & debere torqueri, quod quãdo fieri debeat, DD. Inquisitorum arbitrio relinquo, spectata testium infamium malitia, improbitate & varietate, & hæc omnia docet Pegna in director. Inquis. part. 3. quæst. 46. comm. 113. & Simanca tit. 64. num. 37. Rojas de hæret. part. 2. nu. 153. Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 15. cum Antonio Gomez var. resol. lib. 3. cap. 12. num. 16. & Sigismundo Scaccia tom. 1. lib. 1 cap. 82. num. 2. & ita in praxi obseruatur in nostro Tribunali Inquis. Hispan. vbi dicti testes ordinariè non torquentur, & ita seruari in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur doctus Aloysius Riccius part. 2. decis. 268. vbi admittuntur testes inhabiles ad probandum sine tortura.

Notandum est tamẽ hic obiter primò quòd testes inhabiles admittuntur ad probandum aliquem esse hæreticum, è contra verò non admittuntur in fauorem illius, secundùm Ioseph Sesse tom. 4. decis. 477. n. 35. Malleum Maleficarum tom. 1. part. 3. qu. 4. Gundissaluum de hęret. quæst. 13. num. 14. Repert. Inquis. ver. an illi testes inhabiles. Zechium in summ. tom. 1. tit. de hæret. cap. 11. num. 14. & Io. Rojas singul. 188. nume. 10. vbi sic ait. Ad defensionem hæreticorum testes inhabiles, & minus idonei non admittuntur, & id annuere videtur textus in cap. in fauorem fidei, de qua conclusione est casus expressus in cap. filij, vel hæredes, in fine, de hæret. in 6. ibi, *non tamen per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes alios fide dignos*, & expressè habetur in director. part. 3. c. 70. & hunc intellectum ad prædicta iura tenuit Bossius in pract. crimin. tit. de hæret. nu. 3. Hæc omnia Rojas loco citato.

Verùm contraria sententia hodie seruatur in praxi, & ita docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. n. 8. vbi sic ait. Testes inhabiles admittuntur ad defensionem rei in crimine hæresis, dummodo inde non sequatur pœna parti accusanti, & admissi etiam non plenè probant. Ita ille. qui citat Farinacium qu. 62. limit.

limit. 5 licet sibi sit contrarius, nam qu. 188. nu. 82. docet hos testes minimè admittendos esse, hinc à fortiori dicendum est admittendos esse familiares consanguineos domesticos, si pro reo adducantur, non tamen tanquam integros testes, sed vt testes diminutæ veritatis, licet hoc non procedat secundum Siman. in Enchir. tit. 35. num. 24. quando consanguinei admittuntur ad probandas exceptiones contra testes promotoris fiscalis, tunc enim consanguineos intra quartum gradum asserit non esse admittendos, nec ad probandas defensiones obliquas, siue indirectas. Ita ille.

Nota secundo quòd Repertorium Inquis. ver. testes, ver. nota distinctionem, & glossa in cap. in fidei fauorem, ver. Inquis. Ioan. Andreas ibi num. 3. Geminianus num. 7. Francus num. 3. Farinacius de hæresi qu. 188. nu. 78. & alij asserunt testes inhabiles per dict. ca. in fidei fauorem admittendos esse, quando per viam Inquisitionis proceditur; sed ego puto in crimine hæresis testes inhabiles admittendos esse, etiam quando proceditur per viam accusationis. Ita Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 6. Rojas singul. 188. nu. 6. & singul. 191. nu. 3. Gundissaluus, de hæret. q. 13. nu. 17. Carrera tract. de hæret. n. 120. & ratio est, quia in vtroque casu est eadem ratio in fidei fauorem, & idem tenet Farinacius sibi contrarius quæst. 62. n. 86.

Nota tertiò quod licet testes inhabiles admittantur modo, quo supra in fauorem fidei, hoc intelligendum est ad solam probationem delicti, non autem ad illius circumstantias non substantiales; & ideo asserit Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. ca. 13. num. 7. testes inhabiles non probant adminicula, adminicula, inquam, non substantialia. Ita ille. Vnde infertur hos testes admitti ad probandam, v.g. familiaritatem cum hæreticis, conuenticula secreta, & alia huiusmodi, quia hæc demonstrant delictum, & sunt de illius intrinseca substantia, non autem, v.g. ad probandum Baptismum inquisiti, &c. licite Bossius tit. de crimine læsæ maiestatis nu. 114. & Gigas eodem tit. qu. 5. per totam, cum alij doceant, testes admissos ad probandum aliquod delictum, admitti debere ad probandum ea omnia, sine quibus delictum esse non potest; verùm nostram sententiam tenet Farinacius qu. 56. de testibus à nu. 78. illamque confirmat doctus Narbona in recopillat. part. 2. leg. 2. glos. 7. n. 6. & seq adi illum, & non pigebit.

Nota quartò quòd licet huiusmodi testes non sufficiant ad plenam probationem, sed ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam, vt docet Rojas singul. 191. numer. 3. & alijs penes ipsum. Non est tamen negandum quod si magnus sit eorum numerus, & adsint coniecturæ sufficientes, si suppletur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Ita Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 13. Pegna in direct. part 3. comment. 113. Ioseph. Sesse tom. 4. decis. Regn. Arragon. 477. num. 28. & alij. Vnde non grauabor hic apponere verba Castri Palai in opere morali tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. num. 1. vbi sic ait. De testibus inhabilibus, vt sunt excommunicati, criminosi, socij criminis, Iudæi, & hæretici, communis & recepta sententia est non integrè delictum probare, quia licet fauore fidei ad testificandum admittantur, admittuntur tamen vt periculo falsitatis dicendæ subiecti, neque enim hoc periculum, quod est intrinsecum, purgari potest admissione, ex quo fit duplici teste conteste socijs criminis, aut aliàs inhabilibus non posse reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi indicia & circumstantiæ concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere, quia huiusmodi indicia & circumstantiæ expostulantur, vt eorum dictum admitti possit, non autem expostulantur vt integrè probent, vt legenti textum in cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. patebit; quo circa depositio vnius testis inhabilis rato ad torturam sufficit, nisi alijs adminiculis, & præsumptionibus grauibus adiuuetur; depositio duorum sufficiet ad torturam vel ad condemnandum reum pęna extraordinaria. trium, vel quatuor depositio ad condemnationē ordinariam sufficiet; quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur. Ita Palaus. Sed ego pace viri docti numquam condemnarem hæreticum pœna ordinaria ex testimonio trium testium inhabilium, quia hodie vt plurimum non damnatur hæreticus ad pœnam ordinariam, nisi aduersùs illum adsint tres testes contestes omni exceptione maiores; quomodo igitur damnandus erit ex testimonio trium testium inhabilium? imò neque cùm quatuor, plures itaque requiruntur, & in tali casu numerus testium, vt obseruat Rojas singul. 188. n. 3. supplet eorum defectus etiam ad effectum, vt dicantur omni exceptione maiores, & etiam si omnes patiantur aliquas exceptiones. Ita Gregor. XV. in decis. 351. num. 4. & 5. & Cæsar. de Grassis decis. 175. n. 9. licèt, vt verum fatear, quoad hoc vltimum dissentiat Cacheranus consil. 64. n. 30. & Bursatus lib. 3. consil. 321. n. 31.

Nota quintò, hos testes inhabiles, criminosos, infames, &c. admittendos esse non solùm in defectum aliarum probationū, sed etiam in casu, quo aliter veritas haberi possit, & ita contra Delrium in disquisit. mag. li. 5. sect. 5. §. possunt in hac causa, fol. mihi 728. & Eymericium in direct. part. 3. q. 69. docent Simancain cathol. instit. tit. 35. nu. 17. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. excommunicati, num. 4. Repertorium Inquis. ver. testes, vers. est tamen. Scaccia de iudic. &c. tom. 1. lib. 1. cap. 82. n. 2. Farinacius de hæresi quæst. 188 §. 5. num. 74. & alij, & patet ex textu in cap. in fidei fauorem, de hęret. in 6. ibi, *præsertim in defectum aliarum probationum*, dictio enim illa, *præsertim*, est ampliatiua, & demonstrat in omni casu admittendos esse, maximè in illo. hinc asserunt DD. quos ad satietatem adducit amicus noster doctus Augustinus Barbosa in tr. de dictionibus vsu frequentibus, dict. 277. nu. 4. quòd hæc dictio, *præsertim*, exprimit casum minus dubitabilem, & implicat, & supponit magis dubitabilem.

Et tandem nota sextò quòd supradicti testes admittuntur contra reos, quando, vt habetur in d. cap. in fidei fauorem ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circumstantijs sic testificantur, vt falsa dicere non præsumantur, & ita etiam obseruat Delrius in disquis. Mag. append. 2. lib. 5. qu. 1. Hippolytus de Marsilijs cons. 74. nu. 13. Menochius de arbitr. lib. 2. cas. 474. num. 58. Mascardus de probat. li. 1. conclus. 158. num. 3. & alij, qui loquuntur de depositione socij criminis.

An confessio extraiudicialis sufficiat, vt Inquisitores possint torquere reum?

RESOL. XII.

Respondeo affirmatiuè cum Pegna in director. part. 3. comment. 110. litt. M. Simanca in enchir. tit. 56. nu. 14. Ioseph Aldrete de discipl. tuenda libr. 2. cap. 8. nu. 3. Sanchez in opusc. tom. 2 lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 8. Syluestro ver. Indicium, qu. 2. Angelo num. 2. Tabiena num. 1. Gomez tom. 3. varia. cap. 13. num. 8. Petro Binsfeldio in comment. de malef. & math. reg. 9. de indicijs, § 9. Miranda in ordine iudic. tom. 2. q. 26. art. 7. conclus. 1. Michaele Zanardo in direct. Theol. part. 3. c. 95. fol. 515. Sousa in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 39. nu. 91. Ioseph de S. Maria in tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 8. Iulio Claro quæst. 21. nu. 31. Farinacio quæst. 37. num. 47. Carerio in pract. leg. obseruate num. 121. Hippolyto de Marsilijs in pract. §. diligenter numero 76. Rodriquez in summ. tom. 2. cap. 162. numer. 2. & alijs penes ipsos, quia non est credendum aliquem sibi falsò crimen imponere.

Sed notandum est quod Folletius in pract. in 2 parte, n. 204. adducit decem & septem requisita, vt confessio extraiudicialis sit indicium ad torturam, verùm, vt obseruat Baiardus in addit. ad Iul. Clar. quæst. 21. num. 112. & Menochius de præsumption. lib. 1. quæst. 89. num. 16. & seq. quatuor tantùm sunt necessaria. Primum quod confessio ista debet esse verisimilis, atque ita debet habere causam præexistentem, nam si nulla subesset causa, qua ita factum dici posset indicium, sumi non posset. Secundum, quòd hæc confessio facta fuerit seriò, non autem iocosè, item facta esse non debeat calore iracundiæ. Tertium, quòd sit confessio specialis, non autem generalis, & quo loco, & quo tempore fuerit facta. Quartum quòd hęc confessio sit probata testimonio duorum, & licet hoc requisitum sit commune cum alijs indicijs remotis, habet tamen nescio quod plus, cùm maiori quadam diligentia ij testificari debeant. Hæc omnia Menochius ex Follerio; & hoc vltimum docet etiam Villadiego in politic. cap. 3. numer. 311. asserens duos testes de confessione extraiudiciali sufficere ad torturam, cum Ioseph de sancta Maria in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 8. Giurba consil. 87. numero 22.

Aduerte id, quod asserit Menochius, confessionem extraiudicialem debere esse cum loco & tempore, vt faciat indicium ad torturam, docere etiam Brunum de indicijs quæst. 3 numer. 16. Carerium in praxi, leg. obseruate nu. 121. Farinacium qu. 82. nu. 29.

num. 29. Antonium Queuedo lib. de indic. & tort. cap.7.nu.3. & Mascardum li.1.concl.350. num. 1. Sed aduersùs illos insurgit Antonius de Ballis in tract. var.lib.1. quæst.13.numer 3.quia non videtur ei possibile, nec verisimile extra iudicium quemquam velle narrare integrum factum cum circumstantijs,quod etiam aduertit Bossius in tit. de Confess. nu.45. sed de hoc infrà etiam redibit sermo in fine huius resolutionis.

Notandum est tamen hic primò quod Menochius loco cit. num.25. Caretius in praxi leg. obseruare, numer. 121. Marsilius singul. 310. Cacheranus in decis. Pedem.79. nu.25. Bertazolius lib. 2.consil.166.num.22. & alij asserunt, quòd si reus reuocauit confessionem extraiudicialem, non est torquendus, cùm sit confessio nudi facti; verùm aduersùs hanc sententiam insurgit, & meritò Iul. Clar. vbi suprà, & nouissimè doctus Petrus Caballus resol.crimin.cent.1,cas.81.numer.4.vbi cum multis alijs probat,quòd si error non probetur, semper talis confessio facit indicium ad torturam,& ita testatur de praxi. Atque hanc sententiam docet etiam Farinacius quæst.82. num 28. Bossius tit. de Confess.num.55.Binsfeldius in comment.de malef.leg.9. de indicijs, § 9. Miranda in ordine iudic. tom.1. qu.26. art 7. conclus.1. Vnde cautè legendus est à nostris DD Inquisitoribus in hac quæstione Albertinus de agnoscen q.15.nu.22. & Sanchez in opusc. tom,2.lib 6.c.3. dub.15.n 8.

Nota secundò quòd licèt aliqui Doctorea magni nominis, quos citat & sequitur Alphonsus Villagut in praxi lib.7.cap.14. concl.3.Mascardus de probat.li.1.concl 353.num.24. doceant confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiamsi postea non ratificet confessionem; tamen hoc non est tenendum,si de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur, quia confessio in tormentis, præcedentibus indicijs, facta semper requirit perseuerantiam & ratificationem, alioqui est nullius momenti, cum vi tormentorum censeatur expressa. Ita Martinus Becanus in 2.2. D. Thom. de iust,quæst.67. de iniust. iudicis,quæst.10.conclus.2.num.9. Pegna in direct.part.3.comment.110. & Petrus Caballus vbi suprà num.6. & alij penes ipsum quibus adde Suarez de Paz in praxi tom.1. part.5. cap.3.§. 12,num.26. Gomez tom.3. variar.c.13.nu.8. Cartharium de interrogat.reor.lib.4.cap.1.n.153 Baiardum in addit.ad Iul.Clar. quæst.64.num.136. Guazzinum tom,2,lib.1, defens.30. dub.35. num.6 & ex nostris Simancam in Cathol.inst,tit.65.num.70.& Mirandam in ordine iudic.tom.2.quæst.26 art.7.conclus.1.qui conclus.2. cum multis DD.probat cõfessionem emanatam coram iudice incompetente semiplenè probare,& indicium facere ad torturam, modò sit spontanea & libera, vide Pegnam in director Inquisit.p.3.comment.118.in append. & Genuensem in praxi Archiepiscop. cap.8.n.3.

Et tandem notat tertiò quod licet Farinacius quæst.82.n.45. & quæst.64.num.145.cum alijs asserat. quod confessio extraiudicialis non probetur per testes singulares, tamen noster Sousa in aphor. Inquis.libr.1.cap.21.nu.10. in crimine hæresis contrarium docet,sic enim ait. Confessio extraiudicialis sufficienter probatur testibus singularibus, quorum singularitas est adminiculatiua,præsertim in crimine hæresis.Ita ille. vbi citat Mascardum, & hanc sententiam etiam docet Albertinus de agnoscen.qu.15.n.20. vbi ita asserit. Si darentur plures extraiudiciales confessiones rei, & vnus testis deponeret de vna confessione, & alter de altera, & sic quòd testes essent singulares, licèt vnusquisque per se non faceret indicium, tamen hæ attestationes simul iunctæ indicium facerent ad torturam. Ita ille, qui respondet ad contraria,& hanc sententiam probant ea,quæ suprà dicta sunt in resol. 7. & tandem, illam etiam tenet Castrus Palaus in opere morali tract.4.disp,8.punct.9.num.3.& 4.quicquid in contrarium asserat Farinacius, Menochius, & alij.

An fama prabeat indicium, vt Inquisitores reum tortura subijcere possint.

RESOL. XIII.

QVicquid aliqui asserant, sola fama de se non est sufficiens indicium ad torturam;igitur secundùm Simancam tit.65. n.37. vt propter famam quispiam torqueri queat, hæc omnia simul requiruntur,quòd reus vilis & infamatus sit, quòd fama sit orta nõ a maleuolis, aut leuibus hominib.sed ab honestis,& fide dignis,& postremò quod per testes idoneos probata sit, nec sat est, quòd testes dicant hanc esse publicam famam, nisi etiam rationem addant, qua id necessariò concludant. Ita ille,& post illum Sanchez in opusc to.2.lib.6.ca.3.dub.15.n.19. Syluester etiam ver. Indicium, q.4. Angelus num.4. Armilla n.5. Tabiena nu.3. Miranda de ordine iudic.to.1.q.26.art.5. concl. 1.& 2. Pegna in direct. Inquis.part.3.commen.110. & Sousa in aphor. Inquis lib.2.c.39.nu.59 Queuedo lib. de indicijs & tortura cap.7.nu.3.Menochius de præsumpt.lib 1.quæst.89 nu.51. qui n.52.declarat hanc sententiam locum non habere,quando fama esset vehemens, nam tunc ipsa sola sine alijs adminiculis esset sufficiens ad torturam; quæ autem dicatur fama vehemens, hoc relinquit arbitrio iudicis. Sed Petrus Binsfeldius in commẽ. de malef. & Maib. leg 9.de indicijs.§.6 Petrus Caballus in resol.crim. cent.1.cas.84.n.14. putant famam vehementem de se sola nõ sufficere ad torturam; verùm communis sententia Doctorum est in contrarium, quos affert Farinacius qu. 47. nu.28. sentiens famam vehementem sufficere, quod etiam docet Miranda de ordine iudic.tom.2. quæst.26.art.5. concl. 1. Menochius consil.788.num.27.Peguera decis.17.nu.16. Aldouinus consil.26.numer.2. & ex nostris Pegna in director part.3. comm. 110. Sed vt sit vehemens, aduertit Farinacius quod Iudex aliquas regulas debet animaduertere; id est, quòd fama non dicitur vehemens,quando illa ortum habuit à personis inhonestis, & non fide dignis, & numerus testium minime supplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Deinde attendenda est causa originis ipsius famæ, non autem numerus personarum,& ideo si fama ortũ habuerit à mille personis, & nulla appareat causa,vnde talis fama orta sit, non est habenda in consideratione, & ideo non facit indicium ad torturam. Sed stantibus prædictis cõsiderationibus tantum est dicere famam vehementem facere indicium ad torturam, quantum dicere famam adminiculatam facere indicium ad torturam; ergo cũ non possit fama vehemens dici, nisi sit adminiculata, sequitur has sententias inter se non pugnare. Concludendum igitur est dictam famam cum alijs indicijs & coniecturis modo, quo suprà explicat Simanca,esse sufficiens indicium ad torturam,& in casu contingenti DD. Inquisitores ne deserant videre Inquisitorem Canteram in qq.crim cap.2. de probat.per testes, quæst. 1.nu.8. & Pegnam vbi suprà, & Bertazolium vol 1. consil.213. n.3.cum Pitigiano in pract.crim.part.3.c.7.in addit.li.B.& Michaele Zanardo in direct.Inquis.p.3.c.95. ful.514.

Notandum est tamen hic primo,quòd multi asserunt famam habentem ortum ab aliqua verisimili causa & coniectura sufficere, etiamsi testes non sint ita honesti, & fide digni: sed hanc sententiam meritò reprobat Farinacius quæst. 47. nu. 159. Vnde dicendum est testes deponentes de fama, ad minus duos esse debere, & hos spectatæ vitæ, & omni exceptione maiores, vt ex multis probat Miranda de ordin. indic. tom.2.qu.26. art. 5. concl. 2.

Nota secundò quòd aliqui asserunt sufficere in nostro casu, si testis dicat se ita publicè dici audiuisse, vel ita esse publicam vocem & famam. Ita Peguera decis.17.nu.25. Paulus Granatus theor.22.num.6.Bursatus lib.1.concl.90.num.6.& alij,quos adducit Mascardus de probat. lib.1.concl.496.n.19. & li.2. concl. 749.nu.4.& 5. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Bartolo in l.de minore.§.plurium,nu.12.& ibi etiam Marsilius nu.54. in fine, ff. de quæst. Nauarrus in tract.de fama & infamia cap.non sunt audiendi 2.quæst.3.nu.13. & 14. & alij innumeri, & ad summum prima opinio tunc admittenda est, quando testes adducerent causas & coniecturas verisimiles, ex quibus orta fuit fama,nam aliter famam non probarent,etiamsi dicerent se ita publicè dici audiuisse, vel sic esse publicam vocem,& famam,& ideo dixit Simanca vbi suprà, non satis esse, quòd testes dicant ita esse publicam famam, nisi etiam rationem reddant,qua id necessariò concludant;igitur requiritur vt testes deponentes super famam reddant rationem eorum dicti,etiam non interrogati,& sic debent exprimere causas,indicia, & coniecturas, quibus orta est fama, aliter non probant,& ita inter alios docet Miranda de ordine iudic. to.2. q.26. art.5. concl,2.Mascardus de probat.libr.2.concl.149.nu.11.12.& 13. & lib.3.concl.1369.num.8.Alia verò requisita ad probationem famæ ne omittas videre apud Farinacium quæst.37. vsque ad num. 277.

An

An fuga sit indicium sufficiens vt Inquisitores possint torquere reum.

RESOL. XIV.

AD hoc dubium ita respondet Simanca in Cathol. institut. tit.65. nu.28. Is, qui commissum crimen fugit, antequam accusetur, poterit ob eam causam torqueri, quia, vt plerique putant, fuga illa semiplenam probationem facit. Aliud esse aiunt, cùm reus accusatus fugit, tunc enim fuga non probat semiplenè. Ita ille, & post illum Eymericus à Rosbach in tractar. crim.tit.5.cap.9.num.2.& 5.Ioseph de S. Maria in Tribun. Relig.tract.5.cap.2.§.9.& Ludouicus Miranda in ord. iudic. tomo 2.quæst.16. art.8. qui postquam docuisset fugam adminiculatã facere indicium ad torturam, sic subdit. Intelligenda est hæc conclusio de eo, qui post commissum delictum aufugit, antequam accusetur, nam non ab re contra ipsum præsumitur quod illud commiserit, estque vehemens, & vrgentissimum indicium ad torturam proindè sufficiens; secus est de illo, qui accusatus fugit, nam eiusmodi fuga non est vehemens, & sufficiens indicium ad torturam, nec vim habet semiplenæ probationis, cùm ex alia causa possit procedere. Ita ille. Sed in casu occurrenti ne prætermittas videre Farinacium quæst.48.nu.1.& sequent. Gomez tom.3. var.c.13.n.10. Iul.Clarum in pract.§. fin. q.21.n.18. Mascardum de probat.lib.2.concl.819.n.4. & concl.831.n.9.& alios penes ipsos.

Non desinam tamen hic adnotare, aliquos docere ex fuga è carcere etiam atteotata, oriri contra fugientem indictum delicto, pro quo detinebatur, sufficiensque ad torturam, dummodo animo reuertendi non effugerit. & ita docet ex nostris Anton. Sousa in aphor.Inquis.lib.2.c.26. n.34. & ante illum Farinacius q.30.n.85. cum alijs penes ipsum.

An variatio, mendacium, & vacillatio rei præbeant Inquisitoribus indicium ad torquendum?

RESOL. XV.

REspondeo se sola negatiuè. Dico igitur quòd vt variatio rei faciat contra ipsum indicium ad torturam, debet esse adminiculata aliqua alia coniectura, indicio, seu præsumptione: secus autem, vt dixi, si sit sola nuda, & nõ adminiculata; & ita hanc sententiam tenet Zanardus in direct. Theolog. part.3. cap.93.fol.512. Lessius lib.2.cap.29. dub.17. num.164. Becanus in 2.2. D.Thom.de iust.quæst 67.de iniustitia iudicis, quæst.10. nu.13.Grazzinus in defens.reorum discept. 35.num.8. Sousa in aphor. Inquis.lib.2. cap.39. nu.80. Ludouicus Carerius in practic.crim.leg.obseruare, numer.119. Iul. Clarus in pract. §. fin. quæst.21.Cacheran. decis.Pedemon.79.num.17.& alij quos citat,& sequitur Petrus Caballus resolut. crim.cent.2.& cas.200. num.136.vbi sic ait. Variatio circa circumstantias, & qualitates delicti nullo modo facit indicium ad torturam, nec etiam si fit circa ipsum delictum, nisi iunctis alijs indicijs, secundùm communem opinionem Doctorum. Ita ille. Et idem dicendum est de mendacio, vt ex multis Doctoribus obseruat Miranda in ordin.iudic.tom.2.quæst.26.art.12. concl.1. & de vacillatione. nam sine alio indicio, cõiectura; aut præsumptione non faciunt indicium ad torturam. Vnde etiam non desinam hic apponere verba doctissimi Inquisitoris Didaci Cantera in qq. crimin.c.2. de probat.per testes, q.1.nu.20. vbi sic asserit. Iudices non benè faciunt qui captum aliquem propter delictum sine aliquo indicio propter vacillationem solum, vel trepidationem, ponunt ad torturam, & ex hoc vidi quemdam iudicem puniri, & condemnari in Cancellaria Granatensi. In causa autem hæresis ex sola vacillatione numquam reus poneretur ad torturam, nisi essent alia indicia de delicto. Ita Cantera.

His tamen non obstantibus non desinam hic adnotare, multos Doctores asserere mendacium super facto principali per se solum indicium esse ad torturam, & ita tenent Doctores quos ad satietatem adducit Giurba in consilijs criminal.consil.87. n.27.qui etiam cum multis alijs in num.26.docuerat, quod quando plura adsunt mendacia, vnum ab alio adminiculatur ad torturam.

Notandum est etiam hic obiter cum Menochio de præsumpt.lib.1.quæst.89.num.71.quòd sola titubatio, vultusque mutatio rei non facit contra illum indicium ad torturam, nisi cum ea titubatione, & trepidatione concurrant aliqua adminicula, quod prius docuerant Marsilius in pract.crim. §. diligenter, n.74. & Carerius etiam in praxi crim.leg.obseruare,n.120. & nouissimè Sousa in aphor.Inquis.lib.2.c.39. nu.81.

An reus tortus, & negatiuus, si superueniant noua indicia, possit iterum ab Inquisitoribus torqueri? & quanam indicia esse debeant.

RESOL. XVI.

POsse reum torqueri, si noua superueniant indicia, docet Simanca in Cathol.institut.tit.65.nu.75. Villadiego in polit. cap 3.num.321. Bertazolius vol.2. concl.274. n.21. & alij communiter. Sed difficultas est, an ista indicia debeãt differre à primis specie, & substantia? & aliquam affirmatiuam sententiam tenẽt, aduersùs quos nouissimè insurgit. Queuedo lib. de indic. & tort. part.2.capit.7.num.6.vbi sic ait. [Se pueden repetir los tormentos, quando despues que el reo nego en el primero tormento subreuenieron nueuos indicios, o por la boca del reo, o por testigos, que no son aquellos, que se causaron en el primero juizio, sino de diuersos generos, y mas euidentes, y que difieren de los primeros en la especie, y en la sustancia, como si los primeros indicios fuessen de mala fama o de enemistad, y los segundos fuesen de vista vn testigo, &c. porque aunque aya testigos de los primeros indicios, no se dira que aymas indicios sino mas probanca dellos, segun Farinacio. Yo no tengo por cierta esta doctrina, porque si lo fuera, della se pudiera inferir, que supuesto que los indicios sobreuinientes han da diferir de los primeros no solo en la sustancia, sino en la especie, que si los primeros fueron remotos, no basteran otros remotos, y si propinquos no basteran otros propinquos, y lo mesmo de los proximos es indubitables, y esto no es cierto y fuera absurdo el entenderlo assi, antes digo que bastaran indicios de las mesma especie, con que difieran en la identidad, como si el reo fuese atormẽtado por enemistad, podra serlo por la fama, o por otro indicio, aunque cõuengan en la especie con ser remotos en los casos que bastan para tormento, lo mismo de los propinquos y de los demas, como difieran en la identidad, aunque se conformen en la especie porque no hallo razon para lo contrario, ni Farinacio la da, y assi digo, que en estos casos se podra repetir a los reos el tormento.] Ita ille. qui pro hac sentẽtia adducit Antonium Gomez to.3.var.c.13.nn.7. & 8.

Verùm his non obstantibus sententiam affirmatiuam tuẽtur Doctores nostri sacri Tribunalis, & inter illos doctissimus Pegna in direct. Inquis. part.3.commen.39. num.156. vbi sic asserit. Obseruanda est doctrina de non iterandis tormentis, nisi noua indicia superueniant: noua autem indicia voco, quę a primis differunt specie, & substantia. Ita ille qui citat Alexandrum & Casonum, quibus addo Vmbertum Locatum Inquisitorem in sua praxi, ver.tortura.§.& nota secundum Felinum; vbi ita ait. Si reo legitimè torto, sed non confesso, noua seperueniant indicia (noua voco, scilicet à primis differente specie, & substantia, non tamen si eadem coadiuuarentur testibus) iterum poterit torqueri. Hæc ille, & ex criminalistis Bossius tit. de tortura, nu.42. & alij.

Sed ego puto quòd sensus supradictorum DD. in illis verbis quod indicia noua debeant differre specie, & substantia, sit, quòd indicia noua non sint eadem, licet coadiuuentur alijs testibus, vt si, v.g. & est exemplum Iul. Clari in pract.§. final. q.64. num.46. aliquis tortus sit ex indicio famæ, & deinde superuenissent alij testes probantes famam, vtique in tali casu nõ debet reus torqueri, quod vtique faciendum erit, si alia noua indicia remota superuenirent præter famam, & hunc esse sensum supradictorum verborum, patet ex verbis Locati suprà adductis, & ita intelligendi sunt Casonus de indicijs tit. de tortura c. 14. num.8. Ludouicus Bologninus in addit. ad tract. Guid. de Suzar. de indic. & tort. nu.61. Brunus in tract. de indic. & tort. p.2. quæst.5.num.63. Damhauderus in praxi cap.38 num.5. Petrus Caballus in resol.crimin.cent.2. cas.93. nn.43. asserentes reum posse iterum torqueri ex nouis indicijs superuenientibus, si tamen a prioribus differant specie, vel substantia. Aduertit tamen Vincentius de Franchis part.4.decis.577. & Guazzinus tom. 2. lib.1.differ.30.cap.23.nu.8.& 4 indicia superuenientia, vt reus torqueatur, debere esse talia per se, vt sufficiant ad torturam.

Item

Item debet a esse indicia propinqua, & nō remota, quod etiam docet Naita vol.2.consil.407.nu.12.& alij penes ipsum Guazzinum sed ex indicijs remotis pluribus posse torturam leuiter tantum repeti, tenet Caballus cent.2.cas.193.n.5. Verùm Quevedo vbi suprà, & alij absolutè docent ex indicijs remotis sufficientibus repetendam esse torturam.

Notandum est etiā hic obiter quòd in supradicto casu quando tortura repetenda est ex nouis indicijs, tunc danda erit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est, nam in vtroque casu militat eadem ratio, & ita docet Pegna in director. Inquis. p. 3. commen.54. & post illum Cartharius de interrogat. reorum lib.4.c.1.nu.198.& 199. Et hæc vt magis occurrentia & practicabilia, satis dicta sint circa materiam indiciorum in ordine ad torturam; nunc verò deueniendum est ad alias quæstiones, & ideo quæro.

An Inquisitores possint inferre torturam sine Episcopo, & alios ad hoc subdelegare?

RESOL. XVII.

Respondeo negatiuè ex Clem.1.§ propter, de hæretic. Vnde si Inquisitores sine Episcopo hæreticum torquerēt, omnia essent ipso iure nulla, & ideo si reus ita tortus confessus fuerit, dicta confessio reo confitenti minimè nocebit, etiamsi fuerit ratificata, & hæc omnia latè probant DD. quos citat, & sequitur Farinacius de hæret. quæst. 186. num. 67. & sequ. quibus ego addo Michaelem Zanardum in director. Theolog. part. 2. cap.6.quæst 41. & Vmbertum Locatum in praxi Inquis. verbo tortura, 7.8.& 9.

Vnde in sacro Tribunali Inquisitionis Hispaniæ ita supradicta obseruantur, vt nō solum Inquisitores cum Episcopo simul sententiam torturæ proferant, sed quando reus actu torquetur, adsunt præsentes simul cum Episcopo, vel eius procuratore, & rarò alijs, vt torturæ assistant, committunt. & ideo in instruct. Hispal.ann.1484.sic habetur [En la question de tormento, quando se huuiere de dar, deben estar presentes los Inquisidores, y Ordinario, o alguno dellos, y si bien visto le fuere cometer el dicho articulo à otra persona, porque ellos quisa no lo sabran bien hazer, o sean impedidos, de ben mirar que la tal persona, à quien lo suso dicho se cometiere sea hombre entédido y fiel, y de buena fama y consciencia.] Sic ibi, & ad ornatum supradictorum verborum vide Pegnam in director. Inquis. p. 3. commen.39.num.15 1.litt. B. vbi sic habet. Non modò ad pronunciandam tormenti sententiam interuenire debent Episcopus, & Inquisitores, verum etiam ad executionem eius, nisi per infirmitatem, aut aliam iustam causam alter excusaretur, quòd vbique videtur obseruandum. Ita ille.

Et ideo quod supra determinatum est in supradicta instructione Hispalensi, postea etiam determinatum fuit in instructione Toletana ann.1561.num.48.vbi ita statuitur. [Al pronunciar de la senteocia de tormento, se hallen presentes todos los Inquisidores, y Ordinario, y assi mesmo à la execucion del, por los casos, que puedeo suceder en ella, eo que puede ser menester el parecer, y voto de todos sin embargo, que en las instruciones de Seuilla del anno 1484. se permita, que la execucion del tormento se pueda subdelegar, porque esto que aqui se ordena parece cosa conueniente, quando alguno de los dichos Iueces no se excusasse por enfermedad bastante.] Sic ibi. Quod autem dicitur de infirmitate, dicendum est etiam de alia iusta causa, vt tenet Pegna loco cit. Et tandem hic non desinam adnotare ea, quæ dixit circa præsentem quæstionem Simanca in enchir. cap.52. num.28. vbi ita ait. Inquisitor ipse adesse debet quæstioni, quia plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa affert. nam ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, quædam ad illuminādam veritatem in lucem emergunt; nemo autem præsens debet esse quæstioni præter iudices, tabelliones, atque tortores. Sic Simancas. Et hoc vltimum determinatur etiam in d. instruct. Toletana, nu.55. vbi sic habetur. [Al tormēto no se deue hallar presente persona alguna, mas de los iueces y el Notario, y ministros del tormēto.] Sic ibi Quod etiam ex multis probat Suarez de Paz in praxi to. 1.c.3.p.5.§.12.n.84. & Villadiego in polit c.3.nu.355.

An sit in arbitrio DD. Inquisitorum, quando delictum est vehementer indiciatum, procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam?

RESOL. XVIII.

Aliqui viri docti ex collegiis in hoc sacro Tribunali sæpiùs affirmatiuam sententiam docuere; ego verò negatiuæ semper adhæsi, & modò adhæreo, ex sententia Baldi, quem referunt & sequuntur duo præstantissimi Doct. Hispani, Gregor. Lopez, & Anton. Gomez. hic tom.3. variar.cap.12. numero 26. ille verò in par.7.tit.1.l 26. ver. duda, quorum sententiam amplectendam esse docet nouissimè Thom. Sanchez in opusc. to. 1.lib.3.cap.vnic.dub.12.num 4. vbi sic ait. Quando iudex habet indicia vrgentia contra aliquem in criminalibus, & ipse reus neget delictum, non est in arbitrio iudicis procedere ad torturam, vel ad pœnam aliquā extraordinariam; sed si reus est persona, quæ potest torqueri, de iure tenetur iudex procedere ad torturam, vt comperta veritate possit iudex pœna ordinaria damnare reum, vel absoluere, quia hoc medium iure statutum est ad extorquendam veritatem.l.edictum, ff. de quæst. & intelligitur conclusio, seruatis omnibus requisitis ad torturam. Ita ille, & ego, quæ quidem opinio magis amplectenda videtur in nostro sacro Tribunali, in quo non solùm intenditur pœna reorum; sed etiam emendatio, & veritatis ad eorum salutem indagatio, quæ sola tortura haberi potest, ergo ad eruendam veritatem, necessariò danda erit, ita vt rei confitendo errores, conuertantur, & viuant, vt benè docet Simanca in enchirid. cap. 52.num.4.

Non desinam tamen hic adnotare, Menochium, virum quidem doctissimum, de præsumpt. libr. 1. quæst.92. num 3. existimare hoc totum iudicis arbitrio relinqui, vt pro ipsorum iudiciorum, & præsumptionum qualitate, ac pro conditione personæ arbitretur, an damnari, aut torturæ subijci debeat reus. vide etiam Canteram in qq.crimin.cap.2. de probat. per testes, q.1. nu.31.in fine.

Quomodo Inquisitores debeant interrogare reos in tortura?

RESOL. XIX.

Ad hunc casum ita respondet Ioan. Rojas de hæret. part. 2. numer. 295. Inquisitores fidei cautè in tortura reos interrogent, ne occasio mentiendi contra se, & alios detur, ideo generaliter, & non particulariter, vel nominatim sunt interrogandi, videlicet vt veritatem dicāt de omnibus, de quibus sunt accusati, & fuerunt, & nullo pacto falsum contra se, vel alios proferant. nam si particulariter interrogantur de re aliqua, vel persona, esset potius ad falsum incitare, & suggerere, quàm inquirere. Ita ille, cui adde Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap.3 §.12.num.92. Mirandam in ordine iudic.tom.2.quæst.26. art.15.concl.7.Simancam in Cathol.instit.tit.65.num.17.& sequ. & ideo sapienter in nostra instruct. Toletana anno 1561.nu. 49. sic statuitur. [Al tiempo que la sentencia de tormento se pronunciare, el reo sea aduertido particularmente de las cosas, sobre que es puesto à question de tormento, pero despues de pronūciada la sentencia no se le deue particularisar cosa alguna, ni nombrarsele persona de los que parecieren culpados, o indiciados por su processo, y en especial, porque la esperiencia enseña, que los reos en aquella agonia dizen qualquier cosa, que les apunte, de que se sigue per juicio de terceros, y ocasion para que reboquen sus confessiones, y otros inconuenientes.] Ita ibi sapienter, vt dixi, & sanctè.

An Inquisitores debeant admittere appellationem rei à sententia torturæ?

RESOL. XX.

Respondeo affirmatiuè ex l.2.C. de appellat. recipien. & leg. penult.C. quorum appellat. non recipiuntur, nisi appellatio esset friuola & calumniosa, nā in tali casu possunt illam reijcere, & ex non obstante ad vlteriora procedere absque attentatorum vitio, vt in facti contingentia, me consulente cū DD. Colle-

Collegis in sacro Tribunali, anno præterito factum fuit; reijciendo appellationem cuiusdam rei tamquam friuolam, quãdo verò dicatur appellatio friuola, remittitur arbitrio Inquisitorum, per ea, quę adducit Sousa in aphor. lib. 2. c. 35. n. 6. Simanca in enchir. tit. 52. n. 11. & in institut. Cathol. tit. 65. n. 2. Suarez de Paz in praxi to. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n. 81. Sanc. in opusc. to. 2. lib. 6. c. 3. dub. 15. nu. 4. Miranda in ordine iudic. to. 2. qu. 26. art. 15. conclus. 2. Queuedo lib. de indicijs & tort. cap. 13. nu. 6. Villadiego in polit. cap. 3. num. 324. Sebastianus Guazzinus in defens. reorum to. 2. lib. 1. defens. 30 cap. 2. num. 11. Menochius de arbitr. lib. 2. cas. 197. num. 2. & Farinacius quæst. 38. num. 27. qui optimè num. 28. aduertit, quod tunc appellationem friuolam, & calumniosam iudex arbitrabitur, quãdo videbit in processu apparere legitima ad torquendum indicia, & ea non fuisse purgata in termino concesso ad defendendum, quæ tamen omnia procedunt, quando constat clarè de calumnia appellationis; secus autem quando sumus in dubio tam iuris, quam facti, nam tunc Domini Inquisitores debent supersedere in tortura, & expectare quid super appellatione pronuntiet iudex ad quem, vt optimè obseruat Carauita in ritu mag. Cur. 259. numer. 10. cum Farinacio loco cit. quibus adde Guazzinum loco cit. Scacciam de iudic. tom. 1. lib. 1. cap. 97. num. 85. vbi explicat, quando appellatio à sententia torturæ dicatur friuola; & ita omnia supradicta determinantur in nostra instruct. Toletan. anno 1561. num. 50. vbi sic habetur. [Deben los Inquisidores mirar mucho la sentencia del tormento sea justificada, y procedendo legitimos indicios, y en caso que desto tengan escrupulo o duda por ser el perjuycio irreparable pues en las causas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otargaren la apelacion a la parte que apelare. Pero en caso, que estẽ satisfechos de los legitimos indicios que del processu resultan esta justificada la sentencia del tormento, pues la apelacion en tal caso se reputa friuola deben los Inquisitores procedere à la execution del tormento sin dilation alguna: y aduertit que en duda han de otorgar la appellacion.] Sic ibi, quæ vbique, ait Pegna in direct. Inquis. p. 3. commen. 31. n. 121. obseruari vellem, quoniam tutissima sunt, & æquissima.

Nota tamen hic cum dicto Pegna, quòd appellatio ab interloqutoria, siue á grauamine, quo reus se grauari dicit, duo pręcipuè continere debet, primum est grauamẽ, à quo appellatur, ex c. cum sit Romana, extra de appellat. alterum est causa grauaminis, & non sufficeret illa in genere, sed specificè erit explicanda, aliter appellatio non valeret.

Nota secundò, quod si post appellationem aliud crimen deferatur, ipsa appellatione non obstante possunt Inquisitores circa illud contra appellantem procedere; si tamen causa grauissima non sit, tutiùs est non procedere, & Superioris responsum expectare. Ita Sousa vbi suprà nu. 11. qui citat Pegnam, quibus ego addo Castrum Palaum in oper. mor. to. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 7. nu. 7. vbi rectè excipit, nisi causa appellationis fuerit suspicio iudicis, tunc enim quia æqualiter in omnibus causis procedit, non poterit iudex reum ad respõdendum compellere, nisi fortè fuerit delictum adeò graue, & manifestum, vt ipsamet grauitate, & manifestatione reus condemnatus existat.

Et tandem nota tertiò quòd in casu, quo Inquisitores admittunt appellationem, transmittendus est reus cum processu, & idoneis custodibus ne fugiat, vel potiùs mittẽda est summaria informatio ad Sum. Pontificem. Ita Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 4. n. 100. & Sousa vbi suprà n. 9. Verùm in nostra Inquisitione Hispanica in tali casu obseruatur id, quod statuitur in instructione Toletana citat. numer. 51. vbi sic habetur. [Si en alguno caso pareciesse a los Inquisidores, que deben otorgar la appellacion en las causas criminales de los reos, que estan presos deben embiar los procesos al Consejo sin dar notitia dello a las partes, y sino que persona de fuera de la carcel lo entienda porque si al Consejo pareciere otra cosa en alguna causa particular lo podran mandar, y proueer.] Sic ibi.

An Inquisitores possint torquere Confessarium solicitantem ex delatione vnius fœmina bona fama?

RESOL. XXI.

Affirmatiuè ad hunc casum respondet Michael Zanardus in director. Theolog. part. 3. cap. 88. fol. mihi 490. vbi sic ait. Item si mulier sit bonæ famæ & opinionis, si à Confessario in actu confessionis compulsa contra aliquem alias suum Confessarium deposuerit, quòd eam in cõfessione sacramentali sollicitauerit (nisi mulier sit de mendacio suspecta ex exceptionibus, & talis Confessor sit cognitus probatæ vitæ) poterit torqueri super dicto vnius optimæ mulieris, non patientis tamen aliquam exceptionem ex voluntarijs, cum simus in crimine occulto, & nullus præsumitur suæ salutis immemor, vnde coacta à Confessario, vt Confessarium solicitantem reuelet, & inter hos nulla sit inimicitia, vt testis probans de proprio auditu (qui in tali delicto æquiualet ei, qui aliquid deponit de proprio visu) vt testis integer habebitur. Hæc Zanardus.

Sed hæc quæstio non deseruiet pro Inquisitione Hispanica, in qua numquam Confessarij solicitantes torquentur, verùm loquẽdo stante praxi Inquisitionis Romanę, vbi supradicti torquentur, adhuc puto sententiam Zanardi non esse admittendã. nam si, vt optimè obseruat contra Canteram Anton. Sousa de Confess. solic. tr. 2. c. 21. n. 6. Confessarium minimè detrudẽdum esse in carcerem ex vnius fœminæ, quantumuis honestæ, delatione, quanto magis dicẽdum est, ex tali delatione, minimè torquendum esse, nam mulier numquam est testis omni exceptione maior; sed vnicus testis non sufficit ad torquendum, nisi sit omni exceptione maior. ergo, &c. Dicendum est igitur, quòd numerus testium in tali casu sufficiens ad reum torquendum remittitur arbitrio Inquisitorum, qui inspectis circumstantijs, qualitate reorum & testium, hoc negotium prudenter determinabunt. In nostro verò Tribunali Inquisitionis Hispanicæ reus in tali casu, neque recluditur in carcerem quousque duobus testibus, vel tribus fuerit testificatus, vt obseruat Anton. Sousa vbi supra num. 7. & Castrus Palaus in opere morali tom. 1. tractat. 4. disputat 9. punct. 13. num. 1. & alij, & si est Religiosus, in carcerem secretum non detruditur sine consilio supremi Senatus.

Quomodo, & quo tempore Inquisitores debeant facere, vt reus ratificet confessionem in tormentis factam?

RESOL. XXII.

Post inflictum tormentum, & confessionem in eo extortam, vt virtute eius reus possit condemnari, necessarium est, vt eam ratificet extra locum torturæ, vt patet per glossam in l. 2. ver. aliquid, C. quarum appellat. non recip. & per glossam in l. seruos, C. ad leg. Iul. de vi public. & docet Simanca in Catholic. instit. tit. 65. num. 67 Suarez. de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. nu. 23. & 24. & alij, quantum autem tempus transire debeat in hac causa, nullo communi iure præfinitum est. Bartolus & alij in l. 1. §. Diuus Seuerus, ff de quæst. in arbitrio iudicis hoc esse positum, videtur sentire. Cæterum Anton. Gomez tom. 3. var. cap. 13. nu. 24. rectè admonet id spatium esse debere vnius diei naturalis. & hæc omnia obseruat Pegna in director. part. 3. comment. 39. num. 158 qui addit, benignus esse, vt hæc ratihabitio fiat post duos, vel tres dies postquam inflicta fuit tortura, ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi perturbatio durare videatur, quod etiam asserit Sousa in aphorism. Inquis. lib. 2. c. 39. num. 41.

Sed praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ sequitur opinionem communem Antonij Gomez, & aliorum, & ideo dicta ratificatio recipitur post transactas 24. horas. Vnde in instr. Tolet. anno 1561. nu. 53. sic statuitur. [Passadas 24. horas despues del tormento se ha de ratificar el reo en sus confessiones, y en caso, que las reuoque vsar se ha de los remedios del derecho. Y al tiempo que el tormẽto se da, el notario debe assentar la hora, y assi mesmo a la ratification, porque si se hiziere en el dia siguiente no venga en duda si es despues de las veynte y quatro horas, o antes, y ratificando se el reo en sus confessiones, y satisfechos los Inquisidores de su buena confession podranle admitir à reconciliacion sin embargo de que aya cõfessado en el tormento.] Sic ibi. licèt Simanca in Cathol. instit. tit. 65. nu. 71. & Miranda in ordine iudiciario tom. 2. q. 26. ar. 17. conclus. 3. asserant, quòd Inquisitores solent in tertium diem rei ratificationem differre, quod illis etiam permittit instructio Hispalen. anno 1484. nu. 15. Verùm hodie ex dicta instructione Toletana; vt obseruat Didacus Cantera vbi infra, post transactas 24. horas à reo ratificationem regulariter exposcunt.

Modum verò habendi hanc ratificationem ponit Farinacius de

de hæresi quæst. 185. §. 8. nu. 150. vbi sic ait. Cautius est, prout hodie seruatur, quod ad effugiendam suggestionem non lecta sibi confessione moneatur ad repetendum in substantia, quid in sua confessione in tormentis emanata pro veritate dixerit, & sic per ipsum repetita dicta confessione in substantia postea legatur confessio per extensum, & perquiratur ab eo, an ea quæ tibi lecta fuerint, sint illa eadem, quæ confessus fuerit post torturam, & an tamquam vera confirmare, & ratificare intendat. Ita Farinacius; & licèt alij ponant aliam formam habendę dictę ratificationis, non est recedendum à supradicta tāquam magis perfecta, & recepta in praxi, vt testatur Farinacius.

Notandum est tamen id, quòd obseruat Inquisitor Cantera in q. crimin. c. 2. de probat. per testes, q. 1. n. 67. vbi sic ait. Vnum tene menti, quòd si aliquis tortus confessus fuit in tortura, & postea ad bancum iudicis reuocauerit, & post reuocationem sponte fuit iterum confessus, dicendo, quod illud, quod dixit in tortura, verum erat, certè tunc valebit confessio facta in tortura, cum sit corroborata cum cōfessione spontea postea facta. Istum casum habui in praxi, & sic fuit determinatum per Consilium supremum Inquisitionis. Ita Cantera.

Notandum est tamen hic obiter quòd licèt, vt dictum est, confessio facta in tormentis non nocet, nisi postea ratificetur, quòd idem dicendum est, si cōfiteatur ex realis tormenti comminatione propinqua, tamen verbalis terrefactio remota ratificatione non indiget. & ita docet Pegna in director. part. 3. comment. 39. num. 150. & post illum Sousa in aphorism. Inquis. lib. 2. c. 39. nu 42.

Notandum est etiam, quòd dicta ratificatio confessionis in tormentis factæ (si reus est minor, facienda est coram curatore vt obseruat Villadiego in polit. c. 2. nu. 330. & ideo Paulus Garsias in ord. processandi in S. Offic. fol. 30. pag. 2. sic ait. [Si el reo fuere menor de veynte y cinco años, se ha de ratificar con assistencia de su Curador, y firmar ambos.] Ita ille.

Et tandem nota quòd confessio in tortura facta, & postea extra tormentum ex interuallo legitimè ratificata, his tamen non obstantibus ex erroris allegatione & eius probationis oblatione reuocari potest. & ita tenet Caballus in resolut crimin. cent. 2 cas. 186. num. 4. qui citat Bossium & Clarum, licèt aliqui asserant hoc non procedere, quando vrgentia indicia torturam præcesserunt, vt confessio extraiudicialis, &c. sed contrarium errore probato dicendum est, & si error non probetur, non est deueniendum ad torturam, sed ad condemnationem definitiuam.

An Inquisitores debeant torquere reum, qui postquam in tormentis confessus est sequenti die confessionem factam negat?

RESOL. XXIII.

Videtur quòd non, ex verbis instruct. Hispal. anno 1484. n. 15. vbi sic habetur. [Si el delicto pareciendo semiplenamēte probado los dichos Inquisidores con el ordinario juntamente deliberaren de poner al acusado à question de tormēto confessare el dicho delicto, y despues de quitado el dicho tormēto ex interuallo conuiene à saber el dia siguiente, o a tercero dia reuocare la dicha confession y se desdeziere (como quier que el delicto no quede ni sea complidamente probado) debē los Inquisidores mandar por razon de la infamia y presuncion que del pruceisso resulta contra el dicho acusado, que abjure publicamente el dicho error y den le alguna penitencia arbitraria.] Sic ibi.

Sed his non obstantibus, vt obseruat Didacus Cantera in q. crimin. c. 2. de probat. per testes, q. 1. num. 67. id non seruatur in praxi in sacro Tribunali quod etiam testatur Simanca in instit. cathol. tit. 65. n. 80. qui etiam notat dictam instructionem contrarium non prohibere. Dicendum est igitur cum Simanca in cathol. institut. c. 63. n. 43 Peguera in praxi c. 12. §. 12. n. 9. Bossio tit. de tortura, n. 34. Suarez de Paz in praxi to. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n. 17. Villagut in pract. lib. 7. capit. 7. conclus. 3. Aldrete de discipl. tuend. lib 1. cap. 17. n. 26. Binsfeldio in comment. de malefic. & math. leg. 7. qu. 1. conclus. 14. Miranda in ordin. iudic. to. 2. q. 26. art. 18. conclus. 1. Michaele Zanardo in director. Theol. part. 3. cap 88. Sousa in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 39. nu. 39. Queuedo lib. de indicijs & tort. part. 2. cap. 7. num. 2. Villadiego in politica cap. 3. num. 331. Ambrosino de process. inform. lib. 4. cap. 5. num. 12. Guazzino tom. 2. libr. 1. defens. 30. cap. 36. num. 4. Inquisitores posse in tali casu torquere reos; & ratio est clara, quia ex illa reuocatione videtur resultare nouum indicium propter variationem torti, vacilauit enim, & propria confessione roborauit pręcedentem probationem, & nouum indicium ore suo addidit, & ita ex Theologis docet Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 17. n. 168. & Becanus in 2. 2. D. Tho. de iustit. q. 67. de iniustit. iudicis, q. 10. nu. 18.

An si reus bis tortus bis confitetur, & reuocat confessionem, sit tertio ab Inquisitoribus torquendus?

RESOL. XXIV.

Pugnantes acriter circa præsentem quæstionem sententias inuenio, & ideo affirmatiuam docent Doctores, quos citat, & sequitur Petrus Binsfeldius in comment. de malefic. & math. leg. 7. quæst. 1. concl. 14. quibus ego addo Castrū Palaum in oper. morali to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 9. num. 17. Ludouicum Pegueram in pract. crimin. cap. 12. §. 12. num. 9. Clarum in praxi §. fin. quæst. 21. num. 36 Cifuentes in leg. 79. Tauri, verb. item quibus vicibus. Antonium Queuedo lib. de indic. & tortur. p. 2. cap. 7. nu. 3. Gomez tom. 3. variar. cap 13. nu. 8. Ambrosinum de processu inform. lib. 4 c. 5. n. 14. Suarez de Paz in praxi crim. to. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n. 19. & Mirandam in ordine iudic. to. 2. q. 26. art. 18. concl. 1.

Sed negatiuam sentētiam tenent ex nostris Doctoribus Didacus Cantera in quæst. crimin. cap. 2. de probat. per testes, q. 1. num. 67. Pegna in direct. Inquis. par. 3 comment 39. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. tortura. § sed pone, reus positus ad torturam. Simanca in cathol. instit. tit. 65. nu. 81. Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 39. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. c. 3. dub. 15. n. 14. quibus adde ex Criminalistis Farinacium q. 38. num. 106. & Carthariuin de interrogatione reorum libr. 4. cap. 1. num. 132. & 161. & Damhauderum in praxi crimin. c. 38. num. 12. Ratio est, quia indicia prioris confessionis per pœnam secundæ torturæ satis purgata sunt: & licet Io. Baptista Baiardus in addit. ad Iul. Clar. q. 21. n. 140. asserat hoc relinquendum esse arbitrio iudicis, qui considerabit grauitatem delicti, qualitatem rei, & qualia pręcesserint indicia, quæ possunt adeò esse vrgentia, vt iudex rectè possit arbitrari reum etiam tertiò esse torquendum. Verùm ego absolutè negatiuam sententiam nostrorum Doctorum tenendam esse puto, quam piam satis esse fateutur ipsimet aduersarij, vt Miranda loco cit. & in vno tantùm casu consulerem DD. Inquisitores reum tertiò torquendum esse quando, vt rectè obseruant Simanca, Sousa, & Pegna vbi suprà bis leuissimè fuerit tortus, & in posteriori illa confessione alia noua signa priori confessioni addiderit. Vide etiam Guazzinum to. 2. lib. 1. de fens. 30. c. 14. nu. 6.

An Inquisitores possint torquere reum ex dicto vnius testis minoris 20. annis, & quid si adsit testimonium duorum?

RESOL. XXV.

De hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Inquisitore Llamas, qui pro parte affirmatiua adducebat Bartolum in l. de minoribus, de quæst. in princ.

Verùm ego tunc negatiuè respondi. nam vnus testis tunc facit incidium ad torturam, quando est integer, & omni exceptione maior; sed minor 20. annis non est integer testi, cùm non habeat ætatem requisitam in l. in testimonium, iuncta sua glossa, ff. de testibus. ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Didacus Cantera in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. n. 31. vbi etiam adducit practicam notabilem à DD. Inquisitoribus menti tenendam, & ideo hic eius verba apponam, sic enim asserit. Vnum vidi practicari in Consilio supremæ Inquisitionis, quòd etiam ex dicto vnius testis minores viginti annis imò nec habebat decem & octo annos, ex dicto illius fuerunt capti duo homines pro hæresi, quòd certè durum mihi visum fuit, præcipuè quia vltra hoc quod ille testis non habebat ætatem, erat mulier, licèt verum sit, quòd illi delinquentes erant

ex

ex genere Maurorum, & ceremoniæ ex quibus testificabat, erant Mahometanæ, & sic contra eos erat præsumptio, cùm essent ex illo genere, nam ex malis parentibus præsumitur contra filios, vt habetur in cap. quia verisimile, de præsumpt. Ita Cantera.

Notandum est tamen, quòd licèt, vt dictum est, vnus testis minor annis non sufficiat ad torturam, sufficerent tamen si essent duo, & ita docet M. Anton. Delrius in disquis. mag. appen. 2. lib. 5. q. 15. litt. F. quia testimonium vnius si accedat aliud indicium, valet ad torturam. Sed accedens secundi minorennis testimonium, nouum est indicium, ergo, &c.

Quis prior ex complicibus debeat ab Inquisitoribus torqueri?

RESOL. XXVI.

HIc casus frequenter solet accidere, quia in sortilegijs, maleficijs, fuga ad terras infidelium, &c. sæpè adsunt plures complices; igitur ad propositam quæstionem respondet Simanca in Cathol. Instit. tit. 65. num. 66. vbi sic asserit Si plures eiusdem criminis socij, & participes torquendi sunt, iudex à suspectissimo debet procedere, & à quo facillimè posse scire verùm, verisimilius fuerit, id est, ab eo, qui timidior, debilior, deterior sit. Ita ille, & hoc etiam docet Peguera in praxi crim. cap. 12. §. 11. num. 5. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap 3. §. 12. num. 85. Villagut in praxi, lib. 7. cap. 9. concl vnica. Petrus Binsfeldius in comment. de malef. & math. l. 7. q. 1. cócl. 9. Paulinus Berti in praxi crim. tit. 22. c. 1. n. 1. Michael Zanardus in direct. Theol. p. 3. c. 91. Damhauderus in praxi c 37. n. 14. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver tortura, §. & nota etiam. Villadiego in polit. c. 3. n. 326. vbi sic ait. [Si el tormēto ha se de dar à muchos sobre el mismo delito, ha de començar por el mas viejo, o mas delicado, o menor de edad, y si ay padre, y hijo ha de començar por el hijo, o por muger si la hay, no hauiendo nada destos por el mas indiciado.] Sic ille, quod etiā docet Ambrosin. de process. inform. lib. 4. c. 7. n. 1. Cartharius de interr. reorum, lib. 4. c. 1. n. 208. Iul. Clar. in pract. lib. 5. §. fin. q. 64. n. 29. Madius tract. de sacris Ordin. c. 36. n. 12. & alij penes ipsos, quorum opinio procedit, quando etiam torquendi sunt testes, vt obseruat Marsilius in pract. crim. §. expedita, nu. 49.

Non desinam tamen hic adnotare Baiardum in addit. ad Iul. Clarum vbi suprà, q. 64. num. 95. ex Afflicto concludere, quòd à quibus complicibus tortura sit incidenda, remittitur arbitrio iudicis, verùm hoc arbitrium debet esse regulatum a recta ratione. Hæc Baiardi opinio coincidit cum opinione Simancæ, aliorumque, modo, quo supradictum est. Sed omnia supradicta aduertit Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 19. n. 4. procia; secus si contra vnum vigerent maiora, & plura iudicia, quia ab illo tortura erit inchoanda, verùm hæc opinio apud me non caret difficultate.

An Inquisitores possint torquere reum confessum ad extorquendum complices?

RESOL. XXVII.

NEgatiuam sententiam videtur docere Instructio Toletana anno 1561. num. 45. vbi sic ait. [Si el reo estuuiere negatiuo dado caso que aya de ser relaxado, podrà ser puesto a question de tormento.] in caput alienum, ex quibus verbis, vt obseruat Didacus Cantera ca. 2. de probat. per testes, q. 1. n. 52. videtur colligi à contrario sensu, quòd si reus est confessus, & non negatiuus, non possit poni ad torturam in caput alienum, & ita hanc sententiam docuit Rojas de hæret. p. 2. n. 243. vbi ex dicta instructione firmat, quod qui de se confessus est, in caput alienum non torquetur.

Sed his non obstantibus meritò hanc sententiam tempetat Seraph. Freitas in addit. ad trac. de Confess. solicit. quæst. 22. n. 28. vbi derminat, quod arbitrio DD. Inquisitorum remittendum est, quando hæreticus de se confessus sit, ex circumstātijs torturæ subijciendus pro complicibus extorquendis, & absolutè sententiam, quem docet Rojas, reprobat Cantera loco citato; vbi postquam verba dictæ instructionis adduxisset, sic asserit. Glossa cum textu in l. non ideo minus, C. de accus. probat quod confessus de se crimen potest compelli ad dicendum de alio, si sint indicia sufficientia, nec video differentiā inter mādatorem, & socium, vel alium delinquentem, de quo scit ipse tortus, & hoc vidi practicari in crimine hæresis, de quo loquitur ipsa instructio in supremo Consilio Inquisitionis, & bene. Ita Cantera, qui cum testetur de praxi supremi Concilij, non est curandum de opinione Rojas, aduersus quem etiam insurgit Farinacius de hæresi q. 185. n. 135. vbi sic ait. Verius dicendum est, quòd quando adsunt indicia contra hæreticum, quod habeat socios, tunc, vt illos reuelet, torqueri potest, siue de se ipso neget, siue confiteatur, cum multi reperiantur, qui magis curant complices tegere, quàm seipsos, vt patet ex his, quæ dixi q. 196. n. 17. & sequent. Ita Fariancius. Vnde pro hac sententia habetur decretum Pij V. die 28. Iulij anno 1569. vbi sic statuitur. Pontifex inhærendo decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ I V. Sanctiss. Dominus noster Pius V. decreuit omnes, & quoscunque reos conuictos, & confessos de hæresi pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio iudicum. Sic ibi.

Notandum est tamen, quòd Doctores asserunt non esse torquēdos hæreticos pro complicibus, nisi cum semiplena probatione, quod socios criminis habeant. & ita docet Lessius, vbi infra. Ludouicus Peguera in praxi c. 12. §. 5. n. 19 iuncto nu. 25. Villagut. in pract lib. 7 c. 7 conclus. 4. Pingianus in practic. p. 3. c. 3. §. alter est fol. 275. Binsfeldius in comment. de malefic. leg. 7. q. 1. concl. 13. Simanca in cathol. instit. tit. 65. n. 60. & in enchirid. tit. 52. nu. 31. Cantera loco cit. & alij, quos citat & sequitur Farinacius de hæresi quæst. 185. nu. 183. & innuit instructio Tolet. anno 1561. num. 45. ibi, y esta testificado de si, y de otros complices, &c. sed quia supradicta in decretū Pij V. loquitur sine præfata limitatione, ideo in praxi Romanę & vniuersalis Inquisitionis etiam sine vllo indicio complicum infertur tortura super complicibus, quia, vt obseruat Vmbertus Locatus in praxi Inquisitiorum, ver. hæreticus, § hæreticus conuictus, hæresis est delictum tale, quod communiter sine socijs & complicibus committi non consueuit.

Nota etiam quòd Farinacius q. 43. nu. 138. docet, depositionem socij criminis factam in tortura ratificandam esse extra illam, non secus ac factam in tortura supra delicto contra seipsū, & hanc opinionem sequendam esse, & obseruandam, saltem ad cautelam, tenet etiam Sigismundus Scaccia de iudicijs, &c. lib. 1. c. 81. n. 9. ver. quintò dubitatur.

Sed contrariam sententiam mordicus sustinet Petrus Caballus in resol. crimin. centur. 1. cas. 32. nu. 3. & 7. asserens supradictam Farinacij opinionem non esse veram, neque obseruari.

Notandum est tamen hic, quod tortura in caput alienum debet esse moderata pro ratione causę & indiciorum, & ita ex Iulio Claro docet Lessius lib. 2. c. 29. dub. 16. n. 152. & Becanus in 2. 2. p. 2. to. 3. de iust. & iure, q. 67. de iniustitia iudicis q. 10. nu. 5. Vnde Maurus Burgius tract. de modo procedendi ex abrupto, cent. 1. q 44. n. 19. asserit, quod si tortura super complicibus non sit moderata, sed excessiua, dicitur purgare indicia negocij principalis. Vide etiā Mirandam in ordine iudic to. 2. q. 27. art. 20. in fine, & ideo Sousa in aphoris. Inquisit. lib. 2. c 16. nu. 5. sic ait. Tortura in caput alienum data, moderata esse debet, maior tamen, vel minor pro qualitate indiciorum. Ita ille. Et omnia supradicta docet etiam Sebastianus Guazzinus to. 2. lib. 1. defens. 30. c. 9. n. 3. & 6. qui cum Francisco Personali tract. de indic. n. 9. 10. 101. docet, quod in tali casu tutius erit minus torqueri, quam plus, quod etiam tenet Tuscus lit. T. concl. 234. n. 2. licèt vt ipse Guazzinus obseruat, tortura per mediam horam illata in tali casu diceretur moderatè illata. Vide etiam circa hoc Farinacium q 40. nu. 27. & Iulium Clarum q. 64.

An Inquisitores possint torquere reos sine data eis copia indiciorum & nominibus testium.

RESOL. XXVIII.

QVoad primum respondeo, quòd ita torquebat reos quidam Inquisitor, vt testatur Nauarrus tom. 2. lib. 5. consil. tit. de accus. consil. 8. sed malè, per ea, quæ ego fusè adduxi in addit. quintæ editionis Lugdunensis meorum operum, resolut. 29. & docet in specie Miranda in ordine iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 14.

art.14.concl.1.& Iulius Clarus in praxi § fin.q.49.& Delrius in disquisit.magic.appeod.2.lib.5. q.37. & Villadiego in polit.c.3. num.312.

Vnde ait Simanca in enchir. tit. 52. nu 8. Copia indiciorum reo danda est cum dilatione ad ea diluenda, & M. Anton. Genuens. in praxi Archiepisc.cap.68.n 5. idem asserit, quod etiam docet ex nostris Sousa in aphor. Inquisit.lib.2. cap. 39.nu.22.& ideo in nostra Inquisitione Hispanica, vt patet ex instr. Toletana anno 1561. num.32.& obseruat Paramus de origin. Inquis. lib.3. quæst 4 num.53. Inquisitores ipsi propna maou testium publicationes scribunt, ac reo tradunt; nomina verò testium nõ dantur, & licèt in c. qualiter, & quando extra de accusat. statuatur quòd nõ solùm dicta, sed etiam nomina testium reo publicanda sint, tamen in causa hæresis hoc non procedit, vt obseruat ex Simanca Iul. Clar. in praxi qu. 49.& habetur in cap. fin.de hæret. in 6. & Miranda in ordin. iudic.tom.2.q.26.ar.14. concl.1.

Verùm circa præsentem quęstionem magnam difficultatem infert supradictus textus, nam ibi circumscripta potentia rei inquisiti, ac cessante periculo testium examinatorum contrariũ videtur iure cautum, nam verba textus sic habent. Iubemus tamen, quòd si accusatoribus, vel testibus in causa hæresis interuenientibus, seu deponentibus, propter potentiam personarũ, contra quas inquiritur, videant Episcopi, vel Inquisitores graue periculum imminere, si contingat fieri publicatio nominum eorum, ipsorum nomina non publicè, sed secretò, omissis alijs, exprimantur, sicque non obstante, quòd illis, contra quos huiusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerint publicata, adhibeatur ad cognitionem iudicis instruẽdam plena fides depositionibus testium eorumdem. Ita textus ibi.

Ex quo Franc. Personal. in tract. de indicijs, & tort. post nu. 19.nititur probare contra Simancam non valere consuetudinẽ celandi nomina testium in omnibus casibus, cuius sententia magis videtur comprobari ex Bulla Pauli III. vbi postquam mandauit in copijs indiciorum reis ante torturam tradendis, nomina testium fore exprimenda, subdit postea hæc verba, *præterquam in crimine hæresis*, iuxta iuris dispositionem, sed circumscripta potentia inquisiti, & periculo ipsorum testium eius mandat, vt patet d.cap.final.etiam in crimine hæresis publicari nomina testium; ergo cessante periculo publicanda erunt.

His tamen minimè suffragantibus, non est recedendum à communi & accepta praxi, per quam absolutè omnibus reis in sacro Tribunali non dantur nomina testium, & ita determinauit Congregatio Cardinalium die 14. Maij 1566. per hæc verba: Illustrissimi Cardinal. Inquisitores Generales in Congregatione ordinaria decreuerunt dari nuda testium dicta prout eousque obseruatum fuit absque nominum publicatione, aliarumque circumstantiarum, propter quas posset deueniri ad ipsorum testium notitiam, & quoad responsiones testium super rei interrogatorijs pariter decreuerunt non esse dandas si ex illarum publicatione deueniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi. Sic ibi. & ideo in instruct. Toletana anno 1561. nu. 39.sic habetur. [Si piedere el preso translado, y publicacion de las defensas no se le ha de dar, porque por el podria venir en conocimiento de los testigos que contra el depusieron.]& ita hãc sententiam docet Moscouius de maiestate militãtis Eccles. lib. 1. art.1.cap.11.Homobonus de statibus p.1.c.6. Scaccia de iudicijs lib.1 cap.87 num.18. Delrius in disquis. magic.lib.5.sect. 15.Zechius in summa tom.1.tit. de fide. cap.11.num 14. Rojas singul.207. Simanca in cathol. instit.tit.64. num.26. Gundissaluus de hæret.quæst.10.nu.4. Zanchinus de hæret.cap.9.num.6. Decianus lib.5.cap.35.num.16. & latissimè Barbosa in collect. to.3.lib.5.tit.2.c.20.n.6. & sequen.& Queuedo lib.de indicijs & tort. cap.10. nu.15.

Quòd verò de non publicandis testium, seu accusantium nominibus dictum est, idem locum habet in quibusdam alijs circumstantijs, ex quibus posset reus deuenire in cognitionem testium, vel accusatorum, & ita obseruat Pegna in adnotat. ad Lucernam Inquisit. ver. nomina accusatorũ, Genuensis in praxi cap.68.num.5. & alij, vnde in instruct. Hispalens.anno 1484. num.16. sic statuitur. [quando la probanca fuera hecha, y los testigos repreguntados deben hazer publicació de los dichos, y deposiciones callando los nombres, y circumstancias por las quales el reo acusado podria venir eo conocimiento de las personas de los testigos.] & in instruct. Toletana anno 1561.nu.31. [Ratificado los testigos, saquese en la publicacion la letra todo lo que tocare al delitto, como los testigos deponen quitando dello solamente lo que le podria traer en conocimiento de los testigos.] Ex quibus verbis, vt optimè obseruat Pegna in director. Inquisit. p.3. comment. 124. videtur arbitrio Inquisitorum relinqui, quales circumstantiæ publicari possint, quales verò taceri. nam ex quo dicta instructio eas non præscripsit, iudicio Inquisitorum reliquisse videtur.

An minores 14. annorum sint ab Inquisitoribus torquendi, & de pregnantibus, senibus laborantibus quartana, morbo Gallico &c.

RESOL. XXIX.

AFfirmatiuam sententiam docet Ioseph. Sesse Consultor S. Officij, vir quidem doctus, in decis. Regni Aragon.tom. 4.decis.476 num.20.vbi sic ait. Minor 14.annorum, licèt de iure non torqueatur, fallit in læsa maiestate diuina, & humana, nec pœna in eo minoratur in his criminibus. Ita ille, & nouissimè Castrus Palaus in opere morali to.1. tract.4.disp.8. punct. 9. num. 14. & Villadiego in polit. cap.3.nu.322. & 323. vbi sic ait. [No se puede dar tormẽto a las personas priuilegiadas como son el menor de 14.años y el viejo de 60.&c. si no es en delito de heregia, que en tal caso no ay persona priuilegiada, que no pueda ser atormentada.] Ita ille & pro hac sententia faciunt Doctores, quos citat & sequitur Guazzinus tom.2.lib.1.defens. 30.cap.9. asserentes minores 14.annis in crimine læsæ maiestatis torqueri, quod etiam docet Eymericus a Rosbach. in trac. crim.tit.5. c.21.nu.10.

Sed contrariam sententiam tenet Marc. Anton. Delrius in disquis. magicis lib.5.sect.9.§. quoad personas. vbi sic asserit. Quoad eos, qui sunt excepti ratione ætatis, puto si sint minores ætate annorum 14. tantùm esse terrendos etiam terrore reali, vt nudando, ligando, & ad aculeum adducendo, nõ tamen imponendo; si minores tamen 25. annis ingressi saltẽ 14. torquendi, sed mitius, quàm maiores. Hæc Delrius, & ante illum Simanca in cathol. instit. tit.65. nu.45. & Pegna in direct. Inquisit.par.3.commen. 110.§.minores verò 20.annis, non bene pro sua sententia citati à Castro Palao, cum apertè asserant minores 14.annorum torqueri non posse, sed terreri, vt cum Simanca obseruat etiam Miranda in ordine iudiciar. tom.2.q.26. art. 13.conclus.7.

His tamen non obstantibus aliqui non discedũt à prima sententia, quando sine periculo & moderatè dicti minores 14. annorum torquerentur, & ita tenent DD. quos citat Farinacius q.42.num.102. & 133.& Guazzinus tom.2.lib.1.defens.20.cap. 18 num.4.

Illud verò, quod asserit Sesse vbi suprà, quòd pœna ratione ætatis in minoribus non minoratur, mihi non placet, & ideo Sousa in aphorism.Inquisit.lib.3.c.32.n.18. sic ait. Minores 25. annis regulariter puniuntur mitius, etiam facti maiores, quia non tempus punitionis, sed delicti attenditur, & nu.21. ait, In crimine hæresis si minor rectè pœniteat, mitius punitur, & citat Simancam, Decianum, & alios.

Dicendum est igitur cum Suarez de Paz in praxi tom.1.p.5. cap.3.§.12.num.50.Sanchez in opusc.to.2.lib.6.cap.3. dub. 15. nu.12. Miranda in ordine iudic.to.2.q.26.art.13. concl.6. Narbona in recopil. part.1.leg 61.glossa 1.num.14. Rojas sing.208. nu.5.Guazzino vbi supra Cantera in qq. crimin. cap.2.de probat. per testes, quæst.1.num.71. & Doctoribus citans in Tribunali S. Inquisitionis, omnes personas priuilegiatas posse torqueri, exceptis minoribus annis 14. senibus, & prægnantibus, imò prægnantes neque terreri possunt, vt obseruat Pegna p. 3. comment.39.Sousa in aphorism.Inquisit.lib.2.cap.39.num.32. Binsfeldius in comment. de malef. leg.7.quæst.2.concl.7.quicquid in cõtrarium doceat Michael Zanardus in direct. Theol. pa.13.cap.88.fol.499. vbi tenet, prægnantes posse terreri; sed male. Possunt tamen senes decrepiti & minores 14. annis terreri, vt docet Miranda loco cit. & alij, non tamen possunt etiam leuiter torqueri, quicquid in contrarium dicat Queuedo lib. de iudic. & tort.c.12.nu.9.

Notandum est etiam pro praxi, mulierem post partum non posse torqueri nisi post 40. dies. Ita Cantera in quæst. crim. q. 10.de reo, num.1. Queuedo loco citato. Paulus Ghirlandus de quæstion. lib.4. quæs.6. num. 7. Brunus de indicijs part. 2. q.4. num.2.

num. 2. Tuschus lit. T. conc. 328. num. 21. & alij, ita vt si infra 40. dies torqueretur, & fateretur delictum, confessio esset nulla vt ex multis obseruet Eymericus à Rosbach in praxi crim. titul. 5. cap. 11. num. 6. & Beierdus in addit. ad Iul. Clar. q. 64. n. 67. licèt Anton. Gomez to. 3. var. cap. 13. num. 3. in fine, dicat, esse relinquendum arbitrio iudicis, quando mulier post editum partum possit torqueri.

Nota etiam Anton. Queuedo de indic. & tort. p. 2. c. 12. n. 11. docere senem, quem suprà diximus non esse torquendum, esse senem 70. annorum, & etiam 60. si sit infirmæ saluris, debilisque complexionis. Imò Villagut in pract. crim. lib. 7. c. 4. concl. 4. absolutè docet senem sexagenerium non esse torquendum. Sed ego puto in casu contingenti, quando senectus excuset à tortura, remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum, attenta veletudine, robore, & qualitate delinquētis, & delicti: & ita tenēt Doct. quos citat, & sequitur Eymericus a Rosbach in pract. crim. tit. 5. c. 21. n. 12. & Sebastianus Guazzinus tom. 2. libr. 1. desens. 30. cap. 12. nu. 2. Verùm difficultas est, an supradicti senes, quando non possunt torqueri, possint terreri, ducendo eos sub equuleo tantùm absque ligatura; & affirmatiue respondet Caualcanus de brachio Regio p. 3. nu. 126. ver. est tamen, & e fortiori hoc etiam concederet Gomez to. 3. var. c. 13. nu. 3. & sequ. Franciscus Personalis tract. de iudicijs sub nu. 15. Paulus Ghirlandus de qu. & torm. c. 6. nu. 8. & sequ. dictamque sententiam Caualcani, licèt cum verbo, forsan, admittit etiam Guazzinus tom. 2. lib. 1. desen. 30. c. 12. nu. 3.

Et tandem pro coronide huius resolutionis note quòd Frāciscus Marcus decis. 790. Baiardus in addit. ad Iul. Clar. qu. 64. num. 73. Caualcanus de brachio Regio part. 3. num. 117. docet laborantem febre quartane leuiter torqueri posse sine squassata, seu strappata, & non in die febris, & ita etiam docet Anton. Queuedo lib. de indicijs p. 2. c. 12. n. 23. vbi sic ait. [Tampoco podra ser atormentado el que esta enfermo de quartane si no es leuemente el dia que le dexa.] Ita ille. Sed in casu contingenti ego consulo DD. Inquisitores adhibere Medicorum iudicium. Non tamen erunt torquendi laborantes morbo Gallico, brachio debilitato, patientes crudationem venæ, vel difficultatem anhelitus, de quibus omnibus loquitur Laderchius consil. 184. Grammaticus consil. 40. Decianus respons. 93. & Guazzinus to. 2. lib. 1. defens. 30. c. 16. nu. 1.

Aduertant hic obiter DD. Inquisitores, Delrium in appen. 2. lib. 5. quæst. 23. docere nobiles esse in S. Officio leuiùs torquendos; sed Farinacius de hæresi quæst. 185. nume. 125. asserit hanc opinionem apud se difficultate non carere; verùm apud me nullam habet difficultatem, vnde Simanca in cathol. instit. tit. 65. nu. 92. & Pegne in direct. p. 3. comment. 110. docent in Tribunali S. Officij torquendos esse tam nobiles, quam ignobiles; hi tamen duriùs, illi clementiùs, & ideò Cartharius de interrog. reorum, lib. 4. c. 1. n. 512. admonet iudices vt minùs torqueant nobiles, quàm plebeios.

An DD. Inquisitores in crimine sagarum ex sola denuntiatione complicum absque ullis alijs indicijs possint torquere personas denunciatas, bona alioquin famæ.

RESOL. XXX.

HIc casus solet torquere DD. Inquisitores, eorumque Consultores, nam M. Ant. Delrius in disquis. mag. libr. 5. sect. 3. & in append. 2. eiusdem libri quæstio. 1. fusè affirmatiuam sententiam docet. Idem etiam docet Valentia to. 3. disp. 6. qu. 13. punct. 4. §. 2. & 3. Idem à fortiori sentiunt illi, qui etiam vnius complicis denuntiationem in exceptis criminibus ad torturē sufficere asserunt, quales penes Delrium citantur Cynus, Imola, Abbas, Gomez & alij.

Sed mihi contrariam sententiam longè probabilior videtur, quam nouissimè aduersùs Delrium ex eadem societate tenet Adamus Tannerus in Theol. schol. tom. 3. disp. 4. q. 5. dub. 2. per totum, vbi probat, nunquam ob plurium sagarum, siue strigū velut complicum denūtiationes sine indicijs alijsque adminiculis contra personam alioquin bonæ famæ esse procedendum ad torturam; & ideo Farinacius de hæresi q. 185. §. 8. nu. 151. in fine, sic ait. Aduerte tamen quòd vera non est, nec in sancto & generali vrbis, vniuersalique Republicæ Christianæ Inquisitionis Tribunali seruetur propositio Delrij; dum concludit indicium ad torturam duarum sagarum, seu lamiarum dicentium vidisse inquisitam, vel inquisitum in conuentu, & Congregatione aliarum sagarum; cum enim multoties non corporaliter, sed per illusionem dæmonis in hoc conuentu se esse opinentur, & sic eorum assertio de visu possit esse falsa, absurdum est dicere, quòd lamiæ prædictæ indicium faciant ad torturam, cùm, vt suo loco dixi, indicia ad torturam esse debeant non dubia, sed certa. Ita ille. Vnde in facti contingentia antequam in simili casu ad consultationem, an supradicti debeant torqueri, deueniant DD. Inquisitores, videant omnino Adamum Tannerum loco citato, nam licèt suprà dictum sit quod duo socij criminis in causis fidei faciunt indicium ad torturam, vt docet Pegna in director. part. 3. comment. 110. in append. tamen in nominationibus sagarum adest particularis difficultas, & ideò, vt dixi, consule, quando casus occurrerit, citatum Tannerum & Paulum Layman in Theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. ca. 15. num. 8. in fine. Vide etiam circa præsentem quæstionem Binsfeldium de confessione sagarum, membr. 2. concl. 6. fol. mihi 246.

Nec desinam etiam hic apponere verba Antonij de Queuedo libr. de indicijs & tort. part. 2. capit. 5. num. 91. sic asserentis. [Aunque es verdad, que en fauor de la fe este introducido, que el socio en el delito hage bastante indicio para atormentar al que nombrare por consocio con la calidad, que diremos mas abaxo, pero en el delito de Brujas no aprouecha solo su declaracion para este efeto, porque como los Brujos por illusion del demonio andan de ordinario engañados, pēsando que es verdadero lo que les representa es muy posibile sean acusados hōbres santos, y justos, en cuyos cuerpos se pudo transformar.] Ita ille. Vnde, vt dixi, in casu contingenti videant DD. Inquisitores quid faciant, &, vt dixi, citatum Tannerum consulant; & ideò meritò Inquisitor San Vincente in suis manuscriptis cap. 13. §. 2. & 7. & doctus Castrus Palaus in opere morali tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 16. §. 5. nu. 2. obseruant in nostro Tribunali Hispanico ea depositione præcisa complicum in hoc delicto reum minimè capi, sed actus exteriores comprobatos requiri.

An Inquisitores possint torquere reum minorem, non datos ei curatore, & si debeat esse præsens in tortura?

RESOL. XXXI.

REspondeo quoad primum negatiuè, & ita docet Monticellus in praxi crimin. regul. 10. num. 17. vbi sic ait. Si reus minor sit; iudex debet ei dare curatorem, alias processus nullus est, & si minor confiteretur, etiam spontè, sine curatore, talis confessio ei non noceret. Imò plus si diceret sine curatore iudici, Non me torqueatis, quia, omnia confiteor, & iuro non venire contra, talis confessio hoc modo facta etiam cum tali iuramento non præiudicabit ipsi minori. Ita ille, & alij penes ipsum, quibus ego addo Rojas de hæret. part. 2. num 318. Pegnam in direct. part. 3. commen. 28. & Vmbertum Locatum in praxi Inquisit. verb. curator. Guazzinum tom. 2. libr. 1. defensor. 30 cap. 4. num. 21. Placam in epit. delict. libr. 1. cap. 32. num. 12. licèt in aliquibus locis consuetudo sit in contrarium, quam non improbat Eymericus à Rosbech in practic. crimi. titulo 5. cap. 21. num. 3. Sed quicquid sit de iustitia talis consuetudinis, certum est non adesse in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ, vnde in instructione Toletana anno 1561. numer. 25. sic habetur. [Si el reo fuere menor de 25. años proueer se he de curador en forma antes, que responda a la accusacion, y con su autoridad se ratificara en las cōfessiones, que huuiere hecho, y se hera todo el proceso, y el curador no see oficial de santo Oficio y puede ser el abogado, ò otra persone de qualidad, confiança y buena conciencia.] Sic ibi, ex quibus verbis apparet, non benè dixisse Didacum Canteram in qq. criminal quæst. 6. de reo, num. 3. quòd in iudicio S. Inquisitionis potest iudex compellere minorem, vt nominet curatorem de officialibus Inquisitoris, nam, vt aperte apparet in verbis supra citatæ instruct. curator in tali casu non potest esse ex officialibus Inquisitionis, non est igitur admittenda contraria praxis, de qua testatur Cātera vbi suprà, quia, vt dictum est, de directo est contra determinationem instructionis Toletanæ.

Notandum est tamen hic cū Paulo Garsia in ordine proces-

sandi S.Officij, folio mihi 29. [Que si el Reo fuere menor de edad ha de estar presente el Curador à la pronunciacion de la sentencia, para que pueda apelar si quisiere, pero no se ha de hallar à la diligencia del tormento.] Sic ille. Sed hęc vltima verba non carent difficultate, quia ex l. clarum, C. de author. præst. & ex Rolando libr. 1. consil. 3. num. 8. & alijs, tortura minorum debet esse cum præsentia curatoris, & si aliter efficiatur, asserunt, minorem posse petere restitutionem in integrum, & tentare nullitatem; sed consuetudo in nostro sacro Tribunali est in contrarium, quia in tortura non est necessaria authoritas curatoris, cùm adsit Præsentia iudicis, ad quem pertinet Officium torquendi; idcirco id, quod suprà dixit Paulus Garzia, & obseruatur in nostro Tribunali, docuerat antea Anton. Gomez, quem citat & sequitur Anton. de Ballis in tract. var. lib. 2. qu. 13. nu. 17. probans, quòd nullatenus in tortura requiritur curator, sed tantùm in decisione articuli, si debet torqueri sin, vel ne; & ideo Villadiego in polit. capit. 3. nu. 125. sic ait. [El Iuez se encierra en la camera del tormento con el escriuano, y deliquente, sin que aya otra persona, ni el Curador si es menor.] Vnde patet, quòd rectè hæc opinio obseruatur in praxi in nostro sacro Tribunali, quam etiam tuetur Carthanus de interr. reorum, lib. 4. c. 1. nu. 49.

Nota etiam hic obiter primò contra Anton. Gomez libro 3. var. ca. 1. n. 64. patrem non esse constituendum à DD. Inquisitoribus in curatorem filiorum, & ita obseruatur; benè tamen obseruat dictus Gomez, curatorem non esse conueniens præsentem esse, quando reus interrogatus de delicto respondet, quia ex propria scientia, & non ab alijs subministrata debet reus respondere.

Quando reus est conuictus, & datur tortura super intentione & complicibus, an danda sit ab Inquisitoribus cum clausula, citra præiudicium probatorum?

RESOL. XXXII.

Respondeo affirmatiuè, & aliter si tortus persistat in negatiua, imò etiamsi cum dicta clausula reus interrogetur super delicto principali, per torturam purgabit omnes probationes, nam tunc protestatio nihil operaretur, secus autem si Inquisitores in sententia torturæ apponant clausulam, vt debet apponi, *citra præiudicium probatorũ*, & in tortura nihil de probato delicto interrogent, tunc enim reum tortum etiam, quod negando perstiterit, esse damnandum ad ordinariam pœnam, communiter docent Doctores, quia per illam protestationem redditur fisco ius suum saluũ, vt expressè inter alios docet Boerius decis. 163. n. 13. Villagut in pract. lib. 7. ca. 2. concl. 4. Bossius tit. de indic. ante torturam, num. 130. Bursatus consil. 346. n. 20. Decianus cons. 93. n. 20. vol. 2. Pitigianus in pract. crim. p. 3. cap. 6. in addit. litt. B. fol. 280. Petrus Binsfeld. in comment. de malef. & math. leg. 7. qu. 1. concl. 3. fol. mihi 553. Michael Zanardus in direct. Theol. part. 3. cap. 89. Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 44. & 45. Queuedo lib. de indicijs & tort. cap. 1. nu. 8. Carthar. de interrog. reor. libr. 4. cap. 1. num. 96. & Delrius in disquis. mag. lib. 5. sect. 9. §. cæterum si reus, fol. mihi 738. vbi obseruat esse casus aliquos, quibus tortura reum conuictum non eriperet punitioni ordinariæ. Primus, si non detur super delicto, de quo quis fuit confessus, vel conuictus, sed ad notitiam aliorum delictorum. Secundus, quando datur tantùm pro habenda vlteriori veritate qualitatem aggrauantium. Tertius, quando irrogatur ad habendos complices, fautores, receptatores, aliosque participes; & Quartus, vt est in casu nostro, si iudex decernit eam cum protestatione id se facere sine præiudicio probatorum, & reuera hæc protestatio non appareat contraria facto, vt appareret si reus interrogaretur super principali delicto, etiam oretenus, & non scribente Notario.

Et ideò non obstante tortura, quia data fuit cum protestatione, M. Ant. Genuensis in praxi Archiepisc. cap. 68. nu. 8. docuit, quòd suspectus de hæresi vehementer torquetur super intentione & complicibus, & si neget, adhuc compellitur abiurare de vehementi, & pro facto hæreticali solent cōdemnari ad triremes, quod etiam docet Pegna in direct. Inquisit. p. 3. commen. 67. Zanard. in direct. Inquis. part. 3. cap. 64. Delrius in disquis. mag. libr. 5. sect. 15. §. dico tertiò. Sed difficultas est, an quando reus torquetur non solùm super intentione, & complicibus, sed etiam super facto, an si negatiuus persistat in tortura sit adhuc aliqua pœna extraordinaria puniendus? sed ad hoc respondemus in seq. resolutione.

Non desinam tamen hic adnotare quòd secundùm Gomez tom. 3. var. cap. 13. num. 20. Couarr. pract. qq. cap. 23. nu. 5. Suarez de Paz in praxi tom. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n. 10. & alios, si reus torqueretur stantibus legitimis probationibus, negetque delictũ, & iudes priùs protestationem non fecerit, adhuc probationes legitimæ non eliduntur, sed communis opinio, vt diximus; est in contrarium, & ideo semper in tali casu apponitur clausula, *citra præiudicium probatorum.*

An tortus & negatiuus possit puniri ab Inquisitoribus aliqua pœna extraordinaria?

RESOL. XXXIII.

Hic casus frequenter accidit, & affirmatiuè videtur respondere doctus Inquisitor Didacus Cantera in qq. crimin. c. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 65. vbi sic ait. Aut per torturam fuerunt purgata indicia, quia secundùm qualitatem delicti, & indiciorum fuit tortus, & tunc credo, quòd debeat absolui, aut tortura non fuit sufficiens ad purganda omnia indicia secundum qualitatem delicti, & indiciorum ipsius personę tortæ, & tunc non purgabit in totum, sed aliqua pœna arbitraria puniendus secundùm arbitrium iudicis, & ita seruatur propter qualitatem criminis in crimine hæresis, nam qui semel est infamatus de delicto, & est aliqua probatio de eo, numquam satis purgatur ad torturam, & sic imponitur aliqua pęnitentia arbitraria. Hæc Cantera, sed infrà illum explicabimus.

Verùm circa præsens difficillimum dubium adest determinatio nostræ Instruct. Toletanæ anno 1561. vbi num. 54. sic habetur. [Si el Reo venciere el tormento deuen los Inquisidores arbitrar la calidad de los indicios, y la calidad, y forma del tormento, y la edad y disposicion del atormentado, y quãdo todo considerado pareciere, que ha purgado suficientemente los indicios absoluerle han de la instancia aunque quando por alguna razon les paresca no fue el tormento en el deuido rigor, cõsideradas las dichas calidades podranle imponer abjuracion de leui, & de vehementi o alguna pena pecuniaria, aũque esto no se deue hazer sino con grande consideracion, y quando los indicios no se tengan por suficientemente purgados.] Sic ibi. Et ideò quando indicia fuerunt grauia, & valdè vrgentia, non purgantur per torturam quoad pœnam extraordinariam, vt probat Aloysius Riccius part. 1. decis. 73. numer. 8. Petrus Binsfeldius de malef. leg. 7. quæst. 1. conclus. 16. Bossius titul. de Inquisit. nu. 30. & Iul. Clar. quæst. 64. num. 38. vbi sic ait. Apud nos autem quandoque etiam post grauem torturam, & perseuerãtiam rei in negatione, vbi indicia sunt valdè vrgentia, solet Senatus reos condemnare, non quidem ad pœnam ordinariam, sed extraordinariam, puta triremium ad tempus. Ita ille, quorum doctrina maximè procedere debet in crimine hęresis, propter eius enormitatem.

Sed ego, quicquid fit in alijs criminibus, quãdo adsum in sacro Tribunali, in aliquo casu occurrenti, si reus fuit tortus cum plusquam semiplena probatione, semper sum huius voti, vt nõ absoluatur simpliciter ab instantia, sed aliqua pœna arbitraria puniatur, nisi acris tortura censeretur euacuasse etiam omnia indicia; & in hoc casu amplector opinionem Canteræ, nec ipse in loco suprà allegato, aliter docere voluit, vt patet penes ipsũ in qu. 22. de reo, num. 12. vbi asserit, quòd quando reus torquetur cum semiplena probatione tantùm, tunc si sit negatiuus, absoluendus est, si verò fuit tortus cum plusquam semiplena probatione, tunc si tortus vincit torturam, purgantur indicia vsque ad semiplenam probationem, pro reliquo verò potest imponi aliqua pœna extraordinaria, & testatur ibi ipse Cantera hãc opinionem communiter obseruari in officio S. Inquisit. Hispan. & ita intelligenda esse putat verba supracitatæ instructionis Toletanæ, quod est valdè notandum à DD. Inquisitoribus, penes quos plus authoritatis debet habere votus Cantera, quàm decem alij Doctores Criminalistæ, maximè cum testetur de praxi Tribunalis.

Ex his omninò refellendus est Paramus de orig. Inquisit. libr. 3. quæst. 4. num. 6. vbi absolutè docet, quòd si delatus exponitur tormentis, & sustinens illa nihil confitetur, absoluendus est

est ab instantia, non, inquam, hæc opinio est admittenda simpliciter & absolutè, nam est contra dictam instructionem Toletanam, & in tali casu obseruanda sunt ea, quæ prudenter dicta instructio considerat. Vnde Menochius, quem citat & sequitur Baiardus in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. numer. 125. asserit, quòd quando indicia purgantur per torturam, remittitur arbitrio iudicis; non benè igitur dixit Paramus absolutè, quod tortus negatiuus purgat indicia. Scio Simancam in cathol. institu. titul. 65. num. 74. docere, quòd si reus in quæstionibus pernegauerit, purgat omnia præcedentia indicia, sed interpretandus est sano modo, nempè si indicia arbitrio Inquisitorum erant talia, vt per torturam censeantur purgata, aliter eius opinio esset contra Instructionem Toletanam. Vnde Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. c. 3. § 12. num. 22. ex Barthol. Cisuentes, & Gomezio concedit posse iudicem ratione indiciorum, vel præsumptionum damnare reum tortum & negatiuum aliqua pœna arbitraria.

Notandum est etiam hic obiter, quòd Marsilius in practic. crimin. §. quoniam, num. 26. asserit, quòd quando tortus fuit negatiuus, & euacuauit indicia, si post torturam fuit iterum interrogatus extra tormentum de delicto, & inuentus varius, quòd ex illa variatione poterit iterum torqueri; sed hæc opinio non est tenenda, quia indicia superuenientia debent esse maiora & validiora, & illa sola variatio non est talis, & alia indicia, quæ præcedebant, fuerunt purgata per torturam, deindè purgatis indicijs amplius reus non est interrogandus. ergo, &c. & ita docet Anton. de Ballis in tract. var. libr. 2. quæst. 17. nu. 12. & sequent.

An Inquisitores possint torquere reum, qui non vult respondere interrogationibus?

RESOL. XXXIV.

Affirmatiuè respondeo, vnde in tali casu de rigore iuris Inquisitores possunt ponere illum ad torturam, & cogere vt respondeat affirmatiuè, vel negatiuè, & ita tenet Baldus in leg. accusationem, post num. 11. Cod. qui accusare non poss. &, vt dicit ibi Baldus, talis tortura non datur reo ad eruendam veritatem, quia ad hoc necesse esset: vt præcederent indicia ad torturam sufficientia, sed datur ad extorquendam responsionem; quam Baldi opinionem in contingentia facti approbauit Concilium Neapolit. vt testatur Capycius decis. 145. & hæc omnia docet Brunus tract. de indic. quæst. 5. num. 4. Carauita ritu 259. num. 14. Miranda in ordine iudic to. 2. q. 26. art. 4. conclu. 5. Gomez tom. 3. variar. cap. 12. num. 5. Clarus libr. 5. final. quæst. 45. num. 6. Mascardus de probat. lib. 3. conclus. 1385. n. 15. & Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 48. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. verb. Tortura, §. & scias etiam. Cartharius de interrog. reor. lib. 3. c. 2. nu. 3. Ludouicus Peguera in praxi c. 12. §. 5. nu. 26. licèt ipse asserat se non vidisse in praxi hanc opinionem à iudicibus admitti, si tamen in aliquo loco adsit, putat esse optimam & laudabilem, vnde in hoc casu Inquisitor sequatur praxim suæ Inquisitionis.

Quem modum torquendi debeant DD. Inquisitores adhibere cum reis, & quomodo, & de tormento ignis ad pedes adhibito?

RESOL. XXXV.

Non debent recedere, saltem in hoc Regno Siciliæ, à tormento funis, videtur enim approbatum à consuetudine & iure communi, vt in l. nullus, ibi, *fidicularum tormenta*, & ibi glossa & Salicetus, C. ad Iul. maiest. Sed quomodo tale tormentum dandum sit, docet Simanca in Cathol. instit. tit. 65. nu. 62. sic enim ait. Considerare iudices debent qualitatem personarum, criminum, & indiciorum, aliter enim torquendi sunt serui quàm liberi, fortes quam timidi, iuuenes quàm senes, robusti, quàm debiles, humiles quàm honesti, nobiles, quàm ignobiles, hi enim clementiùs, illi duriùs torqueri debent. Sic ille. & post illum Suarez de Paz in praxi to. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. nu. 65. & Villagut in pract. can. lib. 7. cap. 3. concl. 1. & 2. & nouissimè Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. nu. 2. vide etiam Gomez to. 3. var. c. 13. n. 5. & Mirandam in ord. iudic. to. 2. q. 26. ar. 15. conclus. 3. Sousam in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 30. iuncto n. 25 vbi sic ait. Non sunt omnes rei æqualiter torquendi, sed magis, vel minus, secundum qualitatem personarum, delicti, & indiciorum, nec in modo torquendi, & in tempore immoderatè debet reum torquere, nisi per horam ad summũ, nec regulariter fiant plures quasſationes, seu ictus, quàm tres, ita Sousa vide etiam Delrium in disquis. magic. appendic. 2. lib. 5. q. 24. & Guazzinum to. 2. lib. 1. defens. 30. c. 20. per totum.

Notandum est tamen, quod in Regno quando reum Iudices non poterant torquere ex aliqua infirmitate, tũc ei dabant tormentum ignis in pedes, de quo vide Antonium de Ballis in tra. var. lib. 2. q. 5. n. 18. & Farinacium q. 38 n. 69. Michaelem Zanardum in direct. Theol. p. 3. c. 88. fol. mihi 482. Sed in praxi visum est quòd ex multis reis ita tortis nemo confitebatur, ideò in tali casu regulariter ampliùs hoc tormentum in magna Regia Curia non adhibetur. Hinc etiam factum est multis ab hinc annis, vt in sacro Tribunali huius Regni etiam DD. Inquisitores ampliùs hoc tormento non vtantur, sed quãdo rei ex aliquo impedimento non possunt torqueri, illos puniunt pœna extraordinaria, cum abiuratione, prout delicti qualitas & probationes exposcunt.

An Inquisitores debeant torturam inferre Clericis non infamatis, tantum indiciatis?

RESOL. XXXVI.

Negatiua sententia suadetur per ea, quæ adducit Didacus Cantera in quæst. crim. quæst. 11. de reor. num. 1. Bernardus Diaz in pract. crimin. cap. 125. Damhauderus in pract. crimin. cap. 37. num. 25. Maceratensis variar. resolut. lib. 3. resolut. 44. cas. 4. n. 4. Guazzinus to. 2. lib. 1. defens 30. c 1. n. 7. Eugenius consil. 76. num. 103. Decianus vol. 4. respons. 124. num. 38. Marsilius in pract. crimin. §. nunc videndum, num. 51. & in §. ex prædicta, num. 40. & singul. 55. Bossius tit. de indicijs, num. 15. Ioan. Gratianus in regulis & fallentijs, reg. 226. nu. 91. Castaneus in consuet. Burgun. rubr. 1. §. 5. n. 6. & alij asserentes, quòd si etiam mille essent indicia contra Clericum, sed non esset de crimine diffamatus, non posset torqueri; & quidem hæc opinio est probabilis, & satis pia, & multum fauens statui clericali, quàm nouissimè docet etiam Eymericus à Rosbach in pract. crim. tit. 5. cap. 22. num. 2.

Sed his non obstantibus affirmatiuam sententiam tenẽdam esse puto in casu hæresis maximè, & illam tuetur ex nostris Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comment. 120. lit. F Simanca in cathol. instit. tit. 65. nu. 48. & Ludouicus Miranda in ordine iudiciario tom. 2. quæst. 26. art. 2. conclus. 2. Ignatius Salzedus in pract. crim. Bernardi Diaz vbi suprà lit. A. Petrus Caballus cẽtur. 2. cas. 84. nu. 20. & Michael Zanardus in director. Inquisit. part. 3. c. 95. fol. 513. vbi sic ait. Et si Clericus non possit torqueri nisi sit de crimine diffamatus, vt suprà diximus, tamen in hoc crimine hæresis ad eum torquendum sufficiunt legitima indicia, quia crimen est exceptum, & sumus in maiori periculo in Clerico & Doctore, quia magis possunt alios lædere, labéque hæreticali inficere, quàm laici, qui prauitatem hãc propter eorum ignorantiam ita de facili non possunt alijs damnum inferre. Ita ille, quod etiam confirmatur, nam dato, quòd infamia ad Clericum torquendum sit necessaria, hæc sanè sufficiens oritur ex semiplena probatione, alijsque indicijs, quę eum suspectum, & infamatum reddunt. ergo, &c.

Verùm licèt hæc opinio vera sit, aduertant tamen Dom. Inquisitores, quòd in casu occurrenti mitius torquendi sunt clerici, quàm laici, & ita tenet Pegna. Maceratensis, Miranda, Salzedus locis cit. quod intelligendum est, cæteris paribus, stãte eadem qualitate delicti, & indiciorum, vt rectè obseruat Michael Zanardus in direct. Theolog. part. 3. cap. 94. fol. 510. & ideo dixit Sousa in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 39. n. 52. quòd Ecclesiastici, nisi delicti enormitas id postulauerit, mitiùs torquẽtur; non desunt tamen, vt obseruat Caballus centur. 1. casu 84. num. 18. Doctores contrarium tenentes, & ita tenet nouissimè Ant. Queuedo lib. de indic. p. 1. c. 12. n. 17. sed tu ne discedas à prima opinione.

Nota etiam quòd secundùm aliquos Doctores, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debent illos torquere; sed hoc nõ obseruatur in nostro Tribunali, &

& ideo Didacus Cantera in q.crim.qu.11. de reo. nu.1. in fine, sic ait. Vnum solet seruari, quòd quando datur tortura Clerico, non solet dari per laicum, sed per alium Clericum; ego tamen cõtrarium vidi practicari tam in iudicio S. Inquisitionis, quàm in iudicijs alijs Ecclesiasticis. Ita ille.

Et tandem nota quòd Clericus non debet admitti ad canonicam purgationem, quando est grauatus indicijs ad torturã, sed debet torqueri. Ita Guazzinus to.2. lib.1. defens.30.c.10.nu.6.& alij, est tamen verum, quòd indicia ad torquendum Clericum non debent esse indicia ordinaria, quæ sufficiunt contra laicum, sed requiruntur grauiora, & vrgentiora, propter illam præsumptionem bonitatis, quàm habent Religiosi & Clerici, & ita obseruat Guazzinus loco cit. n.3. Farinacius q.41.n.9. & alij penes ipsos, quibus ego addo Mirandam in ord. iudic.to.2. qu.26.art.13.concl.2.

Quid facere debeant Inquisitores cum reis, si timent veritatem in tortura non fateri ex incantationibus & maleficijs.

RESOL. XXXVII.

FRanc. Pegna in direct.Inquis.p.3.commen.39.litt.F.sic asserit. Aduersùs has fraudes, & incantamenta, quæ remedia opem ferant, nondum sum expertus, iuuabit fortasse cũctas vestes detrahere cum quæstionibus adinonẽtur huiusmodi homines, quibus sæpè figuras scriptas occultant. Sic ille. Verùm in tali casu non solùm vestes detrahendas, sed etiam omnes pilos abradendos esse, rectè docuit Petrus Binsfeldius in comment. malef.& math.leg.7.q.1.concl.15. vbi sic ait. Quando suspicio oritur, maleficam penes se habere aliquid maleficij ad inducendam taciturnitatem, solent curare iudices, vt proprijs vestibus exuatur, ne aliquod maleficium insutum habeat, eamdem ob causam pilos vndique iubent abradi. Ita ille. Sed quàm circumspecti in tali casu esse debeãt DD. Inquisitores, patebit ex quodam facto memorabili adducto à Iodoco Damhaudero in sua pract.crim.c.37.nu.21. sic asserente. Ipse vidi cùm in ciuitate Burgensi essem à consilijs in muliercula admodum anu, quæ tum habitu, tum victu, tum incessu, tum moribus, & fucatæ sanctimoniæ specie ab omnibus venerabatur, veluti vera Christi Apostola, quòd multarum matronarum filias ac filios quasi miraculosè curaret, gibbos liberaret, crura, tibiasque confractas illico restitueret, idque non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito, verum, vt olim Apostoli pietatis aliquo exercitamento, nempè vt vno, duobus, vel tribus diebus ieiunarent in pane & aqua, vel vt ter legerent orationem Dominicam, aut inuiserent aliquas Ecclesias, vel vt Sacrum vnum, aut alterum religiosè audirent, aut aliquas preculas persoluerent ægri. His rebus iniunctis ritè expletis, illico, aut certè intra paucolos dies à morbis liberabantur, & firmæ valetudini restituebantur, cùm istius mulierculæ ea facta in vulgus latiùs spargerentur, à Senatoribus intempesta nocte iussa fuit ex lecto comprehendi, & carcere mancipari. Postridie cùm ab iisdem Senatoribus perquireretur, quomodo, quibus medijs, quo fœdere, quaque fiducia freta suas curas perageret, intrepidè semper respondit, se piè cuncta exercuisse, & bonis pijsque rationibus, atque ideo se se non debuisse tam ignominiosè comprehendi. His non obstantibus ex certis indicijs per Senatum adiudicabatur torturæ, ad quam cùm venisset, & verbis persuasorijs examinaretur, constanti vultu & animo semper perdurauit in ea sententia, se nihil eorum quæ fecerat, dæmonis ope peregisse, sed omnia pio, & licito modo. Interim ob cõstantem negationem torturæ tradita est, illa autem non lamentationes, aut clamores edidit, sed horum loco subridere cœpit, & quamuis ligata, digitorum tamen complosionibus iudicibus ipsis insultabat, & posita super scamno aut risit, aut dormiuit, hinc factum vt è scamno & tortura relaxaretur, & iterum in carcerem reciperetur, postea noua indicia habita torturæ iterum tertiò adiudicatur. Verùm priusquam scamno imponeretur, totius corporis pilos, & crines abradi curauimus, postea scamno imponitur, acerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit. Tandem quibusdam adstantibus succurrit, eam non esse tonsam in pudendis, tam retro & antè & sub axillis, vbi per tonstrices illi quoque crines abrasi fuerunt, & inter radendum reperta fuit pergamena in pudendis retro & antè inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum crucibus aliquot inter se distincta. hæc pergamena Senatoribus exhibita occasionem præbuit, vt rursus scamno traderetur torquenda, vbi facta plenè passibilis, omnia nudè fatebatur quæcumque prioribus informationibus fuerunt proposita; cum autem rogaretur cur priùs fateri noluit, nisi à me, inquit, omnes crines, atque etiam hanc schedulam abstulissetis, numquam à me perquirere quicquam potuissetis, vt quæ per illa facta eram impassibilis, quod haud dubium verissimum erat. Hæc omnia Damhauderus vbi suprà, & factum simile accidisse in vrbe Neapolitana testatur Ambrosinus de process. informatiuo libr.4.c.7.nu.13. vbi vult in tali casu os, foramina narium, & aurium, anum, vel vuluam, & si qua plaga, vel cauterium, aut incisio in corpore adsit, diligenter inquirenda esse, & plura alia, quæ in tali casu facienda esse adducit etiam Cartharius de interrogatione reorum, lib.4.c.1.nu.220.& sequent. cum Marsilio in pract.crimin. § nunc videndum, n.52. Ex quibus, vt dixi, apparet in similibus casibus summam diligentiam adhibendam esse à DD. Inquisitoribus, qui etiam quando casus occurrerit, possunt hæc etiam remedia Ecclesiastica adhibere, quæ ponit Delrius in disquisit. magic. append.2.lib.5.q.25. vbi sic ait. Præmittenda est exorcizatio Syluestri in lib. de strigimag. admir. non quòd possessas à dæmone sagas sentiat, sed quia præsertim eius obfirmatæ sunt, vtilè quoque si torquendi collo appendantur sacræ reliquiæ, vel agni cerei effigies consecrata, item si aqua benedicta in os effundatur, & ea corpus aspergatur, & cum vtuntur tormento in somnis, cerei benedicti instillatio inopinata. Ita ille, qui etiã q.29. docet loquens de sagis, posse in tali casu iudicem desistere à tortura, & post alios dies repetere, quia dæmon non semper strigibus assistit, sed aliquando deserit, vel spontè sua, vel Dei iussu. Et tandem post hæc scripta inueni Antonium Queuedo de hac materia disserentem in lib. de indic. & tortura p.2. cap.6. per totum, adi illum, & nõ pigebit, sicuti etiam Malleum maleficarum to.1.p.3.qu.15. per totam; & iterum M. Antonium Delrium vbi suprà lib.5. sect.9. §. quoad tertium dubium, folio mihi 739. & sequ. vbi ponit vndecim remedia.

An Inquisitores si torquerent reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, debeant puniri a suis Visitatoribus?

RESOL. XXXVIII.

HIc casus potest faciliter accidere, & ad illum negatiuè respondet Mart. Antonius Delrius, in terminis terminantibus, vt dici solet, in disquisit. magic. append.2. libro 5.q.1. vbi in casu de non danda tortura ex solo dicto socij criminis sine aliquo alio adminiculo sic asserit. Hæc sententia communis cùm sit iuri, & rationi magis cõsentanea, meo iudicio iudici sequenda est in vtroque foro. Si quis tamen illam contrariam Cyni, & aliorum Doctorum sequutus esset, putarem eum syndicatui non subiacere, facit enim tot Doctorum quos sequutus est, vt dici nequeat ex capite suo, vel temere fecisse, aut processisse, qui grauium Doctorum, & quorumdam iudicum praxim, doctrinamque amplexus fuit, licèt minus probabilem, vel tutam. Ita Delrius. & hanc opinionem docet etiam Ioan. Sancius in selectis disp.44.n.72. in fine, vbi sic ait. Animaduertant quoque Iurisperiti, non ob id subijci syndicatui, quòd iuxta opinionem probabilem sententiam ferant, relicta probabiliori, & communiori. Nam prudenter agit, qui iuxta opinionem probabilem operatur, syndicare autem iudicẽ eo quòd iuxta probabilem opinionem sententiam tulerit, esset eum punire absq; culpa, quod hercle iniquum est, & oppositum rectæ rationi, quapropter Doctores oppositum sentientes reijciendi sunt, velut punctum veritatis minimè attingentes, certè namque in principijs moralibus minus fidendum est de Iurisperitis, quàm de Theologis. Hæc Sancius.

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE

POENIS DELICTORVM

Pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquisitionis.

Quædam præambula ad ea, quæ inferius tractanda sunt.

RESOL. I.

ACTVRVS de pœnis criminum ad sacram Tribunal spectantium, aliqua præmittenda esse duxi; igitur

Quæro primò, an DD. Inquisitores possint condemnare ad pęnam triremium, fustigationis, &c. reos abiurantes tantum de leui? Respondet negatiuè Michael Zanardus ex illustri Dominicanorum familia, qui fuit Consultor S. Officij in multis Inquisitionibus Italię, sic enim asserit in direct. Theolog. p.3.c.134.fol.mihi 737. Qui de leui abiurant, grauibus pęnis nõ affliguntur, sed pęnis pecuniarijs, vel carceris per aliquot menses, vel alterius publicæ pœnitentię non multum grauis; sed qui de vehementi abiurant, fustigari possunt, trium ictuum funis pęna poniri; per annos ad carcerem & ad triremes, iuxta qualitatem personæ ac delicti, damnari. Ita ille, & hanc sententiam etiam docet Genuensis in praxi Archiepisc. c.68.n.8. vbi asserit. Leuiter suspectis imponi potest pœnitentia salutaris, & vehementer suspectis pœna triremium. Verùm praxis nostræ Inquisitionis Hispan. est in contrarium, & sic inferiùs dicemus quòd ducentes duas vxores abiurant de leui; & tamen fustigantur, & damnantur ad triremes: & solicitantes in confessione abiurant de leui, & tamen aliquando damnantur ad triremes: sic etiam blasphemi, &c. Vnde Castrus Palaus in sum.tom.1.tr.4.disp.7. punct.1.nu.9. sic asserit. Infertur pro crimine inducente leuem suspicionem, condemnari reum posse ad aliquam pęnitentiam, vel pecuniariam, vel reclusionis pro aliquo tempore, vel fustigationis, vel triremis arbitrio Inquisitorum, pensata qualitate personæ, & grauitate delicti & malitiæ. Ita ille, quibus etiam pœnis, sed acriùs in nostro Tribunali Hispanico puniuntur etiam vehementer suspecti de hæresi, vt tradit ipsemet Palaus disp. 6. punct. 2. nu.1. & Rojas de hæret. p.2.n.301.

Quæritur secundò, an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abiurationem de vehementi? Videtur affirmatiuè respondendum, ex doctrina quam adducit Ricciullus tract. de iure personar. &c. lib.5. cap.11. nu.30. Torreblanca de Magia lib.3.cap.20. nu.1. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. verb. suspicio, §. suspectus. Similiter & alij communiter, adducentes regulam generalẽ, videlicet quòd quando quis committit delictum, quod inducit vehementem suspicionem, debet de vehementi abiurare: si autem inducit leuem suspicionem, de leui emittat abiurationem. Sed in casibus particularibus, & in praxi contingentibus, circa hoc DD. Inquisitores eorũque Consultores aduertant id quod prudenter, & solidè obseruat Pegna in director. Inquis. part. 2. comment.85 in fine, vbi sic ait. Vnum præ cæteris habeant Inquisitores ante oculos, ne facilè credant hunc, vel illum esse vehementer suspectum, quia in hoc, vel illo authore reperiant ex tali, vel tali causa oriri vehementem suspicionem, nam plurimũ semper sunt & personarum & causarum circumstantiæ considerandæ, ex quibus interdum vehemens suspicio interdum leuis, interdum verò nulla oritur. Sic ille. Vnde Michael Zanardus in direct. Theolog. p.2. pr.1.c.1.§.25. docet, quod ex consideratione personarum, & circumstantiarum, quandoque vehementes suspiciones cõuertuntur in leues, sicut è contra suspiciones leues conuertuntur in vehementes.

Obserua etiam hic obiter id quod docet Sousa in aphorism. Inquis. lib.2.cap.40.num.15. processum minorum in causa fidei quando de hæresi formali non constat, non terminari regulariter per maiorem abiurationem, quam de leui, cùm præmatura ætas in dicta causa fidei delicto plurimum detrahat. Ita ille, qui citat Pegnam, quod est valdè notandum.

Quæro tertiò, quænam sint pœnæ hæreticis à iure impositæ; Respondeo pœnæ contra hæreticos à iure statutæ hæ sunt. Prima est sententia excommunicationis maioris, quæ spiritualis est, quæ decernitur in c. ad abolendam, & c. excommunicamus 1. & 2. tit. de hæret. in Decretal. & in 6. & tandem arctiori vinculo in Bull. Cœn.

Secunda pœna partim spiritualis, & partim temporalis, est priuatio omnis Ecclesiasticæ dignitatis, officij, & beneficij, & inhabilitas ad ipsa, & habetur in c. didicimus, c. pudenda 24.q. x. c. præter 32. dist. c. quo iure, dist. 6. c. ad abolendam, c. excommunicamus 1. de hæret. c. vt commissi, eod. tit. in 6.

Tertia pœna temporalis est, videlicet publicatio bonorum omnium quibus priuantur hæretici à die commissi criminis, & habetur in l. Manichæos, l. cognoscimus l. Arriani, C de hęret. in Authen. Gazaros, & Authen. idem est, C. eodem tit. in c. Iudæi, 1.q.4. c. vergentis, de hęret. c. cum secũdùm leges, eodem tit. in 6. Huic pœnæ annectitur alia similis, quæ est priuatio omnis dominij temporalis, iurisdictionis & omnis debiti quod ex fidelitate quocumque titulo illis debebatur, in c. vlt. de hæret. Pęna priuationis bonorum extenditur etiam ad filios hæreticorum, sic enim bona ab eis auferuntur, vt filij & hæredes maneant perpetuo spoliati, quod antiquo iure non fiebat, sed bona parentum hæreticorum filijs Catholicis tradebantur, vt patet ex l. Manichæos, l. cognouimus. C. de hæret. Authent idẽ est, eodem C. c. Iudæi 1. qu. 4. Sed iure nouo fisco applicantur, vt patet ex auth. Gazaros, & l. vlt. C. de bonis proscriptorum, & c. vergentis, de hæret. & c. secundum leges, eod. tit. in 6.

Quarta pœna etiã temporalis est. Quinta, perpetua infamia, in Auth. Gazaros, C. de hæret. c. infamis, 6.q.1. c. alieni, 2. qu.7. c. infamibus, de reg. iuris, c. excommunicamus 1. de hæret. & c. 2. §. hæretici, eod. tit. in 6. huic pęnæ annexa est inhabilitas ad omnem honorem, dignitatem. officiũ & actionem ciuilem, vt hæreticus, nec iudex, nec testis, nec actor, nec tabelio, neque aliud simile esse possit, quoniã hæc omnia infamibus prohibita sunt, vt habetur in c. infamibus, de reg. iuris in 6. & in l. 2. C. de dignitatibus, & nominatim etiam hæc hæreticis interdicuntur in l. quoniam, C. de hæret. l. si pupilli, §. videamus, de neg gest. c. excommunicamus 1. de hęret. c. quicumque, c. eum secundùm leges, eod. tit. in 6. quę quidem pœna infamię extenditur ad filios & nepotes vsque ad secundam generationem, ex l. quisquis, C. ad leg. Iuliani maiestatis, & ex c. quicumque, & c. statutum, de hæret. in 6. quo pacto verò & quousque hęc pœna eos comprehendat, explicat Simanca tit.29. & Couarr. var. lib.2. c.8.

Et vltima tandem pœna est supplicium mortis, quo tandem plectuntur impœnitentes & incorrigibiles, quæ constitura est legibus ciu. in l. Manichæos, l. Arriani, l. quicumque, C. de hęr. & iure Canon. in c. ad abolendam, c. sicut ait, c. excommunicamus 1. de hæret. & in c. super eo, & c. vt commissi, eod. tit. in 6.

His igitur suppositis deueniendum est ad abiurationes, & pœnas extraordinarias cuilibet particulari delicto in hoc sacro Tribunali imponendas, quas ego, scit Deus cum quanta diligẽtia, collegi ex probatissimis authoribus ad subleuandum laborem DD. Inquisitorum, quibus hæc omnia & a me scripta & scribenda humiliter & ex corde submitto.

De Iudæis, Mauris & alijs infidelibus aliqua crimina perpetrantibus.

RESOL. II.

NOnnulli sunt casus, in quibus Inquisitores possunt procedere contra Iudæos & infideles non baptizatos, contenti in Bulla Gregor. XIII. edito ann. 1581. in qua Summ. Pontifex decernit in §. 2. vt puniãtur ab Inquisitoribus Iudæi & infideles negãtes quę habent communia circa fidem cum Christianis, vt

Deum vnum, æternum, omnipotẽtem, creatorem omnium esse, aut id alicui etiam priuatim insinuantes, vel § 3. dæmones inuocantes, consulentes, eis immolantes, vel thus & fumigationẽ offerentes, aut §. 4. verbo, facto, exemplo aliove modo nefaria huiusmodi docentes Christianos, vel ad ea perducere tentãtes; vel §. 5. Christum purũ hominẽ, aut peccatorem Deive matrẽ non Virginem, similesve blasphemias hæreticales proferentes, vel §. 6. auxilio, cõsilio, opere, fauore Christianum à fide ad impias sectas, superstitiones, aut hæresim solicitantes, vel §. 7. aliquem à fidei, vel Baptismi post eius declaratam nutu, verbo, facto, aut alio quocunque modo voluntatem retrahentes, dehortantes, impediẽtes quouis modo, aut §. 8 Hæreticos Apostatasve scienter receptantes, alentes, commeatu iuuãtes, associãtes, deducentes, vel deducendos & associandos curantes, defendẽtes, & quomodolibet auxilium, cõsilium, fauorem deferentes, vel faciẽtes ne ab eis perpetrata inuestigari queant. vel §. 9. prohibitos libros deferentes, retinentes, aut diuulgantes, vel ad eã rem operam suã cõferentes, vel §. 10. derisioni habentes Christianos, sacram hostiã, Crucem, Christum Dominũ conspuẽtes, vel facientes quid simile, ouem, agnum, aut aliud quid Cruci affigentes, aut appendentes, vel §. 11. Christianas nutrices tenentes, vel cogentes quando communicant vno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. In omnibus his casibus, vt diximus, Pontifex præbet authoritatem Inquisitoribus procedendi aduersùs Iudæos, & alios quoscumque infideles, vt obseruat etiam Ricciullus trac. de iure person. &c. lib. 1. c. 52. n. 7. Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 37. à nu. 18. vsque ad 27. Scortiã in Bull. Pontif. theor. 347. & alij penes ipsos. Vide etiam circa præsentem quæstionem Azorium to. 1. lib. 8. c. 22. q. 12. Campegium in addit. ad Zanchinum cap. 36. lit. B. Simancam tit. 35. per totum, Canteram in qq. crim. c. 1. de hæret. nu. 72.

Sed deueniendo ad nostrum institutũ, quibus pœnis plectẽdi sint supradicti Iudæi, & infideles talia delicta perpetrantes, tradit Pegna in direct. Inquis. p. 2. commen. 69. vbi quatuor pœnas numerat, priuationem communionis cum Christianis, pecuniariam, carcerem & verbera neque ab his putat recedendũ. Addit verò quòd si atrox sit scelus à Iudęo, vel alio infideli contra fidem patratum, acrior pœna eis imponi poterit, ac etiam relinqui poterunt Curię sæculari. nam quoties pęna relinquitur arbitrio iudicantis, si crimen sit ingens, iudex arbitrium potest extendere vsque ad mortem. Ita Pegna, & post illum Castrus Palaus in sum. to. 1. tra. 1. disp. 8. punct. 16. §. 6. n. 1. & Farinacius de hęresi q. 178. n. 146. & ante illos Calderinus trac. de hæret. c. 36. nu 4. Repertor. Inquis. ver. Iudæus, §. Sed circa prædicta. Zanchinus de hæret. c. 36. n. 4. & ibi Campegius.

Sed audiamus Sousam in aphor. Inquis. lib. 1. c. 37. n. 29. sic asserentem. Pœna quæ prædictis infidelibus imponi debet, est arbitraria, maior, vel minor, pro qualitate delicti, videlicet pœna priuationis communicationis cum Christianis, pecuniaria, carceris, verberum remigandi etiam in perpetuum, tradi præterea possunt Curiæ sæculari, vltimo supplicio puniendi, ex constitut. Greg. XIII. Hæc Sousa. Vnde ego olim anno 1633. die 29. Augusti, consului quemdam Maurum ad triremes per triennium damnãdum esse, ex quo pertinaciter in Tribunali S. Officij falsum deposuit ad excusandum alium Maurum iam Christianũ factum, qui à dicto Mauro adiutus fugam arripuerat in Africã animo apostatandi, licèt ex pietate DD. Inquisitorum nõ ad triremes, sed ad verbera fuerit condemnatus. Quòd autem Inquisitores possint specialiter contra Turcas procedere, quando adiuuant, vel consulunt Christianos ad apostatandum, docet Eymericus in direct. Inquis. p. 2. q. 45. n. 3. & Zechius in sum. to. 1. c. 11. de hæret. nu. 13. & apertè patet ex Bulla Gregorij XI. quam per extensum ponit Eymericus loc. citat. & commentarijs illustrat Scottia in Bull. Pontif. epit. 27. theor. 73. 74. 75.

Igitur cum Iudæi delinquunt in ijs, quæ sunt nostræ & suæ fidei communia, certum est Inquisitores posse illos punire. Difficultas est, an vltra pœnas, de quibus suprà dictum est, sit in hoc casu illis aliqua abiuratio indicenda? Affirmatiuè respõdeo cum Pegna in direct. p. 2. comment. in hac forma.

Ego N. sacrosancta Dei lege posita coram me, & meis manibus tacta, iure me credere corde & ore profiteor, illam veritatem ac fidem, quã lex Dei sacrosancta docet, ac in primis Deũ esse inuocandum, solumque adorandum, & per cõsequens detestor eum errorem qui dicit, dęmones esse aduocandos, eisque diuinos honores tribuendos, aut similia, iuxta qualitatem errorum quos aduersùs fidem admisit. nõ enim in tali casu iurat super Euangelia, quibus non credit, nec abiurat hæresim quæ in ipsum non cadit.

Et ita in facti contingentia accidit Barcinone anno 1371. vbi Episcopus & Inquisitor in die Circumcisionis Dominicæ fecerunt publicè abiurare, & sententialiter perpetuo carceri manciparunt quemdam Iudæum conuictum & confessum, quòd dæmones inuocauerat & sacrificauerat: vt obseruat Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. inuocare, §. vlt. & ante illum Eymericus in director. Inquis. p. 2. qu. 46. num. 16. qui tunc erat in Aragonia Inquisitor, & dictum Iudæum, prout suprà, ipsemet condemnauit.

Sed ex dictis oritur pulchra quæstio, an Iudæi transeuntes ad Saracenos, seu ad alios infideles, possint puniri ab Inquisitoribus? Negatiuè respondet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 37. n. 27. Farinacius de hæresi q. 178. n. 132. Decianus lib. 5. c. 10. nu. 34 & alij. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quam tuetur doctus Inquisitor Camillus Campegius in addit. ad Zanchin. de hęret. c. 36. lit. B. in fin. vbi sic asserit. Tãdem circa hanc tractationem de Iudæorum delictis per Ecclesiam puniendis, vide adducta per Romanum in singul. 687. vbi quærit, an Iudæus conuertens se ad ritum Saracenorum, veniat aliqua pœna puniendus? & probat quòd non sit puniendus. Tu verò tene doctrinam directorij p. 2. q. 46. quæ securior esse videtur. Constat autẽ quòd quamplurima in lege Saracenorum continentur quæ veritati Scripturæ aduersantur, quæ & Iudæis & nobis communia existunt. Ideò ex hoc potissimum puniri possunt, quia non licèt ab eis discedere; sicut enim puniri debent Iudæi colentes idola, vel sacrificia illis offerentes, aut dæmones inuocantes, ita credo eos puniendos esse si ad aliam sectã transeant, in cuius ritu contineantur contraria his, quæ ipsi Iudæi nobiscum tenent, vt iam dictum est. Ita Campegius: vnde contrariam sententiam non posse sustineri post constitutionem citatam Gregor. XIII. manifestum est. Nam in §. 2. tribuitur Inquisitoribus potestas contra Iudæos negantes, quæ habẽt communia circa fidem cum Christianis. Sed Iudæi transeuntes ad sectam Saracenorum, necesse est vt negent multa, quæ habent communia circa fidem cũ Christianis. ergo, &c. Ex quo valde miror Sousam alioquin virum doctissimum, & de nostro sacro Tribunali, benè merentem, negatiuam sententiam docuisse. De Farinacio verò non miror, quia non ita diligenter omnia dubia discutit. Decianus est venia dignus, quia ante constitutionem Greg. scripsit.

Nota etiam Sousam pro sua sententia citare Pegnã in direct. p. 2. comment. 69. sed ibi Pegna refert tantùm Oldradum, & asserit eius dicta ob breuitatem non velle expendere, in quibus verbis minimè demonstrat talem sententiam ipsum tenere.

De Apostatis & his, qui vulgò dicuntur Renegati.

RESOL. III.

Posse contra supradictos procedere Inquisitores, tradit Filliucius to. 2. tra. 12. c. 5. n. 145. vbi sic ait. Inquisitores habent ius inquirendi in eos, qui è Christianis transeunt ad Saracenos, ex c. contra Christianos, de hæret. in 6. est enim eadem ratio, quæ de transeuntibus ad Iudæos Ita ille. & ante illũ noster Rojas de hæret. p. 1. n. 124. vbi ita ait. Quamuis in c. cõtra Christianos, de hæret. in 6. solummodo dicatur de transeũte ad ritus Iudæorum; idem dicendum est de transeunte ad ritus Saracenorum, quia ex identitate rationis etiam in pœnalibus fauore sibi fit extensio, & ita etiam docent Sanctarellus de hæresi c. 2. dub. vnic. nu. 1. ait enim, Apostatæ à fide dicuntur ij, qui à tota fide Christiana recedentes ad alias Religiones, seu sectas se transferunt, vt ad sectas Turcarum, Paganorum, vel Iudæorum. Vide etiam Riccium in praxi tom. 1. resol. 423. ver. Renegati. Zechium in sum. to. 1. tit. de hęret. c. 11. n. 13. Peyrinum in priuileg. Minim. to. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 15. Carrerium de hæret. n. 87. Vallensem in partit. ad Decretal. lib. 5. tit. 9. nu. 2.

Ad pœnas igitur deueniendo quoad abiurationem sic asserit Genuensis in praxi Archiepisc. c. 68. nu. 12. qui abnegarunt fidẽ Catholicam apud infideles, si spontè reuersi petunt reconciliationem Ecclesiæ, tamquam Apostatæ formales abiurant, si fateantur se verè abnegasse fidem; si verò asserunt non habuisse intentionem abnegandi fidem, si pueri sunt, solent abiurare de leui, si maiores, de vehementi, & hoc procedit, vt dictum est, si spontè veniant ad Tribunal S. Inquisit. Ita Genuens. & post

illum

illum Aloysius Bariola in aphor. litt. P. ver. pueri. § 2. Sed magis amplè loquitur Pegna in direct. Inquis. part. 1. commen 59. vbi sic ait. In his recipiendis & reconciliandis vsu sacri & supremi Tribunalis hæc praxis recepta summo iudicio esse videntur, si committentes talia facta sponte compareant, & dicant se non credidisse ita faciendum esse, sed fidem in corde retinuisse, tunc abiurant vt vehementer suspecti, & aliæ pœnitentiæ salutares ipsis imponuntur; quòd si dicant & fecisse & ita faciendum credidisse, abiurant tunc vt formales hæretici, vel Apostatæ, & grauiùs puniuntur, maximè si sponte, aut nullo inducto metu, aut leui metu incusso hæreticalia, vel apostatica facta commiserunt, quòd si non compareant sponte, & confitentur facta hæreticalia, vel apostatica, prauam autem intentionem negant, tunc super intentione torquentur, vt intelligatur an reuera ita crediderint, necne, & si post torturam legitimè adhibitam in negatiua persistunt, dicentes se non habuisse prauam intentionem; tunc similiter abiurant vt vehementer suspecti, & verisimile est eos non habuisse prauam intentionem qui per grauem metum talia commiserunt. Si verò intentionem prauam confitentur, tunc tanquam formales hæretici, vel Apostatæ abiurare compelluntur, & graues itē pœnitentiæ imponuntur. Cæterùm vt grauiùs, vel mitiùs puniantur, consideranda est qualitas metus illati, & personæ delinquentis, an iuuenis, vel vir, an doctus, vel imperitus, an laicus, vel Clericus & Religiosus, & similes circumstantiæ, quæ delicta solent minuere & augere. Sanè illi qui cùm non sponte venerint confessi fuerint prauam intentionem & mentis errorem, si reuerti voluerint postquam hæresim, vel apostasiam abiurauerint, de iure ad perpetuum carcerem sunt damnandi, c. excommunicamus il 2. §. si qui autem, de hæret. in 6. Ita Pegna loc. cit. & post illū Ioseph Sesse in decis. Aragon. to. 4. decis. 444. n. 9. Extra verò abiurationē puniuntur supradicti alijs pœnis arbitrarijs DD. Inquisitoribus, videlicet pecuniæ, triremium, fustigationum, &c. vt optimè obseruat Castrus Palaus in sum. to. 1. tr. 4 disp. 7 punct. 1. nu. 10. quæ omnia, ait ipse, obseruata vidi in publicis actibus fidei, in quibus vehementer suspecti ob aliquos ritus Iudaicos publicè errores abiurarunt, & pœna pecuniaria S. Officij sumptibus applicanda condemnati sunt, alij verò ad exilium. Neque illis fuit impositus saccus pœnitentialis crucibus integre signatis, sed solum dimidiatis, qui tamen saccus facta abiuratione illis sublatus fuit. Ita Castrus quod vltimum est valde notandum.

Non desinam tamen hic adnotare ea, quæ docet Rojas de hæret. p. 1. nu. 108. vbi ita ait. Si captus à Sarracenis (vt quotidie vidimus) metu mortis, vel tormentorum fidem Christianam compellitur abnegare, & ad eorum ritus transire, sed corde & animo fidem Catholicam tenet, is neque est hæreticus, neque reconciliandus, sed in loco religioso per aliquod tempus reponendus, & in fide orthodoxa instruendus; præsertim si illo tempore minor ætate erat, quando captus à Sarracenis fuit. Nā maiores, vt mihi relatum fuit ab ipsis Sarracenis, ad id non compelluntur. Hæc Rojas.

Sed quia, vt ex dictis apparet, potest sæpiùs contingere supradictos reos adducere se apostatasse propter metum, vltra superiùs dicta afferam hic ea, quæ optimè aduertit Ricciullus in tract. de iure person. &c. lib. 6. c. 5. n. 7. & sequ. sic enim ait. Quoniam animus intus latet, & Ecclesia non iudicat de occultis, meritò in foro exteriori asserens se Christum negasse per vim, siue metum, redditur suspectus de vehementi, vel leui, perpensis coniecturis personarum, & negotiorum. Erit quidem de vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominus in negatione fidei perseuerauit, quia diuturna continoatio demonstrat actum ex corde processisse. Item si persona sit grauis, veluti Prælatus, Monachus, Theologus, aut alius vir grauis & prudens, & vis, vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alteriùs generis non cadentis in constantem virum, in his casibus suspicio est ita vehemens, vt meritò indici eis possit abiuratio, & similiter si metus fuerit reuerentialis. De leui verò erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non bene fidei causam callentibus, & qui verisimiliter scite nō poterant, quàm graue delictum sit negare fidem, cuiusmodi sunt pueri, fœminæ, rustici & alij, quos minor metus auertit. Diluet autem omnem suspicionem apostasiæ, si statim, vi, vel metu cessante, doluerit, & pœnitentiam egerit. Ita Ricciullus, & ante illum Pegnam in director. Inquis. p. 1. comment. 24.

Neque aduersus supradicta facit Eymericus in direct. part. 2. q. 41. vbi docet, quòd metus mortis non excusat ab apostasia in foro exteriori; nam, vt optime obseruat Pegna ibi commen. 66. lit. C. hæc Eymericij sententia videtur vera de iuris, vt aiunt, rigore, nonnullis concurrentibus, videlicet vt qui fidem metu mortis abnegat, probè causam fidei intelligat, & peritus sit, & Theologus, Monachus, vel Episcopus, similesque personæ conspicuæ quibus eam prædicare quasi ex officio incumbat. Rursus vt eam abneget, vbi facilè periculum euadere poterat, aut vbi maximè eam profiteri tenebantur, diutiùsque in tali apostasia perdurant, nec statim nacta opportunitate reuertuntur, & Ecclesię reconciliari deposcunt; siue quando non ipsi se ipsos prodiderunt, sed aliorum testimonio legitimè conuincuntur, nec metum probant; nec alia, quæ ad sui excusationem adducunt. Sic Pegna. Ex quibus apparet, quòd licèt in aliquibus casibus metus excuset, tamen vt hoc efficiat est iudicio probandum, & ideò ego olim consului quemdam Græcum apostatam, qui delatus ab alijs ad S. Officium, negabat ex animo apostatasse; sed metu mortis causa; quod cum plenè non probaret, consului, inquam, torquendum esse, & si negaret intentionem, abiurare debere de vehementi, & ad triremes damnari, vt postea factum fuit.

Et tandem ponam praxim quę in sacro Tribunali huius Regni practicatur regulariter cum Mauris factis Christianis, qui postea cum alijs Mauris ad terras Turcarum fugam arripiunt, nam si in itinere capiuntur, cùm ex dicta fuga & alijs circumstantijs, quæ quasi semper concurrunt in dicto casu, habent cōtra se violentam præsumptionem apostasiæ, ideo torquentur super intentione, & si postea negent, abiurant adhuc de vehementi, & ad triremes per triennium damnantur.

Nota tandem quòd si veri apostatæ abiurant de formali, cōfiscantur eorum bona, & damnatur ad carcerem perpetuum, & subiacēt ijsdem pęnis, quibus subduntur hæretici, de quibus infrà, vt docet Innoc. in c. 1. de apostas n. 2 & ibi Hostiensis nu. 2. Io. Andr. nu. 4. Butrius nu. 7. Vnde Lorca in 2. 2. D. Tho. qu. 12. art. 1. disp. 50. nu. 3. asserit apostatam quoad pœnas & omnem processum iudicialem, tractandum esse vt hæreticum, & idem tenet Sanctarellus de hæresi c. 2. dub. vnic. n. 6.

Sed in fine huius resolutionis discutiam breuiter duas quæstiunculas.

Quæro igitur primò, an apostatæ à Religione sint puniendi à DD. Inquisitoribus? Negatiuè respondet Duardus in Bulla Cœnæ, lib. 2. can. 1. qu. 17. nu. 32. & Pegna in direct. Inquis. part. 2. commen. 4. vbi obseruat factum Tribunal Inquisitionis Romanæ non sulere contra hos inquirere, & ita etiā obseruatur in Inquisitione Hispanica, & ideò Aloysius Bariola in aphor. litt. A. ver. Apostata § 3. sic ait. Apostatæ à Religione non puniuntur ab Inquisitoribus ex sola apostasia, nisi habeant aliquid adiunctum, & ita est praxis sacr. Inquisitionis de Vrbe. Sic ille. Verùm Michael Zanardus in director. Theolog. part. 2. præc. 1. c. 5. §. 19 ait hos esse de vehementi suspectos de fide in tribus casibus. Primò, si à Religione transeant ad partes hæreticorum, cum eis communicantes, eorum conciones audientes, vt aliquo modo eorum impietates authorizantes. Secundò, si habitum lacerent, pedibusque conculcent, & blasphemias contra Religiones euomant, nam similia facere & effutire mali animi indicium est. Tertiò, si aliquid faciunt contra determinationes Ecclesiæ, vt si vxores ducant, vel celebrent, quando nominaliter excommunicati sunt, vel similia alia fecerint quæ magni contemptus signa sunt. Ita Zanardus.

Sed in multis ex supradictis casibus non vt Apostatas à Religione, sed ex alijs capitibus aduersùs illos procedunt Inquisitores; sicut procedunt aduersùs sæculares cùm hæreticis communicantes, eorum conciones audientes, binas nuptias contrahentes, &c.

Vnde etiam non desunt DD. asserentes posse Inquisitores procedere contra Apostatas à Religione, si per annum in excommunicatione perstiterint negligentes ad Religionem redire, & ita docet Antonius Sanctarellus de hæresi cap. 41. dub. 3. & Laurentius de Peyrinis in priuil. Minim. tom. 2. constit. 2. Pauli V. §. 2. nu. 13.

Quæro secundò, an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgò dicuntur *Renegati*, si sponte ad ipsos venerint, & pœnitentia postulent? Affirmatiuè videtur respondendum ex Molina de iust. to. 5 tract. 5. disp. 18 nu. 16. vbi sic ait. Vidi ego in Lusitania cum Christianus quidam captus à Sarracenis fuisset, atque vt seruitutem fugeret, sectam Mahometanam

nam fuisset inter illos professus, ad nostram propria sponte aufugisset, reconciliatum fuisse secretò in Tribunali Inquisitionis, ibique abiurasse solis Inquisitoribus, & alij ministris eius Tribunalis, ac me, qui illum fui comitatus, præsentibus, neque Ordinarium, aut alium loco illius interfuisse, fortè in simili euentu, in quo nullum dubium interuenire potest, necessaria nō erit præsentia Episcopi. Ita Molina, aduersùs quem insurgit nouissimè Castrus Palaus tract. 4. disput. 8. punct. 13. nu. 17. Verùm non solùm in casu supradicto, sed etiam absolutè docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1 c. 3. n. 5. esse vsu magis receptum Inquisitores indicare abiurationem & purgationem, sine Episcopo. Vnde ego, vbi adest talis consuetudo legitimè præscripta, illam non damnatem; & hæc opinio erit quidem multum plausibilis DD Inquisitoribus.

Et tandem pro coronide huius resolutionis nota, quòd licèt in l. hi qui sanctam, C. de apost. denegatum sit illis reconciliari, tamen ille textus fuit postea correctus à iure Canonico in d. c. contra Christianos, & cap. plerique, de consecrat. dist 4. & cap. quidam, de apost. quicquid afferat Arelatanus de hæret. notab. 44. & Matthæus de Afflictis apud Rojas de hæret. p. 1. nu. 291. & ideo Lorca in 2. 2. D. Thom. quæst. 12. art. 2. Canus lib. 2. capit. 9. Castrus libr. 2. capit. 23. & Pegna in annotat. ad Lucern. Inquisit. verbo Apostata, & Simanca titul. septimo numero 3. Barbosa in l. Titia 35. ff. soluto matrimon. numero 55. tomo 2. Freyras in nouis addit. de Confess. solicitant. quæstion. 5. num. 90. asserunt apostatam pœnitentem recipiendum esse, quod etiam tradit nouissimè Gabriel Pereira p. 2. de manu Regia, c. 74. nu. 1. qui tamen, licèt alioqui vir doctus, cautè legendus est, nam in dicto libro multa asserit contra immunitatem Ecclesiasticam, & præcipuè in cap. cit. docet, iudicem laicum posse cognoscere de apostasia quando agitur de quæstione facti, quod antea in part. 1. in concord. Ioannis I. art 1. num. 175. dixerat etiam de hęresi. Sed hęc omnia sunt falsa, & contra communem sententiam Doctorum, ita explicantium textum in c. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.

De Contrahentibus binas nuptias.

RESOL. IV.

Hoc delictum Inquisitores cognoscere priuatiuè quoad iudices laicos, probat Sigismundus Scaccia de iudic. causar. &c. lib. 1 cap. 12. nu. 55. Vnde Antonius Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 35. nu. 18. sic ait. Stando in iure communi, culpa contrahentium binas nuptias ad vtrumque iudicem, Ecclesiasticum scilicet, & sęcularem spectabat, nunc autem ad solos Inquisitores, & extat declaratio Summ. Pontif. ad Inquisitorem Lusitaniæ. Ita ille.

Verùm M. Anton. Genuensis in praxi Archiep. cap. 68. num. 13. sic asserit. Si bigamus est præuentus à Curia sæculari, debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam (Inquisitorem videlicet) vt rectè notat Farinacius vbi infrà. quæ torquet ipsum super intentione, & abiurare facit, deinde tenetur illum remittere ad Curiam sæcularem, quæ ipsum punit pro bigamia, quando verò est præuentus à Curia Ecclesiastica, in totum punitur ab ipsa, & non potest ampliùs Curia sæcularis se intromittere, vt habetur ex literis Congregationis S. Officij, quæ conseruantur in Curia. Hæc Genuensis. Ex quibus apparet cautè legendum esse Simancam tit. 40. numer. 3. & 4. vbi putat Inquisitores tunc posse procedere aduersùs tales bigamos, quando sunt ex genere Mahumetano, & quando palam duas duxerint vxores. Sed aduersùs illum, & meritò, insurgit Seraphinus Freyta in addit. ad Acugnam, cap. 2. num. 32. & Farinacius de hæresi, q. 178. n. 71. vide etiam Homobonum in exam. Eccles. part. 2. tract. 11. c. 7. quæst. 18. Rojas singul. 98. num. 4. Guttierez in qq. Canon. lib. 2. cap. 8. num. 1. Henriquez lib. 11. cap. 2. n. 3. & alios, quos citant & sequuntur Bobadilla in polit. lib. 2. c. 17. n. 152. in gloss. litt. A. & Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 40. nu. 44. vnde non est audiendus Simanca.

Igitur cùm Inquisitores absolutè & indistinctè procedāt aduersùs binas nuptias contrahentes, difficultas est an dicti sint de vehementi, vel tantùm leuiter suspecti de fide? Esse de fide vehementer suspectos, tradit Piasecius in praxi p. 2. cap. 4. art. 6. num. 9. & Genuensis cap. 18. nu. 11. & alij. Verùm asserunt hos esse tantùm de fide leuiter suspectos, Simanca tit. 40. nume. 6. & alij. Vnde ex diuersitate harum opinionum orta est differentia inter stilum Inquisitionis Romanæ, & Hispanicæ; nam in Romana Inquisitione supradicti rei tamquam suspecti vehementer de hæresi torquentur, & abiurant de vehementi, vt testatur Naldus in summ. ver. vxor, nu. 2. Riccius in addit. ad instit. Canon. lib. 4. tit. 2. Farinacius q. 178. n. 68. Ricciulus de iure person. &c. lib. 1. c. 11. n. 19. iuncto nu. 30. Genuen. in praxi c. 68. nu. 13. Pegna in direct. p. 2. commen. 81.

Hinc Aloysius Bariola in aphor. litt. V. ver. vxor. §. 2. sic asseruit. Si quis aliquam ducat vxorem priore viuente, hoc spectat ad S. Officium, & ex decreto Vrbis confessi, vel conuicti præmissa tortura in forma abiurant de vehementi coram Congregatione, & ad remum transmittuntur per quinquennium, vel per septennium pęnitentijs salutaribus iniunctis Inquisitorum arbitrio. Ita ille.

In nostra verò Inquisitione Hispanica hi abiurant tantùm de leui, vt obseruat Suarez de fide disp. 24. sect. 2. n. 4. Emanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. ca. 3. num. 8. Sousa in aphorism. Inquisit. libr. 1. cap. 35. nume. 20. & non torquentur vt obseruat idem Sousa de Confess. solicit. tract. 2. cap. 13. concl. 3. n. 11. Et ratio est, quia tales vt plurimum pręsumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucrandæ dotis; secus autem si rei essent ex prouincia infecta hæresis Caluinianæ & Lutheranæ; nam in tali casu abiurarent de vehementi, & ego illos torquerem, nam ex natione infecta oritur contra illos vehemens suspicio de hæresi. Vide Emanuelem Moura de ensal. sect. 3. cap. 3. n. 9. In supradictis verò vnusquisque sequatur praxim Inquisitionis suæ.

Quibus verò alijs pœnis supradicti plectantur in nostro Tribunali Hispanico, testatur Salcedo in addit. ad pract. crimin. Diaz cap 8. litt. B. vbi sic ait. Ab Inquisitoribus hoc crimen perpetrantes fustibus cædi solent, cum relegatione ad tempus, vt testatur Simanca in Cathol. instit. in Enchiridion tamen asserit quòd plebeij flagellis cæsi ad triremes condemnantur; si verò nobiles fuerint, aliæ iustæ pœnæ imponuntur, & quòd ad triremes facienda sit condemnatio; decretum fuit a supremis sacræ Inquisit. Senatoribus. Ita Salcedo, & Humada in leg. 60. tit. 6. part. 1. ad text. num. 3. qui non assignant tempus triremium, neque pęnas imponendas nobilibus, & etiam mulieribus, sed hoc facit Sousa in aphorism. Inquisit. libr. 1. cap. 35. num. 20. sic asserens. Regulariter personę viles fustigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honestiores verò & mulieres per idem tempus delegantur alijs autem pœnitentijs spiritualibus impositis. Simanca etiam tit. 40. numero 6. docet plebeios per quinquennium damnandos esse ad triremes, & Castrus vbi infrà, hoc etiam docet, addens nobiles præter exilium pœna pecuniaria damnari posse.

Non desinam tamen hic adnotare quòd si adsit aliqua præsumptio in fauorem rei, nempè quia propter longam absentiam vnius coniugis dicebant defunctam esse, loco fustigationis & triremium damnandus est ad exilium & pœnam pecuniariam.

Notandum est etiam hic supradictas pœnas incurrere consulentem aliquem vt binas nuptias contrahat, & ita obseruat Emanuel Moura de incant. opuscul. 1. sect. 3. capit. 6. numer. 11. se vidisse in praxi, eadem pœna damnatam matrem consulentem filiam, vt secūdò nuberet, ac ipsam filiam; quia non minor contra matrem ita concurrentem suspicio non benè sentiendi de matrimonio insurgebat, quàm contra filiam. Ita ille, quod perpetuò tene menti.

Nota etiam supradictos non esse ita puniendos si antequam testificati sint, se ipsos Inquisitoribus detulerunt, sed quibus pœnis in tali casu sint plectendi, docet Castrus Palaus in summa tomo primo tractat. 4. disputat. 8. punct. 16. §. 8. numer. 2. Putarem primò, ait, in carceribus secretis recludendos non esse dum eius causa agitur, sed in aliqua particulari domo, vt Compostellæ obseruatum vidi. Secundò existimarem, etiam si plebeius sit, flagellis non debere cædi, sed exilio, aliquave pœna pecuniaria condemnari, & idem est dicendum de eo qui aliqua apparenti ratione ductus de morte prioris cōiugis probat secundum matrimonium contraxisse. Sic Castrus, & ego.

Sed hic obiter inquirendum erit, an sit denūciandus, & subijciatur supradictis pœnis, si quis habens viuam vxorem, deueniat ad actum proximum contrahendi cum alia, v. gr. faciendo contractum dotis, denunciationis in Ecclesia, &c. Et negatiuè

riuè videtur respondendum, per ea, quæ docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 35 num. 6. vbi tenet, contrahentem matrimonium cum prima, & sponsalia cum secunda, non esse suspectum de fide, nec posse puniri ab Inquisitoribus, sed ab Episcopo. Verum Romæ in S. Congregatione sancti Officij supradicti, qui deuenerunt ad actum proximum contrahendi secundum matrimonium, abiurant de leui, & puniuntur exilio, vel carceribus, seu alijs pœnis arbitrariis, & prius torquentur super intentione.

Quod quidem in Inquisitione Romana potest procedere, quia ibi polygami abiurant, vt visum est, de vehementi, vnde pro attentantibus tantùm polygamiam remanet abiuratio de leui; in Inquisitione autem Hispanica hoc haberet difficultatem, nam cùm ibi polygami de leui enim abiurarent, punirent delictum attentatum, vt delictum consummatum; & ideo in casu occurrenti nescio quid in praxi obseruandum: vnde optimum esset, si nostri Inquisitores determinationem huius casus à supremo Hispaniarum Inquisitore exposcerent.

Notandum est tamen hic obiter cum Sousa loc. cit. n. 5. sciēter contrahentem binas nuptias esse suspectum de fide, quamuis nullam vxorem carnaliter cognoscat, quod etiam docet Albertinus de agnoscen. q. 23. nu. 49. 55. & seq. num. etiam 60. & 66. & Farinacius de delictis camis. q. 140. p. 1. nu. 24. & 30. Secus autem si contraheret sponsalia cum duabus, quamuis eas carnaliter cognoscat. nam in tali casu non erit de fide suspectus, cùm non contrahat matrimonium.

Et tandem pro coronide huius resolutionis.

Nota primò quòd antequam in hoc crimine procedatur ad capturam, præcedere debet plena probatio, vt constet, reum vno eodemque tempore duas vxores habere, & licèt reus seipsum detulerit, nihilominus per legitimos testes delictum probandū est, aut testimonium autheuticum de libro Parochi, vbi adscribi solet; testes autem satis est vt dicant, mulierem habitam fuisse pro vxore rei, illumque eam tractasse, vt communiter solent aliæ vxores tractari; scilicet vidisse, illos euntes ad Ecclesiam, & inde venientes, in vna domo simul viuere vt coniuges, &c.

Nota secundò, quòd coniugati, qui sine vxoris licentia in sæculo degentis suscipiunt ordines sacros, sunt supradictis pœnis mulctandi, & habenda est ratio, qualis nationis sit, nam si esset illius, apud quem hæresis Lutheri viget, maxima præsumeretur malitia, & vehemens suspicio, vnde ei imponenda esset abiuratio de vehementi, & etiam tortura adhibenda, vt detegeretur intentionem. Vide Canteram cap. 1. de hæret. num. 71. & Farinacium q. 184. nu. 71. & c. 76.

De Clericis sacris Ordinibus initiatis, & de Religiosis matrimonium ineuntibus.

RESOL. V.

Tales non solùm committere sacrilegium, sed esse de hæresi suspectos, tradit Emanuel de Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 3. n. 9. Ioseph Sesse tom. 4. decis. 449. n. 3. & 9. Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 8. num. 16. Peyrinus in priuileg. Minim. tom. 2. consti. 9. Pauli V. §. 2. num. 29. Leone de potest. Cō fess. part. 1. recoll. 22. num. 15. cas. 24. Rodriquez in qq. Regul. tom. 3. quæst. 1. art. 1. Director. Inquisit. part. 2. quæst. 49. & ibi Pegna commen. 74. Paramus de orig. Inquis. lib. 3. quæst. 10. nu. 75. Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 93. nu. 1. & alij penes ipsos.

Sed difficultas est, qua pœna puniendi sint; Didacus Cantera Inquisitor Murciæ, & vir doctissimus, & numquam satis laudatus, in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 71. sic ait. Certè propter suspicionem credo, quòd fieret instantia, & poneretur ad torturam, & si vinceret & remaneret probatio aliqua, abiuraret de leui, & deportaretur ad arbitrium iudicis, & si colligeretur maxima malitia & suspicio in fide, abiuraret de vehemēti, & ita practicarem. Hæc Cantera cuius doctrinam confirmat opinio Simancæ in Enchir. tit. 12. num. 1. asserentis, Religiosum contrahentem binas nuptias esse vehementer suspectum de hæresi.

Verùm hodie stylus nostræ Inquisit. Hispanicę communiter supradictos non torquet, sed, vt obseruat Castrus Palaus in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16 §. 8. nu. 4. illos punit eadem pœna, qua puniuntur contrahentes binas nuptias, & grauiori ob suspicionem Lutheranæ hæresis. Ordinariè igitur imponerē abiurationem de leui, & ad triremes ad minus per quinquennium damnarem, nisi talis qualitas personæ & circumstantiæ concurrerent, vt etiam necesse fuerit reum torquere, & abiurationem de vehementi imponere, & augere pœnam ad triremes vt si, v. g. Clericus, seu Monachus esset de prouincia infecta Lutheranæ hæresi, & in hoc casu puto sequendam esse opinionem Canteræ & Simancæ vbi supra. nam persona redditur suspecta respectu suæ regionis, vt optimè obseruat Sesse in decis. Regni Aragon. to. 4. decis. 452. n. 4. & alij.

Notandum est etiam hic obiter contrahentem matrimoniū cum hæretica esse suspectum de fide, & contra illum Inquisitores posse procedere. Ita Sanctarellus tr. de hæresi c. 41. dub. 3. n. 1. & Cantera in qq. crimin. c. 1. de hæret. nu. 1. & glossa in cap. decreuit, de hæret. in 6. & ibi Io. Andreas n. 1. Geminianus nu. 2. & Fraucus num. 1.

Notandum etiam, sicut professi aliarum Religionum, sic eos qui in Societate Iesu vota biennij emiserunt, si matrimonium postea contraherent, præterquam quòd matrimonium est irritum, subijciuntur supradictis pœnis & abiurant.

De retinentibus, & legentibus libros hæreticorum, necromanticorum, pentacula, &c.

RESOL. VI.

Retinentes hæreticorum libros, & legentes, puniendos esse tamquam hæreticos, docet Carrerius tract. de hæret. nu. 125. & alij iurisconsulti, quos refert, & rectè improbat Torreblanca de Magia lib. 3 cap. 15. num. 31. Simanca titul. 38. num. 23. & Lorca in 2. 2. D. Thom. quæst. 11. art. 4. disp. 48. nu. 4. cum alijs communiter. Dicendum est igitur, supradictos esse tantum suspectos de hæresi leuiter, vel vehementer, seu violenter, iuxta personarum & facti qualitatem, vt rectè obseruat Merolla in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. diffic. 6. num. 373. Sousa in Bulla Cen. cap. 2. disp. 16. num. 4. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 10. Zechius in summ. tom. 1. tract. de hæresi, cap. 11. nu. 5. Paramus lib. 3. quæst. 9. num. 147. Zanchinus de hæret cap. 7. nu. 7. & seq. Bursatus lib. 1. consi. 90. num. 10. Delriusin disquis. mag. lib. 5. sect. 17. Sousa in aphor. Inquis. lib. 5. cap. 21. num. 37. & alij penes ipsos.

Sed audiamus doctum Canteram in qq. crim. cap. 1. de hær. nu. 64. sic asserentem. An libri inuenti penes aliquem probent illum esse hæreticum, & puniatur tanquam hęreticus? Distinguo, aut libri sunt cōpositi ab illo, in cuius potestate inueniuntur, vel est obnoxius illis libris, quia tenet quòd illi tenet, & tunc videtur, quòd puniatur pœna hæreticorum, quia talis liber probat eos esse hæreticos. Sed in hoc etiam credo, quòd debeat constare quòd tenet, quod libri tenet, vel aliquam hæresim illorum librorum; & sic nō solùm ex eo quod talis liber inueniatur penes eum, est iudicandus hæreticus; aut libri non sunt compositi ab illo, penes quem inueniuntur, nec constat illum esse obnoxium in illis libris, & tunc distingue quòd aut ille, penes quem inueniuntur, est homo bonæ famæ, & non punitur, quia non est suspicio contra eum, aut est malæ opinionis, & ex qualitate ipsius personæ, & librorū procederetur actiùs, vel mitius, & posset etiam esse vehemens suspicio contra eum, vel minor. Ita ille. & ante illum Albertin. quæst. 28. nu. 25. & 26. & Simanca tit. 28. n. 14. vbi licèt asserat probabilem esse opinionem illorum, qui aiunt suspectos esse de fide illos, qui libros hæreticorum habent, tamen ipse plurimum arbitrio iudicum tribuendum censet, nam ex personarum, & librorum qualitate, alijsque circumstantijs causa cognita, in vnaquaque specie, melius statuere poterunt.

Verùm deueniendo ad pœnas, non desinam hic apponere verba Pegnę in direct. Inquis. part. 2. comm. 3. sic asserentis. Falchodius & Archidiaconus purgationem talibus inducendam admonent, quam interdum ex causa imponi posse nō ambigerem. hoc sit certum, pœnitentiam esse imponendam, nūc actiorem, aliàs verò leuiorem pro qualitate, & modo delicti, & delinquentium. Nos aliquando post abiurationem ieiunia, orationes, & peregrinationes imponi vidimus. Ita Pegna, qui non asserit quàm abiurationem fuisse, sed puto abiurationem de leui, & ita esse in vsu deductum, docet Suarez tract. de fide disp. 14. sect. 2. n 4. Videmus enim, ait fieri abiurationem de leui, si quis

si quis legit librum hæreticum. Sic ille. Verùm Merolla vbi supra, & Farinacius de hæresi qu.180. num.9. in fine, asserunt supradictos reos abiurare de vehementi, & pro sola retentione hos de leui abiurare testatur Genuensis in praxi Archiep. ca.68. n.12. vbi sic ait. Seruatur in Curia, quòd si apud aliquem reperiuntur libri hæreticorum, necromanticorum, pentacula, & similes scripturæ continentes hæresim, vel apostasiam, & tortus super intentione & complicibus, neget intentionem & visum, solet pro retentione tantum abiurare de leui, & ei iniungi pœnitentia salutaris, & si sint exteri, expelluntur ex diœcesi arbitrio Curiæ. Ita Genuens. in c.18. nu.14. idem docuerat, vt patet in his verbis. Anno 1599. fuit rescriptum à sacr. Generali Inquisitione vrbis, quòd torqueretur super intentione; siue credulitate, & visu quidam Doctor bonæ famæ, qui scienter penes se retinuerat pentaculum, & cùm fuisset tortus, & non confessus, abiurauit de leui pro retentione. Sic ille.

Nota tamé, quod in aliquo casu raro & peculiari ex circumstantijs delicti, & qualitate personæ potest oriri tam vehemens suspicio de hæresi in legentibus, & retinentibus libros hæreticorum, vt sint damnandi ad abiurationem de vehementi, & grauioribus pœnis quàm supradicti plectendi. Sed, vt dixi, regulariter hi abiurant de leui in Tribunali Hispanico.

Notandum est etiam, quòd Iudæi & alij infideles commorantes in terris Christianorum, qui retinere, habere, legere, scribere, vel exemplare, aduehere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare ausi fuerint libros & codices Talmudicos, Cabalisticos, & alios nefanos, &c. puniendi sunt arbitrio Inquisitorum pœna amissionis librorum, publicationis omnium librorum, quæ fisco applicanda sunt, ac etiam alijs grauioribus & corporis afflictiuis. Ita ex constit. Clement. VIII. docet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c.21. n.52. qui citat Farinacium, Pegnam, & Azorium, addens idem dicendum esse de Typographis, & Bibliopolis, seu mercatoribus.

Non desinam etiam hic adnotare, quod legentes & tenentes libros Astrologiæ iudiciariæ, qui de futuris contingentibus fortuitisve casibus & liberis tractat, ab Inquisitoribus puniuntur, & vide nouissimè constitutionem Vrbani VIII. sub die 1. Aprilis 1631. Item legentes libros prohibitos ab Inquisitoribus, etiamsi non sint libri hæreticorum, possunt ab ipsis Inquisitoribus puniri. Ita Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. c.31. nu 54. & 46. Sesse to.4. decis.464. nu.24.

De Confessarijs solicitantibus.

RESOL. VII.

POsse Inquisitores supradictos punire, patet ex constitutionibus Pauli IV. die 16. April. 1561. Pij IV. die 6. April. 1564. Clem. VIII. die 3. Decembr. 1592. & Greg. XV. die 30. Augusti 1622. Imò hanc facultatem competere Inquisitoribus de iure communi, tenet Sanctarellus tract. de hæresi cap.44. dub. vnic. num.2. in fine. Sed quicquid sit de hoc, certum est, vt diximus, Inquisitores ex dictis Bullis Pontificijs, posse in Confessarios solicitantes animaduertere, nam ita facientes sunt suspecti de fide, vt probat Peytinus in priuil. Minim. tom.2. consl.4. Greg. XV. § 3. nu 6. & DD. communiter.

Difficultas verò est, an dicti Confessarij sint suspecti de hæresi vehementer, vel tantùm leuiter: esse suspectos vehementer, tenet Pegna in direct. Inquis. part.2. comment.81. Piasecius in praxi part.2. cap.4. art.6. num.10. Aloysius Bariola post Flores Inquis. tract. de Confess. solicit. Genuensis in praxi Archiep. cap. 66 num.2. Madius de sacr. Ordin. cap.27. nu.6. & alij. Esse suspectos tantum leuiter, tenet Ioseph Sesse tom.4 decis.449. num.3. & decis.450. nu.9. & decis.454. num.6. Sousa de Confess. solicit. tract. 1. cap.5. nu.6. Rodericus Acugna tract. de Confess. solicitant. quæst.2. nu.20. Castrus Palaus in sum. tom. 1. tract.4. disp.9. punct. 6. n.1. & alij. Vnde ex hac varietate opinionum, vt supra dictum est de bigamis, orta est diuersitas inter praxim Inquisitionis Romanæ, & Hispanicæ; nam Inquisitio Romana, quia putat Confessarios solicitantes esse vehementer suspectos de hæresi, illos torquet, vt patet apud Peytinum in priuileg. Minim tom.2. constit.4. Gregor. XV. §.3. nu.5. Molfesium in summa tom. 1. tract 7. cap.24. n.40. & 42. Michaelem Zanardum in direct. Inquis. part 3. cap.78. fol. mihi 490. Genuensem in praxi cap 66. nu. 1. Madium de sacr. Ordin. cap.27. num.6. & alios. Inquisitio verò Hispanica, quia putat supradictos esse tantùm suspectos leuiter, illos non torquet, vt obseruat Sousa de Confess. solicit. tract. 2. c.13. concl.3. nu.11. & in aphor. Inquis. libr. 1. cap.39. nu.64.65. Castrus Palaus in sum. tom. 1. tract.4. disput.9. punct.11. num.4. Acugna tract. de Confess. solic. quæst. 13. n.14. & alij. Deinde ex eadem ratione Inquisitio Romana facit dictos reos, tanquam suspectos de hæresi vehementer, abiurare de vehementi. vt testatur Aloysius Banola post Flores Inquis. tract. de Confess. solic. & inf. ponam eius verba. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, tanquam leuiter suspecti, abiurant tantùm de leui, vt infra patebit, & docet Sesse tom.5. decis.454. num.5. & Sousa de Confess. solicit. tract. 1. cap.5. num.6. vnde vnusquisque sequatur praxim Inquisitionis suæ. Alias verò pœnas, quibus supradicti plectuntur, determinat nouissimè Greg. XV. & sunt, suspensio ab executione Ordinis, priuatio beneficiorum & Officiorum quorũcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa, priuatio vocis actiuæ & passiuæ; si solicitator religiosus sit, exilium, damnatio ad triremes, carceratio etiam in perpetuum & aliæ pœnæ secundùm qualitatem delicti, etiam traditio Curiæ sæculari. Ita Pontifex in sua constit. & hanc vltimam pœnam relaxationis in hoc delicto adhibendam esse tradit etiã Michael Raussel. in histor. Pontif. iurisd. lib.4. cap. 12. n.14. Sed audiamus partem epistolæ supremi Senatus Inquisit. Hispan. editæ 1. Iulij ann. 1580. & directæ Inquisitoribus huius Regni Hædo, Pegna, & Correonero, sic habentis. [Las penas que a los tales delinquentes se acostumbra imponer suelen ser arbitrarias conforme a la qualidad de los delitos, grauedad y frequencia dellos, y otras circumstancias que puedan mouer ad vsar de rigor, o moderacion; aduertiendo que en qualquiee euento los tales reos han de abiurar de leui, y ser priuados perpetuamente de la administracion del sacramento de la Penitencia a los menos a mugeres, y quanto a los demas Sacramentos, y predicas, sera arbitrario, y tambien el destierro, o reclusion que se les deuiere imponer de los lugares donde cometieron los delitos con algunas leguas al deredor. A los Religiosos se les podran dar disciplinas en los Capitulos de sus Monasterios tornandoles a leer en ellos sus sentencias por vn Notario del Secreto en presencia del Conuento, y tan graue podria ser la culpa que se les diesse tambien disciplina en la sala del Tribunal, quando en ella se pronuncia la sentẽcia en presencia delos Religiosos, y Clerigos que alli assistieren, condennandolos en otras penitencias como son reclusion de donde delinquieron, y suspecion, ò priuacion de sus Ordenes, y de voz actiua y passiua, y que sean vltimos en el Coro, y Refetorio. A los Clerigos se podran poner de mas delas penas generales arriba dichas de priuacion y destierro, otras de reclusion, o priuacion, o suspencion de beneficio, o officio, o penas pecuniarias, o disciplinas secretas, ayunos, y oraciones.] Sic ibi.

Vnde ex his, vt obseruat Seraphynus Freytas in addit. ad Acugnam q 24 num.50. dum casus solicitationis Pintiæ contingeret, Confessor, qui per multos annos solicitarat, priuatus fuit audiendi confessiones facultate, in carcerem detrusus per decennium in Conuentu sui Ordinis à Superiore Prouinciæ designando, dummodo non esset domus illa, in qua confessiones & solicitationes exercebat, & ante carcerationem, vt fustibus ab omnibus Conuentus Religionis per coronam castigetur, præsente S. Inquisitionis Notario cũ aliquibus ieiunijs, & Eucharistiæ abstinentia, certis temporibus. Ita Freytas, & de his pœnis loquens Sousa de Confess. solic. tract. 2. cap.15. num.13. sic ait. Pœna quæ Confessarijs de solicitatione conuictis, vel confessis imponitur, est, quod ab officio Confessarij simpliciter suspendantur, & locum vbi delictum commiserunt, in perpetuum, vel ad tempus non ingrediantur. Imponitur etiam exilij pœna, carceris, reclusionis in aliquod monasterium: priuantur item Inquisitorum arbitrio administratione aliorum sacramentorum, & Prædicatoris officio. Sic ille. Et tandem non grauabor etiam hic apponere verba Castri Palai in summ. to. 1. tract.4. disp.9. punct. 11. nu.2. vbi sic ait. Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici, & ex eorum consilio, Inquisitor & Ordinarius proferunt sententiam, illamque reo denunciant, quæ sententia legitur ei postea in secreto Tribunali præsentibus duobus cuiusuis Ordinis Religiosis Confessarijs, ibique grauiter reprehensus abiurat de leui, & ab audiendis confessionibus & prædicatione Verbi Dei perpetuò priuatur; si casus grauis sit, hoc est, si plures solicitauit, & solicitationis effectum est consecutus. Si autem casus ita grauis non est, aliquibus annis priuatur ab excipiẽdis virorum confessionibus, & in perpetuum

tuum

tuū cū muliere, & vno, vel duobus annis in aliquod Monasterium detrudimr, quòd si Religiosus sit, præcipitur vt in choro vel refectorio, alijsque locis communibus vltimam sedem habeat, voce actiua, & passiua interim priuatas; & aliquoties hæc sententia iterum per Secretarium in suo Conuentu, præsentibus omnibus Religiosis, legitur, quòd si solicitatio ad plures personas se extendit, & cùm illis turpitudines graues commisit, ab omnibus Religiosis post lectam sententiam flagellatur. Ita Castrus. Vide etiam Paramum lib. 3. quæst. 10. nu. 166. Sed antequam finem huic resolutioni imponam, duo dubia sunt discutienda.

Primò, an ab Inquisitoribus debeant solicitantes ad Venerem damnari ad triremes; Negatiuam sententiam mordicus tenet Seraph. Freyta in addit. ad Acugnam, q. 24. nu. 43. & 44. quia ex hac damnatione & publicis pœnitentijs oriretur publicum scandalum, quod in hoc casu maximè euitari debet. Adde quòd indecens est viros Deo dicatos triremibus inter pessimorum sentinam mancipare. Sed contrariam sententiam omninò veram esse puto, maximè post Bullam Gregor. XV. & ita tenet Cantera in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 65. Ortiz in summ. cap. 24. num. 11. & Castrus Palaus vbi suprà testatur, se vidisse aliquos ob hoc crimen triremibus addictos, maximè cùm virorum solicitatio fuit, & in Regno Siciliæ hoc etiā seruatur in praxi, quando Confessarius plures personas solicitauit, & maxime si solicitatio habuit effectum. Vnde, me consulente, fuit quidam Religiosus ad triremes per septennium damnatus, & hoc generaliter seruari in praxi Inquisitionis Romanæ testatur Aloysius Bariola in tract. de Confess. solic. post Flores Inquisit. vbi sic ait. Hodie tales Confessarij de stylo vrbis, sunt suspecti vehementer, hinc compelluntur ad abiurationem de vehemēti, & transmittuntur ad remum per quinquennium, aut septennium. Ita ille. Et ita hanc sententiam post constitutionem Gregor. XV. docet Freytas in edit. nouissima vbi suprà nu. 115. vbi testatur. Pinnæ quemdam Confessarium solicitantem fuisse ad triremes damnatum.

Secundò quæritur, an Inquisitores possint ad tempus tātùm priuare dictos Confessarios ad turpia solicitantes, ne audiant mulierum confessiones? Et affirmatiuè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Riccius p. 3. collect. 549. vbi notat, Neapoli Parochum solicitantem suspensum fuisse per annum a cura animarum, & Homobonus de Bonis in exam. Eccles. p. 2. trac. 5. c. 16. q. 99. asserit, ex Tribunali S. Inquisitionis communi praxi supradictos Confessarios ad tempus arbitrio Inquisitorum ab audiendis confessionibus suspendi.

Sed in nostro Tribunali S. Inquisitionis Hispan. contrarium obseruatur in praxi, & ita in quadam epistola supremi Senatus anno 1600. directa ad Inquisitores sic habetur. [Y hà parecido aduertir os, que siempre que algun solicitante en el atto de la Confession fuere condenado en priuacion de no confessar mugeres no lo sea por tiempo limitado, sino perpetuamēte.] & sic etiam habetur in alia Epistola supremi Senatus superiùs adducta, & docet Castrus, & Paramus loco cit. Imò Didacus Cātera in q. crimin. c. 1. de hæret. n. 65. asserit absolute Confessarium solicitantem ab omnium confessionibus priuandum esse in perpetuum, sed hanc opinionem Castrus Palaus in sum. vbi suprà to. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. n. 2. tunc admittit, quando casus grauis esset, videlicet si plus solicitasset, tunc non solùm a confessionibus mulierum in perpetuum, sed etiam virorum dictum Confessarium priuaret: secus autem si casus grauis non sit, quoad confessionem tamen virorum, & ita etiam videtur sentire Paramus lib. 3. q. 10. n. 166. ibi, *Debent Confessarij sic delinquentes priuari confessionibus saltem mulierum, &c.* Vide etiam Acugnam tract. de Confess. solic. q. 24. nu. 10.

His tamen non obstantibus, in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ obseruatur in praxi, vt Confessarij ad turpia solicitantes in omni casu priuentur in perpetuum, non solùm à confessionibus mulierum, sed etiam virorum, & hanc opinionē hodie vbique seruandam esse puto, stante nouissima constitutione Greg. XV. extendentis pœnas illius Bullæ etiam ad Confessarios solicitantes pueros. Et ita etiam docet Antonius Sousa de Confessar. solicit. tr. 2. c. 15. n. 13. vbi docet Confessarium solicitantem esse suspendendum ab officio Confessarij simpliciter.

Et tandem quæro hic, an hodie in omnibus casibus expressis in dicta Bulla Gregor. XV. debeant Confessarij abiurare de leui. Negatiuam sententiam docet Antonius Sousa in aphoris. conf. lib. 1. cap. 34. n. 68. vbi sic asserit. Abiurant Confessarij solicitantes in sacramentali confessione, aut in actu proximo antecedente, vel consequente, aut quando prætextu confessionis, aut occasione illius solicitant, non tamen abiurant quando solicitatio fit solùm in confessionario, aut in loco vbi audiuntur confessiones, aut ad ipsas audiendas deputato. Ita ille.

Verùm an probabiliter, iudicent alij. nam supradicti casus, in quibus Sousa asserit Confessarios non debere abiurari de leui; comprehenduntur & includuntur à Greg. XV. in sua constit. vt patet clarè in illis verbis, *siue extra occasionē confessiones in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiuntur, &c.* Vnde aliqui putāt in omnibus casibus expressis a Greg. XV. in sua Bulla debere Confessarios abiurare secundùm vsum nostræ Inquisitionis Hispanicæ de leui, & subiectos esse omnibus pœnis suprà expressis pro qualitate personarum, & circumstantiarum delicti.

Nota etiam hic quod Confessarius, qui non declarat fœminæ solicitatæ obligationem denuntiandi, aut qui eidem dicit ad talem denuntiationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ potest puniri, vt habetur in dicta constitut. Gregor. XV. & notat Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap 34. num. 73. & Freytas in nouis addit. ad tract. de Confes. solicit. q. 21. nu. 77.

Non desinam tamen hic adnotare, posse Inquisitores animaduertere in solicitationem præteritam præiudicatam ab Episcopo, ita aduersus Acugnam qu. 3. num. 11. tenet Emanuel Moura. opusc. 1. de Incant. sect. 3. c. 3. n. 16. sed Freytas vbi supr. q 3. n. 46. tenet contrarium, & meritò.

Nota etiam quòd Confessarius solicitator qui non iudicatur suspectus, non est remittendus ad suum Ordinarium, sed potest ab Inquisitoribus puniri, vt alibi probatum est in tract. de confess. solicit. resolut. 56. qui verò testes sufficiant in hoc crimine ad damnandum reum, duos putat Paramus libr. 3. q. 10. nu. 158. tres verò Ortiz in summa, c. 24. nu. 11. quatuor exposcit Acugna de confes. solicit. q. 23. num. 11. ego tamen puto hoc remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum. An verò fœmina solicitata denuntiationem omittens, vt fautrix sit ab Inquisitoribus punienda, disputat Sousa de Confess. solicit. tract. 2. ca. 19. & Freytas vbi suprà q. 20. nu. 28.

De blasphemis hæreticaliter.

RESOL. VIII.

Licèt Castrus de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 12. & Corduba lib. 1. qq quæst. 12. §. 15. notab. 4. vet. in cuius examinatione, asserant de blasphemijs hæreticalibus cognoscere Inquisitores cumulatiuè cum iudice Ecclesiastico & laico, ita vt detur inter illos locus præuentioni: tamen cùm hoc falsum sit, dico contra blasphemos hæreticaliter, solùm Inquisitores animaduertere. & ita docet Lorca in 2. 2. D. Thom. qu. 13. art. 2. disput. 51. nu. 10 Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. cap. 32. nu. 36. Villalobos in summa to. 2. tract. 2. diffic. 15. n. 7. Zanardus in direct. Theol. part. 1. præc. 1. cap. 11. §. 10. Turrianus tom. 2. in 2. 2. D. Thom. disp. 58. dub. 3. Direct. Inquis. par. 2. quæst. 41. & ibi Pegna comment. 66. Albertinus quæst. 9. num. 24. & 25. cum alijs vbi infrà. Imò Sanctarellus tract. de blasphemia ca. 8. dub. 1. nu. 1. ex quadam Bulla Iulij III. putat Inquisitores esse iudices contra omnes blasphemos.

Igitur quoad abiurationem supradictorum, aliqui, & inter illos Ioseph Sesse tom. 4. decis. 450. nu. 9 asserunt blasphemum sæpiùs reincidentem, esse solùm suspectum leuiter de hæresi, & ideo de leui debere abiurari, & pro hac opinione videtur Rojas de hæretic. p. 2. nu. 176. & Salzedo in addit. ad pract. crimin. Diaz c. 110. vbi asserunt; sine vlla distinctione, quòd blasphemus hæreticalis debet abiurare de leui. Sed hæc opinio ita absolutè prolata aliquibus displicet. Vnde apponam hic ipsa verba Doctorum. Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 19. num. 18. sic ait. Blasphemi, qui inueniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in ludo, vel extra ludum ad leuem turbationis motum in hæreticales blasphemias prorupisse, abiurare debent vehementem hæresis suspicionem, attenta vita & conditione personæ, aliàs leuem tantum abiurant suspicionem. Sed audiamus Michaelem Zanardum in direct. Theol. p. 2. pr. 1. cap. 11. num. 10. vbi ita asserit. Blasphemi in ira semel, bis, & ter, si ira magna fuit, & ex causa iusta non solent abiurare, cōsuetudinarij verò in ira abiurant de leui, & consuetudinarij in ira, & extra

tra iram de vehementi. Sic ille, & ita etiam docet Lazarius in tract. de blasphemia, quęst. 6. num. 17. & doctus Inquisitor Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. Blasphemi, §. 5. & 6. Eymericus in director. Inquis. part. 2. quæst. 41. nu. 5. & 6 Lælius Zechius in summ. tom. 1. cap. 15. num. 3. & Genuens. in praxi cap. 86. num. 8.

Nota tamen cum Sousa in aphor. Inquisit. lib 1. cap. 19. nu. 19. quòd vt quis dicatur habere in consuetudine blasphemare, requiruntur plures reiterationes, quàm tres. His tamen non obstantibus testatur Inquisitor San Vincente in manuscriptis cap 1. §. 3. reincidentes sæpiùs in blasphemias abiurare tantùm de leui, vnde apparet in Inquisitione Hispanica hos blasphemos haberi leuiter suspectos de hæresi vt tenet Sesse vbi supr. & ideo abiurant tantùm de leui, vt vult Rojas, & Salzedo locis citat. In Inquisitione autem Romana, quia hi habentur vehementer suspecti de hæresi, ideo imponitur eis abiuratio de vehementi, vt testantur Doctores citati; & ideo in casibus contingentibus sequendus est stylus Inquisitionis, in qua quis inuenitur. Et sic in inquisitione Regni Aragonum testatur Sesse tom. 4. decis. 470. num. 24. euomentem hanc blasphemiam, [Reniego de Dios y de la Virgen,] abiurasse de leui. Verò hæc omnia intelligenda sunt, regulariter loquendo, nam aliquando ex qualitate blasphemantis & blasphemiarum, etiam in Tribunalibus Hispaniæ, erit imponenda reo abiuratio de vehementi, & sic in actu publico huius Regni hoc anno 1633. die 16. Octobris duo blasphemi, me consulente, de vehementi abiurarunt.

Verùm quoad alias pęnas, sic asserit Salzedo in addit. ad practic. crimin. Bern. Diaz cap. 110. lit. A. Pœna autem quæ imponi solet à DD. Inquisitoribus pro blasphemis, in quibus cognitionem habent, ea quidem est, quod si blasphemus in fine conditionis fuerit, flagellis cæditur cum publica pœnitentia, in publicoque spectaculo, lingoa ferri, vel ligno comprehensa, ad triremes regias pro graui blasphemia condemnatur. Si verò nobilis, pœna pecuniaria mulctatur, & ad tempus in monasterium detruditur. In alijs autem blasphemijs leuioribus Inquisitores solent condemnare blasphemum vt aliquo die festo in Ecclesia, dum diuina celebrantur, stet nudo capite sine chlamyde, nudis pedibus sine reste succinctus, dextera proferens ardentem facem, & sacris peractis legitur publicè sententia contra ipsum lata, indicuntur etiam ieiunia, precationes, & pecuniaria mulcta solet imponi. Ita Salzedus, & ante illum ijsdem verbis Simanca tit. 8. num. 10. & 11. vbi asserit quòd post flagella in exilium mittitur. Sed magis frequens est in nostro sacro Tribunali pœna triremium. Vide etiam Rojas de hæret. p. 2. nu. 176. Pegnam in direct. Inquis. p. 2. comment. 66. & Lazarium de blasphemia q. 6. n. 20.

Non desinam tamen hic adnotare, quòd ex Castro obseruat & docet Comitolus in respons. mor. libr. 4. quęst. 9. cap. 3. & Lazarius vbi supra num. 16. nempè eum puniri non debere ab inquisitoribus, qui non ex credulitate hæretica, sed ex vehementi perturbatione protulit blasphemiam; sed in foro externo turbatio, & commotio minuit delictum, sed non excusat penitus. Et ideo Genuensis in praxi Episcop. cap. 68. nu. 13. sic ait. Item illis, qui semel dicunt aliqua verba hæreticalia, vel scandalosa ex ira, solet imponi pęnitentia salutaris, & aliquando publica, vt, v. g. teneant candelam accensam in Ecclesia tempore Missę solemnis sine aliqua abiuratione. Ita ille, & hoc a fortiori procedit si signa doloris post blasphemias ostenderit: vnde Zanardus in director. Theol. part 3. cap. 134. fol. mihi 742. sic asserit; Qui in ira magna, vel in alia vehementi passione bis & ter blasphemauerit: & sedata passione dolorem de suo crimine ostenderit, pœnitentijs salutaribus punitus sine abiuratione relinquetur. Vnde non assentior Comitolo asserenti blasphemātem ex passione vehementi remittendum esse, nam puto in tali casu plectendum salutaribus pœnitētijs, habita ratione blasphemiæ, loci, & personæ, sine tamen abiuratione. nam, vt asserit Albertinus quæst. 27. num. 6. & Rojas de hæret. calor iracundiæ probatus non excusat blasphemum à tota pœna, nec aduersùs hāc sententiam faciunt verba Instructionis Hispalensis ann. 1550. cap. 4. ibi, [En blasphemias dichas con enojo no se entrometan los Inquisidores.] nam, vt optimè notat Rojas vbi supra, ista instructio loquitur de blasphemijs non hæreticalibus. Sed in trac. de officio & potest. Inquisit. supradicta verba fusiùs explanata sunt.

Notandum est hic, quòd aliquando blasphemi abiurāt secretò in domo S. Officij, & sic Sesse in decis. Regni Arragonum to. 4. decis. 470. num. 24. ita asserit. Quidam blasphemus vna & alia vice fuit condemnatus ad abiurandum de leui in audientia Tribunalis, & ad exilium 4. annorum.

Nota etiam quòd blasphemus sufficienter etiam punitus à iudice laico, potest iterum propter suspicionem hæresis ab Inquisitoribus examinari, plenè verò a Iudice Ecclesiastico examinatus, iterum examinari ab Inquisitoribus non potest, cùm crimen sit mixti fori. Ita Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 19. n. 24. qui citat Albertinum.

Sed ponam hic obiter pulchram quęstionem, an Inquisitores possint punire euomentem hanc blasphemiam, videlicet *al dispetto di Dio*, de hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Inquisitore Llanes, & videtur negatiuè respondendum; nam hæc blasphemia non est hęreticalis, vt docet P. Suarez de Relig. tom. 1. li. 1. cap. 5 num. 8. quia per dicta verba non significatur aliquid fieri posse contra efficacem Dei voluntatem, sed vel significatur voluntas faciendi aliquid, etiamsi Deo displiceat, eodem modo quo displicere potest per antecedentem voluntatem, aut signi, vel certè profertur etiam per modum imprecationis, optando Deo displicentiam, vel tædium de tali re. Ita Suarez. Vnde Io. Rojas de hæret. p. 2. num. 170. sic ait. Aliæ blasphemiæ, videlicet *pese à Dios, voto à Dios, o despecho de Dios*. non sunt hæreticales, quia fidei confessioni non opponuntur, & harum punitio ad iudices Ordinarios pertinet. Hæc Rojas. Vide etiam Capeauillam de casib. reseru. c. 19. q. 2. & Sanchez in summ. to. 1. lib 2. c. 32 nu. 36. hanc etiam sententiam docentes. Vnde secundum hanc opinionem, tales blasphemantes non sunt denunciandi Inquisitoribus.

Sed aduersùs Suarez supradictam sententiam tenentem insurgit Floronus de cas. reseru. part. 2. cas. 3. num. 8. Naldus in summ. ver. Blasphemia, num. 1. Igitur, vt notat etiam Sanctarellus tract. de blasph. cap. 1. dub. 1. num. 3. Filliucius de cas. reseru. cas. 3. num. 2. sensus talis blasphemiæ est, quòd omninò debeat fieri, quod blasphemans profert; etiamsi Deus sua omnipotentia id nolit, quo modo loquendi derogatur diuinę potentiæ. Itaque secundùm hanc posteriorem sententiam, cui tanquam probabiliori adhæreo, dicendum est posse Inquisitores contra blasphemantes *al dispetto di Dio*, inquirere, & illos punire, cum talis blasphemia sit hęreticalis, & per consequens sic blasphemantes sunt Inquisitoribus denunciandi, & ideo Lazarius vbi supra, num. 39. ex instruct. S. Officij testatur hanc blasphemiam esse hæreticalem; vnde ex his à fortiori apparet, quā falsò dixerit Baldus lib. 3. consil. 476. Angel. in l. his verbis, ff. de hęred. instit. Alexand. ad Bartol. in l. apud Labeonem, § ait prætor, de iniur. Felin. in procem. Decret. num. 11. & alijs, huiusmodi verba, videlicet *al dispetto di Dio*. non esse blasphema, & talia verba proferentem non esse blasphemum aduersùs quos videndi sunt Gyptius tract. de cas. reseru. c. 9. cas. 3. num. 12. Boerius decis. 301. nu. 1. Grammat. decis. 50. Decian. in tract. crim. tom. 2. lib. 6. cap. 2. n. 4. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 4. cas. 275. n. 4. Azorius to. 1. lib. 11. c. 3. q. 2. Mascard. de probat. lib. 1. concl. 194. nu. 3 & seq. & alij.

Notandum est etiam hic, quòd idem dicendum est de illis verbis, *Rinego Dio*. nam contra talem blasphemantem procedunt Inquisitores, cū dicta blasphemia sit hæreticalis, vt tradit Rojas & Suarez loc. cit. & alij communiter. Sed difficultas est, si aliquis dicat, *Rinego Maria Vergine, San Pietro, &c.* & ad hoc dubium negatiuè respondet Sanchez in sum. to. 1. libr. 2. c. 32. n. 36. vbi sic ait. Quando autem de Sanctis renegatur, nul inueni DD. an sint blasphemiæ hæreticales huiusmodi verba renegationis; sed existimo non esse, nec de illis cognoscere Inquisitores, vt ab ipsismet accepi. Ita Sanchez.

Sed quia sępius dictum est Inquisitores solùm posse inquirere contra blasphemos hæreticales, breuiter dicam, quænam sint blasphemiæ hæreticales, quæ non. Dico igitur, quod blasphemia hæreticalis dicitur, quæ hæresim, seu falsitatem contra fidem formaliter, seu virtualiter continet, & significat. Huiusmodi est omnis blasphemia enunciatiua, siue affirmando, siue negando aliquid de Deo, quod fides docet, vel etiam tribuendo creaturæ id, quod secundùm fidem soli Deo conuenit, vel de his etiam dubitationem aliquam ostendendo. Item ad blasphemiam hæreticalem pertinent nomina quædam conuitij Deo attributa; vt si quis eum nominet iniustum, &c. nam licèt expresse id non affirmetur enunciando & componendo, sed simpliciter ita nominando, nihilominus virtute satis affirmatur

quod

quod ita profertur. Blasphemia autem non hæreticalis dicitur omnis illa, quæ non formaliter, nec virtute contioet falsitatem quasi speculatiuam cõtra fidei veritatem, vt sunt omnes blasphemię, quæ proferuntur per modum optandi, imperandi: aut iioprecandi. Item quæ fiunt nominaodo aliquid quod in Deo verè reperitur, tamen, per modum contumeliæ & irrisionis. quæ omnia valdè notanda sunt à DD. Inquisitoribus, & Qualificatoribus, vt in facti contingentia possint determinare quænam sint blasphemiæ hæreticales, quæ verò pertinentes, vel non pertinentes ad cognitionem & punitionem Tribunalis S. Officij.

Notandum est tamen hic obiter contra Decianum in tract. crim. lib. 5. cap. 37. n. 8. & alios, posse non solùm Ordinarios, sed etiam Inquisitores infligere extraordinariam pœnam, quando quis loco, vel lubrico linguæ verba sapientia hæresim protulit. & ita docet Pegna in direct. par. 3. comment. 17. Farinacius de hæresi q. 179. §. 4. n. 78. & ad blasphemos pertinet probare se ioci causa ea verba protulisse. Ita DD. citati, & suprà hoc etiam satis probauimus. Vide etiam quando talis casus occurreti, Rojas singul. 103. Simanca in cath. instit. tit. 17. n. 23. & seq. Arelatanum tr. de hæret. notab. 28. Gundissaluum tr. de hæret. q. 1. n. 7. q. 8. n. 6. Zanchinum de hæret. c. 7. n. 6. & alios penes ipsos.

De conspurcantibus & percutientibus sacram imaginem.

RESOL. IX.

HOc non esse factum hæreticale, & per consequens non posse pertinere ad inquisitores, licet grauissimum sit peccatum, docet nouissimè Torreblanca in epitome delictorum siue de magia, lib. 3. c. 8. nu. 17. & ante illum Ghirlandus de sortil. q. 10. n. 12. Sed summoperè mihi displicet viri quidẽ doctũ hæc dixisse, & ideò hanc sententiam reprobat Farinacius q. 20. nu. 68. Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thom. q. 96. art. 4. disp. 2. vbi inter alia sortilegia, sapientia hęresim manifestà ponit hoc, videlicet quando aliqui crucem ac imagines Sanctorũ conculcant, etiamsi conculcatio, direptio, aut inhonoratio fiat ex iracũdia, sapit enim hoc hæresim Lutheranam de imaginibus explodeodis. Ita etiam docet Bellochius in praxi Theol. mor. p. 2. q. 1. nu. 73. Riccius in praxi tom. 1. resol. 423. Ioseph. Sesse to. 4. decis. 448. n. 19. Zechius in summ. tom. 1. cap. 11. n. 5. Carerus tr. de hæret. n. 49. Delrius in disquis. magic. lib. 5. sect. 16. Sacerdotes qui causa, & alij vbi infrà. Et hoc factum ita esse hæreticum contra Torreblancam patet, vt eius cognitio pertineat tantùm ad Inquisitores, tenet Genuensis in praxi Archiep. cap. 18. n. 12. & Lazarius tract. de blasphemia q. 6. nu. 14. testantes ita determinatum fuisse in supremo Regio Consilio Hispaniarum.

Verùm quomodo supradicti puniendi sint, quoad abiurationem, Michael Zanardus in direct. Theol. part. 3. ca. 64. fol. mihi 360. sic ait. Quamuis aliqui tenuerint hos non debere abiurare, quia Maiestatem confitentur, & tãtùm ex odio & malo animo offendunt, tamen quia ab indicijs malæ credulitatis non longè recedunt cùm male videantur de omnipotentia, iudicio, & iustitia Dei sentire, & id faciunt, quod facere solent hostes fidei nostræ, ideò eis indicitur abiuratio, de leui, vel de vehementi, sed non de formali, si Catholici sint. Ita ille.

Quoad alias pęnas apponam hic verba Simãchæ tit. 27. n. 20. & 21. sic asserentis. Iudices Ecclesiastici punire istos debent interdum dura & vltrice sententia, quemadmodum Greg. X. in Concil. Lugdun. constituit: sæpè etiam pœnitentia publica, vel ieiunijs, eleemosynis, & orationibus, vel mulcta pecuniaria, vel ictibus fustium. Iisdem quoque pœnis Inquisitores vti possunt; sed hoc amplius ad eorum Officium pertinet, vt scire laboreot, si fortè intellectus errore pertinaci facinora ista perpetrata sunt, quòd si repererint, aut suspicati fuerint, non secus aduersùs istos procedent, atque aduersùs alios quoslibet hæreticos, vel suspectos. Poterunt igitur inquisitores tormentis, abiuratione, purgatione canonica, & alijs arbitrarijs pœnis, vti pertinaces, atque impœnitentes, curiæ sæculari relinquere. Ita ille. & Genuens. in praxi c. 18. n. 12. vbi sic ait. Percutientes, abradẽtes, aut deturpantes imagines Sanctorũ, per Inquisitores puniendi sunt. neque obstat quòd pœna mortis non puniantur, prout per iudices sæculares punirẽtur, quia satis est, quod sufficienter puniantur alijs pœnis, nẽpè fustigationis, triremiũ, carcerũ, infamiæ, exilij, & alijs, quas ius Canonicum admittit. Ita Genuens.

Sed nota, Sousam in aphor. Inquis. lib. 1. c. 42. num. 16. docere quòd si factum sit publicum, perpetrãtem hoc horrendum delictum siue hæreticalem animum fateatur, siue non, tradendum esse Curiæ sæculari vltimo supplicio plectendum, ob facti qualitatem: & si animum hæreticalem fateatur, & misericordiam petat, post reconciliationem ad Ecclesiæ vnionem, hoc nõ obstante, docet idem Sousa Curiæ sæculari tradendum esse quoniam tantum scelus non potest manere impunitum, & semper potest timeri quòd conuersio sit ficta. addit etiam idem Sousa in tali casu torquendum esse super complicibus.

De Sortilegis, Diuinatoribus, Magis, &c.

RESOL. X.

LIcèt de iure antiquo Inquisitores non habebant iurisdictionem nisi super sortilegia, quę saperent hæresim manifestè; attamen hodie de iure nouo Bullæ Sixti V. cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos, vt notant Scortia in Bull. Pontif. epitom. 58. theor. 158. Ioseph. Sesse to. 4. decis. 464. nu. 8. 18. & seq. & decis. 466. n. 4. & 17. Azorius to. 1. lib. 9. c. 26. q. 4. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c. 38. n. 92. Torreblanca de magia lib. 3. c. 9. post nu. 48. Raphael de la Torre in 2. 2. D. Th. q. 96. art. 4. Zanardus in direct. Theol. p. 3. c. 64. Naldus in annot. pract. super c. in tabulis de sortileg. Molfesius in sum. to. 1. tr. 11. c. 7. n. 145. & iterum Ioseph. Sesse tom. 4. decis. 466. n. 16. & 17. vbi sic ait. Si non apparet quòd illa quę admiscentur in sortilegijs, sapiant heresim manifestè, sed est dubium an talia sapiant hæresim, veluti si ad ortum se conuertant, vel proferant verba inusitata, & intelligibilia, & simila, non se intromittet Inquisitor de iure. Sed hodie per Motum proprium Sixti V. dicti sortilegi subsunt Inquisitoribus. Ita ille. & Seraphin. Freitas in addit. ad Acugnã q. 5. n. 35. sic asserit. Hodie Inquisitores ex constitutiooibus Põtificijs cognoscunt cõtra omoes sortilegos, & maleficos, adhuc tamen puto quòd si sortilegia, diuinationes, & maleficia hæresim non sapiant, locus erit preuentiooi inter laicos Inquisitores, iurisdictioque Inquisitorum accumulatiuè censeatur. Verũ Sigism. Scac. de iud. caussarum, &c. lib. 1. c. 12. n. 53. docet, quòd hodie cognitio sortilegiorum priuatiuè spectat ad Inquisitores quoad iudices laicos, vnde nõ sunt mixti fori, attẽta dicta Sixti V. constitutione, suspicatur tamẽ Emmanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. c. 1. n. 9. dictã cõstitutionẽ Sixti V. nõ esse vsu receptã saltem in Lusitania, & Azorius to. 1. lib. 9. c. 26. q. 4. dubitat quoque an sit vbique vsu recepta; verũ citati DD. loquuntur de dicta cõstitutione quasi vbique sit vsu recepta. Sed an Inquisitores in dubio, sapiatne sortilegium hæresim manifestè, possint se intromittere, ex iure nouo cõstit. Sixti V. clarũ est posse. Difficultas est de iure antiquo per c. accusatus §. sanè, quę obseruãte Syluestro ver. hęresis, nu. 4. nõn potest intelligi de dubio an factũ sit perpetratum, necne, sed in dubio an talia sapiãt hæresim. Sed contrariũ, iure, ratione, & vsu comprobatum est. vt testatur Simanca tit. 30. n. 11. Pegna in direct. par. 2. comment. 63. & doctus Acugna de Confess. solic. q. 5. n. 13. quia iudex etiã delegatus cognoscit an sua sit iurisdictio; & si contraria opinio esset sequẽda Inquisitorũ cognitio facilè subuerti posset, asserẽte quolibet sortilegia, vel diuinationẽ nõ sapere hæresim manifestè. His suppositis deueniamus ad pęnas supradict. delictorum.

Ideò dico quoad abiurationẽ, quòd si sortilegia sapiãt hęresim manifestè, quia tales significãt se credere illas res sacras adhibitas in suis sortilegijs, vim habere ad maleficiorũ operationem. Ideò de hac credulitate debent diligenter examinari, & si negent, debent torqueri, & si nõ fateãtur, vt vehementer suspecti, per cõsequens debent abiurare de vehementi. Ita Raphael de la Torre in 2. 2. D. Th. q. 96. art. 4. disp. 2. Zanardus in direct. Theol. part. 3. c. 64. Delrius in Disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. Dico tertiò. Scaccia de iudicijs lib. 1. c. 12. n. 34. Ioseph Sesse to. 4. decis. 466. n. 9. & Emmanuel Moura opusc. 1. de incan. sect. 3. c. 5. n. 32. & ante omnes Pegna in direct. Inquis. par. 2. commen. 67. & nouissimè Genuens. in pr. Archiep. c. 68. n. 8. vbi sic ait. Si aliquis est suspectus vehementer, vt quia admiscuit sacramentalia in sortilegijs, tunc torquetur pro vlteriori veritate super intentione, & si neget, adhuc cõpellitur abiurare de vehementi. Sic ille. & nouissimè Emmanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. c. 5. n. 32. sic asserens. Miscentes in sortilegijs quælibet Sacramẽta, sacramentalia, res, orationes, vel verba sacra, tamquã hęreticales subijciuntur Inquisitoribus puniendi pœna condigna, & si negent se credere prædicta Sacra habere vim ad cogendum

arbitrium, aut ad alios turpes affectus, aut alium errorem, debent tamen abiurare de vehementi. Ita ille.

Verùm quoad alias pœnas supradictis reis imponendas, ita asserit Pegna in direct. Inquis. par. 2. commen. 67. coerceri possunt anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere, monasterijs, alijsque supplicijs, spectata personarum qualitate infami indutos mitra in publicum producuntur, aut scallis alligatos, cum vituperatione propè Ecclesiæ fores constituuntur. Ita ille, & ante illum Simanca tit. 21. n. 23. & nouissimè Sesse tom. 4. decis. 466. num. 13. Sed hodie vt plurimum laici ignobiles traduntur triremibus, vt docet ex stilo Inquisit. Rom. Genuens. in praxi Archiep. c. 68. num. 8. vide etiam Scortiam in Bull. Pontif. epit. 58. theor. 158. & in casu occurrenti ne deseras consulere Delrium in disquis. mag. lib. 5. sect. 16. & Sousam in aphor. Inquis. lib. 1. c. 58. à n. 10. vsque ad 17. vbi inter alios casus obseruat quòd Sacerdos, qui celebrat Missam super rebus aptis ad sortilegia peragenda, videlicet super pasta, super calamita (vt accidit his diebus) & his similibus simplicibus aut mixtis, aut qui vasibus, aut vestibus sacris & his similibus in sortilegijs abutitur, aut qui in celebratione Sacrorum nefandas & turpes preces porrigit, deponitur, priuatur beneficijs, & in perpetuum carcerem detruditur, & nota etiam cum eodem quod si Sacerdos Missas defunctorum celebrat pro viuentibus vt moriantur, à sacerdotio priuatur, & perpetuo exilio relegatur vnà cum eo, qui hoc consuluit, vel fieri mandauit.

Nota verò quod si quicumque sortilegus etiam hæreticus, & Ecclesiasticus, fateatur in sortilegijs fecisse homicidium (vt his diebus factum fuit) & peniteat, paratusque sit corripi, non posse eum Inquisitores tradere Curiæ sæculari, sed debere eum admittere ad reconciliationem, præter Sousam tradit Farinac. q. 20. num. 105. & seq. vide etiam Menoch. lit. 1. cent. 4. cas. 388.

Sed notandum est nouissimè Gregor. XV. in Bulla edita 20. Martii 1623. mandasse vt consito quòd aliquis pactum cũ diabolo fecerit, & à fide apostatãdo maleficijs, siue sortilegijs vnã, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu Curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniẽdus, qui vero similiter apostatando pactũ cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegiũ commiserit, ex quo licèt mors sequuta non sit, infirmitas tamẽ, diuortia, impotẽtia generandi, siue animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue carceribus in S. Officio Inquisitionis, vbi illud extitit, fabricandi mancipari debeat. Ita Pontifex in d. Bulla.

Sed oritur hic pulcherrimi dubium, an sit sortilegium sapiens hæresim inuocare dæmonem ad tẽtandam mulierem? Negatiuam sententiam docent Pegna in direct. Inquis. pat. 2. comm. 68 Scaccia de iudic. lib. 1. c. 12. n. 39. Ghirlandus de sortil. c. 10. Ioseph Sesse tom 4. decis. 463. nu. 11. Ricciis in praxi tom. 1. res. 424. n. 11. Bellochius in pr. Theol. mor pat. 2. q. 9. nu. 54. Binsfeldius de malef. leg. 4. p. 2. concl. 3. Oldrad. cons. 210. Afflict. in cõstit. Regni, par. 1. rubr. 1. nu. 17. Lucerna Inquisit. ver. dæmones inuocare, n. 2. Torreblanca de Magia lib. 3. c. 7. nu. 13. Genuensis in praxi Archiep. c. 18. n. 11. Locatus in pr. Inquis. ver. Apostata, n. 13. & DD. communiter. Vnde secundùm illos dicendum est simplicem inuocationem dæmonis siue cultu, seu honore, aut mixtura rerum, vel verborum sacrorum non esse sortilegium hæreticale, maximè si efficiatur verbis imperatiuis, & non deprecatiuis, ad sciendum & obtinendum ea, quæ dæmon viribus naturalib. potest scire & præbere; vt tentare pudicitiam mulieris, ad inueniendum thesaurum, ad sciendum an partus futurus (in vtero tamen formatus) sit nasciturus masculus, vel fœmina, ad sciendum dictum, vel factum præteritum, ad impediendum ne ignis filium, vel aliam rem proiectam comburat, ad transportandum hominem; vel aliam rem de loco ad locum, ad ligãdos sponsos, ad inferendas ægritudines. ad faciendum apparere corpus mortuum viuum per aliquod tempus, ad illuminandum cæcum, non à natura, sed ab impedimento, quod ipse possit subtrahere, ad habendam scientiam per purgationem phantasmatum, & facilitatem sensuum, ad inducẽdas nebulas, tempestates, & similia, quę inuenies apud Torreblancam de Magia lib. 3. cap. 8. per totum.

His tamen non obstantibus (attendas quæso, amice Lector, nec te terreat turba Doctorum) ego contrariam sententiam teneo, & ratio est, quoniã ridicula est illa distinctio quam cõmuniter asserunt aduersarij, nempe per modum deprecationis inuocationem dæmonis esse sortilegiũ hæreticale, secus autem si efficiatur per modum imperij. nam tu qui es, qui potes imperatiuè inuocare illum, de quo loquẽdo Spiritus sanctus apud Iob asseruit non esse potestatem in terra quæ comparetur ei: deinde cùm tibi sit interdictum omne cum dæmone commercium, vt notat Delrius in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. Dico 5. quomodo igitur potes eum inuocare etiam imperatiuè? & ideo Raphael de la Torre in 2. 2. D. Tho. q. 95. art. 4. disp. 1. asser. 4. docet pertinere ad societatem dæmoniacam exigere à dęmone spontè occurrente consilium, fauorem, aut quoduis officij genus, siue expresso fiat deprecando, siue imperando.

Clarè igitur apparet, nostram sententiam omninò tenendã esse, quæ sicut rationibus fulcita, ita Doctorum authoritate nõ caret, & ideò eorum verba per extensum apponam Simãca tit. 30. nu 17. Beatus Augustinus erroneum, ineptum & ridiculum esse censet inuocare dæmones per modum imperij, aut eis cõminando præcipere, non enim esse potestas super terram, sicut Iob dicit, quæ comparetur ei. Cæterùm dæmones vt fatuos irrideant atque decipiant, fingunt se cogi atque timere, sicut multis Parisiensium decretis declaratum est, & tit. 21. nu. 13. sic ait. Sunt qui dicunt non fore hæreticum eum, qui dęmonem inuocaret ad tentandum pudicitiam alicuius mulieris, vel ad aliud faciendum, non alienum à potestate dæmonis. nam, vt aiunt, si se dæmoni non subijciat, nec hæresim misceat, cùm nõ habeat errorem in intellectũ, non erit hæreticus. Sed quamuis hæc ita sint, tamen aduersùs illum inquiri poterit tamquam contra vehemẽter suspectum, ea enim ad apostasiã & infidelitatem pertinent. Hęc Simanca. Sed audiamus Homobonum de Bonis, virum quidem doctum, in exam. Eccles. p. 1. tract. 7. c. 3. q. 16. sic aientem. Si amantes stimulis libidinis agitati dæmones inuocãt vt illi flectant animum illius, quem amant in turpem amorem, licèt communis videatur circumferri opinio, talem inuocationem non sapere hæresim manifestam, præsertim si per modum imperij fiat; verius tamen dicẽdum videtur hoc scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere, cùm ridiculum sit dicere quòd dæmones per modũ imperij inuocentur, ex quo non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Sic ille, & Farinacius tr. de hæresi q. 181. §. 3. nu. 88. retractans tacitè quæ dixerat q. 20. num. 80. ita ait. Ex his infertur non esse veram conclusionem, licèt à DD. communiter receptam, quòd hæreticale non sit à dæmone per modum imperij petere, vt alienam tentet pudicitiam, cum huiusmodi instãtia fieri non possit per modum imperij, prout DD. contrarij requirunt ad hoc vt cesset hæreticalis qualitas. Et tandem ante omnes hanc sententiam mordicus sustinuit insignis Theologus Bartholomæus Spina Apolog. 4. contra Ponzinibium, in qua ex multis alijs rationibus Theologicis probat acerrimè nostram sententiam. Quam etiam confirmat opinio Michaelis Zanardi, viri quidem docti, & Consultoris S. Officii in direct. Theol. p. 4. c. 64. fol. mihi 366. asserentis (nota Lector) contra sortilegos non hæreticantes posse Inquisitores procedere tanquam contra suspectos de leui ex amicitia cum pacto implicito saltem cum dæmone. nam sicut subditus contrahens amicitiam cum hoste sui Principis redditur de infidelitate suspectus, ita & qui cum diabolo fœdus, pactum, vel amicitiam cõtrahit, etiam quoad ea, quę sunt illi propria, vel ad quæ se potest extendere eius virtus.

Remanet ergo difficultas an hi saltem de leui abiurare debent, vel non? Ex vna parte videtur quòd non, quia vbi non est error cum pertinacia, ibi nulla potest esse hæresis; sed in intellectu istorum non est error, quia solùm credunt quod credere possunt, scilicet dæmonem posse facere quæ ei propria sunt, & ad quæ facienda habet naturalem potestatem, ergo hi abiurare non debent, sed tantùm ratione delicti, scil. pacti, vel amicitiæ factæ cum dæmone, erunt aliqua pœna extraordinaria puniendi. Ex altera parte videtur quòd sint saltẽ de leui suspecti, quia factum ipsum, scilicet amicitia & recursus ad hostem humani generis saltem suspicionem leuem inducit.

Huic difficultati (saluo semper Matris meæ S. R. E. iudicio) dicerem quod quidem hi ex facto se reddũt aliqualiter de fide suspectos: at hanc suspicionem in tortura purgare poterunt, ita vt expurgata non sint abiurandi. Hęc omnia Zanardus loc. cit. Cuius quidem vltima verba procedunt secundũ stilum Inquisitionis Romanę, in qua suspecti leuiter de fide torquentur & torti abiurant. In nostra verò Inquisitione Hispanica, quia non torquentur, dicendum est supradictos sortilegos non hæreticãtes debere saltem abiurare de leui, & eis salutarem pœnitentiã iniungi; sed ad aliud non minus curiosũ dubium deueniamus.

Quæro

Quæro igitur an Inquisitores possint punire sortilegium, qui in sortilegio miscuit hostiam nõ consecratam, dummodo super eam sit celebrata Missa? Negatiuè respondet Glirlandus de sortil. q. 10. num. 16. & 17. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. & ex recentioribus Torreblanca de Magia lib. 3. cap. 8. nu. 18. Farinacius q. 20. n. 83. Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thom. to. 2. q. 69. art. 4. disp. 2. tit. de qualificatione superstitionum, & adducunt rationem, quia tale sortilegium non est hæreticale.

Verùm M. Antonius Delrius circa præsentem quæstionem in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. dico quintò, vtitur distinctione, & ait, quòd si talis bene sentiat de præsentia corporis Dominici & transubstantiatione, & non præbuit hanc hostiam populo adorandam, sed verè aliam, quam eleuauit, & cõsecrauit, hanc verò accessoriè tantum super Altare ad magicos effectus posuit, erit tantùm suspectus de hæresi; si verò illa alia credidit, tunc apertè foret hæreticus; si verò reuera non credidit, istam vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit suspectus de hæresi, sed extra ordinem puniendus. Hæc ita, si de hac eius intentione constet. nam quamdiu non constat, mihi quidem videtur de hæresi maximè suspectus. Ita Delrius.

Sed ego puto absolutè (& miror viros doctos aliter sensisse) dictum sortilegium esse hæreticale, & ita hanc sententiam docet Scaccia de iudic. &c. lib. 1. cap. 12. nu. 54. & ratio est, ait ille, quia in dicto maleficio sortilegus miscuit rem sacram, scilicet celebrationem Missæ super hostiam, licèt non consecratam; igitur erit hoc sortilegium hęreticale, non propter hostiam minimè consecratam, sed propter Missam super ea celebratam. Sed audiamus virum doctum Antonium Sousa in aphoris. Inquis. lib. 1. cap. 57. num. 11. sic asserentem. Censeo sortilegium in quo ponitur, aut quod fit cum hostia consecrata, aut cum aliqua re super quam Sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè, tum ex parte operis, tum quia sacrificium Missæ ordinat ad sacrilegiũ, licèt mediatè, tum etiam præsumitur quòd hoc faciens credit illud vim habere ad maleficium operãdum, & hoc ipsum in facto ostenditur. ergo, &c. & tandem ex Doctoribus nostræ Inquisitionis Hispanicæ præter Sousam docet hanc sententiã Emmanuel Moura de Incant. opus. 1. sect. 3. c. 5. nu. 29. vbi refellens Farinacium vbi suprà sic ait. Est sacrilegium sapiens hæresim manifestè, Sacerdotem celebrare Missam super hostia non consecrata ad effectum sortilegum, qui dæmonis potentiam non excedat, quia abusum sacrificij Missæ continet abusum etiam Eucharistiæ. Ex quibus apparet supradictum sortilegium quicquid asserant Doctores contrarij, esse puniendũ pęnis, de quibus suprà cũ abiuratione de vehemẽti.

Et tandem pro fine huius resolutionis nota quòd qui sunt vsus sanctiss. Sacramento Eucharistiæ in sortilegijs, traditur curiæ sæculari ex ordinatione S. Officij posita in fine operis, iudicialis Inquisitorum, & tradunt Genuensis in praxi Archiepis. c. 68. n. 10. Emmanuel Moura de incan. opus. 1. sect. 3. c. 5. n. 29. & alij. Quæ autem superius dicta sunt de sortilgis, dicendum est de Magis, nam si isti inueniuntur habere errorem in intellectu, sicut & sortilegi, puniuntur vt hæretici formales; secus autem abiurant de vehementi, & puniuntur seueriter supradictis pœnis pro qualitate personarum, & circumstantijs delictorum.

De laicis, seu Ecclesiasticis non Sacerdotibus audientibus confessionem.

RESOL. XI.

POsse aduersus supradictos Inquisitores procedere patet ex constitutionibus Pauli IV. Gregor. XIII. Sixti V. & Clemen. VIII. quas affert, & explanat Scortia in Bulla Pontif. epit. 162. theorem. 403. Zipęus in iure Pontificio lib. 5. tit. de Clerico non ordinato celebrante. Francisc. Leo in thesaur. fori Eccle. part. 3. c. 4. n. 58. Emmanuel de Moura de incant. opus. 1. sect. 3. cap. 3. nu. 9. Sanctarellus de hæresi cap. 42. dub. vnic. n. 5. Homobonus in cõsult. part. 1. respons. 150. vol. 1. Aldrete de relig. discipl. lib. 2. c. 20. nu. 14. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 110. num. 18. & Sousa opusc. de solicit. tract. 1. c. 9. nu. 1. & ita confessiones audientes non reconciliantur, etiamsi sint verè pœnitentes, sed traduntur curiæ sæculari, vt patet ex dictis Bullis.

Verùm in Inquisitione Hispanica hæc pœna non est hactenus in vsu, sed, vt obseruat idem Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 33. iuncto cap. 32. nu. 13. si fictus Sacerdos fuerit laicus, & vilis persona, fustibus cæditur, & ad triremes mittitur, & aliquæ spirituales pœnæ ei adduntur; si verò fuerit persona honesta & religiosa, damnatur ad triremes; quòd si talis sit qualitatis vt ad triremes mitti non debeat, in exilium mutatur, & si fuerit in aliquo Ordine, ab eo suspendatur toto exilij tempore. quòd si delictum aliquas circumstantias habuerit aggrauãtes, adduntur aliæ pœnæ secundùm eam qualitatem. Ita Sousa, qui etiam addit, quòd rei huius criminis debẽt abiurare de leui, & supradicta, quasi omnia confirmat Castrus Palaus in sum. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 9. nu. 2. vbi postquam testatus fuit traditionem curiæ sæculari non esse in Hispania vsu receptam, sic asserit. Horum pœna arbitraria regulariter est in actu publico abiurare de leui, flagellis cædi, & triremibus adduci, & ab Ordinibus perpetuò priuari. Aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium & pecuniam cõuertitur, tum si delinquens nobilis sit, neque in actu specialis fuit malitia, tum si sit ita rusticus, vt non tam ex malitia, quã ex aliquali ignorãtia processisse videatur. & ita vidi quemdam adolescẽtem simplicem, qui annali reclusione & pęna pecuniaria damnatus fuit, eo quòd fingens se Sacerdotem alterius cõfessionem excepit, vt postea illum irrideret. Hæc Castrus loc. cit. quæ omnia desumpsit à San Vincente manuscriptis cap. 19 §. 1. & seq. At malitia verè huius criminis consistit in abusu Sacramenti, & qui hoc facit, est de fide suspectus, quia facto approbat quòd hæretici huius temporis falsò asseuerant, id est, ministros huius Sacramenti nõ esse solos Sacerdotes; vt definiuit Cõcil. Florẽtin. in litteris vnionis & Trident. sess. 14. cap. 6. sed etiã alios, & laicos, vt impiè sensit VViclefus, teste VValdense tom. 2. cap. 135. & 145. & Martinus Lutherus apud Roffensem art. 13. Vide Cherubinum to. 2. constit. 21. Grego. XIII. schol. 1. Vnde ex supradictis die 7. Octob. 1633. me cõsulente Inquisitores huius Regni Religiosum Subdiaconum, qui pluries confessiones excepit, damnarunt ad triremes per septennium cum abiuratione de leui, stante praxi Inquisitionis Hispanicæ, in qua, vt dictum est, supradicti rei abiurant tantum de leui. Nota tamen quod his in vno casu abiurationem de vehementi imponerem, & illos torquerem, quãdo, v. g. essent de prouincia infecta hæresi Lutheri, qui asserebat omnes esse ministros sacramenti Pœnitentiæ, persona enim dicitur suspecta etiam respectu regionis suæ, vt optimè obseruat Sesse to. 4. decis. 152. nu. 4. nouissimè prodit Bulla Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. in qua etiã minores 25. annis statuitur, si eiusmodi delictum committant, tradi debere Curię sæculari.

Notandum est tamen hic, quòd simplex Sacerdos, vel etiam approbatus suspensus tamen ab audiendis confessionibus, non comprehenditur in supradictis decretis, quamuis cõfessionem audiat, & absolutionem impendat. Ita Sousa opusc. de solicit. tract. 1. cap. 9. nu. 5. & in aphorism. Inquis. lib. 1. c. 33. n. 6. & Sanctarellus de hęresi c. 42. dub. vnic. nu. 5. in fine, cum Acugna de confess. solic. q. 13. n. 15.

Sed difficultas oritur hic, an si laicus, vel Ecclesiasticus non Sacerdos audiat confessiones & non absoluat, subdatur pœnis Pontificijs latis in supradictis Bullis? Negatiuam sententiam in part. 1. tract. 4. resol. 16. ego ipse adnotaui docere Rodriquez & Sancium, quibus nunc addo Sanctarellum de hęresi c. 42. dub. vn. num. 5. & Acugnam in tract. de Confess. solicit. quęst. 13. nu. 14. Verùm non reticeam affirmatiuam sentẽtiam docere Freytas in editione nouissima de Confess. solicit quęst. 13. num. 36. & Antonium Sousam in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 33. num. 3. & in opusc de solicit. tract. 1. cap. 9. nu. 3. 4. & 7. vbi probat ad violationem dictorũ deceretorum sufficere audire confessionem, quamuis absolutio, siue ex indispositione pœnitentis, siue alia de causa non impendatur, & addit etiam non Sacerdotem, qui solùm confessionem generalem audit, non tamen specialem peccatorum, subijci iudicio Inquisitorum, licèt mitiùs puniri debeat, vult etiam quòd qui semel confessionem audit, aut vnum tantùm peccatum, pœna ordinaria puniri debeat. Nota tamen, quòd supradicti rei si sint Religiosi, vel sacris Ordinibus initiati, non fustigantur, quod generaliter dictum esse volo pro omnibus alijs delictis.

De Laicis & Ecclesiasticis non Sacerdotibus Missam celebrantibus.

RESOL. XII.

ADuersus tale immane facinus perpetrantes posse Inquisitores animaduertere tradunt Pontifices Gregor. XIII. Clem. VIII. in Bullis de hac re editis, hic anno 1601. ille verò anno 1574. Difficultas est quoad nostrum institutum de pœnis. Scortia de sacrificio Missæ lib. 2. cap. 6. num. 10. respondet cum Rodriquez tom. 2. quæst. 28. art. 2. in iure id non fuisse cautum, quòd veteres Patres non existimauerint quemquam tantum facinus tentaturum; sed ex supradictis Bullis asserit Pontifices decreuisse quòd huiusmodi criminis rei ab Inquisitoribus, Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habēt, degradati tanquam Ecclesiæ misericordia indigni Curiæ sæculari tradantur, & ita etiam docet Peirinus in priuileg. Minim. tom. 2. concl. 9. Pauli V. §. 2. n. 22. Sanctarellus de hæresi c. 42. dub. vn. nu. 5. Vallens. in pract. iur. canon. lib. 5. tit. 28. n. 2.

Verùm quoad traditionem Curiæ sæculari dictas Bullas non esse in Inquisitione Hispanica vsu receptas, testatur Castrus Palaus in sum. tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 16. nu. 2. & Emmanuel de Moura de incant. opusc. 1. sect. 4. cap. 3. num. 9. & Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. c. 32. nu. 12. vbi obseruat hanc pœnam traditionis Curiæ sæculari imponendam supradictis, præcepisse etiam D. N. Vrbanum VIII. per Epistolam Eminentiss. Cardin. Mellini ad Inquisit. Generalem Lusitaniæ die 5. Martij anno 1622. addit tamen ipse Sousa, post declarationem istam hoc practicari non vidi. Igitur in nostra Inquisitione Hispanica huius criminis rei abiurant de leui, & puniuntur ijsdem penis, quibus diximus puniendos esse in superiori resolutione laicos, vel Ecclesiasticos non Sacerdotes audiendo confessiones. Ita Sousa, & Castrus Palaus loc. cit. Vnde Acugna tractat. de Confess. solicit. qu. 13. num. 10. ait Conimbriæ in actu publico anno 1610. vidisse quemdam de leui abiurasse, qui ad Diaconatum tantùm promotus presbyteratum exercebat. & Seraphinus Freitas eius additionator ibidem num. 30. testatur quòd Pinciæ anno 1615. laicus qui Missas celebrare solebat, post per plateas fustigationē ad triremes cōdemnatus fuit. & Emmanuel Moura opusc. 1. de ensal. sect. 3. c. 3. nu. 9. docet supradictos reos mittendos esse ad triremes, vel perpetuos carceres, vel saltem per plurimos annos, si nempè circūstantia aliqua interueniat quæ delicti grauitatem si non à toto, saltem à tanto, iustè alleuiet & excuset. Sic ille. Nouissimè, vt in superiori resolutione dictum est, prodijt Bulla Vrbani VIII. in qua statuitur dictos delinquētes tradendos esse Curiæ sęculari.

Nota tamen quòd ad violationem prædictarum Bullarum sufficit semel vnam Missam celebrare, non verò si sacerdotalibus vestibus quis induatur celebrare intendens, si postea tamē non celebret, quia de celebrantibus tantùm mentionē faciunt. Igitur perfectè hoc crimen committit qui sacerdotalibus vestibus indutus Missam celebrare incipit, quamuis non perficiat, nec verba consecrationis proferat. Ita Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 32. num... & seq. vbi etiam notat hoc delictum non esse commissum Inquisitoribus priuatiuè ad Episcopos, sed cumulatiuè.

Notandum est tamen hic obiter, quòd si Sacerdos non consecret panem, aut vinū, eo quòd sit in peccato mortali, & ideò habens ante se hostiam consecrandam, extrahit è tabernaculo particulam consecratam, & verba consecrationis profert, non super hostiam, quam eleuando ostēdit populo, sed super eādem particulam consecratam, potest per Inquisitores contra illum procedi. Et ita determinauit Congregatio S. Officij Mediolanensis 30. Aprilis 1627. vt testatur, & docet Aloysius Bariola in aphoris. litt. S. ver. Sacerdos §. 12. vide etiam Lucernam Inquisitorum ver. Sacerdos, & ibi Pegnam in annot.

De impedientibus Officium sacræ Inquisitionis.

RESOL. XIII.

ADuersus tales procedere Inquisitores, patet ex multis Bullis Pontificijs Clement. & Vrbani IV. & ex cap. statutū, de hæret. in 6. & tradit Pegna in direct. Inquis. p. 2. comm. 79. & part. 3. comm. 83. & 85. & Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 5. num. 7. & circa hoc maximam præbet Inquisitoribus authoritatem Pius V. in Bulla, Si de protegendis, edita anno 1569. in qua Pontifex §. 2. 3. & 4. quoscumque & cuiuscumque sint sęcularis dignitatis & gradus, qui aliquem ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, testibus, accusatoribus, denunciatoribus, alijsve ministris S. Inquisitionis Officij offenderint, vel offendere tentarint, renuerint, deiecerint, perterrefecerint, eorumque fautores, & complices, aut Ecclesias, ędes, carceres, aliasve res siue publicas, siue priuatas S. Officij, aut ministrorum inuaserint, incenderint, expilauerint libros, literas, exempla, scripturas aliaque instrumēta diripuerint, aut alio quocumque modo exportauerint, suppresserint, vel etiam inermes fuerint, causa vt hæc fierēt, vel res, aut personas seruari, defendive prohibuerint, vinctum extraxerint, emiserint, capi vetuerint, fugiendi facultatem dederint, receptauerint, occultauerint, aut eadem causa cętum cōcursumque fecerint, etiamsi effectus sequutus non sit, excommunicat ipso facto, reseruata Papæ absolutione declarat reos læsę maiestatis, priuatos perpetuo dominijs, feudis, honore, dignitate, tradendos sęculari iudicio, puniendos, bonis rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, vt de reis læsę maiestatis, & hereticis constitutum est. Illud idem de omnibus Ecclesiasticis decernit. & hanc constitutionem nouissimè Vrbanus VIII. renouauit.

Sed difficultas est, an supradictas pœnas Inquisitores possint inferre in omnes personas? Farinacius de heresi quęst. 182. num. 80. pœnas dictę Bullę putat valere contra eos, qui contenta in Bulla admittunt in contemptum & odium S. Inquisitionis Officij; secus si in alia causa ex qua per claras probationes se fecisse doceret, & hoc probat ex verbis ipsius Bullę, ibi, *Nemo autem ex purgationem habere*, &c. & etiam hanc sententiam docet nouissimè Antonius Sousa in aphorism. Inquisit. lib. primo cap. 28. num. 9.

Verùm contrariam sententiam tenendam esse putat aduersus Farinacium, Ioan. Baptista Scortia in Bull. Pontif. epit. 106. theor. 278. quia textus Bullę sic habet. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel pętendere possit, qui tātum nefas in contemptum, & odium S. Inquisitionis Officij admiserit, nisi contrariū per claras probationes docuerit se fecisse. In quibus verbis Pontifex non vult eximere ab his pœnis, qui tantum facinus sua natura in maximum contemptum Inquisitionis vergens docuerit se id alia causa, quàm contemptus & odij pędicti Tribunalis fecisse, sed solùm si doceret se contrarium pęstitisse; quare probata quidem actio contraria violationi Inquisitionis eximit à pœnis, sed non diuersitas intentionis, vtpotè si aliquis hęc commisisset, rogatus precibus consanguinei, non formaliter in contemptum S. Officij Inquisitionis. Ita Scortia loc. cit. qui etiam notat quòd Inquisitores sunt iudices in iniurijs contentis in dicta Bulla Pij V. factis contra ipsos, & eorum ministros, per ea, quę adducit Simanca tit. 34. num. 29. Zanchinus de hęret. cap. 32. nu. 1. & alij. Et aduertant etiam DD. Inquisitores, quòd dicta Bulla Pij V. condita fuit ob publicam vtilitatem, vnde latè est interpretanda, & extendenda, vt benè docet Aloysius Riccius in decis. Arch. to. 1. decis. 74. n. 4.

Non desinam etiam hic adnotare quòd in dicta constitutione habetur quòd perterrefacientes ministros S. Inquisitionis, denunciatores, testes, &c. subdantur etiam illis penis in ea taxatis, sed hęc terrefactio, saluo semper meliori iudicio, ait Michael Zanardus in direct. Theol. part. 2. pręc. 1. c. 5. §. 23. primo debet esse formalis, idest, in actu S. Officii, & circa ea, quę ad ipsum spectant, & non si propter alias priuatas causas inducatur. Secundò, vt talis perterrefactio sit de re graui, quę possit inducere timorem etiam cadentem in constantem virum, nam de minimis non curat pętor. Tertiò debet esse ab homine valente, & parato verba & minas ad facta deducere. nam multi minantur, etiam viles & infirmi; sed horum minę à familia armata Inquisitorum paruipenduntur. Ita Zanardus, qui etiam notat ad infligendas pęnas positas in dicta Bulla, consulendum esse Senatum Cardinalium super negotiis fidei deputatorum. Et Castrus Palaus in summa tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 7. num. 3. fatetur pęnam mortis latam in dicta Bulla numquam pręcisè imponi, nisi in aliquo casu raro & extraordinario; in quo simul cum defensione hęretici occisio, seu grauis alicuius ministri Inquisitionis vulneratio coniungeretur, nunc enim sic delinquens curię sęculari relaxatur, esto se fateatur hęreticum esse, & pęnitentiam expostulet, & ad reconciliationem admittatur, & hęc dicta sint in terminis Bullę Pij V. Si de

prote-

protegendis. Nunc in genere loquendo assero quòd impedientes Officiũ S. Inquisitionis sunt, de fide suspecti, vt probat Campegius in addit. ad Zanchinum, de hæret. cap. 20. lit. A. verb. suspitio. Locatus in praxi Inquis. ver. suspicio, nu. 11. Pegna in direct. Inquis. part. 2. comment. 79. & alij communiter. Sed oritur difficultas, an sint de fide suspecti si impediunt Officium S. Inquisitionis, non ex eius odio, sed ex consanguinitate cum hereticis amicitia, pretio, &c. Negatiuam sententiam tenet Sanctarellus tract. de heresi cap. 41. dub. 3. nu. 5. in fine, vbi sic ait. Sunt suspecti de hæresi, qui impediunt Officium S. Inquisitionis, non tamen sunt suspecti si id faciant ex amicitia, vel consanguinitate, vel pretio; nam licèt tunc posset procedi contra eos, non tamen tamquam suspectos sed tanquam perturbãtes iurisdictionem Officij S. Inquisitionis. Ita Sanctarellus, qui citat Bonifacium de Vitalinis, & Zabarellam, quibus ego addo Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 33. nu. 28. & Bariolani in aphor. lit. I. ver. impeditores sancti Officij.

Sed ego contrariæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam in terminis tuetur Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 28. num. 17. vbi sic ait. Impedientes Officium S. Inquisit. non in odium fidei, sed propter alias causas, probabile est non dici fautores hæreticorum; oppositum tamen probabilius est. Sic ille. Sed supradictos esse mitiùs puniendos puto, vt dicemus infra de fautoribus hæreticorum.

Verùm his omnibus suppositis, restat inquirere quo pacto impedientes Officium S. Inquisit. debeant abiurare, & quibus pœnis puniendi sint? Quoad abiurationem est magna difficultas, & ita magna vt Zanardus in direct. Theol. par. 2. pr. 1. c. 5. §. 23. nihil de hoc voluit definire, tamen ego puto supradictos debere abiurare in genere impedimentum & fautoriam, pro qualitate suspicionis, vt notat Sousa in aphor. lib. 1. cap. 28. nu. 29. eo tamen modo, quo explicat Pegna in direct. Inquis. part. 2. comment. 73. lit. C. & Duardus in Bull. Cen. lib. 2 can. 1. quęst. 33. nu. 34. Verùm Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp 8. punct. 6. §. 7. nu. 1. putat hanc abiurationem esse debere tantum de leui, alias verò pęnas putat esse debere secundùm arbitrium iudicis pro qualitate criminis scilicet pecuniæ, triremis, fustigationis, & similium, à quibus pœnis liberat qui tale delictum cõmiserunt, ex consanguinitate, vel amicitia. Sed hoc ego non approbo, puto tamen supradictos, esse mitiùs puniendos, & iden in l. 2. ff. de receptatoribus receptans consanguineum, non liberatur à pœnis, sed mitiùs punitur.

De non implentibus pœnitentias.

RESOL. XIV.

EX tali delicto oriri non leuem suspicionem de hæresi, quasi conuersio antecedens fuerit ficta, concedunt omnes, & ideò contra tales rectè procedere possunt Inquisitores, vt inter alios notat Simanca in enchir. tit. 61. num. 7. Difficultas est, quibus pœnis subijciantur? Zanchinus de hæret. cap. 10. num. 4. & ibi eius additionator Camillus Campegius lit. C. putant supradictos puniendos esse tamquam relapsos, & hoc etiam asseruit (quod nullus author, quem viderim, notauit) Io. Rojas singul. 122. num. 3. vbi sic ait. Dicitur relapsus & pena relapsorum puniendus qui non adimplet pœnitentiam sibi iniunctam per Inquisitores. Sic ille. qui citat Calderinum & Squillantem, quibus tu adde Doctores, quos inuenies apud Menochium lib. 1. cons. 82. n. 102. Riminaldum lib. 2. cons. 150. & vide etiam Bursatum consil. 7. n. 34 & 32. cum Treuisano lib. 2. decis. 36.

Sed his non obstantibus negatiuam sententiam tenendam esse docet Simanca tit. 47. num. 77. & tit. 48. num. 29. Iulius Clarus lib. 5. ver. Hæresis, num 10. & eius additionator lit. F. vbi citat Riminaldum loc. cit. defendentem mulierem de pœna relapsi, cui Inquisitores iniunxerant, ne de domo quam sibi pro carcere præfixerant, exiret, & exiuit sine licentia, & hanc opinionem tenent etiam duo viri doctissimi, Pegna & Canterus, hic in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 60. ille in direct. Inquis. part. 3. commen. 146. & idem etiam docuit Rojas sibi contrarius de hæret. p. 2. n. 235. & nouissimè Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. c. 26. num. 38. & alij. & hoc verum etiam esse puto, si reus promiserit cum iuramento iniunctam pœnitentiam seruari sub pœna relapsi, vt docet Hyppolitus Riminaldus dicto cons. 150. nu. 67. & 35. & Menochius loc. cit. & alij.

Diceodum est igitur, quòd eum qui pœnitentiam non adimpleuit, non tamquam relapsum, sed tamquam impœnitentem condemnandum esse pœna arbitraria, vt ieiunij, fustigationis, vel duplicitet pœna ordinaria, ait Cãtera loc. cit. Hinc ait. Sousa in aphor. lib. 3. cap. 29. nu. 5. quod si damnatus ad carcerem perpetuum fugiat, etiamsi non spontè veniat, sed comprehensus, reconciliandus est, sed maiori pœnitentia profuga afficiendus, quicquid in contrarium asserat Bursatus lib. 1. cons. 7. num. 4. Arelatanus notab. 6. Rojas singul. 23. num. 5. Vide Pacianum cons. 19. nu. 64. Zechium tom. 1. tit. de hæret. c. 11. n. 18. & alios, & ego supradictos regulariter damnarem ad triremes per tres, vel quatuor annos.

Notandum est tamen, quòd hanc posteriorem sententiam aliqui limitant, nisi pœnitentia imposita delicto contra hæresim detestatam tendat, vt contra ipsam prædicare, cum hereticis non conuersari, &c. Nam in tali casu putant, condemnandum esse reum tanquam relapsum. Ita Reginaldus lib. 2. cons. 156. nu. 13. Menochius lib. 1. cons. 82. num. 107. Treuisaous li. 2. decis. 36. num. 2. & alij. Verùm Iacobus Simanca tit. 47. nu. 77. putat etiam in tali casu quòd non adimplens pœnitentiam nõ habetur pro relapso, sed condemandum arbitrio Inquisitorum denuò ad maiorem aliam pœnitentiam. Sed ego teneo opinionem affirmatiuam cũ Riminaldo, & alijs, quibus adde Canteram vbi supra, & Sousam in aphor. Inquis. lib. 3. cap. 29. num. 9. Nam non facere supradictas pœnitentias, est signum vehemens à iure statutum, approbationis erroris. Ergo contra Simancam, vt relapsus erit talis puniendus; & ita etiam hanc sententiam tenet doctus Inquisitor Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. pœnitentia.

Nota etiam hic, quòd qui iniunctas pœnitentias non modò nõ adimplet, sed animo obdurato adimplere recusat, velut impœnitens est iudicandus; & si nolit resipiscere, tradendus est Curiæ seculari. Idem dicendum est si pœnitentiam impositam propter hæresim probatam recipere tenuit. Ita Pegna part. 3. comm. 146. Sousa loc. cit. nu. 7. & alij. Vnde hic infertur decisio illius dubij, nempè, quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abiurare? Respondeo, quod abiurare recusans habetur pro conuincto, & Curiæ sæculari tradendus est, ex constitut. Martini V. sed tunc statim Curiæ sæculari tradendus est, quãdo aut confessus, aut conuictus, aut in hæresi manifestè deprehensus abiurare renuit, si autem non fuerit confessus, vel conuictus, tunc non statim Curiæ sæculari tradatur, sed antea excommunicabitur, & in excommunicatione si per annum steterit, tamquam hęreticus condemnabitur. & ita docet Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. suspicio, num. 8. Hippolytus Riminaldus lib. 4. cons. 395 num. 64. Eymericus in director. Inquis. part. 2. qu. 55. & ibi Pegna comm. 80. Delrius in disquis. mag. lib. 5. sect. 22. & ideò Sousa in aphor. lib. 2. cap. 40. nu. 16 sic ait. Refutans abiurare de leui, non statim est Curiæ sæculari tradendus, sed prius excommunicatur, & si per annum pertinaciter in excommunicatione persistat, Curiæ sæculari traditur. Sic ille.

De frangentibus carceres, vel inde fugientibus dum eorum causa agitur.

RESOL. XV.

CArceratum pro hæresi si fugiat, pro conuicto habendum, & tanquam hæreticum damnandum, tradidit Zanchinus de hæret. cap. 10. num. 4. &, quòd magis mirum est, ibi Additionator Campegius, vir quidem doctus, in addit. lit. B. vide Mascardum de probat. tom. 2. concl. 820.

Sed meritò aduersus Campegium surrexit Simanca in annot. ad tract. Zechini cap. 8. & in Cathol. institut. titul. 16. numero 23. Ioann. Rojas de hæret. parte secunda assert. 15. Pegna in direct. part. 3. comment. 35. & nouissimè Sousa in aphor. Inquis. libro secundo, cap. 26. numero 37. Ioseph Aldrete de disciplina tuenda libro secundo, capit. 8. numero 25. Ratio est, quia in tali casu præsumendum est reum fugisse carceris tædio aut metu falsorum testium, vel ob timorem tormentorum, & non quia haberet errorem in intellectu; non debet tamen ob dictam fugam impunitus euadere, & ideò ait Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. capit. 26. num. 32. quod arbitraria pœna debet puniri, sed non descendit ad aliquod particulare;

quod fecit Pegna loc. cit. vbi sic asserit. Qui dum custoditetur pro hæresi, e carceribus effugit, consuetudine potius, quàm lege aliqua receptum est, præsertim in Hispania, vt si honestior sit is qui fugit, vt si Nobilis, Doctor, Religiosus, aut aliàs honorabilis ciuis, custodiatur arctius, & diutius puniatur; quod si vilis sit, publice verberibus flagellandus. & causa hæresis in suo statu permanens tractatur quamquam & alijs pœnis arbitrarijs puniri possunt. In quo mitiùs est cum illis agendum, qui custodis negligentia euaserunt. Ita Pegna, & post illum Paramus li. 3. q. 4. n. 72. & seq. & Sess. tit. 4. decis. 47 t. n. 6.

Notandum est tamen hic cum Sousa nu. 37. Rojas nu. 185. Pegna, & alijs, quòd licèt, vt dictum est, detetus in carcere pro crimine hæresis, si aufugiat, neque pro confesso, neque pro conuicto habetur; tamen resultat contra ipsum non solùm, vt ait Sousa, indicium ad torturam, sed si non compareat ex tali indicio cum alijs adiuncto, potest citari ad comparendum, & si non compareat, potest condemnari. Vide etiam Sesse n. 8.

De falsis testibus.

RESOL. XVI.

Esse supradictos pœna talionis condemnandos, tenent viri doctissimi, vt Ioan. Rojas de heresi part. 2. num. 156. Antonius Gomez in leg. Tauri 83. num. 8. Zechius in sum. tom. 1. & de hæresi cap. 11. num. 14. & alij, & patet ex constit. Leonis, X. qua decretum est, testem falsum qui innocentem opprimere, tamquam hæreticum voluit, Curiæ sæculari tradendum esse, & quidem vrget maior ratio in hoc crimine, quàm in alijs vt pœna talionis imponatur, nam in hoc crimine nomina testium non publicantur, vnde datur maior ansa ferendi falsum testimonium.

Verùm his non obstantibus, regulariter contrarium seruatur in praxi, tam in Romana, quàm in Hispanica inquisitione. Vnde rectè Sanctarellus de hæresi cap. 39. dub. 3. n. 17. asseruit, quòd in Tribunali S. Inquisitionis falsi testes non puniuntur pœna talionis, & citat Farinacium, Zanchinum, Campegium, & alios: dixi *regulariter*, quia primam sententiam admittit Sousa in aphor. lib. 2. cap. 8. num. 29. Castrus Palaus in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. num. 6. & Simanca tit. 64. nu. 90. & 91. quando ex falsa testificatione, reus fuerit combustus; tunc enim putant falsum testem puniendum esse pęna talionis & sic practicatum fuisse in Inquisitione Lagronensis testatur. quod factum approbo, quia certè teneo illos Inquisitores, vt notis est, consuluisse supremum Inquisitorem Hispaniæ; nam illo inconsulto hoc facere nimimè Inquisitores debent, & ideò Salzedus in addit. ad pract. crim. Diaz, cap. 93. lit. B. sic ait. In Romana Curia supremus & Generalis Inquisitionis Senatus, nimimè consueuit testes falsos sæculari Curiæ tradere sed alijs pœnis eos punit; ex quo quando talis casus euenerit, inferiores Inquisitores inconsulto supremo Inquisitionis Senatu, non debent testes falsidicos, qui grauiter nocuerint, Curiæ sæculari puniendos relinquere. Itaque si testes falsi de vera & formali hæresi contra aliquem deposuerunt, qui vt hęreticus negatiuus combustus fuit & eius bona fuerũt publicata, si Inquisitores pro tam graui crimine existimauerint ad condignam punitionem testes sæculari Curiæ tradendos, oportet vt consulant generalem Senatum inquisitionis; quia tam grauis pœna absque expressa lege Canonica, pretextu cuiuslibet opinionis huius, vel illius Doctoris facilè imponenda nõ est; quia decretum illud Leonis X. non est vbique receptum, nec voluit vt lex vniuersalis obseruetur, quòd si ipsi propria authoritate eos punire decreuerint, pœna perpetui carceris, aut condemnatio ad triremes erit imponenda productis prius tanti criminis reis in publicum spectaculum. Ita Salzedo.

Sed audiamus Sousam in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. nu. 27. sic asserentem. Testis falsus in crimine hæresis grauius, quàm in alijs criminibus puniendus est; regulariter tamen Curiæ sæculari nõ traditur, sed producitur in publicum spectaculum ligatis manibus & pedibus, discooperto capite in camisia, fustigatur, ad triremes mittitur, alijsque pœnis plectitur, vt mitra infami, exilio, & carcere, etiam perpetuo. Hæc Sousa. Vnde Aloysius Bariola in aphor. lit. T. ver. Testes §. 8. asseruit, quòd ex inueterata consuetudine testes falsi in S. Officio damnantur ad remum. Vide etiam Pegnam in direct. Inquis. part. 3. commen. 122. & Simanca tit. 64. num. 91. de pęnis supradictorum differentes. Et nota, quòd in omnibus casibus, siue rei Curiæ sæculari tradantur, siue alijs pœnis, vt suprà plectantur, minimè abiurabunt, quia in his casibus non cadit abiuratio. Sed quid si testis, pro defensione inquisiti falsum deposuit coram Inquisitoribus, negando hæresim, quam sibi constat commisisse? Respõdeo quòd in tali casu testis falsus debet abiurare fautoriam pro qualitate suspicionis, tamquam fautor hæreticorum, & vt plurimum puniendus est pœna extraordinaria fustigationis, v. g. & triremium vel vtraque simul. Ita Castrus Palaus in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15 §. 6. nu. 9. & 10. & ante illum Simanca tit. 64. num. 90. vbi sic ait. Inquisitores testem qui falsum testimonium dixit in probatione obiectorum, aduersùs alios testes, punire non debent pęna talionis, sed extraordinaria aliqua coertione, quemadmodum quibusdam epistolis Senatus S. Inquisitionis plenius continetur. Sic ille.

Notandum est tamen hic obiter, quòd filij & nepotes testis falsi in aliquo atrociori casu forsitan combusti, propter pœnam talionis, non eisdem pœnis afficiuntur, quibus filij & nepotes hæreticorum, vt ex pluribus docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 25. & Simanca loco citato in num. 92. Sousa nu. 31. & alij.

Restat modò discutere, an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis eum, qui preces, munus, aut pretio testem corrupit, vt falsò in sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Respondeo quòd nemo, quem legerim, aduertit. Bertazolium virum doctissimum vol. 1. consil. 62. per totum, docere Inquisitores in hoc casu non habere iurisdictionem puniendi, mandantes & corrumpentes testes, vt falsò coram ipsis deponant, & contrarium asserere, ait ipse, esse ab omni veritate alienum. Sed fallitur vir doctus, nam affirmatiuam sententiam determinat Leo X in Bulla edita die 14. Decembr anno 1518. ibi, *aut alium ad falsum deponendum*, &c. & hanc sententiã etiam docet Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 8. nu. 28. Iacobus Simanca tit. 64. num. 96. Pegna in director. part. 3. comment. 122. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. in casibus Placentiæ discussis, cas. 5. & alij communiter. Ratio est clara, quia plus delinquit is, qui testi mandat, vel persuadet vt falsum testimonium dicat, quam testis ipse, quia nocendi animum prior habet, & alium ad id facinus impellit. Quibus verò pœnis coercendi sunt in tali casu mandantes, & corrumpentes testes, vt falsò deponant, assero plectendos esse iisdem pœnis, quibus ipsimet falsi testes plectuntur, & ideò Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 8. nu. 27. postquam enumerauit pęnas imponẽdas falsis testibus, de quibus supra dictum est, statim in n. 28. ita subiungit, Eadem digni sunt pœna, qui testes pretio, aut muneris corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ita ille. & Simanca loco cit. & ideò in Concilio Bituricensi cap. 26. sic habetur, *Et si fortè deierauerint, aut induxerint alios ad deierandum partẽ in superiori parte duarũ Crucum (quas portare habent in pectore & inter scapulas) brachium transuersale vnius, vel circa.* Hæc ibi. in quibus verbis clarè apparet iisdem pœnis plecti testes falsum deponentes, & inducẽtes eos ad falsum deponendum. Vnde in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ damnauimus Regularem falsum testem, & qui alios ad testificandum falsum corruperat, damnauimus inquã ad triremes per decennium cum alijs pœnis, & reum innocentem si vellet, diximus ducẽdum esse in publico spectaculo cum honore ferentem ramum palmæ in manu; vt factum est etiam olim, in Inquisitione Conquensi: complices verò supradicti rei quia erant fœminæ damnauimus ad fustigationem & ad exiliũ per sex annos vt in casu simili factum fuit in Inquisitione Galletiæ. [Sim embargo, ait Inquisitor San Vincente in manuscrip. c. 23. §. 3. que en las primeras audiencias, confessassen quien les hauia induzido.]

De Astrologis iudiciarijs.

RESOL. XVII.

Posse contra Astrologos iudiciarios Inquisitores animaduertere, patet ex constit. Sixti V. & docet Peyrinus in priuil. Minim. to. 3. constit. 9. Pauli V. §. 2. nu. 23. Alphonsus de Leone in tract. de offic. & potest. Confess. p. 1. recollect. 22. num. 15. cas. 30. Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 38. n. 15. & Scortia in Bull. Põtif. epit. 140. theor. 361. quia eorũ modus pronũciandi futura est Reipublicæ valdè periculosus, & expositus multis superstitionibus, & præsumitur ex occulta societate cum dæmone pẽdere,

dere, nec tales Astrologi excusantur, licèt protestētur se id non affirmare certò, id enim videtur facere ad fraudes tegendas & statutas pœnas vitandas. Vnde non desinam hic apponere verba Leonardi Lessii, viri doctissimi, de iust. & iure lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42. sic asserentis. Si aliquid particulare prædicūt absolutè. v. grat. hunc tali morte, hoc tempore, vel loco petiturum, hunc futurum Episcopum, furem, & similia, grauiter peccant, & sunt puniendi, etiamsi postea dicant se non certò affirmare voluisse, quia alioquin omnes facilè se excusarent, & contra iudices defenderent. Secundo si prædicunt aliquid, maximè in particulari, cum circumstantijs, quarum non possunt reddere rationem nisi ex regulis Astrologiæ iudiciariæ, v. g. quia hora Natiuitatis erat talis cœli catastasis, non sunt excusandi etiā si solùm dixerint esse probabile, aut verisimile, quia cum reuera nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem, & sanè perniciosum est putare regulas illas esse probabiles, cùm eadem ferè incommoda sequantur, & ipsi Astrologi, quos Ecclesia damnat, sępè non plus dicant, fatentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter euenire; nihilominus merito reijciuntur tamquam impostores, & occulta commercia cum diabolo habentes. Si vero solùm in genere pronuncient, ita vt probabilis ratio reddi possit ea ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aeris affectione, quę ex siderum concursu, vel aspectu proueniat, non sunt condemnandi. Hæc omnia Lessius, & alij communiter.

Quibus vero pœnis supradicti rei sint plectendi, Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 48. numer. 15. sic ait. Astrologus iudiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmans, etiamsi id nō certò affirmare asserat, ab Inquisitoribus puniri potest Canonicis pęnis ac etiam alijs secūdùm eorum arbitrium, ex constitut. Sixti V. Vnde in Inquisitione Hispanica quidam Clericus qui prædixit tempus, genus, & modum mortis Regis Francorum, vt postea euenit, abiurauit, de leui suspensus fuit ab Ordinibus, & beneficijs priuatus, & à tota Hispania exulatus, & alius Clericus etiam eodem tēpore abiurauit de leui, & fuit reclusus per annum in quodam Monasterio, inflicta ei etiā pęna pecuniaria. Igitur supradicti si frequenter iudiciariam exercent, & maxime cum damno aliorum, merentur in actum publicum exire vbi abiurent de leui, & in exilium & pęnam pecuniariam condemnentur.

Non reticeam tamē hic adnotare quod Michael Zanardus in director. Inquisit. p. 1. præcep. 1. cap. 5. quæst. 16. asserit Astrologus iudiciarius, si tantùm affirmet se credidisse, posse astra nos inclinare, sed non cogere, quamuis subdatur iudicio Inquisitorum quoad inuestigationem credulitatis, quia ex facto se reddidit suspectum, non tamen debet abiurare, quia rem indifferentem gessit. Ita ille. Sed in hoc DD. Inquisitores accuratè animaduertant, nam cùm tales in Tribunali non torqueantur, interrogati ab Inquisitoribus omnes equidem ad pœnas effugiendas responderent se non credere quòd astra cogere possint. Ideò in casu contingenti remitto me arbitrio DD. Inquisitorum. Nouissimè prodijt Bulla Vrbani VIII. quæ omninò videnda est.

De insordescentibus per annum in excommunicatione.

RESOL. XVIII.

POsse cum supradictis Inquisitores procedere clarū est, quia tales sunt de hæresi suspecti, vt patet ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. & docet Rojas singul. 60. num. 2. Simanca tit. 27. num. 4. Fuscus de visitat. lib. 1. cap. 29. nu. 2. Azeuedus lib. 8. tit. 5. leg. 1. num. 213. Sayrus de cens. lib. 2. cap. 10. num. 10. Guttierrez in can. qq. lib. 1. cap. 12. num. 20. & alij, quos citat & sequitur Barbosa in collect. Doct. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 15. num. 12. & Sanctarellus de hæresi cap. 4. dub. 4. n. 4. Vnde cùm supradicti censeantur malè sentire de fide, ex potestate Ecclesiæ interrogandi sunt quid sentiant. Et hanc sententiam veram etiam existimat Castrus Palaus in summ. to. 1. tract. 4. disput. 4. punct. 2. nu. 5. cum Farinacio & Menochio, etiam quando dicti insordescētes in excommunicatione fuerint excommunicati ex causa ciuili, quia cōtumacia vniformis est, immò maior videtur in causa ciuili, vtpotè leuiori, & quæ regulariter minus retardare possit excommunicatum à comparendo.

Sed ego contra Castrum contrariam sententiam teneo cum Barbosa in collect. tom. 3. libr. 5. titul. 2. cap. 6. num. 6. vbi sic ait. Contumax in excommunicatione per annum insordescens suspectus habetur de hæresi, beneficijsque priuatur quando esset excommunicatus pro crimine, secùs pro causa ciuili. Ita ille. Cui addo DD. quos affert Sanctarellus tractat. de hæresi cap. 4. dub. 4. n. 5. & Sayrus de cens. lib. 2. c. 10. n. 4. Vide etiam Gonzalez in reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 106. vbi asserit ita decisum fuisse à Romana Rota in vna Segobiensi insordescentiæ. 5. Iunij 1598. coram Seraphino, vbi reijcitur Menochius & Salzedo, quos pro se Castrus citauit.

Verùm notandum est, quod licèt possint, vt dictum est, tamē ex consuetudine Inquisitores non solent procedere contra excommunicatos pro alijs delictis extra hæresim, etiamsi insorduerint in excommunicatione, & ita obseruat Michael Zanardus in director. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 4. §. 18. in fin. Graffius in decis. part. 1. lib. 4. cap. 14. nu. 4. Sigismundus Scaccia de iudicijs, &c. lib. 1. cap. 98. num. 36. Zechius in summ. to. 1. tit. de fide cap. 11. nu. 13. Pegna in direct. par. 2. comment. 72. Acugna de Confess. solic. quæst. 24. num. 65. & Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 27. num. 6. vbi sic ait. Perseuerans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non hæreticus reputatur, sed solùm leuiter suspectus, ex consuetudine tamen Romana non procedunt Inquisitores contra huiusmodi excommunicatos. Ita ille. Non desinam tamen hic adnotare, Genuensem in praxi Archiepisc. cap. 68. num. 8. asserere Inquisitores contra insordescentes per annum in excommunicatione non in causis fidei procedere & imponere pœnitentiam salutarem, & abiurationem de leui, sed quidquid sit de hoc, certum est in Inquisitione Hispanica Inquisitores procedere tantùm cōtra insordescentem in excommunicatione ex causa fidei, & ideò dico quòd talis si citatus ad respondendum de fide contumax erit, per annū in excommunicatione insordescens, vt hęreticus non verus, sed præsumptus condemnatur. Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. Inquisit. impedientibus, & recusantibus se purgare. Ita Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 27. num. 1. & 2. Pegna in director. Inquis. part. 3. comment. 172. Vide textum clarum in cap. cum contumacia, de hær. in 6. & ratio est quia, vt ait Symericus in direct. part. 3. quæst. 47. si quis suspectus est leuiter de fide, & ob eam causam citatus vt respondeat, si intra terminum assignatum negligit respondere, illa leuis suspicio transit in vehementem, si autem in illa negligentia per annum perseuerat, suspicio vehemens transit in violentam, ex dicto c. cum contumacia ergo vt hæreticus erit condemnandus. Vide Scacciam de iudic. &c. lib. 1. cap. 76. n. 4. Menochium de arbitr. lib. 2. cas. 374. num. 10. Farinacium de hæresi q. 192. nu. 14. & alij penes ipsos.

Nota tamen quòd prędictus excommunicatus vt tamquam hæreticus condemnetur, si facilè capi non potest, debet specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentia orta, & quamuis citatio vna fortè sufficiat in dicto casu, tutiùs est vt triplex præmittatur. Annus verò debet esse continuus, & toto illo tempore cum potestate comparēdi, & incipit à die declarationis, vel sententię, vel notorietatis. Si tamen ante lapsum moriatur, non condemnatur vt hæreticus, neque eius bona confiscantur, nisi ex testibus esset plenè conuictus. Ita Pegna & Sousa loc. cit. quibus adde Simancam tit. 14. n. 4. & alios penes ipsos.

De transferentibus arma, equos, &c. in terras infidelium.

RESOL. XIX.

ADuersùs supradictos proceditur in nostra Inquisitione Hispanica. Vnde Carrera in qq. crim. cap. 1. de hæret. nu. 68. in fine, sic asserit. Inquisitores, possunt cognoscere & procedere contra deportantes arma & cibaria prohibita Sarracenis. Ita ille & Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. c. 17. num. 69. testatur [Que en los Reynos de Aragon procede el S. Officio de la Inquisicion contra tales.] Quoad pœnas verò olim hęc facientes abiurabant de leui, modò tamen non est in vsu, sed si vilis persona est, fustibus cæditur, sin minus, exilio & pecunia, in ea quātitate, qua equi armaque valebant, & insuper omnia il-

la

la confiscantur, quòd si iam fuerint transmissa, pena pecuniaria duplicatur, & quidam Religiosus ob hoc crimen ex Consilio supremi Senatus Hispanici condemnatus fuit in sexcentis scutis, & in annua in suo Conuentu reclusione, & suspensione interim ab Officio Hęc omnia Castrus in summ. to. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. § 10 quę tamen antea notauerat in suis manuscriptis doctissimus Inquisitor San Vicente.

Nō desinā tamen hic obseruare omnia supradicta ritè procedere, quia existimantur tales delinquentes transferre arma, & equos, &c. in terras infidelium, & hæreticorum, lucrandi & negotiandi causa: secus autem si animo adiuuandi infideles & hęreticos in bello ad impugnandum Christianos hoc facerent, nam in tali casu ex circumstantijs delicti, & qualitate personarum tamquam fautores & defensores hæreticorum, &c. possunt aduersùs tales Inquisitores procedere, & secundùm gradum suspicionis illos torquere, & publicè abiurationem imponere, & in alias pœnas condemnare.

De Sodomitis.

RESOL. XX.

IN Regno Portugalliæ ex priuilegio Regis, & ex constit. Pij IV. & Gregor. XIII. Inquisitores habent cognitionem nefandi criminis, vt notat Emmanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. c. 1. n. 16. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 40. n. 45. & Sousa in aphor. Inquis. li. 1. c. 59. n. 10. quod etiam reseruatur in Regno Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinone, ex Bull. Clem. VII. vt testatur Castrus Palaus in sum. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. n. 11. Idemq; lib. 13. c. 24. nu. 1. in glossa litt. P. Narbona in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 2. glos. 8. n. 3. Salzedus in addit. ad pract. crimin. Bernardi Diaz c. 86. & alij.

Notandum est verò, quoad pœnas, quòd in tali casu rei non abiurant, neq; de leui, vt docet & testatur Emmanuel de Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. numer. 16. Sed si fuerint conuicti, vel delictū fateantur, Curiæ sæculari in actu publico relaxantur. Ita Castrus Palaus vbi suprà, & alij. Si verò delictum fuerit attentatum, & non consummatum, flagellis cæduntur, & ad triremes mittuntur. Nota tamen quod si quis membrum posuit intus anum, quamuis extra semen effundat, probabile est esse puniendum pœna ordinaria sodomiæ. Ita Ioseph Sesse in decis. Regni Aragon. decis. 475. num 5. tom. 4. Sed hoc Sousa in aphor. lib. 1. c. 59. n. 63. non intelligit pro vno actu, sed pro actibus huiusmodi repetitis, quia quòd deficit ad complementum actus sodomitici, suppletur ex repetitione actuum in fraudem legis.

Non desinam tamen hic adnotare, Freytas in nouis addit. ad tract. de Confess. solicit. q. 24. nu. 136. docere contra Mouram, non posse Inquisitores relaxare sodomitas Curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles. Sed quia hoc delictum non pertinet generaliter ad omnes Inquisitores, satis est hæc dixisse; neque enim lædendæ sunt pudicæ aures.

De fautoribus, defensoribus, receptatoribus hæreticorum, &c.

RESOL. XXI.

COntra tales vt suspectos de hæresi procedere posse Inquisitores, obseruat Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 33. num. 4. & DD. communiter; ea verò quæ dicuntur de fautoribus hæreticorum, vt rectè notat Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 25. n. 16. accommodanda sunt defensoribus & receptatoribus, sicuti è contra.

Hoc supposito, quoad abiurationem supradictorum assero quòd cum incurrant suspicionem leuem, vel vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, prudentes Inquisitores illas perpendendo, faciant illos de vehementi, vel de leui abiurare, vt eis videbitur. Et ideò Pegna in direct. part. 2. comment. 76. litt. C. sic asserit. Receptatores hæreticorum abiurationis pœnitentiam patiuntur ob suspicionem hæresis, quam contraxerunt: an autem hæc abiuratio de leui tantùm, vel vehementi fieri debeat, qualitas personarum, & genus receptationis demōstrabunt. Ita ille, qui autem verè fautores hęreticorum inueniuntur, abiurabunt de vehementi, & antea torquendi sunt. Quomodo verò in casibus occurrētibus faciēda sit dicta abiuratio, docet Michael Zanardus in dir. Theol. part. 3. cap. 134. fol. mihi 740. vbi ait. Abiuratio fautoriæ dupliciter fieri potest. Primò in genere abiurando omnes hęreses, & hoc quādo fautor indiscriminatim omnibus fauorem tulit. Secundo in singulari, quando is Caluinistis v. grat. & non Lutheranis fauit. Sic ille. Sed audiamus Pegnam in direct. Inquis. p. 2. comment. 79. vbi sic asserit. In aliquo casu institueri potest abiuratio generalis, non expressis particularibus erroribus & hæresibus, nam qui generaliter alicui fauendo, aut etiam nulli fauendo Officium Inquisitionis impedit, in nullam specificam & particularem hæresim videtur consentire, & propterea nullam in specie poterit abiurare, sed in genere dicet se detestari omnem hęresim, cuius suspicionem impediendo Inquisitionis Officium contraxit. In hac tamen difficultate, quæ contemnenda non est, cum frequenter accidere possit, hoc ampliùs censeo obseruandum, vt inquiratur a reo qui impediuit Officium Inquisitionis, vel alicui hæretico fauit, adhibitis etiam tormentis, si ita causa eius & conditio postulauerit, an cum eo habeat familiaritatem, & cur ei faueat; nam si auxilium exhibitum in fauorem personæ potiùs, quàm erroris tendere videatur, sufficiet generalis abiuratio fautoriæ, vel impedimenti eo modo quo dictum est. Quòd si secus res habuerit, & aliqua alia concurrant, ex quibus oriatur suspicio, eum, qui exhibet fauorem, eosdem illos errores, quos profitetur ille, cui fauet; tunc præter generalem impedimenti, & fautoriæ abiurationem cogendus videtur ad particulares errores abiurandos. Hæc omnia Pegna doctè, vt semper solet, quem nouissimè sequitur Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 1. qu. 33. num. 34. Verùm quod alias pœnas præter recensitas a Pontifice in c. excommunicamus. §. credentes, de hæret. quas non incurrunt, nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint, vt notat Palaus vbi infrà, n. 2. & prter illas, quas enumerat Sanctarellus tract. de hæresi, c. 11. dub. 1. nu. 20. Farinacius de hæresi q. 182. & alij penes ipsos, dicti fautores, receptatores, & defensores possunt puniri arbitrio Inquisitorum pœnis pecuniarijs, exilio, fustigatione, triremibus, alijsque corporalibus pœnis pro qualitate delicti, & si opus fuerit, vsque ad cōfiscationem bonorum. Ita Castrus Palaus in summ. to. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 6. num. 4. Sed hanc pœnam confiscationis bonorum, contra fautores hæreticorum, non admittit Farinacius de hæresi q. 82. n. 55. & Cantera in qq. crim. c. 1. de hæret n. 55. in fine. Verùm ego illam admitto, stante constitutione Pij V. *Si de protegendis*, in qua clarè contra supradictos infligitur talis pœna.

Notandum est tamen hic, titulum consanguinitatis, vel amicitiæ strictissimæ, non excusare in totum fautores hęreticorum à supradictis pœnis, quæ latitudinem habent; sed debent moderari pro maiori, vel minori sanguinis coniunctione. & ita docent DD. quos citat Sousa in Bull. Cen. cap. 2. disp. 10 num. 4. & sequitur num. 6. in fine, quibus adde Michaelem Zanardum in direct. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 5. qu. 22. in fine. Vnde Grassius in decis. part. 1. libr. 4. cap. 18. nu. 35 sic ait. Licet minùs puniantur consanguinei, vxores, amici, fratres, patres, filij, & similes personæ receptantes hæreticos sibi coniunctos, non tamen excusantur à tota pœna, & per consequens non sunt penitus immunes à delicto. Ita ille, & hoc patet ex l. 2. ff. de receptator. vbi Iurisconsultus loquens de receptatoribus latronum, sic ait. Eos apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodum puniendos: nō enim par est eorum delictum, & eorum qui nihil ad se pertinētes latrones recipiunt. Et licèt Repertor. Inquis. in verb. receptatores, § sed tamen receptantes, & Paulus Ghirlandus tract. de sortil. quæst. 9. num. 2. asserant legem istam locum non habere in receptantibus consanguineos hæreticos, propter criminis immanitatem, & in hanc sententiam videtur inclinare Gūdisal. Villadiego tract. de hæret. quæst. 16. in fine. tamen contrarium tenet communis sententia DD. quos affert & sequitur Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæst. 29. num. 11. & Pegna in direct. Inquis. part. 2. comm. 81. lit. B. vbi optimè obseruat, in casibus occurrentibus consanguineorum, seu coniunctorum rationē habendam esse; nam filius receptans patrem, vxor virum, frater fratrem, leuius puniendi sunt, quàm si remotiores, siue alios, non vsque adeò coniunctos receptassent, aut defendissent. Vnde reijcitur opinio Simancæ tit. 15. num. 20. asserentis filium, vxorem, & fratrem, receptantes patrem, maritum, & fratrem hæreticum, non esse puniendos. nam, vt benè obseruat

nat Pegna, & alij, sunt equidē supradicti leuius puniendi quam alij coniuncti, non tamen sunt immunes omninò à pœna; quę omnia supradicta procedunt, etiam in casu dubio, videlicet an fauēs hæretico consanguineo, vel affini fauorem præstiterit ob sanguinis coniunctionem, vel ob crimen hæresis; nam præsumptio facienda est excusans à culpa. Ita Castrus Palaus tom. 1. tr. 4. disput. 3. puct. 5. numer. 13. qui citat Simancam & Graffium loc. cit. Fautores igitur hæreticorum; non vt hæretici sunt, sed quia affines, amici, &c. maximè si sint bonæ vitæ, ad summum abiurant de leui, & puniuntur leuiter exilio, vel mulcta pecuniaria. Ex his infertur solutio illius quæstionis, an qui fauet, recipit consanguineos, affines hæreticos, incidat in pœnam excommunicationis latam in Bull. Cœn. contra fautores & receptatores hæreticorum? affirmatiuè respondet Suarez de fide disp. 24. sect. 1. n. 9. Sousa in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 10. nu. 5. Layman. lib. 2. tract. 1. c. 14. n. 5. Sanctarellus de hæresi c. 12. dub. vn. num. 3. & alijs penes ipsos.

Verùm ego negatiuæ sententię tanquam probabiliori adhęreo, quàm tuetur Lorca in 2. 2. D. Thom. q. 11. art. 4. disp. 48. nu. 6. Peirinus in priuil. Minim. tom. 2. constitut. 9. Pauli V. §. 2. n. 7. Scortia in Bulla Pontif. epit. 9. theor. 27. Megala in 3. part. lib. 3. cap. 1. q. 2. num. 27. Duardus in Bull. Cœn. libr. 2. can. 1. qu. 29. & q. 31. n. 21. Azorius tom. 1. li. 8. cap. 15. q. 4. Sanchez in summ. to. 1. libr. 1. c. 10. num. 5. & alij penes ipsos. Ratio est, quia ad incurrendam fautoriam, requiritur intentio formalis fauendi hæretico, quia hæreticus est, vt colligitur ex c. accusatus, §. Sacerdotes, de hæret. in 6. ibi, *cum non sit dubium eos ipsa facere in fauorem hæretica prauitatis.*

Sed in fine huius resolutionis restat inquirere, an fautores hæreticorum subijciantur supradictis pœnis, licèt effectus fautoriæ sequutus non fuerit. Vt si, v. gr. quis hæreticum domi recepit vt illum ab Inquisitoribus liberaret, at nō potuit, quia delinquentem ibi Inquisitores inuenerunt. Item quis dedit pecuniam hæretico vt fugeret ne caperetur à ministris Inquisitorum, & hoc non obstante captus est. Quæritur, an in his & similibus casibus qui dicatur fautor hæreticorum, & in pœnas contra eos latas incurrat. Negatiuam sententiam tenet Sanch. in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 9. & nouissimè Bonacina to. 3. in Bull. Cœn. disput. 1. quæst. 2. punct. 3. num. 3. qui malè, vt sæpè facere solet, citat pro se Suarez & Filliucium. Ratio est, quia mandans percuti Clericum, non incurrit in excommunicationem, non sequuta percussione. ergo, &c. Secundò, quia quando aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minus principaliter prohibetur mandatum, vel consilium, vel fauor, non incurritur excommunicatio ab eo, qui mandauit, vel consuluit, &c. nisi sequuto effectu. Tertiò fauor prohibetur hæreticis ne in hæresi foueantur, sed qui non obtinuit effectum fauoris, non fauet hæretico in sua hæresi, etiamsi intenderit fauere. ergo non erit puniendus vt fautor.

At his non obstantibus, affirmatiuam sententiam tamquam probabiliorem teneo, quam tenet Suarez de fide disp. 24. sect. 1. nu. 14. Sayrus & Graffius, quos citat & sequitur Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. nu. 11. quibus ego addo Megalam in 3. part. lib. 3. cap. 1. quæst. 2. n. 28. & Duardum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 31. n. 2. Et probatur primò, quia opinio contraria applicata casibus particularibus, videtur incredibilis, & contra praxim, vt obseruat Suarez, nam qui nō denunciat hęreticum cum tenetur excommunicationem Bullæ Cęnæ incurtit, etiamsi alter denunciet, & consequenter prior non consequitur effectum; & idem est de illo, qui per testimonium falsum hæreticum procurauit liberare, & non potuit, quia per alios testes conuictus est. Probatur secundò, quia fauor hæretico prohibetur nō vt hæresis committatur; sed ne hæresis commissa firmitatem habeat; sed hic effectus semper obtinetur quoties auxilium in fauorem hæresis præstatur, saltem pro illo tempore, quo auxilium exhibetur, etiamsi auxilium postea impediatur. ergo, &c.

Restat modò respondere ad argumenta Sanchez. Dico igitur ad primum cum Suarez quòd procedit, quādo mandatum ordinatur ad executionem eiusdem delicti, v. gr. homicidij, in nostro autem casu non est ita, nam fauor per se non ordinatur vt alter committat hæresim, immò illā supponit, sed ad tuitionē hominis hæretici ordinatur, & ideò hoc delictum in suo genere est consummatum, quamuis effectus non sequatur. Ad secundum respondeo cum Duardo & Sayro de cens. lib. 3. cap. 5. nu. 4. quòd equè principaliter excommunicantur in Bulla Cœnæ & alijs iuribus hæretici, ac eorum receptatores & fautores in detestationem hæresis. Vnde non rectè adducunt doctrina in argumento contrario adducta. Ad tertium iam patet responsio ex secunda ratione superiùs adducta pro nostra sententia.

Et tandem discutiendum est hic, an non reuelantes hæreticos puniendi sint tamquam fautores? Affirmatiuè videtur respondendum ex Deciano li. 5. c. 5. n. 25. & Pegna in direct. p. 3. comm. 78. quia supradictos vt fautores hæreticorū esse de hæresi vehementer suspectos, docet Alphonsus de Castro de iust. hæret. punit. lib. 2. c. 23. Verùm personas nobiles esse tantùm de hęresi leuiter suspectos, docet Michael Zanardus in director. Theolog. p. 3. c. 134. fol. mihi 741.

At his minimè suffragantibus, Antonius Sanctarellus de hęresi c. 9. dub. vn. num. 19. & Suarez de fide disput. 20. sect. 4. nu. 28 qui citat Simancam, docent supradictam sententiam non esse veram, nisi alię adsint circumstantiæ; vnde inferunt, supradictos non esse puniendos pęnis latis contra fautores hęreticorum, sed alijs pœnis ad arbitrium DD. Inquisitorum, tamquam inobedientes eorum mandatis, & ideò nisi adsint, vt dictum est, alię circumstantiæ, puto supradictos neque de hæresi suspectos esse, vt pręter Sanctarellum & Suarez docet Io. Rojas singul. 3. num. 18. vbi sic ait. Qui non denunciat, vel reuelat Inquisitori hæreticum, reputatur suspectus vehementer de hæresi secundùm Alphonsum de Castro, quæ sanè conclusio maximum rigorem in se cōtinet. Sed in hoc casu, meo iudicio, sustineri potest, si vltra scientiam & taciturnitatem prædictam cum hæretico conuersatur, & ei est nimis familiaris & amicus & tunc contra non denunciantem violēta oritur præsumptio. Ita Rojas. Vnde ex his à fortiori apparet, vt optimè notat Sanctarellus, falsam esse opinionem Pegnæ in direct. p. 3. comm. 160. asserentis vxorem non denunciantem maritum hæreticum, esse de hæresi suspectam.

Verùm hęc opinio limitanda est in personis quę ex officio, vel ex speciali præcepto tenentur denunciare, vt familiares, fiscus, testis nō deponens contra hæreticum cùm iustè ab Inquisitoribus interrogatur, &c. Vnde supradictæ personę non denunciantes hęreticos, sunt de hęresi suspectę, & tanquam hęreticorum fautores puniendę. & ita docet Sousa in Bull. Cœn. c. 2. disp. 11. num. 6. & seq. Megala in 3. part. lib. 3. cap. 1. q. 2. n. 31. Suarez de fide, disp. 24. sect. 1. num. 6. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c. 10. n. 15. & alij penes ipsos. Vide etiam Sesse tom. 4. decis. 474. nu. 17.

Nota tamen quod Castrus Palaus to. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. nu. 7. aduertit multos Doctores à fautoria hæresis liberare, quando solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij, tenetur quis præstare fauorem, eo quòd non videatur aduersùs iustitiam, sed solùm aduersùs fidem peccare in omittendo talem fauorem, & ita non esse fautores hæreticorum singulares personas quibus ex officio non incumbit auere, & hæresim extirpare, docet Farinacius de hæresi, q. 182. §. 2. nu. 36. Tamen hanc sententiam contra Farinacium & alios puto reijciendam esse Vnde Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. c. 25. nu. 6. 7. & 8. sic ait Personæ priuatæ si à ministris requirantur ad fauorem præstandū contra hæreticos, & cùm possit auxilium præstare amittunt, fautores hæreticorum sunt. Et qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, aut veritatem celant, vel diminutè manifestant, cùm ad veritatem dicendam ab Inquisitoribus adstringantur, fautores etiam dicuntur. Hæc Sousa loc. cit.

De reuocantibus confessiones.

RESOL. XXII.

MIram rem docet insignis inquisitor Didacus Cantera in qq. crim. cap. 1. de hæret. num. 70. nempè, eum qui ex interuallo confessus est, non esse tradendum Curię sæculari, si confessionem suam reuocauit, licèt de errore non doceat; quia negari non potest, quando per hanc reuocationem aliquid diminuatur de fide confessionis, nisi saltem constaret ex cōiecturis, quòd Confessio fuerit reuocata ex malitia. Vnde Iacobus Simanca titul. 13. num. 14. sic ait. In iudicio S. Inquisit. quocumque tempore, & modo reus Confessionem reuocet, quamuis nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam; admittitur tamen eius reuocatio, & siue pro eo, siue contra eum, extremæ confessioni statur; hęc enim est, quę efficit vt reus pęnitens,

siue

siue impœnitens videatur, & hoc iure vtimur. Ita Simanca.

Sed si hæc opinio esset vera, & sequenda, haberent hæretici securum iter ad effugiendam pœnam debitam, reuocando sic suam confessionem, & ideò Treuisanus lib. 2. decis. 31. rectè vocauit impœnitentem illum, qui confessione iam facta illam reuocat, non docto de errore; vnde in tali casu semper præsumitur dolus, & malitia in reo, & sic non euadit pęnas debitas, igitur contra Canteram dicendum est, reum reuocantem suam confessionem, etiam ante reconciliationem, & non probãtem errorem & causam, quare errauit, tradendum esse Curiæ sæculari, & hanc sententiam præter Ioan. Rojas de hæret. part. 2. assert. 25. num. 165. tenet etiam Ioseph. Sesse tom. 4. decis. 472. nu. 7. Antonius Sousa in aphor. Inquisit. libr. 2. cap. 48. nu. 22. vbi sic asserit. Impœnitens, & negatiuus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem ante adimpletam pęnitentiam reuocat, non probans causam talis reuocationis. & nisi resipiscat, tradendus est Curiæ sæculari. Ita ille. Vide etiam Farinacium de hæresi quæst. 188. num. 75. Verùm non est negandum, quòd si confessio incontinenti in præseutia iudicis fuerit reuocata, non nocebit confitenti, etiam non probato errore, quia lapsu linguæ & propter errorem præsumitur facta, & incontinenti dicitur reuocatio facta, si reus esset adhuc in præsentia iudicis; vt notat gloss. in verb. incootinenti, cap. præterea, de testibus. Secus autem intra triduum, vt aliqui voluerunt. Vide DD. citatos.

His tamen non obstantibus, in vno casu opinionem Canterę libenter admitterem, nempè quaodo reus reuocata aliqua nõ plenè contra illum probata ad excusandos complices affines, amicos, &c. & etiamsi sint plenè probata, dummodo confessus sit & confiteatur aduersùs se hæresim consummatam, & alia de quibus non erat testificatus, in hoc enim casu rarò relaxandus erit, quod est valdè notandum pro hæreticis diminutis, & ita docet Inquisitor San Vincente in manuscript. cap. 5. nu. 3. & c. 2. §. 6. & ratio est, quia reus in his casibus præsumitur illas res reuocare, vel celare ex metu, vel alia de causa, & non ex malitia cùm iam aduersùs se testificatus sit in re tam graui, vt est hęresis formalis, &c.

Notaodum est etiam hic obiter, quòd qui de hæresi factam confessionem reuocat, post adimpletam pœnitẽtiam vt temeratius puniendus est Inquisitoris arbitrio, & nonnumquam fustibus castigari debet, addita comminatione grauioris pœnæ, si deinceps io eandem temeritatem inciderit; intellige dummodo in reuocatione non persistat, nam si persistat, tradendus est vt impœnitens. Ita Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. ca. 48. num. 13.

Sed quia dictum est de reis reuocantibus suam confessionem, non iniucundum erit, incidenter hic aliquid dicere de testibus reuocantibus suam testificationem. Dico igitur, quòd licet in alijs causis magis stetur primo dicto testis, quàm secundo vt inter alios docet Decius consil. 174. nu. 7. at in causis fidęi speciale est, vt stetur posteriori dicto testium, quando verisimilius est ex coniecturis posteriora dicta esse veriora, & apparuerit testes non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecunię, sed zelo fidei dicta sua velle corrigere. & ita docet Couarr. lib. 2. var. c. 13. n. 9. Paris. lib. 4. consil. 2. num. 78. Zanchinus de hæret. ca. 14. num. 5. Direct. Inquis. part. 3. qu. 65. & ibi Pegna comment. 114. Gundissalius de hæret. qu. 13. nu. 12. & alij, quæ doctrina vera est, non solùm quando testes deponunt contra se, & contra complices suos, sed etiam quando deponunt contra alios. & ideo Arciatanus de hæret. notab. 13. sic asserit. Si testis dixerit vnũ in iudicio, & postea ex interuallo dixerit aliud io eodem iudicio, statur primo dicto, & non secundo. In crimine tamen hæresis, speciale est fidei fauore, vt stetur vltimo dicto, vnde quamuis testis primò dixerit aliquem esse innocentem, si postea dicat eum hæreticum, statur vltimo dicto, quamuis vtrumque fuerit iudiciale. Ita ille.

Sed difficultas est, an Inquisitores debeant stare secundo dicto etiamsi testis neget hæresim io primo dicto confessam; ego vt verùm fatear, mihi non displicet opinio affirmatiua Simancæ tit. 64. numer. 59. & seq. & M. Antonij Delrij in disquis. mag. libr. 5. sect. 5. quia io iudicio seruanda est æqualitas, neque in tam graui crimini fauorabilior esse debet detectio hæresis, quam liberatio innocentis, dummodo constet reuocationem primi dicti factam esse non leuitate, odio, aut pretio, sed zelo Catholicę fidei adducta, etiam probabili causa reuocationis, & correctionis.

Verùm his non obstantibus, quia contraria sententia est cõmunis, ideò ab ea non recedo cùm DD. citatis, quibus addo Sanctarellum tract. de hæresi, cap. 38. dub. vnic. num. 12. & Barbosam in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 8. nu. 17. Dico igitur, quod Inquisitores stare debent secundo delicto, cùm in secundo dicto testis hęresim, & delictum detegit, non verò si illud neget; cùm tamen in priori dicto hęresim & delictum manifestauerit, nam in tali casu priori, & non posteriori dicto erit fides habenda, quę omnia probantur in cap. accusatus, §. licèt, ibi, *contra se & alios complices deponendo iunctis verbis praecedentibus tam de se, quam de alijs super facto hæresis, &c.* Vnde Treuisanus lib. 2. decis. 39. nu. 12. asserit quòd in causis fidei sancitum est inter duo dicta iurata standum esse dicto, quod fidei fauorem concernit.

De Dogmatistis & hæresiarchis.

RESOL. XXIII.

HOs non esse tradendos Curiæ sęculari, si signa pœnitentiæ præbeant, tradit Cantera in quæst. crim. cap. 1. de hær. num. 70. Pegna in director. Inquisit. part. 2. comment. 64. & alij, ex c. ad abolendam, de hæret. & ex c. Berengarius. de consecr. dist. 2.

Verùm affirmatiuam sententiam tuetur Rojas de hęret. p. 2. num. 339. Simanca tit. 47. num. 10. & seq. Suarez de fide disput. 23. sect. 2. num. 10. vbi hanc opinionem probat ex multis rationibus, & in hanc inclinat Lorca in 2. 2. quæst. 11. art. 4. disp. 47. mem. 5. num. 7. licèt in fine asserat quandoque conueniens esse supradictis pœnam mors indulgere, & ideò hoc prudenti iudicio remittendum esse putat. Sousa tamen in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 9. num. 14. distinguit, sic enim ait. Si Dogmatista errorem suum postquam ab Inquisitoribus apprehenditur defendat, quamuis postea conuertatur, non est recipiendus ad reconciliationem. Si tamen statim conuertatur, & veræ conuersionis ferè euidentia signa ostenderit, recipi potest. Sic ille. Sint ergo DD. Inquisitores multum cauti ad hanc reconciliationem cõcedendam, nõ est enim facilè credendum ex abysso impietatis quem repeotè velle discedere. Vnde supradictis maiores pęnitentias iniungant, & præcipuè carceris irremissibilis, &c. & me consulente nunquam tales ad reconciliationem admittãt, si signa pœnitentię ostendant, quando iamiam Curię sæculari tradendi sunt; vel si de Regibus & de Principibus, ac eorum filijs persuaserunt errores, vel persuadere conati sunt. An verò in pœnam supradictis sit deneganda Eucharistia, affirmat Couart. lib. 2. variar. cap. 1. num. 11. & Cantera in qq. crimin. cap. 1. de hæret. n. 13. & alicubi est in praxi. Verùm ista praxis & talis opinio mihi displicet, vnde puto non esse denegandum sacramentum Eucharistiæ dogmatizantibus, vel hæresiarchis, si verè pœnitentes sint; & ita docet Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 5. num. 5. Sanctarellus tract. de hæresi, cap. 42. dub. vn. nu. 17. Simanca tit. 63. nu. 7. Suarez de fide disp. 23. sect. 2. num. 12. & Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. c. 10. nu. 18. & colligitur ex c. super eo, de hæretic. in 6. nam licèt de relapsis in particulari loquatur, tamen ex ideotitate rationis ad omnes verè pœnitentes extenditur.

De hæreticis pœnitentibus.

RESOL. XXIV.

ABiuratio horum est de formali, quoad alias verò pœnas audiamus dictum Io. Rojas de hæret. part. 2. num. 197. & seq. vbi sic ait. Quamuis in omni iudicij parte hæreticorum conuersio, & eorum confessio sit admittenda, tamen qui in limine iudicij ante accusationem confitetur, ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali pro breui tempore est condemnandus, si verò post accusationem, augenda erit pœna & pœnitentia, qui verò post publicationem testium hæreses confitetur ad perpetuum carcerem damnandus est, quia præsumitur, quòd metu probationum confitetur, & talis conuersio non caret suspicione, & in omnibus casibus supradictis bona publicantur. Ita ille. & Inquisitor San Vincente in manuscr. cap. 2. §. 14. sic ait. [Si el Reo confesso antes de la publicacion se le da dos años, ò vno de carcel y aun menos si cõfiessa en las primeras audiencias,] loquitur de hæretico formali. Vide etiam Simancam in enchir. tit. 58. numer. 7. & in Instit. Cathol. tit. 47. nu. 29.

nu.29 & seq. Pegnam in direct. parte 3. comment.142. & alios penes ipsos, & in cap. excommunicamus el 2. de hæret. sic habetur. Si quis autem de prędictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnẽtur, & ibi glossa cum Abbate Butrio & alijs communiter, & hanc pœnam perpetui carceris obseruatam fuisse Cremone cum quodam hæretico pœnitente, testatur Bossius tit. de hęretic. num. 18. & sic etiam determinat Instructio Toletana anno 1561. cap. 41. Non nego tamen hũc perpetuum carcerem Inquisitores ex iusta causa mitigare, & solùm ad tempus imponere posse, vt ex multis DD. obseruat Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 6. punct. 1. nu. 2. Imminò ego obseruo hanc pœnam perpetui carceris ex stilo Inquisit. Rom. in pœnam remi triennalis transijsse, vt testatur ex Farinacio Aloysius Bariola in aphorism. lit. H. ver. hæretici nec spontè comparentes, sed decepti sunt, verũ hoc obseruari in Inquisitione Hispanica testatur Ioannes Rojas. Inquisitor Valentinus vbi supra part. 2. de hęr. num. 203. vbi sic asserit. Hodie verò loco carceris perpetui hæretici ad triremes condemnantur, dummodo debiles, & senes non sint, & huiusmodi condemnatio fit nõ ad minus, quàm ad triennium. Ita ille. Sed ego inuenio apud Vmbertum Locatti in casib. Inquisitionis decisis Placentiæ cas. 3. quemdam hęreticum pœnitentem damnatum fuisse ad triremes per quinquennium, vnde puto hoc remittendum esse arbitrio Inquisitorum. Cùm igitur DD. Inquisitores hanc pœnam perpetui carceris ante latam sententiam possint mitigare, & ad tempus imponere, aut in alias extraordinarias pœnas conuertere, vt patet in instruct. Hispal. anno 1484. §. 11. & in capit. vt commissi, de hæret. in 6. ibi, *& illorum, qui. vestris mandatis*, &c. iuncta gloss. & ibid. Canonistæ cum Iulio Claro lib. 5. §. hæresis, num. 8. Ideò in nostra Inquisitione cum Nobilibus, vel alijs sibi bene visis personis, qui ad triremes damnari, non possunt, nec debent; pensatis eorum qualitatibus, circumstantijs delicti, & cęt. pœnam carceris cum exilio, deportatione, detrusione in aliquo Monasterio, vel alia pœna ad tempus commutabunt. Vnde Decianus lib. 5. cap. 54. num. 45. agens de hæreticis pœnitentibus, sic ait. Pœnitentiæ qualitas & quantitas arbitrio iudicis est relinquẽda, cùm maiori pœna digni sint prudentes, quàm simplices, & maiori clerici, quàm laici, & maiori Pręlati, quàm subditi, quod antea docuerat Pegna in direct parte 3. commen. 142. & Campegius in addit. ad Zanchinum de hæret. c. 41. cum Bariola vbi supra. Adducere tamen cum Rojas part. 2. de hęret. nu. 318. puberes hæreticos pœnitentes reconciliandos esse, sed in pœnis, de quibus dictum est, ætati subueniẽdum esse, Dixi *ante latam sententiam*, quia postquam reus est condemnatus in Inquisitione Hispanica, ex priuilegio commutatio, seu relaxatio pœnæ spectat ad summ. Inquisitorem. Vide Rojas sing. 115. n. 5. Pegna p. 3. comm. 108. & Simanca tit. 16. n. 20.

Notandum est tamen hic cum Sanctarello de hæresi cap. 42. dub. vn. num. 5. Scortia in Bull. Pontif. epit. 10. theorem. 36. Genuense in praxi Archiepisc. cap. 58. nu. 7. Zanardo in director. Theol. parte 1. præc. 1. cap. 6. quæst. 11. Naldo in summ. ver. hęresis, num. 7. & alijs ex Bulla Clem. VIII. die 3. Februar. anno 1603. quòd in aliquibus casibus etiam veri pœnitentes non reconciliantur. Primus est, Missas celebrantes non Presbyteri. Secundus, non Presbyteri confessiones audientes. Tertius, negantes Trinitatem personarum in diuinis. Quartus, negantes diuinitatem Christi Domini. Quintus, negantes Christum conceptum de Spiritu sancto. Sextus, negantes Christi mortem, vt nos redimeret. Septimus. negantes B. Maiæ Virginitatem. Octauus, Magistratus seu Domini Ecclesiastici, vel temporales schismatici, aut hæretici, seu hæresim, aut schisma excitantes, Sed de primo & secundo casu superius diximus, & omnes non esse receptos in Inquisitione Lusitana testatur Sousa in aphor. Inquis. lib. 42. c. 49. n 6.

Sed restat hic inquirere, an hæretici si pœniteant in ipso tabulato, tradendi sint Curię sęculari? Ad hunc casum ita respondet Instructio Toletana anno 1561. nu. 64. [Muchas veces los Inquisidores sacan al tablado reos, que por estar negatiuos se determinan relaxarlos, y porque nel tablado antes de la sentẽcia se conuierten, y dizen sus culpas los reciben à reconciliacion, y sobreseen la determinacion de sus causas, y parece cosa muy peligrosa, y que se deue sospechar lo hagã mas por temor de la muerte que con verdadero arrepentimiento, parece que se deba hazer pocas vezes, y con muy particulares consideraciones.] & ad ornatum supradictorum verborum videndus est Rojas de hæret. parte 2. num. 193. & seq. cum Pegna in direct. part. 3. comm 175. vbi sic ait. Plurimũ considerandum est, qualiter recipi debeant hi, qui in tabulato, aut in Ecclesia in publicam fidei actionem sunt producti, conuertuntur, qui potius metu instantis mortis, quàm amore veræ pœnitentiæ conuerti videntur; quamobrem cum negatiuis hæc rarò fieri debere, & non nisi cum exquisitissimis considerationibus, nollem certè vnquam in hoc sacro Tribunali misericordiam excludere, verùm tamen vbi malitiam perfidorum huiusmodi contemplor, auderẽ dicere iustissimè fieri si locus misericordiæ pateret reis donec è carceribus Inquisitorum educerentur, & post nullo modo audirentur, pręsertim cùm tantum, & tamdiu laboratũ sit in eorum conuersione, quia tamen nondũ damnationis sententia est promulgata, ideò in hoc crimine vsque ad id tempus locus est pœnitentiæ, & propterea sententia prior tutior est, sed altera fortasse iustior, spectata perfidorum iniquitate, & sera pœnitentia. Hæc omnia Pegna. Itaque si in aliquo casu Inquisitores viderint specialissimæ conuersionis sign., poterunt reum ad reconcilitionem admittere, quia id videtur pietati & misericordiæ Ecclesiæ conuenire. Vide Decianum lib. 5. c. 39. num. 3. Farinacium quæst. 139. num. 60. Rojas vbi suprà, & alios penes ipsos.

Non desinã etiã adnotare id quod obseruat Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 34. num. 8. vbi sic ait. Post latam sententiam, & publicatam, an reconciliari hæreticus possit, Inquisitorum determinationi relinquitur, rarò tamen reconciliari debet, maximè iam si traditus sit Curiæ sæculari. Ita ille, qui citat Pegnã, Decianum, & Farinacium, quod est valdè notandum. Verum oritur etiam hic aliud dubium, an qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum, sit à DD. Inquisitoribus reconciliandus? negatiuè olim statutum fuit in instruct. Hispal. anno 1483. num. 15. vbi sic habetur. [Si los Inquisidores con el ordinario juntamẽte deliberaren de poner el acusado a question de tormento, y en el dicho tormento confessare el delito, y despues de quitado del dicho tormento ex interuallo cõuiene a saber el dia siguiente, o tercero dia ratificare la dicha su confession en juizio, este tal sea punido como conuicto.] Sic ibi. & ita etiam docuerat Syluanus cons. 89. Sed aduersus illum & meritò, insurgit Simanca in enchirid. tit. 58 num. 14. vbi ita asserit. Plusculum dubitationis habet cum confessio vi adhibita, idest tormentis extorquetur, sed cum reus eam ratam habet, spontè quidem id faciat, atque adeò recipiendus est, quemadmodum omnium consensu receptum, & rectissime vsitatum est contra Syluanum. Ita ille.

Vnde meritò id quod præcipiebatur in supradicta instructione Hispal. postea reuocatum fuit per instruct. Toletan. anno 1561. vbi numer. 13. sic habetur. [Passadas, veynte, y quatro horas despues del tormento se ha de ratificar el Reo en sus Confessiones, y en caso que las reuoque vsar se ha de los remedios derecho, y al tiempo, que el tormẽto se da el notario deue assentar la hora, y assi mesmo la ratificacion porque si se hiziere en la dia siguiente no venga en duda si es despues de las veynte. y quatro horas, o antes, y ratificandose el Reo en sus confessiones, satisfechos los Inquisidores de su buena confession y conuersion podranle admitir à reconciliacion sin embargo que aya confessado en el tormento. Dado que en la instrucion de Seuilla del anno 1484. en el capit quinze se de dispone que confitente en el tormento se hauido por conuencido cuya pena es relaxacion. Pero lo que a qui se dispone esta mas en estilo toda via los Inquisidores deuen mucho aduertir como reciben a los semejantes, y la calidad de heregias que huuieren confessados, y se las aprendieron de otros, o si las hã enseñade à otros algunos por el peligro que de lo semejante puede resultar.] Sic ibi. & ad confirmationem supradictorum vide Rojas de hæret. parte 2. nu. 292. vbi ex alijs iuribus & Doctoribus probat, quòd si reus in tortura hæresim confiteatur, cum legitima ratihabitione reconciliandus sit; perinde huiusmodi confessio est, ac si libera, & spontanea fuisset.

De hæreticis impœnitentibus.

RESOL. XXV.

Esse supradictos puniendos pœna mortis, patet ex c. ad abolendam, de hæret. Sed pro tali casu apponam hic verba Instruct. Toler. anno 1561. vbi num. 43 sic habetur. [Quando el

Reo

Reo estuuiere negatiuo, y le fuere prouado legitimamẽte el delicto de heregia de que es acusado, o estuuiere herege propternuo y pertinax cosa manifesta es de derecho que no puede dexar de ser relaxado a la Curia y braco seglar. Però en tal caso deuen mucho mirar los Inquisitores su cõuersion para que a lo menos muera con conocimiento de Dios, en lo qual los Inquisidores haran todo lo que Christianamente pudieren.] Et diligentias faciendas à DD. Inquisitoribus in tali casu, optimè tradit Camillus Campegius in annotat. ad Zanchinum de hæret. c. 16. lit. A, si tamẽ post adhibitas dictas diligentias heretici pertinaces conuertantur, admittuntur ad reconciliationem sicuti alij hæretici non relapsi, quia tamen talis cõuersio præsumi potest metu mortis facta, perpetuò sunt immutandi, & si sunt in aliquo ordine, prius degradentur, & hæc degradatio de iure debet esse realis, tamen secundùm introductam consuetudinem verbalis sufficit; & hæc omnia docet Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2. cap. 46. nu. 6. Eadem pena mortis etiam imponitur, vt patet in verbis dictæ instruct. Tolet. hæreticis fictione iuris impœnitentibus, vt sunt ij, qui legitimis testibus conuicti, negant hæresim commisisse, quidquid in contrarium asserat Boerius decis. 341. nu. 4. vbi nimis audacter loquitur contra Dominos Rotæ Romanæ, & Iul. Clarus lib. 5. §. hæresis, nu. 10. licèt se remittat determinationi Ecclesiæ.

Sed affirmatiuam sententiam esse veram, communis praxis omniũ Inquisitorum demonstrat, & illam docent Ioseph Sesse tomo 4. decis. 445. num. 15. Lorca in 2. 2. D. Thom. disp. 47. nu. 20. Albertinus quæst. 8. nu. 7. & seq. cum alijs penes ipsos, non enim indulgenda est venia ei, qui non cognoscit peccatum suum, & potius testibus quibus reus conuictus est, quàm ipsi reo in proprio facto fides adhibenda est; & iden instructio Hispal. anno 1484. num. 14. sic habet. [Si alguno siendo inquirido del dicho delitto de heregia lo negare, y persistiere en su negatiua asta la sentencia, y el dicho delito fuere complidamente prouado contra el, como quiera que el tal acusado confesse la se Catholica, y diga que siempre fue Christiano, y lo es, lo deuen, y pueden declarar, y condenar por herege, pues iuridicamente consta del delito, y el Reo no satisface deuidamente à la Yglesia, para que lo absuelua, y con el vse de misericordia pues no confiessa su error. Pero en tal caso los Inquisidores deuen mucho catar, y examinar los testigos, y procurar de saber que personas son y si depusieron con odio, y mal querencia, o por otra mala corrupcion, y repreguntarles con mucha diligẽcia, y hauer informacion de otros testigos cerca de la cõuersacion, y fama, y consciencia de los testigos, que deponen contra el acusado, lo qual se remite à sus consciencias.] Sic ibi, quę omnia in casu occurrenti diligenter in hoc sacro Tribunali à DD. Inquisitoribus obseruantur. Sed hæc opinio limitatur, quando reus in negatiua persisteret, & præsumeretur obliuio. Ita Albertin. q. 34. num. 52. Rojas de hæret. parte 1. num. 84. Sed difficultas est, quando obliuio præsumatur? Pegna in director. Inquis. parte 2. comment. 59. putat non præsumi in factis arduis. Vide instruct. Hispal. anno 1484. §. ibi, [especialmente en cosas, y actos graues, y senalados, &c.] & in atrocibus & horrendis etiam post longum tempus, & idem dicendum est de factis, aut dictis solitis & consuetis, licèt ardua non sint, & in ijs, quæ semper delinquentes comitantur. In cæteris verò causis, quæ insignes, & arduæ non sunt, nec solitæ, & consuetæ, neque delinquentem comitantur, decennio regulariter reputatur obliuio, nisi aliter Inquisitoribus visum fuerit, pensata delicti & personarum circumstantiarũque qualitate. Ex quibus infertur confitentem diminutum, & negatiuum esse Curiæ sæculari tradendum, & ideò Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2. cap. 48. numer. 11. & seq. sic ait. Diminutus qui confitetur de se, non tamen omnes suos errores, nec omnes complices reuelauit, tradẽdus est Curię sęculari, dummodo circa illa non præsumatur obliuio, & diminutio plenè probetur. Si diminutio verò non plenè probetur, & considerabilis sit ac non modica, danda est reo tortura iuxta probationis qualitatem. Diminutus similiter cẽsetur, qui non confitetur omnes qualitates, quæ respiciunt veram & formatam hæresim, & item, qui non confitetur tempus errorum, quãdo obliuio nullo modo pręsumitur, sed malitia. Circa tempus à parte ante facilè saltem regulariter præsumi potest obliuio, complicum obliuisci posse reum præsumendum est, si remoti sint, & cum quibus semel, vel rarò conuersaliatur, præsertim si confitetur de consanguineis & propinquis. Item si confiteatur præcipuos errores, aut circumstantias & qualitates illorum, minores verò taceat, præsumi potest obliuio. Hæc omnia Sousa. Vide Sesse vbi infra, & decis. 445. num. 16. & decis. 446. Verùm Io. Rojas de hæret. par. 2. num. 242. putat reum, qui alios complices, vel omne delicti tempus non reuelat, non esse diminutum, quia non est verisimile, quod qui delictum suum ingenuè confitetur, partem temporis, cùm sit res minoris momenti, occultet, vel alios hæreticos non manifestet. Ita Rojas & post illum Sesse tom. 4. decis. 453. num. 7. & quoad manifestationem complicum obseruat Castrus Palaus to. 1. trac. 4. disp. 6. punct. 2. num. 5. de illo, qui omnes suos errores fateretur, recusat tamen manifestare aliorum errores, quorum cõuincitur habere notitiam, existimare aliquos non esse vt impęnitentem hęreticum damnãdum, quia ex hac occultatione solum cõuincitur fautor hæreticorum esse, non autem verus hæreticus. Ergo non debet vt verus hæreticus, & impœnitens condemnari; & ita asserit Castrus se audiuisse in Inquisitionibus Castellæ practicari, & propter hanc causam torqueri. Sed ipse putat talem vt hæreticum impenitentem posse damnari. Vide Suarez de fide, disp. 23. sect. 2. num. 6. Paramum. lib. 3. quæst. 9. nu. 193. & seq. Simancam tit. 48. nu. 27. & 28. cum alijs penes ipsos. Et tandem nõ desinã hic apponere verba Didaci Canteræ in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 57. vbi sic ait. Vt quis relaxetur ex diminutionibus, est valdè cõsiderandum, quod sint multum claræ, & constet, quòd ex malitia hæreticus non vult dicere & declarare illud, in quo est diminutus, & ideò in Consil. supr. Inquisitionis, maxima cum maturitate, fuit mandatum, quòd propter diminutionem nemo capiatur, (puto corrigendum esse nemo damnetur) sine consultatione ipsiusmet Consilij. Ita Canera, quem sequitur Freyta in editione nouiss. de Confessar. solicit. quæst. 22. num. 57. vbi num. 58. pro praxi circa præsentem materiam sic ait. Aut diminutio est minima, quia diminutus nõ in totum satisfacit testificationi; & tunc admittendus est ad misericordiam nec torquendus. Aut est diminutio maxima, & legitimè probata, & tunc torqueri potest præmissa supremi Consilij consultatione. Ita ille, qui etiam num. 60. addit, quòd DD. dum de diminutis agunt, comprehendunt, & explicant etiam in complicibus, dum verò agunt de relaxandis diminutis, exẽplificant & restringunt se ad diminutos, circa errores & hæreses de quibus conuincuntur, & ideò sentiunt hunc, vel illum complicem omittere, nisi sit Magister, pertinere ad minorem diminutionem, vnde cautè Inquisitores in his se gerere debẽt. Hæc Freytas, quæ valdè sunt notanda.

De Hæreticis relapsis.

RESOL. XXVI.

SVppono si relapsi spontè redeant, Inquisitores debere illos admittere, & pœnam mortis relaxare. Ita Menochius lib. 1. cons. 82. nu. 168. Pegna in direct. Inquis. parte 3. comm. 12. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. abiurare nu. 4. & alij, quidquid in contrarium asserat Rojas de hæret. parte 2. num. 32. Ille verò dicitur spontè comparere & redire, qui in iudicio nõ præuento comparet coram Inquisitoribus, nam si hæreticus relapsus timet, ne ab aliquibus apud Inquisitores accusetur, vel facilè id præuidere potest, tunc non dicitur spontè redire ad Ecclesiam, sed potius ex metu, & tunc relaxandus est Curiæ seculari. Ita Paramus lib. 3. quæst. 4. num. 12. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. num. 21. Sanctarellus tract. de hæresi, cap. 42. num. 17. Decianus libro 5. cap. 56. num. 12. & alij. Sed praxis obseruat, vt ad relapsos pœnitentes mittantur duo, vel tres Ecclesiastici viri, qui eos in fidei veritate confirment, ad patientiam exhortentur in morte, quæ excusari non potest, ex cap. ad abolendam, §. Illos quoque de hæret. tunc recipiant sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vt dicemus, & post duos, vel tres dies Curiæ sęculari tradantur. Cæteros vero casus, in quibus aliquis dicatur relapsus, non est nostrum inquirere, illos per extensum ponit Sanctarellus tractat. de hęresi, c. 42. dub. vn. per totum.

Solùm hic in gratiã curiosorum quęro, an Inquisitores possint damnare tanquam relapsum, qui post abiuratam hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus? negatiuè respondet Rojas de hæret. parte 2. num. 333. Sanctarellus trac. de hæresi capit. 42. dub vnic. num. 9. Treuisanus lib. 1. decis. 57. per totam, Suarez de fide disp. 24. sect. 2 num. 7. & hanc opinionem seruari in Inquisitione Lusitana, testatur Sousa in aphor. Inquis.

lib. 2.

lib.2.c.45.nu.3.quæ opinio procedit, quando vehemens suspitio oritur actu plenè probato, ex quo talis resultat præsumptio non verò quandò solùm ex defectu plenæ probationis. Non desunt tamen DD. quos citat, & sequitur Castrus Palaus tra. 4. disp.6.punct.2.nu.9.asserentes affirmatiuam contrariam, & tenentes supradictum esse relapsum, & afficiendum pœnis latis contra relapsos. Et ideò ego obseruo (nemine hoc aduertente) apud Didacum Canteram in quæst.crimin.cap.1. de hæret. nu. 18.quod in Consilio supr.Inquisitionis fuit practicatus quidam casus, ex quo apparet, quòd si quis sit primò realiter hæreticus, & reconciliatus, licèt secundò sit præsumptus hæreticus, & sit lapsus præsumptus, debet iudicari relapsus. Verùm, quia casus ille fuit particularis, ego aduersùs Castrum non recederem à prima sententia negatiua, quam etiam Farinacius qu. 195.§.1. n.18.asserit seruari per Inquisitores Italiæ. Nota verò, quòd relapsi antequam relaxentur torquendi sunt in caput alienum, si adsit semiplena probatio, quòd deliquerunt cum complicibus, & si relapsus est in aliquo ordine constitutus, priùs est realiter degradandus ab Episcopo, & postea tradendus Curiæ sæculari. Ita Sousa in aphor.lib.2.c.45.n.20.qui n. 18.docet etiam supradictis relapsis dandam esse Eucharistiam, quicquid in praxi alibi obseruatur. Et tandem.

Nota quòd datur casus in quo relapsus ex misericordia iterum reconciliatur, quem vide suprà in c.1.qu.8. Non posse autem Inquisitores tradere relapsos Curiæ sæculari inconsulto supremo Senatu statuitur in instruct. Toletana anno 1561.nu.66. & tradit Molina de iust.tract.5.disp.8.num.14.

De hæreticis absentibus.

RESOL. XXVII.

Deprehensus in hæresi confessione propria facti euidentia, vel testium legitima productione, si se absentet, & legitimè citatus non compareat, tradendus est Curiæ sæculari tanquam verus hæreticus contumax, & impœnitens; citandus est tamen in tali casu peremptoriè ad omnia & singula iudicij acta vt infrà triginta dies compareat, aliàs quòd sua causa vsque ad finalem sententiam iudicabitur; in singulis autem edicti terminis Fiscalis libellum accusatoris edat, & cùm terminus fuerit elapsus, ad sententiam publicam proceditur, & eius statua comburitur. Si verò non sit de hæresi conuictus, sed solummodo inuenitur leuiter de hæresi suspectus; citandus est ad modum explicatum, addita excommunicatione, vt compareat, ipsius autem non comparentis contumaciam accuset Fiscalis, & petat litteras, seu libellos aggrauatorios, quibus denũcietur eius contumacia, & tunc post annum non comparentem declarant illum Inquisitores hæreticum. Hæc omnia Sousa in aphor.Inquis.lib.2.cap.49.nu.2.5.& 6.Simanca tit.46. Pegna in direct.p.3.comment.49.& 91.Farinacius q.190.§.12.nu. 21.& alij.

Sed hic oritur pulchrum dubium, an Inquisitores si post annum absentes contumaces compareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata? Affirmatiuè respondet Scaccia de iudic.&c.lib.1.c.98.n.34. & Farinacius de hæresi q. 85.num. 109. vbi testatur in Inquisitione Romana seruari quod quãdocumque contumaces spontè compareãt, semper audiuntur, & quoad personam & quoad bona.

Verùm contrarium obseruatur in Inquisitione Hispanica quoad bona, nisi de eius innocentia, vel legitimo impedimento constiterit, & ita tenet Simanca tit.2.num. 21.Paramus libr. 3.quæst.4.nu.47.Pegna in director.p.3.comment.49. Io. Rojas singul.145.num.5.Sanchez in summ.tom.1.lib.2.cap.20. n. 27. & Sousa in aphor. Inquis.lib. 2. cap. 49. num. 7. vbi sic ait, Qui elapso anno cõtumaciter in excommunicatione perseuerauit, etiamsi coactus & post combustam eius statuam comparuerit, audiendum est quantum ad excusationem criminis, & probationẽ innocentiæ, non verò ad hoc vt bona recuperet, nisi vel de innocentia eius, vel de iusto impedimento legitimè concilietur, præmissa abiuratione prout iuris fuerit, nisi sit relapsus. Ita ille. Et ratio quare tales non audiantur quoad bona, tradit Sanchez vbi suprà, quia quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, elapso iam anno transeunt in rem iudicatam, & ideò non est mirum si postea reus comparens circa illa non audiatur.

Notandum est tamen hic obiter cum Simanca tit. 31. nu.4. Farinacio quæst.185.§.7.num. 98. & 99. Sousa vbi suprà nu. 11. quòd in crimine hæresis pro absente citato Procurator comparens admittitur, vt defensor innocentiæ, dummodo res sit dubia, & reus sit tantùm de hæresi suspectus. Nam si verè sit hæreticus, ac de eius hæresi in processu constet, tunc non admittitur vt defensor, sed tantùm ad excusandum contumaciã, & allegandas absentiæ causas, propter quas aliquando Inquisitores solent prorogare terminum ad comparendum, & ita Castrus Palaus tractat.4.disput.8.punct.16.§.3.num. 2. testatur in Inquisitione Compostellana anno 1619.ex decreto supremi Senatus fuisse prorogatum terminum cuidam reo per quatuor menses.

Nota etiam quòd bona absentium in tertium possessorem translata, licèt de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulò ante citationem fuga præcessit, probarique facilè possunt, quæ bona sint, sequestrari debent, & ita responsum fuit à supremo Inquisitionis Senatu Inquisitoribus Galletiæ anno 1620.

Sed etiam non est omittenda hic celebris illa quæstio, an bona supradictorum reorum, propter contumaciam debeant ab Inquisitoribus publicari à die quo testes deponunt illos in hæresim incidisse, vel potiùs à die qua per sententiam contumaces declarantur. Olim mordicus sustinebam, talem confiscationem bonorum debere fieri à die latæ sententiæ in contumaciam delicti ex rationibus quas adducit Gabriel Quemada in quæst.fiscalibus, quæst.8.per totam. Sanchez in summ. tomo 1.lib.2.cap.22.num.35. Vasquez in 1.2 quæst.96.art.5. disp. 170. toto cap.3.Molina de iustit.tom.1.disp.95.Henriquez lib.13.c. 56.num.2.Auila de cens.part.1.dub.7.& Simanca tit.9. nu. 21. vbi sic ait. Bona eius, qui deficit in purgatione, aut propter cõtumaciam damnatus est, non publicãtur nisi ab eo die, quo hæreticus esse præsumitur, non autem à tempore, quo testes aiunt illum fuisse hæreticum, atque hæc opinio benigna interpretatione recepta est. Sic ille. Sed licèt, vt dixi, hãc sententiam olim mordicus sustinebam, attamen modò contrariam probabilissimam esse puto, quam nouissimè tuetur Farinacius, quem citat & sequitur Castrus Palaus tract.4.disp.3.punct.22.n. 2. quibus ego addo Azorium to.1.lib.5.c.7.q.2.& lib.8.c.12.q.2. Sayrum in Claui Regia lib.3.cap.9.nu.30.Menochium consil 185. n. 8. Peregrinum de iure fisci lib.5.tit.1.n.176.& Lessium lib.2.c. 29. dub.8.num.64.& ita in praxi obseruatum fuisse in Inquisitione Galletiæ, hoc approbante supremo Inquisitionis Consilio, testatur Inquisitor San Vincente in manuscript. quod est valdè notandum pro casibus occurrentibus.

De hæreticis defunctis.

RESOL. XXVIII.

Licèt omnia crimina morte extinguantur, ex l. defuncto, ff. de publicis iudicijs; non tamen crimine hæresis extinguitur, & ideò contra hæreticum post mortem possunt DD. Inquisitores procedere, vt affirmant Doctores quos citat & sequitur Sanctarellus de hæresi cap. 27. dub.1. numer. 12. Igitur formato processu si hæresis est plenè probata, hæreticus mortuus damnandus est, & eius bona fisco sunt applicanda, etiamsi deuenerint in manus tertij possessoris, & si eius ossa à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt, & eius statua cõburenda. Si tamen non probetur eius delictum, neque speretur breui probandum, tunc erit absoluendus, nam superuenientibus nouis probationibus quæ cum prioribus iunctis hæresim plenè probent, poterit sic absolutus condemnari, vt notat optimè Pegna in director.part.4. comment.92.qui etiam optimè notat quod dum causa hæretici mortui agitur, bona eius non sunt sequestranda à tertijs possessoribus, non enim debent in casu dubij illorum vsu priuari. & ideò in instruct. Toletan.anno 1561.numero 81.habentur hæc verba.[Aunque la probança contra el difunto sea bastante y euidente no se ha de hazer secestro de bienes porque estan en poder de terceros posseedores, &c.]

Notandum est tamen hic quòd hæreticus defunctus condemnari non potest nisi priùs citatis filijs, vel hæredibus, siue præsentibus, siue absentibus, siue certis, siue incertis, & illis dãda est copia indiciorum & accusationum, sic statuitur in instruct.Tolet.anno 1561.n.61. ibi[Notificase ha la accusation del fiscal à los hijos o herederos del difunto, &c.]& ita etiam

docet Pegna vbi suprà, cui addendus est Decianus in tra. crim. lib. 5. c. 57. n. 8. qui filij & hæredes non tenentur per se comparere, sed sufficit si per procuratorem compareant, vt notat Simanca in cathol. instit. tit. 43. n. 3. Immò ego puto contra Rojas singul. 39. quòd quilibet è populo volens defendere hæreticum defunctum, admittendus sit, neque ob id dici potest hæreticorum defensor, & ita docet Gundissaluus de hæret. q. 12 num. 9. Simanca in enchir. tit. 61. num. 8. & alij vbi suprà.

Aduertant etiam DD. Inquisitores quòd procedere non debent cōtra memoriam defuncti priusquam de illius hæresi planè constiterit per legitimas probationes, quę ad condemnationem sufficiant, & ita intelligenda est instructio Toletana anno 1561. nu. 61. vbi dicitur. [Quando se huuiere de proceder contra la memoria de algun difunto hauiendo la probança bastāte, &c.] quæ verba vt aduertit Io. Rojas de hæret. part. 2. num. 30. disponūt plenam probationem requiri, vt aduersùs defunctum hæreticum procedatur, videlicet si duo legitimi testes existant, & ita tenet Simanca in cathol. instit. tit. 18. num. 14. Pegna vbi supra, quicquid asserat Decianus in tract. crim. lib. 5. ca. 57. num. 6. & 9. cum alijs. Hinc infertur quòd si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, eius memoria damnari nō poterit, nisi aliundè eius hæresis plenè, & concludenter probata fuerit, & ita ex Simanca & Deciano notat Farinacius de hæresi quæst. 197. nu. 99. Item de hæresi suspecti post mortem damnari non possunt, quia non sunt hæretici, & ita habetur expressè in c. accusatus, §. si verè de hęreticis in 6. & docet Simanca in cathol. instit. tit. 4. nu. 5.

Sed nota hic duos casus, in quibus quis damnari potest tāquam hæreticus post mortem. Primò, si in carcere existens seipsum interemit, quia talis mors est quædam hæresis confessio, nam præsupponitur ex conscientia criminis se interfecisse, nec de illa pœnitere voluisse. Ita Gundissaluus de hæret. q. 22. nu. 1. Simanca in cathol. instit. tit. 18. n. 31. & alij. Secūdò quando hæresis est probata sufficienter ex eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicationem saltem ob caussam fidei. Ita Iul. Clar. ll. 1. §. hæresis, n. 19. Decian. in trac. crim. lib. 5. c. 57. nu. 6. & alij. Quando autem damnatur hæreticus defunctus, eius ossa exhumenda sunt, si fortè ab alijs possunt distingui, & cum eius statua comburenda, vt obseruat ex multis Farinac. q. 197. nu. 92. & 94. & forma sententiæ desumenda est ex Pegna in direct. p. 3. comment. 93. circa finem.

Sed restat discutere difficilem quæstionem, quando videlicet Inquisitores ex lapsu temporis non possunt procedere aduersùs hæreticum defunctum. De hac quæstione agit Rojas singul. 50. & alij penes ipsum, quibus adde Zanchinum de hæret. c. 24. nu. 5. & ibi Campegius lit. B. aliqui recentiores, vt Ferdinand. de Castro Palao in opere mor. to. 1. trac. 4. disp. 8. punct. 17. §. 7. nu. 16. putant spatium 40. annorum sufficere vt Inquisitores aduersùs hæreticum defunctum non possint procedere, quia ex c. fi. de præscript. ius confiscandi bona hæreticorum 40. annis præscribitur.

Verùm mihi contrariam sententiam placet, quā tuentur Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 92. Simanca in cathol. instit. tit. 18. num. 14. Couarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. num. 16. Graffius in decis. lib. 2. c. 11. n. 12 & Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. c. 22. nu. 42. vbi docent quòd nullo temporis spatio præscribitur actio procedendi per DD. Inquisitores contra hęreticum defunctum ad eius memoriam damnandam, & statuam comburēdam, & ad text. cap. fin. de præscript. quem adducit Castrus, respondeo, quòd ibi tantùm agitur de præscriptione, quòad sola bona hæreticorum; & ita nostram sentētiam aduersùs Castrum & alios tenet nouissimè doctus Acugna Archiepisc. Bracharensis in decretum Gratiani p. 1. dist. 23. c. 14. n. 6. vbi tamen notat, quòd contra fautores & receptatores hæreticorum iam mortuos, nō potest accusatio refricari sicuti neque contra suspectos de hæresi, sed tantùm contra hæreticum defunctum.

Notandum est tamen hic obiter cōtra gloss. in l. Manichęos ver. subire, C. de hæret. Bartolum in l. 2. C. de Apostat. & alios, bona hæreticorum non præscribi à possessoribus spatio quinq; annorum, quòd falsum est, etiamsi applicanda esset fisco sæculari, vt malè sentit Couarru. vbi supra. Quemada in qq fiscal. quæst. 16. concl. 2. & 3. Gomez lib. 3. var. cap. vlt. num. 5. & alij, nam vt suprà dictum est, ad præscriptionem bonorum hæreticorum ex cap. fin. de præscript. in 6. requiruntur 40. anni, & in præscriptione circa bona hæreticorum, standum est iuri Ecclesiastico, & non ciuili. & ita docet Sanctarellus de hæresi ca. 22. dub. 2. n. 8. & Doctores superiùs citati, qui etiam obseruant cōditiones necessarias ad dictam præscriptionem. Vide etiam Azorium tom. 1. li. 5. c. 7. q. 16. Molinam de iustit. & iure. tom. 1. disp. 73. Gundissaluum de hæret. qu. 22. Syluestrum ver. hæreticus 1. n. 14. Tabienam eodem ver. num. 12. gloss. in d. cap. fin. de præscr. ver. hæretici, & ibi Domin. in §. si post mortem, num. 4. Abbat. in c. cum nobis, eodem tit. n. 8. & ibi Felinum n. 15. cum alijs penes ipsos.

De Schismaticis.

RESOL. XXIX.

TRibus ferè modis, vt obseruat optimè Lorca in 2. 2. D. Th. q. 40. art. 1. sect. 3. disp. 48. nu. 5. generatim potest schisma cōmitti; vno per separationem à membris, & non à capite, vt si Hispani in spiritualibus & actibus Religionis Christianę nollent communicare cum Italis, qui modus schismatis rarus est. Altero, recedendo à solo capite, & non à membris, qui modus faciliùs contingere potest. Tertiò recedendo simul à capite & à membris, qui euenit dum is, qui se separat ab obedientia Pontificis, se etiam separat à communicatione eorum, qui eum vt verum Pontificem sequuntur. Recessus autem à Summo Pontifice potest contingere adhuc tripliciter. Primò negando obedientiam vero Pontifici. Secundò instituendo & sequendo psuedo Pontificem. Tertiò exercendo actus Pontificiæ potestatis sine authoritate Pontificis. Ex his omnibus modis committitur peccatum schismatis, & ferè omnes in diuersis Canonibus iuris tanquam schismata reprobātur, Nam in Bulla Cęnæ damnantur vt schismatici, qui se subtrahunt ab obedientia Rom. Pontificis, & in c. licèt, de elect. damnatur Pōtifex intrusus, & qui ei adhæret & in ca. nec licuit, dist. 17. & c. de Liguribus 24. q. 1. cēsentur schismatici qui Synodos congregant sine Romani Pontificis authoritate. & in c. non furem 7. q. 1. qui inuadit Episcopatum. De schismate autem quo aliquis se separat à sola vnitate membrorum, nulla fit mentio in iure, quia, vt dixi, hoc genus schismatis numquam solet accidere.

Hoc supposito deueniendo ad pœnas ex doctrina Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsump. 6. n. 24. quem sequitur Castrus Palaus to. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 9. n. 19 Schismatici sunt de hæresi vehementer suspecti, & ideò si hæc doctrina esset sequenda, illorum abiuratio deberet esse de vehementi. Verùm hęc opinio Castri Palai ita generaliter prolata mihi non placet, ideò assero cum Sousa in aphor. Inquis. li. 1. c. 20. n. 13. quòd schismatici non hæretici regulariter de hęresi leuiter tantum sunt suspecti; pro temporis tamen diuturnitate qua in schismate perseuerarūt vehementem suspicionem incurrere possunt, quam abiurare tenentur. Ita ille. & ante illum Duardus in Bull. Cęn. li. 2. can. 1. q. 156. n. 12. & Pegna in direct. p. 2. comment. 73. Igitur supradicti ex consideratione diuturnitatis temporis, circūstantiarum & personarum aliquando vel leuiter, vel vt vehementer de hæresi suspecti abiurabunt, & si errorem habuerint in intellectu abiurabunt vt hæretici de formali.

Nota tamen quòd supradicti non solùm suspicionem hęresis leuem, vel vehementem, vt dictum est, abiurare debēt, sed etiā schisma. Forma verò schismaticorum abiurationis debet esse, vt obseruat Sanctarellus tra. de hæresi c. 43. dub. 1. nu. 16. & alij penes ipsum; iuxta dispositionem c. quoties cordis, 1. qu. 7. Sed quoad alias pœnas Castrus Palaus to. 1. tr. 6. disp. 4. punct. 6. nu. 20. asserit supradictos posse puniri pena pecuniaria, exilio, carcere, triremibus, & si pertinaces existunt, tradendos esse Curię sæculari, & hæc omnia docet etiam Sousa in aphoris. Inquis. li. 3. c. 27. n. 7. Item, vt videre potes apud Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. c. 36. à num. 10 & alios penes ipsum, puniuntur supradicti. Primò pęna amissionis iurisdictionis. Secundò excommunicationis latę sententiæ. Tertiò inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica acquirenda, etiam post schismatis pœnitentiam. Quartò priuationis ipso iure beneficiorum ante schisma adeptorū. Vide etiam alias pœnas contentas in constit. nostri Pauli IV. edita anno 1559. quam commentarijs illustrat Scortia in Bull. Pontific. epit. 72. theor. 182. & seq. & Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 57. n. 13.

Notandum est tamen hic contra Pegnam in director. part. 2. comment. 73. Duardum in Bull. Cœn. libr. 2. quæst. 56. nu. 5. & alios non esse in iure irregularitatem inflictam contra schismaticos, nam in c. quia diligentia, de elect. quod pro se adducit

Pegna,

Pegna; nihil afferitur de irregularitate, sed solùm de habilitate ad beneficia. Et ita nostram sententiam tenet Suarez de censur. disput. 43. sect. 2. num. 7. & alij. In vno casu tamen schismaticos esse irregulares, dicendum est, quando nimirum schisma esset publicum, sed in tali casu essent irregulares irregularitate generali, quæ ex quouis crimine notorio digno dispositione oritur, quæ cessat ablata infamia per contrariam pœnitentiam. & ita obseruat Sayrus de censur. lib. 7. cap. 12. nu. 16. ver. 3. iuncto ver. Primus est de hæresi, & Bonacina in Bull. Cœn. disp. 1. qu. 1. punct. 5. nu. 13.

Notandum est etiam hic cum Coninch. in 2. 2. D. Tho. disp. 30. dub. 5. num. 48. ex Caietano in 2. 2. quæst. 39. art. 1. in fine, & in summ. verb. schisma, vt quis sit schismaticus, non sufficere quòd in re aliqua particulari nolit obedire Pontifici, quia ipsi videtur nimis difficilis, aut contra suum honorem, aut temporalem commoditatem, aut quia puta Pontificem non posse sibi similia præcipere, aut similem ob causam, modò agnoscat eũ esse Superiorem & caput Ecclesiæ. Nam ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellione, qua quis vult se omninò subtrahere à subiectione eius quem nouit certò esse Pôtificẽ, aut saltem nullam habet probabilem rationem dubitandi an alter sit verus Pontifex; si verò dubitet probabiliter, an sit verè, aut validè à Cardinalibus electus, non esset schismaticus, si ei nollet subijci. Vnde etiam Valentiam to. 3. disp. 3. q. 15. punct. 1. prop. 3. & Bonacinam in Bulla Cœn. disp. 1. qu. 2. punct. 5. n. 3. Et hæc dicta sufficiant circa pœnas delictorum in particulari; tamen pro complemento materiæ huius tractatus necessariam esse existimo discussionem aliquorum dubiorum in praxi sæpius occurrentium, quæ infrascripta erunt.

An Inquisitores possint vnire duas semiplenas probationes ad damnandum reum pœna ordinaria?

RESOL. XXX.

NEgatiuè respondet Antonius Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 5. nu. 10. Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 10. nu. 7. Anton. Queuedo de indicijs & tortura p. 1. c. 6. nu. 2. Simanca in cathol. instit. tit. 51. n. 5. & in enchir. tit. 34. n. 3. Pegna, Farinacius & alij penes ipsos, & ratio est, quia cùm quælibet semiplena probatio in suo ordine diuersa sit, non potest cum alia coniungi.

Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam in fauorẽ fidei tenendam esse docent duo præstantissimi Inquisitores, Io. Rojas sing. 188. n. 16. & Vmbertus Locatus in praxi, ver. testis, quia cum vtraque semiplena probatio ad eumdem finem tendat in causis hæreticorum, potest cum alia coniungi, & hãc sententiam nouissimè tenet Ioseph Sesse Consultor S. Officij in decis. regni Aragon. tom. 4. decis. 477. num. 24.

Verùm ego tunc huic sententiæ libenter adhęrerem, quando simul cum duabus semiplenis probationibus essent alia indicia, & ita tenet Doctiss. Inquisitor Didacus Cãtera in q. crim. c. 2. de prob. per testes, q. 5. nu. 2. qui citat Ripam. Vnde concordãtur supradictæ sententię contrarię, nam prima negatiua procedit quando tantum adsunt duæ semiplenæ probationes; secunda verò affirmatiua procedit, quando cum semiplenis probationibus cõcurrunt alia indicia. Sed hodie regulariter praxis Inquisitoribus Hispanicę absolutè sequitur opinionem negatiuam, & non damnat hæreticos ad pœnam ordinariam, ex duabus semiplenis probationibus, etiamsi adsint alia indicia.

An Inquisitores possint condemnare reum hæreticum ad pœnam ordinariam, si adsint tantum testes singulares?

RESOL. XXXI.

AFfirmatiuam sententiam docet Anton. Gomez var. tomo 3. c. 12. n. 12. Zanchinus in tract. de hæret. cap. 16. n. 6. cùm alijs, quos citat Rojas de hæret. p. 2. assert. 6. nu. 139. & ratio est, quia omnes hæreses connexæ sunt & inuicem colligatæ, vt patet in c. excommunicamus 1. de hæret. ca. accusatus, eodem tit. in 6. & secundùm hanc sententiam ad probandum, quòd Caius sit hæreticus satis est, si testes singulares contra illum testificẽtur de diuersis hæresibus prolatis ab eo diuerso in loco & tempore, vt si, v. g. aliquis testificet audiuisse Caium mẽse Ianuario tali loco negantem in hostia cõsecrata esse corpus Christi, alius dicat diuerso loco & tempore Caium negantem Mariam matrem Dei esse Virginem, &c.

At his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tuentur DD. quos citat Rojas loc. cit. num. 134. quibus ego addo Didacum Cantera in qq. crim. cap. 2. de vera Confess. num. 17. Zanardum in direct. Confes. p. 3. c. 111. nu. 11. Azorium to. 3. lib. 13. ca. 27. q. 7. Flores de Mena var. qq. lib. 3. qu. 22. n. 45. Aragon. in 2. 2. D. Th. q. 70. art. 2. Sanctarellum tract. de hæret. c. 39. dub. 1. n. 4. Motlam in empor. iuris, p. 1. tit. 11. in prælud. n. 51. Sayrum in Claui Reg. lib. 12. c. 21. nu. 6. Mirandam de ordin. iudic. q. 23. art. 4. concl. vnic. in fin. Menochium vol. 2. cõsil. 149. n. 17. & 44. & Ignatium de Villar in sylua respons. libr. 1. resp. 15. n. 38. & ratio est, quia per testes singulares nulla species hæresis est plenè probata, nam ex pluribus diuersis nũquam resultat vnum integrale, vt patet in l. sancimus, §. si quis autem C de donat. & in l. vsuræ, C. de vsuris, & plura imperfecta non faciunt vnum perfectum, vt habetur in l. vnic. quę ita summatur, C. qui num. tutel. se excus. Non est tamẽ negandum, vt optimè obseruat Cantera loc. cit. quòd ex testibus singularibus posset fieri probatio, vt daretur aliqua pęna extraordinaria, vel aliqua tortura; & ita etiam docet Scaccia de indicijs to. 2. li. 2. c. 9. dub. 10. n. 527. Sed cũ hæc omnia vera sint difficultas est an sit testes de eadem hæresi sint cõcordes, sed eam quisque audiunt in vario loco & diuerso tempore, an, inquam, dicti testes sufficiãt in condemnandum hæreticum pœna ordinaria? Affirmatiuam sentẽtiam docet doctus Simanca in enchir. tit. 37. n. 8. & in instit. cathol. tit. 64. n. 77. contra quem insurgit nouissimè Freytas in addit. ad tract. de Confes. solic. Rodericus Acugna q. 22. nu. 27. & alij penes ipsum, cum Flores de Mena var. qq. lib. 3. q. 22. n. 45. Scaccia loc. cit. & Io. Rojas, qui in tr. de hæresi p. 2. nu. 145. periculosam vocauit hanc sententiam Simancę. Verùm illã sequuntur Salicetus in l. testium, c. de testib. n. 26. Conradus Brunus lib. 4. de hæret. ca. 9. & ex neotericis Hippolytus Riminald. lib. 1. cons. 7. & Leonard. Lessius de iustit. & iure lib. 2. c. 30. dub. 4. n. 33. vbi sic asserit. Si duo de eadem hæresi asserta deponunt, & solùm in tempore discrepent, plenè probant, quia in substantia delicti conueniunt, & quamuis non sit idem numero actus tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu, immò discrepantia temporis interdũ facit ad maiorem fidem. Ita Lessius. Vnde patet nimis rigidè contra Simancam loquutum fuisse Rojas; nam licèt eius opinio sit probabilior, tamen opinionem Simancæ non periculosam, sed probabilem esse puto. & ideò nouissimè illam mordicus defendit Sousa qu. vnic. de testibus singul. sect. 2. nu. 11. post aphor. Inquis. & tamquam probabilem etiam admittũt Ioseph. Aldrete de relig. discipl. tuend. lib. 2. cap. 3. n. 29. & Anton. Sanctarellus trac. de hæresi cap. 39. dub. 1. nu. 6. in fine, & post hæc scripta inueni eamdem opinionem Simancæ docere etiam Miranda de ordine iudic. tom. 1. quæst. 17. art. 8. conclus. 5. & Villalobos in summ. tom. 2. tract. 17. diff. 3. num. 6. vbi ita ait. [Por testigos singulares no se puede prouar que vno es herege, mas el maestro Aragon in 2. 2. q. 70. art. 2. Saca dos casos. El primero es, quando los testigos concuerdan en la heregia, y descuerdan en el tiempo, o lugar. porque en este caso, seria como el ladron que mostro la cosa que hauia hurtado à diferentes personas en diferentes tiempos y lugares. El segundo caso es quãdo los testigos singulares caminan à vn fin y son muchos y fide dignos, que entonces se le puede dar entero credito.] Ita ille & hæc dicta sufficiant pro defensione Simancæ, licèt ego, vt dixi, contrariam sententiam teneam, quãmetiam nouissimè tenet Palaus Layman in theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. c. 4. nu. 5. Dico igitur quòd etiam si reus pluribus testibus singularibus idoneis vrgeatur, adhuc ordinaria pœna puniri non poterit, & ideò si in negatiua persistat per aliquod temporis spatium, expectandum & inquirendum, an testes per omnia concordes haberi possint. Sed prius torquendus qui si nihil confiteatur, abiuret de vehementi, tunc ad triremes, vel carcerem perpetuum damnetur, nec Curiæ sæculari tanquam negatiuus relaxari poterit; & hęc omnia docet etiam Pegna in direct. Inquis. part. 3. comm. 121. & Scaccia de iudic. lib. 2. c. 9. dub. 10. n. 527. & Castrus Palaus tract. 4. disp. 8. punct. 15. § 4. nu. 16.

Nota tamen, quòd ex diuersitate supradictarum opinionum orta est differentia inter stylum Inquisitionis Hispan. & Inquisitionis Lusitaniæ. nam in Inquisitione Hispanica hæretici nunquam damnantur ad pœnam ordinariam, ex

testibus singularibus; secus autem in Inquisitione Lusitana, vt notat Sousa in quæst. vn. de testib. sing. post aphor. Inquisit. & ideò Fernandez in exam. Theol. mor. par. 1. cap. 19. §. 10. nu. 19. sic ait. Crimen hæresis Iudaismi, Lutheranismi, &c. sufficienter probatur per plures actus singulares tendentes ad eundem finem, atque ideò testes de his criminibus singulariter testificati verè habentur concordes, & probat vsus Inquisitorum in nostra Lusitana, quia aliter non satis prouideretur bono communi, poterit enim vnus hæreticus totam inficere vrbem, & Iudæus cum singulis iudaizare, neque tamē conuinci. Oppositam sententiam sequuntur Inquisitores in Hispania. Ratio eorum est, quia nulla species perfectè probatur, nisi in aliquo singulari indiuiduo. Ita Fernandez. Verùm in Tribunali Inquisitioni huius Regni Siciliæ obseruatur vsus Inquisitorum Hispaniæ, & ita etiam obseruat praxi Inquisitionis Rom. vt notat Freytas in tract. de Confess. solicitat quæst. 22 numer. 21. vt patet apud Farinacium q. 64 num. 218. in fine, & apud Mascardum lib. 2. concl. 856. num. 25. & 26. & iterum docet Freytas vbi supra in edit. nouiss. num. 64. vbi probat circa præsentem quæstionem omnes alias Inquisitiones sequi debere stylum Inquisitionis Romanæ, & non damnare reum ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus.

An reus hæreticus mala vita & fama possit puniri ab Inquisitoribus pœna ordinaria ex duobus tantum testibus, contestibus tamen & idoneis.

RESOL. XXXII.

Videtur prima facie respondendum negatiuè, quia, vt docet Acugna de confess. solic. q. 23. nu. 7. & alij penes ipsum testes quorum nomina non publicantur respectu rei, non sunt idonei, & omni exceptione maiores. Sed in Tribunali SS. Inquisitionis nomina testiū nō manifestātur reo. ergo, &c. Minor patet ex praxi, & maior probatur, quia delatus non potest per ignorantiam testium, de quibus nomina nescit, aduersùs eos aliquid obijcere. ergo non erunt testes omni exceptione maiores. Et ita hanc sententiam docet ex Neotericis Octauius Spacharius in praxi Regul. tract. 7. cap. 14. num. 2. Eymericius in director. Inquisit. par. 3. quæst. 71. Albertin. de agnoscen. prop. hæret. quæst. 34. num. 3. & alij penes Farinac. tract. de hær. quæst. 88. § 9 num. 56. quibus adde Barbosam in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. num. 5.

Verùm ego contrariam sententiam teneo, quam tuetur Didacus Cantera in q. crim. c. 1. de hæt. n. 61. Io. Simāca in enchir. tit. 34. n. 5. & in instit. tit. 51. n. 8. & tit. 64. n. 36. Gundissaluus trac. de hæret q. 13. nu. 9. & alij, quos nouissimè citat & sequitur Anton. Sanctarell. tract. de hæret. c. 39. dub. 2. num. 12. quibus adde Torreblanca de magia lib. 3. c. 17. n. 70. Lessium lib. 2. c. 30. dub. 4. n. 33. & ratio est, quia cum in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & nullo iure ab hac regula excipiūtur ij, qui de hęresi debent damnari; ergo iustè per duos testes cōdemnabuntur, & hanc sententiam velut communem sequitur etiam Iul. Clar. in pract. lib. 5. §. hæresis, n. 20. & eam vsu esse receptam in Tribunalibus Inquis. testatur Pegna vbi infra. Nec contra sententiam nostram faciunt DD. pro opinione negatiua citati. nam, vt obseruat Farinacius loc. cit. nu. 18. concordandi sunt, vt videlicet loquantur, quando testes non sunt omni exceptione maiores, & sic testimonium duarum fœminarum non sufficiet ad condemnandum hæreticum; vel dic melius, quòd Doctores contrarij loquuntur in casu, quando delatus est vir alioquin bonæ famæ; secus autem si esset malæ famæ. & ita Io. Rojas de hæret. part. 2. num. 103. sic ait. Ego non auderem in tam graui crimine duobus tantum legitimis testibus quempiam condemnare, nisi delatus esset malæ opinionis & famę, vel alia adminicula contra eum concurrerent, quo casu communis DD. opinio esset tenenda. Ita Rojas, & alij.

Restat modo respondere ad argumentum contrarium supradictum, ad quod respondeo cū Ioseph. Aldrete de relig. discipl. tuend. lib. 1. cap. 14. num. 13. & alijs, quod in sacro Inquisitionis Tribunali diligentia DD. Inquisitorum supplet abundanter id quod defensionis, in testium nominibus supprimendis, adimitur.

Claudam igitur hoc quæsitum cum verbis doctiss. Francisci Pegna in dictor. Inquis. comment. 20. sic asserentis. Non possumus diffiteri liberum esse iudicibus fidei, & ob communem sentētiam, & ob iura duos solùm testes idoneos in quauis causa postulantia, & ob communem vsum sacri Tribunalis Inquisitionis, ad voces duorum testium idoneorum, reū huius criminis condemnare. Negatiua sentētia valdè benigna est & secura, quæ tunc potissimum non esset contemnenda, quando reus insignis probitatis communiter haberetur, & integræ famæ & incorruptæ vitæ; tunc enim non esset incongruum, aut differre supplicium, donec fortè aliæ accederent coniecturę & probationes; aut mitiùs punire, & hac etiam ratione videntur loquuti huius opinionis assertores. Ita Pegna. Vnde reus male vitę & famæ potest puniri à DD. Inquisitoribus tanquam hæreticus ex delatione duorum testium, dummodo sint contestes, & omni exceptione maiores, & ita pręter DD. citatos tenet etiam Malleus maleficarum tom. 1. p. 3. q. 2. & hæc dicta sint in rigore loquendo, nam hodie praxis nostræ Inquisitionis Hispanicę regulariter non damnat quoscumque hereticos ad pœnam ordinariam, nisi per tres testes contestes idoneos.

An Inquisitores possint damnare reum vt publicè abiuret de leui.

RESOL. XXXIII.

Negatiuam sententiā docet Sanctarellus tract. de hæresi c. 41. dub. 2. n. 4. Sigismundus Scaccia de iudic. caus. &c. lib. 1. c. 59. nu. 10. Pegna in direct. Inquis. p. 2. comm. 40. Barbosa in collect. to. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 12. & Rojas singol.....nu. 26. vbi sic ait. Secunda differentia, quæ est inter abiurationem de vehementi, & de leui, est respectu loci; nam abiuratio de vehementi fit solemniter in conspectu totius populi, sed de leui in domo Episcopi, vel coram Inquisitoribus. Ita ille, & ante omnes Simanca tit. 1. nu. 24.

Verùm hæc sententia ita absolutè prolata (pace tantorum virorum) mihi non placet, & hodie praxis S. Inquis. Hispan. in aliquibus casibus, vt patet, est in contrarium; nā contrahentes binas nuptias abiurāt de leui, & tamen publicè: idem etiam faciunt aliquādo blasphemi legentes libros hæreticorum, Astrologi iudicarij, &c. vt infra suis locis patebit. Vnde libenter adhæreo sententiæ Eymericij, qui pro sua sentētia malè citat Rojas in direct. Inquis. p. 3. n. 161. vbi docet, quòd reus si est suspectus publicè, debet etiam publicè abiurare de leui; si autem nō abiurabit in Audientia secreta. Inquisitorum, secundùm quòd apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi. Igitur in casibus contingentibus, hoc remittendū puro arbitrio DD. Inquisitorum; & ideò Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. c. 40. num. 5. loquens de abiuratione leui, sic ait. Hæc abiuratio aliquando fit publicè, aliquando verò secretè, secūdùm quod culpa publica, occulta fuerit, prout Inquisitoribus videtur. Ita ille.

Nota etiam quòd licèt abiuratio de vehementi, debet fieri publicè & in loco publico, vt diximus, & docet Rininald. li. 6. cons. 686. Menochius de arbitr. lib. 2. cas. 322. num. 1. constat ex cap. ad abolendam, §. præterea. de hæret. & ibi Butrius n. 6. Socinus n. 8. & Ananias n. 12. & ex Bulla Martini V. tamen aliquādo, vt optimè notat Pegna in direct. Inquisit. par. 3. comment. 40. n. 161. rationabilis causa potest suadere, vt abiuratio de vehementi efficiatur etiam non publicè, sed secretò. Ætas verò necessaria ad abiurandum in masculis est 14. annis, in feminis 12. vt patet ex Concil. Tolet. cap. 31. & Bituricensi cap. 31. Non desinam tamē hic apponere verba instruct. Vallisoletanę ann. 1488. §. 12. sic asserentis. [Los menores de edad de discrecion assi hombres como mugeres, no sean obligados a abiurar publicamēte saluos despues de los dichos años de discrecion, que son doze en embra, y catorce en varon. y que assi se entienda el capitulo de las ordenaciones de Seuilia, que en esto dispone y que sendo mayores de los dichos años, abiuren de lo que hizieren en menor edad, siendo doli capaces.] Quæ verba vt obseruat Paramus lib. 3. quæst. 4. n. 17. & ante illum Pegna in director. part. 3. comment. 40 n. 162. indicare videntur pueros ante annum 14. & fęminas ann. 12. posse abiurare, non tamen publicè, si doli capaces fuerint. Sed ego puto, hanc sententiam rarò à DD. Inquisitoribus in praxi deducendam esse, & ideò Sousa in aphor. lib. 2. c. 40. num. 4. sic ait. Masculi ante 14. annum, fœminæ verò ante 12. non abiurant, nisi rarò, etiamsi sint doli capaces. Ita ille, & Pegna loc. cit.

Aduertendum est tamen, quòd supradicti si reconcilientur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabuntur

buntur ex misericordia consulto supremo Inquisitionis Consilio videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapso, iterum ed reconciliationem. & ita tenet Inquisitor San Vincente in manuscript. c. 9. §. 3. vbi sic ait. [Si el relapso esta conuencido de la telapsia por testigos, hauiendo sido la primera vez solo conuencido por su confesion, aunque en tigor deue ser relaxado, se deue atender mucho a la edad y capacidad del Reo, al tiempo de la primera reconciliacion, pues per lo menos siendo de los que abjuraron los errores, que tuuierô menotes las mugeres de doze y los hombres de quatorce años, conforme a la instrucionde. Valladolid, ibi doli capaces, parece que se deue vsar con ellos de misericordia, admitiendolo segunda vez a reconciliacion consultando siempre al Consejo.] Sic ille. Cuius opinio deseruiet suprà proximè c. 26. de relapsis.

An Inquisitores debeant punire tanquam hæreticum facientem ritus hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem.

RESOL. XXXIV.

EGo more meo breuiter, & clarè colligam aliqua ex probatissimis Authoribus. Dico igitur, quòd Ioan. Rojas de hær. par. 1. nu. 276. & seq. & nu. 573. & seq. Albertin. de agnoscend. q. 8. n. 12. q. 33. n. 17. q. 34. n. 57. & alij, asserunt quòd si quis confessus, vel conuictus, dicat se ritus hæreticales fecisse, sed neget intentionem, vt hæreticus puniendus est, & ideò relaxandus Curiæ sæculari, tanquam hæreticus negatiuus. Verùm his non obstantibus, Didacus Cantera in qq. crim. rubr. de hæret. cap. 1. du. 6. n. 69. concludit, quod licèt de rigore iuris supradicta sententia sustineri possit, eius tamen opinio est, quòd si reus, siue confessus tantùm, siue conuictus & confessus, de facto hæreticali intẽtionem neget, nõ relaxandus tamquam hæreticus, sed super intentione torquendus est. Et ita hanc sententiam tenet etiam Pegna in direct. Inquis. part. 2. comment. 59. §. quod si nõ compareant spontè. Lazarius tract. de blasphemia q. 6. nu. 13. & Iacobus de Graffis in decis. pat. 1. lib. 2. c. 5. n. 15. Lapus & Cardinalis penes Canteram vbi supra, qui mordicus tenet negatiuam sententiam, & respondet ad argumenta Rojas.

Sed quid dicẽdum, si non agatur de factis hæreticalibus, sed tantùm de verbis? Rojas vbi supra, de hæret. par. 1. nu. 302. 303. & 306. cum Albertino, de agnoscend. q. 36. n. 18. q. 8. n. 12. & q. 34. nu. 52. & 53. & alij putant, quòd si aliquis confitetur non facta, sed verba hæreticalia protulisse, & negat intentionẽ, is non tanquam hæreticus relaxandus est, sed quia est de hæresi suspectus, potest super intentione torqueri. Vide etiam Decianum in tract. crim. lib. 5 c. 36. nu. 19. Pegna in direct. Inquis. p. 3. q. 61. comment. 110. & alios. Igitur supradicti DD. distinguunt inter facta & verba hæreticalia, & ideò putant confitentem se fecisse facta hæreticalia, & negantem intentionem, relaxandum esse tanquam hæreticum, confitentem verò se dixisse verba hæreticalia, & negantem intentionem, torquendum esse tanquam de hæresi suspectum, & ita in specie sentit iterum Albertinus de agnosc. q. 36. n. 18.

Aduertant tamen Lectores, quòd doctus Simanca varius sibi videtur, & contrarius in hac quæstione; nam in cathol. institut. tit. 65. n. 52. asserit absolutè & sine vlla distinctione; torquẽdum esse reum, qui confessus fuerit se dixisse, aut fecisse aliquid hæreticum, si neget intentionem hæreticam, & antea tit. 3. nu. 16. & in enchir. tit. 29. nu. 8. contrarium docet nempè quòd qui facto, aut verbis hæresim committit, vt hæreticus puniendus est, quamuis recta intentione id fecisse iurauerit.

Sed quid ego sentio in hac quæstione dicam breuiter. Opinionem Canteræ & aliorum asserentium, quòd in verbis, & in factis, si reus neget intentionem, sit tantùm torquendus, puto probabilem esse, quando reus ipse confitetur delictum, & negat intentionem, secùs autem si non solùm confiteatur delictũ, sed de illo sit conuictus. & ita hanc sententiam tenet nouissimè Torreblanca de magia lib. 3. c. 5. n. 49. Farinacius, quem citat & sequitur Castrus Palaus tract. 4. disp. 4. punct. 3. n. 17. Igitur negantem intentionem, & ritus hæreticales faciẽtem, si testibus esset conuictus, puto tanquam hæreticum negatiuum relaxandum esse; quia aliter aperiretur via omnibus hæreticis vitandi condemnationem. nam omnes se excusarent, dicendo absque intentione verba hæreticalia dixisse, & facta præstitisse; & hæc

opinio hodie regulariter seruatur saltem in nostris Tribunalibus Inquisitionis Hispanicæ, vt testatur Ioseph Sesse in decis. Regni Arag. to. 4. decis. 441. n. 3. in fine.

An Inquisitores possint superuenienti noua probatione reum absolutum iterum examinare & condemnare.

RESOL. XXXV.

LIcèt in alijs criminibus, post sententiam absolutoriam, non licet reum absolutum iterum de eodem crimine examinare, inquirere, & punire; attamen in fauorem fidei contrarium dicendom est in causa hæresis, in qua sententia absolutoria nũquam transit in rem iudicatam, vt latè probant Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. c. 37. n. 31. Rojas de hæret. p. 2. n. 384. Simanca in cathol. inst. tit. 60. n. 13. Pegna in direct. Inquis. par. 3. com. n. 37. & 92. Scaccia de iudic. lib. 1. c. 93. n. 2. & 3. & ita determinauit Pius V. in Bulla edita anno 1567. & hæc opinio procedit contra Repertor. Inquis. ver. absolutio, & ibi Mandosium in addit. lit. E. etiam si reus fuisset absolutus de eadem hæresi tamquam innocens, vt optimè notat Scaccia loc. cit. & ideò in instruct. Hispal. anno 1484. n. 3. sic habetur. [Item acordaron, y ordenaron, que los que fueren presso por esse delito que no sean fatigados en las carceles, en la dilaciõ del tiempo, que luego se haga el processo con ello, porque no haya lugar de quexarse y no se detengan a causa de no hauer entera prouanca, pues que es causa que quando sobreuiene prouanca se puede de nueuo agitar no obstante la sentencia, que fuere dada.] Sic ibi. Hinc infertur cum Ferdinando de Castro in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 11. num. 10. in causa hæresis probationes superuenientes coniungi posse cum præcedentibus insufficientibus, & ob quarum sufficientiam absolutus fuit reus ab instantia iudicijs. Vide Pegnam in director. par. 3. comm. 92. & Simancam in Cathol. instit. tit. 18. n. 12.

Sed difficultas est, an reo in pœnam extraordinariam condẽnato ob defectum probationis, si superueniant nouæ probationes, possint illum Inquisitores in pœnam ordinariam condẽnare? Lucas de Peña & Iacobus Bellouiso apud Rojas vbi infra, affirmatiuam sententiam tenent; alij verò asserunt, quòd si pœna extraordinaria non fuit executioni mandata, tunc reus pęna ordinaria puniri potest superueniente legitima probatione; secus si mandata sit executioni, & ita docet & obseruatum esse in Hispania in Sacra Inquisit. Tribunali testatur Ferdinandus de Castro vbi supra in opere mor. tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 11. num. 11. Igitur secundùm Castrum, si pęna sit executioni mãdata, in casu tali censet nullo modo posse puniri eum pœna ordinaria, sed à pœna ordinaria detrahendum, quantum arbitraria importat. nam alioquin reus puniretur grauius, quã mereretur, & in hanc sententiam inclinat Rojas de hæretic. p. 2. n. 392. licèt loquatur cum verbo *forsitan*, & in hac quæstione difficili & ambigua, discipuli potiùs quàm Magistri officio fungi velit. Verùm ego absolutè & sine vlla formidine existimo, tenendam esse opinionem Castri Palai, quàm tenet etiam nouissimè Antonius Sousa loco infrà citando, nu. 8. vbi sic ait. Condemnatus propter hæresim, aut suspicionem illius in pœnam arbitrariam ex defectu probationis, si plena probatio superuenit, puniri debet pœna ordinaria, dummodo prima pęna adimpleta non fuerit; si autem adimpleta sit, compẽsetur in secunda. Ita ille, qui optimè tamen nu. 9. limitat supradictam sententiam, in casu quo pœna ordinaria delicti sit capitalis, nã prima pęna etsi corporalis, non minuet secundam; nec secunda compensabitur cum prima, sed tota ordinaria imponi potest, cùm talis pœna diuisibilis non sit.

Et tandem non desinam hic adnotare ea, quæ etiam obseruauit apud eumdem Sousam in aphorism. Inquisit. lib. 2. ca. 37. num. 7. vbi ita ait. Abiurata vehement. hæresis suspicione, si dentur nouæ probationes, non plenè conuincentes nouorum lapsum, post dictam abiurationem commissorum de iuris rigore tales probationes coniungi possunt cum præcedentibus, ad vnam constituendam probationem, cùm sententia nõ transeat in rem iudicatam, hactenus tamen hoc practicari non vidi. Ita Sousa, quod est valdè notandum. An verò indicia superuenientia sint coniungenda cum indicijs ex quibus reus priùs fuerat tortus, videant Domini Inquisitores omninò Prosperum Farinacium in addit. ad eius opera post li. 3. Consiliorũ

ad q.4.num.29.fol.mihi 6. col. 1. vbi sic ait. Si quis fuit absolutus ex eo quòd in tortura perstiterit, & tunc sine dubio indicia quæ per torturam fuerunt purgata, & sublata, nullam vim habent, mortua sunt, nec propterea coniungi possunt cum alijs superuenientibus indicijs, aut probationibus; secus si tortura non illata reus fuit absolutus, ex eo quòd in iudicium contra ipsum deducta non sufficiebant ad condemnandum. Tunc enim imperfecta probatio primæ instantię, coniungitur cum superueniente probatione, secundùm veram, communem & vsu receptam sententiam, de qua est Bartol. Host. Abb. Fel. Alex. & Alciat. in locis per eum relatis, testatur Simanca Cathol. instit. tit. 18. rubr. de defunctis, num. 20. Et hanc declarationem benè notat, quia (ni fallor) alibi eam non reperies in specie positam, sæpè habui in facto, & sic, vt supra, indicaui, & communiter iudicatum vidi. Ita Farinacius loco cit.

Quænam pertinacia sufficiat ad constituendum hominem hæreticum, non solùm in foro interno, sed etiam externo.

RESOL. XXXVI.

SVppono nullam esse hæresim sine pertinacia, ea D. Thom. 2.2. quæst. 11. art. 2. ad 3. Augustino Epist. 162. quæ clarè habetur in cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3. cap. in Ecclesia, eadem quæst. & causa, & expressè in Clem. vn. de summ. Trinit. & fide Cathol. & colligitur ex alijs iuribus, vt ex c. damnamus, de sum. Trinit. & c. cùm contumacia, de hær. in 6. & c. excommunicamus, de hæret. & patet ex definitione ipsius hæresis, quæ est error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas, quæ multorum torsit ingenia, consistit in declarando quænam sit ista pertinacia sine qua nullus est hæreticus.

Prima opinio est ferè omnium Theologorum asserentium ad pertinaciam sufficere quod sciens quis aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, sed vt quis animaduertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ Catholicæ, & tamen neglecta authoritate Ecclesię persistat in sua opinione. Ita Becanus in 2. 2. cap. 14. quæst. 2. concl. 3. num. 10. Scortia in Bull. Pontif. epit. 4. theor. 8. Turrianus tom. 1. in 2.2. disput. 55. dub. 2. Vasquez in 1.2. quæst. 76. art. 7. disp. 126. cap. 3. Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 11. punct. 1. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2 ca. 7. num. 4. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 1. Castrus Palaus tom. 1. tract. 1. disp. 3. punct. 2. num. 1. Coninch. de fide disp. 18. nu. 7. num. 78. Fillucius tom. 2. tract. 22. cap. 6. nu. 153. Layman lib. 2. tract. 1. c. 13. n. 2. Reginaldus to. 1. li. 9. c. 14. num. 224. Pesantius, Malderus, Syluius Bannez, Arragon, & Caietanus in 2.2. q. 11. art. 2. cum alijs penes ipsos.

Secunda opinio est aliquorum Iurisperitorum non peritè asserentium, minimè esse hæreticum pertinacem, si quis prius nõ fuerit admonitus. Ita Alciat. in l. 2. C. de summ. Trin. & fide Cathol. nu. 3. vbi sic ait. Pertinacia est, quæ hominem hæreticum facit, quapropter si quisquam in Trinitate non rectè sentiat, nisi admonitus persistat hæreticus non est. Sic ille, & inter Neotericos hanc sentẽtiam docet Menochius vol. 2. cons. 149. n. 49. vbi sic ait. Vt quis dicatur hæreticus pertinax, debet constare quod fuit monitus, & instructus de veritate, & quod ea instructione spreta persistat in eadẽ opinione, & citat pro hac sentẽtia Lupum, & Turrecrematam, quibus addi potest Palatius Rub. in alleg. in man. hæres. §. 3. per totum. Vnde D. August. de ciuit. Dei, lib. 8. cap. 51. relatus in cap. qui in Ecclesia 24. qu. 3. sic ait. Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid prauumque sapiunt, si correcti vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt. Et in Clem. vn. de sum. Trin. Pontifex definit hereticum censendum esse qui defendere pertinaciter presumpserit quòd anima rationalis non sit forma corporis humani.

Tertia opinio fœdere distinctionis supradictas pugnantes opiniones cõciliat, ait enim primam opinionem procedere in foro interiori; secundam verò in foro exteriori. Ita Petrus de Arragon in 2.2. q. 11. art. 1. concl. 2. & Sanctarellus de hæret. c. 1. dub. 4. n. 18. in fine, & fauet Tannerus in 2.2. D. Thom. disp. 1. quæst. 8. dub. 5. n. 91. & 94. Verùm si hæc distinctio admittenda esset, paucos hæreticos puniret Tribunal S. Inquis. cum periculo reipubl. quia omnes hæretici se defenderẽt, dicendo quòd non fuerint admoniti, & ideò primam sententiam non solùm in foro interiori, sed etiam exteriori puto amplectendam esse. Vnde Lorca in 2.2. D. Tho. q. 11. art. 2. disp. 41. n. 8. sic ait. Per se, & ex natura rei non est necessaria admonitio, vt homo hæreticus sit pertinax. nam in his quæ manifesta sunt, qui errat ex electione & deliberatè, etiamsi à nullo speciatim admonitus sit, & priusquam admonitus sit pertinax, est etiam hæreticus.

Quare non rectè Alciatus, & quidam alij dicunt neminem censendum esse pertinacem, nisi eum, qui admonitus persistit in errore, quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam, & si quæ admonitio necessaria est, ipsa notorietate doctrinæ fit, quemadmodum in excommunicationibus à iure lex ipsa sufficienter admonet, vt subsit contumaciæ quę ad excommunicationem requiritur. Nec solùm in foro animæ, sed etiam in foro externo potest decerni pertinacia sine aliqua monitione prævia. Hæc Lorca doctissimè, vt semper solet. Vnde Paramus de orig. Inquis. lib. 1. tit. 1. cap. 4. num. 5. art. In vsu & more Ecclesiæ positum esse eum hæreticum decernere, qui errore imbutus fuerit à se damnatus, quamuis nulla pręierit commonentis eum vox, & ideò Paulus Garsia in ordine processandi in S Officio, fol. 11. à tergo, sic ait. [Cada y quando que el Reo confessare hauer tenido y creydo errores, se le ha de preguntar si sabia y entendia que la Yglesia Catholica Romana tenia lo contrario de lo que el creia, de manera que bastantemẽte satisfaga à lo que toca a la pertinacia que es lo que haze herege consumado.] Sic ibi. Sed audiamus Simancam tit. 48. n. 7. & 8. sic asserentem. Adnotatu dignum est, quòd quicumque credit aliquam propositionem veram esse, cuius contrariam sciat esse Catholicam, hoc solo cõsummatus hereticus pertinax est. Nec audiẽdi quidam, quorum numero est Alciatus, qui putant neminem hæreticum pertinacem esse, qui non habet animum obstinatum, & admonitus non persistit, nam pertinacia quæ consummatum facit hæreticum, non est obstinatio sola, sed quilibet etiam verus consensus cõtrarius cognitæ veritati Ecclesiæ Catholicæ. Accedit etiam ratio viua quidem & spirans, quia Sacra scriptura, & Ecclesiastica definitio, quibus fides Catholica continetur, plus valet, plus operatur, & potest, quam sexcentæ iudicis admonitiones, & quam mille prohibitiones iuris humani. Sicut igitur is, qui contradicit legitimis hominum admonitionibus, pertinax est, & qui facit contra prohibitionem legis humanæ, ipso facto incidit in excommunicationem, quæ nonnisi præcedentibus admonitionibus ferri solet, & legis authoritas pertinacem haberi facit quẽlibet legis transgressorem; sic etiam qui contra Scripturam Sacram, aut Ecclesiæ Catholicæ definitionem sciens errat, hoc solo sine alia admonitione pertinax hæreticus est. Ita Simanca, & tandem hanc sententiam docet nouissimè Merolla in disput. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 12. nu. 181. sic asserens. Infertur non requiri ad pertinaciam, vt quis de suo errore scienter admisso moneatur, & ipse adhuc persistere velit, sed sufficere si scienter erret contra id quod ab Ecclesia definitum esse cognoscit. Sic ille & hanc opinionem tenet etiam Suarez de fide disput. 19. sect. 3. num. 8. & Ricciullus tract. de iure person. &c. lib. 5. cap. 2. num. 10. ex quibus firmata satis remanet nostra sententia aduersus Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, nisi qui eos benignè intelligendos esse dicat, in casu quo hæreticus esset rudis & simplex, vel etiam sagax & doctus, quãdo relaxãdus esset brachio sæculari; in his enim casibus concedimus prætermittendam esse admonitionem. Sed quia vt optimè aduertit Becanus tom. 3. in 2.2. cap. 14. quæst. 2. num. 13. ex doctrina superius allata sequitur, quod nemo est hæreticus, nisi sit pertinax in suo errore, & nemo est pertinax, nisi qui aduertit se sentire contra Ecclesiam. ergo qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus est. Ideò videtur hic discutiendum necessario quænam ignorantia excuset ab hæresi, & per consequens à pertinacia.

Suppono igitur ignorantiam culpabilem, seu voluntariam esse duplicem, vna est affectata, quando quis ex industria vult aliquid ignorare; altera est crassa & supina quando quis non ex industria & proposito, sed ex quadam negligentia ignorans ea quæ potest & debet scire, prior est directè & formaliter voluntaria, posterior indirectè & virtualiter, vtraque tamen vincibilis & culpabilis, hoc supposito.

Prima opinio asserit ignorantiam crassam, & supinam non excusari ab hæresi, & per consequens à pertinacia. Ita Lorca in

in 2.2.D.Thom.quæst.11.art.2.disp.41.num. 15.Sotus in 4. dist. 21. quæst.2.art.3.post cõcluſ.caſ.1.Sayrus de cenſ.lib.1. caſ. 14. num.15.Toletus lib.1.cap.19.num.2.Felinus in cap.1.de hæret. num.2. Ancharanus n.5.Boetius nu.2.Io.Andreas n.2.& alij. Et ratio eſt, quia ignorantia culpabilis non excuſat ab alijs peccatis; ergo nec ab hæreſi nam ſicut homicidiũ ſemper eſt peccatum, ſiue fiat ex ſcientia, ſiue ex ignorantia culpabili, ita error circa fidem ſemper erit peccatum hæreſis, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter fiat, modo ignorantia fuerit culpabilis.

Secunda opinio tenet nullum errorem cõtra fidem ignorantia vincibili etiam craſſa commiſſum, eſſe hæreſim. Ita Zumel in 1.2.quæſt.76.art.4.diſput.1. paulò ante 1. concl. Cano de loc. Theol.lib.12.cap.9.Caſtrus de iuſta hæret.pun.lib. 1.c.9.& alij, quos citat & ſequitur Merolla in diſp.Theol.tom.1.diſp.1. ca.2. dub.12. num.177. quia de ratione hæreſis eſt, vt quis erret in fide, ſciens ſe credere, & opinari contra communem ſenſum Eccleſię. Sed qui habet craſſam ignorantiã, circa communem ſenſum Eccleſiæ, non errat, ſciens ſe credere, & opinari contra communem ſenſum Eccleſię ergo non eſt hæreticus. Deinde quando quis ignorat ſe ſentire contra ſuum Magiſtrum, nõ cenſetur eſſe pertinax, aut derogare authoritate Magiſtri, ergo, &c.

Tertia opinio, cui tamquam probabiliori adhæreo, docet nõ ſolum ignorantiam craſſam & ſupinam, ſed etiam affectatam excuſare ab hæreſi. Ita hanc ſententiam tenet Azorius, Aragon, Bañez, Suarez, Coninch, quos citat, & ſequitur Caſtrus Palaus to.1.tract.4.diſp.3.punct.2.num.5.quibus ego addo Peſantium in 2.2.quæſt.11.art.1.diſp.1.concl.1.Becanum to. 3. in 2.2.c.14.q.2.n.16.Sanctarellum tract.de hæreſi c.1.dub.5.n.23. Ricciullum tract.de iure perſon.&c.lib.5.c.7.nu.13.Ledeſmam in ſumm.to.2.c.6.concl.4.diffic.2.& Vaſquez in 1.2. diſp. 126.c. 2.quicquid in contrarium afferant Valentia to.3.diſp.1.qu. 11. punct.1.diffic.4.ad 1.arg.Zumel in 1.2.q.76.art.4 diſp.1. Canus de loc.Theol.lib.11.c.9.& alij.

Dico igitur primò, quòd ignorantia affectata poteſt duobus modis accidere, primo ex tædio addiſcendi tantùm, vt ſi quis vult aliquid ignorare, quia tædet illum diſcere, & hoc modo error in rebus fidei non eſt hæreſis, quia qui ſic errat, non offendit authoritatem Eccleſiæ tamquam pertinax, & incredulus, licèt offendat Deum tamquam culpabiliter ignorans. ergo ipſius peccatum non eſt hæreſis, aut pertinacia, ſed ignorantia. Secundò poteſt contingere affectata ignorantia ex falſa opinione cõtra Eccleſiam, quia quis putat parui momenti eſſe ea quæ in Eccleſia creduntur, & proponuntur, & hoc modo eſt hæreticus, quia ex illa falſa opinione affectaret ignorantiam.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum primæ ſententiæ. Dico igitur eſſe diſparem rationem inter hæreſim, & alia peccata, quia de ratione hæreſis eſt pertinacia; at nemo in rebus fidei eſt pertinax, niſi ſciat, & aduertat ſe ſentire contra Eccleſiam; quare qui hoc ignorat, non eſt pertinax, & conſequenter non hæreticus; at verò pertinacia non eſt de ratione aliorum peccatorum, ac propterea cùm committuntur alia peccata, non requiritur in peccante, vt aduertat ſe delinquere contra legem Dei, ſed ſatis eſt ſi aduertat, vel poſſit ac debeat aduertere.

Notandum eſt tamen quòd omnia ſupradicta intelligenda ſunt in foro interiori nam in foro externo & iudiciali errans in fide ſi alleget ex ignorantia erraſſe, non creditur ſi error commiſſus ſit in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur, vel quæ paſſim & communiter illius qualitatis ſunt. Vnde Sacerdotes & alij viri docti errantes in articulis fidei & præceptis Decalogi, ex malitia præſumuntur errare, & non ex ignorantia. Ita Souſa in aphoriſm.Inquiſ.lib. 1.cap.12. num. 14. & Caſtrus Palaus tom.1.tractat.4.punct.2.num.5.qui citat Menochium, Farinacium, Decianum, & alios. Ego tamen adducam pulchrum locũ Albertini quæſt.30.num.37. vbi ſic ait. Si ſumus in caſu quòd aliquis negaret articulum diuulgatum, vel contentum in Symbolo, quem tenetur explicitè & diſtinctè credere, tunc ex quo eſt præſumptio violenta contra eum quòd veritatem illius non ignorat, ſed quòd illum aſſerit, ſcienter & non ignoranter, ideò pertinax hæreticus eſt iudicandus, quamuis dicat ſeparatum corrigi.

Ex his conſideratur, an benè dixerit Ioan. Lupus in alleg. hæreſ. vbi tenet, negantem aſſertionem Catholicam apud Catholicos diuulgatam nõ eſſe hæreticum, ſi paratus eſt corrigi, quia vt ſentio, non benè loquitur, quia illa diuulgatio inducit contra illum præſumptionem quam dixi, ex quo ille accuſatus de hæreſi cum Chriſtianis communiter conuerſabatur, Eccleſias intrabat & de his pertinentibus ad fidem Catholicam ſępè audiuit prædicantes. Ita ille. Sed audiamus Simancam tit. 28. nu. 13. ſic aſſerentem. Nullus Chriſtianus excuſari poteſt prætextu ignorantiæ ſi errauerit in articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in alijs veritatibus diuulgatis, & quas quilibet ſcire debet, ſed longè magis inexcuſabiles ſunt peritiores & acutiores. Non eſt tamen negandum cum Pegna in direct. Inquiſ. p.2.comment.1.Sanctarell.de hæret.cap.1.dub.6.nu.20. Io.Lopez in alleg.hæret.§.4.5.& 7.Palatio Rubeos in allegat.in mat. hær.§.4.Deciano lib.5. cap.39.num.11. Armilla ver.hæreſis nu. 1.Syluestro ver. hæreſis nu. 1. & alij. Supradicta limitanda eſſe cum aliquibus cum quibus probabiliter præſumitur, quòd non verè & perfectè ſciebant catholicas veritates, vt v. g. quia ſimplices erant vt multi laici, & ruſtici homines, aut quia dogma nõ erat de articulis fidei, qui in Eccleſia ſolent ſolenizari, nam iſti arbitrio iudicis, debent puniri, & non vt formaliter hæretici, ſed tamquam ſuſpecti de hæreſi, debent abiurare. & quamuis gloſſa in cap. ſchiſma 24.quæſt.1.ver.magis, & ver. ignorantia. Albertin. in rubr.de hæret.in 6 quæſt.13.nu.13. & 24.hanc limitationem non admittant, tamen intelligendi ſunt de illis viris idoneis & ſimplicibus qui non ſunt parati corrigi ab Eccleſia, vt notat Angelus ver.fides, num.6. Tabiena eodem ver. n.7. & Sanctarellus loco cit. Ex his. Inquiſitor San Vincente in manuſcript. cap 2.§.16. ita rectè aſſeruit. [Algunas propoſiciones ay que aunque ſean formalmẽte hereticas dichas por perſonas ignorantes de poca capacidad puſilanimas ilebadas de malinconia y falta de inſtruciõ, que por eſtas y otras cauſas parece que no ſe puede reputar ni preſumir vehemente que ſean hereges, ſi no erraticas y anſi cõfeſſando hauerlas dicho y que ſabian eran contra loque tiene la Ygleſia negando la pertinacia y dando alguna razon natural que les mouio à dezir y creer dichas propoſiciones, como vna muger de quince años que io conoci que dixo, que no creya que nueſtra Señora pudieſſe quedar virgen deſpues de hauer parido, y otra que dixo que la Sanctiſſima Trinidad era vna buena vieia y que no pudiacreer que nueſtro Señor eſtuuieſſe en la hoſtia porque no podia caber en ella, y anſi ſuele darceles algunas penitencias ligeras ò abſoluerles ad cautelam o abiurar de leui y algunas veces no ſiendo tanta la ignorancia podria hauer abjuracion de vehementi.]

Sed quia dictum eſt aliquando ad cõſtituendum hominem hæreticum neceſſariam eſſe admonitionem, vt, v. g. quãdo laicus, vel ruſticus ſimplex errat ex ignorantia, reſtat pro complemento huius diſputationis inquirere, an in tali caſu cenſendus ſit hęreticus pertinax, ſi talis vir ſimplex admonitus ab Inquiſitoribus, vel Epiſcopo adhuc in ſuo errore perſiſtat.

Prima opinio negat & aſſerit, non ſatis eſſe ad pertinaciam de qua loquimur, ſi quis admoneatur de ſuo errore admiſſo, non ſolùm à viris grauiſſimis, ſed etiam ab Inquiſitoribus & Epiſcopo, nam ſi talis ſemper exiſtimet ſuam opinionem non eſſe aduersùs ſenſum Rom. Eccleſiæ, & ipſos Inquiſitores & Epiſcopum decipi, non eſt verus hæreticus pertinax. Ita Valentia tom.3.diſp.1.quæſt.11. punct.1. diffic. 4. Torres de Trin. quæſt. 32.art.4.in 4. par.comment.Salas in 1. 2.tract.13. diſp.7. ſect.7.n.53.Sayrus de cenſ.lib.3.c.4.n.17. Sanchez in ſumm.to. 1.lib.2.cap.7.nu.25.Sanctar.de hæret.cap.1.dub.6.nu.28. & alij penes ipſos; & ratio eſt, quia, vt ſæpiùs dictum eſt, niſi quis credat ſe opinari contra Eccleſię doctrinam, non eſt hęreticus pertinax.

Secunda opinio affirmat, ita Bartol.in l.tutor.§.tutores,nu.1. ff.de ſuſpectis tutor. Rebuffus in Bull. Cœn. excomm.1. art. 1. v.hæreticus. Vgolinus in Bull.Cœn.p.2.c.1.§.1.nu. 10. Pegna in direct. Inquiſ. part. 1.comment.26.Duardus in Bull. Cœn.lib. 2. can.1.q.25.n.4.Farinacius de hæret.q.169.n.10. Simanc. tit. 48. à n.18. Albertinus q.30.& alij.

Tertia opinio diſtinguit, & aſſerit negatiuam ſententiam procedere in foro interiori; ſecundùm verò affirmatiuam in foro exteriori, vt patet in cap.ad abolendam, de hæret. ita Merolla in diſput.Theol.tom.1.diſp.1.tract.2.n.183.Suarez de fide diſp.16.ſect.3.n.21.Vaſqu.in 1.2.to.1.diſp.126.c.3.nu.7. & Lorca in 2.2.D.Thom.qu.11.art.2.diſp.41.nu.20.& ego huic tertiæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, licèt Caſtrus Palaus tom.1.tract.4.diſp.3.p. 2.nu.6. aſſerat opinionem affirmatiuam

tenendam esse non solùm in foro exteriori, sed etiam interiori. Sed contra Palaum non est recedendum à negatiua sententia quoad forum internum, secus autem, vt dictum est, quoad externus, in quo errantes ab Inquisitoribus, Episcopo, vel ab alio viro docto ab illis ad hoc deputatim admoniti & nō resipiscentes censendi sunt, & damnandi tamquam hæretici; & ratio est, vt opitmè aduertit Lorca, quoniam ad iudicium cuiuscumque causæ & cuiuscumque hæretici non oportet Ecclesiam cōgregare, neque summ. Pontificem adire, & oportuit esse peculiares iudices, quorum iudicio causa finiatur, præsertim cum hi prudenti semper & maturo examine procedant, nec nisi in certis & manifestis sententiam proferant. Ita ille, & ego, & hæc dicta sufficiant, circa præsentem quæstionem, in qua omnia satis explicata videntur, quæ constituunt hominem hæreticum pertinacem in foro fori & poli.

In imponendis pœnis quando discrepant Inquisitores & Ordinarij, quid faciendum sit?

RESOL. XXXVII.

AD hoc dubium ita respondet Sanctarellus de hæresi ca. 40. dub. 2. nu. 15. Quando Inquisitor & Episcopus dissentiunt, tunc consulendus est Rumanus Pontifex, ex c. per hoc, de hær. in 6. vbi dicitur. In qua sententia ferenda si non conuenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur. Ita textus ibi, & Sanctarellus, quod etiam nouissimè docuit Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 17. n. 15. vbi sic ait. Notandum quòd discordantibus Inquisitore, & Episcopo in prolatione sententiæ, seu in alio actu quem cuiusque salus expedire nō potest, debent Sedem Apostolicam consulere. Ita ille. & ante omnes Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. Tortura, §. sed pone quod Episcopum. Sed hoc procedit in Inquisitione Romana; secus autem seruatur in Hispanica, in qua ex priuilegio Sedis Apostolicæ, quando Episcopi & Inquisitores in aliquo discordant, non ad Summum Pontificem, sed ad supremum Inquisitionis Senatum causa instructa recurrendum est, vt notat Simanca tit. 25. n. 5. vbi sic ait. Si Episcopus & Inquisitores concordes non fuerint in pronunciando, tunc remittenda est causa instructa ad Apostolicā Sedem. Sed hoc in Hispania longè aliter fit, nam cum Episcopi, & Inquisitores nō sunt cōcordes, remittitur causa instructa ad Senatum sacræ Inquisitionis. Ita ille, & post illum Molina de iust. tract. 5. disp. 28. nu. 14. vbi in fine ita asserit. Postquam hæc scripsi, à fide dignis accepi, id quod de recursu ad supr. Senatum Inquisitoremque Generalem, quando Ordinarius & Inquisitores discordant, authoritate litterarum Apostolicarū fuisset in hoc Regno sancitum. Neque sanè aliter id sibi Generales Inquisitores vsurpassent, in Episcoporum præiudicium, quàm Apostolica authoritate Hæc Molina qui citat Rojas & Pegnam, quibus ego addo Freytam in editione nouissima de Confess. solicit. q. 15. nu. 20. Ideò in Instruct. Tolet. anno 1561. n. 66. sic statuitur. [En todos los casos que huuiere discrepancia de votos entre los Inquisidores y Ordinario, o alguno dellos en la difinicion dela causa, o en qualquier otro voto, o sentencia inrerlocutoria se deue remitir la causa al Consejo.] Sic ibi, quod etiā obseruatur in quibuscumque appellationibus. Vnde Bariola in florib. Inquisit. p. 2. comment. 31. §. 12. sic asserit. Ab Inquisitore & ab Episcopo, ad Rom. Inquisitionem appellatur, vel ad Papam, in Hispania à priuatis Inquisitoribus ad Generalem Regnorum Inquisitorem, quod etiam notauit Martinus Real in allegat. pro iur. sancti Officij, conclus. 1. nu. 108. vbi sic ait. [Desta Inquisicion de la Sicilia y de las demas de España se va en grado de apelacion, o por via de recurso, o agrauio al Inquisidor General, y Consejo de la General Inquisicion en virtud de Priuilegios Apostol. de las demas Inquisiciones de Italia, se recure ala sacra Congregacion de la vniuersal Inquisicion por disposicion de derecho.] Ita ille, & ante illum Pegna in direct. Inquisit. p. 3. commen. 21. nu. 116. & Paramus de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. nu. 101. & ideò in dicta Instruct. Tol. anno 1561. num. 81. ita habetur. [Si en algun caso pareciesse à los Inquisidores, que deuen otorgar la apelacion en las causas criminales de los Reos que estan presos, deuen embiar los processos al Cōsejo.] Sic ibi & hæc praxis fundata est in priuil. Pontif. & in particulari Clem. VII. vt patet in eius Bulla data Romæ 26. Iun. 1525.

Verùm quia in hoc Regno Siciliæ adsunt tres Inquisitores, & Episcopus cum illis, quid faciendum si inter eos in iudicando oriatur aliqua differentia? Ad hoc dubium respondet Simāca tit. 60. cap. 10. sic enim ait. Cùm Inquisitores dissentiunt, & causa in Senatu S. Inquisitionis definitur, sententiæ subscribere omnes debent, etiam ij qui contrariam, vel diuersā opinionem tuebantur. Quòd si fortè in prouincia quapiam tres Inquisitores sint, & vnus eorum cum Episcopo, vel eius Vicario sentiat, alij autem duo Inquisitores ab eis dissentiant, remittenda est causa ad Senatum. Si verò duo Inquisitores cum ordinario cōsentiant, sententia protinus ferenda est, non expectato iudicio Senatus. Ita Simanca.

Notanda est etiam hic obiter alia differētia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam. Nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopus, & Inquisitor imposuerunt delinquenti aliquam pœnam, possunt cumulatiuè illam minorare. vt docet Bariola in aphor. litt. P. ver. Pœna. §. 15. vbi sic ait. Pœna delinquentibus in S. Officio minorari potest per Ordinarium, & Inquisitores, ex c. commissi, de hæret. in 6. Hodie ex dec. Vrbis de mandato Vrban. VIII id fieri non potest, nisi cumulatiuè, id est consentiente Episcopo, & Inquisitore. Ita ille. Vnde non est amplius amplectenda opinio Zanchini tract. de hæret. c. 21. nu. 2. asserentis, Inquisitores circa laicos posse mitigare & mutare pœnam petito consilio Episcopi, licèt non obtento consensu; secùs verò circa Clericos; nam debet requirere consilium, & expectare consensum, non inquam, hæc opinio est amplectenda ampliùs, nam ex dicto decreto Vrb. VIII. Inquisitoribus denegatur potestas minorandi pœnas sine consensu Episcopi. Sed hæc omnia procedunt in Inquisitione Romana, non autem in Hispana, vbi ex speciali priuilegio Summ. pontif. solus Supr. Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas delinquentibus impositas, vt testatur Rojas singul. 155. num. 5. & p. 2. de hęret. n. 200. & num. 382. vbi sic ait. De iure comm. Inquisitoribus fidei vna cum Prælatis permissum erat mutare, seu mitigare sententias in hęreticos iam prolatas, ex c. vt commissi, §. necnon. de hæretic. in 6. quod sanè hodie aliter statutum est per instruct. Hispalen. cap. 7. & Toletan. ca. 9. nam ad solum Gen. Inquisitorem id dispensationis genus hodie pertinet. Ita ille, & hoc etiam obseruat Simanca tit. 16. n. 20. Pegna in direct. part. 3. comment. 108. & 145. Farinacius de hæret. q. 186. num. 76. & alij. Vnde hodie Inquisitores in depositione crucibus signatæ vulgò dictæ San Benito, minimè dispensare possunt, sed hoc ad Supr. Inquisitorem spectat, vt ex Simanca notauit Pegna vbi suprà in comment. 108.

An Inquisitores in imponendis pœnis teneantur sequi vota Consultorum?

RESOL. XXXVIII.

QVod consilium Consultorum sit petendum, patet ex textu in cap. fin. ad med. de hæret. in 6. & in c. vt commissi, §. aduocandi, eodem tit. & lib. Sed difficultas est, an in tali casu vota Cōsultorum sint decisiua, ita vt illa teneantur Inquisitores sequi. In Inquisitione Lusitana, vota Consultorum esse decisiua, testatur Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. c. 1. nu. 14. & lib. 2. c. 26. n. 9. & hanc opinionem affirmatiuam, absolutè tenet Albertinus qu. 26. concl. 15. Homobonus de Bonis tract. de statibus p. 1. c. 8. & Michael Zanardus in director. Theolog. p. 2. pr. 1. c. 6. quæst. 42. asserit esse periculosum, & reprehensione dignum, Inquisitores in tribus casibus à voto Consultorum discordare. Primò, quando cum Consultoribus consentit Episcopus. Secundò, quando omnes Consultores sunt in vno voto. Tertiò, quando maior pars cōsentit in innocentiam Inquisiti; & etiam absolutè Decianus lib. 5. c. 24. num. 10. tenet, quòd Inquisitores tenentur sequi peritorum consilia.

His tamen non obstantibus (sententiam contra me ipsum proferendo) puto vota nostra in sacro Tribunali nō esse decisiua, sed tantum consultiua, & ita seruari in Inquisitione Hispanica, patet ex Instruct. Tolet. anno 1561. num. 66. vbi sic statuitur. [En todos los casos que huuiere discrepancia de votos entre los Inquisidores, y Ordinario, o alguno dellos en la definicion de la causa, o en qualquier otro voto, o sentencia interlocutoria, se deue remitir la causa al Cōsejo; però donde en los suso dichos, estuuieren conformes, aunque los Consultores discrepen, y sean major numero, se execute los votos de los Inquisidores, y ordinario.] Ita ibi. in quibus verbis claré determinatur,

natur, vota peritorum esse tantum consultiua; & ita etiam tenet Aloysius Bariola in aphor. litt. V. verb. vota Consultorum. Barbosa in Collect. to. 3. libr. 5. tit. 2. c. 12. nu. 8. Cenedo Collect. 27. n. 2. in 6. Decretal. Tabiena ver. Inquisitor. nu. 12. Lucerna Inquis. verb. Aduocatus 4. & ibi Pegna in annotat. Zechius in summ. to. 1. tit. de hæret. c. 11. nu. 14. Rojas de hæret. p. 1. nu. 409. & p. 2. n. 166. Simanca tit. 41. n. 14. Bursatus lib. 1. cons. 90. nu. 36. & 49. Treuisanus lib. 2. decis. 35. nu. 1. Spina contra Ponzinibiũ Apol. 3. c. vlt. Verùm ego puto, cum Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 127. non esse tutum si Inquisitores sunt Theologi, discedere à Consultorum suffragiis, quod etiam asserit Bariola vbi suprà.

Sed maior difficultas est, an Inquisitores, licèt non teneantur sequi vota Consultorum, teneantur tamen aduocare illos, ita vt sententia sine eis prolata, sit inualida? & affirmatiuè videtur respondendum, quia in casu nostro petere cõsilium peritorum, requiritur pro forma; ea verò deficiente, actus non subsistit, vt patet in c. delicta, de rescript. Vnde dixit gloss. celebris in c. non est, de consuet. in 6. quòd si sententia proferenda est cùm alterius consilio, si eo non expectato proferatur, non valet sententia, neque opus est appellatione. & in cap. cum in veteri, de elect. irritatur electio ob omissum consilium? & idem habetur in c. nouit, de his quæ fiunt à Prælato; & hanc sententiam tenet Morla in empor. iuris, tit. 12. q. 19. nu. 2. & in terminis hanc opinionem mordicus docet Castrus Palaus tract. 4. disp. 8. puncto 11. num. 4. vbi probat, sententiam latam ab Inquisitoribus non vocatis Consultoribus esse inualidam.

Verùm contra Palaum posset aliquis dicere, quòd si aliundè habenti potestatem mandatur consilium peti, ob illius omissionem non debet censeri actus nullus, vt tenet Syluester ver. consilium, q. 1. & 3. Panormitanus in c. ex parte, de constit. circa finem, Salas de legibus disput. 16. sect. 10. n. 43. & alij, quia in tali casu præsumitur consilium mandari, vt rectè actus præstetur, non vt validè, sed hoc accidit in casu nostro. nam, vt patet in d. c. fin. Bonifacius VIII. præcepit Inquisitoribus, vt in sententijs adhiberent peritorum consilia, qui tamen Inquisitores antea ab alijs Pontificibus & præsertim ab Vrbano IV. & Clem. IV. vt docet Mosconius de maiest. militan. Eccles. p. 1. c. 11. & Zanardus in director. Theolog. p. 3. pt. 1. c. 6. qu. 6. potestatem sententiandi contra hæreticos sine voto Consultorum habebant. ergo, &c.

An verò Inquisitores teneantur adhibere consilium peritorum in captura; respondet Sousa in aphorism. Inquis. lib. 2. c. 26. num. 16. vbi sic ait. Quando adsunt sufficientes probationes ad capturam, petat Fiscalis ab Inquisitoribus, vt reus comprehendatur, qui de peritorum consilio quid opus sit deliberent, quãuis sine eorum consilio id facere possint. Ita ille. & ante illum Pegna in direct. p. 3. comment. 17. vnde in Instruct. Tolet. anno 1561. num. 3. sic habetur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el vno, sin el otro, si estuuieren ambos presentes acuerden la prision, y parece seria mas justificada se communicasse con los Consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiere hazer y pareciere à los Inquisidores conueniente y necessario.] Sic ibi, & in hoc casu loquutus est textus in c. vt commissi, de hær. in 6. vbi datur facultas Inquisitoribus vocandi peritos, prout expedierit, quasi tacitè insinuans non esse vocandos, si iudicatum fuerit non expedire; quod est valdè notandum, vt iste textus concordetur cum alio textu in c. fi. §. iubemus, eodem titulo, vbi in sententia ferenda, vt supra visum est, iubetur Inquisitoribus Consultores omninò vocare.

Et tandem pro coronide huius resolut. notandum est hic obiter in ordine ad praxim, quòd in aliquibus Inquisitoribus consuetudo obtinuit, vt nomina testium Consultoribus non manifestentur, nisi in aliquod speciali casu, vt notat Aloysius Bariola in aphor. lit. T. ver. Testis, §. 8. Honoratus Figuerola in notis marginalibus ad Zãchinum vbi infrà Michael Zanardus in direct. theol. p. 2. c. 6. qu. 42. Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 129. & hanc opinionem tenet Cãpegius in addit. ad Zanchinum tr. de hæret. c. 15. lit. A. & nouissimè Castrus Palaus vbi suprà n. 3. & supradicta consuetudo, vt opinor, introducta fuit in fauorem fidei, ad alliciendum testes, vt faciliùs, & securiùs contra hæreticos deponerent, cum scirent eorum nomina non solùm reis, sed etiam neque Consultoribus manifestari.

Verùm praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ contrarium obseruat & ideò Consultoribus manifestantur nomina testium quod expressè habetur in c. statuta, §. iubemus, de hæret. in 6. & ibi Ancharanus n. 1. in fine, & ita docet etiam Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2. c. 6. n. 76. & Eymericius in direct. Inquis. p. 3. q. 80.

Nota etiã, teste Honorato Figuerola in notis marginalibus ad Zanchinum de hæt. c. 15. in addit. litt. A, quod aliquarum Inquisitionum vsus comprobat, vt Consultoribus summa tantum processus manifestetur. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, vt obseruat Paramus de origine Inquis. li. 3. q. 4. n. 56. per extensum à Secretario S. Officij Consultoribus totus processus legitur, & ita statuitur in instruct. Tolet. anno 1561 vbi num. 40. sic habetur. [Puesta la causa en este estado los Inquisidores juntaran consigno al ordinario y Consultores del santo Oficio, à los quales comunicaran todo el processo, sin que falte cosa sustancial del] Ita ibi. quod etiam determinatur in dicto c. final. §. iubemus, de hæret. in 6. Vide etiam Eymericium in direct. Inquisit. p. 3. qu. 79. & ibi Pegna comment. 128. cum Lucerna Inquis. ver. Inquisitor §. 21. & Zanardo vbi infrà, & quia in hac resolutione incidit sermo de Consultoribus, non desinam hic adnotare cum Michaele Zanardo in director. Theolog. p. 2. præcep. 1. cap. 6. quæst. 42. quòd dum Consultores de causis fidei auditis inter se discurrunt non audientibus aliis, qui non sunt Consultores, quamuis de his discurrant extra Congregationem, non incurrunt pœnas violati secreti, immò postquam publicatus est processus, & lecta sententia, possunt dicere votum quod in dicta causa dederunt, quia agitur de re iam publicata, potest tamẽ hoc esse peccatum, quando alii deuenirent in cognitionem illorum, qui contra delinquentes votarunt, & sic orirentur rixæ, odia, &c. licèt quoad hoc vltimum opinio Zanardi non videatur amplectenda. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem tractatum, saluo semper meliori iudicio, & censura Eminentissimorum Dominorum meorum Cardinalium Inquisitorum Generalium in sancta Vniuersali Inquisitione Romana, & supremi fidei. Quæsitoris S. Inquisitionis Hispanicæ.

TRA-

TRACTATVS VIII.
DE
OFFICIO ET POTESTATE INQVISITORVM.

An iurisdictio DD. Inquisitorum sit delegata, vel ordinaria?

RESOL. I.

ESSE delegatam putant Doctores, quos citat Narbona in 3.p.recopil.lib. 4. tit. 1.leg.20.gloss.22. n 79. quibus ego addo Zanardum in direct Theol. part.2. præc.1.cap.6. Moscouium de maiestat. milit.Ecclesi.r. par.1.cap.11.Buttium in capit. Legatos, de off. legati, in 6.& Homobonum de statibus part. r. cap. 8. Alij verò putant esse ordinariam, & sic docet Paramus de orig. Inquisit. libro 3.q.2.& in defens.cap.1. num. 11.& hanc opinionem mordicus tenet & solidissimis rationibus probat Ioannes Dionysius Portocatrero in alleg. sobre la competencia de iurisdicion entre la Inquisicion y ministros reales, nu.48. & ante illum Didacus Cantera in qq.crimin.cap.1.de probat. per testes, qu. 1. nu.65. fol. mihi 157. vbi asserit Inquisitores habere iurisdictionem ordinariam, vnde non mihi placet opinio Barbosæ in leg. Prætor §.1.n.65. ff.de iudic. qui ponit differentiam inter Inquisitorem generalem, & alios Inquisitores, dicens, illum habere iurisdictionem ordinariam, hos autem delegatam, quia cæteri Inquisitores sunt remouibiles ad nutum Inquisitoris generalis, non, inquam, mihi placet hæc opinio, quia etiam Inquisitor generalis est ad nutum Summi Pontificis amouibilis, nõ est ergo verum dicere, quidquid asserant Simanca & alij, ceteros Inquisitores esse delegatos eiusdem Inquisitoris generalis, & ab eo iurisdictionem accipere, nam omnes immediatè à Summo Põtifice iurisdictionem accipiunt, mediante sola nominatione personarum factam ex commissione Pontificis sibi indulta, & hæc omnia rectè contra Barbosam docet alter Barbosa in collect.tom.3.lib. 5.tit.2.cap.17.n.11.& 12. Torreblanca de magia lib.3.c.5.nu.2.11.& 12 cum Molina de inst.tom.5.tract.5. disp. 29.nu.7. Sousa post hæc scripta in aphor.Inquis.lib.1.cap. 2. n.4. & ideò Portocarrero vbi suprà, asserit loquens de alijs Inquisitoribus. [En ninguna de las dichas calidades se diferencian del Señor Inquisidor general, cuya iurisdicion es sin duda ordinaria.] & hęc opinio est probabilissima; sed ego vtramque sequor. Ideò assero iurisdictonẽ Inquisitorum in se quidem & à principio delegatam esse, & habere omnes excellentias delegatæ iurisdictionis, ad ordinariam tamẽ valdè accedere, & cum illa ferè in omnibus conuenire, ita vt careat imperfectionibus delegatæ, & ita eleganter probat, & docet Augustinus Barbosa vbi supra, citans Molinam, quem etiam sequitur nouissimè Emmanuel do Valle de Moura opusc.1. de ensal.& incant.sec.3. cap.1.n.6.& Sanctarelius tract.de hæresi cap.40.dub.1.n.5. vbi asserit esse veriorem, & communiorem sentẽtiam, iurisdictionem Inquisitorum valdè accedere ad ordinariã, & ita ego sentio. Vnde rectè Emmanuel vbi suprà, asserit iurisdictionem Inquisitorum esse ordinariam quoad vtilitates ordinariæ, & esse delegatam quoad vtilitates delegatæ.

Notandum est etiam hic obiter, quòd iurisdictio Inquisitorum etiamsi fuerit concessa cum clausula, *vsque ad beneplacitum*, non expirat, nec cessat morte concedentis, & hoc in fauorem fidei. Ita Sousa in aphoris.Inquisit.lib.1.c.1.n. 5. Farinacius de hæresi q.186.§ 2.n.23.& Pegna in direct.p.3.commen.56. & 57.& alij vbi infrà citandi, peculiari resolutione de hac quęstione facienda.

An iurisdictio Inquisitorum concessa sit cumulatiuè, an priuatiuè?

RESOL. II.

IVrisdictionem Inquisitorum non præiudicare iurisdictioni Episcoporum, cùm censeatur concessa cumulatiuè, non autem priuatiuè, docet Sylnester ver.hæreticus, §.2. nu. 10. Rojas singular. 28. n.2. Gundissaluus de hæret.q.7.num.9. Simanca de cathol.instit.tit.25.nu.4. & alij penes Farinacium tract. de hæresi qu.186.nu.38.

Sed consuetudine in Inquisitione Hispanica introductum esse notat Sanctarellus tract.de hæresi c.40.dub. 2.nu .15.vt de hæresi soli Inquisitores cognoscant, & vt Episcopi per se, vel per Vicarios Inquisitoribus assistant, & vt non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticalibus cognoscere, & vt denunciationes sibi factas teneantur ad ipsos Inquisitores remittere; & est vsu receptum vt soli Inquisitores processum forment, atque ipsi soli procedant, & vt rei Inquisitorum iussu comprehendantur, in soloque Inquisitorum carcere custodiãtur, & addit litteras Apostolicas esse in Hispanijs, quibus præcipitur vt hæc Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant. Si verò Ordinarij reperiãt, efficere debent illis de rebus summariam informationem, eamque ad Inquisitores debent transmittere. Item expedit delinquentem comprehendere ne fugiat, comprehendere autem possunt illum Ordinarij, & transmittere ad Inquisitores, aut illos certiores facere, vt illum ad suum carcerem adducant. Ita Sanctarellus, & ante illum Molina de iustit.tract. 5.disp.28.nu.12. & 13. Acugna tract.de Confessar. solicit. qu. 2.nu. 1.Io. Valerus in different. vtr. fori.ver.hæresis diff.3. num. 1. & nouissimè Barbosa in collect.tom.3.libr.5.tit.2. cap. 17.num.3. Sousa in aphorism.inquis.lib.1.cap.2. num.11. Pegna in direct. part.3.quæst.52. comment. 101. & alij penes ipsos. Vide etiam Riccium part.3.decis.279.nu.1. & Bobadillam in politic. tomo 1.lib.2.c.17.nu.72.

Notandum est etiam hic obiter, iurisdictionem nostrorum Inquisitorum Hispaniæ in ordine ad eorum ministros esse etiã priuatiuam, & ita tenet Portocarrero in allegat.de iurisdict.Inquisit.nu.49.vbi sic ait. [La iurisdicion que los Inquisitores tienen en sus ministros es priuatiua, no obstante quę sea concedida à cierto officio, porque a esta concession procedia la exempcion Apostolica que esta aprobada y mandada guardar por las cartas de su Magestades, y osseruada inuiolablemente, y no puede darse acumulacion donde ay exempcion loqual no solamẽte escluye la preuencion de los Ordinarios seglares, si no tambien de los Ecclesiasticos y con mayor razon siendo como es la exempcion generalmente Apostolica, que respeto de los Ecclesiasticos no recibe duda, ni dispuda.] Hæc ille, quæ sunt valdè notauda, quia liber iste non est passim obuius.

An DD. Inquisitores Hispaniarum possint exercere aliqua non solum quia ipsis competunt de iure, sed etiam propter consuetudinem.

RESOL. III.

EX decisione huius quæstionis remanebit satis ampla aduersùs aduersarios iurisdictio DD.Inquisitorum, & ideò affirmatiuam sententiam teneo, quam in primis docet Molina de iustit.to.5.tract.5.disp.28.num.14. vbi sic ait. Neque iam nunc Ordinarij audirentur si aliud vellent, *consuetudine in his Regnis*

tri-

tribuere iurisdictionem Tribunali Inquisitionis circa hæc & circa alia rationalissima visu, consuetudineque recepta. Sic ille, & post illum Dionysius Portocarrero in allegat. pro iurisd. Inquisit. nu. 24. & sequ. qui fusè & solidè hanc sententiam probat & tenet, & rationem adducit, quia sicut iurisdictio priuilegio quæri potest, ita & consuetudine, consuetudo enim dat iurisdictionem, & præter Doctores quos ipse citat, docet hoc etiam Parisius conf. 25. n. 36. lib. 1. Decianus consil. 4. cap. 27. n. 6. Ambrosinus de immun. c. 14. n. 1. Natta consil. 98. n. 4. Menochius consil. 112. n. 65. vol. 2. Surdus consil. 465. n. 4. Gratianus discept. for. ca. 184. n. 25. Sayrus de censf. lib. 1. ca. 6. nu. 31. Schrad. de feud. p. 10. sect. 5. n. 5. & alij penes ipsos.

Notandum est etiam quòd hanc sententiam confirmant ipsi Reges, & ita Philippus II. in quadam Epistola apud dictum Portocarrer. n. 13. sic asserit. [A D Felippe Ceruellon Virey de Mallorca. Ya sabeys lo mucho que Dios es seruido y nuestra santa fee Catholica ensalcada por el santo Oficio de la Inquisicion, y assi es nuestra voluntad, que à sus Oficiales y Ministros de la santa Inquisicion desse Reyno deis siempre y hagais dar todo el fauor que fuere menester para que libremente y sin impedimento alguno puedan vsar de sus cargos, y oficios, y de las libertades, gracias, preeminencias, exempciones, immunidades à ellos, assi por derecho, como por costumbre pertenecientes, &c. Dada en Valladolid, à 10 dias del mes de Marzo 1542.] & Philippus III. in quadam Epistola directa ad omnes Proreges anno 1603. sic ait. [Os encargo mucho, que assi à los venerables Inquisidores, como à todos los otros oficiales, familiares, y Ministros del dicho santo Oficio los honreis, y fauoreceis dandoles de nuestra parte todo el fauor y ayuda que se os pediere y fuere necessario guardandoles, y haziendoles guardar todos los Priuilegios, exempciones, y libertades, que les estan concedido por derecho, concordias, cedulas Reales, como de vso y costumbre, y en otra qualquier manera, &c.] quæ quidem verba vltima, videlicet, [y en otra qualquier manera,] comprehendunt quidquid vsu receptum fuerit, licet vim consuetudinis nondum assumpserit. Ita Portocarrero vbi supra num. 19. & 43. qui in num. 20. explanat supradicta verba, [Que aunque en terminos de derecho comun no esta especificado, quatenus pateat, ni en que casos, ni cosas esta exempcion de los ministros de la Inquisicion, ni que diferencia haya entre ellos. Però por concordias, cedulas Reales y por costumbre esta determinado, y assi vnas palabras aña de à otra.] & num. 24. obseruat supradictos Reges per dicta verba approbasse & confirmasse omnes cõsuetudines Sancti Officij, quorum approbationem & confirmationem ex multis Doctoribus habere vim legis demonstrat. Igitur possunt DD. Inquisitores exercere omnia, quæ sibi competunt de iure communi vel ex consuetudine, vel quidquid vsu receptum fuerit. Vnde ex his apparet quòd si aliqui huic sententiæ contradicunt, non solùm contra rationem, sed etiam aduersùs voluntatem Regis insurgũt, vt patet ex dictis. Domini enim Inquisitores nunquam se extendunt ad aliquid faciendum, nisi id sibi competat de iure, seu de consuetudine, vel saltem exemplis non constet, hoc aliàs factum fuisse, quod comprehenditur, & conceditur à Regibus in illis verbis, [y en otra qualquier manera.] & in illis, [assi por derecho como costumbre,] quæ omnia si aliqui scirent & considerarent, non equidem contra DD. Inquisitores obmurmurarent, dicentes illos multa exercere, quod de iure facere non possunt nam multa etiam licitè faciunt, stante vsu, & consuetudine. & ita hanc sententiam post hæc scripta tenet etiam Sousa in aphorism. Inquisitor. libr. 4. cap. 3. numero 5. vbi ex quadam Bulla Pauli III. docet *quod conceditur inquisitoribus vti consuetudinibus & alijs quibus quomodolibet vtuntur.*

An Inquisitores in causa hæresis ex leui suspicione possint formare inquisitionem, non præcedente diffamatione?

RESOL. IV.

Affirmatiuè respondeo quoad Inquisitionem Generalem, ex cap. accusatus, de hæret. in 6. non autem ex c. excommunicauimus, § adijcimus, de hæretic. vt benè aduertit Angelus tract. de malefic. in ver. hæc est. n. 51. contra Fariancium q. 9. nu. 14. Vide Rolandum à Valle cons. 8. n. 6. lib. 1. Simancam in cathol. instit. tit. 44. nu. 9. Arelatanum, de hæretic. notab. 26. & alios communiter.

Verùm Iulius Clarus lib. 5. §. finali, qu. 6. num. 7. licèt teneat quòd in crimine hæresis potest procedi absque eo quòd præcedat diffamatio, vt dictum est, putat tamen quod vltra ipsam suspicionem adhuc requiratur querela, vel de nunciatio, prout in alijs criminibus, aliàs darentur nimis latæ habenæ Inquisitoribus. Ita ille.

Sed aduersùs hanc sententiam, & meritò, insurgit Sigismundus Scaccia de iudicijs li. 1. cap. 59. n. 11. nam si esset vera, sequeretur, quòd si quis committeret aliquod factum hæreticale, vt potè quia combureret crucem, vel aliam imaginem alicuius Sancti, vel quid simile faceret, ob quod redderetur suspectus, & Inquisitor inquirendo generaliter eum inueniret sine denunciatione, & sine accusatione, non posset contra eum procedere, quod dicere est valdè absurdum, ergo, &c. Nec obstat quòd Inquisitoribus concedantur latæ habenæ quia non eliguntur nisi viri graues.

Notandum est tamen, his non obstantibus, quòd licèt in crimine hæresis possit procedi contra aliquem ex leui suspicione, nõ solùm per viam accusationis, seu denunciationis, sed etiam per viam Inquisitionis, non præcedente clamore & infamia, vt in alijs delictis, attamen leuis suspicio in tali casu eicitur per comparationem ad vehementem, sed in se notabilis esse debet iudicis arbitrio, vt habetur in gloss. 1. cap. excommunicamus 1. §. qui autem, de hæretic. iuxta quod explicandi sunt Doctores asserentes in casu hæresis procedi posse contra quoscunque ex leui suspicione, vt Scaccia vbi supra, Arelatanus de hæretic. notab. 27. Rojas de hæret p. 2. num. 10. & 180. cum alijs. Et hæc omnia notat & aduertit optimè Freytas in addit. ad tractat. de Confess. solicit. quæst. 5. num. 37. Si autem scire vis, qui dicantur leuiter, vel vehementer de hæresi suspecti, vide Albertin. de agnoscend. quæst. 34. à num. 4. Simancam in cathol. institut. tit. 50. à num. 24. & alios. Sed de hac quæstione iterum infrà tedibit sermo.

An Inquisitores possint recusari, vt suspecti?

RESOL. V.

De hac quæstione agit Sigismundus Scaccia de iudicijs lib. 1. cap. 67. num. 7. iuncto c. 66. num. 13. & 16. vbi respondet cum multis distinctionibus affirmatiuè. Idem docet Bernardus Comensis in Lucerna Inquisitorum, verb. recusatio Inquisitoris, n. 1. Tabiena ver. Inquisitio 4. nu. 5. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 4. num. 54. quidquid in contrarium afferat Rojas singul. 100. & de heret, part. 2. numer. 435. cum Menochio lib. 1. consil. 94. num. 12.

Sed Instructio Toletana anno 1561. sic in num. 52. circa hoc dubium determinat. [Si alguno de los Inquisidores fuere recusado, por algun preso, si tuuiere colega, y estuuiere presente, deuese abstener del conocimiento de aquella causa, y auisar al Cõsejo, y en tanto no proceda en el negocio asta que vistas las causas de sospecha, el Consejo prouea lo que conuenga, y lo mismo harà quãdo todos los Inquisidores fuerẽ recusados.] Vide etiam Pegnam in directòr. Inquisit. p. 3. comment. 30. §. Postremò videndum est. Vbi asserit in tali casu recusationis nõ esse arbitros eligendos, sed ad supremum Senatum causa recusationis remittatur, vt ibi summatim re cognita postea determinetur, si Inquisitor recusatus sit suspectus.

An si rei petant Confessarium, debeant Inquisitores eis illum concedere?

RESOL. VI.

Affirmatiuè respondet Zanardus in direct. Theolog. par. 3. capit. 86. vbi sic ait. Si carcerati in S. Officio Confessarium petant, liberè eis dabitur, cùm hoc multum eorum saluti expediat, vt Deo reconcilientur, quæ reconciliatio erit medium ad reconciliationem cum Ecclesia.

At Instructio Toletana anno 1561. edita Matriti ann. 1574. sic in num. 71. asserit. [Si el preso tuuiere salud, y piediere Confessor, mas seguro es no se lo dar saluo si uuiere satisfecho a la testificacion, en tal caso parece cosa cõueniente darle Confessor, parà que lo consuele, y le esfuerce.] Et in casu quo Confessarius

ſarius erit reo concedendus, dicta inſtructio ibidem ſic ordinat. [Tomen juramento que tendra ſecreto, y que ſi el penitente le dixere en cõfeſſion alguna coſa que de por auiſo fuera de las carceles que no acepte el tal ſecreto, ni de ſemejantes auiſos. Y ſi fuere de confeſſion ſe lo huuiere dicho lo reuelerà à los Inquiſidores, y lo auiſaran, y inſtruyran de la forma como ſe ha de hazer con el penitente, ſignificandole que pues eſta preſo por herege, ſi no manifeſta ſu heregia iudicialmente ſiendo culpado non puede ſer abſuelto.]

Verùm, non obſtante dicta Inſtructione Toletana, inuenio Pegnam in director. Inquiſ. par. 2. commen. 25. §. diximus hucvſque de ægrotantibus; docere, benignus videri vt reis hæreticis etiam ſanis Confeſſarius concedatur, etiamſi confeſſi non fuerint in iudicio. Nam hinc multa commoda oriri poſſunt, & in hoc caſu partes Confeſſoris, erunt, reum cohortari ad deferendos errores ſuos, & dicendam integram veritatem tam de ſe, quàm de alijs. addat tamen ne tædio carceris, vel ſpe celerioris liberationis, aut metu tormentorum, ſibi, aut alijs falſum crimen imponat; nõ tamen Confeſſarius poterit abſoluere dictum reum priuſquam ab excommunicatione fuerit abſolutus & Eccleſiæ reconciliatus.

Sed vt plurimum praxis demõſtrat ſecuriùs eſſe, vt notat dicta Inſtructio Toletana, non dari reis Confeſſarium, niſi poſt confeſſionem iudicialem, & ideò poſt hæc ſcripta inueni Piaſecium in praxi part. 2. cap. 4. art. 6. num 7. ſic aſſerentem, Cauſa pendente non eſt admittendus hæreticus ad audiendam Miſſam, neque illi cõcedi debet Confeſſarius, niſi in periculo mortis, ſi fuerit conuictſus. quod eſt valdè notandum in fauorem inſtructionis Toletanæ.

An Inquiſitores poſſint citare & capere reum in alieno territorio ſine litteris ſubſidialibus dominorum.

RESOL. VII.

RÉſpondeo affirmatiuè, & quoad dominos temporales, res eſt clara, quia hæreſis eſt crimen meri fori Eccleſiaſtici, quòd priuatiuè quoad laicos ſpectat ad Inquiſitores, quibus ſunt ſubditi, non ſolùm iudices præfatorum dominorum, ſed ipſimet domini. Vnde eorum aſſenſus neque de iure, neque de vrbanitate requirendus, ſed ſolùm in auxilium, ad quod præſtandum tenẽtur ſub pena excommunicationis. Et idem dicẽdũ eſt quoad dominos ſpirituales, ſaltem in Hiſpanica Inquiſitione, quales ſunt Epiſcopi, & Inquiſitores, quia Iudex poteſt citare per proprium Nuncium, quãdo loca ſunt ſub eodem Præſide: ſed omnes Epiſcopi & Inquiſitores ſunt iudices delegati Pontificis, qua ratione eiuſdem, & non alterius imperio ſubſunt. ergo, &c. Verùm attenta practica Inquiſitores Inquiſitoribus & Epiſcopis in caſibus occurrentibus litteras requiſitorias mittere ſolent. Et hæc omnia docet Scaccia de iudicijs lib. 1. c. 23. nu. 4. & 5. & ante illum Simanca in Catholica Inſtit. tit. 2. num. 13. & 14. Poſſunt igitur Inquiſitores non ſolùm verbaliter, ſed etiam realiter citare, & capere reum in alieno territorio, & mandare vt ad ſe tranſmittantur libri, & alia ſimilia neceſſaria ad cauſam.

An Inquiſitores poſſint accipere xenia, hoc eſt, eſculenta, & poculenta, quæ intra paucos conſumuntur dies, & ſpontè ſibi ſunt oblata.

RESOL. VIII.

AD hoc dubium ſic reſpondet Scaccia de iudic. libr. 1. capit. 87. numero 12. Dico quòd in Hiſpania nec Inquiſitores, nec alij S. Officij miniſtri poſſunt accipere non ſolùm munera, ſed nec etiam eſculenta, & poculenta, & contrà facientes incurrerent excommunicationem, priuarentur officio, tenerentur reddere duplum, & alia pœna mulctarentur, & hoc procedit etiamſi acciperentur ab eiſdem Officialibus Sanctæ Inquiſitionis. Quinimo miniſter cùm ſciuerit alium miniſtrum donum accepiſſe, tenetur ſub eiſdem pœnis illum Inquiſitori reuelare. Alibi tamen vbi huiuſmodi prohibitiuæ conſtitutiones non extant, vidi ab Inquiſitoribus eſculenta & poculẽta accepta fuiſſe. Ita ille, & ante illum Pegna in direct. Inquiſit. part. 3. comment. 153. Simanca in cathol. inſtit. tit. 34. numer. 45. quibus adde Moſcouium de maieſt. milit. Eccleſ. lib. primo part. 1. cap. 11.

An Inquiſitores teneantur dare reo non ſolùm Aduocatum, ſed etiam Procuratorem.

RESOL. IX.

AFfirmatiuè reſpondet Inſtructio Hiſpal. ann. 1484. numero 16. vbi ſic habetur. [Si el reo acuſado pidiere que le den abogado y procurador que le ayude deuenlo dar los Inquiſitores recibiendo el iuramento en forma que ayudaran fielmẽte al tal acuſado, alegãdo ſus legitimas defenciones ſin procurar, ni poner cauilaciones, ni dilaciones malicioſas, y que en qualquier parte del pleyto, que ſupiere y conoſciere, que ſu parte no tiene Iuſticia no lo ayudarà mas, y lo dira à los Inquiſidores, y al acuſado le deuen dar de ſus bienes, ſi los tiene para pagar el ſalario del letrado y procurador.] Ita ibi. Sed hæc inſtructio quoad Pocuratorem reuocata fuit per aliam Inſtructionẽ Toletanam ann. 1561. vbi num. 35. ſic habetur. [Aunque la Inſtrucion diſpone que ſe de à los reos procurador non ſe le deue dar, porque la eſperiencia hà moſtrado muchos in cõuenientes que dello ſuelen reſultar, y por la poca vtilidad que de darſe ſe conſeguia à las partes, no eſta en eſtilo de darſe, aunque algunas vezes hauiendo mucha neceſſidad ſe ſuele dar poder al abogado que lo defiende.] Et ſic hodie non datur hæretico reo Procurator, ſed tantùm Aduocatus, vt tradunt Simanca in Cathol. Inſtit. tit. 1. n. 2. & 3. Paramus de orig. inquiſ. lib. 3. qu. 4. num 48. Rojas ſingul. 53. Pegna in director. Inquiſit. pa. 3. comment. 28. & alij.

Nõ deſinam etiam hic apponere ad aliorum Inquiſitorum inſtructionem, ea quæ dicta inſtructio Toletana numer. 36. determinat obſeruãda ab Inquiſitoribus Hiſpaniæ circa præſentem materiam rei & Aduocati. Sic enim habet. [Si el Reo pidiere papel para eſcriuir lo que à ſu defenſa tocare deuenſele dar los pliegos contados, y rubricados del Notario, y aſſientеſe en el proceſſo los pliegos; que lleua, quando los boluiere ſe cuenten por manera que al perſo no le quede papel, y ſe aſſiẽte aſi miſmo como los buelue, y darſele ha recaudo con que pueda eſcriuir, y quando pidiere que venga ſu letrado vendra y communicara lo que le conuenga, y le entregara los papeles, que tuuiere eſcritos tocantes à ſus defenſas que el letrado huuiere ordenado antes de preſentarlas darſele ha lugar, y aduiertan los Inquiſidores, que el letrado ni otra perſona, no trate con los preſos coſa ninguna, mas de lo que toca à la defenſa, y los abogados no ſe queden con ningun traslado de acuſacion, publicacion, ni de las tachas de los teſtigos, ſi no que todo le bueluan ante los Inquiſitores.] Hæc ibi, quæ multum deſeruient pro Aduocatis, qui vocantur *de los preſos*. Vide Simancam vbi ſuprà, qui etiam notat n. 8. quòd ea quæ Aduocati allegant reo præſente, perindè habenda ſunt, ac ſi ab eodem reo profeterantur, niſi fortè Aducatus errauerit, & reus intra triduũ contradixerit. Sed in cauſa hæreſis, etiamſi poſt triduum de errore aut imprudentia Aduocatorum conſtiterit, reo nocere non debet, quia ſimpliciter & ſumma æquitate in hoc iudicio agitur, reiecto iuris rigore. Sic ille.

Notandum eſt etiam hic obiter, quòd Inquiſitores poſſunt cenſuris compellere ſæculares Aduocatos, vt alicuius rei cauſæ patrocinium ſuſcipiant. Ita Alphonſus Narbona in recopilat. libr. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſ. 22. numero 63. vbi citat Bobadillam, & Decianum.

An Inquiſitores poſſint condemnare abſolutum, iterum de eodem crimine pleniori ſuperueniente probatione.

RESOL. X.

AFfirmatiuam ſententiam videtur docere Inſtructio Hiſpalenſis ann. 1484 nu. 3. vbi ſic habetur. [Item acordaron y ordenaron que los que fueren preſos por eſte delicto que no ſean fatigados en las carceles, en la dilacion del tiempo, que luego ſe haga el proceſſo con ellos, porque no aya lugar de quexarſe y no ſe detengan à cauſa de no hauer entera prouança, pues que es cauſa que quãdo ſobreuiene prouança ſe puede de nueuo agitar no obſtante la ſentencia que fuere dada.]

Sed

Sed istam constitutionem aliqui intelligunt de reo qui fuit absolutus ab instantia iudicis, secus autem si fuit in totum absolutus, ne repugnet iuri communi & legi si cui §.1.ff.de accusationibus, & cap.de his, de accusar. & ex authoritate & argumento l.libellorum, & cap.cum P.de accusation. Vide Brunum de hæret.lib.4.c 8.& Decium cons.157.

Verùm his non obstantibus Ioan. Rojas de hæret.p.2. assert. 49.num. 385.docet, quod absolutus, siue ab instantia iudicis, siue definitiuè, iterùm de eodem crimine pleniori superueniente probatione poterit condemnari.& infrà nu.386.etiam docet condemnatum pœna arbitraria, quia delictum non fuit plenè probatum posse ordinaria pœna puniri superueniente de eodẽ crimine legitima probatione, & ita obseruatur in praxi in Sacro Tribunali S.Inquisitionis Hispaniæ. Vnde post hæc scripta hanc sententiã tenet etiam Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 2. c.37.num.31.& ideò à fortiori obseruandum est id, quod determinat Instructio Toletana anno 1561.nu.69.vbi sic ait.[Quando huuiere processo contra alguna persona determinado, o sin determinase, y estuuiere sobreseido aunque no sea de heregia formal, sino que por otra razon pertenezca al S. Officio sobreuiniendo nueua probanca de nueuo delitos deuese acumular el processo viejo con el processo nueuo para agrauar la culpa y el Fiscal haga mencion del en su acusacion.]Sic ibi.

Quando & quomodo Inquisitores debeant procedere ad carcerationem reorum?

RESOL. XI.

AD hoc quæsitum ita respondet Didacus Cantera in qq.crimin. cap. 1.de probat. per testes, quæst. 1. num. 60.vbi sic ait. In crimine hæresis numquam proceditur ad capturam, nisi sint sufficientia indicia ad torturam, & sic seruatur in Inquisitoribus Hispaniæ. Ita ille, quod etiam seruari in Inquisitionibus Italiæ testatur M.Antonius Genuens.in praxi Archiep. c. 68. n. 1.vbi sic asserit. Cùm carceratio in causis sanctæ fidei irroget sæpè facti infamiam, nunquam Curia procedit ad capturam, nisi saltem adsint indicia ad torturam, & nonnunquam quãdo persona denunciata est grauis, antequam carceret solet iniungere vni ex Consultoribus, vt secreto modo se informet à Parocho denunciati, vel alijs personis fide dignis, quomodo ipse denunciatus ambulet in vita & moribus; tarò autem procedit ad citationem verbalem, & quãdo citat, non inserit in citatione causam delicti, vt in alijs citationibus fieri debet, sed in genere citat ad subijciendum se examini super nonnullis mouentibus mentem ipsius Curiæ tangentibus sanctam fidem. Ita ille, & ideò Pegna in director.Inquisit.par.3 commen.17.asserit. quòd ad reorum capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, aut vehementes suspiciones procedere debẽt. nam ex leuibus suspicionibus non est ad eam veniendum vbi rei fuga non timeatur, & licèt soli Inquisitores possint capturam decernere, securiùs tamen est maturo Consultorum consilio remtãtam aggredi, & ob delictum omnium grauissimum, & ob famam, quæ ob solam capturam non modicè læditur & ideò in Instruct. Tolet anno 1561.num. 3. sic habetur.[Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el vno, sin el otro, si estuuieren ambos præsentes acuerden la prision, y parece seria mas iustificada se communicasse con los cõsultores de aquella Inquisicion si buenamẽte se pudiera hazer, y pareciere à los Inquisidores cõueniente y necessario, y assientese por auto lo que se acordare.]Sic ibi.

De hac autem re vide Zanardum in direct. Theol.p.3.c.83. Scaccianı de iudic.lib.2.c.44.n.4.& 5.Boerium decis.215.nu.34. Simancam in enchir.tit.25.nu.2.& Rojas de hæret.p.2.assert.1. nu.22.vbi docet vnius testimonium omni exceptione maioris sufficere ad carcerandum; secus si accusatus esset nobilis ac bonæ opinionis, & famæ, nam in tali casu requirit vt plures adsint testes, vel indicia. Vnde aliqui docent, etiam in causa hæresis Sacerdotem non esse incarcerandum ex vnius testis delatione. Vide Acugnam tract.de Confess.solicit.quæst.4.num. 27.& Sigismundum Scacciam li.1.c.44.n.4. & 5. Sed in casu occurrenti DD. Inquisitores considerabunt circumstantias, & qualitates testis, & rei.

An Inquisitores præter Secretarium quando recipiant testes, teneantur adhibere duas religiosas personas

RESOL. XII.

REspondeo affirmatiuè, cap. vt officium, §. verum, de hæret. in 6. sed sub nomine Religiosorum intellige etiam Clericos, docet Simanca instit.cathol.tit.64.nu.9. immò laicos graues & prudentes tenet Pegna in direct.Inquis.p.3 q.64. Sed hanc Pegnæ opinionem Piasecius in praxi p.2.c.4 art.6.nu.4. & M.Anton.Genuens.in praxi Archiep.68.nu.1.limitant quando Clerici inueniri non possunt, tunc enim laici graues & prudentes adhibendi sunt.

Sed ego absolutè puto etiam data copia Regularũ & Clericorum sufficere laicos graues & prudentes, & ideò Zechius in summ.tom.1.de hæret.c.11.num.15.Scaccia de iudicijs lib.1. cap.87.nu 16.& Sanctarellus tract.de hæresi c.38.dub. vnic.nu. 5.asserunt, quòd in Tribunali S.Inquisitionis absque præsentia personarum religiosarum fiunt processus, & tales processus approbat Generalis Inquisitio Romana, & notant esse magis cõsilium, quàm præceptum quòd debeant interesse duæ personæ religiosæ. Verùm in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ in recipiẽdis testibus adsint semper quinque personæ, Iudex, testis, scriba, seu Notarius, & duæ religiosæ personæ, & religiosas personas voco non regulares, vt suprà dixi, sed quæ animi candore & Religionis zelo commendẽtur. Ita noster Paramus de orig. Inquis.lib.3.q.4.n.50. Vide etiam Menochium vol.2.consil.149. Sed an Episcopi in recipiendis testibus contra hæreticos teneãtur adhibere dictas duas personas religiosas, negat Repertorium Inquis.in ver.examinatio testium, sed affirmat, & optimè Pegna in direct.p.3.q.65.comment.112.

An Inquisitores possint inquirere & punire eum, qui in sortilegijs immiscuit Sacramenta?

RESOL. XIII.

AD quæstionem respondeo quòd Vmbertus Locatus in praxi Inquisi. ver. Sacerdos, nu.4. docet, quod sortilegium in quo sacrum oleum miscetur, non sapit hæresim, nisi imploretur auxilium dæmonis ad ea, quæ de sui natura facere nõ potest. Et hanc sententiam tenet etiam Campegius in addit. ad Zanchinum.cap.22. littera C.in ver.Inquisitor. vers.pro his intelligendis, in fine.

Verùm cum communi DD.sententia hoc sortilegium sapere hæresim manifestam dicendum est, & ita docet Riccius in praxi to.1.resol.224.nu.11.Delrius in disquis.mag.lib.5.sect.15. §.Dico tertiò. Torreblanca de magia lib.3.cap.7.n.14.Pegna in direct.Inquis.p.2.q.42.commen.66. Genuens.in praxi Archiep. c.18.nu.11.Zanardus in direct. Theol.p.3. c. 64.Raphael de la Torre in 2.2.D.Th.to.1.q.96.art.4.disput.2.& Lucerna Inquis. ver. sacrmentis abuti.vbi sic ait. Sacramentis abuti sapit hæresim, & Inquisitor potest punire tales abutentes, quando vtitur sacramento Altaris ad faciendas incantationes, vel sortilegia, aut rebaptizando aliquem, vt dicitur in gloss.ver.saperent.§.sanè, c.accusatus. Idem etiam esset quando fierent ista cum sacramento Chrismatis, aut aliquo aliorum Sacramentorum, quia faciendo mentionem de corpore & sanguine Christi & de Baptismo, consequens est, quòd etiam intelligatur de alijs Sacramẽtis, quia de similibus simile est indicium. Ita Bernardus Comensis author.dictæ Lucernæ, cuius sententiam ibi in annotat. approbat Pegna, &, vt dixi, omnes communiter.

An Inquisitores possint punire reum, qui in sortilegijs miscuit sacramentalia.

RESOL. XIV.

NEgatiuè videtur respondendum ex sententia Torreblancæ, qui in lib.3.de magia cap.8.n.15.putat sortilegium cũ mixtione sacramentalium non esse hæreticale, & citat Ghirlãdum de sortil.quæst.10.n.15.& seq.

Sed hæc sententia, pace viri docti, mihi displicet, & ideò illum impugnant communiter DD.vt Sesse tom.4.decis.463.n. 9.& 464.num.12.Bellochius in praxi Theol.mor.part.secunda,

quæst.1.n.55.Floronus de cas.reseru.parte 2.cas.1.n.49. Zanardus in direct.Theol.p.3.cap 64.Genuens.in praxi Archiep.cap.18.n.11.Delrius in disquis.mag.lib.5.sect.15.§.Dico tertiò, Pegna in direct.Inquisit.par.2 quæst.42.comment.67. Scaccia de iudic.lib.1.c.12.nu.34.Raphael de la Torre in 2.2.D.Tho.q.96. art.4.disp.2.& alij communiter,asserentes non solùm esse sortilegium sapiens hæresim manifestam, quando in illo adhiberētur sacramentalia,sed etiā quando admiscerentur verba sacra: vt Euangelium, Symbolum Fidei, Pater noster, Aue Maria, Psalmus aliquis Dauidicus,aut alia verba Sacræ Scripturæ,seu aliæ sanctæ Orationes, vel vti imaginibus cereis, quas vocamus Agnus dei,vel alijs rebus sacratis,vt vestibus sacerdotalibus & similibus.Et ratio horū omnium est, quia tales sortilegi admittētes supradictas res in suis sortilegijs, significant se credere huiusmodi adhibita habere vim ad maleficiorum operationem. Vnde ex his videtur explodēda alia opinio Torreblācæ vbi supra nu.16.asserentis non esse sortilegium hæreticale miscere reliquias Sanctorum, aut eas dissoluere ad maleficia, ideò contrariam sententiam, & meritò, tenent Raphael de la Torre, Zanardus & alij vbi supra,docentes mixtionem Reliquiarum efficere sacrilegium hæreticale.

An Inquisitores possint punire sortilegos eos, qui præsentia,vel præterita occulta reuelant,vt furta, &c.

RESOL. XV.

Affirmatiuè respondet Simanca in cathol.instit. tit. 21. nu. 15.vbi sic ait. Illi prætereà puniendi sunt, qui præsentia, vel præterita occulta reuelant,quæ ab eis tunc naturaliter sciri non potuerunt; ea enim dæmone suggerente nouerunt.Hi ferè sunt, qui diuinant, vbi sit res aliqua furto subtracta, & qui eodem die, quo aliquid gestum est in longè distantibus locis, id ipsi enunciant, ac si præsentes fuissent, qui quidem interrogandi sunt ab Inquisitoribus, vnde talia nouerint, & confessi, vel conuicti coercendi sunt, vt socij dæmoniorum. Ita Simanca:

Sed aduersus illum insurgit nouissimè Acugna de Cōfessor. solic.quæst.5 num.34.vbi sic asserit. Diuinationes & sortilegia per se sumpta,etiamsi pactum expressum,vel tacitum cum dæmone interueniat super his, quæ ab ipsis effici possunt, cuiusmodi est reuelatio eorum,quæ nobis sunt occulta,non pertinēt ad Inquisitorum iurisdictionem,si nulla detur aliunde admixtio hæresis, veluti dæmonis adoratio, aut manifestus sapor illius inducatur, veluti si consulatur ad ea,quæ ipse per naturam suam scire nequit. Ita ille, qui citat plures DD.quos etiam sequitur Farinacius de hæresi q.181.num.54.quibus ego addo Sigismundum Scaccia de iud.lib.1. c.12.num.40.

Verùm his non obstantibus ego adhæreo opinioni Simancę, quia nobis omne cum dæmonibus commercium interdictum est, & hanc sententiam docet etiam Bartholomæus de Spina, Insignis Theologus Dominicanus, & Magister sacri Palatij,in Apolog.4.contra Ponziuibium,vbi probat,quòd absolutè & sine distinctione dicendum est omnem inuocationem dæmonis sapere hæresim manifestam. Sed aliqui concordant supradictas duas opiniones pugnantes, & dicunt quòd opinio Simancæ procedit,quando dæmon inuocatur per verba deprecatiua, opinio verò contraria, quando dæmon inuocatur imperatiuè, Vide Sesse to.4.decis.468.n.18.& alios; sed hæc distinctio mihi displicet,vt infrà patebit,

An Inquisitores possint inimicos admittere in testes.

RESOL. XVI.

Respondeo negatiuè cum Simanca in instit.cathol.tit.64.n. 80.Gundissaluo de hæret.q.13.n.13.Zanchinus c.13. n. 3. Repertor.Inquis.part.3.quæst. 67. & ibi Pegna comment. 116. & Io.Rojas de hæret.part.2.nu.231.vbi asserit, quòd testi inimico non sit credendum,etiam in articulo mortis,& etiā quòd deponat in tortura,& etiamsi sit recōciliatus, dummodo recōciliatio fuerit recens,secus si antiqua. Vnde ex officio Inquisitores debent diligenter inquirere de inimicitia testium tam ipsos testes,quàm inquisitos.

Sed hæc omnia intelligenda sunt de inimico capitali, secus de inimico non capitali, nam inimicitia si nō fuerit capitalis, non impedit, vt aliquis non possit esse testis,licet fidem aliquātulum diminuat.Et ita docet Parisius lib.4 consil. 2. numer. 46. Zechius in summ.part.1.tit.de fide,rubr.de hęresi cap.11.num. 11.& alij.An verò suspecti de inimicitia, vt amici subditi, aut consanguinei capitalis inimici, admittantur in testes? negat Hieronymus Gabr.consil.178.num.8.& 14. lib. 1. Sed affirmāt Caldetinus, & Zanchinus, quos refert Farinacius tract.de hęresi q.158.§. 9. num. 107. Verùm hi DD.vt benè obseruat Sanctarellus tract.de hæresi c.38.dub.vnic.nu.14.sunt intelligendi quando adsunt probabiles coniecturę quòd non adducatur ex odio ad testificandum,sed ex zelo fidei, quòd prudens Inquisitor obseruare debet, ideò dictis testibus non creditur, nisi in quantum legitimo adminiculo adiuuentur, vt cum DD. citatis docet Sousa in aphoris.Inquisit.lib.2.c.10.nu.8.

Verùm his non obstantibus Castrus Palaus to. 1. tract.4.disp.8.punct.5.§. 1. num. 10. tenet amicum strictum,vel consanguineum inimici capitalis rei repellendum esse à testificando in crimine hæresis,& citat Gabrielem vbi suprà. Sed ego non recedo ab opinione Sousę & aliorum; in casu verò occurrenti quænam sint inimicitiæ capitales, DD. Inquisitores & eorum Consultores videant Almontem Ciazzium in discept.crim. discept.34.c.1.n.1.& seq.cum alijs DD.vbi suprà.

An in ratificatione testium debeant Inquisitores ei præbere, si petat primam attestationem.

RESOL. XVII.

Certissimum est quòd testes in summario iudicio recepti, & examinati in plenario,medio præstito iuramento,debent iterum examinari & reproduci, seu, quòd vulgò dicitur, ratificari, & quòd aliter nec fidem faciunt in iudicio. Hoc supposito ad dubium propositum sic respondet Simanca in institut.cathol.titul.64.n.24.& 25.Cùm autē obiecta crimina negat reus, tunc accusatione à Procuratore fiscali post admonitiones edita,testes iterum ab Inquisitoribus vocandi & rursus interrogādi sunt,quod fieri solet non ostenso illis priori testimonio,vt rectiùs intelligi queat, vtrùm vera,vel falsa dicant, mendacem enim memorem esse oportet,quamuis in alijs causis aliud fieri debeat, ne testis anceps periurium subire cogatur. Prætereà cum in hac posteriori testium examinatione, omne ferè testimoniorum pondus persistat, quamuis reus dicat se habere velle testes, vt vulgò dicunt, pro ratificatis, nihilominus iudices eosdem iterum examinare & interrogare debent, ne fortè defensio reorum pereat, cui ne nominatim quidem renunciare queunt.Ita Simanca.

Sed hanc sententiam quoad primum dictum, si longum tēpus sit elapsum inhumanam vocat Ioan.Rojas singul.106.n. 2. vbi sic ait.In crimine hæresis testes debent iterum suum dicere testimonium, non ostenso, vel exibito priori dicto, secundùm aliquos,quòd satis inhumanum,meo iudicio,esse arbitror,nam si longum tempus esset elapsum, iam primæ attestationis testis esset penitus oblitus, cum labilis sit hominum memoria, ideò cautus testis dicat, quòd si apparuerit aliter dixisse in alia examinatione quàm hic,quod ex nunc corrigit dictum suum, & illud reducit ad primum dictum, cum illo tempore melius huius rei erat memor.Hæc Rojas.

Nota etiam quòd M. Anton.Genuensis in praxi Archiep. ca. 68.n.4.quoad secundum dictum Simancę sic asserit. Si Inquisitus vellet habere testes fisci pro repetitis,Curia procedit ad vlteriora,nisi aliud faciendum videretur,quia vt reus defendatur solet Curia repetere ex officio testes,licèt reus habeat ipsos pro repetitis. Ita ille,qui sibi videtur contradicere. Vnde his omnibus minimè obstantibus, & praxi Sacræ Inquisitionis Hispaniç,non recedit ab opinione Simancę, quam etiam approbat nouissimè Bobadilla in polit.lib.2.cap.21.nu.53. Suarez de Paz in praxi tom.1.part.5.cap.3.§.9.num.6.Ludouicus Miranda de ordine iudiciario tom. 2.quęst.18. art. 7.in fine, & Genuensis vbi suprà nu. 3. vbi ait,non esse legendam testibus primam depositionem,& Suarez de Paz in praxi tom.1. part. 5. quæst. 4. §. 9.num.3.asserit, quòd non sufficit, quòd rei habeant testes pro repetitis. Vide etiam Simancam tit. 24. num. 24. vbi ponit praxim, quando testis in ratificatione sibi contradicit, sic enim ait. Si posteriora testimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legi debent priora testimonia & interrogandi sunt, cur illa tam variè dixerint,& modestè monendi

sunt

sunt, vt in veritate persistant, postremò quidquid responderint, scribendum est, & testes varij ac vacillantes in custodiam mittendi sunt, & si id causa deposcit, torquendi & puniendi sunt. Ita Simanca.

Verùm non desinam hic apponere in gratiam lectorum ea, quæ circa præsentem quæstionem determinat Instructio Tolet. an. 1561. edita Madriti anno 1574. vbi nu. 33. sic ait. [Los testigos se ratificaran en la forma del derecho ante personas honestas, que seran dos Ecclesiasticos, que tẽgan las qualidades que le requieren, Christianos viejos que hayan iurado el secreto, y de que se tegan buena relacion de su vida y costumbres, ante los quales se les diga como el fiscal los præsenta por testigos. Preguntefeles si se acuerdan hauer dicho alguna cosa ante algun Iuez in cosas tocantes a le fe y si dixere que si diga la sustãcia desu dicho, y se no se acordare haganiele las preguntas generales por donde se pueda acotdar de lo que dixo, y si pidiere qua se lea, hazer se ha assi.] Ita ibi.

Nota etiam quod in ratificatione testiũ Procurator fiscalis non potest esse præsens, & sic habetur in eius Instruct. num. 4. edita Matriti 1576. vbi sic ait. [Los fiscales de las Inquisitiones al tiempo que presẽtaren sus testigos para los ratificar despues que en su presencia por los Inquisidores les sea recebido iuramento no esten presente ni los Inquisidores selo permitan.]

An Inquisitores possint subdelegare causas hæresis.

RESOL. XVIII.

Respondeo affirmatiuè, quia delegatus Principis potest subdelegare, vt patet in c. super quæstionem, de offic. deleg. & notat Eymericus in direct. Inquisit. part. 3. quæst. 15. §. Respõdemus, & ob quas causas possit delegare. Vide Pegnam eadem part. 3. comm. 61. §. sed iam. Immò potest etiam sibi Vicarium, seu Commissarium substituere, vt docet Thom. Treuisanus lib. 1. decis. 66. nu. 4. & seq. Sed an delegatus Inquisitoris possit subdelegare, anceps est quæstio, de qua vide ea quæ adducit dictus Pegna par. 3. commen. 64. §. Hęc tamen ratio. Vide etiam Molinam de iust. tract. 5. disp. 28. nu. 8. Azorium tom. 1. li. 8. cap. 8. quæs. 10. & Scaccia de iudic. tom. 2. li. 2. cap. 9. quæs. 2. n. 641. & seq. vbi satis firmat iurisdictionem DD. Inquisitorum circa delegandi testium potestatem, & Commissarios substituendi.

An iurisdictio Inquisitoris expiret per mortem delegantis, si etiam vnam causam non inceperit ante illius mortem.

RESOL. XIX.

Respondeo negatiuè, ex cap. ne aliqui, & ibi glossa in ver. non cœpta, de hæretic. in 6. & ita docet Eymericus in direct. Inquis. part. 3. q. 7. & ibi Pegna & Iason in l. maiorum, nu. 10. ff. de iurisd. omn. iud. Immò non solùm non expirat iurisdictio Inquisitoris, sed nec minus expirat iurisdictio Vicarij, seu Commissarij, aut alterius Delegati pet mortem Inquisitoris. Vide Thom. Treuisanum lib. 1. decis. 66. n. 7. 9. & 10. Decian. tr. crim. li. 5. cap. 20. n. 8. & c. 22. n. 5. & 29. Scacciam de iudic. lib. 1. c. 67. n. 8. Simancam in cathol. instit. tit. 34. nu. 14. Rojas singul. 114. n. 3. Pegna in direct. Inquis. par. 1. comm. 56. & 57. Azorium to. 1. lib. 8. cap. 18. q. 7. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 28. nu. 34. & alij penes ipsos. Dicendum est igitur, quòd officium Inquisitoris non expirat morte concedentis, vt. v. g. Papæ, Inquisitoris maioris, &c. nec quoad negotia quæ nondum erant orta, vel cœpta, & hoc etiam procedit, vt dictum est in resol. 1. etiamsi talis iurisdictio fuerit concessa cum clausula, *vsque ad beneplacitum*, & hoc in fauorem fidei.

An detur appellatio à sententia Inquisitorum lata contra hæreticos.

RESOL. XX.

Respondeo quòd à sententia contra hæreticos, eorumque credentes, fautores, defensores, & receptatores lata non datur appellatio, vt patet ex cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6. & tradunt DD. vt Simanca de Cathol. instit. tit. 6. num. 2. Rojas singul. 19. nu. 1. & seq. Paramus de Inquis. orig. lib. 3. quæst. 4. nu. 58. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 20. n. 26. & c. 58. n. 1. & Farinacius de heresi q. 185. §. 15. n. 227. vbi n. 230. notat, quòd sient hæreticus à sententia contra se lata appellare non potest, ita nec etiam appellare possunt illius heredes.

Notandum est tamen quòd limitatur supradicta sententia à Farinacio nu. 232. & 235. Calderino tract. de hæret. cap. 20. n. 2. cum alijs in appellatione à sententia interlocutoria grauaminis illati ante definitiuam, & pariter in appellatione à decreto torturæ.

Non grauabor tamẽ hic apponere verba Instruct. Tolet. anno 1561. n. 50. vbi sic ait. [Deuen los Inquisidores mirar mucho que la sentencia del tormento sea iustificada, y precediendo legitimos indicios, y en caso que desto tengan escrupulo o duda por ser el prejuizio irreparable pues en las causas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otorgarã la apelaciõ a la parte que apelare. Pero en caso que esten satisfechos de los legitimos indicios, que del proceso resultan esta iustificada la sentencia del tormento, pues la apelacion en tal caso se repura friuola, deuẽ los Inquisidores proceder a la execution del tormento sin delacion alguna. Y aduiertan que en dubia han de otorgar la apelacion, y por esto no procedan à sentẽcia de tormento ny execution della hasta despuas de conclusa la causa, y hauendosene recebido las defensas del reo.] Sic ibi. Sed de hac quæstione infrà etiam redibit sermo.

An Inquisitores possint procedere contra Episcopos.

RESOL. XXI.

Negatiuè respondeo, ex cap. Inquisitores, de hæret. in 6. nisi Episcopus esset suspectus de fuga, vel aliquid in manifestũ fidei, & fidelium detrimentum moliretur, quia tũc potest capi, & custodiri donec Summ. Pontifex certior redderetur. Et ita tenet Michael Zanardus in direct. Theol. p. 2. c. 6. q. 22. cui adde Molinam de iust. tract. 5. disp. 28. n. 19 Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 112. nu. 14. Acugnam vbi infrà, & alios.

Notandum est etiam quod responsio negatiua de non procedendo Inquisitores cõtra Episcopum procedit, etiam si Episcopus sit titularis. Ita Acugna de confess solic. quæst. 12. nu. 2. & nu. 11. docet pariter hoc procedere in Episcopis electis, & confirmatis, licèt nondum consecratis. Vide etiam Molinam vbi suprà, & Sanchez lib. 8. disp. 2. n. 11.

Verùm licèt supradicta sint vera, tamen ego puto contra glossam in d. cap. Inquisitores, ver. Apostolicæ, & ibi. *Monachum, & Archidiaconum*, posse Inquisitores de hæresi Episcopi cognoscere dicta testium aduersùs eum recipiendo, vt sic negotium instructum ad Pontificem mittant, cum cautelis de quibus Pegna infrà, & ita tenet Suarez de fide disput. 20. sect. 4. num. 25. Simanca in cathol. instit. tit. 25. nu. 8. Pegna in direct. inquis. part. 3. comment. 76. Zechius in summ. tom. 1. tit. de hæret. c. 11. nu. 13. & alij.

An Inquisitores possint licitè promittere impunitatem reo, si verum fateatur?

RESOL. XXII.

Affirmatiuè respondet Flaminius Carthatius in practica interrogandi reos, lib. 2. cap. 1. num. 27. quoniam, ait ipse Inquisitores in remittendis pœnis & temperandis ampliorem quàm cæteri iudices, habent potestatem, vt patet ex cap. vt cõmissi, de hæret. in 6. & probat Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 12. nu. 9. cum alijs penes ipsum.

Sed negatiuam sententiam mordicus tenet Sigismũd. Scaccia de iudicijs lib. 1. c. 87. num. 25. vbi ex multis rationibus probat, quòd Inquisitor non debeat promittere reo impunitatem, seu gratiam se facturum, sed quòd secum aget benigniori, quo poterit, modo, vel dummodo relapsus non sit, quod Ecclesia secum misericorditer aget. Ita ille. Vide Simancam in cathol. instit. tit. 13. numer. duodecimo. Sed circa præsentem quæstionem vide Pegnam in direct. Inquis. part. 3. comment. 23. numero 206. per totum, vbi docte, vt semper solet, disputat an fides data reo de immunitate præstanda seruari debeat, & in quibus

pœnis possint Inquisitores gratiam facere, & circa hoc quomodo debeāt se habere cum reis. Verùm his non obstantibus, non delinam hic apponere opinionem Didaci Cantera in qq. crim. cap. 1. de vera confess. n. 9. vbi sic ait. Secundò intelligo nō habere locum nostram fallentiam in crimine hæresis, vt tenet Simanca, sed certè in hoc crimine hæresis contrarium vidi determinari per Consilium Inquisitionis in quadam causa cuiusdam relapsi. Nam ex eo quod Inquisitor promisit misericordiā, non fuit relaxatus. Ita Cantera. vnde videant D D. Inquisitores quàm cautè loquendum sit cum reis.

An Inquisitores debeant procedere cum Generalibus Religionum in causa hæresis, sicuti procedunt cum Episcopis?

RESOL. XXIII.

Diximus suprà ex cap. Inquisitores, de hæret. in 6. delictum hæresis Episcoporum esse reseruatum Summo Pontifici, & contra illos in tali casu non posse procedere Inquisitores, quæritur modò an idem dicendum sit de Generalibus Religionum.

Affirmatiuè respondet Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resolut. 73. n. 1. Emmanuel Rodriquez in qq. Regul. to. 2. q. 81. art. 1. Pegna in direct. Inquisit. par. 3. comm. 73. & Nauarrus c. 1. de foro competen. num. 5. Verùm contra prædictam sententiam, & meritò, insurgit Freyas in addit. ad tr. Roderici Acugna de Confess. solic. q. 12. nu. 20. & ratio est, quia exceptio cap. Inquisitores, vbi supra, excipit Episcopos tantum, ergo ad Generales Religionum extendi non debet, ex regula in l. siquidem § fin. ff. de penu. legat. & resoluit in specie Alberteus in c. 1. q. 7. de heret. in 6.

Verùm his non obstantibus contra Generales Religionum non debēt Inquisitores procedere, sed certiorem faciant summum Senatum Inquisitionis, vt benè obseruat Zanardus in direct. Theol. part. 2. cap 6. quæst. 23. Petrinus in priuil. Minim. to. 2. constit. 9 Pauli V. §. 1. nu. 2. & alij, non sequitur tamen ex hoc quòd Generales cum priuilegio Episcoporum in hoc cōmune aliquid habeant, quicquid inuoluat vterque Rodriquez & Pegna vbi suprà.

Notandum est hic obiter quòd licèt Pius V. sanciuerit in constit. Pastoris æterni, vt Inquisitores possint inquirere in omnes Religiosos hereticos, vel de hæresi suspectos, dummodo a suis Superioribus præuenti nō fuerint; hodie tamen extat constitutio Pauli V. in qua interdicitur Prelatis Regularibus cognoscere de causis hereticalibus suorum subditorū, eosque punire. Et ita notat Sanctarellus de heresi c. 40 dub. 3. n. 21. Zanardus in direct. Theol p. 2. c. 6. q. 23.

An Inquisitores possint procedere contra Nuncios & Officiales Sedis Apostolicæ?

RESOL. XXIV.

Respondeo negatiuè ex Extrauag. cùm Mattheus, de heret. & ita obseruant Zanardus in direct. Theol. part. 2. cap. 6. quęst. 21. Homobonus de statibus part. 1. cap. 8. Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 26. Molina tract. 5. de iust. disp. 28. num. 20. Sanctius in select. disp. 11. n. 33. Decianus to. 1. lib. 5. cap. 23. n. 10. Rodericus Acugna de Confess solic quest. 12. n. 8. Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 36. Simanca in cathol. instit. tit. 34 n. 39. & alij Sed qui sint Officiales Sedis Apostolicæ, vide Cenedum part. 3. collect. 14. nu. 1. & 2. Molinam vbi suprà, asserentes esse illos, qui nomine Sedis Apostolicæ ad negotium Sedi Apostolicæ pertinens tractandum mittuntur, non autem illi, qui ad causas particulares inter alios iudicandas, ac dirimēdas quotidie à Sede Apostolica mittuntur.

An Inquisitor possit procedere contra alium Inquisitorem de hæresi suspectum?

RESOL. XXV.

Respondeo negatiuè, quia par in parem iurisdictionem nō habet, & ita notat Zechius in sum. tom. 1. tit. de hæresi c. 1. num. 13. Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 26. Pegna & Eymericius vbi infrà, & alij communiter. Sed difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hęresi suspectum?

Affirmatiuam sententiam tenet Zanchinus de hæret. cap. 8. nu. 9. Gundisaluus de hæret. quæst. 7. num. 17. Decianus in tr. crimin. lib. 1. cap. 11. num. 6. & inclinat Calderinus tractat. de hæret. cap. 8. nu. 9. Verùm mihi negatiua sententia placet, quam tenet Azorius tom 1. lib. 8. cap. 18. qu. 14. Eymericius in direct. Inquisit. part. 3. qu. 30. & ibi Pegna comment. 79. Mandosius in addit. ad repert. Inquis. ver. Episcopus lit B. & verb. Inquisitor lit. D. cum aliis, poterit tamen Episcopus secretò recipere testes contra Inquisitorem de hæresi suspectum, & informationes mittere ad Romanum Pontificē. Attamen in duobus casibus potest, his non obstantibus, Episcopus procedere contra Inquisitorem. Primò quando crimen est notorium, sed in his cautè procedant Episcopi, ne potiùs ratione scandali damnum inferant quam vtilitatem. Secundo quando dimisit Officium Inquisitoris, & ita docet Rojas singul. 109. & Geminianus in c. Inquisitores, de hæret. in 6. & ibi Franchus num. 1.

An Inquisitores possint compellere iudices laicos nolentes exequi sententiam ab eis latam contra hæreticum.

RESOL. XXVI.

De hac quæstione alibi egimus, ideò nunc dico breuiter quod si iudex laicus non vult exequi sententiam latam ab Inquisitoribus contra aliquem hæreticum, possunt illum cōpellere per cēsuras, & ex hoc inquirere contra illum, tanquā fautorem hæreticorum, etiamsi differat sententiæ executionem sub pretextu quod sit iniusta, quia nullo pacto potest se intromittere in cognitione causarum hæreticalium. Et hæc omnia docent Pegna in direct. Inquis. part. 3. q 46. nu. 85. Campegius in addit. ad Zāchin. c. 8. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. Iudex. n. 57. & 66. Mandos. in repert. Inquis. ver. executio lit. B. Iacobus Simanca in cathol. inst. tit. 66. num. 3.

An Inquisitores subsint Legatis Summi Pontificis?

RESOL. XXVII.

Ad hoc dubium ita respondet Ant. Sanctarellus de hæresi c. 40. dub. 5. n. 31. vbi sic asserit. Nota olim Legatum Sum. Pontificis habuisse iurisdictionem in Inquisitores, vt patet ex constit. Vrbani IV. quam refert Locatus in iudiciali Inquisitorum, ver. Legatus, n. 2. hodie verò sine speciali facultate Pōtificis vel supremæ Inquisitionis Rom. in rebus pertinentibus ad Officium S. Inquisitionis non solent Legati Pontificis se ingerere. Ita Sanctarellus.

An inquisitores incurrant in excommunicationem, si extorqueant pecuniam prætextu Officij Inquisitionis?

RESOL. XXVIII.

Affirmatiuè respondet ex Clement. 2. de hæret. Suarez de cens. disp. 25. sect. 5. num. 24. & DD. quos citat & sequitur Sanctarell. tract. de hæres. c. 40. dub. 5. n. 26 qui tamen obseruat alios contrariam sententiam docere, & multas pro eorum firmanda sententia adducit rationes probantes in d. Clem. 2. non comprehendi Inquisitores.

Verùm stando in sententia affirmatiua, puto cum Bonacina to. 5. disp. 2. q. 10. punct. 10. Primò non affici excommunicatione istius Clemen. Inquisitorem, qui pecuniam à sponte dante accipit, etiamsi videat sibi dari prætextu officij Inquisitionis, *hic. n.* sic accipiens pecuniam non dicitur illam extorquere, vt vult textus. Secundò Inquisitor qui pecuniam prætextu pecuniæ mutuò datę, vel alterius crediti, vel alio titulo etiam iniusto sibi tradi curat, non incidit in istam excōmunicationem, quia nō extorquet pecuniam prætextu Officij Inquisitionis. Tertiò inquisitor, qui cogit aliquem, etiam pretextu officij Inquisitionis ad tradendam sibi mutuo pecuniam, in istam excommunicationem non incidit.

An

An Inquisitores in aliquo casu possint delegare examen testium.

RESOL. XXIX.

Respondeo quòd licèt Inquisitores debeant ipsimet reos & testes examinare, tamen si testes essent legitimè impediti, possunt eorum examen delegare alteri, secundùm Scacciam de iudicijs lib. 1. c. 87. n. 15. & Simancam in cathol. instit. tit. 64. n. 11. vbi n. 13 sic asserit. Illustres viri & aliæ honestiores fœminæ non sunt facilè Inquisitoribus in iudicium trahendi, sed vel ad has personas iudices ire, vel certè alios mittere debent, quod quidem ex dignitate authoritate, & honestate alijsque testium qualitatibus constituendum erit. Ita ille. Vide etiam Rojas singul. 204. nu. 7. vbi sic ait. Testium examinationem Inquisitores alteri non committant, nisi in duobus casibus, videlicet quando testes legitimè sunt impediti, & quando non decet vt Inquisitor ad eos accedat, & ideò in Instructione Hispal. edita ab Alphonso Mariquez Cardinali num. 17. sic inuenio determinatum. [Los Inquisidores por si mismos reciban y examinen los testigos, y que no cometan la examinacion dellos al notario ni a otra persona, saluo si el testigo estuuiere enfermo de tal enfermedad, que no puede parecer ante el Inquisidor, y al Inquisidor no fuera honesto, yr a recebir su dicho, o fuere impedido que en tale caso puede el Inquisidor cometer la examinacion del testigo al Juez ordinario Ecclesiastico de lugar, y a otra persona proiuda, y honesta que lo sepa bien examinar con vn notario.] Sic ibi.

Vnde doctus Didacus Cantera in quæst. crim. cap. 2. de vera confessione n. 7. fol. 77. sic ait. In causis hæresis secundùm iuris dispositionem est prouisum per Instructionem Hispalensem, quòd Inquisitores per se ipsos examinent testes, & si ex iusta causa contigerit committi alicui, ille qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma & modo quo talis testis deposuit. Hæc ille ex quibus apparet Inquisitores alteri vices committere, si mulierem honestam non deceat domo exire ad testificandum, & ita etiam docet Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 2. nu. 1.

An Inquisitores possint punire tamquam relapsos, qui de vehementi abiurarunt, non autem fuerunt conuicti per plenas probationes, si posteà in secundo lapsu plenè conuicti sunt.

RESOL. XXX.

Sententia affirmatiua est clara per text. in cap. accusatus, de hæretic. in 6. & illam docent DD. quos citat Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 8. n. 2. Vnde infertur non esse relapsum illum, qui primò de leui abiurauit, quamuis post huiusmodi abiurationem de hæresi fuerit conuictus, quod etiam habetur in d. cap. accusatus.

Nota verò cum Squillacensi de fide cathol. ca. 31. n. 2. quem citat & sequitur Sanctarellus de hæresi cap. 42. dub. vnic. nu. 6. in fine, quòd si aliquis postquam fuerit in hæresim relapsus, cùm ante relapsum, & abiurationẽ esset de crimine hæresis leuiter suspectus, & post abiurationem plenè probetur quòd verè illud crimen antea commiserit, hunc esse dicendum verè relapsum, & afficiendum pœna relapsis imposita.

Notandum est etiam hic obiter primò cum Menochio li. 1. consil. 82. nu. 150. & alij, non esse relapsum qui post abiurationẽ de vehementi iterum abiurat, quia de nouo redditur suspectus de hæresi, & ita declarauit Pius V. anno 1567. vt notat Vmbertus Locatus in praxi inquis. vers. vehemens suspicio, nu. 1. Vnde ex hoc sequitur non esse relapsum qui hæresim abiurauit tamquam fautor hæreticorum si post abiurationem iterum illis fauet, vt docet Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 56 nu. 16. & alij. Vide Zanardum in direct. Theolog. pag. 2. cap. 7.

Notandum secundò nõ esse relapsum qui post purgationem relabitur in hæresim, si purgatio fuerit imposita propter leuem suspicionem de hæresi, secus autem si fuerit imposita propter vehementem suspicionem. Ita Pegna in director. part. 3. comment. 35. & Decian. in tract. crim. lib. 5. c. 48. num. 51. Immò non dicitur relapsus qui post purgationem incidit in aliam hæresim sed solùm ille, qui incidit in eam hæresim, quam purgauit, quod notat Pegna vbi suprà, & Paramus de origine Inquisit. lib. 3. q. 4. rubr. de expedit. process. nu. 5. nisi generaliter omnem hæresim abiurasset, prout fieri solet; & ratio est, quia qui se purgat solùm de illis hæresibus se purgat, de quibus fuit diffamatus, ergo si in alias hæreses reincidat, non est relapsus.

An Inquisitores possint habere familiam armatam.

RESOL. XXXI.

Respondeo affirmatiuè cum Zanardo in direct. Theolog. p. 2. cap. 6. quæst. 15. & patet in Clement. nolentes, § porrò, de hæret. & per DD. quos ego adduxi in tract. 2. de immunit. Eccles. resolut. vlt. Vide etiam Simancam in cathol. instit. ti. 34. nu. 23. & tit. 41. Campegium in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 31. lit. A. Rojas singul. 21. num. 8. & Pegnam in director. Inquisit. part. 3. quæst. 56. comment. 103. vbi docet hanc armorum licentiam non solùm Inquisitores posse dare Officialibus destinatis ad denunciandos hæreticos, ad comitandos Inquisitores, vel ad capiendos hæreticos, sed etiam cæteris ministris, qui quauis alia ratione S. Officio inseruiunt, veluti Aduocatis, Notarijs, Consultoribus, custodibus, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. qu. 33. num. 24.

Vnde ex his sequitur quod Domini temporales impediẽtes supradictos & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum, possunt ab ipsis puniri tamquam turbatores Officij Inquisitionis, vt notat Card. Zabarella in Clem. 2. § porrò, nu. 9. & Pegna vbi suprà, qui citat glossam notabilem in c. statutum, ver. indirectè, de hæret. in 6.

An Inquisitores possint respuere appellationem quam affert reus.

RESOL. XXXII.

Affirmatiuè respondeo, si reus appellat à sententia definitiua contra eum lata, nam, vt habetur in cap. vt Inquisitiones hæreticorum. Et ita docent Rojas singul. 19. num. 1. & seq. Simanca in cathol. instit. tit. 6. n. 2. Pegna in direct. Inquisit. p. 3. commen. 31. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 4. n. 58. Zanchinus de hæret. cap. 20. n. 1. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 20. n. 26. Carreta de hæret. num. 129. & iterum Rojas singul. 179. n. 2. vbi ex hoc asserit, quòd sententia ab Inquisitoribus cõtra hæreticum lata potest executioni demandari, etiã pendente termino decem dierum à iure commun ad appellandum dato. Et hęc omnia intelliguntur etiam quoad hæredes hęreticorum, qui non possunt appellare à sententia contra hęreticos lata, & ita docet cum aliquibus limitationibus Simanca in cathol. instit. tit. 6. num. 7. & seq. & Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 18. num. 6.

Verùm licèt hęreticus, vt dictum est non possit appellare à sententia diffinitiua, potest tamen appellare à grauamine illato ante diffinitiuam sententiam, & sic ab interlocutoria. Ita Pegna Rojas, Barbosa, & Paramus loco cit. n. 60. & seq. vbi plura docet de forma huius appellationis ab interlocutorio grauamine, & de requisitis ad eam.

Notandum est etiam hic obiter quòd licèt, vt alibi diximus in causa hæresis posse reum appellare à decreto torturæ, ex gloss. in Clem. 1. ver. ipso iure, de hæret. & Simanca in cathol. instit. tit. 52. nu. 11. & tit. 65. num. 2. Attamen si appellatio sit calumniosa, & Inquisitores videant in processu legitima extare indicia ad torquendum, possunt non obstante appellatione ad torturam deuenire, quod est valdè notandum. Et ita tenet Pegna in direct. Inquis. part. 3. comm. 31. vbi pro hac firmanda sententia affert instructionem Madrilianam.

Quando verò hæreticis licitum est appellare, appellatio defertur ad Papam; secus in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispan. vbi ex priuilegio Apostolico, vt alibi probatum est appellatio defertur ad supremum Inquisitorem, & si grauamen sit illatum ab Episcopo, possunt laici appellare ad Metropolitanũ, non autem exempti. Nam in causis exemptorum quoad hæreses Episcopus procedit non tamquam iudex ordinarius, sed delegatus, & ideò appellatio deferenda est Summ. Pontifici. Vide tex. in cap. ad abolendam, §. si qui verò, de hæret. in 6. Simancam in cathol. instit. tit. 25. n. 6. Zanchinum de hæret. c. 8. num. 3.

num. 3. Gundissaluum & hęr. q. 7. n. 34. Carreram de hęret. num. 65. Decian. in tract. crim. lib. 5. c. 21. nu. 4. asserentes Episcopum in causa heresis exemptorum procedere tamquam delegatum, & non ordinarium, quidquid asserat Hostiensis in d. c. ad abolendam, n. 13. Anania nu. 24. & alij.

Sed pro coronide huius resolutionis ponam hic pulchrũ dubium, an hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ & supplicationis possit adire Superiorem, vt sententia data, quam iniustam esse pretendit, reuocet, & annullet? Affirmatiuam sententiam tenet Rojas singul. 18. num. 5. & Felinus in cap. ad abolendam, num. 3. de hęret. in 6. At mihi placet opinio negatiua, quam tuetur Carrera tract. de hæret. num. 130. & doctus Simanca in cathol. institut. tit. 6. numer. 2. quia ratio, per quam textus in cap. Inquisitionis, denegauit hæreticis appellationem à sententijs cõtra eos latis modo quo supradictum est, militat etiamsi eis licitum esset Superiores adire per viam querelæ. Vnde licèt in aliquibus casibus, in quibus non admittitur appellatio, non impeditur querela, seu recursus, vt docet glossa in cap. ex litteris, de in integr. restit. ver. supplicauit. Decius consil. 533. num. 3. Parisius libro 4. conf. 164. num. 18. Hippolytus Marsilius singul. 88. & alij, hoc tamen in casu hæresis non est admittendum.

An Inquisitores possint procedere ad decisionem causarum sine Vicario Capituli Sedis vacantis.

RESOL. XXXIII.

R̲Espondeo negatiuè, nam, vt suprà dictum est de Episcopo, dicendum est etiam de Capitulo Sede vacante, quod est Iudex ordinarius in causa hæresis, non exercendo hanc iurisdictionem per se ipsum, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum, vt patet in c. ad abolen. de hæret. ibi, *vel Clerici ipsi Sede vacãte*, &c. & colligitur ex Clem. 1. §. propter, de hęret. Et ita hanc sententiam tenet Simanca in cathol. instit. tit. 25. n. 6. Gũdissaluus de heret. quæst. 7. num. 8. Decianus in tt. crim. lib. 6. ca. 21. num. 13. Carrera tra. de heret. num. 66. & 70. Bonifacius de Vitalinis in Clemen. 1. nu. 48. & 50. de hęreticis, & alij. Et hęc omnia procedunt non solùm quando sedes vacat absolutè, sed etiam quando Episcopus esset captiuus, vel si non ministraret propter non expeditas literas, vt notant Decianus, Carrerus, & Bonifacius de Vitalinis locis cit.

Sed an Capitulũ Sede vacante sit iudex in causa hęresis modo quo supra etiam in ordine ad exemptos, affirmat Socinus in c. ad abolendam, n. 44. & Card. Zabarella in Clem. 1. de hęret §. duro, n. 6. in 8. quæst. At ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quia Capitulum succedit Episcopo in his quę Episcopo competunt de iure ordinario, nõ autem ex delegatione. Sed Episcopus, vt suprà notatum est, nõ est iudex ordinarius exemptorum in causa hęresis, sed delegatus. ergo, &c. Et ideò nostram sententiam tenet Decianus vbi suprà, num. 14. & Carrera nu. 66. cum Io. Andrea in d. c. ad abolen. nu. 15. Ancharano num. 10. & alijs.

An Inquisitor generalis possit ad libitum remouere alios Inquisitores ab Officio, vel de loco ad locum transferre.

RESOL. XXXIV.

AFfirmatiuam sententiam videtur docere Ludouic. Molina de iust. tomo 5. tract. 5. disput. 28. num. 7. Verùm ego contrarium sentio, ex rationibus quas adducit Ferdinãdus de Castro in oper. mor. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. num. 20. nisi interueniat aliqua iusta causa, quæ in ordine ad illos absoluendum erit ab officio. Prima, si non haberent debitas cõditiones. Secunda si superueniente infirmitate inhabiles ad officium exercendum, prout opus est, efficerentur. Tertia, si in exercendo officio dolosè delinquerẽt. Causa verò iusta ad Inquisitores de loco ad locum transferendi erit. Prima quando Inquisitor est multum ad negotia aptus, & locus in quo manet, non requirit personam ita solertem, sicut indiget locus alter. Secunda, quando contra eum suscitatę sint rixę, & odia capitalia, quia processerunt contra nobiles, & insignes personas, vnde trepidandum est de scandalo. Tertia, quando non benè se habet cum Principibus, in quibus tamen duobus casibus posterioribus, si hęc contra Inquisitorem sint suscitata ob nullam causam, erit de meliori inquisitione prouidendus ne puniatur, vbi meretur. Et hæc omnia docet Michael Zanardus in director. Theol. par. 2. cap. 6. quæst. 9. & 19. Vide etiam circa pręsentem quæstionem Zechium in summ. to. 1. tit. de fide, c. 11. n. 13. Azorium to. 1. lib. 8. cap. 18. q. 9. & Pegnam in direct. Inquis. part. 3. q. 10. commen. 59.

An Inquisitores possint absoluere hæreticum occultum in foro conscientiæ.

RESOL. XXXV.

NOuissimè Ferdinandus de Castro in op. mor. to. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 3. nu. 4. & Alphonsus de Leone de offic. & potest. Confess. to. 2. recollect. 6. nu. 127. docent nulli Inquisitori neque Tribunali, datam esse facultatem absoluendi ab hęresi, & excommunicationibus reseruatis in foro conscientiæ, quam sententiam tuentur etiam DD. quos ego citaui to. 1. p. tr. de absol. ab hæresi, resol. 4.

Sed ego ibi contrarium docui, & nunc iterum doceo cum DD. quos ibi adduxi, quibus nunc addo Philippum de la Cruz in Thesauro Ecclesiæ tra. 1. § 16. n. 1. in fine, & Martinum Bonacinam in Bull. Cœn. to. 3. disp. 1. q. 22. punct. 1. n. 5. Dico igitur Inquisitores Hispanos potestatem habere etiam in foro conscientiæ ad absoluendum hæreticum occultum, & hanc sententiam in Hispania esse vsu receptam, testatur ex Rodriq. dictus Bonacina, & ipsemet Castrus, & DD. contrarij fatentur hanc sentẽtiam esse probabilem, vnde illam, vt mihi constat, in praxi deducere non dubitant Illustrissimi Inquisitores. Vide nouissimè Farinacium in addit. ad eius opera post. lib. 3. conf. ad q. 4. nu. 5. fol. mihi 4. colu.

An Inquisitores per præsumptiones possint condemnare aliquem pro hæretico?

RESOL. XXXVI.

LIcèt in causis ciuilibus ex aliquibus præsumptionibus & Indicijs fiat vna integra, & perfecta probatio, ex glossa in l. 2. ff. de excusat. tutor. in causis tamen criminalibus ex pluribus indicijs & præsumptionibus non fit perfecta probatio, ex glossa ver. illorum, in c. veniens 1. de testibus.

Verùm in fauorem fidei aliqui putant quòd indicia, & præsumptiones sufficiunt ad condemnationem quando dicta indicia & præsumptiones plenè probantur, & adducunt l. 2. in fine C. de hæret. & Innocentium in c. sicut, de simonia. Vide etiam Vmbertum Locatum in praxi Inquis. ver. hæreticus, num. 22. & Repertorium Inquis. ver. probatione.

At his non obstantibus ego contrariam sententiam teneo, nam in crimine hæresis non solùm probationes sufficiunt, sed probationes debent esse luce meridiana clariores, quia in hoc crimine de maiori periculo agitur. Et ita hanc sententiam tenet Simanca in cathol. instit. tit. 50. n. 21. tit. 51. n. 2. & in enchir. tit. 34. n. 1. Zanchinus de hęret. c. 13. n. 4. Menochius vol. 2. conf. 82. n. 16. Riminaldus lib. 6. conf. 686. n. 46. vide etiam Paramum de orig. Inquis. lib. 3. qu. 6. & Parisium li. 4. consil. 2. n. 102. & seq. & Decian. in tract. crim. lib. 5. c. 35. n. 20. & videtur expressè decisum in c. litteras, de præsumptionibus.

Notandum est tamen quòd supradicta sententia procedit quoad condemnandum hæreticum in pęna ordinaria hæresis, secus autem in pœna extraordinaria. & ita intelligendus est Rojas singul. 164. nu. 6. & de hæret. p. 2. nu. 151. qui videtur sibi varius & contrarius vt legenti diligenter patebit. Et hanc etiã sententiam tenet Simanca in cathol. instit. tit. 50. n. 21. & tit. 51. nu. 12. Gundissaluus de hæret. q. 13. num. 21. & 22. Albertin. de agnoscen. q. 34. n. 56. & seq. Pegna in direct. p. 2. commen. 80. & alij. Potest igitur hæreticos per præsumptiones & indicia plenè probata condemnari in pęna extraordinaria triremium, fustigationis, exilij, carceris. & cæt. quicquid asserat Menochius cons. 82. nu. 144. vbi putat ex pręsumptionibus non posse quem condemnari in pœnam corporalem, sed in pecuniariam. Sed tu tene nostram sententiam cum DD. citatis.

An Inquisitores in aliquo casu non incurrant in excommunicationem latam in Clement. 1. §. verum, de haeret. si non procedant contra haereticos.

RESOL. XXXVII.

RĚspōdeo affirmatiuè, & ideò si Inquisitores omiserint procedere contra hæreticum, non odij, rancoris, vel lucri causa, sed propter timorem, vel propter euitanda scandala, non incurrent in pœnam prædictam excommunicationis, & ita docet glossa in Clement. 1. verb. obtenta, de hæreticis, & ibi Ancharanus in §. sanè, nu. 11. Imola num. 17. Bonifacius de Vitalinis nu. 162. Vmbertus Locatus in praxi Inquisitor. v. Inquisitor. n. 19. & hanc sententiam docet etiam Sanctarellus tract. de hæresi, c. 60. dub. 3 nu. 21.

Notandum est tamen hic obiter, quòd quando Inquisitores incidunt in supradictam excommunicationem, nō possunt absolui, excepto à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis. Vide Simancam in cathol. inst. tit. 34. n. 40. & Pegnam in direct. Inquis. p. 3. comment. 73.

An Inquisitores possint procedere contra comedentes carnes diebus prohibitis, vel non recipientes sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ semel in anno.

RESOL. XXXVIII.

AFfirmatiuam sententiam olim docui, quia supradicti sunt vehementer de hæresi suspecti. Sed quia hæc opinio aliquibus nimis rigida visa fuit, ponam hic per extensum verba Doctorum. Antonius Sanctarellus tract. de hæresi, cap. 41. dub. 3. num. 5. Sunt de hæresi suspecti, qui singulis annis sua peccata non confitentur, nec communicant, sicut etiam sunt suspecti de hæresi, qui diebus vetitis carnes edunt. Io. Rojas singul. 98. num. 6. Inquisitores possunt procedere contra eum, qui non recipit sacram communionem quolibet anno, Franciscus Pegna in direct. Inquis. p. 2. q. 55. comment. 46. Vehemens suspicio, seu suspicio sumitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus quòd qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, vt si quis diebus prohibitis absque necessitate & Superioris facultate carnibus vescetetur. M. Antonius Genuens. in praxi Archiepiscop. cap. 18. num. 11. Comedentes carnes diebus prohibitis ab Ecclesia sine necessitate dicuntur vehementer de hæresi suspecti. Et tandem hanc sententiam nō solùm quoad comedentes carnes diebus prohibitis, sed etiam quoad non sumentes sacramentum Eucharistiæ & pœnitentiæ singulis annis, docet etiam Lelius Zecchius in summ. tom. 1. tit. de fide c. 11. nu. 5. Verùm posse omnia supradicta effici sine mentis errore, non est dubitandum, nō tamen ex hoc sequitur quod Inquisitores non possunt procedere cōtra talia facientes. Ideò eorum arbitrio standum erit pensatis circumstantijs, & qualitatibus facti, temporis, & personarum. Sed communiter contra eos, qui nō communicant in praxi, solent procedere Episcopi.

Vide etiam præter DD. citatos Duardum in Bull. Cœn. libr. 2. can. 1. q. 33 n. 7. Alphonsum de Leone de offic. & potest. Cōfess. to. 1. recollect. 22. n. 12. cas. 15. & Emmanuelem de Valle de Moura opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c. 3. nu. 20.

An suspicio leuis de hæresi sufficiat vt Inquisitores possint specialiter contra aliquem inquirere, & ipsum interrogare.

RESOL. XXXIX.

PRima opinio negat, & ita docet Simanca in cathol. institut. tit. 50. num. 28. Vnde Homobonus de Bonis in tract. de cas. reseru. part. 2. cas. 1. fol. mihi 229. docet ob leuem suspicionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem. Et hanc sententiam tenet etiam Lazarius de blasphe. quæst. 12. num. 32. Genuens. in praxi Archiepisc. capit. 18. num. 10. Alphonsus de Castro libro secundo, de hæret. punit. ca. 25. Iul. Clarus in practic. crim. in §. fin. quæstio. 6. num. 6. & à fortiori Gregor. de Valentia tom. 2. disputat. 6. quæst. 19. punct. 4. §. 1. vers. Sed vt hæc inquisitio, vbi loquens in sortilegio, seu maleficio, constituit conclusionem quoad hoc vt possint interrogari de se ipso, necesse est vt sit suspectus, vel propter publicam infamiam, vel propter semiplenam probationem, vel propter grauia indicia. Vide etiam Lessium libro secundo, de iustit. cap. 29. dub. 3. num. 15.

Secunda opinio affirmat, & ita docet Sigismundus Scaccia de iudicijs lib. 1. cap. 59. à num. 12. Decianus in tract. crim. libro 5. cap. 20. num. 21. & cap. 35. num. 10. Mascardus de probat. vol. 2. concl. 861. num. 3. Rolandus à Valle lib. 3 consil. 8. numero 6. Parisius lib. 4. consil. 2. nu. 100. & Io. Rojas de hæret. p. 2. nu. 20. vbi sic asserit. Certum est & indubitatum. Inquisitores posse contra aliquem in crimine hæresis ex leui & modica suspicione procedere, vt suspectus interrogetur quid sentiat de fide. Ita ille.

Tertia opinio distinguit, vel suspicio hæresis leuis oritur ex opinione DD. vel ex lege, seu cōsuetudine. Si primum, vera est prima opinio, si secundum, secunda, & ideò retinentes libros prohibitos illosque legentes, & Sacramenta sine potestate ministrantes, binas nuptias contrahentes, solicitantes in confessione, in excommunicatione per annum exordescentes sunt ab Inquisitoribus interrogandi, & examinandi, quia hęc suspicio oritur ex delicto, cui à iure & consuetudine talis suspicio annexa est: secus autem, vt dictum est, si suspicio oriatur ex alijs delictis quibus solùm in opinione DD. positum est ingerere suspicionem, & hanc sententiam tenet nouissimè Ferdinandus de Castro in oper. mor. tract. 4. disp. 7. punc. 1. n. 7. qui citat Suarez de fide disp. 24. sect. 2. n. 4.

Quid ego sentiam dicam breuiter. Omnes supradictæ opiniones sunt probabiles, mihi verò secunda magis placet, cum hac tamen limitatione, vt procedat in homine vili, improbo, & abiecto; secus autem in viro honesto, nobili, & Religioso, & ita mecum tenet Pegna in direct. Inquis. p. 2. commen. 12. verbo Ceterùm, & comment. 80. vers. atque ita crederem, cum Ioann. Rojas vbi supra, de heret. p. 1. nu. 21. & alijs & de hac quæstione suprà etiam aliquid dictum est.

Notandum est hic obiter quòd vt abiuratio, & cōdemnatio leuiter suspectis inferatur, debet necessariò delictum, seu indicium esse plenè probatum, quod est valdè notandum à DD. Inquisitoribus, alias non esset vera suspicio, nec digna pœna, quæ vltra abiurationem de leui solet esse, vel exilium, vel ad triremes cōdemnatio, vel alia pœna pecuniaria, pensatis qualitatibus personarum, & delictorum. Ita Castrus Palaus vbi supr. nu. 8. & 9. cui ego addo Menochium lib. 1. cōs. 82. n. 155. & Arelatanum de hæret. notab. 27.

Quinam verò dicantur suspecti leuiter, vehementer, vel violenter de hæresi, explicant DD. citati, quibus adde Antonium Sanctarellum tr. de hæresi, c. 41. dub. 3. n. 5. Lælium Zechium in sum. to. 1. tit. de fide, c. 11. nu. 5. Genuensem in praxi Archiepisc. c. 18. nu. 11. & Aloysium Riccium in praxi to. 1. resolut. 423. per totam, & de leui vehementi, & violenta suspicione hæresis, vide Farinacium de hæresi q. 187. à n. 23. vsque ad n. 53.

An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem.

RESOL. XL.

REspondet negatiuè Eymericus in direct. Inquis. p. 3. qu. 67. & ibi Pegna comment. 116. Carrerius tract. de hæret. nn. 107. & alij, quia inimicus capitalis, vt omnes concedunt, repellitur à testificatione in crimine hæresis. ergo repellendus est ab accusatione. Probo consequentiam, quia, vt patet ex c. testes 2. q. 7. & probat fusius Decianus in tract. crim. lib. 3. c. 25. repulsus à testimonio, repellitur ab accusatione, ergo, &c.

At his nō obstantibus, ego puto inimicum capitalem in causa hæresis admitti posse ad accusandum, cautè tamen, vt suspectus. Et ita hanc sententiam tenet Ferdinandus de Castro in op. mor. tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 2. num. 7. & alij penes ipsum, quibus ego addo Nicolaum Arelatanum notab. 10. vbi sic ait. Non ignoras inimicum capitalem repelli ab accusatione; sed hoc verum non est in crimine hæresis, in quo inimicus inimicum accusare potest. Ratio est, nam tunc inimicus dicitur accusare vt persequatur suam, & suorū iniuriam, quo casu apertissi-

apertissimi iuris est inimicum admitti ad accusandum; quod autem dicatur suam vel suorum iniuriam persequi, probatur; nam quę committuntur in Religionem diuinam, omnium iniuriam respiciunt, ex l. Manichæos, C. de hæret. Ita Arelatanus. Adde, quòd in tali casu accusator nō probat, sed probationem præbet, & si ad hæresim accusandam inimicus non admitteretur, difficile alius accusaret.

Notandum est hic obiter, quod in accusatione hæresis non sunt necessariæ solemnitates legis libellorum, ff. de accusat. vt aduerit Scaccia de iudicijs, lib. 1. cap. 52 num. 3. & Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 28. n. 10. Vnde Paramus de orig. Inquis. li. 3. q. 9. nu. 93. & seq. dixit in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debere apponi locum loci, & tempus precisum commissi criminis, sed tātùm mensem & annum, oppidum, seu ciuitatem. Sed de hac quęstione vide Simācam in cathol. instit. tit. 4. n. 9. & 10. tit. 43. nu. 21. Carrerium de hæret. nu. 109. & Gundissaluum de hæret. q. 12. nu. 2.

An Inquisitores possint examinare testes nominatos in denunciatione facta sine nomine denunciatoris.

RESOL. XLI.

CErtum est, quòd etiam absentes admittuntur in crimine hæresis si proprio nomine, & iuramento denunciationem firment, vt probat Simanca in cathol. instit. tit. 43. n. 10. & in enchir. tit. 22 nu. 8. Zechius in summ. to. 1. tit. de fide c. 11. nu. 12. & alij. Sed difficultas est, an Inquisitores possint procedere ad examinandum testes nominatos in denūciatione facta in scriptis sine nomine denunciatoris? Affirmatiuè respondet Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 6. n. 93. Sed aduersus illum, & meritò, insurgit Ferdinandus a Castro to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 4. n. 4. & Farinacius de hæresi q. 85. nu. 68. vbi ait, quod etiamsi in schedula sine nomine transmissa sint testes nominati; nō debēt procedere Inquisitores ad eorum examē, & ita testatur seruari Romæ in Tribunali Generalis & S. Inquisitionis. Ratio est, quia talis nominatio testium debet reiici tanquam suspecta cū procedat à persona incognita. Sed aduersus Castrum & Farinacium opinio Parami olim mihi non displicebat, nā quæ maior persona suspecta, quàm inimicus capitalis? & tamē Castrus & Farinacius admittunt testes quos inimicus capitalis defert; ergo quanto magis admittendi sunt testes quos denūciator occultus præstet. Verùm quia praxis est in contrarium, à contraria opinione non est recedendum.

An Inquisitores si post annum contumaces compareant, debeant illos audire, etiam quoad bona confiscata.

RESOL. XLII.

AFfirmatiuè respondet Sigismundus Scaccia de iudic. lib.... c. 98. nu. 34. & Farinacius de hæresi q. 85. nu. 109. vbi testatur Romæ in Tribunali Generalis & S. Inquisitionis seruari, quòd quandocunque contumaces spontè compareant, semper audiuntur & quoad personam, & quoad bona.

Verùm contrariam sententiam tenet Simanca in cathol. instit. tit. 2. nu. 21. vbi sic ait. Is qui intra annum præsentiam sui fecerit, audiri quoque debet, vt ne bona sua publicentur; post annum verò etsi audiatur, nihilominus bona eius confiscātur, excepto si de innocentia illius planè constiterit. Ita ille. Et hanc sententiam tenet Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 49. Ioā. Rojas singul. 145. nu. 5. Paramus de orig. Inquis. lib. 3. qu. 4. n. 47. & Sanchez in sum. to. 1. lib. 2. c. 20. n. 27. vbi probat, quòd quādo bona ob cōtumaciam hæretici absentis publicantur, ita elapso anno transeunt in rem iudicatam, vt comparens postea nō sit audiendus circa illa, nec ea recuperet, nisi, vt dictum est, comparens innocentiam suam planè ostenderit.

Notandum est hic obiter, quòd citatio facienda contra contumacem absentem in crimine hæresis, continere debet causam, vt scilicet compareat ex causa fidei, & ita tenet Angelus ver. hæreticus, num 1. Decianus in tract. crimin. libr. 5. cap. 32. numer. 8. & alij. Verùm sufficere in tali casu vt reus citetur ad comparendū coram Inquisitoribus volentibus ab eo quędam scire, tradunt Simanca in cathol. institut. tit. 43. num. 12. & Pegna in director. Inquisit. part. 3. comment. 33. Vide etiam Paramum de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. num. 34. Si tamen Inquisitores post citationem sic generaliter factam intendent contra reum non comparentem procedere ad condemnandum tanquam contumacem, & tunc requiritur alia citatio, in qua expressè citetur ad comparendum & respondendum quid sentiat de fide, & ita tenet Sigismundus Scaccia de iudic. libro primo, cap. 43. num. 9.

Sed quot vicibus citari debeat absens & contumax in crimine hæresis antequam condemnetur, variant Doctores. Ego verò puto cum Ioanne Rojas singul. 29. nu. 2. Simanca in cathol. instit. tit. 14. num. 6. & in enchirit. nu. 3. & 4. & Paramo de orig. Inquisit. libr. 4. quæst. 4. num. 65. tres requiri citationes, licèt ad minus duas esse necessarias tradat Carrerius de hæret. nu. 128. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. sententia, nu. 25. & Decianus in tract. crimin. lib. 5. c. 39. nu. 9. vbi declarat, & n. 27. Sed ad alia procedamus.

An bona hæreticorum confiscata applicentur Inquisitoribus.

RESOL. XLIII.

RElicta consuetudine aliorum locorum, assero quòd in Hispania omnia bona hæreticorum applicantur fisco Regio, quia Rex noster columna fidei Inquisitoribus, & eorum ministris abunde suppeditat quidquid necessarium est ad conseruationem S. Inquisitionis, & ex suo patrimonio quando opus est erogat. & ita ex Ignatio Lopez testatur Antonius Sanctarellus de hæresi cap. 23. dub. 1. num. 3. Torreblanca de magia lib. 3. c. 11. numer. 41 Lorca vbi infrà, Simanca in cathol. institut. titulo 9. num. 32. & alij. Vnde in instruct. Thomæ de Torrequemada anno 1484. num. 10. sic habetur. [Los hereges, y apostatas pierden todos sus bienes desde el dias que cometeo tal delito, y los dichos sus bienes, y la propriedad dellos son confiscados, y aplicados à la camera, y fisco de sus Altezas.] Sic ibi, quæ consuetudo procedit non solùm quoad laicos, sed etiam quoad Clericos. Vnde licèt attento iure Canonico bona Clericorum publicata, sint deferenda fisco Ecclesiæ, vt probat Couarruuias libr. secundo, variar. capit. 9. num. 12. attamen in Hispania bona Clericorum, siue mobilia, siue immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur, applicantur fisco Regio, quam praxim testatur & approbat Couarruuias vbi supra. Sanchez in summa tomo 1. lib. 2. capit. 10. num. 26. & Hieronymus Rodriquez in compend. qq. Regul. resol. 73. num. 14. quibus ego addo Cenedum, Azeuedum, Salzedum, quos citat & sequitur Barbosa in collect. to. 2. lib. 5. tit. 7. d. 12. num. 8. & Lorca 1. 2. q. 11. art. 4. disp. 46 memb. 1, num. 6.

An Inquisitoribus liceat bona confiscata relinquere hæreticis pœnitentibus.

RESOL. XLIV.

AFfirmatiuam sententiam docet Parisius lib. 4. consil. 2. nu. 184. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. Inquisitor. n. 33. Ghirlan. tract. de hæret. quæst. 6. nu. 1. 2. & 3. Decianus in tra. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 2. Rolandus à Valle lib. 3. cons. 92. n. 24. Zanchinus de hæret. c. 25. num. 3. Zasius lib. 1. cons. 23. num. 11. Et ita seruari in vniuersa Italia testatur Pegna in direct. Inquis. p. 2. comm. 9. Immò Bursatus lib. 1. cons. 14. n. 31. & seq. docet Inquisitores ad hoc teneri. Vide etiam Surdum cons. 386. & alios, quos citat & sequitur doctus Antonius Ricciullus in tra. de iure personarum lib. 5. cap. 41. num. 2.

Verùm contrariam sententiam docent Didacus Cantera in quæst. crimin. cap. 1. de hæret. num. 18. Io. Rojas singul. 26. nu. 4. Conradus Brunus de hæret. lib. 5. cap. 5. num. 10. & hæc opinio, quidquid sit de consuetudine aliorum locorum, seruatur in nostra Hispania. Vnde non grauabor hic apponere verba doctissimi Simancæ in cathol. instit. tit. 47. num. 15. vbi sic ait. Non solùm publicam pœnitentiam agunt hæretici qui ad Ecclesiam redeunt, sed etiam bona eorum publicantur, nec ea recuperare possunt, etsi Ecclesiæ gremio recipiantur. Qua in re Paulus Parisius & Petrus Rebuffus insigniter errare mihi visi sunt, donec comperi eos, & alios quamplures Iurisperitos Italiæ cōsuetudinem sequi, quæ cùm sit vetustissima, & à Summis Pontificibus approbata, pro lege ab eis seruanda est. In Hispania verò iura ipsa Pōtificia & leges Regias sequimur, nec enim Inquisito-

quisitoribus licere putamus, bona ipso iure cõfiscata relinquere pęnitentibus in damnum fisci, cui videtur iam ius esse quæsitum. Ita Simanca. Igitur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, nemini hęreticorum efficitur bonorum remissio, nisi tantum illi, qui spontè fatetur errores suos, quod tunc accidit, quando nullo metu probationis & testificationis ductus ad Inquisitores accedit, & misericordiam postulat hęresim suam integrè manifestando. Et ideò non grauabor hic apponere verba Instructionis Toletanæ anno 1561. vbi n.41. sic habetur. [Si el reo estuuiere bien confitente, y su confession fuera cõ las calidades que de derecho se requieren, los Inquisidores ordinario, y Consultores lo recebiran à reconciliacion cõ cõfiscacion de bienes.] Sic ibi.

An Inquisitores teneantur dare filijs hæreticorum, ex bonis confiscatis, dotes, vel alimenta.

RESOL. XLV.

Affirmatiuam sententiam tenet Torreblanca de magia lib. 3. cap. 11. num. 46. & 47. Surdus cons. 386. num. 8. Plotus inter consilia criminalia Ziletti. 1. cons. 130. num. 83. Socinus lib. 1. cons. 30. nu. 3. & alij.

Verùm negatiuam opinionem docet Gabriel Quemada in qq. fiscalibus q. 24. nu. 12. & Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. c. 16. n. 16. vbi sic ait. Quãdo ob hæresim publicantur bona alicuius, nõ tenetur fiscus filios alere, sed omnia prorsus parentum bona publicantur, nullis alimentis reseruatis, quod quidẽ ob huius criminis atrocitatem iustissimè fit. Nam etsi parentes adstringantur iure naturali ad filios alendos, nõ ob id impeditur quin illis integrum sit bona omnia hypothecæ alicui subijcere per contractum, ac sæpe a creditoribus omnia vsurpantur, non deductis filiorum alimentis; ergo à fortiori id poterunt per delictum, prior enim obligatio ex propria parentum voluntate oritur, posterior verò ex legis pręscripto, ob bonum commune vt tam atrocis supplicij timore arceatur parentes ab hoc delicto patrando. Ita Sanchez, & ante illum Doctores, quos ad satietatem adducit Antonius Ricciullus tr. de iure personarum lib. 5. c. 40. nu. 1. qui optimè hanc quæstionem pertractat, adi illum, & non pigebit.

Non reticeam tamen hic adnotare, quòd in nostra Hispania circa hoc obseruatur id, quod pręcipitur in Instruct. Hispalens. quam affert Gabriel Quemada in qq. fiscalibus. q. 24. nu. 11. vbi sic habetur. [Si de los hereges quedaren algunos hijos, o hijas de menor edade, que no sean casados los Inquisidores proueã, y den orden que los dichos huerfanos sean encomendados à personas honestas, y Christianos viejos Catholicos, o à personas religiosas que los crien, y sostengan.] Sic ibi. Vnde Pegna in direct. Inquis. p. 2. commen. 9. ita asserit. Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorum prouidebunt ex misericordia, ita vt rationem habeant sexus, & ętatis, nam masculos iam corpore validos alicui arti mechanicæ iubebunt addici, fęminas aliquibus honestis matronis assignabunt, vt eis famulentur, & ab eis in fide instruantur cæteris quibus per ætatem, aut incommodam valetudinem laborare nõ licèt, tenuia alimenta ex paternis bonis ex sola misericordia subministrabunt. Ita Pegna, & ante illum Simanca in Cathol. institut. titulo 29. numero 12.

An Inquisitores possint legere libros hæreticorum.

RESOL. XLVI.

Negatiuam sententiam docet Antonius Ricciullus in tra. de iure person. lib. 5. cap. 25. num. 4. vbi sic ait. Inquisitores non possunt legere libros damnatos, nisi eis ab Apostolica Sede, seu per Sacram Cõgregationem Inquisitionis fiat facultas, stante constitut. Iulii Tertij. Ita ille. Et hanc sententiam tenet etiã Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 90. n. 8. Suarez de fide disp. 20. sect. 2. nu. 28. Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. cap. 10. nu. 46. & alij.

Verùm contrariam sententiam ex Azorio, Graffio, Delrio, & alijs tenet Farinacius de hæresi quæst. 180. nu. 43. quibus ego addo nouissimè Bonacinam in Bulla Cęnæ, tomo 3. dis. 1. quęst. 2. punct. 4. n. 10. Immò Zanardus in direct. Theolog. par. 2. c. 7. num. 16. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. Canon. 1. q. 34. nu. 6. Torreblanca de magia, lib. 3. c. 15. n. 27. Naldus in summa, ver. Bulla Cœnæ. num. 11. Antonius Sousa in Bulla Cęnæ disp. 15. num. 5. post Pegnam in direct. Inquis. part. 2. comment. 3. & alios putãt substitutos Inquisitorum, seu Commissarios ab Inquisitoribus deputatos posse libros hæreticorum legere, quia huiusmodi Commissarij censentur à Sede Apostolica instituti, licèt hoc non admittat Bonacina loco cit. & Merolla disp. Theol. to. 1. disput. 1. cap. 2. diffic. 11. nu. 415. cum Sanchez vbi supra; quia facultas legendi libros hęreticorum cõceditur Inquisitoribus & deputatis à Sede Apostolica. Inquisitor autem nõ est Sedes Apostolica, ergo, &c.

Notandum est tamen, quòd stando in hac secunda opinione in Regnis Hispaniarum solus Inquisitor generalis habet potestatem legendi libros hæreticorum, & cui ipse commiserit, & non alij Inquisitores, vt patet ex Bulla Pauli V. apposita in principio indicis expurgatorij. Vnde neque Episcopi possũt dictos libros legere. Et ideò hic in gratiam studiosorum ponam pulchrum locum Didaci Canteræ in qq. crim cap. 1. de hęret. nu. 64. vbi sic ait. Si aliquis haberet libros hæreticorum, per Inquisitores anathematizaretur, vt fuit factum per Inquisitionem Conquensem contra Episcopum Conquẽsem, qui dicebat eos tenere ex particulari priuilegio. Ita Cantera, quod est valdè notandum. Sed ego in tali casu consulerem DD. Inquisitoribus, vt Summum Pontificem de hoc certiorarent, & in Regnis Hispaniarum Inquisitorem generalem; quòd autem Episcopi non possint legere libros prohibitos, firmat nouissimè Mauritius Alzedus in praxi Episcup. p. 2. c. 6. n. 75. qui citat Nauarrũ, Azorium, Sanchez, Delrium, Barbosam, & Pegnam.

Sed pro coronide huius resolutionis apponam hic verba Homoboni de Bonis in examin. Eccles. parte 1. tract. 11. ca. 7. q. 15. vbi sic ait. Aduertendum est etiam à doctis integræque fidei viris ex vrbe referre libros, qui non sunt hęreticorum, nec de hæresi tractant, neque contra fidem falsa, vel suspecta dogmata continent, aliaque tamen alia ex causa prohibitos posse viris dignis ab Inquisitoribus permitti, qui quidẽ gratis ex scripto manu sua subsignato tribuent, & de triennio in triennium facultatem renouabunt, at foro conscientiæ illam licentiam oretenus habere sufficere videtur. Ita Homobonus. Verùm post hæc scripta Vrbanus Octauus p.m. derogauit omnes licẽtias legendi libros hæreticorum, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc potestatem dat solum sacra Congregatio.

An Inquisitores citando reum simul eodem tempore cum Episcopo sint Episcopo præferendi.

RESOL. XLVII.

Citatum ab Inquisitore, & ab Episcopo eodem tempore posse adire quem maluerit, docet Molina de iustit. tract. 5. disp. 20. num. 17. qui conatur validissimis rationibus hanc sententiam firmare. Immò Ioannes Rojas singul. 44. n. 7. putat Ordinario parendum esse.

Sed in tali casu debere citatum corã Inquisitore comparere, si Episcopus procedat aduersus reum iure proprio, non autem ex delegatione, tenet Pegna in directot. Inquisitor. par. 3. q. 5. comment. 54. Simanca in cathol. instit. tit. 43. n. 13. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. Azorius tom. 1. lib. 8. c. 18. q. 8. nu. 69 & alij, quia iurisdictio Inquisitoris tanquam delegata est maior ordinaria Episcopi; ergo, &c. Vnde Michael Zanardus in direct. Theolog. p. 2. ca. 6. q. 13. sic ait. Si Episcopus & Inquisitor compatibilia ad inuicem præcipiant, v. g. vt reus vno die, vel hora coram se compareat, & Inquisitor altero die, vel hora, reus tenetur vtrique obedire. Et si Episcopus primo die citans reum illum in custodiam poneret, nec altero die ad Inquisitorem iret, Inquisitor posset illum repetere & obtinere ab Episcopo, quamuis prius fuerit ab eo citatus. Si verò præcipiant incompatibilia, vt, v. g. quòd reus eadem hora coram vtroque compareat, vel quòd familia vnum, capiat altero iubente ne capiatur, & in similibus, erit Inquisitori, vt delegato & maiori in hoc Episcopo parendum. Ita Zanardus. Nihilominus audio in praxi obseruari vt sit pręuentioni locus, iuxta Clementinam 1. de hæret.

Verùm hęc quæstio in nostra Hispania nũ habet locũ, nam ibi, vt supra dictum est, soli Inquisitores processum formant aduersus reos in rebus fidei, ac proinde ipsi soli sunt, qui eos citant,

citant, non verò Episcopi, quod si Episcopis edicta contra hæreticos in Hispanijs promulgate non permittitur, multo minus permittetur illos citare vt coram ipsis compareant. Et ita obseruat Molina vbi supra, de iustit. tom. 5. tract. 5. disp. 29. nu. 17. Et ita nouissimè post hæc scripta docet etiam Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. c. 2. nu. 15. vbi testatur de praxi Regni Lusitaniæ, sic enim ait. Si Episcopus procedat authoritate delegata, & pro tempore incompossibili citet simul cum Inquisitore, potest citatus eligere coram quo comparere velit secundùm iuris communis rigorem. In hoc tamen Lusitaniæ Regno probabilius est debere se Inquisitori præsentare. Ita ille, & ego.

An Inquisitores in causis fidei possint procedere simpliciter & de plano sine strepitu, & figura iudicij.

RESOL. XLVIII.

Affirmatiuè respondeo ex cap. statuta, de hæret. in 6. sic docet Sigismundus Scaccia de iudicijs. li. 1. cap. 52. numero 2. Simanca in cathol. institut. titul. 44. numero 30. Eymericus in director. Inquisitor. parte 3. quæst. 54. & ibi Pegna comment. 103. Zanchinus de hæreti. cap. 9. numero 1. Carrerius de hæretic. num 93. 105. & 108. Paramus de origin. Inquisit. libro 3. quæst. 9. num. 45. & alij, quidquid in contrarium afferat Decianus in tractat. crim. lib. 5. ca. 34. n. 9. vbi tenet hoc priuilegium Inquisitorum intelligendum esse quoad leuia, non autem in præiudicialibus. Sed hæc opinio expresse est contra textum, vnde prorsus est refellenda.

Notandum est tamen, clausulam prædictam, (simpliciter & de plano, &c.) in crimine hæresis non tollere solemnitates iuris Gentium, vel diuini, nec per illam sublata esse necessaria, ac substantialia causæ, illa scilicet, sine quibus nec iustè & rectè, nec commodè negotium tractari potest, & ideò in causis hæreticalibus requiritur etiam legitimatio personarum, aliàs processus redderetur nullus. Ita DD. citati. Sed de hac clausula, (simpliciter & de plano, &c.) Vide Augustinum Barbosam tra. de clausulis, claus. 176. secundùm Lugdunensem impressionem, Martam de clausul. parte 1 claus. 180. num. 5. in vltima impressione, & alios penes ipsos.

An si Inquisitor cogeret reum sine Episcopo ad abiurationem, talis sic abiurans maneret subiectus pœna relapsi.

RESOL. XLIX.

Sententiam negatiuam tenet Ferdin. de Castro in opere moral. to. 1. tr. 4. disp 8. punct. 13 nu. 18 qui hanc sententiam conatur probare ex Clement. de hæret. §. duro.

Verùm contrariam sententiā præter Pegnam in directorio Inquisit. part. 3. comment. 97. tenet Michael Zanardus in director. Theolog. par. 2. c. 6. quæst. 15 vbi sic ait. Doctores sunt diuisi, ita vt aliqui affirment posse Inquisitores sine Episcopo indicere abiurationem, & è contra; tamen oppositum mihi cum alijs tenendam videtur, quia abiuratio quędam pœna est & condemnatio, ad cōdemnandum autem vterque requiritur, & ita credo esse vsu receptum apud Inquisitores & Episcopos. Si tamen coram vno illorum tantùm facta esset, teneret nec esset repetenda, quia expresse non est aliud sancitum. Ita Zanardus.

Itaque contra Castrum, si de facto cōtingeret Inquisitorem sine Episcopo, & è contra reum ad abiurationem cogere, talis reus sic abiurans maneret subiectus štate dicta abiuratione ad pœnam relapsi, & ita hanc sententiam tenet etiam Farinacius de hæresi quæst. 186. num. 79. concedo tamen non licere Inquisitoribus suspectum de heresi vehementer cogere ad abiurandum sine Episcopo, & ita tradit Azorius to. 1. lib. 8. c. 18. q. 16. Molina de iustit. to. 5. tract. 5. disput. 28. num. 16 & aliquid quid in contrarium sentiat Campegius in addi. ad Zanchinum de hæretic. cap. 8. litt. E. Verùm ex his oritur sequens quæstiuncula.

An Inquisitores possint sine Episcopo proferre sententiam absolutoriam rei.

RESOL. L.

Prima opinio negat. Ita Simanca in cathol. instit. tit. 3. n. 9. & in enchirid. tit. 51. nu. 2. Rojas singul. 27. num. 7. Zechinus in summa, tract. 1. tit. de fide, c. 11. n. 14. Azorius, to. 1. lib. 8. c. 18. q. 16. & alij.

Secunda opinio affirmat, & ita docet Molina de insti. to. 5. tr. 5. disp. 28. nu. 15. Iulius Clarus in praxi crimin. §. hæresi, num. 5. qui citat glossam in Clem. 1. de hæreticis, in ver. Contra eos, & Carrerium in praxi.

Tertia opinio distinguit. Vnde Michael Zanardus in direct. Theolog. par. 2. cap. 6. q. 15. sic ait. Quoad sententiam absolutoriam multi tenēt Inquisitorem & Episcopum vnum posse sine altero inquisitū de heresi absoluere. vt Ioann. Andreas, Paulus Catdin. & Abbas; alij verò, vt Anchatanus, Aretinus, & Socinus oppositum sentiunt. Videtur autem mihi dicendum, quòd absoluere inquisitum de hæresi stat dupliciter. Primò, quando ex processu non resultat eum esse nec cōuictum, nec cōfessum, nec indicijs sufficiētibus ad torturam indiciatum de heresi. Secundò, quando est conuictus, vel cōfessus, vel grauiter indiciatus, ita vt torquendus veniat. Si primum, vterque potest seorsum reum absoluere, quia non est inuentus reus, nec aliud cōtra eum manet agendum. Si secundum, vnus non poterit sine alio eum relaxare & absoluere. Primò, quia torquendus est, & tortura non potest infligi ab vno sine alio. Secundò quia sumus in negotio graui in quo postulanda est congregatio, & ad vlteriora est procedendum. Hæc Zanardus.

Mihi verò placeret prima opinio, quę fundatur, in Clement. 1. de hæretic. sed in aliquibus prouincijs est consuetudo, vt Inquisitores sine Episcopo proferant sententiam absolutoriam, & ideò Antonius Sanctarell. de heresi, cap. 40. dub. 2. n. 13. sic asserit. Alij sentiunt non posse Episcopum & Inquisitorem seorsim sententiam absolutionis proferre, quæ sententia est sequenda, nisi alicubi esset consuetudo in cōtrarium legitimè præscripta. Ita ille, & ego.

Sed an dicta cōsuetudo in sacro Tribunali Inquisitionis Hispaniæ vrgeat. Molina de iust. tomo 5. tractat. 5. disput. 28. num. 15. in fine affirmat. Sed Simanca in cathol. institut. tit. 3. num. 9. negat.

Nota etiā, vt supra adnotauimus, quod Sousa in Aphorism. Inquisi. lib. 1. cap. 3. num. 5. docet, esse vsu receptum Inquisitores indicere abiurationem, & purgationem sine Episcopo, vnde vbi adest talis consuetudo legitimè præscripta, ego illam, vt suprà dixi non damnarem.

Quomodo se gerere debeant Inquisitores ne irregularitatem incurrant tradendo hæreticos Curiæ seculari.

RESOL. LI.

Ferdinandus de Castro in op. mor. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 14. num. 10. ex Pegna in direct. Inquisi. par. 3. commeot. 85. putat in tali casu non debere Inquisitorem expressè præcipere iudici laico, vt pœnam mortis in illos exequatur, sed solùm vt sententiam à se latam exequatur, vel melius, vt seruet constitutiones, & leges aduersus hæreticos editas, nam in hoc modo compulsionis, cum mors directè petita nō sit, nulla est occasio irregularitatis contrahendæ. Ita Castrus.

Sed ad tollendos omnes scrupulos, notandum ėst, quòd ne periculum incurrendæ irregularitatis ministri sacræ Inquisitionis ab Officio retardentur, noster Paulus IV. die 19. Aprilis 1557. & Pius V. statuerunt, vt Inquisitores, Consultores, & alij Inquisitionis ministri essent immunes ab irregularitate quantumcunque & quomodocunque ad hæreticorum condemnationem incurrant. Et ita docet Scortia in Bullis Pont. epit. 10. theor. 34. Sayrus de censl. lib. 6. c. 18. n. 5. Maiolus de irregul. lib. 2. c. 9. & alij.

Hinc contra Couarruuiam in Clem. 1. part. 2. §. 5. num. 6. & alios dicendum est, quod si iudex secularis differret exequutionem, possunt Inquisitores instare vt exequatur sententiam, nec propterea vllam contrahunt irregularitatem, vt rectè notauit Barbosa in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 13. numer. 5. Henriquez lib. 14. cap. 12. numer. quinto in gloss. lit. D. Auila de cens. par. 7.

par. 7. disput. 5. sect. 2. dub. 2. Medina in summa, lib. 1. ca. 11. §. 1c. regul. 4. Tabiena, ver. irregularitas, num. 15. &c. Et ideò Inquisitores quando tradunt hæreticos Curiæ sæculari, non tenentur præmittere protestationem, cap. nouimus, de ver. signif. vt rectè notat Cenedus in qu. Canon. q. 15. n. 5. & Simanca in cathol. institut. tit. 34. nu. 47. & Auila vbi suprà, etiam notat fiscalem, Secretariũ, denunciatores, & alios officiales in Tribunali Inquisitionis non incurrere irregularitatem, licèt omittant dictam protestationem.

Notandum est tamẽ hic obiter, quòd si aliquis Inquisitorum incurrat irregularitatem, alter eum poterit absque alia dispensatione absoluere, ex priuilegio Vrbani Octaui & ita notat Rojas de hæret. p. 2. nu. 423.

An Inquisitores debeant esse magis Theologi, quàm Iurisperiti.

RESOL. LII.

Theologos esse debere docet Michael Zanardus in direct. Theolog. parte 2. cap. 6. quæst. 12. quia, ait ipse ad eos spectat de propositionibus, ac factis hæreticalibus iudicare, processum vero formare, testes examinare, & de causa iudicare simul cum perito Notario fiscali & suis Consultoribus possunt explere. Ita ille, & ante illum Pegna in direct. inquisit. parte 3. comment. 50.

Verùm mihi cõtraria sententia magis placet, quia Inquisitores in causis Fidei plura vt iurisperiti, quam vt Theologi efficere debent, vt per experientiam patet; ergo, &c. Vnde Iacobus Simanca in institut. cathol. tit. 41. num. 3. testatur experientia iam olim in Hispania fuisse compertum, longè vtiliùs, & cõmodiùs esse vt Inquisitores eligantur iurisperiti, quam Theologi, quidquid Theologaster ille deliret Ocham. Ita Simanca & post illum Sigismundus Scaccia de iudicijs, lib. 1. c. 87. n. 10. vbi ex multis rationibus probat, Inquisitores magis iurisperitos, quàm Theologos eligendos esse.

An Inquisitores si sint Regulares & delinquant non in ijs quæ sunt officij inquisitionis possint puniri à suis Prælatis.

RESOL. LIII.

Si delinquant in his, quæ sunt officij Inquisitionis, certum est nõ esse puniendos à suis Prælatis, vt docet Peirinus in priuil. Minim. tom. 1. constit. 4. Sixti Quarti §. 11. n. 49. Pegna in direct. Inquis. p. 3. q. 21. commẽt. 61. Sed à Cardinalibus vniuersalis Inquisitionis, & in Hispania à Generali Inquisitore. Ratio est quia Inquisitores in his, quę ad Inquisitionis officium pertinent, sunt exempti à suis Prælatis Regularibus, vt probat Rojas de hæret. par. 2. nu. 418. Decian. in tract. crim. lib. 5. c. 22. nu. 33. Moscouius de maiest. militan. Eccles. lib. 1. p. 2. ca. 11. & constit. Alexandri Quarti.

Sed difficultas est, an possint coerceri & puniri si extra suum officium delinquant, & affirmatiuam sententiã docent, vt Sanctarellus de heresi c. 40. du. 1. n. 7. Zanardus in direct. Theol. p. 2. cap. 6. q. 43. & alij communiter. Verùm licèt Inquisitores teneantur parere suis superioribus Regularibus in his, quę regulæ obseruantiam & alia, per quæ directè, vel indirectè sanctum Officium non impeditur, & propterea in delictis extra Officiũ per eosdem Superiores moneri & reprehendi possunt. Nõ tamen cõcedendum est, quòd dicti Superiores possint eos punire, & consequenter ab eorum officio per indirectum retrahere, sed bene poterunt assumere informationes, illasque ad supremum Cardinalium Tribunal transmittere, expectantes quod sibi ab eodem Tribunali supremo mãdetur, alias esset inuenta aperta via impediendi Officium Inquisitionis per indirectum. Et ita hanc sententiã tenet & docet Farinacius de heresi q. 186. nu. 128. Igitur dicendum est non solùm Inquisitores Regulares delinquentes in proprio officio, sed nec delinquentes extra posse à suis Superioribus puniri, pœna, inquam, quæ aliquo modo retardare possit proprij officij, exercitium, & sic cum Farinacio nouissimè tenet Ferdinandus de Castro in opere mor. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. num. 23.

An Inquisitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum?

RESOL. LIV.

Affirmatiuè respõdẽdum est stando in iure communi, nam ita decernitur in Clem. nolentes, de hæret. Vnde si eligerentur in alia minori ætate, electio esset nulla, vt obseruat gloss. in d. Clement. ver. committi, & ibi Ancharanus nu. 2. & Zabarella, nu. 3. Et ita hanc sententiam tenet Moscouius de maiest. milit. Eccles. lib. 1. p. 1. c. 11. Homobonus de Bonis in tract. de statibus p. 1. c. 8. & alij communiter.

Verùm his non obstantibus, vt optimè obseruat Antonius Sanctarellus tractat. de hæresi. cap. 40. dub. 1. num. 5. & Zanardus in direct. Theolog. p. 1. c. 6. q. 12. cùm hoc tempore Inquisitores creentur ab Eminẽtissimis Cardinalibus sanctæ Inquisitionis Romanæ, nõ videtur valdè curandum, an quadragesimum ætatis annum attigerint, quia eliguntur de scienti Summi Pontificis, à quo si in quacunque ætate eligantur Inquisitores, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem, vt obseruat Farinacius de hæresi q. 106. n. 51. Sed quid dicendum de Inquisitoribus Hispaniæ. Dico igitur, quod Inquisitores, qui creantur à Generali Inquisitore Hispaniarum ex priuilegio Summi Pontificis, sufficit vt attingant annum trigesimum, vt obseruat Zanardus vbi supra, & ante illum docuerat Iacobus Simanca in cathol. instit. tit. 34. num. 12. Rojas singul. 106. num. 7. & alij.

Notãdum est tamen hic obiter Commissarios Inquisitorum sufficere annum trigesimum attingere, & ita docet Molina tomo 5. tract. 5. disput. 28. num. 23. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 4. Pegna in director. Inquisit. parte 3. comment. 61. & 65. quidquid in contrarium asserat glossa, & Io. Andreas in d. Clement. 2. de hæret.

An Inquisitores Hispaniæ habeant iurisdictionem in causis criminalium, & ciuilium suorum familiarium.

RESOL. LV.

Primò quoad causas criminales, respondeo affirmatiuè, exceptis certis criminibus, de quibus Ioannes de Hevia in Curia Philippica p. 1. §. 1. n. 19. & Narbona in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 1. & seq. & alij.

Sed difficultas est quoad causas ciuiles, nam Ferdinandus de Castro in op. mor. to. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. n. 9. sic asserit. In causis ciuilibus solùm credo Inquisitores habere iurisdictionẽ respectu officialium, qui sunt à secretis, ij enim solùm cõueniri & conuenire debitores possunt coram Inquisitoribus, non autem alij officiales externi. Ita Castrus.

Sed hęc sententia ita absolutè prolata mihi nõ placet saltem quoad Regnum Valentiæ, & ideò Rojas de hęret. parte 2. nu. 422. sic ait. Inquisitores habent familiam armatam, vulgo familiares, & eorum causæ, tam ciuiles, quàm criminales in hac Inquisitione Valentina ad Inquisitorum cognitionem pertinent, iuxta cõcordiam nouam & antiquam inter Regiam Maiestatem & Inquisitionem initam, quod etiam obseruatur in hoc Regno Siciliæ. Vnde Paramus de orig. Inquis. lib. 3. q. 6. n. 27. ita asserit. Inquisitio formata per iudices sæculares contra familiares S. Officij Regni Siciliæ nulla est & inualida, illi enim coram iudice laico neque ciuiliter, neque criminaliter conueniri possunt cùm foro S. Officij, id est, Ecclesiastico gaudeant, tum ex iure municipali illius Regni, tũ ex iuris Pontificij decisionibus, priuilegijs, consuetudini immemoriali, & concordatis initis inter Regem & Inquisitores anno 1580. Hæc Paramus, quæ omnia seruari in Catalonia, & in Regno Aragoniæ Maioricarum testatur Narbona vbi supra, numero 14. & glossa 6. num. 2.

Notandum est tamen hic obiter, quòd Narbona loco prius citato nu. 75. ex Paramo obseruat, quod in hoc Regno Siciliæ nõ solùm familiares gaudent priuilegio fori, sed etiam eorum vxores nõ solùm viuente marito, sed eo etiam mortuo, donec in viduitate permanserint.

An

An Inquisitores possint procedere, & punire, disputantes de fide in casu à iure prohibito.

RESOL. LVI.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Michael Zanardus in direct. Theol. p. 2. cap. 6 q. 52. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver disputare, nu. 2. & ex Neotericis Farinacius de hæresi quæst. 78. nu. 117.

Notandum est tamen, quòd in cap. quicunque, §. inhibemus, de hæret. in 6. prohibetur laicis de fide disputare, etiam quòd sint personæ doctæ, & literatæ, vt obseruat Albertinus de agnoscend. q. 13. nu. 12. Valentia, to. 3. disp. 1. quæst. 10. punct. 4. post 2. conclus. Pegna in direct. Inquis. parte 1. quæst. 10. comment. 25. Azorius to. 1. lib. 8. c. 26. q. 1. Aragon. in 2. 2. q. 10. art. 7. notab. 2. & alij vbi infra, nisi in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, vt si in aliquo loco adesset aliquis hæreticus, qui fideles peruerteret, nec ibi adessent Ecclesiastici docti, qui aduersus illum partes fidei susciperent, tunc enim laico docto nõ solùm nõ prohibetur, sed etiã tenetur cum illo hæretico de fide disputare, & ita docet Becanus tom. 3. tract. de fide, c. 15. q. 7. nu. 6. Suarez etiam tract. de fide disp. 20. sect. 1. nu. 11. Turrianus in 2. 2. D. Thomę tract. de fide, q. 10. art. 7. disp. 50. Sanctarellus de hæresi, c. 8. dub. 2. nu. 7. & alij.

Nota etiam, quòd in dicta prohibitione cap. 2. de hęret. in 6. non includitur Clericus, quamuis indoctus, quia textus loquitur de laicis, peccabit tamen cõtra legem naturalem, exponẽdo se periculo errandi. Ita Sanctarellus loc. cit. num. 8. Becanus num. 7. Azorius & Sanchez in summa, tomo 1. lib. 2. cap. 6. n. 8. & alij, non autem incidit in excommunicationem latam in d. cap. quæ quidem excommunicatio etiam a laicis, non incurritur ipso facto, sed per iudicem Ecclesiasticum est infligenda, vt notant DD. citati.

Quos testes adhibere possint Inquisitores in causa hæresis, vel quæ fides ab ipsis adhibenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus.

RESOL. LVII.

Dico primò in causis fidei omnes præter inimicos capitales in testes admitti posse, vt excommunicati, criminosi, infames, socij criminum, vt patet in cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6. Vnde etiam admittitur periurus, Iudæus aduersus Christianum apostatantem, item hęreticus, domestici, familiares, consanguinei, mulieres, minor 14. annorum, vnde excluditur tantùm, vt dictum est, inimicus capitalis. Vide Gundisaluum de hæret. quæst. 23. nu. 10. & 12. Pegnam in direct. Inquisit. p. 3. comment. 114. & comment. 119. p. 2. comment. 13. Zechiũ in summ. tom. 1. tit. de fide, c. 11. num. 14. Simancam in cathol. instit. tit. 64. Rojas singul. 197. Mascardum li. 2. concl. 762. n. 22. & alios penes ipsos.

Dico secundò, quòd supradicti testes inhabiles admittuntur sine tortura, & licèt aliæ adsint probationes, vide Rojas singul. 188. n. 6. & de hęret. p. 2. n. 153. & alios relatos à Mascardo lib. 2. conclus. 857. n. 31. cum Simanca vbi supra, num. 37. & Deciano in tract. crimin. lib. 5. c. 35. nu. 1. Et hoc verum est non solùm si procedatur per viam Inquisitionis, sed etiam per viam accusationis, quidquid in contrarium asserat Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. num. 8.

Dico tertiò, hos testes non esse admittendos in hæretici defensionẽ, si ab ipso inducantur, quidquid asserat Gomez to. 3. var. c. 12. n. 23. & alij. Sed nostram sententiam tenet Rojas sing. 188. n. 9. & 10. & de hæret. p. 2. num. 177. Farinacius de hæresi q. 188. nu. 81. & ego ipse supra.

Limitatur tamen hæc opinio circa familiares, domesticos, & consanguineos, qui admitti possunt in fauorem hęretici, non tanquam integri testes, sed tanquam testes diminuti, maximè si sint probatæ vitæ, ita tenet Pegna in director. Inquis. parte 3. comment. 119. Zechius vbi suprà, & alij. Verùm negatiuam sententiam tenent plures, quos refert Mascardus de probat. lib. 2. concl. 857. nu. 24. Crottus de testibus, nu. 104. Farinacius de hæresi, q. 188. nu. 149. & alij.

Dico quartò, supradictos testes inhabiles, criminosos, &c. nõ integrè delictum probare, ex quo fit duplice teste conteste, socijs criminis, aut alijs inhabilibus non posse reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi indicia, & circunstantiæ concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere. Et ideò depositio vnius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi alijs adminiculis & præsumptionibus grauibus adiuuetur. Depositio verò duorum sufficiet ad torturam, vel ad pœnam extraordinariam; trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiet, quia ex multitudine deponentium fulcitur eorum inhabilitas. Vide Pegnam in direct. par. 3. q. 64. comm. 113. Farinacium de hæresi q. 188. nu. 83. Mascardum de probat. lib. 2. conclus. 857. nu. 38. Delrium disquis. magic. libr. 5. in append. 2. q. 12. 13. 14. & 15.

Dico quintò, non probari delictum plenè & perfectè, esto cum teste aliàs inhabili cõcurrat testis omninò integer, & valdè dignus, nisi concurrerent aliæ circumstantię & indicia. Vide Sanctarellum de hæresi cap. 58. dub. vnic. num. 7. Pegnam in director. Inquisit. p. 3. comment. 113. Farinacium q. 188. nu mer. 69. & alios.

Verùm libet hic adnotare breuiter aliqua circa testes singulares, vnde præmitto triplicem esse singularitatem testium, obstatiuam, adminiculatiuam, & diuersificatiuam. Obstatiua singularitas est, cuius dictum alterius dicto repugnat. Adminiculatiua est, cuius dictum alterius dicto fauet & patrocinatur, vt v. gra. si vnus deponat vidisse delinquentem, alter audiuisse. Diuersificatiua est cùm ex testium depositionibus diuersis actus in specie, & in substantia colligitur, vt si quis dicat, Petrum hæresim commisisse tali die & tempore, alius verò deponat alio loco & tempore. Ita Paramus, Rojas de hæret. p. 2. num. 122. Pegna in direct. Inquis. p. 3. commen. 121. & alij communiter. Hoc igitur supposito.

Dico sextò, testes singulares singularitate obstatiua nihil probare, testes verò singulares singularitate adminiculata, seu cumulata, vel diuersificatiua, licèt delictum plenè non probent quoad pęnam ordinariam, probant tamen quoad torturam, & quoad pęnã extraordinariam: quia delictum per dictos testes plusquam semiplenè probatur. Ita Pegna vbi supra. Parisius lib. 4. consil. 2. nu. 93. Mascardus de probat. lib. 2. conclus. 856. nu. 12. & seq. cum alijs.

Dico septimò, aliquos asserere duos testes omni exceptione maiores sufficere ad conuincendum aliquem de hæresi, etiam si vnusquisque de suo actu hæreticali diuerso testificet, vt si, v. g. vnus testis dicat te ex obseruãtia legis antiquæ Sabbatum custodisse, alius ieiunasse, vel te circumcidi permisisse. Ita Simanca in cathol. instit. tit. 37. nu. 11. Menochius lib. 1. cons. 82. num. 138. & alij, licèt magis probabiliter contrarium alienant Rojas de hæret. pat. 2. num. 142. & seq. Pegna in director. parte 3. comm. 121. & alijs, quos ego supra in hoc tractatu citaui. Dico igitur supradictos testes non esse sufficientes ad condemnandum aliquem pœna ordinaria, sed tantùm ad pœnam extraordinariam.

Dico octauò, Testes deponentes de quodam actu hæreticali, variantes tamen in loco & tempore, sunt testes singulares, nec sufficiunt ad conuincendum aliquem de hæresi. Ita Pegna vbi supra, Mascardus de probat. lib. 2. conclus. 856. nu. 13. & alij, licèt aliqui probabiliter contrarium asserant, vt Conradus Brunus lib. 4. de hæret. c. 9. Albertinus, & Simanca, & alij quos ego supra in hoc tractatu citaui.

Dico nonò, quòd si vnus testis deponat de hæresi tali loco, & tẽpore prolata, & alius de illa deponat, non designato tempore, nec loco, testes contestes debent reputari, sed non integrè, & ideò ex illis delictum plenè non probatur, vnde reus non potest condemnari ad pœnam ordinariam. Vide Farinacium qu. 64. num. 74. & nu. 107.

Dico decimò, testes deponentes de eadem hæresi commissa eodem loco & tempore, si in verbis discordant, faciant plenam probationem, vt, v. gra. si aliquis testis deponat Petrum in tali loco & tempore dixisse, imagines non esse venerãdas, alius verò testis deponat illum dixisse inutilem & abolẽdum esse vsum sacrarum imaginum. Et ita tenet Pegna vbi supra, part. 3. comment. 121. Rojas de hæret. parte 2. nu. 132. Mascardum de probat. lib. 2. conclus. 856. n. 18. & alij quidquid in contrarium sentiat Albanus in c. 1. q. 16. num. 24. de hæret. & q. 34. num. 47. de agnoscend.

Dico vndecimò, ex multitudine testium singularium neminem vt hæreticum in pœnam ordinariam condemnari posse. Itaque si quatuor, vel plures testes omni exceptione maiores depo-

deponant, quilibet de sua propositione, vel actu hæreticali, nō sufficiunt ad condemnandum aliquem pro hæretico ad pœnam ordinariam. Ita docet Pegna vbi supra, Beroius in cap. licèt causam, num. 43. de probat. Crotus de testibus part. 7. nu. 326. Rojas de hæret. par. 2. num. 146. & seq. quicquid in contrarium afferat Cæpolla consil. 3. Marsilius consil. 1. num. 71. & alij, quos supra citaui, & citat Farinacius q. 64. n. 305. & quia in hac resolutione sermo incidit de testibus, aliqua præter superius dicta etiam hic adiungam. Igitur

Dico duodecimò testes in crimine hæresis posse interrogari, etiam lite non contestata, & parte nō citata, quia Inquisitores procedūt in suis causis simpliciter & de plano, & ita docet Simanca in cathol. institut. tit. 64. num. 15. & in Enchirid. tit. 35. num. 8. Pegna in direct. parte 2. comment. 19. Rojas singul. 125. & alij. Sed difficultas est, an sic examinati probent? Quæro igitur.

An Inquisitores possint procedere contra Papam in hæresi deprehensum.

RESOL. LVIII.

HOc dubium mouet Michael Zanardus in direct. Theol. p. 2. c. 6. q. 20. & ad illud negatiuè respondet, quia Inquisitores sunt Papæ delegati, & inferiores, sed inferior suum Superiorem iudicare non potest: ergo, &c. Igitur in tali casu ait Zanardus, hæc cognitio spectabit ad Generalem Concilium, quod potest illum citare, examinare, & si in hæresi obduratus remaneat, cum à suo gradu eijcere potest, nam in hoc casu ipso facto immediatè à Christo deponitur, vt docet Caiet. de auct. Papæ c. 18. & 19. Corduba li. 4. q. 11. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. Canus de locis lib. c. 4. vlt. ad argum. 12. & alij.

Verùm ego puto Papam etiam vt personam priuatam non posse esse hæreticum contumacem, licèt possit errare ex ignorantia, & ita tenet Suarez de fide disp. 10. sect. 5. n. 11. Simanca in cathol. institut. tit. 12. n. 14. Bonacina in Bull. Cœnæ disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 12 Bellarminus li. 4. de Summo Pontifice c. 8. & 11. & ante illos Pighius lib. 4. hierarchiæ Ecclesiast. cap. 8. licet cōtrarium sentiant Sotus vbi supra, Castrus de iusta hæret. punit. lib. 1. ca. 6. & lib. 2. ca. 22. Canus de locis. lib. 6. c. 12. Turrecremata lib. 2. c. 10. & Turrianus to. 1. in 2. 2. disp. 16. dub. 1.

An Inquisitores, seu fiscus teneantur satisfacere creditoribus hæreticorum.

RESOL. LIX.

REspondeo breuiter, si debita contracta fuerunt ab hæretico ante delictum hæresis tenetur fiscus, seu Inquisitores soluere, & ita docet Torreblanca de magia lib. 3. cap. 11. num. 35. Simanca in cathol. institut. tit. 9. num. 35. Lælius Zechius in summa, tom. 1. tit. de fide, ca. 11. num. 16. & alij, vt patet ex l. nō possunt, ff. de iure fisci, & quando debita hæreticorum nō omnia publicantur, sed solùm aliqua pars, tunc pro rata illius partis erit facienda satisfactio, vt colligitur ex l. fin. Cod. de debitor. ciuit. Si verò dicta debita sint in dubio, an fuerint contracta ante, vel post commissum delictū, ad fiscū pertinebit probare, & non ad creditores, ea fuisse contracta post delictum. Non tamen tenetur fiscus soluere vltra vires bonorum publicatorum, si nō confecerit inuentarium. Ita Iul. Clarus lib. 5. quæst 78. nu. 30. Ceuallos in comm. opin. to. 3. q. 822. n. 13. & alij. Vide etiam circa præsentem quæstionem Fachinæum lib. 6. controuers. cap. 21.

Notandum est hic obiter, quòd etiam in foro cōscientiæ, si fiscus non soluit debita ab hæreticis contracta, ipsi non tenentur ea soluere, quamuis ad pinguiorem fortunam posteà deuenerint, quia tota obligatio fuit translata in fiscum, & ita docet Vasquez in 1. 2. disput. 169. cap. 2. nu. 20. Simanca vbi supra, Cassaneus in consuetudin. Burgund. rubric. 2. §. 1. num. 33. Surdus de alimentis tit. 8. priuil. 59. nu. 10. & alij.

An per fiscum & Inquisitores possint publicari bona maioratus & fideicommissi hæreticorum.

RESOL. LX.

AFfirmatiuam sententiam docet Azorius, tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 13. & Simanca in cathol. instit. tit. 13. à num. 252. vsque ad nu. 273. Verùm aduersus illos contrariam opinionem nouissimè docet Ferdinandus à Castro in oper. moral. tomo 1. tract. 4. quæst. 5. punct. 6. nu. 8. Cui ego addo Antonium Sanctarellum de hæresi, c. 18. dub. 2. n. 8. Antonium Ricciullum tract. de iure personarum, lib. 5. cap. 32. n. 65. & seq. & Suarez de fide disp. 22. sect. 5. nu. 12.

Dico igitur primò, quòd in crimine hęresis non confiscatur Maioratus, quando institutus est non solùm ex proprijs bonis, sed etiam ex bonis à Rege donatis, dummodo in facultate Regia, qua fuit Maioratus institutus, non caueatur, vt transeat ad fiscum.

Dico secundò, quòd bona fideicommisso subiecta, vel alienari prohibita, non cadunt sub confiscatione casu quo testator prohibuerit alienationem in fauorem alterius à delinquente, & quando alienatio perpetua est, & non pro vita tantū delinquentis, nisi testator alienationem etiam pro vita delinquentis prohibuerit. Verùm licèt hæc omnia sint vera, notandum est tamen quòd hæreticus delinquens potest fideicommissum retinere quousque per sententiam declaretur. Ita Vasquez in 1. 2. disput. 169. cap. 4. & Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 30. Sed circa præsentem quæstionem præter Doctores citatos vide Molinam Iurisconsultum & Theologum, hunc de iust. to. 3. disp. 657. n. 3. illum de primogen. lib. 4. cap. vlt. n. 31. Mietas de Maiorat. par. 4. q. 23. nu.... & seq.

Non desinam etiam hic adnotare, quòd aliqui asserunt, durante vita possessoris commoditates fructuum pertinere ad fiscum, etiam quando est expressa prohibitio alienādi, & ita docet Molina de iust. tom. 2. disput. 470. alter Molina de primog. lib. 1. cap. 20. num. 9. Sayrus in Claui Regia lib. 9. cap. 7. numero 7. & alij.

Verùm mihi placet contraria sententia, videlicèt dictos fructus pertinere ad sequentes vocatos; & ratio est, quia commoditas illorum fructuum, quæ ex talibus bonis percipitur, est annexa dominio bonorum illorum; ergo sicut dominium ob delictum possessoris non transit ad fiscum, sed ad vocatos hæredes, ita nec etiam ad fiscum, sed ad vocatos fructus pertinebunt. Et ita tenet Decius vol. 3. consil. 442. num. 27. & 28. Ruuius vol. 2. consil. 193. num. 4. Alciatus vol. 3. consil. 67. n. 1. Pancirola vol. 1. consil. 181. Natta consil. 258. n. 19. & patet ex l. Imperator, ff. de fideicommiss. libert. Sed hęc opinio omninò est sequenda quādo testator, vel institutor vtitur his, vel similibus verbis, vt eo ipso delinquēs amittat bona cum omnibus suis commoditatibus. Nam tunc nō ad fiscum, vt diximus, sed ad hæredes vocatos pertinebunt, vt optimè obseruant Rolādus à Valle volum. 1. cons. 96. n. 11. Menochius vol. 1. cons. 91. nu. 6. Tobias Nonius vol. 1. consil. 97. nu. 2. Sfortius Oddo vol. 1. consil. 53. nu. 7. Hieronymus Gabriel vol. 2. cons. 123. nu. 12. & alij.

Et tandem si aliquis quærat, an veniat in confiscatione maioratus, quando illius Institutor deliquit, remitto illum ad Molinam Iuristam de primogen. lib. 4. c. vlt. & ad Molinam Theologum de iust. tom. 3. disput. 659. Sanchez lib. 2 cap. 18. & alios penes ipsos.

An possint à fisco, vel Inquisitoribus ob delictum hæresis publicari bona castrensia filiorum, & quid de alijs bonis.

RESOL. LXI.

AFfirmatiuè respondet Ferdinandus de Castro in opere mor. tom. 1. tract. 4. disp. 5. punct. 10. n. 23. Vasquez in 1. 2. disp. 169. cap. 1. n. 9. Azorius to. 1. lib. 5. c. 7. q. 8. Suarez de fide disp. 22. sect. 5. nu. 9. Simanca in cathol. instit. tit. 9. num. 13. & alij penes ipsos, quia filiusfamilias habet liberam potestatem super bona castrensia; ergo transibunt per delictum hęresis ad fiscum. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur DD. quos citat & sequitur Sanchez in sum. tom. 1. li. 2. cap. 15.

cap. 15. nu. 4. quibus ego addo Anton. Sanctarellum de hæresi c. 18. dub. 1. num. 1. & patet ex l. si filius, C. de bonis damn. Dico igitur, quod quando publicantur bona filij ob crimen hæresis, non publicatur peculium castrense, nec quasi castrense, sed tribuitur patri. Et ad argumentum contrariæ sententiæ responderi potest negando consequentiam, vt optimè probat Sanctarellus vbi supra quem tu omninò videbis.

Vnde à fortiori idem dicendum est de bonis profectitijs, vt docet Couarruuias lib. 2. var. c. 8. nu. 7. Gomez lib. 2. var. c. 25. n. 16. & alij; non enim veniunt in confiscationem ob filijfamilias delictum, sunt enim bona patris, tam quoad proprietatem, quã quoad vsumfructum, vt patet ex l. si plures, §. & in arrogato, ff. de vulg. & pupil.

Verùm circa bona aduẽtitia aliqui asserunt, publicari ob delictum hæresis, reseruato tamen patri vsufructu, licèt aliqui asserant, quòd in tali casu nõ solùm proprietas bonorum aduentitiorum publicetur, sed etiam publicetur vsusfructus patri debitus, & ita tenet Simanca in cathol. instit. tit. 9. nu. 18. Azorius to. 1. lib. 5. c. 7. q. 8. & lib. 8. c. 12. q. 15. & alij, quia filius ob crimen hæresis non est amplius sub patria potestate, sed vsusfructus in bonis aduentitijs filiorum pertinet ad patres, ob potestatem, quam in illos habent, vt patet in l. si ex causa, §. Papinianus, ff. de minorib. ergo confiscata proprietate, confiscabitur vsusfructus consolidabiturque cum illa. At hanc sentẽtiam impugnat Anto. Sanctarellus de hæresi, c. 18. dub. 1. n. 5. Sayrus in Claui Reg. lib. 9. c. 7. n. 7. Ferdinandus de Castro vbi supra, in op. mor. to. 1. tr. 4. disp. 5. punct. 10. n. 28. quia factum filij præiudicare non potest iuri patris acquisito. Vide etiam Molinam disp. 140. & 229. Azeuedum in recopil. li. 8. tit. 3. leg. 1. n. 121. Octauianum Cacherinm decis. Pedemont. 94. n. 9. Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. c. 15. n. 11. & alios. Notat tamen, & optimè Sanctarellus vbi supra, quod si post hæresim filius acquirat bona aduentitia, vsusfructus illorum non pertinebit ad patrem, sed ad fiscum, sicut pertinebit proprietas; & ratio est, quia illa bona acquiruntur filio constituto extra potestatem patris. Ergo, &c.

An fiscus, vel Inquisitores possint publicare etiam bona paraphernalia vxoris, si scienter matrimonium contraxit cum hæretico.

RESOL. LXII.

CErtum est, quòd si fœmina contrahat matrimonium cum hæretico, sciens illum esse hæreticum, tunc in pœnam delicti eius dos confiscatur, vt patet in c. decreuit, de hæretic. in 6. Difficultas est, quid dicẽdum de alijs bonis extra dotem? Affirmatiuè respondet Ferdinandus de Castro in oper. mor. to. 1. tr. 4. disp. 169. c. 1. n. 13. Simanca in cathol. instit. tit. 9. nu. 74. & alij.

Verùm mihi contraria sententia magis placet, quam præter Sanchez in summ. to. 1. lib. 2. c. 17. n. 21. tenet nouissimè Anton. Sanctarellus de hæresi c. 19. dub. 3. n. 14. & Augustinus Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 14. nu. 3. cum alijs, & patet ex d. cap. decreuit. vbi tantùm agitur de bonis dotalibus & pœnæ nõ sunt extendendæ, & si voluisset Pontifex, vt ob contractum matrimonium scienter cum hæretico vxor amitteret omnia bona sua, id expressisset, & non restrinxisset ad dotem, faciẽdo solùm de ea mentionem. Ex his ego infero, quòd vir Catholicus contrahens scienter matrimonium cum fœmina hæretica, non amittit sua bona, quia in d. ca. decreuit, solùm fit mentio de fœminis. Vnde non est extendendum ad viros, qui dotem non afferunt, pœnæ enim, vt diximus, non sunt ampliãdæ, & ideò ego probabiliter puto contra Henriquez lib. 12. c. 14. nu. 4. & alios, fœminas rapientes viros, non incurrere in pœnas in quas incurrunt viri rapientes fœminas, quia in l. vnic. C. de raptu virginum, fit solùm mentio de viro rapiente fœminam, & ita tenet Salicetus nu. 7. Decianus in tract. crim. lib. 8. c. 7. nu. 27. Clarus lib. 5. §. raptus, n. 6. Menochius de arbitrar. li. 2. centur. 3. cas. 293. & alij. Item contra dictum Henriquez lib. 12. c. 2. nu. 1. Sotum in 4. dist. 37 quæst. vnic. art. 1. Nauarrum in manual. c. 22. n. 74. & D. Antoninum p. 3. tit. 1. c. 16. §. 4. ego puto etiam probabiliter fœminas occidentes viros suos non incurrere eas pœnas, quas incurrunt viri occidentes vxores suas, quia in cap. interfectores 37. quæst. 2. fit tantùm mentio de viris occidentibus vxores, & ita docet Toletus lib. 7. c. 15. nu. 5. Syluester verb. matrimonium, 7. q. 6. dicto 1. Armilla ver. matrimonium, num. 58. Ledesma parte 2. q. 62. art. 2. & alij. Cum igitur in d. c. decreuit, de hæret. in 6. agitur tantùm de fœminis scienter cum hæreticis matrimonium contrahentibus, pœnæ ibi latæ non videntur extendendæ ad viros cum fœminis hæreticis nubentibus, & ita hanc sententiam tenet Sanchez, Sanctarellus, & Barbosa locis cit. quibus circa præsentem quæstionem adde Zechium in sum. to. 1. tit. de fide, c. 11. n. 16. Pegnam in direct. Inquis. part. 3. comment. 160. Azorium to. 1. lib. 5. c. 7. Suarez de fide disp. 22. sect. 5. & alios penes ipsos.

An Inquisitores debeant confrontare testes cum reo.

RESOL. LXIII.

REspondeo, quòd in alijs delictis hoc facere expedit, ex l. si postulauerit, §. quæstioni, ff. ad legem Iuliam, de adult. tamen in causa hæresis à DD. Inquisitoribus hoc minimè faciẽdum est. Vnde instruct. Tolet. anno 1561. nu. 72. sic habetur. [Aunque en los otros Iuycios suelen los Iuezes para verificacion de los delitos careár los testigos con los delinquentes, en el Iuycio de la Inquisicion no se deue, ni se acostumbra hazer, y por esperiencia se halla que si alguna vez se ha hecho, no ha resultado buen efeto antes se hã seguido dellos incõueniẽtes.] Ita ibi, & ratio est, quia si testes cum reo essent cõfrontandi, abstinerent à delicto denunciando. Et ita docet Sanctarellus de hæresi c. 39. dub. 4. nu. 22. Pegna in direct. Inquisit. parte 3. comment. 23. num. 101. & comment. 48. num. 209. limitat tamen supradictam sententiam Genuensis in praxi Archiep. c. 68. nu. 6. ex Pegna loc. cit. in duobus casibus. Primò, quando testes sunt socij criminis. Secundò, quãdo tecto iudicis arbitrio omne testiũ periculum cessauerit, nempè si reus est persona vilissima, quia parum curat habere bonam, vel malam famam, vt meretrix, & similes infames.

Verùm non desinam hic apponere verba Sigismũdi Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 87. nu. 19. ibi sic ait. Quamuis Inquisitori videatur cessare periculum confrontandi testes, tamen solus nõ debet ad apertam recognitionem & cõfrontationem deuenire sine consensu Episcopi, & peritorum, qui si secum non conueniant, consulet maiores Inquisitores, quia etiam in supremo Senatu generalis Inquisitionis nunquam fiunt recognitiones, seu confrontationes, nisi re cognita & decreto interposito per Cardinales, Inquisitores, Generales. Vnde tu sume argumentum quàm cautè in re tam periculosa debeas procedere. Ita Scaccia vbi supra; qui etiam apponit formam & practicam, quomodo & quãdo est necessaria confrontatio, & fieri debeat ipsi reo non vidente testem. Et ideò in casu contingenti videãt DD. Inquisitores supradictum Scacciam.

An Inquisitores possint admittere ad confessiones audiendas, qui abiurarunt de vehementi, vel de leui.

RESOL. LXIV.

REspondeo negatiuè, quoad primum, ex declaratione sacræ Congreg. S. Officij, per quam ordinatur ne is, qui abiurauit de vehementi, admittatur amplius ad audiendas confessiones, quam declarationem affert Vmbertus Locatus in fine praxis Inquis. Genuensis, & Alphons. de Leone vbi infra, & docet Riccius q. 2. decis. 218 per totàm, quam omninò vide.

Difficultas est de reo abiurante de leui, & affirmatiuè respõdet M. Antonius Genuensis in praxi Archiep. cap. 45. nu. 2. vbi sic ait. Fuit dubitatum in Curia Archiepiscop. an quidam Sacerdos, qui abiurauerat hæresim de leui, esset admittendus ad audiendas confessiones fidelium, & re delata ad sacram Congregationem generalis Inquisitionis Sancti Officij in Vrbe, fuit rescriptum die 6. Martij 1596. dictum Sacerdotem non esse impeditum exercere omnes Ordines, & Sacramenta ministrare, ac fidelium etiam secularium confessiones audire, quamuis abiurasset de leui. Ita Genuẽsis, qui etiam ibi notat, vt supra diximus, quòd in dicta Curia Archiepiscop. Neapol. abiurantes de vehementi nunquam admittuntur ad cõfessiones audiendas.

Sed an Regulares abiurantes de leui reddantur inhabiles ad gradus & dignitates Religionis? negatiuè respõdet Seraphinus Freyta in additio. ad tract. de Confess. solicitant. quæst. 24. numero 70. etiamsi abiurasset de vehementi. Vide Rodriquez

in

in qq. Regular. tom. 2. q. 82. art. 2. hodie tamen, vt obseruat Alphonsus de Leone tract. de officio & potest. Confessarij p. 2. recollect. 1. num. 211. extat decretum sacræ Congregationis sancti Officij annuente Vrbano VIII. Pōtifice, vbi Regulares redduntur inhabiles ad officia & dignitates propter quamcumque pœnitentiam, nisi sit salutaris.

Notandum est hic obiter quòd ex abiuratione etiam de vehementi non incurritur irregularitas, & ideò Villalobos in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 15. num. 2. sic ait. [No se incurre irregularidad por hauer abiurado la heregia de leui, o de vehementi, de suerte que si de hecho de verdad no era herege, si no que se lo probaron con testigos falsos, o el confesso por temor del tormento no queda irregular como dize Nauarro, el qual dize de vn Prelado que abjuro de vehementi, y, el dia siguiente sin dispensacion se fue à dezir Missa loqual approbo y loo el Papa y toda la Curia, la razon desto es clara, porque en el derecho no se pone esta pena el que abjuro si no al herege.] Ita ille, & Sanchez in summ. tom. 1. li. 1. c. 25. nu. 12. quem sequitur Alphonsus de Leone vbi suprà, de offic. & potestate Confess. tom. 2. recollect. 1. n. 211. in fine.

An Inquisitores possint procedere contra Magistratus eorum mandatis non obedientes.

RESOL. LXV.

Respondeo affirmatiuè, quia Magistratus, qui non obtemperat Inquisitorum mandatis, & præstare auxilium recusat, est suspectus de hæresi, ideò potest apprehendi, & iurisdictione sua priuari, per ea quæ adducit Rebuffus tom. 2. ad leg. Galliæ, tit. de litteris Inquisitorijs, in princip. nu. 20. Menochius de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 6. n. 3. & alij. Vnde tenetur litteras & mandata DD. Inquisitorum sine mora exequi, & illorum officium nullatenus impedire, vt docent Mendez de Castro in praxi Lusitana lib. 2. c. 1. n. 16. Bobadilla in polit. to. 1. lib. 2. c. 17. n. 81. Azeuedus in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 15. n. 7. Simanca in cathol. instit. tit. 23. n. 9. & Lucerna Inquisit. ver. impedientes, n. 1. vide c. ne aliqui §. compescit de hæret. in 6.

An si plures Inquisitores in vna Prouincia eligantur, possint independenter quilibet ab altero procedere.

RESOL. LXVI.

Affirmatiuè respondet Michael Zanardus in direct. Theolog. part. 2. cap. 6. q. 12. Sigismundus Scaccia de iudicijs li. 1. cap. 67. n. 9. Io. Rojas singul. 27. à num. 3. Simanca de catholic. instit. tit. 34. n. 26. Eymericus in direct. Inquis. par. 3. q. 46. & ibi Pegna comment. 95. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 22. nu. 7. Molina de iustit. tom. 5. tract. 5. disp. 28. num. 9. & habetur in c. ne aliqui, de hæretic. in 6. Dico igitur quòd si in vna Prouincia deputati fuerint plures Inquisitores, possunt ex speciali fauore fidei omnes simul, vel singuli separatim prout eis magis expedire videbitur, contra hæreticos, vel de hæresi supectos procedere, dummodo causa non sit vni à Sede Apostolica deputata. nam tunc per hanc specialem delegationem alij Inquisitores non possunt in illa causa se intromittere, sed debeant ad eum transmittere depositiones, quas fortè contra delinquentem habent & examina testium, & indicia. Ita Doctores citati, & præsertim Zanardus, qui etiam addit, quòd si vnus Inquisitor seorsim procedat, si indiget auxilio alterius ad examinandum aliquem testem, vel ad faciendam aliquam perquisitionem in causa, tunc debet is per litteras suas hoc ei committere, & ipse ratione officij tenetur illud facere, & examen ad illum trasmittere.

Verùm omnia supradicta non procedunt in Hispania, vbi vt obseruat Rojas singul. 27. nu. 7. Inquisitores non possunt quando sunt præsentes, vnus sine altero procedere ad capturam delinquentium, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem testium, & à fortiori ad fulminandam sententiam, & hoc stante Instructione Toletana, quàm citat Rojas, vnde in alia Instruct. hecha en Seuilla 17. Iunij ann. 1500. num. 1. sic habetur. [Los Inquisidores de cada vna Inquisicion salgā, y vayan a todos los lugares y villas de sus Diecesis donde nunca fueron personalmente, y en cada vna de dichas villas, y lugares hagan, y reciban los testigos, y para que esto puedan mejor hazer, y mas breuemente se expida, se aparten los Inquisidores, y vaya cada vno por su parte cō vno Notario del secreto para recebir la dicha pesquisa general se tornen à iūtar en la dicha ciudad, o lugar donde tuuieren su assiento, porque alli vista por ambos la testification que cada vno ha tomado puedan mādar prender à los que se hallerem culpados, y testificados sufficientemēte para se poder prēder segun se contiene en Capitulo de las instruciones hechas en Toledo.] Sic ibi.

Sed magis clarè hoc habetur. [en vna carta de los Inquisidores Generales hecha en Granada à 4. de Septienbre ann. 1499. à los Inquisidores de Barcelona,] vbi num. 1. ita determinatum est. [En cada Inquisicion aya dos Inquisidores, vn Iurista, y vn Theologo, o dos Iuristas los quales iuntamente, y no el vno sin el otro procedan à captura y tormento con purgaciō canonica y sentēcia definitiua, porque son cosas graues en todas las otras pueden proceder el vno sin el otro, por mas breue expedicion de las cosas por la necessidad que se occurre de se apartar el vno del otro para yr y andar por los lugares de los obispados à entender en las cosas del S. Oficio.] & ita de hac praxi S. Inquisitionis Hispaniæ testatur etiam nouissimè Ferdinandus de Castro in oper. mor. tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. n. 4.

An Inquisitores possint punire aliquem qui dederit consilium reo incarcerato, etiam iustum, illis inscijs.

RESOL. LXVII.

Respondeo affirmatiuè, per ea quæ adducit Vmbertus Locatus in praxi Inquis. cas. 10. Placentiæ, vbi agit de quodam Religioso Theologo, qui consultus de dubio Theologico ab Inquisito, iustum & Catholicum consilium ei præbuit, inconsulto tamen Inquisitore, & resoluit supradictum nō esse puniendum, vt fautorem hæreticorum sed arbitraria pœna deputanda ab Inquisitoribus, & nouissimè hanc sententiam tenet etiam Seraphinus Freyta in addit. ad tractat. de confess. solicit. Roderici Acugna q. 22. num. 28.

An Inquisitores possint compellere vt abiurantes de leui abiurent generaliter omnem hæresim.

RESOL. LXVIII.

Negatiuè videtur respondendum, per ea, quæ adducit glossa in c. accusatus. §. eum verò, in ver. simpliciter, de hæret. in 6. Calderinus de hæret. 1. c. 20. nu. 1. in fine, Vmbertus Locatus in Inquisitionis formula, sub tit. formæ abiurationis leuiter suspecti. Eymericius in direct. Inquis. sub tit. forma abiurandi hæresim quando delatus est suspectus leuiter à n. 163.

Sed prorsus affirmatiuam sententiam tenēdam esse puto, vt superius etiam adnotaui, & ita obseruari Romæ in sacro Tribunali sanctæ Inquisit. testatur Pegna in direct. Inquis. part. 2. comm. 4. & ita etiam obseruatur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, teste Roderico Acugna de Confess. solicitat. q. 24. nu. 22. & hanc sententiam tenent etiam Doctores, vt Simanca in cathol. instit. tom. 1. n. 12. & tit. 57. nu. 7. Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 47. nu. 10. Zechius in summ. tom. 1. tit. de fide c. 11. n. 5. & alij.

An Inquisitores sint iudices competentes super reconciliatos, qui Hispano sermone Saubenitados *vocantur.*

RESOL. LXIX.

Sententiam affirmatiuam docent Doctores, quos citat Ioan. Rojas singul. 98. num. 1. Sed ipse n. 3. & meritò contrariam sententiam tenet, cui ego addo DD. quos citat & sequitur Cenedus in decretū Gratiani collect. 34. & Barbosam in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 17. nec contra hanc opinionem negatiuam facit textus in c. aliud 11. q. 1. vt rectè obseruat Pegna in direct. Inquis. p. 3. q. 97. comment. 146. & alij, quia varias habet expositiones, quas videre potes apud citatos Doct. nam ego breuitati studeo.

Verùm his non obstantibus, non est dubitandum si inter se dicti pœnitentes rixati fuerint, dum sunt in perpetuis vel tem-

poralibus carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ vnus in alterum conuitia dixerit, posse Dominos Inquisitores illos punire, quidquid in contrarium sentiat Farinacius de hæresi qu. 186. nu. 37. in fine. Sed tu nostram sententiam tene, quam tuetur Rojas & Pegna vbi suprà. Vide etiam circa præsentem quæstionem Simancam in cathol. instit. tit. 47. nu. 18. Decianum in tract. crim. lib. 1. c. 23. n. 3. Couarruuias pract. q. 34. num. 3. & alios penes ipsos.

An Inquisitores possint cognoscere non solùm de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis & incidentibus.

RESOL. LXX.

Respondeo affirmatiuè, per ea quæ adducit Aretinus conf. 83. quem sequitur Decian. in tract. crim. lib. 5. ca. 22. n. 12. hanc etiam sententiam docet Eymericus in direct. Inquis. par. 3. & ibi Pegna comment. 10. vbi tradit quæ in hac materia sint emergentia, dependentia, & connexa, & ratio huius sententiæ desumitur ex l. nulli. C. de iudicijs. Nam vbi conceditur causa principalis, conceduntur consequenter connexa emergētia & incidentia ex illa. Vide Menochium de arbitrarijs lib. 1. q. 45. n. 9. & alios penes ipsum.

Aduertit tamen Decianus vbi suprà lib. 5. cap. 23. n. 13. quòd cum Inquisitores habeant limitatam iurisdictionem, non possunt cognoscere de emergentibus, & dependentibus, quæ immediate hæresim non tangerent. Ita ille, qui citat Decium consil. 167. n. 5. 6. & 15.

An Inquisitores excusentur à residentia parochiali, & an gaudeant fructibus præbendarum, & distributionibus.

RESOL. LXXI.

Qvoad primum, affirmatiuam sententiam tenet Cenedus in q. canon. q. 1. nu. 28. & Spino in speculo testam. glos. 3. princ. 78. Sed contrariam sententiam, & meritò, docet Sanctarel. var. disp. 1. q. 11. num. 4. & ita testatur Gonzalez in reg. 8. Cancellar. gloss. 6. num. 265. & gloss. 13. nu. 163.

Quoad secundum verò dicendum est, Inquisitores habentur in suis præbendis & dignitatibus pro præsentibus, & residentibus, & percipiunt integros fructus suarum Prebendarum simul cum distributionibus quotidianis ex priuilegio speciali fauore fidei à Paulo III. & Pio V. illis concesso, vt docent Armendariz in recopil. legum Nauar. li. 2. tit. 23. leg. 2. §. 2. n. 7. Rojas sing. 96. & de hæret. p. 2. n. 420. Cenedus loc. cit. Ceuallos in prac. comm. opin. q. 585. n. 12. Villar. de Patronado Calatayud 4. p. in princip. n. 8. & ita declarasse sacram Cardinalium Cōgregationem testatur Garsias de benef. tom 1. p. 3. c. 2. nu. 356.

Quàm celeriter debeant Inquisitores expedire causas reorum.

RESOL. LXXII.

Ponam hic verba doctissimi Iacobi Simancæ in institut. cathol. tit. 44. n. 32. & 33. vbi sic ait. In causis fidei, quanta fieri potest breuitate procedatur, nec differantur, aut suspendantur spe futurarum probationum, quia fortè numquam superueniēt, & interim rei opprimuntur, & eorum bona dissipantur ac dilabuntur. Et vitandum quod Inquisitores quidam facere solent, qui vt reos quamplures simul puniant, multorum causas iamdudum conclusas diutiùs differunt, atque suspendūnt. Ita ille.

Vnde in quadam Epistola Inquisitoris Generalis 4. Septembris 1499. directâ ad Inquisitores Barcinon. num. 3. sic habetur. [Los inquisidores tengan tiento en el prender, y no prender ninguno sin tener sufficiente prouacion para ello y despues de assi preso dentro de diez dia se le ponga la accusation y en este termino se le haga las amonestationes, que en tal caso se requieren, y proceden en las causas, y processos con toda diligencia, y breuedad sin esperar che sobreuenga mas prouanca, y no den lugar à dilationes porque dello se siguan inconuenientes assi à las personas, como à las haziendas.] Sic ibi.

Et in instruct. Vallisolit. ann. 1488. n. 30. ita habetur. [Item acordaron que los que fueran presos por este delito que no se an fatigados en las carceles en la dilacion del tiempo, que luego se haga el processo con ellos, porque no haya lugar de quaxarse, y no se detengan à causa de no hauer entera prouanca pues que es causa, que quando sobreuiene prouanca se puede de nueuo agitar, no obstante la sentencia que fuere dada.] Sed ad alias procedamus.

An Inquisitores possint prohibere ne filij hæreticorum exerceant officia publica.

RESOL. LXXIII.

Respondeo ex c. quicumque, & cap. statutum, de hæret. in 6. quòd filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad officia publica, qualia sunt Magistratus, prætoriatus, notariatus, & cęt. & ita docet Suarez de fide disp. 24. sect. vlt. n. 6. & alij. Vnde in instruct. Vallisolit. ann. 1488. nu. 11. sic habetur. [Los Inquisidores en sus partidos, y lugares tengan mucha diligencia, manden, y pongan grandes penas, y censura que los hijos y nietos de los hereges condenados no tengan ni vsen oficios publicos, ni seā Iuezes, alcaydes, regidores, Iurados, Mayordomos, Maestresalas, pesadores, publicos Mercadores, ni Notarios, escriuanos publicos, Abogados, Procuratores, Secretarios, Contadores, Cancelleres, Thesoreros, Medicos, Ciruianos, Sangradores, Boticarios, ni corredores, cambiadores, fieles cogedores, ni arrendadores de rentas algunas, ni otros semejantes oficios que publicos sean o dezir se puedā ni vsen de los dichos oficios por si, ni por otra persona, ni so otro color alguno, ny traygan sobre si, ni en sus atauios vestiduras, y cosas que sean insignias de alguna dignidad, o milicia Ecclesiastica, o seclar.] Sic ibi.

Et aduerte quòd quoties dubitatur quod nomine publici officij intelligatur à quo hæretici, & eorum descendentes excluduntur, ad Inquisitores, vel ad eos vna cum Episcopo id pertinebit declarare, vt docet Pegna in direct. p. 3. comm. 8. & Narbona in recop. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 20. nu. 108.

Notandum est etiam hic à fortiori, supradictos filios hæreticorum inhabiles esse ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita vt hæc inhabilitas ipso iure incurratur, & collatio beneficij illis facta irrita sit, vt habetur expresè in cap. 2. de hæret. in 6. Vide Ricciulum de iure personarum, &c. lib. 5. cap. 29. nu. 2. Sanctarellum de hæresi cap. 35. dub 22 n. 21. Pegnam in direct. Inquis. part. 3. comment. 63. Rojas de hæret. p. 2. nu. 336. & seq Simancam in cathol. institut. tit. 9. & 29. & alios penes ipsos, & hæc inhabilitas procedit non solùm, vt dictum est, in ordine ad beneficia obtinenda, sed etiam quoad pensiones, vt notat Garsia de benef. to. 2. p. 11. c. 10. §. 1. nu. 74. Sanchez in summa to. 1. lib. 2. c. 28. num. 35. & 36 & alij locis cit. præcipuè Ricciullus. Sed ex his oritur magna quæstio, ideò quæro.

An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios natos ante hæresim parentum.

RESOL. LXXIV.

Negatiuè respondent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez in summa to. 1. li. 2. c. 27. n. 14. quibus ego addo Torreblancam de magia lib. 3. c. 12. n. 48. & Sanctarellum de hæresi c. 34. dub. 2. n. 11. in fine.

Mihi verò magis placet affirmatiua sententia, quam tuentur Doctores, quos citat & sequitur Barbosa in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 15. num. 3. & Ricciullus tract. de iure personarum, &c. lib. 5. cap. 30. num. 27. vbi ita testantur determinasse sacram Rotam Romanam in vna Conchensi pensionis 6. Martij 1598. coram Peregrino. Vide etiam Suarez de fide disp. 43. sectio. 3. n. 2. Azorium tom 1. lib. 8. cap. 13. post q. 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. Toletum libr. 1. cap. 69. num. 4. Rojas de hæret. p. 2. numer. 336. & singul. 68. numer. 3. Pegnam in director. part. 3. comment. 163. & alios penes ipsos. Ratio est, quia pœna infamię priuationis officiorum, & beneficiorum, & cęt. in casu nostro imponitur filijs in supplicium parentum, vt sic puniti à peccato auertantur, ex gloss. in Extrauag. vnica Ioannis XXII. de pœnis §. filij eius, verb. quomodolibet. Sed hæc ratio militat etiam in filijs natis ante delictum. ergo, & cęt. igitur in nostro casu filij puniuntur odio parētis. l. quisquis, Cod. ad leg. Iuliam maiestatis, cap. 2. §. credentes, de hæret. in 6. cum in filio, tum persona

persona acrius pater torqueatur, quàm in propria. l. isti quidem ff. de eo quòd met. caus. Ergo multo magis debent dictæ pœnæ habere locum in filiis hæreticorum natis ante delictum, quàm in aliis, cum maior sit afflictio videri filium adultum, sæpè etiã bonis ditatum & in dignitate constitutum, gradu deijci, quàm filios infantes. Adde quod contingere possit vt post delictum hæreticus filios non suscipiat. Hæc Ricciullus vbi supra.

An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios hæreticorum, qui licet traditi fuerint Curiæ sæculari, eos pœnituit, & mortui sunt Catholici.

RESOL. LXXV.

Negatiuè videtur respondendum, quia supradicti filij hæreticorum non incurrunt in pœnas impositas filijs hæreticorum in c. statutum, de hæret. in 6. vt tradunt Surdus consil. 346. nu. 24. Toletus lib. 1. c. 6. n. 3. Henriquez lib. 14. c. 5. n. 4. Repertor. Inquisitor. ver. filij. §. nunc, & alij. & ita teste Carrera, fuisse decisum in Inquisitione Conchensi testatur Ricciullus vbi infrà.

Sed his non obstantibus ego puto affirmatiuam sententiam tenendam esse, quam tuetur Ricciullus de iure personarum &c. lib. 5. cap. 30. num. 32. & seq. Sanctarellus de hæresi, cap. 34. dub. 1. num. 17. Pegna in director. part. 3. quæst. 15. Simanca in cathol. institut. tit. 29. num. 17. Decianus in tract. crimin. libr. 5. cap. 45. num. 3. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. quæst 9. nu. 209. Azorius tom. 1. libr. 8. cap. 13. quæst. 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. Bursatus lib. 3. consil. 289. num. 19. & seq. Auila de cens. part. 8. disp. 4. dub. 3. Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 45. sect. 3. num. 4. & alij penes ipsos. Ratio est, quia in dicto cap. statutum, ne filij incurrant in pœnas parentum hæreticorum duo requiruntur, nempè quòd pater fuerit emendatus, & reincorporatus Ecclesiæ vnitati, ac relapsus supradictus non potest dici reincorporatus, quia Ecclesia denegat illi audientiam, cap. super eo, eodem tit. ergo, &c. Igitur tunc dicuntur hæretici reincorporati Ecclesiæ, cum per absolutionem solemnem & iuridicam Ecclesiæ reincorporantur, & admittuntur ad pœnitentiam iuridicè implendam, & non traduntur brachio sæculari, vt docet Geminianus in cap. statutum, de hæret. in 6. numer. 3. & Archidiaconus in cap. accusatus, eodem tit. num. 7. & quamuis tales relapsi sint absoluti in sacramento Confessionis, talis absolutio valet tantùm quoad forum interius, & vt possint recipere Eucharistiam, vt notar glossa in cap. super eo, de hæret. in 6. verb. denegãda, Azorius tom. 1. lib. 8. c. 14. q. 7. Paramus vbi supra, & Decianus lib. 5. c. 56. num. 7.

Notandum est tamen hic obiter quòd filij sponte reuelantes hæresim parentum, non contrahunt pœnas statutas contra filios hæreticorum, etiamsi essent geniti post delictum patris, vt patet ex cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6. & tradunt Pegna in director. part. 2. comment. 15. Rojas singul. 12. nu. 5. Simanca in cathol. instit. tit. 29. n. 46. & seq. Tabiena ver. hæreticus, num. 6. Armilla ver. hæresis, num. 5. Castrus de hæretic. punit. lib. 2. c. 26. & alij, & hoc à fortiori dicendum est, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tamquam hæretici, sed solum tamquam suspecti de hæresi, vt obseruat Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 45. n. 5. Zanchinus de hæret. c. 28. n. 3. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. filij, num. 4. Zanchinus de hęret. c. 28. n. 3. & alij.

An Inquisitores possint priuare filios hæreticorum beneficijs obtentis ante illorum hęresim.

RESOL. LXXVI.

Affirmatiuè respondet Tabiena ver. hæreticus, num. 6. Guttierrez in qq. canon. lib. 2. cap. vlt. n. 38. Castaldus tract. de Imperat. q. 118. num. 14. Graffius in decis. lib. 2. capit. 11. nu. 11. Geminianus in cap. vt commissi, §. priuandi, de heret. in 6. n. 4. & ibi Domin. n. 4. Io. Monachus ante nu. 1. Francus in cap. felicis, num. 6. de pœnis in 6. Flaminius de resignat. benef. lib. 3. q. 1. num. 34. Peregrinus de iure fisci lib. 3. tit. 10. num. 2. Garzias de benef. tom. 2. p. 11. c. 10. num. 72. & seq. Decianus in tract. crim. li. 5. c. 20. n. 5. & c. 45. n. 6. Gundissaluus de hæret. q. 23. n. 2. & alij penes ipsos. Vnde Inquisitores proferunt sententiam condemnantem hæreticos, & eorum filios, & efficientem eos inhabiles ad habendum, tenendum, & possidendum dignitates, beneficia, & officia, tam Ecclesiastica quàm sæcularia. quæ verba, vt patet aptè quidem comprehendunt tam beneficia obtinenda, quàm obtenta.

Verùm contrariam sententiam est communis, nempè Clericos priuari ob hæresim parentum ipso iure beneficijs obtentis, postquam eorum parentes in hæresim inciderunt, non autem beneficijs acquisitis ante illorum hæresim. & ita tenet Zechius in summ. tom. 1. tit. de fide, c. 11. nu. 16. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 8. num. 203. & seq. Toletus lib. 1. cap. 69. nu. 4. Ledesma in summa to. 2. tract. 1. c. 6. concl. 17. diffic. 2. Azorius to. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. Suarez de fide disp. 24. sect. 3. nu. 5. Clarus lib. 5. §. hæresis, num. 6. Otolora de notabil. part. 4. c. 9. n. 9. Hoieda de incompatib. benefic. cap. 13. nu. 100. Simanca in cathol. instit. tit. 29. n. 20. & in enchir. tit. 63. n. 9. Surdus consil. 186. n. 5. & ita determinasse Clem. VIII. consultis Cardinalibus S. Officij testatur Antonius Ricciullus de iure personarum, &c. lib. 5. c. 29. in fine. Et ratio est, quia nullo iure habetur eos priuari beneficijs obtentis ante parentum hæresim; ergo hæc pœna sine textu expresso non est imponenda.

Ad sententiam verò, quam ferunt Inquisitores, respondeo illos in cõdemnandis hæreticis vti ea formula ordinaria, in qua nihil certi de hoc est statutum, nec voluerunt definire. Vnde remanet discutienda disputatio à Theologis & Iurisperitis.

Vide etiam circa præsentem quæstionem Ioan. Rojas, singul. 24. & singul. 66. n. 3. Rebuffum in praxi de modis mittendis beneficijs nu. 25. Repertor. Inquisit. verb. filij, vers. nunc quæritur, Maiolum de irregular. lib. 5. c. 47. nu 6. Azeuedum in recopilat. lib. 8. tit. 3. leg. 1. n. 204. Couarruuias lib. 2. var. c. 8. nu. 3. Pegnam in direct. p. 3. comment. 163.

Notandum est etiam hic obiter quòd non exigitur sententia condemnans parentes hæreticos, vt filij ac nepotes incurrant pœnas irregularitatis & inhabilitatis ad beneficia, sed satis est, si vel per euidentiam facti, vel per propriam confessionem parentum in iudicio constet parentes fuisse hæreticos, vel fautores, defensores, aut receptatores hæreticorum. Et ita docet Sãctarel. de hæresi cap. 34. dub. 1. n. 13. Suarez de cens. disp. 43. sect. 3. nu. 2. Sayrus de cens. lib. 6. c. 10. n. 40. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. c. 27. n. 28. & alij.

Nota etiam quòd pœnæ supradictæ in superioribus resolutionibus habent locum etiam in filijs illegitimis & spurijs, vt docet Surdus consil. 386. n. 6. Io. Andreas in cap. statutum, de hæret. in 6. num. 4. Ancharanus num. 2. Francus num. 4. Geminianus num. 4. Suarez loco citato, nu. 11. Menochius de præsumption. lib. 5. præsumpt. 33. nu. 11. Graffius in decision. lib. 2. c. 11. n. 19. & Ricciullus de iure personar. &c. lib. 5. c. 30. vbi disputat quid dicendum de filijs adoptiuis.

De modis quibus possunt Inquisitores terminare processum.

RESOL. LXXVII.

Qvando reus non est plenè conuictus, sed tantum indiciatus, ita quòd iure absolui non possit, habent Inquisitores tria remedia terminandi processum, vnum scilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & tertium per torturã, & hoc extremum videtur accomodatius cæteris ad eruendam veritatem, cum purgatio & abiuratio inuenta potiùs ad suspicionem & infamiam hæresis excludendam, quàm veritatem indagandam, & ita docet & obseruat Pegna in direct. Inquis. p. 3 comment. 39. Vnde non est audiẽdus Eymericus in d. direct. vbi supra n. 151. docens quòd ad torturam deueniendum nõ sit quando adsunt indicia sufficientia ad abiurationem inducẽdam, sed nostra sententia clarè determinatur in instruct. Toletana anno 1561. vbi n. 46. 47. & 48. sic habetur.

[Quando esta semiplenamẽte prouado el delicto o ay tales indicios contra el reo que no puede ser absuelto de la instãcia en este caso ay diferentes remedios en derecho, que es abiuracion de vehemẽti o de leui, el qual parece remedio mas para poner temor al reo para adelante que para castigo de lo passado. Y por esto alos que abiuran se les imponen penitencias pecuniarias, a los quales se deue aduertir el peligro que incurren de la ficta relapsia si pareciessen otra vez culpados en el delito

de la heregia y por esto deuen los que abiuran de vehemēti firmar sus nombres en las abjuraciones, aunque hasta à qui no ha sido muy vsado, y se hagà con la diligencia que esta dicho en los reconciliado.

Otro segundo remedio es la compurgacion laqual se deue hazer segun la forma de la instrucion con el numero de personas que a los Inquisidores ordinarios, y Consultores pareciere a cuyo aluedrio se remite. En lo qual solo se deue aduertir que por la malicia de los hombres en estos tiempos es peligroso remedio y no esta mucho en vso, y que se deue vsar del con mucho tiento.

El tercero remedio es el tormento, el qual por la diuersidad de las fuercas corporales, y animos de los hōbres los derechos lo reputā por fragil y peligroso, y en que no se pueda dar regla cierta mas de que se deue remitir a la conciencia, y arbitrio de los Iuezes regulados segun derecho, razon, y buena conciencia.]Ita ibi.

Sed ad ornatum supradictæ Instructionis circa subscriptionem abiurantium, vide Pegnam in director Inquisit.p.3. comment.40. vbi relatis Doctoribus, quorum aliqui in abiuratione subscriptionem necessariam affirmabant, aliqui verò secus, concludit subscriptionem requiri, quando reus pœnitens scit scribere; si verò nesciat, tunc ait debere Inquisitores & Notarium se subscribere; idque tutissimum dicit Decianus in tractat: crimin.lib. quinto, cap.47.nu.6.& 9. & vide etiam Ioann.Rojas singul. 1.num.7.Delnum in disquis.magic.lib.5.sect.12.Simancam in cathol.instit.rit.1,num.9.& 10.Campegium in addit.ad Zanchinum cap.10.litt.B.& Gundissaluum de hæret.quæst. ac num.7.

Quod autem dicitur in supradictâ Instructione quòd remedium purgationis est periculosum, vide Pegnam in direct. Inquisit.part.2. comment. 14. & Farinacium de hæresi quæst. 194. num.64. vbi sic ait: Purgationis remedium est periculosissimum fragile, fallax, & incertum, cum ab aliorum opinione, & voluntate pendeat; & propterea illo non vtendum, nisi rarò & cum magna cautela, vtiliusque & salubrius est alias pœnas arbitrarias imponere, ad aliaque remedia confugere, & propterea in supremo Vrbis totiusque Christianæ Reipublicæ S.Inquisitionis Tribunali purgatio ab aula ferè recessit, & non nisi rarò induci solet. Ita Farinacius.

Et tandem ad intelligentiam supradictæ Instructionis dum dicit quòd quando sit danda tortura, remittitur arbitrio Inquisitorum. Vide Campegium in addit.ad Zanchinum tract. de hæret.c.9 lit.E.ver.nunquid.Decian.in tract.crim.lib.5.c.35. n. 20.Pegnam in direct.p.3.comment.39.& 110.& Petrum Binsfeldium de confess.malef.membr.2.post 5.concl.5.exemp.grat. vers. licèt quispiam, vbi declarat quale in isto casu debeat esse Inquisitorum arbitrium. Vide etiam Farinacium tit.de Indiciis & tortura, q.37.n.192.& seq.

An Inquisitores possint punire reum qui fuit baptizatus inualidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis.

RESOL. LXXVIII.

SVppono Baptismum necessarium esse, vt hæresis, Iudaismus & Paganismus punibilia sint ab Ecclesia, seclusis aliquibus casibus, vt patet ex Concil. Trident. sess.14. cap. 2. & obseruant communiter Doctores. Hoc supposito, negatiuè respondet ad quæsitum Sanchez in summa to.1.lib.2.c.7.n.34. Suarez de fide disp.19.sect.5.num.8.& Sanctarellus de hæresi c.1.dub.3.n. 6.& alij quia talis per Baptismum inualidum non fuit constitutum membrum Ecclesiæ visibilis, aliàs dictus Baptismus non esset repetendus. ergo Ecclesia non potest aduersùs illum iurisdictionem exercere.

Sed non desunt DD. affirmatiuam sententiā tenentes, quam tuetur Azorius tom.1.lib.8.cap.9.quæst. 3. verb. si quæras. Castrus de iust.hæretic.punit.lib.1.cap.8.Simanca in cathol.instit. tit.31.num.5. vbi sic asserit: Quæritur an is, qui probabili errore ductus putat se baptizatum esse, cum vere baptizatus non sit propriè censeatur hæreticus, si posteà hæresi aliqua infectus fuerit; & verius est vt hæreticus iudicetur & pœnis hæreticorum subiaceat, quia iste baptizatus est Baptismo flaminis, & quia in hac re plus operatur opinio, quā veritas, vnde quidam ita definiunt. Hæreticus est qui verè baptizatus vel pro baptizato se gerens pertinaciter errat, vel dubitat contra Catholicam veritatem. Hæc Simanca. Cuius opinionem tenet etiam Henriquez lib. 2.cap.25.num.6.& Sayrus de cens.libr.3. cap. 4. nu. 11. In casu quo reus habuerit intentionem suscipiendi Baptismum.

Vel quando communiter reputatur baptizatus, vt semper accidit, & ideò obseruat Castrus Palaus tom.1.tract.4.disput.8. punct. 16. §. 6. num.3. quod Cæsaraugustæ anno 1619. quidam Maurus, qui aduersùs nostram fidem deliquit, reconciliatus est, etiamsi allegauerit baptizatum non esse, in cuius confirmationem in libro suæ parochiæ non fuit inuentus scriptus. Vide etiā Antonium Ricciullum tract.de iure personarum, &c.lib. 5.c.6. varios casus distinguentem.

An Inquisitores possint punire tamquam hæreticum qui negat propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de fide.

RESOL. LXXIX.

AFfirmatiuè respondet Valentia tom.3. disput.1. quæst. 11. punct.1.difficul.3. Canus de locis Theol.lib.12.ca. 9. & si attentè legatur Bonacina de cens.disput.5.quæst.5. punct. 5. & ratio est, quia supradictus reus saltem mediatè diuinæ relationi opponitur.

At ego puto, dictum reum non esse hæreticum, sed præsumi, & ideò Villalobos in summa tom.1.tract.1.diffic.10.n.6. sic ait. [La duda es del que niega vna proposicion Theologica que se infiera d'vna premissa de fe y otra euidente con lumbre natural, la qual no es immediatamente de fe como es esta. Christus est risibilis que se asiere destas dos premissas. Omnis homo est risibilis. Christus est homo, que la vna es principio natural y la otra de fe a lo qual respondo con el P. Corduba que en el fuero esterior se presumeria por herege porque no se presume que ha de errar en el principio natural.] Ita Villalobos, & ante illum Arragon.in 2.2.q.11.art.2.Suarez de fide disput.19 sect. vlt.nu. 3.& seq.cum Sanches in summa tom.1.lib.2.c.7.nu.33.qui c.8. nu.12. rectè docet quòd si talis reus in illa negatione persititerit tamquam hæreticus negans principium reuelatum, erit ab Inquisitoribus puniendus.

An Inquisitores debeant citare absentem trina citatione.

RESOL. LXXX.

AD hanc quæstionem respondet Ferdinandus de Castro in oper.mor. tom.1.tract.4.disp.8 punct. 4.nu. 3. vbi sic ait. Hæc citatio, si rigorem spectemus, vna sufficit, quæ tribus æquiualet signato termino competenti & peremptorio ad comparendum, quia nullibi habetur expressè in hoc casu trinam expostulari, præcipuè cum in hoc crimine non arctetur iudex solemnitatibus à iure aliàs requisitis. At ex cōsuetudine aduersùs absentem contumacem trina citatio expedire solet, signato in quolibet illarum termino competente, vt sic processus & sententia magis iustificetur. Ita ille, qui citat Rojas, Paramum Farinacium & Simancam.

Verùm ego non desinam hic apponere verba Instructionis Hispalens. anno 1484. num.19. vbi sic statuitur. [Si a los Inquisidores pareciere que el delicto contra algun ausente se pue de cumplidamente prouar lo citen por edicto, para que venga a alegar y a mostrar su inocentia dentro de treynta dias que vayan por tres terminos de diez en diez dias o les den otro mas largo tiempo si vieren que cumple segun la distancia de los lugares, adonde se presume o deue presumir que estan los tales citados, y citar los han para todos los autos del dico processo hasta la sententia definitiua incluiiuè.] Hæc ibi quæ verba fundātur in iure. nam non solùm ad contestandum litem & firmandum processum citatio est necessaria, sed multò magis ad sententiam pronunciandam, & ideò dicitur in dicta Instructione. [Citarlos han para todos los autos, &c.] Vide Pegnam in director.p.3.commen.40.Decian.in trac.crim.lib.5.c.38.Paramum de orig.Inquis.lib.3.q.4.& alios penes ipsos.

Quando

Quando Inquiſitores debeant facere abiurare reos publicè, vel ſecretò.

RESOL. LXXXI.

Circa præſens dubium in Inſtructione Hiſpaleſi anno 1484. numero 5. ſic habetur. [Item determinaron que los dichos Inquiſidores las perſonas, que vinieren cõfeſſando ſus errores ſegun dicho es, y deuieren ſer reconciliados à la vnion de la S. Madre Ygleſia les hagan abjurar ſus errores publicamente quando los huuieren de recõciliar, y les deuen injungir penitencias publicas ſegun ſu aluedrio, y parecer vſando con ellos de miſericordia, y benignidad, quando con buena conciencia ſe podra hazer, y no deuen recebir à ninguno à abjuració, y pena ſecreta, saluo ſi el pecado fuere tan oculto que no lo ſupo otra alguna perſona; ni lo pudo ſaber ſaluo à quel que lo confieſſa, porque in tal caſo podra qualquier de los Inquiſidores reconciliar, y abſoluer ſecretamente a la tal perſona, cuyo error, y delicto fue, y es occulto, y no es reuelado, ni por otra perſona ſe les podria reuelar porque aſſi es de derecho.]

Verùm ad ornatum & intelligentiam ſupradictorũ verborum ibi, [Les hagan abjurar ſus errores publicamente,] notaquòd ex text. in cap. ad abolendam, §. præterea, de hæret. abiuratio debet fieri publice, & ita etiam tenet Barboſa in collect. tomo 2. libro 5. tit. 7. cap. 9. num. 11. Sanctarellus de hæreſi, cap. 41. dub. 2. numero quarto, Simanca in cathol. inſtit. tit. 47. nu. 8. & 74. & in enchirid. tit. 53. nu. 12. Squillacenſis tract. de fide Cathol. cap. 19. numero 2. Eymericius in direct. parte 3. rubric. de quarto modo terminandi, &c. numero 126. 167. & 175. ponens formam abiurationis publicæ, quando abiurans eſt ſuſpectus de leui, de vehementi, & violenter, & ibi Pegna commẽt. 42. vbi reddit rationem quare abiurationes huiuſmodi publicè efficiuntur. Vide etiam Decianum in tractat. crimin. lib. 5. c. 47. nu. 5. vbi declarat quando, & quomodo abiuratio dicatur publicè facta. Riminaldum lib. 6. conſil. 686. n. 250. & ſeq. aſſerentem abiurationem factã ſecretò non valere, & Rojas ſingul. 1. num. 16. & 17. cum Delrio in diſquiſ. magic. lib. 5. ſect. 12. ver. & hæc abiuratio.

Sed licèt omnia ſupradicta ſint vera, non eſt negãdum quod ex cauſa benè viſa Inquiſitoribus abiuratio poteſt fieri ſecretò, & ita tenet Zechius in ſumm. to. 1. tit. de fide, c. 11. n. 17. Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 47. n. 7. & c. 38. n. 6. Rolandus à Valle lib. 3. conſ. 63. nu. 7. & ſeq. cum alijs, & quod leuiter ſuſpectus de hæreſi non debeat publicè abiurare, ſed priuatim in adiutorio Inquiſitorum, tenet Simanca in cathol. inſtit. tit. 1. n. 14. Rojas ſingul. 1. nu. 26. & Pegna in direct. p. 3. comment. 40. Scaccia de iudicijs lib. 1. c. 59. n. 10. Sanctarellus de hæreſi c. 41. dub. 2. n. 4. Verùm hoc in aliquibus criminibus non obſeruatur, & ſic cõtrahentes binas nuptias ſunt leuiter ſuſpecti de hæreſi, & ideò in noſtro Tribunali abiurant de leui, attamen dicta abiuratio efficitur publicè.

Item ad dilucidationem illorum verborum ſupradictæ Inſtructionis ibi, [Saluo ſi el pecado fuere tan occulto, &c.] Vide Simãcam in cathol. inſtitut. tit. 1. n. 24. qui abſolutè docet, quod publicè non debent abiurare, qui occultas hæreſes ſponte cõfeſſi ſunt. Vide etiam Barboſam, & Sãctarellum vbi ſupra. Nõ deſinam tamẽ hic adnotare, quod Ioan. Rojas. de hæret. p. 2. n. 274. verba ſupradictę Inſtructionis intelligit de hereſi omninò ſua natura occulta, quę nullo modo naturaliter ſciri potuit, niſi per illam confeſſionem ſpontaneam, quod aliter eſt, quando hęreſis eſſet occulta per accidens, quando nõ ſolùm corde, ſed voce & corde exterius procedit, videlicet propter defectum probationis ignoratur. Ita Rojas, cuius ſententia mihi nõ placet; nam præſupponit hæreticum mentalem indigere abiuratione & reconciliatione, quod eſt falſum, nam hæreticus mentalis non indiget Inquiſitorum abſolutione, vt ex multis probat Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. capit. 8. num. 3. Bonacina in Bulla Cœnæ tomo 3. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 2. & 3. & alij penes ipſos.

An Inquiſitores poſſint indicere purgationem, vel abiurationem propter infamiam.

RESOL. LXXXII.

Reſpondeo quod ex cap. inter ſolicitudines, de purgat. canon. poteſt indici purgatio propter ſolam infamiam, vt docent Roſella ver. hæreticus, n. 2. Delrius in diſquiſ. lib. 5. ſect. 13. ver. ſed de infamia, Sylueſter, ver. hæreticus, 2. n. 10. & alij. Immò tenet Paramus de orig. Inquiſ. li. 3. q. 4. n. 16. & Pegna in direct. p. 2. comment. 82. ſolam infamiam, ſeu diffamationem cunctis adminiculis ſufficere non ſolùm ad purgationem, ſed etiam ad abiurationem.

Nota tamen quòd nõ quęlibet infamia ad purgationem indicendam ſufficit, ſed illa tantùm, quæ publica ſit & grauis, & vehemens, vt ex dicto capite inter ſolicitudines docet Gabriel lib. 1. conſ. 160. n. 4. Pegna in direct. p. 3. comment. 38. Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 48. n. 8.

Vnde ex his à fortiori contra aliquos apparet, dicendum eſſe ſolam infamiam ſufficere ad inquirendum & procedendũ in crimine hæreſis, & ita docet Zanchinus de hæret. 11. nu. 3. Vmbertus Locatus in praxi Inquiſ. ver. accuſatio, §. ſed ponamus, & ibi Mãdoſius in addit. lit. O. vbi aſſerit generaliter quòd fama ſuccedit loco accuſatoris, & ſufficit ad inquirendum.

Difficultas eſt, an infamia ad indicendam purgationem in crimine hęreſis probetur per teſtes inhabiles? Ego contra Vmbertum Locatum in praxi ver. diffamati, ſub n. 3. & Eymericiũ in direct. p. 2. q. 57. n. 2. puto non probari per teſtes inhabiles, & ita docet Pegna in direct. vbi ſupra commen. 82. niſi eſſent plures quam duo, & deponerent veriſimilia. Vide eumdem Pegnam in direct. p. 3. comment. 19.

An verò in cauſa hæreſis infamia afficiat, quando ortum habuit ab æmulis & vilibus hominibus, vide Pegnam vbi ſupra comm. 82. Simancam in cathol. inſtit. tit. 56. n. 7. & in enchirid. tit. 54. n. 4. Oldradum conſil. 210. n. 9. Gabrielem lib. 1. conſ. 160. n. 5. & alios penes ipſos negatiuam ſententiam docentes.

An Inquiſitores debeant verba dubia interpretari in ſenſu Catholico.

RESOL. LXXXIII.

Reſpondeo affirmatiuè, niſi contrarium confiteatur reus, & ideò eius intentio & conſenſus circa hoc diligenter ab Inquiſitoribus perquirendus eſt, & ita docet Albertin. de agnoſcend. quęſt. 34. n. 48. & ſeq. Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 37. n. 6. & 47. Io. Rojas de hęret. p. 1. n. 200. & p. 2. n. 164. & ſeq. Menochius lib. 2. conſil. 82. n. 10. Riminaldus lib. 4. conſ. 686. nu. 6. Pegna in direct. p. 3. comment. 11. qui docet hoc etiam procedere in dubia teſtium depoſitione.

Ex his Rojas vbi ſuprà part. 1. numer. 366. aſſerit, quod ſi quis dixerit, Deus non fecit mala, intelligendus eſt de malo culpæ, quæ eſt propoſitio Catholica, & non de malo pœnæ, quæ eſt propoſitio hæretica. Item num. 376. non damnauit quemdam de hereſi eſſe ſuſpectum, qui volens ſacram Miſſam in quadam Eccleſia audire, cum ad eam acceſſiſſet, & Miſſam nõ inueniſſet, quia ſerò acceſſit, dixit hæc verba, Sola fides ſufficit, quia non cenſetur dixiſſe ſolam fidem ſine operibus ſufficere, quod eſſet hæreticum.

Verùm licèt hęc omnia ſint vera, nõ tamen procedunt quãdo contra reum, qui dixit aliqua verba dubia & ambigua, militaret aliqua ſiniſtra ſuſpicio & præſumptio, præſertim, ratione qualitatis perſonæ, vt, v. gr. ſi eſſet de genere Iudæorum, Maurorum, vel ex aliqua prouincia infecta. Ita Rojas loc. cit. num. 205. qui etiam num. 375. adnotat ſupradicta procedere quoad plenam probationem delicti; ſecus autem quoad præſumptionem vt torqueatur, præſertim ſi eſt perſona ſuſpecta, nam in dubio præſumendum eſt pro hæreſi, atque ſi nimis vrgent indicia, talis reus torquendus erit, cũ de eius animæ ſalute agatur, vt in tortura confiteatur & reconcilietur. Ita Rojas, quod eſt valdè notandum. Verùm circa præſentem quæſtionem in caſu contingenti legatur omninò Nauarrus libr. 5. conſil. 6. nu. 6. & ſeq. de hæret. & Simanca in cathol. inſtitut. tit. 54. numero 21. & 22.

An

An Inquisitores circa declarationem propositionum debeant vocare Qualificatores, & quid si Inquisitores sint Theologi.

RESOL. LXXXIV.

Circa hoc ita statuitur in instruct. Toletana anno 1561. nu. 1. [Quando los Inquisidores se iuntaren a ver las testificaciones que resultan de alguna visita, o de otra manera, o que por otra qualquier causa se huuiere recebido hallandose algunas personas sufficientemẽte testificadas de alguna cosa, cuyo conocimiento pertenezca al S. Oficio de la Inquisicion siendo tal, que requiera calificacion, deuese consultar con Theologos de letras, y consciencia en quien concurran las calidades, que para esto se requieren, los quales den su parecer, y lo firmen de su nombre.] Sic ibi.

Et ideò Io. Rojas de hæret. parte 1. num. 384. ita ait. In exponendis verbis dubijs, agnoscendisque factis, vel Catholicis dictis, aut suspectis, vel hæreticis, periti sacræ Theologiæ sunt vocandi, qui vulgò (Qualificadores) nuncupantur quorum assertionibus omnimodam Inquisitores adhibeant fidem, & n. 204. sic asserit, Vsu & cõsuetudine iam diu recepta, indistinctè, & absolutè cuiusuis propositionis declaratio ad Theologos spectat & attinet, & ab eorum assertionibus in causis fidei iudicãdis minimè est recedendum, vt per prudẽtissimos Consiliarios supremi Cõsilij generalis Inquisitionis plenius decretum est. Hæc Rojas.

Sed difficultas est, an si Inquisitores sint Theologi, possint cognoscere vtrum factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non? vel hoc tantum spectet ad Qualificatores; negatiuè respondet Delrius in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. axiom. 1. vbi sic ait. Quando autem dubium est sintne hæresim sapientia, nõ pertinet ad Inquisitorem iudicare, aut cognoscere, sintne talia, vel non. Verùm hoc pertinet ad Theologos Qualificatores, sed postquam constat ea sapere hæresim, dubitatur tantum an sapiant manifestam, possunt Inquisitores de illa qualitate cognoscere & pronunciare se iudices esse. Ita Delrius. Verùm Seraphinus Freytas in addit. ad tract. de Confess. solicit. q. 5. nu. 42. contrariũ docet, putat enim quòd ad Tribunal Inquisitionis compierit cognitio, vtrum factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non, & si ijdemmet Inquisitores sint etiam Theologi, de eodem dubio possunt cognoscere, si verò sint Iurisperiti, ad Qualificatores vtpotè Theologos, docet eam prouinciam demandandam esse ex ipsiusmet Senatus commissione, cum vtrique eiusdem Tribunalis sint ministri. Sic Freytas. Sed semper in praxi vocantur Qualificatores, & obseruatur Instructio Toletana.

An Inquisitores possint dispensare super irregularitate contracta ab hæreticis.

RESOL. LXXXV.

Videtur respondendum affirmatiuè ex Bulla Clement. VII. quæ incipit, Cum sicut, §. vobis etiam, vbi hæc authoritas apertè Inquisitoribus & eorum Commissarijs conceditur. Vnde Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. irregul. nu. 2. sic ait. Irregularitatẽ leuare, & super illa dispensare possunt Inquisitores, si contracta sit in hæresi cum redeuntibus ad gremium Matris Ecclesiæ, vt patet per priuilegium Clemen. Papæ. Ita ille. Vide etiam Campegium in addit. ad Zanchinum tractat. de hæret. c. 27. ver. adde vlterius, Zechium in sum. to. 1. tit. de fide, c. 11. n. 16. Henriq. lib. 14. c. 18. n. 2. & alij.

Sed hoc priuilegium vel fuit personale, vel nõ fuit vsu receptum, vel per alias Bullas posteriores Pontificum est reuocatum, & ideò Pius V. anno 1567. prohibuit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare vt Missam celebrarent, teste Sanctarello de hæresi cap. 25. dub. 1. num. 6. ex Pegna in direct. Inquis. p. 3. comment. 175. vbi absolutè hanc sententiam tenet, quam etiam tuetur Sanchez in sum. to. 1. lib. 2. c. 25. nu. 19. Suarez de cens. disp. 43. sect. 1. n. 5. & alij.

Notandum est tamen hic obiter, quòd licèt hæretici cõtrahant irregularitatem, vt notat Megala in 3. parte libr. 7. cap. 2. quæst. 6. nu. 16. & alij communiter, attamen suspecti de hæresi postquam illam abiurauerint non sunt irregulares, & ita contra Azorium tom. 1. lib. 6. cap. 21. q. 8. tenet Emmanuel Sà, ver. hæresis, numero quinto, Henriquez libro 13. cap. 56. numer. 1. Parisius de resignat. benefic. libr. 4. quæst. 3. nu. 17. Sanchez vbi suprà, num. 12. Sanctarellus, num. 9. Garzias de beneficijs to. 2. part. 11. cap. 10. num. 88. vbi asserit ita fuisse decisum in Sacra Rota Romana.

Sequestratio bonorum quando & quomodo debeat fieri ab Inquisitoribus.

RESOL. LXXXVI.

Hoc statuitur in instruct. Toletana anno 1561. nu. 6. vbi sic habetur. [El secresto de bienes se deue hazer quando la prision es por heregia formal, y no en otros casos que los Inquisidores pueden prender, en el qual secresto solamente se potnan los bienes, que se hallaren en poder de la person a que se manda prender, y no los que estuuieren en poder de tercero posseedor.] Sic ibi. Et ad ornatum supradictorum verborum vide Ioann. Rojas de hæret. parte 2. nu. 46. vbi sic ait. Quando reus comprehenditur, & carceribus Sancti Officij mancipatur statim fieri debet sequestratio bonorum illius, ne bona surripiantur, vel abscondantur, & penes aliquam personam idoneam coram Tabellione & executore ponantur, quæ persona eorum custodiam & curam habeat, & illa bona quæ seruando seruari nõ possunt, Inquisitorum mandato per custodem vendantur. Igitur in crimine hæresis debet præcedere bonorum descriptio, quę est ad confiscationem pręparatoria. Ita ille.

Rectè etiam in supradictis verbis dicitur. [El secresto de bienes se deue hazer, &c.] quia sequestratio bonorum efficitur, vt dictum est, in ordine ad confiscationem; sed confiscatio bonorum nõ habet locum, nisi in hæretico confesso, vel legitimè conuicto: ergo non debet fieri, nisi pro hæresi formali, non autem in alijs casibus sapientibus hæresim; & ita docet Tabiena, verb. hæreticus, num. 5. Repertor. Inquisi. verb. confiscatio, vers. Item sciendum. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. vers. bona hæreticorum, num. 1. Zanchinus tract. de hæret. cap. 25. num. 1. & cap. 18. nu. 5. Cantera in qq. crim. rubr. de hæret. cap. 1. numero 54. & alij. Vnde ex his rectè Rojas vbi supra num. 5. notauit bonorum sequestrationem, seu descriptionem non esse faciendam, quoties Inquisitores contra blasphemos, seu sortilegos procedunt, seu contra secundò nubentes, &c. quia prædicti & alij similes propriè & verè non sunt hæretici. Igitur bonorum descriptio, sicut & confiscatio, non debet fieri, vt optimè dicta instructio determinat, nisi pro hæresi formali.

Notandum est etiam hic, quòd sequestratio bonorum nõ efficitur contra hæreticum defunctum, propter rationem, quam adducit Instructio Toletana supradicta nu. 61. vbi ita statuitur. [Aunque la probanza cõtra el defuncto sea bastante no se ha de hazer secresto de bienes porque estan en poder de terceros posseeores los quales no han de ser despojados hasta ser el defuncto declarado por herege, y ellos vẽzidos en juizio.] Sic ibi.

Sed an sequestratio bonorum hęreticorum absentium sit facienda, ita respondet Ferdinandus de Castro in op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 3. num. 3. Bona absentium in tertium possessorem translata, licèt de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulo ante citationem fuga præcessit, probarique facilè possunt, quę bona sint, sequestrari debent. Sic respõsum fuit a supremo Senatu Inquisitionis Inquisitoribus Galletiæ anno 1620. At si fugit reus tempore quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel quæ in potestate vxoris & filiorum reperiuntur, quòd si hæc discerni non possunt, sequestrantur omnia, quæ in eius domo reperiuntur, quia omnia illa esse fugitiui præsumuntur. Hæc Castrus, quæ sunt valdè notanda.

An Inquisitores possint procedere contra blasphemantes hæreticaliter ex iracundia.

RESOL. LXXXVII.

Prima facie videtur, quòd non, ex verbis Instructionis Hispalensis anno 1550. nu. 4. vbi sic habetur. [Por quanto los Inquisidores algunas veces prenden por cosas liuianas no cõcluyentes heregia derechamẽte por palabras que mas sõ blasphemias que heregia dicha con enojo, o ira que de aqui adelan-

ſante no ſe prenda ninguno deſta calidad, ſi duda huuiere que lo conſulten con los Inquiſidores Generales.]Sic ibi.

Sed ſupradicta verba, *en blaſphemias dichas con enojos*, &c. intelligenda ſunt de blaſphemijs non hæreticalibus, vt optimè notauit Ioa.Rojas de hæret.p.2.n. 172. & apparet ex alijs verbis ibi, *Non concluyentes heregias derechamente*, quæ verba etiã clarè demonſtrant Inquiſitores de blaſphemijs hęreticalibus ſolùm inquirere, quod etiã apparet per illa verba Inſtructionis Toletanæ anno 1561.num 65.vbi ſic habetur.[Los Inquiſidores proceden cõtra algunos culpados por coſas que los hazen ſoſpechoſos en la fe, y por la calidad del delicto, y de la perſona no lo iuzgan por herege como ſon los que contrahen los matrimonios.o por blaſphemias calificadas,] vbi per *blaſphemias calificadas*, intelligũtur blaſphemiæ hęreticales,& ita tenet Caſtrus de iuſt.hæretic.punit.lib.1.cap.12.Eymericus in director.Inquiſit.p.2.queſt.41.& ibi Pegna commen.66. Bannez in 2.2.quæſt.18.artic.1.& alij quos citat, & ſequitur Antonius Sanctarellos de hæreſi cap.80.lib.2.nu.1.qui tamen adducit Conſtitutionem Iulij III.quæ incipit, In multis, &c. vbi ſuper blaſphemias etiam non hæreticales conſtituuntur iudices Inquiſitores. Sed hoc in praxi non obſeruatur. Nam in Tribunali S.Inquiſitionis hodie tantùm contra blaſphemãtes hęreticaliter inquiritur, etiam ſi ex calore iracundiæ dictas blaſphemias fecerint, vt tenet Rojas loc.cit.& Albertin.de agnoſcen.q.27.n.18.cum alijs,licèt tales puniẽdi ſunt mitiori pœna. Vide etiã Riccium in praxi to.1.reſol.423. vbi aſſerit blaſphemantes calore iracundiæ & in ludo, debere abſolutare. Sed hoc infra. Vide etiam Emmanuelem do Valle de Moura opuſc.de enſal.ſect.3.c.3.n.7.vbi inuehitur in quemdam Theologum, qui liberauit a iuriſdictione Inquiſitorum blaſphemantem ex magna iracundia & vehementi paſſione.

Notandum eſt etiam hic obiter, quod Inquiſitores poſſunt punire blaſphemantes ſub conditione, vt, v.gr. Non credo in Deum, niſi te occidam, quia hæc blaſphemia conditionalis habet in ſe puram, implicitatem affirmatiuam, videlicet, quòd ſi ad occidendum illum opus fuerit in Deum non credere, paratus eſt libenter facere. Ita Rojas vbi ſuprà n.173. & 174.& poſt illum Lazarius tract.de blaſphemia, q.6.nu.11.

Quomodo examinandi ſint rei ab Inquiſitoribus.

RESOL. LXXXVIII.

IN cauſis ſpectantibus ad fidem cautiſſimè incedendum eſt in examine hæretici verſuti & callidi. Ideò primò reus in cauſa violatæ Religionis examinandus eſt de genere ſuo, de parentibus, de natione, & patria, de educatione & diſciplina, de bonitate & prauitate, de ſocietate & amicitia, de moribus & verbis, an ſciat propter quam cauſam ſit captus, an aliquos habeat ſuſpectos, quos & qua de cauſa,& inſiſtãt Inquiſitores in omnibus, quæ negotiũ fidei faciunt, ſuperflua & aliena omninò omittendo. Secundò intra primos dies capturæ benignè erunt hi de fide ſuſpecti admonendi ad dicendam veritatem, & dum Inquiſitores eos examinabunt, poterit eis humile ſed ſile concedere ad hoc vt magis quietum animum habeãt. Tertiò ad habenda indicia eorum ſtatus ſciſcitentur ab eis cõſueta Catholicæ Religionis, quas deuotiones habeant, quando & à quo cõfeſſi ſint, ſi cõmunicauerint, ſi Eccleſias frequẽtauerint, & quas preces ſoleat Eccleſia in præcipuis diebus fungere, & ſimilia perquirent ab eis, quæ vt notiſſima apud omnes Chriſtianos ſciuntur & hæc omnia docet Michael Zanardus in director.Theol. p.3.c. 87. quæ adnotare volui, nam deſeruiũt ad ornatum noſtræ Inſtructionis Toletanæ anno 1561.à nu.13.vſque ad nu. 16. vbi omnia ſupradicta & multa alia optimè pro examinandis reis percipiuntur.

An Inquiſitores ſub pœna excommunicationis poſſint præcipere vt Clerus & populus eorum Concionibus aſſiſtant.

RESOL. LXXXIX.

REſpondet negatiuè Angelus in ſumma, tom.1. verb.Inquiſitor, num.9. vbi ſic ait. Aduerte, quod Inquiſitores non poſſunt precipere ſub obedientia,& minus ſub excommunicatione Clero & populo, vt adeant ad eorum precationes, quod ſæpius faciunt dicti Inquiſitores,& non valet. Ita ille.

Sed malè. Vnde meritò contrariam ſententiam tenet Simanca in cathol.inſtitut.titul.34. numero 24. Ioann. Rojas de hæret. parte 2. numero 425. vbi aſſerit. Inquiſitores ſub pœna excommunicationis poſſunt præcipere, & populus & Clerus ſint in eorum ſermonibus, quod etiam habetur in cap. vt commiſſi, de hæret.in 6.ibi, Conuocandi etiam Clerum & populũ, & ita ſeruari de conſuetudine Tribunalis teſtatur Repertor. Inquiſitor.ver.Prædicare, nu.2. & nouiſſimè hanc ſententiam tenet Alphonſus Narbona in recopil.libro 4.tit. 2.leg.20.gloſſ. 22. numero 65. Vnde à fortiori rectè concludit Auila de cenſuris parte 2.cap.5.diſput. 1.dub. 3.quod præceptum Inquiſitorum ſub excommunicatione, vt omnes confluant in templum ad audiendum edictum fidei, obligat ſub mortali, quia eſt ad exaltationem fidei, & vt ſciant homines, quæ ſint denuntianda Inquiſitoribus.

An alter Inquiſitor ſine altero poſſit procedere ad capturam reorum.

RESOL. XC.

REſpondeo negatiuè, & in Inſtruct. Toletana anno 1561. nu.3. ſic ſtatuitur. [Los Inquiſidores viſta la informacion juntamente, y no el vno ſin el otro ſi eſtuuieren ambos preſentes, acuerden la priſion, y parece ſeria mas juſtificada ſe communicaſſe cõ los conſultores de aquella Inquiſicion ſi buenamente ſe pudiera hazer, y pareciere à los Inquiſidores conueniente, y neceſſario.] Sic ibi.

Vnde ad ornatum ſupradictæ Inſtructionis vide Simancam in cathol.inſtitut. tit.34. num.37. vbi ita aſſerit; Neque poteſt alter Inquiſitor ſine altero procedere ad capturam reorum, neque ad purgationem inducẽdam, neque ad publicationem teſtimoniorum, neque ad copiam actorum reo dãdam. Alia verò leuiora ab altero tantũ Inquiſitores peragi poſſunt. Hoc tamen ſeruandum eſt cum ambo Inquiſitores præſentes ſunt; nam altero abſente, alter ſolus ea omnia facere poteſt, conuocatis peritis, vbi opus fuerit. Hæc Simanca.

An Inquiſitores poſſint punire illos, qui factis aut verbis ipſis iniuriam fecerint.

RESOL. XCI.

REſpondeo affirmatiuè cum Bobadilla in polit.tom.1.lib.2. c.17.num. 114. vbi ſic ait.[Podran los Inquiſidore proceder contra los que los injurian, porque no ſolamente ſon ellos los offendidos, ſino tan bien el officio de la Inquiſicion: y la Yglesia, y la fe.] Sic ille, qui in gloſſa littera D. citat Zãchinum & Decianum, quibus ego addo Simancam in cathol. inſtit. tit. 24.num.28.vbi ita aſſerit. Poterunt quoque Inquiſitores punire illos, qui factis aut verbis auſi fuerint ipſiſmet Inquiſitoribus iniuriam facere, ac tanto quidem id magis, quanto ſanctiùs & venerabiliùs eſſe debet eorum officium, quam aliorum omnium iudicum. Hæc Simanca.

An quando Inquiſitores reuocant bona alienata per hæreticos, teneantur ad pretium.

RESOL. XCII.

REſpondeo negatiuè cum Scaccia de iudic.lib.1.cap.98.nu. 13. Simanca in cathol.inſtit.tit.9.num.27.& ſequen. Zanchino de hæret.cap.27.nu.6. Azorio tom 1.lib.5. cap. 7. queſ.8. Suarez de fide diſput.22.ſect.4.num.9. Arragonio in 2.2.quæſt. 11.artic.3. Vaſquez in 1.2.diſput.162.cap.9.num.7.& 8. & alijs quos citant & ſequuntur viri docti, Ricciullus, & Sanctarellus hic tract.de hæreſi, ca.24.dub.3.n.5.& ille in tract. de iure perſonarum,&c.lib.5.cap.38.num.1.& ſequen. quibus adde Ioan. Rojas in ſingul.18.num.3.& 4.vbi ſic ait. Inquiſitores, quando reuocant alienata per hæreticos, non tenentur emptoribus ad pretium, ſed ſi pretium, vel aliquod loco pretij inter bona hæreticorum inueniantur, vel in vtilitatem hęreticorum pretium fuit conuerſum, in his caſibus ab Inquiſitoribus pretium reſtituendum eſt, aliàs non. Ita Rojas. & hæc opinio procedit

etiamſi

etiamsi per mille manus bona hæretici alienata transierint, vt rectè aduertit Scaccia vbi supra nu. 15. Surdus decis. 247. num. 21. Et ratio horum omnium est clara, quia si quis emat bona fide rem alienam, vel alteri obligatam, talis emptio nullo damno afficit verum dominum, vel alterum habentem hypothecam ad illam rem. Ergo cum Inquisitores & fiscus à die commissi criminis habeant dominium bonorum hæreticorum, vel saltem habeant omnia bona illorum obligata, vt post sententiã declaratoriam criminis possint sibi vindicare illa bona, vẽditio postea illorum bonorum facta à delinquente nõ poterit in vlla re præiudicare Inquisitoribus & eius fisco, nec erunt adstricti pretium restituere, alioqui venditio facta illis præiudicaret.

Notandum est tamen hic primò, Inquisitores, & eorum fiscum non posse reuocare ea, quæ alienarunt hæretici pro rebus necessarijs. Ita Gratianus in disceptat. forens. cap. 54. num. 15. Quemada in qq fiscalibus, quæst. 7. num 6. Bannez in 2. 2. quæst. 12. artic. 2. corrol. 1. Couarruuias in 4. Decretal. part. 2. c. 6. § 8. num. 9. Sotus de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 6. concl. 4. quidquid asserat Alciatus in l. post contractum, ff. de donat. nu. 19. Vide etiã Bursatum cons. 11. num. 29. Betium cons. 8. num. 7. & 8. & alios penes ipsos.

Nota secundò, Inquisitores teneri ad restituendum meliorationes factas ab emptore, quando reuocant rem alienatam ab hæretico: vnde si quis emat domum, viridarium, &c. ab hæretico, nesciens illum esse hæreticum, & fecit meliorationes in re empta, Inquisitores, & eorum fiscus tenentur illas soluere. Ita Garzias tract. de meliorat. cap. 6. nu. 20. & patet ex l. in fundo, ff. de rei vindic. & ex l. diuortio. §. impendia. ff. solut. matrim. Si verò emptor sciebat venditorem esse hæreticum, tunc Inquisitores & fiscus tenentur soluere tantum melioramenta necessaria; ita Bartolus in d. l. fundo, num. 11. Menochius de recuper. remed. 15. nu. 515. & constat ex l. domum, C. de rei vendic. quænam vero sint melioramenta necessaria, vide Ruinum li. 1. cons. 157. n. 21. Rolandum à Valle lib. 1. cons. 28. n. 12. & Surdũ decis. 300. num. 4.

An Inquisitores possint indicere abiurationem de vehementi, & punire tanquam credentes hæreticorum illos, qui semel, vel bis assistunt concionibus, vel conuenticulis hæreticorum.

RESOL. XCIII.

Affirmatiuè videtur respondendum, quia ex actu geminato crimen videtur ad consuetudinem trahi, ex quo fundamento asserunt Archidiaconus, Geminianus, Ioan. Andreas, & alij in cap. quicumque, §. hæretici ver. credentes, de hæret. in 6. Zanchinus de hæret c. 4. nu. 6. Repertor. Inquisitorum, ver. credentes, §. ponamus, qui bis audiunt hæreticorum conciones, censendos esse eorum credentes. Vide etiã Calderinum trac. de hæret. c. 3. nu. 4. asserentem, quòd si quis iuerit plusquam semel ad audiendum hæreticos, dicitur eorum credens.

Verùm ego cõtrariam sentẽtiam teneo cum Sousa in Bull. Cœnæ, cap. 2. disp. 8. num. 10. Suarez de fide disp. 24. sect. 3. n. 3. & alij, cum hac tamen limitatione, vt non procedat in terris Catholicorum, nam in his, si aliquis intelligat occulta cõuenticula ab hæreticis celebrari, & illuc vadat, etiamsi semel, & hoc Inquisitoribus non denunciet, suspicione hæresis non carebit. Et ita docet Pegna in direct. Inquis. par. 2. quæst. 50. ver. si & plurimum. Azorius, tom. 1. lib. 8. c. 15. quæst. 1. & alij. Igitur ex dictis puto assistentem concionibus hæreticorum per duas vices, incurrere tantùm in suspicionem leuem de hæresi, non autem vehementem, vt in specie notat Sousa loc. cit. ergo nõ potest ei indici abiuratio de vehementi. Si autem, vt dictum est, hoc efficiat in terris Catholicorum, puto supradictũ incurrere suspicionem vehementem, & de vehemẽti abiurare debere, nisi ignorantia, vel alia circumstantia facti, & qualitas personæ in contrarium concurreret.

Non desinam etiam hic adnotare, quod etiam Antonius Sanctarellus in tractat. de hæresi, c. 11. dub. 3. n. 31. docet, eum qui tantùm semel interfuit hæreticorum concionibus, quamuis non reputetur credens hæreticorum, esse tamen de hæresi suspectum, quod etiam docuit Campegius in annotat. ad Zanchinum c. 3. n. 6. quem omninò vide.

An Inquisitores non solum in propositiones hæreticas, sed etiam in alias inferioris notæ animaduertant.

RESOL. XCIV.

Respõdeo affirmatiuè, & ideò Petrus Lorca in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 11. art. 2. disput. 40. num. 1. sic ait. In praxi & vsu Patrum S. Inquisitionis receptum est, non solùm propositiones hæreticas, sed etiam alias inferioris notę cohibere, & in eos qui proferunt animaduertere pro qualitate & quantitate notæ. Habemus autẽ huius cõsuetudinis initium ex Concilio Constantiensi sess. 8. (quamuis dubitari non possint antiquiorem esse) in qua damnantur errores VViclephi sub hac forma verborum.

Præfatos articulos sancta Synodus examinari fecit, & sæpius recensiri, quibus examinatis fuit repertum, aliquos & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à sanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, sed erroneos, & scandalosos, alios, & blasphemos, alios piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios, & seditiosos. Eodem tenore sententiæ postea vsi sunt Pius V. & Greg. XIII. damnãtes assertiones Michaelis Bay. Hæc Lorca. Igitur in multis propositionibus DD. Inquisitores animaduertunt, vt hæreticis erroneis hæresim sapientibus malè sonantibus, & piarum aurium offensiuis, temerarijs, scandalosis, &cæt. de quibus authores non vno modo loquuntur, immò valdè dissentiunt, vnde in gratiam DD. Inquisitorum, & Qualificatorum S. Officij colligam hic Doctores, qui de dictis propositionibus scripserunt, inter quos præcipuè sunt isti. Augustinus Batiola, Consultor S. Officij, post flores commentariorum Pegnę fol. 220. Zanardus in director. Theol. parte 1. præc. 1. cap. 3. §. 26. Canus lib. 12. de locis, c. 11. Albertin. de agnoscen. qu. 61. Simanca in cathol. institut. tit. 54. Corduba in quęstio. lib. 1. quæst. 17. Arragon. & Bannez in 2. 2. q. 11. artic. 2. Peyrinus in priul. Minim. to. 2. constit. 9. Paul. V. §. 2. num. 19. Antonius Ricciullus tract. de iure personarum, &c lib. 5. cap. 8. Paramus de orig. S. Inquisit. lib. 3 quæst. 3. num. 105. & seq. Suarez tr. de fide disp. 19. sect. 2. nu. 6. & seq. Castrus lib. 1. de iust. hæretic. punition. cap. 3. Turrianus tomo 1. in 2. 2. disp. 55. dub. 3. Coninch de actibus supernaturalib. disp. 18. dub. 8. nu. 136. & seq. Malderus in 2. 2. quæst. 11. memb. 5. Tannerus tom. 3. disp. 1. q. 8. dub. 5. num. 97. Valentia tomo 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 11. cap. 2. n. 55. & seq. Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 11. Castrus Palaus in oper. mor. tomo 1. tract. 4. disput. 1. punct. 1. num. 3. & seq. & alij penes ipsos.

Nõ desinam tamen hic apponere verba Io. de la Cruz in direct. conscien. parte 1. præc. 1. art. 1 concl. 3. vbi sic ait. Inter propositiones contra fidem, vt patet ex Concil. Cõstant. sess. 8. alia est hæretica, vtpotè quæ clarè constat contrariari fidei, vt ista, Christus non est Deus. Alia est erronea, quæ est contraria veritati fidei, sed non ita clarè ex defectu euidentis testimonij quo illud probetur, & in hoc sunt gradus. In primo gradu sunt propositiones contrariæ conclusioni Theologicę illatę per euidentem consequentiam ex fidei principijs, vt ista, Christus non est risibilis: immò istæ sunt proximę hæresi. In secundo gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ Catholicæ vniuersaliter edoctæ in Ecclesia, vt istæ, Monachi suo labore tenentur victum comparare, orationes applicatæ per Prælatos, & Religiosos pro aliquo specialiter, nõ plus illi prosunt, quam si in communi pro eo offerentur. In tertio gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ, de qua sapientes vehementer cẽsent quòd sit veritas fidei. In quarto gradu sunt propositiones, quæ iuxta sententiam probabilem, & quasi necessariam iudicantur contrariari alicui veritati fidei, vt ista, Pueris in Baptismo non datur gratia, quæ videtur contrariari isti veritati de fide, pueri mundantur in Baptismo à peccato originali. Alia est propositio sapiens hæresim, quæ licèt possit habere bonum sensum, tamen ex circumstantijs temporum, & personarum habet saporem hæresis; vt ista propositio, Fides iustificat in D. Paulo, est catholica, & prolata à Lutherano, tenente solam fidem sine charitate iustificare, sapit hæresim. Alia est propositio malè sonans, & piarum aurium offensiua, de quo nõ datur certa regula, sed arbitrio sapientum relinquitur; vt istę, Imperatores errarunt dotando Ecclesias bonis suis. Magisteria sunt vana gentilitate introducta. Alia est propositio temeraria, vtpotè asserens aliquid contra communem Ecclesię opinionem sine magna authori-

thoritate; vt quòd Beatissima Virgo non sit in Cœlum cum corpore assumpta. Alia est propositio scandalosa, quæ licèt possit habere bonum sensum, tamen generat scandalum in audientibus. Hæc ille.

Verùm pro coronide huius resolutionis aduerte cum Michaele Zanardo in director. Theolog tom. 2. præc. 1. cap. 6. quæst. 44. quòd quamuis Concil. Trident. sæpè dicat Episcopos contra pronunciantes supradictas propositiones, videlicet erroneas, temerarias, &c. procedere debere; per hoc non adimit delegatam potestatem inquirendi contra ipsos ab Inquisitoribus, quia Delegatus est maior Ordinario, & Concilium respexit duo. Primò quòd vbique sunt Episcopi, in multis autem ciuitatibus non sunt Inquisitores, & ideò voluit hoc Episcopis proponere, vt ipsi sciant, quod vbi non sunt Inquisitores, ad eos pertinet contra tales procedere. Secundò, quia Episcopi vt Ordinarij contra tales inquirunt, & Inquisitores vt delegati, & causæ fidei ab vtroque communiter definiuntur, & ideò cum tales causæ faciant ad fidem, quoniam ex inordinatis propositionibus incurritur hæresis, ideò loquendo de Episcopo intelligitur quoque esse loquutum de Inquisitore. Hæc Zanardus, quæ sunt valdè notanda pro casu simili.

An Inquisitores possint punire Confessarios frangentes sigillum confessionis.

RESOL. XCV.

REspondeo negatiuè, nisi, vt docet Molfesius in summ. to. 1. tract. 7. c. 23. n. 68. adesset error in intellectu reuelantis, defendendo licitam esse reuelationem huius sigilli, vel aliter malè sentiret de Sacramentis Ecclesiæ, quia in tali casu cognitio eius criminis spectaret ad Tribunal S. Inquisitionis vbi non recipiuntur denunciationes in alijs casibus; sed remittuntur ad iudicem Ecclesiasticum ordinarium, & ita intelligendus est Alphonsus de Leone de officio Confessarij to. 1. recollec. 22. n. 12. cas. 3. quatenus dicit Confessarios frangentes sigillum confessionis esse Inquisitoribus denunciandos.

Notandum est tamen hic obiter Sacerdoti, qui sigillum confessionis fregit, nullam à iure imponi pœnam, quam de facto incurrat. Sed in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. dicitur debere deponi à sacerdotali officio, & ad agendum penitentiã in arctum Monasterium detrudi. Sed hæc requirunt sentẽtiam iudicis. Ita Coninch de Sacram disp. 9. dub. 4. n. 70. Sed Doctores qui referunt pęnas infligendas Sacerdotibus sigillum reuelantibus, plena manu congerit Augustinus Barbosa, vir quidem doctus, in collect. to. 2. lib. 5. tit. 38. c. 12. n. 15. & Menochius de arbitr. lib. 2. centur. 5. cas. 414.

An Inquisitores possint punire sumentes in communione maiores, aut plures Hostias, seu particulas.

RESOL. XCVI.

AFfirmatiuè respondeo cum Fernandez de Heredia in disp. Theolog. de Sacrament. tit. de Eucharistia dist. 2. p. 9. dub. vnic. num. 1. & Ioan. de la Cruz in director conscient. part. 2. de sacrament. Eucharist. quæst. 4. conc. 2. vbi sic ait. Ex dictis pater contra Caietanum, & Canum, Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, aliàs esset maioris conditionis communicando sub multis hostijs, quod falsum est, & puniuntur vt suspiciosi per Inquisitores, qui sunt multum soliciti communicare sub multis hostijs, vt diutiùs duret corpus Christi in stomacho. Ita Ioann. de la Cruz.

An Inquisitores possint punire tamquam hæreticum Confessarium asserentem pœnitenti, vt sibi reuelet complicem, alias eum non posse, nec nolle absoluere.

RESOL. XCVII.

AFfirmatiuam sententiam docet Medina in summa libr. 2. cap. 4. §. 1. quem sequitur Lopez in instruct. Confess. part. 1. cap. 27. §. Comendamus quoque. Vnde putant talem Confessarium esse denunciandum, quia hæresis est affirmare, quod teneatur pœnitens eam circumstantiam confiteri, nam sequeretur licitum esse infamare proximum.

Sed contrariam opinionem tuetur Villalobos in summa to. 1. tract. 9. diffic. 38. num. 9. vbi sic ait, [Añade Medina, que si el Confessor dice al penitente no os he de absoluer, ni puedo hazerlo si no me reuelais el complice que el penitente en tal caso tiene obligacion à denuntiarlo como herege en el S. Officio, porque es herege dezir, que esta circunstancia es necessaria declararla en la confession, y por el consiguiente dize, que si el penitente viene à confessarse con otro, y le dize lo que le passo con el primero que no el ha de absoluer hasta que denuncie al S. Officio como de Heregia y trayga recaudo como lo ha hecho assi. Pareceme que el P. Mastro Medina estaua muy colerico que el sẽtido de aquellas palabras no es tã rigoroso como el le haze, que el dezir, no puedo, muchas vezes es el mesmo que no quiero.] Ita ille. & ita etiam hanc sententiam tenet Cotiolanus tract. de cas. reseru. part. 1. sect. 2. art. 9. num. 3. vbi citat Petrum Nauarra. Et ratio est. Nam licèt sit hæresis dicere, non esse illicitum infamare proximum, tamen conuertitur inter DD. an reuelatio complicis in confessione sacramentali facta sit infamare proximum, de qua quæstione vide me ipsum in 1. part. tractat. 7. de circumstan. resol. 49.

An Inquisitores debeant facere actum publicum in die festo?

RESOL. XCVIII.

AFfirmatiuè respondeo. vnde in instruct. Toletana anno 1561. sic habetur. [Estando los processos de los presos votados, y las sentencias ordenadas, los Inquisidores accordaran el dia feriado, que se deue hazer el auto de la fe, el qual se notifique à los Cabildos de la Iglesia y Ciudad, y adonde se halla audiencia Presidente y Oydores los quales seã combidados para que lo accompañen segun la costumbre de cada parte.] Ita ibi.

Sed ad ornatum dictorum verborum vide Salzedum in pra. criminal Diaz. cap. 114. lib. 1. vbi ita ait. Fuit aliquando controuersum, an in die festo traditio Curiæ sæculari facienda est; & omni prætermissa disputatione semper mihi earum Inquisitionum ritus placuit, in quibus huiusmodi sententiæ diebus festiuis solent pronunciari. Nam, vt scribit Io. Andreas in cap. vt commissi, de hæret. in 6. expedit multitudinem populi congregari ad videndum reorum cruciatus & pœnas, & inde discant timere homines, & à malo committendo longè repellantur. Vnde valdè conueniens videtur, vt hoc publicè & diebus festiuis fiat, & fortè propter hoc Hispania nostra publico fidei actu diebus festiuis solet celebrari, quæ actio tanta authoritate & maiestate celebratur, vt videatur horrendum ac tremẽdum spectaculum, & sit veluti imago futuri iudicij, quo nihil esse potest ad terrorem incutiendum aptiùs ex quo plures vtilitates oriuntur. Ita Salzedus, & reuera ita est. Vide Paramum de origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. num. 36.

An Inquisitores possint præbere licentiam legendi libros hæreticorum, & quid de Generalibus Religionum in Regnis Hispaniarum.

RESOL. XCIX.

REspondeo negatiuè cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. num 43. & Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 21. num. 62. solus enim Pontifex potest talem licentiam præbere. Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacãte prædictam licentiam posse concedere, ait Merolla in disput. Theolog. tom. 1. disput. 1. cap. 2. diff. 12. num. 419. & alij, quicquid asserat in contrarium Vgolinus.

Nota etiam quod priuilegium Gregor. XIII. factum Generali Societatis Iesu ad legendum, vel purgandum libros hæreticorum, vel alijs prohibitos, seu etiam ad facultatem dandum pro his, & similes concessiones reuocatæ sunt, tum per priuilegia amplissima sanctæ Inquisitionis in his Regnis Hispaniarum, tum quia Societas cessit priuilegio in Congregatione sancta, & ita obseruat Emmanuel Rodriquez & Hieronymus, ille in quæstionum Regularum tom. 2. quæst. 82. art. 3. iste in

com-

compend. quæstionum Regular. resolut. 92. nu. 1. quibus adde Portel in dubijs Regular. versic. librorum prohibitio, nu. 3. Vrbanus verò VIII. nouissimè annullauit omnes licentias legendi libros prohibitos.

Notandum est etiam hic obiter, quòd Hieronymus Rodriquez vbi supra num. 3. docet nemini licere libros hæreticos ad suas manus deuenientes propria authoritate cōburere, sed eos ad Inquisitores deferre tenetur, iuxta constit. Iulij III. id præcipientis; aliàs potest procedi contra ipsum ac si esset hæreticus, quod intelligunt aliqui, nisi ex tali manifestatione, seu traditione resultet manifestanti, seu tradenti aliquod graue periculū suspicionis de hæresi, tunc enim posse tales libros per seipsos comburere affirmant. Id tamen minimè admittendum est propter damnū quod ex eo euenire potest Catholicæ fidei, ac Religioni, nam deferēdo huiusmodi libros ad Inquisitores, vt inquirere possint an vltra traditos alij similes supersint, & an ipsis malè vsi sint, & à quibus eos acceperint. Ita ille. Sed de hac quęstione ego alibi fusius egi, non desinam, tamen hic etiā apponere pulchrum dubiolum. Quæro igitur.

An priuilegiatus ab Inquisitoribus huius Regni Siciliæ ad legendum libros ab ipsis prohibitos, possit vti hoc priuilegio in alio territorio, v. g. in Regno Castellæ.

RESOL. C.

NEgatiuam sententiam docet Suarez de legib. lib. 8. cap. 26. num. 8. quem sequitur Laurentius Portel. in dubiis Regul. ver. libri prohibiti, num. 4. vbi sic ait. Lusitanus habens licentiam legendi libros specialiter prohibitos in sola Lusitania, potest eosdem legere vbique existens. Si illi in Castella, ver. g. non sunt specialiter prohibiti, non poterit ibi illos legere absque licentia Tribunalis Castellæ pro S. Officio, & sic è cōtra de Castellano existente in Portugallia, quia sunt territoria diuersa. Vnde priuilegiatus vt portet arma vetita in Portugallia, non est priuilegiatus, vt portet illa in Castella eadem ipsa. Et priuilegium vnius Episcopi non potest derogare priuilegio alterius Episcopi. Ita Portel, satis quidem probabiliter.

Sed his non obstantibus affirmatiuam sentētiam tenet Hieronymus Rodriquez in compend. quæst. Regul. resol. 92. num. 2. & ante illum Emmanuel. Rodriquez in sum. tom. 3. cap. 250. num. 4. cum Nauarro tom. 2. tit. de priuileg. consil. 6. & ratio est, quia hæc facultas nihil aliud continet, quam gratiam: gratia autem quæ personæ confertur, personam sequitur, & cum persona extinguitur, cap. sanè de priuil. Deinde hæc sententia suaderi ex eo potest, quòd facultas ab eo data qui iurisdictione fungitur, non tantùm vim habet in suo territorio, quàm in alieno, cum in hac parte iurisdictio, quæ exercetur in facultate data, non ad contentiosam, sed ad voluntariam iurisdictionem pertinent. Sed iurisdictio voluntaria etiam extra proprium territorum potest exerceri, veluti excommunicare, absoluere, beneficia conferre, litteras dimissorias concedere & similia. ergo, &c. Sed, vt verum fatear, prima sententia mihi magis placet. non tamen damnarem hanc sententiam secundam sequentem.

An Inquisitores possint animaduertere in Concionatorem prædicantem, animas non detineri in Purgatorio vltra decem, aut viginti annos.

RESOL. CI.

ANimas vltra dictum tempus non detineri in Purgatorio docet Sotus in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. Ioan. de la Cruz in direct. conscien. par. 2. de Sacrament. Pœnit. quæst de Indulgent. dub. 2. concl. 3. Cōradus in respons. cas. consc. to. 1. q. 118. & Matth. Viualdus in candel. aureo, iussu Superiorum emendato, vbi in tit. 10. de purg. nu. 16. sic asserit. Verùm est quòd, vt Sotus pijssimus & Catholicus author ait, vix animā vllum esse viginti, immò nec decē annis in grauissima pœna Purgatorij, quod etiam credo, etiamsi nulla esset indulgentia, propter immensam Dei misericordiam, & propter tormentorum acerbitatem. Ita Viualdus.

Sed prorsus contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Bellarm. de purgat. lib. 2. c. 9. Lorichius in Thes. v. Purgatoriū, n. 8. Coninch de Sacram. disp. 11. dub. 4. n. 38. Molfes. in sum. tom. 1. tr. 1. c. 26. nu. 312. & alij. Sed difficultas est, an opinio Soti & aliorum sit erronea, vel digna aliqua censura, Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 46. sect. 4. nu. 6. negat, & asserit esse tantùm incertam, & voluntariam. Verùm Naldus in sum. ver. animæ, num. 2. vocat illam periculosam, & erroneam. & Inquisitores in Hispania coegerunt quemdam Concionatorem hanc sententiam docētem se retractare, vt patet apud Henriquez lib. 7. cap. 16. num. 4. vbi sic ait. Quidam prædicant nullam animam detineri in Purgatorio vltra decem, aut viginti annos, cùm pœnæ sint multo grauiores, quàm huius vitæ, & semper intensæ circa animam iustam: at hi non sine temeritate quadam ex leuibus rationibus loquuntur contra morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat Anniuersaria, Missas, & Officia vltra 20. annos, nec rigor Dei est iniustus, si ab anima, quæ propriè non satisfacit, sed satis patitur, exigat longas pœnas, vt pro vno mortali exigit æternitas. Quare illam sententiam quidam insignis Prædicator Minorita à S. Inquisitionis Senatu compulsus est retractare, eo quòd retrahat fideles ab operibus satisfactorijs, & Missis offerēdis pro suis defunctis. Ita Henriquez, qui in glossa lit. I. ex Surio notat. quòd quidam Innocentius Papa est in Purgatorio detinendus vsque ad diem iudicij.

An Inquisitores possint punire dicentes confessos Religiosis ab Episcopo approbatis iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho.

RESOL. CII.

REspondeo affirmatiuè, quia sic dicentes sunt suspecti de hæresi, & sunt denunciandi S. Officio, & ita tenet Zanard. in direct. Theol. par. 1. de Sacram. Pœnit. c. 24. Alphons. de Leone in tract. de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. num. 101. Peregrin. in compend. nostr. priuileg. tom. 1. ver. communicare. §. 11. & Naldus in summa. ver. Confessarios, nu. 29. & Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c 6 dub. 1. concl. 3. Vnde explodenda apparet opinio Henrici de Gandauo, Hostiensis, Arcidiaconi, Ioannis Monachi, & aliorum; quos refert Adrianus in 4. quæst. 5. de Confessione, asserentium, quòd qui ex priuilegio confitetur Religiosis, tenentur posteà debito tempore suis Parochis confiteri eadem peccata, quæ semel confessi sunt, vt adimpleant præcepta Innocentij III. in ca. omnis vtriusque sexus, & ideò obseruat Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. qu. 45. art. 3. quòd Ioannes de Poliaco, qui pertinacius supradictam opinionem tenebat, per Ioann. XXII. anno Domini 1322. vocatus Romam compulsus est palinodiam recantare, suumque errorem reuocare, vt constat ex quadam Extrauag. quæ incipit, Vas electionis. Meritò igitur, vt aduertit Io. de la Cruz loco citato. Sixtus IV. commisit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis hoc delictum punire.

An Inquisitores possint animaduertere in frangentes Cedulones, in quibus aliqui declarantur excommunicati, & de alijs casibus ad S. Officium spectantibus.

RESOL. CIII.

REspondeo quòd Cedulones excommunicationum, in quibus declarantur aliqui excommunicati deturpantes, sunt suspecti de hæresi, & ita in facto fuit decisum Romę in casu contingenti in Curia Archiepiscopali Salernitana, & contra tales possunt procedere inquisitores, vt obseruat inter alios, Homob. in consul. mor. p. 4. resp. 16. vol. 1. Item faciētes Breuia cum Characteribus, seu litteris ignotis, vel dicentes, seu recitātes quasdam orationes pro sanādis infirmis, fabricantes imagines cereas, & puncturis eas cruciando ad amorem, vel infirmitates inducendo, vel maleficia faciēdo qui capillos, ferramēta, clauos, lapides, &c. quæ posteà euomētur ab ore maleficiatorū. Item aspicientes speculū, aut phialam cū cādela, & aqua benedicta, & dicentes aliqua verba pro inueniendis furtis, vel ad scienda secreta, hi oēs subduntur iudicio DD. Inquis. Sicuti etiā spretores cāpanarū, vt quidā olim fuit, qui nocte Sabbathi sācti

abstulit

abstulit maleolum à quibusdam cāpanis, illum apponendo in arbore nucis, despectio enim & contemptus campanarum est vous de erroribus Turcarum, & hæc omnia docet Episcopus Viciaquensis, Aloysius Riccius in praxi tom.1.resol.423.& alii penes ipsum.

An Inquisitores possint cogere Dominos, & Magistratus, qui fecerunt aliqua statuta & decreta impedientia eorum iurisdictionem, vt illa reuocent.

RESOL. CIV.

Respondeo affirmatiuè, ex cap. statutum, de hæret. in 6. & ex Bullis Alexandri IV. Innocent. IV. & Vrbani IV. & ideo omnia huiusmodi statuta, seu leges, directè, vel indirectè, officium Inquisitionis impedientia, sunt ipso iure nulla, neque subditi dictis legibus tenentur obedire, vt contra Ecclesiæ Catholicæ leges promulgatis. Vnde Inquisitores in tali casu possunt sub pœna excommunicationis & alijs pœnis contra fautores hæreticorum decretis aduersus tales statuentes procedere, & ita docet Zanardus in director. Theolog. part. 1. præc. ..... cap.6. quæst. 28. Barbosa in collect. tom.3. lib. 5.tit.2.cap. 50.Zanchinus de hæret.cap 31.numer. 6.Eymericus in direct. part. 3.quæst.34.& ibi Pegna comment.83. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. verb. Domini temporales, num. 5.& in verb. ordinatio, num. 1. & alij. Item Inquisitores possunt inuocare auxilium brachij sæcularis pro capiendis hæreticis, & eorum credentibus. tutoribus, & cet. ac omnibus alijs de hæresi damnatis, vel suspectis. Ideò si Magistratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando, poterunt Inquisitores eos excommunicare, honore priuare, ac alijs pęnis pro qualitate delicti coerceri, ex cap. vt officium, §. denique, de hær. in 6. & cap. ad abolendam. §. penult. & c. excommunicamus. §. moneantur, de hæret.

· Notandum est etiam hic obiter incarceratum pro quibuscunque delictis etiam atrocissimis apud iudicem sæcularem statim remittendum esse ad Tribunal Sancti Officij quandocunque petatur ob negotium fidei à DD. Inquisitoribus, stante constitutione Pij Quinti, cuius meminere Simanca in fine tract. de cathol. institut. & Pegna in addit. ad tract. de strigijs. Vide etiam Ioseph Sesse de inhibit. cap.30.num.52.& seq. Verùm si aliquis damnatus ad mortem dicit aliquid hæreticum, vt eo prætextu mors differatur, si talis anteà de hæresi non erat suspectus, remittendus non est ad Inquisitores, quia tali dolus, vel fraus patrocinari non debet. Ita Rojas singular.107. 5.& alij.

An Inquisitores possint permittere vt iudices laici assistant tantum in causis fidei.

RESOL. CV.

Scias amice Lector, quòd Venetijs, vt patet apud Thuanum lib. 4. histor. anno 1548. & Michaelem Rousel in hist. Pontif. iurisdict. lib.6.cap. 4. numer. 19. & in toto eorum dominio cum Inquisitore assistit vnus ex Senatoribus, & firmiter credo hoc ibi fieri ex priuilegio, seu permissione Pontificis, nam aliter factum non approbo, quia Inquisitores non possunt hoc iudicibus laicis permittere, & ideò Michael Zanardus in director. Theolog. part. 1. præcept. 1. cap. 6. quæst. 29. sic asserit. Iudices laici non possunt vllo modo de causis hæreticorum cognoscere, intellige iudicando, & assistendo, ex permissione fieri potest, non vt votum decisiuum in sententijs contra hæreticos latis habeant, sed tantùm assisteotiam, vt sint certi, quòd iustè contra hæreticos proceditur quòd nec etiam permittendum est, nisi vbi Pontifex hic permittit. Ita Zanardus.

Quomodo Inquisitores se gerere debeant in sententijs ferendis.

RESOL. CVI.

Debent illas ferre in die, & non in nocte, nisi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat, & in publico, & in scriptis, aliter non valet, non tamen tenentur hæc efficere pro Tribunali sedendo, & dictas sententias modo quo supra possunt per alios proferre, & in sententijs condemnatorijs exprimendus est specialis error, de quo fuit reus notatus, ac criminis inuestigatio, vt citationes, admonitiones, confessiones, probationes, legitimæ induciæ ad pœnitendum competentes, obduratus animus rei in erroribus, & reliqua quę ad iustum processum conficiendum requiruntur. & hæc omnia docet Pegna in direct. Inquisit. p.3.comm.40.& alij.

Nota hic obiter, quòd in determinando qualitatem culpæ contra fidem anteponenda est opinio Theologorum opinioni Canonistarum in processando causam, & imponendo pœnam Canonistarum opinio præferatur. Ita Azor. tom. 1. lib. 2.cap. 17. quæst. 3. Iudicia vero præparatoria tractari ab Inquisitoribus debent secundùm cuiuscunque Inquisitionis stilum, & in ferenda sententia, si ex parte iuris sunt diuersæ opiniones, probabilius est teneri Inquisitores sequi opinionem probabiliorem, quando autem duæ opiniones ex parte iuris sunt ęquè probabiles, illam sequi debent, quæ magis fauet reo cum in dubio ipsi fauendum sit, etsi ex parte facti secundùm quod probatur, detur æquale dubium, etiam tunc absoluendus est reus.

Notabilia quædam circa Bullam Sixti Quinti contra sortilegos in fauorem iurisdictionis DD. Inquisitorum.

RESOL. CVII.

Nota primò non esse probandum, quod aliqui machinati sunt prædictam Bullam non tribuere Inquisitoribus iurisdictionem super alias superstitiones, quàm super diuinationes, sicque accipiunt Sanchez in summ. tom. 1.lib.2.cap.38.n. 92. est namque contra expressa Bullę verba, quę possunt intelligi, quod committant eam iurisdictionem Inquisitoribus & Ordinarijs cummulatiuè, simultaneè tamē more aliorum delictorum, de quibus Inquisitores cognoscunt, siquidem verba tam & quàm eum sensum patiuntur.

Nota secundò spectato iure dictæ constitutionis Inquisitores possunt & tenentur se intromittere in superstitionibus saltem sapientibus hęresim, etiam non manifestè, vt patet ex verbis Bullę, in quibus eis submittuntur omnes incantationes, & similes superstitiones, quę verba saltem accipienda sunt de superstitionibus sapientibus hęresim, etiam non manifestè. nam Pontifex addit, *etiam si in plerisque his casibus procedere non valebunt, &c.* valebant autem in omnibus sapientibus hæresim manifestè. ergo &c.

Nota tertiò quod non spectat ad Inquisitores in prædictæ Bullæ terminis sortilegiorum, &c. cognitio priuatiuè ad Ordinarios, tum quia semper est in dubio euitanda iuris correctio, tum quia dicta constitutio est odiosa Ordinarijs. ergo iurisdictio per eam Inquisitoribus concessa restringenda est ad cumulatiuam, & omnia supradicta docet Emmanuel do Valle de Moura opuscul. de ensal. & incant. sect.3.cap.1. numer. 4.7. & 8. vbi etiam notat, quòd Suarez de Religio. tomo 1. libro secundo cap. vltim. numero 11. asserit, superstitiones puras, in quibus non est expressa suspicio hæresis, non pertinere ad Inquisitores, etiam per Bullam Sixti Quinti. Sed hoc, ait Emmanuel, cum distinctione accipiendum est. Si enim intelligat de illis quę aliquo modo specificè, licèt non manifestè sapiunt hæresim, displicet ob verba Bullæ. Si autem intelligat de nullo modo specificè sapientibus, placet, licèt hæ rarissimæ sunt. Ita Emmanuel vbi suprà.

An si Inquisitores non ferant sententiam in haereticum, teneantur restituere aliquid Principi saeculari, ad quem pertinebant bona confiscata dicti haeretici.

RESOL. CVIII.

Hic casus ponitur & resoluitur à docto Emmanuele do Valle de Moura opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c. 1. nu. 35. vbi sic ait. Si obiter quaeras, an si Inquisitor extra tempus gratiae & à fortiori in illo, vel Episcopus data opera haereticum poenitentem recipiat ad Ecclesiae gremium, siue conuictum aliquo, siue media tantum illius confessione, nullam interim sententiam directè ferendo, sed admissa confessione & abiuratione in forma eum è carceribus remittendo, an inquam, teneantur restituere Principi saeculari quantum sibi intererat sententia, qua nō lata bona confiscata ad se nequeunt peruenire, & quam iudices Ecclesiastici ferre tenentur. Respondetur negatiuè, quia ius quod fiscus Principis ad haereticorum bona acquirit, est remotum, & quasi per accidens, seu quasi ex hypotesi, si nempè delinquentes in effectu per iudicem competentem sententia prolata condemnentur, ergo Princeps nec habet ius commutatiuum, vt ea sententia proferatur, nec eum contra institiam laedit, qui illam illicitè contra quamcumque virtutem impedit. Ita Emmanuel. & ego. Vnde puto quod reus legitimè interrogatus negans veritatem, falsisque testibus se defendens, non tenetur poenam restituere, qua damnandus erat, quia actor non habet directè ius ad poenam, sed indirectè & per accidens media iudicis sententia. Et ita contra Sotum de iust. lib. 1. q. 6. art. 9. Castrum de leg. poen. lib. 2. c. 12. Molinam de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 95. tenent Aragon, Bannez & Salonius in 2. 2. D. Tho. q. 62. art. 3. & Doctores quos citat & sequitur Sanchez de matr. tom. 3. lib. 10. disp. 8. num. 14.

An Inquisitores possint punire Confessarios, qui tempore Iubilaei absoluunt haereticos in foro conscientiae.

RESOL. CIX.

Ex Couarruuia P. Vasquez in 3. part tom. 4. tract. de excommun. dub. 19. nu. 15. 16. obseruat, Inquisitores solitos esse punire huiusmodi Confessarios qui virtute Iubilaei, in qua non concluditur in specie crimen haeresis, audent absoluere haereticos occultos. & ita etiam docet Homobonus in consult. mor. vol. 1. part. 4. resp. 19.

Sed hoc tactum displiceret Ioanni Sancic, qui in selectis disp. 44. n. 23. & disp 48. num. 52. docet non esse puniendum Confessarium absoluentem aliquem cum opinione probabili, quia res quae culpa carent, in damnum vocari non debent, cap. 2. de constitut nec sine culpa quispiam puniendus est, cum nullus sit dignus pena nisi ob culpam, ex l. si putatur. ff. ad legem Aquiliā, c. satis peruersum. dist. 56. & inuentum 16. q. 7. Sed Confessarius absoluens virtute Iubilaei haereticum occultum, non committit culpam, quia vtitur opinione probabili, vt est videre apud me ipsum in tt. de absolutione, ab haeresi, resol. 1. licèt ego teneam opinionem negatiuam, ergo non est dignus aliqua poena. Vnde Molfesius in summ to. 1. tract. 7. c. 21. nu. 63. sic ait. Quod autem dicunt vt Domini Inquisitores punire soleant Confessarios, non constat, & de iure non procedit. Ita ille. Sed ego resolutionem huius dubii remitto prudentiae DD. Inquisitorum.

An detur casus in quo Inquisitores possint torquere reum, & non imponere abiurationem de vehementi.

RESOL. CX.

Videtur negatiuè prima facie respondendum, per ea quae habentur in Instructione Madriliana anno 1561. cap. 46. 47. & 48. vbi dicitur contra reos, qui per indicia non possunt absolui simpliciter ab instantia, seu accusatione, procedendum esse vel per purgationem, vel per abiurationem, vel per torturam. Ergo quoties Inquisitores possunt torquere reum, si nolunt, possunt ei imponere abiurationem.

Sed his non obstantibus contrarium dicendum est cum Pegna in directot. Inquisit. part. 3. comm. 39. vbi sic ait. Non diffiteor euenire saepe posse vt alia indicia concurrant contra reum, ex quibus non possit tutò imponi abiuratio de vehementi, cùm ea sit grauissima poena ob periculum relabendi, ea tamen indicia sufficientia iudicabuntur ad torturam infligendam, quae non est adeò periculosa, vt per eam indagetur veritas, & ab ore ipsiusmet delinquentis, si fieri potest, habeatur vt tunc seuerius possit procedi ad iniungendam abiurationem, & alias penitentias. Ita ille. Non est igitur absolutè verum, eo ipso quòd reus potest torqueri quòd possit ei indici abiuratio de vehementi. vt malè olim dicebat quidam vir doctus. nam, vt visum est, aliquando dantur indicia sufficientia ad torturam, & non ad abiurationem de vehementi.

Ad instructionē verò Madrilianam respondeo, quòd loquitur de eo quod communiter accidere solet.

Notandum est etiam contra quendam virum doctum, quòd licèt reus fuerit tortus, potest ei imponi abiuratio tantùm de leui, vt patet claré apud Canteram in qq. crimin. ca. 1. de haeret. num. 95. & Genuensem in praxi, cap. 18. num. 13. & c. 68. nu. 12.

An per illa verba textus in cap. accusatus, non se intromittant, sed relinquant suis iudicibus puniendos, possint Inquisitores relinquere reum simpliciter, & non remittere iudicibus vt illum puniant.

RESOL. CXI.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Emmanuel do Valle de Moura in opusc. de incant. sect. 3. c. 6. n. 10. vbi sic ait. Verba illa textus, *non se intromittant, sed relinquant suis iudicibus puniendos*, videntur intelligi ita, vt si prima facie non appareat in sortilegio manifestus sapor, non possint Inquisitores cognoscere, sed teneantur relinquere rem intractam aliis iudicibus. Si verò ea qualitas apparuit, & cognouerunt, praeuioque examine inuenerunt, non subesse talem saporem, seu suspicionem, tenetur reum dimittere impunitum, quantumuis eis constet de delicto, sicut cum ob blasphemiam, quae videbatur haereticalis, reus examinatur, vel reus capitur, & praeuio examine reperitur quidem balsphemasse, sed non haereticaliter, tenetur reum dimittere, non quidem remittendo illum ad alios iudices, vt eū puniant pro tali delicto, sed eū simpliciter relinquendo, iuxta praedictum verbum, *relinquant*, id est, dimittant, & non impediant. Iudex autem ad quem punitio spectauerit, poterit & tenebitur cognitionem rei assumere, & constito sibi quod sacrum Tribunal eum propterea tantùm dimisit, quia delictum non qualificabatur haeresis suspicione, poterit procedere. Ita ille. Sed quia vix sortilegus non miscet vel credit, aliquid sapiens haeresim, manifestè regulariter eius punitio pertinet de iure ad Inquisitores. Sed, vt supra dictum, de iure nouo per constitutionem Sixti V. Inquisitorum iurisdictio magis in hoc ampliatur.

An in dubio sapiat ne sortilegium haeresim manifestè, possint Inquisitores se intromittere.

RESOL. CXII.

Affirmatiuè respondendum est ex iure nouo constitutionis Sixti V. Difficultas est de iure antiquo, per cap. accusatus, in §. sanè, & negatiuam sententiam docet glossa ibi & alij relati ab Augustino Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. tit. 7. c. 8. n. 24. Et ratio est. Verbum positum manifestè in clausula restrictiua contenta in dicto §. sanè, quae, obseruante Syluestro ver. Haeresis, n. 4. nō potest intelligi de dubio, an factum sit per tractatum necne, sed in dubio an talia sapiant haeresim.

Sed contrariam sententiam iure ratione & vsu comprobatā esse testatur Simanca in catbol. instit. tit. 30. n. 2. & alij penes ipsum, quibus ego addo doctissimum & nūquam satis laudatum Archiepiscopum Bracharensem Rodericum Acugna in tr. de Confes. solicit. q. 5. n. 13. & ratio est, quia iudex etiam delegatus cognoscit an sua sit iurisdictio. Deinde si contraria opinio esset sequenda, sequeretur quòd Inquisitorum cognitio facilè subuerti posset, afferente quolibet sortilegia, vel diuinationes non sapere manifestam, haeresim. Dicendum est igitur quòd in dubio an sortilegia sapiant haeresim manifestè, Inquisitores possunt se intromittere ad cognoscendum an sapiant manifestè.

An

An Inquisitores possint punire reum, quando dubitatur an sit baptizatus.

RESOL. CXIII.

AD hoc dubium respondet Didacus Cantera Murciæ Inquisitor in qq.crim.c.1.de hæreticis,nu.5.vbi sic ait. Sed est dubium, quando dubitatur an aliquis sit baptizatus, possit contra eum procedi? & in hoc distingue,scilicet,aut est ille cõuersatus,& natus inter Christianos & præsumitur in dubio baptizatus,& per consequens poterit procedi contra eum si commisit aliquam hæresim;aut est natus & cõuersatus inter infideles, & non præsumitur baptizatus,& per consequens nō poterit puniri:aut est natus inter Christianos, cõuersatus autem inter infideles,& tunc etiam distinguerem, scilicet quod aut statim quòd natus est ante annos discretionis, est captus ab infidelibus,& tunc licèt præsumeretur is baptizatus,tamē etiamsi fecerit aliquem actum hæreticum inter infideles, non punietur, nec procederetur tanquam contra hæreticum, quia non fuit instructus in fide Catholica: aut captus fuit post annos discretionis, & sciebat fidem Catholicam,& tunc esset hæreticus & puniretur tanquam talis. Istam distinctionem colliges ex textu, & quæ ibi notant DD.in cap.1.de Baptismo, & ex textu, & quæ ibi notant DD. in c.veniens,§.fin. de Presbyt.non baptizato. Ita Cantera.

An Inquisitores possint & debeant interrogare testes an sint Iudæi,Sarraceni, &c.

RESOL. CXIV.

VIdetur prima facie respondendum negatiuè, quia nemo tenetur detegere turpitudinem suam, & ita loquens de testibus notauit Abbas & Bartolus in l.1. ff. de off. Asses. & hàc dicit communem opinionem Feli. in c.cùm causam, de testib. num.44.

Verùm his non obstantibus affirmatiuè respondendum est, quia, vt obseruat Didacus Cantera in quæst. crimin. cap. 2. de vera confessione,nu.41.fol.mihi 95.in crimine hæresis solet interrogari testis,an sit ex genere Iudæorum, vel Saracenorum, & sic obseruatur & practicatur, quod durum videtur, tamen sustinetur ratione fidei, & fundatur in quadam Instructione Inquisitionis in nouis, & de iure posset bene sustentari,quia est maxima præsumptio contra descendentem ex Iudæis, & Sarracenis, quādo tractatur de fide,& cùm sit ex genere Sarracenorum,vel Iudæorum, præsumitur, quòd non dicit veritatem contra eos, qui sunt eiusdem generis,vt experiētia docet, ideò benè potest interrogari testis de genere Sarracenorum,vel Iudæorum, vel non,nam cùm sit testificatus de hæresi,saltem semiplenè,antequam capiatur,& hac de causa potest interrogari de delicto principali, cùm sit testificatus, nimirum si posset interrogari de genere,cùm sit multum annexum causę principali, & hoc potest probari ex textu in cap. quia verisimile, & quæ ibi tradunt DD.de præsumpt. Hæc omnia Cantera.

An Inquisitores possint recipere testes ad perpetuam rei memoriam ad instantiam Fiscalis, vt postea faciant fidem contra reum.

RESOL. CXV.

VIdetur negatiuè respondendum ex gloss. 3. in cap. quoniam frequenter, vt lite non contestata, vbi declarat textum,scilicet,quod ibi dicitur,quòd possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam,etiam lite non contestata, vt intelligatur in causis ciuilibus,non autem in criminalibus. Vnde infertur,quod testes recepti in summario iudicio non faciunt fidem in plenario iudicio, etiam in criminibus exceptis, cùm sint recepti ante litem contestatam.Ita Bart.in l.fin.ff.de quæst.Felinus in cap. 2.de testibus,& alij.

Verùm his non obstantibus, in fauorem fidei affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, vnde hic apponam verba doctissimi Didac.Canteræ in quæst.crim.cap.2. de probationibus per testes,quæst.1.num.46. vbi sic asserit. Sed an habeat locum in causa hæresis, cùm sit causa criminalis, scilicet quòd testis examinatus ad perpetuam rei memoriam ad instantiam Fiscalis faciat fidem posteà contra illum, contra quem deponit,v.g.Aliquis testis, qui dixit contra alium, condemnatur & relaxatur ad iudicem sęcularem,vel mittitur ad triremes,vel se absentat, posteà capitur reus, an in plenario iudicio contra reum si non inuenitur, faciat fidem contra talem reum, contra quem fuit examinatus ad perpetuam rei memoriam,ad instantiam & petitionem Fiscalis. Et in hoc casu credo, quod faciat fidem saltem in crimine hæresis. Et licèt certe talis testis non diceretur testis omni exceptione maior, & sic durum mihi videretur quòd per talem testem poneretur quis ad torturam; tamen in hoc iudicio Inquisitionis seruatur, quòd per talem testem quis poneretur ad torturam, si aliàs testis deponeret verisimilia, & daret rationem sui dicti, præcipuè quando alia, licèt minima, præsumptio esset contra reum. Hoc fuit sic determinatum in Consilio supremo Inquisitionis, & vidi quandam Epistolam, per quam ipsi mandant, quod talis testis faciat plenam fidem, & per talē testem procedatur, si aliàs testis diceret verisimilia, & redderet rationem sui dicti. Et certè hoc videtur procul in fauorem fidei,per text.in cap.in fidei fauorem, de heret.in 6. licèt mihi semper visum est durum, vt testis examinatus ad perpetuam rei memoriā faciat plenam fidem si non examinatur in plenario. Tamen,vt dico,ego vidi practicari in Inquisitione Regni Galiciæ,vbi quidam Monachus deposuit contra propriam matrem, & ex eo quòd habeat mandatum à Superiore,vt se conferret in Italiam,ex hoc fuit examinatus, & ratificatus ad perpetuam rei memoriam, & valuit eius dictum, ex quo fuit capta mater, & processum fuit contra eam. Hæc omnia Cantera, quæ sunt valde notanda à DD.Inquisitoribus.

An Inquisitores ex indicijs, & præsumptionibus indubitatis, possint punire reum pœna ordinaria.

RESOL. CXVI.

NEgatiuè prima facie videtur respondendum ex doctrina Innocentij in cap.quia verisimile,de præsumpt. vbi tenet quòd quando quis condemnatur ex præsumptionibus in criminalibus non datur pena ordinaria delicti. Vide etiam Angelum in l.2.de furtis,& Ananiam consil.59.col.2.

Sed his non obstantibus in casu hæresis contrarium dicendum est. Vnde Didacus Cantera in qq.crimin.c.2.de probat. per testes,qu.1.nu.60.sic asserunt. In crimine hæresis probato facto ex quo resultat indubitatum indicium,benè datur pœna ordinaria delicti,v.g.aliquis facit aliquam ceremoniam Iudæorum,cùm sit ex eorum genere,& idem si faceret aliquam ceremoniam Mahumetanam cum sit de genere Maurorum, certè ex isto facto cùm ille sit ex illo genere, resultat præsumptio indubitata,vel indicium indubitatū; quod fuit propter obseruationem illius legis,vel sectæ,& sic si est negatiuus,pertinax, datur pœna ordinaria hæresis,per textum in c. ad abolendam,de hæret. Ita Cantera & in his terminis loquitur Simanca in cathol.instit.c.49.n.3.vnde hæc menti teneant DD.Inquisitores, quia quotidiana erunt, vt obseruat Cantera loc. cit. qui etiam videndus est in q.6.vbi supra num.2.

An Inquisitores in causa appellationis debeant admittere oppositiones testium.

RESOL. CXVII.

NEgatiuè aliquis respondebit ex authoritate Andreæ Iserniæ, & Guidonis Papæ in decisio. 500. asserentium, quòd de iure in causa appellationis non admittuntur oppositiones.

Sed quidquid sit in alijs causis, in causa hęresis, in qua proceditur de plano, & sine strepitu iudicij, Didacus Cantera in qq.crim.c.de prob.per testes,§.de plena probatione,nu.58.credit,quòd reus admitti debet ad opponendas & probandas oppositiones cōtra testes primæ instantiæ, etiam in causa appellationis,vbi habuerit locum appellatio,etiā in quacunque parte, quàuis fuerit post appellationem vsque ad sententiam, cum nō assignetur terminus ad opponendum contra testes. Et verum quod si esset post conclusionem in causa ex rigore iuris, non admitteretur,sed ex clementia & misericordia iudex ex officio posset admittere, quia iudices in hoc iudicio debent inquirere

defensiones reorum, & hoc est, quod dicit Instructio in nouissimis. Ita Cantera.

Instructio verò quā ipse citat, est Instructio Madriliana anno 1561. vbi nu. 38. sic ait [Luego los Inquisidores con diligencia se ocuparan en tomar las defensas que el reo tiene pedidas y que le pueden reuelar recibiendo y examinando los testigos de sus abonos, y los que presentare para prouar las tachas de los testigos que contra el reo depusieren, y haran cor muy grā diligencia todas las cosas que conuegan a la liquidacion de su Inocencia con ygual cuydado que huuieren echo lo que toca a la aueriguacion de la culpa, teniendo gran consideracion a que el reo por su prision no puede hazer todo lo que hauia menester y haria si estuuesse en su libertad para siguir su causa.] Sic ibi.

An Inquisitores propter cades infantium debeant tradere striges & lamias iudicibus sacularibus.

RESOL. CXVIII.

Videtur affirmatiuè respondendum, ex authoritate Ambrosij de Vignate q. de strigibus, ar. 2. §. si verò dicunt, &c.

Sed contrariam sententiam, & meritò, tenet doctus Pegna in suis notis ad supradictum Ambrosium de Vignate loc. cit. vbi adducit verba Petri Dusini generalis Inquisitionis Assessoris & S. Pœnitentiariæ Datarij, sic asserentis. Quamuis Autor mallei maleficarum, & Syluester teneant, lamias ob infanticidia, etiam in primo lapsu tradi posse curiæ sęculari, & ita aliquando obseruatum sit in certis Inquisitionibus particularibus, & præsertim Pedemontanis, vbi multum inualuit hæc pestis: non cōsueuit tamen hoc S. Officium illas tradere, nec aliter punire, quàm sacri Canones puniri mandent Apostatas à fide Christi. Si tamen iudex sæcularis illas priùs Officio Inquisitionis consignasset, suspensa aliorum criminum cognitionem, expedita hæresis causa sanctum Officium debet, ac solet eidem iudici illas restituere, de quo extat etiam particularis constitutio Pij V.

Obseruatum est etiam aliquando quòd propter frequētiam homicidiorum, & aliquas circunstantias aggrauantes, lamiæ facta abiuratione, consignanrur de mandato Sanctissimi iudici sæculari, qui processum format de nouo super eisdem homicidiis, vt quas reperit culpabiles puniat secundùm leges. Ita Dusinus, Pegna & ego.

Vide etiam eumdem Pegnam in Paralipomen. ad tract. de strigibus Bernardi Comensis.

Notādum est etiam hic obiter, quòd si laminæ & striges vulgò dictæ Bruxas, se sponte denūtient, etiamsi à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittūtur ad reconciliationem, neque eorum bona confiscantur, neque habitus pœnitētialis eis imponitur, & si hæ post abiurationem relabantur in Inquisitione Hispaniæ, admittuntur ad reconciliationem bis, & ter, teste Castro Palao to. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. §. 5. nu. 3. qui citat Instructionem Madrilianam anno 1613. n. 14.

An Inquisitores per Bullam Sixti V. cognoscant de sortilegijs omnibus priuatiuè quoad Episcopos.

RESOL. CXIX.

Diximus supra per Bullā Sixti V. Inquisitores hodie cognoscere de sortilegiis etiā non sapientibus hæresim. Quæritur modò, an hęc cognitio sit illis tributa priuatiuè quoad Episcopos? & respōdeo negatiuè cum Ioanne Francisco Leone Episcopo Thelesino in lib. de sortilegijs c. 8. vbi sic asserit. Ex cōstitutione Sixti V. possunt Inquisitores cognoscere de sortilegiis, nō tamē priuatiuè quoad Episcopos, immò causas superstitionū, incantationū, veneficiorū & blasphemiorū. Episcopi cognoscere, & nisi sapiant manifestè hæresim absque Inquisitorū interuentu illa possunt d:cere, definire, & terminare per textum in c. accusatus de hæret. in 6. Et ita censuit S. Gener. Congr. Rom. & vniuers. Inquisitionis sub die 21. Decembr. ann. 1602. Quamuis enim per dictā constitutionem Sixti V. fuerit Inquisitoribus attributa iurisdictio cognoscendi de causis sortilegiorū, superstitionū, veneficiorum & incantationū, etiā quod aliàs de præmissis non cognoscerent. Non tamen fuit Ordinarijs restricta facultas quin liberè in causis huiusmodi; vt priùs, dummodo nō hæresim manifestè redoleāt procedere possint, cū id ex iuris communis dispositione illis sit attributū. Ita ille, & alij.

An soli Inquisitores possint in causis lamiarum procedere.

RESOL. CXX.

Ad hoc dubium respondet Franciscus Pegna in Paralipomena, ad tract. de strigibus Bernardi Comensis, vbi sic ait. Si quæras an soli Inquisitores in causis lamiarum procedere possint, secus ac fiat in causis hæreticorum, vt in c. per hoc, de hæret. in 6. Extrauag. ex eo, de hæret. Clem. 1. de hæret. respondebo tutius quidem esse, ac decentius vt Inquisitores pariter in causis lamiarum ac in causis hæreticorum procedant, & processus conficiant requisitis Diœcesanis secundùm iuris dispositionem in locis proximè cit. nihilominus tamen si soli velint procedere, id quidem facere possunt, & quod soli procedentes fecerint ac decreuerint siue condemnando siue absoluendo, id validum erit, sicut constat ex constitutione Alexandri VI. directa ad Angelum de Verona Inquisitorem, cuius tenorem ponit per extensum Pegna loco citato.

Non desinam tamen hic adnotare quod praxis S. Inquisitionis Hispaniæ obseruat vt Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamias & striges procedant.

An Inquisitores possint relaxare aliquem brachio sæculari, inconsulto supremo Senatu Inquisitionis.

RESOL. CXXI.

Respondeo negatiuè per verba Instructionis Toletanæ anno 1561. nu. 66. vbi sic ait. [Offreciendose casos muy graues no se deuen executar los votos de los Inquisidores Ordinarios y Consultores aunque sean conformes sin consultarlo con el Consejo como se acostumbra hazer y esta proueydo.] Sic ibi. Ex quibus verbis Molina de iustit. tract. 5. disp. 18. n. 14. sic ait. Nullus relaxatur brachio sæculari Senatu supremo inconsulto, etiamsi vota Inquisitorum, Ordinarij ac cōsultorum omninò consentiant; quoniam id inter causas grauissimas cōputatur. Ita ille, qui citat Pegnam in direct. p. 3. comment. 96.

Notandum est etiam quod Castrus Palaus in oper. mor. to. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 13. §. 2. nu. 5. asserit. In Hispania sancitum esse vt Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin prius certiorem faciant Inquisitorem generalem, & eius supremum Senatum, missis ad eos indicijs & probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præscripto procedatur, & non aliter, à qua regula solùm, est excipiendus casus periculi, fugæ, vel alterius grauis mali. Sic ille, qui citat Molinam & Pegnam vbi supra, cum Simanca in cathol. instit. tit. 34. n. 33. & visus supra dictus in Hispania circa capturam supradictarum personarum procedit ex verbis supradictæ Instructionis Toletanæ, nu. 5. vbi sic habetur. [Si los Inquisidores fueren conformes en la prision mandela hazer como lo tuuieron acordado y en caso que el negocio sea calificado por tocar a personas de calidad o por otros respectos consulten al Consejo.] Ita ibi. Sed nos de hoc etiam alibi supra aliqua adnotauimus.

An pertineat ad Inquisitores cognitio ensalmorum, & possint punire ensalmatores.

RESOL. CXXII.

Anno circiter 1613. orto dubio inter Olisipponensem Archiepiscopum & Tribunal Inquisitionis, cuinam potius vtriuslibet incumberet cognitio & punitio ensalmatorum? Consultus Paulus Quintus respondit in hæc verba. Seruetur ius cōmune. Hinc doctus Emmanuel do Valle de Moura opuscul. de incant. & ensalm. sect. 3. cap. 1. per totum, probat ensalmorum cognitionem pertinere ad Inquisitores saltem cumulatiuè, etiam quando non sapiunt hęresim manifestam, iuxta constitutione Sixti V. Vide Hieronymum Llamas in 3. part. methodi cap. 3. titul. Incantatores, §. ad secundum, vbi expressè dicit Inquisitores esse iudices ensalmorum; sed quando occurrit talis casus, legant Inquisitores supradictum authorem loc. cit. cap. quinto, qui latè tractat hanc materiam, & docet, quinam ensalmi sapiant hæresim manifestè, hodie-

hodieque de iure practicato subdantur Inquisitoribus.

Hinc deducitur contra malleum maleficiorum par. 3. q. 1. & Valentiam tom. 3. disp. 6. q. 13. delictum ensalmorum non esse mixti fori respectu Magistratus secularium, etiam quando saperent heresim manifestè, sed, vt diximus, pertinere ad Inquisitores, priuatiuè ad iudicem secularem, ex c. accusatus, de heret. in 6. quod non intelligitur de solis formaliter hæreticis, sed de quibusuis etiam suspectis de hæresi, & in specie, quòd dictus textus comprehendat etiam dicta, vel facta heresim sapientia, notat Emmanuel vbi supra n. 33. vbi optimè asserit quod opus, vel dictum suspectum de hæresi manifestè, fauensque operantem, vel dicentem suspectum de vehementi, indubitanter reponit rem in causa & iudicio hæresis.

An Inquisitores per tres, vel quatuor testes minus idoneos possint punire reum pena ordinaria, si simul adsint aliç coniectura, circumstantia, vel adminicula.

RESOL. CXXIII.

NEgatiuè respondet Almon Ciazzius in suis disceptationibus criminalibus. discept. 17. n. 46. vsque ad n. 50. quia testis inhabilis nō potest suppleri per alios testes inhabiles, quoniam quod nihil est, supplementum non recipit. l. sed si manēte, ff. de precar. & testium inhabilitas vt suppleatur ex dicto alterius, requiritur vt testis supplens non sit inhabilis, vt tenetur Aymon cons. 99. n. 10. Corn. lib. 2. cons. 172. n. 2.. & ex pluribus imperfectis non potest oriri perfectum. Bec. cons. 85. num. 20. & alii.

Histamen non obstantibus contrariam sententiam esse veram, praxis, & Doctorum auctoritas docet. Vnde Antonius Sousa in aphoris. Inquis. lib. 2 c. 13. n. 14. sic ait. Testes inhabiles licèt regulariter non sufficiant, nisi ad inquirendum ad torturam & ad pœnam extraordinariam; si tamen magnus sit eorū numerus, & adsint coniecturæ sufficientes, suppletur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Ita ille, & Castrus Palaus in opere morali, tom 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. n. 1. sic asserit. Depositio vnius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi alijs adminiculis & præsumptionibus grauibus adiuuetur. Depositio duorum sufficiet ad torturam, vel ad cōdemnandum reum in pęna extraordinaria; trium, vel quatuor depositio ad cōdemnationem ordinariam sufficiet, quia multitudine deponentium, inhabilitas illorum reparatur. Hæc Castrus vbi supra, & ante illum Rojas singul. 188. n. 11. Lælius Zecbius in summ. to. 1. cap. 11. de hæresi, nu. 14. ver. admittuntur. Pegna in direct. part. 3. comment. 113. & alij, & hæc opinio desumitur ex c. in fidei fauorem, de hæret. in 6. Vnde Rojas singul. 100. num. 3. ex verbis dicti capituli infert, & docet quod in crimine hæresis quamquam causa sit criminalis, & ardua, numerus testium in fauorem fidei defectum eorum & qualitatem supplet. Vide etiam Binsfeldium de confess. malef. membr. 2. conclus. 7. & Delrium in append. 2. ad disquis. magic. lib. 5. qu. 12. in fine.

Notandum est etiam hic à DD. Inquisitoribus quòd numerus testium supplet eorum defectus, etiam ad effectum, quòd censeantur omni exceptione maiores. Ita Gregorius XV. in decis. 351. num. 4 & 5. quod procedit, etiamsi omnes patiantur exceptiones. Ita Cæsar. de Grassis decis. 175. num. 9. licèt quoad hoc vltimum contradicat Cacheranus cons. 64. n. 3. & Bursatus lib. 3. consil. 321. num. 31.

An si reus nihil testibus opposuerit teneantur adhuc Inquisitores inquirere qualitates & vitam testium.

RESOL. CXXIV.

VIdetur quòd non, quia fiscus qui producit testes, habet præsumptionem iuris pro se, cùm omnes testes præsumantur idonei, & omni exceptione maiores, vt dicit glossa in c. 1. de testibus, & standum esse dicto testium, si nihil in persona eorum apponatur, aut obiectum fuerit, vt patet ex c. præsentiū de testibus. Vnde in sacro Inquisitionis Tribunali, licet ad condemnādum reos necesse sit vt testes sint omni exceptione maiores; attamen fiscus hoc non articulat, neque probat testes ad sui instantiam productos esse tales, quidquid asserant Doctores, quos citat & sequitur Almon. Ciazzius in disceptationibus criminalibus, disceptat. 22 nu. 27. vbi ex Decio, Parisio, & alijs docet, quòd vbi requiritur testis omni exceptione maior, de necessitate fiscus articulare & probare debet ipsum esse talem, aliàs probatio non reuelar.

Verùm licèt, vt dixi, hoc in Tribunalibus Inquisitionis non seruetur, tamen negandum non est debere Inquisitores etiāsi testibus à reo nihil opponatur, inquirere vitam eorum, conditiones & qualitates. Vnde doctissimus Inquisitor Albertinus in cap. primò, de hæretic. in 6 quæstio. 16. num. 28. & sequent. postquam probauerat, quòd standum est dicto testium, si nihil in personas eorum sit obiectum à reo, nihilominus ait in num. 32. iudex debet etiam, reo non petente, nec opponēte, animum suum informare de conditione testis, præsertim in causis fidei, quoniam nomina testium non reuelantur, vt possit ipse iudex adhibere, vel non adhibere fidem testibus, vi ta illorū cōditione. Sic Albertinus, & ita olim in vna consultatione reus inquisitus de quadam hæresi formali, cum nihil opposuerat contra testem, fiscus instabat torquendum esse, nam testis, vt dictum est supra, censetur idoneus, & omni exceptione maior, si reus aduersùs illum nihil opponat: vnde tunc ego petendo nomen supradicti testis, inueni illum hominē criminosum, vnde reus pro illa hæresi ad torturam minimè positus fuit. Vnde DD. Inquisitores videant Campegium in annot. ad Zanchinum, c. 13. lit. B. ver. de alijs verò inimicitijs, vbi doctè, vt semper solet, de hac obligatione Inquisitorum pertractat.

Non desinam tamen hic obiter adnotare cum docto Simāca in enchirid. tit. 33. nu. 23. quod contra testes in causa hæresis non excipiuntur exceptiones, nisi tales sint illę, quæ illos penitus refellant, videlicet inimicitiæ capitales, coniurationes, subhornationes, & alia eiusdem generis; nam cęterę fidem testium eleuant, sed eam prorsus non tollunt. Ita ille.

An Inquisitores possint examinare reuelationes mulierculorum, & aliorum.

RESOL. CXXV.

REspōdeo affirmatiuè vnde Emmanuel do Valle de Moura in opusc. 2. de incantat. & ensal. sect. 2. c. 3. n. 19. sic ait. De reuelationibus mulierculorum suspectissimè loquuntur authores, tamquam multis mirandisque hypochrisis, & fictionis earū exemplis edocti, & Riccardus de S. Victore eas subijcit Inquisitionis officio. Ita ille, & ante illum Simanca in cathol. instit. tit. 21. n. 25. & 29. quando verò dictæ reuelationes examinādæ erunt per DD. Inquisitores, videant Raphaelem de la Torre in 2. 2. D. Thomæ to. 2. q. 95. art 2. disp. 3. per totam. vbi latissimè & doctè, vt semper solet, hanc materiam pertractat, & dát regulas ad cognoscendum, quando reuelationes sunt à Deo, vel à dœmone.

An in Regnis Hispaniarum solum Inquisitores possint publicare edicta fidei, & non Episcopi.

RESOL. CXXVI.

QVidquid sit de alijs locis quoad Regna Hispaniarum, respondeo id solùm ad Dominos Inquisitores spectare, & ita docet Molina de iust. tract. 5. disput. 28. num. 13. & quia verba sunt notabilia in fauorem iurisdictionis Inquisitorum, illa per extensum hic apponam. Sic itaque ait. Cùm experientia compertum sit, multa ac grauia incommoda ex eo sequi, quòd Episcopi processus contra reos circa fidei negotium forment, præsertim ob secretum, quod maximè refert haberi, ac seruari, vsu est receptum, vt soli Inquisitores processum forment, atque contra delinquentes ipsi soli procedant, & vt rei Inquisitorum iussu comprehendantur, in soloque Inquisitorum carcere detineantur. Quòd si Ordinarij aliud circa hoc efficere aggrediantur, nec desistant, certior fit Inquisitor Generalis, ad eosque scribit vt desistant, & vt deinceps simile quid non efficiant, quoniā fidei negotio id non expedit, quòd si non parerent (quod inauditum hactenus est) Inquisitor Generalis Pōtificem certiorem efficiat, quin audio, neque ordinariis permitti, vt edicta proferant, quę ad fidei negotium pertinēt, quoniam expedit eiusmodi denūciationes fieri solitis Inquisitoribus, & Commissarijs ab ipsis deputatis, propter eamdem ra-

tionem. Postquam verò hæc ita scripsi, à fide dignis accepi litteras Apostolicas esse in Hispanijs, quibus præcipitur, vt hæc Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant. Si quæ verò Ordinarij reperiant efficere debent illis de rebus summariam informationem, eamque ad Inquisitores debent transmittere. Si item expediat delinquentem circa causas fidei comprehendere ne fugiat, comprehendere illum possunt Ordinarij, & transmittere ad Inquisitores, aut illos certiores facere, vt ad suum carcerem adducant. Hæc omnia Molina, vide supra in result. secunda.

An Inquisitores habeant potestatem erga exemptos quoad corpora, imagines, tabellas, &c. quæ locis publicis, seu priuatis apponuntur.

RESOL. CXXVII.

REspondeo affirmatiuè ex constitut. Vrbani VIII. die 2. Octobris 1625. vbi in fine sic habetur. Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, tam Ordinarijs, quam hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipimus, vt in sua quisque diœcesi, vel prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superiùs deposita fiant. Trasgressores verò si Regulares fuerint, priuationis vocis actiuæ & passiuæ, &c. Hanc cõstitutionem inuenies apud Tamburinum de iure Abbatum to.1. disp.15. q.7. nu.53. vbi ponit dicti Vrbani VIII. declarationem supradictæ constitutionis.

An Inquisitores possint punire Aegyptianas, vulgò dictas Zingate, *quæ bonam, vel malam fortunam, vt ipsæ asserunt, diuinant.*

RESOL. CXXVIII.

DE hac vilissima gente eruditè, vt semper solent, pertractat Franciscus Ferdinandus de Corduba in didascal. c. 50. per totum, vbi notat Carolum V. in Germania, & Ferdinandum Regem in Hispania iussisse hanc gẽtem ab istis Regnis abire, & supradictas fœminas, vel viros posse Inquisitores punire, docet Villadiego in pol. c.5. §.20. nu.40. vbi sic ait. [Los Inquisidores castigan a las Gitanas que dizen a la buena ventura. Ita ille.

An Inquisitores possint punire reum pœna ordinaria, si cum teste inhabili concurrat alius testis valde dignus.

RESOL. CXXIX.

AFfirmatiuè videtur respondendum ex authoritate Francisci Pitigiani in pract. crim. canon. par.2. cap.1. fol. mihi 145. vbi sic ait. Si alter testis sit valdè dignus, potest supplere defectum, qui est in altero minus idoneo, ita vt simul efficiant plenam probationem, vt tenet Baldus in l. si quis ex argẽtarijs, §.1. ff. de edend. & alijs DD. ibidem. Sic Pitigianus. Vide etiam Ghislerium de iudice Regulari, c.17. n.46.

Sed ego puto DD. Inquisitores non debere discedere à contraria sententia, quam docet Portel. in dub. Regul. verb. Testis num.10. Pegna in director. par. 3. comment. 115. & alij, quia ex dignitate vnius, non reparatur alterius defectus, nisi cum vtriusque depositione aliæ circumstantiæ & indicia concurrerent, & hanc opinionem tenet etiam Sousa in aphor. Inquisit. lib.2. cap.19. num.2.

Notandum est etiam hic obiter quod Hippolytus de Marsilijs in pract. crim. §. diligenter num. 17. & alij, docent, quod si testes singulares sint valdè digni viri, nobiles, & egregiæ personæ coniunguntur, faciunt plenam probationem contra reũ, Sed ego contrariam sententiam teneo cum docto Cantera in qq. crim. cap.2. de probat. per testes, quæstio 5. num. 3. quem omninò vide. Vide etiam Campegium in addit. ad Zanchinum cap.13. litt. C.

An Inquisitores teneantur antequam interrogent reos, manifestare, infamiam, indicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsos, vt intelligant legitimè interrogari.

RESOL. CXXX. & vlt.

SVppono ex probabiliori sententia, reum non teneri respondere & veritatem dicere antequam aliqualiter sibi constet, processus, acta, & iudicem iustè & legitimè interrogare, & ita docet Caietanus in 2.2. q. 69. art.2. Sotus de iust. lib.5. q.6. art.2. Nauarrus in manuali c.25. n.33. Bernardus Diaz in praxi crim. c.126. & ibi Salzedus Arragon in 2.2. q.69. artic.2. Aualos in direct. p.2. c.14. n.30. Miranda in ordine iudic. q.18. art.7. concl.1. & ego alibi cũ multis alijs. Vnde sequitur, quòd vt reus teneatur veritatem dicere, debet iudex ei statum processus, & quòd ipse procedit iuridicè, notificare. Vide Suarez de Paz in prax. tom.5. p.5. c.3. n.14.

Verùm cum hæc omnia vera sint, tamen non procedit hæc sententia in causa hæresis, & sic Inquisitores non tenentur ad supradicta, vnde doctus Ludouic. Peguera in praxi crim. c. 12. §.5. n.13. sic asserit. In criminibus exceptis, vt sunt hæresis, crimen læsæ Maiestatis, & proditio ciuitatis, non est necessum, vt reis à iudicibus ius suum, quod habent ipsos interrogandi, reueletur. Nõ enim tanta infamia, aut tãta solemnitas in his criminibus, quanta in priuatis ad reos, vel testes interrogandos requiritur. Nam in horum criminum inquisitione procedi potest simpliciter, & de plano, & absque strepitu & figura iudicij, vt habetur in c. fin. de hæret. in 6. Hæc Peguera vbi supra.

FINIS.

DE-

DECRETA
ET
CONSTITVTIONES
RECENTIORVM PONTIFICVM,
ad Tribunal S. Officij spectantes.

LECTORI BENEVOLO.

CVM Doctissimus Franciscus Pegna in fine Directorij Inquisitorum, litteras Apostolicas ad sanctum Officium pertinentes, posuerit: visum est & mihi, in tui commodum, Decreta, & Bullas posteriores aliorum recentiorum Pontificum, ad eandem materiam spectantes, hic simul in vnum collectas proponere, eas præsertim, quæ in his tractatibus à me aduocatæ sunt.

DECRETVM S. D. N. PP. VRBANI VIII.
Feria v. die 14 Aprilis 1633.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ aduersùs hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus Dominus noster sedulò incumbens, vt ea, quæ salubriter Apostolicis decretis, & constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ ad sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obseruentur, & omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat, & præcipit, vt omnes Superiores cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, siue cuiusuis alterius instituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, teneantur sub pœna priuationis Officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis in perpetuum semel saltem in anno, idest, feria sexta post Octauam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos cōmonere de iniuncta omnib. obseruantia, & executione earū dē Apostolicarū cōstitutionū, & decretorū, ad S. Officiū Inquisitionis aduersùs hęreticā prauitatē pertinētium, ac pręsertim.

IVLII III. constit. 1. incipit, *Licet a diuersis*, contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pij V. constit. 82. incipit, *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut perterrefacientes quamuis ex ministris S. Officij Inquisitionis, vel Episcoporū id munus in sua diœcesi, vel prouincia, obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testes, in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum: nec non contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incedentes, expilantes, aliòve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta, siue publica, siue priuata, vbicumque posita, eorumque complices, & fautores, & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes cōtrarium adducentes: & contra intercedentes pro prælatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ maiestatis, eorumque filijs,

irrogantur, & oblata reuelantibus impunitate.

PII IV. constitut. 31. incipit, *Cum sicut nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus prouocare, & allicere tentant, & solicitant. Et Gregor. XV. constitut. 34. incipit, *Vniuersi Dominici gregis*, ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extensiuæ contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs, quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio in loco, ad audiendam confessionem electo, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab alijs Confessarijs solicitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinarijs solicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

GREGORII XIII. constitut. 22. incipit, *Officij nostri partes*, de iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti, Missas celebrant, & sacramentaliter confessiones audiunt Clement. VIII. constitut. 81. incipit, *Et si aliàs*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per iudices laicos, præuia eorum degradatione. Et Sanctitatis suę cōstit. 79. incip. *Apostolatus Officium*, extēsiuę ad minores 25. annis, dummodo vigesimū ætatis annū cōpleuerint.

SIXTI V. constit. 17. incip. *Cœli, & terræ creator*, contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumq; diuinationum genera, librosve harum artium legentes, vel tenētes. Et Sanctitatis suæ constit. 113. incipit. *Inscrutabilia iudiciorum Dei*, extensiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis.

CLEMENTIS VIII. constit. 42. incipit, *Cum sicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, siue vsus Catholicæ Religionis non existat, minusque in eis locis habitent. Et Gregor. XV. constit. 28. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & insularum adiacentium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

PAVLI V. constit. 26. incipit, *Romanus Pontifex*, reuocatorię facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium S. Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Eiusdem constit. 97. incip. *Regis pacifici*, innouatoriæ constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de conceptione beatę Marię Virginis editarum; impositionis maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinarijs, & hereticę prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Greg. XV. constit. 29. incipt, *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliatiuę, & declaratorię prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

GREGOR. XV. constit. 27. incipit, *Romanus Pontifex in specula*, reuocatoriæ quarumcumq; concessionum viuę vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis suę constit. extensiuæ ad quoscumque quantumuis priuilegiatos, & exemptos, incip. *Aliàs fel. recor. Gregor. Papa XV. sub dat. Romæ 20. Decembris 1631.*

Eiusdem constit. 40. incip. *Apostolatus officium*, & Sanctitatis suæ constit. 114. incip. *eo modo*, reuocatorię licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ constitut. 37. incipit, *Sanctissimus Dominus noster solicitè animaduertens*, de imaginibus nondum a Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radijs, splendoribus, aut laureolis, non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulcra non apponendis: eorumve gestis, miraculis, reuelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imponendis.

Pariter Sanctitatis suę constit. 50. incip. *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officij*, de libris vbicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui deguntur in statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, vt imprimantur, sine Vicarij, & Magistri sacri Palacij in Vrbe, vel extra iam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et eiusdem Sanctitatis suæ constit. sub dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. incipit, *Cum sicut accepimus*, quod constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ & imposterū etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, ita vt ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationē sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua.

IOANNES ANTONIVS THOMASIVS, sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papa Octaui, die verò septima mensis Iunij supradicta littera, siue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Alexandrum Latinum, Prelibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Sequuntur constitutiones relatæ in suprascripto decreto.

Contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes. Et contra ipsos Inquisitores, admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem.

IVLIVS Episcopus, seruus seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

LIcèt à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, etiā per speciales constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit ritè, & salubriter sancitum, atq; decretum, vt sæculi Potestates, & Domini temporales, ad Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcumque Rectores, quibuscūque dignitatibus, vel officijs, aut nominibus censeantur, Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ipso Inquisitionis negotio faueant, & assistant, nemoque ex prædictis Potestatibus, Dominis, & Rectoribus, eorumq; Officialibus de crimine heresis, cùm merè sit Ecclesiasticū, quoquomodo cognoscat, vel iudicet, neq; Diœcesano Episcopo, vel Inquisitori ipsius Inquisitionis negotio incūbenti se opponere, aut ipsum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium, aut fauorem scienter dare audeat, perpetuæ damnationis sentētia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut heretici condemnentur; vsque adeò tamen in omnibus ferè, non solùm Italie, verùm etiam alijs Prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis, cōplurium laicorum, vt accepimus, mūdane glorię processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticæ disciplinę cōtemptus, vt in animarum suarum perniciem, atq; interitum, Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores à Sede Apostolica institutos Inquisitionis officium exercentes, alii sub iustitiæ prętextu, ne vlli scilicet fiat iniuria, impedire; alii verò sub pietatis colore, vt sontes scilicet seueriùs puniantur, se ipsis Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus adiungere, & vna cum eis de ipso heresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

§. 1. Cum sanè morbo iam nimis latè progrediendi insolitam, ac salutarē Ecclesiæ medicinam pro nostra pastorali solicitudine afferre cupientes, sęculi Potestates, Dominos temporales, ac Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum Rectores supradictos, necnon quascumque alias sęculares personas, tam priuatas, quam publico quouis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac in eis Iesu Christi Redemptoris nostri (cuius vices, licèt immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus ne Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores ipsos in suo Inquisitionis negotio, vllo modo impediant, seu perturbent: neque se in heresis crimine cognoscendo, vel iudicando, quouis etiam assistentiæ, & fauoris colore, causa, vel occasione (nisi quatenus ab ipsis Diœcesanis Episcopis, aut Inquisitoribus spontanea, & libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, prouisiones, & leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris Canonibus obsistentes, & Ecclesiasticam

stasticam iurisdictionem impedientes sine mora abrogent, & deleant, prout etiam nos eas omnes inualidas fuisse,& esse decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis,& deletis haberi volumus,& mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperauerint, quive scienter in prædictis consilium, auxilium, aut fauorem dederint, nouerint se, non solùm per sacras dictorum Prædecessorum nostrorum constitutiones, verùm etiam per hanc nostram sanctionem, siue sententiam,& declarationem perpetuò duraturam (quā auctoritate Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri,& Pauli,ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacunque illi præfulgeant dignitate, in his scriptis proferimus) communione fidelium, & omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione priuatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos; anathematisque, & maioris excommunicationis mucrone percussos, ita vt nemo vnquam in præmissis delinquens, nisi à nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcunque facultatum, concessionum,& gratiarum, etiam Confessionalium nuncupatarum, etiam à nobis, & à dicta Sede hactenus emanatarum, vel imposterum emanandarum, specificam,& expressam, ac aliàs, quam per verba generalia, de præsentibus nostris litteris mentionem non facientium, præterquam in mortis discrimine, absolui possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores subiacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut iudicare permiserint.

§. 4. Vt autem præmissa omnia, ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iustè prætēdere possit, volumus,& Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes litteræ per aliquos cursores nostros, aut Notarios publicos in Basilicæ Principis Apostol de Vrbe,& Ecclesiæ Lateranen. ac Cācellariæ Apostolicæ valuis, necnon acie Campi Floræ, vt moris est publicentur, earumque exemplo, in singulis valuis, & acie huiusmodi affixo,& dimisso, nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1551. quintodecimo Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Lecta, & publicata fuit die Veneris sancti in Capella Sanctitatis suæ, dum diuina celebrarentur Officia.

Contra offendentes statum, res, & personas sanctissimi Officij Inquisitionis hereticæ prauitatis, eorumque filios, necnon complices, & fautores.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SI de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem,& clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quāto maiore studio eam nos solicitudinem capessere necesse est, vt qui in sacro Inquisitionis hæreticæ prauitatis Officio versantur, sub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur.

§. 1. Cùm itaque huius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eò iam nos detrusit necessitas, vt nefariam,& scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

§. 2. Hac igitur generali constitutione de Fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siue priuatus, siue cuncta ciuitas, siue populus, siue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, aliisve ministris prædicti Officij, vel Episcoporū id munus in sua Diœcesi, aut Prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit.

§. 3. Quive Ecclesias, ædes, aliasve res, siue publicas, siue priuatas officij, aut ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit, aut libros, litteras, & auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas aliave instrumenta, siue publica, siue priuata vbicumque posita combusserit, diripuerit, seu intercerterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo, illa exportauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa, fuerit, siue res, aut personas, seruari defendive prohibuerit.

§. 4. Quive carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effregerit, vinctumque extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, raptumque eripuerit, occultauerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri, qui cœtum, cōcursumve fecerit, siue, vt aliquid prædictorum fieret, omnes accomodauerit, siue aliàs auxilium, consilium, aut fauorem, publicè, vel occultè, in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, incensum, direptumve, nullum denique damnum re ipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate præsētis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque læsæ Maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus, sæcularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, vti etiam est de damnatis hereticis, per sanctiones canonicas constitutum, eius filijs paterna infamia subiecti, & omnis, cuiuscumque hæreditatis, & successionis, & donationis; & legati, siue propinquorum siue extraneorum omninò sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prætendere possit, qui tantùm nefas contemptum, & odium huius Officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porrò de prędictis eorumque filijs statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Presbyteris sæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam exemptorum Regularibus, & quacūque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum, ita vt ipsi beneficijs,& officijs omnibus Ecclesiasticis presentiū auctoritate priuati, per iudicē Ecclesiasticum, hæreticorum more degradentur, demùm potestati sęculari traditi, penis prędictis laicorum instar subijciātur.

§. 6. Pontificum tamen causis, nobis,& successoribus nostris reseruatis, vt re quęsita, & nobis renunciata, contra eos ad depositionem,& alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur postulari.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in easdem illas pœnas, quæ in hereticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se nouerint incidisse.

§. 8. Verùm si quis etiam huiusmodi criminum conscius, vel affinis, siue Religionis studio, siue pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur.

§. 9. Cæterùm eam omnium, & quantacumque absolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habitationū,& restitutionum, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cuiusq; assumptionem ad huius dignitatis fastigiū excursu, ac precibus apud supremum Officium Inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes,& quascumq; huiusmodi absolutiones, habilitationes,& restitutiones, quæ precibus sic non verificatis de cetero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarū tenore ad verbum inserto,& gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris,& momenti.

§. 10. Iubemus igitur, vniuersos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & cæteros Ecclesiarum Prælatos, per vniuersum Orbem cōstitutos, vt per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, aut earum exempla in suis quisque Prouincijs, ciuitatibus, diœcesibus, & locis solemniter publicari, & quantum in se est, firmiter obseruari procurent, contradictores quoscumque, per censuras,& pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo ipsasque censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sęcularis.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apo-

Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, vt præsentium exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælatis sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbique locorum faciant, quam ipsę præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensę.

§. 13. Cæterùm omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladij secularis potestas ad malorum vindictam est permissa, per eam, quam se tueri promiserunt fidem obtestantur, ita suas quisque partes, siue in præstando ministris prædictis auxilio, siue in criminum post Ecclesię sententiam animaduersione, interponere, vt eorum quoque præsidijs ministri ipsi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum à Domino præmium recepturi, quòd fidei prædictę assertoribus in æternę Beatitudinis consortio præparauit.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis, statuti, decreti, iussionis, obtestationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignatione Omnipotentis Dei, ac Beatorum &c.

Datum Romę apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicę 1569 Kal. Aprilis, Pontific. nostri anno 4.

Ego PIVS V. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

F. Cardinalis Pisanus Episcopus Hostien.
Io. Card. Moronus Episcopus Portuen.
Christophorus Madrutius Episcopus Prænestin.
Otho Card. Truchses Episcopus Albanen.
A. Card. Farnesius Vicecanc. Episcopus Tusculan.
Io. Baptista Cicada Episcopus Sab. Card. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdisera.
Ego Antonius Card. Gianuelanus.
Ego Franciscus Card. Pacecus.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta. ∴
Ego Ind. de Aualos Card. Aragona.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego Ptolomeus Card. Comensis.
Ego P. Card. de sancta Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Iulius Card. Vrbinus.
Ego Fuluius Card. Perusinus. ∴
Ego Io. Riccius Card. Politianus.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Iacobus Card. Sabellus.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus. ∴
Ego F. Michael B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronymus Card. de Claraualle.
Ego Ludouicus Card. Madrutius.
Ego Innocentius Card. de Monte.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
F. Cardinalis Alciatus.
Io. Paulus Cardinalis ab Ecclesia.
A. Cardinalis Carafa.

Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu confessionis, ad actus inhonestos prouocare, & allicere tentant.

PIVS Papa IV.

Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori generali.

CVm sicut nuper, non sine animi nostri molestia accepimus, diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum ciuitatibus, & diœcesibus, curam animarum habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam prorumperint iniquitatem, vt Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Saluatori nostro IESV Christo iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitẽtes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in omnibus Diabolo tradendo, in diuinæ maiestatis offensam, animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputãdum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorũ Regnorum, ac illarum ciuitatum, diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam seculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quam super fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras; & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitatem, prout iuris fuerit punias, eos etiam si, & prout iuris fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, & hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561 Pontificatus nostri anno 2.

Confirmatio, & ampliatio constitutionis Pij IV. editæ contra Sacerdotes in confessionibus Sacramentalibus pœnitentes ad turpia sollicitantes.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuersi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur omnibus, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum: ne quòd Euãgelica scripta nos admonent, sale infatuato, nõ sit in quo saliatur & ad nihilum prosit vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiæ sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti Medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs siquidè à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt

narunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet, PIVS Papa IV. venerabili fratri Archiepiscopo Hispalē.in Regnis Hispaniarum hęreticę prauitatis Inquisitori Generali. Cùm sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum ciuitatibus, & diœcesibus curam animarū habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis cōfessionibus pęnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem vt sacramento Pœnitentiæ, in actu audiendi confessiones, abutantur, nec illi, & qui id instituit, Domino Deo, & Saluatori nostro IESV Christo iniuriā facere vereantur, mulieres videlicet, pęnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum, per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro recōciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in diuinæ Maiestatis offensā, & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequentes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes, dictorum Regnorum, ac illarum ciuitatum, & diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tā seculares, quàm quorumuis etiā exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorū Ordinum Regulares cuiuscumque dignitatis status gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quam super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, si, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam Motu proprio, aut aliàs, quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs, quibuscumque. Dat. Romæ apud S.Petrū sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno secundo. Igitur, vt litteræ prędictę perpetuis futuris temporibus, & vbique locorū inuiolabiliter obseruentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de cōsilio venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium contra hęreticam prauitatem generalium Inquisitorum, pręinsertas litteras huiusmodi, ac omnia, & singula, in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore presentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicę firmitatis robur adiicimus, illasque non solū in prædictis Regnis Hispaniarū, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus, firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus. Ac prætereà, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singulos Sacerdotes, tam sæculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorū Ordinum, Institutorum, Societatum, & Cōgregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentię, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illę sint, ad inhonestos, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa cōfessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio sanctę Inquisitionis seuerissimè, vt infrà puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani, in suis quemque diœcesibus, & territorijs, per has nostras litteras, etiam priuatiuè, quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout, in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs suspen. ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcūque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint; exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant: eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita pręcedente degradatione, Curiæ sęculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesię Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum impunitum (cùm difficilis sit probationis) testibus, etiam singularibus, concurrentibus pręsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari, vt præfertur, reum tradendum esse pronunciandi. Non obstan. omnibus, quæ dictus prædecessor in suis litteris prędictis voluit nō obstare, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Mandantes omnibus Confessariis, vt suos pęnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt suprà solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis, quod si hoc officiū prætermiserint, vel pænitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra; iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpę punire non negligant. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà, vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem pręsentes litteras, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatę fuissent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

Iurisdictio Inquisitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ sacramentum ministrant.

GREGORIVS Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

OFficii nostri partes sedulò præstare tenemur, vt dubia, quæ variis Doctorum opinionibus, hinc inde diuersa sentientibus agitantur, ad iurisdictionem sanctissimi Officii Inquisitionis hæreticæ prauitatis pertinent; nostræ declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, vt nulla cuidam dubitandi occasio imposterum relinquatur.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper peruenit, multos esse, qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones audire, ac absolutionem impartiri, ac si fuerint, per Officium sanctissimę Inquisitionis hæreticæ prauitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animaduertendum sit, ac hi, qui talia patrauerint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temere audent proferre, etiam sæculares eorum Sacramentorum ministros esse posse; non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni.

opinioni. Vnde plerumque per eorumdem Regnorum Inquisitores, diuersa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, vt omnibus difficultas, dubitatioque tollatur, animaduertentes eos, qui Presbyteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quæ solos Presbyteros ministros eorundem Sacramentorum constituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimauit, committi voluit, eorum, qui in Presbyteratus Ordine non constituti Missas celebrant, ac confessiones audiunt, vt præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquisitionis officium, & Inquisitores ante dictos pertinere, & quod huiusmodi delicti ratione, aduersus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquisitores prædicti valeant Apostolica auctoritate præsentium tenore, perpetuò declaramus, & diffinimus.

§. 2. Et ita ab omnibus, & singulis Ordinariis, & delegatis iudicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alia iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon iuribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticisque sanctionibus, ac statutis, & consuetudinibus ciuitatum, & locorum quorumcumque dictorũ Regnorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis forsan per nos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusius verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia: seu de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad supplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum concessis, & confirmatis, quibus omnibus illorũ tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus. Cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti anno à Natiuitate Domini 1574. Pontificatus autem nostri anno 3.

Quòd Inquisitores hæreticæ prauitatis, & locorum Ordinarij, eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Missas celebrant, vel sacramentum Pœnitentiæ ministrant, præuia degradatione, Curiæ sæculari debitis ab ea plectendis pœnis tradant.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ET si aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorumdam hominum temeritatẽ coercendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti sint, Sacerdotii tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem vsurpare, & sacramentũ Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreuerit, huiusmodi delinquentes a sanctæ Inquisitionis iudicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animaduersione puniendos.

§. 1. Et postea fel. rec. mem. Sixtus Papa IV. etiam Prædecessor noster, prædictum Pauli IV. decretum innouari, ac seriò obseruari mandauerit, eò tamen dictorum hominum promptiori audacia, vt prætextu ignorationis huiusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, vt præfertur, inflictarum, & illis se minimè subiacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolui posse prætendant.

§. 2. Nos igitur animaduertentes, huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotos, Missarum celebrationem vsurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere, vt Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrunt, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solùm sacramenti pœnitentiæ dignitatem cõtemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumit gradũ sacerdotalẽ, & auctoritatẽ absoluẽdi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, vt grauissima hæc scelera committentes, post hac debitis supplicio puniantur. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, S. Inquisitionis iudicium conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, prouidere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura constitutione decernimus, atque statuimus, vt quicũque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpasse, vel sacramentalem confessionem audiuisse, à iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquã Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abiiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per iudices sæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clausis. Quibus omnibus & singulis, illarumtenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Vt autem huiusmodi constitutionis ignorantia de cætero a llegari, aut prætendi numquam possit, ac præsentes litteræ omnibus innotescant. Volumus, illas ad valuas S. Ioãnis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiã impressa ibi affixa relinqui, factaque huiusmodi publicatione, omnes, qui in Vrbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes post quatuor mẽses, qui demùm vltra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Ac præterea mandamus earumdem præsentiũ litterarum exemplis etiã impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quę hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1601. Pontific. nostri anno 10.

Ampliatio constitutionis à Clemente VIII. contra non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari præuia degradatione tradendos edita ad omnes etiam minores viginti quinque annis, dummodo vigesimus ætatis annum compleuerint.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APOSTOLATVS officium, cui meritis, licèt imparibus, disponente Deo, præsidemus, à nobis postulat, vt quantũ nobis ex alto cõceditur, delinquendi fiduciam compescamus, in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, vt sub beneficio minoris ætatis, Apostolicis constitutionibus confoneant in delictis; quorũ statutis pœnis se idcirco iactant, minimè subiacere. Aliàs siquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet.

CLEMENS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Et si aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coercendam, qui cũ ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem vsurpare, & Sacramentum pœnitentiæ ministrare præsumunt; decreuit huiusmodi delinquentes à sanctæ Inquisitionis iudicibus tradi debere Curię sæculari, debita animaduersione puniẽdos, & postea fel.

rec.

rec. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster prædictum Pauli Papæ IV. decretũ innouari, ac serio obseruari mandauerit: eo tamẽ dictorum hominum prorupit audacia, vt prætextu ignorationis huiusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, vt præfertur, inflictarũ, illis se minimè subiacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolui posse prætendant. Nos igitur animaduertens, huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem nõ promotos Missarum celebrationem vsurpare præsumentes, non solùm actus idololatrię, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam (quantum in ipsis est) efficere, vt Christi fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & ritè conficere sacramentum Eucharistię, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicèt panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri Corpus & Sanguinem eisdem adorandum proponentes: Confessiones autem audientes, nun solùm sacramenti Pęnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiã Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum sacerdotalẽ, & auctoritatem absoluendi a peccatis magno cum periculo, & scandalo plurimorũ. Propterea vt grauissima hæc scelera committẽtes, post hac debito supplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, S. Inquisitionis iudicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pęna hisce delinquentibus imponẽda dubitari possit, prouidere volentes, supradictorum Prædecessorũ nostrorum vestigijs inhærentes, hac perpetuo valitura cõstitutione decernimus, atque statuimus, vt quicumque nõ promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarũ celebrationem vsurpasse vel sacramentalem confessionem audiuisse, à iudicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs, tãquam Ecclesiæ misericordia indignus, a foro Ecclesiastico, abijciatur ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per iudices sæculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Concilio etiã generalibus editis, etiam in corpore iuris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum ten. pro sufficiẽter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expresè derogamus; cęterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem huiusmodi constitutionis ignorantia de cętero allegari, aut pręttendi nunquam possit; atque vt præsentes litteræ omnibus innotescãt, volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorũ de vrbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque ijs inde amotis, earumdem exempla, etiam impẽsa, ibi affixa relinqui factaque huiusmodi publicatione, omnes, qui in vrbe post mensẽ, qui verò extra eam, & citra mõtes post quatuor menses, qui demùm vltra montes fuerint, post decem menses à die publicationis pręsentium computandos, afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet intimatæ fuissent personaliter. Ac prætereà mandamus, earumdem præsentium litterarum exemplis etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quę hisce pręsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Decembris 1601. Pontificatus nostri anno decimo.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli priuilegio minoris ætatis, nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pęnas à D. Clementis prædecessoris constitutione in huiusmodi delinquentes statutas paruipendere præsumant, Nos detestantes, & quantum in nobis est, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quę solos Præsbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnat: negotio huiusmodi in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctę Romanę Ecclesię Cardinalium Generalium Inquisitorum coram nobis habita maturè discusso, inhęrentes cõstitutioni prędictę alijsque decretis per fel. record. Pauli IV. & Sixti V. Romanos Pontifices prædecessores nostros cõtra similia perpetrãtes editis, eaque etiam ad effectum prędictum matura deliberatione, deque Apostolicę potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac nostra perpetuò valitura cõstitutione statuimus, & decernimus, vt decętero perpetuis futuris temporibus, qui imposterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus, Missam celebrare, aut sacramentalem Confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis viginti quinque non excusetur, quo minus eidem Clementis cõstitutioni subijciatur, dummodo vigesimum suæ ętatis annum compleuerit, ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, siue laicus, siue Clericus sæcularis, aut cuiusuis Ordinis, Cõgregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ regularis, aut cuiusuis alterius instituti, etiã quantumuis exempti, & priuilegiati, nobisq́; & Apostolicæ Sedis immediatè subiecti, necnon militiarum quarumcumque, etiã sãcti Ioãnis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ seculari pęnis debitis plectendus, sicque & non aliter per quoscumque sanctæ Inquisitionis iudices, & Inquisitores, etiã Generales sanctæ Romanę Ecclesię Cardinales, & locorum Ordinarios (sublata eis, & eorũ cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter contigerit, attentari, decernimus. Quo circa omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tẽpore quomodolibet spectabit, in virtute sanctę obedientię, districtè pręcipiendo, mandamus, quatenus statutũ, decretum, & cõstitutionem hanc nostram inuiolabiliter obseruẽt, & obseruari faciant. Nõ obstantibus cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Concilijs, etiam generalibus, editis, etiam in corpore iuris clausis, necnon legibus, statutis, decretis, consuetudinibus, & priuilegijs ad fauorem minorũ vigintiquinque annis, quomodolibet, & vbicumque locorum editis, ac aliàs in ipsorũ fauorem facientibus, Apostolica etiam cõfirmatione, ac iuramento, seu quauis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & singulis illorum ten. præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habẽtes, specialiter, & expresè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem harum litterarum publicationem, & affixionem fieri iuxta formam in prędicta Clementis constitutione præscriptam, easque publicatas, & affixas omnes intra vrbẽ, & extrà, tam citra quã vltra mõtes, & mare, post tempus in ipsa Clementis cõstitutione præfixum, arctare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimatę fuissent. Mandamus pariter, vt earumdem transumptis etiam impressis, manuque Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sãctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem, quæ pręsentibus hisce adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus nostri anno 5.

M. A. MARALDVS.

Contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationem genera, librosque legentes, vel tenentes.

SIXTVS Episcopus, seruus seruorum Dei,

Ad perpetuam memoriam.

COELI, & terræ creator Deus, quem vnum Omnipotentẽ corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutẽ, etsi homini quem ad imaginem, & similitudinem suã creauit, mentem dederit, quę nõ solùm diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quę humanam intelligentiam superant, sed etiam naturę suę vi, magno licèt cum labore, pręclara multa inuestigaret, atq; intelligeret, tamen vt superbum animal homo non altũ saperet, sed timeret, & immensam conditionis sui maiestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quę euentura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reseruauit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse qui vocat ea, quę non sunt, tanquam ea, quę sunt, omnia pręsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia, & singula quęcũque, totius temporis decursu, & sęculorum ętatibus futura sunt, ab omni ęternitate nouit, & admirabili prouidentia disposuit, quę nõ modò humanę mentis imbecillitas ignorat, sed nec dęmones ipsi pręsentire possunt. Quare idolorum in futuris anounciandis fallitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatẽ irridet. Spiritus sanctus apud Isaiam illis verbis:

bis: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos*; & in nouo Testamento Christus Dominus, discipulorum suorum de futuris euentis paulò cupidiùs inquirentiũ, interrogationem graui illa responsione reuidit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit, *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris euẽtibus ex naturalibus causis necessario, vel frequẽter prouenientibus, quę ad diuinationem non pertinent, duntaxat exceptis) vllæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, siue quod expressè ad futura manifestãda inuocentur, siue quod ipsi prauitate sua, & odio in genus humanũ, occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipsis cognita sunt non diuinitate aliqua, nec vera futurarum scientia, sed naturę subtilioris acumine, & alijs quibusdã modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandũ non est in huiusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentum inquisitione, & præcognitione, Diaboli operationem se fallaciter immiscere, & sua fraude, ac dolis, miseros homines à via salutis auertat, & laqueo dãnationis inuoluat. Quæ cùm ita sint, nonnulli hæc fideliter, & religiosè, vt debent, non attendentis, sed curiosa sectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes tales in primis sũt Astrologi, olim Mathematici, & Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam, falsamque syderum, & Astrorũ scientiam profitentes, diuinæque dispositionis ordinationem, sub tẽpore reuelandam præuenire audacissimè satagentes, hominum natiuitates, seu genituras, ex motu syderum, & Astrorũ cursu metiuntur, ac iudicant futura, siue etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, siue quauis alia, temporũ, & momẽtorum in vanissima obseruatione, & notatione, de vniuscuiusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, diuitijs, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cædibus, varijs discriminibus, alijsque prosperis, & aduersis casibus, & euentibus præcognoscere, iudicare, & affirmare temerè præsumunt, nõ sine magno periculo erroris, & infidelitatis; cùm sanctus Augustinus præcipiuũ Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc obseruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianã fidem, & Baptismum præuaricasse affirmet, vt illos meritò Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obseruatis, & menses, & tẽpora, & annos, timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Hi igitur leuissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, graue fidelium scãdalum, & Christianæ fidei detrimentũ, futuros rerum euentus, & quęcumque prosperè, vel aduersè obuenturę sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscũtur, Astris, syderibusque ascribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad pręcognita ita inclinandi, vt sic omnino, nec aliter euẽtura sint, atque ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palã vendicare nõ dubitant, quibus pauci rudes, & imperiti, alijque nimis creduli, & imprudentes tantã fidem pręstãt, vt ex huiusmodi iudiciorum & prædictionum pręscripto, aliquid certò esse credãt, aut sperent, quorum sane, & mendacium Magistrorũ temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis litteris admoniti nõ intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, & stellæ, & clarissima cęli sydera, sol, & luna, Deo ita disponente, nõ imperant, sed inseruiunt; sic enim Moyses populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat, Ne fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra cęli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministeriũ cunctis gentibus, & quę sub cęlo sunt: sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonnè nobilissima intelligentia Angeli ipsi omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis? nam rationales oues ita diligit Deus, vt non solùm Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiã Angelos destinauerit. Præclarè etiam S. Hieronymus. Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersùs Angelorum custodiam, tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quę enim ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco prætereunda est eximij Ecclesiæ Doctoris, & Beatiss. Pontificis magni Gregorij sentẽtia, qui Priscillianistas hæreticos vnumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putãtes magno rerum & verborum pondere confutat. Absit inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid esse fatum dicant, vitam quippè hominum solus hanc conditor, qui creauit, administrat. neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factę sunt, & si stellas fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministerijs subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei moniti obtemperarent in Leuitico dicentis, Non declinetis ad maghos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Neque enim quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio inuestigarent, ijsdem miserè se decipi, atque irretiri pateretur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarũ aliarum rerum notitiam adeo anxiè habere student, vt ab eadem prænoscenda, & inuestiganda in diuinæ legis offensione multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantię, Chiromantię, Necromantię, alijsque sortilegijs & superstitionibus, non sine dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum, triticorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes; quibusdam augurijs, auspicijs, similibusve signis, & vanis obseruationibus ad futurorum diuinationem intendunt alij autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactũ faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent; circulos, & diabolicos characteres describunt, dæmones inuocant, aut consulunt, ab eis respõsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes aliave sacrificia offerunt, cãdelas accẽdunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut sacramẽtalibus sacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obsequia pręstant, cultum venerationemve tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut paruas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, seu includẽdos, vt putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus dæmones, de futuris, vel occultis rebus aut factis exquirunt, vt meritò ab eis quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendacesque referant responsiones: Alij quoque præstigiatores, frequentiùs verò mulierculę quædam superstitionibus deditæ, in phialis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis etiã benedictis sub nomine Angeli sancti, & albi Diabolum omniũ malorũ fautorem supplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, vt similiter futura, vel occulta quæuis spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones, sibi ostẽdat, aut ab eodem Patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs superstitiosis obseruationibus futurorum, & occultorum huiusmodi veritatem quęrunt, & hominũ prædicere contendunt. Quorum omnium, quos suprà enumerauimus, cõsimilis impietas parem exitum habet, nimirũ, quod Dæmonis præstigijs, ac dolis tùm qui diuinant, tùm qui diuinationem expetunt illusi, ac delusi, miserrimè reperiuntur. Itaque cùm futuros euentus in seipsis considerare antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, vt Astrologi, & alij prędicti, qui huiusmodi futura pręnuntiare, aut pręnoscere quocumque modo, nisi Deo reuelante, audent, iniustè, atque impudenter, quod Dei est, sibi assumant, & vsurpent; sic fit, vt dum ab eis, quod solius est creatoris, perperam creaturis tribuitur, diuina maiestas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, animabus pretio Christi sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licèt iampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter

cetera

cætera constitutum fuerit, vt Episcopi diligenter prouiderent, ne huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices, legerentur vel haberentur, qui de futuris contingētibus, successibus, fortuitisve casibus, aut ijs actionibus, quę ab humana voluntate pēdent, certo aliquid euenturū affirmare audent, permissis tamen iudicijs, & naturalibus obseruationibus quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuādæ gratia conscripta fuissent, libros verò omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantię, siue in quibus continētur sortilegia, veneficia auguria, auspicia incantationes artis magicæ, prorsus reijci, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusum prædictorū extirpationis, vsque adeò prouisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cùm valdè frequenter detectis Diaboli insidijs, diuinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam cōseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantū diuina gratia adiutrice possumus ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes & reprobātes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore, ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes prętereà sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatē, præsertim vbi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidētia, ab omni erroris labe, integrā atque incorruptam, vt par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac huiusmodi illicitarum diuinationum, & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitijs, atque impuritatibus occurrere; vt de Christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est, Non est auguriū in Iacob, neque diuinatio in Israel. Hac perpetuò valitura cōstitutione, Apost. auctoritate statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ iudiciariæ Astrologię artē, pręterquam circa agriculturā, nauigationem, & rem medicam imposterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris cōtingentibus, successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certo affirmare asserant, aut protestētur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue sciētias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, quive huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hęreticę prauitatis, vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos seueriùs Canonicis pęnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

§. 4. Prohibentes, omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantię, Necromantię, Artis magicę, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, aut vt supra in memorato Indice interdictos sub cēsuris, & pęnis in eo contentis à quibuscūque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorū, vel Inquisitoribus prædictis pręsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinētes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 6. Vt autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiā faciliùs deducantur, iubemus, illas in valuis Basilicarum S. Io. Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper vniuersis, & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinarijs, & Pręlatis, necnō Inquisitoribus hæreticę prauitatis vbilibet cōstitutis per hæc committimus, & virtute sanctæ obedientiæ districtè pręcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios easdē præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiā habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesijs dum in eis populi multitudo ad Diuina cōuenerit, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Qui verò difficilè foret præsentes litteras ad singula quęque loca, in quibus de eis fides faciēda erit, deferri, volumus vt earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis aut alicuius Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique locorum, adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno 1.

Contra Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, necnon eos, qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innouatione similis constitutionis Sixti P. V.

VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu diuino recōdita, & ipsis Beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate, nō solùm explorare, sed etiam tamquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo vendicare præsumat.

§. 1. Hinc est, vt quamuis ciuilibus, Canonicisque sanctionibus, ac nouissimè fel. rec. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri cōstitutione desuper edita Astrologorum, Mathematicorū, vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, seu pędicare audent, quosque vti homicidas, & maleficos antiquitas æstimauit illorum potissimū, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute, iudicia ferre præsumerent, ars, professio, siue exercitium grauibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accepimus nonnulli iniquitatis filij proprię pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniuentia, & audentiores facti, vanâque fatidicorum ęstimationem aucupantes, in deplorandam animarū suarum perditionem, graueque Christi fidelium scandalum, etiam de Reipublicę, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occasionem ea ratione inferre satagēres, prognostica, & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

§. 2. Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus quantum nobis ex alto cōceditur obuiam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & seuerioris disciplinæ fræno coercere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicę potestatis plenitudine, constitutionem per pręfatum Sixtum Pędecessorem desuper, vt præfertur, editā Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.

§. 3. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis cuiuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis etiam Marchionalis, vel Ducalis existētibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existētis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè cōsanguineorum Mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Astrologiā iudicariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes, de cætero consuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, pędictiones, seu pręcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui obstenderint, necnon ijsdem Mathematicis ariolis aruspicibus, vaticinatoribus, siue alijs Astrologiam iudiciariā, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profiteri: qui iudicia, prognostica, seu pręcognitiones, & pędictiones super pęmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur,

tur,fecerint,siue à se,vel ab alijs iam facta, seu factas in posterũ penes se similiter retinuerint,vel alicui dederint,seu ostẽderint: aut de eis quouis modo etiam improbando scripto, vel verbis tractauerint,ne dum excõmunicationis maioris latę sententię, sed etiam vti læsę Maiestatis reis,vltimi supplicij,ac cõfiscationis omnium bonorum etiam Romanę Curię officiorũ, ac deuolutionis quarumcunque ciuitatum, castrorum, & locorum iurisdictionalium, & feudalium.

§.4. Clericis quoque,& Presbyteris, alijsque personis Ecclesiasticis,tam sęcularibus,quam cuiusuis Ordinis,Congregationis,Societatis,seu instituti,vel militiarum quarumcunque, etiã Hospitalis sancti Io. Hierosolymitani, alijsque quomodolibet exẽptis, ac nobis,& Apostolicæ Sedis immediate subiectis,Regularibus vtriusque sexus,vltra prędictas,etiam priuationis beneficiorum,& dignitatum,ac officiorum Ecclesiasticorum,etiã Monasteriorum, Prioratuum,Præceptoriarũ, ac aliorum quorumcumque,& inhabilitatis perpetuę ad illa imposterum obtinenda,ita quòd personę Ecclesiasticæ præuia illarum degradatiune Curię sęculari tradantur puniendę; in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali,aut quacumque alia etiã superiori Ecclesiastica vel mundana quãtumuis,sublimi,excellente,& speciali nota digna,etiã suprema constitutis dignitate,easdem excommunicationis,ac priuationis etiã regiminis,& administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantũuis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurren. Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

§.5.Cognitionem autem causarum huiusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tã sæculares, quàm regulares,in vrbe nostra & illius districtu ad dilectos filios nostrum eius Vicariũ in spiritualibus generalem, necnõ eiusdem vrbis Gubernatorem,ac causarum Curiæ Camerę Apostolicę Auditorem generalem,& eorum quemlibet insolidum; extra verò vrbem,& districtum prædictum in Prouincijs,nobis,& Apostolicæ Sedi subiectis S. R.E.Cardinales in eisdẽ Prouincijs de latere Legatos, & Prolegatos,ac Pręsides in dignitate Ecclesiastica cõstitutos,pro tẽpore existẽtes,in alijs verò omnibus,& singulis Prouincijs,Regnis ciuitatibus,oppidis,castris,& locis,tam sub nostra,& dictę Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione comprehensis, priuatiue quoad omnes etiã Superiores Religiosorum,ipsisque Superioribus penitus exclusis,ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad hęreticę prauitatis Inquisitores spectare volumus.

§.6.Mandantes dilectis filijs nostris,& dictæ Sedis de latere Legatis,& eorum Vicelegatis,& Præsidibus prædictis nunc,& pro tempore existentibus,necnon venerabilibus Fratribus,Patriarchis,Archiepiscopis, & Episcopis singulis,videlicèt in suis ciuitate,& diœcesi,& quoad loca intra fines alicuius diœcesis,nõ tamen de diœcesi existentia ipsarum diœcesum,intra quarum fines eadem loca extiterint:quo verò ad ea,quę extra fines alicuius diœcesis cõsistunt,vicinioribus eorumdem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquisitoribus prædictis quatenus ad istantiam cuiusuis fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorũ officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusuis alijs supra non expressis, nec à nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis inuocato etiam auxilio brachij sæcularis.

§. 7. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium,Metropolitanorum, Patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum,& locorum Regularium,Societatum,& Institutorum, ac etiam Hospitali prædictorum Superioribus, Conuẽtibus,& Fratribus quantumuis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum, quorũcumque per eos respectiuè obtẽturum,ac similiter inhabilitatis ad alia in futurũ obtinenda,vocisque actiuæ,& passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrẽdis pœnis, Ordinarios,locorum,necnon Legatos,seu Vicelegatos,aliosque prædictos in causis huiusmodi procedẽtes quoquomodo impedire,molestare,seu perturbare audeant,vel præsumant,ac etiã mãdantes,vt quoties ad id fuerint requisiti,Religiosos ipsos, etiãsi alicuius loci Regulari Superiores actu fuerint Ordinarijs,Legatis, seu Vicelegatis,ac alijs prædictis, seu quibus ijdem mandauerint, cõsignent cũ scripturis, & actis,si quæ facta fuisse reperiantur.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque iudices Ordinarios,delegatos, & Commissarios,ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos,Præsidentes,necnõ causarum palatij Apostolici,& Curiæ eiusdem Cameræ Generalem, Auditores,ac S. R.E Camerarium & alios Cardinales etiã de latere Legatos, necnon Vicecamerarium,sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate vbiq; iudicari,& definiri debere, irritũ quoque, & inane, si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero Septuagesima, & alijs Cancellariæ Apostolicę Regulis,ac Prouinciarum Regnorum, ciuitatum,terrarum oppidorum, locorum,Ecclesiarũ, Monasteriorum,Militiarum,Hospitalium,etiam S.Ioannis prędictorum,aliorumque Religiosorum,& piorum locorum,etiam iuramẽto,cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliaroboratis statutis, & cõsuetudinibus,priuilegijs quoque,indultis, & litteris Apostolicis eisdem Prouincijs, Regnis, ciuitatibus, terris, oppidis,locis,Ecclesijs,Monasterijs,Hospitalibus,& militijs prædictis,& alijs pijs locis,ac illorũ Vniuersitatibus,Capitulis,Superioribus, & personis in cõtrarium,forsan quomodolibet concessis, approbatis,& innouatis. Quibus omnibus, & singulis,etiamsi de illis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica,expressa,& indiuidua,ac de verbo ad verbum,nõ autem per clausulas generales idem importantes,mentio,seu quæuis alia expressio,aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret eorum omnium tenores,ac si de verbo ad verbum inferrentur,præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,ac vice dumtaxat specialiter,& expresse harum serie derogamus,cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, quòd præsentes litteræ in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,ac Cancellariæ Apostolicæ,necnon in acie Campi Florę publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixę, & publicatę fuerint,quoscumque,tam in statu nostro tẽporali, quàm extra eum,vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque earum exemplis,etiam impressis,manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadẽ prorsus fides in iudicio, & extra, vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ,vel ostensę.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis,confirmationis, innouationis, inflictionis,impositionis,inhibitionis,decreti,derogationis,& voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserint, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum,anno Incarnationis Dominicæ Kalend. April. Pontificatus nostri anno octauo 1631.

Quòd Itali extra Italiam non habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus,siue vsus Catholicæ Religionis non existat.

CLEMENS Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM,sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diuersis Italiæ partibus, eorũ Patrijs, vbi vera, & sancta Catholica,& Apostolica Religio viget,& publicè prædicatur,descendentes,abeant in lõginqua loca,vbi nõ solùm hęreses impunè grassantur, sed,quod peius est Catholicæ Religionis vsus publicè interdicitur,& prohibetur,quo fit,vt personæ ibi permanentes,etiam si Catholicæ sũt, cogantur tamen contra eorum pia desideria sacrosanctę Missę sacrificio,alijsque diuinis Officijs, ac sanctorum Sacramentorũ perceptione in suarum animarũ discrimen diutiùs carere.

§. 1. Quare nos,his,& alijs malis,& periculis inde prouenientibus,quantum cum Domino possumus obuiare cupientes,hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, vt de cetero nullus Italus,siue mercator, siue cuiusuis alterius cõditionis,vel status existat,quouis quęsito colore,prętextu, vel ingenio audeat habitare,vel domiciliũ tenere in ci-

uita-

uitate oppido,seu loco, vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore,seu Sacerdote Catholico nō existat,in qua liberè,& sine omni periculo palam,publicè celebrari,& audiri possint sacrosanctæ Missæ,& alia diuina Officia, & conciones ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari,mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri,iuxta Ritum S.Romanæ Ecclesiæ.

§. 2. Vtque ijdem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus,& ab hæreticorum sepulturis,filios suos de sacro fonte leuari per hęreticos non permittant, nec ipsi vicissim hęreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præsumant, Medicorum quoque hæreticorum opera,necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici Medici idonei,non vtantur.

§.3.Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandū, seu inhabitandum,in partibus prædictis,id significent suis Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorū à quibus seriò admoneātur, vt in eis perpetuò Catholicam,& Orthodoxam fidem constāter retinentes,& profitentes,piam,& catholicam vitam ducāt, Dominicos,& festos dies,abstinētias,& sacra ieiunia ab Ecclesia pręcepta religiosè colant, atque omnē heresim, & errorem hereticos schismaticos,& ab Orthodoxa fide aberrātes fugiāt, & euitent, ac vt saltem singulis annis de eorū sacramētali peccatorum confessione,& sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta,fidem, seu testimoniū ipsis Ordinarijs,vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præsentium teneri , & obligatos esse decernimus, & mandamus.

§. 4. Quòd si quis proprię salutis immemor, contra pręmissa facere presumpserit,possit aduersùs eum per locorum Ordinarios,& Inquisitores hęreticę prauitatis,vti de heresi suspectum procedi.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,cęterisque contrarijs quibuscumque.

§.6. Volumus autem,vt earumdem pręsentium transumptis, etiam impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis,eadē prorsus fides in iudicio,& extra adhibeatur , quę ipsismet præsentibus haberetur,si essent exhibitę,vel ostensę.

Datum Romę apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris,die vigesimasexta Iulij, millesimo quingentesimo nonagesimosexto, Pontificatus nostri anno quinto.

Contra hæreticos in locis Italiæ, & Insularum adiacentium quouis prætextu commorantes, eorumque fautores.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pōtificis B.Petri Apostolorum Principis successoris munus exigit,vt pro incumbente Dominici gregis cura, & solicitudine Prędecessorum suorum constitutiones, eas præsertim, quę ad sacrosanctę fidei Catholicæ conseruationem pertinēt,quò suum perpetuum sortiantur effectum, & inuiolabiliter obseruētur,innouet,& extēdat,prout rerum, & temporum qualitatibus debitè compensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prędecessore nostro emanarunt litterę tenoris sequentis, videlicet;

CLEMENS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam, Cùm,sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diuersis Italię partibus eorum Patrijs,vbi vera,& sancta,Catholica,& Apostolica Religio vigēt,& publicè prædicatur, decedentes, abeant in longinqua loca,vbi non solùm hæreses impunè grassantur,sed,quod peius est,Catholicæ Religionis vsus publicè interdicitur,& prohibetur quo fit,vt personæ ibi permanentes,etiam Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria sacrosanctæ Missę sacrificio,alijsque diuinis Officijs,ac sanctorum Sacramentorū perceptione in suarum animarum discrimen diutius carere. Quare nos his,& alijs malis,& periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino possumus,obuiare cupientes,hac nostra in perpetuū valitura constitutione statui mus,& ordinamus,vt de cętero nullus Italus,siue mercator,siue cuiusuis alterius conditionis,vel status existat,quouis quæsito colore, prætextu , vel ingenio audeat habitare, vel domiciliū tenere in ciuitate, oppido,seu loco, vbi aliqua Ecclesia cū Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico nō existat,in qua liberè,& sine omni periculo palàm,& publicè celebrari,& audiri possint sacrosanctę Missæ,& alia diuina Officia,& cōciones , ac Sacramēta Ecclesiastica ministrari,mortuorum corpora sepeliri,& cætera fieri, iuxta Ritum S.R.E. vtque iidē Itali abstineant à matrimonijs cum hæreticis mulieribus,& ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte leuari per hæreticos non permittāt, nec ipsi vicissim hæreticorum filios , nisi per Catholicum Sacerdotē Catholico more baptizentur , leuare præsumant. Medicorum quoque hæreticorū opera , necessitate cessante,& vbi adsit copia Catholica Medici idonei,non vtantur. Cùm verò Itali prędicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prędictis, id significēt suis Ordinarijs,vel Inquisitoribus locorū à quibus seriò admoneātur , vt in eis perpetuò Catholicam,& Orthodoxam fidem constanter retinentes,& profitentes,piam,& Catholicam vitam ducant,Dominicos,& festos dies,abstinētias,& sacra ieiunia ab Ecclesia præcepta religiosè colāt, atque omnem hęresim, & errorē,Hęreticos,Schismaticos,& ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant,& euitēt,ac vt saltem singulis annis de eorum sacramētali peccatorū confessione,& Sanctissimę Eucharistię perceptione per eos facta, fidem,seu testimonium ipsis Ordinarijs, vel Inquisitoribus in Italiā transmittant , ad quod & Nos dictos Italos tenore pręsētiū teneri,& obligatos esse decernimus, & mādamus. Quòd si quis propriæ salutis immemor cōtra pręmissa facere presumpserit,possit aduersùs eum per locorum Ordinarios,& Inquisitores hæreticæ prauitatis,vti de heresi suspectum procedi. Nō obstantibus cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis , cęterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem,vt earumdem præsentium trāsumptis etiā impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo personę in dignitate Ecclesiastica cōstitutæ munitis,eadem prorsus fides in iudicio,& extra adhibeatur,quæ ipsismet præsentibus haberetur,si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 26. Iulij 1595. Pontificatus nostri anno quinto.

Nos inuiolabili dictarum Clementis litterarū,& in eis contentorum quorumcumque obseruationem, quantū Nobis ex alto cōceditur,per amplius prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia,ac matura deliberatione nostris,deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura cōstitutione easdem Clementis Prędecessoris litteras , cū omnibus,& singulis in eis cōtentis,tenore præsentium approbamus & confirmamus,illasq;innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus. Insuper,ne vllus hæreticus in locis Italię , & Insularum adiacentium,neque etiam sub commercij,& mercimonij,aut alio quouis prętextu domicilium contrahere,seu domū apertam habere propriam,vel conductam,aut gratis concessā, seu habitare,aut morari possit,earumdem tenore præsentium prohibemus,ac respectiuè statuimus,& ordinamus. Contra prohibitiones autem,ac statuto,& ordinationi nostris huiusmodi non parentes,seu cōtrauenientes cuiusuis status,gradus , Ordinis,dignitatis,tam Ecclesiasticæ , quam sæcularis existentes, iuxta formam iuris procedatur , & puniantur. Et simili modo eos,qui hæreticos prædictos receptauerint,eisque quoquomodo contra præsentium litterarum tenorem,fauorem,opem,seu auxilium præbuerint,vti fautores,& receptatores hæreticorum puniri,sicque per quoscumque Iudices ordinarios,& delegatos etiam S.R.E. Cardinales , & de latere Legatos(sublata eis , & eorū cuilibet quauis aliter iudicādi,& interpretandi facultate , & auctoritate)vbique iudicari, & diffiniri debere,ac irritum,& inane,si secus super his à quoquam quauis auctoritate sciente vel ignoranter contigerit attētari,authoritate,& tenore predictis decernimus,& declaramus . Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis , cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem,quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subcriptis,& sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio,& extrà,quæ præsentibus adhiberetur,si forēt exhibitę,vel ostensę quodque eædem , præsentes post duos mēses à die illarum publicationis computandos,omnes & singulos,ad quos spectat,atcēnt,& afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatę fuissent.

Ttt Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1621. Pontificatus nostri anno secundo.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

Reuocatio facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquomodo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Officium Sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinentes.

PAVLVS Episcopus, seruus seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ Prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, proinde pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prędecessor noster sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinauit, & declarauit quòd ex tūc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticę prauitatis tam generales quā in quibusuis Prouincijs, ciuitatibus, oppidis, terris, & locis pro tēpore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicātium Professores, & Religiosos ac etiam alios quoscumq. quouis modo priuilegiatos, exemptos, de heresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles dummodo, ab eorundem professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultates Officij Inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundùm Canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in litteris ipsius Prædecessoris latiùs continetur.

§. 2. Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ huiusmodi ea, qua decet diligentia, cognoscantur. Nos de consilio venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorū illa de medio tollere volētes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura constitutione omnia & quæcunq, priuilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumq; Ordinum, siue Mēdicantium, siue Clericorum Regularium, cuiusuis Ordinis, & instituti, etiam in dicta constitutione nō expressorum, & quantumuis exemptorum, & quocumq, nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumq; Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum Officiū quouis modo spectantes, cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habēda esset, pręsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica authoritate tenore pręsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cæteru quouis quæsito colore, vel prætextu prætensionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi an delationes huiusmodi calumniosæ sint, necne in eisdem causis, tam motis, quàm mouēdis, quoquomodo se intromittere, & immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expresśe mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum viciniorbus liberè denūciare, absque eo, quòd Superiores prędicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum Officium quomodolibet spectātes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis huiusmodi in quibuscunque locis existentibus, ac contra quoscumq; Religiosos, vt præfertur, exemptos, motas, & pendentes ad nos harum serie auocamus, easque omnes in statu, & terminis in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius prauitatis Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus terminandas committimus.

§. 5. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu Ordinarijs prædictis respectiuè remittant, & consignent, necnon Professores, Fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos etiā in visitatione esse nouerint absque alia consultatione cum proprijs Superioribus facienda eisdem Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus respectiuè denuncient.

§. 6. Quod si Generales, alijque prædicti præsentibus litteris non paruerint, eos omnes priuationis quarumcumq; dignitatū, seu Prælaturatū, vel officiorū suorum Ordinum, ac vocis actiuę, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon cōtra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pęnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententię, à quo nonnisi à nobis, vel à Romano Pōtifice pro tempore existente, preterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§. 7. Necnon presentes litteras, licet Generales, Superiores, & Prelati prædicti, aut quicumque alij quauis auctoritate, vel officio, seu honore fulgentes in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati nō fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac de omnibus inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscumque iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicādi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignorāter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus prædicta, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcumque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliqua roboratis, statutis, & cōsuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus; eorumque Generalibus, Superioribus, & Prelatis, ac personas etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per nos quouis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis quibus, ac alijs omnibus, quæ pręsentibus quomodolibet obstare possent etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęuis alia expressio habēda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter pręsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, & specialiter, & expresśè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscunque.

§. 9. Vt autem pręsentes litterę ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam earum pretendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valuis sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem huiusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctēt, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 10. Quòdque earum transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prelati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eādem prorsus fidem in iudicio, & extra, vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quę eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensę, & nihilominus, vt ad maiorem notitiam singulorum, & quorumcunque Religiosorum prædictorum presentes deueniant, etiam volumus, & in virtute sanctę obedientię precipimus, & mandamus Generalibus,

bus, Superioribus, & Prælatis prædictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, seu Cõgregationibus Prouincialibus, vel Generalibus cuiuscumque Prouinciæ, tam in Italia, quàm extra, præsentes nostras litteras legi,& publicari faciant,& procurẽt.

§. 11. Nulli ergo,&c.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno secũdo.

Innouatio constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. Mariæ Virginis, editarum. Impositioque maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos.

PAVLVS Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici, quamquã nullo nostro merito diuina dispẽsatione vicesgerentes in terris, ex muneris nostri debito pacis, & concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ aliis in viã pacis dirigendis,& in vnitate spiritus continendis sunt præpositæ cõseruationi sedulò inuigilare cupientes, ea, quæ à Prædecessoribus nostris Roman. Pontif. ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cum hostis antiqui insidijs, qui ab initio dissidia serere cœpit, minimè obseruari, aut varijs modis eludi dignoscuntur, vt inuiolata seruentur, opportunis remedijs, quantum cum Domino possumus, prouidemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum Prædecessorem nostrum, accepto, quòd nonnulli diuersorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad Populum publicè per diuersas ciuitates, & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant, aut asserebãt, gloriosam, & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse cõceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdemq; immaculatæ Cõceptionis officium celebrantes, audientesq; sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmabant, grauiter peccare; sed & prædictis Prædicatoribus non contentis, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicũ ediderant, ea quorum assertionibus & prædicationibus non leuia scandala in mẽtibus fidelium exorta erant, & maiora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus Prædecessor huiusmodi temerarijs ausibus,& peruersis assertionibus, & scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri poterãt, obuiare volens huiusmodi assertationes prædictorum eorumdem,& aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederẽt aut tenerẽt eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrãtes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatũ incurrere, vtpotè falsas,& erroneas,& à veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prædictos id cõtinẽtes, quoad hoc reprobauit,& damnauit, ac statuit, & ordinauit, quod Prædicatores verbi Dei, & quicunque alij, cuiuscumque status, gradus, aut Ordinis,& conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus ad Populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per eum improbatas,& damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrent, à qua ab alio, quàm à Romano Põtifice, nisi in mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similiq; pœnæ,& censuris subiecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.

§. 2. Hanc verò Sixti Prædecessoris constitutionem Œcumenicam Tridentina Synodus posteà innouauit.

§. 3. Ac deinde similis recordationis Pius Papa V. etiam Prædecessor noster statuit, ordinauit, & mãdauit, quatenus nemo cuiuscumque Ordinis, vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum,& mulierum multitudo conuenire solet, de huius cõtrouersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam,& cõtrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret, qui cõtrafaceret suspensionis pœnã à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurreret, si modò esset in sacris cõstitutus, & quocumque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso iure priuatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis censuræ, ipso etiam facto obnoxius foret, super quibus nisi à Romano Pontifice, pro tempore existente, dispẽsari, siue absolui non posset,& nihilominus alijs pœnis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mẽsura infligendis subiectus esset, prout subiecit.

§. 4 Cęterùm quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non esset, oppositaque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ disputationibus, siue Generalium, aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi aliàs interessent, qui rem capere possent, nec scandali vlla subesset occasio, de illa quæstione disserere,& argumentis vtramlibet partem asserere, vel impugnare. Dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, seruarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantũ ad alias pœnas duxit innouanda, & innouauit, prout in Sixti, & Pij Prædecessorum litteris desuper confectis pleniùs continetur.

§. 5. Verùm licèt hæc prouidè statuta sint, nihilominus, sicut accepimus, nonnulli in diuersis Christianis Orbis partibus interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum huiusmodi, iampridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, indeque contentiones,& rixæ non sine Dei offensa,& scandalo plurimorum exortæ sunt, & grauiores in dies, ne exoriantur, periculum est, nisi à nobis opportunè prouideatur.

§. 6. Quamobrem Motu proprio, nõ ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, constitutionum Sixti,& Pij Prædecessorum huiusmodi veriores tenores præsẽtibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem cõstitutiones Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus,& etiam quoad earum pœnas quascumque, etiam absolutionis reseruationẽ innouamus, & inuiolabiliter ab omnibus, etiã Regularibus cuiuscumque tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis, cuiusuis status, gradus, Ordinis,& cõditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, etiã si specialis, specifica,& indiuidua earum esset necessariò facienda mentio, & obseruari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apostolica Sede huiusmodi controuersia fuerit diffinita.

§. 7. Ac prætereà, si quis quouis modo contrauenerit, præter supradictarum constitutionum pœnas respectiuè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi,& interpretandi facultate, ac voce actiua,& passiua in quibuscũque electionibus eo ipso absque alia declaratione priuatus existat. Necnon ad concionandi,& publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, absque alia declaratione, à quibus nõ nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Põtificibus pariter absolui, seu super ijs dispẽsari possit, & nihilominus alijs pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorũ arbitrio infligendis, subijciatur, prout eum subijcimus per præsentes.

§. 8. Et contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis Ordinis,& instituti, etiam quomodolibet exemptos,& alias quascumq; Ecclesiasticas,& sæculares personas cuiuscumque status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, vt præfertur, tam Episcopi,& Prælati, Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirãt, atque in eos seuerè animaduertãt. Nos enim ijs,& eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi,& inquirendi, ac pœnis coercendi,& puniendi liberam facultatem,& auctoritatem ijsdem auctoritate, & tenore tribuimus & impartimur, eosque, vt profertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus ijs, & singulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius Prædecessores prædicti in suis litteris huius-

modi voluerunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro pleuè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 10. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiaot, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quòdque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę.

Datum Romę apud sanctam Mariam Maiorem, sub Anulo Piscatoris, die 6. Iulij 1616. Pontif. nostri anno 12.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi B. Mariam Virginem conceptam fuisse in peccato originali.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitioois habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram Sanctissimo D. N. D. Gregor. Diuina prouidentia Papa XV. ac Illustriss. & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus aduersùs hęreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Feria 3. die 24. Maij anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1622.

SANCTISSIMVS D. N. auditis votis Illustriss. & Reuerendiss. DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum Decretum aliàs editum à fel. recor. Paulo V. eius Prædecessore, tenoris sequentis, videlicet:

Sanctissimus D. N. post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustriss. & Reuerendiss. DD. Cardinalium cõtra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa prouide considerans, quòd quamuis in constitutione fel rec. Sixti IV. super Conceptiooe B. V. Mariæ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus, ac sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia constit. san. mem. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione; relinquatur vnicuiq; libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilic. fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur; nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem B. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis, ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt imposterum, donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, cootrafacientes autem eadem Sãctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperit, præterquam quoad supra disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ constitutionis firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiler obseruari. Non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti decreto ex eisdem causis euitandi scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratiooe oriri possunt, &, vt accepit, in aliquibus Regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta; mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero (donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicã fuerit aliter ordinatum) neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiuè aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus à sanctà Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen sanctitas sua noo iotendit reprobare hanc opinionem; nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. rec. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita, eademq; Sanctitas sua voluit, & expresè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, constitutiones Sixti IV. Alexan. VI. & Pij V. ac Pauli V. eius Prædecessorum super Conceptione B. V. firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur, perinde, ac si huiusmodi non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis cooceptione festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam cuiusuis Ordinis, & Instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrifitio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurren. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare; ac alijs quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & aliàs quascumque Ecclesiasticas personas cuiuscumquę status, conditionis, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, tam Episcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quam hæreticæ prauitatis, vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demùm, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd pręsens Decretum, seu illius exempla ad valuas Basilicę Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Florę affixa omnes ita arctent, & afficiant, perindè, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent, quòdque pręsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę.

ANDREAS DE PECTINIS, S. Rom. & vniuersalis Inquisitionis Not.

Reuocatio

Reuocatio quarumcumque concessionum viuæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S.R.Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in specula Militantis Ecclesiæ diuina prouidentia constitutus, gratias,& indulta à se,& Prædecessoribus suis cõcessa iustis interdum suadẽtibus causis, iuxta creditum sibi Pastoralis Officij debitum moderatur, aut reuocat,prout rerum, & temporũ qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaq; Motu proprio,& ex certa scientia,ac matura deliberatione nostris,deq; Apostolicæ potestatis plenitudine,omnia,& singula indulta,facultates,priuilegia,gratias,& cõcessiones quascũq;spirituales, & Ecclesiasticas,tam ad forum interius,quàm ad exterius spectan.ac tam ad supplicationem partium, quam motu,scientia,& potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen viuę vocis oraculo hactenus quandocumque,& qualitercũque ex quauis, etiã de necessitate exprimenda. causa quibusuis Collegijs, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium,Societatibus,etiam Societati IESV,ac Congrẽgationibus quibuslibet, siue eorum, & earum respectiuè Prępositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus,vel Prouincialibus quocumque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis,Sedi prędictę immediatè subiectis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in ijs videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus,cassamus,tollimus,abrogamus, & annullamus,ac reuocata, cassa,sublata, abrogata, & anullata, viribusque, & effectu vacua perpetuo fore, & esse, neq; imposterum cuiquam suffragari posse, vel debere,neque aliquem ijs de cætero vti vllo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de ijs facienda esset,decernimus,& declaramus,firmis tamẽ, & in suo robore permanen. omnibus indultis, & alijs concessionibus prædictis, viuæ vocis oraculo S.R.E.Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque fauorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis,vel alijs factis,& de quibus ijdem S.R.E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.Decernentes pręsentes litteras,& in eis contenta quæcumque, etiam ex eo,quod quicũque in premissis interesse habentes, seu habere pretẽdentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint,de subreptionis,vel obreptionis vitio,aut intentionis nostrę,seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure,vel in controuersiam reuocari,ad terminos iuris reduci,aut aduersùs illas quodcumque iuris,gratię,vel facti remedium impetrari nullatenus posse,sed illas semper validas,& efficaces existere, & fore, suosque plenarios,& integros effectus sortiri,& obtinere;sicq;per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios(sublata eis, eorum cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere,ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoq;indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prędictis,eorumque Prępositis, Decanis, Magistris,Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus,& alijs Superioribus prædictis,sub quibuscumq; tenoribus, & formis,ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, alijsque efficacioribus,& insolitis clausulis,ac irritan.& alijs decretis in genere,vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet cõcessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumq;totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clausulas generales idem importantes mentio,seu quæuis alia expressio habenda,aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,tenores huiusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes(illis aliàs in suo robore permansuris)hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt pręsentium transumptis,etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem pręsentes litterę, seu illarum exempla,ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die 2.Iul.1622.Pontificatus nostri anno secundo.

S.CARD. S. SVSANNÆ.

Extensio constitutionis rec.mem. Gregorij Papæ XV reuocatoriæ concessionum viuæ vocis oraculo factarum.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs fel. recor. Gregorius Papa XV. Prędecessor noster, vt subnascentibus iugiter varijs difficultatibus, & abusibus ex priuilegijs à Sede Apostolica viuæ vocis oraculo sępenumero concessis obuiam iret,constitutionem edidit tenoris subsequen.videlicet.

GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula Militantis Ecclesię diuina prouidentia cõstitutus,gratias,& indulta à se,& Prędecessoribus suis cõcessa iustis interdum suadentibus causis, iuxta creditum sibi Pastoralis Officii debitum moderatur, aut reuocat, prout rerũ,& temporum qualitatibus debitę pensatis cõspicit in Domino salubriter expedire. Itaque Motu proprio,& ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris,deque Apostolicæ potestatis plenitudine,omnia,& singula indulta,facultates,priuilegia, gratias, & cõcessiones quascũque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius,quàm ad exterius spectan. ac tã ad supplicationẽ partium, quam motu,scientia,& potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamẽ viuę vocis oraculo hactenus quandocumque,& qualitercumq;ex quauis,etiam de necessitate exprimenda causa, quibusuis Collegiis Capitulis, Ordinibus,tam mendicantium,quàm non mendicantium:Societatibus, etiam Societati IESV, ac Cõgregationibus quibuslibet,siue eorum,& earum respectiuè Prępositis, Decanis,Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus generalibus, vel Prouincialibus,& quocumq;nomine nuncupatis: Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prędictę immediatè subiectis cuiuscumq; dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas,in iis videlicet,quę non sunt sortita effectum, tenore pręsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus,& annullamus,ac reuocata,cassa,sublata,abrogata, & annullata,viribusque,& effectu vacua perpetuo fore,& esse,neque imposterũ cuiquam suffragari posse etiamsi expressa, & specifica mentio,etiam de verbo ad verbũ de iis facienda esset, decernimus, & declaramus,firmis tamen,& in suo robore permanen.omnibus indultis,& aliis concessionibus prædictis,viuę vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque fauorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis,vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E.Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt: decernentes,pręsentes litteras, & in eis contenta quęcumque, ex eo, quod quicumque in pręmissis interesse habentes seu habere pretendentes,ad hoc vocati,& auditi non fuerint, de subreptionis,vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrę, seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari,redargui iure,vel in controuersiam reuocari,ad terminos iuris reduci, aut aduersùs illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere,& fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri,& obtinere: sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiã de latere Legatos & Nuncios(sublata eis, eorum cuilibet quauis aliter iudicandi,

& interpretandi facultate, & auctoritate (iudicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane si fecus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & alijs Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrariam præmissorum quomodolibet concessis, cõfirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis: & ad verbum insertis habentes (illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valuas Basilicarũ S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, cõcessiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpe ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari: idcircò quantum cum Domino possumus his, & alijs malis occurrere volentes Motu proprio, & certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium huiusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula priuilegia, facultates, licẽtias, & gratias quascũque per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per nos viuæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscũque Generalibus, Prouincialibus, cæterisq; Superioribus, & personis cuiusuis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, siue sæcularibus, siue Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Cõgregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societatis IESV, aut eius Clericis, seu Presbyteris, alijsq; personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regũ, Principum quorumcunque aut aliàs quomodolibet cõcessa, illorum tenores præsentibus, pro expressis habentes, tenore præsẽtium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusq; & effectu, vacua esse, & fore, nullisq; prorsus deinceps suffragari posse nec debere declaramus. Preterea vt præsẽtes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quàto citiùs innotescãt, omnibus, & singulis Generalibus, & alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinũ, Congregationũ, Societatum, etiã Societatis IESV, & Institutorum, sub excommunicationis, ac priuationis Officiorum, & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & passiuæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Prouinciales eorumdẽ suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiã Societatis IESV, & Institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earumdẽq; præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Prouinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorũ, Conuentuum Collegiorum, domorum, & locorum Regularũ præcipere, vt easdem præsentes subditis suis, vt moris est publicent. Decernentes præsentes litteras, etiã ex eo, quòd quicumq; in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuersiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, siue aduersùs illas quodcumq; iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Iudices, Ordinarios, & delegatos, etiam causarũ Palatij Apost. Audit. (sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquã, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nõ obstantib. præinsertis litteris huiusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit etiam regula nostra de non tollendo iure quæsito, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Card. ac Ordinibus, Congregationibus, institutis, & Societatibus, eorumq; Superioribus quocumq; nomine nuncupatis sub quibuscumq; verborum formis, & ten. ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes: specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eędem præsentes litteræ, siue illarum exempla ad valuas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ huiusmodi similiter affixa, omnes quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1631. Pontif. nostri anno nono.

M. ANTONIVS MARALDVS.

Die, & anno supradicto affixa, & publicata fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ aliisque locis solitis, & consuetis, vt moris est per me Andream Scalamum, Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Romæ ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apost.

Reuocatio licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

VRBANVS Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

APostolatus Officium nobis, nullo licèt meritorum suffragio, diuina prouidentia commissum postulat, vt ad ea vigilantiæ nostræ partes propensiùs intẽdamus, per quę Religio Catholica, vbi diuina gratia illæsa viget, conseruetur, & vbi restitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiua sit, huiusmodi libros legendi, licentiarum copia, Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ huiusmodi concedãtur, quantum cũ Domino possumus prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas licẽtias legẽdi, & habendi libros quoscũque ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologię

Astrologiæ iudiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscúque personis laicis, & Ecclesiasticis, tã sæcularibus, quam Regularibus cuiuscunque Ordinis, Societatis, & instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cuiuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocunque ex quacunque causa, tam in forma, quam aliter quomodocunque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque alijs à nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à nobismetipsis per litteras Apostolicas, etiam in forma Breuis, seu chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione; reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro reuocatis, cassis, & annullatis habere, nullique suffragari.

§. 2. Quinimmò libros, per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, vt præsentes litteræ postquam in valuis Basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixę fuerint, infra duos citra Mótes, vltra verò Montes, infra quatuor menses ex túc proximos, omnes & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent; quódque dictis duobus, & respectiuè quatuor mensibus durantibus ij, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui in illos quanto citiùs comburere debeat, deferre, cuique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur.

§. 4. Ac quód earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis; eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

5 Datum Romæ apud Sãctum Petrum sub Annulo Piscatoris; die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno octauo.

Diffinitio quoad Imagines nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radijs, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper praponendis, recipienda, & asseruanda, siue eorum miracula in imponendis libris enarranda.

Feria 5. die 13. Martij anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1625.

SANCTISSIMVS D. N. solicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepsere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apost. Sede; eorum tamen imagines in Oratorijs, atque Ecclesijs, alijsque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaq; beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volésq; proindè huiusmodi abusibus pro debito Officij Pastoralis occurrere (re etiam cũ Illustr. & Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè cõsiderata, ac discussa) declarauit, statuit, & decreuit, ne quorumuis hominum, cum Sanctitatis, seu martirij fama (quantacumque illa sit) defunctorũ imagines, aliaq; prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesiis, tam sęcularibus, quam Regularibus, cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, siue martirii fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migrauerint gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcũque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instrictum ad Sedem Apostol. transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressæ sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atq; imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas, appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quæcunque lumina accedendi sine recognitione ab Ordinario omnino (prout supra) facienda, Sedique Apostolicę referenda, ac probanda.

Declarans, quod per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intẽdit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumq; Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, vniuersis, & singulis, tam Ordinariis, quam hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisq; diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis, imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave cõtra superiùs disposita fiant, transgressores verò, si Regulares fuerint priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnõ & suspensionis à diuinis; si verò Clerici sæculares, priuationis pariter suorum officiorũ, suspensionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorũ, exequutioneq; suorum Ordinũ respectiuè; aliisq; arbitrio prædictorũ ordinationum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pęnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerunt, sculpserint, seu quoquo modo affinxerint, vel formauerint, cæteriq; artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisq; etiam corporibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorumdè ordinationum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Et ne præmissorũ ignorantia possint ab aliquo pretẽdi, voluit, vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplũ ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum vrbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes proinde arctet, atque afficiat, ac si vnicuiq; personaliter intimatũ fuisset, quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadẽ prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Postmodum verò idem Sanct. D. N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas imposterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas cõseruare liceret, Sanctitas sua, quæ tantúmodò voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorũ in terris gloria, quorũ sanctimoniam, diuinę Clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re priùs cum Illustr. & Reuer. DD. Cardin. contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus cõmunicata, præsenti decreto declarauit. Quòd sicut nunquam prohibuit, nec suę intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemq; tabellarũ, & imaginum huiusmodi, ita vt nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarũ, & decernit, vt quoties ad aliquam Ecclesiã, aut Oratoriũ, locumve alium publicum sæcularem, seu Regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiã detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quáuis cũ Martirii, vel Sanctitatis fama demortuorũ, optata se impetrauisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ Præpositis, tabellas, & imagines, siue pictas, siue ex quauis materia factas, atque alia quæcunque collocatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorum, qui con-

scij fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs; ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia loco custodire; ibidemq; tam amota collocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi Sanctitatis qualescumq; probationes, Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, contrarijs quibuscumque non obstantib.

Prohibitio, ne degentes in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subiecto libros ab eis vbicumque compositos de quacumque materia tractantes, absque Cardinalis Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Vrbe, & extra eam absque Ordinarij, & Inquisitores loci licentia deferant, aut imprimendos transmittant.

Feria 5. die 8. Septembris 1625.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. pro debito sui Pastoralis Officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decreuit, vt in posterum nemo in statu prædicto degens, cuiusuis conditionis gradus, Ordinis, & dignitatis existat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis S. D. N. Vicarij, & Magistri S. Palatij, si in vrbe; si verò extra vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitionis loci illius, siue ab ijs deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda: libros autem, quos contra præsentis decreti tenorē imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expresse prohibitis haberi vult, & mandat. Contrarijs quibuscumque non obstantibus, &c.

IO. ANTONIVS THOMASIVS S. Rom. & vniuers. Inquisitionis Not.

Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. declaratio, quod constitutiones Apostolicę in concernentibus fidem Catholicam, & sanctę Inquisitionis Officium hactenus editę, & in posterum etiam super quacunque alia re edendę, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm, sicut accepimus, S. Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. S. Antonij de S. Antonio Viennen. Societatis Iesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationem, Societatum, & Institutorum, Regularium Professores vigore, seu prætextu priuilegiorum, & indultorum sibi, dictisq; Ordinibus, Congregationibus, societatibus, & institutis, ab hac sancta Sede Apostolica, tam per viam motæ concessionis, quam communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicę potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum in constitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio fiat.

§. 1. Nos, qui inter grauissimas, multiplicesque Apostolatus nostris curas in eam pręcipuo, ac peculiari studio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica fides vbiq; gentium conseruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio prouidere volentes, vt tot, tantæq; constitutiones generales à nobis, & hac sancta Sede, & præsertim ad fauorem fidei Catholicę, illiusque propagationem, & Officii S. Inquisitionis contra hæreticam prauitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis ad maiorem Dei gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem debitum, vt par est, sortiantur effectum, nec non quorūcūque priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in corpore iuris clausa sint, tenores præsentibus, ac si dè verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata insertis forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

§. 2. Quod quęuis generales cōstitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscunq; Romanos Pontifices Prędecessores nostros in concernentibus fidem Catholicā, illiusq; propagationem, S. Inquisitionis officium præfatum, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus S. Officii, & propaganda fide coram nobis tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cistercien. Pręmonstraten. S. Antonii de S. Antonio Viennen. & Societatis IESV præfatorū; quam quorumcumq; aliorum Ordinū, Congregationum, Societatum, & Institutorum Professores omninò comprehendant, perindè, ac si pręfati, & alii quantumlibet priuilegiati in eis nominatim expressi fuissent; edendæ vero in posterum per Nos, & Romanos Pōtifices successores nostros, tam in fauorem pręfatæ fidei Catholicæ, illiusq; propagationis, & S. Officii Inquisitionis præfati, quam super quacumque alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter omninò comprehendant præfatos eorumdem Ordinū, Congregationum, Societatum & Institutorum Professores, nisi in edendis constitutionibus huiusmodi specialiter, & expressè excipiantur, etiamsi ipsi priuilegiati forent magis speciali nota & expressione digni, eisque priuilegia, gratiæ, & indulta, à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibusq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instātiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ cōcessionis, quam communicationis, & alias quomodolibet concessa respectiuè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextū sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant, in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem,

§. 3. Præsentes verò litteras, omniaq; & singula in eis contenta, etiam ex eo, quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum huiusmodi Professores, vel alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi, ac causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductę, verificatę, seu alias iustificatę nō fuerint, vllo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis, etiam quantumuis substantiali defectu notari, impugnari, inualidari, retractari in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel institiæ remedium impetrari nullatenus posse, neq; sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet facientibus comprehendi,

§. 4. Sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiā causarū Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretādi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obstant. regula nostra de iure quæsito non tollendo ac quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,

cis, decnō tam S.Benedicti, Cistercien. Premonstraten. S.Antonij de S. Antonio Viennen. & Societatis IESV præfatorum, quā quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudibus etiam immemorabilibus, & priuilegijs, necnon præfatis, & quibusuis alijs priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & alias quomodolibet nuncupatis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumq; Superioribus, bonis, rebus, monasterijs, locis regularibus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cū quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorū sufficiēti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habēda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret, illorum omnium & singulorū tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, siue illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 5. Nouembr. 1631. Pontif. nostri anno nono.

M. A. MARALDVS.

Sequuntur decreta, & aliæ Bullæ ad eandem materiam S. Inquisitionis spectantes.

De Iudæorum flagitijs, in quæ hæreticæ prauitatis Inquisitores animaduertere possunt.

GREGORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei,

Ad futuram rei memoriam.

ANtiqua Iudæorum improbitas, quæ diuinæ bonitati semper restiterunt, tanto exectatior consistit in filijs, quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefariè conspirando grauiùs deliquerunt, qui propterea suis effecti maioribus nequiores, proprijs sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarū regiones, seruituti que perpetuæ mancipati, non maiorem in cuiusquam ditione clementiam, quàm in Christianorum Prouincijs, maximè verò in Apostolicæ pietatis gremio inuenerunt, quæ pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione vna cum filijs suis sustinuit, ad veritatis lumen allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessarijs iuuit, iniurijs, & cōtumelijs prohibuit, multis denique beneficentiæ suæ priuilegijs circumuniuit. Illi verò nullis beneficijs mansuefacti, nihilque de suo pristino scelere remittētes, Dominum nostrum Iesum Christum in cęlo triumphantem adhuc in Synagogis suis, & vbique persequuntur. Christi quoque membris infensissimi non desinunt in Religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere.

§. 1. Quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fędis mancipijs Christo, Christianorumve nomini impunè illudatur, obuiare volentes statuimus, ac etiam declaramus, Inquisitores hæreticæ prauitatis liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur.

§. 2. Si quis Iudæus aut infidelis in iis, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, & æternum, omnipotentem, Creatorem omnium, visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

§. 3. Si dæmones inuocauerit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces ob diuinationē, aliamve causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit.

§. 4. Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

§. 5. Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

§. 6. Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus a fide desciuerit, quamq; semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudæorum, seu aliorum infidelium ritus, cęremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocumque præstiterit.

§. 7. Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem a fide, vel fidei instructione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut nè ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

§. 8. Si quis apostatas, hæreticosve scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locū deduxerit, seu associauerit, vel deducendos, seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces, comitesve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fuerit, quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.

§. 9. Si libros hęreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam sem operam suam accomodauerit.

§. 10. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara Crucis immolatam, Christum Dominū in ludibrio, & despectui habens, quandocumque, maximè vero in sacro Parasceues die agnū, siue ouem, aut quid aliud Crucifixerit, aut appenderit, in eamve conspuerit, seu quodcumque contra ipsam fecerit.

§. 11. Si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinēs, die, qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentū sumpserit, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, vel cloacas, vel alia loca effundere coegerit.

§. 12. In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes prædictæ prauitatis Inquisitores omnium Regnorum Prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani Iudices in suis quique locis perpetuò delegamus; vt super his contra Iudæos, atq; infideles quoscumque, simul, vel separatim, provt in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi flagra, remigia, etiam perpetua serum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & alias de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitijs in posterum admittendis.

§. 13. Nos enim venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Prælatis, ac etiam alijs prædictis Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, vt præsentes nostras in ciuitatibus, & locis cuique subiectis public re, & iuxta illarum tenorem procedere, illasque debitæ executioni mandare procurent.

§. 14.

tris, si inibi fuerit, statuẽdis, ac moderãdis necnõ quoad Christianos, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ vnũ. quemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne huiusmodi libros, & alia scripta superiùs prohibita, vt præfertur, retinere, habere, legere, ẽdere, typis excudere, seu imprimere, describere, vel exemplare aduehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliis quomodolibet distrahere, vel alienare.

§.7. Neve quisquam, etiam sub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apostatarum à fide, & hæreticorũ à sacr. Canon. & constitutionibus Apostolicis inflictis, ipsis Hebræis, pro habendis scribendis, seu imprimendis huiusmodi libris, vel vndecumque afferendis, seu transuehendis, aut pro eorumdem legẽdorũ licentia de cætero impetranda, opem, consilium, auxilium, vel fauorem præstare, aut impendere quoquomodo audeat.

§. 8. Quocirca venerabilibus Fratribus nostris tam S. R. E. Cardinalibus aduersùs hæreticam prauitatem in toto terrarũ Orbe generalibus Inquisitoribus, quàm etiam Patriarchis, Primaribus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorũ Ordinariis, & Inquisitoribus quibuscumq; eiusdem hereticę prauitatis, in quibusuis Regnis, Prouinciis, & Ciuitatibus pro tẽpore existentibus, per Apostolica scripta mãdamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, in ciuitatibus, terris, & locis, vbi Iudæi commorantur, tã in eorum Synagogis, & locis publicis, quam priuatis domibus, & Officinis, & alias vbique locorum, etiã apud Bibliopolas Christianos prædictos sic prohibitos libros, & scripta per se, vel alium, seu alios ab eis deputandos diligẽtissimè perquirant, & cõtra eos, qui super retentione huiusmodi culpabiles reperti fuerint, ad prædictarum, & aliarum, etiam grauiorum eorum arbitrio pœnarum executionem procedant. Contradictores necnon inobedientes quoscumque, eisve auxilium, cõsilium, vel fauorem præstantes, per opportuna iuris vel facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 9. Non obstantibus præmissis, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, dictis Hebræis, eorumve vniuersitatibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie quomodolibet cõcessis, etiam sępius approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiãsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & indiuidua mentio habenda, seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, necnon formas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbũ insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habẽtes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cęterisque contrariis quibuscumque Dat. Romę apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1599. Prid. kal. Martii, Pontific. nostri anno secundo.

Anno à Natiu. Domini 1593. Indict. 6. die verò Sabbati 3. mẽsis Aprilis, Pontif. Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clemẽtis diuina prouidentia Papæ VIII anno eius secũdo, retroscripta littera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, in acie Campi Floræ, & in platea nuncupata Iudęorum, relictis ineis copiis affixis per Nos Io. Baptistã Bagno, & Franciscum Baron. S. D. N. Papæ Cursor.

BAPT. PRESIVS Mag. Curs.

Innouatio constitutionis fel. rec. Pauli Papę IV. contra negantes Trinitatem, aut Diuinitatem IESV CHRISTI, aut eius conceptionem de Spiritu sancto, aut eius mortem, vt nos redimeret, aut virginitatem Beatissimæ semper virginis Dei Genitricis Mariæ.

Adiecta forma in publicatione eiusdem constitutionis seruanda, ne de cætero illius ignorantia a quoquam quouis prætextu possit allegari.

CLEMENS Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

DOminici gregis diuina prouidẽtia nobis, licẽt meritis imparibus commissi, solicitudo postulat, vt Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum constitutiones, quæ præsertim ad fidei Catholicæ integritatem cõseruãdam, & impios homines, ac prauarum hęresum assertores debitis pęnis plectẽdos pertinent, innouemus: ne qui eiusmodi errorũ labe infecti sunt, earũdem constitutionum, & pœnarum in eis inflictarum ignorationem vllo modo prætendere, aut quauis ratione excusare se posse præsumant. Cùm itaque fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster, ad quorumdam hominũ iniquitatem coercendam, qui non solùm diuersas hæreses profiteri, sed etiã ipsis fidei fundamenta negare pręsumebãt, suoque exemplo multos in interitum animæ trahebant, quadã suo perpetuò valitura constitutione, quę incipit, *Cum quorumdam hominum prauitas*: vt huiusmodi homines à suis erroribus intra certum eis tũc pręfixum tempus resipiscerent, paterna monitione, & requisitione, necnon cum ipsorum resipiscentium à quibuscumq; censuris, & pęnis Ecclesiasticis, & temporalibus plenissima absolutione sanciuerit; vt quicumque tã eatenus lapsi fuissent, & intra tempus præfixum non resipuissent, quam qui in posterũ prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum asseruissent, dogmatizassent, vel credidissent Deũ Omnipotentem non esse trinum in personis, & incõposita omninò, indiuisaque vnitate substantiæ, & vnum vna mei simplici Diuinitatis essentia, aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deum eiusdem substantię per omnia cum Patre, & Spiritu sancto, aut eundem secundùm carnem non esse conceptum in vtero Beatissimę, semperque Virginis Marię de Spiritu Sãcto, sicut cæteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum, & Deum nostrum, Iesum Christum non subiisse acerbissimã Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret, aut eandem Beatissimã Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum, pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi Curiæ sæculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possent in omnibus, & per omnia, perinde, ac si verè, & realiter in hęresim relapsi essẽt, & eos relapsos esse constaret, prout in prædicta constitutione sub datum Romę apud S. Marcum septimo Idus Augusti, Pontificatus sui anno primo edita plenius continetur. Eò tamen huiusmodi impiorum hominum prorumpit temeritas, vt prætextu ignorationis huiusmodi constitutionis, ac pęnarum in eadẽ constitutione inflictarum, se illis minimè subiacere, nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem pœnis liberis, & absolui posse prætendant. Nos igitur animaduertentes (vt idem quoque Paulus Prædecessor benè animaduertit) huiusmodi errores tã graues, ac nefandos existere, vt illi qui in eos incidunt, nullã prorsus excusationem habeant, sed subuerti potius, & immanes, quam heretici meritò dici possint, propterea, vt illi debita animaduersione omninò puniantur, nec à præfatis erroribus vlla excusatione de cætero se tueri valeant, Motu proprio, & ex certa sciẽtia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura cõstitutione, dicti Pauli Prædecessoris vestigiis inhærentes, ac eius constitutionem prædictam quoad pęnas in ea contentas innouantes, ac perpetuò confirmantes & approbantes, supradictos omnes, & singulos, qui hactenus in similes errores, aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum grauitate, & enormitate, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla illis etiam ignorantię supradictę constitutionis excusatione suffragãte, pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & tanquam relapsos Curiæ sæculari tradi, ac per eandem Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri posse, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò statuimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ prædictus Paulus Prædecessor voluit non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque. Vt autem huiusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi numquam possit, atque vt præsẽtes omnibus innotescãt, volumus illas ad valuas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Florę, more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui, factaque publicatione huiusmodi, omnes, qui in Vrbe post mensem, qui vero extra eam; & citra montes, post quatuor menses, & qui demùm vltra montes fuerint, post decem menses à die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Et nihilo-

nihilominus, vt ipsæ præsentes litteræ eo notiores fiant, & omnibus magis innotescant,necnon pro potiori cautela volumus,vt Inquisitores cotra hæreticam prauitatem,in ijs ciuitatibus,terris,& locis, in quibus constituti sunt; vbi verò huiusmodi Inquisitores non sunt locorum Ordinarij, publicationem præsentium, vt infra dicetur,fieri curent, ac propterea vniuersis, & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs,necnon dilectis filijs Inquisitoribus præfatis contra hæreticam prauitatem vbilibet constitutis, per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium,seu alios hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earũ notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit,ipsi quidem Patriarchæ,Primates,Archiepiscopi, Episcopi,& alij locorum Ordinarij in eorum cathedralibus, & maioribus respectiuè Ecclesijs,ciuitatum,oppidorum,& locorum quorumcunque, eorum diœcesum, vbi Inquisitores fuerint,ipsimet Inquisitores in eisdem Ecclesijs, dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit,solemniter publicent & publicari auctoritate nostra mandent,& faciant. Cæterùm, quia difficile foret easdem presentes ad singula loca, vbi opus, esset deferri volumus, & simili auctoritate decernimus vt earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Inquisitoris contra hæreticam prauitatem, vel cuiuscunque personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis,eadem vbique in iudicio, & extra, fides habeatur,quę ipsismet litteris haberetur, si essent exhibite,vel ostensę.

Datum Romę apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Februarij 1603.Pontificatus nostri anno 11.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

In nomine Domini, Amen. Anno a Natiuitate eiusdem D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo tertio, Indictione prima die vero 14. mensis Februarij, Pontific. Sanctissimi in Christo Patris,& D.N.D.Clementis diuina Prouidentia Papæ VIII. anno eius duodecimo: retroscripta littera affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & acies Campi Floræ, relictis ibidem copijs impressis affixis per nos Augustinum Braccherium, & Catherinum Menandi Apostolicos Cursores.

P.ALOYSIUS PEREGRINUS Mag.Curs.

Decretum CLEMENTIS Papæ VIII.

Quo confirmantur litteræ Pauli Papæ IV. & Pij IV. contra Confessarios solicitantes in Confessionibus.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum decreti instrumentum cunctis pateat euidenter,& sit notum, quod in Generali Congregatione Officij S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo D. N. D. Clemente Papa VIII. ac Illustrissimorum,ac Reuerendiss.DD.Iulio Antonio Sanctorio S.Bartolomæi in insula S.Seuerinæ, Petro S. Hieronymi Illyricorũ Deza,Dominico S. Chrysostomi, Pinello: Fratre Hieronymo Bernerio S. Mariæ, supra Mineruam Asculano:Fratre Constantio S.Petri, in Mõte Aureo Sernano, & Paulo S. Cæciliæ Sfondrato nuncupatis, titulorum Presbyteris S.R.E.Cardinalibus, in vniuersa Republica Christiana,aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, in negotio S. Inquisitionis Hispaniarũ, super litteris fel. rec. Pauli Papę IV. & Pij Papę IV. facultatis procedendi cõtra Presbyteros sęculares,& Regulares in sacramentis penitentię, seu in actu cõfessionis sacramentalis,solicitantes mulieres pęnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis, Inquisitori Generali Hispaniarum,aliàs concessæ,an priuatè,vel cumulatiuè, quoad Superiores Regularium dicta Inquisitio, contra huiusmodi delinquentes procedere possint. Sanctiss. D. N. re diligenter, ac maturè discussa auctoritate sua Apostolica declarauit, & decreuit, declarat, & decernit circa huiusmodi facultatem procedendi nihil esse attendendum, aut innouandum,sed Inquisitionem prædictam,in omnibus Regnis,& Prouincijs sibi subiectis ea iudicialiter vti posse,& debere,sicut in alijs causis ad Sanctiss.Inquisitionis Officium pertinentibus,vti hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad Superiores Regularium cuiusuis Ordinis,& Congregationis, etiamsi Mendicantium existant,ipsosque Regulares non eximi ab onere deferẽdi,seu denunciandi huiusmodi delinquẽtes eidem sancto Officio, quẽadmodum in alijs casibus,& causis S. Inquisitionis, in quibus alij Christi fideles de iure tenentur,sed ad ipsum,sicut aliàs teneri,& obligatos esse.Et ita Sanctitas sua declarauit, & decreuit, atque perpetuo seruandum esse statuit omni meliori modo,& forma quibus potuit, potestque,& debet,latum,datum, & pronunciatum fuit supradictum Decretum, per supradictum Sanctiss D.N.D.Clementem Papam VIII.pro Tribunali sedentem in solio Maiestatis suæ, in Generali Congregatione dicti S.Officij, habita Romę in Palatio Apostolico apud S. Petrũ, anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1592. die verò tertio mensis Decembris Feria 5. Pontificatus prælibati D.N.Clementis Diuina prouidentia Papę VIII.anno primo, ibidem præsentibus Reuerendissimo Patre Fratre Vincentio, Ordinis Fratrum Prędicatorum Episcopo Agnetino: & Reuerendissimo Patre D. Anselmo Dandino Cæsenatensi I.V. D. vtriusque Signaturæ eiusdem S.D.N. Papæ Referendarij, dictique S.Officij Prælatis,& Consultoribus testibus, ad prædicta, omnia,& singula, vocatis,habitis, specialiter, atque rogatis.

Ex Ludouico Paramo de Origine sancti Officij, q.10.de solicitantibus propè finem,&c.

Constitutio aduersus maleficia,seu sortilegia committentes.

GREGORIUS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotentis Dei Saluatoris nostri, qui vt hominem à laqueis Diaboli liberaret, Crucem subire dignatus est, vices quamquam immeriti, gerẽtes in terris,in id summo studio, iuxta creditum Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium incumbimus,vt gregem Dominicum,inestimabili pretio redẽptum, aduersus Sathanæ fraudes defendamus, eiusdem officij partes desuper interponendo,prout cõspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nonnulli suæ conditionis obliti,& solemnis sponsionis ab ijs factę, cùm in Christi gregem per sacrum regenerationis lauacrum adsciti fuerunt, Sathanę, cui renunciantur, artibus, maleficijs, superstitionibus, ac nefarijs inuentis operam date non verentur,quinimò Magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat, proximum varijs modis lędere,animas verò suas perdere,non timent.Quapropter, vt tam exitiosa scelera à Christi fidelibus arceantur, grauioribus pœnis vindicanda duximus. Motu atque proprio, & ex certa sciẽtia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt construo, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficijs, siue sortilegijs vna,seu plures personas ità lęserit,vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit,etiam pro primo lapsu. Curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò, similiter apostatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur,fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licèt mors secuta non sit,infirmitas tamen,diuortia,impotentia generandi, siue animalibus,frugibus,vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit. Muro claudi, sine perpetuis carceribus in sancto Inquisitionis officio,vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat; qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo,siue Inquisitori denunciare teneantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur,quæ eisdem presentibus adhiberetur,si forent exhibite,vel ostẽsę,quòdque eędem præsentes, postquam in valuis Basilicarum S.Ioannis Lateranensis, ac Principibus Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ,necnon in acie Cãpi Floræ affixę fuerint,omnes,& singulos, ad quos spectat, arctet, & afficiant

& afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatę fuissent.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Martij 1623. Pontificatus nostri anno tertio.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1623. Indictione sexta, die verò vigesimatertia mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Gregorii Diuina prouidentia Papæ XV. anno eius tertio, retroscripta littera Apostolicę affixa, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Bernardinum Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem, &c.

Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium preceptum.

De hæreticis, seu de hæresi suspectis sancto Officio propalandis.

OCtauius Episcopus Prænestinus Bandinus, Carolus, tit. S. Cæsarei Madrutius, Io. Garzias tit. SS. Quatuor coronatorum Millinus, Fabricius tituli S. Augustini Verallus, Gaspar tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem Borgia, Fr. Fœlix Centinus tit. Sanctæ Anastasiæ Asculanus, Scipio Cobellutius tit. S. Susannæ. Fr. Desiderius Scaglia tit. Sancti Clementis de Cremona, Ludouicus, tit. Sancti Laurentij in Damaso, Ludouisius Presbyter & Ludouicus Sancti Adriani Diaconus de Lauallette nuncupati, miseratione Diuina S. R. E. Cardinales in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitores Generales à Sancta Sede Apostolica specialiter deputati.

Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusuis status, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacunque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie, ac tenore auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus, infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos pro 1. quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant Nobis, vel Reu. Commissario nostro, quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicarijs generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S.D.N. Papę, & Nobis reseruamus. Certificantes huiusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra hæreticorum fautores, aliàs, prout melius visum, & iuris fuerit, procedetur. Ideò, &c.

Dat. in nostra, & Officij sanctæ Romanæ vniuersalis Inquisitionis Congregatione, die 3. Ianuarij 1623.

Oct. Episc. Prænestin. Car. Bandinus.
C. Card. Madrutius.
Io. Garzia Card. Millinus.
F. Card. Verallus.
G. Card. Borgia.
Fr. Fœlix Card. Asculanus.
S. Card. S. Susannæ.
Fr. D. Card. de Cremona.
L. Card. Ludouisius.
L. Card. de Lauallette.

ANDREAS DE PECTINIS, S. Romanæ, & vniuersalis Inquis. Not.

Decreta in diuersis Congregationibus Sanctissimi Officij Romę facta.

Quod Portugenses, seu Lusitani Portugalliam, seu Lusitaniam habitantes, & inde Italiam venientes, si reperiantur iudaizare, condemnentur tanquam apostatæ à fide, die vltima Aprilis 1566.

IN Congregatione coram S.D.N. & Reuerendiss. D. Cardin. Inquisitoribus generalibus, S.D.N. Paulus Papa IV. mandauit, statuit, & ordinauit, quòd constito legitimè quoscunque Portugēses, seu Lusitanos in Portugalia, seu Lusitania permāsisse, & inde discessisse, & in Italiā venisse, vbi reperiantur esse Iudæi, siue iudaizare, condemnentur tanquam apostatę à fide, prout de iure similes apostatæ condemnari, & puniri debent; non obstante, quòd fuerint expositi torturæ, seu tormentis, quę sustinēdo negauerint se fuisse baptizatos, vel Christianè vixisse, aut Christiana opera egisse, vel sacramēta Ecclesiastica percepisse. Cum iam pro liquido, & clarè à S. Sede compertum sit, & habeatur à sexaginta annis, vel circa, quod nullus Hebreus toleratus fuerit habitare in Lusitania, seu Portugallia, nisi fuerint baptizati, & vixerint Christianè, & ita seruari mandauit, statuit, & ordinauit.

Quod hæreticorum beneficia vacent à die commissi criminis, die 18. Iulij 1556.

IN Congregatione facta coram præf. Sanctiss. Domino, & Reuerendiss. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, idem Sanctissimus Dominus noster, qui supra, consideratis, quòd hæreticorum beneficia à die commissi criminis hęreseos vacent, & quòd multi hæretici id scientes, in suis hęresibus manentes, vt eos, quos optant, successores habeant, in fauorem aliorum resignent, vt saltem per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur ius aliquod in beneficijs huiusmodi acquirant, ijs prouidere volens, statuit, & decreuit, quòd ex prædictis resignationibus nullum ius etiam per dictas clausulas ipsius resignatarijs acquiratur, immò beneficia huiusmodi hęreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis, reseruauit, ita vt si non fiat mentio de huiusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per ipsum Sanctissimum Dominum factæ nullius sint roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes, quæ tempore commissi criminis, hæreseos, vel citationis hęreticis factæ suum plenarium effectum sortitæ non fuerint.

Contra instituentes nouas Religiones die 16. Iulij 1556.

PRælibatus S.D.N. ratificauit capturam Io. Francisci Raymondi Mutinen. Congreg. S. Pauli, & Barnabæ Ciu. Mediolani, & commisit Reuerendiss. D. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, siue R.D. Commissario facultatem procedendi, seu procedi faciendi in futurum contra quascunque personas volentes instituere, seu instituentes nouam Religionem cuiuscunque status, gradus, & conditionis existant, & de contentis in titulo, seu titulis de Religiosis domibus, & de constituentibus nouam Religionem, Monasteria, vel alia quęcunque loca pia, quòd possint dicti Reuerendissimi Cardinales, seu dictus Reuerendissimus Commissarius ea reuidere, & corrigere, ac omnia alia, & singula in præmissis facere, quæ eis respectiuè videbuntur iuri consona.

Pre-

Pro votantibus in sancto Officio. die 29. Aprilis 1557.

A præfato Sanctissimo Domino decretum innenimus, vt infrà.

CVm in Congregationibus, quæ in causa hęresis, ita Domino disponente, coram nobis fiunt, interuenire pro maiori parte soleant nonnulli Clerici, tam sęculares, quàm Regulares in Sacris, & Sacerdotio, ac in Episcopali, & Archiepscopali, vel alia maiori dignitate forsan constituti, ac deinceps interuenire poterunt, ac etiā nonnulli ex venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinales nobiscum in iudicādo assistant, & sępenumero contingit, vt per discursum casuum contingentia, etiam ad casus non minus forsan enormes, ac etiam minus enormes, quàm hæresim sapientes in eisdem Congregationibus iā præteritis, quàm futuris, ijdem Clerici, & in Sacris, & Sacerdotio, ac Episcopali, Archiepiscopali, vel alia maiori dignitate constituti, ac ijdem venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales votum, seu sententiam eorum, ex qua mutilatio membri, seu sanguinis effusio etiā ad mortem naturalem secuta fuerit, seu in posterum sequetur, dixerint, seu etiā dicere parati existunt. Nos securitati, ac tranquillitati eorum mentis, & conscientiæ occurrere volentes, vt ijdem Clerici, etiam in Sacris, & Sacerdotio, ac qua cunque dignitate etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel quacunque maiori præditi, etiam venerabiles Fratres nostri Cardinales, qui in iudicando nobis assistunt, non solùm in causis heresoos, sed etiam in quacunque causa criminali, quę in dictis Congregationibus coram nobis tractata fuerit, & tractabitur, votum, & sententiam eorum, non solùm quoad quæstiones, & torturam, ipsis reis pro delictis quibus pro tempore inquisiti, accusati, seu denunciati fuerint, sed etiam ad condignam pœnam, & mulctam etiam vsque ad mutilationem, seu sanguinis effusionem, ac vsque ad mortem naturalem inclusiuè absque alicuius censuræ, vel irregularitatis incursu, dicere, & eisdem Congregationibus interesse, & immisceri possint, licentiam, & facultatem concedimus, ac quoad præterita si aliquam forsan irregularitatem incurrissent, cum omnibus prędictis dispensamus, non obstantibus constitutionibus, &c.

Idem confirmauit S. D. N. Pius Papa V. extendique voluit ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consultores.

Contra sine Ordinibus celebrantes, die 20. Maij 1557.

PRælibatus S.D.N. statuit, & decreuit, quod quicunque non habens Sacerdotium, & Ordinem Presbyteratus, ausus fuerit Missam celebrare, absque aliqua disputatione, tradatur Curiæ sęculari puniendus.

Ne Ordinarij conferant beneficia propter heresim vacantia, die 29. Septembris 1558.

SANCTISSIMVS D. N. qui supra in Congregatione Sancti Officij mandauit omnibus Ordinarijs, & quibuscumque alijs, ne se intromittant in conferendis beneficijs vacantibus, vel vacaturis propter hæresim, sed illorum collationem sibi, suisque successoribus reseruauit. Ad idem facit quod sequitur.

SANCTISSIMVS D.N. Pius Papa V. considerans beneficia hęreticorū à die commissi criminis eo ipso vacare, & multi hæretici id scientes, & in suis hæresibus manentes, vt eos, quos optant successores habeant, in fauorem aliorū resignant, vt saltem per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur, ius aliquod in beneficijs huiusmodi acquirant, iis prouidere volens, statuit, & decreuit, quòd ex prædictis resignationibus nullum ius, etiam per dictas clausulas ipsis resignatarijs acquiratur, immò beneficia huiusmodi hęreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis, suorumq; successorum reseruauit, ita vt non fiat mentio de huiusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per suam Sanctitatem factę, sint nullius roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes, quæ tempore commissi criminis hereseos, vel citationis ipsis hęreticis factę suum plenarium effectum sortitę non fuerint.

Contra abutentes Sacramentis, die 17. Februarij 1559.

SANCTISSIMVS D.N. Paulus Papa IV. in Congregatione S. Officij commisit, quòd omnes, qui audiuerunt confessiones non existentes in Sacris, & celebrantes Missas, non existentes etiam in Sacris, & abusi sunt sacratissimo Altaris Sacramento, tradi debeant brachio sęculari.

Die 2 Septembris 1562.

ILlustrissimi Cardinales Inquisitores generales decreuerunt, quòd per quamcunque gratiam factā, vel fiendam quibuslibet, aliàs hæreticis, non intendant eos restituere, vt possint confessiones aliquorum sæcularium audire.

Idem confirmatum fuisse, reperitur in actis S. Officij sub die quintadecima Nouembris 1565. cum additione, seu declaratione, quod illi, qui abiurarunt aliàs secretè, vel publicè, aut alijs quomodocunque, non admittantur ad audientiam Confessionum sæcularium.

Testium nomina publicari non debent, die 14. Maij 1566.

ILlustrissimi Cardinales Inquisitores generales in Cōgregatione ordinaria decreuerunt dari debere, nuda testium dicta, prout eo vsque obseruatum fuit, absque nominum publicatione, aliarumque circumstātiarum propter quas posset deueniri ad ipsorum testium notitiam. Et quoad responsiones testium super rei interrogatoriis pariter decreuerunt non esse dādas, si ex illarum publicatione deueniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi.

Regulares recurrentes ad sanctum Officium, vt in eo testimonium perhibeant, non grauentur à suis Superioribus, die 17. Augusti 1567.

SANCTISSIMVS D.N. Pius Papa V. in generali Congregatione Sancti Officij, consulens libertati ipsius Sancti Officij; & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium statuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum personę, quę pro tempore ad Officium Sanctæ Inquisitionis pro quocunque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacunque causa, vel excessibus pręrensis personarum, illarum, & de debitis propterea pęnis, seu pęnitentijs eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

De torquendis reis pro finali veritate habenda, & super complicibus die 28. Iulij 1569.

INhærendo decretis aliàs per fel. rec. Paulum Papam IV. Sanctissimus D. N. Pius Papa V. decreuit omnes, & quoscunque reos conuictos, & confessos de hæresi pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio dominorum Iudicum.

Decre-

Decretum CLEMENTIS VIII. quod in causis ad S. Inquisitionis hæreticæ prauitatis spectantibus Iudices, & Officiales gratis omnia expedire debent.

SANCTISSIMVS D. N. volens, ac intendens prouidere, vt causæ, & negotia quouis modo spectantia ad S. Inquisitionem cognoscantur, & expediantur omni, qua decet, integritate, amotis quibusuis sordibus, ac pecuniarijs solutionibus; statuit, & decreuit, vt imposterū omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, ac quauis Ecclesiarum Prælati, seu inferiores Ordinarij, eorumque vicarij, & officiales, in causis, & negotijs S. Officij, pro examine testium principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quouis Decreto, seu actu, seu quacunque expeditione nihil omnino exigant, & recipiant etiam a sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

2. Ac eorum Secretarij, Cancellarij, & Notarij pro scripturis processuum, informationum, seu repetitionis testium fisci, quas mittunt ad sanctam, & vniuersalem Inquisitionem Romanam, nihil penitus exigant, sed gratis illas mittant.

3. Insuper mandauit omnibus supradictis, eorumque vicarijs, & officialibus, vt cū aliquid eis significatur nomine supradictę Inquisitionis, quamprimum litteris rescribant, & negotia iniuncta exequutioni demandent.

4. Et hoc decretum tam ipsi Prælati inuiolabiliter obseruent, quam ab alijs obseruari curent, & eius exemplaria in eorum Cancellarijs affixa retineri, vt omnibus innotescat, & in Archiuiis registrari faciant, sub pœna indignationis S. D. N. & alijs arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

5. In generali Congreg. S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico, apud S. Petrum, coram S. D.N. ac Illustribus, & Reuerend. DD. S.R.E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus. Nonis Ianuar. anno à Natiuitate Domini nostri IESV Christi, &c.

QVINTILIANVS ADRIANVS Not.

Decretum de Regularibus pœnitentiatis in S. Officio.

FEria quinta prima Octobris 1626. in generali Congregatione S.R. & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano diuina Prouidentia Papa VIII. ac Illustriss & Reuerend. DD. S. R. E. Card. in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apost. specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. iustis de causis animum suū mouentibus, decreuit, & statuit, vt imposterum Regulares omnes cuiusuis Ordinis, Religionis, Societatis, & instituti, quibus pro delictis ad S Inquisitionis officium spectantibus, pœnitētiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiam si pœnitentię tēpus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamē promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S.D. N. vel ab hac sacra Congregatione coram SS. habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio quælibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac prætereà vocis actiuæ, & passiuę ipso facto incurrāt, ad quę restitui, nisi ab eodem S.D.N. vel ab eadem S. Congregatione coram SS. habenda, non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religiosorum Superioribus intimari mandauit idem S. D.N.

THOMAS DE FEDERICIS S. Romanæ, ac vniuers. Inquisit. Not. substitutus de mandato.

Locus sigilli.

Decretum de non imprimendis libris.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

IN generali Congregatione S. Romanę, & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S.D. N. Vrbano diuina prouidētia Papa VIII. ac Illustriss. & Reuer. DD. S.R.E. Card. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. pro debito sui Pastoralis Officij corrigere volens aduersus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absq; vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decreuit, vt imposterum nemo in statu prędicto degens, cuiusuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quauis materia tractantes, & vbicunque compositos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos, sine expressa in scriptis approbatione Illustriss. & Reuer. D. Cardinalis S. D. N. Vicarii, & Magistri S. Palatii, si in Vrbe, si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarii, & Inquisitoris loci illius, siue ab iisdem deputatorum facultate & licentia operi præfigenda; libros autem quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrarus quibuscunque non obstantibus, &c.

IO. ANTONIVS THOMASIVS S. Roman. & vniuers. Inquisitionis Notarius.

Breue S.D.N. PAVLI Papæ V. concessionis Indulgentiarum pro Cruce signatis; Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, eorumque vicarijs Consultoribus, Officialibus, cæterisque S. Officij Ministris, & seruientibus, vbique locorum constitutis.

PAVLVS Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM inter cæteras, quæ in Ecclesia Dei hactenus institutæ reperiuntur, Christi fidelium Confraternitates, illa ad Dei omnipotentis gloriam, & orthodoxæ fidei conseruationem, & propagationem satis vberes fructus attulisse, & in dies afferre dignoscatur, quę licèt in varias partes dispersa sub Cruce signatorum vocabulo, seu Sancti Petri Martyris inuocatione ad assistendum hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, auxiliumque quando, & quoties opus esset in Catholicæ fidei negotiis aduersus hæreticos, etiam vita ipsa præstandum, iampridem instituta existit, Nos paterna solicitudine, vt eadem Cruce signatorum Confraternitatem maiora suscipiat incrementa, quo specialibus priuilegiis decorata, & cælestis gratiæ donis adiuta fuerit, prouidere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus verè pęnitentibus, & confessis, qui eandem Confraternitatem pro tempore ingredientur, & in ea vbicunque locorum describentur, seu recipientur, die primo eorum ingressus, & receptionis huiusmodi, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum sumpserint, necnon tam ipsis quàm ad præsens existentibus prædictæ Confraternitatis Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione, si id commodè fieri potuerit, refectis, vel saltem contritis in eorum mortis articulo pium nomen IESV corde, si ore non potuerint inuocantibus: insuper dictis Confratribus similiter pœnitentibus, & confessis, qui aliquam ex Ecclesiis, vel Capellis, seu Oratoriis ipsius Confraternitatis, in Exaltationis S. Crucis, ac S. Petri Martyris festis diebus, seu eorum aliquo à primis vesperis vsque ad occasum Solis cuiuslibet dierum huiusmodi quolibet anno pro tempore deuotè visitauerint, & ibi pias ad Deum preces pro S.R.E. ac fidei Catholicæ felici statu, & e[illegible]one, hęresumque extirpatione, Romani Pontificis salute, & inter Christianos Principes seruanda pace, concordia, & vnione effuderint, quacunque festiuitate prædicta id pro tempore fecerint, si simul dictum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem Apostolica auctoritate tenore pręsentium concedimus, & elargimur. Prętereà eisdem Confratribus pariter pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis, vel Capellis, seu Oratoriis predictis in Inuentionis eiusdem sanctæ Crucis, & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis B. Marię Virginis,

necnon

necnon omnibus Sanctorum festiuitatibus, à primis similiter vesperis vsque ad occasum Solis dierum, festiuitatum earumdem deuotè etiam visitauerint, & vt supra orauerint, quo dierum festiuitatum huiusmodi id egerint, necnon etiam qui pro hæreticorum capturis, vel illis captis tuto deducendis associando, seu alias operam præstiterint, aut Processionibus iuxta eorum statuta, seu alias de locorum Ordinariorum licentia quandocunque faciendis, seu publicis, vel priuatis eorumdem hæreticorum abiurationibus, quandocunque, & vbicunque faciendis interuenerint, seu eorum conuersioni, & in fide Catholica instructioni incubuerint, vel ad Conciones, seu prædicationes, quæ contra illos fiunt, audien. ac denique ad illos, eorumque fautores, receptatores, & defensores impugnandos accesserint, seu in præmissis Inquisitoribus auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint, quo die præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, quadraginta annos de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs auctoritate, & tenore præmissis misericorditer in Domino relaxamus in forma Ecclesiæ consueta, quodque ijdem Confratres singulis annis diebus quinque altaria, si totidem ibi fuerint, aut saltem vnum Ecclesiæ loci, in quo ipsos pro tempore morari contigerit, deuotè visitando, ac genibus flexis Psalmum vnum, vel quinquies Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitando, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, quas consequerentur, si eo die Ecclesias vrbis, in quibus stationes habentur, visitauerint, consequantur, similiter auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & indulgemus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Decernentes nostræ intentionis existere, quòd præmissæ Indulgentiæ, & gratiæ tam singulis Inquisitoribus, & eorum Vicarijs, quàm Consultoribus, cæterisque Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis Officialibus, Ministris, & seruientibus, vbilibet commorantibus, & etiam in dicta Confraternitate minimè descriptis, muneri tamen suo, prout quemlibet respectiuè concernit, fungentibus, & aliàs præmissa peragentibus concessæ sint, & censeantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac regula nostra de non concedendis Indulgentijs adinstar, cæterisque in contrarium quomodolibet faciendis.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris die 29. Iulij 1611. Pontificatus nostri anno septimo.

S. COBELLVTIVS.

Romæ ex Typographia Cam. Apost. 1611.

F I N I S.